Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.



The Right Honorable

Washington Sewallis Earl Ferrers.

Digitized by Google

Digitized by Google

11183 d. 10

Digitized by Google


DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

Henry OPERVM Shirley

TOMVS QVINTVS.

MVLTA SVNT EX VARIIS BIBLIOTHEcis deſumpta, atque à diuerſis Catholicis doctiſſimiſq; viris conuerſa, antehac nunquam edita.

Omnium verò ſeriem ex ſequenti elencho cognoſces.



ANTVERPIAE,

Apud Ioannem Keerbergium,

ANNO M. DC. XIV.

Digitized by Google



Digitized by Google

AD POPVLVM ANTIOCHENVM,
Homilia LXXX. *quarum argumenta ſequuntur.*

1 Vino modico vtendum pagina 1. A
2 De Theodoſij magni Imperatoris pij imaginum ſubuerſione, & in dictum Apoſtoli, Diuitibus huius ſeculi præcipe, &c. 7. D
3 De legatione Flauiani epiſcopi pro ciuitate, & de detractione 12. D
4 De patientia, & tolerantia, & de abſtinentia à iuramentis 17. D
5 Quod mors non timenda, ſed peccatum, & de iuramentis omni ſtudio fugiendis 25. A
6 Quòd vtilis eſt principum timor, & de iuramentorum cuſtodia 25. D
7 Quòd triſtitia ad peccati deſtructionem vtilis, de creatione, & de fugiendo iuramento 29. D
8 Ad virtutem exhortatio, & de fugiendis iuramentis 32. D
9 De ſuperſtitione, & de non iurando, & de auſcultatione verbi poſt cibum 34. A
10 Contra gentiles enarratio, & de euitando iuramento 37. B
11 Gratiarum actio ad Deum 40. B
12 De creatione hominis 43. C
13 De mutatione triſtium, & de hominis creatione 46. C
14 De populo liberato ab omni anguſtia, & de iuramentorum abſtinentia 49. C
15 De calamitate ciuitatis Antiochiæ 53. B
16 De ſeditione eiuſdem ciuitatis 56. C
17 Ad magiſtratus à Theodoſio Imperatore miſſos, pro inquirendis ſtatuarum euerſoribus 59. D
18 De ieiunio, & in illud Apoſtoli: Gaudete in domino ſemper 63. A
19 Ad homines agros colentes 66. A
20 De regis cum ciuitate reconciliatione 69. A
21 Catecheſis ad illuminandos, de mulieribus ſe ſertis & auro ornantibus, & vaticinia, & incantationes ſectantibus 73. C
22 De pœnitentia, continentia, & virginitate 75. D
23 Quòd Chriſtianum oportet vitam rectam habere 84. A
24 De optima conuerſatione 85. D
25 De vita recta 88. D
26 Quòd ex minimis incipienda virtus 90. A
27 De iuramentorum abſtinentia 92. C
28 De fugiendis iuramentis 94. C
29 Contra iraſcentes 96. D
30 De ira 97. C
31 De ira, & longanimitate, & manſuetudine 100. A
32 De eleemoſyna, & miſericordia 101. D
33 Quòd ars eſt eleemoſyna, & omnium artium quæſtuoſiſſima 102. D
34 Quòd oportet multum circa Dei deſiderium ſtudium habere, & de eleemoſyna 104. A
35. 37 De eleemoſyna & miſericordia 107. A & 111. A.
36 Quòd magnum eſt bonum dimittere peccata in nos peccantibus, & de eleemoſyna 108. D
38 De humilitate & quiete 112. D
39 De humilitate, & quod præſentia, quaſi non ſint contemnenda 115. A
40 De pœnitentia, & q[illegible]d non oporteat de ſeipſo lapſum deſperare 117. A
41 De pœnitentia, & quòd magnum bonum eſt propria peccata agnoſcere 119. C
42 Quomodo propriæ animæ curam oporteat habere, de oratione, & pœnitentia 121. A
43 De vana gloria & ambitione 123. A
44 De liuore & inuidia 125. A
45 De inuidia & liuore 126. D
46 Quòd ſemper oporteat peccatum habere in memoria 128. B
47 Quòd ſupplicio peius eſt Dei regno priuari, & de iudicio 130. A
48 De tremenda iudicij die, & de dilectione Dei 132. C
49 De iudicio & auaritia, quæ non ex magnitudine, ſed ex voluntate iudicatur, & de his qui gehennalem pœnam non credunt. 134. A
50 De his qui gehennales pœnas credere nolunt, & de iudicio 136. C
51 De concordia & charitate, & de benefaciendo calumniantibus 139. A
52 In manſuetudine Chriſtus imitandus, de malorum obliuione, & quòd in virtute poſitum lædere nihil poteſt 140. B
53 De charitate ſecundū Deum, & inuido 142. D
54 Contra eos qui ebrietati & delitiis vacant 145. A
55 Contra luxuriantes & deditos delitiis, & de præſentis ſeculi conſummatione 147. C
56 De monachorum vita 149. D
57 De eadem, & de iudicio 151. A
58 De vita monachorum, & ſcripturarum lectione 153. D
59 De beneficio quod indigentibus exhibetur, & de vita monachorum 155. A
60 De ſumentibus indignè diuina ſacramenta 156. C
61 De ſacrorum myſteriorum participatione, & quòd communicare nolens, nec orationi dignus eſt intereſſe 158. C
62 Vtiles eſſe tentationes, & de tribulationum ſufferentia 161. D
63 Ob amorem Chriſti omnem oportere tribulationem ſufferre 163. D
64 Maximum in tribulationibus lucrum gratiarum actio 165. C
65 Deo gratias agere debemus, & quod nihil graue præceperit 166. C
66 Regnum cœleſte abſque tribulationibus & laboribus acquiri non poſſe 168. B
67 Hîc affligi, peccatorum exhibet remiſſionem 170. D
68 Infeſtantem magnanimiter ferre propter Deum, maius eſt, quàm benefacere 172. A
69 Peccatores lugendi viuentes & mortui 174. A
70 Pro defunctis non lugendum, ſed orandum potius 175. D
71 Nihil prodeſſe ieiunium, ſi reliqua deſint merita, & de oratione 177. D
72 Dei beneficia cogitare maximum ſacrificium, & de ieiunio 179. B
73 De ſanctæ quadrageſimæ ieiunio, & quod torpentibus nobis nulla excuſatio 180. B
74 Vtilem eſſe paupertatem Tomo 1
75 In id Euangelij ſecundum Matthæum: Cùm vidiſſet Ieſus turbas Tomo 2
76 In euangelium illud: Domine quoties peccabit in me frater meus Tomo 2
77 Quòd ad finem vſque ſtantem confidere non oportet, neque lapſum deſperare 182. D
78 Melius eſſe iniuriam pati, quàm inferre 184. B
79 De oratione 185. A
80 De pœnitentia 188. B.

DIDACTICA ET PARÆNETICA.

De ſacerdotio lib. VI. 194. A
De compunctione cordis lib. II. 227 A
De prouidentia Dei ad Stagirium monachum lib. III. 239. D
De prouidentia vel fato, ſermones VI. 168. A
De orando Deum, lib. II. 276. A
De laude Dei ſermo 281. A
De amore Dei, & tolerantia in aduerſis, ſermo 283. C
De gratiis Deo reddendis, non ſolùm verbis, ſed etiam operibus, ſermo 284. A
De oratione Dominica, homilia 286. C

Digitized by Google

In ſymbolum Apoſtolorum expoſitio, homiliæ II. 287.A
Ad neophytos, homilia 289.B
Ad baptizandos, homilia 291.B
De militia ſpirituali, homilia 294.C
De militia Chriſtiana, homilia 296.A
De eruditione diſciplinæ, homilia 298.B
De turture & Eccleſia, homilia 298.B
Quòd nemo læditur, niſi à ſemetipſo, declamatio 300.C
De virtutibus & vitijs, oratio 307.C
De charitate, quæ cuncta dirigit & perficit, ſermo 312.C
De manſuetudine, ſermo 313.B
Diligamus omnes, etiam perſequentes, ſermo 315.A
Vt benedicamus maledicentibus, Chriſti & ſanctorum exemplo, ſermo 316.B
Ne ſcandalum cuiquam fratrum ponamus, ſermo ibid.B
De malis à nobis euertendis, ſermo 318.A
De nequitia depulſa, & virtute inducta, ſer. 319.B
De excludenda vitiorum memoria 321.A
Carnis concupiſcentias ne ſectemur, ſermo 322.A
Virtutibus progenitorum ne confidamus, neque vitiis eorum trepidemus, ſermo 324.B
Contra deſperationem & ſuperbiam, ſerm. 325.B
De tarditate bene operandi, ne deſperemus, ſermo ibid.D
De nulla regni ſpe, vel honoris, ſed amore & charitate ingenti, ſermo 327.A
De inanis gloriæ cupiditate, ſermo 328.A
Contra luxum & crapulam, ſermo 329.D
Contra gulam & cæteras voluptates, ſermo 331.B
De leuium peccatorum periculis, ſermo 333.D
De vanitate & breuitate præſentis vitæ, ſer. 334.A
De pœnitentia, homiliæ X. 336.C
De pœnitentia, ſermo 361.C
De pœnitentia & confeſſione, ſermo 362.D
De confeſſione peccati, ſermo 364.A
De ieiunio, ſermones duo 365.B
De eleemoſyna & hoſpitalitate, ſermo 368.C
De miſericordia, ſermo 370.A
De miſericordia, & duabus mulieribus viduis, homilia 372.A
De diſpenſatione rerum tuarum per teipſum facienda, & vita monachorum, ſermo 373.B
Ne ſcrutemur pauperes curioſe, ſermo 375.C
Oratio calendis habita contra eos qui nouilunia obſeruant, & in dictum Apoſtoli: omnia in gloriam Dei facite 376.C
Quum presbyter eſſet deſignatus Ioan. Chryſoſt. de ſe ac de epiſcopo, deque populi multitudine, ſermo 380.B
De expulſione ſancti Ioannis Chryſoſt. homilia 382.A
Poſt reditum prioris exilij, homilia 383.B
De regreſſu ſancti Ioannis de Aſia Conſtantinopolim, homilia 384.D
Quum Sartoninus & Aurelianus acti eſſent in exilium, & Gainas egreſſus eſſet è ciuitate, & de auaritia, homilia 385.D
De recipiendo Seueriano 387.D
Seueriani epiſcopi de pace, ſermo 388.A.

EPISTOLAE SEPTEM.

Innocentio epiſcopo Romano 389.B
Ad eundem Innocentium 390.D
Cyriaco epiſcopo exuli 391.D
Ad epiſcopos & presbyteros ob pietatem carcere incluſos 392.B
Ad Theodorum lapſum parænefis prior, vel, de reparatione lapſi 393.C
Ad Theodorum monachum 405.C.

APOLOGETICA.

Contra Gentiles, Babylæ epiſcopi & martyris vitam continens, lib. I. 409.B
Aduerſus Iudæos, orationes V. 426.B
De incomprehenſibili Dei natura, contra Anomœos, homiliæ V. 456.A
De anathemate, ſermo 475.D
Aduerſus Gentiles demonſtratio, quòd Chriſtus ſit Deus 477.D
Contra Anomœos, ſermo 486.C
Aduerſus hæreticos, ſermo 488.A
Contra Iudæos, Gentiles, & Hæreticos, ſer. 490.C
De comparatione regis & monachi, lib. I. 493.A
Aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ, lib. III. 495.B
In Eutropium, ſermo 527.C
Quòd regulares fœminæ viris cohabitent, ſermo 529.C
Contra concubinarios, & eos qui fouent ſorores adoptiuas 536.C
Miſſa D. Ioannis Chryſoſtomi. 544.A.

IN SVPERIORI EDITIONE ADdita ſunt quæ ſequuntur, ſeorſum prius impreſſa.

De virginitate liber I. primùm editus eſt Romæ anno 1562. 554.A
De prouidentia oratio 582.A
De diuitiis & paupertate 584.A
De auaritia oratio 586.D
De ingluuie & ebrietate oratio 589.A
De non contemnenda eccleſia Dei & myſteriis oratio 590.B
De anima oratio 592.A
De humilitate animi oratio 593.B
De aduerſa valetudine & medicis oratio 595.A
De muliere & pulchritudine oratio 596.B
De iuramento oratio 599.A
Aduerſus eos qui in delitiis agunt oratio ibid.B
Quod vbi ira, ibi non ſit Spiritus ſanctus 600.A
De oratione 601.D.

NVNC PRIMVM EDITA.

Epiſtolæ duæ ad viduam iuniorem 602.D
Epiſtolarum liber ad varios 611.A
In ſanctum martyrem Ignatium laudatio 686.A
In principes Apoſtolorum oratio encomiaſtica 689.A
In ſanctos duodecim Apoſtolos homilia 690.D
De euangelico oraculo, In principio erat verbum 693. A
De ſerpente Moſis 696.C
De paralytico 704.A
De paſtore & oue 708.B
De dicto, Sufficit tibi gratia mea 712.B
De vitiis & virtutibus 717.B
De laudibus ſedulorum auditorum, & de dedecoro diuinarum laudum 722.A
De legiſlatore veteris & noui teſtamenti, & de veſte ſacerdotali 726.B
De diuerſis martyribus 730.C
De ſigillis librorum 736.C
Notationes in B. Chryſoſtomi ſententias 756.A
Diſſimilia ex diuo Chryſoſtomo collecta 769.A
Adagia ex eodem 832.A
Locorum ambiguorum pia & germana explicatio 705.A
Florum diui Ioannis Chryſoſt. index & epitome 841.A.

ORATIONES NOVEM, QVARVM HAEC ſunt argumenta.

In annuntiationem 909.A
In ſancta Theophania 910.B
In ſanctum præcurſorem 912.D
De filio prodigo 914.A
In ſaltationem Herodiadis 917.D
In illud, collegerunt Iudæi concilium, &c. 919.A
In 10 Virgines 920.A
In meretricem 921.D
In Paraſceue 923.B
In has orationes ſcholia 926.

CATALOGI FINIS.

Digitized by Google

DIVI

IOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, HOMILIAE LXXX. AD POPVLVM ANTIOCHENVM POTISSIMVM HABITÆ, BERNARDO BRIXIANO INTERPRETE, QVARTVM BONA PARS NVNC AD Græca eſt collata & emendata per Sigiſmundum Gelenium.

Homilia prima Antiochiæ habita, cùm adhuc Presbyter eſſet, in illud Apoſtoli: Vino modico vtere propter ſtomachum, & frequentes infirmitates tuas.

AVDISTIS Apoſtolicam vocem? tubam cœleſtem? lyram ſpiritualem? Etenim tanquam tuba terribile canens, & bellicum, hoſtes quidem conſternit, lapſos autem ſuorum ſenſus excitat, & multa implens fiducia mentem adhibentes, diabolo inexpugnabiles reddit. Et tanquam lyra, rurſum multa cum iucunditate delectans abſurdarum morbos cogitationum ſopit, & multam cum voluptate nobis affert vtilitatem. Audiſtis igitur hodie de multis & neceſſariis rebus Timotheo diſſerentem? (1. Tim. 5. d.) Etenim de electionibus ad ipſum ſcripſit, dicens: *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.* Et intolerabile talis præuaricationis periculum appoſuit, demonſtrans quod malorum ab aliis perpetratorum ſupplicium alij cum illiſipſis ſuſtinebunt: quia propter poteſtatem electionis, pœnæ traduntur. Mox rurſus inquit: *Vino modico vtere propter ſtomachum, & frequentes tuas infirmitates.* Et de ſeruorum ſubiectione, & de auarorum inſania, & de diuitum arrogantia, & de multis aliis nobis hodie diſſeruit. Poſtquam igitur omnia percurrere non poſſumus, quid vultis è commemoratis proponentes charitati veſtræ dicamus? Velut enim in prato multos & varios video lectionis flores, & amplum roſarium: multas vero violas, nec pauciora lilia, ſed & varium vbique & copioſum Spiritus fructum diſſeminatum, & multam odoris ſuauitatem. Imò verò non tantummodo pratum, verùm & paradiſus eſt diuinarum lectio ſcripturarum: non enim fragrantiam ſolum nudam habent eius flores, ſed & fructum, qui animam nutrire poſſit. Quid igitur de dictis in medium vultis agamus hodie? Vultis quod omnium viliſſimum eſſe videtur, & à quibuſque intelligi facillimum, hoc id præſenti tractemus? Mihi nempe placet, ſed & vobis hoc, bene noui, pariter placebit. Quid verò tandem eſt aliis facilius? Quin autem aliud, quàm quod & cuilibet facile & dictu compendioſum eſſe videtur? Quale quidem iſtud: *Modico vino vtere*, inquit, *propter ſtomachum*, & crebras ægritudines tuas. Eia igitur omnem orationem in hanc impendamus dictionem. Hoc autem facimus non ambitionis gra-

A tia, neque in dicendo facultatis oſtentationem exhibere ſtudentes: non enim quæ dicuntur noſtra ſunt, ſed quæ Spiritus gratia indulſerit: ſed vt auditores & ſegniores excitemus, & quantus ſit ſcripturarum theſaurus, & quod neque liberum, neque tutum eas prætercurrere, perſuadeamus. Si enim tenuis hæc, & compendioſa dictio, & quæ nihil neceſſarium multis habere videtur, multarum cauſam diuitiarum, & diſciplinæ profundiſſimæ occaſiones nobis præbere viſa fuerit: multo magis illa quæ & ex ſe domeſticam oſtentant copiam, infinitis theſauris animaduertentes implebunt. Igitur nec illas quidem, quæ tenues eſſe putantur, ſcripturarum ſententias prætermittamus. Nam & ipſæ de Spiritus gratia ſunt. Spiritus B autem gratia nunquam parua & vilis, ſed magna (Simile.) & mirabilis, & dantis munificentia digna. Ne igitur otioſè audiamus, quoniam & metallorum terram excoquentes, poſtquam in caminum ipſam iniecerint, non tantum auri maſſas tollunt, ſed & paruas bracteolas multa cum ſedulitate colligũt. Quoniam igitur & nos aurum Apoſtolicis hauſtum metallis excoquimus, non in fornacem iacientes, ſed in animæ noſtræ cogitationes immittentes: non flammam accendentes, ſed ignem Spiritus excitantes, & paruas micas cum diligentia colligamus. Si etenim breue verbum, ſed multa virtus: quoniam & gemmæ non in corporis mole, ſed naturæ pulchritudine pretium habent: ſic & ſcripturarum lectio. Externa vero doctrina multas C iactans nugas, & multa detinens auditores loquacitate, vacuis remittit manibus, nullum neque magnum, neque paruum lucratos emolumentum. Spiritus vero gratia non huiuſmodi, ſed in contrarium tota, per modica verba omnibus aduertentibus diſciplinam affert. Et multis ſæpe verbum vnum ſufficit hinc excerpſiſſe, vt totius vitæ initium habeant. Poſtquam igitur tanta adeſt copia, nos ipſos excitemus, & vigili mente quæ dicuntur ſuſcipiamus: ad magnam enim profunditatem ſermonem dimittere paro. Multis enim, etiam ſuperflua & ſuperabundans eſſe hæc admonitio quodammodo videtur, & talia dicunt verba: Non per ſeipſum poterat Timotheus coniicere, qua re vti oporteret, verùm à præceptore diſcere expectat? quid vero præceptor? non tantum imperauit,

Digitized by Google

ſed & literis inſeruit, tanquam æreæ columnæ, datæ ad ipſum epiſtolę agglutinãs: nec erubuit huiuſmodi palàm ſcripturæ mandare, ad diſcipulum de publicis negotiis ſcribens? Vt igitur diſcas, quod non tantùm non eſt inanis admonitio, ſed neceſſaria & vtiliſſima fuit: & non Pauli eſt hoc, ſed ſpiritus gratiæ: non tantum dictum, ſed & literis inſertum eſſe, & omnibus poſteris per hanc epiſtolam traditum eſſe: ad ipſam mox probationem veniemus. Ad hæc autem & aliud non minus quàm hoc, dubitant quidam intra ſe quærentes, qua de cauſa permiſit Deus virum tantam habentem poteſtatem, vt eius oſſa & reliquiæ dæmones expellerent, in tantam ægritudinem incidere? Non enim leuiter ægrotabat, ſed continuè, ſed alternis & iugibus infirmitatibus, nec minimum quidem ipſum reſpirare indulgentibus. Vnde hoc manifeſtum? ex ipſis Pauli verbis. Non enim dixit propter ægritudinem, ſed propter mul.as ægritudines. Neque ſimpliciter propter infirmitates: ſed ipſarum continuationem ſignificans, dicebat: *frequentes tuas infirmitates.* Audiant qui modico traditi languori ægrè ferunt & indignantur. Non ſolùm autem hoc eſt quod quæritur, quòd cum eſſet ſanctus, ægrotabat, & ſic continue ægrotabat, ſed etiam quod publica negotia ipſi erant credita. Si enim vnus eſſet illorum, qui in montium vertices ſeceſſerunt, & in ſolitudine cellas compegerunt, & otioſam huiuſmodi vitam elegerunt, non eſſet tam dubium quod quæritur. In medium vero prouectum, & tot eccleſiarum curas habentem creditas, & vrbes totas, & gentes, & totum terrarum orbem tanta cum ſedulitate & ſtudio adminiſtrantem, infirmitatis neceſſitati traditum eſſe, hoc eſt quod maximè non animaduertentem omnino in ſtuporem agere poteſt. Et ſi enim, inquit, non propter ſe, ſaltem propter alios ipſum valere oportebat. Imperator erat optimus: bellum ab eo gerebatur, non contra infideles tantum, ſed & contra dæmones, & contra ipſum diabolum. Multa cum vehementia hoſtes omnes imminebant, diſſipantes exercitum, & in captiuitatem trahentes. Hic verò infinitos ad veritatem ducere poterat, & ægrotabat. Etſi enim, inquit, nullum præterea damnum ex hac im becillitate rebus inferretur, ea ipſa fideles pigriores & torpidiores reddere poterat. Nam ſi milites ducem ſuum lecto detentum cernentes, ſegniores fiunt, & ad pugnam tardiores: multo magis par erat & fidelem præceptorem poſt tot ſigna operum intuentes continuè ægrotantem, & corporis morbo laborantem, humanum quiddam eſſe perpeſſos. Nec verò hæc tantum, ſed & aliud quiddam dubitantes quærunt. qua de cauſa rurſum neque ſe ipſe, neque ipſius præceptor ita confectum curauit: ſed mortuos quidem ſuſcitabant, & dæmones expellebant, & mortem facile vincebant, corpus vero ægrotum non inſtaurabant. Et qui in alienis corporibus etiam mortuis tantam exhibuêre virtutem, ſtomachum lapſum non releuabant: & quod maius eſt, non veretur, nec erubeſcit Paulus poſt tot & talia ſigna, quæ vel nudo præſtitit verbo, Timotheo ſcribere, vt ab aquæ potu confugiat ad vini medelam. Non quòd vinum bibere turpe ſit: abſit: (hæc ſunt enim hæreticorum præcepta) ſed quod dedecus eſſe non putaret, non poſſe abſque illius auxilio vnum laborans membrum erigere. Verum enimuerò tantum abfuit vt de hoc erubeſceret, quod & omnibus poſteris hoc fecit manifeſtum. Videtis in quantam ſermonem egimus profunditatem: quomodo quod paruum eſſe videtur, innumeris quæſtionibus ſcaturit? Eia igitur & ſolutionem afferamus. Idcirco enim ad imum deſcendimus, vt mentem noſtram excitantes, in tuto ſenſus collocemus. Concedatis autem mihi, quæſo, priuſquam his quæſtionibus ſolutionem afferam, aliquid de Timothei virtute, & Pauli cura di-

A cere. Quid enim illo fuit amantius, qui tanto abſens interuallo, & tot circumuentus negotiis, pro ſtomachi ſanitate diſcipuli tantam prouidentiam gerebat, & cum ſedulitate de morbi correctione ſcribebat? Timothei vero virtuti quid æquale? Sic delicias aſpernabatur, & lautam menſam deridebat, vt in morbum ex victus aſperitate, & nimio caderet ieiunio. Quod enim natura talis non eſſet, ſed ieiunio & aquæ potu ſtomachi vim proſtraſſet, ipſum Paulum diligenter hoc manifeſtantem audite. Non enim ſimpliciter dixit, *Vino modico vtere*: ſed cum prius dixiſſet, *Noli adhuc aquam bibere*, tunc bibendi vini conſilium attulit. Noli adhuc, verbum eſt ſignificantis, quod euſque aquam bibebat, & propterea imbecillis factus eſt. Quis non admiretur ipſius diſciplinam & diligentiam? ipſos attigegerat cœlos, virtutis curſum conſummauerat. Et hæc ipſi præceptor atteſtatur, ſic dicens: *Miſi vobis Timotheum, qui eſt filius meus dilectus, & fidelis in domino.*

1. Tim. 5. d.

1. Cor. 4. d.

B Quando autem Paulus ipſum vocat filium, & filium dilectum, & fidelem, hæc verba omnem ipſius virtutem demonſtrare ſufficiunt. Sanctorum enim iudicia nec ad gratiam, nec ad inimicitiam fiunt, ſed ab omni ſunt dubitatione libera. Non fuiſſet tam beatus Timotheus, ſi Pauli filius à natura fuiſſet, quàm nunc eſt admirabilis: quoniam ſecundum carnem nihil ad ipſum attinens, per cognationem, quæ eſt ſecundum religionem, in ipſius ſe adoptionem induxit, cum ſedulitate diſciplinæ illius characteres in omnibus ſeruans. Sicut enim vitulus tauro coniugatus, ſic iugum cum illo trahebat vbique terrarum, & nihilo propter ætatem deciebat: ſed ſtudium, vt cùm præceptoris laboribus contenderet, præſtabat. Et horum teſtis rurſus ipſe Paulus, ſic dicens: *Nemo ipſum contemnat: opus enim domini operatur, ſicut & ego.* Vidiſti quàm incommutatum ſtudium ipſi atteſtatur? Mox ne hæc ad gratiam dicere videatur, ipſos auditores filij virtutis teſtes facit, ſic inquiens: *Probationem autem ipſius noſtis, quod tanquam patri filius, ſic mecum ſeruiuit in Euangelio*: experientiam vos cepiſtis virtutis ipſius, & probatæ animæ.

1. Cor. 16

C

Phil. 2. c.

Verumtamen cum ad tantam officiorum altitudinem aſcendiſſet, neque ſic confidebat: ſed in certamine erat, & timore: ideoque cum inſtantia ieiunabat, neque illud paſſus eſt quod multi, qui decem tantum, vel viginti menſes ieiunio ſe tradentes, repente omnia diſſoluunt. Sed ille nihil tale paſſus eſt, neque tale quippiam intra ſeipſum dixit: Quid mihi deinceps opus eſt ieiunio? Victor euaſi, cupiditates ſuperaui, corpus meum mortificaui, dæmones terrui, diabolum depuli, mortuos reſuſcitaui, leproſos mundaui, contrariis poteſtatibus terribilis ſum. Quid mihi amplius ieiunium, & vlterior cautela? Nihil tale dixit, aut cogitauit: ſed quanto magis innumeris affluebat meritis, tanto magis timebat & tremebat.

Quomodo Timotheus corpus ſuum mortificabat.

D Et hanc à præceptore diſciplinam diſcebat: etenim ille in tertium raptus cœlum, & in paradiſum delatus, & auditis ineffabilibus verbis, & myſteriorum factus talium particeps, cum orbem totum percurriſſet, tanquam alis quibuſdam fultus, ad Corinthios ſcribens dicebat: *Vereor ne forte cum aliis prædicauero, ipſe reprobus ſim.* Si vèrò Paulus poſt talia & tot officia timet, qui dicere potuit: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: multò magis nos timere oportet, & tantò magis, quantò maiora fuerimus beneficia conſecuti. Tunc enim diabolus ſæuior efficitur, tunc magis efferatur, cum viderit nos cum diligentia vitam noſtra diſponentes, cùm viderit virtutis onera compoſita, & magnos aceruos, tunc grauius inferre naufragium ſtudet. Vilis enim & abiectus etiamſi ſupplantatus fuerit, & ceciderit, non tantum communi vitæ cladis infert: in alia vero quadam tanquam virtutis ſpecula cũ multa claritate conſtitutus: & qui omnibus manifeſtus & cognitus ſit, & ab omnibus in admiratio-

1. Cor. 9. d

Gal. 6. d.

ne

Digitized by Google

...entatus ceciderit, magnam ne habeatur, qua... acit: non tantùm quoniam ex ruinam & iactur... uoniam & aliis multis ſcandali alto cecidit, ... ipſum reſpicientibus. Et ſicut in materia eſt, quidem membro corrupto, non magnum corpore, ... amnum: oculis verò læſis, vel capite ... totum corpus inutile redditur: ſic & in ... & magna emeritis, dicendum eſt. Quando illi extincti fuerint, cùm maculam quampiam admiſerint: totum & reliquum corpus intolerabile detrimentum patitur. Hæc igitur omnia nota habens Timotheus, vndique ſe muniebat. Sciebat quod difficilis res eſt iuuenta, quod iactabilis, fallibilis, labilis eſt, & vehementioris indiget fræni: pyra enim quædam eſt, exteriora apprehendens omnia, facileque ac celeriter ſuccendens. Idcirco ipſam vndique obſtruebat, vt compeſceret, & huius flammam omni modo extinguere ſtudebat: & equum effrænem, & vix habenis parentem, multa eum vehementia angebat, donec ipſius laſciuias circumcideret, donec obedientem redderet, & traderet, magna cum poteſtate rationis ipſum ducentis imperio. Infirmetur, inquit, corpus, & non infirmetur animus: refrænetur caro, & animæ ad cœlum curſus non impediatur. Adhæc autem & illud maximè quiſque in ipſo mirari poſſet, quod tantùm debilitatus, & tanta cum ægritudine luctans, Dei negotia non negligebat, ſed amplius quàm valentes, & corpore vigentes circunquaque volitabat, iam Epheſum, iam Corinthum, in omnique mari, in omni ſolo cum præceptore apparens, omnibus incertaminibus & continuis periculis cũ ipſo communicabat. Nec animi ſapientiam redarguit corporis imbecillitas: tantum valet in Deum zelus, tam leues efficit alas. Sicut enim corpora habentibus pinguia & valida, nullum erit valetudinis emolumentum, ſi animus deiectus fuerit, & ſegnis, & degener: ſic & confectis nullum erit ex imbecillitate nocumentum, ſi animus generoſus & expergefactus fuerit. Videtur autem quibuſdam hæc admonitio & conſilium, liberioris vini potus poteſtatem indulgere. Sed non ita eſt. Cæterum ſi quis dictionem hanc diligenter exquirat, de ſobrietate magis eſt admonitio. Cogita enim quomodo non à principio, neque ab exordiis hoc conſilium Paulus dederit, ſed poſtquam vidit omnem virtutem deiectam, tunc conſuluit: neque hoc ſimpliciter, ſed cum præfinitione quadam: non enim ſimpliciter dixit, vino vtere: ſed vino modico, non quod hac admonitione & conſilio Timotheus egeret, ſed quod nos indigemus. Idcirco ad illum ſcribens, nobis bibendi vini menſuram & terminos ſtatuit, tantum bibere iubens, quantum valetudinem adiuuet; quantum corpori ſanitatem præbeat, & non alterum morbum: non pauciores enim, quàm continuatus aquæ potus, ſed multo plures & difficiliores animi & corporis morbos immodica vini parit potatio, paſſionum bellum, abſurdarum cogitationum hyemem menti introducens, & corporis vim molliorem & ſolubiliorem efficiens. Non enim ita terræ natura vexata aquarum ſuperabundantia continuè diſſoluitur, vt corporis vis molleſcit, & diffluit, & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata. Fugiamus igitur vtrinque intemperantiam, tum corporis valetudinem curando, tum ipſius laſciuias recidendo. Vinum enim à Deo datum eſt, non vt inebriemur, ſed vt ſobrij ſimus: vt delectemur, non

Pſal. 103. d. vt doleamus. *Vinum enim lætificat*, inquit Dauid, *cor hominis*: tu vero ipſum triſtitiæ materiam facis. Etenim animo grauato ſunt ſupra modum ebrij, tenebris multis menti offuſis. Medicina optima eſt, quando commenſurationem habet optimam. Hic locus & contra hæreticos vtilis eſt, Dei creaturam accuſantes: ſi enim de vetitis eſſet, non permiſiſſet Paulus, non vino vtendum dixiſſet. Non ſolùm autem contra hæreticos, ſed & contra fratrum noſtrorum ſimpliciores, qui poſtquam aliquos præ ebrietate ſe deturpantes viderint, illos vituperare omittentes, fructum à Deo datum calumniantur, dicentes, Non ſit vinum. Ipſis itaque dicamus, Non ſit ebrietas. Vinum enim Dei, ebrietas autem diaboli opus eſt, non vinum ebrietatem facit, ne Dei creaturam accuſes, ſed conſerui inſaniam argue. Tu verò peccantem punire & corrigere omittens, benefactorem afficis contumelia. Cùm igitur quoſdam hæc dicentes audierimus, obmuteſcere faciamus. Non enim vſus, ſed immodeſtia ebrietatem facit: ebrietatem, inquam, malorum omnium radicem. Vinum datum eſt, vt corporis imbecillitatem corroboret, non vt animi ſanitatem exterminet. Noli igitur immoderatè Dei munere vtens, ſtultis & imprudentioribus hominibus occaſiones præbere. Quid enim ebrietate miſerabilius? Mortuus eſt animatus, ebrius, dæmon eſt voluntarius: morbus veniam non habens, ruina excuſatione carens, commune generis noſtri opprobrium. Non enim in conuentibus tantùm inutilis ebrius, aut in priuatis & publicis negotiis, ſed etiam ſolo eſt aſpectu omnium grauiſſimus, fœtores exhalans teterrimos, eructationes & oſcitationes, & voces ebriorum inſuaues atque moleſtæ, eos qui ſpectant, & ſimul ſunt extremæ abominationis implent. Et quod malorum caput eſt, cœlum ebriis inuiſum hic morbus efficit, nec æterna bona aſſequi permittit, ſed poſt vitæ huius opprobrium, & illic tali morbo laborantes, pœna manet æterna. Hanc igitur improbam conſuetudinem recidamus, & Paulum audiamus dicentem: Vino modico vtere. Etenim ipſum modicum propter infirmitatem permiſit: quod niſi imbecillitas vexaſſet, neque modicum admittere diſcipulum coegiſſet. Neceſſarium enim eſt nobis traditos cibos & potus temporibus & neceſſitatibus ſemper metiri, & nullatenus neceſſitatem excedere, neque imprudenter & temere quid facere oportet. Sed poſtquam Pauli curam, & Timothei virtutem didicimus, eia deinceps ad ipſam quæſtionum ſolutionem ducatur oratio. Quæ igitur ſint quæ quæruntur, iterum dicere neceſſarium eſt, vt ſolutio manifeſtior efficiatur. Quã de cauſa ſanctum talem, tractantem negotia, in morbum Deus incidere permiſit, & neque ipſe, neque præceptor ægritudinem curare potuerunt, ſed bibendi vini auxilio opus habuerunt? Et quæſita quidem hæc erant. Oportet autem ipſam inferre ſolutionem, vt non tantũ qui in morbum & ægritudinem talem, ſed & quicunque in pauperiem inciderunt, & peſtem, & vincula, & tormenta, & tentationes, & calumnias, omnia præſentis vitæ incommoda, ſancti, & magni, & admirabiles ex rebus hodie dicendis idoneam & manifeſtiſſimam in illis quoque defenſionem contra accuſare volentes, inuenire poſſint. Multos etenim audiui talia quærẽtes: Quid tandem ille modeſtus & manſuetus homo ab alio quodam impio & improbo per ſingulos dies trahitur, & innumeras patitur moleſtias, & Deus permittit? Quare alter accuſatus iniuſtè mortuus eſt? Ille ſubmerſus eſt, inquit, alius præcipitatus? Et multos poſſumus referre ſanctos & tẽporibus noſtris, & maiorum noſtrorum, qui multas ſuſtinuerunt tribulationes, differentes & varias. Vt igitur horum omnium rationem videamus, & neque ipſi tumultuemur, neque alios ſcandalizatos negligamus, nunc diligenter dicendis intendamus. Variæ enim & omnimodæ ſanctorum afflictionis cauſas numero octo charitati veſtræ dicere poſſum. Idcirco omnes voſipſos cum diligentia colligite, ſcientes quòd nulla deinceps nobis venia & excuſatio dabitur, ſi de contingentibus ſcandalizemur, quippe quicum ſint multæ occaſiones, tanquam nulla ſit, ita tumultuabimur & perturbabimur. Cauſæ afflictionũ.

Itaque prima quidem eſt, quòd cùm facilè in arrogantiam propter meritorum magnitudinem & miraculorum tollantur, ipſos ſinit affligi. Secunda, ne cæteri maiorem habeant de ipſis opinionem, quàm humana patitur natura, & ipſos deos, non autem homines eſſe arbitrentur. Tertia, vt & Dei virtus appareat per ægrotantes, & compeditos, exuperans & prædicationem augens. Quarta, vt ipſorum illorum patientia manifeſta fiat, non propter mercedem Deo ſeruientium, ſed & tantam exhibentium gratitudinem, vt & poſt tot mala ſyncera in ipſis beneuolentia oſtendatur. Quinta, vt de reſurrectione cogitemus: cum enim virum iuſtū, & multa plenum virtute, innumera paſſum mala, & ſic hinc digreſſum videris, oportet ex hoc omnino aliquid de illo iudicio cogitare. Si enim homo pro ſe laborantes ſine præmiis & retributione abire non permittit: multò magis eos, qui tantum laborauerunt, nunquam incoronatos remanere Deus decerneret. Si autem ipſos laborum ſuorum retributione priuare non elegit, omnino neceſſe eſt quoddam aliud tempus eſſe poſt præſentium finem, per quod præſentis vitæ laborum retributiones reciperent. Sexta, vt omnes in grauia incidentes, ſufficientem conſolationem & mitigationem habeant in eos reſpicientes, & malorum quæ ipſis accidere recordantes. Septima ne quando exhortamur vos ad illorum virtutem, & cuique dicimus, imitare Paulum, imitare Petrū, propter geſtorum exceſſum alterius ipſos naturæ participes fuiſſe cogitantes, ad imitationem torpeatis. Octaua, vt quando beatos vel miſeros cenſere oportet, diſcamus quos quidem beatos, quos autem miſeros & ærumnoſos putare debeamus. Igitur hæ quidem ſunt cauſæ: ſed oportet eas omnes ex ſcripturis cōfirmare, & diligenter demonſtrare quòd omnia dicta non humanarū rationum adinuentio, ſed diuinarum ſcripturarum eſt ſententia. Sic enim & oratio erit nobis fide dignior, & melius animis noſtris inſidebit. Quòd tribulatio quidem conferat hoc ſanctis, vt moderentur & humilientur, nec inflentur ex geſtis & ſignis, & propter hoc ipſam euenire Deus permittat, prophetam Dauid & Paulum eadem dicentes audiamus. Nempe ille quidem dicit: *Bonum mihi domine, quia humiliaſti me*: hic autem præfatus, *Raptus ſum in paradiſum*, ſubintulit dicens: *Et ne reuelationum magnitudo extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis angelus ſatanæ*. Quid hoc apertius? ne extollar, inquit, propter hoc permiſit Deus angelos ſatanę colaphizare me. Angelos autem ſatanæ, non dæmones aliquos dicit, ſed homines diabolo miniſtrantes, infideles, tyrannos, gentiles, qui continuè ipſum tribulabant, & ſemper inſequebantur. Quod autem dicit, huiuſmodi eſt? Poterat, inquit, Deus continere perſecutiones & tribulationes aſſiduas: ſed quoniam in tertium raptus fui cœlum & in paradiſum delatus, ne harum magnitudine reuelationum extollar, & altum ſapiam, permiſit perſecutiones has, & angelos ſatanæ perſecutione & tribulatione me colaphizare, ne extollar. Quoniam igitur ſancti & admirabiles Paulus & Petrus, & omnes quicunque tales, qualeſcunque ſunt tamen homines ſunt, & multę cautionis, ne facilè extollantur, indigent, & maximè omnium ſancti: nihil enim ſic in arrogantiam extollere conſueuit, vt officiorum conſciētia, & anima cum libertate viuens: ne quid igitur tale illi patiantur, tentationes, & tribulationes eſſe conceſſit, quæ poſſent ipſos corripere & perſuadere, vt in omnibus moderatè agerent. Quod autē ad demonſtrandam Dei virtutem hoc magnopere conferat, & hoc ab eodem Apoſtolo diſce, qui prius hoc dixerat. Ne enim dicas, quod infideles putant, Deum talia permittentem debilem eſſe, nec ſuos periculis eripere poſſe, quod ipſos affligi continuè concedat. Hocque conſidera, quomodo per hæc demonſtrauit Paulus, quod non tantùm quæ fierent, ipſius imbecillitatem no[...]uerent, ſed amplius potentiam omnibus oſtētar[...] Cùm enim dixiſſet: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis, ange[lus ſatanæ], qui me colaphizet*: & continuas propterea te[ntati]ones demonſtraſſet, intulit: *Propter quod ter domin[um r]ogaui, vt à me diſcederet, & dixit mihi: ſufficit tibi gratia [mea]: nam virtus mea in infirmitate perficitur.* Tunc mea, inqu[it] potentia demonſtratur, quando vos in imbecillitate [eſ]tis & per vos qui videmini eſſe debiles, prædicationis verbum augetur, & vbique diſpergitur. Quando igitur in carcerem, innumeris ſuſceptis verberibus deductus fuit, carceris cuſtodem vinxit. In ligno erant pedes, in catenis manus, & carcer [s]ub mediam noctem quatiebatur, ipſis Deum laudantibus. Cernis quomodo ipſius virtus in infirmitate perficiebatur? Si fuiſſet ſolutus Paulus, & illud habitaculum concuſſiſſet, non fuiſſet tam mirandum, quod fiebat: idcirco inquit, Remane vinctus, & commoueantur parietes vndique, & ſoluantur compediti: vt magis virtus mea euidens ſit, dum per te conſtrictum & colligatum omnes vincti ſoluuntur. Hoc ipſum igitur & carceris cuſtodem nunc perculit, quod cùm tanta teneretur neceſſitate, per orationem ſolam potuit fundamenta quidem quaſſare, fores vero carceris aperire, & omnes vinctos ſoluere. Non hic autem ſolùm, ſed etiam in Petro, & in ipſo Paulo, & aliis quoque Apoſtolis videre quiſpiam poſſet hoc iugiter euenire, & in perſecutionibus Dei gratiam efflorentem & apparentem in tribulationibus, & ſic virtutem ſuam prædicantem. Idcirco dicebat, *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Quod autem & humana natura maiora multi ſæpius de ipſis ſuſpicaturi erant, niſi talia patientes vidiſſent, audi quomodo timuit Paulus. *Nam & ſi voluero*, inquit, *gloriari, non ero inſipiens: parco autem, ne quis me exiſtimet ſupra id quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Quid autem eſt quod dicit? poteram, inquit, multò maiora dicere miracula, ſed nolo, ne fortè ſignorum magnitudo maiorem de me hominibus ſuſpicionem inducat. Propterea & Petrus poſtquàm claudum erexit, & omnes ipſum admirabantur, ſeipſum corripiens & perſuadens, quod nihil à ſeipſo & de proprio exhibuerat, dicit: *Quid nos intuemini tanquam propria virtute vel poteſtate fecerimus hunc ambulare?* Et rurſus in Lyſtris non ſolùm erant obſtupefacti, ſed & tauros coronatos duxerunt, & Paulo & Barnabæ immolare aggrediebantur. Vide diaboli malitiam. Per quos Dominus ex mundo impietatem expurgare ſtudebat, per hos ipſam ille inducere curabat, rurſum perſuadens deos homines eſſe putare: quod & prioribus fecit temporibus. Et hoc maximè eſt quod idololatriæ principiū & radicem introduxit. Multi enim qui & bella benè geſſerant, erexerant trophæa, & vrbes ædificauerant, & aliis huiuſmodi demeruerant ſui temporis homines, dij à multis exiſtimati ſunt, & templis & aris honorati. Et omnis gentilium deorum numerus ex his omnibus conflatus eſt. Ne hoc & in ſanctis fieret, permiſit ipſos Deus continuè pelli, flagellari, in varios incidere morbos: vt nimia corporis imbecillitas, & tentationum turba præſentibus perſuaderet, quòd homines erant talia edentes miracula, nihilque de ſuo afferebant, ſed nuda gratia per illos omnia operabatur. Si enim parua & vilia operatos, deos putauerunt: multò magis ſi nihil paſſi fuiſſent humanum, hos ſuſpicati fuiſſent qui talia fecerunt, qualia nemo vnquam neque vidit, neque audiuit. Si enim cùm ipſi flagellarentur, præcipitarentur, ligarentur, pellerentur, periclitarentur quotidie, tamen in hanc impiam opinionem quidam ceciderūt: multo magis ſi nihil humanum paſſi fuiſſent, huiuſmodi fuiſſent exiſtimati. Igitur hæc quidem tertia afflictionis cauſa. Quarta verò, ne ſancti propter præſentis fœlicitatis ſpem Deum colere putentur.

Pſal 118. f. 2. Cor. 12. b. Ibidem. Act. 16. 2. Cor. 12. Act. 3.

Etenim multi in laſciuia viuentium, à multis ſæpius accuſati, & ad virtutis vocati labores, & ſanctos in hilari moleſtiarũ toleràntia laudari audientes, ex his ipſos accuſare aggrediuntur, & non homines tantùm, ſed & ipſe diabolus hoc ipſum ſuſpicatus eſt. Quoniam enim multis erat circumdatus diuitiis Iob, & multa potiebatur opulentia, exprobratus à Deo per ipſum malignus ille dæmon, cùm nihil haberet quod diceret, neque quò de ſuis excuſaretur criminibus, neque quod iuſti virtutibus impingeret, ad hanc ſtatim confugit confuſionem, dicens: *Nunquid gratis Iob colit te?* circumuallaſti interiora & exteriora eius: propter mercedem, inquit, ille virtutem ſequitur, tanta fruẽs opulentia. Quid igitur fecit Dominus? volens demonſtrare quòd non ipſum ſancti colunt propter mercedem, omnem ipſius ſubſtantiam abſtulit, & paupertati tradidit, & in grauem morbum incidere permiſit. Mox illum redarguens: tanquam temerè talia ſuſpicatum, inquit: Adhuc innocentiam retinet: tu commouiſti me vt fruſtra ipſius ſubſtantiam perderem. Sanctis enim hoc in remunerationem & retributionẽ ſufficit, Deum venerari: quoniam & amanti hoc in retributionem ſufficit, ſe amantem amare, & nihil amplius requirit, nec quippiã hoc maius eſſe putat. Si verò in homine hoc: multò magis in Deo, quod quidem & Deus demonſtrare volens, plura quàm diabolus petiit, cõceſſit. Ille enim inquit: Mitte manum tuam, & tange ipſum: Deus autem non ita, ſed tibi ipſum, inquit, trado. Quemadmodum enim in exterioribus certaminibus corpore vigentes, & bonæ habitudinis athletæ, non ſic apparent cùm veſtimentum vndique oleo madidum fuerint induti, ſed quando illo abiecto nudi in ſtadio ferũtur, tunc maxime ſpectatores membrorum proportione penitus obſtupefaciunt, cùm nihil ipſam amplius obumbrare poſſit: ſic & Iob, quando omnibus quidem illis diuitiis circumfuſus erat, quis eſſet, non multis manifeſtus erat: poſtquàm verò ipſas velut veſtimentum exutus athleta abiecit, & ad pietatis certamina nudus intrauit: ſic ſpoliatus ſpectatores omnes perculit, vt & ipſe Angelorũ Dominus ſuper animi eius tolerantia vehementer acclamaret, & victori illi applauderet. Quod enim ſuperius iam dixi, nõ hominibus apparebat illis omnibus diuitiis circumamictus, ſicut quando proiecto ipſo pallio nudus exiliit in medio orbe, tanquam theatro. Et omnes bonam ipſius habitudinem admirati ſunt: non ſolùm autem ex rerum ablatione demonſtrabatur, ſed etiam ex patientiæ lucta circa ægritudinem. Sicut namque prædixi, non ipſum percuſſit Deus, ne rurſum diabolus diceret: Pepercisti, & non tantam, quantam oportebat intuliſti tentationem: ſed ipſi tradidit diabolo, & gregum perditionem, & carnis poteſtatem. Confido de certatore, inquit, idcirco non prohibeo, ipſi quæcunq; velis inferre certamina. Sed quemadmodum ſpectati palæſtritæ, & arte, & corporis robore fidentes, non rectè aduerſariis (vt plurimum) congrediuntur, neque de pari, ſed ipſos illis medios apprehendendos præbent, vt illuſtriorem victoriam faciant: ſic & Deus medium tradidit ſanctũ diabolo apprehendendum, vt cùm ipſius tantam conflictus prærogatiuam ſuperarit, ſoloque proſtrauerit, clarior corona reddatur. Aurum eſt probatum: quomodo vis proba, in ipſo maculam non inuenies. Non aliorum verò nobis tantum fortitudinem demonſtrat: ſed & aliã magnam affert conſolationem. Quid enim inquit Chriſtus? *Beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me: gaudete & exultate, quoniã merces veſtra magna eſt in cœlis: ſic enim perſecuti ſunt Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Et rurſum Paulus Macedonas conſolari volens: *Vos enim*, inquit, *imitatores facti eſtis, fratres, eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa: quoniam eadem paſſi eſtis à contribulibus veſtris, quemadmodum & illi à Iudæis.* Et Hebræos rurſum ita conſolatur, recenſens iſtos omnes in fornacibus, in lacubus, in ſolitudinibus, in montibus, in ſpeluncis, in fame, in anguſtia degentes: moleſtiarum enim communicatio quandam lapſis affert conſolationem. Quod autem & de reſurrectione quoque hoc ipſum cogitationes inducit, audi eundem Paulum dicentem: *Si ſecundum hominem cum feris pugnaui Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?* Et iterum: *Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.* Innumera patimur mala in præſenti vita, inquit: ſi igitur non ſperatur altera vita, quid nobis eſſe poſſit miſerabilius? Vnde manifeſtum eſt, quod non ſolæ miſeriæ nobis in præſenti ſuppetiiſſent. Et hoc clarum ex tentationibus efficitur: nunquam enim Deus pateretur tot & talia paſſos mala, & præſentem vitam omnem in tentationibus & infinitis degentes periculis, multo maioribus non remunerari muneribus. Si vero non pateretur, certum quod meliorem quampiam parauit alteram vitam, in qua pietatis pugiles coronare & laudare toto debet orbe ſpectante. Itaque cùm videris iuſtum anguſtiari, affligi imbecillitate, pauperie, & innumeris aliis ærumnis præſentem vitam tanſigere, dic intra teipſum: quod niſi reſurrectio eſſet & iudicium, nunquam Deus, tanta propter ſe mala paſſum, nullo potitum bono, hinc migrare permiſiſſet. Vnde patet, quod alteram ipſis vitam præſenti iucundiorem, & multò meliorem parat: niſi enim hoc eſſet, improbos quidem multos per hanc vitam gaudere, iuſtorum verò nullos in plurimis ærumnis vnquam dimiſiſſet: ſed quoniam præparatum eſt ſæculum aliud, in quo ſecundum meritum, hic quidem improbitatis, huic verò virtutis præmia reddere debet: propterea tolerat hunc quidem affligi, illum vero deliciis in dies diffluere. Verùm & aliam ex ſcripturis cauſam adſtruere conabor. Qualis vero hæc eſt? ne dicatis nos in eandem virtutem non eſſe vocatos: quoniam illi alterius naturæ participes eſſent, qua non erant homines. Idcirco quidam de magno loquens *Helia*, ſic inquit: *Helias homo erat, in paſſionibus ſimilis nobis.* Vides quod à paſſionũ communione demonſtrat ipſum hominem eſſe ſecundum nos. Et iterum, *Etenim ego homo ſum in patiendo vobis ſimilis.* Et hoc naturæ communionem ſpondet. Vt autem diſcas, quod & hic quos oporteat beatos nos docet, inde clarum eſt, quod quando audieris Paulum dicentem, *Vſque ad præſentem horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi degimus, & colaphizamur, & inquietamur, & laboramus*, &: *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem ſuſcipit:* certum eſt quod non remiſſione fruentes ſed propter Deum anguſtiatos & contritos laudemus, & beatos cenſeamus in virtute viuentes, pietatiſque curam gerentes. Sic & Propheta dicit: *Dextera eorum dextera iniquitatis, filiæ eorum compoſitæ, circumornata vt ſimilitudo templi. Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud. Et oues eorum fœtoſæ, abundantes in greſſibus ſuis, boues eorum craſſæ. Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt.* Tu verò quid dicis? *Beatus*, inquit, *populus, cuius Dominus Deus eius.* Non pecuniis affluentem, ſed pietate gloriantem: hunc ego beatum puto, inquit, & ſi innumera patitur mala. Si vero oportet & nonam dicere cauſam, illud dicere poſſemus, quod ſpectabiliores tribulatio facit tribulatos. *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio autem ſpem, ſpes vero non confundit.* Vides quod ex tribulatione probatio futurorum ſpem nobis affert, & in tentationibus manere, & de futuris benè ſperare facit? Itaque non temerè dicebam, quod hæ tribulationes reſurrectionis ſpem nobis deſignant, & vexatos meliores efficiunt. Quemadmodum, enim, inquit, *in fornace aurum examinatur*, ſic & homo acceptus in humiliationis camino. Poſſumus & decimam

Iob 1. Matth. 5. 1. Theſ. 2. Heb. 2. 1 Cor. 15. Ibidem. Iacob. 5. Sap. 7. 1. Cor. 4. Hebr. 12. Pſal. 143. Rom. 5. Prou. 27.

dicere cauſam. Qualem vero hanc? quam & iam ſæpius dixi ſuperius, quod ſi aliquas habeamus maculas,& hic eas deponimus. Et hoc Patriarcha declarans ad diuitem dicebat: quoniam
Luc. 16. *Lazarus recepit ſua mala: vnde conſolationem accipit.* Et ad hanc aliam turſum inueniemus. Qualem vero hanc? vt coronæ & præmia nobis augeantur: quantum enim tribulationes intenduntur, tantum & retributiones
Rom. 8. ampliabuntur, imo vero & multo plus. *Non enim condigna ſunt paſsiones præſentis temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Tot igitur cauſas habentes de ſanctorum afflictione dicendas, ne in tẽtationibus indignemur, neque anguſtiemur, neque tumultuemur, ſed & ipſi noſtros inſtruamus animos, & alios hæc doceamus. Et ſi videris hominem in virtute viuentem, philoſophiam ſectantem, placentem Deo, poſtea innumera patientem mala, ne ſcandalizeris dilecte. Et ſi videris aliquem ſpiritualibus vacantem operibus, & aliquid vtile expediturum, poſtea ſupplantatum, ne tumultueris. Etenim noui multos ſæpius talia quærentes. Ille, inquiunt, ad templum peregrinatus eſt pauperibus pecunias perferens, & in naufragium incidit, & amiſit omnia. Alter rurſum idem faciens, in latrones incidit, & vix animam ſuam ſaluauit, nudus inde diſcedens. Quid igitur dicemus? quod horum nullo triſtari oportet. Et ſi enim naufragium fecit, ſed & habet iuſtitiæ fructum appenſum: ſua enim omnia impleuit, collegit pecunias, depoſuit, cùm recepiſſet, abibat, peregrinationem attigerat: naufragium vero de reliquo, non de ipſius fuit ſententia. Sed quare hoc Deus conceſſit? vt hunc ſpectatum exhiberet. Sed pauperes, inquit, priuati ſunt pecuniis. Non tantam tu pauperum prouidentiam habes, quantam qui fecit eos Deus: etſi enim his priuati ſunt, tamen aliunde poteſt maiorem copiæ occaſionem ipſis præbere. Ne igitur geſtorum rationes repetentes ipſum reprehendamus, ſed in omnibus glorificemus: nõn enim imprudenter & temere talia ſępe fieri permittit, ſed cùm ex his pecuniis conſolationem habituros non deſpiciat, ſed ipſis aliam pro his alimenti occaſionem præbeat, etiam naufragium paſſum probatiorem efficit, maioremque ipſi parat mercedem: multo enim maius eſt, quàm eleemoſynam dare, quod talibus obrutus negotiis Deo gratias agat. Non enim tantùm quæ per eleeſynam damus, ſed & ea quibus ab aliis ſpoliari for-
Iob 13. titer ferimus, multum nobis fructum afferunt. Et vt diſcas hoc illo maius eſſe, ex his quę Iob cõtigerunt hoc faciam manifeſtum. Ille quando pecunias poſſedit, aperuit domum pauperibus, & omnia quæ habebat elargiebatur: non erat tam illuſtris quando pauperibus domum aperuit, quàm cùm ipſam cecidiſſe audiens nõ iniquè tulit. Non erat tã illuſtris quando ex ouium tõſura nudos circumdedit, quàm fuit clarus & ſpectatus, cùm audiens quod ignis cecidiſſet, & greges omnes conſumpſiſſet, gratias egit. Tunc humanus fuerat, nunc fuit philoſophus: tunc pauperum miſerabatur, nunc Deo gratias agebat. Nec intra ſe dixit, Quid tandè hoc eſt? Armenta conſumpta ſunt, quibus innumeri pauperes alebantur. Et ſi ego indignus eram hac rerum frui copia, ſaltem propter communicantes parcendum erat. Sed nihil horum neque dixit, neq; cogitauit. Norat enim Deum omnia vtiliter diſpenſantem. Et vt ſcias quod grauius poſtea vulnus intulit diabolo, cùm ſpoliatus gratias egit, quàm cùm poſſidens miſerabatur, aduerte. Quando poſſidebat, ſuſpicionem quandam habuit diabolus, etſi falſam, habuit tamen vnde diceret: num gratis Deum colit Iob? Poſtquàm vero omnia abſtulit, & ipſum omnibus ſpoliauit, hic autem eandem in Deum charitatem præſtitit, tunc demum obſtructum eſt os impudens, & nihil amplius quod diceret, habebat: nam ſplẽdidior quàm prius erat iuſtus ille vir. Omnibus enim priuatum, generoſè, & cum gratia-

A rum actione ferre multo maius eſt, quàm in diuitiis degentem facere eleemoſynam, ſicut & in hoc contigit iuſto. Tunc multa in conſeruos fuit benignitas, nunc magnus in Dominum amor demonſtrabatur. Hūc vero non temerè ſermonem extendo: ſed quoniam ſæpius eleemoſynas facientes quidam, viduas alentes, omni ſubſtantia diſpoliati ſunt: alij facto quopiam incendio omnia amiſerunt: alij naufragiis inciderunt: alij calumniis, & talibus quibuſuis tentationibus poſt multas eleemoſynas in extremam redacti ſunt pauperiem, & infirmitatem, & ægritudinem: & à nemine vllum adepti ſunt auxilium. Ne igitur dicamus, quod ſæpè dicunt, quod nemo quicquam ſciat, ſufficiunt omnia dicta talem expellere trepidationem: cùm ille namque tot faciens eleemoſynas omnia perdiderit, ſi pro hac gratias egerit iactura, multo maiorem à Deo beneuolentiam hauriet: nec duplum ſicut Iob, ſed centu-
B plum, & vitam ęternam recipiet. Si verò hic malum patitur, hoc ipſum maiorem illic theſaurum ipſi præbebit, quòd generoſè omnia ferat: ad maiores enim ipſum inde vocat exercitationes & luctas, & ne copia in penuriã incideret Deus permiſit. Ignis ingruens ſæpius ſubſtantiam tuam abſumpſit, & totam domum populatus eſt? reminiſcere eorum quæ Iob acciderunt? age gratias Domino, qui prohibere poteſt, & non prohibuit: & tantam recipies mercedem, quantam ſi omnia illa in pauperum manus repoſuiſſes. Sed in paupertie degis, & fame, & Luc. 16.
infinitis periculis? recordare Lazarum, cum inopia, & orbitate, & innumeris aliis pugnantem moleſtiis, & hæc poſt virtutem tantam. Recordare Apoſtolorū, *qui & in fame, & in ſiti, & in nuditate* degebant, Prophetarum, iuſtorum: & omnes ipſos inuenies non de diuitibus, non de gaudentibus, ſed de egentibus, tribulatis, & anguſtiatis eſſe. Hæc apud teipſum colligens, Domino gratias age, quòd te hu-
C ius fecit portionis, non exoſus, ſed & valdè diligens: quoniã & illos tot grauia pati non permiſiſſet, niſi vehemẽter amaſſet, quoniã clariores ipſos per hæc mala reddebat. Nullum gratiarum actioni par bonum, quemadmodum blaſphemia peius nihil. Ne admiremur, quòd ſpiritualibus inſtantes multa patiamur aduerſa. Quemadmodum enim latrones, non vbi fœnum, & paleæ, & calamus, ſed vbi aurum & argentum, ibi fodiunt, & continuè vigilant: ſic & diabolus his maximè inſtat, qui ſpiritualia attingunt negotia. Ibi multæ inſidiæ, vbi virtus: illic inuidia, vbi miſericordia. Sed eſt nobis telum maximum, quod omnes tales machinas repellere valet, qui per hæc omnia Deo gratias
agit. Abel, dic mihi, nónne de primitiis Deo ſacri- Genes. 4.
ficans, fraterna cecidit manu? Sed tamen Deus conceſſit, non eum prorſus qui ſe honorauit, ſed valdè diligens: & præter ſpecioſiſſimi illius ſacrificij coronam, & alteram ipſi per martyrium præ-
D bens. Moſes cuidam iniuria affecto opitulari vo- Exod. 2.
luit, & mori periclitatus eſt, & patria excidit, vt ſanctorum patientiam diſcas. Si enim poſtquàm nobis cauiſſemus, ſic ſpiritualia attigiſſemus negotia, nihil magnum facere viſi eſſemus, tale ſecuritatis pignus habentes: nunc verò hic maximè admirabiles ſunt talia facientes, quod & pericula, & damna, & mortes, & infinita præuidentes mala, tamen huiuſmodi officiis non abſiſtunt, neque timorum expectationibus ſegniores facti ſunt. Sicut Daniel 3.
igitur tres pueri dicebant. *Eſt Deus in cælo potens eripere nos.* & finaliter: *Notum ſit tibi rex quod diis tuis non ſeruimus, & auream imaginem quàm erexiſti, non adoramus:* & tu igitur quando quid boni ſecundum Deum operari debes, multa proſpice pericula, multa damna, multas mortes, & ne abhorreas, neq; tumultueris accidentibus his. *Fili,* inquit, *accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem.* Nemo nẽpe pugnare decernens, abſque vulneribus coronam reportare expectat. Et tu igitur cum diabolo totis viribus pu-

Digitized by Google

gnare aggrediens, ne vitam ſecurā, & delitiis plenam ſequaris. Non enim hic tibi retributiones & promiſſiones, ſed in futuro ſeculo omnia præclara Deus promiſit. Cùm igitur vel ipſe bonum feceris, & contraria receperis, vel alium hoc videris patientem, gaude & lætare, Maioris enim tibi retributionis materia eſt. Ne concidas, neque ſoluas promptitudinem, neque ſegnior fias: ſed magis inſta cum maiori alacritate. Quoniam & Apoſtoli quando prædicabant, etſi flagellabantur, lapidabantur, carceres continuè habitabant, nō ſolùm poſt periculorum liberationem, ſed & in ipſis periculis cū maiore promptitudine veritatis præconiū enuntiabant. Et eſt cernere Paulum in ipſo carcere, in ipſis catenis inſtruētem, initiantem: & in foro rurſum idem facientē, & in naufragio, & in tempeſtate, & in periculis innumeris. Et tu hos ſanctos æmulare, & à bonis operibus, quotieſcunque incidas, etſi millies interpellantem te diabolum videris, nuſquam abſiſtas. Tu quidem pecunias perferens, forte naufragium feciſti. Paulus autem omnibus pecuniis pretioſius verbū ferens, Romam abibat, & in naufragium incidit, & infinita ſubiit incōmoda. Et hoc ipſe manifeſtauit dicens: *Sæpius voluimus venire ad vos, ſed impediuit nos Satanas:* & *Deus permiſit* ex ſuperabundanti ſuam demonſtrans virtutem: & oſtendens, quòd infinita faciente diabolo, & prohibentē, nihil ex hoc prædicatio minuebatur aut interrumpebatur. Idcirco in omnibus Paulus Deo gratias agebat, ſciens quòd probabiliorem per hæc ſe Deus reddebat: & promptitudinis ſuæ vehementiam in omnibus exhibebat, impedimēto nullo interruptus. Quoties igitur fruſtrati fuerimus, toties ſpiritalia aggrediamur: neque dicamus, quare Deus impedimenta permiſit? propter hoc enim permiſit, vt promptitudinem tuam multo magis demonſtres, & multum amorem. Amantis enim maximè eſt, nunquā ab his quæ amato cōplacent abſiſtere. Mollis enim & ignauus ex primo ſtatim impetu concidet. Vehemens autem & excitatus, & ſi millies interpelletur, tanto magis diuinis rebus inſtabit, quantum in ſe eſt omnia implens, & in omnibus gratias agens. Hoc & nos faciamus. Magnus theſaurus gratiarum actio, magnæ diuitiæ, inconſumptum bonū, armatura fortis: ſicut blaſphemia ingruentem iacturam intendit iis qui peierare ſolent, plura inſuper perire facit. Perdidiſti pecunias? Si gratias quidē egeris, animam lucratus es: & maiores nactus es diuitias, quia Dei beneuolentiam hauſiſti amplius: ſi verò blaſphemaueris, inſuper & ſalutem tuam amiſiſti, & quam habuiſti animam, & hanc occidiſti. Sed poſtquàm de blaſphemia nobis verba nunc facta ſunt, vnā vos omnes petere volo retributionem pro concione hac atque ſermone: vt in ciuitate blaſphemantes mihi caſtigetis: & ſi quempiā in biuio & foro Deum blaſphemantē audieris, accede, increpa: & ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes: ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Et ſi vlli accuſauerint, & ſi in carcerem traxerint, ſequere: & ſi pœnas iudex pro tribunali repopoſcerit dic cum libertate, quod Angelorum regem blaſphemauit. Si enim regem terræ blaſphemantes puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen eſt, publica iniuria, cuique licet accuſare volenti. Diſcant & Iudæi, & gentiles, quod ciuitatis cōſeruatores ſunt Chriſtiani, & curatores, & præſides, & magiſtri: & idem diſcant diſſoluti, & peruerſi, quod & Dei ſeruos ipſos timere oportet: vt etſi quid tale loqui aliquando eligant, ſeſe vndiq; circumſpiciant, & vmbras timeant, anxij ne forte Chriſtianus audiēs inſiliat, & vehementius puniat. Non audiſti quod Ioannes fecerit? Tyrannum vidit hominem nuptiarum leges ſubuertentem, & cum fiducia in medio foro dicit: *Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui.* Ego autem non ad tyrannum te duxi, neque ad iudicem, neque pro nuptiis temerariis, neque pro ſeruis contumelia affectis, ſed pro furore in Deum, æqualem caſtigare depoſco. Ergo ſi tibi dixiſſem, reges vel iudices præuaricantes puni vel corrige, num me inſanire dixiſſes? Et tamen Ioannes hoc fecit: adeò non eſt id ſupra nos. Nunc verò ſaltem conſeruum, vel æqualem corrige, & ſi mori opus ſit, caſtigare fratrem ne torpeas. Martyrium tibi hoc eſt, quoniam & Ioannes martyr fuit. Non ſacrificare iuſſus fuit, neque idolum adorare, ſed pro ſacris legibus temeratis caput depoſuit. Et tu igitur pro veritate vſque ad mortem contende, & Deus pugnabit pro te. Nec mihi illud dicas frigidum verbum, quæ verò mihi cura eſt? cum ipſo commune habeo nihil. Cum diabolo ſolo commune nihil habeamus: cum omnibus autem hominibus multa habeamus communia. Eiuſdem enim nobiſcum naturæ participes ſunt, eandem habitant terram, eiſdemque aluntur nutrimentis, eundem habent dominum, eaſdem cœperunt leges, ad eadem nobiſcum bona inuitantur. Ne igitur dicamus quòd nihil commune cum ipſis habeamus. Satanica eſt iſta vox, diabolica inhumanitas. Ne igitur hæc dicamus, ſed congruam fratribus curam exhibeamus. Ego autem hoc cum omni polliceor diligentia, & vobis omnibus ſpondeo, quòd ſi vos omnes hic præſentes, ciuitatem habitantium ſalutem curare volueritis, breui tota nobis corrigetur. Atqui non minima ciuitatis pars eſt hic, multitudine minima, ſed pietate ſumma. Diſpenſemus ſalutem fratrum noſtrorum. Sufficit vnus homo fidei zelo ſuccenſus, totum corrigere populum. Cùm verò non vnus tantùm, neque duo, vel tres, ſed tanta ſit multitudo, quæ negligentium curam poſſit attingere, non aliunde, ſed per torporem veſtrum, non per impotentiam plures pereunt & labuntur: valde enim abſurdum, ſi pugnam quidem in foro videamus, non accedere, & pugnantes conciliare: quid verò dico pugnam? Cùm aſinum cecidiſſe viderimus, omnes manum porrigere, & pariter erigere ſtudemus: fratrum vero pereuntium curam habemus nullam. Aſinus eſt blaſphemus, animi pondus non ferens, cecidit: accedit, excita, & per verba, & per facta, & per lenitatem & vehementiam, varia ſit medicina. Et ſi ſic noſtra diſponamus, & proximorum ſalutem ſuſcipiamus, & cito & illis ipſis correctionem admittentibus deſiderabiles erimus, & amabiles: & quod omnibus maius eſt, repoſitis fruemur bonis, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem & cum quo Deo & Patri cum ſancto Spiritu gloria, poteſtas, honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Act. 27. 1. Theſ. 2.

Correctio fraterna.

Marc. 6.

Friuola excuſatio dicentiū nihil mihi cum illo cōmune.

D. Ioannis Chryſoſtomi Antiochiæ in Eccleſia dicta veteri, habita in Theodoſii magni Imperatoris pij imaginum ſubuerſione, & in dictum Apoſtoli: Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere: & contra auaritiam.

1. Tim. 6.

HOMILIA II.

QVID dicam, aut quid loquar? Lachrymarum præſens tempus, non verborum: luctuum, non ſermonum: deprecationis, nōn concionis. Tanta patratorum magnitudo, tam immedicabile vulnus, tam vaſta plaga, & omni medicamine maior, & ſuperni indigens auxilij. Sic enim & Iob omnibus amiſſis in fimo ſedebat, & audientes amici acceſſerunt, & ipſum procul conſpicati diſciderunt veſtimenta, & ſibi cinerem inſperſerunt, & vehementer ingemuēre. Idem nunc facere circumſtantes omnes ciuitates oportebat, ad vrbem noſtram venire, & quę ingruunt cum omni miſericordia deflere. Ille in ſtercore tunc ſedebat, hæc in magno laqueo nunc conſidet. Sicut enim tunc diabolus

Deploratus vrbis miſerum ſtatum.

A in greges & armēta, & omnem iuſti ſubſtantiam inſiluit: ſic nunc in omnem ciuitatem debacchatus eſt. Sic Deus & tunc, & nunc permiſit: tunc quidem, vt iuſtum clariorem redderet tentationum magnitudine: nunc vero vt nos modeſtiores tribulationis huius efficiat incurſu. Date mihi, vt præſentia lugeam. Tacuimus dies ſeptem, ſicut & amici Iob. Date mihi hodie os aperire, & hanc communem lugere calamitatem. Quis nobis inuidit chariſſimi? quis nobis zelatus eſt? Vnde tanta facta eſt mutatio? Nihil fuerat noſtra ciuitate venerabilius, nihil factum eſt miſerabilius. Populus tam compoſitus & manſuetus, velut equus manibus aſſuefactus, & domeſticis ſemper acceſſentium manibus adueniens, repente tantum nunc nobis reſiliit, vt tot mala geſſerit, quæ neque dicere fas. Lamentor & lugeo nunc, non propter expectatæ comminationis magnitudinem, ſed propter nimiam patratorum inſaniam. Licet enim non irritaretur Imperator, neque puniret & caſtigaret: quomodo dic mihi, commiſſorū ignominiam ferremus? B Luctu interciditur mihi doctrinę ſermo, vix valeo reſerare os, & labia aperire, linguam mouere, & emittere verba. Sic tanquam frænum doloris timor impedit linguam meam, & verba corrumpit. Nihil ciuitate noſtra prius erat beatius, nihil nunc factum eſt miſerius. Quemadmodum apes bombizantes alueare, ſic forum per ſingulos dies habitantes circumuolabant, & omnes de hac nos multitudine beatos vocabant. Sed ecce nunc hoc alueare ſolitarium redditum eſt: quemadmodum enim apes illas fumus, ſic has apes timor fugauit. Et quod de Hieruſalem Propheta lugens dixit, hoc & nos ad præſens tempus dicemus: Facta eſt nobis ciuitas vt terebinthus abiectis foliis, & tanquam hortus aquam non habens. Quemadmodum enim hortus deficiente irrigatione, foliis priuatas & fructibus nudas arbores exhibet: ſic & ciuitas nobis facta eſt. C Superno enim ipſam deſtituente auxilio, ſolitaria remanſit, omnibus ferè habitatoribus nudata. Nihil patria dulcius, ſed nunc nihil amarius factum eſt. Omnes terram quæ ſe tulit, tanquam laqueum fugiunt, deſerunt tanquam barathrum, tanquam ab igne reſiliunt. Et quemadmodum domo igne correpta, non tantùm domum habitantes, ſed & omnes proximi cum multa ſe recipiunt feſtinatione, nudum corpus ſaluare ſtudentes: ſic & nunc regia ira tanquam pyra quædam ſupernè vt veniat expectata, priuſquam per viā tranſiens ad ipſos perueniat ignis quilibet prius exire, & nudum corpus ſeruare feſtinat. Et ænigma nunc facta eſt miſeria noſtra, ſine hoſtibus fuga, ſine pugna transmigratio & captiuitas. Non vidimus barbaricum ignem, neque hoſtium vultus ſpectauimus, & ea quæ capti patiuntur. Nunc igitur omnes diſcunt calamitates noſtras. Noſtros enim exules ſuſcipientes, ab illis ciuitatis flagellum diſcunt. Sed D non ſuper hoc cōfundor, nec erubeſco: omnes intelligant ciuitatis pericula, vt matri condolentes, communem ab omni terra ad Deum vocem extollant, & vnanimiter communem omnium matrem & altricem, à cœlorum rege depoſcant. Prius concuſſa eſt vrbs, nunc ipſæ habitatorum animæ quatiuntur. Tunc domorum fundamenta quatiebantur, nunc ipſa cuiuſque cordis ima circumuoluuntur, & quotidie ante oculos noſtros omnes mortem aſpicimus, & in continuo viuimus timore, & Cain pœnam ſuſtinemus: olim carcerem habitantibus miſerabilius diſpoſiti, & obſeſſione inuſitata quadam, & noua obſeſſi, & quàm cogitatum ſit grauiore. Etenim illi quidem ab hoſtibus hæc patientes, intra muros tantùm concluduntur: nobis verò forum quoque inacceſſibile, domo quiſque ſua incluſus eſt & quemadmodū obſeſſis tutum non eſt muros tranſgredi, hoſtibus exterius circunſidentibus: ſic neque multis vrbem habitantium tutum domo exire, nec in medio apparere propter eos qui vndique inſontes venantur, & ex medio rapiunt foro, & in iudicium, vt accidit inuenire, temere trahunt. Propterea liberi cum ſeruis ſuis compediti intus ſedent, quis comprehenſus fuit? quis punitus hodie? quomodo & qua ratione, ſollicitè quærentes, & curioſe ſciſcitantes, à quibus talia ſecurè diſcere poſſunt: & omni morte miſerabiliorem degunt vitam, alienáſque lamentari miſerias quotidie coacti, & pro ſalute ſua trementes, & mortuis nihil melius habentes, quòd dudum timore mortui ſint. Si quis verò qui extra timorem & anguſtiam hanc ſit, in forum procedere voluerit, tam triſti aſpectu ſtatim in domum ſuam retruditur, vix vnum fortè vel duos cernens inclinatos, & cum multa incedentes triſtitia, vbi ante paucos dies fluminū curſus multitudo ſuperabat, ſed nunc nobis omnes illi expulſi ſunt. Et ſicut ex arbuſto cōſito multis paſſim excíſis arboribus, ingratus redditur aſpectus, tanquam capitis multa habentis caluitia: ſic & vrbis ſolum, hominibus ablatis, & paucis paſſim apparentibus, ingratum nunc factum eſt, & multam cernentibus triſtitiæ caliginem offundit: non tantùm verò terra, ſed & ipſa in aëris natura, & ſolarium radiorum circulus nunc mihi quodam modo mœrere, & obtuſior lucere videtur nō elementis naturā mutantibus, ſed noſtris oculis qui triſtitiæ nube turbati ſunt, non valentibus purè, neque cùm eadem virtute radiorum lumen ſuſcipere. Hoc eſt quod olim Propheta lugebat dicens: *Occidet ipſis ſol in meridie, & obtenebrabitur dies.* Hoc autem dicebat, non quod planeta abſconderetur, neque quòd dies euaneſceret: ſed quòd mœrētes neque in meridie propter doloris caliginē lucem cernere poſſint: quod & nunc factum eſt, & quocunque quis reſpexerit, ſiue in terram, ſiue in parietes, ſiue in vrbis columnas, ſiue in proximos, noctem & obſcuritatem profundam cernere videtur: ſic omnia multæ plena ſunt triſtitiæ. Silentium vbique horrore plenum & ſolitudo, & deſiderabilis ille multitudinis tumultus extinctus eſt. Et tanquam omnibus terram ſubeuntibus, ita nunc ciuitatem taciturnitas continet, & ſaxis omnes ſimiles ſunt: & tanquam quodam linguę vinculo calamitate cohibiti profundiſſimum retinent ſilentium, quantum, ſi hoſtes ingruiſſent, & omnes ſimul igne & ferro abſumpſiſſent, factum fuiſſet. Nunc dicendi tempus eſt: Vocate lamentatrices, & venient: & ad eas, quæ ſapientes ſunt mittite: & properent, feſtinent & aſſumant ſuper nos lamentum. Deducant oculi noſtri lachrymas, & palpebræ noſtræ defluant aquis. Colles ſumite mœſtitiam, & montes luctum. Creaturam omnem in malorum noſtrorum miſerationem vocemus. Ciuitas tam magna, & Orientalium caput è medio tolli terrarum orbe periclitatur. Nunc quæ multos habebat filios repente ſine filiis facta eſt, & qui auxilietur, nemo. Læſus enim eſt, qui non habebat parem vllum ſuper terram: ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum. Propterea igitur ad ſupernum regem confugiamus, illum in auxilium inuocemus. Niſi ſupernam aſſequamur gratiam, nulla commiſſorum reparatio relinquitur. Voluiſſem hîc concionem ſoluere, Nolunt enim gementium animi longos extendere ſermones: ſed ſicut nubes quædam condenſata, & ſub ſolarem radium currens, omnem retrorſum ſplendorem auertit: ſic & triſtitiæ nebula, cùm ante animum noſtrum ſteterit, non ſinit facilem eſſe rationis curſum, ſed ſuffocat, & cum multa neceſſitate intus reprimit. Et hoc non dicentibus tantùm, ſed & audientibus accidit: ſicut enim ab animo dicentis non cōcedit ipſam cum facilitate exilire: ſic nec in audientium mentē permittit illabi cum propria virtute. Idcirco & Iudæi quondam luto, & lateritio operi ſeruientes, Moſem magna de ipſorum ſalute dicentem audire non tolerabāt, triſtitia verbis inacceſſam mentem reddente, & auditum ob-

Amos 8.c

Simile.

Exod. 8.c

ſtruente

ſtruente. Igitur volebam quidem & ipſe verba hic ſoluere, ſed cogitans quòd non ſolum nebulæ natura radij in anteriora proceſſum impedit, ſed & contrariũ ipſa ſæpe patitur: cum enim Sol calidior continuè illapſus nubem contriuerit, medium ipſius ſæpe diſſipauit, & totus ſimul elucens, ſplendidus cernentium obtutibus incidit: hoc & ipſe hodie me facturum ſpero, ſermone in animis veſtris continuè verſante, & amplius immorante, finitum iri ſpero triſtitiæ nebulam, & mentem veſtram ſolita rurſum doctrina micaturam. Sed præbete mihi animam veſtram, præbete mihi aliquantulum aures, triſtitiam excutite. Ad priorem conſuetudinem redeamus. Sicut cõſueuimus ſemper cum lætitia huc aduenire: ſic & nunc faciamus, omnia in Deũ reiicientes. Hoc & ad ipſam calamitatis ſolutionẽ nobis confert. Si enim dominus nos viderit ſermones ſuos cum ſedulitate audientes, & diſciplinam nobis temporis difficultate non reſpui: celeriter nos ſuſcipiet, tranquillitatem faciet, & ex præſenti procella bonorum mutationem. Chriſtianum enim & in hoc ab infidelibus differre oportet, vt omnia generoſe ferat: & velut alatus ſe humanorum malorum impetu ſuperiorem exhibeat. Supra petram ſtatutus eſt fidelis: propterea & vndarum ictibus inexpugnabilis eſt. Si enim tentationum vndæ eleuatæ fuerint, ad illius pedes non perueniunt, hic omni tali incurſu ſublimior firmatus eſt. Ne igitur concidamus dilecti: non ſic ſalutem noſtram curamus, ſicut qui fecit nos Deus. Non tantæ nobis curæ eſt, nihil graue pati, quantæ illi qui nobis animã donauit, & tot poſt hæc bona contulit. His nos ipſos ſpei rationibus velut alatos exhibeamus, & dicenda cum proptitudine ſolita audiamus. Longam nuper apud charitatem veſtram extendi concionem, & omnes obſequentes cernebam, & nec ex media reuerſos via: gratias vobis de illa promptitudine habeo, & laborum mercedem accepi. Sed & aliam à vobis tunc mercedem exegi. Fortè noſtis & meminiſtis. Quæ verò erat merces? ciuitatis blaſphematores punire, & caſtigare Deum contumelia afficientes, & impios cohibere. Non ex me ipſo talia me dixiſſe arbitror, ſed Deum talia præuidentem in mentem noſtram verba miſiſſe. Si enim talia auſos puniſſemus, non talia nunc accidiſſent, quæ acciderunt. Quanto melius erat ſi periclitari oportebat, ipſos caſtigantes & corrigentes aliquid pertuliſſe, quod & martyrii coronam nobis attuliſſet, quàm nunc formidare & tremere, & ex illorũ petulantia mortem expectare? Ecce paruum crimen commiſſum eſt, & culpa communis efficitur. Ecce propter illos nunc omnes paueſcimus, & ab illis patratorum pœnas ipſi ſuſtinemus. Si autem præuenientes ipſos ex vrbe expuliſſemus, & correxiſſemus, & ægrotum curaſſemus membrum, nõ præſentem timeremus pauorem. Noui quòd ciuitatis mores à maioribus ingeniti ſunt. Sed peregrini quidam & promiſcui homines ſceleſti & pernicioſi, & de ſua deſperantes ſalute, auſi ſunt quæ patrata ſunt. Propterea clamare & conteſtari non deſtiti, Blaſphemantium furorem puniamus, ipſorum mentem caſtigemus, ipſorum ſaluti prouideamus, & ſi hoc facientes mori oporteat, magnum nobis hoc afferet lucrum, ne communẽ dominum contumeliis affici negligamus. Magnum ciuitati malũ pariet talia deſpicere. Hæc prædicebam, hæc nũc acciderunt, torporis illius pœnas pendimus. Deũ contumelia affectum deſpexiſtis? Ecce permiſit regem contumelia affici, & de extremis periculũ omnibus impendere, vt in hoc timore illius negligentiæ pœnas demus. Num igitur fruſtra, num temere hæc prædicebam, & continuè veſtram charitatem interpellabam? Sed tamen nihil amplius factum eſt. Sed fiat nunc, & è præſenti calamitate caſtigati, inordinatum illorum furorem cohibeamus: obſtruamus ipſorum ora, tãquam fontes mortiferos concludamus, & in contrarium mutemus, & penitus euaneſcent mala, quæ ciuitatem comprehenderunt. Non eſt theatrum eccleſia, vt ad delectationem audiamus. Adiutos hinc recedere oportet, lucratos quicquam amplius & magnum, ſic recedere expedit: quoniam temere & fruſtra proficiſcimur, ſi ad tempus refrigerati, ſic receſſerimus vacui, & dictorum vtilitate inanes facti. Quæ mihi horum plauſuum vtilitas, quæ laudum & tumultuum? Laus mea eſt, per opera vos omnia quæ dicuntur, exhibere. Tunc ego felix habendus & beatus, non quando ſuſcipiatis, ſed quando omni cum alacritate faciatis quæcunque à nobis audieritis. Quiſque proximum corrigat: *ædificate enim alter alterum*, inquit. 1. The. 5. b Niſi enim hoc faciamus, à quocũque commiſſa præuaricatio, commune quoddam & intolerabile damnum ciuitati afferet. Ecce nihil feciſſe conſcij non minus his qui peccauerunt, territi ſumus & contremiſcimus, ne omnes imperatoris ira corripiat. Nec enim in excuſationem nobis dicere ſufficit: Non aderam, non conſcius eram, commiſſis non communicaui. Ob hoc igitur, inquit, punieris, & vltimam pendes pœnam, quia non affuiſti, nec prohibuiſti, neque cohibuiſti tumultuantes, neque pro regis honore periclitatus es. Non patratis participaſti? Laudo & accepto. Sed neque facta prohibuiſti, hoc accuſatione dignum. Hæc & de Deo verba audiamus, quando cum ſilentio contumelias & iniurias in ipſum commiſſas patimur. Quoniam & is qui talentum defodit, nõ pro Mat. 25. c reatibus ſuis tunc accuſabatur. integrum enim depoſitum reddidit: ſed quoniam ipſum non multiplicauit, quoniam non caſtigauit cæteros, quoniã argentum ad nummularios non detulit, non increpuit, non correxit proximos peccatores inordinatos, idcirco abſque miſericordia in illas intolerabiles pœnas mittebatur. Sed ſi non antea, quòd nunc ſaltem quidem hanc facietis correctionem, & Deũ contumelia affici non negligetis, ſatis credo. Poſſunt enim quæ acciderunt, licet nemo ſit qui admoneat, vel inſenſatos deinceps propriam aſſerere ſalutem perſuadere. Nobis verò iam hora eſt ſolitam vobis menſam apponere, dictionem hodiè nobis lectam promentes, & in medium omnibus proponentes. Quid igitur eſt hodie lectum? *Diuitibus huius ſeculi præcipe, non ſublime ſapere.* 1. Ti. 6. d. Qui dixit, *Diuitibus huius ſeculi*, demonſtrauit & alios futuri ſeculi diuites eſſe; qualis ille Lazarus erat, in præſenti Luc. 16. c quidem vita pauperrimus, in futura verò diues: nõ auro & argento, & vlla tali corruptibili & marceſcibili materia affluens: ſed arcanis illis bonis, quæ *neque oculus vidit, neque in cor hominis aſcenderunt.* Hæ nãque veræ diuitiæ, & opulentia: 1. Cor. 2. c quando & immarceſcibilia ſunt bona, & nullam capiant mutationẽ. Sed non talis erat ille contemptor diues, ſed omnium pauperrimus factus eſt. Poſt hæc igitur ſtillam obtinere quærens, nec ipſius factus eſt compos, in tam extremam deuenerat paupertatem. Idcirco præſenti ſeculi diuites appellauit, vt diſcas, quòd cum præſenti vita & copia pariter diſſoluitur: non procedit vlterius, non ſimul migrat cum poſſeſſoribus migrantibus, ſed ipſos ſæpius & antè finem deſerit: quod & ipſum demonſtrat dicens, *Neque in incertum diuitiarum:* nihil enim tam infidũ, quàm diuitiæ, quod cum ſæpe dixerim, dicere nõ quieſcam, quòd fugitiuus eſt & ingratus ſeruus fidem non habens, vel ſi innumera ipſi vincula iniicias, ſic quoque cum ipſis vinculis aufugit. Sæpius igitur peſſulis & foribus ipſum poſſidentes concluſerunt, ſeruorum adhibita cuſtodia; ille verò ſeruis ipſis perſuadens, cum ipſis fugit cuſtodibus, tanquam catenam eos trahens, & nihil profuit cuſtodia. Quid hoc infidelius? quid verò his, qui circa hunc ſtudium collocant, miſerabilius? quando rem tam labilem omni ſtudio colligere aggrediantur, nec Prophetam audiant dicentem: *Væ his*

Pſal. 48.b *qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur.* Dic quare væ? *Theſaurizat*, inquit, *& ignorat cui congregabit ea.* Et quoniam labor quidem certus, fructus verò incertus; Sæpius inimicis laboras, & ærumnis conficeris. Sæpius poſt mortē tuam ad eos qui te affecerunt iniuria, & innumeris circūuenerunt inſidiis, hæreditas veniens, tibi quidem peccata, poſſeſſionem verò aliis præbuit. Iam illud inquirere dignum eſt, quare non dixit, diuitibus præſentis ſeculi præcipe non diteſcere, præcipe depauperari, præcipe quæ habent exhaurire: ſed dixit, *præcipe non ſublime ſapere?* Nouit quòd diuitiarū radix & materia eſt ſuperbia: & ſi quis modicè viuere ſcierit, non multam earum curam aget. Qua enim, dic mihi, cauſa multos circunducit ſeruos, paraſitos, adulatores, & reliquam omnem pompā? non vtilitatis cauſa, ſed arrogantiæ ſolius, vt ex his venerabilior aliis hominibus eſſe videatur. Præterea nouit, non prohibitas eſſe diuitias, ſi quis in neceſſitatem ipſis vſus fuerit. B Sicut enim dixi, non mala res vinum, ſed mala ebrietas: ita non mala res diuitiæ, ſed mala auaritia, mala cupiditas. Aliud auarus, & aliud diues. auarus non eſt diues; auarus multorum indiget, indigens autem multorum nūquam diues eſſe poſſet. Auarus cuſtos eſt, non dominus: pecuniarum ſeruus, non poſſeſſor. Facilius enim alicui ex propriis carnibus, quam ex defoſſo auro communicaret. Velut enim iuſſus nihil de repoſitis tangere, ſic cum omni diligentia ea ſeruat & detinet, à ſuis tanquam alienis abſtinens. & certè ſunt aliena. quæ enim aliis erogare nunquam pateretur, neque in neceſſariis impēdere, etiamſi infinitas ſuſtineret pœnas, quomodo hæc eſſe propria putare poſſet? Quomodo verò eorum habet poſſeſſionem, quorum nec vſum, nec fructū cū libertate habet? Ad hæc verò non omnibus omnia C Paulus imperare conſueuit, ſed & audientiū imbecillitati condeſcēdit, ſicut & Chriſtus fecit. Etenim illi diuiti ad ſe accedenti, & de vita loquenti nō di-

Lucæ 18 d. xit: *Vade, vende omnia quæ habes*: ſed hoc prætermittēs, de aliis ipſum mandatis inſtruit. Deinde poſtquam ille ipſum inuitauit inquiēs: quid adhuc mihi deeſt? neque tum ſimpliciter dixit, vende omnia quæ habes: ſed *ſi vis perfectus eſſe, vende quæ habes*: hoc in tuo pono arbitrio, & electionis dominum conſtituo, non in neceſſitatem traho. Propterea & Paulus nihil de paupertate diuitibus loquitur, ſed de humilitate: tum propter audientium imbecillitatem, tum quia optimè ſciebat, quòd modeſtè agere, & à ſuperbia alienum eſſe, breui faciet ipſos & à ſtudio diuitiarum liberari. Præterea nō altū ſapere admonēs, & modū, quo non altum ſapere poſſint, demōſtrauit. Quis verò hic eſt? Si diuitiarū naturā animaduerterent quàm incertæ ſint & infidæ: quapropter intulit, neque ſperare in diuitiarum incerto. D Diues eſt, nō qui multa poſſidet, ſed qui multa expendit. Diues erat Abraham, ſed non auarus: non enim huius domum cōſiderabat, nec illius ſubſtantiam curioſe ſcrutabatur: ſed egrediens contemplabatur, num alicubi hoſpes, num alicubi pauper, vt paupertatem reſarciret, vt peregrinum exciperet: non auro tectum liniuit, ſed apud quercum illam tabernaculum figens foliorum vmbra con-

Gen. 18. tentus erat. Et tam ſplendidum ipſi erat diuerſorium, vt nec angelos apud ipſum manere puderet: non enim quærebant domus ſplendorem, ſed animi virtutem. Hunc & nos imitemur, chariſſimi, & quæ habemus, in pauperes impendamus. Rudi modo paratum erat illud tabernaculum, ſed regiis aulis ſplendidius fuit. Nullus vnquā rex angelos ſuſcepit: hic verò ſub quercu ſedens illa, cellamque figens, hoc honore dignus habitus eſt, non propter domus vilitatem honoratus, ſed propter animi ornatum & diuitias in ipſo repoſitas hoc munere potitus. Et nos igitur ne domos ornemus, ſed potius quàm domum, animam noſtram: quo modo enim

A non turpe, marmoribus parietes fruſtra & temere contegere, Chriſtum verò nudum circumeuntem negligere? Quæ tibi domus vtilitas homo? Nunquid enim ipſam tecum ducens abibis? Animam verò omnino ducens migrabis. Ecce nunc tale nos oppreſſit periculum. Aſſiſtant nobis domus, ſoluant periculum nobis imminens: ſed non poterunt. Vos ipſi mihi teſtes eſtis, deſertas eas derelinquentes, & ad ſolitudinem exilientes, tanquam laqueos & retia timentes. Opitulentur nunc diuitiæ, ſed non habent tempus. Si verò vbi hominis ira, pecuniarum valor redarguitur, multo magis in diuino & ineuitabili iudicio hoc fiet. Si homo eſt qui exacerbatur, & ægrè fert, & nihil nobis nunc aurum prodeſt: multo magis iraſcente Deo pecuniarum non indigente, auri potentia penitus euaneſcet. Domos ædificemus, vt habitemus, non vt ſuperbiamus. Neceſſitatem tranſcendens ſuperfluum eſt & inutile. Calceare calceum pede maiorem, ſed non B tolerabis, te enim ad greſſum impedit: ſic & domus neceſſitate maior, in cœlos tranſitum impedit. Vis magnas & ſplendidas domos ædificare? Non prohibeo, ſed non ſuper terram: ædifica tabernacula in cœlos, vt & alios ſuſcipere poſſis, tabernacula nunquam deficientia. Quid inſanis circa fugiētia, & hìc manentia? nihil diuitiis fallacius: hodie tecū, & cras contra te inuidorum oculos armant. Vndique hoſtis & contubernalis, inimicus domeſticus: & vos poſſidentes teſtes, qui omni modo ipſas infoditis & abſconditis: quoniam & nunc nobis periculum intolerabilius diuitiæ faciunt. Nam cernis pauperes quidem ſuccinctos & expeditos ad omnia paratos: diuites autem multam habentes difficultatem, & circumeuntes, & quærentes vbi aurū infodiant, quærentes vbi tandem deponant. Quid quæris homo conſeruos? Eſt Chriſtus ſuſcipere pa- C ratus, & depoſita tibi ſeruare, nec tantum ſeruare, ſed etiam multiplicare, & cum multo fœnore reddere. Ex illius manu nemo eripit. Nō ſeruat autem tantum depoſita, ſed etiam ſecurum depoſitorem facit. In hominibus enim depoſita ſuſcipientes, gratiam ſe nobis præſtare putant, ſi cuſtodiant quę ſuſceperunt: in Chriſto autem contrarium. Non enim gratiam præſtitiſſe, ſed accepiſſe ſe dicit, cum depoſita ſuſceperit tua: & pro ipſa cuſtodia, quàm circa pecunias tuas exhibet, non te mercedem repetit, ſed ipſe dat mercedem. Qua igitur ſumus excuſatione digni? qua verò venia? quando & cuſtodire valentem, & pro cuſtodia gratias habentem, & arcana & magna præmia pro hac cuſtodia reddentem prætermittentes, hominibus circa huiuſmodi cuſtodiam debilibus, & gratiam nobis conferre ſe putantibus, & ſola ipſa quæ dantur, poſtea reddentibus, noſtra tradimus? Hoſpes es hìc & peregrinus, patriam habes in cœlis. Illuc omnia tranſmit- D te, vt & antequam fruaris, hìc retributionem capias. Qui enim bona ſpe alitur, & de futuris confidit, hic iam regnum guſtauit. Nihil enim tantum animam reparare conſueuit, & meliorem facere, quàm bona futurorum ſpes, ſi eò tranſmittens diuitias, animæ tuæ curam cum ocio congruo egeris. Omne enim ſtudium in domus ſuæ ornatum impēdentes, in exterioribus diuites interiora negligūt, & deſertam & ſqualentem & araneis plenā animā ſuam deſpiciunt. Si verò exteriora negligentes circa mentem ſuam promptitudinem omnem impenderint, vndique ipſam ornāres, tabernaculū Chriſto erit talium hominum anima: Chriſtum autem habente in habitatorem, quid vnquam felicius eſſe poſſet? Vis ditari? Amicum habeas Deum, & omnium ditiſſimus eris. Vis ditari? ne altū ſapias. Hoc non ad futura tantum, ſed etiam ad præſentia vtile. Nihil enim tam inuidioſum, quàm homo diues: quum verò ſuperbia acceſſerit, duplex paratur præcipitium, difficilius ab omnibus bellum. Si verò modeſtè viuere ſcieris, ſuccidis humilitate inui-

Digitized by Google

diæ tyrannidem,& cum ſecuritate habes quęcunque habes. Talis enim eſt virtutis natura, nō ad futura nos tantùm adiuuat, ſed & hîc iam retributiones præbet. Ne igitur in diuitiis altum ſapiamus, ſed nec in vlla alia re. Si enim in ſpiritualibus altum ſapiens labitur & perit, multo magis in carnalibus. Cogitemus naturam noſtram, peccata recenſeamus, diſcamus qui ſimus, & hoc nobis in totius humilitatis materiam ſufficit. Ne dicas mihi, tot & tot annorum prouentus repoſitos habeo, auri talenta innumera, lucra per ſingulos adaucta dies. Quantacunque dixeris, omnia temere dices & incaſſum. Sæpius vna hora & breui tēporis momento, velut vento ſupernè irruente iactabilis puluis, ſic hæc omnia ex domo exufflātur. Et horum vita plena, plenæ verò ſcripturæ diſciplinarum & exemplorum. Hodie diues, cras pauper. Idcirco ſæpius riſi teſtamenta legens, dicentia, ille quidem habeat agrorum vel domus dominiū, vſum verò alius. Omnes enim vſum habemus, dominium autem nemo: etſi enim nobis per omnem permaneant vitam, nullam facientes diuitiæ mutationem, velimus nolimus in fine aliis cedemus, ipſarum vſu ſolo decerpto, dominio autem nudi & orbati ad illam vitam migrantes. Vnde manifeſtum eſt, quòd illi ſoli dominium habent, qui & ipſarum vſum contempſerunt, & fructum deriſerūt. Qui enim præſentibus abiectis, ipſas pauperibus erogat, in neceſſaria ſuis vſus eſt, & ipſorum dominium habens obiit: neque per ipſam mortem illa excidens poſſeſſione, ſed omnia illo recipiens tēpore, & illis multo plura, quando in die iudicii illorum præſidio maximè egebit, & quando omnes factorum rationes repetemur. Itaque ſi quis vult diuitiarum & poſſeſſionem & vſum & dominiū habere, ab omnibus præſentibus liberetur: quoniam hoc non faciens, in morte ab ipſis omnino ſeparabitur: multoties verò & ante finem cum periculis & infinitis malis ipſas amittit. Nec hoc ſolum malū eſt, quòd mutatio fit repentè vniuerſa, ſed quòd impræmeditatus ad paupertatis tolerantiam diues deducitur. Sed non talis pauper: nō enim auro cōfidit, & argento inanimatis materiis, ſed Deo omnia copioſe præbenti. Itaque diues magis in incerto quàm pauper conſtitutus eſt, cum frequentes & cōtinuas mutationes recipiat. Quid verò eſt quod dicitur præbere nobis omnia abundanter ad fruēdum? Omnia cum largitate dat Deus, quæ ſunt pecuniis multo magis neceſſaria, vt aërem, aquam, ignem, ſolem, omnia talia. Non licet dicere, quòd magis ſplendore diues, minus verò pauper fruatur. Non licet dicere, quòd copioſiorem aëre, quā pauper reſpiret diues: ſed omnia paria & communia propoſita ſunt. Quare igitur maiora quidem & magis neceſſaria, & vitam noſtram continentia communia Deus fecit: minora verò & viliora non ſunt communia? pecunias dico. Qua de cauſa? Vt vita noſtra conſeruetur, & virtutis ſtudia habeamus. Si enim non eſſent neceſſaria hæc communia, fortè diuites ſolita vſi auaritia pauperes ſuffocaſſent. Si enim in diuitiis faciunt hoc, multo magis in illis feciſſent. Rurſum ſi & pecuniæ communes eſſent, & ſimiliter omnibus propoſitæ, eleemoſynæ occaſio ſublata eſſet, & charitatis opportunitas. Vt igitur ſecurè viuamus, communes factæ ſunt nobis vitæ cauſæ: rurſum, vt habeamus coronarum & probabilium actionum occaſionem, non communes factæ ſunt pecuniæ, vt auaritiam exoſi, & iuſtitiam ſectantes, noſtra indigentibus erogantes, aliquod peccatorum noſtrorum remedium per viam hanc capiamus. Diuitem te fecit Deus, vt egenis auxilieris, vt peccata tua ſoluas per liberalitatem aliis exhibitam. Dedit tibi pecunias, non vt in mortem claudas, ſed vt in ſalutem tuā effundas. Propterea & ipſarum poſſeſſionem incertam & nō ſtabilem fecit, vt per hoc inſaniæ circa ipſas intentionem diſſolueret. Si enim nunc poſſidentes, qui de ipſis confidere non valent, quinimmo multas ex hac re naſcentes inſidias cernunt, ſic circa illarum deſiderium ſuccenduntur: ſi & hoc propoſitum eſſet, vt ſtabiles & minimè caducæ forent: cui pepercissent? Vnde abſtinuiſſent? qua vidua? quibus pupillis? quibus pauperibus? Ne igitur magnū putemus bonum eſſe diuitias. Magnum enim bonum non poſſidere pecunias, ſed Dei timorem & reuerentiam poſſidere. Ecce nunc ſi quis eſſet iuſtus, & apud Deum fiduciæ habens multum, & ſi omnium hominū pauperrimus eſſet, præſentia mala ſoluere poſſet: ſatis enim eſſet tantum in cœlum manus extendere, & Deum inuocare, & hæc nebula præteriret. Si verò aurum tantum repoſitum eſt, luto omni ad impendentium malorum ſolutionem inutilius eſt: nec in hoc tantùm periculo, ſed & ſi morbus cōprehenderit, ſiue mors, ſiue aliud quid huiuſmodi, redarguitur pecuniarum vis impotens, & nullam valens de proprio conſolationem in aduerſis afferre. Vnum eſt quo paupertatem diuitiæ ſuperare videntur, quotidianis diffluere deliciis, & multa in conuiuiis repleri voluptate. Hoc tamen & in pauperum menſa contingere videtur, & hos maiori quàm omnes diuites voluptate frui. Et ne miremini dictum: ex ipſa enim rerum demonſtratione hoc vobis faciam manifeſtum. Noſtis quippe omnes, & hoc confitemini, quod voluptatem in conuiuiis non ferculorum natura, ſed conuiuantium diſpoſitio facere conſueuit: puta, cùm fame quis menſam attingens, omni obſonio & condimento, & innumeris ciborum illecebris iucūdiorem eſcam guſtabit, etſi omnium viliſſima ſit. Neceſſitatem verò & eſuriem præueniens, quod diuites faciunt, ſi etiam placentas inuenerit appoſitas, non ſentiet voluptatem, ipſius appetitu nō excitato. Et vt diſcas, quòd hoc ita habet, teſtes quidem & vos omnes. Audiamus autem & ſcripturam hoc ipſum dicentem: *Anima ſaturata calcabit fauum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet.* Et certe quid fauo dulcius & melle? Sed non iucundum, inquit, non eſurienti. Quid verò amaris iniucūdius? ſed dulcia ſunt in paupere conſtitutis. Quod autem pauperes cum neceſſitate & eſurie ad cibum veniant, diuites verò eam non expectent, hoc cuique manifeſtum eſt: vnde legitimam & ſynceram voluptatem non capiunt. Nec in cibis tantùm, ſed & in potu idem accidere videre licet. Et ſicut illic eſuries ſupra eſcarum naturam voluptatem inducit: ſic & hîc ſitis iucundiſſimum potum facere cōſueuit, & ſi pura ſit aqua quę bibatur. Et hoc ipſum Propheta demonſtrans, dicebat: *Et ex petra melle ſaturauit eos.* Atqui hoc nuſquam in ſcriptura lectū eſt, quod mel de petra Moſes eduxerit, ſed vbique fluuios & aquas & frigida fluenta. Quid igitur tādem eſt quod dicitur? neque enim ſcriptura mentitur. Poſtquam enim ſitientes & indigentia defatigati frigidioribus aquis inciderunt ex potu voluptatē afferere volens, mel aquam appellauit: nōn tanquā mutata in mel natura, ſed bibentium diſpoſitione fluenta illa melle iucundiora faciente. Didiciſti, quo modo & potum ſuauem ſitientiū affectio reddere conſueuit? Multi igitur pauperes ſæpe laborantes, & defatigati, & ſiti ardentes cum dicta voluptate talia libauere fluenta: diuites verò vinū ſuaue, & floris odorem, & omnem virtutem habens, quæ in vino optari poſſit, haurientes, non eandem ſenſere delectationem. Hoc & in ſomno fieri videas. non enim molle ſtratum neque deargentatus lectus, neque quies per domum facta, neque aliud huiuſmodi quicquam ſomnum dulcem & procliuem facere ſolet: ſicut laborare, & laſſari, & vehementer ſomni indigentes & dormitantes reclinari: & hoc quidem teſtatur & rerum experientia, Teſtatur autem & ante rerum experientiam ſcripturarum ſententia. Deliciis enim innutritus Salomon

Marginal notes: Teſtamenta quæ reſe- ... (beside "Idcirco ſæpius riſi teſtamenta legens"); Pro. 27. a (beside "Anima ſaturata"); Pſal. 80. c (beside "Et ex petra melle")

Eccl.5.c.

mon idem demonſtrare volens, dicebat: *Iucundus ſomnus ſerui, ſiue parum, ſiue multum comedat.* Cur igitur addit, *Sine multum ſiue parum comedat?* Ambo hæc vigiliam inducere ſolet, indigentia, & crapula: illa quidem ſpiritum areſaciens, & palpebras corneas reddens, nec claudi permittens: hæc verò anhelitum angens, & elidens, & multos inferens dolores. Sed tanta eſt laborum medicina, quòd ſi etiam ambo adſint, ſeruus dormire poteſt. Poſtquàm enim ſerui tota die vbique circuncurſitant, dominis ſuis miniſtrantes, vapulantes, laborantes, & ne minimũ quidem reſpirantes, ſufficientem laſſitudinum & laborum illorum retributionem capiunt, in dormiendo voluptatem. Et hoc Dei benignitate factũ eſt, vt non auro & argento, ſed labore, & ærumna, & neceſſitate, & omni diſciplina voluptates emi valeant. Sed non ſic diuites, ſed ſtratis mollibus iacentes, multoties totam noctem ducunt inſomnem, & multa machinantes tali non fruuntur voluptate. Pauper ex diurnis laboribus ſurgens, defatigata habens membra, priuſquam recubuerit, integrum, & ſuauem, & legitimum ſomnum ſuſcepit, non exiguam & hanc iſtorum laborum capiẽs mercedem. Cum igitur cum maiori voluptate pauper & dormiat, & bibat, & comedat: qua gratia erũt amplius diuitiæ dignæ, quàm videbũtur ſupra paupertatem prærogatiuam habere & hac priuatæ? Propterea & ab initio Deus homini laborem alligauit, non puniens neque ipſum caſtigãs, ſed corrigens & docens. Quando illaborioſam vitam degebat Adam, paradiſo excidit. Quando laborioſam & ærumnoſam Paulus agebat vitam, in labore & ærumna noctem & diem operans, tunc in paradiſum raptus eſt, & tertium in cœlum aſcendit. Ne igitur laborem reſpuamus, nec operationem vituperemus. Etenim ante cœlorum regnum hìc maximum capimus præmium, ex ipſa re voluptatem capientes: non autem voluptatem tantùm, ſed & quod multò voluptate maius eſt, puriſſimam ſanitatem. Diuitibus enim in iucunditate & multæ ægritudines irruunt: pauperes autem à medicorum manibus immunes ſunt. Si verò nonnunquam & in imbecillitatem incidant, breui ſeipſos inſtaurant, mollitie omni liberi, & corpora robuſta habẽtes. Magna poſſeſſio paupertas ſapienter ipſam ferentibus, theſaurus qui nequeat auferri, baculus firmiſſimus, inculpabilis poſſeſſio, diuerſorium ab inſidiis tutum. At opprimitur, inquit, pauper, ſed maiores inſidias diues patitur. Contemnitur pauper & contumeliis afficitur, ſed diuiti inuidetur. Nõ tam expugnabilis eſt pauper, quàm diues, infinitas vndique & diabolo & inſidiatoribus occaſiones præbens, omnium ſeruus propter multam rerum abundantiam, in multorum neceſſitate conſtitutus, & multis adulari cogitur, & cum multa illiberalitate ſeruire. Pauper autem ſi philoſophari ſciat, neque ab ipſo diabolo expugnari poteſt. Iob igitur & ante hoc cùm fortis eſſet, poſtquam omnia amiſit, tũc factus eſt fortior, & egregiam contra diabolum victoriam reportauit. Præterea verò nec iniuriã pati pauper poteſt, ſi philoſophari ſcierit. Quod enim dixi de voluptate, quod voluptas non in ciborum apparatu, ſed in comedentium affectu ſita eſt: hoc & de contumelia dico, quòd contumelia non à cõtumeliantium ſententia, ſed à patientium affectu cõſtituitur vel deſtruitur. Verbi gratia: Multa quiſpiam in te fanda atque nefanda conuitia dixit: ſi contumelias deriſeris, ſi verba non acceperis, & vulnere ſuperior ſis, contumeliam non es paſſus. Et quemadmodum ſi corpus adamantinum haberemus, & ſi innumeris vndiq; telis percuteremur, non tamen vulnera reciperemus: non enim à manu tela torquente, ſed à corporibus patientibus, vulnera fiunt: ſic & hic non à petulantium inſania, ſed à patientium contumelias imbecillitate, iniuriæ & contumeliæ conſtituuntur. Si enim philoſopha-

Gen.3.d. 2.Cor.12 a.

A ri ſciamus, nec contumelia affici poſſumus, nec quicquam graue pati. Aliquis iniuriam intulit, non ſenſiſti, nec doluiſti? non es iniuriam paſſus, ſed & magis percuſſiſti, quàm percuſſus es. Cùm enim qui contumeliam intulit, plagam ſuam ad patientium animam non peruenientem viderit, ipſe maiorem in modum roditur: & tacentibus contumeliam patientibus, ſponte contumeliarum plaga cõtra mittentem conuerſa infertur. In omnibus igitur philoſophemur, & nihil nos inopia lædere poterit: quin & maximè adiuuabit & clariores reddet, & omnibus diuitibus copioſiores. Quid enim, dic mihi, Helia pauperius? ſed propterea omnes diuites vincebat, quoniã pauper hic erat? ipſam verò paupertatẽ ex mentis opulentia elegit. Quoniã enim omnem pecuniarum copiã animi ſui magnitudine eſſe putauit inferiorem, nec philoſophia ſua dignam: ideò tantam pauperiem amplexatus eſt. Quod ſi magna præſentia putaſſet, non ſolam meloten

B poſſediſſet: ſed ita vitæ vanitatem condemnauit, & tanquam lutum proiectum aurum omne deſpexit, vt præter amictum illum nihil amplius poſſideret. Idcirco rex pauperis indigebat, & verbis nihil plus quàm meloten habentis inhiabat, qui tantùm habebat auri: adeo ſplendidior trabea erat melote, & regalibus aulis iuſti ſpelunca. Propterea & in cœlũ aſcendens, nihil aliud quàm meloten diſcipulo reliquit. Cum hac, inquit, cum diabolo pugnaui, & tu contra illum armatus hanc capies? Validum enim telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcuſſa. Tanquã maximam hæreditatem Heliſæus meloten ſuſcepit: etenim verè maxima fuit hæreditas, omni auro pretioſior. Et erat poſthac duplex Helias ille, & erat ſurſum Helias, & deorſum Helias. Noui quod iuſtum illum beatum putatis, & velletis quiſque

C eſſe vt ille. Quid igitur, ſi vobis demonſtrauero quid aliud, quod illo multo maius omnes ſacris myſteriis imbuti recepimus? Eucharistiæ veritas. Helias nempe meloten diſcipulo reliquit. Filius autem Dei aſcendẽs, ſuam nobis carnem dimiſit: ſed Helias quidẽ exutus, Chriſtus autem & nobis reliquit, & ipſam habens aſcendit: ne igitur animo concidamus, neque lamentemur, neque temporum difficultatem timeamus. Qui enim ſanguinem ſuum pro omnibus effundere non recuſauit, & carnem ſuam, & rurſus ipſum ſanguinem nobis communicauit, nihil pro ſalute noſtra recuſabit. Hac igitur ſpe fidentes ipſum continuè rogemus, & precibus & ſupplicationibus vacemus, & reliquæ virtutis cum omni diligentia curam habeamus: vt & inſtans fugiamus periculum, & futura aſſequamur bona: quibus nos omnes dignos cenſeri contingat, gratia, &c.

D *In profectionem Epiſcopi Flauiani, pro ciuitate ad imperatorem legationem obeuntis. Et quòd detrahere, quàm humanam corpus comedere peius eſt. Et de ingulatis propter ſeditionem: & ad criminantes, quoniam multi non ſeditioſi capti ſunt.*

Homilia III.

QVANDO ad ſedem hanc derelictam & magiſtro vacuam reſpicio, gaudeo ſimul & lachrymo: lachrymo quidem, quod præſentem non video patrem: gaudeo autem quod pro ſalute noſtra profectus eſt, & tantùm abiit populum à furore regis erepturus. Hoc & vobis ornamentum eſt, quod talem ſortiti eſtis patrem: & illi corona, quod circa filios tam benignus eſt, & à Chriſto dictum per opera confirmauit. Audiens enim, quod paſtor *bonus animam ſuam ponit pro ouibus*, abiit pro nobis omnibus animam ſuam poſiturus, & ſi multa erant ipſum abire prohibentia, & manere cogentia: & primo ætas ad vltimam prouecta ſenectutem, poſtea corporis imbecillitas, & anni tempus, & ſanctæ celebritatis neceſſitas, ad hæc & vnica ſoror in extremo

Ioan.10 b. Paſtorum erga ſuos cura.

conſti-

A conſtituta ſpiritu: ſed tamen & conſanguinitatem deſpexit, & ſenectutem, & imbecillitatem, & temporis difficultatem, & itineris aſperitatem, & omnibus vos veſtramque ſalutem proponens, hæc omnia vincula diſrumpit, & tanquam iuuenis fertur ſenex, nunc alatus promptitudine factus. Tit. 3. d. Si enim Chriſtus, inquit, ſeipſum pro nobis dedit, qua eſſemus nos excuſatione & venia digni, tanti cuſtodiam populi creditam habentes, & non eligentes omnia & facere & pati pro creditorum nobis ſecuritate? Gen. 29. Si enim patriarcha, inquit, Iacob pecudibus præpoſitus, & oues irrationales paſcens, & homini rationes redditurus, & noctes ducebat inſomnes, & æſtum, & gelu, & omnem aëris intemperiem ferebat, vt nulla illarum pecudum periret: multo magis nos non irrationalibus, ſed ſpiritualibus ouibus præpoſitos, & non homini, ſed Deo præſidentiæ huius rationes reddituros, ad nihil torpere & tergiuerſari oportet eorum quæ gregem iuuare poſſint? Sed quanto melior grex iſte grege illo, & brutis quidem homines, hominibus vero Deus: tanto maius & nos vehementiuſque ſtudium & promptitudinem exhibere oportet. B Nouit ille planè, quod non pro vna ſibi nunc ciuitate negotiũ, ſed pro Oriente toto. Ciuitatum enim ſub Oriente poſitarum caput & mater eſt ciuitas noſtra, propterea omne periculum ſubiit, & nihil illum hic retinere potuit. Ideoque bonas fore ſpei opportunitates ſpero: non enim tantam ſedulitatem & curam Deus deſpiciet, neque ſeruum ſuũ infectis rebus redire permittet. Noui quòd & tantùm viſus ille, & religioſum imperatorem conſpicatus, ex aſpectu ſolo ſtatim iram corripere poterit. Sanctorum enim non tantum verba, ſed & ipſe aſpectus ſpirituali gratia pleni ſunt. Hic vero & multa ſapientia plenus eſt, & cùm diuinarum legum ſit peritus, ad ipſum dicet, Exo. 32. g. quod & Moſes ad Deum: Si dimittis quidem ipſis peccatum, dimitte: ſi non autem, & me occide cum ipſis. Talia enim ſanctorum viſcera, cum filiis mortem, quàm ſine ipſis vitam dulciorem eſſe putant. C Adiiciet à tempore patrocinium, & ſacrum Paſcha proponet, & commemorabit tempus, per quod orbi terrarum toti Chriſtus peccatum remiſit, dominum imitari exhortabitur, & parabolæ illius decem millium talentorum, & centum denariorum ipſum commonebit. Noui patris noſtri fiduciam, non recuſabit ipſum per hanc ſimilitudinem terrere, & Mat. 18. d. dicere: Vide ne fortè & tu illo die audias: *Serue nequam, omne debitum illud dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: oportebat & te dimittere conſeruis tuis.* Tibiipſi magis quàm illis prodes, in paucorum dimiſſione peccatorum maiorum obliuionem recipiens. Addet prædictis & orationem illam, quam qui ſacris initiauare myſteriis, orantem dicere docuerunt: Math. 6. *Demitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ad hæc docebit, quod non commune ciuitatis fuit peccatum, ſed hominum quorundam externorum & aduenarum, nihil cum ratione facientium audacia & omnis præuaricatio. D Nec iuſtum eſſe poſſe pro paucorum temeritate tantam diripi ciuitatem, & qui nihil iniuſtè fecerunt, pœnas luere: alioquin etſi omnes peccaſſent, dignas dediſſent pœnas, tot diebus timore conſumpti, & per ſingulos mori dies expectantes, pulſi, exulantes, reis miſerabilius viuentes, ſanguinem in manibus geſtantes, & de vita ſua non confidentes. Hæc tibi pœna ſufficiat, ne vlterius ita procedas, mitem ſupernum iudicem per humanitatem in conſeruos redde. Cogita vrbis magnitudinem quòd non de vna, vel de duabus, vel tribus, vel decem animabus nunc nobis eſt conſideratio, ſed de millibus infinitis, de totius orbis capite. Hæc ciuitas in qua primùm appellati Chriſtiani, honora Chriſtum, reuerere eam quæ prima nomen hoc omnibus deſiderabile & dulce prædicauit: apoſtolorum illa fuit tabernaculum, habitaculum iuſtorum. Nunc hoc primum & ſolum in principes facinus patratum eſt, & ciuitatis mores omne præteritum tempus teſtatur. Si enim continuè ſeditiones moueret, improbitatem condemnare oporteret: ſi verò ſemel hoc omni tempore accidit, certum eſt, quòd non ciuitatis morum eſt peccatum, ſed eorum qui imprudenter & temerè in ciuitatem irruperunt iſta inſania fuit. Hæc ſacerdos & plura his cum maiori dicet fiducia, hæc Imperator audiet: & ille humanus, & hic fidelis. Vnde vtrinque bonas habemus ſpes. Magis autem & ſupra magiſtri fidem, & regis humanitatem, Dei miſericordiæ fidimus: etenim & rogato regi, & roganti ſacerdoti ipſe ſolus aſſiſtet, regis cor emolliens, ſacerdotis linguam excitans: huius verba ſecundans, illius mentem præparans, dictis multa cum venia ſuſcipiendis & petitionibus concedendis. Etenim ciuitatum omnium noſtra Chriſto optatiſſima, tum propter progenitorum, tum propter veſtram virtutem. Et ſicut Petrus inter apoſtolos primus Chriſtum prædicauit: ſic inter ciuitates, ſicut iam dixi, hæc prima tamquam coronam quandam admirabilem Chriſtianorum tulit appellationem. Gen 18 d. Si verò vbi decem tantùm iuſti eſſent, omnes inhabitantes Deus ſaluare promiſit: vbi non decem & viginti, neque bis totidem ſolum, ſed multò plures ſunt Deum cum omni diligentia colentes, quomodo non oportet bona ſperare, & de communi noſtra omnium ſalute confidere? Audiui multos dicentes, minæ regis iræ leonis ſimiles, & concidentes & lamentantes. Quid igitur aduerſus illos dicemus? quod qui dixit, Eſa. 65. g. *Lupi & agni ſimul paſcentur, & pardus cum hœdo quieſcet, & leo tanquam bos paleas comedet*: & hunc leonem reddere ouem poterit manſuetam. Supplicemus igitur ipſi, & ad ipſum legationes mittamus, & regis animum penitus corripiet, & ab omni nos inſtanti anguſtia liberabit. Pater illic legationem obit, nos hinc ad cœlorum regem mittamus legationem, ipſum precibus adiuuemus. Multum eccleſiæ communio poteſt, ſi anima dolente, ſi corde contrito preces emittamus. Non opus eſt mare tranſire, non opus eſt longam ſubire peregrinationem: omnes & ad eccleſiam occurrentes, & domi manentes multo Deum ſtudio inuocemus, & omnino ſupplicationibus annuet. *In communi neceſsitate ad Deum oratione & ieiunio recurrendum, & à peccatis deſiſtendum.* Vnde hoc manifeſtum? quòd vehementer cupit nos ad ipſum ſemper confugere, & in omnibus ipſum deprecari, & nihil abſque ipſo vel facere, vel dicere. Homines enim quando ipſis continuè negotium faceſſimus pro rebus noſtris, langueſcunt & tergiuerſantur, & ægrè ferunt. Deus autem prorſus in contrarium: non quando ipſi continuè occurrimus pro rebus noſtris, ſed quãdo non hoc facimus, tunc maximè indignatur. Audi igitur quid Iudæis obiicit, dicens? Feciſtis voluntatem meam, & non per me: & pacta, & non per ſpiritum meum. Talis enim amantium conſuetudo: omnia adamatorum negotia per ſe fieri volunt, & nihil ſine ſe illos neque facere, neque dicere. Propterea & Deus non hic tantùm, ſed & alibi idem rurſus exprobrans dicebat: Oſee 8. a. *Regnauerunt, & non per me: imperauerunt, & non ſignificauerunt mihi.* Ne igitur torpeamus continuè ad ipſum confugere, & quodcunq; graue fuerit, omnino remedium accipiet conueniens. Terruit homo, curre ad ſupernum dominum, & nil graue patieris: ſic antiqui calamitates auertebant, non tantùm viri, ſed & mulieres. Fuit quædam mulier Hebræa, Heſter erat ipſi nomen: Eſther 7. hæc Heſter vniuerſum Iudæorum populum internecione delendum ſic eripuit. Poſtquam Perſarum rex omnes paſſim Iudæos interimi iuſſit, & nullus erat qui contra iram illius obſiſtere poſſet, priſtinum veſtitum exuta mulier, & ſacco amicta, & cinerem ſubſtrata, diuinæ clementiæ ſupplicabat, vt ſecum ad regem ingrederetur, & talia orans verba ad ipſum dabat. Grata domine fac verba mea, & da ſermonem ornatum in os meum. Hæc & pro magiſtro

nos

A

nos nunc Deum oremus. Si enim mulier pro Iudæis ſupplicans, Barbaricum corripere furorem potuit: multo magis doctor noſter pro tali ciuitate, & cum tanta eccleſia ſupplicās, benigniſſimum & mitiſſimum hunc regem flectere poterit: ſi enim peccata in Deum ſoluēdi, poteſtatem accepit, multo magis in hominem patratą deſtruere & delere poterit. Princeps eſt hic quoque, & quidem illo honoratior. Etenim ipſum regis caput ſacras leges ferentes huius manibus ſubiecerunt: & quando aliquid boni cœlitus requiritur: rex ad ſacerdotem, non ſacerdos ad regem confugere ſolitus eſt. Habet & hic iuſtitiæ thoracem, habet & loricam veritatis, habet & calceamenta multo honeſtiora ab euangelio pacis: habet & gladiū, non ex ferro, ſed ſpiritus: habet & coronam capiti impoſitam. Splendidior hæc armatura, pretioſiora hæc arma, maior fiducia, maior vis. Itaque & pro principatus magnitudine, & propria magnanimitate, & ante reliqua omnia, pro firma in Deum ſpe, cum multa fiducia

B

cum multa prudentia regem alloquetur. Ne igitur de ſalute noſtra deſperemus, ſed ſupplicemus, precemur, petamus, oremus, ad ſupernum regem multis cum lachrymis legationem mittamus. Habemus & ieiunium hoc cooperans, in hac pulchra legatione nobis adhærens.

A ſimili.

Quemadmodum itaque præterita hyeme, & æſtate apparente, nauta quidem nauigium deducit, miles vero arma deterget, equúmque ad bellum parat, & agricola acuit falcem, & viator fiduciæ plenus longum iter aggreditur, & ad certamina pugil expoliatur, ſéque denudat: ſic & nos ieiunio tanquam æſtate quadā ſpirituali apparente, & arma tāquam milites abſtergamus, falcem acuamus tanquam agricolæ, & tāquam nautæ contra vndas, contra abſurdarum cupiditatum cogitationes opponamur, & tanquam viatores arduum ad cœlum iter inuadamus, & tanquam pugiles ad certamina ſpoliemur: fidelis enim, & agricola, & gubernator, & miles, & athleta, & viator eſt. Idcirco Paulus quoque dicit: *Non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principes & poteſtates*: induite igitur armaturam Dei.

Ephe. 6. b

Vidiſti athletam, vidiſti militem? Si athleta es, nudum in certamen te deſcendere oportet: ſi miles, armatum ad pugnam conſiſtere neceſſe eſt: quomodo igitur vtraque hæc ſimul eſſe poſſint, & nudum eſſe, & non nudum, & indutum: & non indutum. Exue vitæ negotia, & athleta factus es: indue arma ſpiritualia, & factus es miles. Teipſum vitæ curis denuda, luctæ enim tempus eſt: arma ſpiritus indue, bellū enim nobis contra dæmones conflatum eſt graue. Propterea & nudum eſſe oportet, vt nullam diabolo nobiſcum luctanti anſam præbeamus: & vndique armari, vt nuſquam lethale plagam accipiamus. Excole animam tuam, & ſpinas excide: ſemina verbum pietatis, pulchras diſciplinæ plantas inſere, & cum multa diligentia repaſtina: nam agricola factus es, & tibi dicet Paulus: *Laborantem agricolam oportet primum fructus percipere.*

2. Tim. 2. b.

Hanc & ipſe artem tractabat: idcirco Corinthiis ſcribens dicebat: *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit.* Acue falcem tuam quam per crapulam hebetaſti, acue per ieiunium, aggredere iter in cœlum ferens, aſperam & anguſtam viam attinge & ambula. Quomodo autem poteris & attingere & ambulare? *Caſtigans corpus tuum, & in ſeruitutem redigens*: vbi enim via anguſta, magnum impedimentum eſt carnis ex crapula obeſitas. Abſurdarum vndas concupiſcentiarum reprime, repelle improbarum hyemem cogitationum, ſalua nauigium, multam oſtende peritiam, & factus es gubernator. Horum autem omnium nobis materia ieiunium & magiſter eſt: ieiuniū autem dico non hoc vulgare, ſed accuratum ieiunium: non tantum ciborum abſtinentiā, ſed & peccatorum: non enim ieiunij natura peccata eximere ſufficit, niſi congrua cum lege fiat. Etenim athleta, inquit, *non coronatur, niſi legitimè certauerit.*

2. Ti. 2. a.

A

Ne igitur inter ieiunij laborem à ieiunij corona excidamus, diſcamus qualiter & quomodo huiuſmodi negotium tractare debeamus: quoniam & Phariſæus ille ieiunauit, ſed poſt ieiunium illud deſcendit inanis, & ieiunij fructibus caſſus.

Luc. 18. b

Publicanus non ieiunauit, & Phariſæum ieiunantem præceſſit non ieiunans, vt diſcas quod ieiunij vtilitas nulla, niſi & reliqua omnia conſequantur. Ieiunauerunt Niniuitæ, & Dei miſericordiam elicuerunt: ieiunauerunt & Iudæi, & nihil profecerunt, ſed culpati abierunt. Quoniam igitur tātum ieiunij periculum eſt neſcientibus quomodo ieiunare oportet, ieiunij leges diſcamus, ne in incertū curramus, nec aërem verberemus, neque pugnantes cum vmbra dimicemus.

Simile.

Medicina eſt ieiunium: ſed medicina licèt millies vtilis ſit, per vtentis imperitiam inutilis ſæpè fit: etenim noſſe oportet & tempus quo ipſam adhibere opus ſit, & ipſius medicamenti quantitatem, & corporis temperiem ſuſcipientis, & regionis

B

naturam, & anni tempus, & congruum victum, & multa alia, quorum ſi quodlibet prætermiſſum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autem vbi corpori mederi oportet, tanta nobis opus eſt diligentia: multo magis cum animam curemus, & cogitationibus medeamur, omnia ſcrutari, & cum omni ſedulitate cōſiderare neceſſe eſt.

Ieiunium Niniuitarum notabile.

Videamus igitur quomodo Niniuitæ ieiunauerunt, & quomodo ab illa liberati ſunt ira. *Homines, & iumenta, & pecudes, & oues ne paſcantur*, inquit. Quid dicis? Et bruta ieiunāt & equi & muli ſacco veſtiuntur? Etiam, inquit, ſicut enim

Similia.

diuite aliquo mortuo, non ſeruos ſolos & ancillas, ſed & equos neceſſarij ſacco amicientes, & agaſonibus tradentes ad ſepulchrum ſequi iubent, calamitatis magnitudinem oſtentantes, & omnes ad miſericordiam allicientes: ſic & in ciuitate illa mori periclitante, & brutam naturam ſacco circumtexerunt & ieiunij iugo ſubiecerunt.

C

Non licet brutis ſermone Dei iram diſcere, diſcant fame quod à Deo infligitur plaga; etenim ſi diruteretur, inquit, ciuitas, non tantum noſtri inhabitantiū, ſed & horum vna eſſet communis ſepultura. Pœnæ igitur partem habere debentia, & ieiunij partem capiant. Et aliud vero quiddam tunc fecerunt, quod & prophetæ faciunt: etenim illi cum flagellum aliquod intolerabile de cœlis ferri viderint, atque puniendos ſine fiducia eſſe cōfuſione plenos, neque venia neque excuſatione vlla dignos, nec habeant quid faciant nec vnde condemnatis præbeant patrocinium, ad bruta confugiunt, & illorum mortem deplorantes, ex his ſupplicationem faciunt, & miſerabilem & luctuoſam ipſorum perditionem proponentes. Cum igitur fames olim Iudæos comprehendiſſet, & multa regionem ſiccitas premeret, & omnia conſumeretur: hic quidam prophetarum

D

dicebat: Reſilierunt iuuencæ apud præſepia ſua, fleuerunt armenta boum, quoniam non erant paſcua: omnia iumenta terræ reſpexerunt ad te, quoniam exſiccatæ ſunt emiſſiones aquarum. Ille verò ex ſiccitate mala lugens rurſum ſic ferè dicit: *Cerui in agro pepererunt & dereliquerunt, quoniam non erat herba: onagri in pratis ſubſtiterunt, attraxerunt ventum ſicut draco, defecerunt ipſorum oculi quoniam non erat fœnum.*

Hier. 14. a.

Propterea & hodie Ioel dicentem audiſtis: *Egrediatur ſponſus è cubiculo ſuo, & ſponſa è thalamo ſuo, infantes ſugentes vbera.*

Ioel. 2.

Quia de cauſa, dic mihi immaturam ætatem ad ſupplicationem vocat? Nonne certum eſt, quod propter eandem cauſam? quoniam enim omnes viri ætate perfecti exacerbauerunt Deum, & ad iracundiam concitauerunt, ætas, inquit, peccatorum expers irato ſupplicet. Sed quid dicebant, videamus, quid tandem ſit, quod ineuitabilem illam iram ſoluerit, num ieiunium ſolum & ſaccus? nequaquam, ſed totius vitæ mutatio. Vnde hoc manifeſtum? ab ipſis propheticis verbis. De Dei enim ira locutus & illorum ieiunio, idem conciliationem & conciliationis cauſam dicēs, ſic inquit: Et vidit Deus opera

ipſo-

Digitized by Google

ipſorum. Qualia opera? quod ieiunauerunt? quod ſaccum induerunt? nihil horum, ſed hæc omnia tacens intulit: *Quoniam conuerſus eſt quiſque à via ſua mala, pœnituit mali quod dixerat facere ipſis dominus.* Cernis quòd non ieiunium periculo eripuit, ſed vitæ mutatio Deum barbaris placatum & beneuolum reddidit? Hæc dixi, non vt ieiunium contemnamus, ſed vt ieiunium honoremus: honor enim ieiunii non ciborum abſtinentia, ſed peccatorũ fuga. Itaque ciborum abſtinentia tantùm ieiunium definiens, hic eſt qui maximè ipſum vituperet. Ieiunas? demonſtra mihi per ipſa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperem videris, miſerere: ſi inimicum videris, conciliare: ſi amicum laudabiliter agentem videris, ne inuideas: ſi mulierem videris ſpecioſam, prætereas. Non enim os tantum ieiunet, ſed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis noſtri membra. Ieiunent manus à rapina & auaritia mundæ: ieiunent pedes ad illicita ſpectacula curſum reprimentes, ieiunent oculi diſcentes nunquam formoſis obtutibus inſilire, nec alienas curioſè pulchritudines ſpectare. Cibus enim oculorum ſpectatio: ſed ſi illegitima ſit & prohibita, ieiunio nocet, & omnem animæ ſalutem ſubuertit: ſi vero legitima & conceſſa, ornat ieiunium. Etenim abſurdiſſimum eſſet, cibis & cōceſſa abſtinere eſca per ieiunium, oculorum vero prohibita attingere. Non comedis carnem? Neq; laſciuiam per oculos haurias. Ieiunet & auris: aurium autem ieiunium, detractiones & calumnias non ſuſcipere: Auditum enim vanum non ſuſcipies, inquit. Ieiunet quoque os à verbis turpibus & conuitio. Quæ enim vtilitas cùm auibus quidem & piſcibus abſtineamus, fratres vero mordeamus & comedamus? Detrahens fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit: propterea & Paulus terruit, dicens: *Si autem vos inuicem mordetis & comeditis, videte ne inuicem conſumamini.* Non infixiſti dẽtes carni, ſed animæ maledictum, improbã ſuſpicionẽ infixiſti, vulneraſti, innumeris affeciſti malis & teipſum, & illum, & alios plures: etenim audientem peiorem feciſti proximo calumnians: ſiue enim peccator ſit, ſegnior fit, peccati communicatorem nactus: ſiue iuſtus ſit, in arrogantiã tollitur & inflatur ex aliorũ peccato, magna de ipſo ſentire perſuaſus. Inſuper communem eccleſiæ ſtatum læſiſti. non enim omnes audientes peccatorem ſolum accuſant, ſed opprobria Chriſtianorum genti infliguntur: nec audiunt infideles dicẽtes, quod ille leno eſt & diſſolutus, ſed pro eo qui peccauit, Chriſtianos omnes calumniis inſectantur. Ad hæc Dei gloriam blaſphemari feciſti: ſicut enim nobis laudabiliter viuentibus Dei nomen glorificatur, ſic peccantibus blaſphematur, & cōtumelia afficitur. Quartum malum, audientem cōfudiſti, & ſic impudentiorem reddidiſti, inimicum & hoſtem reddens. Quintum, teipſum pœnæ & caſtigationis reum feciſti, negotia ad te nihil attinẽtia texens. Ne quis enim hoc mihi dicat, tunc detraho, quando falſa dico. Nam ſi vera loquẽs maledixeris, & hoc eſt crimen: etenim Phariſæus ille Publicano veridicus maledixit, ſed tamen hoc ipſi nihil profuit. Dic enim mihi, Publicanus non erat publicanus & peccator? Quique certum eſt quod Publicanus erat, ſed tamen quoniam ipſum vituperauit Phariſæus, abiit omnibus amiſſis. Vis fratrem corrigere? lachryma, ora Deum, ex corde apprehenſum admone, cōſule, exhortare: ſic & Paulus faciebat; *ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam geſſerunt.* Declara charitatem erga peccatorem: perſuade ipſi, quod conſulens & curans non traducere volens, peccati ipſum commonefacis: comprehẽde pedes, oſculare, ne erubeſcas, ſi modo verè mederi vis. Hæc & medici faciunt ſæpius difficiles ægrotos habentes, deoſculantes, rogantes perſuadent ſalutarem ſumere medicinã. Ita tu quoque fac, ſacerdoti vulnus manifeſta: hoc eſt curantis, hoc prouidentis, hoc conſulentis. Nō ſolos autem maledicentes, ſed & aliis detrahi audientes admoneo aures obſtruere, & prophetam imitari dicentem: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar.* Dic proximo: habes aliquem quem laudes & commendes? Aures aperio, vt vnguenta ſuſcipiã: ſi vero malè velis dicere, verbis ingreſſum obturo: non enim ſtercus & cœnum accipere ſuſtineo. Quod mihi lucrum, ſi didicero quod ille improbus? Maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema iactura. Loquere ad ipſum, curemus noſtra, quomodo peccatorum rationes demus, & curioſitatem hanc & operoſam indagationem circa vitam noſtram exhibeamus. Quam enim habebimus excuſationem, quam veniam, cum noſtra ne in mentem quidem veniant, aliena vero curioſe ſcrutemur? Sicut in domum declinare, & interiora cōſiderare, prætereunti turpe eſt, & multa ignominia plenum: ſic & circa alienam vitam ſatagere, illiberalitatis extremæ eſt. Hoc vero ridiculum magis eſt, quod talem habentes vitam, & propria negligentes, cùm aliquid arcanum dixerint, rogant audientem & adiurant, ne cuiquam amplius alteri dicat: hinc declarantes, quod rem reprehenſione dignam commiſerunt. Si enim illum, vt nemini dicat, rogas: multò magis te priorẽ huic dicere non oportebat. In tuto ſermonem habebas: poſtquam ipſum prodidiſti, tunc ſalutem ipſius curas. ſi non vis efferri, neque alteri ipſe dicas, poſtquam vero alteri prodidi ſermonis cuſtodiam, ſuperflua facis, & inutilia admonens, & obteſtans proditorũ cuſtodia. Sed iucundum detrahere, imo iucundũ non detrahere. Detrahens enim continẽter anxius eſt ſuſpicatur & timet, pœnitentiam agit, & linguam ſuam mandit, timens & tremiſcens, ne fortè aliis enunciatum verbum magnum ſibi periculum afferat, & ſuperfluam & inutilem inimicitiam his qui dixere operetur. Apud ſeipſum verò continens, in ſecuritate plurima cum multa viuet voluptate. *Audiſti ſermonem, inquit, moriatur in te: confide, non te diſrumpet.* Quid eſt, moriatur in te? extingue ipſum, defodito, nec exire, neque penitus moueri permittas: ſed maximè ſtude nec alios quidem dicentes malè tolerare: quod ſi quando & ſuſceperis, infodito, interime dictum, obliuioni trade, vt his qui non audierint ſimilis fias, & cùm multa pace & ſecuritate præſentem tranſigas vitam. Si delatores didicerint, quod ipſos magis quam accuſatos auerſemur, & ipſi tandem ab hac mala conſuetudine deſiſtent, & peccatum corrigent, & laudabunt poſt hæc, & noſipſos ſuos ſaluatores factos, & benefactores prædicabunt. Sicut enim benedicere & laudare amicitiæ principium eſt, ſic & maledicere & calumniari inimicitiæ, & odii, & iniuriarum principium eſt, atque diſcordiarum materia. Non aliunde noſtra negliguntur, quàm quod aliena ſatagimus, curioſeque ſcrutamur: non enim vacat homini accuſanti, & alienos exquirenti mores, propriam quandoque vitam curare, ſtudio enim omni in alienorũ curioſitatem impenſo, neceſſe eſt omnia eius temerè & negligenter iacere. Etenim optandũ omne otium in propriorum curam peccatorum & iudicium impendentem proficere poſſe. Cùm vero ſemper aliena cures, quando tua meditaberis mala: Fugiamus igitur dilecti, fugiamus detractiones, docti quod eſt totum ſatanicum barathrum inſidiarum eius hæc inſeſſio. Vt enim noſtra negligamus, & grauiores nobis reatus conſtituamus, in hanc nos conſuetudinem diabolus duxit: imo vero non ſolùm ineſt hoc malum, quod tunc rationẽ dabimus eorum quæ diximus, ſed etiam quod peccata noſtra ſic grauiora faciemus, omni nos excuſatione priuantes: acerbè enim aliena exquirẽs,

Ionæ.3.d

Exod.23.a. Detractio.

Gal.5.c.

Luc.18.c

2.Cor.12.g.

Pſal.100.a.

Eccl.19.b

in ſuis exceſſibus nullã vnquã veniã nanciſcetur. Non enim tantũ à peccatorũ natura, ſed & ex iudicio de aliis noſtro ſententiam Deus proferet: idcirco admonuit, dicens: *Nolite iudicare, ne iudicemini:* nõ enim quale fuit peccatũ, tale illic in futurũ apparebit: ſed quandã magnã & ineuitabilẽ additionem à iudicio in conſeruũ facto accipiet. Sicut enim humanus, & mitis, & clemens maiorũ peccatorũ grauitatẽ ſuccidit: ita acerbus, & crudelis, & implacabilis magnũ propriis pondus peccatis apponit. Eliminemus igitur omnẽ ex ore noſtro detractionẽ, ſciẽtes quod etſi cinerẽ comedamus, nulla nobis aſperæ vitæ huius vtilitas proderit, niſi detractione abſtineamus: *nõ enim quæ intrãt, coinquinãt hominẽ, ſed quæ exeũt ex ore.* Si quis te prætereunte ſtercus cõmoueat, hoc facientẽ non conuitio & cõtumelia afficias? hoc fac & erga detractores. Non enim ſic commotum ſtercus illum fœtorem ſuſcipientem cartilaginem percellit, ſicut aliena peccata excuſſa, & vita impura, audientiũ animos prodita contriſtare & perturbare ſolent. Abſtineamus igitur detractione, turpiloquio, blaſphemia; & neque proximo, neq; Deo maledicamus: multi enim obtrectatorum in hoc furoris lapſi ſunt, vt à conſeruis in Deum linguam ſuam reuocauerint. Quãtum verò ſit hoc malum, ex rebus nunc nos vrgẽtibus diſce. Ecce enim homo iniuriam paſſus eſt, & omnes timemus & tremimus, quique intulerunt iniuriam, & de nulla huiuſmodi ſibi conſcij: Deus autem per ſingulos dies iniuria afficitur à diuitibus, à pauperibus, à quietis, à tribulatis, à calumniantibus & calumniam ferentibus, & nulla vſquã ratio. Propterea conſeruum violari permiſit, vt ex periculo per contumeliam exorto præſentem diſcas domini benignitatem. Atqui hoc nunc primũ factum eſt, & ſolum: ſed tamen nec propter hoc nos vllam aſſecuturos eſſe veniam, vel excuſationem expectamus: Deum verò quotidie irritamus, & nullam facimus conuerſionem, & adhuc cum omni longanimitate ſuſtinet. Vidiſti quanta Dei ſit clementia? Et in hac quidem præuaricatione qui peccauerunt, capti ſunt, & in carcerem detruſi, pœnaſque dederunt: ſed tamen adhuc timemus; necdum enim facta læſus audiuit, neque ſententiã enunciauit, & omnes tremimus. Deus verò quotidie contumelias in ſe factas audit, & nemo conuertitur: & hic cùm ſit tam clemens & mitis, illi inſuper peccatum dicere ſufficit, & crimen ſoluitur. In hominibus verò contrarium penitus, cùm peccatores confeſſi fuerint, tunc magis puniuntur: quod quidem & nunc factum eſt. Nam hi quidem ferro, illi verò igni, quidam autem beſtiis traditi, perierunt, non viri tantum, ſed & pueri: nec ætatis immaturitas, nec populi tumultus, nec quod dæmonũ furore pleni hæc fecerint: nec quod exactio intolerabilis eſſet viſa, non paupertas, non quod publicè cum omnibus peccauerint, non quod promiſerint nunquam ſe amplius eſſe talia auſuros, non aliud quicquam omnino ipſos eripuit: ſed abſque omni venia ad barathrum adducebantur, militibus armatis vtrinque ipſos agentibus, & obſeruãtibus, ne quis reos eriperet: & ſequebantur matres, procul quidem filios conſpicientes abſtractos, calamitatem autem conqueri non audentes. Paſſionẽ enim vincebat formido, & naturam ſuperabat metus. Et ſicut naufragos à terra contuẽtes homines, dolent quidem, accedere autem & ſubmerſos eripere non valent: ita quidem & hic tanquam vndis quibuſdam, militum timore prohibitæ matres, non tantum accedere, & ipſos à damnatione eruere nõ audebant, ſed & timebant deplorare. An hinc Dei miſericordiam conijcitis? quàm ineffabilis, quàm infinita? quomodo omnem tranſcendit rationem? Hic quidem læſus & eiuſdem naturæ, & ſemel ex omni tempore hoc paſſus eſt, & non coram, neque præſens & cernens & audiens, & tamen nemo reorum veniam aſſecutus eſt. De Deo verò nihil horum dicendum eſt: etenim tantum eſt Dei & hominis medium, quantum ratio aſtruere poſſit: quotidie contumelia afficitur præſens, & videns, & audiens, & neque fulmen immiſit, neque mare iuſſit terram inundare, & omnes ſubmergere, neque terram hiare & temeratores abſorbere mandauit: ſed tolerat, & longanimiter agit, & ignoſcere promittit contumeliæ autoribus, ſi tantum pœnitentiam agant, & non amplius hæc facere polliceantur. Verè nunc exclamandi tempus: *Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Quot Dei imagines non tantum deiecerunt, ſed & conculcauerunt? cum enim reum angas, cum diſpolies, cum trahas, cum deiicias, Dei imaginem conculcas. Audi certè Paulum dicentẽ, quod homo nõ debet operire caput, *imago enim & gloria Dei eſt.* Et rurſus ipſum Deum dicentem: *Faciamus hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Si verò dicas, quod non eſt eiuſdem ſubſtantiæ homo cum Deo; quid tum? neque enim æs ſtatuæ eiuſdem eſt cum rege ſubſtantiæ, ſed tamen hanc auſi lædere pœnas dederunt: ſic & in hominibus, etſi non eiuſdẽ cum Deo ſubſtantiæ ſunt homines, ſicut neque re vera ſunt, veruntamen imago vocati ſunt, & propter appellationes ipſos honorem recipere oportebat. Tu verò propter paululum auri, cõnculcas, angis, trahis, & nullam adhuc pœnam dediſti. Contingat igitur hodie quandam bonam & dexteram fieri mutationem: illud certè vobis prædico, & conteſtor, quod etſi hæc præterierit nubes, nos autem in eodem manſerimus torpore, rurſum multo his quæ impræſentiarum expectatur, peiora patiemur: quoniam & nunc non tantum imperatoris iram, quantum ſegnitiem veſtrã timeo. Non enim duobus aut tribus diebus ſupplicaſſe nobis ad defenſionem ſufficit: ſed potius vitæ mutationem fieri oportet, & à malitia deſiſtentes in virtute permanere continuè. Sicut enim ægrotantes, niſi ſemper ordinatè vixerint, nulla ipſis diſciplinæ per tres aut quatuor dies ſeruatæ vtilitas: ſic & peccantes, niſi ſemper ſobrij ſint, nihil proderit ipſis duorum vel trium dierum correctio. Vt enim dicitur, lotus poſtea in luto rurſum inquinatus, nihil profecit: ſic per tres dies agens pœnitentiam, & rurſum ad priora reuertẽs, nihil lucratus eſt. Ne igitur quod ſemper facimus, hoc & nunc faciamus. Etenim terræmotibus ſæpius comprehendentibus, & fame, & ſiccitate, tribus vel quatuor diebus moderati & manſuetiores facti, rurſus ad priora rediuimus, proptereaque hæc acciderunt. Sed ſi non prius, nunc ſaltem in eadem permaneamus pietate, & eandem manſuetudinem ſeruemus; ne rurſum alterius indigeamus flagelli. Nunquid non poterat Deus facta prohibere? ſed permiſit, vt ſe contemnẽtes per conſerui metum modeſtiores efficeret. Non mihi quis dicat, quod multi ſontium effugerunt, multi vero inſontium pœnam ſubierunt: etenim hoc dicentes multos ſæpius audio, non in præſenti tantũ ſeditione, ſed & in aliis multis huiuſmodi negotiis. Quid igitur talia obiicientibus dicendum? quod & ſi in præſenti ſeditione inſons erat reus, ſed aliud peccatum aliquando grauius commiſit, deinde nõ mutatus in præſenti pœnas dedit. Etenim hoc facere Deus conſueuit, & cum peccauerimus, non ſtatim peccatis irruit, ſed remittit, dans nobis pœnitẽtiæ tempus præfinitũ, vt corrigamur & mutemur: ſi vero quod non pœnas dederimus, peccatum deletum eſſe exiſtimantes contempſerimus, vbi non putamus, ibi poſt hæc capiemur omnino. Hoc autem fit, vt cum peccauerimus, & non fuerimus puniti, non confidamus, niſi fuerimus mutati: ſciẽtes quod vbi non putamus omnino cademus. Itaque ſi peccaueris, & punitus non fueris, ne contemnas dilecte: ſed propter hoc ipſum magis time, ſciens quod facilè Deo eſt, quãdo velit, iterũ retribuere.

Mat. 7. a Luc. 6. f

Mat. 15. b Marc. 7. c

Simile.

Pſal. 105. a.

1. Cor. 11. b.

Gen. 1. c.

Propterea

Propterea enim te non puniuit, vt capias pœnitentiæ tempus. Ne igitur dicamus, quod crimine carens ille ceciderit, alter vero facinoris author effugit. Innocens etenim punitus, vt prædixi, aliorum peccatorum pœnas luit: & qui nunc effugit, niſi mutatus fuerit, in alio capietur laqueo. Si ſic diſpoſiti ſimus, nunquam propriorum obliuiſcemur peccatorum: ſed ſemper timentes, tremētes, ne quando ſubeamus iudicium, citò ipſorum recordabimur: nihil enim ſic peccata in memoriam reuocare conſueuit, vt pœna & caſtigatio. Et hoc manifeſtum ex fratribus Ioſeph. Cùm enim illi iuſtum vendidiſſent, & tredecim anni præteriiſſent, puniri metuētes, & de vita timentes, peccati recordati ſunt, & inter ſe dicebant: *Merito hæc patimur: In peccatis enim ſumus propter fratrem noſtrum Ioſeph.* (Gen. 42. d) Vides quomodo timor ille ipſos peccati ſui cōmonefecit? & quando peccabant quidem, non ſentiebant: quando vero puniri metuebant, tunc recordati ſunt. Hæc igitur omnia ſcientes, vitam mutare velimus & corrigere, & ante inſtantis anguſtiæ liberationem de religione & virtute cogitemus. Et interim tria vobis mandata commendare volo, vt hæc mihi in ieiunio præſtetis: vt nemini detrahatis, inimicum habeatis neminem, & omnem prorſus ex ore malam iuramentorum conſuetudinem expellatis. Et ſicut (Familiæ cura in ſpiritualibus.) cùm aurum imperatum audierimus, abiens quiſque domum, & vxorem vocans, & filios, & ſeruos, conſiderat cum illis & conſultat vnde tributum illud eroget: ſic & in mandatis faciamus his ſpiritualibus, domum quiſque regreſſus, vxorem & filios vocet, & dicat, quod tributum ſpirituale hodie impoſitum eſt, tributum, inquam, per quod erit quædam horum malorum ſolutio & liberatio: tributum conferentes, non pauperes, ſed ditiores faciens, vt neminem inimicum habeamus, detrahamus nemini, nec omnino iuremus. Conſideremus, curam agamus, cōſultemus, quomodo hæc impleamus mandata, omne impendamus ſtudium, nos alter alterum commoneamus, alter alterum corrigamus, vt non debitores abeamus illuc, deinde mutuari ab aliis coacti, illud quod virgines fatuæ patiamur, & immortali ſalute excidamus. (Mat. 25. a) Si ſic noſtræ inſtituimus vitæ rationem, hic vobis ſpondeo, & polliceor, quod & præſentis calamitatis aliqua ſolutio dabitur, & iſtorum malorū liberatio: & quod omnibus maius eſt, futurorum fructus bonorum. Oportebat quidem omnem vobis mandare virtutem, ſed hunc eſſe correctionis optimum modum puto, per partes legem capientes implere, & tum ad alias ire. Sicut enim agro propoſito, agricola paulatim fodiens, ſic ad finem venit: (Simile.) ſic & nos legem hanc nobis ponamus, vt per quadrageſimam præſentem hæc tria mandata diligenter exerceamus: proculdubio cùm bonæ conſuetudinis cuſtodiam prudenter exhibuerimus, cum maiore facilitate & ad reliquas veniemus, & ad ipſum diſciplinæ verticem peruenientes, tum præſentem vitam bona cum ſpe tranſigemus, tum & in futura cum multa Chriſto fiducia aſſiſtemus, & arcanis fruemur bonis: quæ nos aſſequi detur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo gloria patri, vnà cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum. Amen.

Eiuſdem exhortatio ad populum de patientia & tolerantia, ab exemplis Iob & trium puerorum: & de abſtinentia à iuramentis.

Homilia IV.

Benedictvs Deus, qui dolentes animas veſtras conſolatus eſt, & vacillantes mentes confirmauit. Quod enim congruam ceperitis conſolationem, per ſtudium hoc & audiendi promptitudinem demonſtraſtis: non enim datur, animam dolentem, & triſtitiæ nube preſ- A ſam poſſe quæ dicuntur, cum promptitudine audire. Vos autem video cum multa beneuolentia, & acri ſtudio nobis attendentes, omnibus triſtibus excuſſis, & audiendi deſiderio inſtantem anguſtiam repuliſſe: propterea Deo vobiſcum gratias ago, quod diſciplinam noſtram miſeria non redarguit, nec rigorem noſtrum timor remiſit, nec alacritatem veſtram extinxit tribulatio, nec labefecit zelum veſtrum periculi magnitudo, nec ſuperauit in Deum deſiderium hominum timor, nec ſtudium veſtrum temporis iniquitas deiecit: nec tantùm non deiecit, ſed & alis ſuffulſit: non tantùm non remiſit, ſed & intendit: non tantum non extinxit, ſed & amplius accendit. Euacuatum quidem forum eſt, ſed eccleſia repleta: illud luctus materia, hæc gaudij & lætitiæ ſpiritualis occaſio. Cum igitur in forum te contuleris, dilecte, & ſolitudinem conſpicatus ingemueris, confuge ad matrem, & B ſtatim te propriorum filiorum multitudine conſolabitur: & perfectum oſtendet tibi fratrum diuinum chorum, & omnem triſtitiam repellet. In vrbe quidem viros cernere deſideramus tanquam deſerta habitantes: in eccleſiam verò confugientes multitudine comprimimur. Et quemadmodum mari æſtuante, & multis procellis inſaniente, ad portum confugere timor omnes cogit: ſi & nunc fori procellæ, & ciuitatis hyems omnes in eccleſiam vndique compellunt, & charitatis vinculo membra inter ſe conſtringunt. Gratias agamus igitur & propter hæc Deo, quod tantum ex tribulatione carpſimus emolumentum, quod tantam ex tentatione vtilitatem cepimus: Niſi tentatio, nec corona: niſi certamina, nec præmia: niſi ſtudia, nec honores: niſi tribulatio, nec remiſſio: niſi hyems, nec æſtas. Et hoc non in hominibus tan- C tùm, ſed in ſeminibus quoque ipſis intueri licet: & in his enim multam quidem pluuiam, multam verò nubium colliſionem, multam denique glaciem fieri oportet, ſi vernans ſpica exurgere debet: vbi vero ſementis tempus, tempus & pluuiæ. Poſtquam igitur & nunc ingruit hyems animarum, non aeris, feramus & nos in hac hyeme, vt in æſtate metamus: ſeminemus lachrymas, vt metamus exultationem? Non meus hic ſermo, prophetica denuntiatio eſt: *Qui ſeminant in lachrymis,* inquit, *in exultatione metent.* (Pſal. 125. d.) Non ſic ſemina delatus imber germinare & creſcere facit, vt pietatis ſemen excitat & vernare facit ex lachrymis ruens imber: hic animam detergit: irrigat mentem, doctrinæ germen breui progredi facit: propterea & profundum ſulcum proſcindere neceſſarium. Etenim & propheta hoc admonuit ita dicens: *Renouate nobis noualia, & nolite ſeminare in ſpinis.* (Hier. 4. d.) Quemadmodum igitur aratrum immittens infernè terram proruit, tutam ſeminibus cuſtodiam parans, ne iacta in ſu- D perficie remaneant, ſed in ipſos terræ ſinus condantur, & in tuto radices figant: ſic & nos facere neceſſarium, & tanquam aratro tribulatione vtentes, cordis profundum ſcindere: hoc enim & alius propheta admonet, dicens: *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* (Ioel. 2. d.) Corda igitur ſcindamus, vt ſi qua doloſa herba, & improba cogitatio nobis ineſt, radicitus eam vellamus, & puras pietatis ſeminibus terras exhibeamus. Niſi enim nunc reuocemus, niſi nunc feramus, niſi nūc fundamus lachrymas, cùm adeſt tribulatio & ieiunium, quando vnquam in compunctionem veniemus? Num quando remiſſio & delitiæ fuerint? Sed hoc fieri non poteſt. Remiſſio enim & delitiæ, in ſegnitiem inducere conſueuerunt; ſicut tribulatio ad induſtriam reuocare, & mentem exterius circa multa vagantem & occupatam ad ſeſe conuertere. Ne igitur de hac triſtitia doleamus, ſed Deo grátias agamus: multum enim ex tribulatione lucrum. Nam quod cum agricola ſemina cum multo labore collecta ſeminauerit, ignarus quidem omnia quæ fiunt cernens (Simile.)

admirabitur, forteque apud ſeipſum dicet: Quid
hic homo tandem facit? collecta diſſipat, nec diſſi-
pat tantùm, ſed & terræ cum multa cura cõmiſcet,
ne facilè colligi poſſint: nec commiſcet tantùm
terræ, ſed & optat vehementem fieri pluuiam, vt
proiecta omnia marceſcant, & lutum fiant, & turba-
bitur cernens fulmina & coruſcationes deferri: a-
gricola vero non ita, ſed lætatur & gaudet tempe-
ſtatem cernẽs: non enim præſentia reſpicit, ſed fu-
tura ſpectat: nõ reſpicit ad fulmina, ſed manipulos
computat: non marceſcẽtia ſemina, ſed vernantes
ſpicas: non grauem imbrem, ſed iucundiſſimam
areæ ventilationem: itidem & nos, non præſentem
ſpectemus tribulationem, aut dolorem: ſed orien-
tem ex ipſa vtilitatem, ex ipſa naſcentem fructum.
Expectemus areã, manipulos: ſi etenim vigilemus,
multùm ex hoc tempore fructum congregare, &
mentis noſtræ pœnus implere poterimus: ſi vigile-
mus, non tantũ nihil graue ex hac patiemur tribu-
latione, ſed innumera bona capiemus: ſi vero tor-
peamus, remiſſio nos perdit. Non aduertentẽ enim
vtraq; lædunt: cum ſedulitate vero viuenti vtraque
proſunt. Et ſicut aurum etſi aquis immoretur, pro-
priam præfert ſpeciẽ: ſiue in conflatorium cecide-
rit, ſplendidius rurſum apparet: lutum autem & fœ-
num, ſiue aquis immiſceri accidat, hoc quidẽ mar-
ceſcit, illud vero diſſoluitur: ſiue in ignẽ ceciderit,
hoc quidem frigitur, illud autem comburitur. Sic
certè & iuſtus & peccator: ille quidem ſiue remiſ-
ſione fruatur, manet ſplendidus, ſicut aurum aquæ
immerſum: ſiue in tentationem ceciderit, ſplendi-
dior fit, ſicut aurũ igne examinatum: peccator vero
ſiue remiſſionem nanciſcatur diſſoluitur & marce-
ſcit, ſicut fœnũ & lutũm æquæ immorans: ſiue ten-
tationem ſuſtineat, comburitur, & perditur, ſicut
lutum & fœnum ab igne. Non igitur conficiamur
præſentibus malis: ſi enim peccata habeas, deſtruũ-
tur & comburuntur facilè per tribulationem: ſi ve-
ro virtutẽ habeas, illuſtraris & ſplendeſcis per ip-
ſam: ſi continuè vigiles & ſobriùs ſis, eris omni dã-
no ſuperior. Non enim tentationum natura, ſed
tentatorũ ſegnities ruinas efficere ſolet. Itaque ſi
vis gaudere, & remiſſione & voluptate potiri, ne-
que voluptatem, neque remiſſionem quæras: ſed
animam patientia plenam quære, & tolerantiam
exhibere valentem: quod ſi hoc non habeas, non
tantùm tentatio te redarguet, ſed & remiſſio per-
det, & magis deiiciet. Quod enim non grauium in-
curſus caſuum, ſed mentis noſtræ torpor ſalutem
Mat.7.d. noſtram ſubuertit, audi quid dicat Chriſtus: *Qui-
cunque audit verba mea hac, & facit ea, aſſimilabitur viro pru-
denti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram, & deſcendit
pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt
in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſuper
petram.* & rurſum: *Omnis qui audit verba mea hac, &
Ibid. non facit ea, ſimilis erit viro ſtulto, qui ædificauit domum
ſuam ſuper arenam, & deſcendit pluuia, & venerunt flu-
mina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & ce-
cidit, & erit ruina eius magna.* Vides quod non ten-
tationum inflictus, ſed ædificantium ſtultitia rui-
nam fecit? Etenim illic pluuia, & hic pluuia: & illic
flumina, & hic flumina: & illic ventorum incurſus,
& hic idem: & ille ædificauit, & hic ædificauit: &
eadem ædificatio, & eædem tentationes, ſed non
idem finis: quoniam non idem fundamentum. non
enim tentationum natura, ſed ædificantis impru-
dentia ruinam fecit, alioqui oportuiſſet & domum
ſupra petram ædificatam cadere: nunc vero nihil
tale paſſa eſt. Sed ne de domo hæc dicta eſſe pute-
tis, de anima enim ſermo eſt, diuinorum verborum
auditum per opera demonſtrante, vel repellẽte. Sic
Iob.1.d. animam ſuam Iob ædificauit: deſcẽdit pluuia, ignis
enim de cœlo cecidit, & omnes greges abſumpſit:
venerunt flumina, frequentes, continui, & indeſi-
nentes calamitatum nuncij: hic quidem gregum,
hic vero filiorum interitum dicens: flauerunt ven-

A ti, amara vxoris verba: *Dic*, inquit, *verbum contra do-
minum, & morere.* Et non cecidit domus, non eſt ſup-
plantata anima, non blaſphemauit iuſtus: ſed &
gratias egit ſic dicens: *Dominus dedit, dominus abſtulit,
ſicut domino viſum eſt, ſic & factum eſt.* Vides quod non
tentationum natura, ſed torpentium ignauia rui-
nam facere ſolet? Itaque fortem virum tribula-
tio fortiorem reddit. Quis hoc ait? In tribulatione
nutritus beatus Paulus ita dicens: *Tribulatio patien-*
tiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò ſpem. Rom.5.a.
Et ſicut firmas arbores ventorum impetus irruens,
& vndique iactans non euellit, ſed & ſolidiores &
firmiores his incurſibus reddit: ſic & animam ſan-
ctam, & piè viuentem tentationum incurſus & tri-
bulationum, non ſupplantant, atque etiam ad
maiorem patientiam præparant: ſicut & beatum
Iob ſplendidiorem & venerabiliorem reddiderunt.
Nunc igitur nobis quidem homo iraſcitur, & ho-
B mo iiſdem pœnis obnoxius ſimiliſque animæ, &
timuimus. Tunc autem illi dæmon malignus & fe-
rus erat iratus, nec ſimpliciter iraſcebatur, ſed
omnes mouebat artes, omnemque adhibebat ver-
ſutiam, & nec ita quidem iuſti fortitudinem ſupe-
rauit. Et hic quidem cum homo ſit, nunc iraſci-
tur, nunc conciliatur, & tamen timore mortui
ſumus. Tunc diabolus erat impugnans, qui nun-
quam hominum naturæ conciliatur, ſed bellum
ſine fœdere, & pugnam ſine induciis generi no-
ſtro indixit, & tamen ipſius ſagittas iuſtus deriſit.
Quam igitur nos excuſationẽ vel qualem veniam
habere poſſumus humanam tentationem non fe-
rentes tantoperè in gratia cum diſciplina verſati,
cum ille ante gratiam, & in veteri teſtamento illud
tam intolerabile bellum generosè tulerit? Hæc igi-
tur dilecti ſemper inter nos diſſeramus, & per hos
ſermones nos ipſos exhortemur. Etenim vos te-
ſtes, conſcientiaque veſtra, quantum ex hac tenta-
tione vtilitatis habuimus. Diſſolutus enim modeſtus
C factus eſt, ferox humanior, ſegnis ſtudioſus. Qui
nunquam eccleſiam viderant, ſed totos in theatris
exigebant dies, nunc in eccleſiã tota die morantur.
Proptereáne igitur doles, quod te probum timore
Deus reddidit? quod te per tribulationem ad tuæ
ſalutis ſenſum perduxit? Sed torquetur conſcientia
tua? Sed quotidie percellitur mens tua mortem ex-
pectans, & minas maximas? Sed hinc quoque nobis
magnus ad virtutem acceſſus erit, creſcente nobis
per anguſtiam religione. Poteſt enim Deus omnia
grauia hac ipſa die ſoluere: ſed donec nos purga-
tos videat, donec videat factam conuerſionem, &
pœnitentiam firmam & inconcuſſam, non diſſoluit
tribulationem. Etenim aurifex donec aurum bene
purgatum viderit, de conflatorio non extrahit: ſic
& Deus non abducit hanc nubem, donec nos pe-
nitus emendauerit. Qui enim tentationem permi-
ſit, ipſe nouit & tentationis ſoluendæ tempus. Et ſi-
cut citharœdus neque neruum intendit, vt non ab- A ſimili.
D rumpat: neque remittit vltra modum, ne harmoniæ
concentum lædat: ſic & Deus agit, neque in remiſ-
ſione continua, nec in longa tribulatione noſtram
conſtituit animam, ſecundum ſuam prudentiam
vtrunque faciens: non ſinit enim nos continua po-
tiri remiſſione, ne ſegniores fiamus: non autem
rurſum ſinit in continua eſſe tribulatione, ne con-
cidamus, néve deſperemus. Ipſi igitur aduerſita-
tis finiendæ tempus relinquamus, nos vero tan-
tùm in ſanctitate viuamus. Opus enim noſtrum
ad virtutem mutari, Dei vero opus malis vrgen-
tibus finem imponere. Etenim ipſe magis, quàm
tu qui tentaris, hoc incendium extinguere vult,
ſed ſalutem tuam expectat. Sicut igitur ex remiſ-
ſione tribulatio facta eſt: ſic & ex tribulatione re-
miſſionem expectare conuenit. Neque enim ſem-
per hyems, neque ſemper æſtas, neque ſemper pro-
cella, neque ſemper trãquillitas, non ſemper nox,
neque ſemper dies: ſic neque ſemper tribulatio,

ſed erit & remiſſio, ſi tantùm in tribulatione Deo gratias ſemper agamus. Etenim tres in fornacem pueri coniecti ſunt, & nec ita religionis obliti ſunt, nec ipſos terruit flamma: ſed in cubiculo ſedetibus, Act.19.b. & nihil graue patiẽtibus, ſtudioſius igne circũdati, ſacras illas preces emittebant: propterea murus ipſis factus eſt ignis, & veſtis flamma, & fons fornax, & ligatos capiens ſolutos reddidit: mortalia ſuſcepit corpora, & tanquã immortalibus abſtinuit: non agnouit naturã, ſed pietati reuerentiam exhibuit. Vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rem admirabilem. Vinctos ſoluit flamma, & ipſa de reliquo à vinclis vincta eſt: mutauit enim rerum naturam adoleſcentulorum religio: imò verò non naturam mutauit, ſed quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repreſſit: non enim ignẽ extinxit, ſed ardentem inefficacem reddidit, & quod eſt mirabile & ſtupendum, non in ſanctis tãtùm corporibus hoc factum eſt, ſed & in veſtimentis ipſorum & calceamentis. Et ſicut in apoſtolis, veſtimenta Pauli ægritudines & dæmones pellebant, & Petri vmbra mortem fugauit: ſic quidẽ & hic puerorum calceamenta ignis virtutem extinxerunt. Neſcio quomodo dicam, miraculum omnem verborum narrationem tranſcendit: etenim vis erat extincta, & nõ erat extincta: cum enim circa ſanctorum illorum corpora verſabatur, erat extincta: cum vero vincula diſrumpere oportuit, nõ erat extincta: cõpedes igitur diſrupit, & talos non tetigit. Vidiſti quanta propinquitas? neque mutatus, & vi ſua priuatus eſt ignis, neque intra vincula procedere auſus fuit. Vinxit tyrannus, & flamma reſoluit, vt & Barbari crudelitatẽ diſcas, & elementi obedientiam. Qua verò cauſa in ignem miſſurus eos ligauit? Vt miraculũ fieret maius, vt mirabilius ſignum, ne putares eſſe oculorum errorem ea quæ videbantur. niſi enim ignis ille ignis fuiſſet, vincula nõ abſumpſiſſet, non exterius ſedentes milites (quod multo magis fuit) rapuiſſet. Nunc autẽ exterioribus quidẽ vim, interioribus vero obedientiam exhibuit. Tu verò mihi cõſidera vbique, quomodo diabolus per quæ Dei ſeruos impugnat, per hæc propriam vim deſtruit, non volens quidem, ſed Dei ſapientia & prouidentia illius armis & artibus in ipſius caput vtente: quod quidem & hic factum eſt. Diabolus enim illic tunc tyranno ſe inſinuans, neque ferro ſanctorum capita abſcindi permiſit, neque beſtiis tradi, neque vllo alio tali modo puniri: ſed in ignem iniici ſuaſit, vt neque reliquiæ illorum ſanctorum remanerent ipſis corporibus conſumptis, & ipſorum cinere cum ſarmentorum cinere cõmixto. Deus autem hoc ipſo ad impietatis deſtructionẽ vſus eſt, & eo modo quem ego mox dicam. Deus apud Perſas ignis eſſe putatur, ipſumq; multo cultu venerantur Barbari etiam nunc regionem illam habitãtes. Volens igitur Deus radicitus impietatis materiã auferre, conceſſit huiuſmodi pœnæ modum, vt pręoculis omnium ipſum colentium, ſeruis ſuis victoriã conferret: per ipſa opera ipſis perſuadere volẽs, quod Gentiliũ dij non Deũ tantum, ſed & Dei ſeruos timẽt. Et conſidera victoriæ coronam per contraria textã, & factos trophæi Dan.3.a. teſtes ipſos inimicos. Miſit enim, inquit, Nabuchodonoſor rex ad cõgregandum omnes magiſtratus, & duces, & præſides, & principes, & tyrannos, & in poteſtatibus conſtitutos, & omnes regionũ præfectos vt venirent ad nouæ dedicationem ſtatuæ. Et cõgregati ſunt omnes. Inimicus ſpectatores cogit, & ipſe ſpectaculũ conuocat: & theatrũ non vulgarium hominum, non priuatorum, ſed omnium honoratorum, & omnium magiſtratuũ, vt & teſtimonium apud multos fide dignum fiat. Venerant ad aliud vocati ſpectaculum, & alia conſpicati, omnes abierunt. Venerunt ſtatuam adoraturi, & ſtatuam quidem deſeruerunt: abierunt vero Dei potentiam admirati per ſigna in pueris exhibita. Et vide vbi

A ſtadium hoc ſtatuerat: nõ in vrbe nec in vllo agro, ſed plani & nudi campi hoc orbis theatrum ſuſcipiunt: in campo enim de auro extra ciuitatem effigiem erexit, & præco pertranſiens clamabat: Vobis dicitur gentes, tribus, linguæ, quacunque hora audieritis vocẽ tubæ, fiſtulæ, & citharæ, ſambucæque, & pſalterij, & ſymphoniæ omnis generis muſicorũ, cadentes adorare ſtatuã auream (verè enim cadere erat ſimulachrũ adorate) & quicunque non cadẽs adorauerit, in eadem hora proiicietur in caminum ignis ardentẽ. Vidiſti quam difficilia certamina parata ſunt, & quot inſidiarum neceſſitates, & quam profunda vorago, & præcipitiũ vtrinque? ſed ne timueris. Quando magis machinamẽta inimicus auxerit, tanto magis puerorum fortitudinem demonſtrat. Propterea enim tot muſicorum conſonantia, propterea caminus ardens, vt & voluptas & timor aſſiſtentium animas obſideret. Aſper aſtantiũ quiſpiã eſt, & rigidus? Molliat ipſum, inquit, delectans B omniſonæ muſicæ melodia. Sed his inſidiis ſuperior eſt? Terreat & percellat flãmæ aſpectus. Et erat timor & voluptas, hæc quidem per aures, ille vero per oculos animas ſubrepẽs. Sed adoleſcentulorũ illorum generoſitatem horum nihil redarguit: ſed ſicut in ignem proiecti flammam ſuperarũt, ſic omnem concupiſcentiam & anxietatem deriſerunt. Hæc enim omnia propter ipſos diabolus præparauerat: non enim de ſubditis dubitabat, ſed potius multum confidebat, quod nullis regis legi ſe ſubiecturus erat. Poſtquã vero ceciderunt omnes, & victi ſunt, tunc in mediũ pueri ſoli aguntur, vt ſic quoque victoria fiat clarior, cùm in tanta multitudine ipſi vincãt, & prædicentur: neq; enim tam mirabile fuiſſet, ſi nullo ſupplantato primi viriliter egiſſent. Hoc autem maximum & mirabile eſt, quòd cadentium multitudo ipſos non terruit, non ſoluit, non intra ſe tale quid dixerunt, quod multi dicere con- C ſueuerunt: Si primi nos imaginem adoraremus, id peccatum fuiſſet: ſi verò cum tot millibus hoc facimus, quis veniam non dabit? quis excuſatione dignos non cenſebit? Sed nihil illi tale aut dixerunt, aut cogitauerunt, tot tyrãnos proſtratos intuiti. Tu vero mihi & calumniantium ipſos malignitatem conſidera, & quam improbè & acerbè ipſos accuſauerunt. Sunt, inquit, viri Iudæi, quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis. Non enim ſimpliciter gentem commemorauerunt, ſed & honorem in memoriam reuocauerunt, vt regis iram accenderent. Seruos ciuitate carentes, captiuos, principes noſtros feciſti: hi vero te pro tanto honore contumelia afficiunt: & in eum qui ſe honorauit, inſolenter agunt. Ideo dicunt, Iudæi quos conſtituiſti ſuper opera regionis Babylonis, non paruerunt decreto tuo, & diis tuis non ſeruiunt. Maxima laus accuſatio, & crimina laudes fiunt, & teſtimonium indubitatum inimicis ipſum perhibentibus. Quid igi- D tur rex? Iuſſit ipſos in medium agi, vt ipſos vndique terreret. Sed nihil illos conſternauit, non regis furor, non quòd ſoli in tantæ turbæ medio derelicti eſſent, non ignis ſpectatus, non canentes tubæ: non omnes ipſos ardentibus oculis intuentes: ſed hæc omnia deridentes, tanquam in frigidum aquarum fontem mittendi, in fornacem ingreſſi ſunt, beatam illam emittentes vocem: Diis tuis non ſeruiemus, & ſtatuam auream, quam erexiſti, non adoramus. Hanc non temerè recitaui hiſtoriam, ſed vt diſcatis, quòd licet furor inſtet regius, etſi militum inſidiæ, etſi inimicorum inuidia, etſi captiuitas, etſi orbitas, etſi ignis, etſi fornax, etſi innumera alia, iuſtum nihil redarguere, aut terrere poterit. Si enim, vbi impius erat rex, non formidauerunt tyranni furorem adoleſcentuli, multo magis nos confidere oportet, humanum & mitem habentes regem, & de hac tribulatione Deo gratias habere, ex prædictis doctos, quòd tribulationes nos clariores efficiunt & apud Deum, & apud homines, ſi

Digitized by Google

ipſas generosè ferre ſciamus. Etenim niſi ſerui fuiſſent hi, ipſorum libertatem non cognouiſſemus: niſi captiui fuiſſent, non animi nobilitatem didiciſſemus niſi inferiori patria excidiſſent: non cognouiſſemus ſupernæ ciuitatis eſſe ipſorum virtutem: niſi terrenus rex ipſis fuiſſet iratus, non audiſſemus beneuolentiã, quam cæleſtis rex erga ipſos gerebat. Et tu igitur ſi illum beneuolum habeas, licet in fornacem cadas, ne deſperes: ſicut ſi ſuccenſeat, licet in paradiſo ſis, ne confidas: etenim in paradiſo erat Adam, & poſtquàm Deum irritauit, nihil profuit paradiſus. In fornace erant iſti, & poſtquàm ſe bene egerunt, nihil obfuit fornax. In paradiſo erat Adam, & quia ſegnis erat ſupplantatus fuit. Fimo inſidebat Iob, & quia vigilabat, ſuperauit: atqui quanto paradiſus eſt fimo melior? ſed nihil loci virtus inhabitanti profuit: poſtquàm ſeipſum ille prodidit: ſicut nec loci vilitas virtute vndique munitum læſit. Et nos igitur animam noſtram muniamus: ſiue enim pecuniarum mulcta immineat, ſiue mors, pietatem verò auferat nemo, ſumus omnibus beatiores. Hoc &

Mat.10.b Chriſtus mandauit dicens: *Eſtote igitur prudentes ſicut ſerpentes.* Sicut enim ille reliquum obiicit corpus, vt caput ſaluet: ſic & tu, ſiue pecunias, ſiue corpus, ſiue præſentem vitam, ſiue omnia amittere oporteat, vt pietatem conſerues, noli triſtari. Si enim illam habens migraueris, omnia tibi cum maiori Deus charitate retribuet, & corpus cum maiori rurſum gloria reſtituet, & pro pecuniis bona omnem rationis potentiam tranſcendentia. Nam in fimo nudus ſedebat Iob, innumeris mortibus grauiorem ſuſtinens vitam: ſed quia pietatem non abiecit, omnia cum maiori copia rediêre priora, corporis ſanitas & ſpecies, omnis filiorum cœtus, poſſeſſiones omnes, & quod omnium maximũ, ſplendida patientiæ corona. Sicut enim in arboribus accidit, & ſi quis fructum cum foliis auferat, & ramos omnes amputet radice manente, tota cum maiori etiam ornatu arbor reſurgit: ſic quidem & in nobis, ſi pietatis radix permaneat, etſi diuitiæ auferantur, & corpus corrumpatur, omnia rurſus nobis cum maiori gloria redeunt. Omnem igitur animæ ſollicitudinem, & ſuperfluam curam abiicientes, ad noſipſos redeamus, corpus & animam ornemus virtutis ornamento: iuſtitiæ arma, ſed non peccati, corporis noſtri membra exhibentes. Et ante omnia linguam eſſe ſpiritus gratiæ miniſtram doceamus, omne virus & malignitatem ex ore proiicientes, & turpium verborum meditationem. Etenim in noſtra poteſtate eſt, quodque membrorum noſtrorum ſiue malitiæ, ſiue iuſtitiæ inſtrumentum facere. Audi igitur, quomodo linguam hi quidem peccati, hi verò iuſtitiæ arma fecerunt.

Pſal.56.a *Lingua ipſorum gladius acutus.* Alter verò quidam de

Pſal.44. ſua dicit lingua. *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Illa mortem operata eſt, hæc diuinam legem ſcribebat: propterea illa quidem gladius, calamus autem hæc erat, non ſecundum propriam naturam, ſed ſecundum vtentium electionem. Linguæ enim natura & huius & illius vna erat, operatio autem non vna. Et de ore rurſus idem cernere licet: etenim hi quidem habebant os ſanie & improbitate plenum, propterea accuſans dicebat:

Pſal.13. *Os ipſorum maledictione & amaritudine plenum eſt.* Ipſius verò non tale, ſed *os meum,* inquit, *loquetur ſapien-*

Pſal 18. *tiam, & meditatio cordis mei prudentiam.* Alij vero rurſus manus habebant iniquitatis plenas, & hos accu-

Pſal.15.c. ſans dicebat: *In manibus ipſorum iniquitates, & dextera eorum repleta eſt muneribus.* Ipſe verò manus nihil aliud facere quàm in cœlum erigi aſſuetas habe-

Pſal.140. bat, idcirco & de his dicebat: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* In corde quoque licet idem videre. Horum namque cor vanum eſt, hu-

Pſal.5. ius autem verum, propterea de illis dicit: *Cor eorum*

Pſal.44. *vanum eſt,* de ſuo autem: *Eructauit cor meum verbum bo-*

A *num.* Et de auditu rurſum idem videre licet. Hi namque beſtiarum auditum habebant immitem & implacabilem, & ipſos vituperans, ſic dicebat: *Tanquam aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas.* Pſal.48.a Ipſius autem auditus diuinorum erat verborum receptaculum; & hoc ipſum manifeſtauit, dicens: *Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in pſalterio propoſitionem meam.* Pſal. 77. Hæc igitur ſcientes, nos vndique virtute muniamus, & ſic Dei iram repellemus: & corporis membra iuſtitiæ arma faciamus: & oculos, & manus, & pedes, & cor, & linguam, & omne corpus virtuti tantùm vtile eſſe doceamus: & illorum trium recordemur, de quibus ad veſtram charitatem verba feci, rogans vt inimicum habeatis neminem, neque cuiquam eorum qui vos triſtitia affecerint, maledicatis, & improbam iuramentorum conſuetudinem ex ore veſtro eiiciatis. Et de duobus quidem mandatis in alio tempore differemus.

B Præſentem vero per hebdomadam totam de iuramentis vobis dicemus, à faciliori mandato initium facientes: nec enim labor vllus eſt iuramentorum conſuetudinem vincere, ſi velimus vel parum impendere ſtudij: nos inuicem commonefacientes, admonentes, obſeruantes, rationem & pœnas ab oblitis repetentes. Quæ enim, quæſo, ciborum abſtinentiæ vtilitas, niſi improbas animi conſuetudines expellamus? Ecce hodie totam ieiunij diem exegimus, & menſam in veſpere apponemus, non heſternæ ſimilem, ſed immutatam, & honeſtiorem. Nunquid igitur quis noſtrum habet dicere, quod vitam ſuam hodie ſicut & menſam mutauit, quod & improbam conſuetudinem, ſicut & eſcam conuertit? Quæ igitur nobis ieiunij vtilitas? Propterea exhortor & exhortari non deſino, vt ſingulum quodque mandatum aſſumentes, duos vel tres dies in ipſius adimpletionem impendatis. [Iuramenti conſuetudo ſugienda.]

C Et ſicut quidam ſunt inter ſe ciborum abſtinentia æmulantes, & mirabilem contentionem facientes: & hi quidem integros duos dies tranſigunt ieiuni, hi verò non vini tantùm & olei, ſed & omnis ferculi vſum à ſua menſa reiicientes, pane & aqua vtentes duntaxat, quadrageſimam omnem expediunt: ſic & nos quidem inter nos contendamus, & iuramentorum frequentiam tollamus: hoc enim omni ieiunio vtilius, hoc omni vitæ aſperitate compendioſius: & ſtudium quod circa ciborum abſtinentiam habemus, hoc circa iuramentorum abſtinẽtiam exhibeamus: quoniam extremæ dementię crimen ſubimus, prohibita quidem contemnentes, circa indifferentia verò omne mouentes ſtudium: comedere enim non eſt inhibitum, iurare verò prohibitum eſt. Nos verò conceſſis abſtinentes, prohibita audemus? Propterea charitatem veſtram exhortor aliquam facere mutationem, & hinc principium nobis oſtendere. Si enim cum tanto præſens ieiunium ſtudio tranſegerimus, hac quidem

D hebdomade, vt minimè iuremus efficientes, ſequenti verò iram extinguentes, vlteriori autem detractionem radicitus deſtruentes, & poſt ipſam alia rurſus plura corrigentes: ſic per viam progredientes, paulatim ad ipſum virtutis culmen veniemus, & præſens fugiemus periculum, & Deum placatum reddemus. Et multitudo rurſus ad nos & ad vrbem regredietur, & fuga lapſos tunc docebimus, non locorum munimini, nec refugio & receſſui, ſed animi pietati, & morum virtuti ſalutis noſtræ ſpem committere. Et ſic & hæc, & illa bona aſſequemur, quibus nos omnes dignos fieri detur, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Digitized by Google

Einſdem itidem exhortatio ad populum de generosè ferendiſi imminentibus minis, habens ſatis multa exempla ex his quæ tenere & Iob & Niniuitis, quòd non oportet timere mortem, ſed peccatum: & quid malè mori: & de iuramentis omni ſtudio fugiendis. Et in terra motum.

Homilia V.

TRIVM puerorum, & Babylonicæ fornacis enarratio aliquatenus, vt videtur, veſtram heri charitatem conſolata fuit: inſuper autem & de Iob exemplum; & ſimus omni tribunali regio venerabilior: Ex throni namque regij aſpectu nullum erit ſpectantibus lucrum, ſed temporalis duntaxat delectatio, nullam habens vtilitatem: ex fimo Iob autem viſo omnem qui capiet vtilitatem, & diſciplinam multam, & exhortationem ad patientiæ rationem. Itaque multi nunc longã & transmarinam peregrinationẽ à terræ finibus in Arabiam abeunt, vt fimum illum cernant, & conſpicati terram deoſculentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro pretioſiorem ſuſcepit. Neque enim tantùm radiaret prætexta, quantum illud corpus tunc reſplendebat, non alieno, ſed proprio lotum ſanguine. Vlcera verò illa gemmis omnibus erant cariora. Margaritarum enim natura nihil vitæ noſtræ prodeſt, nec vllum vſum habentibus neceſſarium explet: vlcera verò illa ſunt omnis triſtitiæ conſolatio. Et vt diſcas quòd hoc verum eſt, ſi quis filium legitimum & vnigenitum amittat, oſtende infinitas ipſi gemmas, & nõ conſolaberis dolorem, neque angorem lenies commonefaciens autem ipſum vulnerũ Iob, facilè mederi poteris, ſic dicens: Quid luges homo? tu quidem filium vnum amiſiſti: beatus autem ille, cùm omnis filiorum cœtus ablatus fuiſſet, in ipſa quoque carne plagam accepit, & nudus in fimo ſedebat, vndiq; ſanie diffluens, dum paulatim ipſius caro conſumeretur, iuſtus, verax, in Deum pius, omni mala re abſtinens, Deum virtutis teſtem habens. Si enim hæc verba dixeris, omnem lugentis triſtitiam extinxeris, & omnẽ dolorẽ ſuſtuleris: & ſic iuſti vulnera margaritis vtiliora ſiunt. Imaginamini igitur & vos athletam illum, & exiſtimate vos cernere fimum illum, & ipſum in medio ſtercoris ſedentem: ſtatuam auream gemmatam, qualem dicere non noui, neque enim tam pretioſam valeo materiam inuenire, vt illi cruentato corpori comparari poſſit. Sic omni materia pretioſiſſima carnis illius natura erat multo venerabilior, & vlcera ſolaribus radiis ſplẽdidiora: hi enim corporis oculos illuminant: illa verò mentis noſtræ lumina illuſtrant, illa diabolum penitus excæcauerunt. Propterea namque poſt illam plagam reſiliuit, nec deinceps apparuit: tu verò dilecte & hinc diſce tribulationis lucrũ quantũ eſt: etenim quando diues erat, & otio fruebatur iuſtus, vnde accuſaret ipſum habuit mendaciter quidẽ. Verùm enimuero habuit vnde diceret, *Num te gratis colit Iob?* Poſtquàm verò ipſum ſpoliauit, & fecit pauperem, nec hiſcere quidem amplius auſus eſt: & cum diues quidem eſſet, cum ipſo pugnare parabat, & ſupplantare minabatur: poſtquàm verò pauperem fecit, & omnia abſtulit, & in extremum dolorem induxit, tunc repulſus eſt; & quando ſanum quidem ipſius erat corpus, manus apponebat: vt vero ipſius carnem vulneribus impleuit, tunc aufugit victus. Vidiſti quanto paupertas diuitiis, & imbecillitas & ægritudo ſanitate, & tentatio quiete melior vigilantibus & vtilior ſit, & clariores & fortiores pugnantes faciat? Quis vidit, quis audiuit tam mirabiles pugnas? Prophanorum certaminum pugiles cùm aduerſariorum capita contriuerint, tunc victores ſunt, & coronantur: hic vero cùm iuſti corpus contriuiſſet, omniformi vlcere ipſum perforans, & imbecillius feciſſet, tunc victus eſt, & retroceſſit: & poſtquàm ipſius latera vndique confodit, ipſe quidem nihil profecit: repoſitum enim theſaurum nõ abſtulit. Nobis autem ipſum clariorem reddidit, & per illam confeſſionem vt omnes hominem interiorem aſpicerent, fecit, & omnes ipſius diuitias diſcerent. Et cùm vincere ſperauit, tunc cum multa confuſione receſſit, & nullam amplius vocem emiſit. Quid actum eſt diabole? Quare refugis? Nónne facta ſunt quæcunque volebas? Non intermiſti ipſius greges, armenta, equorum mandras, & aſinorum? Non filiorum cœtum perdidiſti, & carnẽ omnem vulneraſti? Quare receſſiſti? Quoniam facta quidem ſunt omnia, quæ volui, inquit: quod verò fieri maximè volebam, & propter quod omnia feci, hoc factum non eſt, neque enim blaſphemauit: propter hoc enim omnia illa faciebã, inquit, vt hoc procederet. Hoc non facto, nihil lucrifeci ex pecuniarum iactura, & filiorum interitu, & corporis plaga: ſed contrarium quàm volebam, euenit, ſplendidiorem reddidi inimicum, & clariorem effeci. Cognouiſti quantum tribulationis lucrum chariſſime? Pulchrum quidem & integrum corpus fuerat, multo verò venerabilius factum eſt, ab illis vulneribus infectum: quoniam & lanæ pulchræ quidem; & antequàm inficiantur: poſtquàm vero purpureę factæ fuerint, ineffabilem capiunt pulchritudinem, multumque decorem. Niſi vero ipſum expoliaſſet, bonam victoris habitudinẽ non cognouiſſemus: niſi ipſius corpus plagis perforaſſet, radij intrinſecus non renituiſſent: niſi ipſum in fimo continuiſſet, ipſius nõ cognouiſſemus diuitias. Neque enim tam ſplendidus in ſolio rex ſedens, quàm inſignis erat ille & illuſtris in fimo: etenim poſt regium quidem ſolium mors, poſt fimum autem illum regnum. Hæc igitur omnia ratiocinantes, ex opprimente triſtitia nos releuemus. Has etenim vobis hiſtorias appono, non vt dicta laudetis, ſed vt virtutem imitemini, & patientiam generoſorum illorum & beatorum virorum: vt per ipſa diſcatis opera, quod humanorum nullum eſt graue malorum, niſi peccatum, non paupertas, non ægritudo, non contumelia, non calumnia, non ignominia, non quæ omnium mors malorum extremum eſſe videtur. Hæc enim calamitatum nomina, philoſophantibus ſunt tantùm nomina rebus carentia. Vera autem calamitas, Deum offendere, & eorum quæ ipſi non placent, aliquid facere. Quid enim graue mors habet dic mihi? Num quòd te celerius ad tranquillum portum, & pacatam illam tranſmittit vitam? Etſi enim homo non occidit, ipſa naturæ lex irrepens non corpus ab anima reſoluet? Licet enim hoc nunc minimè fiat, erit paulò poſt, quòd nunc timemus: & hæc dico, non graue quid expectans, aut triſte, abſit: ſed erubeſcens mortem timentium cauſa. Tot expectans bona, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt*: ad fruendũ differs, & negligis, & torpes? Nec tantùm torpes, ſed & times, & horres? Et quo modo non tibi turpe propter mortem dolere? Paulus verò propter præſentem gemebat vitam, & Romanis ſcribens dicebat, quòd creatura congemiſcit, *& noſipſi ſpiritus primitias habentes, gemimus*: & hæc dicebat non condemnans præſentia, ſed futura deſiderans. Guſtaui, inquit, gratiam, & non fero dilationem: ſpiritus primitias habeo, & ad integrum feſtino: aſcendi in tertium cœlum, vidi gloriam illam ineffabilem, vidi aulas ſplendentes, didici quibus hic immorans bonis caream, propterea gemo. Dic etenim mihi, ſi quis te in regias duxiſſet aulas, & de parietibus aurum vndique fulgens, & omnẽ alium ornatum tibi demonſtraſſet: poſtea te inde in pauperis cellam induxiſſet, & poſt breue tempus in regias reducturum illas, & perennem ibi manſiorem ſe tibi daturum eſſe promiſiſſet, nunquid non deberes affici deſiderio, & vel ipſos paucos dies ægrè ferre?

Peregrinatio ad loca Iob.

Iob 1. b.

1. Cor. 2. c

Rom. 8. b

Simile.

Hoc quoque de cœlis & de terra cogites:& ingemiſce cum Paulo, non propter mortem , ſed propter præſentem vitam. At, da mihi , inquis , vt Paulo ſimilis fiam, & nunquam mortem timebo?Et quid te Paulo ſimilem fieri prohibet?Non pauper erat ille? Non tentoriorum ſutor?Non idiota?Si enim diues fuiſſet ac nobilis , habuiſſent fortè pauperes ad ipſius imitationem vocati , paupertatem ſuam oſtendendi cauſam: nunc autem horum nihil dicere potes:etenim operarius homo erat, & quotidianis paſcebatur laboribus. Et tu quidem ab initio pietatem à parentubus ſuſcepiſti , à prima ætate ſacris es literis innutritus : ille verò & blaſphemus fuit, & perſecutor,& contumelioſus, & eccleſiam vaſtauit : ſed tamen ita penitus mutatus eſt , vt omnes

1.Cor.4.d. promptitudine & feruore ſuperauerit. Clamat dicens, *Imitatores mei eſtote,ſicut & ego Chriſti*. Ille Dominum imitatus eſt,tu conſeruum non imitaris?tu qui à principio in pietate coaluiſti, eum qui poſteà per B mutationem ad fidem acceſſit. Non noſti, quòd qui in peccatis ſunt, & ſi viuunt,mortui ſunt: qui verò in iuſtitia ſunt , & ſi mortui ſunt viuunt? Nec meus hic ſermo , ſententia eſt Chriſti Marthæ dicentis: *Omnis qui credit in me etiam ſi mortuus fuerit , viuet*. Non enim fabulæ ſunt dogmata noſtra. Si Chriſtianus es, Chriſto crede: ſi Chriſto credis, per opera mihi fidem demonſtra. Quomodo vero per opera fidem

Ioan. 11.d demonſtrabis , ſi mortem contemnas ? Et in hoc enim ad infidelibus differimus: etenim illi quidem meritò timent mortem , reſurrectionis enim ſpem

Marc.6.d non habent : tu vero ad meliorem vadens vitam,

Act.7.g. & de illius ſpe philoſophari habens, qua dignus es venia , de reſurrectione quidem confidens , ita vero ſicut non credentes reſurrectionem , mortem timens ? Sed mortem , inquit , non timeo , neque mori: ſed malè mori , & obtruncari. Igitur Ioannes malè mortuus eſt ? fuit enim obtruncatus. Igitur Stephanus malè mortuus eſt : fuit etenim lapidatus : & martyres cuncti miſerè ſecundum vos obiêre , quoniam igne aut ferro vitam finierunt : & C hi quidem in mare , hi vero in præcipitium, hi autem in dentes beſtiarum incidentes , ſic mortui ſunt. Non hoc eſt malè mori homo, violenta morte finiri , ſed in peccatis mori. Audi namque Prophetam de hoc ipſo philoſophantem & dicentem:

Psal.33.d *Mors peccatorum peſſima*. Non dixit, mors violenta: ſed quid? *Mors peccatorum peſſima*. Iuſtè ſanè , poſtquàm enim hinc migrauerunt, pœna intollerabilis: tormenta ſempiterna, vermis virulentus, ignis inextinguibilis, tenebræ exteriores, vincula inſolubilia, dentium ſtridor , tribulatio & anguſtia , & æterna damnatio. Cùm igitur talia peccatores mala expectent , quæ poſſit eſſe vtilitas, ſiue domi, ſiue in lecto vitam finiat ? ſicut contra iuſtis nullum damnum eſſe poſſit , quod enſe vel igne præſentem vitam finiant , cùm ad immortalia migrare bona debeant . Verè mors peccatorum peſſima. D Talis erat diuitis illius mors , qui Lazarum deſpe-

Luc.16. xerat , qui domi , & in lecto , & neceſſariis aſſiſtentibus vita per propriam ſoluta mortem defunctus torrebatur , ne paruam quidem conſolationem ex præſentis vitæ proſperitate nanciſci valens. At non ita Lazarus, verum in ipſo pauimento canibus aſtantibus, & vlcera lingentibus violentam mortem paſſus (quid enim fame difficilius eſſe poſſit?) digreſſus illinc æternis potitus eſt bonis in Abrahæ ſinibus gaudens. Quid igitur ipſum læſit violenter mori? At non violenter, inquis , ſed iniuſtè mori timemus : & quod auſi nihil eorum quæ exiſtimamur , cum ſontibus pariter puniamur? Quid ais, dic mihi? Iniuſtè mori times. An iuſtè velles? & quis tam miſer & ærumnoſus , vt cùm iniuſtè mori immineat , magis iuſtè mori eligat ? Si enim mortem metuere oportet , iuſtè nobis ingruentem timere conuenit : quoniam iniuſtè quidem mortuus , per hoc ipſum cum ſanctis omnibus communicat. Apud Deum enim probatorum & illu-

ſtrium plures iniuſtam ſuſtinuêre mortem , & ante Gen.4.b omnes Abel : non enim in fratrem peccans nec Cain læſo, ſed quoniam Deum honorabat, ideo iugulatus eſt. Deus autem permiſit , nunquid ipſum amans, an exoſus? Certum eſt quod amans, & clariorem ipſi coronam facere volens ex iniuſtiſſima cæde. Vides quod neq; violentam, neque iniuſtam mortem metuere oportet , ſed in peccatis mori? Abel iniuſtè mortuus eſt, Cain vixit gemens & tremens. Quis igitur, dic mihi, beatior fuit: qui cum iuſtitia requieuerat , an qui in peccatis viuebat : qui mortuus eſt iniuſtè, an qui iuſtè puniebatur? Vultis charitati veſtræ dicam vnde timemus mortem? Non vulnerat nos regni amor, non nos futurorum amor accendit: alioquin præſentia deſpiceremus omnia, ſicut beatus Paulus. Ad hæc non timemus gehennam, propterea mortem timemus : ſupplicij intolerabilem grauitatem non nouimus, propterea pro peccato mortem timemus, quod ſi ille animam noſtram timor occupaſſet , iſte ſubrepere non potuiſſet. Et hoc non aliunde procul, ſed ex domeſticis, & his quę nobis acciderunt in his diebus manifeſtum facere conabor. Poſtquàm enim ab Imperatore datæ ſunt litteræ , tributum hoc, quòd intolerabile eſſe videbatur , conferre iubentes , omnes tumultuabantur, omnes contendebant , ægrè ferebant, indignabâtur, inter ſe occurrentes dicebant: haud vitalis nobis vita, ſubuerſa ciuitas eſt , huius penſi magnitudinem ſuſtinere poterit nemo , & omnes angebantur tanquam de extremis ipſis periclitantes. Mox verò poſtquàm perpetrata acciderunt, & quidem nefarij & ſceleratiſſimi legibus conculcatis, ſtatuas deiecerunt , & mortis periculum omnibus impoſuerunt , & iam de ipſa vita timemus exacerbato rege, non nos amplius pecuniarum iactura mordet, ſed alia pro illis omnes audio dicentes: Capiat & ſubſtantiam rex, & agris , & ſupellectilibus libenter carebimus , duntaxat corpus ſaluum fore quis ſpondeat. Sicut itaque priuſquàm nobis mortis timor immineret , nos pecuniarum mulcta carpebat: poſtquàm verò nefanda perpetrata ſunt, hac cauſa mortis timor ſuccendens , mulctæ dolorem expulit : ſic & gehennæ timor comprehendiſſet animas noſtras, non mortis timor habuiſſet: ſed quemadmodum in corporibus , quando nos duo dolores oppreſſerint , inferiorē potentior abſcondere conſueuit : ſic & nunc factum eſſet , ſi futuri ſupplicij timor in anima remanſiſſet, omnem timorem obſcuraſſet. Itaque ſi quis gehennæ ſemper meminiſſe laboret , omnem mortem deridebit : & Gehennæ timor vtilis. non præſenti tantùm anguſtia liberabitur , ſed & ab illa flamma eripietur. Gehennam enim continuè timens nunquam in gehennæ ignem decidet, continuè hoc caſtigatus metu. Date nobis nunc, vt opportunè vobis dicam: *Fratres, ne pueri efficiamini ſenſibus, ſed malitia infantes ſitis*: etenim puerilem timemus 1.Cor.14.b. pauorem, mortem timentes. Pueri enim parui laruas quidem timent, ignem verò non timent : ſed ſi ad lucernam lumen habentem portari contingat, inconſideratè manum immittunt lucernæ & flammæ : & contemnendam quidem perſonam horreſcunt, at verè timendum ignem non timent: ſic quidem & nos timemus mortem , quæ eſt larua contemptu digna: peccatum verò non timemus, quod eſt verè timendum, & ignis more conſcientiam comedit. Et hęc non ex rerum natura, ſed ex ignorantia nobis accidere conſueuerunt: quod ſi cogitemus quid tandem ſit mors, nunquam ipſam timebimus. Quid igitur tandem mors eſt? quod eſt veſtimentum exuere. Tanquam veſtimentum enim corpus animæ circumdatum eſt, & hoc breui per mortem deponentes, clarius iterum reſumemus. Quid tandem eſt mors peregrinatio ad tempus , ſomnus conſueto longior. Itaque ſi mortem times, time & ſomnum: ſi propter morientes angeris, & pro-

pter comedentes, & propter bibentes angere. Sicut enim hoc naturale, ſic & illud. Ne te naturalia contriſtent, contriſtent te potius quæ ſunt ex mala voluntate: neque morientem luge, ſed in peccatis viuentem. Vis commemorem, & aliam cauſam, propter quam mortẽ timemus? Non viuimus cum diligentia, non habemus cõſcientiam puram: quod ſi hoc eſſet, nihil nos mors terruiſſet, non fames, nõ pecuniarum iactura, non aliquid aliud omnium quæ ſunt. In virtute enim viuentem horum nihil lædere poterit, nec interna priuare voluptate: bonæ enim connutritum ſpei, nihil in triſtitiã deiicere poterit. Quid enim quiſpiam facere poſſit, quo generoſum virum cogat contriſtari? Auferet pecunias? Sed habet in cœlis diuitias. Patria eiiciet? ſed in cœleſtem ciuitatem mittet. Vincula iniiciet? ſed habet conſcientiam ſolutam, & exteriorẽ non ſentiet catenam. Sed interficiet corpus? at iterum reſurget. Et ſicut cum vmbra pugnans, & aërem B verberans, percutere poterit neminem: ſic & cum iuſto pugnans, cum vmbra tantùm pugnat, & vires ſuas diſſoluit, nullam illi plagam valens infligere. Itaque da mihi de cœlorum regno confidere, & ſi vis, hodie me iugula: cædis gratias tibi habeo, quod me celeriter ad illa bona tranſmittis. Hoc eſt maximè, hoc eſt quod & nos lugemus, inquis, quod peccatorum multitudine prohibiti, regnum illud non aſſequemur. Igitur mortem lugere omittens, luge peccata, vt ipſa deleas: propter hoc enim triſtitia facta eſt, nõ vt in morte, nec in vlla alia re tali doleamus, ſed vt ipſa ad delenda vtamur peccata: & quod hoc verum ſit, exemplo faciõ manifeſtum: Remedia medicinalia propter illos tantùm morbos facta ſunt, quos tollere poſſunt, non propter illos, quos nihil adiuuare poſſunt. Puta, adhuc enim manifeſtiorem volo rationem facere, medicamentum oculos lippientes tantùm iuuare valens, nullum vero alium morbum, propter oculorum ægri C tudinem, tantum factum eſſe dicere quis poſſet: non propter ſtomachum, neque propter manus, neque propter vllum aliud membrum. Transferamus igitur rationem ad triſtitiam, & inueniemus quod accidentium nobis nil adiuuat, peccatum vero ſolum corrigit. Certum igitur quod propter huius ſublationem tantùm conceſſa eſt. Percurramus ingruentium nobis malorum quodque, & triſtitiam ſuperadducamus, & videamus quid ex hac fiat vtilitatis. Mulctatus eſt quiſpiã pecuniis, triſtatus eſt, mulctam non emendauit: filium amiſit, doluit: mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profuit: flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumeliis affectus, doluit, non reuocauit contumeliam. Valetudinem quis incidit, & ægritudinem grauiſſimam, doluit, ægritudinem non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Vides horum nulli prodeſſe triſtitiam? Peccauit quis, triſtatus eſt, peccatum deleuit, diſſoluit debitum. Vnde hoc manifeſtum? ex Domini ſententia. De quodam enim præuaricato loquens dicebat: Propter peccatum pauliſper ipſum cõtriſtaui, & vidi quod triſtatus eſt, & inceſſit mœſtus, & ipſius vias correxi: propterea & Paulus dicit, *Quæ enim ſecundam Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur.* Igitur poſtquàm manifeſtè oratio demonſtrauit, quòd neque pecuniarum mulctam, neque contumeliam, neque calumniam, neque flagella, neque valetudinem, neque mortem, neque aliud quid talium inducta triſtitia inſtaurare poſſet, ſed ſolùm delere peccatum, & huius eſt deſtructiua, certum quod propter hanc ſolam cauſam facta eſt. Ne amplius igitur pecuniarum iacturam doleamus: ſed cùm peccamus, tantùm doleamus: multa enim hic ex triſtitia vtilitas. Mulctatus es? ne doleas, neque enim proderit. Peccaſti? dole, vtile namque eſt, & Dei prudentiam & ſapientiam conſidera. Duo hæc nobis peperit peccatum, triſtitiam & mortem. *Quacunque die comedes*, inquit, *morte morieris.* Et ad mulierem: *In doloribus paries filios.* Et per hæc vtraque peccatum ſuſtulit, & à filiis matrem deleri curauit. Quod enim cum triſtitia mors peccatum deſtruit, manifeſtum quidem & ex martyribus, manifeſtum & his quæ dixit Paulus ad peccatores, ſic inquiens: *Ideo multi in vobis infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*, quia vos, inquit, morimini, vt morte peccata ſoluantur: intulit igitur dicens; *Si enim noſipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem à Domino, corripimur, vt cum mundo non condemnemur.* Et ſicut vermis ex ligno naſcitur, & illud rodit, & comedit, ſuam ab ipſo originem habens: ſic & triſtitia & mors de peccato natæ ſunt, & peccatum abſumunt. Igitur ne timeamus mortem, ſed peccatum timeamus duntaxat, & propter illud doleamus. Et hæc dico non graue quicquam expectans, abſit: ſed timentes vos ſic ſemper affici volens, & Chriſti legem per opera implere. *Si quis non tollit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, inquit: Hoc autem dicebat, non vt lignum ſuper humeros feramus, ſed vt mortem ſemper ante oculos habeamus. Sicut igitur & Paulus, quotidie morere, & mortem deride, præſentemque contemne vitam. Es enim miles, & ſemper in conflictu conſtitutus es: miles verò mortem timens, nunquam generoſè ſe geret. Sic igitur neque Chriſtianus homo pericula timens, magnum quid & admirabile exhibebit, imò facilè expugnabilis erit: intrepidus autẽ & magnanimus, inexpugnatus manet & inuictus. Sicut igitur pueri tres ignem non timentes, ignem effugerunt: ſic & nos, ſi mortem non timeamus, mortem effugiemus. Ipſos non terruit ignis: non enim incendium, ſed peccatum timuerunt, crimen enim impietatem ſequi. Hos & nos imitemur, & omnes illis ſimiles: & ne pericula timeamus, & effugiemus pericula. Non ſum Propheta, neque filius Prophetæ: futurum tamen manifeſtè ſcio, & magna & clara voce proclamo, quòd ſi mutemur, & aliquam animæ veſtræ curam agamus, & ab improbitate abſiſtamus, nihil moleſtum ingruet & triſte. Et hoc manifeſtè noui ex Dei clementia, & ex his quæ in viros, & ciuitates, & gentes, & populos integros fecit. Etenim Niniuitarum ciuitati minatus eſt, & dixit: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Quid igitur, dic mihi? Niniue ſubuerſa eſt, & deſtructa fuit ciuitas. Contrarium totum, & exaltata, & clarior facta eſt, & tantum tempus præteritum ipſius gloriam nõ deſtruxit, ſed omnes eam cantamus adhuc quoque, & admiramur: quoniam portus quidam optimus ex illo tempore peccantibus omnibus extitit, in deſperationem cadere non permittens, ſed omnes ad pœnitentiam vocans, & per ea quæ fecit, & per ea quæ per Dei prouidentiam eſt aſſecuta, perſuadens nunquam de propria ſalute deſperare, ſed vitam gerentes bonam, & optimam ſpem proponentes, de fine D tanquam penitus bono futuro confidere. Quis enim non reſurgat illorum exemplum audiens etiamſi omnium ignauiſſimus? Elegit itaque Deus prophetiam potius ſuam irritam cadere, quàm ciuitatem corruere: imo verò neque prophetia cecidit. Si enim hominibus in eadem malitia permanentibus non in opus ſententia proceſſiſſet, poſſet quis fortè dicta criminari: quòd vero mutatis ipſis, & à malitia deſiſtentibus, etiam Deus ab ira deſtitit, quis amplius prophetiam carpere poterit, & dictorum mendacium condemnare? Etenim legem, quam ab initio Deus cunctis hominibus poſuit per Prophetam loquens, hanc & tunc conſeruauit. Quam autem legem? *Exitum loquar*, inquit, *ad gentem & regnum, vt eradicem, & ſuffodiam, & perdam: & erit: ſi pœnitentiam egerint malitia, & ego ira quam locutus fueram facere illis, obliuiſcar.* Hanc igitur legem cuſtodiens pœnitentes ſaluauit, & à vitio diſcedentes ab ira liberauit. Nouerat Barbarorum

Margin notes: Triſtitia pro peccatis ſolum eſt vtilis. — 3.Reg 21 g. — 2.Cor.7. — Gen.2.c. — 1.Cor.11 g. — Ibidem. — Simile. — Matt.10 d — 1.Cor.15 d. — Dan.3.c — Ione 3.c. — Hier.18.b

A virtutem, & ideo Prophetam induxit: ſic & tunc agitabatur ciuitas audita voce prophetica, ſed in nullo læſa eſt, quin & à timore adiuta. Timor enim ille ſalutem peperit, comminatio periculo liberauit, ſubuerſionis ſententia ſubuerſionem cohibuit. O nouam rem & admirabilem, denũtiatio mortem minans, vitam peperit. Sententia poſtquàm lata fuit, tunc inualida facta eſt, contra quam apud ſeculares iudices, apud hos enim in medium prolata, rata fit ſententia. Apud Deum contrà, proferri ſententiam eam inualidam facit: niſi enim prolata fuiſſet, non vtique peccatores audiſſent: ſi verò non audiſſent, neque egiſſent pœnitentiam: ſine pœnitentia verò pœnam non repuliſſent, nec fuiſſent illa ſalute potiti. Quomodo enim non mirabile, quòd quando iudex ſententiam tulerit, per pœnitentiam rei ſententiam ſoluerunt? Non enim vrbem fugerunt, ſicut nos nunc, ſed manentes ſententiam repreſſere. Laqueus erat, & munimen ipſam reddiderunt: vorago erat, & præcipitium, B & tutelæ turrim fecerunt. Audierunt quod ædificia corruerẽt, ſed peccata fugerunt: nõ diſceſſerunt quiſque de domo ſua, ſicut nunc nos, ſed diſceſſit quiſque à via ſua mala. Non enim, inquit, muri iram pepererunt, nos vulneris authores, nos medicamentum præparemus: propterea non locorum permutationibus, ſed morum conuerſioni ſalutem crediderunt. Hæc Barbari. Et nos non confundimur, neque nos abſcõdimus, illis mores conuertentibus, nos loca permutantes, & ebriorum hominum opera facientes. Dominus nobis iraſcitur, & nos iram ſoluere omittentes, quæ in domo ſunt circumferimus, & circuimus quærentes vbi ſubſtantiam deponamus, cùm eſſet opus quærere vbi animam deponeremus: imò vero nec oportet quærere, ſed virtute & vitæ rectitudine ipſi ſecuritatem præbere. Neque enim ſi ſeruo iraſcentibus C nobis & indignantibus, ille aduerſus iram excuſare omittens, in cellulam ſuam deſcendens, veſtimenta & omnes colligens ſarcinulas, & colligans de fuga meditaretur, hunc ipſius contemptum facile ferremus. Deſiſtamus igitur ab hoc importuno ſtudio, & dicamus quiſque ad Deum: *Quo ibo à Spiritu tuo, & à facie tua quo fugiam?* Barbarorum philoſophiam imitemur: illi in incertis pœnitentiam egerunt: non enim hoc habebat ſententia: quod ſi conuertamini, & pœnitentiam agatis, ciuitatem firmabo: ſed ſimpliciter, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue conuertetur.* Quid igitur illi? Quis nouit an pœnitebit Deum mali quod locutus eſt facere nobis? Quis nouit? Neſciunt rei finem, nec pœnitentiam negligunt: neſciunt Dei benignitatis conſuetudinem, & in incertis mutantur: nec enim habebant alios Niniuitas, ad quos reſpicerent pœnitentia acta ſaluatos: nec Prophetas legerant, nec Patriarchas D audierant, nec vſi ſunt conſilio: non admonitionem nacti ſunt, neque ſibi perſuaſerant, quod omnino Deum pœnitentia propitiaturi eſſent: neque enim hoc habebat comminatio, ſed dubitabãt, neque de hoc credebant, & tamen cum omni diligentia pœnitentiam egerunt. Quæ igitur ratio nobis erit, cùm illi quidem nec vnde de fide confiderent habentes, tantam exhibuiſſe mutationem appareant: tu vero de diuina benignitate confidere habens, & qui multa ſæpius pignora cepiſti eius circa te curæ, & Prophetas & Apoſtolos audiſti, & per ipſas res inſtructus, nec ad eandem cum ipſis menſuram virtutis peruenire contendas? Magna igitur & horum quidem hominum virtus, maior autem multo Dei clementia, & hanc ex ipſa minarum magnitudine conſpicere licet. Ob hoc enim ſententiæ non addidit, Si vero pœnitentiam egeritis, parcam: vt indiſtinctam inferens ſententiam, & timorem augens, celerius ad pœnitẽtiam compelleret. Et Propheta quidem erubeſcit futurũ ſciens & coniectans, quod infecta manebunt dicta: Deus

Pſal. 138. b.

A autem non erubeſcit, ſed vnum duntaxat, hominũ ſcilicet ſalutem quærit, & ſeruum ſuum emendat. Poſtquàm enim nauigium ille ingreſſus eſt, ſtatim excitauit mare, vt diſcas, quod vbi peccatum, ibi procella: vbi inobedientia, ibi fluctuatio: & quatiebatur quidem Niniuitarum ciuitas propter peccata, quatiebatur autem & nauigium propter Prophetæ inobedientiam. Illi igitur Ionam in mare deiecerunt, & ſtetit nauigium: nos quoque peccata ſubmergamus, & ciuitas omnino ſtabit. Itaque fugæ nulla nobis vtilitas, ſicut nec illum fuga quicquam adiuuit, quinimo & læſit. Fugiebat terram, & Dei iram non effugiebat. Fugiebat terram, & in mare tempeſtatem induxit, nec tantum nullum ex fuga bonum nactus eſt, ſed etiam eos qui ſe ſuſceperunt, in extremum periculum adduxit: & quando nauigans quidem in nauigio ſedebat, & nautæ, & gubernatores aderant, & omnia nauis arma, de extremis periclitabatur: poſtquàm autẽ in mare proiectus, B & peccatum per ſupplicium deponens, in incompoſitum deductus eſt nauigium, ceti ſcilicet ventrẽ, multa potiebatur libertate: vt diſcas quòd ſicut in peccatis viuenti, neque nauigium prodeſt: ſic peccato exutum neque mare perdit, neque beſtiæ conſumunt. Ipſum igitur vndæ ſuſceperunt, nec ſuffocauerunt: cetus ſuſcepit, & non interemit. Verùm & animal, & elementum incolume depoſitum Deo reddiderunt: & per omnia diſcebat Propheta eſſe manſuetus & humanus, neq; ſtultis nautis, neque feris vncis, neque beſtiis crudelior eſſe. Etenim nautę non in principio ſtatim, ſed poſt multam neceſſitatem ipſum prodiderunt: mare verò & beſtia cùm multa beneuolentia cuſtodierunt, Deo hæc ipſa diſpenſante. Rediit igitur, prædicauit, minatus eſt, perſuaſit, ſaluauit, terruit, correxit à principio ſtatim, & ſola prædicatione: neque enim multorum C dierum indiguit, neque cõtinui cõſilij, ſed nuda illa locutus verba omnes in pœnitentiam deduxit. Propterea ipſum nõ ſtatim de nauigio Deum ad vrbem deduxit, ſed nautæ mari tradiderunt, mare ceto, cetus Deo, Deus Niniuitis, & per longum circuitum profugũ reduxit: vt omnes doceat, quod Dei manus effugere impoſſibile. Quoniã quocunque quis proficiſcatur, peccatum pertrahens, infinita ſuſtinebit detrimenta: & ſi hominũ nemo adſit, ipſa vndecunq; creatura cum multa reſiſtet vehementia. Ne igitur fugæ ſalutem noſtram credamus, ſed morum mutationi. Non enim quia in ciuitate manes, propterea Deus irritatur, vt fugias: ſed quoniã peccaſti, propterea indignatur. Igitur peccatum depone, & vnde vulneri cauſa, inde mali fomitem contrahe: contraria enim contrariis curare & medicorum pueri iubent. Ex crapula nata eſt febris, inediæ morbum corrigunt: ex triſtitia quis infirmatus D eſt, lætitiam huic aptam medicinam eſſe dicunt. Sic & in animæ ægritudinibus facere oportet: iram torpor excitauit, induſtria hanc repellamus, multamque præ nobis feramus mutationem: Ieiunium habemus auxiliatorem, & commilitonem maximum, & præter ieiunium inſtantem anguſtiam, & periculi timorem. Inſtemus igitur nunc animæ in tempore: etenim ipſi omnia quæcunq; velimus, facilè perſuadere poterimus. Pauidus enim & tremens, & deliciis omnibus abſolutus, & in timore viuens, facilè philoſophari poteſt, & cum multa promptitudine virtutis ſemina ſuſcipere. Primùm igitur perſuadeamus, vt iuramentorum fuga in melius mutationem faciat: etſi enim heri & nudiuſtertius de hac vobis locutus ſum materia, neque tamen hodie deſiſtam, neque cras, neque perendie eandem perſuadere. Et quid dico craſtinam aut tertiam diem? Donec vos correctos videam, non abſiſtam: ſi enim legem præuaricantes non erubeſcunt, multo magis nos iubentes, ne præuaricemini, admonitione continua confundi non eſt dignum. De iiſdem enim continuè commonefacere

Iurandi conſuetudo quomodo ſuperanda.

non

Digitized by Google

non dicentis, ſed audientium eſt crimen, continuè indigentium diſciplinæ ſuper ſimplicibus & facilibus præceptis. Quid enim facilius quàm non iurare? conſuetudinis tantùm opus eſt: non eſt corporis labor, non eſt pecuniarum impendium. Vis diſcere quomodo vitium ſuperari poſſit? quomodo ab improba conſuetudine liberari liceat? Ego te quendam docebo modum: quem ſi tenueris, ſuperabis omnino. Cùm videris teipſum, vel aliū quēque, vel ſeruorum, vel filiorum, vel vxorē hoc malo captos, & continuè commonefactos, neque correctos, iube non pranſos cubare, & hanc tibique & illis damnationem impone, damnationem nō dānum, ſed lucrum ferentem. Talia enim ſunt ſpiritualia, & lucrum ferunt, & celerrimam correctionem: lingua enim continuè tribulata, vel nemine commonente ſufficientem capit admonitionem à ſiti compreſſa, à fame anguſtiata, & ſi omniū eſſemus ſtolidiſſimi, tota die huius tormenti magnitudine commoniti, alterius conſilii & admonitionis non indigebimus. Laudaſtis dicta, verùm & factis laudem demonſtrate. Quod enim alioqui huius concionis emolumentum? Si quotidie puerulus ad ſcholam pergat, poſtea nil plus diſcat, num ad excuſationem ſufficiet nobis, ipſum illo quotidie pergere? Non hoc ipſum maximum ducemus crimen, quòd per ſingulos dies illuc pergēs hoc fruſtra faciat? Hoc & in nobiſipſis cogitemus, & intra noſipſos dicamus: Tantum temporis ad eccleſiam occurrentes, & concione fruentes perquàm mirabili, & multum lucrum habentes, ſi tamen rurſum diſcedamus, quales aduenimus, nullum defectuum noſtrorum corrigentes, quæ nobis erit huius profectionis vtilitas? Etenim multa non propter ſe fiunt, ſed propter euenientia ex ipſis. Quale illud eſt: Seminans non propter hoc ſeminat, vt tantum ſeminet, ſed vt & metat: quòd niſi hoc fieret, & dānum ſementis pateretur, ſeminibus temerè & incaſſum marceſactis. Mercator non propter hoc nauigat, vt tantùm nauiget, ſed vt peregrinando auctiorem faciat rem: quòd niſi hoc adſit, & damnum excidet extremum ex damnoſa mercatorum peregrinatione. Hoc idem & in nobiſipſis ratiocinemur: etenim & nos in eccleſiam conuenimus, non propter hoc ipſum ſolùm, vt hic immoremur, ſed vt aliquod magnum lucrati, & ſpirituale lucrū diſcedamus. Si igitur inanes & nihil adepti abeamus, condemnationem nobis hoc ſtudium acceſſet. Quod ne fiat, vtque tātum damnum euitemus, abeuntes hinc inter ſeſe amici, cum filiis patres, cū ſeruis domini meditamini, & laborare quomodo imperatum expediatis, vt poſtquàm iterum reuerſi fueritis, & de eiſdem nos ſuadentes audieritis, non confundamini, mordente vos conſcientia: ſed gaudeatis, & lætemini admonitionis maiorem vobis partem expletam conſpicientes. Hæc non tantùm hic philoſophemur, non enim hæc momentanea admonitio totum eradicare poteſt, verùm & domi vir ab vxore hæc audiat, & vxor à coniuge: & æmulatio quædam fiat omnibus ad huius legis impletionem peruenire ſtudentibus, & præueniens, & implens, deficienti exprobret, vt ipſum magis excitet. Deficiens, nondumque implens præuenientem ſpectet, & ad ipſum celeriter peruenire contēdat. Si hæc meditemur, ſi hæc curemus, breui nobis & alia proſperè negotia dirigentur. Tu quæ Dei ſunt, meditare, & ipſe tuis prouidebit. Nec mihi dicas: Quid autem, ſi quis iurandi neceſſitatem imponat? quid autem, ſi non credat? Maximè verò, vbi lex violanda, neceſſitatis meminiſſe non oportet. Vna eſt enim ineuitabilis neceſſitas, Deū non offendere. Veruntamen interim illud præſta, ſuperflua recide iuramenta, temerè & ſine neceſſitati domi cū amicis, cum ſeruis prolata: ſi hæc ſuſtuleris, in illis mei nihil amplius indigebis: ipſum enim os iurandi frequentiam timere & fugere me-

Non ſufficit ſæpe concionē audire.

A litatum, neque ſi quis millies coegerit, in illā amplius cadere conſuetudinē admittet: ſed ſicut nunc multo labore, & infinita interturbatione, terrentes, minantes, admonentes, cōſulentes vix potuimus in aliam ipſum cōſuetudinem trāſmutare: ſic & tunc quidem, licet infinitam quis inferat neceſſitatem, hanc tranſgredi legem nō poterit perſuadere. Sed ſicut venenum quodpiā nunquā guſtare quis eligeret, neque inſtante neceſſitate, ſic neque iuramenta admittere. Hoc autem vobis exemplum ſolamen erit, & hortamentum ad reliquas virtutis partes attingendas. Qui enim nihil omnino præſtitit, torpeſcit, & facilè recidit: ſibi verò conſcius, quòd vel vnum expleuit mandatum, ex hoc benè ſperare doctus, maiori cum ſtudio ad reliqua curſum procedet: poſtea aliud capiens ad aliud celeriter veniet, nec prius abſiſtet, quàm ad ipſum culmen perueniat. Si enim in pecuniis quanto quis
B plures cōparauerit, tanto plures cupit: multo magis in officiis ſpiritualibus hoc cōtingere videas. Propterea feſtino, & vrgeo, vt res capiat principiū, & animis veſtris virtutis fundamentum iaciatur: & precamur, & ſupplicamus, vt nō tantum hora præſenti horum ſitis verborum memores, verū & domi, & in foro, & vbicunque commoremini. Vtinam mihi dari poſſet, vt vobiſcū conuerſarer, non hoc longo mihi multiloquio fuiſſet opus: nunc verò poſtquàm hoc non licet, vos per me verborū memores eſtote meorum; & ad menſam ſedentes ingredi me putate, & aſtare, & omnia quæ nunc vobis hic dico, inſonare. Et vbicunque vobis de me habebitur ſermo, præ omnibus huius mēmetote mandati, & hanc mihi amoris in vos mei retributionem reddite: ſi hoc vos impleſſe videro, totum recepi, dignam laborum cepi mercedem. Vt igitur & nos reddatis promptiores, & vos bonæ ſpei efficiamini, & maiorem ad reliqua exequenda mandata facili-
C tatem paretis, multo hanc legem ſtudio in animis veſtris reponite, & tunc admonitionis vtilitatem ſcietis. Quoniam & aureum veſtimentum pulchrū quidem eſt etiam cùm videtur, multo pulchrius autem nobis videbitur noſtro circumpoſitum corpori: ſic & Dei mandata pulchra quidem ſunt, etiam cùm laudantur, multo autem pulchriora cùm & explentur, apparent. Etenim nunc quidem breui temporis momento laudatis prædicata: ſi verò res impleatis, per omnem diem, & per omne tempus & nos & voſipſos laudabitis. Nec hoc eſt magnum, quod inter nos laudabimur, ſed quod & Deus nos ſuſcipiet, nec tantùm ſuſcipiet, ſed & magnis illis remunerabit & ineffabilibus donis, quæ nos omnes aſſequi detur gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Quod vtile eſt principum timor, & narratio eorum, quæ per viam acciderunt his qui nuntium afferebant: & quòd in-
D *digna patiens, & gratias agens permittenti Deo, par eſt talia propter Deum patienti. Et exempla rurſum à tribus pueris, & de iuramentorum cuſtodia.*

HOMILIA VI.

MVLTOS quidem impendimus dies charitatem veſtram conſolantes, non propterea tamen ab hac deſiſtemus materia: ſed donec triſtitiæ vulnus remaneat, & conſolationis medicamētum imponemus. Si enim corporis vulnera curare non deſinunt medicorum pueri, donec deſiuiſſe dolorē viderint: multo magis hoc in anima fieri cōuenit. Etenim animæ vulnus triſtitia, & ipſam continuè lenibus fouere verbis oportet. Nec enim ſi carnis tumorem calidarū ſolet aquarū natura remittere, vt animæ æſtum conſolātium copia ſermonum ſedare conſueuit. Non hic opus ſpongia, ſicut medicis, ſed pro ſpongia linguam tractabimus. Non hic opus igne, quo aquas calefaciamus, ſed pro igne

ſpiritus gratia vtemur. Eia igitur & hodie hoc ipſum agamus. Niſi enim nos conſolationem vobis attulerimus, vnde ſolamen aliunde capietis? Iudices terrent, igitur ſacerdotes conſolentur: principes minantur, ideo eccleſia confirmet. Etenim hoc in puerulis fit puſillis, præceptores terrent, & verberant, & lachrymantes ad matres remittunt, matres verò ſinibus ſuſcipientes continent, & circumplectuntur, & lachrymas detergẽtes oſculantur, & dolentem ipſorum animam releuant, verbis perſuadentes, quod ipſis vtilis eſt præceptorum metus. Quoniam igitur & vos terruerũt principes, & anxios reddiderunt, eccleſia communis omnium mater noſtra ſinus aperiens, & ſupinis ſuſcipiens manibus quotidie conſolatur, dicens, quod vtilis eſt & principum metus, & quod vtilis etiam hinc correctio. Illorum enim metus non ſinit nos torpore diſſolui: huius autem conſolatio ſub triſtitia ſuccumbere non permittit. Et per vtraque Deus ſalutem noſtram diſponit. Et principes enim ipſe armauit, vt laſciuientes terreant: & ſacerdotes ipſe elegit, vt dolentes conſolentur. Et hæc vtraque ſcripturarum exempla, & ipſa rerum experientia docet. Si enim cùm non deſint magiſtratus, & milites in armis præſto ſint, furor paucorum hominum promiſcuorum, & aduenarum in breui temporis momento tantum nobis incendiũ inflammauit, & tantam excitauit procellam, & de naufragio cunctos metuere compulit: ſi principũ metus omnino ſublatus fuiſſet, ad quid furoris iſti non veniſſent? Nónne à fundamentis hanc nobis vrbem euertiſſent, & omnia confundentes, ipſas demùm animas noſtras abſtuliſſent? Si enim iudicialia ſuſtuleris tribunalia, omnem vitæ noſtræ ordinem ſuſtuliſti. Et ſicut ſi gubernatorem à naui ſeparaueris, ſcapham ſubmerſiſti: & ſi ducem ab exercitu abducas, vinctos hoſtibus tradidiſti milites: ita ſi principes de ciuitatibus abſtuleris, feris irrationalibus magis irrationabilem degemus vitã, inter nos mordentes, & nos deuorantes, pauperiorem potentior, manſuetiorem audacior. Sed horum nihil nunc eſt per Dei gratiam: in religione enim viuentes nihil opus horum habent correctione. *Iuſto enim lex non eſt poſita*, inquit. Multi vero ad vitium ſpectantes, niſi ab his timorem ſibi ſuperpoſitum haberent, infinitis vtique malis ciuitates impleſſent, quæ Paulus quoque cognoſcens, dicebat: *Non enim eſt poteſtas, niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt*. Quod enim in domibus faciunt lignorum contignationes, hoc principes in ciuitatibus. Et ſicut ſi illas ſuſtuleris, diſſoluti parietes per ſeſe corruunt: & ſi ex mundo principes tollas, & horum metum, & domus, & ciuitates, & gentes cũ multa inter ſe licentia corruent, nemine exiſtente qui contineat & repellat, & pœnæ timore eos quieſcere perſuadeat. Ne igitur doleamus dilecti propter principum metum, verùm & Deo gratias agamus quod torporem noſtrum corripuit, & nos gnauiores effecit. Quod enim dic mihi, damnum factum eſt ex cura & ſollicitudine iſta? quod honeſtiores facti ſumus, & manſuetiores: quod diligentiores & attentiores, quod ebrium & meretricia canentem cantica videmus neminem: quod ſupplicationes continuæ, & lachrymæ, & preces: quod riſus importunus, & turpia verba, & omnis laſciuia expulſa eſt, & mulierem modeſtam, & liberam ciuitas noſtra nũc imitatur? Propter hæc doles? quin gaudere propter hæc & Deo gratias agere magis oportet, quod tãtam mollitiem paucis diebus formido reſoluerit. Non nego, inquit, ſed ſi ad metũ vſque tantum periclitaremur, ſatis eſſemus vtilitatis lucrati: nunc vero timemus ne vlterius malum procedat, & de vltimis periclitemur omnes, ſed ne timeatis. Paulus vos conſolatur, dicens. Quod *fidelis eſt Deus, qui non ſinit vos tentari plus quàm poteſtis, ſed faciet & cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſufferre*: ipſe e-

1. Tim. 1. b.

Rom. 13. a.

2. Cor. 10 b.

A him dixit, *Non te dimittam, neque te derelinquam.* Si enim rebus ipſis caſtigare vellet, & malorum experientia, non tot diebus vos timori tradidiſſet: cùm enim punire noluerit, terret. Quoniam ſi puniturus eſſet, timor eſſet ſuperfluus, ſuperfluæ minæ. Nunc verò innumeris mortibus grauiorem vitam ſuſtinuimus, tot diebus trepidantes, & trementes, & ipſas vmbras habentes ſuſpectas, & ipſius Cain pœnam luentes, & medio ſomno præ continua anxietate exilientes, ita quòd ſi etiam Deum irritaſſemus, nunc tantam paſſi pœnã, reddidiſſimus propitium. Quanquam enim non dignũ peccato ſupplicium dedimus, Dei tamẽ clementiæ ſufficit, non tantũ autem ex hoc, ſed etiam ex aliis multis cõſidere oportet. Non enim modica nobis bonæ ſpei pignora iam Deus dedit: & quod eſt omniũ primũ, malũ afferẽtes nuntiũ, hinc velut alati digredientes, & dudũ ad caſtra ſe peruenturos eſſe putantes, circa mediũ adhuc iter morãtur. Tot obſtacula &
B impedimenta ipſis acciderunt, & equos dimittentes, nunc vehicula agunt. Vnde neceſſitas eſt ſumma tardiorem ipſis eo profectionem fieri. Poſtquã enim pontificem noſtrum, & communem patrem Deus hinc ſuſcitauit & perſuaſit abire, & obire legationem hanc, mox illos circa medium itineris conſecutus eſt, ne præuenientes ignem ſuccenderent, & in reliquum correctionem redderent inutilem doctori, regiis auribus inflammatis. Quòd enim non ſine Deo factum ſit hoc impedimentum, inde manifeſtum: homines totum tempus in talibus peregrinationibus impendentes, & hoc officium habentes equos continue agendi, nunc ab ipſa equitatione contriti defecerunt, & quæ nunc accidere, Ionæ rebus contraria facta ſunt. Illum enim vrgebat Deus abire nolentem, hos volentes vetuit. O nouum & admirabile negotium: ille ſub-
C merſionem prædicare nolebat, & inuitum eum excitauit: hi cum celeritate euerſionem annunciare feſtinant, & inuitos ipſos rurſum prohibuit. Quã tandem de cauſa? quoniam hic quidem tarditas, illic verò celeritas lucrum ferebat. Propterea & illum per cetum feſtinare fecit, & equis hos impediuit. Vides Dei ſapientiam? Per quæ facta quiſque, quod expectabat, expedire ſperauit, per hæc quiſque impeditus eſt. Per nauigium ille euadere putauit, & nauigium illi vinculum factum eſt: iſti per equos ocyus ſe regem viſuros expectauerunt, & equi fuerunt impedimento: immò vero non equi, ſicut nec illi nauigium, ſed Dei prouidentia vbique omnia propria diſpenſans ſapientia. Et cõſidera prouiſionis modum, quomodo & terruit, & conſolatus eſt: ipſo enim die, quo omnia illa patrata ſunt facinora, ipſos quidem exire, tanquam omnia quæ acciderant regi nunciaturos permit-
D tens, exeundi celeritate omnes perterruit. Poſtquam vero abierunt, & duos treſve dies contriuerunt, & iam inanem eſſe pontificis noſtri profectionem putabamus, vtpote qui poſterior eſſet futurus: tunc metum diſſoluit, & nos conſolatus eſt, efficiens vt illos, ſicut dixi, media aſſecutus ſit via, & illinc ad nos proficiſcentes, illorum per viam ærumnas omnibus nobis annunciarent, vt parum reſpiremus: quod & factum eſt, & magnam anxietatis partem depoſuimus. His enim auditis, horum authorem adorauimus Deum, qui omni parte diligentius omnes res noſtras nunc diſpoſuit, inuiſibili quidem vi improbos iſtos cohibens nuncios, & tantum non dicens. Quid feſtinatis? quidve properatis ciuitatem talem ſubuertere volẽtes? Num enim bona regi nuncia affertis? Manete iſtic, donec ſeruum meum, tanquam medicum optimum peruenire, & veſtrum conſequi curſum faciam. Si vero naſcente præuaricationis vlcere, tanta prouidentia exhibita eſt: multo magis poſt conuerſionem, poſt pœnitentiam, poſt tantum timorem, poſt lachrymas & preces maiorem aſſequemur veniã.

Ioſ. 1. b.

Ionæ 1. a

Digitized by Google

Ionas enim congruè pellebatur, vt ad pœnitentiã induceretur: vos verò iam exhibuiſtis pœnitentiã, & magnam conuerſionem, ideóque conſolatione deinceps eſt opus, non nuncio minas habẽte. Propterea communem & hinc patrem ſuſcitauit; & quidem cum multa eſſent quæ prohiberent. Si verò non pepercíſſet ſaluti noſtræ, non illi perſuaſiſſet, ſed & volentem exire vetuiſſet. Habeo & quid tertium dicere, quod vobis perſuadere poſſit, vt confidatis, præſentem ſolennitatem, quam & infideles ferè omnes reuerentur, & hic ipſe religioſus rex ſic ſuſpexit, & honorauit, vt omnes ante ſe reges cum pietate imperantes ſuperauerit. Talibus namque diebus cum epiſtolam ad ſolennitatis honorem miſiſſet, omnes ferè carcerẽ habitantes dimiſit. Et hanc epiſtolam admiſſus Pontifex noſter coram Imperatore leget, & propriarũ legum commonefaciet, & dicet ad ipſum: Tu teipſum exhortare, & tui recordare, domeſticum habes humanitatis exemplum: iuſtam noluiſti cædẽ committere, & iniuſtam patrare ſuſtinebis? Conuictos, & condemnatos feſtiuitatis reuerentia dimiſiſti, & inſontes nihilque auſos condemnabis, præſertim ſolennitate præſente? Nequaquam, ô rex, tu hanc epiſtolam ciuitatibus omnibus mittens, aiebas: Vtinam & defunctos reſuſcitare poſſem. Huic ſupplicamus humanitati, his nunc verbis ſupplicamus: Non tam claros facit reges, hoſtes vincere, quam animum & iram ſuperare: illic enim armorum & militum opus geritur, hîc verò tuum ſolius ſimpliciter trophæum, & habes neminem qui tecum ſapientiæ gloriam partiatur. Superaſti tumultum barbaricum, ſupera & animũ regium: diſcant omnes infideles, quod Chriſti timor omnem potentiam refrænare poteſt. Glorifica dominum tuum, conſeruis peccata dimittens, vt ipſe quoque te magis glorificet; vt benignum tibi & tranquillum oculum iudicij die clementiæ tuæ recordatus exhibeat. Hæc & his plura dicet, & nos ab ira penitus eripiet. Non tantum autem ad regi perſuadendum maximum ex hoc ieiunio nobis eſt auxilium, ſed etiam ad caſus generosè ferẽdos: etenim conſolationem non quamlibet ex hoc tempore capimus. Per ſingulos enim dies congregari, & diuinarum auditu ſcripturarum frui, & inuicem nos conſpicere & lamentari, & orantes ſic domum abire, doloris plurimum nobis diminuit. Ne igitur corruamus, neque noſipſos præ anxietate prodamus, ſed maneamus expectantes bona, & dicendis mentem adhibeamus. Etenim volo & hodie de mortis contemptu iterum diſſerere. Dixi pridie vobis, quod mortem timemus, non quidem quia terribilis eſt, ſed quoniam neque cœleſtis regni amor nos ſuccendit, neque gehẽnæ timor nos occupauit: & ad hæc quoniam conſcientiam non habemus bonam. Vultis & quartam huius importunæ anxietatis cauſam commemorem, non minus D ſuperioribus veram? nõ viuimus in aſperitate Chriſtianis congrua, ſed facilem hanc, & ſolutã, & mollem amamus vitam: idcirco veriſimiliter & præſentibus oblectamur rebus. Quod ſi vtique in ieiuniis & pernoctationibus, & victus tenuitate hanc vitam tranſigeremus, cupiditates noſtras præcidentes, abſurdas voluptates arcentes, ſudores virtutis ſuſtinentes, ſecundùm Paulum *corpus caſtigantes, & in ſeruitutem redigentes*, carnis prouidentiam ad deſideria non facientes, anguſtam & confragoſam tenentes viam, cito futura concupiſcemus, præſentibus liberari laboribus feſtinantes. Et quod non falſus ſit ſermo noſter, ad montiũ vertices aſcende, conſidera illic morantes monachos in ſacco, in vinculis, in ieiuniis, in tenebris concluſos, & omnes videbis mortem exoptantes, & illam requiem aduocantes votis. Sicut enim cæſtibus pugnans ſtadio exire feſtinat, vt vulneribus liberetur, & luctator ſpectatores exurgere concupiſcit, vt laboribus abſol-

1. Cor. 9. d.

A uatur: ſic & in rigida & aſpera vita cum virtute viuens, finem deſiderat, vt præſentibus eripiatur laboribus, & pro repoſitis valeat coronis, confidere, ad tranquillum nauigans portum, & illò tranſmigrans, vbi non eſt amplius timendum naufragium. Propterea quoque Deus laborioſam naturaliter vitam noſtram, & grauem conſtituit; vt præſenti tribulatione compulſi, futurorum deſiderium capiamus. Si enim, cùm ſint tot triſtia, & pericula, & timores, & curæ nos vndique circumeuntes, tam libẽter præſenti immoramur vitæ, ſi nihil horũ eſſet, & abſq; triſtitia & ærumnis omnibus tota foret vita noſtra, quando vnquam futura deſideraremus? Sic & Iudæis Deus fecit. Volens enim & illos in reditus cupiditatem inducere, & vt Ægyptum odiſſent, perſuadere, permiſit eos lateritio opere & luto laborare, vt laborum & ærumnæ illius magnitudine cruciati, ad Deum clamarent. Si enim egreſſi, quanuis hæc accidiſſent, Ægypti iterum meminerunt & priſtinæ ſeruitutis, & ad grauem tyrannidem redi- B re feſtinabant: niſi tales fuiſſent experti barbaros, quando vnquam alienam dimittere terram voluiſſent? Ne igitur & nos terræ affixi, & præſentibus inhiantes torpeamus, & futurorum obliuiſcamur, vitam nobis fecit Deus laborioſam. Non igitur vltra quàm eſt opus præſentem vitã amplectamur. Quæ namque nobis vtilitas? quod verò emolumentum, nimium præſentis vitæ cupiditati adhærere? Vis diſcere quare bonum ſit præſens vita? quia futuræ nobis vitæ materia efficitur & occaſio, & certamina, & ſtudium habendarum illic coronarum eſt: quod niſi hoc nobis præberet, innumeris mortibus eſſet miſerabilior. Niſi enim viuentes Deo ſumus placituri, melius obire. Quid enim eſt amplius? quid reliquum? Non eundem Solem, & eandem Lunam quotidie cernimus? non eandem hyemem, & non eandem æſtatem? non eadem negotia? Quid quod fuit? id quod erit. Quid eſt quod eſt factum? futurum. Ne igitur ſimpliciter beatos pu- C temus viuentes, neque morientes lugeamus: ſed in peccatis conſtitutos, ſiue viuentes, ſiue mortuos deploremus: in iuſtitia verò vbicunque ſint, beatos exiſtimemus. Tu quidem vnam mortem formidas & luges: at Paulus per ſingulos dies moriẽs, non tantum propterea non lachrymabat, ſed & lætabatur & exultabat. Vtinam & ego propter Deũ periclitarer, inquis, & nihil curarem. Sed neque nunc conſterneris: non enim tantũ propter Deum patiens laudem meretur, ſed & iniuſtè quicquam patiens & generosè ferens, & Deo permittenti gratias agens, alio hæc propter Deum patiente non eſt inferior. Quoniam & beatus Iob multas & intolerabiles illas plagas propter diabolum fruſtra & temere, & ſine cauſa inſidiantem excepit: ſed tamen quoniam generosè tulit, & Deo hæc permittenti gratias egerit, integram reportauit coronam. Ne igitur propter mortem triſteris, naturæ enim eſt: triſtare propter peccatum, voluntatis enim eſt culpa. Si verò propter defunctos triſtaris, & propter naſcentes dole: ſicut enim hoc eſt naturæ, ſic & illud. Si quis igitur mortem minetur, dic ipſi: Inſtitutus ſum à Chriſto non illos timere, qui corpus interimunt, animam verò occidere nequeunt, ſi rei familiaris publicationem minetur, reſponde. *Nudus exiui de vtero matris meæ, nudus & reuertar illuc. Nihil in hunc mundum intulimus*, manifeſtum eſt quòd nec exportare quicquam poterimus. Et ſi tu non abſtuleris, mors ſuperueniens auferet: & ſi tu non iugulaueris, naturæ lex finem afferet. Nihil igitur eorum timeamus, quæ nobis natura afferuntur, ſed illa quæ ex mala nobis proueniunt voluntate: illa enim nobis pœnam pariunt: hocque cogitemus continuè in his quæ nobis inexpectata accidunt, quòd non correximus illa, dolentes. Et præter hoc illud quoque, quòd ſi quid graue in præſenti patimur vita iniuſtè, multa peccata diſſoluimus. Idcirco

Deus vitam noſtram cur laborioſam voluerit eſſe.

Exod. 1. c.

Num. 11. b.

Mat. 10. c
Iob. 1. d.
1. Tim. 6.

A magnum bonum eſt hic luere peccata, & non illic: etenim diues hic graue nihil recepit, & propterea illic torquebatur. Et quòd hoc eſſet in cauſa ne vlla illic frueretur conſolatione, audi quid dicat (Luc. 16. f.) Abraham: *Fili recepiſti bona tua:* itaque nunc dolorem patere. Quod autem Lazaro bona data ſint, quia hic cum virtute infinitas paſſus moleſtias fuerit, Patriarcham & hoc dicentem audi: Cùm enim dixiſſet diuiti, Recepiſti bona tua intulit, Et Lazarus mala, & propterea conſolationem capit. Sicut enim in virtute viuentes & tribulati duplex habent emolumentum: ſic & in vitio viuens & gaudẽs duplicem habebit pœnam. Rurſum dico non fugientes accuſans: animam enim tribulatam nõ adiicies perturbare nec increpare volens, ægrotans enim conſolationis indiget: ſed corrigere ſtudens, ne fuga ſalutem noſtram petamus, ſed fugiamus peccata; & à via mala recedamus. Si hæc fugerimus, etiãſi inter innumeros fuerimus milites, nemo nos lædere poterit: ſi hæc non fugerimus, & ſi ad ipſum mõtium verticem aſcenderimus, hoſtes & illic repe- B riemus innumerabiles. Recorderis igitur iterum (Dan. 3. c.) illorum trium puerorum, qui erant intra fornacẽ, & nihil graue patiebantur: & eorum qui ipſos iniecerunt, & extra fornacem manebant, quomodo qui circunſtabant, omnes conſumpti ſunt. Quid hoc mirabilius? Quos continebat ignis, exoluit: quos non continebat, rapuit. Vt diſcas quòd non locus, ſed morum qualitas ſalutem & pœnã affert: interiores effugerunt, exteriores abſumpti ſunt. Eadem corpora & his quæ illis, ſed non iidem ſenſus, propterea nec eædem paſſiones. Fœnum enim etſi circumiacet extra, celeriter accenditur: ſicut econtrà aurum licet intus maneat, magis ſplendeſcit. Vbi nunc ſunt dicentes, Capiat omnia rex, & corpus noſtrum det liberum? quid tandem ſit, eſſe corpore liberum, diſcant. Non enim criminũ im- C punitas corpus facit liberum, ſed in iuſtitia continuè viuere. Horum igitur puerorum corpora libera erant, etiam fornaci tradita: peccati enim ſeruitutem iampridem depoſuerunt. Etenim hæc ſola res eſt libertas; non ſupplicium effugere, nec graue nihil pati. Tu verò fornacem audiens, recordare fluuiorum ignis die illo tremẽdo futurorum. Sicut enim hic hos quidem rapuit ignis; hos autem reueritus eſt: ſic & in illis erit fluuiis. Et ſi quis habeat quidem ligna, fœnum, & ſtipulam, igne accẽditur: ſi verò quis habet aurum & argentum, fit ſplendidior. Hanc igitur materiam congregemus & præſentia generosè feramus, ſcientes quòd ab illa pœna præſens nos tribulatio liberabit, ſi philoſophari ſciamus, & hic meliores efficiet. Non autem nos tantum, ſed & tribulantes nos ſæplus, ſi vigilemus, tanta vis eſt diſciplinæ, quod & in tyranno tunc fa- D ctum eſt. Poſtquàm enim vidit nihil graue paſſos, audi quomodo mutatus eſt: *Serui Dei altiſsimi exite,* in- (Dan. 3. g.) quit, *& venite.* Non paulò antè dicebas, *Et quis eſt Deus qui vos ex manibus meis eripere poſsit?* Quid factũ eſt? Vnde mutatio? Exterius poſitos abſumptos vidiſti, & interitus ſtãtes vocas? Vnde tibi euenit talia meditari? Vidiſti quanta regi mutatio facta eſt? Quando nondum ipſos tenuerat, blaſphemabat: poſtquam verò in ignem ipſos coniecit, philoſophabatur. Propterea & Deus permiſit omnia fieri, quæcunque tyrannus voluit, vt demonſtraret quòd à ſe cuſtoditos offendere poſſet nemo: quod & in Iob fecit, hoc enim & hic operatus eſt. Etenim illic permiſit diabolum omnem ſuam potentiam oſtẽdere: & poſtquam omnes hauſit ſagittas, & nullus inſidiarum modus reliquus factus eſt, tunc è ſtadio pugilem eduxit, vt clara & indubitata fieret victoria. Et hic hoc ipſum fecit. Voluit ipſorum vrbẽ euertere, & non prohibuit: voluit captiuos ducere, & non impediuit: voluit ligare, cõceſſit: in fornacem iniicere, permiſit: flammam vltra modum ſuccendere, & hoc permiſit. Et quando nihil reliquum

A fuerat, ſed omnem vim tyrannus exhauſerat, tunc ſuam Deus virtutem demonſtrauit, & puerorũ patientiam. Propterea enim vſque in finem tribulationes permittit, vt inſidiantibus & circumuentorum philoſophiam, & ſuam demonſtret prouidentiam. Quæ vtraque & ille tunc diſcens, clamabat: Serui Dei altiſſimi exite, & venite huc. Tu verò mihi conſidera puerorum magnanimitatem: neque enim ante vocem exilierunt, ne quis putaret ipſos ignem timuiſſe: neque vocati intus manſerunt, ne ambitioſi eſſe & contentioſi viderentur: Poſtquam didiciſti, inquiunt, cuius ſumus ſerui, poſtquam dominum noſtrum agnouiſti, nunc eximus præſentibus omnibus futuri diuinæ potentiæ præcones. Imò verò non ipſi tantum, ſed & hoſtis propria voce, & lingua, & per literas omnibus tum pugilũ conſtantiam, tum agonothetæ virtutem prædicabat. Et ſicut præcones athletas vincentes in medio theatro pronunſiantes, ipſorum quoque ciui- B tates dicunt, ille de tali ciuitate: ita & hic ipſorum dominum prædicauit, *Sidrac, Miſac, & Abdenago ſerui Dei altiſsimi exite & venite huc.* Quid actum eſt, quòd ipſos Dei altiſſimi ſeruos vocas? Nónne tui erant ſerui? Sed regnum, inquit, meum diſſoluerunt, ſuperbiam meam conculcauerunt. Verum per opera ſuum demonſtrauere dominum: ſi hominum fuiſſent ſerui, non ipſos ignis expauiſſet, non ceſſiſſet flamma: hominum enim ſeruos creatura reuereri & honorare non nouit. Propterea rurſus inquit: *Benedictus Deus Sidrac, Miſac, & Abdenago.* Tu autem mihi contemplare quomodo primum remuneratorem prædicat. *Benedictus Deus, qui emiſit angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos.* Hoc potentiæ Dei. Dixit & athletarum virtutem, quoniam crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderũt corpora ſua, ne ſeruirent diis alienis. Sed quid vir- C tuti par eſſe poſſet: Antea quando dixerunt, Diis tuis non ſeruimus, fornace ſæuius accenſus eſt: poſtquam verò per ipſa opera hoc oſtenderunt, non tantum non indignatus eſt, ſed laudauit, & admiratus eſt, quòd ſibi non obediſſent. Tantum virtus bonum, quod & ipſos hoſtes habet admiratores & laudatores. Illi pugnauerunt, & ſuperauerunt, & victus gratias agebat, quòd non ipſos terruit flammæ aſpectus, ſed ſpes in dominum conſolata eſt: mundi dominum ex tribus pueris vocat, non ipſius imperium fine vllo concludens, ſed quoniam mundo opponendi pueri tres eſſent: propterea tot tyrannos, reges, & principes prætermittens, qui ſibi paruerant, tres captiuos & ſeruos, qui tyrannidem ſuam contempſerant, admiratus eſt. Non enim contendentes, ſed philoſophantes hæc agebant: neque per arrogantiam, ſed per religionem: non ſuperbia inflati, ſed zelo igniti: magnũ D etenim bonum in Deum ſperare: quod quidem & barbarus animaduertit, & demonſtrans quòd inde imminens effugeret periculum, proclamauit: quoniam crediderunt in eum. Hæc autem nunc dico, & omnes excerpo hiſtorias, in quibus tentationes & tribulationes, & regum iræ, & inſidiæ ſunt, vt nihil timeamus, niſi tantummodo Deum offendere. Etenim & tunc fornax accenſa erat: illi verò hanc quidem contempſerunt, peccatum autem timuerunt: nouerant enim quòd incenſi quidem nihil graue paſſuri erant, impiè verò agentes extrema ſubituri. Magnum enim ſupplicium peccare, etiamſi non puniamur: peccata enim nos à Deo ſeparant, ſicut & ipſe dicit: *Nonne peccata veſtra ſeparant inter vos & me?* (Iſa. 59.) Pœnæ verò nos ad Deum perducunt: inquit enim, *Da nobis pacem, omnia enim retribuiſti nobis.* (Sap. 1. a.) Si quis vulnus habeat, quid timere dignum eſt ſaniem, an medici ſectionem? ferrum, an vlceris populationem? Peccatum ſanies eſt: pœna ferrum medicinale. Sicut igitur ſaniem habens, & ſi non ſecatur, male habet: & cùm non ſecatur, tunc eſt in maioribus malis: ita peccans, etiam ſi non puniatur,

(Peccator ſi non puniatur eo miſerior.)

tur, omnium eſt miſerrimus: & tunc maximè miſer cùm non punitur, & graue nihil patitur. Et ſicut ſplene & intercute laborantes, cùm larga fruuntur menſa, & frigida potione, & delicatis ferculis & ſaporibus, tunc præcipuè omnium ſunt miſerrimi deliciis morbum augentes: ſi verò ſiti & fame ſecũdùm medicorum leges cruciantur, aliquam ſalutis ſpem habent: ſic & in iniquitate viuẽtes, ſi puniantur quidem, bonam ſpem habent, ſi verò cum iniquitate licentia & deliciis fruantur, & hydrope laborantibus ſimul & crapulantibus ſunt multò miſeriores, & tantò magis, quantò corpore melior eſt anima. Si aliquos igitur in iiſdem eſſe peccatis videtis, & hos quidem fame continua, & innumeris malis laborantes: hos verò potantes, gaudentes, & crapulantes, eos qui grauia patiantur minus miſeros puta. Etenim delectationis flamma ærumnis interciditur, & apud futurum iudicium & terribile tribunal illud non parum patrocinij capientes migrant, qui multa diſſoluerunt peccata ex his quæ hic grauia paſſi ſunt. Sed conſolationis ſatis. Iam nobis deinceps tempus eſt ad fugiendorum monitionem iuramentorum tranſeundi, & tollendi excuſationem, quæ iurantibus eſſe videtur, frigidam & inutilem. Etenim poſtquam ipſos accuſauerimus, alios nobis idem facientes obiiciunt, & dicunt: ille & ille iurant. Dicamus igitur ipſis: ſed ille non iurat. Deus autem eorum qui rectè egerunt, comparationem inter iudicandum profert: peccatores enim peccantes non adiuuant delictorum communicatione: rectè verò viuentes, peccatores cõdemnant. Etenim qui Chriſtum non cibauerunt, neque potauerunt, multi erant: ſed nihil ſibi inuicẽ profuerunt. Sicut neque virgines quinque altera ab altera vllam inuenerunt veniam, ſed præ his qui benefecerunt, & hæ & illi condẽnati & puniti ſunt. Ab hac igitur frigida excuſatione liberati, ne reſpiciamus cadẽtes, ſed rectè ſe habentes, & ſtudeamus præſentis ieiunij capere munimentum. Et ſicut multoties veſtimentum adepti, vel ſeruum, vel vas pretioſum temporis reminiſcimur, & inter nos dicimus: ſeruum illum tali ſolemnitate emi, veſtimentum hoc tali comparaui tempore: ita quoque ſi legem hanc impleuerimus, dicemus: Iuramentum hac correxi quadrageſima, hactenus enim iurabam & ſola admonitione audita, peccato abſtinui. Sed res corrigi difficilis conſuetudo. Noui & ego, & propterea feſtino vos in aliam conſuetudinem bonam & lucrum habentem inducere. Cùm enim dixeris, difficilè à conſuetudine deſiſto: propterea deſiſtere labora, certo ſciens, quòd ſi tibi aliam non iurandi conſuetudinem indixeris, nullius laboris amplius indigebis. Quid difficilius, non iurare, an per totum diem inediam pati, & aquæ potu & tenui victu ſiccari? Certum eſt quòd hoc illo grauius. Sed tamen conſuetudo res eſt tam facilis & expedita, quòd adueniente ieiunio, & ſi millies quis exhortetur, & infinita crucient, & cogant vinum delibare, vel aliud quid ieiunij lege non conceſſum guſtare, omnia quis mallet pati, quàm prohibitum tangere nutrimentum. Et hoc cùm non illibenter erga menſam affecti ſimus, tamen propter conſuetudinem ex conſcientia, omnia generosè ferimus laborando. Hoc nimirum & in iuramentis erit. Et ſicut nunc, ſi quis etiam maximam neceſſitatem imponat, permanes conſuetudinem ſeruans: ſic & tunc, ſi quis etiam millies exhortetur, à conſuetudine non abſiſtes. Domum igitur profectus, omnibus hæc domeſticis loquere. Et ſicut ſæpe multi ex prato recedentes, roſam, vel violam, vel quempiam talium florum capiunt, & digitis circũferentes recedunt: alij verò ex viridario domum abeuntes, arborum ramos fructus habentes reportant, alij rurſum à lautis cœnis, mẽſæ reliquias neceſſariis ſuis referũt: ſic vtique & tu hinc recedẽs, admonitionem reporta filiis, vxori, neceſſariis om-

Contra iurandi conſuetudinem.

Mat. 25. a

Simile.

Simile.

A nibus. Hæc enim admonitio, & prato, & viridario, & menſe vtilior eſt, hæ nunquam roſæ marceſcunt, hi nunquam deſluunt fructus, hæc nunquam fercula corrumpuntur. Et ex illis quidem temporalis delectatio, ex his verò continua vtilitas, non tantũ poſtquam adimpleta fuerint, ſed etiam dum adimplentur. Cogita enim quale eſt reliquis omnibus omiſſis publicis & priuatis, de diuinis ſemper legibus diſſerere, & ad menſam, & in foro, & in aliis cõuenticulis. Si his vacemus, nihil dicemus periculoſum, nihil noxium, nec inuiti peccabimus: ſed & imminente triſtitia ſermocinationi de his vacantes, animam liberare poterimus cura, quam meditabamur inter nos ſemper, dicentes: Nunquid geſta rex audiuit? An irritatus eſt? quid verò ſententię pronuntiauit? Nunquid ipſum quiſpiam exorauit? Nunquid verò tolerabit ipſe tam magnam & populoſam funditus ciuitatem perdere? Hæc quidem, & omnia talia in Deum proiicientes, ipſius tantùm mandata meditemur: ſic enim & illa omnia diſſol-

B uemus. Si vel decem de nobis tãtum rectè egerint, breui decem viginti fient; viginti, quinquaginta: quinquaginta, centum: centum, mille: mille, ciuitas. Et ſicut decem accenſis lucernis omnem domum lumine facilè quis implere poterit: ſic & in officiis ſpiritualibus, ſi decem ſoli rectè egerint, flammam per totam ciuitatem incendimus habentem lumen, & ſecuritatem nobis afferentem. Non enim ſic flãmæ natura in materiam delapſa vicina ſemper ligna incendit, ſicut virtutis zelus in paucas lapſus animas, vlterius procedendo omnem implere ciuitatem poterit. Date itaque mihi vt de vobis glorier, & in præſenti vita, & in futuro die, quo talenta habentes credita exigentur: ſufficiens mihi laborum merces, veſtra correctio. Et ſi vos cum pietate viuentes videro, totum recepi. Facite igitur quod & heri admonui, & hodie dicam, nec dicens quieſcã: contra iurantes mulctam definientes, mulctam lu-

C crum, non damnum habentem, præparamini iam tanquam nobis profectus probationem daturi. Conabor etenim apud quemquam veſtrum longum protrahere ſermonem dimiſſa hac concione, vt in verborum longitudine emendatos inueniam: & ſi quem iurantem videro, omnibus ipſum emendatis faciam manifeſtum, vt increpantes, arguentes, corrigentes, breui ipſum mala liberemus conſuetudine. Melius eſt etenim hic exprobratum corrigi, quàm die illa palam præſente toto mundo confundi, atque puniri, peccatis noſtris ſub omnium aſpectu reuelatis. Sed ne fiat vt quiſquam ex hac honeſta concione talia patiens illic appareat, ſed ſanctorum patrum precibus peccata corrigentes omnia, cum multa hinc indulgentia migremus, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri, &c.

D *Quòd triſtitia ad peccati deſtructionem vtilis. Et ſuper illud, In principio fecit Deus cœlum & terram. Et quòd maxima conſolationis materia creationis apparatus. Et ſuper illud, Adam vbi es? & de fugiendo iuramento.*

Homilia VII.

MVLTA quidem, & de multis heri apud veſtram diſſerui charitatem. De multis verò ſi omnia vobis retinere haud eſt facile, illud omniũ maximè vos meminiſſe rogo, quòd triſtitiam nobis Deus non ob aliud indidit, niſi propter ſolum peccatum, & hoc per ipſam rerum experientiam manifeſtauit. In pecuniarum enim mulcta, & morte, & ægritudine, & aliis nobis ingruentibus moleſtiis dolentes & mœrentes, non tantum nullam conſolationem capimus, verùm & moleſtias augemus. In peccatis verò ſi doleamus & contriſtemur, peccati magnitudinem minuimus, & quod erat magnum, reddidimus paruum: ſæpe verò & funditus ipſum totum delemus. Hoc mihi continuè recordamini, vt

Non de morte, ſed de ſolo peccato timendum & dolendũ.

peccato tantum doleatis:nulla autem præterea re. Et præter hoc & illud quoque,quòd mortem & triſtitiam in vitam noſtram peccatum inferens,ab his ambobus viciſſim deſtruitur : quod quidem ipſum manifeſtius & antea demonſtrauimus. Nihil igitur ſic timeamus,vt peccatum & præuaricationem.Ne timeamus pœnam, & pœnam effugiemus: ſicut & tres illi pueri non timuerunt fornacem & fornacē effugerunt.Tales eſſe decet Dei ſeruos; Si enim in veteri teſtamento educati, quando nondum mors erat mortificata,nec æreæ portæ confractæ, nec obices ferrei contriti,tam generoſam contra mortē audaciam præ ſe tulere; quam nos habebimus excuſationem,aut quam veniam, tantam nacti gratiā, & neque pares illis virtutis menſuras nunc aſſecuti,cùm mors nomen ſolum ſit re priuatum? Nihil enim aliud mors eſt,quàm ſomnus, & migratio, & tranſlatio,& requies,& tranquillus portus, & perturbatio his liberatio,& à vitæ curis abſolutio. Sed hic conſolationis ſermonē ſoluamus: etenim quintam diem agimus veſtram conſolantes charitatem & iam moleſti videmur. Attentis enim dicta ſufficiunt,puſillanimis autem etiamſi dictis plura addamus,nihil profuerit, Tempus verò nobis iam ad ſcripturarum expoſitionem conuertere doctrinā. Quemadmodum enim ſi nihil de hac ærumna locuti eſſemus, crudelitatem & inhumanitatem noſtram quis condemnaſſet,ſic ſi ſemper de ipſa diſſeramus,puſillanimitatem noſtram iuſtè condemnaret.Corda igitur noſtra Deo applicantes, qui in mēte noſtra loqui poteſt, & omnem ex pectore triſtitiam expellere, conſuetam doctrinam nunc attingamus, & maximè quandò omnis ſcripturæ expoſitio exhortatio eſt & conſolatio. Itaque etſi à conſolando abſiſtere videmur, rurſum per ſcripturarum expoſitionem in eandem materiam incidimus. Quòd enim mentem adhibētibus tota ſcriptura conſolatio ſit, iám nunc vobis hoc faciā manifeſtum,non enim ſcripturarum hiſtoriam circūiens, quoſdam conſolatorios ſermones quærere conabor: ſed vt apertiorem promiſſionis demonſtrationem præbeam, hodie lectum tractabimus librum:& ſi libet, ipſius principium, & proœmium, quod maximè videtur neque conſolationis veſtigium demonſtrare,ſed à conſolatoriis penitus verbis alienum eſſe,in medium proponens, quod dico manifeſtum faciam. Quod tandem eſt hoc proœmiū? *In principio fecit Deus cœlum & terram: terra autē erat inanis & vacua,& tenebræ erant ſuper faciē abyſſi.* Nunquid videntur aliquibus è vobis triſtitiæ conſolationem habere memorata? Non hiſtoriæ narratio eſt, & de creatione doctrina? Vultis igitur demonſtrem cōſolationem in hac dictione abſconditam? Exurgite igitur,& cum diligentia aduertite quæ dicēda ſunt. Cum enim audieris,quòd cœlum,terram,mare, aërem, aquas, ſtellas multas, duo luminaria magna, plantas,quadrupedes, natatilia & volatilia animalia,omniaque generaliter quæ vidētur, propter te, tuamque ſalutem & honorem Deus creauit, non magnam capis conſolationem? & maximam dilectionis Dei demonſtrationem hanc ſuſcipis, cum cogitaueris,quòd tantum & talem mundum tā pulchrum,& magnum, & admirabilem propter te puſillum in medium protulit? Cùm igitur audieris quòd in principio fecit Deus & cœlum & terram, ne ſimpliciter dictum prætercurras, ſed terræ magnitudinem mente percurre, & reputa quàm lautam nobis & opimam produxit menſam, & multam paſſim nobis delectationem præbuit: & quod quidem eſt maximum, quòd in nullorum laborum retributionem dedit,nec in meritorum præmium tātum & talem mundum:ſed pariter nos finxit,& hoc regno genus noſtrum honorauit:inquit enim. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā.* Quid eſt, *Ad imaginem noſtram*? Principatus imaginem dixit, vt quemadmodū nullus in cœlo eſt Deo ſuperior,

Gen. 1. a

A

B

C

D

ſic ſuper terram nullus ſit homine ſuperior. Vno enim hoc & primo honorauit, quòd ad imaginem ſuam eum fecit.Secundò, quòd non laborum præmium nobis imperium præbuit,ſed ſolam exhibuit benignitatis ſuæ gratiam. Tertiò autem quòd naturale nobis illud elargitus eſt. Principatuum enim hi quidem naturales; hi verò electi: & naturales quidem,ſicut leonis in quadrupedes; & in aues aquilæ:electi verò,ſicut regis in nos alicuius. Hic enim non natura conſeruis imperat; propterea & ſæpe principatum amittit. Talia enim exiſtunt,quæ non natura adſunt,vt facilè admittant inſidias, & tranſlationem.Sed non ita leo, ſed natura quadrupedibus dominatur,ſicut itidem & alitibus aquila. Semper igitur cum genere cōiuncta eſt regni ſpecies, nec vllum quis videt leonem vnquam hunc amittentem principatum. Talem & nobis principatum Deus à principio largitus eſt, & nos omnibus præpoſuit: nec hoc ſolo naturam noſtram decorauit, ſed & ipſa loci præſidentia, egregium nobis habitaculum deſignans paradiſum, & rationem dans,& animam largiens immortalem Sed non hęc dicam: ego enim tantam Dei dilectionis ſuperabundantiam eſſe dico,vt non tantum ex his, quibus nos honorauit, ſed & quibus caſtigauit, ſimiliter poſſimus demonſtrare ipſius bonitatem & benignitatem, Et hoc maximè omnium vos cum diligentia conſiderare cohortor, quòd Deus non tantum honorans & benefaciens, ſed & caſtigans & puniens ſimiliter eſt bonus: & ſiue cōtra gentiles,ſiue contra hæreticos nobis certamina moueantur, & pugnæ de Dei benignitate,non tantùm ex quibus nos honorauit,ſed & ex quibus nos puniuit, ipſius bonitatē demonſtrabimus. Si enim honorans tantùm bonus eſſet,puniens verò non eſſet,ex dimidio bonus eſſet.Sed non ita eſt,abſit, In hominibus quidē hoc euenire veriſimile eſt, quoniam cum furore & ex affectu pœnas inferunt: Deus autem cùm nullis ſit affectibus obnoxius,ſiue benefaciat,ſiue puniat, ſimiliter eſt bonus: nec regno minus gehennæ cōminatio ipſius bonitatem demonſtrat. Niſi enim gehennam minatus fuiſſet, niſi pœnam præparaſſet,non multi regnum aſſequi potuiſſent. Nō enim ita bonorum promiſſio ad virtutem multos euocat, vt malorum intentatio timore compellit, & ad animæ curam excitat. Itaque etſi cœlorum eſt regno gehenna contraria, ad vnum tamen ambo finem reſpiciunt, hominum ſalutem: illud quidem ad ſe alliciens,hæc autem ad illud compellans,& timore corrigens ſe negligentius habentes. Hunc autem non incaſſum ſermonem protraho: ſed quoniam ſæpe fame,ſiccitatibus venientibus, & bellis, & ira regia irruente, & aliis huiuſmodi inexpectatis rebus multi ſimpliciores decipientes, dicunt, quòd non digna ſunt hæc Dei prouidentia. Ne igitur decipiamur,ſed diligenter ſciamus, quòd ſiue famem, ſiue bellum, ſiue aliud quodcunque moleſtum inducat,ex benignitate & multa dilectione hoc efficit,huic ſermoni coactus ſum immorari: quoniam patres omniū maximè filios amantes & menſa prohibent,& flagella infligunt, & afficiunt ignominia, & aliis infinitis talibus laſciuientes pueros corrigunt.Sed tamen patres ſunt, non tantum dum honorant,ſed & dum hæc faciunt,& tunc maximè patres cùm hæc faciunt.Si autem homines qui furore & ira ſæpe ab vtili declinant,non crudelitate & inhumanitate,ſed cura & charitate quos amant, punire putātur:multò magis de Deo ſic ſentire oportet,omnem excedente paternam charitatem propriæ bonitatis cumulo. Et ne credas quòd hæc per coniecturam ſint dicta, age ad ipſam ſcripturā ſermone reuertamur. Poſtquam enim homo ab improbo dæmone deceptus & allectus eſt, videamus quomodo ipſum tale operatum crimen Deus tractauit, Nunquid ipſum omnino perdidit? Et quidem iuſtitiæ ratio hoc exigebat,nihil quidem boni ope-

Deus & puniēs, & bene-faciens eſt bonus.

Digitized by Google

ratum, tantam verò beneuolentiam aſſecutũ, mox à primordiis laſciuientem de medio tolli, & funditus deleri: ſed non hoc fecit Deus, nec abominatus eſt, nec eum auerſatus, qui ſe tam ingratum in benefactorem exhibuit, ſed ad ipſum venit, ſicut ad ægrotum medicus. Et noli oſcitanter dictum prætercurrere chariſſime, ſed cogita quale eſt, nec angelum, nec archangelum, nec vllum alium illius conſeruorum miſiſſe: ſed ipſummet dominum ad collapſum deſcendiſſe, & iacentem releuaſſe, & ſolum ad ſolum tanquam ad amicum infortunatum, & in magna conſtitutum aduerſitate acceſſiſſe. Quòd enim ex multa fecit hoc charitate, & ipſa verba quæ ad ipſum dixit, ipſius ineffabilem charitatem demonſtrant. Et quid opus eſt, vt omnia verba dicam? Prima profectò dictio ſtatim ipſius amorem demonſtrauit. Non enim dixit, ſicut par erat iniuriam paſſum dicere: O ſcelerate & ſceleſtiſſime, tali mea beneuolentia potitus, tãto decoratus regno, & omnibus terreſtribus nullo tuo merito prælatus, & meæ curæ pignora per opera & veram prouidentiæ probationem aſſecutus, improbum dæmonem & peſtiferum tuæ ſalutis inimicum, domino & tutore, cui crederes, digniorem duxiſti? Quid ille tibi tale demonſtrauit, quale ego? Nónne cœlum propter te creaui? terram, mare, ſolem, lunam, & ſtellas omnes? Non enim vlli angeli huius creaturæ indigebant, ſed propter te & requiem tuam, talem & tantum feci mundum. Et tu nuda verba, & promiſſionem falſam, & pollicitationem fraude plenam, collata rebus beneficentia, & prouidẽtia, fide digniorem eſſe ratus, teipſum illi tradidiſti, meaſque leges conculcaſti. Hæc & his plura læſum par erat dicere: ſed non ita Deus, ſed omnino per contrarium. A prima enim voce ipſum ſtatim erexit, & iacentem, & timentem, & trementem confidere fecit, prior eum vocans ipſe: quinimo non tãtum prior vocans, ſed etiam ex ſuo ipſum nomine appellans, & dicens: *Adam vbi es?* (Gen. 3. d.) amorem ſuum, & multam circa ipſum curam oſtendit. Iam enim omnes noſtis, quòd hoc eſt legitimæ amicitiæ indiciũ. Sic & mortuos reuocantes facere conſueuerunt, continuè ipſorum nomina verſantes: ſicut viciſſim odio habentes, & inimicè erga quoſpiam effecti, nec nomina eorum qui ſe læſere, ferunt commemorare. Ideo Saul nullam quidem iniuriam paſſus, multas verò & magnas iniurias in Dauid machinatus, poſtquam ipſum auerſabatur & oderat, nec illius appellationem commemorare ſuſtinebat, ſed conſidentibus omnibus poſtquam non veniſſe vidit, quid inquit? Non dixit, vbi eſt Dauid, ſed, *vbi eſt filius Iſai?* (1. Reg. 20. c.) à patre ipſum vocans. Et iterum Iudæi de Chriſto idem faciunt (Ioan. 5. a.) quoniam enim ipſum auerſabantur & oderant, non dixerunt, vbi eſt Ieſus? ſed, *vbi eſt ille?* Sed Deus & in hoc demonſtrare volens, quòd nec peccatum amorem extinxit, nec inobedientia ſuam in ipſum beneuolentiam ſuſtulit, ſed adhuc prouidet, & curam gerit lapſi, inquit *Adam vbi es?* non ignorans vbi degeret, ſed quoniam his qui peccauerunt os conſutum eſt, peccato linguam auertente, & conſcientia ipſam cohibente, & ſtupidi remanent, ſilentio tanquam quodam vinculo coërciti. Volens itaque Deus ipſum ad fiduciam & libertatem loquendi prouocare, & in eorum quæ admiſerat purgationem inducere, vt aliqua frueretur venia, ipſum prior ipſe vocauit, anxietatis multum appellatione recidens, & expellens timorem, oſque per hanc aperiens appellationem. Ideoque dicebat, *Adam vbi es?* Alibi te reliqui, & alibi nunc inuenio: reliqui in fiducia & gloria, nunc autem inuenio in confuſione & ſilentio: Et conſidera curam. Non Heuam vocauit, non vocauit ſerpentem, ſed qui omnium leuiſſimè peccauerat, hunc ad iudicium primũ acceſſit: vt ab eo incipiens, qui aliqua poteſt venia potiri, etiam in eam quæ multum peccauerat, mitiorem ferat ſententiam. Et iudices quidem conſeruos ſuos, & eiuſdem ſecum naturæ participes, per ſeipſos examinari non ſuſtinent, ſed miniſtrorum quempiam ſibi medium proponentes, interrogationes illum ſuas ad reum faciunt perferre, & per ipſum quæcunque velint, dicunt & audiunt dum reos examinant; Deus autem mediatore nullo ad hominem opus habuit, ſed ipſe per ſeipſum iudicat & conſolatur. Nec hoc tantum eſt admirabile, ſed etiam quòd commiſſa corrigit. Iudices enim cùm latrones ceperint, & ſacrilegos, non quomodo ipſos reddant meliores conſiderant, ſed quomodo ab ipſis peccatorum pœnas exigant. Deus autẽ contrà, cùm aliquem ceperit peccatorem, nõ conſiderat quomodo ſumat ſupplicium, ſed quomodo ipſum corrigat, & meliorem faciat, & in futurũ inexpugnabilem. Itaque & iudex pariter, & medicus, & magiſter eſt Deus: etenim tanquam iudex examinat, & tanquam medicus corrigit, & tanquã magiſter docet, præuaricatos in omnem diſciplinam inducens. Si verò vnum & breue verbum tantam Dei curam demonſtrauit: quid ſi omnem vobis ſententiam legeremus, & integra explicaremus monumenta? Cernis quomodo tota ſcriptura conſolatio eſt, & exhortatio: Et hoc quidem congruo tempore dicemus. Ante hæc autem neceſſarium eſt dicere, quando liber hic editus fuit. Neque enim in principio, neque ſtatim poſt Adam creatum hæc ſcripta ſunt, ſed poſt multas generationes. Et cur tandẽ Iudæis duntaxat, & non omnibus hominibus? & cur tandem Hebraica lingua: & qua de cauſa in deſerto Sina? neque enim temere locum Apoſtolus non prætermittit, ſed & in hoc magnam nobis contemplationem demonſtrat, ſic dicens: *Hæc enim duo teſtamenta ſunt vnum in monte Sina in ſeruitutem generans.* (Gal. 4. d.) Quin & alia plura quærere neceſſarium eſſet; ſed video tempus nobis non permittens ſermonẽ tanto pelago committere: propterea his in congruum tempus dilatis, iterum de iurandi abſtinentia vobis diſſeremus, & rogabimus charitatem veſtram, vt multo circa hãc rem ſtudio vtatur. (Contra iurantes.) Quomodo enim non abſurdum, ſeruum quidem non audere dominum nominatim & ſine honoris præfatione appellare: angelorum verò dominum temere & contemptim vbique iactare? Et ſi Euangelium quidem capere oporteat, manibus lotis, & cum multa reuerentia & religione tremens & timens ſumis: Euangelij verò dominum temere linguâ paſſim verſas? Vis diſcere quomodo ipſum appellant ſuperiores poteſtates, cum quanto honore, quanta conſternatione, quanta admiratione? *Videbam dominum ſedentem*, inquit, *throno alto & eleuato, & Seraphin ſtabant circa ipſum, & clamabant alter ad alterum, & dicebant, Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus Deus ſabaoth: plena omnis terra gloria eius.* (Eſa. 6.) Vidiſti cum quanto timore, quanto horrore nominant eum glorificantes, & laudantes? Tu verò in precibus quidem & ſupplicationibus, cum multo inuocas ipſum torpore, quando horreſcere oportebat, & vigilare, & ſobrium eſſe: in iurando verò, cum nec omnino adducere admirabile nomen oportebat, varia quædam & alia ſuper alia connectis iuramenta: & qualis venia, quæ verò nobis erit excuſatio, & ſi millies conſuetudinem obiiciamus? Dicitur quòd quidam externorum oratorum præ quadam ſtulta cõſuetudine dexterum eundo humerum continuè mouebat, ſed tamen conſuetudinem vicit, & gladios acutos vtrinque humeris impoſuit, vt vulneris timore membrum ineptè ſe mouens corrigeret. Hoc & tu linguæ facias, & ipſi pro gladio diuinæ pœnæ timorem impone, & omnino ſuperabis. Impoſſibile enim, impoſſibile, inquam, eſt, meditantes & ſtudentes, & opus hoc facientes vnquam ſuperari. Dicta nunc laudatis, ſed cùm correcti fueritis, magis laudabitis, non tantùm nos, ſed & voſipſos, & cum maiore voluptate audietis quæ

dicentur

A dicentur, & cum pura conſcientia Deum inuocabitis, qui tantum tibi parcit, vt dicat, *neque per caput tuum iurabis*: (Matt. 5. f.) tu verò ſic ipſum contemnis, vt & per ipſius gratiam iures. Et quid faciam, inquit aliquis, apud neceſſitatem inducentes? Qualem neceſſitatem, ô homo? Diſcant omnes quòd omnia malles pati, quam Dei legem transgredi, & ab inferenda neceſſitate deſiſtent. Quòd enim non iuramentum fide dignum hominẽ faciat, ſed vitæ teſtimoniũ, & conuerſationis integritas, & mens bona ſæpe multi iurantes diſrupti ſunt, & non perſuaſerunt: alij verò annuentes tantum, multum iuratis fide digniores apparuerunt. Hæc igitur omnia ſcientes, & pœnam iurantibus & peierantibus ſtatutam ante oculos ponentes, improba conſuetudine abſiſtamus, vt hinc & ad reliqua gradientes virtutis opera, conſequamur bona futura: quæ nos omnes aſſequi detur, gratia, &c.

B *Eiuſdem ad virtutem exhortatio, & in illud Geneſis, Deambulabat Deus in meridie in paradiſo: & de fugiendis iuramentis.*

HOMILIA VIII.

AVDISTIS anteà quomodo omnis ſcriptura conſolationem affert & refrigerium, præter hiſtoriæ narrationem. Etenim illud, *In principio fecit Deus cœlum & terram*, (Gen. 1. a.) hiſtoriæ expoſitio erat: ſed demonſtrauit oratio & multa plenam conſolatione dictionem: quale quòd duplicem Deus menſam fecit, terram & mare ſimul ponens: & lumina gemina, ſolem & lunam ſupernè accendens: & duplicis curſus tempus, diem & noctem operatus: & illum quidem in operationem, hanc autem in requiem, non enim minus miniſterium quàm dies nobis nox affert. Sed ſicut in arboribus dixi, quòd fructuoſis infructuoſè æmulam præbent vtilitatem, facientes nec cogamur ad ædificia domeſticas arbores attingere: C & manſuefactis animalibus non minorem nobis vtilitatem ſylueſtria & immitia afferunt, timore nos in vrbes compellentia, reddentiaque cautiores, & nos inter nos conſtringentia: & horum quidem exercentia virtutem, horum verò morbos ſoluentia (multa enim ex his medicamẽta medicorũ pueri conficiunt) & antiqui nos peccati commonentia. Cùm.n. audiero quòd timor noſter & conuerſio erit ſuper omnes beſtias terræ, poſteà honore hunc truncatum videro, peccati reminiſcar; quod & timorem noſtri diſſoluit, & principatum abſtulit, & efficiar melior & continentior, damnum ex peccatõ nobis illatum contemplatus. Sicut igitur (quod & anteà dixi) ad vitam nobis omnia cõferunt: hæcque dicta, & alia his plura, quæ qui fecit Deus, ipſe nouit: ita quidem & nox non minorem quam dies D vſum affert, cum laborum ſit requies, & morborum medicina. Sæpe enim medici multa operati, & infinita medicamina moliti, ab ægritudine laborãtem liberare non potuerunt: ſomnus autem ſponte adueniens, omnem ſoluit ægritudinem, & infinitis illos laboribus liberauit: nec morbis verò tantum corporis, ſed & animæ nox eſt medicina dolentes animas ſedans. Sæpe quiſpiam poſtquam filium amiſit, innumeras illi conſolationes afferentibus fletibus & gemitu deſiſtere non valuit: nocte verò ſuperueniente, ſomni ceſſit imperio ſuperatus, & palpebræ obdormierunt, & exiguam quampiam, diurnorum cepere malorum conſolationem. Age verò iam ad materiam eamus vnde proceſſit oratio. Nam bene noui quòd huic omnes inhiatis, & quiſque diſcere cupit, qua de cauſa non ab initio editus eſt hic liber, ſed neque nunc expoſitionis huius eſſe tempus video. Quid ita tandem? Ad finem nobis hæc deuenit hebdomas, & materiam attingere metuo, deinde ſtatim expoſitionem abrumpere. Multorum enim dierum iugis indiget orationis, & continuatæ memoriæ: ideo rurſum ipſam differimus. Sed ne ægreferatis, cum fœnore vobis omnino debitum reddemus: ſic enim & nobis reddentibus expedit. Nunc autem interim dicimus heri relictum. Quid autem heri relictum fuit? *Deambulabat*, inquit, (Gen. 3. b.) *Deus in paradiſo in meridie*. Quid ais? deãbulabat Deus? Non deambulabat: quo modo enim vbique præſens, & omnia implens? Sed in Adam talem ſenſum poſuit, vt ſeipſum corriperet, ne diſſolutus eſſet, vt fugiendo & latendo aliquam purgationis partem prætenderet, & ante ipſa verba. Sicut enim in iudicium adducendi, & commiſſorum pœnas ſubituri, ſqualidi, ſordentes, triſtes, contempti iudicantibus apparent, vt ex habitu ipſos in humanitatem, & veniam, & miſericordiam trahant: ſic & in Adam factum eſt. Oportebat enim demiſſum in iudiciũ hoc trahi, propterea præuenit ipſum Deus, & corripuit. Sed quòd aliquis deambularet, ſenſit: vnde verò cogitauit quòd Deus, & corripuit. (Cõſcientiæ vis.) Sed quòd aliquis deambularet, ſenſit: vnde verò cogitauit quòd Deus deambulabat? Talis eſt peccantium conſuetudo, omnia ſuſpecta habent, vmbras tremũt, omnem ſtrepitum timent, & quemque putant cõtra ſe venire. Multos igitur ſæpe conſpicati, peccatores, ad aliud miniſterium currentes, ad ſe venire cogitauerunt: & aliis alia inter ſe differentibus, peccati ſibiipſis conſcij putant illos de ſe ſermocinari. Talis enim res peccatum eſt, nullo prodit arguente, nullo condemnat accuſante, pauidum facit & timidum peccatorem, ſicut iuſtitia contrarium. Audi igitur quomodo & huius pauorem, & illius libertatem ſcriptura deſignauit: *Fugit impius perſequente nemine*, (Pro. 28. c.) inquit. Quomodo perſequente nemine fugit? Intus habet agentem conſcientiæ accuſatorem, & hunc vbique circumfert: & ſicut ſeipſum non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agitantem: ſed quocunque abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile. At non talis iuſtus: ſed qualis, audi: Iuſtus tanquam leo, inquit, confidit. Talis erat Helias. Vidit igitur regem ad ſe venientem: & dicente illo. Tune es ille qui conturbas Iſraël? *Non ego turbaui Iſraël*, inquit, *ſed tu, & domus patris tui*. (3. Reg. 18. e.) Verè iuſtus vt leo confidit. Sicut enim leo in regem tanquam vilem catulum quendam inſurrexit. Etenim purpuram habebat ille: ſed hic melotem habebat indumentum, purpura illa venerabilius. Purpura (4. Reg. 2. c.) enim illa famem peperit difficilem: melote autem hac grauia diſſoluit, hæc Iordanem diuiſit, hæc Heliſæum duplicem Heliam fecit. O quanta ſanctorũ virtus. Non ſola ipſorum verba & corpora, ſed & ipſa indumenta creaturæ omni vndique ſunt venerabilia. Huius melote Iordanem diuiſit, calceamenta trium puerorum ignem conculcauerunt. (Dan. 3. f.) Heliſæi lignum aquas mutauit, & vt ferrum in ſuperficie portarent, effecit. Moſis virga mare rubrum diuiſit, petram ſcidit. (Exo. 14. c.) (Act. 19. b.) Pauli veſtimenta languores expulerunt. Vmbra Petri mortem fugauit. Sanctorum martyrum fauilla malignos expellit dæmones. Propterea cum fiducia omnia faciunt, ſicut & Helias: non enim ſpectabat diadema, & exteriorem regis apparentiam, ſed animam pannoſam, ſqualentem, ſordidam, & omni reo miſerius affectam reſpiciens, & ipſum intus captum eſſe vitiorum ſeruum, ipſius principatum contempſit: etenim tanquam in ſcena, ſed non in veritate regem ſibi cernere videbatur. Quæ enim exterioris ornatus vtilitas, cum intus ſit tanta pauperies? Quæ verò paupertatis noxa, cum intus tantæ repoſitæ ſint diuitiæ? Talis erat leo & beatus Paulus: carcerem (Act. 16 c.) enim ingreſſus, ſolo clamore omnia fundamenta concuſſit, vincula roſit, non dentibus, ſed verbis. Propterea non leones ipſos tantum, ſed & aliud quid leonibus maius oportet appellare. Leo enim in retia ſæpe lapſus capitur: ſancti verò cùm ligantur, hinc fortiores fiunt. Sicut & hic beatus in carcere tunc fecit, ſoluens compeditos, parietes con-

cutiens.

Digitized by Google

…ntiens, carceris terrefaciens cuſtodem, & pietatis verbo capiens. Leo clamat, & omnes beſtias fugat: ſanctus clamat, & dæmones vndique expellit. Leonis arma, iubarum horror, vnguium mucro, & dentes acuti: arma iuſti, ſapientia, temperantia, patientia, præſentium contemptus omnium. Hæc arma quiſquis habet, non homines tantum improbos, ſed & ipſas aduerſarias poteſtates deridebit. Meditare igitur homo ſecundùm Deum viuere, & nemo te vnquam ſuperabit: ſed etiam ſi omnium viliſſimus eſſe videaris, omnium eris potentiſſimus: ſicut ſi animi virtutem neglexeris, etiamſi omnium ſis potentiſſimus, omnibus inſidiantibus eris facile expugnabilis. Et hoc quidem dicta demonſtrauerunt exempla. Si vis autem, & per opera te docere conabor, vim iuſtorũ inexpugnabilem, & facilem peccatorum captiuitatem. [Psal. 1.] Audi igitur quomodo hæc ambo Propheta inſinuauit: *Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Sicut enim ille ventorum incurſibus facile proiicientibus propoſitus eſt: ſic & peccator ab omni tentatione ſubuertitur. Cum enim ipſe ſibi ipſi repugnet, & hanc pugnam paſſim circunferat, quæ ipſi ſpes ſalutis domi prodito, & continuũ hoſtem conſcientiam ſecum trahenti? Sed non talis iuſtus. Sed qualis? [Psal. 124 / Psal. 14] audi ipſum Prophetam dicentem: *Qui confidunt in domino, ſicut mons Sion.* Quid tandem eſt, ſicut mons Sion? *Non commouebitur in æternum*, inquit. Quæcunque enim adhibeas machinamenta, quæcunque iaculaueris tela montem demoliri volens, illum, quidem nunquam ſuperabis. Qui enim poteris? Machinamenta verò ſolues omnia, etiam tuam deſtruens fortitudinem. Talis eſt & iuſtus, quæcunque vulnera exceperit, ipſe quidem graue patitur nihil, ſed inſidiantium vim diſſoluit, nec verò mortalium modò, ſed ipſorum quoque dæmonum. Audiſti namque ſæpius quot diabolus machinamenta Iob adhibuerit, nec ſolum tamen illum montẽ non conquaſſauit, ſed & diſſolutus receſſit, ſagittis ipſis confractis, & machinamentis inutilibus ex illo inflictu redditis. Hæc itaque ſcientes, vitam curemus noſtram: & neque circa pecunias ſtudeamus quæ pereũt, neque circa gloriam, quæ extinguitur: non circa corpus, quod ſeneſcit: non circa pulchritudinem, quę marceſcit: nõ circa delicias, quæ defluunt: ſed circa animam omnem curam impendamus, & hanc omni curemus modo. Corpora quippe languentia non omnibus curare facile eſt: animam verò laborantem eſt cuique medicari facillimum. Et corporis quidem curatio & medicaminũ & argenti indiget: animæ verò facile parabilis, & impendio carens. Et carnis quidem natura multo cum labore ab infeſtantibus liberatur vulneribus: etenim ferrum ſæpe, & amara medicamina adhibere neceſſarium eſt. In anima vero nihil eſt tale, ſed tantùm velle & libere ſufficit, & omnia correcta ſunt. Et hoc fuit opus Dei prouidentiæ: quoniã ex corporis imbecillitate non multum fieri nocumentum poteſt. Nam ſi etiam non ægrotemus, mors ſuperueniens ipſum corrumpet & omnino diſſoluet. Totum vero nobis in animi ſanitate ſitum eſt. Multò verò vtilioris & magis neceſſariæ partis curationem fecit facilem & impendio & dolore carentem. Quam igitur excuſationem habebimus? quam autem veniam, cùm corporis quidem, vbi argentum erogatur, & medici accerſuntur, & multus dolor ſuſtinetur, tantam geramus curam, præcipuè cùm non magnum nobis damnum ex illius ægritudine: animam verò contemnamus, & hoc cùm nec argentum erogare, nec alios perturbare, neque dolores ſuſtinere debeamus, ſed abſque his omnibus eligendo tantum, & volendo omnem ipſius correctionem facere poſſimus, & optime ſciamus, quòd niſi hoc fecerimus, extremam ſubibimus pœnam, & ineuitabilia tormenta atque ſupplicia? Dic nanque mihi, ſi quis artem medicinæ breui temporis momento abſque argento & labore docere te polliceretur, non ipſum putares benefactorem? Nonne ſubires omnia facere & pati, quæcunque hæc pollicens iuſſiſſet? Ecce nunc ſine laboribus licet, non corporis, ſed animæ vulnerum inuenire remedia, & eam abſq; dolore vllo ad ſanitatem reducere. Ne igitur negligamus. Quis enim, dic mihi, dolor, iram contriſtati remittere? Dolor quidem eſt iniurias meminiſſe, & non conciliari. Quis labor orare, & à Deo promptè præbente innumera bona petere? Quis labor detrahere nemini? Quæ difficultas ab inuidia, & liuore liberari? Quæ moleſtia proximum diligere? Quæ ærumna non turpia verba loqui, non conuitium, non iniuriam inferre? Quæ fatigatio non iurare? [Contra iurantes.] Rurſum enim ad eandẽ deueniam admonitionem. Imò labor maximus iurare. Sępius enim ira & furore detenti, infeſtantiũ quempiam non alloqui iurauimus, poſtea ira extincta, & furore ſedato, cõciliari volentes, & iuramentorum neceſſitate coerciti, doluimus, tamquã laqueo quodam detenti, & vinculis inſolubilibus nexi. Quod & diabolus nouit, & quia plenè nouit quòd ira ignis eſt, & facile extinguitur, & extincta ira reconciliatio fit, & amicitia, cupiens ignem hunc inextinguibilem manere, iuramento nos ſæpius irretiuit: vt etſi ira deſinerit, iuramenti neceſſitas manens, ardorem in nobis conſeruet, & duorum fiat alterum, vel reconciliati peieremus, vel non conciliati, odij culpæ noſmet reos conſtituamus. Hæc igitur ſcientes, iuramenta fugiamus, & continuè meditetur os noſtrum dicere, Crede, & hoc erit nobis totius materia pietatis. Lingua enim verbum hoc dicere docta, confunditur & erubeſcit turpia & abſurda verba proferre: & ſi rurſum à cõſuetudine retrahatur, multos habẽs accuſatores, corripietur. Cum enim quis non iurantem, turpia viderit verba ſonantem inſultabit facile, & deridebit, & carpens dicet: Tu qui in omnibus dicis, crede, iuramentum proferre non audiens, quomodo turpibus linguam tuam ſermonibus contaminas? Itaque & inuiti à præſentibus compulſi, ad pietatem redibimus. Quid igitur ſi iurandi neceſſitas ſit, inquit aliquis? Vbi eſt legis præuaricatio, non eſt neceſſitas. [Matt. 5. c. / Iaco. 5. c.] Et poſſibile eſt penitus, inquit, non iurare? Quid ait? Deus iuſſit, & audes interrogare, ſi legem cuſtodire poſſibile? Imò difficile non cuſtodire, & hoc per præſentia vobis perſuadere volo, quòd non difficile ſit non iurare, ſed iurare. Ecce enim iuſſi ſunt vrbem habitantes, quod multorum vires excedere videtur, aurũ, erogare, & plus collatum eſt, & exigentes audire licet, dicentes: Quid tardas homo? quid verò nos de die in diem differs? Non enim effugere potes: lex regis eſt quæ morã non patitur. Quid dicis, dic mihi? Rex iuſſit pecunias pendi, & niſi pendas, placabilis fieri non poteſt. Deus iuramenta fugere iuſſit, & dicis: Non poſſumus fugere iuramenta. Sextus hic dies eſt quòd de hoc vos pręcepto admoneo: in futurum vobiſcum paciſci volo, tanquam deſiſtens, vt caueatis. Non amplius vobis erit excuſatio, neque venia, maximè cùm etiamſi à nobis dictum fuiſſet nihil, à vobiſipſis hoc corrigi debuerit: nec enim varium eſt, & multæ præparationis indigens. Cùm verò tantùm ſitis nacti admonitionis & conſilij, quam habebitis excuſationem accuſati, pro tribunali conſtituti tremendo, & huius præuaricationis pœnas exacti? Nullam afferre licebit excuſationem, ſed neceſſe eſt vel emendatos abire, vel non emendatos puniri, & extremum ſubire ſupplicium. Hæc igitur omnes cogitantes, cum multa hinc cura digreſſi, tot diebus dicta omni cuſtodia mente veſtra conſeruare inter vos exhortamini: quò vel nobis tacentibus alter alterum docentes, ædificantes, exhortantes, multum demonſtretis profectum, & omnes reliquas leges implentes, æternis fruamini coronis: quas contingat nos omnes aſſequi, gratia, &c.

Digitized by Google

Laudatio eorum qui non iurandi conſuetudinem fecerant, & quod nemo ſuperſtitione teneri debet, poſt refectionem diuinos in Eccleſia ſermones audire: & quare poſt multum tempus diuinæ ſunt traditæ ſcripturæ: & in illud, Cæli enarrant gloriam Dei: & mundi naturalis deſcriptio: & de non iurando.

HOMILIA IX.

ET prius ad vos, & nunc ad vos, vtinam verò & ſemper vobiſcum, etſi non corporis præſentia, ſaltem charitatis vi: nec enim mihi eſt alia vita, niſi vos, & ſalutis veſtræ cura. Sicut enim colonus nihil aliud curat præter ſemina & ſegetes, & nauta vndas & portus: ſic & dicens audientes, & illorum profectum, ſicut & ego nunc dico. Ideò & omnes vos in mente mea circunfero, nec verò hîc tantum, ſed & domi. Etſi enim multus eſt populus, & breuis cordis mei menſura, ſed lata eſt charitas, & non in nobis anguſtatur: ſequentia verò non addam: neque enim nos à vobis anguſtamur. Vnde hoc manifeſtum? Noui multos referentes, mandatum fecimus, leges nobiſmet ponentes, & iurantibus pœnas definientes, & legem tranſgredietibus pœnam inferentes, pœnam nobis congruam, quod eſt maximæ charitatis indicium. Non enim confundor talia ſatagens: quoniam in hoc curioſitatis nihil eſt, ſed prouiſionis hæc eſt ſolicitudo. Si enim medico non eſt opprobrium de ægroto ſciſcitari: neque nobis crimen de veſtra ſemper inquirere ſalute. Sic enim moniti quid vobis quidem expeditum ſic, quid verò relictum, congrua cum diſciplina reliqua afferemus remedia. Hæc igitur curioſè ſcrutati cognouimus, & Deo gratias egimus, quòd non in petris ſeminauimus, nec in ſpinas miſimus ſemina, neque multi temporis, multaque dilatione indiguimus, vt ſegetes meteremus. Propterea vos in corde meo continuè gero, propterea non ſentio docendi laborem, auditorum lucro releuatus. Hæc enim merces nos reparare poteſt, & releuare, & alacres promptoſque facere ad omnem pro vobis laborem ſuſtinendum. Quoniam igitur multam vos gratitudinem demonſtraſtis, age iam & nos debitum erogemus, quod priùs promiſeramus: licèt non videam præſentes eſſe illos, qui cum promiſſionem feci, huc venerant. Quæ tandem itaque cauſa ipſos à noſtra repulit menſa? Qui corporalem tetigit menſam, vt videtur, indignum eſſe putauit, poſt corporis nutrimentum ad diuinorum auditionem eloquiorum venire. Sed non rectè in hoc ſentit: neque enim, ſi hoc eſſet abſurdum, multos & longos impendiſſet ſermones Chriſtus poſt illam myſticam cœnam. (Ioan. 13. d.) Non vtique ſi hoc incongruum eſſet, refecta ſæpius in deſerto multitudine, etiam ſermones ipſis poſt menſam communicaſſet. Si enim fas eſt aliquid etiam præter opinionem dicere, tunc profectò vtiliſſimum diuinis eſt eloquiis aures accommodare. Cum enim tibi perſuaſeris, quod poſt cibum & potum, ad ſynaxim conuenire neceſſe eſt, omnino vel inuitus multam geres ſobrietatis curam, & neque in ebrietatem, neque in crapulam vnquam deduceris: cura enim & expectatio in Eccleſia conueniendi, cum honeſta menſura cibum & potum ſumere docet, ne ingreſſus & fratribus commixtus poſtea vinum redolens, & inordinatè eructans, ab omnibus præſentibus deridearis. Hæc non vobis nunc præſentibus, ſed relictis de vobis dico, vt hæc per vos diſcant: non enim comedere audiendi obſtaculum præbet, ſed torpere. Tu verò crimen non ieiunare eſſe putans, aliud incurris crimen, multò maius & difficilius, quod ſacræ huius menſæ non particeps efficeris, & quod corpus tuum alens, animam fame conſumis. Et quam excuſationem habebis? In ieiunio quippe corporis imbecillitatem prætendere forſaſſe poteris: in audiendo autem quid tandem dice-

A re poſſes? Non enim corporis valetudo diuinorum prohibet eloquiorum participem fieri. Si enim dixiſſem: nemo pranſus commiſceatur, poſt cibum audiat nemo, aliquam habuiſſes veniam: nunc verò cum vos trahamus, & alliciamus, & ad noſmet vocemus, quam reſilientes excuſatione habebitis. Etenim non idoneus auditor ille eſſet, non qui comediſſet aut bibiſſet, ſed qui verbis non intenderet, oſcitans & diſſolutus, & corpus quidem hic habens, mentem verò aliò vagantem. Hic etiam ſi ieiunet, ad audiendum inutilis eſt. Excitatus quidem & vigilans, & mentem ſuam intendens, ſiue comederit ſiue biberit, nobis erit omnium aptiſſimus auditor. In exterorum enim iudiciis & conſiliis congruè lex iſta præualuit. nec enim norunt philoſophari, propterea quod non comedunt vt nutriantur: ſæpe enim ſupra ſatietatem bibunt, propterea ſeipſos rerum adminiſtrationi ineptos reddentes, veſpere & meridie iudiciis abſtinent. B Hic autem non ita, ſed qui comedit, ieiunio per animi modeſtiam erit æqualis: non enim vt ventrem diſrumpat, aut rationem obtenebret comedit & bibit, ſed vt corpus debilitatum reparet. Sed hæc pro admonitione ſatis. Iam verò tempus eſt ad ſubiectum tranſeundi, licèt refugiat, & torpeat circa doctrinam hanc cogitatio noſtra propter eos qui non venerunt. Et ſicut pia mater menſam apponens, non omnibus filiis præſentibus dolet & gemit: hoc & ego nunc patior, & fratrum noſtrorum abſentiam cogitans, à ſolutione retrahor promiſſorum: ſed vos poteſtis hunc eiicere torporem. Si enim polliceamini nobis omnia ad illos referre cum diligentia, nos vobis omnia promptè erogabimus: ſic enim illis erit abſentiæ conſolatio, veſtræ charitatis doctrina: voſque nos attentiùs audietis, ſcientes quod & alios vobis hæc referre neceſſarium. Vt igitur manifeſtior nobis oratio fiat, à ſuperioribus ipſam repetentes dicamus. C Nuper itaque quærebamus, qua de cauſa poſt tot annos editæ ſunt ſcripturæ. Non enim Noë tempore, & Abraham, ſed Moſi liber hic traditus eſt. Et multos audio dicentes, quod ſi vtilis erat, ab initio datū eſſe oportebat: ſi vero inutilis erat, neque poſt hæc oportebat dari. Sed vana hæc ratiocinatio, non enim omnino, ſi quid poſtea vtile eſt futurum, ab initio tradi debet. Neque ſi quid à principio datum eſt, hoc omnino debet & poſtea manere. Quoniam & lac vtile, ſed tamē non continuè datur, ſed pueris tantùm nobis datur. Et ſolidum nutrimentum vtile, ſed nemo nobis ipſum in principio tradit, ſed poſtquam puerilem fuerimus ætatem egreſſi. Rurſum æſtas vtilis, ſed non ſemper apparet: & hyems commoda, ſed & hæc tranſit. Quid igitur, inquit aliquis, ſcripturæ non ſunt vtiles? Vtiliſſimæ ſanè, & admodum neceſſariæ. Et ſi vtiles, inquit, qua de cauſa non ſunt traditæ nobis ab initio? quia non per literas, ſed per res Deus naturam hominum docere volebat. D Quid tandem eſt per res? Per ipſam creaturam. In hanc enim ſententiam incidens Apoſtolus, & in Gentiles intendens, dicentes, Non ab initio Dei cognitionem ex ſcripturis didicimus: vide quomodo reſpondet. Cum enim dixiſſet, *Reuelabitur ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent*, (Rom. 1. b) & vidiſſet obiectionem ſibi occurrentem, & multos contradicturos, vnde Gentiles Dei veritatem cognouiſſent, intulit, dicens: *Quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis*. (Ibidem.) Et quomodo manifeſtum eſt illis? quomodo verò Deum videre poterant? Quis oſtendit, dic? Deus enim illis manifeſtauit, inquit. Quo pacto? quem prophetam mittens, quem Euangeliſtam? quem doctorem, ſi ſcripturæ nondum erant? *Inuiſibilia enim ipſius*, inquit, *à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiternáque virtus eius, & diuinitas*. (Ibidem.) Quod autem dicit, tale eſt. Ante omnium oculos creaturam in medio propo-

propo-

propoſuit, vt ex operibus creatorem coniiciant, quod quidem & alius dicebat: Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum proportionabiliter ipſarum author conſideratur: Vidiſti magnitudinem: conſidera potentiam conditoris cum admiratione. Vidiſti pulchritudinem? ſapientiam obſtupeſce, quod & propheta demonſtrans dicebat. *Cœli enarrant gloriam Dei.* Quomodo igitur narrant, dic mihi? Vocem non habent, os non poſſident, ipſis non eſt lingua, quomodo igitur narrant? Per ipſum aſpectum. Cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem, ſitum, formam per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens, & ad aſpectum diſcens, adoras eum qui tam pulchrum & admirabile corpus creauit. Tacet cœlum, ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens: hic enim ſenſus à natura eſt illo certior & manifeſtior. Si enim per libros docuiſſet, & literas, literarum quidem peritus ſcripta didiciſſet, neſciens verò nihil inde adiutus abiiſſet, ſi quis alius non induxiſſet. Et diues quidem librum emiſſet, pauper autem emere non potuiſſet. Rurſum vocem quidam illam per literas ſignificatam ſciens, intus poſitam noſſet: Scytha verò, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnes lingua carẽtes illa, nihil docti abiiſſent. Hoc autem de cœlo dicere non licet, ſed & Scytha, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo ſuper terram incedens, hanc vocem audiet: non enim per aures, ſed per oculos in mentem incidit noſtram. Viſibilium autem participatio eadem, neque differens ſicut linguarum. In hunc pariter librum & idiota & ſapiens intueri poterunt, & pauper, & diues, & quocunque quis venerit in cœlum reſpiciens, ſufficientem capiet doctrinam ex aſpectu: quod quidem & ipſe Propheta innuens & demonſtrans, quòd vocem creatura Barbaris emittit & Græcis, & omnibus vniuerſaliter hominibus ſic intelligi facilem, dicebat: *Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum.* Quod autem dicit, tale eſt: Non eſt gens, neque lingua quæ hanc vocem intelligere non poſſit. Sed talis eſt ipſorum vox, vt ab omnibus hominibus audiri poſſit: nec cœli tantùm, ſed & diei & noctis. Et quomodo diei & noctis? Illud enim & per pulchritudinem, & per magnitudinem, & per alia omnia ſpectatores percellit, & in ipſius creatoris admirationem immittit. Dies verò & nox quid nobis oſtentare poſſent? huiuſmodi quidem nihil. Alia verò his ſunt ordine & conuenientia cum omni diligentia compoſitis non inferiora. Cùm enim cogitaueris, quomodo totum per annum diſtribuuntur, & tanquam in libra & bilance totius ſpatij longitudinem diuiſerunt, eum qui ordinauit admiraberis. Velut enim ſorores quędam paternam hæreditatem partitæ cum charitate multa, nullo modo inter ſe calumniantes: ſic & dies & nox cum omni diligentia annum æqualitate tanta diſtribuunt, & proprios conſeruant fines, nec vnquam alteram altera pellit. Nunquam igitur hyeme dies fuit longa, ſicut nec vnquam æſtate longa fuit nox, tot præteritis generationibus, ſed in eodem interuallo & longitudine, & neque modicum, nec dimidiam horam, nec oculi momentum altera quàm altera plus habuit. Propterea & Pſalmiſta ipſorum æqualitatem admiratus, clamabat, dicens: Nox nocti indicat ſcientiam. Si hæc meditari ſcias, ſic admiraberis eum qui ab initio hos immobiles terminos ſtatuit. Audiant hæc auari, & aliena concupiſcentes, & diei noctiſque æqualitatem imitentur. Audiant inflati & alta ſapientes, & nolentes primas partes aliis concedere. Dies nocti cedit, nec alienos fines inuadit. Tu verò ſemper honore fruens, fratribus hunc tradere non toleras. Et conſidera mihi legiſlatoris ſapientiam. In hyeme longam noctem eſſe iuſſit, quando molliora ſemina, & magis frigeſcere indigentia, nec calidiorem radium tolerant: poſtquam verò aucta fuerint, vnà cum ipſis creſcit rurſum dies, & tunc fit longior, quando iam viget fructus. Hoc verò non ſeminibus tantùm, ſed etiam corporibus opportunum. Quoniam enim hyeme nauta, gubernator, & viator, miles, & agricola multum domi ſedent, gelu conſtricti, & otij tempus eſt in hyeme, plus temporis in noctes impendi Deus conſtituit, ne diei longitudo ſuperflua ſit, nihil hominibus facere valentibus. Quis anni partium ordinem dicere poſſit? quomodo & hæ tanquam virgines quædam in gyro ſaltantes, cum multa ratione ſeſe ſubſequuntur, & paulatim ſine ſtrepitu ad contrarias mediæ tranſeuntes non deſinunt. Propterea nec ab hyeme nos excipit æſtas, nec ab ipſa ſtatim hyems, ſed medium ver interpoſitum eſt, ita vt ſenſim & paulatim ſuccedentibus denſata corpora noſtra æſtati ſine triſtitia adducat: quoniam enim ſubitaneæ in contrarium mutationes nocumentum & morbum pariunt extremum, diſpenſauit Deus ab hyeme quidem ver nos accipere, à vere porrò æſtatem, ab æſtate autumnum, & ſic hyemi tranſmittere. Itaque innocuæ & procedentes paulatim mutationes, ex contrariis horis per media nobis eueniunt. Quis igitur tam miſer & ærumnoſus, qui cœlum quidem cernens, cernens verò mare & terram, cernens horarum temperiem tam diligenter moderatam, & inconcuſſum diei & noctis ordinem, hæc ſponte fieri putet, nec adoret eum, qui hæc omnia cum ſapientia congrua diſpoſuit? Habeo quod dicam & his maius: Non enim magnitudo tantùm, & pulchritudo, ſed & ipſe creationis modus omnium moderatorem demonſtrat, quoniam enim condenti, & creanti omnia ab initio non aderamus: neque ſi adfuiſſemus, quomodo fiebant ſcire poteramus, inuiſibili virtute cuncta componente, ipſum creationis modum optimum nobis magiſtrum eſſe fecit, ſupernaturali conſequentia componens omnia quæ fiebant. Fortè quod dici obſcurius eſt. Igitur neceſſe hoc rurſum manifeſtius dicere. Omnes vtique annuerent, quod naturæ conſequentia eſt, aquam ſuper terram, ſed non terram ab aquis ferri. Terra quippe cum ſit denſa, & dura, & non cedens, & ſolida, facilè poteſt aquarum naturam ſuſtinere: aqua verò cum liquida ſit & mollis, teneraque & diffluens, & omnibus cedens occurrentibus, nullum corpus vnquam ſuſtinere valeret, etiam ſi leuiſſimum ſit. Nam ſæpe lapillo incidenti paruo cedit, & refugit, ipſumque ad profundum tranſmittit. Cùm videris igitur non lapillum paruum, ſed terram omnem ſuper aquas ferri, neque ſubmergi, admirare potentiam ſupra naturam hæc mirabiliter operantem. Et vnde hoc manifeſtum, quod terra ſuper aquas fertur? Propheta hoc dicit: *Ipſe ſuper maria fundauit eum, & ſuper flumina præparauit eum*: & rurſum: *Qui fundauit terram ſuper aquas.* Quid dicis? lapillum exiguum aqua in ſuperficie ferre non poteſt, & terram tantam gerit, & montes, & colles, & vrbes, & plantas, & viros, & bruta, non ſubmergit? Et quid dico non ſubmergit? Quomodo inferius circunſtante ſibi aqua tanto tempore non eſt diſſoluta, & lutum omnia facta ſunt. Si enim lignorum natura parum temporis aquis immorata corrumpitur & diſſoluitur. Quid dico, lignorum natura? Quid ferro validius eſſe poſſit? Sed & hoc ſæpe molleſcit, cùm ſemper in aquis maneat, & meritò: quippe & ipſum à terra ſubſtantiam habet. Propterea multi fugitiuorum ſeruorum poſtquam compedes & catenas pertrahentes fugerunt, ad riuos aquarum venientes, & vinctos aquis pedes immittentes, & ſic mollius ferrum facientes, facile lapide percutientes, diffringunt. Igitur ferrũ quidem molleſcit, & ligna marceſcunt, & lapides corrumpuntur aquarum natura: terræ verò magnitudo tãto tempore aquis impoſita, non eſt ſubmerſa,

nec diſſoluta, nec perdita. Et quis hæc non obſtupeſcat & ſuperadmiretur, & cum fiducia dicat, non eſſe naturæ opera, ſed prouidentiæ naturam excedentis? Propterea quidam dicit: *Qui ſuſpendit terram ſuper nihilo.* Alius verò quidam: *In manu ipſius fines terræ.* Item: *Super maria fundauit eum.* Et hæc quidem contraria eſſe videntur, multam tamen habent conſonantiam. Qui enim dixit, *ſuper maria fundauit eum*, idem dixit cum eo qui ait, quòd *ſuper nihilo terram ſuſpendit.* Super aquas enim conſiſtere æquale eſt & ſuper nihilo ſuſpendi. Vbi igitur ſuſpenſa & ſtatuta eſt? audi eundem dicentem: *In manu ipſius fines terræ.* Non quòd manus habeat Deus, ſed vt diſcas, quòd ipſius potentia omnibus prouidens, ipſa eſt quæ terræ corpus continet & portat. Si dictis non credis, his quæ vides crede. Et in alio quippe elemento hanc mirabilem operationem inuenire licet. Ignis enim natura alta petit, & in ſublime ſemper ſalit, & à natura vt exiliat, habet: & ſi infinita cogant & vrgeant, ad inferiora deferri non pateretur. Nonnunquam enim facem accenſam capientes, & in caput inclinantes, ignis impetum inferius ferri non cogimus: ſed & ſic in ſuperiora recurrit, & in ſublime infernè feſtinat. In ſole verò totum contrarium Deus fecit: ipſius enim radios ad terram conuertit, & lucem fecit inferiùs vergere: tantum non dicens ipſi per ſtatum inferius proſpice, & hominibus luce: propter illos enim factus es. Et lucernæ quidem flamma hoc pati non poteſt: ſydus verò tam magnum & admirabile ad inferiora vergit, & ad terram reſpicit, contra quam ignis, propter eius qui iuſſit potentiam. Vis & aliud tale commemorem? Dorſa cœli huius nobis conſpicui aquæ vndique comprehendunt, & neque defluunt, neque excedunt: & quidem non eſt talis aquarum natura, ſed in concaua quidem facile currunt. Cum autem ſit corpus conuexum, vndique defluunt, & neque modica earum pars in tali poſſet loco ſubſiſtere. Sed ecce hoc miraculum in cœlis factum eſt, & hoc ipſum rurſus inſinuans Propheta, dicebat: *Laudate dominum aquæ, quæ ſuper cœlos eſtis.* Et neque aqua ſolem extinxit, neque ſol tanto ſubtus vadens tempore, ſuperpoſitam aquam exiccauit. Vis te in terram iterum reducamus, & quod mireris oſtendamus. Non cernis hoc mare vndis, & violentis flatibus plenum. Sed hoc mare ſpatioſum, & magnum, & furens, inualida continetur arida. Et conſidera Dei ſapientiam. Non permiſit ipſum quieſcere, neque manere ſedatum, ne id eſſe naturæ ipſius ordinem exiſtimes, ſed intra terminos manens, clamat, & turbatur, & vehementer reſonat, & in altitudinem fluctus excitat ineffabilem: cùm autem ad littus & arenam peruenerit, diſſolutum rurſum ad ſeipſum reuertitur, per hæc vtraque te docens, quòd non naturæ opus eſt ipſum intra proprios fines manere, ſed ipſum cohibentis virtutis. Propterea enim inualidum ipſius obicem fecit, & neque ligna & lapides, neque montes his littoribus circumpoſuit, vt non his elementum in ordinem cogi putes. Hoc igitur & ipſe quandoque Iudæis improperans, dicebat: *Me non timebitis, qui arenam mari terminum conſtitui, & non tranſcendet?* Non autem hoc ſolum, ô homo, eſt admirabile, quòd magnum & mirabilem fecit hunc mundum, quòd ſupra naturæ conſequentiam ipſum compegit, ſed quòd etiam ex contrariis ipſum conſtituit, calido & frigido, ſicco & humido, igne & aqua, terra & aëre. Et contraria hæc elementa, ex his quibus hoc totum conſiſtit, inter ſe pugnantia, à ſeſe non ſunt conſumpta: non ignis ſuperuenit & accendit omnia, non aqua ſuperueniens orbem circundedit. Sed in corporibus quidem noſtris hæc fiunt, & bile creſcente naſcitur febris, & totum animal lædit: & pituita ſuperabundante multi naſcuntur morbi, & animal corrumpunt. In hoc autem toto nihil horum accidit, ſed vnumquodque manet tanquam quodam fræno & vinculo conditoris voluntate proprios cuſtodiens terminos, & horum pugna mundo toti pacis fit cauſa. An non hæc & cæco ſunt manifeſta, & valde imprudentibus intelligibilia, quòd prudentia quapiam facta ſunt, & continentur? Quis enim tam ſtultus & inſenſatus, qui tantam molem, cernens, tantam pulchritudinem, tantam compoſitionem, talium continuâ elementorum pugnam, & contrarietatem, & perſeuerantiam, non intra ſeipſum ratiocinetur, & dicat: quòd niſi prouidentia quædam eſſet corporum magnitudinem cohibens, nec permittens totum diſilire, nec permanere, nec ſufficere potuiſſet? Tantus quidem anni temporum ordo, tanta verò noctis & diei conuenientia, tot autem irrationalium genera animalium, & plantarum, & ſeminum, & herbarum, tenorem ſuum ſeruant, & nihil in præſentem diem neque intercidit, neque penitus conſumptum eſt. Non hæc verò tantum, ſed & alia multò his plura & profundiora dici poterant, & de ipſa differi creatura: ſed in craſtinum illa differentes, dicta diligenter retinere, & in alios efferre ſtudeamus. Et ſcio quidem quòd ſentētiarum profunditas auribus veſtris inuſitata eſt, ſed ſi parum vigilemus, & his noſipſos aſſuefaciamus, etiam aliis erimus facile doctores. Interim verò illud charitati veſtræ neceſſariū eſt dicere: ſicut glorificauit Deus per tantam nos creaturam, ita nos quoque per puram ipſum conuerſationem glorificemus. *Cœli enarrant gloriam Dei*, non dicentes tantum, ſed & tacentes, & vitæ claritate omnes in admirationem adducentes. *Luceat* enim *lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui eſt in cœlis.* Cùm enim viderit infidelis te fidelem compoſitum, modeſtum, ornatum eſſe mirabitur, & dicet: Verè magnus Chriſtianorum Deus: quales cōſtituit homines, quales è qualibus fecit? angelos ex hominibus ipſos reddidit. Si quis contumeliam fecerit, non conuitiantur: ſi quis percuſſerit, non ægrè ferunt: ſi quis iniuriam intulerit, pro his qui ſe læſerint, orant: inimicum non habent, iram ſeruare non norunt; mentiri non didicerunt, peierare non ſuſtinent, quinimò nec iurare: ſed linguam excidi mallent, quàm vllum ex ore iuramentum emittere. Hæc illis præbeamus de nobis dicenda, & improbam iuramentorum conſuetudinem expellamus: & vel tantillum Deo tribeamus honoris, quantum veſtimentis noſtris pretioſioribus. Quomodo enim non abſurdum eſt, veſtimentum quidem habentes reliquis melius, ipſo continuè abuti non ſuſtinere; Dei verò nomen vbique temerè, & vt occurrit, diſtrahere? Igitur precor, & ſupplico, ne ſic ſalutem contemnamus noſtram: ſed ſtudium, quod ab initio circa mandatum iſtud adhibebamus, deducamus ad finem. Propterea ego nempe continuam de iuramentis exhortationem facio, non quòd torporem veſtrum condemnem: ſed quòd maiorem partem vobis correctam videam, & ſtudeo feſtinoque totum perfectum eſſe, & finem admittere. Sic & ſpectatores faciunt, qui brauiis proximos magis excitant. Nec nos igitur laſſemur: ſumus enim prope totius correctionis finem, & circa principium erat difficultas. Quando verò conſuetudinis plurimum nunc eſt reciſum, & modicum ſupereſt, iam nec vllo labore opus eſt, ſed modica obſeruatione: & breui diligentia egemus, vt ipſi correcti, aliis doctores fiamus, & cum fiducia ſacrum Paſcha videamus, & cum multa voluptate duplam & triplam conſuetam, capiamus lætitiam. Non enim tantum nos ieiunij laboribus & ſudoribus liberatos eſſe delectat, quantum cum merito & ſplendida corona ſacræ illi ſolennitati occurrere, corona, inquam, nunquam marceſcente. Vt autem celerior fiat emendatio, hoc fac quod dico: Scribe ſuper *parietem domus tua, & ſuper cordis tui parietem falcem*

Iob. 26.b
Pſal. 94.a & 23.a
Pſal. 148.
Hier. 5.c
Pſal. 18.
Mat. 5.b.
Contra iurantes.
Zach. 5.a

A B C D

illam

illam volantem, & hanc ad maledictionem volare puta: & continue ipſam recogita, ſiue alium iurantem videas, cohibe, veta, & curam tuorum gere ſeruorum. Si hoc enim conſideremus, quomodo non tantùm ipſi emendemur, ſed & alios in hoc inducamus, celeriter ipſi ad finem veniemus. Alios enim corrigere aggredientes, erubeſcimus & confundimur, quæ aliis mandamus, hæc ipſi omittentes. Nec pluribus eſt opus ſermonibus. Multa enim prius ſunt commemorata, & hæc renouandæ memoriæ tantum cauſa dicta ſunt. Deus verò magis noſtris parcens animis, in omni nos bono perfectos faciat, vt omnem iuſtiitæ fructum aſſecuti, cœlorum regno digni cenſeamur, gratia & benignitate, &c.

Laus eorum qui poſt cibum ad audiendum venerant & naturalis mundi enarratio, & contra gentiles creaturam vt Deum colentes: & de euitanda iuramento.

Homilia X.

GAVDEO & gratulor omnibus vobis, quod admonitionem noſtram, quam pro non ieiunantibus, & propterea abſentibus nuper feci, re præſtitiſtis. Arbitror enim multos iam pranſos hodie adeſſe, & pulchram hanc nobis implere concionem: & hoc coniicio, eò quòd amplius nobis theatrum factũ ſit, & maior audientium conuentus, non fruſtra vt videtur, multos de ipſis ſermones nuper impendimus, veſtram exhortãtes charitatem. ipſos ad matrem trahere, & perſuadere quòd licet & poſt corporis nutrimentum ſpiritualis eſcæ participatione non fraudari. Quando verò quæſo vos dilecti melius feciſtis? an præterita ſynaxi, quando poſt menſam ad ſomnum cõuertebamini? an nunc cùm poſt menſam ad diuinas leges audiendas conueniſtis? Quando in foro commorabimini, & conſeſſuũ nihil boni habentium participes eratis? an nunc quando cum fratribus veſtris ſtetiſtis, & propheticos audiſtis ſermones? Non eſt ignominia comedere, fratres, ſed ſumpto cibo domi remanere, & hac ſacra ſolennitate priuari. Domi enim manens otioſior eris, & ſegnior: huc autem veniens, omnem ſomnum & torporem excuties, nec torporem verò tantùm, ſed & triſtitiam omnem deponens, facilior & lætior in omnibus eris caſibus. Et quid opus eſt plura dicere? Sta tantùm prope ieiunantem, & ipſius ſtatim odoris ſuauitatem ſenſiſti. Vnguentum enim ieiunãs eſt ſpirituale, & per oculos, & per linguam, & per omnia bonam animæ diſpoſitionem demonſtrans. Hæc non vt pranſos accuſem, dixi, ſed vt ieiunij lucrum demonſtrem. Ieiunium verò non ciborum abſtinentiam tantum dico, ſed & peccatorum fugam magis, quàm illam: quoniam & conuiuatus, & huc cum modeſtia profectus cõgrua, non multo à ieiunante vincitur: ſicut viciſſim ieiunans, nec cum ſtudio & diligentia his quæ dicuntur attendens, nihil ex hoc ieiunio magnum lucrabitur. Comedens enim, & concionis ſanctæ cõgruo ſtudio participem ſe faciens, nihil comedente & abſente multò melior eſt. Non enim tantũ nos inedia adiuuare poterit, quantum prodeſt & bonũ affert ſpirituali diſciplinæ intereſſe. Vbinã alibi hęc audies, quę hîc meditaris? Si in forum iueris, rixę ibi & pugnæ: ſi in curiam, ciuilium rerum cura: ſi domum, priuatarum ſolicitudo vndique affligit: ſi in fori conuenticula & conſeſſus: omnia & illic terrena & corruptibilia: vel enim de venalibus, vel de tributis, vel de lauta menſa, vel de agrorum venditione, vel de aliis contractibus, vel de teſtamentis, vel de hæreditatibus, vel de aliis talibus à cunctis cò cõuenientibus ſermones habentur. Et ſi in ipſas veneris regias, & illic rurſum omnes diſſerẽtes audies de pecuniis, de potentia, de gloria, quæ hic ho-

A noratur: ſpirituale verò nihil. Hic verò contrarium totum, de his quæ in cœlo ſunt rebus, de anima, de vita noſtra, & quare facti ſumus, & quare hic tantum temporis commoramur, & ad quæ hinc migramus, & quid poſt hæc nos ſuſcipiet, & qua de re nobis corpus luteum, & quæ mortis natura, quid tandem eſt præſens vita, & quæ futura, & nihil prorſus terrenum, ſed omnes de ſpiritualibus ſermones nobis habentur, & magna ſalutis noſtrę viatica capientes, hinc ita cum bona ſpe migrabimus. Quoniam igitur non temere ſemina iecimus, ſed ſicut vos exhortatus fueram, omnes qui ex vobis defecerant, venati eſtis: agè & nos vobis gratias rependamus, & paulùm vos prius dictorum commonefacientes, reliqua quoque reddamus. Quæ igitur prius ſunt dicta? Quærebamus qualiter & quomodo ante ſcripturarum editionem res noſtras Deus diſpoſuit: & dicebamus, quomodo per creaturam docuit genus noſtrum, cœlum extendens, & in me- B dium proponens maximum librum & idiotis, & ſapientibus, & pauperibus, & diuitibus, & Scythis, & Barbaris, & omnibus generaliter terram habitantibus vtilem librum, multò maiorem eorum quos docemur multitudine. Multa etiam de nocte & die, & horum ordine, & conuenientia ab ipſis cum diligentia cuſtodita diſſeruimus, multa & de horarum cœtu, anno, & quatuor eius temporum æqualitate. Sicut enim dies nocte, ne dimidia quidem hora plus habet per totum annum, ſic & hæc inter ſe ex ęquo dies omnes deſtribuerunt: & quod prius dicebam, non magnitudo creaturæ, & pulchritudo tantummodo creatorem demonſtrat, ſed & ipſe coagmentationis modus: & quòd eſt ſuper naturalem conſequentiam modus creationis. Naturæ nempe conſequentia erat, aquam ſuper terram ferri, nunc verò contrarium videmus, terram ab aquis ferri. Naturæ C erat conſequentia, ignem ad ſuperiora currere: nunc verò contrarium videmus, inferius terram verſus conuerſos ſolis radios, & aquas ſuper cœlos eſſe, & non defluere: ſolem ſubtus currentem non extingui ab aquis, nec humiditatem illam abſumere. Ad hæc diximus, quòd ex quatuor elementis hoc totum conſiſtit, inter ſe contrariis & pugnantibus, & alterum alterum non conſumpſit, & quidem cùm ſint conſumptiua alterius alterum. Vnde manifeſtum, quòd virtus quædam inuiſibilis hæc cohibet, & vinculum eſt Dei voluntas. Huic hodie ſermoni amplius immorari volo, ſed expergiſcimini, & diligenter nobis intendite. Vt autem miraculum fiat manifeſtius, à corpore noſtro demonſtrationem horum faciam. Etenim corpus noſtrum breue hoc & paruum è quatuor compoſitum eſt elementis, calido quidem ſanguino, ſicco verò bile flaua, humido pituita, frigido vero atra bile. Et nemo nobis incongruũ hunc putet eſſe ſermonẽ: *ſpiritualis nẽpe omnia diiudicat, ipſe vero à nemine diiudicatur.* (1. Cor. 2. d.) D Sic & Paulus agriculturæ rationes tetigit, de reſurrectione nobis diſſerens: *Stulte,* inquit, *tu quod ſeminas nõ viuificatur, niſi moriatur.* (1. Cor. 15. f.) Si vero beatus ille agriculturæ rationes citabat, nec nos quiſpiam accuſet medicinales ſententias attingentes: de Dei enim creatione nunc eſt nobis oratio, & neceſſaria nobis eſt hæc ſententiarum materia. Quod igitur antè dixi, ex quatuor his elementis corpus nobis compoſitum eſt, & ſi pars à toto diſſideat, ex hoc diſſidio mors efficitur: vt puta, bile ſuperabundante producitur febris, & ſi vltra menſuram præualeat, finem affert celerrimum. Rurſum frigido ſuperabundante, paralyſis, & tremores, & apoplexiæ, & innumeri alij morbi pariuntur, & omnino quæque ægritudinum forma ab horum elementorum ſuperabundantia naſcitur, quando vnum ex ipſis proprios excedens terminos, contra alia inſurgit, & omnẽ lædit ſymmetriam. Interroga igitur dicentem, quod per ſe nata omnia, per ſe ſubſiſtũt. Si breue hoc & modicum corpus, & medicam ini-

(Mundi machina docet Dei prouidẽtiam.)

bus: & medicinali ſcientia vtens, & anima interius ipſum diſponente, & multa diſciplina, & innumerabilibus aliis auxiliis, non ſemper in bono ſtatu permanere valet, ſed perit, & corrumpitur, ſæpius turbatione in ipſo facta: quomodo tantus mundus, tantas habens corporum moles, & ex iiſdem compoſitus elementis, niſi multum prouidentiæ cepiſſet, tanto tempore imperturbatus manere potuiſſet? Nec enim cum ratione fieri poſſet, vt prouidentiam quidem habens interius, & exterius noſtrum corpus vix ad ſui conuerſationem ſufficiat: tantus vero mundus nulla vigens prouidentia per tot annos nil tale patiatur quale corpus noſtrum. Quomodo enim nullum horum elementorũ, quæſo, proprios tranſcendit terminos, & reliqua omnia conſumpſit? Quis vero ipſa ab initio cõiunxit? quis vero vſque in tantum tempus continet? Si enim ſimplex & vniforme fuiſſet mundi corpus, non tam difficile fuiſſet quod dicitur: quando autem tanta elementorum pugna fuit ab initio, quis tam demens, vt putet ſine cogente hæc per ſe conueniſſe, & coniuncta manſiſſe? Si enim nos non natura, ſed voluntate inimicè inter nos habentes ſponte non conuenimus, donec manemus inimici, & ingratè alter ad alterum habemus, ſed alterius qui nos coniũgat indigemus, & poſtquam congregauerit, conſtringat, & in pace manere perſuadeat, neque rurſum reſilire: quomodo elementa neque rationis, neque ſenſus vllius partem habentia, & ſibi per naturam inimica & aduerſantia, conueniſſent & congreſſa fuiſſent, & alterum cum altero potuiſſent permanere, niſi potentia quædam eſſet ineffabilis, quæ congregaret, & congregata ſemper hoc vinculo cohiberet? Non cernis quomodo corpus hoc anima auolante defluit: & tabeſcit, & perditur, & in ſuum quodque elementorum reuertitur terminum? Hoc ipſum profectò & in ipſo fieret mundo, ſi ipſum reliquiſſet propria deſtitutum prouidentia gubernans ipſum continuè virtus. Si enim nauigium ſine gubenatore non perſiſteret, ſed facilè ſubmergeretur: quomodo ſubſiſteret mundus tantũ temporis gubernante nemine. Et ne quid plus dicam: nauigium, mundum eſſe puta: temonem, ſuppoſitam terram: velum, cælum: victores, homines: mare, ſubiectam abyſſum: quomodo igitur tanto naufragiũ tempore non eſſet factum? Dimitte enim nauigium per diem vnum abſque gubernatore & nautis, & ſtatim ſubmerſum videbis. Sed mũdus tale nihil paſſus eſt, quinque millia & plus iam habens annorum. Et quid dico nauigium? Caſulam aliquis paruam in vineis compegit, & fructu ablato deſertam reliquit; & neque duos ſæpe dies permanet, ſed ſoluitur, & breui cadit. Igitur tuguriũ quidem abſque prouidente non ſtaret: creatura verò tanta, tam pulchra, tam mirabilis, & leges noctis & diei alternarumque horarum choreæ, & naturæ curſus varius & omnimodus in terra, & in mari, & aëre, & cœlo, & plantis, & animalibus volantibus, natatilibus, gradientibus, ſerpentibus, & in hominum genere omnibus illis validiore, tantum temporis abſque aliqua prouidentia ſtabilis permanſiſſet? Præterea mente mihi prata percurre, hortos, florum genera, herbas omnes, & ipſarum ſuaueolentiam, figuras, ſitum, nomina tantum, arbores fructuoſas & infructuoſas, metallorum naturam, animaliũ terreſtrium marinorum, natatiliũ, per aërem meantium, montes, ſaltus, lucos, inferius pratum, ſuperius pratum: eſt enim in terra pratum, & in cœlo pratum ſyderum, varij flores, inferius roſæ, ſuperius iris. Vis & in auibus tibi pratum demonſtrem? Conſidera pauonis corpus varium, & omnem excedens infecturam, purpuranteſque auiculas. Cogita mihi cœli pulchritudinem, quantum temporis agit, nec offuſcatum eſt, ſed velut hodie fabricatum, ita eſt nitens & ſplendidum: terræ vterus tantum tempus pariens, quomodo non hebetauit virtutem ſuam.

Cogita mihi fontes, quomodo ſcaturiunt, & non defecerunt ex quo facti ſunt, iugiter manantes diebus & noctibus. Cogita mare, quot flumina ſuſcipiens menſuram non exceſſit. Sed quouſque incomprehenſibilia ſectamur? In dictorũ vnoquoque dicere dignũ eſt: *Quàm magnifica ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti.* (Pſal. 103.) Sed quid hæc ſolent infideles dicere, quoties ipſis commemoramus magnitudinem mundi, ornatum, abundantiam, copiam in omnibus. Hoc ipſum, inquiunt, maxima criminis eſt cauſa, quòd tam pulchrum & magnum fecit Deus mundum: niſi enim magnum & pulchrum feciſſet, non ipſum conſecraſſemus: nunc verò magnitudine perculſi, & ipſius pulchritudinem admirati, ipſum Deum eſſe putauimus. Sed vanus eſt hic ſermo: quòd enim neque magnitudo, nec ornatus impietatis ſit cauſa, ſed illorum ignorantia, nos nil tale paſſi declaramus. Qua enim cauſa nos ipſi diuinos honores non decreuimus? Nónne iiſdem oculis ipſum aſpicimus? Nonne in iiſdem mundo vtimur, quibus illi? Nónne eandem animam habemus? nónne idem corpus poſſidemus? nónne eandem calcamus tellurem? Quomodo pulchritudo & magnitudo nos eadem cum illis ſentire non perſuaſit? Nec hinc verò tantum hoc erit manifeſtum, ſed aliunde, quòd enim non propter pulchritudinem ipſum conſecrarunt, ſed ob propriam ſtultitiam, dicam ſimiam qua de cauſa adorauerunt, crocodilum, canem, animalium viliſſima? Verè *euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obtenebratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* (Rom. 1.c) Veruntamen non ex his tantum reſpondebimus, ſed & aliud quid amplius dicemus. Hæc enim Deus deſuper præuidens, & hanc ipſorum occaſionẽ ſecundum ſapientiã ſuam ſuſtulit: propterea non tantum mirabilem & magnum fecit mundum, ſed & corruptibilem & marceſcibilem, & ipſius imbecillitatis multas inſeruit demonſtrationes: & quod in Apoſtolis fecit, hoc & in toto mundo. Quid autem in Apoſtolis fecit? quoniam ſigna multa faciebant, & miracula magna & mirabilia: (Act. 2.g.) ipſos tamen continuè flagellari permiſit, pelli, carcerem habitare, corporis morbos ſubire, in continuis eſſe tribulationibus. Ne ſignorum magnitudo deos ipſos apud homines putari faceret, propterea tantum largitus gloriam, corpus eſſe mortale permiſit: multis verò valetudinarium, nec ipſorum valetudinem mutauit, vt naturam inſinuaret. Nec meus hic ſermo, ſed ipſius Pauli ſic dicentis. *Si enim gloriari voluero, non ero inſipiens: parco autem, ne quis in me putet ſupra quod videt, vel audit aliquid ex me,* (2.Cor. 12.b.) & rurſum: *Habemus autem theſaurum hunc in vaſis fictilibus.* (2.Cor. 4.) Quid autem eſt, *in vaſis fictilibus?* in corpore hoc, inquit, mortali & corruptibili. Sicut enim teſta ex luto & igne fit: ſic profectò & corpus ſanctorum illorum, cùm ſit luteum & ſpiritualis ignis efficaciam ſuſceperit, teſta factum eſt. Et qua de cauſa hoc factum eſt, & theſaurum talem, & gratiarum copiam mortali & corruptibili intulit corpori? *Vt ſuperabundantia virtutis ſit à Deo, & non à nobis.* (Ibidem.) Cùm enim videris Apoſtolos mortuos quidem ſuſcitantes, ipſos verò ægrotantes, nec infirmitate ſe liberare valentes, manifeſtè ſcies, quòd mortui reſurrectio non ex virtute ſuſcitantis, ſed Spiritus operatione facta eſt. Quòd enim continuè ægrotabant, audi quid de Timotheo dicat Apoſtolus: *Vino modico vtere propter ſtomachum: & frequentes infirmitates tuas,* (1.Tim. 5.d.) & rurſum de alio: *Trophimum autem reliqui in Mileto infirmum.* (2.Tim. 4.) Et Philippenſibus ſcribens, dicebat, quòd *Epaphras ægrotauit prope mortem.* (Phili. 2.d.) Si enim & cùm hæc eſſent, ipſos deos eſſe putabant, & ſacrificare parabant dicentes: *Dij ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos:* (Act. 14.b.) ſi hæc non accidiſſent, ad quid impietatis miraculis conſpectis tunc non proceſſiſſent? Sicut igitur hic propter ſignorum magnitudinem & naturam eorum in infirmitate eſſe permiſit,

&

Digitized by Google

& continuas permiſit tentationes, ne putarentur
eſſe dij: ſic & in creatura mundi quiddam his ſimile
fecit: etenim pulchrum ipſum & magnum fecit,
& rurſum corruptibilem conſtituit. Et hæc vtraque
ſcripturæ docent. Hic quidem cœlorum pulchri-
Pſal.18.a tudinem narrans, ſic inquit: *Cœli enarrant gloriam*
Pſal.103. *Dei*: & rurſum: *Qui conſtituit cœlum velut teſtudinem; &*
extendit ipſum quaſi tabernaculum in terra: & rurſum: *Qui*
Eccl.43.a *continet circuitum cœli*. Alter verò demonſtrans, quod
Pſal.101.d etſi pulchrum & magnum, tamen eſt corruptibile,
ſic inquit: *Initio tu domine terram fundaſti, & opera ma-*
nuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanes, &
omnes ſicut veſtimentum veteraſcent; & ſicut opertorium mu-
tabis eos, & mutabuntur. Et iterum de ſole inquit idem
Pſal.18. Dauid: *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo exultauit*
vt gigas ad currendam viam. Vidiſti, quomodo ſyderis
pulchritudinem ſimul & magnitudinem tibi ante
oculos poſuit? ſicut enim ex thalamo quodã ſpon-
ſus apparens, ſic & ſol ſub auroram radios mittit, &
tanquam quodam croceo velo cœlum ornans, &
roſeas faciens nubes, & ſine offenſa currens totum
diem, nullo curſum obſtaculo interrumpit. Vidiſti
Solem non eſſe Deum. igitur ipſius pulchritudinem? vidiſti magnitudinẽ?
Vide & imbecillitatis eius demonſtrationem. Ete-
nim & hoc demonſtrans ſapiens quidam dicebat,
Quid lucidius ſole? & hic deficit. Nec ex hoc tan-
tum ipſius imbecillitatem videre datur, ſed etiam
in nubium concurſibus. Nube igitur ſæpius ſubtus
currente, radios immittens, & nubem diſcindere
conatus, non præualuit, cùm eſſet nubes craſſior,
nec ipſi cedere vellet. Sed ſemina, inquit, nutrit.
Atqui non ipſe nutrit ſolus, ſed & terræ indiget, ac
roris, & pluuiarum atque ventorum, & bonæ tem-
porum deſtributionis, Et niſi hæc omnia concur-
rerint, ſuperfluus fit ſolis vſus. Hoc verò Dei non
eſt, ad ea facienda quæ vult, aliorum indigere. Dei
enim maximè proprium, non indigere. Ipſe enim
non ſic è terra ſemina protulit, ſed tantum iuſſit,
& omnia germinauerunt. Et rurſum vt diſcas, quòd
non elementorum natura, ſed ipſius mandatum
omnia facit: ipſaque elementa, quæ non erant,
produxit, Iudæis verò nullius ope manna dimiſit:
Pſal.11.c *Panem*, inquit, *cœli dedit eis*. Et quid dico quòd ſol ad
fructuum vegetationem maturationemq́; aliorum
indigeat elementorum, cùm & multis ad ſui ſub-
ſtantiam egeat, nec ipſe ſibi ſufficere poſſit? Quip-
pe vt vadat, cœli indiget, tanquam pauimenti cu-
iuſdam ſuppoſiti: & vt luceat, aëris puritatis &
tenuitatis. Quòd ſi hic præter modum denſetur,
ille lucem ſuam oſtendere non poteſt: & ne om-
nibus ſit intolerabilis, neque cuncta comburat,
frigiditate rurſus eget ac rore. Cum ipſum igitur
reliqua vincant elementa, & ipſius impotentiam
emendent: vincant quidem ſicut nubes, & muri
& alia quædam corpora ipſius lucem abſconden-
tia: corrigant autem ipſius intemperantiam, ſicut
rores, & fontes, & aëris frigiditates: quomodo
hoc Deus eſſe poteſt? Deum enim non indigere
neceſſarium eſt, & nulla re opus habere, & om-
nium omnibus bonorum eſſe authorem, & à nemi-
ne prohiberi, ſicut ſcilicet de Deo ait Paulus, &
Propheta Ieremias, hic quidem ex ipſius perſona,
Ierem.23 dicens: *Cœlum & terram ego impleo, ait dominus*: & rur-
Ibidem. ſum: *Deus appropinquans ego ſum, & non Deus à longe*: &
Pſal.15.a rurſus Dauid: *Dixi domino, Deus meus es tu, quoniam bo-*
norum meorum non eges. Paulus autem ipſius copiam
nullius indigentem demonſtrans, & oſtendens
quòd hæc ambo maxime Dei ſunt, nullius indi-
Act.17.f gere, & omnibus ipſum omnia ſubminiſtrare, ſic
inquit: *Deus qui fecit cœlum, & terram, & mare, nullius*
indigens, ipſe vitam omnibus præbens, & Spiritum per omnia.
Licebat quidem & alia percurrere elementa, cœ-
lum, aërem, terram, mare, & ipſorum imbecilli-
tatem demonſtrare, & quomodo proximi quod-
que indiget, & ſine hoc perit & corrumpitur. Ete-
nim terra, ſi deficiant fontes & humiditas, tum à
A mari, tum à fluuiis infuſa, tota breui diſperdetur,
& reliqua verò elementa alterius alterum indi-
gent, & aër ſolis, ſicut ſol aëris: ſed ne prolixiorem
faciamus ſermonem, ex dictis multas volentibus
occaſiones dediſſe ſatis fuerit. Si enim omni crea-
tura ſol admirabilior tam imbecillis & inops eſſe
iam apparet, multò magis aliæ mundi partes: quod
eò dixi vt laborioſis illa præberem colligenda. Ip-
ſe de ſcripturis iterum vobis diſſeram, demonſtrãs,
quòd non ſolus ſol, ſed & omnis mundus corru-
ptibilis eſt. Cùm enim alterius alterum conſum-
ptiua ſint elementa, & ſolis quidem potentiam ſu-
perueniens maior fulgiditas caſtiget, hanc autem
viciſſim calor inualeſcens conſumat, & contrarias
qualitates & diſpoſitiones alterum in altero fa-
ciant & patiantur elementa: certum quòd hæc ma-
gnæ corruptionis argumentum præbent, & cor-
pus eſſe quæcunque videntur. Sed quoniam tenui-
tate noſtra altior hic eſt ſermo, age ad dulcem
nos ſcripturarum fontem agentem, aures noſtras
mulceamus. Non enim de cœlo & terra ſigillatim
vobis dicemus, ſed de omni pariter creatura. Et
hoc ipſum vobis demonſtrantem Apoſtolum o-
ſtendemus, ſic manifeſtè dicentem, quòd omnis
creatura corruptioni nunc ſeruit, & quare ſeruit,
& quando mutabitur, & in qualem tranſibit finem.
Poſtquam enim dixit: *Non ſunt condignæ paſſiones præ-* Rom.8.d
ſentis temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in vobis:
intulit, *quod expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei*
operetur. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non ſponte,
ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe. Quod autem di-
cit, huiuſmodi eſt: Corruptibilis creatura facta eſt:
hoc enim eſt, *vanitati ſubiecta eſt*. Corruptibilis au-
tem facta eſt, Deo ſic iubente. Iuſſit autem ſic
Deus propter genus noſtrum: quoniam enim ho-
minem nutrire debebat corruptibilem, & ipſa talis
C eſſe debebat; non enim corruptilia corpora dece-
bat incorruptibili veſci creatura. Sed inquit, non
tamen talis remanet, ſed & ipſa creatura liberabi-
tur à ſeruitute corruptionis: deinde demonſtrans
quando hoc erit, & per quos, intulit: *In libertatem glo-*
riæ filiorum Dei. Cùm enim reſurrexerimus, inquit,
& incorrupta ſumpſerimus corpora, tunc & cœli
corpus & terræ, & mundi totius incorruptum erit,
& immarceſcibile. Cùm igitur ſolem videris exo-
rientem, creatorem admirare: quando ipſum ſe ce-
lantem & euaneſcentem videris, naturæ imbecil-
litatem diſce, nec ipſum vt Deum adores. Non e-
nim ex hoc ſolo elementorum naturæ imbecillita-
tis demonſtrationem Deus inſeruit, ſed & homini-
bus ſeruis ſuis, vt eis imperarent, mandauit: vt ſi
nec ex aſpectu ipſorum ſeruitutem cognoſcas, ab
imperantibus diſcas; quòd omnia conſerua tua
ſunt. Ideo Ioſue dicit: *Stent ſol contra Gabaon, & luna*
contra vallem Elam. Et iterum propheta Eſaias ipſum Ioſu.10.
in contrarium retrogredi fecit ſub Ezechia rege. Eſa.38.d
D Et Moſes quoque aëri, & mari, & terræ, & petris im- 4.Reg.4.b.
perauit? Heliſæus aquarum naturam mutauit: tres Dan.3.
pueri ignem vicerunt. Vides quomodo vtrinque
nobis Deus prouidet, per elementorum quidem
pulchritudinem nos in diuinitatis ſuæ cogitatio-
nem inducens, per infirmitatem verò non permit-
tens in illorum cadere adorationem? Super his er-
go omnibus ipſum noſtri gubernatorem glorifi-
cemus, nec per verba tantùm, ſed etiam per ope-
ra, & conuerſationem optimam exhibeamus, & cir-
ca alia, & circa iuramenta, continentiam dico. Non
enim omne peccatum eandem exigit pœnam, ſed
corrigi facilia maiorem afferunt: quod ſcilicet &
Salomon innuens, dicebat: *Non mirum, ſi quis depre-* Prou.6.d
henſus fuerit furans, furatur enim, vt animam ſuam impleat
eſurientem: adulter verò propter inopiam mentis, perditionem
animæ ſuæ acquirit. Quod autem dicit, tale eſt: Grauis
quidem res etiam fur, ſed non tam grauis, quàm
adulter. Ille enim etſi frigidam cauſam habet, ta-
men ex pauperie neceſſitatem prætendere poteſt:

Digitized by Google

hic verò nulla ipſum cogente neceſſitate præ de- A
mentia ſola in peccati voraginem corruit. Hoc &
de iurantibus dicere licet: nec enim iſti vllum ha-
bent quem præmittant prætextum, ſed contem-
Contra iurantes. ptum ſolum. Et noui quidem, quòd grauis eſſe vi-
deor iam & oneroſus, admonitionis iugitate per-
turbans: veruntamen non deſino, vt vel meam re-
ueriti impudentiam, improba iuramentorum con-
Luc. 18. a ſuetudinie abſiſtatis. Si enim iudex ille immitis &
ſæuus, viduæ vexationem veritus, mores mutauit:
multò magis hoc vos facietis, & maximè cùm ſup-
plicans vobis non pro me ipſo, ſed pro ſalute ve-
ſtra hoc faciam: imò verò & pro meipſo non hoc
facere negauerim: veſtra enim bona puto mea eſſe
merita. Vellem autem ſicut egó nunc laboro & fa-
tigor pro ſalute veſtra, ſic & vos animæ veſtræ cu-
ram gerere, certè donec adimpleta ſit hæc cor-
rectio. Et quid opus eſt multa dicere? Si enim nec
gehenna eſſet, nec pœna contumacibus neque
merces obedientibus, ego autem hoc aduertens, in B
gratiæ parte petiiſſem, nónne annuere debuiſſetis?
nónne petitionem concedere, tam leuem petenti
gratiam? Cùm verò Deus ipſam petens propter
nos dãtes, non propter ſeipſum percipientem hoc
faciat: quis tam ingratus, quis tam miſer, & ærum-
noſus, vt gratiam petenti Deo non impendat, &
maximè cùm ipſe impendens gratiam recipere de-
beat? Hęc igitur cogitantes, & ad vos hinc receden-
tes, omnia repetite dicta, & vos ipſos obſeruan-
tes, omnibus modis corrigite; vt propriorum &
alienorum retributionem meritorum recipiamus,
gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti,
per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſancto
viuificoque ſpiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula
ſeculorum, Amen.

*Gratiarum actio ad Deum, de abſolutione malorum ex ſedi-
tione expectatorum, & eorum quæ tunc acciderunt com-
memoratio. Inſuper verò & contra eos qui corpus no- C
ſtrum accuſant, & de hominis creatione, & de vitando
iuramento.*

Homilia XI.

CVM præteritam tempeſtatem, & præſentem
cogito tranquillitatem, non deſino dicere:
Benedictus Deus qui facit omnia, & ipſa tranſmu-
1. Reg. 2. tat, qui fecit lucem de tenebris, qui *deducit ad portas
inferi & reducit, qui caſtigat, & non mortificat*. Et hoc vos
continuè dicere volo, nec deſiſtere. Si enim ipſe
vobis operibus benefecit, quia nos venia digni eſſe
poſſemus, ne verbis quidem ipſum remunerantes?
Propterea exhortor vos nunquam ceſſare ipſi gra-
tias agere. Si enim pro primis grati fuerimus, cer-
tum quòd & aliis maioribus potiemur. Dicamus
igitur continuè: Benedictus Deus, qui nobis dedit
ſolitam cum fiducia vobis menſam apponere, &
vobis præbuit ſecurè noſtros audire ſermones: Be- D
nedictus Deus, quoniam non amplius exteriora fu-
gientes pericula, ſed audire optantes huc concur-
rimus: non amplius cum anxietate & tremore &
ſollicitudinibus inter nos conueniemus; ſed cum
fiducia omnem excutientes timorem, quo per ſu-
periores dies fluctuantibus in medio mari & nau-
fragium per ſingulas horas expectantibus, nihilo
melius nos habebamus, infinitis tota dierum ori-
bus pulſati, perturbati, & vndique circumacti, &
ſingulis ſatagentes diebus, & curioſè ſciſcitantes:
quis venit è caſtris? quid verò veniens nunciauit?
nunquid verum an falſum quod dicitur? & noctes
ſine ſomno tranſigentes, & ciuitatem reſpicientes
cum lachrymis tanquam mox perituram. Propte-
rea & nos ſuperiores hos dies tacuimus, omnis ci-
uitas noſtra erat exhauſta, & omnes in ſolitudines
tranſmigrauerant, & reſidui triſtitiæ nube caliga-
uerunt. Anima enim ſemel triſtitia repleta, nihil

A audire eſt idonea. Propterea & amici Iob profecti, Iob. 2. d.
& domus illius depopulationem cernentes, & iu-
ſtum in ſtercore ſedentem, & vlceribus plenum,
veſtimenta ſua diſciderunt, ingemueruntque & ſi-
lentio ſe tradiderunt; ſignificantes quod nihil à
principio tam dolentibus opportunum, quàm re-
quies & ſilentium: erat enim conſolatione maior
triſtitia. Propterea & Iudęi luto & operi lateritio al- Exod. 5. d.
ligati, Moſem ad ſe veniſſe cernentes, his quę dice-
bantur attendere non poterant præ puſillanimita-
te & tribulatione, quam patiebantur. Et quid mi-
rum, ſi homines quidam puſillamines hoc paſſi
ſunt, cùm & Chriſti diſcipulos in hunc morbum
cecidiſſe inueniamus? Poſt illam namque myſti-
cam cœnam; quando ipſos aſſumptos Chriſtus
ſeorſum alloquebatur, ab initio quidem ipſum in-
terrogabant diſcipuli, quò vadis? vt verò dixit illis,
mala ipſos paulò poſt exceptura, bella, perſecu-
tiones, inimicitias ab omnibus, flagella, carceres,
B iudicia, abductiones, velut onere ponderoſiſſi-
mo, dictorum formidine, & futurorum triſtitia,
preſſum tunc ipſorum cor, poſtea ſtupidum re-
manſit: ideo confuſos cernens ipſos Chriſtus, hoc
ipſum exprobrans, dicebat: *Vado ad patrem meum,* Ioan. 13. d
*& nemo è vobis me interrogat, quò vadis? Sed quoniam hæc lo-
cutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum.* Propterea
nos quoque tacuimus præterito tempore præſen-
tem opportunitatem expectantes. Si enim aliquem
rogaturus, etſi rationabilia proponere debet, tem-
poris tamē occaſionem expectat vt ſedatum & be-
ne affectum eum inueniat, qui petitionem daturus
eſt, vt temporis auxilium nactus gratiam acquirat:
multò magis dicentem tempus quærere commo-
dum oportet, vt apud bene affectum auditorem, &
omni cura liberatum & triſtitia, verba faciat: quod
profectò & nos nunc fecimus, & poſtquam triſti-
tiam excuſſiſtis, prius dictorum memoriam renoua-
re volumus, vt ſermo vobis fiat manifeſtior. Quod
C enim & in mundi creatione diximus, quòd nō pul-
chrum tantùm, & mirabilem, & magnum Deus fe-
cit ipſum, ſed etiam infirmum & corruptibilem, &
horum rurſus multas inſeruit demonſtrationes, v-
traque ad vtilitatem noſtram diſpēſans: & per pul-
chritudinem quidem in conditoris miraculum nos
inducens, per infirmitatem verò à colenda nos ab-
ducens creatura: hoc & in corpore noſtro videre
datur eueniſſe: etenim de hoc quoque quærunt &
veritatis inimicorum multi & nobiſcum poſitorū,
qua de cauſa hoc corruptibile & mortale factum
ſit. Gentilium verò & hæreticorum multi, ne fa-
ctum quidem à Deo dicunt: indignum enim Dei
creatione eſſe putant, ſordes, & ſudores, & lachry-
mas, & labores & ærumnas, & alia corporis omnia
percurrentes: Ego autem poſtquam de his cœptus
eſt ſermo, primùm quidem illud dicere poſſem: Ne
mihi proponas hominem hunc præuaricatum, ho-
nore priuatum, damnatum. Sed ſi vis diſcere, quale
D nobis ab initio Deus finxerit corpus, in paradiſum
eamus, & ab initio factum hominē videamus. Non
enim ſic erat corpus illud corruptibile & mortale,
ſed tanquam aurea ſtatua, de fornace progreſſa, re-
center & ſplendidè fulgens: ſic omni tali corru-
ptione illud corpus abſolutum erat: & neque labor
vexabat, neque ſudor nocebat, nec curæ inſidia-
bantur, non obſidebant triſtitiæ, neque aliud quic-
quam quod læderet, patiebatur. Poſtquam verò
non moderatè fœlicitatem tulit, ſed benefactorem
homo contumelia affecit fallacem putauit dæmo-
nem eſſe gubernatorem, Deoque, qui ſe in honore
conſtituerat, fide digniorem, & Deus fieri ſperauit
& maiorem propria dignitate concepit opinionem:
tunc profectò, tunc & per ipſa Deus opera ipſum
erudiens, corruptibilem & mortalem reddidit, &
his multis obuinxit neceſſitatibus, non peroſus, ne-
que auerſatus, ſed conſulens & improbam peſti-
lentemque illam ab initio naſcentem ſuperbiam

prohi-

Digitized by Google

prohibens, nec vlterius procedere permittens, ſed per ipſam rerum experientiam monens eum, quòd mortalis & corruptibilis eſſet, & ita perſuadens, vt nunquam talia cogitaret, aut ſomniaret. Et enim diabolus dixerat, Eritis velut dij. Hanc igitur volens ſententiam radicitus euellere, morboſum ipſius & ærumnoſum corpus effecit, per ipſam docens naturam, ne vnquam talem conciperet cogitationem. Et quòd hoc ſit verum, maximè quidem & ex geſtis circa ipſum eſt manifeſtum: poſt illam enim expectationẽ huic dãnatus eſt pœnæ. Et conſidera mihi Dei prudentiam, non ipſum mori primum permiſit, ſed hoc eius filiũ pati, vt ante oculos tabeſcẽs corpus intuitus & marceſcens, magnã ex hoc aſpectu philoſophię diſciplinam caperet. Et diſce, quid actum eſt, & ita bene correctus hinc diſcede. Maximè igitur, quod dixi, & ex iam geſtis hoc manifeſtum eſt. Nec minus verò & ex aliis poſt hæc dicendis apertum erit. Si enim tali corporis neceſſitate nos vinciente, & omnibus morientibus, corruptionemque patientibus, & marceſcentibus ante omnium oculos, & putreſcentibus in puluerem, & philoſophis vnam eandemque hominum generis completiuam definitionem facientibus: interrogati nanque quid tandem ſit homo: Animal rationale, mortale, dicunt. Si igitur omnibus hæc confitentibus; auſi ſunt quidam ſe immortales facere apud multorum opiniones, & oculis mortem teſtificantibus, vt dij prædicari contenderunt, & vt dij culti ſunt: niſi prodiiſſet mors, naturæ mortalitatem omnes docens & corruptibilitatem, ad quid impietatis non prorupiſſent hominum plurimi? Audi itaque quid dicat propheta de quodam Barbaro rege tali furore capto. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſſimo.* Ipſum verò deridens, & demonſtrans finem, inquit: *Subter te ſternetur tinea, & opertimentum tuum erunt vermes.* Quod autem dicit, tale eſt: Homo talem expectans finem, talia cogitare auſus es? Et de alio iterum, Regem dico Tyriorum talia parantem, & Deum ſe haberi volẽtem: *Tu verò,* inquit, *non es Deus, ſed homo,* & te pungentes hoc dicent. Itaque à primordiis ſuperbiæ & idololatriæ materiam auferens, Deus tale nobis corpus parauit. Et quid miraris, ſi in corpore hoc factũ eſt, cùm & in anima videre liceat tale quid geſtum? Mortalem nempe Deus non fecit, ſed immortalem eſſe permiſit: obliuioni autem, & ignorantiæ, & triſtitiæ, & curis obnoxiam ipſam reddidit: & hoc fecit, ne ad propriam generoſitatem reſpiciens, maiorem propria dignitate opinionem concipiat. Si enim, cùm hæc ita ſint, quidam dicere ſunt auſi, quòd ſubſtantia Dei eſt, ſi ab his eſſet abſoluta paſſionibus, ad quid furoris iſti non proceſſiſſent? Veruntamen quod in creatione mundi dicebam, hoc & in corpore dico, quòd ſimiliter propter hæc vtraque Deum admiror, & quòd corruptibile ipſum fecit, & quòd in corruptione propriam virtutem & ſapientiã demonſtrauit. Quòd enim melioris ipſum materiæ facere poterat, oſtendit ex cœleſti corpore, & ſolari. Qui enim illa fecit talia, & hoc tale facere, ſi voluiſſet, potuiſſet. Sed infirmitatis cauſa eſt prædicta occaſio. Non tamen hoc mirabilem vim creatoris deterit, ſed etiam amplius intendit: materiæ enim vilitas magis demonſtrat artis copiam & facultatem: quoniam in luto & fauilla tantam poſuit harmoniam, & tales ſenſus, tam varios & omnimodos, & tantum philoſophari valentes. Itaque quantò magis ſubſtantiæ tenuitatem accuſas, tantò magis Dei artis magnitudinem admirare. Quoniam & ſtatuarium admiror, non tam ex auro pulchram facientem ſtatuam, quàm ex luto dilabente mirabilem & inexcogitabilem figmenti pulchritudinem artis facultate exhibere valentem. Illic enim fingenti materia quoque confert: hic verò nuda eſt artis oſtentatio. Tu verò ſi diſcere vis, quanta ſit eius qui nos creauit ſapientia, cogita quid ex

Dei ſapientia in formatione humani corporis elucet.

Eſa. 14. d.

Ibid.

Eze. 28. b

A luto fiat. Quid autem aliud quàm lateres & tegulę? Veruntamen optimus artifex Deus ex materia vnde fit tegula, lateritium opus duntaxat, oculum tã pulchrum efficere potuit, vt omnes cernentes cõſternentur, & tantam huic vim inſerere, vt aëris tantam altitudinem ſpectet, & exigui pupilli adiutorio tot corpora comprehendat, & montes, & ſaltus, & colles, & maria, & cœlum. Ne mihi dicas igitur lachrymas & lippitudines: hoc enim propter peccatum tuũ factum eſt: ſed cogita ipſius pulchritudinem & videndi virtutem, & quo modo tantam aëris longitudinem percurrens, non laborat, neq; fatigatur. Sed pedes quidem paululum progreſſi fatiſcunt & laſſantur: oculus verò tantam altitudinem permeans, tantamque latitudinem, nullam ſentit imbecillitatem: quoniam enim omniũ membrorum hoc eſt maximè neceſſarium, ipſum labore premi non permiſit, ita vt expeditum ipſius miniſterium, & liberum nobis eſſet. Quis verò omnẽ membri huius virtutem ſermonẽ diſſerere poſſet?

B Et quid de pupilla, videndique facultate dico? ſi enim quod omnium viliſſimum eſſe videtur mẽbrorum, oculi palpebras exquiſieris tantummodo, & in his multam Dei creatoris ſapientiam videbis. Sicut enim in ſpicis ariſtæ tanquam quædam prætenta ſpicula aues repellunt, non ſinentes fructui inſidere, & ſtipulam infirmiorem diffringere: ſic profectò & in oculis, velut quædam ariſtæ & ſpicula, prætentæ ſunt pelpabrarum ſetæ, puluerem, & feſtucam, & omnia vexantia extrinſecus repellentes ab oculis, nec palpebras infeſtari ſinentes. Videas autem & alteram ſapientiam in palpebris hac non inferiorem. Quis enim ipſum ſitum non obſtupeſcat, quoniam neque vltra menſurã promiſſæ ſunt, ita vt oculos obtenebrent, neque quàm opus eſt interius reſident: ſed velut domus tectum, ſic supernè eminent, ſudorem capite defluentem ſuſcipientes, hoc oculos lædere permittentes. Propterea qui-

C dem & ſetæ ipſis innatæ ſunt, denſitate defluentia coërcentes, & multa lucem diligentia protegẽtes, & afferentes multam oculis pulchritudinem. Nec hoc tantum quis admirari poſſet, ſed & aliud non minus quàm hoc. Qua enim de cauſa, dic mihi, capitis quidem capilli creſcunt & detondentur, ciliorum verò minime? Neque enim hoc nobis temerè & caſu factum eſt, ſed ne ſe demittentes; oculos obtenebrarent: quod ad profundum deducti ſenium patiuntur. Quis autem poſſet ſapientiã omnem per cerebrũ demonſtratam cõmemorare? Primò quidẽ ipſum molle fecit, quoniam ſenſibus fontes omnibus miniſtrat: poſtea ne propter propriam lædatur naturam, ipſum oſſibus vndique muniuit: rurſum ne oſſium aſperitate attritum vexetur, mẽbranam mediam obtendit, nec vnam ſolam, ſed & alteram, vnam quidem caluariæ inferius ſubextendens, alteram verò supernè cerebri carni circum-

D uoluens, & eſt illa hac durior. Hoc autem fecit tum propter commemoratam cauſam, tum vt illatas capiti plagas non primum excipiat cerebrum, ſed præoccurrentes huiuſmodi membranæ ictibus nocumentum omne diſſoluant, & illæſum ipſum conſeruent. Quin & quod non continuum & vnum ſit os ipſum obtegens, ſed multas ex multis partibus habeat ſuturas, multæ rurſum ſecuritatis ipſi ſit materia. Et vaporum enim ipſum continentium facilis per ſuturas illas exterius fieri poteſt reſpiratio, ita vt non ſuffocetur, & ex plaga quæ alicunde inferatur, non vbique ſit nocumentum. Si enim ſolum & continuum os eſſet, in vnam partem delata plaga totum læſiſſet: nunc autem cùm in multa diuiſum ſit, hoc fieri non poſſet. Etſi enim vnam partem vulnerari accidit, os ſecus illam partem ſitum læditur ſolum, reliqua verò cuncta remanent illæſa, plagæ impetu ex oſſium diuiſione ſublata, nec in proximam extendi valente. Propterea ex multis ipſius tegumen oſſibus Deus compoſuit, &

ſicut domum aliquis ædificans, tectum & tegulas ſuperimponit: ſic ſupra caput Deus oſſa locauit, & capillos fecit germinare, vt pro quibuſdam galeris capiti eſſent. Hoc ipſum profectò & in corde fecit. Quoniam enim cor membrorum noſtrorum principaliſſimum eſt, & totius vitæ noſtræ firmitas eſt ipſi tradita, & ipſo quomodocũque percuſſo naſcitur mors, ſolidis & duris oſſibus hoc vndique circũmuniuit, & pectoris prominẽtiis, & tergi ipſum poſterius muniens: & quod in cerebri membranis fecit, & in hoc idem factum eſt. Ad hoc enim ne continuè ſaliens, & in ira huiuſmodique motibus palpitans, oſſium aſperitati circunſtantium infligens conteratur & doleat multas membranas ſubextendit, & pulmonem ſuppoſuit, velut molle quoddam ſtratum ipſius ſaltibus apponens, vt impunè erumpens ex hoc nihil noxium patiatur. Et quid dico de cerebro & corde, cum vtique ſi quis vel de ipſis vnguibus inueſtiget, multam & in his Dei ſapientiam inuenire valeat apparentem, tum ex ipſorum forma, tum ex ſubſtantia & ſitu? Licebat dicere, quare & magnitudine impares nobis digiti ſint, & multa alia his plura: ſed ſufficienter ex dictis attendere volentibus creatoris noſtri ſapientia Dei refulget. Propterea partem hanc laborioſis relinquens exquirendam cum diligentia, ad aliam conuertar oppoſitionem. Multi nanque præter dicta, & illud cõtradicunt: quid tandem, ſi brutorum rex eſt homo, & robore, & agilitate, & celeritate multa ipſum ſuperant animalia? Etenim homine velocior equus & tolerantior bos, & leuior aquila, & fortior leo. Quid igitur ad hæc dicere poſſumus? quòd & hinc maximè Dei ſapientiam cognoſcimus, & honorem, quo nos decorauit. Velocior quippe equus eſt homine, ſed ad peregrinationis velocitatem equo cõmodior homo. Equus nempe, quamuis omnium velociſſimus & fortiſſimus ſit, vix ducenta ſtadia currit: homo autem multos & ſucceſſione equos conſcendens & duo ſtadiorum millia expedire poterit. Itaque quod illi velocitas, huic ratio & ars cũ maiori tribuit ſuperabundantia: & velociores quidem pedes homo non habet quàm ille, habet verò pedes illius non minus quàm ſuos ſibi miniſtrantes. Brutorum enim nullum animal aliud ad vſum ſuũ ſubiugare poterit: homo autem omnia aggreditur, & per variam artem à Deo ſibi traditam, ad vſum ſibi maximè conuenientem animalium quodque ſubigit. Si verò tam fortes hominum pedes quàm equorum fuiſſent, ad alia fuiſſent inutiles, ad locorum difficultates, & montium vertices, & arborum aſcenſiones. Vngula enim ad talia greſſus impedire ſolet. Itaque etſi molliores ipſorum pedes, tamẽ pluribus opportuni ſunt vtilitatibus, & nihil ex infirmitate læduntur, equi virtute ſibi ſeruiente, & per greſſus varietatem præcellunt. Rurſum eſt aquilæ leuior ala, ſed eſt mihi ratio & ars, per quam poſſum omnia volantia detrahere animalia, & capere. Si verò vis & alam meam videre, habeo quàm illa multò leuiorem, non vſque ad ſtadia decem, vel viginti, nec vſque ad cœlum, ſed ſuper ipſum cœlum euolantem, & ſuper cœlum cœli ſuperiorem, vbi eſt Chriſtus in dextera Dei ſedens. Bruta rurſum corporea gerunt arma: puta bos cornua, dentes aper, vngues leo. Mihi verò non in corporis natura Deus arma repoſuit, ſed extra corpus, demonſtrans quòd animal mite ſit homo, & quòd nõ mihi ſemper horum tempus armorum: etenim frequenter quidem ipſa depono, nonnunquam autem manibus ſumo: vt igitur liber, & abſolutus ſim, ne ſemper geſtare cogar arma, naturæ ſeparata meæ fecit ipſa Deus. Non enim tantum, quia naturã habemus rationalem, bruta ſuperamus, ſed & corpore ipſis præſtamus: & hoc enim animæ generoſitati conueniens Deus præparauit, & mandatis idoneũ: etenim corpus tale non ſimpliciter fecit, ſed quale decet eſſe rationali naturæ miniſtrans. Quod niſi tale eſſet, vehementer impeditæ fuiſſent animæ operationes. Et hoc ex ægritudinibus manifeſtum. Si enim modicum quid à propria conſtitutione auertatur ipſe carnis ſtatus, multæ ex animæ operationibus impediuntur, puta ſi calidius vel frigidius cerebrum fiat. Itaque & ex corpore multam Dei prouidentiam cernere licet, non tantum quoniam ab initio ipſum melius quàm nunc eſt Deus fecit, ſed quoniam & ad gloriam multò maiorem rurſum reſuſcitabit. Si verò & aliunde diſcere vis, quantam Deus ſapientiam circa corpus demonſtrauerit, dicam hoc, quod omnium maximè 1. Cor. 12. d.
Paulus admirari continuè videtur. Quid autem hoc eſt? Membra alterum alteri præſtare fecit, non in iiſdem, ſed hæc quidem in pulchritudine, hæc verò fortitudine præualere ſtatuit: puta, pulcher oculus, ſed fortiores pedes: pretioſum caput, ſed dicere nõ poteſt pedibus, vobis opus nõ habeo? hoc & in brutis cernere licet: hoc & in tota vita videre datur. Rex igitur ſubditis opus habet, ſubditi rege, ſicut caput pedibus. Et rurſum in brutis, hæc quidem ſunt fortiora, hæc autem ſpecioſiora: hæc quidem nos delectant, hæc verò nutriunt, hæc autem amiciunt: puta, delectat quidem pauo, nutriunt autem aues & ſues: oues autem veſtiunt, & capræ, collaborant verò bos & aſinus. Sunt autem & alia quæ horum quidem nihil præbent, exercent autem virtutem noſtram, vt feræ venatorum augent fortitudinem, & timore genus noſtrum erudiunt, & cautius reddunt, nec modicum ad medicinam tributũ nobis de propriis conferunt membris. Itaque cùm tibi quis dixerit, quomodo ſit brutorum dominus, qui timet leonem? Reſponde, quòd ab initio non ita ſe res habebant, quoniam apud Deum probabiles erant homines, quando in paradiſo morabantur: ſed poſtquam dominum offenderunt, ſeruus factus ſum obnoxius, non tamen omnino, ſed habeo aliquam artem, per quam feras ſupero. Sic & in domibus magnis vſu venit, vt filij, quamuis generoſi ſint, tantiſper dum ſunt parum abſoluti, ſeruorum multos formident: cùm autem & peccauerint, multò magis anxietas intendatur. Hæc & de ſerpentibus, & ſcorpiis, & viperis licet dicere, quòd propter peccatum nobis ſunt terribiles. Nec verò tantum in corpore noſtro, membriſque differentibus, & in brutis: verùm & in arboribus varietatem hanc ſpectare licet, & omnium viliſſimam ſæpe videas maiorem ſuperare, nec omnia in ſingulis eſſe, vt omnia nobis ſint neceſſaria, & variam domini nouerimus ſapientiam. Noli igitur Deum propter corporis corruptionem accuſare, ſed propter hoc magis ipſum adora, & ſapientiam & prouidentiam ipſius admirare. Sapientiam quidem, quoniam in tam corruptibili corpore tantam ſcit harmoniam exhibere. Prouidentiam verò, quoniam ipſum corruptibile ad animæ fecit vtilitatem, vt ipſius tumorem comprimat, & ſuperbiam caſtiget. Quare igitur non ab initio ipſum tale fecit Deus, inquit aliquis? Excuſans ſe tibi per ipſa opera, & tantũ non dicens per euentum: ego quidem te ad maiorem vocabam honorem: tu verò teipſum munere indignum reddidiſti, paradiſo excidens: veruntamen neque ſic te deſpiciam, ſed tuum peccatum corrigens, in cœlum reducam. Etenim propterea te tabeſcere & corrumpi tantum temporis dimiſi, vt in temporis prolixitate ſtabilis tibi fiat humilitatis diſciplina, & nunquam priorem reſumas mentem. Pro his omnibus, igitur gratias agamus benigno Deo, & pro tali dilectione grati ſimus, gratitudine nos viciſſim iuuante: & mandati, de quo vobis ſæpius diſſerui, ſtudium habeamus intentum. Neque enim deſiſtam, donec emendemini. Quoniam hoc non quæritur nobis, paucíſne an multis vtar admonitionibus, ſed vt eò vſque moneam, donec vobis perſuaſero. Iudæis quidem Deus per Prophetam dicebat: *Si ad iudicia & contentiones ieiunatis, vt quid* Eſa. 58. a.
ieiunatis?

Digitized by Google

Contra iurantes. *ieiunatis?* per nos verò vobis dicit. Si ad iuramenta & periuria ieiunatis, vt quid mihi ieiunatis? Quomodo enim ſacrũ videbimus Paſcha? Quomodo ſanctum ſuſcipiemus ſacrificium? Quomodo mirabilibus communicabimus myſteriis lingua illa, qua Dei legem conculcauerimus? lingua illa, qua animam contaminauerimus? Si nemo nanque purpuram regalem manibus accipere inquinatis audet, quomodo dominicum corpus lingua polluta ſuſcipiemus? Iuramentum enim maligni, ſacrificiũ verò domini. 1.Cor.6.c *Quæ igitur communicatio luci ad tenebras, vel quæ conuenientia Chriſto ad Belial?* Quòd igitur hac liberari impietate ſtuduiſtis, manifeſtè ſcio: ſed quoniã ſe quiſque per ſeipſum non facilè emendare poteſt, faciamus ſodalitia & collationes: & quod in cõuiuiis pauperes faciunt, quoniam non poteſt quiſque ſolus conuiuium exhibere perfectum, conuenientes omnes ex ſymbolo conuiuium conferunt: hoc & nos faciamus, poſtquam per noſipſos torpidi ſumus, collationes facientes, inter nos conſiliũ ſpondeamus conferre, & monitionem, & exhortationem, & increpationem, & minas, vt ex ſingulorũ ſtudio omnes rectè agamus. Quoniam enim proximorum res acutius videmus quàm noſtras, nos alios cuſtodiamus, & noſtri illis cuſtodiam mandemus, & hoc pulchrum faciamus certamen, vt ita turpem hanc conſuetudinem ſuperantes, cùm fiducia ad ſanctam veniamus ſolennitatem, & ſancti participes ſimus ſacrificij, cum beata ſpe, & conſcientia bona, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, vnà cum ſancto Spiritu in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Deum gratiarum actio pro accepta venia commiſſorum contra Regem: naturalis de mundo ſermocinatio: & quòd hominem creans Deus legem ipſi naturalem indidit: & de iuramento omni diligentia vitando.

Homilia XII.

Et heri dixi, benedictus Deus, & hodie hoc ipſum rurſus dicam. Etſi enim grauia præterierunt, tamen grauium memoria ne prætereat, non vt doleamus, ſed vt gratias agamus. Si enim malorum memoria manſerit, malorum experientia nunquam vrgebit. Quid enim experientia opus eſt, cùm memoria nos corrigat? Sicut igitur ſubmergi nos Deus non permiſit præſentibus procellis, ſic neque noſipſos illis ſublatis reſolui ſinamus. Conſolatus eſt nos tunc mœrentes, gratias ipſi nunc lætantes agamus: conſolatus eſt ſuſpirantes, neque deſeruit, igitur neque noſipſos proſperè agentes prodamus in torporem declinantes: nam ſcriptum eſt. Eccl.18.c *Recordare tempus famis in die ſatietatis.* Recordemur itaque tẽporum tentationis & nos in die remiſſionis, quin & in peccatis hoc ipſum faciamus. Et ſi peccaueris, & tibi peccata Deus remiſerit, veniam quidem ſuſcipe, & gratias age: peccati verò ne obliuiſcere, non vt teipſum cogitatione conſumas, ſed vt animam doceas non laſciuire, neque rurſum in eadem relabi. Sic & Paulus fecit. Cùm enim dixiſſet: 1.Tim.1.c *fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterio,* intulit: *qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus.* Traducatur, inquit, vita ſerui, vt appareat humanitas domini. Etſi enim peccatorum veniam accepi, non tamen eiicio peccatorum memoriam. Nec hoc ſolùm domini benignitatem demonſtrabat, ſed & illum clariorem faciebat. Cùm enim didiceris quis prius fuerit, tunc ipſum magis admiraberis: & cum videris ex quo quis factus fuerit, tunc ipſum magis acceptabis: & ſi multũ peccaueris, mutatus inde bonorum ſpem habebis: nam præter dicta, & in deſperatione poſitos exemplum nos allicit, & exurgere facit. Quod quidem & in ciuitate noſtra. Omnia enim quæ contigerunt, & virtutem veſtram demonſtrãt, qui per pœnitentiam tantum iræ depellere potue-

A ritis: & Dei clementiam prædicant, qui ob modicã conuerſionem tantam nubem imminentium abſtulit: in deſperatione quoque poſitos omnes excitant; diſcentes ex rebus noſtris, ad ſublimia & ad Dei auxilium reſpicientem, quamuis infiniti vndique fluctus obſtrepant, ſubmergi non poſſe. Quis enim vidit, quis audiuit vnquam noſtris caſibus ſimilia? Quotidie ciuitatem noſtram cum ſuis habitatoribus funditus tollẽdam eſſe ſuſpicabamur: ſed cùm diabolus nauigium ſubmergere ſperabat; tunc puram reddidit Deus tranquillitatem. Ne igitur obliuiſcamur magnitudinis malorum, vt beneficiorum à Deo collatorum magnitudinem recordemur. Etenim morborum naturam neſciens, medici artem nunquam ſciet. & pueris noſtris hæc dicamus, & in mille mittamus generationes, vt omnes diſcãt, quomodo diabolus & ciuitatis ſolum delere ſtuduerit; & quomodo ipſam Deus lapſam & iacentem rurſus erigere, néve vllum fieret nocumentum prohibere potuerit, ad hæc & timorem ſuſtulerit, & repulerit cum multa celeritate periculum. B etenim hebdomada præterita ſubſtantias diripi omnes expectabamus, & milites nobis immitti, & infinita alia mala ſuſpicabamur. Sed ecce illa omnia præterierunt, tanquam nubes, & velut vmbra præteriens, & ſola calamitatum expectatione puniti ſumus: imò verò nec puniti ſumus, ſed correcti & meliores facti: quia Deus imperatoris cor emolliuit. Deus igitur ſemper & quotidie, Benedictus Deus: & cum maiori ſtudio ſynaxi vacemus, & curramus ad eccleſiam, vnde vtilitatem tantam accepimus. Scitis enim ab initio quò confugiſtis, quò concurriſtis, vnde facta nobis eſt ſalus. Teneamus igitur ſacram anchoram, & ſicut in tempore periculorum nos non prodidit, ſic neque nos ipſam in tempore remiſſionis relinquamus: ſed cum cura maneamus, & quotidie faciamus conuentus preceſque, & diuina audiamus eloquia: & quod impendebamus otium ſatagentes, & curioſè ſciſcitantes, circuncurrentes è caſtris profectos, C pro inſtantibus malis curam gerentes, hoc omnes diuinas leges audiendo impendamus: non autem in importunas & inutiles exercitationes, ne rurſus in illius negotij neceſſitatem noſipſos redigamus. Tribus igitur præteritis diebus vnum diuinæ cognitionis modum quærebamus, ipſumque in finem deduximus, interpretantes, quomodo *cæli enarrant gloriam Dei:* & quale tandem ſit Pauli dictum, quod *inuiſibilia ipſius à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Pſal.18.a Et demonſtrauimus, quomodo à creatura mundi, & quomodo per cœlum, & terrã, & mare creator glorificatur. Rom.1.c Hodie verò paulisper in hanc rurſum philoſophati materiam, ad alium tranſibimus ſermonem: non enim tantum fecit mundum, ſed etiam vt factus operaretur, effecit: neque totum immobilem dimittens, neque totum iubens moueri. Sed cœlum quidem immotum permanſit, ſicut Propheta inquit: *Qui ſtatuit cœlum tanquam teſtudinem, & extendit ipſum tanquam tentorium ſuper terram.* Pſal.103.a. D Sol verò cũ reliquis ſyderibus quotidie circunuoluitur. Et rurſum terra fixa eſt, aquæ verò ſemper mouentur: nec aquæ tantum, ſed & nubes, & imbres continui & ſucceſſiui tẽpore proprio redditi. Et vna quidem imbrium natura, diuerſa verò quæ ex ipſis fiunt. Etenim in vite vinum fit pluuia, oleum in olea, & in aliis plantis in illarum humores mutatur. Et vnus quidem terræ venter, ſed differẽtes profert fructus: & vnus quidem ſplendoris calor, ſed differenter omnia maturat: hæc quidem tardius, hæc verò citius ad conſummationem deducens. Animalia bruta nos ad virtutem hortantur. Quis hæc non obſtupeſcat & admiretur? imò verò non hoc ſolùm eſt admirabile, quòd varium ipſum & differentem fabricauit, ſed etiam quòd ipſum omnibus communem propoſuit, & diuitibus & pauperibus, & peccatoribus & iuſtis. Quod vtique & Chriſtus dicebat, quòd *ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & ſuper malos: & pluit ſuper & iuſtos & iniuſtos:* Mat.5.g

& infi-

& infinitis ipſum animalibus implens: & naturales brutis inſerens mores, hos quidem imitari, hos verò fugere nos iuſſit. Verbi gratia: Induſtria eſt formica, laborioſam facit operationem. Si igitur attẽdas, maximam ab animali capies admonitionem, vt non emolliaris, néve fugias labores & ſudores: propterea & ſcriptura torpentem ad illam mittit, dicens: Prou. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam.* Non vis, inquit, ex ſcripturis diſcere, quòd bonum eſt operari, & quòd non operans neque manducare debet? non vis à doctoribus hoc audire? diſce hoc à brutis. Sic & in domibus ſæpe facimus. Maiores, & qui videntur eſſe præſtantiores, cùm peccauerint, puerulis ſolertibus attendere exhortamur, dicentes: Reſpice minorem te, quàm eſt induſtrius & ſolers. Et tu igitur ab hoc animali maximam cape ſedulitatis exhortationem, & dominum tuum admirare, non quod ſolem fecit tantum & cœlum, ſed quoniam vtique formicam fecit. Etſi enim breue animal, habet tamen ſapientiæ Dei magnitudinis multam demonſtrationem. Conſidera igitur quàm ſit prudens, & admirare, quomodo potuit Deus in tam breui corpore tãtam iugis inſerere operationis cupiditatẽ. Ab hac quidem laborioſitatem, ab ape verò munditiam, & ſolertiam diſce, & charitatem. Etenim illa non magis ſibiipſi quàm nobis laborat, & quotidie fatigatur: quod maximè Chriſtiano proprium eſt, non ſua quærere, ſed quæ ſunt aliorum. Sicut igitur illa circunuolat omnia prata, vt promptam alteri præparet menſam: ſic & tu fac homo, ſiue pecunias cõgreges, in alios expende: ſiue doctrinæ verba habeas, ne defodias, ſed apponas indigentibus in medium: ſiue aliud peculiare habeas, indigentibus laborum tuorum vtilis fias. Non cernis, quod propterea animalium glorioſiſſima eſt apis, non quia laborat, ſed quoniam aliis laborat? Quoniam & aranea laborat, & fatigatur, & tenues per parietes extendit texturas, omnem mulieris ſapientiam excedentes, ſed eſt ignobile animal, quoniam opus eius nobis nullatenus eſt vtile. Tales ſunt ſibi laborantes, & ſe defatigantes. Imitare columbæ ſimplicitatem, ſectare aſini & bouis in dominum dilectionem, imitare auium ſecuritatem: multum enim lucrari licet à brutis ad morum correctionem. Ex his Chriſtus quoque nos animalibus inſtruit: nam ait. Mat. 10. b *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Et rurſum: Ibidem. *Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſerunt neque metũt, & pater veſter cœleſtis paſcit ea.* Et propheta verò pudefaciens ingratos Iudæos, ſic quodam modo inquit: Eſaiæ. 1. a *Agnouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: Iſraël autem me non agnouit.* Et rurſum: Hier. 8. b. *Turtur & hirundo agri auiculæ cognouerunt tempora ingreſſus ſui: populus vero meus non cognouit iudicia domini Dei ſui.* Ab illis, & ab his animalibus diſce virtutem exercere: à contrariis vero vitium fugere diſce. Sicut enim laborioſa res apis, ſic pernicioſa aſpis: malitiam igitur eius auerſeris, ne audias: Pſal. 13. b *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Impudens rurſum canis, odio quoque habeas hanc improbitatem. Doloſa & fraudulenta vulpes, ne vitium imiteris. Sed ſicut apis pratis ſuperuolans, non omnia legit, ſed vtilibus ſumptis reliqua omittit: ita tu quoque facias, brutorum genus percurrens ſi ſi quid ineſt vtile, ab illis ſume, & quos habent à natura exceſſus, hos tu per liberum corrige arbitrium: & per hoc enim à Deo honoratus es, quod naturales brutorũ nequitias per liberũ arbitrium tibi emendare conceſſit, vt præmia conſequaris. Illis enim non ex electione & ratione bona opera, ſed à ſola natura. Verbi gratia: Apis mellificat, non ratione ad hoc faciendum inducta, ſed à natura inſtituta: quoniam ſi eſſet opus non naturale, neque toti generi attributum, oportebat omnino ex ipſis aliquas artis inexpertas eſſe: nunc verò ex quo factus eſt mundus, vſque in præſentem diem nemo vidit apes ceſſantes, & non mellificãtes. Talia enim naturalia totius generis communia ſunt: quæ verò ex libero arbitrio, non ſunt cõmunia: labore enim indigent vt bene ſuccedant. Omnia igitur optima capiens circumamiciaris: etenim es irrationalium rex: reges autem, ſi quid eſt in ſubditis optimum ſiue aurum, ſiue argentum, ſiue lapides precioſi, ſiue ſumptuoſa veſtimenta, hæc cum ſuperabundantia ipſi poſſident: & ex creatura dominum tuum admirare. Si quid verò te excedit viſibilium, & rationem inuenire nõ potes, propterea creatorem glorifica, quoniam mentem tuam ipſius ſapientia factorum excedit. Ne dicas quare hoc? ad quid hoc? vnumquodque enim vtile eſt, etſi nos rationem ignoramus. Sicut quippe ſi in medici officinam ingrediaris, & multa propoſita videas inſtrumenta, varietatem inſtrumentorum admiraris, licet ipſorum neſcias vſus: ſic & in creatura facias, & ſi videris multa animalium & herbarum, & aliarum rerum quarum vtilitates neſcias, admirare ipſarum varietatem, & obſtupeſce etiam propter hoc ipſarum creatorem, optimumque opificem Deum: quoniam nec omnia tibi nota fecit, nec omnia incognita. Non fecit quippe omnia incognita, ne dicas eſſe mundum ſine prouidentia: non permiſit verò tibi cognita eſſe omnia, ne cognitionis magnitudo te in ſuperbiam extollat. Sic quippe & primum hominem improbus dæmon ille præcipitauit per maioris ſcientiæ ſpem, etiam quam habebat auferens. Propterea & ſapiens quidam admonet, dicens: Eccl. 3. a. *Fortiora te ne quæras, & profundiora te ne ſcruteris: quæ mandata ſunt tibi, hæc cogita.* Ipſius enim operum plura in ſecretis ſunt, & rurſum maiora hominum prudentia demonſtrata ſunt tibi. Hoc autem dixit conſolans mœrentem & dolentem: quoniam non omnia norit: etenim & ea, inquit, quæ noſſe datum eſt, multa prudentiam tuam tranſgrediuntur: neque enim ex te inueniſti, ſed à Deo doctus. Sufficiant igitur datæ diuitiæ, & ne amplius inquiras, ſed pro his quæ accepiſti, & gratias age: noli indignari pro his quę non accepiſti, & pro his quæ noſti, glorifica: ne ſcandalizeris propter ea quæ non noſti. Ambo enim Deus vtiliter fecit: & hæc quidem reuelauit, hæc verò cõcluſit, tuæ conſulens ſaluti. Vnus quippe, quod dixi, Dei cognoſcendi modus per creationem, multos valens dies impendere. Vt enim ſolius hominis cum diligentia expreſſionem percurramus, cum diligentia dico nobis poſſibili, non illa vera diligentia: nam etſi multas factorum rationes diximus, ſunt tamen & aliæ plures arcanæ, quas qui fecit, nouit Deus: non enim omnes ipſi ſcimus. Vt igitur omnem hominis formationem cum diligentia percurramus, & in vnoquoque membro ſapientiam inueniamus, & neruorum, venarum, arteriarum diſtributionem, ſitum, aliorumque omnium formationem conſideremus, nec annus integer nobis ad hanc expoſitionem ſufficiet. Propterea iſtum hic ſermonem ſoluentes, & laborioſis ſtudioſiſque ex dictis præbentes & alias creationis partes percurrendi modũ, ad aliam materiam ſermonẽ vertemus, ipſam quoque Dei prouidentiæ demonſtratiuam. Quæ igitur eſt ſecunda materia? Ab initio Deus hominem formans, legem ipſi naturalem indidit. Et quid tandem eſt lex naturalis? Lex naturalis. Conſcientiam nobis expreſſit, & per ſe diſcibilem conſtituit bonorum & contrariorum ſcientiam. Non enim opus habemus diſcere, quod malum eſt fornicatio, & bonum continentia, ſed ab initio hoc ſcimus. Et vt diſcas, quod ab initio hoc ſcimus, legiſlator leges poſtea ferẽs, & dicens: Non occides: non intulit, malum enim cædes: ſed ſimpliciter, non occides, inquit: prohibuit enim peccatum duntaxat, non docuit. Quare igitur qui dixit, non occides, non addidit quòd malum cædes? quoniam præueniens conſcientia nos hoc docuit, & tanquam ſcientibus & intelligentibus ita loquitur. Cum igitur de alio loquitur mandato, non nobis noto per conſcientiam facto, non tantum

tum

Digitized by Google

tum prohibet, ſed & cauſam apponit. De ſabbato itaque legem ferens, & dicens: *Septima die non facies opus*: (Exod. 20. b.) ſubiunxit cauſam quoque ceſſationis. qualem verò? quod *in die ſeptima requieuit Deus ab omnibus operibus ſuis quæ cœperat facere.* Et rurſum: *Quoniam ſeruus fuiſti in terra Aegypti.* (Deut. 24. b.) Quare igitur, dic mihi, in ſabbato quidem cauſam adiecit, in cæde verò nihil tale fecit? Quoniam hoc quidem mandatum non de principalibus erat, nec per conſcientiam nobis exquiſitis, ſed particulare quoddam, & temporaneum: propterea poſt hæc ſolutum eſt. Neceſſaria verò, & vitam noſtram continentia illa ſunt: Non occides, non furaberis, non mœchaberis. Et ideo nullatenus hic cauſam ponit, nec rationem adducit: ſed ſola opus eſſe putat prohibitione. Nec inde tantũ, ſed & aliunde vobis demonſtrare conabor, quomodo per ſe docilis erat homo ad virtutis cognitionẽ. Primùm Adam patrauit peccatum, & poſt peccatum ſtatim ſe occultauit. Neque enim erant litteræ, non lex, non Moſes: vnde igitur nouit peccatum, vt ſe abſconderet? nec tantũ ſe celat, ſed & accuſatus in alium conatur transferre cauſam, dicens: (Gen. 3. b.) *Mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Et illa rurſus in alium crimen transfert, ſerpentem ſcilicet. Cùm enim Adam dixiſſet: *Vocem tuam domine audiui in paradiſo, & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me:* Deus non ſtatim factum redarguit, neque dixit: quare enim de ligno comediſti? Sed quomodo? *Quis enim indicauit tibi quòd nudus eſſes, niſi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* neque tacuit, nec apertè ipſum redarguit. Non enim tacuit, vt ipſum ad peccati confeſſionem euocaret: nec verò manifeſtè redarguit, ne totum Dei eſſet, & ille priuatus remaneret venia, quæ nobis ex confeſſione naſcitur. Propterea non dixit manifeſtè cauſam, vnde nuditas facta eſſet, ſed ſub interrogationis forma ſermonem profert, illum permittens ad confeſſionem venire. Rurſum in Caïn & Abel idem videre licet. Primùm quidem primitias Deo ferebant laborum ſuorũ. Non enim à peccato tantum, ſed etiam à virtute demonſtremus, quòd amborum eſt capax diſcendorum homo. Quòd igitur homo peccatum eſſe malum iam ſciret, demonſtrauit Adam: quòd autem virtutem eſſe bonum etiam ſciret, rurſum Abel manifeſtauit. Non enim ab vllo diſcens, neque legem de primitiis hæc differentem audiens, ſed à conſcientia doctus, ſacrificium illud obtulit. Propterea non deſcendo ad poſteros ſermone, ſed circa priores homines verſor, quando nondum litteræ, neque lex, neque prophetæ & iudices, ſed ſolus Adam cum filiis erat: vt diſcas quod in natura bonorum & contrariorum ſcientia prius erat repoſita. Vnde enim didicit Abel, quòd bonum eſſet offerre, quòd bonum Deum venerari, & in omnibus gratias agere? Quid igitur Caïn, non obtulit? Obtulit quidem & ipſe, ſed non ſimiliter. Et hic verò rurſum conſcientiæ cognitio apparet: quoniam enim honorato inuidens de cæde deliberabat, doloſam celabat ſententiam: & quid inquit? Age egrediamur foras. Alia figura, charitatis enim ſimulatio: ſententia alia, fratricidij enim deliberatio. Et niſi malum conſilium putabat, quare ipſum obumbrabat, & poſt commiſſam necem rurſum à Deo interrogatus, (Gen. 4.) *Vbi eſt Abel frater tuus?* inquit, *neſcio: nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Quare enim negat? Non patet quòd condemnabat ſeipſum vehementer? Sicut enim ipſius pater ſe abſconderat, ita & hic negat: & poſt interrogationem iterum inquit, (Ibidem.) *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Sed gentilis hæc non fert. Eia igitur & ad illum loquamur, & quòd in creatione fecimus, non ſcripturis tantum, ſed etiam rationibus certamina cõtra illos mouentes, hoc & circa conſcientiã nunc faciamus. Etenim & Paulus hoc mouit argumentum, aduerſus illos pugnans. Quid tandem eſt quod dicunt? Non eſt nobis per ſe aperta lex in conſcientia po-

A ſita, nec eam naturæ Deus inſeruit. Vnde igitur, vnde, inquam, de nuptiis, de cædibus, de teſtamentis, de depoſitis, de proximis non opprimendis, de infinitis aliis leges apud eos ſcripſerunt legiſlatores? hi quippe præſentes fortè à maioribus, natu didicerunt, & illi à prioribus, & rurſum à ſuperioribus iſti. Qui verò ab initio & primi apud eos leges tulerunt à quo didicerunt? non patet quòd à conſcientia? neque enim dicere poſſent, quòd cum Moſe fuerint, quòd prophetas audierint: quomodo enim qui gentiles erant? Sed patet. quod à lege, quam hominem fingens Deus ab initio ipſi poſuit, ab hac & leges poſuerunt, & artes inuenerunt, & alia omnia: etenim & artes ſic conſtitutæ ſunt poſtquam ad ipſas ſponte deuentum eſt ab initio. Sic & iudicia, ſic & pœnæ definitæ ſunt: quod nempe & Paulus dicit. Quoniam enim & gẽtilium multi contradicturi erant, & dicturi: quomodo Deus homines qui fuerunt ante Moſem iudicabat? non miſit legiſlatorem, non legem tulit, B non prophetam parauit, non Apoſtolum, non Euãgeliſtam, quomodo ab ipſis pœnas exigit? Volens Paulus demonſtrare, quòd per ſe diſci facilem habebant legem, & agenda manifeſtè ſciebant, audi quid inquit: *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: eiuſmodi legem non habentes,* (Rom. 2. c.) *ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Quomodo ſine litteris? *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus,* (Ibidem.) *aut etiam defendentibus, in die qua iudicabit Deus occulta hominum, ſecundùm euangelium meum per Ieſum Chriſtum.* Et iterum: *Quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* (Ibidem.) Quid eſt, ſine lege peribunt non lege accuſante, ſed conſcientia & cogitationibus. Si verò legem non habuiſſent conſcientiæ, nec ipſos perire peccantes oportebat. Quomodo enim ſi ſine lege peccauerunt? Sed cum ſine lege dicit, non hoc dicit, quod non habebant legem, ſed quod non habebãt C legem ſcriptam: naturæ vero legem habebant. Et rurſum: *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco.* (Ibidem.) Hæc autem dicebat de ſuperioribus loquens temporibus, quæ ante Chriſti aduentum fuerunt. Et Græcum hîc vocat non idololatram, ſed Deum quidem ſolum adorantem, Iudaicarum verò obſeruationum neceſſitati non deditum, ſabbatiſmis dico, & circuncíſioni, & variis purificationibus: ſed ſapientiam, & pietatẽ omnem exhibentem. Et rurſum de eodem differens, inquit: *Et ira & indignatio, & tribulatio, & anguſtia ſuper omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci.* (Ibidem.) Rurſum hîc Græcum vocat, obſeruatione Iudaïca liberatum. Si itaque neque legem audiuit, neque cum Iudæis conuerſatus eſt, quomodo erit ipſi ira, & indignatio, & tribulatio malum operanti? Quoniam intus conſcientiam habebat increpantem, & docentem & erudientem in omnibus. Vnde D hoc manifeſtum? Ex his in quibus alios caſtigauit peccantes, leges tulit, iudicia conſtituit. Hoc igitur manifeſtans Paulus, de viuentibus in vitio dicebat: *Qui cùm iuſtitiam Dei cognouiſſent, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, non ſolùm qui ea faciunt, ſed etiam qui* (Rom. 1. d.) *conſentiunt.* Et vnde ſcierunt, quòd voluntas Dei eſt, in improbitate viuentes puniri? Vnde? ex his in quibus alios iudicabant peccantes. Si enim malum eſſe non putes cædem, cum homicidam ceperis, ſententia tua non punies: niſi malum eſſe putes adulterare, cùm inciderit adulter, liberas ipſum à pœna. Si verò & in aliorum peccatis leges ſcribis, & pœnas definis, & ſeuerus es iudex, quam habere poſſis excuſationem in quibus ipſe peccas, dicens te agenda ignorare? Mœchati enim eſtis & tu & ille. Quare illum quidem punis, te verò venia dignum cenſes? Si enim malũ neſcias eſſe adulteriũ, neutrum puniri oportebat. Si verò alterum quidem punias, te verò pœnam effugere exiſtimes, quo-

modo

Digitized by Google

modo rationem habere poſſet, eorundē criminum reos nō eaſdem pendere pœnas? Hoc igitur ipſum accuſans Paulus dicebat: *Exiſtimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Non eſt ita, nō eſt. Ex iudicio enim quod in alium protuliſti, ex hoc te nunc Deus iudicabit. Non enim profectò tu quidem iuſtus, Deus autem iniuſtus. Si enim non deſpicis alium iniuſtum, quomodo Deus deſpiciet? Si tu corrigis aliorum peccata, quomodo te Deus non corriget? Si verò non tibi ſtatim pœnam infert, ne ob hoc confidas, ſed time magis. Sic & Paulus iuſſit dicens: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Propterea enim tolerat, non vt peior fias, ſed vt pœnitentiam agas: ſi verò non vis, maioris materia vltionis tibi ſit Dei longanimitas ſine pœnitētia permanenti. Et hoc quippe manifeſtans, dicebat: *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddit vnicuique ſecundùm opera eius.* Quoniam igitur cuique ſecundum opera reddit, & legem propterea nobis naturalem indidit, & ſcripta poſtmodū propterea dedit, vt pœnas exigat peccatorum, & rectè agentes coronet. Multò itaque ſtudio, tanquam ad tremendum conuenturi iudicium, actiones noſtras diſpenſemus, ſcientes quòd nullam aſſequentur veniam, ſi poſt naturalem, & ſcriptam legem, & doctrinam tantam, & admonitionem continuam, ſalutem noſtram negligamus. Volo itaque rurſum de iuramentis vobis loqui, erubeſco autem. Mihi quidem graue non eſt die noctuque eadem vobis dicere: timeo autem, ne poſtquam vos his multis diebus admonuero, multum torporem veſtrū damnabilem oſtendam, qui in negotio tam facili continua egeatis admonitione. Nec tantum erubeſco, ſed & timeo vobis. Continua nanque doctrina aduertentibus ſalutaris quidem & vtilis, torpentibus verò damnoſa & periculoſa. Etenim quantò quis ſæpius audierit, tantò maiorem vltionem attrahet, non faciens quæ dicuntur. Hoc igitur & Iudæis improperans, dicebat Deus: *Miſi prophetas meos exurgens diluculo, & emittens, neque ſic exaudiſtis.* Nos nempe ex multa ſollicitudine hoc faciamus, ſed timeo ne die illa tremenda obſit vobis omnibus hæc admonitio & conſilium. Cùm enim & correctio ſit facilis, & continuè commonefaciens haud ceſſet, quid poterimus in excuſationem dicere? vel quæ nos ratio ab vltione eripiet? Dic nempe mihi, ſi argentum abs te mutuum dari contingat, non continuè debitori occurrens ipſum mutui commonefacis? Hoc & nunc fac, & quiſque putet argentum ſibi proximū debere, huius ſcilicet mandati expletionem, & occurrens ſolutionis ipſum commoneat, ſciens quòd non paruum nobis repoſitum eſt periculum, fratrum curam non agentibus. Propterea & ego eadem dicens nō deſiſto. Timeo enim, ne illa audiam die: Improbe *ſerue & nequam, oportebat te erogare argentum meum à nummulariis.* Ecce enim erogaui, non ſemel, neque bis, ſed ſæpius: veſtrum verò reliquum eſt fœnus reddere. Vſura verò eſt, auditæ monitionis per opera exhibitio: etenim dominica ſunt, quæ erogantur. Ne igitur negligenter ſuſcipiamus, ſed cum diligentia depoſitum contineamus, vt cū multa operatione ipſum illo die reddamus. Niſi enim & alios in idem meritum induxeris, audies vocem illam, quam audiuit qui talentum defodit. Sed vobis ne eueniat hanc audire, ſed aliam vocem, quam operanti reddidit Chriſtus, dicens: *Euge ſerue bone & fidelis, quoniam ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam.* Hanc autem audiemus vocem, ſi idem cum illo ſtudium exhibuerimus: idem verò ſtudium præſtabimus, ſi hoc quod dico, fecerimus. Cùm adhuc feruens eſt auditus in vobis, egreſſi exhortamini inter vos: & ſicut diſiungimini quiſque cum ſalutatione, ſic cum admonitione quiſque domū recedat, & dicat proximo: Conſidera & recordare, quomodo mandatum cuſtodias, & omnino vincemus. Cùm enim & amici te dimiſerint cum tali conſilio, & domum profectum rurſum eadem vxor admoneat, & ſolos perſeuerantes oratio noſtra contineat, celeriter hanc conſuetudinem improbam expellemus. Noui quidem quod admiramini, quare tantum de hoc mandato ſtudium faciam: verùm adimplete mandatum, & tunc dicam. Interim quippe illud dico, quòd lex quidem diuina eſt hoc mandatum, & ipſum tranſgredi non eſt tutum. Si autem enauatum videro, & aliam vobis cauſam commemorabo hac non minorem, vt diſcatis, quòd iuſtè tantum pro hac lege ſtudium exhibui. Hora verò iam per ſupplicationem ſermonem abſoluere. Communiter igitur omnes dicamus: Deus nolens tam mortem peccatoris, quàm vt conuertatur & viuat: & hanc, & alias leges omnes nos expedientes, dignare ſic aſſiſtere tribunali Chriſti tui, vt fiduciam multam aſſecuti, in regnum perueniamus ad gloriam tuam: quoniam te decet gloria, honor, & poteſtas, vnà cum vnigenito filio tuo, & ſancto Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Rom. 2. — Ibidem. — Ibidem. — Contra iurantes. — Hier. 7. f. — Mat 18 d — Matt. 25.

Gratiarum actio ad Deum de mutatione triſtium, & commemoratio ad vltionem protractorum propter ſeditionem, & punitorum. Similiter verò rurſus expoſitio de hominis creatione: & quod legem accepit naturalem, & de explenda iurandi continentia.

HOMILIA XIII.

AB eodem principio, & iiſdem prooemiis, quibus heri & nudiuſtertius cœpi, & hodie incipiam. Dicam & nunc: Benedictus Deus quale præteritum vidimus quatriduum, & quale nunc videmus præſens: quanta in illo obſcuritas tunc erat? quanta nunc in præſenti tranquillitas? Tremendū in ciuitate tribunal illud, & omnium corda conquaſſauit, & nocte fecit diem nihilo eſſe meliorem, non radiis obtenebratis, ſed triſtitia & timore oculos offuſcantibus veſtros. Vt igitur & nos maiorem capiamus voluptatem, pauca eorum quæ tunc acciderunt, commemorare volo. Et vobis enim, & poſteris omnibus vtilem horum eſſe video narrationem: quoniam & de naufragio ſaluatis iucundū eſt fluctuum meminiſſe, & tempeſtatis, & ventorū, poſtquam in portum nauigauerint: & valetudine detentis, deſiderabile poſt ægritudinem, febres, per quas paulò minus ad mortem venerunt, aliis narrare. Cùm enim grauia præterierint, voluptatē habet eorum commemoratio, anima non amplius formidante, ſed maiorem capiente delectationem. Continua enim præteritorum memoria malorum, præſentem tranquillitatem diligentius cognoſci facit. Poſtquam enim ciuitatis maior pars præ timore & cōminatione illa ad deſerta, & fauces montium, & occulta locorum tranſmigrauit, metu ipſos vndique cogente: inanes quidem mulieribus erant domus, vacuum verò viris forum. Vix autem duo vel tres euntes in medio ſeſe videbant, & ipſi tanquam animati mortui circumeuntes. Abibamus in forum iudiciale geſtorum finem viſuri: & collectas ciuitatis reliquias videntes, illud omnium maximè admirati fuimus, quòd multitudine circa fores morante tanquam præſente nemine, ſilentium erat profundiſſimum, omnibus inter ſeſe reſpicientibus, & nemine aſſiſtentem interrogare, aut quicquam audire ab illo audente. Proximum enim quenque ſuſpectum habebat: quoniā multi iam præter omnem ſpem ex medio rapti foro intus coërcebātur. Et omnes communiter in cœlum aſpiciebamus, & manus extendebamus cum ſilentio, ſupernè ſubſidium expectantes, & Deo ſupplicantes, vt iudicandis adeſſet, & iudicantium corda mulceret, &

mitem

Digitized by Google

mitem faceret ſententiam. Et ſicut naufragantes à terra vident, accedere quidem, & manum porrigere, & ærumnam releuare non poſſunt, cum vndis arceantur: extrinſecus autem ab ipſis littoribus manus extendentes & lachrymantes, Deum orant vt aſſiſtat fluctuantibus: ita & hic tacitè omnes mente Deum inuocabant, petentes, vt ad tribunal velut in fluctus adductis manum porrigeret, nec ſineret nauigium ſubmergi, nec in extremum naufragium iudicantium ſolueret iudicium. Et hæc quidem erant pro foribus. Poſtquam verò interiorem aulam introiuimus, rurſus alia his terribiliora vidimus, milites armatos enſibus & clauis, & multam interius iudicantibus quietem præſtantes. Quoniam enim neceſſarij illorum omnes, & vxores, & matres, & filiæ ante fori ianuam conſtiterant, vt ſi eueniret quempiam ad mortem duci, nemo ærumnæ ſpectaculo accenſus, tumultum & turbationem vllam faceret, omnes procul arcebant milites, ipſorũ mentem pauore præoccupantes. Quod autem omnium maximè miſerabile, mater & ſoror cuiuſdam, qui intus iudicabatur, ad ipſa iudicantium veſtibula iacebant, ſe humi ſternentes, & commune omnibus factæ circunſtantibus ſpectaculum, oculos velatæ, & tantum duntaxat erubeſcentes, quantum calamitatis neceſſitas permittebat: neque aderat ipſis ancillula, non vicina, non amica, non vlla neceſſariarum alia, ſed ſolæ cum veſtibus abiectis in medio tot militum aſſumptæ, per humum ſe trahentes circa ipſas fores, interius ſedentibus grauiora patiebantur, carnificum vocem audientes, verberum ſonitum, cæſorum luctum, tremendas iudicantium minas, & per flagellatorum ſingultum grauioribus quam illi doloribus hæ conficiebantur. Quoniam enim in illorum teſtimoniis criminum, proditio periclitabatur, ſicubi quempiam flagellari, vt reos dicerent, ſentiebant, & vlulare: in cœlum reſpicientes Deum orabant, vt illi fortitudinem & tolerantiam daret, ne neceſſariorum ſuorum ſalus proderetur aliorum infirmitatibus, acrem verberum dolorem ferre non valentium: & tale quid rurſum, quale fluctuantibus ſolet, accidebat. Sicut enim illi, ſi quando vndæ impetum videant eminus inſurgentem, & paulatim creſcentem, & nauẽ ſubmergere minantem, etiam priuſquam ipſi propior fiat, præ timore mortui ſunt: ſic & illæ ſi quando voces & vlulatus audiebant emitti, veritæ ne tormenta fugientes qui teſtimoniũ dicere cogebantur, cõtra neceſſariorũ aliquẽ dicerent, infinitas oculos mortes videbant. Et erat cernere intus tormenta, extra tormenta: illos nempe carnifices: has verò naturæ torquebat imperium, & viſcerum compaſſio, & intus luctus, & extra luctus: intus eorum, extra neceſſariorum. Imò verò non ipſi tantum, ſed & ipſi iudicantes corde lugebant, & omnibus grauiora patiebantur, tam acerbæ calamitati miniſtrare coacti. Ego autem aſſidens & hæc cernens, quòd mulieres & virgines thalamis aſſuetæ, nunc commune cunctis ſpectaculum factæ ſunt, & molli aſſuetæ ſtrato, terram pro ſtrato nunc habẽt, & tantum nactæ obſequium ancillularum, eunuchorum, & reliquæ totius vanitatis, nunc omnibus illis priuatæ ad omnium pedes proſternũtur, ſingulos orantes aliquid iudicandis in auxilium conferre, & communem aliquem miſericordiæ quæſtum omnibus fieri, illud dixi Salomonis: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* (Eccleſ. 1.) Videbam enim & hoc ipſum, & aliud verbum ad ipſa perueniens opera, quod dicit, quod *omnis gloria hominis, tanquam flos fœni: ſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* (Eſa. 40. b) Etenim diuitiæ tunc, & generoſitas, & claritas, & amicorum præſentia, & omnia vitæ adiumenta redarguebantur, peccato & iniquitate commiſſa omnem hanc opem ſubuertente: & ſicut auicularum mater pullis ſublatis veniens, & nidum inanem comperiens, ſuos quidem pullos captos eripere nõ poteſt, venatoris autem manus circumuolans, per hoc ipſi dolorem ſuum demonſtrat: ſic & illæ mulieres tunc faciebant, raptis ſibi domo filiis, & interius tanquam in rete quoddam vel laqueum abreptis, accedere quidem, & eripere captos non poterant: ſed circa fores ipſas ſe volutando, & lugendo, & gemendo, & ſpiculatoribus propinquare tentando dolorem demonſtrabant. Hæc equidem tunc aſpiciens, in illius tremendi iudicij cogitationem veni, & intra me dicebam: Si ab hominibus iudicantibus non mater, non ſoror, non pater, nõ alius quiſpiam, licet a perpetratis immunis, iudicatos eripere poteſt, quis in tremendo Chriſti iudicio nobis aſtabit iudicandis? quis in vocem erumpere audebit? quis abductos ad intolerabiles pœnas eripere valebit? Atqui ciuitatis primarij, qui tunc iudicabantur, erant, & ipſum nobilitatis caput. Attamen læti fuiſſent, ſi quis eis dediſſet, vt amittentes omnia, & ſi oportebat, ipſam libertatem, præſenti vita potirentur. Die verò iam exacto, profundiſſimoque facto veſpere, cùm iudicij finis expectaretur, in maiori B erant omnes anxietate. & à Deo petebant dilationem aliquam & prorogationem fieri, & iudicantium animo immittere, vt ad Imperatoris ſententiam referrent exquiſitorum cognitionẽ: fore enim fortaſſis aliquod bonum ex hac dilatione. Et communes à populo ſupplicationes ad benignas Dei aures emittebantur, vt ſaluaret reliquias ciuitatis, nec ipſam à fundamentis penitus euerſam negligeret. Nec videre licebat quenquam nõ hæc cum lachrymis clamantem. Veruntamen nihil propterea iudices interius cauſas audientes tunc inflexit: ſed vnum ſolùm reſpiciebant, vt diligens commiſſorũ quæſtio fieret, & poſtremò catenis ipſos iniectis in carcerem per medium forum agebant, homines equos domi alentes, brauia proponere ſolitos, aliaque innumera valentes clariora numerare officia: & ſubſtantias populabantur, & in omnium foribus proſcriptionis tabulas cernere licebat. Et horum vxores paterna domo eiectæ, ſingulæ illud vxoris C Iob per opera implebant: donum enim ex domo, & locum ex loco circumibant, diuerſorij indigentes: nec enim hoc ipſum erat ipſis facile reperire, vnoquoque timente, & tremiſcente quempiam reorum neceſſarium ſuſcipere, & curæ habere. Veruntamen tot illata paſſi omnibus his contenti erãt, quoniam vita non exciderant præſenti. Et neque pecuniarum mulcta, neque ignominia, neque tenta traductio, neque quodcunque aliud huiuſmodi ipſos mordebat. Calamitatis enim magnitudo, & maiora his patiendi expectatio, eorum animos philoſophari tantum effecit. Et tunc diſcebant, quàm facilis ſit nobis virtus, habilis & expedibilis, & quòd per noſtrum duntaxat neglectum laborioſa res eſſe videtur. Hi enim qui paulo antè modicarum mulctam pecuniarum non æquè tulerunt, mox maiore preſſi formidine, cum omnia ſua amiſiſſent, ac ſi the- D ſaurum inueniſſent, ſic ſe habebant, quoniam animam non perdiderant. Itaque ſi futuræ ſenſus gehennæ nos teneret, & intolerabiles illas cogitaremus pœnas, etiamſi rem, & animam, & corpus Dei legibus tradidiſſemus, nõ doleremus, ſcientes quod maiora lucrabimur, futurorum malorum abſolutionem. Forte cor veſtrum non parum dictorum deploratio molliuit: ſed ne feratis ægrè: etenim quoniam ſubtiliores ſum aggreſſurus ſententias, & mollioris indigeo mentis, hoc feci de induſtria, vt narrationis timore mens veſtra omni torpore excuſſo, ab omnibus exurgens vitæ curis, multa cum facilitate in animæ profundum dicendorum virtutem demittat: ſatis quippe & prius vobis ſermo demonſtrauit, quod naturalis nobis eſt inſita lex bonorum & contrariorum. Vt autem manifeſtior nobis fiat demonſtratio, in eadem & hodie ſermonum materia iterum deſudabimus. Quod ab initio Deus hominem fingens, vtraque dignoſcentem fecit ipſum, demonſtrant omnes homines: ſubiectos quip- (Lex naturalis hominiinſita.)

pe

pe nobis veremur peccantes omnes. Et ſæpe domi- A
nus ad meritoriam vadens mulierem, poſtea ſeruo-
rum quempiam dilectorum intuitus erubuit, & ab
hac improba via receſſit. Rurſum ab aliis taxari ne-
quitiæ nominibus, contumeliam id eſſe ducimus:&
ſi ægrè feramus, in iudicium eos qui id fecerūt, tra-
himus. Ita ſcimus, quid nempe vitium, quid verò
virtus. Hoc quippe ipſum & Chriſtus declarans, &
demonſtrans quod nihil nouum, aut noſtram tran-
ſcendens naturā ſancit: ſed quod olim præueniens
conſcientiæ indiderat noſtræ, poſt multas illas bea-
titudines ita dicebat: *Quæ vultis vt faciant vobis homines,*
Mat. 7. b. *hæc & vos facite ipſis.* Non opus eſt multis ſermonibus,
inquit, neque prolixis legibus, nec varia doctrina,
voluntas tua ſit lex. Vis beneficia capere? confer
beneficium alteri. Vis miſericordiam conſequi?
miſerere proximi. Vis laudari? lauda alium. Vis a-
mari? ama. Vis partibus primis potiri? cede illis
prius alteri. Tu ſis iudex, tu ſis vitæ tuæ legiſlator.
Tob. 4. c. Et rurſum *quod odiſti, alij ne facias.* Per hoc quidem à B
malo fugam inducit, per illud autem virtus opera-
tionem. Odiſti contumeliam pati? ne alium afficias
contumelia. Odiſti inuidiam pati? neque tu alteri
inuideas. Odio habes falli? neque tu fallas alium.
Et in omnibus verò generaliter ſi hæc duo verba
retineamus, alterius diſciplinæ non indigebimus.
Virtutis enim cognitionem indidit animæ noſtræ,
actionem verò & bonam operationem volūtati no-
ſtræ conceſſit. Fortaſſis obſcurum eſt quod dicitur:
igitur idipſum manifeſtius reddere conabor. Vt
ſciamus quod bonum eſt modeſtia, non opus habe-
mus verbis, neque doctrina: nam in natura cogni-
tionem hanc habemus, nec opus eſt cum laboribus
aut fatigationibus circumire & quærere ſi bonum
eſt modeſtia & vtile: ſed communi ſententia om-
nes hoc confitentur, & nemo dubitat de virtute.
Sic & adulterium malum eſſe putamus, & neque hic C
laboribus & diſciplina nobis eſt opus, vt peccati
huius malitia noſcatur, ſed omnes in huiuſmodi
ſententiis ſumus per noſipſos docti. Et virtutem li-
cet ipſam non obeamus, commendamus: ſicut vi-
ciſſim vitium, licet operemur, odimus. Et hoc fuit
maximū Dei beneficium, vt conſcientiam quidem
noſtram & voluntatem, interim & ante actionem
virtuti applicaret, impugnari autem ſineret im-
probitate. Sicut igitur dixi, horum quidem amborū
cognitio omnium hominum conſcientia inſita eſt,
nec vllius indigemus præceptoris ad hæc diſcēda.
Recta vero operatio iam laboribus, voluntati, &
ſtudio data eſt. Quare vero tandem? Quoniam ſi
totum naturæ tribuiſſet, ſine coronis & præmiis
fuiſſemus. Et ſicut bruta virtutum, quas habent,
mercedem aut laudem capere non debēt, ſic & nos
ſi horum aliquid à natura habuiſſemus. Naturæ e-
nim munera, non habentium, ſed datoris ſunt laus D
& commendatio. Igitur non totum naturæ permi-
ſit: propterea rurſum voluntatem totum pondus
ſuſcipere non conceſſit, & cognitionis & emenda-
tionis, ne à virtutis laboribus abhorreret: ſed dictat
quidem ipſi conſcientia quæ ſunt agenda, ad ope-
rationem vero ipſa de ſuo labore affert. Et quod
bonum quidē eſt moderatè viuere, ſine labore no-
uimus: naturalis enim eſt cognitio. Modeſtiam
vero non poſſumus exercere, niſi laborantes & cu-
piditatem refrænantes, & multum ſubeuntes labo-
rem. Non enim hoc quoque nobis adeſt à natura,
ſicut cognitio, ſed opus habet ſedulitate, & ſtudio.
Nec ſolùm ita nobis pondus releuauit, ſed & alio
modo rurſum & ipſorum meritorum quædam na-
turalia nobis ineſſe ſinens: etenim vnà cum his qui
contumeliam patiuntur, indignari, naturale omnes
habemus: ſtatim quippe infeſtantibus efficimur ini-
mici, licet ipſi nihil ſimus paſſi: & gratulari defen-
ſione & auxilio patientibus, & in alienis calamitati-
bus affligi, & charitate multa delectari. Etſi enim
rerum circunſtantiæ puſillanimitatem quandam
inducere videntur, habemus tamen communē in-
ter nos amorem. Et hoc quidam ſapiens innuens,
dicebat: *Omne animal amat ſuum ſimile, & homo proximum* Eccl. 13. a
ſuum. Multos autem & alios præter conſcientiam
præceptores nobis Deus præpoſuit: etenim patres
filiis, & dominos ſeruis, & viros vxoribus, & docto-
res diſcipulis, & legiſlatores & iudices ſubditis, &
amicos amicis. Sæpe vero & ab inimicis non minus
lucramur, quàm ab amicis: cùm enim nobis pecca-
ta exprobrauerint, etiam inuitos in ipſorum corre-
ctionem excitant. Tot autem doctores nobis pro-
poſuit, vt facilis nobis vtilitatis inuentio & repara-
tio fieret, multitudine ad id compellentiū non per-
mittente nos à conferentibus nobis excidere. Ete-
nim ſi parentes contemnamus, magiſtratus timen-
tes, erimus omnino mitiores. Et ſi illos in peccatis
deſpiciamus, nunquam conſcientiæ increpationē
effugere poſſumus. Et ſi hanc aſpernemur & repel-
lamus, multorum ſuſpicionem timentes, meliores
erimus: ſi ad hanc non erubeſcimus, inſitus legum
timor vel inuitos nos caſtigat: & eos qui quidem
iuuenes ſunt, magiſtri & patres, adultos verò legi-
ſlatores & principes in curam ſuam ſumentes cō-
ponunt: ſeruique ſegnius ſe habentes præter dicta,
& à dominis neceſſitatem modeſtiæ ſeruandæ ha-
bent, & mulieres à viris, & multi vndiq; generi no-
ſtro muri ſunt, ne facilè in vitiū dilabamur, & cada
mus. Ad hæc autem omnia & ægritudines, & nego-
tiorū preſſuræ nos docēt: etenim & paupertas cohi-
bet, & mulcta caſtigat, & periculū corripit, & mul-
ta alia huiuſmodi. Non terret te magiſter? non pa-
ter? non princeps? non legiſlator? nō iudex? non
te confundit amicus? non te mordet inimicus? non
caſtigat dominus? non docet maritus? non corrigit
conſcientia? ſed ægritudo ſæpe ſuperueniens cor-
poralis omnia correxit, & mulcta audacem fecit hu-
maniorem: & quod profectò maius eſt, non tantum
nobis, ſed & aliis accidentia mala magnopere nos
adiuuare conſueuerunt: & quidam ipſi quidem gra-
ue nil paſſi, alios vero puniri conſpicati, non minùs
illis caſtigati ſunt. Hoc & in benefactis quis videat
euenire. Sicut enim dum puniuntur mali, alij me-
liores efficiuntur: ſic bonis bene ſe gerētibus mul-
ti ad ſimilem zelum inducuntur. Quod & in iura-
mentorum fuga contigit: multi enim alios intuiti
malam depoſuiſſe iurandi conſuetudinem, ſtudium
imitati ſunt, peccatumque vicerunt: propterea &
nos promptius eandem tangimus admonitionem.
Nemo enim mihi dicat, quòd multi correcti ſunt:
hoc nō eſt quod quæritur, ſed vt omnes. Quouſque Mat. 18. b
hoc non videro, reſpirare non poſſum. Paſtor ille
centum oues habebat, & vna amiſſa, non ſenſit de
nonaginta nouem ſalute delectationem, donec per-
ditam inuenit, & gregi reſtituit. Nam cernis & in
corpore hoc fieri: ſi enim vel vnguem ſolū offen-
dentes ſubuertimus, totum corpus membro cōdo-
let. Ne hoc igitur dicas quòd pauci quidam relicti
ſunt, qui non ſunt correcti: ſed illud conſidera:
quòd iſti pauci non correcti multos corrumpunt
alios. Etenim & apud Corinthios vnus erat forni-
catus, & tamen tantum gemebat Paulus, tanquam 1. Cor. 5. a
tota perdita ciuitate: & meritò. ſciebat enim quòd
illo non correcto, vitium ſerpens & alios omnes in-
uaderet. Vidi nuper in iudicio vinctos, & per me-
dium forū abductos illos illuſtres viros: & quibuſ-
dam contumeliæ exceſſum admirantibus, nihil ad-
mirari oportere, alij dicebant. Vbi enim capitis de-
uotio, dignitas nihil prodeſt. Nónne igitur multò
magis, vbi ſit impietas, nihil dignitas adiuuat? Hæc
igitur cogitantes, noſipſos excitemus: niſi enim
ſtudiū adhibueritis vos, à nobis omnia aguntur ſu-
perflua. Quid ita tandem? quoniam non ſicut reli-
quæ artes, ita eſt docendi vis. Argentarius enim
qualecunque vas excuderit & repoſuerit, tale po-
ſtridie reuerſus iterum inueniet: & ærarius & mar-
morarius, & artificum quiſque quale propriū opus

dimiſe-

Digitized by Google

dimiſerit,tale rurſum recipiet. Circa vos verò non ita, ſed contrarium omnino: non enim inanimata vaſa, ſed animas cudimus rationales. Propterea non tales vos inuenimus, quales relinquimus, ſed poſtquam ſuſceptos labore multo reformauerimus & correxerimus, & effecerimus feruentiores, egreſſos negotiorum circumſtantia vos vndique circumcurrens rurſum peruertit, & maiorem nobis præbet difficultatem. Idcirco ſupplico & oro, manum porrigatis; & quantum ego hic ad correctionem veſtram ſtudium facio, tantum vos hinc digreſſi, circa ſalutem veſtram curæ demonſtretis. Vtinam poſſet fieri, vt ego pro vobis bene mererer,& meritorum brauia vos caperetis,nec tantum vos vexaſſem. Sed quid faciam? Hoc impoſſibile Eccl.29.c eſt: *vnique enim ſecundùm opera ſua retribuet*. Sicut igitur mater filium febricitantem cernens, dolenti & ardenti aſſiſtens, lugens ægrotanti dicit filio: Vtinam fili febrem ego ſuſcipere poſſem, & in me flam- B mam attrahere. Sic profectò & ego dico nunc. Vtinam poſſibile eſſet me pro vobis laborantem omnibus rectè agere. Sed non licet hoc, non licet, ſed quemque neceſſe eſt à ſe commiſſorum rationem reddere: neque videre eſt alium pro alio puniri. Propterea doleo & lugeo, quòd vobis die illo accuſatis aſſiſtere non potero, maximè cum neque mihi fiducia apud Deum ſit tanta: ſi verò & fiduciam ha- Hier. 15. a. berem, non ſum Moſe ſanctior, neque Samuële iuſtior, quos ad virtutis tantum peruenientes, non permiſit poſſe quid Iudæos adiuuare, quòd nimio torpori ſeipſos illi dediſſent. Quoniam igitur ex propriis operibus punimur & ſaluamur, ſtudeamus, quæſo, cum aliis omnibus & hoc explere mandatum, vt cum bona ſpe hinc abeuntes promiſſa bona aſſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, vnà cum ſancto Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Populo omni ab anguſtia liberato, & conſtituto in fiducia, quidam rurſum ciuitatem rumoribus tremendis turbauerunt, & de iuramentorum abſtinentia admonitio. Ideoq; & de Ionatha & Saule, & Iepthe hiſtoria producta eſt: & demonſtratum, quòd ex vno iuramento fiunt multa periuria.

Homilia XIV.

NON parum ciuitatem nobis heri diabolus perturbauit, ſed & Deus nos iterum non parum conſolatus eſt, ita vt & quiſque noſtrum oporPſal.93 d tunè dicere poſſit illud propheticum: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam*. Nec tantùm conſolando, ſed & perturbari permittendo, prouidentiam nobis ſuam Deus exhibuit. Quod enim nunquam dicere deſtiti, hoc & hodie dicam, quòd non tantùm malorum abſolutio, ſed & horum permiſſio ſit ex Dei beneuolentia. Cum enim nos ad torporem declinantes viderit, & ab ipſius familiaritate reſiliẽtes, & ſpiritualium nulla rationem facientes, paulum nos derelinquit, vt ita caſtigati, ad ipſum ſtudioſius redeamus. Et quid admiraris, ſi circa nos torpẽtes hoc facit, quippe cum & Paulus, & in ſeſe, & in diſcipulis ſuis hanc tentationem cauſam eſſe dixerit? Etenim ad Corinthios ſecundam mittens 2.Cor.1 b epiſtolam, ſic dicebat: *Nolo vos ignorare fratres de tribulatione facta nobis in Aſia, quod ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere, ſed ipſi in nobiſipſis reſponſum mortis habuimus*. Tam magna nobis, inquit, incubuere pericula, vt viuere abominaremur, nec amplius ſperaremus vllam fore bonam mutationem, niſi mortem omnino expectare. Hoc enim illud eſt, Ipſi in nobiſipſis reſponſum mortis habuimus: ſed tamen poſt tantam deſperationem depulit Deus procellam, & nubem abegit, noſque ex ipſis mortis faucibus eripuit. Mox demonſtrans quod concedere vt in tantũ inciderimus periculũ, multæ erat prouidentiæ opus, ex tentationibus etiam lucrum commemorat. Hoc autem erat, continuè ad ipſum reſpicere, & nil magnum ſapere, & non extolli. Propterea cum dixiſſet, quod *ipſi in nobiſipſis reſponſum mortis habuimus*, & cauſam intulit. Quæ vero hæc eſt cauſa? *Vt non ſimus fidentes in nobis*, inquit, *ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos*. Dormitantes enim nos & degrauatos expergefacere ſolet, & excitare, & religioſiores facere tentationum natura. Cum igitur videris dilecte tentationem nunc quidem extinctam, rurſum autem accenſam, ne concidas, neu refugias: ſed bonam ſpem teneamus, illud intra nos ratiocinantes, quod non peroſus, nec auerſatus nos Deus inimicorum manibus tradit: ſed ſtudioſiores, & ſibi magis familiares facere volens. Ne igitur retrocedamus, nec mutationem in melius deſperemus, ſed celerrimam ſperemus fore B tranquillitatem, & omnium quibus agitamur tumultuũ finem in Deum proiicientes, rurſum conſueta attingamus, ſolitamque in medium doctrinam producamus. rurſus enim vobis de eadem materia dicere volo, vt de mente veſtra improba iurandi conſuetudo radicitus euellatur. Idcirco neceſſe rurſum ad eandem confugere ſupplicationem. Etenim antea vos rogaui, vt Ioannis caput ab- Contra iurantes. ſciſſum adhuc calido cruore deſtillans ſumentes, ſic domum quiſque ſuam redeatis, & putetis ante oculos habere ipſum vocem emittentem, & dicentem: Odio habete iugulatorem meum iuramẽtum. Quod increpatio non fecit, hoc fecit iuramentum: quod ira non potuit tyrannica, hoc periurij neceſſitas effecit. Et quando nempè omnibus publicè audientibus arguebatur, increpationem generosè tulit tyrannus: cùm verò ſe in iuramentorum neceſſitatem adegit, tunc illud beatum caput abſcidit. Hoc ipſum igitur & nunc peto, & petere non C deſiſtam, vt quocunque abierimus, hoc geſtantes caput abeamus, & omnibus clamans oſtendamus, & iuramenta vituperans. Quamuis nanque valdè ſimus ignaui & negligentes, capitis illius oculos intuiti, terribiliter nos reſpicientis, & minantis iurantibus, fræno omni vehementius per timorem huiuſmodi repreſſi, cohibere & auertere facilè poterimus linguam à iurandi præcipitio. Nec enim hoc ſolùm habet mali iuramentum quòd & temerarium, & ſeruatum iuratos pœnæ facit obnoxios, quod in nullo peccatorum alio accidere quiſpiam videt: ſed & aliud non minus iſto malum. Quod autem hoc eſt? quòd neque volentibus, neque ſtudentibus ſæpius poſſibile eſt bene iurare. Primò quippe continuè iurans, & volens & inuitus, & neſciens & ſciens, & ſerio & ioco loquens, & ab ira ſæpe elatus, & à multis aliis, omninò peierabit. Et ad hæc contradicet nemo, vſqueadeo eſt conceſſum & manifeſtum, quòd multum iuranD tem & periurum eſſe neceſſarium eſt. Secundò, quòd etſi non raptus, aut inuitus, aut ignorans hoc patiatur: ab ipſa rei natura, & voluntarius, & ſciens omnino peierare cogetur. Sæpius igitur nobis prandentibus, & ſeruorum aliquo peccante, ſe illum flagellaturum vxor iurauit, mox vir contrarium iurauit, & reſtitit contendens, nec permittens. Hic quicquid fecerint, neceſſe eſt omnino periurium conſtitui: nec enim volentibus ipſis & ſtudentibus iam eſt poſſibile cuſtodire iuramentum. Sed quicquid fiat, ipſorum alter periurij reus fiet, vel potius ambo, hoc ſcilicet modo, quem dicam: hoc enim eſt admirabile. Iuratus flagellare ſeruum vel ancillulam, poſtea prohibitus, & ipſe peierauit, quoniam non fecit quod iurauit: & prohibentem ac iuramenti veritatem impedientem periurij crimine alligauit. Non enim peierãtes tantum, ſed aliis quoque neceſſitatem hanc afferentes, eorundem rei ſunt criminũ: nec domi tantum, ſed & in publico hoc quiſpiam fieri videret, & in

Digitized by Google

pugnis maximè, quando inter ſe pugnantes contraria iurant: hic quidem verberare, ille vero non verberari: quidem pallium auferre, ille vero non permittere: hic quidem argentum recipere, ille verò non reddere: & multa alia contendentes iurant huiuſmodi. Hoc verò alia & in officinis, & ludis quiſpiam euenire videt. Sæpius quippe artifex diſcipulum comedere & bibere non prius ſe permiſſurum eſſe iurauit, quàm totum opus iniunctum expediret. Hoc autem & pædagogus ſæpe in puerum, & in ancillam domina fecit. Et neceſſe eſt ſuperueniente veſpere & opere non impleto, vel fame non expedientes abſumi, vel iuratos omnino peierare. Malignus enim dæmō ille bonis ſemper noſtris inſidians aſſiſtit: quia iuramentorum neceſſitatem audiens, in torporem obnoxios impellit, vel aliā molitur difficultatem, vt non impleto opere, & plagæ, & contumeliæ, & periuria, & infinita alia mala fiant. Sicut enim pueri funiculum longum & corruptum ex contrario inter ſe trahentes cum multo impetu ſupini omnes cadunt, funiculo per medium diſrupto, & hi quidem capite, hi verò alia corporis parte feriuntur: ſic & inter ſe contraria iurantes, iuramento pro rerum neceſſitate diſrupto, in periurij barathrum vtrique cadunt: hi quidem peierando, hi verò periurij cauſam aliis præbendo. Et vt hoc non tantum ex his quæ quotidie in domibus & plateis fiunt, ſed etiam ex ipſis ſcripturis fiat manifeſtum, antiquam vobis quandam narrabo hiſtoriam dictis conuenientem. Hoſtes aliquando Iudæorum aggreſſo Ionatha (hic autem erat Saulis filius) hos quidem trucidante, illos verò in fugam conuertente, volens Saül huius pater amplius contra reliquos exercitum excitare, & facere ne prius abſiſteret, quàm omnes opprimeret, contrarium quàm voluit, fecit iuratus neminē vſque ad veſperā panem comedere vſque ad hoſtiū vltionem ſuorū. Quid nempe hac re ſtultius fieri poſſet? Fatigatos enim, & labore multo preſſos milites cum refocillare debuiſſet, & recentiores hoſtibus immittere, hoſtibus grauius ipſos habuit, per iuramenti neceſſitatem fami grauiſſimæ ipſos tradens: periculoſum quippe de ſeipſo quempiam iurare, ſæpius enim à rerum circunſtantia cogimur: aliorum autem ſententiam iuramentorum ſuorum neceſſitate comprehendere, multò periculoſius, & maximè cùm non de vno, aut duobus vel tribus, ſed de multitudine quis infinita iuret: ſicut tunc Saul inconſideratè, neque quòd veriſimile erat, ex tanto numero vnum ſaltem iuramentum tranſgredi cogitauit, neque quòd milites, & milites pugnantes, & multum à diſciplina alieni ventrē vincere neſciunt, & maximè cum labor ſit plurimus. Sed hęc omnia ille deſpiciens tanquam de ſolo tantùm, ſeruo iurans, quem facilè cohibere poſſet: ſic de omni ratiocinatus eſt exercitu. Et ideo tantùm diabolo aditū aperuit, vt non tantum duo, & tria, & quatuor, ſed & multò plura hoc ex iuramento periuria texeret. Sicut enim cum nihil omnino iuramus, omnes ipſi aditus obſtruimus: ita ſi vnum duntaxat iuramentum emiſerimus, ipſi magnam infinita componendi periuria poteſtatem præbemus. Et ſicut catenas complicantes, ſi caput qui teneat habeant, facilè & diligenter totam expediunt nodorū ſeriem: ſi verò faciens hoc adſit nemo, nec exordium aggredi poſſunt. Eodem certè modo diabolus quoque peccatorum noſtrorum catenas nectens niſi à lingua noſtra principium caperet, nec aggredi quidem poſſet: ſi verò nos principium duntaxat fecerimus, velut manu, lingua iuramentū nobis retinentibus, cùm multa iam licētia malignam artem ſuam exercet, ex vno iuramento innumera componens & texens periuria: quod profectò & nunc in Saule hic effecit. Aſpice nēpe qualis hoc iuramento laqueus exoritur. Syluam præteribat exercitus fauum habentem, & fauum ante faciem populi, & ingreſſus

(1. Reg. 15. b.)

A eſt populus ad fauum, & tranſibat loquens. Vidiſti quanta vorago? Menſa extemporanea, vt & accedendi facilitas, & nutrimenti ſuauitas, & latendi ſpes in iuramentorum præuaricationem ipſos alliceret. Nam fames, & labor, & tempus (omnis enim, inquit, terra prandebat) tunc ad præuaricationem impellebant. Fauorum verò aſpectus quoque intentionem ſoluens, extrinſecus ipſos inuitabat. Menſæ enim tum iucunditas, tum facilis apparatus, & deprehendendi furti difficultas omnem ſapientiam fallere poterant. Si nempe carnes fuiſſent, quas elixare vel torrere oportebat, non tantùm ipſorum animos allexiſſent, cum in ipſis coquendis, & ad eſcam præparandis ceſſare, & tardare, & deprehendi expectare oporteret: nunc verò nil erat tale, ſed mel ſolùm, vbi occupationis nullius talis opus erat. Sufficiebat autem ſummum digitum intingentem nutrimenti partem capere & latere. B Veruntamen illi cupiditatem continuerunt, nec intra ſe dixerunt, Quid autem nobis curæ eſt? Nunquid enim quiſquam noſtrûm hoc iurauit? ille inconſideratorum pœnas dabit iuramentorum. Quare namque iurabat? Sed nihil huiuſmodi cogitauerunt, ſed cum multa tranſibant reuerentia: & cum tot eſſent ipſos allicientia, diſciplinam ſeruabant, & tranſibat populus loquēs. Quid eſt, tranſibat loquens? dolorem verbis conſolantes inter ſeſe loquebantur. Quid igitur poſtquam omnis populus diſciplinam ſeruauit? Num nihil amplius actum eſt, & ſeruatum iuramentum? Nec ita quidem ſeruatum eſt, ſed temeratum. Qualiter autem, & quomodo, ſtatim audietis: vt & omnem diaboli artem addiſcatis. Ionathas enim, qui non audierat patrem ſuum iurantem, extendit ſummitatem ſceptri, quod habebat in manu ſua, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam in os ſuum, & reſpexerunt oculi eius. Vide quem ad periurium impulit, non vnum militum, ſed ipſum iurati filium: C nec enim periurium patrare tantùm volebat, verùm & filij cædem componebat. Et hoc à longè moliebatur, & naturam ipſam contra ſeipſam diuidere feſtinabat, & quod olim in Iepthe fecerat, hoc & poſtea facere ſperabat. Etenim ille Deo pollicitus ſe primum ſibi occurſurum poſt belli victoriam iugulaturum; in filiæ necem cecidit. Filiolam enim primùm ſibi occurrentē immolauit, & Deus non prohibuit. Et noui quidem, quòd infidelium multi crudelitatem & inhumanitatem nobis improperant propter hoc ſacrificium. Ego verò multæ prouidentiæ & clementiæ demonſtratione permiſſionem in hoc ſacrificio factam eſſe dicerem: & quòd generis noſtri curam gerens, cædem non prohibuit. Si enim poſt votum & promiſſionem illam ſacrificium prohibuiſſet, multi etiam poſt Iepthe Deum ſperantes non ſuſceptorum, multa vouiſſent huiuſmodi vota, & pergentes in filiorum cædem incidiſſent: D nunc verò illud opere permittens impleri, poſteros omnes prohibuit. Et quòd hoc ſit verum, poſtquam Iepthe filiola fuit iugulata, vt ſempiternæ memoriæ calamitas eſſet, neu malum obliuioni traderetur, apud Iudæos lex eſt lata, vt virgines illo tempore conuenientes, quadraginta diebus commiſſam cædem deplororent, vt luctu cædis memoriam renouantes, poſteros omnes prudentiores faciant, & diſcant quòd de mente Dei non erat vt hoc fieret: neque enim lugere & plorare virgines permiſiſſet. Et quòd non coniectura ſit quod dicitur, finis demonſtrauit. Poſt illud enim ſacrificium, nemo tale Deo votum vouit, propterea hoc non prohibuit. Quod autem ipſe mandauit in Iſaac, vetuit: per ambo demonſtrans, quòd non gaudet huiuſmodi ſacrificiis. Sed malignus dæmō & nunc talē tragœdiam patrare contendebat: ideoq; Ionathan ad præuaricationem impulit. Si quis enim militum præuaricatus legem fuiſſet, nullum magnum fieri malum

(1. Reg. 14. c.) (Iudic. 11.) (Gen. 22. b.)

ipſi

ipſi videbatur: nunc autem malis inſaturatus humanis, nec vnquam noſtris expletus miſeriis, nihil glorioſum ſe facere putabat, ſi cædem moliretur ſimplicem: ſed niſi filij morte regis dexteram pollueret, feciſſe nihil ſe magnum arbitrabatur. Et quid dico filij cædem? Excogitauit enim ſceleratus ille & hac rurſum profaniorem moliri cædem. Si enim ſciens peccaſſet, & iugulatus fuiſſet, filij cædes tantùm id erat: nunc autem ex ignorantia præuaricatus (nec enim audiuit iuramenta) deinde interfectus, duplicem patri dolorem effeciſſet: filium enim, & filium qui nihil peccauerat, immolaturus erat. Sed iam ad hiſtoriæ reliqua eundum eſt. Poſtquam enim comedit, reſpexerunt oculi ipſius, inquit. Multum & hinc regis accuſat ſtultitiam, demonſtrans quòd milites cunctos ferè fames obcæcauerat, & multam ipſorum oculis infuderat caliginem. Poſtea conſpicatus quidam militum, ait: Iuratus adiurauit pater tuus populum, qui comederit panem hodie: & diſſolutus eſt populus. Et dixit Ionathas: Diſſoluit pater meus terram. Quid eſt, diſſoluit? perdidit, corrupit omnes. Temerato igitur iureiurando omnes tacebant, & reum nemo in medium agere audebat. Non modicum autem & hoc aliud crimen factum eſt. Non enim ſolùm peierantes, ſed & conſcij, & obtegentes criminibus communicant. Veruntamen reliqua videamus. Et inquit Saul: Deſcendamus poſt alienigenas, & diripiamus eos, & dixit ſacerdos, Accedamus huc ad Deum. Antiquitus enim Deus dux erat bellorum, & abſque illius ſententia nunquam attingere pugnam auſi fuiſſent, & bellum ipſis pietatis materia fiebat. Nec enim ex corporis infirmitate, ſed à peccato vincebantur, ſi quando & victi fuiſſent: nec potentia aut fortitudine, ſed ſuperna beneuolentia vincebant, quandocunque vincebant. Et victoria & clades exercitatio ipſis & virtutis inſtructio erat: nec ipſis tantùm, ſed etiam ipſos oppugnantibus. Etenim hoc ipſis manifeſtum erat, quòd non armorum natura, ſed bellantium vita & meritis cum Iudæis bellum decernebatur. Hoc itaque ſcientes Madianei, & cognoſcentes quòd gens illa inexpugnabilis eſt, & gladiis quidem & armis expugnari non poteſt, peccato verò tantum ipſam capere facile, virgines ſpecioſas ornantes, & ante caſtra ſtatuentes, ad laſciuiam milites prouocabant, per fornicationem Dei auxilium auferre ſtudentes: quod quidem & euenit. Poſtquam enim in peccatum ceciderunt, omnibus facti ſunt expugnabiles: & quos arma, & equi, & milites, & tot machinamenta capere non potuerunt, hos peccati natura vinctos hoſtibus tradidit: & clypei quidem, & haſtæ, & ſagittæ omnes fruſtrabantur, vultus autem forma, & animi laſciuia hos expugnauit, alioqui generoſos. Propterea admonet quidē dicens: *Ne diſcas pulchritudinem alienam, & ne occurras mulieri fornicanti: mel enim diſtillat à labiis mulieris fornicantis, quòd ad tempus impinguat guttur tuum, poſtmodum amarius felle ipſum inuenies, & acutum plus gladio ancipiti.* Meretrix enim amare neſcit, ſed inſidiatur tantùm: venenum habet ipſius oſculum, & toxicum os pernicioſum. Si verò non ſtatim apparet, propterea magis ipſam fugere oportet, quoniam obtegit perniciem, & mortem habet celatam, nec à primordiis manifeſtam apparere permittit. Itaque ſi quis voluptatem ſectatur, & vitam lętitiæ plenam, fornicantium conſortia mulierum fugiat: bellis enim innumeris & tumultibus amatorum animos implent, continuas ipſis pugnas contentioneſque concitantes per verba, per opera. Et ſicut hoſtium inimiciſſimi, ſic profecto & hæ omnia faciunt & negotiantur ad hoc vt ſectantes & ignominiæ & paupertatis extremis malis incidant. Et quemadmodum venatores retibus extenſis ſyluestria animalia immittere aggrediuntur, vt ipſa ingulent: ita & hæ poſtquam laſciuiæ pennas vndique extenderint per oculos, & habitus, & verba,

1. Reg. 14 d.

Prou. 5 a

Aſſimili.

poſtea ſuos inniciunt amatores & colligant, non prius abſiſtentes, quàm & ipſorum cruorem ebiberint, inſultantes poſtmodum & ipſorum ſtultitiam carpentes, & multum de ipſis riſum fundentes: neque enim iam miſericordiam inuenire dignus eſt huiuſmodi, ſed derideri & morderi, cùm muliere, & muliere meretrice ſtolidior apparet. Propterea rurſus nos admonet ſapiens ille cùm dicit: *Bibe aquas de vaſis tuis, & tuorum puteorum fonte.* & rurſum: *Ceruus amicitiæ, & pullus tuarum gratiarum conuerſetur tecum*: de vxore per nuptiarum legem cohabitante hoc dicens: Quid derelinquis adiutricem, & ad inſidiatricem curris? Quid vitæ communicatricem auerſaris, & vitam tuam ſubuertentem ſectaris? hæc membrum tuum, & corpus eſt: illa gladius acutus. Propterea dilecti, fugite fornicationem & propter præſentia mala, & propter pœnam futuram. Fortè materia excidiſſe videtur. Sed hoc non eſt excidere. Non enim hiſtorias vobis ſimpliciter legere volumus, ſed nequitiarum vos infeſtantium quamque corrigere: propterea & continuas vobis incutimus confuſiones, vndique vobis ſermonem conſtruentes, poſtquam & vniuerſas ægritudines in tanto populo eſſe veriſimile eſt. Nec vnum ſolum curare membrum nobis propoſitum eſt, ſed multa & varia: idcirco varium etiam eſſe doctrinæ medicamentum oportet. Redeamus igitur vnde digreſſi ſumus, vt hæc diceremus. Et dixit ſacerdos: Accedamus ad Deum. Et Deum Saul interrogauit: An deſcendam poſt alienigenas, & trades ipſos in manus meas? Et non reſpondit ei in die illa dominus. Reſpice benignitatem & manſuetudinem clementiſſimi Dei. Non enim fulmen immiſit, neque terram concuſſit: ſed quod in amicos amici faciunt, quando contumeliis affecti fuerint, hoc & in ſeruum dominus fecit. Tacuit, tantum per ſilentium loquens, & omnem ipſi demonſtrans indignationem. Cognouit hoc Saul, & dixit: Adducite omnes tribus populi, & cognoſcite, & videte in quo factum eſt hodie peccatum hoc, quoniam viuit dominus, qui ſaluum fecit Iſrael, quòd ſi reſponderit contra Ionathan filium meum, morte morietur. Vidiſti temeritatem? Intuitus temeratum prius iuramentum, neque ſic caſtigatur, ſed & ſecundum adiicit rurſum. Et conſidera diaboli malignitatem. Quoniam enim cognoſcebat, quòd ſæpius puer conſpectus & in mediū productus, ex ipſo aſpectu ſtatim patrem mitigare, & regis iram mollire poterat, ſecundorum rurſus iuramentorum neceſſitate ipſius ſententiam præoccupauit duplici quodam vinculo cohibens ipſum, nec permittens propriæ fieri ſententiæ dominum, ſed vndique in illam cædem iniquam impellens. Et nondum comperto quis peccaſſet, iudicium fecit, & reum neſciens, lata damnauit ſententia. Et pater factus eſt filij carnifex, & ante examinationem damnationis protulit ſententiam. Quid hoc irrationabilius fieri poſſet? Hæc igitur illo dicere magis timuit populus, & omnes erant in tremore & timore multo: diabolus autem lætabatur, omnes anxios conſtituens. Non enim erat qui reſponderet, inquit, ex toto populo, & dixit Saul. Vos eritis in ſeruitutem, & ego & filius meus Ionathas in ſeruitutem. Quod autem dicit, tale eſt: Nihil aliud, inquit, ſtudetis, quàm hoſtibus vos tradere, & pro liberis ſeruos facere, Deum contra vos inſtigantes, reum non tradendo. Reſpice autem & aliam ex iuramento conflatam contrarietatem. Cùm enim opus eſſet, ſi autorem inuenire volebat, nihil tale minari, nec iuramento vltionem obligare, vt audaciores facti reum promptius in medium agerent: ille rurſum ex ira, & furore multo, & priori ſtultitia contrarium quàm vult iterum facit. Quid opus eſt multa dicere? Sorti negotium conceſſit, & ſorte deprehendetur Saul & Ionathas. Et dixit Saul: Iacite ſortem inter

Fornicationis deteſtatio.
Prou. 5.
Ibidem.
Iuxta 70.

me & Ionathan, & iaciunt ſortem & capitur Ionathas: & dixit Saul ad Ionathan: Annuntia mihi, quid feciſti: Et annuntiauit ipſi Ionathas, dicens: Guſtans guſtaui ſummitate ſceptri quod habebam in manu mea, parum mellis, & en ego morior. Quem non flexiſſent, quem non in miſericordiam egiſſent hæc verba? Conſidera quantum procellæ deinde Saul ſuſtinuit, cùm ipſius viſcera diuideretur, & vtrinque profundiſſimum apparet præcipitium: ſed tamen nec ira correctus eſt. Sed quid ait? Hæc faciat mihi Deus, & hæc adiiciat, quoniam morte morieris hodie. Ecce tertium rurſum iuramentum, nec ſimpliciter tertium, ſed etiam cum multa temporis anguſtia. Non enim ſimpliciter dixit, quòd morieris: ſed, hodie. Feſtinabat enim diabolus ipſum in hanc impiam agere cædem, impellere. Propterea nec ſententiæ ſtudium adhibere permittit,
1.Reg.14 g ne qua ex mora mali fiat correctio. Et dixit populus ad Saul: Hæc faciat nobis Deus, & hæc adiiciat, ſi morte morietur, qui fecit ſalutem magnam Iſraël: viuit dominus, ſi cadet capillus de capite eius in terram, quia miſericordiam Dei fecit in die hac. Ecce & populus ſecundùm iurauit, & regi contrarium iurauit. Nunc mihi reminiſcimini funiculum à puerulis tractum, & diſruptum, & trahentes ſupinos proiicientem. Iurauit Saul non ſemel, neque bis, ſed & ſæpius: contraria iurauit populus, & iam contendebat. Neceſſe iam omnino iuramentum ſcindi: nam hos omnes verè iuraſſe eſt impoſſibile. Nec mihi rei euentum dicas, ſed cogita, quot mala naſcebantur: & quomodo qualem poſt per Abeſſalon calamitatem & tyrannidem hinc diabolus ſtruebat. Si enim voluiſſet rex reſiſtere, & ad iuramentum procedere, totus reſtitiſſet populus, & tyrannis crudeliſſima facta fuiſſet: & rurſum ſi voluiſſet filius propriæ conſulens ſaluti ſeipſum exercitui dedere, parricida ſtatim extitiſſet. Vides & tyrannidem, & filij cædem, & bellum ciuile, & pugnam, & iugulationes, & cruores, & infinita cadauera ex vno parata iuramento? Si nanque bellum fieri accidiſſet, & Saul forſitan & Ionathas iugulatus fuiſſet, & multi militum fuiſſent trucidati: & neque ſic tamen iuramenti veritas proceſſiſſet. Itaque ne conſideres hoc, quod non eſt factum: ſed illud conſidera, quòd rei natura hæc fieri cogebat. Populus autem vicit. Eia igitur numeremus commiſſa periuria. Temeratum eſt primum Saulis iuramentum à filio: ſecundum rurſus, & tertium ipſius Saulis de filij cæde. Et viſus eſt populus verè iuraſſe. Sed ſi quis diligenter rem examinet, & hi rurſus omnes periurij criminibus obnoxij facti ſunt. Ipſius enim Ionathæ patrem peierare coegerunt, patri filium non dedentes. Vides quot homines tum volentes, tum inuitos periurio obnoxios vnum fecit iuramentum? quot mala molitum eſt? quot cædes patrauit? Equidem ſermonem incipiens promiſit demonſtrare in contrariis iurationibus omnino periurium naſci: hiſtoria verò progreſſa, multò plus quàm conabar demonſtrauit. Non enim duo & tria, ſed multò plura iuramenta manifeſtauit temerata. Licebat & aliam narrare hiſtoriam, & ex illa demonſtrare grauiorem hac & maiorem calamitatem vnum feciſſe iuramentum. Etenim ciuitatum, & mulierum, & puerulorum captiuitate, & incendio, & barbarorum inuaſione, & ſanctorum pollutione, & innumeris aliis grauioribus malis Iudæos affecit vnum omnes iuſiurandum. Sed in longum ſermonem protendi video, propterea hiſtoriæ huius narrationem hic ſoluens, cum Ioannis capite & Ionathæ cædem, & perniciem generalem totius populi licet non commiſſam, de iuramentorum tamen neceſſitate prouenientem, inter vos commemorare exhortor, & domi, & in foro, & apud coniuges, & apud amicos, & apud vicinos, & apud omnes homines generaliter huius rei curam gerere: nec putare idoneam

A eſſe nobis defenſionem, ſi conſuetudinem prætendamus. Quòd enim ſimulatio hæc ſit, & prætextus, nec conſuetudinis, ſed torporis ſit culpa, ab his quę iam euenêre, vobis perſuadere conabor. Ciuitatis balnea rex obſtruxit, & lauari iuſſit neminem, & legem transgredi eſt auſus nemo, aut factum incuſare, aut conſuetudinem prætendere: verùm & qui ſæpe ſunt in ægritudine & viri & mulieres, & pueri & ſenes, & multæ partus doloribus recenter abſolutæ mulieres, & omnes neceſſariò tale remedium petentes, velint nolint mandatum hoc ſufferunt, & neque morbum corporis, neque conſuetudinis tyrannidem, neque aliis peccantibus ſe puniri, nec aliud talium quicquam prætendunt: ſed huiuſmodi gratè excipiunt vltionem, quia maiora expectabant mala, & quotidie precantur hactenus regium furorem ſiſtere. Vides quòd vbi eſt timor, facilè ſoluitur conſuetudo, etiamſi valdè diuturna ſit & neceſſaria? Atqui non lauari graue. Etſi enim

B ſæpius philoſophamur, corporis natura arguitur, nihil ab animi philoſophia in propriam valetudinem adiuuari. Non iurare verò valdè facile, & nullum affert nocumentum, non corporibus, non animis, ſed etiam multum emolumenti, magnam vtilitatem, multam opulentiam. Quomodo igitur non abſurdum rege iubente, vel difficillima ſuſtinere: Deo verò ſtatuente id quod neque graue ſit, neque difficile, verùm perquàm facile & commodum contemnere & deridere, & conſuetudinem prætendere? Non exhortor ne in tantum ſalutem noſtram contemnamus, ſed timeamus Deum, ſicut hominem timemus. Noui quòd horruiſtis talibus auditis. Sed horrore dignum eſt ne tantum quidem Deo quantum hominibus honorem attribuere: ſed imperatoria decreta diligenter obſeruantes, diuina & de cœlis delapſa conculcare, & ſuperuacaneum eſſe putare circa hoc ſtudium. Quænam

C excuſatio nobis erit reliqua? quæ verò venia: quando poſt tantam admonitionem in iiſdem permanemus? Etenim naſcente miſeria hac quæ ciuitatem detinet, hanc incœpi admonitionem. Et illa quidem iam debet finiri: nos verò nondum vnum expleuimus mandatum: quomodo igitur malorum nos detinentium petemus abſolutionem, cùm nec vnum obire mandatum potuerimus? quomodo verò bonam expectabimus mutationem? Quomodo autem orabimus? Qua lingua Deum inuocabimus? Si enim legem expediuerimus, multam capiemus voluptatem, rege ciuitati conciliato, ſi verò in peccato manſerimus, confuſio & opprobrium vndique nobis erit: quoniam cum Deus periculum ſoluerit, nos in eodem manſimus torpore. Vtinam mihi liceret frequenter iurantium animas exuere, & ipſorum oculis ſubiicere vulnera & cicatrices, quas quotidie capiunt à iuramentis. Nec admonitionis, aut conſilij indigeremus: quoniam vulnerum aſpectus omni ſermone poten-

D tius, huic improbæ conſuetudini etiam plurimum adhærentes à malitia abducere poſſet. Veruntamen quoniam ipſorum oculis animæ dedecus ſubiicere, & ipſam tabefactam & corruptam oſtendere non licet: ſicut enim, inquit, *ſeruus qui continuè flagellatur, de cicatrice non mundabitur*: ſic Eccl.23. b. iurans, & Deum ſemper nominans, à peccato non innocens fiet: impoſſibile enim, impoſſibile, os iurare aſſuefactum, uon continuè peierare. Propterea ſupplicio omnibus, vt pernicioſam hanc & improbam conſuetudinem deponentes ex anima, aliam coronam reportetis. Et ſicut vbique de ciuitate noſtra cantant, quòd prima omnium in orbe terrarum Chriſtianorum nomen induit: ſic facite vt omnes dicant, quòd ſola omnium in mundo Antiochia propriis iuramēta finibus expulit. Act.11.d Imò verò ſi hoc fiat, non tantùm ipſa conabitur, verùm etiam alias in eundem zelum rediget. Et ſicut Chriſtianorum nomen, velut ex quodam fonte hinc

incipiens omnem mundum inundauit: ſic profecto & meritum hoc radicem & occaſionem hinc capiens, omnes terram habitantes diſcipulos veſtros efficiet, vt duplex vobis & triplex fiat merces, & de propriis meritis, & de aliorum diſciplina. Hoc diademate quolibet vobis erit ſplēdidius: hoc metropolim vobis ciuitatem faciet, non in terra tantùm, verùm & in cœlis: hoc & nobis die illa aſſiſtet, & iuſtitiæ coronam nobis offeret: quam vt omnes aſſequamur, detur gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, ſimul & ſancto Spiritui in ſecula ſeculorum. Amen.

Itidem in calamitatem ciuitatis Antiochiæ, & quòd vtilis vbique timor. Et quòd luctus riſu vtilior. Et illud dictum, Agnoſce quòd in medio laqueorum pertranſis. Et quòd peius iurare, quàm occidere.

HOMILIA XV.

A OPORTEBAT & hodie, & ſuperiore ſabbato, de ieiunio facere ſermonē: & intempeſtiuum eſſe dictum hoc cogitet nemo, quòd in diebus ieiunij conſilio nihil opus ſit & admonitione, ipſa dierum præſentia etiam negligentiſſimos ad ieiunij certamen excitante: quoniam hominum multi ieiunium aggreſſuri, tanquam cuidam longæ obſeſſioni tradendus ſit venter, crapulam & ebrietatem præuenientes reponunt: rurſumque egreſſi tanquam ex longa quadam eſurie, & graui ieiunij carcere abſoluti, cum multa improbitate ad menſas currunt, ſtudentes ſibi ortam ex ieiunio vtilitatem, crapulæ exceſſu rurſum perdere. Neceſſarium igitur erat & tunc, & nunc de continentia mouere ſermones. Veruntamen neque prius quicquam huiuſmodi diximus, neque nunc dicemus: inſtantis enim calamitatis timor pro omni admonitione & conſilio cunctorum animas moderari ſufficit. Quis enim tam miſer & ærumnoſus, vt in tanta tempeſtate inebrietur? Quis tam inſenſatus, vt ciuitate ſic fluctuante, & naufragio tali imminente non ſobrius ſit, & vigilet, & hac anxietate diligentius, quàm omni conſilio & admonitione corrigatur? Non enim tantùm efficere poterit ſermo, quantum timor operatur. Et hoc ipſum ex his quæ nunc acciderunt, demonſtrare facile eſt. Quos nanque ſermones impendimus, torpidorum multos admonentes, & conſulentes vt theatra, & illinc prouenientes laſciuias dimitterent? & non abſtinebant, ſed ſemper vſq; ad hanc diem ad illicita ſaltantium ſpectacula concurrebant, & diabolicam concionem aduerſus Dei eccleſiæ plenitudinem conſtituebant, & huius loci pſalmodiis clamores inde cum multa delati vehementia obſtrepebant. Sed ecce nunc tacentibus nobis, & nihil de hoc dicentibus, ſponte orcheſtram obſtruxerunt, & circus inacceſſibilis factus eſt. Et ante hac noſtrorum multi ad illos currebant: nunc autem illinc omnes ad eccleſiam confugerunt, & noſtrum laudant Deum. Vides quantum ex timore lucri factum eſt? Niſi bonus eſſet timor, filiis patres pædagogos non præponerent, non legiſlatores ciuitatibus vllos magiſtratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nil vtilius. Gehennæ nanque timor, regni nobis affert coronam. Vbi timor eſt, liuor non eſt: vbi timor eſt, pecuniarum amor non vexat: vbi timor eſt, extinctus furor eſt, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis paſſio exterminata. Et ſicut in domo ſtante milite ſemper armato, non latro, non fur, non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: ſic & metu animas noſtras detinente, illiberalium nulla perturbationum facilè nobis ſubrepit, ſed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio vndique exactæ. Nec hoc ſolùm eſt quod ex timore lucramur, verùm & aliud hoc multò maius. Non enim improbas tantùm noſtras expellit paſſiones, ſed & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor eſt, ibi & eleemoſynæ ſtudium, & orationis intentio, & lachrymæ feruentes & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata quidem conſumit, virtutem verò creſcere facit & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea qui non viuit in timore, rectè illum agere non eſt facile: ſicut viciſſim cum timore viuentem, eſt impoſſibile peccare. Ne igitur doleamus dilecti, neque animum deſpondeamus præſenti tribulatione, ſed incogitabilem Dei ſapientiam admiremur. Vnde nanque ciuitatem noſtram diabolus euertere ſperauit, inde reſtituit ipſam, & correxit. Diabolus nempe quibuſdam impiis hominibus inſpirauit, vt regis ſtatuas contumeliis afficerēt, quò & ipſum vrbis ſolum deſtrueretur. Deus autem hoc ipſo facto ad

B maiorem noſtram correctionem vſus eſt, expectatę comminationis timore omnem extrudens torporem. Et factum eſt contrarium quam dæmon volebat, ex his quæ ipſe ſtruebat. Ciuitas enim quotidie nobis expurgatur, & angiporti, & biuia, & plateæ meretriciis & fractis abſolutæ ſunt cantibus, & quocunque reſpexerit aliquis, ſupplicationes, & benedictiones, & lachrymæ pro riſu ſoluto, & verba philoſophiam habentia pro verbis turpibus. Et eccleſia facta nobis eſt ciuitas tota, officinis clauſis, & omnibus in his vniuerſalibus ſupplicationibus diem totum agentibus, & Deum vna & communi voce cum multa inuocantibus alacritate. Quis hæc ſermo vnquam expedire potuiſſet? quæ admonitio? quod conſilium? quanta temporis longitudo? Propterea Deo gratias agamus: non moleſtè feramus, nec indignemur, quòd enim bonum ſit timor, & memorata demonſtrauernnt. Audi verò & Salomonem omnibus enutritum deliciis, &

C multa potitum libertate. Quid igitur, inquit ille? *Melius eſt ire in domum luctus, quam in domum conuiuij.* Eccl. 7. a. Quid eſt, quæſo, quod ait? Vbi luctus, & lachrymæ, & gemitus, & dolor, & triſtitia tanta melius accedere, quàm vbi choreæ, & cymbala, & riſus, & deliciæ, & crapula, & ebrietas. Verùm, inquis, qua de cauſa, quæſo, & quapropter? quoniam illinc quidem dementia, hinc verò modeſtia naſcitur. Et ſi quis ad opulentioris abeat conuiuiū, non amplius cum eadem lætitia domum reuerteretur: ſed triſtis quidem ad vxorem redibit, triſtis autem & de ſua menſa participabit, & moleſtus ſeruiſque & filiis, & omnibus erit domeſticis, ex aliorum copia ſuam diligentius paupertatem conſiderans. Nec hoc ſolùm eſt graue, ſed id etiam quòd ſæpe vocanti ſed ad conuiuium inuidet, & nihil penitus boni ſumens reuertitur. Circa lugentes verò nihil tale dici poteſt, ſed multa quidem diſciplina, multa verò modeſtia. Simul enim quiſpiam domus

D mortuum habentis veſtibulū aſcenderit, mortuum intuitus mutum iacentem, & vxorem crines vellentem, radentem genas, & brachia ſecantem, corripitur, triſtatur, & confidentium quiſque ad proximum nil aliud loquitur, quàm quòd nil ſumus, & malitia noſtra ineffabilis. Quid his verbis ſapientius eſſe poſſit, cùm & naturæ vtilitatem agnoſcamus, & noſtram accuſemus improbitatem, & nihil eſſe præſentia cogitemus aliis quidem verbis, ſententia tamen eadem Salomonis illa, loquentes mirabilia, & multæ plena philoſophię, quoniam vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Lugentium domum ingreſſus, ſtatim lachrymis defunctum proſequitur etiamſi ſit inimicus. Vidiſti quantò melior hæc quàm illa domus? Ille enim, etiamſi amicus ſit, inuidet: hic autem, etiam ſi inimicus ſit, lachrymas dat: id quod omniū maximè Deus exquirit, vt non inſultemus his qui nos contriſtauere. Non hęc autē ſola datur hinc bona capere, verùm & alia his nō minora. Etenim peccatorum quiſque

Digitized by Google

ſuorum reminiſcitur, & tremendi tribunalis, & pœnarum, & iudicij, licet ſit infinita ab aliis paſſus mala, & domi triſtitias habeat, omnium ipſorum capiens medicinã, ita reuertitur. Cogitans enim quòd & ipſe paulò pòſt hoc patietur, & quòd tranſitoria cuncta præſentia ſunt, ſiue ſuauia ſint, ſiue triſtia, triſtitiam & inuidiam omnem deponens, & leuem reddens animam, & releuatus ſic domũ reuertetur: & hinc manſuetior erit in omnes iam, & humanior, benignior & ſapientior, futurorum timore ipſius animam ſubingreſſo, & omnes ſpinas abſumente. Et hęc omnia cognoſcens ille, dicebat quòd melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Illinc torpor, hinc anxietas naſcitur: illinc cõtemptus, hinc timor ad omnem nos virtutem deducẽs. Niſi bonum eſſet timor non multos impendiſſet Chriſtus ſermones & longos, de illa pœna & ſupplicio loquens. Timor nil aliud eſt, quàm murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis: etenim multa nobis munitione opus eſt: quia multæ ſunt vndique inſidiæ, ſicut ipſe Salomon rurſum ſic admonens dicebat: *Agnoſce quod in medio laqueorum tranſis, & ſuper propugnaculis vrbium ambulas.* (Eccl.9.d.) Papè, quot bonorum plenum eſt hoc verbum, nec minus quàm ſuperius! Ipſum igitur in mente quiſque noſtra ſcribamus, & ſemper in memoria circumferamus, & non peccabimus facilè. Inſcribamus prius ipſum cum omni diligentia diſcentes. Non enim dixit: Aſpice quòd in medio laqueorum pertranſis, ſed, agnoſce. Et quare dixit, agnoſce? Obumbratus eſt, inquit, laqueus quandoquidẽ non apertè mors apparet, neque manifeſta clades, ſed vndique obtecta adiacet. Propterea dixit, Agnoſce. Multa tibi opus eſt cõſideratione, & diligẽti ſcrutatione: ſicut enim pueri terræ laqueos, ſic diabolus vitæ voluptatibus peccata circumtexit. Sed agnoſce perſcrutans diligenter. Et ſi lucrum occurrerit, ne lucrum aſpicias ſolùm, ſed ſcrutare diligenter, ne fortè mors & peccatum intra lucrũ ſi abſconditũ: & ſi videris, refuge. Rurſus cùm delectatio & voluptas occurrerit, ne voluptatem ſolùm reſpicias, ſed ne forte iniquitas aliqua in voluptatis profundo obumbrata ſit, diligenter conſidera: & ſi inueneris, reſilito. Siue cõſulat quiſpiã, ſiue aduletur, ſiue obſequatur, ſiue honores polliceatur, ſiue quodcunque aliud, omnia cum diligentia examinemus: & vndique cõſideremus, ne forte damnũ aliquod, ne forte periculũ aliquod ex conſilio, vel honore, vel obſequio nobis eueniat, & ne celeriter & incõſideratè accurramus. Si enim vnus tantùm & duo laquei forent, facilis eſſet cuſtodia: nunc autem ipſorũ multitudinẽ oſtendere volens Salomon, quomodo dicit, audias: Agnoſce, quòd in medio laqueorum pertranſis. Non dixit, iuxta laqueos pertranſis, ſed in medio laqueorum. Vtrinque nobis voragines, vtrinque doli. Proceſſit quiſpiam in forum, vidit inimicũ, exarſit ex aſpectu ſolo. Vidit amicum laudem conſequentem, inuidit: vidit pauperem, contempſit, & deſpexit: diuitem, & inuidit. Quempiam vidit infeſtantem, & indignatus eſt: vidit ſpecioſam mulierem, captus eſt, vidiſti quot laquei? Ideo dicit, agnoſce quòd in medio laqueorum tranſis. Et in domo laquei, & in concionibus laquei. Sæpius inconſideratè quis inter amicos confidens, locutus eſt aliquod verborum quæ proferri non debent, & tale pertulit periculum, vt totam domum ſubuerteret. Vndique igitur res cum diligentia perſcrutemur, & vxor ſæpe non aduertentibus laqueus eſt facta, ſæpe filij, ſæpe amici, vicini ſæpius. Et qua de re tot laquei? ne deorſum volemus, ſed ſuperiora quæramus. Etenim volatilia donec altum aërem ſecant, non facilè capiuntur: ita tu donec ad ſuperiora reſpexeris nec laqueo, nec vllis facile capieris inſidiis. Venator eſt diabolus. Fias igitur ipſius luſtris ſublimior. In altum aſcendens, non amplius vllam rerum admirabitur

A humanarum. Sed ſicut poſtquam in montium verticem aſcenderimus parua nobis & vrbs, & mœnia eſſe videntur, & formicarum more nobis viri ſuper terram ire videntur, ſic poſtquam ſupra celſam philoſophiæ cogitationem aſcenderis, nihil terrenorum percellere poterit, ſed parua videbuntur omnia, & diuitiæ, & gloria, & potentia, & honor, & ſi quid aliud huiuſmodi, cum cœleſtia reſpicias: ſicut ſcilicet & Paulo parua omnia videbantur, & mortuis inutiliora, quæ in præſenti vita ſunt ſplendida. Propterea & clamat, dicens: *Mihi mundus crucifixus eſt*, (Gal.6.d.) Propterea & nos admonet dicens: *Quæ ſurſum ſunt, ſapite. Quæ ſurſum ſunt*, (Col.3.a.) qualia dicis, dic mihi? Vbi ſol, vbi luna? Non, inquit. Sed vbi? Vbi angeli, vbi archangeli? Vbi Cherubin, & Seraphin? Non, inquit. Sed vbi? *Vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens.* (Ibidem.) Pareamus igitur, & illud continuè ratiocinemur, quòd ſicut auiculæ laqueo captæ vtilitas nulla, ſed fruſtrà & incaſſum alas

B concutit: ita tibi nulla ratiocinationum vtilitas, ſi ab improba penitus cupiditate captus ſis, ſed quantumcunque reſilieris, captus es. Propterea alæ ſunt auiculis, vt effugiant laqueos: propterea ratiocinationes hominibus, vt peccata fugiant. Quam igitur veniam habebimus, quam verò defenſionem, cum brutis ſimus dementiores? Auicula nanque ſemel capta laqueo, mox elapſa, & ceruus in rete decidens & effugiens, iiſdem iterum difficilè capiuntur: nam cuique ſit experientia cautelæ magiſtra. Nos ſæpius iiſdem capti, in eadem cadimus. Neque brutorum prouidentiam & ſollicitudinem nos ratione decorati imitamur. Sæpius quippe mulierem conſpicati, innumera paſſi ſumus grauia, domum concepta reuerſi cupiditate, & multis dolore diebus confecti: veruntamen non corrigimur, ſed vix priore curato vulnere, rurſus in eadem labimur, & ab iiſdem expugnamur, & propter breuem viſus voluptatem diuturnũ quen-

C dam & continuum dolorem ſuſtinemus. Sed ſi continuè nobis hoc repetere dictum didicerimus, omnibus malis abſtinebimus. Laqueus maximus mulieris forma: imò verò non mulieris forma, ſed laſciuus aſpectus. Non enim res calumniemur, ſed nos, & noſtrum torporem. Neque dicamus, ne ſint mulieres: ſed, ne ſint adulteria. Neque dicamus, ne ſit pulchritudo: ſed, ne ſit fornicatio. Neque dicamus, ne ſit venter: ſed, nõ ſit crapula: non enim venter crapulam facit, ſed negligentia noſtra. Non dicamus quia comeditur & bibitur, omnia mala: non enim propter hoc: ſed propter torporem & improbitatem noſtram. Non comedit quippe, nec bibit diabolus, & cecidit: comedit & bibit Paulus, & in cœlum aſcendit. Quot dicentes audio, Non ſit paupertas? Obmutefaciamus igitur talia ægrè ferentes. Blaſphemia enim eſt talia dicere. Dicamus igitur ipſis, Non ſit puſillanimitas: paupertas enim innumera vitæ bona

D intulit noſtræ, & ſine paupertate inutiles diuitiæ. Nec calumniemur itaque nec has, nec illam, paupertas enim & diuitiæ ſunt arma ad virtutem vtraque ferentia, ſi velimus. Sicut igitur generoſus miles, quodcunque ferrum capiat, propriam virtutem oſtendit: ſic imbellis & ignauus ab omnibus impeditur. Et vt diſcas quòd hoc verũ eſt, illiusmihi Iob recordare, qui ſimul & diues & pauper factus eſt, & vtraque arma tractauit, & in vtriſque vicit. Et quando diues quidem erat, dicebat: *Ianua mea omni venienti fuit aperta*: quando verò pauper factus eſt, dicebat: *Dominus dedit, dominus abſtulit*. (Iob.31.b. Ibid.1.d.) Dum fuit diues, multam hoſpitalitatem, cùm factus eſt pauper, multam patientiam exhibuit. Et tu igitur ſi diues es, multam demonſtra eleemoſynam: ſi pauper factus es, patientiæ multum & tolerantiæ. Nec enim diuitiæ malum, nec paupertas ſimpliciter, ſed iuxta voluntatem vtentium hæc vtraq; fiunt. Nos igitur ipſos inſtituamus

non

Digitized by Google

non talia de rebus habere iudicia, neque Dei opera, ſed improbam hominum voluntatem accuſare. Neque puſillanimem diuitiæ poſſunt adiuuare, nec magnanimo pauperies vnquam nocet. Agnoſcamus igitur laqueos, & ab ipſis procul eamus. Agnoſcamus præcipitia, nec appropinquemus. Hoc maximæ ſecuritatis vobis erit occaſio, non tantū peccata fugere, verùm & quæ videntur media quidem eſſe, ad peccata verò nos ſupplantant, quale eſt ridere, & iocoſa dicere verba. Non manifeſtum quidem peccatum eſſe videtur, ſed in manifeſtum crimen inducit: nēpe ſæpius ex riſu turpia naſcuntur verba, à turpibus verbis actiones turpiores. Sæpius ex verbis & riſu conuitia & contumeliæ: de conuitio & contumelia plagæ & vulnera, de vulneribus & plagis iugulationes & homicidia. Si tibi igitur bene conſulturus es, non turpia tantùm verba, neque turpia tantùm facta, neque plagas, & vulnera, & homicidia, verùm & ipſum intempeſtiuum riſum, & verba fugies ſcurrilia, quoniam ſubſequentium radix talia eſſe ſolent. Propterea Paulus inquit: *Stultiloquium & ſcurrilitas ne prodeat ex ore veſtro.* Etſi nanque per ſe paruum ipſum eſſe videtur, magnorum tamen malorum nobis efficitur cauſa. Rurſum deliciis vacare non videtur quidem eſſe crimen manifeſtum, & expreſſum: attamen multa nobis parit mala: ebrietatem, furorem, auaritiam, rapinas. Sumptuoſus enim & lautus, & miniſteria ventri impendens intolerabilia, furari ſæpe cogitur, & aliena rapere, & opprimere, & violare. Si delicias itaque fugias, & auaritiæ, & rapinæ, & ebrietatis, & innumerabilium malorum ſuſtuliſti materiam, iniquitatis radicē à longè reſecans. Propterea Paulus dicebat: Quòd *quæ in deliciis eſt vidua, viuens mortua eſt.* In theatra rurſum aſcendere, & equorum certamina ſpectare, & aleas tractare non videtur multis peccatum eſſe manifeſtum, ſed infinita vitæ mala ſolet inferre. Etenim in theatris immoratio fornicationem, petulantiam, & omnem incontinentiam peperit: & circenſium ſpectatio pugnas, conuitia, flagella, contumelias, iuges inimicitias adduxit: & circa aleas ſtudium, blaſphemias, iacturas, iras, conuitia infinitaque alia his grauiora ſæpe produxit. Ne tantum itaque peccata fugiamus, verùm & apparentia quidem eſſe media, paulatim verò in hæc peccata nos pertrahentia. Nanque iuxta præcipitium vadens, quamuis non decidat, tremit, & ſæpenumero ab ipſo ſubuerſus tremore decidit: ita & non procul peccata fugiens, ſed ſecus ipſa vadens, cum timore viuit, & in ipſa labitur ſæpius. Etenim alienas curioſè ſpectans formas, quamuis non mœchetur, tamen concupiuit, & iuxta Chriſti ſententiam factus eſt adulter: ſæpius autem ab ipſa concupiſcentia & in peccatum re ipſa defertur. Nos igitur ipſos procul à peccatis retrahamus. Vis modeſtus eſſe? ne tantum fugias adulterium, ſed etiam petulantem aſpectum. Vis à verbis turpibus abeſſe? ne verba tantum turpia fugias, verùm & riſum ſolutum, & omnem concupiſcentiam. Vis cædibus eſſe procul? fuge conuitia quoque. Vis ebrietate ſeparari? fuge delicias & lautas menſas, & radicitus vinum extirpa. Magnus laqueus eſt linguæ petulantia, & multæ refrænationis indigens. Propterea & quidam inquit: *Laqueus fortis viro propria labia, & capitur verbis oris proprij.* Supra cætera igitur cuncta membra hanc moderemur, hanc refrænemus, & conuitia contumeliaſque ac turpiloquia & accuſationes ex ore pellemus, & malam iuramentorum conſuetudinem. Rurſum enim nos ad eandem admonitionem ſermo ſe deduxit. Et quidem heri cum veſtra charitate conſtitui, quòd non amplius de hoc mandato dicam: quoniam omnibus ſuperioribus diebus ſufficienter diſſertum eſt. Sed quid faciam? donec vos correctos videam, non poſſum abſiſtere propoſito: quoniam & Paulus Galatis dicens, Deinceps labores mihi nemo præbeat: rurſum ipſis apparet congreſſus & locutus. Huiuſmodi ſunt paterna viſcera, & ſic receſſuros ſe patres eſſe dicunt, non abſiſtunt donec correctos viderint filios ſuos. Audiſtis prophetam de iuramentis hodie nobis loquentem? *Reſpexi oculis meis, & vidi, inquit, & ecce falx volans longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et dixit ad me, Quid tu vides? & dixi: Video falcem volantem longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et ingredietur domum, inquit, iurantis nomine meo, & diſſoluet in medio, & ſuffodiet lapides & ligna.* Quid tandem eſt dictum? & qua de cauſa in ſpecie falcis iurantes ſequens pœna videtur? Vt vltionem ineuitabilem eſſe, & ſupplicium euitari non poſſe videas. Enſem enim volantem forſitan aliquis effugere poterit: falcem autem in collum delapſam, & pro funiculo factam, nemo fugere poteſt. Cùm autem & alæ adſint, quæ ſalutis vlterius ſpes? qua verò cauſa lapides & ligna iurantis diſſoluit? Vt ruina aliis correctio fiat. Poſtquam enim iurantem mortuum terræ condi neceſſe eſt, domus diſſoluta, & ruina facta prætereuntibus omnibus & cernentibus admonitio erit per aſpectum, vt non eadem audeant, ne eadem patiantur, & accuſatrix erit mortui criminis continua. Non ita pungit enſis, ſicut iuramenti natura. Non ſic occidit gladius, ſicut iuramenti plaga. Iuratus etſi viuere videtur, iam mortuus eſt & vulnus excepit: & ſicut reſtem capiens, & priuſquam ciuitatem egrediatur, & ad præcipitium veniat, & tortorem videat imminentem, mortuus eſt, ſimul ac prætorij ianuas egreſſus eſt: ſic & iuratus. Hæc reputemus, & ne fratres iurare faciamus. Quid facis homo? Super menſam adiuras ſacram, & vbi Chriſtus poſitus eſt immolatus, illic fratrem tuum immolas? Et latrones quidem in viis mactant: tu verò coram matre filium immolas ſceleratius quàm Cain patrans homicidium? Ille nempe fratrem ſuum in deſerto, & præſenti morte mactauit: tu verò fratrem tuum immolas in medio eccleſiæ, idque morte futura immortali. Num enim propterea facta eſt eccleſia, vt adiuremus? Propterea facta eſt, vt oremus. Num enim ideo menſa poſita eſt, vt adiuremus? ideo poſita eſt, vt peccata ſoluamus, non vt augeamus. Tu verò ſi nihil aliud, ſaltem librum ipſum reuerere, quem in iuramentum porrigis: & euangelium, quod intra manus capiens iurare iubes, explica, & audiens quid tibi Chriſtus de iuramentis differat, horreſce & deſiſte. Quid igitur de iuramentis inquit? *Ego autem dico vobis, omnino non iurare.* Tu verò legem iurare prohibentem contemnendo, iuramentum facis? O contumeliam, ô inſaniam! Idem enim facis, tanquam ſi quis legiſlatorem prohibentem interficere, ipſum cædis ſibi ſocium eſſe iubeat. Non ita gemo & deploro quoſpiam in viis iugulatos audiens, ſicut gemo & lachrymis proſequor & horreſco, cùm video quempiam prope menſam hanc venientem, & manus imponentem, & euangeliis iurantem attactis. De pecuniis, quæſo, dubitas, & animam occidis? Quid tantum lucraris, quantum animam tuam & proximum lædis? Si enim credis quòd verax ſit homo, ne iuramenti neceſſitatem adducas: ſi verò noſti quòd mentitur, ne peierare cogas. Sed vt mihi ſatisfieret inſtandum erat, inquit. Imò tunc ſufficientem capies ſatisfactionem, cùm iurare eum non feceris. Nunc nempe domum regreſſus à conſcientia continuè roderis, hæc reputans: Nunquid non fruſtra adiuraui? nunquid non peierauit? nunquid non ego fui cauſa peccati? Si verò non adiuraueris, domum regreſſus multam capies conſolationem, agens Deo gratias, & dicens: Benedictus Deus quoniam meipſum continui, neque adiuraui fruſtra, nec temere: pereat aurum, pereant pecuniæ, vt hoc nobis maximè conſolationem afferat, legem non præteriſſe, nec alterū coēgiſſe vt hoc faceret

Non ſolum peccata, ſed etiam occaſiones peccatorum fugiendas.

Ephes. 5. a

1. Tim. 5.

Mat. 5. d.

Prou. 6. a

Contra iurantes.

Galat. 6. d

Zach. 5. a. Hoc modo legunt 70. Vulgaris lectio legit pro, (falx) (volumē)

Mat. 5. c.

Cogita propter quæ non adiuraſti, & hoc tibi ſufficiet in refrigerium & conſolationem. Sæpius nanque pugna conflata contumeliam patientes generoſè ferimus, & contumelianti dicimus, Quid tibi faciam? in me conuitiatus eſt ille vel ille dominus tuus: ille meas cohibet manus. Et hoc nobis in conſolationem ſufficit. Ita quoque cùm quempiam adiuraturus es, teipſum contine, prohibe, & dic iuraturo: Quid tibi faciam? Deus iuſſit non adiurare, ille me continet nunc. Sufficit hoc & ad honorem legiſlatoris, & ad ſecuritatem tuam, & adiurati timorem. Quum enim ille viderit, quòd ſic alios adiurare veremur, multò magis ipſe facile iurare formidabit. Si hoc verbum dixeris, cum multa domum lætitiæ plenitudine redis. Audi ergo Deum in mandatis, vt & ipſe exaudiat te in orationibus. Hoc verbum in cœlo ſcribetur, in iudicij die tibi aſſiſtet, & multa diſſoluet peccata. Nec hoc tantum in iuramento, verum & in omnibus negotiis cogitemus: & cùm debemus aliquid facere boni propter Deum, quod mox aliquid inferat damni, non ſolùm ex negotio damnũ expectemus: ſed etiam lucrum, quod capiemus propter Deum faciendo. Puta, affecit te quiſpiam contumelia, feres generoſè. Ne contumeliam cogitaueris tantùm, ſed etiam ferre iubens dignitatem, & mãſuetè feres. Eleemoſynam dediſti? ne impenſam cogites tantum, verùm & prouentum ex impenſa. Multatus es pecuniis? gratias age, nec tantum iacturæ dolorem ſpectes, verùm & lucrum ex gratiarum actione. Si ſic nos componamus, nullum accidentium nos grauium triſtificabit: ſed ex his quæ videntur eſſe triſtia, lucrabimur, & damnum diuitiis, & triſtitia voluptate & delectatione, & contumelia honore iucundior erit & deſiderabilior, & omnia contraria in lucrum nobis prouenient, & hic multa fruemur tranquillitate, & illic regnum cœlorum aſſequemur: quo omnes dignos fieri detur, gratia & clementia domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem & cum quo gloria patri, ſimul & ſancto Spiritui: imperium, & honor, nunc & ſemper in ſecula ſeculorum. Amen.

Vulgata ad principem populatione, & omnibus de fuga conſultantibus, cum intraſſet princeps eccleſiam, & conſolatus fuiſſet, habita eſt præſens homilia. Et de vitando iuramento. Et in illud Apoſtoli dictum: Paulus vinctus Ieſu Chriſti.

Homilia XVI.

Reprehendit vanum eorum timorem.

PRINCIPIS quidem prouidentiam laudaui, quoniam tumultuantem conſpicatus ciuitatem, & omnes de fuga deliberantes, ingreſſus, voſq; conſolatus eſt, & in bonam ſpem adduxit: pro vobis autem erubui confuſuſque ſum, quòd exterioris poſt multos prolixoſque ſermones illos conſolationis indiguiſtis. Optaui terram mihi dehiſcere, & immergi, quando ipſum vobis loquentem audiebam, & intempeſtiuam hanc & irrationabilem timiditatem conſolantem. Non enim vos ab illo doceri oportebat, ſed infidelibus vos præceptores omnibus fieri, nec ab infidelibus iudicari Paulus permiſit. Tu verò poſt tantam patrum admonitionem, exterioribus indiguiſti præceptoribus, & fugitiui & verberones quidam ciuitatem tantam excitauerunt, & in fugam coniecerunt. Quibus oculis amplius infideles reſpiciemus, tam pauidi cùm ſimus & timidi? Qua lingua ipſos alloquemur, & pro ingruentibus malis confidere perſuadebimus, omni lepore timidiores per hanc facti anxietatem? Et quid faceremus? inquiunt: homines enim ſumus. At propter hoc ipſum tumultuari nõ opotret, quia homines ſumus, & non bruta. Illa fragoribus & ſtridoribus omnia terrentur. Non enim habent rationem quæ timorem repellere poſſit. Tu verò ratione & conſilio decoratus, quomodo in illorum

A ſegnitiem cadis? Ingreſſus eſt quidam, militum incurſionem nuntiauit? Ne tumultueris, ſed ipſum mittens genua flecte, dominum tuum roga, geme amariter, & aduerſitatem repellet. Tu quidem audita militum incurſione non vera, & præſenti vita abrumpi periclitatus es. Beatus verò Iob ille contiIob.1. nuis venietibus nuntiis, & grauia nuntiantibus auditis, & adiicientibus intolerabilem filiorum perditionem, non eiulauit, non gemuit, ſed ad orationem conuerſus eſt, & domino gratias agebat. Hunc & tu imitare, cum veniens quiſpiam nuntiauerit quòd milites vrbem circundederint, & bona direpturi ſint, ad dominum tuum confuge, & dic: *Dominus dedit, dominus abſtulit, ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum in ſecula.* Illum non terruit malorum experientia, te verò ſolus terret auditus? Quam nullius ſumus æſtimationis, cum contra mortem quoque audenter ire iuſſi, à falſo rumore ſimus ſic expauefacti? Tumultuans, & timoB rem qui non eſt, conſtituit, & perturbationem non apparentem: qui verò eſt in animæ conſtitutione ac tranquillitate, & eum qui eſt diſſoluit. Non vides naucleros, vt inſaniente mari, nubibus tranſcurrentibus, fulminibus eliſis, omnibus in nauigio tumultuantibus, ad gubenacula ſedent ipſi ſine trepidatione & metu, & arti ſuæ vacantes, vt imminentem procellam repellant? hos & tu imitare, & ſacram capiens anchoram, in Deum ſpem, inconcuſſus permane, & irreuolubilis. *Quicunque audit meos ſermones hos*, inquit, *& non facit ipſos, aſſimilabitur homini ſtulto, qui ædificauit domum ſuam ſuper arenam, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & erat ruina ipſius magna.* Vides quod ſtultitiæ eſt cadere, & circumuerti? Imò verò nos neque ſtulto illi ſimiles facti ſumus verum & illo miſerius cecidimus: illius nempe domus poſt flumina, poſt delatum imbrem, poſt illapſos ventos cecidit: nos verò non pluuiis ingruentibus, C non fluminibus inflictis, non ventis irruentibus ante malorum experientiam ex auditu ſolo ſubuerſi ſumus, & omnia quæ philoſophabamur, effudimus. Qualem mihi mentem putatis eſſe nunc? quomodo contrahi? quomodo demergi? quomodo erubeſcere? Niſi multam à patribus neceſſitatem ſuſtinuiſſem, neque ſurrexiſſem: neque locutus fuiſſem, dolore obtenebratus ex puſillanimitate veſtra: ſed neque nunc in meipſum redire poſſum: ſic animum mihi indignatio & triſtitia obſidet. Quis enim non ægrè ferret, quis non ſuccenſeret, quando poſt tantam doctrinam gentilibus opus habuiſtis doctoribus ad exhortandum & perſuadendum, vt præſentem generosè timorem ſufferretis? Orate igitur dari nobis verbum in apertione oris noſtri, vt hanc triſtitiam excutere poſſimus, & paulum mentem excitare. Etenim confuſio de puſillanimitate veſtra multum animum noſtrum deiecit. Multa prius ad charitatem veſtram locutus ſum, & de D laqueis nobis vndique poſitis, & de timore & triſtitia, & de luctu & voluptate, & de falce in iurantium domos volante. Ex his igitur omnibus multis quidem, illa mihi maximè reminiſcimini, quæ de voZach.5.a lante falce dicta ſunt, & iurantis domũ diſſoluente, & lapides & ligna ſubruente, & omnia cõſumente. Et poſt illud quoq; cauete, quod extremæ demẽtiæ eſt, Euangelium capientes iurare, & legẽ iurare prohibentẽ iuramentum facere. Et quòd melius ſit pecuniis mulctari, quàm proximis iuramentum offerre: quoniam hoc eſt non modicus in Deum honor. Cùm enim Deo dixeris, propter te non adiuraui illum qui fuerat furatus, & malè fecerat: pro hoc honore magnam tibi reddet gratiam, & in præſenti tempore & in futuro. Hæc & aliis dicite, & ipſi obſeruate. Scio quòd hic reuerentiores ſumus, & omnem improbam deponimus conſuetudinem. Sed quod quæritur, hoc eſt, non vt hic tantum philoſophemur, ſed vt pietatem hinc capientes extra ſer-

uemus,

Margin notes: Iob.1. — A ſimili. — Mat.7.d. — Zach.5.a

Digitized by Google

A ſimili. uemus, vbi maximè ipſius indigemus. Etenim aquantes non tantum apud fontem habent vaſa repleta, domum autem abeuntes euacuant: ſed illic ipſa maximè cum cautela reponunt, ne ſubuertantur, & labor fiat inanis. Hos etiam nos imitemur, & domum profecti, dicta cum ſtudio ſeruemus. Itaque ſi hic maneatis ſatiati, domum verò redeatis inanes, vaſa mentis veſtræ admonitione vacua referêtes, nulla vobis ex hac repletione erit vtilitas. Ne mihi in palæſtra demonſtres athletam, ſed in certamine. Ne mihi religionem inſtructionis tempore, ſed actionis adhibeas. Laudas nunc quæ dicûtur: cùm te iurare oportuerit, omnium ipſorû tunc recordare. Si hanc legem expedieritis, cito ad alia quoque maiora diſciplinam proferam. Ecce ſecundum hunc annum habeo veſtræ differens charitati, & neque centum ſcripturarum verſus vobis enarrare potui. Cauſa verò, quoniam à nobis diſcere opus habeatis, quæ domi & per vos explere poteſtis, & orationis maior pars nobis in mortales impenditur ſermones. Hæc verò ſic fieri non oportebat, ſed morum quidem modeſtia domi & à vobis vos inſtitui: ſcripturarum verò ſenſus & ſpeculationes nobis permittere. Si autem & à nobis audire fuerat opus, vno plus die non decebat. Nec enim varium quiddam, & inuentu difficile, quod dicitur, eſt, nec vllius indigens præparationis. Cum enim Deus denuntiauerit, argutationibus non eſt opus. Exo.23.b Matt 5.c. Deus dixit, Ne iuraueris. Noli cauſas amplius à me requirere. Lex eſt regia: qui tulit ipſam, & ipſius rationem nouit: niſi fuiſſet vtile, non prohibuiſſet. Reges ferunt leges, nec omnes ſemper vtiliter: homines enim ſunt, nec ſicut Deus vtile poſſunt inuenire: veruntamen paremus: ſiue vxores ducamus, ſiue ſeruos emere debeamus, ſiue domos, ſiue agros, ſiue quodlibet aliud facere, non ex propria facimus hæc ſententia, ſed quomodocunque iuſſerint illi: nec vt res noſtræ pro ſententia noſtra diſponantur, penitus domini ſumus, ſed illorum vbique ſententiis ſeruimus. Et ſi quid præterquã quod illis videtur facimus, inualidum & inutile redditur. Itaque hominum quidem legibus tantum attribuimus honorem: Dei verò leges ita quæſo conculcabimus? Et quali hæc digna defenſione? quali venia? Dixit Moſes, Ne contrariam ipſius legi legem per opera feras, vt cum ſecuritate cuncta facias & dicas. Sed de his quidem ſatis. Agè verò lectis hodie vna vobis appoſita ſententia ſermonem terminemus. 2.Cor.12 a. *Paulus vinctus Ieſu Chriſti*, inquit, *& Timotheus frater.* Magnifica Pauli apellatio, non principatus & honoris nomen, ſed vincula & catenæ. Verè magnum atque ſplendidum ipſum multa alia faciunt, in cœlum rapi tertium, in paradiſum deferri, verba audire ineffabilia: ſed horum nil poſuit, ſed pro omnibus catenam: hæc enim magis quàm illa illuſtrẽ reddebat, & ſplendidum. Cur tandem? quoniam illa quidem domini benignitatis erant gratuita dona, hæc verò ſerui tolerantiæ atque patientiæ indicia. Conſuetudo autem amantibus eſt, illis magis affici quæ pro amatis patiantur, quàm his quæ ab ipſis beneficia capiunt. Non ita rex diademate gloriatur, vt ille vinculis delectabatur: & meritò. Diadema nempe ſolum coronato capiti ornatum affert, catena verò & ornatum multò maiorem, & tutelam. Corona ſæpe regia caput ſe circundatum prodidit, & innumeros allexit inſidiatores, & in tyrannidis concupiſcentiam inuitauit. Et in bellis hic ornatus eſt adeò periculoſus, vt ipſum deponãt & abſcondant. In præliis nonnunquam reges habitum commutantes, ita manus cum hoſtibus conſerunt: tantum ex corona fit proditionis. Catena verò nihil huiuſmodi gerentibus affert, ſed omne contrarium: cum pugna ſit & acies contra dæmones, & aduerſarias poteſtates, prætendens ipſam qui ea circundatus eſt, illorum repellit inſidias. Et principum quidem externorum multi, non tantum

A dum imperant, verùm cùm & à principatu ſoluti fuerint, ipſius nomen circunferunt, dum dicitur: Ille talis conſularis, ille talis prætorius. Hic verò pro his omnibus Paulus vinctus, inquit. Et multum congruè. Illi nanque principatus non penitus ſunt animi virtutis demonſtrationes: pecuniis enim ſunt venales, & amicorum vindicantur aſſentationibus: hic autem ex vinculis principatus eſt animi diſciplinæ indicium, & ardentis in Chriſtum deſiderij ſignum maximũ. Et illi quidem breui refugiunt, hic verò principatus nullum habet ſucceſſorem. Aſpice nanque quantum ab illo nunc vſque temporis eſt, & ſplendidius huius vincti nomen redditum eſt. Et conſules quidem omnes, quicunque ſuperioribus fuere temporibus, ſilentio traditi ſunt, & multis multi nec ipſo quidem nomine cogniti: huius autem vincti B. Pauli multum quidem hic, multum autem in Barbarorum regione, multû apud Scythas & Indos, ſiue ad ipſos terrarû orbis terminos venias, hanc audies appellationem. Et quocun- B que quiſpiam peruenerit, Paulum vbique in omnium ore circumferri noſcet. Et quid mirum, ſi in terra marique? quippe cum & in cœlis multû Pauli nomen apud angelos, apud archangelos, & ſuperiores poteſtates, & harum regem Deum. Et qualia, inquit, erant illa vincula, quoniam tantum vinctis gloriæ tulerunt? Nónne è ferro fabricata erant? E ferro quidem fabricata, ſed multam habebant ſpiritus gratiam efflorentem: quoniam propter Chriſtum ipſis circundatus fuerat. O miraculum, ſerui vincti ſunt, dominus crucifixus, prædicatio quotidie creſcit: & per quæ putabatur opera prohiberi, per hæc accenſa eſt! Et crux & vincula quæ eſſe videbantur abominatio, nunc ſalutis ſigna ſunt facta. Et quolibet auro ferrum illud nobis pretioſius erat, non propter naturam propriam, ſed propter cauſam hanc & argumentum. Sed video quæſtionem hinc nobis quandam orientem. Et ſi C diligentiam adhibeatis, & quæſtionem dicam, & ſolutionem apponam. Quid igitur tandem eſt quod quæritur? Ingreſſus aliquando hic Paulus ad Feſtum, & loquens ad ipſum, excuſanſque ſe de criminibus quibus vrgebatur à Iudæis, & dicens, quomodo Ieſum vidit, quomodo beatam vocem illam audiuit, quomodo per excæcationem ad verã peruenit lucem, quomodo cecidit & ſurrexit, quomodo ingreſſus eſt Damaſcum captiuus abſque vinculis compeditus: & de prophetis, & de lege loquens, & oſtendens quòd & illi prædixerunt hæc omnia, iudicantem cepit, & ferè ad ipſum tranſire perſuaſit. Tales enim ſanctorum animæ, cùm in pericula ceciderint, non quomodo periculis liberentur, conſiderant, ſed quò perſequentes lucrentur omnia faciunt. Sicut & tunc factum eſt, ſe defenſurus intrauit, & capto iudice diſceſſit. Et hæc ipſe iudex teſtatus eſt, dicens: *In modico me perſuades Chri-* Act.26.g D *ſtianum fieri.* Hoc & hodie fieri dicebat, & principem hunc veſtram admirari magnanimitatem, ſapientiam, perfectamque quietem, & ex ordine veſtro diſciplinam capere, & ſic abire, concionem admirari, laudare conſeſſum, & ex ipſis rebus diſcere, quantum inter gentiles & Chriſtianos diſcriminis ſit. Sed vt ad id redeam, quod dicebam. Poſtquam ipſum cepit Paulus, & ille dixit: In modico me perſuades Chriſtianum fieri, Paulus ita reſpondit: *Optarim vtique ego à Deo & in modico, & in multo non ſolum te, ſed etiam omnes audientes me, fieri Chriſtianos abſque vinculis his.* Quid dicis, ô Paule? Epheſiis nempe ſcribens, dicis: *Rogo igitur vos ego vinctus in domino, dignè* Epheſ.4. *ambulare vocatione qua vocati eſtis.* Et ad Timotheum loquens, *In quo male patior vſque ad vincula tanquam male-* 2.Tim.4. *factor.* Et ad Philemonem rurſum, *Paulus vinctus Ieſu* Ad Phile. *Chriſti.* Et cum Iudæis iudicans, dicis: *propter ſpem Iſraël hac catena circundatus ſum.* Et Philippenſibus ſcri- Act.28. bens dicebas: *Ita vt plures fratrum freti vinculis meis abũ-* Phil.1.b *dantius auderent intrepidè verbum capere.* Vbique cate-

Digitized by Google

A nam circunfers, vbique vincula proponis, & huiuſmodi gloriaris negotio: in iudicium autem veniens diſciplinam prodidiſti, cum maximè liberè te gere- [Act. 28 c] re decebat, & iudici dicis: Optarem vtique te fieri Chriſtianum abſque vinculis his. Nempe ſi bona, ita vt aliis quoque fiduciam ad ſermonem pro religione præbeant: etenim hoc ipſum prius dixiſti, Multi fratrum freti vinculis meis verbum loquebantur intrepidè: quare coram iudice non hac re gloriaris, ſed contrarium facis? Nunquid non videtur eſſe quæſtio quod dicitur? ſed celerrimam ſolutionem afferq. Non enim ex anxietate, vel timiditate Paulus hoc faciebat, ſed ex ſapientia multa, & ſpirituali prouidentia. Nam ad gentilem loquebatur & infidelem, nec noſtra ſcientem. Nolebat igitur ipſum per grauia inducere, ſed quod dice- [2 Cor 9. d.] bat: *Factus ſum carentibus lege, tanquam ſine lege*: hoc & hic faciebat. Si vincula audierit, inquit, & tribulationes, ſtatim refugiet, cum vinculorum virtutem B non norit. Fiat prius fidelis, & prædicationem guſtet, & tunc ipſe quoque ad hæc vincula curret. [Mat. 9. c. Marc. 2 d Luc. 5. g.] Audiui dominum meum dicentem, quòd *nemo imponit indumentum panni illoti ſuper veſtimentum vetus: quoniam tollit plenitudinem ipſius, & peior fit ſciſſura. Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, quoniam diſrumpuntur vtres.* Anima huius eſt veſtimentum vetus, & vter antiquus, non eſt renouatus fide, non ſpiritus gratia recens redditus eſt, debilis adhuc eſt & terrenus, mundana ſapit, & ad mundanam vanitatem ſtupet, gloriam amat præſentem. Si à primordiis ſtatim audierit, quòd factus Chriſtianus captiuus mox fiet, & catena circundabitur, confuſus & reueritus à prædicatione reſiliet. Propterea dicit: Abſque vinculis his, non ipſe vincula accuſans, abſit: ſed illius condeſcendens infirmitati, quoniam ipſe ſic illa diligit, & amplectitur, vt ambitioſa mulier monilia [Col. 1. d.] ſua. C Vnde hoc manifeſtum? *Gaudeo in paßionibus meis*, inquit, *& ſuppleo defectus tribulationum Chriſti in carne* [Phil. 1. d.] *mea*. Et iterum: *Quoniam nobis donatum eſt à Chriſto non tantum in ipſum credere, verùm & pro ipſo pati.* [Rom. 5 a] Et iterum: *Non tantum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* Si gaudet igitur, & id vocat donum gratuitum, certum quòd propter hanc cauſam ad iudicē loquens hæc dicebat. Quoniam & aliàs rurſum in neceſſitatem delapſus gloriandi, hoc ipſum demō- [2. Cor. 12] ſtrat, dicens: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, in neceßitatibus, in contumeliis, in perſecutionibus, in anguſtiis,* [Ibidem.] *vt inhabitet in me virtus Chriſti.* Et iterum: *Si gloriari oportet, in infirmitate mea gloriabor.* Et alibi ſeipſum aliis cōparans & per comparationem nobis excellentiam [Ibidem] demonſtrans, ſic quodammodo inquit: *Miniſtri Chriſti ſunt, vt minus ſapiens loquor, plus ego.* Et exceſſum demonſtrare volens, non quòd mortuos reſuſcitauerit, dæmonésve expulerit, neque quòd mundauerit leproſos, aliúdve quid huiuſmodi fecerit, dixit. D Sed quid? quòd innumeras paſſus eſt moleſtias: cum enim dixiſſet, plus ego, intulit tentationum multitudinem, ſic dicens: [Ibidem.] *In plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, in carceribus abundantius, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus, ter naufragium feci, nocte ac die in profundo maris fui*: & reliqua omnia. Sic vbique gloriatur in tribulationibus Paulus, & ea re nimiū delectatur, & valde meritò. Nam hoc eſt quod maximè Chriſti virtutē demōſtrat, quoniam per talia vicerunt apoſtoli, per vincula, tribulationes, flagella, & extrema mala. Nam hæc duo Chriſtus denunciauit, tribulationem & remiſſionem, labores & coronas, ſudores & retributiones, ſuauia & triſtia. Sed triſtia quidem vitæ dedit præſenti, ſuauia verò in futurum diſtulit, pariter demonſtrans quòd non decipit homines, & ipſum grauium pondus ordine diminui volens. Decipiens enim ſuauia prius proponit, & mox infert [A Simili.] triſtia. Quale eſt: Plagiarij puerulos ſæpe paruos prædantes, & furantes, non plagas & verbera, neque aliud huiuſmodi pollicentur, ſed placentas

A & bellaria, & alia talia quibus puerilis gaudere cōſueuit ætas, prætendunt, vt his illi allecti, & libertatem ſuam prodentes, in extremum periculū delabantur. Auium verò piſciumque venatores, ita quæ venantur alliciunt, conſuetam capiendis & iucundam prius eſcam præbentes, & ſic contegentes laqueum. Itaque decipientium maximè opus hoc eſt, prius ſuauia proponere, quò mox inferant triſtia: prouidentium autem & diligentium omnino contrarium. Patres itaque plagiariis contrarium faciunt, cùm ad ludum pueros litterarium mittunt, pædagogos præponunt, flagella minantur, timorē incutiunt: & cum priorem ſic ætatem tranſegerint, tunc ipſis in habitu virili conſtitutis, honores, potentiaſque, & delicias, & omnes diuitias ſuas tradunt: Sic Deus quoque fecit, non plagiariorum, ſed patrum more curam noſtri gerens, prius iniecit triſtibus, tāquam prædagogis & præceptoribus præſenti tradens tribulationi, quò per hæc correcti, & B moderati, poſtquam tolerantiam omnem, omnemque diſciplinam didicerimus, mox ad perfectionem deducti, cœlorum regnum hæreditate conſequamur: ſed prius idoneos reddit ad dandarum diſpenſationem diuitiarum, & poſtmodùm ipſas præbebit diuitias. Niſi enim hoc feciſſet, diuitiarum erogatio non donum, ſed vltio fuiſſet, & pœna. Sicut enim puer inſipiens paternam ſuſcipiens hæreditatem, ab hac ipſa præcipitatur, prudentiam non habens pecuniarum diſpenſationi parem: ſi verò prudens ſit & benignus, & temperans, atque modeſtus, in neceſſaria diſpenſans paterna, ſplendidior ita ſit & illuſtrior: ſic & in nobis eſt neceſſe euenire. Cùm ſpiritualem prudentiam acceperimus, quum omnes in ætatis menſuram peruenerimus, tunc nobis tradit omnia quæ pollicitus eſt: nunc verò tanquā pueros paruos docet cùm exhortatione & conſo- C latione. Nec hoc ſolum eſt emolumentum ex præmiſſis tribulationibus, verùm & aliud illo non inferius. Qui enim prius eſt in deliciis, mox poſt delicias vltionem expectans, neque præſentibus fruitur deliciis, propter futurarum moleſtiarum expectationem: qui verò prius eſt in triſtibus, deinde poſt hæc ſuauibus potiturus, etiam præſentes difficultates propter futurorum ſpem bonorum contemnit. Non igitur tutelæ tantum cauſa noſtræ, verùm & voluptatis & conſolationis, priora ſtatuit eſſe moleſta, vt futurorū ſpe releuati, nullum præſentium capiamus ſenſum. Et hoc ipſum Paulus [2. Cor. 4. d.] ſignificans, dicebat, quòd momentanea leuitas *tribulationis noſtræ ſupra modum æternum pondus gloriæ in nobis operatur, non conſiderantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Leuem appellauit tribulationem, non propter propriam grauium naturam, ſed propter futurorum expectationem bonorū. Sicut enim mer- D cator non ſentit nauigationis laborem, lucrorum ſpe releuatus: & pugil generosè fert capitis vulnera, coronam reſpiciens: ita profecto nos quoque in cœlum & cœleſtia intendentes bona, quæcunque inferantur grauia, generosè cuncta feremus, bona futurorum ſpe roborati. Hanc itaque capientes ſententiam abeamus: quamuis nanque ſimplex & breuis ſit, multam tamen habet ſapientiæ diſciplinam. Qui in dolore & tribulatione eſt, idoneam habet conſolationem: qui in deliciis & luxuria, magnam moderationis exhortationem. Cum enim ad menſam diſcumbens, ſententiæ huius memineris, ſtatim ab ebrietate crapulaque reſilies, diſcens ex hac ſententia, quòd anxios nos eſſe conuenit, & intra teipſum dices: Paulus in vinculis & carceribus, ego verò in ebrietate & lauta menſa. Et quam aſſequar veniam? Hoc & mulieribus neceſſarium verbum. Ambitioſæ enim, & ſumptuoſæ, & auro vndique ſe circumligantes, catenæ huius commonefactæ, odio habebunt (ſat ſcio) & abominabuntur ornatum illum, & ad hæc vincula current. Illa nanque ornamenta multorum cauſę malorum fuerunt,

& innu-

& innumera bella intra domum contraxerunt, & liuores pepererunt, & inuidias, & odium: hæc verò peccata mundi ſoluerunt, & terruerunt dæmonas, & diabolum fugauerunt. Cum his in carcere degẽs cuſtodi perſuaſit, cum his Agrippam attraxit, cùm his multos Paulus diſcipulos acquiſiuit, propterea dicebat: *In quo malè patior vſque ad vincula tanquam malefactor, ſed Dei verbum non eſt vinctum.* (2. Tim. 2. b.) Sicut enim radium vincere poſſibile non eſt, nec domi concludere: ſic neque prædicationis verbum. Et quod multò amplius eſt, doctor vinctus erat, & verbum volabat: ille carcerẽ habitabat, & doctrina alata paſſim currebat. Hæc igitur ſcientes, ne ſuccumbamus in grauibus, tunc potentiores efficimur, tunc fortiores. (Rom. 5. a) *Patientiam* enim *tribulatio operatur*. Ne doleamus in calamitatibus quæ inferuntur, ſed in omnibus Deo gratias agamus. Secundam ieiunij ſeptimanam expediuimus, ſed non hoc conſideremus: non enim hoc eſt expediuiſſe ieiunium, ſi tempus præterierimus, ſed ſi tranſegerimus cum profectu. (Ieiunium non prodeſt niſi emendemus vitã.) Hoc ſupputemus, ſi ſtudioſiores facti ſumus, ſi defectũ aliquem noſtrum correximus, ſi abluimus crimina. B Conſuetudinem omnes habẽt per quadrageſimam interrogare, quot quiſque ſeptimanas quadrageſimæ ieiunauit: & dicentes audire licet, hos quidem quòd duas, hos verò quòd tres, illos autem quòd omnes ieiunauerunt ſeptimanas. Et quod lucrum, ſi profectibus carentes, ieiunium tranſegerimus? Si alius dicat, totam ieiunaui quadrageſimam: tu dic, inimicum habebam, & conciliatus ſum: habebam detrahendi conſuetudinem, & deſtiti: iurandi tenebar vſu, & mos improbus mihi correctus eſt. Nulla mercatoribus vtilitas, ſi magnam maris longitudinem percurrerint, ſed ſi cum rerum copia, & multo mercimonio nauigauerint. Nulla ieiunij nobis vtilitas, ſi infructuoſè ipſum tempus & temere prætereamus. Si ciborum ieiunium ieiunemus, præteritis quadraginta diebus præterit & ieiunium. Si verò peccatis abſtineamus, & tranſacto ieiunio illud remanet, & continuum erit: hinc nobis vtilitas, & C ante regnum cœlorum non paruas nobis hic reddit retributiones. Sicut enim in nequitia viuens, & ante gehennam punitur, conſcientia ſtimulatus: ſic meritis abundans & ante regnum magna fruetur lætitia, ſe bona ſpe paſcens. Idcirco & Chriſtus inquit: (Ioan. 16.) *Iterum videbo vos, & gaudebitis, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Breue verbum, ſed multam habet conſolationem. Quidnam tandem eſt, nemo gaudium veſtrum tollet? Pecunias ſi habeas, multi tuum ex diuitiis gaudium auferre poſſunt, & fur perfodiens, & credita ſubripiens ſeruus, & rex in fiſcum redigens, & inuidus homo calumnians. Si potentiam habeas, multi poſſunt tuum ex hoc gaudium tollere. Cùm enim principatus fuerit finitus, voluptas quoque finietur: quin & in ipſo principatu multæ res accidentes, difficultates habentes & curas, lætitiam tuam diminuunt. D Si corporis robur habeas, morbus adortus huiuſmodi gaudiũ aufert. Si pulchritudinem habeas & ſpeciem, ſenectus ſuperueniens tabefecit, & gaudium abſtulit. Si menſa frueris lauta, veſpere occupante ſoluta eſt cõuiuij lætitia. Rerum enim quælibet mundanarũ infeſtari facile poteſt, nec ſtabilem nobis voluptatẽ affert: pietas autem & animi virtus contrà. Eleemoſynã ſi feceris, meritũ auferre poteſt nemo: ſiue exercitus, ſiue reges, ſiue infiniti calũniatores & inſidiatores inſtent vndique, in cœlis repoſitam poſſeſſionẽ auferre non poſſunt, ſed gratia permanet continua. *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum.* (Pſal. 111. b.) Nec immerito: in cœlorum enim cellariis repoſita ſunt, (Luc. 12. d) *vbi fur non perfodit, latro non tollit, tinea non conſumit.* Si preces fuderis continuas & intentas, earum fructum auferre poterit nemo: hic etenim fructus in cœlo radicatus eſt, ab omni calumnia liber, & permanens inexpugnabilis. Si mala paſſus, benefeceris: ſi conuitiis affectus, benedixeris: hæc merita A continuè manent, & ortam ex his lætitiam auferet nemo, ſed quotieſcunque ipſorum recordarus fueris, gaudes & lætaris, & multam capis voluptatem. Sic profecto & fugere iuramentum ſi prǣualeamus, & ab hac conſuetudine pernicioſa linguã noſtram abſtinere perſuadeamus, meriti quidem labor breui abſoluetur, lætitia verò meriti iugiter erit & indeſinenter. Cæterum vos & aliorum præceptores eſſe oportet & duces, & amicos proximi, ſeruos autem conſerui, & iuuenes coæuos ſuſcipere, inſtituere, & inducere debent. (Correctio fraterna.) Nónne ſi quis tibi aureum vnum pro ſingulis hominibus correctis promiſiſſet, omne ſtudium adhibuiſſes, & aſſiduus aſtitiſſes, perſuadens & exhortans? Nunc verò nõ aureum vnum, neque decem, neque viginti, vel centum millia, neque totam Deus terram tibi pollicetur in horum laborum retributionem, ſed quod orbe toto maius eſt, hoc tibi præbet, cœlorum regnũ: nec hoc ſolum, verùm & aliud præter hoc. Quale verò hoc? *Educens honeſtum ex indigno, ſicut os meum erit,* (Hier. 15. d) B inquit. Quid huic poſſet eſſe par ad honoris & vtilitatis rationem? Quæ verò nobis excuſatio & venia poſt tantam promiſſionẽ, proximorum ſalutem negligentibus eſſe valeat? Tu verò ſi cæcum quidem in voraginem decidentem videris, manum porrigis, & indignum eſſe putas, pereuntem deſpicere: videns autem quotidie omnes præcipitari fratres in improbam iuramentorum conſuetudinẽ, nec verbum audes proferre? Sed dixiſti ſemel, & non audiuit: dic igitur bis & ter, & toties, donec perſuaſeris. Nobis quotidie loquitur Deus, & non audiuimus, nec alloqui deſiſtit. Hanc tu quoque curam imitare circa proximum. Propterea coniuncti inter nos ſumus, & vrbes habitamus, & in eccleſiis cõgregamur, vt alter alterius peccata corrigamus. Et ſicut multi eandem officinam habitantes homines differenter quidem negotiantur, omnia verò in commune reponunt: ſic profectò & nos agamus, C quæcunque bona quiſque conferre poteſt proximo, ne pigeat eum, neque differat: ſed fiat negotiatio quædam, & talis collatio ſpiritualis, vt in commune omnia deponentes, & multas adepti diuitias, & magnum conſecuti theſaurum, communiter omnes regnum aſſequamur cœlorum, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſancto ſpiritui in ſecula ſeculorum. Amen.

Ad magiſtratus ab imperatore Theodoſio ad Ellebichum exercitus ducem miſſos, ad præuaricatorum inquiſitionem propter ſtatuarum ſubuerſionem.

Homilia XVII.

IN tempore omnes hodie communiter concinuimus, *Benedictus dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus.* (Pſal. 71. d) D Etenim miranda, & opinionem excedentia facta ſunt negotia: vrbem totam & populum tantum ſubmergi debentem, & ſub vadas agi, & perdi funditus ſemel, vno temporis momento ab omni naufragio liberauit. Gratias igitur agamus, nõ tantum quoniam hyemem, ſed etiam quoniam ipſam fieri permiſit: non tantum quoniam naufragio nos liberauit, ſed etiam quòd in tantam nos anguſtiam cadere permiſit, & extremum periculum nobis imminere. Sic & Paulus iuſſit in omnibus gratias agere. Cùm verò dicat, *In omnibus gratias agite*, hoc dicit, Nõ tantùm in grauium ſolutione, verùm & in grauium tempore. (1. The 5. d.) Nam *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (Rom. 8. c.) Gratias ipſi agamus propter tentationum abſolutionem, & horum nunquam obliuiſcamur, orationibus vacemus, ſupplicationibus continuis, pietati multæ. Cùm à principio grauius horum malorum pyra fuit accenſa, dicebant quòd non erat diſciplinæ tempus, ſed orationum: hoc profectò & nunc, poſtquam extincta eſt, dico, quòd nunc ma-

Digitized by Google

xime tempus orationum magis quàm prius: nunc maximè lachrymarum tempus & compunctionis,& animæ anxiatæ, & multi ſtudij & cautelæ. Tunc nẽpe ipſa tribulationum natura vel inuitos nos corripiebat, & modeſtos faciebat, & ad maiorem agebat reuerentiam: nunc autẽ ablato fræno, & nube præterita, timendum ne ad torporem declinemus, ne ſegniores reddamur rurſum ex remiſſione, ne de nobis quoque quiſquam dicat: [Pſal. 77 b] *Cùm occideret eos, tunc quærebant eum, reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Propterea & Moſes Iudæos admonebat, dicẽs: [Deu. 6 c] *Poſtquam comederis & biberis, & fueris repletus, recordare domini Dei tui.* Nunc veſtra gratitudo videbitur, ſi in eadem manſeritis pietate: tũc quippe multi timori, & malorum illationi ſtudium veſtrũ attribuebant: nũc verò purum erit meritum veſtrum, ſi in eodem ſtudio permaneatis. Quoniam & puerulus ſi donec ab aliquo agatur pædagogo terribili, cum modeſtia viuit & manſuetudine, nihil eſt mirandum, ſed pædagogi timori pueri modeſtiã attribuũt omnes: cùm verò depoſita neceſſitate ille in eadem manſerit honeſtate, tunc & quam habuit in priore ætate modeſtiam, ipſi omnes aſcribunt. Hoc & nos vtique faciamus, in eadem manentes reuerentia, aut & prioris ſtudij laudem multam à Deo capiamus. Innumera expectauimus mala, omnium ſubſtantias direptum iri, habitacula cum habitantibus comburenda, ciuitatem medio tollendam ex orbe, & ipſius reliquias omnes perituras, aratrum ipſius terram ſuſcepturum. Sed ecce hæc omnia intra expectationem tantum ſteterunt, & in opus non proceſſerũt. Nec hoc ſolùm eſt mirandum, quòd tantum periculi Deus abſtulit, ſed etiam quoniam magnis nos affecit beneficiis, & ciuitatem noſtram ornauit, noſque per hanc tentationem & calamitatem probatiores effecit. Nam quando à rege miſſi ad commiſſorum inquiſitionem tremendum illud conſtituere iudicium, omneſque ad malefactorum pœnas vocabant, & variæ mortis omnibus erat expectatio, tunc vertices montium habitantes monachi, propriam exhibuere ſapientiam. Nanque tot annis in cauernis ſuis concluſi, nemine aduocante, ſuadente nemine, poſtquam nubem tantam ciuitatem circunſtantem viderunt, tabernacula ſpeluncaſque ſuas derelinquentes, vndique confluxerunt, velut angeli quidam de cœlo profecti. Et erat cernere tunc ciuitatem vni ſimilem homini. Vbique tunc vidiſſes ſanctos illos, manifeſtos vel ex aſpectu ſolo, dolore preſſos conſolantes, & ad omnem calamitatis contemptum inducentes. Quis enim illos conſpicatus, mortem non deriſiſſet? non deſpexiſſet vitam? Nec hoc ſolum erat mirabile, ſed quòd principibus ipſis, accedentes cum fiducia, loquebantur pro reis, & omnes ſanguinem effundere parati erant, & capita deponere, vt captos ab expectatis tribulationibus eriperent: & dixerunt ſe non prius receſſuros, quam iudices parcerent ciuitatis populo, vel ſe communiter cum reis ad regem legatos mitterent. Religioſus eſt, inquiunt, qui noſtræ genti dominatur, fidelis, cum pietate viuens. Nos igitur ipſum omnino reconciliabimus, non permittemus vobis, neque cõcedemus enſem polluere, nec vllius abſcindere caput. Si verò hoc nõ fertis, & nos cum ipſis omnino moriemur. Grauia quidem patrata & nos confitemur, ſed regis humanitatem non excedit geſtorũ iniquitas. Dicitur quidam ipſorum aliud verbum ſapientiæ plenum dixiſſe, quod ſtatuæ quidem deiectæ rurſum erectæ fuerunt, & propriam receperunt formam, & factũ correctionem habuit celerrimam. Si vos autem Dei imaginem occideritis, quomodo rurſum poteritis commiſſum reuocare? quomodo perditos reſuſcitare, & animas corporibus reddere? Multa & de iudicio ipſis diſſeruere. Quis non conſternaretur? quis non virorum ſapientiam admiraretur? Quoniam quædam reorum mater nudato capite, & canis oſtenſis, iudicaturi equum fræno apprehendit, & per forum prætercurrens, ſic ad iudicium ſimul ingreſſa eſt: omnes obſtupefacti ſumus, omnes admirati pietatem & magnanimitatem. Quomodo nõ magis ad hos obſtupeſcere oportet? Illa enim etiãſi mortua eſſet pro filio, nihil mirandum: magna enim naturæ vis, & inexpugnabilis viſcerum neceſſitas. Hi verò non genuerunt, nec educarunt: imò verò quos non nouerunt, quorum nomẽ non audierunt, quibuſcum nunquam conuerſati ſunt, quos ex ſola nouerunt calamitate, in tantum amauerunt, vt etiamſi infinitas habuiſſent animas, omnes pro illorum ſalute tradere vellent. Neque mihi dicas hoc quod non iugulati ſunt, nec ſanguinẽ effuderunt: ſed quòd tanta contra iudices vſi ſunt libertate, quanta ſolos de ſalute ſuæ deſperatos vti veriſimile fuit: & tali cum ſententia de montibus ad tribunal cucurrerunt. Nec enim niſi prius ſe neci præparaſſent cuilibet, tam liberè potuiſſent iudices alloqui, & tantam tunc exhibere magnanimitatem: etenim ante prætorij ianuas totos dies agebant ſedentes, abducendos de carnificum manibus eripere parati. Vbi nunc ſunt pallia geſtantes, & profundam oſtentantes barbam, & bacula dextra ferentes, externorum philoſophi, cynica piacula, ſubmenſalibus canibus miſeriores, ventriſque cauſa cuncta facientes? Omnes tũc ciuitatẽ deſeruerunt, reſilierunt omnes, in cauernas cõditi ſunt: ſoli vero qui per opera verè philoſophiã exhibent, ac ſi nullum ciuitatem malum comprehendiſſet, ſic intrepidè in foro apparuerunt. Et vrbem quidem habitantes, ad montes & deſerta auolauerunt: eremi verò incolæ in vrbẽ ingreſſi ſunt, reipſa demonſtrantes opera ſua, quod ſuperioribus diebus non deſtiti dicens, quòd cùm virtute viuentem neque fornax quicquam lædere poterit: tantò eſt animæ ſapientia omnibus ſublimior, & ſuauibus & triſtibus cunctis: nec enim in illis molleſcit, nec ab his contrahitur & humiliatur, ſed per omnia manet æqualis, propriam fortitudinem & vim exhibẽs. Quem enim non redarguiſſet præſentis temporis difficultas? Proceres noſtræ reipub. in poteſtatibus exiſtentes, diuitias ineffabiles ſortiti, qui multam apud regem licentiam habebant, domos deſerentes orbas, omnes de propria ſalute conſultabant. Et amicitia omnis, & cognatio tunc redarguebatur, & quos olim nouerãt, in tempore calamitatis hos ignorare, & ab aliis ignorari optabant. Monachi verò homines pauperes, pallio plus nihil habentes vili, viuentes in ruſticitate, nulli eſſe apparentes, in montibus & ſaltibus verſantes, velut quidam leones magno & alto ſenſu præditi, omnibus pauefactis & trepidantibus in medio conſiſtentes, malum diſſoluere, non multis diebus, ſed breui temporis momento. Et ſicut generoſi athletæ non tantum aduerſarios cõplexi, ſed etiam viſi tantum in oppoſitione, & vociferati aduerſarios conuertunt: ſic & hi die vna & deſcenderunt, & diſſeruerunt, & ſoluerunt calamitatem, & ad propria reuerſi ſunt tabernacula. Tanti eſt philoſophia à Chriſto introducta. Et quid dico de diuitibus, & in poteſtatibus cõſtitutis, cùm & iudicandi poteſtatem aſſecuti, ſumma adminiſtrantes imperia ab his ipſis rogati monachis, vt cum venia ſententiam ferrent, euentus ſe dominos eſſe negauerint? haud tutum enim, ſed periculoſum eſſe, non tantùm iniuriam inferre regi, ſed etiam eos qui contumeliæ rei conuicti ſint impunitos dimittere. Sed hi omnibus fuere potentiores, & animi magnitudine, & tolerantia aſſidentes ſuppleuerunt, vt quam à rege non acceperant poteſtatem, hanc exhiberent: & manifeſtatis his qui rei eſſent iudicantibus perſuadere potuerunt, ne damnationis ſententiam efferrent, ſed ad regis ſententiam eos eiicerent, & promiſerũt ſe illi perſuaſuros, & effecturos vt omnino veniam daret

his qui in ſe peccauerant, & peregrinationem aggreſſi ſunt: ſed iudices ipſorum ſapientiam reueriti, & ſenſus altitudine perculſi, hanc eos longam obire viam non permiſêre, ſed ſi duntaxat ipſorũ voces haberent in ſcriptis, cum literis diſceſſuros, & regem exoraturos vt omnẽ iram dimitteret, ſpoponderunt. Quod & fore expectamus: etenim cùm ſententia diceretur, ingreſſi multæ ſapientiæ verba dixere, & per literas regi ſupplicauerunt, & iudicij fecere mentionem, & ſe ſua depoſituros eſſe capita dixerunt, ne hoc fieret, & has capientes in literis voces iudices abierunt, quod omni corona ſplendidius veſtram ciuitatem exornabit. Et quæ ſunt hîc nunc geſta, audiet quidem magna ciuitas, audiet autem omnis orbis quòd tales Antiochenorum vrbem habitant monachi, vt apoſtolicam exhibeant poteſtatem. Et litteris nunc lectis, in caſtris omnes ipſorum magnanimitatem admirabuntur, omnes ciuitatem noſtram beatam vocabunt, & malam repellemus famam, & ſcient omnes quòd geſta non ciuitatem inhabitantium fuere, ſed hominum externorum & perditorum, & idonea ciuitatis morum demonſtratio, monachorum erit teſtimonium. Ne igitur triſtemur dilecti, ſed cum bona expectemus ſpe. Si enim apud homines libertas tantum moleſtiæ prohibere potuit, ipſa apud Deum fiducia quid non operabitur? Hæc etiam gentilibus dicamus, cum de philoſophis nobiſcum diſputare audent. Ex his manifeſtum, quòd priora fuerunt falſa apud illos. Ex his manifeſtum, quòd & apud nos vera fuere priora de Ioanne, Petro, & Paulo, & omnibus aliis. Quoniam enim in illorum pietatem ſucceſſerunt, propterea & eorum fiduciam exhibuerunt: quoniam iiſdẽ legibus educati ſunt: propterea & ipſorum virtutem imitati ſunt. Itaque non eſt opus nobis literis ad apoſtolicam virtutem demonſtrandam, rebus ipſis clamantibus, & diſcipulis magiſtros repræſentantibus. Non nobis ſermonibus opus eſt ad gentilium nugas manifeſtandas, & apud ipſos philoſophantium puſillanimitatem rebus ipſis clamãtibus, tam præſentibus, quàm præteritis, quòd omnia apud ipſos fabulæ, & ſcena, & hypocriſis. Nec monachi tantùm, verùm & ſacerdotes eandem præſtiterunt animi magnitudinẽ, noſtramque diſpenſauere ſalutem. Et alius quidem in caſtra ſe contulit, omnia dilectioni veſtræ poſtponens, & paratus, niſi regi perſuaderet, mori. Alij verò hic remanentes, & eadem cum monachis exhibentes, propriis manibus iudices continentes, non permittentes abire priuſquam de iudicij fine promitterent: & cùm renuentes quidem videbant, multa fiducia & ipſi viciſſim vtebantur. Vt autem annuentes viderunt, pedes & genua complexi, & manus exoſculati, vtranque virtutem ſuperabundanter exhibuere, libertatem & manſuetudinem. Quòd enim non ſuperbia eſſet fiducia, exoſculando genua, & pedes amplectendo, maximè demonſtrauerunt. Rurſum quòd humilitas nõ eſſet aſſentatio, neque ſeruilitas quædam, nec ex illiberali ſententia profecta, præmiſſa ipſorum fiducia teſtificata eſt. Neque hæc ſola de tentatione bona lucrati ſumus, verùm & multam modeſtiam, & manſuetudinem multam. Ciuitas nobis repentè monaſterium facta eſt. Non ſic illam aliquis ornaſſet, ſi aureas in foro ſtatuas erexiſſet, ſicut nunc clara & illuſtris eſt, quæ bonas virtutis ſtatuas protulit, & proprias exhibuit diuitias. Sed à rege profecta contriſtant? Sed nec illa profecto grauia, verùm & ipſa multum attulerunt emolumenti. Quid enim moleſti, dic mihi, factum eſt, quòd orcheſtram obſtruxit, quòd circum inacceſſibilem fecit, quòd nequitiæ fontes excluſit, & ſubuertit? Vtinam nec daretur vnquam hos aperiri. Hinc nequitiæ radices in ciuitate germinauerunt, hinc ſunt qui moribus ipſis crimen afferunt, ſuas voces ſaltantibus vendentes, & tribus obolis ſuam illis ſalutem prodentes, confundentes omnia. Propterea triſtaris chariſſime? Imò propterea & gaudere & lætari oporteat, & gratias regi agere: quoniam ipſius vltio correctio fuit, & pœna eruditio, & ira doctrina. An quia balnea nobis occluſa ſunt? Sed hoc non intolerabile, vel inuitos, lubricam & mollem & diſſolutam degentes vitam, ad philoſophiam reducere poteſt. An quòd ciuitatis abſtulit dignitatem, nec amplius ipſam Metropolim appellari permiſit? ſed quid facere oportebat? Laudare commiſſa, & gratias agere? Et quis ipſum non accuſaſſet, quòd nõ vel ſpeciem indignantis præ ſe tuliſſet? Non cernis patres multa huiuſmodi in filios ſuos facere? Auerſantur, & menſa prohibent. Hoc quoque rex fecit, tales imponens vltiones, nullum quidem habentes damnum, multam verò correctionem afferentes. Cogita quæ expectauimus, & quæ facta ſunt, & tũc maximè ſciemus Dei gratiam. Doles quòd ciuitatis dignitas ablata eſt? Diſce quid tandem ſit ciuitatis dignitas, & tunc manifeſtè ſcies, quòd ſi habitatores ipſam nõ prodiderint, auferre poterit alius nemo ciuitatis dignitatem. Non quòd Metropolis ſit, neque quòd habeat ædificiorum magnitudinem & ornatum, neque quòd multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes, neque quòd ante alias ciuitates prædicetur: ſed inhabitantium virtus, & pietas, hęc eſt dignitas, & ornatus, & tutela ciuitatis: ita vt ſi hoc deſit, omnium ſit viliſſima, licet infinitum ab Imperatore conſequatur honorem. Vis ciuitatis tuæ dignitatem diſcere? Vis gentilitia ipſius ornamenta noſſe? dicam ſedulò, non vt diſcas tantum, verum vt & imiteris. Quæ tandem eſt ciuitatis noſtræ dignitas? Contigit primum Antiochiæ diſcipulos appellari Chriſtianos: hoc autem ciuitatum quæ ſunt in mundo cunctarum habet nulla, nec ipſa Romuli ciuitas: propterea contra omnem terrarum orbẽ oculos erigere poteſt: quoniam erga Chriſtum amoris ignem habet propter fiduciã, propter virtutẽ illã. Vis & aliam ciuitatis audire dignitatem & laudem? Fames olim difficillima futura erat & Antiochiam habitantes ſtatuerunt, prout quiſque abundabat, ad ſanctos Hieroſolymam habitantes aliquid mittere. Ecce & ſecundam dignitatem, in fame charitatem. Non contraxit ipſos tempus, nec ſegniores reddidit calamitatis expectatio: ſed quando alij aliena colligunt, tunc illi ſua emittebãt, nec præſentibus tantum, verùm & longè ſedentibus. Vidiſti fidem in Deum, & charitatem in proximum? Vis & aliam ciuitatis huius diſcere dignitatem? Deſcenderunt quidam ex Iudæa Antiochiam, perturbantes prædicationem, & Iudaicas inducentes obſeruationes. Non tacitè tulerunt illi innouationem, nec acquieuerunt, ſed conuenientes, & eccleſiam facientes, Hieroſolymam Paulum miſerunt, & Barnabam, & effecerunt vt apoſtoli dogmata à Iudaica infirmitate pura vbique terrarum mitterent. Hæc ciuitatis dignitas, hoc ipſam fecit Metropolim, non in terra, ſed in cœlo. Itaque omnes alij honores corruptibiles ſunt & caduci, & cum præſenti vita ſoluuntur: frequenter autem & ante præſentem vitam finem capiunt: ſicut & nunc vtique ceperunt. Mihi ciuitas non habens pios ciues omni villa vilior eſt, & quacunque ſpelunca ignobilior. Et quid dico de ciuitate? Vt enim diligenter diſcas, quod virtus ſola inhabitantes ornat, nihil tibi de ciuitate dico, ſed quod eſt omni ciuitate venerabilius, Hieroſolymitanum Dei templum in medium afferens, hoc demonſtrare conabor. Hoc enim templum, in quo ſacrificia, & orationes, & cultus, vbi ſancta ſanctorum, & Cherubin, & teſtamentum, & phiala aurea, magna indicia diuinæ circa genus illud prouidentiæ. Vbi oracula ſupernè continua ferebantur, vbi prophetæ diuini fiebant: vbi non humanæ artis apparatus, ſed diuinæ ſapientiæ expreſſio erat: vbi multo parietes vndique fulgebant auro, & ſupra

Ciuitatis ornamẽta quæ ſint.

Act. 11. d

Act. 15. a

Digitized by Google

omnem modũ, tum materiæ pretioſiſſima ſpecies, tum artis diligentia cõiunctæ ſingulare ſuper terram templum huiuſmodi tunc fuiſſe demonſtrauerunt: imò verò non artis tantùm diligentia, verùm
4. Reg. 6. a. & Dei ſapientia ſimul illud ornauit ædificium. Non enim ex proprio, nec à ſemetipſo, ſed à Deo cuncta Salomon diſcens, & deſcriptionem cœlitus capiens, ſic ipſum deſignauit, & erexit. Veruntamen templum tam pulchrum, & mirabile, & ſanctum, vtentibus ipſo perditis, tantæ ignominiæ habitũ eſt, ſicq; contemptum & profanum redditum, vt ante
Mat. 21. b captiuitatem quidem ſpelunca vocaretur latronũ,
Luc. 19. g & ſpelæum hyænæ, poſt hæc verò barbaricis, & immundis, & profanis manibus traditum ſit. Vis & de ciuitate hoc idem diſcere? Quid Sodomis & coniũctis ciuitatibus fuit præclarius? Etenim domus & ædificia ſplendida, & parietes pulcherrimi apud ipſos erant, & regio pinguis, & fertilis, & paradiſo Dei aſſimilata: cella verò Abraham vilis & parua, & nullum habens munimen. Sed exorto quandoque bello barbarico, vrbes quidem mœnibus munitas ſuffoderunt, & ceperunt barbari, & incolas captiuos facientes abierunt: ſolitudinis autẽ ciuem Abraham ingruentem non pertulerunt. Nec immerito: multitudinis enim & murorum munimine multò maiorem vim habebat, pietatem ſcilicet. Si Chriſtianus es, ciuitatem non habes ſuper terram. Ciuitatis noſtræ opifex & architectus eſt Deus: licet omnem capiamus orbem, hoſpites & peregrini totius ſumus. In cœlum aſcripti ſumus: illic conuerſemur, non more puerorum paruorum pueros magnos ſuſpicientium, parua admiremur. Non ciuitatis magnitudo, ſed animi virtus ornamentum eſt & munimentum. Si verò ciuitatis quoque dignitatem eſſe putaueris magnitudinem, cogita quot lenones, quot molles & perditi, & innumeris pleni malis dignitati huic communicant, & tandem hunc contemne honorem. Sed non ille talis eſt: non enim ipſius partem capere licet illis, qui non omnem exhibeant virtutem. Ne igitur ſtulti ſiamus, ſed tunc doleamus, cum quis animæ noſtræ dignitatem abſtulerit, cùm peccatum fuerimus operati, cùm cõmunem omnium dominum offenderimus: ſiquidem quæ nunc patrata ſunt, non tantum nihil lædunt ciuitatem, ſed ſi ſobrij ſimus, & maximè adiuuabunt. Etenim nunc ciuitas noſtra mulieri formoſæ, & liberæ, & modeſtæ ſimilis eſſe videtur. Timor ipſam facit manſuetiorem & honeſtiorem, & à ſceleratis illis qui hæc nefanda ſunt auſi facinora, liberauit. Ne igitur muliebri ploremus luctu: etenim multos per forum dicentes audiui: Væ tibi Antiochia, quid tibi factum eſt? quomodo es honore priuata? Et cùm audiſſem, puerilem talia dicentium mentem deriſi. Non enim hæc nunc oportet dicere: ſed cum ſaltantes videris, potantes, blaſphemãtes, iurantes, peierantes, mentientes, tunc his vtere verbis: Væ tibi ciuitas, quid tibi factum eſt? Si verò forum videris paucos habens viros manſuetos, & modeſtos, & moderatos, ciuitatem illã voca beatam. Nihil enim ipſam paucitas lædere poterit, cùm non deſit virtus: ſicut econtra, nihil vnquam proderit multitudo, cùm adſit malitia. *Si fuerit numerus*
Rom. 9. f *filiorum Iſraël*, inquit, *velut arena maris, reliquiæ ſaluabuntur*. Nihil me multitudo poterit exorare, inquit. Sic & Chriſtus fecit, vocauit ciuitates miſeras, non propter paucitatem, neque quoniam non eſſent Metropoles. Et Hieruſalem rurſum propter hoc ipſum miſeram dixit, ſic inquiens: *Hieruſalem, Hieru-*
Mat. 23. d *ſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt*. Quam mihi confert vtilitatem multitudo, dic mihi, ſi vitioſè viuat? quin è contrario & damnum ex hoc naſcitur. Quid enim aliud nunc illata mala fecit? nonne torpor & contemptus, & inhabitantium improbitas? nunquid dignitas ciuitati profuit? nunquid ædificij magnitudo? nunquid quia Metropolis? Si verò apud regem terræ nihil ipſi præuarica-

A tæ hoc profuit, ſed illa cuncta ſublata ſunt: multò magis apud angelorum dominum nihil ipſi proderit dignitas iſta: nihil enim nos illo die poterit adiuuare, quòd Metropolim habitemus, porticus latas habentem, & alias huiuſmodi dignitates. Et quid dico illum diem? Quid vel ad præſentem vitam prodeſſe poterit ciuitatem eſſe tibi Metropolim? Nunquid ex hoc domum quiſquam malè diſpoſitam correxit, vel ex hac vllum dignitate prouentum habuit, vel triſtitiam repulit, vel corporis ægritudinem: vel animi vitium depoſuit? Ne ludamus dilecti, nec ad multorum opiniones reſpiciamus, ſed diſcamus quæ tandem ſit ciuitatis dignitas, quid hoc quod ciuitatem reddat Metropolim. Nec hæc dico quòd deſperem ciuitatem hanc formam priorem reſumpturam, & in propria futuram præſidentia. Humanus enim & pius rex. Volo vos autem, etiamſi reddita fuerit, non altum ob hoc ſapere, neque gloriari, nec ex his ciuitatem veſtram
B venerabilem habere. Cùm vis ciuitatis laudem dicere, ne mihi Daphnem ſuburbanam dicas, nec altitudinem cupreſſorum, & multitudinem, nec aquarum fontes, nec multos homines ciuitatem habitare, nec vſque ad profundiſſimum veſperum cum multa libertate in foro verſari, nec venalium copiam habere, ſenſibilia hæc omnia cum ſint, & vſque ad præſentem permaneant vitam: ſed ſi dicere poſſis virtutem, manſuetudinẽ, eleemoſynam, nocturnas orationes, modeſtiam, animi ſapientiam, ex iſtis ciuitatem commenda. Hæc ſi & eremum habitantibus adſint, omni ciuitate ſplendidiorem ipſam faciunt: & contrà ciuitatem omnium viliſſimam, ſi hæc illius non adſint ciuibus. Hoc non in ciuitate tantum, verùm & in hominibus faciamus. Si hominem videris corpulentum, in habitudinem multam progreſſum, ſublimem, & alios ſuperaſcendentem
C corporis proceritate, ne admireris, donec animum didiceris. Ne ab exteriori pulchritudine, ſed à mẽtis ornatu homines beatos cenſeamus. Paruus erat Dauid, & breuis ſtatura, verumetiam breuis ille & 1. Reg. 17
paruus, & armis nudus omnibus, exercitũ tantum & carneam turrim illam ſolo proſtrauit ictu, nõ haſtam iaculatus, neque ſagittam mittens, nec enſem ſtringens, ſed omnia modico lapide conſummans. Propterea & quidam admonet dicens: *Ne laudaueris hominem in ſpecie eius, nec abomineris virum in aſpectu eius*. Eccl. 11. a
Parua inter volatilia apis, & dulcedinis principatũ tenet ipſius fructus. Hoc & de ciuitate & hominibus dicamus, & inter nos philoſophemur, & Deo gratias habeamus continuè & de præſentibus, & de præteritis, & communiter ipſum rogemus cũ omni intentione. vt & carcerem habitantes, & in exilium tranſportati, illi quidem dimittantur, hi verò reuertantur. Membra noſtra ſunt, & illi nobiſcum fluctuati ſunt, nobiſcum procellam ſuſtinuerunt.
D Rogemus igitur benignitatem diuinam, vt nobiſcum tranquillitatem aſſequatur. Nemo dicat: Quæ verò mihi cura eſt amplius? Liberatus ſum ipſe periculo, pereat ille, corrumpatur alter. Ne Deum exacerbemus per hanc aſpernationem: ſed tanquã ipſi ſimus in aduerſis, ſic doleamus, ſic Deum cum ſedulitate precemur, illud Pauli dictum implentes: Cum vinctis tanquam ſimul vincti, cum malè habentibus tanquam & ipſi ſimus in corpore, & flentes cum flentibus, humilibus conſentientes. Hoc & nobiſipſis maximè proderit. Nihil enim ſic Deum delectare conſueuit, ſicut cum multa promptitudine pro membris noſtris dolemus. Oremus igitur ipſum communiter & pro præſentibus, & pro futuris, vt & ab illa nos pœna liberet. Præſentia enim qualiacunque ſint, tolerabilia ſunt, & finem habent: illa verò tormenta immortalia & ineuitabilia. Præter conſolationem verò ſtudeamus & ipſi non amplius talibus labi peccatis, ſcientes quòd amplius neque veniam aſſequi poterimus. Cõmuniter igitur ante Deum procidamus omnes,

& dum

Digitized by Google

& dum hic ſumus, & domum profecti dicamus: Iuſtus es domine in omnibus quæ feciſti nobis: quoniam in vero iudicio feciſti. Si peccata noſtra obſtiterint nobis, fac propter nomen tuum, & ne concedas amplius talium nos moleſtiarum experientiam capere, nec inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo: quoniam tuum eſt regnum & potentia, & gloria; in ſecula ſeculorum. Amen.

In prædictam ſeditionis materiam, & de ieiunio: Et in Apoſtolicum dictum: Gaudete in domino ſemper.

Phili. 3. a. & 4. b.

Homilia XVIII.

Mvltos vidi gaudentes, & inter ſe dicentes: Vicimus, ſuperauimus, ieiunij dimidium profligatum eſt. Tales autem hortor nō propterea gaudere, quia profligatum ſit ieiunij dimidium, ſed illud conſiderate, ſi peccatorum ſit profligatū dimidium, & tunc exultare: hoc enim voluptate dignum, hoc eſt id quòd quæritur, & propter quod facta ſunt omnia, vt defectus noſtros corrigamus, ne tales exeamus de ieiunio, quales ieiunium ingreſſi ſumus, ſed abluti, & omni mala conſuetudine depoſita, ſic ſacram agamus ſolennitatem. Si hoc deſit, non tantum nulla nobis erit vtilitas, verùm & maximum ex conſummato ieiunio damnū. Ne igitur lætemur, quòd ieiunij prolixitatem expediuimus. nihil enim magnum hoc eſt: ſed lætemur, quando cum profectibus ipſum exegerimus, vt etiam ipſo tranſacto, fructus ipſius effulgeat: etenim hyemis lucrum tunc maximè demonſtratur, cùm illa præterierit. Namque vernantes ſegetes, & foliis ac fructu affluentes arbores per ipſum aſpectum clamāt vtilitatem ſibi ex hyeme factam. Hoc & in nobis pariter fiat: etenim pluuiis continuis & crebris in hyeme per ieiunij tempus potiti ſumus, continuam haurientes doctrinam, & ſemina ſuſcepimus ſpiritualia, & deliciarum ſpinas abſcidimus. Perſeueremus igitur, quæ ſuſcepimus cum diligentia ſeruantes, vt & ieiunio præterito ieiunij ſcaturiat fructus: & per bona quæ de ieiunio cepimus, etiam ipſius ieiunij recordemur. Si nos igitur ſic comparemus, adueniens ieiunium cum voluptate ſuſcipiemus denuo. Multos etenim video ſe ita puſillanimiter habentes, vt in præſenti de futura ſolliciti ſint quadrageſima, multoſque dicentes audiui, quòd poſt ieiunij liberationem non ſentiunt voluptatem ex remiſſione propter futuri anni ſollicitudinem. Quid his quæſo magis eſſe poſſet puſillanime? Quæ verò eſt huius cauſa? quòd adueniente ieiunio non quomodo benè diſponatur anima ſtudeamus, ſed in ſola ciborum abſtinentia ipſum definimus. Itaque ſi multum in morum correctione ab ipſo lucraremur, etiam quotidie ieiunium adeſſe oraremus, per ipſa opera eius meritorum ſenſum capientes, nec vnquam ipſius deſiderium eiiceremus, nec ipſum expectantes triſtes fieremus & anxij. Mente quippe bene diſpoſitum, & animæ ſuæ curam habentem nulla res contriſtare poterit, ſed pura continuaque fruetur voluptate. Quòd hoc ſit verum, hodie Paulum audiſtis nos admonentem & dicentem: *Gaudete in domino ſemper: iterum dico gaudete.* Scimus multis videri, non poſſe fieri quod dictum eſt. Quomodo namque fieri poteſt, inquit, vt qui homo eſt, ſemper gaudeat? Gaudere nanque non difficile, continuè verò gaudere, & impoſſibile mihi eſſe videtur. Forte quis dicet, multæ nos triſtitiæ neceſſariò circuncurſant. Vel enim filium quis amiſit, vel vxorem, vel amicum ſyncerum omni conſanguineo magis neceſſarium, vel pecuniarū paſſus eſt mulctam, vel in ægritudinem incidit, vel aliarum rerum ſuſtinuit iacturam, vel præter dignitatem contumeliam paſſus indoluit: vel fames, vel peſtis, vel exactio ferri non poteſt, vel familiaria negotia: quinimo nunquam omnia recenſere poſſemus, quæcunque & priuatim, & publicè nos mœrore afficere conſueuerunt. Quomodo igitur, inquit, poſſibile ſemper gaudere? Poſſibile admodū, ò homo: & ſi poſſibile non eſſet, non admonuiſſet Paulus, nec conſuluiſſet, cùm homo ſpirituali eſſet præditus ſapientia. Et propterea cōtinuè vobis dicebam, & dicere non deſinam: quoniam quæ nullatenus ab alio quoquam diſcere datur, hæc nobis licet hîc meditari. Voluptatē enim quærunt, & gaudere cupiunt omnes, & propter hoc omnia faciunt, & dicunt, & negotiantur. Etenim mercator propter hoc nauigat, vt pecunias congreget: congregat autem pecunias, vt habens repoſitas gaudeat: & exercitus ductitans propterea tractat arma, & agricola propterea terram colit, & artem quiſque ſuam propterea tractat: & dominationis cupidi ideo cupiunt, vt gloria fruantur: gloria vero frui volunt, vt gaudeant. Et negotium quodque ad hunc finem nobis tendere videtis. Et ad hoc quiſque reſpiciens per multa media ad ipſum ire feſtinat. Lætitiam quippe, quod dixi, amant omnes, aſſequi verò non omnes poſſunt. Neſciunt enim viam eò tendentem. Sed multi putant quòd diuitiis affluere huius ſit cauſa. Si hæc autem cauſa fuiſſet, nemo pecunias poſſidentium vnquam fuiſſet dolore preſſus: nunc verò diuitum multi vitam non vitalem eſſe putant, & innumeras mortes exoptant, cùm aliquam aduerſitatem ſenſerint, & hi maximè ſunt vehementer dolentes. Ne mihi quippe menſas ipſorum reſpexeris, nec aſſentatores & paraſitos, ſed res ex ipſis orientes, infeſtationes & calumnias, pericula, anxietates, & quod his moleſtius eſt, quòd inpræmeditati ad has deuoluti mutationes, philoſophari neſciunt, & caſus generosè ferre. Propterea nec huiuſmodi videntur ipſis grauia, qualia naturam ſunt verum & leuia iam intolerabilia eſſe videntur. Sicut viciſſim in pauperibus contrarium fit, & illa tolerari poſſe videntur, quæ intolerabilia ſunt: quippe qui multa talia prius meditati fuerint. Non enim tam rerū natura, quam patientium diſpoſitio, magna vel parua videri facit incumbentia nobis mala. Et ne horū exemplum amborum longiùs accerſam, de his quæ vobis acciderunt diſſeram. Ecce enim pauperes quidem omnes euaſerunt, & populus periculo liberatus eſt, & pura potitur ſecuritate. Qui autem rempub. tractabant, & equos domi alebant, & brauia in certaminibus proponebant, & alia adminiſtrabant: ipſi carcerem nunc habitant, & de extremis timent, & ab omnibus patratorum ſoli dant pœnas, & in continuo metu viuunt, & omnibus nunc miſeriores ſunt, non propter periculorum magnitudinē, ſed quia præteritum tempus in deliciis egerant. Multi nanque cum eos hortaremur & ſuaderemus vt generoſe grauia ferrent, dicebant: nil vnquam tale meditati ſumus, nec talia philoſophari nouimus, propterea magnæ indigemus conſolationis. Alij rurſum putant quod bona valetudo ſit voluptatis cauſa. Non eſt autem: multi nanque bene valentes, & ipſi millies mori optauerunt, illatas ſibi non ferentes iniurias. Alij rurſum gloria potiri, & imperio inſignitum eſſe, & magiſtratus adminiſtrare, & à multis adulationibus demulceri, continuæ lætitiæ cauſam eſſe dicunt: ſed nec iſtud eſt. Et quid dico alios magiſtratus? Etſi enim ad ipſum mente regnum aſcendamus, in illo quoque viuentem multis circunuentum moleſtiis inueniemus: & tantò plures triſtitiæ neceſſitates habentem, quantò maiore quoque rerum faſtu circumdatus eſt. Et quid opus eſt bella pugnaſque commemorare, & barbarorum inſultus? Ipſos ſæpe timent, qui ſecum domi conuerſantur. Etenim regum multi hoſtiles elapſi manus, corporis ſui cuſtodum inſidias non effugerunt. Tot verò regibus triſtitiæ neceſſitates ſunt, quot mari vndæ. Cū igitur nec regnum

Ieiunium non conſiſtit in ſola cibi abſtinentia.

Quomodo ſemper poſſimus gaudere.

A vitam ſine triſtitia reddere poſſit, quid aliud hoc præſtare poterit? Humanorum quidem nihil, ſed ſolum Pauli verbum, breue quidem id, ſed altum nobis hunc aperiet theſaurum. Non enim multis opus eſt ſermonibus, nec longo circuitu: ſed ſi ſolum dictum cogitemus, viam ad hoc ferentem inueniemus. Nec enim ſimpliciter dixit: Gaudete ſemper, ſed addidit continuæ voluptatis cauſam, cùm dixerit: *Gaudete in domino ſemper.* In domino gaudens, ex accidente nullo voluptate hac excidere poteſt. Alia nempe cuncta, in quibus gaudemus, mutabilia ſunt & tranſitu facilia, & facile vertuntur, nec hoc ſolum habent moleſtum, ſed etiam quod manentia non tantam nobis afferunt voluptatem, vt ex aliis naſcentem triſtitiam repellant & obumbrent. Dei vero timor hæc habet vtraque, ſtabilis eſt, immotuſque & tantam emittit lætitiam, vt nullus nos aliorum ſenſus malorum capiat. Deum enim, ſicut oportet, timens, & ipſo confidens, voluptatis radicem lucratus eſt, & omnem B habet lætitiæ fontem. Et ſicut in mare decidẽs immenſum ſcintilla breuis facile deletur: ſic quantacunque Deum timenti illidantur, velut in vaſtũ lætitiæ pelagus incidentia extinguuntur atque perduntur. Et reuera hoc eſt maximè mirabile, quod cùm adſint quæ contriſtare ſolent, permanet ipſe gaudens. Si nihil enim adeſſet triſtificum, nõ eſſet ipſi magnum ſemper poſſe gaudere. Multis autem incumbentibus, quæ in triſtitiam impellant, omnibus eſſe ſuperiorem, & in mediis triſtibus lætari, hoc eſt admirabile. Et ſicut tres pueros non arſiſſe miraretur nemo, ſi procul à Babylonica ſtetiſſent fornace: quod enim omnes conſternauit, hoc eſt, quod in igne tantum temporis verſati, his qui non verſati fuerant, egreſſi ſunt minus læſi: ſic & in ſanctis dicere licet, quod ſi nulla ipſi inſtitiſſet tentatio, ipſos continuè gaudere non admiraremur. C Conſternatione vero dignum, & ſupra naturam humanam hoc eſt, quod infinitis vndique vndis circumdati, tranquillitate pura fruentibus melius affecti ſunt. Quod igitur nullam exteriorem vitam gaudium continuum habentem inuenire licet, ex dictis patet. Quod autem fidelis non poteſt non continua frui voluptate: rurſum & hoc ipſum demonſtrare conabor, non vt diſcatis tantum, ſed etiam vt hanc triſtitia carentem vitam ſectemini. Sit enim aliquis nihil in ſe damnandum habẽs, ſed bona fretus conſcientia, & ad futura anhelans, & expectans illam beatam ſpem: quid hunc quæſo in triſtitiam poterit inducere? Nam omnibus rebus intolerabilior mors eſſe videtur, ſed huius expectatio non tantum ipſum non contriſtat, verum & potius delectat: nouit enim quod mortis præſentia, laborum eſt liberatio, & curſus ad coronas, & brauia pro pietate & virtute pugnantibus repoſita. D Sed filiorum acerba mors. Verum & hoc generosè fert, & dicet Iob verba: *Dominus dedit, dominus abſtulit* (Iob. 1. d.) *ſicut domino viſum eſt, ita & factum eſt: ſit nomen domini benedictum in ſecula.* Si vero filiorum mors & iactura contriſtare non poteſt, multo minus pecuniarum iactura & accuſationes, & calumniæ tam magnum & generoſum animum tangere poſſent, neque corporis dolor: quoniam & apoſtoli flagellabantur quidem, ſed non dolebant. Magna quidem ſunt & hæc, ſed multo maius eſt, quod non tantùm non dolebant, verùm & ipſa flagella maioris materiam faciebant voluptatis, & reuertebantur à facie concilij, (Act. 5.) *gaudentes quod digni fuerant habiti pro nomine Chriſti contumeliam pati.* Contumelia & conuitio quis talem affecit, ſed à Chriſto gaudere inſtitutus eſt in contumeliis. Gaudete enim, inquit, & exultate de omni malo verbo quod dixerint contra vos homines, (Mat 5. a) *mentientes propter me: quoniã merces veſtra multa eſt in cœlis.* Sed in morbum incidit? Verùm audiuit alium admonentem & dicentem: In morbo & paupertate in ipſo confidas. (Eccl. 22 d) Quoniam ſicut *in igne probatur aurum,* ſic homines acceptabiles in fornace humiliationis. (1. Pet. 2.) Cum igitur neque mors, neque pecuniarum iactura, neque corporis ægritudo, neque ignominia, neque conuitiũ, neque quippiam aliud huiuſmodi ipſum contriſtare poſſit, verùm & magis delectet, quam vnquam triſtitiæ materiam habebit? Quid igitur, inquit, ſancti non dolebant? non audis Paulum dicentem: (Rom 9 a) *Triſtitia mihi magna eſt, & indeſinens dolor cordi meo?* Hoc ipſum nempe admirabile eſt, quod triſtitia lucrum, & voluptatem ex lucro ferebat. Sicut enim flagella, non dolores, ſed lætitiã: ſic rurſum & triſtitia magnas illas præbebat coronas. Et hoc eſt admirabile, quod mundi non triſtitia tantùm, verum & lætitia damnum habet extremum. In ſpiritualibus vero contrarium totum, nõ lætitia tantum, verùm & triſtitia multum habet bonorum theſaurum. Verbigratia: Gaudet quis in mundo ſæpe inimicum laborantem videns, & per hanc lætitiam multam ſibi attrahit pœnam: dolet rurſum quis alius fratrem lapſum videns, & per hanc triſtitiam multam ſibimet apud Deum beneuolentiam comparat. Cernis quomodo ſecundum Deum triſtitia mundi lætitia melior eſt & vtilior? Sic & Paulus triſtabatur propter peccantes, propter non credentes Deo, & ex hac triſtitia multam ſibi repoſitam habebat mercedem. Vt autem manifeſtius quod dico faciam, & diſcatis quod licet præter opinionem ſit dictum, tamen verum eſt, & luctus ſæpe nouit dolentes animas reparare, & cõſcientiam grauatam releuare: (Quæ triſtitia ſit vtilis.) multæ ſæpius mulieres deſideratiſſimis amiſſis filiis ſi prohibeantur quidem lugere & conqueri, diſrumpuntur & pereunt: ſi vero mœrentium omnia fecerint, releuantur & conſolationem accipiunt. Et quid mirandũ, ſi in mulieribus hoc, quippe cùm & prophetã hoc patientem videre quis poſſit. Propterea continuè dicebat? Sinite me, amarè lugeam, ne prohibete conſolantes ſuper contritione filiæ generis mei. Itaque ſæpe triſtitia affert conſolationem. Si autem in hoc mundo, multo magis in rebus ſpiritualibus. Propterea dicit: (2. Cor. 7.) *Secundum vero Deum triſtitia pœnitentiã in ſalutem ſtabilem operatur.* Et hoc quidem obſcurum eſſe videtur. Quod autem dicit, eſt huiuſmodi: Si de pecuniis triſtatus fueris, nihil profeciſti: ſi in ægritudine, nihil lucratus es, verum & magis ipſam exacerbaſti. Et ego quidem multos audiui poſt talem experientiam ſe accuſantes, & ad ſe ipſos dicentes: Quæ vtilitas quod dolui? nec pecunias recuperaui, & meipſum læſi. Si vero peccato triſteris, hoc deleſti, & maximam lucratus es voluptatem. Si de fratribus lapſis contriſteris, teipſum hortatus es & conſolatus, & illos rurſum reparaſti: quod ſi nihil & ipſis profueris, maximam habes mercedẽ. Et tu dicas, quod de lapſis triſtari, etſi nihil profuimus, maximam nobis retributionem affert. Audi Ezechielem dicentem, imo vero Deum per ipſum loquentem. Poſtquam enim miſit quoſdã ad ſubuertendum vrbem, & ferro, & igni conſumendum ædificia omnia cum habitatoribus ipſis, imperat cuidam ſic dicens: (Ezec. 9 b.) *Da ſignum in facie virorum gementium & dolentium.* Et cum aliis imperaſſet, & dixiſſet: *De ſanctũ meu tangite*: intulit dicens: *Supra quos autem eſt ſignum, ne ipſos tangite.* Qua, dic mihi, cauſa? Quoniam etſi nihil proſunt, tamen gemunt quæ geruntur, & deplorant. Et alios vero rurſus accuſat, dicẽs: Ventri & deliciis vacantes, & multa potientes libertate, vidẽtes Iudæos in captiuitatem deduci, non doluerunt, non communem fecere triſtitiam: & ipſos accuſans ait: *Nihil paſſi ſunt in contritione Ioſeph.* (Amos 5. b.) Ioſeph appellans populum omnem. Et rurſum: (Mich. 1. c) *Non exiit quæ habitat Enam plangere domum ſue coniunctam.* Quanuis enim iuſtè puniantur, vult Deus nos condolere, non autem gaudere & inſultare. Si enim ait: ego puniens non lætus hoc facio, nec in ipſorum vltione (Ezec. 18. g.) delector: *non enim voluntate volo mortem peccatoris*: oportet & te dominum imitari, & propterea lugere,

quoniam

quoniam peccator iuſtæ vltionis materiam præbuit & occaſionē. Itaque ſi quis etiam ſecundùm Deum triſtetur, magnam inde ſumit vtilitatem. Cùm igitur flagellati flagellantibus ſint beatiores, & apud nos tribulati exteris poſitis in remiſſione, & dolentes gaudentibus: quæ nobis amplius erit tribulationis occaſio? Propterea beatum haberi conuenit neminem, niſi ſecundum Deum viuentem ſolum. Hos quoque ſolos ſcriptura beatos vocat: inquit enim: *Beatus vir, qui non abiit in conſilio impiorum. Beatus, quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum. Beati immaculati in via. Beati qui confidunt in eo. Beatus cui dominus Deus adiutor eius. Beatus quem non condemnauit anima eius. Beatus vir, qui timet dominum.* Et rurſum ſic Chriſtus: *Beati qui lugent, beati humiles, beati mites, beati pacifici, beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* Vides quomodo nullibi diuitum quenquam, non generoſum, non gloria potitum beatificant diuinæ leges, ſed virtutem tantùm aſſecutum? Quod quæritur enim, omnium quæ facimus vel patimur, materiam Dei timorem eſſe conuenit. Et ſi hanc prætermittas radicem, non remiſſio tantum, nec honores, neque gloria atque miniſteria, verùm & infeſtationes & calumniæ, & contumeliæ, & ignominiæ, & tormenta, & omnia generaliter voluptatis fructus tibi germinabunt. Et ſicut arborum radices, ipſæ quidem ſunt amaræ, iucundiſſimos autem nobis fructus ferunt: ſic profectò & ſecundùm Deum triſtitia multam nobis afferet voluptatem. Norunt quicunque ſæpe cum dolore orauerunt, & lachrymas effuderunt, quantam ſint lucrati lætitiam: quomodo conſcientiam expurgarunt, quomodo exurrexerunt cum bona ſpe: quod enim ſemper dico non rerum natura, ſed mens noſtra nos contriſtare vel lætificare conſueuit. Si igitur hanc talem reddamus, qualem eſſe decet, omnis lætitiæ pignus habebimus. Et ſicut corpus, non tantùm aëris natura aut exteriores incurſus, quantum propria diſpoſitio & lædit, & adiuuat: ſic & in anima, & multò magis. Hic etenim naturæ eſt neceſſitas, illic verò totū in voluntate ſitum eſt. Propterea Paulus innumera paſſus mala, naufragia, bella, perſecutiones, inſidias, latronum incurſus, & quęcunque nec oratione numerare licet, & quotidianas mortes moriens, non tantum non dolebat, nec indignabatur, verùm & gloriabatur, & gaudebat, dicebatque: *Nunc gaudeo in paſſionibus meis, & ſuppleo defectus tribulationum Chriſti in carne mea.* Et iterum: *Non tantum autem, verùm & gloriamur in tribulationibus.* Gloriatio verò voluptatis eſt intentio. Si lætitiam itaque cupis, non pecunias, non corporis ſanitatem, non gloriam, non potentiam, non delicias, non lautas menſas, non ſericarum veſtium amictus quæras: noli pretioſos agros domóſve ſplēdidas, & illuſtres, aut aliud huiuſmodi quicquam ſectari: ſed philoſophiam, quæ eſt ſecundum Deum, tracta & apprehende virtutem, & nil eorum quæ ſunt, aut expectantur te poterit cōtriſtare. Quid dico contriſtare? additio nempe tibi fient voluptatis, quæ alios contriſtant: etenim flagella, & mortes, & mulctæ, & accuſationes, & male pati, & omnia talia, quando propter Deum nobis inferantur, & hanc habeant radicem, multā nobis in animam inducunt voluptatē. Nos enim miſeros facere poterit nemo, niſi noſipſos faciamus: ſicut ſcilicet neque beatos, niſi nos efficiamus, poſt Dei gratiam. Vt diſcatis quod hic ſolus eſt beatus, qui timet dominum: non ex præteritis, verùm ex contingentibus nobis, hoc vobis demonſtrabo. Periclitata nobis eſt ciuitas tota deleri, & diuitum quidem, & illuſtrium, & inſignium virorum in medio apparere auſus eſt nemo, ſed fugerūt omnes, & receſſerunt: Deum verò timentes commorantes in monaſteriis, hi multa cum fiducia accurrentes, omnia ſoluerunt: & tantum abfuit vt accidentia mala, & expectatæ cōminationes ipſos terrerent, & in anxietatem iniicerent, vt longè à calamitate ſedentes, & nihil habentes commune, ſponte ſeipſos in medium mitterent incendium, & omnes eriperent: & quod omnibus terribile & horendum eſſe videtur, mortem ipſi cum omni promptitudine expectauerunt, & cum maiori ad eam voluptate cucurrerunt, quàm ad principatus alij & honores. Norant enim quod magnus hic magiſtratus & honor: & per ipſa demonſtrarunt opera, quod ſolus eſt hic beatus, qui diſciplinam apprehendit cœleſtem, & mutationem nullam ſuſcipit, nec vllam ſuſtinet aduerſitatē, ſed continua tranquillitate fruitur, & omnia deridet quę videntur eſſe triſtitia. Nunc enim qui ſunt in primis magiſtratibus triſtitia multa tenentur, carcerem habitantes, catenis obſeſſi, quotidiè mori expectantes. Hi vero puriſſima fruūtur voluptate, etiāſi quid graue pati accidat: & quæ aliis terribilia eſſe videntur, hæc ipſis ſunt deſiderabilia: norunt enim ad quid currunt, & quis finis poſtquam hinc diſceſſerint, ſuſcipiet. Et cum tanto viuentes ſtudio, & mortem deridentes, pro aliis tamen dolent, & ex hoc viciſſim magnā capiunt vtilitatem. Studeamus igitur animæ noſtræ curam habere, & expectatorum nihil nos poterit contriſtare, & pro carceratis Deum oremus, vt eos ab imminenti liberet calamitate. Poterat nempe totum ſimul ſoluere malum, & ne tenues quidem dimittere reliquias. Sed ne rurſus ad priorem reuertamur torporem, ſenſim & paulatim horum torrentem malorum remittere curauit, in eadem nos retinens pietate. Et quòd hoc ſit verum, & quòd multi ad priorem rediiſſent torporem, ſi breui cuncta ſoluta fuiſſent, inde manifeſtum eſt, ſi quando calamitatis reliquiæ remanent, & adhuc regis eſt incerta ſententia, & omnes ciuitatis negotia adminiſtrantes ſunt in vinculis: multi ciuitatem nobiſcum habitantium lauandi cupiditate ad fluuium currunt, innumeris illic ſe conuitiis mordentes, luxuriantes, laſciuientes, ſaltantes, fœminas pertrahentes. Qua igitur illi venia digni? qua excuſatione? imò verò qua non ſunt pœna & vltione digni? Ciuitatis caput in carcere, membra noſtra in exilio, incerta de his ſententia: & tu, quęſo, ſaltas, & ludis, & rides? Inquit aliquis; Non enim illuuiem ferimus. O impudentem ſententiam! O mechanicam & perditam! Quot menſes rogo fuerunt? Quot anni? Nondum viginti dies balneis excluſus egiſti, & tanquam totum in illuuie tranſegeris annum, ſic mœres & indignaris? Sic quæſo fuiſti cùm militum incurſum expectabas, cum per ſingulos mori dies ſperabas, quando in deſerta fugiebas, & ad montium currebas vertices? Si quis tibi tunc totum annum in illuuie manere propoſuiſſet, vt ab inſtanti liberareris anxietate, nonne promptè ſuſcepiſſes atque tuliſſes? Cum igitur illi, qui abſque omni damno hæc ſoluit, Deo gratias agere conueniat, laſciuis rurſum, & contumeliam facis, & quoniam metus tranſiuit, ad maiorem iterum torporem rediiſti. Sic te tetigerunt mala, vt appetas & balnea? Si enim balnea remittebantur, non erat ſatis morientium calamitas, etiam eis qui in his non eſſent moleſtiis, perſuadere, vt omnium obliuiſcerentur deliciarum? De anima periculum eſt, & tu balneorum recordaris, & deliciis vis vacare? Contemnis quia nunc effugiſti? Vide ne maioris pœnæ tibi neceſſitatem circumponas, & ablatas rurſum minas cum maiori attrahas diſcrimine, & idem patiaris, quod de dæmonibus inquit Chriſtus. Poſtquam enim egreſſus fuerit ſpiritus immundus, inquit, & poſtea inuenit domum vacantem, & ſcopis mundatam, ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe iterum aſſumēs, reuertitur in animam, & fiunt poſteriora eius peiora prioribus. Timeamus igitur & nos, ne prioribus abſoluti, per ſequentē torporem prioribus peiora ſubeamus. Noui vos ab hac alienos ſtultitia. Verùm & incompoſitè ambulantes cohibete, punite, caſtigate, vt ſemper gaudeatis, ſicut Paulus imperauit:

Pſal. 1.a. Pſal. 93. Pſal. 118. Pſal. 2. Pſal. 145. Pſal. 31. Pſal. 111. Matth. 5. Col. 1.d. Rom. 5.a

vt & propriorum hic meritorum, & aliorum curæ multam & hic, & in futura vita capiamus mercedem, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri, ſimul & ſancto Spiritui gloria, poteſtas, honor, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Ad homines agros colentes, & de vitando iuramento.

Homilia XIX.

Gratvlati eſtis ſanctis martyribus his diebus tranſactis, & ſpirituali lætitia repleti exultaſtis, honeſtis exultationibus vidiſtis aperta latera, & ilia conciſa, cruorem vndique defluentem, infinitas tormentorum ſpecies. Humanam vidiſtis naturam ſupernaturalia prꝑſtantem, & coronas ſanguine decoratas, pulchrã ſaltaſtis choream, in omnem partem ciuitatis hoc honeſto duce vos circumagente, ſed nos & inuitos infirmitas domi manere cogebat. Tamen etſi ſolennitati non interfuimus, de voluptate participamus: etſi de concione fructum non cepimus, vobiſcum tamen lꝑtitiam communem habuimus. Talis eſt enim charitatis vis, non fruentes pariter cum fruentibus gaudere facit, communia proximorum bona putare perſuadens. Propterea & domi ſedens, gaudebam vobiſcum, & morbo nondum ſolutus ſurrexi, & cucurri ad vos, vt deſiderabiles facies veſtras intuerer, & præſentis feſtiuitatis particeps fierem. Feſtiuitatem enim maximam eſſe puto præſentẽ diem, propter fratrum præſentiam noſtrorum, qui vrbem nobis adornauerunt, & Eccleſiam honeſtarunt.

Agricolarum laus.

Populus lingua quidem nobis diuerſus, fide verò conſonus: populus in labore viuens vitam habens modeſtã, & venerabilem. Apud hos enim viros non iniquitatis ſpectacula, non equorum certamina, neque meritoriæ mulieres, nec reliquus vrbis tumultus, ſed omne luxuriæ genus eliminatum eſt: multa verò vbique modeſtia floret: cauſa, laborioſa ipſis eſt vita, & virtutis ſcholam atque modeſtiæ habẽt, terræ culturam artem tractantes, quam antè reliquas omnes in vitam Deus noſtram intulit. Etenim ante peccatum Adam quãdo multa fruebatur libertate, agriculturam quandam obire iuſſus eſt, non laborioſam quidem, nec ærumnas habentem, ſed multam ſibi præbentem philoſophiam. Poſuit enim ipſum, ait, vt operaretur, & cuſtodiret paradiſum. Horum quemque cerneres nunc quidem boues iugantem aratorios, & aratrum trahentem, & profundum ſcindentem ſulcum: nunc autem ſacrum aſcendentem ſuggeſtum, & ſubditorum animas arantem. Nunc quidem agri ſpinas excidẽtem falce, nũc verò ſermone ex animis peccata extergentem? Non enim erubeſcunt cultura, ſicut vrbẽ nobiſcum habitantes, ſed erubeſcunt ſegnitie, quoniam didicerunt omnẽ illam docuiſſe malitiam, & ab initio ſe diligentibus nequitiæ fuiſſe magiſtram. Vnde maximè nobis optimam philoſophari videntur philoſophiam, non ex habitu, ſed ſententia virtutem ſuam exhibentes. Itaque externorum philoſophi, ſcenicis & mimorum ludis vacantibus nihilo melius ſe habent, pallio, & barba, & ſtola nihil amplius exhibere valentes. Hi verò contrà, baculo & barba, & reliquo apparatu longũ valere iuſſis, animam ſuam veræ philoſophiæ præceptis exornauere, nec præceptis tantum, verùm & operibus ipſis. Etſi horum quempiã interroges in agricultura viuentium, & ligone & aratro confectorum, de dogmatis, de quibus infinita quærentes externi philoſophi, & ſermones multos impendentes, nihil ſanũ potuerunt ſedulo cuncta tibi cum multa reſpondebit ſapientia. Nec hoc tantũ eſt admirabile, verum & quoniam per opera dogmatum fidẽ firmant. Etenim quòd animam habemus immortalem, & omnium quę hîc geruntur, rationes reddere debemus,

A & tremendo aſſiſtere tribunali, & in mente ſibi perſuaſerunt, & vitam omnem ad hanc ſpem inſtituerunt, & omni humana opinione ſuperiores redditi, atq; à diuina eruditi ſcriptura, quod *vanitas vanitatum, & omnia vanitas*, ad nihil eorum quæ videntur eſſe clara, anhelant.

Eccl 1. & 12.c.

Hi & de Deo hęc philoſophari norunt, quæ Deus mandauit. Age aſſumens philoſophorum aliquem externorum, nunc in medium adducas: imò verò nunc quidẽ neminem datur inuenire, ſi vero horum aſſumas vnum, euoluentique priſcorum philoſophorũ libros percurras: & quid hi quidem hunc reſpondent, quid autem illi tunc philoſophati ſunt in comparatione ponens, diſcutias, videbis quanta ſit horum quidem ſapientia, quanta verò illorum dementia. Cùm enim ipſorum qu dam nullã in rebus eſſe prouidentiam dicant, nec à Deo creatum eſſe mundum, neque virtutem ſibiipſi ſufficientem eſſe, ſed opus eſſe pecuniis, & B generoſitate, & exteriori claritate, & multa alia his magis ridicula: hi autem & de prouidentia, & de iudiciis ſequentibus, & de Dei creatione, qui ex his quæ non erant, omnia produxit, & de aliis omnibus philoſophentur, nihil omnino de peregrina ſcientes diſciplina, quis non illico Dei potentiam diſcat, quæ illiteratos & idiotas multum in ſapientia gloriantibus tanto ſapientiores demonſtrauit, quanto paruis puerulis prudentes viros præſtantes cernere datur? Quod enim ipſis damnũ ex ſermonis imperitia eſſe poſſit, cùm mentes multa ſint ipſis plenæ ſapientia? Quæ verò peregrinis ex ſermonum diſciplina vtilitas, cum mens ſenſibus ſit caſſa? Vt ſi quis enſem gereret, capulum quidẽ argenteũ habentem, ferrum verò quolibet plumbo imbecillius. & his etiim lingua quidẽ verbis & nominibus eſt ornata, mẽs verò multa repleta eſt infirmitate, & ipſis ad omnia eſt inutilis: ſed nõ ſic horum philoſophorum, ſed penitus contrariũ. Multæ mens ipſis philoſophiæ ſpiritualis eſt plena, & do- C gmata vita ſectatur. Apud hos nõ ſunt mulieres luxuriantes, nec veſtimentorũ ornatus, nec colores & fuci, ſed omnis huiuſmodi morũ corruptio pulſa eſt. Vnde facilius quoque ſubditum ſibi populum in modeſtiam deducunt, & Pauli legem valamina & eſcas habere, & nihil amplius quærere iubẽtem, multa cum diligentia cuſtodiunt. Apud hos non eſt vnguentorum vſus mentem allectans, ſed terra herbas proferens omni vnguentario ſapientius ipſis variam florum parat ſuauitatẽ. Propterea & ipſis corpora cum animis pura ſanitate potiuntur: quoniam omnes delicias expulerunt, & nequiſſima ebrietatis fluenta fugauerunt: & tantũ comedunt, quantum ad viuendum ſufficit. Ne ipſos igitur ex habitu contemnamus, ſed ipſorum mentem admiremur. Quæ nanq; exterioris amictus vtilitas, cùm anima mendico ſit omni miſerius induta? Virum non à veſtimẽtis, imò nec ipſo corpore ſed ab anima laudare decet & admirari. Huius animam exue, D & ipſius pulchritudinem videbis atque diuitias per verba, per dogmata, & per omnem meorum conſtitutionem. Erubeſcant igitur gentiles, abſcõdantur propter ſuos philoſophos, & ſuam ſapientiam omni ſtultitia miſeriorem. Apud ipſos enim philoſophi per tempus quo viuebãt, vix paucos & facile numerabiles, dogmata ſua docere potuerunt, & vel exiguo deprehendente periculo & hos perdiderunt. Chriſti verò diſcipuli piſcatores, & publicani, & tentoriorum ſutores paucis annis totum mundum ad veritatem conuerterunt: & innumeris tamen naſcentibus periculis non tantum non eſt extincta prædicatio, verùm & floret, ac in maius augetur, & philoſophari docuerunt homines rudes, & agricolas, & inter armenta verſantes. Hi præter cætera etiam omnium bonorũ cauſam charitatem radicatam habentes, ad nos feſtinauerunt, tantam currentes viam, vt venirent & propria circumplecterentur membra. Eia igitur & nos pro donis iſtis,

charitate dico & affectu, viatica dantes, ſic ipſos remittamus, & rurſum de iuramentis ſermonem moueamus, vt radicitus ex omnium mente improba hæc conſuetudo reuellatur. (Contra iurantes.) Prius autem volo pauca de dictis à nobis ſuperius hodie commemorare. Poſtquam enim à Perſide abſoluti Iudæi, & ab illa liberati tyrannide, in propriam rediere patriam: (Zach. 5.a.) *Viderunt falcem*, inquit, *longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem, & Prophetam ſe docentem audierunt: Hæc eſt maledictio egrediens ſupra faciem terræ, & ingrediens domum peierantis, & diſſoluet in medium, & ligna & lapides deſtruet omnes.* Et his tūc lectis, quærebamus quare non iuratum ſolum, ſed etiam ipſius domū diſſoluit: & hanc cauſam eſſe dicebamus, quoniam grauiſſimorum pœnas peccatorum vult Deus continuas permanere, vt omnes poſt hæc corrigantur. Quoniam igitur periurum neceſſe eſt mortuum ſepeliri, & terræ ſinibus tradi, ne cum ipſius corpore & iniquitas conſepeliatur, domum ruinam fecit, (B) vt prætereuntes cuncti ipſam cernentes, & ſuffoſſionis cauſam diſcentes, peccati imitationem fugiant. (Gen. 19.c) Hoc & in Sodomis factum eſt. Poſtquam enim exarſerunt in ſui concupiſcentiam mutuam, etiam terræ natura ab igne supernè delato ſuccenſa fuit. Volebat enim huius peccati vltionem manere perpetuam. Et nota Dei clementiam. Non ipſos peccatores vſque in præſentem diem ardere fecit, ſed illos ſemel incenſos occultauit: terræ verò faciem ſuccenſam in medium omnibus propoſuit poſt hæc cernere volentibus, & nunc omni lingua clarius omnes poſteras generationes terræ commonet aſpectus, tantum non clamans & dicens: Ne patretis Sodomorum ſcelera, ne pœnas patiamini Sodomorum. Nec enim ſic in mentes ſermo peruenire ſolet, vt aſpectus terribilis, & per omne gerens tempus calamitatis veſtigia. Et atteſtantur ad illa loca profecti, qui ſæpius ſcripturam de his loquentem audientes, non multum timēt: (C) poſtquam vero venerunt, & regionem aſcenderunt, & ipſius omnem ſuperficiem viderūt deletam, & incendium ſunt cōſpicati, & terram quidē nuſquam apparentem, cinerem verò cuncta atque fauillam, perculſi, & multam ex aſpectu illo capientes modeſtiæ diſciplinam, ſic abierunt: etenim ipſi vltionis modus peccati modum imitatur. Sicut enim illi congreſſum infæcundum adinuenerunt ad filiorū procreationē non conferentem: ſic profecto Deus intulit pœnam, quæ terræ ventrem penitus ſterilem reddidit, & omnibus caſſum fructibus. Idcirco & iurantiū domos delere minatus eſt, vt alios illorum pœnis modeſtiores faceret. Ego autem hodie demonſtro non vnam, & duas, & tres domos iuramentis deſtructas, ſed ciuitatem totam, & populum religioſum, & gentē multa ſemper prouidentia vti ſolitam, & tribū multis elapſam periculis. Etenim Hieruſalem ciuitas Dei, ſanctorum arcam habens, (D) & omnem illum cultum, vbi Prophetæ fuerunt, & ſpiritus gratia, & arca, & tabulæ teſtamenti, & phiala aurea, vbi angeli ſæpe incedebāt, hæc ciuitas innumeris naſcentibus bellis, & multis ipſam incurſantibus Barbaris, tanquam muro ex adamante circundata, ſic omnes illos ſemper deriſit, & regione tota deleta, nihil graue paſſa eſt. Nec hoc ſolum eſt admirabile, verùm & quod grauem ſæpe plagam hoſtibus inferens, ſic eos emittebat, tamen à Deo nacta erat prouidentiam, vt ipſe Deus diceret: Velut vuam in deſerto inueni Iſrael, & velut ſignum in ficu temporaneum vidi patres ipſorum. Et iterum de ipſa ciuitate: *Velut rami oliuæ in ſummo excelſi & dicent, Ne noceas ipſis.* (Oſee. 9 b) Veruntamen Dei ciuitas chara tot elapſa periculis, & in multis peccatis veniam aſſecuta, & quæ ſola ex omnibus aliis captiuitatem effugere potuit, & ſemel, & bis, & ſæpius ſolo iuramento proſtrata eſt. Et quomodo id fuerit, dicam. Fuit quidam Sedechias apud ipſos rex. Hic Sedechias iuramentum dedit Barbarorum regi

(A) Nabuchodonoſor, quod in ipſius auxilio permaneret: poſtea defecit, & ad Ægypti regem transfugit, iuramenta paruipendens, & tanta paſſus eſt, quanta ſtatim audietis. Prius vero neceſſarium eſt prophetæ parabolam dicere, per quam omnia ſignificauit. (Eze. 17.a) *Factum eſt verbum*, inquit, *domini ad me, dicens: Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam, & dices: Hæc dicit dominus Deus: Aquila grandis, magnarum alarum, longa extenſione, plena vnguibus.* Aquilam hic Babyloniorum regem vocauit: magnam autem ipſam, & magnarum alarum dixit, & longam extenſione, & plenam vnguibus nominauit, propter exercitus multitudinem & magnitudinem potentię, & incurſionis velocitatem. Sicut enim aquilis ſunt alæ & vngues arma, ſic milites regibus & equi. Hæc igitur (Ibid.) *aquila habet narrationem*, inquit, *aſcendendi in Libanum.* Quid eſt narrationem? conſilium, ſententiam. Libanum vero Iudæam vocauit, quia prope montem (B) illum ſita eſt. Poſtea iuramenta volens & fœdera dicere. (Ibid.) *Tulit*, inquit, *de ſemine terræ, & poſuit illud in terra pro ſemine, vt firmaret radicem ſuper aquas multas. In ſuperficie poſuit illud? cumq; germinaſſet, creuit in vineam latiorem humili ſtatura, reſpicientibus ramis eius ad eam, & radices eius ſub illa erant.* Ciuitatem vero Hieruſalem vineam hic appellauit. Dicendo vero quod rami eius reſpiciebant ad eam, & radices eius ſub illa erant, fœdera ſignificauit, & pacē cum ipſo compoſitam, & quod ſeipſum in illum reiecit. Mox iniquitatem oſtendere volens, ait: *Et facta eſt aquila altera*, de rege loquens Ægyptio, (Ibid.) *grandibus & magnis alis, multiſq; plumis: & ecce vinea iſta quaſi mittens radices ſuas ad eam, palmites ſuos extendit ad illam, vt irrigaret eam, propterea dixi, Hæc dicit dominus Deus: Si dixeris*, hoc eſt, iuramentum ſeruauerit, & fœdera, poterit manere & ſaluari, & non cadere. Mox demonſtrans quod hoc non erit, ſed omnino propter iuramentum peribit: de (C) pœna ipſa differit, & cauſam ponit. *Radices eius euellet, & fructus eius diſtringet, & ſiccabit omnes palmites germinis eius, & areſcet.* Et demonſtrare volens quod non humana vi deſtructur, ſed quoniam Deum ſibi fecit inimicum per illa iuramenta, ſubiunxit: (Ibidem.) *Et non in brachio grandi, neque in populo multo, vt euelleret eam radicitus.* Et parabola quidem hæc. Rurſum verò declarat eam, ſic inquiens: (Ibid.) *Ecce veniet rex Babylonis in Hieruſalem.* Poſtea cùm in medio quædam alia dixiſſet, iuramenta dicit, & fœdera, ferietque cum eo fœdus. Mox & rebellionem dicens: (Ibid.) *Qui recedens ab eo, miſit nuntios in Aegyptum, vt daret ſibi equos, & populum multum.* Et poſt hæc infert, demonſtrans quod propter iuramentum hæc omnis perditio facta eſt, *quoniam in loco regis, qui conſtituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & ſoluit pactum* (Ibid.) *quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur, & non in exercitu grandi, nec in populo multo: ſpreuerat enim iuramentum præuaricando pactum meum, quoniam iuramentum meum quod ſpreuit, fœdus quod præuaricatus eſt,* (D) *ponam in caput eius, & expandam ſuper eum rete meum.* Vides quomodo non ſemel, nec bis, verùm & ſæpius dixit, quòd ille propter iuramentum hæc omnia paſſus eſt? Implacabilis enim eſt Deus, contemptis iuramentis. Nec tantum verò ex vltione ciuitati illata propter iuramentum, hoc intelligere datur: verùm & ex tardatione & dilatione, quantum Deus ſtudium habet, ne iuramenta conculcentur: (4. Reg. 25.a.) *Factum eſt autem in anno nono regni eius, in menſe decimo, in decima menſis venit Nabuchodonoſor, rex Babylonis ipſe, & omnis exercitus eius ſuper Hieruſalem, & circundederunt eam, & extruxerunt in circuitu eius munitiones. Et clauſa eſt ciuitas, atque vallata vſque ad vndecimum annum regis Sedechiæ. Nona die menſis, & præualuit fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ, & interrupta eſt ciuitas.* Poterat nempe ſtatim à prima die ipſos tradere, & facere hoſtibus ſubditos. Sed propterea interim triū annorum tempus conteri permiſit, & ipſos obſidione premi grauiſſima, vt & militum extrinſecus timore, & fame ciuitatem intrinſecus premente

caſtigati, vel inuitum regem Barbaris ſubdi cogerent, & aliquod peccato remedium fieri. Et quod hoc ſit verum, non eſt mea coniectura, audi quid per Prophetam ad ipſum dicat: *Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, viuet anima tua, & ciuitas hæc non ſuccendetur igni, & ſaluus eris tu & domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldæorum, & ſuccendent eam igni, & non effugies de manibus eorum. Et dixit rex Sedechias ad Hieremiam: Sollicitus ſum propter Iudæos qui tranſierunt ad Chaldæos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi. Reſpondit autem Hieremias, & dixit ei: Non te tradent: audi, quæſo, vocem domini, quam ego loquar ad te, & bene tibi erit, & viuet anima tua. Quòd ſi nolueris egredi, iſte eſt ſermo quem oſtendit mihi dominus. Ecce omnes mulieres quæ remanſerunt in domo regis Iuda, educentur ad principes regis Babylonis, & ipſi dicent: Seduxerunt, & praualuerunt aduerſum te viri pacifici tui, demerſerunt te in cœno, & in lubrico pedes tuos, & receſſerunt à te: & omnes vxores tuæ & filij tui educentur ad Chaldæos, & non effugies manus eorum, ſed in manu regis Babylonis capieris, & ciuitatem hanc comburent igni.* Sed poſtquam non perſuaſit hæc dicens, ſed manſit in peccato & iniquitate, poſt tres annos ciuitatem tradidit Deus, & clementiam ſuam demonſtrans, & illius ingratitudinem. Et ingreſſi cũ magna facilitate, regis domum incenderunt, & domos Hieruſalem, & omnem magnam domum incendit archimagirus, & murum Hieruſalem ſubuertit, & vbique ignis graſſabatur barbaricus, iuramento ignem ducente, & flammam paſſim circumagente, & populum in ciuitate relictum, & adiunctos regi tranſportauit archimagirus, & columnas æreas, quæ erant in domo domini, & gradus, & mare æneum, quod erat in domo domini, confregerunt Chaldæi: ollas quoque æreas, & fuſcinulas, & phialas, & mortariola, & omnia vaſa ærea in quibus miniſtrabant, tulerunt: & retinacula, & phialas aureas & argenteas tulerunt: & columnas duas, & baſes, & mare quod fecit Salomon in domo domini, tulit Nabuzardan archimagirus, & tulerunt quoque Saraiam primum ſacerdotem, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum, & tres ianitores, & de ciuitate eunuchum vnum qui erat præfectus ſuper bellatores viros, & quinque viros de his qui ſteterant coram rege, & Sopher principem exercitus, & ſcribam, & ſexaginta viros, & tulit eos, & adduxit ad regem Babylonis, percuſſitque eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblatha, in terra Emath, &c. Itaque recordare mihi falcis volantis, & iurantis domum reſoluentis: & parietes deſtruentis, & ligna, & lapides. Recordare mihi quomodo iuramentũ hoc vrbem ingreſſum, & domos, & templũ, & mœnia, ædificiaque ſplendida deſtruxit, & ruinam fecit ciuitatis, & neque ſancta ſanctorũ, neque ſacra vaſa, nec aliud quid quicquam pœnam & vltionem illam auertit, quia tranſgreſſum fuerat iuramentum. Et ciuitas quidem tam miſerabiliter ſoluebatur. Rex autem his miſerabiliora & triſtiora patiebatur: & ſicut ædificia falx iſta volans deſtruxit, ſic & hunc fugientem abſumpſit. Egreſſus eſt nocte de ciuitate per viam horti regis, & per portam quæ erat inter duos muros: & Chaldæi circundederunt ciuitatem, & perſecutus eſt exercitus Chaldæorũ, & cõprehenderunt regem, & duxerunt ipſum ad regem Babylonis. Et locutus eſt rex Babylonis cum Sedechia iudicium, & occidit filios ipſius in oculis eius, & oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus, vt in Babylonem duceretur. Quid eſt, locutus eſt cum ipſo iudicium? ipſum rationes repetiuit, rationẽ poſuit cum ipſo, & primum ipſius filios iugulauit, vt propriæ calamitatis ſpectator fieret. Et poſt tragœdiam illam miſerabilem, tunc illum excæcauit. Qua cauſa rurſum hoc agitur? vt magiſter Barbaris abeat, & illic habitantibus Iudæis, vt cernentes per excæcatum diſcant, quantum mali ſit iuramentum: nec illic verò tantum, verùm & ſecus viam omnes habitantes, vinctum & cæcatum intuentes, per calamitatis magnitudinẽ peccati pondus diſcant. Propterea Prophetarum alter quidam ſic inquit, *Non videbit Babylonem*: alter verò quod in Babylonẽ abduceretur. Et contraria quidem prophetia eſſe videtur, ſed non eſt. Sed hęc ambo vera: etenim Babylonem non vidit, & in Babylonem abductus eſt. Quomodo igitur Babylonem non vidit? quoniam in Iudæa excæcationem paſſus eſt. Vbi nanque iuramentũ ſpretum eſt, ibi & vindicatum, & vltionẽ ipſe ſuſtinuit. Quomodo abductus eſt in Babylonem? captiuus factus. Quoniam enim duæ erant pœnæ, excæcatio & captiuitas, diſtribuerunt ipſas Prophetæ: & hic quidẽ, Non videbit, inquit, Babylonem: ipſius excæcatiónem dicens. Ille verò ait, in Babylonem abducetur: ipſius ſignificans captiuitatem. Fratres igitur hæc ſcientes, & nunc dicta, & ante hæc commemorata colligẽtes, ab hac quoque ſtulta ceſſemus conſuetudine. Sic ſupplico & oro vos omnes. Si enim antiquitus, cum Iudæi ad perfectam diſciplinam non exigebantur, ſed multis erat condeſcenſus, tanta propter iuramentum expugnatio & captiuitas fuit: quid congruũ eſt nunc paſſuros eſſe iurantes, poſt legem hoc facere prohibentem, & tantum mandatorum augmentum? Non enim hoc eſt quod quæritur, vt ad ſynaxim veniamus, & audiamus quæ dicuntur. Hic enim & iudiciũ maius eſt, & pœna ineuitabilis, quando continuè audientes non impleamus quæ dicuntur. Quam enim habebimus defenſionem? quam vero veniam, cùm à prima nos ætate vſque in extremam caniciem huc conuenientes, & tanta fruentes diſciplina, ſimiles illis remaneamus, & nullum ſtudeamus defectum corrigere? Ne mihi iam aliquis conſuetudinem prætendat: propter hoc enim indignor, & iraſcor, quoniã conſuetudinem vincere non poſſumus. Et niſi conſuetudinem vincamus, quomodo concupiſcentiam vincemus, cuius radix habet à natura principiũ? Concupiſcere enim naturale, male verò concupiſcere iam eſt voluntatis. Iurare nẽpe nec cœpit à voluntate principiũ, ſed ex negligentia ſola. Et vt diſcas, quòd non ex rei difficultate, ſed propter neglectũ noſtrum in tantum hoc peccatũ proceſſit, cogitemus quod multò his difficiliora expediant homines, & hoc nullam inde retributionẽ expectantes. Cogitemus, quæ diabolus imperauit, quã laborioſa, quàm grauia. Nec difficultas fuit eius mandatis impedimentum. Quid enim, quæſo, difficilius ſit, quàm cùm quiſpiam iuuenis volentibus ſe emollire, & membra ſua torquere, ſeipſum tradẽs, ſedulò contendat rotę more totum flectere corpus, & in pauimento verſari, & per oculos & per manuũ circunductionem, & aliam reuolutionem in fœmineum genus tranſire conetur, nec eorũ quæ fiunt, difficultatẽ, nec ex his ignominiã ratiocinetur? In orcheſtra verò rurſum ſe pertrahẽtes, & velut alis, membris vtentes corporeis, videns quis non admiretur? Gladios autẽ alternatim in aerem iaculãtes, & omnes rurſum per manubrium capientes, quem non confundant, nullum pro virtute laborẽ ſuſcipere volentium? Vel quid de illis quiſpiam diceret viris, qui trabẽ in fronte geſtantes, velut arborẽ in terra radicatam, ſic immotã conſeruant? Nec hoc ſolũ eſt admirabile, verũ & id quod per puerulos paruos in ſummo ligno inter ſe luctari faciunt, & neque manus, nec alia corporis pars, ſed frons ſola omni vinculo firmius illã trabem gerit inconcuſſam. Alter rurſum ſupra funem anguſtiſſimũ cum tanta ambulat ſecuritate, cum quanta ſupinos percurrentes cãpos. Veruntamen hæc quę & cogitatu intolerabilia eſſe vidẽtur, facta ſunt arte poſſibilia. Quid horũ in iuramentis, quęſo, prętendere poſſumus? quam difficultatem? quem ſudorem? quam artem? quod periculum? exiguo tantum ſtudio nobis eſt opus, & breui nobis totum expeditum fuerit. Nec mihi dicas, maiorem partem expediui, ſed niſi

totum

Hier. 38. c.

4. Reg. 25. b.

Hier. 39. a.

Conſuetudo iurandi ſuperanda.

totum emendaſti, nondum te quicquam feciſſe puta. Hoc enim exiguum neglectum & omne reliquum deſtruit. Sæpius nanque domos ædificantes homines, & tectum imponentes, vnius tegulæ excuſſæ curam non gerentes, totam domum perdiderunt. Et in veſtimentis hoc ipſum euenire quis cernere poſſit: etenim parua in illis facta ſciſſura, nec reſarcita, magnam fecit diſruptionem. Hoc & in torrentibus multoties euenit: etenim & illi ſi vel minimum ceperint ingreſſum, totum introducunt fluentum. Itaque & tu, licet te vndique munieris, ſi tamen aliqua pars immunita dimiſſa eſt, etiam hãc diabolo obſtrue, vt ſis ab omni parte firmatus. Vidiſti falcem? Vidiſti caput Ioannis? Audiſti hiſtoriam de Saüle? Audiſti captiuitatis Iudaicæ modum? Cum his autem omnibus audiſti Chriſti ſententiam dicentem, quod non peierare tantùm, verum & iurare quomodocunque diabolicũ eſt; & tota maligni machinatio. Audiſti quod vbique iuramenta ſequuntur periuria? Hæc, inquam, omnia congregans, inſcribe cordi tuo. Non cernis vt mulieres & parui pueri pro magna cuſtodia collo Euangelia ſuſpendunt, & vbique circũferunt quocunque abierint? Tu euangelij mandata & leges mente deſcribas, nõ auro, nec argento hic eſt opus, & pecuniis, nec librũ emere: voluntate ſola vobis eſt opus, & affectu animæ expergefactæ, & ſecurius habebis Euangelium, non extrinſecus, ſed in animæ penibus ipſum reponens. Exurgens igitur à lecto, & domum tuam egrediens, hanc legem repete, videlicet: Ego autem dico vobis, non omnino iurare. & erit idonea tibi diſciplina verbum illud: nec enim multo labore opus eſt, ſed modica tantum attentione. Et quod hoc ſit verum, inde manifeſtiſſimum. Filium tuum vocans terre, & minare te ipſi plagas inflicturum, niſi legem hanc expediat, & videbis quòd cito à conſuetudine deſiſtet. Quomodo igitur non abſurdum, ſi pueruli parui noſtri timore pauentes, mandatum exuperent: nos verò neque ſic Deum timeamus, vt nos filij metuunt? Quod autẽ ſuperius dixi, hoc & nunc dico. Legem nobiſipſis ponamus, non prius publica, non prius priuata tractare negotia, donec hanc legem impleamus, & omnino neceſſitate compulſi facile ſuperabimus, & ornabimus noſipſos, ornabimus autem & omnem ciuitatem. Cogita nanque quale eſt, vbique terrarum hæc audire, quod Antiochiæ præualuit mos Chriſtianis congruus: & ibi neminem audires, licet maxima neceſſitas inſtet, iuramentum emittere. Prorſus hæc audient vicinæ ciuitates. Quinimò non tantum vicinæ ciuitates, verùm & ad ipſos terræ fines verbum perueniet: etenim veriſimile eſt vobis admixtos mercatores, & hinc aliò proficiſcentes, aliis quoq; hæc omnia nuntiare. Cùm igitur alias ciuitates laudantes multi, portus dicunt, & forum, & venalium copiam, hinc proficiſcentibus dicendũ, tradite, quod eſt Antiochię, id in aliis vrbibus nuſquam cernere licet: mallent enim vrbem illam habitantes prius linguam abſcindi, quàm ex ore iuramentum emitterre. Hoc quidem vobis erit ornamentum & munimen, nec id tantum, verùm & mercedem afferet magnam, etenim omnes vos alij beatos putabũt, & imitabuntur. Si quis enim vnum vel duos lucratus, à Deo mercedis tantum capiet: omnem mundum erudientes, quantas capietis retributiones? Oportet igitur ſtudere, & vigilare, & ſobrios eſſe, ſcientes quòd non propriorum tantum profectuum, verùm & alienorum maximam meritorum retributionem capiemus, & multam apud Deum beneuolentiam aſſequemur. Quam nos omnes adeptos detur frui regno cœlorum in Chriſto Ieſu domino noſtro, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſancto Spiritui, in ſecula ſeculorum. Amen.

Mos geſtandi euangelia.

A

In Epiſcopi reditum, & in regis cum ciuitate reconciliationem, & ad præuaricatos in ſtatuarum ſubuerſionem.

Homilia XX.

A Verbo à quo ſemper in periculorum tempore apud charitatem veſtram exordiri conſueueram, ab eodem, inquam, & hodie apud vos ſermonem incipiam, & dicam vobiſcum: Benedictus Deus, hanc nos vobiſcũ ſacram ſolennitatem cum gaudio & lætitia multa hodie celebrare dignatus, & qui caput corpori reddidit, & paſtorem ouibus, præceptorem diſcipulis, militibus ducem, ſacerdotibus pontificem. Benedictus Deus qui ex ſuperabundanti facit quæ petimus, aut cogitamus. Nobis enim ſufficere videbatur inſtantibus malis interim abſolui, & pro hoc omnẽ faciebamus ſupplicationem. Clementiſſimus autem Deus & datis

B

petitiones noſtras ſemper multo exceſſu ſuperans, etiam patrẽ nobis omni ſpe celerius reddidit. Quis enim expectaſſet, quòd tam paucis diebus & profecturus, & regem allocuturus, & ſoluturus aduerſa, & rurſum ad nos tam breui reuerſurus eſſet, vt ſacrum Paſcha poſſet præuenire, & nobiſcũ celebrare? Sed en inexpectatum hoc factum eſt: & patrem recepimus, & maiorem capimus voluptatẽ, ipſum nunc præter ſpem ſuſcipiẽdo. Pro his, inquam, omnibus clementiſſimo Deo gratias agamus, & ipſius potentiam admiremur, & benignitatem, & ſapientiam, & curam quam pro ciuitate geſſit. Diabolus nempe omnem ipſam per facinora patrata obruere tentauit: Deus verò ciuitatemque, & ſacerdotem, & regem per hanc ornauit calamitatẽ, & omnes reddidit clariores. Ciuitas nẽpe probabilis inuenta eſt, quoniam periculo tali circumuenta, prætermiſſis omnibus viris potentibus, omnibus diuitiis abun-

Ciuitas in aduerſitate probata.

C

dantibus, omnibus magnã apud regem potentiam habentibus, ad Eccleſiam & Dei ſacerdotem confugit, & cum multa fide cœleſti ſe ſpei commiſit. Multis nanq; poſt communis patris peregrinationẽ in carcere habitantes terrentibus, & dicentibus quod non lenitur rex, propter ſolennitatẽ, ſed magis irritatur, & de totius ciuitatis ſubuerſione cogitat, & alia multa his plura diuulgãtibus, vincti nihilo tũc ex hac fama timidiores redditi ſunt. Sed nobis dicẽtibus, quòd hęc falſa, & diaboli fraudis opera ſunt, ſenſus noſtros turbare volentis, nihil egemus, aiebant nobis, verborũ cõſolatione. Scimus enim ad quẽ ab initio confugimus, & quali ſpei adhęſimus, ſacræ ſalutem noſtram anchorę affiximus, nec homini credidimus hãc, ſed omnipotenti Deo. Propterea bonum quoque finem futurum omnino confidimus: non eſt enim, non eſt hanc ſpem vnquam cõfundi poſſe credendũ. Hoc quot coronas quot laudes ciuitati noſtræ comparabit? quantam

D

Deo lucrabitur beneuolentiã, etiam reliquis negotiis? Non eſt enim, non eſt cuiuſlibet animę in tentationũ incurſu vigilare, & Deum reſpicere, & omnia deridentem humana, ad illud auxilium anhelare. Igitur ciuitas quidẽ ita probabilis inuenta eſt: ſacerdos rurſum non minus quàm ciuitas: animam enim ſuã pro omnibus expoſuit, & multis impediẽtibus, hyeme, ęſtate, feſtiuitate, nec minus ſorore ad extremos deducta ſpiritus: omnibus ſuperior emicuit impedimentis, nec intra ſeipſum dixit, Quid hoc eſt? ſola nobis derelicta ſoror, & mecum Chriſti iugum trahens, & tempore tanto mecum commorata, nunc in extremis eſt: nos verò ipſam deſerentes abibimus, nec expirãtem videbimus, & vltimas voces emittentem? Et ipſa quidẽ quotidie orabat, vt ſibi oculos clauderemus, & os coniungeremus, & reliqua ad ſepulturã curaremus conſueta: nunc verò tanquã deſerta quędã, & tutore carens, nihil horum aſſequetur à germano à quo aſſequi maximè peroptabat, ſed animam emittens, non vi-

Epiſcopi virtus apparuit in aduerſitate cõmuni.

debit omnium ſibi deſideratiſſimum? Et hoc quomodo non erit ſæpius repetita morte grauius? Quinimò ſi longè abfuiſſet, nónne oportebat currere, & omnia facere & pati, vt hanc ipſi gratiam præberemus? nunc verò propè cùm ſim, deſerámne, & dimittens abibo? & quomodo ſequentes perferet dies? Sed horum non tantùm nihil dixit, ſed neque cogitauit. Sed conſanguinitate Dei timorem præferens, bene ſe noſſe mòſtrauit, quòd ſicut gubernatorem tempeſtates, & ducem pericula, ſic & ſacerdotem tentatio apparere facit. omnes, inquit, ad nos reſpiciunt, & Iudæi, & Græci. Ne igitur ipſorum de nobis expectationes fruſtremur, nec tantùm paruipendamus naufragium, ſed noſtra Deo mandantes omnia, & ipſam animam tradamus. Et conſidera pontificis magnanimitatem, & Dei benignitatem: omnibus his quæ deſpexit, potitus eſt, vt & promptitudinis præmium caperet, & potiendo præter expectationem maiorem aſſequeretur voluptatem. Elegit ſolennitatem in aliena terra, & procul à ſuis propter ciuitatis ſalutem, celebrare: Deus ante Paſcha ipſum nobis reddidit, vt communem nobiſcū ſolennitatem ageret, vt & propoſiti mercedem haberet, & maiori lætitia frueretur. Non timuit anni tempus, & per totum peregrinationis tempus ſerenitas fuit. Non curauit ætatem, & tanquam iuuenis & vigens, tanta totam hanc viam facilitate percurrit. Sororis mortem non cogitauit, nec carnis affectione victus eſt, & regreſſus viuentem ipſam deprehēdit, & omnia quæ deſpexit, aſſecutus eſt. Et pontifex quidem ita probabilis & apud Deum, & apud homines apparuit. Regem verò negotiū hoc omni diademate ſplendidius ornauit. Primum quidem manifeſtum factum eſt, quòd quæ nulli alteri concederet, hæc ſacerdotibus condonauit. Deinde quod & cum multa celeritate gratiam dedit, & iraſci deſiit. Sed vt manifeſtius & regis magnanimitatē, & ſacerdotis ſapientiā, & ante hæc vtraque Dei diſcatis benignitatem, date mihi vt pauca concionis illic habitæ vobis exponam. Dicam autem quæ à quodam eorum qui intus aſtiterunt, didici. Pater nempe nihil neque paruum, neque magnum nobis dixit, ſed Pauli ſemper magnanimitatem imitans, propria celat merita, & vndique interrogantibus quid regi dixerit, & quomodo perſuaſerit, & quomodo ipſius omnem excluſerit iram, hæc verba referebat: Nihil nos ad rem contulimus, ſed ipſe rex, lenitate Deo coripſius, & ante verba noſtra omnē remiſit iram ſoluitque furorem: & de geſtis diſſerens, tanquam alio contumelia affecto, ita cuncta quæ acciderunt, commemorabat. Sed quæ celauit hic ex humilitate, hæc Deus in medium protulit. Quæ verò ſunt hæc? paulò ſuperius ſermonem repetens vobis referam. Poſtquā enim ex vbi egreſſus eſt, omnes in tanta relinquens triſtitia, multò grauiora patiebatur, quàm qui in ipſis erant moleſtiis. Primum nempe nactus in via media ad geſtorum examinationem à rege miſſos, & ab illis doctus, quorſum eſſent miſſi, & mala ciuitatem inuaſura, tumultus, turbationes, fugam, timorem, anxietatem, pericula cogitans, lachrymarum fontes emittebat, cùm viſcera ipſi diſſecarentur patribus enim mos eſt multò magis dolere, cùm filiis ſuis malè habentibus nec adeſſe poſſint: quod & pientiſſimus hic paſſus eſt, non mala tantum nos inuaſura deplorans, verùm & quod nobis hæc patientibus procul abeſſet. Verùm & hoc pro noſtra ſalute factū eſt. Vt hæc enim ab illis didicit, calidiores lachrymarum fontes emittebat, & cum maiori ſupplicatione ad Deum confugit, & noctes inſomnes ducebat, ſupplicans, vt hæc patienti ſuccurreret ciuitati, & vt regis mentem redderet mitiorē. Vt verò magnam ciuitatem illam aſcendit, & regias ingreſſus eſt aulas, procul à rege conſtitit mutus, lachrymans, deorſum inclinatus, latitans, tanquam ipſe eſſet qui omnia illa patraſſet. Hoc autem faciebat

A habitu, aſpectu, luctibus prius mouere volēs ipſum ad miſericordiam, & tum defenſionem pro nobis incipere. Sola nanque peccantibus relinquitur venia, tacere, & nihil pro geſtis loqui. Volebat enim paſſionem hanc quidem eiicere, hanc verò introducere: eiicere quippe iram, triſtitiā autem introducere, vt ita vitam præpararet defenſionis verbis. Quod quidem & factum eſt. Et ſicut Moſes in montem aſcendens, populo lapſo mutus ipſe conſtitit, donec ipſum Deus euocauit, dicēs. *Dimitte me, & delebo populum hunc*: ita & hic fecit. Ipſum itaque rex conſpicatus lugentē, & deorſum inclinatum, acceſſit ipſe, & quod patiebatur propter ſacerdotis lachrymas, hoc verbis oſtendit. Non enim indignantis, nec iraſcētis verba fecit, ſed dolentis: non ſuccenſentis, ſed mœrētis, & dolore magis detenti: & quod hoc ſit verum, ipſa audientes verba ſcietis. Non enim dixit: Quid tandem hoc eſt? pro hominibus ſceleſtis & ſceleratiſſimis, & quos nec oportuit

Exod. 32. Qomodo Epiſcopus coram Rege populi cauſam egerit, eum inſigniter hortando ad clementiam.

B viuere, venis legationem obiens, tyrannis, innouatoribus, omni ſupplicio dignis? Sed hæc omnia dimittens verba, defenſionem compoſuit reuerentia plenam & grauitate, & à ſe collata cōmemorabat beneficia, quibus per omne regni tēpus ciuitatem noſtram proſecutus eſt, & ad ſingula hæc repetebat: hęc me pro illis pati oportuit? quarum à me iniuriarum pœnas exegerunt? quid paruum, quidve magnum accuſandū habentes, non me ſolùm, verùm & defunctos cōtumeliis affecerūt? Non valebat animus ſaturari in viuis? ſed niſi ſepultos quoque contumelioſè tractarent, nil magnum ſe facere putarunt. Iniqui fuerimus nos, vt ipſi putant. Igitur mortuis parcere, qui nullam intulerunt iniuriam, oportebat: non enim & illis hæc attribuere valebant. Nónne ſemper hanc omnibus præpoſui ciuitatem, & patria deſiderabiliorē eſſe putabam? & votum mihi continuum erat, vrbem illam cernere, & hoc apud omnes faciebant iuramentum?

C Hic aliquantum ingemens pontifex, & feruentiores emittens lachrymas, non amplius tacuit: videbat enim regis defenſionem culpam maiorem noſtram facientem: ſed grauiter & amarè de profundo gemens, Confitemur, inquit, ô rex, nec negare poſſumus amorem iſtum quem erga patriam noſtram demonſtraſti, & propterea maximè lugemus. quoniā ſic amatæ dæmones inuiderunt, & erga benefactorem ingrati ſumus viſi, & exacerbauimus ſummopere nos amantem. ſiue obruas, ſiue incendas, ſiue occidas, ſiue quandocunque aliud facias, nondū dignam de nobis pœnam exegiſti, noſ ipſos præuenientes innumeris mortibus difficilius affecimus. Quid enim amarius eſſe poſſit, quàm cū benefactorē & ſic diligentē iuſtè exacerbantes appareamus? & omnis hoc mundus diſcat, & extremam ingratitudinem noſtrā condemnet? Si barbari ciuitatem noſtram incurſantes, mœnia diruiſſent, &

D incendiſſent domos, & abductis captiuis abiiſſent, minus erat malum. Quare tandē ita? Quoniam te viuente, & tantam in nos beneuolentiam exhibēte, ſpes erat illa cuncta grauia ſolutum iri, & nos iterum ad priorem formā redituros, & clariorē recepturos libertatem: nunc autē ablata beneuolentia tua, & amoris vinculo violato, quod omni muro nobis erat tutius, ad quem iam confugiemus? Quò poterimus aliò reſpicere, tam dulcem dominū & facilem patrem exacerbantes? Itaque videntur quidem intolerabilia feciſſe, ſed paſſi magis ſunt omnium grauiſſima, ad nullum hominem audentes reſpicere, nec ipſum ſpectare ſolem liberis valentes oculis, pudore vndiq; palpebras cōtrahente, & occultari cogēte: libertate ipſis ablata, omnibus captiuis nunc miſerius affecti ſunt, & extremā ſuſtinent ignominiam: & malorum magnitudinem cogitantes, & in quantum contumeliæ reſilierunt, nec reſpirare poſſunt, cùm omnes terram habitantes in ſui vehementem calumniam attraxerint.

Digitized by Google

Sed ſi velis, ô rex, eſt vulneri medicina, & tantis malis remedium. Sæpius & in priuatis hoc factum eſt, magnæ & intolerabiles offenſiones, magnæ charitatis materia factæ ſunt: ſic & in natura noſtra euenit. Cum enim hominem Deus fecit, & in paradiſum induxit, & multò dignum fecit honore, (Geneſ. 1. & 2.) tantam diabolus proſperitatem non ferens, inuidit, & illum à data expulit dignitate. Sed Deus non tantum ipſum non reliquit, verùm & pro paradiſo cœlum nobis aperuit, hoc ipſo propriamque demonſtrans benignitatem, & diabolum magis puniens. Hoc & tu facias. Nunc omnia mouerunt dæmones, vt omnium tibi gratiſſimam ciuitatem à beneuolentia tua ſepares. Hoc verò tu nũc ſciens, pœnam quamuis quidem exigas, priori autem amicitia ne nos extrudas. Sed ſi & præter opinionem aliquid nunc diſcere fas eſt, etiam nunc inter dilectarum primas ipſam ſcribe, ſi modò dæmonas hæc operatos vis vlciſci. Si nempe deſtruas, & ſubruas, & deleas, quæ prius illi voluerunt, hæc efficies: ſi verò iram dimittas, & te rurſus ipſam amare, ſicut prius amabas, confitearis, lethalem ipſis plagam intuleris, & vltimam ab ipſis vltionem exegeris, demonſtrans quod non tantũ nihil amplius ipſis expeditum eſt per inſidias; verùm & cuncta ipſis contraria, quàm volebant, acciderunt. Iuſtus autem fueris hæc faciendo, & ciuitatem miſerando, cui propter amicitiam tuam dæmones inuiderunt. Niſi enim ipſam tam vehementer amaſſes, nec ipſam illi tanta inſectati fuiſſent inuidia. Itaque etſi mirandum eſt quod dicitur, eſt tamen verum, quod propter te & amicitiã tuam hęc paſſa eſt. Quot incendiis, quanta ſubuerſione ſunt hæc verba acerbiora, quæ reſpõdens dicebas? Nunc te contumelia affectũ dicis, & pertuliſſe quæ nullus vnquam ſuperiorum regum. Sed ſi velis, ô humaniſſime & ſapientiſſime, & multa pietate plene, diademate illo clariorem & maiorem tibi coronã hæc afferet contumelia. Hoc nempe diadema eſt & virtutis inſigne, & Dei liberalitatis indiciũ. Sed corona ex hac humanitate cõtexta tuum ſolius erit & ſapientiæ tuæ meritum. Nec te tantum omnes admirabuntur propter iſtos lapides pretioſos, quantum propter victoriam de indignatione ſuperata reportatã laudabunt. Deſtruxerunt ſtatuas tuas? ſed illis clariores reſtituere tibi licet. Si iniuriæ anthoribus enim crimina remittas, & nullam ipſis inferas pœnam, non æreas iſtas in foro erigent, nec aureas, nec lapillis coagmentatas: ſed omni materia precioſiorem ſtolam indueris, humanitatem ſcilicet & miſericordiam: talem in mente quiſque ſua te ædificabunt, & tot habebis ſtatuas, quot orbem habitant homines, & habitabunt. Non enim nos tantum, verum & poſt nos futuri, & poſt illos omnes hæc audient, & tanquam ipſi bene fuerint habiti, ſic te admirabũtur & amabunt. Et quod hæc non aſſentans dico, ſed ſic erit omnino, antiquum tibi referam ſermonem quendam: vt diſcas quod non tantùm exercitus, & arma, & pecuniæ, & ſubditorum multitudo, & alia huiuſmodi ſplendidos facere reges conſueuère, quantum animi diſciplina & manſuetudo. Fertur beatus Conſtantinus effigie ſua quandoque lapidata, multis ipſum inſtigantibus ad ſupplicium de authoribus contumeliæ ſumendum, & dicentibus, quod omnem ipſius faciem ſaxis conuulnerarint, manu faciem palpans, & leniter ridens dixiſſe: Ego vero nuſquam vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſana verò & facies tota. Illi vero reueriti & confuſi ab hoc iniquo deſtitere cõſilio. Et hoc verbum hactenus canunt omnes: nec tantum temporis labefecit, aut huius ſapientiæ memoriam extinxit. Quot non ſit hoc trophæis ſplendidius? Multas vrbes ille condidit, & multos Barbaros ſuperauit: ſed meminimus illorum nihil. Hoc autem verbum vſque in præſentẽ diem canitur, & poſteri noſtri, & poſteri illorum omnes idipſum audient.

A Nec hoc ſolum eſt admirandum, quod audient, verumetiam quod laudibus & fauſtis verbis proſequentur, dicenteſque laudabunt & audiẽtes gratè ſuſcipient. Nec vllus eſt qui audiens, ſilere poſſit, quin pariter exclamet, & talia dicentẽ laudet, & innumera ipſi vel defuncto bona precetur. Quod ſi propter illud verbum apud homines tanta potitus eſt gloria, quot apud benignũ Deum coronas aſſequetur? Quid autem opus eſt Conſtantinũ & aliena exempla commemorare, cùm te de propriis, & meritis tuis opus ſit exhortari? Recordare priorum quando ſolennitate hac ſuperueniente per totum orbem terrarum epiſtolã miſiſti iubentem carcere detentos dimitti, & ipſis ignoſci crimina: & illis humanitatem tuam demonſtrare non ſufficientibus, per literas dicebas: Vtinã mihi liceret & defunctos reuocare & reſuſcitare, & ad priorem vitam reducere. Horum nunc reminiſcere verborum. B Ecce tempus defunctorum reuocandorum, & reſuſcitandorum, & ad vitam reducendorum priſtinam. Et hi nanq; iam mortui ſunt, & priuſquam iudicium proferatur, & ad ipſas tartari fores iam nũc ciuitas collocata eſt. Ipſam igitur inde reſuſcita ſiue pecuniis, ſiue impendio, ſiue tẽpore & omni labore. Tibi namq; ſatis eſt tantũ loqui, & reuocare ciuitatẽ in tenebris iacentem. Nunc ipſam iube ab humanitate tua poſthac appellari. Nec enim tantam habebit gratiam illi qui ab initio ſe condidit, quantam ſententiæ tuæ: nec immeritò. Ille enim principio ipſi dato receſſit: tu verò auctam & magnã factam, & poſt multã hanc tranquillitatẽ deſtructam reſuſcitabis. Non erat tam mirandum, ſi hoſtibus ipſam capientibus, & Barbaris populãtibus à periculo liberaſſes, quã eſt admirabile nunc peperciſſe. Illud enim ſæpe multi fecere reges, hoc autem tu ſolus operaberis; & primus præter omnem expectatio- C nem. Et illud quidem minimè mirandũ, nec præter opinionem, ſed eſt quotidianũ opus, ſubditis prodeſſe. Quòd autem tot & talia paſſus iram deponas, hoc omnem naturam excedit humanam. Cogita quod nunc non de ciuitate tantum illa tibi conſultandum eſt, verùm & de gloria tua, magis verò de Chriſtianitate tota. Nunc & Iudæi & Græci, & omnis terrarum orbis, & Barbari (etenim & illi hęc audierunt) ad te reſpiciunt, expectantes vt videant qualem de geſtis ſententiam feras: nempe ſi humanam protuleris & mitem, omnes decretum laudabunt, & Deũ glorificabunt, & inter ſe dicent: Papè quanta Chriſtianitatis potentia! Hominem ſuper terram habentem æqualem neminẽ, omnia delendi & corrumpendi dominũ cohibuit & refrænauit, & docuit philoſophiam, quam nec homo priuatus exhiberet. Verè magnus Chriſtianorum Deus, qui ex hominibus angelos facit, & omni neceſſitate naturali ſuperiores cõſtituit. Ne nanq; ſuperfluum timorem illum timeas, nec toleres quoſdam dicentes, quod reliquæ ciuitates peiores erũt, & hac non punita imperium tuũ magis contemnent. Si enim D ad inſurgendum fuiſſes impotens, & hæc operati te vi ſuperaſſent, & par eſſet potentia, congruè ſuſpicari hæc oportebat. Si verò pauefacti, præque timore præmortui ſunt, & ad tuos per me cucurrere pedes, nec aliud quotidie expectant quàm barathrum, & ſupplicationes faciunt cõmunes in cœlum reſpicientes, & Deum venire ſupplicant, & ſimul nobiſcum legationem attingere: & ſicut in extremis conſtituti, de propriis quiſque ſuis conſiderauit, quomodo nõ ſuperfluus hic timor. Si iugulari fuiſſent iuſſi, tanta paſſi non fuiſſent, quãta patiuntur nunc, tot diebus in timore & tremore viuẽtes: & ſuperueniente veſpere, aurorã videre non expectantes: & die orto ad veſperã peruenire non ſperant: multi & in feras inciderunt, dũ ſectantur deſerta, in inuia tranſlati, nec viri tantũ, verũ & pueruli parui, & mulieres liberæ & decoræ per multas noctes & dies in ſpeluncis & conuallibus & deſerti

foraminibus latentes: & nouus captiuitatis modus ciuitatem detinet, ædificiis & muris ſtantibus, incenſis ciuitatibus grauiora patiuntur: nullo incumbente Barbaro, nec hoſte apparente, captis miſeriùs diſpoſiti ſunt, & ſolum folium ſi moueatur, omnes ipſos per ſingulos terret dies. Et hæc omnes ſciunt. Et ſi ſubuerſam ipſam vidiſſent, non ſic eſſent caſtigati, vt nunc qui has ipſius audiere miſerias. Ne igitur hoc cogites, quòd peiores ſint futuræ ciuitates reliquæ. Nō enim ſi ciuitatem euertiſſes, ſic eos caſtigaſſes, vt nunc per incertam futurorum expectationem, omni ſupplicio vehementius ipſos puniens. Ne igitur ipſis vlterius calamitates producas, ſed iam reſpirare concedas. Subditos nempe caſtigare, & geſtorum exigere pœnas, facile penitus & promptum: his verò qui contumelias intulerunt, parcere, & his qui venia patrauerunt indigna, veniam dare, vnius & vix alterius eſt; & maximè cùm rex ſit contumeliā paſſus, & ciuitatem quidem metu ſubdere facile: omnes autem amatores conſtituere, & perſuadere vt in regnum tuum ſe beneuolè habeant, & nō tantum communes, verùm & priuatas pro tuo preces imperio faciant, difficile: licet infinitas quis expendat pecunias, & innumeros exercitus moueat, & quicquid operetur, non facile tot hominum affectionem ad ſeipſum attrahere poterit, quod nunc tibi facile erit & leue. Nam & beneficiis affecti, & qui audierint pariter cum beneficio affectis erga te beneuolè diſponentur. Quot pecuniis emiſſes, quot emiſſes laboribus, breui temporis momento totum orbem acquirere, & omnibus futuris perſuadere, quanta filiis ſuis optant, tanta & capiti tuo optarent? Si autem ab hominibus hæc, cogita quantam à Deo capies mercedem, non tantum eorum quæ nunc fiunt, verùm & quæ poſt hæc ab aliis expedientur. Si vnquam enim contingat fieri tale quid, quale nunc factum eſt (quod Deus auertat) & iniuriam paſſorum aliqui in contumeliam operatos inſurgere velint, benignitas & ſapientia tua pro omni ipſis erit diſciplina & admonitione: & erubeſcent & confundentur tale diſciplinæ exemplum habentes, inferiores apparere. Itaque omnium poſterorum eris præceptor, & palmam ipſis præripies, licet ad ipſum philoſophiæ verticem peruenìant. Non enim par eſt, quempiam tantam incipere benignitatem primùm, & ad alios reſpicientem ab illis elaborata imitari. Quocirca quicunque poſt te humanitatem & manſuetudinem quantamcunque exhibuerint, tu cum illis mercedem accipies. Qui enim radicem præbuit, hic vtique & fructuum author eſt. Propterea nunc quidem nemo tecum humanitatis mercedem partiri poteſt: tuum enim ſolius meritum eſt. Tu verò cum omnibus poſteris, ſi qui tales vnquam appareant, ex æquo meritum diuidere poteris, & tantam reportare partem, quantam in diſcipulis præceptores. Et ſi nemo talis fuerit, rurſum tibi commendationes & laudes per ſingulas proueniunt generationes. Conſidera nanque quale ſit poſteros omnes audire, quot tam magna ciuitate facta pœnæ & vltioni obnoxia, pauefactis omnibus, & horrefactis ducibus, & præfectis & iudicibus, & ne vocem quidem pro miſeris illis rumpere audentibus, vnus accedens ſenex Dei ſacerdotium gerens, ex ipſo aſpectu ſolo, & nudo occurſu ad reuerentiam Imperatorem mouit: & quod nemini ſuorum conceſſit, vni hoc ſeni conceſſit, Dei leges reueritus. Etenim hoc quoque ipſo non te parum, ô rex, ciuitas honorauit, quod me ad te legatū miſit: ſententiam enim de te optimam & pulcherrimam protulerunt: quod omni principatui tibi ſubiecto Dei ſacerdotes præhonoras, etſi viles eſſe contingat. Non ab illis vero tantùm nunc venio, verùm & ante illos à communi angelorum domino miſſus ſum, vt hæc dicam mitiſſimæ ac benigniſſi-

A mæ animæ tuæ: quod ſi hominibus ipſorum peccata dimittatis, & pater cœleſtis lapſus veſtros vobis dimittet. Recordare igitur illius diei, qua omnes de actis rationem reddemus. Cogita quod etiamſi quid tibi peccatum eſt, omnes abluere præuaricationes per iudicium & ſententiam iſtam poteris abſque laboribus, abſque ſudoribus. Alij nempe legati aurum & argentum, & alia huiuſmodi dona ferunt: ego verò cum ſacris ad regnum tuum legibus veni, & pro donis omnibus has prætendo, & te dominum tuum imitari ſupplico, qui quotidie à nobis contumeliam patiens non ceſſat bona ſua omnibus miniſtrare. Et ne confundas ſpem noſtram, nec promiſſiones redarguas. Etenim & hoc cum aliis te ſcire volo, quòd ſi reconciliari velis, & priſtinam ciuitati beneuolentiam communicare, & hanc remittere iuſtam indignationem, cum multa reuertar fiducia: ſi verò mente tua ciuitatem aſperneris

B non tantùm ipſam non aſcendam, nec ipſius ſolium videbo, verùm & in reliquum negabo, & in aliam me ciuitatem conſcribam. Ne mihi nanque accidat in illam vnquā aſcribi patriam, erga quam humaniſſimus tu, & hominum cunctorum mitiſſimus pacari reconciliarique non eligas. Hæc & his plura locutus, ſic regem confudit, vt idem fieret, quod & in Ioſeph contigit olim fieri. Sicut enim ille tunc fratres conſpicatus, lugere quidem volebat, ſed dolorem tegebat, ne ſimulationem interrumperet: ſic certe & rex lachrymabat quidem mente, non demonſtrabat autem propter omnes præſentes. Nec tamen vſque in finem æſtum celare potuit, verùm & inuitus redarguebatur. Poſt hanc enim concionem, ſecundis non opus habuit verbis, ſed vnum ſolum locutus eſt verbum, quod ipſum diademate multò magis ornauit. Quod autem hoc eſt? Ecquid admirabile & magnum eſt, ſi his qui nos contumeliis affecerunt, iram remitta-

C mus, hominibus exiſtentibus, cùm & ipſi homines ſimus: cùm mundi dominus in terram deſcendens, & propter nos ſeruus factus, & à beneficio affectis crucifixus, pro crucifixoribus ſuis patrem orauefit, dicens: *Ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt*? Quid igitur admirabile, ſi nos conſeruis ignoſcamus? Et quod hæc verba non ſunt ſimulatio, demonſtrauerunt quidem & reliqua opera, nec his minus illud quod nunc ſum relaturus. Ipſum enim hunc ſacerdotem ſecum communiter hanc ſolennitatem celebrare volentem, inuitum properare & feſtinare coëgit, & ſe ciuibus exhibere. Noui, inquit, quòd nunc ipſorum ſunt animi conturbati, & multæ ſuperſunt calamitatis reliquiæ. Abi conſolare. Si gubernatorē viderint, nec præteritæ reminiſcentur tempeſtatis, verùm & ipſam triſtium memoriam omnem delebunt. Vt autem inſtitit pontifex, petens vt filium ſuum mitteret, volens ille manifeſtè demonſtrare, quòd omnem penitus iram mente deterſerat: Orate, inquit, hæc auferri obſtacula,

D hæc bella extingui, & ego veniam omnino. Quid anima mitius illa eſſe poſſit? Confundantur gentiles de reliquo, quinimò ne confundantur, ſed erudiantur, & proprium omittentes errorem ad Chriſtianitatis virtutem redeant, noſtram à rege & pontifice docti philoſophiam. Non enim hactenus tunc ſubſtitit piiſſimus rex, ſed & poſtquam ex vrbe ſacerdos exiuit, & pertranſiit mare, miſit ad eum quoſdam, ſciſcitans & ſatagens, ne forte tempus tereretur, & ciuitati voluptatem dimidiaret, extra vrbem ſolennitatem peragens. Quis pater mitis tantam de perſecutis ſe contumelia curam egit? Dicam & aliam iuſti laudem: his enim expeditis non feſtinauit, vt alius gloriæ cupidus, ipſe literas illam triſtitiam ſoluentes deferre. Sed quoniam maturius ibat, alium quendam velociter equitare doctum mandauit præuenire, & bona ciuitati nuntia afferre, ne ex reditus ſui tardatione triſtitia prolongaretur. Quod enim ipſe quærebat,

ſolum

Mat. 6. d.

Luc. 23. e

ſolum erat, non vt ipſe veniret bona hæc deferẽs, & voluptatis multæ plena, ſed vt ocyus nobis patria reſpiraret. Quod quidem feciſtis, forum coronantes, & lucernas accendentes, & lectos ante officinas componentes; & tanquam nuper ciuitate nata, feſtum agentes. Hoc aliter per omne facite tempus, non floribus, ſed virtute vos coronantes, lumen per opera in anima veſtra accendentes, ſpirituali gaudentes lætitia, & Deo continuè pro his omnibus gratias agere non deſinamus: nõ tantùm quoniam grauia ſoluit, verùm quoniam & ipſa fieri permiſit. Et multum ipſi nos debere confiteamur. Per vtraque enim nobis ciuitatem
Ioel 1. a. ornauit. Hæc autem omnia ſecundùm propheticũ eloquium, filiis veſtris annunciate, & filij veſtri filiis ſuis, & illi rurſum generationi poſteræ, vt omnes qui vſq. ad conſummationẽ ſint, Dei humanitatẽ ciuitati exhibitam diſcentes, vos quidem beatificent tantam nactos beneuolentiam: admirentur autem & dominum noſtrum, qui ſic lapſam ciuitatem
B releuauit. Lucrentur verò & ipſi, & per talium geſtorum exempla ad pietatem impellantur: non enim nos tantùm, ſi in ipſorum memoria continuè maneamus: verùm & poſt nos futuros, eorum quæ nobis euenerunt narratiõ, maximè iuuare poteſt. Quæ omnia ratiocinantes, non tantùm in grauium ſolutione, verùm & in horum permiſſione ſemper clementiſſimo Deo gratias agamus, tum ex diuinis ſcripturis, tum ex nobis accidentibus, his præſertim memoratis edocti, quod omnia ſemper ad vtilitatem noſtram diſpenſat cum benignitate ſibi ſemper adhærente: qua nos ſemper fruentes, cœlorum quoque regnum aſſequi contingat, in Chriſto Ieſu domino noſtro, per quẽ & cum quo patri ſimul & ſancto ſpiritui gloria, poteſtas, & honor nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amen.

C *Catecheſis ad illuminandos, & de mulieribus ſe ſertis & auro ornantibus, & de ſectantibus vaticinia, vel ligaturas, vel incantationes: quæ cuncta Chriſtianitati ſunt aliena.*

Homilia XXI.

PRIVS dictorum apud charitatem veſtram fructus à vobis repetiturus adueni. Non enim propterea dicimus, vt tantum audiatis, verum vt & dictorum memoriam ſeruetis, & per opera nobis memoriam demonſtretis, magis verò non nobis, ſed Deo mentis arcana ſcienti. Propterea & catecheſis, id eſt, inſtructio dicitur, vt & abſentibus nobis ſermo noſter mentes veſtras inſtituat. Et ne miremini, ſi decem diebus tantum tranſactis ſeminum fructus repetituri venimus. Etenim die ſola licet pariter & ſemina ſpargere, & meſſem facere: non enim propria tantum virtute, verùm & diuino momento roborati, ſic ad certamina vocamur. Qui-
D cunque igitur dicta ſuſceperunt, & per opera impleuerunt, maneant ſe extendentes in anteriora. Quicunque verò bonam hanc operationem non attigerunt, iam attingãt, vt ex torpore natam damnationem futura promptitudine repellant. Licet enim, licet inquam, eum qui multum torpuit, poſt hæc promptitudine vtendo, præteriti temporis om-
Pſal. 94. b nem reparare iacturam. Idcirco dicitur, *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione.* Hoc autem dicit, admonens & conſulens nunquam deſperare, ſed donec hic ſimus, bonas habere expectationes, & anteriora apprehendere, & ad brauium ſupernæ Dei vocationis ſequi. Hoc igitur faciamus, & magnæ huius donationis nomina exquiramus. Sicut enim dum ignoratur dignitatis magnitudo, ſegniores facit eos qui honorantur: ita ſi noſcatur, gratos reddit, & magis ſtudioſos efficit. Alioqui & turpe eſſet, & ridiculum, tanto potientes apud Deum honore, neſcire quid ipſius tandem nomina ſignificare velint. Et quid de

A hoc munere dico? Si enim commune generis noſtri nomen cogitaueris, maximam ad virtutem capies diſciplinam & exhortationem. Hoc enim nomen, homo, nos non ſecundùm externos definimus, ſed vt diuina iuſſit ſcriptura. Nam homo non eſt quicunque ſimpliciter manus habet & pedes humanos, nec quicunque tantùm rationalis eſt: ſed quicunque pietatem & virtutem cum fiducia exercet. Audi nanque quid de Iob dicit. Cum enim dixiſſet, quòd in terra Huſitide homo erat, non ex his eum deſcribit terminis, quibus alij, nec hoc dicit, quòd duos pedes habebat, & vngues latos: ſed indicia pietatis illius præbens dicebat, *Simplex & rectus, ac timens Deum & recedens à malo.* Iob 1. a. Demonſtrans quòd hoc eſt homo, ſicut ſcilicet & alius inquit, *Deum time, & ipſius mandata cuſtodi, quoniam hoc eſt omnis homo.* Eccl. 12. d Si autem hoc nomen, homo, tantam ad virtutem præbet exhortationem, multò magis fidelis. Fidelis enim propterea vocaris, quoniam & credis Deo, & ab eo creditam ipſe iuſtitiam habes,
B ſanctitatem, munditiam animæ, in filium adoptionem, regnum cœlorum, & hæc tibi commendauit. Tu viciſſim ipſi alia vouiſti, eleemoſynam, orationes, modeſtiam, & omnem aliam virtutem. Et quid dico eleemoſynam? Mat. 10. c Si vel frigidum ipſi dederis poculum, nec hoc amittes: verùm & hoc in illum reſeruat ſedulò diem, & cũ multa reddet ſuperabundantia. Hoc quippe admirabile eſt, quòd non tantùm depoſita ſeruat, verum & multiplicat retributionibus. Hoc & te ſecundùm potentiam tuam facere iuſſit in his quæ tibi credita ſunt, ſanctitatem, quam accepiſti, intendere, & ex lauacro iuſtitiam reddere clariorem, & gratiam illuſtriorem facere: ſicut vtique & Paulus fecit, ſequentibus laboribus, & ſtudio, & promptitudine augens omnia quæ accepit bona. Et nota Dei prouidentiam, nec tibi totum hic dedit, neque toto priuauit: ſed hæc quidem dedit, hæc autem promiſit. Et quare non hic totum
C dedit? vt tu fidem in ipſum demonſtres, nondum datis ex ipſius promiſſione ſola credens. Quare verò rurſum non omnia illic ſeruauit, ſed dedit & Spiritus gratiam, & iuſtitiam, & ſanctificationem? vt tibi labores leues faciat, & ex iam datis etiam de futuris te bonæ ſpei conſtituat. Proptereaq; recenter illuminatus vocari debes: quoniam noua lux ſemper tibi, ſi velis, & nunquam extinguitur. Hanc nempe lucem & volentibus nobis & nolentibus nox ſubſequitur. Illum verò radium tenebræ non norunt: *lux enim in tenebris lucet, & tenebræ eam nõ comprehenderunt.* Ioan. 1. a. Non ſic enim mundus eſt clarus oriente radio, vt anima illuſtratur & ſplendidior fit à ſpiritu gratiam ſuſcipiens. Et conſidera diligentius rerum naturam. A ſimili. Nocte enim terras tenente, & tenebris caligantibus, ſæpe funiculum quis cernens, ſerpentem eſſe putauit, & amicum accedentem tanquam inimicum fugit: ſtrepitum quempiã ſen-
D tiens, trepidus factus eſt: facta autem die nihil tale fieret, ſed omnia qualia ſunt apparent: quod & in anima noſtra contingit. Gratia Dei nos illuminat. Poſtquam enim gratia veniens mente tenebras expulit, rerum veritatem diſcimus, & nobis fiunt deſpicabiles res prius tremendæ: nec enim amplius mortem timemus, diligenter ex hac ſacra introductione diſcentes, quòd mors, non eſt mors, ſed ſomnus, & dormitio temporaria: non pauperiem, non morbum, non aliud quid huiuſmodi, reformidamus, ſcientes quòd ad meliorem tendimus vitam, immortalem & incorruptam, & ab omni tali liberam inæqualitate. Ne igitur amplius ad mortalia maneamus hiantes, nec circa menſæ delicias, nec circa veſtimentorum ornatum: habes enim maximum indumentum, habes menſam ſpiritualem, habes gloriam supernè, & omnia tibi Chriſtus factus eſt, & menſa, & veſtimẽtum, & domus, & caput, & radix. *Quotquot in Chriſto enim baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Gal. 3. d Ecce quomodo veſtimentũ tibi eſt. Vis diſcere quomodo & men-

ſa tibi ſit? *Qui me comedit*, inquit, *viuet ille propter me.* Quòd autem domus eſt tibi: *Qui comedit carnem meã, in me manet, & ego in eo.* Et quod radix, rurſum inquit: *Ego vitis, vos palmites.* Et quod frater, & amicus, & ſponſus: *Non amplius vos dicam ſeruos*: &, *Vos amici mei eſtis*: & Paulus, *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto*: & rurſum, *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Nec fratres tantum ipſius, verùm & pueruli fiamus. *Ecce enim* inquit, *ego & pueruli, quos tradidit mihi Deus.* Non hoc autem ſolùm, verùm & membra ipſius & corpus eius: Tanquam enim non ſufficerent dicta demonſtrare beneuolentiam & charitatem quam erga nos exhibet, & aliud his maius, & propius poſuit, ſe caput noſtrum appellans. Hæc omnia certò ſciens, dilecte, ſis gratus erga benefactorem tuum optima conuerſatione, & ſacrificij magnitudinem cogitans, orna corporis tui membra: cogita quid manu capias, nec vnquam vllum verberare audeas, nec tanto decoratum munere, plagæ crimine confundas. Cogita quid manu capias, & ipſam ab omni auaritia & rapina liberam conſerua. Reputa quod non tantum manu capias, verum & ori admoueas, & linguam cuſtodi à contumelioſis mundam, & turpibus verbis, blaſphemia, periurio, & aliis omnibus huiuſmodi. Etenim pernicioſum eſt, tam tremendis miniſtrantem myſteriis linguam, & ſanguine tali purpuratam, & factum aureum gladium ad conuitia, & contumelias, & ſcurrilitates transferre. Reuerere eam honore quo dominus ipſam honorauit, nec ad peccati vſum ipſam deducas: ſed rurſum animaduertens, quod poſt manum & linguam cor ſuſcipit horrendum illud myſterium: ne vnquam in proximũ ſumas, dolum, ſed mentem tuam ab omni malitia mundam conſerua: ſic & oculos, & aures munire poteris. Quomodo enim non eſt abſurdum poſt myſticam illam vocem è cœlis delatam, à Cherubin dico, meretriciis cantibus, & fractis melodiis aures inquinare? Quomodo verò non extrema pœna dignum eſt, oculis quibus arcana vides, & horrenda myſteria, his meretrices ſpectare, & mente adulterium exercere? Ad nuptias vocatus es dilecte, ne intres ſordidis indutus veſtimentis, ſed nuptiis congruam cape veſtem. Si enim ad nuptias ſenſibiles homines inuitati, etſi omnium pauperrimi ſint, mutuò ſumentes ſæpe, vel ementes veſtimentum mundum, ſic ad ſe vocantes conueniunt: & tu ad nuptias ſpirituales, & prandia vocatus regalia, conſideres quàm dignum ſit te nuptiale veſtimentum comparare. Verùm enimuero nec opus eſt comparare, ſed ipſe qui vocat tibi dat gratis, ne vel paupertatem prætendere valeas. Serues itaque quod accepiſti veſtimentum. Si nanque perdideris, amplius emere non poteris, aut mutuare. Nuſquam enim venditur tale veſtimentũ. Audiſti quomodo gemuerunt dudum ſacris introducti, & pectus percuſſerunt, eos ſtimulante cõſcientia? Conſidera igitur & tu dilecte, ne vnquam hoc patiaris Quomodo autem non patieris, non expulſa praua malorum cõſuetudine? Propterea & prius dixi, & nunc dico, & dicere non deſiſtam, ſi quis morum vitia non correxit, nec ſibi facilem parauit virtutem, ne baptizetur. Priora nempe crimina lauacrum abluere poteſt: timor autem non paruus, & periculum non mediocre, ne rurſum ad eadem redeamus, & vulnus nobis fiat de medicina. Quantò nanque maior gratia, tantò amplior poſtea peccantibus pœna. Ne igitur ad priſtinum redeamus vomitum: hinc iam nos ipſos erudiamus. Quod enim oporteat prius pœnituiſſe, & à prioribus deſtitiſſe malis, & ſic ad gratiam accedere, audi quid Ioannes dicat, quid verò ſummus Apoſtolorũ baptizari debentibus. Ille nempe dicit: *Facite fructum dignum pænitentiæ: & ne incipiatis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham.* Hic autem interrogantibus rurſus aiebat: *Pænitentiam agite, & baptizetur quiſque veſtrum in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti.* Pœnitentiam agens autem non amplius eadem attingat negotia, quorũ pœnituit. Propterea q. iubemur dicere: Abrenuntio tibi ſatana, ne amplius ad ipſum reuertamur. Sicut igitur in pictoribus accidit, ſic & nunc fiat. Etenim illi tabulas proponentes, & albas circunducentes lineas, & regias depingentes imagines: priuſquam colorum veritatem ſuperinducãt, cum omni libertate hæc quidem delent, hæc verò repingunt, & errata corrigentes, & malè ſe habentia tranſponentes: poſtquam verò iam colorem induxerint, non amplius libertatem habent rurſum delendi & depingendi: quoniam imaginis pulchritudini nocerent, & ſine culpa fieri non poſſet. Hoc tu quoque fac, puta animam eſſe tibi imaginem. Priuſquam igitur ſuperueniat vera Spiritus tinctura, malè inſitas tibi conſuetudines dele, ſiue iurare, ſiue mentiri, ſiue contumelias inferre, ſiue turpia loqui, ſiue ridicula facere ſolitus es, ſiue quid aliud huiuſmodi non licitum faciendi conſuetudinem habes, erue conſuetudinem, ne poſt baptiſma rurſum ad ipſam regrediaris. Peccata delet lauacrum. Tu conſuetudinem corrige, ne iam inductis coloribus, & illuſtrata imagine regia, amplius deleas, & vulnera & cicatrices inferas à Deo tibi dato decori. Corripe igitur iram, extingue furorem, ſiue quis afficiat iniuria, ſiue contumelia, lachrymis illum perſequere. Ne indigneris tu, condole, ne exacerberis: ne dicas, In anima patior iniuriam. Nemo eſt in anima iniuriam patiens, niſi nos ipſos in anima iniuria afficiamus. Et quomodo id ita ſit iam dicam. Ablata eſt res tua, non paſſus es in anima, ſed in pecuniis: ſi tu verò mali memoriam ſerues, in anima tu teipſum læſiſti. Pecuniæ enim ablatæ nihil animam læſerunt, verùm & adiuuerunt. Tu verò non iram dimittens, pœnas illic huius ſeruatæ malorum memoriæ dabis. Cõuitiis te quiſpiam & contumeliis affecit, te nil in anima læſit, ſed nec in corpore. Tu teipſum in anima læſiſti, eorum quæ dixiſti, illic pœnas ſubiturus. Et hoc omnium maximè vos certum ſcire volo, quod Chriſtianum & fidelem in anima poteſt lædere nemo, nec ipſe diabolus. Nec hoc tantum eſt admirabile, quod nos Deus omnibus incurſibus inexpugnabiles fecit: verùm & quod ad omnem virtutis operationem nos aptos parauit: & impedimentum nullũ eſt, ſi velimus, licèt pauperes ſimus, ſiue corpore imbecilles, ſiue abiecti, ſiue ignobiles, ſiue ſerui. Nec enim paupertas, nec imbecillitas, nec corporis diminutio, non ſeruitus, non aliud talium quippiam, ad virtutem impedimentum eſſe queat. Et quid dico pauperem, & ſeruum, & ignobilẽ? Etiamſi captiuus ſis, nec hoc tibi ad virtutem impedimẽtum eſſet. Et quo id modo ſit, dicam. Quidam domeſticorum te contriſtauit, & irritauit, ipſi iram remitte. Nunquid tibi ad hoc vincula & paupertas, & ignobilitatis impedimentum afferunt? Et quid dico impedimentum? Potius adiuuant nanque & cooperantur ad ſuperbiam comprimendam. Vidiſti alium fæliciter agentem, ne inuideas, nam nec hic paupertas impedimentum eſt. Rurſum cũ orare conuenit, ſobria & vigili mente hoc effice, & nec hic vllum erit obſtaculum. Benignitatem, manſuetudinem omnem exhibe, modeſtiam, honeſtatem: nec enim iſta exteriorum indigent auxiliorũ. Et hoc eſt virtutis maximum, quod non diuitiis, non potentia, non gloria, non alia quapiam talium rerum opus habet, ſed anima tantum ſanctificata, & nil amplius inquirit. Reſpice vero & in gratia hoc ipſum fieri: ſiue quis enim claudicet, & euulſis ſit oculis, & corpore diminutus, ſiue in extremam delapſus imbecillitatem, ab horum nullo gratia venire prohibetur. Animam enim exquirit ſolam ſe cum promptitudine ſuſcipientem, & hæc omnia prætercurrit. Externorum quidem militum, & corporis menſuram, & bonam carnis habitudinem

Ioan. 6. f. Ioan. 15. a. 2. Cor. 11. a. Rom. 8. f. Heb. 2. 1. Cor. 12. & Ephe. 1. d. Euchariſtiam ſumentes quã mundi debeãt eſſe. Luc. 3. b. Act. 2. f. Ceremonia baptiſmi. Nemo poteſt animam noſtram lædere niſi nos ipſi. Ad virtutem non eſſe opus vllis corporalibus ſubſidiis.

nem exquirunt ipſos in exercitum deligere de-
bentes. Non hæc autem ſola militaturum oportet
habere, verũ & libertatem. Si quis enim ſit ſeruus,
reiicitur: Cœlorum autem rex nihil tale requirit,
ſed & ſeruos in exercitum ſuum ſuſcipit, ſenes &
inualidos. neque eum talium pudet: quo quid hu-
manius aut benignius cogitari poteſt? Sic enim quę
verè noſtra ſint, æſtimari debent. Seruitus enim
vel libertas noſtra non ſunt, quemadmodum ne-
que proceritas ſtaturæ aut breuitas, neque integri-
tas ætatis aut ſenium, & quæcunque talia: manſue-
tum autem & mitem eſſe, & his ſimilia, voluntatis
noſtræ ſunt. Et hæc ſola à nobis Deus exigit, quo-
rum nos domini ſumus, & valde congruè: non e-
nim propter propriam vtilitatem, ſed propter be-
neficentiam nos ad ſui gratiam vocat, reges vero
propter miniſterium ſuum: & hi quidem ad bellũ
trahunt ſenſibile, hic autem ad pugnam ſpiritua-
lem. Nec in bellis tantum externis, verùm & in
certaminibus eandem quis rationem videre poſ-
ſet. In illud enim theatrum trahi debentes, non
prius deſcendunt in certamina, donec ipſos aſſu-
mens præco ſub omnium oculis circunducat, cla-
mans, & dicens: Num quis hunc accuſat? Et qui-
dem illic non animæ, ſed corporis pugnæ ſunt.
Quare igitur generoſitatis rationes requiris? Hic
vero nihil tale, ſed totum contrarium: cùm non in
manuum collationibus ſint nobis certamina, ſed in
animi diſciplina, & mentis virtute, contrarium a-
gonotheta noſter facit, non ipſum aſſumens cir-
cunducit, & dicit: Num quis hunc accuſat? ſed cla-
mat: Licet omnes homines, licet dæmones cũ dia-
bolo conſtituti ipſum accuſent de turpiſſimis & oc-
cultis criminibus, non reiicio, nec abominor, ſed
ab accuſatoribus ipſum liberans, & ab iniquitate
abſoluens, ſic ad certamina duco: nec immeritò.
Illic enim agonotheta nil certantibus confert ad
victoriam, ſed medius conſtitutus eſt: hic autem
agonotheta pietatis propugnatoribus commili-
to fit, & auxiliator, cùm ipſis contra diabolum pu-
gnam attingens. Nec hoc tantum eſt admirabile,
quod nobis peccata dimittit, verùm & quod ipſa
non reuelat, nec manifeſta facit, nec accedentes
cogit in medio patrata edicere, ſed ſibi ſoli ratio-
nem reddere iubet, & ſibi confiteri. Etenim ex ſe-
cularibus iudicibus, ſi quis alicui captorum latro-
num vel furum diceret, vt peccata confiteretur,
& à pœna dimitteretur, omni certè promptitudi-
ne, hoc ſuſcepiſſent, ſalutis cupiditate pudorem
contemnentes. Hic vero non hoc eſt, verùm &
peccata dimittit, nec cogit præſentibus quibuſdam
ipſa enuntiari: ſed vnum ſolùm exigit, vt ipſe re-
miſſione fruens, doni magnitudinem diſcat. Quo-
modo igitur non abſurdum, vt in quibus nos ipſe
beneficio afficit, ſolo teſtimonio noſtro contentus
ſit: nos autem in quibus ipſum colimus, alios teſtes
quæramus, & ad oſtentationem quicquam facia-
mus? Ipſius igitur benignitatem admirati, noſtra
ipſi exhibeamus, & ante omnia alia linguæ, impe-
tum refrænemus, & ne ſemper loquamur. *Ex multi-*
loquio nanque *non effugies peccatum.* Si nempe dicendũ Prou.10. c.
vtile quid habes, aperi labia: ſi nihil ſit neceſſariũ,
tace: melius eſt enim. Artifex manualis es, ſedens
pſalle: ſi non vis ore pſallere, hoc facias mente.
Magnus comes pſalmus. Nihil hinc graue ſuſtine-
bis, ſed tanquam in monaſterio in officina ſedere
poteris: non enim locorum commoditas, ſed mo-
rum probitas quietẽ nobis præbebit. Paulus enim Act.18.a
in officina artem ſuam tractans, nihil ad propriam
virtutem læſus eſt. Ne dicas igitur, Quomodo po-
tero, cum artifex & pauper ſim, philoſophari? Pro-
pterea nempe magis poteris philoſophari. Nam
paupertas diuitiis, & negotium otio ad pietatẽ no-
bis eſt opportunius: quippe cùm & diuitiæ non ad-
uertentibus impedimentum fiant. Cùm enim iram
dimittere oporteat, cùm inuidiam extinguere, cùm

A remittere furorem, cùm orationem offerre, cum
benignitatem & manſuetudinem, cùm mode-
ſtiam & charitatem exhibere, vbi paupertas impe-
dimentum eſſe valeat? Non enim argentum ero-
gantes hæc oportet obire, ſed rectam exhibentes
voluntatem. Eleemoſyna maximè pecuniis eget,
verùm & ipſa per paupertatem magis effulget: ete-
nim quæ duos obolos erogauit, omnium hominum
erat pauperrima, & omnes ſuperauit. Ne magnum
igitur quid diuitias eſſe putemus, nec luto melius
aurum eſſe cogitemus. Materiæ nanque pretium
non ex natura eſt, ſed ex opinione noſtra. Si quis
enim diligenter inquireret, multò magis auro fer-
rum neceſſarium: illud nanque nullum vitæ con-
fert vſum, hoc autem pleraque neceſſaria nobis
expedit, innumeris artibus ſeruiens. Et quid dico
auri & ferri comparationem? pretioſis enim lapi-
dibus hi vulgares magis neceſſarij: ex illis enim
nihil vtile fieri poſſet, ex his verò domus, & muri,
& vrbes conſtructæ ſunt. Tu verò mihi demõſtra,
B quæ de margaritis vtilitas iſtis, quinimò quod non
inde fiat damnum? Etenim vt tu feras vnionẽ, in-
numeri pauperes fame premuntur. Quam igitur De mulieribus faciem ornantibus vt placeāt viris.
veniam aſſequeris? Vis ornare faciem? non mar-
garitis orna, ſed modeſtia & honeſtate, ſicque vir
gratiorem cernet aſpectum. Ille nempe ornatus &
in zelotypiæ ſuſpicionem iniicere ſæpe ſolet, &
inimicitias, & contentiones, & pugnas. Nil autem
aſpectu ſuſpecto turpius. Eleemoſynæ verò & mo-
deſtiæ ornatus omnem quidem improbam ſuſpi-
cionem expellit, omni autem vinculo firmius con-
iugem conciliat: non enim tam decorum facit for-
mæ natura fieri aſpectum, quàm ipſam ſpectantis
affectus: affectum verò nihil ſic, vt modeſtia & ho-
neſtas inducere ſolet. Itaque licet pulchra ſit ali-
qua, vir autem erga ipſam malè affectus ſit, omniũ
ipſi turpiſſima videbitur. Si verò nõ eſſe pulchram
aliquam contingat, iucundè tamen in ipſam vir ha-
C beat, omnium ipſi pulcherrima eſſe videbitur. Non
enim in eorum quæ cernuntur natura, ſed in cer-
nentium affectu iudicia fiunt. Aſpectum igitur or-
nes modeſtia, honeſtate, eleemoſyna, humanitate,
charitate, erga virum dilectione, manſuetudine,
benignitate, malorum tolerantia. Hi ſunt virtutis
colores, per hos allicies angelos, non homines, per
hos ipſos habebis Deum laudatorem: cùm verò
Deus acceptauerit, & virum omnino tibi placabit.
Si enim viri ſapientia faciem illuminat, multò ma-
gis virtus mulieris illuminat aſpectum: ſi verò pu-
tas eſſe magnum hunc ornatum, dic mihi, quæ vti-
litas tibi in die illa de margaritis iſtis veniet? Et
quid opus diem illam commemorare, cùm liceat &
ex præſentibus hæc omnia demonſtrare? Quum
igitur viſi in regem contumeliam exercuiſſe, ad
tribunal trahebantur, & periclitabantur de extre-
mis, tunc vxores & matres monilia aurea, & mar-
D garitas deponentes, & ornamentum omne, & ve-
ſtimenta aurea, vilem & abiectam veſtem capien-
tes, & cinerem inſpergentes ſibi, & ante fori ianuas
ſe volutantes, ſic iudices exorabant. Si autem in
his iudiciis aurea quidem monilia, & vniones, &
varia veſtis, inſidiæ & proditio eſſent: manſuetudo
autem, & benignitas, & cinis, & lachrymæ, & vilia
veſtimenta magis iudicem conciliant: multò ma-
gis in iudicio illo ineuitabili & tremendo hoc fiet.
Quam enim rationem dicendam habebis? Quam,
dic mihi, excuſationem quando te dominus accu-
ſabit de margaritis iſtis, & pauperes fame perditos
in medium aget? propterea Paulus dicebat: Non 1.Tim.1. c.
in circumligaturis, *& auro, vel margaritis, vel veſtimento*
pretioſo. Hinc nempe ſtruentur inſidiæ. Si vero iugi-
ter & ipſis fruemur, tamen omnino per mortem ab
ipſis ſeparamur. Ex virtute vero ſecuritas omnis,
& mutatio & ruina nulla. Verum & hic nos ea red-
dit tutiores, & illuc comitatur. Vis margaritas
poſſidere, nec vnquam has diuitias deponere?

A Ornatum omnem auferens in Chriſti manus per pauperes repone. Ille tibi cunctas cuſtodiet diuitias, poſtquam corpus tuum multa cum claritate reſuſcitauerit, tunc tibi meliores circumponet diuitias, & ornatum maiorẽ, quippe cùm ſit hic præſens vilis & ridiculus. Cogita nanque quibus vis placere, & propter quos hunc induis ornatum, vt funarius, & ærarius, & inſtitor admirentur conſpicati. Deinde non confunderis & erubeſcis te illis oſtentans, & quos nec appellatione tua dignos cenſes, propter hos omnia faciens? Quomodo igitur hanc omnem vanitatem deridebis? Vocis illius recorderis, quam dum ſacris initiareris, emiſiſti: Abrenuntio tibi ſatana, & pompæ tuæ, & cultui tuo. Circa margaritarum enim cultum inſania, eſt pompa ſatanica. Aurum enim cepiſti, non vt corpus vincias, ſed vt pauperes ſoluas, & enutrias. Dic igitur continue, Abrenuntio tibi ſatana. Nihil hac tutius voce, ſi ipſam per opera exhibeamus, hanc & vos initiandi diſcere cenſeo. Hæc enim vox cõfœderatio cum domino eſt. Et ſicut nos ſeruos ementes, ipſos qui venduntur, prius interrogamus, an nobis ſeruire velint: ita facit & Chriſtus: quando debet te in ſeruitutem capere, prius interrogat an velis illum crudelem tyrãnum dimittere & immitem, & ad fœdera ſuſcipit: non enim coactum eſt ipſius imperium. Et vide benignitatem. Nos nempe priuſquam pretium erogemus, interrogamus eos qui venduntur, & cum didicerimus quod volunt, tunc pretium erogamus: Chriſtus autem non ita, verùm & pretium erogauit pro omnibus nobis pretioſum ſanguinem ſuum: *Pretio enim*, inquit, *empti eſtis magno*: & tamen neque ſic cogit ſibi ſeruire nolentes. Sed niſi gratiam habeas, & à teipſo & ſponte eius velis dominatui aſcribi, non cogo, inquit, neque compello. Et nos quidem improbiſſimos ſeruos ne emimus quidem. Quod ſi quando emimus, per errorem tale pretium erogamus. Chriſtus autem ingratos emens ſeruos, & iniquos, optimi ſerui pretium erogauit: imo vero multo maius, vt neque ratio, neque mens ipſius magnitudinem capiat: non enim cœlum & terram & mare dans, ſed omnibus his pretioſiorem ſanguinem ſuũ effundens, ita nos redemit: & poſt hæc omnia non teſtes a nobis, non chirographa exigit, ſed ſola contentus eſt voce: & ſi dicas ex corde, Abrenuntio tibi ſatana, & pompæ tuæ, totum recepit. Hoc igitur dicamus, Abrenuncio tibi ſatana: tanquam in illa die huius vocis rationem reddituri, & ipſam cuſtodiamus, vt ſaluum tunc reddamus depoſitum. Pompa verò ſatanica ſunt, theatra, circenſes, & omne peccatum, & dierum obſeruatio, & præſagio, & omina. Et quid tandem ſunt omina? Sæpe domum quis ſuam egreſſus hominem vidit vnoculum, vel claudicantem, & ominatus eſt. Hæc eſt pompa ſatanica: non enim hominis occurſus malum facit eſſe diem, ſed in peccatis viuere. Cùm igitur exieris, vnum ſolum cuſtodi, ne occurrat tibi peccatum: hoc enim eſt quod ſupplantát, præter hoc verò nec ipſe diabolus nos quippiam lædere poterit. Quid dicis? hominem cernis, & ominaris, nec cernis foueam diabolicam: quomodo te illi qui te nulla affecit iniuria reddit inimicũ? quomodo te fratri conſtituit aduerſarium ex nulla iuſta occaſione? Et Deus quidem vel inimicos amare nos iuſſit: tu autem nil lædentem auerſaris, nil accuſandum habens. Nec cogitas, quantus riſus, quantum dedecus, imò verò quantum periculum? Dicámne & aliud ridiculoſius? Confundor nempe & erubeſco, ſed cogor propter ſalutem veſtram dicere. Si virgini, inquit, occurreris, ſterilis dies erit: ſi verò meretrici, dextera & bona, & multa mercatione plena. Occultamini, & frontem percutitis, & ad terram inclinatis: ſed nõ nunc dum dicuntur verba, ſed cùm fiunt opera, erubeſcendum erat. Vide nempe quomodo & hic diabolus dolum abſcondit, vt modeſtam quidem auerſemur, impudicam verò gratam habeamus & amemus. Quoniam enim audiuit Chriſtum dicentem, quòd *aſpiciens mulierem ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt eam*, & vidit multos laſciuia vinci, volens rurſum per aliam viam ipſos in peccatum impellere, per hanc obſeruationem meritoriis mulieribus libenter oculos intendere perſuaſit. Quid verò diceret aliquis de his, qui carminibus & ligaturis vtuntur, & de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numiſmata capiti, vel pedibus? dic mihi, hæne ſunt expectationes noſtræ, vt poſt crucem & mortem dominicam in gentilis regis imagine ſpem ſalutis habeamus? Ignoras quanta crux perfecit? Mortem diſſoluit, peccatum extinxit, orcum inanem reddidit, diaboli ſoluit potentiam, & ad corporis ſanitatem præſtandam non eſt fide digna? totum orbem exuſcitauit, & tu in ipſa non confidis? Et quid pati dignus non eſſes? B Non ligaturas verò tantùm, ſed etiam excantamenta tibi conducis, vetulas ebrias & titubantes domum ducens. Nec cõfunderis, nec erubeſcis, poſt tantam ad hæc trepidans diſciplinam: & quod grauius eſt errore, quando hæc admonemus, & diſſuademus, putantes ſe excuſari, dicunt, quòd Chriſtiana eſt mulier hæc excantans, & nihil aliud loquitur, quàm Dei nomen. Propterea nanque magis ipſam odi & auerſare, quod Dei nomen ad contumeliam vtitur: quòd ſe dicens eſſe Chriſtianam, gentilium opera facit: etenim & dæmones Dei nomen fatebantur, ſed tamen erant dæmones, & ita Chriſto dicebant: *Nouimus te quoniam ſanctus Dei*: & tamen ipſos increpauit, & eiecit. Propterea quippe vobis ſupplico, vt ab hac ſitis fallacia puri, & tanquam baculum Dei verbum habeatis. Et ſicut ſine calceamentis, vel veſtimentis veſtrum nemo in forum deſcendere eligeret: C ita ſine verbo hoc nunquam in forum prodeas, ſed cum es ianuæ veſtibula trãſgreſſurus, hoc prius loquere verbum, Abrenuntio tibi ſatana, & coniungor tibi Chriſte. Ne vnquam abſque hac voce exeas: hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cùm hoc verbo & crucem in fronte imprime: ſic enim non tantum homo occurrens, verùm nec ipſe diabolus te quicquam lædere poterit, cum his te cernẽs armis vbiq; apparentem. Et hæc teipſum iam hinc doce, vt cùm ſignum ceperis, ſis miles paratus, & contra diabolum trophæum erigens, iuſtitiæ coronam capias, quam nos aſſequi contingat, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſancto Spiritui poteſtas & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Ceremonia baptiſmi.

1 Cor. 6. d.

In malũ omen ſuſpicantes ex occurſu certorum hominum.

Mat. 5. d.

De ligaturis ſuperſtitioſis & de conſulẽtibus vetulas.

Luc. 4. F.

D

De pœnitentia, & continentia, & virginitate.

HOMILIA XXII.

SI beatus Paulus Apoſtolus, gentium doctor & eccleſiæ conſtitutus, poſteriorum oblitus, & in anteriora ſe extendens, corpus corruptibile indutus, & incorporeis colluctans poteſtatibus: qui *curſum conſummauit, & fidem ſeruauit*: qui in ieiuniis perſeuerauit, & in periculis probabilis factus eſt: qui in fame, & in ſiti optimus apparuit: qui *ab Hieruſalem in circuitu vſque ad Illyricum* Chriſto ſeruiuit, Chriſtum in ſeipſo habens loquentem, terreſtris angelus, & cœleſtis homo, vocatus apoſtolus, & ſancti Spiritus receptaculum factus: qui vſque ad tertium cœlum aſcendit, & ineffabilia illa audiuit, verba: qui in corpore corruptibili paradiſum habitauit, zelo incomparabilis, charitate magnus, eccleſiarũ Dei ſollicitus curator: orator pietatis, imbecillium deductor, credentium pronubus, Iudæorum redargutio, noſtri omnium ſagena, poſt mortificationẽ doctor, & poſt mortem præco, qui nobis demon-

2. Tim. 4. d.

Rom. 15.

2. Cor. 12.

ſtrauit

Digitized by Google

ſtrauit quomodo in cœlos aſcendere oporteat. Si hic, inquam tot poſſidens priuilegia, dicens:
1. Cor. 4. a.
Nihil mihi ipſi conſcius ſum, timebat, & dicebat: *Ne fortè dum aliis prædicauerò, ipſe reprobus fiam*: quid faciemus nos, nullum ad virtutem incrementum adepti? Igitur vigilare oportet, & orare in omni tempore, & à Deo petere, non aurum, non argentum, nec omnino diuitias terrenas, ſed ſolùm cœlorum regnum, & in domino gaudere. Alij lætentur in diuitiis, alij in ſanitate, alij in doctrina & gloria: virgo autem in domino, vt & ab ipſo laudem habeat, dicens Deo:
Pſal. 21.
Apud te laus mea. Nihil turpius, aut informius anima vitiis obnoxia. Vnde animæ pulchritudinem prouidere conuenit, & dicere:
Pſal. 29. f.
Domine in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutem: vt & ſponſus interiorem tuã ſpeciem conſpicatus dicat:
Cant. 4. b.
Tota pulchra es, & macula non eſt in te. Sed vide etiamſi virtutem præſtiteris, ne extollaris in ſpecie tua, ne fortè propter ſuperbiã tuam auertatur Deus, & elatio tua redarguatur. Quid enim condignum his ſuſtinere potes, quæ propter te Chriſtus ſuſtinuit? Humiliauit ſeipſum vt homo, te pretioſo ſanguine ſuo redemit:
Pſal. 135.
qui dat eſcam omni carni, ieiunauit propter te: qui mellis dulcedinem creauit, qui cœlum ſtellarum cœtu coronauit, ſpinis propter te coronatus eſt, & vſque ad mortem obediens factus eſt: igitur in his non lætari, ſed plangere conuenit, & credere dicẽti:
Pſal. 4.
Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini: vt quæ in die fecimus, in nocte meditati gemamus.
3. Re. 21. g.
Ita compunctus Achab veſtem ſcidit, & indutus eſt ſacco, & plorauit: & quid dominus? *Non inducam*, inquit, *malum eius in diebus ipſius*. Propterea & ſaluator
Math. 5.
ait: *Beati qui lugent*, non mortuum, non iacturam, ſed peccatum: vt dicam, ſicut Dauid inquit,
Pſalm. 6. & 18.
Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo: & rurſum: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam*. Ablue lachrymis peccatorum ſordes, frontem verbera, pulſa pectus, in ſenſum veni eorum quæ peccaſti.
2. Re. 11. a.
Si per oculos captus es, ſicut olim Dauid malè apertis feneſtris: ſi contra animam tuam oculi tui fuerunt, conclude in gemitu oculum, quem malè in laſciuia reſeraſti: peccatorum enim conſuetudo lapſum in peius trahit. Si purum habes veſtimentum, caues ne peſſundes omnino, nequo modo ſordidetur. Si primam, ſecundam, & tertiam contempſeris maculam, iam velut ſordidum habens veſtimentum, non graue videtur licet totum fiat lutum. Quid igitur? orationibus opus eſt, ne quando offendamus ad lapidem pedem noſtrum, vt angelus domini in circuitu noſtro immittens nos liberet, & ita dicere
Gen. 48. c.
poſſis: *Angelus eripiens me ab omnibus malis*: vt te quoque vocet angelus, qui vocauit Abraham. Amant
Pſal. 8. a.
enim angeli eos, qui dominum ſuum diligunt. *Sumite pſalmum, & date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara*. Vnum capit, & tria exigit, ex tribus enim
1. Theſ. 5. d.
conſtituti ſumus, vt dicit Paulus, *vt integrum ſit corpus, & anima, & ſpiritus*: vt ſit tympanum, pellem habet mortuam: igitur mortifica corpus, vt in tympano & choro laudes Deum. Chriſtus pro te dedit corpus ad deludendum. Vide ne dicas, quid vtilitatis in ſanguine meo? Quid enim ſecundùm meritum Chriſti talia pro nobis paſſi perficere poſſumus? Sis igitur planta fructuoſa, vt Deum laudes, pro viribus tuis fructifica. Si non potes perfectum ferre fructum in centum, ſaltem dimidium in ſexaginta: Si verò & hoc tibi graue, vel tertium perfecti,
1. Cor. 3.
in triginta: tantum quod potes fructifica, ne velut infructuoſus in ignem immittaris. Si verò habes aurum & argentum, bonas operationes, & ſi neque ligna, fœnum, & ſtipulam, vide ne tibi ipſi columnam ſtatuas, quod odit dominus. Vide ne ſtet ratiocinatio tua tanquam ſtatua in iudicij die accuſatrix tui facta: ne tunc incipias ſine teſtibus argui, & ſine demonſtratione confitearis, quæ ex ignorantia feciſti, & locutus es, agnoſcens. Luge ante tem-

A

pus, ne illic audias: Nunc pœnitentiam agis, cùm non eſt pœnitentiæ tempus: Donec tempus habemus, operemur bonum. Aliud quodcunque fortè poſſumus inuenire: tempus autem ſi amittamus, aliud inuenire non poſſumus. Propterea Paulus
Gal. 6. d.
quoque commonens, dicit: *Donec tempus habemus, operemur bonum*. Lugeamus pro his quæ peccauimus, deſtillemus lachrymã in genas, & pectus tundamus, vt illic dentium ſtridorem effugiamus. Lugeamus, vt beatificemur, ſicut & Dauid. Non enim tantum
Pſal. 6. b.
lugebat, verum *& laborabat, & lectum rigabat*. Vnam noctem in iniquitate duxit, & per ſingulas lugebat noctes, penitus talia confitens: Dediſti mihi
2. Re. 11. a.
oculos, vt videam lucem tuam, ego autem his malè proſpexi. Erraui aliquando malè intuitus, malè feneſtras aperui, propterea lachrymis ipſas abluo. Sic igitur oportet lugere, & oculum malè conſpicatum lauare. Et tu vulnus noſti, agnouiſti medicinam, animæ tuæ ianuas munire feſtina. Non oculum tantùm, verùm & aures, & os. Iſtæ enim ſunt

B

feneſtræ, per quas pro ſententia vel bona prodeunt, vel mala. Vide ne mors ſubeat tibi per feneſtras tuas, ſed ſint tibi ſemper in oculis honeſtatis mandata, in auribus Dei præceptorũ teſtamenta, in ore, laudum cantica, & antiqui nouiq; teſtamenti meditatio. Has feneſtras Deo quidem aperire, ſed peccato occludere debemus. Dic tu quoque
Cant. 7. c.
ſecundum illam ſanctam animam: *Dixi, aſcendam palmam* ad tenendum ſublimitates eius: rectitudinẽ amantem, & mundum habentem cor, & ad cœleſtia bona currentem, nec circa terrena tantum diſtractam. Vide ne ſtimulos habeat palma tua, contra peccatum redargutiones. Sermones enim ſapientum tanquam boum ſtimuli: at qui his pungũtur, corde compungantur, & omni peccato abſtineant: ſed diligenter ipſius altitudines retine, vt ſine ruina permaneas continuè ventorum incurſus ferens inſurgentes per tempus tentationum.

C

Verſare ſemper in diuinis ſcripturis. Sicut enim vinũ dum bibitur, triſtitiam ſedat, & cor commutat in lætitiam: ſic & ſpirituale vinum dum bibitur, in lætitiam conuertit animam tuam. Vbique Dei re-
Pſal. 15. c.
cordare dicens: *Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam à dextris eſt mihi ne commouear*. Scribe ſermones hos manibus tuis & erunt incõcuſſi præ oculis tuis. Si ſic Deum honoras, fit à dextris tuis: ſi verò ipſum contempſeris, diabolus fit tibi dexter. Sic Iudæ contemnenti diuina dicit ſcriptura: *Et diabolus ſtet à dextris eius*. Per ſingulas horas glorifi-
Pſal. 108.
ca dominum Chriſtum dicens. *Exaltabo te Deus meus*
Ibid. 144.
rex: non tantùm ſermone, verùm & opere. Sic enim Dauid quoque Deum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi exaltat: non diem, non menſem, non annum, non luſtrum, ſed in omni vitæ tempore. Sciebat enim quòd quandocunque laudat, tunc incipit. Dicis autem: igitur quale cor eſſe oportet quod ſemper Deum exaltet? Quale Paulus habebat, dicens:

D

1. Cor. 4. a.
Nihil mihi conſcius ſum: Sic erat & Dauid, dicens: *Ab*
Pſal. 18. d.
occultis meis munda me. Quale & ſaluator iuſſit habere,
Matt. 5. a.
dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Sic igitur non peccans, per ſingulos dies Deum exaltat, non tantùm ſermone, verum & opere ipſam rem exhibet, non contemnendo, ſiue ægritudo cõprehendat, ſiue iactura, ſiue mors, dicens cũ Paulo: *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?* & reliqua. Non
Rom. 8. g.
enim temerè in ſtercore dominus habitat, ſed in cœnaculo ſcopis mundato.

Memoria extremi iudicii.

Vt animam tuam velut Dei habitaculum præpares, memento horrendi multum & tremendi illius diei, in quo omnes Chriſti throno aſſiſtentes, rerum hic geſtarum rationes reddemus, ante omnium oculos peccata noſtra ponentur, & rurſum reuelabuntur, & ignorantibus oſtendentur actiones, vbi ignis fluuius, & inſopitus vermis, vbi omnia nuda & præcipitata. Vbi cordiũ noſtrorum libri aperientur, & in medio manifeſtè legentur etiã occulta, nocturna & diurna, ex igno-

Digitized by Google

rantia & obliuione facta, quæ membris effecimus.
quæque nunc latent reuelabuntur. Cogita igitur,
quòd omnino nos hinc ad infallibilem migrare iu-
dicem oportet: vbi non tantum actiones, verum &
verba & cogitata iudicantur: vbi terribiles etiam
eorum quæ videntur eſſe parua, pœnas dabimus.
Hæc ſemper recordare, & inextinctæ nunquam
obliuiſcaris flammæ. Præuide venientem iudicare
viuos & mortuos. Cogites angelorum millia, & my-
riadas tunc iudici aſſiſtentes: nunc auditus vocem
tubarum, & tremendam illam condemnantes vo-
cem præueniat. Præuideat oculus hos quidem in
exteriores mitti tenebras, hos verò ianuis excludi
poſt multum virginitatis laborem. Conſidera hos
quidē velut zizania colligari: & in clibanos proii-
ci: alios manibus & pedibus vinctos in exteriores
mitti tenebras: & alios inſopito vermi, & luctui, &
dentium ſtridori traditos: hunc quidem de intem-
peſtiuo riſu iudicari: hunc verò quòd proximum
affecit iniuria, vel quòd fratrē ſcandalizauit: hunc
quidem de incertis damnari criminibus: honc ve-
ro de otioſo verbo pœnas exigi: hunc quidem de
mala ſententia iudicium ſubire: hunc verò propter
conuitium regno excludi: quendam autem propter
ſeruatam iram intolerabilia patientem: illum ve-
rò in ignominiam reſurgentem æternam: hos au-
Matt. 25. tem Chriſti cognitione priuari, & audire: *Amen dico
vobis, neſcio vos*: quoniam fecerunt quæ Chriſtus pro-
hibuit. His igitur ſic ſe habentibus, quales nos o-
portet eſſe, vel quales emittere lachrymas, & di-
cere: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem la-
Hier. 9. chrymarum, & lugebo dies ac noctes?* Sed vt expectatam
effugiamus pœnam, venite, præoccupemus faciem
Pſal. 94. domini in confeſſione, & vitæ diligentia propitia-
tiones domini Dei inuocemus. *In inferno* nanque,
ait, *quis confitebitur tibi?* Omnia nobis duplicia Deus
dedit, duos oculos, duas aures, duas manus, duos
pedes. Si igitur horum alterum lædatur, per alterū
neceſſitatem conſolamur. Animam verò dedit v-
nam nobis: ſi hāc perdiderimus, quanam viuemus?
Huius igitur prouidentiam faciamus, nihil ipſius
ſaluti præferentes: quoniam hæc etiam eſt, quæ
cum corpore iudicatur, & ſimul defenditur, & cō-
paret ante Chriſti tribunal. Si tunc dixeris, pecu-
niæ me allexerunt: dicet tibi iudex: Non audiſti,
quæ vtilitas, *ſi quis totum mundum lucretur, anima autem
Marc. 8. ſua detrimentum patiatur?* Si dixeris diabolus me dece-
pit: dicet tibi & ipſe, quòd nihil profuit Heuæ, quia
dixit: Serpens me decepit. Hæc igitur mente te-
nentes, venite, excitemus nos ipſos priuſquam
obumbremur, priuſquam veniat dies domini ma-
gnus, & appareat de quo propheta dicit: *Ecce venit
Malac. 3. & quis ſuſtinebit? vel quis tolerabit diem aduentus eius?* Tre-
menda dies illa tumultus, & tenebrarum. Sed di-
ces: Quomodo igitur licet prædicta mala effugere?
dicam. Non tantùm corpus tuum cuſtodias purū,
ſed cum mala paſſus benefeceris, ſi accuſeris, con-
tinens ſis & patiens. Cùm ieiunaueris, ne glorie-
ris: non enim ciborum abſtinentia ieiunium ope-
ratur, ſed abſtinentia peccatorum. Scrutare enim
Ierem. 1. ſcripturas. Vide quomodo primum virgam nuceam
videt propheta, poſtea lebêtem ſuperardentem,
demonſtrans quòd non ſuſtinentem virgę caſtiga-
tionem ignis ſuſcipit. Sic & per Moſen demonſtra-
Exod. 13 bat ignis columnam, rebus clamans quòd legem
audiens, vidit lucem: inobediens autem ſuſcipit
ignem. Legite ſaluatoris ſcripturas, & diſcite, quo-
modo nos hinc illuc migrantes adiuuare poteſt
nemo. Non frater fratrem redimet ex intermina-
bilibus tormentis: non amicus amicum, non parē-
tes filios, non filij parentes. Et quid dico homines
miſerabiles, cùm neque ſi Noe veniat, & Iob, &
Ezech. 14 Daniel, tum iudicantem exorare poſſint? Sed di-
ces: Vnde horum demonſtratio? Vide non indu-
Matt 22. tum veſte nuptiali ex ſponſali domo expulſum, &
Matt. 25. neminem pro illo intercedentem. Vide talentum

A habentem creditum, & non negotiatum, & quo-
modo pro ipſo ſupplicat nemo. Reſpice mihi
quinque virgines excluſas, & æquales pro ipſis Ibidem.
non deprecatas: quas & ſtultas Chriſtus nuncupa-
uit, quoniam poſt calcatas voluptates, poſt extin-
ctam concupiſcentiæ fornacem, poſt ieiunium, &
lectum humi ſtratum, & vigiliam, tunc ſtultæ ſunt
inuentæ, & meritò quidem: propterea quòd ſerua-
to magno virginitatis munere, mandatum humili-
tatis paruum non cuſtodierunt. Vide mihi in iudi-
cij die iudicem oues à dextris conſtituentem, & in-
fructuoſos hœdos à ſiniſtris, & à dextris quidem
poſitis dicentem: *Venite benedicti patris mei accipite pa-* Ibidem.
ratum vobis regnum. A ſiniſtris verò poſitos in tene-
bras exteriores repellentem, & eiectis poſſe ſuc-
currere neminem. Verus enim ſermo dicens: Ec-
ce homo, & opus eius. Audiſti quomodo diues ille
nunquam Lazari miſertus, in vltionis loco toſtus
aquæ ſtillam ſumere optauit? Cognouiſti quomo- Lucæ 16.
B do nec ipſe Abraham ſuppliciis tormenta lenire
potuit? Quin igitur poſthac nobis ſuccurrentes,
priuſquam adumbremur, Deo gloriam damus? Me-
lius hic per ieiunium linguam areſcere, quàm ip-
ſam humidam ſeruare, & illic rorem concupiſce-
re, & non accipere, & immortaliter torreri. Par-
uis hic laboribus magna repellamus tormenta.
Cogita quòd trium dierum febrem hic non tolera-
mus. Si iudicum pœnas cernentes obruimur, & hoc
vix quinquaginta annis obnoxiis damnationi:
quale eſt igitur Chriſti tribunal, non tantum in
quinquaginta annos, ſed in infinita protendens ſe-
cula pœnam? Ingrediamur itaque per anguſtam
portam, vt latam viam effugiamus, ſcientes quòd
velut ſomnium ſunt omnia ſenſibilia, & generatio-
ni ſuppoſita ſunt, & corruptioni. Licet enim cor-
poris fortitudinem habeamus, ipſam deiicit ægri-
C tudo, lætitiam excipit tribulatio, pulchritudini
ſuccedit ſenectus. Si menſa lauta fruamur, ſuper-
ueniens veſper voluptatem diſſoluit. Et quòd ge-
neraliter pręſentia ſint aranea imbecilliora, & ſom-
niis fallaciora, propterea & ſaluator beatificat tri-
bulatos, ne iucundorum voluptas fruentes in ſe
retineret. Igitur ſicut audiit Abraham: *Exi de terra* Gen. 12.
tua, & exiuit: exeamus & nos ex affectione cōſue-
ta, vt mortificationis meditatione in ſupernam
tranſmigremus ciuitatem. Caſtigemus corpus & in
ſeruitutem redigamus, ne anima ſerua fiat diaboli,
continua diuinæ ſcripturæ meditatione fruentes:
& in nobis voluptates tanquam ſylueſtres feras ſo-
piamus, vbique *domini Ieſu mortificationem in corpore cir-* 2. Cor. 4.
cunferentes, recordemur dicentis: *Sobrij eſtote, & vigi-* 1. Pet. 3.
late. Nemo dormiens coronabitur, neque recum-
bens & ſtertens brauium capit: ſed puluere & pla-
gis ſqualens ipſe apud agonothetam prius inueni-
D tur, vulnera gerens, & ſanguinem oſtendens de-
fluentem. Vnde poſtquam experientia didicimus,
quàm ſit graue & difficile diaboli miniſterium (fu-
git enim vigilantem, & dormientem ſpoliat) ne des
ſomnum oculis tuis, nec palpebris dormitationem,
vt ſalueris velut dorcas ex caſſibus, & velut auis ex
laqueo. Fugiamus, inquam, vitæ huius laqueos &
curas, & velut mundo abrenuntiantes, nil carnale
circumferamus: multæ enim diaboli inſidiæ. *Ad-
uerſarius noſter diabolus*, inquit, *tanquam leo rugiens cir-* Ibidem.
cumit, quærens, non quem mordeat, vel frangat, ſed
quem deuoret. Fuge diaboli aſtutias, & dic domino:
In te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Pſal. 17.
Ne fugias itaque laborem, vt aſſequaris coronam.
Mercator non deficit, ſed ſuſtinet vndas, vt pecu-
nias inueniat. Decertans athleta generoſè fert vul-
nera, reſpiciens ad coronam. Agricola non inue-
nit manipulos, niſi prius per proprios ſudores ſe-
mina mittat. Similiter in cœlum reſpicientes nihil
putant tribulationes, bonorum ſpe roborati. Ad-
uertamus igitur continuè, & obſeruemus, quando
ſponſus ſurget à nuptiis, vt ipſius audita voce

promptè

prompte conſurgamus in occurſum, *Et vos*, inquit, A enim *ſimiles hominibus expectantibus dominum ſuum*: qualem iam dominus beatum cenſet, dicens: *Beatus ſeruus ille, quem cùm venerit dominus eius, inuenerit vigilantem.* Sicut autem vigilantem beatificat, ita miſerum vocat negligentem, ſic inquiens: *Si verò cœperit dicere malus ille ſeruus: moratur dominus meus venire, & incœperit verberare conſeruos ſuos, comedereq́ & bibere cum ebriis, veniet dominus eius in die qua non expectet, & in hora quam neſciat, & per medium diuidet eum, & partem ipſius cum hypocritis ponet.* Si autem dicens, moratur dominus meus, per medium diuiditur, veniente ipſo, qui nec omnino dominum ſuum expectat, quid patietur? Paratos igitur nos eſſe, & expeditos ad hinc nauigandum oportet, & dicere: *Paratum cor meum Deus*: in bello enim ſumus in mundo, *in circuitu impij ambulat, peccatores intendunt arcum.* Hic quidem aures ſagittat, vt iucundè detractionem audiamus: hic autem oculum in laſciuiam excitat, ille verò linguam, vt fratribus conuitia inferat: hic autem ventrem in ingluuiem irritat, ille verò manum in auaritiam & rapinam: alius pedes in malitiam mouere hortatur. Quibus de cauſis Paulus pectus muniens armis Spiritus, ſcribit, *aſſumenda eſſe arma fidei, & galeam ſalutis, quibus poſſint omnia maligni tela ignita extingui.* Crede igitur voci propheticæ dicenti: *Indicabo, ô homo, quid ſit bonum, & quid dominus requirat abs te, vtique facere iudicium & iuſtitiam, & amare miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum domino Deo tuo.* Igitur poſteriorum obliti, in tempore certemus, vt laborum fructus comedentes, in domino delectemur, nec incaſſum tempus omne temere abſumamus, ſed tanquam dominum bonum habentes, legitimam exhibeamus ſeruitutem: docet enim, commonet, proteſtatur, minatur, exhortatur, admonet, & mercedem obedientibus, regnum largitur. Accingentes igitur lumbos in veritate, domino ſeruiamus. Cogitemus quãta propter nos paſſus eſt ſaluator: incarnari, lactari, comedere, & bibere, & dormire, tentari, laborare, baptizari, flagellari, & poſtremò crucifigi, & ita mori. Verè cogitare oportet tantam paſſum pro peccatoribus in ſe contradictionem, & ſic ad ſanguinem vſque reſiſtere peccato repugnantes. Quot autem fecit miracula, morborum curationes, mortuorum reſuſcitationes, leproſorum emundationes, dæmonum expulſiones, claudorum erectiones, & reliqua quorum non eſt numerus: & poſtremo in cœlum aſcenſionem nobis largitus, vt & nos per virtutem & bonam vitam ipſum ſequamur, cœleſtem poſſidentes conuerſationem. Vbi enim aſcripti ſumus, illic debemus conuerſari: hoſpites enim & peregrinos nos ſcriptura vocauit, vt præſentia contemnamus. Cani ſimilis eſt voluptas: ſi pellas, fugit: ſi nutrias, permanet. Propterea dicit Apoſtolus: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Noli expectare finem, vbi pœnitentiæ remedium nihil valet. Verùm & ſi quis ibi dentibus fremat, & ſi linguam D habeat ardentem, digito guttam inſtillabit nemo: ſed audit illa, quæ & diues audiuit. Scientes igitur ſomniũ præſentia, & velut in diuerſorio habitãtes, vnde nos exire eſt neceſſe: curam agamus vitæ, & ad vitam æternã viaticorum, quæ nobis ipſis paremus: induamus veſtimenta nobis cõuenientia, quæ & apoſtolus nobis cõſulit, dicẽs: *Viſcera miſericordia, ſuauitatem*, & reliqua. Non aurũ illic volumus, ſed rorẽ: non foliis illic opus, ſed fructibus: nõ verbis, ſed rebus. Nõ enim *omnis dicens mihi, domine, domine, intrabit in regnum cœlorũ, ſed qui facit voluntatẽ patris mei.* Ne nos igitur ipſos decipiamus. Detur enim quòd voluptati per totam vitam noſtram vacauerimus: ſed quid ad infinita ſecula? Hic enim & bona & mala finem habent, illic autem immortales pœnæ. Hic ſi ardeat corpus, egreditur anima: illic verò incorrupto reſurgente corpore, ſemper anima comburitur: & peccatores enim incorrupti reſurgunt, non vt honorentur, ſed vt immortaliter in tor-

mentis permaneant. Si itaque balnei vehementiorem vaporem non ferimus, quomodo feremus igneum flumen? Opus eſt enim omnes igne probare, ſi legitimum eſt aurum: oportet ſigillum inquiri, ne forte ablatus fuerit theſaurus, oportet probari, ſi talis eſt latens, & non eſt qui effugiat iudicis impetum. Sed omnino dices mihi, quomodo poteſt anima illic ſemper comburi? quomodo hic corpus manens in febre accenditur. Etſi enim hic languente corpore exit anima, illic tamen non egreditur, ſed neceſſitas eſt animam comburi. Eſt ne igitur aliquis, qui propter ſomnium velit ſemper puniri? Hoc enim præſens vita ad futuram. Qualis enim futurorum comparatio? Si nanque prætereuntia talia, qualia igitur illa ſtabiliter manentia? Dum igitur tempus habemus, venire dilecti, animæ vulnera lachrymis curemus, & ne contra noſipſos manus dirigentes, talem pœnam ſubeamus. *Vnus enim, inquit, ædificans, & vnus deſtruens, quid aliud contulerunt, quàm labores?* Si enim templum ex B lapidibus conſtructũ Hieremias lugebat euerſum, dicens: Sinite me, lugeam amarè, ne conamini me conſolari: quantò magis animam deplorare conuenit illo ſanctiorem, in qua non phiala aurea habens manna, ſed quæ patrem habet, & filium, & Spiritum ſanctum, ſanctam trinitatem inhabitantem? Si morientibus compatimur, quis tam ſine miſericordia eſt, qui animam ſuam morientem non deploret? Corpus enim voluptatibus fouens, animam ſuam occidit: animæ verò curam gerens, corpus ſanum non facit. Vnde non pro mortuis, ſed pro nobiſmetipſis lachrymas deducamus. Recordemur fratres, quòd tempus breue eſt, & iudicium præ foribus eſt, quod licet longinquius eſſet, nec ita tamen confidere oporteret. *Nox præceſſit*, inquit, expergiſcamur iam à ſomnis: etenim iucunda præſentia, ſed ſomnis nihilominus fallacia. Nemo debet dormire ſolem cernens. Faciamus igitur *fructus pœnitentiæ dignos*, ſicut ſcriptum eſt. Et ſicut eſt in a- C qua baptizari facile, ſic eſt facile animam pœnitere. Non habuit opus tempore latro. Martyres in momento coronati ſunt. Si verò venia indigni, & ad mortem peccauimus, ſalutares medicinas habentes ne deſperemus. Non enim cecidiſſe graue eſt, ſed poſt lapſum non reſurrexiſſe, ſatanicum & pernicioſum eſt. Vnde & bonus Deus, & dominus noſter clamabat: *Nunquid reſina non eſt in Galaad: vel medicus non eſt illic?* Poſtea ſi corpus patiatur, medicos vocamus, & herbas inquirimus, omnia mouemus, vt læſum membrum curemus: animam verò vitiis laborantem negligimus, & nullam magis propriæ partis rationem habemus. Timeamus eum, *qui poteſt & animam & corpus in gehennam perdere*, & ante tormẽtorum tempus venire, proiiciamus nos ipſos in mare miſerationum Dei, dicentes: *Lauabis me, & ſuper niuem dealbabor.* Stetit enim bonus paſtor Deus, vt eriperet nos ex ore leonis priuſquam ipſe nos abſorberet, clamat & nunc dicens? *Fili peccaſti, ne adiicias vlterius.* Nunquid cadens non reſurgit? vel auertens non conuertitur: conuertimini filij auerſi, & ſanabo contritiones veſtras. Non mentitur Ieſus, dicens: *Non veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluem mundum*, Tantùm pœnitentiam agamus: non enim vult mortem peccatoris, quantum vt conuertatur & viuat. Non ſic inſanus amator dilectam ſuam amat, vt Deus pœnitentem animam: vel reuocans dicit: Et poſt hæc omnia dixi, conuertere ad me. Talis domini clemẽtia: neminem ad ſe currentium auerſatur, ſed manum porrigit: dicens: *Hodie ſi vocem meam audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Si enim medicus contumelia affectus ab eo qui curatur, adiumenta non negligit, non ægrotantem vlciſcitur: quanto magis animarum medicus noſtrarum? Solùm ne de nobiſipſis deſperemus. Athleta namque ſæpe lapſus, poſtea victor effectus eſt: & miles vulneratus, & curatus circa finem non vulneratis

proba-

Marginalia (left): Lucæ 12. Ibidem. Ibidem. Pſal. 107. Ibid. 11. Ibid. 10. Ephe. 6. Mich. 6. Iaco. 4. Math. 7.
Marginalia (right): Eccle. 34. Rom. 13. Matth. 3. Deus homines ad pœnitentiã vocat. Ierem. 8. Matt. 10. Eccl. 21 Pſal. 50 Ioan. 12. Pſal. 94.

probatior apparuit. Mercatorum multi ad inopiam redacti, rurſum effecti ſunt diuites: & naufragium paſſi, rurſum poſt naufragiũ negotiati reuixerunt. Nunquid enim nobis Deus ignem parauit? Non, ſed diabolo & angelis eius. Tãtumne nobis ipſis ignem accendamus. Audientes itaque, Ite ad lumen ignis veſtri, & flammæ qua exuſti fuiſtis: nullus eſt morbus, quem medici remedium ſanare non poſſit. Sed dicis: perfectam non poſſum agere pœnitentiam. Si non potes ſol fieri, fias vel ſtella duntaxat. Tantùm aſcende ſuper terram, incipe lucidis æmulari ſyderibus. Melius eſt te vel pauca habere merita, quàm omnino nullum habere. Poculum frigidum tibi Chriſtus computat, infirmum viſitare, & in carcerem ſemel deſcendere. Si enim verborum & cogitationum pœnas damus, quanto magis iuſtificationum mercedẽ non amittimus, licet viliſſima ſint quæ fiunt: igitur modicum temporis laboremus, ne bonis excidamus æternis. Si enim mille mortes ſu-
B ſtinere daretur, vt Chriſtum in gloria ſua venientem, & non amplius per ænigmata videremus, ſed ipſis regem oculis contueremur, quis non cenſeret eligendum? Si nanque pulchritudinem hic apparentem, cinerem, puluerem, & vermem, ex corruptione, & phlegmate, & rheumate ſubſtantiam habentem videre quis concupiſcit, quantò magis Chriſti ſpeciem immaculatam ſi videamus? Si Petrus & ſocij quandam tenuem ipſius gloriæ vmbram conſpicati dicebant: *Bonum eſt nos hic eſſe*, quid
Matt. 17. nos dicemus ipſum in tremenda gloria intueri expectantes? Si ſic regi aſſiſtentes beatificamus, vehiculum cernentes aureum, & purpuram, & coronam, quales nos eſſe decet totum mundum iudicare debenti aſſiſtentes? Nónne ſi quis terrenum te ad regnum vocaret, & præcipitia, & ſcopulos, & moleſtiæ via multum habente, omnia ſubires cau-
C ſa regnandi? Ne dicas: In quibus peccaui, ad dominum conuerti non poſſum. Et Dauid rex cecidit, ſed ita ſurrexit, vt malorum ſuorum curator fieret. Supplantauit nos diabolus, ſed noſmet reſuſcitemus. Suſcepit nos Chriſtus occurrens, ſicut filium pater. Cogitemus, quòd poſt regnum & delicias, & omnia peracta Salomon dicebat: *Vanitas vanitatum, &*
Eccl. 1. & 12. *omnia vanitas*. Igitur ſi nos laudare deberent in theatro ſedentes, quandoque & ſerui, vel prædones, vel graſſatores, & homines viliſſimi, non omnimodo ſtuderemus vt laudem arriperemus: vbi verò angeli & archangeli, & reliquæ poteſtates, & illorum omnium theatrum nos prædicare debet, quid nos
Ion. 3. pro illo faciemus? Numquid *meretrices & publicani nos*
Lucæ 7 *in regnum præcedent?* Conuenientia ſunt in diuinis auxilia ſcripturis. Euaſerunt per hanc medicinã minas Niniuitæ per ieiunium, meretrix dominum lachrymis conciliauit. Paulus peccatum confitens,
D pœnitentium fit doctor: latro credens, paradiſi ciuis factus eſt. Hæc medicamina capientes, vulnera noſtra curemus, dicentes: *Sana me domine, & ſana-*
Iere. 17. *bor*. Et *ſana animam meam, quia peccaui tibi*. Suſcipiens
Pſal. 40. enim medicus, dicet: *Ego ſum qui deleo peccata tua*,
Iſa. 43. Ion. 3. nec amplius recordabor. Vides quot tibi medicinas medicus parauit? Ipſe elige quam vis. Auxiliorum tibi varietatem iuxta vulnerum differentiam demonſtrauit. Si non potes eleemoſynas facere, compungere: ſi non potes ieiunare ſicut Niniuitæ, ſaltem vt meretrix peccata lachrymis ablue: ſi ieiunare non potes, peccata tua redime, eia ad miſericordiam Dei confuge, cum Dauide dicens: *Miſe-*
Pſal. 50. *rere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam*. Non eſt enim viperæ morſus, vt ſuper ipſum medicinã imponam, nec macula ex luto facta, vt ipſam aqua abluam, ſed ex diaboli morſu vulnus egens clemẽtiæ tuæ, miſericordia tua. Tantùm accede petens, & oleum inſtillabit benignus, qui dixit: *Si conuer-*
Ezec. 33. *tatur impius à via ſua mala, non recordabor iniquitatum eius, quas commiſit*. Tantùm vulnus reuela, & dic: Miſerere mei Deus, miſerere corporis & animæ meæ,

A miſerere mei & hic, & in futuro ſeculo: miſerere mei & propter naturæ infirmitatem, & propter tua bonitatem. Tantùm deſidera curari: ſalutem enim tuam medicus quærit, qui errantem ouem conuertit, qui ad malos & bonos vocandos in biuia miſit. Ecce & nunc tibi vendit regnum cœlorum. Si non habes obulum vnde emas, eme gemitu. Fragmento panis cælorum regnum tibi retribuit. Ecce clamat Propheta dicens: Quis vult emere vitam? *Quis eſt* Pſal. 13.
homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Non habentes, inquit, argentum, abſque argento tollite. Quid enim quærit à nobis Deus? Non habes, inquit, pecunias? non compunctionem, non pœnitentiam, non luctum, non aliud quid eorum quæ quærũtur?
Prohibe linguam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: & Ibidem.
in ſalutem tibi ſufficiet. Vide ſi ieiunaſti, ne altum ſapias: ſi eleemoſynam exhibuiſti, ne inaniter glorieris, ſed potius præterito ieiunio computa quid ex inedia conſecutus es, nunquid talis egreſſus ſis,
B qualis ingreſſus. Vide quam inde abſtuliſti mendam, vel in quo teipſo melior factus es, vel quem es aſſecutus profectum, vel quem correxiſti defectum, ſi ab ira deſtitiſti vel conuitio, ſi fratri non detraxiſti, ſi iurare deſiiſti, vel aliud quid boni es operatus. Si vero cibis tantum abſtinuiſti, nec vllũ aliud egiſti bonum, quid non comedendo profeciſti? Forte enim dicet tibi: Verè non potuiſti ieiunare, quare inimicis tuis non reconciliatus es? quare liuorem & inuidiam habens perſeueraſti? quid autem & te contriſtanti ſuccenſuiſti? Nec hoc ſolùm, verum & in malorum memoria permanſiſti, quo nullum peius eſt malum. Qui nanque corporale peccatum fecit, fecit malum, & citò deſtitit: malorum autem recordans, nocteque & die & omni hora peccatum operatur. Si horum memineris, nunquam recordaberis contumeliæ. Quapropter
C quia te ille affecit cõtumelia, tu præceptorẽ Deum ne contumelia afficias. In orbis enim theatro hæc omnia reuelabuntur. Vnde priuſquam in perditionis lutum cadamus, tantum fugiamus ſupplicium, & cogitemus quod iudiciis nos illis horrendis eripiet nemo, non ipſe Noë, non Moſes, non Dauid, non Abraham, qui filios & hoſpites tantum dilexit, ſupplicio ſubtrahet. Cogitemus quod multis obnoxij ſumus peccatis, & terribilibus, & incer-
tis. *Si enim iniquitates obſeruaueris domine, domine quis* Pſal. 129.
ſuſtinebit? Et quid de occultis dico? Si manifeſtorum pœnas à nobis exiges, quam habebimus veniam? Si in orationibus torporem diſcutias, vel in ieiuniis negligentiam: & quod ante ipſum conſtituti non tantum ipſi impendimus honorem, quantum magiſtratibus milites, nec quantum amicis amici. Cum quanta nempe attentione amicum alloquimur? Deum autem pro peccatis deprecan-
D tes torpemus, & genibus noſtris humi flexis exterius cogitatione verſamur. Si ab his tantum incęperit, & rationem exigere voluerit, vbi igitur ſubmergi poterimus? Quid vero ſi in medium deducat accuſationes, quas alter in alterum agimus, ſi & ſuperfluos aſpectus noſtros examinet, ſi malas inquirat concupiſcentias, ſi & de conuitiis noſtris rationem exigat, nunquid os aperire poterimus? Si vero vanam quoque gloriam, quam ſuſtinemus orantes, & ieiunantes, & eleemoſynam facientes, poterimúsne in cœlum reſpicere? Si autem & dolos, quos alter in alterum ſtruimus, & præſentem quidem tanquam amicum alloquimur, abſenti vero detrahimus: quantas igitur ſuſtinebimus pœnas? Si vero iuramenta quoque, & mendacia, & liuores, & iniuſtas indignationes: ſi periuria computet, & triſtitias reſpiciat, quibus malè patientes inſultantes afficimus: ſi corporis quoque in concionibus pœnas repetat, quando ipſe Deus per ſcripturas loquitur, nos autem ipſum dimittentes cum noſtris conſeruis loquimur, quas iam ſubiremus pœnas? Vnde ſemper ante oculos gehennam habeamus.

Cum

Cùm enim ſi etiam gehenna non intenderetur,
peccata vitare deberemus: quantò magis hac immi-
nente propriorum reminiſci peccatorũ debemus?
Recordare æterni iudicis. Ecce enim vltionem tibi
prædico vt periculum fugias. Si dixerit tibi ieiuna,
prætẽdis imbecillitatem: ſi tibi dixerit, compatere:
negligentiam tibiipſi ſupponis. Si tibi dixerit, noli
iraſci: quid contra hoc dicere potes, vbi neq; igno-
rantia, neque negotium virtutem exercere prohi-
bet? Quomodo igitur cum venia ſis indignus pec-
cati, in cœlum manus extendere poteris? quomodo
linguam mouere? quomodo veniã petere? Iniuria
affectus es, re tua priuatus es, malè audiſti: magno-
pere læſus es, expecta principis ſententiã. Si enim
cuiuſpiam ſeruum contumeliatum tibi non ipſum
verberas, ſed ipſius domino offers: quãtò magis er-
Deut. 32. ga illũ, qui dixit: *Mea eſt vltio, & ego retribuam.* Ieiunaſti
à cibis? vide quod inde peccatum abſtuliſti, vel in
quo teipſo factus es melior, vel quẽ acquiſiſti pro-
fectum, quemve defectum correxiſti. Sciens itaque
quod ante domini tribunal ſiſtendus es, vbi nihil
linguæ valet facultas, nõ auxiliantur aduocati, tan-
quam anima tua ſit per ignem tranſitura, præmitte
rorem, funde lachrymarum fontes. Habes puteum,
ex cordis profundo triſtitiam hauri, geminas com-
moue pupillas, & lachrymarum profunde fluenta,
ſecundùm peccatorum proportionẽ ſit tibi lachry-
ma. Si magnus eſt lapſus tuus, maior ſit lachryma-
rum tuarum torrens. Si verò puritatem quoque re-
tines, alteri mutua lachrymam, & pro fratre lapſo
plora: vtinam vero ſaltem pro peccatis lachryma-
remus propriis. Vnde peccatum proceſſit, oriatur
fons medicinę. Et priuſquam ianua occludatur, pœ-
nitentiam agamus. Vbi peccatum, illic fiat & ſolu-
Mat. 1. tio. Ne hic ſit peccatum, & in cœlo pœnitentia. *Po-*
1. Cor. 10 *teſtatem* enim *habet ſuper terram peccata dimittendi*, qui
nos redemit ſaluator. Vnde qui *ſtare videtur, videat ne*
cadat. Qui vero iam lapſus eſt, ſurgat. Qui cecidit,
non confringatur. Si quis autem & confractus eſt,
Pſal. 72. adeſt dominus *qui contritos ſanat*. Accidit aliquantum
moueri, vt ait ſanctus Dauid, *penè effuſi ſunt greſſus mei.*
Si dicebam, inquit, *motus eſt pes meus, miſericordia tua do-*
mine adiuuabat me. Accidit ſubuerti, & non cadere.
Impulſus enim *euerſus ſum, vt caderem, & dominus ſuſcepit*
me. Eſt & lapſo remedium, in ruina non permanere.
Nunquid qui ceeidit, non reſurgit? Eſt & contrito
Pſal. 146. Ibid. ſalutis ſpes, *Dominus*, enim, inquit, *ſanat contritos*. Sed
vide ne molleſcas audita Dei bonitate. *Deus* enim,
inquit, *iuſtus & fortis, & longanimis, & per ſingulos dies iram*
non inducens, vtpote ſcilicet clemens, qui pœniten-
Ibid. 7. tiam ſuſcipit. *Si vero non conuerſi fueritis, gladium ſuum vi-*
brabit. Interim non cædit, vibrat tantum, vt ſplen-
dorem conſpicatus, & territus, ad pœnam non per-
Ibid. uenias. Non cædit gladius, ſed terret, vt ipſius timor
ad pœnitentiam te ſuſcitet. *Arcum ſuum tetendit &*
parauit illum: tetendit, non immiſit ſagittam, vt te
forma terreat. Cogruus iudex, ne contemnas ar-
cum: intentus enim eſt, ne molleſcas: quoniam in-
terim ſagittam non cernis, ne negligas propter ip-
ſius longanimitatem. Audi ſalutarem illam vocem:
Sis beneuolus aduerſario tuo. Quotidie cum aduer-
ſario iter agis, cuius comitatum effugere non potes.
Galat. 5. Paulus te inſtruit, dicens: *Caro concupiſcit aduerſus ſpi-*
ritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inui-
cem aduerſantur. Reſiſtat ſpiritus carni, ſpe fultus
expectata, comparans concupiſcentiam mundi, &
regnum cœlorum. Caro enim ad puluerem decli-
nat, anima vero diuinam imaginem imitari ſtudeat.
Ita beneuolus ſis aduerſario tuo, donec es in via
cum ipſo in hac vita. Cùm enim via conſummata
Matth. 5. fuerit, non amplius tibi pœnitentiæ tempus, *Vide ne*
Ibidem. *te tradat aduerſarius iudici*, & iudex vltricibus poteſta-
Ibidem. tibus, & *coniiciaris in carcerem*, in tenebras exteriores,
donec reddas vltimum quadrantem, non tantum de actio-
nibus, verùm & de cogitationibus iudicandus. Hæc
igitur omnia ſcientes, nobiſmet auxiliemur. Tunc

A enim cognoſcemus quàm ſit amara voluptas, cum
reipſa experiemur quantæ nobis ſit amaritudinis
miniſtra. Scientes igitur cum quibus ſit certamen,
inuocemus miſericordem Deum, ne dæmonibus
tradamur, dicentes cum beato Dauid: *Ne tradas me* Pſal. 118.
dominè perſequentibus me. Ipſi namque nos ad peccan-
dum incitant, & iidem ſunt accuſatores. Non enim
os ſolus contra nos diabolus aperiet, verum & alij
dæmones, dicentes: Num nos miniſtri vobis fuimus
vt iraſceremini, vel vana duceremini gloria, vel in
fratrem inueheremini? Timeamus fratres diem il-
lum, in quo noſtræ cogitationes iudices fient ad-
uerſus nos acerbiores. Ne igitur aduerſarios teſtes
expectemus, ſed potius aduocemus dominũ Deum,
Etſi enim eſt infirma, qua induti ſumus caro: ve-
runtamen magnus eſt qui ſuccurrere poteſt Chri-
ſtus & ſaluare in regno ſuo. Igitur amare conuenit
dominum, & tanquam benefactorem, & tanquam
B ſibi legitimè ſeruientes diligentem. Etenim nos
quoque propterea quenque diligimus, propter
hæc tria, vel propter pulchritudinem, vel propter
beneficium, vel ſi quis amet. Quid igitur domino
Chriſto pulchrius? ſicut Dauid inquit: *Specioſus for-* Pſal. 44.
ma præ filiis hominum. Quis verò tantus benefactor vt
paret diligentibus ſe, *quæ oculus non vidit, & auris audi-* 1. Cor. 2.
uit, quæque in cor hominis non aſcenderunt? Quis vero ſic
vnquam nos amauit, vt qui tanquam pater pius cla-
mat: Nunquid obliuiſcitur mulier filios ſuos? *Si au-* Eſa. 46.
tem & obliuiſcatur mulier, tamen ego te non obliuiſcar dicit
dominus. Hunc amans Dauid conſpicere cupiebat,
dicens: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei.* Non
enim dilationem tolerabat, ſed hinc migrare ar- Pſal. 41.
debat, concupitum cernere Chriſtum feſtinans.
O animæ Deum amantis propoſitum, & ad ſupe-
riora pennis ſubuectæ! Hunc & tu anima concu-
piſce, cuncta quæ videntur prætercurrens, & ſem-
C per reminiſcens æternæ vitæ & immortalis regni,
& ſociatæ cum angelis choreæ, incorruptibilis
gloriæ, & ductæ cum domino conuerſationis ab
omni dolore liberæ. Cogita quòd nihil habet vita
niſi lachrymas & opprobria, & conuitia, & triſtitias,
& negligentias, & labores, & morbos, & ſenectu-
tem, & peccata, & mortem. Hæc cogitans Dauid,
calumnias, viduitates, orbitates, ærumnas, pœnas,
lapſus, his cupiens abſolui, dicebat: *Quando veniam,*
& apparebo ante faciem Dei, vt iam abeam, vbi pax, læ-
titia, charitas, longanimitas, claritas ſanctorum, &
omnia cætera ſine ſollicitudine bona, quæ ſermo
nullus exprimere poteſt? Vnde tu quoque tantis
expectans frui deliciis, ne contemnas vitam tuam.
Si enim vilis eſſet, aut pauper, qui abs te contemni-
tur, aptè dormitares: ſi vero ſplendidus & glorio-
ſus, & totius regni dominus, qui expectatur Chri-
ſtus, luceat lampas quotidie, paratus ſis in ſponſi
occurſum, vt & tu audias: Intra in gaudium domini
D tui. Vigilare oportet, & orare in omni tempore di-
lecti. Si enim dicente Deo ad diabolum: Non op- Iob, 2.
primes Iob, malignus incubuit putans ſe eum de-
iecturum: quanto magis nos obnoxios habens,
quærit ſui facere iuris, ſic vt vult? Opus eſt vigi-
lantia dilecti. Nam & miles dormit non in lecto,
ſed humi. Piſcator non domiens piſcatur, ſed
ſtans aliquando peragit noctem. Agricola omnem
exhibet vigilantiam, ne domini vinea lædatur, Et
paſtor ſubdio ſtans noctem conſummat, gregem
cuſtodiens, ſicut Iacob dicebat: *Fui ardens æſtu per*
diem, & gelu per noctem, & ſomnus receſſerat ab oculis meis. Gen 3.
Et quæ ipſius vigiliæ ratio? ne vlla ouis feræ capti-
ua fieret. Si verò tanta de irrationali pecude cura,
quales eſſe decet de rationali anima ſollicitudi-
nem gerentes, anima, inquam, omnium pretioſiſ-
ſima, nec æquiualentem totum pariter orbem ha-
bente, quæ ſimul nobiſcum reſurgit, pariterque
defenditur, & diuino tribunali ſimul aſſiſtit? Pro-
pter hanc operarius ille Iacob lapidem ad caput
ſibi poſuit dormiens, vt intellectualem per ſomnos

Gen. 28. lapidem videret. Vnde & ſcalam vidit vſque ad
cœlos peruenientem, & angelos aſcendentes &
deſcendentes, referentes à nobis quidem oratio-
nes, à domino verò gratias deducentes. Non vn-
guento vngitur athleta: eorum enim qui iam victi
ſunt, eſt tale ſtudiũ. Nihil anima immundius, quan-
do corpus talem habet odoris ſuauitatem. Sed ſicut
diſtillationem patientes manus & veſtimenta de-
fluente replent humore: ſic animæ fluxus immun-
dus per corporis odoramentum cognoſcitur. Pro-
pterea duram eligere vitam conuenit, nec volupta-
tibus defluere. Quàm verò lectus eburneus vtilita-
tem habet, vel argento cõpactus? Superflua potius
hæc cura, & ſupernam prouocans iram. Et alia qui-
dem peccata noſtra quampiam habēt voluptatem:
in lecto autem argẽteo dormire, quam habet dele-
ctationem? Vnde & Propheta lectum hunc abomi-
Amos 6. nans, dicebat. *Væ qui dormiunt in lectis eburneis, & laſci-*
uiunt in ſtratis ſuis. Vis videre lectum regium virtuti-
Pſal. 6. bus plenum? Reſpice lectum Dauidis, in quo, tan-
quam margaritæ ſuper ſubſellium, per ſingulas no-
ctes erant congelatæ prophetæ lachrymæ, quæ in
admonitionem quoque noſtram ſcripta ſunt, & ve-
ſtigia ſequentes futurum fugiamus iudicium. Vnde
pœnitentiam agamus ante iudiciũ illud: illic enim
non erit amplius pœnitendi locus. Nos eſſe vult
dominus paratos, propterea q́; poſuit incertum exi-
tum noſtrũ, vt continuè pugnemus. Si enim in præ-
ſentibus iudiciis audita tantum præconis voce, qui
introducuntur titubant, & timore congelantur,
quanto magis ante diuinum tribunal ſiſtendi tre-
mere debemus? Sub ſilentio vehementer planxi-
ſtis: ſemper enim ſtimulatur conſcientia; maximè
verò cùm de iudicio diſſerimus. Ergo per ſermones
bonæ ſunt redargutiones. Vtinam enim diues ille
redargueretur, & nõ illic lingua torreretur. Virgi-
nitatem concupiſti? ſerua mãdata, & ipſam tibi do-
Pſal. 16. minus miniſtrabit. Si enim dicas orans: *Cuſtodi me*
domine, vt pupillam oculi: dicet tibi & ipſe: *Cuſtodi manda-*
Prou. 7. *ta mea, & viues: meos autem ſermones, vt pupillas oculorum.*
Cùm enim ſic fueris affecta, ſollicitudinem tuam
Zach. 13. ſibi vindicans tibi dicit: *Qui tangit vos tanquam qui tan-*
git pupillam oculi mei. Cùm igitur ad aratrum manum
miſeris, ne ad poſteriora conuertaris, ne fias colũ-
na ſalis: ſemper lingua tua de iudicio loquatur, ni-
hil otioſum ſonans, aut ex ira, nihil ex triſtitia, aut
ex vlla alia perturbatione, ſed potius de illis ſup-
pliciis loquatur, vt tremenda timens iudicia, ſeipſa
melior fiat: ſemper lex eius in ore tuo ſit & verba
tua ſecundùm Dei voluntatem procedant. Legi-
ſlatorem ſemper in ore geras, ille tibi comes & ſo-
cius. Siue enim quempiam videris proſperè agen-
tem, vel deliciis vacantẽ, vel etiam regnantem, no-
ſce quòd tanquam flos fœni velociter areſcet. Ille
ferculis gaudeat, tu verò in domino Chriſto gaude.
Et ſi mortem aliqui vicerunt, tu concupiſcentiam
vincere non potes? Oportet te membra mortifica-
re, non tantum concupiſcentiam, verùm & iram, &
furorem continere. Lingua tua menſuras habeat.
Vide ne ante tẽpus te conſcientia tua condemnet.
Venit mors & omnia reuelãtur. In nullo nũc con-
fuſionem pati volumus. Illic verò coram tot milli-
bus vbi abſcondemur? Ioannes purus erat, propte-
rea ſupra Chriſti pectus recubuit. Anima Chriſto
volens deſponſari, puritatem cuſtodiat, vt ex fru-
ctu arbor cognoſcatur. Manifeſtam enim, inquit,
fidem annuntiauit iuſtus. Huius cõfeſſionis recor-
dare, & vltimum quoque concipe mente diẽ. Vide
igitur ne per linguam pereas: lingua enim eſt, in-
Iaco. 3. quit, quæ polluit totum corpus. Corpore verò ma-
culato mẽtem quoque corrumpi neceſſe eſt, ſicut
1 Cor. 15 dictum eſt: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala:* & Pau-
1. Tim. 3. lus inquit: *Homines corrupti mente.* Quære Paulum tan-
quam Thecla, vt audias quæ per ipſum tibi dicun-
tur. Alis opus eſt tibi: non habes, nec habere feſti-
nas, fruſtra profiteris. Clamet oculus tuus pieta-
tem interius habitantẽ: deorſum ſit aſpectus tuus,
vt ſit mens ſurſum. Vigilantia opus eſt multa: ad-
uerſarius enim noſter vigilat. Eiecit olim ex para-
diſo, nunc in cœlũ regredi non permittit. Vide ne
ſpirituale vinum aqua inutile reddas. Habe pro pa-
ne diuinarum meditationem ſcripturarum, & pro
vino ſaluatoris mandata. Audi dicentem: Volo vos Matth. 6.
non eſſe ſollicitos, & nihil curare, niſi de regno.
Cum terreno corpore cœlũ aſcendere concupiſti?
extenua carnes, vt ad aſcenſum agilis fias. Equus
ſi multum comedat, non currit. Athleta non quod
vult, comedit. Niſi comediſſet Iſraël, & impingua- Deut. 32.
tus fuiſſet, nõ recalcitraſſet. Surſum igitur oculum
tuũ ſemper habeas, vbi & tibi concupitus eſt ſpon-
ſus: deſiderio animi motus vince. Oratio & ieiuniũ
tibi auxiliantur, & diuinæ cohortantur ſcripturæ.
Ne ſis negligẽs in coronæ certaminibus. Hinc ha-
B bes æternæ vitæ & quietis arrhabonẽ. Nõ enim pa-
teris virum ebrium, non parturis, non paris, non
luges quod filius mortuus eſt, vel morbo laborat:
non es ſollicita, ne vir peregrinatus redire tardet.
Abſoluta es à pariendo, ab alendo, & educando.
Sponſum tuum ſequere Chriſtum, te in regnum
cœlorum ducentem. Sequere ſecundùm illud elo-
quium, dicẽs: Si ad me ingrediminí rectè, & ego in-
grediar vobiſcũ rectè. Si verò tortuoſi ingredimi-
ni, & ego vobiſum ingrediar tortuosè. Semper Matt. 7. b
dominum venientẽ expecta. Si enim qui dicit, tar-
dat dominus meus venire, ipſo veniente in duo di-
uiditur: qui nec omnino ipſius illuſtrem expectat
præſentiam, quid patietur? Si vis itaque Chriſto aſſi-
milari, eius veſtigia ſequere: anguſta enim eſt ia-
nua, & iuſti ingredientur in eam. Audis Danielem
prophetam dicentem: *Ego Daniel eram lugens tres heb-*
domadas, panem non comedi, & vinum nõ intrauit in os meum. Dan. 10. a
Ioannes in deſerto habitauit, non habebat vi- Matt 3. a
neam, ne ſeipſum faceret terrenum. Lucerna erat, Ioan. 1. f.
C propterea contra ventorum impetus ſeipſum mu-
niebat. Horum tu quoque dogmatum recordare.
Cœleſtem elegiſti conuerſationem, certa bonum Heb. 10. f
fidei certamen, cernens in certamine victoriam, in
victoria coronam, agonothetam dominum Ieſum.
Tantùm firmus ſit curſus tuus. Terribile *eſt in Dei* Heb. 10.
viuentis manus incidere. Vidiſti vnquam imagines, quo-
modo hæ quidem ſunt perſonis proceræ, & ſatis
magnæ & ornatæ: hæ verò deformes, & ridiculæ?
Sic ille cuncta velut in tabella reuelabit. Fuge igi-
tur dedecus illud maximè horrendum, & lauda, &
dic: *Cuſtodi me domine, quoniam in te ſperaui, quoniam bono-* Pſal. 15. a
rum meorum non indiges. Non enim noſtrum indiget,
ſed noſtram ſalutem exquirit. Vnde noſipſos illis
offeramus ſacrificium viuens, rationabile obſe-
quiũ, non per ignem, ſed per longanimitatem. *Qui* Mat. 10. c
enim perſeuerauerit vſque in finẽ, hic ſaluus erit, inquit. Pro- 1. Cor. 9.
pterea tranquillam & quietã vitam eligentes, bene d.
D *currite vt comprehendatis,* ſicut ſcriptum eſt. Non enim
paruũ eſt periculum, puritatem promiſſam non cu-
ſtodire. Propterea q́; linguam tuam corrige, oculum
comprimens, extendens manus tuas in preces pe-
dẽ mouens, ſicut dominus creauit, in amictu mode-
ſta, in occurſibus verecunda, ſeruans in greſſibus
ſtabilitatẽ, in cibis quod ſufficit, in continẽtia quod
laborioſum, quod humile eſt, miſericordiã, fratrum
dilectionem, rerum communicationem, fidei ſani-
tatem, nec vnquam omnino tremendũ illud obli-
uiſcere iudicium. Hæc autem omnia parua quidem
dictu, magna verò expeditu. Nam *Simile eſt,* inquit, Mat. 25. a
regnum cœlorum decem virginibus, non ſoli, nõ lunæ, non
ſtellis, non ipſis monilibus, non auro, non argen-
to, non formæ tabeſcẽti, non ipſi cœlo. Quid aliud
igitur habet regnum, quàm omnibus ditiorem ſe-
curitatem? de qua pronubus Chriſti Paulus dice- 1. Cor. 7. f
bat: *Volo vos ſine ſollicitudine eſſe.* Vnde oportet ora-
re, vt ſi quis ægrotet, ſanetur, vt permaneat Pſal. 118. a
proſſeſſio. Igitur ora Deum, dicens, *Septies in die*
laudem dixi tibi. Nam ſi bonus viri boni occurſus
melio-

meliorem reddit occurrentem, quantò magis no-
ꝺteque ac die Deo colloqui? Quis enim Deum ad-
eſſe cogitans peccat? Memento illius dicti, Sine in-
termiſſione orate. Oris quidem oratio bona, multò
melius ſi per ſupplicantes in ſpiritu tibi ſacrifi-
cium ſit apud Deum. Præmeditare de moriendo,
2.Pet. 3. membra ſupra terram mortificans. *Dies enim domini*
ſicut fur venit. Si repetentibus animam dicere cœpe-
ris. Sinite me pœnitere, ieiunabo, miſerebor: dicet
Gal.6. c. tibi dominus: Non audiſti, *pœnitentiam agite, appropin-*
quauit enim regnum cælorum? Et Paulus dicebat, *Dum*
tempus, operemur bonum. Non enim tempore multo
Luc. 23. opus eſt ſaluare ſe volenti. Latro enim in momen-
to ſaluatus eſt, fidem adeptus, & incorruptum regni
theſaurum lucratus eſt. Sancti martyres vna hora
iuſtificati ſunt: illi ſanguinem dederunt, tu pro
1.Tim 2. ſanguine deduc lachrymas. Non mentitur, qui
vult omnes homines ſaluos fieri. Propterea non tantum ex
diuinis ſcripturis inſtruit, verùm & alienis nos B
erudit calamitatibus. Nam idcirco medici publicè
chirurgiã exercent, & vrunt: & magiſtratus ſubli-
mes, ſuper alto ſedentes tribunali, reos cædunt, vt
in alienis malis nos in compunctionem veniamus,
vnde firmari in ſcientiam ducamur, à ſcientia ve-
rò per conſequentes virtutes ad charitatem ve-
nientes, per ipſam hæreditatem feſtinemus, fucum
autem conſuetudinis peccati exuamus in oratione
perſeuerantes. Nullus enim vigilans vnquam læ-
ſus eſt, paſtores etiam non præſentibus lupis præ-
ſident, canes ſequuntur, licet feræ non adſint. Vn-
de expedit ſemper ſobriè agere: nam etiamſi labo-
rum nulla ſit retributio nihil tibi nocebit exerci-
tatio. Audi igitur bonos conſiliarios, non ſecun-
dum carnem parentes, ſed eos qui ſecundùm ſpi-
ritum ſunt magis ſolliciti, infirmioribus compa-
2.Cor.11 tientes, & dicentes: *Quis infirmatur, & ego non infirmor?*
Vnde verbi medicinam imponere conuenit. Ani- C
ma nanque quæ ſemel peccatum guſtauit, & ſine
triſtitia eſt, multam affert morbo acceſſionem. Sicut
enim ſcintilla ſi materiam apprehendere præoc-
cupauerit, omnia poſtmodum depaſcit: ſic & pec-
cati natura, poſtquam animæ rationes apprehen-
derit, & qui extinguat nemo difficilior fit iam, &
Simile. vix ſuperabilis fit frequentium acceſſione, ad ma-
iorem ſe contemptum extollens. Ita ſæpius ab ini-
tio flammam quidam non extinguentes, in ma-
gnum deuenere naufragium: non habens enim
peccator ſe vlterius procedere prohibentem, equo
ſimilis eſt, qui frænum abruperit, & ſeſſorem præ-
cipitauerit. Etenim infirmi donec medicantes ad-
mittunt, multam habent ſpem ſanitatis: poſtquam
verò in mentis alienationem deciderint, immedica-
biles ſunt nullo curante, non propter morbi natu-
ram, ſed propter curantis abſentiam. Oportet igi-
tur peccati corruptionem, velut equum effrænem
in poſteriora repelli. Nam poſt vitæ finẽ nec meri-
torũ ſunt occaſiones: ſicut nec athletis poſt tranſ- D
acta certamina coronas adipiſcendi. Vnde coronæ
1. Cor. 3. gloriam optantes, obnoxij calumniatoribus eſſe
fugiamus: *Si cuius* enim *opus*, inquit, *arſerit, detrimentum*
patietur. Exprobrari de priori dictum eſt, vt melius
comburi videatur. Si igitur nolumus exprobrari, ne
nos quempiam exprobremus. Nam inquit: Noli
exprobrare hominem auertentem ſe à peccato. Si
enim adulter, inquit, cùm captus fuerit, dolores &
pœnas ſuffert, ipſius autem opprobrium non dele-
bitur: quantò magis in iudicio illo, quod neque do-
nis, nec allis aliis rebus ſoluitur? Igitur aperi os
tuum verbo Dei, & ne otioſè loquaris. Si enim de
otioſo verbo pœnas dabimus, quantò magis de ne-
gotio non iuxta mandatum peracto? Ne igitur va-
narum rerum iucunditas nos aliquando decipiat.
Sicut enim vmbram apprehendere non datur, ita
nec humana negotia: hęc enim ſine fine reſoluun-
tur: hæc autem ante finem, & torrente velocius
præterfluunt. Futura verò non norunt mutatio-

A nem, ſenectam neſciunt, nullam habent conuer-
ſionem, ſed ſemper vigent, & in ſpecioſa varietate
permanent. Nec pecunias admireris apud poſſeſ-
ſores non permanentes, ſed hæc omnia reſpuere
conuenit: ſufficit enim duntaxat, quòd quæ non Pſal.7.
videntur, æterna ſunt. Scriptum eſt: *Deus iudex iuſtus,* 1. Pet. 5.
& fortis, & longanimis. Vigilantia tibi opus eſt, vt do-
mum tuam à latrone cuſtodias. *Aduerſarius* enim *dia-*
bolus te ſupplantare quærit, ne aſcendere poſſis, vn-
de ille cecidit. Multæ ſunt ipſius artes. Ab ipſo fu- Pſal.90.
ge, vt dicas: *Deus liberauit me de laqueo venantium, & à*
verbo aſpero. Non tantum opus eſt tibi lucerna, ve-
rùm & lumine ſempiterno propter occurrentium
inſidias. Non potes ambulare, niſi lucernam ha-
beas Dei legem. Manus habens non potes palpare,
niſi lux adſit: oculos habens cernere non potes,
niſi lumen appareat. Viam quotidie pergis, opus
habes lucerna ne in præcipitium cadis. Vbique ſis Pſal. 10.
laqueis ſuperior, clamans: *Transmigra in montem ſicut* Ibid. 54.
paſſer. Et *quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & re-*
quieſcam? Pupilla appellatur oculus, vt ſicut ille
duabus palpebris velut in quodam conclaui clau-
ſus eſt, ita & virgo permaneat. Sicut & linguam ſub
duobus ſeptis, dentibus dico, & labiis Deus con-
cluſit, vt tanquam verecunda virgo nil indiſcre-
tum loquatur, ſed potius cogitans quæ ſunt iudi-
cij, dicat: Qualis eſt igneus fluuius? Quales illæ
ſunt tandem igneæ tenebræ & exteriores? Qualis
tandem ſtridor dentium? Hæc mente concipiens Pſal. 118.
ſtude ſponſo placere Chriſto. Abſens interim eſt,
ipſi conſcientiam cuſtodi, donec in gloria ſua ve- Ibid 123.
niat, pſallens: *Anima mea in manibus meis ſemper, & le-*
gem tuam non ſum oblita. Quantò ſuperior euadis, in la-
queos non incidis, vt poſſis dicere ex corde: *Anima*
mea ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Vndique
iudicem time, & ſi cum angelis conuerſationem
non cupis, ſaltem cum diabolo non conuerſare.
Cauta ſis: mors enim tanquam fur venit. Lucernam
tuam accende, ardens ſit lampas tua, ne dormiente
te oleum deficere inueniatur. Ne cogites ærum- Act. 7. g.
nam, ſed libertatem: non flagella, ſed honores: non
cadentes, ſed bene placentes computa. Sanctus
Stephanus non lapides conſiderabat, ſed ſuperna
brauia. Martyres animas ſuas dederunt, nos ſal-
tem flagellationem offeramus. Dulcis ſomnus no-
cte videtur: ſed bene noris quòd nihil pſalmodia
dulcius. Sed graue tibi humi cubare? cogita quòd
martyres ſuper carbones iactabantur. At amarius
os facit ieiunium? Chriſtus qui mellis dulcedinem Act. 20.
creauit, fel propter te guſtauit. Sed luges propter
teipſam? nunquam ſicut Paulus propter aliorum
ſalutem lachrymas fudiſti. In his teipſam hortare,
ad modicum temporis labor, & in ſeculum ſeculi
requies: mitiga ſpe laborem, tribulationem enim
lætitia ſuſcipit. Cogita quòd quæ ad tempus vide-
tur voluptas, æternum parat ſupplicium, & propter
tribulationem fuge delectationem, ne membris
tuis in ſagittas contra te diabolus vtatur, oculo,
auribus, ore, manu, ne tibi gulæ ſagittam immittat.
Noui enim quomodo populus illius temporis qui
cum ieiunio mare tranſgreſſus eſt, ebrietate per-
cuſſus, per continentem terram naufragium fecit.
Reſpice illorum vitium, & ruinam refuge. Si enim
naturalibus ramis dominus Chriſtus non pepercit,
neque tibi parcet negligenti. Si verò tota anima &
integra fide pugnaueris, cum omnibus ſanctis læta-
beris, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu
Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui glo-
ria, honor & poteſtas ſumma, nunc, & ſemper, & in
ſecula ſeculorum. Amen.

Sancti patris noſtri Ioannis Chryſoſtomi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, quòd Chriſtianum oportet vitam quoque rectam habere.

HOMILIA XXIII.

EXTERNÆ quidem dignitates dilectiſſimi, meritò ex ſignis itidem extrinſecus circumpoſitis manifeſtæ ſunt, noſtras autem ab anima notas eſſe decet. Fidelem enim non ex ſolo munere videri oportet, verum ex vitæ nouitate. Fidelem mundi luminare & ſalem eſſe congruum eſt. Cùm verò ne tibi quidem ipſi luceas, neque propriam exprimas & exſicces putredinem, vnde te iam agnoſcemus ſacris initiatum eſſe laticibus? At hoc tibi pœnæ ſit viaticum. Honoris enim magnitudo pro honoris dignitate viuere volentibus ſupplicij ſit maior acceſſio. Fidelem enim non tantū ex his, quæ ſumpſit à Deo, verùm & ex his quæ ipſe præſtet, par eſt effulgere, & ex omnibus eſſe partibus manifeſtum, ex inceſſu, ex aſpectu, ex habitu, ex voce. Hæc autem dixi, non vt ad oſtentationem, ſed ad videntium vtilitatem noſipſos diſponamus. Nunc autem vnde te queam agnoſcere? A contrariis vndique te reperiò conſpicuum. Nam ſeu à loco te diſcere voluero, in circis, & theatris, & iniquitatibus commemorantem intueor, in malignantium conciliis, in foro, in hominum conuenticulis perditorum. Seu ab aſpectus forma, video cachinnantem iugiter & diſſolutum velut recluſam meretricem, & dimiſſam: ſiue à veſtibus, in ſcena verſantibus nihilo melius cerno compoſitum: ſiue à ſequentibus, paraſitos & aſſentatores circunducis: ſiue à verbis, nihil ſanum, aut neceſſarium, aut noſtræ conferens vitæ loquentum audio: ſiue à menſa, hinc maior apparebit accuſatio. Vnde quæſo itaque potero te fidelem agnoſcere, dictis omnibus contraria proteſtantibus? Quid verò fidelem dico? Nec enim es homo, ſi manifeſtè poſſum videre. Cùm nanque tanquam aſinus recalcitres, laſciuias autem vt taurus, tanquā equus verò poſt mulieres hinnias, ventri tanquam vrſus indulgeas, & vt mulus carnem impingues, & malum memoria teneas velut camelus, porrò rapias quidem vt lupus, at vt ſerpēs iraſcaris, ferias vt ſcorpius, ſis ſubdolus vt vulpes: nequitiæ verò tanquam aſpis & vipera venenum ſerues, & ſicut ille malignus dæmon fratres impugnes: quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ ſigna cum non intuear? Cathecumeni nanque differentiam quærēs, & fidelis, ne vel hominis & feræ differentiam inuenire poſſim, periclitor. Quid enim te nuncupem? Feram? ſed vno horum vitio feræ tenentur: tu verò pariter omnia circumferens, ad maiorem quàm illæ feritatem progrederis. Vel dæmonē? at dæmon neque ventris ſeruit tyrannidi, neque pecunias amat. Cum itaq; feris & dæmonibus maiores habeas defectus, quomodo te vocabimus hominē? Si verò te non licet hominem appellare: quomodo te, quæſo, fidelem ſalutabimus? Et quod eſt peius, nec tam male diſpoſiti, animæ noſtræ deformitatem cogitamus, nec ipſius animaduertimus turpitudinem: ſed in tonſtrina quidem ſedens, & tondens cæſariē, accepto ſpeculo crinium compoſitionem diligenter examinas, & aſtantes conſulis, & ipſum tonſorē, an bene quæ circa frontem ſunt compoſuerit. Et cum ſis plerunque ſenex, iuuenilibus inſanire vanitatibus non erubeſcis. Animæ verò noſtræ nō tantum deformitatem non aſpicimus, verùm neque beſtialem indutam ſpeciem, & Scyllam aut Chimæram quandam, iuxta Poëtarum fabulas effectā vel paululum animaduertimus. Quanquam & hic eſt ſpeciale ſpeculū illo longe melius & vtilius: nec enim deformitatem tantum oſtendit & verum & in formam incomparabilem, ſi velimus, tranſmutat. Hoc

Homo peccatis ſimilis ſit beſtiis.

A autem eſt bonorum imitatio virorum, & felicis eorum vitæ narratio, lectióque ſcripturarum, leges à Deo traditæ. Et ſi ſemel tantum velis in illorū ſanctorum imagines inſpicere, & deformitatem mentis tuæ videbis: & cùm videris, nihil aliud tibi iam opus erit, vt ab huiuſmodi deformitate libereris. Ad hoc enim nobis vtile ſpeculum eſt, & facilem efficit correctionem. In brutorum igitur forma remaneat nemo. Nam ſi ceruus patris domum non intrat, cùm & fera tu fias, qualiter ad illa poteris accedere veſtibula? Sed quid dico fera? Feris omnibus eſt huiuſmodi peior. Illa ſiquidem, licet ſint agreſtes, humanam artem nactæ, manſuetæ frequenter efficiuntur: tu verò cum in præternaturalem manſuetudinem naturalem illarum feritatem mutaueris, quam habebis excuſationem, ſi naturalem tuam manſuetudinem in præternaturalem illarum feritatem redegeris? quod natura quidem B ferum eſt, exhibens mite: temetipſum verò natura mitem contra naturam, beſtialem conſtituens, & leonem quidem mulcens, reddenſque manſuetum, animum verò tuum leone exhibens ſæuiorem. Et illic quidem duo ſunt obſtacula, tum quòd oratione careat beſtia, tum quòd ad iram ſit omnium facillima. Veruntamen ex ſapientiæ à Deo tibi collatæ ſuperabundantia naturam quoque ſuperas. Qui beſtias itaque ſuperas, & naturam, qualiter in temetipſo cum natura liberi quoq; bonum arbitrij corrumpis? Quòd ſi iuſſiſſem, vt & alium hominem redderes manſuetum, nec ita quidem vires tuas excedentia demandare viſus fuiſſem: attamen potuiſſes excuſari, quòd non ſis alienæ dominus ſententiæ, nec in te totum ſit poſitum: nunc verò tua eſt fera, & eius omnino dominus es. Quam itaque nanciſcaris excuſationem, niſi naturam cohibeas? Quam autem honeſtam defenſionem prætendere poteris, leonem vtique faciens hominem, temetipſum verò negligens, ex homine leo- C nem euadentem: & illi quidem largiens & ſupernaturalia, tibi verò neque naturalia conſeruans? ſed agreſtes quidem feras ad noſtram contendens redigere generoſitatem, at temetipſum ex regni ſede deturbans, & in illarum implens furorem. Exiſtima nanque, ſi libet, iram quoque beſtiam eſſe. Et quantum alij circa leones, tantum ſtudij tu circa temeipſum impende: talemque cogitationem manſuetam & mitem eſſe coge. Hæc difficiles habet tam dentes, quam vngues, & niſi manſuetam reddideris, omnia deſtruet: nec enim ita leo vel vipera poteſt diſſipare, ſicut ira fereis vnguibus hoc continuè faciens. Nec enim ſolùm lædit corpus, verùm & ipſam animi ſanitatē corrumpit, deuorans, diſſipans, & omnem eius declarans virtutem, & ad omnia reddens inutilem. Cùm enim vermes in inteſtinis nutriens, nec reſpirare poſſit, cùm eius omnia conſumantur interiora: quomodo D nos talem habentes ſerpentem, qui cuncta rodit viſcera, iram dico, aliquid generoſum parere poterimus? qualiter hac liberabimur peſte? Si poculum bibamus, quod vermes atque ſerpentes exitio tradere poſſit. Dicat aliquis, quódnam eſt illud poculum, quod huiuſmodi virtutem habeat? Pretioſus Chriſti ſanguis, ſi cum fiducia ſumatur. Hic enim omnem extinguere poterit ægritudinem, & cum hoc diuinarum ſcripturarum diligens meditatio, & eleemoſyna ſcripturis addita. Per hæc enim omnia poterunt extingui vitia animam noſtram vaſtantia, & tunc duntaxat viuemus, vtpote qui nunc nihilo melius quam mortui nos habeamus. Non enim illis viuentibus etiam nos viuere datur, ſed nos periiſſe neceſſarium eſt. Niſi namque præueniamus hic ea necantes, illic omnino nos enecabunt. Quinimò & ante mortē illam hic etiam à nobis pœnas exigent. Nam huiuſmodi vitiorū vnumquodque ſæuum & tyrannicum, noſque per ſingulos abſumens dies, nunquā deficit, dentes leonum

Simile. Ira.

Euchariſtia remedium peccatorum.

dentes.

Digitized by Google

dentes,eorum,quin & multò peiores.Nam leo qui-
dem & ſatiatur,& à corpore coram ſe proſtrato ab-
ſiſtit:hæc autem vitia neque ſaturantur,neque do-
nec captum hominem ad diabolum perduxerint,
abſiſtunt. Tanta enim eorum potentia, vt ſeruitu-
tem quam Chriſto Paulus exhibebat, propter eum
gehennam contemnens, & regnum, eandem à ca-
ptiuis ipſa ſuis exigant.Nam ſiue in corporalem a-
morem, ſiue in pecuniarum aut gloriæ cupiditatem
quiſpiam incidat, iam & gehennam deridet, & re-
gnum contemnit, vt eorum impleat voluntatē. Ne
ſimus igitur increduli Paulo dicenti,quòd ita Chri-
ſtum dilexit: cum enim inueniātur aliqui tantū vi-
tiis ſeruientes, quomodo iam incredibile illud eſſe
videatur? Nam & ideo Chriſti deſiderium imbecil-
lius eſt: quoniam omnis noſtra vis in hūc amorem
abſumitur.Et rapimus,& ſupereminere volumus,&
vanæ ſeruimus gloriæ: qua quid vilius eſſe valeat?
Licet enim infinite ſis cōſpicuus,ignobilibus nihi-
lo melior eris, verumetiā propter hoc ipſum igno-
bilior. Cùm enim te glorificare volentes, & ſplen-
didum demonſtrare,per hoc ipſum te rideant,quo-
niam ab eis gloriam aucupaueris, quomodo non in
contrarium talis ſtudij conatus tibi conuertantur?
Res enim vituperabilis eſt.Sicut enim ſi quis adul-
terari,vel fornicari concupiſcentem laudet, & aſ-
ſentetur,ex hoc ipſo magis eius accuſator efficitur,
quàm laudator talia concupiſcentis: ſic & gloriæ
cupidum cum laudamus, magis ſumus improbato-
res, quàm clarificari volentium laudatores. Quid
itaque rem attrahis,ex qua tibi contrarium accide-
re conſueuit? Si vis enim glorificari, gloriam con-
temnas, & omnium eris clariſſimus. Quid pateris
Dan. 1.a. quod patiebatur Nabuchodonoſor? Nam & ille
ſtatuam erexit ex ligno & inſenſibili materia, ſibi
gloriæ credens augmentum afferre, & viuens ex
non viuente ſplendidior apparere volebat. Vides
dementiæ exceſſum? Exiſtimans enim ſemetipſum
honorari,maiori ſe cōtumeliæ faciebat obnoxium.
Apparens enim re magis inanimata, quàm ſeipſo,
& anima in ſe viuente confidere, & ideo lignum
in tantam erigens eminentiam, quomodo riſu di-
gnus non fuerit, non ex moribus, ſed ex lignis or-
namentum aſciſcens? Vt ſi quis quòd domi gra-
dus, & elegantes ſcalas habeat, magis quàm homo
ſit, gloria dignum eſſe cenſeat. Hunc & ex noſtris
multi ſequuntur.Sicut enim ille ex imagine, ſic ex
veſtibus alij: alij autē ex domibus, & mulis, & cur-
ribus,& columnis in domibus erectis, admirationi
cupiunt haberi. Quoniam enim amiſere quòd ho-
mines ſint,circumeunt ſibi aliunde gloriam multo
plenam riſu mendicantes. Sed non hinc generoſi,
magnique Dei ſerui, ſed ex quibus maximè decet,
ex his effulgebant. Cùm enim captiui forent, &
ſerui, noui & peregrini, cunctiſque priuati dome-
ſticis,eo, qui omnibus his circundatus erat, tunc
multò venerabiliores apparuere.Et ipſi quidē Na-
buchodonoſor non tanta ſtatua, non ſatrapæ,
non duces,non exercitus infiniti, non ingens auri
copia, nō reliqua vanitas ſuffecit ad concupiſcen-
tiam,vtque magnus videretur. His autem omnibus
illis carentibus ſola ſuffecit ſapientia, & coronam
& purpuram habente, talibuſque circumfulto,ni-
hil horum habentes reddidit illuſtriores, tantò,
quantò ſol eſt margarita ſplendidior. Nam in me-
dio terrarum orbe ducebantur cum noui forent, &
captiui, & ſerui: & his viſis, ſtatim rex ex oculis
ignem emittebat:& duces, & primates, & locorum
principes, & totum diaboli theatrum circunſtete-
rat:& fiſtularum vndecunque vox, & tubarum, &
omnis muſices, quæ in cœlum ferebatur, illorum
aures circumſonabat,& fornax in altitudinem in-
finitam eleuabatur, & ipſas flamma nubes attinge-
bat, & omnia timoris & conſternationis erant ple-
na. Sed hos eorum perterruit nihil: ſed tanquam
ludentes pueros deridebant, fortitudinem præ-

A ſtantes & manſuetudinem, & illis clariorem tubis
vocem emittentes, dicebant: Notum ſit tibi rex
(nam ne contumelioſo quidem verbo tyrannum
afficere volebant, ſed ſolam oſtēdere religionem:
propterea neque longos protraxere ſermones,ſed
omnia breuiter expediunt) eſſe Deum in cœlo,qui
poteſt nos eripere. Quid nobis multitudinē oſten-
tas? quid fornacem? quid acutos enſes, terribileſ-
que miniſtros? His omnibus ſuperior eſt dominus
noſter atque potentior. Mox cogitantes,quòd poſ-
ſet accidere, vt Deus vellet eos mori atque combu-
ri permitteret,de hoc facto falſa diſcere videantur,
& hoc addunt dicentes: Quod ſi hoc non fiat, no-
tum tibi ſit, quòd diis tuis non ſeruiemus. Nam ſi
dixiſſent,quòd propter peccata non liberat,ſi non
liberauerit,eis non fuiſſet creditum:propterea hic
quidem hoc tacent, ſed in fornace commemorant,
ſurſum & deorſum peccata proponentes. Coram
B rege verò nihil huiuſmodi, ſed quòd licet combu-
ri debeant,pietatem non produnt. Non enim quæ
faciebant,propter retributiones & mercedem age-
bant: ſed ex charitate ſola, licet in captiuitate fo-
rent & ſeruitute,& nullo fruerentur bono. Nam &
patria fuerant, & libertate,cunctiſque bonis expul-
ſi. Nec mihi regalibus in aulis honores referas.
Cum ſancti nanque forent,& iuſti, longè libentius
domi mendicare voluiſſent, quàm in regia bonis
perfrui:nam ait ille, *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei,* Pſal. 83.c
magis quam habitare in tabernaculi peccatorum: &, *Melior eſt* Ibidem.
eſt dies vna in atriis domini ſuper millia. Ergo ſine compa-
ratione potius humiliter domi viuere voluiſſent,
quàm Babylone regnare: & hoc patet ex ipſis quæ
in fornace proferunt, grauiter ferentes illius loci
conuerſationem. Nam licet ipſi multis fruerentur
honoribus,aliorum tamen videntes ærumnas,mul-
tum angebantur: quod eſt maximè ſanctorum pe-
C culiare, ne gloriam, vel honorem, nec aliud quic-
quam proximi præponant ſaluti. Igitur conſidera,
qualiter in fornace conſtituti,pro toto populo ſup-
plicationem faciebant.Nos autem nec in remiſſio-
ne conſtituti, fratrum reminiſcimur, quin verò,
cùm & ſomnia interpretabantur, non ſua quære-
bant, ſed multorum commoda. Quòd enim mor- Diuitiarum cōtemptus, & paupertatis laus.
tem contemnerent, ex multis poſt hæc oſtende-
runt: vbique verò ſe proferunt Deum placare vo-
lentes. Poſtquam verò neque ſemetipſos ſufficere
putabant,ad patres confugiunt: ſe verò nihil am-
plius,niſi contritum ſpiritum afferre dixerunt. Hos
quidem & nos imitemur.Nam & aurea nunc imago
erecta eſt mammonæ tyrannis. Sed ne tympanis
mentem adhibeamus, neque tibiis, neque citharis:
nec reliquæ diuitiarum vanitati: verùm & ſi ſit
opus in paupertatis fornacem decidere, ne refu-
giamus, ne mammonam adoremus, & erit ros in
medio refrigerans. Ne igitur horreſcamus pau-
D pertatis fornacem: nam & tunc quidem in forna-
cem qui deciderunt, clariores redditi ſunt: qui au-
tem adorarunt, flammis abſumpti. Sed tunc qui-
dem omnia ſimul facta ſunt. nunc autem hæc qui-
dem hic erunt, illa verò poſtmodum alibi. At quæ-
dam tum hic, tum in futura die. Qui nanque pau-
pertatem quidem eligunt, ne mammonam ado-
rent,tam hic, quàm illic erunt clariores. Qui verò
diuitias hic habent iniuſtas, tunc extremas luent
pœnas. Ex hac fornace Lazarus quoque non il-
lis minus ſplendens pueris exiuit. Diues autem
in eorum qui ſtatuam adorauerunt ordine poſitus, Luc. 16.f
in gehenna torquebatur. Nam & dicta illorum
erant expreſſio. Sicut igitur qui quidem decide-
runt, nihil paſſi ſunt, extra verò ſedentes, multa
cum vehementia correpti: itidem & tunc erit. San-
cti quidem per ignis torrentem ambulantes, iniu-
cundum perferent nihil, verùm & lucidiores ap-
parebunt: qui verò ſtatuam adorauerint, ignem
ſibi videbunt omni fera ſæuiorem ingruentem, &
intra ſe pertrahentem. Itaque ſi quis gehennam

non credit, hanc conſpicatus fornacem, ex præſentibus futura credere diſcat, neque paupertatis metuat fornacē, ſed peccati. Hęc enim flamma quidem & dolor: illa verò ros atque remiſſio. Et illi quidem fornaci diabolus adeſt, huic autem angeli flammas excutientes. Hæc audiant diuites paupertatis ſuccēdentes fornacem. Nam illis quidem nihil nocebunt, quibus flamma ros efficietur: ſe verò flammæ magis corripi faciles exhibebunt, quàm propriis accenderint manibus. Tunc igitur angelus quidem cum illis pueris ſimul deſcendit: nunc autem nos cum his qui ſunt in paupertatis fornace ſimul deſcendamus, & per eleemoſynam rorem operemur, & flammam excutiamus, vt & ipſarum ſimus coronarum participes, & gehennæ flammam
Mat. 25. c Chriſti vox extinguat, dicens: *Eſurientem me vidiſtis, & pauiſtis*. Hæc enim vox ita dicens, pro rore nobis aſſiſtet per mediam ſibilans flammam. Deſcendamus itaque cū eleemoſyna in egeſtatis caminum. Videamus ſe ſapienter exercētes, ambulantes per eam, & prunas conculcantes: nouū & mirabile videamus miraculum, hominem in fornace pſallentem, agentem in igne gratias, extrema cōpeditum inopia, magnámque Chriſto benedictionem ferentem. Illis etenim pueris pares redduntur, qui paupertatem cum gratiarū ferunt actione. Nam & igne terribilior paupertas, & magis vrere conſueuit, ſed illos non incendit pueros: ſed poſtquam domino gratias egerunt, & eis ſtatim vincula ſoluta ſunt. Ita nunc quoque, ſi cùm in pauperiem cecideris, gratias egeris, & vincula ſoluentur, & extinguetur flamma: ſi verò nō extincta fuerit, pro flāma fons, quod eſt mirabilius, efficitur: ſicut & tunc euenit. Nam in medio fornace puro rore delectati ſunt: ignem enim non extinxit, ſed iniectos cōburi prohibuit. Hoc & in ſapienter viuentibus contingere cernitur, qui vtique in paupertate liberius quàm diuites degūnt. Nolimus igitur extra fornacem ſedere, immiſericordes pauperibus nos exhibentes, ne patiamur quod illi tunc paſſi ſunt. Nā ſi deſcendens quidē ad eos, cum pueris conſiſtas, nihil ignis inferre tibi poterit: ſi verò ſurſum ſedens in paupertatis flamma conſtitutos contemnas, te flamma comburet. In ignem igitur deſcende, ne ſedeas extra ignē, ne te flamma corripiat. Nam ſi te cū pauperibus quidē viderit, à te diſcedet: ſi verò ſeparatum ab eis, tibi ſtatim inſiliet, & te corripiet. Ab ipſis itaq; ne recedas iniectis. Sed cùm diabolus aurū non adorantes in caminum paupertatis immittere minatus fuerit, ne de mittentium, ſed ex miſſorum eſſe velis numero, vt ex his qui ſaluantur, non ex his qui comburuntur efficiaris. Maximus enim eſt ros, diuitiarum deſiderio non teneri, ſed cum pauperibus conuerſari. Hi ſunt omnibus abundantiores, qui diuitiarum peſſundedēre cupiditatē: quoniam & illi regē contemnentes, facti ſunt rege clariores. Igitur & ſi tu quoque mundana contempſe-
Heb 11. g ris, toto eris dignior mūdo, iuxta ſanctos illos, *quibus dignus non erat mundus*. Vt itaque cœlis dignus efficiaris, præſentia derideas: ſic enim & hic eris præclarior, & futuris fruēre bonis, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd ſi cum virtute viuamus, etiam inimicis admirabiles erimus: & de optima conuerſatione, ex Matthæi expoſitione.

HOMILIA XXIV.

1. Cor. 10 g. 2. Cor. 6. a. SINE *offenſione ſimus*, chariſſimi, iuxta Apoſtoli commonitionem, *& Iudæis & Gentibus, & eccleſiæ Dei*, vitam exhibentes ſole clariorem. Et ſi quis detrahere velit, ex detractione ne doleamus, ſed quòd iuſtè nobis detrahatur. Nam ſi viuimus in nequitia, licet ſit qui detrahat nemo, omnium miſerrimi ſumus, ſi verò virtutem exerceamus, licet totus

A terrarum orbis maledicat, tunc ſumus omnium beatiſſimi, & omnes ſaluari volentes attrahemus. Non enim improborum detractionem, ſed vitæ virtutem intuebuntur. Etenim omni tuba clarior eſt per opera demonſtratio. Et ipſa luce mundior eſt, & illuſtrior vitæ puritas, licet innumeri ſint calumniantes. Itaque ſi prædicta cuncta habeamus, & mites ſimus, & humiles, miſericordes, & mundi ſimul atque pacifici, cōtumeliamque patientes non referamus: ſed potius lætemur: per hæc non minus quàm per ſigna nos cernentes attrahemus, & omnes erga nos ſe ſuauiter exhibebunt, ſiue fera, ſiue dęmon aliquis, ſiue quodcunque ſit. Si verò fuerint & aliqui calumniantes: ne turberis idcirco: neque quod te palàm afficiunt contumelia, reſpicias: ſed eorum diſcute conſcientiam, & eos inuenies te plauſibus proſequentes, & admiratione, & innumerabili virtutum catalogo. Aſpice nanque quomodo Nabuchodonoſor in fornace pueros laudat, Dan. 3. g
B licet inimicus eſſet ac hoſtis: ſed poſtquam vidit generoſè ſtantes, prædicat & coronat, propter nil aliud quidem, niſi quia ſeſe contempſerunt, & Dei legem audierunt. Diabolus enim cùm ſe viderit nihil expedientem, mox abſiſtit, veritus ne nobis maiorum cauſa coronarum efficiatur. Et illo remoto, licet ſceleratus ſit aliquis, & perditus, ſublatis illis tenebris virtutem agnoſcet. Quòd ſi & homines decipiantur, à Deo laudem habebis, & maiorem admirationem. Ne doleas itaque nec cōcidas: quoniam & apoſtoli his quidem erant *odor mortis, his* 2. Cor. 2. d.
autem odor vitæ. Si nullam ipſe captiuam præbeas anſam, ab omnibus eris liber accuſationibus, quinimò beatior quoque redderis. Fulgeas igitur vita, nec calumniantium vllam geras curam. Non enim eſt virtutem curātis non multos habere inimicos: ſed nihil hoc ad virtutis ſtudioſum: per hæc enim erit longè clarior. Hæc itaque cogitantes, vnum curemus duntaxat, vt diligenter vitam noſtram
C diſponamus. Sic enim & in tenebris poſitos ad illam inducemus vitam. Talis enim eſt huius lucis potentia, vt non tantum hic luceat, verum & illuc ſequentes deducat: cùm enim omnia nos præſentia contemnentes viderint, & ad futura nos præparantes: magis operibus noſtris, quàm omni prologo perſuadebuntur. Quis enim tam inſipiens, qui paulò antè deliciis affluentem & diuitiis, omnia nunc intuens exeuntem, & ad famem, & inopiam, & vitæ totius aſperitatem, & pericula, & ſanguinem, & ad præbendum iugulum, ac omnia quæ videntur eſſe grauia paratum, inde non capiat manifeſtam futurorum probationem? Si verò præſentibus noſipſos implicemus, & ingeramus terrenis, quomodo ſibi perſuaderi permittent, quod ad aliā feſtinemus coloniam? Quæ nobis iam erit excuſatio, cùm quantum apud Græcos humana valuit ſententia, nōn tantum apud nos Dei timor efficiat?
D Illorum etenim quidam & pecunias abiecerunt, & mortem nihili penderunt, vt ſe hominibus oſtentarent, & ideo vanæ fuerunt eorum expectationes. Quæ igitur nos eruet ratio, cùm tantis nobis propoſitis, tantaque ſapientia nobis aperta, nec eadem cum illis efficere poſſumus, ſed & nos, & alios prætereà perdamus? Nec enim ita Græcus nocet, & iniqua faciēs, quantum Chriſtianus, cum eadem faciat. Et valde rationabiliter: illorum nanque ſententia perdita: noſtra verò per Dei gratiam & apud impios honeſta & clara. Et ideo cum nobis exprobrare præcipuè volunt, & calumniam augere, hoc dicunt, Chriſtianus: quòd non dicerent, niſi magnam de dogmate opinionem haberent. Non audiſti quot & quanta Chriſtus mandauit? Quando vel vnum poteris eorum expedire mandatorum, cùm omnibus omiſſis circumeas vſuras conquirens, contrahens fœnora, negotia componēs, ſeruorum comparans greges, argentea preparās vaſa, agros & domos emens: & innumera ſupellectilia?

Et

Digitized by Google

A Et vtinam hoc ſolum eſſet. Sed cùm his importunis ſtudiis addas & iniquitatẽ, terram abſcindens, auferens domos, paupertatem augens, augens famem, quando poteris hæc intrare veſtibula? Sed interdum pauperibus miſericordiam impendis? Et ipſe ſcio. Verùm & illic turſum multum eſt detrimentum. Nam vel cum ſuperbia, vel inani gloria facis iſtud, vt nec in bonis vllum lucrum reperias. Qua re quidnam eſſe valeat miſerabilius, cùm & in portu naufrageris? Ne hoc itaq; fiat, facto quopiam bono à me gratiam quæras, vt Deum habeas debitorem: ait enim, *Date mutuum* his à quibus vos nil recepturos ſperatis. Habes deb.torẽ, quid illo dimiſſo me repetis, hominem pauperẽ & miſerum? Num enim debitor indignatur, ſi repetitur? Num enim pauper eſt? Num enim erogare recuſat? Non ineffabiles eius vides theſauros? Non inueſtigabilem cernis liberalitatem? Ipſum igitur detine, & repete: & hic enim dum repetitur, gaudet. Si autẽ alium pro his quæ ipſe debet, repeti videat, tanquã affectus cõtumelia ſit, ita ſe geret: nec iam tibi reddet, ſed iuſtè magis tibi quoque improperabit. Qualem inquiens, meam ingratitudinem notaſti? Quam in me paupertatem deprehendiſti, quoniam me prætermiſſo ad alios recurris? Alteri fœneraſti, & ab altero repetis. Etſi enim homo ſuſcepit, attamen dominus erogare præcepit. Et ipſe quoque principalis eſt debitor, & ſponſor vult eſſe, innumeras tibi præbens occaſiones, vt ab eo ſemper exigas. Itaque ne tantam facilitatem omittens & copiam, à me nihil habente ſumere quæras. Cur enim te mihi oſtentas, cùm pauperis miſereris? Nunquid ego tibi dixi, da? Nunquid enim à me audiſti, vt à me repetas? Ipſe dixit: *Qui miſeretur pauperis, fœnerat Deo.* Deo fœneraſti, ipſi aſcribe. Sed nunc totum non retribuit, & hoc tua facit cauſa. Talis enim eſt debitor, non vt multi qui ſolùm fœneratum reddere C ſtudent: ſed vt datum in tuto collocet, omnia negotiatur & facit, & propterea hæc quidem hic erogat, hæc autem illic reſeruat. Hæc itaque ſcientes, multam exhibeamus miſericordiam, multamque præſtemus humanitatem, & per dicta, & per facta. Et ſi quem malè patientem viderimus, & in foro verberari, ſiue poſſit argentum conferri, ne langueamus, ſiue verbis exolui, ne torpeamus. Eſt enim ſermonis merces, quin & gemituum. Et hoc beatus dicebat Iob: *Flebam quondam ſuper eo qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi.* Si lachrymarũ autem & gemituum merces erit, cùm & verba quoque & ſtudium aderit, & multa alia, cõſidera quanta fiet retributio. Nam & nos Deo fuimus inimici, & vnigenitus nos reconciliauit, ſed medium immittens, & verbera pro nobis & mortem paſſus. Studeamus igitur & nos incidentes variis eripere malis: non autem, ſicut nunc facimus, inuoluere, D cùm aliquos confligentes viderimus, & inter ſe contendentes aſtantes, & aliorum ignominiis gaudentes, & diabolicum conſtituentes theatrũ. Quo quidnam crudelius fieri poſſit? Malè ſibi dicentes vides, ſe diſcerpentes, ſcindentes, veſtimenta, faciem alterum alteri cædentes, & aſtare quietè ſuſtines? Nunquid eſt viſus qui pugnat? nunquid fera vel ſerpentes? Homo eſt, in omnibus tecum communicans: frater eſt, membrum eſt. Ne ſpectes, ſed diſiũge: ne inſultes, ſed corrige: ne reliquos ad dedecus cõuoces, ſed potius collectos diſpelle, & diſſolue. Impudentium enim eſt, & paraſitorum huiuſmodi calamitatibus gaudere, & piaculorum, & irrationabilium aſinorum. Hominem vides turpiter agentem, nec te turpiter agere cenſes, nec medius ſubis, & diabolicũ agmen non diſſipas, & humana diſſoluis mala? Inquiet aliquis, vt & ipſe vulnera lucrer, hoc mih iubes? Primum quidẽ hæc non patieris: ſed ſi fortaſsis hoc paſſus fueris, martyriũ tibi fiet id opus: propter Deum enim patieris. Si verò vulnera ſuſtinere dubitas, cogita quod dominus tuus propter te crucem ſubire non dubitauit. Illi nanque ſunt ebrij quidẽ & obtenebrati, furore eos ducente & opprimente. Alicuius autem ſanantis indigent, & ſibi ſubuenientes, tam qui iniuriam infert, quàm qui patitur: hic quidem, vt malè patiens liberetur: ille verò, vt male facere deſinat. Procedas igitur, & manum porrigas, qui vigilas, & ſobrius es, ebrio. Eſt enim & iræ quædam ebrietas, & vini truculentior ebrietate. Nónne vides quanto nautę ſtudio, cùm viderint aliquos in naufragiũ delatos, extentis accedunt velis opem laturi, vt artis conſortes tempeſtatibus eruant? Quòd ſi artium ſocij tantam exhibent curã, quantò magis naturæ conſortes hæc facere iuſtum eſt? Nam & hic naufragium vrget illo difficilius. Nam vel infeſtatus blaſphemauit, & omnia perdidit: vel ira percitus peierauit, & rurſum in gehennam delabitur: vel vulnus infert, & committit homicidium, & idem viciſſim B naufragiũ patitur. Accedas igitur, & malum reprimas, & ſubmergentes eruas, in ipſum pelagus deſcendẽs tempeſtatis, & diabolicum diſſoluens ſpectaculũ, & ſeorſum ſingulos capiens admone, flammam comprimant, & ſopiant fluctus. Si verò maius incendium, & atrocior efficitur fornax, ne timeas: multos enim habes adiutores, & manum porrigentes, ſi modò principium prębeas, & ſuper omnia pacis Deum. Et ſi primus flammam concuſſeris, alij quoque multi ſubſequentur, & ab illis geſtorum ipſe capies mercedem. Audi quid Iudæos Chriſtus admonuerit humi repentes: *Si iumentum*, inquit, *videris inimici tui corruens, ne prætereas, ſed eleua.* atqui pugnantes diſiungere, & homines conciliare multò leuius eſt, quàm iumentum iacens releuare. Si verò lapſum inimici iumentum eleuare bonum eſt, multò magis amicorum animas excitare iacentes oportet, vbi eſt & rùina longè pernicioſior. Hæ ſiquidem non in cœnum cadunt, ſed in gehennæ focum, iræ non ferentes ſarcinam. Tu verò fratrem cernens ſub onere poſitum, & inſidentem diabolum, & rogum ſuccendentem, crudeliter & ſine miſericordia prætercurris, quod nec in bruto facere tutum eſt. Et Samaritanus quidem vulneratum videns ignotum, & ſibi nihil attinentem, aſtitit, & ſuper iumentum impoſuit, & deduxit in diuerſorium, & medicum mercede conduxit, & argentum tum quidem dedit, tum verò promiſit: tu verò non latronibus oppreſſum videns, ſed dæmonum caterua, & furoris obſeſſione, non in deſerto, ſed in fori medio, non pecunias erogaturus, neque conducturus medicos, nec longum iter facturus, ſed prolaturus verba negligis tamẽ, & reijcis, & crudeliter & abſque miſericordia prætercurris. Et quomodo Deum inuocans vnquam ſperas habere propitium? Loquar autem & ad vos publicè turpiter agentes, ad infeſtantem, & iniuriam inferentem. Plagas intentas, quæſo, & calcitras, & mordes, aper ferus & aſinus agreſtis es factus, nec confunderis aut erubeſcis dum efferaris, & propriam perdis generoſitatem. Nam etſi pauper es, es tamen liber: etſi manualis artifex, at Chriſtianus, quinimò propter hoc ipſum quòd pauper ſis, te quieſcere oportet. Diuitum enim eſt pugnare, non pauperum: diuitum multas habentium bellorum neceſſitates. Tu verò diuitiarum voluptatem non habens, diuitiarum mala tibi accumulare non deſinis, inimicitias ſcilicet, & contentiones, & pugnas, & fratrem ſuffocas, & angis, & palàm omnibus videntibus proturbas. Et non cenſes te magis deturpare, cùm brutorum impetus imiteris, imò verò & illis fias peior? Omnia nanque ſunt illis communia: etenim inter ſeſe congregantur, & ſimul ambulant: nobis verò commune nihil: ſed omnia confuſa, pugnæ, contentiones, & inimicitiæ atque contumeliæ. Neque cœlum ad quod omnes communiter ſumus vocati, reueremur: neque terram quam omnibus communẽ Deus reliquit, non

Eleemoſyna.

Luc 6.

Prou. 19. c.

Malis proximi condolendum.

Iob. 30.

Pugnantes dirimendi.

Deut 22. a.

Luc. 19. f.

ipſam denique naturam, ſed omnia diſtrahens furor, & pecuniarum amor bacchatur. Non vides il- Mat.18.c lum, qui decem talentorum millia debebat, & poſt illorum remiſſionem conſeruum pro centum denariis ſuffocabat, quanta ſubierit mala, & qualiter immortali traditus ſit ſupplicio? Non vereris exemplum? non times ne eadem & ipſe patiaris? Nam & nos domino debemus multa magnaque debita? verumtamen ſuſtinet, & longanimiter agit, nec nos vrget ſicut ipſi conſeruos noſtros, nec angit, aut ſuffocat. Atqui ſi vel minimā eorum partem à nobis exigere vellet, iamdudum periſſemus. Hæc itaque conſiderantes, chariſſimi, humiliemur, & debentibus nobis gratias habeamus. Nobis enim, ſi ſapienter agamus, maximæ remiſſionis efficiuntur occaſio: & ſi pauca dederimus, multa recipiemus. Quid itaque per vim repetis, cùm ſit opus illi etiam dare volenti cuncta remittere, vt à Deo totum recipias? Nunc autem omnia facis, cogis, & contēdis, vt tuorum tibi dimittatur nihil: & proximum quidem infeſtare videris], ſed in teipſum enſem acuis, gehennæ ſupplicia accumulans. Si verò parumper hac in re ſapiens fueris, mites tibi pœnas parabis. Etenim idcirco nos vult Deus à tali exordiri liberalitate, vt maiorem nobis plura retribuendi capiat occaſionem. Quotquot itaque debitores habes tam pecuniarum, quàm peccatorum, liberis omnibus dimiſſis, Deum exige talis eſſe magnanimitatis retributorem. Nam donec illi quidem tibi debitores fuerint, Deum non habebis debitorem: ſi illos verò dimiſeris, Deum poteris retinere, & talis ſapientiæ multa cum libertate retributionem exigere. Si enim homo prætereundo videns te reum detinentem, & illum quidem iubens dimittere, ſe verò pro eo ſpondens tibi rationem redditurum, poſt dimiſſionem ſe nollet ingratum exhibere, vtpote qui totum in ſe tranſtulerit: quomodo Deus multò & infinitò plura non reddet, ſi propter eius præceptum nobis obnoxios, neque parum, neque multum accuſatos, abſolutos abire dimiſerimus? Ne temporalem conſideremus voluptatem, quæ nobis ex repetendis oritur debitis, ſed damnum quod hinc in futurum patiemur, in immortalibus noſipſos lædentes. Omnibus itaque facti ſublimiores, his qui nobis obnoxij ſunt, & pecunias, & peccata condonemus, vt nobis mites pœnas reddamus: quodque per aliam virtutem potuimus conſequi, hoc proximi contumeliam non reminiſcendo conſequentes, æternis fruamur bonis, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De vita recta.

HOMILIA XXV.

Tribulationum vtilitas.

NEMO ſociatur Chriſto deliciis vacans, & dormiens ac recubans, chariſſimi: nemo lubricam hanc & ſolutam degentium vitam, ſed qui in tribulatione permanet, & tentatione, hic eſt illi proximus, qui anguſtam perambulat viam. Nam & ipſe talem perambulauit: & propterea dicebat, Luc.9.g. *Filius hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* Itaque noli dolere qui tribularis, cogitans cui ſociaris, & quomodo per tentationes expurgeris, quātumque lucrifacias. Nihil enim aliud eſt triſte, niſi Deum offendere. Quod cùm abſit, non tribulationes, non inſidiæ, non quicquam aliud ſapientem animam poterit contriſtare: ſed quemadmodum ſi breuem ſcintillam in lacum deieceris profundum, ſtatim extinxeris: itidem & omnis triſtitiæ ſuperabundantia in bonam miſſa conſciētiam extinguitur, & facilè deletur. Propterea quidem & Paulus ſemper gaudebat: quoniam interius ſecundum Deum confidebat, neque tot malorum capiebat ſenſum, ſed

A dolebat quidem vt homo, non tamen cadebat. Sic & Abraham patriarcha erat in delectatione, multa paſſus triſtia. Gene 12.A Vide quæſo: exciderat patria, difficilia longaque pertulerat itinera, in alienam profectus terram, nec paſſum pedis habebat. Hinc rurſum fames eum excepit, & migrare coëgit: & rurſum famem vxoris rapina ſubſequitur, & mortis timor, ſterilitas & bellum, pericula & inſidiæ, & demum certaminum conſummatio, vnigeniti & legitimi filij iugulatio, triſtis & irreparabilis illa. Non enim quoniam promptè paruit, exiſtimare debes eum ſine dolore talia ſuſtinuiſſe. Licet enim millies iuſtus fuiſſet, ſicut & erat, erat tamen homo, & naturæ iura gerebat. Veruntamen horum nihil eum proſtrauit, ſed tanquam generoſus, & corona nobilis athleta, in his ſingulis prædicatus. Sic & Beatus Paulus tentationum imbres per ſingulos dies videns irruentes, tanquam in medio gau- B dens paradiſo, lætabatur & exultabat. Sicut itaque qui tali gaudet gaudio, triſtitiæ non eſt obnoxius: ita qui hoc non arripuit, omnibus eſt expugnabilis, & idem patitur, quale ſi quis arma gerens putrida, qualibet vulneretur percuſſione. Sed non ita vndique bene munitus: omne nanque telum ingruens repellit. Nam & omnibus armis fortior eſt delectatio, & huiuſmodi triſtem facere poteſt nihil, ſed omnia generoſè ſuſtinet. Quid enim igne peius? Quid continuis triſtius tormentis? Siue quis infinitas amittat poſſeſſiones, ſiue filios, ſiue quodcunque, hoc eſt omnibus ad doloris rationem imperioſius. *Pellem enim pro pelle*, inquit, *& omnia quæ homo habet, dabit pro anima ſua.* Et nihil poteſt Iob.2.b. eſſe doloribus grauius. Verumtamen auditu quoque vix tolerabilia, toleratu facilia fiunt, & deſiderabilia per veram in Deo voluptatem. Et martyrem adhuc Paulum ſpirantem ex ligno vel ſartaginibus tollas, tantam in eo repoſitam inuenies lætitiam, quanta neque dici poteſt. Et quid patior, C inquis, quòd nunc martyrij tempus non adeſt? Quid ais? Non adeſt martyrij tempus? nunquam profectò hoc abeſt, ſed ante noſtros ſemper eſt oculos, ſi vigilemus. Non enim in ligno ſuſpendi, ſolùm hoc martyrē facit. Nam ſi ſic eſſet, extra tales coronatos Iob poneretur. Nec enim ante tribunal fuit conſtitutus, nec iudicis vocem audiuit, non vidit carnificem, neque ſuſpenſus in ligno, vel ſublimis poſitus circa latera ſaniatus eſt, attamen multis martyribus grauiora paſſus eſt. Et illorum ſuccedentium ſibi nuntiorum voces omni plaga ſæuiùs percutiebant, & eum vndique pungebant, & innumeris tortoribus acerbius vermium illorum ora eum vndique corrodebant. Cui non itaque dignus hic ſit martyri comparari? Innumeris equidem. Etenim per omnia pugnabat, & per omnia coronabatur, per pecunias, per filios, per corpus, per vxorem, per amicos, per inimicos, per D ſeruos (nam hi in ipſius faciem inſpuebant) per famem, per cibos, per dolores, per fœtorem: per hæc, inquam, non vni, vel duobus, vel tribus, ſed infinitis, erat martyribus comparabilis. Nam præter quæ dicta ſunt, tempus quoque multam eius coronis affert acceſſionem, quòd ſcilicet ante legem, ante gratiam hæc paſſus ſit, & ad menſes quidem multos, & omnia cum exceſſu, & omnia ſimul ei mala ingruerint, & hoc cùm eorū quodque per ſe foret intolerabile. Nam multi quidem plagas ſuſtinuerunt, pecuniarum verò iacturam non tulerunt: quin & pro eis flagris cædi maluerunt, & innumera mala pati, quàm earum aliquid amittere, & maior eis eſt viſa plaga pecuniarum iacturæ. Itaque rurſum & hic eſt alius martyrij modus, harum perditionem generoſè ferenti. Et qualiter inquiet aliquis, generoſè perferemus? Si dixeris quòd plura lucraberis, quàm amiſeris, per vnum gratiarum actionis verbum. Nam ſi iacturam audientes non tumultuemur, ſed dicamus: Benedictus Deus, mul-

Digitized by Google

rò plures diuitias inueniemus. Non enim tantum lucrabitur in pauperes diuitias diſtribuens, & circumiens vt egenos inueniat,& ſua diſpergens pauperibus, quantum ipſe per hoc verbū lucrifacies. Quoniam & ipſum Iob non tantum indigentibus domum aperientem admiror, quantum pecuniarum rapinam cum gratiarum actione ferentem obſtupeſco & prędico. Gratias igitur agamus, quoniam ex eorum numero, qui ſalui fiunt, cenſemur: & quoniam cùm ex operibus ſaluari non potuerimus, ex Dei munere ſaluati ſumus. Gratias verò reddentes, ne verbis hoc tantum faciamus, verum & operibus, & actionibus. Hæc eſt enim vera gratiarum relatio, cùm hæc agamus vnde Deus glorificari debeat: cum ea fugiamus, à quibus iam fuimus liberati. Nam ſi rege contumeliis affecto, cùm pœnas luere deberemus, honorati fuiſſemus, & mox iterum affeciſſemus contumelia, tanquam ingratitudinis extremæ rei, maximam meritò pœnam, & priore multò grauiorem dare deberemus. Nec enim tam ingratos contumelia prior, quàm altera poſt honorem & multam officioſitatem oſtendit. Igitur illa fugiamus, à quibus iam fuimus abſoluti. Nec ore tantum gratias reddamus, ne de

Matt. 15. Marc. 7. nobis quoque dicatur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè abeſt à me.* Quomodo nanque non ſit abſurdum, cùm cœli enarrent gloriam Dei, vt tu propter quem cœli Deum glorificātes facti ſunt, talia facias, vnde propter te blaſphemetur, qui te fecit Deus? Propterea non ille tantū qui blaſphemat, verumetiam tu iam es pœnæ obnoxius. Non enim cœli vocem emittentes Deum glorificāt, ſed alios per aſpectum ad hoc inducentes, & tamen ipſi dicuntur cœli gloriam enarrare. Sic & vitam præferentes admirabilem, licet taceant, Deum glorificant, cùm alij propter eos ipſum glorificent: non enim tam ex cœlo redditur admirabilis, quàm ex vita pura. Cùm itaque gentiles alloquimur, non in medium cœlos adducimus, ſed quòd homines feris peius diſpoſitos angelorum æmulatores fieri perſuaſit. Et hanc dicentes mutationem, eorum obſtruimus ora. Nam & cœlo longè melior homo, & poteſt eius ornatu ſplendidiorem animam poſſidere. Hoc nanque cum ad tantum tempus videatur, non multum perſuaſit. Paulus verò cum modico tempore prædicauerit, totum attraxit terrarum orbem: etenim animam habebat non minus cœlo trahere cunctos idoneam. Nam noſtra quidem nec terra quidem eſt digna, illius autem & cœlo comparanda. Hæc nanque ſtetit proprium cuſtodiens terminum & regulam. Illius autem animæ ſublimitas omnes cœlos ſuperaſcendit, & cum ipſo Chriſto conuerſatur: & ipſius ſpecies erat talis, vt & Chriſtus eam prædicaret. Stellas autem, cùm factæ fuiſſent, admirati ſunt angeli: hunc autem

Act. 9. a ipſe demiratus eſt: *Vas*, inquiens, *electionis eſt mihi iſte.* Et cœlum quidem nubes frequenter obducunt, animam verò Pauli nulla obruit tentatio, ſed in tempeſtatibus firma meridie clarior apparebat: & ſimiliter ſicut ante nubium clareſcebat concurſum. Qui nanque lucebat in eo Sol, non tales emittebat radios, vt tentationum concurſu obumbrarentur, quin tunc & amplius ſplendeſcebat: pro-

2. Cor. 12 pterea quoque dicebat: *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim in infirmitate perficitur.* Ipſum igitur imitemur, & ſi voluerimus, nihil erit etiam præ nobis hoc cœlum, nihil ſol, nihil omnis mundus. Hæc enim propter nos, non nos propter hæc. Oſtendamus nos eſſe dignos propter quos hæc ſunt creata. His enim ſi viſi fuerimus indigni, quomodo digni regno videbimur? Et ſi ſunt omnes digni ſolem videre, qui in Dei viuant blaſphemiam, indigni creaturis vti Deum glorificantibus, ipſum blaſphemātes: quoniam filius contumelia patrem afficiens, ſeruorum miniſterio fungi non eſt dignus. Et propterea multam quidem hæ nanciſcentur gloriam,

A nos verò pœnas & vltionem dabimus. Quantæ fuerit itaque miſeriæ, creaturam quidem propter te factam, in libertatem gloriæ filiorum Dei formari: nos autem factos Dei filios, propter multum torporem in perditionem & gehennam mitti, propter quos creatura illam magnam nanciſcetur trāquillitatem? Ne igitur hoc accidat, mundam quidem habentes animam, talem eam conſeruemus: quin & amplius eius nitorem intendamus: habentes verò ſordidam, ne deſperemus: ait enim, *Si fuerint peccata veſtra ſicut vermiculus, quaſi niuem dealbabo: etſi quaſi coccinum, velut lanam albefaciam.* Esa. 1. Cùm verò Deus promittat, ne dubites, ſed illa fac, per quæ tales attrahere poteris promiſſiones. Innumera tibi commiſſa ſunt mala, & ſcelera perpetrata: & quid hoc? Nondum enim in infernum deſcendiſti, vbi nemo confitebitur: nondum ſolutum eſt theatrum tuum, ſed adhuc es intra ſtadium conſtitutus, & per extremam potes luctam omnes reparare iacturas. Nondum eò deductus es, vbi diues torquetur,

B vt audias, quod *chaos eſt inter nos & vos.* Nondū enim Lucæ 16. venit ſponſus, vt aliquis oleum communicare timeat: adhuc emere potes, & reponere. Nec adhuc Matt. 25 eſt qui dicat, Ne fortè non ſufficiat & nobis, & vobis: ſed ſunt qui vendant, multi nudi, eſurientes, ægroti, carcere detenti: hos paſce, illos indue, viſita iacentes, & ſuper fontes oleum manabit. Nondum rationis ponendæ dies aduenit. Vtere conuenienter tempore, & debitorum fac remiſſiones. Et centū debenti cados olei dicas, accipe ſcriptū tuū, Lucæ 16. & fac quinquaginta. Et in pecuniis, & in verbis, & in aliis fac ſimiliter, illum imitans villicum. Et hæc & tibi, & tuis perſuade. Adhuc enim es in poteſtate dicendi talia, nondum in neceſſitate concluſus pro his alium rogandi, ſed & aliis, & tibi conſulendi facultatem habes: cùm autem illò migraueris, horum neutrum vtiliter facere poteris. Et meritò: qui tantam enim accepit temporis occa-

C ſionem, & neque ſe, neque alterum adiuuit, quomodo iam in manibus iudicis conſtitutus hanc poterit aſſequi gratiam? Hæc itaque cuncta colligentes, ſalutem noſtram inſtanter oremus, neque præſentis vitæ perdamus occaſionem. Licet enim, licet, inquam, & in extremis vitæ momentis Deo ſe gratum reddere, licet & per teſtamentum probabilem fieri, non ita quidem ſicut viuentem, licet tamen. Qualiter, & quomodo? Si cum neceſſariis tuis eum ſcribas hæredem, & ipſi quoque totius hæreditatis partem diſtribuas. Non eum viuens paviſti, ſaltem migrans, cùm non es dominus vltra, da tuorum partem. Benignus eſt, non ſubtiliter tecum rationem ponet. Maioris quidem eſt deſiderij, & amplioris præmij, ſi viuens eum paſcas. Sed ſi hoc ei non exhibuiſti, ſaltem ad ſecundum curre refugium. Cohæredem eum tuorum inſtitue filiorum. Si autem & hoc negligis, cogita quòd

D pater ipſius te fecit eius cohæredem, & inhumanitatem diſſolue. Quam enim habebis excuſationem, ſi neque filiorum tuorum conſortem facias, qui te cœlorum participem fecit, & propter te iugulatus eſt, & hæc, cùm omnia quæ fecit, non debitum reddens fecerit, ſed gratis exhibuerit? Tu verò poſt tot beneficia & debitor conſtitutus es: & tamen his ſe ſic habentibus, tanquam gratiam accipiens, non tanquam debitum repetens, ita te coronat, & hæc cùm eius bona ſis accepturus. Des igitur ei pecunias tibi iam inutiles, & quarum non es dominus: & tibi regnum conferet, tibi ſemper vtile futurum, & cum eo ſimul omnia quæ hic ſunt neceſſaria, largietur. Nam ſi filiorum cohæres fuerit, ipſis orbitatem releuat, ſoluit inſidias, infeſtationes repellit, calumniatorum obſtruit ora. Etſi ipſi teſtamenta tueri nequiuerint, ipſe tuebitur, nec ſinet diſcindi. Si autem & hoc permittet: omnia tamen per ſe cum maiori liberalitate expediet cōſcripta: quoniam ſemel eſt, dum ſcriberetur, ho-

noratus: ipſum igitur hæredem relinque. Ad ipſum enim es tranſiturus, ipſe tibi diſcutiet omniũ hîc geſtorũ iudiciũ. Sed ſunt quidam tam miſeri & ærumnoſi, qui ne filiis quidem carentes hoc facere ſuſtinent: ſed paraſitis, & aſſentatoribus, & illi vel illi ſua diſtribuere malunt, quàm Chriſto, qui tot ſibi beneficia contulerit: quibus quid eſſe poſſit ſtolidius? Hos enim ſi quis vel aſinis, vel lapidibus comparauerit, nondum tamen aliquid eorum dementia vel inſenſibilitate dignum protulerit. Nec vllam quis inuenire poſſit ſimilitudinem, quæ furorem eorumque poſſit inſipientiam exprimere. Qualem enim veniam huiuſmodi conſequentur, quòd eum viuentes non pauerint, cum ad Deum migraturi, nec ex pecuniis quarum non ſunt amplius domini, vel minimã ei partem largiri velint: ſed tam hoſtiliter & inimicè ſeſe gerant, vt nec ei iam inutilia ſibi reddita communicent? Nónne vides quot homines nec hunc finẽ aſſecuti ſunt, ſed rapti migrauerunt? Te verò Deus & conſiderandi de congruis, & de rebus loquendi, & de omnibus quæ domi ſunt, diſponendi dominum conſtituit. Quam igitur excuſationem habebis, cùm hanc ab eo gratiam accipiens, beneficium prodideris, & quodammodo per diametrum fidei tuæ progenitoribus ſtes oppoſitus? Illi nanque viuentes quoque vendebant omnia, & portabant ante pedes Apoſtolorum: tu verò nec moriens vllam indigẽtibus præbes portionem. Melius igitur eſt, & multã præbens ſecuritatem, quòd viuus paupertatem corrigas. Sed ſi id efficere nolis, ſaltem moriens aliquid fac generoſum? non multæ quidem eſt in Chriſtũ charitatis tamen eſt. Nam etſi cum agnis præſidentiam non habebis, parum tamen non eſt vel poſt illos conſtitui, nec cum hædis collocari, nec à ſiniſtris. Si verò nec hoc feceris, quæ ratio te liberabit, cum neque Dei timor, neque quòd res poſthac inutiles tibi futuræ ſint, nec vt tutelam filiis relinquas, nec vt illic aliquam tibi præpares veniam, humanum te reddere poſſit? Propterea vos hortor, vt præſertim viuentes indigentibus maiorum veſtrorum partem præbeatis: ſi qui verò tam puſillanimes ſint, vt hoc non tolerent, huiuſmodi vel ex neceſſitate fiant humani. Nam dum viuebas quidem tanquam immortalis, ita præſentia aſſerebas: nunc verò poſtquam didiciſti quòd mortalis es factus, nunc ſaltem ſententiam ſolue, & tanquã mortalis de tuis conſulta, vel potius tanquam immortali vitæ perenniter fruendæ deſtinatus. Nam licet graue ſit, & horrore plenum quod dicendum eſt, dicere tamen oportet: annumera ſeruis tuis dominum. Seruos manumittis, libera & Chriſtum à fame, neceſſitate, vinculis & nuditate. Audiens horruiſti. Igitur horribilius, quando nec hoc ipſum facis. Et hic te quidem verbum languere coëgit: at cùm eò migraueris, & his audieris multò grauiora, & irreparabilia videris tormenta, quid dices? Ad quem confugies? Quem vocabis auxiliarem & adiutorem? Abraham? at non audiet. Virgines illas? ſed nec ipſæ tibi oleum tradet. Patrem, aut auum? ſed nec horum quiſquam erit dominus, licet ſanctiſſimus ſit, illam ſoluendi ſententiam. His igitur omnibus animaduerſis, ſoli domino, qui tuum poteſt delere chirographum, & illam extinguere flammam, ſupplica & exora, & iam paſcens redde propitium, & continuè veſtiens: vt & hinc bona cum ſpe recedas, & eò tranſlatus æternis fruare bonis, quibus vtinam detur nobis omnibus potiri, per gratiam & benignitatem domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſancto Spiritui, in ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd ex minimis incipienda nobis ſit virtus, & quòd non ſit iurandum.

HOMILIA XXVI.

SICVT ignis quantò plura corripit ligna, tantò fit vehementior: ſic & ſtudium quantò plures pias rationes excitat, tantò magis aduerſus cætera armatur: quale quod dico. Fuerunt in nobis quaſi vepres, periuria, mendacium, ſimulatio, dolus, maleficium, conuitium, dicacitas, ridiculoſitates, turpiloquia, ſcurrilitates: rurſum ex alia parte, auaritia, rapina, iniuria, calumnia, inſidiæ: rurſum mala concupiſcentia, immunditia, intemperantia, fornicatio, adulterium: rurſus inuidia, zelotypia, ira, furor, mali memoria, vltio, blaſphemiæ, & mille talia. Si priora correxerimus, non illa tantum erunt correcta, verùm & ſequentia, propter præcedentia. Fortior enim iam efficitur ratio ad illorum ſubuerſionem. Puta multum iurans ſi ſatanicam hanc conſuetudinem reſciderit, ei non hoc ſolum peractum eſt, verùm & alia pietas eſt ſubintroducta. Non iurantium nanque nemo, vt arbitror, volet facile quicquam aliud mali facere, ſed virtutem iam exhibitam reuerebitur. Sicut enim pulchrum geſtans veſtimentum, luto ſeipſum inuoluere confunditur, ſimiliter & hic. Ex hoc autẽ veniet ad id, ne iraſcatur, neque percutiat, neque contumeliam faciat. Si ſemel enim parua præſtiterit, totum expeditum eſt. Accidit autem & frequenter tale quid, vt qui ſemel aliquid emendauerit, rurſum ex torpore in eadem decidat præcipitanter, & rem deinceps inexplicabilem conſtituat. Puta non iurandi legem nobis conſtituimus, cauimus tres vel quatuor dies, poſt illos in neceſſitatem incidentes, collectum omne lucrum diſſipauimus: in torporem iam & deſperationem incidimus, ſed non oportet abiicere, ſed rurſum ſtudio contineri: ait enim, Qui ædificauerit, cùm poſtea viderit deſtructum ædificium, ſegnior erit ad rurſus ædificandum: ſed nec ita torpere decet, ſed adhuc ſtudium arripere. Nobis itaque quotidianas ponamus leges. Interim à facilioribus exordiamur, ab ore noſtro iurandi frequentiam amputemus, linguæ frænum ponamus, Deum iuret nemo. Non eſt hic impendium, non eſt hic labor, non eſt hic temporis exercitatio: ſufficit velle, & totum factum eſt: conſuetudinis enim opus eſt. Precor & ſupplico ſtudium hoc impendamus. Dic inquam, mihi, ſi pecunias erogare iuſſiſſem, nónne promptè quiſque pro viribus contuliſſetis? Si in extremo me periculo vidiſſetis, nónne de carne reſecantes, ſi modò fieri poſſet, dediſſetis? In magno nunc quoque periculo ſum, & tali, quòd etſi cum hoc & carcerem habitarem, vel infinitas acciperem plagas, vel in metalla relegarer, hoc plus non doluiſſem. Manum igitur porrigite. Cogitate nanque quantum ſit periculum, nec hoc minimum poſſe præſtari: minimum autem dico, quantum ad laborem ſpectat. Quid dicam, cùm tunc accuſabor? Quare non allocutus es? Quare non mandaſti? Quare non ſtatuiſti legem? Cur inobedientes non cohibuiſti? Non mihi ſatis eſt dicere, quòd admonui: verùm & acriori, inquiet, opus erat increpatione. Nam & Heli admonebat (ſed abſit vt vos illius comparem filiis) & ille, inquam, admonebat, & dicebat, *Nolite, filij mei, ſic facere: non enim eſt bona fama, quam ego* 1.Reg.2.
de vobis audio. Sed procedens ait ſcriptura. Eò quòd non corripuerit filios ſuos, eò quòd non acriter, neque cum increpatione hoc fecerit. Quomodo enim abſurdum non eſt in Iudæorum quidem ſynagogis tam validas eſſe leges, & ſi magiſter præcipiat, omnia fieri: nos autem hic ita contemni, & abiici? Non eſt mihi gloriæ meæ ſollicitudo (gloria nanque mea eſt probitas veſtra) ſed ſalutis ve-

ſtræ. Quotidie clamamus, inſtruimus, auribus ve-
ſtris inſonantes, & qui audiat, nemo, nihilq; vehe-
mentius præferimus. Timeo ne huius magnæ, ſed
inutilis humanitatis in futura die rationem redde-
re cogamur: & ideo magna & clara voce prædico
omnibus, & proteſtor, talē operantes prævaricatio-
nem, quæ ſunt à malo loquentes (iuramentum eſt
huiuſmodi) ne limina quidem Eccleſiaſtica tan-
gant. Tempus autem præfinitum vobis præſens ſit
menſis, in quo corrigamini. Ne nanque mihi di-
cas, quòd negotiorum te neceſſitas vrgeat, quo-
niam credo, interim ſodales præcide. Scio quòd
multi nos ridebunt, ſed melius hic nunc rideri,
quàm tunc lugere. Ridebunt autem, quotquot in-
ſaniunt. Quis enim quæſo mente non carens, man-
datum ſeruari ridebit? Quod ſi ridebunt, huiuſmo-
di non nos, ſed Chriſtum ridebunt. Horruiſtis di-
ctum audientes. Sciebam & ego: itaque ſi ego qui-
dem hanc legem tuliſſem, mei foret deriſio: ſi ve-
rò legiſlator alius eſt, ad eum peruenit ſubſanna-
Matt. 26. tio. Et Chriſtus quondam fuit inſputus, & in capite
Mar. 14. colloque percuſſus, & colaphis cæſus. Hæc nunc
quoque ſuſtinet: & non immeritò gehenna propter
hoc præparata eſt, propterea vermis qui non mo-
ritur. Ecce iterum dico & proteſtor: Qui vult ri-
deat: qui vult ſubſannet: ad hoc poſiti ſumus, vt
derideamur & ſubſannemur, & omnia patiamur;
purgamenta mundi ſumus, iuxta beatum Paulum.
Si quis hoc mandatum præſtare negat, velut tuba
quadam per ſermonem prohibeo Eccleſiæ limina
talem aſcendere, licet princeps, licet ipſe ſit dia-
demate redimitus: vel à præſulatu me deiice, vel
manentem periculis concludere nolite. Hanc
aſcendere cathedram non tolero, niſi magna præ-
ſtiturus: nam ſi quid tale fieri non poteſt, melius
in imo ſtare. Nam principe qui ſubditis nil proſit,
miſerius nihil. Conuertite iam voſmetipſos, & at-
tendite, quæſo, & noſipſos ſimul erigamus, & ali-
quid omnino melius accedet. Ieiunate, orate Deū,
& nos vobiſcum, vt peſtiferam hanc euellatis cō-
ſuetudinem. Nil arduum eſt vos orbis terrarum
fieri præceptores: non eſt parum vbique diuulga-
ri, quòd in tali ciuitate nullus eſt qui iurandi con-
ſuetudine teneatur. Quod ſi fiat, non tantùm ve-
ſtrorum accipietis meritorum mercedem. Quod
enim ego ſum vobis, hoc vos orbi terrarum effi-
ciemini. Omnino & alij vos imitabuntur: omnino
vos lucerna eritis ſuper candelabrum poſita. At
inquies, Hoc éſtne totum? Hoc non eſt totum, ſed
aliorum principium. Qui non iurauerit, & ad reli-
quam omnino pietatem perueniet & volens, & in-
uitus, & erubeſcens, & timens. At inquies, non to-
lerant multi, ſed reſiliunt. Sed melius eſt vnum
eſſe qui domini voluntatem faciat, quàm impios
mille. Ex hoc enim omnia ſubuerſa ſunt, omnia
confuſa, quòd velut in theatris multitudinem quę-
rimus, non probatam multitudinem. Quid enim,
rogo, turba prodeſſe poterit? Vis diſcere, quòd
multitudo ſancti ſunt, non multi? Educite ad bel-
lum decies centena millia, & vnum ſanctum: vi-
deamus qui plura præſtabit, Ieſus Naue filius in
Ioſue 12. pugnam deſcendit, & ſolus omnia geſſit: alij verò
nihil profuerūt. Sed potes ſi vis videre, quòd mul-
ta turba, chariſſime, cùm Dei voluntatem non fa-
ciat, nihilo ab his qui non ſunt, differat. Opto igi-
tur & volo, & libenter etiam mactari ſuſtinerem, vt
multitudine decorarem Eccleſiam, ſed multitudi-
ne probabili. Si verò nequit hoc fieri, paucos ip-
ſos probabiles eſſe volo. Non videtis quòd melius
eſt, vnum habere pretioſum lapidem, quàm mul-
tos obolos? Nónne videtis, quòd melius oculum
vnum habere ſanum, quàm hoc hebetato multa
pinguedine premi? Nónne videtis, quòd melius
eſt ouem vnam ſanam habere, quàm decem mil-
lia ſcabie repleta? Non cernitis, quòd filiorum
bonitas cum paucitate, quam filiorum multitudo

A cum malitia melior eſt? Non cernitis, quòd in re-
gno quidem pauci, in gehenna verò multi? Quid
mihi cum multitudine? Quæ vtilitas? nulla, ſed
potius aliis detrimentum. Idem enim eſt, quale ſi
quis, cùm liceat incolumes decem habere, vel æ-
grotantium decem millia, introducat decem valen-
tes. Multi nihil boni facientes, quid aliud nobis
præbebunt, quàm pœnam, & in præſenti ignobi-
litatem? Nemo nanque, quòd multi ſimus dicet,
ſed quòd inutiles, arguet. Hoc ſanè nobis ſemper
dicunt, cum dixerimus, quòd multi ſimus, at mali
inquient. Ecce rurſum prohibeo claraq; voce pro-
clamo, nemo riſum eſſe putet. Arcebo ſiquidem
& prohibebo non obtemperantes: & donec in hac
ſedebo cathedra, nullam ipſius iuſtificationem o-
mittam. Si quis detraxerit, iam inſons ero: ſed do-
nec obnoxius ſum, deſpicere non poſſum, nō pro-
pter meam pœnam, ſed propter ſalutem veſtram:
vehementer enim veſtram cupio ſalutem, & pro
ea multum affligor & doleo. Sed obedite, vt & in
B præſenti, & in futuro magnam accipiatis mercedē.
Eia verò iam videamus qua ex cauſa ſubrepſit iu-
ramentum, & quamobrem eſſe conceſſum videa-
tur. Dicamus ab initio, repetentes ipſius origi-
nem, & quando ſit ortum, & qualiter, & à quibus.
Vobis pro obedientia narrationem retribuamus.
Nam correctum quidem audire dignum eſt, & phi-
loſophari neceſſarium. Nondum verò mutatum,
nec ſermonem audire quidem dignum eſt. Qui
fuerunt Abrahæ tempore, multa fecerunt fœdera,
victimaſque mactauerunt, & obtulerunt ſacrificia,
necdum erat iuramentum. Vnde igitur irrepſit iu-
ramentum? Cùm mala creuiſſent, cùm ſurſum &
deorſum confuſio facta fuiſſet, cùm ad idolorum
ſeruitutem declinaſſent, tunc, inquam, tunc, cum
infideles iam apparerēt, teſtem inuocabant Deum,
tanquam dignum dantes dictorum vadem. Hoc
C enim eſt iuramentum, morum infidelium vadimo-
nium, vt non niſi cum ſponſore credatur, & ſpon-
ſore quidem magno. Propter multam enim incre-
dulitatem non hominem volunt ſponſorem, ſed
Deum. Secundum & idem exigentis iuramentum
crimen, ſi de commerciis hæſitans Deum in ſpon-
ſionem trahat, & dicat ſe non abſceſſurum, niſi ca-
piat illum. O ingentem inſenſibilitatem, ô contu-
meliam! qui vermis es, & terra, cinis & fumus, do-
minum tuum citas in vadimonium, & illum trahe-
re cogis? Dic mihi, ſi ſeruis veſtris inter ſe con-
tendentibus, & ſibi fidem non habentibus, diceret
conſeruus, ſe prius non crediturum, quàm com-
munem dominum ſponſorem acciperet: nonne
multa tuliſſet verbera, didiciſſetque quòd ad alia
domino ſit vtendum, non ad huiuſmodi? Quid di-
co conſeruum? Si nanque venerabiliorem virum
elegiſſet, nónne contumeliam id exiſtimaſſet? Sed
ego nolo, dices: & bene. Nec illum itaque cogas,
D quoniam hoc & in hominibus obſeruatur. Si dixe-
rit, illum do ſponſorem, tu ne toleres. Quid igi-
tur, inquis, datum amittam? Non hoc dico, ſed ne
Deum afficere contumelia toleres: propterea quòd
magis cogens, quàm iurans ineuitabilē ſubit pœnā.
Similiter & exigente nullo iurans. Et quod peius
eſt, pro ſinguloquiſque iurans obolo, pro minima
acceſſione, pro iniuria: & hæc quidem cùm abſint
periuria. Quod ſi periuriū quoq; ſubſequatur, om-
nia ſurſum agit & deorſum, tā qui cepit, quàm qui
dedit. Sed alia ſunt, inquis, quæ ignorantur. Et hæc
prouidens nihil negligenter agas: ſi verò negligē-
ter agis, à temetipſo pœnas & multam exige. Me-
lius eſt ita damnari, quàm aliter. Dic mihi, quæſo,
trahens hominem in iuramentum, quid expectas?
vtrum vt peieret? Sed hoc eſt extremæ dementiæ,
& in caput tuum pœna conuertetur. Melius eſt te
pecunias amittere, quàm illum perire. Quid hoc
cum iactura tua, Deique contumelia facis? Feræ
talis eſt anima, & impij viri. At non peieraturum

Digitized by Google

expectas? Igitur & abſque iuramento crede. Sed A multi ſunt, inquis, qui ſine iuramento defraudare voluerunt: non autem cum iuramento. Teipſum decipis homo. Homo furari ſolitus, & iniuria proximum afficere, neque iuramentum frequēter perſundare dubitauerit. Quòd ſi fuerit in iurando reuerens, & in ferenda iniuria multò magis erit. Sed inuitus id patitur, igitur venia dignus. Sed quid de talibus loquor iuramentis, forenſia prætermittēs? Illic enim tale nihil dicere potes. Nam pro decem obolis iuramenta fiunt, atque periuria. Quoniam enim ſupernè fulmen non venit, quoniam omnia non ſubuertuntur, ſtetiſti contemnens Deum, vt olera emas, & calceamenta, pro modico argento vocans eum in teſtimonium. Ne tandem, ne propterea quòd non punimur, nos ne peccare quidem cogitemus: illud eſt miſericordiæ Dei, non virtutis noſtræ. Iura per filium tuum, iura per teipſum: dic, ita non carnifex meis inſtet lateribus, ſed times: lateribus itaque tuis Deus eſt ignobilior, capite tuo B vilior? dic, ita non debiliter. Et Chriſtus quidem nobis tantum parcit, vt & per proprium caput iurare prohibeat: nos autem tantum paruipendimus Dei gloriam, vt eum paſſim trahamus. Neſcitis quid ſit Deus, & quali debeat ore vocari? Quòd ſi de quopiā probo quidem viro loquamur, dicimus: os tuum ablue, & ita commemora: nunc verò nomen ſuper omne nomen venerandum, in omni terra admirabile, quod audientes dæmones horrent, temerariè circunferimus? ô conſuetudinem! & ex hac factum eſt paruifaciendum. Nempe ſi cui per ſanctam domum iurandi neceſſitatem imponas, tanquam horrendum conflāris iuramentum, ita remanes affectus: & vnde tam horrendum eſſe videtur, niſi quòd illo quidem paſſim vtimur, hoc autē minimè? Nónne enim dum Deus nominatur, oporteret horrere? (Exod 28. f.) Et apud Iudæos quidem tam venerandum erat ipſius nomen, vt in laminis ſcriberetur, & nemini literas ferre liceret, niſi ſacerdotum principi: C nunc autem velut quiddam vulgare, ſi ipſius nomen circunferimus. Si ſimpliciter Deum nominare non eſt fas omnibus, in teſtimoniū etiam eum vocare, quantæ, quæſo, ſit audaciæ? quantæ inſaniæ? Nam ſi cuncta forent abiicienda, nónne oportebat promptè dimittere? Ecce dico, & proteſtor: hæc forenſia corrigite iuramenta ſuperflua, & ad me cuncta perducite. Ecce præſentibus vobis ad ædium ſacrarum cuſtodiam deputatis impero, moneo, & iubeo, nemini otioſè iurare licere: imò verò nec aliter, ſed vt ad me perducatis, quidcunque ſit: quoniam & hæc ad nos vſque peruenire oportet, tanquam ad paruulos pueros (abſit pudor) à quibus adhuc opus habebitis diſcere. Ne ſacram attingere menſam audeas, cùm non ſis initiatus: ſed quod etiam peius eſt, tu initiatus ſacrā audes menſam contingere, D quam nec omnibus fas eſt ſacerdotibus tangere, & ita iurare? Tu verò nec pueri quidem caput tangeres. Abiens autē menſam tangis, & non paueſcis? Timuiſti tu? tales ad me perducas, ego iudicabo, & ambos lætos remittā. Quod vultis, facite: legem pono, ne prorſus iuretis. Qualis eſt ſalutis ſpes, nobis omnia ſic exhaurientibus? propter hócne chirographa, propter hócne commercia, vt tuam ipſius animam mactes? Quid tantum lucraris, quantum perdis? Peierauit, & illum, & temetipſum perdidiſti: ſed non peierauit, & ita quoque perdidiſti, mandatum cogens præuaricari. Hunc ex anima morbum pellamus, interim ex foro ſubmoueamus, ex venalibus tabernis, & reliquis officinis, & maior erit vobis quæſtus. Ne cogitetis vos per diuinarum legum præuaricationes vitæ neceſſaria comparare. At inquies, nō credit. Nam & hoc interdum à nonnullis audiui, niſi mille iurauero ſacramenta, non credit. Tu es horum cauſa, qui facile iuras: quoniam ſi id non faceres, ſed omnibus conſtaret, quòd non iures, mihi crede dicenti, quod his qui mille deuorant iuramēta, maiorem ipſe fidem ſolo nutu inuenires. Ecce enim, quæſo, cui magis credatis: an mihi nihil iuranti, an iurantibus? at inquies: Tu princeps & Epiſcopus es. Quid igitur ſi probauero, quòd non propter hoc ſolum? In veritate, quæſo, mihi reſpondete: Si continuè iurarem, & ſemper, nunquid mihi prodeſſet præſulatus? Nequaquam. Vides quòd non propterea? Quid verò prorſus lucreris, dic mihi? Paulus eſuriebat: & tu velis potius eſurire, quàm ex Dei mandatis aliquod præterire. Quid tam incredulus es? Tu igitur eliges cuncta facere & pati ne iures, & ipſe te non remunerabit? Et qui periuros & peieratores quidem quotidie paſcit, te fami tradet, quoniam eum audiſti? Omnes ſciant, quoniam in hanc Eccleſiam conuenientium qui iuret eſt nemo. Et ex hoc fiamus manifeſti, non tantum à fide. Et hoc à gentilibus, & omnibus nos diſcernentes habeamus. Capiamus ex cœlis ſignum, vt vbique tanquam regius grex appareamus, ab ore & lingua interim dignoſcamur: ſicut Barbari, ſicut Græcè loqui ſcientes, ita differamus à Barbaris. Dic enim mihi, aues quæ dicuntur pſittaci, vnde noſcuntur? Nónne humano more loquendo. Et nos itaque loquendo ſicut Apoſtoli, noti fiamus, loquendo ſicut angeli. Si quis dixerit: Iura: audiat quòd Chriſtus prohibuit, & non iuro. Hoc omnem inducere virtutem idoneum eſt. Quædam eſt pietatis ianua, via ad religionis ſtudium perducens, & quædam eſt palæſtra. Hæc cuſtodiamus, vt futura bona conſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

De iuramentorum abſtinentia.

HOMILIA XXVII.

SICVT in prœlio ex teſſera & amici & hoſtes diſcernuntur: ita quidem & in nobis fiat chariſſimi (nam & nunc in bello ſumus) vt & proprios agnoſcamus fratres. Quantum enim boni eſt, hoc eſſe nobis iudicium, & hic, & in aliena regione? Qualis eſt hæc armatura contra diaboli caput? Os enim iurare neſcium, nec conuitiari nouerit. Tanquam ex aliqua domo, ſic ex lingua hunc ignem eiice, ignem extrinſecus trahe, ne des illi reſpirationis aliquantulum, vlcus reddas imbecillius: redde rogo vt & aliam vobis erogem diſciplinam. Hac enim nondum expedita, ad aliud venire nō audeo. Hoc cum diligentia vobis expediatur, & meriti ſenſum capietis, tunc & alias vobis afferam leges: imò vero non ego, ſed Chriſtus. Hoc bonū in anima veſtra plantate, & paulatim eritis paradiſus Dei, illo longè melior paradiſo: nec enim apud vos ſerpens, nec arbor lethalis, nec aliud huiuſmodi quicquam. Hanc in profundo cōſuetudinem fugite. Si hoc factum fuerit, non vos præſentes tantum vtilitatem capietis, verùm & omnes qui ſunt in orbe terrarū. Nec illi ſoli, verum & poſt eos futuri. Bona nanque conſuetudo introducta, & ab omnibus cuſtodita, in multa prorogabitur tempora. Nec vllum tempus eam explodere poterit. Si (Num 15. d.) quidam in ſabbato ligna colligens, lapidibus obrutus fuit, qui tali collectione multò peiora committit, & peccatorum colligit ſarcinam (hæc enim eſt peccatorum copia) quid ſuſtinebit? imò verò quid non ſuſtinebit? Multum à Deo capietis auxilium, ſi hoc vobis fuerit enauatum. Si dixero, Ne contumeliam inferas, ſtatim iram in medium mihi producis: ſi dixero, Ne inuideas, aliam proferes excuſationem. Hic nihil huiuſmodi dicendum habes. Propterea à facilibus incœpi, quoniam & in omnibus artibus ita quis & ad maiora venerit, multò

prius

Digitized by Google

prius diſcens faciliora. Scietis quàm facile ſit hoc, A cum ipſum Dei gratia perfeceritis, & aliam acceperitis legem. Date mihi contra Gentiles & Iudęos fiduciam, & ſuper omnia coram Deo: Ita rogo per charitatem, per parturitionem, quá vos parturiui

Galat.4.c filioli mei. Quod autem ſequitur, non inferam, *quos iterum parturio*: nec illud dicam, donec formetur Chriſtus in vobis: ſed alia vobis dicam: Fratres mei chariſſimi, & deſiderati, gaudium & corona mea: credite enim mihi, quòd non falſa dicam. Si quis innumeras gemmis contextas coronas regales capiti meo nunc impoſuiſſet, non ita lætatus fuiſſem, ſicut profectu veſtro gratulor: quinimò nec regem ita gaudere reor, vt ego ſuper vobis gaudeo. Si quis omnes gentes ſecum bellū gerentes ſuperans rediſſet, & cum regali corona plures accepiſſet coronas, & alia diademata victorię ſigna, non ipſum ita puto gauiſurum trophæis fuiſſe, ſicut ego profectu veſtro: tanquam enim innumeras in capite gerens coronas, ſic exulto: & meritò. Si B nanque Dei gratia hæc vobis eſt correcta conſuetudo, innumera profligaſtis prælia, & illo lōgè difficiliora contra dæmones improbos, aduerſus ſuperbos luctati, & præliati, per linguam, non gladium, ſed per voluntatem. Videte, quanta perfeceritis, ſi modò expediatis. Primum malam excidiſtis conſuetudinem: ſecūdò prauam ſubuertitis cogitationem, ex qua ſunt omnia mala, ne cogitetis eſſe rem indifferentem, & nihil nocere: tertiò furorem auaritiamq́; compreſſeritis. Hæc enim omnia parit iuramentum. Verùm ex hoc ad alia merita multam capietis occaſionem. Sicut enim puerorum elementa diſcentes, non illa tantummodo diſcunt, ſed in illis legere paulatim docentur: itidem & vos. Non vos amplius improba fallet cogitatio, neque dices quòd hoc indifferens ſit, neque iam amplius ex conſuetudine loquemini, ſed aduerſus omnia generosè conſiſtetis. Poſuimus legem, imo verò non nos poſuimus, abſit: ait enim, C

Matth.23.a *Nolite vocare magiſtrum ſuper terram*. Legem tulit Chriſtus, ne quis iuret. Quid actum eſt, quæſo, de hac lege? Non enim de hoc loqui deſinam, ne forte cum rurſus venero, ſicut ait Apoſtolus, *non par-*

1.Cor.13 d. *cam*. Nunquid fuiſtis circa negotium ſolliciti? Nunquid curaſtis? Nunquid vllum nobis eſt exhibitum ſtudium? An rurſus eoſdem attingemus ſermones? At potius, ſiue factum eſt, ſiue ſecus, iiſdem vtamur ſermonibus: vt ſi nil actum eſt, curam geratis: ſi verò ſolliciti fuiſtis, rurſum id ſtabilius operemini, & alios hortemini. Vnde nobis igitur, vnde loquēdi ſumendum principium? Vultis à teſtamento veteri? Hoc enim pudoris eſt noſtri, quòd, quæ ſunt in veteri teſtamento, quæ tranſcendere par erat, nec iſta cuſtodiamus: nos enim de his audire non oportebat (hæ nanque ſunt Iudaicæ vtilitatis denunciationes) ſed illa perfecta fuerant audienda. D Abiice pecunias, ſta generosè, & animam expone pro prædicatione, deride cuncta quæ ſunt ſuper terram, nil tibi ſit cum præſenti vita commune. Si quis iniuriam intulerit, benefac: ſi quis oppreſſerit, benedic: ſi blaſphemauerit, honora, omnibus eſto ſuperior. Hæc & huiuſmodi decebat audire. Nunc autem de iuramento diſſerimus. Et idem eſt, ac ſi quis philoſophari debentem ab illis abſtrahēs pręceptoribus, ſyllabas adhuc, & alphabetum legere cogat. Cogita quæſo quanta ſit ignominia, quempiam hominem prolixam habentem barbam, & baculum geſtantem, & exomida indutum, cū pueris ad præceptores ingredi, & eadem cum illis diſcere: nónne multus erit riſus? ſed maior hic noſter. Non enim quantum eſt philoſophiæ, & literarum interuallum, tantum eſt Iudaicæ conuerſationis, & noſtræ diſcrimen: ſed quantum eſt angelorum & hominum. Dic, quæſo, ſi quis angelum ex cœlo deductum hic ſtare iuberet, ac noſtros audire ſermones, tanquam ex hoc inſtituendum, nónne pudor & riſus eſſet? Si verò de his doceri ridiculum eſt, at his nec attendere quidem: quantū erit condemnationis, quantus pudor, quòd etiam Chriſtiani de fugiendo docentur iuramento? Attamen toleremus, ne magis quoque rideamur. Eia itaque vobis ex veteri loquamur hodie teſtamento: quid verò dicit: *Iuramento ne aſſuefacias os tuum*, nec nomini Eccl.23.b ſancto familiaris fias. Quare? Sicut enim ſeruus tortus, inquit, continuè à liuore non mundabitur, ita neque iurans. Vides ſapientis huius prudentiā? Non dixit, Iuramento ne tuam aſſuefacias mentem, ſed os tuum: totum enim eſt oris, nam facilè corrigi poteſt. Conſuetudo enim eſt, quæ iam ſine voluntate patratur. Verbi gratia, Multi thermas ingreſſi, cum primum fores tranſcenderint, ſignantur. Hoc nouit manus vel nullo iubente, & ex conſuetudine facere. Rurſum accenſa lucerna, mente frequenter aliquid aliud operante, manus ſignum facit. Ita quidem & os non cum anima loquitur, ſed ex conſuetudine: & in lingua totum eſt poſitum. Nec ſancto nomini familiaris fias. Magnum quid inſinuauit: Nominationi, inquit, ſancti ne conſueſcas. Sicut enim ſeruus qui continuè torquetur, à vibice & liuore non purgabitur, ita neque iurans. Non hic periurium dicit, ſed iuramentum excidit, & ipſi ſtatuit vltionem: igitur iurare peccatū. Nam verè talis eſt anima, tantis eſt confoſſa vulneribus, tantis liuoribus, ſed non vides. Hoc autem eſt malum. Atqui potes, ſi velis videre. Deus tibi dedit oculos: talibus videbat Propheta, qui dicebat: *Pu-* Psal.37.a *truerunt & corrupta ſunt cicatrices meæ, à facie inſipientiæ meæ*. Deum contempſimus, ſanctum odimus nomē, conculcauimus Chriſtum, pudorem ſoluimus: diuini nominis cum reuerētia meminit nemo. Quòd ſi alicuius etiam ad nomen exurgis, Deum verò tam continuè, tanquam nihil vocas? In orationibus voca, voca eum ad inimici beneficium, voca ad animæ tuæ ſalutem: tunc aderit, tunc eum lætificabis, nunc autem irritas. Voca ſicut eum Stephanus inuocauit: quid dicens? *Domine ne ſtatuas eis hoc* Act.7.g. *peccatum*. Voca, ſicut vocauit eum Helcanæ vxor 1.Re.1.a cum lachrymis. Non prohibeo, ſed vehementer b. exhortor. Illum voca, ſicut & Moſes vocauit, & Exo.32. clamabat pro eis orans, qui eum expulerant. Et tu g. quidem, ſi cuius ſine honoris titulo memineris venerabilis viri, contumelia facta eſt: Deum autem circumfers opportunè importunè in ſermonibus tuis. Non prohibeo Deum in mente ſemper habere, imò magis precor & volo: tamen nō aliter quàm illi placet, ſed laudantem, ſed honorantem. Magna nanque nobis hoc contulit bona, ſi cùm & apud quos opus eſt, tantùm eum vocemus. Quare, quæſo, ſub Apoſtolis quidem virtutes edebantur, ſub nobis verò nequaquam, cum idem ſit Deus, idem nomen? Sed non eſt par vſus. Illi nanque in illis ſolis quæ commemoraui, illum duntaxat vocabant: nos autem non in his, ſed in aliis. Si verò non credit, & ideo iuras, dic quidem, crede: veruntamen ſi vis per teipſum iura. Quod non legem Chriſto contrariam ferens dico: abſit: ait enim, Sit Matt.5.f. in vobis, eſt eſt: &, non non: ſed vobis condeſcendens, vt magis in hoc vos inducam, & à tyrannica reducam conſuetudine. Quot in aliis probabiles ex his rebus perierunt? Vultis diſcere, quare priſcis iuramentum concedebatur? nam nec illis peierare fas erat: quoniam per ſimulachra iurabant. Non confundimini in his legibus permanere. in quibus indulgebatur illis infirmis. Quoniam nunc quoque ſi gentilem accepero, nō illi ſtatim hoc iniungo, ſed interim ſcire Chriſtum admoneo. Fidelis verò qui credidit & audiuit, ſi debet eandem exigere cum gentili indulgentiam, quid vtilitatis? quid emolumenti? Sed conſuetudo rex difficilis, & vix abſtrahi poteſt. Itaque quoniam eſt tanta conſuetudinis violentia, eam in alteram tranſfer conſuetudinem. Et quomodò, inquies, poteſt fieri?

Digitized by Google

quod ſæpius dixi, id nunc quoque dico. Sint multi A cenſores, ſint inquiſitores, & probatores multi: dic mihi, Si tegimen inuerſum poſuiſſes, nónne puerũ corrigere iubes, nec ab illo moneri confunderis, cùm illud quidem non multum ſit dedecus? Hic autem in anima detrimentum patiens, ab alio corrigi erubeſcis. Et circa veſtimentum quidem ornantem ſuſtines ſeruum, & ſubligantem, animam autem non ſuſtines ornantem? Sit & ſeruus horum magiſter, ſit & filiolus, ſit & vxor, & amicus, affinis & vicinus. Sicut enim fera, quæ ex omni parte agitatur, fugere non poteſt: ſic & tot habentem cuſtodes, tot increpantes, cum vndique pulſetur, non licet non cauere. Et primo quidem die hoc ægre feret, & in ſecundo, & tertio: deinceps verò facillimũ erit, & poſt quartum neque negotium hoc exiſtimabit. Experientiam facite, ſi non creditis, curam geratis quæſo. Non eſt vulgare peccatum, vel meritum: ſed vtrinque magnum eſt & bonum & malum. Opus eſt autem periurij detrimentum ex ſcri- B ptura quoque veteri manifeſtemus. Falx, inquit, volans erat longitudine cubitorum viginti, latitudine cubitorum decem. Volans velociſſimum vltionis incurſum ſignificat iuramenta ſequentem. Multorum verò cubitorum latitudo & longitudo vehementiam indicat & magnitudinem malorum. At ex cœlo volare, ex ſuperno tribunali ſententiam ferri. Falcata verò ineuitabilem ſupplicij ſortem. Sicut enim quocunque falx incurrerit, non ſolùm ſecum arripit, verùm & caput amputat: itidem & pœna iurantibus ingruens eſt difficillima, nec prius abſiſteret, quàm quod ſuum eſt, obiret: quòd ſi iurantes euadimus, ne confidamus, ad noſtrum enim malum hoc fit. Nam quid cenſetis? quot poſt Ananiam & Sapphiram eadem quæ illi ſunt auſi? quomodo igitur eadem nõ ſunt paſſi? Non quo- C niam ipſis ignotum ſit, ſed quoniam maiori differuntur malo. Multa nanque perpetrantes, nec dantes pœnas, terreri magis & timere debent: augebuntur enim eis ſupplicia propter impunitatem & Dei longanimitatẽ. Ne hoc itaque videamus, quòd non punimur, ſed nec peccauerimus: ſi verò peccantes non pœnas damus, potius pauere debemus. Dic mihi, ſi quem habeas ſeruum, & illi tantũ mineris, & verbera non infligas: quando magis timet, quando fugit, quando pedibus elabitur, nónne quando duntaxat minaris? Vnde & alter alterum admonemus, non continuè minari, ne timor magis animam conturbet, & plus quàm plagæ diſſipet: illic enim ad tempus eſt vltio, hic autem continua. Ne igitur, quòd nunc falcis mala patiatur nemo, reſpicias: ſed illud cogita, ſi talia facit, quoniam multa nunc fiunt, qualia in diluuio, ſed diluuium factũ non eſt: gehenna enim & vltio promiſſa eſt. Multi perpetrant qualia Sodomorum ciues, ſed ignis plu- D uia non deſcendit: igneus enim paratus eſt fluuius. Multi Pharaonis ſcelera commiſerunt, ſed Pharaonis pœnas non dederunt: nec in mari rubro ſunt ſubmerſi, quoniam pelagus eos expectat abyſſi, vbi non cum inſenſibilitate ſupplicium, nec licet ſuffocari, ſed amplius eſt neceſſe torqueri, aſſari, ſtrangulari, conſumi. Multi Iſraëlitica ſunt aggreſſi, ſed eos ſerpentes non momorderunt, manet autẽ eos vermis qui non moritur. Multi Giezi peccata perpetrarunt, neque tamen lepra reſperſi ſunt: eos enim manet pro lepra in binas partes ſecari, & poni cum hypocritis. Multi quoque iurauerunt & peierauerunt? ſi verò fugerunt quoque, ne cõfidamus: imminet enim dentium ſtridor. Et hic quidem multa patientur incommoda, licet non confeſtim, ſed poſt alia peccata, vt & grauior ſit vltio. Quoniam & nos frequenter à minimis occaſionem capientes, & pro magnis totum luimus. Itaque cum aliquid tibi contigiſſe videris, illius peccati tui reminiſcere: hoc & Iacob filiis accidit. Recordamini fratrum Ioſeph, fratrem ſuum vendiderunt, iugulare tentarunt, vel potius ipſa promptitudine iugulauere: deceperunt, contriſtarunt ſenem, nihil pluribus poſt annis paſſi ſunt, tandem verò in extremum periculum inciderunt, & huius reminiſcuntur criminis. Hoc itaque valde ſapienter efficitur. Nam audi quid dicant, & meritò: In peccato enim ſumus de fratre noſtro. Itidem & tu, cùm aliquid acciderit, dicas: Etiam in peccato ſumus, quoniam Chriſtum non audiuimus, quoniam iurauimus, iuramentorum frequentia & periuria ſuper caput meum venerunt. Confitere: nam illi quoque cõfeſſi ſunt, & ſalui facti. Quid enim & ſi non ſtatim ingruit vltio? Nam & Achab propter Nabuthe non ſtatim poſt peccatum paſſus eſt ea quæ pertulit: quare autem hoc fit? Dat tibi temporis præfinitionem, vt ablui poſſis: cum verò perſeueraueris, tunc demũ pœnam infligit. Vidiſtis quid patiantur mentientes? Intellexiſtis quid patiantur peierantes? Intelligite & recedite. Non licet iurantem non peierare & volentem, & inuitum: non licet peierantem ſaluum fieri. Vnum poteſt periurium omnia conſumere, & vniuerſam nobis vltionem inferre. Propterea animaduertamus, & nobis caueamus vt hic vltionem euadentes, Dei miſericordia digni cenſeamur, gratia & miſerationibus vnigeniti eius, cum quo patri ſimul & Spiritui ſancto gloria, poteſtas, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Zach. 5. a

Act. 5. a.

De fugiendis iuramentis, & quòd Deo gratias agere debemus, licet in paupertate degamus: ſuper Matthæum, ex cap. V.

Homilia XXVIII.

Si regnum aſſequi volumus, dilectiſſimi, plus aliquid antiquis exhibeamus mandatis, quippe cùm non aliter cœleſtia conſequi liceat. Nam ſi ad eandem antiquorum menſuram peruenerimus, extra cœli veſtibula remanebimus. *Niſi enim abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum aut phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Et tamen licet tot minæ propoſitæ ſint, ſunt quidam qui non ſolum illam non tranſcendunt iuſtitiam, verùm & ab ea deficiunt. Non enim ſolùm iuramenta non fugiunt, verùm & peierant: non tantùm laſciuum non declinant aſpectum, verum & ipſam improbam actionem incidunt, & alia reliqua prohibita ſine doloris aggrediuntur ſenſu, vnum ſolum vltionis diem expectantes, & quando ſupremam patratorum pœnam dabunt: quod eorum ſolum eſt, qui in nequitia vitam tranſegerunt: illos enim oportet deſperare, nec aliud quid quàm ſupplicium iam expectare. Qui enim hic adhuc ſunt, & pugnare poterunt, & vincere, ac facile coronari. Ne titubes igitur ô homo, neque bonam ſoluas promptitudinem: nec enim grauia ſunt quæ præcipiuntur. Quis quæſo labor iuramentum fugere? Nunquid enim eſt pecuniarum impenſa? Nunquid ſudor & ærumna? ſatis eſt tantummodo velle, & totum actum eſt. Si verò mihi conſuetudinem obiicis: propter hoc ipſum maximè facile meritum eſſe dico. Si te nanque in aliam tranſtuleris conſuetudinem, totum præſtitiſti. Cogita ſaltem quòd apud gentiles multi balbutientes, multa meditatione linguam ſibi claudicantem correxere. Alij autem humeros ineptè ſe mouentes & reducentes, iugiter apponentes enſem reſtituerunt. Poſtquam enim per ſcripturas nobis nõ poteſt perſuaderi, ab externis monere vos cogor. Hoc & Deus apud Iudæos faciebat, dicens: *Ite in inſulas Cethin & in Cedar mittite, & cognoſcite ſi mutauit gens deos ſuos, & ipſi non ſunt dij.* Et ad bruta verò frequẽter mittit, ita dicẽs: *Vade ad formicã piger*, & vade ad apem. Hoc itaq; vobis & ego nunc dicã. Cogitate gentiliũ philoſophos, & tunc ſcietis, quanto ſimus digni ſupplicio, deſpicientes diuinas leges, cum illi qui-

Matt. 5. c

Hier. 2. c.

Prou. 6 a.

Digitized by Google

dem pro humana honeſtate infinite laborauerint, A vos verò neque pro cœleſti regno ſtudium par exhibeatis. Si verò poſt hæc dicas quòd eſt difficile conſuetudinem non fallere, vehementer quoque ſtudentes: hoc fateor quidem & ego. Veruntamen & illud cum hoc pariter dico, quòd ſicut eſt facile decipi, ſic & facile corrigi. Si nanque domi multos vbique cuſtodes conſtituas, puta ſeruum, vxorem, amicos, ab omnibus facile compulſus atque coactus à mala recedes conſuetudine. Et ſi decem tantùm diebus id obſeruaueris, non iam amplius reliquo tempore indigebis, ſed cum fiducia totum erit tibi repoſitum, pulcherrimæ conſuetudinis firmitate viciſſim radicatum. Cum igitur hoc corrigere cœperis, ſiue ſemel, ſiue ſecundò, ſiue tertiò, ſiue vigeſimò legem tranſcenderis, ne deſperes, ſed iterum ſurge, & ſtudium tuum reſume, & omnino victor eris. Non enim vulgare malum eſt periurium. Quòd ſi iurare mali eſt, peierare quantum feret vltionis? Laudaſtis dicta, ſed plauſibus mihi non eſt opus, neque laudantiũ vocibus & tumultu. B Vnum duntaxat volo, vt cum quiete & intelligentia audientes, quæ dicuntur faciatis. Hoc mihi pro plauſu, hoc mihi pro laudatione. Si verò dicta quidem commendes, quę verò laudas non exequaris, maior quidem pœna, maior autem accuſatio, & nobis dedecus & deriſio. Nec enim theatro paria ſunt præſentia, neque tragœdos ſpectantes nunc ſedetis, vt duntaxat applaudatis. Hic eſt ſpiritualis ſchola: propterea & quod elaboratur, vnum eſt, vt dicta ſeruetis, & per opera obedientiam exhibeatis. Tunc enim totum receperimus: ſicut nunc vtique & iam prohibuimus? Nam & ſeorſum occurrentes hæc monere non deſtiti, & vobis publicè commemorare, & nihil amplius tamen factum video, & vos adhuc prioribus detineri elementis: quod multum afferre docenti torporem idoneum eſt. Vide nanque Paulum quoque propterea ſuccenſentem, quòd multum temporis prioribus diſciplinis auditores C immorabantur. Etenim cùm deberetis, inquit, magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei. Propterea nos quoque lugemus & conquerimur. Et ſi permanentes videro, iam vobis interdicam hæc aſcendere ſacra veſtibula, & immortaliũ participes fieri myſteriorum, ſicut fornicantibus & adulteris, & homicidij reis. Nam melius eſt cum duobus vel tribus Dei leges cuſtodientibus ſolitas offerre preces, quàm multitudinem aggregari præuaricantium, & alios corrumpentium. Ne quis mi- Heb. 5. c. hi diues, ne quis potens hic intumeſcat, & ſupercilia contrahat. Hæc omnia mihi fabula, vmbra & ſomnium. Nullus enim præſentium diuitum illic mihi patrocinabitur, cùm arguar & accuſabor tanquam Dei leges non congrua cum acrimonia aſſeruerim. Hoc enim, hoc & admirabilem illum ſenem 1. Re. 2. c & 4. c. vitam exhibentem inculpatam perdidit. D Sed tamen quoniam Dei leges conculcantes neglexit, cum filiis fuit punitus, & atroces pœnas dedit. Si verò vbi tanta erat naturæ vis, non cum debita ſeueritate filiis vſus, tam grauem luit vltionem, quam nos habebimus veniam, & ab illa liberi tyrannide, & per aſſentationem omnia corrumpentes? Cùm itaque paupertate vel morbo preſſus fueris, ô homo, ſi non aliunde, ex mendicantibus ſaltem per angiportos euntibus Deo gratias agere diſce. Hi nanque totum tempus in mendicando conterentes, nõ blaſphemant, non indignantur, non ægre ferunt, ſed totam mendicationis narrationem in gratiarum agunt actione, magnum facientes Deum, & miſericordem. Ille quidem fame periens benignum vocat, tu verò viuens in abundantia, niſi cuncta ſimul accipias, crudelem nuncupas: quantò melior eſt ille? Quomodo nos condemnabis? Communes nobis præceptores, & calamitatum conſolationem per terrarum orbem miſit Deus pauperes. Es aliquid præter voluntatem paſſus? ſed tale nihil, quale ille. Erutus eſt oculus tibi? ſed illi duo: longo morbo laboraſti? ſed ille incurabili: amiſiſti filios? ſed ille & proprij corporis ſanitatem: magna mulctatus es mulcta? ſed nondum ad hoc es redactus, vt alterius indigeas. Deo gratias age. Illos vides in paupertatis camino, & ab omnibus quidem petentes, à paucis autem accipientes. Cùm orans defeſſus fueris, & non acceperis, cogita quoties audiſti pauperem te vocantem, & non exaudiſti, nec tamen ille grauiter tulit, nec affecit te contumelia: & tu quidem hoc ex crudelitate facis. Deus autem ex benignitate quoque facit vt non audiat. Si igitur ipſe conſeruum propter crudelitatem nõ audiens, accuſari te dignum non cenſes; dominum per miſericordiam ſeruum non audientem accuſas? Vides quanta ſit inæqualitas, quanta iniuſtitia? Hæc ſemper cogitemus, inferiores in maioribus ærumnis cõſtitutos, & ita Deo gratias agere poterimus. Multis talibus exemplis vita referta eſt. Non paruam autem vigilans habet diſciplinam, & aduertere volens etiam ex oratoriis ædibus. Propterea enim & ante eccleſias, & martyrum monumenta pro foribus pauperes ſedent, vt nos ex huiuſmodi ſpectaculo multum capiamus vtilitatis. Conſidera nanque quòd nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiuſmodi cernere licet: ſed viri & honeſti & ſplendidi, & diuites & prudentes paſſim diſcurrunt. Ad veras autem regias, eccleſiam dico, & oratorias ædes, & martyrum templa, dæmonibus preſſi, truncati, pauperes, ſenes, cæci, membra præferentes obtorta. Quid hoc tandem? Vt tu docearis ex horum ſpectaculo, primùm, vt ſi quem faſtum extrinſecus trahens ingreſſus, in illos reſpiciens, tumore depoſito, & contrito corde, ſic ingrediaris, & quæ dicuntur audias. Non enim poteſt cum ſuperbia orans audiri: vt cum ſenem videris, non in iuuenta altum ſapias, cum & hi nunc ſenes, iam fuerint iuuenes: vt cum in exercitu & potentia regia multum glorieris, cogites quòd ex his aliqui fuerunt in regalibus aulis ſplendidi: cum in corporis ſanitate confidas, his vacans ſenſum tuum corripias. Huc enim iugiter ingrediens, qui ſanus quidem eſt, non altum ſapiet in corporis ſanitate: qui verò laborabat, non vulgarem hauriet conſolationem. Nec ob hoc ſolùm hic aſſident, verùm & vt te miſericordem faciant, & ad miſericordiam flexus Dei benignitatem admireris. Nam ſi Deus illos non erubeſcit, ſed in veſtibulis ſuis conſtituit: multò magis tu ne terrenis ædibus altum ſapias, nec erubeſcas cum à paupere vocaris. Et ſi acceſſerit, & genua teneat, ne repellas. Canes enim quidam ſunt, admirabiles regiarum cœleſtium: neque contemnens eos canes vocaui, abſit, ſed magnopere laudans: regiam enim cuſtodiunt aulam: eos igitur paſce. Honor enim ad regem tranſit. Illic omnia faſtus, in terrenis dico aulis: hic omnia ſunt humilitas: quoniam nihil humanum ex ipſis præſertim veſtibulis diſcis. Quòd diuitiis Deus non delectatur, ex ipſis pro foribus ſedentibus doceris. Horum enim ſedes & collectio tantum non eſt admonitio ad omnium hominum naturam vocem emittens præclaram, & dicens, quòd nihil humana ſunt, ſed fumus & vmbra. Si bonum eſſent diuitiæ, ante propria Deus veſtibula pauperes non collocaſſet: ſi verò diuites quoque ſuſcipit, ne mireris: non enim propterea ſuſcipit, vt diuites maneant, ſed vt à tumore liberentur. Audi quid eis Chriſtus dicat: *Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.* Matt. 6. d & rurſus: *Difficile diues ingreditur regnum cœlorum.* Matt. 10. c & iterum: *Facilius eſt camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in regnum cœlorum.* Propterea diuites admittit, vt hæc audiant verba, vt Lucæ 8. c æternas concupiſcãt diuitias, vt cœleſtibus inhient. Et quid miraris, quòd ad veſtibula ſua pauperes ſedere non dedignatur? ad ſuam enim ſpiritualem menſam eos vocare, & illud cõmunicare conuiuium

non

non dedignatur. Sed claudus & mutilus, ſenex & A pannoſus, ſordidus & mucoſus, cum iuuene pariter ſpecioſo, & ipſo purpuram induto, & in capite diadema geſtante futurus mēſæ particeps venit, & ſpirituale petit conuiuiū, & iiſdē ambo fruuntur, nec vlla eſt differentia. Et Chriſtus quidem eos ad menſam cum rege ſimul vocare non dedignatur. Pariter enim ambo vocantur. Tu verò forte videri dedignaris pauperi dans vel loquens? O ſuperbiā
Luc.16.a & faſtum: Vide ne diuiti priſco ſimilia patiamur. Ille vel cernere Lazarum dedignabatur, nec ei domum vel tectum communicabat, ſed extra iacebat apud ianuam proſtratus, ſed nec alloquio ab eo dignus fuit exiſtimatus: ſed vide quomodo in neceſſitate & indigentia conſtitutus, nullum ab eo conſecutus eſt auxilium. Nam ſi quos Chriſtus nō erubeſcit, nec nos erubeſcamus. Chriſtum erubeſcimus, ipſius amicos habentes pudori. Tua repleatur menſa claudis & debilibus: per hos venit Chriſtus, non per opulentos. B Forte rides audiens. Itaque ne putes dictum eſſe meum, ipſum audi Chriſtum aſſerentē: ne rideas, ſed horreſcas. Cùm facis prandium vel cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites, ne forte & ipſi te viciſſim vocent, & tibi fiat retributio: ſed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles & claudos, cæcos, & eris beatus: quoniam non habent quod tibi retribuant, retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. Et gloria maior hinc naſcitur, ſi tantum huius es cupidus: ex illis enim liuor & inuidia, accuſationes & contumeliæ, multuſque timor, ne quid præter decorum fiat: & tanquam domino ſeruus aſſiſtis; & ſi maiores ſint, ab eis accuſationem & redargutionem timens: in his autem huiuſmodi nihil, ſed quæcunque eis appoſueris, cum voluptate cuncta ſuſcipiunt, & multus plauſus, ſplendidior gloria, maius miraculum. C Non ſic illis applaudunt, ſicut his omnes audientes: ſi verò non credis, tenta tu qui diues es, qui duces & principes vocas: voca pauperes, & ex his imple conuiuiū, niſi ab omnibus tibi plaudatur, niſi ab omnibus ameris, niſi omnes vt patrem habeant. Illorum quidem conuiuiorum emolumentum nullum, pro his verò cœlum eſt repoſitum, & quæ ſunt in cœlis bona: quæ nos omnes aſſequi detur gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & Spiritui ſancto gloria, poteſtas, & honor, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

Contra iraſcentes. Ex Act. Apoſtol.

HOMILIA XXIX.

NON ſic homines beneficiis adducuntur, ſicut timore caſtigantur. Admirabiles autem, & magni, D & Deo grati, nullius horum indigent. Talis erat Paulus: non enim regni, non gehennæ rationem habebat. Hoc enim Chriſtum diligere, hoc non eſſe mercenarium, neque quæſtum pietatem exiſtimare, aut Dei verbum adulterare: ſed virtute veraciter eſſe præditum, & propter Dei dilectionem omnia facere. Quantis itaque dignum lachrimis, cùm tantam debentes menſuram, neque ſaltem tanquam inſtitores cœleſte regnum curemus? Tanta nobis Chriſtus pollicetur, & ne ſic quidem dignus cenſetur audiri. Quid hac peius inimicitia fieri poſſit? Atqui pecuniarum amore furentes, licet inimicos, ſiue ſeruos, ſiue atrociſſimos hoſtes, ſiue malos omnes inuenerint, ſi tantum ſperent quod per eos pecunias acquirere poſſint, omnia faciunt, aſſentantur & blandiuntur, ſeque ſeruos exhibent, & ſe tantum omnibus honeſtiores eſſe putabunt, vt ab eis aliquid capiant. Pecuniarum enim ſpes horum nihil cogitare permittit. Regnum autem non potuit, quantum pecunia: quinimò nec minimam partem. Non enim quilibet eſt qui pollicetur, ſed ipſo maius habetur regno ab huiuſmodi ſumere. Nunc itaque fit idem, quale ſi rex ſuos quidem hæredes, filij verò cohæredes poſt alia quoque innumera beneficia nos conſtituere volens contemnatur. Latronum verò princeps, qui eos parenteſque noſtros innumeris affecit incommodis, & infinitis plenus eſt malis, & noſtram confudit gloriam & ſalutem, vno tantum obolo prætento à nobis adoretur. Regnum Deus pollicetur, & contemnitur: gehennam miniſtrat diabolus, & honoratur. Hic Deus, ille diabolus: ſed præceptorum videamus differentiam. Si nihil enim horum foret, nec hic quidem Deus, ille verò diabolus: nec hic quidem regnum, ille verò gehēnam præberet: ipſa mandatorum natura facile perſuadere poteſt, vt huic adhæreamus. Quid enim Deus mandat? ea quæ faciunt glorioſos: diabolus quæ confundunt: hic quæ innumeris inuoluunt ærumnis & ignominiis: ille multam quietem habentia. Nam vide, quæſo, hic inquit: *Diſcite à me, quia* Matt.11.
mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. at ille: Ferus eſto & immitis, & bile tumens, & iracundus, & fera magis quàm homo: Videamus vtrū vtilius, quid verò magis expediat. Ne hoc, inquit, dicas: ſed cogita quòd diabolus eſt. Optimè quidem, ſi illud oſtenderetur. Suſtinere labores oportet, & victoriæ, præmia viciſſim erunt maiora. Non enim qui facilia præcipit, hic noſtri curam gerit, ſed qui vtilia: quoniam & patres grauia filiis iniungunt, ſed propterea ſunt patres: & rurſum ſeruis domini: at plagiarij & perditores contraria: veruntamen quòd & voluptatem habeant, eſt inde manifeſtum. Inter quos enim eſſe putas bile percitum? Inter quos verò tolerantem & mitem? nónne huius anima quidem ſolitudini cuidam eſt ſimilis, multam habenti quietem: illius autem foro & tumultui, mediiſque ciuitatibus, vbi multus euntium & redeuntium clamor camelorum, mulorum, & aſinorum, & accidentium aures agaſonibus multò replentibus ſonitu ne conculcentur: rurſum argentariis & ærariis vtrinque cudentibus, & his quidem moleſtiam patientibus, his autem inferentibus? At mitis huius mens cuidam montis vertici ſimilis eſt, auram quidem habenti tenuem, purum verò radium, pura fontium fluenta, multaſque florum amœnitates, vernantiumque pratorum, & hortorum plantis & floribus frondentium, & aquis viridantium irriguis. Si quis autem & ſonus immurmuret, dulcem & multam inſparget audientibus voluptatem: vel aues enim canoræ ſummis arborum inſident frondibus, & cicadæ, ac luſciniæ, & hirundines concentum quendam concorditer efficiūt muſicum. Vel Zephyrus arborū foliis ſenſim aſpirans, pinos & piceas ſuſurrantes, & cygnos frequenter imitans, & roſæ ac violæ & flores ſe leniter inclinantes, & viridantes quaſi mare cœruleum blandè fluctuans exhibent: quinimò multas aliquis inuenire poſſet imagines. Nam cùm in roſas quidem reſpexerit, Iridem ſe videre putabit: cum verò violas, pontum fluctuantem: at cum lilia, cœlum. Nec aſpectu verò tantum & viſu huiuſmodi tunc delectabitur, verùm & ipſo corpore pratū intuentis, illum magis magiſque remittit, & reſpirare facit, vt ſe magis in cœlo quàm in terra eſſe cenſeat. Eſt & alia quædam vox, cum à vertice mōtis aqua per riuos ſponte defluens, & ſubiectis lapillis quieto ſono ſenſim immurmurat, & ita membra reſoluit per voluptates, vt ſtatim laxatiuum oculis ſomnum ingerat. Audiſtis cum delectatione narrationem? Fortè iam & ſolitudinis amatores eſtis facti, ſed hac ſolitudine iucundior eſt multò longanimis viri anima. Non enim vt pratum deſcriberemus, nec vt ad oſtentationē verba produceremus, hanc attigimus ſimilitudinem: ſed vt per deſcriptionem videntes quanta ſit longanimorum vo-

luptas, & quòd multò magis cum longanimi viro conuerſans qui delectaretur, & iuuaretur, quam in talibus conuerſans locis: hos ſectemini. Cùm enim neque ſpiritus vehemens ex hac exeat anima, ſed mites quidam ſermones & benigni, verè illam Zephyri lenitatem & quietem imitatur: & admonitio nihil quidem habens auſterum, canoras autem imitans aues: quomodo non hoc melius? Non enim corpori illiditur ſermonis aura, ſed animos refouet calentes & exæſtuantes. Neque febricitantem medicus hominem tam cito liberauit à febre per qualemcunque ſedulitatem, quàm longanimis homo iratum & ira ardentem petens, propriorum ſpiratione ſermonum refrigerauit. Et quid dico medicum? neque ferrum ignitũ, & aquæ immerſum tam citò calorem amitteret, quàm in longanimem mentem incidens iracundus. Sicut autem ſi forum ingrediantur aues canoræ, nugæ eſſe viderentur, ita quidem & monita noſtra in iracundas animas incidentia. Iucundior igitur manſuetudo bile & audacia: ſed illud quidem Deus, hoc autem diabolus mandauit. Videte quòd non temere dixi, quòd etſi non eſſet diabolus & Deus, ipſa per ſe præcepta poterat nos monere. Hic quidem & ſibi iucundus, & aliis vtilis: ille verò & iniucundus ſibi, & aliis damnoſus: nihil enim iracundo homine inſuauius, nihil grauius, nihil infeſtius, turpius nihil: ſicut è contrà, nihil neſcio iraſci iucundius. Feræ potius quàm iracundo homini cohabitandum eſt. Nam illa cum ſemel manſuefacta fuerit, ſuam ſeruat legem: hunc autem quotieſcunque mitigaueris, rurſum efferatur, niſi qui in talem habitum ipſum induceret. Sicut enim dies clara & ſerena, & hyems multæ plena triſtitiæ, itidem & iraſcentis animus, & manſueti. Sed nondum aliis noxia videamus ingruentia, ſed ipſis: atqui & hoc non exiguum damnum, alteri malum aliquod inferre. Veruntamẽ hoc interim conſideremus: Quis tortor ita laniare latera poterat? Quæ ignita tela corpus ita perforaret? Quis furor ex naturalibus ita ſenſibus excedere facit, ſicut furor & iræ conſternatio? Noui multos ex ira morbos incurriſſe, & febrium difficillimæ præſertim hæ ſunt. Si vero ita corpora læduntur, animas cogita: ne cogites enim quod non vides, ſed cogita, ſi malitiam ſuſcipiens ita læditur, quantum patiens patietur detrimentum. Multi oculos amiſerunt, in grauiſſimum multi morbum inciderunt: generosè quidem ferens omnia facile ſuſtinebit. Veruntamen talia tanquam grauia imperat, & horum nobis mercedem ſtatuit gehennam, & diabolus eſt, & noſtræ ſalutis inimicus: & magis huic quàm Chriſto paremus, qui ſaluator eſt, & benefactor, & protector, & talia dicit, quę iucundiora ſunt & honeſtiora, vtilioraq́; ac magis expediunt, & nobis & neceſſariis noſtris plurimum proſunt. Nil iracundia peius, chariſſimi: nil ira intempeſtiuius. Non opus eſt multa dilatione, acutus eſt morbus. Frequẽter ex ira verbum aliquis emiſit, ad cuius remedium totius indiget vitæ: & aliquid commiſit quod omnem ipſius vitam ſubuertit. Hoc enim eſt difficile, quod in breui tempore, & per ſolam actionem, & per vnum duntaxat verbum æternis nos frequenter excluſit, & multos euacuauit labores. Itaque vos hortor, vt omnia faciatis, vt hanc feram cohibeatis. Et hæc quidem de manſuetudine & iracundiã ſint dicta. Si quis verò ſermoni & alia adiiciat, vt auaritiam & pecuniarum contemptum: inanis gloriæ cupiditatem, & veram gloriam, laſciuiam & modeſtiam, inuidiam & benignitatem, & alteram alteri viciſſim opponat, tunc differentiam intelliget. Videtis, qualiter ex præceptis duntaxat hic quidem Deus, ille verò diabolus eſſe mõſtratur? Pareamus itaq; Deo, nec in barathra nos præcipitemus: ſed dum tempus eſt, equum cohibeamus, ne ſeſſorem ſubuertamus: iræ amputemus alas, ne amplius malum in altitudinem extollatur. Acutum enim eſt ira vi-

A tium, acutum & efficax animas noſtras furari: propterea paſſim oportet ei aditum obſtruere: abſurdum enim eſt, feras quidem manſuefacere poſſe, animam verò noſtram inſoleſcentem deſpicere. Ignis eſt vehemens ira omnia deuorans: nam & corpus perdit, & animam corrumpit, & reddit inſuauem, & in viſu quenque turpiſſimum. Quòd ſi furoris tempore poſſet iraſcens ſibimetipſi notus fieri, non alia foret opus admonitione. Nihil enim iraſcentis deformius aſpectu. Ebrietas quædam eſt ira, imò verò difficilior ebrietate, & dæmone miſerabilior: ſed ſi modeſtè agere meditemur, optimam philoſophiæ viam inueniemus. Propterea Paulus cum ira clamorem quoque ſuſtulit. Pareamus itaque totius philoſophiæ præceptori, & cum in ſeruos iraſcimur, noſtra cogitemus peccata, & eorum confundamur manſuetudine. Nam cùm tu quidem afficias contumelia, ille verò contumeliam

B tacitè toleret: & tu quidem indigneris, ille verò philoſophetur, hoc pro omni capias admonitione. Etſi namque ſeruus eſt, homo tamen, & animam habens immortalem, & iiſdem à communi domino donis eſt honoratus. Si autem in maioribus & ſpiritualibus, nobis compar humanam quandam & vilem excellentiam à nobis illa tam æque fert: qua digni venia nos eſſemus, qua tandem excuſatione, propter Dei timore philoſophari valentes, magis verò nolentes, ſicut ille propter noſtri timorem? Hæc igitur omnia penſantes, & noſtra cogitantes peccata, & communem humanitatis naturam, vbique leniter loqui meditemur, vt humiles facti corde, requiem animabus noſtris inueniamus præſentemque & futuram: quam vt omnes aſſequamur, fiat gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto ſpiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper

C & in ſæcula ſæculorum, Amen.

De ira,

Homilia XXX.

Etsi belli tempus non eſt, dilectiſſimi, fiduciæ tamen tempus ſemper eſt: ait enim, Loquebar in conſpectu regum, & non confundebar. Si inter medios incidamus gentiles, ſic eos obmuteſcere faciamus abſque ira, abſque ſæuitia. Nam ſi cum ira hoc faciamus, non iam fiducia, ſed animi vitium eſſe videtur: ſed ſi manſuetè, hæc eſt verè fiducia: non enim ſimul eſſe poſſunt meritum & delictum. Fiducia, meritum: ira, delictum. Oportet itaque nos, ſi fiduciam habere cupimus, ab ira mundos eſſe, ne quis illa cogitet verba. Etſi iuſta dicas cum ira, cuncta perdidiſti, ſiue fiducialiter agas, ſiue commoneas, ſiue quodlibet geras. Zelus

D enim venia carens, non zelus, ſed ira potius eſt: & correctio humanitatem non habens, inuidia quædam eſſe videtur. Vide beatum Stephanum non cum furore loquentem: non enim contumelioſè locutus eſt, ſed eos ſermonis prophetici commonuit. Quoniam enim non erat ira cum malè patiebatur, tunc pro eis orabat dicens: *Ne ſtatuas eis hoc peccatum.* Eis itaque non iraſcens, ſed pro eis dolens, & mœrens hæc loquebatur. Quoniam & aſpectum propterea dixit, quòd viderunt faciem eius tanquam faciem angeli, vt credamus. Mundi ſimus igitur corde. Non habitat Spiritus ſanctus vbi furor: maledictus iracundus. Nihil ſani poteſt emanare vnde procedit ira: ſicut enim in maris tẽpeſtate multus tumultus, clamor magnus, nec ibi quis philoſophandi tẽpus habet: ita nec ira. Siquid philoſophicũ anima vel docere, vel dicere debeat, opus eſt ſit prius in portu. Non vides quemadmodũ cum volumus de quibuſdã neceſſariis loqui, loca tumultu libera obſeruamus, vbi quies, vbi

[Marginal notes: Pſal. 118. — Act. 7.]

Digitized by Google

tranquillitas, ne de propoſito exturbemur? Sed ſi
exterior diſturbat tumultus, multò magis interior
turbatio. Siue quis orat, incaſſum ira vexatus & co-
gitationibus orat: ſiue loquatur, rurſum erit obno-
xius riſui: ſiue comedat, & ita quoque: ſiue non co-
medat, itidem læditur: ſiue bibat, ſiue nō bibat, ſiue
deat, ſiue ſtet, ſiue vadat ſiue cubet. Nam & in ſom-
niis tales concipiunt imagines. Quid enim horum
non fuerit abſurdum? Triſtes oculi, os obtortum,
labra mobilia & tumentia, lingua polluta, nemini
parcens, mens in exceſſu poſita, indecens habitus,
tædij multum. Vide dæmonibus preſſorum vultus,
ebriorum & furentium. Quid inter ſe differunt?
nónne furoris totum eſt? Quid enim ſi hoc ad tem-
pus efficitur? Nam furens ad tempus premitur, hoc
autem quid peius, quòd & ſe non confunduntur
excuſare? Neſciebam, inquit, quid dicerem. Et qua-
re neſciebas hoc, cùm ſis homo rationalis? Ratio-
nem habens, irrationalium opera facis, tanquam
effrænis equus furore correptus & impetu? Et ex-
cuſatio quidē eſt accuſatione digna. Vtinam enim
ſciſſes quæ dicebas. Iræ ſunt, inquit, verba, nō mea.
Quomodo ſunt illius? Certe vires ira non habet,
niſi ſumat abs te: quare ſi quis dicat? Manus ſunt,
non mea vulnera. Quid maximè putas ira opus ha-
bere nónne bellum & pugnam? Verùm & illic ſi
quid cum ira fiat, omnia perdita fuerint, & perie-
rint. Præcipuè namque pugnantes iraſci non opor-
tet maximè contumeliam inferentes non oportet
iraſci. Et quomodo pugnandum eſt: Ratione, man-
ſuetudine. Pugna ſiquidem eſt ex contrario conſi-
ſtere. An non vides & hæc bella, lege, cōpoſitione,
& temporibus definita? Ira namque nil aliud, quàm
irrationalis impetus: irrationali verò rationale fieri
poteſt nihil. Quoniam & hic talia loquebatur, &
3.Reg. 15 non iraſcebatur, & Helias dicebat: Quouſque clau-
dicabitis vtriſque poplitibus veſtris? & non ira-
ſcebatur. Et Phinees iugulabat, & non iraſcebatur.
Nam ira videre non permittit, ſed velut in pugna
nocturna colligans omnia, & oculos, & aures, ſic
operatur. Ab hoc igitur dæmone liberemur, eum
corripiamus incipientem, ſigillum pectori quaſi
quoddam frænum imponamus. Canis eſt impudens
ira, ſed legem audire diſcas. Si fuerit canis in grege
tam ferus vt non obediat iubenti paſtori, nec eius
vocem agnoſcat, omnia perdita ſunt & corrupta:
cum ouibus paſcitur, ſed ſi oues guſtauerit, inutilis
eſt & iugulatur. Sed ſi te diſcit audire, ale canem,
vtilis erit contra lupos, & contra piratas, contra la-
tronum principem, non aduerſus oues, non aduer-
ſus domeſticos: ſi non audiat: omnia corrumpit: ſi
contemnere didicerit, omnia perdit. In te manſue-
tudo non abſumatur, ſed ei cuſtodiatur ira, & pin-
guis reddatur, & in tuto paſci curabit, ſi ſceleſtas
cogitationes & improbas abſumat, ſi diabolum vn-
dique pellat: ita manſuetudo conſeruatur, cùm im-
proba nuſquā affuerint opera. Ita venerabiles ef-
ficimur, cum impudenter agere non diſcimus. Ni-
hil enim ita facit impudentem, quàm mala con-
ſcientia. Quare meretrices ſunt impudentes? quare
virgines verecundæ? Nónne illæ ex peccato? non
hæ ex modeſtia? Nihil enim tam impudentem facit,
quàm peccatum: imò in contrarium, inquit, con-
fundit. Confundit eum quidem, qui ſeipſum con-
demnauerit: at eum qui frontem perfricuerit, effi-
cit procaciorem. Qui namque de ſeipſo deſperauit,
efficitur audax: dicitur enim: *Impius cum in profundum*
Prou.18. *malorum venerit, contemnit.* Impudens autem etiam te-
merarius fuerit, temerarius autem & audax. Vides
quomodo manſuetudo conſumitur, cum malæ co-
gitationes eam corroſerint? Propterea talis eſt ca-
nis multum latrans. Eſt funda nobis, & lapis, noſtis
quod dicitur: eſt & haſta nobis, & mandra, & ſta-
bulum. Cogitationes innoxias cuſtodiamus. Si ca-
nis ouibus quidem aduletur, aduerſus autem ex-
ternos ſæuiat & vigilet: hæc eſt canis virtus, & licet

A eſuriat, ex ouibus non guſtare, & licet in ſaturita-
te ſit, lupis non parcere. Talis eſt & ira, ſiue quis
mordeat, ab humanitate nō recedere, ſiue quieſcat,
aduerſus malas inſurgere cogitationes. Et propriū
quidem & proximum non derelinquere, ſed agno-
ſcere, alienum autem & adulando lædere. Adula-
tur frequenter diabolus, vt canis. Aduertas quòd
alienus eſt: ita nos quoque vrtuti, licet triſtitiam af-
ferat, blādiamur: & à malitia, licet oblectet, auerta-
tamur: nec canibus peiores efficiamur, qui licet fla-
gellentur & angantur, non recedunt: ſi verò alie-
nus eos etiam paſcat, ita quoque tamen infeſtant.
Eſt vtilis ira quandoque, ſed cùm aduerſus alienos Matth.5.
latrat. Quid eſt, Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa?
Eſt hoc, ne temetipſum vlciſcaris, neque vindices.
Si inimicum videas pereuntem, manum porrige.
Non etiam hoc ira eſt, cum propria fueris abſolu- 1.Reg.24
tus paſſione. Cepit Saulem Dauid, nec iratus eſt,
B nec haſta tranfixit hoſtem captum, ſed diabolum
vltus eſt. Moſes cùm alienum quidem iniuriam
inferentem videret, occidit: cùm verò proprium,
non itidem, ſed fratres quidem conciliabat, illos
verò nequaquam. Manſuetiſſimus Moſes, vt ſcri-
ptura teſtatur, vide quàm ſolers erat: nos autem nō
ita. Sed vbi quidem exhibere manſuetudinem opus
eſt omnibus feris ſæuiores ſumus, minimè, prout
opus eſt, in nobis poſita diſponentes. Propterea
quidem in nullum meritum vita nobis eſt impen-
ſa. Et in ſupellectilibus quidem, ſi qua alius aliter
vtatur, omnia perdita ſunt: ſi ſumpto gladio, vbi
eo ſit opus vti & incidere, manu vtatur, nihil profi-
ciat: rurſum vbi manu ſit vtendum, gladium adhi-
bens, omnia perdiderit: ſic & medicus, vbi quidem
ſit incidendum non incidens: incidens autem vbi
non incidendum, omnia corrumpit. Propterea
rogo, re pro tempore vtamur. Iræ ſiquidem tem-
C pus nullum, cum nobis auxiliamur. Si verò ſit
opus alios corrigere, tunc ea præſertim oportet
vti, vt alios eruamus. Non cernitis dæmonibus
preſſos, cum à vexatione requieuerint, quàm ſint
triſtes, quàm mœſti, quanta ſint eorum facies vere-
cundia plenæ, quomodo nec è contra reſpicere au-
deant? Inconuenientiam vide. Illi quidē de his quæ
patiuntur, erubeſcunt: nos autem de his quæ geri-
mus, nec confundimur. Illi quidem iniuriam pa-
tientes, verecundiam ſuſtinent, nos autem iniu-
riam inferentes, non erubeſcimus: licet illorum
caſus non pudore ſint digni, ſed miſericordia &
fauore ac venia, & multa admiratione, & innume-
ris laudibus, cum taliter impugnantem ſuſtinentes
dæmonem æquo animo ferant: at noſtra verè riſu,
verecundia, accuſatione, caſtigatione, pœna, ſu-
premis malis, & gehenna, nec vlla ſunt venia di-
gna. Vides quòd dæmone peius eſt peccatum? Et
illi quidem ex his quæ patiuntur, duplex lucrum
lucrantur: vnum quidem, quòd corriguntur, &
D modeſtius agunt: ſecundum vero, quod proprio-
rum hic dantes peccatorum pœnas ad dominum
mundi tranſeunt. Pro hoc enim frequenter locuti
ſumus, quòd hic pœnas luentes, cùm æquo animo
ferant, peccata multa deponere credendum eſt. At
ex peccatis duplicia ſunt mala, vnum quidem quòd
offendimus: ſecundum verò, quod peiores eua-
dimus. Aduertite quæſo, quod loquor. Non hoc ſo-
lùm ex peccato detrimentum ferimus, quod pecca-
mus: ſed & aliud, quod habitum anima ſuſcipit, ſi-
cut in corpore. Per exemplum, quod dicitur, red-
detur manifeſtius. Sicut, inquam, febre correptus,
non tantum hanc paſſus eſt moleſtiam, quòd infir-
matus eſt, verùm & quòd poſt morbum iam erit im-
becillior, licet ad bonam valetudinem ex longa re-
deat ægritudine. Sic quidem & in peccato, licet
valeamus, etiam multa indigemus fortitudine. Da
mihi quempiam contumelioſum, licet contume-
liæ pœnas non dederit, & aliunde tamen lugen-
dum eſt, quod eius anima reddita ſit impudentior.

Pecca

Digitized by Google

Peccatorũ enim quoque,& crimine patrato & trãſ-
acto, quoddam in anima noſtra venenum reponi-
tur. Non audis quoſdã dicentes cùm bene valeant:
nondũ aquam audeo bibere? Atqui conualuit qui-
dem,ſed morbus & hoc intulit detrimentum. Et illi
quidem malè patientes gratias agũt, nos autem re-
bus vtentes proſperis,blaſphemamus Deum,& in-
dignamur. Plures enim in diuitiis & ſanitate depre-
henderis hoc facientes, quàm in paupertate,mala-
que valetudine. Ingruit enim dæmon, quaſi vere
tortor acerrimus,multa dicens, tanquam pædago-
gus quidem intendens lorum, non ſinens vſquam
diffundi. Si qui verò nec prorſus vigilant, nec illi
dant pœnas, parum hoc curandum, tanquã ſtulti,
tanquam furentes, tanquam pueri pœnas non exi-
gunt:nemo namq; tam ſæuus qui eorum quę gerũ-
tur,imprudenter pœnas vnquã exigat. Multò peius
itaque preſſis dęmonio ſumus,qui peccamus diſpo-
ſiti. Sed non ſpumamus, nec oculos cõtorquemus, B
nec manus, Vtinã hoc in corpore pateremur,& nõ
in anima. Vis tibi demonſtrem animam ſpumãtem
& immundam? Cogita iraſcentes & ebrios ex ira.
Qua ſpuma non emittũt immundiora verba? Verè
velut fœtidam ſaliuam emanãt. Et ſicut illi præſen-
tium norunt neminem, ita nec hi, obtenebrata eis
mente, & oculis conuerſis, non amicum, non ini-
micum, non venerabilem, non contemnendum,
ſed omnes ſimiliter aſpiciũt. Nónne vides eos tre-
mentes,ſicut & illos? At non humi ſternuntur. Sed
eorum anima iacet humi, & palpitans cadit. Si nam-
que recta ſtetiſſet,non paſſa fuiſſet ea quę paſſa eſt.
An non eſſe tibi videntur animæ proſtratæ & pro-
pria ſpoliatæ ſolertia; quæ faciunt & dicunt ebrij
ira? Eſt & alia furoris ſpecies difficilior. Qualis au-
tem hæc? Cùm nec iram dimittere ſuſtinent, ſed
proprium malum apud ſe nutriũt, mali memoriam,
quaſi quendam tortorem. Ipſos enim primos occi- C
dit mali recordatio, vt omittam futura. Quantum
eſſe putas tormentum homini præcordia percuſſo,
quotidie qualiter inimicum vlciſcatur conſideran-
ti? Priorem ſemetipſum punit & caſtigat, intra ſeip-
ſum tumens, aduerſus ſe pugnans & exardeſcens.
Nam neceſſe ſemper eſt apud te ignem accenſum
eſſe. Et febrem in tantũ extendens non ſinis deſi-
ſtere. Et illi putãs mali quicpiã inferre, teipſum ipſe
conſumis flagrantem ſemper, & vigentem ferens
flammam,nec animam permittens requieſcere,ſed
ſemper ſæuius,& in turbatione mentem habens &
procella. Quid hoc grauius furore, ſemper eſſe tri-
ſtem,& inflatum,& ſemper ardere? Tales enim ſunt
mali memoriam ſeruantiũ animæ. Cùm eum quem
volunt vlciſci, viderint, ſtatim conſternati ſunt: ſi
vocem audierint, concidunt, tremunt. Si lecto re-
cumbent, innumeras ſibi fingunt pœnas, ſuſpen-
dentes,ſnumque torquentes inimicũ: adhęc verò,
ſi bene ſe gerentẽ viderint. O vltionem! Ergo pec- D
catum ei dimitte, & à tormẽto temetipſum abſolue.
Quid manes ſemper ſupplicium ſuſtinens, vt illum
ſemel punias & vlciſcaris? Quid ſtruis, teipſum æ-
gritudine conſumẽs? Quid iram animo tuo exſolui
volentem cohibes? Nec ad veſperam vſq; maneat,
inquit Paulus: tanquam enim tabes quædam, & ti-
nea mentis noſtrę radicem corrodit. Quam tuis vi-
ſceribus feram includis? Satius eſt anguẽ vel vipe-
ram in corde tuo latêre, quàm iram & rancorẽ. Illa
namque nos repente relinquunt, hæc autem ſem-
per remanet, dentes inſigens, infundẽs venenum,
graues adducens cogitationes. Ne me derideat, in-
quit, ne me contemnat. Homo miſer & ærumnoſe,
non vis à conſeruo derideri, ſed à domino tuo pa-
teris odio haberi? Non vis à conſeruo cõtemni, ſed
dominum contemnis, & ab eo contemni non tole-
ras? Deum autem ægreferre non cenſes, quòd eum
derides, quòd eum contemnis, ei nolens obtempe-
Luc. 6. rare? Quòd autem te nunc deridebit, inde manife-
ſtum erit. Itaque ſi procedas quidem, multum eſt

A riſus, contemptus multum: puſilli ſiquidem opus
eſt animi. Si verò dimittas, admiratio multa: magni
quippe fuerit hoc animi. Neſcit, inquit. Sciat Deus,
vt maius habeat meritum: ait enim, Facite non va-
lentibus vobis retribuere. Et ita beneficium confe-
rimus in neque ſentientes ſe beneficium accipere,
ne nobis laudem vel quidlibet retribuentes, nobis
mercedem diminuant: cùm enim ab hominibus ni-
hil acceperimus, tunc à Deo maiora recipiemus
Quid verò riſu dignius? Quid anima ſemper ira-
ſcente frigidius, & euadere volente muliebris hæc
& puerilis electio. Sicut enim pueri & aduerſus ina-
nimata ſolent iraſci, & niſi mater pulſet pauimen-
tum, iram non ſedant: ita ſcilicet & hi eos qui iniu-
riam intulerunt, volunt vlciſci. Igitur ipſi riſu ſunt
digni. Ab ira namque teneri, puerilis eſt ſententiæ:
at vincere, fortitudinis eſt. Non itaque deridebimur
cùm philoſophabimur, ſed illi. Non eſt contempti-
bilium hominum ab ira non vinci. Contemptibi-
bilium autem eſt ita timere riſum extrinſecus, vt
propterea capiantur, & proprio ſuccumbant vitio,
& Deum offendant, ſeque vlciſcantur. Hæc verò
riſu ſunt digna, hæc fugiamus. Dicat, quòd infinitis
nos afficiens malis nihil ipſe paſſus eſt. Et dicat,
quòd etſi iterũ nobis conuitiaretur, non aliter vir-
tutem noſtram prædicauerit. Non alia quæſiſſet
verba, ſi laudare nos voluiſſet, quàm hæc quę dicit
vituperare ſe putans. Vtinam omnes hæc de me
dicerent, quòd frigidus homo ſim, & ignauus. Om-
nes in eum contumelias iactant, ipſe verò patitur:
omnes inſultant, at ipſe non vlciſcitur. Vtinam ad-
deret: Neque ſi velit, poteſt, vt mihi laus ſit à Deo,
& nõ ex hominibus. Dicat, quod propter frigidita-
tem non vlciſcitur. Nihil hoc nobis nocet, cum
Deus nouerit, ſed noſtrum in maiori cuſtodia the-
ſaurũ conſtituit. Si velimus ad eos reſpicere, omni-
bus excidemus. Non quid dicant, ſed quid nos de-
cet, conſideremus. Ne me derideant, inquit, & in-
ſultent aliqui. O dementiam! Nullus mihi, inquit,
iniuriam faciens me deriſit, hoc eſt, euaſi. Et ex hoc
quidem derideri debes. Vnde hęc verba, quę pudo-
ris ſunt & mortis, irrepſerunt, vitæ conuerſationiſ-
que noſtræ ſubuerſio? Contraria Deo loqueris.
Quod Deo parem facit non vlciſci, hoc riſum exi-
ſtimas? Non propterea digni ſumus, qui rideamur
& à nobiſmetipſis, & à Gentilibus, cũ ita Deo con-
tradicamus? Volo quiddam apud antiquos geſtum
cõmemorare, non de ira, ſed de pecuniis. Erat qui-
dam locus theſaurum habens abſconditum, cùm
hoc neſciret dominus, locum alienauit. Qui eme-
rat, cùm perfoderet vt agrum plantaret & excole-
ret, repoſitum inuenit theſaurum: cumque veniſſet
ad venditorem, vt theſaurum reciperet cogebat:
locum enim ſe dicebat emiſſe, non theſaurum. Vi-
ciſſim ille reſpuebat donum, dicẽs: locum vendidi,
nec vllum in eum ius habeo. in quæſtionem vene-
runt, vnus quidem dare volens, alter verò conten-
dens ne reciperet. Et quendam conuenientes vi-
rum diſceptabant, & poſtea dicebant ei: Cui debet
attribui theſaurus? Ille verò ſententiam non pro-
tulit: dixit enim ſe quæſtionem ſoluturũ, & ſe poſ-
ſeſſorem futurum. Cumque ſponte conceſſiſſent
innumera poſtmodum mala ſuſtinuit: & quòd me-
ritò illi ab eo diſceſſiſſent, ipſa re didicit. Hoc & de
ira fieri oportet, & nos contendere ne vlciſcamur,
& iniuriam operatos vt pœnas luant contendere.
ſed hæc fortè riſus quidam eſſe videtur. Cùm enim
amplius inſania dominetur. modeſti deridentur, &
inter multos furentes non furens furere putatur.
Propterea hortor reſipiſcere, & noſtri iuris fieri, vt
ab hac pernicioſa peſte mundati, cælorum regno
digni poſſimus à Deo patre cenſeri, gratia & beni-
gnitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri
ſimul & ſpiritui ſancto gloria, poteſtas & honor,
maieſtas & magnificentia, in ſæcula, Amen.

De ira, longanimitate, & manſuetudine.

HOMILIA XXXI.

MAGNVM verè quiddam eſt, chariſſimi, generoſus & ingens animus. Et propterea promptitudine nobis eſt opus, ardore multo, animo ad mortem expoſito: alioqui non licet niſi cruci confixum, regnum aſſequi, ne noſmetipſos fallamus. Nam ſi pugnantes ſaluos eſſe non licet, deliciis & quæſtui vacantem, & abutentem, & torpentem in hac pugna magis oportet periclitari. An non eſſe putatis pugnam omnium pugnarum difficillimam? Non eſt nobis, inquit, colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem. Nam & prandentibus, & ambulantibus, & nos lauantibus adeſt hoſtis, nec vllum nouit induciarum tempus, præterquam ſomni ſolum: quinimò tunc quoque frequenter impugnat, & immundas ingerens cogitationes, & ex ſomnis impudentiores efficiens. Non vigilamus, non expergiſcimur, non reſpicimus in poteſtatum nobis oppoſitarum multitudinem, non cogitamus quòd hoc ipſum eſt maximæ infelicitatis noſtræ. Tot enim bellis obſeſſi, tanquam in pace delectamur. Credite mihi, peiora ſunt quæ nunc patimur, his quæ Paulus perpeſſus eſt. Eum illi lapidibus cædebant: ſed nunc accidit, vt verbis lapidibus difficilioribus feriamur. Quid igitur? oportet quod ille fecit, etiam nos facere. Percutientes non odit, ſed eorum qui traxerant ſe rurſum ciuitatem intrauit, tales operatos iniurias beneficiis affecturus. Si tu quoque pertuleris contumeliarum authorem aſperum, indignè de te meritum, & tu lapidatus fueris: ne dicas enim, iniuriam nullam intuli. [Act. 14. 21.] Quid enim iniuriæ commiſit Paulus vt lapidaretur? Regnum annunciabat, abducebat ab errore, ad Deum ducebat. Hæc coronis digna ſunt, hæc prædicatione, hæc innumeris bonis, non lapidibus. Veruntamen contraria paſſus, contraria faciebat. Hæc enim ſplendida victoria. Et traxerunt eum, inquit, & te frequenter trahunt: tu verò ne iraſcaris, ſed prædica verba cum manſuetudine. Affecit te contumelia, tace & benedic, ſi potes. Et prædicaueris quoque verbum, humanitatem docueris, docueris manſuetudinem. Noui multos non ita vulneribus dolentes, ſicut verborum percuſſione: illam quidem plagam corpus excipit, iſtam anima. Sed ne doleamus, imò verò dolorem paſſi perferamus. Non videtis pugnantes, qui cum in capite vulnerantur, dentes comprimentes, ita quiete dolores ſuſtinent? Non opus eſt ſtridere dentes, non opus mordere. Recordare domini tui, & ſtatim memoriæ medicamentum impoſueris. Recordare Pauli. Cogita quod tu qui percuteris, viciſti, ille verò qui percuſſit, victus eſt: & tu per hoc omnino ſanatus es. Momentum eſt: & totum illicò perfeciſti. Ne ſimul abducaris, neque mouearis, & totum extinxeris. Magna conſolatio, propter Chriſtū aliquid perpeti. Non prædicas fidei verbum, ſed philoſophiæ verbum prædicas. At, inquies, quantò maiorem viderit humanitatem, tantò magis vrgebit. Igitur propterea doles, quoniam mercedem tibi maiorem accumulat? ſed inutilis efficitur, inquies. Hoc eſt propriæ conſideratio puſillanimitatis. Et aliter enim fit inutilis, etiamſi vlciſcaris. Si Deus ſciſſet quod inutiles fiant iniuſti, eo quòd ab eis vltio non ſumatur, non hoc feciſſet, ſed dixiſſet: Teipſum vlciſcere. Sed nouit quod aliter magis proficitur. Noli contrariam Deo legem ſancire, illi pare. Non es tu melior eo qui fecit nos. Ipſe dixit: Contumeliam patiens, æquè feras: tu dicis, Contumeliam refero, ne fiam inutilis: tu maiorem igitur illius curam geris. Hæc vitij ſunt, & procacitatis, & ſuperbiæ verba, quæ Deo contraria ſanciunt. Nam licet etiam lædere-

[A] tur, nónne parere oporteret? Cùm quid Deus iubet, ne nos in contrarium feramus legem. Reſponſio, inquit, ſuccumbens auertit iras, non aduerſans. [Prou. 15.] Si tibi prodeſt, & illi prodeſt: ſi verò te debentem illum corrigere lædit, multò magis illum. *Medice cura teipſum.* [Luc. 14.] Maledixit, tu benedic: conuitiatus eſt, tu lauda: inſidiatus eſt, tu bene merere: contraria ei retribue, ſi modò prorſus ſalutis eius prouidentiam geris, neque iniuriam tuam vis vlciſci. At frequenter, inquis, longanimitatem nactus peior factus eſt: hoc non propter te, ſed propter ipſum. Vis diſcere, qualia paſſus eſt Deus? *Ipſius altaria ſuffoderunt, prophetas occiderunt,* [Rom. 11.] & omnia ferebat. Non ſupernè fulmen emittere poterat? ſed poſtquam prophetas miſit, & eos occiderunt, tunc miſit filium: cùm maiorem aggreſſi ſunt impietatem, maioribus eos proſecutus eſt beneficiis. Et tu cùm videris exaſperatum, magis cede: maioris enim hic furor indiget remedij. Quanto grauiores infert [B] contumelias, tanto maioris indiget manſuetudinis. Et ſicut febris cum vehementer ſpirauerit, tunc eget cedente: ſic & iraſcens. Beſtiam, cum maxime efferatur, tunc fugimus omnes: ſic & iraſcentem. Hócne honorem eſſe cenſes: quoniam & beſtiam honoramus, & furentes cùm declinamus? Nequaquam. Nota magis hæc eſt contumeliæ: imò verò neque nota, neque contumelia, ſed miſericordia & humanitas. Non cernis nautas, cum vehemens ventus ſpirauerit, vela dimittentes, ne ſubmergatur nauigium? Equos, cum in campum delati ſeſſorem abripuerint, à ſeſſore non retrahi, ne vires incaſſum exhauriat? Ignis eſt ira, flamma eſt velox, indigens materiæ. Igni fomitem ne præbeas, & ſtatim malum extinxeris. Non habet ex ſe fortitudinē ira, niſi ſit alter qui nutriat eam. Nulla tibi eſt excuſatio. Ille furore tenetur, & neſcit quid agat: tu conſpiciens eum, cum in eadem incideris, [C] nec ex illo fueris correctus, quam veniam ſperabis? Si quem, in conuiuio conſtitutus, ab initio videris ebrium, & turpiter agentem, nónne multo magis poſt illum inebriatus venia fueris indignus? Itidem & hic, quam excuſationem eſſe putamus, dicendo ſcilicet, ego non cœpi? hoc contra nos eſt, quod nec illum conſpicati, ſumus correcti. Vt ſi quis diceret: Ego prius non interfeci: propterea namque puniri dignus es, quoniam nec exemplum intuitus temetipſum coërcuiſti. Si videris vomentem ebrium, diſtrahi, diſſipari, oculos habere diſtentos, immunditia menſam implere, omnes eum fugere, & poſtmodum in eadem incidas: num eis magis odioſus? Talis eſt & iraſcens, imo vero vomentis venas intendit, oculos inflammat, diſtrahit inteſtina, verba multo illis immundiora cibis eructat, indigeſta loquitur omnia, elaboratum nihil: non enim ira permittit, ſed ſicut illic humorum immoderatio ſtomachum vexans, vt plurimum [D] omnia eiicit: itidem & hic immodicus feruor animam vexans ea tegere, quæ tacere bonum eſt, non permittit. Sed effabilia dicit, & ineffabilia, non audientes, ſed ſeipſum dedecorans. Sicut igitur à vomentibus fugimus, ſic & ab iraſcentibus, puluerem eorum iniiciamus vomito. Quid agentes? tacentes, canes vocemus, vt ipſa deuorent vomita. Noui quod audientes nauſeam patimini: ſed cùm hæc fieri videtis, hoc volo vos tunc pati, non autem ſuper facto delectari. Cane ſordidior eſt contumeliis gaudens qui reuertitur ad vomitum ſuum. Nam ſi poſtquā ſemel euomuit, deſtitiſſet, non eſſet par illi: ſi vero rurſum eadem vomit, manifeſtum eſt quod eadem comedit. Quid itaque tali magis abominabile? Quid autem illo ſordidius ore, quod tales cibos manducauit? Atqui hoc eſt opus naturæ, illud verò minimè: imò verò & hoc præter naturam, & illud. Quomodo? Non enim ſecundùm naturam eſt, temere contumeliam inferre, ſed præter naturam. Nihil igitur vt homo loquitur,

Digitized by Google

ſed hæc quidem vt fera, hæc autem vt furens. Sicut enim corporum morbus eſt præter naturam ſimiliter & hoc. Et quoniam præter naturam eſt, ſi in ea moratur diu, paulatim moritur: in eo verò quod iuxta naturam eſt, diu commorans non perit. Mallem cum homine cœnum edente menſam communicare, quàm cum talia loquente. Non cernitis porcos ſtercus mandentes: ſic & iſti. Quid enim fœtidius verbis quę contumelioſi loquuntur? Studiũ eis eſt nihil ſanũ eloqui, mundũ nihil, ſed ſi quid turpe, ſi quid deforme, hoc tam facere, quàm dicere: & quod grauius eſt, alios ſe confundere putant, cùm ſeipſos dedecore magis afficiant. Quòd enim ſibi dedecus inferant, inde manifeſtum eſt. Ne namque mihi falſa dicentes proponas: ſed ſit quæpiam publica meretrix, vel ſcenicus alter, & cum aliquo pugnam faciat, huic ille poſtmodum hæc proferat, & ille rurſum ſimiliter: quis magis ex verbis contumeliam paſſus eſt? Ille quidem audiuit quæ habebat, hic autem quæ non habebat. Igitur illi quidem nil amplius actum ad confuſionis ſermonem, huic autem multa verecundię acceſſit. Sed ſint negotia quædam rurſum occulta, & ſolus iniuriam inferens nouerit. Poſtea pridem tacens contumeliam oſtentet. Nam & ita maiorem hic paſſus fuerit contumeliam. Quomodo malitiæ factus eſt præco, nõ habentis conſcientiã: infidelis ſubiẽs infamiã. & ſtatim omnes videbit accuſantes. Si enim cædis cõſcius eſſet, omnia oportebat exhauſiſſe: & hunc quidem tanquã nec humanitatis participem auerſantur, odio habent, feram eſſe teſtantur ſæuam & immitem: huic autem magis parcunt, quàm illi. Non enim tantum odimus habentes vulnera, quàm ea releuare conantes & oſtendere. Itidem & hic affecit contumelia, non illum ſolùm, verùm & ſeipſum, & audientes, & communem hominum naturam: perculit auditorem, nec vllo proſecutus eſt bono: propterea Paulus ait: *Si quis ſermo bonus ad ædificationem, vt det gratiam audientibus.* (Ephes. 4.) Laudatricem linguam habeamus, vt amabiles ſimus ac deſiderabiles. Sed iam ad id malitiæ omnia deuenerunt, vt quæ celare oportebat, in his multi glorientur. Quæ namque multi minantur, talia ſunt. Non poſſum ferre linguam meæ, inquit, vxoris. Verba anus ebriæ ſe deformantis, eorum qui per forum trahuntur. Nihil his turpius verbis, ignauius nihil, nihil muliebrius, in lingua potentiam habere, in conuitiis iactandis altum ſapere: ſicut qui conducuntur in pompis, ſicut mimi, paraſiti, & aſſentatores, porci potius, quàm homines ſunt, quicunque ſuper his gloriantur, cùm opus eſſet ſub terra ſe obruere: cum opus, inquam, ſi quis alius atteſtatus iſta fuiſſet, fugere teſtimonium, tanquam inimicum, neque viro dignum. Contumeliarum præco factus es, ſed audientem malè nihil offendere poteris. Propterea vos hortor, vt cogitantes quanta ſit malitia, quod in his glorientur multi, reuigilemus, corrigamus ita furentes: hæc ex ciuitate conciliabula tollamus, nobis linguam ornemus, & ab omni liberemur detractione: vt à peccatis purificati, ſupernam poſſimus allicere beneuolentiam, & diuina digni miſericordia cenſeri, gratia & miſeratione ipſius vnigeniti, cum quo patri, ſimul & ſpiritui ſancto gloria, poteſtas & honor, maieſtas, &c.

De eleemoſyna & miſericordia.

HOMILIA XXXII.

OPVS eſt vbique fide, chariſſimi. Crucem enim vitæ fontem eſſe dicunt, quod mens haud facile ſuſceperit: atteſtantur etiam nunc deridentes Gentiles. At cogitationum infirmitatem ſuperans fides, id facilè ſuſcipit & retinet. Vnde verò Deus ita mundum dilexit? Ex nulla quidem alia re, ſed A ex charitate ſola. Reuereamur eius itaque charitatem, miſerationis exceſſum erubeſcamus. Ipſe namque nec vnigenito pepercit propter nos, nos autem & pecuniis parcimus contra noſipſos. Ipſe & legitimum pro nobis filium tradidit: nos verò nec argentum propter eum contemnimus, ſed neque propter nos. Et qualiter hæc venia fuerint digna? Verùm ſi hominem pro nobis pericula & mortes paſſum viderimus, omnibus quidem præponimus, & amicorum primis connumeramus, & ei noſtra tradimus omnia, & ipſius magis, quàm noſtra dicimus eſſe, nec ita dignam ei retributionem nos erogare cenſemus: erga Chriſtum verò nec hanc gratitudinis menſuram obſeruamus. Sed ille quidem pro nobis animam poſuit, & pretioſum ſanguinem propter nos effudit, qui non eramus amici: nos autem neque pecunias propter eum effundimus, ſed eum deſpicimus nudum & peregri- B num, pro nobis mortuum. Et quis nos à futura pœna liberabit? Niſi namque Deus, neque nos, ſed noſipſos damnaremus. Non ergo contra noſipſos ſententiam tulimus; non ergo gehennæ noſmetipſos igni damnauimus, eum qui pro nobis animam poſuit, deſpicientes eſurientem? Et quid dico pecunias? Nonne ſi innumeras haberemus animas, omnes oportuerat pro eo ponere? Atqui nec ita quicquam beneficio dignum feciſſemus. Ipſe namque prior benefaciens manifeſtam exhibet bonitatem. At qui beneficium accepit, quicquid retulerit, debitum reddit, non meritum confert: & maximè cùm ille qui cœpit, inimicis benefecerit: & qui retribuit, in benefactorem data conferat, & ipſe rurſum eis fruatur. At nos nec iſta trahunt; ſed omnibus ingratiores ſumus, ſeruis quidẽ, & mulis, & equis torques aureos circumponentes, dominum verò nudum circumeuntem, & fores ex foribus C mutantem, & ſemper in exitibus morantem, & manus porrigentem deſpicientes, frequenter autem & toruo reſpicientes oculo, licet & hoc ipſum propter nos patiatur. Libenter enim eſurit, vt tu paſcaris: & nudus circumit, vt incorruptionis indumenti tibi præbeat occaſionem: ſed nec ita veſtrorum aliquid erogatis. Sed veſtimentorum hæc quidem iacent tineis eſca, hæc autem arcæ ſarcina, ſuperfluaque poſſidentibus cura. Qui verò ita cæteraque dedit omnia, nudus erat. Sed in arcam ipſa non repoſitis, ſed ipſi vos circumamicientes ornamini. Et quid vobis ex his amplius? Vt forenſium turba vos ſpectet? Et quid hoc? Non enim his amictum admirabuntur, ſed eum qui indigentibus largitur. Itaque ſi vis in admiratione haberi, alios potius induens, infinitos aſſequeris applauſus. Tunc & ipſe Deus te cum hominibus laudabit: nunc autem laudabit quidem nemo, at omnes inuidebunt, corpus quidem cernentes ornatum, animam verò neglectam habentem. Hic & D meritoriis mulieribus eſt ornatus, & pretioſiores apud eas frequenter, & pulchriores ſunt veſtes. Animæ verò ornatus penes eos eſt ſolos, qui cum virtute viuunt. Hæc continuè dico, neque dicere deſinam, non tam pauperum, quàm animarum curam gerens veſtrarum. Illis enim, etſi non à vobis, aliunde tamen erit aliqua conſolatio. Etſi nulla præbeatur conſolatio, & fame conſumantur, non magna fuerit eis iactura. Quid Lazaro nocuit paupertas, & fame tabeſcere? (Luc. 16.) A gehenna verò vos eruet nemo, niſi à pauperibus auxilium ſequamini. Sed eadem diuiti dicemus, qui continuò quidem torretur, nunquam autem conſolationem nanciſcitur. Sed ne accidat vt quis hæc vnquam audiat verba, ſed in Abrahæ ſinum migremus. Sicut enim ſpina, vndecunque capiatur, tenentem pungit: ſic & ſecularia vndecunque detineas, amplectentem ſe, vel fouentem contriſtant. Spiritualia verò non eiuſmodi, ſed margaritæ cuidam ſimilia ſunt, vnde ſi aduertas,

Digitized by Google

A oculos delectant. Exempli gratia: Fecit aliquis eleemoſynam, non tantum futurorum ſpe paſcitur, verùm & præſentibus bonis exultat, ſemper confidens, & omnia cum multa faciens fiducia, malam ſuperauit concupiſcentiam. Et ante regnum iam hic fructum accepit, dum laudatur, dum admirabilis habetur ante cæteros omnes à propria conſcientia. Et bonorum operum quodlibet eſt eiuſmodi: ſicut viciſſim mala & hic ante gehennã conſcientiam torquent. Et ſi futura poſt peccatũ mente conceperis, pauidus & tremens, licet nullo puniente apparebis: ſiue præſentia, multos habebis inimicos, & cum ſuſpicione viues, neque poteris iniuriæ iam authores reſpicere, imò verò nec immunes iniuriæ. Non enim tantum ex eis capimus voluptatis, quantum triſtitiæ, conſcientia ſemper increpante, externis hominibus condemnantibus, iraſcente Deo, gehenna nos abſorbere parante, cogitationibus nunquam requieſcentibus. Graue B ſiquidem, graue, inquam, & onerosum eſt peccatum, & omni plumbo ponderoſius. Qui igitur illud ſenſerit, neque minimum ſurſum aſpicere poterit, 3 Reg. 21 g. licet multum ſit inſenſatus. Profectò ſic & Achab, licet eſſet admodum impius, poſtquam hoc ſenſit, deorſum inclinatus ambulabat contritus & anguLuc. 19. b ſtiatus: & propterea ſaccum induerat, & lachrymarum effundebat fontes. Hoc ſi nos faciamus, & ſicut ille, lugeamus, peccata, ſicut Zachæus, exuemus. Sicut enim in corporibus, & in fiſtulis, niſi prius quis humorem influentem ſiſtat, & vulnus tergat, quotquot impoſuerit medicamenta, mali fonte non obſtructo, incaſſum omnia facit: itidem & nos, niſi manum auaritiæ cohibeamus: & hanc improbam diſtillationem corripiamus, licet demus eleemoſynam, nequicquam omnia facimus. Curatum enim per ſe auaritia percurrens diſſoluit & exanimat, & peius quam prius afficit. Deſinamus C igitur rapere, & ita miſericordiam impendamus. Sed ſi nos in præcipitia ferimur, quomodo poterimus reſpirare? Etenim ſi quis caſurum ſupernè traheret, quod facit eleemoſyna, alter autem infernè retraheret, nil erit amplius ex huiuſmodi certamine, quàm hominem diſtrahi. Ne hoc itaque patiamur, néve premente nos deorſum auaritia, nobis eleemoſyna relictis abeat, releuemus noſipſos, & euolemus, vt per malorum fugam, & bonorum operationem conſummati, bona conſequamur æterna, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſpiritui ſancto gloria, poteſtas & honor, maieſtas & magnificentia, in ſæcula, Amen.

Quòd ars eſt Eleemoſyna, & omnium artium quæſtuoſiſsima.

Homilia XXXIII.

D Eia chariſſimi, prius dicta reſumamus, & hodie oſtendamus, qualiter eſt ars omnium artium quæſtuoſiſſima eleemoſyna. Si enim artis eſt proprium ad aliquam vtilitatem peruenire, eleemoſyna verò nihil eſt vtilius, clarum eſt profectò, quod & ars, & omnium eſt artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque veſtimenta contexit, nec has luteas domos ædificat: verùm & æternam miniſtrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in vtraque vita claros exhibet, & manſiones ædificat in cœlis, & æterna parat illa tabernacula. Hæc lampades noſtras non ſinit extingui, nec ſordidis indutos veſtibus in nuptiis videri, ſed lauat, Eſa. 1. c. & niue mundiores reddit. Si namque *fuerint peccata veſtra vt coccinum quaſi nix dealbabuntur.* Non ſinit nos eò decidere, vbi diues ille: nec audire verba tremenda, ſed in Abrahæ ſinus deducit. Et artium quidem ſecularium vnaquæque vnum habet, quod accepit, meritum. Verbi gratia: Agricultura paſcit, A textoria veſtit, imò vero nec hoc vlla poteſt à ſemetipſa vobis conferre. Et ſi libet, agriculturam examinemus primam. Nam niſi cuſoriam habuerit, à qua ligonem & vomerem, falcem, ſecurim & & alia plura mutuetur: & carpentariam, vt aratrum pangat, & iugum paret, & plauſtrum, vt ſpicas excutiat: & coriariam, vt & lorum faciat: & ædificatoriam, vt & arantibus tauris ſtabulum ædificet, & ſerentibus agricolis domum: & ſucciſoriam, vt ligna ſecentur: & piſtoriam: poſt hæc omnia nuſquam apparebit. Similiter & textoria, cùm aliquid faciat, multas ſecum artes conuocat, vt propoſita ſecum expediant: quod ſi non acceſſerint, & manum porrexerint, hæc quoque ſimiliter, vt illa remanebit inops. Et artium quæque alterius indiget artis. Cùm autem oporteat miſereri, nihil aliud nobis opus eſt, ſed ſola voluntas eſt neceſſaria. Quòd ſi dicas, quod pecuniis opus eſt, & habitationibus, & veſtimentis, & calceamentis: illa lege Chriſti verba quæ B de vidua dixit, & ab anguſtia deſiſte, licet valde ſis Luc. 21. a pauper, & mendicantibus pauperior, ſi duo minuta contuleris, totum expleſti. Et ſi des panem, eum habens ſolum: ad perfectionem artis veniſti. Hanc itaque ſuſcipiamus artem & ſcientiam, & obeamus. Melius enim eſt hanc ſcire, quàm eſſe regem, & diademate coronari. Non enim eſt hæc ſola eius præcellentia, quòd aliarum non indiget, verum & diuerſarum rerum eſt expeditoria, & multarum quidem & omnigenarum. Domos enim ædificat in cœlis ſemper manſuras, & qui ſe conſecuti fuerint, donec quemadmodum immortalem fugiant mortem: & tibi theſauros donat, qui nunquam abſumuntur, ſed omne damnum effugiunt, tam à latronibus, quàm à vermibus & tempore. Si quis circa frumentorum conſeruationem hoc ſolum te docuiſſet, quid non reddidiſſes, vt inabſumptum multos annos poſſes conſeruare frumentum? Ecce auC tem hæc non in frumento tantum, verum & in omnibus docet, & quomodo parta, & anima & corpus indiminuta conſeruentur, oſtendit. Et quid opus eſt omnia particulatim dicere artis huius merita? Hæc namque te docet, quomodo poſſis Deo ſimilis fieri, quod eſt omnium ſumma bonorum. Vides quomodo non vnum huius eſt opus, ſed multa? non alterius indigens artis domos ædificat, texit veſtes, inabſumptos parat theſauros, facit vt mors ſuperetur, diabolum cohibet, Deo reddit ſimiles. Quid igitur hac arte fuerit vtilius? Nam aliæ quidẽ cum dictis, & cum præſenti ſoluuntur vita, & morbo laborantibus artificibus nuſquam apparent, & earum opera durare non poſſunt, & laboris indigent, & temporis multi, & aliorum mille: hæc autem cum mundus præterierit, maximè tunc apparet, cùm fuerimus mortui, maximè tunc coruſcat, & opera monſtrat à ſe geſta, nec laboris indiget nec alteD rius huiuſmodi cuiuſpiam operationis: verùm & ægrotante te fructum affert, & annis confecto, & ad futuram tecum vitam emigrat, nec vnquam te deſerit. Hæc & ſophiſtis, & oratoribus te potentiorem efficit. Nam illi quidem in ſuis præcellentes artibus multos habent æmulos: hac autẽ pollentes infinitos habent pro ſe orantes. Et illi quidem hominum aſſiſtunt tribunalibus, iniuriam patientibus exhibentes patrocinium, at & frequenter iniuriam facientibus: hæc autem Chriſti aſtat tribunali non tantum patrocinans, verùm & ipſi perſuadens iudici, vt reo patrociniũ præſtet, & pro eo ſententiam ferat: & licet millies peccauerit, coronat, & victorem promulgat: ait enim, *Date eleemoſynam, & omnia erunt, munda.* Luc. 11. f. Et quid de futuris loquor. In præſenti vita ſi homines interrogemus, quid malint, ſophiſtas ſe eſſe magnos & oratores, an eleemoſynarios, & humanos? audies eos ſecundum eligentes: & meritò. Sublata namque dicendi facultate, vita nihil læditur. Nam & ante hanc multum ſtetit temporis. Sed ſi miſericordiam

auferes,

miſeres, omnia tranſibunt & perierint. Et ſicut ma-
re nō poteſt nauigari, portubus & ſtationibus obru-
tis: ita nec hæc vita conſtare, ſi miſericordiā & ve-
niam tollas, ac humanitatem. Quamobrem non
tantum eam rationi Deus mandauit, verùm & mul-
tas ipſius partes inſperſit naturæ tyrannidi. Sic &
filiorum patres miſerētur, ita matres, ita parentum
geniti. Nec verò tantum in hominibus, verum in
omnibus brutis: ita fratrū fratres, & conſanguinei,
& neceſſarij, ſic hominis homo. Habemus enim ali-
quid ad miſericordiam inclinatum & à natura. Et
propterea pro patientibus iniuriam indignamur, &
iugulatos cernentes flectimur, & lugentes aliquos
videntes, lachrymas impendimus. Quoniam enim
id vult Deus præſtari, naturam ad hoc multum
conferre mandauit, oſtendēs quod hoc eſt ſibi val-
de gratum. Hæc itaque cogitantes, & noſipſos, & fi-
lios, & neceſſarios, in eleemoſynæ diſciplinam du-
camus. Et hoc ſuper omnia diſcat homo, quoniam
& hoc eſt homo. Magnum enim homo, & pretioſum
vir miſericors. Itaque niſi hoc habeat, eſſe deſiit
homo. Hoc ſapientes præſtat. Et quid admireris ſi
hoc eſt Deus, & hoc homo? Ait enim: Eſtote miſeri-
cordes, ſicut pater veſter. Diſcamus itaque miſeri-
cordes eſſe omnium cauſa, maximè quoniam &
nos multæ indigemus miſericordiæ, & neque viue-
re putemus per id temporis, quo non miſereamur.
Eleemoſynam autem dico ab auaritia puram: nam
ſi ſuis contentus, & aliis non impertiens, non eſt
miſericors: aliena rapiēs quomodo miſericors? Non
eſt miſericors profectò, licet infinita largiatur. Nā
ſi propriis frui ſimpliciter, eſt inhumanitatis, mul-
tò magis alios expilare. Si qui nullam patrarunt in-
iuriam, quòd non communicauerint, puniuntur:
multò magis qui rapiunt aliena. Ne hoc itaque di-
cas, quod alius iniuriam paſſus eſt, & alius miſeri-
cordiam accipit: hoc enim graue eſt. Oportebat
enim iniuriam patientem ipſum eſſe, cui miſericor-
dia præſtaretur. Nunc autem alios vulnerans, quos
non vulneraſti, curas, cùm illos opus ſanare prius
fuiſſet, vel potius neq; vulnerare. Humanus enim
eſt, non qui vulnerat & curat, ſed ab aliis percuſſos
fouens. Tuis igitur malis, non alienis medere. Vel
potius neque vulneres, neq; proſternas (hoc enim
proterui eſt) ſed proſtratos ſuſcita: nec enim ea-
dem miſericordiæ menſura poteſt auaritiæ malum
curari. Nam ſi obolum vſurpaueris, non obolo vi-
ciſſim opus eſt ad eleemoſynam, vt ex auaritia vul-
nus tollas, ſed talento. Propterea fur conuictus,
quadruplū erogat. Furante verò peior rapiens. Sed
ſi illum pendere quadruplum oportet eorum quæ
furatus eſt: rapientem opus eſt decuplum, & multi-
plum exoluere. Et optabile ſic quoque iniuriam
delere poſſe. Nam neque tunc eleemoſynę fructum
accipiet. Propterea Zachæus: *Reddam*, inquit, *ſi quid*
Luc 19.b *aliquem defraudaui, quadruplum: & dimidium bonorum meo-*
rum dabo pauperibus. Quòd ſi in lege quadruplum o-
portet dare, multò magis in gratia. Si furantem,
multo magis rapientem. Nam præter iacturam hic
eſt & multum contumeliæ. Itaque ſi des & centu-
plum, nondum totum erogaueris. Vides quod non
fruſtra dicebam, quòd ſi vel obolum rapueris, & ta-
lentum reddas, vix ita quoque reſarcis: ſed ſi hoc
faciens vix ſatis feceris, ordinem conuertens, & ra-
pta quidem integra ſubſtantia, pauca quędam exol-
uens, nec iiſdem qui ſunt iniuria affecti, ſed aliis
eorum loco, quam habebis excuſationem? quam
veniam? quam ſalutis ſpem? Vis noſſe quantum
ita miſerens admittas peccatum? audi ſcripturam
Eccl.34. dicentem: *Sicut qui occidit filium coram patre, ita qui offert*
ſacrificium ex pecuniis pauperum. Hanc itaque commina-
tionem mente ſcribentes abeamus, hanc in parie-
tibus, hanc in manibus, hanc in conſcientia, hanc
vbique, vt vel hic timor in noſtris vigēs cordibus,
manus noſtras à quotidianis cohibeat cædibus. Cæ-
de namq; peior eſt rapina, paulatim pauperē deuo-

A rans: vt ab hac itaque mundemur ægritudine, hæc
& in alterutrum, & nos meditemur. Sic enim ad
miſericordiam erimus proniores. Hæc itaque co-
gitantes chariſſimi, reſpiciamus tandem quando-
que, & reuigilemus. Iam enim ipſe confundor
amplior diſſerēs de eleemoſyna, eò quòd frequen-
ter de hac materia verba fecerim, & nihil dignum
effecerim admonitione. Nam factum quidem eſt
aliquid melius, ſed non tantum, quantum ipſe vo-
lebam. Vos namque ſeminantes quidem videmus;
ſed non larga manu: propterea timeo, ne & parcè
metatis. Quòd enim parce ſeminamus, indagemus,
ſi placet, vtri ſint in ciuitate plures pauperes, an
diuites: & qui neque diuites neque pauperes, ſed
medium habentes locum? Verbi gratia: Decima
pars eſt diuitum, & decima pauperum, nihil peni-
tus habentium, reliqui verò mediocres ſunt. Diui-
damus igitur in egenos ciuitatis multitudinem, &
B quantū opprobrij ſit, videbitis. Vehementer enim
diuites pauci, poſt eos verò multi: pauperes autem
his multò pauciores. Veruntamen cum tot ſint qui
pauperes alere poſſint, multi dormiunt eſurientes,
non quod habentes eis facile ſatisfacere nequeant,
ſed propter multam eorum eorum duritiam & in-
humanitatem. Nam ſi diuites, & qui ſunt ſequen-
tis ſortis, panes & veſtes indigentibus impertirent,
quinquaginta vel & centum viris vix vnus forte
contingeret. Et tamen in tanta ſubuenire valen-
tium copia conſtituti quotidie conqueruntur. Et
vt eorum diſcas inhumanitatem, vnius vltimorum
diuitum, & non valde locupletum habens prouen-
tum eccleſia quot per ſingulos dies viduis ſufficiat,
quot virginibus, cogita. Nam ad trium millium
aſcendit numerum earum catalogus, & præter has,
quot carcerem habitantibus, quot in xenedochio
laborantibus, ſanis, & peregrinis, corpora habenti-
bus mutilata, altari aſſidentibus, & victus, & veſtitus
C cauſa ſimpliciter quotidie accedentibus, & nihil ei
de ſubſtantiis diminutum eſt. Itaque ſi decem dun-
taxat viri ſic erogare voluiſſent, nullus eſſet pau-
per. At inquiunt, quid debent filij noſtri excipere?
Sors remanebat, & prouentus rurſum maior fiebat,
cum theſaurizarentur eis in cœlo poſſeſſiones. Sed
non vultis ita, ſaltem ex dimidio, ſiue ex tertia par-
te, ſiue ex quarta, ſiue decima. per Dei namque gra-
tiam decem ciuitatum pauperes noſtra poſſet alere
ciuitas. Et ſi vultis, horum aliquam faciamus ratio-
nem: imò verò neque ratiocinatione opus eſt. Per
ſe namque patet rei facilitas. Reſpicite igitur in ci-
uilia miniſteria, quantum ſola domus impendere
quandoque non dubitauit, ſed nec ad minimū im-
pendium ſenſit: quod ſi diuitum quiſque voluiſſet
in pauperes erogare, breui temporis momento cœ-
lum rapuiſſet. Quæ foret itaque venia: quæ excuſa-
tionis vmbra, cùm nec à quibus omnino ſeparari
D debemus hinc migrantes, hæc indigentibus cum
tanta communicemus largitate, cum quanta ſceni-
cis alij, & hæc cum tātum ex his lucrari debeamus?
Oportebat enim, & ſi ſemper hic eſſemus, neq; ſic
pulchræ huic impenſæ parcere: cum autem paulò Eleemo-ſyna.
poſt hinc abducamur, & omnibus abripiamur nu-
di, quam habebimus defenſionē, nec ex prouenti-
bus miniſtrantes eſurientibus & laborantibus? Nec
enim cogo te patrimoniū diminuere, nō quod no-
lim, ſed quoniam te valde torpentem video. Non
hoc itaque iubeo, ſed ex fructibus expende, nihilq;
theſaurizes. Satis eſt tibi, tanquam ex fonte proue-
nientes, affluentes habere pecunias. Participes fac
pauperes, & bonus ſis diſpenſator eorū quæ à Deo
tibi data ſunt. Sed tributa, inquit aliquis, erogo: igi-
tur propterea negligis, quoniā hic exigit nemo? Et
illi quidem, licet terra nō ferat, accipienti cum ne-
ceſſitate, & extorquēti contradicere non audes: tam
vero miti, & tunc tantum cum terra fructū tulerit
petēti, ne verbo quidē reſpondes. Et quis te ſuppli-
ciis intolerabilibus illis eripiet? Nō erit quiſquam

Digitized by Google

A Si enim quoniam illic non dantem omnino ſequetur difficilis vltio, propterea circa erogationem ſtudioſus es: conſidera quod hic & difficilior, non ligari, nec in carcerem coniici, ſed in ignem præcipitari ſempiternum. Hæc igitur ante omnia ſoluamus tributa, omnibus ex cauſis. Multa namque facilitas eſt, & maior merces & quæſtus amplior, & ingratos ſe præbentibus peius ſupplicium. Nam pœna nos excipit finem non habēs. Si vero milites mihi dicas pro te Barbaris repugnantes, ſunt & hic caſtra pauperum, & bellum, in quo pro te pauperes pugnant. Cum enim ſtipendium acceperint, orantes tibi Deum faciunt propitium: propitium autem facientes, pro Barbaris dæmonum inſidias repellunt: neque ſinunt vehementer infeſtum eſſe malignum, neque ſemper irruere, ſed ipſius ſoluūt potentiam. Hos itaque conſpiciens milites, quotidię pro te cū diabolo precibus & orationibus pugnantes, à temetipſo pulchrum iſtud tributum exige, il-
B lorum alimenta. Nam cum ſit hic rex mitis, non dedit eos tibi qui exigerent, ſed vult volentem erogare: & ſiue paulatim eroges, accipit: ſiue per multum temporis indigens, reponas, non habentē non vrget. Ne verò longanimitatem eius contemnamus, ſed theſaurizemus nobis, non iram ſed ſalutem: non mortem, ſed vitam: non pœnam & vltionem, ſed honores & coronas. Non eſt hic dare mercedem tranſmiſſionis eorum quæ penduntur. Non eſt hic opus res in argentum redigentes laborare. Si conferas, in cœlum ea dominus ipſe tranſportat, ipſe tibi quæſtuoſiorem reddit negotiationē. Non eſt hic neceſſe depoſitorum tranſportatorem inquirere. Tantùm eroga, & ſtatim aſcendunt, non vt alij milites alantur, ſed vt tibi multo cum lucro maneant. Hic quidem quæcunque dederis recipere non licet: illic vero cum multo rurſum honore re-
C cipies, & maiora lucraberis, & ſpiritualiora lucra. Hæc quæ hic erogas, illic ſunt repetitio, mutuum, & fœnus, & debitum. Nam chirographa tibi Deus fecit. Ait enim: *Qui miſeretur inopis, fœnerat Deo.* Arrha-
Prou.19.c bonem tibi dedit, & vades, & hæc cùm Deus ſit. Quem arrhabonem? Præſentis vitæ ſenſibilia, ſpiritualia futurorū primordia. Quid itaque differs & torpes, cum iam tanta receperis, & tot expectes? Quę namque accepiſti, ſunt iſta: Corpus tibi formauit, animā ipſe intulit, honorauit te ratione ſolum ex animalibus terrenis: omnium tibi viſibilium vſum contulit, ſui præſtitit ſcientiam, pro te tradidit filium, baptiſma tot plenum bonis donauit, ſacram tibi dedit mēſam, regnum promiſit, & arcana bona. Cùm igitur tot acceperis, tot itidem acceptu-
D rus (iterum enim idem referam) circa pereuntes puſillanimiter agis? Et quam habebis veniam? Sed filios omnino ſpectas, & propter hos retrocedis: quin & illos tales doces quęſtus lucrari. Nam ſi tibi foret argentum mutuatum, & vſuras pariens, & inſuper debitor eſſet gratus, multò magis eligeres filio pro auro relinquere, vt ei multi prouentus adeſſent, neque cogeretur circumire, & alios quærere mutuum accepturos. Et nunc hoc filiis da chirographum, & Deum relinque debitorem. Tu autem agros quidem non vendis & das filiis, ſed permittis, vt reditus maneat, & pecuniarum ſuperabundantia maior eis hinc fiat. Hoc autem chirographum omnibus agris & reditibus locupletius, & tot afferens fructus relinquere vereris. Quantę verò foret hoc fatuitatis & dementiæ? & hæc cum noueris: quòd ſi hoc eis relinquas, & ipſum ipſe rurſum accipiens fruêris. Talia namque ſunt ſpirittualia, multam habent largitatem. Ne mēdicemus, nec inhumanè nos, & crudeliter geramus, ſed hanc pulchram exerceamus negotiationem, vt & nos ea recepta migremus, & noſtris eam filiis relinquamus, & futura conſequamur bona, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Filij non debēt eſſe impedimento in eleemoſynis.

Quòd oportet multum circa Dei deſiderium ſtudium habere, & de eleemoſyna.

Homilia XXXIV.

A TVARVM es, ô homo, pecuniarum diſpenſator, non minus quàm qui eccleſiæ bona diſpenſat: Sicut igitur ille poteſtatem non habet, ea quæ propter pauperes à vobis erogantur, temere, & vt caſu venit diſpergendi, quoniam in pauperum data ſunt alimentū: ita neque tu tua. Etſi namque paternam excepiſti hæreditatem, & ita poſſides quæcunque tibi ſunt, ita quoque tamen Dei ſunt omnia. Poſtea verò tu quod erogaſti quidem, tali vis diſpenſari diligentia? Deum vero ſua non cenſes maiori nos repetiturum vehementia, ſed ea
B ſimpliciter paſſurum pereuntia? Non ita eſt, nequaquam. Hæc enim propterea tibi conceſſit, vt dares illis eſcam in tempore opportuno, egenis, eſurientibus: ſicut tu conſeruo diſpenſanda dediſti, itidem & Deus te vult hæc in congrua erogare. Propterea quoque cum auferre poſſet, ea demiſit, vt exhibendæ virtutis occaſionem habeas, vt alterum alterius indigentem conſtituens, mutuā charitatem redderet feruentiorem: tu vero cum acceperis, non tantum non impendis, verum & verberas. Verùm ſi non dare crimen eſt, verberare quam reportabit veniam? Hoc autem mihi dicere videtur, cōtumelioſos & auaros innuens, & multam aduerſus tales ſignificans inuectionem. Cùm enim quos nutrire iuſſi ſunt, præterquam quod non nutriunt eos, etiam verberent, digni forent accuſari: mihi vero videtur & hic deliciis vacantes inſinuare. Nam & deliciis magna repoſita eſt vltio: ait e-
C nim: Comedit & bibit cum ebriis, gaſtrimargiam ſignificans, non enim ad hoc accepiſti, vt in delicias abſumeres, ſed vt in eleemoſynam erogares. Nnnquid enim tua poſſides? Res pauperum tibi ſunt creditæ, ſiue ex laboribus iuſtis, ſiue ex hæreditate paterna poſſideas. Nunquid enim non potuit tibi Deus hæc auferre? Verùm hoc non facit, in poteſtate tua ponēs liberam in pauperes liberalitatem. Tu verò, quæſo, conſidera quomodo per omnes parabolas non ſuis congruè pecuniis vtentes, punit. Nec enim virgines aliena rapuerunt, ſed pro- Matt.25.
pria non dederunt. Neque ſibi talentum in terram defodit, iniuſtum vſum ſibi vindicauit, ſed quia non geminauit: nec eſurientem deſpicientes, quòd aliena rapuerint, puniuntur, ſed quoniam ſua non diſperſerunt, ſicut & hic ſeruus. Audiamus itaque quotquot ventri indulgemus, quotquot in opiparas cœnas expendimus diuitias, nihil nobis pertinentes, ſed indigentibus debitas: non enim quo-
D niam ex benignitate multa de tuis erogare iuſſus es, hæc ideo putes eſſe tua. Tibi mutuauit, vt laudabilis fieri poſſes: ne tua igitur eſſe putes, ei ſua præbens: nec enim ſi cui tu mutuaſſes vt abiens aliquas poſſet quæſtuum occaſiones inuenire, illius pecunias eſſe diceres. Igitur & tibi Deus tradidit, vt cœlum lucrari poſſes: ergo benignitatis exceſſum ne facias ingratitudinis materiā. Cogita quantis dignum votis, poſſe poſt baptiſma viam inuenire peccata lauantem, niſi dixiſſet, Da eleemoſynam: quot dixiſſent, Vtinam poſſet fieri, vt pecuniæ darentur, & futuris malis abſolueremur? Sed quoniam hoc poſſibile factum eſt, rurſum redditi ſunt ſupini. Sed erogo, inquis. Et quid hoc? Nondum Mar.12.d
enim tantum exoluiſti, quantum quæ duos obolos erogauit: imò verò neque dimidium, nec minimam illius partē, ſed plura in impenſas inutiles expendis, in conuiuia, & ebrietatem, & extremam prodigalitatē: nunc quidem vocas, nunc verò vocantem ſequens, nunc quidem expendens, nunc autē alios cogens expēdere: vt & duplex tibi fiat vltio, ex hiſ-

que quæ ipſe facis,& ex his ad quæ cęteros inducis.
Mat. 24 d. Et hoc enim ſeruo vide vitio datum: ait enim, Co-
medit & bibit cum ebriis. Non enim ſolos punit
ebrios, verùm & cum illis conuerſantes, & meritò:
quoniam præter propriam perditionē & proximo-
rum neglexere ſalutem, Deum vero nihil ſic exa-
cerbat, quàm ad proximum attinentia deſpicere.
Et propterea demonſtrare volens indignationem,
eum medium diuidi iuſſit: & ideo charitatem ſuo-
rum dixit eſſe diſcipulorum indicium: quoniam ne-
ceſſe prorſus eſt diligentem dilecti curam habere.
Ioan. 13. d. Hanc itaque viam teneamus: hæc enim eſt quæ ma-
ximè reducit ad Deum, quæ Chriſti facit imitatores,
& quoad fieri poteſt, Deo ſimiles reddit. Intuere
quoque virtutes has eſſe magis neceſſarias, quæ
ſecus hanc viam commorantur, & ſi libet, earum
examinationem faciamus, ex Dei ſententia feramus
iudicium. Sint igitur duæ optimæ viuendi viæ: &
earum quidem vna bonum faciat obeuntem, altera
verò & proximum. Videamus vtra probabilior, &
B ad virtutis culmen nos magis perducit. Igitur ille
quidem, qui ſua duntaxat quærit, à Paulo mille
accuſationes accipiet (Cum verò Paulum dixero,
Chriſtum ſignificauero) hic autem laudes & coro-
nas. Hoc vnde manifeſtum? audi quid huic quidem
1. Cor. 10 d. dicat, & quid illi. *Nemo quod ſuum eſt, quærat, ſed quod
proximi quiſque.* Vides qualiter illud quidem eiecit,
hoc autem introduxit? Et iterum: *Vnuſquiſque veſtrum
Rom 15. a. proximo placeat in bonum ad ædificationem.* Tum ſubditur
& ineffabilis laus cum admonitione: *Etenim Chriſtus
ſibiipſi non placuit.* Vt autem & ex ſuperabundanti hoc
fieret, videamus quod quidem bonorum operum
circa nos ſiſtat, & quod à nobis ad alios quoq; per-
tranſeat. Ieiunare quidem, & humi cubare, & exer-
cere virginitatem, & temperanter agere, ſolis hæc
obeuntibus vtilitatem afferunt: quæ vero proximis
à nobis exhibentur, vt eleemoſyna, doctrina, &
charitas, hæc & nobiſipſis, & proximis, ad quos à
1. Cor. 13. a. C nobis tranſeunt, proſunt. Et hic itaque Paulū audi
dicentem: *Et ſi dedero omnem ſubſtantiam meam in cibos
pauperum: etſi tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem
autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Per ſe ſplendidè
prædicatam, ſi lubet, & ex tertio comprobemus. Et
hic quidem ieiunet, & modeſtiam præferat, & mar-
tyrium præſtet, & ardeat: alter verò martyriū pro-
pter proximi differat ædificationem, nec ſolū diffe-
rat, verùm & abſq; martyrio migret: vter erit poſt-
quam hinc tranſierit probabilior? Non nobis hic
multis opus eſt verbis, & ambagibus longis. Adeſt
enim beatus Paulus ſententiam ferens, & dicens:
Phil. 1. c. *Reſolui, & eſſe cum Chriſto melius: remanere autem in carne,
magis neceſſarium propter vos.* & ad Chriſtum tranſitui,
proximi prætulit ædificationem. Hoc enim præci-
puum eſt eſſe cum Chriſto, ipſius voluntatem obi-
re. Nihil verò tam eſt voluntas eius, quàm quod
proximo ſit vtile. Vis & quartam horum rationem
Ioan. 21. d. D referam? *Petre, ſi diligis me,* inquit, *paſce oues meas*: &
ter eum percontatus, hoc amicitiæ ſignum eſſe te-
ſtatus eſt. Nec ſolis hoc dictum eſt ſacerdotibus, ſed
vnicuique noſtrū cui vel puſillus eſt creditus grex.
Ne namque quoniam puſillus eſt, contemnas: pa-
ter enim meus, inquit, ſibi complacuit in eis. Habet
ouem vnuſquiſque noſtrûm, hanc ad congrua du-
cat paſcua. Et cū vir è ſtrato ſurrexerit, nihil aliud
quærat, quàm quomodo aliquid faciat aut dicat, vn-
de totam faciat domum religioſiorem. Mulier vero
ſit quidem domus cuſtos, ſed ante curam hanc ma-
gis neceſſariam habeat ſollicitudinem, quomodo
cœleſtia tota domus operetur. Nam ſi in ſeculari-
bus ante domeſticorum prouiſionem publica obire
munia ſtudemus, ne propter exhibitā in his ingra-
titudinem vinciamur, & in forum trahamur, & in-
numeras patiamur ignominias: multò magis in ſpi-
ritualibus hoc agendum eſt, quæ regis omniū Dei
ſunt, prius perſoluenda, ne veniamus vbi ſtridor
dentium. Has quæramus virtutes, quæ præter ſalu-

A tem noſtram proximis quoque plurimum prodeſſe
poſſint: tale quid eſt eleemoſyna, tale oratio, quin
potius & hæc ab altera fit potens & eleuatur: ait
enim: *Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memo-* Act. 10. a
riam coram Deo. Nec vero ſolum oratio, verum & ie-
iunium hinc neruos habet. Etſi abſque eleemoſy-
na ieiunes, nec bonum opus ieiunium cenſetur,
ſed crapulante & ebrio peior eſt huiuſmodi, & tan-
to peior, quanto deliciis crudelitas grauior. Et quid
dico ieiunium? Etſi namque continens degas, ſiue
virginitatem ſerues, charitatem non habens, extra
ſponſi thalamum remanes. Et quid par virginitati,
quæ nec in nouo teſtamento propter excellētiam
ſub legis venit neceſſitatem? Et tamen expellitur,
ſi eleemoſynam non habeat. Si vero virgines ex-
cluduntur, eò quòd hanc congrua non habuerint
cum largitate, quis abſque ea veniam aſſequi pote-
rit? nemo. ſed hanc non habentem omnino perire
neceſſarium eſt. Si enim in ſecularibus ſibi viuit ne-
mo, verùm & artifex, & miles, & agricola, & mer-
cator, ad communem & proximorum vtilitatem
omnes operantur: multo magis in ſpiritualibus o-
portet hoc facere: hoc enim eſt maximè viuere.
Qui namque ſibi viuit ſoli, & omnes negligit, ſu-
perfluus eſt, & nec homo, nec generis noſtri. At in-
quies: Quid igitur, meáne deſpiciam, inquirens a-
liena? Non eſt neceſſarium aliena quærentem ſua
negligere. Qui enim aliena curat, triſtificat nemi-
nem, ſed omnium miſeretur, pro viribus prodeſt:
neminem diripiet, opprimet neminem, non fura-
bitur, non falſum dicet teſtimonium, ab omni ab-
ſtinebit malitia, omnem apprehendet virtutem, pro
inimicis orabit, & inſidiantibus benefaciet, nec vl-
li conuitium ingeret, neque maledicet, licet innu-
mera ei mala dicantur. Quin & præſentes labores
maximorum nobis præmiorum ſunt miniſtri, & pe-
ricula coronas pariunt. Nam ſi Iacob propter Ra- Gen. 29. c
chelis deſiderium, tanquam dies paucos ſeptem an-
norum ſpatium putabat: multo magis beatus Pau-
lus nihil omnia ducebat, in Deum deſiderio ſemel
accenſus, & propter Chriſtum quem diligebat, om-
nia ſuſtinens. Studeamus igitur, quæſo, nos quoque
Chriſtum amare: nihil enim aliud, inquit, Chriſtus
quærit à te, quàm vt diligas eum ex toto corde, &
facias mandata eius. Nam qui diligit Deum, patet
quod & eius mādata feſtinat obire. Cùm enim quis
erga quempiam generosè diſpoſitus eſt, omnia fa-
cere ſtudet, vt dilectum in ſui deſiderium illicere
poſſit. Et nos itaque ſi legitimè dominum dilexeri-
mus, ipſius quoque mandata poterimus implere,
nec eorum quicquam admittere, quæ dilectum irri-
tare poſſint: hoc eſt regnum cœlorum, hoc bono-
rum fruitio, hoc infinita continere bona dignum
cenſeri, ſi quis legitimè, & quemadmodū oportet,
Deum diligat: ſi per puram in eum charitatem, &
in conuerſos multam exhibeamus dilectionem: ait
enim, *Ex his duobus præceptis lex & prophetæ dependent*: in Mat. 22 d
hoc, *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & pro-
ximum tuum ſicut teipſum.* Hæc eſt virtutum ſumma,
hoc fundamentum: cum Dei namque charitate ſi-
mul intrat & in proximum dilectio. Nam qui Deū
diligit, fratrem non deſpiciet, nec præponet pecu-
nias, ſed multam præferet largitatem, eius memor,
qui dixit: *Quod feciſtis vni ex his minimis, mihi feciſtis.* Et Ibid. 25 c
cogitans quòd per obſequium in conſeruum, ipſe
eſt qui beneficia ſibi vindicat: omnia multa cum
promptitudine operabitur, & multam in largiendo
eleemoſynas liberalitatem exhibebit, non ad appa-
rentis reſpiciens vilitatem, ſed ad eius, qui ſe in eū
collatam ſibi vindicaturum promiſit, magnitudi-
nem. Ne ſimpliciter, quæſo, animarum noſtrarum
pertranſeamus emolumentum, noſtrorum medici-
nam vulnerum. Hoc enim medicamen, hoc maxi-
mè tantum nobis præſtabit remedium, & tantum
animarum noſtrarū vulnera delebit, vt neque ve-
ſtigium, neque cicatrix relinquatur: quod in cor-

Digitized by Google

poralibus fieri non poteſt vulneribus. Sed licet in- A
finita quis medicorum imponat remedia, cicatricē
in corpore remanere neceſſarium eſt: & meritò:
corpus enim eſt quod curatur. Hic verò quoniā eſt
anima, cum propriam præ ſe tulerit gratitudinem,
validam ſuſcipit in melius mutationē: & ſic omnia
tolluntur vlcera, ſicut vento puluis excitatus ve-
hementi. Et his omnibus exemplis plenæ ſunt no-
bis ſcripturæ. Ita beatus Paulus ex perſecutore fa-
ctus eſt apoſtolus, & qui prius eccleſiam vaſtabat,
ipſe factus eſt ipſius poſtea doctor. Vidiſti ſummam
mutationem? ſic & latro infinitas operatus cædes,
breui temporis momēto paucis illis verbis ſic om-
Luc. 23.f nia diluit peccata, vt audiret à domino: *Hodie mecum*
Ibid. 18. *eris in paradiſo.* Sic & publicanus qui pectus percutie-
bat, & propria confitebatur crimina, deſcendit iu-
ſtificatus ſuper phariſęum: ſed horum quiſque qui-
dem animi gratitudinem præſtans, & priores con-
feſſus errores, ita veniam aſſecutus eſt. Videamus
autem & huius vim mandati, & quantam potentiæ B
ſuperabundantiam habeat liberalis eleemoſyna, vt
lucrum ex ea nobis conflatum agnoſcentes, eam
promptè tranſigamus. Nam fortè tanta eſt ipſius
facultas, vt non tantum peccata detergat, verùm &
ipſam effuget mortem. At inquies, Quis eleemoſy-
nam exhibens, morte ſuperior factus eſt? omnes e-
nim videmus ſub mortis imperio poſitos. Ne tumul-
tueris amice, ſed ipſis ex rebus diſce, quomodo e-
Act. 9. leemoſynæ virtus & huius ſuperauit imperiū. Tabi-
tha quædam mulier fuit, quæ Dorcas dicitur inter-
pretata, hęc opus faciebat per ſingulos dies, vt elee-
moſynæ copiam colligeret: & veſtiebat, inquit, vi-
duas, & aliud omne miniſteriū eis impendebat. Fa-
ctum eſt autem vt ipſa infirmaretur, & moreretur.
Sed vide quomodo beneficium aſſecutæ, & ab ea te-
ctæ corpora, beneficium in tempore reddunt, cir-
cumſtantes apoſtolum, oſtendebant, inquit, veſtes C
quas ſibi fecerat dum viueret Dorcas. Et altricē in-
quirebant, & fortè ſpargebant lachrymas, & in mi-
ſericordiam apoſtolum trahebant. Quid beatus ita-
que Petrus? Poſitis, inquit, genibus orauit, & con-
uerſus ad corpus dixit: Tabitha ſurge. Illa verò ape-
ruit oculos ſuos, & videns Petrum reſedit. Dans au-
tem ei manum, ſuſcitauit eam. Et cum vocaſſet ſan-
ctos & viduas, præſtitit illam viuentem. Vidiſti vir-
tutem apoſtoli? vidiſti quanta ſit erga viduas bene-
ficij retributio & in prę́ſenti? quid enim, quæſo, tan-
tum hæc vidua præbuit, quantum ei ipſæ retribue-
runt? Veſtimenta præbuit ipſis, & cibos: illæ verò
eam ad vitam reduxerunt, & mortem verterunt in
fugam: vel potius nō ipſæ, ſed propter præſtitam eis
opē miſericors dominus. Vidiſti medicaminis vir-
tutem? hoc omnes nobis comparemus: nec enim
pretioſum eſt, licet tantam habeat potentiam, ſed
valde vili venale, nec multa opus habet impenſa. D
Nam eleemoſynæ magnitudo non pecuniarū mul-
titudine iudicatur, ſed in dantium promptitudine.
Marc. 9.f Et propterea qui *calicem aquæ frigidæ* dederit, factus
eſt acceptabilis: & quæ duo minuta erogauit: vt di-
ſcamus quòd vbique mentem dominus inquirit. Li-
cet & habentem pauca, magnam exhibere largita-
tem, cùm efficax fuerit promptitudo, & multa poſ-
ſidentem pauca habentibus inferiorem videri pro-
pter mentis puſillanimitatem. Effundamus igitur
bona, quæſo, ſuper homines in neceſſitate poſitos,
larga mente ex his quæ dominus nobis largitus eſt,
& ab ipſo data viciſſim ei reddamus, vt ita rurſum
cum acceſſione noſtra fiant. Eius enim eſt tanta li-
beralitas, vt & ex his quæ dedit accipiens, ſe pro-
pria non cenſeat accipere: ſed multa cum largitate
nobis ea reddere polliceatur. Tantum nos quæ no-
bis attinent, exhibere velimus, & ea tanquam Dei
commendantes manui, ita pauperibus ea miniſtre-
mus, ſcientes quòd quæ manus illa ſuſceperit, non
ipſa tantum præbet, ſed datis multò plura nobis illa
rurſum facta largitur, propriam per omnia præfe-
rens liberalitatem. Et quid dico, quòd ea multipli-
cans illa manus præbet? Nō enim ea ſolùm, verùm
& cum his regnum donat cœlorum, & prædicat, &
coronat, & infinita largitur bona, ſi quid ex rebus
ab eo datis paruum erogare velimus. Nūquid enim
graue quippiam & oneroſum à nobis inquiris? Ne-
ceſſitatem excedentia vult nos facere neceſſaria, &
quæ nequicquā & inutiliter repoſita ſunt, hæc vult
bene diſtribui, vt hinc occaſione ſumpta nos coro-
net: feſtinat enim & properat, & omnia facit, vt nos
his quæ pollicitus eſt, dignos conſtituat. Ne nos ita-
que tot bonis priuemus. Nam ſi circa terram labo-
rantes horrea exhaurientes, terræ ſemina mandāt,
& congregata diſpergunt, & hoc faciunt cum vo-
luptate, ſe ampliorum ſpe conſolantes: & hæc cum
ſciant quod frequenter, & aëris inæqualitas, & ſte-
rilitas terræ, & alij multi incurſus, vel locuſtarum
exercitus, vel rubiginis impetus ab expectatione
decidere facit, bonis tamen ſe paſcentes expecta-
tionibus, in horreis congregata terræ committunt:
multò magis nos inaniter repoſita in cibos paupe-
rum diſpergere congruum eſt, vbi nunquam acci-
dit aberrare, nec infortunium, quod in terra fit, ve-
reri: ait enim, *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet* Pſal. 111.
in ſeculum ſeculi. Breui tempore diſtributionem fecit, b.
& perenni æuo permanet eius iuſtitia. Quid hoc
vnquam poſſit eſſe beatus? Propterea cohortor, per
eleemoſynam attrahamus iuſtitiam, vt & de nobis
hoc dicatur: Diſperſit, dedit pauperibus. Poſtquam
enim dixit, *Diſperſit*, ne putares quòd diſperſa periiſ-
ſent, propterea ſtatim intulit, *Iuſtitia eius manet in ſe-
culum ſeculi.* Ex illis, inquit, diſperſis inconſumpta
manet iuſtitia, cum omnibus pariter ſeculis exten-
ſa. Et cum eleemoſyna reliquarum quoque virtu-
tum multam geramus curam, & carnis vitia corri-
gamus, & ex noſtra relegemus anima concupiſcen-
tiam omnem vitioſam, omnem malam cogitatio-
nem, iram, indignationem, inuidiam: & animæ ſpe-
ciem per omnia ornemus, vt pulchritudinem eius
claram reddentes, cœlorum alliciamus dominum.
Vbi nanque viderit animæ pulchritudinem, ſtatim
adeſt. Ipſe enim dicit: *Super quem reſpiciam, niſi ſuper* Eſa. 66.
mitem & quietum, & trementem ſermones meos? Vidiſti
quomodo nos omnes docuit colores, quibus animæ
pulchritudinem lætam facere poſſimus? Super mi-
tem & quietum, inquit, & humilem: deinde omniū
comparatiuum intulit, Et trementem ſermones
meos, obedientiam per opera implentem. Quod &
alibi dicit: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Nam ſi
nos cùm ſeruum noſtrum mandata noſtra ſtrenui-
ter implere viderimus, & cum maiori timore, maio-
rem erga eum beneuolentiam exhibemus: multò
magis bonus dominus. Propterea dicebat: Super il-
lum reſpiciam trementem ſermones meos. Igitur
tremiſcamus, exhortor, & cum multo timore ipſius
impleamus mandata: ipſius enim ſermones ſunt. Et
cùm didicerimus quæ placeant ei, & quæ ſuſcipiat,
illa tractemus, & tales eſſe ſtudeamus, vt quietem,
manſuetudinem, & humilitatem multam exhibea-
mus, & omnia ipſius cum reuerentia obeamus præ-
cepta, vt noſtræ mentis affectum ſuſcipiens, & no-
ſtra delectatus obedientia, ſuper nos quoque digne-
tur aſpicere. Et ſi nobis hoc contigerit, in omni eri-
mus ſecuritate. Reſpiciam enim, dicit, pro, faciam
prouidentia dignum, manum porrigam, ſuſcipiam,
in omnibus gratias meas cum largitate præbebo.
Hæc igitur omnia exerceamus, vt ſuper nos Domi-
nus reſpiciat, & hic præſentem vitam ſine triſtitia
expedire poſſimus, & futura conſequi bona, gratia
& benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo
patri ſimul & ſpiritui ſancto gloria, poteſtas, & ho-
nor, nunc, & ſemper, &c.

Digitized by Google

De eleemoſyna & miſericordia.

Homilia XXXV.

Coloſſ. 3.

Amabile ſanctorum omne genus, chariſſimi, propterea que Paulus dicebat: *Induite vos ergo ſicut electi Dei ſancti & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem.* Vides verbi virtutem, & quomodo nos ſemper vult eſſe miſericordes? Non enim dixit, Miſeremini ſimpliciter, ſed induite vos, vt ſicut veſtimentum ſemper nobiſcum eſt, ſic & eleemoſyna. Nec ſimpliciter dixit, miſericordiam, ſed viſcera miſericordiæ, vt naturalem imitemur amorem. At nos contraria facimus, & ſi quis vnum quidem petens obolum accedat, contumeliis & conuitiis inſectamur, ac impoſtorem vocamus. Non horres homo & erubeſcis, impoſtorem propter panem vocans? Si verò talis & impoſturam facit, propterea cui miſericordia tribuatur dignus eſt, quòd ita fame premitur, vt talem ſubeat perſonam. Quin hoc & noſtræ crudelitatis eſt redargutio. Nam quoniam facilè dare non ſuſtinemus, innumeras coguntur artes excogitare, vt in humanitatem noſtrã fallere poſſint, & emollire ſæuitiam. Alioquin verò ſi aurũ quidem & argentum peteret, ſuſpicionis poſſet habere rationem, ſed cum neceſſarij cauſa nutrimenti petat, quid intempeſtiuè philoſopharis, & ſuperfluam cum diligentia rationem ſupputas, ignauiam exprobrans & torporem? Nam ſi forent iſta dicenda, non aliis, ſed nobiſipſis dicere congruum eſſet. Cùm igitur ad Deum accedis, peccatorum petens veniam, horum reminiſcere verborum, & intelliges quòd ipſe hæc à Deo iuſtius audies, quàm pauper à te. Nec tamen vnquam hæc Deus tibi verba dixit, Abſcede ſcilicet, es enim impoſtor, & in meã quidem iugiter intrans eccleſiam, & leges meas audiens: at in foro aurũ, & amicitiam, & concupiſcentiam, & omnia generaliter meis præponens mandatis. Et nunc quidem humilis es, ſed poſt orationem audax & crudelis, & inhumanus. Abeas igitur hinc, nec amplius accedas: hæc enim & his plura digni ſumus audire. Sed tamen nunquã huiuſmodi quicquam exprobrauit, ſed longanimiter agit, & à ſeipſo omnia præſtat, & plura quàm petimus indulget. Hæc itaque cogitantes, indigentibus inopiam ſoluamus, licet impoſturam faciant, ne rem tam ad viuum reſecemus. Talis enim & nos ſalutis indigemus, cum venia, cum clementia, cum multa miſericordia. Non eſt enim, non eſt noſtrum, licet pro viribus diligenter inquirentium vnquam ſaluari, ſed omnino puniri neceſſarium eſt, & perire. Ne ſimus itaque reliquorum amari iudices, ne nos quoque pœnas acres repetamus: nam peccata omni venia maiora habemus. Itaque magis illorũ miſereamur, qui nulla venia digna peccauerunt, vt & talem nobis miſericordiã præparemus. Nam quantumcunque largiamur, nunquam talem conferre poterimus humanitatem, quali nos apud Dei clementiam egemus. Itaque quomodo non abſurdum eſt, nos in tantis conſtitutos neceſſitatibus erga conſeruos noſtros ſeueram ponere rationem, & aduerſus noſipſos omnia facere? Non enim tam illum tuo monſtrabis indignum beneficio, quàm te Dei clementia. Qui nanque ſeuerus eſt in conſeruum exactor, multò magis Deum hoc facientem habebit. Ne contra nos itaque loquamur, ſed ſiue per ignauiam, ſiue per torporem acceſſerint, nos præbeamus. Nam & nos multa per negligentiam peccamus, nec ſtatim à nobis Deus pœnas exigit, ſed nobis pœnitentiæ tempus tribuit, per ſingulos nutriens dies, erudiens, docens, omnia ſubminiſtrans cætera, vt & nos hanc ipſius imitemur miſericordiam. Hanc itaque crudelitatẽ ſoluamus, eiiciamus feritatem, tamquam noſipſos magis, quàm alios promerentes. His enim argentum quidem erogamus, & panem, & veſtimentum, nobis autem ipſis magnam præparamus gloriam, & quam ſermone non poſſumus exprimere: immortalia nanque recipientes corpora, cum Chriſto glorificamur & conregnamus. Hoc autem quantum ſit, hinc ſciemus: imò verò nequaquam manifeſtè nunc ſcire poterimus. Vt autem ex noſtris bonis eleuati, aliquam ſaltem paruam eius cogitationem capiamus, quàm optimè potero dictum explicare conabor. Nam dic mihi, ſi quis te ſenio confectum, & viuẽtem in paupertate, ſubito iuuenem ſe facturum promiſiſſet, & in ipſum ætatis florem reducturum, & ſuper omnes præualidum, & ſpecioſum redditurum eſſe, & in regnum in mille duraturum annos, regnum inquam pacem firmiſſimam poſſidẽs: quid pro hac promiſſione non eligeres tam facere, quàm pati? Ecce igitur Chriſtus non hæc, ſed his multò maiora promittit. Non enim quantum eſt ſenectutis & iuuentæ medium, tantũ eſt corruptionis & incorruptionis interuallum: neque quantum eſt regni & paupertatis, tantum eſt gloriæ præſentis & futuræ: ſed quantum ſomniorum & veritatis, quinimò nec adhuc quicquam dixi. Nec enim eſt ſermo qui poſſit differentiæ magnitudinem exprimere, quæ eſt inter futura & præſentia: temporis verò ratione neque penitus cogitari differentia poteſt. Quomodo enim præſentibus aliquis vitam comparet fine carentem? Pacis autem illius tantum eſt medium ad præſentem, quantum pacis & belli diſcrimen: & incorruptionis quantò gleba lutea melior munda margarita. Imò verò quantuncunque quiſpiam dixerit, nihil par exprimere poterit. Nam & ſi ſolari compono lumini futurorum pulchritudinem corporum, ſiue ſplendidiſſimo fulguri, nondũ quicquam illa claritate dignum dico. Propter hæc itaque quæ pecuniæ, vel corpora non ſunt impendendæ? Imò verò quot animas exponere dignum non fuerit? Nunc verò ſi quis te quidem in regiam deduxit, & vt omnibus præſentibus regem alloquereris effecit, & illi te reddidit commenſalem, & conuiuam, omnium te dicis eſſe beatiſſimum. In cœlum autem aſcenſurus, & omnium regi aſſiſtere, & perennem cum angelis habere ſplendorem, & illa frui ineffabili gloria, dubitas an erogare pecunias oporteat, quum opus eſſet, etiamſi vita fuiſſet exuenda, geſtire, & exultare, & per voluptatem efferri? Tu verò quo magiſtratum quidem acquiras, qui furtorum tibi præbeat occaſiones (non enim ego tale quid lucrum dixerim) etiam quæ poſſides erogas, & aliena mutuatus, etiamſi ſit opus, vxorem & liberos obnoxios conſtituere non torpes: at regno cœlorum propoſito, principatu nullum habente ſucceſſorem, cùm Deus præcipiat non terræ partem, & angulum, ſed totum accipere cœlũ, torpes & hæſitas, & ſolis inhias pecuniis, & non cogitas, cùm cœli partes nobis obiectæ tam pulchræ ſint & amœnæ, qualia ſint ſuperiora, & cœlum cœli? Sed quoniam corporis interim oculis hæc cernere non licet, aſcendas mente, & ſuper hoc cœlum conſtitutus, illud huic ſuperpoſitum reſpice cœlum in altitudinem immenſam, in lucem admiratione plenam, in angelorum cateruas, in archangelorũ gentes infinitas, in alias incorporeas virtutes. Et rurſum inde deſcendens, imaginem noſtram reſume, & quæ ſunt apud regem terrenum, deſcribe, viros ſcilicet auro micantes, & alborum iuga mulorum aureis inſignitorum ornamentis, & vehicula gemmis ornata, & niueum ſtratum, & bracteas vehicula circunſonantes, & dracones in ſericis veſtibus effictos, & clypeos aureis vmbonibus coruſcantes, & ex his lora per multas gemmas à ſuperioribus curuaturis extenta, & equos auro comptos, & aurea frena: ſed cùm iam regem viderimus, nihil iam horum aſpicimus. Ille nanque nos ſolus in ſe conuertit, purpureaque veſtimenta, & diadema, & ſolium, & baltheus, & calceamenta, magnus oculorum fulgor.

In eos qui pauperibus durius loquũtur.

Pro obtinendo magiſtratu facimus ſumptus neglectis pauperibus.

Digitized by Google

fulgor. Cum hæc igitur omnia diligenter collegeris, rurſum ad ſuperiora mentem tranſmitte, & illam diem tremendam qua Chriſtus veniet. Non enim tunc mulorum iuga videbis, non aureos currus, neque dracones & ſcuta, ſed quæ multo plena ſunt horrore, & tantum inferunt ſtuporem, vt & virtutes ipſæ cœleſtes conſternandæ ſint: ait enim, *Virtutes cælorum mouebuntur*. (Luc. 21.) Tunc enim totum quidem cœlum aperitur, & orbium illorum fores reſerantur. Deſcendit autem vnigenitus Dei filius, non viginti, neque centum viris Dei miniſtrantibus, ſed milium milibus angelorum, archangelorum, Cherubin, Seraphin, & aliarum virtutum: & omnia erũt timore & tremore plena, hiante terra, hominibus qui quandocunque fuerũt, ex quo factus fuit Adam ad diem illam vſque, de terra aſcendentibus, & omnibus in aëra rapiendis, ipſo cum tanta apparente gloria, quòd & ſol, & luna, & omne lumen abſconderur, ab illo ſplendore perluſtratum. Quis illam ſermo beatitudinem exprimet, claritatem, & gloriam? Heu mihi anima, etenim lachrymare nunc mihi ſuccurrit, & altum ſuſpirare, cogitanti quibus bonis excidimus, qua ſumus expulſi beatitudine: ſaltem quod meum eſt interim dico cùm nihil magnum operemur & admirabile. Ne quis igitur mihi gehennam hic dicat. Gehenna nanque peius eſt omni, hac excidere gloria, & innumeris peius eſt pœnis, illa ſorte priuari: & tamen adhuc præſentibus inhiamus, neque diaboli verſutiam cogitamus, qui per parua magnis ſpoliat, & lutum præbet, vt aurum rapiat, imò magis vt auferat cœlum. Et vmbram prætendit, vt veritate nos extrudat, & in ſomniis phantaſias oſtendit (hoc enim ſunt præſentes diuitiæ) vt cum illuſerit, omnibus pauperiores exhibeat. Hæc itaque cogitantes, tandem dolũ quandoque fugiamus, & ad futura tranſeamus. Nõ enim licebit dicere, Ignorauimus præſentis vitæ corruptibilitatem, rebus quotidie clamantibus tuba clarius præſentium vtilitatem, riſum, pudorẽ, pericula, præcipitia. Quam igitur habebimus excuſationẽ, (In eos qui domos, ſua que ornant pauperibus neglectis.) periculoſa quidẽ & opprobrij plena multo ſectantes ſtudio: tuta verò, noſque reddentia glorioſos fugientes, & nos pecuniarum tyrannidi totos tradentes? etenim omni tyrannide peior eſt horum ſeruitus, & id norunt, quotquot ab ea liberari meruerunt. Vt itaque vos quoque pulchram hanc diſcatis libertatem, diruptis vinculis, ex laqueo proſilite, & non reponatur aurum vobis in domo. Sed quid innumeris eſt pretioſius pecuniis? Eleemoſyna, & humanitas pro auro. Nam hæc vobis apud Deum fiduciam præbet: illud verò multũ contra nos effundit dedecus, & vehementer ſpirare facit aduersùs nos diabolum. Quid igitur inimicum armas, & reddis fortiorem? Arma dexteram tuam aduerſus eum, & totã domus pulchritudinem in animã introducas, & omnes in mente diuitias repone. Aurum vice loculi & domus cœlum cuſtodiat, & omnia noſtra nos erogemus. Nos nanque parietibus multò meliores, & pauimento venerabiliores. Quid igitur noſipſos deſerentes, in illa ſtudiũ omne conſumimus, quæ migrantes habere non poſſumus, & frequenter nec hîc manentes retinere, cũ ita locupletari liceat, vt non tantum hic, verùm & illic ditiſſimi videamur? Qui nanque loca, domus, & aurũ in anima circumfert, vbicunque viſus fuerit, cum his videtur diuitiis. At inquies, Quomodo poteſt hoc fieri? Poteſt, & cum maiori facilitate. Nam ſi in cœlum ea transtuleris per pauperũ manus, in anima tua repoſueris omnia: & licet iam mors ingruat, illis te nemo priuabit, ſed tranſibis & illic locuples. (Act. 9.) Talem habebat & Tabitha theſaurum, propterea non domus eam prædicabat, neque parietes, neque lapides, neque columnæ, ſed induta viduarum corpora, & manantes lachrymæ, & fugitiua mors, vitaque refloreſcens. Talia nobis quoque comparemus horrea, tales domus ædificemus. Et ita Deum habebimus cooperatorem, & ipſi eius cooperatores erimus. Ipſe nanque pauperes, cùm non eſſent, produxit: tu verò productos & factos, fame & reliquis ærumnis tabeſcere non ſinis, ſubueniens, corrigens vndique Dei templum labens: cui quid vnquam æquale fuerit & ad vtilitatis, & ad dignitatis rationem? Si verò nondum apertè didiciſti, quali te decorauit ornamento, paupertatem ſubleuare iubens, illud intra te computa. Si tibi talem dediſſet poteſtatem, vt labens cœlum ſuſtinere poſſes, nónne id opus honorem te multò maiorem exiſtimaſſes? En igitur, maiori te dignum fecit honore. Quod enim cœlis eſt dignius, hoc tibi refouẽdum commiſit: apud Deum enim viſibilium nihil homini par. Nam & cœlum, & terram, & mare propter eum fecit, & in eo magis quã in cœlo delectatur inhabitans: & tamen nos hæc ſcientes, nullam Dei templorum curam gerimus, aut prouidentiam, ſed eos neglectum iri ſinentes, nobis magnas & ſplendidas domos paramus. Et ideo cunctis priuati ſumus bonis, & valde pauperibus pauperiores, quoniam has ornamus ædes, quas hinc migrantes aſportare non poſſumus, & illas omittimus, quas nobiſcum poſſumus ſimul ducere. Diſſoluta nanque pauperum corpora, omnino reſurgens, & his productis, qui hæc imperauit Deus, eos qui curam ipſorum geſſerint, laudabit, & admirabiles reddet, quòd eos iam caſuros, nunc quidem præ fame, nunc verò præ nuditate & gelu, omnibus modis refocillarunt. Veruntamen & tot nobis laudibus propoſitis, adhuc ceſſamus, & ad hanc pulchram torpemus curam. Et Chriſtus quidem *non habet vbi caput ſuum reclinet*, (Luc. 9.) ſed circumit peregrinus, & nudus, & eſuriens: tu verò ſuburbana, thermas & porticus, innumeroſque paras thalamos incaſſum & fruſtra. At Chriſto nec exiguum communicas tectum, coruis autem & miluis faſtigia exornas. Quid hac peius ſtupiditate? quid inſania grauius? Inſania ſiquidem hæc ſunt extrema. Quin potius quicquid aliquis dixerit, dignum protulerit nihil. Veruntamen ſi volumus, ægritudinem, licet grauem, repellere poſſumus. Nec ſolum fieri poteſt, ſed & facile: nec facile ſimpliciter, verùm & multò facilius ab hac peſte liberari, quàm à corporalibus morbis, quãtò maior eſt & medicus. Eum igitur alliciamus & vt adiuuet rogemus, & à nobiſipſis debita conferamus, voluntatem dico & promptitudinem. Nihil enim aliud exiget, ſed ſi hæc accipiat ſolùm, à ſeipſo cuncta depromet. Impendamus itaque noſtra, vt & hic puram aſſequamur ſanitatem, & ad futura perueniamus bona, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, honor, & adoratio, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd magnum eſt bonum in nos peccantibus peccata dimittere & de eleemoſyna.

Homilia XXXVI.

(A Simili.) Sicvt diuitum liberi monilia circa collum aurea geſtant, nec vnquam ea deponunt, ſed tanquam nobilitatis inſigne circunferunt: ſic & eleemoſynam chariſſimi noſipſos ſemper oportet induamus, oſtendentes quòd miſericordis patris ſumus filij, *qui facit hunc ſolem oriri ſuper bonos & malos*. (Matth. 5.) Sed non credunt infideles? Igitur per hæc credẽt, ſi nos hæc operemur, ſi videant quòd omnium miſereamur, & illũ inſcriptum habeamus præceptorem; ſcient quod illum imitantes hoc facimus. Eleemoſyna, inquit, & fides verè. Bene ait, verè: non ex rapina, non ex furto. Hoc enim non eſt fides, non veritas. Nam furantem mentiri neceſſarium eſt, & peierare oportet: tu verò non ita, ſed cum eleemoſyna fidem habeas. Circundemur hoc or-

namento,

Digitized by Google

namento, torquem collo faciamus aureum, eleemoſynam dico, donec hic moramur: cum enim hęc ætas tranſierit, non amplius hac vtemur. Quomodo non ibi ſunt pauperes, non pecuniæ, non mendicitas. Donec ſumus pueri, ne nos hoc exuamus monili. Sicut enim circa pueros geritur, vt cum viri facti fuerint, hæc auferantur, & ad alium traducantur ornatum: ſic & circa nos. Non amplius per pecunias eleemoſyna remanebit, ſed altera quædam multò maior. Itaque ne nos hac priuemus, curemus animã apparere ſpecioſam. Magnũ eſt, & pulchrũ, & precioſum eleemoſyna: donũ eſt magnũ, imò verò magnũ bonũ: ſi pecunias cõtemnere diſcamus, alia quoque diſcemus. Hinc enim intuere quot bona pariantur. Dans eleemoſynam ſicut oportet dare, diſcit aſpernari diuitias: qui pecunias didicit aſpernari, malorum radicem excidit: itaque non minus accipit quàm præſtat beneficium, nõ eo ſolùm quòd debitum & retributio ſit eleemoſynæ repoſita, verùm & quod anima ſapiens & alta fiat, & diues. Qui dat eleemoſynam, diſcit non admirari pecunias, neque aurum. Hoc autem inſtructa mente, maximum in cœlum aſcendendi principium accepit, & innumeras contentionis, & litis, & inuidiæ ac triſtitiæ ſuſtulit occaſiones. Noſtis enim, noſtis & vos, quòd omnia propter pecunias, & infinita propter pecunias bella: qui autem has contemnere didicit, ſemetipſum in tranquillitate conſtituit, non amplius iacturam formidat, hoc enim docuit eleemoſyna, non amplius res proximi concupiſcit. Quomodo nanque, qui ſua diſperdit & largitur? Nõ vltra locupleti inuidet, quomodo nanque cùm velit pauper fieri? ſuæ purgat oculum animæ. Et hæc quidem in hoc ſeculo: quæ verò ſunt in illo, nec dicere licet quanta conſequetur bona. Non extrin-
Matth. 25 ſecus eum fatuis manebit virginibus, ſed cum prudentibus ingredietur cum ſponſo, ardentes habens lampades, & in virginitate tabefactis, qui nec illos quidem guſtauit labores, erit melior. Tanta vis eſt eleemoſynæ, cum multa fiducia ſuos introducit alumnos: eſt enim cœli nota ianitoribus, ſponſalis thalami fores obſeruantibus, quin & venerabilis, & quos ſui cultores agnouerit, cum multa introducet libertate, & contradicet nemo, ſed omnes cedent. Nam ſi Deum in terram deduxit, & hominem fieri perſuaſit, multò magis in cœlum hominem poterit reducere: magna enim eſt ipſius potentia. Si igitur ex miſericordia & clemẽtia Deus homo factus eſt, & vt ſeruus fieret, perſuaſum: multò magis ſeruos in ipſius inducet domum. Hanc amemus, hanc diligamus, non vno die, vel altero, ſed in omni tempore, vt nos agnoſcat. Si ipſa nos agnouerit, & dominus agnoſcet: ſi non agnouerit ipſa, ignorabit & dominus, & dicet: Neſcio vos: ait enim, Magna res homo, & precioſa vir miſericors. Hęc maior eſt gratia, quàm mortuos reſuſcitare. Multò nanq; maius eſt, quàm in nomine Ieſu mortuos ſuſcitare, eſuriẽtem paſcere Chriſtum. Nam hic quidẽ tu de Chriſto bene mereris: illic autem ipſe de te. At merces eſt in bene gerendo, non in bene patiendo. Hic enim in ſignis inquam, ipſe Deo debes, in eleemoſyna verò Deum habes debitorem. Eſt autem eleemoſyna, cùm promptè præſtatur cum largitate: cũ non dare, ſed accipere te putaueris: cum tamquam beneficium accipiens, & quæſtum faciens, non autem iacturam, quoniam hoc neque gratia: oportet enim alteri miſericordiam impendentem gaudere, non indignari. Nam quomodo non abſurdum, ſi ſoluens alterius triſtitiam ipſe triſteris? Non enim amplius eam eſſe finis eleemoſynam. Nam ſi mœres quòd alium à mœrore liberaueris, extremæ pręfers crudelitatis & inhumanitatis ſignificationem. Satius enim eſt non liberare, quam hoc modo liberare. Quid verò tandem homo triſtaris? Nũquid ne tibi minuatur aurum? Si talem habes voluntatẽ, nec omnino des: ſi non confidis quod in cœlis tibi

A multiplicatur, ne præbeas. Sed hic retributionem quæris? quare ſinas eleemoſynam eleemoſynam eſſe, & non quæſtum. Multi quidem & hic receperunt, ſed non hoc recepere modo, ſed nõ ideo plus habituri nihil hic recipientibus. Sed quidam horum tanquam infirmiores, quoniam illic repoſitis non ſatis trahebantur. Et ſicut guloſi, inſolentes, expertes honeſtatis, & ventris ſerui, ad regale vocati conuiuium, nec congruam horam expectantes, paruulorum infantum more ſuam corrumpunt lætitiam præuenientes, & vilioribus ſeipſos cibis ſaturantes: ita ſcilicet & hi mercedem hic exquirentes, & accipientes, futuram diminuunt. Et fœnerãs quidem poſt multos annos ſortem recipere concupiſcis, cum periculo neque ſortem recipiendi, vt mora maius accipias fœnus: hic verò ſtatim repetis, & hæc cùm non hic ſemper, ſed illic continuè ſis manſurus: non hic iudicari, ſed illic pœnas ſubire debeas. Et ſi quis tibi quidem domos vbi manere non debeas paraſſet, magnum exiſtimares detri-
B mentum id factum: nunc autem hic vis locupletari, vnde frequenter & ante veſperã es migraturus. Neſcis quòd in aliena regione moramur tanquam 1. Pet. 2.
hoſpites & peregrini? Neſcis quòd peregrinorum eſt expelli, cum nec expectauerint neque ſperauerint? quod & nos patimur: propterea quicquid cõparauerimus, hic dimittimus. Non enim permittit dominus migrantes ea ſimul auferre, ſiue domos ædificauerimus, ſiue coëmerimus agros, ſiue ſeruos, ſiue ſupellectilia, ſiue quid aliud huiuſmodi. Nec tantum non permittit abeuntes quicquam aſportare, ſed neque tibi mercedem computat. Tibi namque prædixit, quod non ædificabis, nec impendes aliena, ſed tua. Quid igitur tua dimittens, alienis operaris, & erogas, vt & laborem, & mercedem amittas, & extremam ſubeas vltionem? Ne quæſo ſic agas, ſed poſtquam natura ſumus peregrini, ſimus & voluntate, ne peregrini fiamus illic ignobiles &
C abiecti. Nam ſi ciues hic fieri voluerimus, neque hic erimus, neque illic: ſi verò peregrini, ſicut ſumus, permaneamus: & ita degamus, ſicut peregrinos degere par eſt, ciuium & hic, & illic capiemus fiduciam. Iuſtus enim, & nihil habens, & hic, & vbique tanquam in ſuis conuerſabitur, & in cœlum reuerſus, ſua videbit æterna tabernacula. Et neque hic aliquid patietur infeſtum: nec enim eum quiſpiam exulem facere poterit, terram omnem patriam habentem: & ſuam recipiens patriam, veras videbit diuitias. Vt igitur vtraque lucremur, & pręſentia, & futura, congruè ſubſtantiis vtamur: ſic enim erimus cœlorum ciues, & multam aſſequemur fiduciam. Quoniam vbi quæſo vtilis erit qui eleemoſynã non facit? Ieiunas quotidie? verum & tunc virgines illæ, ſed nihil eis profuit. At oras, & quid hoc? Abſque eleemoſyna ſterilis oratio, omnia immunda abſque hac, omnia inutilia, maior virtutis pars eſt amputata. *Qui non diligit fratrem*, inquit, *Deum* 1. Ioan. 4
D *non nouit*: tu verò quomodo diligis, neque parua hæc & vilia volens ei communicare? Dic mihi, temperanter agis? Qua de cauſa? nonne quia pœnam timuiſti? Nequaquàm ex virtute, ſed à natura negotium obis. Quoniam ſi moderatè viuis pœnam veritus, & tantam ſuſtines violentiam tanquã tyrannidem, multò magis eleemoſynas facere fuerat opus. Non enim par eſt corporum vincere concupiſcentiam, & pecuniarum, ſed maior illic eſt labor. Cur tandem? quoniam voluptas quidem naturalis, & corpori noſtro inſita & ingenita, pecuniarum autem cura nequaquã: hoc eſt id, quo Deo poſſumus adæquari, miſerari & miſericordiam exhibere. Cum hoc itaque non habeamus, toto ſumus priuati: non dixit, Si ieiunetis, ſimiles eritis patri veſtro: neque dixit, Si ſuppliciter oraueritis, ſimiles eritis patri veſtro: neque, Si virginitatem illæſam ſeruaueritis, ſimiles eritis patri veſtro. Nihil enim horum eſt circa Deum, nec horum quicquam Deus operatur,

Sed

Digitized by Google

Lucæ 6. Sed quid? *Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter, qui in cœlis eſt.* Hoc Dei eſt opus. Hoc ſi non habeas, quid habes? Oſee 6. *Miſericordiam volo*, inquit, *& non ſacrificium.* Fecit cœlum Deus, fecit terram, mare: magna hæc, & ipſius digna ſapientia. Sed horum nullo tantum humanam attraxit naturam, quantum miſericordia & clementia: ait enim, Hoc quidem opus eſt ſapientiæ, & potentiæ, & bonitatis, multò magis autem quod ſeruus factus eſt. Nónne magis in hoc eum admiramur. Non in hoc magis acceptamur? Nihil ita Deum attrahit, ſicut miſericordia. Et multa de hoc paſſim omnes prophetæ loquuntur. Miſericordiam autem dico, non cum auaritia: non enim eſt miſericordia: non enim ſpinæ radix vnquam oleum parit, ſed oliuæ. Sicut nec auaritiæ radix miſericordiam: nec iniuſtitiæ, nec rapinæ: neque calumniæ trades eleemoſynam, nec eam facias ab omnibus accuſari.

Eleemoſyna ex rapina Deo non placet.

Nam ſi propterea rapis vt miſerearis, nihil hac peius eleemoſyna. Cum enim ex rapina naſcatur, hoc eleemoſyna non eſt: ſæuitia quædam eſt, & crudelitas, hoc eſt in Deum contumelia. Si ſuorum deteriora Cain offerens ſic offendit, aliena offerens quomodo non offendit? Oblatio non aliud eſt quàm ſacrificium, non immunditia. Et ſordidis quidem manibus orare non audes: ſordem autem & immunditiam offerens ex rapina nil mali cenſes? Ipſas manus ſordibus & immunditia non ſinis impleri: ſed prius purificatas, ita poſtmodũ eas offers. Et talis ſordes nullum habet peccatum, illa verò accuſatione digna atque calumnia. Ne ſolũ igitur hoc conſideremus, quomodo puras offeramus manus orantes, verùm & vt quæ offeruntur pura ſint: quoniam hoc riſus eſt: quemadmodum ſi quis tabulam ablutam immundis muneribus oneret: nónne ſubſannatio hoc eſt, & riſus? Sint manus puræ. Nõ eas tantum aqua abluamus, verùm & iuſtitia prius: hæc eſt manuum expiatio. Si verò ſimus iniuſtitia pleni, ſi millies etiam eas laues, nullum eſt emolumentum: ait enim, Eſa. 1. *Lauamini, mundi eſtote.* Quid igitur, numquid dixit: Ite ad fontes, ite ad balnea, vel flumina? Nihil horum. Sed quid? *Auferte iniquitates veſtras ab oculis meis*: hoc eſt mundari, hoc eſt ab inquinamento liberari, hæc eſt verè munditia. Nam illa quidem parum profuerit, hæc autẽ apud Deum fiduciam nobis largitur. Et illam adulteri quoque & fures, & homicidæ poſſunt habere, & molles, & diſſoluti viri, & fornicarij, & ſcortatores, & hi præſertim. Hi namque ſunt qui corporis munditiam omnium maximè curant, iugiter olentes vnguenta, ſepulchrum abſtergentes (ſepulchrum enim eis corpus eſt) animam intus habentes mortuam. Igitur huius quidem puritatis & illi poſſunt eſſe participes, interioris verò nequaquam. Nihil magnum eſt, ſi corpus abluas: Iudaica eſt iſta purgatio, inutilis & non expediens, cùm interior deſiit. Sit aliquis habens putredinem, & vlcera corpus depaſcentia, circumlauit corpus, quis exitus? quod lucrum. Si verò corporis tabem nihil lenire poterit, cùm ſuperficies exterior obruatur & deſtruatur, cùm in anima fuerit tabes, quid nobis proderit corporis puritas? Nihil. Puris eſt nobis opus orationibus. Orationes autem puræ eſſe non poſſunt, cùm fœda ſit anima quæ parit eas. Nihil enim animam ita fœdam reddit, ſicut auaritia atque rapina. Sed ſunt quidam innumera per diem operati mala, qui circa veſperã ſe lauantes, eccleſiam ingrediũtur, cum multa manus extollentes fiducia, tanquam omnia per aquarum piſcinam depoſuerint. Si ſic eſſet, magis foret emolumentum quotidie lauari: ſi ſic eſſet, nec ipſe balnea frequentare morarer, ſi mundos redderent, & à peccatis abſoluerent. Riſus iſta ſunt, & nugæ, ludicra & puerorum ioca. Non auerſatur Deus corporis ſordes, ſed animæ pollutionem: eum enim audi dicentem, Matth. 5. *Beati mundo*: nunquid corpore? Nequaquam: ſed *corde* mundi, quoniam ipſi Deũ videbunt. Pſal. 50. Propheta verò quid ait? *Cor mundum crea in me Deus?* Hiere. 4. Et iterum, *Ablue à malitia cor tuum.* Magnũ eſt bonum in conſuetudine bonorũ eſſe. Vide quomodo parua ſint hæc, & inutilia, Et poſtquam anima conſuetudine præoccupata fuerit, non abſcedit: neque priuſquam ea peregerit, ad orationem accedere ſuſtinet. Puta in conſuetudine nos conſtituimus lauandi & orandi, nec illotum hoc facere datur. Ideo libenter non oramus, ſi non lotis hoc manibus faciamus, tanquam Deum offenſuri, & ſub nequam conſtituti conſcientia. Si parum hoc tantam vim habet, & omnino quotidie perficitur: ſi nos in eleemoſynæ conſuetudine conſtituiſſemus, & hoc decreuiſſemus ſemper implere, ne manibus vacuis vnquam orationis domum ingrederemur, res iam perfecta fuiſſet. Conſuetudinis enim vis & in bonis, & in malis magna: ipſa nos trahente, laboris iam non indigebimus. Multi ſunt in ſe ſignandi conſuetudine confirmati, nec iam commonente opus habent: quin & mente frequẽter alio vagante, tanquam à quodam animato præceptore manus ſponte trahitur ad ſignum faciendum. In conſuetudine quidam ſe conſtituerunt ne iurent, & hoc neque volentes, nec inuiti patientur. Igitur & in hac eleemoſynæ noſipſos conſuetudine conſtituamus. Quot opus erat nobis laboribus, vt hoc inueniretur remedium? Dic enim mihi, niſi foret eleemoſynę ſubſidium, cum multis criminibus admiſſis nos vltionis reos ſtatuiſſemus, nónne multum doleremus? nónne diceremus, vtinam per pecunias à peccatis ablui liceret, & omnia daremus? Vtinam pecuniis Dei liceret iram expellere, neque rebus vllis parceremus. Nam ſi hoc in ægritudine facimus, & in morte dicimus, Si mors redimi poſſet, ille omnia ſua dediſſet: multò magis hoc. Et vide quanta ſit Dei miſericordia, temporalem redimere mortem tibi non conceſſit, ſed conceſſit æternam mortem. Ne breuem, inquit, emas vitam hanc, ſed vitam illam æternam: illam tibi vendo, non hanc, nõ illudo tibi. Hanc etſi ceperis, ceperis nihil. Ego noui quod illa magna eſt, ſed non ita caupones, & ſeculares quæſtus ſectantes faciunt. Illis enim ſi liceat illudere quibus velint, pro magno paruum exhibent: ipſe vero non ita, nos autem ita. Dic mihi, Simile. Si ad aliquem profectus mercatorem duobus propoſitis lapillis, hoc quidem falſo, hoc autem pretioſo, & diuitiarum multum trahente, illius parui pretium deponens, magnum accepiſſes: nunquid illum incuſaſſes? Nequaquam, ſed potius fuiſſes admiratus. Iſidem & nunc propoſitæ ſunt duæ vitæ, temporalis, & æterna: ipſas autem venundat Deus. Sed hanc nobis non illam vendit. Quid inſipientium more puerorũ triſtamur, quod pretioſam accepimus? Poteſt igitur, inquies, pecuniis vita redimi? Poteſt, ſi noſtra, & non aliena erogemus: ſi non faciamus impoſturam. At inquies. Mea poſt rapinam ſunt. Non tua, imò ſunt illius: aliena ſunt, licet eorum millies ſis dominus. Nec enim ſi depoſitum acceperis tempore quo depoſitor peregrinatur, hæc tua ſunt, licet apud te iaceant. Si igitur quæ à volentibus, & gratias habentibus in depoſitum accepimus, noſtra non ſunt, nec illo tempore quo tenemus: multo magis hæc, quæ inuitis & nolentibus rapimus, proximi ſunt: ille eorum eſt dominus, licet millies ea retineas. Illa vero noſtra eſt virtus. Pecuniæ vero ne noſtræ quidem, noſtræ ſunt, nedum alienæ. Sed nunc quidem noſtrum eſt, cras vero non iam noſtrum. Virtutis autem bona ſunt noſtra: non enim hæc ſicut illa iacturã facit, ſed omnibus tota præſens adeſt. Hanc itaque poſſideamus, & contemnamus pecunias, vt vera conſequi bona poſſimus: quæ nos vtinam omnes mereamur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Digitized by Google

De eleemoſyna & miſericordia. ex epiſt. ad Corinth. prima.

HOMILIA XXXVII.

CVM hominem diligat dominus, chariſſimi multam] præceptis ſuis immiſcuit lenitatem, vt non ſolùm ex præcepto, verùm & ex propria mente multa faciamus. Poterat enim, niſi hoc voluiſſet, præcepta magis intendere, & dicere, Qui nō ſemper ieiunat, puniatur: qui virginitatem non ſeruat, in eum animaduertatur: qui præſentia nō exuit omnia, ſupremam exoluat pœnam. Sed hoc non fecit, tibi, ſi velis, largitatem exhibendi præbens occaſionem. Et propterea cum de virginitate loqueretur, dicebat: *Qui poteſt capere capiat*. Et ad diuitem hæc quidem præcepit, hæc autem ſuæ poteſtati dimiſit. Non enim dixit, Vende quæ habes: *ſed ſi vis perfectus eſſe, vende*. Nos autem non tantum non largitatem præferimus, neque præcepta tranſcendimus, verùm & à iuſtorum menſura multum deficimus. Et Paulus quidem eſuriebat, ne impedimentum daret euāgelio: nos vero neque repoſita nobis tangere audemus, innumeras videntes animas ſubuerti: dicimus enim, Rodat tinea, & non comedat pauper: abſumat vermis, & nudus non induatur: omnia tempore conſumantur, & Chriſtus non paſcatur, licet eſuriat. At inquies: Quis hoc dixit? Hoc eſt autem ideo valde malum, quod non verbis, ſed operibus iſta dicuntur. Minus enim eſſet mali ſi diceretur in verbis, quàm cum agitur in factis. Nonne quotidiè iſta proclamat inhumana, & crudelis, & tyrannica vanitas captiuis ſuis? Proponuntur & calumniatoribus, & latronibus, & inſidiatoribus ad eſcam noſtram, non autem eſurientibus, neque indigentibus alimentum. Nonne vos enim facitis latrones? nonne vos inuidorum igni fomitem præbetis? nónne vos facitis fugitiuos & inſidiatores, velut eſcam veſtras proponētes diuitias? Quis furor autem eſt iſte? Furor enim eſt, & manifeſta dementia, veſtibus quidem arcas parare, ad Dei vero factum imaginem & ſimilitudinem, & nudum & tremētem præ gelu, vixque ſtantem rectum negligere. At inquies: Simulat tremorem & infirmitatem. Non times ne fulmen ab hoc verbo cœlitus accenſum in te feratur? Diſrumpor enim ab indignatione, parcite. Tu quidem ventre tumens & pinguis, & ad profundam potum producens veſperam, & mollibus caleſcens ſtragulis, non te dignum dare pœnas cenſes, cùm tam inique Dei muneribus vtaris: (nec enim vt inebriemur eſt vinum: nec vt crapulemur, eſca fuit facta: nec vt ventrem diſrumpamus, cibi) pauperē verò miſerum, nihilo melius mortuo habentem, exquiſitas exigis rationes? Nec Chriſti times tribunal illud horrendum & terribile? Nam & ſi ſimulat, ex neceſſitate ſimulat, & egeſtate, propter ſæuitiam & inhumanitatem tuam, quæ talibus perſonis ſupplicantibus ad miſericordiam non flectitur. Quis enim tam miſer & ærumnoſus, vt nulla premente neceſſitate, pro ſolo pane velit ita deturpari & plangere talemq; pœnam ſuſtinere? Igitur illius ſimulatio fertur inhumanitatis tuæ præco. Quoniam enim ſupplicans & deprecans, & miſerabilia fundens verba, gemens & lachrymans, totum circumiens diem, neque neceſſarium inueniebat alimentum, fortè hanc artem excogitauit, non ſibi tantum, quantum tibi dedecoris & accuſationis inferentem. Nam ille quidem miſericordiā inuenire dignus eſt, quod in tantam deuenit neceſſitatem: nos autem innumeris digni ſuppliciis, quod pauperes talia pati cogimus. Si nanque de facili flecteremur, numquam ille talia ſubire maluiſſet. Et quid dico nuditatem & tremorem? Hoc enim horribilius dicam, quod & liberos immaturam agentes ætatem quidam excæcare ſunt coacti, vt noſtram penetrarent inſenſatam duritiam. Poſtquam enim vidētes,

Matt. 19.

Lucæ 18.

In eos qui medicos dicunt ſimulare.

A nudique circumeuntes, nec ab ætate, nec ab ærumna crudeles flectere potuerunt, his tot malis aliam grauiorem adiecere tragœdiam, vt famē ſoluerent, leuius eſſe putantes, hoc communi lumine priuari, & ſplendore omnibus conceſſo carere, quàm cum fame continuam habere pugnam, & miſerrimam mortē ſuſtinere. Quoniam enim paupertatis miſereri nō didiciſtis, ſed gaudetis calamitatibus, veſtrā implent improbam libidinem, & ſibi & vobis gehēnæ flammam acriorem accendentes. Et vt ſciatis, quod propterea talia fiunt, ſignum vobis dicā manifeſtum, cui nemo contradicere poterit. Sunt alij pauperes leues, & mente ſublimes, & neſcij famem pati, ſed potius omnia quam hanc ſuſtinentes: hi vobis frequenter & habitibus & verbis miſerabilibus occurrentes, poſtquam nihil profecerūt, omiſſis ſupplicationibus illis, præſtigiatores iam nobis adduxerunt; hi quidem calceamentorū pelles elaboratorum mandentes, hi verò capiti acutos circunfigentes clauos. Alij glacie concretis aquis nu- B do ventre adhærentes, alij verò his ſuſtinentes abſurdiora: vt improbum ſtatuant ſpectaculum. Tu verò dum hæc fiunt, aſſiſtis ridens & admirans, & alienis inſultans malis, dum communis natura dedecoratur. Ecquid his maius faciat ſæuus dæmon? Poſtmodum vt promptius hæc faciat, copioſius præbes argentum. Et oranti quidem, & Deum vocanti, & accedenti cum humanitate, neque reſpondere dignaris, neque reſpicere. Quin & grauia illa loqueris verba, cùm iugiter infeſtauerit: Hunc oportétne viuere? an omnino reſpirare, vel ſolem hunc cernere? In illos autem & hilaris, & liberalis, tanquam ſis præmij propoſitor, & editor ſcurrilis & ſatanicæ turpitudinis illius. Et propterea rationabilius hæc ponentibus certamina, & nihil erogantibus donec alios cruciari videant, hæc verba dicerentur: Viuere decet hos? reſpiraréne penitus, vel ſolem hunc cernere? in communem peccantes na- C turam, in Deum immittentes contumeliam. Cùm enim Deus dicat: Da eleemoſynam, & do tibi cœleſte regnum, non audiſti. Diabolo autem caput confixum clauis oſtendente, repente factus es liberalis. Et plus potuit flectere maligni dæmonis adinuētio, tantum habens nocumentum, quàm Dei promiſſio, bona ferens innumera. Cum opus fuerit, ſi fuiſſet etiam erogandum aurum ne talia fierent, aut fieri viderentur, omnia facere, aut pati, vt hæc multa tolleretur inſania: vos autem vt fiant, & fieri ſpectentur, omnia facitis & negociamini. Adhuc igitur interrogas quæſo, quamobrem gehenna? Sed ne amplius hoc interroges, ſed quomodo ſola vna ſit gehenna. Quot enim hi pœnis digni ſunt, qui ſæuū hoc & immite conuocantes ſpectaculum, & ridentes in quibus opus erat lugere, tam illos quam noſipſos, imò verò vos, talia ſubire deformia compellunt? At inquies: Non cogo. Dic mihi quomodo D non cogis, humilioribus quidem & plorantibus, & Deum proteſtantibus nec intendere ſuſtinens, his autem & largè præbens argentum, & multos circūſiſtens admirantes? Abſtinemúſne, inquies, miſerentes eorum? Tunc hoc imperas? Non hoc eſt, homo, miſereri, tantam pro paucis obolis pœnam exigere, iubere vt propter neceſſarium ſe percutiat alimentum, & in multa capitis cutem ſecare tam amarè & miſerabiliter. Bona verba, inquies: non enim nos ſumus capita configentes illa. Vtinam tu, nec eſſet malum tam graue. Qui namque iugulat aliquem, iubente ſeipſum iugulare multò peiora facit: quod quidem & in his accidit. Acutiores enim ſuſtinent dolores, cum ipſi quoque miniſtri malorum fieri iubentur præceptorū huiuſmodi. Et hæc Antiochiæ, vbi primum appellati ſunt Chriſtiani, vbi fuerunt omnibus hominibus mitiores, vbi multus apud antiquos eleemoſynæ fructus vigebat. Nec enim tantùm præſentibus, verùm & longinquis mittebant per magnum interuallum, & hæc

Pauperes quænam faciebant vt commouerēt ad miſericordiam.

Act. 11. d

cum

cum fames expectaretur. Quid igitur, inquies, oportet facere? Hanc quidem feritatem ſupprimere, omnibus autem egenis perſuadere, quod hæc quidem agentes, nihil accipient: manſuetè vero petentes, multam inuenient liberalitatem. Et ſi hæc didicerint, licet ſint omnium miſerrimi, non amplius eligent cruciari. Ego vadimonium præſto, quin & gratias vobis habebunt, quod ipſos à riſu liberaſtis, & illo dolore. Nunc autem pro aurigis quidem & liberos veſtros traderetis, & pro ſaltatoribus ipſas proderetis animas: pro Chriſto autem eſuriente neque minimam ſubſtantiæ partem erogatis, ſed ſi parum argenti dederitis, tanquam totum exolueritis, ita vos geritis: neſcientes quod non dare, ſed cum copia dare, præſertim hoc eſt eleemoſyna. Propterea que propheta non dantes ſimpliciter prædicat, & beatificat, ſed copioſè præbentes. Nec enim ſimpliciter dixit, dedit: ſed quomodo? *Diſperſit dedit pauperibus.* Quid enim vtilitatis, cùm tantum abundans dederis, quantū ſi quis ex mari cyathum hauſerit, & neque generoſum viduæ mulieris animum imitatus ſis? Quomodo verò dices: *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam?* cùm ſecūdum eius miſericordiam ipſe non miſerearis, fortè vero neque ſecundùm paruam. Etenim multum cōfundor, cum multos video diuites equis cum frenis aureis inſidentes, & poſt ſe trahentes ſeruos auro micantes, & lectos habentes argenteos, & aliam maiorem iactantiam: & cum pauperi dandum fuerit, pauperrimis pauperiores redditos. Sed ſolent dicere, habet communia bona eccleſia. Et quid hoc ad te? Nec enim ſi ego dedero, ſaluaberis ipſe: neque ſi eccleſia præbuerit, tu peccata tua deleueris. Nam ſi propterea non erogas, quod egenis eccleſia dare debeat: quoniam orant ſacerdotes, tu numquam orabis? Et quoniam alij ieiunant, tu iugiter ebrius eris? Neſcis quod non tam propter pauperes eleemoſynam Deus, quàm propter ipſos impendentes inſtituit? Sed ſacerdotem habes ſuſpectum? grauiſſimum quidem & hoc peccatum, tamen nō ſubtiliter exquiro. Omnia per teipſum perage, & ita duplicē lucraberis mercedem. Nam quæ nos de eleemoſyna dicimus, non vt nobis offeras dicimus, ſed vt ipſe per teipſum miniſtres. Mihi namque deferens fortaſſis & inani gloria capieris: frequenter autem & ſcandalizatus recedes, eò quod mala ſuſpiceris. Si verò per voſmetipſos omnia faciatis, & à ſcandalis abſoluemini, & ab inepta ſuſpicione, maiorque vobis erit merces. Non itaque vos huc cogens conferre pecunias, hæc dico, neque pro ſacerdotibus, quibus detrahitis zelum præfans. Nam ſi fuerat indignandum & dolendum, pro vobis oportebat dolere, qui maledicitis. Nam malè quidem audientibus incaſſum & ſine cauſa maior erit merces: dicentibus autem, iudicium & vltio grauior. Non itaque propter eos hæc dico, ſed veſtri curam gerens, & ſollicitudinem. Quid enim mirum, ſi quidā in generatione noſtra ſuſpecti ſunt, cùm inter ſanctos illos angelorum imitatores, nihil propriū poſſidentes, apoſtolos dico, murmuratio foret in miniſterio viduarum, quod deſpicerentur pauperes, cùm nemo quippiam ſuorum propriū eſſe diceret, ſed eſſent illis omnia communia? Ne has itaq; prætendamus purgationes, nec excuſationem eſſe credamus, quod eccleſia multa poſſideat. Cùm enim ipſius ſubſtantiæ magnitudinem videris, & pauperū in ea deſcriptorum greges cogita, ægrotorum cateruas, innumerorum occaſiones miniſteriorum ſcrutare, inueſtiga curioſè. Qui prohibeat nemo. Quin & rationem vobis reddere ſumus parati: verū dilationem volo. Cùm nanque rationes dederimus, & non minorem eſſe prouentu demonſtrauerimus impenſam, quin & interdum maiorem: libenter à vobis illud interrogarem, cum illo migrabimus, & Chriſtum audiemus dicentem: *Eſurientem me vidiſtis, & non pauiſtis: nudum, & non induiſtis:* quid dicemus? quid verò reſpondebimus? Illum & illum in mediū agemus, qui talia negligunt, an ſacerdotum quoſdam ſuſpectos? Et quid hoc ad te? Nam ego tibi obiicio quæ ipſe peccaſti: horum autem purgatio, propria diluere crimina, non alios oſtendere paria peccaſſe. Nam & eccleſia propter puſillanimitatē veſtram ea cogitur habere, quæ nunc habet. Quippe ſi ſecundum apoſtolicas leges omnia fierent, ipſius prouentum eſſe mentem veſtram oportebat: quod penu eſſet tutiſſimum, & inconſumptus theſaurus. Nunc autem quando vos theſaurizatis ſuper terram, & in veſtris omnia penibus recluditis: hæc autem impendere cogitur viduarum collegiis, virginum choris, hoſpitum viſitationibus, peregrinātium ærumnis, compeditorum calamitatibus, malè valentium neceſſitatibus & mutilatorum, aliiſque talibus cauſis, quid agendum eſt? Numquid opus eſt hos homines auerſari, totque ſuffodere portus? Et quis occurrentibus ſufficeret naufragiis, gemitibus, luctibus & eiulatibus vndique concurrētibus? Ne temerè igitur & caſu loquamur: nūc enim quod præueniens dixi, & rationes quidem vobis reddere parati ſumus. Si verò contrarium quoque foret, & perditos haberetis doctores, omniaque diripientes, & auaros: nec ita defenſio veſtra foret illorum nequitia. Clementiſſimus enim & ſapientiſſimus vnigenitus Dei filius, omnia videns, & ſciens quod multos temporis longitudine, & tam magno terrarum orbe ſacerdotes accidit eſſe corruptos, ne ſubditorum torpor per illorum negligētiam augeatur, omnem tollens torporis excuſationem: *Super cathedram,* inquit, *Moſi ſederunt ſcribæ & phariſæi: omnia quæcunque vobis dicunt vt faciatis, facite: ſecundum autem opera eorum nolite facere:* oſtendens quòd licet præceptorē habeas malum, nihil hoc tibi obeſſe poterit, cùm dictis intendas. Non enim ex his quæ ſacerdos egit, ſed quæ audita neglexiſti, ex his tibi Deus ſententiam feret. Itaque ſi præcepta quidem facias, cùm multa tunc aſtabis fiducia: ſi verò quæ dicuntur neglexeris, etiamſi mille perditos oſtenderis ſacerdotes, nihil hoc tibi proderit. Quoniam & Iudas apoſtolus erat, veruntamen nihil hoc pro ſacrilegis & auaris vnquam in defenſionem proponetur. Nemo poterit accuſatus dicere, quòd & apoſtolus fur erat, & ſacrilegus ac proditor: ſed hoc ipſum nos maximè puniet, & condemnabit, quòd nec aliorum malis correcti ſumus. Nam & propter hoc illa ſcripta ſunt, vt eorum æmulationem fugiamus. Quapropter illum & illum ſinentes, nobis ipſis caueamus: nam quiſque noſtrum prò ſe Deo dabit rationem. Igitur vt rationem hanc cum bona reddamus purgatione, noſtram inſtituamus vitam, & largam egenis dexteram extendamus: ſcientes quòd hæc ſola nobis eſt excuſatio, ſi nosipſos oſtendamus mandata peregiſſe, nulla verò prætermiſſe. Et ſi hanc præferre poterimus, intolerabiles illos gehennæ dolores effugiemus, & futura conſequemur bona: quæ nos vtinam omnes aſſequamur, gratia & clementia domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, honor & imperium, cum ſancto & viuificante ſpiritu, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Eleemoſyna largè eſt facienda.

Pſal. 111. b.

Ibid. 50. a.

Act. 6.

Matt. 25

Matt. 23. c.

De humilitate & quiete.

HOMILIA XXXVIII.

NE altum ſapiamus, ò homines, nec inflemur, cum terra ſimus & cinis, fumus & vmbra. Dic nanque mihi, cur altum ſapis? Eleemoſynam dediſti, & exhauſiſti pecunias. Et quid hoc, cogita, niſi te Deus diuitem facere voluiſſet? cogita pauperes, quinimo cogita & quòd corpora tradiderunt, & poſtquam tradiderūt ſe modeſtè gerentes, miſeros millies cenſuerūt. Tu propter teipſum erogaſti.

Digitized by Google

Rom. 11. Chriſtus propter te: tu debitū reddidiſti, tibi Chriſtus non debebat. Futurorum incertitudinem reſpice, *nec altum ſapias, ſed time*: ne ſuperbia virtutem diminuas. Vis verè magnum aliquid operari? nunquam te ſuſpiceris tanquam magnorū meritorum. Sed es virgo? Verùm & illæ virgines fuerunt: ſed propter ſæuitiam & inhumanitatem nihil eis virginitas profuit. Humilitati nihil æquale: hæc eſt bonorū mater & radix, altrix & occaſio, ſimul & vinculum: hac remota, abominabiles & ſceleſti ſumus & immundi. Sit enim, quæſo, mortuos aliquis ſuſcitans, & ſanans claudos, & leproſos emundans cum inſolentia, nihil hoc ſceleratius, magis impium nihil, nihil profanius. Nihil eſſe te putes. Verbum habes & docendi gratiam, ne propterea putes te plus aliis aliquid habere. Propterea maximè debes humiliari, quod pluribus donis præditus es. *Cui* namque *plus dimiſſum eſt, plus diliget*. Igitur oportet & humiliari, quod alios prætergreſſus in te Deus inclinauit. Frequenter enim & hoc tibi perditionis cauſa fuerit, niſi vigilaueris. Quid altum ſapis, quoniam per verba doces? ſed hoc facile, verbis medicari. Doce me per vitam tuam, hæc eſt optima doctrina. Dicis quod opus eſt modeſtiam ſequi, & longum ſuper hoc trahis ſermonē, & inoffenſe fluens, dicendi copiam oſtentas. Sed te melior ille qui per opera hoc me docet. Non enim diſciplinæ tam à verbis, quam à factis animæ ſolent intromitti. Quoniam ſi non habueris opera, non tantum loquens non profuiſti, ſed & potius læſiſti. Melius eſt tacere. Quare? quoniam opus mihi reddis impoſſibile. Cogita namque quod ſi tu tanta diſſerens non efficis, multò magis ego venia dignus. Propterea propheta dicit: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas?* Maius enim hoc damnum, cùm aliquis bene verbis docens, per opera doctrinam impugnat. Hoc fuit multorum in eccleſiis malorum cauſa. Propterea parcite quæſo, ſi vobis in hac indignatione ſermo prolixior habetur. Multa multi faciunt, vt in medio conſtituti, longam extendant orationem: & ſi plauſus quidem à multitudine conſequantur, hoc eis regno ſimile factum eſt: ſi verò cum ſilentio ſermonem finierint, ſilentij triſtitia fit illis gehenna moleſtior. Hoc eccleſias ſubuertit, quoniam neque vos ſermonē audire quæritis compunctiuum, ſed qui delectare ſono valeat, & verborum compoſitione, tanquam citharœdos & cithariſtas audientes. Et nos ſegniter & ærūnoſè facientes veſtras ſequimur cōcupiſcentias, cum ſit opus eas excidere. Et idem fit, ac ſi quis pater frigido & plus debito molli filio, licet ægrotanti placentā offerat & aquam frigidam & quæcunq; duntaxat delectare ſolent vtilium verò nullam gerat curam: poſtmodum à medicis incuſatus, ſe purget dicēs: Quid faciam: non ſuſtineo flentem puerū cernere. Miſer & infelix & proditor: nec enim huiuſmodi patrem dixerim. Et quantò melius eſt breui contriſtatū ſemper incolumem reddere, quam momentaneam hac lætitiā continuę mœſtitiæ materiam facere? Hæc & nos patimur, verborū fucos conquirentes, & compoſitiones, & elegantem iuncturam, vt delectemus, non proſimus. Conſideramus quomodo videamur admirabiles, nō quomodo mores cōponamus. Credite mihi, vera dico: dum mihi applauditur dicenti, per ipſum quidem tempus humanū aliquid patior (cur enim non verum fatear?) & geſtio, & exulto, poſtquam domū ingreſſus, plauſores nihil adiutos eſſe cogitauero: & ſi quid profeciſſe debebant, per plauſum & laudes amiſiſſe doleo, gemo, & lugeo: & tanquam omnia temerè dixerim, ſic afficior, & mihi metipſi dico. Quæ mihi ſurdorum vtilitas, cùm auditores ex ſermonibus noſtris lucrari nihil velint? Et frequenter legem ponere cogitaui, quæ plauſus prohiberet, & cum ſilentio, congruaque tranquillitate nos audire perſuaderet. Sed tolerate quęſo, & obedite mihi: & ſi videtur, hanc ſanciamus legem, iam audientium nemini licere cuiquam inter dicendum applaudere: ſed ſi velit admirari, cum ſilentio miretur, prohibet nemo. Omne verò ſtudium & promptitudo addicta præſtetur ſuſcipienda. Quamobrem applauſiſtis? De hoc legem profero. Vos autem nec audire toleratis. Hoc erit multorum cauſa bonorum, & philoſophiæ doctrina. Exteriores quoque philoſophos audimus dicentes, & nullus vnquam plauſus eos ſequitur. Et apoſtolis ſermonem habentibus ad populum, nuſquam hoc addiderunt, quòd illis dicentibus in medio dicentem plauſibus auditores interrumperent. Magnum hoc nobis lucrum, ſed hoc ſanciamus. Omnia cum quiete audiamus omnes, & dicamus. Nam ſi poſt plauſus quidem abiremus, habentes quæ audiuimus, maximè quidem, nec ita laus vtilis foret: ſed non admodum curaſſem, ne quis me fortè ruſticitatis argueret. Sed quando nihil amplius efficitur, niſi detrimentum, ſoluamus vinculum, tollamus exultationes, animæ laſciuias excidamus. Chriſtus in monte prædicauit, ſed nemo quicquam dixit, donec ſermonem impleuit. Non priuo volentes plauſibus excipi, ſed magis mirabiles reddo. Multò melius tacitè audientem per memoriam in omni tēpore plaudere & domi, & in foro, quàm omnibus perditis domum inanē redire, plauſuum non habentem materiam. Quomodo namque non deridendus auditor, & aſſentator magis & ſimulator putabitur? quòd bene quidem dixit, doctor pronuntians: quid verò dixerit, demonſtrare non ſum idoneus. Hoc aſſentationis eſt. Nam citharœdos quidem audiens & tragœdos, hoc iure pateretur, vtpote qui dictionem ſimiliter proferre neſciant. Vbi verò non cantus eſt oſtentatio, neque vocis, ſed ſententiarum & philoſophiæ facultas, cuique dicere & enuntiare facillimum eſt. Quomodo non igitur accuſatione dignum eſt, ſi quis laudans, cauſam nequeat dicere, qua dicentem laudauit? Nihil eccleſiæ tam congruum, quàm ſilentium & tranquillitas. Theatris conuenit tumultus, & balneis, & pompis, & foris: vbi verò de talibus dogmatis doctrina, tranquillitas, & quies, & philoſophia, & multa pax eſſe debet. Hæc precor & ſupplico. Circumeo namque loca, quæres, quibus veſtris prodeſſe valeam animis: nec hic paruus mihi modus eſſe videtur, qui non tantum vobis proderit, verùm neque nos præcipitari permittit, neque laudum & gloriæ capi cupidine, neque delectantia dicere, ſed quæ proſunt, neque circa compoſitiones, & verborum fucos, ſed circa ſententiarum virtutem omne temporis occupare momentum. Officinam intra pictoriam, & ibi magnum inuenies ſilentium: ſit igitur & hic: nam & hic regias pingimus imagines, nullam verò priuatam per virtutis colores. Quid mihi rurſum in hoc applauditis? Non hoc eſt facile. Sed quid, niſi multa conſuetudine comparari poſſit? Stylus autem nobis eſt lingua, artifex verò Spiritus ſanctus. Dic mihi, nunquid vllus eſt in myſteriis tumultus? nunquid vlla turbatio? Cùm baptizamur, cùm alia cuncta facimus, nónne quiete & ſilentio cuncta ſunt ornata? Hoc in cœlo diſſeminatum eſt ornamentum. Propter hoc & à gentibus accuſamur, tanquam ad oſtentationem & ambitionem omnia facientes. Ne igitur in meritis altum ſapiamus, ô homines, ſed cogitantes domini progenitores, omnem euacuemus tumorem. Sic enim & phariſæus publicano factus eſt poſterior. Si verò vis magnum oſtendere meritum, noli altum ſapere, & tunc hoc magis oſtenderis. Ne te putes aliquid effeciſſe, & totum feceris. Nam cùm ſimus peccatores, hoc nos eſſe quod ſumus cogitantes, efficimur iuſti, ſicut & publicanus: quantò magis ſi cum iuſti ſimus, peccatores eſſe nos putemus? Nam ſi iuſtos ex peccatoribus facit humilia de ſe ſentire, licet hoc non humilitas, ſed ſanum ſit iudicium.

Non ſufficit bene docere, niſi etiam operentur bene.

Luc. 7. g.

Pſal. 49.

Concionator nō debet curare plauſum populi, ſed eius.

Simile.

Luc. 18.

Digitized by Google

Si igitur in peccatoribus ſanum tantum poteſt iudicium, quantum humilitas in iuſtis poterit, collige. Ne velis itaque labores corrumpere, neque ſudores ſuccidas, nec in vacuum curas, poſt innumera certamina totũ euacuans laborem: te namque melius merita tua dominus nouit. Vel ſi calicem aquæ frigidæ dederis, nec hoc deſpicit: ſiue obolum erogaueris, ſiue gemueris duntaxat, omnia cum ingenti ſuſcipit beneuolentia, & reminiſcitur, & magnas eis reponit mercedes. Quam autẽ ob rem tua continue commemoras, & nobis in medium profers? Neſcis quòd ſi temeipſum laudaueritis, non iam te Deus laudabit? ſicut è contra, ſi te miſerum vocaueris, non deſinet apud omnes te prædicare. Nec enim vult labores tuos diminui. Quid dico diminui? Omnia nempe facit & ſatagit, vt ex minimis te coronet, & circuit occaſiones quærens, quibus à gehenna poſſis liberari. Propterea ſi vel vndecimam opereris horam diei, integram erogat mercedem: ſi vel vnam ſalutis occaſionem habeas, ait:

Ezec. 36. *Propter me facio, ne nomen meum polluatur.* Si vel gemueris tantùm; vel fleueris, hæc omnia ſtatim arripit ipſe in tuæ ſalutis occaſionem. Nolimus igitur extolli, ſed & nos dicamus inutiles, vt vtiles efficiamur. Nam ſi te quidẽ dixeris probabilem, licèt probabilis exiſtas, inutilis factus es: ſi vero te nominaueris inutilẽ, factus es vtilis, licèt ſis improbandus: propterea meritorũ obliuiſci neceſſarium eſt. At inquies? Quomodo poſſumus hæc neſcire, quæ ſcimus? Quid ais? continue dominum offendẽs lætaris & rides, & neſcis quidem quòd peccaſti, cùm obliuioni cuncta tradideris: meritorum verò memoriam extrudere non potes, licèt res ſit fortior metus. Nos autem contrarium facimus: nam quotidie quidem offendentes, nec animaduertimus: ſi vero pauperi modicũ argenti dederimus, ſurſum & deorſum circumuoluimus: quod eſt extremæ dementiæ, & maxima colligentis iactura. Tutus enim meritorum penus, obliuio meritorum. Et ſicut cùm veſtes & aurum in foro quidem exponimus, multos prouocamus inſidiatores: ſi vero domi reponamus & celemus, in tuto repoſuerimus omnia: ita profectò & merita ſi iugiter mente geſtemus, dominum irritamus, armamus inimicum, ad furtum vocamus: ſi verò ſciat ipſa nemo, ſed quẽ ſcire ſolùm oportet, in tuto iacebunt. Itaque noli iugiter circumferre, ne quis auferat ea: neque quod Phariſæus paſſus eſt, & ipſe patiaris, qui lingua circumferebat ipſa, vnde diabolus ea rapuit, licèt eorũ cum gratiarum actione memoriam ageret, & Deo totum attribueret: ſed nec hoc ei ſuffecit. Non enim aliis exprobrare gratiarum eſt actio, coram multis gloriari, in præuaricatos inſurgere. Nam ſi Deo gratias agis, id ſolum tibi ſatis ſit, nec in homines inueharis, neque condemnes proximum. Vis gratiarum actionis rationem diſcere? tres audi pueros di-

Daniel 3. centes: *Peccauimus, iniquitatem fecimus. Iuſtus es domine in omnibus quæ feciſti nobis, quoniam in vero iudicio omnia induxiſti.* Itaque propria confiteri peccata, hoc eſt Deo gratias agere confitentem? Qui ſe quidem infinitorum oſtendit eſſe reum, nec à ſe dignam exigi pœnam, hic eſt qui maximè gratias agit. Caueamus igitur aliquid de nobis dicere: hoc enim & omnibus odioſos, & Deo reddit abominabiles. Propterea quanto maiora præſtitimus, tantò minora de nobis dicamus: ſic enim gloriam aſſequemur maximam & apud homines, & apud Deum, quinimò neque gloriam tantum apud Deum, verùm & mercedem, & magnam retributionem. Ne mercedem itaque reputes, vt capias mercedem: gratia confitere ſaluari, vt ipſe tibi ſe debitorem confiteatur, non modò meritorum, verùm & talis gratitudinis. Nam cum bene quidem geſſerimus, benefactorum duntaxat habemus debitorem: cùm verò nihil nos meruiſſe putauerimus: ipſius quoque diſpoſitionis huiuſmodi magis quàm illorum, vt æquiualens, ſit hæc meritorum. Si non igitur hoc adſit, nec illa magna videbuntur. Nam & nos ſeruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cum poſtquam omnia beneuolè miniſtrauerint, nihil magnum feciſſe ſe cenſent. Itaque ſi tu quoq; magna vis reddere merita tua, ea ne magna eſſe putes, & magna tunc erunt. Sic & Centurio dicebat: *Non ſum dignus*

Matt. 8. *vt intres ſub tectum meum*: & propterea dignus factus eſt, & admirationi ſuper omnes Iudæos habitus. Sic

1. Cor. 15 & Paulus dicens: *Non ſum dignus vocari apoſtolus*; & propter hoc omnium primus factus eſt. Itidem & Ioannes: *Non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti eius*; & ideo *amicus* quoque fuit *ſponſi*. Et manum quam eſſe calceamento dixit indignam, hanc ſuper caput

Lucæ 4. ſuum Chriſtus attraxit. Sic & Petrus dicebat: *Exi à me, quia peccator homo ſum domine*: & idcirco factus eſt eccleſiæ fundamentum. Nihil enim Deo tam gratum, quàm cum extremis peccatoribus ſemetipſum connumerare. Hoc eſt totius ſapientiæ principium. Sic enim humiliatus & contritus, non inani gloria ventilabitur, non iraſcetur, non inuidebit proximo, non vllum aliud vitium admittet. Nec enim contritam manum, licet millies contendamus, in altitudinem tollere poterimus. Si igitur & animam itidem conteramus, innumeri tumefacientes morbi eam extollent neque tantillum eleuari poterit. Nam ſi quis de rebus lugens ſecularibus omnes animi depellit ægritudines: multò magis qui pro peccatis hoc facit, ſapientiam aſſequetur. At inquies: Quis ita poterit cor ſuum conterere? audi Dauid maximè per hoc illuſtratum, & ipſius animi contritionem intelliges. Poſt innumera ſiquidem merita, de:iens & patria, & domo, & ipſa excidere vita, ſecus ipſum calamitatis tempus vilem & abiectum militem tempore ſuo cernens inſultantem,

2. Reg. 6. & conuitiantem: non tantum conuitium tulit, ſed & ex militibus quendam illum interficere volentem prohibuit, dicens: Sinite eum, quoniam dominus mandauit illi. Et rurſum ſacerdotibus arcam cum eo circumferre petentibus, non aſſenſus eſt: ſed quid ait? In templo collocabo, & ſi liberauerit me præſentibus malis Deus, videbo decorem eius: ſi vero mihi dixerit: Nolui te: ecce ego, faciat mihi quod placitum eſt in conſpectu eius. Quòd

1. Reg. 23 autem erga Saulem & ſemel, & bis, & ſæpe factum eſt, qualem philoſophiæ non oſtendit exceſſum? Etenim & antiquam legem tranſcendit, & apoſtolicis factum eſt præceptis propinquum. Propter hoc omnia diligebat à domino miſſa, non de his quæ fiebant, iudicans: ſed vnum ſolum elaborans, vt in omnibus obediret, & leges ab eo poſitas ſequeretur: & poſt tot ſua cernens merita tyrannum, parricidam, fratricidam, contumelioſum, furentem, pro ſe ſuum habentem regnum, nec ita ſcandalizabatur: ſed ſi Deo hæc videntur, inquit, me quidem pelli, & fugere, illum autem eſſe in honore, amo & ſuſpicio, & gratias habeo de innumeris ipſis malis. Non vt multi impudentes, & temerarij, nec minimam meritorum eius partem aſſecuti, ſi quos in proſperitatibus poſitos viderint, ſe vero minimam ſuſtinuiſſe triſtitiam, innumeris ſuas perdunt animas blaſphemiis. Sed non talis Dauid, ſed omnem exhibebat manſuetudinem. Propter eaque

1. Reg. 16 dicebat Deus: *Inueni Dauid Ieſſe, virum ſecundùm cor meum.* Talem & nos animam habeamus, & quicquid fuerimus paſſi, facile feremus: & ante regnum hic humilitatis prouentum colligemus. Ait enim: *Diſcite*

Matt. 11. *te à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.* Vt igitur & hic, & illic quiete fruamur, magno cum ſtudio omnium matrem virtutum, humilitatem dico, in animabus noſtris plantemus: ſic enim & hoc vitæ pelagus abſque fluctibus tranſire poterimus, & in tranquillum cœleſtem illum nauigare portum, gratia, &c.

De

Digitized by Google

De humilitate, & quod præſentia, quaſi non ſint, oportet contemnere.

HOMILIA XXXIX.

CLEMENS dominus noſter, chariſſimi, cùm nos præſentia deſpicientes viderit, & hæc cum largitate præbet, & futura nobis ſeruat fruenda: & hoc in pecuniis, & in gloria ſeculi præſentis, & in omnibus caducis rebus fieri cernere licet. Præſentes itaque contemnamus diuitias, vt veras inuenire diuitias valeamus. Inanem hanc deſpiciamus gloriam, vt illa vera fruamur & ſtabili. Præſentem derideamus tranquillitatem, vt ineffabilia illa conſequamur bona. Nihili præſentia ducamus, vt ad futurorum poſſimus excitari deſiderium. Nec enim præſentibus adfixus, illorum vnquam poteſt arcanorum bonorum admittere deſiderium: tanquam lippitudine quadam corporeis oculis impoſita, ſic præſentium concupiſcentia rationem obtenebrante, nihilque permittente congruum videre. Neque rurſus in contrarium circa illa deſiderium habens immota ſtabiliaque bona, quempiam horum corruptibilium: & priuſquam appareat tabeſcentium concupiſcentiam capere poteſt. Pio namque erga Deum deſiderio vulneratus, futurorum nactus cupiditatem, præſentium ſtatum aliis cernit oculis: & nouit quòd eſt figura tota vita 1.Cor.7. præſens, & fallacia, & à ſomnis nihil diſtat: & propterea beatus quoque dicebat, ſcribens: *Præterit enim figura mundi huius*: oſtendens quod humanorum quodlibet in figura tantum eſt, & velut vmbra, & ſomnium præterlabitur, nihil habens verum, nihil ſtabile. Quomodo non igitur pueriliſ ſit mentis circa vmbras attonitos eſſe, & in ſomniis altum ſapere, & in his tabeſcere, quæ paulò poſt tranſeunt? ait enim: *Præterit figura mundi huius.* Cùm igitur audieris quòd tranſit, quid amplius iam quæris? Cùm audieris quòd figura tantùm ſunt omnia humana, veritate carentia: quare ſponte deceptionem ſuſtines, nec eorum mutabilitatem cogitans & inſtabilitatem, hæc quidem prætercurris: ad illa verò deſiderium non transfers in æternum manentia, immota, ſtabilia, mutationem non admittentia? Nam vt doctoris gentium prudentiam diſcas, ipſum vide rurſum alibi volentem omnium in præſenti vita fælicium vilitatem oſtendere, qua ſit vſus dictione, 2.Cor.4. cùm dixit: *Nam quæ videntur, temporaria ſunt.* Nam ſiue diuitiarum dixeris copiam, ſiue gloriam, ſiue claritatem, ſiue principatum, ſiue poteſtatem, ſiue regnum ipſum, & diademate redimitum, & ſublimem thronum: omnia hæc quæ videntur, temporaria ſunt, breui tempore permanentiam præſtantia, nec multum nobis fructum exhibentia. Quæ nos itaque vis inquirere, ſi omnia ſunt ad tempus? Illa, inquit, quæ non videntur, non hæc quæ cernuntur, ſed illa quæ corporis non conſpiciuntur oculis. Et quis hoc conſilium præberet, vt viſibilibus prætermiſſis, inquirantur inuiſibilia? Ipſa nos, inquit, rerum natura doceat, quòd hæc quidem licet videantur, breui tamen præterfluunt: illa verò quanquam nunc cernere non poſſumus, æterna tamen ſunt, perennem habent ſtatum, finem ignorant, terminum non admittunt, neſciunt mutationem, cum ſtabilia ſint, & immota. Fortè iam & moleſtus eſſe videor, quotidie fruſtra cohortans. Sed quid faciam? Multa malitiæ vaſtatio, magna pecuniarum tyrannis, magna virtutis penuria. Propterea vel admonitionis continuatione morbum vincere vellem, & ad incolumitatem huc congregatos reuocare. Nam & propterea ſcripturarum expoſitiones facere ſtudemus, & iuſtorum in medium virtutem producimus, & eadem inculcare non deſinimus, vt per omnia vos ad ſanctorum poſſimus imitationem inducere. Tandem igitur vel tardè

A propriæ ſalutis prouidentiam agamus, & tempore nobis ad vitæ præfinitionem conceſſo, conuenienter vtamur, & dum adhuc tempus eſt, ad pœnitentiam & peccatorum correctionem feſtinemus, & pecuniarum ſuperabundantia ad noſtram vtamur animarum vtilitatem, & ſuperflua pauperibus impendamus. Quam enim ob cauſam, quæſo, permittis aurum & argentum à rubigine conſumi, cùm opus ſit in pauperum ventres exhauriri, vt in tuto reponens cellario, in tempore opportuno, cùm maximè præſentis vitæ ſubſidio egebis, auxilium inde nanciſcaris: & hic abs te nutriti, per illum diem fiduciæ tibi portas aperiant, teque ſuſcipiant in æterna tabernacula. Sed neque veſtes à tineis abſumi ſinamus, & in arcis ſine fructu marceſcere; cùm tot ſint indigentes, & nudi circumeuntes: ſed tineis nudum ambulantem Chriſtum præferamus, & propter nos ſalutemque noſtram nudum circumire B ſuſtinentem induamus, vt ipſum induere meriti, iudicij audiamus die: *Nudus eram, & operuiſtis me.* Matt.25. Nunquid enim grauia ſunt præcepta, nunquid prægrandia? Pereuntia, inquit, marceſcentia, quæque incaſſum, & ſine vſu conſumuntur, hæc vtiliter diſpenſare ſtudeas, vt & ex læſione damnum effugias, & de eis maximum tibi lucrum accumules. Multæ ſiquidem eſt, & excedentis humanitatis, poſt tantum ſpiritualium delectationem, arcis & parietibus includere ſuperflua: neque ſuſtinere cognatorum egeſtatem conſolari, ſed eligere potius à tineis & ærugine conſumi, & latronum manibus obnoxia eſſe, & pro eis pœnas luere, quàm hæc congruè diſpenſantes, pro his retributionem reportare. Verùm & cùm nos humiliauerimus, à dignitate noſtra ne nos decidere putemus. Tunc enim magis exaltamur merito, maximæ tunc admirationi licet eſſe. Quod enim altus humilis ſit, C humilis autem altus, ſufficit quidem & hoc aſſerens Chriſti ſententia: verumtamen & ipſam rem indagemus. Quid eſt humiliari? nónne vituperari? non accuſari? calumniam pati? Exaltari verò, honorari, laudari, glorificari? Videamus igitur hoc quomodo fiat. Angelus erat ſatanas, ſemetipſum exaltauit. Quid ergo? nónne plus omnibus humiliatus eſt? nónne locum habet terram? nónne ab omnibus Eſa.14. accuſatur & arguitur? Homo cum eſſet Paulus, ſemetipſum humiliauit. Quid ergo? nónne admirabilis habetur? nónne commendatur? non laudatur? non eſt Chriſti amicus? nónne maiora quàm Chriſtus fecit? nónne diabolo frequenter imperauit tanquam ſeruo? nónne tanquam lictorem circumducebat? nónne deridebat eum? nónne illudebat? nónne contritum eius caput ſub pedibus ſuis habebat? nónne hoc & aliis multum fidens precabatur? Quid dico? Extulerat ſe Abſalon, ſe Dauid humiliauerat, vter exaltatus eſt? Quis glorioſus factus? Quid enim his verbis humilius, quæ D de Semei beatus hic Propheta protulit, dicens: *Sinite eum maledicere, dominus enim præcipit illi?* At & in ipſis, ſi libet, factis examinemus. 2.Reg.16 Humiliauit ſe publicanus, licet nec humilitatis factum id erat, ſed iuſtè quodammodo ſe diiudicauit. Luc.18. Exaltauit ſemetipſum Phariſæus. Quid ergo? Examinemus & facta. Sint duo diuites vtrique & honore multo præditi, & in ſapientia potentiaque, & aliis ſecularibus excellentiis altum ſapientes: poſtmodum ille quidem & ab omnibus honores quærat, & non accipiens iraſcatur, & plus quàm oportet exigat, & ſemetipſum exaltet: hic autem huiuſmodi contemnat, in neminem propter hoc indignetur, & datum repellat honorem. Nónne hic priori lõgè ſublimior? Gloriam enim aliter aſſequi non licet, niſi gloriam fugiendo. Nam donec quidem eam ſectemur, nos fugit: cum autem eam fugimus, nos ipſa ſequitur. Si vis eſſe glorioſus, noli gloriam concupiſcere. Si vis eſſe ſublimis, ne te ſublimem facias. Et alioqui quidem honores non

quærentem omnes honorant, ambientem verò A aſpernantur. Solet enim humanum genus eſſe quodammodo contentioſum, & peruicax. Gloriam itaque contemnamus: ſic enim humiles eſſe poterimus, vel potius alti. Noli temetipſum extollere, & ab aliis extolleris. Qui ſemetipſum extollit, ab altero non extollitur. Qui per ſemetipſum humiliatur, ab aliis non humiliatur. Magnum eſt elationis malum: ſtultum eſſe melius eſt, quàm inſolentem. Illic enim ſtultitia tantum eſt, mentiſque tarditas: hic autem ſtultitia peior eſt, & fatuitas cum furore. Stultus ſibimetipſi malum eſt: elatus & alij peſtis: ex amentia hoc vitium naſcitur. Non poteſt eſſe ſuperbus, qui fatuus non ſit. Stultitia verò plenus eſt ſuperbus. Audi quendam ſapientem, qui dicit:
Prou. 26. *Vidi hominem apparentem eſſe prudentem ap[illegible], ſpem autem habet magis inſipiens eo.* Vides quod non temere dicebam eſſe malum fatuitate peius? Spem enim, inquit, habet magis inſipiens eo. Propterea Paulus
Rom 12. quoque dicebat: *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* In corporibus qualia, quæſo, valere dicimus, multumne habẽtia tumorem, & multo ſpiritu intus & aqua plena: an compreſſa, & humiliatam habentia ſuperficiem? planum eſt quod hæc. Igitur & anima æſtuans & tumens peiorem habet veterno morbum, correpta verò ab omni morbo libera eſt. Quot igitur bona nobis parit humilitas? Quid vis tolerantiam, lenitatem, iræ neſciam humanitatem, vigilantiam, ſolertiam: hæc omnia ex humilitate veniunt bona: contraria verò, ex ſuperbia. Opus eſt
In rebus caducis gloriari vanum. ſuperbum & contumelioſum eſſe percuſſorem & iracundum, & amarum, & triſtem, magis feram, quàm hominem. Fortis es, & altum ſapis, nonne propterea magis humiliari debes? quare ſapis altum in re viliſſima? Nam & leo te eſt audacior, & aper fortior, nec es ad eos culex. At & latrones, & fures, & gladiatores, & ſerui tui, & fortaſſis ingratiores te fortiores ſunt: hoc igitur laude dignum? Et in hoc altum ſapiens, non hianti terra te condis? Sed pulcher es, & ſpecioſus. Cornicum oſtentatio: non es pauone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas. In auibus eſt pennis victoria. Te multum coma præſtat & flore. Verum & cygnus valde pulcher eſt, & aliæ aues multæ, quibus ſi fueris comparatus, temetipſum aſpicies nihil. Frequenter autem & viles pueri, & innuptæ virgines, & meritoriæ mulieres, & molles viri, gloriam hanc habuerunt. Hoc itaque dignum vt extollaris? At es locuples. Vnde? quid poſſidens? Aurum, argentum, lapides pretioſos: hæc eſt & latronum ac homicidarum, & metalla ſcrutantium gloria. Reorum labor hæc tibi gloria. Sed ornaris & comeris? Verùm & equos comptos videre licet, & apud Perſas camelos quoque videres ornatos, hominum verò ſcenicos omnes. Non confunderis in his alta ſapiens, in quibus bruta tecum ſociantur, & ſerui, & homicidæ, & molles, & latrones, & fures? Sed ſplendidas erigis ædes? & quid hoc? Multæ cornices ſplendidius habitant, & honeſtiora tenent diuerſoria. An non vides hos circa pecunias furentes, qui in agris ſolitariiſque locis ædes ædificauerunt, cornicum habitacula? Sed propter vocem altum ſapis: Cygno, luſciniáve nunquam tu ſuauius canere poteris. Aut in artis varietate? & quid ape in hoc ſapientius? Quis phrygio, quis pictor, quis geometres, huius opera poterit imitari? Sed in veſtis ſubtilitate? verùm hic araneæ tibi præſtant. At in pedum velocitate? rurſum primas ferunt bruta, lepus, & caprea, & quæcunque iumenta pedũ velocitate non ſunt inferiora. Cæterùm peregrinaris? ſed non plus volatilibus: hæc enim facilius obeunt peregrinationem, neque viaticis opus habent, non iumentis, ſed eis ad omnia ſufficit ala. Hoc & nauis, hoc & iumentum, hoc & vehiculum, hoc & ventus, & quicquid huiuſmodi quis dixerit. Sed acutè cernis? tamen non ſicut dorcas, nec vt aquila. At auditum habes acutum? ſed aſinus acutiorem. At olfactum? Verùm canis te præcedere non ſinit. At quæſtuoſus es? ſed formicæ cedis. Sed aurum geſtas? non ita tamen, vt Indicæ formicæ. Sanitatis autem intuitu, multò ſe melius nobis habent bruta, & bonæ habitudinis, & onera ferendi. Illa pauperiem non timent: ait enim, *Reſpicite volatilia cœli, quia non ſeminant, neq; metunt, neque congregant in horrea.* Matth. 6. Igitur, inquies, nobis meliora Deus bruta creauit. Vides quantum inſit incircumſpectum, quantum indiſcuſſum? Vides quantum nobis rerum examinatio conferat? Omnibus hominibus altiora ſapiens, etiam brutis vilior inuentus eſt. Sed nobis ipſis parcamus, nec tales imitemur. Neque quoniam natura noſtra ſenſit altius, hominem ſub brutorum gradum ſubducentes deſeramus: ſed eum illinc ſuſcitemus nos propter ipſum (nam ipſe quidem dignus eſt talia pati) ſed, vt Dei
B clementia demonſtretur, & erga nos honor. Sunt enim quædam, in quibus nil habent bruta nobiſcum commune. Quæ verò ſunt hæc? pietas, & ſecundùm virtutem vita. Hic ponere nõ poteris meretrices, & molles, aut homicidas: ab eis namque diuiſi ſumus. Quid autem hoc eſt? Deum nouimus, ipſius agnoſcimus prouidentiam, de immortalitate philoſophamur. Prætereant hinc bruta, de hoc non contendant. Modeſtè viuimus, nihil hic habent bruta commune: ab eis in reliquis ſuperati, propter hoc eis dominamur. Horum enim maior principatus, quoniam eis inferiores ſuper ipſa regnamus: vt diſcas quòd tu non horum es cauſa, ſed qui te fecit Deus, & rationem donauit. Retia venabulaque eis opponimus, & capimus. Modeſtia namque nobis eſt, humanitas, manſuetudo, pecuniarumque contemptus. Sed quoniam & qui elatorum aliquis es, horum nihil habes: meritò vel
C hominibus maiora ſapis, vel brutis humilius. Talis enim eſt dementia, & audacia, vel vltra debitum extollitur, vel vltra modum humiliatur, nuſquam cuſtodiens mediocritatem. Angelis in hoc ſimiles ſumus: Regnum nobis promiſſum eſt, cùm Chriſto chorea. Homo flagellatur, & non ſuccumbit: homo mortem contemnit non tremit, non formidat, non plus concupiſcit. Itaque quotquot tales non ſunt, ſunt peiores brutis. Cùm enim in corporeis ſupereris, animi verò præſtãtiis careas, quomodo brutis non es inferior? Produc enim aliquem in malitia vigentium, & irrationalium, viuentiũ in deliciis & auaritia: equus eſt ipſo bellacior, fortior aper, lepus velocior, ſpecioſior pauo, cygnus dulciſonantior, maior elephas, aquila viſus acutioris, ditiores cunctæ volucres. Vnde dignus igitur es brutis imperare? Ex ratione. Sed non ineſt: cùm enim ea, non vt debet, vtatur, etiam illis peior eſt. Nam cum rationem habens ſit illis irrationabilior: melius erat,
D ſi nec ab initio rationalis factus fuiſſet. Non enim par eſt principatum acceptum prodere, & ad tempus non accipere. Nam & qui regnat, & ſatellitibus peior eſt, ei melius eſſet ſi neque purpuram induiſſet: ita profectò & hic. Scientes itaque quod & brutis ſumus peiores, ſi virtute careamus, hanc exerceamus, vt efficiamur homines, quin potius angeli, promiſſaque bona conſequamur: quæ nobis omnibus detur aſſequi, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri, ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor nunc, & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

Digitized by Google

De pœnitentia, & quòd non oporteat de ſeipſo lapſum deſperare, vel torpeſcere.

HOMILIA XL.

Ex actibus Apoſtolorum.

Afflictionum vtilitas.

MAGNA pœnitentiæ remedia, fratres: igitur de ſeipſo deſperet nemo. Is verè dignus eſt deſperatione, qui de ſeipſo deſperat: ille non iam ſalutem, neque ſpem habet. Non in malorum veniſſe profundum eſt graue, dilectiſſimi: ſed poſtquam veneris, ibi iacere. Non in profunda cecidiſſe malorum, eſt impij: ſed poſtquam ceciderit, contemnere: propterea debet ſemper eſſe ſollicitus. Dic mihi: Proptereàne contemnis, quòd vulnera tot habeas incurabilia? Sed nullum eſt animæ vulnus incurabile. In corpore quidem multa ſunt talia, in B anima verò nullum: & pro illis quidem laborare nõ deſinimus, pro his verò torpemus. Nonne vides latronem, quam breui tempore curatus eſt? Non intueris martyres, quàm breui totum peregerunt? At non eſt nunc martyrij tempus, certaminum tamen eſt tempus: quod frequenter dixi. Ait enim: *Volentes piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* (1. Timo. 3.) Qui piè viuunt, ſemper perſecutionem patiuntur: etſi non ab hominibus, tamen à dæmonibus: quæ quidẽ grauior eſt perſecutio. Et ex prima præſertim remiſſione hoc patiuntur, qui non vigilant. An paruã credis perſecutionem in remiſſione verſari? Hoc eſt omnium grauiſſimum, hoc & perſecutione peius: tanquam enim fluentum influens remiſſio animam emollit. Et quod æſtas eſt, & hyems, hoc eſt perſecutio, & remiſſio. Vt autem vobis oſtendã, quod hęc eſt peior perſecutio, audi: Somnum enim infundit animę, multã hallucinationem, & torporẽ, vndique C vitia ſuſcitat, armat iram, furorem armat, armat voluptatem, inuidiam, inanem gloriam, ęmulationem. Sed in perſecutione nihil horum vexare ſolet. Sed timor ingreſſus, tanquã flagello quodam latrantem canem acriter percutiens, has omnes peſtes ne clamare quidẽ permittit. Quis in perſecutione in vanum gloriari poterit? quis voluptatẽ amplecti? nemo, ſed tremor magnus, & timor, multam faciens tranquillitatẽ, quietum portum comparans, animã faciens reuerentẽ. Audiui quandoq; patres noſtros dicentes (apud nos enim non fiat: iubemur enim non petere tẽtationem) quòd in antiqua perſecutione viros verè Chriſtianos videre licebat. Nemo pecuniarum curam gerebat, vxoris nemo, nemo filiorũ, domus nemo, nemo patriæ. Vnum omnibus erat ſtudium, vitam ſuam ſaluare. Hi quidem in monumentis & ſepulchris, hi verò in deſertis latitabant, mulieres teneræ ac delicatæ continua fame detinebantur. Itaque conſidera, ſi qua tunc pretioſi D ſumptus, ſi qua deliciarum erat delectatio. Subiitne concupiſcentia vnquam mulierẽ in ſepulchro latentem, & expectantem ancillulam, vt veniat prandium afferens & ne fortè deprehenſa ſit, trepidantem & in timore tanquam in fornace iacentem? Nunquid cogitat delicias vnquam fuiſſe, vel mundum penitus eſſe? Vides quòd nunc eſt perſecutio, vitiis tanquam feris vndique nos vrgentibus. Nunc eſt perſecutio grauis, nec eſſe perſecutio putatur. Nam & hoc malum habet, quòd cùm ſit bellũ, eſſe pax exiſtimatur: vt nec aduerſus eam armemur, nec inſurgamus. Nemo formidat, nemo pauet & tremit. Si verò non creditis, gentiles interrogate perſecutores, quando Chriſtianorum mores integriores, quando cuncti probabiliores. Ad exiguum quidem redacta tunc erat multitudo, ſed ad magnas virtutis diuitias. Quænam, precor, vtilitas, multum eſſe fœnum potius, quã paucos lapides pretioſos? Non innumeri multitudine: ſed in virtutis probitate multitudo conſiſtit. Helias vnus erat, ſed totus mundus

Nihil in multitudine ſitũ, ſed in bonitate.

A non erat dignus qui rependerentur ipſi. Et mundus quidẽ innumera millia ſunt, ſed non ſunt millia, cùm nec ad vnius menſuram perueniant. *Melior eſt vnus Dei faciens voluntatem, quàm decem peccatorũ millia:* (Eccl. 16.) nam decem millia nondum ad vnum peruenerunt. Ne filiorum cupias inutiliũ multitudinem: hi Deo potius & blaſphemiam ingerunt, quàm ſi non eſſent Chriſtiani. Quid mihi multitudine ſit opus? Maior eſt igni fames, hoc & in corpore quiſpiã videat, quòd melior eſt mediocris cum ſanitate cibus, quàm cum afflictione vitulus. Hoc amplior eſt ille cibus: ille cibus, hic morbus: hoc & in bello quiſpiam poſſit intueri. Melius eſt eſſe decem peritos & generoſos milites, quàm decem inexpertorum millia: hi præter id quod nihil efficiunt, etiam operantes impediunt. Hoc in naui quis videat. Melius eſt duos eſſe peritos nautas, quàm innumerã multitudinem inexpertorum: hi nanque nauem ſubmergerent. Hæc dico, non quod in veſtri multitudinem inimicus ſim, ſed quod omnes probatos eſſe velim, nec multitudine confidere. Multò ſunt plures gehennam ingredientes, ſed maius eſt Dei regnum, licet habeat paucos: Sicut arena maris erat multitudo populi, ſed vnos ſaluauit eos. Vnus erat Moſes, & omnibus plura potuit. Vnus erat Ieſus, ſed vnus ſexcentis millibus plus potuit. Ne ſatagamus hoc, vt multi duntaxat fiant: ſed ante hoc, vt probabiles: cum hoc comparatum fuerit, tunc & illud. Nemo domũ ſpatioſam prius vult facere, ſed prius firmam, & probatam, tunc ſpatioſam. Nemo fundamenta iacit, vt derideatur: prius hoc quæramus, & tunc illud cùm hoc fuerit, & illud erit facile. Cum autem illud non ſit, licet hoc ſit, vtilitas nulla. Cum enim ſint qui poſſint in eccleſia fulgere, velociter erit & multitudo: cùm huiuſmodi verũ deſint, multitudo nunquam erit probabilis. Quot eſſe putatis in ciuitate noſtra, qui ſalui fiant? infeſtum quidem eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: non poſſunt in tot millibus centum inueniri, qui ſaluentur: quin & de his dubito. (Paucitas ſaluandorum.) Quanta enim in iuuenibus, quæſo, malitia? quantus in ſenibus torpor? filij curam gerit nemo, nemo zelum habet, vt ſenem reſpiciens imitetur: exemplaria deleta ſunt, propterea neque iuuenes euadunt laudabiles. Ne mihi dicas id quòd multa turba ſumus, hoc ſignum eſt hominum: & coram hominibus quidem hoc congruè dici poſſet: at coram Deo, qui noſtri non indiget, nequaquam: quòd autem & ibi frigidum eſt dictum, audi: Multos habens ſeruos, ſi corruptos habeat, quot mala patietur? Apud eum quidem qui nihil habet, hoc eſſe graue videtur, quod ei non miniſtratur: qui verò malos habet, & ſeipſum inſuper perdit, & maior eſt iactura. Multò grauius enim eſt cum aliis quoque pugnare, & bellum ſuſcipere, quàm ſibimetipſi miniſtrare. Hæc dico ne quis eccleſiam propter multitudinem admiretur, ſed vt ipſam probatam reddere ſtudeamus: vt proprij quiſque membri curam gerat, non amicorum, non cognatorum (quod ſemper dico) neque vicinorum tantum, verùm & externos attrahite. Verbi gratia: Celebratur oratio, omnes iacent ſegnes, iuuenes & ſenes, piacula magis, quàm iuuenes, ridentes, cachinnantes, colloquentes (nam & hoc factum audiui) & aliis detrahentes, ſuper genua poſiti. Tu iuuenis ades vel ſenex, increpa cum videris, accuſa vehementius. Si non tolerat, diaconum voca, minare, quæ tua ſunt exhibe: & ſi quid aduerſum te fuerit auſus facere omnes prorſus habebis conſpirantes. Quis enim tam irrationalis, qui te videns de talibus arguentem, & illos redargui, non adhæreat parti tuæ? Abi capiens orationis mercedem in æde dominica. Seruorum hos cenſemus beneuolentiores, qui nullam ſupellectilem confuſè iacentem deſpiciant. Dic enim mihi, ſi domi vas argenteum videris foris proiectum: licet ipſe non ſis deputatus, tamen hoc non ſuſcipies, & in domum feres? Si veſtimentum

A ſimili docet correctionem fraternã.

temere proiectum, licet hanc curam non debeas, & præpoſiti ſis inimicus, propter domini tamen beneuolentiam non hoc bene collocabis? Ita nunc quoque hæc vaſa ſunt, ſi videres inordinatè iacentia, compone, ad me veni, non recuſo: dic mihi, redde manifeſtũ: omnia cernere non poſſum, parcite. Videte quanta malitia terrarum orbem occupat. Nunquid temere dicebam, quod multitudo ſumus fœni, inordinatum mare? Non dico quòd illi talia faciunt, ſed dico quòd tantus eſt ſomnus in intrantes effuſus, vt nec iſta corrigant. Video rurſum & alios loquentes, rectos dum oratio celebratur: eorum verò leuiores non ſolùm dum oratio perficitur, verùm & dum ſacerdos benedicit. O rem horrendam! quando ſalus erit? quando Deum placare poterimus? Ad ludum procedunt militares homines, & omnes compoſitè videbis incedentes, & neglectum nihil. Sed ſicut in vario ornatu, & pictura compoſitorum, ex ſingulorum ordinatione magna quædam repente redditur harmonia, & conſonantia: itidem & hic vnum ſcutum, vnum caput habemus omnes. Si vel minimum quid neglectũ fuerit, totum eſt neglectum atque corruptum, & multorum ordini ſolius nocet diſſolutio. Et id profectò tremendum eſt, quod huc non venis ludum aut choream obiturus, & tamen ſtas incõpoſitè. Neſcis quod cum angelis conſtitiſti? cum illis cantas, cùm illis Deum laudas, & ſtas ridens? Quod fulmen non torquetur, non tantũ in iſtos, verùm & in nos, nónne mirandum? Sunt enim iſta fulmine digna. Adeſt rex, exercitum recenſet, tu ſub illius oculis ſtas ridens, & riſum deſpicis: quouſq; accuſamus? quouſque redarguimus? nónne tanquam noxios? nónne tanquam corruptores? nónne tanquam pernicioſos, & perditos tales, & innumeris plenos malis, ex eccleſia decebat expelli? Quando iſti ridere deſinent, qui in horroris hora rident? quando à nugis abſtinebunt, qui in orationis tempore loquuntur, non aſtantes reuerentur, non Deum timẽt? An non ſufficit nobis mẽtis negligentia, neq; quod orantes aliò circumagimur, verũ & ſubrepere riſum oportet, & ingentem cachinnum? Nunquid theatrum ſunt præſentia? ſed puto theatra faciũt hoc, infrænes nobis iuuenes conſtituunt, & incõpoſitos. Quæ hic ædificantur, illic ſubuertuntur: nec hoc ſolùm, ſed etiam alia neceſſarium eſt ipſos immunditia repleri. Et idem accidit, perinde ac ſi quis expurgare locum velit, in quem fons ſuperpoſitus cœnum ſupernè demittat. Nam quantumcunque purgaueris, rurſum aliud influit: idem & hic accidit. Cùm ingreſſos, à theatris immunditiam reportantes expiauerimus, eò rurſum abeuntes maiorẽ ſuſcipiunt ſordem, tanquam conſultò propterea viuentes, vt ſtercora nobis ingerant, & identidem veniant multum in moribus ſtercus ferẽtes, in moribus, in verbis, in riſu, in negligentia. Mox rurſum nos ſarcinas denuo tanquam conſultò propterea purgantes, vt cum eos mundos dimiſerimus, rurſum eos ſordes congregaſſe videamus. Propterea vobis proteſtor ſanis quod iudicium vobis erit, & condemnatio: & vos Deo iam trado, ſi quis tumultuantẽ videns, vel loquentem, in illo præſertim tempore, non ſignificet, nec corrigat. Hoc eſt oratione melius, orationem omittens illum increpa, vt & illi proſis, & tu

Peccatori nulli deſperandum.

lucreris, & ita poſſimus omnes ſaluari. Igitur in malitia cõſtitutum negligat nemo: nemo virtute præditus dormitet, neque cõfidat huiuſmodi. Frequẽter enim eum meretrix præcedet, nec ille deſperet: poteſt enim & primos anteire. Audi quid Deus ad Hieruſalem dicat: *Dixi poſtquam fornicata eſt in omnibus*

Hier. 3.

his, ad me reuertere, & non eſt reuerſa. Quum igitur in vehementem Dei charitatem reuerterimus, non meminit priorum: non eſt ſicut homo Deus: nec enim exprobrat præterita, neque dicit, quare tantũ temporis diſtuliſti? ſi pœnitentiam agamus: ſed cùm acceſſerimus, diligit, & cùm ipſius timore carnes no-

A ſtras confixerimus. Huiuſmodi negotia non tantum in nouo geſta ſunt teſtamento, verùm & in veteri. Quid enim Manaſſe deterius? Deum tamen habere propitium potuit. Quid Salomone beatius? Sed quia dormitauit, cecidit. Quin potius & in vno

2. Par. 33
3. Reg. 11

vtraque geſta poſſum oſtendere, in huius patre: etenim & bonus, & malus idem fuit. Quid Iuda fœlicius? ſed proditor factus eſt. Quid Paulo miſerius?

Lucæ 18.
Rom. 16.
Matt. 9.
Act. 8

ſed factus eſt euangelij præco. Quid Matthæo deterius? at conſtitutus eſt apoſtolus. Quid inuidioſius Simone? Et ipſe tamẽ factus eſt omniũ miſerrimus. Quot tales alias vis videre mutationes, & quondam geſtas, & quotidie nunc occurrẽtes? Propterea quidem dico, neque ſcenicus deſperet, nec eccleſiam excolens confidat. Nam ad hunc quidem ait: *Qui*

1. Cor. 10.
Hier. 8.
Matt. 24.
Epheſ. 5.

ſtat, videat ne cadat, ad illum verò: *Nunquid qui cadit, non reſurget? Et remiſſas manus, & diſſoluta genua roborare.* rurſum ait ad hos: *Vigilate,* ad illos autem: *Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Nam hi qui-

B dem quod habent cuſtodire debent: illi verò quod non ſunt, fieri: hi ſanitatem conſeruare: illi ab ęgritudine liberari. Laborant enim, & quoniam laborantium multi conualeſcunt, & valentium torpefacti frequenter ægreſcunt: ad illos quidem iterum ait: Ecce ſanus factus es, amplius noli peccare, ne quid peius tibi fiat. ad hos vero: *Vis ſanus fieri? Surgens*

Ioan. 5.

tolle grabbatum tuum, & ambula. Grauis enim, grauis inquam, paralyſis eſt peccatum: quinimò non tantùm paralyſis eſt, verùm & aliud quippiam grauius. Non enim eſt huiuſmodi tantum in bonorum omiſſione, verum & in malorum operatione. Verumtamen etiam ſis ita diſpoſitus, & parumper exurgere velis, omnia mala ſoluuntur: licet annos octo & triginta habeas, ſi modo ſanctus fieri ſtudueris, prohibet nemo. Adeſt & nunc Chriſtus, & dicit: Tolle grabbatum tuum, tantùm velis exurgere, ne deſperes: non habes hominem, at habes Deum. Non habes qui te mittat in natatoriam: at habes qui te natatoriæ non ſinit indigere. Non habes qui te illuc proiiciat: at habes qui te

C iubeat grabatum tuum tollere. Non potes dicere, Dum ego vado, alius ante me deſcendit: nam ſi volueris in fontem deſcendere, nemo prohibet: non abſumitur, non minuitur gratia. Fons quidem eſt perenniter emanans: ex illius abundantia cuncti ſanamur, tam anima, quàm corpore. Accedamus igitur & nunc: nam & Rhaab meretrix erat,

Ioſuæ 6.

ſed ſaluata fuit: & latro fuerat homicida, ſed paradiſi ciuis factus eſt. Et Iudas quidem cùm eſſet cum præceptore, periit: at latro diſcipulus in cruce factus eſt. Hæc ſunt Dei mirabilia: ita Magi probabiles habiti ſunt, ita publicanus euangeliſta factus eſt, ita blaſphemus apoſtolus: hæc in-

Lucæ 23
Matt. 27.

tuere, nec vnquam deſperes, ſed confide ſemper, & temetipſum excita. Attinge tantum viam eò ferentem, & celeriter progredere, ne fores

D claudas, ne aditum obſtruas. Breue tempus præſens, modicus labor: quod ſi multus etiam eſſet, nec ita congruum eſſet excuſare. Nam etiam circa pulcherrimum hunc laborem non deſudes, qui circa pœnitentium virtutem eſt, & in mundo, omnino vel aliter laborabis: ſed ſi labor & hic, & illic, quare non hunc eligimus multum habentem fructum, & magnam retributionem, licet nec idem ſit labor hic & illic? Nam in ſecularibus quidem & continua pericula, & aliæ poſt alias iacturæ, & ſpes incerta, & ſeruilitas multa, & pecuniarum, & corporum, & animæ conſumptio, & tunc fructuum retributio ſpe non parum inferior, ſi etiam germinabit: nec enim ſemper fructum affert ſecularium ſudor negotiorum, veruntamen & quando non ceciderit, ſed vel multum protulerit prouentum, breui tempore permanet. Cùm enim ſenueris, nec amplius ſenſum delectionis capacem habeas, tunc tibi labor affert retributiones: & labor quidem in vigenti corpore, fructus autem &

deliciæ

deliciæ in ſenio confecto, & remiſſio, cùm iam tempus & ſenſum macerauit, & niſi macerauit, finis expectatio gaudere non permittat: illic autem non ita, ſed labor quidem in corruptione, & moriente corpore: at corona in ſenectutis neſcio, immortalique nec finem habente: & labor quidem & prior, & breuis: at retributio poſterior & infinita, vt deinceps cum ſecuritate requieſcat, iniucundum expectans nihil. Non enim eſt cur amplius mutatio timeatur, aut ruina, quemadmodum hic. Qualia igitur hæc bona, neque tuta, & breuia, & terrena, & priuſquam appareant, euaneſcentia, quę multis acquiruntur laboribus? Qualia verò ſunt illorum æqualia, immobilium, nunquã ſeneſcentium, nullum habentium laborem, & in certaminum tẽpore coronas tibi ferentium? Pecunias enim contemnens & hic iam mercedem accipit, dum à cura liberatur, inuidia, calumnia & inſidiis. Temperans, & honeſtè B viuens, & antequã hinc tranſeat coronatur, & gaudet, vtpote qui turpitudine, riſu, periculis, accuſatione, & omnibus aliis abſoluitur moleſtiis. Aliæ verò ſimiliter omnes virtutis partes hic iam nobis retributionem afferunt. Vt igitur & præſentia, & futura conſequamur bona, fugiamus malitiam, & virtutem ſectemur. Sic enim & hic delectabimur, & futura bona capiemus: ad quæ nos omnes peruenire contingat, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul, & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De pœnitentia, & quòd magnum eſt bonum propria agnoſcere peccata.

HOMILIA XLI.

ABRADAMVS quæſo fratres, peccatorum noſtrorum ſenectutem, dum tempus habemus. C Lauacro quidem non poſſumus, poſſumus autem hîc pœnitentia: ſi quid in nobis vetuſtum eſt, abiiciamus: ſi qua ruga, ſi qua macula, ſi quis næuus, abluamus: nos reddamus pulchros, vt concupiſcat rex ſpeciem noſtram. Licet & ad extremam delapſum fœditatem illam recuperare ſpeciem, quàm innuit Dauid, dicens: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum*; ſiquidem & obliuio pulchritudinem facit, animæ ſcilicet pulchritudinem. Quæ tamen obliuio? peccatorum. Eccleſiam enim ex gentibus alloquitur, admonens eam, ne paternorum meminerit, id eſt, ſimulachris ſacrificantium: ex talibus enim eſt congregata: neque dixit, Ne tractes ea, ſed quod fortius, nec in mentem ſuſcipias. Quod & alibi dicit: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*, & iterum: *Vt non loquatur os meum opera hominum*. Nondum hoc magna virtus eſt? magna quidem, ſed non talis: illic enim quid ait? non D dixit, Ne loquaris opera hominum: neque dixeris geſta patrum: ſed, nec eorum ſis memor, neque mente cõcipias. Vides quãto nos interuallo à malitia diſtare præcipit? nam qui non meminerit, non ratiocinabitur: qui verò non ratiocinabitur, neque loquetur: qui non loquetur autem, nec aget. Vides quot nobis vias obſtruxit? quantis nos interuallis, & amplius elongauit? Audiamus igitur & nos, & noſtrorum obliuiſcamur malorum, non nobis admiſſorum inquam: ait enim: *Recordare tu prior, & ego non recordabor*. Quale quod dico: Rapinæ non amplius recordemur, quin & priora reſtituamus: hoc eſt malitiam obliuiſci, & rapacitatis cogitatum expellere, nec eum vnquam admittere, verùm & iam patrata delere. Vnde verò nobis nequitiæ contingat obliuio? Ex bonorum memoria, ex Dei recordatione, ſi Dei ſemper meminerimus, & illorum meminiſſe non poſſumus: ait enim: *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te.* Itaque

Pſal. 44.

Ibid. 15. Ibid. 16.

Eſa. 44.

Pſal. 62. b

A ſemper quidem, maximè verò tunc Dei meminiſſe oportet, cùm in quiete fuerit ratio, cum per illam recordationem ſemetipſum poterit condemnare, cùm in memoria contineri. Nam in die quidem ſi recordemur, aliæ curæ ſubrepentes & tumultuantes rurſum eam expellunt: in nocte verò ſemper recordari poſſumus, cùm in tranquillitate & requie fuerit anima, cum in portu, cùm in ſerenitate. *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini*, inquit. Opus quidem fuerat & per diem hanc habere memoriam: quoniam verò ſollititi ſemper eſtis, & in ſecularibus diſtrahimini, ſaltem tunc Dei memores ſitis ſuper ſtratum, in matutinis meditamini in eo. Si in matutinis hæc meditemur, cùm multa fiducia procedemus ad opera: ſi Deum prius propitium fecerimus occurſu & ſupplicatione, nihil habebimus inimicum: quod habes deridebis, propitium habens Deum. Bellum eſt in foro, pugnam quotidianam exhibent negotia, tempeſtas & procella. Armis itaque nobis opus eſt, magna verò armatura oratio: opus eſt ventis à puppi, opus omnia diſcere, vt diei ſpacium abſque naufragiis & vulneribus tranſigamus. Multi namque per ſingulos dies ſcopuli, & frequenter illiditur ſcapha, atque ſubmergitur: propterea nobis opus eſt oratione: matutina, præſertim & nocturna. Olympia multi veſtrum frequenter ſpectauerunt, neque ſpectarunt tantum, verum & fautores & admiratores certantium fuerunt: & hic quidem huius, illius autem ille. Scitis itaque, quomodo per certaminum dies & noctes nihil aliud præco nocte tota fatagit, nihil aliud curat, niſi ne prodiens pugil turpe quicquam agat. Illi namque tubicini aſſidentes ſpondent nec aliquem alloqui, ne ſpiritus qui conſumitur riſum mereatur. Si igitur coram hominibus pugnaturus tantam gerit prouidentiam: multò magis nos decet ſemper eſſe ſollicitos, & curare, quibus tota vita certamen eſt. Omnis igitur nox ſit pernox, & cogitemus quomodo diem tranſgreſſi, riſum nõ mereamur, & vtinam riſum ſolum. Nunc autem in dextra patris ſedet agonotheta, diligenter auſcultans ne quid abſonum loquamur, ne quid ineptum: non enim operum tantummodo, ſed etiam verborum eſt iudex. Pernoctemus dilectiſſimi, habemus & nos fautores, ſi velimus, angeli cuique noſtrum aſſident: nos autem tota nocte ſtertimus, & vtinam hoc ſolũ eſſet damnabile. Multi verò laſciuias quoque ſectantur, hi quidem ad ipſos fornices euntes, hi verò domos reddentes lupanaria, meretrices illuc ducendo: nec mirandum: non enim bonam agunt pugnandi curã. Alij inebriantur, & inepta loquuntur, tumultuantur alij, alij malè pernoctãt, & dormientibus peius operantur, dolos texẽtes: alij numerantes vſuras, curis alij coquuntur, & omnia potius faciunt, quam quæ certanti conueniunt. Propterea vos hortor, omnia dimittentes, vnum intueamur, quomodo brauium accipiamus, coronam reportemus: agamus omnia, quibus promiſſa bona conſequi poſſimus. Vis autem perfectam diſcere pœnitentiam? audi poſt negationem Petri, pœnitudinem. Narrans enim quæ geſta ſunt ab eo, nobis Euangeliſta dicit: *Egreſſus fleuit amarè*. Propterea dimiſſum eſt ei tale peccatum, quoniam quemadmodum oportebat, pœnitentiam egit, licet nondum hoſtia fuiſſet oblata, nondum victima ſacrificata, nondum eſſet ſuſpenſum peccatum, ſed adhuc dominaretur, & tyrannidem exerceret. Et vt diſcas, quòd non tantum negligentiæ fuit negatio, quantum abſentiæ Dei, docentis eum humanas noſſe menſuras: nec his quæ à præceptore dicebantur, cõtradicere, nec aliis altiora ſapere, ſed ſcire quòd abſque Deo nihil fieri poteſt: & quòd *niſi dominus ædificauerit domum, in vanum laborant qui ædificant eam*. Propter hoc etiam ad ipſum Chriſtus ſolùm dixit: *Exquiſiuit ſatanas cribrare te ſicut triticum*, & non permiſi,

Pſal. 4. Examen conſcientiæ veſperi fiat.

Pœnitentia quæ vera, quæ falſa.

Matt. 26.

Pſal. 126.

Luc. 22.

A *vt non deficiat fides tua.* Quoniam enim par erat, cum altùm ſapere ſibi conſcium quod plus aliis Chriſtum diligeret, propterea fleuit amarè: & cætera, quæ fletum ſequuntur, ſimilia fecit. Quid enim fecit? Innumeris ſemetipſum poſt hæc periculis obiecit, per multa ſuam oſtendens fortitudinem, & animi conſtantiam. Pœnitentiam egit & Iudas, ſed male: ſtrangulatus enim eſt. Pœnitentiam egit & Eſau, quod ſæpe dixi, vel potius hunc neque pœnituit. Nam lachrymæ non erant pœnitentiæ, ſed calumniæ magis & furoris: quod & oſtendunt ſequentia. Pœnitentiam exhibuit beatus Dauid, ita dicens: Pſal. 6. *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Et olim patratum peccatum: poſt tot annos, poſt tot generationes, quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Pœnitentem iraſci non oportet, neque ſæuire, ſed conteri tanquam condemnatum, tanquam non habentem fiduciam, tanquam iudicatum reum, tanquam ex ſola ſaluari miſericordia debentem, tanquam ingratum erga benefactorem, redargutum tanquam iniucundum & reprobum, tanquam innumeris dignum ſuppliciis. Si hæc cogitet, non iraſcetur, non indignabitur: ſed lugebit, flebit, gemet, & conqueretur noctem & diem. Pœnitentem nunquam oportet obliuioni peccatum tradere, ſed Deum quidem rogare, ne eius meminerit, ipſum verò nunquam ipſius obliuiſci. Si nos eius non recordemur, Deus ipſius non obliuiſcetur: ſi nos eius meminerimus, Deus obliuiſcetur: à nobiſipſis vltionem ſumamus, noſipſos accuſemus, ita placabimus iudicem. Peccatum enim dum aperitur, minus efficitur: ſi verò tegatur, peius. Nam ſi ſibi peccator impudentiam & ignorantiam aſciſcat, quomodo penitus cauere poterit, ne rurſum in eadem incidat, qui prius ſe peccaſſe neſciuit? Ne negemus igitur, quæſo, ne imprudenter agamus, neque vel inuiti pœnas luamus. Audiuit Gen. 4. Cain à Deo: *vbi eſt Abel frater tuus?* Et dixit, *Neſcio: nunquid cuſtos ſum fratris mei?* Vides, quomodo grauius peccatum fecit? Sed non ita pater ipſius. Sed quid? Ibid. 3. Cùm audiſſet, Adam vbi es? inquit: *Audiui vocem tuam, & timui, quia nudus ſum, & abſcondi me.* Magnum eſt bonum agnoſcere peccata, & eorum ſemper meminiſſe. Nihil ita corrigit peccatum, ſicut perennis memoria: nihil tam ſegnem facit hominem ad malum. Scio quòd reſilit conſcientia, nec à malorum memoria vellet flagellari: ſed animam comprime, & ei chamum impone. Tanquam infrenis equus indignatur, nec quòd peccauerit ſibi vult perſuadere: hoc autem totum eſt ſatanicum. Sed nos ei quòd peccauit, perſuadeamus, vt & pœniteat, & poſt pœnitudinē à pœnis abſoluatur. Confeſſio peccati. Quomodo dignum, quæſo, cenſes, veniam aſſequi peccatorum, quæ nunquam confeſſus es. Ille penitus eſt miſericordia dignus & clementia, qui peccaſſe confitetur: tu verò nondum tibi perſuadens, quomodo miſericordiam petis, vel de his tantam exhibens impudentiam? Nobiſipſis perſuadeamus quòd peccauimus, neque tantum lingua proferamus, verùm & ex corde non tantùm nos vocemus peccatores, verùm & peccata computemus ſingula, per ſpecies recenſentes. Nō tibi dico, oſtēta teipſum, nec apud alios accuſa: ſed obedi prophetæ dicenti: Pſal. 36. *Reuela domino viam tuam,* ea coram Deo confitere, coram iudice confitere peccata tua deprecans: & ſi non lingua, ſaltem memoria, & ita pete tibi miſericordiam exhiberi. Si peccata iugiter habeas in memoria: nunquam in proximum iræ memoriam ſeruabis: non dico, ſi tibi perſuaſeris te peccatorem eſſe. Non ita poteſt hoc animam humiliare, ſicut ipſa per ſe peccata, & per ſpecies ruminata. Non eris mali memor hæc ſemper in memoria gerens, non iraſcêris, non conuitiaberis, non altum ſapies, non rurſum in eadem cades, eris ad bona fortior. Vides quot ex peccatorum memoria naſcantur bona? Scribamus igitur in mentibus noſtris.

Scio quòd anima tam amaram non æque fert memoriam, ſed cogamus eam, & cōſtringamus. Melius eſt nunc eam ipſa morderi memoria, quàm per illud tempus ſupplicio. Si nunc eorum ſis memor, & ea continue Deo proferas, & pro ipſis depreceris, ea cito delebis: ſi nunc verò fueris oblitus, tunc & inuitus coram omni mundo eorum commonefiés, ipſis in medium ſe ferentibus, & coram omnibus oſtentantibus & amicis, & inimicis, & angelis. Non enim ad ſolum quidem Dauid dicebat: *Quæ tu feciſti occultò, ego faciam omnibus manifeſta:* 2. Reg. 12 verùm & ad nos omnes. Timuiſti homines, inquit, & veritus es plus quàm Deum, & Deum videntem non curaſti, ſed homines reueritus es: dicit enim: *Oculi hominum, hi timor eorū.* Eccl. 23. Propterea coram hiſipſis pœnas lues. Redarguam enim te ſub omnium oculis tua ponens peccata. Quòd enim, niſi nunc ea iugi memoria deleuerimus, hoc eſt verum, & illo die noſtra cunctorum peccata propalantur, B vide quomodo palā arguitur crudelitas & inhumanitas: ait enim, *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* Matt. 25. Quando dicuntur iſta? nunquid in angulo? nunquid in abſcondito? Nequaquam. Sed quando? *Cùm venerit filius hominis in gloria ſua, & omnes gentes congregauerit, cùm ſeparauit hos & illos, tunc omnibus dicet audientibus, à dextris, & ſiniſtris conſtitutis: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* Vide rurſum & quinque virgines coram omnibus ſibi dici audientes, *Neſcio vos.* Quinque enim & quinque non numerum ſignificant quinque ſolùm, verùm & improbas, & crudeles, & inhumanas virgines, & non tales. Ita quoque qui ſolum defodit talentum, audiebat coram omnibus, & his qui quinque, & his qui duo protulerunt, Serue nequam & piger. nec ſolis vero verbis, verū & operibus tunc eos redarguit, ſicut & Euangeliſta ſignificat: *Videbunt, in quem transfixerūt.* Apoc. 1. Simul erit omnium reſurrectio, tam C peccatorum, quàm iuſtorum, & ſimul omnibus aderit iudicans. Itaque cogita, qui tunc erunt in iuſtitia, qui in dolore, qui in ignem trahentur, aliis coronam accipientibus. *Venite,* ait, *benedicti patris mei,* Matt. 25. *hæreditate poſſidete paratum vobis regnum à cōſtitutione mundi.* & rurſum: *Diſcedite à me in ignem paratum diabolo, & angelis eius.* Ne verba ſimpliciter audiamus, ſed ea ſubſcribamus & oculis, & nunc eum adeſſe cenſeamus, & hæc dicere, & nos in illum ignem abiicere. Qualem habebimus animum? quam conſolationem? Quid verò, cùm in duas partes diuidemur? Quid, cùm de rapina accuſabimur? Quam habebimus excuſationem, quam dicamus? quam honeſtam rationem? Nullam: ſed erit neceſſe, vinctos, deorſum vergentes, ad fornacum ora pertrahi, ad ignis flumen, ad tenebras, ad immortalia tormenta, & neminē orare: ait enim. *Non licet hinc illuc tranſire:* Lucæ 16 *chaos enim magnum eſt inter nos & vos,* & neque volentibus tranſire licet, & manum porrigere. Sed eſt neceſſe ſemper incendi, ſuccurrente nobis nemine, D ſiue ſit pater, ſiue ſit mater, ſiue quicunque, licet multam habeat apud Deum fiduciam. *Frater* enim, inquit, *non redimit, redimet homo?* Pſal. 48. Quoniam igitur in altero ſalutis ſpem habere non licet, ſed in ſemetipſo poſt Dei miſericordiam: omnia, quæſo, faciamus, vt vita nobis munda, & optima conuerſatio: nec à principio vllam admittamus maculam: ſin autem minus, poſt maculam ſaltem ne dormiamus: ſed ſemper maculam abluentes, mundi permaneamus per pœnitentiam, per lachrymas, per orationes, per eleemoſynas. Quid ergo ſi non poſſum eleemoſynam erogare? dicet aliquis. Sed aquæ frigidæ calicem habes, quantumcunque ſis pauper: ſed habes duo minuta, quàmuis in paupertate verſeris: ſed habes pedes, vt infirmos viſites: vt carcerem petas: ſed tectum habes, vt hoſpitem ſuſcipias. Nulla namque, nulla venia eſt eleemoſynam non exhibenti. Hæc vobis continuè dicimus vt ex aſſiduitate modicum quid efficiamus: hæc dicemus, non tam accipientium, quàm veſtri curam gerentes:

Digitized by Google

tes: illis enim terrena præbetis, viciſſim verò recipitis cœleſtia: quæ nos omnes aſſequi contingat in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, poteſtas & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Quomodo animæ curam oporteat habere, & quòd plurimum nocturna prodeſt oratio: & de pœnitentia.

HOMILIA XLII.

A ſimili.

MAGNVM eſt, magnum, fratres, ignorare ſcripturas: ex quibus enim oportet adiuuari, ex his lædimur. Sic enim & medicamenta curatiuam habentia virtutem propter vtentium imperitiam corrumpunt frequenter, & perdunt: & ſi quis arma defenſoria tractare neſciat, ab eis perditur. Eſt autem cauſa quòd potius aliena quærimus, quam nobis vtilia. Et in re quidem familiari conferens quærimus, neque domum veteraſcentem cernere pateremur, neque ruentem, neque procellis labantem: animæ verò ratio nulla, ſed licet eius fundamenta videamus marceſcentia, ſiue fabricam & tectum, nulla nobis habetur ratio. Rurſum iumenta ſi habeamus, eorum quærimus vtilitatem, & equiſones, & veterinarios accerſimus, & eorum per nos curam gerimus, & deputatos admonemus, ne temere, nec, vt accidit, agant, neque ſarcinas imponant, neque noctibus reducant intempeſtiuè, nec alimenta commutent. Et multę rationes de iumentorum vtilitate nobis adſunt: animæ verò nulla ratio. Quid autem de brutis loquor nobis vtilibus? ſunt multi qui paſſeres habent nihil afferentes vtilitatis, ſed tantùm ſimpliciter delectantes: & multæ de illis quoque leges, & neglectum eſt nihil, inordinatum nihil, & omnium maiorem quàm noſtri ipſorum gerimus curam, ita ſumus omnibus viliores. Et ſi quis conuitiando quidem nobis dixerit, Canis, dolemus: nobis autem ipſis ipſi contumeliam inferentes non verbo, ſed opere: nec tantam impendentes animę curam, quantam canibus, nihil graue nos pati putamus. Videtis quantis ſint omnia tenebris plena? Quòd canum curam habent, ne plus quàm expedit, impleantur, vt veloces ſint, & venatici, dum fame premuntur & eſurie: ſe vero non curant, ne crapulentur: & bruta quidem temperanter agere docent, ipſi verò ad brutorum feritatem deducuntur? Ænigma eſt hoc factum, inquies, & vbi bruta temperanter agunt? An quæſo non tibi videtur opus eſſe temperantię, cùm canis fami moderetur, qui poſtquam venatus aliquid ceperit, à præſenti ſe continet eſca, & appoſitam cernens menſam, licet vrgente fame, dominum expectat? Reueremini voſmetipſos, veſtros docete ventres ita philoſophari: non eſt vobis excuſatio. cùm irrationali naturę, non loquenti, neque rationem audienti, tantam inſerere philoſophiam poſſis, multò magis tibimetipſi non poteris? quod enim hoc humanæ ſit curæ, non naturæ patet: alioquin omnes hos habere canes oportebat. Sitis igitur canibus non inferiores. Vos me cogitis illinc exempla ſumere, nam ex cœleſtibus quidem oportebat. Sed quoniam ſi dixero, vos dicitis, quòd illi magni fuerunt: propterea dico cœleſtiũ nihil. Quòd ſi Paulũ commemorauero, dicitis quod ille fuit apoſtolus: propterea Paulum taceo. Sin hominem dixero, dicitis quòd ille potuit: propterea nec hominem refero, ſed beſtiam, & beſtiam hoc à natura non habentẽ, ne reſpondeatis quòd naturaliter, & nõ voluntariè hoc effecit. Et quod admiratione dignam, voluntate non propria, ſed cura tua. Non quod fatigatus ſit, non quod curſu diſtractus, nõ quod propriis cepit laboribus, computat: ſed his omnibus poſthabitis, domini præceptum cuſtodit, & ventre ſuperior efficitur. Nec id vlli dubium: expectat enim laudari: expectat maiorem aſſequi menſam.

A cura quam beſtiis impẽdimus docet quæ animæ cura ſit habenda.

Dic itaque tibimetipſi. Canis futuræ voluptatis ſpe præſentem contemnit, tu verò non vis futurorum bonorum ſpe præſentia contemnere? Sed ille quidem nouit, quod ſi intempeſtiuè, & præterquam domino videtur, illum cibum guſtauerit, & ipſo priuabitur, & ſtatutum non accipiet, verbera pro cibo ſumpturus. Tu verò nec hoc intelligere potes: & quod ex conſuetudine didicit ille, hoc ex ratione tu nõ perficis. Canes imitemur, hoc & accipitres & aquilæ facere dicuntur: quod in quadrupedibus & dorcadibus illi, hoc in auibus hi: & hi verò rurſum ex humana diſciplina. Hæc nos poſſunt condemnare, hæc nos capere. Dicam & aliud: Equos ſylueſtres & immanſuetos, calcitrantes & mordentes cũ ceperint periti, ſic breui tempore docent, vt nullo iam oſtendente greſſus compoſiti delicias ſeſſor delectetur: animæ verò negligenter ambulantis curã ſuſcipit nemo, ſed ſaltat quidem & calcitrat, & humi trahitur tanquam puerulus, & infinita ſubit dedecora: & nullus repagula imponit, nullus tricas & fræna, nullus peritum inducit ſeſſorem, Chriſtum dico: propter hoc omnia confuſa ſunt. Cùm enim & ventrem canes continere doceas, & iram domes in leone, & in equis procaciam, in auibus autem linguæ gratiam ponas: quomodo non abſurdũ, in brutis naturaliter quidem rationalia præſtare officia, rationalibus verò brutorum inducere vitia? Nulla nobis, nulla profectò venia. Omnes nos accuſant qui ſe correxerunt, fideles & infideles: nam & infideles hoc præſtiterunt, & feræ, & canes, nedum homines: & ipſi noſipſos accuſabimus, cùm volumus quidem, aſſequẽtes: cùm vero torpemus, repentes. Nam & in magna conſtituti malitia multi frequenter volentes mutati ſunt. Quod autẽ dixi, quod circumimus aliena, quærentes vtilia, non noſtra. Si domum ædificaueris ſplendidam, domus vtilitatem vidiſti, non tuam: ſi veſtimentum acceperis, corporis, non tuam: ſi bonum equum, ſimiliter. Nemo quomodo bona ſit anima conſiderat, licet cum hæc bona ſit, illorum nihil ſit opus: cum vero non ſit, nulla ſit illorum vtilitas. Sicut enim in ſponſa, licet thalami ſint velis aureis operti, licet mulierum adſint pulcherrimarum & ſpecioſarum chori, licet roſæ, licet coronæ, licet ſponſus ſit formoſus, licet ancillæ, licet amicæ, licet omnes ſint decori: illa vero ſi ſit deformis, vtilitas eſt nulla: ſicut econtrà ſi ſit pulchra, nullum ex his accidit nocumentum, ſcilicet contrarium. Ex illis quidem ſi ſit turpis, videbitur & turpior: ex his vero ſi ſit formoſa, non formoſior fiet. Ita quidem & anima, cum ſit decora, non tantum non indiget horũ, ſed hæc potius eius obumbrant pulchritudinem. Philoſophum enim non tam in diuitiis, quàm in paupertate fulgere videbimus. Illic enim ex pecuniis multi cenſent eum pecuniis non eſſe ſuperiorem. Cùm autem in paupertate degat, & per omnia coruſcet, & turpe nihil agere cogitetur, nullus iam alius cum eo diuidet in philoſophiæ laude coronã. Hanc igitur ornemus, ſi volumus eſſe diuites. Quid vtilitatis, cùm mulæ quidem albæ fuerint, ingentes, & habitudine bona præditæ: tu vero inſidens macilentus ſis & ſcabioſus atque deformis. Quòd verò lucrum, cùm ſtragulæ tenues ſint & molles, & multa varietate ſpectabiles & arte: anima verò ſit tota pannoſa nudaque & turpis? Quid autem emolumenti, cùm equus quidem compoſitè gradiatur, choream agenti ſimilior quàm ambulanti, & pręter greſſum ſponſali decoratus mundo: inſidens autẽ plus claudis ſuccutiatur, & ebriis, & furentibus magis ſit manibus & pedibus diuaricatus? Dic mihi, ſi quis tibi bonum dediſſet equum, & corpus peruertiſſet, quid vtilitatis? Nunc vero peruerſam habes animam, & nihil eſt tibi curæ. Curam noſtri tandem ipſorum geramus, quæſo, ne nos ſcilicet ipſos omnium ignobiliſſimos conſtituamus. Quod ſi verbo quis mordeat, angimur & dolemus: nos autẽ ipſos

facto contumelia afficientes, non curamus. Tandem excitemur quandoque, vt & animæ multam gerentes curam, & virtutem arripientes, æterna conſequi bona poſſimus. Nanque non propter hoc eſt facta nox, vt ſemper dormiamus, & ceſſemus. Et hoc teſtantur manuales operarij, agaſones, mercatores, Dei eccleſia, mediis conſurgens noctibus, ſurge & tu. Vide ſtellarum choream, altum ſilentium, multam quietem, dominique tui diſpenſationem admirare. Anima tunc eſt purior, leuior & ſubtilior, magis ſublimis & agilis. Ipſæ tenebræ, multumque ſilentium ad compunctionem inducere poſſunt. Si verò cœlum reſpexeris, ſyderibus tanquam innumeris quibuſdam oculis diſtinctum: ſi cogitaueris quòd interdiu clamantes, ridentes, laſciuientes, ſalientes, inferentes iniuriam, opprimentes, minantes, intentantes innumera mala, nũc hi nihil à mortuis differunt, omnem humanã damnabis inſolentiam. Subrepſit ſomnus, & naturam redarguit, mortis eſt imago. Si proſpexeris in vicũ, nec vnam quidem audies vocem. Si domum reſpexeris: omnes tanquam in ſepulchro videbis iacentes. Hæc omnia poſſunt animam excitare, & in cõſummationis cogitationem inducere.

Nocturnæ orationis vtilitas.

Hic mihi ſermo & ad viros, & ad mulieres. Flecte genua, geme, dominum tuum ora tibi fieri propitium. Plus nocturnis placatur orationibus, cùm quietis tempus tu luctuum tempus facis. Regis memento, qualia verba dicebat: *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* (Pſalm. 6.) Quantumcunque ſis delicatus, non es illo delicatior: quantumcunque ſis diues, non es ditior Dauide, qui rurſum dicebat: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.* (Pſal. 118.) Tunc inanis gloria interrumpit. Qualiter enim omnibus dormientibus, non cernẽtibus? Tunc torpor & oſcitatio non premit. Nam quomodo, cùm anima tot rebus excitetur? Poſt tales pernoctationes ſomni ſuaues, & miræ reuelationes. Hoc fac tu quoque vir, nedum mulier. Eccleſia ſit domus ex viris & mulieribus conſtituta: non enim quòd tu ſolus ſis vir, neque quòd hæc ſola ſit mulier, obſtaculũ eſſe putes: ait enim: *Vbi ſunt duo in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorũ.* (Matth. 18) Vbi Chriſtus eſt medius, ibi magna multitudo. Vbi Chriſtus, ibi neceſſarium eſt & angelos eſſe, neceſſarium & archangelos, & alias virtutes. Non igitur eſtis ſoli, omnium habentes dominum: & rurſus audi Prophetam dicentem: *Melior vnus faciens voluntatem domini, quàm decem millia iniquorum.* (Eccl. 16.) Nihil imbecillius multis peccatoribus, nil vno ſecundùm Dei legem viuente fortius. Si tibi ſunt & filij, per omnes in nocte fiat eccleſia. Si verò molles ſint, & vigiliam non ferent, vſque ad vnam orationem vel alteram excita & colloca. Tantùm excitare, tantùm in conſuetudine temetipſum inſtitue. Nil illo melius penu tales orationes ſuſcipiente, audi Prophetam dicentem: *Si memor fui tui ſuper ſtratum meum, in matutinis meditabor in te.* (Pſalm. 62) At, inquies, laboraui per diem multum, & non poſſum. Prætextus & occaſio ſunt iſta. Nam quantumcunque laboraueris, non laborabis quantũ ærarius malleum tam grauem ex tanta demittens altitudine, ſcintillas & fumum toto ſuſcipiens corpore, & tamen maiorem noctis partem in hoc abſumit. Scitis & mulieres, ſi quando vobis in agrum ire fuit neceſſe, vel ad pernoctationem procedere, quomodo per totam noctem vigilant? Igitur & tibi ſit æraria ſpiritualis, nõ vt ollas facias, aut lebetes: ſed vt tuam perficias animam, quod & ærario & aurifice multò melius eſt. Factam peccatis vetuſtam, age in fornacem confeſſionis, ex multa altitudine malleum infer, hoc eſt, verborum damnationem, ſpiritus ignem accende, multo maiorem habes artem. Non aurea vaſa componis, ſed animam omni auro pretioſiorem, ſicut vas conflat ærarius. Non corporale vas aliquod conflas, ſed animam ab omni liberas ſeculari vani-

A tate. Apponatur tibi lucerna, non iſta quæ ardet: ait enim, *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* (Ibid. 118.) Accende per orationem animam. Si ſe bene videris habentem, educ eam in quacunque velis forma. Crede mihi, non ita rubiginem ignis extorquere ſolet, ſicut oratio nocturna noſtrorum rubiginem peccatorum. Reuereamur, ſi nihil aliud, nocturnos cuſtodes. Illi propter humanam legem in gelu circumeunt vehementer clamantes, & per vicos ambulantes, madidi frequentes, glaciati propter te tuamque ſalutem, & tuarum pecuniarum cuſtodiam. Ille verò pro pecuniis tuis tantam gerit curam, tu neque pro anima tua? Et te quidem ipſe ſub dio circumire non cogo, ſicut ille: neque vociferari & diſrumpi: ſed in ipſa permanens cella, in ipſo cubiculo flecte genua, dominum ora. Quare Chriſtus ipſe in monte pernoctabat? nónne vt nobis forma fieret? Tunc plantæ reſpirant, in nocte dico, tunc & anima maximè rorem & plus illis ſuſcipit. Quæ per diem ſol exuſſit, hæc nocte refrigerantur. B Omni rore magis noctis lachrymæ contra concupiſcentias, & aduerſùs omnem ardorem & æſtum demittuntur, nec aliquid tale pati permittunt: ſin autem illo rore non fruantur, per diem comburentur. Sed abſit. Verùm refrigeratos, & Dei gratiam nactos omnes liberari contingat à peccatorum ſarcina. Incredulum etenim eſt hominum genus, & multæ indigẽs curæ, maioriſque quàm plantæ. Nam illic quidem natura corporum eſt & terræ, agricolarum manibus cedens: hic verò voluntas multas admittẽs mutationes: & nunc quidem hoc, nunc autem illud eligens: velociter enim ad vitium inclinatur. Quapropter vndique cauere neceſſarium eſt, ne quando dormitemus: ait enim, *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël, &c.* (Pſal. 120.) *Ne des in commotionem pedem tuum.* (Ibidem.) non dixit ne commouearis: ſed ne des. Igitur in nobis eſt dare, non in vllo altero. C Nam ſi ſtare velimus ſtabiles & immoti, non commouebimur. Quid igitur? in Deo nihil eſt? Omnia quidẽ in Deo, ſed non ita, vt liberum in nobis arbitrium violetur. Si igitur in Deo ſunt, inquit, cur nos accuſat? Propterea dixi, ne liberum in nobis arbitriũ violetur. In nobis igitur & in Deo ſunt. Oportet enim nos prius eligere bona, & ille ſua tunc inducit. Noſtras non præuenit voluntates, ne noſtram temeret libertatem. Cùm verò nos elegerimus, tunc magnũ nobis affert ſubſidium. Igitur quomodo Paulus dicit: *Non volentis* (ſi & in nobis eſt) *neque currentis, ſed miſerentis Dei?* (Rom. 9.) Primùm quidem non tanquam propriã introduxit ſententiam, ſed ex propoſito tibi collegit, & ex præmiſſo. Poſtquàm enim dixit, ſcriptum eſt: *Miſerebor, cuius miſereor: & miſerabor quem miſereor:* (Exod. 33) ait, *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Dices ergò mihi, quid adhuc accuſat? D Secundùm verò dici poteſt illud, quod cuius eſt amplius, totum eſſe dicit: noſtrum enim eſt eligere & velle, Dei verò expedire, & ad exitum deducere. Quoniã illius itaque plus eſt, totum illius eſſe teſtatur, ſecũdum humanam locutus conſuetudinem. Nam & nos ita facimus, quale quod dico: (Simile.) Domum ædificatam benè videmus, & dicimus totum eſt artificis, licet non totum ipſius ſit, verùm & operariorum, & domini, qui materiam ſuppeditauit, aliorumque multorum: attamen quoniam plus contulit, illius totum eſſe dicimus: ita profectò & hic. Et rurſum in multitudine, vbi multi ſunt, omnes eſſe dicimus: vbi pauci, neminem. Ita & Paulus ait: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Duo verò magna hic facit: vnum quidem, ne extollamur: ſiue curras, ſiue feſtines, inquit, ne tuum eſſe putes meritum. Niſi nanque ſupernum aſſequaris fauorem, omnia nequicquam: tamen quod optatum aſſequeris clarum eſt, donec curras, donec velis. Non hoc itaque dixit, quod in vanum currimus: ſed quòd in vanum currimus, ſi totum noſtrum eſſe putamus, niſi Deo plus aſſignemus. Nec enim totum Deus ſuum eſſe

voluit,

Digitized by Google

voluit, ne ſine cauſa nos coronare videatur: neque rurſus noſtrum, ne in arrogantiam dilaberemur. Nam ſi minorem habentes partem, altum ſapimus, quid ſi totius authores eſſemus? Multa nanq; Deus fecit vt noſtram ſuccideret ſuperbiam. Et adhuc manus alta quot nos morbis inuoluit, vt noſtram truncaret inſolentiam? quot feris circundedit? Etenim cùm quidam dicunt, quid hoc? ad quid hoc? Hæc, inquit, præter id quod Deo videtur, in tanto te metu conſtituit, & nec ita humiliter ſentis: ſed ſi quando vel paruam aſſequaris proſperitatem, ad ipſum ſenſu cœlum peruenis. Propterea celerrimæ mutationes & lapſus, & nec ita corrigimur, propterea continuæ mortes, & præmaturæ. Nos autem de nobis tanquam immortalibus ſentimus, quaſi nunquam morituri, ita rapimus. Sic vſurpamus aliena, quaſi rationem nunquam daturi: ſic ædificamus, tanquam hic ſemper manentes. Nec ipſum nos Dei verbum quotidie nobis inculcatum, nec ipſa negotia corrigunt. Non poteſt dies proferri, non hora, in qua continuos non liceat caſus videre. Sed in vanum omnia, & duritiem noſtram nihil penetrat, nec in alienis calamitatibus meliores fieri poſſumus: quinimò nec volumus, ſed cùm ipſi ſoli lugeamus, tunc corripimur: & ſi manum Deus remittat, rurſum nos manum extollimus. Vnuſquiſque ſapit humana, terrena contemnit nemo, cœlum reſpicit nullus: ſed tanquam ſues ad ventrem inclinantes deorſum vergunt, cœno ſe conuoluentes: itidem & hominum multi difficillimo ſe cœno polluentes, non ſentiunt. Melius enim eſt luto fœdo, quàm peccatis contaminari. Illinc nanque fœdatus, breui ſe tempore lauerit, & ſimilis eſt illis qui nec ab initio in illud ceciderint cœnum. At in peccati barathrū delapſus, pollutionem admiſit, quæ non aqua purgatur, ſed multi temporis indiget, acriſque pœnitentiæ, lachrymarum, & maioris ardentioriſque luctus, quàm quem chariſſimis exhibetis. Illa nanque ſordes extrinſecus nobis accidit, quapropter & eā cito deponimus: illa verò pariter interius, ideoque vix eam abluentes mundamur, ait enim. (Matth. 5.) *Ex corde exeunt cogitationes malæ, fornicationes, adulteria, furta, falſa teſtimonia*: quamobrem & Propheta dicebat: (Pſal. 50.) *Cor mundum crea in me Deus*, alter vero: (Hier. 4.) *Ablue à malitia cor tuum Hieruſalem.* (Matth. 5.) Vides quòd eſt & noſtrum, & Dei? & iterum: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Efficiamur mundi pro viribus noſtris, peccata noſtra detergamus. Quomodo verò detergenda ſunt, Propheta docet, inquiens: (Eſaiæ 1.) *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Quid eſt coram oculis meis? Quoniam aliqui videntur eſſe boni, ſed hominibus: ſed Deo ſunt manifeſti ſepulchra eſſe dealbata: propterea dicit: (Ibidem.) *Sic auferre, ſicut ego video. Diſcite benefacere, exquirite iudicium, humilem & pauperem iuſtificate. Et venite, & diſputemus, dicit dominus: Et ſi fuerint peccata veſtra ſicut purpura, ſicut niuem dealbabo: & ſi fuerint tanquam coccinum, quaſi lanam albefaciam.* Vides quòd priores noſipſos oportet mundare, & tum Deus emundat? Cum enim prius dixiſſet: *Lauamini, mundi eſtote*: tunc ſubdidit: Ego dealbabo. In extremam itaque lapſorum nequitiam nemo de ſe deſperet. Et ſi nanque in habitum veniſti, & quaſi in ipſius naturam vitij, ne timeas. Propterea nanque colores non euanidos, ſed ſubiectis fere conſubſtantiatos, in contrarium dixit ſtatim venturos. Nō enim ſimpliciter lauare dixit: ſed tanquā lanā & quaſi niuem dealbare, vt bonam ſpem ſuggerat: ergo magna vis pœnitentiæ: ſiquidem vt niuem nos reddit, vt lanam albefacit, licet præueniens peccatum noſtras infecerit animas. Studeamus itaque mundi fieri: graue nihil imperauit. Iudicate pupillo, & defendite viduam. Vides vbique quomodo multa Deo miſericordia ſit, & iniuriam patientium tutelæ mentio? Hæc officia ſectemur, & Dei gratia poterimus & futura conſequi bona quibus nos omnes dignos cenſeri contingat in Chriſto domino noſtro, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, poteſtas, & honor, nunc, & ſemper & in ſæcula ſæculorum, Amen.

De vana gloria & ambitione.

HOMILIA XLIII.

QVEMADMODVM ſæui quidem venti in trāquillum mare delati, totum ab imo ſubruunt, (A ſimili) vt & arena cum vndis miſceatur, ſic & ambitio, & turpis quæſtus animam ſubeuntes, omnia ſubuertunt. Excæcat mentis intuitum præſertim gloriæ furor: nam pecunias quidem contemnere volenti ſatis eſt facile: honorem autem à multis collatum deſpicere, multi laboris indiget, magnæ ſapientiæ, angelicæ cuiuſdam animæ, ipſum cœleſtis teſtudinis verticem tangentis. Non eſt enim, non eſt, inquam, vitium ita tyrannicum, & vbique dominans ex maiori quidem vel ex minori parte, attamē vbique. Ipſum itaque quomodo vinceremus, etſi non (Vana gloria quomodo ſuperanda.) ad expurgationem, ſaltem ex minima parte? In cœlū ſi reſpiciamus, ſi Deum ante oculos habeamus, ſi de terrenis maiorem capiamus cogitationem? Cogita, cum gloriam concupiſcis, quòd eam ſis aſſecutus, & diſce finem, & nihil inuenies. Cogita quantam ea res habeat iacturam, quot & qualibus bonis priuet. Labores quidem ſuſtinebit atque pericula, fructibus autem priuabitur & certaminum præmiis. Cogita quòd multa ſunt pericula, & eorū gloriam contemne: qualia ſunt, ſingula recenſe, & rem riſu plenam videbis. Videbis quòd dedecus magis eſt quàm gloria, & poſt hæc ad cœleſte ſpectaculum referas cogitationem. Cùm aliquid boni faciens cogites, quòd & hominibus oportet oſtendere, & aliquos facti ſpectatores quæras, & ſollicitus ſis vt videatur: cogita quòd Deus videt, & omnem illam extingues concupiſcentiam. De terra recede, ad illud cœleſte reſpicias theatrum. Homines licet laudauerint, mox tamen accuſant vel inuident, vel carpunt: ſed hoc ſi non fecerint, nihil omnino tamen laudato proſunt: Deus tamen non ita, ſed gaudet noſtra laudans merita. Dixiſti rectè, plauſuſque conſecutus eſt? Et quid emolumenti? Si enim adiuti quidem ſunt plaudentes, & mutati, & meliores effecti prioribus abſtinuere malis, verè gaudendum eſt, non iam collatis laudibus, ſed bona mirabiliq; mutatione: ſi verò laudantes quidem, & tumultuantes perſeuerant, & plaudentes, nullum autem ex plauſibus fructum reportant, dolendum magis eſt, quoniam hæc eis in iudicium cedunt & damnationem. Sed in pietate gloriam habes? Si verè quidem ſis pius, & tibi nihil conſcius ſis mali, oportet gaudere: non quoniam videris, ſed quoniam es. Si cum ſis, multorum quidem gloriam concupiſcis, cogita quòd non hi nobis iudices erunt in illa die: ſed qui latentia perfectè nouit: Si verò tibi peccatorū conſcius, apud omnes mundus eſſe ſuſpicaris, non tantum gaudere non oportet, verùm & dolere, & amarè gemere, diem continuè cogitantem in quo omnia reuelantur, in quo abſcondita tenebrarum illuminantur. Honore delectaris? hūc repelle, ſciens quòd te debitorem conſtituit. Honorem tibi præbet nemo? & in hoc gaudēdum eſt. Non enim cum aliis & hoc tibi Deus improperabit, quòd honore delectatus es. An non vides, quòd cum aliis beneficiis & hoc Deus per Prophetam ait: *Accepi ex filiis veſtris in prophetas & ex iuuenibus veſtris in ſanctificationem?* (Ioel. 2.) Hoc igitur ſaltem lucraris, quòd maiori ſupplicio non eris obnoxius. Nam qui non honoratur in præſenti vita, ſed contemnitur, nec vllam eſt aſſecutus æſtimationem, ſed contumeliam patitur, & reſpuitur, etſi non aliud, hoc ſaltem lucratur, quòd non & huius eſt reus, quòd non à conſeruis honoratur, & multa propter alia gaudet, contrahitur, humiliatur: neque ſi velit, vnquam altum ſapiet, ſi ſibi

magis

magis attendat. Qui namque multum acquiſiuit honorem, præter quam quòd & magnorũ eſt reus debitorum,& in arrogantiam extollitur, & inanem gloriam, & fit hominum ſeruus, poſtmodum hoc creſcente dominatu, multa quæ nollet,facere cogitur. Tanquam itaque ſcientes quod hoc eſt melius, quàm illud, honores ne quæramus,& oblatos recuſemus, abiiciamus à nobis,hanc extinguamus concupiſcentiam. Hæc & ad principes,& ſubditos nobis dicta ſunt. Anima namque cupiens honorem & glorificari,non videbit regnum cœlorũ. Non meus eſt hic ſermo, neque mea recito verba, ſed Spiritus ſancti. Non videbit,licet virtutẽ operetur:ait enim:
Matth. 5. *Receperunt mercedem ſuam.* Itaque qui mercedem accipit, quomodo cœlorum regnum videbit? Non prohibeo gloriam optare,ſed veram volo gloriam,quæ
Rom. 12. eſt à Deo: *cuius laus eſt*, inquit, *nõ ex hominibus, ſed ex Deo.* In abſcondito ſimus pij,non multo circũdati faſtu,
A ſimili. & oſtentatione,& ſimulatione. Ouis pellem abiiciamus,ſed potius oues efficiamur. Nihil hominũ gloria vilius. Dic enim mihi, ſi paruulorum videas puerorum multitudinem, lactentium dico,nunquid ab eis gloriam concupiſces? ſic erga cunctos homines diſponaris propter gloriam. Idcirco cenodoxia dicitur. Nõne vides perſonas,quæ in ſcena verſantes inducuntur,quàm ſint pulchræ quidem,quàm verò ſplendidæ,quàm ad extremam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi talem aſpectum in veritate monſtrare? Nequaquam. Nunquid vnquàm earum amore captus es? Non. Quare? Quia vacuæ ſunt,& imitantur pulchritudinem: pulchritudo tamen non ſunt. Similiter & gloriæ inanis eſt, & gloriam quidem imitatur: non eſt tamẽ gloria. Illa ſola manet, quæ naturalis eſt,quæ intrinſecus. Hæc autẽ quæ exterius ſuperinducitur, occultat quidẽ ſæpe deformitatẽ,occultat autem apud homines,& vſque ad veſperam: dimiſſo autem theatro, ſublatiſque perſonis, vnuſquiſque quòd eſt, hoc apparet. Itaq; ne tanquam in ſcena,& ſimulatione veritatem obeamus. Dic enim mihi, quid habet boni, à multis circumſpici? Inanis eſt gloria,nec quicquam aliud. Nam domum reuertere,& ſolus eſto,& totum illico defluxerit: in forum proceſſiſti: præſentes in te cõuertiſti,& quid amplius? Nihil: extinctum eſt,& euanuit tanquam fumus diffuſus: ſic igitur ea quæ non ſubſiſtunt. Quantæ ſunt hęc,quęſo,ſtoliditatis: quãtæ dementiæ? Ad vnum itaque ſolũ ſpectemus,quomodo Deus nos laudet. Si hoc conſideremus, nunquam ab hominibus propria quæremus: & ſi contigerint, cõtemnemus,deridebimus,reſpuemus: tanquam aurum quidem optantes, lutum verò recipientes, ſic afficiamur. Nõ laudet ille: nihil enim profuerit:& ſi vituperauerit,nihil nocebit. In Deo autẽ hæc vtraq; habent aliquid lucri vel iacturæ: at apud homines omnia vana. Et in hoc ęquamur Deo, quòd ab hominibus ille non gloriæ indigeat: ait enim: *Gloriam ab hominibus non capio.* Parúmne igitur hoc?
Ioan. 8. Cùm nolis gloriam contemnere, dic Deo par fio ſi contempſero:& ſtatim contemnes. Nõ enim poteſt gloriæ ſeruus homo,non omniũ ſeruus eſſe, & ipſis ſeruilior mancipiis. Non enim talia noſtris pręcipimus ſeruis,qualia captiuis ſuis illa turpia & dedecore plena negotia loqui facit & pati: & maximè cùm obſequentes viderit,imperia magis intendit. Fugiamus itaque,fugiamus,inquam,hanc ſeruitutem. Inquiet aliquis: Qualiter itaque poterimus? Si philoſophemur de terrenis, ſi videamus quòd præſentia ſomnium & vmbra ſunt, & nihil aliud, ipſam facile vicerimus,& nec in paruis,nec in magnis capiemur: quòd ſi contemnamus in minimis,& in maximis facile cademus. Procul igitur eius fontes reſtringamus: hi autem ſtultitia ſunt,& humilem animam habent. Itaque ſi ſublimem ſenſum capiamus,poterimus & à multis collatum honorem contemnere, & in cœlum dirigere cogitationem. Nam ſicut eſt modeſtiæ principium ieiunium,id eſt,fundamentum & conſtitutio: ſic & peccati ſuperbia, & ab ea omne peccatum inchoatur,& ab ea congregatur: quòd enim quæcunque bona facimus, vitiũ ea permanere non ſinit, quin corruãt,ſed tanquam radix eſt quædam nos commoueri non permittens, illinc manifeſtum eſt. Vide quanta phariſæus fecerat,ſed hæc omnibus nocuit radice manente. Ex ſuperbia naſcitur pauperum deſpectus, pecuniarum concupiſcẽtia,amor principatus,multæ deſiderium gloriæ. Ad contumeliam vltor eſt huiuſmodi. Elatus enim, nec à maioribus, nedum ab inferioribus contumeliam pati ſuſtinet: qui verò cõtumelia non tolerat affici, neque malè pati ſuſtinebit. Vides quomodo peccati principium elatio; quomodo verò ſuperbiæ principium, neſcire dominum? Et meritò. Qui namque dominum nouit,ſicut oportet intelligere: qui nouit quòd Dei filius ſe tantum humiliauit,nõ extollitur. Qui autem hæc ignorat,extollitur. Elatio verò præparat ad inſolentiam. Dic etenim mihi,vnde iſti impugnantes eccleſiam Deum ignotare dicuntur? Nónne ex inſolentia? Ecce dominum ignotare, in quod eos præcipitium proiecit. Nam ſi Deus contritum diligit ſpiritum,econtrà, *ſuperbis reſiſtit, humilibus*
1. Pet. 5. *autem dat gratiam*: nullum itaque malũ par elationi, hominem reddit dæmonem,contumeliatorem,blaſphemum,periurum,cædes facit & homicidia cupere. Elatus ſemper in doloribus viuit, ſemper indignatur,ſemper mœret. Nihil eſt quod eius poſſit explere libidinem, ſi vel regem viderit ſupplicantem & adorantem, non eſt ſatiatus, ſed magis accenſus. Sicut enim auari quantò plura ceperint,tantò pluribus egent: itidem & ſuperbi, quantò maiori funguntur honore,tantò plus concupiſcunt. Creſcit enim in eis morbus: morbus enim eſt: morbus autẽ finem neſcit, ſed cùm habentem occiderit, tunc demum ſiſtit. Nónne vides ebrioſos, quòd ſemper ſitiunt? morbus enim eſt, non naturæ cupiditas, ſed ægritudo peruerſa. Nónne vides quos vocant bulimos, quòd ſemper eſuriũt? morbus enim eſt, vt medicorũ pueri teſtantur. Iam naturæ terminos tranſcenderunt curioſi,& ſuperflua ſatagentes,quantũcunque paſſi fuerint,non ſiſtunt: morbus enim eſt, & finem ignorat. Fornicationibus gaudentes, rurſum nec ipſi ſiſtunt. Homini,inquit,fornicario omnis panis ſuauis: non deſinet, donec abſorbeatur, morbus enim eſt: & morbi quidem ſunt,non tamẽ incurabiles, ſed admittentes medicinam, & multò magis quàm corporales. Si namque velimus, poſſumus eos extinguere. Igitur quomodo ſuperbiam extinguere poſſumus? Si Deum agnoſcamus. Nam
Superbia quomodo ſit ſuperanda. ſi ex ignorantia Dei naſcitur,cum ipſum agnouerimus, expellitur omnis inſolentia. Cogita gehennã, cogita multò meliores te: cogita quod Deo pœnas debeas: ſi talia cogitaueris,ocyus mentem cõtraxeris,ocyus eam compreſſeris. Sed non potes iſta facere,es imbecillior, cogita præſentia,ipſam humanam naturam,quàm nihil ſit homo. Cum videris in foro mortuum efferri, orphanos ſequentes filios, vxorem viduam plangentem,plorãtes ſeruos,amicos mærentes, præſentium rerum vilitatem cogita, & quòd ab vmbra ſomniiſque nihil differunt. Sed non vis hoc: at cogita prædiuites in bellis temere pereuntes,magnatum & illuſtrium domos cõſidera nunc ſolo proſtratas: conſidera quantũ potuerunt, & nunc nec eorum quidem memoria remanet. Per ſingulos enim dies, ſi velis, horũ exempla reperies, magiſtratuum ſucceſſiones, proſcriptiones diuitũ. Multi tyranni conſederunt humi, non exiſtimatus autem geſtauit diadema. Hæc nónne quotidie fiũt? Nonne noſtra rotæ cuidam ſimilia ſunt? Lege ſi velis & quæ ſunt apud nos, & exteriora. Nam & illa ſunt his exemplis referta. Si noſtra contẽnis,& hoc ex inſolẽtia: ſi philoſophica miraris, & his accede. Illi quoque te docebunt antiquas recenſentes ærũnas,& poëtæ,& oratores,atq; ſophiſtæ, ſermonumque ſcriptores vniuerſi. Exempla ſi velis vbique

reperies.

reperies. Si verò nihil horũ velis, ipſam penſa naturam noſtram, ex quibus conſtat, & quò deſinit. Cogita cum dormis, quò ſis dignus: nónne vel minima beſtia te poſſet interimere. Multis enim à tecto frequenter illata breuis beſtiola vel oculum eruit, vel alicuius alterius periculi cauſam attulit. Hæc igitur poterunt nos à tali propoſito abſtrahere, ſicque vitam agemus laudabilem in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De liuore & inuidia.

HOMILIA XLIV.

A ſimili
SIcut furentes ſæpenumerò gladios in ſe côuertunt, itidem & inuidi, ſolam inuiſi perniciem intuentes, propriam negligunt ſalutem: hi feris quoque peiores. Nam illæ quidem eſcæ indigentes, vel à nobis irritatæ, aduerſus nos armantur: hi verò beneficiis quoque frequenter allecti, bene meritos maleficiis proſecuti ſunt. Hi quidem peiores feris, dæmonibus autem pares, fortè verò peiores & iſtis. Hi nanque contra nos bellum exercent impacatũ, conſortibus autem generis non inſidiantur. Vnde Iudæis quoque Chriſtus os occluſit, cùm eum in Beelzebub eiicere dæmonia calumniarentur. Hi verò neque naturæ communionem reueriti ſunt, neque ſibi pepercerunt. Nam antequam inuiſos, animas ſuas pœnis afficiunt, tumultus omnis & ignobilitatis eas fruſtra & incaſſum implent. Cur enim doles, ô homo, proximi bonis? Dolere nos oportebat his quæ patimur malis, non in quibus alios probabiles haberi videmus. Propterea omni venia caret iſtud peccatum. Nam fornicator quidem concupiſcentiam prætendere poteſt, fur paupertatem, homicida furorem, frigidas quidem & irrationabiles, habent tamen quas prætendant excuſationes: Tu verò quã dices cauſam, rogo? Nullam penitus, niſi tantùm intenſam nequitiam. Si enim inimicos diligere iubemur, cùm & diligentes oderimus, quam pœnam luemus? Nam ſi diligens diligentes nihilo gentibus melius affectus eſt: nihil iniuriæ operatos infeſtans, quam habebit veniam? quam excuſationem? audi quid Paulus dicat: *Si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* (1.Cor 13) Quod autẽ vbi liuor, & inuidia, charitatis opera ſublata ſint, cuique patet. Hoc vitium & fornicatione peius eſt, & adulterio. Hoc enim in operato tantùm ſiſtit: inuidiæ verò vis totam ſubuertit Eccleſiam, & toti nocet terrarum orbi. Hæc homicidij mater eſt: ita fratrem Cain occidit, ita Iacob Eſau, ita Ioſeph fratres, ita cunctos homines diabolus. Sed tu nunc non occidis, ſed multa cæde facis grauiora, fratrem optans confundi, laqueos vndique tendens, ſumptos pro virtute diſſoluens labores, dolens quòd mundi placent domino. Non illum itaque, ſed ab eo cultum impugnas. Illum afficis contumelia, tuum illius præponens honori, & quod eſt omnium grauiſſimum, indifferens peccatum eſſe videtur, cùm omnium ſit atrociſſimum. Siue miſerearis, ſiue vigiles, omnium es ſceleratiſſimus, cum inuideas fratri: & hoc illinc eſt manifeſtum. Quidam olim apud Corinthios fornicatus eſt, ſed accuſatus fuit, & breui correctus. (1.Cor.4.) Abeli Cain inuidit, ſed ſanatus non eſt: quin & Deo (Gen.4.) ſtatim ipſius vlceri curam afferente, magis intumeſcebat, & fluctuabat, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium illo peius eſt, nec medicinæ, quamcunque adhibuerimus, facile cedit. Funditus igitur eam vndique euellamus, illud penſantes, quod quemadmodum offendimus Deum alienis tabeſcẽtes bonis, ita placemus gratulantes & noſmetipſos participes faciamus bonorum bene merenti repoſitorum. Et propterea Paulus dicit: *Gaudete cum gau-* (Rom.12.)

A *dentibus, & flete cum flentibus.* Vtrinque magnum lucremur emolumentum. Cogitantes itaque quod licet non laboremus, ſi laboranti condelectemur, illius coronarum efficimur participes: omnem eiiciamus inuidiam, & in animabus noſtris charitatem plantemus: ſed quod dixi, graue quid eſt, inuidia & ſimulatione plenum. Hoc mundum innumeris repleuit malis. Ex hoc morbo litibus plena ſunt tribunalia, ex hoc liuores & pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc vrbes obſidentur, & mare piratas habet, hinc per orbem cædes, hinc genus noſtrum diſſipatum eſt. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur: iam enim & in Eccleſias debacchata eſt, & prius innumera patrauit mala. Hoc auaritiam parit, vitium omnia confundens, & iuſtitiam corrumpens. *Dona enim excæcant oculos ſapientum, & tanquam frenum ori auertunt argumenta.* (Deut.16.) Hoc pro liberis ſeruos facit, de hoc per ſingulos loquimur dies, & nil amplius efficitur: beſtiis exhibemur
B peiores, orphanos diripimus, ſpoliamus viduas, odio pauperes habemus. Væ ſuper væ naſcitur. Hei mihi quia periit pius de terra, & iam noſtrum eſt lugere, & per ſingulos hoc dicere dies. Orationibus nil efficimus, conſiliis & admonitionibus nihil. Relinquitur iam lachrymas fundere. Hoc & Chriſtus fecit, cùm multa eos qui Hieroſolymis erant, monuiſſet, poſtquam illi nihil lucrifecerunt, ipſorum defleuit calamitatem. (Lucæ 19.) Hoc & Prophetæ fecerunt, hoc & nos facimus nunc. Luctus iam tempus eſt, & lachrymarum & gemitus. Et nunc opportunum eſt dicere: Vocate lugentes, & ad peritos mittite, & loquantur. Ita fortaſſe poterimus abiicere morbum domos erigentium ſplendidas, agros ex rapina côparantium. Lugere nunc opportunũ. Sed vos quoque mihi coniungimini, iniuriam paſſi, ſpoliati. Adhærete mihi, lugete & deducite lachrymas meas: ſed lugentes, non noſipſos, ſed illos lugeamus. Non iniuria vos affecerunt, ſed ſcipſos perdiderũt. Nam
C vos quidem habetis regnum cœlorum pro iniuria: illi verò gehennam pro lucro: propterea melius eſt iniuriam pati, & non inferre. Defleamus eos fletu non vulgari, ſed de ſacris ſcripturis, quem Prophetæ defleuerunt. Defleamus cum Eſaia, ita dicentes: *Væ qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum propinquatis, vt aliquid proximo auferatis.* (Eſa. 5.) *Nunquid habitabitis ſoli ſuper terram? Domus ſpecioſa & magnæ, & non erunt qui habitent in eis:* Defleamus cum Naum, & cum eo dicamus: *Væ qui ædificat in altitudinem domum ſuam.* Imò verò defleamus eos, Chriſtum ſequentes dicentem: *Væ qui diuites eſtis, quoniam recepiſtis mercedem veſtram & conſolationem.* (Lucæ 6.) Defleamus, & ne ceſſemus: quin & niſi turpe ſit plangamus, dicamus quod Propheta: Nolite flere mortuum, ſed deflete raptorem, alienorum vſurpatorem, auarum inſatiabilẽ. Quare mortuos deflemus, in quibus iam nihil expediri poteſt? Lugeamus hos, in quibus eſt & muta-
D tio. Sed nobis lugentibus illi fortè rident, & hoc luctibus dignum quòd rident vbi lugendum erat. Nam ſi quid ex deplorationibus noſtris paſſi fuiſſent, deploratores requieſcere decebat, tamquam ſe correcturos: ſed poſtquam inſenſibiliter ſe gerunt, permaneamus nos flentes: non ſimpliciter locupletes, ſed auaros, vſurpatores, raptores. Nam & congruè diuitiis vti licet, cùm in egenos erogemus: auaris autem crimen & accuſatio ſunt, & opprobrium. Lugeamus itaque non hos tantum, verũ & inuidos: grauis enim & hic valde morbus eſt. Nec aberrauerit quis hanc diaboli filiam appellans, & poſt hæc inanis gloriæ fructum, quin autem & radicem. Hæc enim vtraque mala in alterutrum ſeſe producere ſolent. Sic certè tunc quoque Saul inuidebat, quando dicebant: *Percuſſit Saul mille, & Dauid decem millia:* (1.Re. 18.) quo quid poſſit eſſe irrationabilius? Quid enim, quæſo, inuides? Quòd ille laudauit? Atqui gaudere decebat: alioqui neque noſti verane ſit laus. Aut propterea doles, quòd cùm non eſſet ad-

mirabilis,

mirabilis, laudatus eſt? At potius oportebat miſereri. Quamobrem ſi bonus quidem ſit, laudato non opus eſt inuidere. ſed potius eum laudare cum benedicentibus: ſi verò talis non ſit, vtilitas nulla, ſed & damnũ. Quid igitur in teipſum enſem agis, quòd hominibus mirabilis eſſe videtur, qui hodie quidẽ ſunt, cras autem non erunt? Sed quòd gloria fruitur? Quali, dic mihi? De quâ ne Propheta dicit, quòd flos eſt fœni? Propterea igitur inuides, quoniam onera baiulat, & fœnitales circunfert ſarcinas? Si verò tibi talis dignus inuidia videtur honor, & lignicidæ per ſingulos dies onera ferentes, & vrbem ingredientes. Nihilo enim melius hoc eſt onus, ſed grauius: illud enim corpus tantum premit, hoc autem & animam plerunque læſit, & voluptate maiorem intulit anxietatem. Nam etſi & dicens comprobatur, maiorem habet lætitia timorem: quin potius hanc quidem breuem, illum verò continuũ: & ſi præpolleat apud principes, & illic inuidia rurſus & periculum. Quod enim tu pateris apud eum, hoc alij plures. Sed continuè laudatur & exultat? Hoc amarum facit ſeruitus: non enim liberè pro ſententia facere quicquam audebit, ne ſe glorificantes offendat. Grauia nanque ſunt ei vincula claritas. Itaque quantò ſit pluribus notior, tantò plures habet dominos: & ſeruitutis ei iuga grauantur, ipſius vndique dominis apparentibus. Et domini quidem aſpectu cum liberatus fuerit ſeruus reſpirat, & eſt in omni libertate: hic autem vndique dominos quærit. Omnium enim eſt ſeruus in foro apparentium: ſiue quid vrgeat neceſſarium, in forum prodire non audet, niſi & ſequentibus ſeruis, & equitatu, & omni reliqua vanitate conueniẽte, ne domini condemnent. Et ſi quem legitimum videat amicum, eum indifferenter alloqui non audet: dominos enim veretur, ne ſe detrahant à gloria. Itaque quantò illuſtrior eſt, tantò magis mancipatus eſt. Etſi quid moleſti patiatur, grauior eſt contumelia, quantò plures habet teſtes. Et præter dignitatem res eſſe videtur: nec tantum verò contumelia, ſed & calamitas, multos enim habet inſultantes: ſicut etiam quo fruatur bono, plures habet inuidentes & ægreferentes, & cupientes auferre. Hoc igitur, queſo, bonum hoc gloria? Nequaquam, ſed ignobilitas, ſeruitus & vincula, & quicquid graue quis dixerit. Si verò ſic quoque tibi diligitur ex hominibus gloria, & ille multorum excipiens plauſum te conturbat vehementer, cùm plauſibus fruentem videris, ad futurum mente ſeculum, & illam gloriam tranſi. Et ſicut ingruentem fugiens feram, & domum ingrediens, fores claudis: ſic & nunc ad futuram confuge vitam, & illam ineffabilem gloriam: ita enim & hanc conculcabis, & illam faciliter apprehendes, & vera frueris libertate, æterniſque bonis, quæ nos omnes aſſequi contingat, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto ſpiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De inuidia & liuore.

HOMILIA XLV.

CVm beneuolum Deum habuerimus, dilectiſſimi, licet in ſolitudine ſimus, in ciuitatibus degentibus tutius conuerſabimur. Maximum nanque munimen, & inexpugnabilis murus eſt diuinus fauor. Et vt diſcas, quomodo qui moratur in ſolitudinibus, in mediis verſante ciuitatibus, & humanũ habente multum auxilium tutior eſt, & potentior, videamus quomodo Dauid quidem ex locis loca permutans, & degens tanquam profugus, à ſuperna manu muniebatur: Saul autem in mediis poſitus vrbibus, & tot agens exercitus, & tot habens ſatellites & cuſtodes, per ſingulos dies hoſtiũ incurſum

A timebat & tremiſcebat. Et ille quidem cum vnus eſſet, & ſecum haberet neminem, humani non indigebat ſubſidij: diademate verò redimitus, & ornatus purpura, ipſius egebat auxilio. Et rex paſtoris indigebat: & priuati, coronam geſtans. Sed ſi vultis, altius ſermonis ſeriem repetamus, vt omnẽ ipſius hiſtoriam in medium agentes, diſcamus quòd diuina ope munito fortius nihil, & nihil imbecillius ea deſtituto, licet innumeris exercitibus circumuallet. Hic itaque Dauid cùm eſſet valde iuuenis, & propter ætatem immaturam in paterna domo degeret, poſtquam tempus exigebat, vt huius fieret virtus manifeſta, à patre cohortatus vt fratres ſuos viſeret, ad eos mittebatur. Ad horum itaque viſitationem profectus, vt bellum vidit conflatum alienigenæ Goliath, & totum cum Saule populum expauefactum, & ipſum regem in periculo de ſumma rerum conſtitutum, interim ſpectator eſſe volebat, & ibat viſurus nouum atque mirabile, quòd vnus homo B contra tot millia inſurgeret. Sed fratres cogitatus nõ ferentes fortitudinem, in inuidiam commoti ſunt, & ad eum inquiunt: Propter nil aliud veniſti, 1.Re.17. quàm vt bellum videres: nec enim viſitationis noſtræ gratia veniſti. Sed huius vide prudentiã & manſuetudinem multam. Procax nihil & aſperum eis reſpondet, ſed eorum ſedans ardorem, & demulcẽs inuidiam, ait: Nónne verbum eſt? Non enim, inquit, arma me vidiſtis tractantem. Nunquid enim conſpexiſtis pugnantem? Simpliciter videre volui, & intelligere vnde ſit huic tanti furoris exceſſus. Quis enim, inquit, eſt hic alienigena, exprobrans caſtra Dei viuentis? Mox & multam eius audiens magniloquentiam, & ineffabilem cum Saule profectorum timiditatem, ait, Quid erit homini huius & caput amputanti? & per hæc verba magnam animi virtutem oſtendebat, omnes trahens in admira- C tionem. Hæc vbi Saul intellexit, accerſit iuuenem præter paſturam nihil doctum: præterea & ipſius conſpicatus ſtaturam, paruipendit. Poſtmodum cũ ab eo didiciſſet qualiter vrſos confeciſſet cum greges inuaſiſſent, (hæc enim narrare coactus fuit admirabilis hic, non inanem gloriam quærere volens, ſed in neceſſitate conſtitutus, & vt illi fiduciam afferret, ne ad apparentis reſpiceret vilitatẽ, ſed ad fidem interius latentem, & ſupernum auxiliũ propter quòd viris fortior erat iuuenis, & inermis armatis, & militibus paſtor) mox cùm ipſius ſententiæ finem rex vidiſſet, propria arma volebat eum induere: ipſe verò cum hæc induiſſet, neque poterat ſuſtinere. Hoc autem agebatur, vt nuda Dei virtus appareret, quæ per eum operabatur, ne armis geſta tribuerent: poſtquàm enim his indutus claudicabat, arma depoſuit, & peram ſumens paſtoralem, & lapides, ſic in illam carneam turrim pro- D dibat. Sed vide rurſum & alienigenam ad ſtaturæ vilitatem reſpicientem, hinc iuſtum floccipendere, & tanquam in vilem puerulum verbis inſurgere. Poſtquam enim vidit eum cum paſtorali pera contra ſe prorumpentem, & ſolos habentem lapides, tantum non ad eum dicebat: Putaſti te rurſum ouibus inſtare, & quoſdam canes expellere, & propterea tanquam aliquem acturus canem, cum iſtis inſtrumentis mecum pugnam aggreſſus es? Iam te docebit experientia, quàm non cum quolibet eſt tibi certamen: & multam præferens audaciam feſtinebat & vrgebat, & totam mouebat armaturam, armaque prætendebat: ſed ille quidem armorum virtute fretus, pugnam adoriebatur: hic autem fide, ſupernoque munitus auxilio: & cum prius verbis alienigenæ petulantiam deieciſſet, & ad eum dixiſſet: Tu venis ad me cum armis & haſta, & propria virtute ſperans vincere: ego autem in nomine domini Dei. Cùm hæc, inquam, dixiſſet, ex paſtorali pera lapidem tollens, quaſi verè canem quemdam gregi ingruentem expulſurus, ſic funda iactu latus in fronte ſtatim alienigenam percutiens pro-

ſtrauit:

ſtrauit: & feſtinans, & ipſius ſtringens enſem, ipſe caput amputatum ita regi reportauit, & bello finem impoſuit. Et per illum rexque ſalutem inuenit, & omnis ipſius reſpirauit exercitus. Et cernere dabatur res mirabiles atque ſtupendas, armatū ab inermi proſtratum: & in bellicis peritum, ab eo qui nihil præter paſtoralem nouerat artem, deiectum. Quamobrem, & qua de cauſa? quoniam hic quidem ſupernum habebat auxilium ſibi conferens: ille verò hoc deſtitutus, ſub huius manibus ponitur. Sed vide iam hic inuidiæ morbum, quantam operatus eſt conuenientiam. Poſtquam enim vidit rex multa laude fruentem hunc iuſtum, & mulieres in choro clamantes: Vicit Saul mille, & Dauid decem millia non æquè ferens de ipſo dicta, licet ſecundū iuſti rationem ipſi potius, quàm Dauid gratum faciebant, ab inuidia victus, iam benefactorem contrariis proſequebatur: & quem oportebat ſaluatorem & benefactorem inſcribi, hunc interficere moliebatur. O furoris exceſſus, ô ſtupiditatis intentio! [B] eum qui ſibi vitam donauit, & totum exercitum ab alienigenæ furia liberauit, tanquam hoſtem iam intuebatur: & neque recens beneficium morbū vincebat, ſed tanquam ab ebrietate quadam, inuidia contenebratam habens mentis rationem, benefactorem tanquam hoſtem reſpiciebat. Talis enim eſt huius vitij malitia, vt prius ſe parientem offendat. [Simile] Et ſicut vermis de ligno naſcens, ipſum prius abſumit: ſic & inuidia illam prius quæ ſe peperit, animā corrumpit, & inuiſum contrariis ac vellet afficit. Nam ne mihi conſideres inuiſorum præmia, ſed finem reſpice & intellige quòd hæc inuidentium malitia inuiſos ad maiorem perducit claritatem. Nam hi quidem & Deum in auxilium attrahunt, & cœleſti fruuntur fauore: hoc verò carens, omnibus redditur expugnabilis: & antequam ab externis hoſtibus, ab ipſo obſeſſus vitio tantum non conſumitur: & tanquam occultis depaſtus dentibus, ita clanculū, vt ita dicam, abſumptus remanet. [C] Quod ſcientes, huius quæſo vitij peſtem fugiamus, & totis viribus ex noſtris relegemus animis. Omniū enim vitiorum hoc eſt perniciosiſſimum, & ipſam ſalutē noſtram ſuper omnia vaſtat. Improbi nanque diaboli eſt inuentum. Et propterea ſapiens quidam [Sap. 2.] dicebat: *Inuidia* verò *diaboli introiuit mors in orbem terrarum.* Poſtquam enim vidit hæc improba beſtia factū immortalem protoplaſtum, per propriam nequitiam eum in mandati præuaricationem induxit, & per eam fecit vt mortis pœnam attraheret. Itaque inuidia deceptionem fecit, inobedientiā deceptio, mortem inobedientia: propterea ergo dicit: *Inuidia diaboli mors intrauit in mundum.* Vidiſti quanta ſit vitij pernicies? immortalitate decoratum morti ſubiecit. Sed noſtræ quidem ſalutis inimicus propriam mouens inuidiam, immortalem protoplaſtum morte fecit damnari. Curator autem, & miſericors dominus per propriam mortem rurſum nobis immortalitatē donauit: & his quæ perdidimus, inuenimus [D] maiora. De paradiſo proiecit, & in cœlum nos reduxit. Vt morti damnaremur effecit, & immortalitatem nobis largitus eſt: paradiſi priuauit deliciis, & nobis regnum parauit cælorum. Vides induſtriam domini tui, & quomodò à diaboli inuidia cōtra noſtram facta ſalutem, in ipſius rurſum caput conuertit? Non enim tantū nos maioribus dignos effecit, ſed & eundem illum nobis ſubditum dedit, cùm dixit: *Dedi vobis poteſtatem ambulandi ſuper ſerpentes & ſcor-* [Lucæ 10.] *pios, & omnem virtutem inimici.* Hæc igitur omnia cogitantes, & inuidiam ex noſtris exterminemus animis, & à Deo beneuolentiam allicere ſtudeamus. Hoc enim ſcutum eſt noſtrum inexpugnabile, hæ [1. Re. 16.] maximæ nobis diuitiæ. Quot patiebatur Dauid iniurias? quot autem inferebat Saul? Quis ergo fortior factus eſt atque beatior? Quis verò miſerior & miſerabilior? nónne qui fecit iniuriam. Conſidera verò: promiſerat Saul, ſi Dauid alienigenam pro-[A]ſterneret, ipſum generum accepturum, & multa cum gratia filiam ipſi daturum: proſtrauit alienigenam, ille fœdera tranſgreſſus eſt, nec modò nō dabat, verùm & auferre conabatur. Quis ergo factus eſt clarior? nonne ille quidem à dolore ſuffocabatur, & malo dæmone: hic autem ſuper ſolē triumphis & Dei beneuolentia coruſcabat? Rurſum in mulierum choro non ille quidem angebatur inuidia, hic autem tacite cuncta ferens omnes capiebat, & ſibi colligabat: poſtquam & eum ipſe in manu cepit, & pepercit, vter rurſum beatus, vter miſer, vter autem imbecillior, vter potentior? nonne hic qui neque iuſtè graſſatus eſt? & valde meritò. Ille nanque milites armatos, hic autem iuſtitiam innumeris exercitibus fortiorem auxiliarem habebat, & adiutricem: propterea iniuſtas paſſus inſidias, nec iuſtè voluit occidere. Ex ſuperioribus nanque ſciebat, quòd non malè facere, ſed malè pati reddit potentiores: hoc & in corporibus efficitur, hoc in arboribus. Quid autem Iacob? Nónne à Laban iniuriam ſuſtinuit, & malè paſſus eſt? quis itaque fuit fortior? Qui cepit eum in manibus, nec auſus contingere, ſed timens & tremens: an non hic ſine armis & militibus, innumeris regibus ipſi factus terribilior? Vt autem & alteram hac maiorē vobis probationem afferam dictorum, in ipſo rurſum Dauid per contrarium ſermonem habeamus. Hic enim iniuriam paſſus corroboratus, poſtea viciſſim iniuriam operatus, infirmior factus eſt. Cùm igitur Vriam affecit iniuria, mutatus rurſum eſt ordo, & [2. Re. 11] infirmitas quidem ad eum qui patrauit iniuriam: virtus autem ad iniuriam paſſum tranſiuit. Mortuus enim ciuitatem populabatur, & ipſe quidem licet rex eſſet & viuus, poterat nihil: ille verò miles tantùm, & iugulatus omnia illius ſubuertit. Vultis & aliunde quod dico, faciam manifeſtius? Indagemus & iuſtè ſe vlciſcentes. Nam iniuriam quidem inferentes, quòd omnium viliſſimi ſunt, animam ſuam impugnantes, omnibus quodammodo manifeſtum eſt. Sed inquies, quis iuſtè vindicauit, & innumera ſuccendit mala, & ſeipſum multis infixit ærumnis atque doloribus? Dauidis exercitus: hic etenim bellum graue conflauit, & infinita paſſus eſt mala, quorum nec vnum quidem fuiſſet, ſi ſapienter agere ſciuiſſet. Hoc itaque peccatum fugiamus, & neque verbis, neque factis iniuriam proximis inferamus. Nec enim dixit, Si maledixeris, & iudicium conſtitueris: ſed ſimpliciter: Si maledixeris, & per teipſum & ita ſupremum dabis ſupplicium, licet dictum ſit verū: tu verò ne perſuaſus dixeris, & ſic honoraberis. Non enim ex his quæ geſſit ille: ſed ex his quæ dixiſti tu, Deus feret ſententiam: ait enim: *Ex verbis* [Matth. 12] *tuis condemnaberis.* Non audis quòd & Phariſæus vera locutus eſt, & omnibus dixit manifeſta, non latētia [Temerarie non iudicandum.] reuelauit, extremam tamen dedit pœnam? Si verò de manifeſtis arguere non licet, multò magis de dubiis: habet enim iudicem qui peccauit. Ne rapias itaque dignitatem vnigeniti, illi iudicij ſedes ſeruata eſt. Sed vis iudicare? eſt tibi tribunal multum habens emolumentum, & nullam referens accuſationem. Conſtitue ſuper conſcientia iudicantem rationem, & in mediū omnia tibi patrata propone, animæ tuæ peccata ſcrutare, & pœnas exige diligēter, & dic: Quamobrem hoc & hoc auſa es? Et ſi hæc quidem fugiat, aliena verò diſcutiat, dic ad eā: Non de his te iudico, non pro his veniſti te purgatura. Quid enim ſi ille malus? Quare tu hoc & hoc admiſiſti? Reſponde, noli accuſare, tua conſideres, non aliena, & eam in hanc agas anxietatem continuè. Poſtea ſi nihil quod dicat habeat, ſed refugiat, dilania, flagellans eam quaſi quandam ancillam inſolentem, & fornicantem: & quotidie iudicium huiuſmodi conſtitue, & ignis flumen deſigna, veneniferum vermem, tormēta reliqua: nec eam amplius ſinas diabolo copulari, nec impudenter loquentem toleres: Ille venit ad me, ipſe mihi tendit

Digitized by Google

inſidias, ipſe me tentat: ſed dic ei: Niſi tu velis, illa omnia ſuperflua. Quòd ſi rurſum dicat: Corpori connexa ſum, carnem induta, mundum habito, in terra commoror: dic ad ipſam: Hæc omnia ſunt excuſationes & prætextus. Nam & ille carnem erat indutus, & ille mundum habitans, & in terra conuerſans probabilis fuit: quin & tu ipſa, cum bene te geſſeris, carne circundata id facis. Quòd ſi doleat hæc audiens, ne tollas manum: non enim morietur ſi percuſſeris, ſed eam ex morte erues. At ſi rurſum dixerit, quòd ille exacerbauit, ei reſponde, ſed tibi licebat non exacerbari. Certè frequenter iram compreſſiſti. Si dixerit, quòd illius ſpecies me ſubleuauit: dicas ei, ſed poteras continere, propone victos, propone primam mulierem quæ dixit: *Serpens decepit me*, nec à crimine liberatam. Cum autem hæc examinaueris, adſit nemo, nemo tumultuetur: ſed ſicut iudices ſub velis iudicant ſedentes: ſic & tu pro velis quietis tempus & locum inquire. Et cum cœnatus ſurrexeris, & ſis recubiturus, iſta tunc diſcerne. Hoc tibi tempus idoneum: locus autem lectus & cubiculum. Hoc & Propheta iuſſit dicens: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini.* Et paruorum magnas exige pœnas, ne magnis vnquã approximes. Si per ſingulos hoc feceris dies, cum fiducia ſtabis ante tremendum illud tribunal. Paulus ita purus eſt factus, & propterea dicebat: *Si enim noſipſos iudicaremus, non iudicaremur.* Ita filios Iob expiabat. Nam qui pro incertis ſacrificia offerebat, multò magis certorum pœnas exigebat: ſed nos nõ ita facimus, ſed omne contrarium. Nam ſimul atque reclinati ſumus, omnia verſamus ſecularia, & hi quidem immundas inferunt cogitationes, hi verò fœnera & commercia, & corruptibiles curas. Et filiam quidem habentes virginitati ſeruientem, diligenter cuſtodimus: quæ verò nobis eſt filia charior, animam fornicari permittimus, & pollui innumeras inducentes in eam improbas cogitationes. Nam ſiue auaritiæ cupido, ſiue deliciarũ, ſiue ſplendidorum corporum, ſiue furoris, ſiue quis alius ingredi velit, apertis foribus trahimus atq; vocamus: & cum fiducia miſceri cum ea ſinimus: quo quid eſſe poſſit magis barbaricum, quàm animam omniũ nobis chariſſimam tot adulteris ludibrio habitam deſpicere, & tantum congredientem, quoad illi fuerint ſatiati? quod nunquam erit. Quapropter, cùm ſomnus occupauerit, tunc tantum abſcedunt: imò verò neque tunc. Nam & ſomnia & viſa eadem inferunt illi ſimulachra. Vnde facta die, talia concipiens anima, & in illarum phantaſiarũ opus plerunque cecidit. Tu verò nunquam oculorum quidem pupillam modicum aliquem ſinis puluere ingredi: animam verò tot malorum ſarcinam attrahentem deſpicaris. Igitur quando ſordem hãc exhaurire poterimus, quam per ſingulos reponimus dies? Quando ſpinas excidere? quãdo ſemina ſpargere? Neſcis quòd iam meſſis ingruit tempus, nos verò nondum procidimus arua? Si venerit igitur agricola, noſque accuſauerit, quid dicemus? quid reſpõdebimus? Quod ſemina dedit nemo? ſed profectò quotidie hæc erogantur: ſed nemo ſpinas excidit, & per ſingulos quidem dies falcem acuimus. At ſeculares diſtrahunt neceſſitates. Et quare temetipſum mundo non crucifixiſti? Nam ſi qui ſolũ reddidit datum, improbus, quoniam non duplicauit: qui & hoc corruperit, quid audiet? Si ligatus ille eiectus eſt, *vbi ſtridor eſt dentium*: quid nos patiemur, cum innumera nos ad virtutem trahant, refugientes & torpentes? Quid enim te cohortari nõ poteſt? Nõnne vides ſeculi vilitatem, incertitudinem vitæ, circa præſentia laborem & ſudorem? Nunquid enim virtutem quidem cum labore, malitiam verò ſine laboribus obire, poſſumus? Itaque ſi hic quidem & illic labor: quare non hanc capis multum habentem lucrum? Quinimò ſunt quædam in virtute, quæ neque laborem habent. Quis enim labor, non detrahere, neque mentiri, non iurare, iram proximo dimittere? E contrario quidem hæc facere laborioſum eſt, & multum afferens curæ. Igitur quæ nobis erit excuſatio, quæ venia, hæc non præſtantibus? Ex his enim manifeſtum eſt, quòd & magis laborioſa eſt virtute, quæ ob torporem nos fugit & pigritiam. Quæ cuncta cogitantes, malitiam fugiamus, capiamus virtutem, vt & præſentia bona conſequamur & futura, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Margin (left): Gen 3. — Pſalm. 4. — 1 Cor. 11 — Iob. 1. — Matt. 22. Section marks: A, B, C, D.

Quòd oportet ſemper peccatorum memoriam habere: & de iudicio.

Homilia XLVI.

SI corporis morbum patiamur chariſſimi, omnia facimus & tractamus, vt à moleſtia liberemur: anima verò noſtra male habente tardamus & differimus, propterea nec à peccatis liberamur. Quoniam neceſſaria nobis ſuperflua ſunt, ſuperflua verò neceſſaria: & malorũ fontem omittentes, riuulos expurgare volumus. Quòd enim malorum in corpore cauſa ſit animæ nequitia, & ille octo & triginta diſſolutus annis, & per tectum demiſſus, & prius verò Cain ſignificauit, & ex multis aliis partibus hoc aliquis animaduertit. Auferamus itaque malorum fontem, & omnia morborum ſiſtent fluenta. Non enim ſolutum eſſe duntaxat eſt morbus, verùm & peccare: & hoc magis, quàm illud, quantò melior eſt anima corpore. Accedamus igitur ad Deum, & nunc oremus, vt animam noſtram conſtringat reſolutam: & omnia relinquentes ſecularia, ſpiritualium tantummodo curam geramus: ſi verò & hæc vindicas, poſt illam curam agas ipſorum. Ne, quòd peccans non doles, paruipendas: ſed propter hoc ſaltem maximè gemas, quoniam peccatorum dolorem non ſentis. Non enim hoc prouenit, quòd peccatum non mordeat, ſed quòd anima peccans ſit inſenſata. Itaque cogita eos, qui propria ſentiunt peccata, qualiter his, qui ſecantur & vruntur, amarius vlulant. Quot agunt, quot patiuntur, quantum lugent & lamentantur, vt à mala liberentur conſcientia? quod non feciſſent, niſi vehementer anima doleret. Melius igitur eſt, nec omnino peccare: ſecundùm autem eſt, ſentire peccatum, & corrigere. Sed ſi non hoc habeamus, quomodo ſupplicabimus Deo, & peccatorum veniam petemus, cum nullam peccatorum rationem facimus? Cùm enim tu ipſe qui peccaſti, nec hoc ipſum quidem quòd peccaſti ſcire velis, pro quibus peccatis Deum orabis? pro hiſne quæ neſcis? Et quomodo ſcies beneficij magnitudinem? Dic itaque tua per ſpecies peccata: vt quorum capias veniam, intelligas, vt ergà benefactorem ita gratus efficiaris. Tu verò hominem quidem exacerbans, & amicos, & vicinos, & ianitores rogas, & pecunias impendis, & multos abſumis dies accedens & ſupplicans: & ſiue ſemel, ſiue bis, ſiue millies te repulerit irritatus, non recedis, ſed magis contendens maiorem affers ſupplicationem. Deo autem omnium exacerbato, oſcitamus & recedimus, & deliciis & ebrietati vacamus, & omnia pro conſuetudine facimus: & eum quãdo propitium facere poterimus? quomodo verò non ex hoc ipſo magis eum irritamus? Nam peccantes non dolere, magis eum indignari facit & iraſci, quàm peccare. Quapropter ipſam iam dignum eſt terram ſubire, nec hunc ſolem intueri, neque penitus ſpirare, quòd tam facilem habentes dominũ, & eum exaſperamus, & exaſperantes pœnitentiam non agimus: licèt ipſe neque cum iraſcitur, exoſus hoc & auerſatus facit, ſed vt vel ita nos ad ſe trahat. Nam ſi cõtumeliam patiens te con-

Margin (right): Ioan. 5. — Mar. 2. — Gen. 4.

te continuis proſequatur beneficiis, magis eum contempſeris. Ne hoc itaque fiat, ad modicum auertitur, vt ſecum te ſemper habeat. Ipſius itaque miſericordia confidamus, & ſollicitam exhibeamus pœnitentiam priuſquam ingruat hora quæ nos ex hoc lucrari non permittat. Nam nunc quidem in nobis totum eſt poſitum, tunc verò iudicans ſolus eſt ſententiæ dominus. *Praeoccupemus* itaque *faciem eius confeſſione*, ploremus & lugeamus. Si namque dominum orare poſſumus ante rationis diem peccata nobis remittere, nec ingreſſu iam erit opus. Sicut viciſſim, niſi hoc fiat, palam præſente terrarum orbe, noſtrorum vnuſquiſque introducetur, & nulla iam nobis ſupererit veniæ ſpes. Nullus enim eorum qui hic peccata non diſſoluerit, illuc migrans eorum pœnas effugere poterit: ſed ſicut ex terrenis carceribus cum catenis ad tribunal adducuntur: ſic omnes animæ cum hinc migrauerint variis peccatorum catenis circundatæ, ad tremendum aguntur tribunal: nec enim præſens vita carcere melior eſt, ſed ſicut illud ingreſſi domicilium omnes videmus catenis obductos: ſic & nunc ſi nos ab exteriori phantaſia ſeparantes, cuiuſque vitam intrauerimus, animam cuiuſque vinculis ferro ſæuioribus vinctam intuebimur, & maximè ſi diuitum animas ingrediaris. Nam quantò pluribus induti fuerint, tantò magis ſunt compediti. Sicut igitur captiuũ, cum & dorſo videris, & manibus, & quandoque pedibus ferro depreſſum, propterea maximè miſerum vocas: ſic & diuitem, cùm infinitis rebus circundatum videris, non propterea locupletem, ſed propter hæc ipſa quidem miſerum eſſe puta. Nam & præter hæc vincula cuſtodem etiam habet infeſtiſſimum, pecuniarum amorem qui prohibet hunc egredi carcerem: ſed innumeras ei parat pedicas, & cuſtodes, & fores, & obices: & in interiorem coniiciens cuſtodiam, etiam his vinculis gaudere perſuadet, ita vt nec vllam inueniat ſpem ab ingruentibus malis liberari. Et ſi cogitatione illius animam releuaueris, non vinctam tantum, verum & ſqualentem, & ſordidam, & pediculis plenam videbis. Nam nihilo ſunt illius meliores deliciarum voluptates, quin & abominabiles magis, & magis ipſum corpus lædunt & animam, & vtrinque mille morborum inferunt flagella. Propter hæc igitur omnia animarum noſtrarum redemptorem deprecemur, vt & vincula dirumpat, & hunc infeſtum cuſtodem noſtrum arceat, & ab illarum abſoluens ferrearum pondere catenarum, pennis leuiorem ſenſum nobis efficiat: Semper quidem timere peccantes oportet, maximè verò cum graue patimur nihil. Cùm enim particulares pœnas Deus exigit, leuem nobis facit ex his retributionem: cum autem in ſingulis peccatorum longanimiter agit, ad magnam in talibus permanentes vltionem ſeruat. Nam ſi bene viuentibus neceſſarium eſt, tribulari, multò magis peccantibus. Vide ſaltem, quantam nactus Pharao longanimitatem, extremas de omnibus dedit pœnas. Quantum Nabuchodonoſor præuaricatus, demum omnia perſoluit. Et diues poſtquam hic graue nihil eſt paſſus, propter hoc ipſum maximè factus eſt miſer, quoniam præſenti vita delectatus, illuc migrauit omnium pœnas daturus, vbi nullam poterat mali conſolationem inuenire. Attamen ſunt quidam ita frigidi & inſenſati, vt præſentia tantùm ſemper inquirant, & illa ridicula dicat verba: Omnibus interim fruar præſentibus, & tunc de incertis conſiderabo. Indulgebo ventri, voluptatibus inſeruiam. Hodiernum mihi concede, & ſume craſtinum. O dementię exceſſus! & quid ab hircis & ſuibus iſta dicentes differunt? Nam ſi proximi coniugi adhinnientes, nec homines cenſeri Propheta permittit: quis non arguet hos hircos & ſues, & aſinis ſtolidiores nominans, qui viſibilibus manifeſtiora, dubia eſſe putent? Nam ſi non ob aliud credis, crede dæmonibus, qui flagellantur, ad perniciem noſtram omnia dicere & facere meditatis. Non enim ad hoc contradices, quòd omnia faciunt vt noſtrum augeant torporem, & gehennæ timorem diſſoluant, neque tribunalia futura credantur: & tamen iſta ſuadentes, frequenter vlulantes & clamantes illa prædicant tormenta. Hæc igitur vnde dicunt, & eorum quæ volunt, contraria loquuntur? Nulla alia de cauſa, niſi quòd maiorem ſuſtinent neceſſitatem. Non enim vellent ſponte confiteri, neque quòd ab hominibus mortuis torquentur, nec omnino quòd aliquid graue patiantur. Ad quid igitur hæc mihi dicta ſunt? Quoniam dæmones gehennam confitentur, qui vellent non credi gehennam: tu verò tali fruens honore, & ineffabilium particeps factus myſteriorum, nec illos imitaris, verùm & his quoque factus es ingratior. Et quis, inquies, ex infernis venit, & iſta renuntiauit? Num de cœlis quidem aliquis venit, & dixit quòd Deus eſt, qui cuncta creauit? Quòd autem animam habeamus, vnde manifeſtum? Nam ſi viſibilibus quidem credere debes, & de Deo, & de angelis, & de mente, & de anima dubitabis? Itaque te deſtituent omnia veritatis dogmata. Atqui ſi vis credere manifeſtis, inuiſibilibus magis, quàm viſibilibus oportet credere: licèt dictum ſit admirabile, attamen eſt verum, & apud mentem habentes valde certum. Nam oculi quidem multum falluntur, non in inuiſibilibus tantum, nam nec illa norunt, verùm & in his quæ ſibi cernere videntur, & interuallo, & aëre, & mente aliò conuerſa, & ira, & ſollicitudine, & innumeris ipſorum aciem impedientibus. Animæ verò ratio, ſi diuinarum aſciſcat ſcripturarum lucem, diligentius erit, & infallibile rerum examen. Ne nos temere decipiamus, neque præter vitæ torporem per talia naſcentem dogmata, inſuper & pro ipſis dogmatibus infeſtiorẽ nobis ignem aggregemus. Nam ſi iudicium non eſt, neque geſtorum pœnas dabimus, neque laborum præmia recipiemus: cogita qualis ſit blaſphemia talis, cum iuſtum dicatis Deum, & miſericordem, tot labores atque ſudores negligere: & quomodo rationem hæc habeant? Nam ſi non aliunde, ſaltem ex domeſticis tuis hæc collige, & tunc abſurditatem videbis. Nam etſi ſis ipſe millies ſæuus & inhumanus, & ipſis immitior feris, ſeruum beneuolum moriens inhonorum relinquere non ſuſtineres, verum & libertatem, & pecuniarum conferres donationem. Et poſtquam ipſe iam abiens boni nihil ipſi conferre potes, futuris rerum tuarum hæredibus eum commendas, ſupplicans, rogans, & omnia faciens, ne remaneat inhonoratus, retributione carens. Dein tu quidem malus cum ſis, in ſeruum te tam bonum & humanum exhibes: Deus autem infinita bonitas, benignitas ineffabilis, tanta ſuauitas, ſeruos ſuos Petrum & Paulum, & Iacobum & Ioannem, & alios huiuſmodi quotidie propter eum famem paſſos, obiectos beſtiis, vinctos, flagellatos, ſubmerſos in mare, mortuos, tanta paſſos, quanta neque numerari poſſunt, incoronatos deſpiciet? Et certaminum quidem editor in Olympiis victorem prædicat, atque coronat. Et ſeruum dominus, & rex militem: & quiſque generaliter cultorem ſuum, quibus poteſt remunerat bonis. Deus autem ſolus poſt tot ſudores & labores neque paruum, neque magnum eis bonum reddit? Sed iuſti & pij illi, & omnem obeuntes virtutem in iiſdem iacebunt cum adulteris, & parricidis, & homicidis & ſacrilegis? Et vbi hæc rationem haberent? Nam ſi nihil eſt poſt hunc obitum, ſed vſq; ad præſentẽ vitam ſunt noſtra: in iiſdem illi cum iſtis, imò verò nec in his ipſis. Nam etſi poſt præſentia, iuxta ſermonem tuum, in iiſdem ſint: ſed hic hi quidem in remiſſione, illi autem in pœna toto fuerunt tempore. Et quis hoc tyrannus, quis crudelis & immitis homo de ſuis vnquam ſeruis & ſubditis ita conſuluit?

Pſal. 64.

Malum ſignum eſt impios à Deo hic non puniri.

Docet ratione poſt hãc vitam eſſe retributionẽ malorum & bonorum.

Vides abſurditatis exceſſum, & quorſum tendit iſta ratio? Igitur etſi non aliunde vis, ex his ſaltem rationibus eruditus, ab hac improba ſuſpicione liberaberis: & fuge malitiam, pro virtute verò labores ſuſcipe, & tunc manifeſte ſcies, quòd non ad præſentem vſque vitam tantum noſtra ſubſiſtunt. Et ſi quis interroget, quis veniens illa nuntiauit? Dic ei, hominum quidem nullus; alioqui plerũque nec ei creditum fuiſſet, tanquam glorianti, & factum oſtentanti: ſed angelorum dominus omnia diligenter illa nuntiauit. Quid itaque nobis opus eſt homine, cum pœnas à nobis exacturus quotidie clamet: quòd & gehennam parauit, & regnum conſtituit, horumque nobis manifeſtas præbeat probationes? Nam niſi iudicaturus fuiſſet, non hic pœnas exegiſſet. Etenim hoc ipſum quomodo rationem haberet, ex improbis hos quidem punire, hos Act. 10. autem impunitos ſinere? *Nam ſi perſonarum acceptor Deus non eſt*, quod certe non eſt: quid tandem ab hoc quidem pœnas exigit, hunc autem permiſit impunitum abire? Nam rurſum hoc eſt & ſuperiori magis dubitandum. Sed ſi vultis rurſum cum gratitudine quæ dicuntur audire, & hanc ſoluemus dubitationem. Quæ igitur eſt ſolutio? nec ab omnibus hic pœnas exigit, ne reſurrectionem deſperes, & iudicium deſinas expectare: quaſi omnes hic reddant rationem. Nec omnes rurſum abire permittit impunitos, ne rurſum omnia prouidentia carere putes: verùm & punit, & non punit. Et inquantum punit, oſtendit, quòd hic punitos & illic rationem expoſcet: inquantum autem non punit, facit vt credas quòd eſt aliquod poſt præſentem peregrinationem tremendum tribunal. Si verò priora penitus omiſiſſet, nec vllos hic caſtigaſſet, neque benefeciſſet: nunc autem ipſum propter te vides & cœlum extendiſſe, & accendiſſe. Solum & terram fundaſſe, pontum diffudiſſe, aërem explicuiſſe, conſtituiſſe curſum, & anni temporibus immotas ſtatuiſſe leges, & alia omnia ſuum ipſius nutu diligenter obeuntia curſum. Natura namque noſtra, brutorum, reptantium, ambulantium, volantium, natantium in paludibus, in fontibus, in fluuiis, in montibus, in pratis, in domibus, in aëre, & in campeſtribus degentium: & plantæ, & ſemina, & arbores tam ſylueſtres, quàm domeſticæ, fructuoſæque, & ſimpliciter omnes ab indefeſſa illa manu motæ noſtram diſpenſant vitam, non tantum ad neceſſitatem, verùm & ad largitatem, & ſe miniſterium nobis exhibentes. Tantum igitur intuens ordinem, quippe cuius neque minimam dixi particulam, audes dicere, quòd tot & tanta propter te operatus, in opportunitatibus te deſeret, & cum aſinis & ſuibus iacere mortuum dimittet? & tanto te pietatis munere decoratum, quo fecit & angelis parem, poſt infinitos deſpiciet labores, atque ſudores? Et hæc quomodo rationem haberent? Hæc enim licet nos ſileamus, ſaxa loquentur, tam manifeſta ſunt & clara, & ipſa luce lucidiora. Hæc itaque cuncta cogitantes, & noſtræ perſuadentes animæ, quòd poſt hanc peregrinationem & tremendo ſiſtemur tribunali, & omnium geſtorum rationem dabimus, & pœnas luemus, & vltionem ſubibimus, ſi perſeueremus peccantes: & coronis arcaniſque fruemur bonis, ſi parum nobis cauere velimus: & his contradicentes obmuteſcere faciamus, & ipſi virtutis viam eligamus: vt cum congrua fiducia ad illud tranſeuntes iudicium, bona nobis promiſſa conſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, cum ſancto Spiritu in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd ſupplicio peius eſt Dei regno priuari, & de iudicio.

HOMILIA XLVII.

MVLTI hominum, chariſſimi, gehennam tantùm formidant: ego autem illius gloriæ amiſſionem gehenna multò amariorem eſſe dico: ſi verò ſermone probari non poteſt, nihil mirandum. Nec enim illorum nouimus bonorum beatitudinem, vt & miſeriam ex eorum priuatione manifeſtè ſciamus. Quoniam Paulus qui iſta manifeſtè nouerat, ſciebat quòd à Chriſti gloria decidere omnium eſt grauiſſimum. Et nos quoque tunc ſciemus, cùm in eandem venerimus experientiam. Nunquam autem hoc patiamur, ô vnigenite Dei fili, nec vllam vnquam capiamus experientiam huius irreparabilis pœnæ. Quantum enim malum ſit ab illis excidere bonis, manifeſtè quidem dici non poteſt. Quoad tamen potero conabor & contendam id vobis per exemplum vel ſenſim facere manifeſtum. Supponamus enim puerum eſſe mirabilem, & cum virtute terrarum orbis imperium habere, A ſimili. & ita ſemper eſſe facilem, vt omnes in ſpiritualis affectus charitate ſibi deuincire poſſit: quid igitur huius patrem non libenter paſſurum putatis, ne ab ipſius excidat conuerſatione? Quod verò ſiue paruum, ſiue magnum malum non paſſurum, vt ipſum cernere poſſit & frui? Hoc igitur & in illa gloria cogitemus. Non enim patri filius licet millies virtute ſit prędicus, ita deſiderabilis eſt & amabilis, ſicut illorum ſors bonorum, & diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Intolerabilis eſt gehenna, & illa pœna: tamen licet quis innumeras ponat gehennas, tale nihil dicet, quale illa fœlici excidere gloria, à Chriſto odio haberi: audire, Neſcio vos: accuſari, quòd eum videntes eſurientem non pauimus. Etenim infinita ſatius eſt fulmina ſuſtinere, quàm illam mitem faciem nos auerſantem videre, & tranquillum oculum in nos reſpicere non ſufferentẽ. Nam ſi me, cùm eſſem inimicus, & eum odiſſem & auerſarer, ipſe ſic ſuſcepit, vt neque ſibi parceret, ſed ad mortem ſeipſum traderet: cùm poſt hæc omnia ne pane quidem ipſum eſurientem dignatus fuero, quibus iam oculis ipſum aſpiciam? Conſidera verò ipſius & hic clementiam. Nec enim beneficia recenſet, nec in medium hæc omnia promit, puta, me qui tantum profui, contempſiſti: qui te cùm nõ eſſes, vt eſſes produxi, animam inſpiraui, & omnibus quæ ſunt, ſuperpoſui: propter te terram & cœlum, & mare, & aërem, & omnia quæ ſunt, feci: ac te neglectum, & diabolo viliorem viſum, nec ita ſeparatum reſpexi: qui infinita poſt hæc excogitaui, eſſe ſeruus elegi: tu colaphis cæſum, ſputis illitum, iugulatum, morte turpiſſima mortuũ, & pro te ſurſum intercedentem, patrem tibi conciliantem, tibi regnum offerentem, pollicentem talia, volentem eſſe caput tuum, & ſponſum, & indumentum, & domum atque radicem, & cibum & potũ, & paſtorem ac regem, fratrem & filium, hæredem ac cohæredem te diligentem, & de tenebris in lucis participium educentem, ſpreuiſti. Hæc enim & his plura dicere cùm poſſet, nil horum dicit. Sed quid? ſolum ipſum peccatum. Et hic verò dilectionem, & deſiderium erga te ſuum oſtendit: non enim ait, *Ite in ignem paratum vobis*: ſed *diabolo*. Matt. 25. Et prius dicit, quas iniurias commiſerunt. Nec ita ſuſtinet omnia dicere, ſed pauca. Et prius illos vocat bene meritos, vt & hinc probetur iuſtè redarguere. Itaque quanta pœna non ſunt hæc verba grauiora? Nam ſi quis hominum eſurientem cerneret benefactorem, non deſpiceret: ſi autem & deſpiceret, improperatus mallet terra obrui, quàm coram duobus vel tribus amicis hæc audire: quid nos patiemur, coram toto terrarum orbe hæc audientes?

Digitized by Google

Quæ nunquam tunc dixiſſet, niſi pro ſuis excuſationem proferre ſtuduiſſet. Quòd enim non improperans, ſed excuſans iſta proferebat: & vt oſtenderet, quòd non fruſtra, nec incaſſum ad eos dicebat, Ite à me, patet ex ineffabilibus beneficiis. Si enim exprobrare voluiſſet, omnia in medium illa protuliſſet: nunc verò quæ paſſus eſt tantummodo dicit. Timeamus itaq; chariſſimi hæc audire verba. Non eſt ludus vita, quinimò præſens quidem vita ludus, futura verò non ludicra. Forte verò neque tantũ ludus eſt vita, verùm & peius quid: non enim in riſum deſinit, verùm & ſua diligenter diſponere nolentibus multum affert nocumẽtum. Quid enim à pueris, quæſo, differimus ludentibus, & domos ædificantibus, nos ſplendidas erigẽtes domos? Quid autem à prudentibus illis nos delicatè veſcentes? nihil, niſi quòd & cum pœna nos hæc facimus. Si verò nondum rerum vilitatem conſpicimus, mirandum non eſt: nondum enim viri facti ſumus, ſciemus quòd hæc ſunt puerilia: quoniã & illa viri euadentes dimittimus. Cum autem pueri ſumus, ſeria eſſe putamus, & teſtas, & lutum coagmentantes, non minus magna erigentibus ſepta ſoliciti ſumus, veruntamen ſtatim pereunt, & collabuntur: & neque ſi ſtarent, vſquam nobis vtilia forẽt, ſicut nec iſtæ ſplendidæ domus. Cœli namque ciuem admittere non poſſunt, neque cœleſtem habens patriam in his morari ſuſtineret. Sed quemadmodũ nos hęc pedibus deſtruimus, itidem & ille iudicio ſubuertit. Et ſicut nos pueros in ſubuerſione lugentes ridemus, ſic & cœlites nos hæc ingemiſcentes, non tantum rident, verùm & deflẽt: quoniam & miſericordia ſunt ipſorum viſcera, & hinc multum eſt damnum. Efficiamur itaque viri. Quouſque ſolo reptamus, in lapidibus & lignis altum ſapientes? Quouſque ludimus? & vtinam tantummodo luderemus. Nunc autem & noſtram prodimus ſalutem. Et ſicut pueruli cum in his ſtudium agunt, literis neglectis, multa ſuſtinent verbera, ſic & nos in his omne ſtudium impendentes, dum ſpirituales exigemur diſciplinas, tunc per opera, nec quas præſtemus habebimus, extremam dabimus vltionem, nec vllus erit qui nos eruat, ſiue pater, ſiue frater, ſiue quicunque. Sed hæc omnia quidem tranſibunt, ex his autem oriens tortura manet immortalis: atque continua. Quod & in pueris accidit, pueriles quidem ludos, propter ipſorum torporem, patre funditus deſtruente, ipſos autem in continuo luctu conſtituente. Et vt diſcas, quòd hæc talia ſunt, quòd omnium maximè perquiri videtur, diuitias in medium agamus, & eis animi quancunque velis virtutem opponamus, & tunc ipſarum præcipuè vilitatẽ videbis. Ponamus itaque duos homines eſſe, & nondum de auaritia loquor, ſed interim de iuſto diuite. [Simile.] Et horum duorum hic quidem cõgreget pecunias, mare nauiget, terram colat, & multos alios inueniat quæſtus modos: licet neſciam, an hæc faciens iuſtè lucrari poſſit. Sed concedatur, & ſingatur iuſta lucra conquirere, & emere agros, & ſeruos, & quæcunque talia, & nulla his adſit iniuria: alter autem tanta poſſidens, agros vendat, vendat domos, & aurea vaſa & argentea, & indigentibus præbeat, pauperibus ſuppeditet, curet languentes, in neceſſitate poſitos ſoluat, educat vinctos, in metallis relegatos liberet, deducat illaqueatos, captiuos de calamitate educat: cuius itaque partis eſſe velletis. Et nondum futura, ſed interim præſentia diximus. Cuius, inquam eſſe velletis, aurum congregantis, an ſoluentis ærumnas? agros ementis, an ſe portum reddentis hominum naturæ: multo circundati auro, vel innumeris benedictionibus coronati? Nónne hic quidem angelo cuidam eſt ſimilis, cœlitus ad reliquorum hominum liberationem delapſo: ille verò nec homini, ſed puerulo cupiã incaſſum & temere cuncta congreganti? Si verò iuſtè locupletari tam ridiculum eſt, & extremæ dementiæ, cum nec iuſtè fiat: quomodo non eſt omnium miſerrimus huiuſmodi? Si verò riſus eſt tantus, cum & gehenna iungatur, & regni iactura: quantis ſit lachrymis dignus & viuens, & mortuus? Verùm & alteram, ſi vis, partem virtutis tractemus. Igitur rurſum alium producamus hominem in potentia conſtitutum, omnibus imperantem, magna ſuffultum poteſtate, præconem præclarum habentem, & zonam, & lictores, & multum famulatus cœtum: nónne magnum hoc eſſe videtur, & beatum exiſtimandum? Eia igitur & alterum huic rurſum opponamus patientem, & mitem, & humilem, & longanimem: & contumeliis afficiatur, percutiatur, & æquè ferat: & talia faciẽtibus benedicat? Vter igitur quæſo mirabilis, inflatus & ardens, an correctus & humilis? Nónne rurſum hic quidem cœleſtibus ſimilis eſt virtutibus, multam habentibus impaſſibilitatem: ille autem folli cum trahitur, vel homini veternum patienti, & multum ardorem? Et hic quidem ſpiritali medico, ille autem puero ridiculosè tumentes habenti maxillas? Quid enim altum ſapis, homo, quoniam ſublimis in curru veheris, quòd te multorum trahit iugum? & quid hoc? Hoc enim & in lignis, & in lapidibus fieri quis viderit. Sed quòd pulchris indutus es veſtibus? Sed intuere virtute pro veſtibus indutum, & te quidem fœno marceſcenti ſimilem deprehendes: illum autem arbori mirabilem fructum ferenti, & multam ſpectantibus delectationem præbenti. Tu quidem vermium & tinearum eſcam circumfers, quæ ſi te inuadant, breui te hoc nudum ornatu reddent. Etenim & veſtes & aurũ, & argentum, hęc quidem ſunt vermium penſa: hæc autem & terra & puluis, & iterum terra, & amplius nihil. Virtutem autem indutus, talem habet veſtem, quam non tantum tineæ, verum & mors ipſa lædere nequit: & meritò. Non enim hæ animi virtutes ex terra originem trahunt, ſed Spiritus ſunt fructus. Propterea neque tinearum dentibus obnoxiæ ſunt. In cœlo namque hæ veſtes texuntur, vbi neque tinea, neque vermis, neque aliud huiuſmodi quicquam. Quid igitur, quæſo, melius: diuitem an pauperem eſſe: in potentia, an in ignobilitate: in deliciis, an in fame? Planum eſt, quòd in honore, diuitiis, atque deliciis. Igitur ſi res exigunt, licèt aliter nomina, terram deſerens atque terrena, in cœlum tranſgredere. Ipſe namque dicit dominus: *Deſcendet de cœlo in iuſſu*, in voce angelorũ, vt reſuſcitatos quidem colligant angeli, collectos autem rapiant in nubes. [1. Cor. 15] Et hæc omnia fiunt *in momento, in ictu oculi.* Non enim ſuperius manens eos vocat, ſed venit in tuba. [1. Theſ. 4] Quid ſibi tubæ volunt & ſonus? ad excitationem, ad delectationem, ad ſignificationem, eorum quæ fient admirationis, ad deficentium dolorem. Heu mihi ab illa die tremenda! oporteret nos gaudere cum hæc audimus, ſed magis dolemus, & mœſti ſumus. An ego ſolus hæc patior? vos autem hæc audiendo gaudetis: ſiquidem mihi, dum hæc dicuntur, horror quidam ſubrepit, & amarè gemo, & ex profundiſſimo corde ſuſpiro. Horum enim nihil ad me. Sed illa poſt hæc, ad virgines dicta ad eum qui talentum, quod acceperat, infodit, ad nequam ſeruum. Propterea defleo, ex quanta debemus excidere gloria, quanta ſpe bonorum, & hoc iugiter, & in ſempiternum, ne paruum curemus. Si labor quidem eſſet magnus, & lex grauis, oportebat & ita quidẽ omnia facere: veruntamen excuſationem aliquam habere viderentur multi torpentes, frigidã quidem, viderentur tamen habere mandatorum magnitudinẽ: & quia magnus eſſet labor, & infinitũ tempus, & importabilis ſarcina. Nunc verò nihil huiuſmodi poteſt prætendi, quod nos non minus gehẽna corrodere debet per illud tempus: cum propter breue momentũ & exiguum ſudorem, cœlum & arcana bona nos amiſiſſe viderimus. Tempus enim eſt breue, & modicus

Digitized by Google

labor,& tamen reſoluti ſumus,& recedimus. In terra decertas,& in cœlo coronaris:ab hominibus puniris,& honoraris à Deo. Duobus curris diebus, & in infinitis pręmiaris ſeculis:in corruptibili corpore lucta,& honores in incorrupto. Præter hæc autē & illud cogita, quòd niſi propter Chriſtum eligimus triſtia pati,neceſſarium eſt omnino & aliter ipſa ſuſtinere. Nec enim, niſi propter Chriſtum moriaris, es immortalis: neque niſi propter Chriſtum pecunias eroges,illas tecum portans migrabis.Hęc abs te repetit, quæ vel non repetente dabis: quoniam es mortalis.Hæc te vult voluntariè gerere,quæ per neceſſitatem oportet te facere. Tantum autem ſolum adeſſe petit, vt propter ipſum fiat: quoniam alioqui accidat hæc pręterire ex naturali neceſſitate. Vidiſti quàm ſit facile certamen? Quæ prorſus, inquit, neceſſarium eſt pati,propter me pati malis. Hoc duntaxat propoſitum ſit, & ſufficientē habeo obedientiam. Quod alteri fœnori daturus es argentum,hoc mihi mutua:& maiore ſtipendio maiori ſecuritate, quod alterius militiæ corpus addicere debes,mihi mereat. Retributionibus enim tuos tranſcendo labores ex magna ſuperabundantia. Tu verò in cæteris quidē plura præbentem præponis, & in mutuis,& in emptione,& in militia: Chriſtum autem ſolū plus,& infinito plus omnibus præbentem non ſuſcipis. Et quod tantum eſt bellum? quæ tanta inimicitia? Vnde iam veniā & excuſationem habebis, cùm nec ex quibus homines hominibus præfers,ex his Deum hominibus pręferre patiaris? Quid terræ credis theſaurum: Da manibus meis,inquit. Non tibi videtur eſſe quàm terra fide dignior terrę dominus?illa conditum reddit,plerunque verò nec hoc: ipſe verò cuſtodiæ quoque mercedes tibi reddit: nos enim vehementer amat. Propterea ſiue fœnerare velis,eſt paratus: ſiue ſeminare, ipſe ſuſcipit:ſiue velis ædificare,ad ſeipſum te trahit,in meis,inquiens,ædifica. Cur non curris ad Deum,& ad homines pauperes pro paruis præmiis magna tibi præbentes negotia? Veruntamen neque toleramus hęc audientes,ſed pugnæ ſunt,& lites,& calumniæ, eò properamus. An non igitur iuſtè nos auerſatur, & punit, & cum ad omnia ſe nobis præſtet,nos autem reſiſtamus? Quomodò non iuſtè? Siue igitur ornari velis,inquit,ornatum meum accipe:ſiue armari,arma mea:ſiue indui,veſtimēta mea: ſiue veſci, menſam meam: ſiue ambulare, viam meam:ſiue hæreditatem petere, hæreditatē meam: ſiue patriam ingredi,ciuitatem, cuius ego ſum artifex & creator: ſiue domum ædificare, in tabernaculis meis:eorū enim quæ ipſe præbeo, mercedem non exigo: verum & huius ipſius mercedem tibi debeo, ſi meis omnibus vti volueris. Quid huic æquale ſit largitati?Ego pater, ego frater, ego ſponſus,ego domus,ego altor,ego veſtimentum,ego radix,ego fundamentum.Quicquid vis, ego, nullius indigeas. Ego quoque ſeruiam. *Nam veni miniſtrare, non miniſtrari.* Ego & amicus, ac membrum, caput & frater,& ſoror,& mater.omnia ego.Tantum mihi te familiarem exhibeas. Ego propter te pauper, peregrinus propter te: in cruce propter te, propter te in monumento. Surſum prò te penes patrem intercedo, deorſum pro te legatus à patre deſcendi. Omnia mihi tu,& frater, & cohæres, & amicus,& membrum.Quid vis amplius?Quid amantem auerſaris? Quid in mundo fatigaris? Quid in perforatum hauris dolium?hoc enim in præſentem vitam laborare.Quid ignem fodis? Quid aërem percutis? cur in vanum curris? nónne qualibet ars finem habet? Sed non habes, quòd vanitas vanitatum, omnia vanitas? Eamus ad ſepulchrum, oſtende mihi patrem, oſtende vxorem. Vbi aureis indutus veſtimentis, in curru ſedens, habens exercitus, zonam, & præcones? qui hos quidem occidebat, hos autem in carcerem conniciebat: qui quos vellet interficiebat, & viciſſim quos vellet abſol-

Veros theſauros eleemoſyna recondimus

Matt. 20.

A uebat? nihil video præter oſſa, vermes,& araneas. Illa omnia ſunt terra, omnia fabulæ, omnia ſomnium & vmbra, vel narratio tenuis, & pictura: imò verò neque pictura: Picturam enim vel in imagine cernimus, hic autem nec imaginem: & vtinam hactenus grauia. Nunc autem honores quidem, & deliciæ, & claritas ad vmbram vſque & verba. Ex eis autem procedentia, nec vſque ad vmbram & verba: ſed manent, & illuc nobiſcum migrabunt, & omnibus erunt manifeſta, rapinæ, expilationes, fornicationes, adulteria, & innumera huiuſmodi grauia non in imagine, nec in fauilla, ſed ſurſum ſcripta tam verba quàm opera. Quibus ergo Chriſtum oculis cernemus? Nam ſi patrem quidam, ſibi peccati conſcius, reſpicere non audebat: quomodo tunc in ipſum patre multò benigniorem reſpiciemus? quomodo feremus? Aſſiſtemus enim tribunali Chriſti, & omnium erit B acris examinatio. Si quis verò futurum non credit iudicium, quæ ſunt hic videat, in vinculis poſitos, in metallis, in ſtercoribus, dæmonibus obſeſſos, errantes, incurabilibus laborantes morbis, cum continua certantes paupertate, in fame viuentes, irreparabilibus conſternatos luctibus, in captiuitate poſitos. Non enim hi nunc paſſi eſſent, niſi & omnes alios qui talia peccarunt, vltio maneret atque ſupplicium. Si verò reliqui nihil hic paſſi ſunt, hoc ipſum ergo te ſignum oportet facere, quod omnino ſit aliquid poſt noſtrum hinc obitum. Non enim cùm ſit omnium idem Deus, hos quidem puniſſet, hos autem dimiſiſſet impunitos, cum eadem admiſerint, vel grauiora, niſi quam eis vltionem illic eſſet illaturus. Ex his itaque rationibus & exemplis nosipſos humiliemus. Et de iudicio non credentes, iam credant, & fiant meliores: vt cum hic dignè regno vixerimus, & futuras effugiamus pœnas, & æterna C bona conſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, imperium, atque magnificentia, cum patre principij neſcio, ſanctiſſimo atque viuifico Spiritu in vniuerſa ſecula ſeculorum, Amen.

De tremenda iudicij die, & de Dei dilectione.

HOMILIA XLVIII.

VNVSQVISQVE veſtrûm,chariſſimi, ſuam ingreſſus conſcientiam, & peccata reputans, diligenter à ſemetipſo pœnas exigat, ne quandoque cum orbe terrarum condemnemur. Tremendum enim illud ſubſellium, horrendum tribunal, tremore plena iudicia, ignis funditur fluuius, *frater non redimit, redimet homo?* Pſal. 48. Recordare ſiquidem, quæ dicuntur in Euangelio, circumcurrentium D angelorum, ſponſalis thalami clauſi, extinctarum lampadum, poteſtatum in fornaces detrahentium. Et illud penſa, quòd ſi cuius ex nobis factum occultum in medium hodie coram ſola produceretur Eccleſia, quomodo non perire & ſibi terram hiſcere precaretur potius, quàm tot malitiæ teſtes habere? Quid tunc ergo patiemur, cùm in medium coram mundo cuncta promentur, in theatro tam claro & illuſtri, & nobis notis & incognitis omnia ſpectantibus? Sed heu mihi, cur vos terrere cogor ex hominum opinione, cum ſit opus ex Dei timore, & ipſius damnationis hoc agere? Quales enim, quæſo, tunc erimus, cùm ligati cum ſtridore dētium in exteriores tenebras proiiciemur? Imò verò quid agemus (quod & omnium eſt terribiliſſimum) cum Deum offenderimus? Si quis enim ſenſum habet,& mentem, iam & gehennam ſuſtinuit, poſtquam ex Dei conſpectu receſſit: ſed poſtquam hoc non dolet, propterea ignis intentatus eſt. Oportebat enim non quando

punimur

Digitized by Google

A forte plura reperiret. Rapere enim & vſurpare ſimile eſt, ſiue in argento, ſiue fiat in auro. Ex eadem enim mente naſcuntur vtraque. Et qui paruū ſubripuit, nec magnum ſubripere recuſabit. Si verò non adeſt, non propter illum hoc factum eſt, ſed propter rei euentum. Qui pauperiorem afficit iniuria pauper, neque ſi poſſet, diuitem omitteret: ſed infirmitatis, non illius voluntatis iam eſt opus. Ille dorminatur, inquies, & ſubditorum bona diripit: tu verò, quæſo, nō rapis? Ne namque mihi dicas, quòd ille auri talenta, tu verò decem obolos. Quoniam & in eleemoſyna hi quidem aurum coniicebant, illa verò duo minuta, & nihil illis minus contulit. Quare? Voluntas enim iudicatur, & non datū. Poſtmodum in eleemoſyna quidem ita Deum cenſes iudicare, & nihil minus propter paupertatem referri, ſi duo minuta conferas, quā qui mille auri talenta

Mar. 12. erogant: in vſurpatione verò non ita. Et quomodo

B rationem habet? Sicut illa duobus erogatis minutis ex volūtate nihil illis minus intulit: itidē & tu duobus raptis minutis, nihilo melius affectus es. Sed ſi mirabile quid dicere licet, plus illis vſurpas. Sicut enim ſiue quis regis vxorem polluat, ſiue pauperis, ſiue ſerui, ſimiliter eſt adulter: cùm peccatum non ex perſonarum differentia iudicetur, ſed ex auſi voluntatis improbitate: ita ſcilicet & hic. Etenim ego magis adulterum dixerim in quemlibet adulterium patrantem, quàm in ipſam reginā. Hic enim & diuitiæ ſunt, & ſpecies, & multa quæ alliciant: illic verò nihil. Itaque magis hic adulter fuerit. Rurſus ebrium magis dixerim malo vino abutentem: ſic & auarum neque minima reſpuentem. Nam qui multa rapit, parua fortaſſe contemneret: qui verò parua ſubripit, magna nunquam contemneret: igitur magis hic fur eſt. Qui enim argentū nō ſpernit, aurū quomodo aſpernabitur? Itaque cùm magiſtratus criminamur, noſtra ipſorum cogitemus, & nos inueniemus illis amplius furantes & rapientes. Non ex facto, ſed volūtate hæc iudicamus, ſicut & iudicare iuſtum eſt. Dic enim mihi, ſi quis produceretur, qui pauperis bona vſurpaſſet: alter autem, qui diuitis: nónne ſimilem ambo pœnam exoluunt? Quid autem homicida? nónne ſimiliter eſt homicida, ſiue cæcum & pauperem, ſiue pulchrum & diuitem occidat? Cùm itaque dicimus, quòd ille illius agrū rapuit, noſtra cogitemus, & ita nec alios condemnabimus, & Dei patientiam admirabimur. Nec indignabimur, quòd non veniat iudicium ſuper eos, & nos ad malorum operationem tardiores erimus. Quam igitur excuſationem habebunt digni putati, & tantam nacti donationem, & terrenorum facti cupidi, & ad terram recidentes? Multos enim audio dicentes hæc ridiculoſa verba Hodierna mihi da, tu verò ſume craſtinum. Nam ſi talia ſunt illic, inquit, qualia dicitis, vnum pro vno factum eſt: ſi verò nihil omnino ſit,

D duo pro nullo. Quid his iniquius verbis? quid verò vanius? Nos de cœlo diſſerimus, & illis ineffabilibus bonis, & tu ludos curules nobis agis in medium: nec erubeſcis, nec abſconderis talia loquens, quæ vacillantium ſunt? non pudet terræ tantum affigi, non deſines deſipere, menteque excedere, & iuueniliter nugari? Et Græcos quidem hæc dicere nihil eſt mirandum: fideles autem homines talia garrire, qualem habet veniam? Non enim in dubio ponis ſpes illas immortales? omnino putas hæc eſſe dubia, & hæc quomodo venia ſunt digna? At inquies: Quis venit, & quæ ſunt illic annuntiauit? Hominum quidem nemo, ſed Deus omnium fide digniſſimus hæc manifeſtauit. Sed illa verò vides. Nec enim Deum vides: igitur Deum non eſſe putabis, quoniam eum non vides? Imò eſſe penitus credo, inquis. Si quis igitur infidelium te interrogauerit, quis venit de cœlo, & hæc renuntiauit? quid dices? Vnde noſti quòd Deus eſt? Ex his quæ videntur, inquies: ex ordine qui eſt in tota creatura, ex eo quòd omnibus hoc eſt manifeſtum. Non igitur & de iudicio ſermonem ita ſuſcipis? Quomodo, inquis? Interrogabo te, tu verò reſponde: Iuſtus eſt hic Deus, & pro merito cuique retribuit: an in contrarium, iniuſtos quidem vult eſſe tranquillos, & gaudere, bonos autem in oppoſitis eſſe? Nequaquam, inquis, nec enim hoc homo pateretur. Vbi igitur qui hic bona fecerunt bonis fruentur, vbi verò mali contrariis, niſi quippiam eſſe vitæ deberet poſt hæc & retributionis? Vides quòd vnum pro vno interim, & non duo pro vno. Ego verò progreſſus tibi demonſtrabo, quòd nec vnum pro vno, ſed duo pro vno erunt iuſtis, peccatoribus autem & hic gaudentibus omne contrarium. Hic enim gauiſi, nec vnum pro vno acceperunt: in virtute verò degentes, duo pro nullo. Qui namque ſunt in quiete, præſenti vita abutentes, an ſapienter inſtituti? Tu quidem illos fortè

B dices, ego autem hos: & teſtes illos ipſos in præſentibus delectatos produco. Nec erubeſcent ad ea quæ dicturus ſum: etenim ſponſas frequenter concupierunt, & die qua iuncti ſunt thalami, non matrimonio iunctos vocauere beatos. Multi verò iuuenum & paratas ſibi nuptias non ob aliud recuſauerunt, quàm propter rei ſpondus. Et hæc dico non nuptias accuſans (venerabiles enim ſunt) ſed eos qui abutuntur. Si verò in nuptiis conuerſati vitam non vitalem frequenter exiſtimarunt, quid de proiectis in meretricias voragines dixerimus. & omni captiuò ſeruilius & miſerius affectis? de his qui in deliciis contabuerunt, & innumeros inuexerunt corpori morbos? Sed in gloria eſſe iucundum. Imò nihil hac amarius ſeruitute: omnibus enim ſeruis magis eſt ſeruus gloriæ cupidus, & quibuſlibet placere volens. Hanc verò peſſundans, omnibus eſt ſuperior, ab aliis gloriam dari non cu-

C rans. Sed habere pecunias, amabile. At ſæpius oſtendimus, quòd in maiori ſunt abundantia & quiete ab his abſoluti, & nihil habentes. Sed inebriari, voluptuoſum. Et quis hoc dixerit? Igitur carere diuitiis iucundius, quàm habere diuitias: vxore carere, quàm coniugio vinctum eſſe: & inani gloria liberum eſſe, quàm ventoſam captare gloriolam: & delicias fugere, quàm deliciis immergi. Et hic plus habent præſentibus non affixi. Et nondum dico, quòd ille quidem licet innumeris diſtendatur tormentis, bonam habet ſpem ſe ſuſtentantem: hic autem licet plurima fruatur delectatione, futurorum timorem habet voluptatem ſuam turbantem & confundentem. Nam & hic non paruus pœnæ modus, ſicut oppoſitus deliciarum & quietis. Et tertius verò poſt hunc eſt modus. Qualis autem iſte? quòd ſeculares quidem deliciæ, neque cum apparent, ſunt, cum natura redarguantur & tempore. Illa verò non modò ſunt, verùm & immota manent. Vides quòd non duo pro nullo tantum, verùm & tria: & quinque, & decem, & viginti, & decem millia pro nihilo ponere poterimus? Vt autem & per ſimilitudinem hoc diſcas: diues & Lazarus, ille quidem præſentibus, hic verò futuris fruebatur. Nunquid igitur eſſe tibi videtur vnum & vnum, in omni tempore puniri, & breui hora eſurire? In corruptibili corpore, & in mortali grauiter torreri, deinde coronari, & poſt breuem illum languorē immortalibus frui deliciis: an econtrà poſt breuem præſentium delectationem in infinitum torqueri? Et quis iſta dixerit? Quid enim volumus? quantitatem? qualitatem? ordinem Dei? circa vtrunque ſententiam? Quouſque ſcarabæorum verba loquimini, ſe continuo fimo inuoluentium? Nec enim iſta ſunt hominum ratione pollentium, animam tam pretioſam ita pro nihilo prodere, cùm liceat paruo labore cœlos capere. Vis & aliunde te doceam, quòd illic tremendum iudicium? aperi conſcientiæ tuæ fores, & vide ſedentem in mente tua iudicem. Si verò tu temetipſum condemnas;

Melius eſt hic pati quam in futuro ſæculo.

Lucæ 16.

A licet amicus tui ſis, & non iuſtum proferre iudicium non toleras: nónne multo magis Deus multam iuſti geret curam, & ineuitabilem de omnibus feret ſententiam, ſed ſimpliciter & temere cuncta fieri permittet? Et quis hæc dixerit? Nemo qui dicat. Verùm & Græci, & Barbari, & poëtæ, & philoſophi, & omne genus hominum nobis conſentiũt, etſi non ſimiliter. Et aiunt eſſe quædam apud inferos iudicia: tamen manifeſtum & certum eſt factum. Et cur, inquies, hic non punitur? vt ſuam oſtendat patientiam, & ex pœnitentia nobis ſalutem præbeat, & neque genus noſtrum inereptum permittat, & ex optima mutatione potentes ſaluari, ſaluti non præripiat. Si namque ſtatim poſt peccata puniſſet, & interemiſſet, quomodo ſaluatus fuiſſet Paulus? quomodo Petrus? qui ſunt ſummi terrarum orbis doctores. Quomodo Dauid ex pœnitentia ſalutem comparaſſet? Quomodo Galatæ? B Quomodo plures alij? Propterea quidem nec hic omnes exigit pœnas, ſed ex omnibus quoſdam, nec illic omnes: ſed hunc quidem hic, hunc autem illic: vt & multum inſenſatos per eos quos punit, excitet, & faciat vt expectent futura, per eos quos non caſtigat. An non vides hic quoſdam puniri, ſicut turri oppreſſos, ſicut illos quorum cruorem Pilatus commiſcuit, vt qui præmatura morte apud Corinthios rapti ſunt, eò quòd indignè myſteriorũ ſe feciſſent participes: ſicut Pharaonem, ſicut Iudæos à Barbaris iugulatos, ſicut alios multos, & tunc, & nũc, & ſemper? Et alii verò poſtquã multum peccauerunt, abire, nullam hic dantes pœnam: ſicut diues Lazari, ſicut alij multi. Hæc autem facit tum futura, non credentes excitans, tum credentes & ſegnes faciens alacriores. Pſal. 7. *Deus enim iudex iuſtus, fortis, & patiens, nec iram inducens per ſingulos dies.* Si verò patientia nos abutamur, erit tempus cùm C nec breue quid iam ſuſtinebit, ſed ſtatim inferet vltionem. Itaque ne vt ſolùm deliciarum habeamus momentũ (hoc enim eſt præſens vita) infinitorum attrahamus ſeculorum tormenta: ſed mométo laboremus, vt perẽniter coronemur. Nónne videtis, quòd & in ſecularibus hominum plures ita faciũt, & pro longa quiete breuem capiunt laborẽ: quanquam illis contrarium euenit? Hic enim laborum quidem, & lucri par eſt portio: frequenter autem & in contrarium labor quidem eſt infinitus, fructus autem exiguus, vel plerumque nec exiguus quidem: in regno autem econtra, modicus quidem labor, multa verò voluptas, & immenſa. A ſimili. Conſidera namque, agricola per totum laborat annum, & in ipſo fine frequenter à ſpe decidit, & multorum fructu laborum. Nauis gubernator, rurſum & miles, ad ætatem vſque nouiſſimam in præliis & laboribus: & frequenter vterque remanet, ille quidem diuitiarum oneribus amiſſis, hic autem D victoria cum ipſa vita. Quam igitur habebimus, quæſo, excuſationem, in ſecularibus quidem laborioſa præponentes, vt paululum requieſcamus, vel neque paululum (eſt enim ſpes incerta) in ſpiritualibus autem econtrà facientes, & ineffabilem attrahentes vindictam per exiguum torporem? Propterea vos omnes exhortor, ex tali tandem dementia refugere. In illo namque tempore nemo nos eruet, non pater, non frater, non filius, non amicus, non vicinus, non alius quiſquam. Sed ſi fuerimus ab operibus proditi, omnia tranſibunt, & Lucæ 16. nos omnino peribimus. Quantum ille diues plorauit, & Patriarcham obſecrauit, & petiit Lazarum mitti? ſed audi quid ad eum Abraham dicebat: *Chaos magnum firmatum eſt inter nos & vos*: itaque nec volentibus illuc licet tranſire. Quantum rogauere virgines illæ coætaneas pro modico oleo? Sed audi Matt. 21. quid & illæ dicant: *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis.* Et in nuptialem eas thalamum potuit introducere nemo. Hæc nos quoque cogitantes noſtræ curam vitæ geramus. Quotquot enim duxeris labores, & quotquot ſupplicia pertuleris, hæc omnia nihil erunt ad futura bona. Pone igitur, ſi libet, ignem, ferrum, & beſtias, & ſi quid his difficilius: attamen nec vmbra quidem ſunt hæc ad illa tormenta. Nam hæc quidem cum vehementius incubuerint, tunc maximè leuia fiunt, celerem afferentia liberationem, corpore non ſufficiente & ad vehementiam, & ad pœnæ longitudinem. Illic verò, non ita, ſed ambo conueniunt, & prolixitas, & exceſſus tam in iucundis, quàm in triſtibus. Dum itaque tempus eſt, *præoccupemus faciem eius in confeſſione*, vt mitem Pſal. 94. eum tunc videamus atque tranquillum, vt minaces illas virtutes effugiamus. Nónne videmus terrenos milites principibus ſeruientes, quomodo criminoſos trahunt, quomodo ligant, quomodo flagellant, quomodo perfodiunt coſtas, quomodo faces tormentis adhibent? Sed hæc omnia ludicra & riſus ad illa ſupplicia. Nam & temporaneæ ſunt hæ pœnæ: illic verò *neque vermis moritur, neque ignis* Matt. 9. *extinguitur.* Etenim corpus erit incorruptibile omnium tunc reſurgentium. Sed abſit vt hæc vnquam per experientiam diſcamus: ſed vltra verba terror nobis non ingruat, neque tortoribus illis tradamur, ſed hic emendemur. Quanta tunc dicemus, noſmetipſos accuſantes? quantum ingemiſcemus? quantum eiulabimus? ſed nulla iam erit vtilitas. Quoniam neque nautæ reſoluto iam & ſubmerſo nauigio quippiam poſſunt prodeſſe, neque medici defuncto ægrotante. Sed dicent quidem frequenter, hoc & illud oportebat agere: ſed omnia nequicquam & fruſtra. Donec enim ex correctione ſpes ſupereſt, & omnia dicere oportet, ac facecere: cùm verò nullius adhuc domini ſumus, omnibus corruptis incaſſum omnia dicuntur & fiunt. Nam & Iudæi tunc dicent: *Benedictus qui venit in nomine domini*: ſed nihil eis hæc vox prodeſſe poterit, vt Matt. 21. pœnam effugiant: cùm enim opus erat dicere, non dixerunt. Ne nos igitur quoque hoc in conuerſatione patiamur, iam hic immutemur, vt ante Chriſti tribunal cum omni ſiſtamur fiducia: quam nos omnes aſſequi detur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul, & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, &c.

De his qui gehennales pœnas credere nolunt. Et de iudicio.

HOMILIA L.

NIDVS eſt præſens vita, chariſſimi, ex feſtucis & luto coagmentatus: licèt mihi magnas ædes oſtendas, ſiue regias ipſas auro multo fulgentes & gemmis, nihil ab hirundinum nido differre cenſebo: hyeme ſiquidem inſtante, omnia ſponte corruent, hyemem verò diem illum volo, non omnibus hyemem: quoniam & Deus noctem ſimul & diem vocat; illud quidem quantum ad peccatores, hoc autem quantum ad iuſtos. Itidem & ego nunc hyemem ipſum voco, ſi non in æſtate bene alamur, vt volare poſſimus inſtante hyeme, non nos matres ſuſcipient, ſed eſurie ſinent perire, vel nido ruente perdi. Tanquam enim nidum, quinimò & facilius quàm nidum, omnia Deus tunc deſtruet, delens & tranſmutans omnia. Volatu verò carentes, & ipſi non valentes occurrere in aëra: ſed ita vulgariter nutriti, ne leues habeant pennas, ea quæ pati tales eſt veriſimile, patientur. Hirundinum itaque pulli cum ceciderint, ſtatim pereunt: nos verò non morimur, ſed continuè punimur. Hyems erit illud tempus, quinimò hyeme difficilius. Non enim aquæ torrentes profluunt, ſed ignis flumina: non ex nubibus tenebræ conflantur, ſed inſolubiles, & omni luce carentes tenebræ, vt neque cœlum videatur, nec aër, ſed pluſquam terra obruti, comprimãtur. Frequenter hæc dicimus, ſed quibuſdam non perſuademus, & nil mirum ſi nos homines vtique vi-

les

A les hæc patimur, etiam de his differentes: quippe & prophetæ talia patiebantur, non tantum de talibus loquentes rebus, verùm & de bello, & captiuitate. Et Sedechias ab Hieremia redarguebatur, & non confundebatur. Propterea prophetæ dicebant: Iſa. 5. *Væ qui dicitis, appropinquet in celeritate, vt videamus quæ faciat Deus, & veniat voluntas ſancti Iſrael, vt cognoſcamus.* Ne hoc admiremur: nec enim qui arcam fabrefieri videbant, crediderunt: ſed tunc credidere demum, cùm fieri lucrum erat nullum. Neque Sodomorum habitatores expectauerunt, verùm & ipſi crediderunt, cùm ipſis nihil profuit. Et quid dico futura? quis hæc vnquam expectauit, quæ nunc per diuerſa fiunt loca, vrbium terræmotus, & deſtructiones? Et hęc quidem ſunt illis magis credibilia, arca dico. Vnde patet? Quoniam illi quidem non habebant in quod aliud exemplum reſpicerent, neque ſcripturas audierant: hic autem infinita ſunt, tum annis noſtris, tum priſcis. Sed vnde talium infidelitas? ex animæ mollitie. Bibebant & comedebant, & non credebant propterea. Quæ enim quiſpiā vult, hæc & exiſtimat, hæc & expectat: contradicentes verò nugæ ſunt: ſed ne nos idem patiamur. Non enim diluuiū iam erit, nec ad mortem vſque ſupplicium: ſed pœnarum initium mors: non credētibus fore iudicium. At, inquiet aliquis, quis illinc aduenit, & hæc annuntiauit? Si iocans quidem dicis, nec ita bene: nec enim in huiuſmodi ludendum eſt. Non enim in ludicris, ſed periculosè ludimus: ſi verò ſic seriò ſentis, & poſt hæc nihil eſſe putas, quomodo te dicis eſſe Chriſtianum? Nulla nanque mihi eſt alienorum cura. Quare baptiſmum ſuſcipis? Cur eccleſiam ingrederis? nūquid enim principatus pollicetur? omnis nobis ſpes in futuris. Quid igitur accedis, ſi ſcripturis fidem non habes, ſi Chriſto non credis? Nunquam talem Chriſtianū dixerim, abſit: ſed potius & gentilibus peiorem. In quo? In hoc quòd Chriſtum putans eſſe Deum, ei non credit tanquam Deo: impietas enim illa quandam habet conſequentiam. Qui nanque Chriſtum Deum eſſe non credit, hunc nec illi credere neceſſarium eſt. Hæc autem impietas neque conſequentiam habet, Deum confiteri, & in his quę dicit, eum fide dignum non cenſere. Ebrietatis hæc verba, laſciuiæ, luxuriæ, 1.Cor.15 *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur*, non poſtridie. Sed cùm hæc dicitis, mortui iam eſtis. Nihil igitur à porcis differemus, nihil ab aſinis, quæſo? Nam ſi neque iudicium eſt, neque retributio, neque tribunal: qua de cauſa tali ſumus munere decorati, ratione, & habemus omnia ſubiecta? quare nos quidem dominamur, illa verò ſubdita ſunt? Vide qualiter vndique diabolus, vt Dei donum ignoremus, perſuadere feſtinat. Seruos dominis commiſcet, tanquam mancipium quoddam & ingratus ſeruus. Liberum in eandem cum eo qui offendit, vilitatem inducere nititur: & iudiciū quidem duntaxat tollere videtur, tollit autem eſſe Deum: talis enim ſemper eſt diabolus. Omnia cum arte, non ex directo prætendit, ne caueamus. Si non eſt iudicium, Deus non eſt iuſtus, ſecundùm hominem dico: ſi iuſtus non eſt, neque Deus: ſi Deus non eſt, omnia temere feruntur. Nihil virtus, nihil vitium, ſed horum nihil apertè dicit. Vidiſti ſatanicæ cauillationis cogitatum? qualiter ex hominibus bruta nos facere ſtudet, imò verò feras, quin potius dæmonas? Itaque ne credamus: eſt enim iudicium, ô miſer & infelix. Noui & vnde venias ad iſtos ſermones. Multa tibi peccata ſunt, lapſus es, fiduciam non habes. Rationes tuas & rerū ſequi naturam exiſtimas. Interim, inquis, gehennæ expectatione animam nō conficiam. Licèt gehenna ſit, ei perſuadebo gehennam non eſſe, interim hîc gaudebo. Quare peccata peccatis accumulas? ſi præuaricaris, gehennam tamen eſſe crediderís, peccatorum duntaxat pœnas luens abibis. Si verò & iſtam addideris impietatem, & impietatis & cogitationis huius extremas dabis pœnas: & frigida breui facta tibi conſolatio perennis erit vltionis materia. Eſto, peccaſti: quid & alios hortaris peccare, non eſſe dicens gehennam? Quid ſimpliciores decipis? quid populi reſoluis manus? Tota pars tua ſubuerſa eſt, neque ſtudioſi ſtudioſiores erunt, ſed ſegnes: neq; mali recedēt à malitia Nunquid enim, ſi reliquos corrumpamus, peccatorum habemus veniam? Nōnne vides diabolum, qualiter Adam adgreſſus eſt proſternere? Nunquid hoc ei veniæ fuit cauſa? Imò maioris occaſio ſupplicij, vt non tantū de proprijs, verū & de alienis criminibus torqueatur. Ne putemus quòd alios in eandem nobiſcum perditionem præcipitare, mitius nobis paret iudicium, quinimò grauius hoc faciet. Quid noſipſos præcipitamus & perdimus? hoc totum diabolicum eſt. Homo peccaſti, miſericordem habes dominum, ora, ſupplica, luge, geme, & alios terre, & poſce ne amplius in eadem cadas. Dic mihi, quæſo, ſi quis eſſet domi ſeruus, qui poſtquam peccaſſet, filio ſuo B diceret: fili, ego dominum offendi, tu ſtude placere ne patiaris hæc eadem: non habet aliquid veniæ, non franget dominum, & flectet? Si verò dimittens hæc verba, dicat illa: Quod putas dominum habere conſilium, vt vnicuique pro merito reddat? quòd non temerè ſunt omnia confuſa tam bona quàm mala? Non eſt gratitudo in hac domo: nonne maiores peccatorum pœnas exoluet? & meritò. Nam illic quidem affectus aliquam poſſet excuſationem inuenire, licet ægrè: hic verò nihil. Si neminem igitur, illum ſaltem imitare diuitem, in gehenna dicentem: *Pater Abraham mitte ad cognatos meos, ne veniant in locum hunc.* Luc. 16. Quoniam ipſe proficiſci non poterat, ne in eadem & illi corruerent. Ab iſtis recedamus diabolicis verbis. Quid igitur cùm nos gentiles interrogant: non vis illos curare, ſed in ſuperbiam Chriſtianum impellere: ſub gentilis curandi prætextu, vis dogma confirmare ſatanicum? Nam quoniam ipſe ſolus animā alloquens C hæc perſuadere non poteſt, alios vis teſtes producere. Si verò gentilem oportet alloqui, non hinc fit loquendi principium. Sed ſi Deus Chriſtus, & Dei filius: ſi dæmones illorum Dei, ſi hæc probata fuerint, omnia reliqua ſequuntur. Priuſquam principium ponatur, de fine diſputare ſtultum eſt: priuſquam prima diſcantur elementa, ſuperfluum eſt & inutile circa finem verſari. Incredulus eſt gentilis iudicio, & ipſe tecum idem patitur: quoniam habet & ipſe multos de his philoſophatos, qui licèt corpus diuiſerint, & hoc animæ dixerint, attamen tribunal conſtituerunt, & tanta eſt rei claritas, vt nemo ferè hoc ignoret. Verùm & poëtæ, & omnes ſibi conſentiunt, & de tribunali, & de iudicio. Itaque nec ille ſuis credit principibus: neque Iudæus de his dubitat, & omnis homo. Quid ita noſipſos ſeducimus? Ecce hæc mihi dicis, Quid Deo dices, D *qui finxit ſingilatim corda* noſtra, qui nouit omnia quæ Pſal. 32. ſunt in mente, viuenti, & efficaci, & penetranti ſuper omnem gladium ancipitem? Dic enim mihi cum veritate, tu temetipſum non damnas? Et quomodo ſponte tantum ſapientiæ innatum eſt, vt ipſe peccator ſemetipſum condemnet? hoc enim eſt magnæ ſapientiæ. Tu temetipſum condemnas? Qui verò talem tibi dat cogitationem, omnia temerè fieri permittet? Regula hęc eſt vniuerſalis, & determinatio. In virtute viuentium nemo iudicij ſermonem negat, ſiue gentilis, ſiue ſit hæreticus: in multa viuentium malitia nemo præter paucos, reſurrectionis ſermonem admittit. Et hoc ait Pſalmiſta: *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Quare? *quoniam* Pſalm. 9. *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* Ait enim: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* 1.Cor.15 Vides quòd abiectorum eſt iſta dicere, ex comedendo & bibendo iſta ſunt verba reſurrectionis confutatiua. Non ſuſtinet enim anima peccatrix, non ſuſtinet cōſcientiæ tribunal. Et idem fit, quale ſi homicida cùm

Digitized by Google

prius præſuppoſuit ſe non captum iri, ſic cædem committat. Quoniam conſcientia ipſum iudicante non facilè ad facinus veniſſet. Et nouit igitur, & noſſe diſſimulat, ne conſcientia torqueatur & timore: alioquin enim ad auſum infirmior fuiſſet. Itidem & qui peccant, & quotidie in iiſdem malis verſantur, videre nolunt, licet eos arguente conſcientia. Sed illis ne nos attendamus. Erit enim omnino iudicium & reſurrectio, neque tanta Deus opera temere permittit. Propterea ſuadeo, vt vtilis abſtinentes, virtutem retineamus, vt verum ſuſcipiamus ſermonem in Chriſto Ieſu domino noſtro. Et vtrum facilius, reſurrectionis verbum admittere, an de fato? illud iniuſtitiæ plenum, dementiæ, crudelitatis & inhumanitatis: hoc autem iuſtitiæ, pro meritis diſtributiuum, & ipſam tamen non admittunt. Cauſa verò ſegnities: quoniam nemo mẽtem habens illud ſuſcipit. Nam & in Græcis qui voluptatem definientes, finem eſſe dicunt, ipſum illi ſuſceperunt: qui verò virtutis amorem ſectati ſunt, nequaquam: ſed deiecerunt tanquam irrationabile. B Si autem hoc in Græcis, multò magis ſimiliter & in ipſa de reſurrectione ſententia. Intuere verò mihi contrarium, quomodo duo contraria intulit: ſi virtutem quidem negligamus, neceſſitatem diabolus intulit, vt & dæmonas promptè colamus: & pro vno duo contraria perſuaſit. Quam itaque oportebat rationem reddere, qui rei tam admirabili non credit, & illa nugantibus fidem præſtat? Itaque nec iſta te conſolatio paſcat, quòd veniam ſis aſſecutus: ſed nos conuertentes ad virtutem excitemur, & verè Deo viuamus: ait enim: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* (Matth. 5.) Nam ſi homines talium miſerentur, multò magis Deus. Non miſerentium verò nequaquam. Sine miſericordia enim iudicium illi, qui non fecit miſericordiam. Bona res. Cur igitur eam aliis nõ præſtitit? vis peccatorum veniam concedi? C Cur igitur ipſe peccâti non ignouiſti? Sed ad Deum quidem accedis regnũ petens cœlorum, ipſe verò petitus argentum non dediſti? Propterea non accipimus miſericordiam, quoniam non miſeremur. Quare, inquies, quare, quæſo? Non & hoc eſt miſericordiæ, immiſericordium miſereri? Nam qui crudeli & immiti, quique plurima proximo mala intulit, humanitatem exhibet, quomodo miſericors fuerit? Quid igitur, inquies, lauacrum, nõne nos infinita operatos mala ſaluabit? Ab illis liberauit, non vt iterum ea faciamus, ſed ne deinceps patremus. Ait enim: *Si mortui ſumus peccato, quomodo adhuc viuemus in eo? Quid igitur, peccabimus quoniam non ſumus ſub lege? Abſit.* (Rom. 6.) Ab illis te propterea liberauit, vt ad illam ignominiam amplius nõ recurreres. Quoniam & medici febricitãtes ab ardore liberant, (Simile.) non vt ſanitate ad afflictionem & diſſolutionem abutatur: D nam ægrotare melius foret, ſi quis propterea conualeſcere deberet, vt lecto rurſum ſemetipſum affigeret: ſed vt ex morbo mala ſcientes, amplius in ea non incidant, vt ſanitatem cautius retineant, vt omnia faciant ad hanc conferentia. Vbi igitur, inquis, Dei miſericordia, ſiquidem malos ſaluaturus non eſt? Frequẽter enim & hoc dicẽtes multos audio, quòd miſericors eſt, & omnes omnino ſaluabit. Ne nos itaq; fruſtrà ſeducamus (nam & memini me talem vobis promiſiſſe materiam) eia ſermonem hunc hodie moueamus. De gehenna vobis antea diſſerui, & de Dei miſericordia diſtuli ſermonem. Hunc hodie bonũ eſt reddere. Quòd igitur erit quidem gehenna, ſatis, vt arbitror, hoc probauimus, diluuium in medium proferentes, & priora mala: & dicentes, quòd qui fecit ea, dimittere præſentes inultos eſt impoſſibile. (Deus eſt miſericors licet exigat rationes, & puniat.) Si ſic enim ante legem peccantes puniuit, maiora mala poſt gratiam operatos impunitos non relinquet. Quærebatur itaque, quomodo bonus, quomodo miſericors, & ſermonem diſtulimus, ne multitudine veſtras obtunderem aures. Eia reddamus id hodie, quomodo bonus Deus, & vnde bonus, ſiquidem puniat. Nam & ad hæreticos nobis hic ſermo conuenit, vt ſedulò aduertamus. Nihili de nobis indigens Deus nos fecit: quòd autem nullius indigeret, ex eo quod poſtea fecit, manifeſtauit. Nam ſi indiguiſſet, iam pridè feciſſet: ſed ſi ſine nobis ipſe fuit, nos autem in poſterioribus ſeculis facti fuimus, noſtri non indigens nos fecit, ſed cœlum, terram, mare, quæq; ſunt omnia propter nos. Hæc, quæſo, nónne ſunt bonitatis? & multa quiſpiã dicere poſſet. Sed vt ſermonem contrahamus: *Oriri facit ſolem ſuper malos & bonos, pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* (Matth. 5.) Hoc nónne bonitatis eſt? Non inquit aliquis. Etenim quondam cuidam Marcioniſtæ dicebam, an nõ eſſent hæc bonitate digna? Et dixit, quòd ſi peccatorum rationem non exigeret, bonitatis eſſet: ſi verò repetit, non bonitatis. Ille quidem nunc non adeſt. Age verò tunc dicta dicamus, & his plura. Ex ſuperabundanti namque probo, quòd niſi rationẽ exigeret, bonus non eſſet: ſed quoniam exigit, propterea bonus eſt. Dic enim mihi, niſi rationẽ exigeret, numquid vita ſtaret humana? Nónne in feras erupiſſemus? Nam ſi timoribus & pœnis imminentibus, & tribunalibus, piſces ſuperauimus, alter alterum comedentes: leones & lupos abſcondimus, aliena alter alterius rapientes: niſi rationem à nobis exigeret, & hoc eſſemus paſſi, quanta turbatione plena foret vita? Quis iam foret qui fabulis celebratur labyrinthus ad mundi cõfuſionem? Nónne vides infinitos tumultus, & abſurditates? Quis patrem fuiſſet reueritus? Quis verò matri peperciſſet? Quis autem vllam voluptatem, vllum vitiũ omiſiſſet? Et quòd hæc ita ſe habeant, ex ſola domo tibi perſuadere conabor. Si vobis hæc interrogantibus, & ſeruos habentibus, manifeſtum his faciam: quòd licèt dominatum corrumpant & in dominorum corpus contumelientur: licèt omnia diſtrahant, & ſuperiora reddant inferiora, & hoſtiliter eos afficiant: non minantur, non caſtigant, non punient, & ne verbo quidẽm contriſtabunt: numquid hæc bonitatis eſſe videntur? At hæc probo quod extremæ ſunt crudelitatis; non tantum vxorem & filios per hanc ineptam bonitatem prodere, verùm & hos ipſos priuſquam illos perire. Ebrij ſiquidem, & diſſoluti, procaces, & contumelioſi, & omnibus feris erunt brutiores. Hoc ergo, quæſo, bonitatis, animi generoſitatem conculcare, & ſeipſos perdere? Vides, quòd pœnas exigere, hoc eſt multæ bonitatis? Et quid dico ſeruos ad hæc peccata promptiùs ruentes? Sed aliquis filios habeat, illos omnia permittat audere, neque puniat: igitur quo, quæſo, non erunt peiores? Poſtmodum in hominibus quidem punire bonum eſt, non autem punire, ſæuum: in Deo verò non itidem? Itaque quoniam bonus eſt, ideo gehennam præparauit. Vultis & aliã commemorem Dei bonitatem? Non hoc duntaxat, verùm quòd & bonos fieri malos non permittit. Nam ſi deberent eadem aſſequi, omnes eſſent mali. Nunc autem hoc non parum bonos conſolatur; nam audi Prophetam dicentem: *Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam impij, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* (Pſal. 58.) Non inſultans, abſit: ſed timens, ne eadem patiatur, puriorem ſuam efficiat vitam. Hoc multæ eſt prouidentiæ. Eſt, inquit, ſed oportebat tantummodo minari, non tamẽ punire. Si punit, & dicis quòd comminatio res eſt, & propterea negligentior efficeris: ſi verba dũtaxat eſſent minæ, nónne ſegnior eſſes? Niniuitæ ſi ſciuiſſent, quòd negotium minæ forent, pœnitentiam non egiſſent, vſque ad verba minas ſtatuiſſent. Vis id eſſe minas? Ipſe dominus es facti. Melior efficere, & ad minas tantum progreditur: ſi verò, quod abſit, minas cõtempſeris, venies ad experientiam. Qui diluuij tempore fuerunt, ſi minas timuiſſent, periculum non ſuſtinuiſſent. Et nos ſi minas timuerimus, periculum nõ ſubibimus. Nec id accidat, ſed præſtet clementiſſimus Deus

Digitized by Google

manſuetudineque ac humilitate. Videamus & quomodo formetur os diaboli, ne vnquam illud comparemus. Qualiter itaque fingitur? per imprecationes, per contumelias, per inuidiam & periuriũ: cum enim illius verba quis loquitur, illius linguam ſumit. Quam igitur habebimus veniam? vel potius quam non ſubibimus pœnam, cum linguã qua carnem guſtare dominicam digni ſumus habiti, negligamus diabolica loquentem? Ne negligamus, quæſo, ſed vtamur omni ſtudio, vt eam doceamus ſuum imitari dominũ. Si enim eam docuerimus, hoc nos cum multa fiducia ante Chriſti tribunal conſtituet. Niſi quis ita loqui ſciuerit, neque iudex eũ audiet. Sicut enim cum euenit Romanum eſſe iudicem, nõ audiet ſe defendentem ita loqui neſcientem: itidem & Chriſtus, niſi ſecundùm ipſius morem loquaris, te non audiet, nec intendet. Diſcamus igitur ita loqui, ſicut audire rex noſter conſueuit, illam imitari linguam ſtudeamus. Quòd ſi in luctum incideris, conſidera ne triſtitiæ tyrannis os tuum ſubuertat: ſed loquaris tanquam Chriſtus: plorauit enim & ipſe Lazarum & Iudam. Si cecideris in metum, ita rurſum vt Chriſtus loqui quære. Nam & ipſe propter te in timorem cecidit iuxta diſpenſationis rationem. Dic & tu, *Verumtamen non ſicut ego volo ſed vt tu.* Et ſi lugeas, quietè lugeto, ſicut & ipſe. Et ſi in inſidias, & triſtitiã incideris, & hic vt Chriſtus afficiaris. Etenim & inſidias paſſus eſt, & triſtitiam, & ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Et omnia tibi exẽpla præbuit, vt eaſdem cuſtodias menſuras, & datas tibi regulas ne corrumpas. Ita poteris os habere illius ori conſimile, ita ſuper terram ambulans ſurſum ſedentis linguam nobis oſtendens ſimilem, in triſtitia menſuras, in ira, in luctu, in anxietate conſeruans. Quot ex vobis ſunt, qui cupiant illius formam intueri? Ecce non tantum videre, verùm & ſecundùm eum fieri poſſumus, ſi ſtudeamus: itaque ne differamus. Non ita prophetarum os amplectitur, ſicut mitium & manſuetorum hominũ. *Multi* namque *dicent mihi,* inquit: *Nonne in nomine tuo prophetauimus? & dicam eis Neſcio vos.* Moſem verò, quoniã humanus erat, & mitis (ait enim: *Moſes homo mitiſſimus ſuper omnes homines qui ſunt ſuper terram*) ita cõplectebatur & diligebat, vt præſens præſenti ſuã diceret voluntatẽ, & facie ad faciem loqueretur, tãquam amicus ad amicum ſuum. Non imperabis dæmonibus nunc, ſed gehennæ tunc igni imperabis, ſi Chriſti ſimile ori os habeas: ignis præcipies abyſſo, & dices: Tace, obmuteſce: multaque cum fiducia cœlos aſcendes, & regno potieris. Cùm hæc igitur habeamus exempla, non dico vobis, pro inimicis moriamur, nam & hoc quidem opus fuerat: ſed quoniam nos infirmiores, illud interim dico, ſaltem amicis non inuideamus, ne benefaciẽtes liuore proſequamur. Non adhuc dico, malefacientibus benefaciamus. Cupio quidem & hoc, ſed quoniam nos pigriores, ne ſaltem vlciſcamini: non enim fabulæ ſunt noſtra & ſimulatio. Quare tandem per diametrum aduerſus negotia ſiſtis? Non temere ſcripta ſunt & alia, quæque circa crucem ipſam geſta ſunt, quæ poſſent ipſos reuocare: ſed vt bonitatem imiteris, vt benignitatem æmuleris. Eos enim ſupinos proſtrauit, & ſerui reſtituit auriculam, & cum manſuetudine locutus eſt: & cum ſuſpenſus eſſet, magna monſtrauit miracula, radios auertens, frangens lapides, defunctos excitans, iudicis vxorem terrens per ſomnia, omnem in ipſo præ ſe ferens iudicio manſuetudinem, quæ non minus eos quàm miracula poſſent attrahere: infinita prædicens coram tribunali, in ipſa clamãs cruce: *Pater dimitte illis* peccatum. Sepultus verò quanta ad illorum oſtendit ſalutem? Reſuſcitatus autem non ſtatim Iudæos vocauit? non dedit peccatorum remiſſionem? nõ innumera contulit bona? Quid hoc mirabilius? qui crucifixerunt, & occiderunt, poſtquam crucifixerunt, facti ſunt Dei filij. Quid huic par prouidẽtiæ? His auditis abſcondamur, quod ab hoc tantum diſtamus, quem imitari iubemur. Videamus quantum ſit diſcriminis, vt vel ita nos condemnemus, his bellum inferentes, pro quibus animam Chriſtus impendit: nec volentes conciliari, quos vt conciliaret, neque iugulari recuſauit, niſi fortaſſis & hoc diſpendium aliquod eſt, & pecuniarum erogatio, quod in eleemoſyna prætenditis. Cogita quantorũ ſis reus, & non tantùm ad eorum qui te affecerunt iniuria, dimiſſionẽ non retrocedes: verùm & curres ad eos qui te contriſtarunt, vt tibi ſit dimiſſionis occaſio, vt propriorum inuenias malorum lenimẽ. Gentilium filij nihil expectantes in hoc plerunque philoſophati ſunt: & tu cum tali ſpe migraturus retraheris, & torpes? Et quod tempus facit, hoc propter Dei legem ante tempus facere non ſuſtines, & ſine mercede potius, quàm cum mercede vis tibi vitium extingui? Nec enim ſi per tempus hoc tibi fiat, erit tibi quicquam amplius: verùm & multa potius pœna, quoniam quod tempus effecit hoc facere Dei lex non perſuaſit. Si verò dicis, quòd excandeſcis, tuæ recordatus contumeliæ reminiſcere, ſi quid boni collatum tibi fuit ab eo qui contriſtauit, & quot tu malis alios affeciſti. Malè tibi dixit, & te confudit: cogita quid alijs tu quoque dixiſti. Quomodo veniam igitur aſſequêris, quam alijs non cõceſſiſti? Sed nulli maledixiſti? At audiſti dicentes, & ſuſcepiſti: nec hoc reatu caret. Vis diſcere, quantum mali ſit, malorũ meminiſſe, & qualiter hoc maximè Deum irritat? Inſultan es his qui ab ipſo iuſtè puniuntur, punit: licèt iuſte caſtigemur, tamen te non oportebat gaudere. Et Propheta poſtquam multa improperauit, & hoc ſubiecit: *Nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* Et iterum: *Non eſt egreſſa, quæ habitat Enam, plangere domum contiguam ſua.* Licet & Ioſeph, id eſt, tribus ab eo procedentes, & vicini ſecundùm Dei ſententiam puniebantur: attamẽ vult cum his nos dolere. Nam ſi nos cùm mali ſimus, quando ſeruum caſtigamus, ſi quem ſeruorũ videmus ridentem, & irritamur, & in ipſum irã transferimus, multò magis Deus punitis inſultantes vlciſcetur. Si verò his qui à Deo puniuntur, non inſultare, ſed potius oportet miſereri: multò magis eorum qui contra nos peccarunt. Hoc enim charitatis eſt indicium: hanc Deus præponit. Sicut in regali prætexta illi flores & colores pretioſi ſunt, qui hanc conficiunt chlamydem: itidem & hic illæ ſunt precioſæ virtutes, quæ charitatem contineant. Nihil autem ita conſeruat charitatem, ſicut in nos patrata non meminiſſe. Nunquid enim & alterius partis curam Deus non geſſit? Nunquid iniuriam operatum ad iniuriam paſſum non deduxit? Numquid eum ab altari ad illum non mittit, & poſt reconciliationes ad menſam reuocat? Ne tamen illum propterea, vt ad te veniat, expectes, alioquin omnia perdideris. Nam tibi propter hoc maximè mercedem ineffabilem definit, vt illum præuenias: quippe ſi rogatus reconcilieris, non iam Dei præcepto facta fuit amicitia, ſed illius ſtudio. Et propterea ſine corona recedis, illo præmia capiente. Quid ais? Inimicum habes, & non erubeſcis? Nõnne ſatis eſt nobis diabolus, quod & conſanguineos ſuperducimus? Vtinam nec ille nobiſcum bellũ gerere vellet, vtinam nec ille diabolus eſſet. Nõnne ſcis, quanta ſit poſt reconciliationes voluptas? Quid enim & ſi in amicitia non multum apparet? Quod enim inferentem iniuriam diligere, ſit iucundius quàm odiſſe, poſtquam inimicitia fuerit ſoluta, bene tunc dicere poteris. Quid itaque furentes imitamur, alter alterum corrodentes, propriam impugnantes carnem? Audi certè, quantus & in veteri teſtamento fuerit de huiuſmodi ſermo. Væ mala reminiſcentium in mortem. *Homo homini iram ſeruat: & à Deo quærit ſanitatem?* At conceſſit *oculum pro oculo, & dentem pro dente:* quomodo igitur accuſat? Quoniam & illa conceſſit, non vt in alterutrum illa faciamus,

Os diaboli quomodo homo ſumat.
Matt. 26.
Ibid.
Matth. 7.
Num. 12.
Luc. 23.
Iniuriarũ remiſsio.
Amos 6.
Mich. 1.
Eccli. 28.
Leuit. 24.
& Deut. 19.

ciamus, ſed vt patiendi timore peccare caueamus, alioquin autem illa cuiuſdam ſunt temporalis iræ, iniuriam verò reminiſci eſt animæ nequitiam meditantis. At malè paſſus es? Sed nunquam eum tanto, quanto temetipſum afficies malo, ſeruans iniuriæ recordationem. Alioqui autem fieri non poteſt, vt bonus vir quicquã mali patiatur. Eſto enim aliquis filios habens & vxorem, & philoſophetur: habeat autem nocumenti multas occaſiones, & pecuniarũ copiam, & principatus potentiam, atque complures amicos, & honore potiatur, tamen philoſophetur (hoc enim oportet accedere) & illi ſermone flagella inferamus, & aliquis malus vi aggreſſus, iacturam inducat: quid igitur ad hominem pecunias nihil eſſe cenſentem? Filios occidat, quid ad eum qui de reſurrectione confidit? Vxorem iugulet, & quid hoc ad inſtitutum dormientes non lugere? Inuoluat ignominia, & quid hoc ad eum qui præſentia fœni florem exiſtimat? Si vis, & corpus torqueat, & intrudat in carcerem: quid tandem ad doctum dicere,

2. Cor. 4. *Etſi exterior noſter homo corrumpitur, ſed interior renouatur.*

Rom. 5. & *Tribulatio patientiam, patientia autem probationem operatur?* Equidẽ ipſe nihil iri læſum promiſi, progreſſus autẽ ſermo probauit quod & adiuuatur; dũ renouatur, & efficitur probabilis. Ne alios igitur dolore nos afficere putemus, dum nobiſipſis iniuriã inferimus, & infirmam reddimus animam. Non enim tantum eſt proximorum vltio, quantum miſeria noſtra dolor. Propterea ſi quis contumeliam inferat, lugemus, & contrahimur: ſi quis diripiat, idem patimur, illorum more paruulorum infantũ, quos aſtutiores coætanei pro nihilo irritant, ſed ex minimis contriſtantes occaſionibus. Veruntamen & illos ſi ægrè ferre viderint, mordere pergunt: ſi verò ridentes, abſiſtunt. At nos & his ſtolidiores ſumus: pro quibus oportebat ridere, pro his lamentamur. Propterea ſupplico puerilem hanc omittentes ſententiam, cœlos petamus. Nos etenim eſſe viros vult Chriſtus perfectos. Itidem & Paulus præcepit, dicens: *Fratres, nolite eſſe paruuli ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote.* Quod ad malitiam itaque ſpectat, pueruli ſimus, & nequitiam fugientes, virtutem apprehendamus: vt & æternis potiamur bonis, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De charitate ſecundùm Deum, & quòd inuidus Deo repugnat, & inimicus eſt.

HOMILIA LIII.

QVONIAM præter Dei gratiam, chariſſimi per quam iuſtificati ſumus, opus eſt & conuerſatione, ſtudium dono dignum exhibeamus: exhibebimus autem, ſi bonorum matrem multo ſtudio cõſerues charitatem. Charitas eſt non in ſolis verbis, nec penitus in ſalutationibus, ſed cura, & in ipſis rebus officium: puta paupertatem ſoluere, ægrotãtibus ſubuenire, eruere periculis, in neceſſitatibus aſſiſtere, flere cum flentibus, & gaudere cum gaudentibus: nam & hoc charitas eſt. Et quamuis paruũ eſſe videatur gaudentibus gratulari, tamen valde magnum eſt, & exercitatæ mentis opus habens. Et multos quidem inueniemus, quod acerbius quidẽ eſt, præſtantes, ad hoc autem infirmos. Nam multi flent quidem cum flentibus, cum gaudentibus autẽ non etiam gaudent: ſed gaudentibus aliis, ipſi lugent: quod eſt liuor & inuidia. Non itaque paruum eſt meritum gaudente fratre gaudere, verùm & altero maius: fortaſſe verò non tantum, quàm cum flentibus flere, verùm & quàm in periculis aſſiſtere maius. Nam multi quidem cum periclitantibus periclitantur, claritatem verò conſequentibus compuncti ſunt: tanta vis eſt inuidiæ: licèt illud quidem laborum ſit, & ſudorum, hoc autem voluntatis duntaxat ſententiæ. Et tamen multi quod grauius eſt perpeſſi, facilius non expedierunt: ſed tabeſcunt & pereunt, cùm alios ſe præclarè gerentes, cùm omnem eccleſiam vel verbo, vel quopiam alio modo adiuuari viderint, quo quid peius eſſe poſſit? Nec enim iam fratri, ſed & Dei talis repugnat voluntati. Hoc itaque conſiderans ab ægritudine deſiſtas, & ſi proximum non vis, te ſaltem ab innumeris malis erue. Quid menti tuæ bellũ indicis? Quid animam imples tumultu? Quid hyemem paras? Cur ſuperiora deorſũ ſtatuis? Quomodò poteris ita diſpoſitus peccatorum poſcere veniam? Nam ſi in ſe patrata non dimittentibus, nec ipſe peccata dimittit, qualem dabit remiſſionem? Hoc enim eſt extremæ probatio malitiæ. Cùm diabolo tales eccleſiam impugnant, fortaſſis autem & diabolo peius. Nam ab hoc quidem caueri poteſt: illi verò dilectionis induentes perſonam, clanculum ignem accendũt, ſæpius in fornacem immittentes, & morbo laborãtes, qui non ſolum haberi miſericordiæ poſſit, verùm multum habeat riſum. Quid enim, quæſo, palles, & fremis, & trepidus factus es? Quid mali factũ eſt, quod ſplendidus frater & illuſtris eſt, & probabilis? Non itaque coronari fuit opus, & gaudere atque Deum glorificare; quod membrum tuum eſt ſplendidum & illuſtre? Sed doles, quòd Deus glorificatur. Vides quò tendat impugnatio? Sed non quod Deus, inquit, ſed quòd frater clarificatur. At per hunc ad Deum gloria redundat: igitur & impugnatio tua. Verùm hoc, inquit, me non contriſtat, ſed per me Deum vellem glorificari. Gaudeas igitur ſe glorioſum exhibente fratre, & per te rurſum Deus clarificabitur, & omnes dicent: Benedictus Deus, qui tales habet ſeruos ab omni liberatos inuidia, mutuis gaudentes bonis. Et quid dico fratre? Nam licèt hoſtis eſſet & inimicus: ſi tamen per hũc Deus glorificaretur, amicum fieri propter hoc oporteret: tu verò amicum facis inimicum, quoniam propter illius proſperitatem Deus glorificatur. Si quis corpus tuum male ſe habẽs curauerit, licet ſit inimicus, ipſum iam de primis amicorum eſſe cenſebis: Chriſti verò corpus ornantem, id eſt, eccleſiam, & amicum ducis inimicum: & quomodo contra Chriſtum pugnã aliter præ te tuliſſes? Propterea ſiue quis ſigna faciat, ſiue virginitatem, ſiue ieiunium, ſiue humi ſtratum excolat, ſiue ipſos angelos virtute præueniat, omnium erit ſceleſtiſſimus, hunc habens defectum, & adultero, lenone, & latrone ac fure iniquior. *Inuidiæ deteſtatio* Et ne quis ſermonis exceſſum redarguat, illud à vobis libenter interrogauerim: Si quis ignem ſumens, & foſſorium, hanc deſtruxiſſet domum, & incendiſſet, & hoc ſuffodiſſet altare: nónne quilibet eum lapidibus obrueret, tanquam profanum & impium? Quid igitur ſi quis voraciorem hoc igne flammam inferat, inuidiam dico, non lapidum ædificia deſtruentem, nec aureum ſuffodientem altare: ſed quòd parietibus & altari multo pretioſius eſt, doctorum ædificationem ſubuertentem & corrumpentem, quali venia dignus eſſet? Nemo namque mihi dicat, quòd frequenter aggreſſus non valuit: ex voluntate enim negotia iudicantur: quoniam & Saul Dauidem occidit, licèt votum non impleuerit. Non animaduertis, quæſo, quod Chriſti ouibus inſidiaris, impugnans paſtorem: ouibus, inquam, pro quibus & ſanguinem Chriſtus effudit, & omnia facere ac pati præcepit? Non reminiſceris, quod dominus quidem tuã quæſiuit gloriam, non autem ſuam: tu verò non dominicam, ſed tuam exquiris? alioquin autem tunc & tuam aſſecutus fuiſſes, nunc autem tuam quærens ante domini gloriam, nec hac vnquam potieris. Quod igitur erit huius remedium? Communiter omnes oremus, & vnam pro talibus vocem emittamus, tanquam pro energumenis: nam & ipſis hi miſeriores ſunt, quantum & voluntarius eſt furor. Orationis enim indiget huiuſmodi morbus, & plu-

rimæ ſupplicationis. Nam ſi fratrem non diligens, ſiue pecunias eroget, ſiue martyrio fulgeat, nihil amplius efficit: qui nullam quoque perſequitur operatum iniuriam, quanta ſit dignus vltione, conſidera. Hic & gentilibus eſt peior. Nam ſi diligentes diligere nihil amplius illis nos habere permittit, amantibus inuidens vbi, quæſo, ſtatuetur? Nam & inuidere peius eſt, quam bellum inferre. Qui enim bellum gerit, ſoluta cauſa propter quam bellum gerebatur, inimicitiam quoque diſſoluit: inuidus autem nunquam efficitur amicus. Et ille quidem apertam oſtendit pugnam, hic autem obumbratam: & ille quidem legitimam habet quam dicat impugnandi cauſam plerunque, hic autem nihil aliud præter inuidiam, & diabolicam mentem. Itaque cui talem aliquis animam comparauerit? Cui viperæ? cui aſpidi? cui vermi? cui ſcarabæo? nihil enim huiuſmodi ſceleſtius anima, peius nihil: hoc enim, hoc eccleſias ſubuertit, hoc hæreſes peperit, fraternam manum armauit, & fecit vt dextera pio tingeretur cruore, & naturæ leges abſtulit, & morti fores aperuit, & in opus illam deduxit maledictionem, & neque partuum, neque parentum, nec vllius alterius illum permiſit miſerum reminiſci: ſed eum ita furiauit, & in tantũ egit furorem, vt & Deo ſe commonente atque dicẽte: (Gen. 4.) *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illi*: nec ita acquieſceret, licet & à crimine eum abſoluerit, & ſubdiderit fratrem: attamen tam inſanabilis eſt iſte morbus, vt & innumeris medicaminibus ſuperpoſitis propriam ſcaturiat tabem. Qua nanque de cauſa doles ô tu omnium infeliciſſime? quoniam honoratus eſt Deus? ſed hoc eſt diabolicæ mentis. At quoniam frater te factus eſt probabilior? ſed & te viciſſim præcurrere licet. Itaque ſi vincere cupis, ne iugulaueris, nec occideris, ſed manere ſinas, vt certaminum cõſeruetur occaſio, & vince viuentẽ: ſic enim tibi ſplendida paratur corona. Nunc verò cum occideris, maiorem iacturæ ſententiã aduerſus temetipſum profers: ſed nihil horum nouit inuidia. Qua verò de cauſa gloriam, & in tanta diligis ſolitudine? Hi nanque ſoli tunc terram habitabãt, ſed neque hoc eum cohibuit: ſed omnibus ex animo proiectis, cũ diabolo ſtetit, & oppoſuit aciem. Etenim erat ille tunc cum Cain malitiæ dux. Quoniam enim ei non erat ſatis hominem factum eſſe mortalem, & mortis genere maiorem facere luctum aggrediebatur, & vt fieret fratricida perſuadebat. Feſtinabat enim, & cupiebat videre ſententiam in opus prodire, qui noſtris numquam malis exſatiatur: quẽadmodum ſi quis captiuum habens inimicum, & prolata videns damnatum ſententia, priuſquam vrbẽ exeat, properet & intus iugulatum videre, neque congruum tempus expectet: ita tum quoque diabolus licet audiſſet, quod in terram homo reuerſurus eſſet, optabat & aliquid maius cernere, coram patre filium morientem, & germanum interimentem germanum, & præmaturam violentamque necem. Vides quantis fuit miniſtra malis inuidia? qualiter inſatiabilem diaboli mentem impleuit, & ei tantam appoſuit menſam, quantam is cernere concupiuit? Fugiamus itaque peſtem. Non enim licet illum ignem euadere diabolo paratum, ab hoc malo non liberatos. Liberabimur autem, ſi cogitemus quomodo Chriſtus & nos dilexit, & alterutrũ amare præcepit. At quomodo nos itaq; dilexit? Pretioſum ſanguinem dedit pro nobis, qui eramus inimici, & modo peccaueramus, hoc fac etiam pro fratre. (Ioan. 13.) Nã propterea dicit: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut ego dilexi vos*: imò verò nec ita mẽſuram ſtatuit. Nam ipſe pro inimicis hoc fecit. At non vis tuum pro fratre ſanguinẽ effundere. Quid igitur illius ſanguinem fundis, ex oppoſito mandatum impugnans? Et ipſe quidem quod fecit, non ex debito fecit: tu verò ſi facis, debitum ſoluis. Quoniam ille qui decem millia talentorum accepit, & centum exegit denarios: non propter hoc tantum puniebatur quod exigeret, verùm & quoniam ex beneficio non eſt melior factus, nec incipientem dominum ſecutus eſt, nec debitum reddidit: iam enim erat & debitum quod à ſeruo factum fuit, ſi modo factum fuiſſet. Etenim omnia quæ facimus, agimus debitum implentes: propter hoc & ipſe dicebat: (Luc. 17.) *Cum omnia feceritis, dicite, quia inutiles ſerui ſumus: quæ enim debebamus facere, fecimus*. Igitur ſiue charitatem exhibuerimus, ſiue dederimus pecunias egenis, debitum implemus: non tantum quoniam à beneficiis ipſe cœpit, verùm & quoniã ipſius bona diſtribuimus, ſi cũcta erogemus. Quid igitur illis te ſpolias, quorum ipſe te vult eſſe dominum? Propterea (Eleemoſyna.) te iuſſit alteri ea dare, vt ea ipſe retineas. Nam donec ipſe ſolus ea detines, nec ipſe quidem habes: quum alteri verò dederis, tunc & ipſe cepiſti. Quid huic par ſit amicitiæ pignori? Ipſe pro inimicis ſanguinem effudit, nos autem neque pro benefactore pecunias: ipſe pretioſum ſanguinem ſuum, nos verò neque pecunias noſtras: ipſe ante nos, nos neq; poſt ipſum: ipſe pro ſalute noſtra, nos neque pro noſtra quidem vtilitate. Nec enim ipſi quicquam amplius ex noſtra ſit humanitate, ſed totum in noſtrum cedit emolumentum. Propter hoc enim & ipſa dare iubemur, ne nos ex ipſis excidamus: quẽadmodum enim ſi quis argentũ paruo dederit puerulo, & retinere pro penſius imperet, vellet ſeruo dare cuſtodiendum, ne volenti rapere liceat, itidem & Deus agit: ait enim: Da indigenti, ne quis tibi rapiat: puta vel ſycophanta, vel accuſator, vel fur, vel nouiſſimè mors. Nam donec ipſe retines, non habes in tuto: ſi verò per pauperes mihi dederis, omnia tibi diligenter ipſe præſto, & in tempore congruo cum multa acceſſione reſtituam. Non enim vt auferam ſumo, ſed vt plura efficiam, vt cuſtodiam diligentius, vt ea tibi conſeruem in illud tempus, in quo qui mutuet nemo, nemo qui miſereatur. Quid igitur nobis crudelius fuerit, qui poſt tot promiſſiones ei mutuare non ſuſtinemus? Inopes enim & nudi tranſimus ad eum, credita nõ habentes: quoniam ea diligentiſſimè ſuper omnes cuſtodienti non commendamus, ideoque & extremã luemus pœnam. Quid enim, dum accuſabimur, dicere poterimus? Quam perditionis noſtræ prætendere excuſationem? Quam defenſionẽ? Cur enim non dediſti? Non credis quòd iterum recipies? Et quomodo rationem hoc habeat? Qui namque non danti dat, quomodo non multò magis, poſtquàm acceperit, dabit? Sed eorum te delectat aſpectus: igitur propterea magis eroga, vt illic te magis delectet, cùm ea ſurripiet nemo: ſicut econtra nunc retinens innumera patieris incommoda. Tanquam enim canis, ita diabolus diuitibus inſilit, tanquam buccellam vel placentam tenenti puerulo volens auellere. Demus igitur ea patri. Et ſi diabolus factum hoc viderit, omnino recedet: cùm verò receſſerit, tunc ea pater omnia dabit in tuto, quum ille non poterit infeſtare in futuro ſeculo. Nunc enim à paruis infantibus, qui à canibus vexantur, nihil diuites differunt, omnibus circa eos latrantibus, laniantibus, trahentibus, non hominibus tantũ, verùm & illiberalibus paſſionibus, ingluuie ventris, ebrietate, aſſentatione, & omni intemperantia. Et ſi fœnerare quidem ſuppetat, multum dantes conquirimus, & gratos conſideramus: hic autem cõtrarium facimus. Gratè ſuſcipientem Deum, & non centeſimam partem, ſed centuplum præbentẽ dimittimus: at ne ſortem quidem nobis reddituros quærimus. Quid enim nobis venter reddet, qui plurima conſumit? ſtercus & corruptionem. Quid autem inanis gloria? liuorem & inuidiam. Quid verò auaritia? curam & ſollicitudinem. Quid intemperantia? gehennam, & veneniferum vermem. Hi namque ſunt diuitum debitores, has ſorti iungentes vſuras, præſentia mala, pœnaſque futuras.

A His igitur quęſo, ad tantam mutuabimus vltionem, & noſtra Chriſto non credemus, cœlum prætendenti, æternam vitam, & arcana bona? Et quam inueniemus excuſationem? Cur enim non das illi qui proculdubio daturus eſt, & plura daturus? fortaſſe, quoniam poſt multum dat temporis? Atqui

Matth. 6.

& hic præbet. Non mentitur enim qui dicit: *Quærite regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis.* Vidiſti liberalitatis magnitudinem? Illa ibi ſeruata ſunt, inquit, & nō diminuūtur: præſentia verò in adiectionis & ſuperabundantiæ loco tibi largior. Præterea verò poſt longum recipere tempus, tibi talentum multiplicat: fœnus enim efficitur maius. Nam & in mutuantibus hoc facientes videmus fœneratores, poſt multum temporis redimentibus libentius fœnerantes. Qui namque ſtatim totum reddit, vſuræ curſum interrumpit: qui verò diu retinet, maiorem facit & operationem. Itaque in hominibus quidem dilationem non ægrè ferimus, verum & ſtudemus, vt maior efficiatur: apud Deum verò tam puſillanimiter nos gerimus, vt propter hoc torpeamus & retrocedamus. Et quidē, ſicut dixi, hic quoque præbet dictam cauſam, & aliud quiddam maius diſpenſans, illic totum ſeruatur. Eorum enim quæ dantur, magnitudo, & illius donationis decor præſentis vitæ tranſgreditur vtilitatem. Nec enim incorruptibili & caduco corpore illas immarceſcibiles fas eſt accipere coronas, nec in præſenti tumultuoſa plenaque turbationis conuerſatione multas habēte mutationes, immotam illam & imperturbatam ſortem acquirere. Et ſi quis aurum quidem tibi debens, in aliena moranti regione, nec habēti ſeruos, neque domum reportare præualenti mutuum ſe dare promitteret: etiam ac etiam rogares, ne tibi peregrè, ſed domi potius id erogaret. Illa verò ſpiritualia & ineffabilia vis hic accipere? & quantæ ſunt iſta dementiæ? Nam ſi hic quidem ceperis, omnino corruptibilia recipies: ſi verò tempus illud expectes, incorrupta tibi reddet & immortalia. Si recipis hic, plumbum recepiſti: ſi verò illic, probatum aurum, veruntamē neque præſentibus te priuauit. Cum illa namque promiſſione & alteram poſuit, ita dicens, quòd omnis qui cœleſtia diligit,

Matt. 19.

centuplū accipiet in hoc ſeculo, & vitam æternam poſſidebit. Si verò centuplum non capiamus, nos authores, qui tantum reddere valenti non mutuamus. Quoniam omnes qui dederunt, tanta receperunt, licèt pauca dederint. Quid enim magnum, quæſo, Petrus erogauit? Nónne rete fractum, & calamum, & hamum duntaxat? veruntamen ei Deus orbis terrarum domos reſeranit, & terram explicuit, & mare. Et omnes eum ad ſua vocabant, quin potius & ſua vendentes ad ipſorum pedes pretia deferebant, nec in manus quidem immittentes, non enim audebant, tantum eis & cum largitate tribuebant honorem. Sed ille Petrus erat, inquies: & quid hoc? homo. Non enim hæc ſoli Petro promiſit, neque dixit, Tu verò Petre centuplum accipies ſolus: ſed, Quicunque reliquerit domos, vel fratres, centuplum accipiet. Non enim perſonarum dixit differentiam, ſed rerum merita.

Liberi multi nō ſunt excuſatio eleemoſynæ.

At, inquies, infantum me cœtus circunſtat, & illos diuites relinquere cupio. Quam igitur ob rem eos faciamus pauperes? Nam ſi ipſis quidem omnia dimittas, periculoſæ rurſum cuſtodiæ tua cuncta commendaſti. Si verò Deum eis relinquas hæredem & tutorē, innumeros reliquiſti theſauros. Sicut cùm noſipſos vlciſcimur, Deus nos non defendit: quum autem ipſi concedimus, pluſquam expectamus, efficitur: Sic & in pecuniis, ſi nos earum curam gerimus, ab earum ille prouidentia recedet: ſi verò totum in eum proiiciamus, & eas in filios in omni ſecuritate conſtituet. Et quid mirum ſi hoc apud Deum contingit, cum & in hominibus hoc ipſum euenire videre poſſumus? Nam ſi neceſſariorum neminem ad liberorum tutelam aduocaueris, confunditur & erubeſcit frequenter, & qui ſponte volebat his acriter ingruere. Si curam igitur in eum proiicias, tanquam magno decoratus honore, maximam & ipſe reddet retributionem. Si vis itaq; multas filiis diuitias relinquere, Deo relinque tutelam. Qui enim te nihil operato, & animam dedit, & corpus plaſmauit, & gratiā donauit, cùm tantam liberalitatem viderit exhibentem, & res illorum ſibi cum illis diſtribuentem: quomodo non omnes eis aperiet diuitias? Si enim Helias modica 3.Re.17.

paſtus farina, poſtquam vidit mulierem illam ſe filiis prætuliſſe, indeficientes areas, & torcularia in viduæ domo præſtitit: conſidera quantam Heliæ dominus oſtendit charitatem. Hoc itaque ne conſideremus, quomodo filios diuites relinquamus, ſed quomodo virtute præditos. Nam ſi diuitiis confidant, nil aliud curabunt, habentes vnde morum malitiam obumbrent pecuniarum abundantia. Si verò ſe viderint illarū eſſe conſolatione deſtitutos, omnia facient, vt aliquam paupertatis releuationē per virtutem inueniant. B Ne diuitias itaque relinquas, vt relinquas virtutem: extremæ namque ſtoliditatis eſt viuentes quidem eos non facere omniū dominos: mortuos autem multam iuuentutis facilitate præbere licentiam. Atqui viuentes quidem & pœnas exigere poterimus, & malè rebus vtentes cohibere & refrænare. Si verò morientes præter orbitatem, & iuuentam, diuitiarum quoque potentiam præbeamus, in mille præcipitia miſeros impellemus & infœlices illos, ignem igni adiicientes, & atroci oleum inſtillantes fornaci. Itaque ſi vis diuites in tuto relinquere, Deum ipſis relinque debitorem, & hoc eis chirographum trade. Nam ſi pecunias quidem ipſi ceperint, neque cui dent norunt: ſed in multos incident calumniatores & ingratos. Si verò præueniens ea Deo fœneraueris, indireptus iam manebit theſaurus, & erit cū multa copia retributio. C Etenim gratiam habet & debēs & erogans nobis Deus, & fœneratores ſuos non fœneratis iucundius intuetur. Et quibus maximè debet, hos maximè diligit. Itaque ſi vis eum ſemper amicum habere, multorum conſtitue debitorē. Nec enim ita fœnerator debitores habens gaudet, ſicut Deus creditores habens delectatur. Et quibus quidem mihi debet, hos refugit: quibus verò debet, ad hos accurrit.

Deus vult nos habere debitores.

Igitur omnia faciamus, vt ipſum habeamus debitorem. Hoc enim fœnorum tempus eſt, & nunc in neceſſitate conſtitutus eſt. Niſi igitur nunc ei dederis, poſtquàm hinc migraueris, tui nōn indigebit: hic enim ſitit, hic eſurit: ſitit autem, poſtquam tuam ſitit ſalutem. Et propterea quoque mendicat, & nudus circumit, tibi negotians vitam immortalem. Eum itaque ne deſpexeris. Non enim vult cibari, ſed cibare: non indui, ſed induere, & aureum illud tibi parare indumentum, & regalem ſtolam. D Nónne vides & medicorum ſtudioſiores, quum ægrotos lauant, & ſe licet nihil indigentes lauare? ſic & ipſe propter te laborantem omnia facit. Propter hoc neque te cum violentia repetit, vt tibi magnam det retributionem, vt diſcas, quòd non opus habens exigit, ſed tuam implens vtilitatem, propter hoc & in vili te petit habitu, & dexteram extendens: neque ſi dederis obolum, auerſatur: neque etiam ſi ſpreueris, abſcedit, ſed ad te rurſum accedit: vehementer enim amat, inquam, ſalutem noſtram. Pecunias itaque contemnamus, ne à Chriſto condemnemur, contemnamus pecunias. Si enim eas hic cuſtodimus, eas omnino perdemus & hic, & illic. Si verò multa cum largitate diſpenſamus, multam in vtraque vita fœlicitatem aſſequemur. Qui vult itaque diues fieri, fiat pauper, vt diues euadat: expendat, vt colligat: diſpergat, vt congreget. Si autem hæc noua videntur & mirabilia, ſeminantem animaduerte & conſidera quòd nec ille poſſet aliter plura colligere, niſi quæ habet, diſpergeret, & parata præmitteret. Seminemus igitur & nos cœlum, vt cum multa metamus

opulentia

opulentia, & æternis potiamur bonis, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo patri gloria, ſimul & ſancto Spiritui, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd non datur pariter ſecundùm Deum & ſecundùm mundum gaudere. Et contra eos qui ebrietati vacant, & deliciis.

HOMILIA LIV.

Ex actibus Apoſtolorum.

MALA res eſt vbique remiſſio, chariſſimi, & propterea ab initio Adæ dictum eſt: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: (Gen. 3.) & vt ex afflictione multa ad requiem peruenientes, Deo gratias agant. Magnum enim bonum eſt tribulatio: audi namque Prophetam dicentem: (Pſal. 118.) *Bonum mihi domine, quia humiliaſti me.* Si verò magnis & mirabilibus viris magnum quid eſt tribulatio, multò magis nobis. Si verò vultis & ipſam per ſe tribulationem inquiramus. Sit aliquis valde gaudens, & lętus, & effuſus; quid turpius? quid hoc ſtolidius? Sit aliquis dolens, & mœſtus: quid hoc eſt ſapientius? (Eccl. 7.) *Melius eſt* enim, inquit, *in domum luctus ire, quàm in domum riſus.* Fortaſſe quidem & quæ dicuntur, repellitis: tamen videamus qualis Adam fuerit in paradiſo, & qualis poſtmodum; qualis antea Cain, & poſtea qualis. Non enim firma ſtat anima ſede, ſed tanquam à quodam flumine tollitur & eleuatur à voluptate, nihil habens ſtabile, & ad repromiſſiones facilis, prompta ad pollicitationes, & multa cogitationum fluctuatio, intempeſtiuus riſus, hilaritas ratione carens, multa verborum & ſuperflua nugacitas. Et quid alios commemorē ſanctos? Vnum proferamus, & intueamur, quis in voluptate quidem, quis autem eſſet in triſtitia. Vultis ipſum Dauid videamus, quum in voluptate foret & lætitia, propter multa trophæa, propter victoriam & coronas, propter delicias & fiduciam, vide qualia & dixit, & fecit: (Pſal. 92.) *Ego autem dixi, in abundantia mea*, inquit, *non mouebor in æternum.* Poſtquam autem in tribulatione conſtitutus eſt, audi quid dicat: (2. Reg. 15) *Si autem dixerit, mihi non places, preſtò ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* Quid hiſce verbis modeſtius? ait enim: Quomodocunque Deo gratum eſt, ita fit. Et iterum ad Saulem ait: (1. Reg. 18) *Si dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium tuum.* Et tunc quidem quum in tribulatione foret, & inimicis parcebat: poſt hæc verò nec amicis, nec his qui nullam intulerant iniuriam. Rurſum Iacob quum in tribulatione fuit, dicebat: (Gen. 28.) *Si dederit mihi dominus panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum.* Quoniam & Noë filius antehac quidem nihil tale fecit, poſtquam verò de ſalute confidit, qualis factus eſt contumeliæ patrator? Et Ezechias quidem cùm eſſet in tribulatione, vidē qualia pro ſalute faciebat, & ſacco induebatur, & quæcunque talia: poſtquàm verò voluptatem incurrit, de cordis ſui cecidit altitudine: ait enim: Cùm comederis & biberis, & fueris impletus, attende tibimetipſi: præceps enim eſt locus deliciarum. Attende, inquit, tibimetipſi. Cum tribulabantur Iſraelitæ, tantò plures fiebant: poſtquam autem eos dimiſerunt, tunc omnes perierunt. Et quid antiquorum exempla commemoro? Nunc videamus, ſi placet, nónne cum in ſecundis rebus ſunt plures, efficiuntur inflati, omnibus inimici, iracundi, quum adeſt potentia: cùm verò fuerit ablata, manſueti ſunt homines, & humiles, & in propriæ naturæ cogitationem veniunt? ideò inquit: (Pſal. 27.) *Tenuit eos ſuperbia, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Hæc mihi dicta ſunt, vt non omnibus modis lætitiam exquiramus. Quid ergo Paulus ait: (Philip. 4.) *Gaudete ſemper?* Non ſimpliciter dixit, gaudete: ſed addidit, *in domino.* Hæc maxima lætitia quaſi gaudebant apoſtoli, ex carceribus ſcilicet, flagellis, perſecutionibus, maledictis, ex omnibus triſtibus principium habens, & radicem, atque materiam, vnde &

A ad bonum peruenit exitum: quæ verò mundi eſt, in contrarium incipit quidē à ſuauibus, at in mala deſinit. Nec ego ſecundùm dominum gaudere prohibeo, imò vehemēter exhortor. Flagellabantur apoſtoli, & gaudebant: vinciebantur, & gratias agebāt: lapidabantur, & prædicabant. Hanc & ego quæro lętitiam, ex nulla re corporali principium habentem, ſed ex ſpiritualibus. Non licet ſecundùm mundum gaudentē, pariter & ſecundū Deum gaudere. Quomodo enim qui ſecundùm mundum gaudet, gaudet in diuitiis, in deliciis, in gloria atq; potentia, & elatione: qui verò ſecundùm Deum, in ignominia propter eū, in paupertate, in ieiunio, in modeſtia. Vides quòd contrarię ſunt occaſiones: quotquot hic citra lętitiam ſunt, & citra triſtitiam: quotquot citra triſtitiam hic ſunt, & citra voluptatē. Et hęc reuera ſunt, quæ veram faciunt lætitiam, quoniā illa lætitiæ tantū nomen habent, quū omnia ſint in triſtitia. B Quantam habet triſtitiam ſuperbus? quomodo cruciatur, dum extollitur, innumeras ſibi cōtumelias inferens, multum odij, multū inimicitiæ, liuoris multum, multum inuidię. Quòd ſi à maioribus contemnatur, dolet: ſi non ſuper omnes inſurgat, roditur. Humilis autem eſt in magna voluptate, honorē expectans à nemine, ſi fortaſſe quidem honoretur, gaudet: ſi verò non honoretur, nec dolet: gratum enim habet quod honoratus nō fuerit, ipſum autem præſertim afficit contumelia nemo. Igitur ex eo quòd honorem, & honorari non requiramus, magna voluptas: illic autem contrarium, & quærit honorem, & non honoratur: non autem æqualiter honore lætatur & qui quærit eū, & qui non quærit. Ille quantumcunque cœperit, ſe nihil accepiſſe putat: hic vel ſi parum exhibueris, quaſi totum acceperit, ſuſcipit. Rurſum qui deliciis vacat, innumeras habet moleſtias, licèt de facili & tanquam ex fontibus ipſi prouentus affluāt, ex deliciis naſcentia patitur C mala, & futurorum incertitudinem. Hic autem in ſecuritate ſemper eſt, & in voluptate, qui victus tenuitati ſemetipſum aſſuefecit. Non enim ita ſemetipſum miſerū vocat, quoniam opiparæ menſæ particeps non eſt: ſicut gaudet futurorum non metuēs incertitudinem. Ex deliciis verò quanta ſint mala, nemo neſcit. Neceſſarium autem & nunc dicere, quòd duplex bellum, & animæ, & corporis: duplex tempeſtas, duplex & morbus. Nec hoc tantùm, verùm & inſanabilis, & magnas afferens calamitates. Sed nō tale quid eſt tenuitas, ſed duplex eſt ſanitas, duplex bonum. Somnus ſanitatis, inquit, in homine parco. Nam mēſura quidem ſemper eſt deſiderabilis, immodeſtia verò nequaquam. Modicæ ſcintillæ multam lignorum pyram ſuperpone, iam non ardentem videbis ignem, ſed multum inſuauem fumum. (A ſimili.) Viro valde forti & magno onus impone vires excedens, & cum onere videbis humi iacētem & proiectū. D Multum onus ingere nauigio, & graue feceris naufragium, quale quidem & hoc eſt. Sicut inſuper plenis nauigiis multus eſt tumultus nautarum, gubernatoris, proretæ, & remigum, qui ſuperiora quidem in mare iaciunt, inferiora verò & ſeipſos perdentes pereunt, & quod omnium eſt turpiſſimum, os poſteriorum partium aſſumit vſum, & illud fit ignobilius. Si verò in ore tanta turpitudo, cogita quāta ſit in anima. Nam & illic omnia tenebræ, omnia tempeſtas, omnia caligo, multus cogitationum clamor, dum premuntur & tribulantur, ipſa calumniam anima proclamante omnibus ſeſe accuſantibus, aduocantibus, ſupplicantibus interiorem fimum alicubi reponi: & poſtquam eiectus fuerit, nec ita ſedatur tempeſtas, verùm & febris, & ægritudines. At inquies, quomodo licet hos cernere deliciis vacātes, bene valentes, qui ſuper equos vehuntur? Quid, inquis, temere nugaris ægritudines nobis dicens: Ego quidem ægroto, & diſtrahor & deturbor: ego qui non habeo quod comedam. Hei mihi, lachrymis enim digna ſunt iſta verba.

A Pedibus verò dolentes, qui vehiculis geſtantur,
compeditos vnde, quæſo, videbimus? Et niſi rem
contumeliam putarent, & verba improperatoria
cenſerent, iam & nominatim eos protuliſſem. Sed
ſunt quidam qui bene valent, quoniam non ſolis
vacant deliciis, verùm & laboribus. Nam da mihi
hominem ſemper ſe pinguefacientem, ſine dolore
iacentem, curantem nihil, licèt infinitorum con-
currat medicorum multitudo, ab ægritudinibus
eum eruere non poterit: nec enim ita ſe habet rei
natura. Medicinalem enim vobis ſermonem com-
memorabo. Ex his quæ mittuntur in ventrem, non
ſolùm alimentum efficitur, quoniam nec in ipſa
nutrimenti natura totum eſt nutritiuum, ſed eius
quidem aliquid in ſeceſſum diſſoluitur, hoc autem
in nutrimentum. Igitur ſi perfectè quidem confi-
ciatur, hoc efficitur, & proprium acceperit locum,
& ſanum quidem & bonum in proprium currit lo-
cum: ſuperfluum autem & inutile deſcendit, & ex-
B cernitur. Si verò nimium ingeratur, & quod ex eo
nutritiuum eſt, noxiū efficitur. Et, vt exempli gra-
tia loquar, quò res vobis reddatur manifeſtior, tri-
tici quidem hoc eſt ſiligo, hoc farina, hoc furfur:
igitur ſi mola quidem ſit idonea molere, hæc om-
nia ſeparauerit: ſi verò plus ingeſſeris, confuderis
omnia: itidem & vinum ſi congruam cocturam, &
temporum aſſequatur temperiem, quoniam citra
quidem hoc, omnia confuſa ſunt: poſt hæc verò
hoc quidem in fæcem ſubſidet, hoc autem in ſpu-
mam exilit, hoc verò in guſtantium vſum, & hoc
eſt bonū, quod nunquam facilè ſubuertetur. Quod
verò dicunt tropiam, neque vinum eſt, neque
fæx, omnibus commixtis. Hoc & in flumine quiſ-
piam viderit, quum aquarum vortex efficitur.
Sicut tunc mortuos videmus piſces adnantes, & fi-
mi craſſitudine oculis captos: itidem & in nobis ef-
C ficitur, quum multus ingluuiei ſuperne fluxerit
imber, poſtquàm omnia commouerit, mortuas ad-
nare facit cogitationes, pridem ſanas, & in puro vi-
uentes. Poſtquā igitur ex multis eſt exemplis dam-
ni magnitudo nobis probata, hos beatos vocare
deſinamus, in his quibus miſeros vocare deſina-
mus in his quibus miſeros vocare decebat, deflere
verò in quibus beatos oportebat appellare, & me-
diocritatem diligamus. An non auditis & medicos
dicentes, egeſtas ſanitatis eſt mater? Ego verò non
tantum corporalis matrem ſanitatis egeſtatem di-
co, verùm & animæ, hæcque Paulus verè medicus
1. Tim. 5. clamat, inquiens: *Habentes autem victum & veſtitum, his
contenti ſimus.* Pareamus igitur ei, vt in bona valetu-
dine quæ facere decet, agamus. Dic enim mihi, ſi
quis tibi cicutā dediſſet habendam, nónne præter
Ebrietatis deteſtatio naturā foret? ſi quis lapides & ligna, nónne auerſa-
tus fuiſſes? Veriſimiliter & merito, præter naturam
enim eſt. Tale quid ſunt & deliciæ. Sicut enim hoſti-
D bus vrbem ſubeuntibus, & obſidione facta & per-
turbatione, multis efficitur tumultus: ita fit & in
Pro. 23. anima, ſubrepente vino cum deliciis. *Cui ve?* cui tu-
multus? cui moleſtiæ, contentiones, & rumores? Cu-
ius oculi liuidi: nónne vino indulgētibus? Sed enim
quæcunque dixerimus in deliciis occupatos non
ſeparabimus, niſi paſſionem aliam oppoſuerimus.
Et primùm quidem nobis ad mulieres ſit ſermo, ni-
hil muliere deliciis dedita turpius, ebria fœdius ni-
hil, ipſius aſpectu flos deletur, oculorum tranquilli-
tas & manſuetudo turbatur: quaſi nebula quadam
radios ſubeunte ſolares. Opus illiberale, ac ſeruile,
omnique plenum ignauia. Quàm eſt iniucunda fœ-
tens, vinum olens putrefactum, mulier carnium
corruptarum ſuccum eructans, grauata, nec ſurge-
re valens, plus æquo rubēs, oſcitatione plena, mul-
taque caligine? At non eiuſmodi quæ deliciis abſti-
net, ſed ſpecioſior & modeſtior: etenim corpori
multum affert decorem animæ compoſitio, ne tan-
tum enim ex corporalibus formis hunc effici cen-
ſeas. Da ſpecioſam puellam, turbatam, loquacem,
iurgioſam, ebriam, ornatam, nónne turpiſſima quæ-
que fœdior eſt? ſi verò verecunda, ſi taceat, ſi eru-
beſcere diſcat, ſi moderatè loqui, ieiuniis vacare,
duplex pulchritudo, ſpecies maior, deſiderabi-
lior aſpectus, modeſtia plenus & ornatu. Vis iam
& de viris dicamus? Quid ebrio turpius, familia-
ribus deriſibilis, deriſibilis inimicis, apud amicos
miſerabilis, infinita dignus dānatione, fera magis,
quàm homo. Multa namque voracitas pardaleos &
leoni eſt, & vrſæ, & meritò: non enim habent ratio-
nalem animā. Et tamen & illa ſi plus neceſſitate, &
menſura ipſis à natura definita comederint, totum
corpus corrumpunt: quantò nos autē magis? Pro-
pterea nobis in breue ventrē Deus coarctauit, pro-
pterea breuem ſtatuit cibi menſuram, vt animę cu-
ram gerere doceret. Ipſam noſtri compoſitionē di-
ſcamus, & vnam in nobis partem hanc operatio-
nē habere viderimus. Os nobis & lingua ad laudes
eſt aſſignata diuinas, guttur ad vocem. Et propterea
nos naturæ neceſſitas conſtrinxit, vt nec inuiti ca-
damus in nimiam repletionem. Itaque niſi deliciæ
labores haberent, & ægritudines, & infirmitates, eſ-
ſet forte tolerandum: nunc verò tibi naturæ termi-
nos poſuit, vt neque volens tranſgrediaris. Nónne
voluptatem quæris, dilecte? hanc ab eo quod ſatis
eſt, inuenies. Nónne ſanitatem? & hanc. nónne ſe-
curitatem? & hanc. nónne libertatem? nónne cor-
poris robur? nónne bonam habitudinem, & animi
ſolertiam? nónne vegetationem? Iſta ſunt hic om-
nia bona: in illa verò contraria, iniucunditas, mala
habitudo, ægritudo, illiberalitas, impenſā. Vnde igi-
tur, inquit, omnes ad hanc cōcurrimus? ex morbo.
Dic enim mihi, quarè quod lædit, ægrotus inquirit?
nónne & hoc ipſum ægrotare ſignum eſt? Quare
claudus rectè non ambulat, cùm hoc ipſum non ex
torpore fit, nec eò quod ad medicum ire nolit? Re-
rum enim hæ quidem temporariam habent volu-
ptatem, pœnam autem perpetuam: hę verò contra-
rium, patientiam quidem temporaneam, delectatio-
nem verò continuā. Itaque tam mollis & ignauus:
vt pro futuris præſentia non deſpiciat, ſtatim capi-
tur. Dic enim mihi, vnde captus eſt Eſau? vnde prę-
ſentem voluptatem futuro præpoſuit honori? ex
ſegnitie & mollitie. Hoc autē ipſum, inquit, vnde?
Ex nobis ipſis. Et inde patet, cùm volumus, noſip-
ſos excitamus, & tolerantes efficimur: ſi quando
itaque neceſſitas venerit; frequenter autem & con-
tendentes duntaxat vtile cognoſcimus. Cum igitur
deliciis vacaturus es, cōſidera voluptatis momen-
taneum, & damnum (verè ſiquidem damnum eſt
cum propria pernicie tot abſumere pecunias) æ-
gritudines, infirmitates, & contemne delicias. Quot
tibi vis enumerem ex deliciis mala perpeſſos? Noë
factus eſt ebrius, & denudatus, & vide quot ex hoc
orta ſunt mala. Eſau per ingluuiem primogenita
perdidit, & ad fratricidium animum dedit. Populus
Iſraël *ſedit manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, &* Gen. 9.
propterea dicitur: *Cùm manducaueris, & biberis, me-* Ibid. 25.
mento domini Dei tui. In præcipitium enim cecide- Exod. 32.
runt, in delicias delapſi. Vidua illa *deliciis vacans,* 1. Tim. 5
viua mortua eſt. Et iterum: *Impinguatus eſt, & incraſſa-* Deut. 6.
tus, & recalcitrauit dilectus. Et iterum Apoſtolus ait, Ibid. 32.
Curam carnis ne feceritis ad concupiſcentias. Non pro- Rom. 13.
mulgo ieiunium, non enim eſt qui audiat: ſed
tollo luxum, præcido delicias propter vtilitatem
veſtram: tanquam enim torrens omnia deliciæ
ſubuertunt, nihil eſt quod eas coërceat, eiiciunt
ex regno. Quid amplius? vis frui deliciis? da pau-
peri, voca Chriſtum, vt & poſtquam menſa remota
fuerit, habeas quibus fruare deliciis. Nam nunc
quidem non habes, & meritò: tunc autem habe-
bis. Vis deliciari? animam paſce, trade ipſi ci-
bos quorum conſuetudinem habet, eam ne fa-
me perimas. Tempus belli, tempus certaminis;
tu verò ſedes in deliciis. Non vides & regiis præ-
poſitos in exterioribus caſtris tenuiter viuentes?

Non eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, tu verò luctaturus temetipſum impinguas? Stat ſtridens dentibus aduerſarius, tu verò diffunderis, & menſis vacas. Noui me nequicquam hæc dicere, ſed non omnibus. *Qui habet aures audiendi, audiat.* Chriſtus fame tabeſcit, tu verò voracitate temetipſum diſtendis, duæ immodeſtiæ. Quid enim mali non faciunt deliciæ? ſibiipſis contrariæ ſunt. Vnde neſcio quomodo nomen hoc habeant: ſed ſicut gloria, quum ignominia ſit, & diuitiæ, cùm ſit paupertas, vocatæ ſunt: ſic & deliciæ, cùm iniucunditas ſit. Nunquid enim mactandi ſumus, quoniam noſipſos ſaginamus? Quid lautam vermibus menſam apponis? quid maiorem alis ſaniem? quid fœtentes ſudorum fontes reponis? quid ad omnia temetipſum reddis inutilem? Vis oculū fortem fieri? fac corpus robuſtum. Nam & in chordis, craſſa quidem & immunda ad cantus ſuauitatem inutilis eſt: vndique verò raſa, intenſa eſt, & conſonantiſſima. Quid animam obruis? quid parietem facis craſſiorem? quid multum fumum & nebulam, cùm vapores tanquam caligo quædam vndique reddantur? Si non alius quiſquam, te ſaltem athletæ doceant, quoniam gracilius corpus eſt & fortius, & anima fortior aurigæ ſimilis eſt & equo. Sed illic vides, ſicut in his qui deliciis vacant, & carnoſis: ſic & equi carne fluentes motus ſunt difficilis, & multos aurigis labores præbentes. Optabile eſt, facilem & expeditum agentem equum brauium accipere: cum autem eum auriga trahere cogitur, & frequentiſſime cadentem ſtimulans, nec ita quidem excitare poteſt, licet ipſe ſit valde peritus, victoria priuabitur. Ne noſtram contemnamus animam propter corpus calumniam patientem: verùm & illam faciamus perſpicaciorem; alas ei leues nectamus, molliora vincula, rationibus eam paſcamus. Satis eſt, quantum vt valeat corpus duntaxat, tantùm vt ſit robuſtum, gaudeat & non doleat, vt quum ita bene noſtra diſpoſuerimus, ſummam poſſimus virtutem apprehendere, & æternis potiri bonis gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti; cum quo patri, ſimul & ſancto Spiritui gloria; honor, imperium, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Matt. 11.

Contra luxuriantes & deditos deliciis, & de præſentis ſeculi conſummatione.

Homilia LV.

Sobrietas eſt mater ſanitatis.

NON tam vehementer fluuialium aquarum curſus ripas corrodere, & ſubmittere ſolet, ſicut deliciæ & luxus omnia valetudini noſtræ firmamenta facile ſubruere. Si namque medicinalem ingrediaris officinam, & accedens interrogaueris, omnes fere morborum cauſas illinc inuenies eſſe. Vilis enim tenuiſque menſa ſanitatis mater eſt, & eam propterea medicorum pueri ita nominauerunt: non ſaturari quidem vocantes ſanitatem (cibi namque penuria ſanitas eſt) minus veſci ſanitatis matrem apellantes. Si verò mater eſt ſanitatis egeſtas, patet quòd ſaturitas ægritudinis mater eſt & infirmitatis, morboſque parit, ipſorum quoque medicorum artem tranſgredientes, pedum enim dolores, & capitis grauedines, & vertigines, & manuum cruciatus, & tremores, & remiſſiones & arquatus, & longæ febres & æſtuoſæ, & alia his multò plura (non enim omnia percurrere vacat) non ex indigentia, parcoque victu, ſed ex crapula & ſaturitate naſci ſolent. Si verò vis animi morbos inde naſcentes videre, auaritiæ, mollitiæ, melancholiæ, ignauiæ, intemperantiæ, omnis ignorantia hinc habent principium. Nihilo namque fiunt aſinis meliores animi talium menſarum delicias ſectantes, tot ferculis diſtracti. Dicam & quot triſtitias & moleſtias habeant deliciis inhærentes. Omnes quidem recenſere non poſſumus, at vno capite totum reddam manifeſtum. Hanc enim ipſam lautam mēſam cum voluptate nunquam attingunt. Egeſtas enim ſicut ſanitatis, ſic & voluptatis eſt mater. Saturitas autem ſicut morborum, itidem & faſtidij fons atque radix eſt. Vbi namque ſatietas fuerit, non poteſt eſſe appetitus; abſente verò appetitu, quomodo poſſit adeſſe voluptas? Propterea non tantùm pauperes diuitibus prudētiores inuenimus, verùm & maiorem aſſequentes delectationem. Quibus omnibus animaduerſis, ebrietatem fugiamus atque delicias: non tantum in menſis, verùm & in omnibus ſecularibus negotiis, & pro illis recipiamus ex ſpiritualibus voluptatem, & iuxta Prophetam delectemur in domino: ait enim, *Delectare in domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Sicut autē domum pulchram, quum aer appropinquauerit, ſplendidam oſtendit: itidem & aſpectum ſpecioſum hilaritas animæ meliorem exhibet. Si verò ſit in triſtitia, & doloribus, deformior redditur. Mœſtitiam verò morbi faciunt, & cruciatus, porrò morbos corporis mollities ex multis conflata deliciis. Igitur & propter hoc, ſi mihi parebitis, fugietis delicias. Sed voluptatem, inquies, habet deliciis frui. At non tantam quantas infeſtationes. Nam voluptas quidem ad guttur vſque peruenit & linguam: remota namque menſa, vel vorato cibo ſimilis eſt illi qui non guſtauit, imò longè peior, onera inde ferens, & capitis grauedinem, & ſomnum morti ſimilem: frequenter autem & inſomnia ex crapula & ſpiritus preclusione & eructatione. Et innumera ventri imprecatus es, quæ magis erant imprecanda immodeſtiæ. Ne corpus itaque ſaginemus, ſed Paulum audiamus dicentem: *Curam carnis ne feceritis in concupiſcentiam.* Sicut enim ſi quis in cloacam cibos deiiciat, ita quoque qui mittit in ventrem: imò vero non ita, ſed multò peius. Hic namque cloacam nullis afficit malis illic autem & innumeros parit morbos. Quod enim nutrit tantum, eſt mediocritas, quod & confici poteſt: quod verò ſupra neceſſitatem affluit, non modo non nutrit, verùm & illud corrumpit: ſed hæc nemo videt ex quadam intempeſtiua voluptate & temeritate. Vis corpus alere? tolle ſuperfluum, da quod ſatis eſt, & quantum concoquere poteſt, ne aggraues ipſum, vt non ſubmergas. Quod ſatis eſt, eſt cibus & voluptas: nihil enim ita voluptatem parit, ſicut cibus bene digeſtus: nihil ita ſanitatem, nihil ita ſenſuum velocitatem, nihil eſt quod ita morbos expellat. Sufficiens enim modus & voluptas eſt, & alimentum & ſanitas: plus autem & pernicies, & faſtidium; & ægritudo. Quæ namque facit fames, hæc & ſaturitas facit: imò verò grauiora. Nam illa quidem paucis abſoluit diebus, & hominem liberat: hæc autem corpus abſumens & tabefaciens, diuturnæ tradit ægritudini, & morti demum atrociſſimæ. Nos vero famem certè rem abominandam cenſemus, ſed ad ſaturitatem hac peiorem currimus. Vnde igitur hæc ægritudo? vnde hic furor? Non dico vt nos abſumamus, ſed tantum comedamus quod & voluptatem habeat, quæ verè voluptas ſit, & corpus alere poſſit, & ordinatum, & nobis ad animæ congruum actiones, & bene firmatum, & compoſitum reddere. Cùm verò deliciis ſuperabundauerit, clauos ipſos, vt ita dicam, & iuncturas ex vndatione continere nō poteſt compactas: ſubrepens enim æſtuatio totum diſſoluit atque diffundit. Carnis itaque prouidentiam ne feceritis ad concupiſcentias: bene dixit: deliciæ namque ſunt abſurdarum occaſio cupiditatum. Licet omnium ſit ſapientiſſimus qui deliciis vacat, aliquid ipſum pati neceſſarium eſt: à vino, à cibis neceſſe diſtēdi, neceſſe maiorem flammam ſuſtinere: hinc fornicationes, hinc adulteria. Nō enim vēter eſuriens amorem parere poteſt, vel potius parcimoniæ deditus. Qui verò malas parit cupiditates, eſt ille qui deliciis languet, & velut multū humida

Pſal. 26.

Rom. 13.

Ebrietatis incommoda.

terra vermes gignit, & humefactus fimus, & multum habens humorem. Ab illa verò liberatus humiditate, multos affert fructus, cùm nimium non habeat humorē, licèt non excolatur, herbam producit: ſi verò colatur, fructus. Ne carnem itaque reddamus inutilem, neque ſegnem & noxiam, ſed vtiles fructus in ea plantemus, & ligna fructifera, nec ea deliciis ſoluamus. Etenim & illa vermes pro fructibus emittunt, cùm marcuerint: ſic & ingenita cupiditas, ſi eam irrigaueris, malas parit voluptates, & quàm abſurdiſſimas. Et propterea de gehenna iugiter audiamus, vt ex huius minis & timore multum emolumenti capiamus. Nam ſi Deus peccantes in eam deiecturus huius minas non præmiſiſſet, in eam multi cecidiſſent. Si nunc enim timore animas noſtras concutientē, ſunt aliqui tam facilè peccantes, tanquam nec ipſa ſit: ſi nihil horum dictum fuiſſet, neque intentatum, quid mali non feciſſemus? Itaque quod ſemper dico, gehenna non B minus quàm regnum Dei circa nos curā oſtendit. Gehenna namque cum regno cooperatur; ad ipſum homines timore compellens: ne ſæuitię, neque crudelitatis rem eſſe cenſeamus, ſed miſericordiæ, multæque benignitatis & curæ, & dulcis erga nos amoris. Niſi per Ionā ſubuerſio denuntiata fuiſſet, non fuiſſet prohibita ſubuerſio. Niſi dixiſſet, quòd ſubuerteretur Niniue, Niniue non ſtetiſſet: niſi fuiſſet intentata gehenna, in gehennam omnes ceci-diſſemus: niſi prænuntiatus ignis fuiſſet, ignem fugiſſet nemo. Eorum quæ facere vult contraria dicit, vt quę vult faciat. Non vult mortem peccatoris: & dicit mortem peccatoris, ne mittat in mortē. Nec verbo tantum teſtatur, verùm & factis oſtendit, vt fugiamus. Ne quis verò minas hoc eſſe ſolum exiſtimet, verum & eſſe reuera, ex his quæ hic facta ſunt, patet. An non tibi videtur gehennæ ſignum eſſe diluuium vniuerſalis, & omnibus pernicioſæ C pluuiæ? ſicut enim, ait, in tempore Noë erant nubentes & nuptui tradentes: ita tunc quoque prædixit ante multum temporis, & nunc prædicit ante annos quadringentos, & plures: ſed nemo, qui attendat. Omnes fabulam rem eſſe putant, omnes riſum, timor habet neminē, nemo luget, nemo pectus tundit. Ignis exæſtuat, fluuius flamma ſuccenditur, & nos ridemus, & delicias amplectimur, & licentioſè peccamus. Nullus vnquam in mentem illum diē admittit, nullus cogitat, quòd præſentia prætereūt, quòd hæc ſunt temporanea, licèt ipſis rebus quotidie clamantibus, & vocem emittentibus. Præmaturæ mortes, rerum noſtrarum mutationes, nobis etiam viuentibus factæ, nos non corrigunt, non languores, & reliqui morbi. Nec ſolùm autem in corporibus noſtris mutationes, verùm & in ipſis elementis quiſpiam videbit: & in ætatibus per ſingulos dies mortem meditemur, & in omnibus ſemper inſtabilitas per opera deſignatur. Nunquam D hyems remanſit, nunquam æſtas, nunquā ver, nec autumnus: ſed omnia currūt, & auolant, & fluunt. Sed quid dixerim flores? ſed quid vis? dignitates, Reges, & qui ſunt hodiè, cras autem nō erunt? Sed diuites, ſed ædificia ſplendida, ſed noctem & diem, ſed ſolem, ſed lunam: an non & ipſa decreſcit, ipſe verò ſol non frequēter deficit, non obtenebratur, non eum nubes abſcōdit? Nunquid viſibiliū quippiam ſemper manet? Nihil: ſed anima ſola omnium quæ ſunt in nobis, & hanc negligemus: eorum quidem, quæ variantur, tanquam permanentium, multam gerentes curam: manentis autem ſemper, tanquam tranſeuntis nullam habentes rationem. Ille magna poteſt, ſed in craſtinū vſque: poſt hæc verò peribit. Et hoc manifeſtū ex his qui maiora valuerunt, & nunc nuſquam apparent. Fabula quædam eſt, & ſomnium vita: ſicut enim in ſcena aulæo ſublato varietates diſſoluuntur, & omnia coruſcante luce ſomnia auolant: ita nunc quoque conſummatione veniente tam communi, qua vniuſcuiuſque

Mortis memoria ſemper habenda.

A omnia diſſoluuntur & euaneſcunt. Et lignum quidem quod plātaſti, manet: & domus quam ædificas, & ipſa manet: faber autem & agricola abducuntur & pereunt. Et cùm hæc fiant, nec ita veremur: ſed tanquam immortales hæc omnia comparamus, deliciis & luxui vacantes. Igitur audi quid Salomon dicat, qui præſentium experientiam rebus ipſis cœpit: *Aedificaui mihi domos*, inquit, *plantaui hortos & viridaria, vineas, natatorias aquarum, argentum & aurum factum eſt mihi, feci mihi cantores & cantatrices, greges & armenta.* Nemo namque fuit ita delitioſus, nemo tam glorioſus, nemo tam ſapiens, tantum dominans nemo, nemo tantum ad vota ſibi vidit omnia ſucceſſiſſe, quid igitur? nullam ex his cœpit vtilitatem. Sed quid ait poſt hæc omnia? *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Non ſimpliciter vanitas, ſed per excellentiam. Ei quæſo credamus, & res apprehendamus, in quibus non eſt vanitas, vbi veritas, vbi cūcta firma ſunt atque ſtabilia, vbi ſunt omnia ſupra petram ædificata: vbi ſenectus non eſt, neque tranſitus: vbi florent omnia, omnia vigent, vbi nihil veteraſcens, ſeneſcens nihil, nihil perditioni proximum. Generosè quæſo Deū deſideremus, non gehennæ metu, ſed regni deſiderio. Quid enim rogo Chriſti par viſioni? nihil eſt. Quid illorum æquale bonorum gaudio? nihil. *Quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus eum.* Illa conſequi ſtudeamus, iſta contemnamus: nónne frequenter ea damnamus: quoniam nihil eſt humana vita? Quid circa nihil laboras? Sed ſplendida reſpicias ædificia, & horum te fallit aſpectus, ſtatim in cœlum reſpice. A lapidibus & columnis ad illum decorem oculos reflecte, & videbis quòd hæc formicarum ſint & culicum opera. Contemplare ſpectaculum, aſcende ad cœleſtia, illinc ædificiorum diſce ſplendorem, eſſe nihil inuenies: ſed paruulorum ludibria puerorum. Vides quantò ſubtilior, quantò leuior, quantò purior ſit aër atque lucidior, quantò magis alta conſcendis? Illic qui præſtant eleemoſynam, domos habent & tabernacula. Hæc in reſurrectione reſoluuntur, quin potius & ante reſurrectionem ſuperueniens tempus corrupit, perdidit, atque diſſoluit: & ante tempus autē in ipſo plerúque vigorē & flore vel terræmotus proſtrauit, vel etiam incendium omnia frequenter vaſtauit. Non enim in ſolis hominum ætatibus, verùm & in ædificiis præmaturæ ſunt clades: & frequenter marcida quidem tempore facta, concuſſa terra manſerunt immota: coruſcātia verò fixaque, & recenter conſtructa ſolo tonitru concuſſa perierunt. Et hoc diſponente Deo fieri cenſeo, ne in ædificiis altum ſapiamus. Vis & aliter non dolere? ad communia veni ędificia, quorum ęquè particeps es & tu. Non enim eſt domus, licet ſit valde ſplēdida, cœleſtibus ſplendidior ædificiis. Ibi quantumuis tēporis immorare, tua ſunt illa, tua ſunt, cum aliis communia ſunt, & non propria. Sed non delectant: primum quidem conſuetudinis eſt, ſecundum autem auaritiæ: igitur quod delectat eſt auaritia, non pulchritudo. Igitur auaritia delectatio eſt, & quæ ſunt omnium, velle ſibi vindicare. Quouſque hic erimus affixi? Adhæſimus terræ tanquam vermes, in cœno volutamur. Corpus de terra nobis Deus contulit, vt ipſum & in cœlum reuehamus, non vt animam per ipſum ad terram detrahamus. Terrenū eſt, ſed ſi velimus, efficitur cœleſte. Vide quanto nos honore proſecutus eſt, tale nobis opus præcipiens. Feci, inquit, ego cœlum & terram, do tibi quoque creationem. Fac terram cœlum: nam potes. Qui facit omnia, & mutat, de Deo dictum eſt, hanc & hominibus poteſtatē dedit. Sicut aliquis pater charitate plenus pingens, non ipſe ſolus, ſed & filium ad patrum diſciplinam perducere ſtudet. Feci, inquit, ego ſpecioſum corpus, do tibi melioris creationem: tu bonam fac animam. Dixi ego, *Germinet terra herbam virentem*, & omne lignum pomiſe-

Ezec. 2.

Ibidem.

1. Cor. 2.

Genes. 1.

pomiferum: dic & tu, producat ipſa terra fructum proprium, & exibit quicquid facere velis. Facio æſtatem & nebulam, firmo tonitru, & creo ſpiritum (*Pſal. 103.*) formaui *draconem, ad illudendum ei*, hoc eſt, diabolum, ne hanc inuidi tibi poteſtatem: illude tu quoque ſi vis: potes enim eum vt paſcerem vincere. *Facio oriri ſolem ſuper bonos & malos.* Imitare tu quoque, communica quæ tua ſunt & bonis, & malis. Cõtumelias patiens tolero, contumeliaque parantes beneficiis proſequor. Imitare etiã tu. Nec ita benefacias propter retributionem, neque propter gratiarũ actionem. Accendit luminaria in cœlo: his ſplendidiora tu quoque fac accendas: potes enim. Eos qui ſunt in errore, illumina: maius eſt illud beneficiũ, quàm ſolem intueri, me agnoſcere. Hominem facere non potes, ſed iuſtum facere potes, & Deo gratum. Ego ſubſtantiam creaui, tu voluntatem exorna. Vide, quomodo te diligam, & in maioribus tibi virtutem dederim. Videtis, dilectiſſimi, qualiter honorati ſumus: & ex irrationalibus, & ingratis quidam dicunt: Quare voluntatis domini ſumus? hæc omnia quęcunque percurrimus, in quibus Deum poſſumus imitari, niſi liberum eſſet arbitrium, ſectari minimè poſſemus. Dominor, inquit, angelis ego, & tu per principium. In throno regali ſedeo, & tu conſides per primitias. (*Ephes. 2.*) *Conreſuſcitauit, inquit, & conſedere nos fecit in cœleſtibus.* Adorant te Cherubin, Seraphin, omnis angelica virtus, principatus, poteſtates, throni, dominationes, per primitias. Noli corpus accuſare, quod tanto fruitur honore, quod & incorporeæ tremunt virtutes. Sed quid dixerim? Non his tantùm amorem oſtendo, verùm & his quæ paſſus ſum: propter te conſputus ſum, colaphis cæſus, gloriam exinaniui, patrem reliqui, & ad te veni, qui me oderas & auerſabaris: neque nomen meum audire volebas. Secutus ſum & accurri, vt te comprehenderem: te mihimet vniui & copulaui. (*Euchariſtia hominē Deo vnit.*) Manduca me dixi, bibe me, & te ſurſum habeo, & deorſum tibi connector. Non ſatis eſt tibi, quòd tui primitias ſurſum habeo? Hoc non tuum ſatiat deſiderium. Et deorſum rurſus deſcendi, nec ſimpliciter tibi commiſceor: ſed connector, manducor, paulatim attenuor vt magna fiat temperies, commixtio & vnio. Nam quæ vniuntur, in propriis permanent terminis, ego verò tecum contexor. Nolo deinceps eſſe quicquam interualli: vnum vtraque eſſe volo. Hæc itaque ſcientes, & multam eius ſentientes curam, agamus omnia: quæ nos magnis ipſius donis non indignos oſtendere poſſint: quæ vtinam omnes aſſequamur in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo patri, ſimul & Spiritui ſancto gloria, imperium, honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De monachorum vita, & quòd quæ videtur eorum grauis eſſe vita, dulcior eſt ea quæ facilis eſſe videtur.

HOMILIA LVI.

CVm maiore libertate dilectiſſimi, hodie vos alloqui volo: ſed ſuſtinete, vt diſcatis, quòd hæc monachorum vita & crucifixorum, quæ grauis eſſe putatur, & oneroſa, hac quæ facilis & mollior eſſe videtur, multò dulcior eſt atque concupiſcibilior. Et huius voſipſi teſtes, qui frequenter in ærumnis & mœroribus circumuenientibus mortem poſtulatis: & illos vocatis beatos, qui in montibus & ſpeluncis habitantes coniugium non attigerunt, & vitam degunt tranquillam, cùm vos in arcibus, vel in caſtris temerè viuatis & fruſtra, & in ſcena diem & orcheſtris agatis. Nam licet inde multæ voluptates ſcaturire videantur, & lætitiæ fontes, innumeræ tamen acerbiores oriuntur ſagittæ. Si quis enim puellæ cuiuſquam illic ſaltantium amore captus fuerit, ſuper omnem militiam, ſuper innumeras peregrinationes grauius ſuſtine-A bit tormentum, omni ciuitate circumceſſa ſe miſerius habens. Veruntamen ne hæc interim exquiramus, ipſa captorum relinquentes conſcientiæ, de multorum agite vita loquamur: & tantum vtriuſque vitæ reperiemus interuallum, quantum eſt portus & pelagi, quod continuis frangitur ventis, diſcrimen. Ex ipſis autem diuerſoriis ſtatim tranquillitatis præmia contemplare. Fora namque fugientis & ciuitates, & medios tumultus, in motibus vitam elegerunt, cum præſenti commune nihil habentem, nihil ſuſtinentem humanum, non ſecularem triſtitiam, non dolorem, non curam tantam, non pericula, non inſidias, non inuidiam, non zelotypiam, non abſurdos amores, non aliud quicquam huiuſmodi. Hic iam quæ ſunt regni meditantur, in ſaltibus conuerſantes, & montibus, & ſpeluncis, & quiete ac ſolicitudine multa, & ſuper hæc omnia cum Deo. Et ab omni quidem eis munda tumultu domuncula, omni verò vitio ac morbo libe- B ra anima, ſubtilis & leuis, & aëre ſubtiliſſimo longè purior. Opus autem eis, quod erat & Adæ ab initio, & ante peccatum cum erat gloriam indutus, & Deo cum fiducia colloquebatur: & locum illum multa fœlicitate plenum habitabat, & cum ante præuaricationem ad colendũ paradiſum poſitus fuit. Quid enim deterius hi ſunt illo diſpoſiti? nec vna quidẽ ei cura ſecularis erat, at nec his. Deo cum pura loquebatur conſcientia, hoc & hi faciunt: quinimò multò maiorem illo fiduciam habent, quantò maiorem quoque conſecuti ſunt gratiam per Spiritus miniſterium. Igitur oportebat quidem oculis nos hæc haurire. At poſtquam renuitis, & in tumultibus & foris commoramini, vel ſermone vos doceamus, vnam eorum conuerſationis partem aſſumentes: non enim omnis eorum vita poteſt recenſeri. Hæc orbis terrarum luminaria, quando ſol oritur, quin potius multò ante auroram ex lectulo ſurgentes in- C columes, & ſolertes, & ſobrij: (nec enim vlla triſtitia vel ſollicitudo, non capitis grauedo, negotiorúmve labores, non turba, vel huiuſmodi quicquam aliud eos diſturbat, ſed tanquam angeli degunt in cœlo.) ſurgentes itaque ſtatim ex cubili hilares & læti, chorumque conſtituentes in alacri conſcientia, conſonanter omnes tanquam ex vno ore hymnos omnium Deo concinunt, eum venerantes, & ei gratias de omnibus agentes, tam propriis, quàm cõmunibus beneficiis. Itaq; ſi videtur, Adã omittentes, interrogemus quid ab angelis differat hic chorus ſuper terram canentium, & dicentium: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* (*Luc. 2.*) Veſtis autem eis fortitudine digna: non enim caudatis vtentes veſtibus, iuxta eneruatos & molles induuntur, ſed iuxta beatos illos angelos, Heliam, Heliſæum, Ioannem, ſecundum Apoſtolos: cùm veſtimenta ſint ipſis parata, his quidem ex caprarum pilis, his autem ex pilis camelorum. Sunt D autem & quibus ſolæ ſufficiunt pelles, & hæ iamdum confectæ. Mox vt illa dixerint cantica, flexis genibus laudatum Deum pro negotiis inuocant, in quorum congregationem quidam nec ſtatim veniunt. Petunt enim præſentium quidem nihil (eis enim horum nulla ratio) ſed vt cum fiducia ſtent coram illo tremendo tribunali, cum veniet viuos iudicaturus & mortuos vnigenitus Dei filius, & nullus illam audiat horrendam vocem, dicentem, Neſcio vos. Et vt cum pura conſcientia, multiſque meritis hanc laborioſam tranſigant vitam, & ſecundo vento difficile nauigent pelagus. Præcedit ante eos in oratione pater prælatus, deinde ſurgentes perfectis illis ſanctis & continuis precibus, orto iam ſole vadunt ad opus quiſque ſuum, multum hinc prouentum egentibus cumulantes. Vbi nunc ſunt ſe choris dedentes diabolicis, & meretriciis cantibus, & in theatris ſedentes? Pudet enim illorum meminiſſe, tamen propter infirmitatem veſtrã opus eſt & hoc facere.

Rom. 6. Paulus enim ait: *Sicut igitur exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, ſic nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Igitur & nos ex fornicantibus fœminis, & iuuenibus ſcortantibus in ſcena conſtitutum chorum inquiramus; & horum beatorum ad voluptatis rationem, qua præſertim multi ſocordes iuuenum capiuntur illarum laqueis: tantum enim diſcrimen inueniemus, quantum ſi quis angelorũ in cœlo canentium illam conſonantiſſimam audiſſet melodiam, & canes in fimo defoſſos & latrantes. Per hæc enim ora Chriſtus, per illam verò linguam diabolus reſonat. Et illis quidem fiſtulę nõ articulata conſonant voce, buccis interim eis tumeſcentibus, & ſe diſtrahentibus neruis inſuaui ſpectaculo: ſed hic Spiritus inſonat gratia, pro tibia, cithara, & fiſtula; ſanctorũ vſa labiis. Quia verò, quæcunque dixerimus, voluptas explicari non poteſt, propter iſtos luto affixos, & operi lateritio: & propterea vellem horum aliquem circa talia furentium ſuſcipere, & eò perducere, horumq; ſanctorum oſtendere chorum, neque mihi iam verbis opus fuiſſet. Veruntamen licet ad terrenos loquamur, ſermone vel modicum eos ex cœno & paludibus extrahere conemur. Nam illinc quidem auditor abſurdi ſtatim amoris ignem concipit: tanquam enim nõ ſatis ſit meretricis aſpectus ad mentem ſuccendendam, & vocis peſtem adiunxerunt: hic verò ſi quid habet anima tale, ſtatim deponit. Neque porrò vox & aſpectus, verùm & harum veſtes magis ſpectantes conturbant. Et ſi quis ſit pauper craſſorum & neglectorum, ex aſpectu plurimum indignabitur, & frequenter ad ſemetipſum dicet: meretrix quidem, & leno, & coquorum & coriariorum filij, & plerunque ſeruorum in tantis viuunt deliciis: ego verò liber, & ex liberis, iuſtos ſequens labores, ne per ſomniũ quidem hæc concipere poſſum: & ita ſucceſſus mœrore diſcedit. Apud monachos autē nihil huiuſmodi, ſed omnia contraria. Cum enim diuitum filios & generoſis progenitoribus ortos talia viderit indutos veſtimenta, qualia neque pauperũ extremos, & ad hæc gaudentes: conſiderate quantam paupertatis conſolationem capiēs abit: ſiue ſit diues, correctus recedit, melior effectus. Rurſum cum in theatro quidem auream meretricem indutã viderint, pauper quidem ingemiſcet & flebit, ſuam videns vxorem huiuſmodi nihil habere: diuites autem videbunt, & ex hoc ſpectaculo ſuas aſpernabuntur conſortes. Cum enim habitũ, & aſpectũ, & vocem, & greſſum, & omnia videntibus illa præferat mollia, accenſi recedunt, & iam captiui ſuas petunt domos. Hinc iniuriæ & contumeliæ, hinc inimicitiæ, bella, & quotidianæ mortes, hinc captis vita minimè vitalis, & iam ingrata coniunx, & filij non æquè deſiderabiles, & omnia domi confuſa, & ab ipſa iam luce vexari ſe putant: ſed ex his cœtibus nulla talis moleſtia, ſed manſuetum & mitem virum vxor ſuſcipiet, ab omni liberatum mala voluptate, & eo facilius quàm antea vtetur. Talia quidem ille chorus parit mala, hic autem bona: ille quidem ex ouibus lupos faciens, hic autem ex lupis agnos conſtituēs. Sed nihil adhuc ferè nobis de voluptate dictũ eſt. Et quid poſſit eſſe iucundius, quam non tumultuari, neque mente triſtari, neque dolere & gemere? Verum & altius ſermonem prouehamus, & vtriuſque cantus atque ſpectaculi fructum indagemus, & illum quidem ad veſperam vſque manentem videbimus, donec in theatro ſedeat ſpectator: poſt hæc autem omni ſtimulo grauius eum contriſtantem: hanc autem ſpectatorum animis continuè vigentem. Nam & virorum formam, & loci iucũditatem, & conuerſationis dulcedinem ac vitæ puritatem, & pulcherrimi ſpiritualiſq; cantus gratiam ſibi ſemper habent inſidentem. His itaque portubus potientes, quaſi quandam deinceps procellã fugiunt multorum tumultus. Neque verò canētes tantùm & orantes, verùm & libris affixi, iucundum ſunt videntibus ſpectaculum. Cùm enim chorũ diſſoluerint, hic quidem Eſaiam ſumēs, cùm illo loquitur: hic autem cum Apoſtolis conuerſatur, alius ab aliis elaborata percurrit: & de hoc vniuerſo philoſophantur, de Deo, de viſibilibus, de intelligibilibus, de vitæ præſentis vtilitate, de futurorum beatitudine: & optimo cibo paſcuntur, non brutorum carnes elixatas habentes appoſitas, ſed *eloquia Dei ſuper mel & fauum*, mel admirabile, & multò melius, quàm quod Ioannes per deſertũ olim deguſtabat. Pſal. 18. Hoc enim mel non ſylueſtres quæpiam apes floribus inſidentes colligunt, neque rorem maturantes aluearibus immittũt: ſed Spiritus gratia cõſtruens, pro fauis, & aluearibus, & fiſtulis in ſanctorum animis reponit, vt volenti liceat cum libertate, iugiter veſci. Has igitur apes & ipſi imitantes, ſanctorum voluminum fauos circumuolant, magnam hinc decerpentes voluptatem. Et ſi vis illorũ diſcere menſam, accede propius, & eos experieris talia eructantes. Omnia mitia & iucunda, & ſpirituali odoris ſuauitate plena. Nullum turpe verbũ illa poſſunt ora emittere, nihil ſcurrile, nihil aſperum, ſed omnia cœlis digna. Nullus aberrauerit, ora multorum, qui per fora trahuntur, & circa ſecularia rabiem exercent, cœni cuiuſpiam riuis comparans: horum autem ora fontibus melle manantibus, & pura fundentibus fluenta. Si quis verò, quòd multorum ora cœni riuis aſſimilauerim, indignetur, ſciat quòd multum ignoſcens locutus ſum. Scriptura namque nec hac vtitur menſura, ſed altero longè grauiori exemplo, ait enim: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* &: *Sepulchrum patens guttur eorum.* Pſal. 5. At illorum non ſunt talia, ſed multæ ſunt plena fragrantiæ, & præſentia quidem huiuſmodi, futura verò qualis ſermo nobis explicuerit? Quæ mens concipiet angelicam ſortem, beatitudinem, ineffabilia arcanaque bona? Fortè multi nunc incaluiſtis, & in huius pulchræ cecidiſtis deſiderium cõuerſationis. Sed quid emolumenti, ſi dum hic eſtis, hunc ignē habetis: egreſſi verò flammam extinguitis, & hic ardor contabeſcit? Qualiter igitur agendum, vt hoc non accidat? Dum eſt tibi feruens hic amor, ad ipſos abeat angelos illos, eum magis accende. Non enim ita te poterit ſermo noſter accendere, ſicut rerum aſpectus. Ne dicas: alloquar prius vxorem, & res diſſoluam: torporis initium eſt huiuſmodi dilatio. Audi, quòd quidam cum domeſticis ſuis paciſci voluit, neque Propheta permiſit: & quid dico paciſci? Patrem ſepelire diſcipulus voluit, & nec iſtud Chriſtus conceſſit: licet quid tam neceſſarium videatur eſſe, quàm patris ſepultura, attamen ne hoc conceſſit. Cur tandem? quoniam acer inſtat diabolus ingreſſum aliquem capere volens: ſi vel breuem arripuerit vacationem & dilationem, magnum inducit torporem. Propterea quidam admonet, ne differas de die in diem: ſic enim plura perficere poteris, ſic & domeſtica tibi bene diſponentur. ait enim, *Quærite regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis.* Matt. 6. Si namque ſua deſpicientes, & noſtrorum curam præferentes, in multa nos conſtituimus tranquillitate: multò magis Deus etiam ſine his curam gerens & prouidens. Ne cures itaque tua, ſed ea Deo dimitte. Nam ſi ſatagas, tanquam homo ſatagis: ſi verò dimittas, Deus prouidebit. Ea tu ne curaueris, maiora dimittens, quoniam ipſe multum eis prouidebit. Vt igitur eorum magnam gerat prouidentiam, ipſi ſoli omnia cõmitte. Si verò & ipſe ſpiritualibus omiſſis ea tractaueris, non multam eorum ipſe curam geret. Vt igitur & hæc tibi bene diſponantur, & omni cura libereris, ſpiritualia tene, contemne ſecularia: ſic enim & cum cœlis terram habebis, & futura conſequêris bona, gratia & clementia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria, & imperium, cum patre, ſanctoque ſpiritu, in ſecula ſeculorum. Amen.

Bonum propoſitum non eſſe differendum.

De monachorum vita, & de ſolita ab eis fieri poſt menſam gratiarum actione, & de iudicio.

HOMILIA LVII.

RVRSVM ad deſerta proficiſcar,& iterum eoſdem attingam ſermones: quoniam cum maiori voluptate vos audientes video. Videamus igitur & hodie ſpiritualia caſtra, videamus à timore puram voluptatem. Non enim cum haſtis ſunt in tentoriis,ſicut milites (hic enim antea ſermonem diſſolui) neque cum clypeis & thoracibus: ſed his omnibus nudos videbis, & talia facientes, qualia neque cum armis illi. Et conſcius eſſe potes, veni, & mihi manum porrige,& eamus ambo in hanc expeditionem, & inſtructas acies videamus. Hi namque per ſingulos dies bellum gerunt, & iugulant aduerſarios, & omnes concupiſcentias nobis inſidiantes ſuperant, & has ſolo proſtratas videbimus, & apoſtolicum illud rebus exhibitum,dicens *Qui verò ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Galat. 5. Vidiſti mortuorum multitudinem iacentium, ſpiritus gladio iugulatorum? Propterea non eſt illic ebrietas,neque crapula, & oſtendit id menſa, & trophæum in ea ſtatutum. Nam ebrietas quidem & crapula iacet mortua per aquæ potum in fugam conuerſa, multiformis hæc & multiceps beſtia. Sicut enim in Scylla fabulis decantata, & Hydra itidem & in ebrietate multa poſſunt capita reperiri, hinc fornicatio,illinc ira,aliunde mollities,aliunde amores nefarij naſcentes: ſed hæc omnia ſublata ſunt.Et omnes illi exercitus,licèt innumera profligauerint bella,ab his capiuntur. Et nec arma, nec haſtæ,nec quicquam aliud aduerſus has acies ſtare poteſt:ſed ipſos gigantes ſtrenuos, multa præclara gerentes,abſque vinculis inuenias vinctos,ſomno & ebrietate, ſine cæde atque vulneribus tanquam vulneratos iacentes, quinimò & multò crudelius. Nam illi quidem vel palpitant; hi verò nec hoc quidem, ſed ſtatim decidunt. Vides quòd maior hic exercitus,& mirabilior? hoſtes enim interficit, qui ſuperant illos volendo duntaxat. Sic enim illam omnium malorum matrem infirmam faciunt, vt iam non infeſtet. Iacente verò duce, & ſublato capite reliquum quoque corpus quieſcit, & illic manentium quenque videas hanc obeuntem victoriam. Non enim quemadmodum in his hoſtibus, ſi quis ab aliquo vulnus accipiat,iam alteri non eſt infeſtus, cum ſemel ceciderit, ſed omnes eſt opus hanc feram percutere. Et qui non percuſſerit eam atq; proſtrauerit,omnino vexatur. Vidiſti ſplendidam victoriam? quale ſiquidem exercitus vndique ſimul congregati trophæum erigere non poſſent, hoc eorum quidlibet erigit. Et ibi deſtructa ſunt omnia furioſa, rationem non ſequentia: inſaniæ verba, morbique furentes, & iniucundi faſtus,& omnia quotquot ab ebrietate armantur, & ſuum imitantur dominum,quem admirans ſcriptura, dicebat: Pſal. 109. *De torrente in via bibit, propterea exaltabit caput.* Vultis & aliunde mortuorum videre multitudinem? Videamus ex deliciis concupiſcentias, ex lixis,ex coquis,pincernis,placentariis: confundor enim omnia quidem dicere, verumtamen dicam, phaſianas aues,fercula affluenter mixta, humidos & aridos cibos,leges ſuper his poſitas. Velut enim quandam habitantes ciuitatem,& exercitus inſtruentes: ſic & hi quid primum,& quid ſecundũ ſanciunt & ſtatuunt. Et hi quidẽ primum aues ad prunas toſtas,intus piſcibus refertas introducunt. Alij verò faciunt aliunde illegitimorum horum conuiuiorum principia. Et multũ de his certamen,& de qualitate, & de ordine,& de multitudine,& in quibus confundi decebat,gloriantur: hi quidem quòd diei dimidium abſumpſerunt, hi verò quòd totum diem: alij porrò quòd & noctem addiderunt, di- A centes: Vide miſer ventris menſuram, & immodico ſtudio confundere. Sed nihil huiuſmodi penes angelos illos, verùm & omnes hæc concupiſcentiæ ſunt mortuæ. Non enim ad ſaturitatem & delicias, ſed ad neceſſitatem eis nutrimentum. Non auium ibi venatores, neque piſcium, ſed panis & aqua. Hęc autem confuſio atque tumultus omnino ſunt illinc procul & ex cellula,& ex corpore tranquillus portus,apud hos verò multa tẽpeſtas. Scindas igitur mente vẽtrem talibus veſcentiũ & multam videbis ingluuiem, & immundam cloacam, & dealbatum ſepulchrũ. Quæ verò ſequuntur, & dicere pudet,moleſtas eructationes,ex ſuperiori parte vomitus,ex inferiori excrementa. Vade vero,& has illic quoque concupiſcentias vide,& ardentiores in his amores, venereos dico: nam hos omnes videbis proſtratos cum equis & impedimentis: impedimentum enim & arma,& equus,turpis actionis B eſt turpe verbum: equum pariter videbis,& aſcenſorem talem, & arma iacentia: hic autẽ omne contrarium, & corpora vulnerata, & animas iacentes mortuas. Nec in menſa verò tantũ ſplendida ſanctis eſt illis victoria; verùm & in aliis, in pecuniis, in gloria, in inuidia, in omnibus morbis. Nunquid tibi videntur hæc illis eſſe caſtris fortiora, & meliora menſa? Et quis contradicet? nemo,nec vllus quidem illorum ipſorum, licèt multum inſaniat. Hæc enim in cœlum tranſmittit,illa verò trahit in gehennam: hanc diabolus inſtruit, illã verò Chriſtus: hanc luxus ſancit, & immodeſtia, illam verò philoſophia & modeſtia. Huc Chriſtus venit, illuc verò diabolus: vbi ſiquidem ebrietas, ibi diabolus, vbi turpia verba, vbi ſaturitas, illic dæmones choreas agunt. Talem habebat menſam diues ille, propterea ne guttæ quidem aquæ dominus fuit: at hi non talem, ſed iam angelica meditantur. Non nu- C bunt, neque ducunt vxores, neque multum dormiunt,neque deliciis vacãt,ſed præter pauca quædam vt incorporei facti ſunt. Quis eſt igitur inimicos ita facile vincens, vt prandens trophæum erigat? propter hoc & propheta dicit: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.* Pſal. 22. Non enim quiſquam errauerit & de hac menſa dictum illud pronuntians. Nihil enim ſic animam angit, ſicut concupiſcentia mala, & luxus, & ex his orientia mala. Et hoc bene norunt, qui experientiam ceperunt. Si verò diſcas & vnde hæc colligitur menſa,& vnde illa, tunc vtriuſque differentiam bene videbis. Igitur hæc vnde colligitur? ex innumeris lachrymis,ex viduarum oppreſſione, orphanorum rapina: illa vero ex iuſtis laboribus. Et hæc quidẽ menſa ſimilis eſt pulchræ ac ſpecioſæ mulieri, nihil exteriorum indigenti, ſed naturalẽ habenti pulchritudinem: illa verò meretrici cuipiam turpi atque deformi, multos quidem habenti fucos, neque tamen turpitudinem obumbrare valenti, ſed quantò D quis propius acceſſerit, magis redargutioni obnoxię. Nam & hęc cum accedenti propior fuerit,tunc magis turpitudinẽ oſtendit. Illa namque ſimul accumbentes nihil turpe, tãquam libera, dicere permittit: hęc autem tanquam meretrix & contempta, nihil honeſtum. Illa quęrit vtile ſecum conuerſantis, hæc damnum: & illa quidem Deum offendere non ſinit, hæc autem non ſinit non offendere. Migremus igitur ad illos, inde ſciemus, quot vinculis ſimus inuoluti, inde ſciemus menſam apponi bonis plenam innumerabilibus, ſuauiſſimam, nunquam dificientem,à ſollicitudine liberam, inuidię, liuoris,& omnis peſtis immunẽ, & bona ſpe refertam,& multa ſtatuentem trophęa. Non eſt illic tumultus,non morbus, non ira: omnia tranquillitas, omnia pax. Nec enim mihi dicas miniſtrantium in diuitum ædibus ſilentium, ſed prandentiũ clamorem: non alterius ad alterũ dico, (nam & hic quidem deridẽdus eſt) ſed interiorẽ in anima magnam inferentem captiuitatem, cogitationum tumultus,

tempeſtatem, caliginem, procellam per quæ omnia miſcentur & confunduntur, & nocturnæ cuidam pugnæ ſimilia ſunt. At non in monachorum tabernaculis talia, ſed multa tranquillitas, quies multa. Et illam quidem menſam ſomnus morti ſimillimus excipit: hanc verò ſobrietas & vigilia. Et propterea hos præſertim laudo & admiror, tum propter alia: tum propter hanc dilectionem. Illi namque poſtquam pranſi fuerint, imò verò poſt cœnam, nunquam enim prandium norunt, ſcientes quòd præſens tempus eſt luctus, & ieiunij. Itaque poſt cœnam Deo quoſdam gratiam hymnos dicentes, & huius vocis reminiſcuntur. Et ſi vultis & ipſos hymnos audire, vt & vos continuè dicatis, illum omnem ſacrum vobis cantum recenſebo

Gratiarum actio à monachis poſt menſam dici ſolita

Ipſius itaque verba ſe ſic habent: Benedictus Deus, qui paſcis me à iuuentute mea. Qui das eſcam omni carni, imple gaudio & lætitia corda noſtra, vt omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor, & imperium, cum ſancto Spiritu in ſecula. Amen. Gloria tibi domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex: quoniam dediſti nobis cibos in lætitiam, imple nos Spiritu ſancto, vt inueniamur in conſpectu tuo beneplacentes, non erubeſcentes, quando reddes vnicuique ſecundum opera ſua. Omnem hunc quidem hymnum admirari dignum eſt, præſertim autem hunc finem. Quoniam enim menſa & cibus diffundere conſueuit atque grauare, animæ quaſi frænum quoddam hanc dictionem apponunt circa remiſſionis tempus, iudicij temporis eam commonefacientes. Didicerunt enim quid paſſus fuerit Iſraël ex lauta menſa: ait enim, *Comedit & impinguatus eſt, & recalcitrauit dilectus*. Et propterea Moſes dicebat: *Cum comederis & biberis, & fueris repletus, recordare domini Dei tui*. Poſt illam enim menſam patrata ſunt ipſis illa nefaria ſcelera. Conſidera igitur & tu, ne quid huiuſmodi patiaris: quàmuis enim lapidi non ſacrifices, nec immoles auro pecudes & vitulos, aliter tamen immolas. Caue furori ſacrifices animam tuam, ne fornicationi tuam mactes ſalutem, nec aliis huiuſmodi vitiis. Propter hoc enim & illi talia timentes præcipitia, potiti menſa, vel potius ieiunio (nam eorum & menſa ieiunium eſt) tremendi tribunalis & illius diei memoriam ſibimetipſis faciunt. Si verò iſti ieiuniis, & humi ſtratis cubilibus, vigiliis, & ſacco, & innumeris ſemetipſos modis domantes, etiam huius indigent commonitionis: quando nos vnquam manſuetè poterimus viuere, qui menſas apponimus, infinita ferentes naufragia, nec vnquam penitus oramus, nec in principio, nec in fine? Propterea vt hæc naufragia ſoluamus, hymnum illum, quem in medium protulimus, totum repſicemus: vt ex ipſo videntes vtilitatem, ipſum continuè poſt menſam canamus, & ventris comprimamus petulantias, & illorum mores angelorum, & leges in domos noſtras introducamus. Nam oportebat quidem nos illuc euntes hæc luctari. At poſtquàm non vultis, vel per ſermones noſtros ſpiritualem hanc melodiam audite, & vnuſquiſque veſtrûm poſt menſam hæc verba dicat, hoc incipiens modo: *Benedictus Deus*. Apoſtolicam enim legem ſtatim implent dicentem: *Quicquid facimus in ſermone vel opere, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti faciamus, gratias agentes Deo & patri per eum*. Mox gratiarum actio non pro vno tantum illo die, ſed pro tota vita exhibetur. Ait enim: Qui paſcis me à iuuentute mea. Et hinc ſapientiæ doctrina: Deo quidem paſcente, non eſt opus nos eſſe ſollicitos. Nam ſi rege pollicito quotidianum victum ex propriis cellariis ſe tibi præbiturum, iam in futurum confidis: multò magis cùm Deus præbeat, & omnia tibi tanquam ex fonte fluant, ab omni ſollicitudine congruum eſt abſolui. Propter hoc enim & alia dicunt, vt & ſibimetipſis, & à ſe dicentibus perſuadeant omnem exuere ſecularem ſollicitudinem. Poſtmodum ne putes quòd pro ſe ſolis hanc reddant gratiarum actionem, ſubdunt; dicentes: *Qui das eſcam omni carni*, pro toto gratias agentes mundo: & tanquam totius terrarum orbis patres, ita Deo pro omnibus laudes referunt, & ſemetipſos ad veram hortantur fraternitatem. Nec enim illos odiſſe poſſunt, pro quibus, quòd paſcantur, Deo gratias agunt. Vidiſti charitatem quoque per gratiarum actionem introduci, & eiici ſecularem vitam & per anteriora, & per hæc? Si enim omnem paſcit carnem, multò magis ſibi dicatos. Si namque ſecularibus deditos curis, multò magis ab his abſolutos: hoc & Chriſtus confirmans dicebat: *Quot paſſeribus meliores eſtis vos.?* Hæc autem dicebat, inſtruens non eſſe confidendum diuitiis, & terræ, vel ſeminibus. Non enim iſta ſunt quæ nutriunt, ſed verbum Dei. Ex his & Manichæos & Valentini ſectatores, & omnes cum illis ſentientes obmuteſcere faciunt. Non enim malus eſt hic: qui ſua omnibus proponit, & blaſphemantibus eum. Poſtmodum & petitio: Imple gaudio & lætitia corda noſtra. Quali dicit gaudio? Nunquid ſeculari? abſit. Hoc enim ſi vellet: montium cacumina non petiiſſent, & ſolitudines, neque ſaccum induerentur. Sed illud dicunt gaudium, cùm præſenti vita nihil habens commune, angelicum, cœleſte. Neque ſimpliciter illud petunt, ſed multa cum ſuperabundantia. Non enim dicunt, Da: ſed, imple: neque dicunt, nos, ſed, corda noſtra. Hoc enim præſertim eſt cordis gaudium. *Fructus enim ſpiritus, charitas, gaudium, pax*. Poſtquàm enim peccatum triſtitiam intulit, petunt ſibi per gaudium iuſtitiam inſeri. Non enim aliter gaudium inueniretur. Vt ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundemus in omne opus bonum. Vide dictionem euangelicam impleri, dicentem: *Panem noſtrum ſubſtantialem da nobis hodie*. Et hunc ipſum verò quærentes propter ſpiritualia: aiunt enim, Vt abundemus in omne opus bonum: non dicunt, vt ſolùm quod debemus faciamus, verùm & plura mandatis. Hoc enim eſt ſuperabundemus: & à Deo quidem ſufficientiam expoſcunt in neceſſariis: ipſis verò non tantum cum ſufficientia obedire volunt, verùm cum ſuperabundantia multa, & in omnibus. Hoc ſeruorum eſt gratorum, hoc virorum ſapientium, ſemper & omnibus abundare. Poſtea rurſum ſe propriæ commonentes imbecillitatis, & quòd nihil abſque ſuperno fauore generoſum fieri poteſt, poſtquam dixerint, Vt abundemus in omne opus bonum: ſubdunt, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo tibi gloria, honor, & imperium in ſecula. Amen. Æqualis principio finis per gratiarum texitur actionem. Mox rurſum à principio quidem incipere videntur, eundem autem continuant ſermonem. Sicut & Paulus in epiſtolæ primordio, cùm in glorificationem terminaſſet atque dixiſſet, *Secundum voluntatem Dei & patris, cui gloria in ſecula. Amen*: rurſum incipit materiam, de qua ſcribebat, Et iterum alibi, cùm dixiſſet: *Coluerunt & ſeruierunt creaturæ, omiſſo creatore, qui eſt benedictus in ſecula, Amen*: non conſummauit ſermonem, ſed rurſus incipit. Nec hos itaque redarguamus angelos tanquam inordinatè facientes, quòd ſermonem in glorificationem terminantes, denuo ſacros incipiunt hymnos. Apoſtolicas namque ſequuntur conſuetudines, incipientes à glorificatione, & in eandem deſinentes, & poſt finem iteratò hæc exordiuntur, dicentes: Gloria tibi domine, gloria tibi ſancte, gloria tibi rex: quoniam dediſti nobis cibos in lætitiam. Nec enim pro magnis tantùm, ſed etiam pro prauis agere gratias oportet: gratias autem & pro his agunt, Manichæorum cōfundentes hæreſim, & quotquot præſentē vitam eſſe malam aſſerunt. Nam ne quid propter ſummam virtutē, & ventris contemptum de ipſis tanquam cibos abominantibus, quale de il-

Deut. 32.
Ibid. 6.
Coloſ. 2.
Pſal. 135.
Matt. 10.
Matth. 6.
Galat. 1.
Rom. 1.

lis ſemetipſos ſuffocantibus ſuſpicareris, per orationem te docent, quòd non Dei creaturas deteſtantes pluribus abſtinet, ſed virtutem exercentes. Et vide quomodo poſt gratiarũ actionem de datis, & de maioribus ſupplicant, neque circa ſecularia morantur, ſed ſuper cœlos aſcendunt, & dicunt: Imple nos Spiritu ſancto. Nec enim bene nos gerere poſſumus vt oportet, niſi gratia ſimus illa repleti: ſicut nemo poteſt quicquam generoſum vel magnum facere, niſi Chriſti potiatur auxilio. Sicut itaque poſtquam dixerunt, Vt abundemus in omne opus bonum: ſubdiderunt, in Chriſto Ieſu: itidem & hic dicunt: Imple nos Spiritu ſancto, vt inueniamur in conſpectu tuo beneplacentes, & non erubeſcentes. Non enim, inquiunt, nobis eſt cura de hominum confuſione, ſed quicquid homines de nobis improperantes dixerint, ridentes, minimè curamus: omne verò nobis certamen eſt, ne tunc confundamur. Cùm autem hæc dixerint, & ignis fluuium introducunt, & præmia certaminis, & brauia. Non dixerunt, Ne puniamur: ſed, Ne confundamur. Hoc enim nobis gehenna multò terribilius eſt, ab illa decidere gloria, & dominum offendere. Sed quoniam multos & craſſiores hoc non terret, ſubdunt: quando reddes vnicuique ſecundùm opera ſua. Vides, quantum hi nobis externi & peregrini profuerunt, eremi ciues, imò verò ciues cœlorum: nos quidem cœlorum hoſpites, terræ vero ciues, hi verò econtra. Poſt hunc autem hymnum multa repleti compunctione, & feruentibus lachrymis, ſic ad ſomnũ ſe conferunt, tantum dormientes, vt parum requieſcant. Et rurſum noctes dies faciunt, in gratiarum actionibus & hymnodiis degentes. Nec verò viri tantùm, ſed & mulieres hanc exercent philoſophiam, naturæ infirmitatem promptitudinis abundantia ſuperantes. Illarum itaque ſtudium nos viri reuereamur, & præſentibus inhiare tabeſcentes deſinamus, vmbræ ſcilicet, ſomniis & fumo. Etenim maior vitæ noſtræ pars in ſenſibilitate. Nam & ætas prima multæ plena eſt dementiæ: quæ verò rurſus ad ſenectutem tendit, omnem in nobis ſenſum contabefacit: & paruum eſt medium, quod cum ſenſu deliciis vti valeat. Quinimò nec illud has purè poteſt guſtare, cùm multæ ſollicitudines & labores illi noceant. Propterea, ſupplico, immota quæramus & immortalia bona, & vitam nulli ſenio deinceps obnoxiam. Poteſt enim & vrbem habitans monachorum ſapientiam imitari, poteſt & vxorem habens, & domi conuerſans orare, ieiunare, & compungi. Quoniam & in principio ab Apoſtolis inſtructi ciuitates quidem habitabant, & ſolitudines petentium pietatem exhibebant. Alij verò rurſum officinis præpoſiti, vt Priſcilla, & Aquila: Et omnes Prophetæ, & vxores habebant, & domos: vt Eſaias, Ezechiel, & magnus Moſes, & inde nil ad virtutem lædebantur. Hos igitur & nos imitati, ſemper Deo gratias agamus, ſemper eum laudemus, & modeſtiæ cæterarumque virtutum curam geramus, & vigentẽ in deſertis conuerſationem in vrbes introducamus, vt & Deo grati, & hominibus probabiles videamur, & futura conſequamur bona, gratia & humanitate domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo Deo patri gloria, honor, & magnificentia, ſimul cum ſancto & viuifico Spiritu, nunc, & ſemper, & in infinita ſecula. Amen.

De vita monachorum, & quòd ſcripturarum lectio eſt medicinalis officina.

Homilia LVIII.

VULTIS, dilectiſſimi, rurſum ad virtutis ciuitatem eamus, ſanctorum tabernacula dico, montes & ſaltus: illic enim hanc humilitatis videbimus altitudinem. Homines enim, hi quidem exterioribus dignitatibus, hi verò pecuniis olim ſplendidi, vndique ſemetipſos corripiunt, veſte, domo, miniſteriis, & tanquam in literis per omnia ſcribunt humilitatem: & quæ ſunt ſuperbiæ fomenta, bene veſtiri, & ſplendidè ædificare, & multos habere miniſtros, quæ frequenter & inuitos in ſuperbiam agunt, hæc illic omnia ſublata ſunt. Et ignem ipſimet accendunt, ipſi ligna comminuunt, ipſi coquunt, venientibus miniſtrant ipſi. Non poteſt illic quiſquam audiri contumeliam inferens vel patiens: nec imperans, nec cui imperetur: ſed omnes ex miniſtrantium ſunt numero, & hoſpitum quiſque pedes abluit, & multa de hoc contentio: & hoc facit non examinans, quis ille ſit, nec vtrum liber ſit, an ſeruus, ſed vnicuique miniſteriũ hoc exhibet. Nullus ibi magnus, nullus paruus. Quid igitur? Confuſio? abſit, ſed perfectiſſimus ordo: licèt enim quis paruus ſit, magnus hoc non reſpicit, ſed & illo ſe rurſum inferiorem exiſtimat eſſe, & ita maior efficitur. Vna menſa & miniſterium ſuſcipientibus & exhibentibus, eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita. Magnus illic vilius opus arripiens. Non eſt ibi, Meum & Tuum; ſed hoc verbum eliminatum eſt, infinitorum cauſa bellorum. Et quid miraris, quòd vna ſit omnibus diæta, veſtis, & menſa: quippe cum omnibus ſit vna anima, non tantum quò ad ſubſtantiam (hoc enim & omnibus) verùm & quò ad charitatẽ? Qualiter igitur hæc vnquam contra ſeipſam inſurgeret? Non eſt ibi paupertas & diuitiæ, gloria & ignobilitas: qualiter igitur aditum inueniret arrogãtia, vel ſuperbia? Nam ſunt quidem & parui & magni ſecundum virtutis rationem, ſed quod dixi, nullus hoc intuetur. Paruus non dolet quaſi contemnatur, nec vllus eſt qui contemnat: quòd ſi quis tamen aſpernetur, hoc maximè docentur contemni, reſpui, & vilipendi per verba, per opera, & cum mendicis & debilitatis conuerſantur. Et ipſis menſæ talibus ſunt plenæ conuiuis: & propterea cœlis quoque ſunt digni. Et hic quidem vulnera virus habentia curat, hic autem cæcum manuducit, hic verò crure portat debilem. Non eſt illic aſſentatorum multitudo, neque paraſitorum, imò verò neque quid tandem aſſentatio ſit, norunt. Vnde igitur vnquam extollerentur? Apud eos enim eſt æqualitas multa, & propterea multa virtutis facilitas. Etenim his inferiores magis docentur: quàm ſi per principatus eis cedere cogerentur. Sicut enim audacem percuſſus & cedens corrigit: itidem & ambitioſum gloriam non vindicans, ſed contemnens: hoc autem illic cum largitate faciunt. Et quanta penes nos eſt pugna primas partes aſſequendi, tantum apud illos certamen ne conſequantur, ſed repellant. Et multum eſt ſtudium, quis magis præcellat, comtemptum patiens, non honorem admittens. Alioquin autem & ipſa opera modeſtè ſe gerere docent, & excandeſcere non permittunt. Quis enim, quæſo, terram fodiens & irrigans, plantans, ac ſportellas aut ſaccum texens, vel alia quædam huiuſmodi tractans, vnquam altũ ſapiet? Quis autem in paupertate viuens, & pugnans cum fame, tali morbo laboret? Nemo: propterea facilis eſt illis humilitas. Et ſicut hic eſt difficile modeſtè ſe gerere, propter plaudentium multitudinem & admirantium: ſimiliter illic perquam facile. Etenim ille tantum ſolitudini vacat, & aues videt volantes, & arbores concuti, & flantem Zephyrum, & riuos per valles deferri. Igitur vnde tali viuens in ſollicitudine extollatur? Non tamen propterea nos excuſationem habebimus, quoniam in medio conuerſantes altum ſapimus. Nam & Abraham cum eſſet inter Chananæos, dicebat: *Ego verò ſum terra & cinis.* Gen. 18.
Et Dauid in mediis caſtris: *Ego autem ſum vermis, & non* Pſal. 21.

1.Cor.15 A homo. Et Apoſtolus in medio terrarum orbe: *Non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Quę nobis igitur erit cōſolatio? quæ verò purgatio? cùm neque tot habentes exempla modeſtè nos geramus? Sicut enim illi ſunt innumeris digni coronis, primi virtutis viā perambulantes: ita nos infinitis vltionibus obnoxij, qui neque poſt illos progreſſos & in literis poſitos, neque poſt hos viuentes, & admiratione per facta dignos, ad parem trahimur æmulationem. Quid enim dicere poſſis, ſi non corrigaris? Neſcis literas, nec ad ſcripturas declinaſti, vt virtutes antiquorum diſceres: hoc quoque præcipuè quidem crimē eſt, cùm Eccleſia continuè ſit aperta, non ingredi, & illos latices optimos haurire. Veruntamen ſi defunctos per ſcripturas non agnouiſti, nos viuentes cernere licebit. Sed nullus eſt qui deducat. Veni, ad me, & ego tibi ſanctorum iſtorum oſtendam tabernacula: veni, & ab eis diſce quippiam vtile. Lucernæ ſunt hi lucentes vbique terrarum, muri ſunt vrbibus circumſedentes. Propterea ſolitudines petie- B runt, vt & te doceant populares contēnere tumultus. Nam ipſi quidem, vtpote qui fortes ſint, etiam in medio turbine frui poſſunt tranquillitate: tibi verò penitus exhauſto quies eſt neceſſaria, & ab aſſiduis fluctibus aliquantulum reſpirare. Illuc itaque frequenter vade, vt continuam diluas maculā, precibus eorum & monitionibus. Dic enim mihi, quomodo ſeruis noſtris febricitantibus medicos acceſſimus, & domum ſeparamus, & illic cogimus artis legibus obedire: & ignauiter ſe gerētibus difficiles ſumus, & cuſtodes adhibemus, qui ne volētes quidem eos ſuas implere concupiſcentias permittant. Et ſi dixerint eorū curam gerentes, opus eſſe medicamenta cōparari pretioſa, cedimus, quicquid præceperint paremus, & eis horum præceptorum pręmia ſoluimus. Cùm verò nos laboramus (at verò C non eſt tempus quo non laboremus) neque medicum acceſſimus, neque impendimus pecunias: ſed tanquam aliquo carnifice, vel inimico & hoſte iacente, ita nullam animæ curam gerimus. Et hæc dico non circa ſeruos obſequium damnans, ſed ſuadens vel tantam animæ noſtræ curam gerere. Et qualiter, inquit, faciemus? Eam oſtende Paulo languentem, introduc Matthæum, adhibe Ioannem, ab ipſis audi quid oporteat agere laborantem, dicentem omnino, neque celabunt. Nec enim mortui ſunt, ſed viuunt atque loquuntur. Sed febre detenta non attendit. Coge tu eam, & ipſius rationem excita, accerſe Propheta. Non eſt opus his medicis erogare pecunias: nec enim ipſi pro eis pecunias exigunt, neque pro medicamentis quæ componunt, in impendij te mittunt neceſſitatem, præter eleemoſynam. In aliis autem & erogant, vt quando modeſtè viuere præcipiunt, intempeſtiuis & abſurdis te liberant impenſis, cùm ab ebrietate D abſtinere, opulentiorem te faciunt. Vidiſti medicorum artem cum ſanitate pecunias quoque tribuentium? eis igitur aſſide, & ægritudinis tuæ naturam ab eis diſce. Puta pecunias & auaritiā amas, frequenter, ſicut febricitantes, frigida: igitur audi quid admoneant: tanquam medicus enim tibi dicit: Si indulgeas concupiſcentiæ, periſti, & hoc & illud ſuſtinebis. Itidem & Paulus: 1.Tim.6. *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & deſideria inutilia, & damnoſa, quæ demergunt homines in perditionem & mortem.* Sed impatiens es, ipſum audi dicentem, Abac.2. *Adhuc modicum, veniens veniet, & non morabitur.* Philip.4. *Dominus propè eſt, nil ſolliciti ſitis.* 1.Cor.7. Et iterum: *Præterit figura mundi huius.* Nec enim ſolū imperat, verùm & conſolatur, tanquam medicus. Et ſicut illi pro frigidis alia quædam excogitant, ita & hic concupiſcentiam transfert: ait enim: Vis diues fieri? fias in operibus bonis: cupis theſaurizare? non prohibeo, ſed in cœlis tantum. Et ſicut medicus dicit, quòd frigida nocent dentibus, neruis: itidem & ipſe, breuius quidem tanquam breuitatem affectans, multò tamen manifeſtius & efficacius. 1.Tim.6. *Radix enim omnium malorum eſt auaritia.* Quid igitur tenendum eſt? & hoc dicit, Sufficientia pro auaritia: ait enim: Ibidem. *Quæſtus magnus ſufficientia cum pietate.* Si verò ægrè fers, & plura concupiſcis, nedum omnia ſuperflua proiicere ſuſtines, & huiuſmodi dicit infirmo, & qualiter his vtēdum ſit, vt qui gaudent in poſſeſſionibus, tanquam non gaudentes: & habentes, tanquam non habentes: 1 Cor.7. *& qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur.* Vidiſti qualia præcepit? Vis & alium poſt hunc medicum adducam? Mihi certè placet, nec enim ſunt medici, ſicut corporum, qui frequenter ſibi æmulantes infirmum demerſerunt. At non hi: nam ad laborantium ſanitatem, non ad propriam reſpiciunt ambitionem: igitur eorum ne timueris multitudinem, vnus in omnibus loquitur magiſter Chriſtus. Alium igitur vide rurſum ingredientem, & grauia de hac ægritudine dicentem, imò verò magiſtrum per eum: Matth.6. *Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* Ita eſt, inquit, aliquis, & qualiter hæc erunt? Quomodo concupiſcentiam relinquamus? hinc & hoc diſcere licet. Et quomodo ſciemus? audi eum & hoc dicentem: Ibidem. *Nolite theſaurizare vobis theſauros ſuper terram, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures perfodiunt & furantur.* Vides qualiter à loco, & à nocentibus, nos ab eorum quæ ſunt hic, concupiſcentia deterret, & affigit cœlo, vbi ſunt omnia inconſumpta? Si diuitias enim illuc transtuleritis, vbi nec ærugo, neque tinea, neque fures effodiunt & furantur, & hunc morbum repelletis, & animam in magna conſtituetis opulentia. Præter dicta verò exemplum quoque in medium agit, quod te modeſtum faciat. Et ſicut medicus ægrotum terrens, ait, Ille frigida vſus, mortuus eſt: ſic & ipſe diuitem introducit laborantem quidem, & vitam ſanitatemque concupiſcentem, ſed voti minimè compotem, eò quòd auaritiam ſectatus fuiſſet, ſed inanem repulſum. Et poſt hunc alium tibi rurſum alius oſtendit Euangeliſta, qui torretur, neque guttam aquæ poteſt habere: mox oſtendens, quòd facilia ſunt mandata, ait: Matth.6. *Reſpicite volatilia cœli:* cùm benignus ſit, neque diuites deſperare permittit. Marc.10. *Quæ* namque ſunt *apud homines impoſſibilia, poſſibilia ſunt apud Deum,* inquit. Quamuis enim diues ſis, te medicus curare poteſt: Nec enim occidunt diuitiæ, ſed eſſe diuitiarum ſeruum & auaritiæ amatorem. Et quomodo diues ſaluari poteſt? qui indigentibus communia poſſidet: qualis erat Iob, & ex anima plurium eliminat cupiditatem, nec vllo pacto neceſſarium vſum excedit: ad hæc tibi demonſtrat & hunc ipſum Publicanum, qui auaritiæ vehementi febre detinebatur, cito liberatum. Quid enim publicano doloſius? attamen homo factus eſt pauper, quòd medici legibus paruit. Tales enim habuit diſcipulos his morbis laborantes, quibus & nos, & ſtatim ſanatum eorum quemque nobis oſtendit, ne deſperaremus. Vide igitur hunc Publicanum, qui quadruplum quidem pro his quæ rapuit, reddere promiſit, & omnium quæ poſſidebat, dimidium, vt Ieſum ſuſciperet: at tu ſuccenderis, & ardenter pecunias concupiſcis. Habe quæ ſunt omnium pro tuis, & his quæ quæris plus tibi do, inquit, tibi per orbem diuitum reſerans domos. Matt.19. *Qui namque reliquerit patrem, vel matrem, vel agros, vel domum, centuplum accipiet.* Ita nō modò plurium delectationem, verùm & infeſtam hāc ſitim penitus auferes, & omnia facilè ſuſtinebis: non tantùm plura non cupiens, verùm neque neceſſaria plerunque. Ita Paulus eſuriit, & magis gloriabatur, quàm cum manducaret. Quoniam & athleta cùm certat & coronatur, diſcedere & in voluptate eſſe non eligeret. Vel mercator maris vias aggreſſus in otio iam eſſe non mallet. Et nos itaque ſi ſpirituales fructus, vt par eſt guſtauerimus, nil iam præſentem vitam exiſtimabimus, veluti quadam optima ebrietate, futurorum capti deſiderio. Guſtemus igitur, vt & præſentium liberemur tumultu,

multu,

Digitized by Google

multu, & futuris bonis potiamur, in Chriſto Ieſu A domino noſtro, cui gloria & imperium, in ſecula ſeculorum. Amen.

De beneficio quod à nobis indigentibus exhibetur. Et de vita Monachorum.

Homilia LIX.

Magna merces eſt, dilectiſſimi, quòd aliquis & aliena diſpenſare poſſit. Non autem tantũ dandi merces eſt, verùm & bene diſpenſandi quæ dantur. Quare tu mercedem non arripis? Quòd e-
Acto. 7. nim & hoc merces ſit, audi. Statuerunt Apoſtoli Stephanum cum aliis in viduarum miniſterium. Vt tu ſis tuorum diſpenſator, ipſe te Dei timor eligit & humanitas. Hoc & ab inani gloria liberatum eſt, & animis requiem præſtat, hoc manus ſanctificat, ſenſum humiliat, & philoſophiam docet, promptioremque reddit, hoc te benedictiones B accipere facit. Abit caput tuum omnes à viduis ſuſcipiens benedictiones, in orationibus promptior efficieris. Exquire ſanctos quoque viros, & verè ſanctos in deſertis ſedentes, qui mendicare non poſſunt, Deo vacantes. Vade longam viam, eroga per temetipſum: multum nãque per teipſum proficere poteris, ſi des. Vides tabernaculum & tugurium, vides deſertum, vides ſolitudinem? Frequenter pecunias daturus accedens totam animam dediſti, & detentus es, & illius captiuitatis particeps factus, cum mundo ſimul peregrinatus es. Magnũ
Eccleſ. 7. opus eſt & pauperes videre: ait enim: *Bonum eſt in domum luctus intrare, quàm in domum riſus.* Hinc excandeſcis. Nam ſi pariter ridere ſuppetat, ad laſciuiam ſtimulum accepiſti: ſi verò non ſuppetat, hauſiſti triſtitiam. In luctus autem domo nihil huiuſmodi, verùm ſiue delicias non habeas, non dolueris: ſiue habeas, corripieris. Verè lugendi domus eſt mo- C naſterium, vbi ſaccus & cinis, & ſolitudo: vbi riſus non eſt, neque ſecularium turbela negotiorũ. Vbi ieiunium, & ſtratum humi cubile, omnia pura à nidore, cruoribus, tumultu, perturbatione & vexatione, portus eſt tranquillus, ſunt tanquam faces ab excelſo loco procul aduenientibus, in portu ſedentes & omnes ad ſuam trahentes tranquillitatẽ, neque ſinentes fieri naufragia ad ſe reſpicientibus, eò contuentes, in tenebris non permittentes verſari. Ad eos abi, hoſpitare, accede, ſanctos tange pedes. Multò namque honeſtius eſt illorum pedes tangere, quàm aliorum caput. Dic enim mihi, ſi quidam ſtatuarum pedes apprehendunt, quoniam tantum regiam habent figuram: tu ipſum habentem in ſeipſo Chriſtũ non pedibus tenebis, & ſaluus eris? Sancti ſunt pedes, licèt viles ſint: inquinatorum verò neque caput venerandum eſt. Sanctorũ nan- D què pedes magna potuerunt, quamobrem & vlciſcuntur, cùm pedibus puluerem excuſſerint. Cùm ſanctus ſit apud nos, nihil eius nos confundat. Sancti verò ſunt omnes, quotquot cum vita rectam fidem habent: licèt ſigna non faciant, licet dæmonas non eiiciant, ſancti ſunt. *Si ſanctorum*, inquit, *pedes*
1. Tim. 5. *lauit*. Sicut enim à terra in cœlum, ſic eſt ad viri ſancti confugere monaſterium. Non illic ea vides, quæ domi. Ab omnibus eſt mundus ille locus, ſilentium & quies multa: Meum & Tuum ibi non eſt. Si verò vnum vel alterum ibi diem manſeris, tũc plus ſenties voluptatis. Dies luceſcit, imò verò ante diem gallus cantauit, & non ſicut domi, ſtertunt ſerui, ianuæ clauſæ omnes, mortuis ſimiles ſunt dormiẽtes, mulio tintinnabula concutit. Illic huiuſmodi nihil, ſed omnes ſtatim cum reuerentia ſomnũ deponentes exurgunt, excitante eos prælato, & conſiſtunt ſanctum conſtituentes chorum, & ſtatim manus extendentes, ſacros hymnos decantãt. Non enim, ſicut nos, multis egent horis vt ſomnum excutiant, & grauedinem capitis. Nos enim ſimul ac excitati ſumus, & multum ſedemus nos diſtendentes, ad neceſſitatem abimus, mox faciem abluimus & manus, poſt hæc indumenta ſumimus & calceamenta, & multum abſumitur temporis. Illic verò tale nihil, nemo ſeruum vocat, ſibi quiſque ſufficit, non multis eget indumentis, non opus eſt ſomnum excuti, ſed ſimul ac oculos aperuit, illi qui iamdudum excitatus fuit, ſimilis eſt propter ſobrietatem. Cum enim cor cibis minimè grauatum non deorſum mergatur, non indiget multi temporis, vt ſe referat: ſed ſtatim eſt in ſolertia, mundæ manus, ſomnus enim eſt ordinatus. Nullus ibi ſtertentes audit, aut anhelantes. Nullus ſe per ſomnum verſantem videt, nullus ſe denudantem, ſed dormiunt vigilantibus iacentes honeſtius. Hoc autem totum ex animæ compoſitione procedit. Hi verè ſancti, & inter homines angeli. Multus enim Dei timor in profundum mergi ſomnum non ſinit, & animam obruere, ſed in ſuperficie accedit, ipſos tantum requieſcere faciens. Talia ipſorum & ſomnia, non phantaſiis & monſtris plena: ſed, vt dixi, poſtquàm gallus cantauit, ſtatim veniens prælatus, & pede ſolum ſimpliciter cædens, omnes excitauit: nec enim nudos illic fas eſt dormire. Mox ſtatim ſurgentes ſtant hymnos cantantes propheticos multa cum vocis conſonantia, cum aptè compoſitis concentibus. Neque cithara, neque fiſtulæ, nec vllum aliud muſicum inſtrumentum talem emittit vocem, qualem audire licet in profunda quiete & ſolitudine, ſanctis cantantibus illis. At & ipſa cantica commoda, & in Deum charitate plena. *In noctibus*, inquit, *tollite manus veſtras ad Deum.* Et de nocte vigilauit ſpiritus meus ad te Deus, quoniam lux præcepta tua ſuper terram. Et Dauidica cantica multos mouẽtia fontes lachrymarum. Quippe cùm cantet, dicens:
Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectũ meum, Pſalm. 6.
lachrymis meis ſtratum meum rigabo. Et iterum: *Quia cine-* C
rem tanquam panem manducabam. Et iterum, *Quid eſt ho-* Ibid. 101.
mo, quia innotuiſti ei: aut filius hominis, quia reputas eum? Ibid. 143
Homo vanitati ſimilis factus eſt, & dies eius ſicut vmbra prætereunt. &: *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, vel cùm* Ibid. 48.
multiplicata fuerit gloria domus eius. Et rurſum: *Qui habitare facit vnius moris in domo.* Ibid. 67.
&: *Septies in die laudaui te ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Ibid. 118.
Et iterum: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Ibidem.
&: *Deus redimet animam meam de manu inferi.* Ibid. 48.
&: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.* Ibid. 22.
Et iterũ: *Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, à ruina & dæmonio meridiano.* Ibid. 90.
&: *Aeſtimati ſumus tanquam oues occiſionis.* Ibid. 43.
Quoniam & cum angelis cantant: nam & angeli canunt, *Laudate dominum de cœlis*: Ibid. 143.
nobis hiantibus, & nos ſcalpentibus ſtertentibuſque, vel ſupinis negligenter iacentibus & innumeras cogitantibus fallacias. Quanti eſt eos D in hoc totam noctem inſumere? Cùm verò dies iam luceſcere debet, tum requieſcunt: & cùm nos incipimus opera, illi tempus habent quietis. Facto autem die quiſque noſtrũm alterum vocat, egreſſorũ rationem agit, in forum educit, aſſiſtit magiſtratui, tremiſcit, & pœnas metuit. Alius in tabernaculo, ad ſuum alius opus. Illi verò cùm rurſum matutinas orationes celebrauerint, & hymnos, ad ſcripturarum lectionem conuertuntur. Sunt autem & qui libros tranſcribere docti, aſſignatũ quiſque ſumens habitaculũ, ſemper agit quietem, nugante nemine, nemine quicquam dicente: Tertiam, ſextam, nonã, & veſpertinas orationes celebrant. Et in quatuor partes diem diſpartiti, dum ſingulæ partes implentur, pſalmodiis & hymnis Deum venerantur. Omnibus autem prandentibus, ridentibus, ludentibus, & ingluuie ſe diſrumpentibus, hymnis hi vacant, Nuſquam menſæ tempus, nuſquam ſenſibiliũ horum. Rurſum poſt prandium eadem continuantur, poſtquam ſe prius ſomno dederint. Itaque mũdani quidem & die dormiunt, illi verò & nocte vigilant,

Veterum monachorum ritus in decantandis horis

A

verè lucis filij ſunt. Tum illi multo circa ſomnum tempore conſumpto, grauati procedunt: hi verò ſunt adhuc ſobrij, ſine cibo manentes, & hymnis vacantes. Veſpere rurſum facto, illi quidem balnea petunt, & remiſſiones: hi verò ſe laboribus abſoluentes, tunc menſam petunt, non ſeruorum excitantes multitudinem, neque domum circumcurſantes, neque tumultuantes, neque lautos apponẽtes cibos, & nidorem exhalantes: ſed hi quidẽ cum ſale panem, hi verò & oleum adiungentes. At illi quicunque ſunt infirmiores, olera quoque habent atque legumina. Deinde parum ſedentes, vel potius hymnis omnia concludentes, in ſuo quiſque lectulo requieſcunt ad ſolum ſomnum nõ delicias comparato. Non eſt principum illic metus, non eſt dominorum inſolentia, non eſt ſeruorum timor, non mulierum tumultus, non eſt puerorum perturbatio, non arcularum multitudo, neque ſuperflua veſtium repoſitio, non aurum, non argentum, non ſunt cuſtodiæ, non cellarium, non aliud quicquam huiuſmodi: ſed omnia ſunt oratione plena,

B

hymnis omnia, omnia ſpirituali fragrantia, nihil ibi carnale. Latronum non timent inſidias: nec enim habent quo ſpolientur, pecuniæ nõ adſunt: corpus eſt & anima: ſi hac priuentur, iacturã non faciunt, ſed proficiunt. *Mihi namque viuere Chriſtus*, inquit, *& mori lucrum*. Sic enim verè vinculis abſoluuntur. *Vox exultationis in tabernaculis iuſtorum*. Numquam illic vlulatus audiri poteſt, numquam deploratio, mundum eſt ab huiuſmodi moleſtiis tectum, ab hoc purũ clamore. Moriuntur quidem & ex eis aliqui: non enim ſunt immortales corpore, ſed morientes neſciunt mortẽ: hymnis defunctos proſequuntur, honorem hoc appellãt, non funus. Et ſi nuntiatũ fuerit quod ille mortuus eſt, multum vbique lætitiæ, voluptatis multum: quin verò nec vllus audet dicere, ille mortuus eſt, ſed ille conſummatus eſt. Tum gratia-

Philip. 1.
Psal. 117.

C

rum actio, lætitia, gloria multa, vnoquoque talem habere finem orante, ita certamen hoc exire, à laboribus & certaminibus quieſcere, videre Chriſtũ. Et ſi quis ægrotat, non lachrymæ, non luctus, ſed rurſum orationes, non medicorum manus, ſed ſola frequenter fides ægrotum liberauit: ſi verò medicis opus ſit, multa & hic modeſtia, tolerantia multa. Non aſtat mulier crines ſoluens, neque pueruli nõdum factam orbitatem deplorantes: neque ſerui expirantem deprecantes, vt in tuto cuipiam ſe commendent: ſed ab omnibus his anima liberata, duntaxat extremam conſiderat expirationem, vt Deo migret amica. Si verò morbus accidat, ex ingluuie non accidit, nec ex capitis grauedine. Quin & hæ morborum cauſæ ſunt laudibus plenæ, non accuſatione, ſicut illæ. Nam vel vigiliæ, vel ieiunij nimietas, vel aliquid huiuſmodi morbos inducit, ex quibus & facilè liberantur. Satis enim eſt non am-

D

plius ſimiliter laborantem omnibus eſſe moleſtiis liberatum. Quid dicis igitur, inquit, mihi? *Si ſanctorum pedes lauit*, licèt in eccleſiis tales inuenire. Non enim quoniam illorum viam enarrauimus, eccleſiaſticos contemnimus, Multi plerunque tales & in mediis ſunt eccleſiis, ſed in ſecreto. Non enim quoniam domos circumeunt, neque quoniam in forum ſe conferunt, neque quoniam præſident, ipſos contemnimus, & hoc Deus præcepit: ait enim: *Iudicate pupillo, & defendite viduam*. Multæ virtutis ſemitæ: ſicut & multa margaritarum differẽtia, cùm omnes margaritæ vocentur: ſed hæc quidem eſt lucida, & vndique rotunda: alia verò hanc non habet pulchritudinem, ſed alteram. Quam autem hanc? Sicut ex quadam arte corallium productam habet lineam, & angulos tornatos, & alium albi coloris amœniorẽ: hæc autem rurſum viridem omni viriditate gratiorem, alia ſanguinis floridum ruborem exhibet, alia mari magis cœrulea, alia purpura coruſcãtior, alios multos flores & ſolis colores quiſpiam inueniret: tales & ſancti. hi quidem ſemetipſos exercent, hi

1. Tim. 5
Isa. 1.

A

verò & eccleſias curant. *Si ſanctorum*, inquit, *pedes lauit*, ſi tribulatis ſubminiſtrauit. Curramus ad opus, vt illic gloriari poſſimus, quod ſanctorum lauimus pedes. Si pedes ipſorum oportet lauare, multò magis & de manu pecunias eis erogare. *Neſciat*, inquit, *ſiniſtra tua, quid agat dextera tua*. Quid innumeros teſtes aſſumis? neque ſeruus ſciat, ſi fieri poteſt, nec vxor. Multa fraudulenti ſcandala, frequenter quæ nihil vnquam impediuit, tunc impedit, vel ex inani gloria, vel alia re quapiam. Quoniam & Abraham licet admirabilem haberet vxorem, filium oblaturus látuit quamuis futurum ignoraret, ſed omnino ſe credens occiſurum. Quid igitur dixiſſet, ſi fuiſſet vnus de multis? Quis eſt hic talia faciens? Nónne crudelitatis & ruſticitatis eum accuſaſſet? Neque ſuum videre filium vxor habita digna eſt, neque ſupremam vocem audire, neque palpitantem conſpicari, ſed tanquam captiuum ſumens ſic abducebat. Sed horum nihil ille iuſtus cogitauit, ebrius deſide-

Matth 6.

B

rio: nihil enim aliud intuebatur, niſi quomodo mãdatum impleret. Neque filius illic erat, nec vxor, imò verò nec ipſe futurum ſciebat. Ita per omnia purum offerre ſacrificium ſtudebat, nõ lachrymis, non contradictione polluere. Et ait ad eum Iſaac: *Ecce ligna & ignis, vbi eſt victima holocauſti?* Quid itaque pater? *Deus prouidebit ſibi victimam in holocauſtum, fili*. Dicitur quidem hoc & prophetia, quod filium ſibi prouidebit in holocauſtum, & ſimul & tunc euaſit. Quid & ipſum celas? Dic immolandum. Profectò, inquit, timeo ne langueat, timeo ne non dignus inueniatur. Vides qualiter omnia cum diligentia gerebat, vt dicit ſcriptura, *Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua*: hoc eſt, licet tanquam proprium membrum aliquem habeamus, ipſi monſtrare ne ſtudeamus, niſi neceſſe ſit: nam hinc multa naſcuntur mala. Ad inanem gloriam quis

Gen. 22.

C

tollitur, plerunque fit impedimentum, & noſipſos ſi fieri poteſt, lateamus, vt promiſſa bona conſequamur, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo patri, ſimul & Spiritui ſancto gloria, honor, & imperium, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

De ſumentibus indignè diuina & ſancta myſteria.

HOMILIA LX.

Ex Matthæo.

SICVT ad perfectionem noſtram, dilectiſſimi, promptitudo noſtra non ſufficit, niſi ſuperno potiamur fauore: ita nihil à ſuperno lucrabimur auxilio, ſi promptitudo defuerit: & hæc vtraque Iudas oſtendit, & Petrus. Ille namque multo potitus adiutorio, nihil profecit, quoniam noluit, neque

D

quod ſuum erat, exhibuit: hic autem & valde promptus, poſtquam nullum nactus eſt auxiliũ cecidit. Ex his duobus enim virtus texitur. Quamobrem exhortor, vt neque totum Deo dimittentes dormiamus, neque ſtudentes nos propriis laboribus totũ efficere putemus. Nec enim nos eſſe ſupinos vult Deus, propterea non ipſe totum operatur: nec vult eſſe ſuperbos, & ideo totum nobis non conceſſit: ſed vtriuſque tollens nocumentum, nobis vtile reliquit. Propterea & apoſtolorum principem cadere permiſit, eum ita demiſſum reddens, & deinceps ad maiorem præparans charitatẽ. Cui namq; plus, inquit, dimiſſum fuerit, magis amabit. In omnibus itaque Deo pareamus, neque contradicamus: licet cogitationibus noſtris aduerſari videatur & oculis quod dicitur: ſed ſit & cogitationibus & viſu dignior ipſius ſermo, ſic & in myſteriis agamus. Nec ſolùm præ oculis poſita reſpiciamus, ſed ipſius verba contineamus. Ipſius enim ſermo infallibilis, ſenſus autem noſter ſeduci facilis: ille nunquam decidit, hic autem vt plurimum errat. Quo-

Matt. 26.

Matt. 26. niam igitur verbum dicit. *Hoc eſt corpus meum:* & pareamus & credamus, & intellectualibus ipſum oculis intueamur. Nihil enim ſenſibile nobis Chriſtus tradidit, ſed res quidem ſenſibiles, omnes autem intelligibiles. Itidem & in baptiſmate: per rem, nempe ſenſibilem aquam, donum confertur: intelligibile verò quod perficitur, generatio & renouatio. Si enim incorporeus eſſes, nuda & incorporea tibi dediſſet ipſa dona: ſed quoniam anima corpori cōſerta eſt, in ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet. Quot nunc dicunt, vellem ipſius formam aſpicere, figuram, veſtimenta, calceamenta. Ecce eum vides, ipſum tangis, ipſum manducas. Et tu quidem veſtimenta videre cupis? Ipſe verò tibi concedit nō tantùm videre, verùm & manducare, & tangere, & intra te ſuſcipere. Igitur accedat nemo cum nauſea, nemo reſolutus, omnes accenſi, omnes feruentes & excitati. Nam ſi Iudæi ſtantes, & calceamenta manibus geſtantes, & baculos, agnum cum feſtinatione comedebant, te multò magis oportet eſſe ſolertem. Nam illi quidem in Palęſtinam erant prodituri, & propterea viatorum figuram habebant: tu verò debes in cœlum migrare, quapropter in omnibus oportet te vigilare. Nec enim parua pœna proponitur indignè ſumentibus. Conſidera quantum aduerſus proditorem indignaris, contra eos qui crucifixerunt: itaque conſidera, ne tu quoque ſis reus corporis & ſanguinis Chriſti. Illi ſanctiſſimum corpus iugularunt: tu verò polluta ſuſcipis anima poſt tot beneficia. Nec enim ſatis fuit homo fieri, colaphis cædi, verùm & ſemetipſum nobis cōmiſcet, & non fide tantum, verùm & ipſa re nos ſuum efficit corpus. Quo non oportet igitur eſſe puriorem, tali fruentem ſacrificio? quò ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os quod igne ſpirituali repletur, linguā quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita, quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris: quod angeli videntes horreſcunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde ſplendorem, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro. *Quis loquetur potentias domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Quis paſtor Psal. 105. oues proprio paſcit cruore? Et quid dico paſtor? matres multæ ſunt, quæ poſt partus dolores, filios aliis tradunt nutricibus: hoc autem ipſe non eſt paſſus, ſed ipſe nos proprio ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat. Et quod bene conſiderandum eſt, natis inde noſtra ſubſtantia. At nihil hoc ad ſingulos, inquiunt, licèt ad omnes. Nam ſi ad noſtram veniſſet naturam, clarum eſt quòd ad omnes: ſi verò ad omnes, & ad vnumquenque. Et quomodo non omnes lucrati ſunt hoc lucrum? inquiet aliquis. Hoc non propter eum qui hoc pro omnibus cepit, ſed propter nolentes. Vnicuique fidelium ſemetipſum per myſterium commiſcet, & quos genuit, per ſemetipſum enutrit, nec alteri tradit, & hoc tibi ruſum perſuadens, quòd carnem tuam aſſumpſit. Ne torpeamus igitur tanta dignitate & honore putati. Nónne videtis quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? accedamus cum tanta nos quoque ad hanc mēſam, & vber ſpiritualis poculi, quinimmò cum longè maiori trahamus, tanquam infantes lactanei, Spiritus gratiam, & vnus ſit nobis dolor, hac eſca priuari. Non ſunt humanæ virtutis opera propoſita: qui tunc ipſa fecit in illa cœna, idem ea nunc quoque facit. Nos miniſtrorum tenemus locum: qui verò ſanctificat ea & immutat, ipſe eſt. Nullus itaque Iudas aſſiſtat, nullus auarus. Si quis eſt diſcipulus, adſit. Nam tales Matt. 26. menſa non ſuſcipit: ait enim, *Cum diſcipulis meis facio paſcha.* Hæc eſt illa menſa, & minus nihil habet. Non enim illam quidem Chriſtus, hanc autem homo perficit, verùm & hanc ipſe quoque. Hoc illud cœnaculum, vbi tunc erant. Hinc in oliuarū montem illi prodierunt, prodeamus & nos ad manus pauperum. Hic enim mons oliuarum locus: oliuæ ſunt etenim plantatæ in domo Dei, pauperum multitudo, deſtillantes oleum illic nobis vtile, quod quinque virgines habuerunt: aliæ verò hic non capientes, perierunt. Hoc ſumentes introeamus, vt luminoſis lampadibus ſponſo occurramus, hoc ſumentes hinc exeamus. Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis & immiſericors, nemo prorſus immundus: hæc ad communicantes dico, & ad vos miniſtrantes. Nam & ad vos ſermonem conuertere neceſſarium eſt, vt multo cum ſtudio hæc dona diſtribuatis. Non parua vobis imminet vltio, ſi quem cuiuſpiam conſcium nequitiæ, huius menſæ participem eſſe concedatis, ſanguis eius de manibus veſtris exquiretur. Siue quis dux militiæ ſit, ſiue præfectus, ſiue princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo poteſtatem habes. Tu verò ſi tibi quidem aquæ fons traditus fuiſſet purus gregi cuſtodiendus, & pecudem multum ore fimum habentem vidiſſes deorſum inclinari, num permiſiſſes, & fluentum turbare? nunc verò non aquæ, ſed ſanguinis & ſpiritus fontem habens creditum, & cœno fœdius habētes peccatum, videns accedentes, non indignaris, nec arces? & quam conſequeris veniam? Propterea vos Deus hoc inſigniuit honore, vt talia diſcernatis. Hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona, nō vt albam & ſplendentē tunicam circumeatis induti. Et vnde, inquit, noui illū & illū? Nō de ignotis, ſed de notis loquor. Dicam aliquid terribilius. Non tam graue energumenos intus eſſe, quàm iſtos, vt ait Paulus, *vt Chriſtum conculcent, & ſanguinem teſtamenti communem exiſtiment, & gratiam ſpiritus afficiant contumelia.* Dæmonium enim patiente Heb. 10. peior eſt, qui poſtquam peccauit, accedit. Verùm & tu laice, cùm ſacerdotem videris offerentem, ne vt ſacerdotem eſſe putes hoc facientem, ſed Chriſti manum inuiſibiliter extenſam. Sicut enim cum baptizaris, ipſe te non baptizat, ſed Deus eſt, qui tuum caput inuiſibili potentia continet, & nec angelus, nec archangelus, nec vllus alius accedere & tangere audet: ita nunc quoque cum Deus regenerat: ipſius eſt ſolius donum. Nonne vides eos, qui fiunt hic filij, quomodo non ſeruis opus demandauit, ſed ipſi aſtant baptiſterio? Itidem & Deus non angelis munus mandauit, ſed ipſe iubens adeſt, & dicens: *Nolite vocare patrem ſuper terram:* non vt parētes honore priuet, ſed omnibus illum præponens, Matt. 23. qui te fecit, & inter ſuos conſcripſit filios. Qui nanque plus dedit, hoc eſt, ſeipſum appoſuit: multò magis & corpus tibi tradere non dedignabitur. Audiamus igitur & ſacerdotes & ſubditi, quali eſca facti ſumus digni, audiamus & horreamus, ſanctis carnibus ſuis nos dedit impleri, ſemetipſum appoſuit immolatum. Quænam igitur erit nobis excuſatio, cùm talibus paſti talia peccemus, cum lupi fiamus agnum comedentes, cùm tanquam oues paſti, more leonum diripiamus? Hoc enim myſterium non à rapina tantum, verùm & ab omni vel tenui inimicitia purum eſſe penitus iubet: eſt enim pacis myſterium. Myſterium hoc pecunias acquirere nō permittit: ſi enim ipſe ſibi propter nos non pepercit, quid meremur pecuniis parcentes, & animam negligentes, pro qua ille ſibi non pepercit? Itaque Iudæis quidem annuatim propriorum monumenta beneficiorum ſolennitates Deus alligauit: tibi verò (vt ita dicam) per ſingulos dies, per hæc myſteria. Itaque ne cruce erubeſcas: hæc enim ſunt inſignia noſtra hæc, noſtra myſteria, hoc ornamur dono, hoc decoramur. Et ſi dixero quod cœlum extendit, & terram explicuit, & mare, prophetas & angelos miſit: nihil æquale dicam: hoc eſt enim bonorum caput, quoniam filio ſuo non pepercit, vt ſeruos alienatos ſaluaret. Nullus itaque Iudas hanc menſam petat, nullus Simon. Hi namque duo propter auari-

Quanta puritate, & quo deſiderio accedēdum ſit ad Euchariſtiā. & quam grauiter peccent qui indignè accedunt.

A auaritiam perierũt: hoc igitur barathrum fugiamus. Neque ſatis nobis eſſe exiſtimemus ad ſalutem, ſi viduis & pupillis expilatis aureum calicem & gemmatum menſæ offeramus. Si vis enim honorare ſacrificium, offer animam, propter quam & immolatus eſt: hanc fac auream: ſi verò plumbo maneat & teſta deterior: vas autem aureum, quid vtilitatis? Itaque nec hoc conſideremus, vt aurea vaſa duntaxat offeramus, ſed etiam vt ex iuſtis laboribus: hæc enim ſunt & aureis pretioſiora, quæ auaritia carent. Nec enim aurificina eſt, aut argẽtaria officina eccleſia, ſed angelorum concio: propterea nobis opus eſt animis. Nam & hæc Deus propter animas acceptat. Non erat illa menſa tunc ex argento, nec aureus calix, ex quo ſanguinem proprium Chriſtus ſuis dedit diſcipulis: pretioſa tamẽ erant illa omnia, & tremenda: quoniam erant ſpiritu plena. Vis Chriſti corpus honorare? ne nudũ eum deſpicias: nec eum hic quidem ſericis honores veſtibus, extra verò gelu & nuditate pereuntẽ contemnas. Qui namque dixit, *Hoc eſt corpus meum*, Matt. 26. & verbo factum confirmauit: hic & dixit, *Eſurientem me vidiſtis, & non pauiſtis me. Et inquantum non feciſtis* Ibid. 25. *huic ex his minimis, neque mihi feciſtis.* Hic quidem non eget veſtimentis, ſed anima munda, illud autem magna diligentia. Diſcamus itaque philoſophari, & Chriſtum prout ipſe vult venerari. Honorato namque iucundiſſimus honor, quem ipſe vult, non quem nos putamus. Nam & ſe Petrus eum honorare putabat, cum ſibi pedes eum lauare prohiberet. Sed non erat honor quod agebat, ſed contrarium: itidem & tu hoc eum honore, quem ſtatuit, proſequere, diuitias expendens in pauperes. Nec enim aureis vaſis Deus eget, ſed aureis animabus. Et hæc dico, non prohibens huiuſmodi oblationes fieri, ſuadens autem cum his & ante has eleemoſynam exhiberi. Siquidem & hæc ſuſcipit, ſed illam multò gratius. Nam hic quidem offerens ſolus vtilitatem capit, illic autem & accipiens. Hic opus eſſe videtur & ambitionis occaſio, illic autem eleemoſyna totum, & humanitas eſt. Quænam vtilitas eſt cùm ipſi menſa ſit aureis calicibus plena, ipſe verò fame diſpereat? Ipſum ſatura prius eſurientem, & tunc ex abundantia ipſius quoque menſam orna. Aureum facis calicem, nec frigidæ aquæ calicem porrigis: & quæ vtilitas aurea pallia menſæ parare, ipſi verò ne neceſſarium quidem indumẽtum præbere? Quod ex hoc lucrum eſt? Dic enim mihi, ſi quem neceſſario conſpicatus egere nutrimento, famem ipſi ſoluere prætermittens, argento menſam operire tantum ſtuduiſſes, numquid tibi gratias habuiſſet, non magis verò fuiſſet indignatus? Quid verò ſi pannis indutum conſpiciens, & gelu fixum, omittens ei dare veſtimentum, aureas comparaſſes columnas, in eius dicens honorem fieri: nónne te dixiſſet ironicè loqui, & hanc extremam putaſſet contumeliam? Hoc & in Chriſto cogita, cùm vagus & peregrinus indigens tecti circumeat, tu verò prætermittens eum ſuſcipere, pauimentum pariter ornas, & columnarum capita. Et argenteas quidem catenas ad lucernas ſuſpendis, ipſum autem in carcere vinctum ne vis quidẽ viſere. Et hæc dico, non prohibens in his gloriari: ſed & hæc cum illis, quin potius ante illa commonens fieri: de his namque non factis accuſatus vnquam eſt nemo, pro illis autem & gehenna intentata eſt, & ignis inextinctus, & cum dæmonibus altio. Noli itaque domum exornans fratris anguſtiã deſpicere: hic enim eſt illius templum verius, & has quidem poſſeſſiones & infideles reges, & tyranni, & latrones auferre poterunt: quotquot autem in fratrem contuleris eſurientem, vel peregrinantem & nudum, neque diabolus tollere potuit, ſed in theſauro reponentur intemerato. Quid igi-Ibid 26. tur ipſe dicit: *Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habetis?* Propterea namq; præſertim oportet miſereri, quoniam eum non ſemper habemus eſurientem, ſed in præſenti duntaxat vita. Si verò vis & omnẽ dicti ſententiam intelligere, audi quòd non hoc ad diſcipulos dictum eſt, licet ita videatur, ſed ad mulieris infirmitatem. Quoniam enim adhuc imperfectius erat affecta, ipſam autem illi fatigabant, eam conſolans hæc dicebat. Et quòd eam conſolans hæc dixit, clarum eſt ex eo, quod ſtatim intulit. *Quid moleſti eſtis huic mulieri?* Ibid. Quoniam quòd & ipſum ſemper nobiſcum habeamus, vide quid dicat: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque* Ibid. 28. *ad conſummationem ſeculi.* Ex quibus omnibus patet, quòd non ob aliud hæc dicebantur, niſi vt mulieris fidem tunc germinantem, diſcipulorum increpatio non labefaceret. Ne nunc igitur hæc in medium proferamus quæ propter quandam dicta ſunt diſpenſationem. Sed omnes leges tam noui, quàm veteris teſtamenti de eleemoſyna ab ipſo promulgatas legentes, multum huius rei ſtudium geramus. B Hoc enim & peccata purgat: ait enim, *Date eleemo-* Lucæ 11. *ſynam, & omnia vobis erunt munda.* Hoc ſacrificio maius eſt. *Miſericordiam enim volo, & non ſacrificium.* Oſe. 6. Hoc cœlos aperit. *Orationes enim tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* Act. 10. Hoc virginitate magis neceſſarium. Sic enim ex nuptiali thalamo eiectæ fuerunt illæ, ſic ingreſſæ ſunt aliæ. Quæ conſiderantes omnia, largè ſeminemus, vt cum maiori metamus abundantia, & futuris fruamur bonis, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, & cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

De ſacrorum participatione myſteriorum: & quod communicare nolens, nec orationi dignus eſt intereſſe.

HOMILIA LXI.

Ex Ioannis euangelio.

C NEceſſarium eſt, dilectiſſimi, myſteriorum diſcere miraculum, quid tandem ſit, & quare ſit datum, & quæ rei vtilitas. *Vnum corpus ſumus, & membra ex carne eius, & ex oſſibus eius.* Epheſ. 5. Sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Vt itaque non tantum per charitatem hoc fiamus, verùm & ipſa re in illam miſceamur carnem, hoc per eſcam efficitur, quam largitus eſt nobis, volens oſtendere deſiderium quod erga nos habet. Propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & corpus ſuum in nos contemperauit, vt vnum quid efficiamur, tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc eſt. Hoc itaque Iob inſinuans, dicebat de ſeruis, quibus erat ſupra modum deſiderabilis, quod deſiderium oſtendentes dicebant: *Quis dederit nobis ex car-* Iob 31. *nibus eius impleri?* Propterea quidem & Chriſtus id fecit, in maiorem nos inducens charitatem, & ſuum D erga nos oſtendens deſiderium, non tantũ ſe præbens cupientibus videndum: ſed & palpandum & comedendum, & carni dentes infigere & coimplicari, & omne deſiderium implere. Tamquam leones igitur ignem ſpirantes ab illa mẽſa recedamus, Euchariſtiæ vis. facti diabolo terribiles, & caput noſtrum mente reuoluentes, & charitatem, quam nobis exhibuit. Nam parentes quidem aliis ſæpe filios tradũt alendos: ego autem, inquit, non ita, ſed carnibus meis alo, meipſum vobis appono, vos omnes generoſos eſſe volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes: quippe qui vobis hic meipſum trado, multò magis in futuro. Volui frater eſſe veſter, carnem propter vos & ſanguinem aſſumpſi. Vobis viciſſim ipſam carnem & ſanguinem, per quæ cognatus veſter factus ſum, trado. Hic ſanguis floridam nobis reddit regiam imaginem, hic decus indelebile, hic animæ generoſitatem tabeſcere non permittit, eam irrigans iugiter & nutriens. Nam ex cibis quidem ſanguis in nobis naſcens, non ſtatim hoc efficitur, ſed aliud quiddam: hic autẽ non

ita,

Digitized by Google

A ita, ſed ſtatim animum irrigat, & magnam inducit quandam virtutem. Hic myſticus ſanguis dæmonas quidem expellit, & procul eſſe facit: ad nos autem angelos vocat, & angelorum dominum. Vbi namque dominicum viderint ſanguinem, dęmones quidem fugiunt, concurrunt autem angeli. Hic ſanguis effuſus omnem terrarum orbem abluit. Multa de hoc ſanguine beatus Paulus in epiſtola ad Hebræos ſapienter diſſeruit. Hic ſanguis adyta mundauit & ſancta ſanctorum. Si verò figura ipſius tantam habuit virtutem, & in Hebræorum templo, & in Ægypti medio ſuperliminaribus iunctis: multò magis veritas. Hic ſanguis aureum altare ſanctificauit, ſine hoc pontifex adyta non audebat intrare. Hic ſanguis ſacerdotes creabat, hic in futuris peccata purgabat. Si verò tantam habebat vim in figuris, ſi mors vmbram ita perhorrebat: quomodo veritatem ipſam, quæſo, non timuerit? Hic eſt ſalus animarum noſtrarum, hoc abluitur anima, hoc adornatur, hoc inflammatur. Hic mentem noſtram

B igne reddit ſplendidiorem, hic auro clariorem animam facit. Hic ſanguis effuſus eſt, & cœlum fecit acceſſibile, horrẽda ſcilicet eccleſiæ myſteria, horrendum altare. Aſcẽdebat ex paradiſo fons fluuios emittens ſenſibiles. Ex hac menſa fons aſcendit, ſpirituales emittens fluuios. Apud hunc fontem plantatæ non infructuoſæ ſalices, ſed arbores ad ipſum cœlum peruenientes, fructum habẽtes ſemper maturum, & immarceſcibilem. Si quis æſtuat ad hunc veniat fontem, & æſtum refrigeret: nam & ſiccitates reſoluit, & cuncta refouet inflammata, non à Sole, ſed iaculis ignitis: ſupernè enim principium habet, & inde radicem vnde & deriuatur. Multi fontis huius riui, quos emittit paracletus, & mediator filius efficitur, non ligonem habens, & viam præparans, ſed noſtrum aperiens affectum. Hinc fons eſt veritatis radios effundens, fons lumi-

C nis. Huic & ſupernæ poteſtates aſſiſtunt, in fluentorum reſpicientes decorem: quoniam & illæ nobis manifeſtius propoſitorum virtutem ſpeculantur, & inacceſſibiles admirantur ſplendores. Sicut enim auro liqueſcente, ſiue manum ſiue linguam aliquis immittat, eam ſtatim auream reddit: ita & hic propoſita pretioſam reddunt animam. Efferuet quidẽ fluuius, & igne vehementius, ſed non comburit, ſed tantum baptizat quicquid acceperit. Hic ſanguinis antea ſemper præſignabatur in ſacrificiis, in iuſtorum cædibus. Hic terrarum orbis eſt pretium, hoc Chriſtus emit eccleſiam, hoc eam omnem adornauit. Sicut enim homo ſeruos emens aurum erogat, & rurſum eos ornare volens, id auro facit: ſic & Chriſtus, & ſanguine nos emit, & ornauit ſanguine. Huius ſanguinis participes cum angelis & archangelis, & ſupernis manent virtutibus, ipſam Chriſti regiam induti ſtolam, & arma gerentes ſpiritualia. Sed nondum quicquam dixi: ipſum enim induti ſunt regem. Sed ſicut eſt magnum & admirabile, ita ſi cum puritate quidem acceſſeris, ad ſalutẽ acceſſiſti: ſi verò cum mala conſcientia, ad pœnam & vltionem. *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* Nam ſi regiam contaminantes purpuram ſimiliter puniuntur, ſicut & diſcindentes:

Contra indignè cõmunicantes.

1 Cor. 11.

D non eſt vero diſſimile domini corpus impura mente ſuſcipientes, eandem ſubire vindictam cum his qui clauis ipſum diſciderunt. Vide certè, quàm terribilem Paulus vltionem oſtendit, dicens: *Irritam quis faciens legem Moſi, abſque miſerationibus coram duobus vel tribus teſtibus moritur: quanto peiori putatis dignus cenſebitur vltione, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum dixerit, in quo ſanctificatus eſt?* Attendamus itaque nobiſipſis, dilectiſſimi, talibus fruentes bonis: & cùm aliquid turpe dicere voluerimus, vel nos ab ira corripi viderimus, vel alio quopiam huiuſmodi vitio, cogitemus quibus facti ſumus digni, & ſit irrationalium nobis motuum correctio, talis cogitatio. Quotquot igitur huius participes corporis

Heb. 10.

efficimur, quotquot ſanguinem deguſtamus, cogitemus, quòd illum ſurſum ſedentem, qui ab angelis adoratur, incorruptibili vicinus virtuti, hunc deguſtamus. Hei mihi, quot ad ſalutem nobis viæ? Nos corpus ſuum effecit, nobis ſuum communicauit corpus, & horum nos nihil à malis auertit. O tenebras, & profunditatem magnam! O indolentiam! *Quæ ſurſum ſunt,* inquit, *ſapite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens.* Et poſt hæc omnia quidam pecuniarum curam gerunt, quidam gloriam ambiunt, quidam ab aliis capiuntur cupiditatibus. Nónne videtis, quòd & in corpore noſtro quæcunque quidẽ inutilia ſunt, & ſuperflua, reſecantur & præciduntur? Et nihil prodeſt quòd ex corpore ſint, cùm debilitata, cùm mortua, cùm tabefacta ſint, & reliquo noceant. Ne confidamus itaque, quòd ſemel ex corpore facti ſimus: ſi verò corpus cum naturale ſit, tamen præciditur, niſi voluntatis opera manſerint: quid graue non patietur, cùm huius nutrimẽti partem non capiat corpus? cùm viæ fuerint obſtructæ, tunc mortificatur: cùm fiſtulæ, tunc debilitatur: itidem & nos, cùm aures obturauerimus, caro noſtra debilitatur: cùm ſpirituale nutrimentum non hauriamus, cùm nequitiæ quædam pro corruptis ſuccis nos vaſtent, hæc omnia morbum pariunt, morbum grauem, morbum tabem gignentem. Et iam illius ignis indigebit, per medium opus habebit diuidi. Non enim cum tali corpore Chriſtus in nuptialem thalamum ingredi patitur: ſi ſordidas veſtes indutum abduxit & eiecit, corpori ſordes aggregantem quo non afficiet? quid non inferet? Multos video domini corporis participationem temerè ſumentes, vt à caſu & conſuetudine potius & lege, quàm cogitatu & mente. Si ſuperueniet, inquit, ſanctæ tempus quadrageſimæ, qualiſcunque ſit aliquis, myſteria ſumit. Si ſuperuenerit Epiphaniorum dies, licèt tempus aduentus, vel epiphania, vel quadrageſima dignos accedere non facit, ſed animę ſynceritas & puritas. Cùm hac igitur ſemper accede, ſine hac nunquam. Ait enim: *Quotieſcunque hoc feceritis, mortem domini annuntiabitis*: hoc eſt, facietis commemorationem ſalutis veſtræ, beneficij mei. Cogita qui ſacrificij participes veteris erant, quãta vtebantur continentia, quid non faciebant, quid non agebant? ſemper expiabantur. Tu verò petens ſacrificium, quod horrent & angeli, temporũ circulis rem definis. Et quomodo Chriſti aſſiſtes tribunali, ſceleſtis manibus & labiis ipſum corpus impetens? Et fœtente quidem ore tuo regem oſculari non eligeres; regem verò cœli fœtente anima deoſcularis? Factum hoc eſt contumelia. Dic mihi, immundiſne manibus ad ſacrificium eligeres accedere? Non (vt ipſe puto) ſed nec omnino malles accedere, quàm manibus illotis. Ita in paruo quidem es tam reuerens, ſordidam autem habens animam, accedis, & audes tangere? Atqui ſub manibus quidem ad tempus detinetur, in illam autem totum reſoluitur. Qui verò non cernis vaſa tantum vndiq, terſa, ſic refulgentia? his nobis animas oportet eſſe puriores, his ſanctiores & ſplendidiores. Quare verò tandem? quoniam illa propter nos talia fiunt: illa non eius qui ineſt, partem capiunt nec ſentiũt: nos autem certè: ſed nunc ſordido quidem vti vaſe non eligeres, anima verò ſordida accedis. Multam video rerum inæqualitatem. In aliis quidem temporibus cùm puri frequenter ſitis, non acceditis: in Paſcha verò, licèt ſit aliquid à vobis patratum, acceditis. O conſuetudinem, ô præſumptionem ſacrificium fruſtra quotidianum! Incaſſum aſſiſtimus altari, nullus qui cõmunicetur. Hæc non vt temerè communicemini, dico, ſed vt vos dignos reddatis. Non es hoſtia dignus, vel communione, igitur nec oratione. Aſtantem audis præconem, atque dicentem: Quotquot eſtis in pœnitentia, omnes orate. Quicunque nõ participes fiunt, in pœnitẽtia ſunt. Quid ſtas, ſi es in pœnitentia? ſumere non debes:

Coloſ. 3.

Epiphania magnũ feſtũ.

1. Cor. 11

qui

Digitized by Google

A qui namque non communicat, eſt ex pœnitentibus. Cur itaque dicit, Abite qui non poteſtis orare? Tu verò ſtas impudens. At ex his non es, ſed ex his, qui poſſunt eſſe participes, & nihil curas, aut magnum opus cenſes. Conſidera, quæſo, menſa regalis eſt appoſita, angeli menſæ miniſtrantes, ipſe rex adeſt, & tu altas oſcitans. Sordeſcunt tibi veſtimenta, & nihil eſt tibi curæ. At pura ſunt, igitur adora & cõmunica. Per ſingulos dies venit diſcumbentes viſurus, omnes alloquitur. Et nunc in conſcientia dicet: Socij, quomodo adeſtis hic, non habentes veſtem nuptialem? Non dixit, quare diſcubuiſtis? Sed ante reclinationem & ingreſſum ſemetipſum indignum eſſe fatetur. Non enim dixit: Quare recubuiſti? ſed, quid intraſti? Hæc etiam nunc nobis omnibus loquitur, impudenter & procaciter aſtantibus. Omnis enim qui myſteriorum participio non fruitur, impudens & procax eſt, ſi aſtat. Propterea qui ſunt in peccatis, priores eiiciuntur. Sicut enim ad menſam veniente domino, ſeruos qui dominum offenderunt adeſſe non oportet, ſed procul arceantur: B ita ſcilicet & hic dum profertur ſacrificium, & Chriſtus immolatur, & ouis dominica: cum audieris, oremus omnes communiter: cùm vela videris retrahi, tunc ſupernè cœlum aperiri cogita, & angelos deſcendere. Sicut itaque profanorum fas eſt adeſſe neminem, ita nec vllum ſacratorum quidem ac ſordidorum. Dic mihi, ſi quis in conuiuium vocatus, manus ablueret, & recumberet, & menſæ paratus adeſſet, poſtmodum nihil guſtaret, non afficit contumelia vocantem? Nónne melius huiuſmodi nec veniſſe? Ita ſcilicet & tu, veniſti, cecìniſti Deo laudem, cùm omnibus es confeſſus de dignis eſſe, cum indignis non ſecedendo: quomodo manſiſti, neque participas de mẽſa? Indignus ſum, inquit. Igitur & illa quæ per preces fit communione. Non enim per propoſita tantum, verùm per illa cantica ſpiritus ſemper deſcendit. C Nónne vides miniſtrum ſpongia menſam circumlinientem, & expurgantem domum, & tabellas ponentẽ? Hoc per preces efficitur, per præconis vocem. Sicut ſpongia circumlinimus eccleſiam, vt in eccleſia munda proponantur omnia, nequa ſit macula, nequa ruga. Indigni ſunt & oculi peccatorum hiſce ſpectaculis, indignæ ſunt & aures. [Exod.19.] *Si enim beſtia*, inquit, *tangat montem, lapidabitur*. Ita nec aſcenſu digni fuerunt, licèt poſt hæc & acceſſerint, & viderint vbi Deus conſtiterat: poſt hæc accedere licet, & videre. Cùm adeſt quidem, abi: non tibi magis aſtare licet, quàm catechumeno. Alioqui par nõ eſt, nondum attigiſſe myſteria: & poſtquam attigeris, offendiſſe, contempſiſſe, & ſe gratia indignũ conſtituiſſe. Poterant & plura terribilioraq; commemorari, ſed ne mẽtem veſtram grauemus, hæc quoque ſufficiant. D Qui enim his non emendantur, neque pluribus. Ne maius itaque vobis iudicium faciamus, [Simile.] vos exhortamur, non vt accedatis, ſed vt præſentia vos & acceſſu dignos conſtituatis. Dic mihi, ſi quis rex ſtatuiſſet atque dixiſſet: Si quis hoc facit, menſæ meæ ſit particeps: nónne propter hoc omnia feciſſetis? In cœlum nos vocauit, ad magni regis menſam & admirabilis, & retrocedimus, & ceſſamus, & non feſtinamus nec ad rem accurrimus: & quæ nobis eſt ſalutis ſpes? Non vacat imbecillitatẽ accuſare, non naturam, ſola nos negligentia facit indignos. Hæc quidem à nobis dicta ſunt. Qui verò corda compungit, qui compunctionis dat ſpiritum, corda noſtra compungat, & in profundo ſemina ponat, & ab ipſo timore concipiat, & pariat ſpiritũ ſalutis, & cum fiducia accedat: ait enim, [Pſal.127.] *Filij tui, ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſa tua*. Nihil vetus, immite nihil, nihil crudele: tales enim nouellæ ſunt ad fructum idoneæ, fructum mirabilem oliuæ dico. Et fortes, ita vt omnes fiant in circuitu menſæ. Et nec temerè, nec à caſu huc conueniant, ſed cum metu & timore. Sicut autẽ cibus cum ſit nutritiuus, ſi à crudo ſumatur, omnia perdit & corrumpit, & fit morbi cauſa: ita ſcilicet & horrenda myſteria. Menſa ſpirituali frueris, menſa regia, & rurſum luto corpus contaminas, vngis vngnento, & fœtore rurſum imples. Dic mihi, quæſo, poſt annum communionem ſumens, quadragintáne dies ad totius temporis peccatorum purificationem tibi ſatis eſſe putas? & hebdomade lapſa rurſum ad priora reuerteris. Dic enim mihi ſi poſt longam ægritudinem quadraginta dies valens, rurſum temetipſum illis cibis morbum inducentibus traderes, nónne priſtinum amiſiſſes laborem? Nam ſi naturalia tranſferuntur, multò magis quæ in voluntate conſiſtũt. Quale quid dico: Naturaliter videmus, & ſanos habemus oculos per naturam, ſed frequenter ex habitudine mala, viſiua virtus noſtra læditur: ita ſi naturalia tranſeunt, multò magis voluntaria. Quadraginta diebus animæ ſanitatem aſſignas, fortè verò neque quadraginta diebus, & Deum habere propitium expectas. [Simile.] Ludiſne, quæſo? Hæc dico non vno & annuo vos prohibens acceſſu, ſed vos ſemper ad ſancta volens accedere: propter hoc & diaconus acclamat tunc ſanctos vocans, & per hanc vocem omnium taxans maculas. Sicut enim in grege, vbi multæ quidem ſunt oues ſanæ, multæ verò lepra ſqualidæ, opus eſt has à valentibus arcere: itidem & in eccleſia, quoniam & hæ quidem oues ſanæ ſunt, hæ verò morbidæ, per hanc excitat vocem, & has ab illis diuidit, paſſim circumiens ſacerdos per illũ clamorem nimis horrendum, & omnes vocãs ſanctos, & trahens. Quoniam enim homo proximi res ſcire non poteſt [1.Cor.2.] (*quis enim, inquit, hominum ſcit, quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui eſt in eo?*) hanc vocem emittit, poſtquam conſummatum eſt omne ſacrificium, vt nemo temerè & à caſu ad ſpiritualem veniat fontẽ. Etenim in grege (nihil eadem rurſum vti ſimilitudine prohibet) morbidas quidem intus claudimus, & in tenebris detinemus, & alia paſcimus eſca, nec aëris puri, nec herbæ ſyncera, nec exterioris ſinentes fontis participes eſſe: & hic igitur hæc vox pro quodam eſt vinculo. Non potes dicere: Neſciebam, ignorabam quòd eſſet in re periculum. Igitur manifeſtè quidem Paulus hoc teſtatus eſt. Sed dices: Neſciui hoc non eſt purgatio, ſed potius accuſatio. Per ſingulas dies eccleſiam ingrederis, & adhuc hoc ignoras? Tamen ne vel hoc prętendas, propterea ſublimis cõſtitutus, magna voce, terribili clamore, quaſi quidam præco, manum in altitudinem tollens, ſtans erectus, omnibus apparens, & magnum in illa tremenda quiete exclamãs, hos quidem vocat, hos autem arcet, non hoc manu faciens, ſed per linguam quàm per manum efficacius. Illa namque vox in aures incidens noſtras, tanquam manus, hos quidem pellit & eiicit, hos autẽ introducit & aſſiſtit. Dic mihi quæſo, in Olympiacis certaminibus nónne aſtat præco magnum clamans, & altum? num aliquis hunc accuſat, dicens: num fur eſt, & ſeruus? num prauorum eſt morum? cùm tamen illa certamina non animæ ſint, neque bonorum morum, ſed roboris & corporis. Si igitur vbi corporum eſt exercitatio, multa fit voluntatis inquiſitio: multò magis vbi totum anima decertat. Stat igitur apud nos & nunc præco, non capite quenque tenens & producens, ſed omnes pariter interiori detinens capite. Non apponit illis alios accuſatores, ſed ipſis ſemetipſos. Non enim dicit: Nunquid aliquis hunc accuſat? ſed quid? ſi quis ſeipſum accuſat. Cum enim dixerit, Sancta ſanctorum, hoc dicit: ſi quis non ſanctus, non accedat: non ſimpliciter dicit, à peccatis purus, ſed ſanctus. Non peccatorum tantùm liberatio, verùm & ſpiritus præſentia ſanctum facit, & bonorum operum diuitiæ. Nolo vos tantùm, inquit, à cœno eſſe liberatos, verùm & candidos ac ſplendidos. Nam ſi rex Babylonius ex captiuitate deligens adoleſcentes, pulchros ſpecie, & decoros

A

aſpectu ſumpſit: multò magis & nos ſanctæ menſæ aſſiſtentes regiæ, ſpecie pulchros eſſe decet aureum animæ mundum habentes veſtem puram, calceamenta regia, decorum animæ cultum, aureum ipſius ornatum, eſſe indutos cingulum veritatis: talis accedat, & regios tangat calices. Si quis verò pannis indutus, ſordidus, ſqualens, regalem velit menſam petere, videat quanta patietur, non valentibus quadraginta diebus in omni tempore patrata abluere. Nam ſi gehenna non ſufficit, cùm ſit ſempiterna: multò minus hoc breue tempus. Nec enim validam exhibemus pœnitentiam, ſed infimam. Eunuchos præſertim regi decet aſſiſtere, eunuchos dico mente, candidos, nullam habentes maculam, mẽte ſublimes, hilarem habentes animæ oculum, & acutè videntem, volubilem & velocem: non autem ſomnolentum, non ſupinum, multa pleuum libertate, ad impudentia remotum & procacia,

B

vigilantem, ſanum, nec auſterum nimis & triſtem, neque diffuſum & lubricum. Hunc nos poſſemus oculum efficere & acutum, & honeſtum reddere. Cùm enim eum ad fumum non agamus, nec ad puluerem (tales enim ſunt omnes humanæ res) ſed ad tenuem auram, ad leuem aërem, ad ſublimia & alta: & multæ plena quietis & mundiciæ, & multæ iucunditatis, ſtatim eum reparabimus & corroborabimus, tali nos oblectantes ſpectaculo. Vidiſti præſtantiam, & diuitias multas, ne deducas illuc oculum, Lutum id eſt, fumus, vapor vitioſus, caligo & anxietas multa, & curæ ſuffocatio. Vidiſti hominem iuſtitiam exercentem, ſuis contentum, & multam habentem remiſſionis latitudinem, nihil curantem, nihil de præſentibus ſatagentem, temetipſum illic ſtatue, & modifica, & longè melior fies & clarior: non terræ, ſed virtutem epulans floribus, modeſtia, humanitate, & omnibus aliis. Nihil enim oculum ira perturbat, ſicut mala conſcientia.

Pſal. 6. C

Turbatus eſt, inquit, *à furore oculus meus*: nihil tantum obtenebrat: ab hoc te libera ſupplicio, lætum & fortem ſemper bonis epulantem expectationibus. Detur autem vt nos omnes, & hanc, & alias animæ conſtituamus actiones, quales vult Chriſtus, vt facti ſuper poſito nobis capite digni, quò vult, migremus. Ait enim: *Volo vbi ego ſum, vt & illi ſint mecum, vt gloriam meam videant*: quam vtinam omnes aſſe-

Ioan. 17.

quamur in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo patri, ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, &c.

Quòd vtiles ſint moderatæ tentationes ad omnes: & Deo ſeruiens tribulationem expectare debet.

Homilia LXII.

Sicvt corpus tritum laboribus, & ærumnis confectum amori non vult vacare, non indulgere ventri, ſed requieſcere, & quietè iacere: ſic & anima plurimis obſita malis, ad requiem & quietum ſtatum feſtinat. Quæ verò in remiſſione ſtupuit, & tumultuata eſt & elata: hæc autem nihil habens, quod diffluat: & hęc quidem virilior, illa verò puerilior eſt: hæc quidem grauior, illa leuior: ſicut in aqua multa leue quippiam ſuperueniens concutitur, ſic in multam lapſa lætitiam anima. Et ex multa voluptate maxima nobis oriri peccata quiſpiam viderit. Et ſi vultis, duas domos deſcribamus: hanc quidem nubentium, hanc verò lugentium: mente vtranque ingrediamur, videamus vtra melior. Inuenietur enim lugubris ſapientiæ plena, nuptialis autem plena confuſionis. Nam videtur pia verba, incompoſitos riſus, incompoſitiores locutiones, & veſtis, & inceſſus deformitate plenus. Verba multæ fatuitatis, & ſtultitiæ plena, & aliud omnino nihil, riſus omnia, & deriſio, quæ ſunt illic: non nuptias dico: abſit: ſed quæ ſunt in nuptiis: tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus fiunt præſentes: hi quidem vt equi hinniunt, hi autem vt aſini calcitrant. Multa effuſio, nihil ſtudioſum, generoſum nihil. Diaboli pompa, cymbala & tibiæ, & cantica fornicationis & adulterij plena. At non ita illic, vbi luctus, omnia compoſita, multa requies, ſilentium multum, correctio multa: inordinatum nihil; nihil incompoſitum: ſi quis aliquid locutus fuerit, omnia ſunt verba philoſophiæ plena. Et id quidem mirabile, quòd per illud tempus non modò viri, verùm & famulitia, & mulieres ſapienter agunt: talis enim eſt luctus natura, & videntur quidem lugentem conſolari, plurima verò totius philoſophiæ plena loquuntur. Orationes ſtatim, vt hactenus ſiſtant, & viri graues laborantem conſolantes, & enumerationes talia lugentium innumeræ. Quid enim eſt homo? Noſtræ examinatio naturæ. Quid igitur eſt homo? Vitæ vilitatis ipſius excuſatio, futurarum rerum expectatio, commemoratio

B

iudicij. Quiſque domum redit, à nuptiis quidem mœſtus: quoniam ipſe non eſt in proſperis: à luctu verò remiſſus, quoniam non ipſe talia paſſus eſt, & omnem extinxit æſtum. Sed quid vis? Vis carceres & theatra perquiramus? Ille quidem tribulationis, hic autem voluptatis locus eſt. Indagemus iterum. Illic philoſophiæ multum: vbi nanque triſtitia, prorſus & ibi philoſophia. Qui antea diues erat & multum tumidus, poſt luctum quemlibet ſe ſuſtinebit alloquentem: poſtquam timor & triſtitia, quaſi quidam acrior ignis & ipſius inciderit animam, & duritiam emollierit, tunc humilis fit, tunc exorabilior, tunc mundanam ſentit mutationem, tunc ad omnia patiens erit. In theatro autem omnia contraria, riſus, ineptitudo, diabolicus faſtus, effuſio, temporis impendium, & ſuperflua dierum conſumptio, malæ cupiditatis inductio, adulterij meditatio, fornicationis gymnaſium, intemperantiæ ſchola, turpitudinis exhortatio, riſus

C

materia, inhoneſtatis exempla. At in carcere non ita, ſed illic humilitas, ſupplicatio, philoſophiæ profectus, ſecularium contemptus, omnia conculcata ſunt & contempta: & tanquam infanti pædagogus adeſt timor, ad omnia congrua dirigens eum. Vis autem & alia rurſum loca ſcrutemur? Te vellem occurrere homini de theatro redeunti, & alteri de carcere egreſſo: videres vtrique illius animam pauidam, tumultuantem, & verè ligatam: huius autem liberatam, ſolutam & pennatam. Nam ille quidem ex theatro recedit, mulierum quæ ſunt illic aſpectibus ligatus, vincula ferens omni chalybe grauiora, loca ſcilicet illa, verba, & formas: hic autem è cuſtodia penitus remiſſus, non vltra ſe quid graue paſſurum putabit, alienis ſua comparans, quòd non eſt adhuc compeditus, gratias habebit, iam res humanas deſpiciet, cùm multos ibi diuites in ærumnis viderit, qui multa magnaque poterant, & tamen ibi vinctos: etiamſi quid

D

iniuſtè patiatur, & in hoc patiens erit: nam & huius multa ſunt illic exempla: in futuri veniet iudicij recordationem, & eius typos hic cernens perhorreſcet: quaſi namque ſit hic in carcere concluſus, ſic erit & illic, & ante futuri diem iudicij in vxorem, in filios, in ſeruos humanior. At ex theatro non ita, ſed iniucundius vxorem videbit, & in familiares erit difficilis, in filios exacerbabitur, efferabitur in omnes. Magna ciuitatibus mala ferunt theatra magna, nec hoc videmus quòd magna. Vultis & alia riſus loca perluſtrem, conuiuia dico, vbi paraſiti & aſſentatatores, & multæ deliciæ: & loca rurſum, vbi claudi & debiles? Igitur illic quidem ebrietas, & deliciæ, & effuſio: hic autem contrarium. Vide & in corpore, cùm æſtuat, cum bene ſe habet, celerrimam habet in ægritudinem ruinam: cùm autem preſſum fuerit, non ita. Manifeſtiorem itaque vobis reddam ſermonem. Sit corpus multum habens ſanguinis, & carnes multas, & vigens: hoc ex quacunque mutatione

A febrem parcere poterit, ſi ſimpliciter orietur: ſi autem aliud cum fame potius pugnans & afflictione, hoc eſt capitu difficile, & ad infirmitatem inexpugnabile. Sanguis enim licet in nobis ſit ſanus, multitudine frequenter morbum inducit: ſi verò ſit modicus, licet non ſanus, facilius curari poteſt. Ita quidem & anima veloces habet ad peccata motus. Talis enim eſt iuxta ſuperbiam, & voluptatem, & inanem gloriam, & inuidiam, & inſidias, & ſycophantias. Ecce quanta ciuitas eſt hæc magna nobis. Vnde naſcuntur mala? nónne à diuitibus? nónne à gaudentibus? Qui in iudicia trahunt, qui facultates diſtrahunt: ærumnoſi & abiecti, aut multum inflati, & gaudentes? Non eſt animæ contritæ quicquam mali facere: ipſius lucrum Paulus nouit, propterea
Rom. 5. dicit: *Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* Ne cadamus igitur in tribulationes, ſed in omnibus agamus gratias, vt aliquid magni lucremur, vt apud Deum inueniamur probabiles, qui tribulationes permittit. Magnum eſt bonorum tribulatio, & hoc ex noſtris diſcimus filiis. Nam abſque tribulatione nihil vtile diſcerent, nos autem plus illis afflictiones indigemus. Si enim illic paſſionibus quieſcentibus illos muniunt, multò magis nos, & præſertim tantis detentos: ſed nos potius pædagogos oportebit habere. A puerulis enim nunquam magna committuntur peccata, à nobis verò magna nimis: pædagogus autem noſter tribulatio. Nec hanc itaque alliciamus, & præſentem ſemper generoſè feramus, cum ſit infinitorum cauſa bonorum, vt & Dei fauorem aſſequamur. Etenim certamen eſt vita præſens: eſt igitur opus pugnare, bellum eſt, & pugna. In bello remiſſionem quærit nemo, nemo delicias, nemo pecuniarum curam gerit, nemo de vxore ſollicitus eſt: ſed vnum duntaxat intuetur, quomodo ſuperet inimicos: hoc & nos curemus. Si vicerimus, & cum victoria redierimus, nobis Deus omnia conferet. Hoc nobis quæratur, quomodo diabolum ſuperemus: quinimmo non noſtri ſtudij opus eſt, ſed Dei gratiæ totum. Vnum nobis curetur, vt eius gratiam aſſequamur, vt munimentum illud ad nos
Rom. 8. trahamus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Vnum id elaboremus, ne nobis fiat inimicus, ne nobis aduerſetur. Non tribulari malum eſt, ſed malum eſt peccare: graues deliciæ ſunt ex hoc, etiamſi viuamus in deliciis: non in futura dico vita, verùm & in præſenti. Nam quomodo putatis veſtram morderi conſcientiam? quo non eſſe peiorem tormento? Vellem in malis viuentes diligenter interrogare, nunquamne veniant in ſuorum memoriam peccatorũ? nunquid tremant, nunquid formident, nunquid doleant, nunquid beatos vocent in ieiunio poſitos, in motibus, in virtute multa? Vis illic remiſſionem inuenire? hic propter Chriſtum tribulare, huic remiſſioni par nihil. Gaudebant apoſtoli cum fla-
Act. 5. gellarentur. Paulus hoc admonet, dicens: *Gaudete in*
Philip. 4. *domino.* Et quomodo gaudere licet, vbi ſunt vincula, vbi tormenta, vbi iudicia? Hic maximè gaudere licet. Quomodo verò licet, vbi non hæc? Qui namque ſibi nullius magnæ rei conſcius eſt quomodo delectabitur? Itaque quantò maiorem dixeris tribulationem, tantò maiorem dicis voluptatem. Qui mille vulnera miles excepit, nónne cum magna reuertetur lætitia, libertatis habens claritatem, & gloriæ materiam vulnera? Et tu ſi poteris, erumpe vocem illam, quam Paulus, *Stigmata Ieſu porto*: ma-
Galat. 6. gnus & illuſtris atque probabilis fieri poteris. At non eſt perſecutio? Sta aduerſus gloriam: & ſi quid aliquis contrarium dixerit, ne timeas malè propter Chriſtum audire. Sta contra ſuperbiæ tyrannidem, ſta contra pugnam iræ, contra concupiſcentiæ tormentum, & hæc ſtigmata ſunt, & hæc tormenta. Dic enim mihi quid tormentis grauius? nón-
Ira incommoda. ne cùm anima dolet & vritur? Nam illic quidem corpus ſecatur: hic autem totum eſt ipſius animæ.

Circa ipſam eſt dolor, cùm iraſcitur, cùm inuidet, cùm aliquid huiuſmodi facit, vel potius patitur. Nõ enim hoc eſt facere, ſed pati, iraſci, inuidere propterea & animæ paſſiones appellantur, & vulnera, & cicatrices. Verè enim paſſio eſt, & paſſione grauior. Cogitate qui iraſcimini, quoniam hac facitis paſſiones. Ergo non iraſcentes, neque patiuntur. Vides quòd cui ſit contumelia, non patitur: ſed qui contumeliam facit, ſicuti iam dixi. Quòd enim patitur, patet quidem & ex hoc, quòd paſſio vocatur: manifeſtatur autem & ex corpore. Hæ namque ægritudines ex ira naſcuntur, viſus hebetudo, conſternatio, & huiuſmodi mille. Sed filium, inquit, affecit contumelia, ſed agricolam. Ne imbecillitatem eſſe putes, quòd & ipſe non hoc facias. Dic enim mihi, hócne bene factum eſt? Non, inquies. Ergo ne facias quòd non bene fit. Scio quales in talibus iræ pariuntur. Quid igitur, inquis, ſi contemnar? B Argue, increpa, hortare. Manſuetudine ſoluitur ira: accedens accuſa. Nam pro his quidem quæ in nos geruntur, non opus eſt hoc facere, pro aliis autem hoc facere neceſſarium eſt. Ne propriam putes cõtumeliam, ſi filius ſit affectus contumelia: licèt pro eo doleas, non tanquam ipſe paſſus contumeliam. Non enim quoniam filius malè paſſus eſt, tu contumelia es affectus, ſed qui maledicit. Extingue gladium acutum, in theca reponatur: ſi nudum eum habeamus, & frequenter cùm non ſit tempus, vtemur, ab ipſo perimus. Si verò celatus ſit, ſi etiam opus fuerit, dum quærimus tegere, extinguetur ira. Pro ſe Chriſtus non vult iraſci: audi namque quid dicat ad Petrum: *Mitte gladium tuum in* Matt. 26. *vaginam.* & tu pro filio iraſceris? Doce filium quoque philoſophari. Dic tu quoque tuas ipſi moleſtias, tuum imitare præceptorem. Cùm & diſcipuli contumelias eſſent paſſuri, non dixit, vlciſcar: verùm & hæc mihi fecerunt, inquit, ferre generoſè: C non enim vos meliores. Hæc & tu dic ad filium & puerum. Non es domino tuo melior. Sed nugæ videntur eſſe verba philoſophiæ. Heu mihi, quòd non ita verbis aſſerere licet, ſicut ipſa poteſt experientia doceri. Et vt diſcas, conſidera: ſi in medio duorum ſtaturus pugnantium, ſis partis iniuriam patientium, non aurum inferentium, niſi victoriam apud te videris, niſi præclaras reportes coronas. Vide quomodo Chriſtus afficitur contumelia, & quomodo reſpondet, quàm manſuetè. *Vbi eſt*, inquit, Gene. 4. *Abel frater tuus?* Et quid ait ille? *Nunquid cuſtos ego ſum fratris mei?* Quid hoc inſolentius, ſi etiam à fratre quis hæc audiat? nam ſi à fratre, nónne contumeliam id exiſtimaſſet? Quid igitur? Vide quomodo rurſum manſuetè Deus reſpondet: *Vox ſanguinis* Ibidem. *fratris tui*, inquit, *clamat ad me.* At Deus, inquit, eſt ira ſuperior. Sed propterea Dei filius deſcendit vt te Deum faciat, quantum humana capit virtus. At D non poſſum, inquit, cùm homo ſim. Eia ergo tibi homines producamus, neque me Paulum credas dicturum, neque Petrum, ſed quoſdam de minoribus, & longe inferioribus. Heli Annam deriſit, dicens: *Digere vinum tuum.* Quid hoc contumelioſius? Quid hæc igitur dixit mulier? *In aſpera die ego ſum.* Nihil 1. Reg. 1. Ibidem. verè tribulationi par, philoſophiæ mater eſt. Eadem autem hæc & ſuam habens æmulam, non eſt eam contumelia perſecuta. Sed quid? ad Deum confugit. Et orans nec eius meminit, neque dicit: quoniam illa mihi improperat, defende me, tam ſapiens erat mulier: erubeſcamus viri. Et quidem ſcitis, quòd zelo nihil comparatur. Publicanus à phariſæo contumeliam paſſus, contumeliam non Luc. 18. reddidit: licèt ſi voluiſſet, vtique potuiſſet, ſed æquè tulit, dicens: *Propitius eſto mihi peccatori.* Miphiboſeth à ſerno accuſatus, & paſſus calumniam, nihil dixit, aut fecit in eum mali, neque coram rege ſuo. Vis & meretricis audire ſapientiam? Audi Chriſtum dicentem, cùm pedes ipſius capillis exterſit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regno.* Matt. 21.

Vidiſti

Digitized by Google

A Vidiſti eam ſtantem & confidentem, & propria abluentem peccata? Vide quomodo Phariſæo non eſt irata, cùm improperaretur: ait enim: *Si ſciret, quia peccatrix eſt hæc mulier*, non eam dimiſiſſet. Luc. 7. Nec ad eum dixit: Quid enim quæſo, tu mundus es à peccatis? ſed plus patiebatur, plus gemebat, feruidiores effundebat lachrymas. Si verò mulieres, & meretrices & publicani philoſophabantur, & hoc ante gratiam: qua ſumus digni venia, qui poſt tantam gratiam efficimur beſtiis feriores, mordentes, & calcitrantes? Nihil ita turpius, nihil ignobilius, grauius nihil, nihil iniucundius, damnoſius nihil. Hæc dico, vt non tantùm erga viros mites ſimus, verùm & vt licet vxor ſit loquax, ſufferas, ſit tibi coniunx palæſtra & gymnaſium. Quomodo namque non abſurdum gymnaſia quidem admitti nullum habentia lucrum, vbi corpus atterimus, domi verò gymnaſia non facere, coronam & ante certamina nobis præbentia? B Contumeliam facit vxor? ne ſit vxor tibi. Eſt enim muliebre contumeliam facere, morbus eſt animæ, defectus eſt. Ne rem indignam eſſe credas, cùm vxor contumeliã infert. Indignum cùm tu quidẽ contumeliam facias, ipſa verò ſapienter ferat, tunc dehoneſtaris, tunc verè contumelia es affectus; ſi verò paſſus æquè feras, fortitudinis tuæ magnum eſt argumentum. Non ad contumelias mulieres inducens, hæc dico, abſit, ſed ſi quando contigerit per ſatanicam circumuentionem, virorum eſt fortiũ ferre imbecilles: etiamſi ſeruus contradixerit, tu philoſophare. Ne quod ille dignus eſt audire, dixeris aut feceris: ſed quod te decet tam facere, quàm dicere. Nunquam contumelia puellam afficiens, turpe verbum emittas: nunquam ſeruum appelles ſceleratum: non enim ille, ſed tu contumelia fueris affectus. Non poteſt iratus in ſeipſo manere, ſicut in fluctus ſurgens mare: ita commiſcentur omnia, & tanquã fons purus immiſſo turbatur cœno, & ſuperiora fiunt inferiora. C Siue percuſſeris, ſiue tunicam diffregeris, tu maius damnum ſuſtinuiſti. Illi neque circa corpus & veſtem hæret vulnus, tibi verò circa animam. Illam diſſecuiſti, illam vulneraſti. Deieciſti deorſum ab equis aurigam, trahi ſupinum feciſti, & eſt idem, ac ſi alteri ſuccenſens auriga trahi mallet. Siue increpes, ſiue commoneas, ſiue quicquid facias, abſque ira fiat & furore. Si enim increpans medicus patiens eſt, quomodo poterit alium curare, qui ſe prius afflixit, ſemetipſum non ſanans? Si quis medicus alterum curaturus accederet, prius habens ſuam manum vulneratam, ita quæſo curationem obibit? abſit. Similiter & tu, ſiue increpes, ſiue commoneas, pura videant oculi tui, ne mentem conturbes: alioqui quomodo fit curatio? Non poteſt in eadem eſſe tranquillitate carens ira & iracundus. D Cur præceptorem de ſede deturbans, ita humi iacentem alloqueris? Nónne vides iudicantes, qui cùm iudicare debent, ſuper throno ſedent in habitu congruo? Itidem & tu animam tuam veſte iudiciali exorna: hæc autem eſt humanitas. At non timebit, inquis: imò magis timebit. Tunc autem, etiamſi iuſta dicas, furori ſeruus imputabit: ſi verò cum manſuetudine, ſeipſum condemnabit. Quod autem eſt principale, te Deus ſuſcipit, & ita poteris æterna conſequi bona, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo pari, ſimul & Spiritui ſancto gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula, Amen.

Quòd ob amorem Chriſti omnem oportet afflictionem ſufferre, neque rerum mutationes timeri debent.

HOMILIA LXIII.

SICVT eſt, dilectiſſimi, nunc quidem nox, nunc autem dies: & interdum quidem æſtas, interlum autem hyems: ſic & in nobis, nunc quidem triſtitia, nunc autem voluptas: & nunc quidem ægritudo, nunc verò ſanitas. Itaque ne admiremur, cum ægrotamus, alioquin & cum valemus, admirandum eſſet. Neque tumultuemur, cum dolemus: alioquin & cùm gaudemus, opus eſſet tumultuari. Omnia namque ſecundùm naturam fiunt, & ſecundùm conſequentiam: & quid admiraris, ſi hæc in te? Nam & ſanctis illis hoc accidiſſe quiſpiam viderit. Et vt hoc diſcas, eia quam maximæ voluptatis plenam eſſe vitam exiſtimas, & à moleſtiis abſolutam, hanc in medium agamus. Vis Abrahæ vitam ab exordiis inquiramus? quid igitur hic ſtatim audiuit? *Exi de terra tua, & de cognatione tua.* Gen 12. Vides rem moleſtã imperari, verùm & lætam vide ſubſequentem: *Et veni in terram, quam monſtrauero tibi, & faciam te in gentem magnam.* Ibidem. Quid ergo, poſtquam venit in terram, & portum attigit, infeſta deſierunt? Nequaquam, ſed & rurſum alia prioribus grauiora ſunt ſubſecuta, fames & peregrinatio, vxoriſque rapina, & poſt hæc alia bona ſucceſſerunt ei: Pharaonis plaga & dimiſſio, honor, & illa multa dona, & ad priora reditus, & omnia ſequentia talem habent ſeriem ex lætis & triſtibus textã. Et apoſtolis ſimilia cõtigerunt, propter quod & Paulus dicebat: *Qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, vt & nos poſſimus conſolari poſitos in omni tribulatione.* 1. Cor. 1. Quid igitur, inquit, ad me ſemper in triſtitiis conſtitutum? Ne ſis ingratus, & gratiæ immemor. Nec enim quis poteſt eſſe ſemper in moleſtiis, nec enim natura ſufficit. Sed quoniam in lætitia ſemper eſſe volumus, propterea nos in triſtitiis ſemper eſſe putamus, neque propter hoc tantùm, verùm quoniam lætorum quidem & bonorum ſtatim obliuiſcimur, triſtium autem ſemper recordamur. Idcirco nos ſemper in triſtitiis dicimus. Nec enim fieri poteſt, vt homo ſit ſemper in ærumnis: & ſi vultis, & vitam in deliciis poſitam indagemus, mollem & diffluentem, & grauem & oneroſam & flebilem. Et hanc enim oſtendemus vobis triſtitias habentem, illam verò remiſſiones, ſed tumultuemini. Proponatur autem in medium homo captiuus, & alius iuuenis orphanus magnæ ſuccedens hæreditati. Proponatur autem & quidam mercenarius per totam laborans diem, & alter deliciis continuè vacans. Vis illius, qui deliciis affluit, moleſtias prius commemoremus? Cogita quomodo par eſt ipſius mentem vexari, cùm gloriam ſe ſupergredientem appetat, cùm à ſeruis contemnatur, cùm à minoribus contumeliæ habeatur, cùm innumeros patiatur opulentiam ſuam accuſantes pariter & calumniantes, & alia quæcunque in diuitiis accidere credendum eſt. Neque dicere licet, inimicitias, offenſiones, accuſationes, iacturas, inuidentium inſidias: qui poſtquam ipſius diuitias ad ſe transferre non potuerint, detrahunt, vndique laniant adoleſcentem, innumeras eis tempeſtates concitant. Vis & huius mercenarij voluptatem recenſeam? Ab his omnibus eſt abſolutus: quòd ſi quis eum affecerit contumelia, non dolet: ſe namque maiorem putat nemine: non pro pecuniis timet, cum voluptate manducat, cum multa dormit lætitia. Non ita delectantur vinum bibentes Thaſium, ſicut ille petens fontes: at illius nequaquam talia. Si verò dicta tibi non ſufficiunt, vt maiorem faciam, ei regem & captiuum comparemus, & videbis hunc quidem in voluptate frequenter verſantem, ridentem, & ludentem atque ſaltantem: illum autem in diademate & purpura mœſtum, timentem, & innumeris preſſum ſollicitudinibus, & pre timore mortuum. Nullius enim vita ſine triſtitia prorſus inueniri poteſt, ſed neque voluptatis expers, neque enim noſtra ſuffeciſſet natura, ſicut prædixi. Si verò hic quidẽ magis gaudet, hic autem amplius dolet, hoc euenit ex ipſo dolente.

te, cum puſilli ſit animi, non ex ipſa ne hotiorum
qualitate. Nam ſi iugiter gaudere velimus, multas
habemus occaſiones. Nam ſi virtutem arripueri-
mus, nil iam erit quod nos contriſtet: hæc enim ſe
poſſidentibus bonas prætendit expectationes: &
Deo gratos & apud homines reddit probabiles, &
ineffabilem affert voluptatem. Licèt enim in ob-
eundo virtus laboris aliquid habeat, multa tamen
conſcientiam implet delectatione: & tantã intrin-
ſecus affert voluptatem, quantam ſermo nullus
exprimere poſſet. Quid enim tibi de præſentibus
iucundum eſſe videtur? nónne lauta menſa, & cor-
poris ſanitas, & gloria ac diuitiæ? Sed hæc ſuauia, ſi
illi compares voluptati, ſunt omnibus amariora ad
eam collata. Nihil enim bona ſuauius conſcientia,
& bona ſpe. Etſi vultis hoc diſcere, hinc migratu-
rum interrogemus, vel ſenio confectũ, & commo-
nefacientes eum lautæ menſæ, qua quondam oble-
ctabatur, & honoris, & gloriæ, & bonorũ operum,
quæ vnquam fecit: rogemus, in quibus magis exul-
tat. Et in illis quidem videbimus erubeſcentem &
ſe celantem: in his verò geſtientẽ & exultantem.
Eſa. 38. Sic & Ezechias cùm ægrotauit, non gloriæ, non re-
gni, non opiparæ meminit menſæ, ſed iuſtitiæ: ait
enim, *Memento domine, quomodo ambulauerim in conſpectu*
1. Tim. 4. *tuo, in via recta.* Vide & Paulum ex his exultantem &
dicentem: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui,*
fidem ſeruaui. At inquis: Quid hic habebat, quod di-
ceret? Multa & plura quàm diuites: & honores, qui-
bus honoratus fuit, & miniſterium, quo potitus eſt,
Galat. 4. & multum obſequium. An non audis ipſum dicen-
tem: *Tanquam angelum Dei ſuſcepiſtis me, tanquam Chriſtum*
Ieſum. &: *Si poſſet fieri, oculos veſtros eruentes, dediſſetis mi-*
hi: & quòd pro anima ipſius ceruicẽ ſuppoſuerunt.
Sed nihil eorum in medium agit, ſed ipſos labores
& pericula, & pro his coronas, & valde quidẽ iuſtè.
Hic enim iſta relinquuntur, illa verò nobiſcum
migrant. Et iſtorum quidem rationem dabimus: ho-
rum autem præmia repetemus. Nõ noſtis in nouiſ-
ſima die, quomodo peccata animam conuoluunt?
qualiter ab imo cor mouent? Tunc itaque cùm iſta
fiunt, bonorum aſſiſtens operum memoria, tanquã
in tempeſtate ſerenitas animam conſolatur tumul-
tuantem. Si namque vigilemus, & viuentibus nobis
hic ſemper motus aderit: ſed quoniam ſenſu carere
videmur, cùm hinc eiiciemur, aſtabit omnino: ſi-
quidem & reus tunc maximè dolet, cùm ipſum ad
tribunal eduxerint: tunc maximè cõtremiſcit, cùm
tribunali vicinus eſt, cum ſit opus pœnas dare. Pro-
pterea namque multorũ timores tunc audire licet
narrantium, & aſpectus terribiles: quorum ſpecta-
culum non amplius ferẽtes qui moriuntur, lectum
ipſum multa cum perturbatione concutiunt iacen-
tes, & præſentes toruum aſpiciunt, anima ſe intrò
compellente, & corpus erumpere differente, nec
angelorum venientium præſentiam ferente. Nam
ſi tremendos homines nos vidẽtes expaueſcimus:
angelos minaces, & poteſtates ſæuas accedentes
cùm videbimus, quid non patiemur, cùm anima de
corpore nobis extrahetur, & vi rapietur, & multum
incaſſum & fruſtra lamentabitur? Nam & diues ille
poſtquam hinc migrauit, multum defleuit, ſed ni-
hil profecit. Propterea ſuadeo, omnia faciamus, ne
à tãta decidamus gloria, futura ſcilicet. Nihil enim
Rom. 8. difficile, ſi velimus: nihil graue, ſi attendamus. *Nam*
ſi patimur, & conregnabimus. Quid eſt, patimur? ſi tribu-
lationes ferimus & perſecutiones, ſi viã ambulemus
anguſtam. Nam anguſta quidẽ à natura & laborio-
ſa, voluntate verò noſtra leuior efficitur, propter
2. Cor. 4 ſpem futurorũ. *Momentaneum enim & leue tribulationis,*
per excellentiã in excellentiã, *æternum pondus gloriæ*
operatur: non conſiderantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non
videntur. Transferamus igitur oculos in cœlũ, & il-
lud cogitemus ſemper, & ſpectemus. Si enim in il-
lis ſemper immoremur, nihil circa ea quæ ſunt hic
iucunda, patiemur, non triſtia ægrè feremus. Ve-

A rùm & hæc & ſimilia deridebimus, & nos aut ex-
tollere, aut mancipare nihil poterit, ſi modò deſi-
derium illuc intendamus, ſi reſpiciamus ad illam
charitatem. Et quid dico, non dolebimus malis
præſentibus? nec enim iam ea cernere videbi-
mur, tale quid enim eſt amor. Certè nobis non
præſentes ſed abſentes, ac deſideratos per dies
ſingulos cogitemus. Magna namque vis eſt cha-
ritatis, ab omnibus ſeparat, & amato animam alli-
gat. Si Chriſtum ita dilexerimus, omnia præſen-
tia vmbra, omnia imago videbuntur & ſomnium:
dicemus & nos. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tri-* Rom. 8.
bulatio, an anguſtia? Non dixit, pecuniæ, an diuitæ, an
ornatus: hæc enim valde vilia & deridenda: ſed
quæ videntur eſſe grauia poſuit, famem, perſecu-
tiones, mortes: & ille quidem & hæc tanquam ni-
hil eſſet contempſit: nos autem propter pecunias
à vita noſtra ſeparamur, & à lumine abſcindimur.
Et Paulus quidem non mortem, non vitam, non
B præſentia, non futura, non aliam creaturam, eius
charitati præponit: nos autem ſi modicum auri vi-
derimus, accendimur, & ipſius peſſundamus leges.
Si verò non hæc cùm dicuntur, tolerabilia: mul- Auaritiæ
tò magis cùm fiunt. Hoc enim eſt graue quòd au- incom-
dientes quidem horreſcimus, facientes autem non moda.
horremus: quin & iuramus leuiter, & peieramus,
& rapimus, & exigimus vſuras, & nullam mole-
ſtiæ gerimus curam, & à diligentiſſima recedi-
mus oratione, & mandatorum plura præuarica-
mur: & propter pecunias nullam noſtrorum agi-
mus membrorum rationem. Qui namque pecu-
nias diligit, & innumera proximo mala patrabit,
& ſibi pariter cum illo. Nam & facilè iraſcetur,
& conuiciabitur, vocabit ſtultum, & iurabit ac pe-
ierabit, & nec antiquæ legis ſeruabit menſuras:
non enim diliget proximum, qui diligit aurum,
cum nos & inimicos diligere propter regnum iu-
C beamur. Nam ſi priſca obeuntes præcepta, ad
cœlorum regna peruenire non poterimus, niſi
ſuperabundet iuſtitia noſtra magis quàm illorum:
& illa præuaricantes, quam aſſequemur excuſa-
tionem? Qui pecunias amat, non tantùm inimi-
cos non diliget, verùm & amicis tanquam inimi-
cis vtetur. Et quid amicos dico? Nam & frequen-
ter ipſam ignorauere naturam, qui pecuniarum
amore ſunt capti. Talis conſanguinitatẽ non nó-
uit, familiaritatis non reminiſcitur, non reuere-
tur ætatem, amicum habet neminem: ſed in omnes
ſe geret inimicè, ante omnes alios in ſemetipſum,
non eò tantùm quòd animam ſuam perimat, ve-
rùm & innumeris ſemetipſum affligat ſollicitudi-
nibus, laboribus & triſtitiis. Nam & peregrinatio-
nes, & inimicitias, & pericula, & inſidias, & quodli-
bet ſuſtinebit, tantum vt omnium malorum penes
ſe radicem habeat, & multum auri connumeret.
Quid igitur hac peſte grauius eſſe poſſit? Nam &
D deliciis, & omni voluptate, propter quam multa
peccant homines, & gloria, & honore caret. Qui
namque pecunias diligit, innumeros habet ſu-
ſpectos, & multos accuſatores, inuidos, & calum-
niatores & inſidiantes. Qui namque patiuntur in-
iuriam, oderunt tanquam malè habiti: nondum ve-
rò paſſi timentes ne patiantur, & paſſis condolen-
tes idem indicunt bellum. Maiores autem & poten-
tiores dolentes, & ægrè ferentes pro humilioribus,
inſuper & inuidentes, ſimiliter inimici ſunt, & ode-
runt. Et quid homines dico, cùm & Deum aliquis
habeat hoſtem? Quæ iam huic ſpes ſupererit, quæ
conſolatio, quæ refrigeratio? Qui pecunias diligit,
nunquam eis vti poterit, ſed ſeruus erit & cuſtos,
non dominus ſemper: plures enim efficere ſtudens
nequaquam impendere volet: ſemetipſum autem
cruciabit, & omnium pauperum parciſſimè viuet,
nullum faciens cupiditatis terminum: cùm pe-
cuniæ ſint, non vt cuſtodiamus, ſed vt vtamur.
Si verò defodere debeamus aliis, quid nobis

poſſit

Digitized by Google

poſſit eſſe miſerius, qui circumcurſamus, aliena comprehendere quærentes, vt intus includamus, & communem præcidamus vſum? Eſt autem & alia peſtis hac non inferior. Nam hi quidem in terram infodiunt, hi autem in ventrem, & voluptatem, & ebrietatem cum iniuria, & ex intemperantia pœnam ſibi ferentes: & hi quidem paraſitis & aſſentatoribus, hi verò aleis & meretricibus, & aliis huiuſmodi ſuppeditant impenſas: innumeras ſibi ſecantes vias ad gehennam ferentes, rectam & ſanctam deſerentes in cœlum ducentem: cùm non modò lucrum, ſed etiam voluptatē dictis maiorem habeat. Nam qui meretricibus erogat, ridendus erit, & turpis, & multa feret bella, & modicam voluptatem, imò verò neque modicā: quotquot enim fornicantibus dederit mulieribus, ei nullam habebunt gratiam. Dolium enim perforatum eſt aliena domus: alioquin autem impudens eſt huiuſmodi genus, & inferno ſimilem eſſe ipſius amorem Salomon comparans, dixit. Et tunc tantum deſiſtit, cùm omnibus nudatum amatorem eſſe viderit: quinimò neque tunc cohibetur, ſed magis furatur, & inſultat iacenti, & multum in eum commouet riſum: & tantis eum malis afficit, quāta neque ſermone poſſunt recenſeri. Sed ſaluatorum non eſt talis voluptas: nec enim hic riualem quiſpiam habet, ſed omnes gaudent & exultant, & proſperè agentes, & intuentes. Non furor, non mœſtitia, non dedecus & opprobrium huius animam obſidet: ſed multa quidem conſcientiæ lætitia, multa verò ſpes futurorum: porrò præclara gloria, & claritas multa, & quod eſt omnium maximum, Dei beneuolentia & protectio, & nullum præcipitium, aut ſuſpicio: ſed quietus portus atque tranquillitas. Hæc igitur omnia cogitantes, & voluptati voluptatem comparantes, eligamus meliora: vt & futuris fruamur bonis, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, ſimul & ſancto Spiritui, in ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd maximum eſt lucrum in tribulationibus gratiarum actio.

HOMILIA LXIV.

NIHIL tam præclarum, dilectiſſimi, ad gloriæ rationem & fiduciæ, quàm à Deo diligi, & ipſum diligentem tanquam Deum diligere. Hoc angelos ſplendidos facit, hoc principatus & poteſtates, hoc reges maiores: propterea & Paulus hoc ante regnum poſuit, propterea & incorporeas virtutes beatas exiſtimo, quòd eum diligunt, & in omnibus parent. Hinc & Propheta eas admirabatur,
Pſal. 102. dicens: *Potentes virtute facientes verbum eius.* Hinc &
Eſa. 6. Seraphin Eſaias prædicabat, magnam eorum virtutem oſtendens, & ex eo quòd ſtent apud gloriam illam: quòd maximæ charitatis eſt ſignum. Imitemur & nos itaque ſupernas virtutes: neque tantum iuxta thronum ſtare ſtudeamus, verùm & inhabitantem eum habere in throno ſedentem. Nam ille quidem & exoſos dilexit, & diligens perſeuerat.
Matth. 5. *Nam & ſolem oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* Tu verò diligentem amas: diligit enim. Et quomodo diligens, inquit, gehennam, & pœnam, & vltionem minatus eſt? Propterea diligit: etenim tuam mutilans vltionem, & tanquam fræno quodam timore in peiora cohibens impetum, omnia facit & tractat, tam per ſuauia, quàm per triſtia, ab vlteriori ad inferiora occurſu te reprimens, & ad ſe reducens, & ab omni ſoluens malitia, quæ gehenna peior eſt. Si verò rides dicta, & multa potius in nequitia viuere vis, quàm ſolo die puniri, nihil mirandum. Nam & hoc eſt ſententiæ tuę vilis indicium, ebrietatis, & inſanabilis morbi: quoniam & infantes parui cum medicum viderint ignem vel ſectionem inferentem, fugiunt, &

A vlulantes reſiliunt & plangentes: & malunt continua corporis tabe conſumi, quàm temporalem ſuſtinentes dolorem, futura ſanitate potiri: Mentem autem habentes, norunt quòd ægrotare quàm ſecari grauius eſt: ſicut & malum eſſe peius eſt quàm puniri. Nam curari quidem eſt & conualeſcere: perire verò, & in continua eſſe ægritudine. Quòd autem ſanitas infirmitate melior eſt, cuique manifeſtum: quoniam & latrones, non quando & latera fodiuntur, lugere dignum eſt, ſed cum parietes perfodiunt, & cædem patrant. Nam ſi corpore melior eſt anima, ſicut certè melior eſt, hac pereunte magis dolendum eſt & conquerendum: ſi verò nō ſentiat, ita & magis oportet eum deflere. Nam & laſciuo captos amore magis, quàm grauiter febricantes dignum eſt miſerari: & ebrios amplius, quàm eos qui torquentur. Sed ſi hæc, inquit, grauiora, quare potius hæc eligimus? quoniam
B multis hominum, iuxta prouerbium, peiora placent, & hæc eligunt, omittentes meliora: quod & in ferculis videri poteſt, & in conuerſationibus, & in vitæ imitationibus, & voluptatis delectatione, in vxoribus, & in ſeruis, & agris, & in omnibus aliis fieri. Et licet naturalia præternaturalibus iucundiora ſint: attamen multi ſunt, qui deridenda, & iniucunda, & pœnam habentia, tanquam iucunda ſectantur. At illis, inquit, hæc eſſe videntur iucunda: ſed propter hoc ipſum quidem ſunt miſeri, quòd non voluptuoſa, voluptuoſa eſſe putant: ſic & peccati pœnam peccato peiorem cenſent, non eſt tamen, ſed contrarium omninò. Si enim eſſe malum peccantibus caſtigari, malis mala Deus non adiunxiſſet, nec eos peiores facere voluiſſet. Qui enim omnia facit vt extinguatur malitia, non eam auxiſſet. Non itaque peccanti malum eſt caſtigari, ſed ita perſeuerantem non corrigi: ſicut ægrotum non curari. Nihil enim tam malum,
C quàm mala cupiditas: malum autem cùm dico, & deliciarum dico, & intempeſtiuæ gloriæ, & potentiæ, & omnium generaliter vltra neceſſitatem rerum cupidinem. Talis enim lubricam & diſſolutam viuens vitam, omnibus quidem beatior eſſe videtur, omnium tamen eſt miſerrimus, ſuæ ſuperinducens animæ graues dominos & tyrannos. Propterea Deus præſentem vitam nobis fecit laborioſam, vt ab illa nos abſoluat ſeruitute, & ad puram libertatem perducat. Propterea pœnam quoque minatus eſt, & vitæ noſtræ labores conſtituit, laſciuiam reprimens. Ita quidem & Iudæi dum luto fuerunt, & lateritio operi alligati, mites erant, & continuè Deum vocabant: poſtquàm verò libertate potiti ſunt, murmurabant, & Deum exacerbauerunt, & ſe malis infixerunt innumeris. Quid igitur, inquit, de his dices, qui frequenter à tribulatione ſubuerſi ſunt? Quòd non ſit tribulationis opus ſubuerſio, ſed illorum imbecillitatis. Nec
D enim ſi quis infirmum habens ſtomachum, amaram non admittat medicinam, ipſum curare valentem, ſed potius atteratur, medicinam nos accuſabimus, ſed membri infirmitatem, ſicut & hic mentis facilitatem. Etenim à tribulatione ſubuerſus, multò magis hoc à remiſſione pateretur: nam ſi ligatus cadit, hoc enim eſt tribulatio, multò magis laſciuè viuens. Et qualiter, inquit, potero non à tribulatione ſubuerti? Si cogitaueris quòd ſiue velis, ſiue nolis, illatum patieris: ſed ſi gratè quidem maxima lucraberis: ſi verò ægreferens, ſuperbiens, & blaſphemans, neque calamitatem ita minorem facies, & maiorem reddes procellam. Hæc itaque cogitantes, quòd neceſſitatis eſt, hæc noſtræ voluntatis eſſe faciamus. Quale quod dico: Filium aliquis amiſit legitimum, alter totam rem: ſi cogitaueris, quòd factum quidem ſolui non poteſt, poteſt autem ex inſanabili calamitate aliquid decerpi, caſum generoſè ferendo, & pro blaſphemis verbis domino

Digitized by Google

benedictionem referendo, ita mala non voluntariè illata, tibi fient liberæ merita voluntatis. Vidiſti filium ante tempus raptum: dic, *Dominus dedit, dominus abſtulit.* (Iob. 1.) Vidiſti diuitias exhauſtas, dic, *Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus & illuc reuertar.* (Ibidem.) Vidiſti malos proſperis vtentes, & iuſtos aduerſis laborantes, & innumera patientes mala, neſcis autem rerum, quæ fuerit, cauſam inuenire: dic, *Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.* (Pſal. 72.) Si verò & cauſam quæris, cogita, quòd conſtituit diem, quo iudicaturus eſt terrarum orbem, & omnem expelles dubitationẽ: pro meritis enim tunc quinque recipiet, ſicut Lazarus & diues. Reminiſcere apoſtolorum. Nam & cùm flagellarentur, pellerentur, & innumera ſuſtinerent tormenta, gaudebant *quòd digni fuiſſent habiti pro nomine Chriſti contumeliam pati.* (Act. 5.) Igitur & tu ſi fueris ægritudine correptus, fer generosè, & Deo gratias age, & eandem cum illis mercedem accipies. Quomodo verò in ægritudine poſitus & doloribus, Deo gratias habere poteris. Si eũ legitimè diligas. Nam ſi pueri tres in caminum proiecti, & alij in carceribus, & in aliis innumeris conſtituti malis agere gratias non deſinebant: multò magis in ęgritudinibus poſiti, grauibus oppreſſi morbis hoc facere poterunt. Nihil enim eſt quod non ſuperet amor cum deſiderio. Cùm autẽ & Dei ſit deſiderium; omnium eſt altiſſimum: & neque ignis, neque ferrum, neque paupertas, non infirmitas, non mors, nec aliud quid huiuſmodi graue videbitur talem amorem poſſidenti: ſed omnia deridens, ad cœlum volabit, & illic morantibus nihilo ſe geret indignius, aliud intuens nihil, non cœlum, non terram, non mare: ſed ad vnam tantùm pulchritudinem intentus illius gloriæ: & nec eum præſentis vitæ triſtia humiliabunt, nec extollere & inflare ſuauia poterunt, & voluptatem habentia. Capiamur igitur hoc amore: huic enim par nihil, & propter præſentia, & propter futura. Quin inſuper propter ipſam amoris naturam liberabimur & à præſentis vitæ, & à futuri ſeculi ſuppliciis, & regno fruemur. Veruntamen neque gehennæ abſolutio, neque regni delectatio magnum aliquid eſt ad id quod eſt dicendum. Hoc enim omnium eſt maximum, Chriſtum amatum, ſimul & amatorem habere. Si enim hoc in hominibus contingens omni voluptate ſuperius eſt, cùm hæc vtraque circa Deum euenerint, quis ſermo, quæ mens exprimere poterit huius animæ beatitudinem? Nulla profectò, ſed experientia ſola. Vt itaque per experientiam diſcamus hanc ſpiritualem lætitiam, & beatam vitam, & mille bonorum theſaurum, omnia dimittẽtes, illam charitatem retineamus. Hæc igitur audientes, nunquam in tribulationibus abominationem patiamur, neque cogitationes proprias ſequentes indignemur: ſed multam exhibentes tolerantiam, ſpe paſcamur, noſtri ſcientes facilitatem, & quòd nos non deſpiciens, triſtium experientiam capere permittit, ſed nos volens certantes præclaram reportare coronam: ſic omnes ſancti probabiles apparuerũt: propter hoc & apoſtoli dicebant: *Per multas tribulationes oportet nos in regnum Dei.* (Act. 14.) Et ipſe Chriſtus diſcipulis dicebat: *In mundo tribulationem habebitis.* (Ioan. 17.) Ne triſtemur itaque propter tribulationes: ſed Paulum audiamus dicentem: *Quòd volentes piè viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur.* (2. Tim. 3.) Et neque conſternemur, aut ægrè feramus: ſed cum omni virtute ingruentia feramus, non ad tribulationes, ſed ad lucrum reſpicientes hinc nobis prouenieus, hæc enim ſpiritualis mercatura. Et ſicut pecunias colligere volentes, & hanc ſecularem exercentes mercaturam, non aliter propriam rem augere poſſent niſi multa terræ, mariſque pericula ſuſtinerent: neceſſarium enim eſt & latronum inſidias, & piratarum incurſus ſufferre, & prorſus omnia cum magna ſubeunt promptitudine, propter lucri expectationem, nullum capientes triſtium ſenſum: eodem & nos modo diuitias hic nobis confluentes; & ſpiritualem cogitantes mercaturam, gaudere decet & exultare, nec quæ videntur, ſed quæ videri non poſſunt, conſiderare: ſicut & Paulus monet, dicens: *Non conſiderantibus nobis quæ videntur.* (1. Cor. 4.) Hoc enim fides eſt, cùm corporeis duntaxat oculis non ſumus contenti, ſed mentis obtutibus inuiſibilia cogitamus. Illa namque præſertim his quæ corporeis cernuntur oculis, credibiliora cenſere nos oportet. Ita Patriarcha fuit illuſtris & gratus, quoniam Dei credidit promiſſioni, & natura factus altior & humanis rationibus: quamobrem *& reputatum eſt ei in iuſtitiam.* (Rom. 4.) Cogita quòd eſt iuſtitia, his quæ dicuntur à Deo credere. Cùm ille quid promiſerit, ne mihi res ſecundùm humanam exigas conſequentiam: ſed talibus ſublimior cogitationibus, pollicentis virtuti confidas. Ita iuſtorum quiſque probabilis fuit: ſic & admirabilis Ioſeph tot mediis poſt ſomnia factis obſtaculis, non eſt cogitatione turbatus, non tumultuatus, ſed corroborato ſenſu generosè cuncta ferebat, ſciens quòd Dei decreta cadere non poſſunt. Quapropter & poſt ſeruitutem & carcerem tantam calumniam, totius Ægypti principatum accepit. Hæc igitur omnia cogitantes, ingruentibus fortiter occurramus, clementiæ diuinæ pro omnibus agentes gratias, & ab eo protectionem expectantes: qua nos omnes frui concedatur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri, ſimul & Spiritui ſancto gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd Deo gratias agere debemus, qui commenſurata nobis certamina largitus eſt, nihil autem graue præcepit.

HOMILIA LXV.

NIHIL diabolo ſceleſtius aut peius, dilectiſſimi: ſemper enim inutilibus ſuos inuoluit laboribus, & diſtrahit: neque modò brauia conſequi non permittit, ſed & ſupplicij reos facere conſueuit. Non tantùm prædicationem, verùm & ieiunium, & virginitatem eis ſancit, non modò præmiis priuaturus, verùm & magnum malum ea exercentibus illaturus, de quibus dicitur: *Cauteriatam habentium conſcientiam ſuam.* (1. Tim. 4.) Quapropter exhortor, pro omnibus Deo gratias agamus, quòd nobis & labores releuauit, & auxit præmia. Quibus enim apud nos modeſtè nubentes potiuntur mercedibus, apud hæreticos virginitatem ſeruantes non potiuntur, ſed fornicantium pœnæ facti ſunt rei. Totum autem eſt, eò quòd recta nihil faciant intentione, ſed in accuſatione Dei creaturarum, & ineffabilis Dei ſapientiæ. Ne torpeamus itaque: nobis Deus menſurata dedit certamina, nullum habentia laborem, ne propter hoc tamen contemnamus. Si enim hæretici ſe laboribus intendunt inutilibus: quæ nobis erit excuſatio, neque minores, & maiorem afferentes mercedem ſuſtinere nolentibus? Quid enim graue, quidue moleſtum in Chriſti præceptis? Non potes virginitatem ſeruare, licet tibi nubere: non potes te tuis omnibus priuare, licet tibi de tuis miniſtrare. *Veſtra ſuperabundantia illorum inopiam ſuppleat.* (2. Cor. 8.) Hæc enim videntur eſſe grauia: qualia verò? Pecunias dico contemnere, corporalem vincere concupiſcentiam: reliqua verò nullius indigent impenſæ, nullius violentiæ. Quæ enim quæſo, violentia non detrahere, neque temere calumniari? Quæ verò violentia non alienis inuidere bonis, vel gloria non capi? Torqueri & ferre, tolerantiæ ſunt: philoſophiam exercere, tolerantiæ: ferre paupertatem, tolerantiæ: fame impugnari & ſiti, tolerantiæ. Cùm verò nihil adſit huiuſmodi, ſed ſuis liceat vtentem,

vt

Digitized by Google

A vt Chriſtianum decet, alienis non inuidere, quæ violentia? Inuidia nõ aliunde, quàm ex nimia præſentium cura, quinimò omnia mala. Nam ſi pecunias nihil eſſe putares, & huius mundi gloriam habentibus non inuideres: ſed quoniam eis inhias, & admiraris, & attonitus concupiſcis: propter hoc & inuidiæ te pulſat, propter hoc & inanis gloria, & omnia naſcuntur ex rerum vitæ præſentis admiratione. Inuides quòd ille diues eſt? At potius miſericordia dignus eſt, & lachrymis huiuſmodi. Sed ſtatim ridens dices: Ego lachrymis dignus, non ille. Lachrymis dignus & tu, non quoniam pauper es, ſed quoniam te miſerabilem exiſtimas. Nullum enim malum habentes, & ægre ferentes deflemus: non quoniam malum aliquod habeat, ſed quoniam non habentes habere ſe putant: ſicut ſi quis febre liberatus mœreat, & valens verſetur in lecto poſitus, nónne febricitante magis eſt deplorandus? non

B quoniam febre laboret, ſed quoniam nihil habens graue, ſe putat habere. Et tu propterea lachrymis dignus es, quoniam te putas miſerabilem, non propter paupertatem. Paupertatis enim ratione beatus es exiſtimandus. Quid inuides diuiti? quoniam ſe maiorum curarum rerum conſtituit, quoniam grauiori ſeruitio, & infinitis mœroribus, quaſi quidam canis ſuis alligatus eſt pecuniis. Præoccupauit veſpera, præoccupauit nox, & hic quietis tempus habet tumultus occaſionem, & amaritudinis, & triſtitiæ ac ſollicitudinis. Somnus factus eſt, ſtatim exiliit. Ille ſpoliatus eſt, maiorem habet illo ſollicitudinem, qui perdidit: ille enim ſemel perdidit, & contriſtatus curam depoſuit, hic autem eam habet continuè. Superuenit nox noſtrorum portus malorum, noſtrarum lenimen ærumnarum, vulnerũ medicina. Nam & aliquo dolore detenti, amicis quidem & conſanguineis, & familiaribus, frequenter autem & patribus non ceſſere cõſolantibus, nec paruerunt:

C verùm & ad ipſa verba ſunt indignati: ſomno verò quieſcere iubenti, neque contrà aſpicere valuerunt. Doloris enim amaritudo magis omni æſtu noſtras affligit animas. Sicut igitur corpus exæſtuans, & ardentioribus radiis fatigatũ demulcet diuerſorium, multos fontes, & ab aura tenui conſolationem habens: ita nox ſomno noſtrã tradit animam. Sed potius tamen neque nox, neque ſomnus hoc operatur, ſed Deus hoc ærumnoſum intuens genus, hæc omnia fecit. At noſtri noſipſi non miſeremur, ſed tanquam nobis inimici ſimus maiorem excogitauimus naturali neceſſitate & requie tyrannidem, ex diuitiis vigilandi ſollicitudinem: ait enim: *Cura diuitiarum amouet ſomnum.* Et vide quanta ſit Dei cura. Non propoſito requiem permiſit, ſed naturalibus eam vinxit neceſſitatibus, vt & inuiti beneficio fruamur. Nam dormire naturæ eſt: nos autem quaſi nos multum exoſi tanquam alios impugnantes & affligentes, hac naturali neceſſitate maiorem excogitauimus tyrannidem ex pecuniis:

Eccl. 8.

Auarorum cura.

D Dies illuxit, & huiuſmodi ſycophantas timet. Nox comprehendit, tremit latrones. Mors adeſt, magis quàm morte mordetur quòd illa fiũt aliena. Filium habuit, maior cupiditas, & tunc pauper eſſe ſibi videtur. Non habuit, magis doluit. Hunc ergo beatum vocas, qui nulla ex parte lætari poteſt? Huic inuides naufraganti, in tranquillo paupertatis portu conſtitutus. Et hic verè eſt humanæ defectus naturæ, bona generosè non accipere, & in beneficia contumelioſum ſe gerere. Et hæc quidem hic, cùm autem illuc migrauerimus, audi quid diues loquatur qui fuerat innumerorũ, vt ipſe dicis, bonorum dominus. Nam ego non hæc bona dixerim, ſed indifferentia. Hic igitur infinitorum dominus bonorum quid dicat, audi, & in cuius rei ſit inopia conſtitutus: *Pater*, inquit, *Abraham, mitte Lazarum, vt ſummo digito inſtillet aquam linguæ meæ, quoniam torreor.* Nam ſi nihil eorum, quæ dixi, pateretur ille diues, ſi in libertate ſine cura totam egiſſet vitam: & quid

Luc. 16.

A dico totam egiſſet vitam? vnum illud momentum, momentum enim eſt: ait enim, Quaſi vnum momentum tota ætas noſtra ad infiniti ſæculi comparationem. Si igitur ei pro votis omnia ſucceſſiſſent, nónne mirabilis eſt ex hiſce verbis, imò verò factis? Nónne vino exundabat menſa tua? nunc verò ne guttæ laticis es dominus, & hæc in multa neceſſitate conſtitutus. Nónne pauperem vlceratum deſpiciebas? nunc autem rogas eum videre, & nemo præbet. Pro foribus tuis aſtabat, nunc autem in Abrahæ ſinibus. Sub magnis tu recubabas tectis, nunc in igne gehennæ. Hæc audiant diuites, imò verò non diuites, ſed miſericordia carentes. Non enim quoniam diues fuerat, puniebatur, ſed quoniam miſericordiam non exhibuit. Poteſt enim fieri, vt locuples & miſerens omne bonum aſſequatur. Et propterea nullum alium videt, niſi illum ſui indigentem: vt diſcat, quòd hæc iuſtè patiatur,

B in memoriam eorum veniens, quæ gerebat. Num non erãt innumeri diuites iuſti? Sed ad eius ianuam iacens hic ipſi occurrit: ipſum & nos docens: quantum ſit bonum in pecuniis non confidere. Nihil illum læſit paupertas ad regnum acquirendum, nihil huic profuerunt diuitiæ ad fugiendam gehennam. Quouſque paupertas, quouſque mendici? Non eſt pauper qui nihil habet, ſed qui multa concupiſcit. Non eſt diues qui multa poſſidet, ſed qui nullius indiget. Quid enim vtilitatis omnem terrarum orbem poſſidere quidem, & in maiori viuere miſeria, quàm qui nihil habet? Voluntates & diuites faciunt, & pauperes, non pecuniarum copia, nec egeſtas. Vis fieri diues tu pauper? licet tibi, ſi velis; & eſt qui prohibeat nemo. Contemne mundi pecunias, nihil eſſe cogita, ſicut & ſunt: elimina pecuniarum amorem, & diues factus es. Hic eſt diues, qui diues eſſe non vult: qui pauper eſſe renuit, hic eſt qui pauper eſt. Sicut enim ægrotus eſt ille, qui & in ſanitate

Diues eſt qui ſua ſorte eſt contentus.

C mœſtus eſt: non ille qui morbum omni ſanitate fert leuius: Itidem & pauper eſt, qui paupertatem ferre non poteſt, ſed in diuitiis ſe pauperibus pauperiorem eſſe putat: non ille qui pauperiem, quàm diuites opulentiam fert lætius: hic enim eſt ditior. Cur enim quæſo, pertimeſcis paupertatem? quare contremiſcis? Nónne propter famem? nónne propter ſitim? nónne propter frigus? an non propter hæc? Sed eſt nemo, qui de his vnquam dubitauerit. *Nam reſpicite in antiquas generationes; & videte quis credidit domino, & derelictus eſt: vel quis ſperauit in eum, & confuſus eſt.* Et iterum: *Reſpicite volatilia cæli; quòd non ſeminant, neque metunt; neque congregant in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit ea.* Neminem facilè quis haberet, quem fame vel frigore mortuum oſtenderet: cur ergo paupertatem formides, non potes dicere. Si neceſſariis enim abundas, quid tandem tremis? quòd non eſt tibi ſeruorum multitudo? hoc eſt à dominis eſſe liberum, hoc perennis beatitu-

Eccleſ. 2.

Matt. 6.

D do, hoc à ſollicitudine libertas. At quòd vaſa, lecti, & ſupellectilia tibi non ſunt ex argento elaborata: ſed quid te plus habet delectationis, qui talia poſſidet? Nihil. Vſu namque ſunt paria, ſiue ex hac, ſiue ſint ex illa materia. At quoniam terribilis non es multis. Nec vnquam fias. Quæ namque voluptas, quòd te multi tremant atque formident? Sed quòd alios ipſe times. At timendum non eſt. Vis enim non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex ea. At quoniam contemptui ſumus obnoxij, & malè pati periclitamur. Præcipuè quidem paupertas hoc non facit, ſed malitia. Quoniam cùm multi pauperes quietè præſentem vitam degant, principes, diuites & potentes omnibus malefactoribus, latronibus & furibus migrauere miſerius: quod enim in te paupertas habet, in illo diuitiæ. Sicut enim tibi per contemptum hi malefaciunt, affligere volentes: ſic illi per inuidiam & liuorem: & magis hic, quàm illic ſæuitur: hæc vis malefaciendi, quàm illa fortior.

Nam inuidens quidem totis viribus & potentiis omnia facit, contemnens autem & quandoque miſeretur eius quem contemnit: & hoc illi factum eſt liberationis cauſa, quòd pauper eſt, & nihil habet fortitudinis: & dicentes, magna geres, ſi illum interfeceris: ſi vnum occideris inopem, quibus potieris præmiis? ita illius iram reprimimus: at in diuitibus inſtat inuidia, non prius deſinens, quàm quod vult fecerit, & ſuum effuderit venenum. Vides, quòd non paupertas, neque diuitiæ bonum, ſed voluntas noſtra? Hanc benè componamus, & ſapienter ſe gerere doceamus. Si hęc bene diſpoſita fuerit, neque diuitiæ nos à regno pellere poterũt, neque paupertas vt minus habeamus faciet. Sed paupertatem æquè feremus, nec hic vllam de futurorum delectatione bonorum iacturam facientes: verùm & his fruemur, & cæleſtibus potiemur bonis: quæ nos omnes aſſequi detur; gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri, ſimul & Spiritui ſancto gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd cæleſte regnum abſque tribulatione & laboribus acquiri non poteſt.

HOMILIA LXVI.

VINCVLVM eſt indiruptum tribulatio, chariſſimi, dilectionis argumentũ, compunctionis & reuerentiæ materia. Audi namque Dauid dicentem: [Pſal. 118.] *Bonum mihi domine, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* & rurſus alium prophetam dicentẽ: [Thren. 3.] *Bonum eſt viro, cùm portauerit iugum à iuuentute ſua.* & iterum: [Pſal. 93.] *Beatus homo quem tu erudieris domine.* Et aliũ quendam dicentem: Noli contemnere diſciplinam domini. [Eccl. 2.] Et ſi vadis ſeruire Deo, *præpara animam ad tentationem.* at rurſum & Chriſtus dicebat: [Iohan. 17.] *In mundo tribulationem habebitis, ſed confidite.* & iterum: [Ibid. 16.] *Plorabitis & lugebitis vos, mundus autem gaudebit.* & iterum: [Matth. 7.] *Anguſta eſt & arcta via.* Vides vbique tribulationem laudari, paſſim aſſumi tanquam nobis neceſſariam? Si enim in externis certaminibus abſque hac nemo coronam capere poteſt, [Regum curæ.] niſi laboribus, & ciborũ obſeruatione, viuẽdi norma, & vigiliis, & innumeris aliis ſemetipſum corroborauerit: multò magis hic. Quẽ enim vis dicere? regem? ſed nec ille procul à curis vitam agit, ſed multis plenam tribulationibus & curis. Ne namque diadema reſpicias, ſed curarum tempeſtatem, per quam ipſi corona paritur. Neque purpuram intuere, ſed animam & ipſa purpura magis nigreſcentem. Non ita corona caput circundat, ſicut animã ſollicitudo: nec in ſatellitum cateruã, ſed in moleſtiarũ multitudinem ſpectes. Nec enim priuata domus tot curis plena reperiri poteſt, quot regiæ ſunt mortes per ſingulos dies expectatæ, & ante menſam cruor ſpectatur, & ante potum. In noctibus autem ne dici quidem poteſt, quoties anima proſilit, & exilire ſe putat, & hæc quidem in pace: ſi verò bellum ingruat, quid hac vita miſerabilius eſſe poſſit? quot autẽ à familiaribus irruunt & ſubditis? quippe conſanguineis cruoribus regum pauimentum ſemper eſt plenum. Et ſi vultis, aliqua narrem, forſitan agnoſcetis, maximè quidem & antiqua: at & noſtris facta temporibus, quæ tamẽ adhuc memoria ſeruantur. Ille coniugem adulterij ſuſpectam habens, nudam in montibus alligauit, & feris tradidit, iam facta multorum ſibi regum matre: qualem illũ vitam degere creditis? Nõ enim, niſi magno fuiſſet morbo conſumptus, in tantam erupiſſet vltionem. Hic ipſe quidem ſuum iugulauit filium, quin potius ipſius frater. Eius filiorum hic quidem ſemetipſum interemit à tyranno comprehenſus: ille verò nepotem ſuum regni ſecum conſortem, quod ipſe arripuerat, & vxorem vidit à Perſis corruptam: quaſi enim ea quæ non pariebat, mulier miſera quædam & ærumnoſa: miſera quidem & infælix, quæ Dei

[A] donum per ſuam ſe ſperauit præſtituram eſſe ſapientiam: cùm aleam ieciſſet, reginã corrupit, & ipſa ſimul eſt corrupta: hic autem dicitur & fratrem ſuũ peremiſſe: alter rurſum poſt hunc venenatis ſublatus eſt medicaminibus, & calix fuit ei non iam poculum, ſed mors: & eius filio, futurorum timore, cùm nihil iniurię patraſſet, oculus erutus fuit. Alius neque dicere decet, quàm miſerabiliter vitam finiuit. Sequentium autem hic quidem incenſus fuit, tanquam miſer quidam & infelix, cum equis & curribus, & aliis omnibus, & vxor in viduitate. Vitæ enim ærumnas nemo ſermone poſſet exprimere: quas cum hic inſurrexerit, habere coactus eſt. Hic verò qui nunc imperat, nonne poſtquã coronatus fuit, eſt in laboribus, in periculis, triſtitiis, mœrore, calamitatibus & inſidiis? At non talis cœlorũ regia: ſed poſtquam eam acceperis, pax, vita, gaudium, lætitia. Verùm, vt dicebam, non eſt vita ſine miſeria. Si verò in ſecularibus, & in regia facilè primus, [B] tantis eſt plenus ærumnis, quid cenſes in priuatis, & quot alia mala? Neque dici quidem poteſt, quot fabulæ frequenter ex his cõtextæ ſunt. Omnes ferè, quæ ſunt in ſcena tragœdiæ & fabulæ, de regibus exhibentur: eorum enim quæ fabuloſè dicunt, plurima pars de factis fingitur: ſic enim habent & voluptatẽ Thyeſteæ, & tota domus illa calamitatibus eſt obuerſata. Sed hæc quidem ex his quæ ab externis compoſita fuêre, didicimus. Si verò vultis, & ex ſcripturis dicemus. Saul primus regnauit, verùm ſcitis, quomodo poſt illum Dauid; & hic tranſiit innumeris tentatus malis. Salomon, Abia, Ezechias, Ioſias ſimiliter. Non enim poteſt citra tribulationem, non poteſt citra triſtitiam præſens vita tranſmitti. Sed nos mœreamus non huiuſmodi rebus, de quibus reges, ſed ex quibus & magnum habemus emolumentum. *Nam quæ ſecundùm Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem immutabilem operatur.* [2. Cor. 7.] Ex his oportet [C] triſtari, de his dolere, his morderi. Ita Paulus pro peccantibus triſtabatur, ita lugebat: ait enim, *Ex multa tribulatione, & compreſſione cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas.* [2. Cor. 2.] Quoniam enim de propriis non habebat quod lugeret, hoc pro alienis agebat: quin & illa ſecundùm luctus rationem propria putabat. Alij ſcandalizabantur, & ipſe vrebatur: alij infirmabantur, infirmabatur & ipſe. Bona eſt talis triſtitia, omni mundana melior lætitia, ita lugentem omnibus hominibus præpono: imò verò & ipſe dominus ita lugentes beatos vocat miſericordes. Non ſic eum in periculis admiror, quin verò neque minus quàm in periculis: in his quotidie moriebatur, ſed hoc me magis mouet. Ex anima namque religioſa fit & pia, ex charitate quam ipſe Chriſtus quærebat, ex fraterna paternaque pietate: imò quod his duobus maius eſt, ita affici, ita lugere oportet. Huiuſmodi lachrymæ multa ſunt plenæ lætitia, huiuſmodi luctus lætitiæ materia: licèt nihil deploratis profi- [D] mus, nobis ſaltem ipſis proderimus. Qui namque ſic de alienis dolet, multò magis ex propriis hoc patietur. In alienis ita deflens, non ſine lachrymis ſua pertranſibit errata, quinimmò nec facilè peccabit: id autem grauiſſimum eſt quod ita ſuper peccantibus lugere iuſſi, neque de propriis vllam exhibemus pœnitentiam, ſed ſine dolore cadimus: omnium maiorem gerimus curam, & omnia plus quàm propria recogitamus peccata: propterea gaudio lætamur inutili, quod eſt mundi, quod ſtatim extinguitur, & infinitos parit mœrores. Triſtemur triſtitia gaudij genitrice, non autem lætitia triſtitiæ parẽte gaudeamus. Lachrymas fundamus, multam ſeminantes voluptatem. Neque riſu rideamus, dentium nobis ſtridorem pariente. Affligamur tribulatione, ex qua remiſſio naſcitur. Neque delicias quæramus ex quibus multa tribulatio paritur & anguſtia. In terra pauliſper laboremus, vt in cœlis lætemur. In corruptibili vita noſipſos affligamus, vt in immortali requiem aſſequamur:

Digitized by Google

mur: ne in hoc breui effundamur momento, ne in infinitum angamur. Nonne videtis quot & hic tribulantur propter ſecularia? Cogita quod tu quoque de illis vnus es. Suſtine tribulationem & dolorem, ſpe futurorum te paſcens. Tu neque Paulo melior es, neque Petro, qui nunquam remiſſionem aſſecuti ſunt, ſed fame, & ſiti, & nuditate laborarunt. Si vis eadem cum illis aſſequi, quid cõtrariam ambulas viam? Si vis ad illam peruenire ciuitatem, qua digni ſunt illi putati, illam perambula viam illuc ferentem. Non illuc perducit remiſſionis via, ſed tribulationis: illa lata, hæc anguſta: hanc perambulemus, vt vitam aſſequamur æternam. Vbi namque tribulatio, ibi & conſolatio: & vbi conſolatio, ibi & gratia. Cùm itaque & Paulus in carcerem cecidit, tunc illa fecit mirabilia: cùm naufragatus eſt, & in barbaram eiectus regionem, tunc maximè glorificatus eſt: cùm vinctus forum intrauit, tunc vicit & iudicem. Sic & in veteri fiebat teſtamento, in tentationibus iuſti florebant, ita tres pueri: ita Daniel, & Moſes, & Ioſeph: hinc omnes magnis & ſplendidis ſunt habiti coronis digni. Tunc enim & anima purgatur, cùm propter Deum tribulatur: tunc maiori potitur adiutorio, quando & maioris indiget auxilij, maioriſque gratiæ. Quin & ante mercedem à Deo propoſitã magna bona decerpuntur ab anima ſapiente iam reddita. Nam & faſtum contrahit, & omnem excidit torporem tribulatio, & ad patientiam vngit, & humanarum rerum vilitatem reuelat, & multam introducit ſapiẽtiam: omnes enim motus ipſi cedunt, inuidia, æmulatio, concupiſcentia, potentiæ, pecuniarum & corporum amor, arrogantia, faſtus, ira, & omne reliquum vitiorum examen, & ſi vis rebus ipſis videre & virum ſeorſum, & totum populum oſtendere tibi poterimus, & in tribulatione poſitos, & in remiſſione: & quantum hinc lucrum, docere, & quantus illinc torpor. Nam & Hebræorum populus, dum affligebantur quidem & pellebantur, gemebant, & Deum inuocabant, & multum ſupernè momentum attrahebant: cùm autem impinguati ſunt, reſilierunt. Niniuitæ rurſum cùm libertate potirentur, ita Deum irritauerunt, vt totam à fundamentis vrbem ſubuertere Deus minatus ſit: poſtquam verò ab illo ſunt humiliati præcone, omnem præſtitere ſapientiam. Si verò & ſingularem virum vis cernere, cogita Salomonẽ. Nam & hic dum in curis quidem & perturbatione fuit, de principatu gentis illius conſultans, illa viſione dignus eſt habitus: vt verò nactus eſt delicias, in ipſum malitiæ barathrum delapſus eſt. Quid verò ipſius pater, quando mirabilis fuit & glorioſus? nónne dum in tentationibus fuit? Abſalon verò quoad fugiebat, nonne modeſtus erat: poſtquàm autem rediit, & tyrannus, & patricida factus eſt? Quid autem Iob? Hic enim clarus quidem erat, & in quiete, clarior autem poſt tribulationem apparuit. Et quid opus eſt antiqua & priſca recenſere? Si quis enim noſtra nunc diſcutiat, quantum ſit tribulationis lucrum videbit: nunc enim pace potientes recidimus & defluximus, & innumeris impleuimus malis eccleſiam: cùm verò pellebamur, & modeſtiores & humaniores eramus, & ſtudioſi magis, & ad has conciones promptiores, & feruentes ad audiendum. Quod enim ignis eſt auro, hoc & animis tribulatio, ſordem abſtergens, faciens mundos, claros reddens & ſplendidos. Hæc in regnum introducit, illa verò in gehennam: quapropter hæc quidem eſt lata, illa verò anguſta: propter hoc & ipſe dicebat: *In mundo tribulationem habebitis*: tanquam magnum nobis bonum relinquens. (Ioan. 17.) Itaque ſi diſcipulus es, anguſtam & aſperam incede viam, nec ægrè feras: nec indigneris. Nam etſi non ita tribuleris, tribulari omnino neceſſarium eſt ex alia materia ſine lucro. Nam & inuidus & pecuniarum amator, & meretrices deperiens, & gloriæ cupidus, & aliorum quiſque malas exercentium actiones,

A multas ſuſtinet triſtitias & tribulationes, & lugentibus nihilo minus tribulatur. Si verò neque lachrymas fundit, neque luget, propter inuerecundiam & inſenſibilitatem id facit. Itaque ſi ipſius animam diſcutias, innumeras fluctibus plenam videbis. Cùm igitur & illam, & hanc degentes vitam tribulari neceſſe ſit, cur hanc non eligimus, quæ cum tribulatione nobis infinitas coronas accumulat? Nam & omnes ſanctos Deus ita per tribulationem & anguſtiam agebat, ſimul & illis vtilitatem afferens, & reliquos inſenſatos cautos faciens, ne maiorem meritis de ipſis ſententiam habeant. Sic enim & idololatria principiũ cepit, cùm homines nimiæ ſupra meritum haberentur admirationi. (Idololatriæ origo.) Itaque tertiumdecimum Deum eſſe putauit Alexandrum Romanorum ſenatus. Hic enim hanc habebat poteſtatem deos creandi & decernendi. Cum igitur ei omnia Chriſti opera renuntiata fuiſſent, miſit gentis princeps interrogatum, an eis videretur & ipſe Deus decernendus. Illi verò non annuerunt, B indignantes & ægrè ferentes, quod ante decretum & ſententiam ſuam effulgens crucifixi virtus omnem terrarum orbem in ſui traxiſſet venerationem. Hoc autem & ipſis nolentibus, diſpenſatum eſt, ne mortali decreto Chriſti prædicaretur diuinitas, nec vnus de multis eſſe putaretur, qui ab eis fuerant inſtituti. Nam & pugiles deos eſſe putauerunt, & exoletum Adriani: vnde & ciuitas Antinous dicitur. Quoniam enim mors naturam conuicit mortalem, alium adinuenit diabolus viam animæ immortalitatem ſuperantem, poſt mortem aſſentationem, per quam in impietatem multos induxit, quod quidem & in illo Macedone fecit: ait enim, Multa magnaque viuens geſſit, nam & ciuitates ſubegit, & gentes, & multa bella profligauit, & pugnas, & erexit trophæa: & quid hoc? Nõ enim C hæc diuinæ ſunt argumenta naturæ: ſed quæ Chriſtus fecit, magna ſunt illa, & admirabilia, & inenarrabilia: nec vlli quidem hominũ, nec vlli verò angelorum, at ſoli Deo poſſibilia. Et quæ ſunt hæc, inquit? Quæ totus terrarum orbis per opera clamat, & per ſingulos prædicat dies. Et id quidem eſt admirabile, quod poſt crucem hæc Chriſtus operatus eſt per vndecim mendicos & piſcatores. (Apoſtolorum ſepulchra magis ſunt glorioſa quã Alexãdri magni.) Nam quod viuens bella quidẽ expediat, & victorias, cum ſit rex, & exercitus habeat, & pecuniarum copiam, nihil eſt mirandum, inopinatum nihil, & nouum: quòd verò poſt crucem & ſepulturam tanta facta ſint vbique terrarum & maris, hoc eſt præcipuè multa plenum admiratione, diuinã & ineffabilem prædicans virtutem. Et Alexander quidem poſt mortem ſuam diſſipatum imperiũ ſuum, & penitus exterminatum non reparauit, neque aliud geſſit neque magnum, neque paruum: quomodo namque facturus erat mortuus? Chriſtus autẽ tunc omnem terrarum orbem ad ſe traxit adorandum, cùm mortuus fuiſſet. Et quid de Chriſto loquor; cùm & diſcipulos poſtquam obierunt, tunc effulgere fecerit? D Quid dico diſcipulos? Nam & eorum loca & ſepulchra ſimul & tempora perenni memoria celebrari curauit. Tu verò mihi ſepulchrũ oſtendas Alexandri, & profer diem quo vitam finiuit. Sed nihil horum inſigne, ſed omnia deſtructa ſunt & exterminata: Chriſti vero ſeruorũ & ſepulchra clara ſunt regiam aſſecuta ciuitatem, & dies notiſſimi mundo feſtam afferentes lætitiam. Et illius quidẽ loculum & proprij neſciunt, horũ autem ſciunt & barbari. Et ſeruorum crucifixi ſepulchra regiis aulis ſunt clariora, non magnitudine & ædificiorum pulchritudine (nam & in hoc quidem ſuperant) ſed quod multo maius eſt, cõuenientium ſtudio. Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant: & ſcenarum fabrum, & piſcatorem etiam mortuos vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Audebis

igitur, quæſo, horum dominum nuncupare mortuum, cuius ſerui vel mortui terrarũ orbis regum ſunt protectores? Nec hoc tantum quis Romæ fieri viderit, verùm & Conſtantinopoli. Nam & hic Conſtantinũ Magnum ipſius filius honore magno cenſuit haberi, ſi pro foribus piſcatoris paternum corpus collocaret. Et quod in regiis ſunt ianitores regibus, hoc ſunt in monumento piſcatoribus reges: & illi quidem vt domini loca tenent interiora: hi verò tanquam inquilini & vicini aulæ ianuam ſibi gratum habuere deputari, & infidelibus ex his oſtendentes, quod in reſurrectione maior erit piſcatoribus dignitas. Si hic enim ita in ſepulchris, multò magis & in reſurrectione ordo commutatus eſt. Reges quidem miniſtrorũ, ſubditi verò regum vicem induerunt, quinimò & ſplendidiorem. Et quod hoc non aſſentatio ſit, ipſa veritas oſtendit: ex illis enim & hi illuſtres facti ſunt. Multò namque cæteris regalibus ſepulchris hæc monumenta ſunt clariora. Nam illic quidem magna ſolitudo: hic autem magnus concurſus. Quòd ſi velis & regalibus aulis monumenta comparare, rurſum & hic victoria. Nam illic quidem multi deterrentes: hic verò multi vocantes, & attrahentes diuites, pauperes, viros, mulieres, ſeruos, liberos: illic magnus timor, hic inexplicabilis voluptas. Sed dulce ſpectaculum eſt, regem aureis indutum & coronatum ſpectare & aſtantes duces, & principes, ductores, tribunos, & militum magiſtros: verùm hæc tanto ſunt illis honeſtiora, & magis reuerenda, vt illa fabulæ ſint & ludicra. Simul ac enim pauimenta calcaueris, ad cœlum mentem locus tranſmiſerit, & ad ſupernum regem, & illum angelorum exercitum, & ſublimem thronum, & inacceſſibilem gloriam. Et hic quidem regnans alicui ſubiecto præcipit, vt hunc quidem ſoluat, illum verò liget, ſanctorum autem oſſa non hanc habent miſerabilem & abiectam poteſtatem, ſed illa multò maiorem. Dæmonas enim ſiſtunt & torquent, & vinctos ab illis ſoluunt ſæuiſſimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerendum, cum videatur nemo, nemo dæmonis inſtet lateribus, voces ſentiuntur & lacerationes, flagella tormentaque, ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferente? Et corpus induti, incorporeas opprimunt poteſtates. Et cinis, & oſſa, & fauilla inuiſibiles illas poteſtates dilaniant. Itaque quò regias quidem aulas videat, nullus vnquã peregrinatus fuerit: multi verò reges plerumque huius ſpectaculi gratia peregrinati ſunt. Futuri namq; iudicij veſtigia & ſigna, ſanctorum ædes exhibent, vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur. Vidiſti vel mortuorum hominum virtutem? vidiſti peccatorum & viuentium imbecillitatem? fuge malitiam itaque, vt talia conſequaris, & omni ſtudio virtutem ſectare. Nam ſi præſentia ſunt huiuſmodi, cogites qualia ſint futura, & horum amore iugiter detentus, æternam vitam apprehende: ad quam omnes vtinam attingamus, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd hic affligi, peccatorum exhibet remiſſionem: & quemadmodum hominem inuenire non licet immortalem, ita neque ſine triſtitia, dum viuit.

Homilia LXVII.

Nemo, dilectiſſimi, malos proſperè videns agẽtes, tumultuetur. Non eſt hic retributio neque malitiæ, neque virtutis, ſicubi verò nequitiæ ſit & virtutis, non tamen pro dignitate, ſed ſimpliciter, quaſi iudicij prælibatio: vt reſurrectionem non credentes, vel in præſentibus corrigantur. Cùm malũ locupletari videmus, ne titubemus: cùm bonum mala viderimus patientem, ne tumultuemus. Illic enim coronæ, vbi pœnæ. Alioquin verò nec poteſt
malus omnino malus eſſe, ſed euenit, vt & aliquid
habeat boni: neque bonus eſſe omnino, ſed &
nonnulla ſolet habere peccata. Cùm itaque malus
proſperis vtitur rebus, ad capitis ſui perniciem: vt
enim illorum paucorum retributionem bonorum
hic capiens, illic deinde puniatur, hac de cauſa recipit.
Et ille præſertim beatus eſt, qui hic pœnas
luit, vt peccatis omnibus depoſitis, probatus mi-
gret, & mundus ac inſons: hocque nos docẽs Pau-
lus, ait: *Ideo in vobis infirmi multi & imbecilles, & dormi-* 1.Cor. 11
unt multi. & iterum: *Tradidi huiuſmodi ſatanæ.* Et pro- Ibid. 4.
pheta quoque dicit, quod *ſuſcepit de manu domini du-* Eſa. 40.
plicia pro omnibus peccatis ſuis. & iterum Dauid: *Reſpice* Pſal. 24.
inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo ode-
runt me, & dimitte vniuerſa delicta mea. & rurſum alter: Eſa. 26.
Domine pacem da nobis, omnia enim retribuiſti nobis. Sed
quidem probantis ſunt bonos pro peccatis pœnas
hic luentes: vbi verò bona mali recipientes hic,
illic omnino cruciantur. Abraham audi dicentem
diuiti: *Recepiſti bona tua, & Lazarus mala.* Quæ bona? Lucæ 16.
cùm enim dixerit, hic recepiſti, non autem cepi-
ſti, oſtendit ambos ex debito paſſos: & hunc qui-
dem in felicitate, illum autem in ærumnis verſatũ:
& ait, Propterea nunc hic conſolatur. Vides enim
eum à peccatis purum, & tu doles. Itaque ne mœ-
reamus cum peccatores hic proſperis rebus vten-
tes videmus, ſed cum ipſis rebus aduerſis premi-
mur, gaudeamus: hoc enim eſt peccatorum expia-
tio: Ne remiſſionem quæramus, ſuis enim diſcipu-
lis Chriſtus tribulationem prænunciauit: & Paulus
ait: *Omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem pa-* 2.Tim. 3.
tientur. Nullus athleta generoſus in ſtadio balnea
quærit, aut menſam cibis & vino redundantem.
Hoc non eſt athletæ, ſed delicati. Athleta nanque
pugnat puluere, oleo, Solis ardore, ſudore largo,
tribulatione & anguſtia. Hoc eſt certaminis tem-
pus & pugnæ: igitur & vulnerum, & cruoris, & do-
loris. Audi quid dicat beatus Paulus: *Ita pugno, non* 1.Cor. 9.
tanquam aërem cædens. Omnem vitam certamen eſſe
putemus, nec vnquam remiſſionem quæramus,
nunquam in tribulationibus inuſitata pati nos ar-
bitrabimur: quoniam nec athleta cum eſt in certa-
mine, noui quid patitur. Aliud eſt remiſſionis tem-
pus. Per tribulationem conſummari nos oportet:
licet tribulatio non adſit, neque perſecutio, ſed
adſunt aliæ tribulationes per ſingulos dies nobis
irruentes. Si verò has non ferimus, illas profectò
ſegnius pertuliſſemus. *Tentatio vos non apprehendat, niſi* 1.Cor. 10
humana, inquit. Precemur itaque Deum, ne intre- Temere nos non iniicia-
mus in tentationẽ: inducti verò generoſe feramus. mus in tẽtationes.
Nam illud quidem eſt modeſtorum virorum, ſe pe-
riculis non ingerere: hoc autem generoſorum at-
que ſapientum. Nec itaque nos geramus temera-
riè: audacis enim eſt: neque rebus tracti vocanti-
bus cedamus: timidi ſiquidem eſt: ſed ſi prædicatio
quidem vocet, ne recuſemus: cùm verò nulla cau-
ſa prorſus, aut vtilitas, neceſſitáſve ſecundùm pie-
tatem vocet, ne curramus: oſtentatio enim eſt, &
ſuperflua iactatio. Si quid verò fiat, quod noceat
pietati, licèt innumeras ſuſtinere mortes oporteat,
nihil recuſemus. Noli tentationes accerſere, cùm
ſecundùm pietatem vota tibi ſucceſſerint, quid ſu-
perflua attrahis pericula, quæ nullam habent vtili-
tatem? Hæc dico, cupiens vt Chriſti leges cuſtodia-
tis, qui iubet orare ne inducamur in tentationem,
& vt tollentes crucem ſequamur eum. Hæc enim
non ſunt contraria, ſed & valde conſona. Tu nam-
que ita quidem te præpara, tanquam miles gene-
roſus. In armis continuè verſeris, ſolers, vigilans,
ſemper hoſtem expecta, ne tamen hoſtes tibi pa-
rias: hoc enim non eſt militis, ſed ſeditioſi. Si verò
religionis tuba vocet, ſtatim progredere, & animam
paruipende, & multa cum alacritate deſcendas ad
certamina, hoſtium aciem diſſipa, confringe caput
diaboli, trophæum erige. Si verò pietas nihil læda-
tur, nec vllus noſtra populetur dogmata, ſecundùm

animam

animam dico: nec aliquid quod Deo diſpliceat, agere cogit, ne ſis ſuperfluus. Sanguine plenam eſſe decet Chriſtiani vitam, non alienum effundendo, ſed ſe paratum ſuum effundere præſtando. Tanta ergo promptitudine proprium effundamus cruorem, cùm pro Chriſto ſit hoc agendum: quāta quis aquam effunderet. Nam & aqua ſanguis eſt corpus irrigans. Et tanta facilitate carnem exuamus, quanta veſtimentum. Hoc autem fiet, niſi pecuniis alligati fuerimus, niſi domibus, & niſi affectionibus, niſi ſimus ab omnibus ſuſpenſi. Nam ſi militarem hanc vitam degētes omnibus abrenuntiant, & quò Mars vocauerit, eò proficiſcuntur, & iter agunt, & omnia cum ſedulitate ferunt: multò magis nos Chriſti milites oportet ita præparari, & opponere nos vitiorum certamini. Non eſt nunc perſecutio, nec vnquam vt ſit, accidat: pugna tamen incumbit alia, pecuniarum, cupiditatis, inuidiæ, vitiorū. Hoc

Ephes. 6. bellum recenſens Paulus, ait: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus ſanguinem & carnem.* Semper hoc bellum inſtat. Propterea nos ſemper armatos vult ſtare. State ergo, inquit, accincti. Quod ipſum & præſentis eſt temporis, & oſtendit quòd ſemper oportet armatum eſſe. Multum enim certamen per linguā: multum per oculos: hos itaque reprimamus. Multum per concupiſcentias. Quapropter illinc Chriſti mi-

Ibidem. litem incipit armare: ait enim: *State accincti lumbos veſtros;* & ſubiunxit: *In veritate.* Cur in veritate? Illuſio enim eſt & vanitas concupiſcentia: vnde dicit

Pſal. 32. Propheta: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus.* Res ea non eſt voluptas, ſed vmbra voluptatis. Accincti ergo lumbos veſtros in veritate, hoc eſt, vera voluptate, modeſtia, honeſtate. Propterea hæc admonet, peccati ſciens abſurditatem, & omnia volens membra noſtra eſſe circummunita: ait enim, Ira iniuſta & nocens non ſeruabitur. Et nos lorica vult eſſe circundatos, & ſcuto. Fera ſiquidem eſt libenter inſiliens ira, innumeris obicibus & ſeptis ad eam nobis eſt opus ſuperandā & arcendam. Et propterea nobis Deus hanc maximè partem, tanquam ex quibuſdam lapidibus, ex oſſibus condidit, ei circumponens firmamentum, ne facile prorumpens & diſſipans, totum animal perdat. Ignis enim eſt, inquit, & tempeſtas magna. Nec aliud membrum hanc vim reprimere poſſet. Aiunt autem & medicorum pueri, hac de cauſa cordi pulmonem eſſe ſubſtratum, vt ſuper eum qui mollis eſt, quaſi ſuper quandam ſpongiam cor ſaliens requieſcat, ne in repugnantem & aſperam ſoliditatem pectoris, ſaltuum offendatur impulſu. Opus eſt itaque nobis forti lorica, vt hanc feram in quiete ſemper ſeruemus: opus autem eſt & galea. Quoniam enim illic ratio verſatur, & ex hoc vel ſaluari poſſumus, cùm congrua fiant, vel perire accidit: propterea dicit,

Ephes. 6. *Et galeam ſalutis.* Cerebrum enim natura quidem eſt tenerum: quapropter & ipſum quaſi quadam teſta ſincipitio supernè contegitur. Omnium autem nobis bonorum cauſa fit, atque malorum, ſiue congrua cogitauerit, ſiue contraria: quia & manus armorum nobis indigent. Non autem hæ manus, & hi corporis pedes, ſed potius animæ hæ quidem vtilia meditantes: illi verò quò decet euntes. Ne aduerſis itaque caſibus frangamur: ſunt enim correctio. Ne feſtines, inquit, in tempore illationis. Multi triſtia domi frequenter habent, & triſtitiam quidem alter alteri communicamus, materiam verò non itidem: ſed hic quidem ab vxore, hic autem ex filio, alter ex ſeruo, alter ab amico, alter ab inimico, ex vicino quidam, quidam ex iactura. Et multæ ſunt & differentes triſtitiæ cauſæ, & omnino nullus inueniri poteſt à triſtitia purus, & mœrore: ſed hic quidem maiora, hic verò minora habet contriſtantia. Itaque ne indignemur, neque nos in ærumnis ſolos eſſe putemus. Nec enim licet hominem hanc

Vita hæc plena miſerius. mortalem vitam degentem triſtitia carere, ſed ſi non hodie, cras: niſi cras, poſt hæc aliquid accidit

A triſte. Sicut enim nauigans non in agonia verſari non poteſt, nauigans inquam mare magnum: ita hanc viuens vitam, non in triſtitia eſſe non poteſt. Siue diuitem dixeris, quoniam diues eſt, multas habet triſtitiæ cauſas: ſiue regē ipſum, nam & à multis ipſe tenetur, nec omnia pro votis facit, ſed multa præterquam ſibi gratum eſt, indulget: & ſuper omnes ea fecit omnia quæ nullatenus vellet. Quid verò tandem, quod multos ſuſtinet qui de ſuis accipere volunt? Cogita verò quanta ſit in triſtitia, cùm vellet quippiam agere, nec poſſit, vel propter timorem, vel propter ſuſpicionem, vel propter hoſtes, aut propter amicos. Frequenter autem & cùm aliquid ſibi gratum facere contenderit, omnem exterminant ei voluptatem multi, propter illam actionem illi ſe gerentes inimicè. At otioſam degentes vitam eſſe cenſes in ſeculo triſtitiæ immunes? Nequaquam. Sicut enim immortalis homo non poteſt inueniri, ita nec abſque triſtitia. Quot eos pati mo-

B leſtias eſt veriſimile, quæ verbis quidem recenſeri non poſſunt, rebus autem ipſis ab illis tantum ſciri? Quot ſæpiſſimè in illis opibus & deliciis mori optauerunt? Deliciis enim vacare, non penitus citra triſtitiam conſtituit: quinimò ipſe deliciarum vſus innumeras gignit triſtitias, morbos, & faſtidia, nulla præter has cauſas ſubſiſtente. Cùm enim in tali fuerit habitu anima conſtituta, & ſimpliciter dolere conſueuit. Nam & medicorum aiunt pueri, quòd & ex ſtomachi præparatione intempeſtiuæ naſcuntur triſtitiæ. Nónne & apud nos hoc accidere veriſimile videtur, cùm doleamus, & triſtitiæ cauſam ignoremus? Et nemo prorſus ſine triſtitia inueniri poteſt. Si verò tantam non habent triſtitiæ, quantam nos occaſionem, ita quiſque putat: proprium enim eum plus quàm alienum afficit. Sicut enim in corporis dolentes partibus, ſe proximos doloribus ſuperare putant & oculum habens vitiatum, nullā ægritudinem aliam talem eſſe cenſet, qualem ſuam:

C rurſum qui ſtomacho laborat, hoc omniū eſſe difficillimum aſſerit: & quo quiſque tenetur, hoc omnium moleſtiſſimum eſſe dicit: itidem & in triſtitia, qua quis detinetur, hanc aſſerit eſſe difficillimam: cùm propria enim hoc experientia iudicat. Sicut qui filios non habet, nil ita graue putat, ſicut filiis carere: qui multos habet cum paupertate, nil tam accuſat, quàm filiorum multitudinem. Vnum habens, nil peius quàm vnum habere putat. Hinc enim, inquit, & ſegnis efficitur, & in triſtitia patrem ſemper conſtituit, quum ſit illi ſemper deſiderabilis, & nullam correctionem admittat. Qui pulchrā habet vxorem, nihil ſe peius habere dicit, quàm quòd pulchram habet: ſuſpicionis enim plena res eſt & inſidiarum. Qui deformem, nihil eſſe peius aſſerit, quàm deformem habere coniugem: res enim eſt faſtidio plena. Priuatus nihil huiuſmodi vita dicit inutilius eſſe, nihil abiectius. Miles nihil eſſe militia laborioſius, nihil periculoſius aſſerit: ſatius enim pane ſolo cum aqua veſci, quàm tot ferre moleſtias. In magiſtratu poſitus, nihil magis labo-

D rioſum, quàm alienas curare neceſſitates affirmat. Subditus nihil ait ſeruilius, quàm alienæ poteſtati ſubiacere. Vxori iunctus, vxore nihil & ſollicitudine peius aſſeuerat: vxore carens, nil illiberalius quàm vxorem non habere teſtatur, & domo carere & quiete. Mercator agricolam ex ſecuritate beatum vocat, agricola mercatorem ex diuitiis: & moroſum omnino genus humanum, ſortem ſuam accuſans, & animum gerens grauatum. Cùm omnes condemnat homines, tunc ait, Nihil homo: omnem dicens naturam, laborioſum animal & ærumnoſum. Quot ſenectam admirantur? quot beatam vocant iuuentam? Sic & in ætatibus multum triſtitiæ. cùm nos propter ætatem videmus accuſari, dicimus: Quare non fuimus ſenes? cùm verò vertex albeſcit, rurſum dicimus, vbi iuuenta? Et omnino multas triſtitiæ cauſas habemus. Vna

tantum

A tantum eſt ab hac inæqualitate libera via, quæ ſecundùm virtutem eſt: quin verò & hæc triſtitiam habet, ſed triſtitiam non inutilem, ſed lucrum habentem & vtilitatem. Vel enim aliquis peccauit,& per triſtitiam compunctus abluit peccata, vel cum fratre lapſo doluit,& hic quoque non exiguam habet mercedem. In calamitatibus enim cum proximo dolere, multam nobis apud Deum fiduciã præbet. Audi quanta de Iob diuina philoſophatur ſcriptura, audi quid dicat & Paulus: Flete cum flentibus, humilibus conſentientes. Mœrentium enim ſocietas grauem triſtitiæ vehementiam auferre cõſueuit. Sicut enim in onere ſi quis ponderis partem ſuſceperit, ſoli ferenti ſarcinam leuauit: ſic & in omnibus aliis. Nunc autem ex neceſſariis aliquo nobis defuncto, multi aſſidentes, conſolantes multi, & aſinum quandoque lapſum ſuſcitamus: amicorum autem noſtrorum animas cadentes, magis quàm aſinum deſpicimus ac negligimus. Et ſi turpiter in cauponam eum viderimus intrantem, non B inhibemus: ſiue ebrium, non arcemus: ſiue quicquid aliud gerentem abſurdi, ſed omnia cooperamur: propterea Paulus dicebat: Non tantum ea qui faciunt, verùm & conſentiunt facientibus. Et potus & ebrietatis conſortia multi faciunt. Fac homo conſpirationes, vbi ebrietatis furorem deponas. Bona vinctis hæc amicalia, & in tribulatione poſitis: tale quid & Paulus Corinthiis præcepit, *Ne cum* 1. Cor. 16. *venero*, inquit, *tunc rationes fiant*. Nunc autem propter ebrietatem delicias quidem, & luxum omnia facimus: & communem lectum, & menſam communẽ, commune & vinum, communem facimus & impenſam, eleemoſynam autem facit communem nemo. Hæc erant apud apoſtolos amicalia: omnes in medium ſua ponebant, Ego verò non omnia, ſed aliquam partem, quam quiſque probauerit: inquit, Definiat vnuſquiſque per vnam ſabbatorum, vt aliquem cenſum pro ſeptẽ ferat diebus, & deponat, C & ita det eleemoſynam, ſiue paruum, ſiue magnũ: ait enim: Non apparebis vacuus coram domino. Iudæis hæc dicebantur, quantò magis nobis? propterea pauperes ante fores poſiti ſunt, ne quis vacuus ingrediatur, vt introëat cum eleemoſyna, ſi vt miſericordiam conſequaris, intras, prius miſerere: qui verò poſterius venit, plus debet. Cùm enim nos incœperimus, ſecundus plus erogat. Fac tibi Deum debitorem, & tunc eum pete: mutua, & tandem Deum repete, vt cum fœnore recipias. Vult hoc Deus, non refugit. Si cum eleemoſyna petas, gratias habet: ſi cum eleemoſyna repoſcas mutuas & capis fœnora: ita vos exhortor. Non in manuum extenſione ſatis eſt audiri. Extende manus tuas, non in cœlum, ſed ad pauperum manus. Si ad pauperum manus extenderis manum, ipſum cœli verticem tetigeris: qui enim illic ſedet, eleemoſynam ſuſcipit. D Si verò porrexeris vacuas, nihil profeceris. Dic enim quæſo, ſi rex ad te veniens cum purpura, rogaſſet, nõnne omnia promptè tua dediſſes? Non enim in manuum eleuatione, nec in verborum copia, ſed in operibus exauditur. Audi namque prophetam Eſaiam dicentem: *Si manus veſtras extenderitis,* Eſai. 1. *auertam oculos meos à vobis*. Et ſi multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos. Opus enim eſt tacere, nec in cœlum reſpicere miſericordiæ indigentem, vtpote qui fiduciam non habeat multa loquendi. Sed quid ait? Iudicate pupillo & humili, & iuſtificate viduam, & diſcite bonum facere. Ita licet deorſum manus habeamus, audiri poterimus, licèt nihil loquamur aut petamus. Hæc itaque imitemur, vt bona nobis promiſſa aſſequamur, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo patri ſimul & Spiritui ſancto gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Quòd infeſtantem magnanimiter ferre propter Deum, maius eſt quàm benefacere. *Theſ. 1.*

Homilia LXVIII.

SEmper *gaudete*, beatus inquit Paulus dilectiſſimi, *ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agentes*. Philip. 4. Hæc eſt enim voluntas Dei, ſemper gratias agere: hoc eſt animæ ſapienter inſtitutæ. Paſſus es aliquid mali, ſed ſi velis, non eſt malum: gratias age Deo, & malum in bonum fuerit tranſmutatum. Dic tu quoque quemadmodum & Iob: *Sit nomen domini benedictum in ſecula.* Iob 1. Quid enim tale, quæſo, paſſus es? Incubuit morbus? At nihil nouum eſt, corpus enim mortale nobis eſt, & pati natum. Sed pecuniarum inopia? verùm & hæc acquiri poſſunt, & amitti, & hic tantùm manent. Sed ab inimicis inſidiæ & calũniæ? Sed nos in his iniuriam non patimur, ſed illi qui faciunt: ait enim: *Anima quæ peccat, ipſa & morietur.* Ezec. 18. Peccauit autem non qui malè paſſus eſt, ſed qui malefecit. Non ergo mortuum oportet vlciſci, ſed orare pro eo, vt eruatur à morte. Nónne vides apem A Simili. quemadmodum immoritur aculeo? Per illud nos animal docet Deus, ne proximos afficiamus triſtitia, ipſi namque prius mortem excipimus. Et illos quidem fortè paululum lædimus, nos autem non amplius viuemus, quemadmodũ nec illud animal. Et ſi laudat illud ſcriptura, quod operarium ſit afferens, cuius opes reges & priuati ad ſanitatem offerunt: nihil tamen ipſi prodeſt ne moriatur, ſed omnino moriatur eſt opus. Ergo ſi illam non liberat malefacientem in reliquis præſtantia, multò minus nos. Ferarum eſt verè ſæuiſſimarum, nemine quempiam lædente iniuriam incipere, imò verò neque ferarum. Illæ namque, ſi permittas in deſerto ſe paſcere, neque coanguſtans in neceſſitatem redegeris, nunquam lædent, nunquam impetent, nunquam mordebunt, ſed propriam tranſibunt viam: tu verò cùm ſis homo rationalis tanto decoratus principatu, tanto honore & gloria, circa conſanguineos feras imitaris, & iniuria fratrem afficis & deuoras, & vnde poteris excuſari? Non Paulum audis dicentem: *Quare potius iniuriam non patimini?* 1. Cor. 6. quare potius non priuamini? At vos iniuriam facitis, & aufertis, idque fratribus. Vides quòd male pati in malefaciendo eſt: bene verò pati, in male patiendo. Dic enim, quæſo, ſi quis principes conuitiis inſectaretur, ſi quis rerũ dominos afficeret iniuria, quem læderet, ſemetipſum, an illos? Planum eſt quòd ſemetipſum. Ergo principem quidem lædens, nõ illi, ſed ſibi nocet: Chriſtum autem contumelia afficiens, per illud eum contumeliam pati cogit? Nequaquam. Imagines lapidibus impetens, quem lapidat: nónne ſemetipſum? Et poſtea regis quidem terreni lapidans imaginem, ſe lapidibus obruit: Chriſti verò temerans imaginem (homo namque Dei imago) nónne ſemetipſum lædit? Quouſque pecuniarum amore feremur? Non deſiſto aduerſus eas clamare: hæ namque ſunt omnium cauſæ. Quouſque ſatietatem non capimus inexplebilis huius cupiditatis? Quid habet aurum boni? in hoc conſternatus ſum. Faſcinatio quædam eſt huiuſmodi res, quòd aurum & argentum à nobis tanti pendatur. Ergo noſtrarum quidem animarum nulla nobis cura, irrationalium autem imaginum multa ſollicitudo. Vnde ſurrepſit hæc orbi terrarum ægritudo? Quis eam exterminare poterit? Quæ hanc difficilem eliminare feram ratio? quæ perdere armatura? Hominum mentibus eſt inſperſa cupiditas, & eorum qui in pietate conſtituti videntur. Euangelica reuereamur præcepta: in ſcriptura tantum verba ſunt ſita, in operibus verò nuſquam inueniuntur. Sed quæ honeſta multorum ratio? Pueros, inquit, habeo, & timeo ne quando in famis & indigentiæ conſtituar neceſſitate, ne quando alienis egeam. Mendicare

erubeſco.

erubeſco. Igitur propterea facis alios mendicare? Non poſſum, inquit, eſurire: ergo propter hoc alios fame conuoluis? Noſti quantum ſit malum mendicare, quantum fame perire? parce & fratribus tuis. Erubeſcis quęſo eſurire, rapere verò nō erubeſcis? Times fame necari, alios autem necare non times? Atqui eſurire quidem nec dedecus nec crimen habet: alios autem his inuoluere, non tantùm eſt dedecus, verùm & extremum infert ſupplicium. Prætextus hæc omnia ſunt, & verba, & nugæ. Quòd enim propter filios non facitis, teſtantur quotquot filios quidem non habent, nec habebunt: ita tamen cruciantur & laborant, & diuitias congregant, ac ſi filios haberent innumeros quibus relinquerent. Non eſt filiorum cura quæ pecuniarum amorem faciat, ſed animæ morbus. Propter hunc & multi non habentes circa pecunias inſaniunt: alij verò liberis affluentes, & diuitias contemnunt, illi te redarguent in illa die. Nam ſi te filiorum neceſſitas ad illam pecuniarum accumulationem cogebat, oportebat & illos eandem habere cupiditatem. Si verò non habent, non ex numeroſa ſobole, ſed ex auaritia bacchantur. Et qui ſunt, inquit, qui cum filiis pecunias contemnunt? Multi, & multis in locis. Si verò vis & ex antiquorum temporibus commemorabo. Nónne duodecim filios habuit Iacob? Nónne mercenariorum vitam degebat? Nónne à ſocero patiebatur iniuriam? Nónne frequenter eũ ſpreuit? Nunquid eum copioſa ſoboles aliquid indignum deliberare coëgit? Quid autem Abraham? nonne cum Iſaac & alios plures habebat filios? Quid ergo? nonne ſua hoſpitibus parabat? Vides quod non tantum non iniuriam inferebat, verùm & propria largiebatur: non enim tantùm benemerens, verùm & eligens à nepote iniuriam pati. Multò namque maius eſt, cum cui quid aufertur, propter Deum æquè ferre, quàm bene mereri. Quare? quoniam hic quidem eſt animę fructus & voluntatis, vnde facile fit: hoc autem eſt infeſtatio, & violentia. Et facilius aliquis mille talenta voluntarius amitteret, nihilque graue ſe paſſum eſſe putaret, quàm tribus obolis inuitè priuatus æquè ferret. Hoc itaque magis eſt animæ philoſophia. Et hoc in Abraham factũ eſſe videmus. Videbat enim Loth regionem finitimam, & erat irrigua, & paradiſus Dei, & eam elegit, & nihil ille contradixit. Vides quod non modò non afferebat iniuriam, verùm & iniuriam ſuſtinebat? Quid filios tuos accuſas homo? non propterea nobis Deus filios dedit, vt aliena rapiamus. Vide ne Deum irrites hoc dicens. Nā ſi hoc dicis, quod ipſi rapinæ tuæ ſunt authores, & auaritiæ, vereor ne eis tanquam tibi nocentibus & inſidiantibus priueris. Deus tibi filios dedit, vt in ſenectute te paſcant, vt abs te diſcant virtutē. Propter hoc enim ita voluit hominum genus conſiſtere, duo magna comparans, vnum quidem patres præficiendo magiſtros: alterum verò magnam infundendo charitatem. Si enim homines erant incaſſum futuri, nulla cuique ratio cum vllo fuiſſet. Nam ſi nunc, cum nunc patres & filij ſint, & progeniti, multi multorum curam non gerunt: multò magis tunc: propterea tibi Deus liberos dedit: ne filios igitur accuſes. Si verò filios habentes nullam habent excuſationem: non habentes, & circa diuitiarum accumulationem laborantes, quam proferent rationem? Sed eſt quædam & illis ratio omni carens excuſatione. Quæ verò tandem eſt iſta? Vt pro filiis, inquiunt, diuitias monumentum habeamus. Multus verò riſus. Pro filiis, inquiunt, domus memoria ſit immortalis gloriæ meæ. Non gloriæ tuæ, ô homo, ſed auaritiæ monumentum. An non vides nunc quàm multi ſplendidas domos pertranſeuntes, inter ſeſe talia differunt: Quantum ille vſurpauit, quantum rapuit vt hanc domum ædificaret? Et ille nunc quidem factus eſt cinis & puluis: hæc autem in aliorum hæreditatē tranſiuit.

A Non ergo gloriæ tuæ relinquis monumētum, ſed auaritiæ. Et corpus quidem tuũ terra conditum eſt: auaritiæ verò memoriam temporis longitudine cùm latere poſſit, non permittis, ſed per domum reſultare facis, & refodi. Donec enim hæc ſteterit tuum habens cognomentum, vt domus talis dicatur, omnino neceſſarium eſt, & omnium ora contra reſerari. Vides quòd melius eſt nihil habere, quàm hanc accuſationem ſuſtinere? Et hic quidem iſta: illic verò quid faciemus, quęſo? Tantorum quidem facti poſſeſſores, nihil autem de noſtris, vel pauciſſima dilargiti, quomodo rapinas exuemus? Qui namque rapinam vult exuere, non è multis pauca erogat, ſed raptis multò plura, & rapere deſiſtit. Audi quid Zacchæus dicat: *Et omnium quæ rapui, quadruplum reddo.* Luc. 19. Tu verò decies mille rapiens talenta, ſi paucas dederis drachmas, te totum reddidiſſe putas, & tanquam plura dederis, ita te geris, & ita verò vix. Quare? Oportet enim & ipſa B reddere illa, & alia de propriis adiungere. Sicut enim fur, cùm illa ſola reddiderit, non eſt excuſatus, ſed & frequenter animam adiecit: frequenter autem cùm multò plura tribuerit, abſolutus eſt. Sic & rapax: nam & auarus rapax, fur eſt, & latro, illo longè deterior, quantò & violentior. Ille namque tum latendo, tum nocte graſſando multum de facinore ſuccidit, vtpote qui vereatur & timeat peccare: hic autem perfricata fronte, nudo capite, per medium forum res omnium rapit, ſe furem ſimul exhibens & tyrannum, non perfodit parietes, neque lucernam extinguit, nec arcam reſerat, aut corrumpit ſignacula. Sed quid? his audaciora facit, carentibus his qui patiuntur iniuriam, per portam expellit, omnia cum fiducia aperit, ipſos ſua per ſe cogit exponere, tantus eſt exceſſus violentiæ. Hic illis multò ſceleſtior, quantò & impudentior, & violentior. Nam ille quidem per inſidias aliquid paſſus, C dolet quidem: non paruam tamen habet conſolationem, quòd & ipſe qui facit iniuriam, formidat: hic autem vltra quod paſſus eſt atque contemptus, neque vim ferre poterit. Maior enim riſus. Dic mihi, ſi quis latens vxorem polluiſſet: alius autem hoc cernente viro feciſſet, vter maiorem triſtitiam attuliſſet, vter maiori dolore affeciſſet? Hic enim præter quod malè fecit, inſuper & contempſit: ille vero ſi non aliud, ſe oſtendit læſum timere. Itidem & in pecuniis hic quidem clanculum accipiens, ita reueritus eſt, furtim ſcilicet ſurripiendo: qui vero palam & publicè, præter damnum & ignominiam innexit. Deſinamus igitur aliena rapere, & qui ſumus pauperes & diuites. Non enim ad diuites ſolos hic mihi ſermo, verùm & ad pauperes. Nam & ipſi rapiunt de ſe pauperioribus, & artifices qui ſunt ditiores & potentiores, eos qui magis indigent & pauperiores expilant, caupones alios caupones, & omnes qui in foro verſantur. Itaque volo vndique iniuriam auferre. Non enim in eorum quæ rapiuntur & ſubleguntur quantitate, ſed in furantis volūtate iniuria conſtituitur. Quod autem hi potius fures D ſunt, & raptores, qui neque parua aſpernantur, ſcio meminique me vobis dixiſſe, ſiquidem & vos meminiſtis. Veruntamen nihil ſubtiliter ſupputemus, ſint & ipſi pariter cùm diuitibus. Iam mentem inſtituamus maiora non aggredi, plus non concupiſcere. In cœlis verò nunquam habeat terminum maiorum concupiſcentia, ſed quiſque ſemper amplius appetat. In terra verò neceſſitas & modicus vſus cuique ſufficiat, & nihil amplius quærat, vt ita poſſit vera conſequi bona, quibus vtinam omnes digni ſumus, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri vnà cum ſancto Spiritu gloria, decus, & imperium, nunc, & ſemper, &c.

Digitized by Google

Quòd peccatores lugendi viuentes & mortui, & quòd multum defunctis proſunt eleemoſyna, & officia pro eis exhibita.

Homilia LXX.

MORS, fratres, indifferens eſt, & media. Non enim malum eſt mors, ſed malum ſi mortuus tormentis tradatur. Neque rurſus eſt bonum mors, ſed bonum ſi defunctus ſeculo cum domino viuat. Quæ ſunt poſt mortem, ea vel bona, vel mala ſunt. Circa defunctos itaque ne temerè lugeamus, neque de viuentibus ſtulte lætemur. Sed quid? lugeamus peccatores, non tantum defunctos, verùm & viuẽtes: de iuſtis autem gaudeamus, non modò ſuperſtitibus, verùm & mortuis. Nam illi quidem & viuentes mortui ſunt: hi verò mortui quoque viuunt. Illi cum hic quoque ſuperſunt, ſunt omnibus miſerabiliores, quoniam Deum offendunt: at hi cùm hinc quoque migrauerint, fœlices omnino: ad Chriſtum enim tranſierũt. Peccatores vbicunq; fuerint, procul à rege morãtur: propterea lachrymis ſũt digni. Iuſti ſiue hic ſiue illic, cũ rege ſunt, & illic amplius & propinquius, non per introitum, non per fidem, ſed facie ad faciem. Ne mortuos itaque temerè defleamus, ſed in peccatis mortuos: hi namque luctu ſunt digni, hi planctibus & lachrymis. Quæ namque ſpes quæſo, cum peccatis migraſſe, vbi peccata non datur exuere? Nam donec quidem hic erãt multa fortaſſis erat expectatio, quòd eſſent pœnitentiam acturi, futurique meliores: ſi verò tartarũ, vbi per pœnitentiam nihil lucrari conceditur, petierint: dicitur enim, & *in inferno autem quis confitebitur tibi?* quomodo non ſunt lachrymis digni? Ita migrãtes lugeamus, non prohibeo. Lugeamus, ſed non indecenter, non comas vellentes, non detegentes brachia, oculos non diſſipantes, non pullis vtentes veſtibus: ſed tantum in animo ſilenter amaras fundentes lachrymas. Licet enim & abſq; hoc exteriori cultu amariter lugere, nec illudere duntaxat. A ludibriis enim minimè differunt, quæ geruntur à nonnullis. Quòd etenim non ex doloris communicatione ſint illi forenſes planctus, ſed ex oſtentatione potius, & ambitione ſint, & inani gloria, inde clarum eſt, quòd multæ per artem hoc faciunt. Amarè plora, domi luge, vbi nemo te ſpectet, hoc eſt miſericordiæ, hoc & tibi prodeſſe poteſt. Alium enim ita deflens, multò magis ſtudebit ne & ipſe in eadem incidat mala. Terribile namque peccatum deinceps eſſe videbitur. Infideles itaque deplora, deplora nihil ab illis differentes, abſque illuminatione migrantes, & ſigillis: hi verò lachrymis digni & luctibus: Sunt enim cum damnatis extra regales aulas, & pœnæ addicti. *Amen* quippe *dico vobis, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cælorum.* In diuitiis defle defunctos, qui nullam ex diuitiis ſibi compararuere conſolationem, qui ſua diluendi peccata poteſtatem acceperunt, & neglexere. Hos, inquam, ſeorſum & cõmuniter lugeamus, ſed cum modeſtia, ſed honeſtatis ratione ſeruata. Sed ne nos oſtentemus, hos defleamus, non vno, vel altero die, ſed totum vitæ noſtræ tempus. Hæ ſiquidem haud ſunt irrationalis motus lachrymæ, ſed potius charitatis. Illud igitur eſt irrationalis motus, & propterea citius extinguitur: cum autem ex Dei timore fuerit factum, ſemper manet. Hos lugeamus poſt hos pro viribus clamemus, excogitemus eis aliquid ſolatij, minimum quidem, clamemus tamẽ. Qualiter & quonam modo? Orantes & alios precantes, vt pro eis deprecentur, pro eis pauperibus largientes continuè. Habet hæc res aliquam conſolationem: audi namque Deum dicentem: *Protegam ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.* Si iuſti duntaxat memoria tantum potuit, cũ & opera pro ipſo fuerint, quantum non valebit?

Pſal. 6.

Ioan. 3.

4. Reg. 20

A Non temere ab apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cum enim totus conſtiterit populus extenſis manibus, ſacerdotalis plenitudo, & tremendum proponatur ſacrificiũ, quomodo Deum nõ exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his qui cum fide migrarunt. Catechumeni verò nec hac digni conſolatione cenſentur, ſed omni ſunt tali ſuffragio priuati, præter vnum ſolum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, & ex hoc aliquid eis præſtare refrigerationis. Vult namque Deus nos alterum alteri prodeſſe. Nam quare pro pace, mundique tranquillitate nos iuſſit orare? quare pro omnibus hominibus? cum hic vbique ſint latrones & fures, ac ſacrilegi, & infinitis pleni facinoribus, & tamẽ pro omnibus precamur, forſitan aliqua fiet eorum mutatio. Sicut itaque pro viuentibus precamur, qui nihil à mortuis differunt, ita pro illis quoque licet o-
B rare. Iob pro filiis hoſtias offerebat, & eos à peccatis abſoluebat, ne forte cogitaſſent aliquid in corde ſuo, ita de filiis curam gerit. Non dixit vt hominum plurimi: Relinquam eis patrimonia: non dixit, gloriam eis conferam: non ait, principatum emam: non ait, agros acquiram? ſed quid? *Ne fortè cogitauerint aliquid in corde ſuo.* Quænam illorum vtilitas, nihil hinc manentium? Omnium, inquit, regem eis reddam propitium, & nihil eis amplius deerit. Dominus enim paſcit me, & nihil mihi deerit. Hæ magnæ ſunt opes, theſaurus magnus. Si Dei timorem habeamus, nihil nobis eſt opus: ſi verò non hunc habeamus, etſi regnum ipſum poſſideamus, ſumus omnium pauperrimi. Nihil æquale Deum timenti: timor enim domini omnia ſuperat. Hunc poſſideamus itaque, omnia propter hunc faciamus, vt hunc
C aſſequamur timorem. Nemo iam itaque plangat aut ploret, nec Chriſti meritum afficiat calumnia: mortem etenim vicit. Quid igitur ſuperfluas fundis lachrymas? ſomnus ea res eſt. Quid gemis & luges? hoc namque ſi vel gentiles facerẽt, oporteret deridere: quum vero fidelis in his ſe turpiter gerat, quæ fuerit excuſatio? quæ venia talia fatuè ſectanti, & hęc poſt tantum temporis, & tam manifeſtam reſurrectionis probationem? Tu verò quaſi crimen augere feſtinans, & præficas nobis gentiles obiicis mulieres, dolorem ſuſpendens, & accendens fornacem. Neque dicentem audis Paulum: Quæ conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Et Græcorum quidem pueri, qui de reſurrectione nihil nouerant, conſolationis tamen inueniunt: verba dicentes: Fer generoſè, nam facta non licet infecta reddere, aut luctibus emendare. An tu his altiora diſcens, & vtiliora, non confunderis, ma-
D iorem illis præferens deturpationem? Nec enim nos dicimus, Fer generoſè: nam factum non licet infectum reddere: ſed fer generoſè: omnino namque reſurget: dormit infans, & non eſt mortuus: quieſcit, non autem periit: nam eum reſurrectio ſuſcipiet, & vita perennis & immortalis, angelicuſque conſeſſus. Non Pſalmiſtam audis dicentem: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quoniam dominus benefecit tibi.* Rem iſtam Deus beneficium nuncupat, & tu luges? Quid feciſſes amplius, ſi defuncti hoſtis & inimicus fuiſſes? Nam ſi lugendum eſt, diabolũ oportet lugere. Ipſe plangat, ingemat ipſe, quoniam ad maiora tendimus bona. Ipſius eſt digna nequitia huiuſmodi deploratio, non tibi conueniens, qui coronam & requiem expectas. Tranquillus enim eſt portus, mors. Itaque conſidera quot plena malis eſt vita præſens: cogita quoties & ipſe præſentem execratus es vitam: res etenim in deteriora prolabuntur, quin & ab initio non paruam ſortitus es damnationem. *In doloribus* enim ait, *paries filios.* &, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* &, *In mundo tribulationem habebitis.* De illic verò poſitis nihil huiuſmodi dictum

Oratio pro defunctis in ſacrificio miſſæ.

Iob 1.

Ibidem.

defunctos non eſſe lugendos.

Pſal. 114.

Gen. 3. Ioan. 17.

eſt,

eſt, ſed omne contrarium, quia fugit dolor, & gemi- Matth. 8. tus, & triſtitia. Et quòd *ab Oriente venient, & Occidente, & recumbent in ſinibus Abraham, Iſaac, & Iacob.* Et quod illic ſpiritualis ſponſi thalamus, ardenteſque lampades, & in cœlum tranſitus. Quid itaque defunctum confundis? quid facis vt alij timeant mortem, & perhorreſcant? Quid agis vt multi Deum accuſent, vtpote qui magna parauerit incómoda? Imò verò quid poſt hæc pauperes vocas, & orare ſacerdotes exhortaris? Nónne vt in requiem trãſeat defunctus, & propitium iudicem habeat? Pro his ergo luges, & vlulas? Nónne tibimetipſi repugnas & aduerſaris, ex his, quibus in portum ille deuenit, tibi parans procellam? Et quid faciam? talis eſt natura. Non eſt naturæ crimen, neque rei conſequentia, ſed nos ſumus qui confundimus omnia, qui molleſcimus, & propriam prodimus generoſitatem, & infideles reddimus peiores. Quo namque modo proximum de immortalitate alloquemur: quomodo gentili perſuadebimus, quum plus quàm ille formidemus mortem & exhorreſcamus? Multi quidem apud gentiles, licèt de reſurrectione ſcientes nihil, ſibi defunctis filiis coronati ſunt, & apparuere candidati, vt præſentem tantùm gloriam conſequerentur: tu verò neque propter futuram agere muliebriter & plangere deſiſtis. At hæredes bonorumq. ſucceſſorem non habes? Et quid malebas, eum tuorum, an cœleſtium hæredem fieri? Quid verò cupis eum pereuntia ſuſcipere, quæ paulò poſt eſſet dimiſſurus, an permanentia & immobilia? Non hæredem eum habuiſti, ſed ipſum pro te Deus habuit. Propriorum non fuit fratrum cohæres, ſed Chriſti conſtitutus eſt. At inquies: Cui veſtimenta, cui domicilia, cui ſeruos & agros relinquemus? Ipſi rurſum, & tutius quàm ſi vixiſſet, prohibet enim nihil. Nam ſi cum defunctis res barbari comburũt, multò magis te cum defuncto propria mittere conueniens eſt, non vt fiant illis ſimilia, ſed vt hunc maiori gloria circundes. Et ſi peccator quidem obiit, vt ſoluat peccata: ſi verò iuſtus, vt mercedis fiat, & retributionis acceſſio. Sed ipſum cernere deſideras? Eandem cum eo vitam viue, & ſacram ocyus illam accipies præſentiam. Præter hæc autem & illud cogita, quòd licet nos non audias, omnino tempore tibi perſuadebitur, ſed nulla tibi tunc merces. Ex dierum enim multitudine conſolatio conflatur. Si verò nunc philoſophari velis, duo maxima lucraberis. Nam & te malis in medio poſitus abſolues, & à Deo præclaram accipies coronam. Eleemoſyna namq. & aliis huiuſmodi multò maius eſt ærumnam æquanimiter tolerare. Cogita quod Dei filius mortuus eſt, & ille quidem propter te, tu verò pro- Matt. 26. pter teipſum, & poſtquàm dixit: *Si poſſibile eſt, tranſeat calix iſte,* triſtitiamque pertulit, & agoniam, mortem tamen nõ effugit: verùm & ipſam multa cum amaritudine ſuſtinuit: nec enim ſimpliciter mortem paſſus eſt, ſed turpiſſimam, & ante mortem flagella, & ante flagella opprobria, deriſiones atque conuitia, te docens vt omnia generoſè feras. Veruntamẽ poſtquam mortuus eſt, & corpus depoſuit, rurſus ipſum maiori cum gloria reſumpſit, & hinc tibi bonam ſpem prætendes. Si fabulæ non hæc ſunt, noli lugere: ſi fide digna hæc eſſe putas, noli lachrymas fundere. Quòd ſi fleueris, quomodo gentili poteris quod credas perſuadere? Verùm & ita tibi caſus intolerabilis eſſe videtur: ergo propter hoc ipſum non eſt lugendus. A multis enim huiuſmodi calamitatibus ille liberatus eſt, noli ergo ipſi inuidere, aut æmulari. Sibi namque mortem propter immaturum illius obitum expetere, illum autẽ quod non viuat, lugere, vt ſcilicet multa patiatur huiuſmodi, æmulantis & inuidentis magis eſſe videtur. Ne conſideres illud, quòd non amplius domum reuertetur, ſed quod paulò poſt & ipſe ad eum reuertêris. Noli hoc cogitare, quod ille nõ vlterius huc regreditur, ſed quod nec iſta quæ cernuntur, permanent

A talia, verùm & ipſa transformantur. Etenim & cœlum, & terra, & mare, & omnia ſimul transmutantur, tunc cum maiori gloria filium tuum recipies. Et ſi peccator quidem abiit, mala repreſſa ſunt: nec ſi Deus pœnitentiam acturum nouiſſet, ante pœnitentiam eum rapuiſſet. Si verò iuſtus vitam finiuit, in tuto bona conſecutus eſt: itaque planũ eſt, quòd non ex charitate tuæ ſunt lachrymæ, ſed ex irrationali motu. Quoniam ſi defunctum diligeres, gaudere oporteret, atque lætari, quod ex præſentibus procellis eſſet abſolutus. Quid enim amplius ſupereſt, quæſo? quid verò peregrinum & nouum? Nónne per ſingulos dies eadem cernimus tetorqueri? Dies & nox, nox & dies, hyems & æſtas, æſtas & hyems, & amplius nihil: & hæc quidem ſemper eadem, mala verò peregrina & recentiora. Hæc igitur ipſum ſuſtinere per ſingulos dies, & hic manere volebas, & ægrotare, flere, formidare & contremiſcere, & has quidem pati moleſtias, has verò B ne patiatur, timere? Nec enim illud dicere poſſit, quod hoc vaſtum nauigans mare poſſit mœrore, & curis, & aliis huiuſmodi liber extare. Adhęc & illud cogita, quod non immortalitatem genuiſti, & niſi nunc mortuus fuiſſet, hoc paulò pòſt ſuſtinuiſſet. Sed ex eo non es ſaturatus? Verum illic omnino fruêris. Sed etiam hic cernere concupiſcis: & quid eſt impedimenti? Licèt enim & hic ſi vigiles: futurorum namque ſpes eſt viſu manifeſtior. Tu verò ſi fuiſſet in regalibus aulis, nunquam eum cernere quæſiſſes, audiens eum ſe præclarè gerentem: ad multò meliora verò peregrinatum videns, modico tempore frangeris, & hæc cùm pro illo cohabitantem habeas. Sed virum non habes, habes tamen conſolatorem, patrem orphanorum, & iudicem viduarum. Audias & Paulum huiuſmodi beatam vocantem viduam, atque dicentem: *Quæ verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum.* Etenim probabilior huiuſ- 1. Tim. 5
C modi videbitur, cùm maiorem exhibeat tolerantiam. Noli ergo lugere vnde coronaris, vnde recipies mercedem: depoſitum enim reddideris, ſi quod tibi creditum eſt, exhibueris. Ne iam ſollicita ſis, cùm in tuto poſſeſſionem theſauro repoſueris. Si verò & conſideres, qualis ſit iſta præſens vita, qualis verò futura, & quòd præſens aranea quidem eſt, & vmbra, omnia verò futura ſunt immota, & immortalia, nec aliis iam opus habueris ſermonibus: nunc quidem inſans ab omni liberatus eſt mutatione: ſi vero moratus hic fuiſſet, fortaſſe bonus, fortaſſis autem non fuiſſet huiuſmodi. An nõ vides quot proprios abdicant filios, quot his qui abdicantur peiores domi coërcere coguntur? Hæc omnia meditantes, ſapienter agamus. Sic enim & defuncto rem gratam agemus, & ab hominibus multas laudes aſſequemur, & à Deo magna recipiemus præmia patientiæ, & æternis potiemur bonis: quæ nobis omnibus detur adipiſci, gratia & benignitate domi- D ni noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Quòd pro defunctis lugendum non eſt, ſed orandum.

HOMILIA LXX.

MORTIS tyrannidem eiiciens Deus, chariſſimi, ſimul & diaboli ſoluit potentiam. Qui namque de reſurrectione multa ſapienter nouerit meditari, quomodo mortem formidauerit? quomodo iam exhorreſcat? Itaque ne turbemini, dicentes: Quamobrem hæc & hæc paſſi ſumus? ſic enim corona ſplendidior efficitur, nec eſſet ſplendida, niſi mortem morte ſoluiſſet. Hoc autem eſt admirabile, quòd eam per ea quibus præualebat, euicit, ipſi us facilem & leuiſſimam ſemper oſtendens expugnationem. Ne prodamus itaque collatum nobis munus. Non enim accepimus ſpiritum ſeruitutis, ſed ſpiritum virtutis, & charitatis, & modeſtiæ. Stemus itaque fortiter mortem deridentes. Sed oc-

curri

currit mihi amariſſimus gemitus, vt deplorẽ, quó-
nam Chriſtus quidem nos perduxit, quò verò noſ-
ipſos deiecimus. Cùm enim circa forum planctus,
eiulatus circa vitam relinquentes exhibitos, vlula-
tuſque, & alias turpitudines video, credite, pudet
Iudæorum cernentium, & hæreticorum, & omnium
nos propter hoc deridentium. Nam quæcunque
jam dixero de reſurrectione differens, in vanum
loquar. Quare verò? Quoniam his quæ dicuntur à
nobis, non intendunt gentiles, ſed his quæ gerun-
tur à vobis: ſtatim enim dicent, Quando fiet vt ho-
rum aliquis mortem contemnat, qui nec alterum
videre mortuum poteſt? Bona quæ dicta ſunt à Pau-
lo, bona cœliſque & Dei benignitate condigna.
Quid enim ait? Et liberabit hos qui metu mortis per
omnem vitam erant rei ſeruitutis. Sed vos iſta credi
non ſinitis, aduerſus ea operibus pugnantes, licèt
multa fieri Deus antea ſtruxerit, vt hanc improbã
tolleret conſuetudinem. Quid enim ardentes, quæ-
Ritus ſepeliendi mortuos cum lumine & cantu. ſo, lampades ſibi volunt? nónne tanquam athletas
eos comitamur? Quid autem hymni? nónne glo-
rificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam de-
functum coronauit, abſoluit à laboribus, & ab in-
certitudine ſublatum penes ſe retinet? Nónne
hymni propterea? nónne propterea pſalmodiæ:
Hæc omnia ſunt gaudentium. Lætus enim eſt ali-
quis, pſallat, ſed non hæc intuentur gentiles, ait
enim: Ne mihi proponas illum qui carens affectu
philoſophatur. Hoc enim in ſe nil magnum, nil
habet mirabile. Oſtende mihi hominem in ipſo ſer-
uantem diſciplinam affectu, tunc de reſurrectione
credam. Et ſeculares quidem mulieres hoc facere
nihil eſt mirandum, licet & ipſum graue ſit: nam
& ipſæ parem exiguntur diſciplinam, & propterea
Paulus ait: *De dormientibus autem nolumus vos ignorare,*
1. The. 4. *vt non contriſtemini, ſicut & cæteri ipſi qui ſpem non habent.*
Non hæc ſolùm ſolitariis ſcribebat, neque perpe-
tuam vouentibus virginitatem, ſed ſecularibus: nec
tamen hoc tam graue. Quando verò mulier aliqua,
vel vir ſe cum Chriſto crucifixũ eſſe dicẽs, hic qui-
dem capillos laniat, illa verò nimium plorat, quid
hoc deformius eſſe poſſit? Mihi credite dicenti: ſi
fieret, vt oportet, multum temporis ab eccleſiæ li-
minibus tales eſſent arcendi. Hi namque luctu verè
ſunt digni, qui mortem timent & perhorreſcunt,
neque reſurrectionem credunt. At, inquis, reſurre-
ctionem non nego, ſed familiaritatem deſidero.
Quare ergo, cùm peregrinatur, & peregrinatione
quidem longinqua, non eadem facis? Sed tunc quo-
que ploro deſiderans, & lugeo. Illud quidem verè
conſuetam eſt quærentium præſentiam: hoc autem
reuerſionem deſperantis. Quid pſallas, cogita,
Pſal. 114 quum ad illum perueneris locum, *Conuertere anima
mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi.* & iterum:
Ibid. 22. *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* & rurſum: *Tu es*
Ibid. 31. *refugium meum à tribulatione qua circundedit me.* Quid iſti
velint pſalmi recogita, ſed non animaduertis, & es
luctu ebria, ſaltem in alienis funeribus diligenter
conſidera, vt in tuis remedium habeas. Dicis, *Con-
uertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit
tibi*, & luges? Nónne fabuloſa eſt repræſentatio?
nónne ſimulatio? Nam ſi verè quæ profers, credis,
otioſè luges: ſi verò ludis, & ſimulas, & fabulas hæc
eſſe putas, cur & tu pſallis, & aduenientes toleras?
Quare pſallentes non abigis? Sed hoc eſt furentiũ,
verum & multò magis illud: igitur interim quidem
admoneo: proceſſu verò temporis hoc acrius fa-
ciam. Magnopere namque timeo, ne per hunc mo-
dum aliquod graue vitium eccleſiæ ſubrepat: lu-
ctuum ergo poſtea corrigemus errorem. Nunc au-
tem annuntio, & plurimum proteſtor diuitibus, &
pauperibus, mulieribus & viris, fiat quidem vt om-
nes abſque luctu è vita migretis: & iuxta congruam
legem profecti, ſenes à filiis & à filiabus, & natis &
progenitis matres in pingui ſenio deducantur, nec
vnquam mors ſit immatura. Hoc, inquam, fiat, hoc
A precibus expoſco. Et præſidentes verò, & vos om-
nes exhortor, Deum alter pro altero rogetis, &
hanc communem faciatis orationem. Si verò (quod
abſit, nec accidat) acerba quæpiam mors ingruat
(acerba verò dico, non naturaliter: nec enim mors
iam eſt acerba: nihil enim à ſomno differt, ſed ex
affectu noſtro videtur acerba) ſi ingruat, & aliqui
præficas lugentes iſtas conduxerint, mihi credite
dicenti, non aliter atque ſentio loquar. Quicunque
voluerit iraſcatur, eos ab eccleſia multum tempo-
ris arcebo, tanquam idolorum cultores. Nam ſi
Paulus auarum vocat idolorum cultorem, multò
magis eum qui circa fidelem, ea quæ ſunt idolola-
trarũ, exhibet. Qua namque de cauſa, quæſo preſ-
byteroſque vocas, & pſallentes? nónne quò te con-
ſolentur? nónne quò defunctum honorent? Cur
igitur ipſum afficis contumelia? Quare publica
proſequeris ignominia? Cur namque in ſcena de-
ludis? Nos venimus de reſurrectione philoſophan-
B tes, docentes cunctos, & nondum percuſſos, per
honorem illis redditum, ſi quando tale quid acci-
dat, generoſè perferre: tu verò fœminas noſtra de-
ſtruentes, quantum in ipſis eſt, producis? Quid
hoc riſu peius, & ſubſannatione? quid hac inæqua-
litate grauius? Erubeſcite, & reueremini. Quòd ſi
vos non vultis, nos tales eccleſiæ pernicioſas con-
ſuetudines introducere non toleramus. *Peccantes* 1. Tim. 5
enim, ait Paulus, *coram omnibus argue.* Et illas verò mi-
ſeras & infœlices per vos prohibemus, ne vnquam
efferendis interſint fidelibus, ne propria cogamus
eas mala verè deflere, & doceamus non in alienis
hæc agere, ſed proprias potius ærumnas lamentari.
Nam & pius pater cum filium habet prodigũ, non
illum admonet ſolum, ne vitioſis iungatur, verùm
& illos perterrefacit. En igitur & illas per vos com-
moneo, vt neque vos huiuſmodi vocetis, nec illæ
C veniant. Et fiat quidem, vt ſermo quid amplius o-
peretur, & minæ præualeant. Si verò, quod abſit,
contempti fuerimus, minas ad rem deducere de-
mum cogemur, vos quidem eccleſiaſticis caſtigan-
tes legibus, illas verò, ſicut eis conueniet. Si quis
autem arrogans contemnit, audiat Chriſtum nunc
quoque dicentem: *Si quis in te peccauerit, vade, corripe
eum inter te & ipſum ſolum: ſi verò non audierit, aſſume tecum* Matt. 18.
*vnum vel duos: ſi autem & ita contradicat, dic eccleſiæ: ſi verò
nec eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Sed
ſi contra me peccantem, poſtquam me non audie-
rit, ita præcipit auerſari: in ſeipſum & in Deum pec-
cantem qualiter habere debeo, vos iudicate. Vos
enim nos non contemnatis tam molliter in vos in-
ſurgentes. Si quis autem noſtra contemnit vincula,
rurſum eum Chriſtus corrigat, dicens: *Quæcunque
ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque* Ibid.
ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Nam ſi
nos quoque miſeri, & nihili pendendi, & contem-
D ptu digni (ſicut verè digniſſimus) non tamen noſ-
ipſos vlciſcimur, nec iram vindicamus, ſed noſtræ
curam gerimus ſalutis: reueremini precor, & con-
fundimini. Si quis enim amicum tolerat acrius æ-
quo inſurgentem, intentionem conſiderans, quòd
beneuolè, non inſolenter hoc agit: multò magis
doctorem increpantem, non authoritate tyrannica
iſta dicentem, neque quaſi principis loco conſtitu-
tum, ſed curatoris. nec enim poteſtatem oſtentare
volentes hæc dicimus: Quomodo namque, qui nec
in eorum experientiam venire volemus? ſed do- Minatur eis excommunicationem.
lentes pro vobis atque gementes. Ignoſcite mihi,
nec vllus eccleſiaſtica deſpiciat vincula. Non enim
qui ligat eſt homo, ſed Chriſtus, qui nobis hanc
contulit poteſtatem, & tanti dominos honoris ho-
mines conſtituit. Nam nos quidem ad ſoluendum
dũtaxat vti poteſtate vellemus, quinimò nec huius
neceſſitatem vellemus habere: nullum enim vo-
lumus apud nos eſſe captiuum. Non ita miſeri ſu-
mus, & ærumnoſi, licet valde ſimus viles. Si verò
coacti fuerimus, ignoſcite. Nec enim ſponte, vel

Digitized by Google

volentes, ſed plus vobis dolentes ligatis iniicimus vincula. Si quis autem hæc contemnat, iudicij tempus aderit, quod eum doceat. Reliquum autẽ nolo dicere, ne mentem veſtram conſternem. Nam nos quidem primùm, ne trahamur in neceſſitatem, optamus. Quòd ſi venerimus, noſtrum implemus officium, vincula iniicimus. Si quis autem hæc diruperit, ego iam quod meum eſt erogo, & iam innocens ſum. Ratio verò tibi ponetur apud eum qui me ligare præcepit, tu verò dic, Si rege coram ſedente lictorum aliquis aſtantium iuſſus ſit aliquem in ordine poſitorum vincire, & imponere cõpedes: ille verò non tantùm hunc repulerit, verùm & contriuerit vincula: lictor éſtne qui paſſus eſt iniuriam? nónne verò multo magis rex qui præcepit? Nam ſi quæ fiunt contra fideles ipſe ſibi vindicat: eo qui docere ſtatutus eſt, contumeliam paſſo, multò magis tanquam ipſe ſit paſſus contumeliam, afficietur. Sed abſit quòd aliquis eorũ qui ſunt in hac eccleſia, in horum veniat vinculorum neceſſitatem. Sicut enim ſpecioſum eſt non peccare, ita eſt vtile increpationem ſuſtinere. Obiurgationem itaque feramus, & laboremus nunquam peccare: quòd ſi peccauerimus, ſuſtineamus redargutionem. Sicut bonum quidem non percuti, quod ſi tamẽ accidat, vulneri medicinam imponere: itidem & hic, ſed nunquam accidat nos talium medicaminum indigere. Audiuimus enim meliora de vobis, & quæ ſalutem apprehendant, etſi ſic loquamur. Vehementius autem locuti ſumus ad cautelam maiorem. Me namque melius eſt audacem à vobis, immitem, & inſolentem putari, quàm quæ Deo placẽt, vos non facere. Credimus autem Deo, quòd non erit inutilis hæc admonitio noſtra, ſed ita mutabimini, quòd hi ſermones in commendationes & laudes veſtras conuertentur: vt omnes digni bonis cenſeamur, quæ Deus promiſit diligentibus ſe, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo Patri, ſimul & Spiritui ſancto, gloria & imperium, in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd nihil prodeſt nobis ieiunium, ſi reliqua deſint merita: & de oratione.

Homilia LXXI.

Sicvt hoc corpus quotidie corporalis indiget nutrimenti, ne multam cadens in imbecillitatem, inefficax iaceat: itidem & anima ſpiritualis indiget pabuli, & optimæ cõuerſationis, vt in aliqua bonorum conſuetudine poſita, maligni demum inſidiis conſtituatur inexpugnabilis. Per ſingulos itaque dies huius fortitudinem ſatagamus, & noſipſos ſcrutantes, nunquam deſiſtamus: & nobiſipſis rationem proponamus ſupputandam, & de his quæ introducuntur, & de his itidem quæ promuntur, quidnam vtiliter locuti ſumus, quod autẽ otioſum protulimus verbum: & rurſum quid vtile per aures in animam tranſmiſimus, quid è contra nociturum intulimus. Et linguæ quidem regulas quaſdam, & leges ponamus, vt prius verba ruminet, & ita proferat. Mentem quoque doceamus nihil aduertere noxium. Verùm & ſi quid huiuſmodi extrinſecus inferatur, hoc quaſi ſuperfluum & nociturum repellere: & ſi naſcatur intrinſecus, pia cogitatione ſtatim fugare. Nec ſolam nobis inediam ad veſperam vſque, ad ſalutem ſatis eſſe putamus. Nam cum ingratis Iudæis miſericors per Prophetam dixerit dominus: *Ecce anni ſeptuaginta, nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi? Et cum comediſtis, & bibiſtis, nunquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis? Hæc ait dominus exercituum. Iudicium iuſtum iudicate, & miſericordiam & miſerationem facite vnuſquiſque cum proximo ſuo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari. Et malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo.* Cum igitur illis adhuc in vmbra ſedentibus, & errorum affixis Zach. 7.

A caligini, nulla de ſolo ieiunio fieret vtilitas, niſi reliqua corrigerent, & ex corde malignam in proximum voluntatem eiicerent: quam nos habebimus excuſationem, à quibus exigũtur maiora, quique nõ tantùm hæc facere iubemur, verùm & inimicos diligere docemur, & beneficiis proſequi? Et quid dico proſequi beneficiis? orare nempe pro ipſis, dominumque deprecari, & de habẽda eorum prouidentia ſupplicare. Hoc enim nobis omnium maximè in illa tremenda proderit die, noſtrorumq; peccatorum maxima erit conſumptio, ſi nos in inimicos noſtros ita diſponamus. Nam etſi præceptũ eſt valdè magnum, tamen ſi prę̄mium hoc enauantibus propoſitum cogitaueris, nihil omnino videbitur. Quod autem illud eſt? Si hoc feceritis, *ſimiles eritis patri veſtro qui eſt in cælis.* Et vt manifeſtiorem nobis ſermonem faceret, intulit, quòd *ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.* ait enim: Imitare iuxta vires humanas Deum. Matth. 5. Ibidem.

B Nam ſicut ille non iuſtis tantùm ſolem facit oriri, verùm & mala patrantibus: & pluuiam, & anniuerſarios imbres non tantùm bonis, verùm & malis ſubminiſtrat: ita tu quoque ſi non ſolos te diligentes diligas, ſed etiam inimicum in tè animum habentibus indulgeas, & beneficia conferas, pro viribus tuis dominum imitaris. Vides qualiter in ſummum verticem hanc volentem obire virtutem eduxit? Ne ſolam itaque facti difficultatem, chariſſime cogites, ſed prius intra te reputa, quanto ſis decorandus honore: & honoris occaſio, licet ſit graue quid, & oneroſum, leue tibi reddetur. Nónne enim debes habere gratias, quòd per beneficiũ inimico collatum occaſionem nanciſceris, vt apud Deum tibi fiduciæ fores reſerentur, & peccatorum tibi fiet abſumptio? Sed fortè cupis inimicũ vlciſci, & eum qui te malis affecit, iiſdem inuoluere, vel maioribus? Et quid ex hoc amplius erit, cum vltra quod nihil inde tibi naſcetur vtilitatis, in illo terribili iudicio ſis ex hoc pœnas daturus, tanquam Iniuriarũ remiſsio.

C poſitas ab ipſo leges præuaricatus? Dic enim mihi, ſi quis rex ſuper terram talem tuliſſet legem, vt inimici placarentur, vel mors eſſet ſuppliciũ: nónne propter huius corporeæ mortis metum omnes ad explendam legem cõcurrerent? Quanta ergo non eſſet dignus accuſatione, propter mortem corpoream quidẽ, quam & alioqui naturæ nobis omnino debitum infert, omnia facere ſuſtinens: at propter mortem, cui conſolatio non poteſt inueniri, legis ab omnium domino latæ curam gerens minorem? Sed non animaduertebam hæc dicens, cùm his qui neque parem ſe diligentibus exhibent charitatem, mihi ſermonem eſſe. Quis itaque nos iam ab illo liberabit ſupplicio, cum non tantum ab illo ſimus mandato procul conſtituti, ſed nec eadem cum publicanis efficimus? ait enim: *Si diligatis diligentes vos, quid magnum facitis? nónne & publicani idem faciunt?* Cum itaque nec hoc à nobis impleatur, quæ iam nobis ſalutis ſpes? Propterea cohortor, ne ſimus abſque viſceribus miſericordiæ, ſed ſenſum noſtrum domemus, primũque doceamus, vt proximum in charitate ſuperet, & iuxta beatum Paulum dicentem: in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, ne toleret ſuperari, ſed vincat atque tranſcendat, & maiorem exhibeat, & feruentiorẽ in ſe diligentes affectum. Hoc enim eſt, quod maximè noſtram continet vitam, atque connectit, & per hoc à belluis & brutis differimus: quod ſi velimus, congruum nobis poſſumus ordinem cõſeruare, & magnam in proximum vnanimitatem exhibere: tum reprimere ſenſum, & hanc indomitam feram, animum dico, manſuefacere, & ipſi tremendi certamen iudicij proponere: & docere quòd ſi cum inimicis conciliari polliceatur, magnis bonis potietur: ſi verò contendat adhuc, multum damnationis incurret. Non enim incaſſum & temerè nos tempus oportet abſumere, ſed per Matth. 5.

D

ſingulos dies & horas domini iudicium ante oculos ponere: & quæ nobis multam poſſint præbere fiduciam, quæ verò ſupplicium inferant, vt ita noſtris hæc præcordiis verſantes, vincamus, & carnis noſtræ reprimamus laſciuias, *mortificemuſq́*, iuxta beatum Paulum, *membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam*, libidinem, concupiſcentiam malam, furorem, auaritiam, inanem gloriam, & inuidiam. Si nos his mortuos vitiis conſtituerimus, ne poſſint in nobis operari, *ſpiritus fructum* capere poterimus: *qui eſt charitas, gaudium, pax, longanimitas, ſuauitas, bonitas, fides, manſuetudo, continentia*. Hæc Chriſtiani ſit ab infideli differentia: hæc noſtra ſint inſignia, ne nomine ſolo glorìemur, nec ex habitu altum ſapiamus: imò verò neque ſi quæ recenſuimus, verè poſſideamus, vnquam exaltemur? ſed multò magis nos & tunc cōtrahamus. ait enim: *Cùm omnia feceritis, dicite, inutiles ſerui ſumus.* Si fuerimus ita meditati, & ita noſtram curemus ſalutem, & aliis, & nobiſmetipſis plurimum prodeſſe poterimus. At ſi fide quidem opus eſt, quid eſt opus ieiunio? quoniam & illud cum fide non modicam inducit fortitudinem: multam enim adfert diſciplinam, & angelum ex homine reddit, & cum incorporeis pugnat virtutibus, ſed non per ſe: opus enim eſt & oratione, & oratione primò. Nam aſpice, quot ex ambobus bona naſcūtur. Orans enim, & vt oportet ieiunans, non multis eget: qui verò multis non eget, nunquam fiet auarus, & ad eleemoſynam magis eſt aptus. Ieiunans leuis eſt, & alatus, & cum ſolertia orat, & improbas extinguit concupiſcētias, Deum placat, & inſurgentem animum humiliat. Propterea & Apoſtoli ferè ſemper ieiunabāt. Orans cum ieiunio geminas habet alas, & ipſis quidem ventis leuiores: nec enim oſcitat, & diſtenditur, & orans langueſcit, quod multi patiuntur: ſed eſt igne vehementior, & terra ſuperior: & propterea talis maximè dæmonibus eſt infeſtus, & hoſtis. Nihil enim fortius homine legitimè orante. Nam ſi ſæuum principem quendam, qui neque Deum timebat, nec hominē reuerebatur, placare potuit mulier: multò magis Deum alliciet, qui ei iugiter aſſiſtit, vincit ventrem, & delicias eliminat. Si verò tibi corpus infirmum ad continuè ieiunandum, non tamen eſt infirmum ad orandum, nec ad ventris deſpectum imbecille. Nam ſi ieiunare non etiam potes, potes tamen abſtinere deliciis. Hoc autem non minimum eſt, nec à ieiunio multum diſtans: ſed ipſum quoque diaboli furorem proſternere idoneum. Nihil enim illi tam gratum dæmonio, quàm deliciæ ſunt, & ebrietas: quoniam omnium eſt fons malorum, & genitrix. Per hanc demum Iſraelitas in idolorum cultum præcipitauit. Per hanc Sodomitas in nefarios accendit amores. Hæc eſt enim, inquit, impietas Sodomorum. *In ſuperbia, ſatietate panum, & conuiuiis luxuriabantur.* Per hāc alios perdidit innumeros, & gehēnæ tradidit. Quid enim mali non operantur deliciæ? ex hominibus porcos efficiunt, & porcis deteriores. Porcus enim inuoluitur in cœno, & ſtercore paſcitur: hic autem abominabili magis veſcitur menſa, illicitos excogitans coitus, & nefarios amores. Huiuſmodi nihil à dæmoniaco differt: ſimili namque fertur impudentia, ſimilique bacchatur furore, & dæmone quidem preſſum ſaltem miſeramur, hunc autem auerſamur, & odimus. Quid ita tandem? quoniam ſponteaneum ad ſe trahit furorē, & os, & oculos, & nares, & omnia generaliter diuerſoria, ductus & riuos facit furoris. Quòd ſi videas & interiora, animā quoque conſpicies quaſi quadam in hyeme & gelu coagulatam atque languentem, & propter nimiam procellæ magnitudinem ſcaphæ nihil prodeſſe valentem. Quot ex hac tempeſtate mala viri mulieresque patiantur, dicere pudet: ipſorum autem cōſcientiæ derelinquo, quæ hæc plenius nouit. Quid enim ebria turpius muliere, quæ temerè circumfe-

Coloſſ. 3. — Galat. 5. — Lucæ 17. — Oratio iungenda ieiunio. — Ezec. 16. — Luxurioſos carpit. — Ebrietatē inſectatur.

ratur? Quantò namque vas eſt imbecillius, tantò maius eſt naufragiū, ſiue libera, ſiue ſit ſerua. Nam libera quidem in medio ſeruorum theatro turpiter agit. Serua verò rurſum ſimiliter inter ſeruos, & agunt vt Dei dona blaſphemiam ab inſipientibus patiantur. Multos nempe dicentes audio, cùm tales accidunt turpitudines: Non ſit vinum. O ignorantiam! ô ſtoliditatem! Aliis peccantibus Dei donum accuſas? quantus hic eſt furor? nunquid vinū hoc malum effecit? non vinū, ſed malè diſpenſantium immodeſtia. Dic itaque ne ſit ebrietas, ne ſint deliciæ. Si verò dicas, ne ſit vinū, dices & ſenſim procedens: Ne ſit ferrum, propter homicidas, ne ſit nox, propter fures, ne ſit lux, propter calumniatores, ne ſit mulier, propter adulteria, & omnia penitus tolles. Sed noli ita facere, hoc enim eſt ſatanicæ mentis. Nec vinum, ſed ebrietatem accuſa. Et hunc

B vigilantem arripiens ipſius ſubſcribe turpitudinē, & dic ad eum. Vinum eſt datum vt delectemur non vt dehoneſtemur: vt rideamus, non vt rideamur: vt valeamus, non vt ægrotemus: vt corrigamus corporis valetudinem, non vt animæ proſternamus virtutem. Te dono Deus honorauit, cur teipſum per immodeſtiam afficis contumelia? Audi quid Paulus dicat: *Vino modico vtere propter ſtomachum, & frequentes infirmitates tuas.* Si verò ſanctus ille morbo laborans, & frequētes patiens ægritudines, vinum non guſtabat, donec præceptor mandauit: quam nós habebimus veniam, qui in bona valetudine ſectamur ebrietatem? Igitur illi quidem dicebat: *Vino modico vtere propter ſtomachum.* Cuique verò noſtrum ebriorum dicet, Vino modico vtere propter fornicationes, propter crebra turpiloquia, propter cæteras turpes concupiſcentias quas ſolet ebrietas parere. Si verò propter hæc abſtinere recuſatis, propter concupiſcentias ſaltem & moleſtias ex eo venientes abſtinete. Vinum enim ad lætitiam da-

C tum eſt. *Vinum enim*, inquit, *lætificat cor hominis.* Vos autem & hanc eius virtutem deſtruitis. Quæ namque lætitia, non eſſe in ſemetipſo, innumeroſque pati dolores, & omnia ſe circumferentia ſpectare, vertigineque detineri, & iuxta febricitantes opus habere caput oleo rigantibus? Hæc à me non ad omnes dicta ſunt, imò verò ad omnes: nō quoniam omnes inebrientur, abſit: ſed quoniam ebriorum non ebrij curam non gerunt: propter hoc & in vos ſanos magis inuehor. Nam & medicus ægrotantes omittens, ipſis aſſidentes alloquitur. Ad vos itaque ſermonem dirigo ſupplicans, & ne tali vnquam vitio capiamini: & captos, ne brutis peiores videantur, admoneatis. Hæc namque nihil amplius neceſſitate quærunt, illi verò & illis brutiores facti ſunt, mediocritatis terminos excedentes. Quantò namque melior his eſt aſinus? quātò melior canis? Nam & horum quodlibet animalium & omnium bruto-

D rum, ſeu comedere, ſeu ſit opus bibere, neceſſitatem terminum nouit, nec vltra quod eſt opus progreditur: licet ſint infiniti qui cogant, in immodeſtiam procedere non patitur. Non ergo ſitis brutis vos deteriores: non apud ſanos tantùm, ſed etiam apud voſipſos. Quòd enim canibus & aſinis vos viliores iudicaſtis, inde manifeſtum eſt: hæc namque bruta ſupra menſuram cibum ſumere non cogis. Et ſi quis dixerit, quare? dices, ne lædantur: tibi verò nec hanc curam impendis. Ita teipſum & illis viliorem eſſe putas, & continuè fluctuantem deſpicis. Nec enim tantū in ebrietatis die tempeſtatem ſuſtines, ſed etiam poſt illum diem. Et ſicut febre præterita, febris manet detrimentum: ita & ebrietatē ſublata, ebrietatis tam in anima, quàm in corpore verſatur tempeſtas: & miſerum quidem corpus ſolutum iacet, ſicut ex naufragio ſcapha. Hoc autem infelicior anima, etiam hoc ſoluto procellam ſuſcitat, & accendit libidinem: & cùm continens eſſe videatur, tunc præſertim inſanit, vinum & dolia, phialas & crateres mente concipiens.

1. Tim. 5. — Pſal. 103.

Digitized by Google

Et ſicut in tempeſtate ſedata procella, tempeſtatis
tamen remanet nocumentum, itidem & in iſta: ſi-
cut enim illic mercium fit iactura, ſimiliter & iſtic
omnium ferè bonorum efficitur: ſiue modeſtiam
inueniat, ſiue pudorem, ſiue prudentiam, ſiue man-
ſuetudinem, aut humilitatem, in iniquitatis omnia
proiicit pelagus ebrietas. Sed quæ ſequuntur, non
adhuc ſimilia. Illic enim poſt iacturam ſcapha leuis
efficitur: hic autem magis grauatur. Nam pro diui-
tiis illis arenam admittit, & ſalſum laticem, & om-
nem ebrietatis ſordẽ: quæ cum nautis pariter & gu-
bernatore ſcapham illico ſubmergit. Itaque ne ta-
lia patiamur, nos ab huiuſmodi liberemus procella.
Non licet cum ebrietate cœlorũ regna videre: ait
1 Cor. 6. enim Apoſtolus: *Nolite errare, non ebrioſi, neque maledici
regnum Dei poſſidebunt.* Et quid dico regna cœlorum?
Cùm ebrietate neque præſentia conſpici poſſunt.
Nam dies nobis noctes ebrietas eſſe facit, & lucem
tenebras. Et apertis oculis nec ea quæ præ pedibus
ſunt, ebrij cernũt. Nec hoc ſolùm eſt graue, verùm
& præter hæc aliam vltionẽ moleſtiſſimam patiun-
tur, ſtultos mœrores, inſaniam, malã valetudinem,
deriſionem, & opprobrium continuè ſuſtinentes.
Ergo quę venia maneat ſe tantis infigentes incom-
modis? Nulla profectò. Hunc itaque morbum fu-
giamus, vt & præſentibus bonis atque futuris po-
tiamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu
Chriſti, cui gloria & imperium cum patre, ſancto-
que Spiritu, in ſecula ſeculorum. Amen.

De ieiunio, & quòd maximum eſt ſacrificium Dei beneficia recogitare.

Homilia LXXII.

Non tantum ſibi Chriſtianum ſatisfacere Deus
vult fratres, verùm & alios ædificare: non tan-
tùm per doctrinam, verùm & per vitam, & conuer-
ſationem. Nihil enim ſic in veritatis viam inducit,
vt conuerſationis integritas. Nec enim ita dictis
noſtris intendunt, ſicut his quæ à nobis geruntur.
Et vt diſcas quòd hoc ita ſe habet, licet in infinitũ
verbis philoſophemur, & de tolerantia diſſeramus,
niſi cadente tempore hanc exhibeamus per opera,
non tantum ſermo profuerit, quantum nocuerit
actio. Si verò & ante verba, & poſt virtutẽ per ope-
ra præſtemus, digni fide cenſebimur, illa commo-
nentes, quæ per actiones etiam implemus. Nam &
Matth. 5. Chriſtus hos beatos vocauit dicens: *Beatus qui fecerit,
& docuerit.* Conſidera, quomodo prius actionem po-
ſuerit, & mox doctrinam. Præcedente actione, licèt
doctrina non conſequatur, poſſunt opera bona vo-
ce clarius docere in nos reſpicientes. Hoc ita ſem-
per conſideremus, vt prius factis, deinde verbis do-
ceamus: ne nos quoque Paulum audiamus nobis di-
Rom. 2. centem: *Qui doces alium, teipſum non doces?* Et cùm ali-
quem admonere voluerimus, vt neceſſarium ali-
quid corrigat, prius illud ipſi præſtare ſtudeamus,
vt cùm maiori fiducia doctrinam faciamus; & om-
nis noſtra ſit cura circa animæ ſalutem: & vt refræ-
natis carnalibus laſciuiis, verum poſſimus exhibere
ieiunium, à malis abſtinentiam dico: hoc enim eſt
ieiunium. Propterea namque ciborum ieiunium
ſuſceptum eſt, vt carnis impetũ coërceat, & equum
nobis facilem reddat. Ieiunantem omnium maximè
decet iram reprimere, manſuetudinemque docere,
& humanitatem, corque contritum habere; abſur-
darum quoque cupiditatum eliminare cogitatio-
nes, ante oculos inſopitum illum habentem ocu-
lum, & ineuitabile tribunal, pecuniis eſſe ſuperio-
rem, multam in eleemoſynis largitatem oſtendere,
omnem ex corde nequitiam in proximum expel-
lere: hoc verum eſt ieiunium, ſicut & Eſaias ait, ex
Eſaiæ 58. Dei loquens perſona: *Nunquid tale eſt ieiunium quod
elegi, per diem affligere animam ſuam? Nunquid contorquere*

A *quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere?
Nunquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem domi-
no? Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi? Diſſolue colliga-
tiones impietatis, ſolue faſciculos deprimentes: dimitte eos qui
confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe. Frange eſurienti
panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam. Cùm
videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris:
tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius
orietur.* Vidiſti, chariſſime, quale ſit verum ieiu-
nium? hoc exerceamus. Neque ſecundum multos
temerè cenſeamus in hoc cõtineri ieiunium, ſi ſine
cibis ad veſperam vſque permaneamus: non hoc
eſt quod quæritur hîc, ſed vt cum ciborum abſti-
nentia, à noxiis quoque continentiam exhibea-
mus, & circa ſpiritualium exercitationem multum
impendamus ſtudium. Ieiunantem decet eſſe cor-
reptum, mitem, humilem, præſentis vitę deſpicien-
tem gloriam. Sicut cibos aſpernatus eſt, ſic & ina-
nem gloriam floccipendat oportet, & ad illum re-
B ſpiciat ſolum, qui corda ſcrutatur & renes, & mul-
ta cum ſedulitate preces ad dominum & confeſſio-
nes emittat, ſibique pro viribus per eleemoſynam
auxilium ferat. Hoc enim, hoc maximè præceptum
omnia peccata delere poteſt, & gehennæ incendiis
eripere, ſi modò cum largitate præſtetur, nec ad
oſtentationem faciamus. Et quid dico, nec ad oſten-
tationem? ſi enim grati eſſemus, & ſolum propter
honeſtum, & in conſanguineos miſericordiam
hanc oportebat exhibere, non propter præmia
tantum à domino nobis promiſſa: ſed quoniam ſu-
blime nihil poſſumus cogitare, licet illud propte-
rëa tranſigamus, nequaquam ab hominibus glo-
riam aucupemur, ne & impenſam patiamur, & mer-
cede priuemur. Nec hoc tantum circa eleemoſy-
nam, verùm & in quolibet ſpirituali merito conſi-
deremus, & ad hominum laudem reſpicientes fa-
ciamus nihil. Quoniam nulla erit nobis vtilitas, ſi-
C ue ieiunemus, ſiue oremus, ſiue præſtemus miſeri-
cordiam, ſiue quodlibet aliud faciamus, niſi propter
illum fiat ſolum, qui nouit abſcondita, & in mentis
noſtræ profundo repoſita. Nam ſi ab illo retribu-
tiones expectas, qua de cauſa vis à cognato laudari,
& in admiratione haberi? Et quid dico laudari? Fre-
quenter huiuſmodi nec laudat, ſed potius inuidet.
Sunt enim multi ſe tam nequiter gerentes, quòd &
bene à nobis geſta in contrarium conuertunt: cur
itaque rogo, corruptum illorum magnipendis iudi-
cium? Illum enim inſopitum oculum nihil quod à
nobis geratur eſt quod lateat. Et hoc cogitantes, o-
portet tanta vitam noſtram diſpenſare diligentia,
quaſi paulo poſt verborum, & actionum, & ipſarum
quoque cogitationum rationem reddituros. Ne no-
ſtram ergo ſalutem contemnamus, nihil virtuti par
amantiſſime. Hæc enim & in futuro ſeculo à ge-
henna nos eripit, & regni largitur nobis poſſeſſio-
nem, & in præſenti vita nos omnibus ſuperiores
D conſtituit, qui temere & incaſſum nobis inſidiari
conantur: nec hominibus tantum, verùm & ipſis
dæmonibus, & noſtræ ſalutis inimico, diabolum di-
co, fortiores efficit. Quid igitur huic ſit æquale, cum
non tantùm hominibus inſidias parantibus, verùm
& dæmonibus ſuperiores reddat ipſum ſectantes?
Virtus autem eſt omnia humana deſpicere, & per
omnes horas futura cogitare, nulli inhiare præſen-
tium, ſed ſcire quòd omnia humana vmbra ſunt &
ſomniũ, & ſi quid his vilius. Virtus quaſi mortuum
ad huius vitæ res efficit, & ad nocentia quidem
animæ ſaluti, tanquam mortuum operatione care-
re: ad ſpiritualia verò ſola viuere & operari. Si-
cut & Paulus dicebat: *Viuo autem non iam ego, viuit
autem in me Chriſtus.* Et nos itaque chariſſimi, tan- Galat. 2
quam Chriſtum induti, ſic omnia faciamus, neque
contriſtemus Spiritum ſanctum. Cùm igitur à
vitio vexati fuerimus, vel abſurda cupiditate,
vel ira, vel furore, vel inuidia, in nobis inha-
bitantem conſideremus, & omnem huiuſmodi

Digitized by Google

cogitatum procul à nobis pellamus. Deus enim qui A peccanti pœnam impoſuit, hanc omnino leuiorem eſſe decernit, continuo quidem nos damnans ſudori, continuoque labori: laboris autem partem ſimul nobiſcum multas brutorum attingere faciens ſpecies. Itaque quod & honorem contuliſſe videtur, & rurſum abſtuliſſe, & ferarum induxiſſe timorem, & cætera ſi quis diligenter & gratè requirat, multæ ſunt prouidentiæ plena, miſericordiæ multæ. Pro his igitur omnibus Deo gratias agamus, & in eum qui nos tantis proſecutus eſt beneficiis, gratitudinem exhibeamus. Nec enim graue quippiã aut moleſtum à nobis expoſcit, niſi tantum vt tot tantaque cõfiteamur beneficia: & ſibi pro his gratiarũ actiones referamus, non quod huius indigeat ipſe (nullius enim indiget) ſed vt bonorum largitorem nos conciliare doceamur: & ne ſumus ingrati, ſed beneficiis & tanta dignam cura virtutem præſtemus. Sic enim illum in maiorem circa nos alliciemus prouidentiam. Itaque rogo, ne torpeamus, ſed quiſque noſtrũ, ſi fieri poteſt, per ſingulos dies intra ſe cõputet, non tantum communia beneficia, verùm & propriè ſibi collata: non tãtum promulgata & omnibus manifeſta, ſed etiam peculiaria, multoſq; latentia. Sic enim cõtinuam gratiarum actionem domino poterit exhibere. Hoc maximum eſt ſacrificium, hæc oblatio perfecta. Hoc fiduciæ nobis fiet occaſio. Et qualiter dicam: qui iugiter enim hæc in mente ſua reuoluit, & propriam quidem diſcit vtilitatem, ineffabilem verò nimiamque Dei miſericordiã diligenter cogitat: & quomodo non peccatorum noſtrorum merita, ſed propriam reſpiciens bonitatem, noſtra diſpõnit: cogitatione cõtrahitur, cõteritur corde, omnem faſtum & arrogantiã corripit, modeſtè ſe gerere docet, præſentis vitæ gloriã deſpicere, omnia deridere viſibilia, futura bona ſperare, vitamque fine carentem, nec vllũ habentem terminum. Qui verò ſic mente fuerit affectus, verum offert ac delectabile Deo ſacrificium, ſicut & propheta teſtatur. *Sacrificiũ Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non deſpices.* Gratos enim Pſal. 50. ſeruos non ita pœnæ ſuppliciaque, ſicut beneficia conuertunt: ſcientes, quòd non pro peccatorũ merito pœnas exoluunt. Senſum itaque noſtrum rogo conteramus, humiliemus cogitationem, & præcipuè nunc, cùm multum nobis adiumentum ieiunij tempus ad hoc præbet. Si nos enim ita geſſerimus, poterimus & orationes cum multa facere ſolertia, & delicta confeſſi, multam ſupernè gratiam attrahere. Et vt ſciatis quòd talibus ſacrificiis Deus placetur, Eſa. 66. ipſum audi dicentem: *Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & manſuetum, & trementem verba mea?* Propterea Chriſtus differens dicebat: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & hu-* Matt. 11. *milis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris.* Qui nanq; veraciter ſemetipſum humiliat, in iram nunquam inuehi poteſt, nec proximo ſuccenſere, cum anima ſe corripiat, & ſua conſideret. Anima verò ſic diſpoſita, quidnam poſſit eſſe beatius? talis in portu continuè ſedet, ab omni liberatus procella, ſequẽ cogitationum delectans tranquillitate: & propterea Chriſtus aiebat: *Et inuenietis requiem animabus veſtris.* Sicut itaque qui tales ſedauit æſtus, multa fruitur requie: torpens itidem & remiſſus, qui naſcentes in ſe morbos, vt opus eſt, refrænare non poteſt, in continua verſatur fluctuatione, domi bellum habens, cùm & præſente turbetur nemine, & multam ſuſtineat tempeſtatem. Propter quod & vndis inſurgentibus, & incumbente malorum ſpirituum turbine, ſub fundo frequenter immergitur, & ſcapha propter gubernatoris imperitiam ſubmerſa. Propterea ſolerter agendum eſt, & vigilandum, & continua iugiſque cura gerenda animæ ſalutis. Chriſtianum enim contra carnis vitia ſemper expeditum eſſe oportet, & leges nobis à communi omnium domino poſitas inhabitantes habere, hiſque muniri, & longam ipſius circa nos expectationem vt decet, accipere: non autem ex operibus experientiam expectare, tuncque demum corripi, Pſal. 77. ne de nobis quoque dicatur: *Cum occideret eos, tunc quærebant eum.* Habentes itaque chariſſimi, commilitantem ieiunij præſentiam, omnes ad peccatorum confeſſionem concurramus, & omni quidem abſtineamus malitia, omnem verò virtutem obeamus. Si enim & beatus propheta docet, inquiens: *Declina à* Pſal. 36. *malo, & fac bonũ.* Si ſic noſtra diſponamus, & cũ ciborum abſtinẽtia continentiã quoque præſtemus nequitiæ, poterimus & nos maiori potiri fiducia, & largiorem à Deo, conſequi miſericordiam & in præſenti vita, & in futura die illa tremenda, orationibus, & eorum qui ipſi placuerunt interceſſionibus, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri, ſimul & ſancto Spiritui gloria, imperium, & honor, nunc, & ſemper, & in ſecula, ſeculorum. Amen.

B

De ſancta quadrageſima ieiunio, & quòd torpentibus nobis nulla erit excuſatio.

Homilia LXXIII.

Non hoc ſolùm exquiritur, chariſſimi, vt per ſingulos dies huc conueniamus, & de iiſdem audiamus continuè, & totam ieiunemus quadrageſimam. Si nihil enim ex eo quòd huc aſſiduè conuenimus, & admonemur, & ex ieiunij tempore lucrari deberemus: hæc non modò nihil nobis prodeſſent, verùm & maioris occaſio damnationis fierent nobis: cùm tantum inuenientes ſollicitudinis, iidem permaneamus, nec iracundus mitis efficiatur, nec animoſus mutetur in manſuetum, nec in benignitatem inuidus ſe reducat, neque pecuniarum captus inſania, à vitio deſiſtens, ad miſericordiam, & pauperum ſe transferat ſuſtentationẽ: nec impudicus continens euadat, nec huius inanis gloriæ ſtupidus amore diſcat eam contemnerr, veramque perquirere gloriã, neque circa proximi charitatem ſegnis, exurgens ſeipſum doceat, vt non ſolum publicanis non ſit inferior: ait enim: *Si diligitis* Matt. 5. *diligentes vos, quid amplius facitis? nonne & publicani hoc faciunt?* ſed etiam inimicos benignè conſpicari, & multam eis charitatem exhibere. Niſi hos ſuperemus morbos & alios in nobis naſcentes, per ſingulos dies huc conuenientes, & continuæ vacantes auditioni, tantamque conſequentes doctrinam, & à ieiunio ſubſidium habentes: quæ nobis erit venia, quæ autem excuſatio? Dic enim quæſo, ſi tuum videas filium quotidie ſcholam petentem, & tempore progreſſo nihil amplius inde lucrantem, nunquid patienter feres? Nõnne & flagella puero infliges, & præceptorem accuſabis? Poſtea ſi didiceris, quòd à præceptore quidem omnia facta ſunt, & prætermiſſum eſt nihil, ſed omnium cauſa fuit pueri negligentia: nõnne culpa liberans præceptorem, omnem in puerum transferes indignationem? Idem & hic fieri iuſtum eſt. Nos enim quodammodo à diuina ſumus gratia conſtituti, quaſi ſpirituales filios ad hanc ſcholam quotidie vocantes, ſalutarem vobis doctrinam apponimus, non quæ veniunt ex propria mente loquentes: ſed documenta nobis à domino per diuinas donata ſcripturas in medium proponentes, & hæc prædicantes paſſiuè. Itaque ſi nobis omne ſtudium & ſedulitatem exhibentibus, & quotidie vos ad virtutis ducentibus ſemitam, vos in iiſdem permanetis: quantus nobis erit dolor, & vobis (ne quid amplius dicam) quanta damnatio, cogitate. Licet enim nos inſontes faciat, quòd nihil ad veſtram congruum ædificationem omiſerimus: veruntamen quoniam veſtræ curam ſalutis gerimus, non poſſumus æquè tolerare: quoniam & præceptor cùm diſcipulum viderit ex ſtudio ſuo proficientem nihil, non mediocriter triſtatur & dolet,

Non ſufficit audire verbũ Dei, niſi ex eo proficiamus.

C D

cum

cum ſe fruſtrà laborare conſpiciat. Hæc nunc dico, non vt veſtram contriſtem charitatem, ſed vt excitem,& perſuadeam, ne temerè corpus intẽdat ieiunio, nec inutiliter & incaſſum ſanctæ dies quadrageſimæ trãſcurrat. Et quid dico ſanctæ dies quadrageſimæ, cum ne vnum quidem diem toto vitæ noſtræ tempore nos tranſigere liceat, ſi fieri poteſt, quo non aliquid ſpiritualis lucri nobis reponamus, vel per orationem, vel per confeſſionem, vel per beneficentiam, vel per aliam ſpiritualem quampiam actionem? Nam ſi Paulus talis ac tantus, *qui arcana illa audiit verba*, quæ nulli licuit hactenus noſſe, clamabat dicens: *Per ſingulos dies morior propter veſtram gloriam.* Docens vos quòd ita ſe pro pietate periculis exponebat, vt ipſi quotidie morti propinquaret: & quod natura non ſuſcipiebat (vni namque morti ſubiacemus omnes) hoc voluntatis eius contentio ſupplebat; quanquàm miſericors Deus propter cæterorum ſalutem ipſam amplius conſeruabat: Itaque ſi ille tantis præditus meritis, & tanquam angelus in terra cõparens, per ſingulos dies aliquid lucrari ſtudebat,& ad veritatis pericula ſe opponere, & ſpirituale ſibi congerere mercimonium, nec vnquam deſiſtere: quã nos habuerimus excuſationem qui non tantum omnibus priuati ſumus meritis, verum & tot ſubiaceãmus delictis, quorum vel vnum cum nobis adſit, poteſt nos ad ipſum perditionis barathrum deducere: & nullũ habemus ſtudium, vt hæc ſaltem corrigamus? Cùm autem idem frequenter non vnum modò defectum, ſed & plures inueniatur habere, & iracundus ſit, & laſciuus, auarus ſimul & inuidus, atque furioſus, nec iſta corrigere velit, neque virtutis opera tangere: quæ verò ſpes fuerit ſalutis? Hæc dico, nec dicere deſiſto, vt audientium quiſque congruum ſibi ſumens remedium, ex his quæ à nobis dicuntur, ſtudeat ocyus & à vexantibus vitiis liberatus ad ſanitatẽ reuerti, & ad virtutis operationem ſemetipſum reddere induſtrium. Nam & ægrotantibus corpore, cum infinita medicus adhibeat remedia, ſi medelam ægrotus non acquieſcat admittere: ſed poſtquam impoſuerit medicus, frequenter indignans, nec ferẽs dolorem, medicamen abiiciat, nec ex eo capiat vtilitatem: nemo ſapiens medicum omnia quantũ in ipſo eſt conferentem culpauerit. Itidem & hîc nos quidem medicamentum ex diſciplina ſpirituali componentes imponimus, veſtrũ verò fuerit reliquum & ferre dolores, & ex medela iuuari, & morbo liberatos ad veram ſanitatem redire. Sic enim & vos multũ vtilitatis ſenſum capietis, & nos non parum conſolationis habebimus, cum viderimus prius laborantes, ad ſanitatem tam citò reuerſos. Quemque veſtrum itaque rogo, etſi non antea, deinceps ſaltem, quem ſe plus aliis vexare defectum nouerit, hunc ex anima præcidere ſtudeat, & pia quadam cogitatione, quaſi ſpirituali vtens gladio, ſemetipſum à vitio liberet: idoneum enim Deus nobis contulit ſenſum, & ſi parum velimus reſpicere, valentem & quodque naſcens in nobis vitium ſuperare. Propterea ſanctorum quoque nobis omniũ vitam & conuerſationem per diuinas contextam ſcripturas Spiritus gratia reliquit, vt diſcẽtes qualiter eandem nobiſcum ſortiti naturam omnia virtutis obierunt officia, circa eius executionem minimè torpeamus. Nónne eiuſdem naturæ nobiſcum beatus erat Paulus? Accendor enim in viri deſiderium, & propterea continuè eum verſare non deſino, & velut ad quandam archetypam imaginem, in huius reſpiciens animam, vitiorum admiror deſpectum, fortitudinis magnitudinẽ, amoris in Deo ardorem: & arbitror, quòd omnem virtutum congregationem vnus homo qui voluit, acquiſiuit, & quiſque noſtrũm nec partem obire quærit. Quis igitur ab ineuitabili ſupplicio nos eruet, cum eiuſdem nobiſcum naturæ particeps, & iiſdem obnoxius morbis, & in tanta temporũ difficultate conſtitutus, per ſingulos dies, vt ita loquar, tractus, diſcerptus, & ab his publicè raptatus, qui prædicationem impugnabant, qui frequenter eum eſſe mortuum arbitrati, tunc tandem, quaſi ad exitum homicidialem mentem ſuam perduxiſſent, ita dereliquerunt, tantam virtutis magnitudinem inueniatur exhibuiſſe: nos autem ita cadamus, & tanto noſipſos tradamus torpori? Sed ne per linguam noſtram huius merita beati, & virtutem, quam quotidie pro fidei prædicatione præſtabat, audiatis, ipſum neceſſarium eſt audire dicentem. Cùm enim propter pſeudoapoſtolorum fraudem ſua narrare cogeretur adeò fuit ipſi moleſtum & graue, vt refugeret, & nunquam hæc in medium agere vellet: verum & id appellaret audaciam. Sed poſtquam multam vidit neceſſitatem, vt deceptorum ora clauderentur, & parum daretur auxilij diſcentibus, ita ferè cœpit, poſtquam multa dixit alia: *In quo autem quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego.* Conſidera religioſi animam, non tantùm audaciam, verùm & inſipientiam rem vocat: nos quoque docens, non incaſſum abſque neceſſitate, & cogente nemine geſta noſtra iactare, ſi qui modò de nobis inuenirentur boni quippiam operati. *In quo autem quis audet*, inquit, *in inſipientia dico, audeo & ego.* Hoc eſt, poſtquam multã video neceſſitatẽ, audere volo, & inſipientiæ opus oſtendere. *Hebræi ſunt, & ego: ſemen Abrahæ, & ego: Iſraëlitæ, & ego.* In his, inquit, altum ſapiunt, ne nos ſe vincere putent; nam & nos ſumus eorum participes. deinde ſubiunxit: *Miniſtri Chriſti ſunt, deſipiens loquor, plus ego.* Hic mihi chariſſime, conſidera beatæ huius animæ virtutem, quoniam factum ſuum audaciã vocauit & inſipientiam, licèt in tanta conſtitutus neceſſitate, nec ita dictis fuit contentus: ſed cum fuit oſtenſurus illos ſe multum tranſgreſſum, ne quis ex proprio eum amore talia dicere putet, rurſum vocat inſipientiam à ſe dictum, tantum non dicens: Non ignoro, quòd rem facio multis damnabilem, nec mihi congruam, ſed multa neceſſitas ad hoc me cogens impellit, propterea parcite mihi, inſipientiæ verba loquenti. Huius vel vmbram nos imitemur, tot habentes peccatorum ſarcinas: & ſi quid paruulũ præſtiterimus, nec illud frequenter in mentis cellario reponere ſuſtinentes: ſed vt ab hominibus gloriam aucupemur, iactantes, & agentes in medium, & per hanc importunam loquacitatem noſipſos diuina priuantes retributione. Sed non hic beatus tale quippiam paſſus eſt, ſed quid? *Miniſtri Chriſti ſunt, deſipiens loquor, plus ego.* Iam verò deinceps ea profert in medium, quorum pſeudoapoſtoli nihil iactauerant, vtpotè qui veritatem impugnabant, & ad impediendam pietatis prædicationem faciebant omnia, mentéſque concutiebant ſimpliciorum. Poſtquam ergo dixit, plus ego, virtutis opera iam enumerat, & ait: *In laboribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter.* Quid ais? inuſitatum & admirabile quiddam eſt: quod abs te dicitur. Nunquid frequenter poteſt mors ſuſtineri? Etiam, inquit, & ſi non experientia, ſed ſententia, nos docens, quòd propter prædicationem ſe talibus periculis mortem ſibi paratibus exponebat, ſed Dei gratia in ipſorum medio periculorum athletam cuſtodiebat, vt diſcipulis multùm per ipſum præſtaretur vtilitatis. *In mortibus*, inquit, *frequenter. A Iudæis, plagas quinquies quadragenas vna minus cepi, ter virgis cæſus ſum, ter naufragiũ feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in falſis fratribus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari.* Ne temerè dicta prætercurramus chariſſimi: horum enim vnumquodque per ſe ſolum nobis tentationum pelagus oſtendit, nec enim ſimpliciter vnũ dixit iter ſed In itineribus ſæpè, neque periculum fluminum, ſed multa diuerſaque pericula, & omnia cum magna ſuſtinebat ſuperabundãtia. Et poſt hæc omnia rurſum ait: *In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame, & ſiti,*

Margin notes: 2.Cor.12 — 2.Cor.15 — Simile. — D. Pauli laus. — 2.Cor.11 — Ibidem. — Ibidem. — Ibidem — Ibidem. — Ibidem

in ieiuniis frequenter, in frigore & nuditate, præter exteriora. Vide rurſum aliud nobis tentationum pelagus adapertum: dicẽs enim, Præter exteriora, innuit, quòd omiſſa dictis eſſe plura veriſimile ſit. Nec hactenus ſtetit, ſed iterum nos docet infeſtationes & ſubuerſiones quas ſuſtinebat, ita loquens: *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium eccleſiarum.* Ibidem. Ecce rurſum & hoc idoneum meritum, ſi etiam ſolum eſſe contingeret, ad ſummum virtutum verticem ipſum perducere. *Sollicitudo,* inquit, *omnium eccleſiarum,* non vnius, & duarum, & trium, ſed omnium quæ erant per orbem terrarum. Quantum enim terræ ſol percurrit proprios emittens radios, tantam & hic beatus ſollicitudinem & curam habebat. Vidiſti latitudinem animæ? vidiſti mentis magnitudinẽ? & quòd mox rurſum infertur, omnia, vt ita loquar, dicta obumbrat. Ibidem. *Quis enim,* ait, *infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Papę, quanta viri huius charitas, quanta vigilantia, quanta ſollicitudo? Quæ mater febricante filio, & in lecto iacente, viſceribus ita diſcerpitur, vt hic beatus pro omnibus in quocunque loco infirmatis magis infirmabatur, & pro ſcandalizatis vrebatur. Conſidera mihi dictionis ſignificantiam: non dixit, qui ſcandalizatur, & ego non contriſtor: ſed vror, ait, doloris nobis oſtendens intentionem, & ſe tantum non monſtrans interius igneſcentem & ardentem propter eos qui ſcandala patiebantur. Video quod ad multum prolixitatis doctrinâ extendi, & hæc cùm hodie decreuiſſem contrahere, vt ex ieiunij labore parũ reſpirare poſſetis. Sed neſcio qualiter in huius ſancti meritorum diuitias incidens, tanquam à vehementiſſimo aquarum impetu ſum ita lingua protractus. Quamobrem hic ſermonẽ ſiſtentes, veſtram exhortamur charitatẽ, hunc in mente ſemper circumferre, & hoc continuè ratiocinari, quòd eiuſdem nobiſcum naturę particeps, & iiſdem motibus ſubiectus, & vile ſectans exercitium & abiectum, pelles conſuens, & in officina conſtitutus, quoniam ſe virtutis laboribus addicere voluit, & ſancti Spiritus ſuſceptione dignum efficere, largiori ſupernè potitus eſt honore. Et nos itaque ſi velimus quæ nobis pertinent exhibere, nihil eſt quod iiſdem potiri prohibeat. Liberalis enim eſt dominus, 1.Tim.2. *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionem peruenire.* Dignos itaque noſipſos reddamus & tandem feruenti ſtudio virtutem vel tardè arripiamus, & noſtra corrigentes vitia, nos ad Spiritum idoneos ſuſcipiendum efficiamus, quo vtinam omnes digni cenſeamur, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

HOMILIA LXXIV.

Super orationem Annæ, & quòd vtilis eſt paupertas, & maiorem habet quàm diuitiæ voluptatem & ſecuritatem. Habetur tom. 1.

HOMILIA LXXV.

Ex Euangelio ſecundùm Matthæum: Cùm vidiſſet Ieſus turbas, aſcendit in montem, &c. Habetur tom. 2.

HOMILIA LXXVI.

In Euangelicam dictionem: Domine, quoties in me peccabit frater meus, & dimittam ei? tom. 2.

Quòd ad finem vſque ſtantem confidere non oportet, neque lapſum de ſe deſperare.

HOMILIA LXXVII.

IVDAS, chariſſimi, prius regni filius erat, & cum duodecim audiit diſcipulis: Matt. 19. *Sedebitis ſuper ſedes duodecim,* ſed poſtea factus eſt gehennæ filius: Æthiops autem cùm barbarus eſſet homo, & eorum qui veniunt ab Oriente & Occidente, iunctis cum Abraham, Iſaac, & Iacob, coronis potietur. Hoc & inter nos agitur quotidie: ait enim: Matt. 20. *Multi erunt primi nouiſſimi, & nouiſſimi primi.* Hoc autem dicebat, vt nec illi

A torperent, tanquam redire non poſſent, nec hi confiderent, tanquam ſtent immoti. Hoc & ſupernè Ioannes exclamans aiebat: *Poteſt Deus ex lapidibus his ſuſcitare filios Abrahæ.* Ibid. 3. Quoniam enim hoc agẽdum erat, multò antè prædicat, ne quis rei nouitate turbetur. At ille quidem illud tanquam poſſibile dicit, nam erat homo: Chriſtus autem omnino futuram ex operibus afferens confirmationem. Ne confidamus itaque ſtantes, ſed nobiſipſis dicamus? *Qui videtur ſtare, videat ne cadat.* 1.Cor.10 Neque iacentes deſperemus, & nobis dicamus: *Nunquid qui cadit, non reſurget?* Ierem. 8. Nam & multi poſtquam in ipſum aſcenderunt cœli verticem, & omnem exhibuere tolerantiam: & in deſertis morati ſunt, nec in ſomnis quidem viderunt mulierem, quòd paulum torpuerint, ſupplantati ſunt, & ad ipſum malitiæ barathrum deuenerunt: alij rurſum illinc aſcenderunt in cœlum, ex ſcenaque & orcheſtra ad angelicam migrauerè conuerſationem, & tantam virtutem B exhibuerunt, vt expulerint dæmones, & alia multa fecerint huiuſmodi ſigna. Et his plenæ quidem ſunt ſcripturæ, plena verò nobis exemplorum vita. Et meretrices & molles ora Manichæorum obſtruunt, qui malitiam immutabilem eſſe dicunt, diaboli ſectantes diſciplinam, & laborare volentium manus ſoluentes, omnemque vitam ſubuertentes. Qui talia namque perſuadent, non tantum in futuris lædunt, verùm & hic omnia quantum in eis eſt, confidunt. Quando namque vitioſè viuentium vllus virtutis curam habebit, quum ad illã reditum patere nõ putet, & in melius mutationem nõ dari ſibi perſuadeat? Si nunc enim quum & leges ſunt, & pœnas minantur, & gloria multos excitat, expectaturque gehenna, & promiſſum eſt regnum, & incurſantur mala, bonaque laudantur, vix pauci pro virtute ſudores eligunt: ſi iſta ſuſtuleris, omnia perire quid, atque corrumpi, prohibebit? C Malitiam itaque cognoſcentes diabolicam, & quod externis legiſlatoribus, oraculiſque diuinis, & naturæ rationibus, atque communi omnium hominum ſententiæ, Barbaris, & Scythis, ac Thracibus, & omnibus vniuerſaliter huiuſmodi aduerſantur qui ficta dogmata ſancire conantur: vigilemus, chariſſimi, & omnes illos valere ſinentes, per anguſtam ambulemus viam, & confidentes ſimul atque timentes: timentes quidem propter vtrinque poſita præcipitia: confidentes propter nos præcedentem Ieſum: ambulemus vigilantes, & expergefacti, vel ſi paulum quis dormitauerit, illico proſtratus eſt. Non enim ſumus Dauide ſolertiores, qui quum parumper neglexiſſet, in ipſum præcipitatus eſt peccati barathrum, ſed citò ſurrexit. Ne tantùm itaque quòd peccauit, aſpicias, verumetiam quòd peccatum abſterſit. Propter hoc enim hiſtoriam illam deſcripſit, non vt lapſum conſideres, ſed vt D ſurgentem admireris, vt diſcas quum cecideris, quomodo ſurgere conueniat. Sicut enim medici difficilimas eligentes ægritudines deſcribunt, Simile. taliſque curationis viam voluminibus docent, vt in maioribus exercitati, minora facilè tranſigant: ita ſcilicet & Deus in medium peccatorum maxima produxit, vt & in paruis offendentes, per illa facilem horum correctionem inueniant. Si enim illa ſanitatem acceperunt, multò magis & minora. Videamus igitur qualiter & infirmatus eſt, qualiter & illicò ſurrexit beatus ille. Quis itaque morbi modus fuit? Adulterium & homicidium commiſit, 2.Reg.11. nec enim iſta contego, clara recenſens voce. Si ſpiritus etenim ſanctus dedecus non exiſtimauit hanc omnem hiſtoriam exponere, multò magis neque nos oportet obumbrare. Propterea non tantum ea prædico, verùm & aliud adiicio. Quotquot enim hæc abſcondunt, hi præſertim eius virtutem obumbrant. Et ſicut Goliath bellum tacentes, non minimis eum priuant coronis: itidem & hanc prætercurrentes hiſtoriam.

Digitized by Google

Nonne videtur ergo mirabile quod dicitur? Itaque parum expectate: tuncque ſcietis, quòd iuſtè vobis hæc dicta ſunt. Propterea namque peccatum exaggero, mirabilioremque paro ſermonem, vt abundantius medicamina componam. Quid eſt itaque quod addo? Viri virtutem, quod malus efficit crimen. Non enim omnia ſimiliter in omnibus iudicantur: ait enim, *Potentes potenter tormenta patientur*, &: *Qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit, plagis vapulabit multis.* Itaque maior ſcientia, maioris fit pœnæ materia. Propterea ſacerdos eadem cum ſubditis peccata cõmittens, non eadem, ſed multò grauiora patietur. Forſitan amplificatam videntes accuſationem, contremiſcitis & timetis, meque quaſi per præcipitia venientem admiramini. Sed ego ita de iuſto confido, vt & vlterius progredi libeat. Quantò magis enim crimen auxero, tantò magis Dauidicam potero laudem oſtendere. Et quid his amplius dici poteſt? Sicut enim in Cain non ſola cædes erat commiſſum, ſed multis cædibus peius. Non enim alienum, ſed fratrem: non iniuriam inferentem, ſed paſſum interemit: non poſt multos homicidas, ſed primus nefas inueniens. Ita quidem & hic non tantum cædes erat delictum, nõ enim quilibet erat vir qui fecit, ſed propheta: nec iniuriam auſum, ſed paſſum interemit, in vitalibus eum offenderat, vxore direpta, veruntamen poſt illud & hoc addidit. Vidiſtis quomodo iuſto non peperci, neque ſub breuitate quadam ipſius retuli peccata? Veruntamen ita de purgatione confido, quòd poſt tantam peccati magnitudinẽ vellem & adeſſe Manichæos, hæc maximè contemnentes, vt ex ſuperabundantia ipſorum ora concluderem. Nam illi quidem aiunt, quòd adulterium patrauit & homicidium: ego verò non hoc tantùm dico, verùm & duplam cædem oſtendi, & ex eo qui paſſus eſt iniuriam, & ab illius perſona qui peccatum perpetrauit. Non enim par eſt, ſi ſpiritu præditus, & tantis decoratus meritis, talemque conſecutus libertatem, in tali ætate talia committat, & quòd his carens hoc ipſum audeat. Attamen ita quoque valde mirabilis eſt vir ille generoſus, quòd in ipſum nequitiæ profundum delapſus, non proſtratus iacuit, neque deſperauit, neque ſemetipſum proiecit ſupinum, tam lethali à diabolo vulnere ſuſcepto, ſed celeriter, imò ſtatim, & cum multa ferocitate grauius intulit vulnus, quàm acceperat. Et idem factum eſt quale ſi in prælio & acie, poſtquam barbarus aliquis in viri fortis cor haſtam fixiſſet, & in iecur ieciſſet ſagittam, & ſecundum priori vulnus illo lethalius addidiſſet, collapſus, & multo paſſim ſparſus cruore talia ſuſcipiens atrocia vulnera, ſtatim ſurgat, & haſtam in iaculatum contorquens, illicò mortuum humi demonſtret: ita quidem & hic quantò maiorem dixeris percuſſionem, tantò mirabiliorẽ animum oſtendis percuſſi, quoniam poſt hoc graue vulnus potuit & ſurgere, & in acie prima conſiſtere, & ſui proſternere vulneris auctorem. Hoc autem quantum ſit, ſciunt, præſertim quotquot in grauia crimina decidunt. Non enim tam generoſi ſtrenuique eſt animi rectè ambulare, ſemper currere, (habet enim huiuſmodi bonorum ſpem comitem, vngentem, excitantem, confirmantẽ, promptioremque ſe reddentem) quàm ſi poſt innumeras coronas, multaque trophæa & victorias, extremum paſſus nocumentum, eoſdem denuo curſus reſumere poſſit. Et vt quod dico, manifeſtius efficiatur, & aliud priori nõ inferius exemplo in medium vobis adducere conabor. Cogita namque mihi aliquem nauis magiſtrum, innumeris præteruectum finibus, poſtquàm totũ mare nauigauerit, poſt multas hyemes, ſcopulos, & vndas, cùm magno onere naufragium in ipſo portus ore facientem, & nudo vix corpore periculoſum hoc naufragium elapſum quomodo par eſt circa mare nauigationiſque labores eſſe diſpoſitum? Nunquid eliget vnquam huiuſmodi, niſi generoſo ſit animo, littus aſpicere, vel nauigium, aut portum? Non arbitror ego quidem, ſed latitans iacebit, vt noctem diem aſpiciens, & ad omnia refugiens, & mallet mendicando viuere, quàm eoſdem attingere labores. At non ita beatus hic tale paſſus naufragium, poſt innumeros labores illos atq; ſudores non manſit abſconditus, ſed & nauem deduxit, & extendens vela clauumque manibus ſumens, eoſdem aggreditur labores, & maiores rurſum diuitias comparauit. Sed ſi ſtare, nec ſemper iacere collapſum tam admirabile, reſurgere & talia operari quantis dignum coronis non fuerit? Et multa quidem erant ad deſperationẽ eum trahẽtia: & primùm quidem peccati magnitudo: ſecundum, quòd non in vitæ principiis, cũ maior erat ſpes, ſed circa finem hæc paſſus eſt. Nec enim mercator portum ſtatim egreſſus, & paſſus naufragiũ ſimiliter dolet, vt ille qui poſt innumeras mercaturas ſcopulo fuerit illiſus. Tertium, quòd cum iam multas cõquiſiſſet diuitias, hoc ſuſtinuit. Nec enim modica tunc ei repoſita erant pondera, qualia per primam ætatem, cùm paſtor erat, & qualia circa Goliath congeſſit, cum præclarum illud erexit trophæum, & ſapiẽter acta circa Saul: euangelicã enim exhibuit longanimitatem, cùm millies inimicũ in manu habuerit & ſemper dederit veniam, & maluerit patriã, & libertatem, & ipſam amittere vitam, quàm iniuſtas tendentem inſidias occidere. Et poſtquam regnũ adeptus fuerat, non pauca præclarè geſſerat: præter dicta verò concepta quoq; apud multos opinio, & tam clara excidere gloria non mediocrem inferebat tumultum. Non enim tantùm eum ornabat purpura, quantũ huius peccati macula fœdabat. Scitis autem omnino quantũ ſit peccata iactare, & quàm magno talis egeat animo, vt poſt multorum accuſationem, & tot teſtes criminum ſuorũ non ſuccumbat. Et tamen has omnes ex animo ſagittas euellens, generoſus ille poſt hæc ita refulſit, vt maculã abſterſerit, & ita mundus eſt factus, vt & poſterorũ ſuorum etiã defunctus peccata corrigeret. Et quod de Abraham dicebatur, & de Dauid hoc dicere Deus videtur, quinimò de hoc lõgè plura. Nam de patriarcha quidem ait, quòd *memor fuit teſtamenti ſui ad Abraham*: hic verò non ait teſtamenti, ſed quomodo? *Propter Dauid ſeruum meum protegam ciuitatem iſtam.* At & Salomonem tanto crimine commiſſo propter ſuam in illum beneuolentiam, ex regno non permiſit excidere: tantaque viri gloria, vt Petrus poſt tot annos ad Iudæos habens ſermonem, diceret: *Cum liceret cum fiducia dicere vobis de patriarcha Dauid, quod mortuus eſt & ſepultus.* At & Chriſtus Iudæos alloquens, eum oſtendit poſt peccatum tanto præditum ſpiritu, vt de diuinitate ſua prophetare dignus ſit redditus. Rurſum eos & hinc obmutefaciens, dicebat: *Quomodo ergo Dauid in ſpiritu dominum eum vocat, dicens: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis?* Quod circa Moſem, hoc & circa Dauid factum eſt. Sicut enim Mariam & inuito Moſe puniuit Deus propter ipſius in Moſem contumeliam, quoniam ſanctum ſummopere diligebat: itidem & hunc à filio contumeliam paſſum ſtatim vltus eſt, & hæc nolentem. Igitur idonea quidẽ nobis & hæc, quinimò ſuper cætera hæc idonea ſunt, viri virtutẽ oſtendere. Cùm enim ſanciat Deus, nil opus eſt amplius inquirere. Si verò vultis per partes ipſius ſapientiam addiſcere, nobis licet hiſtoriam poſt peccatum percurrentibus, ipſius apud Deum videre fiduciam, charitatem, virtutis incrementum, & ad vltimum ſpiritus feruorem. Hæc igitur habentes exempla, vigilemus, & nunquam cadere ſtudeamus: ſi quandoque verò ceciderimus, nequaquam iacere. Non enim vt in ignauiam vos inducerem, Dauid peccata recenſui, ſed vt maiorem metum afferrem. Nam ſi iuſtus ille paululum torpefactus talia cepit vulnera: quid patiemur nos, ſi negligentes fuerimus? Ne conſideres itaque quòd cecidit,

Sapien. 6. Luc. 12. Gen. 4. A ſimili. Simile. 4 Reg. 20. Act. 2. Matt. 22. Num. 12.

aut torpeas, ſed quanta poſt hæc fecit, conſidera, quot lachrymas exhibuit, quantum pœnitentiæ, noctes iungens diebus, fontes emittens lachrymarum, lectum lachrymis abluens, & hæc ſaccum indutus. Si verò ille tanta eguit conuerſione, quandò nos ſaluari poterimus, qui poſt tot peccata nullo dolore afficimur? Nam multa poſſidens merita, facilè his peccata obumbrauerit. At nudus vbicunque ſagittam exceperit, læthale ſuſcipit vulnus. Ne hoc itaque fiat, nos bonis armemus operibus: & ſi quod erratum aduenerit abluemus, vt ad Dei gloriam præſenti tranſacta vita, futuro digni cenſeamur æuo potiri: quod vtinam omnes aſſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cùm quo patri ſimul & ſancto ſpiritui gloria poteſtas & honor, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Quòd melius eſt iniuriam pati quàm inferre.

HOMILIA LXXVIII.

NOLITE *errare*, beatus inquit Paulus, *neque fornicatores, nec adulteri, neque molles, neque ebrioſi,* 1. Cor. 6. *neque contumelioſi regnum Dei poſſidebunt.* Hunc multi carpſerunt locum, quaſi nimis aſperum: ſiquidem ebrium & contumelioſum cum adultero, & fornicatore, & maſculorum ſectatore ponit, quum non æqualia ſint crimina. Quomodo itaque paria ſunt ſupplicia? quid ergo dicemus? Primum quidē quòd nequaquam parum eſt ebrietatis & contumeliæ peccatum, quoniam & Chriſtus eum qui fratrem fatuum appellat, gehēnæ tradidit: frequenter enim inde mors eſt exorta. At & Iudæorum populus ex ebrietate grauiſſima perpetrauit peccata. Deinde quòd nunc non eſt ipſi de pœna ſermo, ſed de regni amiſſione: igitur ex regno quidem hic & ille ſimiliter excidunt. Si quid autem in gehenna differentiæ ſortientur, non præſentis eſt temporis inquirere: non enim nunc nobis de hoc propoſitum eſt. *Et hæc*, inquit, *quidem fuiſtis, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati.* Ibidem. Admodum inſtanter intulit, dicens: Cogitate quantis vos malis eruit Deus, quantam miſericordiæ vobis exhibuit experientiam. Nec ad liberationem vſque gratiam contulit, ſed ad multum vſque beneficium prouexit: purum enim conſtituit. Hoc ergo ſolum? Minimè, verùm & ſanctificauit: ſed nec hoc ſolùm, verum & iuſtificauit, cùm & à peccatis liberari ſit magna donatio. Nunc autem & bonis impleuit innumerabilibus. Et hoc factum eſt: 1. Cor. 6. *in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti*, non in hoc & in hoc, *ſed in ſpiritu Dei noſtri.* Hęc itaque ſcientes, chariſſimi, & collati beneficij cogitantes magnitudinem, modeſtè viuere perſeueremus, & ab enumeratis omnibus puros nos prę̨ſtantes, & in externis tribunalibus iudicia fugiamus, & generoſitatem quam nobis Deus donauit, cuſtodiamus illæſam. Cogita namque quanti ſit dedecoris, ſedere gentilem tibi iuſta diſpenſantem. Quid ergo, dicet aliquis, ſi eccleſiaſticus iniquè iudicet? Cur enim quæſo? Nam ſecundum quas leges iudicat gentilis, & ſecundùm quas Chriſtianus? Nónne conſtat ſecundum humanas gentilem, ſecundum diuinas verò Chriſtianum iudicare? Igitur magis hic iuſtum, quoniam & leges ſunt è cœlis demiſſæ. Nam in exterioribus quidem dictis licet & alia multa ſuſpicari, & oratorum grauitatem, & corruptelam principū, & reliqua non pauca iuſtitiam temerantia, hic autem nihil huiuſmodi. Quid igitur, inquit, ſi potens fuerit aduerſarius? Propter hoc ergo præcipuè quidem hic oportet iudicari. In externis enim tribunalibus te vincet omnino. Si verò non tolerat, verùm & eccleſiaſticos contemnit, & externos ad vim trahit, melius eſt quòd de neceſſitate paſſurus es, ſpōtaneum ſubire, neque iudicio contendere, vt & mercedem accipias. *Si quis enim tecum iudicio contendere velit, & tunicam tuam accipere, dimittas ei & pallium.* Et ſis beneuolus aduerſario tuo ſtatim, donec es in via cum eo. Et quid eſt opus noſtra proferre? etenim ipſi exteriorum oratores tribunalium millies talia referunt, quòd melius eſt extrinſecus diſſolui. Sed ô pecunias, vel potius, ô abſurdum pecuniarum amorem, quoniam omnia ſubuertit atque proſtrauit. Et omnia nugæ multis, & fabulæ propter pecunias cenſentur. Et ſeculares quidem tribunalia terere non eſt mirandum. Multos autem eorum qui ſeculo abrenunciarunt, hæc eadem facere ſcelus eſt, quod omni venia caret. Nam ſi videre velis quantum ab huiuſmodi tribunalium ſcilicet vſu te fugere ſcriptura mandauit, & quibus leges factæ ſint diſcendæ, audi quid dicat Paulus: *Iuſto lex poſita non eſt, impiis autem & inſubditis*, Quòd ſi de Moſaica talia refert, multò magis de gentilibus. Itaque ſi iniuriam quidem facias, argumentum fuerit quòd minimè iuſtus ſis: ſi verò feras iniuriam patiens (hoc enim præſertim eſt iuſti) nec externarum indiges legum. At quomodo læſus, inquit, ferre potero? læſus, inquit, ferre potero? Atqui Chriſtus aliquid & hoc amplius præcepit. Non enim tantummodò læſum æquè ferre mandauit, verùm & aliquid lædenti ſupererogare, per promptitudinemq́. patiendi, malefacientis ſuperare libidinem. Non enim dixit: *Volenti tecum contendere iudicio, & tunicam tollere, dimitte tunicam: ſed inſuper & pallium trade*: Matth. 5. vincis enim, ait, malè patiendo, non malefaciendo. Hæc eſt namque præclara nobiliſque victoria. Et propterea progrediens dicebat Paulus: *Iam igitur omnino detrimentum vobis eſt, quoniam iudicia habetis inter vos, & quare non potius iniuriam patimini?* 1. Cor. 6. Quòd enim iniuriā ferens plus ſaperet, quàm lædi non tolerans, hoc vobis reddam manifeſtum. Iniuria ſe non patiens affici, cùm in iudiciū traxerit, & quum vicerit, tunc maximè victus eſt: quod enim nolebat, paſſus eſt. Coëgit enim ipſum aduerſarius dolere, & ad iudiciū cōfugere. Quid enim quòd viciſti? quid verò quòd omnes recepiſti pecunias? Quòd nolebas interim ſuſtinuiſti, litigare coactus. Sed ſi pertuleris iniuriam, victor es, pecuniis quidem carens: non autem victoria, quam per tantam comparaſti ſapientiā. Non enim ille te potuit cogere, vt quod nolebas, committeres. Et quod hoc ſit verum, reſponde mihi: quis vicit, inuidus, an ſedens in ſtercore? Quis fuit victus, omnibus amiſſis? Iob, an omnia tollens diabolus? quem admiramur victorem, diabolum percuſſorem, an Iob percuſſum? Conſtat quòd Iob, quàmuis nō potuerit retinere pereuntes pecunias, non filios ſuos ſaluare. Et quid dico pecunias & filios? Corporis non potuit conſeruare ſalutem, & tamen hic eſt qui vicit, qui quæ poſſidebat, omnia perdidit. Nam pecunias quidem conſeruare nō potuit, pietatem verò retinuit cum omni diligentia. Sed pereuntes filios non defendit: & quid hoc? Etenim illos mors reddidit clariores, & ita ſe dum tentaretur, vindicauit. Si verò malè paſſus non fuiſſet, & iniuriam à diabolo pertuliſſet, non illam præclaram reportaſſet victoriam. Si malum eſſet iniuriam pati, non id nobis Deus præcepiſſet, nam Deus mala non præcipit. An non ſcitis quòd ipſe Deus eſt gloriæ, nec confuſione nos & deriſione damnoque voluerit inuoluere, ſed cō traria præbere? Propterea nos iubet iniuriam pati, & agit omnia, vt nos à ſecularibus ſeparet, & intelligere faciat, quid gloria, quid dedecus, quid iactura, quid lucrum. Sed eſt graue iniuriam pati & calumniam. Non eſt graue, non eſt, homo. Quouſque circa præſentia ſtupidus hæres? Nec enim id Deus inſtituiſſet, ſi graue foret. Animaduerte verò, qui fecit iniuriam, abiit, habens quidem pecunias, ſed & cōſcientiam percuſſam: læſus autem, pecuniis quidem priuatus, habens autem apud Deum fiduciam, poſſeſſionem, innumeris digniorem theſauris. Hæc itaque ſcientes, ex voluntate philoſophemur, neque patiamur quæ ſolent inſipientes, qui ſe tunc non lędi putant,

cum

cum hoc ex iudicio fuerint paſſi. In contrarium autem penitus maximum eſt damnũ, & omnino cum in his non ſponte philoſophemur, ſed inde ſuperati: nullum enim lucrum eſt, ſi iudicio victus tolerat: iam etenim neceſſitatis opus efficitur. Ergo quæ clara victoria? cum tu contempſeris, cum non contenderis iudicio. Quid ais? Priuatus ſum omnibus meis, & iubes tacere? Calumniam ſum paſſus, & ferre iubes æquanimiter? Et quomodo potero? Facillimè profectò, ſi tantum in cœlum reſpicias, ſi ſpectes hanc pulchritudinem, & quò & Deus ſuſcipere promiſit iniuriam generosè ferentem. Hoc ergo fac, & in cœlum reſpiciens, cogita quòd illic ſuper Cherubin ſedenti factus es ſimilis. Nam & illic contumeliis affectus fuit, & tolerauit, & opprobria pertulit, nec vltus eſt: percuſſus, & non inſurrexit, ſed è contra beneficia reddidit his innumera qui talia perpetrauerant, noſque ſuos eſſe iuſſit imitatores. Cogita quòd *nudus exiſti de ventre matris tuæ, nudus reuerteris & tu*, & ille qui fecit iniuriam, & magis autem ille cum innumeris vulneribus vermem parientibus. Memento quòd temporanea ſunt præſentia, progenitorum tumulos animaduerte. Diſce quæ ſunt manifeſtè geſta, & videbis quòd fortiorem te fecit eo qui iniuriam intulit. Suum enim morbum grauiorem reddidit, auaritiam dico: tuum autem leuiorem, ferè tollens nutrimentum. Et ad hæc te curis abſoluit, ſollicitudine, inuidia, calumniatoribus, tumultu, turbatione, metuque continuo, & malorum turbam in caput ſuum congeſſit. Quid ergo ſi mihi cum fame certandũ ſit? Cùm Paulo hoc pateris dicente: *Vſque ad hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus.* At ille propter Deum. Tu quoque propter Deum. Cum enim nõ inſurgas, propter Deum hoc agis: ſed qui fecit iniuriam, cum diuitibus gaudet: imò potius cũ diabolo, ſed tu cum Paulo coronaris. Itaque noli famem timere: *non enim fame interficiet dominus animas iuſtorum.* & rurſum alius inquit: *Iacta cogitatum tuum in domino, & ipſe te enutriet.* Nam ſi paſſeres agri nutrit, quomodo te non nutriet? Ne ſimus itaque puſillanimes, nec modicæ fide chariſſimi. Qui namque regnum promiſit cœlorum, & tanta bona, quomodo præſentia non dabit? Ne ſuperflua concupiſcamus, ſed retineamus modeſtiam, & ſemper erimus diuites. Operimenta quæramus & eſcas, & omnia capiemus & hæc, & multò maiora. Si verò doles adhuc, & deorſum inclinaris, vellem tibi facientis iniuriam poſt victoriam animam oſtendere, quomodo cinis efficitur. Etenim tale peccatum eſt: donec enim fuerit patratum, nonnullam afferre voluptatem videtur: poſtquam verò fuerit conſummatum, tunc breuis voluptas elabitur, ſuccedit autem triſtitia. Hæc & cum aliquos afficimus contumelia, patimur: nam poſtmodum noſipſos condemnamus. Ita quoque dum vſurpamus, lætamur: poſt hæc verò compungimur à conſcientia. Vides penes quendam pauperis domum. Defle, non priuatum, ſed vſurpantem: non enim dedit, ſed accepit malum. Illum enim præſentibus priuauit, ſe verò bonis expulit ineffabilibus. Nam qui egenis non erogauit, in gehennam abit: indigentium res capiens quid patietur? Et quid lucri cum ego malè patiar? Magnum nẽpe lucrum. Non enim in malefacientis vltione retributionem tibi Deus concludit, alioqui nil magnum fuiſſet. Nam quid vtilitatis, ſi cum ego malè paſſus fuero, & ille malè patiatur? licèt multos nouerim maximam exiſtimantes hanc conſolationem, ſeque totum exiſtimantes recepiſſe, cùm calumniatos puniri proſpexerint. Non tamen in his Deus viciſſitudinem ſiſtit. Sed diſcere vis quot te bona ſequentur? Totum tibi reſerat cœlum, ſanctorum ciuem efficit, vt in eodem degas parat conſortio, à peccatis abſoluit, coronat iuſtitia. Nam ſi peccatibus dimittẽtes, dimiſſionẽ conſequuntur, non tantum dimittentes, verùm & ſupererogantes, quid

Iob 1.

1.Cor. 4.

Prou. 10.
Pſal. 54.

A non excuſationis obtinebũt? Ne feras igitur puſillanimiter, verùm & pro lædente preceris: hoc enim pro temetipſo facis. Tuas tulit pecunias, verum & peccata, quod & in Naaman & Giezi factum. Quantum non voluiſſes impendere diuitiarum, vt tua demitterentur peccata? Hoc ergo nunc efficitur. Nam ſi generosè tuleris, nec maledicas, præclaram reportaueris coronam. Non meus eſt ſermo: ſed Chriſtum audi dicentem: *Orate pro calumniantibus vos.* & quantum ſit præmium, cogita: *Vt ſitis ſimiles patri veſtro, qui eſt in cœlis.* Itaque nihil amiſiſti, ſed accepiſti potius. Non eſt affectus iniuria, ſed coronatus, anima redditus ſapientior, Deo ſimilis conſtitutus, cura liberatus pecuniarũ, cœlorum regnum adeptus. Hæc igitur omnia cogitantes, in iniuriis philoſophemur, chariſſimi, vt & à præſentis vitæ tumultu liberemur, & inutilem eiiciamus triſtitiam, & futura potiamur lætitia per Chriſti gratiam, cui gloria in ſecula ſeculorum. B Amen.

Matth. 5.

De oratione.

HOMILIA LXXIX.

MAGNVM verè bonum, chariſſimi, oratio. Si virtute præditum hominem alloquens, non parum ex eo capit vtilitatis: cui Deũ alloqui donatum eſt, quot bonis fruetur? Qualiter ergo non abſurdum fuerit, iubere ſeruos toto tempore nobis ſeruire: nos autem nec minimum otij Deo dicare? non noſti tu vtilia homo, frequenter damnoſa petis & periculoſa: ſed ille magis tuæ curam gerens ſalutis? non tuã intuetur petitionem, ſed antequam petas, quid tibi conferat, prouidet. Nam ſi patres, licèt carnales, non omnino quæ petunt filij, præbent, non quòd petentes aſpernentur, ſed quoniam C eorum curam gerunt maiorem: multò magis Deus, qui plus & diligit, & plus omnibus nouit, quid nobis expedit, affert. Cùm ergo defeceris orans, & non acceperis, cogita quoties pauperem audiſti te petentem, & non exaudiſti, & indignatus ille non eſt, nec te contumeliis affecit. Et tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate. Si ergo tu conſeruum propter crudelitatem non audiens, te dignum accuſari non cenſes: dominum propter miſericordiam ſeruum non audientem accuſas? Si ergo beatus Dauid cùm eſſet rex, & innumeris immerſus curis, & vndique diſtractus, *ſepties in die* dominum rogabat: quam nos veniam habuerimus & excuſationem, tantum habentes otij, nec ipſi continuè ſupplicantes, & hæc cùm tantum lucri capere debeamus? Impoſſibile enim, impoſſibile hominem cõgruo precantem ſtudio, Deoque continuè ſupplicantem, vnquam peccare. Qui namque mentem ſuam accendit, & erexit animam, D & in cœlum ſeipſum tranſtulit, & ita ſuum inuocauit dominum, & ſuorum memoriam peccatorum accepit: ad eum de ipſorum locutus eſt dimiſſione, & propitium & mitem Deum orauit fieri: ab ipſa in his verbis mora, omnem deponit ſecularem curã, & eleuatur, & humanis æſtibus ſuperior efficitur. Non enim ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, vt orationis plantam, lachrymarum fontes irrigantes, ad maximam excreſcere faciunt altitudinem, & orantem coram domino conſtituit: hinc enim maximè fit vt exaudiatur. Quoniã ſi corpore humi proſtrato, & ore incaſſum nugante, mens totam domum & forum circumeat: quomodo talis dicere poterit, quòd in conſpectu Dei precatus ſit? nam orat in Dei conſpectu, totam colligens animã ſuam, & nihil habens cum terra commune, ſed in ipſum ſe transferens cœlum, & omnem ex animo pellens humanam cogitationem. Sic enim deprecantem oportet orare, vt totam cogitationẽ ſuam colligens, cum animi dolore contendens Deum

Pſal. 118.

Digitized by Google

A vocet, neque longos extendat ſermones, nec in longum orationem producat,ſed pauca ſimpliciaque dicat verba. Non enim in verborum multitudine,ſed in mentis ſolertia poſitum eſt vt exaudiatur. Et hoc ex Samuelis matris Annæ precibus in-
1.Reg.1. telligere licet: Illa namque dixit: *Adonai domine Deus ſabaoth, ſi reſpiciens reſpexeris ad humilitatem ancillæ tuæ, & mei fueris recordatus, & dederis ancillæ tuæ ſemen viri, dabo ipſum in conſpectu tuo dicatum vſque ad diem mortis ipſius: & vinum, & ſiceram non bibet, & ferrum non aſcendet ſuper caput eius.* Qualis hæc verborum multitudo? Verumtamen quoniam cum attentione & ſolertia fecit hanc orationem,quæcunque volebat expediuit,& deficientem correxit naturam, & matricem concluſam aperuit, ſeque multam induxit in fiduciam, ex ſterili ſemine fœcundam metens ſegetē. Oportet igitur orantem neque longos extendere ſermones, & iugiter orare. Breues enim, & frequentes orationes fieri Chriſtus & Paulus præceperunt paruis ex interuallis. B Nam ſi ſermonem in longum extenderis, in negligentiam frequenter lapſus, multam diabolo ſubrependi facultatem dederis,& ſupplantandi & abducendi cogitationem ab his quæ dicuntur. Si verò continuas & crebras orationes facias, totumque tempus interpolans frequētia, facilè poteris modeſtiam exhibere,& ipſas orationes
Ibidem. cum multa facies ſolertia. Vis orationis vigilantiam diſcere, ſolertiam & aſſiduitatem? Abeas ad Annam, diſce quid illa fecerit. Surrexerunt, inquit, omnes à menſa,& illa ſtatim non ad ſomnum ſe conuertit, non ad requiem. Vnde mihi videtur & ad menſam ſedens ſobria fuiſſe, nec vllis ſe ferculis oneraſſe. Non enim tot emiſiſſet lachrymas. Si namque nos cum ſobrij ſumus & ieiuni,ita vix oramus: multò magis illa poſt menſam ita non orare potuiſſet, niſi circa menſam ieiunantibus fuiſſet aſſimilis. Reuereamur viri mulierem, confundamur C de regno ſupplicantes, & oſcitabundi, conſiderantes de filio precantem & fundentem lachrymas. Hincque mihi mulieris pietatem conſidera. Vox, inquit, eius non audiebatur,labia verò tantum mouebantur. Obtinere volens iſta à Deo,accedit non fatiſcens, nec oſcitans, neque ſe ſcabens, aut negligens. Nónne poterat & ſine oratione Deus præbere? Nonne ſciebat & ante orationem mulieris deſiderium? Sed ſi ante petitionem dediſſet, non apparuiſſet mulieris ſtudium, non virtus fuiſſet manifeſta,non inde præmium poſſediſſet. Sed ipſius & ſapientiam videamus: poſtquam enim eam Heli ſacerdos ebriam exiſtimauit, vide quid ad eum reſponderit: Ne des ancillam tuam in filiam peſtis: quoniam ex multitudine ſermones meos extendi vſque nunc. Hoc verò contriti cordis eſt, cùm in contumeliam facientes non indignamur,ſed etiam nos excuſamus. Nihil enim ita cor continens efficit vt tribulatio, D & ſecundum Deum luctus. Opus eſt itaque nos & menſam petentes, & deſiſtentes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus,nunquam in ebrietatem decidet aut inſolentiam, nunquam crapula diſrumpetur: ſed orationis expectationem pro fræno ſenſibus habens impoſitam,cum debita modeſtia ex omnibus appoſitis ſumet,& multa quidem animam, multa verò benedictione corpus implebit. Menſa namque ab oratione ſumens initiū, & in orationem deſinens, numquam deficiet: ſed fonte largius omnia nobis afferet bona. Ne tātum itaque prætermittamus emolumentum. Abſurdum eſt enim,ſeruos quidem noſtros,ſi quam appoſitorum partem à nobis accipiant, nobiſque gratias agere, & cum benedictione recedere: nos autem tot bonis potientes, nec tantum honoris Deo rependere. Propterea namque multa tam in communibus, quàm in priuatis rebus præter ſententiam nobis eueniunt: quoniam non circa ſpiritualia primum, tum verò circa ſecularia ſtudiū exhibemus. Nónne ſcis, quòd ſi veniens Deum adoraueris, & præſentis hic occupationis ſis particeps, quæ in manibus habentur negotia, tibi magis cedunt ſecunda? Sed ſeculares curas habes? propter has ſaltem huc occurre, vt per hanc moram allecta Dei beneuolentia, tutus ita prodeas, vt ipſum habeas commilitonem,vt dæmonibus inexpugnabilis fias, ſuperna ſuccurrente manu. Nam ſi preces paternas conſequaris, ſi communis particeps orationis fias, ſi Dei compares auxilium, & ipſius armis munitus ita progrediaris, iam neque diabolus ipſe contra te reſpicere poterit, nedum homines mali te contumeliis afficere ſtudentes, & calumniari. Quòd ſi prodiens in forum è domo nudus armis huiuſmodi reperiaris, omnibus calumniantibus expugnabilis eris. Neque mihi quiſpiā dicat, quòd nequit homo ſecularis affixus foro continuè per diem orare, & ad Eccleſiam cōcurrere: poteſt enim & quàm facillimè. Nam licet in Eccleſiam non ſit facilè concurrere, illic ante fores conſtitutus, & affixus tribunali poteſt orare. Et hoc multi fecère frequenter, & intus clamante magiſtratu, comminante, contendente, furente, pro foribus ſtantes ſigno muniti, & pauca verba per cogitationem orantes, ingreſſi mutauerunt eum, atque mitigauerunt, & mitem ex fero reddidere, nec à loco, nec à tempore, nec à clamore quicquam ad hanc orationem impediti ſunt. Nec enim tam voce opus eſt, quàm cogitatione: neque tam manuum extenſione, quàm animi intentione: neque figura, ſed intellectu. Quoniam Samuelis mater Anna,non quia claram & magnam edidit vocem, propter hoc audita fuit, ſed quoniam intus in corde multùm clamabat: ait enim: Vox eius non audiebatur,& exaudiuit eam Deus. Ne nos excuſemus, dicentes, quòd non eſſet facile quempiam orare ſecularibus negotiis implicitum, prope ſe domum non inuenientem oratoriam. Nam vbicunque ſis, potes altare tuum conſtituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Verum licet genua non flectas,neque percutias pectus, nec in cœlum manus extendas, ſi mentem tantùm feruentem exhibeas, orationis perfectionem conſummaueris. Licet enim & forū petentem, & ambulantem per ſe, prolixas facere orationes. Licet & in officina ſedentem, & ſuentē pelles, animam domino dedicare. Licet & ſeruo,& ementi, & aſcendenti, & deſcendenti, & aſtanti coquo, cùm ad Eccleſiam ire non poterit, orationem facere prolixam & ſolertem. Non enim locū Deus veretur, ſed vnum exquirit, feruidam mentem, & continentem animam. Nam & Paulus non in oratorio, ſed in carcere iacens ſupinus, neque ſtans erectus, neque flectens genua: non enim ſinebat lignum quo pedibus vinctis tenebatur: quoniam cum ſtudio iacens orauit, carcerem concuſſit, & labefactauit fundamenta, carceriſque cuſtodem ligauit, & poſt hæc ad ſacram initiationem deduxit. Et Ezechias haud ſtans rectus,neque genua flectēs, ſed ſupinus propter ęgritudinem lectulo recubans, cum ad parietem ſeipſum conuertiſſet: quoniam Deum feruenter inuocauit, & anima continente,& prolatam reuocauit ſententiam, & multam adeptus eſt beneuolentiam, & ad priſtinam rediit valetudinem. Et latro in cruce diſtentus, paucis verbis cœleſte regnum aſſecutus eſt: & Hieremias in cœno & in lacu, & in lacu feriſque Daniel, & Ionas in ipſo ceti ventre Deum deprecati, circunſtantia quæque mala diſſoluerunt,& gratiam inuenere diuinam. Quid ergo debes orans dicere? Quod Chananæa.
Sicut enim illa dicebat: *Miſerere mei, filia mea male à dæmonio vexatur:* ita dic & tu: Miſerere mei, anima Matt.16.
mea male à dæmonio vexatur. Magnus enim dæmon peccatum: dæmonium habens miſericordiam inuenit, odio peccans habetur. Miſerere mei, breue verbum, & clementiæ pelagus continet: nam vbi miſericordia,ibi ſunt omnia bona. Siue ſis extra Eccleſiam, clama dicens: Miſerere mei: & ſi non

mouens

mouens labia, ſed mente clamans: nam & tacentes Deus exaudit. Non eſt quærendus locus, ſed loci principium. Hieremias erat in cœno, & Deum exorauit: & Iob erat in ſtercore, & Deum reddidit propitium: Ionas in ventre ceti, & facilem habuit. Licèt in balneo ſis, ora, vbicunque ſis ora. Templum es, ne locum quæras. Mare erat ante Iudæos, & poſt terga Ægyptij, & medius Moſes nihil loquens. Multa enim in oratione anguſtia: & ait Deus: *Quid clamas ad me?* Et tu igitur cum ingruerit tentatio, ad Deum confuge, dominum inuoca. Nunquid enim eſt homo, vt locum petas? Deus ſemper propè eſt. *Adbuc enim loquente te, dicam: Ecce adſum.* Nondum orationem feciſti, & ipſe medicinam affert. Si mentem namque mundam habeas ad immundis motibus, licèt in forofis, ſiue in via, ſiue in foro conſtitutus, ſiue in mari, ſiue in diuerſorio, ſiue in officina poſitus, ſiue ſis vbicunque, Deo poteris inuocato, petitionem obtinere. Quid enim manuum in oratione vult extenſio? Hæ multis ſceleribus miniſterium exhibent. Et propterea iubemur eas extollere, vt orationis miniſterium ſit eis vinculum nequitiæ, & à malitia ſeparatio: vt cum rapturus, vel oppreſſurus, vel alterum ſis percuſſurus, recorderis quòd has ad Deum pro patronis emiſſurus es, & per has illud ſpirituale ſacrificium offerre debeas, nec illas confundere, nec actionis prauæ miniſterio fiducia priuare. Eas igitur emunda per eleemoſynam, per miſericordiam, per indigentium tutelam. Et ita eas offer ad orationem. Si non enim immundis vſus illis ad orationem fueris, multò minus in peccatis eas extendens fueris iuſtus. Si minus times illotis manibus orare, quod eſt multò grauius, magis expaueſce. Illotis quidem manibus orare nõ tam abſurdum eſt. Eas autem innumeris contaminare criminibus, hoc multam affert indignationem & exitium. Vis diſcere, quanta ſit orationis in Eccleſia factæ potentia? Vinctus erat olim Petrus, multiſque circundatus erat catenis, oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo, & ſtatim eum à carcere liberauit. Quid hac igitur ſit oratione potentius, quæ columnam & Eccleſiæ turrim adiuuit? Et catechumenis quidem permiſſum hoc nondum eſt, quoniam nondum ad hanc peruenere fiduciam: vobis autem & pro terrarum orbe, & pro eccleſia, quæ vſque ad terræ terminos extenditur, & pro gubernantibus ipſam & præſidentibus iubetur orationes emittere. Cum diligentia igitur obedite, opere teſtantes quòd magna vis eſt orationis in Eccleſia concorditer à populo oblatæ. Nam cum inter homines, populo ſontes viros, cum ad mortem trahuntur, petente, rex multitudine motus ſententiam deponat: multò magis rex cœleſtis à vobis placatus petitionem præbebit. Non audiſtis, quòd ita Petrus de carcere ereptus eſt, quoniam erat oratio prolixa, quæ pro eo fiebat? Quantò maius eſſe noſtra creditis exiguitate, ad Deum pro tanto accedere populo & ſupplicare? Nam ſi pro meipſo precari fiduciam non habeo, multò minus pro aliis: beneplacentium enim hoc eſt. Cum igitur offenderim & ipſe, qualiter pro alio deprecabor? Nam quòd vnus quidem pro multis oret, eſt magnæ res fiduciæ, multæque libertatis indigẽs. Multos autem vnà congregatos pro vno ſupplicationem facere, nil graue videbitur. Et domi quidem orari poteſt, ſic autem vt in Eccleſia non poteſt, vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Non ita dominum per te ſolum orans audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid eſt, puta, vnanimitas & conſonantia, charitatiſque vinculum, & ſacerdotum orationes. Propterea namque ſacerdotes præpoſiti ſunt, vt multitudinis orationes cum ſint infirmiores, hiſce potentiores adiungentes, pariter cum illis in cœlum aſcendant. Si namque Petrum Eccleſiæ adiuuit oratio, & illam ex carcere columnam eduxit,

Hier. 38. Iob. 2. Ionæ 2. — Exod. 14 — Eſa. 58. — Eleuatio manuum in Eccleſia quid ſit. — Orationis vis in Eccleſia. Act. 12.

A quomodo tu ipſius potentiam contemnis? Sicut enim charitatis virtus interuallo non arcetur, ita nec orationis efficacia: ſed ſicut illa inter ſe diſtantes coniungit, itidem & hæc, & procul poſitos plurimum adiuuare poteſt. Nam & Moſes, quanquam corpore pugnantibus non intererat, non tamen minus quàm pugnantes, ſed multò plus in illam contulit pugnam, manuum extenſione ſuorum extollens vires, & tremendas faciens aduerſariis. Nullum enim meritum eſſe magnum poſſet, niſi lucrum & aliis communicaret, ſiue ieiunus maneas, ſiue dormias humi, ſiue fauillam comedas, ſiue lugeas continuè, & nulli proſis alteri, nil magnum efficis. Nam & à Moſe multa magnaque miracula & ſigna ſunt edita: ſed illum nihil tam magnum effecit, quàm illa beata vox quam ad Deum emiſit, dicens: *Si dimittis quidem eis peccatum, dimitte: ſin autem minus, & me dele.* At & Dauid hoc ipſum oſtendens, aiebat: *Ego paſtor peccaui, & ego malum feci: & hi, grex, quid*
B *fecerunt? Fiat manus tua ſuper me, & domum patris mei.* Magna quidem & hæc, & angelica conuerſatione digna. Pauli verò dicta multum hæc ſuperexcedũt. Gloria namque futura optauit excidere pro aliorũ ſalute. Ionas verò, quoniam propriam vtilitatem quæſiuit, etiam periclitatus eſt: & ciuitas quidem ſtabat, ipſe verò ſubmergebatur. Magna quidem & reliqua Moſi virtutis merita, ſummum tamen & ſanctæ illius animæ culmen: quoniam ex libro deleri elegit pro Iudæorum ſalute. Pauli verò votum ex multa ſuperauit abundantia. Nam ille quidem cum aliis perire malebat, hic autem non ſimul perire, ſed ſoſpitibus aliis ab æterna ſolus gloria excidere optabat. Bonum eſt igitur ſanctorum oratione frui, ſed cum & nos ſimus cooperatores: quod ſi non affuerit, nihil aliorum prodeſt auxilium, verùm & cum illo perimus. Quid enim Iudæis profuit Hieremias? Nónne ter ad Deum acceſſit, & ter au-
C diuit: *Ne ores, neque petas pro populo iſto, quoniam te non exaudiam?* Quid Sauli profuit Samuel ad vltimum vſque diem orans, & pro eo lugens? Quid autem & Iſraëlitis profuit? nónne dicebat: Mihi autem abſit peccare pro vobis orare ceſſanti? Nónne cuncti perierunt? nam Deum audi dicentem per Prophetam: *Si ſteterint Noë, Iob, & Daniel, non liberabunt filios ſuos & filias:* quoniam inualuit eorũ malitia. Quid ergo, nihil proſunt orationes? Proſunt, & quamplurimũ: ſed cum nos quoque cooperamur. Et ſi vis diſcere quantum contulerint, cogita mihi Cornelium, & Tabitham: audi quoque Deum dicentem: *Protegam ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid puerum meum.* Sed quando? Tempore iuſti Ezechiæ. Alioqui ſi malorum quoque valebant preces, quare Nabuchodonoſor regi quoque Deus hoc non dixit, ſed ciuitatem tradidit? quoniam inualuerat peccatum. Et hic ipſe rurſum Samuel pro Iſraëlitis orauit, &
D obtinuit: ſed quo tempore? Cùm & ipſi Deo grati fuerunt, tunc hoſtes in fugam verterunt. Et quid eſt, ait ille, mihi opus alienis orationibus, cum ego gratus ſim? Quid ais homo? Paulus non dixit, mihi non eſt opus oratione, licèt orantes eo digni non eſſent: imò nec ipſi pares, & tu dicis, quid mihi opus eſt oratione? Petrus non dixit, quid mihi opus eſt oratione? ait enim: *Oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo,* & ſtatim liberauit eum ex vinculis, & tu dicis, quid mihi eſt opus oratione? Propter hoc & indiges, quoniam indigere non te credis. Nam ſi Deus noſtrum in orationibus torporem & negligentiam exquirat, & quòd in eius conſpectu poſiti, & orantes, neque tantum ei præbemus honorem, quantum dominis ſerui, quantum ducibus milites, quantum amicis amici: amicum enim alloquens hoc cum attentione facis: Deo autem pro peccatis occurrens, pro totque criminibus veniam petens, & rogans tibi remiſſionem fieri, torpes, & genibus tuis humi proſtratis, circa forum & domũ mentem tuam vagari frequenter dimittis, ore tuo

Exod. 17. — Exod. 32. — 2. Reg. 24. 1. Par. 21. — Rom. 9. — Ionæ 2. — Oratio ſanctorũ quando nobis proſit. — Hiere. 7. — Ezech. 14 — 4. Reg. 20 — Act. 12.

fruſtrà nugante & incaſſum: nec hoc ſemel & bis, verùm & frequenter patimur. Si hoc tantum exquirere Deus voluerit, numquid veniam habebimus? numquid excuſationem aſſequi poterimus? Non, arbitror ego: ſi verò curioſiùs aſpectus noſtros Deus exquirat, & nequam concupiſcentias, quas mente concipimus, turpes & immundas admittens cogitationes ex incauto oculorum nocumento: ſi detractiones quas per ſingulos dies inurimus, alter alteri in medium producat: & intempeſtiua iudicia, quibus proximum cōdemnamus nullum habentes negotium: doloſque, quos alter in alterum ſuimus, nunc quidem præſentem laudantes fratrem, & tanquam amicum alloquentes, abſentem verò criminantes: numquid pro his rationes reddere poterimus? Quid verò loquar, inuidiam, per quam ſe bene gerentibus frequenter inuidemus, non tantum inimicis, verùm & amicis: & aliis male patientibus lætamur, & propriæ putamus ærumnæ conſolationem alienas calamitates? Nam ſi ſecularibus & præſentibus abſtinere iubemur: quomodo miſeri non ſumus & infœlices hęc à Deo poſcentes, quæ præcepit & habentes abiicere? Si verò non pro fidelibus tantùm, ſed etiam pro infidelibus orare iubemur: cogita quantum mali ſit, contra fratres imprecari. Quid agis homo? Ad Deum accedis vt propitium reddas, & imprecaris alteri? Niſi dimittas, nec tibi dimittetur: nec tantùm ipſe non dimittis, verùm & Deum, ne dimittat, expoſcis. Si tibi non dimittenti non dimittitur, nō modo tu non dimittis, verùm & Deum non dimittere rogas. Si non dimittenti non dimittitur, etiam dominum, ne dimittat, oranti, quomodo dimittetur? Si enim inimicos habere dedecus eſt, & illis imprecari, cogita quantum ſit malum. Cùm enim te purgare debeas quòd inimicos habeas, tu & illos accuſas, quam verò veniam conſequeris, detrahēs, & in tali tempore, quo non mediocris indigeas miſericordiæ? Nam & pro tuis oraturus peccatis acceſſiſti, ne recorderis igitur aliena, ne propria ſeruentur. Si namque dixeris: inimicum percute, os tuum obſtruxiſti, & linguæ iam abſtuliſti libertatē. Primum quidem, quoniam iudicem irritaſti, & ſtatim ab ipſis exordiis exacerbaſti. Deinde quoniam contraria petis, & orationis formæ repugnantia. Nam ſi pro remiſſione peccatorum accedis, quomodo de punitione verba facis? Contrarium enim oportebat facere, & pro aduerſantibus ſupplicare, vt cum fiducia pro nobis quoque poſſimus orare. Si namque pro illis orabis, licèt pro te nihil dicas, omnia conſequeris. Si igitur anima ſceleſtius nihil imprecante, nec lingua quicquam talia loquente ſordidius, quamobrem omnia nō expedit, vt orans nihil dicas, quod tuum irritet dominum? Es homo? ne venenum euomas aſpidum. Homo es: fera ne fias. Propterea tibi factum eſt os, non vt mordeas, ſed vt medearis. Recordare quid te palam Deus admonuerit, vt parcas & remittas: tu verò me quoque rogas meorum fieri mandatorum ſubuerſionis participem, & cruentas linguam, ſicut furentes ex propriis artubus dentes. Quomodo diabolum lætari credis atque ridere, cum talem audierit orationem? quomodo irritari Deum, & auerti ſimul & odiſſe, cum talia rogaueris? Conſidera, quem petas homo contra inimicos tuos. Ad illum accedis, qui dixit, Orate pro inimicis veſtris. Qualiter igitur aduerſus eos clamas? Quomodo Deum rogas, vt propriam deſtruat legem? Non eſt hæc ſupplicis forma. Nemo rogat vt alius pereat, ſed vt ipſe ſaluetur. Quid igitur ſupplicis quidem habitū indueris, accuſatoris autem verba pronuntias? Et cùm pro nobis quidem oramus, oſcitamus, & in multas recidimus cogitationes: cùm autem aduerſus inimicos, vigilantes hoc agimus. Quoniam enim diabolus nouit, quòd in nosipſos enſem agimus, tunc nos non circumfert, neque diſtrahit, vt magis nobis noceat. Sed iniuriam paſſus ſum & tribulor. Itaque contra diabolum ora; qui nos ſuper omnes afficit iniuria: hic enim & inimicos parit: ſin autem aduerſus inimicos oraueris, orationem quam ille quærit orabis: ſicut è contra, ſi pro inimicis, aduerſus eum. Hic enim eſt impacatus hoſtis, at homo quæcunque faciat, amicus eſt & frater. Quid ergo verè inimicum omittens, propria mordes membra? Hæc itaque ſcientes, dilectiſſimi, ſtudeamus iuxta domini voluntatem & mandata conuerſari, vt cœlorum quoque regnum aſſequamur, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui gloria & imperium cum ſanctiſſimo patre, viuificoque ſpiritu, in ſecula ſeculorum, Amen.

Iniuriarū remiſsio neceſſaria eſt vt oratio nōſtra exaudiatur.

De pœnitentia.

HOMILIA LXXX.

PRopterea de pœnitentia continuè ſermonem moueo, chariſſimi, vt neque peccans deſperet, neque rectè viuens altum ſapiat. Iuſtus es, ne excidas: es peccator, ne deſperes. Etſi pecces quotidie, quotidie pœnitentiam agas: quod in antiquis domibus facere ſolemus, cùm fuerint putrefactæ, putrida ſubtrahimus, & ſupponimus noua, & à continua cura numquam deſinimus. Si fueris antiquatus à peccato, per pœnitentiam te renoua. Num pœnitentem licet ſaluari? & maximè. Totam vitam in peccatis abſumpſi, & ſi pœnitentiam egero, ſaluabor? & maximè. Vnde conſtat? Ex domini clementia. Ne tuæ confidas pœnitentiæ: tua namque pœnitentia tanta nequit peccata delere. Si ſola foret pœnitentia, iure timeres: ſed poſtquam eū pœnitentia commiſcetur Dei miſericordia, confide, quoniam tuam vincit nequitiam: multum enim eſt miſericors Deus, & tantum clemens, vt neque filio pepercerit, vt ingratos ſeruos redimeret. Nec mihi dicas: Nimium peccaui, & quomodo poſſum ſaluari? Tu non potes, tuus poteſt dominus, & ita delet peccata, vt nec eorum remaneat veſtigium. In corporibus quidem hoc non licet, quinetiam ſi millies medicus elaboret, & imponat vulneri remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix verò permanet, vulneris circunferens argumentum, aſpectus deformitatem. Et licèt in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem delere poteſt. Ipſa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitaſque medicamentorum. Deus autem cum delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere veſtigium, ſed cum ſanitate pulchritudinem quoque reſtituit, cum liberatione à pœna dat & iuſtitiam, & præuaricatum non præuaricato ſimilem reddit. Si namque vel infinita quis habens vulnera, pœnitentiam egerit, & aliquid fecerit boni, ſic ea Deus delet, vt neque cicatricem, neque veſtigium, neque peccatorum oſtendat indicium. Sicut igitur in corpore vulnera ſunt, & medicamina: itidem in anima peccata ſunt, & pœnitentia. Et quid loquar, animaduerte: Vulnus & medicamentum, peccatum & pœnitentia. Vulnus ſaniem habet, medicamentum ſaniei purgationem exhibet. Nunquid eſt ſanies in medicamine? Nunquid in vulnere curatio? Nōnne proprium hæc, & illa proprium habent ordinem? Nunquid poteſt hoc in illud, vel illud in hoc trāſmutari? Nequaquā. Veniamus & ad animæ morbos. Peccatum confuſionem habet, fiduciam poſſidet pœnitentia. Sciens itaque Satanas quòd peccatum quidem habet confuſionem, quæ peccantem ſatis repellere poſſit: pœnitentia verò fiduciam, pœnitentem ad ſe attrahere ſatis idoneam, ordinem cōmutauit, & pœnitentiæ confuſionem adiecit, fiduciam autem peccato. Et peccato confundi non ſinit hominem. Scit enim quòd ſi confunderetur, peccatum fugeret. In pœnitentia verò facit vt erubeſcat

beſcat

Digitized by Google

beſcat: nouit enim quòd erubeſcens non agit pœnitentiam. Pœnitens enim malorum quæ geſſit, licèt peccatis condignam non exhibeat pœnitentiã, & huius tamen habebit retributionem. Nondum itaque vitio captos admoneo ne capiantur. Facilius enim eſt caſum cauere, quàm lapſos reſurgere. Detentis autem atque confractis, ſi ſe ſtatim pœnitentiæ tradere voluerint, multam ſalutis ſpem polliceor. Etenim tam bona quàm mala, cùm fuerint plurimum immorata, potentiora fiunt. Et planta quidem nuper humi conſita facilè reuellitur: per multum verò temporis radicibus firmata, non itidem. Et ædificium recenter fundatum à vexantibus facilè ſubuertitur: bene verò firmatum multa diruere conantibus præbet negotia. Et fera, quibus locis multum temporis eſt conuerſata, difficulter expellitur. Et ſicut febris ab initio aggreſſa, non magna ſiti laborantes exurit: poſtquam autem inualuerit, & flammam extulerit, iam ſitim inducit immedicabilem, etiamſi quis eis conceſſerit, vt potibus impleantur, non extinguit, ſed accendit fornacem: ſic & vitioſo accidit affectui. Si ſe circa primordia in animam noſtram inferentem non prohibuerimus, neque fores occluſerimus, ingreſſus iam inſanabilem morbum ſuſceptoribus infert. Sicut igitur animo degener & ſegnis, licèt multum ad pœnitentiam tempus accipiat, magni nihil efficiet, nec per torporem ſibi Deum reconciliabit: ita ſolers & promptitudine feruens, & multo cùm ſtudio gerens pœnitentiam, & breui temporis momento multi temporis peccata delere poterit. Et qualiter? audi. Nónne ter Petrus negauit? nónne cum iuramẽto ter? Nónne vilis ancillæ verba veritus? Quid ergo? multúmne temporis fuit ille neceſſarium ad pœnitentiam? Nequaquam: ſed eadem nocte lapſus eſt, & reſurrexit. Poſt illum enim grauem caſum (negationi namque nullum eſt malum æquale) rurſum eum ad priorem reduxit honorem pœnitentia, & ei per totum orbem terrarum Eccleſiæ præſidentiam tradidit: & quod omnibus maius eſt, illum nobis maiorem omnibus Apoſtolis in dominum habere charitatem oſtendit. Quid verò Niniuitæ? Venit ad eos Propheta, ſententiam aperuit, quaſi quandam regalem epiſtolam ſupplicium continentem, & clamabat dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ionæ 3. Audierunt illi talia, neque fuerunt increduli, neque neglexerunt, ſed omnium ſtatim fit ad ieiunium concurſus, virorum, mulierum, puerorum, neque brutorum natura fuit à tali immunis miniſterio. Vbique ſaccus, vbique cinis, vbique luctus & lamentationes. Nam & ipſe rex diademate coronatus, regali delapſus ſolio, ſaccum ſibi ſubſtrauit, & cinere conſperſus eſt. Et erat rem cernere tremendam atque mirabilẽ, neglectam ſub ſacco purpuram. Quod enim prætexta non valebat, hoc poterat ſaccus. Quod diadema non eſt aſſecutum, hoc cinis obtinuit. Cogitemus ergo, quot quiſque noſtrûm habeat onera peccatorum, & æquiualentes exhibeamus miſericordias: imò verò vel longè plures, vt non modò peccata deleantur, verùm & in iuſtitiã nobis eleemoſynæ computentur. Niſi namque tot fuerint bona, vt & exuant crimina, & ex relictis aliquid in iuſtitiam nobis reputetur, de nobis à ſuppliciis liberabitur nemo. Nam cum hominem quidem irritaſti, amicos rogas & vicinos, & ianitores, impendis pecunias, & multos dies abſumis, accedens & ſupplicans: ſi vel ſemel, vel bis, vel millies irritatus te reiiciat, omnino non recedis, ſed maiori labore cõtendens, maiorem adhibes ſupplicationem. Cum verò Deus prouocetur, nos oſcitamus, & relabimur, & gaudemus. Et quando vnquam eum habere poterimus propitium? Quomodo non eum ex hoc ipſo magis irritamus? Peccare enim, & peccantes non dolere, magis eum indignari facit & ſuccenſere. Neque dicas: Nimium peccaui, neque Deum

A rogare poſſum indignantem. Nam ſi iudicem illum neque Deum timentem, nec homines verentem, vidua flectere potuit, multò magis bonum aſſidua conciliabit deprecatio. Itaque licèt amicus non ſis, licet indebita poſcas, licet paterna deuoraueris & abſumpſeris, & longo tempore procul ab aſpectu fueris, ſiue ſuccenſentem, ſiue indignantem petieris, fac tantum velis redire, & omnia recipies, & iram & damnationem ſtatim extingues. Deo namque propoſitum eſt, chariſſimi, peccantes longanimiter ſuſtinere. Dupliciter eſt ad ſalutẽ propitius, & eis ex pœnitentia ſalutem exquirens, & ipſorum poſteris in virtutis ſtudio proficere debentibus reſeruans beneficium. Et vt denuo ſermonem reſumam, Deus longanimiter agit, vt & peccans ad pœnitentiam veniat, & ne ex eo naſcituris ſalutem excludat. Nam etſi peccator incorrigibiliter peccet, parcit frequenter radici, vt fructus conſeruet, frequenter tamen & ipſius expectans ſalutem. Et

B qualiter, audi: Tharam pater Abrahæ, fuit idolorũ cultor, ſed in hoc mundo impietatis pœnas non dedit: & meritò. Nam ſi Deus præueniens radicem præcidiſſet, vnde tãtus fidei fructus exortus fuiſſet? Gen. 11. Quid Eſaũ malignius? Quid illa impudentius nequitia? Nónne *fornicator erat & immundus?* vt ait Paulus. Heb. 12. Non matricida & patricida? Non fratricida, quantum in ipſius fuit propoſito? Nónne Deo fuit odio habitus, vt ſcriptura teſtatur: *Iacob dilexi, & Eſau odio habui?* Malach. 1. Rom. 9. Si fuit ergo fratricida, fornicator, & immundus, & odio habitus, quare non perditur? quare non exciditur? quare non illico congruam patitur vltionem? Quare? Bonum eſt verè, dilectiſſimi, cauſam dicere. Si ſucciſus fuiſſet, maximum eleemoſynæ fructum & iuſtitiæ mundus amiſiſſet, & qualem, audi: Eſau genuit Raguel, Raguel Zara, Zara Iob. Vides quantus tolerantiæ fructus fuiſſet perditus, ſi præueniens Deus à radice pœnas exegiſſet? Nullus igitur in vitio poſitus deſperet:

C in virtute dormitet nemo, nec huic confidat. Frequenter enim & meretrix præcedet, nec ille deſperet: poteſt enim & primos anteire. Cum enim in vehementem Dei charitatem redierimus, priorum non meminit, non vt homo, Deus: non enim exprobrat præterita, neque dicit, Quare tãto tempore defeciſti? ſed gratos habet, quandocunque acceſſerimus, dũmodo ſicut decet accedamus. Quid enim Manaſſe peius? Quid verò beatius Salomone? 3 Re. 11. Attamen ille quidem Deum potuit habere propitium: hic autem quia dormitauit, lapſus eſt. Propterea nec Eſau veniam aſſecutus eſt, quia pœnitentiam non egit vt oportebat. Nam lachrymæ nõ erant ex pœnitentia, ſed tentationis & iræ. Pœnituit & Iudam, ſed malè: nam ſuffocatus eſt. Si verò perfectam quæris pœnitentiam, audi Petri pœnitentiam poſt negationem. Quoniam enim erat veriſimile, ipſum altum ſapere ſibi conſcium, quòd plus aliis Deum diligeret: propterea egreſſus foras

D fleuit amarè. Luc. 22. Nec hoc ſolùm, verùm & innumeris ſe poſt hæc periculis immiſit. Pœnitentiam egit & beatus Dauid, ita dicens: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Pſalm. 6. Et longo iam tempore commiſſum peccatum poſt tot generationes, quaſi nuper accidiſſet, lugebat. Pœnitentem enim non oportet iraſci, nec efferari: ſed conteri, quaſi damnatum, quaſi non habentem fiduciam, quaſi addictum, vt ex miſericordia ſola ſaluari debentem, vt viſum in benefactorem ingratum, & reprobum, & innumeris dignum ſuppliciis. Nec itaque ſcenicus deſperet, neque confidat eccleſiaſticus. Nam ad hunc quidem ait Deus: *Qui videtur ſtare, videat ne cadat.* 1. Cor. 10. ad illum autem: *Numquid qui cadit, non reſurget?* Ierem. 8. Ille namque debet, quod habet, cuſtodire: hic verò fieri quod non eſt. Ille ſanitatẽ conſeruare, hic ab ægritudine liberari: laborat enim: ad illum itaque dicitur, *Ecce ſanus factus es, amplius noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.* ad hunc verò,

Digitized by Google

A *Vis ſanus fieri? ſurgens tolle grabbatum tuum, & ambula in domum tuam.* Licèt enim octo & triginta geras annos, ſicut paralyticus ille, ſi modò ſanus fieri ſtudeas, qui prohibeat, eſt nemo: tantum reſurgere velis. Attinge modò viam eò tendentem, & velociter progredieris: ne fores occludas, ne obſtruas ingreſſum. Breue præſens tempus: quod ſi multum quoque foret, nec ita refugiendum eſſet. Quamuis enim hunc pulcherrimum pœnitentiæ laborem non deſudes, in illo penitus mundo laborabis, & aliuſmodi patieris ærumnas: ſi verò & hic & illic labor, quare non hunc eligimus, qui multum affert fructum, magnamque retributionem? Nam ſi nos, qui ſumus indigni, beneficiis Deus afficit, & his qui peccauerunt, benignus eſt: ſi à malitia digreſſi, virtutem ſectamur, quæ non aſſequemur? quibus non fruemur bonis? Mentem enim habentes, magis

B beneficia, quàm pœnæ ad mandatorum attrahunt obedientiam. Si igitur & priuſquam aliquod bonum exhibeamus, quinimò cùm iam vltione digna fecerimus, tanta Deus nos beneficentia dignatus eſt: ſi grati ſimus, & de iam acceptis gratiarum actionem exhibeamus, & in melius faciamus mutationem, quanta non à ſeipſo nos exornaret largitate? Nam ſi nos offendentes ſeruos, ſi meliores fieri promiſerint, & acceptamus, & in priſtino tenemus honore, frequenter autem ipſis & maiorem tradimus libertatem: multò magis Deus hoc in nobis faciet, ſi parem peccatis pœnitentiam exhibeamus. Et hoc ex his quæ circa beatum Dauid euenerunt manifeſtum eſt. Quoniam enim ſupplantatus cecidit adulterij reus & homicidij crimine, non manſit deinceps in ruina iacens: ſed & denuo ſurrexit, ſed aduerſus hoſtem cum Deo ſe oppoſuit, & ipſum tam generosè deuicit, vt & defunctus ſuos tueretur

C progenitos. Salomoni namque magnam illam iniquitatem auſo, milleque digno mortibus facto,

3.Reg.11 propter Dauid Deus ait ſe regnum permittere integrum, ita dicens: *Diſrumpens diſrumpam regnum de manu tua, & dabo ipſum ſeruo tuo: veruntamen in diebus tuis hac non faciam propter Dauid patrem tuum. De manu filij tui tollam illud.* At & Ezechiæ de ſupremis periclitanti quanquam iuſto, rurſus propter beatum illum ſe ſuccurrere dixit: *Protegam*, inquit, *ciuitatem hanc pro-*

4.Reg.20 *pter me, & propter Dauid puerum meum.* Sicut ſcilicet ei propriam exhibentibus gratitudinem, per congruam ſibi bonitatem ſuas Deus ſentẽtias reuocat, & admittit pœnitentes, & ab imminente liberat pœna: ita rurſum cum aliqua dare bona pollicetur, vel præfinitum pœnitentiæ tempus, indignos autem videat effectos, & tunc ſua reuocat promiſſa. Non enim peccare tam malum eſt, quàm in peccatis permanere. Proptereaque præueniens Deus in nos beneficia cõfert, & rurſum præuaricatos venia dignos efficit, & pœnas ſtatim non infert, vt per omnia nos trahat ad pœnitentiam, & per quæ benefacit, & in eo quòd longanimiter ſuſtinet, frequenter autem & per quæ quoſdam caſtigat, vt illorum timore correcti, pœnæ fugiant periculum. Multum peccaſti, iam deſiſte, in contrarium reuertere, Deo confitere gratias, quòd te non in mediis rapuit peccatis. Noli & alium quærere terminum, vt male opereris. ne dicas: Erit tempus, cùm ſit opus conuerti. Multi, dum aliena vſurpant, interea rapti ſunt, & migrauere impræparati. Alarum vtilitas nulla laqueo detentis, inuanum incaſſum alas excutiunt: ita tibi quoque cogitationum vtilitas nulla, ſi penitus ab vlla mala cupiditate fueris captus. Nam ſi nec in vno quidem hic volumus dedecus pati, in tot millibus illic quid agemus? Non enim à priſtinis tantum malis deſiſtere, ſed etiam meliora ſequi officia, dicitur pœnitentia: dicitur enim: *Declina à malo, & fac bonum.* Nec enim ad ſani- Pſal.36.
tatem nobis ſatis eſt, ſagittam tantum extraxiſſe, verùm & medicamenta vulneri ſunt imponenda. Accidit autem aliquem pœnitentem multa magnaque facere bona, rurſum autem in illorum medio bonorum æquiualens perpetrare peccatum. Et hoc validiſſimum eſt ad inducendum in deſperationem, tanquam ædificatis, & curatis omnibus illis incaſſum, & à ſe inaniter elaboratis. Opus eſt autem illud ſentire, & hanc expellere cogitationem: quòd niſi præuenientes, meritorum menſuram peccatis poſt hæc perpetratis æquiualentem repoſuiſſemus, nihil nos vehementer & funditus ſubmergi prohibuiſſet. Nunc verò quaſi fortis quidam thorax, acutam & amaram ſagittam effectum ſuum habere non permiſit: ſed ipſe diuiſus, magnũ

C amouit à corpore periculum. Non eſt ergo tam graue pugnantem vulnerari, ſed poſt vulnus deſperare, vulnuſque negligere. Nullus mercator poſtquã naufragium fecit, licèt mercimonium amiſerit, deſtitit nauigare: ſed denuo mare pertranſit, & longos pernauigat ſinus, & priſtinas recuperat diuitias. Frequenter athletas cernimus poſt multos lapſus coronatos. Iam verò miles quoque qui fugit, poſtea ſe ſtrenuum exhibet, & hoſtes ſuperat. Eorum quoque multi, qui propter tormentorum pauorem Chriſtum negauerant, denuo certamen inierunt, & cum martyrij receſſere corona. Quòd ſi prædictorum quiſque poſt primum vulnus deſperaſſet, ſecundis potitus præmiis nunquam fuiſſet: quæ nos vtinam omnes aſſequamur, gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui honor & imperium, gloria & adoratio, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

AMEN.

FINIS.

REVE-

REVERENDO IACOBO HVRALTO HEDVORVM EPISCOPO, GERMANVS BRIXIVS ALTISSIODORENSIS.

ETSI mihi nunquam dubium fuit, clariſſime antiſtes, quin tibi eſſem chariſſimus; tuq́ mihi, pro tua in me beneuolentia, quibuſcunque rebus poſſes, benignè facere velles: tamen huius rei nouiſſimè euidens edidiſti argumentũ, extátque, id quod nouiſſimo noſtro tecum colloquio mihi humaniſſimè declaraueras, cùm tu magni cuiuſdam amici mei, eiuſdemq́ magna & authoritate & dignitate viri literas, quibus apud te de meliore nota commẽdabar, de manu mea acceptas legiſſes: talem antea ſemper fuiſſe, hodieq́ eſſe tuam erga me voluntatem, noſtramq́ tecum coniunctionem; vt ſi quid ego à te vellem, ad id impetrandum nullo mihi interprete, nullo deprecatore alio; quàm meipſo opus eſſet. Scripſit enim ad me clariſſimus vir Ioannes Huraltus, frater tuus germanus, libellorũ in regia magiſter, perliberaliter annuiſſe te poſtulationi ei, qua de ipſe tecum verbis meis egiſſet: & ita annuiſſe, vt non tam dare beneficiũ, quam accipere videreris, facile vt intelligeret, eſſe me ex eorum numero vnum, quos tu chariſſimos haberes: tum autem quorum cauſas ſuſcipere, negotia amplecti, ſtudia ornare, commoda tueri, atque adeò augere, quantum quidem tua dignitas pateretur, maiorem in modum velles. Pro qua quidem noſtra poſtulatione, tam facile, vt dixi, abs te impetrata, immortales ago gratias tibi, agamq́ dum viuam: nam relaturum me affirmare vix auſim. Tali enim tuæ erga me beneficentiæ, tum perpetuæ iſti in me voluntati, non videor mihi reſpondere vnquam poſſe: niſi fortè, quod vos verè magnanimi ac liberales viri facere ſoletis, tum demum me abundè gratiam referre exiſtimaturus es, cùm beneficium abs te acceptũ iugiter memoria complectar: quod equidem mihi ita faciendum propono, vt ſim, quoad viuam, re ipſa atque animo erga te gratiſſimus, operamq́ poſthac omnem nauem, vt amore, cultu, obſeruantia omni memorem me tibi probem. Quòd ſi qua vnquam res ſe offeret, in qua animũ tibi nudare, & penitus patefacere meum poſſim, ne viuam, niſi te etiam iudice, omnes omnium obſeruantias, omnes omnium cultus, aſſiduitates, induſtrias, ſedulitates, diligentias, labores, nauitates, ſummo meo erga te ſtudio ſuperem. Quod eò etiam libentius facturus ſum, quòd non nunc primum experior; qui ſit tuus erga me animus, quæ voluntas, quæ beneuolentia: memor enim ſum, eroq́ dum viuam, te iam olim naſcenti propè noſtræ laudi, dignitati, virtuti prolixiſſimè liberaliſſimeq́ fauiſſe: cùm tute videlicet tanto iſto ſacerdotio iam tum præditus, inq́ Ludouici, hoc nomine duodecimi Regis aula, multis nominibus præ alijs gratioſus, me, me, inquã, nouum adhuc hominem, apud Ioannem Ganaeium Cancellarium, tum pro eo quo fungebatur magiſtratu, tum pro ea qua præcellebat & virtute, & doctrina, primariæ inter togatos authoritatis virum, in cuius me clientelam addixeram, ac cui à ſecretis eram, cùm tu, inquam, me apud Ganaeium oratione identidẽ tua ornares, inſignires, commendares, & ita commendares, vt cùm ad eam voluntatem, quam vltro ille erga me eximiam haberet, tum ad eam, quam de me opinionẽ aliquam concepiſſet, quotidie experirer magnum etiam tuo de me ſermone pondus accedere. Erat autem tanta tua apud Ganaeium gratia, illa quidem partim eximij ingenij iſtius dotibus quæſita, partim ampliſſimi viri Iacobi Huralti patris tui, viri in regia gratioſiſſimi authoritate commendata, vt te ille in intimam ſecum coniunctionem receptum, eorum numero haberet, quos ſibi maximè omnium familiares neceſſarioſq́ eſſe voluiſſet. Quem nobis virum ſi fata diutius incolumem eſſe ſiuiſſent, neque tam citò ſeculo ſuo inuidiſſent: profectò neque tu in quæ poſtea incidiſti tempora, incidiſſes, fortuna paulò duriore conflictatus, quin potius ex tuis virtutibus omnibus vndique ornatus floreres, cùm omni gradu ampliſſimo digniſſimus; tum certè ordinis tui facilè princeps (etſi perpuſillum illud eſt, quod ad tuam amplitudinem addi poſſit) & nos quoque ſi veri ſunt amicorum de me ſermones, multo ampliſſimis fortunæ ornamentis honeſtati in primis appareremus. Ἀτὰρ θεὸς ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἄλλῳ Ζεὺς ἀγαθόν τε κακόν τε διδοῖ. Quanquam quod ad me quidem ſpectat, quid tandem eſt quod de fortuna queri vel velim, vel poſſim? quam quidem ego, verè vt dicam, de me eouſque bene meritam agnoſco, vt planè nihil quicquam ſit, in quo illius maiorem in me benignitatem deſiderem, cui videlicet plus ſatis facultatum largita ea eſt, ad id otium excolendum ſuſtentandúmque, quod nobis, faſtiditis cæterarum rerum curis, humanæ noſtræ fœlicitatis proram & puppim, vt Græcorũ eſt prouerbium, conſtituimus: quo nos otio vno affatim delectati in noſtris ſtudiis libentiſſimè acquieſcimus, eſtq́ nobis illorum vſus & delectatio iſtorum omniũ & actis, & voluptatibus, & opibus etiam prior atque antiquior: nunc denique experimento edoctis, quàm ſint ea inania, leuia, vilia, quæ nos olim præclara, magnifica, ſplendida putauimus. Neque verò cogito quò ego honorum, quò dignitatum non aſpirauerim, ſed quò potius animum non adiecerim vt aſpirarem: tum quòd vitæ genus ſecutus, quid eo aſſecutus fuerim: hoc eſt, quid, quantumq́ ex ſtudiorum cultu meorum fructus conſolationiſque ad nos redierit, redeatq́ quotidie: denique quid inter me æqualeſq́ meos permultos, eoſdem adoleſcentiæ noſtræ ſocios: quos partim vidimus ipſi, indoluimuſq́ immoderato rerum ſucceſſu perditos, arborum earum in morem, quas fœcunditas & luxuries enecat, partim ambitionis & auaritiæ cæcitate in caput præcipites actos, partim libidinis & ventris voragine, & tanquam Charybdi abſorptos. Sed de his plura alias: nunc ad te & ad Ganaeium redeo. Mihi quidem cùm in mentẽ venit manſuetudinis, comitatis, vrbanitatis, hilaritatis eius,

quam

Digitized by Google

quam ſummus ille vir, vel in puppi ſedens, clauúmque reipublicæ tenens, in amicos communiter ſuos, quorum tu vnus vel præcipuus eras: plena manu, aperto, quòd dicitur, pectore transfunderet, quoties illi à rerum actu, cui pro dignitatis ſuæ amplitudine non intererat modò, ſed præerat, reſpirandi poteſtas daretur, cum amicis iiſdem liberius agendi, ſeſeq́ vnà cum illis ſuauiſſimis, modeſtiſſimis, doctiſſimis ſermonibus recreandi, ſiue id inter epulas, ſiue ab epulis, ſiue vtrobique fieret: ſed dum temporis illius tranquillitas, ſuauitas, & vt nunc loquimur, bonitas animo obuerſaturmeo: moriar, niſi dies eos, quos Ganaeio Cancellariatum obtinente (ea eſt ſumma togatorum apud nos hominum dignitas) tibi, mihi, aliis permultis tanquam Halcyonios exigere licuit, vitæ verè beatæ inſtar fuiſſe putem præ diebus iis quos poſtea longè commutatos, grauiore verbo vti non libet, experti omnes ſumus: libenterq́ omnibus omnes opes, dignitates, honores (quorum & aliqui nobis ἄλις tanquam δρυὸς) conceſſerim, vt mihi quod æui ſupereſt, liceat, nulla vi interpellante, in qua tum viuebamus feſtiuitate, ſimplicitate, coniunctione, amicitia, concordia viuere. Quam voluntatem equidem cum non paucis communem me habere arbitror. Quotus enim quiſque eſt, ex iis reliquiis, quæ de Ganaeij honeſtiſſimo illo, atque inter ſe amantiſſimo grege ſuperare adhuc poſſunt, qui ſi modo ſapiat, non illum integrum toto ſuo mundo atque organo, quod dicitur, inſtructum ſibi reſtitui, inq́ eo ætatem conſumere malit, quàm vel Crœſi vel Craſſi tum conſuetudine vti, tum opibus abundare? Et erat certè Ganaeius extra eum quem multum habebat, publicarum rerum vſum, extra eam quâ varia ac multiplici præcellebat, doctrinam: tanta præterea ingenij benignitate ac facilitate præditus, tanta morum comitate, ac ſermonis ſuauitate commendatus, quæ omnia natura in eo iucunda quadam ac feſtiua grauitate condierat, vt cum quibuſcunque conſuetudinis ſuæ copiam feciſſet, eos omneis ad ſui amorem viuus mirabiliter pellexerit, tum verò eoſdem mortuus ad ſui deſiderium, vt ſi quis alius, maiorem in modum reuocet. Quidni autem is reuocet? qui vel tanta authoritate cùm polleret, talis tamen eſſet, vt ab eo nihil vnquam in quenquam aſperum fuerit, aut violentum, nec tamen quicquam remiſſum, aut diſſolutum, ſed ita in eo temperata, ita ordinata, ita compoſita omnia, vt cùm in republica ſummam conſtantiã exhiberet, tum in priuata parem præſtaret modeſtiã? qui etiam tantam tota illa Cancellariatus ſui adminiſtratione integritatem præ ſe tulit, vt nulla vnquam priuatæ vtilitas illum ad facinus, ac ne ad cuiuſquam quidem offenſionem impulerit. Vt enim gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria: ſic illi rempublicam moderanti, ciuium ratio vna & cauſa propoſita erat: quâ quidem ex re effectum eſt, vt à nobis ille, oculiſque noſtris licèt receſſerit, tamen nobiſcum adhuc viuat, victuruſq́ ſit ſemper: cuius videlicet laus & memoria in noſtris omnium ſermonibus animiſq́ nullo non tempore ſacroſancta futura eſt. Ego verò magna adeò cum voluptate hic apud te in illius mentionem incidi, à quo vidi ipſe, tanquam ea quæ oculis cernuntur, & te propter ſummum tuum ingenium, cultiſſimos mores, ſingularem probitatem, conſtantiam, grauitatem, prudentiam in primis dilectum amatumq́: quem viciſſim non neſcio abs te eximiè propter incredibilem eius humanitatem, admirabilem integritatem, pari ſapientia coniunctam, cultum fuiſſe atque obſeruatum. Qui quoniam exiſtimo te, quæ ſumma tua eſt modeſtia, haud paulò plus voluptatis illius laudibus audiendis, quàm tuis ipſius lectitandis capere, libens hic occaſionem tantam à mutua veſtra coniunctione nactus, ad vtriuſque veſtrum iuſtas plenaſq́ coniunctim laudes aggrederer, tum tuam, tum illius effigiem ſuis, quòd aiunt, coloribus, quantum à me fieri poſſet, depingens: veruntamen quòd verear, ne veluti malus pictor bonas formas imperitia mea reddam deteriores, reliquis in aliud tempus reiectis, intra eà quæ de ambobus vobis pauca dixi, me continebo, & ad me reuertar: hoc eſt, ad animum amoremq́ erga te meum, quem ego quum ad ſummum creuiſſe iam crederem, maximum tamen illi cumulum acceſſiſſe ſentio, ob eam cauſam, quam initio epiſtolæ attigi, vt maximopere mirer, locum fuiſſe augendi in eo, quod ego iam pridem cumulatiſſimum eſſe rebar: tantùm porrò ad amorem eundem auctarium acceſſit, vt quæ mea antea tui erat dilectio, nunc denique verè amor eſſe videatur. Quem quidẽ ego amorem cum non intra me tantùm celari vellem, ſed vel per epiſtolam aliquam noſtram, quæ illius tanquam teſtis eſſe poſſet, foras productam ad eorum ſaltem hominum, qui à noſtris legendis non abhorrebunt, conſcientiã peruenire maximopere auerem, commodum rei huius periclitandæ, non auſim dicere conficiundæ, occaſionem poſterioris noſtri tecum colloquij recordatio in animum noſtrum inuadens ſuppeditat. Memini equidem cùm nouiſſimè apud te eſſem, vnaq́ de literis iucundiſſimè commentaremur, indicare mihi te maiorem in modum ſcriptorum meorum lectione, quæ ſumma tua eſt facilitas, capi: maximè verò animum tuum afficere, ac nulla non ſui parte tibi arridere noſtram illam qualemcunque Chryſoſtomi de ſacerdotio tranſlationem. In cuius quidem lectione quoniam te ſic dieſq́ ac noctes verſari dictitaſti, vt te ipſe interpreter tam illius eſſe ſtudioſum, quàm olim vel ille Alexander magnus perdiſcendæ Homericæ Iliados, cuius amore ſic illũ cap tum ferunt, vt illam dormiens ſub puluinari iacentem ſemper haberet: vel Cyprianus Carthaginenſis protomyſtes Tertulliani apologetici lectitandi ſtudioſus fuiſſe dicitur, quem ſcripſit Hieronymus, ne diem quidem vnum abſque illius peramata lectione vnquam præteriiſſe, ita illum quocunque ſe conferret, in manibus ſemper habebat: ſed cum Chryſoſtomi liber idem à tuis vix vnquam oculis faceſſat, quidnam, quæſo hinc aliud coniectandum nobis relinquis, quàm te, hac quidem ratione ſummopere curare, eniti, operam nauare, vt tu à tanto doctore edoceare, quemadmodum dignè munus iſtud tueri & ſuſtinere valeas, tum verò vitam, quòd facis accommodes, mores componas, denique actiones omneis tuas ad eam dirigas regulam atque amuſſim, quam Chryſoſtomus, ille quidẽ author talis, vt illius authoritati refragari religio non ſit, ſequendam ei eſſe ſanxit, qui iuſtè epiſcopi officia atque partes implere cupierit? quod ipſum quiſquis præſtabit, næ is nobis albam, quòd dicitur, auem relaturus eſt: tam rarum eſt deplorata hac ætate, ex tanto epiſcoporum catalogo vnum aut alterum numerare poſſe, non dico titulo, ſed re ipſa epiſcopũ, vſque adeò ſeculi noſtri mores à priſci ſeculi moribus degenerarunt. In quo videlicet qui ad eam perducebatur dignitatem (inuitos autem ac repugnantes non rarò perduci ſolere accepimus, vt de Chryſoſtomo) hunc ſibi ante oculos ſcopum proponebant omnes, vt creditarum ſibi animarũ ſaluti proſpicerent: & ita

proſpi-

Digitized by Google

præſpicerent, vt illam ſuis vel commodis, vel cupiditatibus, ne libidinibus dicam, non poſteriorem, ſed priorem haberent. Sed de hoc quoque plura aliàs: redeo ad tuum Chryſoſtomicæ lectionis ſtudium: quod quidem tametſi per ſe ſatis accenſum videbam, tamen vt illud etiam magis ac magis incitarem, equumque, quod dicitur, ſua ſatis ſponte currentem inſtigarem, faciendum mihi putaui, vt illud idem de ſacerdotio opus tibi tam probatum, exactiſſimè & diligentiſſimè recognoſcerem, recognitumq́ sub tuo nomine, & quidem ornatiore elegantioreq́ forma, quàm priore editione exierat, in ſtudioſorum hominum manus emitterem: præpoſita operi eidem epiſtola hac, quæ lectori perpetuum meum erga te amorē, fidem, obſeruantiam ſpectatam teſtatamq́ relinquerē. Meretur enim animus iſte tuus Chryſoſtomo ſic deditus, addictus, deuotus, vt tibi per me recognitionem eam, ornatum, elegantiam, quantulacunque ea eſt, ſtudioſi debeant. Nam & alioqui priorem ipſam editionem nemini homini ſeparatim, ſed lectori cōmuniter nuncupaui. Quod equidem factum à me licèt improuiſum, fœliciter tamen cecidiſſe interpretor: quòd videlicet videatur ex compoſito peculiaris operis nuncupàtio tuo fuiſſe nomini reſeruata, vt habeat noſtra lucubratio te peculiarem ſibi fautorem, defenſoremq́ ſine controuerſia talem, cuius præſidio tanquam Aiacis clypeo ab aduerſariorum petitionibus ictibusq́ ſarta & tecta, vt aiunt, eſſe poſſit. Quod reliquum eſt, rectè tu quidem feceris, eritq́ mihi abs te ſummi beneficij loco, ſi ita ſtatueris, cùm pro ſumma tua iſta dignitate, ac virtute, & amicos, & propinquos, & clientes, & tibi obſtrictos innumeros habeas: me in fide, amore, cultu, obſeruantia erga te eorum nemini concedere. Bene vale, & in amore erga me isto perſeuera. Ex Bertocuriano noſtro, Kalendis Decembris, M. D. XXXIV.

ARGVMENTVM IN SEX LIBROS D. IOAN. CHRYſoſtomi de ſacerdotio, per eundem Germanum Brixium.

DIVI Ioannes Chryſoſtomus & Baſilius Magnus etiam dum adoleſcentes ac condiſcipuli, cum maximopere inter ſe amarent, animiſque mirè conuenirent, iiſdem ſtudiorum ſacris iam inde à pueritia initiati, paciſcuntur, iurantque vitæ ſibi reliquæ commune contubernium. Ad quod dum ſeſe accingunt, ecce tibi exortus rumor quidam diſſeminat fore, vt vterque iam tum ad ſacerdotale epiſcopaleque munus eligeretur. Hic Baſilius cum Chryſoſtomo ea de re communicat, ab quo facilè per amicitiam impetrat, vt eandem conſiliorum rationem, eandem item fortunæ honorumque aleam vnanimes ſequantur, néve alter ab altero quocunque caſu emergente vnquam deſeratur. Verùm cum paulò pòſt vterque ad id, quod dixi, munus, poſthabitis aliis compluribus, cunctis ſuffragiis electus fuiſſet, ſeſe Chryſoſtomus (Baſilio interim à ſuis ſuffragatoribus ad eum honorem pertracto) occultat, delatum ad ſe munus deprecatus. Tum demum Baſilius à Chryſoſtomo proditum ſeſe animaduertens (neque enim ille pactis promiſſiſque ſteterat) ad eum primo quoque tempore adit: quicum dum verba facit, expoſtulat primùm, quòd fidem ſibi datam violauerit: tum verò rogat, cauſam vt dicat, qua cauſa adductus delatum ſacerdotium repudiauerit: putare enim ſe id ab illo temerè nequaquam fuiſſe factum, ſed conſiderata potius ratione quadam, quam ipſe Chryſoſtomo edocente edoceri cupiat. Itaque Chryſoſtomus ſe Baſilio primùm purgat, oſtendens bona fide, atque adeo ex vſu Chriſtiani gregis illum à ſe circumuentum: deinde haud ſe alio nomine occultaſſe, dignitatemque oblatam recuſaſſe docet, niſi quòd imbecillitatis ſuæ conſcius intelligeret humeros ſuos tanto oneri ferendo pares non eſſe: interim copioſiſſimè ſimul atque elegantiſſimè declarans, quàm multæ ſit dignitatis, ſed quàm difficilè tamen, epiſcopum verè agere: quem ipſum talibus ille coloribus depingit, totque ac tantis virtutibus perpolitum eſſe vult, vt ſi quis hodie epiſcopis noſtris talem depingere velit, diſperream, niſi futurum ſit, vt cum ſua tabula vt delirus rideatur, atque exſibiletur. In tantum enim ſeculi noſtri mores à priſcæ ætatis moribus degenerarunt, vt bona epiſcoporum noſtratium pars (neque enim de omnibus id à me dictum eſſe velim) non ſolum non elaborent vt tales ipſi ſint, quales eſſe deberent, verumetiam ex profeſſo animi ſui imaginem diuerſiſſimam reddere ſtudeant, ab ea epiſcopi imagine, quam nobis Diuus Chryſoſtomus, hac quidem in parte Apellem ipſum ſuperans, peniculo ſuo artificioſiſſimè atque elegantiſſimè expreſſam reliquit. Quos ipſos tamen optarim, ex tam alto illo otio, eoque veluti ſedentario, in quo aſſiduè deſides inerteſque vitam tranſigunt, deſcendere nonnunquam ad Chryſoſtomi aureum opus hoc lectitandum, vt vel vitæ anteactæ pœnitentia tandem compuncti, idipſum parte ſaltem aliqua præſtare curent, quod præſtare illos oportere voluit Chryſoſtomus, author talis cui refragari nefas fuerit: vel, quo nullum illis ſupplicium grauius fore puto, infelices perpetuò obſtinatique virtutem videant, intabeſcantque relicta.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE SACERDOTIO

liber primus, Germano Brixio Altiſſiodorenſi interprete.

FVERE mihi olim amici cōplures, iidemque veri & germani, ac qui amicitiȩ leges tum exactè intelligerent, tum diligēter ſeruarent. Horum complurium in numero vnus quidam eximia erga nos charitate ac beneuolētia, ita illos exuperare ſtuduit, vt omnes tanto poſt ſe interuallo ipſe relinqueret, quanto illi reliquos alios à quibus vtcunque amarer, reliquiſſent. Hic idem B ex iis erat, qui lateri meo perpetuò aſſiderent. Etenim cùm earundem diſciplinarum ſacris initiati fuimus, tum etiam præceptoribus iiſdem operam vterque dedimus, erat & nobis eadem animi propenſio: erat ſtudiū par in illas ipſas, in quibus verſabamur, literas: præterea idem deſiderium iiſdem è rebus natum. Neque enim ſolùm quo tempore ad magiſtros ſcholaſque condiſcipuli ventitaremus, ſed etiā quum illinc egreſſos conſilium iam inire oporteret, quam tandem præſtaret reliquæ nobis vitæ viam tenere: & hic quoque eadem in nobis animorum conſpiratio, eadem concordia apparebat. Erant & alia item, quæ voluntatum noſtrarum conuenientiam hanc, conſtantem inconcuſſamque ſeruarent. Neque enim ob patriæ amplitudinem claritatemque alter altero ſeſe plus efferre ac venditare poterat: neque ego ſumma diuitiarum copia abundabam: ille contrà, extrema C premebatur paupertate: quinimò facultatū noſtrarum modum, conſiliorum paritas ac ſtudiorum, æquabilitas æmulabatur. Adde quod & nobis idem generis honos ac ſplendor: vt nihil non concurreret ad voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum cōſenſionem. Poſtea verò quàm eò à nobis ventum eſt, vt iam oporteret monaſticam vitam, beatam illam quidem, ac fælicem perſequi, ac veræ philoſophiæ ſtudiis inhærere, iam non hæc erat nobis par eademque ſtatera: nam illius quidē lanx ſublimis, vt quæ leuior eſſet, ferebatur: ego verò humanarū rerum cupiditatibus etiamnū abundans, meā lancem deprimens, propēdere cogebam, iuuenilibus eam aggrauans cogitationibus. Hic amicitia quidē noſtra conſtans ſtetit, vt & antehac: at conſuetudo dirempta: neque enim dabatur, vt qui haud in iiſdem amplius verſarentur ſtudiis, communes inter ſe cōgreſſus haberent. Cæterùm vbi & ipſe paululum caput à vitæ huius tempeſtate exerui, hic nos D ambabus ille manibus porrectis excepit. Sed tamē ne ſic quidem priſtinam inter nos æquabilitatem retinere quiuimus. Etenim quum nos ille tempore anteuertiſſet, tum autem vehementiā ſtudiumque ad id non modicum attuliſſet, rurſus meipſo ſublimior ferebatur, in altum admodum ſublatus: idem tamen bonitate ſua, & quod amicitiam noſtrā magnifaceret, à cæterorum omniū contubernio ſeſe abducens, aſſiduus nobiſcum erat: id quod & antehac deſiderauerat: ſed, quòd dixi, ab animi huius lāguore prohibitus, aſſequi minimè potuerat. Nam qui fieri poſſet, vt qui continenter iudiciis ac foro intereſſem, ac ſcenæ oblectamenta attonitus ſectarer, frequenti vti poſſem cōſuetudine eius, qui nō niſi libris affixus in forum nunquam ventitaret? Quocirca quum id illi per nos prius nequaquam licuiſſet, vbi primum factum eſt vt me in communem ſecum vitæ conditionem acciperet, tum demum quod iampridem deſideriū parturiebat, con-

A fertim peperit: ac ne breuiſſimam quidem diei partem à nobis abſens fieri ſuſtinuit, nunquam non adhortans, vt domo vterque ſua relicta, vnà habitaremus, atque id quidem perſuaſit: iamque ea res nobis in manibus erat. At verò aſſiduæ matris illecebræ obſtiterunt, quominus hac ego illum gratia demererer, ſeu potius quominus id beneficij illi deberem. Etenim vbi illa obodorata eſt id me conſilij inire, dextra apprehenſum introduxit in peculiare ſibi cubiculum. Hic illa quum me ſibi aſſidere voluiſſet, ſuper eum lectum, in quo me enixa fuerat, in lachrymarum fontes prorupit, verba etiamnum adiiciens, quæ me plus lachrymis illis omnibus ad miſericordiam pertraherent. Porrò eius quidem lamenta eiuſmodi fuere: Patris tui virtute ac præſtantia, fili, me haud ita multum temporis vti frui numen permiſit: vtpote cuius mors dolores eos, quos in te pariendo paſſa ſum, continuò exceperit, ac tibi orbitatem, B mihi viduitatem attulerit intempeſtiuam: vt ſileam viduitatis ipſius mala, ærumnas, incommoda, quæ quidem ſolæ animo illæ complecti rectè queant, quas contigerit ea ipſa perpeti. Nullius enim ſermo, nullius oratio par eſſe poſſit enarrandæ tempeſtati ac turbulentiæ illi quam ſubire oportet puellam, quæ ipſa etiam dum rudis, rerumque humanarum expers, ſimulatque paternam domum reliquerit, derepentè immenſorum dolorum facibus æſtuans, curam ſollicitudinemque ætate ac ſexu ſuperiorum ſuſtinere cogatur: quam videlicet neceſſe eſt ſeruorum ignauias emendantem, eorundem maleficia obſeruare, cognatorum propulſare inſidias, publicanorum moleſtias, & quam illi, dum eis tributa numerantur, immanitatem exercere ſolent, forti generoſoque animo ferre. Proinde quum decedit pater relicta à ſe prole, ſi forte fœmina ea eſt, magnam vel ſic matri curam exhibet, ſed tamē hoc ipſo tolerabilem, quòd C illius educatio tum impenſa caret, tum etiam formidine vacat. At maſculus à patre relictus, matris animum in dies ſingulos immenſa formidine, tum permultis complet ſollicitudinibus, vt nihil hic agam de ſumptu, deque impenſa, quam multam tolerare cogitur mater, quæ adlaborat vt maſculus ille liberaliter educetur. Quarum rerum omnium nulla me tamen permouit, vt nuptiis iteratis ſponſum alterum in patris tui ædes inducerem: quin potius in æſtu illo, in fluctuatione ac turbine perſeuerans, cœleſtis gratiæ ſuppetiis in primis adiuta, ferream illam viduitatis fornacem nulla ex parte refugi: quum mihi inter eas ipſas ærumnas atque incommoda ſolatio eſſet non modico, quod aſpectum iſtum aſſiduè ſpectare, inque eo tanquam vitalem defuncti mariti imaginem, veriſque ac certiſſimis characteribus expreſſam mihi aſſeruare daretur. Quo nomine puerulus quum ad- D huc eſſes, necdum fandi gnarus, qua potiſſimum ætate maximam liberorum ſuorum voluptatem parentes ſentiunt, magno certè mihi ſolatio, magnæ iucunditati fuiſti. Atqui ne id quidem mecum expoſtulare poſſis, quod nos viduitatis quidem conditionem perpeſſæ fortiter ſimus, ſed viduitatis eiuſdem anguſtiis coarctatæ, paternas tibi imminuerimus facultates: id quod infælicibus orphanis permultis vſuueniſſe ſcio. Siquidem patrimonium tibi nulla non parte ſaluum integrumque ſeruaui: quum tamen nihil etiam prætermiſerim ſumptuum eorum, qui tibi nominis iſtius exiſtimationem aliquā parare poſſent, quos ſumptus ſuffeci ex meo peculio, hoc eſt, ex iis pecuniis quas mecum domo paterna attuleram. Neque verò exiſtimare te velim, exprobrandi gratia hæc nunc à me dici: pro rebus porrò his omnibus vnam abs te gratiam peto, ne me viduitate altera inuoluas, neu luctum iam ſopitum rurſus exuſcites: obitus huius diem potius expectato: hinc paulò pòſt

Matris oratio, ad filium quem ſecum retinere deſiderat.

nobis

Digitized by Google

nobis fortaſſe emigrandum. Nam vt qui iuuenes
ſunt, ad longæ ſenectutis annos accedant, ſperare
quidem liceat: qui autem iam conſenuimus, quid
tandem aliud, quàm mortem iamiam aduentantem
præſtolamur? Itaque vbi corpus hoc à te ſepul-
tum cùm patris tui oſſibus coniunxeris, tum de-
mum fili longas profectiones ſuſcipito, & quod-
cunque æquor collibitum fuerit, emetitor per me,
nemo tunc prohibiturus eſt. Cæterum tantiſper
dum ſpiramus, contubernium conuictumque
hunc noſtrum tolerato, Dei offenſionem fruſtra
ac temere ne incurrito, néve committito, vt ma-
trem nihil commeritam tam multis inuoluas in-
commodis: qui ſi fortè criminari potes, quòd in
mundanas moleſtias pertractum, rerum tuarum
curam temet gerere cogam: te non iam naturæ
leges moueant, non educationis conſuetudiniſque
iura tangant, denique nulla te res alia impediat,
quominus nos ſtatim inſidiatorum atque hoſtium
loco habeas, vitato etiam contubernio noſtro. Sin
verò nihil non agimus, vt tu facilè altoque in otio
poſſis vitæ huius vſura frui: ſi minus aliud vincu-
lum, certè hoc vnum te apud nos detineat: nam vi-
te à ſexcentis amari dicas, nemo certè fuerit, qui
tibi tanta in libertate viuere concedat: quum &
neminem eſſe putem cui nominis iſtius exiſtima-
tio æquè ac mihi vni chara eſſe poſſit. Hæc & his
longè plura matris ad me monita erant: quæ quum
amico illi verè magnanimo ac generoſo recitaſ-
ſem, tantum abfuit, vt iis ipſe moueretur, vt a-
crius etiam inſtaret, eadem à me, quæ & antea
efflagitans. Hæc cum inter nos verſaremus, rém-
que ille aſſiduis vrgeret precibus, me interim ni-
hil innuente, ecce exortus derepente rumor qui-
dam noſtrum vtriuſque animum commouit: per-
crebruerat autem fore vt ad epiſcopes dignitatem
vterque perduceremur. Quo ad me rumore per-
lato, hinc formidine, hinc hæſitantia perculſus
ſum: formidine, ne fortè vel inuitus eò ipſe rape-
rer: hæſitantia, dum identidem animo verſarem,
vndénam in illorum patrum animos obrepſiſſet, vt
de nobis tale quiddam cogitarent. Nam mihi qui-
dem ingenij mei vires circumſpicienti non ſuc-
currebat quicquam quod honorem illum merere-
tur. Generoſo autem vir ille animo ad me quum
adiſſet, ſemotiſque arbitris mecum rem totam cō-
municaſſet, ratus nondum me quicquam de ea au-
diſſe, obſecrabat, vt quemadmodum antea ſemper
apparuiſſet, ita etiā nunc appareret, nos ambos eo-
rundem factorum cōſiliorumque rationem hac in
re ſequi velle: paratum ſeſe vt ſequeretur, ac mihi
comes foret, vtracunque ego via præire mallem,
ſeu fugiendum, ſeu quod offerebant illi, ſequendū
magis eſſet. Itaque animaduertens tam propenſam
in eo voluntatem, tum verò arbitratus me hoc no-
mine magnum vniuerſæ eccleſię detrimentum al-
laturū, ſi ob meam imbecillitatē infirmitatemque,
Chriſtianum gregem iuuene tanta probitate præ-
dito, eodemque regendis moderandiſque aliis ma-
ximè idoneo, ſpoliarem: non indicaui detegēdum
illi eſſe quid animi ſuper ea re haberē, quanquam
nunquam antea paſſus, vt illū cōſiliorum meorum
quicquā lateret. Cui quum indicaſſem me negotij
huius conſilium in aliud tempus reiicere (neque
enim id in præſentia vrgere) factum eſt, vt ſtatim
perſuaderem nō eſſe vlterius ſuper eo cogitandū.
Prçſtiti autem vt confideret vnanimem me ac cō-
cordē ſecum fore, ſi quando tale aliquid eueniſſet.
Tempore autem haud ita multo elapſo, quum iam
dies adueniſſet, in quo eligendi vterque eſſemus,
ac me ipſe occultaſſem, idem ille harum omnium
rerum ignarus quum eſſet apprehenſus, ducitur
quidem à patribus tanquam alio prætextu, ſed ta-
men iugum nequaquam detrectat: quòd promiſſa
noſtra ſpem illi facerent, nos eò omnino ſequu-
turos, ſeu potius nos iam præire, ſe ſubſequi. Ete-

A nim nonnulli ex eorum numero qui aderāt, quum
viderent illum haud æquanimiter ſe captū ferre,
facilè ei verba dedere, acclamātes, abſurdum eſſe,
illum qui omnium iudicio ferocior viſus ſemper
fuiſſet (me deſignantes) multa cum comitate pa-
trum ſuffragiis parere: eum verò qui prudentia ac
facilitate ſemper excelluiſſet, ferocire, & tanquam
glorioſulum apparere, reſilientem, tergiuerſantē,
obſiſtentem. His ille verbis parens, poſteaquam
intellexit me ſubterfugiſſe, triſtis admodum ad me
adiit, ac mihi propior quum aſſediſſet, eloqui qui-
dem neſcio quid velle videbatur: cæterùm ab ani-
mi anguſtia oppreſſus, quum oratione vim eam
qua premeretur aſſequi nequiret, in ipſo oris hia-
tu fari prohibebatur, animi conſternatione oratio-
nem, priuſquā eà dentes tranſiliiſſet, interrumpē-
te. Itaque illum ego intuitus lachrymis perma-
dentem, ac multa animi perculſum cōturbatione,
mali cauſam quum intelligerem, in riſum præ ni-
B mia animi voluptate prorupi: apprehenſumq; de-
xtra deoſculari conatus ſum: Deo acceptum refe-
rens, quòd aſtus meus fœlicem tandem fuiſſet exi-
tum ſortitus, ac non alium ab eō, quem animus hic
optauerat. Vt verò me vidit lætam hilaremque
frontem præferre, ac tum primum à me deceptum
ſeſe animaduertit: hoc magis animo compunctus
indignatuſque eſt. Porrò ab eo animi æſtu quietior
tandem paulum factus, Tu verò, inquit, vt partes e-
tiam noſtras reſpueris, ac nullam iam noſtri ratio-
nem habeas (id quod ſi ita eſt, qua tandem cauſa,
non facilè perſpicio) te certè oportuit vel famę ex-
iſtimationiſque tuæ rationem habere. Nunc verò
mortalium omnium ora adaperuiſti, quorum hæc
vna conſentiens vox eſt: te per inanis gloriæ cu-
piditatem munus hoc recuſauiſſe: neque enim
quiſquam eſt qui te ab hoc crimine eximat: mihi
autem ne in forum quidem ventitare licet: tam
multi nobis occurſant nullo non die facinus iſtud
C vitio vertentes. Nam quoties illi quacunque vis
vrbis parte me conſpexere, ſemotis arbitris abdu-
ctum (de iis loquor qui amicitia ac neceſſitudine
aliqua nobiſcum coniuncti ſunt) bonæ criminis
huius partis reum faciunt. Illius enim, inquiunt,
animus tibi exploratus quum eſſet (quid autē re-
rum ad illum pertinentiū latere te poterat?) opor-
tuit te rem minimè diſſimulare, ſed nobiſcum com-
municare: id quod ſi feciſſes, nunquam profectò
nobis defuiſſet ars, qua illum in retia conieciſſe-
mus. Me verò hic fateri pudet, neſciuiſſe id à te
conſilij multò iam antè tempore initum: idque nè
amicitiā noſtrām fictam illi āc ſimulatam hactenus
fuiſſe ducāt. Nam ſi ea ſimulata eſt, vt omnino eſt,
quod ne tu quidem inficiari poſſis, vel ex commiſ-
ſis aduerſum nos tuis: tamē externos homines, eos
præſertim qui vel mediocrē de nobis opinionem
concepere, pulchrum eſſe reor, vitia, ſi qua in no-
D bis ſunt, celare. Itaque rem, vt ſe habet, verè apud
illos ediſſerere dum vereor, cogor prorſus, quòd
vnum ſupereſt, caput in terram ſilentio mihi indi-
cto demittere, amicorumque occurſum auerſari ac
declinare. Etenim vt priùs illud crimen, cuius nos
illi damnant, effugiam: reſtat tamen neceſſariò, vt
me mendacij cōuincant. Neque enim perſuaſum
illis vnquam eſſe queat, quòd & Baſilium quoque
eorum loco ac numero habueris, quibus arcano-
rum conſiliorumque tuorum conſcientia inter-
dicta eſſet. Cæterùm poſteaquam id tibi cordi fu-
iſſe video, de eo non admodum laboro. Reliquum
verò deducis qui ferre poſſimus? Certè alij te faſti-
dij ac contumaciæ, alij inanis gloriæ accuſant: qui
autem rem damnare ſeuerius rigidiuſque volunt,
ij nos duplicis huius criminis reos agunt: redden-
tes contumeliæ crimen, qua contumelia à no-
bis affectos fuiſſe eos dicunt, qui nos honore
illo dignati ſunt: quos etiam cenſent, non ea ſo-
lum iniuria, quā à nobis accepere, ſed longè etiam

Digitized by Google

grauiore digniſſimos : propterea quòd egregiis at-
que excellentibus viris (quos multos haberent) à
ſe relictis contemptiſque, duos quoſdã adoleſcen-
tiæ annos heri aut nudiuſtertius egreſſos, vitæ hu-
ius curis etiamnum inuolutos, vt perexiguum tem-
pus ſupercilia ipſi ſua faſtuoſi cõtraherent, pullos
habitus induerent, vultuſque triſtitiam effingerẽt,
derepentè ad tanti honoris culmen perduxerint,
quantũ ne in ſomnis quidem aſſequi ſperauiſſent.
Atque ij quidem, inquiunt, qui à prima ętate ad ex-
tremam vſque ſenectutem acribus atque aſſiduis
meditationibus vigiliiſque ſeſe exercent: ecce tibi
ſi diuis placet, inter ſubditos ſunt : imperant au-
tem illis ipſorum filij, atque adeò hi qui ne leges
quidem ac præcepta audiere, quibus huiuſmodi
magiſtratus regendus moderanduſq; ſit. Hæc ipſa,
& his longè etiam plura qui nobis aſſiduè obiiciant
paſſim exoriũtur : quum ego interim defenſionem
planè non habeam, qua me aduerſus illos tuear.
Itaque partes hic tuas imploro : neque enim puto
leuiter te ac temerè cum genus hoc fugæ, quæſi-
uiſſe, tum verò in tam acrem virorũ tam præſtan-
tium offenſionem incurrere voluiſſe: ſed te potius
conſilio quodã atque animi cogitatione ad id deſ-
cendiſſe: quo fit, vt cõiectem paratam tibi rationẽ,
qua tu factum iſtud tuum rectè tueri ac defendere
valeas. Effare, obſecro, ſi qua tibi iuſta excuſatio
adeſt: quam afferre poſſimus aduerſus eos, à quibus
in crimen vocaris. Neque enim poſtulo, vt cauſam
hic dicas cur factum ſit vt me ſic offenderes, deci-
peres, proderes, nulla etiam ratione habita fructus
eius, quem tibi perpetuus amicitiæ noſtræ vſus an-
tea peperiſſet : quum nos animũ noſtrum geſtan-
tes, vt ſic dicam, tibi tanquam in manum tradideri-
mus: tu contra tantum aduerſus nos aſtum adhi-
bueris, quantum maximum potueris, ac quantum
vtique adhibuiſſes, ſi tibi fuiſſet ab aduerſariis tuis
cauendum. Atqui oportuit, ſi quidem conſiliũ iſtud
vtile ac commodum noueras, te lucrum eiuſmodi
minimè deuitare: ſin detrimentoſum, & me quoq;
(quem tute ſemper omnibus in amicitia prætuliſti)
à detrimento iſto per te ſartum tectum eſſe: quum
tu tamen operam omnem nauaueris, vt in aduer-
ſariorum laqueos inciderem, dolo etiam ac ſimu-
latione aduerſus eum adhibita, cuius dicta factaque
omnia ſyncera, ſimplicia, ac dolo vbique carentia
nunquam non expertus eſſes. Enimuerò, quod iam
à me dictum eſt, nihil horum hic tecum expoſtulo,
neque exprobro ſolitudinẽ, in quam tute nos con-
ieciſti, congreſſibus colloquiiſque iis per te direm-
ptis, ex quibus non vulgarem identidem tum vo-
luptatem, tum vtilitatẽ cepimus. Hæc enim omnia
miſſa faciens, facilè atque humaniter fero, nõ quò
tu humaniter in nos deliqueris, ſed quia hanc mihi
ipſe legem præſcripſerim, ex quo amicitia mihi
tua coli cœpta eſt, vt ſi quid poſtea in me delinque-
res, nunquam te ego ad cauſæ dicendæ neceſſitatẽ
adigerem. Nam quòd ſim ego non mediocri abs te
damno affectus, tute etiam noſti : ſi modò memor
eſſe velis ſermonum eorum, quos tum alij, tum nos
de nobiſipſis perpetuò vſurpauimus : qui ſermo-
nes haud aliud ſonabant, quàm ex animorũ no-
ſtrorum cõſpiratione magnum nobis fructũ olim
ſperandum. Proinde muniendos firmandoſq; nos
cenſebas mutua inter nos charitate atq; amicitia:
quin & cæterorum omnium ſermo in hoc conſen-
tiebat, vt concordiam amicitiamque noſtrã etiam
aliis permultis inprimis vtilem ac neceſſariã fore
dicerent. Ego verò, quòd ad me quidem ſpectaret,
nunquam mihi perſuaſi ad alios vtilitatem iſtam
manaturã: certè id lucri non exigui nobis inde ne-
ceſſarium dicebam, quòd magno cum negotio ca-
piendi expugnandique eſſemus ab iis, qui nos op-
pugnaſſent: ac te quidem antea ſemper hiſce à me
verbis cõmonefactum memini. Temporis difficul-
tas magna, inſidiatores permulti, vera ac germana
A charitas extincta: in cuius locum inuidiæ labes in-
uaſit: per laqueos medios ingredimur, inambula-
mus per murorum pinnas minaſque; neque deſunt
qui ſi quid calamitatis fortè acciderit, malis noſtris
inſultaturi ſint (multi autem multis ex locis immi-
nentes circumſtant) qui verò mali doloriſque par-
ticipes futuri ſint, nulli prorſus, aut ſi qui hi eſſe
poſſunt, pauci admodũ ſunt. Vide ne fortè diſiun-
cti diſſociatique riſum aliis luculentũ præbeamus:
néve quod riſu deterius futurum fuerit, magnum
nobis malũ atque incõmodum accerſamus. Frater
à fratre protectus adiutuſque quid aliud eſt quàm Prou. 19.
fortis quædam vrbs? quàm regnũ quoddam tan-
quam vectibus repaguliſq; vndique conſtabilitũ?
Ne obſecro, ne iſtam diſſoluas neceſſitudinẽ, neu
amicitiæ noſtræ vectem cardinemq; reuellas. Hæc
ipſa vnà cum aliis pluribus nunquam non incul-
cabam, nihil omnino tale accidere poſſe quod ac-
cidit ſuſpicatus: quin potius arbitratus te ſano ad-
B modum erga nos animo eſſe, amoris abundantia
quadã medelam afferebam, minimè animaduertẽs
ægrotanti medicinam me adhibere. Ac ne ſic qui-
dem miſer opem tuli, neque mihi lucri quicquam
acceſſit ex tanta illa cautione ac prouidẽtia. Quan-
doquidem omnia illa ſimul excutiens, ac ne in ani-
mi quidem cogitationem influere permittens, me
continuò tanquam nauem nullis fulcimentis val-
latam in immenſum pelagus præcipitem egiſti: ni-
hil expendens fluctuum illorum, quos ſuſtinere
cogimur, ſæuitiam atque aſperitatem. Nam ſi quã-
do nos vel calumniam, vel cachinnum, vel aliam
id genus iniuriã moleſtiámve pati oportuerit (per-
ſępe autem multa eiuſcemodi neceſſariò erumpunt)
ad quem, obſecro, confugiendum nobis erit? quî-
cum, quæſo, animi noſtri dolores atque anguſtias
communicabimus? quis neceſſitate aliqua preſſis
auxilio eſſe volet? quis moleſtiæ authores retũdet?
quis animi huius mœſtitiam ſedaturus eſt? quis no-
C bis ſolatium ac iucunditatem allaturus? quis ani-
mum noſtrum præparaturus ad aliorum ineptias
fortiter perferendas? Certè neminem futurũ puto,
poſteaquam te ipſe à graui iſto ac periculoſo bello
eò ſubtraxiſti, vnde ne clamorem quidẽ exaudire
poſſis. Ecquid igitur animaduertis, quàm atrox,
quamque nefarium ſcelus feceris? Ecquid, poſt in-
flictam ſaltem à te plagam, ſentis quàm pernicio-
ſum ac lethale nobis vulnus intuleris? Cęterùm de
his ſatis ſuperque: neque enim quæ facta ſunt, fieri
ea infecta poſſint: neque rei quæ deplorata ſit, re-
medium afferre vllum queas. Tantũ edoce, quam
nos tandem orationem apud alios vſurpare, quóve
defenſionis genere illorum criminationes retun-
dere poſſimus. Bono, inquam, animo eſto: neque e- Chryſoſt.
nim harum modò rerum nomine paratus ſum ad
rationum reddendarum calculos deſcendere : ſed
à quarum etiã culpa immunem me eſſe voluiſti, ea-
D rum tibi hic rationem defenſionemque expedire
pro viribus enitar. Quibus ab ipſis, ſi placet, apolo-
giæ noſtræ exordium ſumatur : quippe abſurdo
planè, neq; ſatis candido ac liberali animo fuerim,
ſi ſollicitus quamnam alij de me opinionem ha-
beant, ſtudiumque omne adhibens, vt criminandi
accuſandique mei finem tandem illi faciant : ho-
minẽ mihi amiciſſimum, quique ſic me ipſe verea-
tur, colat, obſeruet, vt ne de iis quidem, quas à no-
bis accepiſſe ſe dicit, iniuriis, mecum expoſtulare
velit: denique talem, vt ſuam ipſius cauſam digni-
tatemque poſtponens, ac pro nihilo ducens, noſtræ
in primis curã habeat: nõ poſſim hic flectere, illiq;
perſuadere, nulla à me iniuria læſum fuiſſe : quin
potius committam, vt maiorem noſtrã erga illum
ſomnolentiam ac negligentiam, quàm illius erga
me ſtudium ac ſedulitatem extitiſſe appareat.
Itaque quid tandem illud eſt in quo te ipſi læſi-
mus? ſiquidem hinc conſtituimus apologiæ pela-
gus ingredi. Læsíne, quòd circumuenerim atque

impoſuerim? quòd animi mei ſententiam occultandã tibi duxerim? quod tamẽ factum à nobis eſt partim tuo quẽ circumuenimus cõmodo, partim eorum vtilitate quibus te impoſtura noſtra prodidimus. Nam ſi in vniuerſum fraudis genus omne, malum vituperandumq́, eſt, neque eam cuiquam licet in hominum vſum vtilitatemq́ue vnquam vertere: equidem paratus ſum pœnas dare quaſcunque præſcripſeris: ſeu vt verius dicã, quandoquidem tu, ni fallor, nunquã à nobis ſuſtineas pœnas exigere, vltrò ipſi nobiſmet eam pœnam irrogabimus, qua iudices mulctare eos ſolent, qui iniuriæ illatæ rei ſunt, quoties ab actoribus ſuis rei peracti fuerint: ſin verò fraus ipſa non ſemper incommoda, ſed pro eorum qui eam adhibẽt animo atque conſilio bonæ malæve rei nomen ſortitur, miſſam faciens criminationem iſtam, qua te à me circumuentũ quereris, edoce, niſi graue eſt, in malum damnumq́ue tuum fraudem huiuſmodi fuiſſe à nobis excogitatam: quandoquidẽ donec animus malus abfuerit, conſentaneũ eſt, vt qui ſeſe iuſtos æquoſq́ue in cauſa eiuſmodi oſtendere velint, deceptorem hunc, quem dico, non modò non accuſent culpéntve, ſed etiã laudent atque approbẽt. Tam lucroſa enim, támque fructuoſa eſſe ſolet opportuna ac recto animi iudicio facta fraus, vt permulti etiam pœnas ſæpenumero luerint hoc ipſo, quòd rem fraude non egiſſent. Ac ſi exquirere velimus, quinam copiarũ Imperatores iam inde ab orbe condito claruere, illorum trophæa bona ex parte cõperiemus impoſturæ ac fraudis facinora fuiſſe, eoſdemq́ue fatebimur maiore quidẽ laude dignos, quàm qui aperto Marte victoriam de hoſtibus reportant. Hi enim magno cum ſumptu tum pecuniarum, tum corporũ ſic bella conficiunt, vt ab ipſa etiam victoria nihil illis amplius accedat: quin potius victores quũ ſint, nihilo tamen ſecius pari cum iis qui victi ſunt, calamitate premuntur, tum copiis abſumptis, tum ærario exhauſto. Adhęc qui victi ſunt, ne ipſos quidem victores patiuntur ſolida victoriæ gloria perfrui: cuius bona pars ad eos redit qui cecidere: vtpote qui animis victores, corporibus ſolùm inferiores fuerint: quibus item ſi per ſua vota in bello non cadere licuiſſet, neque illis mortis interuentus dimicationis finem attuliſſet, nimirum alacritatis magnanimitatiſq́ue ſuæ oſtendendæ modũ feciſſent nullum. At qui fraude aliqua victoriã ſibi parat, is præterquã quòd calamitatem atque perniciem hoſtibus affert, id etiam præſtat, vt cæteris illi de ſe viſum præbeãt. Neque verò vt illic fortitudinis, ſic & hic prudentiæ laudẽ gloriamq́ue ex æquo vtrinque reportant: verũ integra victorię totius laus ad victores ſolos pertinet: Et quod iis, quæ dixi, inferius nequaquã eſſe reor. qui aſtu vincunt, ciuitati ſuæ ſeruant ſyncerã, illibatam atque integrã ex victoria parta voluptatem: neque enim cõmune quicquam habet animi prudentia cum pecuniarũ corporumq́ue multitudine atque copia: quibus quidẽ vſuuenit, vt quò magis in bello vtare, eò magis inſumãtur, magiſq́ue ſuos deficiant poſſeſſores: quum contrà natura ſic cõparatum ſit, vt animi prudentia, quò magis exerceas, eo magis adoleſcat. Neque verò foris tantum ad militiam, ſed etiã domi ad pacem non publicis modò ciuitatis, ſed & priuatis vniuſcuiuſque negotiis pertractãdis; & marito aduerſus vxorẽ, & vxori aduerſus maritum, & patri in filium, & amico in amicum, addam etiam & liberis in patrẽ, aſtus hujus vſum communem neceſſariumq́ue cõperies. Neque enim filia Saul maritum ſuum alia ratione de Saul manibus eximere, quã circũuento ac decepto patre potuiſſet. Cuius item frater eundem illum ab ea ſemel ſeruatum, de vita periclitantem, ſeruare dum vellet, iiſdem telis quibus & vxor ſeſe armauit. Atque hic Baſilius: Sed nihil horum, inquit ad me: neq; enim hoſtis ego atque aduerſarius, neque

Baſil.

A ex eorum numero, qui nocere iniuriamq́ue afferre parant: quin ipſe contrà, animi tui ſententiæ omnia mea quum cõmiſiſſem, de ea via nunquam deflexi, qua me ipſe ſubſequi iuſſiſſet. Ego verò, ô admirande idemq́ue optime Baſili, non ob aliud, inquam, quam ob hoc ipſum anteuertens nuper docui, non in bello tantũ contra hoſtes, ſed etiam in pace aduerſus amiciſſimos quoſque aſtus huius vſum conuenire. Nam quòd id conducat non circumuenientibus ſolùm, ſed etiã circumuentis: ad vnum aliquem ex medicis profectus, ſciſcitare, quémnam illi in modũ laborantes, morbo liberare ſoleant, certè ex iis audies merã nudamque artem ipſis non ſatis eſſe? ſed & aliquoties ipſos impoſtura vti, cuius auxilio cum arte medica coniuncto ægrotantem ſanitati priſtinæ reſtituant. Etenim dum hinc ægrotantium moroſitas, hinc morbi difficultas, medicorum auerſatur conſilium, tum cogũtur illi fraudis atque impoſturæ perſonam induere, vt B quòd in ſcena fieri ſolet, in qua fictis omnibus & adumbratis loci plurimum eſt, rerum factorumq́ue veritatem occultare poſſint. Atque hic ſi placet dolum vnũ explicabò ex multis, quẽ olim à medicis fuiſſe ſtructũ audiui. Inciderat quidam in acrem vehementemq́ue febrim. Idem æſtu febris indies gliſcente augeſcenteq́ue remedia ea omnia auerſabatur, quæ ad ardorem illum reſtinguendum facerent: cæterũ quum deſiderio ferretur, multuſq́; eſſet in vrgendis hortandiſq́ue omnibus iis qui ad ipſum introiſſent, id perpetuò agens, vt multo vino, eoq́ue meraco, ſibi porrecto, exitioſam illam appetentiam extingueret: futurũ quippe erat vt ſi quis illi obſecũdans, hac in parte gratificatus fuiſſet, febris ardorem non ſolùm magis inflammaret, ſed miſerum etiam illum prorſus ad inſaniam furoremq́ue adigeret: hic demum quum ars ipſa effœta iam atque exhauſta nullum ſalutis remedium inueniret, in eius locum ſeſe fraus inſinuans, C tantam exhibuit virium ſuarum efficaciam, quantam mox ex me auditurus es. Etenim medicus acceptum vas teſtaceum (id recens à fornace exierat) vino permulto immerſit: quod quum vacuum, ſed apprimè tinctum extraxiſſet, aqua implet: tum iubet ægrotantis cubiculum tapetibus veliſq́ue vndique adumbrari, ne fraus ipſa lumine detegatur: hic teſtam ægroto propinat, quaſi mero plenam: quam ille manibus quum necdum apprehendiſſet, vini odore eius nares ſtatim peruadente, non ſuſtinuit curioſè indagare, quid ſibi à medico porrigeretur: verum eo odore perſuaſus, & tenebris deceptus, tum etiam appetitæ rei deſiderio victus, quod propinabatur, propenſiſſimè hauſit, ac ſatiatus febris æſtum ſtatim excuſſit, periculo eo, quod graue imminebat, liberatus. Quòd ſi quis fraudis eius de qua loquor commoda vtilitateſq́ue vnà cum medicorũ dolis omnibus recenſere volet D huius certè oratio nullũ prorſus finẽ habitura ſit. Comperies autem non ab iis ſolùm qui corporum medendorum, ſed etiam ab iis qui animi curam ſuſcipiunt, pharmaci huius vſum aſſiduum vſurpari ſolitum: Sic beatus ille Paulus multas illas Iudæorum myriadas ad ſe allectauit. Per huius item conſilij rationem, idem ille qui Galatis comminatur fore vt Chriſtus circumciſos nihil adiuuet, Timotheum tamen circuncidit. Propterea item legi aliquoties ſeſe ſubmittit: qui idem cenſet poſt fidem Deo datam, exitioſam eſſe legis ſanctificationem. Fraudis quidem magna vis, modò ne fraudulento ea animo fiat: quam ipſam tum ne fraudẽ quidem nominandam putauerim, verùm œconomiam quandam potius ac ſapientiam, artemq́; qua poſſis è mediis iiſq́ue imperuiis deſperatarum rerum anguſtiis difficultatibuſq́ue correctis emendatiſq́ue animi vitiis, euadere. Neque enim Phineem illum homicidam ego vnquam appellauerim, quanquam is plaga vnâ corpora duo ſuſtulit.

Chryſoſt.

Quod ars nõ poteſt, dolo pio interdum fit, qui aliquando bonus eſt. A ſimili.

Galat. 5.

Act. 16.

Num. 25.

4.Reg. 1. 3.Reg 18

A Quemadmodum neque Heliam, vel poſt milites centum vnà cum ducibus ſuis interfectos, atque adeò poſt magnum illum ſanguinis torrentē, quem eorum nece qui dæmonibus conſecrati eſſent, fecit excurrere. Nam ſi hoc dederimus, & res ipſas per ſe ſingulas, nudas ab authorum ſuorū conſilio propoſitoque ſeparatas expendere quis voluerit, nemini ſanè non licebit vel Abraham ipſum parricidij accerſere. Item & illius tum nepotem tum abnepotem doli ac maleficij reos agere: ſic enim ille ius ſibi primogenitum vſurpauit: hic autem Ægyptiorum opes in Iſraëlitarū caſtra tranſtulit. Sed non eſt ita, non eſt ita. Faceſſat hinc tanta iſtā impudentia: neque enim ſolum eos quos modò nominaui, culpa liberamus: ſed etiam eoſdem vel hoc nomine admiramur: quandoquidē & ipſi hoc demum nomine gratiam à Deo magnam inierunt. Proinde veri illuſoris deceptoriſq; nomine dignus fuerit, quiſquis re ipſa iniquo ac nocendi animo abutitur, alioqui ſæpenumero profuit decepiſſe, & B hac potiſſimum arte in maximis rebus alteri opem ſubſidiumque tuliſſe. Cæterum qui recto ſemper calle ingreditur, de eo nunquam deflectens, ſæpè fit vt ei etiam cui non aſtum aliquem ſtruxerit, malorum incommodorumque quamplurimorum author ſit.

LIBER SECVNDVS.

PROINDE quòd fraudis vim atq; vſum bonam etiam in partem adhibere poſſis, ſeu (vt verius dicam) quod ne fraudis quidem, ſed admirandæ cuiuſdam diſpenſationis nomine tum fraus ea deſignanda ſit, pluribus quidem hic à me exemplis doceri poterat: quum verò quæ à nobis adducta ſunt, ea idoneā rei comprobandæ fidem facere poſſint, graue moleſtumque arbitror in prolixitatem quæ ſuperuacanea ſit, orationem noſtram producere. C Reliquum eſt, vt tute expendas num ex vſu ac commodo tuo fraus ea à nobis adhibita ſit.

Baſil. Tum Baſilius: Et quodnā, inquit, commodum ad nos ex hac rediit ſeu œconomia, ſeu ſapientia, ſeu quocunq; eam nomine appellare malis: vt teſtatū nobis eſſe queat ac perſuaſum, fucum mihi à te nequaquam eſſe factum? Chryſoſt. Quodnam verò, inquā, hoc vno maius commodum exiſtat, quam ſi ea nos facta præſtare conſtiterit, quæ quidem dilectionis charitatiſque in Chriſtum exempla eſſe Chriſtus nos docuit? Ioan. 21. Hic enim cum apoſtolorum principe verba faciens: *Petre amas me*, inquit, atque illo id cōfitente, adiungit: *Si amas me, paſce oues meas*. Interrogat diſcipulum magiſter, num ab eo ametur: nō quòd ipſe edoceatur: (qui enim id edoceri ſtudeat is, cui vni mortalium omnium corda peruia ſunt?) verum vt nos doceat, quantæ ſibi curæ ſit gregis huius præfectura. Id quod vbi cōſtiterit, & illud item pariter conſtabit, copioſam atque adeò immenſam mercedem D illum expectare, qui conſiliū, curam, cogitationem, atque operā in iis ſuam ponat, quæ quidem magno apud ſe in pretio atque æſtimatione Chriſtus eſſe voluit. Nam ſi quoties videmus ſeruorum pecuariorúmve noſtrorum curam à quibuſdam ſuſcipi, ex eo ſtudio aduerſus illa impēſo colligimus, ab iis nos amari (etiamſi illa ipſa eiuſmodi eſſe ſoleant, vt pecunia væneant) qui neque pecunia, neque alia re vlla, ſed morte propria armentum hoc redemerit, ſuúmque proprium ſanguinem, gregis pretium obtulerit: quanto, quæſo, præmio gregis huius paſtores ac rectores remuneraturum olim credimus? Ibidem. Propterea enim quum reſpondiſſet diſcipulus: *Tu ſcis domine*, quòd amem te, teſtemque citaſſet amoris huius ipſummet qui amaretur, haud ſe hic continuit ſeruator Ieſus, ſed & amoris quoq; iudicium adiunxit. Neque enim tum volebat teſtatum eſſe, quantum à Petro amaretur: ſiquidem id multis nobis argumentis conſtabat: verum hoc ille tum agebat, vt & Petrum, & cæteros nos edoceret, quanta beneuolentia ac charitate erga ſuam ipſe eccleſiam afficeretur: vt hac ratione & nos quoque eiuſdem eccleſiæ ſtudium curamque toto animo ſuſciperemus. Nam qua de cauſa filio ſuo eiq; vnigenito Deus optimus maximus vſque adeò non parcendum putauit, vt etiam quem vnicū haberet, hunc dederet? Certè vt qui in ipſius offenſionem incurriſſent, eos ſibi reconciliaret, tum verò peculiarem ſelectumque ſibi populum redderet. Quá-nam item de cauſa idem ille ſanguinem effudit ſuum? certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat. Iure igitur ac meritò ſic loquebatur Chriſtus. *Quiſnam fidelis ſeruus & prudens, quem dominus ſuper familiam ſuam conſtituit?* Math. 24. Rurſus verba quidem iſta hæſitantis eſſe videntur: quum tamen ab eo prolata ſint, qui minimè hæſitaret. Nam quemadmodum Petrum dum interrogaret, num ab eo amaretur: interrogabat profecto, nō ex eo quòd vellet amorem huiuſmodi ex diſcipuli verbis intelligere: ſed quòd declarare cuperet quænam cenſeri deberet noſtræ erga ſe charitatis dilectioniſque magnitudo: ita & hic dum ait: Quiſnam fidelis ſeruus & prudens? non hoc ait, quòd ei ignotus ſit fidelis ac prudens ſeruus: ſed quòd exprimere velit, tum hoc opus quàm rarum ſit, tum quæ ſit functionis huius amplitudo. Contemplare itaque & præmium, quantum: *ſuper omnia*, inquit, *bona ſua conſtituet eum*. Ibidem. Etiamne nunc nobiſcum contendens, fraudem iſtam tibi non bene ac fœliciter ceſſiſſe, qui per eam vniuerſis Dei optimi maximi bonis ſis præficiēdus? Ioan. 21. quum præſertim ea agas, quæ quum Petrus ageret, illum Chriſtus authoritate præditum eſſe voluit, ac reliquos item apoſtolos longè præcellere. *Petre*, enim ait, *amas me plus quàm hi omnes?* Atqui illi quidem licebat verbis huiuſmodi Petrum affari: Si me amas Petre, ieiunia exerce, ſuper nudam humum dormi, vigila continēter, iniuria preſſis patrocinare, orphanis patrem te exhibe: viduæ item te maritorum loco habeant. Ibid. Nunc verò prætermiſſis omnibus his, quidnam ille ait? *Paſce oues meas*. Nam quæ modò à me dicta ſunt, ea complures etiā ex ſubditis præſtare facilè poſſint, non viri ſolùm, ſed etiam fœminæ. At quum de eccleſiæ præfectura, de credenda huic vel illi tam multarum animarum cura agitur, vniuerſa quidem muliebris natura functionis iſtius moli ac magnitudini cedat oportet, itemque & bona virorum pars. Prodeant autem in medium qui longè omnibus præſtant: quique animi virtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem vniuerſam excelluit: ſeu potius multò etiā magis. Neque enim hic nobis humerorum excellentiæ ac proceritatis menſura quærenda: ſed quanta inter ſeſe differentia homines rationis vſum habentes, & bruta ratione carentia diſſident: tantum ſanè diſcrimen inter eum qui paſcit, atque eos qui paſcuntur eſſe velim: vt ne maius etiam exigam: ſiquidē in multò etiam maioribus rebus periculum ipſum verſatur. Etenim qui oues perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua, aut alio id genus caſu ſæuiente: fortaſſis veniam nonnullam à domino gregis impetret: ſin & pœnas ille exiget, damnum non niſi pecunia conſtat. At verò cui homines ipſi, rationalis Chriſti grex, concrediti ſunt: hunc primum ouibus deperditis non pecuniarum, ſed animæ propriæ iacturam facere oportet: tum verò & certamen longè maius ac multo moleſtius ſuſtinere. Neque enim illi aduerſus lupos pugna eſt, neque à furibus timet, neque ſollicitus anxiuſque eſt de peſte à grege abigenda. Contra quos ergo illi bellum? quibuſcum lucta? Audi obſecro beatum Paulum loquentem: *Non eſt vobis lucta aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores* Epheſ. 6

tene-

tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales malitias in cœleſtibus. Videſne terribiles aduerſariorum copias? vides phalanges aſperas, non ferro quidem circumſeptas, ſed quibus pro vniuerſa armatura ingenium ipſius ſuum abundè ſatis eſt? Vis & alium exercitum ſpectare immanem ac crudelem gregi iſti inſidiantem? Hunc ipſum tibi de eadē ſpecula ſpectare licebit. Nam qui de illis, quos antè dixi, aduerſariis verba fecit: hic idem & hos nobis hoſtes indicat, ita loquens: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt hæc: Adulterium, ſcortatio, immunditia, laſciuia, ſimulachrorum cultus, veneficium, inimicitia, lis, æmulationes, iræ, concertationes, obloquutiones, ſuſurri, animi tumores,* & alia his longè plura: neque enim omnia annumerauit, ſed ex his nobis cætera reliquit intelligēda. Porrò quod ad brutorum paſtorem pertinet, qui gregem perdere quærunt, vbi viderint illius præfectum fugæ ſe mandare, miſſa aduerſus illum pugna, contenti ſunt ipſarum pecudum raptu. Hi verò vt vniuerſum gregem ceperint, ne ſic quidem à paſtore manus abſtinent: ſed eò magis inſtant, eò magis270 ferociunt: neque certè dimicandi finem prius faciunt, quàm vel illum ſupplantarint, vel victas ipſi manus præbuerint. Adde his, quòd pecuarij morbi aperti ſunt ac manifeſti, ſi vel fames ſit, vel peſtis, ſi vulnus, ſi aliud quoduis dolorem ægritudinémve pariens: quæ res non modico adiumento eſſe ſolet morbis à pecudibus abigendis. Eſt item & aliud hoc ipſo maius, quod quidem præſentaneum affert ægritudini illi remedium. Quidnam porrò hoc eſt? Magna cum autoritate paſtores pecudes ſuam porrectam medicinam capere cogunt: nam & eas vincire procliue, quoties vrere, quoties incidere opus: itemque & diutius aſſeruare facile, quandocunque id conducit: & aliud item pro alio pabulum præbere, & arcere à fluentis: præterea cætera omnia quæcunque paſtores probauerint pecudum ſaluti conferre, nullo ipſi negotio, nullo labore adhibere ſolent. Horum verò morbi principio haud facilè ſeſe homini produnt. Nam quæ intra hominem latent, præter hominis ſpiritum, qui in ipſo eſt, nemo certè alius intelligit. Qui igitur pharmacum adhibere quis poſſit morbo ei, cuius genus nequaquam intelligat? quum etiam perſæpè vſuueniat, vt ne intelligere quidem poſſit, morbus ſubſit, néc ne: qui vbi ſeſe prodidit, tibi tum maius negotium faceſſit. Neque enim homini licet, tanta cum authoritate homines curare, cum quanta oues paſtor curat. Hic enim liberum eſt & vincire, & à pabulo arcere, & vrere, & ſecare: quum illic medicinæ ac curationis ſuſcipiendæ facultas poſita minimè ſit in illo qui medicinam adhibet, ſed in eo tantum qui laborat. Hoc enim admirandus ille vir quum intelligeret, ſic Corinthios alloquitur: *Non quod dominemur vobis nomine fidei, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri.* Chriſtianis enim minimè omnium licèt peccantium lapſus vi corrigere. Exteri quidem iudices quum facinoroſos homines leges tranſgreſſos fuiſſe deprehenderint, magna ſe præditos autoritate ac poteſtate oſtendunt, eoſdémque vel inuitos, ſuos ipſorum mores mutare cogunt. Hic verò non vim afferre, ſed ſuadere tantum oportet, atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum ſuſceperis. Neque enim nobis facultas tanta à legibus data ad delinquentes coërcendos: ac ne ſi dediſſent quidem, haberemus vbi vim huiuſmodi potentiamque exercere poſſemus: quum Chriſtus eos æterna corona donet, non qui coacti, ſed qui certo animi propoſito à peccato abſtinent. Quamobrem multa quidem arte opus eſt, vt qui laborant Chriſtiani, vltrò ſibi ipſi perſuadeant ſacerdotum curationibus ſeſe ſubmittere oportere: neque id ſolùm, ſed vt etiam curationis ac medicinæ nomine gratiam illis habeant. Nam ſiue qui vinctus illigatuſque eſt, contumaciter reſtiterit (id autem per ſe ipſe poteſt)

Galat. 6.

Quanta ſit opus cautela ſuperiori in corrigendis ſubditoris ſuis.

2. Cor. 1.

A malum certè exaſperat, grauiuſque reddit: ſiue admonentis verba ferri modo ſecantia neglectim tranſmiſerit, nimirum aliud ſibi vulnus contemptu infert: vſque adeò vt curationis illius prætextus, grauioris morbi color fiat: neque enim eſt qui hic vim afferat, nec qui curare inuitum poſſit. Quid igitur facias? Etenim ſi blandius eum tractes, cuius affectum corpus ſectione, eaque magna indiget: ac niſi altam inflixeris plagam ei, qui ea opus habet: nimirum fiet vt vulnus ipſum partim ſit reſectum, partim relictum. Rurſum ſi nulla ex parte parcere volens debitam adhibueris ſectionem: fiet ſæpe vt animum ille doloris impatientia deſpondens, atque adeo omnia ſimul detrectans tum pharmacum, tum vinculum, ſe ipſe præcipitem ferat, contrito iugo, ac confracto laqueo. Equidem complures recenſere poſſim, quos conſtat in extrema mala adactos, non ob aliud niſi quòd digna ab eis pœna, & quæ peccatis perpetratis par eſſet, B exigeretur. Neque enim temerè ad delictorum modum oportet & mulctam ipſam adhibere: ſed tanquam coniecturis quibuſdam explorandus eſt delinquentium animus: ne quà fiat vt dum conſuere vis quod interruptum eſt, ſciſſuram deteriorem facias: ac dum eum qui lapſus eſt erigere atque emendare ſtudes, caſus ipſe maior per te reddatur. Nam qui infirmi ſunt ac remiſſi, & magna ex parte mundi huius deliciis illecebriſque illaqueati, quique iidem à generis claritate, à potentia atque opibus habere ſe putant vnde animos magnopere tollant: ij ſi ſenſim ac paulatim peccatorum correctionem adhibeas, poſſint vtique, ſi non penitus, attamen parte aliqua eximere ſe, ac liberare malis peccatiſque quibus occupantur: quos ſi iuſta ſtatim animaduerſione emendes, fiet vt minori etiam illa correctione quam ſuſtinere poterant, priues. Humanus enim animus poſteaquam verecundiæ fines ſemel tranſire coactus eſt, in indolentiam C dilabitur, tum autem neque blandis verbis paret, neque minis flectitur, neque beneficiis mouetur: malitiam etiam ſuperans ciuitatis illius in quam propheta conuitiis huiuſmodi inſurgebat: *Factus eſt tibi meretricius aſpectus, depuduit te aduerſus omnes.* Quocirca multa quidem opus eſt paſtori prudentia, ſexcentis etiam, vt ſic dicam, oculis: vt rectè vndique humani animi habitum circumſpicere poſſit. Nam ſicut aliquoties vſuuenit, vt animum plerique deſpondeant, atque in ſuæ ſalutis proruant deſperationem, non ob aliud niſi quòd ab amaris acerbiſque medicamentis abhorreant: ita nonnullos reperias, qui hoc ipſo quòd pœnas peccatis ſuis pares non luerint, in negligentiam ac contemptum dilabantur, ac longè deteriores facti, maiorem peccandi licentiam ſibi vendicent. Itaque nihil horum relinquendum eſt, quod probè non excutiat atque examinet epiſcopus: quin D omnia accuratè ac ſtudioſè perſcrutatum, tum demum illum oportet ſua ipſius remedia congruè, aptè, accommodatè afferre: idque ne operam fortè ludat. Cæterùm non his ſolùm quæ dixi, verumetiam in abſciſſis eccleſiæ membris committendis coniungendiſque multis illum negotiis diſtringi videas. Etenim ouium paſtor gregem habet è veſtigio ſubſequentem, quacunque præierit: quòd ſi quæ de recta via oues deflectant, ac feraci pabulo poſthabito, ſterilia atque abrupta loca depaſcant: ſatis habet paſtor altius aliquantum inclamare, vt palantes ac diſperſas reducat, atque in gregem cogat. Sin verò à recto Chriſtianæ fidei tramite aberrauerit quis: hîc paſtori magnum certè opus incumbit, magnum negotium, magna tolerantia. Neque enim vis illi inferenda, neque terrore ille cogendus: verum ſuadendus tantùm, vt de integro ad veritatem redeat, vnde initio dilapſus eſt. Itaque magnum ac generoſum animum ad eam rem epiſcopum afferre oportet: vt ne

Hier. 3.

animo deficiat ac dilaſſetur, vt ne errantium ſalutem deſpondeat ac deſperet: denique vt nunquam non illud ſecum cogitet ac dicat: *Si quando det illis Deus veritatis agnitionem, ac reſipiſcant è diaboli laqueo.* (2. Tim. 2.) Propterea dominus quũ diſcipulos alloqueretur, ait: *Quiſnam fidelis ſeruus ac prudens?* (Math. 24.) Etenim qui ſuum vnius animum excolit, ſibi duntaxat vtilis eſt: at paſtoralis functionis lucrum ad vniuerſum populum manat: & qui pecuniam indigentibus erogat, aut qui alioqui iniuria preſſos ſubleuat, is & proximos quidem iuuat: ſed tamen id tanto minus præſtat, quàm epiſcopus, quanto diſſident inter ſe interuallo corpus atque anima. Non abs re igitur dominus paſtoris ſtudium aduerſus gregem impenſum, amoris ac charitatis erga ſe ſymbolum eſſe dixit.

Baſil. Tu verò, inquit, Chriſtum non amas?

Chryſoſt. Et amo, inquam, & amare certè nunquam deſiſtam: cæterùm vereor ne quem amo, eum irritem.

Baſil. Hoc verò, inquit, ænigmate quodnam aliud obſcurius eſſe queat: ſi Chriſtus illum à quo ametur, oues ſuas paſcere iuſſit: tu autem hoc nomine nolle paſcere affirmes, quòd eundem illũ qui hoc iuſſerit, ames?

Chryſoſt. Non eſt, inquam ego, ſermo hic ænigma: quinimo valde apertus & ſimplex. Nam ſi par atq; idoneus adminiſtrando muneri iſti, iuxta id quod Chriſto placitum eſt, nihilo ſecus tamen munus ipſum detrectaſſem, hæſitare quidem ad verba mea conueniret, poſtea verò quàm me ad functionis iſtius præſtationem animi huius imbecillitas minus idoneum reddidit, quis huic quæſtioni dubitationíve locus? Etenim vereor ne ſi prouinciam ſumpſero regendi Chriſti armentum iam valens ac vegetum, deinde illud idem ſocordia negligentiaque mea deprauauero: eum contra me irritem, qui ſic armentum id dilexit, vt ſeipſum ob illius ſalutem ac pretium dediderit.

Baſil. Ioco hæc, inquit, ille, loqueris? nam ſi extra iocum, equidẽ non video quibúſnam aliis melius argumentis à te demonſtrari potuerit, iuſto nos dolore vexari, quàm iſtis tuis verbis: quibus tamen ab animo meo mœſtitiã hanc depellere ſtudioſè adlaboraſti. Antea enim quum nouiſſem me à te deceptum ac proditum, nunc autem id longè etiam apertius, dum obiecta tibi crimina diluere aggreſſus es: equidem belliſſimè hinc capio atque intelligo, quò me tandem malorum adegeris. Nam ſi te hoc demum nomine à functione huiuſmodi ſummouiſti, quòd intelligeres animi iſtius facultates nequaquam pares rei ipſius moli ſuſtinendæ, me ſanè prius exemptum eſſe oportuit, etiamſi id muneris ſummo ſtudio ambiuiſſem, ne dicam hic rei totius conſilium curamque tibi à me fuiſſe commiſſam. Nunc verò tu tuis vnius partibus proſpiciens, noſtras planè neglexiſti. Atque vtinam neglexiſſes tantùm: mecum enim vel hac ratione præclarè actum exiſtimaſſem. At verò & tu quoque author conſultorque eius artis fuiſti, qua facilè in hoſtium nos captantium manus incideremus. Neque enim poſſis ad id effugij te conferre, quòd tibi videlicet vulgi opinio fucum fecerit, atque hinc adductus ſis, vt magna quædam atque admiranda de nobis conciperes: vtpote qui is certe non eſſem, qui inter admirandos, inſignes, atque excellentes viros numerari deberem. Neque tamẽ vt ſe ita res haberet, vulgi opinionem veritati præpoſitam eſſe oportuit. Nam ſi tibi nunquam antea per nos licuiſſet, vt conſuetudinis noſtræ periculum faceres: haberes certè vnde honeſtum ſumeres prætextum, in hoc quòd in ſuffrrgia iſto ferendo vulgarem famam fueris ſequutus: ſin nemo omniũ eſt, qui res noſtras omnes notiores habeat, quàm ipſe habeas, eouſque vt animus hic vni tibi magis ſpectatus perſpectuſque ſit, quàm iis qui me vel genuere vel educauere: quæ tandem oratio ſic probabilis vſurpari à te poſſit, vt perſuadere auditoribus queas, me abs te vltrò in periculum hoc nequaquam fuiſſe coniectum? Verùm prætermittantur & hæc in præſentia: neque enim cogimus vt tu horum nomine cauſam dicas: tantùm effare quánam defenſione apud eos vtamur, qui nos inſimulant.

Chryſoſt. Ego verò, inquam, non antea ab illa me conuertam, quàm ea diluero quæ ad te ſpectant, etiamſi nos ſexcenties velis criminibus huiuſmodi vacare. Ignorantiam enim dixiſti veniam nobis impetrare poſſe, noſque nulli prorſus criminationi obnoxios fore, ſi in rerum tuarum omnium ignoratione verſantes, te in præſentem rerũ ſtatum deduxerimus. Cæterùm quoniam te non ignoratione prodidimus, ſed quũ maximè res omnes tuæ cognitæ nobis eſſent, propterea vis excuſationem omnem, quæ ratione niti ipſa poſſet, defenſionemque quamlibet iuſtam ſublatam prærreptamque nobis eſſe. At nobis, ſanè contraria ſententia. Huiuſmodi enim res magno admodum, iudicio quidem meo, examine indiget: cumque oportet, qui exhibiturus ſit quem ad ſacerdotij functionẽ idoneum cenſet, non vulgarem tantùm famam atque opinionem ſequi, eaque eſſe contentum: ſed eundem item neceſſe eſt vnà cum ea, illius vires facultateſque in primis excutere, atque ante omnia examinare. Nam quum beatus ille Paulus ea de re diſſerens ait: *Oportet autem illum & bonum habere ab externis teſtimonium* (1. Tim. 3.): nequaquam tollit exactam exploratamque indagationem: neque ſanè fidem eam, quæ tibi à vulgi opinione facta ſit, vt præcipuum ſignũ, aut rei totius cardinẽ eſſe vult: quippe multa prius quum diſſeruiſſet, id poſtea adiunxit: oſtendere volens non ſatis hoc eſſe oportere ad huiuſmodi electiones creationeſque faciendas, ſed vnà cum aliis & hoc item præſidij à nobis aſſumendum eſſe. Nam ſæpe vſuuenit, vt vulgi opinio falſa ſit: à qua tamen nihil periculi exoriri poſſit, ſi res ipſa tota per ſe prius exactè ac diligenter diſcuſſa atque examinata fuerit. Quocirca poſt alia, illud ipſe de teſtimonio ab externis poſuit. Neque enim ſimpliciter hoc dicit: *Oportet autem illum bonum habere teſtimonium*, ſed illud etiam ab externis attexuit, planum facere volens, futurum epiſcopum intrinſecus magna cum diligentia excutiendum atque examinandum, antequam ad eam opinionem deſcendas, quam de eo vulgus conceperit. Itaque quòd vita tua ac mores magis mihi, id quod tute profiteris, noti ſpectatique ſint, quàm parentibus ipſis tuis, ob id dignus ſim, qui ab omni criminatione libeter.

Baſil. Vel hoc nomine, inquit ille, hoc certè nomine elabi atque euadere nequaquam poſſis, ſi te quis accuſare, atque in iudicium trahere velit. An non ipſe meminiſti à nobis audire, id quod & ſæpenumero re ipſa comprobaſti, animus hic quàm parum fortis generoſuſque eſſet? an non perpetuis iſtis cauillis puſillanimitatem nobis obieciſti: quòd videlicet natura noſtra curis etiam leuib. facilè ſuccumbamus?

Chryſoſt. Memini, inquam, huiuſmodi quidem ex te verba ſæpenumero audire: neq; ibo inficias. Ego verò ſi quando cauillabar, ioco, non ſeriò id factitabam. Mihi tamen hîc ea de re tecum contendere non eſt animus. Poſtulo autem à te, eandem mihi vt tu æquanimitatem præſtes, bonorum virtutumque quibus animus iſte pręditus, mentionem facere aggredienti. Nam ſi tum conaberis mendacij nos conuincere, equidem nihil diſſimulans liquidò cõmonſtrabo, modeſtiæ potius iſtius, quàm veritatis cauſa ſic te de te verba facere. Id quod non aliis argumentis comprobaturus ſum, quàm nudis tum verbis, tum factis tuis: quibus ego perinde atque certiſſimis teſtibus vtar ad plenam dictorum meorum fidem faciendam. Atque id ex te primùm quærere volo, Noſtin, charitatis vis quanta ſit? Certè Chriſtus reliquis prodigiis ac miraculis poſthabitis, quæ ab apoſtolis edenda eſſent: *In hoc*, inquit, *cognoſcent homines quòd diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem inter vos mutuam habueritis.* (Ioan. 13.) Quinetiam Paulus charitatem legis eſſe conſummationem affirmat:

mat: ſine qua ipſa dona nulli eſſe vſui vult. Proinde eximium iſtud bonum idemque Chriſti apoſtolorum ſignum vnicum, ac quod quidem cęteris donis ſuperius excellentiuſque eſt, ſcio in animo tuo generoſè admodum ac præclarè inſitum eſſe, copioſoque inibi fructu exuberare. *Baſil.* Tum Baſilius: Mihi, inquit, magnæ eam rem curæ ac ſtudio eſſe, ne ipſe quidem inficior: me tamē eandem ne dimidia quidem parte illius numeros impleuiſſe, vel tu ad eam rem teſtis mihi optimus fueris; ſi quidem quod verum eſt, ſpectare magis, quàm quæ ad gratiam faciunt, loqui, in animum induxeris tuum. *Chryſoſt.* Ergo ad argumenta ipſa, inquam, me conuertam, atque hic certè quod promiſi, exequar, facta per me fide, te animi iſtius modeſtiam magis quàm rei veritatem ſequi. Proferam autem hiſtoriam admodum recentem, vt ne quis ſuſpicari poſſit, vetera recenſentem, temporis diuturnitate verum ipſum tanquam adumbrare me velle: quum alioqui etiam veritas minimè permittat quicquam nos affingere vel iis ipſis quæ ad gratiam prolata à nobis fuerint. Nam quo tempore vnus quidā ex amicis neceſſariiſque noſtris per calumniam accuſatus contumeliæ ac contumaciæ, de ſalute periclitaretur: hic te ipſe, quum neque is qui periclitaretur, auxilium tuum imploraret, in media ipſa pericula vltrò conieciſti. At factum quidem tale tuum extitit. Vt autem te verbis etiam tuis conuincamus: quum animi tui propenſionem huiuſmodi alij non probaſſent, alij contra laudaſſent, admiratique fuiſſent: hic tu ad eos qui te accuſarent: dixiſti. Quidnam ipſe facerem? aliter enim amare non didici, niſi vt & meam animam in diſcrimen adducam, dum periclitantem amicum aliquem ſeruare opus eſt diuerſis quidem verbis, ſed ſenſu eodem, ea enuntiās, quibus Chriſtus diſcipulos ſuos alloquebatur, poſitis ab eo per- *Ioan. 15.* fectæ charitatis terminis. *Maiorem enim*, inquit, *hac charitatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Igitur ſi maiorem hac inuenire non eſt, ad ipſius finem perueniſti: atque adeo tum verbis, tum etiam factis iſtis ad ipſius verticem conſcendiſti. Propter quod vnum te ipſi, dolo illo à nobis cōſuto, prodidimus. Etiamne igitur tibi perſuaſum eſt, te à nobis in iſtud ſtadium protractum, neque vlla maleuolentia erga te noſtra, neque quò te in periculum aliquod coniiceremus? quin potius id à nobis factum, quòd certum nobis eſſet, quàm vtilis accommoduſque futurus eſſes? *Baſil.* Itáne, inquit, charitatis vim ſufficere putas ad proximorū correctionem atque emendationem? *Chryſoſt.* Maximè quidem, inquam, ac magna adeo ex parte ad id conferre charitas poſſit. Cæterùm ſi me vis & prudentiæ item iſtius ſpecimina proferre, ad id quoque me accingam: oſtendamque maiori te prudentia, quàm charitate ac beneuolentia præditum. *Baſil.* Ad hæc ille verecundia tactus, ruboreque ſuffuſus: Quæ ad me, inquit, ſpectant, nunc omittantur: neque enim iam inde ab initio horum rationem à te exegimus. Tu verò ſi quid habes quod iuſtè aliis apponere poſſis, lubens eos ſermones auſcultabo. Itaque prætermiſſa hac vmbratili pugna, edoce quidnam cæteris reſpondere poſſimus: hoc eſt, tum iis qui nos tali honore dignati ſunt: tum iis qui vicem illorū tan- *Chryſoſt.* quam iniuria à nobis affectorum dolent. Equidem ad id, inquam, iam feſtino: nam quandoquidē tibi iam expediui facti erga te mei rationem, facilè ad apologiæ iſtius partem me conuertā. Quām igitur ſuper hiſce accuſationem, quas illi criminationes afferunt? Grauem ſe videlicet iniuriam à nobis accepiſſe queruntur, quòd quem nobis illi honorem deferebant, eum deprecati ſimus. Ego verò illud primum dico: Nullam nos rationem habere oportere iniuriæ per nos hominibus illatæ, quoties per delatum eis honorē, Dei optimi offenſionem ſubire cogimur: quum iis etiam qui ſe iniuriam huiuſmodi accepiſſe ægrè ferunt, boni eam non conſu-

A lentes, hoc certè ipſum, quod boni ſcilicet non conſulant, ne à periculo quidem alienū ſit, verùm in primis diſpendioſum ac detrimentoſum. Decere enim exiſtimo illorum animos qui Deo opt. dicati ſunt, quique in illum vnum intuentur, tanta religione affici, vt ne id quidem iniuriæ loco habeant, etiamſi abs te iidem contumeliis mille affecti ſint. Sed quòd huiuſmodi audacia ne in huius quidem animi cogitationem deſcenderit, conſtare illinc poteſt. Nam ſi contumacia, faſtu, atque ambitione (vt tute ſæpenumero affirmaſti multos calūniari) ad id deductus ſum, certè nihil prohibeat quin hominis maximè iniurij notam ſubeam, iis ſic per me contemptis, qui præterquam quod magna atque admirabili virtute clarēt, de me quoque ſunt bene meriti. Etenim ſi in eos animaduertere debemus, qui iniuriam iis inferunt, à quibus nulla ipſi iniuria laceſſiti ſunt: quanto, quæſo, honore digni eſſe queant, qui nobis ex ſe vltrò honorem aliquem

B deferre propoſuerint? Neque enim hoc dicere quis poſſit, illos beneficio à me vel tenui, vel magno affectos, meritorum acceptorum vicem reponere voluiſſe. Quodnam igitur ſupplicium non mereatur, ſi quis contrariis factis repenſet? Sin autem id ne cogitauimus quidem, ſed longè alio conſilio grauem iſtam ſarcinam detrectauimus: quorſum prætermiſſa facti noſtri condonatione ac venia, ſi probare id ipſi factum nolint, criminantur, inſimulantes, quòd noſtræ animæ pepercerimus? Tantum enim abeſt, vt ij vllam à me iniuriam acceperint, vt eos etiam honore affectos dicere poſſim recuſatione hac noſtra. Neque verò mirum id tibi eſſe debet quod dixi, perinde quaſi dictum id ſit præter communem hominum ſenſum: nam de eo quoque tibi mox ſatisfecerimus. Tum enim ſi minus omnes, certè qui maledicentia delectantur, potuiſſent pleraque tum ſuſpicari, tum eloqui, partim de me electo, partim de illis eligentibus. Verbi

C gratia, quòd diuitias illi ſolas ſpectent, quòd generis ſplendorem admirentur, quòd à nobis adulatione victi eum nobis honorem mandaſſent. Nam quòd & pecunia adducti corruptique, dicere non habeo, ſi quis & ipſum hoc ſuſpicetur. Præterea, Chriſtus quidem piſcatores, tabernaculorumque texendorum artifices, itemque publicanos ad huiuſmodi principatum aduocauit: hi autem eos reſpuunt deſpiciuntque, qui ſibi quotidiano opere victum parant: ſin verò quis peregrinas literas, ſtudiaque nihil ad ſcripta euangelica pertinentia attigerit, atque in otio vitā tranſigat, hunc ipſum admittunt, probant, admirantur. Nam quo nomine eos qui ſudores propemodum infinitos pertulere, dum eccleſiæ vtiles eſſe ſtudent, contempſerunt: at eum, qui nihil vnquam ſudorum illorum guſtauerit, totam verò ætatem in futili atque inutili externorum ſtudiorum labore inſumpſerit, derepente

D in tam ſublimem honorem traxere? Hæc quæ dixi, atque adeò plura dicere illis licuiſſet, ſi huiuſmodi honos à nobis fuiſſet ſuſceptus: id quod illis nunc in contrarium euenit, vt quibus maledicentiæ occaſio omnis præciſa ſit, neque iam mihi adulationem, neque illis ſordes ac corruptelam obiicere poſſunt: niſi ſi qui fortè erunt, qui merè inſanire volent. Nam qui adulatione largitionéve honorē aliquem candidatus ambierit, hic qua ratione eum, tum quum ſuſcipere oporteat, aliis ſuſcipiendum ipſe relinquat? Id enim perinde fuerit, ac ſi quis laboribus multis in excolenda terra impenſis, vt ſegetem copioſam nouales reportent, ac vino lacus exundent, poſt ſudores infinitos, poſt multum pecuniæ ſumptum cùm meſſis ac vindemiæ tempus appetit, tum aliis factum illorum prouentum fruendum relinquat. Intelligiſne tum calūniari illos volentibus occaſionem haudquaquam fuiſſe defuturam, etiamſi longè à veritate alienam: quòd videlicet facta ab illis de nobis electio, à recto animi

iudicio nata nequaquam fuiſſet? qui tamen nunc ne hiſcere quidem, aut labia tantum diducere per me poſſunt. Ac tales quidem initio illorum extitiſſent ſermones, ſeu etiam his, quos dixi, plures additi. Cæterùm poſteaquam muneris functionem attigiſſemus, nullæ certè illorum defenſiones criminationibus quotidie exorientibus pares eſſe potuiſſent: etiamſi à nobis omnia inculpatè adminiſtrata fuiſſent: ne dicam neceſſariò futurum fuiſſe, vt partim miniſterij imperitia, partim ætatis huius vitio in multis aberraremus. Nunc verò eiſdem criminationis huius occaſionem ſuſtulimus: tum autem futurum erat, vt probris ipſos innumeris obnoxios redderemus. Quotuſquiſque enim id non fuiſſet conqueſtus? Pueris inſipientibus res tam miras, tamque magnas crediderunt. Deprauauerunt Dei opt. gregem. Ludicræ ac iam ridiculæ factæ ſunt res Chriſtianæ. At verò nunc quotquot vbique exiſtunt iniqui ac improbi, ſibiipſi os obturabunt: qui ſi propter te iſta protulerint, eueſtigiò eos re ipſa edocebis, non oportere prudentiam ætate metiri, neque ſenem canitie probare, neque iuuenem arcendum ab huiuſmodi miniſterio, ſed neophytum nouitiumque. Maximum autem inter vtrunque diſcrimen.

LIBER TERTIVS.

ATQVI quod ad eam iniuriam pertinet, quã eos à me affectos fuiſſe dicis, qui me cohoneſtarunt, tum quod nullo eos dehoneſtandi conſilio ab iſto me honore ſubtraxerim, afferri quidem à nobis ea poſſent, quæ diximus. Cæterum quod nullo etiam faſtidio, nulla contumacia inflati id fecerimus: idipſum quoque nunc pro viribus tibi planum facere adnitar. Etenim ſi nobis vel imperij militaris, vel regni etiam propoſita fuiſſet optio, potuiſſet quis id meritò de me ſuſpicari, ſi modò eandem hanc ſententiam ſequutus fuiſſem, quam hic ſecutus ſum: ſeu verius dicam, tum ſanè nos nullus faſtidij ac contumaciæ inſimulaſſet, amentiæ verò ac ſtultitiæ nemo non damnaſſet. Sacerdotij verò optione propoſita (quod quidem regno tanto eſt excellentius, quantum ſpiritus & carnis interuallum eſſe poteſt) ſuſtinebitne quiſquam contemptus ac faſtidij nos accerſere? Qui porrò id non abſurdum, eos qui prouincias puſillas reſpuunt, vt deliros incuſare: eos verò qui hoc idem in maximè excellentibus factitant, liberare quidem amentiæ crimine, inſolentiæ autem ac ſuperbiæ reos agere? perinde quaſi ſi quis eum qui boum armentum deſpiceret, armentarius eſſe recuſans, animi quidem inſolentia nequaquam præditũ eſſe, mentis autem alienatione prorſus laborare criminaretur: ei verò, qui orbis vniuerſi regnum deprecaretur, neque pateretur exercituum vbique terrarum inſtructorum imperium ad ſe deferri, pro amentiæ crimine, faſtus tantum atque inſolentiæ crimen impingeret? Sed non eſt ita, non eſt ita: neque certè nos magis quàm ſeipſos incuſant, qui iſta afferunt. Nam vel cogitaſſe tantum, fieri poſſe, vt tanta illa ſacerdotij dignitas ingenio ſit humano deſpicabilis: id verò contra eos ipſos, qui ſermones huiuſmodi vſurpant, iudiciũ argumentumque eſſe poſſit opinionis eius, quam iidem de re, de qua agitur, concipiunt: nam niſi ſacerdotium inter res viles modicique pretij ponerent, ne iſta quidẽ ſuſpicio ſeſe in animos ipſorum inſinuaſſet. Cur enim de angelica dignitate nullus vnquam inuentus eſt, qui tale aliquid ſuſtineret ſuſpicari, ac pronuntiare, humanum ingenium præ faſtu, ac contumacia ad naturæ angelicæ honorẽ, dignitatemque non aſpirare? Nempe magna quidem ea ſunt, quæ animo concipimus de poteſtatibus illis: atque idipſum vetat, vt credamus licere homini maiorem illa dignitatem animo cõcipere: quo fit vt conſentaneum magis ſit, ſi quis in illos, faſtus ac contumaciæ crimen id torqueat, quod in nos impingunt ipſi: neque enim id de aliis ſuſpicati fuiſſent, niſi rem ipſam prius damnaſſent, ac nihili æſtimaſſent. Porrò autem ſi id me dicent gloriæ atque ambitionis nomine commiſiſſe, iidem ſibiipſis non conſtare, imò pugnantia ſecum loqui apertè coarguentur. Neque enim video quãmnam aliã orationem quæſiuiſſent, ſi nos inanis gloriæ criminibus liberare voluiſſent. Nam ſi animum fortè meum laudis amor huiuſmodi inuaſiſſet, amplecti potius munus illud oportuit, quàm auerſari: quid ita? Nempe quòd ea res magnæ nobis gloriæ, magno honori futura fuiſſet. Hominem enim hoc ætatis, quique idem haud ita pridem vitæ huius curis ſe abdicaſſet, derepentè in tantam hominum admirationem veniſſe, vt iis etiam, qui in laboribus huiuſmodi omnem ætatem conſumpſiſſent, anteponeretur, & plura illis ſuffragia reportaret: id verò neminem non attraxiſſet in magnam aliquam atque admirandam noſtri opinionem: tum autem nobis paſſim venerationem illuſtremq; nominis huius gloriam conciliaſſet: vbi me nunc demptis paucis, eccleſiæ bona pars ne de nomine quidem norunt. Quamobrem ne omnibus quidem innoteſceret, deprecatum me fuiſſe quod offerebatur: ſed paucis quibuſdam, quos paucos ne omnes quidem ipſos rem, vt ſe habet, reſciſcere opinor. Conſentaneũ enim eſt ex iis etiam complures aut exiſtimare nullam prorſus de nobis electionẽ factam, aut ab electione nos reiectos fuiſſe, tanquam non ſatis idoneos viſos: non etiam nos vltro id functionis deuitaſſe. At verò, inquit, quibus rei comperta eſt veritas, demirabuntur. Atqui hos ipſos dixiſti ambitionis nobis atque inſolentiæ crimẽ impingere: vndénam ergo laudem ſperare licet? A multis? ſed neſciunt illi rem, vt ſe habet. At paucioribus? Verùm & hic nobis res in contrarium recidit. Neque enim alio nomine huc introiſti, quàm vt edocereris, qua aduerſum illos defenſione vti poſſes. Sed quorſum horum gratia hîc tantopere diſceptamus? Quod enim ſi vel omnibus res ea innotuiſſet, ne ſic quidem aut inſolentes, aut ambitioſi iudicandi eſſemus: pauliſper ſuſtineto, idque apertè intelliges: Itemque illud, quòd non iis ſolum qui hoc audentiæ ſibi ſumunt, ſi modò quiſquam exiſtit mortalium talis: nam exiſtere haudquaquam credo: ſed iis etiam qui id de aliis ſuſpicantur, periculum imminet non mediocre. Etenim ſacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cœleſtium claſſem ordinemque referendum eſt. Atque id perquam meritò: quippe non mortalis quiſquam, non angelus, non archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed ipſe paracletus ordinem huiuſmodi diſpoſuit: qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus author fuit, vt angelorum miniſterium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt ſacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cœlis collocatus inter cœleſtas illas virtutes medius ſtaret. Terribilia namque atque horrifica fuiſſe ferunt, quæ gratiæ tẽpus præceſſerunt: quod genus fuere, tintinnabula, mala punica, lapides pectori ſacerdotis, itemque alij humeris eiuſdem ſuperpoſiti, mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, ſancta ſanctorum, ingens intus quies atque ſilentium. At verò ſi quis ea, quæ gratiæ tempus nobis aduexit, examinet, terribilia atque horrifica quæ dixi, iudicabit eſſe admodum leuia, ac quod de lege à Paulo dictum eſt hic demum verum eſſe comperiet: quandoquidẽ *ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte propter eminentem gloriam*. Nam dum conſpicis dominum immolatum, ſacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi ac rubefieri, etiámne te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes?

Baſil. Chryſoſt.

Sacerdotũ dignitas in ſacrificio miſſæ, & in poteſtate ſoluendi & ligandi.

2. Cor. 3.

cenſes? an non potius eueſtigiò in cœlos transferris, an non carnis cogitationem omnem abiiciens, nudo animo, mente pura circumſpicis quæ in cœlo ſunt? ô miraculum, ô Dei benignitatem! qui cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus ipſum excipere ac complecti. Fit autem id nullis præſtigiis, ſed apertis ac circumſpicientibus circumſiſtentium omniũ oculis. Num tibi iſta contemptu ac deſpectu digna eſſe videntur? aut eiuſmodi, vt poſſit quis contra ea attolli atque inſurgere? Viſne & ſanctimoniæ iſtius excellentiam alio miraculo perſpicere? Ponito ob oculos Heliã illum, præterea & infinitam illam turbam circunfuſam, & ſacrificium lapidibus ſuperpoſitum, tum verò reliquos omnes admodum quietos ac taciturnos, ſolum autem prophetam preces fundentem, ſecundùm id flammam derepentè è cœlo delabentem, ſacrificiumque ipſum lambentem: mira ſunt iſta profectò, ac ſtupore omni plena. Ab illis ergò ſacris ad noſtratia ſacra te transfer: nec ea mira modò eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim ſacerdos, non ignem geſtans, ſed Spiritum ſanctum: is preces diuturnas fundit, non quo flamma cœlitus delapſa, ſacra appoſita abſumat: ſed vt gratia in ſacrificium influens, per illud ipſum omniũ animos inflammet, & puriores reddat argento igni excocto purgatoque. Hoc ergo myſterium omnium maximè horrendum verendumque, quis tandē qui ſanus in idem minimè ſit, quique è poteſtate non exierit, faſtidire ac deſpicere poterit? Ignoras futurum nunquam fuiſſe vt humanus animi captus ſacrificij ignem illum ſuſtineret: ſed funditus omnes tum fuiſſe interituros, niſi magnum diuinæ gratiæ auxilium affuiſſet? Nam ſi quis conſideret quantum id ſit myſterium, vt is ſcilicet qui homo ipſe ſit, carne ac ſanguine etiamnum conſtans, iiſque inuolutus, beatæ atque immortali naturæ illi fieri propior queat: tum probè intelliget quanto ſacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus ſancti gratia dignata fuerit: operantibus enim illis, tum ſacra hæc quæ dico, initiantur perficiunturque: tum etiam alia his nihilo inferiora, quæ ipſa ad dignitatis ſalutiſque noſtræ rationem ſpectant. Etenim qui terrã incolunt atque in ea verſantur, his commiſſum eſt vt ea quæ in cælis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus opt. neque angelis, neque archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, *Quæcunque alligaueris in terra, erunt alligata & in cælo: & quæcunque ſolueris in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Habent quidem & terreſtres principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolum. Id autē quod dico ſacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit: vſque adeò vt quæcunque infernè ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum cœleſtium poteſtatem illis à Deo conceſſam? *Quorumcumque* enim, ait, *peccata retinueritis, retenta ſunt.* Quænam, obſecro, poteſtas hac vna maior eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſtatem dedit: cæterum video ipſam eandem omnifariã poteſtatem à Deo filio illis traditam. Nam quaſi iam in cœlum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, atque noſtris ab affectibus exepti, ſic illi ad principatum iſtum perducti ſunt. Quid multa? Rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcunque velit in carcerem coniiciendi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille & admirandus iudicio omnium fuerit: at verò qui à Deo tantò maiorem accepit poteſtatem, quantò cœlum terra pretioſius eſt, quantò etiam animæ corporibus præſtant, hic vilem eouſq; dignitatem accepiſſe nonnullis videri debet, vt vel in illorum

3. Re. 18 — Math. 16. & 18. — Ioan. 20.

A cogitationem deſcendere queat, reperiri quandoque poſſe vnum aliquem ex eorũ numero, quibus tanta illa quæ paulò antè dixi, fuerint à Deo concredita, cui ipſi munus ſuum ſordeſcat, quique donum ſibi à Deo datum deſpiciat? Procul, procul hinc faceſſat huiuſmodi inſania. Inſania enim maniſeſtaria, deſpicere tantum iſtum principatũ, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi non poteſt quis in regnum cœlorum ingredi, niſi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit: &, Qui non manducat carnem domini, & ſanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur: omnia autē hæc haud aliter quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, ſacerdotum: qui fiet vt citra illarum opem aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitę in cœlo coronæ præmia aſſequi? Hi enim ſunt, hi, ſunt, inquam, quibus tum concreditæ ſunt ſpirituales B parturigines, tum etiam baptiſmatis partus à Deo eſt commiſſus: per hos ipſos Chriſtum induimus, vnà cum Dei filio ſepelimur, & beatæ carnis illius membra efficimur: quo nomine ſacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel principes, vel reges, verumetiam maiori honore quàm parentes proprios honeſtare. Hi enim ex ſanguinibus & voluntate carnis nos genuerunt: illi verò authores nobis ſunt natiuitatis eius quam à Deo habemus, beatæ regenerationis illius, libertatis veræ, atque adeò adoptionis eius qua nos per gratiam filij Dei ſumus effecti. Corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat: neque neſcis quanta cum ambitione, quanto cum ſtudio ac concertatione ſacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At verò noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare C prorſus conceſſum eſt. Quare iudicio quidem meo qui iſtos deſpiciunt contemnuntque, multò ſceleratiores ac maiori ſupplicio digni fuerint, quàm fuerit Dathan vnà cum ſuis omnibus. Illi enim tametſi principatum ad ſe non ſpectantem ſibi vendicabant, tamen miram quandam de eò principatu opinionem animo cõceperant: id quod declarauit ingens rei concupitæ ſtudium. Hi autē tum quum iam ſacerdotalis honos incrementum, ornatum, præſtantiam magnam accepit, contra quam illi, ſed tamen multò maiora audent. Neque enim perinde eſt ad deſpicientiæ rationem ſubducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot tantaque bona faſtidire: verùm facinus hoc tanto eſt illo grauius, quanto inter ſe diſſident interuallo faſtidiũ & admiratio. quis ergo tam infælici genio natus, tot tantaque bona faſtidiat? Et quidem neminem exiſtere talem dixerim, niſi ſi quis furiarum œſtro percitus ſit. Sed enim eò iam ſe oratio noſtra D referat, vnde digreſſa eſt. Neque enim in puniendo ſolum, ſed & in benemerendo maiorem Deus poteſtatem ſacerdotibus largitus eſt, quàm naturalibus noſtris parentibus: quos inter vtroſque tantum eſt ſanè interiectum interuallum, quantum vitam inter præſentem & æternam. Parentes enim nos in præſentem, ſacerdotes in vitam æternam generant. Atque illi certè ne corporalem quidem interitum à liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem morbum propulſare: quum hi laborantem ac morti iamiam propinquam animam identidem ſeruarint: aliis remiſſiorē pœnam infligentes, alios prorſus labi non permittentes, nõ doctrinæ ſolum atque commonitionis, ſed etiam precum præſidio: neque enim ſolum quum nos regenerant, ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. *Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis, accerſat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & obſecratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus: & ſi in peccatis*

Ioan. 3. Ibid. 6. — Num. 16.

fuerit remittentur ei. Iam verò naturales parentes, ſi
quos eorum liberi principes magnatéſve offen-
derint, opem certè illis nullam afferre poſſunt,
quum ſacerdotes, non principes, non reges, ſed
ipſum Deum nobis infenſum ſæpenumero con-
cilient. Nos igitur ſuſtinebitne adhuc quiſquam
faſtidij atque arrogantiæ reos agere? Equidem ex
iis quæ à me dicta ſunt, auditorum mentes tanta
puto religione occupatas, vt non iam eos qui fu-
giunt, ſed eos qui per ſe accedunt, honorémque
iſtum vltro ſibi ambiunt, contumaciæ, temeritatis
atque audaciæ accuſent. Nam ſi vſuuenit vt qui-
bus ciuitatum principatus concreditus eſt, ij niſi
valde prudentes pariter ac vigilantes fuerint, tum
ciuitates ipſas euertãt, tum ſeipſos perditum eant:
quanta illum virtute non ſua tantum vnius, ſed &
cœleſti præditum eſſe conuenit, cui ſorte obtigit
vt Chriſti ſponſam colat, ornétque, ſi modò pec-
candi occaſionem vitare is velit. Chriſtum nemo
eſt qui Paulo vehementius dilexerit, nemo qui
apud Deum gratioſior quàm Paulus fuerit: tamen
poſt tot priuilegia à Deo accepta veretur adhuc
ac tremit principatus iſtius ſubditorumque ſuo-
2.Cor.11 rum gratia. Metuo enim, inquit, *ne quà fiat, vt quem-
admodum ſerpẽs Heuam decepit verſutia ſua, ita corrumpan-
tur ſenſus veſtri à ſimplicitate quæ erat in vobis erga Chri-
Ibidem 2. ſtum*, ac rurſus: *In timore ac tremore multo vobiſcum ver-
ſatus ſum.* Atque hæc quidem dicit homo is, cui à
Deo datum fuit, vt in tertium vſque cœlum rape-
retur, ac diuinorum arcanorum particeps fieret,
qui idem totidem, vt ſic dixerim, mortes pertu-
lit, quot ipſe dies poſt fidem Chriſto datam vixit:
qui item idem ne conceſſa quidem à Deo poteſta-
te vtendum ſibi vbique iudicauit, vt ne quis eo-
rum qui fidem ſuam Chriſto obſtrinxiſſent, of-
Epiſcoporum ſtatus quã periculoſus. fenderetur. Si igitur Paulus Dei mandata ſic ob-
ſeruans, vt maiora etiam quam ipſi à Deo iniun-
cta fuiſſent, præſtaret, nunquam ſuo ipſius, ſed
ſubditorum tantum commodo ſtudens, ſic vbique
formidauit, magiſtratus ſui molem expendens,
quid faciemus ipſi, qui multi vbiq; ſumus in quæ-
rendis quæ noſtra ſunt? qui Chriſti mandata Pau-
li exemplo non ſolum non ſuperamus, ſed ea ma-
iori quidem ex parte tranſgredimur. *Quis infirma-
2.Cor.11 tur*, inquit ille, *& ego non infirmor? quis offenditur, & ego
non vror?* Eiuſcemodi ſanè conuenit ſacerdotem
eſſe: quinimò non eiuſcemodi tantum, parua enim
ſunt iſta, ac certè nulla præ eo quod ipſe ſum di-
cturus: hoc autem quidnam eſſe poteſt? *Optarim*,
Roma.9. inquit, *anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, pro co-
gnatis meis ſecundùm carnem*: quòd ſi quis exiſtit, qui
vocem hanc obſecrãs enuntiare poſſit, is demum
dignus quidem eſt, quòd ſi oblatum epiſcopi mu-
nus detrectet, inſimuletur: ſin à Pauli virtutibus
illis pari nobiſcum interuallo diſtat, is nimirum
odium ac vituperationem meretur, quum munus
idem delatum amplectitur, non quum detrectat.
Neque enim, propoſita militaris dignitatis ele-
ctione, ſi ij quibus prouincia ea demandata foret,
fabro ærario, aut cerdoni, aut cuipiam id genus
opificum in medium tracto, honorem huiuſmodi
ad illum deferrent, laudarẽt vtique miſeri ac ſto-
lidi illius conſilium, qui oblatum munus non ſta-
ſtim detrectaret, nihilque non faceret, vt ne ſe
ipſe in præſens coniiceret periculum. Nam ſi id
vnum ſatis ſit paſtorem ſimpliciter vocari, & pro-
uincia iſta vtcunque defungi, ne vllum prorſus
inde periculum exoriri poſſit: equidem nihil mo-
ror quin me, quiſquis volet, inanis gloriæ ſtudio-
ſum appellet: ſin verò rara prudentia, rara item à
Deo opt. data gratia, quæ prudentiam etiam ipſam
præcedat, præterea ſi morum integritate, ſi vitæ
puritate, denique ſi maiori quàm pro humano ca-
ptu virtute præditum eum eſſe oporteat, qui admi-
niſtrationis iſtius curam in ſe ſuſcipit, ne me ve-
nia priuatum per te velis, ſi fruſtra ac temere vitæ

A mihi meæ exitium acceſſere noluerim. Etenim ſi
nauem quis agens ampliſſimam, & quæ decem
millia pondo ferat, quæque eadem remigibus ſuis
ſit inſtructa, ac ſumptuoſarum mercium pondere
onerata, me illius gubernaculo præfectum iuberet
Aegeum Tyrrhenúmve mare traiicere, nimirum
fieret, vt ad primam ſtatim auditionem mandatum
id detrectarem: ac me ſi quis interrogaret, Quid
ita? ne nauem ſubmergam, vtique reſponderem.
Itáne igitur, vbi pecuniæ tantum iacturæ ſubeſt,
nec niſi corporis interitus periclitatur, nemo eſt
qui incuſet reprehendátque, ſi quis magna cau-
tione prouidentiaque hic vtatur: vbi autem na-
uem frangentibus, non in hoc vel illud pelagus,
ſed in ignis æterni abyſſum corruendum eſt: vbi
item eoſdem naufragos interitus manet, non qui
corpus ab anima dirimit, ſed qui animam ipſam
vnà cum corpore in ſempiternum exigit ſuppli-
cium: hic mihi vos ſuccenſebitis? hic mihi odium
B inimicitiáſque præferetis, ſi me ipſe temere in
tantam non coniecerim perniciem? Ne, obſecro
atque obteſtor, committere id velitis. Noui profe-
ctò animi huius vires quàm ſint infirmæ atque
exiguæ, noui quanta ſit functionis illius moles, no-
ui quàm ingens negotij ipſius difficultas. Fluctus
enim epiſcopi animum concutientes, ventis mare
identidem conturbantibus crebriores infeſtioréſ-
que eſſe ſolent. Ac primum quidem omnium oc-
currit peſtilentiſſimus inanis gloriæ ſcopulus,
longè iis infeſtior, quos poetæ prodigioſè effin-
gunt. Hunc tametſi compluribus licuit ſaluis
præternauigare, atq; incolumibus effugere: mihi
tamen ſic moleſtus eſt, vt ne nunc quidem, quum
nulla me in voraginem illam impellit neceſſitas,
facere poſſim vt prorſus hac noxa vacem. Quòd
ſi mihi quis prouinciam magiſtratus iſtius impo-
nat, quid aliud quàm manibus his poſt tergum
C tantum non reuinctis, belluis ſcopulum illum in-
ſidentibus, in dies ſingulos lacerandum me tra-
dat? belluæ verò quænam tandem illæ? Animi tum
citatio, tum remiſſio, inuidentia, contentio, calu-
mniæ, excandeſcentiæ in minimè noxios, delecta-
tiones natæ ex miniſterio ineptè atque indecen-
ter ab aliis adminiſtrato, dolor, ſi cui fortè mune-
ris ſui functio proſperè ceſſerit, laudum appeten-
tia, honoris deſiderium: quod ipſum in primis ho-
minis animum præcipitem ferri cogit: doctrina
voluptatem, non etiam vtilitatem captans: illibe-
rales adulationes, palpationes minimè generoſæ,
pauperum deſpicientiæ, diuitum cultus, honores
nulla ratione impenſi: gratiarum munerúmque
largitiones damnoſæ, periculum parientes tam
largientibus quàm accipientibus: timor ſeruilis,
ac non niſi peſſimis quibuſque mancipiis conue-
niens: fiduciæ interitus: modeſtiæ animi ſpecies
D quidem multa, veritas autem nulla: coarguendi
atque increpandi procul reiecta facultas, ſeu vt
verè dicam, contra inopes increpatio modum
nullum ſeruans, at contra eos qui potentia aliqua
præditi ſunt, ne diducere quidem labia quiſquam
audet. Has enim omnes atque his longè etiam
lupres feras noxius ſcopulus ille nutrit: à quibus
quidem homines ſemel captos, in tantam profe-
ctò ſeruitutem diſtrahi neceſſe eſt, vt ſæpe etiam
pleraque, dum mulieribus placere atque obſe-
cundare ſtudent, neceſſariò committant quæ ne
eloqui quidem honeſtum. Eas quidem diuina lex
ab hoc miniſterio remotas eſſe voluit. Illæ verò vi
facta intrò irrumpunt: quæ quandoquidem per ſe
nihil ipſæ poſſunt, per alios omnia factitant, ac
tantam ſibi vindicant poteſtatem, vt quoſcunque
illæ epiſcopos velint, & allegent, & ſummoueant.
Fitque tandem per eas, vt quod eſt in veteri pro-
uerbio, ſurſum ac deorſum ſeſe habeant res, ac
principes ſuos ſubditi ipſi regant. Atque vtinam
id tantum viri factitarent, non etiam eæ quibus

ne

Digitized by Google

ne docere quidem permiſſum eſt. Sed quid dico, docere? certè ne in eccleſia quidem fari illis beatus Paulus permiſit. At memini ſanè ex quodam me audire, quòd & tantam ipſis impertiſſet libertatem, vt & eccleſiarum præſides obiurgarent, illoſque acerbius inceſſerent, quàm ſerui à dominis ſuis inceſſantur. Cæterum nolim, vt quiſquam exiſtimet epiſcopos omnes à me criminum eorum, quæ dixi, reos factos: ſunt enim, ſunt, inquam, permulti, qui ſeſe ab iis retibus probè extricarunt: atque adeò plures iis qui ſe capi atque intra ea inuolui paſſi ſunt: neque tamen ob id ſacerdotalem ipſam dignitatem malorum iſtorum authorem fecerim. Abſit enim tãta à me inſania: neque enim ferrum cædis, neque vinum ebrietatis, neque robur contumeliæ, neque fortitudo inconſideratæ audaciæ: ſed eos potius qui prætérquam deceat donis à Deo datis abutuntur, quiſquis ſana mente fuerit, authores eſſe dicet, punietque: quandoquidem & ſacerdotium meritò B nobiſcum expoſtulare poſſit, ſi ſe non rite atque ordine pertractemus adminiſtremúſque: neque enim illi accepta ferre debemus mala ea, quæ dixi, ſed nobis potius qui illud idem, quãtum in nobis fuit, conſpurcauimus atque coinquinauimus, hominibus quibuſlibet illius adminiſtrationem in manum tradentes: qui quidem neque viribus ſuis ipſorum prius conſultis, neque conſiderata rei magnitudine, obuiis ſtatim vlnis munus oblatum amplectuntur: quum autem eò ventum eſt, vt negotiorum functioni manus admoueant, nimirum inſcientiæ caligine occupati, calamitatibus infinitis populos fidei ſuæ concreditos replent. Hoc ipſum, hoc ipſum certè eſt quòd noſtra ætate propemodum accidiſſe videmus, niſi nos repente Deus è periculis illis aſſeruiſſet, partim ſuæ eccleſiæ, partim animarum noſtrarum ſaluti culpam eam condonans: alioqui vndénam, quæſo C exiſtimas tam multas in eccleſiis turbas naſci? Equidem non aliunde opinor, quàm ex epiſcoporum antiſtitumque electionibus caſu potius, ac temere, quàm diligenter, atque accuratè factis. Nam caput valentiſſimum quidem eſſe oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte ſurſum aſcendentes diſpenſare, eaſdemque rite atque ordine cõponere poſſit. Quum enim per ſe caput infirmum eſt, ac fumorum inſultus illos morbificos repellere minimè potens; tum fit vt ipſum etiam infirmius indies reddatur, tum autem reliquum corpus ſecum perdat. Id quod vt ne in præſentia accideret, voluit Deus vt nos in loco & numero pedeſtri, quem ſors noſtra initio tulerat, permaneremus. Multa enim alia ſunt, Baſili, præter ea quæ iam à nobis dicta ſunt, quæ ſacerdotem præſtare oportet, ac quæ certè in nobis non agnoſcimus. Inter quæ illud præcipuum, Sacerdotis animum honoris illius deſiderio vndique vacare oportet. Nam ſi ad eum principatum adipiſcendum vehementi animi affectu rapietur, eo adepto impotẽtiorem ſanè ambitionis ſuæ flammam incendet, ac vi tandem captus, vt ſibi adeptum honorem ſtabiliat, nulli non peccato ſeruiet, ſeu adulandum, ſeu ſeruile quid atque indignum ſuſtinendum, ſeu res magno pecuniæ ſumptu tentanda. Nam quòd nonnulli cædibus eccleſias compleuerint contaminarintque: tum eius honoris gratia depugnantes, ciuitates aliquot funditus euerterint; dicere hîc prætermitto: ne quibuſdam videar ea in medium afferre, quæ fide maiora ſint. Oportere autem puto tanta cum religione ac cautione ad rem ipſam accedere, vt illius molem magnitudinemque primum prorſus detrectes: deinde adepto honore, aliorũ iudicia ſententiáſque non expectes, ſi quod fortè commiſſum deprehendatur, propter quod oporteat te honorem illum deponere, quin po-

Ambitio quam ſit ſuperioribus deteſtanda.

A tius illis anteuertens te ipſe munere abdices. Sic enim par eſt vt diuinam concilies impetreſque miſericordiam: qui ſi tibi honorem illum præter decorum tanquam mordicus retinere ſtudueris, indignus es qui veniam conſequaris: tum verò diuinam iram magis ac magis incendis, altero peccato, & eo grauiore per te addito. At verò conſtantiam hanc præſtare nullus valeat: tam peſtilens, tamque lethale eſt appetentiæ illius virus. neque id dico, cum B. Paulo pugnare volens, quinimo vt maximè cum illius verbis conſentiam. Ea verò eiuſmodi ſunt: Si quis epiſcopi munus appetit, honeſtum opus deſiderat. At ego non operis ipſius, ſed dominationis ac potentiæ deſiderium peſtilens eſſe dixi. Atque hoc ego deſiderium ſic toto ſtudio ab animo abiiciendum eſſe cenſeo, vt ne animum quidem ipſum prorſus permittas ab illo occupari, vt is rerum omnium liberè agendarum poteſtatem habeat. Nam quem nulla cupiditas trahit, vt ſeſe in eo munere collocatum oſtentet, ac tanquam digito ab aliis monſtretur, is certè ab eo ſolio deturbari non formidat. Porrò autem qui id non formidat, hic cum ea libertate quæ Chriſtianas mentes decet, omnia exequi potuerit: dura enim &, acerba atque adeò multis referta incommodis illorum eſt ſeruitus, qui honoris huiuſmodi caſum reformidant: ob quem ſæpenumero fit, vt & hominum & Dei opt. offenſionem ſubire cogantur: decet autem affectus noſtros tales non eſſe. Sed quemadmodum in præliis videmus generoſiſſimos quoſque milites alacriter manum cum hoſte conſerere, tum, ſi ita res ferat, fortiter occumbere: ita oportere puto animatos eſſe qui ad miniſterij iſtius functionem ſe conferunt, vt quod verè Chriſtianos viros decet, & conſecrari & ſubmoueri iuxtà parati ſint: quum intelligant ſubmotionem priuationemque huiuſmodi non inferius præmium afferre ſolere, quàm honor ipſe afferat. Nam quoties tale aliquid cuipiam euenerit, ea ferre nolenti, quæ indecora, ac muneris ſui dignitati minimè conuenientia putat: fit vt & illis qui ipſum iniuſtè ſummouerint, grauius ſupplicium, & ſibi copioſiorem mercedem paret. *Beati* enim, inquit, *eſtis, quum probra iecerint in vos & inſectati fuerint, & dixerint omne malum verbũ aduerſus vos mentiẽtes, propter me: gaudete & exultate, quoniã merces veſtra multa eſt in cœlis*: & hæc certè ipſa tãto magis locũ habet, quoties à ſociis cõuictorib. aut per inuidiã, aut dũ aliis placere illi ſtũdent, aut per ſimultatẽ, atq; inimicitias iniuſtè quis loco ſuo depellitur. Nam quoties id te ab aduerſariis pati cõtigerit, ne oratione quidem opus eſſe puto ad lucrum id demonſtrandum, quod illi malitia ſua tibi acquirunt. Illud igitur oportet vndique circunſpicere ac diligenter perſcrutari, necubi deſiderij illius ſcintilla aliqua ardens lateat. Præclarè enim actum fuerit vel cum eis qui iam inde ab D initio ab hoc morbo liberos ſeſe eſſe ſtudent, ſi ad honorem iſtum quum peruenerint, tum demum effugere morbum eum poſſint: quòd ſi quis exiſtet qui honore illo nondum adepto, atrocem hanc atque efferam beluam ſecum enutriat, verbis aſſequi non poſſint in quantam perniciem accepto honore præceps iturus ſit. Nos autem (ac ne me rerum noſtrarum eleuandarum ſtudio hic apud te falſa loqui velle putes) cupiditatis, deſideriique iſtius morbo vehementer laboramus: quæ res vnà cum aliis omnibus non parum nos exterruit, atque in fugam hanc vertit. Nam quemadmodum qui corporum amore capti ſunt, ii donec propinquos eos habent, quos amant, grauius quidem morbi ſui tormentũ vimque ſuſtinent: quum autem quàm longiſſimè ſeſe ab illorum conſpectu abduxerint, tum furorem ipſum ab animo excutiunt: ſic & qui honoris iſtius quem dico, cupiditate titillantur, dum propius adſunt, malo ferendo

1. Tim 3.

Matt. 5.

impares

impares ſunt: quum autem ſeſe illinc ſummoue- A
rint, honoremque deſperauerint, fit vt deſide-
rium vnà cum expectatione extinguant. Porrò
vna hæc cauſa non mediocris eſt, quæ vt ſola
exiſtat, tamen idonea fuerit quæ nos à munere
iſto arceat. Verum & alia quædam ſubeſt, hac
ipſa nequaquam inferior. Quænam tandem ea
eſt? Sobrium modeſtumque epiſcopum eſſe
oportet: eundemque perſpicacem, atque innu-
meros quoquouerſus oculos circunferre: quip-
pe qui non ſibi vni tantum, ſed & tam multis vi-
uat populis. Cæterum quòd nos ſegnes ſimus ac
remiſſi, ac vix noſtræ ipſorum ſaluti ſufficientes,
vel tute fateare, qui amoris abundantia quadam,
vitia ſi qua in nobis ſunt, diſſimulare ſtudes. Abſit
enim vt mihi hic iactes vel ieiunia, vel noctes in-
ſomnes vel corpus humi decubare aſſuetum, vel
ſi qua alia eſt corporis indurati afflictio. Nam tibi
ſatis innotuit quantum ab his virtutibus abſimus,
quas vt nos etiam exactè atque abſolutè præſtite- B
rimus, ne ſic quidem poſſent cum huius animi ſe-
gnitie coniunctæ nobis ad præfecturæ illius, quam
dico, adminiſtrationem obeundam præſidij quic-
quam afferre. Homini enim in cubiculum ali-
quod incluſo, tum de ſuis tantum rebus ſollicito,
magnum res eæ adiumentum afferre poſſint. Ei
verò qui in tot populus ſciſſus eſt, curas ſollici-
tudineſque ſuas in ſubditos ſuos ſingulos par-
tiens, non video quid idonei adiumenti ad illo-
rum profectum conferre queant, niſi idem acrem
fortiſſimumque animum nactus ſit. Neque ſanè
mirum tibi eſſe debet, ſi vna cum tanta tolerantia,
alia quadã fortitudine epiſcopi animum ſpecta-
tum eſſe volo. Nam cibum, potum, ſtratum item
molle contemnere, multis ne labori quidem id
eſſe videmus, iis præſertim, qui natura agreſtiores
per ætatis vigorem ita ſunt educati: ac multis item
aliis, aliâs corporis habitudine, aliâs ipſa etiam aſ- C
ſuetudine laborum illorum aſperitatem mollien-
te mitiganteque. At contumeliam, vim, incommo-
dum, moleſtum aliquod verbum, tum verò ſcom-
mata ab inferioribus nonnunquam leuiter, atque
impræmeditatè, nonnunquam etiam reddendo
iure contorta, pręterea & querelas temere ac nul-
la cauſa tum à principibus, tum à ſubditis natas,
non multorum eſt ferre poſſe, ſed vnius tantum,
& alterius. Ac videre ſanè eſt eos qui animi virtu-
tibus illis plurimum poſſunt, ad hæc ipſa tanta ve-
luti animi vertigine laborare, vt vel immaniſſimis
belluis facilius exaſperentur. Huiuſmodi autem
ingenio præditi homines ab epiſcopatus cancel-
lis, à ſacerdotij clauſtris procul arcendi ſunt. Nam
epiſcopum inedia minime cruciari extenuariue,
tum eundem nudis pedibus non ingredi: id certè
nihil incommodabit eccleſiæ vniuerſitati: at verò
agreſtioris animi ferocitas furórque, tum domino D
poſſeſſorique ſuo, tum etiam proximo ingentium
calamitatum author ſæpe fuit. Atque iis quidem,
qui virtutes illas non præſtant, nulla à Deo com-
minatio: at temerè excandeſcentibus, gehennam
ac gehennæ flammam æternam Deus commina-
tus eſt. Ac quemadmodum fit, vt qui inanis gloriæ
titillatione mouetur, ſi quando populi principa-
tum obtineat, materiam igni ſuccenſo ſuppedi-
tet: ſic qui ſolitudini aſſuetus, ne in paucorum
quidem hominum conſuetudine, animi ſui iræ
imperare non poteſt, quinimo perfacilè ab ea
tranſuerſus agitur: huic ſi popularem magiſtra-
tum credas, inſtar feræ alicuius à multis vndique
extimulatæ, neque quieto vnquam animo eſſe
queat, & commiſſos ſibi populos in infinita mala
atque incommoda diſtrahat. Nihil enim ſic inge-
nij perſpicuitatem, nihil ſic mentis aciem hebe-
tat, vt ira nullum ordinem ſeruans, ab animi im-
potentis impetu nata. Ira enim, inquit ille, & pru-
dentes perdit: quaſi enim in nocturna pugna ali-

qua obtenebratus animi oculus, non internoſcit
amicos ab aduerſariis, neque ignobiles à claris,
ſed omnes ſimul vno loco habet: & ſi iactura
etiam aliqua calamitáſque ſubeunda ſit, omnia
perfert vt animi voluptatem impleat ſatietque.
Eſt enim etiam quædam voluptas, iræ excandeſ-
centia: cuius tyrãnis humanum animum vbi poſ-
ſedit, voluptatis tyrannide crudelior truculen-
tiorque eſt, vniuerſum illius ſtatum ſurſum ac
deorſum conturbans, incolumitatemque excar-
nificans: nam & ad arrogantiam faſtúmque faci-
lè impellit, & ſimultates intempeſtiuas: & odium
nulla ratione ſubortum, & offenſiones leuiter ac
temere natas aſſiduè parat: & multa id genus alia
cum verbis, tum factis vi aggrediuntur: quum ani-
mus interim clam vehementi morbi illius flatu
raptus, non habeat vbi ſuam vim affirmans tanto
impetui reſiſtat. Tum Baſilius: Ego verò te, inquit, Baſil.
non amplius diſſimulantem hîc patiar: quis enim
neſcit quantum ab hoc morbo ſis alienus?

Cur me igitur, inquam, ô bone, vis flammæ Chryſ.
atque incendio admotum eſſe? cur belluam quieſ-
centem irritare pergis? ignoras id nobis non no-
ſtra virtute ſucceſſiſſe, ſed potius ex ſolitariæ ac
quietæ tantum vitæ cultu ac ſtudio? cum eò au-
tem qui ad animi morbum huiuſmodi propenſior
ſit, præclarè ſanè actum fuerit, ſi ſolitariam vitam
ſequutus, vniuſque & alterius amici vſu delecta-
tus, poſſit excandeſcentiæ incendium illud deui-
tare: vt ne dicam cogi illum alioqui in tam multa-
rum curarum altiſſimum pelagus præcipitem
ruere. Tum enim non ſe ſolùm, ſed & alios com-
plures ſecum ad interitus præcipitium pertrahit,
redditque minus animatos ad humanitatis facili-
tatiſque ſtudia excolenda: quando ſit natura
comparatum eſſe videmus, vt ſubditorum multi-
tudo magna quidem ex parte principum ſuorum
mores tanquam exemplarem quandam imagi-
nem ſpectent, ſéque ad illos formare ſtudeant.
Qui ergo fieri poſſit, vt illorum tumores & in-
flammationes ſedet is qui ipſe tumeſcat? quis ve-
rò plebeius vir concupiſcat ſtatim temperans
moderatuſque fieri, principem intuitus iracun-
dum? Neque enim poſſunt epiſcoporum vitia diſ-
ſimulari, ſed vel parua atque exigua confeſtim
manifeſta ſiunt. Quando & athleta tantiſper dum
domi ſe continet, cum neminẽ manus conſerens
imbecillitatem infirmitatémque ſuam occultare
aliis poteſt: vbi verò nudato corpore in arenam
decertaturus deſcenderit; tum facile apparet
quid ille poſſit. Eadem ratione qui priuatam hanc
& quietam vitam viuunt homines, ſolitudinem
habent ſuorum vitiorum tanquã velamen quod-
dam: idem rurſus quum in medium prodierint,
ſolitudinem illam, ſicut veſtem exuere, ac per ex-
ternos aduentitióſque motus, ſuos animos omni-
bus nudos exhibere coguntur. Quemadmodum
ergo illorum officia rectique mores multis vſui
ſunt, accenduntque ad ſtudij æmulationem eiuſ-
dem: ita & vitia ad virtutis cultum ſegniores red-
dunt, præſtantque vt cæterorum animi ad bono-
rum operum labores capeſſendos torpeſcant:
quamobrem ſacerdotis animi pulchritudinem
vndique ſplendeſcere oportet, vt oblectare pari-
ter & illuſtrare poſſit eorum animos, qui ſuos in
illum oculos iniiciunt. Nam vulgarium homi-
num delicta, veluti in tenebris commiſſa, autho-
res ſuos ſolos perdunt. Cæterùm hominis illuſtris
& vulgo cogniti delictum cõmune omnibus dam-
num adfert: cùm eos qui ad virtutis capeſſendæ
ſudores remiſſi ſint, ſupiniores etiamnum reddẽs:
tum eos, qui ſibiipſis attendere, ac virtuti acqui-
rendæ aduigilare volunt, ad deſperationem exti-
mulans. Præterea ignobilium delicta ſi in me-
dium prodierint, neminem inſigniter vulnerant:
at qui in iſtius dignitatis faſtigio poſiti ſunt, pri-

mùm

mum nemini non noti manifeſtique ſunt, tum verò ſi vel tantillum peccauerint, parua eorum peccata aliis magna videntur: neque enim peccati magnitudine, ſed peccantis potius dignitate peccatum plerique omnes metiuntur. Ac certè epiſcopum conuenit & ſtudio acri, & perpetua vitæ continentia tanquam adamantinis armis circunſeptum, quoquouerſus circunſpicere, necubi nudo quis aut neglecto loco deprehenſo lethale vulnus adferat. Circunſiſtunt enim cæteri parati vt vulnerent, ac ſi liceat ſupplantent: neque ij ex hoſtium atque aduerſariorum numero, ſed ex iis qui ſe amicos eſſe aſſimulant. Epiſcoporum ergo animi tales eligantur, qualia olim in Babylonia fornace ſanctorum illorum corpora diuinæ gratiæ largitas exhibuit. Neque enim ignis eius qui epiſcoporum animos depaſcit, alimenta ſunt ſarmentum, pix, ſtupa: ſed alia quædam his longè infeſtiora: quando ne ignis quidem ſenſibile illud elementū hic ſubſternitur, ſed pro igne epiſcopū circumlambit voraciſſima inuidiæ flamma, vndiq; ſe attollens, atque adeò vitam illius ac mores altius ſubiens, ſcrutans, probans, quàm ignis ille Babylonius puerorum illorum corpora probauerit. Quoties igitur repererit vel tenue aliquot ſtipulæ veſtigium, celeriter admota partem illam debilem ac vitiatam exurit: tum verò reliquam ſtructuram, vt ea ſolaribus radiis radiantior lucidiorque fuerit, fumo illo inuoluit, totámque denigrat. Quandiu enim ſacerdotis vita pulchrè partibus ex omnibus congruēs, concinnatáque fuerit, nullæ illi aduerſariorum inſidiæ nocere poſſunt: qui ſimul atque vel tantillum officij recti prætermiſerit (vt par eſt nonnunquā prætermittere eum, qui homo quidem ipſe ſit, quique humanæ vitæ plenum erroribus pelagus traiiciat) iam illum nihil anteactæ vitæ honeſtas adiuuat ad incuſantium voculas effugiendas: quinimò leue illud commiſſum, reliquæ illius vitæ luminibus officit: ac certè ſic ſacerdoti omnes iudices eſſe volunt, vt carne nequaquam compoſito, vt humanam naturam non ſortito, verùm vt angelo, vt humanæ infirmitatis minimè participi. Porrò quemadmodum tyrannum, donec imperio potitur, reformidant, eique adulantur omnes, non ob aliud, niſi quòd illum tyrannide deturbare non poſſunt: quum autem illi res in contrarium cedere viderint, hic relicto honore illo ſimulato, qui haud ita pridem amici erant, fiunt derepentè aduerſarij atque hoſtes: ac vitiatas infirmáſque in illo partes rimati, per quas videlicet illum facilius adoriantur, impreſſione facta imperio depellere conantur: ſic & in ſacerdotibus vſu venit. Nam qui ſacerdotem paulò antè ac dum munere potiretur, reuerebantur colebántque, ij occaſionem nacti perexiguam, magno ſe ſtudio accingunt, vt illum infeſtius etiam quàm tyrannum imperio depellant: atque vt tyrannus corporis ſui cuſtodes timet, ſic ſacerdos eos quos ſibi propinquos, collegáſque habet maximè omnium reformidat: nulli enim alij perinde illius magiſtratum affectant, eiuſdemque res omnes notas habent, atque illi: propinqui enim, ac familiares quum ſint, ſi quid tale acciderit, continuo ante omnes præſentiſcunt: ac facilè illis etiam calumniantibus fides adhibetur: poſſuntque illi haud ita magno negotio calumniis ſuis circumuentum epiſcopum capere, illius errata, quantumlibet leuia, aggrauantes. Qua in parte apoſtolicum illud dictum immutatum eſt: ſiue patitur vnum membrum, gaudent omnia membra: ſeu glorificatur vnum membrum, ſimul patiuntur omnia membra, niſi ſi fortè ingentem quandam pietatem, ac religionem præſtiterit, quam aduerſus illa omnia opponere queat. In tantum igitur bellum nos emittis? & aduerſus pugnam tam variam, tamque

A multiformem animum noſtrum ſufficere poſſe exiſtimas? Vndénam, quæſo, & à quo id edoctus es? nam ſi cœlitus id tibi innotuit, oraculum ipſum mihi indica, & tibi iam aſſentior. Sin id non potes; verùm ex hominum opinione de hac re pronuntias, ab iſto tandem errore animum liberes. In iis enim quæ ad nos ſpectant, par eſt vt noſtrum potius, quàm aliorum ſequamur iudicium: quæ enim in homine ſunt nullus nouit, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt. Nam quòd tum noſipſos, tum eos à quibus electi ipſi ſumus, ridiculos feciſſemus, illo per nos munere ſuſcepto: ac magno item cum noſtro diſpendio ad vitæ conditionē hanc, quàm hodie quoque tuemur, reuertiſſemus, ſi minus antehac, nunc certe per hæc me verba perſuaſiſſe puto. Neque enim inuidia ſolum, ſed & quæ inuidia longè infeſtior eſt, principatus huius affectatio, complures armare ſolet aduerſus eum, qui
B principatum ipſum occupat. At quemadmodum qui principatum affectant filij, moleſto animo intuentur longam patrum ſuorum ſenectutem: ſic ex his nonnulli quum viderint conſtitutum, vt ſacerdos ad longum aliquod tempus dignitatis ſuæ munere fungatur, quandoquidem interdicere nefas, deturbare illum imperio accelerant: omnes in deturbati locum ſuffici cupientes, ac ſinguli honorem illum ad ſe deferri expectantes. Vis & aliud tibi pugnæ huius genus aperiam, periculis mille plenum? Ito hinc iam, ac publica feſta ſpectato: ea dico in quibus dignitatum eccleſiaſticarum electiones de more fiunt, & tam multis videbis inibi criminationibus lacerari epiſcopum, quanta eſt tota illa ſubditorum multitudo, quibus eligendi poteſtas conceſſa eſt. Hos omnes tum in multas factiones ſcindi, neque inter ſe conſentire, neque cum eo cui ſorte epiſcopatus delatus ſit conuenire videas: ſed vnuſquiſque à ſuo-
C rum vnius partibus ſtat, alius hunc, alius illum eligens. Cuius rei cauſa hæc eſt, quòd id ipſum non ſpectant, quod ſolum ſpectandum fuerat, nempe animi virtutem: ſed aliæ ſunt cauſæ quibus honores conciliantur. Verbi gratia, hic, quòd claro genere natus ſit, in epiſcopatus, inquit, ordinem cooptetur. Ille, quòd opibus abundet, neque indigeat alimentis ex eccleſiæ prouentibus quæſitis: alius quòd ab aduerſariis ad nos transfugerit, alius ſibi genere propinquum ac neceſſarium: alius adulatorem cæteris anteponere mauult: nemo eſt qui eum qui idoneus ſit, ſpectare velit, aut animi partes explorare curet. Ego verò tantum abſum, vt cauſas huiuſmodi ad probandos ſacerdotes idoneas eſſe putem, vt ſi quis etiam magnam perpetua vitæ religionem, pietatemque præſtiterit, quæ ipſa tamen non paruum ad id adfert præſidium, ne hunc quidem huius nomine allegere ſtatim audeam, niſi magnam etiam animi
D prudentiam religione huiuſmodi coniunctam habeat. Nam multos ipſe noui, ex iis qui ſeſe perpetua continentia cohibuiſſent, ac quorum corpora ieiuniis multis exhauſta eſſent, donec ſolitariam vitam agere, ac ſuas duntaxat res curare licebat, de eo maximè acceptos fuiſſe, eoſdemque in dies ſingulos cœptæ illi philoſophiæ auctarium non paruum adieciſſe: qui iidem poſteaquam in hominum lucem venerunt, vulgi inſcitiam emendare coacti, alij prorſus muneri illi adminiſtrando impares fuere, alij in eo ipſo munere perſeuerare dum cogerentur, priſtina vitæ cura atque auſteritate procul excuſſa, tum ſibi detrimento maximo, tum aliis nulli prorſus vſui fuere. Neque verò ſi quis vitæ tempus perpetuum in extrema ſacrarum functionum claſſe perſiſtens conſumpſerit, ac ſic demum ad vltimam vſque ætatem peruenerit, hunc protinus propter ætatis reuerentiam ad ſummum honorem perducemus. Quid enim ſi vel ea ætate quum ſit, tamen minus idoneus ad-

In eos qui indignos ad dignitates promouent.

huc reperiatur? quod tamen ſic à me dictum non A
eſt,quaſi velim canitiem vituperare: vel ſtatuere
lata hìc per me lege eos qui è monachorum ſo-
dalitiis prodiere,ab huiuſmodi præfectura arcen-
dos prorſus eſſe:contigit enim aliquoties,vt ex eo
grege complures ad id muneris pertracti, vitæ
candore in primis eluceſcerent. Verum illud eo
nomine dixi,vt oſtendam, ſi neque religio per ſe
ipſa,neque ſenectus longæua ſatis eſſe poſſunt, vt
eum qui epiſcopatum obtinuerit,munere illo di-
gnum efficiant: certè vix hoc ipſum cauſas eas,
quas paulò ante commemoraui, efficere poſſe:
quibus cauſis nonnulli etiam abſurdiores alias
adiungunt. Etenim alij quoſdam, vt ne aduerſa-
riorum partes ſequantur,in cleri ordinem recen-
ſent: alij propter malitiam, ne contempti ſcilicet
luculentorum malorum in reliquum tempus au-
thores fiăt. Potéſtne quicquam hoc ipſo iniquius
eſſe? quum videlicet homines peruerſos, malis
flagitiiſque omnibus abundantes propter hæc B
coli, ab aliis videmus; ob quæ puniri ipſi debe-
rent, eoſdemque, quarum rerum nomine ne ec-
cleſiæ quidem limen introire oporteret,vel ad ſa-
cerdotalem dignitatem aſcendere. Etiámne, ob-
ſecro,quæremus diuinæ in nos iræ cauſas, quum
nos myſteria tam ſancta,tamque horrenda homi-
nibus partim flagitioſis, partim nihili labefactan-
da tradamus? Quum enim alij prouinciæ ad ſe mi-
nimè pertinentis, alij multò etiam maioris quàm
propriæ patiantur vires, præfecturam ſortiti fue-
rint,ij certè efficiunt, vt eccleſia Dei nihilo ab
Euripo differre videatur. Equidem principes ex-
ternos antea ob id irridebam, quòd honores præ-
fecturaſque diſtribuerent non animorum virtutis
ſed pecuniarum rationem habentes: atque vt alij
aliis vel annorum multitudine, vel dignitatum
gradibus iam antecedant,ita demum eos vlterius C
promouentes. Poſteaquam verò audiui indigni-
tatem hanc in noſtrum etiam ordinem quodam-
modo debacchatam irrepſiſſe,facinus huiuſmodi
mihi non perinde graue viſum eſt. Qui enim mi-
rum fuerit, homines rerum humanarum cultui
deditos,popularem tantum auram venantes, pe-
cuniæ cauſa nihil non agentes, in huiuſmodi vi-
tia prolabi, vbi qui ſe puros eſſe ab iis omnibus
vitiis ſimulant, illis nihilo ſeſe melius animo af-
fectos oſtendunt? quinimò rerum cœleſtium cer-
tamen ſuſcipientes, perinde atque ſi de terræ iu-
geribus,aut alia id genus re deliberarent, grega-
rios quoſdam homines temere aſſumptos, rebus
iis præficiunt, quarum nomine & gloriam ſuam
exinanire,& homo fieri,& ſerui formam accipere
& conſpui, & colaphis cædi, & morte ignomi-
nioſiſſima occumbere ſecundum carnem, vnige-
nitus Dei filius non deprecatus eſt? Neque iſti ta-
men intra hos fines ſe continent, ſed & alia ad- D
dunt abſurdiora. Neque enim immeritos ſolum
allegunt, verùm & idoneos eiiciunt. Nam quaſi
conueniret vtrinque eccleſiæ firmitudinem labe-
factari, ac cauſa illa prior non ſufficeret ad diui-
nam iram accendendā,ita illi alteram nihilo dete-
riorem coniunxerunt. Etenim iuxta ego peſtilens
eſſe reor,vtiles arcere,& inutiles intromittere: id
quod ab illis certè fit, vt Chriſtianum armentum
nulla ex parte aut conſolationem inuenire, aut
reſpirare valeat. Hæc igitur nonne millies Dei
fulmen merentur? nónne digna ſunt quæ gehen-
næ, non illius quam nobis ſacræ literæ commi-
nantur,ſed longè etiam grauioris igne plectantur
veruntamen mala huiuſmodi ſuſtinet patiturque,
qui peccatoris mortem non vult, ſed vt conuer-
tatur ipſe ac viuat. Cuius in nos benignitatem
miram qui ſatis mirabimur? ad cuius miſericor-
diam qui ſatis obſtupeſcimus? En qui Chriſtiani
ſunt, ſæuius etiam quam aduerſarii, quàm hoſtes
Chriſti opes perdunt. At ille etiamnum bonus

benignitatem vbique præ ſe fert,ad pœnitentiam
inuitans. Tibi gloria, tibi, inquam,gloria domine:
quantæ apud te clementiæ abyſſus, quantæ eſt
patientiæ copia? Hem qui nominis tui prætextu
ex ignobilibus & obſcuris clari atque illuſtres ef-
fecti ſunt,honore abutuntur, contra eum qui ho-
norem eſt largitus,audentque non audenda,in ſa-
croſancta illa tua myſteria iniurii, probos extru-
dentes eiicienteſque vt homines malis perditiſ-
que moribus præditi, magna cum quiete ac ſum-
ma cum licentia quæcunque collibuerit inuer
tant atque conturbent. Cuius quidem morbi ſi
cauſas perdiſcere cupis, iis ipſis quas paulò antè
numeraui,ſimiles comperies: radicem enim, &, vt
ſic dicam,matrem vnam habent, inuidentiam: ea-
rum verò non vna tantum ſpecies eſt, ſed admo-
dum diuerſæ. Hic enim,inquiunt, quandoquidem
iuuenis eſt,eiiciatur. Ille,quandoquidem adulan-
di neſcius eſt: alius propterea quod illius cuiuſ-
piam offenſionem incurrit: alius vt ne indoleat
ille neſcio quis: ſi quem ipſe eligendum obtulit,
exploſum,hunc verò allectum viderit: alius pro-
pterea quòd probitate,benignitate, facilitate,hu-
manitate præditus: alius propterea quòd delin-
quentibus aſper ac terribilis: alius alia ſimili de
cauſa: neque enim illis cauſæ atque excuſationes
deſunt, quotquot afferre voluerint. Atque adeò
dum cauſari aliud non poſſunt, opum,diuitiarum-
que copiam cauſantur: addentes non oportere
quenquam repente ad dignitatem huiuſmodi aſ-
ſumi,ſed ſenſim & per gradus quoſdam. Poſſunt
& iidem alias quidem atque alias quotquot illis li-
bitum fuerit,cauſas comminiſci. Ego verò lubens
hic ſciſcitarer, Quidnam igitur epiſcopus hic fa-
ciet, conflictu illi contra tot ventos propoſito?
quónam ille modo aduerſum tam multos fluctus
vnus reſiſtere poterit? qui inſultus impetuſque
machinarum huiuſmodi repellet? Etenim ſi rem
recta ratione ac iudicio aggredi volet, inimici
protinus atque hoſtes tum eidem,tum electis om-
nes illi: tum verò omnia ſtatim illi per conten-
tionem, atque vt epiſcopo aduerſentur faciunt,
præterea & ſimultates ſeditioneſq; quotidie con-
citant,& ſexcentis etiam ſcommatis eorum vitam
qui electi fuerint inceſſunt, horum nullum finem
facientes, donec vel illos eiecerint, vel ſuos can-
didatos intromiſerint. Denique perinde eſſe vi-
deas, vt ſi quis gubernator piratas habeat eadem
naui vnà ſecum nauigantes, qui quidem tum ipſi,
tum nautis, tum vectoribus aſſiduè horiſque ſin-
gulis inſidias ſtruant. Quòd ſi epiſcopus illorum
gratiam ſaluti ſuæ prapoſuerit, admiſſis iis, quos
admiſſos eſſe non oportet: fiet profectò vt illo-
rum loco Deum ſibi offenſum habeat: qua re quid
illi peſtilentius accedere poteſt? Adde quod epi-
ſcopo eidem cum illis res erit lōgè difficilior,mo-
leſtiórque quàm antehac, omnibus inter ſeſe iam
conſentientibus, ac multò etiam fortioribus rei
controuerſæ contentioſæque victoria accedente
redditis. Nam quemadmodum ſæuientibus pu- Simile.
gnantibuſque inter ſeſe aſperrimis ventis, dere-
pentè mare antea quietum ac tranquillum furit
atque intumeſcit, eoſque omnes quos tum vela
facere contigerit,perdit: ita eccleſiæ tranquillitas
perditis hominibus admiſſis, turbulentia ac nau-
fragiis permultis infeſtatur. Hic igitur animo ex-
pende, qualem eſſe oporteat eum, qui tantæ tem-
peſtati opponendus, ac tam multa impedimenta
rerum ad communem ſalutem ſpectantium probè
temperaturus ſit. Nam & grauem illum,ſed mini-
mè faſtuoſum & terrificum, ſed humanum: & vi-
ſenda maieſtate principem, ſed omnibus tamen
appellandis comem, eundémque integrum, offi-
cioſum, humilem, ſed minimè ſeruilem, acrem
quoque ac vehementem eſſe conuenit: ſed tamen
& manſuetum, vt nullo ipſe negotio contra illa,

quæ dixi, omnia depugnaret, tum verò eum, qui idoneus viſus fuerit, magna cum authoritate ac libertate, quanquam omnibus reclamantibus, in medium promouere poſſit: rurſus eum qui alius compertus fuerit, cũ eadem illa authoritate ac libertate, vt etiam omnes conſpirent, non admittere: denique vt nihil in cuiuſquam vel gratiam, vel odium facere conatus, eccleſiaſticæ vnius ædificationis decus, commodúmque tantum ſpectet. Tibine hic, Baſili, meritò videor negotij iſtius miniſterium deprecatus fuiſſe? atqui nondum omnia tibi percenſui: ſuperſunt enim alia mihi dicẽda. Tu verò ne delaſſeris tantiſper dũ patienti aure perfers viri amici ac verè germani orationẽ, tibi perſuadere conantis, ſeſe criminum eorum reũ haudquaquam eſſe, quorũ tute eum inſimulas. Neque enim ipſa hæc tantum conducunt ad defenſionem eam, qua apud alios nomine noſtro vti potes: ſed & ad ipſã muneris eius, de quo agitur functionem, lucrum auxiliumque non exiguũ conferunt. Eum enim oportet, qui ad tentandam vitæ huiuſmodi ſemitam acceſſurus eſt, omnia prius ad vnguem perſcrutari, atque ita demũ negotio manus admouere. Quamobrẽ, quandoquidem vt nullum aliud inde naſcatur emolumẽtum, certè rerum omnium prudenter gnaro lucrum id ſupererit, vt cum id genus procellæ tempeſtatéſque emerſerint, nihil rerum inſolẽtia ac nouitate perturbetur. Vis igitur tibi hîc à me prius expediri præſidiũ patrociniúmque id, quod viduis impendendum eſt, an ſtudium curámque eam, quam epiſcopus virginibus debet? an potius iudicialis partis, cui ab illo maximopere attendẽdum eſt, difficultatem? Nam vnumquodque horum diuerſam ſibi curã vindicat, timorémque cura etiam illa longè grauiorem. Ac primùm vt ab eo quod inter alia leuiſſimum eſſe putant, exordiamur: Viduarum quidem cultus videtur haud aliam, quàm pecuniæ inſumendæ ſolicitudinem iis præbere, qui illarum tractandarum curandarúmque prouinciam ſuſcepere. Id autem longè aliter ſe habet: nam quoties illæ diligendæ, ac tanquam in catalogum referẽdæ ſunt, & hîc quoque magno admodum examine opus eſt. Id enim ipſum quod temerè, & vt caſus tulit, in album referantur, innumera olim mala peperit: nam & familias peſſundedit, & nuptias diuellit: prætereà hac vna de cauſa compertum eſt viduas aliquot tum furando, tũ cauponando, atque alia id genus cõmittendo multa præter dignitatem atque ordinem geſſiſſe. Huiuſmodi verò viduas eccleſiaſtica pecunia ali præterquam quòd Dei vindictam paratam habet, facit etiam vt apud homines maximopere ea res improbetur damnetúrque, ac multorum quoque beneficẽtiam remoretur. Quis enim vnquam velit, quas quis Chriſto offerri mandauit facultates, eas iis ſuſtentandis inſumi, quæ Chriſti nomen calumniari non ceſſant? quo nomine multam huc, ac diligentem afferre diſcuſſionem conuenit: idque, ne quæ ſibi ipſæ vitam ſufficere poſſunt, nedum illæ de quibus locutus ſum, indigentium menſam abſumant. Porrò diſcuſſionis huius diligentiam ſequitur cura non mediocris, vt viduis videlicet in album relatis alimẽta, quæ præſtanda ſunt, affatim tanquam ex fonte quodam affluant, nec vnquã deſint. Fit enim neſcio quo pacto, vt inuita paupertas malũ ſit inſatiabile, querimonia ſemper atq; ingratitudine plenum. Ac multa ſanè prudentia, multo itẽ ſtudio opus eſt, vt qui criminationis cauſas omnes amouere à ſe cupit, ipſarum ora obſtruat. Iam plerique vbi aliquẽ viderint pecuniæ imperantem, continuo idoneum ad huiuſmodi œconomiam pronuntiant. At ego nunquam exiſtimauerim, hanc illi animi magnitudinem ſatis eſſe, quam ipſam præſtandam quidem in primis eſſe (quippe ſine ea vaſtator potius, quàm antiſtes, & pro paſtore lupus fuerit) verùm & vnà cum ea vi-

A dendum puto, num & aliam animi virtutem habeat. Ea eſt autem mortalibus bonorum omnium author, patientia atque æquanimitas, hominis animum tanquam in ſerenum quendam portum appellens. Nam viduarum genus tum paupertatis, tum ætatis, tum ſexus nomine immodicam ſibi libertatem vſurpat, (ſic enim loqui præſtat) vociferanturque importunè ſemper & abs re conqueruntur & lamentantur vbi gratia habenda, & incuſant quod laudandum ac probandum: qua in parte antiſtitem oportet omnia generosè ac fortiter pati: neque irritari, ſi quando illæ aut intempeſtiuè obtundant, aut immerito expoſtulẽt. Illarum enim infœlicitas miſericordiam potius, quàm contumeliam meretur: quarum certè calamitatibus antiſtitem inſultare, & dolori ob paupertatem nato contumeliæ etiam moleſtiam addere, extremæ crudelitatis atque immanitatis fuerit. Quocirca vir quidam ſapientiſſimus, humani ingenij auaritiam

B faſtumque contemplatus, tum intelligens paupertatis vim naturamque tantum poſſe, vt vel generoſiſſimum quenque animum proſternat, cogatque identidem iiſdem rebus poſtulandis impudentem eſſe, vt ne quis per pauperum efflagitationes ita excandeſceret, tum verò aſſiduò illorum occurſu irritatus illis aduerſarius is fieret, qui opem afferre deberet, ipſum inſtruit ad ſeſe mitem ac facilem indigenti præſtandum: *Pauperi*, inquit, *citra animi tui moleſtiam aurem inclina*, atque illi pacificè humaneque reſpondeto. (Eccl. 4.) ac miſſum faciens indigentem eundemque irritantem, (quid enim dicere quis ad illum poſſit, qui ſupplex iaceat?) cum eo ſapientiſſimus ille idem verba facit, qui illius infirmitatẽ ſubleuare poteſt, exhortans, vt tum vultus manſuetudine, tum orationis humanitate, antequam ad largitionem deſcendat, illius etiam animum erigat exciteťque. Quòd ſi quis deſtinatas viduis facultates ne vſurpet quidem, in ipſas autem probra

C conijciat infinita, contumeliaque afficiat, atque adeo aduerſus eas irritetur: non ſolum liberalitate ſua natum à paupertate dolorem non leuat, verùm & malum ipſum conuitiis aggrauat: coguntur enim perfricta admodum eſſe fronte ob ventris eſurientis neceſſitatem: verumtamen & dolorem etiam ab huiuſmodi vi contumeliaque concipiunt. Proinde cum ob inediæ timorem mendicare, & ob mendicitatem impudentes eſſe cogantur, rurſum cum ob impudentiam contumelia afficiantur, multiformis quædam angoris, mœſtitiæ, dolorisque vis, & quæ caliginem multam afferat, in illarum animum irruit: cumque oportet qui illarum curam ſuſcipit, hactenus æquanimem patientemque eſſe, vt non ſolum non ſua deſtomachatione illarum mœſtitiam, anxietatemque augeat, ſed & conſolatione ſua dolorem eum magna ex parte ſopiat, qui aliunde enatus illarum animos occupauerit.

D Nam quemadmodum neſcio quo pacto fit, vt quem contumelia affeceris, is non ſentiat pecuniarum acceptarum ſubſidium ob inflictam contumeliæ plagam: ſic quem blandè atque humaniter appellaueris, quique donum aliquod vnà cum ſui conſolatione à te acceperit, exultat magnopere ac lætatur: tum verò donum ipſum donantis vultus geſtuſque conduplicat. Quæ ipſa non ex me pronuntio, ſed ex illius verbis, cuius illa ipſa eſt admonitio, quæ præceſſit. (Eccl. 18.) Fili enim, inquit, in bonis ne des querelam, & in quocunque dato ne des triſtitiam verbi: nónne ros ardorem tollet: ſic verbum melius quam datum. Ecce enim verbum ſupra dona ipſa excellens bonum: vtrumque autem vir gratus præſtat. Proinde non humanum ſolum ac patientem qui illarum curam ſuſcipit, verùm nihilo etiam minus œconomicum eſſe oportet: quandoquidem ſi ipſum hoc abfuerit, rurſum pauperum facultates in idem damnum recidunt. Pridem enim quidam, cui adminiſtrationis huiuſ-

mo in prouincia demandata fuerat, magnam auri copiam cùm collegiſſet, id ipſe quidem haudquaquam deuorauit, ſed neque indigētium vſum præter pauca quædam inſumpſit: maximam autem pecuniæ illius partē terra obrutam aſſeruauit, donec temporis iniquitas ſuperueniens hoſtibus in manū illā totā tradidiſſet. Magna igitur prouiſione opus eſt vt Eccleſiæ facultates neque redūdent, neque rurſus deſint: ſed quæ Eccleſiæ erogantur, cōtinuo indigentibus ſunt diſpertienda: cæterū in ſubditorum animis ac beneuolentia Eccleſiæ theſauri collocandi. Enimuero quanta pecuniarū impēſa opus eſſe exiſtimas tum in excipiēdis hoſpitibus, tum in curandis ægrotis? quantā autem tum diligentiam, tum prudentiam ad eam rem afferre debent, qui illi præfecti ſunt? quando hanc ipſam impenſam nequaquam ea, quam dixi, inferiorem, plerunque autem & maiorem eſſe oportet: præfectúmque ipſum largitorem eſſe decet circunſpectum, ac prudentem, vt eos qui bonis abundant animet ad certatim etiā atque hilariter bona ſua eroganda: ne dum conſulit tollendæ ab infirmis inopiæ largiētium animos percellat, offendátque: atque hac quidē parte animi propenſionē ſtudiúmque multò vehementius præſtare cōuenit. Sunt enim quodammodo qui ægrotant, moroſi ac torpeſcentes: ac niſi ſummā vndique diligentiam curámque adhibeas, vel tantillum, quod quidem à te fuerit neglectum, eiuſmodi eſt, vt ægrotanti mali plurimum afferre poſſit. Sed quod ad virginū curam ſpectat, tantò certè maior inibi timor ineſt, quantò virginitatis donum pretioſius, quanto virginalis grex cæteris regalior. Pridem enim factū eſt, vt & in ſanctarum virginum chorū infinitæ eædemque vitiis refertæ infinitis inuaſerint, debacchatæque fuerint: quæ res & luctum multò acerbiſſimum parit. Ac quemadmodum non ex æquo ſe res habet, puelláne liberalis, an illius ancilla peccet: ſic paria inter ſe non ſunt virginis ac viduæ delicta. Viduis enim impune eſt & nugari, & conuitiis inter ſe depugnare, & adulari, & frōte perfricta eſſe, & nuſquā non apparere, & in foro frequentes eſſe. At virgo ad maiora ſeſe accinxit certamina, vtpote quæ cœleſtis illius philoſophiæ æmulatrix, profitetur ſe angelicā vitam in terris referre: cui item propoſitum eſt illa eadē præſtare, quæ cœleſtes illæ atque incorporeæ virtutes præſtant: quam ipſam nō conuenit neque frequētes ac ſuperuacaneas inambulationes agere, neque verba temerè atque inconſultè effutire: conuitij verò atque adulationis ne nomen quidem agnoſcere: propterea tutiſſima cuſtodia, ac maiori præſidio indiget: nam ſanctimoniæ aduerſarius aſſiduè aſtat, iiſque in primis inſidiatur, deuorare paratus ſicubi virgo aliqua cadat labaturque. Propterea ex hominibus inſidiantur permulti, cúmque his omnibus naturæ inſania, denique ſuus ille ordo in quem ſe aſcribi voluit, bellum conduplicat, tum quod extrinſecus ingruat, tum quod intrinſecus obturbet. His igitur de cauſis efficitur, vt ei qui regendis virginibus præfectus ſit, magnus timor immineat: ſed maius tamen periculum, maior animi dolor, ſi quid fortè præter animi ſententiā (quod Deus auertat) eueniat. Nam ſi patri filia occultā in animo vigilantiā affert, ſi item cura de ea ſuſcepta, ſomnum à paternis oculis excutit, vbi timoris illi tantū incumbit, ne vel filia ſterilis euadat, vel nubilem ætatem domi paternæ tranſigat, vel inuiſa aliis negligatur: quid facturum putamus eum, cuius animum nulla harum rerum quas dixi, cura tangat: ſed qui de aliis quibuſdam longè grauioribus ſollicitus ſit? Neque enim hic agitur de mariti, ſed de Chriſti neglectu ac cōtemptu: neque ipſa ſterilitas probrum ignominiámque tantùm, ſed & animæ tandem internecionem parit. *Omnis* enim *arbor*, inquit, *fructum non faciens bonum, exciditur, & in ignem mittitur*. Iam virgini quam ſponſus Chriſtus oderit, non ſatis eſt accepto repudij libello abire: ſed odij illius pœnas luit, ſupplicium æternum. Ac pater quidem ſecundum carnem multa habet præſidia, quibus procliue illi ſit filiam aſſeruare: ad cuius virginis cuſtodiam opitulantur, tum mater, tum nutrix, tum famularum turba, tum domus tutela. Neque enim licet ei frequenter in forum deſcendere: neque ſi quando ea deſcenderit, occurrentiū oculis conſpicua eſſe cogitur. Præter hæc autem culpæ omnis atque criminationis expers eſt, quòd nunquā cogatur in virorum prodire conſpectū. Neque enim rerum neceſſariarū cura, neque iniuriorum hominum improbæ moleſtiæ, neque id genus aliud hominum occurſum congreſſúmque neceſſariū illi efficit, cùm illi pater pro omnibus ſit, ipſa autem vnam dūtaxat curam habeat, vt nihil ſcilicet vel faciat vel loquatur quod virginalem honeſtatem dedeceat. At ſi epiſcopi partes ſpectes, multa certè ſunt quæ illi virginis cuſtodiam difficilem, ſeu potius omni arte ſuperiorem efficiunt. Neque enim illam ſecum domi habere poſſit, neque illud ſanè contubernium decēs, aut periculo vacans fuerit: etenim vt nullum vel hinc detrimentum ipſi patiantur, ſed ſynceram conſtantemque ſanctimoniam ſeruent: nihilo tamen minus rationem redituri ſunt pro iis animis, quas offenderint, an praua aliqua ſuſpicione aſperſerint, quàm ſi inter ſe peccaſſe eos contigerit. Porrò cùm epiſcopo non liceat virginum contubernio vti, relinquitur, vt facile illi non ſit virginalis animi motus perdiſcere, & quæ nimis exuberant, ordinemque excedunt, circumcidere: quæ autem intra ordinem ac numerum conſiſtunt, magis ac magis excolere, atque in meliorem profectum perducere: tum verò eidem non perinde procliue erit perſcrutari curioſéque indagare, ſi quando virgines domo egreſſæ foras eant, vagenturque. Nam quod virgo inops ſit, atque imperio ſoluta, idipſum certe efficit, vt epiſcopus haud ita magnā diligentiam præſtet in examinanda illius honeſtate: quippe cum ipſa ſibi omnia adminiſtrare cogatur, complures intemperatè viuere volenti egreſſuum vagationumque tituli ac prætextus: quos quidem impedire eum oportet, qui illam iuſſerit domi aſſiduè demorari, rebus neceſſariis ſuppeditatis, ac data pediſſequa, quæ illi adminiſtret. Iam & virgini oportet funebres pompas, ac publica peruigilia interdicta eſſe. Nouit enim, nouit ingenioſiſſimus ſerpēs ille, vel per bona opera ſuum virus diſſeminare: propterea virginem oportet vndique tanquam muro circumſeptam eſſe, ac toto anno perrarò domo egredi: idque demum cum inexcuſabiles ac neceſſariæ vrgebunt cauſæ. Quòd ſi quis dicat epiſcopo opus non eſſe, vt res huiuſmodi pertractet: nouerit is ſingulas virginalis ſtudij curas, atque adeò criminationes omnes, quas in virgines coniici contigerit, in illum recidere: qua ex re vtilius multò fuerit, ſi ipſe rem per ſe adminiſtrans ab iis cauſis vacet, quas illum per aliorū delicta ſuſtinere oportet, quàm adminiſtratione ea relicta, rationis reddendæ iudicium reformidare, eorum delictorum quæ alii cōmiſerint. Adde quòd qui per ſe ipſe hoc munus exequitur, magna cū facilitate omnia tranſigit: qui autem neceſſe habet vicaria aliorum opera defungi, præterquam quod magnum illi adeſt negotium, vt omnium animos ad id munus gerendum ſibi perſuaſos reddat: certè laboris remiſſionem tantam non habet ex functionis illius abſtinentia, quanta negotia, quantoſque turbines ſuſtinet ab iis qui reſiſtunt, atque ipſius ſententiæ ac iudicio repugnant. Sed virium noſtrarum non fuerit eas omneis curas ſollicitudineſque percenſere, quas ſibi ſtudium virginibus impendendum vindicat: quæ ipſæ cùm in album referendæ ſunt, mirum dictu eſt quanta illi negotia faceſſant, cui

prouin-

prouinciam hanc crediderís. Iam pars illa, quam epiſcopum tractare in iudiciis conuenit, infinita certè odia, infinitas offenſiones parit: quæ quidem præterquã quòd negotiis permultis plena eſt, tam multas etiam difficultates affert, quàm multas ne forenſes quidem iudices ſubeunt. Nam cum iuſtum ipſum inuenire labor eſt, tũ eo inuento id nõ ſequi inuidioſum. Neque verò hic negotium tantum ac difficultas, ſed & periculum non mediocre ineſt. Pridem enim ex infirmioribus quidã, moleſtiis cum premerentur, neque haberent quorũ defenſione ac patrocinio ſubleuarẽtur, fidei naufragium fecerunt. Fit autem, neſcio quomodò, vt qui iniuria afficiũtur, nihilo minus eos oderint, à quibus non adiuuantur, quàm eos qui iniuriam inferunt, ac neque negotiorũ diſtractionis, neque tẽporum inclementiæ, neque epiſcopalis magnitudinis, neque alterius id genus rei cuiuſquã rationem vllam habere volunt: quinimò iudices ſe ipſi præſtant inexorabiles defenſionem vnã prætendentes, malorum ſe prementium defunctionem: quam quidem qui præſtare non potuerit, quamuis mille etiam cauſas afferat, nunquam effecerit quò minus condemnationẽ ſubeat. Et quoniam nos in patrocinij mentionem incidimus, age hic & aliam quandam querelarum ſpeciem cauſamque tibi patefaciam. Nam niſi quotidie epiſcopus omnium domos circumierit in hac parte vel eos ſuperans, quibus nullum aliud ſtudiũ eſt, quàm in foro verſandi deambulandique: hinc omnino offenſiones infinitæ emergent. Neque enim ij ſolũ qui ægrotant, ſed & qui ſani ſunt, inuiſi ſe volunt. Id quod nõ religionis ac pietatis, ſed honoris dignitatiſque potius nomine plurimi ſibi vindicant: ac ſi quem fortè cõtigerit ex ditioribus potẽtioribúſque Chriſtianis, Eccleſiæ vſu lucróque cõmuni ita vrgente, ab epiſcopo frequentius inuiſi, hic protinus epiſcopus palpatoris atque adulatoris notã ſibi inurit. Sed quid attinet patrocinandi, inuiſendique partes hic perſequi, cùm & ſolæ appellationes, ſalutationéſque, quibus epiſcopum vti oportet, tam magnum etiam criminationum pondus afferant, vt & ille pondere ferendo incuruetur atque adeo præ animi mœſtitia plerunque ſuccumbat? vt nihil hic agam, quòd & ob oculos illò potius, quàm illò cõiectos, ad calculos vocare illum volunt. Quæ enim ab epiſcopis temere ac ſimpliciter fiunt, plerique accuratè ac diligẽter excutiunt, pẽſitata etiã vocis menſura, aſpectus habitu, ac riſus quantitate. Illi enim, inquiunt, magnificè arriſit, eundémque tum hilari vultu, tum voce liberali, ſalutauit: me verò longè parcius, atque vt caſus tulit: ac niſi multis vno in loco ſimul ſedẽtibus quoquouerſus oculos ille circũtulerit, omnes appellans, idipſum contumeliã eſſe vulgus dictitat. Quis igitur qui idem nõ ſit admodum fortis, tam multis accuſatoribus ſufficere poterit, vt vel ab illis prorſus nõ accuſetur, vel accuſatus crimẽ effugiat? Oportet enim primũ te ne reum quidẽ eſſe, accuſatoreſque habere: deinde ſi id præſtare nequaquam potes, diluenda ſunt crimina quæ illi obiecerint. Quòd ſi ne iſtud quidem facile erit, ſed delectabunt quoſdam temerariæ, ac nulla cauſa ſubſiſtentes criminationes, tum demum generoſè ac fortiter animi doloribus huiuſmodi occurrendum, reſiſtendúmque. Etenim qui meritò incuſatur, facilè tulerit eum, à quo incuſatur: quippe cum accuſator minus, quàm conſcientia ipſa infeſtus ſit, efficitur, vt, quoties ab ea, quæ omnium moleſtiſſima eſt, deprehenſi, conuictique prius fuerimus, accuſatores extraneos tanquam manſuetiores facilè poſtea patiamur. Porrò qui nullius ſibi culpæ conſcius eſt, dum iniuſtè accuſatur, continuò ad iram propenſus fertur, nec non animum facilè deſpondet: niſi idem ſic ſe prius animo comparauerit præparaueritque, vt multorum inſipientiam patientiſſimè ferat.

A Fieri enim vix poteſt, vt qui ſe temere calumniari pati, atque iniquè damnari intelligit, non aliquo modo aduerſus tantam hominum iniquitatem atque abſurditatem commoueatur. Quorſum autem hic enumerare attinet reliquas illas moleſtias, doloreſque, quos tolerare epiſcopum oportet, dum neceſſe eſt amouere aliquem ab Eccleſiæ cœtu? quæ atrocitas vtinam intra moleſtiam doloremque conſiſtat, ac non etiam perniciem non mediocrem afferat. Timendum enim eſt, ne ille fortè ad iniuſtius ſupplicium adactus, dolore immodico, quod beatus Paulus ait, abſorbeatur. Magna ergo diligentia hic opus eſt, ne dum prodeſſe illi cupis, maioris damni author ſis: nam quæcunque ille poſt huiuſmodi curationem peccata commiſerit, futurum eſt vt horum ſingulorum pœna cum medico illò communis ſit, qui vulnus probè non inciderit. Quàm multa igitur ſupplicia epiſcopos manent, cùm ex eis vnuſquiſque non ſolum
B rationem redditurus ſit ſuorum delictorum: ſed eorum item omnium, quæ alij commiſerint, ad extremum illos venire oporteat periculum? Nam ſi horremus, dum iudicium id nobis ſubeundum eſt, in quo peccatorum propriorum rationem redditurí ſumus: vt qui ſentiamus, nos ignem illum æternum effugere nequaquam poſſe: quid illi expectandum eſt, qui tam multorum nomine cauſas ſit dicturus? Quòd autem hoc verum ſit, audi beatum Paulum, ſeu potius non Paulum, ſed Chriſtum Pauli ore loquentem: Parete iis qui præſunt vobis
& concedite: nam *illi vigilant pro animis veſtris, tanquam rationem reddituri*. Heb. 13.
Hiccine exiguus tibi videtur comminationis terror? equidem illum quantus ſit, verbis exprimere non poſſum. Vſque adeò vt qui admodum etiam animo duri ſint, ac qui ſe facilè aliorum oratione perſuaderi non patiantur, quæ dixi abundè ſufficiant, vt perſuaſum illis ſit, nos neque faſtu atque contumacia, neque inani
C gloria adductos, ſed tum nobis ipſis tantum timentes, tum rei ipſius magnitudinem emenſos, fugæ genus hoc quæſiuiſſe.

LIBER QVARTVS.

HÆc Baſilius cum audiſſet, paululum cunctatus: Baſil.
tu verò, inquit, ſi ad huiuſmodi dignitatem acquirendam ſtudium intendiſſes tuum, mirum, animi tui formido iſta ratione aliqua niteretur. Nam qui ſe idoneum ad muneris alicuius functionem ſemel profeſſus eſt, hoc ipſo, quòd functionem eam ſtudioſè arripuerit, hic certè ſi quid poſt creditam ſibi muneris adminiſtrãdi prouinciam aberrauerit, haudquaquam ad inſcitiæ prætextum confugere poſſit, vt qui anteuertens, ſibi ipſe defenſionem ademerit, vel ob id quod ac-
D currerit, quodque adminiſtrationem eam ſibi rapuerit: intantum vt qui ſponte ac volens eò acceſſerit, iam non ſermonem hunc vſurpare poſſit: inuitus peccaui, inuitus illum aliquem perdidi. Dicet enim ad eum qui tum illi hac in cauſa iudex futurus eſt: Et quo tandem nomine, cùm animi conſiliique tui vires pares non eſſent, functioni huiuſmodi inculpatè pertractandæ aduolaſti, auſuſque es prouinciam humeris iſtis minimè parem ſubire? quiſnam, obſecro, te ad id coëgit? quiſnam vi te attraxit detrectantem fugientemque? Tu verò nihil tale vnquam auditurus es: neque enim poſſis delicti cuiuſquam huiuſmodi teipſum damnare, eſtque omnibus iam ſpectatum, te ne tantillum quidem laborauiſſe, vt honorem hunc aſſequereris, ſed aliorum potius officium beneficiumque id honoris tibi detuliſſe. Atque adeò quod illos delictorum veniam impetrare non patitur, hoc certè abundans tibi apologiæ argumentum ſuppeditat. Chryſoſt.
Ad hos ſermones caput cum mouiſſem,

Digitized by Google

Nulla eſt excuſatio pro rectore, quod inuitus ſit aſſumptus ad dignitatem.

ſenſimque arriſiſſem, hominis facilitatem ſimplicitatemque demiratus, hac ego ad ipſum oratione vſus ſum. Equidem optarim, vir omnium optime, hæc ita ſe habere vt dixit: idque non vt id muneris amplectar, quod iam detrectaui. Nam vt mihi etiam nullũ propoſitum ſit ſuppliciũ, defunctoriè atque adeo imperitè Chriſtiani gregis adminiſtrationem gerenti, tamen omni ſupplicio grauius fuerit, ſi conſtaret me cui tam excellens credita fuiſſet functio, pro eius dignitate qui credidiſſet, ſuſtinere eam non poſſe. Quamobrem igitur optarim tuam iſtam opinionem nequaquam falſam, ſed potius veram eſſe. Nempe vt miſeris calamitoſiſque (neque enim alio nomine ij digni ſunt, qui rectè non aſpirarunt ad muneris iſtius præfecturam, vt millies tute eos dicas vi pertractos fuiſſe, atque ignorantia peccaſſe) vt miſeris, inquam, illis effugere liceat ignem illum æternum, exteriores tenebras, ac vermem nunquam emoriturum: poſtremò vt ne diſſecentur, ac perditi cum hypocritis partem habeant. Verum B quid facias? certè longè aliter ſeſe res habet. Ac ſi placet, à regno primum, cuius quidem ſtudium apud Deum tanti non eſt, quanti eſt ſacerdotij, verborum meorum fidem tibi faciam. Saul ille qui patrem Cis habuit non ſuo ipſe ſtudio rex factus eſt, vt qui cum abiiſſet aſinas perueſtigatum, Prophetam ſuper iis rogare cœpit. At ille cum eo de regno collocutus eſt. Porrò Saul ne auditis quidem Prophetæ verbis, ad regni adminiſtrationem ſuſcipiendam occurendum ſibi putauit, quinimò tergiuerſatus deprecatúſque eſt, cum diceret: Quiſnam ego ſum? quænam item patris mei domus? Quid tandem? Saúlne poſteaquã non rectè honore ſibi à Deo delato vſus eſt, potuere verba iſta eximere ab eius ira, à quo rex creatus ipſe fuerat? Atqui licebat illi aduerſum Samuelem increpantem inſimulantemque verbis his vti: Num C ad regnũ ipſe miniſtrandũ accurri? Num ad huius poteſtatis regimen proſilij, atque aduolaui? Equidẽ in animo habui priuatam vitã viuere, quietam illam quidẽ, ac moleſtiis vacantem: tu verò ad hoc me dignitatis authoritatiſq; pertraxiſti. In illa ergo vitæ humilitate, atque obſcuritate verſatus, facilè oſtenſiones huiuſmodi deuitaſſem. Nam ſi ex vulgarium atque ignobilium hominum numero vnus fuiſſem, mihi aduerſus Amalechitas bellum Deus non crediſiſſet, quo mihi non credito, peccatum huiuſmodi nunquã perpetraſſem. Verùm hęc quæ dixi, omnia ad defenſionẽ ſunt infirma, neque infirma tantum, ſed etiam vſque adeo perniculoſa, vt Dei iram magis irritent. Eum enim qui magiſtratũ meritis ſuis maiorem aſſecutus eſt, vt errata ipſe ſua tueatur defendátque, magiſtratus magnitudinem prætendere nõ oportet: quinimò in maiorem virtutis profectũ magna illa Dei erga ſe beneuo D lẽtia vti. Qui verò ob id peccãdi licentiã ſibi permittit, quòd præſtantiori dignitate ornatus ſit, certè nihil aliud quàm Dei benignitatem peccatorum ſuorum authorẽ facere conatur: id quod ſolenne quidem eſt impiis hominibus, iiſque quorũ vita in ignauia ac ſocordia verſatur. Nos autẽ ſic animatos haud quaquam eſſe conuenit: neque in parem cum illis inſaniã prolabi, ſed omni ex parte operã dare, vt vigilantiã noſtram omnẽ pro virili exhibeamus, bene vbique de Deo ominãtes, nuntiantes, cogitantes. Neque enim Heli (vt omiſſo regno ad ſacerdotiũ, de quo nobis ſermo veniamus) ſtudioſe, ambitioſéve dignitatẽ eam ſibi parauit. Hoc ipſum igitur quid illi poſt delictũ profuit? Et quid dico parauit? cùm ne illi quidem id muneris detrectare per legis neceſſitatem fas fuerit: vt qui vnus eſſet ex tribu Leui, ac quẽ ipſum oporteret dignitatem eam ad ſe iam à maiorum ſuorum retro origine deſcendentem, ſuſcipere: qui idem tamen liberorum ſuorũ petulantiæ non mediocres pœnas

1. Reg. 9.

dedit. Iam quid dicas de primo illo Iudæorum ſacerdote, de quò tam multa cum Moſe Deus verba fecit? nónne hic poſteaquã vnus non potuit tanti populi inſaniæ reſiſtere, parum abfuit quin periret, niſi fratris patrocinium Dei iram auertiſſet? Poſteaquam verò Moſis mentionem intulimus, conſentaneum eſt ex iis quæ illi obuenere, orationis noſtræ veritatem demonſtrare. Hic quippe Moſes vir verè beatus, tantum abfuit à rapienda Iudæorum præfectura, vt & oblatam recuſaret, & Deum etiam, quòd illi id iubenti non auſcultaret, contra ſe irritaret. Quod quidem non ſolum id temporis fecit, verùm & poſtea cum iam præfecturam eam adminiſtraret: qua vt explicaretur, lubens è viuis deceſſiſſet. Quid igitur poſteaquam ad aquam peccauit? potuerẽne aſſiduæ illæ recuſationes illum tutari, ac Deo perſuadere, vt veniam ei concederet? Quãnam alia, quæſo, de cauſa terra illa promiſſa priuatus eſt? certè non alia (quod quidem omnibus nobis notum eſt) quàm ex peccato huiuſmodi, propter quod viro illi admirando haudquaquam licuit rebus iiſdem potiri, quibus ſubditi eius potiti ſunt. Quinimò poſt diuturnum tempus inſumptum, poſt multas afflictiones, poſt immenſum illum errorem, poſt bella ac trophæa permulta, procul ab ea terra mortuus eſt, cuius gratia tot tantoſque labores ſuſtinuerat: ac qui pelagi mala atque incommoda grauiſſima perpeſſus fuerat, portus tamen fructus nullos capere potuit. Vides vt iam nulla peccatorum excuſatio relicta ſit non ſolùm iis qui rapiunt, ſed ne iis quidem qui alieno ſtudio huc euehuntur? Nam vbi qui vel Deo decernente, eligentéque ſæpenumero honorem ipſum recuſauere, tantas tamen pœnas luerunt, ac nihil quicquam à periculo huiuſmodi eximere potuit, neque Aaron, neque Heli, neque virum illum perbeatum, ſanctum, prophetam admirandum, mortalium omnium humaniſſimum, eundemq́. quaſi amicum quendam cum Deo colloquentem: nimirum vix nobis, qui ab illius virtute tantum abſumus, ſatis eſſe ad defenſionem poterit, conſcios eſſe nobiſipſis, quòd ad honorem eiuſmodi nullo ipſi ſtudio, nulla ambitione aſperauerimus idque eò etiam magis, quòd ex his ipſis electionibus pleraſque humano ſtudio acceptas referre non oportet. Iudam Deus elegit, eundemque in ſacroſanctum illud cooptauit collegium, dignitate Apoſtolica vnà cum aliis ornatum, cui etiam maius quiddam quàm aliis dedit, pecuniarum diſpenſationem. Quid igitur? Num poſteaquam duabus illis prærogatiuis contra quã debuit vſus eſt, tum eo quem prædicandum ſuſceperat prodito, tum pecuniis (illi hoc nomine creditis, vt rectè eas adminiſtraret) malè impenſis, impunitate donatus abiit? Certè hoc potiſſimum nomine grauius ſibi acceſſiuit ſupplicium: idque perquam meritò. Neque enim prærogatiuis à Deo acceptis ſic abuti decet, vt per eas Deum offendas: quinimò vt magis ac magis Deo acceptus fias. Cæterùm qui hoc nomine quòd alios honore aliquo excellat, pro delictis pœnam commerentibus venia dignum ſe eſſe cenſet, perinde facit, vt ſi quis ex infidelibus Iudæis Chriſtum audiens ſic loquentem, *Niſi veniſſem, eiſq́; locutus fuiſſem, peccatum non haberent:* ipſum ſeruatorem optimè de humano genere meritum, his verbis increpet inſimuletque: Tu verò cur veniſti, ac locutus es? cur & ſigna feciſti, vt grauioribus in nos ſuppliciis animaduerteres? At verò dementiæ ac ſummæ adeò inſaniæ verba hæc: neque enim medicus, vt te magis condemnaret, curatum acceſſit, ſed vt prorſus à morbo liberaret. Te autem vltro ipſe ab illius manibus ſubmouiſti. Igitur & grauius ſupplicium ſuſtineto. Nam quemadmodum ſi curationi paruiſſes, futurum erat, vt à priſtinis morbis peccatiſque liberareris: ſic quandoquidem medicum, quem præſentem habuiſti,

Numi. 20.

Ioan. 15.

auerſatus es, iam non peccata illa abſtergere poteſ. Quòd autem id nequaquam poſſis, propterea horum certè pœnas dabis. Idque eò magis, quòd medicus, quod quidem ad te ſpectat, ſtudium operámque ſuam perdiderit: quibus de cauſis efficitur, vt non pares communeſque pœnæ eæ ſint, quas ante dignitatem à Deo acceptam damus, cùm iis quas dignitate iam accepta luere cogimur. Hic enim longè grauius, quàm illic plectimur. Etenim quem beneficia accepta meliorem non reddunt, is certè etiam grauius ſupplicium commeretur. Itaque cum defenſio huiuſmodi iam non ſatis firma eſſe videatur, ac non ſolùm eos nō tueatur qui ad eam confugiunt, ſed magis etiam prodat: nimirum aliud nobis præſidium inueniendum, quo nos tueamur ipſi. Qualenam, quæſo, futurum hoc eſt præſidium (Baſilius inquit) quandoquidem apud me iam eſſe ipſe non poſſum, tantùm mihi terroris ac formidinis tua iſthæc verba incuſſerunt. Nec te inquam obſecro atque obteſtor, ne te ipſe eouſque deiicias: eſt enim, eſt certè præſidium: ſi qui ſcilicet infirmi ſumus, eò nunquam deſcendamus. Rurſum ſi qui firmi ac valentes eſtis, ſalutis veſtræ ſpes non alibi ſitas habeatis poſt gratiam à Deo acceptam, quàm vt nihil commitatis quod indignum eſſe poſſit tum munere, tum Deo muneris ipſius largitore. Maximè autem puniendi illi fuerint, qui poſt eum honorem ſtudio atque ambitione adeptum, vel per ignauiam, vel per malitiam, vel per imperitiam re ipſa non rectè vtuntur. Neque verò propterea paratam veniam eſſe dixerim iis qui nulla ſua ambitione dignitatē eam obtinuerint: nam ne illis quidem quiſquam relictus eſt excuſationis defenſioniſue locus. Decere enim arbitror vel ſi te eò ſexcenti vocent, atque adeò cogant, non illos ſpectare: verùm animi tui dotes prius examinare, viréſque tuas omnes exactè perſcrutari: atque ita demum cogentibus cedere. Iam domum ſe aliquam ædificaturum polliceri nemo audeat, qui idem architectus non ſit: neque ægrotantia contingere corpora quiſquam aggrediatur, qui medicinam non didicerit: quinimò vel pluribus vim afferentibus deprecabitur, neq; eum ſuæ pudebit ignorantiæ. Cui autem tam multarum animarum cura credenda ſit, is non prius ſeipſum examinabit, quin potius vel omniū imperitiſſimus munus ipſum ſuſcipiet, poſteaquàm vel ille iubet, vel ille cogit, atque adeò vt ne illum offendat. Et quonam ille pacto ſeſe vnà cum illis in præſentaneum non coniicit periculum? Nam cùm illi liceat vt ſe ipſe per ſe ſeruet, nimirum & alios ſecum perditos perdit. Vnde enim ſperanda ſalus? Vnde venia expectanda? quinam tum nobis internuntij deprecatoréſque exiſtent? illi ipſi fortaſſe, qui nunc nos cogunt, & ad neceſſitatē adigunt? Hoſce verò quis per id tempus ſeruaturus eſt? ſiquidē ipſi deprecatoribus indigent, vt ignis æterni ſuppliciū deuitent. Quòd porrò hoc dicā, non quò terream, ſed vt rem ita vt vere ſe habet, edoceam, auſculta quid beatus Paulus ad Timotheum dilectū ac verè germanum filium ſcribat: *Manus citò ne cui imponas, neque communices cum peccatis alienis.* Intelligiſne quāto non crimine modò, ſed & ſupplicio (quod quidem in nobis fuit) eos liberauerimus, qui nos eò honoris perducturi fuerant? Nam ſicuti iis qui ad id dignitatis electi ab aliis fuerint, nō ſatis eſt defenſionem hanc afferre: voluntarius ipſe ad huiuſmodi munus adminiſtrandū non acceſſi: atque ideo ſanè non aufugi, quòd non præſciſſem fore vt eligerer: ſic neque eos qui elegerint, ſubleuare quicquam poterit, ſi dixerint ignoraſſe ſe eum quem elegere. Verum vel hoc ipſo crimen grauius efficitur, quòd quem ignorauere, perduxerint: ac certè quæ illis videtur excuſatio, accuſationem auget. Nam qui id abſurdum non ſit, eos qui mancipium aliquod

Baſil. — Chryſoſt. — A ſimili. — 1. Timo. 5.

A empturiunt, id tum medicis oſtendere, tum emptionis ſponſores poſtulare, tum vicinos interrogare ac ne tum quidem adhuc confidere, quinimò & diuturnum aliquod tempus poſcere, intrà quod probare illud poſſint: eos verò qui quempiam ad epiſcopale munus huiuſmodi cooptaturi ſunt, ſi cui placitum ſit, ad aliorum vel gratiam, vel inuidiam teſtimonium ſuum accommodare, ita eum temerè, atque vt caſus tulit eligere nullâ prorſus alia diſcuſſione facta? Quis igitur nos tum depoſcet, atque à noxa eximet: cum præſertim qui patrocinari nobis debent, patronis ipſi indigeant? Proinde illum oportet, qui aliquem electurus ſit, rem diligenter admodum expendere, ſed multò etiam diligentius eum qui eligendus proponitur. Tametſi enim illi peccatorum ſuorum ſupplicium commune eſt cum iis à quibus electus eſt, tamen ne ipſe quidem hac ratione ſupplicium euadit: quod quidem & grauius feret, niſi ſi electores B rem confecerint morbo aliquo humano victi, reclamante etiam ipſorum conſcientia, neque ſecuti quod illa dictabat honeſtius eſſe. Nam ſi in eiuſmodi delicto deprehenſi illi fuerint, & quem indignum eſſe certò ſcirent, per cauſam tamen aliquam elegerint: vtrique illi pari digni ſunt ſupplicio. Fortaſſe autem & maius ſupplicium illum manet qui ſponte allegerit minimè idoneū. Qui enim poteſtatem facit volenti Eccleſiam corrumpere, is certè author fuerit eorum omnium quæ perdita illius audacia turbauerit. Qui ſi nulli rei earum quas dixi, obnoxius fuerit, ſibi verò à vulgi opinione fucum fuiſſe factum dicat, ne ſic quidem impunè tulerit, ſed paulò tamen leuiores pœnas dabit, quàm daturus ſit qui ab ipſo electus eſt. Quid ita? Nempe quòd veriſimile videri poteſt, eos qui elegere, à falſa aliqua opinione deceptos ad danda ſuffragia deſcendiſſe. Qui verò electus eſt, dicere vtique non queat, ſe ſibi vt & aliis fuiſſe, incognitum. C Igitur ſicuti is de quo grauius ſupplicium, quàm de iis à quibus aſcitus productuſque eſt ſumendum ſit: ita debet ſui ipſe periculum accuratius quàm illi facere, ac ſi eum illi ignorantes traxerint, illis obuiam ire docereque diligenter cauſas eas, per quas tum illi ab errore deſiſtant, tum ſe ipſe functione illa indignum cùm oſtenderit, tantarum rerum molem effugiat. Quamobrem enim ſit, vt de militia, de mercatura, de agricultura, cæterarumque ad humanum victum pertinentium rerum ratione deliberatio ineunda cum ſit, neque agricola nauigationem, neque miles agriculturam, neque gubernator militiam ſuſcipiat, etiamſi mortem illis millies cōmineris? Nempe propterea quod illorum vnuſquiſque proſpicit fore, vt periculum ſibi ab imperitia artis incognitæ immineat. Itáne ergo, vbi modicis in rebus periclitamur, tanta ipſi vtemur prouidentia, neque cogentium nos violentiæ parendum eſſe putabimus: D vbi verò æternum illos manet ſupplicium, qui epiſcopatus adminiſtrationem iuſtè præſtare neſcierint, temerè atque vt caſus tulerit, in tantum nos coniiciemus periculum, alienæ violentiæ cauſam opponētes? Atqui ratione huiuſmodi admiſſurus haudquaquam eſt, qui cauſæ iſtius iudicē aget. Decebat enim multò maiorem cautionem ac prouiſionem ſpiritualium rerum, quàm carnalium præſtare. Hic verò ne parem quidem nos exhibere conſtat. Etenim quæro ex te, ſi quem ſuſpicamur fabrum eſſe, ad opus vocemus, ſequaturque ipſe: deinde manus admouens materiæ ad ædificiū paratæ, ligna itemque & lapides auertat, opus autem ſic coagmentet, ſic domum ædificet, vt ſtatim collapſura ea ſit, num ille ſeſe abundè hac defenſione tutaturus eſt, ſi dixerit, ab aliis ſe coactum, non etiam vltro ad ædificandum acceſſiſſe? Certè nequaquam, idque iure optimo: oportebat enim vel aliis ad id vocantibus pedem referre ac tergiuerſari.

Digitized by Google

Iſtane verò qui ligna ac lapides auertit faber, huic A
nullus prorſus ſuffugij locus, quo minus pœnas
pendat: qui verò animas neglig̃eter ædificans per-
diderit, hiccine alienam vim, abundans ſibi ſuffu-
gium præſidiumq́ue putabit? & quo id pacto non
valdè ineptum atque abſurdum? nondum enim ad-
iicio, nolentem à nemine compelli poſſe: ſed &
ipſum volo vim fuiſſe immodicam perpeſſum, arti-
buſq́ue variis circumſeptum, vt in retia caderet.
Hoccíne igitur illum ſupplicio eximet? ne obſe-
cro, ne eouſque nobis imponamus, neque ſimule-
mus ignorare nos ea, quæ vel admodum pueris
nota eſſe poſſunt. Reuera enim cum rationis red-
dendæ tempus aderit, ignorantiæ ſimulatio hæc
nihil nobis allatura eſt præſidij. Principatum hu-
iuſmodi nihil ipſe ambiuiſti, imbecillitatis tuę con-
ſcius? Probè id, ac rectè. Oportebat ergo cum eo-
dem hoc conſilio vocantibus etiam aliis tergiuer-
ſari. Anne cùm te nullus vocaret, imbecillus tu, ac
minimè idoneus eras: vbi primùm verò comperti B
ſunt qui honorem ad te deferrent, derepentè in-
valentem atque idoneum euaſiſti? Certè huiuſmo-
di res deridicula prorſus ac nugatoria eſt, eadẽque
extremo etiam ſupplicio digna. Nam hac vna de
cauſa dominus admonet, ne qui turrim ædificatu-
rus eſt, fundamentum prius iaciat, quàm ſuas vires
expendat: ne qui illac tranſituri ſunt, iis infiniti
ludibrij ac riſus anſam in ſe præbeat. Atqui illius
mulcta ſeſe intra deriſum continet, cùm hic ſup-
plicium ſit ignis æternus, vermis nunquam emo-
riturus, dentium ſtridor, extremæ tenebræ, diſſeca-
ri, atque in hypocritarum ordine cogi: quorum
tamen omnium nihil ij expendere volunt, qui fa-
ctum noſtrum accuſant. Id quod ſi facerent, pro-
fectò ceſſaturos tandem putauerim ab eo accuſan-
do, qui ſe temere ac nulla cauſa perire noluerit.
Nobis quidem haudquaquam nunc res eſt de fru-
mento hordeóve diſpenſando, de bobus ouibúſve C
paſcendis, aut aliis id genus rebus diſtrahendis: ſed
de ipſomet corpore Ieſu curando. Chriſti enim
eccleſia, ex beati Pauli verbis, Chriſti corpus eſt.
At certè eum conuenit cui creditũ corpus id fue-
rit, ipſum illud tum ad multam honeſtatem, tum ad
pulchritudinem incredibilem perpolire, vndique
circumſpicientem necubi macula, aut ruga, aut
næuus, vitiúmve aliquod huiuſmodi, pulchritudi-
nem honeſtatemq́ue illam labefactet. Et quidnam
aliud præſtare oportet, quàm vt capite illo immor-
tali ac beato, quod ipſi ſuperpoſitum eſt, corpus
ipſum pro humanarum virium captu dignum effi-
ciat? Nam ſi qui ſuum corpus ad athleticam habi-
tudinem cura adhibita componunt, iis neceſſarius
eſt vſus & medicorum, & pædotribarum, & tempe-
ratæ diætæ, & exercitationis aſſiduæ, & infinitæ
adeò obſeruationis (etenim minimus quiſque re-
rum illarum contemptus labefactare omnia atque
euertere poteſt) quibus forte obtigit Chriſti cor- D
pus hoc quod dico curandum (cuius quidem exer-
citatio non corpora ipſa, ſed inuiſibiles potentias
ſpectat) ij quibuſnam artibus conſeruare illud ſyn-
cerum atque incolume poterunt, niſi omnifariam
animæ curationem congruam, conuenientem, at-
que humana virtute longè ſuperiorem calluerint?
An ignoras corpus id quod dico pluribus tũ mor-
bis, tum inſidiis obnoxium eſſe, quàm caro noſtra
hæc obnoxia ſit? Itemq́ue & celerius corrumpi, &
ægrius ſanari? Certè humana corpora curanti-
bus, diuerſa ſuppetunt medicamenta. Itemq́ue &
inſtrumentorum apparatus varij, & cibi ægrotan-
tibus congrui: plerunque autem & ſola aëris na-
tura ſatis fuerit ad ſanitatem laboranti reſtituen-
dam: aliàs etiam ſomnus qui opportunè obrepſe-
rit, medicum ipſum labore omni leuat liberatq́ue.
At verò hic nihil huiuſmodi comminiſci licet, ſed
vna quædam poſt operum præſtationem ars accu-
rationis via tenenda ſequendaq́ue eſt: nempe per

ſermonem euangelicum doctrina. Siquidem hoc
demum inſtrumentum eſt, hoc cibus, hoc aëris
temperamentum optimum, hoc medicamenti in-
ſtar, hoc ignis loco, hoc ferri vice: ac ſi vel vrere,
vel ſecare opus, hoc ipſo vti neceſſe: atque hoc ſi
nihil profuerit, reliqua omnia euanida pereant
oportet. Hoc & iacentem animam ſuſcitamus, &
tumeſcentem compeſcimus: hoc & ſuperuacanea
amputamus, & quæ deſunt ſupplemus, cæteraq́ue
omnia conficimus, quæ ad animi conferunt inco-
lumitatem. Ac ſanè vt vitam quàm optimè conſti-
tuas, alterius hominis vita te ad idem exemplum
æmulationemq́ue parem pertrahere poſſit. At
cum humanus animus decretorum minimè vero-
rum, ſententiarumq́ue à fide abhorrentium mor-
bis laborauerit, hic demum euangelici ſermonis
vſus magnopere neceſſarius, non ſolùm vt qui
tibi domeſtici ſunt, labores atque confirmes: ve-
rumetiam vt cum externis bellum geras, ac manus
conſeras. Nam ſi quis armatus foret tum ſpiritus
gladio, tum fidei ſcuto, eo vſque vt miracula ede-
ret, vt per miraculorum editionem, impudentium
maledicorumq́ue hominum ora obturare poſſet,
huic certè euãgelici ſermonis præſidiis nihil opus
fuerit: quin potius ne tum quidem ſermonis vſus
inutilis eſt, ſed admodum neceſſarius: quando &
beatus Paulus ab eo non abhorruit, tametſi à ſi-
gnis editis vbique in admiratione habitus. Et alius
quidam ex Apoſtolis nos hortatur vt huiuſmodi
ſermonis vim ſtudioſè amplectamur, inquiens:
Parati ſemper ſitis ad reſpondendum cuilibet petenti, vt loqua- Act. 6.
mini de ea quæ in vobis eſt ſpe. Atque adeò vniuerſi A-
poſtoli, cùm vnà eſſent, nullo alio nomine Ste-
phano eiúſque collegis viduas regendas commi-
ſcere, niſi vt in eiuſdem ſermonis miniſterio ver-
ſarentur. Veruntamen ſi contigerit nos aliquid
poſſe in ſignis per nos edendis, ſermonis huius
ſtudio non æquè erit nobis inuigilandum. Sin ne
vllum quidem virtutis illius veſtigium in nobis
relictum eſt, ac multi vndique aſſidue imminent
aduerſarij, supereſt neceſſariò vt nos hoc ſermo-
ne armemus muniamúſque, ſimul vt ne aduerſa-
riorum telis feriamur, ſimul vt illos feriamus.
Quapropter ingens adhibere ſtudium oportet, Prælatus quam debet doctrina eſſe inſtructus.
vt Chriſti ſermo in nobis largiter inhabitet: ne-
que enim nobis pugnæ ſpecies vna parata eſt, ſed
bellum nobis varium ac multiplex propoſitum,
variis multiplicibúſque aduerſariis conſtãs atque
inſtructum, qui ipſi neque iiſdem armis vtuntur
omnes, neque vno eodémque nos artificio ado-
riri meditantur, eúmque oportet, qui cum illis om-
nibus prælio decertaturus ſit, omniũ artes notas
habere, eundémque & ſagittarium, & funditorem,
& centurionem, & manipuli ductorem, & militem,
& ducem, & peditem, & equitem, & naualis & mu-
ralis pugnæ peritum eſſe. Etenim in militaribus
præliis quod quiſque opus peragendum ſuſcepe-
rit, hoc adorientes hoſtes defendit. At hic haud-
quaquam ſic ſe res habet: niſi enim qui victoriam
reportaturus eſt, dimicandi artes ad vnam omnes
ſigillatim percalluerit, nouit diabolus vel parte
vna aliqua, ſi ea fortè neglecta fuerit, piratis prędo-
nibuſq́ue ſuis introductis pecudes diripere. At non
ita vſuuenit cum paſtorem ille ſenſerit omni ſciẽ-
tia eſſe præditum atque inſtructum, inſidiarumq́ue
omnium ſuarum probè gnarum. Qua de cauſa om-
nibus nos ex partibus munitiſſimos eſſe oportet.
Nam & ciuitas quamdiu muro vndique cincta eſt,
eos irridet à quibus obſidetur, præſidio illo tutiſſi-
ma, vbi verò qui murum diruerit ad portulæ tan-
tùm magnitudinem, tum longè illi abeſt ſepti præ-
ſidium, etiamſi firmum alioqui ac tutum illud
maneat. Haud aliter igitur & Dei ciuitas, dum
ipſam vndique pro muro paſtoris ſolertia atque
prudentia cingit, aduerſariis ſuæ omnes machi-
næ, arteſq́ue in opprobrium riſumq́ue cedunt:

Digitized by Google

euaduntque, qui eam incolunt, indemnes atque illæſi, ſi autem eam parte aliqua demoliri quis poſſit, vt vniuerſam non dirueret, à parte totum, vt ſic dicam, labefactatur. Quid enim profuerit aduerſus gentiles viriliter aliquem dimicare, ſi illum populentur Iudæi? Quid item de ambobus vis victoriam reportare, ſi Manichæi illũ deprædentur? Atque adeò vel his ſuperatis, ſi qui dicunt fato omnia regi, pecudes intus iugulent? Et quid hic opus eſt omnes diaboli hæreſes ſectaſque connumerare? certè niſi omnes eas paſtor rectè nouerit propulſare, poterit lupus vel per vnam ex eis tantum, bonam pecudum partem deuorare. Iam in bellis militaribus ab iis qui ſtant ac depugnant, fore cùm victoriam, tum cladem expectandum ſemper eſt. Hic verò res longè in contrarium cedit. Perſæpè enim vſuuenit, vt pugna aduerſus alios cœpta, ad eos qui prorſus non congreſſi fuerint, quique nihil omnino pulueris bellici hauſerint, quieſcentes ſedenteſque victoriam deferant: tum vt qui in iis non magnopere exercitatus fuerit, B proprio ipſe gladio confoſſus, & amicis, & hoſtibus ludibrio ſit. Verbi gratia (periclitabor enim tibi id exemplo planum facere quod dico:) Legem quam Moſes à Deo accepit, qui Valentini ac Marcionis inſanum dogma tanquam per manus traditum accepere, atque adeò quicunque eadem cum illis ſentiunt, de ſacrorum ſcriptorum catalogo delent; Rurſus illa eadem Iudæis tam ſacroſancta eſt, vt contendant, tempore etiam id iam vetante, nihil in ea eſſe quod obſeruari non debeat, præter diuinum etiam placitum. At Dei Eccleſia vtrorumque intemperantiam vitans, mediam viam ſecuta eſt: quæ neque cenſet collum illius iugo ſubmittendum, neque patitur vt illam calumnieris. Sed vel exoletam laudat, quòd ea ſcilicet ad tempus vſum atque vtilitatem pepererit. Oportere igitur C puto eum qui aduerſus vtroſlibet depugnaturus ſit, modum huiuſmodi adhibere. Nam ſi Iudæos docere volens, intempeſtiuè nunc veteris legis ceremoniis impediri, acriter increpitare atque incuſare illam cœperit, nimirum hæreticis oblatrare volentibus anſam non mediocrem dederit: qui ſi huiuſmodi hæreticorum ora obturare volens veterem legem laudibus extulerit immodicis, eam tanquam hodie quoque neceſſariam commendans, fiet vt Iudæis ora laxet. Rurſus qui Sabellij inſaniam inſaniunt, ac quos Arrij rabies inuaſit, ij quòd modum minimè ſeruarint, à ſana vtrique fide prolapſi ſunt: qui iidem Chriſtianum etiam nomen obtinent. At ſi dogmata examines, alteros inuenies Iudæis nihilo meliores ſanioréſve, niſi quatenus appellatione tantum inter ſe differunt alteros maximè conuenire cum Pauli Samoſatenſis hæreſi: cæterùm vtroſque longè à veritatis tramite aberrare. Magnum igitur hic periculum, arctaque & anguſta via, præcipitiis vtrinque D intercepta: verendumque maximè, ne alterũ dum ferire vis, ab altero vulnus accipias. Etenim ſi quis deitatem vnam poſuerit, hic Sabellius continuò debacchabitur, vocem hanc ad ſuam inſaniam impietatemque pertracturus. Sin verò diuiſione quis facta, alium patrem, aliũ filium, alium eſſe Spiritum ſanctum dixerit, hic inſtabit Arrius, in diuerſitatem eſſentiæ perſonarũ differentiam trahens. Fugiẽda verò auerſandaque eſt tum illius impia confuſio, tum huius inſana diuiſio, ita vt patris, filij, ac Spiritus ſancti deitatem vnam fateamur, perſonas quas vocant hypoſtaſeis, tres addentes. Hac enim ratione vtrorumq; incurſiones, quaſi vallo obiecto impedire poterimus. Sunt item & alij congreſſus inſultuſque permulti, quos hic colligere poſſemus, aduerſum quos niſi diligenter fortique animo decertaueris, fiet vt pugna decidas, vulneribus confoſſus innumeris. Iam quis numerare queat domeſticorum nugas atque contentiones? quæ quidem A externis inſultibus interiores cum non ſint, maiorem etiam ei qui docere illos velit, ſudorẽ pariunt. Sunt enim alij, quibus præ curioſitatis ſtudio temerè ac nullo cum conſilio ſollicitè indagare ac ſcrutari ea placet, quæ neque facilè diſci poſſunt, neque iis vtilia eſſe, qui ita edocti fuerint. Alij rurſus iudiciorum diuinorum rationes ab eo poſtulant, conati abyſſum illam magnam dimetiri. *Iudicia enim tua* (inquit ille) *abyſſus multa*. Item fidei, ac vitæ inſtitutionis paucos admodum inuenias ſtudioſos: plures autem curioſè ea indagantes exquirenteſque, quæ nequaquam inuenire queas; quorum item exquiſitio Deum etiam irritat: nam quoties quæ ille noluit nos ſcire, ediſcere conamur, ea ipſi neque ſciemus, (quî enim Deo id nolente?) & periculum vel ex ipſa tantum indagatione ad extremum reportabimus. Atque hæc cùm ita ſint, tamen cùm quis authoritate interpoſita huiuſmodi curioſorum hominum ora obſtruxerit, is ſibi tum arrogantiæ, B tum inſcitiæ notam inurit. Qua de cauſa antiſtitem magnam huc adhibere prudentiam oportet, vt tum illos ab huiuſmodi quæſtionibus abducat, tum eas quas dixi criminationes à ſe amoliatur. Cæterùm aduerſus hæc omnia nullũ aliud quàm euangelici ſermonis ſuppetit auxilium: qua facultate ſi antiſtes ſpoliatus fuerit, fiet vt eorum animæ, qui illi ſubditi fuerint (de iis loquor qui infirmiores curioſioreſque ſunt) nihilo melius ſeſe habeant, quàm naues eæ, quas aſſidua maris tempeſtas exagitat. Quamobrem epiſcopum oportet nihil non agere, vt ſibi facultatem hanc comparet. Atque hic Baſilius: Quid igitur, inquit, Paulus ille facultatis huius ſibi parandæ ſtudioſus nequaquã fuit? qui ne eloquentiæ quidem inopiam diſſimulat, ſed apertè idiotam ſe eſſe profitetur. Idque tum maximè cùm ad Corinthios ſcribit, viros ab eloquentia, in qua magnopere ſibi placerent, claros atque illuſtres. *Baſil.*

C Hoc ipſum, inquã, hoc ipſum certè eſt, quod pleroſque perdidit, remiſſioreſque ad veræ doctrinæ ſtudiũ reddidit. Etenim cum non poſſent illi Apoſtolicæ mentis altitudinem exactè rimari, neque verborũ ſenſum capere, totius ætatis tempus conſumpſere in ſomnolentia atque oſcitãtia, inſcitiam eam amplexati, non quam ſibi ipſe Paulus tribuit, verùm à qua tanto ille abfuit interuallo; quanto non alius quiſquam eorum omnium hominum qui ſub cœlo hoc viuunt, abeſſe poteſt. Cæterùm propoſitum hoc aliquantiſper à nobis intermittatur. Interim autem illud dicam: Sit nobis Paulus ex ea quidem parte idiota, quatenus illi iidem eum faciunt. Quid tum, ſi illum contuleris cum noſtræ ætatis hominibus? Etenim facultatem ille obtinuit, orationis facultate multò præſtantiorem, ac longè potentiorem. Oſtendens enim ſeſe tantum, ac tacens, dæmonibus formidabilis erat. Noſtri omnes D ſi vnum in locum ſimul conuenerint cum infinitis tum precibus, tum lachrymis, nunquam certè tantum poſſint, quantum olim Pauli ſemicinctia potuere. Paulus quidem precibus mortuos ſuſcitauit, præterea miracula alia edidit tam multa, vt apud externos pro Deo haberetur: atque antequã vitam cum morte commutaſſet, dignus habitus eſt, qui vſque ad tertium cœlum raperetur, verborúmque particeps fieret, quæ humanam naturam audire nequaquam fas eſt. Atqui hodie viuunt homines, ſed nihili ego eloqui poſſum quod moleſtum inuidioſumque ſit. Neque enim hæc dico, quò memoriæ noſtræ hominibus inſultem, ſed quod admirer, quo pacto non perhorreſcant, dum ſeſe cum tali viro conferunt. Nam ſi miraculis omiſſis ad illius vitam deſcenderimus, eiuſdemque mores ac ſtudium verè angelicum excuſſerimus, per hoc demum Chriſti athletam magis quàm per miracula victoriam reportare videbis. Quorſum enim dicere attinet zelum, manſuetudinem,

Chryſoſt.

D. Pauli laus, & quomodo dicatur idiota fuiſſe.

continentia pericula, frequentes curas, perpetuas animi ſollicitudines Eccleſiarum cauſa ſuſceptas, commiſerationem affectumque in languentes ægrotanteſque, afflictiones permultas, alias atque alias perſecutiones, quotidianas mortes? Quis enim locus orbis vniuerſi, quæ continens, quod mare iuſti illius certamina ignorauit? Illum vel deſerta atque inhoſpita tellus cognouit, atque adeò periclitantem identidem hoſpitio excepit. Nam & inſidiarum genera omnia pertulit, & nullum non victoriæ modum expertus eſt, vt in decertando indefeſſus, ita & in reportanda victoriæ corona continuus. Sed enim neſcio quo pacto eò ipſe perductus ſum, vt tanti viri laudes oratione mea eleuarem magis quàm exornarem. Eximia enim illius facinora vt omnium orationem excedunt, ita noſtram tantum ſuperant, quantum ab iis relinquimur, qui dicendi facultate in primis excellunt. Atqui ne ſic quidem (neque enim euentu, ſed animo potius conſilium noſtrum ille metitur) ſuperſedebo, donec elocutus id fuero, quod tantò eſt iis quæ dixi præſtantius, quantò ille mortalibus omnibus excellentior. Hoc igitur quid eſt? Certè poſt tam multa egregia facinora, poſt innumeras coronas, in gehennam detrudi, & æterno tradi ſupplicio optauit, vt Iudæos qui ipſum crebrò tum lapidarāt, tum etiam quantum in ipſis erat interfecerant, ſeruaret, & Chriſto lucrifaceret: quis mortalium ſic Chriſtum deſiderauit, ſi modò deſiderium appellandum eſt, ac non potius aliud quiddam deſiderio maius? Etiámne igitur noſipſos cum illo cōferemus? idque poſt tantam gratiam quam partim cœlitus accepit, partim ex ſe ipſe præſtitit? Hoc verò quidnam eſſe queat audacius, ac temerarium magis? Atqui quod vnum reliquum eſt, Paulum ſic idiotam nequaquam fuiſſe, vt iſti exiſtimant, id iam commonſtrare aggrediar. Iſti enim non eò modò qui in peregrinæ ac profanæ eloquentiæ præſtigiis tyrocinium non poſuerit, ſed etiam eum qui pro tuendo veritatis dogmate depugnare neſciat, idiotam appellant: & rectè id quidem. At Paulus non vtrobique idiotam ſe profitetur, ſed in horū altero duntaxat. Id quod dum confirmaret, rem diligēter admodum diffiniuit: oratione, non etiam cognitione idiotam ſe appellitans. Et certè ſi hîc exigere vellemus, Iſocratis terſum leporem, Demoſthenis amplam ſublimitatem, Thucydidis verendam maieſtatem, Platonis excellentem dignitatem, Pauli teſtimonium hoc adductum eſſe oporteret. Nunc verò, ſi placet, omnia illa prætermittentes, ac peregrinæ eloquentiæ ornatum vt ſuperuacaneum ducentes, dictionem enuntiationemque negligamus: ac nobis orationis paupertatem ſic permittamus, vt rerum verborumque compoſitio nuda nobis ac ſimplex ſit: modò ne quis in cognitione, atque adeò in dogmatibus diligenter excutiendis idiotam ſe præſtet: neque quò ſuā ipſius ignauiam protegat, Paulum illum beatum ornatu ſuo maximo, tum laude quæ in eo ſumma eſt, diſpoliet. Vndénam enim, obſecro, Iudæos eos, qui Damaſcum incolerent, confudit, ſignis miraculiſque ab eo nondum cœptis? Vnde Græcos idem ſupplantauit? Quamobrem autem Tharſum relegatus eſt? nónne id factum eſt, poſteaquam vi dicendi victor ille euaſit: ſic, vt cum victos ſe illi ferre non poſſent, ad illius cædem inflammati ferrentur? Nondum enim miracula edere cœperat. Neque verò dicere quis poſſit, Paulum ob editorum miraculorum gloriam, apud multitudinem in admiratione habitum: eoſque qui cum eo congrederentur, ab ipſius fuiſſe exiſtimatione oppreſſos. Ad id enim vſque tempus non niſi ab eloquentia victoriam de aduerſariis reportabat. Aduerſus eos autem qui Iudaiſmum ſequi in Antiochia cœpiſſent, quibus auxiliis pugnauit diſputauitque? Rurſus Areopagita ille ſuperſtitioſiſſimæ ciuitatis illius ciuis, nónne vnà cum vxore, audita tantum Pauli concione, illum ſecutus eſt? Eutychus verò quomodò de feneſtra delapſus eſt? nónne poſteaquam vſque ad multam noctem Pauli docentis orationi intentus operam dedit? Quid verò in Theſſalonica atque Corintho, quin Epheſo, & in ipſa Roma, nónne totos dies totaſque noctes inſumpſit, dum diuinas ſcripturas ordine exponeret? Iam quorſum percenſere opus eſt diſputationes eas quas cum Epicureis Stoiciſque palàm habuit? Nam ſi hîc omnia referre velim, profectò noſter ſermo in magnam ſeſe longitudinem producat. Cùm igitur Paulum conſtet tum ante miraculorum editionem, tum in mediis ipſis miraculis magnam adhibuiſſe eloquētiam: qua fronte iam ſuſtinebunt idiotam illum vocare, cuius magna fuit apud omnes tam diſputantis, quàm cōcionantis admiratio? Quamobrem enim Lycaones ipſum Mercurium eſſe ſuſpicati ſunt? Nam quòd Barnabam ac Paulum deos eſſe crederent, id à ſignis editis fiebat. Quòd autem Paulum Mercurium eſſe vellent, id iam non à ſignis, ſed ab eloquētia naſcebatur. Quánam autem re prærogatiuam ille verè beatus vir inter cæteros apoſtolos obtinuit? Vnde item per vniuerſum terrarum orbem multus in omnium mortalium ore verſatur? Vnde non apud nos modò, ſed etiā apud Iudæos, ac gentiles inprimis admirationi eſt? nónne ab epiſtolarum facultate ac virtute: per quam non eos tantum qui id temporis in Chriſtum crederent, ſed eos quoque qui ab eo tempore in hunc vſque diem credidere, ac qui poſtea credituri ſunt (tantiſper dum ille de vnoquoque iudicaturus aduenerit) adiuuit, adiuturuſque eſt? Id quod facere nunquam ceſſabit, donec mortale genus duraturū eſt. Cuius certè ſcripta inſtar muri ex adamante conſtructi omnes orbis vniuerſi eccleſias quouis in loco poſitas circumuallant. 1.Cor.10. Idémque illi fortiſſimi ac generoſiſſimi bellatoris exemplo medius etiam nunc ſtat, captiuam ducens omnem cogitationem ad obediendum Chriſto: itemque & conſilia celſitudinemque omnem aduerſus Dei cognitionem ſeſe extollentem demoliens: quæ omnia ille perfecit per illas ipſas quas nobis reliquit epiſtolas admirabiles, eaſdemque diuina ſapientia refertas. Sunt autem Pauli ſcripta nobis accōmoda, non ſolum vt notha atque adulterina à nobis dogmata amoliamur, veriſque ac germanis muniamus, ſed etiam ad benè beateque viuendum maximopere conducentia. Horū enim antiſtites etiam hodierni vſu ac præſidio caſtam virginem, quam ille Chriſto adaptauit, deſponditque, concinnatam deformatamque ad ſpiritualem venuſtatem pulchritudinemq; perducunt. His item ſimul irruentes in illam morbos propulſant, ſimul præſentem conſeruant incolumitatem. Talia ſunt ea ipſa medicamina, quæ nobis idiota ille reliquit, ac tantas certè illa vires obtinent: quorum quidem experientiam probè admodum norunt qui aſſiduum eorum vſum adhibent. Atque ex his quidem liquidò conſtat, Paulum non mediocrem his in ſtudiis operam collocaſſe. Tu verò audi præterea, quibus ille 1.Tim.4. verbis diſcipulum hortetur: *Lectioni*, inquit, *operam dato, exhortationi doctrinæ*: quarum rerum & fructum Ibidem. addit, quum ait: *Nam ſi id feceris, teipſum ſeruabis, & eos qui te audierint.* 2.Tim 2. Ac rurſus: *Seruum domini non oportet pugnare, ſed placidum eſſe erga omnes, propenſum ad docendum, tolerantem malos cum manſuetudine.* 2.Tim.3. Ac progreſſus ait: *At tu perſiſte in iis quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt, ſciens à quo didiceris, & quòd à puero ſacras literas noueris, quæ te poſſunt eruditum reddere.* Ac rurſus: Ibidem. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſtitia: vt integer ſit Dei homo ad omne opus bonum apparatus.* Tit. 1. Audi autem quæ ille addat, dum cum Tito de epiſcoporum conſtitutione differit. *Oportet* enim, inquit, *epiſcopum tenacem eſſe eius, qui ſecundum doctrinam*

Digitized by Google

eſt, *fidelis ſermonis, vt potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes conuincere.* Quo igitur modo qui ſic idiota erit, vt hi eſſe volunt, contradicentes conuincere, eorúmque ora obturare poterit? Quorſum verò opus eſt operam nauare lectioni, ac ſcripturis, ſi ea nobis imperitia amplexanda eſt? Crede mihi, nihil aliud eſſe omnia iſta poſſunt, quàm excuſationes quædam, quàm ſocordiæ atque pigritiei tituli ac prætextus. At verò, inquies, epiſcopis hæc Paulus præcipit. Et nobis ſanè de epiſcopis ſermo habetur. Quòd autē ea etiā ſubditis præcepta ſint, audi rurſus quid Paulus in alia quadam epiſtola alios commonefaciat: *Sermo Chriſti inhabitet in vobis opulenter cum omni ſapientia.* (Coloſſ. 3.) Ac rurſus: *Sermo veſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus, vt ſciatis quomodo oporteat vos vnicuique reſpondere.* Iam id quod Petrus vult, vt parati ſcilicet ſimus ad reſpondendum, (1. Pet. 5.) omnibus quidem præceptum eſt. Paulus item ad Theſſalonicenſes ſcribens: (1. Theſſ. 5) *Ædificetis,* inquit, *ſinguli ſingulos, ſicut & facitis.* Quum autem de ſacerdotibus verba facit, *Qui bene præſunt,* inquit, *presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè ij qui laborant in ſermone ac doctrina.* (1. Tim. 5.) Hic enim demum doctrinæ terminus conſummatiſſimus, quum ſacerdotes tum factis, tum verbis eos quos erudiunt, ad beatam vitam à Chriſto inſtitutam conducunt. Neque enim nuda facta ſatis ſunt ad hoc vt alios edoceas, niſi & cum his verba accedant: quæ vox non mea eſt, ſed ſeruatoris noſtri Ieſu, *Quiſquis* enim, inquit, *fecerit ſimul ac docuerit, hic magnus vocabitur:* (Matt. 5.) quòd ſi is qui facit, idem & doceret, ſuperuacaneum certè id foret, quod ſecundum additum eſt: dixiſſe enim ſatis erat, quiſquis fecerit tantum. Itaque quòd vtraque illa diſtrinxerit, oſtendit alias eſſe operum partes, alias ſermonis, atque vtrunque alterius ſubſidio indigere ad conſummatam ædificationem. An non audis quid Epheſiorum presbyteris ſcribat Chriſti organum illud electum? *Propter quod vigilate,* inquit, *memores, quòd per triennium nocte ac diē non ceſſauerim cum lachrymis monere vnumquemque veſtrum.* (Act. 20.) Quis enim vel lachrymarum, vel commonefactionis per verba præſtitæ vſus, vita in eo apoſtolica ſic radiante? Certè vt mandata obſerues, poſſit vita huiuſmodi magna ex parte conferre: neque enim illi, quicquid bellè ac præclarè geſtum fuerit, continuò ſoli acceptum retulerim. Quum autem de dogmatibus exortum fuerit certamen, depugnantque omnes ab iiſdem ſcripturis, quámnam hic vitæ exemplum facultatem præſtare, quámnam vim exhibere poterit? quidnam verò vtilitatis ſudores permulti allaturi ſunt, quum vel poſt labores illos exhauſtos, à craſſa quadam inſcitia in hæreſim quis delapſus, ab eccleſiæ corpore abſciſſus auulſúſque fuerit? quod quidem ſcio multis vſuueniſſe. Quod tandem illi tum fuerit tolerantiæ commodum? certè nullum. Sicut neque incolumis vſus fuerit vllus, ſi perditè alioqui ac corruptè vixeris. Quibus de cauſis eum oportet, qui docendorum aliorum munus ſortitus eſt, in primis huiuſmodi certaminum peritia valere. Nam tametſi tutus ipſe perſtat, nihilque prorſus ab aduerſariis læditur, tamen ſimpliciorum hominum multitudo illi ſubiecta, vbi animaduerterit ducem victum eſſe, ac nihil facere quo ſe contra aduerſarios tueatur, iam non victi infirmitatem, ſed dogmatis potius imbecillitatem vitiúmque cauſantur. Atque ita demum ob vnius hominis imperitiam, multus populus in extremam perniciem præceps rapitur, qui quanquam haud ſeſe penitus cum fidei aduerſariis coniungunt, tamen de iis ambigere coguntur, de quibus confidere ipſi poterant, & ad quos ſeſe cum fide inconcuſſa contulerant, iam non illis cum eadem conſtantia attenti eſſe poſſunt: verùm tantus æſtus, tanta tempeſtas illorum animas infeſtat ſuperato præceptore, vt malum ipſum in naufragium tandem erumpat.

A Quanta autem pernicies, quantus item ignis in infœlix miſerumq; illius caput aggregetur, ſingulis quibuſque ex ſubditorum numero pereuntibus, nihil opus eſt vt te doceam, qui per te hæc ipſe omnia ad vnguem nouiſti. Hoccine igitur eſt arrogantiæ, hoccine inanis gloriæ facinus, quod mihi impingitur? quod ſcilicet recuſauerim tam multarum animarum interitus author fieri, ac mihi maius ſupplicium acceſſere, quàm præparatum alioqui deſtinatúmque poſt obitum eſſet? Quiſnam verò id mihi vitio verterit? certè nullus, niſi ſi quis inſanire, ac nulla cum ratione expoſtulare, inque alienis calamitatibus philoſophum agere volet.

LIBER QVINTVS.

QVANTVM experientiæ atque exercitationis epiſcopum ad agendas veritatis tuendæ cauſas afferre oporteat, ſatis ſuperque demonſtratum nobis puto. (Quomodo ſe gerere prælatus in muniere prædicandi vt vitet vanã gloriam.) Dicendum autem aliud quiddam ſupereſt, cuius cauſa infinita alia exiſtunt pericula, ſeu, vt verius dicam, non eius certè cauſa, ſed iis potius authoribus, qui eodem rectè vti neſciunt. Quandoquidem res ipſa & ſalutis, & plurimorum bonorum conciliatrix eſt, ſi illius adminiſtratio in ſtudioſorum ac proborum virorum manus ceciderit. Id igitur quid eſt? Nempe labor ingens concionibus diſputationibúſque publicè ad populum habendis impenſus. Primum enim bona ſubditorum pars nolunt ſe ad concionantes epiſcopos ſic accommodare, vt ſe ipſi ad præceptores audiendos accommodant: ſed diſcipulorum ordinem conditionémque ſupergreſſi, ſpectatorum eorum conditionem vſurpant, qui in theatris ſtadiíſve certamina ſpectaturi otioſè ſedent. In quibus quemadmodum ſolenne eſſe videmus, vt multitudo in contraria ſcindatur ſtudia, aliis huic, aliis illi applaudentibus: ita ſanè & hac in parte diſciſſi, alij cum hoc, alij cum illo ſeſe coniungunt, aliàs ad gratiam, aliàs ad inuidiam dicenti aures accommodantes. Neque verò id ſolum moleſtum eſt, ſed & aliud quiddam, hoc ipſo nequaquam inferius. Nam ſi quem fortè ex concionatoribus contigerit partem aliquam eorum quæ ab aliis elaborata fuerint, ſuis ipſius concionibus intertexere, certè pluribus opprobriis obnoxium ſe reddit, quàm qui alienas opes ſuffurantur, quum alioqui etiam ſæpe fiat, vt concionator ne aliunde quidem mutuatus quicquam, ſed eà de re tantum ſuſpectus, inſtar furis alicuius in ipſo furto deprehenſi habeatur. Et quid dico, eorum quæ ab aliis elaborata fuerint? Certè ne illi quidem licet ſuis propriis inuentis aſſiduè vti. Aures enim ſuas vulgus aſſuefecere, non vt ad vtilitatem, ſed ad voluptatem potius audiant, quod faciunt qui vel de tragœdis, vel de citharœdis iudicaturi ſedent: atque adeò dicendi vis illa quam haud ita dudum explodebamus, hac in parte tantum ſui deſiderium præbet, vt ne in rhetoribus quidem ipſis, quum illi inter ſe concertant, tanta requiratur. Hic ergo generoſo opus eſt animo, eoque qui longè exiguitatem hanc ſuperet, vt multitudinis voluptatem illam immoderatam infructuoſámque compeſcat, poſſitque illorum auditionem ad id quod vtilius futurum ſit transferre, hac ratione, vt populum ſe ſequentem, ac ſibi obſecundantem habeat, non etiam vt ipſe à populi deſideriis agatur: id quod præſtare nemo poteſt niſi idem ſimul popularem auram aſpernetur, ſimul dicendi vim obtineat. Quorum vtrunque niſi adfuerit, certè alterum alterius auxilio deſtitutum, nulli vſui eſſe poſſit. Nam ſi is laudum titillationem forti animo contemnens, tamen non exhibuerit doctrinam ſale ac gratia conditam, fiet vt à multis deſpicabilis habeatur, nullo prorſus lucro commodóve ab animi magnitudine illa accepto. Rurſum ſi dicendi partem optimè præſtare quum

Digitized by Google

poſſit, à plauſu atque aura populari vincatur, tum A
ipſi, tum multitudini quæ audit, damnum detri-
mentúmque idem propoſitum, hoc ipſo quod lau-
dum ille ſuarum deſiderio captus, ad auditorum
gratiam magis quàm vtilitatem dicendi vim exer-
cet. Ac quemadmodum neſcio quo pacto fit vt qui
nulla ex parte popularibus laudibus capitur, qui-
que idem dicendi eſt imperitus, is neque obſecun-
dare multitudinis voluptatibus poſſit, neque rur-
ſus auditoribus magno admodum vſui adiumen-
tóque eſſe, propterea quòd nullis eloquentiæ do-
ctrinæve præſidiis inſtructus eſt: ſic qui laudum
deſiderio trahitur, is quum doctrina eloquentiá-
què ſua multitudinem reddere meliorem poſſit,
mauult certè, dum laudes eas quas à multitudine
accepit, compenſare cupit, ea in medium afferre,
quæ auditores delectare poſſunt, his ipſis popula-
res plauſus clamoréſque captans. Eum igitur qui
optimus populi ductor futurus ſit, vtraque illa do-
te præditum eſſe conuenit, vt ne altera ſi abfuerit B
alteram ſubuertat. Quum enim in medio exur-
gens oránſque populo, ea elocutus fuerit, quæ
otioſorum hominum ignauiam atque ſocordiam
perſtringere poſſunt, ac deinde labatur & inter-
cidat illius oratio, tum verò præ dicendi inopia
erubeſcere ille cogatur: diffluit continuò, atque
euaneſcit omnium eorum quæ dixerit lucrum.
Nam qui ab eo perſtricti fuerint, illius verbis ſuc-
cenſi, dum alia rependere non poſſunt, ignoran-
tiæ ſcommatis eum laceſſunt, his arbitrati ſua ip-
ſorum opprobria adumbrare. Propterea oportere
epiſcopum puto aurigæ optimi exemplo vtraſque
illas virtutes diligenter attemperare, vt ipſi liceat
illas ſimul rite atque ordine pertractare: quum
enim talem ſe præſtiterit, vt à nemine reprehẽdi
poſſit, tum poterit cum quanta voluerit libertate
ſubditorum ſuorũ omnium delicta aliàs caſtigare, C
aliàs remittere: prius autem hoc illi haud facile fa-
ctu fuerit. Porrò animi magnitudinẽ ſic eum præ-
ſtare oportet, vt illã non ſolùm intra popularium
laudum contemptionem contineat, ſed & vlterius
promoueat, vt ne rurſum lucrũ id quod captat, im-
perfectum maneat. Quidnam igitur aliud contẽne-
re illum conuenit? liuorem, atque inuidiam. In-
tempeſtiuas autem inſimulationes (quippe antiſti-
tem neceſſe eſt abſurdas etiam deuorare crimina-
tiones) neque præter modum vereri, ac formida-
re: neque rurſus leuiter deſpicere conuenit: ſed te
oportet vt falſæ etiam exiſtant, vt à plebeis ac
contemptis hominibus in te cõtorqueantur, con-
tendere eas ſtatim vt extinguas. Nulla enim res
alia magis famam auget vel bonam vel malam,
quàm vulgus incompoſitum: vt quod citra om-
nem delectum ac iudicium & audire, & eloqui
quũ aſſuefecerit, id omne quicquid occurrerit, te-
mere proloquatur, nulla prorſus veritatis ratione D
habita. Quamobrem te non oportet vulgus ipſum
contemnere, quin potius ſuſpiciones prauas ſta-
tim atque exortæ illæ fuerint intercidere, blandè
item appellare eos qui te inſimulauerint, vt illi
etiam iniquiſſimi ſint: ac nihil prorſus omittere
rerum earum, quæ prauam de te opinionem delere
poſſint. Sin verò omnia quum præſtiterimus, no-
luerint qui nos accuſant quieſcere, tum demum
contemnere eos licebit: quandoquidem ſi quis ob
populi dicta huiuſmodi, animo ſtatim deiici cœpe-
rit, næ is nihil vnquam quod generoſum admi-
randúmque ſit, parere poterit. Siquidem mœſtitia,
itémque curæ ac ſollicitudines perpetuæ, animi
vim maximè poſſunt proſternere, eundémque ad
ſummam etiam imbecillitatem perducere. Opor-
tet igitur ſimiliter epiſcopum erga ſubditos affici,
vt ſi pater erga liberos ſuos admodum infantes
afficeretur. Ac quemadmodum illis neque inſo-
leſcentibus, neque cædentibus, neque lugentibus
admodum laboramus, ac ne quum nobis quidem

arriſerint, criſtas tollimus: ſic nos oportet neque
vulgaribus laudibus intumeſcere, neque probris
animum deſpondere, ſi quando ea intempeſtiuè
erumpere videas. Id verò, ô bone, difficile admo-
dum, ac fortaſſe tale vt præſtari à nemine poſſit:
ſuis enim laudibus audiendis nihil inde delectari,
neſcio an cuiquam vnquam mortalium obtigerit.
Porrò conſentaneum quidem eſt, vt qui laudibus
delectetur, idem illis etiam frui appetat: eum au-
tem qui frui appetit, omnino neceſſarium eſt mœ-
ſtitia ac dolore affici, quoties illas non poteſt aſſe-
qui. Nam quemadmodum quos diuites eſſe iuuat, ſi
quando in paupertatem inciderint, mœrore affi-
ciuntur, & qui deliciis aſſueuere, tenuem ac ſim-
plicem victum tolerare nunquam poſſunt: ita qui
laudum amore capti ſunt, non ſolùm quum iniuſtè
vituperantur, ſed etiam quum ab aliis aſſidue non
laudãtur, quaſi fame quadam animum conficiunt.
Idque maximè, ſi in ipſis laudibus educati fuerint:
aut ſi alios apud ſe laudari audierint. Qui verò
cum laudum appetentia huiuſmodi in docendi
certamen prodierit, quàm multis illum negotiis,
quàm multis animi doloribus obnoxium putas?
Certè neque mare vnquam poteſt vndis carere,
neque illius animus curis atque anguſtia. nam ſi,
is fortè fuerit magna dicendi vi præditus (hoc au-
tem paucorum quidem eſt hominum) ne ſic qui-
dem ab aſſiduo labore expedire ſe poteſt. Etenim
quandoquidem non natura, ſed diſciplina elo-
quentiam parit, quum ad illius etiam faſtigium
quis peruenerit, tum certè ab ea ipſe deſtituetur,
niſi continenti ſtudio atque exercitatione vim
huiuſmodi excoluerit. quo fit, vt qui peritiores iam
ſunt, iis major quàm imperitioribus labor ſit pro-
poſitus. Neque enim par atque eadem iactura hos
& illos manet, ſi rem vterque neglexerint. Verum
tantò ea maior eſt iactura, quantò inter ſe inter-
uallo poſſeſſio vtraque, hoc eſt peritia, & imperitia
diſſident. Imperitos quidem nullus in ius vocet, ſi
nihil illi attulerint quod eruditum atque eloquẽs
ſit. At periti niſi ſemper è penu ſuo vberiora quæ-
dam, & quæ eloquentiæ opinione, quam vulgò iam
receptam habent, maiora ſint, protulerint, næ au-
ditorum omnium criminationibus obnoxij ſunt?
Adde quòd illi vel à mediocri eloquentia magnas
etiam laudes aſſequi poſſint: quum horum ſermo
niſi apprime admirabilis atque adeo ſtupens fuerit
tantùm abeſt vt laudatores inueniat, vt etiam ac-
cuſatores permultos concilier. Neque enim audi-
torum conſeſſus magis ex præiudicata iam dicen-
tium exiſtimatione opinionéque, quàm ex iis quæ
dicuntur, iudicium prolaturus eſt. Quapropter
quum quis cæteris eloquentia præſtiterit, tum de-
mum illi in primis ſtudio ac labore opus eſt: ne-
que enim prætendere poteſt id excuſationis ge-
nus, quod naturæ humanæ commune eſt: fieri ſci-
licet non poſſe, vt omnibus horis ſapias. Verum
niſi vbique dicta illius omnia exiſtimationis ipſius
magnitudini reſponderint, infinitis certè cum
ſcommatis ac criminationibus à populo acceptis,
domum ſe recipiet. Quum interim nemo exiſtat
qui ſecum reputet, vel triſtitiam aliquam, vel an-
gorem, vel ſollicitudinem, nonnunquam item &
iram quæ in animum irruerit, ſolere mentis aciei
tenebras offundere, neque ſinere ipſos animi fœ-
tus puros ſyncerόſque euadere: præterea fieri om-
nino nequaquam poſſe, vt qui homo ipſe ſit, vbi-
que eundem ſe præſtet: ac quicquid tentauerit, id
omne proſperè illi vt ſuccedat. At conſentaneum
quidem eſſe, vt & nonnunquam aberret, ac ſe ipſo
inferior appareat: quarum rerum omnium nullam
illi, quod iam dixi, conſiderare volunt, quinimò ſic
in illum crimina impingunt, vt ſi angelo iudices
eſſent. Quum alioqui etiam natura comparatum
videamus, vt alterius facinora atque officia quan-
tumuis licet multa ac magna deſpiciamus: ſin vel

Digitized by Google

leue quippiam in eo deſideretur, iſque vel ex longo interuallo aberrauerit, id plebs ſtatim præſentit, promptè mordet, atque vbique meminit. Atque hoc ipſum paruum licèt ac tenue, multorum eorumque magnorum facinorum gloriam identidem eleuauit. Vides, ô bone, maiori opus eſſe ſtudio, ei potiſſimum, qui dicendi præſtantia valeat, ac præter ſtudium tanta item tolerantia, quanta ne illis quidem omnibus, quos tibi prius nominaui, opus fuit. Etenim illum permulti temerè ac nullo conſilio identidem adoriuntur, qui ipſi aliud habent nihil quod incuſent, niſi quòd illum ægrè ferunt apud omnes inclareſcere: quo magis illorum fortiter ac generosè ferenda eſt inuidia. Cuiuſmodi odium execrabile quod temerè illi collegere, occultare, ac diſſimulare quum ipſi non poſſint, clàm conuitiantur, incuſant, calumniantur: malitiæ etiam ſuæ virus palam diffundunt. Animus autem is qui ad illa ſingula dolorem concipere, atque inde irritari cœperit, non poteſt quin eo ſtatim dolore arrodatur, atque conficiatur: neque enim illum per ſeſe ipſi vlciſcuntur tantum, ſed id etiam aliorum opera aggrediuntur: ac ſæpe fit, vt vnum aliquem ex eorum numero, qui dicendi facultate minimè valeant, eligant: eundemque laudibus in cœlum extollentes, ſupra dignitatem admirentur: alios ad id inſania, alios inſcitia, alios inuidentia impellente: non quidem vt illius eloquentiam admirabilem reddant, quæ talis etiam ipſa non ſit: ſed vt huius gloriam eleuent atque extinguant. Neque verò cum huiuſmodi aduerſariis athletæ illi certamen modò propoſitum eſt, ſed & ſæpenumero cũ vniuerſi populi imperitia. Nam quandoquidem ex elegantibus eloquentibuſque viris auditorum in vnum coëuntium conſeſſus haudquaquam conflatur: verum bona concionis totius pars ex imperitis conſtat: ſunt autem reliqui & ipſi illis quidem prudentiores, iidem tamen tantò iis inferiores, qui de dicendi facultate iudicium ferre poſſunt, quanto iiſdem reliqui omnes. Sed quoniam vnus tantum aut alter in concione aſſidet, qui dicendi virtutem huiuſmodi obtineat: fit neceſſariò, vt qui doctius atque eloquentius dixerit, minus plauſus reportet: aliquoties autem, ne laudatus quidem diſcedat: ac certè neceſſe eſſe puto animum contra huiuſmodi ineptias atque abſurditates generosè præparare, iiſque ignoſcere, qui inſcitia peccant: eos verò qui inuidia adducti facere ſuſtinent, vt infælices ac miſerabiles deplorare: neutro autem horum exiſtimare epiſcopus debet, de ſua dicendi facultate quicquam detractum. Neque enim ſi pictor, qui optimus quidem ſit, quique omnes pingendi arte præcellat, imaginem accuratiſſimè à ſe expreſſam ab imperitis artificij illius vellicari videat, conuenire putauerim, vt animum ſtatim deſpondeat, picturamque ab imperitorum iudicio ineptam cenſeat: quemadmodum ne eam quidem quæ verè inepta ſit, ob eorum ſtuporem, qui pingendi rudes ignarique ſunt, admiratione, amore atque amplexibus dignam cenſere debet. Sit enim optimus opifex ſuorum quiſque operum iudex, atque is qui opera ea quæ facit, hac ratione vel venuſta, vel inepta iudicet, quum mens atque ingenium, cuius induſtria opera ipſa deformata fuerint, tale de illis ſuffragium iudiciúmque tulerit: aliorum autem opinionem errantem, atque arte carentem ſic reiiciat, vt ne in animi quidem cogitationem deſcẽdere permittat. Haud aliter ſanè, qui aliorum edocendorum prouinciam ſuſceperit, is ne de aliorum laudibus dependeat, néve ab iis animum deſpondeat. Quin orationes hoc conſilio meditatus, vt Deo opt. gratæ atque acceptæ ſint, hunc vnum ſibi ſtatuat canonem, ac terminum optimi illarum opificij, non etiam plauſus ac laudationes. Laudatur is ab hominibus, laudes ne reiiciat. Laudes ab auditoribus illi negantur: eas ne ambiat, neu negatis indoleat. Abundans enim illi fuerit laborum ſolatium, idque omnium certè maximum, ſi ſibi ipſe conſcius eſſe potuerit, ad hanc ſe rationem, doctrinam, eloquentiámque ſuam compoſuiſſe atque adaptaſſe, vt Deo illa placens acceptáque fiat. Etenim ſi illius animum iniquarum laudum appetentia prius occupauerit, ei certè nihil ſudores laboreſque illi improbi, nihil dicendi vis illa ac facultas profuerit. Humanus enim animus is qui temeraria ac cæca vulgi iudicia ferre minimè poteſt ſtatim fatiſcit, ſtudiumque ipſum literarum abiicit. Quamobrem in primis erudiendus is eſt in laudum contemptu ac deſpicientia: neque enim ſatis eſt eloquentia præditum eſſe ad dicendi facultatem hanc conſeruandam, niſi hic ipſe, quem dico, laudum contemptus adfuerit. Quòd ſi quis rem ad calculos exactè exigere velit, & illi quoque qui facultate iſta caret, comperiet nihilo minus opus eſſe contemptu iſto laudum, quàm ei qui admodum eloquens ſit. Nam ſi à popularis auræ illecebris vinci ſe ille patietur, neceſſariò fiet vt multis in rebus delinquat, vt qui quum non poſſit claros illuſtreſque illos docendo æquare, non recuſabit aliàs illis inſidias parare, aliàs inuidere, aliàs iniuſtè detrahere, multaque alia id genus præter decorum committere: quinimò nihil non audebit, vel vſque ad animæ exitium, vt illorum gloriam ad ſuæ tenuitatis humilitatem deducat. Adde quòd à ſtudiorum ſudoribus laboribuſque abſtinebit, tanquam torpedine quadam illius animo circunfuſa. Quiſquis enim poſt immenſos labores ſuſceptos, laudis fructum inferiorem reportat, is niſi ſe prius ad laudum contemptum gnauiter compoſuerit, nimirum animum ſtatim deſpondere, eundemque ad altam quandam ſomnolentiam conuertere ſolet: quando & agricola dum in ſterilium locorum cultu ac labore verſatur, ac lapidoſam noualem arare cogitur, ſtatim labori ſuperſedet, niſi illum vel agricolationis ſtudium vehemens, vel famis timor ingruentis vrgeat. Etenim ſi quibus dicendi facultas magna ineſt, vt donum illud conſeruent, tanta opus eſt exercitatione: qui facultatis illius nihil comparauerit, ſed in mediis dicendi certaminibus, in ipſo concionũ agendarum ſtadio meditari cogitur: is quãtum quæſo, ſubiturus eſt difficultatis, quantum tumultus, quantum turbulentiæ, vt magno ſuo labore tantillum auræ popularis ſibi conciliet? ſin verò quis exiſtet qui vel inferiorem epiſcopo dignitatem atque ordinem ſortitus, hac ſanè in parte plus quàm ille clareſcere poſſit, huic demum diuino quodam animo opus eſt, vt ne vel inuidia vincatur, vel animi deſperatione opprimatur. Ab inferioribus enim dicendi gloria vinci eum qui dignitate præcellat, remque fortiter ac generosè perpeti: id vero non cuiuſlibet, neque noſtri ſanè fuerit, ſed adamantini potius cuiuſdam animi. Porrò qui ſic excellit, hic ſi humano fortè ac modeſto animo præditus fuerit, malum vtique vtcunque tolerandum. Sin & audaculus, & arrogans, & glorioſæ ſitiẽs, nimirum mors aduerſario quotidie optanda: vſqueadeò amarulentam ei vitam riualis reddit, in propatulo exuperans, clam ſubſannans, pleraque de ipſius authoritate identidem vellicans, omnia ipſe eſſe cupiens: quarum rerum omnium maximum ſibi præſidium facit tum eam quam in dicendo vſurpat libertatem, tum multitudinis in ſe ſtudium, tum ſubditorum erga ſe omnium dilectionem. Ignoras quantus iam ornatè copioſeque dicendi amor, quantum ſtudium in Chriſtianorum animos inuadat, ac tanquam debacchetur? quantoque iam in pretio habeantur, qui ſtudium id excolunt, non apud exteros tantum, ſed etiam apud eos qui Chriſtianæ pietatis partes ſequuntur? Qui igitur tantum decus quis ferat, quum ipſo ſcilicet di-

cente taceant omnes, ac ſeſe interturbari exiſti- A ment, tum verò orationis finem, quaſi laborum requiem quandam expectent: alterum autem vel diu admodum orantem patienter auſcultent, & dicendi finem facere volentem ægerrimè ferant: denique quo iam ſilere volente irritentur, commoueanturque? Hæc enim etiamſi tenuia tibi ac deſpicabilia inexperto videantur, tamen eiuſmodi ſunt quæ poſſint tum alacritatem extinguere, tum animum eneruare atque diſſoluere: niſi quis à perturbationibus humanis omnibus ſeſe aſſerens, ad incorporearum potentiarum exemplum animum ipſe ſuum compoſuerit: quæ quidem neque *inuidiæ*, neque gloriæ ſtudio, neque alteri id genus morbo obnoxiæ ſunt. Proinde ſi quiſquam eſt mortalium omnium talis, qui beſtiam hanc captu difficilem, indomitam, ac truculentam, auram dico popularem, conculcare, ac multiplicia illius capita excidere poſſit: imò verò ſi quis eſt, qui illam nullo enaſci modo permittat, B hic ſanè facilè poterit compluresinſultus iſtos à ſe depellere, ac ſereno quodam portu tandem frui: qui ſi ab ea ſeſe non aſſeruerit, idem hic multiplex bellum, tumultum perpetuum, denique deſponſionis animi reliquorúmque morborum turbam aduerſum ſe depugnaturam præparabit. Quorſum attinet reliquas difficultates perſequi, quas quidem nemo neque docere, neque diſcere poterit, niſi qui in rem præſentem venerit, rerúmque ipſarum adminiſtrationem ſubierit?

LIBER SEXTVS.

ET certe hoc in orbe dum viuitur, huiuſmodi res exiſtunt, cuiuſmodi ex me audiiſti. Vita verò defunctis, quemnam quæſo in modum ea à nobis ferentur, quæ tum ferenda erunt, quum nos videlicet pro iis ſigillatim omnibus, qui nobis concre- C diti fuerint, rationẽ reddere cogemur? neque enim dedecoris tantum atque ignominiæ pœna, ſed etiam æterni ſupplicij mulcta nos illic expectat. Illud enim: Parete iis qui præſunt vobis, & concedite: nam illi vigilant pro animis veſtris, tametſi prius iam à me dictum eſt, tamen ne nunc quidem reticebo. Huius enim comminationis terror animum mihi concutit. Nam ſi ei qui vnum aliquem duntaxat offenderit, *expedit vt mola aſinaria ſuſpendatur à collo ipſius, ac demergatur in profundum maris*: Item *qui fratrum ſuorum conſcientiam offendunt, ij omnes in ipſum Chriſtum peccant*: qui non vnum, non duos, non tres tantum, ſed tam multos etiã populos perdiderint, illis quid tandem fiet? ac quamnam illi pœnã ſunt penſuri? neque enim licet imperitiam excuſare, neque ad ignorantiam confugere, neque aut neceſſitatis aut violentiæ ſpeciem obtendere: verùm ſubditus potius aliquis, ſi modò id liceat, ſuis ipſius D quàm antiſtes aliorum peccatis excuſandis, ſuffugio hoc vti poſſit. quamobrem? quandoquidem qui delegatus eſt vt alienam emendet ignorantiam, tum verò diabolicum inſtare bellum denunciet, is profectò ignorantiam prætendere minimè poterit, neque vocem hanc vſurpare: Tubã non exaudiui, bellum non præuidi. Quippe in hoc ſedet ille, vt Ezechiel ait, vt aliis ſignũ tuba canens det, & quæ futura ſunt incommoda prænuntiet. Quo nomine ſupplicium nulla excuſatione depellere poterit, quamuis vnius duntaxat animæ iactura acciderit. Si enim cum rhomphæa imminet, populo tuba ſignum non dederit, neque prænuntiarit, inquit ille, ſpeculator, ac gladius animam inuaſerit: ipſa quidem anima à ſua iniquitate capta fuerit, ſanguinem autem ipſius ex ſpeculatoris manu exquiram. Deſine ergo nos obtrudere in ſic ineuitabilis iudicij aleam. Neque enim nobis hic res eſt de ducendis militibus, aut de regno gubernando, ſed de functione angelicæ virtutis indigente. Etenim ſacerdotis animum ſolaribus radiis puriorem eſſe oportet: vt ne quando Spiritus ſanctus deſolatum illum relinquat, vt dicere illi liceat: *Viuo equidem non amplius ego, viuit autem in me Chriſtus*. Nam ſi qui eremum inhabitant, quiq; procul tum ab vrbe, tum à foro, tum à tumultibus illinc enaſcentibus ſecuri liberique viuunt, denique qui perpetua portus tranquillitate perfruuntur, toto vitæ illius præſidio fidere nolunt, quinimo infinitas quoque alias addunt cuſtodias, vndique ſeipſos circumſepientes magna adeo eum diligentia & dicere & facere omnia adlaborantes, vt cum libertate ac puritate quadam ſyncera, quantum humanus captus ferre poteſt, ad Dei conſpectum accedere poſſint: quanta putas ſacerdotem præſtare debere tum vim, tum potentiam, vt animam ſuam ipſius ab omni vindicet fœditate, vt ſpiritualem pulchritudinem illæſam atque incolumem ſeruet? Etenim multò maior vitæ integritas huic quàm illis neceſſaria eſt. Cui porrò integritas maior neceſſaria eſt, hic certè pluribus quàm illi quidem caſibus obnoxius eſſe cogitur qui eum conſpurcare poſſunt, niſi continentem ſobrietatem, ac vehemens admodum ſtudium adhibens, animum imperuium impenetrabilémque præſtiterit. Nam & oris decor & motuum exquiſita mollities, & inceſſus affectatum ſtudium, & vocis confractio, & oculorum; & malarum pigmenta, & cincinnorum compoſitiones, & capillitij tinctura, & veſtium ſumptuoſarum auratarumque diuerſitas, & gemmarum pulchritudo, & vnguentorum fragrantia, & cætera omnia, quæ muliebre genus affectare ſolet: talia ſunt quæ animum commouere poſſint, niſi is continentiæ auſteritate occalluerit. Proinde ab iis quæ dixi commoueri mirum nequaquam eſt: at per alia quædam, quæ his contraria ſint, diabolum ferire, humanáſque animas miſſo velut telo configere poſſe, id verò admirationis ac dubitationis plenum eſt. Pridem enim nonnulli, qui retia illa quæ dixi euaſerant, à longè diuerſiſſimis capti ſunt. Nam & neglecta oris facies, & ſqualida coma & ſordida veſtis, & habitus incompoſitus, & morum ſimplicitas, & ſermo ſimplex, & inceſſus inaffectatus, & vox minimè figurata, & paupertatis contubernium, & ſui contemptus, & libera item ſolitudo ad miſericordiam primum pellexerunt eum qui ea cerneret, poſt autem eundem ad extremam perduxere perniciem: permultique inuenti ſunt, qui priora illa retia quum effugiſſent, retia, inquam, ex auro, ex vnguentis, ex veſtibus ſumptuoſis, cæteriſque, quæ connumeraui, contexta, in hæc longè ab illis diuerſa facilè inciderint, hiſque perditi tandẽ fuerint. Quum ergo & per paupertatẽ, & per opulentiã, & per habitus elegãtiam, eiuſdẽq; negligentiã, & per mores tum cõpoſitos, tum incompoſitos, vno verbo, quum per ea quæ dixi omnia in ſpectantis animo prælium accenditur: illumque doli, fraudes, artificia vndique circunſiſtunt, vnde illi, quæſo, reſpirare dabitur inter tot laqueos medio? quaſnam porrò latebras nanciſci poterit, non dico ne vi ipſe captus ſuccumbat (hoc enim non admodum difficile) ſed vt ſuum ipſius animum à fœdis cogitationibus inconcuſſum aſſerat. Et quidem nihil hic loquor de honoribus, malorum infinitorum authoribus. Honores enim ij qui à mulieribus deferuntur, temperantiæ contentionem eneruant, ac peſſundant ſæpenumero, quoties quis aſſiduam vigilantiam aduerſus huiuſmodi inſidias afferre neſcierit. Rurſus honores eos, quos viri largiuntur, niſi quis magna cum animi conſtantia admiſerit, morbis duobus contrariis capitur, quorum alter eſt adulationis ſeruitus, alter arrogantiæ amentia: dum hinc ſui palpatoribus, adulatoribuſque ſeſe ſummittere hinc propter honores illos quos illi deferunt, aduerſus tenuiores criſtas tollere, atque adeò in

faſtidij

faſtidij ac contumaciæ barathrum præceps ferri cogitur. Dicta quidem à nobis ſint hæc: ſed quàm detrimentoſa ipſa ſint, nullus planè, niſi qui expertus ſit, rectè nouerit. Neque enim ſolum hæc, verum longè his tum maiora, tum periculoſiora ſubire illum neceſſe eſt, qui ipſe medius inter homines verſetur. At qui ſolitudine delectatur, is omnium horum immunitatem conſequitur: cui ſi quando abſurda quæpiam animi cogitatio ſimile quid oculis repræſentauerit, infirma tamen imbecillaque eſt imaginatio huiuſmodi, ac talis, vt ſtatim extingui atq. interimi poſſit, propterea quòd extrinſecus materia nulla ſubeſt, qua cogitationis flamma illa caleſcere poſſit. Ac monachus quidem ſibi vni tantum timet: qui ſi quando aliorum curam ſuſcipere cogitur, certè pauciſſimi illi ſunt. Illi autem ſi fortè plures erunt, tamen pauciores iis futuri ſunt, qui in eccleſiis viuunt: iidem ſui ipſorum curas ſollicitudineſque leuiores, ac minus moleſtas præfecto ſuo exhibentes, non tam propter paucitatem, quàm quòd omnes illi mundanarum rerum ſecuri viuunt, ac neque liberos, neque vxorem, neque aliud quicquam id genus animo verſare poſſunt: quæ ſanè res facit, vt qui illis præfectus ſit, eos ſibi facilè parentes, ac communi ſecum contubernio vtentes habeat: in tantum vt illorum lapſus exactè tum intueri, tum emendare poſſit. Affert autem non modicum ad virtutis ſtudia incrementum, aſſidua magiſtrorum cura. Eorum verò hominum, qui epiſcopo ſubditi ſunt, bona pars vitæ humanæ curis vincti diſtringuntur: id quod pigriores ignauioreſque illos reddit ad ſpiritus opera peragenda. Vnde & epiſcopum neceſſe eſt in ſingulos, vt ſic dicam, dies ſementem facere: vt ipſa ſaltem aſſuetudine doctrinæ, ſermonem auditorum animi retinere poſſint. Nam & opulentia ingens, & potentiæ amplitudo, & languor à deliciis exoriens, itémque & multa alia his addita, ſementes ſemel iactas ſuffocant: nonnunquam autem & ſpinarum denſitas ne ad terræ quidem ſuperficiem ſementem ipſam decidere patitur. Adde quòd afflictionis magnitudo, & paupertatis vis, & moleſtiæ aſſiduæ, & alia id genus, prioribus illis contraria, humanos animos à diuinarum rerum ſtudio abducunt. Peccatorum autem quæ ſubditorum quiſque commiſerit, epiſcopo ne minima quidem pars nota eſſe poteſt. Qui enim nota foret, quum illorum complures ne de facie quidem ille nouerit? Ac talem quidem, tantámque epiſcopo populi regendi cura moleſtiam difficultatemque affert. Quòd ſi examinare ea quis volet, quæ illum præſtare erga Deũ oportet, quæ dixi, præ illis nihil prorſus eſſe comperiet tam ingens, tam ſollicitum, tam exactum ea ſtudium requirunt. Eum enim qui pro ciuitate? imò verò pro vniuerſo terrarum orbe legatus intercedit, deprecatórque eſt apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò: ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat: qualem quæſo eſſe oportet? Equidem neque Moſis, neque Heliæ fiduciam fore vnquam ſatis putauerim ad ſupplicationem huiuſmodi peragendam: quandoquidem quaſi mundus illi vniuerſus concreditus, atque adeò omnium ſit pater, ſic ad Deum ipſe accedit, deprecans quicquid vbique bellorum eſt extingui, turbas ſolui, atque in horum locum pacem ac fœlicem rerum ſtatum ſuccedere: denique celerem malorum vnicuique imminentium tam priuatim quàm publicè defunctionem poſtulans. Porrò illum ipſum oportet tantò omnibus in rebus iis præſtare, pro quibus intercedit, quantò par eſt vt ſubditos præfectus excellat. Quum autem ille & Spiritum ſanctum inuocauerit, ſacrificiumq; illud horrore ac reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium domino manibus aſſiduè pertractato, quæro ex te, quoto illum in ordine

A collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? conſidera enim quales manus illas adminiſtrantes eſſe oporteat; qualem linguam, quæ verba illa effundat; qua denique re non puriorem ſanctioremve eſſe conueniat animam, quæ tantum illum, támque dignum ſpiritum receperit? Per id tempus & angeli ſacerdoti aſſident, & cœleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus eſt. Id quod credere abundè licet vel ex tanto illo ſacrificio quod tum peragitur. Ego verò & commemorantem olim quendam audiui, cum diceret ſenem quendam virum admirabilem, ac cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali olim viſione dignum habitum à Deo eſſe, ac per illud quidem tempus derepentè angelorum multitudinem conſpexiſſe
B (quatenus aſpectus humanus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum, altare ipſum circundantium: denique ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente rege ſtantes videat: id quod facile mihi ipſe perſuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, non ille quidem ab alio edoctus, ſed dignus habitus, qui id & vidiſſet ipſe, & audiſſet, quòd qui de vita hac emigraturi ſunt, ſi myſteriorum huiuſmodi cum pura ac munda conſcientia fuerint participes, ſpiritum efflaturi, ab angelis illorum corpora ſatellitum more ſtipantibus, propter aſſumptum illud ſacrum hinc recta in cœlum abducuntur. Tu verò nondum exhorreſcis (Matth. 22.) talem hanc animam in tam ſacroſanctum introducens myſterium, eumque qui ſordidas veſtes induerit, in ſacerdotum dignitatem collegiumque cooptans, quem tam à reliquo conuiuarum choro Chriſtus expulit? Luminis inſtar vniuerſum orbem illuſtrantis ſacerdotis animum ſplendeſcere
C oportet: noſter autem tantum habet tenebrarum ex praua conſcientia circumfuſarum, vt vereatur ac reformidet fixis intentiſque oculis cum fiducia dominum ſuum obtueri. Sacerdotes terræ ſunt ſales: noſtram autem inſipientiam omnibuſque in rebus imperitiam quotusquiſque eſt, qui facili patientique animo ferat, extra voſipſos qui me nimia quadam amoris abundantia proſequi conſueuiſtis? Neque enim ſolum, ſicut dixi, purum mundúmque ſacerdotem eſſe oportet, vt qui tali miniſterio dignus habitus ſit, ſed etiam in primis prudentem, atque adeò multarum rerum experientia inſtructum ornatúmque, intantum vt ſecularia mundanaque omnia nihilominus noſcat, quàm norunt ij qui in media hominum turba verſantur: rurſus rerum omnium mundanarum ſecurior viuat, quàm monachi ij qui montes ipſos habitandos occuparunt. Nam cum illum neceſſe ſit eorum hominum conſuetudine ac congreſſione vti, qui & vxores
D habent, & liberos alunt, & ſeruos poſſident: quique & diuites admodum ſunt, & publicè negotiantur, & potentia pollent, certè varium eſſe conuenit. Varium autem dico, nõ ſubdolum, non adulatorem, non diſſimulatorem, ſed magna tum libertate, tum fiducia plenum, ac qui ex re ſeſe ſummittere, atque obſecundare ſciat, quoties negotiorum vſus poſtulat, quique idem benignus ſit & auſterus. Neque enim vnum duntaxat in modum ſubditis omnibus vti debet, quando neque medicis conuenire videmus, vt eos omnes qui morbo laborant, vno eodémque modo tractent, neque gubernatori vt vnam tantum artem calleat, qua aduerſus ventos depugnet. Etenim ſacerdotij nauem aſſiduæ tempeſtates circunſiſtunt. Huiuſmodi autem tempeſtates non ſolùm extrinſecus adoriuntur, ſed etiam intrinſecus enaſcuntur: quo fit vt ſacerdos diligenter accommodare ſeſe ad multos, ac de iure ſuo quodammodo cõcedere debeat: quæ omnia vel inter ſe pugnantia ad vnum hunc

finem

Digitized by Google

finem ſpectant, nimirum ad Dei optimi laudem, A
atque eccleſiæ ædificationem. Monachorum cer-
tamen ingens, ac labor multus eſt. Verum ſi con-
ferre quis volet inſtituti illius ſudores, cum rectè
adminiſtrato ſacerdotio, certè tantum eſſe inter
illa duo diſcrimen comperiet, quantum eſt inter
priuatum & regem interuallum. Nam illic quic-
quam magnopere laborandum, tamen labor con-
certatioque huiuſmodi corporis atque animi com-
munis eſt, ſeu, vt verius dicam, labor huiuſmodi
maiori quidem ex parte corporis conſtitutione
abſoluitur. Quod quidem niſi valens fuerit, animi
promptitudo in ſe ipſa vertitur, ac veluti ſoliuaga
& ieiuna manet, non habens quemadmodum in
opus exeat. Quippe contento ſtudio ieiunare, hu-
mi, decubare, aduigilare, illoto eſſe corpore, mul-
tum ſudare, & cætera id genus, quæ monachi ad
durandum affligendúmque corpus ſibi exercen-
da proponunt, ſtatim omnia depereunt, niſi cor-
pus quod caſtigandum eſt, ſufferendis afflictioni- B
bus illis par fuerit. Hic verò nuda ſimplicis animi
arte opus eſt, ac certè tali quæ corporis habitudine
nihil indigeat, vt ſuam ipſius virtutem prodat.
Quid enim nobis præſidij corporis robur ad id
conferre poſſit, vt neque præfracti, neque iracun-
di, neque procaces ſimus, ſed ſobrij potius, caſti,
1.Tim.3. honeſti, aliiſque animi virtutibus inſtructi, per
quas beatus Paulus ineffabilis ſacerdotis imagi-
nem numeris ſuis omnibus abſolutam eſſe vo-
luit? quod ipſum itidem dicere non poſſis de ea
virtute, quam monachus præſtare debet. Ac
quemadmodum præſtigiatoribus neceſſaria qui-
dem eſt inſtrumentorum, rotarum, funium, gladio-
rum copia, varietaſque: contrà philoſophus vni-
uerſam artem in animo reconditam habet, exter-
narum rerum nihil indigens: ſic & hic monachus
eo amplius alieno indiget officio, eaque benignita- C
te, quæ vice aliena commoueatur: & conuenientia
item rerum locorúmque ad vitam illam commo-
dorum, vt ij loci neque ita multum ab hominum
conſpectu remoti, ſolitudinis tamen otium quie-
témque habeant: neque idem optima anni atque
aëris temperie careant. Nihil enim eſſe poſſit into-
lerabilius ei, qui abſtinentiis ieiuniiſque corpus
ſuum macerat, quàm cœli atque aëris intemperies,
vt ſileam hic quàm multa monachis negotia ne-
ceſſariò exhibeant, tum veſtium confectio, tum
vitæ cura: quippe quum certatim etiam contendant
omnia per ſe opera peragere. Sacerdoti autē quod
ad ipſius vſum pertinet, nihil his opus fuerit, vtpo-
te qui ſeſe cum minimè curioſum, tum promiſcuū
omnibus his in rebus quæ damnum non afferant,
præſtare: tum verò ſcientiam omnem in animi ſui
theſauri reconditam habere debeat. Quòd ſi quis
exiſtet qui admiretur, laudetque ſacerdotem eum,
qui ſibi ipſe viuens domi ſe contineat, ac multorū D
conſuetudinem vſúmque auerſetur, equidem hoc
patientiæ ſpecimen aliquod eſſe dixerim, non ta-
men idoneum id argumentum virtutis omnis eius
quæ illius animo ineſſe debet, affirmauerim. Nam
qui intra portum ad gubernaculi regimen aſſidet,
is non continuò ſufficiens artis periculum præbet.
At verò qui medio in mari cùm eſſet, nauem ſæ-
uiente tempeſtate eripere potuit: hunc certè nemo
eſt qui optimum gubernatorem eſſe neget. Proin-
de ne monachum quidem magnopere ac ſupra
modū admirabimur, quòd is apud ſe viuens, neque
commoueatur, neque in multa ac magna peccata
prolabatur. Neque enim ei res illæ adſunt, quibus
ipſe animo irritetur exſtimuleturque. Sin verò quis
ſe ipſe turbis vniuerſis tradiderit, ac multorum de-
licta hominū ferre coactus cùm eſſet, inconcuſſus
immotuſque perſtiterit, animum ipſum vel tempe-
ſtate actum tanquam in malacia ac tranquillitate
gubernans: hic verò dignus eſt, quem omnes plau-
ſu atque admiratione proſequantur: abundè enim
ſuæ ille virtuti periculum fecerit. Ne te igitur ad-
miratio ſubeat, ſi qui à foro atque à populari con-
ſuetudine abhorremus, accuſatores multos nequa-
quam habeamus. Neque enim ſi quum obdormi-
rem, non deliqui: neque ſi quum non colluctarer,
non cecidi: neque ſi quum non depugnarem, non
percuſſus ſum, mirari oportuit: quis enim obſecro,
quis, inquam, deferre poterit ac detegere flagitium
meum? tectúmne, cubiculúmque hoc? at in vocem
erumpere non poſſit. an mater potius, cui vni in
primis res omnes meæ notæ ſunt? At ne cum illa
quidem mihi quicquam commune eſt, neque ipſi
inter nos in rixam contentionemque vllam veni-
mus. Id quod vt etiam acciderit, equidem nullam
eſſe matrem exiſtimo ſic à pietate charitateque a-
lienam, ſic à liberorum amore abhorrentem, vt
quem parturierit, pepererit, educauerit, nulla cau-
ſa impellente, ac nemine cogente, eum palam vi-
tuperare ac criminari ſuſtineat. Nam ſi quis alio-
qui hunc animum exquiſitè excutere velit, certè
permulta in eo deſiderabit. Id quod ne tibi quidem
incognitum eſt, qui me tamē apud omnes laudibus
in cœlum efferre conſueuiſti. Ac ſanè quod non
extenuandi mei nomine hoc pronuntiem, recor-
dare, ſi placet, quoties tibi dixerim, (cum huiuſmo-
di ſermo identidem inter nos incidiſſet) ſi quis op-
tionem mihi proponeret, vtrum ego inſtitutum ſe-
qui, inque eo clareſcere mallem, in eccleſiæ alicu-
ius præfectura, an in monachali ſolitudine, me
prius illud vitæ genus mille calculis antepoſitu-
rum. Neque enim ceſſaui vnquam illos apud te
ſuſpicere, qui munere illo iuſtè defungi poſſent:
me verò id munus non detrectaturum fuiſſe, quod
tantopere magnifacerem, ſi modò illi probè per-
tractando par fuiſſem, nemo planè contradicturus
eſt. Verùm quid facerem? Equidem nihil minus
vtile, minúſque aptum eſſe puto ad eccleſiæ præ-
fecturam adminiſtrandam, quàm animi mei pigri-
tiam hanc atque ſocordiam, quam tamen alij exer-
citationem eſſe exiſtimant. At ego illam quaſi meæ
imbecillitati velamen prætendo. Qua quidem ex
iis quæ in me deſiderantur, plura obtego, neque
ſeſe prodere patior. Quiſquis enim tanti otij fru-
ctum capere, multáque in quiete vitam tranſigere
aſſueuerit, vt magno etiam ingenio præditus ſit, is
ſanè ſi quid agendum eſt, in quo tyrocinium non
poſuerit, animo ſtatim turbatur, ac percellitur, ob-
tunduntúrque magna quidem ex parte facultates
vireſque illius omnes, niſi eas prius ad idipſum
quod facturus eſt, probè exercuerit. Qui ſi fortè ſi-
mul & tardo ingenio natus, & certaminum huiuſ-
modi expers fuerit, ſuſcepta iſta ſacerdotij admi-
niſtrandi prouincia, nihil prorſus (quod noſtrate
verbo dicitur) à ſtatuis diſtabit. Quamobrem pauci
admodum exiſtunt, qui in palæſtra illa in hæc cer-
tamina deſcendant: quotquot autem deſcendunt,
ex iis plures ſeſe quales ſint produnt, tum verò
animis concidunt, denique inſuaues atque acerbas
ſeſe res deuorare intelligunt. Nec abs re quidem
illud. Quum enim non eadem ſunt, neque iiſdem
de rebus propoſita certamina exercitationeſque,
tum fit vt qui decertat, ab eo qui prorſus inexer-
citatus eſt, nihil diſcrepet. Gloriam in primis con-
temnere eum oportet, qui in ſtadium iſtud decer-
taturus deſcendit, iram ſuperare, ac multa proui-
dentia abundare. Huic autem qui ſolitariam vitam
amplectitur, nullus prorſus exercitationis campus
propoſitus eſt. Nam neque irritantes habet mul-
tos, vt hac ratione meditetur, ac ſeſe exerceat in
coërcenda animi excandeſcentia: neque rurſus
palpatores, applauſoreſque, vt hac item ratione
popularem auram reſpuere diſcat. Propterea hoc
hominum genus non admodum laborant eam ſibi
parare animi prudentiam, quam eccleſiæ admini-
ſtratio requirit: quo fit, vt quum in ea certamina
deſcenderint, quorum nullum antea periculum

fecerint, hæreant ipſi, hallucinentur, ineundi conſilij inopia laborent, atque adeò præterquam quòd ad virtutem progreſſionem nullam faciunt, eas etiam dotes quas ſecum attulerant, plerique plerumque deperdant. Baſil. Tum Baſilius: Quid igitur? eos qui in media hominum turba verſantur, qui vitæ huius cultum, negotia, curas ſequuntur, qui ad rixas, ad pugnas, ad maledicentias occalluere, ſexcentis ingenij facultatibus artibuſque inſtructi, deliciiſque affluentes, eccleſiæ regimini præficiemus?

Chryſoſt. Bona verba inquam. Huiuſmodi enim hominum in mentem quidem tibi venire debet, quum de ſacerdotum delectu agetur. At verò ſi quis exiſtet, qui vel multorum hominum vſum conuictúmque ferens, poſſit item animi puritatem, conſtantiam, ſanctimoniam, tolerantiam, ſobrietatem, cæteráſque virtutes, quæ monachis inſunt, magis etiam incorruptas atque incócuſſas ſeruare, quàm ipſi etiam monachi ſeruent, ne hic tibi deligendus erit: quandoquidem quiſquis vitiis multis quum laborat, eadem illa poteſt ſolitudine diſſimulare, atque obtegere, ſicque intra ſe cótinere ne in opus erumpant, propterea quòd nullorum conuictu hominum vtatur: hic certè ſi in medium acceſſerit, nihil inde lucri aſſequetur, niſi quòd tum ridiculus futurus eſt, tum etiam maius periculum ſubiturus. Id quod nobis propemodum accidiſſet, niſi Dei optimi prouidentia ignem hunc à capite ſtatim meo defendiſſet. Neque enim diſſimulare ſe ipſe poteſt, qui moribus iis fuerit, cùm in luce hominúmque cœtu verſatur. Verùm quoquò ſe ille vertat, ſtatim proditur: ac quemadmodum fit vt metallicas materias ignis probet, ita & cleri exacta probatio mortalium animos ſecernit atque internoſcit: ac ſi quis eſt vel iracundus, vel puſillanimis, vel gloriæ appetens, vel arrogans, vel alio quouis animi morbo obſeſſus, id omne detegit, ac latentes ſtatim morbos denudat: nec denudat ſolum, ſed etiam tum aſperiores, tum impotentiores reddit. Nam vt corporis vulnera ſi atteris, curatu difficiliora reddis: ſic natura comparatum videmus, vt animi morbi, ſi irrites exaſpereſque, magis ac magis rebellent, atque incrudeſcant, dominorúmque ſuorum peccata augeant. Etenim ad ambitionem ſtatim attollunt impellúntque eum qui ſibi cauere atque imperare neſciat. Itemque ad arrogantiam auaritiámque: clàm autem ad delicias pertrahũt, ad animi demiſſionem, ad ignauiam: ac pedetentim ad alia deinceps indidem enaſcentia. Multa enim alia ſunt vitia iis quæ connumeraui interiecta, quæ animi vim eneruare, ipſúmque ad Deum curſum interrumpere poſſunt. Atque in primis mulierum vſus conſuetudóque. Neque enim poteſt antiſtes, qui gregis vniuerſi curam ſuſcepit, viris tantum curandis operam dare, mulierum autem curam negligere, qua in parte magna profectò opus eſt prouidentia, quòd facilè ad peccandum quiſque procliuis ſit, ſed illum oportet cui adminiſtrandus epiſcopatus ſorte obuenerit, pro illarum ſalute ſi non maiorem, at parem certè curam ſtudiúmque impendere. Nam & eas inuiſere ægrotantes, & ſolari lugentes, & increpare languentes, & adiuuare afflictas oportet: quæ omnia dum fiunt, plures irrumpendi aditus dæmon inuenire poteſt, niſi exactiſſima quis ac munitiſſima cuſtodia ſeſe vallauerit, quippe animum ipſum ferit ac commouet, non impudicæ tantum, ſed etiam pudicæ mulieris oculus: præterea & palpationes emolliunt, & honores mancipant. Et ſimul charitas feruens, eadem bonorum omnium author, iis qui ea rectè vti neſciunt, malorum omnium author fit. Aliquoties autem & ſollicitudines aſſiduæ mentis acumen hebetant, eúmque qui animo volucri ac pernici ſit, plumbo grauiorem reddunt: denique & ira quæ

A in animum forte inuaſerit, fumi inſtar interiora omnia à ſe occupata inuoluit. Quis tandem reliqua enumeret incommoda, contumelias, violentias, incuſationes, non ſolùm quas viri prudentes, ſed etiam quas tum tenuiores, tum imprudentes intendunt, quæ hominum pars quum recto animi ſenſu ac iudicio careant, conqueri atque expoſtulare nunquam ceſſant, excuſationes quibus te defendas haud facilè admittentes. Porrò & antiſtitem qui bonus ſit, oportet ne iſtos quidem contemptui habere, ſed multa cum humanitate, facilitate, comitate omnium criminationes diluere, iniuſtas potius accuſationes condonantem, quàm ob eas ægrè ferentem ac ſuccenſentem. Si enim beatus ille Paulus veritus eſt ne furti apud diſcipulos ſuſpectus eſſet, quo nomine & alios in pecuniarum adminiſtrationem ſecum aſſumpſit, vt ne quis, inquit, nos carpat in hac exuberantia quæ à nobis adminiſtratur: 1. Cor. 8. quomodo B non omnia à nobis agéda ſunt, vt malas à nobis ſuſpiciones amoueamus, quãtumuis licet falſas, iniquas, & ab ea quam habeamus opinione alienas? A nullo enim peccato tãto abſumus, quantum à furto aberat Paulus, Attamen tantum ille cùm abeſſet à prauo huiuſmodi facinore, ne ſic quidem negligendam ſibi putauit communem multorum ſuſpicionem, etiamſi admodum iniquam atque inſanam. Inſania enim mera tale quid ſuſpicari de beato illo atque admirabili Pauli animo. Nihilo tamen minus, quum huiuſmodi ſuſpicio ſic iniqua atque abſurda foret, vt in nullius animum, niſi eius qui mente alienata eſſet, influere poſſet, cauſas ille à ſe omnes procul amolitur. Neque verò has ſe defenſione tuetur: Quis tandem veſtrum hoc ipſum de nobis ſuſpicari ſuſtineat, quum nemo veſtrum ſit qui nos, tum ex ſignis miraculiſque, tum ex vitæ honeſtate atque integritate C non reuereatur atque admiretur? imò contrà & ſuſpicatus ille eſt, & expectauit prauam hanc de ſe ſuſpicionem, atque idcirco radicitus eam auellit, ſeu, vt verius dicam, prorſus ne exoriri quidem eam permiſit. quamobrem? Procuramus enim, inquit, quæ honeſta ſunt, *non modò coram domino, ſed etiam coram hominibus.* Rom. 12. Tantum certè oportet, imò verò longè maius ſtudium adhibere, vt malas opiniones non ſolum dum erumpunt, diuellamus, arceamuſque, ſed & procul vnde erumpere poſſint, proſpiciamus, atque adeò cauſas ipſas è quibus enaſcantur, longo antè tempore interimamus, non etiam dum coaleſcant, & in vulgi ore verſentur, ac diuulgentur, expectemus. Tum enim haud procliuè fuerit illas delere, ſed admodum difficile: fortaſſe etiam nulla eas arte tum extinguere valeas, neque verò tum res noxa careat, propterea quòd hoc ipſum fiat, quo tempore multorum conſcientiam læſeris. D Sed enim quouſque tandem immorabor in perſequendis iis, quæ oratione quidem aſſequi minimè ipſe poſſim? quippe difficultates eas omnes recenſere velle, quas epiſcopum tolerare oportet, prorſus nihil aliud fuerit, quàm maris altitudinem emetiri. Nam vt etiam ille ab omni animi perturbatione vacet (id quod aſſequi certè nemo poteſt) tamen emendandis corrigendiſque aliorum delictis, labores ærumnaſque infinitas ferre neceſſariò cogitur. Quibus quidem ſi domeſticos peculiareſque morbos addideris, hic tu contemplare labore pelagus, curarumque abyſſum, & quæ epiſcopo toleranda erunt, volenti & domeſtica & aliena mala edomare. Atque hìc Baſilius. Baſil. Nunc verò, inquit, nullúſne tibi labor huiuſmodi ſubeundus? nullæne animum tuum curæ in ſolitudine iſta excruciant? Excruciant quidem, inquam, vel hodie. Chryſoſt. Qui enim poteſt is, qui homo quidem ipſe ſit, ac vitam hanc ærumnoſam viuat, à curis, à laboribus & angu-

ſtiis

itus ſeſe expedire? Verùm haudquaquam certè paria inter ſe ſunt, immenſum pelagus emetiri, & fluuium aliquem nauigio tranſmittere: tam ingens enim has inter & illas curas interiectum eſt interuallum. Equidem ſi hodie poſſim vſui aliis eſſe, id vtique deſideriis votiſque omnibus concupiſcam: ſin id præſtare non poſſim, at mihi certè factum ſatis putabo, ſi me ſeruare, atque à tempeſtate eximere dabitur. Tu verò, inquit Baſilius, *Baſil.* hoc ipſum magnum eſſe cenſes? Prorſus autem & te ſeruatum iri putas, qui alios nulla re iuueris? Beatè ac rectè, inquam, elocutus es: neque enim id *Chryſoſt.* mihi perſuaſi, ſaluum fieri quemquam poſſe, qui pro proximi ſui ſalute nihil laboris impenderit, *Matt. 25.* quum neque miſerum illum quicquam iuuerit, talentum ſibi traditum non imminuiſſe: imò hoc ille nomine periit, quòd illud non auxiſſet duplicaſſetque. Veruntamen leuius mihi ſupplicium adfore puto, accuſato cur & alios ipſe non ſeruauerim, quàm ſi & me item vnà cum illis perdiderim, B tanta iſta ſacerdotij dignitate ſuſcepta, longè ipſe deterior ſceleratiórque effectus. Equidem nunc mihi perſuadeo fore, vt tantum mihi ſupplicium irrogetur, quantum peccatorum à me perpetratorum magnitudo poſtulat: qui ſi principatum hunc ſuſcepero, tum me ſanè pœnam pendere oportebit, non duplam, triplámve, ſed longè item grauiorem: hoc ipſo quòd ſimul plures læſerim, ſimul poſt maiorem honorem à me acceptum, Deum optimum qui me honore illo dignatus fuerit, offenderim. Propterea enim Deus Iſraëlitas accuſans, ob hanc cauſam acrius oſtendit maiori illos pœna dignos, quòd peccauerint poſt honores ab ipſo acceptos, aliquoties in hæc verba eos compellans: Atqui vos cognoui ex omnibus terræ tribubus: propterea vindicabo in vos impietates veſtras. Aliàs autem: Aſſumpſi ex filiis veſtris qui eſſent prophetæ, itémque ex adoleſcentibus veſtris C qui mihi ſancti eſſent. Atque adeò ante prophetarum tempora, oſtendere volens Deus hominum peccata longè maiori ſupplicio expiari, dum à ſacerdotibus, quam dum à priuatis fiunt, mandat vt tantundem pro ſacerdotibus, quantum pro vniuerſo populo ſacrificium offeratur. *Leui. 4.* Quod quidem quid aliud ſignat, quàm ſacerdotis vulnera maiori medicamento atq; auxilio indigere, atq; adeò tãto quanto coniũcta ſimul vniuerſi populi vulnera indigent? Porrò maiori nequaquã indigerent, niſi ea grauiora forẽt. Atqui grauiora certè fiunt, non natura ipſa ſed ſacerdotis qui ea cõmiſerit, cõditione ac dignitate. Cæterùm quid hic nos de viris verba facimus, qui miniſteriũ pertractantes ſacris operarentur? quum & ſacerdotum filiæ, quibus ipſis nihil cum ſacerdotio commune eſt, propter dignita- *1. Reg. 4.* tem paternam, eorundem peccatorum pœnam multò acerbiorem ſuſtineant. Ac peccatum quidem D par æqualeque, tum quod illæ, tum quod priuatorum hominum filiæ commiſerint: mœchatio enim vtrunque, at mulcta illis irrogata multò ſeuerior. Cernis quàm abundè Deus declaret, longè maius ſeſe ſupplicium à principe, quàm à ſubditis exigere? Neque enim qui in filiam propter eius patrem grauius quàm in alias quaſuis animaduertit, à patre certè, qui ipſe auctarij pœnæ in filiam irrogandæ author ſit, parem eandemque cum multis pœnam exiget, ſed multo ſanè grauiorem. Id quod vel maximè conſentaneum eſt. Non enim damnum inde exoriens, in illum tantum recidit, verùm & infirmorum, & eorum item omnium, quorum oculi in illum conuerſi ſunt, animos ten- *Ezech. 34.* tat. Hoc ipſum & Ezechiel docere volens, ſeparat ſecernitque arietes ab ouibus. Ecquid tibi nunc videmur iuſto terrore percuſſi fuiſſe? Nam præter illa quæ à me dicta ſunt, quanquam magnopere mihi adlaborandum eſt, vt ne penitus ab animi huius morbis opprimar, tamen laborem ipſum ſu-

A ſtineo, nec certamen quidem ſubterfugio. Etenim animus quidem meus ab inani gloria vel hodie capitur. Sed tamen exerto capite ſæpenumero reſipiſco, ac me captum eſſe intelligo, atque adeò aliquoties captum ſeruilemque animum increpo. Obrepunt mihi vel hodie abſurdæ quædam appetentiæ, ſed quæ remiſſiorem incendant flammam, propterea quòd oculis extrinſecus materia nulla ſuppeditet, qua ignis cõceptus foueatur. Vaco autem prorſus oblocutionibus maledictiiſque, quas vel in alios contorqueam, vel ab aliis in me contortas audiam, cum nullos habeã quibuſcum ſermones ipſe meos cõferre poſſim. Neque enim priuati hi parietes vocem edere valeant. Sed nec iræ quidem moderari perinde poſſum, etiam ſi nullus adſit à quo irriter. Sæpè enim quum mihi in mentem venit ineptorum quorundam hominum, facinorúmque ab illis perpetratorum, tum certè fit vt animo intumeſcam, commoueárque: qui tamen B animi motus non ad finem vſque decurrit. Statim enim excandeſcentem illum compeſcimus, perſuadentes vt cõquieſcat, præſertim vbi illum docuerimus, inſulſiſſimum eſſe, extremæque demum infœlicitatis, domeſticis malis commodiſque prætermiſſis, in alienis curioſos eſſe. Qui ſi in multitudinis conſortium me conferam, perturbationúmque illarum infinitate occuper, iam nõ liceat admonitione huiuſmodi perfrui, neque rationes eas comminiſci, quibus animus mihi meus ſic inſtruatur atque erudiatur. Sed quemadmodũ fieri videmus, vt qui fluctu rapiente, aut alia vi in caput præcipites feruntur, poſſint quidem interitus ſui finem proſpicere, at ſalutis rationem inire nõ item: ſic & ipſe ſi in ingentem illum morborum tumultum irruero, potero quidem ſupplicium meũ contueri indies magis ac magis ingraueſcens: mihi autem conſtare, quemadmodũ & mihi nunc conſto, C ac morbos huiuſmodi vndiq; rapientes increpare, non perinde facile atque antea. Mihi enim animus imbecillis, exiguus, & captu admodũ facilis, non ab his tantùm morbis, ſed & ab inuidentia, morbo omniũ longè moleſtiſſimo, qui animus neque contumelias, neque honores moderatè ferre poteſt, quin potius ſupra modum vt his attollitur, ita illis deprimitur. Ergo quemadmodum ferarum immaniũ eſt, vt dum læto ſaginatoque corpore geſtientes luxuriant, facilè eos vincant qui ſecũ depugnent, præſertim ſi aduerſarij imbecilli ac pugnandi minimè periti fuerint: ſin verò eas quis fame macerârit, ſtrigoſaſque effecerit, tum fiet vt illarum furorem ſopiat, ac virium bonam partem ſic contundat, vt qui non admodum generoſus fortiſque ſit, poſſit cum illis facilè decertare ac depugnare: ſic & animi morbos quiſquis infirmos reddiderit, eos certè ſub rationis gyrũ facilè reducit. Rurſus quiſquis exqui- D ſitè educauerit, moleſtiorẽ ſibi aduerſus illos pugnã conſtituit: atque hac demũ ratione ſic aduerſum ſe terribiles efferáſque reddit, vt cogatur in perpetua tum ſeruitute, tum formidine vitã tranſigere. Quænam igitur belluarum iſtarum alimenta? inanis quidem gloriæ alimenta ſunt laudes, atque honores: Contumaciæ, potentiæ, atque adeò licentiæ magnitudo: Inuidentiæ, alienæ famæ celebritas: Auaritiæ, largientium liberalitas: Intemperantiæ, deliciæ atque aſſidui mulierum congreſſus: In ſumma, ne hic de ſingulis agam, alimentum aliud, aliud peccatum alit. Proinde belluæ hæ omnes me, ſi in medium hominum cœtum acceſſero, magno impetu adorientur, animúmque hunc conturbabunt: tum verò & terrorem afferentes, moleſtiorem mihi contra ſe pugnam efficient. Cæterum tantiſper dum ſolitudinem hanc colo, quanquam cum illis etiam luctans, tamen Dei optimi gratia adiutus, eas ſic domo, ſic ſubiicio, vt præter latratum nihil habeant. His de cauſis in hoc me ipſe cubiculo contineo: his de cauſis alios quæ-

rentes

rentes, nemini ad me aditũ patere, contuberniumque ac conuictum meũ cum nemine communem eſſe, infinitaſque in me id genus criminationes congerentes, facilè fero: quas equidem lubens abſtergerem; ſed quum id non liceat, quod proximum quidem eſt, animum hunc dolore compungo, ac mœſtitia excrucio. Neque enim procliue mihi eſt vno eodemque tempore tum hominum conſuetudine vti, tum hac in animi ſecuritate ac præſentia perſiſtere: quo fit vt te ego exhorter eum potius miſerari, quàm calumniari vt velis, qui tanta difficultate interceptus eſt. At verò ipſe tibi, quod video, nondum oratione mea perſuaſi. Itaque appetere iam tempus reor, vt quod vnum ſupereſt mihi arcanum, id in ſinum tandem tuum effundã, etiamſi multis id fortaſſe tale futurum ſit, vt credi minimè debeat: me verò, quicquid id eſt, ne hac quidem ratione euulgare pudebit. Nam vt illud à me euulgatum, futurum ſit tum malæ huius conſcientiæ, tum infinitorum peccatorum argumentum: tamen quum non alius quàm Deus ipſe (cui vni nihil certè occultum eſt) de nobis iudicium facturus ſit, quid nobis tandem lucri, quid emolumenti ex hominum ignoratione hac in parte accedere poterit? Quodnam igitur arcanum hoc eſt? Ab eo ipſo die quo tute mihi epiſcopatus ſuſpicionem hanc iniecisti, factum eſt identidem, vt corpus hoc ab anima propemodum diſſolueretur: tam ingens pauor, tam ingens mœſtitia animum meum occupauit. Nam cum apud me conſiderarem Chriſti ſponſæ gloriam, ſanctimoniam, venuſtatem ſpiritualem, prudentiam, ornatum, tum verò animi mei vitia expenderem, fiebat vt aſſiduis tum illam, tum etiam me gemitibus luctibuſque proſequerer: quo in animi angore doloreque dum verſarer, hiſce memet verbis conueniebam: Quiſnam conſilij huius author fuit? quid tandem tantum peccauit Dei eccleſia? quænam tanta res ipſius eccleſiæ dominum excitauit, induxitque vt illam tanto cum eius dedecore mihi mortalium omnium ignominioſiſſimo regendam traderet? Hæc ipſa mecum identidem reputans, dum abſurditatis indignitatiſque huius ne cogitationem quidem animo ſuſtinere valerem, fiebat vt eorũ exemplo qui attoniti ſunt, ſtupens, neque cernere, neque audire quicquam poſſem. Ab hæſitantia autem ac conſternatione huiuſmodi quum animus tandem meus dimiſſus eſſet, (faceſſebat enim intermittebatque illa nonnunquam) ſuccedebant lachrymæ ac mœſtitia: tum verò poſt lachrymarum ſatietatem rurſus inſinuabat ſeſe timor animum hunc commouens, conturbans, concutiens. In tanto ego æſtu antea vixi, cum id tute ignorares, meque in tranquillitate victitare exiſtimares. Ego verò tibi hic animi mei æſtum detegere tentabo: hinc enim fortaſſe veniam mihi dabis, meque tandem inſimulare deſines. Qui igitur illum detegam? Nam ſi eum apertè oculis iſtis cernere velis, id nimirum haud aliter liceat, quàm corde hoc tibi per me prius detecto, nudatoque. Quod quia fieri non poteſt, tibi hic ergo per obſcuram quandam imaginem, vtcunque potero, experiar mœſtitiæ meæ ſummum repræſentare. Tu verò ex ipſa imagine mœſtitiam tantum noſtram colligito. Fingamus puellam aliquam regis filiam, & eius quidem cui terra ea vniuerſa quæ ſub ſole poſita eſt, pareat, à proco quopiam expeti: tum verò demus nouam quandam in ea ineſſe formæ venuſtatem, quæ ſic humanam naturam tranſcendat, vt per eam puella muliebre genus vniuerſum magno admodum diſcrimine ſuperet: prætereaque tantã illi ineſſe animi virtutem, vt virorum genus, eorum, inquam, qui vel antea fuere, vel futuri olim ſunt, longo poſt ſe interuallo relinquat: tum autem & morum honeſtate tanta eadem excellere, vt vel omnes philoſophiæ terminos excedat: denique talem eſſe, vt proprij aſpectus gratia, oculorumque

Simile.

A venuſtas vniuerſam illam corporis totius elegantiam obſcuret. Addamus item, ſi placet, ipſius procum, non ex iis tantũ quæ diximus, virginis amore ardere, ſed furore item neſcio quo ergà illam affici: quo quidem inſaniſſimos quoſque qui antea vnquam extiterint, amatores ſuperet: poſtea procum hunc, dum hoc philtro ac furore deflagrat, alicunde accepiſſe, futurũ vt puellam illam quam miro amore depereat, homuncio neſcio quis humilis, abiectus, obſcuro atque ignobili genere natus, quique idem corpore ſit mutilo, denique mortalium omnium nequiſſimus, in vxorem ducat. Tibíne hic exiguam doloris noſtri partem repræſentauimus? ſatin' tibi à me factum putas, vel finita hic à nobis imagine? Equidem ſatis me feciſſe puto, quod ad animi mei mœſtitiam repræſentandam ſpectat, cuius vnius rei gratia imaginem ipſam adhibuimus. Atqui vt tibi item hic metus ſtuporiſque noſtri modum oculis ſubiiciam, ad aliam rurſus hypotheſim deſcriptionemque me confero. B Ponito ante oculos exercitum ex militibus, tum peditibus, tum equitibus, tum nauticis viris conſtantem, ac mare quidem obtegat triremiũ numerus. Rurſum ipſas camporum planities, ipſos montium vertices hinc peditum, hinc equitum phalanges contegant: æs item armorum oppoſitum ſibi ſplendorem reddat, atque à ſolaribus radiis & galearum & clypeorum coruſcatio vibretur: haſtarum fragor, equorúmque hinnitus in cœlum feratur, neque mare, neque terra appareat, vbique æs, vbique ferrum. Tum ſint contra hos inſtructi armatique efferi quidam ac truces viri. Inſtet iam & conflictus tempus: poſtea rapiat quis derepentè adoleſcentem aliquem in agro educatum, ac qui nullius prorſus artis alterius gnarus ſit, quàm lyræ paſtoriciæ ac pedi, eundémque armatura ærea quum induerit, per totum illum exercitum circumiens deducat, oſtendatque manipulos, manipulorum ductores, ſagittarios, funditores, centuriones, duces, cataphractos, equites, iaculatores, triremes, triremium ductores, milites inibi confertos, naualium machinarum copiam: oſtendat hoſtium procinctam aciem vniuerſam, & auerſandos formidoloſoſque quoſdam in illis aſpectus, & armorum apparatum ab aliorum apparatu diuerſum, & immenſam multitudinem, & conualles, & alta præcipitia, & montium iniquitates: oſtendet & aduerſarios in equis volantibus incantatione quadam inſidere, & cataphractos per aërem ferri, explicata etiam ei incantationis illius vi ac forma. Recenſeat porrò & belli calamitates, miſſilium nubem, iaculorum niuis inſtar ingruentium impetum, multam illam caliginem & tenebras, obſcuriſſimam noctem, quem ſagittarum multitudo efficiat, ſolis radios denſitate ſua auertens, puluerem tenebris non minorem omnium oculos obcæcantem, ſanguinis torrentes, cadentium gemitus, ſtantium clamores, iacentium aceruos, rotas ſanguine tinctas, equos præ cadauerum multitudine vnà cum ſuis ſeſſoribus in caput præcipites, terram vniuerſam mixtim hæc omnia continentem, ſanguinem, arcus, ſagittas, equorum vngulas, hominum capita ſimul iacentia, & brachia, & collum, & tibiam, & pectus transfixũ, cerebella enſibus traiecta, iaculi cuſpidem effractam, cui hominis oculus tanquam infibulatus hæreat. Recenſeat item & claſſis mala atque incõmoda, Triremes alias in mediis aquis conflagrantes, alias cum cataphractis ipſis peſſum euntes, fluctuum fragorem, nautarum tumultuationem, militum clamorem, ſpumam tum vndarum, tum ſanguinis mixtam, eandémque in naues ſimul omnes irrumpentem, cadauera alia ſuper ipſa nauium transtra iacere, alia ſubmergi, alia adnatare, alia ad littora æſtuantis maris impetu eiici, alia intra ipſos fluctus ſic obrui, vt nauibus iter veluti obſepiant. Poſtremo cum exactè belli tragœdias omnes edocuerit,

addat item & captiuitatis calamitates, & ſeruitutem nulla non morte duriorem. At ſecundum hæc omnia iubeat illum continuo in equum aſcēdere, vniuerſiq́ue illius exercitus ducem agere. Hic tu adoleſcentulum illum cenſes vel nudæ harum rerum narrationi ſuſtinendæ parem eſſe poſſe? ac non potius vel à primo ſtatim aſpectu animo defecturum? Proinde ne me ipſe hic putes rem oratione attollere, neque hoc ipſo quòd corpore ſic vt carcere aliquo incluſi, nihil prorſus rerum inuiſibilium cernere poſſimus, magna ea eſſe ducas, quæ à me dicta ſunt. Videas enim eo prælio longè tum maius, tum horribilius, ſi tibi fortè caliginoſiſſimā illam diaboli aciem, conflictumq́ue inſanum oculis iſtis cernere liceat. Non enim illic aut æs, aut ferrum, non equi, non currus, non rotę, non ignis, non iacula iſta quæ cernimus, verùm alia quædam machinamenta, iis quæ dixi, longè terribiliora: certè aduerſariis iſtis nequaquam opus eſt thorace, non ſcuto, neque enſibus, neque haſtis. Sed vel nudus
B execrandæ illius militiæ aſpectus talis eſt, vt humanam animā à corpore ipſo diſſoluere poſſit, niſi ea admodum generoſa fuerit, atq; adeò antequam à viribus ipſa ſuis auxilium petat, diuinæ in ſe clementiæ prouidentiam ſenſerit. Ac ſanè ſi liceret corpore hoc exuto, aut vnà etiā cum ipſo corpore perſpicuè atque intrepidè vniuerſam illius aciem bellumq́ue contra nos inſtructum ipſis oculis coram contueri, videres vtique non ſanguinis torrentes, neque corpora demortua, ſed animarum lapſus tam multos, ſed vulnera ſic grauia, vt tibi ſtatim belli vniuerſa illa pictura quam modò expreſſi, puerorum delectamenta, & ludicrum potius, quàm bellum videri poſſit: tam multi certè ac frequentes ij ſunt qui in dies ſingulos feriuntur, quorum vulnera non idem mortis genus pariunt: ſed quantū inter ſe diſſident anima atque corpus, tan-
C tum eſt certè inter mortem hanc atque illam diſcrimen. Nam quoties plagā anima accipit, eademq́ue cadit, hîc proſtrata quidem iacet malæ iam cōſcientiæ cruciatu contabeſcens, poſtea verò quàm ſeparata à corpore hinc emigrarit, per iudicij ſui tempus æterno crucianda ſupplicio traditur. Quòd ſi quis exiſtet qui diaboli plagas non perſentiat, nimirum illius morbus ex ea indolentia ingraueſcit. Quemcunque enim plaga vna inflicta nō mordet, neque attriſtat, is certè facile & alterā excipit: itemq́ue & hac accepta, tertiam: neque enim intermittit ad extremum vſque ſpiritū feriens nefarius ille, quoties inuenit animam ſupinam, prioreſq́ue plagas contemnentem: qui ſi & cōgreſſus modum expendere velis, hunc verò longè acriorem, ac magis diuerſum cōperies. Neque enim quiſquam eſt qui tam multas fraudis, doli, artificij formas norit, quàm multas ſceleratus ille hoſtis, qua quidem
D in parte maior illius vis ac potentia ineſt: neque inimicitias quis tantas tamq́ue inconcilliabiles aduerſus hoſtes ſibi infenſiſſimos gerere poteſt, quātas ille aduerſus humanam naturam gerit. Porrò ſi quis examinet quanta cum inhumanitate is depugnet, ridiculum certè fuerit homines hoc in loco conferre. Sin iracundiſſimas ac truculentiſſimas quaſque feras delegeris, quas cum huius furore atque inſania conferas, reuera manſuetiſſimas humaniſſimaſq́ue eas à comparatione comperies: tantum ille in animas noſtras furorē ſpirans euomit. Adde quòd & pugnæ inter homines geſtæ tempus breue quidē eſſe ſolet, qua etiam in temporis breuitate multæ dantur induciæ. Nam & natura ſic comparatum videmus, vt & noctis ſuperuentus, & iugulandi labor, & cibi capiendi tempus, & multa id genus alia militi reſpirandi poteſtatē ſic faciant, vt & armaturam exuere, tum verò paululum reſpirare, ſeq́ue & cibo & potu reficere, multiſq́ue rebus aliis priſtinas vires recuperare valeat: aduerſus autem diabolum dimicanti, nunquam licet

A arma ipſa ponere, ſomnúmve vllum capere, ei præſertim qui perpetuò inuulneratus prælio excedere volet. Ex duobus enim neceſſariò alterum conſequitur, vt aut cadat quis ac pereat armis ſpoliatus: aut continenter vigilet, armatuſq́ue ſtet. Siquidem ille continenter cum ſua ipſius acie ſtat, ſocordias noſtras obſeruans, ac maius quidem afferens ſtudium ad noſtram internecionem, quàm ad noſtram ipſi nos ſalutem afferamus. Poſtremò vt ſemel finiam, quòd à nobis hoſtis ille minimè cernatur, quodq́ue derepentè atque improuiſo nos adoriatur (quæ res iis qui non aſſiduè in excubiis vigilantes fuerint, infinitorum malorum cauſa eſſe ſolet) facit nimirum, vt bello hoc ægrius ac maiorē cum negotio, quàm illo defungi poſſis. In hoc ergo campo voluiſti nos Chriſti militibus duces eſſe? Hoc ipſum verò quid aliud erat, quàm diabolo potius duces eſſe? quum enim is qui cæteros debet tum in ordines partiri, tum militaribus armis in-
B ſtruere, omnium ſimul infirmiſſimus, ſimul imperitiſſimus fuerit, fit nimirum vt ſuæ fidei creditos prodat, & diabolo magis, quàm Chriſto ducem agat. Tu verò quid ingemiſcis? quid lachrymaris? neque enim rerum noſtrarum conditio lamentatione, ſed gaudio potius ac lætitia proſequenda.

Chryſoſt.

Mea verò, inquit, non perinde ſe habet, quin potius infinitis digna ea eſt planctibus. Vix enim potuis ipſe vel hactenus animaduertere, quòd me malorum præcipitem egeris. Siquidem ad te ipſe eo ſolo nomine adieram, vt abs te edocerer, quid mihi tandem iis poſthac reſpondendum verbis tuis foret, qui te inſimularent: tu verò me ipſe emendas, curam aliam pro alia mihi iniiciens: neque enim ſollicitus iam ſum, qua te ego apud illos, verū qua tum me ipſum, tum delicta mea apud Deum defenſione excuſationemq́ue tuear. Atqui abs te ipſe iterum atque iterum peto & contendo, ſi qua tibi
C rerum mearum cura, ſi qua in Chriſto conſolatio, ſi quod dilectionis ſolatium, ſi quá viſcera & commiſerationes eſſe poſſunt (ipſe enim noſtri tua potiſſimum opera me in hocce adductum periculum) manum mihi auxiliatricem porrigas, ea poſthac in gratiam meam apud me tum dicens, tum faciens, quibus vita mea corrigi atque emendari poſſit, neu tute, quæſo, vel breuiſſimum temporis punctum nos deſeras: quinimò ſit tibi hoc ipſo magis tempore, quàm antea commune nobiſcum conſortiū, atque contubernium.

Baſili.

Ego autem ad verba iſta ſubridens: Et quanam, inquam, tibi in re, Baſili, vſui eſſe valeam, qui te tanta iſta negotiorū mole preſſum ſubleuare atque adiuuare poſſim? Enimuerò quandoquidem tibi id gratum acceptumq́ue video, bono, amice, animo eſto. Id enim tempus omne quo tibi à curis illis reſpirare dabitur, & tecum ipſe adero, & te conſolatione mea reficiam, quan-
D tum in me erit, nulla tibi in re defuturus. Quæ verba quum ille audiſſet, multò etiam quàm antea magis illachrymans ſurgit. Hic ego illum amplexus, caputq́ue deoſculatus deduco, hortatus vti generoſo fortiq́ue animo id omne perferat quod accidiſſet. Talis enim, inquam, mea eſt in Chriſto, qui tibi ad ſe vocato, ouium ſuarum curam commiſit, fides atque expectatio, vt tu tantam tibi olim ex huiuſmodi functione fiduciam apud illum comparaturus ſis, vt & me quoque in die illo periclitantem, æterni tui tabernaculi conſortem efficias.

Digitized by Google

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE COMPVNCTIONE, liber primus, incerto interprete.

QVVM te intueor, beate Demetri, frequenter inſiſtentem mihi, & omni cum vehementia exigentem de cordis compunctione ſermonem, admiror valde, & beatam iudico ſynceritatem mentis tuæ, atque animi puritatem. Neque enim poſſibile eſt cuiquam in huiuſmodi ſermonis venire deſiderium, niſi ei qui ſemetipſum prius purgauerit à vitiis, atque omnibus ſecularibus curis ſuperiorem ſeſe, celſioremque conſtituerit. Cuius rei indicium haud difficulter aſſumitur, inde præcipuè, quòd ſi quos forte amor horum exigua ſaltem ex parte contigerit, tanta in eis repente efficitur commutatio, vt confeſtim terrena relinquere, atque ad cœlum properare contendant: & velut moleſtiſſimis quibuſdam vinculis, ſecularibus ſcilicet curis, animam reſoluentes, volatu celeri ad propria redire eam ſinant, & ad cognita recurrere. Sed hoc aliis rarò fortè accidit: te autem, ô venerabile caput, certum eſt indeſinenter hoc igne ſuccendi. Teſtantur enim de his diurna ſtudia tua, noctéſque peruigiles, lachrymarum fontes, & amor quietis, ſilentiique deſiderium, non ſolum iugiter permanens in animo tuo, ſed & ſemper increſcens. Quid ergo tibi amplius addere poterit noſtri ſermonis oratio? Nam & hoc ipſum quòd cum ad ſummum iam virtutum verticem perueneris, tamen cum his temetipſum reputas, qui adhuc humi repunt, & volantem profectibus animam lapideam vocas, ita vt frequenter teneris dexteram meam, & deoſculans, cum lachrymis conteras & emollias durum & excæcatum cor meum: quantæ religionis eſſe ducam, quantumque in te exiſtimem diuini ignis ardorem? Et ſiquidem dormientes nos cupieris excitare, ad iſtud opus accire ac pertrahere voluiſti: conſilium ſapiens & mirabile tuum miror, & amplector prudentiam tuam. Si verò aliquid tibi veræ ex hoc vtilitatis cōferendū putaſti, etiam in hoc nihilominus docuiſti nos requirere, quid magis nobis, quàm tibi deſit. Verumtamen quoquo modo id tibi viſum eſt, parebimus, vel propter timorem & mandatum Dei, ne quid poſcenti negare videamur: vel propter amorem tuum, quem erga nos plurimum geris. Tu tamen nos pro his inuicem orationibus remunera, vt & vitam noſtram poſſimus rectam ſeruare de reliquo, & in opere præſenti dignum aliquid dicere quod poſſit remiſſa & diſſoluta genua cōſtringere & animas humi iacentes erigere. Vnde ergo nobis vnde verbi huius ſumetur exordium? Quæ ei prima fundamenta, quæ crepido ponetur? Ego non alia puto huic digna eſſe fundamenta & principia, niſi verba domini noſtri Ieſu Chriſti, quibus luget quidem ridentes, beatos autem dicit lugentes. Ita enim ait in euangelio: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* &, *Væ his qui rident nunc, quoniam ipſi lugebunt & flebunt.* Et meritò: lugendum enim eſt, & verè lugendum præſentis vitæ tempus, in quo tantam malorum labem tantaque quotidie videmus flagitia cumulari: quæ ſi velis conſiderare, per ſingula nunquam poteris à lachrymis temperare. Sic enim omnia confuſa, ſic ſunt cuncta reſoluta, vt ne veſtigiū quidem virtutis vſquam videas: nequitia vero & luxuria repleta eſſe cuncta perſpicias: & quod eſt infœlicius, perurgentium nos malorum iam nec

Vitiis corruptus mundus deflendus eſt

Matth. 5.

Lucæ 6

A ipſi ſenſum capimus, nec aliis præbemus, nec alios monemus: ſed ſumus velut corpus extrinſecus quidem indumentis adornatum, intrinſecus verò tabe peſſimi languoris abſumptum: & contingit nobis quod illis ſolet, qui vel phreneſim patiuntur, vel mente capti ſunt, à quibus cum multa turpia & periculoſa vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris tamen aliquid, nec pœnitudinis capiunt: quinimò & magnifici ſibi ac ſapientiores ſanis videntur & ſapientibus. Ita & nos, cum omnia quæ ſanitati cōtraria ſunt geramus, nec hoc ipſum quidem quod deeſt nobis, ſanitatem nominamus. At enim ſi fortè in corpore parum aliquid morbi pulſauerit, ſtatim & medicos adhibemus, & pecunias profundimus, & omni obſeruantia quod competit gerimus: nec prius ceſſatur, quàm quæ moleſta ſunt, mitigentur. Anima verò cum quotidie vulneretur, cum per ſingula lanietur, vratur, præcipitetur, & modis omnibus pereat, ne parua quidem

B pro ea nos cura ſollicitat. Sed horum omnium cauſa illa eſt, quod omnes pariter hic morbus obtinuit: & tanquam ſi accidat multis ſub vno morbo languentibus præſto eſſe neminem ſanum, certum eſt quòd omnes pariter corrumpat & abſumat incuria, dum nemo eſt qui vel opportuna præbeat, vel importuna prohibeat: ita & in nobis dum nemo ſanus eſt, ſed omnes languemus, alij maiore, alij minore ex parte, nemo eſt qui curet: omnes enim indigent cura. Etenim ſi quis extrinſecus vndecunque adeſſet, & præceptorum Chriſti, ac noſtræ conuerſationis confuſionem ac perturbationem videret: neſcio ſi alios magis vllos quàm nos inimicos eſſe, & contrarios præceptorum Chriſti iudicaret, & quaſi qui ſtudium quoddam habuerimus contraria in omnibus gerere, quàm ille mandauit. Sed ne quis fortè putet exaggerationis cauſa à nobis hæc verba proferri, probamenta iam nunc adhibebo, non aliunde

C quàm ex ipſis Chriſti mandatis. Quid ergo dicit Chriſtus? *Dictum eſt antiquis: Non occides: ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit concilio: qui autem dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hæc quidem Chriſtus. Nos autem plus quàm increduli & infideles calcamus hanc legem, & quotidie innumeris iniuriis fratres noſtros afficimus, quodque magis ridiculum ſit, nomen ipſum fatuum dicere obſeruantes, multò acerbiores, quàm ex hoc nomine videntur conferri, irrogamus iniurias, quaſi verò ille ſolus ſermo ſit, cui pœna deputata eſt, & non huius ſermonis indicio omne dictum quod ad iniuriam pertinet, reſecetur. Denique apoſtolus Paulus hunc eundem ſenſum latius explicans, ait: *Nolite ſeduci, quoniam neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque*

D *maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* In quo oſtendit, quia ſub generalibus nominibus vitiorum, multæ ſpecies peccatorum pariter concluduntur: & ſiue fatuum quis dixerit, ſiue vanum, ſiue latronem, ſiue quolibet alio nomine iniuriam vel maledictum fratri ingeſſerit, ex quolibet horum vocabulo ſub maledicti titulo gehennæ ignis ſupplicio condemnabitur. Fatue enim & racha quòd ait, hoc eſt quod oſtendit, quia ne leue quidem & minimum in fratrem collatum conuitium relaxabitur: atque ob id de leuioribus ſententiam dedit Chriſtus, vt de grauioribus dubitare non debeas. Quòd ſi quis exiſtimat, ſicut ego quidem noui nonnullos putare, terroris cauſa etiam in paruis exaggerari minas præceptis: ſupereſt vt de cæteris omnibus mandatis, quorum præuaricatoribus pœna aſcribitur, ſimilia ſentiant. Quòd ſi terroris cauſa, & non pro veritate ſupplicia promittuntur, conſequens erit etiam,

Matth. 5

1. Cor. 6.

Digitized by Google

vt bonorum policitationes adhortandi tantum- modo, & non veritatis gratia promittantur. Et ſi ita de vtraque parte ſentiamus, reſoluta ſunt omnia religionis noſtræ dogmata, ſi nihil aliud in omnibus mandatis ac præceptis diuinitus datis agi dicitur, niſi vt aut bonorum vana ſpes homines, aut pœnæ terror inanis aſtringat. Sed dicis, quid ergo? Maledicus cum adultero, & auaro, & idola colente damnabitur? Si eandem quidem pœnam luent, nec qualitatite, nec quantitate diuerſam, alterius eſt requirere temporis. Quod autem à regno cœlorum ſimiliter arcebuntur, Paulo crede per ſpiritum Dei loquenti, cui omnes verè credere debemus dicenti Chriſtum in ſe loqui. Illa enim diabolica deceptio eſt, quæ hæc ad terrorē dicit hominibus ſcripta, vt reſoluat diuini iudicij ac futuri ſupplicij metum, & remiſſiores nos erga obedientiam reddat, & cuſtodiam mandatorum Dei. Ob hoc enim tales diabolus ſuggerit ſenſus, & intelligētias huiuſmodi ignauas animas docet, vt præſentis iterim temporis reſoluat vigorē, arguendas ſine dubio in die iudicij, vbi iam pœnitentia nihil proderit. Quid enim vtilitatis erit huic, qui nunc ſeducitur ſi tunc intellexerit errorem ſuum, cum pœnitendi iam non erit tempus? Non ergo inaniter decipiamus noſmetipſos neque circumſcribamur in perniciem noſtri, neque aliam nobis pœnam incredulitatis crimine conquiramus. Non enim ſolum ſi inobedientes ſimus mādatis Chriſti, ſed & ſi increduli exiſtamus ſupplicia nos manebunt. Non credere autem ex eo accidit, cum reſoluimur ad explenda mādata & ne fortè rei videamur contemptus & conſcientiæ pondere prægrauemur, ad abiiciendum præuaricationis metū aliis noſmetipſos prauę intelligentię laqueis irretimus, & deſperantes de innocentia, legum pœnas putamus poſſe conuelli, vt ſæpe homines cum multis febribus anguntur, ſi in aquas ſemetipſos frigidas iecerint, ad præſens quidem aliquid videntur ſibi quæſiuiſſe ſolatij, multiplicatas verò corpori ſuo flammas febrium reparant: ita & nos agimus, cum ſtimulamur conſcientia peccatorum, & in euripum nos, vel lacus contritos prauæ intelligentiæ præcipitamus. Ex hoc enim iam neceſſariò quaſi licitè peccamus, & non ſolum præſentibus iraſcimur fratribus, ſed interdum etiam cum abſentibus litigamus. Sic enim quaſi per licentiam feritas increſcit. Et maiores quidem noſtros, ac potentiores, etiamſi iniuriis nos & contumeliis agant, ferimus, & cum manſuetudine & ſubiectione portamus, verentes ne quid ab eis grauius patiamur. Erga æquales verò vel inferiores interdum nec læſi commouemur & iraſcimur: intantum humanus metus timori Dei præponitur. Et quæ tandem ſpes erit nobis ſalutis, tantum defectum, tantumque contemptum gerentibus in mandatis diuinis? Dic tamen mihi, quid graue à nobis exigit Chriſtus, aut quid oneroſum? Noli, inquit, iraſci fratri tuo ſine cauſa. (Matth 7.) Nónne hoc multò leuius eſt, quàm ſi tu alium feras iraſcentem tibi ſine cauſa? Ibi enim iam ab alio congregata eſt iracundiæ materia, hic verò qui vrgeat nullus eſt, ſi non ipſe tibi flammas ſuccendas iracundiæ. Nunquid ſimile eſt ab alio tibi ingeſtam facem iracundiæ tolerare, nec ſuccendi, & nullo inſtigante quieſcere & ſilere? Illud ferre poſſe, hoc eſt, alterius iracundiam, ſummæ philoſophiæ eſt: vt autem tu non inflammeris fruſtra ad iracundiam, laus quidem nulla eſt, quòd non iraſceris ſine cauſa: ſi verò iraſceris inaniter, hoc eſt, ſine cauſa, ſummæ vanitatis ac ſtultitiæ nota eſt. Cum ergo, quod maius eſt, propter timorem hominum feras, propter timorem Dei ne minimum quidem & exiguum pateris? Et eſt qui in huiuſmodi commiſſis ſemetipſum non ſtatuat reum, aut iudicio diuino non decernat obnoxium. Noli, inquit, iraſci fratri tuo ſine cauſa. Omnem

A hominem fratrem tuum iudica. In Chriſto enim neque Iudæus, neque Græcus, neque ſeruus, neque liber, neque maſculus, neque fœmina, ſed omnes vnum ſumus in Chriſto. Propter quod ne erga famulos quidem præceptum illud negligendum eſt. Sine cauſa enim nec contra ipſos quidem debemus iraſci: quia & illi à Chriſto ſimili vt tu libertate donati ſunt. Vide ergo iam quis erit immunis ab hac culpa: aut quis eſt, qui non dicam penitus alienus, ſeu qui raro ſaltem non decipiatur hoc vitio? Et quando ad illud veniet, vt omnino nunquam in hoc incurrat? Hoc namque ſermo inſtitutionis expoſcit. Sicut enim qui fur non vult dici, nunquam omnino furatur: neque adulteratur, ne fortè etiam ex vno adulterio adulter nominetur: ita & maledicus tanquam ab adultero refrænare debet à contumeliis linguam ſuam, ne eum pro vno lapſu maledicum faciat, & iniurioſum. Illud autem quod ſequitur, quis non infidelium etiam fabuloſum iudicet, cum tamen æterna

B Dei voce ſancitum ſit? Ait enim: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* (Matth. 5.) At nos pugnas habentes ad inuicem, & dolos tantum in corde verſantes, accedimus ad altare Dei: & cum Deus tantam curam reconciliationis noſtræ habeat, vt patiatur munera ſua relinqui ante altare, & imperfecta manere atque interrumpi miniſteria ſua, donec tu eas & reſoluas iracundiam, & diſcindas inimicitias cum fratre tuo: nos nec hoc ipſum erubeſcimus, ſed per dies multos patimur manere inimicitias, & trahimus ſicut funem longum diſcordias. Non enim iracundos tantùm, & malitiæ memores punit Deus, ſed & eos qui iraſcentes aut offenſos fratres negligunt & contemnunt: quoniam quidem hi qui

C paſſi videntur iniuriam, neceſſario dolent & iraſcuntur: qui verò fecerunt, nec doloris aliquid nec iracundiæ gerunt. Ob hoc ergo hunc qui ab iracundia liber eſt, adducit ad illum qui in dolore eſt, & liber non eſt oſtendens: quia criminis huius noxa penes hunc magis eſt, qui & cauſas peccati dedit. Sed ne ſic quidem emendamur. Perſiſtimus enim etiam pro nihili rebus contriſtare fratres, & quaſi nihil mali fecerimus, ſatisfactionem negligimus, & obliuioni tradimus culpam, atque inimicitias in tempus longum protrahi patimur, ignorantes quòd tantò longior nobis erit pœna, quantò & diſcordia. Vbi enim amicitia permanet, nihil facilè creditur, nihil facilè recipitur quod diſſidium operari poſſit. Si verò inimicitiæ ſemel occupauerint animos, omnia quæ fiunt, quæ dicuntur, quæ audiuntur, ita accipiuntur, & ita intelliguntur, vt ad maiores & longiores proficiant inimici-

D tias. Si quid enim boni dicatur de inimico, non creditur: ſi quid autem mali, hoc ſolum creditur, & confirmatur. Iubet ergo dominus relinqui donum ante altare, & prius reconciliari fratri, vt ex hoc diſcamus, quia ſi nec illo tempore quo ad miniſterium Dei videmur accedere, reconciliationem diſſimulari ac differri non patitur Deus: quanto magis curari hoc in aliis temporibus iubet? (Iniuriarū remiſsio.) Nos verò imaginem quidem colimus præcepti, veritatem verò ipſam, virtutemque negligimus. Nam oſculum pacis porrigere tempore quo munera offeruntur, in vſu eſt: ſed vereor ne fortè plures ex nobis labiis hoc tantummodo faciant, cùm Chriſtus pacem non ex ore, ſex ex corde deſideret, & affectu velit proximum, non labiis ſalutari. Si enim pax non habetur in corde, quaſi in ſcena res agi videtur & ludo: vnde per hæc exacerbari Deus credendus eſt potius quàm placari. Puritas enim & veritas eſt quæ placent in conſpectu Dei: reſpuit autem & odit omne quod ſimulatur & fingitur. Et hæc agimus homines, quibus neque iraſci,

A neque inimicos habere permittitur: aut ſi fortè iraſci accidat, mandatur vt ſub die vel iracundias noſtras vel inimicitias finiamus. In hoc enim conſtringimur præcepto illo quo ait: Ephes. 4. *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Nos contrà, nec hoc quidem contenti ſumus, vt iracundiã vltra ſolis terminũ producamus, ſed quòd eſt deterius, & inſidias inuicem ſtruimus, ſiue verbis, ſiue rebus ſupplantare proximos cupientes, mordentes inuicẽ & comedentes: quod vtiq; apertæ inſaniæ eſt. Quid enim aliud faciunt inſani & dæmone repleti, niſi membra ſua morſibus laniant? Iam verò nec facimus mentionem eorum quæ de aduerſario præcipiuntur, vel de concupiſcentia illicita, vel de viſione oculorum. Oculus enim dexter & manus dextra non aliud indicant, niſi eos qui nos amãt quidem, ſed inutiliter amant. Sed & quæ de non relinquendis vxoribus præcipiuntur, quaſi nec mãdata, nec ſcripta ſint contemnuntur. Nam de non iurando erubeſco proferre in medium, non ſolum propter B iuramenta, ſed & propter periuria. Si enim verè iurare crimen eſt, & præuaricatio mandati: periurum vbi ponemus? Matth. 5. Si, inquam ſupra eſt, & non, quicquid fuerit, à malo eſt: ſupra hæc iam quæ proferũtur, à quo erunt? Poſt hæc ait, ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam conuerte ei & alteram, &, Lucæ 6. *Volenti tecum iudicio contendere, & auferre tunicam tuam, remitte ei & pallium.* &, *Si quis te angariauerit mille paſſus, vade cum illo alia duo millia.* &, *Petenti te, da: & Volenti mutuari à te, ne auertaris ab eo.* Ad hæc quid dicimus? pro ſingulis enim his lachrymæ tantummodo proferendæ ſunt, & confuſio habenda eſt. Aperte enim contra hæc omnia militamus. Ad iudicia namque, & rixas, ac bella conſurgimus. Pati, autem aliquid ex his quæ ſcripta ſunt, ac ferre toleranter, neque in verbis, neque in rebus amplectimur. Sed & ſi in aliquo leuiter ſaltem pulſemur, continuo velut feræ beſtiæ inſurgimus. Quod ſi C proferas mihi aliquos, qui fortè contempſerint cenſum ſuum, & pauperibus largiti ſint: poſt hæc vero deſpecti pro penuria, multa paſſi ſint mala: paucos & valde raros tales inuenies. Quòd etſi oſtenderis aliquem, non tamen talem, qualẽ euangelij ſermo deſcribit, philoſophum demonſtrabis. Hic enim euangelicus philoſophus, non is tantum qui ſponte dederit, deſcribitur: lætus namque eſt, & exultat qui ſponte largitur: ſed qui inuitus & iniuſtè direptus ſit, & conſtanter toleret ac patienter, Et quid dico, toleret patienter? Amplius aliquid & excelſius Chriſti ſermo cõponit. Magnum neſcio quid, & immenſum eſt, quo ſublimare animas voluit quas ad perfectionis culmen inuitat. Non ſolum, inquit iniuriam patiens, nihil iracundiæ moueas aduerſus eum qui iniuriã fecit: & non ſolum pro his quæ abſtulit non indigneris, ſed & ſi quid tibi forte ſubrelictum eſt, id ſponte largire ei qui abſtulit totum. Cum enim is, qui ad diripienda D quæ tua ſunt, iniquo ſpiritu ſucceſus aduenit, ſi te proniorẽ reperit in largiendo quàm ille venerat in diripiendo: quamuis ſit ille ferus, quamuis immanis & barbarus, erubeſcet bonitatem tuam, mitigabitur à furore reſipiſcet continuo, ac facti pigebit: & ſuum quidem peccatum exhorreſcet, tui vero animi virtutem mirabitur, & amabit. Sed hunc ego vbi nunc inueniom? cuius talem vitam mirabor? cuius tales actus reperiam? ſolum ſcriptum fortaſſis hoc legere in diuinis paginis potero: geri autẽ, vel operibus impleri neſcio ſi videbo. Nolo enim nunc mihi aliquem proferas paſſum iniuriam, patienter tuliſſe. Hoc enim poteſt fieri pro eo fortaſſis, quia vicem reddere qui paſſus eſt, ac ſimilia referre non potuit: aut etſi potuit, tempus fortaſſe non habuit: aut etſi tempus fortaſſe non habuit, aut ſi temporis fuit, & per omnia potuit, ſed propter Dei timorem continuit ſe, demus ei patientiæ palmam. Nunquidnam & hoc face-

A re potuit, vt cupiditatem nocentis non expleret ſolum, ſed etiam ſuperaret: & plus cederet, quàm expetebatur: ac violenter quæ ſua ſunt auferenti, offerret etiam reliqua, & voluntas etiam ea largiretur, quæ iam cupiditas non quærebat? Amplius adhuc aliquid, & eminentius Chriſti philoſophus docetur à Chriſto. Hunc, inquit, qui diripuerit quæ tua ſunt, qui læſerit, qui nocuerit, non ſolum donis largioribus cumula, ſed & dilige, & amicum habeto, & tota charitate conſtringe: in tantum, inquit, vt & ores pro ipſo, & Deo preces pro anima eius fundas, quod vtique iudicium ſummæ & perfectæ dilectionis eſt. Verùm ne iterum putes hæc cohortatoriè magis, quàm verè dici, etiam neceſſariam huius dicti cauſam ſermo diuinus exponit. Ait namque: *Si enim dilexeritis eos* Lucæ 6 *qui vos diligunt, quæ vobis merces eſt? nónne & publicani hoc idem faciunt? &, ſi ſalutaueritis eos qui vos ſalutant? quid amplius facietis? nonne Gentiles hæc faciunt?* Vides B ergo quia volens diſcipulos ſuos Chriſtus præſtantiores eſſe cæteris hominibus, idcirco hæc eos facere docuit. Sed ſi nos in his nec publicanis, nec Gentilibus efficimur meliores, nónne lugendi & plangendi ſumus? Quinimò tantum nobis deeſt, & in tantum longè ſumus à diligendis inimicis, vt nec amoris quidem amoris vicem, charitatiſque reddamus, ſed è contrario odio habeamus etiam diligentes. Cum enim æmulamur, & inuidemus bonis, & omnimodò vel in dictis, vel in factis exiſtimationem eorum laudeſque obrui volumus & obſcurari, quid aliud eſt, niſi ſummi odij, & extremæ inuidiæ indicium? In quo vtique non ſolum à Gentibus & publicanis nequaquam differimus, ſed etiam multò inferiores exiſtimus. Chriſtus maledicentibus benedici iubet: nos è contrario, aut priores maledicimus, aut maledictis alterius multiplicata maledicta reſtituimus. Nónne tibi videntur, vt dixi, omnibus modis contraria C eſſe præceptis Chriſti, quæ gerimus? & magis pugnam eſſe nobis contra eum, quàm obedientiam? Nam vanæ gloriæ iactantiam, & ſuperbiæ tyrannidem, quam ille quidem verbis ſuis deſtruit, nos autem geſtis noſtris & operibus ædificamus, quomodo exponam? cuius à nobis vexilla & in orationibus, & in ieiuniis atque eleemoſynis præferuntur, & cæteris omnibus rebus geſtiſque noſtris aptantur, cuique velut empta mancipia ſubiacemus, & ceruices noſtras omnibus eius ludibriis ſubiugamus. Tantus enim hominibus diuinorum præceptorum contemptus ineſt, vt etiamſi quid facere videantur ex mandatis, ne hoc ipſum quidem Deo, qui mandauit impendant, ſed deceptioni, vanæ iactantiæ, & inani gloriæ quæ geſſerunt conſecrent: ita vt in vtroque modo pari damno feriantur, & cum facere videntur quæ mandata ſunt, & cum omnino non faciunt: ſic ex D omni parte hominum genus intra ſuos laqueos malignus innexuit. Quod etſi quis potuerit ab iſtis ſe nexibus exuere, cautiuſque & attentius quæ mandata ſunt adimplere: malum ingens ſuperbia continuè obrepit, in qua eſt lapſus diaboli. Hæc enim etiam angelum deiecit, quantò magis hominem? quam qui incurrerit, non ſolum ea quæ operatus eſt ſed & ſemetipſum pariter perdet. Ego autem noui plurimos eorum præcipuè, qui videntur diſtribuere indigẽtibus pecunias ſuas, non ſolum ſuperbiæ vel iactãtiæ incurriſſe laqueos, ſed & vitiorum aliorum multos. Nonnulli enim ob hoc largiuntur vt amentur, aut his certè quos amant, aut quorum perſonas erubeſcunt. Sed & alias his ſimiles occaſiones incurrunt, per quas non iam mandato Dei opus quòd factũ eſt aſſignatur, ſed humanæ voluntati. Cùm ergo tot & talia ſint quæ corrumpant actus hominum, etiam bonos: quis facile ſaluari poteſt, qui in hæc mala inciderit? Iam verò id quod ſcriptũ eſt: *Dimitte nobis* Matth. 6.

A *debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* quiſnam eſt ex omnibus nobis, qui cum fiducia hæc audeat dicere Deo? Quia etſi nihil mali faciamus inimicis & debitoribus noſtris, habemus tamen intra nos inſanabile vulnus offenſæ. Chriſtus verò non ſolum vult nos ignoſcere delinquentibus, ſed vt etiam amemus eos, & oremus pro ipſis. Nam ſi tantummodo non lædas eum qui te læſit, auertas te tamen ab eo, nec libenter eum videas: manet ſine dubio vulnus in pectore, & dolor augeſcit in corde. Quod ſi ita eſt, nondum vtique quod Chriſtus mandauit, impletur. Nunquid tu ita vis tibi propitium fieri Deum vt non quidem te lædat, auertat ſe tamen abs te, & peccatorum tuorum memoriam gerat, & te videre nolit? Igitur qualem vis erga te eſſe Deum, cum delictorum veniam poſcis: talem te exhibere debes his qui deliquerunt in te, ſicut & ſapientium quidam ſcribit, dicens: *Homo homini tenet iram, & à Deo quærit* Eccli. 28. *ſanitatem? Et ſi ipſe erga hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, quomodo pro peccatis ſuis exorat Deum cùm ipſe* B *caro ſit, & teneat iracundiam? quis propitiabitur peccatis eius?* Vellem ſilere iam, & hucuſque progreſſus, finem imponere ſermonibus meis: erubeſco enim & confundor vltra procedere. Bellũ namque hoc quo impugnamus mandata Chriſti, & inimicitias quas aduerſus eum gerimus magis ac magis prodit ſermo procedens. Sed quid iterum proderit tacere, cum rebus ipſis arguamur etiam tacẽtes? Quomodo autem latebimus eum, qui nouit corda noſtra, & iudicaturus eſt ea? Quid ergo dicã de mandato illo, Matth. 6. quo iubemur *non theſaurizare ſuper terram?* quod fortè quidem faciunt pauci, cæteri vero quaſi è contrario audierint præceptũ, & quaſi dictum ſit ad eos: Theſaurizate vobis omnimodo ſuper terrã: ita relinquentes cœlum, adhæſerunt terræ, & inſaniunt erga pecunias congregãdas, totoque affectu Deum quidem oderunt, diligunt autem mammonã. C Quod autem dictum eſt: Nolite cogitare de craſtino: nec audire ego ſcio aliquem, nec omnino ſeruare: & propterea de hoc mandato dicere aliquid erubeſco: ſed cum confuſione prætereo. Etenim oportebat nos quocunque pacto loquente Chriſto & pronuntiante nõ dubitare, ſed credere. Nunc verò etiam cum & cauſas, & rationes adhibeat mandatorum ſuorum, atque exemplis ea validiſſimis muniat, ne ſic quidem erubeſcimus. Propter hoc enim & auium quæ non arant, neque ſeminant, & liliorum quæ non nent, ſimilitudines poſuit, vt nemo dubitaret: & tamen nos ſicut Gentes, aut fortè etiam aliquid deſpicabilius Gentibus, de his ſingulis cogitando conſumimur: & cum neque pro his orare iubeamur, nos omne ſtudium erga hæc impendimus. Sed de hoc, vt dixi, mandato erubeſcens, plura dicere prætereo: ad ſequẽtia venio, ſi fortè alicubi ſolatiũ qualicunque mei D pudoris inueniam. Quid ergo ſequitur poſt hæc? Matth. 7. *Nolite iudicare*, inquit, *vt non iudicemini.* Ego ſolatium confuſionis meæ inuenire credebã, ſed augmenta nunc reperi. Si enim etiam nullum peccatum à nobis aliud fuiſſet admiſſum, pro hoc ſolo gehennæ nos tradi, ſatis abundéque ſufficeret. Quippe qui in aliorum delictis ſeueri & amariſſimi iudices reſidemus, noſtras autem trabes oculis infixas propriis non videmus: qui aliena etiam minima ſollicitè perſcrutamur, & ad condemnandum cæteros omne vitæ noſtræ tempus abſumimus: à quo vitio neque ſeculi hominem, neque monachorum vllum facilè inuenies liberum. Et quidem cum tanta ſit in hoc poſita comminatio, diuina enim ſententia dicit: Ibidem. *In quo iudicio iudicaueritis, etiam ipſi iudicabimini:* & in qua menſura menſi fueritis, in eadem remetietur vobis. Cum ergo mali huius pœna quidem tanta ſit poſita, libido verò aut voluptas, vt in cæteris ſolet peccatis, ex hoc nulla ſumatur: omnes tamen feſtini ac præcipites huic ſe vitio ſubiugarunt, tanquam ſi ſtudium nobis & certamen eſſet propoſitum, quis ad hoc malum prior omnium perueniret. Sic ergo non per vnam, ſed per omnes, vt ita dicam, vias, & per omnes aditus currimus & feſtinamus occupare gehennæ ignes: & non ſolum pro his quæ laboris aliquid & continentiæ videntur exigere, proni in ea ruimus, ſed etiam pro iis quæ leuia ſunt, & neque neceſſitatis aliquid, neque illecebræ quicquam continent aut voluptatis, pari linea vtrobique præuaricationis damnamur. Arguimur enim ex his facilibus & leuibus, quòd etiã in illis quæ videntur laborioſa eſſe, propria ignauia deſidiaque, delinquimus. Nam, dic mihi, quid laboris habet vt non iudices alium, neque peccata aliena diſcutias, neque condemnes proximum tuum? imò verò magis in diſcutiendo & perquirẽdo aliena commiſſa labor eſt, & iudicare de alterius mente ſumma difficultas. Quis verò hoc audiens credere aliquando poſſit, quòd cum poſſimus ſine labore ſeruare mandatum, laboramus & nitimur vt præuaricemur? Si per otium & negligentiam peccaremus, eſſet fortaſſe aliquid veniæ his qui laborare nequiſſent. Vbi verò laboratur vt peccetur, ſtudiumque adhibetur & contentio, quatenus prætereatur mandatum: quis eſt qui pro hoc malo veniam ſperet? Hoc enim eſt contendere aduerſus eum qui præcepta dedit, & bellum legibus eius inferre: quia & reuera ipſe pronuntiauit de præceptis ſuis, quod nihil in eis laborioſum ſit, & nihil oneroſum, dicens: Matth. 11. *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Et nos econtrà grauia efficimus, quæ ille leuia conſtituit: & quæ ille ſuauia poſuit, nos facimus amara peccando. Quòd ſi laborioſum aliquid eſſet in præceptis, decenter & meritò virtutem labor comitaretur: præmia enim propoſita ſunt poſt laborem. Nunc verò infælix anima ne hanc quidem reuerentiam diuinis legibus dabit, vt ſileat & quieſcat, ne ad præuaricationem laborando perueniat, quamuis ſint aliquá in quibus paululum laboris eſt adhibendum, is his duntaxat, in quibus Paulus dicit: 2. Cor. 4. Nam *quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum immenſum æternæ gloriæ pondus operatur in nobis.* Vides ergo etiam quicquid in præſenti eſt, leue eſſe, etiamſi tribulatio ſit. Quomodo leue? Quia immenſum pondus futuræ gloriæ, leuem facit præſentis temporis tribulationem, etiamſi ſenſibus noſtris grauius videatur. Denique & ipſe cauſas in conſequentibus exponit, vt omne id duci leue debeat, quicquid paſſio præſentis temporis intulerit. Ait enim: Ibidem. *Non reſpicientibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur.* Quæ enim videntur, temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt. Sed videamus quid & alia domini mandata contineant. Matth. 7. *Nolite*, inquit, *dare ſanctum canibus, neque proiiciatis margaritas veſtras ante porcos.* At nos laudis amore, & iactantiæ vitio corrupti, etiam huic præcepto contraria gerimus, atque hominibus neque intellectum purũ, neque ſanam fidem gerentibus, inſuper etiam peccatorum maculis innexis, ſine vlla diſcretione myſteriorum ſecreta nudamus, & priuſquam mentis propoſitum à nobis, vel ſenſus capacitas explorata ſit, diuinorum dogmatum veneranda eis arcana committimus: & quibus prima rudimenta vixdum tradi oporteret, interna eis adyta diuinæ ſcientiæ diuinæque ſapientiæ patefacimus. Propterea denique nonnulli vbi immundis, vt ita dicam, pedibus ſancta noſtra calcarunt, & pleno ſordibus pectore hauſerunt purum diuinæ ſcientiæ poculum, non ſolùm euomuerunt quod hauſerant, ſed & contradixerunt, & tranſuerſi ſunt, & inſurgentes in eos iniuriis, & maledictis, atque accuſationibus in eos, opprobriiſque ruperunt. Et ita ne nobis quidem ipſis, & vitæ atque exiſtimationi noſtræ parcimus, dummodo præuaricemur diuina præcepta: & non ſolum

in hoc, ſed interdum & in eo præuaricamur præcepti huius vim, cum eos quos nouimus immundæ vitæ homines, violentos, rapaces, impuros, & per omnia porcis & canibus ſimiles, diuini eos ſacramenti participes effici patimur. Multũ eſt ſi velimus ſingula quæque mãdata diſcutere, quæ omnibus modis in contẽptu habentur ab hominibus, vt

Matth. 7.

illud quod in ſequẽtibus dicit: *Quodcunq; volueritis vt faciant vobis homines, ita etiã vos illis facite.* Nos econtrariò omnia facimus hominibus, quæ ipſi nolumus perpeti: & rurſum, qui ſumus iuſſi anguſtam viam incedere, per latam ſemper incedimus. Et quidem quod homines ſeculi latam viam, ſpacioſamque gradiantur, nõ valde mirum eſt: eos autem qui videntur crucẽ ſuam ſuſtuliſſe, & ſequi Chriſtum, per hac latam & ſpatioſam velle incedere, nõ tibi prodigioſũ videtur?

Quam abſurdum ſit monachum quærere commoditates.

Denique monachi cũ de monaſteriis, & locis habitationum percontantur ante omnia requirunt, ſi requies ſit in loco, ſi abundent omnia, ſi aquarum copiæ fluant. Sed & ſi de eremo requirant, etiam ibi ante omnia de requie tractant, & de opportunitate miniſterij corporalis. Iam verò ſi ad aliquam diſpenſationem vocaueris, aut aliquid miniſterij diuini iniũgere volueris, prima ſtatim ſollicitudo eſt eius, & prima iſta verba ſunt: Si eſt ibi requies quò eundum eſt, ſi inueniantur quæ neceſſaria ſunt abundanter, ſi nihil deſit eorum quæ lata ac ſpatioſa via depoſcit. Quid ais, ô homo, quid loqueris? arctam viam & anguſtam iuſſus es ambulare: vt quid de requie, vt quid de abundantia percontaris? Per anguſtã ianuam tranſire iuſſus es, vt quid amplos requiris ingreſſus? Eſt aliquid iſta permutatione nequius? Eſt aliquid iſta peruerſitate deterius? Verum ne exiſtimes me hæc dicentem alios incuſare, iam nunc tibi de me ipſo inquam, narrabo. Etenim cum ſediſſet in animo quondam relicta vrbe tranſire ad habitaculum monachorum, ego ſcio quam ſollicite perſcrutabar, vnde nobis in illis locis quæ neceſſaria ſunt corpori præberentur: & ſi poſſibile eſſet, & recentis, & diurni panis habere quotidie copiam. Sed & illud non ſegniter requirebam, ne fortè eodem oleo olla & lucerna eſſet aptanda, ſi non leguminis grauis & ſolitarius cibus ſumi iuberetur. Sed & ne operis aliquis grauis eſſet exactor, ne fortè fodere terram cogerer, aut ligna deferre, aut aquam humeris portare, vel cætera huiuſmodi exhibere miniſteria: ita omni ſollicitudine pro requie corporis percõtabar. Et quidẽ qui principibus ſeculi miniſtrant, ac reipublicæ negotiis inſeruiunt, horũ nihil requirũt, ſed tantũ ſi aliquid lucri temporalis habeat eius militiæ locus. Quòd ſi hoc ſolum eſſe cognouerit, iam nullus refugitur labor, nullum periculum vitatur, nulla indignitas excuſatur. Seruilia etiamſi ab ingenuo depoſcãtur officia, non negantur, peregrinationes lõgiſſimas, periculoſiſſimaſque non reſpuet, contumelias, cruciatus, permutationeſque temporum feret: omnem ſuſtinet laborẽ ſpe lucri, nec timet ne fortè ab ipſa miſerabili ſpe decipiatur ac decidat, nec immaturã peregrinis in locis mortem, & ſubitam pertimeſcit: ſeparationem quoque ſuorum, & coniugis etiam ac liberorum abſentiam tolerabiliter patitur. Non denique patriæ, non charorum mollitur affectu, ſed deſiderio & cupiditate pecuniæ velut amẽs agitur, & amore eius incenſus, nihil laboris ſentit, nihil doloris intelligit. Nos è contra, qui non pecuniam quærimus, ſed ſapientiam: nec terram, ſed cœlum petimus, & ad cœli diuitias feſtinamus, quas *neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt*, hec, inquam, quærentes, & pro his cœlo ipſi vim parantes inferre, de requie corporis percontamur.

1. Cor. 2.

Via cœli ardua.

Vide quanto miſeriores illis ſumus & molliores. Quid dicis, ô homo, quid agis? Cœlum paras aſcendere, & regnũ cœli inuadere: & interrogas nequa tibi difficultas occurat in itinere, nequid aſperum

A tibi in via accidat, aut laborioſum: & non erubeſcis, non pudore oppreſſus ſub terra temetipſum defodis? Si enim omnia mala tibi occurrerent, ſi conuitia, ſi iniuriæ, ſi ignominiæ, ſi calumniæ, ſi gladius, ſi ignis, ſi ferrum, ſi beſtiæ, ſi præcipitia, ſi fames, ſi ægritudo, & cuncta quæ vel dici, vel excogitari poſſunt mala, ſuper te irruerent, dignũ aliquid erat? Non tibi hæc omnia pro tantis ac talibus cauſis ridenda prorſus & ſpernenda penitus viderentur? Anſlis animæ eſt metus hic, & effœminatæ. Erit ergo ita abiectus aliquis & infælix, erit ita degeneris animi, vt cœlum cupiens aſcendere, de terrena requie cogitet: quam non ſolum requirere, ſed etiam paratam recipere indecorum eſt? Aut non tibi videtur abſurdum, vt hi quidẽ, qui humano amore flagrant, totam mentem ſuam, totamque cogitationem in illis habeãt quos amant: & ſi abſentes corpore ſint, cogitatione tamen cũ illis ſunt: nec aliud aliquid ſibi dulce eſſe in præſenti vita deputant,

B niſi aut ipſos videre ſi liceat: aut ſi id non poteſt, de ipſis abſentibus cogitare: nos autẽ qui amore ſancto incorruptoque flagramus, omiſſa cura & ſollicitudine eius quem amamus, requirimus ea quæ amorem noſtrum non ſolum nil iuuare, ſed & impedire plurimũ poſſunt? Non video, chariſſime, quod aliquis noſtrum vera & perfecta cupidine cœleſtium teneatur, alioquin omnia quæ videntur eſſe grania, vmbras putaret, & riſum. Et hoc non ego ex verbis meis, ſed illius qui huiuſmodi amore exarſit incendio ſalutari, docere tentabo: illum dico Chriſti amatorem, qui tanto igne amoris eius exarſit, vt moras vitæ huius, & dilationem profectionis ſuę, qua redire morabatur ad Chriſtum, ingemiſceret & doleret, & querelas ſuas per hæc verba ſignaret: *Poſiti*, inquit, *in tabernaculo iſto ingemiſcimus.* Et iterum: *Deſiderium habens diſſolui, & cum Chriſto eſſe*: multo enim melius eſt. Sed quoniam, inquit, hoc placet illi quem amo, *permanere in carne neceſſarium* 2. Cor. 5. Philip. 1. Ibidem.

C *propter vos.* Vt enim fides Chriſti prædicetur, & vt ipſe ab omnibus ametur, propterea & famem, & ſitim, & nuditatem, & vincula morteſque ſuſtineo, & maris pericula, & naufragia, cunctaque omnino quæ inferuntur in me, libens perfero, & non ſolum nihil mihi horũ graue eſt, ſed & pro his omnibus glorior. Cauſa autem mihi gloriandi pro his charitas Chriſti eſt. *In his* enim, inquit, *omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Quòd ſi amor hominũ frequenter etiã mortẽ ſubire perſuaſit, quomodo non amor Chriſti, non ſolum laboris patientiã, ſed & mortis tolerantiam perſuadebit? ſicut & huic amatori eius, quum ſupra oſtendimus, omnia pro nihilo ducenti, dum nimis amori eius inhæreret. Neque enim videbatur ſibi eſſe in terris, neq; præſentem hanc vitam cum hominibus ducere, ſed tanquã ſi iam eſſet in cælis, & cum angelis haberet conuerſationẽ ſuam, & quaſi facie ad faciem con-

Rom. 8. Affectus erga cœleſtia.

D ſpiceret bona futura: ita ſpernebat cuncta quæ in præſenti vita vel delectabilia, vel triſtia videbãtur. Nulla ei cogitatio, nullus ſermo de requie erat, quod nos & frequentius & ſollicitius quærimus, ſed clamabat, dicens: *Vſque ad hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemati, deprecamur: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Per ſingula enim oculos mentis ſuæ conuertens ad cœlum, & decore cœleſtium tractus reuerti ad terrena rurſum recuſabat: ſed ſicut is qui in paupertate poſitus intra vile & humile tugurium vixit, ſi fortè regem videat auro multo & margaritis ac purpura refulgentem, vltra iam non vult tugurij pauperis recordari, nec penuriæ ſuæ ad animum reuocare memoriam, ſed agit omnia quatenus poſſit à ſplendore & gloria regis, quem contuens admiratus eſt & dilexit, inſeparabilis effici:

1. Cor. 4.

Simile.

Ita & Paulus vbi perſpexit illa quæ in cœlis ſunt, contempſit iſta quæ egeſtatis & ſqualoris in terra plena ſunt: & cum hominibus quidē pro neceſſitate terreni corporis conuerſabatur, mēte verò & ſollicitudine totum ſe illuc transferebat, quò eum amoris ſui ducebat intentio: etiam ſi triſte hic aliquid perferebat animo ibi occupato nō ſentiebat: & ſi delectabile & ſuaue aliquid videbatur, illa delectatio & illa ſuauitas quam per ſpiritum contuebatur, delectationes huius ſuauitatis obſcurabat. Intantum enim ſuccenſus erat igne Chriſti, vt ei etiam ſi flammas mortales adhibeas neſciat, non ſentiat, non vratur. Multò namque vehementior eſt ignis Chriſti quo vritur per amorē. Non enim Paulus erat ſicut nos mercenarij, qui timore gehennæ regnū Chriſti requirimus, ſed ille alio quodam pacto multò præſtantiore, & beatiore deſiderio conſtrictus, ita fert omnia, vt ex his quas patitur pœnis, ſolatia magis amoris ſui capiat, quàm dolorem corporis ſentitat. Ita enim totā eius mentem deuinxit amor Chriſti, vt etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, eſſe cum Chriſto: rurſum idipſum, quia ita placeret Chriſto, contemneret: ſed & cœlorum regno quod videbatur laborum eſſe remuneratio, pro Chriſto nihilominus carere pateretur, ab ipſo etiam Chriſto anathema effici pro Chriſto optabile haberet. Sed fortaſſe minus planum videtur eſſe quod dico: quod tamen ſi explanare voluero, tunc iam non obſcurum, ſed incredibile fiet, his duntaxat ipſis, quibus priùs videbatur obſcurum. Quod tamen etiam beatus ipſe quia incredibile futurum eſſe proſpexit, cum quadam id proteſtatione ſignauit, dicens:

Rom. 9.

Veritatem in Chriſto dico, non mentior, teſtimonium mihi perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto, quoniam triſtitia eſt mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ipſe anathema fieri à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ. Et tamen cum proteſtatus ſit, & conſcientiam ſuam ad teſtimonium inuocauerit, adhuc minus credibile videtur apud homines, quòd ab ipſo velit anathema fieri, pro quo vult & anathema fieri. Quid verò illud, quòd cùm diſputaſſet de his quæ in hoc ſeculo agerentur malis, addit & dicit:

Rom. 8.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et enumerans omnia quæ in terris ſunt, aſcendit etiam in cœlum: oſtendere volens quia nihil magnum eſt, ſi contemnat terrena ſupplicia propter Chriſtum, adiecit etiam hoc: *Quia neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neque præſentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro.*

Ibidem.

Quod autem dicit, tale eſt. Non ſolū homines abſtrahere me non poſſunt ab amore Chriſti, ſed ne angeli quidem, neque omnes ſimul cœlorum virtutes, ſi conueniāt in vnum, ab eius charitate ſeparare me poſſūt: nec ſi à regno decidere me neceſſe ſit aut etiam in gehennā trudi pro Chriſto, ne hoc quidem mihi metuendū eſt. Quod enim ait, Altitudo & profundum, vita & mors, nō aliud mihi indicare videtur, quam regnum cœlorum & gehennam. Hæc autē dicebat, non quòd angeli affectare poſſent eū aliquando à Chriſto ſeparari, ſed etiam ea quæ impoſſibilia ſunt verbi gratia fieri poſſe dixit, magis quā ſe à Chriſti amore ſeiungi, vt per hæc, quanta in eo vis eſſet charitatis oſtēderet, atque omnibus ante oculos poneret. Hic enim amātium mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant, ſed neceſſariis ſuis & charis efferunt, & produnt & flammas ſuas intra pectus cohibere non poſſunt. Enarrant frequentius, vt ipſa aſſiduitate narrandi amoris ſui ſolatium capiant, & refrigeria immenſi ardoris aſſumant. Sic ergo facit beatus hic & eximius amator Chriſti. Omnia quæ ſunt, & quæ erunt, quæque accidere poſſunt, & quæ om-

A nino non poſſunt, ſimul ſermone vno complectitur, viſibilia & inuiſibilia, omnem requiem cunctáque ſupplicia, & quaſi non ſufficientibus bonis ſolis ad amoris ſui vim & magnitudinem complectendam, aſſumit triſtia. Sed & ea quæ non ſunt, commemorat, vt oſtendat quia etiam ſi eſſent ea quæ non ſunt, ſe tamen mouere à propoſito aut mutare non poſſent. Nam creatura alia vtique de his dicit quæ non ſunt. Quòd ſi illi non ſufficiunt omnia quæ ſunt, vt moueatur à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ſed & ea quę non ſunt, prouocat quodammodo ad certamen, & ad tam excelſa conſcendens:

Exemplo ſanctorum patientes ſimus in afflictionibus.

nos qui iubemur eius eſſe imitatores, ne iſtas quidem ferimus tribulationes, quæ communes nobis habentur cum cæteris: ſed diſſoluimur & relaxamur, & quaſi febribus defatigati deficimus, tāquam longa & diutina ægritudine conſumpti, & de omni ſanitatis ſpe penitus deſperamus. Sed & ſi aliquis nobis exempla apoſtolorum adducat in medium, & dicat, ſequi nos debere & imitari vitæ eorum propoſitum, geſtorumque regulas cuſtodire: B reſpondebimus ſtatim: quia nobis impoſſibile ſit illos imitari, & virtutis eorum tenere menſuras. Quòd ſi etiam cauſam percontetur quis, nos continuò ſtultam illam reſponſionem abſurdamque proferimus. Ille Paulus erat, ille Petrus erat, ille Ioannes erat. Quid eſt, ille Paulus erat, dic mihi: quid eſt, ille Petrus erat? Nónne eiuſdem naturæ erant, cuius & nos? Nonne eadem via ingreſſi ſunt hunc mundū qua & nos? Nónne eiſdem cibis vtebantur, atque eundem reſpirabant aërem? Nónne eiſdem vitæ vſibus agebantur? Nónne aliqui ipſorum etiam coniugia experti ſunt, & liberos procrearunt? Quidnam verò ipſorum etiam opifices communium artium erant. Alij verò & lapſus perpeſſi ſunt peccatorum, atque in vltimum malorum barathrum deciderunt. Sed multum, inquis, gratiæ C illi acceperunt à Domino. Siquidē mortuos ſuſcitare iuberemur, aut oculos aperire cæcorum, aut mundare leproſos, aut claudos erigere, aut dæmones effugare, aliaſque his ſimiles ſanare ægritudines: ſi operationum virtus quæreretur, locum haberet iſta reſponſio: ſi verò vitæ à nobis obſeruantia conuerſationiſque requiritur, & obedientiæ ratio, quid facit ad hæc iſta narratio? Et tu enim accepiſti gratiam Dei per baptiſmum, & participium Spiritus ſancti conſecutus es, etiamſi non ad hoc vt ſigna faceres, ſed quantum ſufficeret ad hoc, vt rectæ vitæ obſeruantiam cuſtodires. Et ideo perditionis noſtræ cauſa nulla alia eſt, quàm negligētia noſtra atque deſidia. Sed & Chriſtus in illa die remuneraturum ſe promittit, non eos qui ſigna & prodigia, ſed eos qui ſua præcepta fecerint, dicens:

Matth. 25

Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Non dixit, quia mirabilia D feciſtis: ſed quia *eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere: peregrinus fui, & collegiſtis me: nudus, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in carcere, & veniſtis ad me.* Sed & beatos non dicit eos qui ſigna & mirabilia fecerunt: ſed humiles ſpiritu, manſuetos, lugentes, eſurientes & ſitientes iuſtitiam, pacificos & mundos corde, atque eos qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. Nuſquā itaque in ſignorum opere & mirabilium beatitudo ponitur: ſed in expletione mandatorum, & perfectione virtutum. Nam & illi ipſi beati qui hæc fecerunt, non ideo nobis in admiratione ſunt, quia ſigna oſtenderunt & prodigia, hoc enim totum gratiæ Dei fuit: ſed pro animi virtutibus magni habētur & clari. Quod vtique nutu quidem diuino, & gratia cœleſti, proprio tamen ſtudio ac labore operati ſunt. Non ego ſum qui hæc dico, ſed ille ipſe imitator Chriſti. Cum enim aduerſum pſeudoapoſtolos ſcriberet, atque indicia probæ doctrinæ, minuſque probæ, diſcipulos edoceret: non dixit ex mirabilibus & ſignis intelligi debere miniſtros Chriſti, ſed ait:

Digitized by Google

1.Cor.11 *Miniſtri Chriſti ſunt, & ego: tanquam minus ſapiens dico,*
plus ego. In laboribus plurimis, in carcere abundantius, in pla-
gis ſupra modum, in mortibus frequenter: à Iudæis quinquies
quadragenas vna minus accepi: ter virgis cæſus ſum, ſemel
lapidatus ſum, ter naufragium feci, die ac nocte in profundo
maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis la-
tronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in
ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in
falſis fratribus, in labore & fatigatione, in vigiliis frequenter,
in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Præ-
ter illa quæ extrinſecus in me concurrunt, quotidiana ſollicitu-
do omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor?
Quis ſcandalizatur, & ego non vror? Vides pro qualibus
& quibus geſtis mirandi ſunt apoſtoli? nam qui
ſignorum & mirabilium geſtis probari volunt, non
poſſunt probi videri, quia & ipſe dominus & ſalua-
tor noſter nõ dixit, ex ſignis & mirabilibus cogno-
Math 7. ſcetis eos, ſed ait: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*: &
iterum dicit: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, domine,*
nonne in nomine tuo prophetauimus? & in nomine tuo dæmonia
eiecimus? & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc
dicam eis: Quia nõ noui vos, diſcedite à me operarij iniquitatis.
Propter hoc autem & diſcipulos monebat, dicens:
Luc. 10. *Nolite gaudere quoniam dæmonia vobis ſubiiciuntur: ſed in*
hoc gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Vita
enim bona & actus probi etiam ſine ſignis & mira-
bilibus merentur coronam: iniqua autem conuer-
ſatio etiamſi ſigna & prodigia fecerit, ſupplicia
non euadet, & ideo ſuperfluò hæc quæruntur,
imo & periculosè. Nam poſſumus etiam ex his
hæreticis occaſionem dare, ſi dicamus quia apo-
ſtoli & omnes ſancti non ex propoſito ſuo & la-
bore mirabiles facti ſunt, ſed ex Dei gratia ſola.
Dicũt enim: Et quid ergo prohibet omnes fieri
tales? Si enim gratia Dei nihil requirit à nobis, ſed
ipſa eſt quæ facit vnumquemque perfectum: cur
non omnibus ex æquo infunditur, & fiunt omnes
repente perfecti? *Non enim eſt perſonarũ acceptor Deus.*
Acto. 10. Sed quoniam non ſola gratia Dei hoc agit: requi-
ritur enim vt & nos quod in propoſito noſtro & vi-
ribus noſtris eſt, expleamus: idcirco venit quidem
ad vnumquẽque gratia Dei, ſed apud eos qui digni
explent ea quæ mandata ipſi ſunt, permanet: & ab
his verò qui minus dignè agunt, citò diſcedit: ad
eos autem qui nec initium faciunt conuertendi ad
dominum, omnino non venit. Rectas enim mẽtes
diligit, & ſine fuco propoſitum. Quod etiam in
Paulo proſpiciens, licet alio adhuc itinere videre-
tur incedere, tamẽ quia propoſito, & zelo Dei hoc
agebat, dicit de eo dominus: *Quia vas electionis eſt mi-*
hi iſte, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, &
filiis Iſraël. Hæc autem teſtatus eſt de eo priuſquam
ei gratia daretur. Non ergo noſmetipſos ſeduca-
mus dicentes, impoſſibile eſt vt ſit aliquis ſicut
Paulus. Siquidem ſignorum & mirabiliũ, ac ſapien-
tię gratiæque eius contẽplatione nullus poterit eſſe
Paulus: vitæ autem ratione, & conuerſationis dili-
gentia præſtò eſt volenti imitari illum: quod quia
non fit, voluntas in culpa eſt. Sed neſcio quomo-
do in hoc ſtultitiæ decidi, vt Paulo ſimiles aliquos
ex his qui nunc viuunt homines requiram: vtinam
vel tertio, vel quarto poſt ipſum loco inueniri
poſſit aliquis. Et ideo lugendum eſt, & ideo flen-
dum, & per totam vitam plangendum, vt vel ſic
Exemplo mortuos lugentiũ docet peccata deflenda. occupata in luctu & lachrymis anima erubeſcat
aliquando peccare. Denique requiramus à lugen-
tibus, iſtos dico pro charorum ſuorum amiſſione
lugentes, & in egeſtate poſitos, & non qualeſcun-
que homines, ſed illos ipſos potentes & diuites, &
in deliciis agentes, qui ventri & voluptati viuunt,
qui prandia vſque ad veſperam, cœnas in medium
noctis extendunt, qui aliena diripiunt, & propria
profundunt, iſtos ipſos interrogemus, ſi quãdo aut
vnicum pater filium, aut vxor ereptum citò plan-
git maritum, quomodo velut fulmine quodam icta
anima aufugiunt continuò, nec vſquam apparent

A omnes illæ molles & diſſolutæ deliciæ: nuſquam
ventris cura aut ſollicitudo carnis habetur, ſed a-
cerrimæ continentiæ introducitur philoſophia,
abſtinetur ab omnibus, aguntur extenta ieiunia,
iuges vigiliæ, humi requieſcitur, ſummum ſilen-
tium, quies magna, humilitas vltima, manſuetudo
ineffabilis, miſeratio immenſa: etiamſi auferantur
omnia, etiam diripiantur, nihil pro his animus cu-
rat, nihil mouetur: etiamſi igne concrementur vni-
uerſa, & cenſus pariter cum domibus pereat, non
indignatur, non iraſcitur. Multos ego noui poſt a-
miſſionem charorum, nec vrbes habitare voluiſſe,
ſed commigraſſe ad agros, atque ibi ieiunam & ſo-
briam duxiſſe vitam, cum omni ſilentio & quiete.
Alios memini in ipſis defunctorum ſuorum ſepul-
chris habitaculum poſuiſſe, atque inibi vitam ſimi-
lem mortuo tranſegiſſe. Sed hæc poſtmodum. Inte-
rim donec dolor in augmẽtis eſt, nihil curat anima,
nihil cogitat, procul omnis illa inſania cõgregan-
B dæ pecunię, procul omnis cupiditas poſſidendi: ho-
noris autẽ, & ambitionis omnis apud eos gloria tunc
verè vt fænum, & velut flos fœni videtur, & talis
quaſi quam flamma triſtitiæ in cinerem verterit: &
ita ex omni parte anima transfertur ad philoſo-
phiam, vt deliciarum atque ſuauitatum vitæ huius
ne ratio quidem vlla habeatur: imo potius ſi quid
prius delectabile viſum eſt, ſi quid gratum, id nunc
amariſſimum & odibile ducitur. Nullus famulo-
rum, ſed ne amicorum quidem quiſquam & fami-
liarium aliquid in auribus ei loqui audebit de his
quæ huic vitæ videntur neceſſaria eſſe, ſed tan-
tummodo de humanarum rerum caduco & fragili
ſtatu, de incertis vitæ huius & lubricis rebus ſermo
habetur, & varietas ac mutabilitas mortalis vitæ
philoſophicis aſſertionibus exponitur, atque om-
ni ex parte anima per dolorem luctus, tanquam in
quodam ſacrario collocata, nouis nunc de natura
C humana imbuitur diſciplinis: vt agnoſcere inci-
piat, & ſentire præſentis ſeculi fragilitatẽ, quàm in-
ſtabilis ſit, & quã citò fugiat omne quod in eo ma-
gnũ videtur: quãq; fluxus & corruptibilis ſit mun-
di ſtatus, vtq; omnia tanquã in ſcena agantur & mi-
mo. Et quidẽ tunc verè miſeræ & probroſæ apparẽt
diuitiæ, tunc fœda videtur iactantia. Inuidia verò,
& ira, & concupiſcentia ac libido ne ad extremas
quidem ianuas lugentis accedit, ſed hæc omnia fu-
gantur, omnia exterminantur, ita vt ne odor qui-
dem horum vllus occurrat. Vna ſola cogitatio lu-
genti, vnus intuitus imago defuncti eſt. Ille vultus
ante oculos ponitur, ille aſpectus menti atque ani-
mo exhibetur, ipſe ei cibus, ipſe potus eſt: quòd ſi
ſomnus fuerit, ſomnia inde ducuntur, ibi omnis
requies, ibi omne ſolatium, ibi gloria, ibi diuitiæ, ibi
potentia, ibi omnes deliciæ collocantur. Sic opor-
tebat & nos ſalutem noſtram lugere perditam, at-
que animam noſtram mortuam lamentari, vt nihil
D amplius dicam. Exhibeamus animæ noſtræ quod
illi exhibent carni alienæ. An non extremæ miſe-
riæ eſt, vt hi quidem qui filios aut vxores lugent,
ad nihil aliud occupent mentem ſuam, niſi vt de-
functos ſuos quaſi intueantur, & illos ſemper ani-
mo ac cogitatione conſpiciant: nos verò quibus
ſalus mortua, & regni cœlorum ſpes extincta eſt,
omnia magis quàm inde cogitamus. Et illi quidem
etiamſi regij generis ſint, nemo tamen erubeſcit
ſolennitatem luctus implere: ſed & humi reſident,
& cum amaritudine lamentantur, & veſtem lugu-
brem ſumunt, & omnia faciunt quæ ad afflictionem
animæ & corporis ſpectant: & neq; quòd in deliciis
nutriti ſunt cogitant, neque florem ſui corporis re-
ſpiciunt, neque metu futuræ ex afflictione ægritu-
dinis deterrentur, ſed omnia ferunt, & infatigabi-
liter perferunt, & non ſolùm viri, ſed & multo ma-
gis fœminæ, etiamſi valde fuerint delicatæ. Nos
econtrà qui non filios, vt dixi, aut vxores, ſed ani-
mam lugemus, & animam non alienam, ſed no-

Digitized by Google

ſtram, recogitamus ægritudinem corporis, & recordamur quòd in deliciis educati ſumus. A Atque vtinam hoc ſolum mali eſſet: nunc autem ne hoc quidem eſt quod nos impedit aut retardat. Quid enim, dic mihi, corporis viribus opus eſt, cùm cor conterere debeamus? Quid neceſſariæ ſunt vires corporis, vt pura Deo fundatur oratio, vt peccatorum fiat recordatio, vt humilitas aſſumatur, & ſuperbia depellatur? Quid requiro corporis firmitatem ad arrogantiam reprimendam? Iſta ſunt enim in quibus placetur Deo. Quid laboris iſta, quid afflictionis requirunt? Et tamen quaſi quidam intolerabilis labor ſit, omittuntur à nobis. Non requirit Deus ciliciorum pondus, neque concludi inter anguſtias cellulæ, neque in obſcuris antris & tenebroſis ſedere iubet: hoc ſolum eſt quod expoſcitur à nobis, vt ſemper recordemur, & ad animum reuocemus mala noſtra, & conſcientiam geſtorum noſtrorum habeamus ante oculos, vt pro his ſupplicemus Deo, B vt gehennam ponamus in conſpectibus noſtris, & angelos qui in die iudicij vbique diſcurrunt & congregant de omni orbe terrarum eos qui trudendi ſunt in gehennam, ac ſuppliciis tradendi. Ponamus etiam & illud ante oculos, quanti doloris eſt excludi ac proiici à regno cœlorum, quod, vt mihi videtur, grauius eſt ipſa gehenna. Nam etſi ignis ille non arderet, & immortalis illa pœna non eſſet parata, hoc ſolùm quòd alieni efficimur à Chriſto, & excludimur à bonis æternis, nonne omni pœna cruciabilius diceretur? Quòd ſi non ſufficiunt hæc ad erigendas animas, & incitandas ad ſpem, illud ſaltem ad memoriam reuocemus exemplum, quod de virginibus refertur, quæ excluſæ à thalamo ſponſi ſunt propter olei defectum. Ponamus noſmetipſos in illis quæ excluduntur, & videamus qui dolor, & quæ pœna ſit, ſi cogitemus idem poſſe & nos pati ſi negligimus. Eſtne aliquis ita lapideus, qui hoc exemplo non C moueatur, & timeat ne ſimilia incurrat? Potuiſſemus quidem ſermonem prolixius producere, ſed quia obedientiæ magis, quàm vſus alicuius cauſa hæc à nobis dicta ſunt, etiam vltra quàm debuimus vagati ſumus. Bene enim noui, quia ſi quis cordis compunctionem requirat, hanc verè & integrè apud te haberi inueniet, & à te melius doceri etiamſi ſileas. Sufficit enim ad compunctionem cordis videri te, & intelligi crucifixam vitam tuam. Itaque melius docebo de compunctione cordis, ſi nunc quidem viuentibus habitaculi tui iter oſtendam, & eos ad videndum te dimittam. Si verò de poſteris quæritur, ſufficiet ei ſi tua geſta cognoſcant, propter quod obſecro te, redde mihi iam obedientiæ meæ vicem orationes tuas, vt non tam loquamur compunctionem cordis, quàm patiamur. Quoniam docere, & non facere, non ſolùm lucri nihil, ſed etiam damni plurimum confert. D Grandis enim condemnatio eſt ſermonem quidem ſuum componenti, vitam verò ſuam atque opera negligenti.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de compunctione cordis, liber ſecundus.

ET quomodo fieri poterit, ô homo Dei, quòd imperas Stelechi, vt anima infirma & frigida compunctionis verba pariat? Ego enim puto quòd is qui in hac materia vult aliquid dignum proferre, ipſe ante omnes debet hoc calore feruere, & ſalutari hoc incendio primus igniri, quo poſſint etiam ſermones qui ab eo proferuntur, ignere & accendere animas auditorum. Sed nobis horum nihil adeſt: procul enim à nobis ignis iſte, nec flamma vlla intra nos, ſed emortuus cinis eſt. Vnde ergo, vnde chariſſime accendimus in nobis hanc flammam, qui nec ſcintillam aliquam intra nos vigere ſentimus, nec ſpiritum quo perflari poſſit & accendi? Quomodo enim ſpiritus dignetur adeſſe animæ confuſionis plenæ, quam peccatorum multitudo contexit? Sed ego quidem non noui: ſed tuæ ſollicitudinis erit, qui imperare voluiſti, vt opuſculum noſtrum congtuum mereatur effectum. Ego neſcio ſi dignum aliquid ex nobis poſſit exire, tu videris qui opus tantum minus validis imperas miniſtris. Nos quidem præbebimus officium linguæ: tu autem precare eum qui ſanat contritos corde, & qui dat afflictis patientiam, quique erigit de terra inopem, vt ipſe in nobis accendat ignem illum, per quem poſſit omnis infirmitas animæ decoqui, & omne quod aggrauat corpus exuri, quò ſubnixa pennis ſuis anima tendat ad cœlum: vtpote leuior reddita, atque in illo vertice poſita intueri de altiſſimis ſedibus, & deſpicere poſſit vniuerſam vitæ huius quæ in terris agitur vanitatem. Niſi enim quis ad illam celſitudinem volatu animæ diuino munere conſcenderit, non poterit terram deſpicere, neque ea quæ geruntur in terris. Liber enim ei de ſupernis debet eſſe aſpectus, liber auditus, vt & lingua poſſit liberum verbo præbere miniſterium. Oportet ergo boni huius volentem adire principia, prius animo & mente ſecedere ab omni perturbatione ac fluctuatione viſibilium, atque ad illa conſcendere & penetrare ſilentia, vbi quies ſumma, tranquillitas iugis, pura ſerenitas, & nihil prorſus quod moueat, nihil quod intentum ſollicitet animum, aut indaginem cogitationis irrumpat: ſed ſit immobilis oculus mentis, & in deſiderium Dei tota intentione defixus, ſit auditus ſilens, quietus, intentus, in hoc ſolùm directus, vt audiat verbum Dei, & conſona diuinorum ſenſuum modulatione lætetur: cuius tanta vis eſt, vt ſi ſemel obtinuerit animam ac poſſederit, neque cibum vltra, neque potum, neque ſomnum requirat. Horum enim omnium voluptas ad deſiderium tranſlata eſt diuinorum verborum, ſenſuúmque cœleſtium. Hoc ergo eſſe decet animæ inſtitutum, volentis de compunctione cordis vel dicere aliqua, vel capere, vt aliena ab omni perturbatione & ſollicitudine vitæ huius effecta, ſpiritualis philoſophiæ altitudinem, & cœleſtis puritatis verticem teneat, quo nequaquam poſſit ab aliquo ſenſu eorũ quæ geruntur in terris, omnino pulſari. Nam corpus, vel corporis ſenſus animam donec terrenis rebus intenta eſt, innumeris vinculis onerant, & vndique ei nubes corporalium congregant voluptatum. Ad hæc miniſtrat auditus & viſus, ad hæc odoratus, ad hæc etiam tactus & guſtus: cunctorúmque quæ extrinſecus geruntur malorum perturbationes, velut in ſentinam, ita in animam conuectant. Quòd ſi ſubtrahere voluerit à terrenis, & ſtudia ſua ad ſpiritualia inſtituta conuertere, excludet à corporalibus ſenſibus aditum, per quem ſibi miniſtrare atque introducere ſolebat imagines malorum. Excludet autem non ipſis ſenſibus obturatis, ſed intentionibus eorum ad ſpiritualia cœleſtiaque conuerſis. Sicuti enim domina quædam terribilis ſatiſque ſeuera, volens aliquod vnguentum conficere neceſſarium & pretioſum, pluribus ad hoc indiget miniſtris, multaſque manus requirens ſuſcitat famulas ſuas, atque ad ſemetipſam congregat, imperat alij tenere libram, vt æquis ponderibus vnaquaque ſpecies miſceatur, & neque amplius aliquid, neque minus quam oportet, habeat: ſciens non poſſe vtile effici quod componitur, niſi ſumma librationis mẽſura ſeruetur: alij terere iniungit quæ duriora ſunt, & ſummo cum labore leuigare, nequid durum inueniatur aut aſperum, aliam diſcernere cum cribellis quod tunditur, iubet, vt craſſiora quæque pigmenta à minutis & mollioribus ſecernat ac ſegreget: aliam iubet miſcere, & in vnum conſpergere quæ ex diuerſis præparata ſunt: alia cum alabaſtro aſtare præcipitur, & aliud

alij

Digitized by Google

alij iniungitur: atque hoc modo ſenſibus earum & animis ac manibus occupatis, & operi propoſito affixis, non permittitur ſenſus vſquam euagari, intentionemque operis propoſiti irrumpi, imminens iugiter & inſiſtens, nec prorſus indulgens oculum ſaltem aſpectúmque diſpergi miniſtrantium famularum: ita ergo & anima quæ pretioſiſſimum vnguentum iſtud, compunctionem dico cordis, componere ac ſeruare deſiderat: omnes corporis ſui ſenſus ad ſemetipſam congreget, ſegnitiémque ipſorum ac negligentiam deturbans, tota ſollicitudine vigilare, & in hoc tantum quod propoſuit, cogat intendere. Denique ſi quando acciderit, vt ad ſemetipſam conuerſa deliberet agere aliquid eorum quæ placita ſunt Deo, idque prorſus profunda & intenta ſatis cogitatione pertractet, neque dicentem ſibi aliquid audit, ſed ne occurrentes quidem, & in oculis ſtantes videt, non quòd caruerit oculus viſu, aut auris auditu, ſed quia in ſecretis agens anima, & in diuinioribus occupata, nuntios non recipit ſenſuum, & corporalium miniſtrorum. Et quid dico, quòd in his poſita anima clamantem non audiat, aut non videat tranſeuntem: cum ſæpè etiam pulſantes ſe & trahentes omnino non ſentiat? Per quod intelligi vtique datur, hanc eſſe animæ virtutem, vt ſi toto affectu deſideria ſua extendat ad cœlum, degere ſe obliuiſcatur in terris, atque inter homines conuerſari, etiamſi trahat aliquis corpus, etiamſi propellat. Talis erat beatus Paulus, qui intantum abſens erat ab his, inter quos conuerſari videbatur in vrbibus, quantũ mortuis corporibus nos videmur abſentes. Quum enim dicit: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*: emortuam mihi videtur in ſemetipſo corporalium ſenſuum efficaciam proteſtari: imò non ſolùm hoc, ſed duplicare in ſemetipſo iſtam, vt ita dicam, inſenſibilitatem. Non enim dixit hoc ſolùm, quia mihi mundus crucifixus eſt, ſed addidit: Et ego mundo. Ingentis namque philoſophiæ eſt, vt & hunc ipſum mundum ſibi putet aliquis crucifixum: multò autem maioris eſt, vt & ſeipſum quis crucifixum putet mundo, quem ſibi mortuum priùs eſſe crediderat. Hoc ergo in ſemetipſo Paulus oſtendit, quia non tantum abeſſet à terrenis ſenſibus, quantum viuentes homines à corporibus mortuis, ſed quantum abſunt, nec ſentire poſſunt mortui mortuos. Qui enim viuit, etiamſi ipſe non poteſt mortuum conſpicere, tamen vel ſentire poteſt, vel mirari adhuc ſpeciem decoris defuncti, vel miſereri poteſt, & lachrymas fundere. Qui autem & ipſe defunctus eſt, erga mortuum ne hunc quidem habebit affectum. Et hoc eſt quod mihi videtur dixiſſe Paulus, quia *mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Vides ergo quantum longè erat, & quantum peregrinabatur ab his quæ aguntur in terris? Vides quomodo ſuper terras incedens, ipſum tenebat verticem cœli? Nolo enim putes quòd vel montes, vel deſerta, vel inuia ita poſſint animæ conferre ſilentium, perturbationéſque perimere, vt ignis iſte quem in ea Chriſtus accendit. Hic ignis in anima Pauli per dies ſingulos flante Spiritu ſancto magis ac magis accendebatur, & ad ſuperna tendens, ſecum eum vſque ad ipſum perduxerat cœlum: imò, vt verius dicam, impoſuerat eum non vſque ad primum cœlum, neque vſque ad ſecundum tantum, ſed vſque ad tertium raptus eſt cœlum. Amor autem eius, & deſiderium quod habebat erga charitatem Chriſti, non ſolùm tres penetrauerat cœlos, ſed & omnes omnino tranſcenderat, & vſque ad ipſum peruenerat Chriſtum. Et puto quòd non delinquat aliquis, ſi ſanctum hunc tali cuidam conferat ſimilitudini, vt ſi, verbi gratia, flamma quædam immenſa vniuerſam repleret terram, & inde aſcendens repletis omnibus vſque ad ipſa peruenerit cœli faſtigia, ſed & inde ſuperans omnia, etiam illum

[Margin: Galat. 6. — D. Pauli laus. — 2. Cor. 12 — A ſimili.]

A qui ſupra cœlum eſt aërem tranſcenderet, ſiue aër ille dicendus eſt, ſiue quid aliud: atque vbi etiam illa quæ ibi ſunt ſpatia compleret, ne illic quidem flamma hæc incrementa finiret, ſed aſcenderet adhuc vſque ad tertium cœlum, & omnia hæc vno atque eodem igne compleret, ita vt nec terræ vllum, nec cœli, imò nec cœlorum ſpatium relinqueret vacuum. Et ne putes me hæc ad gratiã Pauli dixiſſe, relege quæ ad Demetrium ſuper hac ipſa materia ſcripſimus, & inuenies hæc eadem rebus ibidem demonſtrata eſſe, non verbis. Ita debet amari Chriſtus, ita oportet animam à rebus affici præſentibus & viſibilibus alienã. Tales erant animæ ſanctorum prophetarum, quæ ob hoc acceperunt etiam oculos alios quibus poſſent videre futura. Etenim renuntiare præſentibus rebus, & alienum effici ab eis, proprium hoc humanæ induſtriæ opus eſt: poſt hæc verò accipere oculos quibus ventura proſpicias, diuini muneris eſt donum. B Talis fuit Heliſæus, qui quoniam omnia mundana reliquit negotia, & amauit propheticam vitam, regnum cœleſte & ſupernam gloriam in terris adhuc poſitus vidit. Vidit enim quæ nunquam mortalis viſus inſpexerat, montem curribus igneis, atque equis flammeis plenum, armatorum turmas, & caſtra cœleſtis exercitus. Nemo ergo poteſt eorũ qui delectantur præſentibus & caducis, cœleſtia ac ſpiritualia contueri. Qui verò iſta contempſerit, & velut vmbram & puluerem duxerit, velociùs ad illa perueniet. Nam & apud homines hic mos eſt, vt tum theſauros ſuos & reconditas diuitias patefaciant filiis ſuis, cùm eos iam adultos viderint, & puerilis laſciuiæ vitia reſpuiſſe: donec enim his dediti ſunt, non poſſunt eis parentum ſecreta committi. Ita ergo & anima, niſi prius didicerit terrena contemnere, cœleſtia mirari nõ poterit: & econtrà donec terrena miratur, neceſſariò cœleſtia ſpernit ac deſpicit. C Hoc erat quod beatus Paulus aiebat: Quia *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*. Vt ergo dicebamus, requirenda ſunt ſilentia, requirenda eſt quies, non ſolùm locorum, ſed & animi ac propoſiti, & ad huiuſmodi ſecreta inuitanda eſt anima. Si enim propoſitum quietis gerat quis, nec in vrbis habitatione turbabitur: ſicut & beatus Dauid, qui non ſolùm in vrbe poſitus erat, ſed & regni curas ſollicita adminiſtratione tractabat: & tamen multò ardentior in compunctione erat cordis, quàm hi qui ſolitudines videntur habitare. Illas enim lachrymas eius, & illos tam vberes fletus, quibus & in die flebat, & in nocte nunquam ceſſabat: vix aliquis habet nunc eorũ qui Chriſto crucifixi videntur. Non enim ſolum hoc conſideres, quòd lugebat & flebat: ſed quis erat ille qui flebat, & quid agens lugebat. Non enim æquale eſt in tanta poſitũ poteſtate humiliare ſe, & curuare in conſpectu Dei, tot aſtantibus atque officia deferentibus, D vbi qui timeatur nullus eſt, omnes verò præſto ſunt metuentes. In hoc, inquam, ſtatu poſitum humiliare ſe, & incuruare in conſpectu Dei, & indeſinenter affligere: non eſt tale, quale ſi hoc faciat ille cui nihil horum præſtò eſt, ſed ab omnibus his liber eſt & alienus. Etenim in regno poſitus quis multa habet quæ ad luxuriam atque effuſionẽ prouocent. Neceſſitas ipſa conuiuij affluentis, & regij, quantum ſegnitiei, quantum putas reſolutionis conferat animæ? Tum deinde vis poteſtatis, quantum elationis, & rurſum quantum rigoris imponit? Sed & gloriæ cupido erigit neceſſariò animos ad ſuperbiam. Libidinis quoque innumera confluunt incitamẽta, quam gignit quidem poteſtatis authoritas, nutriunt verò & fouent deliciarum fomenta, & ſuper omnia regalis luxus inflammat. Curarum verò, vt diximus, frequentia velut imbribus infunditur & perturbatur. Inter hæc ergo omnia, vbi habebit locum cordis compunctio, tot obſtaculis repulſa, tot murorum circumuallatione ſecluſa?

[Margin: Qui compunctionẽ deſiderat, à curis & ſollicitudinibus liber ſit. — 1. Cor. 2.]

Contra

Digitized by Google

Contra vero qui ſibi vacat, ab omnibus his pertur-
bationibus alienus eſt niſi ſit propoſito ac volun-
tate peruerſus: & tamen rarò quenquam inuenies
huius boni munere gaudentem. Interim, vt dixi-
mus, qui liber eſt, & vacat facilius, ſi intendat ani-
mo, poterit adipiſci quàm ille qui in potentia poſi-
tus eſt, & in principatu ac negotiis conſtitutus.
Quia ſicut impoſſibile eſt, vt ignis inflammetur in
aqua: ita impoſſibile eſt compunctionem cordis
vigere in deliciis. Contraria enim hæc ſibi inuicem
ſunt, & peremptoria. Illa enim mater fletus, hæc
mater eſt riſus: illa cor conſtringit, hæc diſſoluit:
illa animæ alas annectit, & volare facit ad cœlum,
hæc ei plumbi pondus imponit, & demergit in in-
fernum. Sed & illud commemorationem noſtram
non effugiat, quòd tanta cordis compunctio illo
tempore etiam in regibus fuit, quo nihil ita ma-
gnũ & eximiũ lex tunc poſita à cultoribus ſuis de-
poſcebat. Noſtri verò agonis tẽpus in quo aſcripti
videmur, etiã pro riſu pœnam habet, laudem verò
pro luctu, & pro tribulationibus ſalutẽ confert. Et
tamen ille beatus Dauid (ipſius enim propoſuimus
exemplum) cunctis quæ eum circunſtare & con-
ſtringere videbantur, abruptis, ita erat in poteſta-
te poſitus, tanquam omnibus eſſet ipſe ſubiectus,
& in ſolio regali erat vt vinctus in carcere, & in
purpura quaſi in cilicio iacebat, cinere conſper-
ſus, & corde compunctus, aula regalis erat ei tan-
quam eremi vaſtiſſima ſolitudo. Hæc autem omnia
agebat in eo cordis compunctio: ſola enim eſt quæ
facit animam horreſcere purpuram, deſiderare ci-
licium, amare lachrymas, fugere riſum. Sola eſt,
inquam, cordis compunctio, quæ ſicut ignis omne
animæ vitium perurit & adimit, & quantacunque
in ea repererit mala, abſtergit vniuerſa, & penitus
delet. Concupiſcentiarum flammas ſi inuenerit,
vt fluuius inundans extinguit & enecat: curarum
multitudines & perturbationes ſi videat, velut fla-
gello quodam exturbat & effugat, & procul eſſe à
domiciliis animæ iubet. Ac ſicut puluis non poteſt
ſtare antè faciem venti, ita nihil malarum cogita-
tionum in anima reſidere poteſt, vbi compunctio
cordis affuerit. Si enim corporalis amor ita deuin-
ctam ſibi tenet animam, vt ab omnibus eam ne-
ceſſariis actibus cogat abſcedere, & illi ſoli quem
amat operam dare, atque in eius cogitatione fixam
teneri: quomodo non amor Chriſti ab omnibus re-
liquis abſtrahit animam ſibique conſociat, ac deſi-
derij ſui vinculis ſtringit? Hæc autem ita ineſſe
animæ ſuæ etiam Propheta teſtatur, cùm dicit: *Sicut*
ceruus deſiderat ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea
Pſal. 41. *ad te Deus.* Et iterum: *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*
Et rurſus: *Adhæſit anima mea poſt te.* Sed & idem ipſe
Ibid. 142. iterum dicit: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in*
Ibid. 62. *ira tua corripias me.* Et nolo mihi dicas, quòd propter
Ibid. 6. peccatum ſuum quod ei acciderat, hæc ſcripſit in
hoc pſalmo. Non eſt verum. Non enim permittit
intelligi ita ipſa pſalmi attitulatio. Huius enim cul-
pæ ſatisfactionem alius continet pſalmus. Hic au-
tem aliam habet attitulationis ſuæ cauſam. Non
confundamus diuinas litteras, neque ſancti Spiri-
tus ſententias propriis ſententiis peruertamus.
Huius etenim pſalmi ſuperſcriptio habet, pro
octaua. Quæ eſt autem octaua, niſi dies illa domini,
illa inquam dies magna & terribilis, quæ eſt vt cli-
banus ardens, quam tremunt etiam virtutes cœle-
ſtes? Ita enim ſcriptum eſt. *Quia virtutes cœlorum mo-*
Luc. 21. *uebuntur*: in cõſpectu enim eius ardebit ignis. Octa-
uam verò eam appellauit, propter commutatio-
nem ſtatus ſeculi huius, oſtendenſque in futura vi-
ta innouationem fore. Præſens namque tempus
ſeptimanam habet deputatam. Omnis enim præ-
ſentis temporis curſus à prima quidem incipit die,
& terminatur in ſeptimam: & rurſus iiſdem circu-
lis ſpatia præſtita voluuntur, eidem initio reddita,
atque in eoſdem terminos reuoluta. Dominicam

A verò diem non octauam appellamus, ſed primam:
quia non poteſt in octauum numerum reuolui cir-
culus ſeptimanæ. Cùm ergo hæc omnia ceſſaue-
rint: & curſus hic temporum fuerit reſolutus: tunc
iam ſeptimana depulſa, ogdoas, id eſt, octaui nu-
meri curſus producetur in medium, qui non iam
rerum cauſas reuoluat ad initia, ſed omnia conſe-
quentibus tradet, & perurgeat in futurum. Pro-
pheta ergo hæc intuens, & ex his omnibus corde
compunctus ac iudicij futuri intra ſe memoriam
retexens, diem quoque illum ſemper in oculis ha-
bens, nunquam à tribulatione animi & compun-
ctione cordis vacabat: quoniam quæ nos vix ali-
quando, & ſatis rarò ad memoriam reuocamus, il-
lius mens & cogitatio habebat ſemper intra ſe, &
Dei iudicia totis ſenſibus intremebat. Ob hoc ergo Pſal. 6. &
ſic dicit in pſalmo: *Domine ne in furore tuo in arguas me,* 17.
neque in ira tua corripias me: Iram dicens, & furorem
pœnæ continuationem: ſcit enim diuinam natu-
B ram carere omni paſſibilitatis affectu: & quidem
cùm in multis conſcius ſit ſibi, ex quibus non pœ-
nam ſperare debeat, ſed coronam. Erat namque in
eo fides tanta, vt muros, ac turres destrueret alie-
nigenarum, & vniuerſam gentem ſuam de portis
mortis ipſius (vt ſic dicam) reuocaret. Erat in eo
etiam inde grandis fiducia conſcientiæ, quòd non
reddiderat inimico malum pro malo, quinimò &
beneficia pro iniuriis reddidit. Sed & illa diuina 1. Reg. 13.
ſententia, quæ dicit: *Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſe-*
cundum cor meum: nónne ab eo omnem ſuſpicionem
noxæ alicuius, aut reprehenſionis abſtergit? & ta-
men poſt illud de eo Dei iudicium, poſt tot animi
operúmque virtutes non ceſſat tanquam reus &
pœnæ obnoxius loqui, & quaſi nihil habeat fidu-
ciæ apud Deum, vt illud euangelicum compleat,
quod ait: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dici-* Lucæ 17.
te: quia ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.
C Quid tale locutus eſt vel Publicanus ille, qui verè
mille malis repletus, & neque reſpicere ad cœlum
poterat, neque orationis ſuæ prolixum continua-
re ſermonem, ſed ne aſtare quidem propè Phari-
ſæum audebat. Exprobrabat enim eum Phariſæus, Lucæ 18.
dicens: *Quia non ſum ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti,*
adulteri, ſicut etiam Publicanus hic. Ille verò quaſi nihil
horum audiens, in nullo indignatur, ſed & ample-
ctitur opprobrium: & non ſolùm indignatur, ſed &
confitetur peccata ſua, pectúſque ſuum velut pec-
catorum ſuorum conſcium tundens, dicit: *Deus pro-*
pitius eſto mihi peccatori. Hæc ergo peccatorem facere
non eſt magnum, quia pondus peccati, etſi velit,
etſi nolit, peccatorem humiliat & incuruat: iuſtum
verò hæc facere, qui ſibi conſcius eſt bonorum
multorum, & ita de ſe pronuntiare, vt pronuntia-
bat ille, qui verè multorum reus erat malorum:
hoc eſt mirabile, & hoc eſt verè contriti & humi-
liati cordis indicium. Imò verò & amplius adhuc
D in humilitate iuſti, quàm in confeſſione Publicani
peccatoris intueor. Ille enim quod ait: *Propitius eſto*
domine mihi peccatori, ſermo ipſe videtur eſſe quaſi
pœnam volentis effugere. Quod autem dicit iu-
ſtus: *Domine ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo* Pſal. 6.
corripias me: non eſt nolentis argui, neque corripi
recuſantis, ſed orantis, ne in ira, id eſt, vehementer
arguatur, neque in furore, quod eſt abſque venia,
corripiatur. Ex omni ergo parte animi eius humili-
tas intuenda eſt, & ex eo quod ſemetipſum, cum ſit
iuſtus, pœna indicat dignũ, & ex eo quod nõ audet
hoc petere à Deo, vt ex integro ſibi venia conce-
datur: quod vtiq; eorũ eſt, qui ſe ingẽtibus quidem
ſuppliciis dignos iudicant, aliquid tamen in ipſis
ſuppliciis optant adipiſci, quod paululum ſubleuet
ac temperet pœnas. Sed maiorem adhuc mentis ſuæ
humilitatem docet, quòd & hanc ipſam miſericor-
diam, id eſt, vt paulò leuius crucietur, ita petit à
Deo, non quaſi qui releuari mereatur, ſed quaſi qui
deficiat in tormentis, & ferre plura non poſſit. Ait

enim:

[Pſal.6.] enim: *Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum*: Quid eſt hoc? Iſte qui tale teſtimonium meruit à Deo, & [Pſal.118.] qui iudicia eius non eſt oblitus, ſic enim dicit: *Iudicia tua non ſum oblitus.* Iſte, inquam, qui ſolis ipſius ſplendore lucidior eſt, huiuſmodi verba proloquitur? Ita eſt. Hoc enim verè magnum & mirabile eſt, quia is qui verè magnus eſt, nihil de ſe magni ſentit, aut loquitur, ſed omnium ſe vltimum iudicat, & ſalutem de ſola Dei miſericordia ſperat: veluti ſi diceret: Dignus quidem ſum pœna, dignus æternis ſuppliciis: ſed quia iam ferre tormẽta non poſſum, rogo mihi veniam dari: vt ſæpe famuli in multis comprehenſi delictis, dicere quidem quòd non peccauerint, nõ audent, ſed pro nimietate verberum aliquantulum ſibi remitti flagella rogant. Ego tamen puto de alia eum infirmitate nunc dicere, illa ſcilicet quæ ex triſtitia & mœrore venit. Solet enim mœroris nimietas, ſi pertinaciùs incubuerit, conſumere vires animi: quod puto accidiſſe iuſto huic, dum nimis incuſat ſemetipſum, & nihil ſibi promittit lætum, & hoc arbitror indicari ex his quę [Pſal.6.] ſequuntur. Ait enim: *Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum: ſana me domine, quoniam conturbata ſunt omnia oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde.* Quod ſi is qui tantorum ſibi bonorum conſcius erat, deprecatur dominum, ne intret ſecum in iudicium, néve diſcutiantur opera eius: quid faciemus nos, qui tot malis inuoluti ſumus, & bonorum nobis operum nulla fiducia eſt, quibúſque cùm abundent delicta, nulla ſatisfactio eſt, nulla confeſſio? Ob hoc igitur beatus hic tali vtitur confeſſione. Sciebat enim, & didicerat, quia nemo iuſtificabitur in conſpectu Dei: ſciebat quia iuſtus vix ſaluus fiet, propterea [Pſal.129.] dicebat: *Miſerere mei domine, quoniam infirmus ſum.* Sed & in omnibus intuere, quomodo nuſquam bonorum ſuorum meminit, ſed ſemper ad miſericordiam Dei confugit, & in ipſa ſola collocat ſalutem ſuam. Hæc eſt enim humiliati cordis vera compunctio, magna agere & humilia loqui: iuſta operari, & ſuper peccatores timere ac tremere. Et vis ſcire, quantus in eo ſit timor diuini iudicij? audi quid dicit: *Iniquitates ſi obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit?* Nouerat enim, & valde nouerat, quia in multis criminibus obnoxij ſumus Deo, & quia etiam parua peccata, & ea etiam de quibus nec ſuſpicamur, deducentur ad iudicium. Denique & ea quæ ſaluator poſtmodum ſtatuit, ille iam in ſpiritu præueniens impleuit, & non ſolum legis mandata, ſed de iniuriis conuitiiſque, & cogitationibus malis obſeruãtiam tenuit. Riſum etiam importunum, aut ſcurrilitatem in iudicio Dei cogitabat eſſe ple- [1.Cor.4.] ctendam. Propter hoc & Paulus dicebat: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum.* Cur autem hoc? Quia etiamſi nihil mali operis egit, ſicut certè nec egit: ſed honoris quantum deferri Deo debuit, ſcit à ſe nondum eſſe delatum: quia & ſi millies moriamur, & ſi omnes virtutes animi expleamus, nihil dignum gerimus ad ea quæ ipſi percepimus à Deo. Vide enim quomodo cum in nullo ipſe noſtri indigeat, in omnibus enim ſufficit ſibi: tamen cum non eſſemus, eſſe nos fecit, animamque inſpirauit talem qualem nulli ex omnibus animantibus quæ ſunt ſuper terram. Paradiſum plantauit, cœlum extendit, terramque ſubſtrauit, luminaria accendit in vniuerſo mundo ſplendentia, & terram quidem fontibus fluminibuſque & ſtagnis repleuit, campoſque virgultis & floribus adornauit, cœlum variis aſtrorum choris depinxit, vt nobis noctem die ipſo faceret gratiorem, ſimul & vt ſomnorum ſalubritas per quietem vires corporis repararet, quas labor diurnus abſumit. Intantum autem muneris huius neceſſaria humano generi dona collata ſunt, vt abſque cibo audeant nonnulli plures tranſigere dies, abſque ſomno verò nec paucos. Idcirco denique & hybernis frigoribus longiora ſpatia noctium po-

A ſuit, vt prolixior requies intra tecta hominibus fieret, & laboribus ſpacia breuiora remanerent. Propter quod & conuenienter tempora hæc, quæ ad requiem dedit, tenebris inuoluit. Sicut enim piæ quæque matres, aut nutrices cùm fortè natos ſuos ad quietem prouocant, in gremiis poſitos complecti brachiis, & ad ſe conſtringere, ac tunica operire faciem & oculos ſolent, vt obſcurior eis aër redditus, ſomnum per quietem faciliùs inuitet: ita & Deus tanquam velamen quoddam per vniuerſum mundum tenebras obducens, hominum genus ad ſilentium gratiſſimæ quietis inuitat. Quòd ſi non ità tempus iſtud muniiſſet Deus, vt eſt genus hominum negotiis & cupiditatibus atque omni auaritiæ ſemper intentum, non ſolum ſubiectos ſibi læderent, ſed & ſemetipſos laboribus operibuſque conſumerent. Nunc verò & inuitos nos à nimiis laboribus retrahit, & non ſolum corporibus indulget, ſed & animos ipſa viciſſitudo reſuſcitat. Nam inde B quid dicam, quomodo noctis tempore cuncta tranquilla ſunt, & ſilent vniuerſa, quies vbique, & per totum orbem ducuntur longa ſilentia, nullus clamor, vt in temporibus diei, nullæ voces quibus alij pro penuria, alij pro violentiis clamant, alij damnis & calumniis afflicti. Hęc omnia quieſcere facit nox, & velut fluctibus quibuſdam atque vndis malorum ereptos homines, ad portum quietis adducit: & hæc quidem noctis munera: diei verò tanta ſunt, vt de his dicere nec temporis, nec ſtyli huius ſit. Quid verò maris vſum, & nauigandi vtilitatem loquar? per quam omnem penè orbem, qui longis à ſemetipſo dirimitur ſpatiis, non ſolum ſibi inuicem notum, ſed ſociũ quodammodo & communicabilem facit, vt vnuſquiſque ſiquid apud ſe gignitur boni, hoc etiam ad proximos ſuos procul poſitos deferat: & cum vnuſquiſque paruum apud ſe poſſideat terræ ceſpitem, per iſtud mercandi miniſterium, C quaſi totius mundi per omnia dominus efficitur, & vniuerſæ terræ fructibus vtitur. Et quid plura dicam? Vniuerſus orbis efficitur tanquã menſa vna omnibus, nullo prohibente ſumere quod vbique eſt. Sed parua ſunt hæc in muneribus Dei. Quid deinde dicam, quòd notam fecit Deus ſapientiam ſuam hominibus, & capaces eos eſſe voluit huius tam ineffabilis muneris? Et hoc fecit cum ipſi nõdum aliquid apud Deum meriti collegiſſent. Cumque eis intellectum conceſſerit diuinorum, rerumque æternarum eis præſtiterit habere notitiam: homo tamen erga tanti muneris authorem extitit ingratus, & ne ſic quidem eum reſpuit diuina clementia, ſed & hoc ipſum quod videtur pœna præuaricationis impoſita, remedium fuit nolentis vltrà procedere malum, ſed feruorem temeritatis atque audaciæ reprimentis. Hæc & horum ſimilia ex diuinis beneficiis reminiſcens iuſtus, & multò magis ea, quæ ad diſpenſationem ſpectant vnigeniti D filij Dei, quæq. per eum futura promittuntur bona per horas ſingulas & momenta conſiderans, & in corde ſuo diſcutiens, atque ad immenſum bonitatis & beneficiorum eius pelagus attendens, dicebat: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* [Pſal.115.] Et peccata quidem propria ſine intermiſſione diiudicat & retractat, iuſtitiæ verò ſuæ in nullo penitus meminit: non ſicut agimus nos, qui de peccatis quidem noſtris, quæ multa ſunt & grauia, ne mentionem quidem facimus, non dicam cogitamus, aut ingemiſcimus: ſicubi verò parum aliquid boni operis agere videmur, hoc ſine intermiſſione & dici volumus, & audiri, nec deſinimus prorſus tumidi incedentes & elati, donec & ipſum parum ſi fortè geſtum eſt boni operis, per iactantiam euacuetur & pereat. Hæc & horum ſimilia intuens iuſtus, dicebat: *Quid eſt homo quòd memor es eius?* Et iterum humanæ vecordiæ ignauiam notans, aiebat: [Pſal.8.] [Ibid.48.] *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illi.* Hic eſt affectus ſerui

fidelis

A fidelis, vt beneficia domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet, & quaſi ipſe ſit omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius. Hoc fecit & Paulus, qui mortem domini & ſaluatoris noſtri, quæ pro vniuerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicit: quaſi enim de ſe ſolo loquens, ita ſcribit: (Galat. 2.) *Quod enim nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit ſemetipſum pro me.* Hæc autem dicebat non coanguſtare volens ampliſſima & per orbem terræ diffuſa Chriſti munera: ſed quaſi qui, vt diximus, pro omnibus ſe ſolum iudicaret obnoxium. Et reuera quid intereſt, ſi & aliis præſtitit, cùm quæ tibi præſtita ſunt, ita integra ſint, & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum? Ideo denique & in illa boni paſtoris parabola non ducitur, quia venit oues multas quærere, ſed vnam. Vna namque eſt, quia ſic omnibus quaſi vni diuina beneficia conferuntur. (Pſal. 34.) B Hæc ergo ſunt, pro quibus affligebatur Dauid, & lugebat. Etenim qui pecuniam mutuam ſumunt, ſi non habeant vnde reſtituant, ſed multo fœnore opprimantur, neque cibum capere, neque quietem poſſunt, excruciati ſollicitudine, conſumptique vigiliis. Quomodo ergo iuſtus non excrucietur, conſiderans non ſe in pecunia, ſed in morum actibus eſſe debitorem? Sed nos non ita, imo verò ſi viſi fuerimus vel parum aliquid ex multis debitis ſoluere, iam videmur nobis non tam ſoluiſſe debita, quàm opes plurimas, & largos in cœlis recondidiſſe theſauros: imo quod eſt infœlicius, nec hoc quidem parum quod agere videmur, ita honeſtè & emendatè gerimus, vt decet liberos: ſed prius requirimus, ſi mercedem habeamus, an non: & ſi grandis ſit merces in eo quod facere videmur, & ſi reputetur nobis ad mercedem. Inuerecunda ſatis, & non tam libero digna vox, quàm mercenario. Quid agis ô homo? Quid ineptis? C Ad hoc creatus es, vt conditori tuo placeas, vt domino tuo ſeruias: & tu de mercedibus cogitas? Si enim te agentem quod tibi præceptum eſt, coniici iubeat Dominus tuus in gehennam, aliqua tibi datur contradicendi poteſtas? Tu enim ſeruo tuo operanti quæ iubes, mercedes paras. Si omnino dignus fueris agere aliquid quod Deo placeat aliam adhuc præter hoc ipſum quod placere meruiſti, mercedem requiris? Verè ignoras quantum boni ſit placere Deo: ſi enim ſcires, nunquam aliud aliquid extrinſecus mercedis aut muneris expeteres. Neſcis quia maior augetur tibi merces, quando non ſpe mercedis operaris, ſed ſtudio placendi? Aut non vides quomodo & apud homines illi maximè famuli diliguntur, qui non tam accipere aliud à dominis, quàm placere eis, & obedire geſtiunt? Et ſi homines ita erga ſibi ſimiles agunt: tu qui tanta à Deo beneficia conſecutus es, & alia nihilominus ſperas bona, ſi quid pro ſalute tua egeris, prius etiam penè quàm geras, de mercedibus percontaris? D Propter hoc miſeri ſumus in omnibus & frigidi, nec in aliquod opus bonum parati. Ob hoc neque compunctionem cordis vnquam meremur accipere, neque colligere intra noſmetipſos animæ noſtræ ſenſus, & humilitatem eius, fragilitatémque perſpicere, neque peccata noſtra ante oculos habere, neque econtrà diuina beneficia conſiderare. Hinc eſt quod neque ad illos qui præcipuam & diſtrictam vitam ducunt reſpicimus, neque ad ſtudium boni operis incitamur: ſed neque hoc quidem quod frequenter videmur noſmetipſos peccatores pronuntiare, cum veritate & affectu animi loquimur. (Confeſſio ad cõpunctionem valet.) Denique ex eo arguimur, quia ſi hæc ab alio audiamus, quæ ipſi de nobis pronuntiare videmur, ſtatim indignamur & iraſcimur, & iniuriam nobis factam conquerimur. Sic ficta in nobis & ſimulata ſunt omnia, vt ne illum quidem Publicanum poſſimus imitari, qui cum peccata ſua audiret ſibi ab alio exprobari, non ſolùm patienter tulit, ſed addidit confeſſionem ſuam. Vnde diſceſſit ille iuſtificatus magis, quàm Phariſæus qui exprobrauerat. Nos verò neque exomologeſis ipſa quid ſit nouimus, cùm mille malis repleti ſimus. Sed oportebat nos non ſolùm ſcire & confiteri, quia multa in nobis delicta ſunt, verùm & vnumquodque peccatum, & maius & minus, quaſi in libro, ita in corde noſtro habere deſcriptum: idque frequentius recenſere, atque ante oculos ponere, & tanquam hæc nuper admiſſa lugere. Ita enim & animæ arrogantiam frangeremus, frequentius eam de malis ſuis & vitiis commonentes, & cautela nobis ne vltra in eadem delicta incideremus, acrior naſceretur. Tantum etenim boni confert, meminiſſe frequentius hominem peccati ſui, vt etiam Paulum apoſtolum videamus ea quæ abolita iam fuerant & deleta, adducere tamen in medium: & cùm culpam de præſentibus non haberet, tamen quoniam recordationes peccatorum, & luctum gemitumque ſciebat animæ prodeſſe, etiam illa commemorat, quæ per ignorantiam commiſſa gratia baptiſmi, & confeſſio fidei aboleuerat. Sic denique dicit: (1. Tim. 1.) *Quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* Et iterum: *Et fidelem me exiſtimauit, ponens in miniſterium, qui priùs fui blaſphemus, & perſecutor, contumelioſus ſupra modum, perſequens eccleſiam Dei, & expugnans eam, & qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.* Etenim licèt reatu abſoluamur, pro peccatis tamen prioribus, ſi adducantur ante oculos, ſufficienter incutere poſſunt animæ verecundiam, & prouocare eam ad amorem eius qui tam multa & tam magna conceſſit. (Luc. 7.) Nam & Simon, cum interrogatus à Domino, quis ex illis duobus debitoribus, quibus fœnerator relaxauerat debitum, plus eum diligeret, reſpondiſſet, *quia ille cui plus dimiſit*, audiuit à Domino: *Rectè reſpondiſti.* Oportet ergo recordari nos priora delicta, etiam ea pro quibus veniam conſecuti ſumus & intuentes quàm ingentem modium debiti remiſit nobis Deus, vt amplius eum diligere poſſimus, & verecundiam pudorémque concipere, atque ex his corde compungi: conſiderantes, quòd niſi miſeratio ipſius ſubueniſſet, tantum illud peccatorum pondus ſine dubio in imis nos inferni pœnis ſuppliciiſque preſſiſſet. Paulus etiam illa meminerat, quæ peremerat indulgentia: nos verò nec iſta recordamur, quæ poſt baptiſmum commiſimus, in quibus vtique periculum nobis ſaluum eſt, & reos nos, atque in vinculis poſitos tenet. Quòd ſi aliquando ad recordationem venerimus, & viſi fuerimus paululum inde cogitare & eſſe ſolliciti, ſtatim effugit cogitatio, & tranſimus ad alia: & nec integra quidem hora patimur animam noſtram afflictione mœroris huius aſtringi. Hæc igitur cauſa eſt, quòd malis addimus mala, dum priorum memoria non permanet, nec dolor aliquis inuritur pro conſcientia delicti. Hinc eſt vnde nec ad confeſſionem accedimus. Quomodo enim confitebimur, quorum ne memoriam quidem tenemus? Et ſic conſuetudine contemnendi, dum de præteritis dolor nullus eſt, faciliùs ſuperuenientibus malis locum damus. Quòd ſi omnis ex anima ſtimulus auferatur, & cuncta ei ſecuritatis fræna laxentur: quis eam poſt hæc tenebit, aut quis eam de præcipitiis reuocabit? Quid prohibet vbi nihil metuitur, vbi nihil verecundiæ, nihil pudoris admittitur, vt non in omnes perditionis foueas demergatur? Pro his ergo lugent ſancti, & gemitus ſuos conferunt in conſpectu Dei. Sufficit enim ſanctis & magnis, ſicut & vos eſtis, ad compunctionem cordis recordari diuina beneficia, & operum veſtrorum gloriam non vobis ipſis aſſignare, ſed Deo. Sufficit ſicubi vel parum aliquid vos latuit, quantò vos magni eſtis, tantò id velut à magnis viris commiſſum grauius iudicare. Sufficit conſiderare illorum vitas, qui ſummam iuſtitiæ & ſanctitatis regulam ſer-

uarunt, & per omnia placuerunt Deo: ſed & naturam peccati cogitare velocem, rapidam, ſubreptiuam, & ob hoc incerta eſſe quæ futura ſunt, & valde dubia, & tam periculoſa, vt ea etiam magnus ille metuat Paulus. Hoc enim indicat, cum dicit ſe timere ne fortè cum aliis prædicarit, ipſe reprobus
1 Cor. 9. fiat. Et iterum cùm ait: *Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat.* Sic autem & beatus Dauid beneficiorum Dei munerumque eius memoriam recolens, compunctionem cordis quærebat, in quo dicit:
Pſal. 8. *Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Cùm verò
2. Reg 7. operum meritorumque ſuorum oſtendit confidentiam non habendam, dicit: *Quis ego ſum, domine mi, & quæ eſt domus patris mei?* quoniam dilexiſti me vſque in his, & non ſunt pro nihilo habita hæc in conſpectu tuo Domine, & locutus es pro domo ſerui tui in longitudine. Hæc autẽ lex hominis Domine, mi Domine ad te. Et quid adiiciet Dauid Domine ad huc loqui ad te? Sed & maiorum memoriam facit, & ſemetipſum quaſi longè ab eorum virtute con-
Pſal. 21. ſtituit. Cùm enim dixiſſet: *In te ſperauerũt patres noſtri,*
Ibid. de ſemetipſo in poſterioribus ait, *Ego autem ſum vermis, & non homo.* De futuris autem quaſi trepidus & incertus hoc modo ſemetipſum ſuſcitat, & dicit:
Ibid. 12. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* Incuſat autem ſemetipſum ſuper multitudine peccato-
Ibid. 24. rum, hoc modo: *Et propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.* Vobis ergo maioribus iſta ſufficiant: nobis autem cum his adhibenda ſunt etiam alia medicamenta fortiora: & quæ poſſunt deſtruere quidem arrogantiam, inſerere verò dolorem cordis, & animi mœrorem. Recordandæ nanque ſunt nobis multitudines peccatorum, recordanda conſcientia maculata, quæ vtique cùm ſtimulare nos cœperit, nequaquam elationi aut arrogantiæ locum relinquet. Propter quod rogo & deprecor per illam ipſam, quam pro vitæ tuæ merito acquiſiſti fiduciam apud Deum, vt porrigas nobis manus, ſæpius interpellans pro nobis dominum, vt poſſimus lugere noſmetipſos, & peccatorum noſtrorum pondus reſoluere multitudine lachrymarum: & ita poſt hæc (non enim ſemper flendum eſt, & nihil agendum) apprehendere aliquam vitam Deo placitam, & ad cœlum ducentem, ne fortè cum malis noſtris deſcendamus in infernum, vbi nemo eſt qui confiteatur ei, & ibi patiamur ea quæ patiuntur impij, cùm nullus fuerit iam qui exoret pro nobis. Dum enim ſumus in hac vita, & nos iuuari à vobis poſſumus, & vos poteſtis in nos conferre beneficia: cùm autem abierimus illuc, ibi neque amicus, neq; frater, neque pater idoneus erit ad liberandum eum, qui ſuppliciis deputetur æternis. Quomodo enim qui in luce eſt, accedat ad eum qui in tenebris graditur? vbi cùm nullum ſit nobis ex ſanctorum collatione refrigerium, æternas tamen expendimus pœnas, effecti cibus inextricabilibus & immortalibus flammis.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE PROVIDENTIA

Dei ad Stagirium monachum obreptitium,

Liber primus.

OPORTVERAT quidem, ô amantiſſime omnium Stagiri, fueràtque ſanè conuenientiſſimum, nos tibi nunc adeſſe, atque in ærumnarum tuarum conſortium tranſire, ac partim verbis exhortando, partim fouendo miniſterio, cunctaque reliqua inferendo obſequia iuxta modulum virium noſtrarum, partem aliquem lenire mœroris. Quoniam verò & corporis mala
A valetudo, & inuectus in caput noſtrum acerrimus dolor, domi nos manere compulerunt, nobiſque tanti lucri miniſterium abſtulerunt, iam quod reliquum eſt pro conſolatione tua, & pro vtilitate noſtra hoc inferre non negligam. Profuerit enim id fortaſſe magis ad præſentes aduerſos caſus fortiſſimè ferendos. Sin verò nihil tale perfecerimus, certè vel in nullo nos officium deſeruiſſe, nihilque omiſiſſe diligentiæ nos conſolabitur, melioríque animo eſſe in reliquum faciet. Is enim, qui cuncta impleuerit, quæque ad leuandos dolores maximè conferre arbitratus fuerit, etiamſi nihil aliud peragat, vel cogitationis ſaltem atque conſcientiæ accuſatione liberatur, criminumque onere depoſito, ſola mœſtitiæ pondera perferre cogitur. Si igitur ex illorum eſſem numero, qui Deo familiariùs coniuncti, plurimum apud illum poſſunt, nunquam profectò orare & obſecrare pro mihi coniunctiſſimo chariſſimoque capite deſiſte-
B rem. Quoniam autem huiuſmodi vires atque confidentiam mihi ſcelerum meorum multitudo abſtulit verborum conſolationem, ac fomenta tibi afferre conabor. Nam & in his qui corporea mala valetudine laborant, cùm medicorum ſit fugare dolores, infirmitatemque compeſcere: non tamen famulis qui ſunt in miniſterio interdicitur verborum conſolatio: imò verò hi maximè ſunt, qui plurimis in conſolando vtuntur, atque eò pluribus, quo dominis ſuis maiore beneuolentia afficiuntur. Si quid itaque dictum fuerit à nobis, quod maximum hunc atque immenſum dolorem tuum poſſit extinguere, factum erit vt volumus, ac vehementer optamus. Sin verò huiuſmodi nihil inuenire aut loqui potuerimus, voluntatem tamen noſtram, ac propoſitum ille approbabit, qui per beatum Paulum *flere cum flentibus*, humilibuſque conſentire Rom. 12. iuſſit. Videtur itaque vna eſſe cauſa mœroris tui,
C nequiſſimi ſcilicet huius dæmonis inſania. Verum ab hac veluti radice plurima triſtia oriri, ſi quis rectè perſpexerit, animaduertet. Quod non ex me ipſo modò colligo, ſed ex verbis illis tuis, quæ dum adeſſes coram, quærimoniæ ac doloris plena familiariùs expoſuiſti. Aiebas enim primò ea te conſideratione turbari, ac ferè in deſperationem præcipitari, quòd cùm priore tempore laxius & negligentius viueres, nihil huiuſmodi perpeſſus ſis: poſtea verò quàm te ipſum mundo crucifixiſti, tunc demum iſte morbus inuaſerit. Secũdò, quòd quàm plurimos noueris, dum delicatè viuerent, hac peſte correptos: eos tamen paruo pòſt tempore ita ea infirmitate liberatos, vt perfectæ integritati reſtituti, & vxores ducerent, & plurimos procrearent filios, omnibuſque vitæ præſentis voluptatibus diu ac iucundè fruerentur, nihilque poſtmodum tale paterentur: contrà, tu cùm tantum tempus in ieiuniis ac pernoctationibus, & reliqua propoſiti
D & vitæ auſteritate contriueris, nullam ærumnarum tuarum liberationem, nullum finem hactenus inueneris. Tertiò, quòd cùm ſanctus ille vir tantam in reliquis aduerſus dæmones potentiam oſtenderit, nihil eiuſmodi potuerit in tua dilectione perficere, neque ipſe, neque hi qui cum illo erant, illo etiam in hoc genere potentiores, verum omnes re infecta abs te cum rubore diſceſſerunt. Ad hæc alia ex parte nimium te angi dicebas, quòd ita animum tuum incredibilis vis mœroris occupauerit, vt ſæpius ad laqueum ferè, fluuiumque & præcipitium proueharis. Quarto deinceps loco, quòd æquales tuos & contubernales, qui tecum ſacram hanc, cœleſtemque conuerſationem inierunt, tranquillè agentes aſpicis: te verò ſæuiſſimæ procellæ expoſitum, & quod omnium profectò miſerrimum eſt, carceri addictum. Neque enim his qui ferro vincti ſunt, ita lachrymandum aſſerebas, vt his qui huiuſmodi cathena colligati fuerint. Aiebas & aliud eſſe præterea, quod maximè te

turbaret.

turbaret: vereri enim ac tremere, ne ſi iſta pater ſentiat, maximis iniuriis atque incommodis afficiat ſanctos illos, qui te à principio ſuſceperunt. Quippe ſummis viribus atque opibus fretum, mœroreque & indignatione concitatum, cuncta aduerſus eos ſumma audacia moliturum, parciturum nemini, qui ſibi ex illorum numero occurrerit. Et hactenus quidem potuiſſe matrem rem geſtam notitiæ patris ſubducere, repuliſſeque illum ſæpè, ac fregiſſe cùm de te ſollicite inquireret: fore autem vt proceſſu temporis deprehendatur cauta hæc matris ſimulatio, iamque ille & ipſi, & monachis omnibus acerrimè immineat. Poſtremò quod omnium malorum ſupremum culmen eſt, nullam tibi certam eſſe futurorum confidentiam dicebas, neque apertiùs ſcire, ſi quando futura ſit morbi huius abſolutio, neque liberatio, cum ſæpius hac expectatione ſuſpenſus, rurſus in eandem miſeriam incideris. Dura ſunt profectò iſta, & quæ animum maximè perturbare poſſint, ingentique implere tumultu, ſed animum remiſſum, imperitum, ac deſidem. At verò nos ſi reſipiſcere paululum, ac reſpirare voluerimus, cogitationeſque pacis admouere, has omnes mœroris cauſas veluti tenuiſſimum puluerem excutiemus. Caue autem putes me modò iſta idcirco tanta facilitate polliceri; quòd extra dolorem hunc, vexationemque perſiſtam. Etſi enim quibuſdam fortaſſis incredibilia dicere videbor, dicam tamen: neque enim cum reliquis tu mihi quoque fidem non adhibebis. Cum inuaſit animam tuam ſceleſtus ille dæmon ab initio, atque orantem cum cæteris proſtrauit, non quidem tunc ipſe præſens aderam, gratiaſque ago clementiſſimo Deo, didici tamen omnia diligentiſſimè, non ſecus quaſi ipſe affuiſſem. Nam Theophilus Epheſius vtriuſque noſtrum amantiſſimus, profectus ad me, cuncta mihi per ordinem triſtis ac mœrens retulit, diſtortas manus, toruos oculos, oris ſpumam, horrendam illam & confuſam vocem, diabolicum tremorem, ſenſus per multam horam priuationem viſuque terribile quod ea nocte oſtēſum eſt. Suem enim quendam ferociſſimum maxima vi luti inquinatum in te inſilire iugiter, atque infeſtiſſimè peruadere viſum aiebat. Cúmque is qui iuxta obdormiebat, ea viſione turbatus, experrectus eſſet inueniſſe te acriter concuti, atque à dæmone vexari. Cum igitur hæc ille nunciaret, tantam fateor mœroris nebulam mihi effudit, quantam hic ipſe duriſſimus dæmō charitati tuæ. Poſtea verò quam me ex acerbo ac diutino dolore collegi, nihil mihi iam niſi triſtis humanarum rerum, inaniſque occurrebat facies. Non iam dura aduerſa, non blanda læta quæque videbantur: ſed cum olim vanitatem ſeculi contemptui habuerim, ac reprehendere ſolitus ſim, tunc maximè id paſſus ſum, maiorque affectus, ac deſiderium ſubiit dilectionis tuæ: quippe ea eſt caſuum triſtium natura, quæ amicitiam peraugere conſueuit: idque ex eo liquet, quod inimicitias quoque facilè reuocare in gratiam poſſit. Nullus enim ferè tam immanis tamque lapideus ac ferreus eſt, qui ſi videat graui aliquo caſu angi inimicum, aduerſus illum ſeruare odium poſſit. Quòd ſi inimicis quoque miſeremur, eoſque amicorum habemus loco, cum graue aliquid atque inſperatum illos perpeti videmus: conſidera quæſo diligenter quid me pati, quóve eſſe animo neceſſe fuerit, dum eum quem ex omnibus maximè diligo, quémque non alium quam me alterum duco, vexari acerrimè, ac mœrore deficere audirem? Noli itaq; putare nos vexationis tuæ immunes ac exortes, fomēta tibi conſolationis admouere. Etſi enim à perturbatione illa, ac deiectione, colliſioneq; diaboli ſum Dei gratia liber, huius tamen mœſtitiæ ac doloris æquas partes mihi tecum vindico: atq; iſtud mihi credēt, qui ita vt oportet diligere nouerunt. Age ergo excutiamus hūc puluerē: ita enim erit tolerabilis, ac leuis huiuſce vis mœroris, ſi noluerimus cedēdo protinus perturbationibus trudi ad præcipitia, ſed reſpicere potius, atq; vt cōuenit, vel tātiſper vti ratione curauerimus. Plurima enim ex his quę videntur acerbiſſima priuſquā examinātur diligentius, grauia putantur, & intolerabilia: ſi quis tamen ea admota ratione diſcutiat, inueniet eſſe longè opinione leuiora: quod modò quoque futurum non deſpero, tu tantùm teipſum erige, neque ſtultæ atq; inaniſſimi vulgi opinioni acquieſcens, fortiorem contra nos inimicum ſtatuas. Igitur ſi quidem aliquem infidelium mihi ſermo eſſet, qui fortuito vel caſu ferri omnia exiſtimant, nequiſſimiſque dæmoniis mundi curam atque prouidentiam aſſignant, plus mihi negotij incumberet, repellendáque prius errorea opinio fuiſſet, atque veritate prouidentiæ oſtenſa, tum demum admonitio ſalubris, atque cōſolatio ſubinferenda. Quoniam verò Chriſti gratia inſtructus ab infantia ſacras didiciſti literas, veráque & ſalutaria dogmata pius hæres ex maiorum tuorum ſucceſſione ſuſcepiſti, credis profectò abſque vlla hæſitatione Deo curam eſſe de omnibus, & de his maximè, qui ſibi fide iuncti ſunt. Itaque omiſſa hac parte, aliundè ſumamus initium. Principio cum angelos crearet Deus, imò verò vt priora complectatur oratio, antequam angelos conderet, cœleſtéſque reliquas virtutes, Deus erat ſine vllo vnquam ſuæ ſubſtantiæ principio. Cum verò nullius rei ègens ſemper eſſet, id quippe proprium diuinitatis eſt, creauit angelos, archangelos, omnéſque reliquas incorporeas immortaléſque ſubſtantias. Creauit verò ob aliud nihil, niſi ſola bonitatis ſuæ cauſa. Quorum enim obſequio non indigebat, nunquam eos profectò creauiſſet, niſi ſupremè bonus atque clemens eſſet: poſt verò illorum creationem fecit hominem, ipſa ſcilicet, atque eadem de cauſa, mundúmque hunc omnem, quem cùm innumeris bonis, omnique ornatu ac decore inſigniiſſet, paruum illum atque viliſſimum puluerem his omnibus præfecit, hoc illum in terra conſtituens, quod ipſe eſſet in cœlo. Quòd enim ait: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, nihil aliud profectò, quàm ſubditione eius poſita terrena cūcta ſignificat. Gen. 1. Cùm igitur ita illum conditum in tanto honore locaſſet, veluti regi regiam paradiſum ſibi terrenorum omnium pulcherrimam ſedem aſſignauit. Volens prætereà ſibi alia quoque ex parte oſtendere, quantum animantes reliquas honore tranſcenderet: adducit ad illum omnes, ac nomina ſingulis imponere iubet, nullúmque ex his in adiutorium dat ſibi, cauſamque protinus adiiciens: Non enim, inquit, inuentus eſt adiutor ſimilis ſibi. Cùm verò hæc per omnia medium vtriuſque naturæ eum ſtatuiſſet, vtque omnibus eſſet ipſe clarior & honoratior, nihilque ſibi eſſet ſimile, quod in tanta rerum multitudine illum decuiſſet: tunc iam & mulierem creat, & in hoc illum rurſus honorans, manifeſtúmque faciens, quòd illam quoque ipſius gratia creaſſet. Sicut & Paulus ait: *Non*, inquit, *creatus eſt vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*. 1. Cor. 11. Non autem his tantùm illum honorauit, verùm & ſermonem illi ex omnibus largitus eſt, ſuique illum notione dignatus eſt, ac ſuo dedit frui contubernio, quantum frui homo poterat. Immortalitate prætereà donandum promiſit, ſummaque impleuit ſapientia, ſpiritualem illi gratiam adiiciens, adeò vt nonnulla etiam prædiceret. Itaque illi omnia largitus eſt, cum tamen ab eo nulla ante rectè facta manauiſſent. Quid igitur ille? Poſt tanta, támque ſingularia beneficia, fideliorem parente ac donatore ſuo inimicum arbitratus eſt, ſpretóque mandato conditoris, fallaciam illius prætulit, qui ſe perdere omnino, boniſque omnibus eiicere, atque honore omni expoliare cupiebat. Prætulit autem, cum tamen nullum neque

Digitized by Google

magnum, neque paruum beneficium ab eo eſſet conſecutus, ſolaque verbum eius aure percepiſſet. Num verò deleuit illum Deus, tanta ingrati animi ſigna ab initio ſtatim, atque ab ipſis, vt ita dixerim, lineamentis præ ſe ferentem? Hoc enim iuſtitiæ ratio poſcebat, vt is qui innumeris antea affectus beneficiis, ab inobedientia ſtatim, atque ingratitudine vitæ initia cœpiſſet, deleretur, atque de medio auferretur. Deus verò non minus quàm antea bene illi facere perſtitit, oſtendens per hoc, & liquidò comprobans, quòd nos etſi millies peccemus, illumque auerſemus, ipſe tamen ſaluti noſtræ proſpicere nunquam deſiſtit, vt ſi quidem conuerſi fuerimus, ſeruemur: ſin autem in vitiis perſeuerauerimus, ipſe tamen quod ſuum erat feciſſe aduertatur. Itaque videtur quidem eiectio illa paradiſi, lignique vitalis inhibitio, mortiſque mulctatio, cruciantis eſſe, atque punientis: ſunt autem profectò iſta omnia ſigna clementiæ, & quidem nõ minus quàm priora. Etſi enim mirabile id quod dicimus videtur, veriſſimum eſt tamen: ea quippe quæ fiebant, cùm diuerſa viderentur, atque diſiunctiſſima, vno tamen concordique fine ſibi inuicem conſentiebant. Exempli cauſa: Quòd illum excluſit à paradiſo, quòd contrà paradiſum collocauit, & vetuit, quòd mortem fecit, quòd interim ea ſententia ſuperbior aſperiórque viſus eſt hæc omnia, prioraque illa molitus eſt. Atque anteriora quidem illa ſola hominis cauſa condita fuiſſe, illique & ad decus, & ad commodum adiecta ita manifeſtum eſt, vt inde verba facere opus non ſit: poſteriorum potius ratio reddenda eſt, vt ea quoque homini ſint vtilitati, atque ornamento. Quónam ergo modo ſcire id, & planè perſpicere poterimus? Si conſideremus diligentiùs quid illum pati neceſſe fuerit, niſi hæc ita contigiſſent: nam ſi pollicente diabolo æquales illos Deo ſe oſtenſurum, poſt præuaricationis reatum in eodem honore perſtitiſſent, tria profectò incurriſſent ſuprema ſcelera. Primò enim Deum maleuolum, & iniuſtum, ſeductorémque & mendacem exiſtimaſſent: ſecundò vero ſeductorem, maleuolentiæque & mendacij, & inuidiæ parentem, beneficum atque amicum putauiſſent: poſtremò peccare immortaliter, & abſque vllo fine perſtitiſſent: his autem hominem tunc omnibus eiectum paradiſo liberauit. Simile. Ita ferè & medicus ſi vulnus negligat, ac deſerat, purulentum amplius reddit: ſin vero id contractum iugiter depurare perſiſtat, vlterius progredi ſaniem ac morbi virus vetat. Quid igitur? Num his tantùm contentus fuit? Minimè, imò & ſudores illi adiecit & labores: nihil enim minus otio & quieti natum eſt, quàm hominis natura. Si enim his addicti, ne ſic quidem peccare deſiſtimus: quò ſcelerum progreſſa non eſſet audacia noſtra, ſi nos affluere deliciis & otio conſtituiſſet Deus? *Omnia* enim, inquit, *mala otioſitas docuit.* (Eccl. 33.) Atteſtantur autem noſtræ huic rationi & quæ quotidie fiunt, & quæ maioribus noſtris contigerunt. *Sedit*, inquit, *populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* (Exod. 32. Deut. 32.) Ac rurſum: *Incraſſatus eſt, & impinguatus, & recalcitrauit dilectus.* Conſona his quoque beatus Dauid loquitur, dicens: *Cum occideret eos, tunc exquirebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* (Pſal. 77.) Ad Hieruſalem quoque per Hieremiam loquitur Deus: *Per omnia erudire Hieruſalem, ne recedat anima mea à te.* (Hieremi. 6.) Quod autem non ſolum malis, verùm & bonis humiliari atque incuruari ſalutare ſit, rurſum ſignificat propheta, cùm dicit: *Bonum mihi Domine, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.* (Pſal. 118.) Poſt hunc & Hieremias hæc eadem, ſed non eiſdem verbis exclamat: *Bonum*, inquiens, *viro, ſi iugum tulerit graue à iuuentute ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit.* (Thre. 3.) & de ſeipſo Deum obſecrat dicens: *Non ſis tu mihi parcens in alienationem, in die mala.* Beatus item Paulus, qui tanto munere gratiæ cœleſtis effulſit, tantúmque naturam exceſſit

A humanam, boni tamen huius vtilitate indigebat: quocirca etiam dicebat: *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus ſatanæ, qui me colaphizet, vt non extollar. Propter quod ter dominum rogaui, vt recedat à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* (1. Cor. 12.) Poterat certè ſine perſecutionibus, & preſſuris, laboribuſque & ſudoribus prædicatio perfici: ſed tamen id noluit Chriſtus, prædicantibus parcens, ipſorumque commodis per omnia conſulens. Quocirca dicebat illis: *In mundo preſſuram habebitis.* (Matth. 7. Ioan. 16.) Cupientibuſque cœleſte regnum ingredi, anguſtam viam arripiendam iubet, quaſi non aliter intrare liceat: ideò preſſuræ, & tentationes, & quæcunque nobis triſtia contingunt, non minus Dei prouidentiam ſummamque clementiam inducunt, quàm læta & iucunda. Quid autem dicam preſſuras huius temporis, cùm non minus ipſa

B quoque gehennæ comminatio, quàm promiſſio regni ineffabilem ipſius clementiam commendet? Niſi enim ille gehennam minatus eſſet, non facilè quiſpiam cœleſtibus bonis potiretur. Neque enim ſufficit ſola gaudiorum repromiſſio ad excitandos ad virtutem animos, niſi etiam eos pœnarum timor impellat, qui negligentius affecti ad illam ſunt. Quocirca primum hominem quoque à Paradiſo expulit, quia ex honore ſibi præſtito deterior effectus eſſet, ſi poſt ſpretum violatúmque mandatum immotus ille, ſtabiliſque duraſſet. Iam verò vt Adam omittamus, quid non feciſſet Cain in paradiſo degens, tantiſque deliciis fruens, quando his omnibus priuatus, patriſque ſupplicium ante oculos habens, ne ſic quidem emendatus eſt, in tantúmque nequitiæ prorupit, vt homicidium ipſe primus inuenerit, auſuſque nefario impleuerit? Homicidium verò non qualecunque, ſed omnium ſceleratiſſimum: neque enim paulatim, neque ex

C longæuo, diuque meditatus nouum hoc facinus aggreſſus eſt: ſed repente ac ſimul verticem & culmen iniquitatis occupauit: eumque qui ex eodem vtero proceſſerat, qui eadem ſuxerat vbera, qui in nullo ius naturæ violauerat (niſi honorare Deum, id ſit violare ius) appetiit inſidiis, ac protinus necauit. Velim hic rurſus conſideres clementiam Dei. Patitur ipſe iniurias, & verbis iniuriam corripit, triſtemque conſolatur. At vbi in ſania fertur in fratrem, tunc iam ſeuerus vlciſcitur, cruciatúmque ſtatim infert. Et certè priora illa eodem digna erant cruciatu, imò verò longè grauiore. Si enim in hominibus conſeruus aliquis qui meliora quæque ſibi ſeruat, ac domino ſuo deteriora offert, rem indigniſſimam, plenamque contumeliæ facere arguitur, multò id magis in Deo: Cain verò non in hoc ſolùm, verùm in alio quoque deliquit, quòd fratris honorem ægrè ac indignè tulit. Nam, ſi ex

D prioris peccati pœnitentia vultum demiſiſſet, accepta profectò fuiſſet hæc illius optima mutatio. Nunc verò non pœnitentiæ erat illa confuſio, vultuſque deiectio, ſed zeli ac liuoris, quod rei exitus docet. Nam Deo quodammodo iraſcebatur, quòd iniuriis affectus non ſe honoraret, quòd moderato intemperantem non præferret. Verùm cum hæc illius ſcelera vehementiſſima animaduerſione punienda eſſent, longè clementius quàm merebatur, delinquente vtitur, tumenteſque animos illius cõprimere nititur: erat enim indignatione plena illa deiectio: idcirco loquitur ad illum: Quieſce. Hoc autem cùm diceret, ſciebat quidem quò progreſſus eſſet zelatus, cæterùm ingratis occaſionem omnem amputare volebat: ſi enim ab initio ille punitus eſſet, huiuſmodi multi plurima dixiſſent: Non poterat admonere verbis, & corripere, ac terrere prius, atque tunc demum ſi perſeueraſſet in malis, iraſci, & ſupplicium inferre? Ingentis crudelitatis eſt iſte cruciatus. Igitur ſuas æquanimiter iniurias tolerat, vt vnà & illorum obſtruat os, & ipſius Cain parentem quoque ſola bonitate ſe (Gen. 4.)

Digitized by Google

corripuiſſe oſtendat, prætereaque vt eiuſmodi benignitatis exemplo cæteros ad pœnitentiam prouocet. Poſtea verò quàm ſecundùm duritiã ſuam, & cor impœnitens theſaurizauit ſibi iram, ille tunc iam vlciſcitur in criminoſum: ſin verò poſt ſcelus homicidij manſiſſet impunitus, etiam ad aliud maiuſq́ue flagitium progreſſus eſſet. Neque enim dicere poſſumus per ignorantiam illum primò deliquiſſe: nam quod iunior intelligebat, ipſe maior natu quî ignorare poterat? Eſto antẽ per ignorantiam peccauerit prius, poſtquàm audiuit, quieſce, poſtquàm prioris culpæ venia potitus eſt, ex qua ignorantia ad parricidium prorupit? Videſne vt prior etiam culpa, non de ignorantia, ſed de malignitate & nequitia, ſupremaq; ſceleris audacia venerit? Quænã verò fuit huius pœna? Profugus eris, ac tremens ſuper terram. Videtur tamen dirus & acerbus eſſe cruciatus: ſed ſi peccatum conſideremus, non iam ita videbitur: & ipſum verò ſupplicium diligentiùs intueamur. Cùm enim ille offer- B ret, mœſtus atque demiſſus inceſſit: cùm verò poſt iniuriam Dei honoratus ab illo non eſt, corripientem reſpuit, parricidiumq́ue primus inaudito ſcelere patrauit: imò verò facinus parricidio longè ſceleratius: parentes enim incredibili dolore confodit, ac Deo etiam mentitus eſt. *Num* enim, inquit, *cuſtos ſum fratris mei?* & pro his omnibus ſolo timore ac tremore cruciatur. Equidem Dei benignitatem non ex eo ſolùm manifeſtari dixerim, quòd mitiorem pœnam tanto ſceleri adhibuit: ſed ex eo maximè, quòd in ipſa pœna lucrũ haud ſpernendum in ſe habere videatur. Id verò lucrum eſt, quod ex eo ipſius caſtigatione cuncti poſtmodum admoniti ſunt reſipiſcere à malis, fieriq́ue meliores. Idcirco ergo non occidit illum, quia par vtilitas profectò non fuiſſet, audiri quòd Cain fratre interempto, morte mulctatus eſſet, & videre parricidam ipſum pœnas exoluentem. Fortaſſe enim id auditum, ob C immanitatẽ ſceleris creditũ minimè fuiſſet. Nunc verò dum videtur, dum coram adeſt, longoq́ue ſuperſtes tẽpore, plurimos pœnæ ſuæ teſtes reliquit: manifeſtum certè ac credibile, & ſuæ ætatis hominibus, & poſtea futuris omnibus id facinus conſtituit. Quid ergo, inquies, hoc illi contulit? Maximè quidem illius ſaluti proſpiciebat, cùm eius rabiem quantũ in ſe fuerit, coërceret caſtigatione verborum. Verùm ne ipſa quidem illata ſibi pœna, ſi quis diligentiùs inſpiciat, maxima ipſius vtilitate vacat. Si enim ſtatim illum occidiſſet, nullum ſibi pœnitentiæ tempus, per quam melior euaderet, dediſſet. Nunc verò cum metu ac tremore vitã ducens, niſi nimis inſenſatus, ac bellua potius, quàm homo eſſet, ex huiuſmodi vita plura capere potuit emolumenta. Præterea futurum cruciatum leuius atque tolerabilius præſentis temporis pœna conſtituit: ea enim quæ nobis in hac vita inferũtur ſupplicia, D diuinitus futurorum cruciatuum partem haud exiguam ſuccidunt. Atque harum rerum teſtimonia de ſcripturis diuinis afferre facilè poſſumus. Nam Chriſtus dominus cùm diſcipulos alloquens, de diuite & Lazaro diſſereret, Abraham retulit, cùm rogaretur à diuite vt mitteret Lazarum qui extrema digiti parte paululum aquæ ardenti linguæ inſtillaret, dixiſſe ad illum: *Fili, recordare quia recepiſti tu bona tua, & Lazarus mala: nunc autem hic conſolatur, tu verò cruciaris.* (Lucæ 16.) Paulus quoque (Paulum verò quoties dico, rurſus Chriſti pręcepta replico: Chriſtus enim profectò, mea quidem ſententia, beatiſſimam illius mouebat linguam) dum Corinthiis ſcriberet, aliquando iubet eum, qui grauiſſimè fornicatus fuerat, (1. Cor. 5.) *tradi ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Rurſuſq́ue cum eoſdem de iis qui indignè ſacra & veneranda myſteria percipiebant, admoneret: *Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Nam ſi noſipſos iudicaremus, nanquam profectò iudicaremur. Cùm iudicamur* (Ibid. 11.) A *autem à Domino, corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Vidiſtine ineffabilem clementiam, immenſaſq́ue diuitias benignitatis? Vidiſti vt omnia agat atque moliatur Deus, vt poſt peccatum quoque mitiore quàm debuimus, plectamur pœna, aut etiam omnino liberemur? Porrò ſi quis id curioſius inquirat, cuius rei gratia veteranum illum ſeductorem non continuò deleuerit, id quoque pro ſumma in nos cura factum fortaſſe comperiet. Si enim ſceleratus ille obtineret, eſſet fortaſſe irrationabilis iſta inquiſitio: ſin autem hac potentia priuatus, tantum perſuadere atque allicere poteſt, illius verò ſuaſionis illecebras renuere in nobis eſt, cur tu materiam abſcindis coronarum, induſtriæq́ue & probitatis occaſionem tollis? Ad hæc ſi illum ſciens fore inſuperabilem, cunctoſq́ue deuicturum, ita illum dimiſiſſet Deus, ne ſic quidem iſta hæſitatio locum habuiſſet. Nam tum quoque quod ille obtineret, quod vinceret non reluctantes, ſed B ſponte ſibi cedentes atque ſuccumbentes, à nobis profectò manaſſet. Quod ſi plurimi quidem illius potentiam ac vires frangũt, complures item poſthac illum ſuperaturi ſint: quid tu futuros probatiſſimos, clariſſimaq́ue victoria inſignes, tanto priuas honore? Idcirco enim illum dimiſit, vt eum deiiciant qui fuerant ab eo prius ſuperati, quod illi omni ſupplicio grauius ac durius eſt. An non omnes, inquies, illum ſuperaturi ſunt? Quid hoc ad rem? Profectò enim multò melius, multòque conuenientius eſt iuſtis occaſiones ſuppeditari, quibus ad virtutem ſe exerceant, voluntatemq́ue oſtendant ſuam: eos verò qui non ſunt huiuſmodi, ex propria puniri negligentia, quam iſtorum cauſa illis etiam coronas ſuas adimi. Nam modò is qui (Simile.) malus & ſocors eſt, non aduerſarij viribus, ſed ſuo potius torpore ſuperatur: quod indicat vincentium illum multitudo. Tunc verò ſtudioſi C quique atque alacres malorum cauſa meritis honoribus fraudati fuiſſent, non habentes vbi vires exercerent ſuas: veluti ſi agonotheta quis athletas duos nactus, alterum quidem aduerſario congredi paratum, omnemq́ue tolerantiam oſtendere, coronamq́ue ex certamine referre: alterum labori iſti & ærumnæ otium delitiaſq́ue pręferentem compararet, atque aduerſario de medio ſublato, ambos re infecta dimittat. Sic enim ſtrenuus ille, propter alterius ignauiam graui iniuria affectus videretur. (Vanè accuſamus creaturas dum peccamus.) Ignauus autem non fortiſſimi ſocij cauſa malus eſſet, verùm ob ſocordiam ſuam. Sed enim hæc iſtorum quæſtio, cùm de diabolo agitari videatur, ſi ſuo ordine procedat, plurimis in rebus Dei prouidentiam inſimulat, cunctamq́ue ſimul creaturam perimit. Accuſat enim oris atque oculorum factionem: quippe cùm per hæc quæque illicita concupiſcant, atque in adulterium corruant plu- D rimi: per hoc autem blaſphement alij, atque pernicioſa dogmata proferant. Num ergo ſine oculis & lingua debuerunt homines fieri? Pedes quoque abſcindere, & amputare manus neceſſe erit, cùm iſtæ plenæ ſint ſanguine, illi verò prompti ad malum currant: nec ipſæ quidem aures immanitatem rationis huius effugere poterunt. Nam inania quæque & praua percipientes, corruptionem dogmatum ad animam mittunt: itaque & iſtæ auferendæ erunt. Quòd ſi dabimus, cibos quoque, ac potus, cœlum, terram, mare, ſolem, lucem, lunam, ſtellarumq́ue chorum, atque omniũ animantium genera tollamus neceſſe erit. Ad quid iſta enim omnia erunt neceſſaria, cùm is cuius cauſa facta ſunt, adeò miſerabiliter truncus conſciſſuſq́ue iaceat? Videſne qui riſus, quæ ineptiæ, quæ deliramenta rationem iſtam neceſſariò ſequantur? Diabolus nempe ſibi ipſi, non nobis eſt malus. Nos enim ſi velimus, plura etiam commoda per illum, perque illius nequitias conſequimur, illo etiam inuito ac renuente: quod eſt profectò

mirabile,

Digitized by Google

mirabile,& in hoc diuinæ bonitatis magnitudo cõſpicitur. Nam ſi cùm meliores efficimur, mordet id quidem, ac per ſe ſolùm angit excruciatque diabolum, quando hoc ipſum per eum, atque illius cauſa nobis ſuppeditatur, ferre iam ſua detrimenta, aut ſeipſum capere præ doloris magnitudine non poteſt. Quomodo autem ex illo proficimus? Dum illius aſtum, immanitatem, perpetuaſque inſidias, ac fraudes varias ſolliciti metuimus, ſomnum immodicum excludimus, vigilamus ſobrij, ſemperque Dei reminiſcimur. Quòd autem iſta mea ratio non ſit, ſed beati Pauli, ipſum audias licet, eiſdem ferè verbis fideles dormientes excitantem. Nam Epheſiis cùm ſcriberet, ſic ait: *Non eſt nobis colluctatio*

Ephes. 6.

aduerſum carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum huius ſeculi, aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Hæc autem cùm diceret, non deiicere ſtudebat auditorum animos, sed potius erigere. Petrus item: *Sobrij eſtote,*

1. Pet. 5.

& vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. Promptiores profectò atque fortiores nos iſta faciunt, perſuadentque familiariſſimos Deo fieri. Qui enim imminere ſibi cernit inimicum, maiori ad illum currit deſiderio, quò ſe tueri poſſit. Ita ferè infantes pueri, cùm quid horrendum viderint, ad matrum ſinus protinus fugiunt, illarumque

Simile.

pendentes veſtibus, eis ſe tuentur ac protegunt, atque ita vt ſæpius retrahentibus plurimis inde auelli non poſſint. At verò quando nihil eiuſmodi perturbat, ne vocantes quidem illas exaudiunt, neque trahi patiuntur: imò blanditiis allicientes reſpuunt, & cum plurima illæ moliantur, vt ad ſe eos pertrahant, ſemper eas auerſantur, appoſitamque menſam deſpiciunt. Quocirca matrum plurimæ, cùm nihil obſecrando proficere ſe viderint, laruas quaſdam horroriſque figmenta parant, atque illos demum ad reditum impellunt, perſuadentque ad ſe iterum recurrere. Hoc autem non in ſolis pueris contingit, ſed etiam in nobis. Quando enim malignus ille perterret nos, atque perturbat, tunc frugi efficimur, tunc noſipſos agnoſcimus, tunc ad Deum omni ſtudio recurrimus. Quòd ſi deletus ab initio nequam ille fuiſſet, atque ſublatus è medio, fortaſſe nec præterita credidiſſent plurimi: puta quod hominem illum fefelliſſet, quòd bonis illis innumeris eum eieciſſet, Deumque hoc inuidia & liuore commotum feciſſe arbitrarentur: quando enim ne modò quidem deſunt, qui poſt tanta illius ſeductionis indicia id audent dicere, ſi non illius nequitiæ & aſtus experimenta cepiſſent, quid non dixiſſent? quid non oblocuti fuiſſent? Quòd ſi penitus atque diligenter his quæ fiunt, animum intendere velimus, inueniemus minimè ad omnia nos diabolum impellere: ſed cum plurimorum ille nobis lapſuum ſit author, plurima item noſmetipſi per noſtram ſolam ſocordiam ac negligentiam patimur. Vbi enim, vt ad priora reuertamur, ad Cain diabolum acceſſiſſe, fraternamque cædem ſuggeſſiſſe legimus? Nam matri quidem illius viſus eſt loquens, fraudemque concinnans: huic autem minimè; niſi fortè quiſpiam malas illum cogitationes dicat immiſiſſe. Quod etſi nec ipſi renuimus, id tamen totum illius culpa contigit, qui ſuggerentem admiſit, illique paruit, atque principium in ſe inuadendi præſtitit. Attamen nec ſic illum dimiſit Deus, verum ex his per quæ punire videbatur, admonere potius atque corripere non deſiit. Quid autem Cain viri vnius ſupplicium dico, quandoquidem etiam diluuium, in quo tot periere viri, Dei nobis prouidentiam aptiſſimè poteſt aſſerere? Primùm enim non repentè, neque inſperatò mortalibus vim illam inundationis

Genes. 6.

induxit, ſed fore prædixit: idque non ante breue tempus, ſed ante centum & viginti annos. Tum verò ne ex longitudine prædictionis in obliuionem ac negligentiam inciderent, ædificari arcam in oculis omnium inſtituit, voce omni clarius clamantem, Deique minas omnibus annuntiantem. Cain quippe ſanitate mentis exciderat: illa verò ante omnium oculos poſita iugiter imminentium ſibi malorum illos admonebat: nec ſic tamen illi emendati ſunt, ſed in vitiis perſeuerauerunt ſupplicia ſibiipſis conſcientes atque attrahentes. Deus enim diluuium ipſum neque comminari, neque inferre voluiſſet, ſicuti nec gehennam ipſam quidem. Verùm iſtorum omnium noſipſi nobis cauſa ſumus, quod & ſapientiſſimus quidam viderat, cùm diceret: *Deus mortem non fecit, nec lætatur in per-*

Sapien. 1.

ditione viuentium. At Deus ipſe per prophetam ait: *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*. At verò nos niſi conuertamur, damnationem nobiſipſis vltrò, mortemque congerimus, non is qui nos perire noluerat, quique viam effugiendi nobis oſtenderat. Ergóne id ſolum habemus, quod de diluuio dicere poſſumus, nullaque ex eo prodiiſſe emolumenta docemus? Dici profectò non poteſt, quantum vtilitatis & his qui illa inundatione periere, & cæteris poſtea futuris inde comparatum ſit. Illi enim vlterius in vitiis ac flagitiis progredi permiſſi non fuerunt: qui autem poſt illos ſecuti ſunt, maiora etiam quàm illi, atque excellentiora lucra retulerunt, fermento (vt ita dixerim) materiaque malorum è medio ſublatis extinctiſque peccatoribus. Nam ſi etiam ſine exemplis mala homines per ſe facilè inueniunt, quid non facturi exiſtimentur, ſi plurimorum exemplo ad pernicioſos actus inuitentur? Quod vtique ne fieret, ne tot ſcelerum magiſtros hi qui poſtea futuri erant, intuerentur, eos omnes vnà perdidit. Verum enimuerò, quænam eſt illorum ſapiens, imò plena ſtultitiæ ratio, qui cùm nihil boni agere velint, omnia verboſis ac ventoſis quæſtionibus agitant, vt ſuorum delictorum cauſas ad Deum referant? Niſi permiſiſſet Deus, aiunt, nequaquam accepiſſet diabolus, nunquam decepiſſet ab initio, ſed neque cognouiſſet Adam quantum boni antè habuerit, neque ſuam illam arrogantiam vnquam deſeruiſſet. Qui enim ſeipſum in tantum culmen honoris erexerat, vt fieri ſe Deum expectaret, quò non prorupiſſet audaciæ, niſi digna fuiſſet animaduerſione caſtigatus? Dices nihil diabolum conſuluiſſe, nihilque penitus Heuæ de ligno locutum fuiſſe: num ſine peccato perſtitiſſent, ſi iſtud non ita contigiſſet? Minimè vero: nam cui mulier tam facilè quod volebat perſuaſit, ipſe etiam diabolo abſente, ex ſeipſo quamprimum in peccatum corruiſſet, quò maiori quoque pœna mulctari meruiſſet. Præterea ne nunc quidẽ diaboli ſolius eſt omnis illa ſeductio, ſed ſua etiam concupiſcentia mulier corrupta corruit, atque hoc ſcriptura ſacra indicat, quæ dicit: Viditque

Genes. 3.

mulier quòd bonum eſſet lignum ad edendum gratumque oculis ad videndum, ac ſpecioſum ad conſiderandum, & accipiens de fructu illius comedit. Neque verò ego nunc iſta loquor quaſi diabolum inſidiarum criminibus purgare intendens, ſed indicare volens eos, niſi ſponte cecidiſſent, à nemine vnquam potuiſſe deiici. Nam qui tam facilem propinatam ſibi ab altera deceptionem ſuſcepit, is profectò & negligenter & laxi fuiſſe affectus oſtenditur. Neque enim tantum ille potuiſſet, ſi ſobrium vigilantemque animũ allocutus eſſet. Sunt autem plurimi, qui cùm ad hanc partem diſſerendo perueniunt, diabolo omiſſo ad mandatum tranſeunt, & cùm à peccante homine abſtineant, Deo crimen

Deus cur illis det præceptũ quos nouit peccatores.

impingunt, dicentes: Quid enim eis præceptum dabat, quos peccaturos nouerat? Iſta reuera ſunt diaboli verba, & impiæ mentis inuenta. Nam quòd præceptum dare longè maioris diſpenſationis ſit, quam non dare, clariſſimè conſtat. Si enim Adam voluntate, & animo tam negligenti,

quam fuiſſe oſtenditur, nullum ſuſcipiat mandatũ,
ſed in deliciis, & ſecuritate perſiſtat: ex huiuſmodi
licentia imbecillitas tanta atque negligẽtia ad me-
lioráne, an ad deteriora prorumpet? Liquet profe-
ctò illum ad ſummum faſtigium vitiorũ euaſurum,
ſi abſque cura ſit. Nam ſi necdum immortalitate ſe-
curus, eamque ſpem dubiam pendere non igno-
rans, in tantam arrogantiã atque amentiam elatus
eſt, vt Deus fieri ſperaret: iſtúdque cùm id promit-
tentem nulla ex parte fidelẽ cerneret, ſi firmam ac
ſecuram immortalitatem cõſecutus eſſet, quò non
progreſſus eſſet arrogantiæ? quid non peccaſſet?
quando ille Deo obtemperaſſet? Tu verò dum iſta
criminaris, idem profectò facis, ac ſi quis fornica-
tionem & libidinem interdicentem ſimularet, ideo
quòd plurimi iſta audiẽtes fornicaturi eſſent. Nón-
ne ſunt iſta extremę dementiæ? Si enim nullo man-
dato ſuſcepto diabolus ad illum accedens, recede-
re à Deo conſuleret, id quoque illi, & quidem fa-
cile perſuaſiſſet. Nam qui poſt acceptum manda- B
tum præcipientem ſic leuiter contempſit, ſi nihil
ab illo penitus audiſſet, citò ſe etiam eſſe ſub domi-
no neſciret: idcirco anticipat Deus, & ex his quæ
præcipit, docet habere illum dominium, cunctaque
illi parêre oportere. Et quid amplius commodi eſt
ex hoc ſecutum, inquiunt? Etiamſi nihil aliud ſe-
cutum eſſet, non id docenti Deo eſſet imputandũ,
ſed potiùs non ſuſcipienti homini optimam hanc
ſaluberrimamque diſciplinam. Verùm vſque adeò
inutilis fuit, etiam poſt præuaricationem præcepit
exhibitio. Nónne illæ latebræ, illa cõfeſſio delicti,
illa viri ad mulierem, mulieriſque ad ſerpentem
ſtudioſa cauſæ traductio: illa, inquam, omnia me-
tuentium ſunt atque trementium, Deique authori-
tatem agnoſcentium? Porrò quantum lucri inde
conſecutum ſit ex diabolica illa expectatione, in
tantum timoris illos fuiſſe tranſlatos nullus igno-
rat. Qui enim æqualitatem Dei priùs meditatus C
fuerat, ipſe iam ita contrahebatur humiliter, vt
pœnam cruciatumque tremens metueret, ac pec-
catum confiteretur ſuum. At verò non abſque ſen-
ſu peccare, delictumque recognoſcere minimum,
non eſt negligendum: ſed via quædam eſt ad e-
mendationem atque ad mutationem in melius du-
cens. Omnem itaque in nos Dei benignitatem ne-
que cogitatione comprehendere, neque narrare
poſſibile eſt. Eorum tamen quæ nouimus, ſummam
dicturus ſum. Nempe enim poſt adeò inſignem
contumaciam, poſt talem inobedientiam, poſt
tanta ſcelera, cùm iam orbis totus tyrannide pec-
cati premeretur, cùm extrema iam luenda pœna
eſſet, cum delendum omne mortalium genus, no-
menque ipſum hominum, meritò expectari poſ-
ſet: tum verò maximum omnium beneficium &
clementiam oſtendit vnigenitum ſuum pro ini-
micis, pro alienatis à ſe, pro ſe odientibus atque D
aduerſantibus morti tradens, ac per eam recon-
ciliationem noſtram operans, cœlorumque re-
gnum & æternam vitam, aliaque bona innumera
1. Cor. 2. nobis ſe daturum ſpondens, *quæ nec oculus vidit,*
nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt. Quid
igitur huic diſpenſationi, huic clementiæ, huic
bonitati comparari, aut ſimile excogitari poſſit?
Iſa. 55. Propterea & ipſe dicebat: *Quantum diſtat cœlum à*
terra, tantum diſtant viæ meæ à viis veſtris, & cogita-
tiones meæ à cogitationibus veſtris. Dauid quoque mi-
tiſſimus, cum de clementia illius loqueretur,
Pſal. 102. aiebat: *Secundum altitudinem cœli à terra corroborauit*
Dominus miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum
diſtat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates
noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt
Dominus timentibus ſe: quod non comparans dicit.
Quæ enim humana clementia diuinæ bonitati
conferri poſſit? ſed quia exemplum ſummæ affe-
ctionis nullum nos maius nouimus quàm patris
ad filios: niſi fortaſſis Eſaias maius aliquid docuit,

A qui matris potius exemplo vſus eſt, quæ erga na-
tos ſuos longè miſericordiùs afficitur, quam pa-
ter. Dixit enim: *Nunquid obliuiſcetur mulier infantuli* Eſa. 55.
ſui, vt non miſereatur filio vteri ſui? ſed etſi illa oblita eius
fuerit, ego tamen tui non obliuiſcar, dicit Dominus: oſten-
dens Dei miſericordiam affectus omnes natura-
les longiſſimè excedere. Et propheta quidem ſic.
Ipſe autem Dei filius cùm Iudæis loqueretur, aie-
bat: *Si autem vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare* Matth. 7.
filiis veſtris: quantò magis pater veſter cœleſtis dabit bona
petentibus ſe? Nihil profectò aliud per iſta ſignifi-
cans, niſi tantam eſſe diuinæ prouidentiæ & gu-
bernationis paternæ differentiam, quantum in-
tereſt inter bonos & malos. Verum neque hacte-
nus iterum ſtes velim, ſed mente ad interiora pro-
gredere. Nam id quoque pro captu, & modo tuo
dictum eſt: quippe cuius eſt infinita intelligentia,
bonitatem quoque & clementiam fine nullo ter-
minari neceſſe eſt. Quòd ſi hanc per ſingula quæ
B fiunt non perſpicimus, & hoc ſignum illius in-
finitatis eſt. Plurima enim & magna quotidie pro
noſtra ſalute diſponit, quæ ſibi ſoli ſunt cognita.
Quia enim ſola bonitatis ſuæ gratia mortalibus
per omnia proſpicit, nihil noſtris indigens laudi-
bus, nullaque alia remuneratione opus habens,
plurima nos latere permittit. Sed & ſi aliquando
hæc reuelat, & illud noſtræ vtilitatis cauſa facit,
vt gratias illi ſemper referentes, ex hac gratitudi-
ne noſtra amplius nobis attrahamus illius auxi-
lium. Non igitur de his ſolum quæ nouimus, gra-
tias illi referamus: neque enim volentes ſolum,
verùm inuitos quoque, & nolentes beneficiis con-
ſueuit afficere. Quod Paulus optimè nouerat, qui
ſemper & in omnibus gratias agere monebat.
Quòd autem non communiter ſolùm omnium cu-
ram gerit, ſed ſeorſum ſingulorum, ipſum audias
licet dicentem: *Non eſt voluntas coram patre meo qui* Matth. 18
C *in cœlis eſt, vt pereat vnus de puſillis iſtis*: de his dicens,
qui in illum credunt. Cupit ipſe quidem & eos
qui non credunt ſaluos fieri, mutarique in melius,
& credere, ſicut Paulus ait: *Qui vult omnes homines* 2. Tim. 2.
ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Et ipſe ad
Iudæos: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores* ad pœni- Lucæ 5.
tentiam: &, *Miſericordiam volo, non ſacrificium.* At verò Oſeæ 6.
ſi poſt tantæ curæ ac prouidentiæ fruitionem no-
luerint meliores fieri, veritatemque recognoſce-
re, ne ſic quidem illos deſerit: ſed quoniam æter-
næ vitæ participatione ipſi ſe ſua ſponte priuaue-
runt, vel præſentis vitæ bona illis omnia largitur,
ſolem ſuum oriri faciens ſuper bonos & malos, & pluens ſu- Matth. 5.
per iuſtos & iniuſtos, aliaque præſtans quæ ad præſen-
tis vitæ conſiſtentiam pertinent. Quòd ſi inimi-
cis quoque tanta cura & prouidentia proſpicit,
fideles ſuos, & qui totis ei viribus ſeruiunt, quo-
modo vnquam contemnet? Non ita, non ita eſt:
D verùm iſtos maximè ex omnibus fouet atque com-
plectitur. *Veſtri enim, inquit, & capilli capitis om-* Matth. 10.
nes numerati ſunt. Quoties ergo tibi in mentem ve-
nit, parentes te, & patriam, domũ, amicos, propin-
quos, opeſque innumeras, & gloriam illam ingen-
tem abieciſſe, atque excuſſiſſe propter Chriſtum
de manibus, poſtque iſta omnia huiuſmodi vexa-
tionem pati, noli deiicere teipſum, noli mœrore
deficere. Nam ex quibus cogitationibus hæſita-
tio gignitur, ex eiſdem rurſus ſopita reſtringitur.
Quonam modo? Impoſſibile eſt mentiri Deum:
promiſit autem ille vitam æternã iſta relinquenti-
bus. Reliquiſti tu omnia iſta, & abieciſti: quid igitur
prohibet de huiuſmodi confidere promiſſione, &
eſſe ſecurum? Num ea qua nunc probaris tentatio?
& hæc ad promiſſionem quid? Non hic æternam
repromiſit vitam: imò verò ſi in terris quoque e-
iuſmodi promiſſio implenda eſſet, ne ſic quidem
ægrè ferre debueras: quippe quod fidelem ac re-
ligioſum virum adeò cõſtanter & firmiter promiſ-
ſa Dei tenere conuenit, vt quantumlibet effectus

contrarios

Digitized by Google

Deus eſt in promiſsis infallibilis, licet interdum contraria promiſsis videatur facere.

contrarios aſpiciat, ne ſic quidem perturbetur, neque deſperet euentum. Intuere denique, fidelis Abraham cuiuſmodi pollicitationem acceperit, & qualia facere ſit iuſſus. Nam promiſſo quidem erat, ex Iſaac implendum eſſe orbem vniuerſum, iuſſio autem hunc ipſum Iſaac immolare vrgebat, ex quo orbis totus erat implendus. Quid igitur? iſtúdne perturbauit iuſtum virum? Minimè verò, imò cùm tanta diſſonantia & repugnantia eſſet præcepti & promiſſi, in nullo penitus turbatus eſt, neque hæſitauit, neque aliquid huiuſmodi locutus eſt: Quid hoc eſt? Alia promiſit mihi Deus, alia facere iubet? Ex puero iſto nepotum ingentem multitudinem mihi promiſerat, & hunc ipſum modò necare mihi præcepit? Quomodo igitur hoc erit exciſa radice? Fefellit me igitur, atque deluſit? Nihil prorſus huiuſmodi locutus eſt, ſed ne cogitauit quidem. Et meritò ſanè: Cùm enim Deus aliquid pollicitus fuerit, etiam ſi millia ſunt quæ pollicitationem huiuſmodi obtundant atque intercipiant, turbari minimè conuenit, aut de fine dubitare. Hoc enim maximè Dei potentiam commendat, dum in rebus ambiguis finem certum atque exitum reperit: ſicuti tunc beatus ſecum reputabat. Quocirca fidem illius maximè admirans Paulus aiebat: *Fide obtulit Abraham Iſaac dum tentaretur*, vnigenitumque offerebat, qui promiſſiones acceperat: hæc ipſa ſcilicet inſinuans atque ſignificans. Non modò autem ipſe, verùm ipſius quoque pronepos Ioſeph, cùm per longum tempus, & varios caſus promiſſionem periclitari perſpiceret, rigidus atque immobilis perſtitit: ſola enim promiſſa intuebatur, neque humanis cogitationibus motus de fine deſperauit. Nam & oſtenſa ſibi viſio, & fratrum & patris adorationem pollicebatur. Quæ verò illi cogitabant, non erant huiuſmodi, ſed ab his longiſſimè remota. Primum enim illi ipſi fratres, quos ſe præuiderat adoraturos, in lacum illum iniiciunt, ac barbaris hominibus venditum, in alienam ac remotiſſimam regionem emittunt, atque adeò contraria promiſſis ea quæ contingebant videbantur, vt miſeri illi dicerent: *Ecce ſomniator ille venit, nunc ergo venite occidamus eum, & proiiciamus in lacum, dicemuſque: Fera peſſima deuorauit eum, & videbimus quid ſomnia ſua proderunt.* Poſteà verò hi, qui illum emerant, non ſaltem libero homini, ſed ſeruo illum regio vendunt iterum. Neque hactenus aduerſa ſteterunt, ſed in petulantis dominæ calumniam incidit, damnatuſque in carcere annos plurimos habitat, & effugientibus cæteris, ampliore illic tempore ipſe perdurat. Cumque tanta eſſent quæ illius animum perturbare poſſent, conſtans tamen perſeuerat, atque inuiolabilis. Eiuſmodi verò etiam noſtra ſunt, imo verò longè perplexiora. Quæ enim promiſſa ſunt nobis, regnum cœlorum eſt, & vita æterna, & incorruptio, & infinita illa bona atque immortalia. Quæ autem interim contingunt, valde ab his remota, atque aliena ſunt. Mors enim nos, & corruptio ſequitur, & pœna, & ſupplicium, & tentationes variæ, atque perpetuæ. Huius ergo rei gratia hoc facit Deus, permittitque contraria promiſſis aduenire. Non planè abſque ratione, verùm ex hoc duo maxima bona elicit, dum ex altero certiſſimum potentiæ ſuæ argumentum capimus, quod ſcilicet poſſit deſperatiſſima promiſſa ſua, ſpe atque opinione melius perficere. Ex altero autem noſtros animos erudit, cuncta ſibi credere fideliter, etſi dictis facta contraria videantur emergere: quippe ſpei virtus eiuſmodi eſt, vt eum qui ſyncerè ſuſtineat, nunquam confundi permittat. Si enim hi, qui promiſſa in hoc ſeculo acceperunt, ita inſigniter affecti ſunt: quid nos facere neceſſe eſt, qui non in præſenti vita, ſed in futuro ſeculo bona illa ſempiterna expectamus? In hoc enim ſeculo preſſuræ nobis anguſtiæque promittuntur. Quid

Heb. 11.

Gen. 37.

A ergo eſt quod te perturbet? Qua ratione induci potes, vt ſuſpecta habeas promiſſa Dei? Nempe enim cùm dicis te ab eo negligi, cuius cauſa mundum omnem deſpexiſti, liquidò oſtendis te illi non credere, atque ſuſpectum habere, fallacemque promiſſionem eius exiſtimare. Id autem verè eſt à dæmone corripi, ac ſempiternos ignes promereri. Sed ſunt qui ſeculi negotiis deditì, quietè ac licenter viuunt. Et iſtud quoque prædixit Chriſtus: *Amen, amen dico*, inquit, *vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* Sed & in prioribus generationibus hoc fermè videas contigiſſe. Quippe Babylonij cùm Deum ignorarent, opibus potentiaque pollebant: Iudæi verò captiuitatis atque ſeruitutis premebantur iniuriis. Et Lazarus ille, qui regnis cœleſtibus, æterniſque gaudiis potiri meruit, vlceribus plenus canum linguis erat B expoſitus, atque perpetuò cum fame pugnabat: diues verò in honore ac frequenti conſtipatione ſeruorum, & requie, & deliciis vitam ducebat. Verùm vt huic nihil apud inferos profuere deliciæ, atque illa omnia: ita nec Lazaro fames, aut vlcera, nec omnia ſimul congeſta incommoda vitæ præſentis obſtiterunt: ſed veluti quidam athleta fortiſſimus in æſtu grauiſſimo & algore luctans, & præclarè vicit, & coronatus immortaliter eſt. Quocirca vir quidam ſapientiſſimus aiebat: *Fili, ſi accedas ſeruire Domino, præpara animam tuam ad tentationem, dirige cor tuum, & ſuſtine, & ne feſtines in tempore inductionis.* Et poſt pauca: *Quoniam*, inquit, *igne probatur aurum, homines verò acceptabiles in fornace humiliationis.* Rurſumque alio loco ſcriptum eſt: *Fili noli negligere diſciplinam Dei, neque deficias quum ab eo corriperis.* Qui enim aurum in fornacem mittit, nouit quatenus illud incendi atque igneſcere, & quandò C igne oporteat educi. Ideoque alter ex his: Ne feſtines, inquit, in tempore inductionis, alter: Neque deficias, inquit, quum ab eo corriperis. Magnum, reuera magnum, & excellens preſſura eſt, ad probandum virum, atque ad docendum patientiæ virtutem. Quid ergo, inquies, ſi illius nos magnitudo conuellat, atque deiiciat? *Fidelis eſt Deus, qui non patietur nos tentari ſupra quam poſſumus, ſed faciet cum tentatione exitum, vt poſſimus ſuſtinere.* Nam ſi ex dilectione correptio, ex odio verò derelictio eſt: neque eiuſdem eſt quempiam ſimul & amare, & odiſſe, neque corripere quidem & derelinquere. Quomodo ergo, inquiunt, multi corruerunt? Seipſos illi Deo priuauerunt, non autem à Deo derelicti ſunt. *Ecce enim*, inquit, *qui elongant ſe à te, peribunt.* Elongant ſe verò à Deo, qui correctiones illius non ſuſtinent, ſed iraſcuntur atque indignantur, ac veluti mali & peruerſi filij, cùm à patribus traditi magiſtris, vel impatientes laboris, vel fugien- D tes verbera, parentum aſpectus declinant, ab eis reſiliunt: nihil inde lucrantur, niſi quod plurimis & grauioribus incommodis ſe implicant, atque in aliena regione famis & erroris, ac morborũ, ignominiæque & ſeruitutis iniurias ſubire coguntur: ita & qui Dei diſciplinam ingratè ſuſcipiũt, indignanturque & grauiter ferunt, præterquam quòd nihil ex eo lucrantur, ſummis ſe calamitatibus afficiunt. Quocirca tolerare admonemur, & dirigere cor noſtrum. At multò grauiora te perpeti dices. Ne pædotribæ quidem omnes æqualiter atque eodẽ modo exercent, ſed imbecillioribus imbecilles, fortioribuſque ſui ſimiles comparant. Nam qui ſuis viribus minorem compatem fuerit nactus, etiamſi tota die ille cõgrediatur, inexercitatus tamẽ permanet. Cur ergo, inquies, non omnes qui eandem elegere vitam, eiſdem etiam laboribus certare facit? Quia non vna apud Deum eſt exercitationis ſpecies, neque omnes qui eiſdem opus habent, eiuſdem ſtatus ſunt: quippe & plurimi cùm eiſdem morborum incommodis laborent, non eiſdem tamen indigent medicamentis, ſed alia quidem iſtis,

Ioan. 16

Lucæ 16.

Eccl. 2.

Prouer. 3.

1. Cor. 10.

Pſal. 72.

alia illis apponuntur. Atque adeò & flagellorum modi varij ſunt atque differentes. Et alius quidem morbo perpetuo probatur, alius grauiſſima inopia, vi atque iniuria alius, hunc iuges atque perpetuæ liberorum propinquorumque cæterorum orbitates excruciant, hicque ab omnibus abiicitur, nulliuſque rei dignus æſtimatur: ille quod ſibi in his derogetur, quorum nihil ſit conſcius, grauiſſimum putat: atque alius aliter affligitur. Neque enim poſſibile eſt omnia nunc adamuſſim numerare. Videntur tibi horum ſingula, ſi tuis ærumnis conferantur, leuia ac nulla eſſe. Verùm tu ſi hæc expertus eſſes, addiſceres profectò quantò id quod nunc te angit, his omnibus leuius ac tolerabilius ſit. Sed & ſi qui ſunt quorum ſit leuior quàm noſtra caſtigatio, nihil penitus miremur, ac perturbemur. Nam adiectio laborum, incrementum meritorum eſt, ac firmiſſimum munimen noſtrum, quo freti nunquam ſiue ſponte, ſiue etiam inuiti corruamus. Namque faſtum ac tumorem animorum comprimit, negligentiam auertit, prudentioreſque ac religioſiores efficit. Prorſus verò ſi quis omnia enumerare velit, plurima tentationum emolumenta reperiet: nulluſque vnquam ex his, qui Deo maximè chari atque acceptabiles fuerunt, ſine preſſuris vixit, etiamſi non ita nobis videatur. Nam ſi beatus Paulus tantùm negotij ſuſtinuit, nullus verò Paulo maior eſt, aut etiam æqualis: qua tandem ratione illi credantur huiuſmodi auxilio non indiguiſſe? Sin autem quidam ex iſtis tribulationibus emendati non ſunt, non hoc illi imputandum eſt, qui cauſam emendationis præſtitit; ſed illorum potius negligentiæ & ſocordiæ. Nam ſi illis non fuiſſet adhibitum medicamentum, per Dei negligentiam periiſſe viderentur. Nunc verò non parum actum eſt, cùm nemo medicum accuſare poſſit, ſed ægrotos potius, ipſorumque contemptum. Si qui verò antequam tentarentur, gradientes rectè, poſt tentationem corruerunt: aliique cùm omnibus eſſent peccatis inuoluti, nulla tribulatione vexati ſunt, atque alij à prima ſtatim ætate vſque ad vltimam afflictionem animæ innumeris calamitatibus contriti: nihil horũ nos penitus perturbet, aut noſtros animos deiiciat. Nempe enim ſi omnem prouidentiæ illius diſpenſationem ſcire valeremus, aut deberemus, iſta quoque ignorantes, mœroris ac perturbationis non immeritò cauſam habere videremur. Sin verò is qui tantorum arcanorum effectus particeps, ad tertium cœlum raptus fuerat, ad hanc tamen abyſſum hærens ſubſtitit, inſpicienſque in profundum diuitiarum ſapientiæ ac ſcientiæ Dei, obſtupuit ſolùm, atque inde reſiliit: quid nos ipſos fruſtra concidimus, perſcrutantes inſcrutabilia, atque inueſtigabilia curioſè inquirentes? Certè cum medicus contraria his quæ nobis ſalubria videntur præcipit, ſiue algens membrum profluo fonti ſubiicere iubeat, ſiue alia huiuſmodi efficere, nonnunquam reluctamur: ſed cum nobis antea perſuaſerimus, artis illum ratione cuncta facere, promptè ac libenter cedimus, idque cùm ille ſæpius fallatur: Deum verò cuius viæ in omnibus incredibiliter à nobis diſtant, qui eſt ipſa ſapientia, qui nunquam falli poteſt, punienda curioſitate perſcrutabimur? Cúmque illi ſimpliciter cedamus, à quo facti rationẽ exigere iure noſtro poſſemus, ab illo, cuius ſolum cedendum eſt nutui, eorum quę geſſerit cauſas ac rationes requiremus, atque huiuſmodi indignè ignorantiam feremus? Hæccine ſunt religioſæ mentis, ac piæ? Ne, quæſo ac ſupplico, ne ad tantam veſaniam progrediamur, ſed in omnibus, in quibus ambigimus, illud potius nobiſcum pia cogitatione voluamus: *Iudicia tua abyſſus multa.* Nam & hoc ipſum, quòd non omnia apertè ſcimus, diuinæ ſapientiæ atque prudentiæ profectò eſt. Si enim omnium quæ fiunt, cauſa & ratione cognita, ita demum Deo pareremus, nôn magni meriti

Iudicia Dei non ſunt ſcrutanda.

Simile.

Pſal. 35.

A eſſet, neque fidei oſtenſio ea res videretur. Cùm verò nihil horum penitus noſcentes, ita quoque ſumma affectione mandatis eius omnibus cedimus, ex legitima obedientia fideque integerrima, maxima animabus noſtris emolumenta conquirimus. Hoc enim ſolũ nobis perſuadere debemus, omnia nobis vtiliter à Deo inferri, non iam dudum inquirentes, neque huius ignorationes grauiter vel cum mœrore ferentes. Neque enim poſſibile eſt iſta ſcire, neque vtile, illud, quia mortales ſumus: hoc, quia citò in arrogantiam extollimur. Plurima nos facimus, quæ cum liberis noſtris noxia eſſe videantur, vtilia ſunt tamen. Quorum neque illi cauſas quærunt addiſcere, neque nos illis antea perſuadere ſtudemus, id expedire quod facimus: ſed hoc ſolùm illos admonemus, vt in omnibus cedant, quæcunque præceperint patres, nihilque vlterius inquirant. Quòd ſi parentibus noſtris, qui nobiſcum eiuſdem naturæ ſunt, ita promptè, ita liberè ob-
B temperamus, neque vlla ratione indignamur: Deo indignabimur, aut grauiter feremus, quòd non illius omnia nobis explorata ſunt, qui tanta excellentia hominibus præcellit, quantam ipſi capere non poſſumus. Et quid hac impietate grauius ac durius excogitari poſſit? Aduerſus huiuſmodi ſanè beatus Paulus indignans dicebat: Alioquin, *ô homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum factori ſuo, cur me ita feciſti?* Equidem filiorum exemplar propoſueram, ipſe verò multò aliquid maius poſuit, figuli ſcilicet, atque ab eo formati luti. Sicut enim lutum quocunque manus ſe formantis duxerit, ſequitur: ita hominem quæcunque Deus iuſſerit, ea ſequi, & quæ ille intulerit, grato animo perferre conuenit, nihil omnino reluctando, vel curioſè addiſcere quærendo: neque enim nobis ſolis iſta ambigua ſunt, verùm & his qui ante nos fuerunt ſanctis illis ac mortalibus
C viris. Ait enim Iob: *Vt quid enim impij viuunt, diuitiiſq; veteraſcunt?* Beatus autem Dauid: *Paulò minus,* inquit, *effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns. Quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. In laboribus hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Poſt hunc Hieremias quoque: *Iuſtus es,* inquit, *Domine, veruntamen iuſta loquar ad te. Quid eſt quòd via peccatorum proſperatur?* Ambigebant iſti quidem atque inquirebant, ſed non ita vt faciunt impij. Neque enim accuſabant Deum, neque ex his quæ fiunt, illius iuſtitiam reprehendebant. Sed alius quidem aiebat: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa.* De alio, cùm tanta paſſus eſſet, ſcriptum eſt: *Non dedit inſipientiam Deo.* Et in libro ipſe ſuo incomprehenſibilem ſapientiam illius & diſpenſationem enarrans, cùm de opificio diſſeruiſſet: Ecce, inquit, iſtæ ſunt par-
D tes viæ eius, & adhuc humorem verbi audiemus in eo. Idipſum quoque Hieremias prouidens ne quis vnquam ſuſpicaretur, interrogationi iudicium ſuum præpoſuit, dicens: *Iuſtus es, Domine,* hoc eſt, ſcio quidem à te omnia fieri iuſtè: modum autem ignoro, quo fiunt. Quid igitur amplius illi didicerunt? Nempe de his nullum reſponſum retulerunt, quod beatus Dauid indicat, cum dicit: *Et exiſtimabam vt cognoſcerem, quia hoc labor eſt ante me:* idcirco autem reſponſa ſuper his non acceperunt, vt poſterioribus ſeculis futuros homines docerent etiam ipſi interrogatione abſtinere. Atque priores illi quidem vnum tantum inquirebant, cur ſcilicet impij in copia rerum omnium & proſperitate viuerent, & ne ſic quidem didicerunt. At verò iſti longè plura, quàm illi, temeraria curioſitate ſcrutantur. Ea enim quæ proponuntur, nunc multò grauiora & maiora ſunt. Itaque manifeſta horum ratio illi permittatur, qui nouit omnia antequam fiant. Si tamen pro captu noſtro his qui huiuſmodi curioſi ſunt, reſpondere neceſſariũ ſit,

Simile.

Rom. 9.

Iob 21.

Pſal. 72.

Hier. 12.

Pſal. 35.

Iob 1.

Pſal. 62.

Cur Deus hic ſinat bonos affligi, malos proſperari.

ratio-

rationemque aliquam afferre, illud primum dixerim, indignum eſſe quærere, cur boni in preſſuris, mali contrà in requie perſiſtant, cœleſti iam reuelato regno, futuriſque ſeculi præmio nobis oſtenſo. Nam cùm in illa vita ſinguli digna ſuis meritis recipiant, quid iam eis rebus perturbamur, quæ hîc bonis aut malis contingunt? Eos nempe qui ſibi intentius ac deuotius obtemperât, veluti fortiſſimos athletas huiuſmodi laboribus exercet: imbecilliores verò, vt qui nihil durorum laborum perferre poſſunt, prius ad bona opera hortatur. Quòd ſi contrà nonnunquam euenit, plurimique iuſti hic in requie vitam cum honore agunt: mali verò in ignominia ſummiſque aduerſitatibus perdurant; interim quidem prior illa obiectio, quæ affligi bonos, malos verò iugiter eſſe in deliciis conquerebatur, hac ratione euerſa profligatur. Sin autem & huius rei cauſam inquirere velimus, id profectò dicimus, Deum noſtra omnia nô vno modo ſolitum eſſe diſponere, ſed cùm ſit miſericordiſſimus ac potentia affluentiſſimus, plures nobis ſalutis vias ſcindere. Cùm itaque plures ſint, qui futuri ſeculi ac reſurrectionis ratione admittere pertinaciter renuant, veluti in breui tabula hîc iudicij futuri imaginem oſtendit, cùm punit malos, bonos remunerat. Quod cum in iudicio illo ſupremo generaliter futurum ſit, etiam nunc ex parte aliqua ideo fit, vt qui longinquum illud iudicium fore deſperant, vel his quæ in hoc ſeculo contingunt admoniti, manſuetiores atque meliores fiant. Sine enim nullus hîc omnino puniretur malus, nulluſque honoraretur bonus: plurimi ex his quibus reſurrectionis ratio incredibilis videtur, virtutem veluti malorum cauſam aſpernarentur ac fugerent, vitioſitatem verò veluti bonorû lætorumque omnium occaſionem perſequerentur: ſiue rurſum hîc ſinguli iuxta merita reciperent, ſuperfluam iam, falſamque exiſtimaſſent reſurrectionis rationem. Itaque ne huic nô crederetur, ne ingens vulgariſque turba ex contemptu deterior fieret, nonnullos hîc peccatores vlciſcitur, quoſdamque pro rectè factis in oculis omnium præmiis donat, vt ex eo quòd non in omnibus facit, reſurrectionis aſſerat fidem: ex eo verò quòd ante iudicium quoque malos aliquos ſuppliciis afficit, profundiſſimo quaſi ſomno ſepultos excitat. Nam & malorum quidâ punitiones plurimi timore corriguntur, ne patiantur eadem. Ex eo autem quòd non omnibus pro merito hîc retribuitur, cogitare compelluntur huiuſmodi præmia in aliud tempus eſſe reſeruata. Nunquam enim profectò cùm iuſtus ſit Deus, tot ſperneret, ſiue malos impunitos ex vita migrare, ſiue bonos hîc innumeris incommodis & cruciatibus affici, ſi non vtriſque varia in futuro ſeculo præmia pro meritis paraſſet. Quocirca non omnes vel ſupplicio vel honore afficit, ſed quoſdam, ſicut & in Perſarum rege, & in Ezechia cõtigit, quanquam fuerint plurimi & Aſſyriorum impietate, & Ezechiæ pietate ac virtute pares. Cur autem non in omnibus hoc agat Deus, cauſa iam ſuprema memorata eſt, quod ſcilicet nondum adſit iudicij tempus. Quòd autem iſta mea ratio non ſit, ſed eius qui nos tunc iudicaturus eſt, dominum ipſum audias. Nam cum profecti ad eum quidam, mortem illorum qui ſub turre occubuerant, Pilatique veſaniam annuntiaſſent: quam in his qui mortui fuerant oſtendit, ſacrificiis illorum ſanguinem miſcendo, cum ait, *Putatis quod hi Galilæi peccatores præ cæteris Galilæis fuerint, qui talia paſſi ſunt? Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Aut illi decem & octo ſuper quod cecidit turris Siloë, & occidit illos, putatis quòd ipſi præ omnibus qui habitant Hieruſalem, debitores fuerint? Non, dico vobis, ſed niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* (Lucæ 13.) Hæc dilationis ratio, hæc cauſa eſt. Idcirco non omnes qui eiſdem ſuppliciis ſunt digni, vnà punire conſueuit, vt reliqui eorum caſibus ad-

A monitì, meliores fiant. Atque iſta quidem interim expediiſſe ſufficiat. Sed enim tu fortaſſis ea etiam quæ paulò ante propoſuimus, multò etiam perplexiora, vt ſimiliter enodemus, inquiris. Sed cum priora pro viribus patefecerimus, ad illa etiam ſoluenda, fundamenta quædam iacta fuiſſe arbitramur. Quid ergo illud eſt, in quo hæres & fluctuas? Quòd plurimi ex primordiis ætatis ad finem vſque variis calamitatibus affecti. Ego & de his, & de prioribus dixerim, præcipuè quidem illos ob propria vitia puniri, deinceps verò vt alij quoque illorum exemplo emendentur. Quòd ſi non in omnibus fit, nihil eſt quod mireris: nondum enim iudicij tempus aduenit. Quid ergo de illis, inquies, qui antequam per ætatem bona vel mala diſcernere poſſint, quaſi maxima peccauerint, ſuppliciis ſubduntur? Huius quidem rei non vna eſt, ſed B plurimæ ac variæ. Nam & ex parentum intemperantia & ſcelere, & ex nutritiorum negligentia, & ex intemperie atque inæqualitate aëris, & ex aliis plurimis huiuſmodi caſibus id contingere poteſt. Propterea cum plurimos illorum futuros nequam præſciuerit Deus, omnes veluti compedibus quibuſdam huiuſmodi ſupplicio coërcet. An non vides & mendicorum plurimos inter preſſuras ipſas & anguſtias innumera perpetrantes ſcelera, quorum tamen omnium cauſa, non afflictio paupertatis eſt, ſed ſola nequitia? Audiui ego quoſdam aliquando, cum dicerent huiuſmodi homines mulierem quandam honeſtam & forma liberali in ſolitudine nactos, ei violenter ac petulanter illuſiſſe. Atqui cuius hoc neceſſitatis, cuius afflictionis opus fuit? Quæ iſti ſcelera non admiſiſſent, ſi non huiuſmodi quaſi nodis ac vinculis continerentur? Eorum verò qui carceribus incluſi ſunt, quis facilè veſaniam & rabiem proferre poſſit? At C hi qui à dæmone corripiuntur, nihilò minora his faciunt: non autem ea modò memoro quæ tunc agunt, cùm ab eiuſmodi peſte apprehenduntur, ſed poſteaquam illa vexatio ceſſauerit, admittuntur. Nam & edacitatem ſequuntur, & furantur, & inebriantur, & plurima huiuſmodi etiam flagitia turpiora admittunt. (Simile.) Denique ſicut male factorum plurimos carcerem diutiſſimè incolere permittit iudex, adeò vt plerunque vitam illic finiant, & cum ex multis aliquos puniri vult, vnum ex illis, aut etiam duos eminentiori loco ſtatuens, circunſtantibus omnibus, ita demum ad mortem duci præcipit, atque ad terrorem cæterorum ſic vtendum ſibi omnibus cenſet: ita Deus quoque cùm nos emendare vult, nô omnes vnà malos punire neceſſarium exiſtimat, ſed aliquos rapiens ex eis quos nunquam corrigendos nouit, potentiâ atque iram oſtendit ſuam, plurima ex hoc vtilia moliens atque conficiens. Quippe & malos ad execrâda, ſi ve- D lint, vitia hortatur, & bonos intentiores atque cautiores efficit, & longanimitatem oſtendit ſuam, reſurrectioniſque rationem, vt antè diximus, omnibus inſinuat. Quid ergo hæc, inquies, ad eos, qui primam ætatem omnem nutriti in calamitatibus, priuſquâ bona vel mala per ætatê diſcernere poſſint, è vita migrant? Et quid mali, quæſo, iſti patiuntur, qui necdum quid patiantur, ſentiunt: neque dolere aut gaudere didicerunt? Ego non hoc ſolum pro huiuſmodi ſoluenda quæſtione dixerim, verû parentes ipſos etiam & fratres, & propinquos huiuſmodi liberorum cladibus emendatos noui. Id verò non minimi lucri eſt, ita quempiam affligi, vt ex his quæ neſciens patitur, alius maxima emolumenta conſequatur. Fieri autem poteſt, vt ſit alia cauſa & ratio ſecretior, quam ſolus nouit rerum opifex Deus. Vnum video, reliquum eſt explicandum, quam ſcilicet ob cauſam, hi qui rectè, priuſquam tentarentur, incedebant, poſt tentationem lapſi ſunt. Quis, oro, planè nouit qui rectè incedant, niſi qui corda noſtra ſingulariter finxit

intelligitque omnia opera noſtra? Fit enim ſæpius, **A** vt plurimi ex his qui boni eſſe videbantur, peiores omnibus ſint, atque id quidem & in hoc ſeculo manifeſtum eſt in nonnullis, iam caſu aliquo ac neceſſitate ingruente. Cum verò is *qui corda & renes* **Heb. 4.** *probat, viuus & efficax, & acutior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & corporis, artuum & medullarum, diſcretor cogitationum & intentionum*, iudicans ſederit: tunc verò non paucos ex pluribus, ſed omnes omnino qui ſunt eiuſmodi videbimus: neque tunc ouina pellis lupum, neque ſepulchri dealbatio internam inquinationem tegere atque occul- **Ibidem.** tare poterit. *Nulla creatura eſt inuiſibilis coram eo*, qui tunc iudicaturus eſt: *ſed nuda & aperta ſunt omnia ocu-* **1.Cor. 4.** *lis eius*, quod Apoſtolus indicat cum Corinthiis ſcribit: *Itaque nolite ante tempus quicquam iudicare, quouſque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Vt autem ſimulatoribus omiſſis, ad eos tandem, qui rectè reuera incedunt, veniamus: vnde nobis conſtat quod etiamſi bona **B** reliqua virtuteſque ſubierint, ſummũ tamen omnium virtutum culmen humilitatẽ non neglexerint? Quòd ſi dicat quis meliùs fuiſſe illos cum rectè agerent extolli, quàm poſt lapſum humiliari: is mihi maximè videtur iactantiæ detrimenta atque humilitatis lucra ignorare. Noſti enim planè hominem arroganter bona operantem (ſi tamen bona facere arrogans poſſit) quamprimũ in ſummam perniciem lapſurum. Is verò qui labi permiſſus fuerit, atque ex ruina humiliari didicerit, reſurget, ac ſiquidem voluerit, lapſus ſui damna citò reparabit. Porrò is qui cum iactantia rectè putatur operari, nihil patiens aduerſi, ne ſenſum quidẽ vllum propriæ iniquitatis recipiet aliquando, ſed augebit ſcelera: atq; dum neſciet, hinc vacuus proficiſcetur: ſicuti Phariſæus ille qui aſcendit in templum, putans ſe bonis omnibus eſſe locupletẽ, deſcendit verò Publicano pauperiorem meritis ſe eſſe perci- **C** **Lucæ 18.** piens. Eſt & alia ſpecies peſtis, quæ plurimum roboris habet ad haurienda ac penitus euacuanda bona noſtra, quam multo ſudore colligimus, ventus ſcilicet inanis gloriæ. Nam reuera venti inſtar ingreſſa theſauros omnes virtutis exſufflat. En & ſecũda nobis occaſio prolapſionis apparuit, rectè, vt tu dicebas, gradientium! Plurimi enim ex his qui apud nos ingentes videntur virtutis cauſa toleraſſe labores, ac reuera tolerant, cum omnia ad honorem hominum, non pro Dei gloria facerent, permiſſi ſunt in tentationem labi, vt multitudinis opinione & gloria nudati, per quam detrimenta omnia perpeſſi ſunt, eiuſque gloriæ naturam in nullo flore fœni eſſe meliorem addiſcentes, iam Deo ſoli vacent, atque ipſius cauſa gerant omnia. Sunt præterea & aliæ cauſæ atque rationes, & quidem longè his plures, cæterum, vt dixi, nobis obſcuræ & incognitæ, ſed omnium opifici Deo benè **D** notæ. Non igitur in his quæ contingunt indignemur, non ea grauiter feramus, ſed in omnibus gratias agamus. Hoc enim gratorum fideliúmque ſeruorũ eſt. At verò tu dum admiraris, cur non antea potius cum delicatè viueres, excelſaque illa ſeculi gloria ac pompa ſtipatus incederes: ſed nunc potiſſimum, quando abieciſti illa omnia, ac teipſum **Simile.** totum Deo deuouiſti, peſſimus te ille dæmon inuaſit: idem prorſus facis ac ſi admireris, cur ſpectatoribus nullus moleſtus eſſet, ſed qui in pugilum numero aſcriptus exercitatuſque in certamẽ deſcendiſſet, hunc ſolum ex omnibus colluctator & compar expeteret, percutiens caput, faciémque concidens. Non hoc ergo aut miraculo, aut mœrore dignum eſt, ſi nos ille tantus aduerſarius pungit, premit, inſtat, angit, vrget: quippe iſta eſt pugnantium lex. Verum ſi ille deiiciat atque proſternat, ac præmia laborũ tollat, hoc graue & intolerabile putandum eſt. Quamdiu verò ille non præualet, non ſolùm nobis nihil nocuit, ſed profuit pluri- **A** mum, conflictu illo ſuo ſumma nobis ornamenta conquirens. Namque & in caſtris ille præſtare cæteris putatur, qui plura vulnera aduerſa fronte ſuſcepta præ ſe ferre poteſt, ac ſingularia certamina aduerſus quoſlibet hoſtium fortiſſimos ſuſcipere. Eos itidem athletas maximè miramur, qui immundis (ſic enim appellant contentioſiores quoſque aduerſarios, & compares) ſummis viribus congrediuntur. Sed & venatori illi maximè applauditur, qui ferociſſimas beluas ſuſtinens ſuperat. Impudens eſt atque imperterritus hic dæmon: at ego propterea te mirari ac ſtupere non deſino, quod huiuſmodi aduerſarium nactus tam violentum, lapſus non es, neque in deditionem venire toleraſti: ſed rectus ac rigidus perſtitiſti, nulla ex parte illius improbitati cedens, aut loco motus. Porrò quod nõ aſſentandi ſtudio nunc iſta loquar, ſed ex animo: atque vt oſtendam quam maxima ex huiuſmodi afflictione ceperis emolumenta, patere, quæſo, nos **B** fiducia tantiſper in loquendo vti: neque enim aliter huius rei documenta afferre poſſemus. Noſti ſanè, ac memoria tenes priorẽ tuam conuerſationem, eam ſcilicet qua ante huiuſcemodi tibi immiſſam tentationem degebas. Hanc itaque velim diligenter examines, ac præſenti, qua nunc viuis, componas: aſpicies profectò quantum lucri ex iſto conflictu conſecutus ſis. Nunc enim ieiuniis, vigiliis, lectioni, orationibúſque perpetuis intentiſſimè incumbis, grauitatemque & humilitatem excellenter conſecutus es. Antea nulla tibi laborum ratio, nulla cura erat, ſed ſtudium omne & laborem hortuli curæ pomariiſq; arboribus deuoueras. Audiui ego tunc plurimos, qui te obiurgãtes, arrogantem ac ſuperbum dicerent, atque in hac parte nobilitatem generis, patriſque claritudinem, & quòd in opibus plurimis nimia parentũ indulgentia fuiſſes educatus, cauſarentur. Vigiliarum verò quàm tunc **C** negligens fueris, ipſe meliùs noſti. Sæpè enim aliis profunda nocte ſtatim exurgentibus, ipſe graui ſomno merſus dormiebas, & cùm te alij ad collectas excitarent, indignabaris, ac moleſtiſſimè ferebas: at nunc ex quo bellum hoc & pugnam ſubiuiſti, illa omnia ſoluta ſunt atque in melius mutata. Quòd ſi quæras ex me, quamobrem cùm in deliciis ageres, ac mundi rebus omnino intentus eſſes, non tunc tibi dæmonem iſtum inſtar fræni immiſerit Deus? illud ego reſpondebo, hoc quoque ſingulari illius actum eſſe prouidentia. Sciebat enim tunc te imbecillum ſuperandum facilè, ac maturè periturum. Atque ideo ne tunc quidem ſtatim ad hanc luctam vocauit, cùm ad monachorum vitam acceſſiſſes, ſed exerceri prius te permiſit, ac prolixo tẽporis ſpatio durare: iam verò poſteaquam robuſtiſſimus factus es, tunc ad laborioſum hoc ſtudium pertraxit. Adhuc igitur eorum qui ſunt in ſeculo, **D** mentionem facis, famulumque tuum in medium adducis. Illũ enim te ſignificare voluiſſe reor, cum diceres plurimos ſeculares viros, cùm in hunc morbum incidiſſent, celeriter atque integerrimè fuiſſe liberatos. Verùm enim famulus tuus, ô amãtiſſime, & quicunque huiuſmodi cura cum illo potiti ſunt, non eadem ex cauſa cum huiuſmodi peſte congredi permiſſi ſunt, qua tu modo. Illis enim ac cæteris ſimilibus ſola terrendi eos cauſa, vt ex huiuſmodi timore meliores fierent, hanc beluam immiſit Deus: tibi verò non ea quæ cæteris cauſa eſt, ſed vt pugnares fortiter ac ſtrenuè, dummodo vinceres, coronamque patientiæ referres. Porrò victoria tunc eſt, non cùm quis adhuc theatro conſtanter luctando ſeipſum aduerſario ſubducit: ſed cum ſe præſentem iugiter exhibet, congredique atque luctatorem ſuum ſuſcipere paratum, ac demum cogitationes omnes nequam, quas ille per mœrorem ſuggerit, à ſe omnino excutit. Quòd verò res ita ſe habeat, ſic collige. Conſtat profectò omnibus, quantumlibet tu te per humili-

tatem

ratem deiicias, à ſerui tui vita tuam longiſſimè differre, ac eſſe meliorem: Deo itaque maior tui, quàm illius cura ſit neceſſe. Hoc autem dato, id quoque ſimiliter conſtabit, non eſſe odij permiſſionem illam. Si enim eſſet odij, nunquam profectò quem magis diligeret, illi addixiſſet: cùm eum qui longè fuerat deterior, tam citò illi eripuiſſet. Neque enim ex hoc ſolū id aſſeuerauerim, ſed ex quibus à Deo te deſertum putas, ex eis maximè illi curam tui ſummam eſſe conabor oſtendere. Nam ſi non ſtudioſiſſimè cuncta hactenus egiſſes, quæ ad hanc liberationem pertinerent: ſi non peregrinationes longinquas, ac laboris plenas, vt ſanctis illis viris, atque ad eiuſmodi ſoluendos nodos potentiſſimis congredereris, aſſumpſiſſes, meritò fortaſſe quidam dubitaſſent, cùm non ſatis aperta videretur eſſe cauſa, cur tantum temporis affligi te dominus permitteret: poſteà verò quam martyrum loca frequens adiiſti, vbi plurimi ex his quoque qui concitati rabie homines comedunt, ſæpe ſanati ſunt: plurimúmque temporis apud viros illos mirabiles ac ſtrenuiſſimos, quique nunquam non potiri orationum ſuarum fructu antè conſueuerant, huius rei gratia feciſti: nihilque omnino omiſiſti, quod ad hanc abſolutionem conferre poſſe vlla ratione videretur, reuerſúſque es ferens tecum inimicum, apertum ac certiſſimum diuinæ circa te prouidentiæ documentum, & eis quoque qui valdè inſipientes ſunt & hebetes, conſpicuum retuliſti. Nunquam enim profectò tantam impendiſſet Deus gratiam, nunquam tot incaſſum labores effundi, nunquam ſeruos ſuos ita mœrore ſuffundi paſſus eſſet, niſi id & tuæ probationi, & vtilitati vehementer expedire cognoſceret. Itaque quod tu diuinæ derelictionis ſignum putas, id in primis ſummi in te affectus & amoris certum argumentum eſt.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI *ad Sagittarium monachum de angore animi, liber ſecundus.*

ET iſta quidem de prouidentia Dei, vtque ille non auerſans & execrans, ſed & nimium indulgens ac diligens hoc te exercet modo, dixiſſe ſufficiat. Quoniam verò alia etiam ex parte vehementer te angi queſtus es, vt ſæpenumero dæmon vel pelago, vel præcipitio, vel alio quouis informis lethi genere vitam tibi extorquere ferè perſuadeat: agè de huiuſmodi quoq; cogitationibus paucis diſſeramus. Nempe enim ſolius dæmonis non eſt illud conſilium, ſed etiam mœroris: imò verò plus mœroris quàm dæmonis, fortaſſe verò mœroris ſolius. Quod ex eo profectò conſtat, quòd plurimi etiam ab huiuſmodi inſectatione liberi, dolore ſolo ac mœrore agitati mortem ſibi vltro conſciuerunt. Hunc igitur ex animo tuo fuga ac penitus elimina. Videbis nullam vim reſtare dæmoni, non ſolum ad perſuadendum iſta, verùm ne ad ſuggerendum quidem. Nam quemadmodum hi qui parietes ſuffodiunt, noctis tempore, extincto lumine, & furari opes, & earum dominos cum omni facultate iugulare poſſunt: ita & hic per cæcæ noctis horrorem ac tenebras mœrorem effundens, cogitationes omnes, quæ ad munimen noſtrum eſſe poſſunt, ſubducere prius ac furari nititur, vt deſertam & ſine adiutorio animam inuadens, plagis eam innumeris confodiat. At verò cùm quis ſumma & intentiſſima in Deum ſpe aſſurgens, has tenebras diſiecerit, atque ad Solem iuſtitiæ confugiens, clariſſimum illius iubar totis animæ viribus haurire & recondere ſtuduerit, protinus cogitationum ſuarum tumultum in latronem illum impurum transfundet. Nam & qui furta noctu aucupantur, cùm qui illos deprehenderit, ac lumen oſtenderit, tremunt, fluctuant atque perturbantur. Et

Angoris, & deiectionis animi incommoda.

Simile.

A quomodo, inquies, poſſit quis hoc dolore liberari, niſi prius eripiatur à dæmone agitatore, eiuſque doloris incenſore? Non dæmon eſt qui mœrorem mouet, ſed mœror potius vires dæmoni adminiſtrat, cogitationéſque malas ſuſcitat. Atteſtatur huic rationi noſtræ beatiſſimus Paulus, qui cùm de lapſis in ſceleris ruinam Corinthiis ſcriberet, non dæmonem aliquem metuere, ſed mœroris magnitudinem timere deprehenditur. *Ne fortè,* inquiens, *abundantiori triſtitia abſorbeatur qui talis eſt.* Cæterum vt concedamus dæmonē acriùs inſtare, pulſo ex animo mœrore, quid iam erit ex hoc incommodi, vel detrimenti? Quid hic per ipſum aut paruum, aut magnum poſſit contra nos? At verò mœror abſente dæmone multa per ſe horrenda efficit, plurimoſque eorum qui ſibi neglexerunt laqueos, conſciuerunt gladios, vel fluuij ſe vndis, vel flammis donauerunt, vel alio quouis genere perdidere ſeipſos, ſola doloris ac mœroris vi ad ita occumbendum impulſos reperiemus. Quòd ſi inter eos quiſpiam fortaſſis fuerit arreptus à dæmone, huius quoque perditio non dæmoni, ſed mœroris tyrannidi ac violentiæ meritò imputanda erit. Et quomodo, inquies, poſſum non mœrore affici? Si à multitudinis opinione, quam habeas de huiuſmodi re, longiſſimè recedens, ſola ſuperna ſentias. Nunc enim idcirco ea res grauis atque horrenda videtur, quia vulgares turbæ ita exiſtimant. Atque ſi omiſſa inani fallacique exiſtimatione ipſam rem diligentiùs conſiderare volueris, inuenies nullam ineſſe ei mœſtitiæ occaſionem: quod iam ſæpe ſuperius oſtendimus. An verò æqualium tuorum, & in religione ſociorum gratia afficeris? Reor enim te intuentem illorum lætitiam ac fiduciam cum fratribus confundi, atque ex triſtita confundere.

2. Cor. 2.

B

C Atqui ego id veraciter dixerim, ſiquidem his in ſumma continentia & ſobrietate, atque in reliqua vitæ philoſophia degentibus, ipſe in ludis, & in aleis, & comeſſationibus tempus omne conſumeres, rationabilis profectò eſſet hic mœror tuus. Sin autem eandem incedis viam, eius cauſa quid angeris? quid anxius tabeſcis? Equidem ſi mihi ad aliquem ex his ſermo eſſet, qui facile extolluntur laudibus, ea quæ modo dicere intendo, profectò tacuiſſem. Quoniam verò ea mihi de te ſpes & confidentia eſt, quod quantumlibet quis te laudat atque admiretur, nunquam humanitatem deſeres, ac ex eis laudibus potius humiliaberis, atque inter extremos teipſum ſtatues, cuncta, nihil metuens aut diſſimulans loquar. Tanta didici tibi acceſſiſſe religionis incrementa, támque ſingulares profectus, vt non iam cum adoleſcentulis illis, ſed cum magnis admirandiſque viris virtute contendas. In nullo te illis inferiorem aiunt. Non ratione ieiunij. Quo enim pacto, cùm panem & aquam tantum in cibum ſumas, idque poſt biduum vel triduum?

D Non vigiliarum prolixitate, cùm vt ipſi plures vnà noctes inſomnes orans tranſigas. Non diuturno inſtituto, quo te quoque plurimos illorum tranſcendere fama eſt. Audio admirans, vt tibi omne tempus in lachrymis perpetuiſque orationibus conſumitur. Sic enim referunt, qui à te ad nos proficiſcuntur. Et quemadmodum hi, qui ſilentio ſe deuouerunt, ſeque ipſos tugurio breui incluſerunt nihil loquuntur: ita & te aiunt in tanta conuerſantem multitudine perſiſtere. Porrò cōtritionem cordis tui, ſqualorem ac dolorem, & hi qui enarrant, exhorreſcunt, plurimóſque hîc, dum tua narrarent inſtituta, compunxerunt. Nullum vnquam ingredientium, aiunt, reſpicit, nihil ex conſuetis laboribus relaxat. Sæpius orauimus vt parceret oculis, ne eos perpetuis lachrymis contereret, ne tempora vigiliarum nimietate, irrem, iſdoque & iugi lectionis ſtudio fatigaret, neque id ſibi perſuadere potuimus. Hoc ergo te mœrore conficit atque perturbat, quod æquales tuos tanta excellen-

A tia ſuperas, quòd acerrimum & infeſtiſſimum nactus aduerſarium, tanto ſpatio tecum pariter currentes exceſſiſti. Ergóne non meritò dicebam mœrorem hunc præſumptæ ſolum eſſe opinionis, quæſitum verò & perſpicuum ſummas nobis lætitiæ ac trãquillitatis materias præbere? Quæ enim vtilitas, quæſo te, à dæmone non corripi, ſi omnis conuerſatio & diligenter exacta, & rite concluſa fuerit? At fortaſſe confunderis ac erubeſcis, cùm te ſub oculis quorundam deiicit? ſed hoc tibi ex eadem occaſione contingit, quod multitudinis opinione negotiũ hoc, non ratione metiris. Namque cadere non id tantùm eſt, quod tu te pati dicis, ſed in peccatum corruere. In hoc ſanè caſu dolere, in hoc erubeſcere conuenit. Nos contrà in his quæ nullam habent verecundiæ rationem, confundimur: quæ autem reuera ſunt turpia, execrationéque ac ſupremo digna cruciatu, ea dum perpetramus, nihil nos mali pati arbitramur. Atque B anima quidem ſingulis diebus corruente, nullus eſt qui lugeat: ſi quandò verò corpus hoc aliquid patitur, id verò durum atque intolerabile eſſe dicatur. Nónne id potius eſt à dæmone corripi, ſi adeò mirabiliter animus afficiatur, atque ita circa rerum iudicia fallatur? Nam ſiquidem ex ebrietate patereris, confundi meritò ac mœrere debuiſſes: quippe id voluntatis crimen eſſet. Sin autem alterius violentia id fit, non is qui deiicitur atque eam violentiam tolerat, ſed is qui illam infert, erubeſcere & confundi debet. Nam & in platea, & ſi quando non commiſſa pugna alter alterum impellens deiicit, non cadentem, ſed impellentem cauſamur omnes. Vtile quidem eſt erubeſcere, ſed tum profectò, cum aliquid geſſerimus quod ille dignum cruciatu iudicet, qui nos iudicaturus in fine eſt. Quandiu autem nihil huiuſmodi nobis conſcij fuerimus, cuius rei gratia confundimur? Neque enim ſi quis ſine ratione, nihílque abs te læſus C cæderet, aut in terram deiiceret, tuque omni manſuetudine tolerans abires, confuſionis ea res eſſet, ſed ſupremæ philoſophiæ, maximarumque laudum. Quod ſi hominibus iniurias inferentibus, perferre glorioſum eſt, eo qui mortales omnes aſtu & nequitia tranſcendit, hoc ipſum faciente, qui illius veſaniam fortiter tulerit quaſi rem vituperatione dignam fecerit, rubore confuſus perfundetur? Et quid hac contrarietate dici irrationabilius poſſit? Siquidem enim ex caſu illo exurgens, turpe aliquid, aut facere induceretis, aut loqui, ne ipſe quidem ſuper his te lugere ac dolere prohiberem. Sin autem omnia cum gratiarum actione toleras, atque ad orandũ te ſtatim conuertis, quid eſt quod tibi verecundiam aut confuſionem faciat? Sed fortaſſis dura & dolenda iudicantur probra ab aliis in os coniecta. Et quid eiuſmodi hominibus dici vituperabilius poſſit, qui neque digna D ex probatione rite poſſunt diſcernere? Iſti enim reuera inſani ſunt, ac dæmonio pleni, qui rerum natura vt ſeſe habeat, intueri nunquam didicerunt: ſed ea quæ ſunt laudibus digniſſima, vituperant: & quæ ſunt exprobranda, in laudabilium transferunt ordinem. Plurimis & phrenetici præſentes maledictis inſectantur: ſed hi qui illa audiunt, nullas ſe pati contumelias exiſtimant. Et tu igitur cùm amentes illos ita loqui audis, noli contumeliam aut confuſionem eam rem exiſtimare, ne tunc maximè probris te dignum conſtituas, dum contra te Deum per tuam impatientiam prouocas. Quoties enim ea quæ pro noſtra emendatione & vtilitate à Deo inferuntur, probro tibi eſſe arbitraris, vide quò hæc peſtis emerget. Quod ſi vis qui ſint reuera confuſione & exprobratione digniſſimi perſpicere, paucos è multis tibi conabor oſtendere. Eos ergo inſpice, qui mulierum formæ omni ſtudio addicti ſunt, qui pecuniis vſque ad inſaniam inhiant, qui potentiæ ac gloriæ ſunt cupidiſſimi, dumque iſta conſequantur, agere omnia & pati ſuſtinent, qui liuore & inuidia tabeſcunt, qui inſontibus inſidiantur, qui ſemper atram bilem patiuntur, qui vitæ præſentis commoda ſumma rabie ſectantur. Iſta reuera atque his ſimilia veſaniæ ſunt opera, ſupremiſque cruciatibus digniſſima. Iſta probris omnibus & confuſione atque irriſione inſectanda. Porrò ſi quis dum perturbatur à dæmone, ſic quoque ſummam philoſophiam per omnem vitæ ordinem oſtendit: non ſolum non exprobrandus, verum admirandus, laudibuſque meritò extollendus eſt, qui tot tantiſque præditus vinculis, curſum adeò laborioſum currit, arduamque & aſperam conſcendit virtutis viam. Cæterum neſcio quo pacto me penè & aliud effugerit, quod ipſe plus habes, quàm fratres reliqui. Id autem huiuſmodi: Si quid tibi antea peccatum eſt, facilè per hanc preſſuram id omne deletur ac remittitur. Atque à nobis hoc antea oſtenſum eſt, cum de Lazaro, & de illo qui apud Corinthios fornicatus, ſermonem haberemus. Sed patri, inquies, timeo: etſi enim omnia mea modeſtè ac leuiter perferre poſſim, quomodo illius cladem ac veſaniam feram, ſi quandò quid horum illum explorare contigerit? Hactenus quidem nihil perſenſit. Eſt autem maximæ puſillanimitatis, eorum gratia, quæ necdum contigerunt, incertúmque eſt an euentura ſint, mœrore iam nos ac dolore conficere. Vnde enim nobis conſtet hæc ad illius peruentura notitiam? imò verò ſit hoc planè perſpicuum, concedamuſque ſi vis cuncta illum noſciturum, plurimáque furioſè & atrociter facturum. Laudo te equidem, ſi illius indoleas vicem, cæterum nolo id cum tuo detrimento facias. Quippe eos qui ſuperna, non terrena ſapiunt, non ſolùm ira & concupiſcentia, cæteriſque perturbationibus, ſed mœrore etiam abſtinere conuenit. Hic enim longè pluribus quàm perturbationes illæ nos incommodis afficit: prorſuſque neceſſe eſt aduerſus illum nos fortiſſimè inſurgere, niſi omnino perire velimus. Nam ſiquidem ipſe huiuſmodi calamitatum patri author fuiſſes, rectè ſanè trepidares ac tremeres, qui tantæ illi perditionis cauſa eſſes: ſin autem ipſe ſe met ſummis malis atque incommodis affici vult, nihil te hoſtium penitus tangit, niſi inquantum patri piè condolendum eſt. Præterea neſcimus quomodò huiuſmodi rumores ille laturus ſit. Plurima enim ſæpe cõtrà quàm ſperabatur, emerſerunt. Toleraturum autem illum ſine moleſtia præſumi facilè poteſt. Cur id? Habet adulterinos filios, quos & plurimi facit, & maximè diligit. Porrò hæc illius amoris vis eiuſmodi mœrorem facillimè lenire poterit. Ne igitur teipſum curis excrucies. Nam ſi dolendum eſt, eius profectò rei gratia dolendum eſt, quòd irrationabilibus ſumptibus, quòd comeſſationibus, quòd faſtu & tyrannide, quòd præſenti inceſtu opinioni ſuæ maculam inducit: & quod omnibus grauius eſt, periculo ſe æternæ mortis exponit. An tu modicum ſcelus exiſtimas vxore illius matre veſtra viua atque incolumi, alterius maculari concubitu, filióſque ex illicito procreare matrimonio? Iſta luctu digno, iſta lachrymis & omni comploratione miſeranda, quæ aperta ſunt, atque in finem peſſimum excedunt. Quæ verò tui gratia futura ſunt, fieri poteſt vt grauia ſint: fieri item, vt opinione leuiora. Summæ verò eſſet amentiæ, in rebus adeò incertis certò ſe iam cruciatu conficere. Vt autem concedamus interim illum vehementiſſima indignatione concitatum: at citiſſimè illius iſta commotio ſedabitur, & antequam planè incendatur, extinguetur. Homo enim tot deliciis accubans, maximarúmque rerum curis implicitus, paraſitos & aſſentatores nutriens, puellamque illam tam vehementer ardens, ex qua filios habet, veſtros ex dimidio fratres, etiamſi tuos caſus perceperit, dolorem minimum

capiet.

capiet. Idque non ex his ſolùm quæ dixi, ſed ex præteritis coniicio. Noſti enim, planè noſti, cum te ille nimium antea diligeret, totúſque in te quieſceret, atque ex te pendere videretur, ex quo te ad monachorum vitam atque inſtituta intuliſti, affectus omnis ille quàm refrixit. Rem enim ille te facere turpiſſimam, & maiorum ſuorum gloria indignam opinionemque & claritatem generis obſcurare obteſtans clamabat. Itaque (niſi tamen nimis ineptum quod dicam videatur) arbitror illum rem geſtam cum voluptate auditurum, quaſi pœnas dederis, quòd orante illo ſæpius, atque à vitæ iſtius tolerantia te remouere cupiente, conſilium ipſius nunquam paſſus ſis admittere. Et de patre quidem, ac timore tuo, quòd de illo maximè ſollicitus es, iſta habui quæ dicerem, ſufficientia, vt reor, ad omnem huiuſce metum excludendum. Quoniam verò malorum tuorum ſummam eſſe aſſerebas, quòd neque de futuris poſſes certius confidere, neque [B] ſcires huiuſmodine vnquam vinculis ſoluendus eſſes, an in finem vſque pugnare te ille decreuiſſet, qui tibi certamen hoc propoſuit, ne ipſe quidem exploratum ac certum aliquid dicere, aut futurorum euentus aperire poſſum. Illud tamen ſcio manifeſtè, tibiq́ue perſuaſum cupio, vtrumuis horum contingat, pro tua vtilitate & gloria futurum. Quòd ſi hoc animo fueris, citò ſupremum hunc malorum, vt ais, verticem abs te arcebis. Adhæc illud quoque tibi cogitandum eſt, præmiorum & coronarum tempus eſſe futurum ſæculum, colluctationum verò ac laborum præſens. Quod nobis [1. Cor. 9.] apertius inſinuare volens beatus Paulus, dicebat: *Sic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aerem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & ſeruituti ſubiicio, ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar.* At verò cum ad finem certaminis veniſſet, tunc demum beatiſſimam illam emiſit vocem [2. Tim. 4.]: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, iam repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* [C] Oſtendens vitam omnem in certaminibus & laboribus nobis eſſe agendam, ſi cupimus æterna requie boniſq́ue illis perfrui. Sin autem aliquis ita delicatus ac negligens ſit, vt putet ſe & huius vitæ voluptatibus, & præmiis ac gaudiis cœleſtibus iuſtis præparatis frui poſſe, hic ſeipſum prorſus fallit ac decipit. Nam ſicut in athletis, qui intempeſtiuè certaminum requiẽ & abſolutionem quærit, confuſionem ſibi atque ignominiam parat: qui verò in ſtadio labores omnes fortiter tolerat, coronam, & gloriam, & laudes, & in ipſo certamine, & poſt ſolutum theatrum à ſpectatoribus conſequitur: ita in nobis quoque fit. Nam is qui qui laborum tempus quieti dedicat, tunc immugiet & ſtridebit dentibus quando inſeneſcibili illa & æterna requie debuiſſet requieſcere, extrema & immortalia ſupplicia luere cogetur. Qui verò preſſuras omnes promptè ac libenter tulit, & hîc, & in futuro ſeculo clariſſimus erit, veráque & immortali [D] gloria beatus. Nam ſi in ſecularibus, qui rerum tempora confundit, omnibus ſibi propoſitis commodis excidit, atque innumeris ſe calamitatibus exponit, longè id magis in rebus ſpiritualibus patitur, qui temporum ordinem ignorat. Dixit enim [Ioan. 16.] Chriſtus: *In mũdo preſſuram habebitis.* Beatus enim Paulus [2. Tim. 3.]: *Et omnes, ait, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* Non ſolas hominum perſecutiones dicens, ſed & dæmonum inſidias. Iob quoque [Iob 7.], *Tentatio*, inquit, *eſt vita hominis ſuper terram.* Quid ergo angeris? quid grauiter fers? quid in ærumnæ temporibus vexaris? Tunc enim dolendum, tunc ingemiſcendum eſſet, ſi quod Chriſtus preſſuræ tempus deputauit, id nos deliciarum & quietis faceremus: ſi quo tempore pugnare ac laborare iuſſi ſumus, eò torperemus: ſi latam incederemus viam, cum ille per anguſtam præceperit eundum. Ita enim neceſſariò iam nobis relinqueretur cruciatus ille ſempiternus. Quid ergò, inquies, de illis di-

[A] cis, qui & in iſto ſeculo gradiuntur in latitudine, & in futuro æternis præmiis fœliciſſimaque requie donãdi ſunt? Quem tu mihi talem dabis? Ego enim ſolius Chriſti verbis acquieſco dicentis [Matt. 7.]: *Anguſta & arcta via eſt, quæ ad vitam ducit.* Quòd autem per anguſtam viam latè iri non poſſit, omnibus profectò liquet. Si enim in exterioribus certaminibus nullus abſque ſudoribus coronam referre poteſt, atque id cum eiuſdem naturæ conſortem habeat aduerſarium: vbi nobis virtutes illæ nequam obluctantur, quo pacto ſine ſummis laboribus preſſuriſq́ue & anguſtiis illarũ inſaniã ſuperare poterimus? Sed enim nos quandiu rationibus iſta ventilamus, cùm liceat confugere ad beatos illos ac fortiſſimos qui prioribus fuere tẽporibus? Examina diligẽtius eos, qui fuerunt nominatiſſimi, videbis omnes primò aduerſitatibus probatos, ita demum diuina familiaritate dignos habitos fuiſſe, maximámque ad illum habuiſſe confidentiam. Atque primò, ſi [B] placet, primum temporis inſpiciamus filium [Geneſ. 4.], agnum Chriſti ſecundum Abel. Is cum in nullo ius violaſſet, ea paſſus eſt quæ merentur hi, qui grauiſſimè peccauerint. Nos enim dum flagellis erudimur, peccatorum noſtrorum pœnas damus. At verò iuſtus ille nulla cauſa cruciatus eſt, niſi quia iuſtus erat. Atque is quidem quandiu nullum excellens virtutis ſuæ documentum dedit, agnoſcebat illum frater: vbi verò ex ſacrificio placuit, claruſq́ue meritis eluxit, tum iam naturam quoque ipſam ille ignorauit, inuidia ſcilicet cæcatus. Vnde verò noſti an modò quoque eadem cauſa diabolum aduerſum te concitauerit, vitæq́ue tuæ fulgor illum ad hanc pugnam euocauerit? Rideas placet iſta loquentem, laudo equidem humilitatem tuam, non tamen ab hac ſententia deſiſtam. Si enim ille adipem offerens ita Deo charus acceptuſq́ue fuit, is qui nihil extrinſecus, ſed ſeipſum totum obtulit [C] Deo, multò profectò magis aduerſum ſe prouocauit inimicum. Deus autem te illum inuadere permiſit, ſicuti & tunc cædem illam tam immanem haudquaquam impediuit: ſed paſſus eſt ſanctum illum atque innocentiſſimum virum in ſcelerati parricidæ manus incidere, neque eum eripuit, qui propter ſe atque ob gratiam honoris ſui mactabatur. Noluit enim illi coronas ſuas minui. Quocirca ad finem vſque illum excurrere permiſit. Et quis inquies, cruciatus eſt mors? Vtinam quidem hunc & ego ſubirem cruciatum. Iſta nunc dicis amantiſſime. At prius res omnium grauiſſima eſſe putabatur, omniq́ue ſupplicio immanior. Denique in lege Moſi hi qui maxima quæque deliquiſſent, ac venia indigni, morte mulctabantur. Sed & ipſos quoque externos legumlatores, hi qui in maximis turpiſſimiſq́ue flagitiis deprehenduntur, non alio ſupplicio afficiuntur, ſed tamen perditiſſimorum hominum ſupplicium iuſtus ille perpetitur, imò [D] verò eo grauius, quo & fraterna dextra percuſſus occubuit. Quid autem de Noë dicimus? qui & ipſe [Gen. 9.] iuſtus ac perfectus fuit, cunctiſque corruptis ac perditis, ſolus placuit Deo, reliquis omnibus illum offendentibus. Innumera planè iſte aduerſa pertulit, preſſuraſq́ue plurimas ac varias. Neque enim vt Abel continuò mortuus eſt, neque id paſſus quod tibi leuiſſimum videtur, ſed longiſſimam vitam tolerauit, tot annos his qui ferunt onera, grauiſſimoque ſemper pondere premuntur, nihilo leuius aut quietius affectus. Hoc autem ſtatim apertiſſimè probabo, hinc initium ſumens. Annum integrum iſte carceri addictus fuit, carceriq́ue peregrino & horrendo. Vt enim ferarum ſerpentium multitudinem omittam, quibus cum tanto tempore communiter vixit, in tantis relictus anguſtiis: quid illum animi habuiſſe putas inter adeò ingentes tot tonitruorum mugitus, fragoreſq́ue nimborum? Quippe inferior abyſſus diſrumpebatur, ſuperior ſumma impetus vi demittebatur, cum in-

trinſecus ille cum liberis ſedebat ſolus. Etſi enim de fine quieto ſecurus erat, per eorum tamen quæ fiebant vehementiam, metu ferè præmortuus fuerat. Vbi enim nos cum habeamus firmiſſimas ſedes ac domos in terra altius fundatas, vrbeſque ſeptas mœnibus inhabitamus: tamen ſi videamus pluuiam vel modicè vehementius ſolito demitti, concidimus metuque conſtringimur: quid ille paſſus æſtimetur, cum ſolus intus eſſet, abyſſumque illam horrificam, ac varia diſcriminum genera conſideraret? Denique ſufficere ſolet ad feriendos ſummo pauore animos, vrbē vnam, vel domum etiam vi aliqua inundationis abſorptam vndiſque opertam cernere. At verò quando id orbis vniuerſus paſſus eſt, dici non poteſt, quanto vir ille iuſtus mœrore, quo metu, cùm in mediis fluctibus circumferretur, affectus ſit. Totum ergo annum illum in eo metu ac dolore egit. Cum verò tandem diluuium ceſſaſſet, paulatim quidem iam cedebat metus, ſed plenè mœror augebatur, (B) prodiētemque ex arca tempeſtas alia excepit, priore non minor, cum intueretur horrendam illam ſolitudinem, necemque illam violentam: atque interfectorum corpora limo ac luto permixta, cunctoſque pariter homines, & aſinos, & cætera his etiam ignobiliora animantium genera, vno prorſus miſerabili ſepulchro obrupta: Nam etſi nimiū peccatores fuerant, qui talia perpeſſi erāt, homo tamē erat Noë, gentiléſque ſuos non poterat non miſerari. Quippe & Ezechiel cum iuſtus eſſet, ſcirétque Iſraëlitas iniquiſſimos ex omnibus, videns tamen illos iugulari & corruere, hoc idem paſſus eſt, atque illachrymauit: & certè anticipans Deus omnem ſibi illorum impietatem reuelauerat, atque ipſis oculis intuendam præbuerat, vt cum illos puniri inſpiceret, eam calamitatem fortiter perferret. Sed tamen cùm tanto præſcientiæ ſolatio præparatus eſſet, (C) ita quoque angebatur eorum cladibus, corruénſque pronus in terram clamabat: *Heu mihi domine, deles tu reliquias Iſrael?* (Ezech. 9.) Non ſemel autem ſolum perpeſſus eſt, ſed & ſecundò cum Iechoniam regem gentis ſuæ cerneret occiſum. Itaque & Noë tametſi innumera ſciebat illorum eſſe ſcelera, non tamen Ezechiele ſiue Moſe fortior erat: quippe & ille ſæpe eadem quæ Propheta paſſus eſt, peccantes intuens Hebræos, tunc eos maximè miſerabatur, quando puniendi erant, magíſque ipſe quàm qui puniebantur, angebatur. At verò calamitas hæc longè erat grauior: quippe dum tot premeretur anguſtiis, ſolitudine horribili, miſeria gentis ſuæ, pereuntium multitudine, mortis genere, terræque totius deſolatione, atque vndique mœror increſceret, qui ſe vehementiſſimè concuteret: adiicitur continuò conſolationis loco nati contumelia, res quidem intolerabilis, verecundiæque & doloris incredibilis. (D) Quantò enim amicorum probra grauiora quàm inimicorum ſunt, tantò iniuriæ à filiis acceptæ, quaſlibet amicorum quoque iniurias ratione doloris exuperant. Cum enim quem genuerat, quem educauerat, quem erudierat, cuius gratia labores plurimos ac dolores curáſque tolerauerat, eum præ cæteris contumelioſiſſimè ſe tractare cerneret, ne ferre quidem animi dolorem poterat. Contumelia quippe libero homini, tum per ſe eſt intolerabilis, tum ſi à filiis manauerit, in ſtuporem animi conuertit. Tu velim non id modò facinus conſideres, ſed ex eo ipſo coniicias, quàm ille contumelioſè priori omni tempore patre vſus ſit. Qui enim ante oculos recentis timoris imagines atque indicia verſabat, ac nuper horrido ex carcere illo protuperat, orbiſque totius clades hauriebat oculis, ne ſic quidem correptus ſiue emendatus fuerat, ſed eum quem minimè omnium debuerat, contumeliis afficiebat, neque omnium mortalium nece, neque ſolitudine, neque Dei ira, neque alia vlla earum rerum quæ tum contige-

(A) rant melior effectus fuerat, cuiuſmodi ille ante diluuium fuit, cum plurimos haberet, qui ſuapte natura pronum hortarentur ad vitia. Tunc enim profectò, tunc moleſtiores fluctus iuſtus ille pertulit, quàm fuerint qui pòſt in diluuio contigerunt, & huiuſmodi ipſius filij, & reliquorum omnium gratia. Nam in diluuio quidem ſola illum aquarum multitudo anguſtabat: ante diluuium autem vndique vitioſitatis abyſſo comprimebatur, vndique cunctis vehementius inſidiis nequiſſimorum hominum, ac ſceleribus collidebatur. Solus enim relictus in tanta ſceleſtorum hominum flagitioſorúmque multitudine, etſi nihil aliud patiebatur, irriſiones tamen plurimas, ac iurgia quotidie ferebat. Idque cùm aliàs antea, tum maximè quando illis de futuris cladibus verba faciebat. Iſtud verò quantam vim habeat ad perturbandos animos, teſtatur, qui ex vtero matris ſanctificatus eſt, Hieremias, qui propterea prophetiam quoque ipſam re- (B) linquere meditabatur. *Dixerat* enim, inquit, *vt non prophetem.* (Hiere. 20.) Præterea id ſolum, quòd nullus illi erat vnanimis, nullúſq; ſuis moribus conformis, quantū illi tædij, quantū putas mœroris offuderat? Neq; hoc tantum angebatur vir fidelis, verū ex illorum miſeratione cruciatus innumeros horis ſingulis patiebatur. Non enim tunc ſolum mœrent viri iuſti, cum iuſtos morientes aſpiciunt, ſed etiam cum peccantes vident. Imò verò multò amplius morte iſte animarum quàm corporum anguntur, quod ex prophetis facillimè animaduerti poteſt. Alius quippe illorum amarè ingemiſcens: *Væ*, inquit, *mihi, quia periit pius ac religioſus de terra, nec eſt in hominibus, qui quod rectum eſt faciat.* (Mich 5.) Alius ad Deum loquebatur. *Quare oſtendiſti mihi labores & dolores?* (Abac. 1.) Et de his qui iniuriis opprimebantur nimium condolēs lugebat, dicens: *Facies homines vt piſces maris, non habentes ducem.* (Ibid.) Quod ſi tunc iſta contingebant, cum leges conſtitutæ (C) eſſent, & principes, & iudicia, & ſacerdotes, & prophetæ, & cruciatus: conſidera quanta impudicitiæ magnitudine ſub Noë cuncta ſcelera immittebantur, cum nullo horum adhuc homines quaſi fræno continerentur. Et ſub prophetis quidem non valdè longæua erat vita ætáſq; mortalium: ſed ſeptuaginta vel octoginta annis terminabatur: tunc verò vltra ſexcētos annos humana vita tenebatur. Vt igitur alia omittam, quot labores, quot negotia ſubire cogebatur, qui adeò prolixum iter gradiens currebat, ac viribus totis intendebat in tanta viæ longitudine ne parum quidem diuertere, cum plurima eſſent quæ prohiberent? Et quid dico plurima, cum tota prorſus vita à finibus ad fines terræ eſſet huiuſmodi, tota ſcopulis, ſentibus, belluis, ſqualore, peſte, algore, maleficiiſque omnibus plena. Equidem facilius exiſtimauerim anguſtiſſimam ſemitam profundiſſima nocte ſemper incedere, (D) quàm illis temporibus virtutis viam: tot & tanta erant, quæ greſſus illius rectos conarentur euertere. Cum enim omnibus quæcunque velint agere licitum ſit, vnus verò ſolus contrariam omnibus incedat viam: quando is ad finem peruenire poterit, cunctis illum retro impellentibus, atque à cœpto excludentibus itinere? Cuius enim difficultatis ſit cum plurimis degendo rectè operari, documento nobis ſunt hi, qui modò quoque ſolitudines occupant: cum tamen rectè viuendi formam vbique diſſeminatam, concordiámque & ſummam ad inuicem beneuolentiam, charitatiſque conſenſionem cernere in promptu ſit. Tunc verò nihil horum inueniri poterat, ſed aduerſum virum illum omnes vnà feris omnibus immaniores erant. Quid igitur hac vita triſtius, quid luctuoſius, quid laborioſius dici aut fingi poteſt? Equidem oſtenſurū me promiſeram illum nihilo meliore conditione fuiſſe his qui ſemper onera ferūt, nunquam requieſcunt, ſed ratio aliquid amplius efficit. Non ſolum enim non meliore, ſed & longè grauiore ac

Digitized by Google

Abraham omnem ætatem in afflictionibus cõſumpſit. & multi alii ſancti.

deteriore conditione fuiſſe nobis patefecit. Videtur plurimis Abraham ætatem omnem proſperè ac tranquillè vixiſſe. Quocirca fœliciores quoſque & vndique florentes illi comparare ſolent. Age ergo inquiramus diligentiùs, quæ illi contigerunt. Hic mihi videri ſolet longè grauiora quàm Noë, quàmque Abel perpeſſus: ſed ego ſatius eſſe ac melius iudico nihil interim dicere, quod rerum diligens diſcuſſio ſententiam ferat. Quæ igitur illi in Perſide & vſq; ad ſeptuageſimum annum contigerunt triſtia, nullus apertè ſcire poteſt: neque enim beatus Moſes eius nobis temporis hiſtoriam tradidit, ſed omni ætate omiſſa, à ſeptuageſimo anno narrationis ſuæ cepit initium. Quòd tamen & ipſe non diſſimilia Noë perpeſſus ſit, valdè rationi conſentaneum eſt, cum inter tot impios ac barbaros ſolus pietatem coleret. Hoc ſanè incertum, vt reliqua, obſcurumque non eſt: imò ita clarum, vt id tardiſſimi quoque facilè conieâare poſſint. Verum iſta quoque modò omittamus: atque à peregrinatione ſua ordiamur, illud primò inquirentes diligentiùs, quanto itineris ſpatio Chaldæorum prouincia à Palæſtina ſeparata ſit, aut quænam fuerit vitæ illius conditio, quomodo tunc ſibi miſceri illi potuerint: quis fuerit viuendi atque conuerſandi modus. Non enim quia facilè tunc iuſtus ille obediuit, res & continuò facilis exiſtimetur: neque quoniam citò ac breuiter Moſes rei geſtæ digeſſit ordinem, opus ipſum verborum breuitate putes imitatum. Iſta enim dicere & narrare facillimum eſt, agere autem, laboris difficultatiſque pleniſſimum. Viæ igitur iſtius longitudinem, locorúmque intercapedinem diligentiùs nobis enarrare poſſent, qui inde ad nos profecti eſſent. Nos hactenus cum illorũ quidem nemine congreſſi ſumus: vnum verò ex his, qui ex citeriore prouincia adueniunt nacti, cum ab illo inquireremus quò iter agere coactus eſſet, triginta & quinque dierum numerum audiuimus: & Babylonem quidem ille nunquam ſe vidiſſe ait; audiſſe tamen ab his qui ibi fuerant, tantundem itineris reſtare conficiendum vt eò perueniretur. Atque huiuſmodi diſtantia locorum & tunc erat, & nunc eſt. Porrò itineris conditio non ea modò eſt, quæ tunc fuiſſe creditur. Nunc enim & manſionibus perpetuis diſtinctum eſt, & vrbibus ac villis frequentibus ornatum, viatoreſque plurimos offendunt, qui illuc proficiſcuntur, quod non minus ad ſecuritatis rationem valet, quàm manſiones, vrbes atque villæ. Præterea & ex prouincia ciuitatum principes deligunt viros corporis magnitudine & robore cunctos excellentes, iaculóque & funda tantum valentes, quantum vel ſagittarij ſagittis, vel armati pilis: ſtatutiſque ducibus quibus illi obtemperarent, hoc eis vnicum iniungunt munus, ſolamque itineris tuendi curam cuſtodiamque permittunt. Ad hæc aliam longè his omnibus diligentiorem curam excogitarunt. Habitacula enim mille paſſibus ab inuicem diſtincta itinere toto fabricantes, nocturnos illic ſtatuere cuſtodes, per illorum labores & vigilias maximum contra latronum impetus munimen viatoribus conſtituentes. Tunc verò nihil horum erat, non villæ perpetuæ, non vrbes, non diſcretæ dierum ſingulorum manſiones, non crebra diuerſoria, non commeantium veſtigia, non aliquid denique huiuſmodi. Libet nunc omittere ſemitæ aſperitatem, aëriſque inæqualitatem, quæ etſi deſint, & alia per ſe viatoribus ſunt moleſtiſſima. Teſtes mihi ſunt, qui cum vehiculis iumentiſque inuehuntur: & ne ſic quidem conſueta itinera audent incedere, niſi priùs ea ſtrata lapidibus viderint, foueaſque impleuerint, atque cuncta complanauerint. Cæterùm tunc inhabitabili regione erat via illa deſertior, ipſiſque montibus & collibus aſperior: præruptiſque omnibus & præcipitiis periculoſior. Nondum id quod eſt omnium grauiſſimum dixi, quo pacto barbaris feriſque nationibus nouus ſemper hoſpes iungebatur. Hoc enim maiora illi atque difficiliora indies negotia præbebat, cum omnes tunc per gentes, imò verò (vt verius loquar) per ciuitates diuiſi eſſent atque ſeparati. Neque enim ſicuti nunc in maxima orbis parte fieri cernas, vni imperio, vniuſque ditioni mortales omnes ſeruiebant, eiſdemque gubernabantur legibus: ſed veluti corpus in multa membra conciſum, ita hominum genus diſperſum erat atque diſſipatum, hoſteſque ex hoſtibus iuſtus ille mutare indies cogebatur, etiam antequam priores effugeret, rurſus in alios incidens, cum alibi quidem confuſè plurimi dominarentur, alibi nullus dominationis ordo ſeruaretur. Quid igitur hoc vitæ genere moleſtius? Non enim ſibi ſoli metuebat ac pauebat, verum patri, & vxori, & nepoti. Seruorum quoque non exigua nec contemnãda erat cura, etiam cum domi requieſceret, nedum tunc quando vagus per aliena ferri cogebatur. At ſiquidem exploratum ille habuiſſet, quando hic error finem fuiſſet habiturus, non adeò graues illæ curæ fuiſſe viderentur: nunc verò cum ſimpliciter atque indefinitè audiſſet, *In terram*, non iſtam, vel iſtam, ſed *quam monſtrauero tibi*: omnia mente circumibat ac perluſtrabat, ingenteſque tumultus animo accipiebat, cum nunquam ſiſtere cogitationem poſſet, ſed ſuſpicari plurima, curiſque angi cogeretur. Credi enim poteſt ad orbis terræ fines, Oceanúmque ipſum ſe profecturum expectaſſe. Itaque etſi non omnem perluſtrauit terram, curam tamen huiuſce ſibi perficiendi itineris ſuſtinuit. Neque enim animo ita paratus erat, quaſi ſolam vſque Palæſtinam profecturus: ſed quaſi vbique iubentem ſecuturus, etiamſi orbem totum peruagari iuberetur etiamſi ad eas quæ extra orbem ſunt inſulas accedere. Quòd ſi ſperare contrarium præceptum indefinitum ſuaderet, id rurſus erat moleſtiſſimum. Is enim qui graue aliquid ac oneroſum toleraturus eſt, multò feret leuius, ſi apertè ſciat quid ſibi ſuſtinendum ſit, & ad quid ſeſe præparare debeat quàm ſi per omnia cogitationibus iactetur ambiguis, & nunc læta, modò triſtia expectet: nec poſſit cuiquam horum firmiter hærere, cum vtrumque pariter ſperari aut credi poſſit. & iſta quidem antequam in repromiſſam terram perueniret. Cùm verò tandem Palæſtinam veniſſet, & quaſi iactis anchoris ſe iam quieturum ſperaret, tunc verò maior illum in portu tempeſtas excepit. Eſt autem ea non minima doloris pars, cum quis aduerſis ſe ereptum putans, atque ad finem ipſum perueniſſe, cura iam omni & cogitatione ſolutus, rurſus initium aliud malorum congredi compellitur. Nam qui ad ferenda fortiter aduerſa adhuc paratus eſt, æquiore animo iſta cum ſibi inferentur, excipiet. At verò ſi poſitis curarum cogitationibus, dum ſe quieturum ſperat, aliquid huiuſmodi contingat, duabus ex partibus turbatur, ac facillimè dolore capitur: quippe dum præter ſpem & expectationem vtitur curis, & animo iam ſollicitudine vacuo, ſeſe præparare deſiit. Quænam ergo iſta poteſtas fuit? Fames ita valida Palæſtinam occupauerat, vt inde continuò exurgere coactus ſit, atque in Ægyptum proficiſci. Quò cùm perueniſſet, veluti malorum finem inuenturus, alia illum rurſus fame triſtior atque acerbior clades inuaſit, adeò vt periclitari de vita cogeretur: atque eò timoris deductus eſt, vt quod humana exiſtimatione grauiſſimum eſt omnium, vxorem ſcilicet alienæ libidini exponere, metu coactus eligeret. In tantam enim tunc neceſſitatem deuenit, vt etiam hypocriſi ſubmitteretur: quo quid dici miſerabilius poſſit? Quo enim animo illum fuiſſe exiſtimas, cùm vxori ita conſulere cogeretur, & diceret: *Scio ego quòd mulier decora facie ſit. Erit ergo cùm te viderint Aegyptij, dicturi ſunt, quid vxor illius eſt, & interficient*

Geneſ. 12.

Ibidem.

A *ſicient me, & reſeruabunt te. Dic ergo, quia ſoror illius ſum, vt benè mihi ſit propter te, viuátque anima mea ob gratiam tui.* His verbis vſus eſt, qui propter Deum, & patriam, & domum, & amicos, & cognatos, aliáque omnia dimiſerat, qui huiuſmodi ærumnam, tantumque laboris tam prolixo tempore in itinere perpeſſus fuerat: & tamen nihil huiuſmodi locutus eſt, puta, Reliquit me Deus, & auerſatus eſt ſuaque cura & prouidentia excluſit: ſed fortiſſimè ſolùm ac fideliſſimè omnia pertulit: & qui maximè omnium vxore per ſummam vim contumeliis affecta, iraſci atque indignari debuerat, agebat omnia ne contumelia tam grauis manifeſta fieret. Hoc verò cuiuſmodi mœroris ac doloris ſit, nego ego ſermone poſſe explicari. Norunt id omnes qui vxores duxerunt, atque in zelotypiæ vnquam ſuſpicionem inciderunt. Sed & Salomon quænam ſit hæc paſſio teſtatur, dicens: *Plenus enim zelo furor viri eius, non parcet in die iudicij, neque vllo pretio inimicitias ſol-* Prou. 6.
B *uet, neque donis pluimis reconciliabitur.* Et rurſus: *Fortis vt* Cant. 8. *mors dilectio, durus vt infernus zelus.* Quòd ſi zelotypus ita excandeſcit, is qui tantis preſſus incommodis, vt cogeretur eis quoque adulari, qui ſe contumeliis afficerent, & in quòs vlciſci debuerat, cuncta facere, vt libidines explerent, ſuáque vxore fruerentur, quo non dici poteſt miſerabilior? Interea cum iſta quoque triſtia finem accepiſſent, alia rurſus aduerſa gignebantur, famique illi bella ſucceſſere grauiſſima. Omitto nunc rixas & iurgia paſtorum, diſtributionem cum nepote ſubſtãtiæ: quamuis iſta quoque, ſi cum cæteris examinentur, mœrorem facilè inferre poſſunt. Cum enim is qui ſeruatus ab eo fuerat, tantiſq; per illum potitus commodis, quem ſibi cedere per omnia, paſtoreſque ſuos increpare decuerat, hic optione propoſita, fertiliorem ſibi regionem elegit, incultam illi ac deſertiorem relinquens: quis, oro, facilè ferret,
C non dico detrimentum, ſed iniuriam, cùm videret ſe qui honoraſſet, parum gratè atque honorificè tractari? Id quidem omni detrimento grauius cenſetur: ſed hæc tamen vniuerſa prætereo. De Patriarcha enim, non de quouis homine nobis ſermo eſt. Succeſſit illi fami Perſicum bellum, cogiturque aduerſus hoſtes victoria elatos militem ducere, is qui principio non affuerat belli, integris adhuc vtriſque partibus: ſed victoria iam potitis hoſtibus, cùm eos nemo ferre potuiſſet, ſed alij quidem paſſim interfecti eſſent, alij ſe latebris & fugæ dediſſent, & reliqui in ſeruitutem abducti fuiſſent. Sed tamen cum tantæ vndique difficultates premerent, num illi vt domi maneret, quietémve ageret, perſuaderi poterat? Minimè verò: imò rei geſtæ nuntio perculſus, profectus eſt, ipſe quoque eiuſdem calamitatis particeps futurus, ſéque ipſum haud dubiæ neci expoſiturus. Nam velle cum trecentis ſeruis ſuis, vel modicè pluribus, aduer-
D ſum hoſtem numeroſiſſimum, ac victoria ferocem dimicare, nihil aliud profectò erat, quàm ſe & captiuitati, & ſupplicio, & morti acerbiſſimæ exponere. Profectus itaque eſt, vt ipſe quoque barbaricam immanitatem experiretur. Verùm Dei clementia ſeruatus, confuſis hoſtibus, prædæ ac nepotis compos cum remeaſſet, ſua rurſus incommoda flere cogebatur, cum ob defectum liberorum nullum reliquerit hæreditatis ſucceſſorem. Noli enim, cum eum audis conqueri, & ad Deum dicere? Quid mihi dabis? Ego autem ſine liberis pereo: hoc illi recens fuiſſe ac nouum exiſtimare. Hæc enim cura & ſollicitudo cum ſponſa vnà in domum iuſti illius introierat, imò verò ante ipſum ingreſſum ſponſæ. Quippe omnes conſueuimus, cùm incipimus de vxore cogitare, iam tunc rei ipſius curis omnibus tentari, quarum omnium ſuprema eſt, gignendorum filiorum ſterilitas, metúſque ille ex ea die noſtros animos excruciat. Quòd ſi contingat poſt matrimonium ſolenniter peractum, primum & ſecundum, ſiue tertium annum ſine liberis tranſire, tunc iam augetur dolor, ac læta ſpes minuitur. Rurſus alio adiecto anno omnino ſpes nos illa deſerit, ſolúmq; mœror animum occupat, per omnia vitæ iucunda ſimul obnubilans, nullum nobis voluptatis ſenſum permittit. Itaque & ſi nihil contigiſſet aduerſi, cunctaque fœcundiſſimè & ad votum ſucceſſiſſent, iſta liberorum deſideratio lætis illis rebus admota, cunctam illam proſperitatem obnubere ac deiicere ſola potuiſſet. Nam promiſſio illa diuina ad extremam ſenectutem, quando maximè deſperabatur impleri poſſe, facta eſt. Priori autem toto tempore à luctu & mœrore nunquam vacauerat: quantóque amplius augeri diuitias videbat, tantò lugebat vehementius, cum hæres illi non eſſet, qui his omnibus ſuccederet. Quid verò illum tunc paſſum putas, quando audiuit: *Peregrinum erit ſemen tuum in* Gen. 15. *terra non ſua, & in ſeruitutem eos redigent, & affligent, atque humiliabunt annis quadringentis?* Vxor autem ancillam ſuam nunc viri amplexibus iungens, nunc poſt eam coniunctionem criminibus illum & querimoniis agitans, Deúmque aduerſus eum inuocans: & quæ thori particeps fuerat, cum iam filium paritura eſſet, domo deturbari cogens, quem conſtantis licet animi, in mœrorem ac dolorem acerbiſſimum non præcipitaſſet? Iſta ſi cui fortaſſe leuia videntur, is cùm cogitauerit familias & domos integras harum rerum cauſa ſæpius euerſas, maxime iuſtum iſtum admirabitur. Etſi enim timoris diuini cauſa fortiter ferebat omnia, homo tamen erat, & his rebus non poterat non angi atque cruciari. Rurſus autem in domini domum ancilla regreditur, illíque filium parit, efficiturque Abraham pater poſt illud adeò prolixum tempus: haberéque ea res nonnihil voluptatis videbatur, ſed ea ipſa voluptas maiore vi mœroris premebatur. Nothus ille filius legitimi eum admonebat, maiúſque illius deſiderium iniiciebat. Quod enim illi dictum erat, Non erit ille hæres tuus, ſed qui egredietur ex te: de Iſmaële dictum fuiſſe arbitrabatur: nullum enim eatenus de Sara reſponſum acceperat. Cum verò iam clariorem ac euidentiſſimam de Iſaac promiſſionem accepiſſet, tempuſque partus definitum eſſet, rurſus antequam eius ſpei voluptatem vllam ſentiret, Sodomorum clades ingentem illi mœroris nebulam offudit. Nam quòd res ipſa iuſtum virum immodicè turbauerit, ex verbis illis ac prece quam pro eis fudit, omnibus profectò conſtat. Cùm verò lapſum cœlo imbrẽ illum igneum, atque omnino terribilem cerneret, cunctáque in puluerem & cinerem conuerſa, neque in ſeipſo iam erat. Nam ſi cum de longè domos aliquas conflagrare incendio videmus, deficimus, ſtuporéque & mœrore ac metu rigeſcimus: quid illum paſſum arbitramur, vrbes integras & regiones cum habitatoribus incendio non conſueto, ſed nouo ac terribili ardere conſpicientem? An tibi non videntur iuſti huius clades æquoreos perpetuóſque fluctus imitari? Sicut enim in mari antequam fluctus alij quieuerint, alij rurſus montis inſtar intumeſcunt: ita & per totam viri vitam contigiſſe perſpicies. Nam cùm adhuc Sodomorum recens eſſet illa deſolatio, rex Geraræ eadem quæ Pharao in Saram committere conatus eſt, rurſuſque mulier miſerandam ſimulationem confingere compellitur: atque in opus prorupiſſet ea contumelia, niſi prohibuiſſet Deus. Cum autem in partu illius & vxor ſimul & filius, ac tota familia lætaretur, ſolus ille in tanto omnium gaudio triſtis eſſe ac mœrore cogebatur, ancillam cum filio eiicere vi cœleſtis oraculi compulſus. Etſi enim nothus erat, atque ex ancilla natus Iſmaël, naturalis tamen vis amoris ex ea indignitate nihilo minor erat, neque imbecilliorem paternorum viſcerũ dolorem fecerat ignobilitas matris. Iſtudque ex ipſa hiſtoriæ ſerie

poſſumus addiſcere. Ille enim fortis, ille ſeueriſſimus, & qui vnigenitum propriis manibus poſtea mactandum ſuſcepit, vxore ſibi hoc præcipiente ægre ferebat: nunquamque illi ceſſiſſet, nunquam obtemperaſſet (etſi tunc maior acceſſiſſe videretur authoritas, iuſtáque ab eo poſtularet) niſi illum timor Dei vehementer impuliſſet. Itaque cum audis illum Deo iubente ancillam emiſiſſe cum filio, caue putes doloris ſenſu caruiſſe. Hoc enim erat impoſſibile, verum illius potius ſingularem admirare obedientiam, quòd cùm etiam miſerationis affectu retraheretur, emiſit tamen cum filio matrem, quorſum profectura eſſet neſciens. Tolerabat autem atque ſuſtinebat mœrens: neque enim ille natura ſuperior euaſerat. Hoc autem & in legitimo paſſus eſt filio: nullus enim eum non doluiſſe dicat, neque paternis affectibus fuiſſe commotum, ne dum vltra modum illius oſtendere nitatur philoſophiam, illum ſumma laudum omnium priuet. Nam ſi in flagitiis teterrimis quoſque deprehenſos, ac longiſſimo tempore vita potitos, ignotóſque, & quos nunquam antea vidimus, cum repente conſpicimus ad mortem duci, miſericordia ac dolore conficimur, ſæpe autem etiam illachrymamur: is qui vnigenitum atque chariſſimum filium, qui præter ſpem, qui poſt tantum temporis, qui ad extremam ſenectutem natus erat, (hæc enim omnia excitant maiorem doloris flammam) hunc iam adultum ſuis manibus mactare & incendere iuſſus nihil humanum paſſus exiſtimetur: quid iſta dicentibus ridiculoſius? Namque ſi lapis eſſet, ſi ferrum, ſi adamas denique, poſſétne non molliri, non flecti, non frangi ad decorum amantiſſimi filij aſpectum? Erat enim ad ipſum ætatis florem iam ſapientia maturus, & animi religione perfectus. Denique audiuit: Deus prouidebit ſibi ouem in holocauſtum, fili mi; nihilque perquiſiuit amplius. Aſpiciebat patrem ſe ligantem, nec reluctabatur: impoſitus rogo non reſiliebat: videbat gladium contra ſe vibrari, neque omnino terrebatur. Quid hoc animo religioſius, quid deuotius dici aut excogitari poteſt? Audebítne ergo quiſquam adhuc dicere, nihil in huiuſmodi omnibus perpeſſum eſſe Abraham? Si enim inimicum, ſi hoſtem interfecturus eſſet, etiamſi bellua fuiſſet immanis, num iſta ſine dolore perpetraſſet? Non eſt ita, non eſt. Noli iuſtum virum ita crudeliter arguere, dolebat profectò atque diſrumpebatur. Deus, inquit, prouidebit ſibi victimam in holocauſtum, fili. Quanta miſeratione verba iſta plena fuiſſe arbitraris? Continebat ſe tamen, ac premebat acerrimi doloris vim atque iſta omnia ea deuotione & alacritate patrabat, qua facerent qui nullo iſtiuſmodi impedimento continerentur. Immolatum interea filium (quippe deuotione illum immolauerat) ſanum rurſus atque incolumem reſtituit matri: quem illa ſuſcipiens, antequam affatim dulci nato frueretur, exceſſit è vita: id iuſto illi maximo mœrori fuit. Etſi enim longo ſimul vixerant tempore, nihil tamen perſuadere poterat, vt eum caſum leuius ferret: imò verò hoc ipſum ampliore illum dolore conficiebat. Namque conſueuimus eos, qui plurimo nobiſcum tempore vixerunt, ſummáque virtutis ſuæ & amicitiæ nobis documenta dederunt, maximè omnium ac ſummo deſiderio requirere. Quódque iſta ſic ſe habeant, ipſe Patriarcha nobis indicat, qui fletu ac lamentatione ſolenni illi debitas perſoluit inferias. Quis iam reliquas curas proſequi poſſit, quas filij gratia ſuſcepit, vxorem illi ex remotioribus locis cõſciſcendo, ac per omnia illius ornamentis & gloriæ proſpiciendo, quáſque pro illius fratribus neceſſariò ſubiuit, aliaque omnia: quæ qui ad amuſſim conſiderare velit atque diſcutere, longè laborioſiorem iuſti huius vitam, curſúſque cumulatiorem perſpiciet, quàm ipſi nunc oſtendere poſſimus. Principalia namque tantum, ac magis neceſſaria ſcriptura reſtringens, reliqua nobis omnia examinanda reliquit, quæque diebus ſingulis veriſimile eſt in ea domo contingere, vbi ſeruorum erat multitudo, vir, vxor ac filij, multarúmq; rerum cura ac ſollicitudo. Ita ſanè, inquies, ſed illi ſolatium ferebat in ſingulis huiuſmodi aduerſis, quòd propter Deum illa omnia patiebatur. Et teipſum igitur illud non conſolabitur? Nullus enim profectò, niſi Deus tibi hanc inferri tentationem permiſit. Nam ſi nec porcos quidem inuadere nequiſſimi dæmones auſi fuerant, niſi priùs ille permitteret: multò minùs mortalibus cunctis rebus excellentiorem animam. Sicut igitur omnium fortis toleratio, atque in omnibus gratiarum actio maxima cauſa præmiorum fuit: ita erit tibi, tu modò non grauiter atque indignanter feras, ſed in omnibus gratias referas clementiſſimo Deo. Nempe enim & beatus Iob ea quæ paſſus eſt, Deo permittẽte perpeſſus eſt: coronis tamen non ideo donatus eſt, quia paſſus fuit: verum quia contra aduerſa omnia fortis atque inuiolabilis perſtitit. Admiramúrque illum omnes, non quòd priuatus omnibus fuerit, ſed quia inter hæc omnia non peccauerit, neque in labiis ſuis. Quoniam verò de Iob mentionem fecimus, vellem quidem longa ipſius lamenta, paſſionúmque vehementiam perſequi; verùm ne in longiſſimum tendatur liber, ad Iſaac redeat oratio. Porrò ſi tu cupis illius omnia diligentius addiſcere, librum ipſum in manibus ſumens, aſpice in abyſſum altiſſimam calamitatum viri, plurimáque in conſolationem tuis caſibus inuenies. Quantò enim melior, quantóque præclarior meritis iuſtus ille eſt, quàm nos, tantò aduerſus eum numero & magnitudine maiori vi dimicauit, eóque vehementius contra illum tunc nequiſſimus ille concitatus eſt. Cæterum rectè facta non tam tentationum numero & magnitudine, quàm rerum virtute æſtimantur. Itaque etſi inferius ac minus iſtud certamen eſt, nihil id tuas coronas poterit minuere: nam & is qui duo talenta tulit, nihil minus retulit, quàm is qui obtulerat quinque. Cur id? Quia etſi non idem reditus, eadem tamen deuotio & alacritas fuit. Quocirca & eodem honore vterque potitus eſt, audiens: *Intra in gaudium domini tui.* Quid ergo Iſaac? peregrinationem Geneſ. 25. quidem illam longiſſimam, ac difficillimam ſubire exemplo patris terrámque ſuam derelinquere coactus non eſt: ſed planè ſupremum malorum omnium ipſe ſuſtinuit, metum ſcilicet, ne ſine liberis decederet. Poſtea verò quàm oratione ad Deum fuſa, eo metu liberatus eſt, alius continuò eum excepit timor, lõgè illo grauior & maior. Neque enim par metus eſt coniugis pro ſterilitate, & pro radice ipſa trepidare. Sic enim partus doloribus diſrumpebatur, vt vita ipſa morte omni illi eſſet acerbior. Et hoc ipſum audias licet dicentem: *Si mihi ita futurum erat, ad quid mihi viuere?* Famis autem Matt. 25. & iſte experimentum cepit, etſi non vt pater in Ægyptum deſcendit: ſed quod ille verè in Ægypto pertulit, & iſte pati periclitabatur, vxorem ſcilicet amittere. Et patrem quidem venerabantur omnes, hunc verò non ſecus quàm inimicum & hoſtem exagitabant, neque propriis illum laboribus perfrui ſinebant: verùm cùm illum anguſtiis vndiq; concluderent, licenter ipſi laboribus ipſius fruebantur. Tandem verò cùm ſibi illos amicos conquiſiuiſſet, filióſq; adultos cerneret, tunc iam, tunc quando ſummam ſe conſolationem inuenturum ſperabat, optimóſque ſenectutis ſuæ cuſtodes, ac nutritores habiturum, in ſupremum corruit mœrorem. Primùm enim maior natu filius vxorem ſibi alienigenam contra patris votum cepit, & eo ipſo quòd pugnam & bellum in domum introduxiſſet, illum ſumma & incredibili vi doloris affecit. Innumeris enim iniuriis mulieres illæ ſoceros afficiebant: quæ omnia ſcriptura deuitans

Digitized by Google

vn[...] cuncta ſignauit, cum diceret: Cum Re[...] contendebant: reliquitque id dictum eis intelligendum, qui domos habent, ac filios iam vxoratos. Illi maximè omnium nouerunt diligenter quantum mali ſit, quantumque detrimenti, ſi ſocrus oderint nurus: idq; maximè tunc, cum ambæ eandem inhabitẽt domum. Hoc autẽ iuge illis erat incommodum. Ad hæc illi grauior quoque moleſtia adiecta eſt, oculorum caligo ſcilicet, ac luminis priuatio: quæ cuiuſmodi ſit, illi ſoli ſciunt, qui patiuntur. Præterea ne illud leue incommodum exiſtimetur, quòd dum benediceret filiis, cõtra quàm volebat, matris aſtu & arte, minorem pro maiore benedixit. Qua in re ita indoluit, vt amarius quàm is qui paſſus fuerat, clamaret, excuſarétque ignorantiam, quòd non illum ſciens benedictione fraudaſſet, verum fratris arte circumuentus. Hæc autem omnia ſcenæ tragœdiam præcurrebant, fabulámque Thebanorum adoleſcentium ſignabant. Nam & hic etiam ſenectutem, occæcationémque patris maior natu contemnens, iuniorem fratrem deturbauit domo. Etſi enim non ille necauit, id matris impediuit ſapientia: & hic enim comminatus eſt cædem, patriſq; mortem operiebatur. Quod cum mater cauta didiciſſet, patrique retuliſſet, illum protinus eius manibus eripuit. (Gen. 27.) Et eum quidem qui ſe venerabatur, quique ſibi ſumma beneuolentia ac pietate iungebatur, parentes fugæ committere coguntur: improbum autem, per cuius intemperantiam viuere illi niſi in amaritudine ſumma ac dolore non poterant (hoc enim ipſa Rebecca indicat) apud ſe iugiter tenebant. Igitur cum ille effugiſſet, qui ſemper in domo educatus (erat enim innocens habitans domi) plurimúmque cum matre conuerſatus fuerat: quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu Rebeccam iam affici neceſſe fuit, mœrore ſemper chariſſimi dulciſſimi filij, virúmque intuentem, & per ætatem, & per infirmitatem nihilò meliore conditione, quàm mortuum? Quibus item luctibus ſenem detentum putas, dum communes & ſuas, & vxoris clades flere cogeretur? Cùm verò illa moritura eſſet, quid non dixit? quid non locuta eſt? Etiam lapides ipſius verba liquefacere potuiſſe puto, cum non videret prope aſtantem filium, atque illachrymantem oculóſque ſibi excæcantem, atque mœrore ſuffuſa ora contrahentem, atque alia omnia agentem, quæ parentibus morte ipſa videntur grauiora. At verò Iſaac, dum illam ita efflare animam cerneret, quo animo fuiſſe putandus eſt & tunc, & poſt ipſius mortem? Talis ille nobis fuiſſe oſtenſus eſt, quem multis fuiſſe fœliciorem putabamus. Iam verò Iacob ipſius vita, cuiuſmodi fuerit, abſque diſcuſſione aliqua ipſius verba indicant, qui cum Pharaonem alloqueretur, aiebat: *Dies mei parui & mali, & non peruenerunt ad dies patrum meorum*: (Gen. 47.) hoc eſt, & breuiorem, & laborioſiorem vixi vitam. Verùm & abſque hac illius ſententia ita ſunt apertæ clades eius, vt pauci admodum ſint, qui illas neſciant. Auus nanque eius etſi longinquiſſimam peregrinationem emenſus eſt, iuſſu Dei hoc fecit. Quæ res maximo ſibi ſolatio fuit. Hic autem fratrem fugiens inſidiantem, parricidiúmque meditantem, ſummos itineris labores paſſus eſt. Atque ille quidem neceſſario victu, & quidem abundanti nunquam indiguit: huic verò voti res erat, indumento ac pane ſolo non indigere. Seruatus autem, atque itineris fatigationibus liber, cùm tandem ad affines ſuos perueniſſet, qui in tanta rerum copia nutritus fuerat, ſeruire cogebatur. Non ignoras autem, ſeruitutem cùm ſemper moleſta ſit, tunc maximè videri moleſtiſſimam, cum quis propinquis ac paribus ſeruire cogitur: idque cùm eius rei nunquam periculum fecerit, ſed priorem omnem ætatem in deliciis egerit. Quod cùm intolerabile eſſe videretur forti tamen & magno animo ferebat. Porrò quid æ-

A rumnarum in vita illa ſua paſtorali paſſus ſit, ipſum audias licet dicentem: Ego perſoluebam à me ipſo furta dici, & furta noctis. (Gen. 31.) Per diem vrebat æſtu & nocte gelu, receſſitque ſomnus ab oculis meis, iſta mihi fuerunt annis viginti. Hæc ille paſſus eſt, qui vitam vixerat ſimplicem, qui ſemper fuerat domi. Póſtq; tot labores, tot incommoda, poſt longum illud ſeruitutis tempus, fraudem illam amariſſimam pertulit, qua ſibi altera alterius loco tradita vxor eſt. Nam ſi non ſeruiſſet annis ſeptem, ſi non ea paſſus fuiſſet, quæ auunculo conqueſtus dixit: ſi non amauiſſet puellam, hoc ipſum tamen quòd ſibi meliore ac formoſiore promiſſa, tradita ſibi pro illa deterior fuit, quantum putas mœroris, quid indignationis, quid doloris beato illi tunc præſtitit? Sanè ſi quis alius id paſſus eſſet, nũquam eam fraudem atque iniuriã tuliſſet: ſed omni prius ſocerorum euerſa domo, tunc demum ſe ipſe cum illis vnà interfeciſſet, aut alio quouis modo perdidiſſet. B Quoniam verò patientiſſimus ac longanimis erat Iacob, nihil penitus huiuſmodi fecit, ſed ne initium quidem eiuſce cogitationi dedit: imò verò ſeptem annos alios iterũ ſeruire iuſſus promptè obediuit, adeò mitis erat ac manſuetus. Quòd ſi puellæ amor manſuetudini morum obſecundabat, rurſus mihi mœroris magnitudinem aſſeris. Conſidera enim, quæſo, quantum ille doloris paſſus ſit, cùm eius quam ita vehementer diligebat, fraudatus amplexibus, illiuſque connubia deſiderans, ſeptem rurſus annorum dilatione cruciatur, frigora, & æſtus, & vigilias, & detrimenta perpetua patiens. Ea tamen ipſa potitus tandem viuénſque apud ſocerum, vitam ærumnis & laboribus plenam, ſic quoque inuidiæ patuit, ſecundam fraudem in mercedibus paſſus, vt ipſe quoque illum arguerit, dicens: Immutaſti mercedem meam ſeptem vicibus. Vnà verò cum ſocero affines reliqui, magis etiam aduerſus illum efferati excandeſcebant. C Quod autem erat omnibus grauius, vxor illa tam dilecta, cuius gratis bis ſeptem annis ſeruire delegerat, præ moleſtia ſuffocabatur, cum ſororem ſuam parientem cerneret: ſe verò omni pariendi ſpe deſtitutam, atque in tantam tunc amentiam ex animi mœrore deuenerat, vt criminibus & querelis agitaret virum, mortémque ſibimet conſciſceret, minaretur, niſi pareret, Da mihi, inquiens, liberos, alioqui moriar ego. Quomodo igitur ille lætari poterat, cùm ea quam diligebat, ſic affecta eſſet, fratréſque illius ſibi inſidiarentur, omniáque molirentur, vt ille ad extremam deueniret inopiam? Nam ſi ea, quæ ſine ſudore dotis nomine traduntur vxoribus cum quis tulerit, maximo mœrore afficimur: is qui periclitabatur ea quæ ſummis laboribus quæſierat amittere, quo animo ferre ea detrimenta poterat? Cùm autem haud obſcurè ſuſpectus eſſet, eóſque ſe intuentes cerneret, clam fugam iniens diſceſſit. D Quo quid dici miſerabilius poſſit? Nam & ex paterna domo, & ex aliena, cum metu ac periculis migrans, in eadem prærupta rurſus cogebatur incidere. Quippe fratrem fugiens, ſe ad ſocerum contulerat, à quo iterum exagitatus, ad fratrem redire cogebatur, propheticum illud paſſus, quod de die domini dicit Amos: (Amos 5.) *Velut ſi quis fugiat à facie leonis, & irruat in eum vrſus, ingreſſuſque in domum ſuam, & parieti manus applicans, mordeatur à colubro.* Quis autem eum tremorem enarrare poſſit, quem perpeſſus eſt, comprehenſus à Laban, itineriſque anguſtias cum ſe tam numeroſum pecus filiique ſui ſequerentur? Cæterum cùm fratris faciem eſſet inſpecturus, nónne idem paſſus eſt, quod apud poëtas, qui fictum caput Gorgonis vident? Nonne ita per omnia affectus erat, vt hi qui ad mortem ducuntur? Audi ſanè illius verba, atque ex eis inſitam illius animo timoris flammam addiſce. Deus erue me, inquit, de manu Eſau fratris mei, (Gen. 32.) quia valdè eum timeo, ne forte ſuperueniens

interficiat

interficiat me, ac matrem cum filiis. Tu autem mihi dixiſti, quòd bene mihi faceres. Quam non lætitiam hic metus excluſiſſet, etiamſi priori omni tempore tranquilliſſimè vixiſſet? At nunc omnis illa vita, ex qua die benedictionem accepturus, metu penè fuerat mortuus, per calamitates varias inſidiaſque texebatur. Tantus denique tunc illum timor inuaſerat, vt poſt congreſſum fratris, quantumlibet ille præter ſpem benignè & humaniter eo vſus eſſet, confidere ne ſic quidem poſſet, anxietatemque deponere. Denique cum obſecraret ille, vt ſecum ſe ire permitteret, non ſecus quàm à fera aliqua liberari cupiens, vt recederet orabat, dicēs: Noſti domine, quia infantes teneriores ſunt, oueſque & boues mecum fœtæ, quas ſi plus in ambulando laborare fecero, morientur vna die cuncti greges. Præcedat dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, donec veniam ad dominum meum in Seir. Reſpiranſque ex illis periculis modicum, in alium longè maximum timorem incidit. Rapta quippe illius filia, primum quidem puellæ iniurias & contumeliam ægrè ferebat: ſed cùm id facinus leniſſet, quòd eam regis filius ducturum ſe vxorem polliceretur, eamque ſententiam laudaſſet Iacob, fœdera violauit Leui, fratribus adiunctis, ciueſque viritim ad vnum iugulantes, in id tremoris patrem induxerunt, vt inde protinus migrarent, eò quòd omnes aduerſum ſe bellaturos timeret. Dixit enim (ait ſcriptura) Iacob ad Simeonem & Leui: Odioſum me feciſtis, vt iniquus ſim omnibus habitantibus terram, Chananæiſque, & Pherezæis. Ego autem ſum minimus numero, congregatique contra me ſimul obiurgabunt me, deleborque ego, & domus mea. Quippe omnes illos vna finitimi necaſſent, niſi illorum indignationem Dei clementia continuiſſet, finemque cladibus impoſuiſſet. Factus eſt, inquit, timor Dei ſuper omnes per circuitum ciuitates, neque perſecuti ſunt poſt Iſraël. Quid ergo cum hoc metu liberatus eſſet? Num tandem vel parum reſpirauit? imò verò tunc ſupremus eum malorum omnium vortex inuaſit, mors ſcilicet amantiſſimæ coniugis & immatura ſimul, & violenta. Peperit enim, inquit, Rachel, parturienſque

Geneſ. 35

laborabat. Factum eſt autem cum parturiens periclitaretur, dixit illi obſtetrix: Confide, & hic enim tibi filius eſt. Et cùm efflaret animam (moriebatur enim) vocauit nomen eius, Filius doloris mei. Cumque luctus adhuc recens eſſet, adiecit mœrori Ruben, patris thorum contumelioſè impetens. Quod ille tam grauiter tulit, vt moriens quoque mala imprecaretur filio, tum ſcilicet, quando filiis parentes miſericordiùs affici conſueuerunt: idque cum ille primogenitus eſſet omnium, quòd etiam affectus nomine non parum valet. Sed tamen hæc omnia vis mœroris excluſit, vocanſque illum dixit: Ruben primogenitus meus, fortitudo mea, & initium filiorum meorum, durus ad ferendum, duruſque & audax, effuſus es ſicut aqua, non creſcas. Aſcendiſti enim in cubile patris tui, tunc maculaſti ſtratum vbi aſcendiſti. Cùm autem adoleuiſſet amantiſſimæ vxoris filius, ſolarique illius deſiderium huius præſenti & iugi contubernio ſperaret, tunc ſibi multiplices parantur clades: fratres enim illius tunicam intinctam ſanguine patri oſtendentes, vario illum luctu confecerunt. Neque enim ſolam lugebat mortem, ſed ipſum quoque mortis genus: plurimaque erant quæ illius animum confuderant, ac penè in deſperationem præcipitarent, quòd amatæ illius filius, quòd melior reliquis, quòd maximè dilectus, quòd in ipſo ætatis flore, quòd ab eo miſſus, quòd neque in domo, neque in lecto, neque patre coram aſſiſtente, neque dicens aliquid & audiens, quòd non communi morte omnium, quòd viuens à fe-

A rarum immanitate diſcerptus fuerat, quòd ne reliquias quidem illius reperire poterat, & humo condere: quòd iſta illi non in iuuentute contigiſſent, quando melius ferre potuiſſet, ſed ſenectute vltima. Eratque miſerandum omnino ſpectaculum, videre canos verendos puluere fœdatos, ſenileque pectus diſciſſa tunica nudatum, lamentaque admittentia conſolationem nullam. Scidit enim, inquit, Iacob veſtimenta ſua, & circumpoſuit ciliciū lumbis ſuis, lugebatque filium diebus plurimis. Congregati ſunt autem omnes filij eius, & filiæ, & venerunt conſolari eum: noluitque conſolari, dicens: Deſcendam ad filium meum lugens in infernum: quaſi verò poſſibile non eſſet vacare à mœrore animum ipſius. Cum cœpiſſet ea plaga curari, fames valida incumbens, terramque vniuerſam occupans, primum quidem vehementi illum mœrorē

B turbauerat. Cùm autem reuerſi ex Ægypto filij, rei frumentariæ copia famis incommoda ſolati eſſent, aliam item conſolationi mixtam doloris cauſam attulerunt, voluptatemque quam ex famis leuamine tulerat, abſentia filij premebat atque obſcurabat. Neque id ſolum, ſed Beniamin ipſum poſtulabant: quo ille vnico ſolatio & vxoris defunctæ, & à fera deuorati filij lenire mœrorem conſueuerat. Erat autem non ea ſola cauſa detinendi Beniamin ſecum, verum ętas quoque ipſa, & educationis ratio. Non aſcendet enim, inquit, filius meus vobiſcum, quoniam frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus derelictus eſt: contingetque illum laſſeſcere & deficere in via, qua vos pergitis, deducetiſque canos meos cum dolore ad inferos. Primum igitur omnino renuebat, illum nunquam ſe daturum aſſerens. Cum verò vehementiſſima vis famis vrgeret, grauiorique neceſſitate tangerentur, quanquam nimium mœrens: Quid enim, inquit, me afflixiſtis, Geneſ. 42

C nuntiantes homini, quòd eſſet vobis frater? verbáque illa miſeranda locutus: Ioſeph, inquiens, non eſt, Simeon non, & Beniamin hunc aſſumeris? in me venerunt iſta omnia: dolens ſcilicet quòd poſt Ioſeph & Simeon, etiam Beniamin à ſe niterentur auellere: oſtendenſque omnia ſe potius paſſurum, quàm dimiſſurum à ſe filium: victus tandem ſuis eum manibus tradidit, dicens: Et fratrem veſtrum aſſumite, ſurgenteſque deſcendite ad virum. Deus autem meus det vobis gratiam in conſpectu viri, emittatque vobiſcū fratrem veſtrum vnum, & Beniamin. Ego enim ſine liberis effectus ſum. Ita vehementer ſummis illis angebatur incommodis, vt viſceribus etiam diſcerptis, paulatimque imminutis filiis vniuerſa deteriorum metu toleraret. Maiore enim ex huiuſmodi aduerſis dolore angebatur, quā ante ex Ioſeph. Quippe ea clades, quæ meliorum ſpe & expectatione caret, ſi vehementiore dolore

D nos cruciat, ille tamen ipſe dolor protinus lenitur, dum animo deſperatio huiuſce cladis corrigendæ ſemper ingeritur: quæ verò ſuſpenſa, hactenus animum requieſcere non ſinit, futurorum incerto anxietatem iugiter nobis augens & renouās: idque ex beato Dauid facilè animaduertere poſſumus, qui cùm adhuc viuente plangeret filio, eo ipſo mortuo ſe à fletu continuit. Quod cùm ſerui illius mirarētur, cauſamque requirerent, hanc ipſam rationem allegauit, quam ego modò. Meritò igitur Iacob in his caſibus metuebat magis atque tremebat. Sed aſpectus ille deſiderabilis, ac Ioſeph facies voluptatem illi & quietem poſtmodum præbuit. Et quid inde voluptatis conſecutus eſt? Sicut enim vehementiſſimo igni aduſta membra quantumlibet quis refrigerare moliatur, nihil proficit: ita & illius mœſtum animum nimiique doloris flammis aduſtum, nihil erat quod recreare ac refouere poſſet, maximè cùm ea ætate nullus ferè ſit voluptatis ſenſus: quod Berzelai Galaadites excuſans, dicebat ad Dauid: *Quot dies annorum vita mea illic erunt mihi, vt aſcendam cum rege in Hieruſalem?* 2. Reg. 19

Filius octoginta annorum ſum hodie, num diſcernam inter bonum & malum? Num guſtabit ſeruus tuus quæcunque comederit aut biberit dominus meus? Num audiet ſeruus tuus cantantium virorum aut mulierum voces? Et quare ſeruus tuus grauis ſit domino meo regi? Verùm quid hoc ex aliis conijcimus, cùm liceat ipſum audire de ſe profitentem? Poſteà enim quàm filium viderat, à Pharaone
Gen. 47. de vitæ ſuæ annis interrogatus: *Parui ſunt*, inquit, *& mali dies mei, & non peruenerunt ad dies patrum meorum.* adeò viuacem rerum geſtarum memoriam ſecum ſemper gerebat. Sed enim filius iſte chariſſimus & glorioſiſſimus Ioſeph, cuius clades non ſuarum magnitudine gloriarum operuit? Nempe enim pater eius vnum tantummodo inſidiatorem paſſus eſt, hic autem porrò plures: atque ille quidem priorem omnem ætatem in ſumma rerum copia & requie nutritus eſt: hic in alienam puer adductus regionem, itineris ærumnas perferre cogebatur. Atque illi quidem mater inſidias leniens, hic adoleſcentulus quando illi matre opus erat, tunc maximè iſto adiutorio deſertus & deſtitutus eſt. Adhæc Eſau quidem vſque ad comminationem tantùm Iacob perterruit: at verò Ioſephi fratres inſidias in apertum opus perduxerunt, atque ante inſidias inuidia commoti detrahere illi nunquam deſtiterunt. Porrò quid acerbius eſſe poſſit, quàm eos quibuſcum iugiter inhabitas, inimicos pati? Videntes enim quòd à patre cæteris liberis ſuis plus diligeretur, oderant eum, nec poterãt ei quicquam pacificè loqui. Neque enim ego, quòd ſuis negotiatorum regijque ſerui manu fuit, tam graue illi fuiſſe dixerim, quàm quòd in illorum impias incidit manus. Multò enim iſti clementius illo vſi ſunt, quàm fratres. Attamen nec ſic quidem quieuit calamitatum ſæua hyems: quippe vehementior procella irruens ipſum rurſus ferè demerſit. Fortaſſe me quiſpiam hoc in loco inſidias dominæ dictarum exiſtimet. Ego ante eam quoque tempeſtatem aliam ſæuiorem dicam. Graue quidem, reuera graue atque intolerabile, calumnias huiuſmodi criminum pati, damnarique, & carcerem tam prolixò tempore incolere puerum, liberum, nobilem, eiuſque neceſſitatis hactenus ignarum. Sed ſanè grauius his omnibus, ac difficilius illi viſum putò, fluctus ætatis compeſcuiſſe. Si enim nulla flagranti concupiſcentia turbatus, illius amores blanditiaſque reſpuiſſet, non mihi ita laudandus atque admirandus videretur, Chriſti ſcilicet ſententiam ſequenti. Neque enim ille eos qui natura ſunt eunuchi, ſed qui ſeipſos abſciderunt, dignos regno cœlorum dixit. Sin verò alius quàm ille victoriam tuliſſet, aduerſus quem dimicans victoriam reportaret? Quónam hoſte ſuperato buccinaretur, ſi nullus eſſet qui obluctaretur, eumque ſumma vi niteretur deiicere? Neque enim eos qui à domitorum animantium coitu abſtinuerunt, caſtitatis ratione prædicamus, quòd naturæ inſita non ſit huiuſmodi concupiſcentia. Si igitur beato illi adoleſceti eiuſmodi ignis nihil moleſtus fuit, quid eſt quòd illius caſtitatem ita admiremur? Quòd ſi eo tempore, quo vehementius huiuſmodi flamma ſuccenditur (agebat quippe iam fermè vigeſimum ætatis annum) & cum nullis admotis aliis fomentis incendij, intolerabilis per ſe eſt iſta vis, tunc maximè impudica mulier caſtiſſimo adoleſcenti inſidiata eſt, tantùm huic flammæ virium ex ſuis illecebris & ornamentis adiiciens, quantum illi erat per naturam: quis iam tum illius fluctus tumultus, & anxietatem enarrare ſufficiat, cùm intrinſecus quidem & natura illum, & ætas perturbarent, arſque & decor Ægyptiæ extrinſecus pellicerent? iſtúdque non vno die, vel duobus, ſed plurimo tempore perferret? Equidem reor ipſum tunc non ſibi tantum timuiſſe, ſed illi etiam indoluiſſe, quòd ad tantum præcipitium tanto ſtudio peruenire curaret feſtina-

A retque. Atque illud ex verbis quæ mulieri plenà grauitatis & modeſtiæ reſpondit, nobis conſtare poterit. Etenim licebat illi profectò iure ſuo, ſi voluiſſet, & contumelioſius & audacius ad illam loqui: ſiquidem illa per nimiam amoris vim facilè cuncta toleraſſet. Verùm nihil huiuſmodi locutus eſt, aut cogitauit: ſed piis religioſiſque cogitationibus admotis, ea ſolummodo locutus eſt, per quæ putabat à ſcelere illam poſſe reuocari, nihilque ampliùs adiecit. *Ecce enim*, inquit, *Dominus meus,* Gen. 39.
præter me nihil ſcit eorum quæ ſunt in domo ſua: & omnia quæ ſua ſunt dedit in manu mea; nihilq́ in domo ſua plus habet quàm ego: neque aliquid quod non dederit in poteſtate mea, præter te, eò quòd vxor illius ſis: & quomodo faciam hoc verbum malum, vt peccem coram Deo? Et tamen poſt tantam modeſtiam, tantáque caſtitatis indicia, falſi criminis calumniam ſubiuit, Deuſque iſtud fieri permiſit. Vinctus eſt, nec ſic prodidit inſidias, iniuſtamque mulieris calumniam coarguit. Studebat
B enim copioſiora præmia, coronaſque clariores præparare, atque ideo ipſis quoque ſeruis regiis dimiſſis ipſe incluſus perſeuerabat. Tu nolo mihi cuſtodis clementiam obiicias, verum ipſius verba diligentius examines, inſpicies profectò ſummum animi dolorem. Nam cum ſomnium interpretatus eſſet regio pincernæ, dixit: Sed memento mei per temetipſum, cum tibi bene fuerit, facieſque ſuper me miſericordiam, & ſuggeres Pharaoni de me, & educes me de lacu iſto, quia furto ſublatus ſum de terra Hebræorum: & hic non feci quicquam, ſed innocentem miſerunt me in domum lachrymarum. Etſi enim clauſtra carceris facilè ferebat, cum eis hominibus viuere, puta ſepulchrorum violatoribus, furibus, parricidis, adulteris, homicidis, & reliquis eius generis hominibus (his enim atque huiuſmodi plenum erat illud habitaculum) grauius illi ac moleſtius erat. Neque id ſolùm, ſed
C quòd plurimos intueretur fruſtrà & inaniter illic aggregari, atque velut in Tartaram mitti. Sed tamen id quod tute modò quereris; ſeruus quidem vinculis eripiebatur, liber autem in ærumnis perſiſtebat. Quòd ſi quis regni mentionem faciat, hic mihi rurſus curarum examen, vigiliarum, & mille negotiorum difficultates velim in medium adducat. Quæ omnia eis qui quietam curiſque vacuam vitam diligunt, non nimium iucunda, aut grata ſunt. Præterea ſanctis illis quidem ſi quid lætum contingebat, mirum profectò non erat, cùm necdum cœleſte regnum planum & apertum eſſet, futurorumque bonorum manifeſta promiſſio. Hic verò quando tanta bonorum copia proponitur, reſque cuncta manifeſta eſt, audebitne obſecro iam quiſpiam dolere, ſi in præſenti vita iucundis nullis perfruatur: aut prorſus in hac vita dulce aliquid exiſtimabit, qui præmia futura nouerit? Et
D quid hoc animo dici abiectius poteſt, ſi ſperans & expectans paulò poſt in cœlum ſe migraturum, huius mundi requiem inquirat, ac tranquillitatem membro nullo meliorem? *Vanitas* enim *vanitatum*, Eccleſ. 1.
inquit, *& omnia vanitas.* Quòd ſi is, qui præſentis vitæ voluptates præ cæteris hominibus fuerat expertus, hanc aduerſus illas ſententiam tulit: multò magis nos ita affici & ſentire conuenit, quibus nihil eſt commune cum terra, quibuſque in ſuperna inſcribi ciuitate feſtinare, totúmque illuc animum transferre iuſſum atque imperatum eſt.

Digitized by Google

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de prouidentia Dei, ad Stagirium monachum,
Liber tertius.

Simile.

SVFFICERE quidem & iſta poterant, quæ dicta ſunt, ad extinguendam mœroris flammam, atque perſuadendum meliore ac tranquilliore eſſe animo. Verùm vt conſolatio ſit cumulatior, & hunc librum adiicere inſtitui, illud abs te primùm inquirens: Dic, oro, ſi quis te ad regnum terreſtre & imperium vocaret, atque ante ingreſſum eius ciuitatis, in qua coronandus eſſes, in ſtabulam diuertere neceſſe eſſet, vbi luti ac fimi plurimum, viatorúmque tumultus eſſet, & latronum perturbatio, ſummáque preſſura & anguſtia: num ad illa triſtia cogitatione conuertereris, an illa omnia quaſi nihil eſſent, gaudio & ſpe regni contemneres? Perquam igitur ineptum & indignum eſt, terrenis mortalibuſque rebus potiturum, nihil his quæ interim inciderint contrahi: æterni autem regni ſpe elatum & erectum, atque ad cœlos accerſitum, per ſingula quæ in diuerſorio contingunt triſtia decidere atque perturbari. Profectò enim in hoc diuerſorio ac ſtabulo nihil præſentis vitæ ſtatus melior eſt, ídque cum ſancti patres noſtri nobis indicare cuperent, hoſpites ac peregrinos ſeipſos appellabant, his verbis nos erudientes, & læta ſeculi præſentis, & triſtia pari mentis altitudine contemnere, atque à terra longiſſimè remotos, toto animo cœleſtia ambire, atque ad ea totam transferre cogitationem. Age itaque ad ſanctos ipſos veniamus, à Ioſeph ad Moſem orationem transferentes. Hic enim omnium, qui in terra verſabantur, mitiſſimus gignitur, gentilibus quidem ſuis vi duriſſimæ ſeruitutis oppreſſis: alienatus autem à parentibus, ignoránſque à quibus genitus eſſet, priorem omnem ætatem à barbaris viris educatur. Quo quid grauius Hebræo, ſingularíque prudentia prædito adoleſcenti potuit contingere, & ſi millies regis filius eſſe putaretur? Non autem hoc ſolo angebatur ille tunc, verùm quòd intueretur gentem ſuam ſummis calamitatibus opprimi, grauiſſimum ſibi videbatur. Qui enim præter illorum ſalutem ne viuere quidem, neque in Dei libro conſcribi patiebatur, quando aulæ regiæ, regníque bonis frui potuiſſet, cum tanta omnes tempeſtate iactari gentiles cerneret? Nam ſi nos quoque poſt tam multa ſecula exortos, nullúmque huiuſmodi priuilegium ad Iudæos habentes, tanta ſubiit miſeratio, cùm infantium illam immaniſſimam iugulationem audimus aut legimus, quid beatus ille pati potuit, qui tam ſingulari affectu genti ſuæ aſtrictus ipſas eorum clades hauriebat oculis, ac eos præterea qui tantis illos incommodis afficiebant, parentum titulo honorare cogebatur? Reor ipſum miſeros illos tũc infantes plus luxiſſe, quam fecerint parentes ipſi. Quod ex his liquet quæ poſtea geſſit. Cum enim eum qui pater eſſe putabatur, nec ſuadendo flectere, neque cogere valeret, vt feralem, tyrannicámque iuſſionem remoueret, ipſe vnà malorum communium pergit eſſe particeps. Neque iſtud eſt quod ego nunc admiror, ſed ex cæde illa coniiciens, quam præterito tempore mœroris flammam in intimis animi receſſibus aluerit, ſtupeo. Nam qui ex maxima doloris vi ad homicidiũ protinus erupit, ex eo opere quid prius animo doloris tulerit, apertius oſtendit. Neque enim tanta illos vehementia vltus fuiſſet, niſi plus quàm patres ipſi eorum incommodis tabeſceret. Quid igitur poſteaquam illos vltus eſt, num vel parum animus ex mœrore illo relaxatus eſt? Potuítne diutius frui dulcedine illius iuſtiſſimæ vltionis? Vix dies altera illuxerat, cum beatum illum dolor alius, & quidem priore longe grauior excepit, tantúſque metus, vt ipſum Ægypto tota deturbaret. Durum quidem ac moleſtum eſt, à quouis homine maledictis laceſſiri: verum cum beneficiis quiſpiam affectus, beneficia ipſa exprobrauerit: *Nunquid occidere me tu vis*, inquit, *quemadmodum Aegyptium heri occidiſti?* tunc iam, tunc efficitur ea contumelia intolerabilis. At verò Moſe præter hæc aliud quoque tertium inerat, regis videlicet metus, qui adeò iuſti occupauerat animum, vt vniuerſa illum regione exturbaret. Efficitur itaque fugitiuus regis filius, vt ſi quis regiæ illius educationis indulgentiam beatam arbitrabatur, is modò mœrorem prioris abundantiæ animaduertat, illum iuſto viro doloris incredibilis ac difficultatis cauſam extitiſſe. Neq; enim idem quempiam in priuata nutritum domo, plurimis iam laboribus multiſque peregrinationibus & ærumnis exactis, longos iterum labores, atque ea incommoda quæ extra patrium ſolum neceſſariò ſubeunda ſunt, perpeti: & eum qui iſta nunquam vel breuiter fuerit expertus, ſed contra penitus in regia magnificentia omne tempus educatus, idipſum pati. Multò enim grauior fuga videbitur, quàm illi, ſi quando experiri hanc neceſſariò cogetur: quod illi quoque tunc contigit. Itaque profugus effectus, alienigenæ viri hoſpitio fruitur, quod ratione mœroris haud exiguum eſt. Dæmoniis quippe hoſpes ille ſuus ſacra exoluebat, diuerſatuſque eſt apud illum longiſſimo tempore. Tradita autem ſibi paſcendi gregis cuſtodia, quadraginta annis ita perſtitit. Porrò ſi hoc durum aut difficile non eſſe alicui videatur; is velim eos examinet, non qui metus, aut timoris cauſa peregrinantur, latebris abduntur, ſed qui ſponte ſua domo ſe vel parum abdicant, quàm moleſtè, quàm grauiter eam peregrinationem ferunt, quantumque commodi ac dulcedinis in reditu reponunt. Cum verò illi nec metus defuerit, nec vita ærumnis plena, iſtaque oneroſa & moleſta reditu illo ſuauiſſimo leuiora iudicauerit: conſidera, quæſo, diligentius calamitatis eius varietatem. Neque enim ſimpliciter audias, paſcebat, ſed recole nunc Iacob verba, quæ ad ſocerum conquerens dixit: Ego à me ipſo reddebam furta diei, & furta noctis: die vrebar æſtu, nocte gelu, recedebatque ſomnus ab oculis meis. Hæc enim omnia iſta illi etiam contigiſſe, putandum eſt, & annis pluribus, & maiori cum difficultate. Quippe eſt ea regio longè deſertior atque incultior, quàm Meſopotamia. Quòd ſi non ita querebatur Moſes, nec beatus quidem ille queſtus vnquam fuiſſet, niſi ſumma neceſſitate compulſus, atque ſoceri ingratitudine in hæc verba prorumpere neceſſariò coactus eſſet. Sufficit quidem & ipſa per ſe longinquæ peregrinationis habitatio eum humiliare virum, qui neceſſitatis tantùm cauſa peregrinatur. Sicut enim auis cum ex nido ſuo auolauerit, facilius capitur: ita & homo cum à ſedibus propriis longiùs profectus fuerit, in ſeruitio ſubiicitur. Tunc verò nec de propria ſalute ſecurus eſſe poterat ille, ſed vt ſeruus aliquis crudeliſſimum dominum effugiens, pauet ſemper ac trepidat ne capiatur: ita & beatus Moſes nunquam ſine timore eſſe poterat. Idque ex eo maximè liquet, quòd Deo poſt tantùm temporis præcipiente, vt rediret in Ægyptum, hæret ac titubat: idque cùm audiſſet, defunctus eſt qui quærebat animam tuam. Poſtea verò quàm vxorem ac liberos relinquere coactus eſt, rurſus querimoniæ, & contumeliæ, & minæ ab eo qui tunc regnabat in Ægypto, criminaque & maledicta ab eis ipſis quos beneficiis fouebat. Ille enim aiebat: *Quare Moſes & Aaron auertitis populum à laboribus ſuis?* Iſraëlitæ autem: *Videat*, aiebant, *Deus, & iudicet vos, quia execrabilem feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & coram ſeruis ſuis, vt daretis gladium in manus eorum ad interficiendum nos.*

Exod. 2.

Geneſ. 31

Exod 5.

Grauia quidem ſunt hæc & moleſtiſſima : ſed illud omnibus grauius, quòd ingreſſus ad ſuos, innumeraque promittens bona, libertatem, incumbentium malorum ereptionem, fallax eſſe & ſeductor putabatur. Non ſolùm enim illis tunc leuatum non eſt imminentis ſeruitutis onus, verum grauius eſt adiectum: & qui gentem omnem liberaturus ſperabatur, idque promiſerat, is cruciatuum & verberum cauſa eſſe, inſidiator & corruptor putabatur. Quis non facilè mœrore tunc fuiſſet abſorptus, cum pollicitus tot malorum ereptionem, poſt pollicitationem diriora videret cumulari? Dolebat quidem quantum par erat, cùm talia audiret & videret: non ea tamen perturbatione deiiciebatur, ſed manebat immobilis: & quidem cum promiſſionibus ea quæ contingebant, non ſolum non conſentirent, verum & maximè obluctarentur. Accedens autem ad Deum, & de his loquens, ac multum ingemiſcens: Domine, inquit, quare tu affixiſti populum tuum, & quare me miſiſti? ecce enim ex quo ingreſſus ſum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, nec liberaſti eum. Hæc ergo cum ille lamentatus eſſet, atque eadem iterum quæ prius audiſſet, annuntiat quidem ea rurſus Iſraëlitis: ſed illi minimè tolerant, eò quòd animæ illorum labore premerentur, ac mœrore
Ibid. 6. deficerent. *Non, inquit, audierunt Moſem præ anguſtia & laboribus duris.* Hoc autem haud parum illum affligebat. Vt verò ad ſigna ventum eſt, ſæpius à Pharaone deluſus, eam irriſionem fortiter tulit: cum verò liberatus tandem ex Ægypto: atque vnà cum populo iam ferè ſecurus videretur, antequam plenè reſpiraſſet, peiore, imò verò longè grauiore metu comprehenſus eſt. Vix enim tertia effluxerat dies, cum repentè barbaros omnes armatos cernunt ſuper ſe irruere: atque idem paſſi ſunt, quod fugitiui ſerui, dum in aliena regione repentè dominorum oculos offendunt: vel certè quemadmodum ſi illi ipſi aliquando ſomniaſſent ſe lætari, & eſſe eâ ſeruitute liberatos, ac demum experrectos in Ægypto, atque in eiſdem preſſuris inueniſſent. Imò verò neſcio quid illi ſomnium reputaſſe exiſtimandi ſunt potius, triduíne illam liberationem, an præſentem rerum faciem horrendam ac pauendam nimis: tanta oculis omnium offuſa erat mœroris nebula. Interea Moſes multò maioribus tenebris cõtinebatur. Non enim ſolos Ægyptios metuebat, vt reliqui, verum ipſos vnà Iſraëlitas: vtraque enim gens illum iam vt ſeductorem ac verſutiſſimum oderat: Ægyptij quidem irridentes atque inuadentes, Iſraëlitæ verò carpentes ac mœrore confecti. Sed quid me neceſſe eſt dolores anguſtiáſque viri coniecturis colligere, cum poſſimus ex illa ipſa ſuperna voce cunctum ipſius dolorem intelligere? Tacenti enim illi, neque labia reſerare præſumenti, dixit Deus: Quid clamas ad me? Tumultum animi ipſius nobis hoc verbo ſignificans. Poſteà verò quàm is etiam ſolutus eſt metus, maiora iterum parabantur aduerſa. Nam per omne illud iter ſæuius atque immanius illo vſi ſunt hi qui ab eo regebantur, innumeriſque per illũ bonis fruebantur, quàm feciſſet Pharao ipſe & Ægyptij: ac primum quidem inſtabant vehementius illum ſuffocantes, Ægyptiaſq; carnes requirentes, ingratique præſentia faſtidiebant, & præterita deſiderabant, quod erat ſanè omnium grauiſſimum. Quid enim pati poterat acerbius, ſi amentium inſanientiumque hominum gubernacula ſibi credita fuiſſent? Et tamen omnia beatus ille fortiter ferebat, & niſi illos ſummo affectu dilexiſſet, toleraſſet æquanimis illorum aduerſos caſus, ac pro ſuis tantum doluiſſet iniuriis: nunc verò cùm illis non ſecus quàm filiis afficeretur, ex huiuſmodi affectu adeò eximio aliam rurſus moleſtiam ſubire cogebatur, cùm illorum peruerſitatem ac veſaniam auctiorem indies fieri intueretur. Neque enim illum angebant contumeliæ,

A ſed quòd eas ab illis pateretur, quos tanta charitate diligeret. Graue quidem reuera fuerat, etiam ante cibi illius mirabilem largitionem ingratos eſſe: verum illi inter media miracula nequitiam oſtẽdebant ſuam, iniquitatem, & infrænatam cupidinem, quam legentes illum cibũ præferebant, atque cum parum proceſſiſſent, rurſus ingrati murmurabant, rurſus Dei beneficiis ingrati querebatur. Cum verò per ſingula quotidie peccarent, beatus ille lugebat, ac mœſtus perdurabat. Nam cum vitulum fecerunt, ipſi quidem ludebant ac laſciuiebant: Moſes autem lugens, ac mœrore affectus, maledictũ illud terribile ſibi imprecabatur, nihilque omnino perſuadere poterat vt a miſerationis affectu abſtineret. Cum igitur ſic dilectos in deteriora ſemper progredi conſpiceret, quanto illum dolore, quibus lachrymis iugiter obuerſatum putas? Si enim vnum quis tantum habens filium, viuere ſine dolore non poteſt, cum illum ſemper in vitia pronum animad-
B uertit, etiamſi ipſe omnibus nequior ſit: is qui tot millia hominum in filiorum ordine locauerat, imò verò pluſquam filios amabat: (nullus enim pater cum filiis vnà perire cupit, cum præcipuè nihil peccauerit:) is, inquam, qui tot habet filios, mala auerſans, ac bona ſtudioſè diligens, quid pati potuiſſe putandus eſt, cum eos omnes veluti ex quodam ſigno & condicto, ad vitiorum prærupta & præcipitia currere intueretur? Profectò niſi obtenebraſſet vehementer, atque ex intimis receſſibus animam ipſius mœroris ipſius magnitudo turbaſſet, tabulas de manibus nunquam abieciſſet atque contriuiſſet. Sed citò clades illa ſedata ab eo eſt. Quonam, quæſo, remedio? Nempe enim etiamſi curationis illo genere ſanatum fuerat præſumptum facinus, ipſe tamen erat ſemper in lachrymis. Nullus enim ferè ita eſſet lapideus, qui nihil pateretur, fratres & cognatos à ſuis interfici, atque ad viginti trium
C millium numerum eam cædem progredi conſpiciens. Nos denique cùm liberos noſtros in aliquo peccaſſe deprehendimus, tormentis quidem ac flagris illos ſubdimus: verum id non ſine dolore facimus: imò verò magis ipſi, quàm qui patiuntur, affligimur. Cum ergo & illum, & caſtra omnia maximus luctus occupaſſet, alia rurſus anxietas adiecta eſt. Deus enim ſe non iam illis parciturum, ſed eos derelicturum, angeloque daturum eam curam minabatur. Id verò Moſi viſum eſt omnibus grauius atque intolerabilius. Audi denique quid ille ad Deum locutus ſit: Niſi ipſe venias mecum, non educes me hinc. Vidéſne vt timoribus timores mœroreſque mœroribus ſemper ſucceſſerint? Neque tamen hactenus ſteterunt aduerſa; verum cùm id quoque perſuaſiſſet Deo, annuiſſetque clementius, ac præſtitiſſet gratiam, aliis rurſus doloribus affligitur. Deum iam propitium illi irritantes, ſeſe ſummis doloribus expoſuerunt:
D nam poſt cædem illam lachrymabilem ita Deum rurſum offenderunt, vt contra ſe incendium illud prouocarent, ex quo omnes ferè cõſumpti periere. Moſem verò duplex ſemper mœſtitia angebat, quòd & illos perire, & reliquos corrigi nolle, nihilque ex pereuntiũ caſibus lucrari conſpiceret. Necdum clades illa finem acceperat, cùm hi qui reliqui fuerant, ceparum memores, datas ſibi diuino munere eſcas ægrè ferebant, dicentes: Quis nos cibabit carnibus? Recolimus piſces, quos in Ægypto
comedebamus, cucumereſque, & pepones, & por- Num. 11.
ros, & cepas, & allia. Nunc autem anima noſtra areſcit, nihilque oculi noſtri intuentur niſi manna. Hic iam non tulit ingratos Moſes, imò verò dolore ſuperatus, illorum regimen recuſat, moríque optat potius quàm in tanta amaritudine viuere. Audi denique ipſius verba. Et dixit, inquit, Moſes ad Deum: Quare afflixiſti ſeruum tuum? & quare non inueni gratiam in oculis tuis? & cur impoſuiſti pondus vniuerſi populi huius ſuper me? Num

Digitized by Google

ego in vtero accepi omnem populum iſtum? quia
tu mihi dicis, accipe illum in ſinu tuo, veluti nu-
trix lactentem, in terram quàm iuraui patribus eo-
rum. Vnde mihi carnes, vt dem omni populo iſti?
quia flent aduerſum me dicentes: Da nobis carnes
vt comedamus. Non potero ferre populum iſtum
Exod. 32 ſolus, quoniam graue mihi eſt verbum hoc. *Quòd*
ſi non ita facis mihi, obſecro occide me, ſi inueni gratiam
coram te. Iſta ille locutus eſt, qui dixerat: Et nunc
ſiquidem dimittis eis peccatum, dimitte: ſin au-
tem, dele me de libro quem ſcripſiſti. adeo illum
mœror auerterat. Quod & parentes ſæpe patiun-
tur, cùm his indignantur, quæ à filiis fiunt. Nam
quòd nec poſtea vnquam deſierit illorum miſereri,
liquet ex his quæ poſtea geſſit. Cum enim illum ex-
ploratores occidere tentarent, ipſumque lapidi-
bus obruere, effugiens illorum manus, rurſus ad
orandum pro eis conuertebatur, Deumque illis
propitium fieri, qui ſe necare cupiebant, preca-
batur: adeò quoque naturali amore vehementior
illi inerat affectus. Itaque exploratoribus mortuis,
ac ingentis adhuc luctus necdum hora præterita,
rurſus illi alias nectebant mœroris cauſas. Primò
enim pugnare prohibenti non obtemperauerunt,
ſecundò verò pugnantes ab Amalechitis conciſi
ſunt, & ante bellum iſtud & bilis & gulæ cauſa
maximè conſumpti ſunt. Nam *occidit*, inquit, *plu-*
rimos eorum, cùm adhuc eſca eſſet in ore eorum. Ingenti
Pſal. 77. autem hac illorum cæde inſpecta, cùm necdum
hic dolor quieuiſſet, alio rurſus inuaditur luctu,
tantaque neceſſitate constrictus eſt, vt iſtos ipſos
tam dilectos atque amantiſſimos, nouo aliquo ac
peregrino mortis genere vitam finire precaretur.
Ita alij quidem erumpente igne repente incendio
conflagrauerunt, alij repentino terræ hiatu abſor-
pti ſunt: neque pauci aliquot, ſed plura quàm quin-
decim hominum millia iſta paſſi ſunt. Quo facto,
quo animo illorum cognatos & amicos aduerſum
Moſem fuiſſe putandum eſt? Quo item Moſem ip-
ſum, cùm cerneret pupillos filios, & vxores viduas
ex ea calamitate fieri videret: item fratrem ſuum
ac ſororem vita exceſſiſſe, illiúſque filios præua-
ricationis cauſa ignis vſtione periiſſe? Horum ſanè
ſingula, nihil etiam antea perpeſſum animum affi-
cere dolore potuiſſent, nedum tot iam incommo-
dis, tot malis exercitum & fatigatũ. Vt autem Cha-
nanæo ſuperato longum iter circumire cogeban-
tur, rurſum murmurauere Iudæi, rurſúmque perie-
re, non iam quidem morbis, vt prius, non igne aut
hiatu terræ, ſed venenatorum ſerpentium morſi-
bus: qui profectò omnes periiſſent, niſi rurſus ac-
cedens Deum Moſes precibus ſuis eius auertiſſet
iram. Poſtea verò quàm de hac peſte liberati ſunt,
vaſtáſque imprecationes effugerunt, rurſum ſeip-
ſos per duriſſima prærupta iecerunt atque poſt be-
nedictiones Balaam, imò verò Dei, (neque enim
illius voluntatis ea verba fuere, ſed implentis ſe,
atque mouentis diuini afflatus) fornicati ſunt cum
alienigenarum filiabus, & initiati ſunt Beelphegor.
At Moſes huiuſmodi ſcelus confuſionemque non
ferens, eos rurſus ſe inuicem concidere ac necare
iuſſit. Interficite, inquiens, vnuſquiſq; proximum
ſuũ qui initiatus eſt Beelphegor: non ſecus quàm
in vulnere horrendo, quod plurimis ſectionibus
vſtionibúſque ſuſceptis, nihil melius habuerit, iu-
bet quiſque rurſus quod reliquum eſt ſecare atque
vrere. Cæterum tu cùm has difficultates audis, no-
li putare iſta tantum contigiſſe: ſiquidem & ipſe
ex his quæ ſcripta ſunt non pauca prætereo, puta
bella, inimicorum obſtacula, longiſſima itinera, ſo-
roris contumeliam, eiuſdem cruciatum, quo mitiſ-
ſimus ille Moſes tunc maximè indoluit. Sed ea ta-
men omnia ſi quis diligentiſſimè in vnum conge-
rat, ne milleſimam quidem partem ex his quæ
contigerunt, ſcriptam fuiſſe reperiet. Si enim qui
in vna domo vel paucis præeſt ſeruis, innumeras

A quotidie & irritationum, & mœroris occaſiones
habet qui tot millibus quadraginta annis moderari
coactus eſt, idque in deſerto, vbi neque aër, neque
aqua erat: quot negotia ſingulis diebus, quas diffi-
cultates obire cogebatur? quot curas, quot mœro-
res & viuentibus illis, & vita functis? Vides enim
omnes quos ex Aegypto duxerat mortuos, præter
duos viros ſolum eoſque qui ex illis nati fuerant,
dignus habitus non eſt in terram repromiſſionis
inducere. Cæterum vidit quidem eam terram ex
vertice montis Nabo, naturamque illius optimè
didicit, frui autem illa cum reliquis Iſraëlitis per-
miſſus non eſt, ſed extra eam manſit ac mortuus
eſt, idque ipſe Iſraëlitis conquerens, dicebat: *Et* Deut. 4.
Dominus Deus iratus eſt mihi de his quæ dicebantur à vobis,
iurauitq́; vt non tranſeam Iordanem iſtum, vos autem tran-
ſibitis, & hæreditate poſſidebitis terram hanc optimam, quam
B *Dominus Deus tuus dat tibi in hæreditatem.* Quodque om-
nibus erat acerbius, ipſum in infernum deduxit,
dum illi ſcelera & futura Iudæorũ mala præoſten-
dit, idolorum ſcilicet culturam, captiuitateſque il-
las ineffabiles: vt non ſolum his quæ intuebatur,
ſed eis etiam quæ necdum contigerant, affligere-
tur animo, ac penè deficeret. Denique à prima
ſtatim ætate ita dolere ac mœrere incœpit, vt nun-
quam deſiſteret, vitámque cum mœſtitia finiret.
At verò ſucceſſor eius Ioſue, omnium, vt ita dixe-
rim, triſtium cum eo vnà periculum fecit. Si quid
tamen illum, eò quòd iunior eſſet, effugit, hoc ſanè
poſt mortem illius, in eo cumulatius impletum
eſt. Non ſolum autem dum viueret Moſes, veſti-
menta ſcidit, cineremque capiti aſperſit: ſed etiam
poſtquam ille defunctus eſt, imò tunc longè ma-
xima neceſſitate id facere coactus eſt, non breui
tempore, ſed die tota pronus in terra iacens. Audi
denique verba etiam illius & ploratus: *Et ſcidit,*
C inquit, *Ieſus veſtimenta ſua, procidítq́; in faciem ſuper ter-*
ram coram Domino vſque ad veſperam, ipſe & ſeniores Iſ-
raël, miſeruntque puluerem ſuper capita ſua, & dixit Ieſus:
Obſecro Domine, vt quid traduxerit puer tuus populum hunc
trans Iordanem, vt traderes eum Amorrhæo ad perdendum
nos? Vtinam permanſiſſemus, & collocati eſſemus citra
Iordanem. Et quid dicam poſtquam vertit Iſraël terga ini-
mico? Audiet Chananæus, & omnes qui habitant terram,
& circumdabunt nos, & conterent de terra. Talia oran-
tem audiens Deus, cauſam illi cur ſuperati fuerãt,
aperuit: quam ille cum didiciſſet, perdidit vnà om-
nes, non eum qui peccauerat ſolum, ſed cognatos
quoque & propinquos, omnemque familiam cum
pecorum multitudine. Id autem haud parum illius
perturbauit animũ. Nam ſi nos cum alienos quoq;
puniri cernimus, nec videre quidem toleremus:
quid ille paſſus eſt, qui cõtribules & commilitones
tantis afficiebat incommodis? Quid autem Gabao-
D nitarum fraus tribuumque trans Iordanem habi-
tantium ſuſpicio? quid perpetua bellorum atque
pugnarum exercitatio? Quem iſta ſtatum animi,
rectiſſimum licet, non euertiſſent? Etſi enim vince-
bat iugiter, victoriæ tamen voluptatem reliquo-
rum bellorum cura obfuſcabat: ſortiúmque diſtri-
butio ſummos illi labores, ingeréſque difficultates
pariebat. Norunt iſta qui vel ſubſtantiam fratribus,
aut quibuſlibet alicuius aliàs heredibus diſtribuen-
dam ſuſceperunt. Plebis autem reliquas deinceps
calamitates nec referendas exiſtimo. Neque enim
eſt propoſiti noſtri, ærumnas ſingulorum nume-
rare, ſed eorum tantùm, qui Deo familiares & cha-
riſſimi fuere. Quocirca, ſi videtur, Heli omiſſo,
quippe & is per filiorum vitia, imò verò per ſuam
negligentiam offendit Deum. Neque enim ideo
quòd malos haberet filios puniebatur, ſed quia
vltra debitum increpationi pepercerat: & cum Dei
leges violarentur, ſeuerius in illos vltus non eſt.
Cuius rei & ipſe ſibi conſcius, poſt ingentes illas
& terribiles minas aiebat: *Dominus eſt, quod bonum eſt* 1. Reg. 1.
in oculis ſuis faciat. Eo, inquam, omiſſo, ad Samuëlem

veniamus. Is à puero nutritus in templo, Deo ſemper charus & gratiſſimus fuit, tantaque virtutis indicia à prima ſtatim ætate prætulit, vt antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles prophetas inſcriberetur: idque cum ea res tunc defeciſſe omnino videretur. Non enim erat, inquit, viſio dirimens, verbumque pretioſum. Hic ergo Samuël qui poſt multas matris lachrymas conceptus fuerat, primum quidem cum intueretur magiſtrum in mortem illam miſerabilem deuectum, ita confuſus atque turbatus eſt, vt decebat gratum amabilemque diſcipulum. Interea & Iudaïcas calamitates flere cogebatur. Porrò filij ipſius, cùm iniqui & mali eſſent, atque ad culmen iniquitatis perueniſſent, & hoc ipſo mœrore illum incredibili afficiebant, & ſibi præſtiti honoris hæredes eſſe non poterant. Succeſſit huic mœrori, imò verò non ſucceſſit (quo enim pacto, cum prior nondum quieuiſſet?) ſed adiectus eſt alius, Iſraëlitarum ſcilicet iniuſtiſſima petitio. Qua in re ita concidit, vt ingenti conſolatione indigeret: audi denique quid illi dixerit Deus: *Non te ſpreuerunt, ſed me.* (1. Reg. 8.) Poſt hæc tamen iſte parcebat illis, & ita miſerabatur, vt diceret: Mihi autem abſit vt peccem, & deſiſtam pro vobis orare. Iſtos igitur ità dilectos à ſe cùm opprimi conſpiceret, atque à bellis ſuperari, Deumq; contra ſe prouocare, quàm ſentire voluptatem poterat? quod temporis abſque mœrore & lachrymis viuere? Cum verò Saul conſtituiſſet regem, alterni ſibi perpetuique gemitus adiiciebantur. Nanque cum ſacrificium ille præter Dei voluntatem obtulit, & cùm ſuperatis Amalechitis, illorum pepercit regi, idque contra iuſſionem Dei: ita animo percuſſus eſt, vt ex eo iam non viderit virum, ſed vſque ad vltimum diem luxerit, & lachrymatus ſit, quando etiam ob doloris vehementiam à Deo increpatus eſt. (1. Reg. 19) *Quouſque* enim, inquit, *tu luges Saul, & ego repuli illum*? Si aut his ita cõtingentibus lugebat, quo animo tunc fuiſſe exiſtimandus eſt, cùm tot ſacerdotes fruſtra & ſine cauſa interfecit? quando eum qui ſe multis beneficiis nulliſque iniuriis affecerat, ſecũdò vt interficeret profectus eſt: quando nondum illum prophetantem, ac deridentem vidit, cùm audiuit Dauid in familiari congreſſu multa contra illum conquerentem? Poſtquam verò de Dauid mentionem feci, neſcio quid agam, lamentáne illius longa & aſſidua quæ in Pſalmis ſcripta ſunt, in medium adducam: an iſta tibi in otio recenſenda permittens, ipſius potius calamitates explicem? Is igitur plurima quidem, cùm greges paſceret, aduerſa perpeſſus, aduerſúſque aëris intemperiem, & belluarum feritatẽ reluctatus eſt. Quorum alterum ex his quæ Iacob contigerunt, alterum ex his quæ ad Saul locutus eſt, poſſumus animaduertere. Poſtea verò quam omiſſa vita illa paſtorali, belli negotia intempeſtiuus miles arripuit, omitto fratrum inuidiam, etſi moleſtiſſima ea res fuit, cum clariſſimam illam admirabilémque victoriam adeptus eſſet, vehementiorem deiecto Goliath inuenit inimicum Saul, eum ſcilicet, quem minimè debuerat, cùm à ſe beneficiis omnibus affectus eſſet. Neque enim palam aduerſus eum præliabatur, ſed amantium ſibi perſonam aſſumens, ipſiuſque honori & dignitati proſpicere ſe velle ſimulans, ita aduerſus illum immaniora inimicis omnibus moliebatur. Porrò quam graue, quàm moleſtúmve ſit pro bonis mala recipere, audire licet beatum Prophetam lamentantem iugiter, & ægrè ferentem ac dicentem: (1. Reg. 24) *Sic reddantur mihi mala pro bonis.* Illud erat moleſtiſſimum, illud erat lachrymis & lamentatione digniſſimum, quod dux exercitus ſuſpectum ſe cerneret regi, cùm ſe ille minimè lætis oculis intueretur. Quid autem timoris, quid ſollicitudinis, quid angoris ea res habeat, documento nobis ſunt ſerui noſtri: quos ſi modicè ſuſpectos habemus, ferre æquanimiter non poſſumus. Lon-

A gè ergo id magis paſſus eſt fideliſſimus dux, ſuſpectus regi. Cum verò inſidiæ propterea contra ſuſpecti caput adiectæ ſint, quid hac eius grauius vita, atque amarius dici poteſt? Ferebat tamen ille omnia, & tolerabat, aderatque illi iugiter qui ſe perimere meditabatur, atque illius bella ducis præſtantiſſimi fide & virtute bellabat. Poſtea verò quam inſidias regis declinans receſſit, atque à belli curis ſeipſum remouit, hoc ipſo quidem quod ſe inſidiis ſubduxerat, apertaſque inimicitias regis conſtituerat, habebat nonnihil aliud rationé fiduciæ: verum cùm aduerſus tantas copias cum quadringentis viris dimicare cogeretur, metu ampliore quam prius tenebatur. Nam cui neque vrbes, neque caſtella, neque ſocij, neque reditus inerant: conſidera quo animo erat, cum aduerſus fretum his omnibus pugnare cogeretur: nec præter deſerta & ſpeluncas, quò confugeret, reperire poſſet. Nam cùm vrbem Ceila nomine occu-
B paſſet, ex ea protinus reſiliit, ſacerdotis reſponſis admonitus, quòd ſi illic manere pergeret, Deus illum Saulis manibus haudquaquam eriperet. At verò ſacerdos ille ipſe erat, qui impias regis manus effugerat, & qui cladem luctuoſiſſimam quæ in Nobe contigerat, annuntiauit regi, quando in amariſſimam quoque illam erupit vocem: Ego enim ſum cauſa mortis cunctarum animarum domus patris tui. Itaque cum illo iugiter congreſſus, nihil aliud erat quàm luctus illius ac mœroris monimentum. Cum enim in illum intuebatur, ſemper verſabatur illi ante oculos necatio illa ſacerdotum. Porrò ipſius necis memor, ac tam ſceleratæ cædis cauſam ſibi imputans, reis omnibus ac damnatis infælicius degebat. Etſi enim nihil aliud illum perturbaſſet, ſufficere id poterat ad vulnerandum ſuffocandumque animum, quòd ſeipſum tot ſacerdotum peremptorem impium exiſtima-
C ret. Hac verò cogitatione ſaucius, quę diu noctuque pluſquam tinea ipſius corrodebat animum, & alia deinceps vulnera altera ac perpetua ſuſcipiebat: quippe cùm Nabal per ſeruos ſuos contumeliis afficeret, fugitiuúmque ac refugum atque ingratum ſeruum appellaret, non ſine dolore verba tam iniurioſa percepit. Et cùm ad Achis profectus inſanum ſe ſimulans concideret, verſaretque oculos, atque ſpumæ plurimum ex ore dimitteret, longè profectò amplius cruciabatur, quàm illi qui reuera corripiuntur à dæmone, cùm ſecum reputaret in quam ille ſe neceſſitatem deduxiſſet, quem ſummis beneficiis fouerat. Cum verò paululum apud hoſtes quieuiſſet, eſſetque in hoſtem illorum deducendus exercitus, inuidia commoti aduerſum eum ſatrapæ, atque illi apud regem ſuum detrahentes, ſuo illum exercitu deturbant, veluti inutilem ſibi, & inſidiatorem proditorémque futurum. Irati ſunt, inquit, aduerſus illum ſatrapæ alienigenarum,
D dixeruntque regi: Emitte virum, & reuertatur ad locum vbi tu illum ſtatuiſti, nec veniat nobiſcum ad bellum, & non ſit inſidiator in caſtris. In quo enim iſte reconciliabitur domino ſuo, niſi in capitibus virorum illorum? Quibus ille verbis percuſſus, accepta ſumma contumelia, receſſit mœrens, ac domum rediẽs, tanta mala, tot clades offendit, vt penè mœrore ſuffocaretur. Quæ enim tunc contigerunt aduerſa, ea erant, vt poſſent præuiſa etiam & præmeditata illius animum tenebris obducere. Porrò ex inſperato ſuperuenientia duplo quàm erant, grauiora videbantur, neque iam tolerabilia. Inerat enim ille quaſi quieturus domi, mœroris præteriti conſolationem inuenturus, vxores ſcilicet ac liberos: cum repente audiuit illos in ſeruitium ab hoſtibus abductos, hauſitque oculis ignem, fumum, ſanguinem, cadauera, atque antequam iſtos lugeret, captiuoſque defleret, irruunt ad eum feris omnibus immanius habitatores ciuitatis, quærentes ſinguli caſuum ſuorum conſolationem,

Digitized by Google

ex illius capite. Et veluti cùm venii contrarij in mari irruunt, ingens & ſæua procella ex ea pugna concitatur: ita & tunc triſtitia & metu iuſti huius perturbantibus animum, tempeſtas maxima, tumultuſque harum paſſionum inuicem ſe collidentium iugiter inerat. Fretus autem copiis, & dolore concitatus, cum vxores ac natos, captiuitatemque omnem recepiſſet, antequam victoriæ illius voluptate frueretur, mœſtiſſimo percuſſus eſt nuntio, mortem Ionathæ comperiens: quæ illius animum tanto dolore proſtrauit, quantus ex illius lamen-
2. Reg. 1. tatione cognoſcitur. *Incidit* enim, inquit, *ſuper me dilectio tui, quaſi dilectio mulierum.* Quid autem lamentationes proſequar? Qui enim patrem illius inſidiatorem ſuum atque inimicum, & qui millies illius mortem concupierat, ita fleuit & lachrymatus eſt: quid paſſus exiſtimetur, cùm illum qui ſibi in illis periculis ſemper aſtiterat, ac ſæpiſſime patris inſidiis eripuerat, ſecretorumque ſuorum particeps fuerat; qui cum pacta plurima inierat, antè vita defeciſſe cognoſceret, quàm illi acceptorum beneficiorum vicem reſtituere valeret? Cum adhuc vrgeret illa perturbatio, alio rurſus mœrore dux illum ſuæ militiæ excruciat, dum Abner, qui ſine dolore ac vexatione aliqua, imò & cum facilitate omni totum illi exercitum præbiturum pollicitus fuerat, ante impletam pollicitationem occubans, fraude interimitur. Cui cædi intantum condoluit, vt ex tunc mala Ioab imprecaretur, & ipſo mortis ſuæ tempore filio imperaret, vt vltionem ab eo tanti ſceleris exigeret: at præterita verba ipſa lamentationis ſuæ perturbationem animi illius facilè nobis inſinuare poſſunt. Eleuauit enim rex, inquit, vocem ſuam, ac fleuit ſuper tumulo Abner. Si ſecundum mortem Nabal, morietur Abner, manus tuæ non fuerunt vinctæ, neque pedes tui in compedibus, neque audiſti, ſicut Nabal coram filio iniquitatis corruiſti. Quid igitur poſt hæc? Dolo interficitur Miphiboſeth, ſucceſſitque hic mœror: quippe & illum ita luxerat, vt interfectores eius morte mulctaret: claudorum adiecta reluctatio, quæ illum immodicè turbauit. Eis tamen aliiſque hoſtibus nonnullis ſuperatis, arcam ingenti cum lætitia reducere inſtituit. Verum cum ea reduceretur, gaudentibus omnibus, in medio lætitiæ communis res contigit, quæ voluptatem obſcuraret omnium, regiſque animum ingenti metu ac dolore confoderet. Oza enim cum vellet arcam labantem corrigere, Dei confeſtim iracundia percuſſus ac mortuus eſt: atque diutiſſimè adeo regis animũ metus iſte commouit, vt non prius auderet arcam ad ſe introducere, quam addiſceret quonam modo ea vteretur, qui illam ſuſceperat ab Hedera. Interea mortuo Ammonitarum rege, rem boni ac benigni hominis faciens, miſit qui conſolarentur ſuperſtitem filium, perſuaderentque patris obitum patienter tolerare. Tum ille pro honore ſuſcepto, ſummis iniuriis abeuntes proſecutus, atque turpiter dehoneſtatos remiſit ad regem. Parúmne hoc tibi videtur ad feriendum deiiciendumque animum? At inde ſecutum vtriuſque bellum quanto dolore pertulerit, oſtendit quòd nullum aliud initium cepit, atque intantum vehementiæ progreſſum eſt, vt innumeris illum incommodis afficeret. Sufficere quidem & iſta poterant, etiamſi eis quiſpiã illa iucunda permiſceat, illius vitam inter eos numerari, qui ſemper in luctu & miſeriis vixerunt. Nunc verò talia poſtmodum ſecuta ſunt, vt nec olim triſtia pati cœpiſſe videatur. Quippe fabulas omnes, omnemque tragœdiam vicerunt regis huius clades: adeò illi monſtruoſa, & inuicem ſibi ſuccedentia, domuique ſuæ contigerunt, cum clades cladibus ſuccedere ſemper pergerent. Conſidera, quæſo, Adamauit ſororem Thamar Ammon frater, amatam vi oppreſſit, oppreſſam odiuit, eamque violatio-
A nem nefariumque concubitum, prior ipſe patefecit alicui ex ſeruis, mandans, vt inuitam pelleret domo, ac per plateam emitteret clamantem, ploratuque & lamentis omnia implentem. Id cùm didiciſſet Abſalon, ad prandium fratres inuitat vniuerſos, inter quos & ſtuprator ille ſororius aderat, edẽtem illum atque bibentem cum cæteris inter conuiuandum per ſeruos iugulat. Inde quiſpiam exurgens, nec plenè rei geſtæ ordinem noſcens, regi mortuos omnes illius filios annũtiat. Quo ille percepto, ſedens filiorum, quæ non erat, lugebat cædem. Poſtquam verò ille rem geſtam apertius audiuit, filio quidem comminatus eſt, eumque ſe morti addicturum aſſeuerauit. Cum verò ille effugiſſet, totumque triennium in aliena vixiſſet regione, toto illo tempore rex permanſit iratus: & ne tunc quidem illum accerſiſſet, niſi eum ducis ſui
B ſapientia flexiſſet. Eo autem accerſito, nec ſic quidem extincta eſt doloris flamma, ſed duos rurſus annos illum aſpectu remouit ſuo. Vixque poſt adeò prolixum tempus à duce exoratus, ſuis illum aſpectibus dignatus eſt. At verò ille harum rerum memoria indignatus, ſiue aliàs tyrannidem geſtiens, inſurgit in patrem, illumque rurſus ad fugas erroreſque perpetuos, quos perpeſſus erat ſub Saul, reuocat: imò verò multò illi moleſtior ea fuga, quàm prior fuit. Nam prius quidem dux cùm eſſet, iſta perpeſſus eſt: nunc autem cum annis plurimis regnaſſet, hoſteſque ferè omnes ſuperaſſet, migrare cogebatur, ac profugus fieri. Qui autem illum conditione tam miſerabili profugum agebat, non alienus quiſpiam, ſiue hoſtis erat: ſed qui ex ipſo natus fuerat, ſicut & ipſe cũ excederet à terra ſua, lamentabatur plorans. Et tunc quidem cùm in feruore eſſet ætatis, ferre vniuerſa fortiter poterat: nunc verò florido illo tempore emenſo, quando
C ſenectutis ſuæ ſolatium ſceleſtum illum habere debuerat, tunc maximè inſidioſum, ſibique infeſtiſſimum ſentiebat. Egrediebaturque cum paucis nudis pedibus rex ille ſublimis, mœrẽs, ac lachrymas fundens, pudore ac dolore pleniſſimas. Bellum quippe illud non calamitatis tantum, ſed confuſionis quoque materia illi & cauſa erat. Tantò enim contumelioſius quam Saul, impius filius beato illo tunc vtebatur; vt patris quoque thorum violaret: idque non clam, ſed in tecto domus, vidẽtibus omnibus, ac iura naturæ legeſque concubitus per nimiam qua in patrem ferebatur inſaniam peruerteret: atque amentia ebrius, bello necdum confecto, quaſi iam viciſſet, captiuoſq; duxiſſet aduerſarios, iſta audebat, ac præ ſe ferebat. Sic igitur mœſtum & metuentem Sibas cùm inueniſſet, turbauit amplius, contra dominum mentitus ſuum, aſſerenſque illum tyrannicè ſentire. Huic ſucceſſit Semei,
D vir quidam ſceleratus & ingratus, innumeriſque illum probris reſperſit, verbis lapides admiſcens.
Egredere, inquiens, *vir ſanguinum, & vir nequam. Conuertit in te Dominus omnem ſanguinem domus Saul, qui regnaſti pro eo, & dedit Dominus regnum in manu Abſalon filij tui, oſtenditq; tibi malitiam tuam, quia vir ſanguinum es tu.* His ille auditis atque toleratis, tabeſcebat quidem, quod ex ipſis lamentis manifeſtè comprobatur: verum nihil vltra facere audebat. Sed cum dixiſſet inſurgenti in illum, ac domini ſui iniurias vlciſci cupienti, Dimitte illum maledicere mihi: dominus enim dixit illi, vt videat humilitatem meam, retribuatque mihi dominus bona pro maledictione viri huius, viuum ab ſe abire permiſit. Ipſe autem Chuſi aduentum præſtolabatur, ſollicituſque ac tremens rei expectabat exitum. Vt autem & iſta nuntiata ſunt, bellum inſtruebatur, bellis omnibus quæ vnquam contigerunt peregrinius, ſignificationi quàm veritati ſimilius. Eum enim qui cauſa fuerat malorum omnium, eiuſque belli totam materiam præbuerat, & quo mortuo aduerſa omnia finiebantur, hunc ducibus

2. Reg. 16

ſuis tota prouidentia & cura commendabat, iſta illis iugiter replicans: Parcite, aiebat, filio meo Abſalon. Quid hac hæſitatione & ambiguitate deterius? Quid ea miſeratione miſerabilius? Suſcipere bellum cogebatur, in quo & vincere & vinci æquè illi moleſtum erat. Nam neque ſuperari volebat, qui tantas copias emiſerat: neque rurſum ſuperare, qui belli authorem necari prohibebat. Verùm diſcreto bello, ac fine quem voluit Deus conſecuto, ac parricida illo interfecto reliquis omnibus in lætitia & gaudio agentibus, ſolus rex lugebat & lachrymabatur, ac ſeipſum includens defunctum appellabat filium: ferebatque grauiter, quod pro illo ipſe non occubuiſſet. *Quis* enim, aiebat, *mihi* 2 Reg 18 *mori pro te dabit Abſalon fili mi?* Quid hac clade perplexius vnquam auditum eſt? Quando fratrem ille necauerat, ipſum interficere quærebat: quando autem contra ſe veſanus ferebatur, tunc filio parcebat. Neque flere quidem deſtitiſſet mortuum, niſi ingreſſus Ioab indignitatem rei arguiſſet, ac vehementius alloquens erexiſſet illum, exercitumque decenti facie & habitu ſuſcipere perſuaſiſſet. Ne tum quidem clades ſuæ finem acceperunt, ſed primò quidem aduerſum ſe verſi in ſeditionem milites diuiſique ſunt. Poſtea verò quàm vix & per ſummas blanditias ceſſarunt, reſilientes rurſus adiecti ſunt Sabeæ, bellumque aliud conflari cœpit, cùm adhuc prioris reliquiæ remanerent. Quibus rebus perturbatus Dauid, coactis copiis, eas cum ducibus miſit. Ioab autem & ex hoc bello peracta victoria non permiſit victoriæ voluptatē ſine mœrore contingere. Namque ducem vnà ſecum conſtitutum Amaſan, qui omnem populum ſubiecerat Dauid, innocentem, & qui in nullo ſe læſerat, inuidiæ ſtimulis agitatus occidit. Quæ res ita grauis ac moleſta fuit regi, tantoque illum confudit mœrore, vt filio moriens mandarit, eius viri ſanguinem vlciſci, oraueritque ne tanti ſceleris authorem impunè mori pateretur. Et quod longè grauius eſt, ita affectus eſt, neque mœroris ſui cauſam dicere audebat, eò quòd aduerſus innumera incommoda iam obluctatus eſſet. Etenim poſt bellorum fremitus, fames cunctam prouinciam depaſta eſt: & cum eius incommodi abſolutionem quæreret, cogebatur filios Saul ad mortem tradere. Quippe hoc cœleſte oraculum præcipiebat: Super Saul, inquiens, & ſuper domū eius hæc iniuſtitia, eo quod Gabaonitas morti addixerit. Quòd ſi quis recolat quantū Saul inimiciſſimi mortem defleuerit, animaduertet quid tum quoque paſſus ſit, cum filios innocuos tradidit Gabaonitis. Attamen & iſta tolerabat, vlteriuſque clades procedebant. Nam poſt famem protinus inſurrexit peſtis, cecideruntque in dimidio diei ſeptuaginta millia virorum, quando miſeranda illa verba locutus eſt rex. Cum enim vidiſſet angelum diſtrictum gladium tenentem, dicebat: Ecce ego paſtor peccaui, & ego paſtor malè feci. Iſti qui ſunt grex, quid fecerunt? ſit in me manus tua, & in domum patris mei. Denique ipſius aduerſos omnes caſus mœroriſque cauſas diligentius enumerare poſſibile non eſt: neque enim omnes conſcriptæ ſunt, verum ex ipſius lamentis & gemitibus poſſumus coniicere calamitatum quoque omiſſarum magnitudinem, vtque iuſtus ille nunquam plangere ac dolere deſierit. Quid enim ille ait? *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem* Pſal 89 *in potentatibus, octoginta anni, & quod in his eſt amplius, labor & dolor.* Sin verò tu dixeris, per hæc illum verba non ſuam ſolùm, ſed communem vitā omnium deprehendiſſe: plus aliquid quam ego velim concedis, plurimiſque nos controuerſiis liberas, ipſe conſentiens non illius ſolum, ſed ne alterius quidem cuiuſquam vitam inueniri poſſe, cuius non multò ſint plura triſtia ac difficilia, quàm læta & iucunda. Siquidem ille, vt tu quoque rite cōfiteris, non ſuas ſolùm calamitates, ſed aliorum quoque

A in commune conſiderans: ita demū hanc ſententiam tulit, eadem ferè quæ patriarcha locutus, niſi iſte maiori cum vehementia. Quam enim ille de ſe, hic de omnibus protulit. Gen. 47. Aiebat ille: *Parui & mali ſunt dies mei*: hic autem: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*: hoc eſt, omnium hominum, & quod plus his eſt, labor & dolor. Verùm enim hæc vt dixi, tibi diligentius in otio examinanda relinquens ego, ad prophetas reliquos veniam. Etſi nuſquam vitam ſuam illi nobis conſcriptam reliquerunt, ob malorum tamen quæ illos obtinuerunt magnitudinem, vel ex vno verbo omnem illos vitam in laboribus, ærumnis, & doloribus egiſſe, reor oſtendi Heb. 11. poſſe. Ac primùm, quod commune illis omnibus fuit, ludibriis & verberibus affecti, lapidibus obruti, carceribus incluſi, ſerrati, in occiſione gladij morientes, circumeuntes in melotis & pellibus caprinis, egentes & preſſi, & afflicti per omnem vitam perſtiterunt. Ad hæc aliam quoque mœroris B adiectionem his omnibus acerbiorem habuere, quòd illorum nequitiam qui ſe ita afficiebant, ſemper ad deteriora progredi intuerentur. Qua ex re longè plus quam ex incommodis ac preſſuris angebantur. Oſeæ 4. Et alius quidem aiebat: *Execratio & mendacium, & furtum, & adulterium, & homicidium effuſa ſunt in terra, & ſanguinem ſuper ſanguinem admiſcent*: per hæc verba malitiæ licentiam perplexitatemque, & copiam nobis inſinuans. Mich. 7. Alius rurſus clamabat: *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit ſtipulam in meſſe, & ſicut racemum in vindemia, cùm non adſint botri*: per hæc rationem bonorum hominū deplorans. Item alius alia ſimilia queritur. Porrò armentarius ille non eorum vitia lugebat ſolùm, verum plus in illorum calamitatibus, quàm in ſuis tentationibus mœrebat, ac Deum obſecrabat, dicens: Amos 7. *Propitius eſto Domine, quis ſuſcitabit Iacob, quia paruulus eſt? Pœniteat te Domine ſuper hoc.* Et ne ſic quidem precum ſuarum effe- C ctu potitus eſt. Dixit enim, & non fiet, dicit Dominus. Eſaias verò cum audiſſet, quia deſerta erit omnis terra, ne conſolari quidem voluit, ſed aſſiduè Eſa. 22. lugebat, dicens: *Dimittite me, amarè flebo, non poteritis conſolari me.* Hieremiæ autem lamentationes & ſeorſum conſcriptas, & per omnem prophetiæ textum diſperſas, partim de ſeipſo compoſitas, quis poſſit ſine lachrymis legere? Nam nunc quidem aiebat: Hierem. 9. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plangam populum iſtum die ac nocte?* nunc autem: Ibid. *Quis dabit mihi in deſerto manſionem extremam, & derelinquam populum iſtum, & recedam ab eis? Omnes enim adulteri ſunt.* Nonnunquam verò indignans ac mœrens clamat: Ibid. 15. *Væ mihi mater, vt quid me genuiſti virum, qui diſcernat & diiudicet omni terræ?* Aliquando diei quoque natiuitatis ſuæ maledixit, dicens: Ibid. 20. *Maledictus dies, in qua natus ſum in ea.* Sed & cœni lacus, & vinculorum preſſuræ, & verbera, & inſidiæ irriſioneſque per- D petuæ ita illum excruciabant, vt iam penè deſperaret. Quid autem quando capta vrbe, prouidentia & honore à barbaris dignatus eſt? Num iſta ſentiebat? Imò verò tunc maximè amara illa lamenta conſcripſit, mortuos & abeuntes lugens. Neque minora illi viſa ſunt ſequentia mala præteritis, cùm hi qui ex bello reliqui fuerant, rurſus per ſua ſcelera Deum irritarent. Cum enim pollicerentur ſe illi per omnia obtemperaturos, nihilque reluctaturos, in Ægyptum rurſus deſcenderunt, oraculo contraria præcipiente: prophetamque ſecum deduxerunt, ac per ſuam ingratitudinem illum ſibi longè grauiora prioribus dicere atque imprecari coëgerunt. Quid verò Ezechiel? Quid Daniel? nónne in captiuitate tempus omne vixerūt? Quorum quidem prior fame ac ſiti pro alienis cruciabatur malis, vxoreque defuncta eum caſum abſque lachrymis perferre iubebatur. Porrò quid grauius dici poſſit, quam in ſuis aduerſis caſibus ne flere Ez. ch. 4. quidem permitti? Omitto enim modò, quòd ſuper ſtercus bubalorum panem ſuū comedere coactus

Digitized by Google

ſit, & quod ſuper vnum latus centum & nonaginta diebus iacere, aliáque huiuſmodi tolerare ſit iuſſus. Etſi enim illi ex his quæ vel diximus, vel omiſimus, nihil triſte contigiſſet: certè id ſolum quod inter hoſtes ac barbaros impuróſque homines vir iuſtus & ſanctus iugiter verſatus ſit, omni erat illi ſupplicio acerbius. At verò Daniel videbatur quidem ſummis honoribus frui, & quaſi captiuitatis & ſeruitutis iniuriis non tangi, cum in regia iugiter obuerſaretur aula, eſſétque potentiſſimus. Cæterum ſi quis illius orationem audiat, ieiuniúmque conſideret, facieique immutationes, ac iuges precationes, agnoſcátque diligenter quorum gratia iſta faciebat, animaduertet hunc ex omnibus maximè in doloribus angoribúſque vixiſſe. Neque enim illum præſentia tantum mala excruciabant, verum & futura perturbabant: quæ etiam cum necdum contigiſſent, prænoſcere dignus eſt habitus, atque propheticis oculis aſpicere. Cúmque necdum præſenti ſeruitute liberatos Iudæos cerneret, aliam illis rurſus captiuitatem præuidere cogebatur: & quæ nondum ædificata fuerat, eam vrbem capi cernebat, ſacrificiiſque contaminatum templum, ac deſolatum, omnémque euerſam ſanctificationem, idcirco lugebat & lachrymabatur, dicens: *Nobis autem confuſio faciei, & regibus noſtris, quia peccauimus tibi domine.* (Baruch. 1.) Verum neſcio quo pacto me penè inter prophetas effugerat cœleſtis ille animus, qui ſic in terra verſabatur, vt in cœlo ſemper eſſet. Nihil enim illi terrenum præter meloten erat. Quid igitur ſummus iſte atque admirabilis vir, ſi virum illum vocare oportet? Nam poſt ingentem illam fiduciam qua aduerſus Achab vſus fuerat, poſt ignis illam è cœlo demiſſionem, poſt necem ſacerdotum, poſteaquam clauſerat & aperuerat cœlum, quo tempore vtrumque voluerat, poſt tanta ac talia rectè facta & ſigna fiduciæ; ita metu mœroriſque magnitudine detinebatur, vt hæc verba loqueretur: *Tolle animam meam à me: non enim ſum melior ego quam patres mei.* (3 Reg. 19. Elias nondum mortuus.) Iſta ille, qui hodieque necdum mortuus eſt. Neque iſtud ſolum, ſed in deſertum profectus obdormiebat, præ doloris ac mœroris onere laſſus ac fatigatus. (4. Reg. 2.) Porrò huius diſcipulus non ſolùm ſpiritum magiſtri duplicem accepit, ſed & preſſuras longè etiam maiores. Hoc denique paulò antè beatus Paulus oſtendens, illorúmque ærumnas enumerans, aiebat: *Quibus dignus non erat mundus.* (Heb. 11.) Peropportunè nunc Pauli fecimus mentionem. Qui enim per ſe ſolus inſpectus ad conſolandum ſufficere poſſet, hic poſt alios veniens, cuius non dolorem ac mœrorem euaneſcere facit? Eius nempè famem, ſitim, nuditatem, naufragia, deſertíque habitationes, timores ac pericula, inſidias, carceres, verbera, vigilias innumeras, mortes, & alia quæ prædicationis cauſa perpeſſus eſt, ne referenda quidem arbitror. Iſta enim etſi preſſuras illi exhibebant, non tamen erat abſque voluptate quadam. At verò quando illum Aſiatici omnes auerſati ſunt, quando Galatæ peruerſi gens integra, & eatenus grata, quando eccleſiam Corinthij plurimas in partes ſciderunt, fornicatorique teterrimo per ſuas blanditias pudoris quoque ſenſum abſtulerunt: quid illũ perpeſſum putas, quantas illius animo tenebras obfuſas arbitraris? Sed quid nos iſta coniecturis colligimus, cùm illius verba audire liceat? Corinthiis enim ſcribens, dicebat: (2. Cor. 2.) *Quoniam ex multa tribulatione & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lachrymas.* Et rurſum: *Ne fortè cum venero, humiliet me Deus, & lugeam multos qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* (Ibid. 12.) Galatis verò: (Galat. 4.) *Filioli*, inquit, *mei, quos iterum parituro donec formetur Chriſtus in vobis.* De Aſiaticis verò ſcribens ad diſcipulum, quæritur & ingemiſcit. Neque enim iſta ſolùm tunc illum mœrore afficiebant, ſed & datus illi ſtimulus ita eum vexabat atque affligebat, vt ſæpè pro huius abſolutione Deum deprecatus ſit.

Quòd enim hic ait, ter, ſæpius ſignificat. Prorſus verò quando ille reſpirare potuit, qui fratris quoque abſentiam lugebat? *Ex eo* enim, ait, *quòd non inueni Titum fratrem meum, non habui requiem.* (2. Cor. 2.) In alterius item morbo hoc idem paſſus eſt: *Deus enim miſertus eſt eius* (de Epaphrodito ſcribens Phillippenſibus) *non illius autem ſolùm, ſed & mei, ne triſtitiã ſuper triſtitiã haberẽ.* (Philipp. 2.) Et de ſeductoribus, ac ſibi reluctantibus grauiter mœrẽs, ad Timotheũ ſcribit: *Alexander*, inquiens, *ærarius multa mihi mala oſtendit, reddat illi Deus iuxta opera ſua.* (2. Tim. 4.) Quam igitur igitur iſte vel breuem mœroris ac doloris habere requiem poterat? Neque enim ea ſola quæ dicta ſunt, obſidere animum ſuum poterant, ſed & alia quæ mœrorem illi aſſiduum præbebant. Et ea rurſus ipſe aperuit, cum dicit: *Præter ea quæ foris ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* (2. Cor. 11.) Si igitur ille per ſingulos eorum qui ſcandalizabantur, vrebatur, profectò ea aduſtio extingui ex illius animo non poterat. Neque enim vnquam deerant qui ſcandalizarentur, ignique illius materiam ſubminiſtrarent. Nam ſi & vrbes & gentes ſæpè integræ mœrore deciderunt, multò ſanè magis vnum ſemper & alterũ qui hæc paterentur, inueniri neceſſe erat, cum tot eſſent eccleſiæ per orbem. Concedamus autem, ſi placet, neque ſcandalizatum fuiſſe aliquem, neque ab eo disiunctum aliquando, neque aliud aliquid huiuſmodi triſtium illi contigiſſe, ne ſic quidem mœrore vacuum inuenire poterimus. Qua in re nullus iterum teſtis aptior ac fidelior occurrit, quàm ipſe qui paſſus eſt. Quid enim ille ait? *Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis ſecundùm carnem, qui ſunt Iſraëlitæ.* (Rom. 9.) Quod autem dicit, huiuſmodi eſt: Optabilius mihi erat in gehennam incidere, quàm Iſraëlitas infideles & incredulos videre. Hoc enim eſt optabam anathema eſſe à Chriſto. Is autem qui eligebat gehennæ cruciatum vt Iudæos omnes ad fidem poſſet inducere, liquet profectò quòd non potitus voti ſui, grauius afficiebatur, quàm hi qui in gehenna cruciantur: quandoquidem hoc potius quàm illud cupiebat. Tu velim per ſingula quæ dicta ſunt, non ſolùm materiam cogites, ex qua mœſtitia viris illis gignebatur, ſed mẽſuram etiam doloris ac mœroris, multò illum maiorem aſpicies quam tuus ſit. Quod enim modò quæritur, hoc eſt, grauiúſne, an leuius illi angebantur: porrò mœſtitiæ menſura non ex occaſione qua nata eſt ſolum, ſed ex verbis etiam & rebus probari conſueuit. Nam plurimi cum ſolum amiſiſſent pecunias, magis quàm modò charitas tua doluerunt, atque ex his alij ſe aquis ſuffocauerunt, alij laqueo ſibi vitam extorſerunt, rei pecuniariæ detrimenta non ferentes. Aliorum verò etiam oculos mœroris huius vis ac magnitudo cæcauit. Et certè longè leuius ac tolerabilius videtur pecunias amittere, quam perturbari à dæmone: ſed tamen plurimi cùm hæc fortiter tuliſſent, ab illo ſuperati ſunt. Neq; enim velim iſta nunc ex animo tuo metiaris, neque quoniam tu pecuniarum detrimẽta irrides, alios etiam ita affectos arbitreris. Quippe earum amiſſio plurimos in ſtuporem animi, & ſumma detrimenta perduxit. At enim fortem & illuſtrem animum neutrum horum deiicere præualet: imbecillis verò ac ſeculo addictus, illo potius quam iſto cruciatur. Cur id? Quia idem non eſt, famem metuere, & paucis diebus agitari hoc morbo. Nam hic quidem breui temporis parte fit violentia omnis, non ſecus quam febris cuiuſdam, aut rigoris, vel alterius imminentis peſtis, imò minus temporis occupat, quàm iſta omnia. Sed fortaſſe vicit vehementia? Atqui plurimos tibi poſſem equidem oſtendere laborantes febribus, qui cum eo igne corripiuntur multò magis quàm hi qui perturbantur à dæmone ſtupent atque obrigeſcunt. At verò indigentiæ metus, ne deſint neceſſaria, veluti vermis aſſiduus

iugiter perturbans atque aſſidens, pauperum corrodit animum. Et quid ego paupertatem dicam? Omnes hominum calamitates ſi dinumerare velimus, non ipſum ſolùm, ſed tu quoque lamenta tua ac ploratus fortaſſe ridebis. Denique non ſolùm omnes, ſed ne breuiſſimam quidem earum partem eloqui nobis poſſibile eſſet. Neque enim ſcimus illas, neque ſi ſciremus, tempus omni narrationi ſufficeret. Verùm paucas ex plurimis pro viribus colligens, ex his tibi eas etiam quæ dictæ non ſunt, coniiciendas relinquam. Memento, quæſo, ſenis illius optimi atque amantiſſimi, Demophilum dico ex magna illuſtrique familia. Hic iam quintum & decimum annum agit, ex quo nihil agere plus poteſt, quàm mortuus, niſi quòd tremit iugiter, & loquitur, ſenſumq; diſertiſſimum ſuorum habet malorum. Cæterùm in ſumma paupertate vitam agit, miniſtro tantum vno adoleſcente comitatus, bono quidem, ac domini ſui ſtudioſo: non tamen calamitatem illam ſedare ac ſolari idoneo. Neque enim B inopiam iuuare poteſt, neque reſolutionis illius tremorem ſiſtere, ſed buccellam tantum ori domini apponere (quippe neque ad hoc illum iuuare poſſunt manus) & offerre calicem, & purgamenta narium abſtergere præualet, aliud autem plus inferre nihil. Et iſte quidem, vt dixi, quindecim iam

Ioan. 5. annos in eiuſmodi ærumnis degit. Ego autem illum de euangelio conſidero, qui triginta & octo annis hoc morbo conſumptus fuerat. Tu velim præterea Ariſtophemum quoque ex Bithynia cogites. Huic enim corpus nondum reſolutum eſt, vt illi ſeni, verum languor alius imminet, longè paralyſi illa moleſtior & grauior. Namque alui contractiones quædam doloréſque tormentis omnibus acerbiores, nunc quidem verubus omnibus acutius pungentes, nunc igne vehementius vrentes, diebuſque ſingulis ac noctibus eum exagitantes, C apud ignaros eius morbi veſanum illum videri faciunt, adeò torquent illius papillas, adeò manus pedéſque contrahunt, mutúmque illum per multam horam conſtituunt. Porrò clamores illius, ac gemitus (nam poſt illam priuationem vocis nonnunquam in clamorẽ erumpit) lamenta parturientium ſuperant, adeò vt ſæpius hi etiam, quibus longinquius ab illius habitaculo remotis infirmi ſunt, præ vigiliarum tædio & nimietate turbati mittant, culpantes quòd ex illius clamoribus infirmis ſuis deterius ſit: quod illi non ex longinquis interuallis, ſed ſæpius diebus ſingulis ac noctibus contingit. Sextuſque iam hic annus vertitur, ex quo moleſtiſſimo huic flagello permiſſus eſt, neque ſeruus vllus adeſt, qui curam eius habeat, neque medicus, qui conſoletur: id, propter inopiam: iſtud, quia ſuperat omnem artis induſtriam is morbus. Plurima enim plurimi cum egerint (erat enim antea pecuniis fretus) nihil profecerunt. Quódque his omnibus D grauius eſt, neque amicorum aliquis eum iam videre vult, ſed eum omnes deſeruerunt, & hi qui plurimis antea ab eo beneficiis fuerant affecti. Quòd ſi quis vnquam ingreditur, protinus reſilit: tanto fœtore domus illa plena eſt, eò quòd nullus adſit qui curam eius gerat. Vna enim & ſola illi ancilla aſſidet, tantum illi miniſtrans, quantum poteſt mulier, cùm ſit & ſola, & ex opere manuum viuens. Quænam ergo dæmonum vexatio illius cladibus comparari poteſt? Etſi enim cùm horum nihil perturbaret, quod non pateretur, conſiderans adeò prolixum tempus, quo iam in lectulo decubat, ingentéſque ſumptus, qui ſe in ſupremam iniecerunt inopiam, amicorum contemptum, famulorum atque obſequẽtium ſolitudinem: & id quod maximè te nunc perturbat, certámque nullam fiduciam habet, an finem clades iſtæ habituræ ſint: imò verò ſummam confidentiam, quòd ſe viuente ac ſpirante nunquam finientur. Quippe eius morbi vis & quotidianus in deteriora progreſſus, hoc

A pollicetur. Verum ne per ſingulos enumerans eos qui huiuſmodi aduerſis caſibus afflicti ſunt, faſti- Gen. 31. dium legentibus faciam: perge quæſo, ad illum cui xenodochij cura permiſſa eſt, ac iube te ad ibi iacentes introduci, vt omnium morborum inſpicias radicem, nouáque infirmitatum genera, omnéſque materias mœroris. Inde te ad carcerem conuerte, cunctiſque illius habitaculi diligenter exploratis, proficiſcere ad balnearum propylæa, quo in loco fimo & ſtipula pro veſtibus vtentes, iacent nonnulli nudi, frigore, morbo faméque perpetua obſeſſi, aſpectuque ſolo, ac tremore corporis, & ſonitu ſe collidentium dentium, prætereuntes ad miſericordiam flectentes, neque vocem emittere, neque manum extendere valentes, eò quòd iam his malis penitus attriti ſunt. Neque hactenus perſiſtas velim: ſed ad pauperum diuerſorium, quod ante vrbem eſt, egredere: perſpicies profectò eum, quo nunc detineris, mœrorem portum eſſe tranquilliſſimum. Quid enim dicere neceſſe eſt, vel B elephentia conſumpta virorum membra, vel cancro mulierum? Ambo enim iſti & longi ſunt, & inſanabiles. Horum verò alter quos occupauerit, ſuis vrbibus eliminat, neque lauacri eos, neque fori, neque alterius cuiuſpiam illorum loci participes fieri fas eſt. Neque iſtud ſolum graue & acerbum eſt, verum illud longè grauiſſimum, quòd neque confidere certè poſſunt, neceſſaria victui ſibi non defutura. Quid verò illos memorem, qui fruſtrà ſæpius ac ſine cauſa ad fodienda metalla damnati ſunt? Nempe iſti omnes multò grauiore dolore cruciantur, quàm qui à dæmone corripiuntur. Si verò non credis, nihil mirum eſt. Non enim eadem ſententia noſtra, qua aliena incommoda iudicare conſueuimus: cum illa quidem verbo ſolùm & aſpectu, noſtra verò experimento, ac ſenſu cum noſtri ipſorum miſeratione coniuncta didiceri- C mus. Atque idcirco iſta grauiora eſſe, minúſque tolèrabilia. Sin verò quiſpiam omnium liberè illorum naturam diligentiùs conſideret, & eos qui in illa inciderunt animaduertat, hic profectò nobis de huiuſmodi fert incorruptam integerrimámque ſententiam. Sed fortaſſe dicturus es, omnes illos morbos circa corpus verſari ſolùm, hanc autem peſtem intimos animi receſſus attingere, illiſque omnibus eſſe diriorem. Nempè hoc ipſo in primis eam inuenimus illis omnibus eſſe leuiorem. Neque enim hæc vt illi corpus iugiter corrumpit & perimit, ſed ſolùm animam breui tempore excruciat. Cæterùm illi ipſi morbi quos modò numerauimus, cùm in carne gignantur, eam omnem peſtem non eatenus ſiſtũt, verùm ad animam emittunt, anguſtantes illam iugiter, & per dolores ac mœroris aculeos ſummos corrũpentes. Vt enim inquit, vlceri acetum minimè conuenit, ita & morbus inuectus perturbat cor. Non igitur id ſolùm D dixeris, hos tantum gigni ex corpore: ſed illud potius oſtende, quo pacto peſtem omnem & corruptionem ad animam non mittant. Quippe & fames cum non gignant ex corporibus, corrumpit & perdit corpora, viruſque ſerpentum cum ex eis prodeat, perdit item nos: ita & in his morbis ſentiendum eſt, qui cùm gignantur ex corpore, malitiæ ſuæ venena in animæ noſtræ ſubſtantiam transfundunt, & in penetralibus effundunt. Omni denique actione diabolica potentior eſt ad nocendum mœroris magnitudo. Namque & dæmon quoſcunque ſuperat, per mœrorem ſuperat. Eum ſi auferas, nihil à dæmone quiſquam lædi poterit. Et quomodo, inquies, fieri poteſt, vt mœrore vacem? Ego contrà te interrogabo, qua tu ratione mœrore affici debes? Nempè enim ſi adulterium, ſi homicidium, ſi ſcelus aliquod huiuſmodi perpetraſſes, quod te regnis cœleſtibus excluderet: recte mœreres, ac iuſta tibi cauſa lugendi eſſet, nullúſque te à lachrymis & fletu prohiberet. Quòd ſi per Dei gratiam ab

Mœror quando ſit adhibendus.

his

his omnibus longiſſimè remotus es, quid fruſtrà teipſum concidis ac perimis? Mœrorem quoque Deus inſeruit naturæ mortalium, non vt abs re & intempeſtiue illo in rebus contrariis vtamur, neque vt noſipſos perimamus, verùm vt ex eo maxima emolumenta conſequamur. Quoniam verò modo illa conſequemur, ſi illum intempeſtiuè aſſumamus? Porrò mœroris tempus non tunc eſt, cùm aliquid patimur aduerſi, ſed cùm malè operamur. At verò nos ordinem peruertimus, temporáque immutamus, qui cum innumera mala perpetremus, ne breuiter quidem dolore contrahimur: ſin verò quippiam à quoquam patiamur mali, protinus concidimus, hæremus, titubamus, liberarique & cedere ex vita feſtinamus. Grauis igitur & onerosa ea res videtur, non ſecus quàm iracundia & concupiſcentia. Nam & hæc niſi quis ea ritè ac tempeſtiuè vtatur, deiicit ac maculam inducit. Contingitque idem quod in medicamentis, quæ à medicis traduntur: quippe & illa ſi non ſuo ordine & tempore, ac pro quibus morbis parata ſunt, ſed pro aliis imponatur alia, non ſolùm infirmos languore non liberant, ſed infirmitatem potius aggrauant. Ita prorſus & mœror facit, ac meritò ſanè. Nam cum auſterum corrodenſque medicamentum, atque (vt ita dixerim) vitiorum quæ in nobis ſunt purgatio, ſi admoueatur otioſo ac delicato animo, ingentique peccatorum pondere oppreſſo; maxima ſuſcipienti, curiſque oppreſſo, & plurima perpeſſo adhibeatur: præterquam quòd nihil prodeſſet, maximè nocet, imbecilliorem illum faciens atque ad deſperandum facilem. Quocirca ſtantibus & acriter pugnantibus Paulus cùm ſcriberet, dicebat: *Gaudete in domino ſemper: iterum dico gaudete.* (Philipp. 4.) Porrò diſſolutis ingentémque habentibus tumorem: *Et vos*, inquit, *inflati eſtis, & non potius fleuiſtis.* (1. Cor. 5.) Itaque is quidem qui peccatorum ſagina impinguatur, extenuetur ac ſiccetur hoc medicamento. Qui verò bonæ habitudinis eſt, atque in decenti ſtatu ſeipſum ſeruat Dei gratia, per mœrorem bonam ſuam valetudinem non corrumpat. Adeò eſt enim ille acer atque efficax, vt etiam ope ſua indigentibus, ſi plus temporis quàm neceſſe ſit immoretur, maximorum malorum cauſa ſit. Quòd & beatus Paulus metuēs, citò illum, poſtquàm fecerat quod ſuum erat, auferri iuſſit, cauſámque protinus adiecit eam: *Ne fortè*, inquit, *abſorbeatur abundantiori triſtitia.* (2. Cor. 2.) Porrò ſi nimius mœror irruens, eos etiam quibus erat neceſſarius, ſæpius perdidit: quid illis faciet, qui cùm non indigeant, ſponte illum ſibi conſciſcunt? ita ſanè inquies, Noui hoc & ipſe: ſed quo pacto illum excludam, atque ab animæ meæ receſſibus amoueam neſcio. Et cuius hoc difficultatis, amantiſſime? Nam ſi concupiſcentia eſſet aliqua, ſi corporum turpis atque inſanus amor, ſi inanis gloriæ peſtis, vitium profectò ſuperatu difficillimum, aut aliquid perturbationum huiuſmodi, meritò hæreres, & eſſes de huiuſmodi liberatione ſollicitus. Eos enim qui his capti fuerunt, non quidem eſt impoſſibile, difficillimum tamen ea retia diffugere. Cur id? quia voluptas his cooperatur, atque illa adiuuat. Ea verò eſt, quæ ſemel captis funes plurimos innectit. Iſtúdque primum difficultatis pleniſſimum eſt, perſuadere animo ſic irretito, vt planè ac penitus velit ac cupiat hiſce nodis liberari: ſitque ſimillimum, veluti ſi quis ſcabiem ac prurigine depoſitus, morbo ſuo delectetur, ac paſſioni huiuſmodi expoſitus, ea liberari quærat. Cæterùm ad effugandum mœrorem id parùm non confert, ſi interim ingratè illum admittamus. Nam qui re aliqua grauatur, citò illam ab ſe excutere & abiicere ſtudebit. Porrò ſi quis eam ab ſe eiicere ſtudeat, nec poſſit, non remittat ſtudium, & citò poterit. Certum eſt enim, Chriſtianum, ſi quando triſtetur, duas tantùm habere mœroris cauſas, vel cùm ipſe, vel cùm proximus offēdit Deum. Quum verò præſens mœror tuus nullam huiuſmodi occaſionum radicem habeat, cur teipſum fruſtrà diſcrucias? Et vnde id conſtet, inquies, quòd non offenſionum noſtrarum pœnas exoluamus? Id quidem maximè liquet, ſed hoc interim non aſſeramus. Verùm ſit, ſi vis, id non incertum, ſed maximè manifeſtum, vt tu dicis, hanc eſſe peccatorum tuorum retributionem: Num, quæſo, idcirco mœres & doles? Atqui gaudere potius, & meliore animo eſſe debes, quod hic peccata tua tibi remittantur, ne cum ſeculo iſto damneris. Qui enim dolet, non quia cruciatur, ſed quia offendit Deum, dolere debet. Peccata enim ſeparant à nobis Deum, conſtituuntque nobis illum inimicum. Cruciatus verò nobis illum reconciliat, præparátque propitium ac propinquum fieri. Quòd autem non ſit peccatorum retributio, ſed coronarum potius, præmiorúmque materia ſudor iſte tuus, ac dolor, hinc ſanè manifeſtum eſt. Si enim priùs turpiter ac luxurioſè vixiſſes, atque ita te ad monachorum conuerſationem contuliſſes, ne ſic quidem hæc ſuſpicio locum habuiſſet. Nam ſi ob hoc pœnas infert, vt in malis perſeuerantes ad pœnitentiam prouocet, oſtenſa pœnitentia, ſuperflua iam erit pœna. Intantum enim abeſt, vt nos punire velit Deus, vt cùm ſæpenumero pœnis digna faciamus, ſummáque conuerſione opus habeamus, comminatione ſolum, verbiſque terribilibus nos caſtigare malit: idque facilè quiſpiam animaduertet & in Iſraëlitica plebe, & in Niniuitarum ciuitate: non ſolum enim ſupplicia intentata non intulit, cùm pœnitentiam oſtenderent, ſed & minas ipſas remouit. Longè enim vult ipſe nihil nos pati mali, quàm noſipſi, nulluſque ſibi ita parceret libenter, vt omnibus Deus. Deinde is qui ſæpius peccantes verbis tantum exterret, nec punit pœnitentes, eóſque hac formidine liberat: te qui tanta religionis, tanta virtutis & probitatis indicia præ te tuliſti, non ſolum his minis, atque hoc terrore non eripuit, verùm & opera ipſa ſuppliciis expoſuit. Et quomodo credi hoc poteſt? etiamſi prior illa tua conuerſatio corruptiſſima fuiſſet ac perdita, vt dixi: quis id vel ſuſpicari auderet? Cùm verò deterior illa fuerit quàm præſens ſit, ornata tamen & ipſa, ſummáque honeſtate pollens, profectò nobis omni ex parte conſtabit colluctationes has tuas, coronarum tibi, maioriſque gloriæ occaſionem eſſe. Oportet igitur, vt dixi, & has, & huiuſmodi cogitationes amouere. Conuenit item & cum his vnà, imò ante has, orationibus perpetuiſque precationibus has tenebras diſpergere & diſſipare. Nam & beatus Dauid magnus ille vir atque mirabilis, his medicamentis ſemper vſus eſt, hiſque plurimos dolores preſſurarum remouit ac repulit. Nunc quidem orans, ac dicens: *Tribulationes cordis mei multiplicata ſunt, de neceſſitatibus meis erue me.* (Pſal. 24.) Nunc piis ac religioſis cogitationibus admotis inquiens: *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.* (Ibid. 42.) Rurſumque ex cogitationibus huiuſmodi ad orationes conuerſus: *Remitte*, inquit, *mihi, vt refrigerer priuſquam abeam, & vltra iam non ero.* (Ibid. 38.) atque ab orationibus ad cogitationes. *Quid* enim ait, *mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?* (Ibid. 72.) Ita & Iob vxori, quæ verba diabolica ſuggerebat, piis cogitationibus reluctabatur, illámque increpans, dicebat: *Quaſi vna ſtultarum mulierum locuta es: ſi bona ſuſcepimus de manu domini, mala autem quare non ſuſtinebimus?* (Iob 2.) Ad Deum verò precibus vtebatur. Beatus verò Paulus vtriſque his armis eos qui in preſſuris ac tentationibus erant, iuuabat: nunc quidem dicens: *Si autem extra diſciplinam eſtis, ergo adulterini, non filij. Quis enim filius, quem non corripit pater?* (Heb. 12.) Nuncque orans, *Fidelis*, inquit, *Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* (1. Cor. 10.) & rurſum: *Siquidem iuſtum apud Deum eſt, retribuere retributionem his qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini, requiem.* (2. Theſſ. 1.) Si igitur

armis his ipſe quoque vſus fueris, ac teipſum perfectè vndique armaueris, cogitationibus piis mœroris retundens impetum, orationibus verò tam tuis, quàm aliorum te veluti vallo fortiſſimo muniens, celeriter diſciplinæ iſtius percipies fructus. Non enim hoc ſolùm lucraberis, quòd præſentia fortiter feres: verùm his exercitationibus robuſtiſſimus effectus, nullis iam vitæ huius aduerſis caſibus frangi vel deiici poteris.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI DE PROVIDENTIA

oratio prima: Ioanne Checo Cantabrigienſi interprete.

MVLTIS referta eſt perturbationibus vita noſtra, & tumultuum plena præſens conditio eſt. Atqui non in eo moleſtia eſt, viri dilecti, ſed quòd tumultus iſtos & perturbationes quum queamus vel ad moderatiorem formam traducere, vel patienter & ſine dolore ferre, in neutro horum elaboramus, ſed iactatam multis curis vitam degimus. Atque alius quidem paupertatem, alius ægritudinem queritur: alius curarum magnitudinem, & rei familiaris procurationem: alius liberorum educationem, alius orbitatem. Ac vide ſanè inſignem amentiam: non enim iiſdem in cauſis, ſed in contrariis ſimiliter omnes lamentamur. Atqui ſi rerum natura nobis lamentationum cauſa eſſet, haud par eſſet, contrariis in rebus ſimiliter commoueri. Sed ſi paupertas malum, idque intolerabile, qui cum diuitiis viuit, nunquam vexaretur: & ſi carere liberis, malum, qui liberis abundat, trãquillo animo eſſet. Rurſus, ſi rempublicam adminiſtrare, honoribus vti, & multos ſubiectos habere in nobis numeratur, vita hæc quieta & tranquilla fugienda eſſet, & ab omnibus hominibus aſpernanda. Nunc verò quum videas locupletes ac tenues ſimiliter perturbari, diuitẽ verò ſæpè etiam plus: atque item honoribus vſum, & ſubiectum, & multorum liberorum patrem, & qui nullos omnino habet liberos, non rerum confuſionem, ſed eos qui opportunè iis vti, ac omni perturbatione ſeipſos liberare nequeant, accuſemus. Non enim in illarum rerum euentu perturbatio ac tumultus eſt, ſed in nobis atque in animis noſtris: qui ſi bene conſtituti fuerint, quamuis ſexcentæ vndique oriantur tempeſtates, in tranquillo ac portu perpetuo requieſcemus. Quemadmodum contrà, non bene affectis, quamuis omnia nobis ſecunda fluant, nihilo melius his qui in naufragio ſunt, comparati ſumus. Licet hoc & in corporibus cernere. Qui enim confirmato eſt corpore ad valetudinẽ, quanuis inæquabili cœli varietate oppugnetur, non modò nihil mali accipit, ſed etiam acceſſionem roboris exercitatione & intemperiei conſuetudine facit. Sin imbecillum corpus habeat, quamuis optima cœli fruatur temperatione, nullus tamen illi fructus ex hac cœli æquabilitate erit, cùm hæc inteſtina imbecillitas, cœli etiam bonitate lædatur. Hoc quidem & in cibariis cernimus. Quãdo enim firmus & corroboratus nobis vẽter totus eſt, quodcunque receperit, quamuis id graue, quamuis ad concoquendum difficile ſit, in bonum illud transfundit ſuccum, naturali temperatione cibi malitiam ſuperante. Quando verò firmitas eius eneruata quodammodo & languida eſt, quamuis cibum optimi ſucci adhibeas, in peius illum vertit, ac corrumpit, imbecillitate vim eius omnem labefactante. Itaque nos quando rerum perturbationem cernimus, non Deũ accuſemus, viri dilecti: hoc enim eſt, non remediũ inuenire vulneri, ſed vulnus addere vulneri. Non dæmoniis attribuamus mũdi gubernationẽ, non prouidẽtia vacare humana putemus, nõ originis cuiuſdam, ac fati dominatũ è prouidentia diuina extruamus. Hæc omnia, cõtumeliarum plena ſunt & vera perturbatio, atq; confuſio, non in rerũ eſt motu, ſed in animo ita affecto. Qui quamuis cæterarũ rerũ aptã deſcriptionẽ habet, vſq; dum cõfuſionem ac perturbationẽ in ſeipſo coërcuerit, nullũ illi ex aliarũ rerum aptã deſcriptione præſidium erit. Sed quemadmodum oculus ægrotus, etiam clariſſimo meridie tenebras obtuetur, atque alia pro aliis, nullúmque radiorum ſolis fructum habet: ſanus verò, ac firmus, etiam veſpere poterit corpus quaſi manu ducere ſine vlla offenſione: ſic & mentis noſtræ oculus, quamdiu firmus eſt, multa quamuis confuſa, clarè tamen videbit. Deprauatus autem, quamuis in ipſum cœlum attollas, multam ibi eſſe perturbationem & confuſionem rerum iudicabit. Hoc ita eſſe, permultis tibi tum antiquis, tum recentibus exemplis adhibitis, confirmabo. Quot paupertatem toleranter ferunt, & Deo propterea gratias agere non ceſſant? Quot diuites, rebúſque omnibus affluentes, non modò non gratias agunt, ſed maledictis etiam dominum figunt? Quot etiam nihil graue perpeſſi, vniuerſam prouidentiam accuſant? Quot in cuſtodia omne tempus ætatis degentes, hanc miſeriam ſedatius ferunt, iis qui omni terrore ſollicitudinéque vacantes viuunt? Vides igitur animum ita conſtitutum, & ſuam cuiuſque mentem, tum horum, tum illorum eſſe cauſam, non autem rerum ipſarum naturam. Itaque ſi menti cultum diligentem adhiberemus, nulla perturbatio, nulla confuſio, nulla moleſtia inueheretur, quamuis euripo quouis turbulentius ſurſum & deorſum vita noſtra iactaretur. Age vero, dico modo, qua de cauſa Paulus gratias agit? Atqui is inter cæteros & optimam vitam traduxit, & virtutem omni tempore coluit; & minimè moleſtias huiuſmodi pertulit: Nemo ex omnibus qui ſolem aſpiciunt, illo iuſtior neque poſt hominum memoriam aſperiora illo quiſpiam perpeſſus eſt. Et quidem quum videret multos cum nequitia viuere, & læto animo eſſe, pecuniarum abundantia frui, gratias tum ipſe Deo egit, tum cæteris hoc omnibus præſcripſit. In illum intueamini. Tu igitur, quum animo ſecurum, quum elatum, quum hoſtes proſternentem, vexatores ſuos vlciſcentem, incommodorum minimè patientem, quúmque vndiq; pecunias illi affluentes, omnes illum adulatione, omnes honore proſequentes videris: te verò ipſum contrà, in ſtatu diuerſiſſimo, contumeliis, calumniis, inſidiis appetitum, ne te abiectum putes, ſed in Paulum intuens, tecum in eadem parte hærentem, erige animum, reuoca mentem, neque vllo animi languore cadas. Amicum Deo, atque hoſtem, non ex rebus proſperis aut aduerſis æſtimabis: ſed ſi rectè viuere ægritudine carere, pietatem ſpectare videris, beatum illum, & fortunatum iudica, quamuis ſexcentis vinculis conſtringatur, carcere perpetuò includatur, hero indigno ſeruiat, inopia prematur, in latumias coniiciatur, aut aliud quiduis graue patiatur. Beatus enim hic, etiamſi oculos effoſſos, corpus ambuſtum, aut paulatim abſumptum habeat. Sin alterum videas nequitia & luxu diffluentem, & in extremis ſceleribus viuẽtem, omni honore abundantem, regium ſolium aſcendentem, diademate redimitum, purpura indutum, & vniuerſæ continentis dominum, ingemiſce, ac propterea talem etiam miſerum ducito. Nihil enim miſerius animo ita affecto, quamuis vniuerſam ſibi ſubiectam continentem habeat. Quid enim vtilitatis adfert, maximis pecuniis locupletari, quando omnium quæ ad virtutem ſpectant, inanis fueris? Quod emolu-

A ſimili.

A B C D

mentum eſt tam multis præeſſe, quando tibi, tuiſque affectionibus imperare nequeas? Atqui ſi corpus videamus malè affectum, & febre, aut pedum dolore, aut tabe aliqua, aut aliquo quouis inſanabili morbo vrgeri, lachrymamus, etiamſi admodum locuples ſit, imò verò tantò magis, quantò ille locupletior fuerit. Senſus enim aſperior malorum eſt, quando quis in abundantia omnium fuerit, quæ ſunt ad viuendum neceſſaria. Hic enim cùm propter paupertatem fructu eorundem caret, neceſſitate ipſa ſe conſolatur. Ille verò in cuius manu eſt omni affluentia vti, & infirmitate valetudinis prohibetur, animo propterea magis vtitur. Quidni abſurdum eſſet, corporis morbo cum vrgetur aliquis, infortunatum iudicare, quamuis locuples fuerit: animo autem malè affecto, quo nihil nobis neque par, neque præſtabilius eſt, beatum ducere propter exiguam pecuniam, aut caducum honorem; aut propter aliud quid ex iis, quæ hîc nobiſcum permanent, & poſt hanc vitam, imò verò perſæpè etiam antè vitæ exitum deſerunt? Annon hæc quæſo perturbationis, hæc tumultus nobis efficiētia ſunt? Propterea Deum accuſant multi, propterea mundum nullo conſilio adminiſtrari, nulla ſapientia regi putant. Quòd ſi ſcirent, in hoc vitæ curſu nihil bonum, niſi virtutem ſolam, non pecunias, non ſanitatem, non potētiam, non aliud quippiam, nihilque malum in hac vita, niſi malitiam ſolùm & improbitatem, & peruerſitatem animi, non paupertatem, aut ægritudinem, contumeliam, aut calumniam, aut quæ ſunt eius generis, quę horribilia eſſe putantur: non hæc loquerentur quæ nunc faciunt, non ita animum abiicerent, non ita beatos iudicarent, quos infelices putare oportuit, hec contrà infœlices putarent, quos beatos exiſtimaſſent: denique non ita de rebus humanis ſtatuerent. Nam propter optimum habitum corporis, & delicatum paſtum, & largum ſomnum, homines in beatis habere, quid aliud eſt, quàm hîc de illis vt de beſtiis cogitare? Quoniam in eo illarum fœlicitas conſtituta eſt, imò verò etiam in beſtiis hoc nefarium eſt. Multi enim tum aſini, tum equi ceſſatione ac edacitate perierunt. Atque ſi in efferatis beſtiis, quarum omnis virtus in corporis bona conſtitutione ponitur, hæc noxia ſunt: in hominibus, quorum omnis ſtabilitas in animi nobilitate collocatur, virtutem ducemus? nec cœlum ipſum, neque animorum noſtrorum cognatos angelos reuerebimur? Non erubeſcis ipſam corporis naturam, & deſcriptionem? Non enim quemadmodum feris, ſic nobis corpus Deus figurauit: ſed ſicuti par fuit, quod animo rationis participi, atque immortali obedire poſſit. Cur enim beſtiis omnibus deorſum in terram deiectos fabricauit Deus oculos, tibi verò in capite tribuens, eos quaſi in arce collocauit? Annon quoniam illis nihil cum cœlo commune eſt, tibi verò tum à Deo, tum à natura vt maximè cœleſtia ſuſpiceres, lege à principio ſancitum eſt? Quare tibi corpus celſum & rectum fecit, illis verò contrà, ad terram abiectum? Annon hac via, & corporis præterea formatione, inſtruit te, vt nihil habeas commune cum terra, neque fluxis rebus adhæreſcas? Neque igitur nobilitatem noſtram prodamus, neque ad beſtiarum ignobilitatem dilabamur, vt ne de nobis dicatur illud: *Homo quum in honore eſſet, non intellexit.* Pſal. 48. Deliciis enim atque opibus, & gloria, & rebus mortalibus vitæ modum terminare, hominum eſt non ſuam nobilitatem inquirentium, ſed eorum qui equi aſiníque efficiuntur. Abſit autem vt hoc loco tales reperiantur in ſancto cœtu, in theatro hoc ſpirituali, in conuentu hoc religioſo. Propterea enim quotidie diuini verbi auditione fruimur, vt hac oratione, quaſi falce, ſylueſcentes animi affectiones præcidamus, frugiferæ arbores ſimus, fructúſque tempeſtiuos feramus in horreum regium

A reponendos, qui gloriam quidem dabunt communi domino, cultori animarum noſtrarum: nobis verò vitam ſempiternam, quam vtinam nos omnes conſequamur, gratia & humanitate, &c.

EIVSDEM DE PROVIDENTIA, *Orat. II.*

QVI *maledicit patri, aut matri, morte*, inquit, *mulctetur.* Exod. 21. In veteri teſtamento hoc ſancitum eſt, quando non abſoluta optimæ reipub. formæ perfectio, quando diuinitatis inductio fuit, quando puerilia præcepta, quando lac, quando pædagogus quando lucerna, quando figura & vmbra. Quid igitur dicemus de his qui nunc in gratia, & rerum ipſarum veritate, & tanta in cognitione ſunt, non patri aut matri maledicentibus, ſed ipſi vniuerſitatis rerum Deo? Quo enim ſupplicio accipientur? qualis animaduerſio, quis igneus amnis, quis B vermis ſempiternus, quæ tenebrę exteriores, quæ vincula, quis ſtridor, quis ploratus, ſcelerum magnitudini ſatis eſſe poſſit? Omnes cruciatus qui nunc ſunt, quíque futuri ſunt, minores iuſto ſunt animo ita affecto, ac euſque improbitatis prolapſo. Verborum contumeliæ multæ, variæque ſunt, itaque neceſſe erit eas omnes hodierno die exponere, vt neque ſponte in partem eius aliquam incurramus, neque aliquem vel amicum incurrere permittamus. Non eſt enim, non eſt hoc peccatum vllum deterius, ſed neque par. Nam in eo, & acceſſio omnium malorum eſt, omniſque confuſio, inexpiabile ſupplicium, & intolerabilis pœna. Qui ſunt autem qui Deo maledicunt? Qui ex ſapientia prouidentiæ eius, fati confuſionem, & neceſſitatem rerum extruunt. Atqui infideles, & in ligna ac lapides inhiantes, eáque venerantes, hoc laborare morbo minimè mirandum eſt. Eos verò qui hoc C errore, & ſeruitute liberati, & omnium ſupremi, ac veri, reuera Dei cognitione digni habiti ſunt, quadam quaſi reciprocatione, in illud ſalum atque inſaniam animo trahi, hoc eſt grauiſſimum, & multis reuera lachrymis & lamentis proſequendum, cum qui Chriſtum ſe dicant venerari, & tantis digni myſteriis effecti, & reconditarum inſtitutionum, ac ſapientiæ cœlitus nobis demiſſæ ſint participes, poſt tantum honorem quem acceperunt à Deo, voluntarij ſeipſos de libertate præcipitent, quam Deus illis condonauit, magnáque cum temeritate ſeipſos deiiciant, & ſeruituti aſperrimæ ſeipſos ſubmittant, & crudeliſſimum dominatum, qui nullus eſt, animo fingant, omnem ſpem bonam præcidant, & neruos omnium virtutis cultorum elidere contendant. Simile. Quemadmodum in bello milites ſtrenuos, ac animam profundere paratos, inimicus aliquis intuens, qui illos nulla ratione lædere, neque à ſtudio in regem auocare, D neque ad timorem traducere, neque machinis ſuperare poteſt, hac via tamen ſuadendo corrumpit, fruſtrà illos, ac temerè, & nulla de cauſa tantos ſuſcipere labores, vt ſic robur labefactet, animi ardorem extinguat, vt à bellicis curis amotos, nudos & inermes cernens, captiuos trahat: ſic & diabolus facit. Diaboli aſtus & fallacia. Poſteaquam vidit Dei gratia, per magnam continentis partem, Græcorum errores irridere, omni animo ac voluntate ſermones de pietate antiquiſſimos habere, ex eóque magnam virtutis conſectationem, magnam improbitatis depulſionem fuiſſe: non auſus eſt procedere, ac palam dicere: Deficite à Chriſto, illius inſtituta irridete: fabula illius ſunt atque error omnia, malus eſt & crudelis. Nouit enim ita magis à ſuo imperio receſſuros, & vehementius illum exoſuros. Propterea recta via ad accuſandum non pergit, ſed circuitione quadam perreptans, venenum impiarum opinionum clanculũ ſpargit, hoc relinquens, vt videantur quidem homines in fide permanere,

re autem vera radicitus eam extrahit,& omnia veritatis inſtituta perfringit, & multam apud homines ſibi obedientes, Deo calumniam offundit. Propterea ab illo hoc venenum,hæc mortifera fatalis neceſſitatis apparabantur pharmaca, vt omnia quæ dicit rectè inuehat, vt inanes cogitationes, inanem fidem faciat,& malam de Deo ſuadeat hominibus ſententiam habere: quod initio etiam fecit apud Adam, quaſi maleuolum quendam ac inuidioſum Deum exagitans. His enim penè verbis præcipiendo vſus eſt. Gen. 3. Nouit Deus veſtros oculos aperiendos eſſe, nouit futuros quaſi Deos, inuidit vobis; maiorem vobis honorem indignabatur. Quamuis enim hæc verba non adiecit, ex his tamen quæ commemorauit, hæc coniicienda reliquit. Ac vide illius improbitatem. Cum labefactaſſet Dei decretum, & dixiſſet maxima illis futura commoda, ſi ei non parerent; cuius generis ſunt apertio oculorum; Deo par eſſe, recti cognitio, non his adiecit; malum eſſe qui hæc prohibebat, vt ne quaſi hoſtis atque inimicus ſententiam dicere videretur, ſed perſonam conſiliarij ac cognitoris ſuſcepit, vt malum hoc conſilium redderet explicatius. Quod etiam vſu venit. Nihil enim aliud his dictis confirmare voluit, niſi vt recederetis à Deo fabricatore veſtro. Indignans eſt, & inuidus. Maxima vobis bona inuidet. Hæc manifeſtè verba non poſuit. Tum enim illum inimicum ſuſpicati declinaſſent: ſed iſta prætermittens, atque diſſimulans, hoc pernicioſum conſilium dedit. Itaque nunc non dicit, à Chriſto recedite, quaſi diuina præcepta damnatione digna eſſent. Quiuis enim illum mentiri cognoſceret, ſed callidè videtur quidem nos in iis eſſe ſinere, & cum veritate conſentire: ſed clam imprudentes ex æterna hæreditate eiicit. Quemadmodum ſi quis puerum ingenuum ac liberum, ſed ſimplicem & incallidum, dextra prehenſa, è domo paterna non eiiceret, ſed ea præciperet facienda, quibus deſignatis, volens nolens filius paternorum bonorum exhæres eſſet. Fieri, inquam, fieri non poteſt, Contra fatum. vt qui fato animum attentum habet, cœlum conſequatur. Omnino verò fieri non poteſt, vt gehennam & ſupplicium effugiat. Nam contra Dei decreta, omnibus obedire præcipit. Deus dicit: *ſi volueritis, & me audieritis, bonis terra veſcemini: ſin nolueritis, neque mihi auſcultaueritis, gladius vos conſumet. Os enim domini hæc locutum eſt.* Eſa. 1. Vides quemadmodum Deus loquitur, & quales leges ferat. Audi nunc & fatum quemadmodum etiam ipſum loquitur, & quemadmodum contrarium ſcitum facit, ac attende vt illa à Dei Spiritu prolata ſint, hæc à malo, ac præterea etiam à dæmone quodã efferato. Dixit Deus: ſi volueritis & ſi nolueritis, in noſtra poteſtate virtutem ac vitium collocans, & in arbitratu noſtro ponens. Ille verò quid ait? Quod fato conſtitutum eſt, vitari non poteſt, quamuis voluerimus, quamuis contenderimus. Deus dicit: ſi volueritis, bonis terræ veſcemini. Fatum dicit: ſi voluerimus, neque bonis id datum fuerit, nulla vtilitas eſt hoc velle. Deus dicit: ſi nolueritis auſcultare verbis meis, gladius vos conſumet. Fatum dicit: ſi noluerimus, datum verò nobis fuerit, omnino ſeruabimur. Annon hæc fatum dicit? Quid fieri poteſt hac pugna clarius? Quid bello hoc euidentius, quod tam impudenter aduerſum diuina oracula ſuſceperunt improbitatis magiſtri, dæmones? Sed vt initio dixi, minimè admirandum eſt dæmones, & homines alios dæmonum æquales, Græcos dico, iſtis rebus fidem adiungere: vos verò tam diuinæ ac ſalutaris doctrinæ participes, hæc refutare, & ad illa quæ impuriſſima ſunt, & animi perniciem continent, voſipſos aggregare, hoc longè eſt aſperrimum. Quid enim mea intereſt externos iudicare? Mihi apud vos ſermo eſt, qui membra Chriſti, filij Eccleſiæ, paterna in do-

A mo conſtituti, cœleſtis doctrinæ participes, tantò honore affecti eſtis. Propterea ingemiſco, propterea lachrymor, ac lamentor. Digna enim lamentis ſunt, quando quis in errores venia non dignos labitur. Quæ enim venia, dic mihi, eſſe poteſt, vbi cum Deus affirmet, dæmones contradicant, fide digniora videntur etiam apud ſeruos Dei, ea quæ ab illis, quàm quæ à Deo dicta ſunt? Neque verò ratione conturbemur nunc, ſed pauliſper animum ad audiendum proiectum eorum qui his obtemperant demonſtremus. Deus dicit: *Appoſui tibi ignem & aquam, vitam & mortem, quò volueris intende manum.* Eccl. 15. Dæmon dicit: Non eſt in te ſitum porrigere manum, ſed neceſſitate quadam & vi hoc fit. Et fide digniora tamen hæc tibi videntur, neque quàm longum interuallum ſit inter conſultores animaduertis Dei ac dæmonis, neque conſilij differentiam exquiris, alterius ſalutaris, & ad virtutẽ vocantis, alterius diabolici & ad nequitiam ac improbitatem B impellentis. Non quæ à Deo data tibi ſunt, quæque à dæmone conſideras, quòd hic ita adamauerit, vt filium vnigenitum pro te daret, quo nihil patri pretioſius eſt, atque etiam nunc amat, vt & te per Apoſtolos quoque tua pro ſalute aduocet, deniq; omnia faciat: ille verò tam magnum odium habuit, atque etiam adhuc habet, vt omnino te expugnare, & non modò non boni aliquid dare, ſed etiam his quæ à Deo acceperis, te exuere conetur. Hic quidem angelis te parem facere contendebat: ille verò humi ſerpentibus beſtiis abiectiorem te effecit, & illos venerari perſuaſit. Hic ad regnum cœlorum & reliquos honores te euexit: iſte verò hinc tibi datum honorem inuidit, nec prius deſiſtit donec euerterit. Quamuis enim hæc decreta illius perſpicere non poteſtis, quæ etiam ſole clariora ſunt his qui non admodum degenerant, (ita illuſtrem habent illa virtutem ac ſalutem, hæc C improbitatem) iſta tamen ſi per vos cognoſcere nequeatis, ab his qui conſilium vobis dant, noſcite quid ſalutare, quidque noxium ſit. Quidni enim abſurdum ſit, aliarum in rerum delectu hunc habere animum, vt ſi medicus cibum alicui det, non in eo curioſus ſit, ſed quaſi ſanitatis efficientem accipiat: ſin veneficus aut impoſtor ſit, non multum laboret, ſed quaſi venenũ ac peſtem auertat, de Deo autem hoc iudicium non adhibere? quamuis longè maius interuallum inter Deum & dæmonem ſit, quàm inter medicum & veneficum: ac tale quidem, quale non modò verbis, ſed ne mente quidem ac ratione comprehendi poteſt. Extremæ enim amentiæ eſt, vbi minima differentia eſt, vt in his qui cibum adhibent, non multum laborare, ſed hominum conditione vniuerſæ doctrinæ loco vti: vbi verò tantum diſcrimen eſt conſiliariorum, ibi adhortatione opus habere, vt intelligatur quid ſaD lutare ſit, & quid noxium. Ne, quæſo, ne ſimus beſtiis ipſis immaniores, ſed reſiliamus, neque aures admoueamus. *Mores bonos corrumpunt ſermones mali*, neque veniam aſſequẽtur qui decepti ſunt. 1. Cor. 15 Cur enim ſi peſtilentem locum, & contagionis plenum videris, conſuetudinem illius loci fugis, quamuis ſexcenties ad domicilium illud traharis, & corporis valetudinem cæteris rebus omnibus anteponis: Simile. vbi verò opinionibus peſtilentibus quidam complentur, ac ægritudinibus quæ non modò corpus corrumpunt, ſed animam quoque perimunt, ac deteriorem viliorémque reddunt, non omnino refers te? Audi, inquit quidam ſapiens vir: Ne ſteteris, reſili, ne tardaueris, vel breuiſſimam hic metuas moram. Hæc dicimus nõ ſtabilitatem illarum opinionum veriti, ſed imbecilitatem veſtram metuentes. Nobis enim Dei gratia fide fundatis, imbecilliores aranearum telis videntur. Et quamuis plus millies auribus noſtris obganniant, à nobis quaſi inſani, atque extra ſe poſiti, riſu exploduntur. Neque aduerſum omnes hæc loquor, ſed aduerſus eos

Digitized by Google

qui horum rei ſunt. Nam & Paulus qui cæteris anteibat, non doctrinam ſolùm adhibendam præcepit, ſed etiam diſcipulo Timotheo contra aduerſarios tum verborum certationes, tum inanitates auferendas monſtrauit. (1. Tim. 6.) Exiguum noſtræ vitæ tempus, breue ſalutis huius curriculum. Si igitur breue hoc tempus, quod ad diſcendum vtilia nobis datum eſt, in ſuperuacaneas, atque inutiles & noxias diſciplinas inſumamus: de cætero quam opportunitatem habebimus ad hæc neceſſaria atque idonea cognoſcenda? Nam ſi vel longiſſimum eſſet, vniuerſum ipſum ad vtilia conquirenda conſumendum foret: nunc verò cùm breue atque exiguum ſit, annon extremæ dementiæ eſt, tempus tam breue in opiniones mentium noſtrarum corruptrices inſumere? Quid medicina opus eſt? ne omnino plagã accipias, ne tempus abſumas in his ſanandis, quæ ab aliis & accipis, & habes vulnera. A diuinis ſcripturis ſanitatem conquire. B Sin interuenerit quis, ac aliud quippiam attulerit, obſtrue aures, reſilito ſtatim, ne cuncteris: ſi regum cœtus ſit, ne committas vt eius conſeſſus in ſocietatem venias, vt quanuis nullus aſſenſus tuus fiat, communitate tamen auditionis omnino pericliteris. Quando contra Deum dicitur, & opinio plena reprehenſionis illius affertur, non aufugies, non vexantem contumeliis linguam odio habebis; non impia ora obſtrues? Quomodo enim poteris libera animi inductione Deum venerari, cum contumeliarum omnium quæ contra illum intentantur, ſis ſocius? Quod ne fiat precor. Hæc à me non ad præſentes, imò verò potius ad præſentes dicta ſunt. Si enim vos culpa vacatis, quos tamen ægritudine vexari intelligitis, eam his ac aliis compluribus exhaurietis verbis, vt radicitus hoc malum extirpetis. Precibus verò ſanctorum, amicorum Dei, quorum precandi libertas multò plus habet, quàm ſermones noſtri, fiat, vt omnes nos, ac quicunque C ad plenitudinem Eccleſiæ pertinent, his liberati malis, pro tribunali Chriſti cum libera ſecuritate ſtemus, cui ſit gloria. Amen.

EIVSDEM DE FATO,
Orat. III.

NOVI equidem nuper apud vos de fato verba me feciſſe, nihil tamen prohibet etiam hodie de eodem argumento ſermonem inſtituere: non quoniam hæc affectio admodum inſita ſit in animis veſtris, ſed quoniam ſocordia veſtra incredibilis quædam eſt, quæ vel minimas ægritudines, permagnas facit. Nam & cæco natura hoc perſpicuum eſt, fideli homini ad mali huius depulſionem neque doctrina, neque verbis opus eſſe. Quemadmodum enim qui eandem terræ continentem nobiſcum incolit, & legibus nobiſcum tenetur eiſdem, & regibus ſubiectus eſt eiſdem, minus à nobis D perſuaderi debet, ſed vetari ſolum vt ne Perſarum reipublicæ formam quotidie inuehere conetur: ſic hoc loco fit. Errorum enim quidam ratione ac diſciplina egent, quidam ita manifeſti ac plani ſunt, vt timore ac ſupplicio ſolum coërceri debeant. Huius generis ſunt occidere, adulterari, furari, quæ oratione non egent. Itaque & legiſlator non doctrinam aliquam his de rebus explicauit, qua aures noſtræ perſonarent, hæc mala eſſe (hoc enim quaſi anticipatum animis noſtris eſt) ſed ſolum vetuit, non adulteraberis, non occides. (Exod. 20.) Vbi verò de viduarum deſpicientia, ac depoſitorum fraude, nobiſcum diſputat, ibi etiam rationes adiungit: *Commiſerare*, inquit, *viduam, & aduenam: etenim tu aduena fueras in terra Aegypti.* (Deut. 5.) Sabbatum requiete cole, inquit. (Exod. 22.) Deinde cauſam adfert. Atqui hoc, fatalem neceſſitatem aſpernari, non eius generis eſt quod ratione egeat, ſed ex illis perſpicuis eſt. Quemadmodum enim clarè cernitur malum eſſe occi-

A dere, & turpe necare: ita per ſe lucet, fato ſe adiungere, malum eſſe, & vetitum. Neque verò idcirco putetis, quòd à quibuſdam exiſtimatur eſſe, ideo non vetitum eſſe. Nam & cædes ſuſcipitur, quamuis legibus prohibeatur, & adulteria ac rapinæ in vetitis ſunt, quamuis à multis admittantur. Quòd verò etiam in legibus Græcorum quemadmodum cædes, ſic notationi diei natalis credere, vetitum ſit, ex eo liquet, quòd qui alicuius vxorem ſtuprauerit, & accuſatus in iudicium venerit, & dixerit: non ego hæc, ſed ſtella natalitia: ego enim temperans eſſe volui, illa verò labefactauit, & deiecit. (Contra aſtrologos iudiciarios.) Annon propterea aſperiores dabit pœnas, quaſi ridiculè cauſam defenderit? An veniam impetrabit aliquam? Nihil minus. At illorum ſententia maximè id oportuit. Si enim ſtella natalitia, ac non arbitratu noſtro omnia gererentur, hac nulla melior eſſet defenſio. Si enim firmior valentiórque quam B natalitia ſtella, noſtra eſſet electio, nulla eſſe deberet natalis diei notatio. Sin quamuis res mille excogitet, complere illius præſcripta neceſſe eſſet, ſine cauſa hic coërceretur, & iure veniam impetraret. Sed nemo illum neque defendentem, neque veniam impetrãtem audiet: ita res ab omnibus exploſa eſt, & commentitia quædam fabula videtur. Apud multos magiſtratus, ſi quis cui vim adferat, ad defenſionem ſatis eſt reo, dicere, ſe hoc inuitum feciſſe, atque adeò nulla accuſatio reliqua eſſe videtur. Multi verò magiſtratus propter ſceleratas cædes accuſati ſupplicio afficiuntur: carnifices verò adminiſtros cædis, qui morte homines mulctant, neque ad ſubſellia rapiunt, neque de illis omnino quærunt, neceſſitate pro illis cauſam dicente, & magiſtratus authoritate, & ſubiectionis timore. Quòd ſi homini prudenter ignoſcunt, abs tribule ſuo, & cognatione quadam iuncto aliquid agere coacto, annon multò magis condonare par C eſt, ſi quis fato pellitur? Atqui aufugere oportet. Illius verò, ſicuti prædicant, ſic inexpugnabilis dominatus eſt, vt quamuis in ſolitudinem, quamuis in mare, quamuis in alias quaſcunque oras te conferas, præſcripta eius minimè effugias. Quidni igitur abſurdum eſt, eum qui barbarorum vi ad aliquid rapitur, ita facilem veniam obtinere, vt ne omnino accuſetur quidem: hunc verò qui violentiore quadam vi compellitur, pœnas perſoluere, neque orationem eius ad cauſam dicendam admittere? Nemo enim cauſam maleficij fatum adferens, pœnas effugit, non in iudiciis maleficus, non in familia ſeruus, non in ludo puer, non in artificio diſcipulus. Qua ratione igitur vel fatum probant, qui id ſic abiiciunt, vt neceſſitati quidem eius veniam dent? Ita veritate & cõſcientia ſua freti, vehementer perſuadent ſibi vniuerſam hanc rem fabulam eſſe. Quando verò in peccata inciderint grauia, tum illud adferunt, quaſi D hoc modo conſtitutum illis ſupplicium effugituri ſint, & non grauiores pœnas daturi. Non enim tam tetra res eſt peccare, quàm poſt peccati non pudere, & propter ſcelera ſua ipſum Deum accuſare. Hoc omni peccato funeſtius eſt. Hoc etiam diabolus facere contendit, vt non ſolum ad virtutem remiſſi, & ad vitia procliues ſimus, & omnium cauſam Deo aſſignemus, ſed etiam vt animo ac lingua ad maledicendum apparatis, defenſione adferenda Deum accuſemus, & à nobis hæc patrantibus reprehenſionem deoneremus, & in eum qui author non eſt, culpam traducamus. Atqui ſi quis tale quid in hominibus deſignauerit, ad accuſationem eius & internecionem hoc ſatis eſſet. Quando enim alterum calumniatur, etiamſi præterea mali patrauerit, hoc tamen facinus eodem ſupplicio plectitur, quo reliquorum ſontium. Vide igitur quantum mali diabolus è fato excitauit, virtutis contemptum. Labefactat enim animum etiam ſatis incitatum ad ſudores pro virtute ſuſcipiendos,

Digitized by Google

quando perſuadet ex his quæ fiũt, nullum factum A noſtrum pro vitio haberi poſſe. Quando enim aduertit quis neque adulterum, neque ſicarium, neque murorum effoſſorem accuſatione dignum, non deſinit quaſi in præcipitij locum cum impetu ruens prouidentiæ calumniatores alios facere, & ipſe quoque calumniator Dei eſſe: quo quod quæſo malum pernicioſius eſſe poteſt? Fugiamus dilecti hunc ſimulachrorum cultum: mors enim reuera in lebete eſt: omnémque qui inde vel minimum peruerſarum opinionum haurit, omnino mori neceſſe eſt, niſi iterum recurrat, & ſanitate integra fruatur. Vt ne igitur poſtea hoc infructuosè lamentemur, cum pœnitentiæ nobis conſtitutum tempus poſt noſtram hinc demigrationem præcidatur, dum habiles ſumus quicunque hoc morbo correpti ſumus, mutemus ſententiam noſtrã, noſque ipſi reficiamus. Qui verò ſani ſumus, ſanitatem incorruptam conſeruemus, & hoc morbo affectis manum porrigamus. B Si enim corporibus laborantibus tantam induſtriam adhibemus, animi ægritudine propoſita annon omnia faciemus, omnia ſuſtinebimus, vt fratrem in ſocietatem membrorum eandem cooptatum, & in perfectionem corporis eccleſiaſtici aſcitum recuperemus? Omnia igitur huius cauſa ſuſcipiamus, omnia huius cauſa præſtemus, canes, lupos abigamus, neque noſtri ipſorum ſalutem ſatis nobis eſſe putemus. Quemadmodum enim dictum eſt, quòd

Pſal 49. ſi *videris furem, ſimul concurrebas, & in adulteris partem tuam ponebas*: ita hîc quoque audiamus, quando aliquem è fratribus noſtris circumuenientem rationibus, & ſuſurrationibus decipientem viderimus, iſta inaudiamus. Domus herilis eſt Eccleſia, vaſa precioſa ſunt fideles. Vbi igitur aliquem exterum videris aliquid è vaſis diripere conantem, quamuis hoc vitio captus non fueris, tu tamen qui furem C vides ſuffodientem, & neque per te, neque per alium prohibes, reus necis illius es: tum quia in periculum venire permiſeris, tum quia non ad eos retuleris, qui iſta corrigere potuiſſent. Neque verò hæc dico, quod omnino impendere tibi periculum putem, ſed vt cautiores reddam alios, atque efficiam tum de ſua ipſorum, tum de aliorum ſalute magis ſollicitos. Ita enim poterimus promiſſa conſequi bona, gratia Chriſti, &c.

EIVSDEM DE FATO,
Oratio IV.

Philip. 3. EADEM *ipſa dicere mihi quidem graue non eſt, vobis verò tutum*. Quòd ſi Paulo, qui cum gratia Spiritus docuit, & cum imperio inimicos abegit, & perturbationes animi omnium ſuſtulit, qui ſummo in honore fuit, quem quaſi angelum de cœlo deſcendentem, imò verò quaſi Chriſtum ipſum omnes D audierunt perpetua doctrina opus fuit, & eadem continenter dicere neceſſarium: multò magis nobis, qui nullo in loco aut numero ſumus. Tutum verò reuera eſt vobis, iiſdẽ de rebus ſæpè audire, neque verò de iiſdem rebus ſolum, ſed eadem etiam de iiſdem. Ne grauetur igitur aliquis, neque vexari à nobis ſe putet, ſi de eodem argumento eadem iterum dicamus. Si enim confidere liceret, vos ſemel iſta audiendo, hanc animi ægritudinem depoſituros, ne ſic quidem ab hoc argumento recederemus, ſed de iiſdem rebus adhuc verba faceremus, & ſtabilem ac firmam efficeremus ſanitatem, & cautos vos redderemus, ne in hæc facinora iterum dilaberemini. Quoniam verò quaſdam huius mali reliquias in auditorum animis eſſe ſuſpicamur, neceſſaria nobis eſt, & rationi conſentanea aſſidua harum rerum pertractatio. Hodie autem dicendum eſt, quomodo iſta effugiamus. Quomodo autem effugiemus? Primùm precibus & acceſſu ad Deum: deinde rationibus piis. Si enim videris quæ A futura & quæ preſentia ſunt, & rectum de vtroque ſuffragium tuleris, nunquam animum tuum hoc malum attinget. Quando enim videris præter dignitatem ſuum aliquem locupletem, ne fœlicem eum, ne beatum iudicaueris, ne Dei prouidentiam condemnes, ne temerè ferri aut inconſultò res humanas putes, quia hic præter meritum ſuũ locuples eſt. Veniat tibi in mentem Lazari & diuitis, vt hic ad ſummas opes & affluentiam rerum peruenerit, Lucæ 16. crudelis, præfractus, & inhumanus, & ipſis canibus efferatior. Siquidem hi pauperem commiſerabantur, & accurrebant, & non grauatè linguam vlceribus per omne corpus fuſis admouebãt: ille verò ne micarum quidem ſuarum participem faciebat. Tecum igitur reputa quemadmodum hic omnibus opibus affluebat. Pauper ille qui reuera diues, reuera locuples fuit, in id extremæ paupertatis incidit, vt & neceſſario victu deſtitueretur, & ægritu- B dine ac fame perpetua vexaretur: & hic quidem pauciora quam vſus tulit habebat: ille verò ſuprà modum omnibus rebus abundabat. Non moleſtè ferebat tamen, non impium verbum proferebat, non Deum accuſabat, cum nullo, ne ſecum quidem hæc verba vſurpabat. Ego quidem qui nullum inſignitè flagitium patraui, tales pœnas do, & extremum ſuſtineo ſupplicium, fame contabefactus, morbo grauiſſimo abſumptus, paulatim exhauſtus & deletus. Hic ditatur & deliciatur, alienis calamitatibus oblectatur, meas in miſerias debacchatur, hunc autem tam inhumanum, immitem, crudelem, ſaxeum, tantæ pecuniæ dominum fecit Deus: me verò qui ne verbotenus illum prouocarim, tantis laboribus & doloribus excruciari permittit. Quomodo hæc iuſto illius iudicio, quomodo hæc eius prouidentia & procuratione noſtri digna ſunt? Nihil horũ omnium dixit ille. Quidni igitur C abſurdũ ſit, illos qui tanta mala patiũtur, ita de Deo in omnibus bene loqui: te verò qui extra iſtam penitus controuerſiã es, illorũ cauſa cõtumelioſè de Deo loqui, quorum gratia alij bene loquuntur? Qui enim malum aliquod patitur, ſi verbum aliquod odioſum aut moleſtum dixerit, quanuis non tantam, quantam alius, aliquàm tamen paruam veniam habet. Qui verò ipſe extra pericula eſt poſitus, & aliarum rerum cauſa animam ſuam proiicit, quali venia dignus eſſe poteſt in iis de Deo malẽ loquens, in quibus qui mala ipſa accepit, gratias agit, & perpetuò illum laudare non deſinit? Quando igitur videris iuſtum mala patiẽtem, hoc exemplum animo repete. Neque enim iuſtiorem illo quenquam potes dicere, quod tum ex patientia, tum ex præmio ſatis liquet. Nam & primum reſurrectionis ſortitus eſt locum, cum patriarcha Abraham in honore poſitus: neque contrà maiora perpeſſum mala, neque ita deſpectui D habitum. Quod enim maius malum commemorare potes, cùm neque ex iis quæ de menſa deciderunt, expleri potuit? Quando igitur ſummam improbitatem videris, quid enim crudelius iſto qui hunc in tanta calamitate præterierit? vel quid affluentius eſſe poteſt menſa illa & veſtitu, in quibus maximæ deliciæ ſplendidiſſimæque fortunæ fuerant? aut contrà cum ſummam videris iuſtitiam: quid enim Deo amabilius eſſe poteſt animo talium patienti, & extremam miſeriam geneross̀e perferenti? aut quid miſerius fame ac ægritudine tam inſanabili? qualem dabis mihi veniam qui in aliis offenderis? Nunquid vitæ huius exitu res terminantur? expecta finẽ, & tunc vitæ vniuſcuiuſq; dignam compenſationem videbis. Ne ante præmium, ne ante coronam tumultueris. Quando igitur videris vtrunque in iudicium venire, & ſententiam iudicis accipere, tum & ipſe iudicium de vnoquoque feras. Quot nunc in viis inſidiantur, quot muros effodiunt, quot mortuorum loculos diripiunt, quot toris inſidiantur alienis, quot mortiferis

Non eſſe murmurandum quod boni interdum hic affligantur, mali proſperentur.

tiferis venenis complures perdiderunt? Nunquid in iis accuſamus iudicem? nequaquam. Si enim illos in iudicium venientes ſic abire fineret, vt eum qui mala accepit puniret, qui verò intulit iniuriam honoraret, & corona impoſita dimitteret, accuſatione & extremis reprehenſionibus reuera dignus eſſet: quando verò nondum in iudicium adductus fuerit, neque tempus iudicij inſtet, neque dum ille pœnas repetit, tu anticipando condemnabis? Atqui oportuit, inquit, admiſſorum ſcelerum pœnas dare. Vitam tuam, ô homo, animaduerte, in tuā ipſius conſcientiam deſcende, & hanc mutabis ſententiam, iudiciū illud non laudabis, ſed perhumanum Deum propter eius quaſi lentitudinem admiraberis. Si enim ab vnoquoque propter flagitia ſua, pœna admiſſorum ſcelerum poſceretur, certatim genus noſtrum funditus direptum fuiſſet. Quis enim gloriabitur ſe purū habere cor, aut quis confidenter dicit, ſe purum eſſe à peccatis? Sed cum propter hanc Dei quaſi lentitudinem animo excruciaris, exquiſitè animo pertractes quæ abs te patrata ſunt flagitia, & de iſtac patientia gratias illi habebis, & tolerantiam illius admiraberis. Tumultuaris, angeris, omnia perturbationibus comples, quòd hic præter dignitatem locupletatur, & à multitudine colitur. Annon audis Pſalmorum ſcriptorem dicentem: *Ne timeas quando diteſcit homo, quoniam in morte nihil ex omnibus accipiet, neque ſimul deſcendet cum ea gloria eius?* Annon audis Prophetam magna voce clamantem: *Omnis caro fœnum, omnis gloria hominis quaſi flos fœni?* Annon vides Prophetarum dictis atteſtantem rerum ipſarum veritatem? annon vides experientiam & exitum rerum iis dictis ſuffragantem, nihil illum in morte ex omnibus capturum? Audi Iob, hoc idem dicentem: *Nudus exij ex vtero matris, & nudus deceſſurus ſum.* nihil enim in morte ex omnibus quis capturus eſt. Audi Paulum in hac eadem materia philoſophantem: *Nihil inueximus in hunc mundum, certumq́; nihil nos deportare poſſe.* Tu verò beas hominem, qui nihil hinc auferre potuit; ex iis quæ expediunt illi præſto eſſe in die iudicij. Sed quæ alia maior miſeriæ deſcriptio & infœlicitas eſſe poteſt, quam cum ſummis in deliciis hîc vixeris, ſumma cū ignominia hinc diſcedere? Tu verò ſi quenquam horum diuitum ſuperborum, & in foro faſtuosè obambulantium videris, foris honoribus abundantem, aſſentatione paraſitorum vſum, vbi domum ſuam redierit, nihil iſtorum habere, ſed deſtitutum, ingloriũ, mendicis egentiorem viliorémque eſſe: igitur hunc prædicabilem eſſe arbitraris? annon potius commiſeratis, ac lamentaris? hoc idem de locupletibus facito. Sunt verò quidam, qui poſteaquàm hos de religione ſermones commouerimus, Suum hircorumque inſtar, abdomini affixi, & in res præſentes inhiantes, nihil reſtare poſt noſtram ex hac vita demigrationem arbitrantur. Alij quidem quædam reſtare putant, ſed præſentia futuris anteponunt. Nam aduerſum eos qui nihil remanere iudicant, ſed animum noſtrum quaſi extinctum nullam redditurum rationem, neque pœnas perſoluturū, ridiculum fortaſſis eſſet, quemadmodum contra inſanos, & è poteſtate ſua exeuntes, dicere. Neque enim ſi quis in die contendat diem non eſſe, & de rebus in promptu poſitis dubitet, opportunum erit ratione huic perſuadere, & ad opinionem ſuam adducere. Atqui veſtræ charitatis cauſa cum illo diſputabimus, quẽadmodum nobis Dei dederit gratia. Quid dicis, ô homo? nihil eſſe putas poſt hunc vitæ curſum? hoc enim dicere neceſſe eſt. Quomodo? Quaſi malorū quorundam gradibus ad deteriorem ſemper opinionem proijcit diabolus, quem ſemel à veritate auerterit. Ecce autem perſuaſit temperantiam, æquitatem, reliquamque virtutem negligere, improbè viuere fecit, de cætero perpetuā habere labem conſcientiæ, & pretiū facinorum improbè admiſſorum in alios

Pſal. 48. — Eſa. 40. — Iob 1. — 1. Tim. 6 — In eos qui negāt aliam vitam.

A dimouere, cùm improbitatem ipſam potius dimouerent. Sed hoc non faciunt, & opinionem ſibi falſam de fato, & ſexcentorum malorum plenā affingunt. Deinde in hoc reprehenſi, & fateri tandem coacti, nullius eſſe momenti hæc præſentia: futura tollunt, omnem de reſurrectione ſermonem eludunt. Nunc verò quod in manibus eſt cōfutemus. Nihilne eſt, ô homo, poſt hanc vitam? & huic niteris opinioni? Multis in rebus delirauerūt Græci, huius tamen opinionis veritati non reſtiterunt. Quòd ſi illos ſequaris, dabis certè aliquā poſt hanc eſſe vitam: rationes, iudicia apud inferos, ſupplicia, honores, ſententias, iudicata. Sin Iudæos interroges, aut hæreticos, aut alium quemuis hominē, reuerebitur opinionis huius veritatem, ac quamuis in aliis diſſenſerint, in hoc tamen omnes conueniunt, & dicunt rationem eorum quæ hîc geſta B ſunt, ibi debere reddi. Sed nulli horum obtemperari vis, ſed cum impudentia quadam magno teipſum errori obiicis. Atqui ſobriorum hominum cauſa de iis ſermo inſtituendus eſt. Ei verò qui nihil deinceps fatetur eſſe, ne Deum quidem eſſe fatendum eſt. Vides, quemadmodū dixi, conſequentes opiniones prioribus deteriores eſſe, quòd iſtis quoque vſu venit. Si enim nihil eſt poſt hanc vitam, nè Deus quidem eſt: ſin Deus eſt, iuſtus eſt: quòd ſi iuſtus ſit, pro dignitate tribuet vnicuique. Sin nihil poſt hanc vitam ſit, quomodo quod par eſt, recipiet vnuſquiſque? Attēde verò. Multi præter meritum ſuum, quemadmodum ipſi initio confeſſi ſunt, multa bona accipiunt in hac vita, & cum honore ſunt: alij verò ſuppliciis afficiuntur, qui cum iuſtitia vixerunt. Quòd ſi nullus ſit locus his poſt hanc vitam, iniuria affecti diſcedent iuſti, & præter meritum bonis fruentur iniuſti. Quod ſi ſit, C quomodo eſſe iuſtitia poſſit? Vel enim aliquem locum eſſe neceſſe eſt, qui pro meritis ſuis redderet vnicuique: in hac vita enim hoc non inuenitur: vel ſi talis locus non ſit, quomodo pro meritis ſuis recipiet vnuſquiſque? Sin nemo ſecundum merita recipiet, ne Deus quidem tua ſententia iuſtus eſt. Sin non Deus iuſtus ſit, ne Deus quidem erit. Sed hæc loquendi contumelia in caput illorum qui hæc in nos conferunt, reuertatur. Videte verò quò verborum contumeliæ oratio illorū prouecta eſt. Deum eſſe res omnes clamitāt, atque adeò iuſtum eſſe. Sin iuſtus ſit, pro dignitate ſua reddet vnicuique: ſin pro dignitate ſua reddat vnicuique, neceſſe eſt aliquem poſt hanc vitam eſſe locum in quo pro dignitate ſua recipiet vnuſquiſque, & vel pœnas dabit, vel in honore erit propter illa quæ ab eo geſta ſunt. Sobrij igitur ſimus dilecti: ignorantiam enim quidam Dei habent: ſobrij ſimus, vigilemus. Peccaſti, ne inſiſtas amplius peccare. Peccaſti, deſi- D ne. Peccaſti, ne connectas his peccata. Nos verò tripla atque etiam quadrupla connectimus talium opinionum onere mentibus noſtris impoſito. Peccaſti, agnoſce dominum miſericordem, humanum, bonum, medicum, condonantem, exorabilem, placabilem. Annon audiuiſti quòd decem millia quidā talenta cum deuoraſſet, & herilia bona omnia vaſtaſſet, ac diſſipaſſet, cum vxor, cum liberi eius proſcribendi fuerant, vt fleuit ſolum vt pedes illius ſolum attigit, vniuerſi debiti illius remiſſionem & diſſolutionem inuenit? Sin dicas illum poſtea tortoribus traditum, nouerunt qui hiſtoriam ſciunt, te alterū mihi dicere humanitatis argumentum. Nam & tunc illū commiſeratus abſoluit, & rurſus eum ipſum, alterius miſertus, in carcerem coniecit. Atqui hoc quidem, vt huic opem ferret, effecit: illud verò, vt illi præſidium afferret conſtituit: vt hunc erudiret ne crudelis aut inhumanus eſſet: illum verò, vt vi & crudelitate alterius liberaret. Videte, dilecti, bene mihi inter dicendum venit in mentem hæc cogitatio, vt non ſolum cupiditas alieni, bonorum direptio, verumetiam va-

Math. 18.

cuitas miſericordiæ,gehennæ nobis efficientia ſit. A
Hic enim non quòd aliena iniuſtè acceperit, ſed
quòd ſua ipſius crudeliter repetierit,tortoribus tra-
debatur.Nam debitorem fuiſſe illum ſcriptura cõ-
memorat.Quamuis ille debitor fuit,tu idem debitũ
debebas,& eadem æquitas in vtriſque conſeruãda
fuit.Propterea tibi debitam pecuniam condonauit,
vt ſuam humanitatem demõſtraret, vt imitatorem
herilis manſuetudinis te efficeret. Quoniam verò
vbi bona acceperas,melior nõ fueras,altera te cor-
rigit via, pœnæ ac ſupplicij.Itaque & hæc quidem
beneficentiæ ſpecies eſt. Tortoribus tradidit, vt
quaſi medicus optimus nequitiã animi depelleret.
Valenti medicinæ non ceſſeras, ferro tibi opus de
cætero,& igne fuit. Nouit ille qui decem millia ta-
lenta condonauit, te crudelem & inhumanũ eſſe.
Sed tardauit,vt ex rerum euentu, quod ſæpe facit,
reſponſionẽ adhiberet,ſciens ſe iuſtè facere. Poſt-
quã reſpondiſſet tibi, facit quod Sodomis faciebat. B
Non confeſtim iniecit ignem,neque ciuitates illas
Gen. 18. diripuit.Sed quid? Clamor Sodomorum & Gomor-
rhæorum:& neque adhuc,ſed deſcendens videbo.
Et neque hic conſtitit, ſed miſit angelos, vt mon-
ſtrarent tibi incolarum ciuitatis improbitatem,vt
ne impudens quiſquam vllis poſſit verborum con-
tumeliis vexare Deũ, quòd inhoſpitos, quòd cru-
deles,quòd nefarios, quòd æquitatis iura ignoran-
tes, communes naturæ leges euertentes, malitia
plenos, iam deleturus eſſet. Quid tam humano ac
miti Deo par cogitari poteſt? Nos enim cũ aliquem
punimus,vix dignamur ſæpe cauſas dicere.Ille ve-
rò,niſi prius te docuerit; niſi prius tibi perſuaſerit;
niſi tuum ipſius ceperit ſuffragiũ, illum iuſtè ſup-
pliciũ inferre, non punit eos qui iamdiu ſupplicio
atque animaduerſione digni erant,& rationẽ ſæpe
reddere paratus eſt,& cùm accuſatur abs te, in iu-
diciũ etiam venire non grauatur. Vides prophetas
iſtorum plenos ſermonum. Vbique controuerſia C
Dei cũ hominibus,ac ſæpè ipſos iniurioſos vt cau-
ſam diiudicent aduocat, ſæpe creaturam ad ſuffra-
gium ferendum,collocat,iudiciorum ſuorũ ſplen-
dorem demonſtrans,cùm neque aduerſariũ ſuum,
neque res ſenſus expertus repudiet Deus ad diiu-
dicandam rem vocare: quòd nobis in conſuetudi-
ne quoque eſt poſitum, quando iuſta cauſa freti
Mich. 6. ſumus. *Audite valles fundamenta terræ, quòniam cauſa quæ-*
Eſa. 1. *dam domino eſt*. Et rurſum: *Audi cælum, & auribus cape*
terra, quia dominus loquitur. Sæpe verò illos ipſos, vt,
Mich. 6. *Popule mi quid feci tibi, aut qua in re iniuriam tibi feci?* Et
Hier. 2. Hieremias: *Quodnam inuenerunt in me delictum patres*
veſtri? Neque verò in ciuitatibus ac nationibus hoc
ſolùm facit, ſed etiã incerto quouis homine. Cum
Dauide contendebat per Prophetam: & Ionæ re-
pudianti Niniuitis prædicare, reſpondit Deus per
Ionæ 4. cucurbitam. *Siquidem tu parcere volebas cucurbitæ, ego*
non parcam Niniuitæ? Et multorũ talium inueniemus
ſcripturas plenas. Hæc cùm ſciamus,adoremus il-
lum,admiremur,colamus quantũ à nobis fieri po- D
teſt: dignè enim non poſſumus. Curam habeamus
præſentis vitæ,& credamus Deũ præeſſe,& proui-
dẽtia cuncta gubernare,& poſt hæc omnia, ex hac
vita demigrantibus,promiſſis nos bonis frui poſſe,
quibus nos omnes precor gratia Chriſti,&c.

EIVSDEM DE FATO,
Oratio V.

NVLLA eſt omnino tam deprauata diſciplina,
neq. tam inſanabilis tabi plena, quàm eſt hæc
de fato & diei natalis notatione opinio. Præter-
quam enim quòd contumelioſam diſciplinam, at-
que impiam, & pernicioſam in animis eorum inſe-
rit, qui decipiuntur, atque adducit vt de Deo talia
loquantur, quæ ne de dæmonibus quidem quis di-
ceret,& vitã confundit noſtram,& omnia tumultu
magnaque perturbatione complet, & quæcunque

A ad doctrinam & correctionem à Deo,& natura,per
prophetas,& ſanctos viros introducta ſunt,euertit
& labefactat,ac ſuperuacanea ea demõſtrat,& per-
inde facit,ac ſi quis corpore laboranti,ac medicina
egenti, præſentibus medicis, & medicinam appa-
rantibus,perſuadeat nullo horum vti,neque ab æ-
gritudine liberari,ſed negligentia ac ſocordia lan-
guentem totum miſerabiliſſimam præſtolari per-
niciem? Annon hæc quæſo dicit fatum? Nemo præ-
cipiat quicquam vtile, nemo præcipientem audiat.
Fruſtrà leges & iudices, fruſtra reprehenſiones &
admonitiones, fruſtra ſupplicij timor, fruſtra ho-
nores & præmia, fruſtra palma bene rem gerenti-
bus conſtituitur. Neque enim ſi in aliquo elabo-
raueris, vtilitas erit: neque ſi otiatis fueris, offenſio
erit. Neque ad ludum literarium puer proficiſca-
tur, nec vir effectus leges audiat, neque conſiliis
atque admonitionibus vtilibus obtemperet. Quid
B enim poterit afferre labor? Quaſi diſiecta nauis,
nautis & gubernatoribus deſtituta, tempeſtatis ma-
gnitudine,clauum mentis ſuę relaxans, ita feratur.
Cupiſne, quæſo, obtemperemus, & nihil efficia-
mus quæ ad vitæ noſtræ cuſtodiam pertinent? Præ-
termittantur autem ad tempus, quod ad mentem
noſtram pertinet, de præſentis vitæ ſtatu diſpute-
mus. Obtemperabimúſne fato hæc dicenti, & ne-
que ſeruos delinquentes puniemus, neque laſci-
uia corruptos reuocabimus, neque iniurioſos in iu-
dicium ducemus, neque legibus obediemus? Vel-
lem quidem certè ad breue tempus hæc fieri, vt re-
uera pernicioſam iſtam & nocentem malorum ma-
giſtram perſpicere poſſitis. Si enim neceſſe ſit om-
nino quæ fatalia ſunt, tum laborantibus, tum dor-
mientibus nobis fieri, nullus agricola boues iun-
gat,neque aratrũ trahat, nullus ſulcum imprimat,
nullus ſementẽ faciat, nemo anni tempus accom-
modatum obſeruet, nemo gelu toleret, aut perpe-
C tuam pluuiam, aut miſerias, aut ærumnas, aut ad
conſtitutum anni tempus falcem attingat, aut ſe-
getem demetat, aut ſpicas tribulet, non plantet,
non ſtirpes accuret,omnẽ agriculturæ induſtriam
abiiciat,domi ſedeat,& omne tempus dormiat,om-
nino fatale illi hoc eſt & fixum, ſuapte ſponte do-
mum bona venient. Sin in contrarium fuſum tra-
duxerit Clotho, quamuis ſexcenties laboretur, nul-
lus tamen finis laborum illi, nullus ſudorum erit.
Cuius igitur rei gratia non hæc præcipitis facien-
dã, ſi prorſum fato confiditis? Cuius rei cauſa non
præcipitis, vt reuera cognoſcatis quæ bona ex fa-
to oriantur? Vis mihi quid reuera fato ſtabilitũ ſit
oſtendere? Aufer agriculturam, tolle nauigandi
artem, abiice omnes artes quæ ad vitæ cultum per-
tinent, nullus neque architectus, neque ærarius,
neque textor, neque alius quiſpiam, eorum quæ ad
vitæ vſum conferunt, artem attingat, & tunc clarè
videbis, qualis fati effectus, & quale illud ſit, exqui-
ſitè cognoſces, tum etiam illius immutabilitatem
D perſpicies. Sed quid artes dico, quæ vitam noſtram
continent? Stent artes, nullaque labefactetur, ſed
omnes ſuo loco maneant, & ſinguli quique nihil
ſuorum accurent, nullam partem familiæ admini-
ſtrent, ſed fato permittant res ſuas omnes guber-
nari. Tunc illius vtilitatẽ intelligent, quando quæ-
ſtionibus ac plagis acceptis, vectigal ab illis quæri-
tur, quod cùm non habeant, ad fati quidem defen-
ſionem confugiant. Illis tamen nemo attendit.
Quamdiu pueri animo erimus, quouſque nõ ceſſa-
bimus delirare, quouſque non agnoſcemus com-
munem dominum? Si malos ac bonos fatum facit,
quarè liberis præcipis, quarè admones? Omnia te-
merè ac nequicquam fiunt. Si diuites ac pauperes
facit, ne ad ludos literarios mittas, ne pecuniam
ſuppedites, nihil agas ex iis quæ amplificare illo-
rum opes poſſint, ſed res eorum omnes fato per-
mitte. Atqui hæc non in animum inducis. Vi-
des vt in rebus minoribus illius poteſtati diffidas,

Digitized by Google

In majoribus verò illius authoritati nitaris. Si enim reuera fatum eſt, permitte vt puer cum malis hominibus conſuetudinẽ habeat, cum deprauatis hominibus deprauetur: hoc enim fato prorſus conſtitutum nexumque eſt, ac tibi cum primis vtile eſt. Atqui fatum ais reuera, fatũ reuera eſt. Quare igitur negotia tum tibi faceſſis, tum alteri? Sed quid de liberis loquor, quando ne in ſeruis quidem hoc toleras, ſed minitaris, perterrefacis, omnes rationes cõmoues, vt tibi bonus atque honeſtus ſeruus ſit, neque diei natalis notationi confidis? Cur verò malum verberas? Non eſt enim illius hoc peccatum, ſed pellentis diei natalis. Cuius cauſa bonum laudas? Non enim hoc illius rectè factum, ſed diei natalis eſt. Atque adeò neque bonus erit, neque malus quiſquam. Qui enim per ſe nihil horũ facit, ſed aliũde neceſſitate obiecta pellitur, neque hoc ille, neque illud erit. Qua igitur de cauſa viros laudamus? qua de cauſa vituperamus? Quamobrem alios execramur, aliis verò bene precamur? Vides ad quas peruerſiſſimas rationes nos prouexerit hæc de fato ſententia. Nullus modeſtus, nullus intemperans, nullus cupidus, nullus iuſtus. Tollitur omnis virtus atque improbitas, & temerè ac ſine cauſa in præſentem hanc vitã deducti ſumus, imò verò non temerè, ſed ad malũ. Annon, quæſo, abſurdum eſt, propter diei natalis notationem, in improbitatem coniici, & hac iterũ eadem vi improbitatis extremas pœnas perſoluere, cum cõmiſerandi ac potius lamentandi eſſemus, & odio ac ſupplicio afficimur, vbi honore potius afficeremur? Cui enim iniuria fit, & vis infertur, nõ ſupplicio is, ſed honore proſequendus eſt. Nos verò ſimul & iniuria vexamur, & ſupplicio punimur. Quid hoc eſſe miſerius poteſt, quàm in quibus miſeri nos in improbitatem coniicimur, propter hæc ſupplicio coërceri? Parricidam te fatum fecit, & te morte mulctat, quia obtemperabas ei. Quæ hac opinio pernicioſior eſſe poteſt? Quemadmodũ ſi quis in præcipitem locum aliquẽ impellat, ac poſteà eundem præcipitatum offendens, pœnam huiuſce facti expoſcat. Aut quemadmodũ ſi quis efferatæ alicui dominæ plectendum aliquem, ac omni malorum genere coërcendum tradat, hunc tamen ipſum, propter hoc ſeruitium, & captiuitatem, depoſcat iterum ad ſupplicium. An verò vel immanius, vel miſerius, quæſo, genere hoc quicquam poteſt eſſe? Hæc cum ita ſint, & inimici atque hoſtes ſuis ipſorum hoſtibus norunt veniam dare, quando inuiti, & præter illorum voluntatem aliquid quod moleſtiam afferat faciant: fatũ ſubiectis ſuis, ac penitus obedientibus, imò verò coactis nullam dabit veniam, ſed de his ad quæ facienda illos cõpulit, pœnas repetet? Qualis colluuies, qualis labyrinthus, quale ſalum hanc imitari confuſionem, quæſo, poteſt? Non ſatis mihi eſt vnus iniuſtitię modus, quòd cum nihil peccauerim, in improbitatẽ tamen coniectus ſim, & quòd alius qui nullum habet rectè factum, bonus eſt, & honoribus vtitur? Non ſatis hæc eſt vna iniuſtitia, quòd ſimpliciter, quòd temerè fatum me malũ fecit, & illum bonum, ſed & aliã quoque adiungit, neq; hominũ iuſtam iuriſdictionem imitatur: ſed homines quidem ita humani benignique ſunt, vt voluntaria ab inuitis ſeparẽt: hæc verò humanarum rerũ gubernatrix furia, & malus quaſi genius omnes res humanas cõfundit. Quòd ſi Deus non eſt, qui in hęc intuetur, redargui vtrinque hæc ſententia poteſt. Fieri enim nequit, vt in tam conſtanti rerum ordine prouidentia nulla ſit. Quòd ſi Deus non ſit, quomodo tandem hæc omnino conſtent? Sin ſit, quomodo hæc deſpicit? Si enim ille hæc non fecit, vide quò impietatis, ac verborum cõtumeliæ procedat oratio. Sin fecerit, & quæ facta ſunt negligat, non minor iterum hæc eſt, quã prior fuit reprehenſio. Vides vt omni ex parte ſollicitat diabolus, vt pertrahat homines ad aliquam contra

A dominum inſaniã. Vis mihi perſuadere quòd ſua dere fatum neceſſe eſt? & aliquid valere hanc opinionem putas? Ne accuſa adulterantem mulierem, ne ira efferueſcas, ne pro tribunali iudicis adulterum adducas: ſi murum ſuffoſſum videris, ne comprehendas eum qui ſuffoderit, ne pœnã expoſcas. Inuitus fecit, quemadmodũ tu prædicas. Omnino enim ſua ſponte ad te fatum affluit. Proiice quantũ habes auri, familiam, forum, mancipia negligas, tua hac ſocordia, fati ignauia non lædetur. Atqui nihil horum facis, quaſi re ipſa perſuaſus, hanc vniuerſam de fato opinionem condemnari debere. Cuius igitur rei cauſa, eam quam vbique condemnas, in admiſſis facinoribus ad excuſationem adhibes? Vides certè, non aliunde hanc opinionem introductam, quàm ignauia, contemptione, & animi languore ad laborem aliquem pro virtute capiendum.
B Si diei natalis notatio aliquid valeat, iudicium nullum eſt, fides nulla eſt, Deus nullus, virtus nulla, nulla nequitia eſt. Si diei natalis notatio aliquid valeat, omnia temerè, omnia nequicquam tum agimus, tum patimur. Nulla laus, nulla vituperatio, nullus pudor, nulla ignominia, nullæ leges, nulla iudicia ſunt. Vnde hic, inquies, locupletatur, vnde ille in paupertate eſt? Si harum rerum cauſam ignoraremus, permanendum potius in ignorantia eſſet, quam noua aliqua opinio aſſumenda. Melius eſt enim bene ignorare, quam turpiter ſcire. Illud enim nullam reprehenſionẽ habet, hoc venia omni carere debet. Atqui nunc Dei gratia nobis perſpicuũ eſt, vnde hic diues, ille pauper ſit: vel enim paternam hæreditatem adit, vel mercatura, aut quæſtu vtitur, vel aliorum bona diripit, & vim affert, vel nuptias quæſiuit diuites, vel agriculturam, aut artificium, aut aliquid huiuſmodi coluit. Multæ
C namque ſunt rationes vt diues quis fiat: aliæ iuſtæ, aliæ iniuſtæ. Eadem ratio eſt paupertatis: vel enim aliorũ calumniis, vel accuſationibus, vel direptionibus, vel ſua ipſius abliguritione, vel otio, vel amẽtia, aut alia quauis eiuſmodi ratione (multę enim ſunt ad paupertatem viæ) eò peruenitur. At qua de cauſa, inquies, illi qui meretrices alit, & paraſitos, & adulatores, & qui alienis ſeſe ingerit negotiis, & diffluentem hanc & diſſolutã vitam traducit, quaſi è fonte quodam affluunt diuitiæ? Alter probitati, temperantiæ, & iuſtitiæ, & reliquis virtutibus perpetuò adhæreſcens, vix neceſſarium victum habet: cum hic bonus ſit, & laborioſam virtutis elegerit viam, ille verò malus, & diſſolutã hanc, remiſſamque ingreſſus ſit nequitiæ viam. Cuius igitur rei cauſa malus hic diues, bonus ille pauper eſt? Vt hic maiorem habeat coronã, ſi iſta perferat, & patientia vtatur: ille verò maius ſupplicium, maiorẽ pœnam, niſi vitã mutauerit, niſi melior fuerit, niſi do-
D minum ſuũ agnouerit. Dilatio enim à Deo propoſita, eos qui in nequitia permanẽt, magis grauat, & rerum affluentia à Deo data, his qui nõ opportunè vtuntur, magna ad damnationem acceſſio eſt. Sic & aſperitas rerum, & anguſtiæ bonis viris acceſſio coronæ ſunt, etiamſi interdum prolabãtur. Mediocris enim venia tum datur. Non enim ſimpliciter peccata iudicãtur, ſed alio modo diues, alio modo pauper. Hic quidẽ cum venia, ille abſque omni venia. Ponatur autem fur & ambitioſus, tum diues eſſe, tum pauper. Hic enim quamuis frigidum, aliquod tamen habet perfugium, paupertatis neceſſitatem. Ille verò nullam probabilem aut iuſtam habet excuſationem. Itaque quantò inferior eſt pauper in hac præſenti vita, tantò ſuperior eſt in futura: hic quidem rectè factis, diues verò maleficiis. Ne igitur putes vel iniuriam pati pauperem, vel præſtare diuitem. Quemadmodum verò in malis, qui pœnas hic perſoluunt, vel omnes penitus abſtergant, vel minores pœnas dant, qui hîc magnam calamitatum mulctam ſuſtinẽt: ſic & in bonis qui hîc honoribus fruuntur, & in nequitia tamen permanent,

magnum compendium ad ſupplicium, honorem habent. Vide igitur quemadmodum Deus malis (1.Reg. 12) iſtos honores refutat. Dedit tibi, inquit, omnia domini tui. Et rurſus, ſacerdotibus tempore Eli, honorem. & alibi: Dedi vobis ex adoleſcẽtulis veſtris in Prophetas, & ex filiis veſtris in ſanctificationem. Et ea quæ in ſolitudine facta ſunt, omnino repetit. Itaque quando diuitem videris iniurioſum, cupidum, direptorem, propterea magis illis ingemiſce, quia diues cum ſit, hæc facit: maiores enim pœnas dabit. Cum verò pauperem videris multam iuſtitiæ curam habere, propterea magis illum admirator, quòd cum paupertate talis ſit. Si enim hæc abs te exquiſitè animo pertracta fuerint, ſi in futura intuearis, ſi nullius momenti præſentia putaueris, ſi illa ſperes ſemper, ſi ab iſtis abhorreas, nunquam præſentibus rebus conturbaberis. Vt verò gratia Chriſti omnia nos bona aſſequamur, precor. Amen.

EIVSDEM DE FATO,

Oratio VI.

(1.Cor. 15.) EDamus & bibamus, cras enim moriemur: apud Prophetas multi è Iudæis dicunt. At Iudæos hoc dicere, *quorum Deus venter, & gloria in ignominia eorum*, haud mirabile eſt. Eſſe verò quoſdam, qui poſt acceptam gratiam, poſt præſentium rerũ deſpicientiam, poſt hanc perfectionem atque abſolutionem, quanquam hoc verbis non efferant, factis tamen hoc idem perſonent, quanta putas reprehenſione dignum eſt? Sunt enim, ſunt planè, qui propterea putant ſe editos in hanc lucem eſſe, vt deliciis diffluentes, & corpore adipato, & abdomine diſtento, ita exeant è vita, vermibus ſui ipſius corporis delicatius epulum apparantes. Vtinam verò hæc ſola offenſio eſſet, quod temerè, quod inconſultò, quod nequicquam præſentia conſumerent. Atqui hoc reprehenſione & accuſatione vacare non poteſt. Quando enim quæ ad corporis alimentũ, & ad earum rerũ quibus egemus præſidia, pecuniæ nobis à Deo dantur, per luxuriam, & laſciuiam, & extremam ſocordiã effundimus, non integer eſſe poteſt hic effuſiſſimus ſumptus, ſed reddituri planè rationem ſumus. Parabola verò quæ de quinque talentis, duobus, & vno habita eſt, ad pecunias & alias res accommodari poteſt. Quod igitur initio dixi, ſi quã maximè temerè, ac nulla de cauſa hic in vita verſaremur, ne ſic quidẽ integræ nobis tales actiones eſſent. Nunc verò etiam alia quædam iuſtè conſequentur. Qui enim in deliciis perpetuò verſatur, & ebrietati indulget, & paraſitos alit, atque adulatores, & cibo potioneque cõpletur, nolens, volens perſæpe neceſſariò peccat, tũ opportunitate quadam loci prę ſentis, tum etiam poſt eius inde diſceſ- (Simile.) ſum. Quemadmodum enim nauis cum maiorem mercium copiam habet, quàm pro iuſta magnitudine, grauitate põderis oppreſſa demergitur: ita anima, corporiſque noſtri natura, copioſiorẽ capiens cibum, deprimitur, & onus ingeſtorum ciborum non ferens, in perniciei demergitur pelagus, & nautas, gubernatorẽ, proretam, & vectores, & vniuerſum onus cum omnibus perdit. Quemadmodũ igitur in ita affectis nauibus, non tranquillitas maris, non ſcientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non apparatus commoditas, non anni tempeſtiuitas, non aliud quippiam ita periclitantem iuuat nauem: ita in his qui delicatè ac molliter viuunt, non rationum vis, non doctrina & inſtitutio, non admonitio & conſilium, non aliud quippiam, non timor futurorum, non pudor, non accuſatio præſentium, conſeruare poterit ita fluctuantem animam, ſed immoderatio omnia exſuperat, & volentem nolentem de cætero eum qui hac ægritudine laborat, & madidum deprimit, & naufragum

A rediò proiicit, vnde ſeſe referre difficile eſt. Neque ad res futuras, & rationes ibi reddendas, ſed ne ad præſentem quoq. vitam iſte vtilis, aut ad quicquam idoneus eſt, ſed omnino deridendus, tum ciuilibus, tum priuatis in rebus. Et ſi aliquid quod vrget conficiendum ſit, nullam prouiſionem, nullam adminiſtrationem rerum habere inuenietur, ſed facilè ab inimicis capitur, amicis autem & propinquis omnibus inutilis. Neque ſolum in periculis, & rerum aſperitatibus facilè euertitur, neque in rebus pacatis & tranquillis tantum intolerabilis, ſed etiam in rebus afflictis & perturbatis, propter animi immodeſtiam, vniculque obiectæ rei ſuccumbet. Hîc enim, in his rerum perturbationibus dico, ignauia, exanimatio, & formido ingens, ac temeritas magna occupabit. Illic verò audacia, ſocordia, luxuria, immodeſtia, ſuperbia, & arrogantia, ſuperioribus intractabilem facit. Non ſolum enim cor- B pora eorum qui ſic afficiuntur, deformata, languida & fluentia, & odoris grauitate intolerabili vndique completa ſunt: ſed anima multò magis corpore deformata eſt, multò maiores, quàm corpus, ægritudines ex hac mollitie ſuſcipit. Quemadmodum enim corpus, non modò ſecundum naturam excrementa emittit, ſed omni ex parte vberrimè multa profundit. Nam & oculi, & nares, & ora eorum qui hac abundantia grauantur, halitu teterrimo & corruptione complentur, & ipſa carnis natura flaccidior, quàm pro naturali temperatione quaſi cœno & inquinatiſſima illuuie expleta, putida & iners exiſtit, atque ad omne bonum factum inexercitata. Nam & terra ipſa tali copia cum ſuperatur, calorem ſuum naturalem deperdit, ſimul robur etiam amittit, & neque ad culturam, neque ad fertilitatem ſuam idonea eſt. Ibi grauibus & inſanabilibus morbis corripiuntur, qui in deliciis perpetuis viuebant, tremore, diſſolutione mem- C brorum, tabe, grauedine, pedum manuumque cruciatibus, & aliis compluribus; quibus medici aſſerunt illos obnoxios eſſe. Itaque ſi neque gehenna, neque animaduerſio, neque extrema damnatio à Deo eſſent, neque ab hominibus reprehenſio, neque ſumptus importunus, neque alia ſexcenta quæ à deliciis oriuntur, ſed hæc ſola adeſſent, an non ſatis eſſent ad omnes auertendos? Mortiferis enim venenis nihilo melius hæ menſæ conſtitutæ ſunt. Imò verò ſi verum dicendum ſit, multò peius, multò deterius. Venenum enim ſumentem confeſtim è medio tollit, & ad vitæ exitum ſine vllo cruciatu deducit; vt neque hoc ipſo quidem crucietur moriens. Deliciæ verò vitam multis mortibus miſerabiliorem his afferunt, qui illas plurimi faciunt, non modò miſerabilem, ſed turpem etiam & aſpernabilem. Reliquæ enim ægritudines permultos habent qui vnà mœreant. Quæ verò ex deliciis & ebrietate oriuntur, ne eos quidẽ qui intuentur permittunt, vt velint mœrere propter ea quæ ab illis D geruntur. Sed magnitudo mali ad miſericordiam inflectit: materia ægritudinis ſcientem exaſperat. Itaque media quadam ægritudine tenemur, neque commiſeramur illos, cauſa enim malorũ hoc non permittit: neque iraſcimur, magnitudo enim malorum hoc non ſinit: ſed inter reprehenſionem & veniam ſtatur. Neque enim à natura perturbãtur, quemadmodum illi, neque ab hominibus inſidiis appetuntur, ſed ipſi authores harum ægritudinum ſibi ſunt, & voluntariè ſeipſos in malorum voraginem præcipitant. Quemadmodum igitur eos qui laqueo gulam ſibi frangunt, & qui per præcipitem locum ſeipſos deiiciunt, & qui diſtricto gladio ſeipſos confodiunt, non admodum commiſeramur: ita neque iſtos. Quanquam ſi venia danda ſit, etſi minimam omnino veniam merentur, faciliùs tamen illi quàm hi, eam aſſequerentur. Illi enim vel calumniis, vel pecuniis mulctati, aut imminens malum plagaſve metuentes, aut aliud

quippiam

quippiam terribile expectantes, vt maioribus ſe malis eripiant, quaſi in tranquillum aliquem portum, ab imminentibus tempeſtatibus ſumma cum feſtinatione contendunt. Hi cum nihil tale pro ſeipſis afferre poſſint, vitę ſexcentis violentis mortibus aſperiori ſeipſos tradiderunt. Opportunè igitur hoc loco commemorari poteſt illud Sapientis: *Quis commiſeratur eum qui incantat, ſi à ſerpente mordeatur, aut vllum alium qui ad beſtias ſe accommodat?* Beſtia enim quædam difficilis & intractabilis deliciæ ſunt: neque ſcorpius, aut vipera in viſceribus noſtris inhæreſcens ita perpetuò nos vexat, vt hæc deliciarum cupiditas omnia euertit atque conſumit. Beſtiæ enim illæ corpori tantum inſidiantur, hæc ſicubi ſe collocauerit, corpus vnà cum anima etiam vaſtat. Quare, vobis iam prudētibus loquor, fugiamus ab illa. Quòd ſi vtilitates continet hæc opinio, ne iſtam orationem perferamus, ne perſuadeamur. Sin vera ſunt quæ dicuntur, & omnium pernicies in hac reponitur, & extrema illuſio ſequitur, parcite iam vobiſipſis, parcite corporis robori, parcite animæ, parcite ſanitati. Non id præcipio, niſi tu id volueris, vt ad vitam aridam noſipſos adducamus. Tantum quod ſuperfluum eſt detrahamus; quod ſupra vitæ vſum eſt, præcidamus. Quali enim hoc venia dignum eſt, quando alij, quorum intereſt, ne rebus quidem neceſſariis potiantur, nos pluſquam opus eſt omnibus affluentiis incedere? Noſtri victus nobis terminus ſit, quod non lædat, quod famem ſine offenſione depellat, ac nil vlterius requiramus. Quòd ſi quid admirabile liceat dicere, & verum, ſed præter vulgi opinionem: ſi voluptatem quærimus, in eo quod ſatis potius, quàm in deliciis inueniemus. Audi quomodo in eo maior quàm in his, & vberior voluptas eſt. Hæc enim moderari ſeipſam de cætero nō poteſt, neque naturam ſanguinum idoneam ſibi inuenit: illa verò contra ſibi moderari poteſt. Quis hoc ait? Qui maximè ex omnibus ea fruebatur. *Anima*, inquit, *vacua, quæ amara ſunt, dulcia videntur: anima ſatiata, etiam cum fauo ludit.* Vides vt illa tum in paucis, tum in omnibus, facilè ſibiipſi moderari poteſt: hæc nullo modo poſſit. Si enim ne fauum quidem expetimus, quid poteſt eſſe volupe de cætero? ſi id quod ſuauiſſimum eſt, afferre voluptatem non poteſt, quid poteſt nos in voluptate conſtituere? Quare ſi voluptatem quærimus, hic magis illam inueniemus. Extremæ igitur amentiæ erit, voluptatem, quæ ſanitate & omnibus bonis continetur, & Deo amabilem menſam fugere: alteram verò appetere, quæ infinitis referta calamitatibus, iucunda, moleſta, morborumque efficiens eſt, & quod omnium eſt grauiſſimum, Deum contra nos prouocat. Si enim vidua delicatior, etiam cum viuit, mortua eſt, quid de viris dicemus? Si in veteri teſtamento multa cum cura hoc vetitum eſt, & magna contra delicias affluentes vehemētia vſus eſt Propheta: quanquam genus ipſum deliciarum non admodum ſumptuoſum, neque opiparum poſuit: dicit enim, *qui veſcuntur hædis cum ouibus, & vitulis lactentibus: qui bibunt vinum defæcatum, & pretioſis vnguentis perfunduntur: qui in lectis eburneis dormiunt, & in ſtratis ſuis laſciuiunt.* Si hæc reprehenſione tum digna erant, quando omnia carnalia, quando cœleſtium rerum ratio nulla, quando Iudaica omnia introductio quædam erant: quid dicemus de hac præſenti rerum mollitie? Si enim hædorum & vitulorum lactentium eſus, profluentis & immoderatæ vitæ reprehenſionem habet: quid dicemus de his, qui omnes receſſus maris, extremas terrarum oras indagant, & auium ac piſcium omnis generis venatores vndique conquirunt? Si qui vinum defæcatum bibunt, in reprehenſione ſunt: quid dicemus de his qui peregrinationes maritimas pro vino ſuſcipiunt, & omnia commouent, vt nullum genus vitis eos lateat, quaſi ſi rationem reddituri eſſent, & extre-

Eccl. 12.

Reprehē-dit luxum in cibis.

Prou. 27.

1. Tim. 5.

Amos 6.

A mæ impietatis condemnarentur, ſi non omnis generis vino complerentur? Si eburneo lecto vti reprehenſione non vacat: qui multo ſeſe argento circumueſtiunt, imò verò ex argento omnia fabricant, non lectos ſolum, ſed ſcabella etiam, ſed lebetes, ſed vaſa & matulas, qualem veniæ locum habebunt? quid vel minimum ad defenſionem ſuam afferre poſſunt? Ego verò etiam hoc adiungo, quod ex alienis calamitatibus congregarunt. Atqui Propheta hoc non poſuit, ſed delicias ſolum reprehendit. Quando igitur culpa adeſt deliciis ipſis intolerabilior, quis ab extremo ſupplicio eos qui talia patrant, eripiet? Quis Noë, quis Iob, quis Daniel intercedere poſſit? nullus omnino certè. Sed in eos dici poteſt. Exuretur animus, quaſi fumus. Annon, quæſo, iure quis ira atque excandeſcentia efferueſcat, ac compleatur, quando alius B ne iis quidem quæ ad victum neceſſaria ſunt fruitur: tu verò temerè, ac nequicquam ad nullum vſum, imò ne ad oſtentationem quidem, tantum argenti fabricaueris? Neque enim ad hoc ipſum tibi conducibile eſſe poteſt, imò verò in contrariam partem potius traducitur. Tu enim vt ſpectabilis atque illuſtris fias, hæc facis, ſed contrarium illius tamen vſuuenit. Non enim ſpectabilis atque illuſtris propterea es; ſed propter crudelitatem ac plurimarum rerum cupiditatem, & extrema flagitia, omnes te reprehendunt. Quanta enim inuidia, quanta indignatio, quantum odium, quanta conuerſionis tuæ cupiditas apud omnes eſt? Verborum contumelias in Deum prætermitto, quas diuitiæ iſtæ pariunt. Atqui hoc longè grauiſſimum eſt: quòd verò hoc antecedit, grauius etiam eo eſt, & vt ita dicam, quò magis progrederis, ſingula ſingulis deteriora inuenies. Sed non temperantem & modeſtam, quam non propheta illudit, non ho- C mo reprehendit, non Deus accuſat, non ignis punit, non quis auerſatur, non odit, non inuidet, ſed approbat Deus, participant angeli, homines laudant, cœlum capit. Hæ menſæ angelos recipiunt, his & non illis Chriſtus adeſt. Tales prophetarum menſæ: tales apoſtolorum: tales iuſtorum fuerant. Regum verò menſæ, & aliorum, qui in terris nefariè locupletantur, quæ ſaltatores habent, & alios qui ad labem & perniciem aliorum viuunt, hæ latronum & præſtigiatorum, & eorum qui ſepulchra ſuffodiunt, menſæ ſunt. Quando igitur talem apponis menſam, angelus reſilit, exaſperatur Deus, gaudet dæmonum princeps, auerſantur, oderunt, contabeſcunt, non inimici ſolùm, verumetiam ſpectati atque honeſti homines, & inuidiæ epulis potius complerentur, quàm hiſce præſentibus fruerentur. Quando igitur illam quis apponit menſam ſobriam ac modeſtam, D nullaque efferueſcentia contentam, ſuauis ea & oblectabilis omnibus, & Deo, & angelis, & hominibus. Adeſt præterea Dei vnigena filius. Quemadmodum enim faſtum fugit, ac elationem, perturbationemque omnem: ſic humili amicus eſt, & cum illo perpetuò verſatur, omni ex parte illum circumuallat, atque vndique munit: Chriſto verò præſente nil vlterius quærendum eſt. Hoc quum ſciamus, dilecti, illa fugiamus, hæc perſequamur, vt tum præſentibus, tum futuris bonis fruamur, gratia, &c.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

Magna res, & ſalutaris eſt effuſa ad Deum ſemper oratio, & deprecatio aſſidua, ſi de puro corde profluens ea poſtulet, non quæ humanus affectus identidē ſuggerit, ſed diuina potius, & quæ in ſanctis literis comprehenſa atq; luculenter expreſſa mandantur. Hoc ipſum videlicet cum ſit ægris mortalibus ſummè neceſſarium, & Chriſtianis hominibus ſingulare præſidium, quo cœlum promereri debeant, paucos tamen reperias, qui ſanctorum patrum erigantur exemplo, vt quæ in diuinis literis ad imitandū propoſita legimus complectantur. Vſque adeò homines terrenis curis & lenociniis propè infinitis inuoluti detinentur, vt quæ
Eſa 29 d. Mat. 15. a.
ſublimiora ſunt & cœleſtia prorſus ignorent, vel omnino præſtare nolle videantur. Ac quamuis frequentes in ſacratis ædibus ad orationē ex more conueniant, attamen perpaucos orationi intentos conſpicias, vt verendum ſit maximè ne in eorum numerum referendi veniant, de quibus ſcriptum eſt: Hic populus labijs me honorat, cor autem eorū longè eſt à me. Ita paſſim videas & quidē perfunctoriè ſanctas orationes tractari, atque obiter Deo opt. max. ab hominibus exhiberi, vt vix agnoſcas quorſum ea ſpectare poſſint, quæ adeo frigide & ſine mente prorſus enumerantur. Nam eò recidiſſe ſancta & imprimis ſalutaris deprecatio, quòd ex animo ad Deum non depromitur, videri poteſt, vt quamuis multa quotidie efflagitemus, nihil tamen conſequamur, eò quòd perperam & ſaluti noſtræ contraria poſtulemus. Bene itaque Gentium Apoſtolus nos mo-
ad Rom. 8. c.
net, vt ſi, quæ petimus, orando volumus impetrare, à vitiis primùm vt diſcedamus, & ſpiritualia quæ ſunt, animi ſenſu cordiſq; puritate cōplectamur. Nam quod oremus (inquit) ſicut oportet, neſcimus; ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & adiuuat infirmitatē noſtrā: vt pura, incorruptaq; mēte & voce Deum precando veneremur, & venerando tandē ad eum qui noſtra eſt vnica veraq; fœlicitas, pertingere eiuſdē Spiritus beneficio promereamur. Huius autē muneris obeundi ratio (ne viarum fortè ignari longius aberremus) optima fuerit, ſi doctorem doctoremq; optimū ad hoc ipſum conficiendū conſequamur. Is erit (ſi rectè iudico) præcipuus, os illud aureū, D. Ioannes Chryſoſtomus, qui animo præcellenti ipſe primùm hoc iter eſt ingreſſus, quod quidē poſt multos tandē labores fœliciſſimè peregit. Idem vnus vir omni ex parte mirabilis, nō ſolùm Dei ſublimia myſteria acri ſemper nitidaq; oratione dicendo ſcribendoq; reſerat, ſed ea potiſſimū, quæ ſancti Dei patres tam veteris quàm noui teſtamēti omnes aſſiduis cum Deo colloquiis & indefeſſis orationibus præſtiterūt, nobis imitanda vbique proponit. Quæ eadem ipſe primū ſtudioſiſſimè intentoq; ſemper animo exhibuit, ac duobus deinde verè aureis libellis, de orādo Deum inſcriptis, ad poſteritatem grauiter copioſeq; confectis, tranſmiſit: vt iam nullus planè ignoret quæ ſit pia & aſſidua iuſtorū hominum
Mat. 7. a. Mat. 11. c. Iacob 4.
ad Deum exorandū deprecatio, & quos fructus adferat ſalutares, ſi magna tamē fiducia ad eum conuertamur, qui dixit: Petite, & accipietis: atque illud: Omnia quæ petieritis in oratione, credentes accipietis. Hîc tamen cauendū eſt, ne poſtulando fruſtremur, vt eſt apud D. Iacobum: Petitis, & nō accipietis, eò quòd malè petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Cùm igitur tantā vim habeat oratio & piorū hominum deprecatio, ſi alacri animo & pura mente ſuſcipiatur, meritò hi duo aurei libelli D. Ioānis Chryſoſtomi diurna nocturnaq; manu verſandi ſunt, vt quas preces ad Deum ritè fundamus, intelligere hoc doctore & via duce poſſimus: ac fructum cœlo dignum referre, quem Deus opt. max. præparauit verè diligentibus ſe. Bene vale.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani de orando Deum, liber primus, Deſ. Eraſmo Roterodamo interprete.

DVPLICI nomine par eſt Dei famulos & laudibus vehere, & ſuſpicere. Primū, quòd ſpē ſalutis in precibus collocarūt: deinde quòd laudes reliquoſq; cultus, quos Deo cum gaudio ſimul & tremore conſueuerūt offerre, intercidere paſſi nō ſunt, ſed literis prodita ſupereſſe voluerunt, quò ſuum theſaurum in nos velut hæreditaria ſucceſſione transfunderent, quò videlicet omnem poſteritatē ad ſui prouocare poſſent æmulationem. Conuenit enim, vt & præceptorum mores ad eos dimanent, qui cum ipſis habent conſuetudinem, & prophetarū diſcipuli eorundem iu-
Orationis vtilitas.
ſtitiam referre videātur. Id autem fiet, ſi per omne
B
tempus precationibus, ac Dei cultui, ſtudioq; pietatis dediti viuamus, hanc vitam, hanc ſanitatem, hanc opulētiam, hanc bonorum omnium ſummā exiſtimantes, vota noſtra offerre Deo ſyncero puroque corde. Etenim quemadmodum ſol lucē præ-
Simile.
bet corpori, ſic animæ lumen eſt precatio. Proinde ſi cæco damnoſum eſt, non intueri ſolem: quantò grauius damnum eſt homini Chriſtiano, ſi non aſſiduè deprecetur, neque Chriſti lucem orando in animum ſuū inducat? Iam verò quis non obſtupeſcat & admiretur tantam benignitatem, ac beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantū honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtraq. vota apud ipſum deponamus. Nam verè profectò cum Deo cōfabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quā ſimul & angelis copulamur, & ſocietatem

A
quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus eſt deprecatio, ſuperans interim etiam illorum dignitatem, ſi tamen maius eſt angelorum dignitate colloquium miſcere cum Deo. Atqui quòd id ſublimius ſit, ipſi nos docent multo quidem cum tremore vota ſua offerentes, cæterum nobis exemplū præbentes, vnde ſciamus ac diſcamus, quòd quiſquis Deum adit, multo cum gaudio, multoque rurſum cum tremore id facere oporteat. Tremore quidem dum metuimus, ne videamur indigni, qui Deū precibus alloquamur: rurſus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quòd Deus mortalium genus tanta ac tali ſua cura dignatus ſit, vt aſſiduè diuino colloquio frui liceat: per quod etiam illud aſſequimur, vt & mortales temporarij eſſe deſinamus, natura quidem mortales, ſed colloquio

B
conuictuque quē agimus cum Deo, ad immortalem vitam tranſeuntes. Neceſſe eſt enim, vt qui cum Deo familiaritatē habeat, ſuperior euadat & morte, & omnibus quæ corruptioni ſunt obnoxia. Et quemadmodū nullo pacto fieri poteſt, vt qui ſolis — Simile.
radiis fruitur, non effugiat tenebras: ita nulla ratione fieri poteſt, quin qui cum Deo conſuetudinem agit, deſinat eſſe mortalis: ſiquidem ipſa dignitatis ſublimitas nos ad immortalitatem transfert. Etenim ſi qui cum Cæſare miſcent ſermones, familiariterque cum eo verſantur, & hoc honoris ab illo ſunt adepti, nō poſſunt eſſe pauperes: multò minus fieri poteſt, vt qui Deum deprecantur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nam mors animæ eſt impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo conſequitur animæ vitam eſſe Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam. Porrò vitam piam, ac Dei cultu dignam,

Digitized by Google

miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu theſaurum recondit animis noſtris. Etenim ſiue quis virginitatis amore tenetur, ſiue quis ſtudet amplecti honorabilem coniugij caſtimoniam, ſiue quis meditatur inijcere frænum iracundiæ, & cum manſuetudine familiaritatem habere, ſiue quis cupit ab inuidentiæ lue purus eſſe: denique ſi quis aliud quidpiam facere ſtudet, quod ad rectè viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitæ viam præparante, commodum ſimul & facilem habiturus eſt pietatis curſum. Neque enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri vt qui poſtulant à Deo pudicitiam, iuſtitiam, manſuetudinem ac benignitatem, non aſſequantur id quod petunt. *Petite enim*, inquit dominus, *& dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Quiſquis enim petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur.* Et rurſus alibi: *Quis eſt*, inquit, *ex vobis, à quo ſi filius petat panem, det illi lapidem? aut ſi piſcem poſtulet ille, porriget ei ſerpentem? Quòd ſi vos cùm ſitis mali, noſtis bona munera dare filiis veſtris, quantò magis pater veſter cœleſtis dabit Spiritum ſanctum his qui nunc ab ipſo petunt?* Talibus quidem dictis, ac tali ſpe prouocauit nos ad orandum vniuerſorũ dominus. Nos verò decet obtemperantes Deo, ſemper omnem vitam in laudibus Dei precibuſque tranſigere, maiore ſtudio curam agentes diuini cultus, quàm vitæ noſtræ. Sic enim contigerit ſemper viuere vitam homine dignam. Quiſquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit aſſiduè frui, is mortuus eſt, & vita carens, experſque ſanæ mentis. Nam hoc ipſum euidentiſſimum eſt argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi ſtudium, nec hoc habere perſuaſum, quòd animæ mors ſit non prouolui ad Dei genua. Quemadmodum enim corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profectò mortuum eſt ac fœtidum: ſic anima, niſi ſe ipſam incitet ad orandum, mortua eſt, ac miſera, & grauiter olens. Quin inſuper quod oporteat quauis morte triſtius exiſtimare, ſi quis deprecatione priuetur, pulchrè nos docet Daniel ille propheta magnus, qui maluerit emori, quàm triduo duntaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat rex Perſarum, vt impietatem admitteret: tantum illud obſeruabat, ſi quis intra triduum quicquam petere deprehenderetur ab vllo deorũ aut hominum, præterquam ab ipſo. Sed propheta ne tantulum quidem temporis ſuſtinuit ab orando ceſſare: propterea quod niſi Deus propenſus ſit in nos, nihil omnino bonorum in animas noſtras venire poſſit: Dei verò propenſio ſimul adiuuat labores noſtros, hoſque pulchrè ſubleuat, ſi conſpexerit nos amare precandi ſtudium, ſi continenter orare Deum, ſi viderit expectantes omnia bona nobis illinc defluxura. Itaque cum video quempiam non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruida vehementique cura, continuò mihi palàm eſt eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus vbi quem conſpexero inſatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmũ eſſe meditatorem, ac Dei templum. Etenim ſi veſtitus hominis, ſi pedum inceſſus, ſi riſus dentium declarat qualis ſit, quemadmodum ſapiens dixit Salomon: multò magis deprecatio cultuſque Dei ſignum eſt totius iuſtitiæ, cùm ſit ornatus ſpiritualis ac diuinus, multã pulchritudinem ac decorem concilians mentibus noſtris, dum vniuſcuiuſque vitam componit, nec ſinit quicquam ſordidum aut abſurdum dominari noſtro animo, dum perſuadet reuereri Deũ, & honorem quem illi debemus, præſtare, dum docet vniuerſam mali ſpiritus impoſturam reiicere, turpes & abſurdas cogitationes profligans: denique dum cuiuſque mentem conſtabilit in contemptu voluptatum. Nam hæc ſuperbia ſola decet eos qui

Matth. 7.

Lucæ 11.

A Chriſtum venerantur, videlicet nulli ſeruire turpitudini, ſed mentem ſeruare in libertate morumque puritate. Arbitror itaque cunctis eſſe manifeſtum, quòd ſimpliciter impoſſibile ſit, abſque precationis præſidio cum virtute degere, cumque hac huius vitæ curſum peragere. Etenim qui fiat vt quis virtutem exerceat, niſi continenter adeat, & ſupplex ad genua accidat ei qui virtutem omnem ſuppeditat ac largitur hominibus? Rurſum qui fiat, vt aliquis concupiſcat eſſe temperatus ac iuſtus, niſi lubens cum eo conſuetudinem & colloquium habeat, qui cùm hæc, tum his etiam plura exigit à nobis? Quin & illud paucis demonſtrare volo, quòd etiamſi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius aut diuinius obtingere poſſit quàm deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam eſſe liqueat? B Itaque primi occurrunt Niniuitæ, quos clarum eſt, deprecationis præſidio, plurimorum ſcelerum, quibus diuinam iram in ſe prouocarant, remiſſionem accepiſſe. Simul enim atque illos cepit deprecandi ſtudiũ, illicò iuſtos reddidit, ac ciuitatem quæ iam aſſueuerat laſciuiæ, malitiæ, breuiter vitam exlegem & impiam viuere, ſtatim correxit: nimirum potentior diuina peccandi conſuetudine, cum ciuitatem illorum cœleſtibus legibus impleſſet, pariter ſecum trahebat temperantiam, humanitatem, manſuetudinem, curamque pauperum. Nec enim ſuſtinet deprecatio abſque his virtutibus verſari inter pauperes: ſed in quorumcunque pectore ſibi domiciliũ delegerit, eos reddit plenos omnis iuſtitiæ, erudiens & exercens ad virtutem, ac malitiã omnem propellens: & ſanè ſi quis tum ingreſſus fuiſſet ciuitatem Niniuitarũ, qui prius eandem probè nouiſſet, nequaquam agnouiſſet eam: adeò repentè à turpiſſima vita ad pie- C tatem reſilierat. Quemadmodum enim ſi quis mulierem mendicam, ſordidis pannis veſtiri ſolitam, poſt aureis veſtibus ornatam videret, nequaquam agniturus ſit mulierculã: ita ſi quis eam ciuitatem prius nouiſſet mendicam, hoc eſt, vacuam omnibus theſauris ſpiritualibus, nimirum ignoraſſet quænam eſſet illa ciuitas, in qua tranſmutanda tantum valuiſſet deprecatio, vt & mores, & vitam ad virtutem reduceret. Iam verò & mulier quædam, quæ totum vitæ tempus in laſciuia & impudicitia peregerat, ſimul atque ſe proiecit ad pedes Chriſti, ſalutem aſſecuta eſt. Proinde deprecatio non ſolum purgat à peccatis, verumetiam ingentia pericula depellit. Siquidem ille rex ſimul & propheta mirabilis Dauid, multos ac ſæuos inimicos effugit precationis ope, non aliis armis exercitum muniens, atque ita tradidit ſuis militibus potiri victoria, quietis interim ac ſecuris. Quemadmodum D alij quidam reges incolumitatis ſuæ ſpem ponere conſueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi, in ſagittariis, in cataphractis, in equitibus: ita magnus ille Dauid, ſanctis precibus mœnium vice ſuum cinxit exercitum, nequaquam reſpiciens imperatorum, tribunorum, ac centurionum ferociam, neque pecunias colligens, nec arma comparans, ſed orando diuinam armaturam è cœlo deportans. Nam verè cœleſtis eſt armatura deprecatio, quæ Deo funditur, ſolaque firmam cuſtodiam præbet his qui ſeſe Deo tradiderunt. Siquidem cataphractorum, & robur, & peritiam, tum ſagittariorum experientiam, atque in prodendo hoſte calliditatem, ſæpenumero ludit ac fruſtratur vel ipſa belli facies, vel hoſtium fiducia, cumque his alia permulta: cæterum deprecatio armatura eſt inexpugnabilis, ac tutiſſimum, nec vnquam fallens munimentum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hoſtium millia. Quandoquidem admirandus ille Dauid, de quo modò diximus, Goliath illum immanem, cùm veluti dæmon quiſpiam formidandus

Lucæ 7.

1. Reg. 7.

irrueret, non armis, neque gladiis, ſed precibus deiecit, vſqueadeo regibus quidem aduerſus hoſtes in prælijs valida arma ſunt deprecatio. Quin eadē & nobis æquè valida ſunt arma aduerſus dæmones. 4. Reg. 19 Sic & Ezechias rex ſuperior euaſit in bello quod illatum eſt à Perſis, non cùm armaret exercitū, ſed preces tantum opponeret hoſtium multi- Eſa. 37. tudini: itidem & mortē effugit, vbi cum qua decuit religione ſe Deo proſterneret, ſolàque deprecatio regi dedit vt reuiuiſceret. Iam vero quod animam peccatis obnoxiam deprecatio facilè purā reddit, Lucæ 18. docet nos Publicanus ille, qui petiit à Deo remiſſionē peccatorum, & impetrauit. Docet & leproſus, qui ſimul vt procidit ad pedes Dei, mundatus eſt. Quod ſi Deus corpus morbo corruptum celeriter ſanauit: multò magis animam, quæ morbo tenetur, humaniter ſanabit. Etenim quantò pretioſior eſt anima corpore, tantò magis conſentaneum eſt, hanc Deo maiori curæ futuram. Quanquam innumera recenſeri poſſint exempla, tum vetera, tum noua, ſi quis velit omnes enumerare, qui deprecationis beneficio ſeruati ſunt. Oratio ſola non ſufficit. Verum aliquis forſitan ex eorum numero, qui ſocordiæ ſegnitiæque dediti nolunt attentè ac diligenter orare, perſuaſurus ſit, Matth. 7. in hoc Deum illa verba dixiſſe: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui eſt in cœlis.* Atqui ego ſi crederem ſolam precationem ad ſalutē noſtram ſufficere, non iniuria ſermonem hunc nobis obiiceret aliquis. Nunc cùm profitear deprecationem caput eſſe bonorum omnium, baſim ac radicem vitæ frugiferæ, non eſt quòd quiſquam illis verbis abutatur ad excuſationem ſuæ ſocordiæ. Neque enim ſola temperantia poteſt homini ſalutem adferre, ſi cætera deſint bona, neq. cura pauperum, neque benignitas, neque quicquam aliorum quæ cum virtute geruntur, ſed oportet vt omnia ſimul concurrant in animas noſtras. Cæterum precatio, ceu radix & baſis omnibus cæteris ſubſternitur. Neque ſecus ac nauem & domum, ea quæ ſubſtrata ſunt, valida reddunt, ac ne ſoluatur, continent: ita noſtram vitam orandi ſtudium & continet, & vbique firmam reddit, adeò vt abſque hoc nihil nobis boni poſſit cōtingere, neque quod ad ſalutem conducat. Coloſſ. 4 His de cauſis Paulus tanto ſtudio non ceſſat huc adhortari nos, dicens: *Deprecationi inſtate, vigilantes in ea cum gratiarum actione.* 1. Theſſ. 1 Atque alibi iubet, vt *citra intermiſſionem oremus, in omnibus gratias agentes: hæc eſt enim,* inquit, *voluntas Dei.* 1. Theſſ. 3 Ac rurſus alio in loco: *Orate omni tempore in ſpiritu, in hoc ipſum vigilantes cum omni inſtantia & obſeruatione.* Adeò multis ac diuinis vocibus ad orandum nos aſſiduè prouocat ille Apoſtolorum princeps. Decet igitur nos ab illo doctos, cum precatione vitæ curſum peragere, atque hanc mentem aſſiduè rigare. Siquidem hoc omnes homines non minus opus habemus, quam arbores aquarum humore. Neque enim valent illæ fructus producere, niſi bibant humorem radicibus: neque nos pretioſis pietatis fructibus poterimus eſſe grauidi, niſi precibus irrigemur. Quapropter oportet & ſtratis relictis, diuino cultu præuenire ſolis exortum, & cum ad menſam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potius oportet ſingulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi curſus diei curſum æquet. Cæterùm hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere, ac flexis genibus, multò cum tremore inſtare deprecationi, hoc ipſo nos beatos exiſtimantes, quòd Dei cultui vacamus. Dic mihi, qua fronte ſolem intueberis, niſi prius adoraueris qui lumen illud dulciſſimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris menſa, niſi prius adoraueris eum qui tibi tantum bonorum largitur ac ſuppeditat? Qua ſpe trades teipſum nocturno tempori, qualibus cum inſomniis putas tibi rem fore, niſi teipſum præmu-

A nieris orando? Sed incuſtoditus ad ſomnum acceſſeris, nimirum contemptibilē captuque facilem teipſum præbebis ſceleratiſſimis ſpiritibus, qui cōtinenter obambulant, obſeruantes nos, vt ſi quem deprehenderint nudatum deprecationis præſidio, protinus abripiant. Si nos conſpexerint deprecatione communitos, illico reſiliunt, non aliter quam prædones ac facinoroſi, vbi conſpiciunt militis gladium in caput ſuum vibrari. Quòd ſi contingat aliquem eſſe nudum precationis prēſidio, hic auulſus deportatur à dæmonibus, & in calamitates variaque mala impellitur. Oportet igitur vt hæc omnia metuentes, precibus & hymnis ſemper noſipſos circumuallemus, vt Deus omnium miſertus, dignos efficiat regno cœlorum, per vnicum filium ſuum, cui gloria, &c.

De precatione, Liber ſecundus.

B

QVOD omnis boni caput ſit deprecatio, quodque ſalutis ac vitæ æternæ conciliatrix, nullus eſt omnium qui ignoret. Attamen operæpretium eſt, vt adhuc pro viribus de hoc negotio diſſeramus, quò qui iam aſſueuerunt in precibus vitam agere, ac diligenter cultui diuino animum aduertere, oratio noſtra reddat magis attentos. Rurſum qui hactenus incogitantius vixerunt, atque animum neglexerunt precationis præſidio deſtitutū, ſimul & anteacti temporis iacturam cognoſcant, nec in reliquum vitæ tempus ſeipſos pergant priuare ſalute. Protinus igitur illud occurrit omnium maximum, quod de predicatione dicere poſſumus, quòd quiſquis orat, cum Deo colloquitur. Quantæ enim dignitatis ſit, hominē cum Deo miſcere ſermonem, neminem latet: cæterùm eam dignitatem C oratione conſequi nemo prorſus valeat: quandoquidem hic honos etiam angelorum ſuperat maieſtatem: quod ipſi probè intelligētes, apud prophetas deſcribuntur omnes multo cum tremore laudes & cultum domino offerentes, facies quidem ac pedes ob ingentem reuerentiam tegentes, volatu verò, dum non valent in quiete manere, magnum tremorem declarantes: nimirum & nos illud interim docentes, vt tantiſper dum oramus, humanæ naturæ obliuiſcamur, ſed occupati mentis alacritate ſimul & tremore, nihil reſpiciamus rerum præſentium, ſed exiſtimemus nos in angelorum medio conſiſtere, idemque ſacrificium cum illis peragere. Nam in reliquis multum diſcriminis eſt inter conditionem illorū & noſtram: ſiue naturam expendas, ſiue viuendi genus, ſiue ſapientiam, ſiue intelligentiam, ſiue quicquid aliquis recenſere poſſit. Cæterum orare commune eſt opus angelo- D rum pariter & hominum, neque quicquam intereſt inter noſtram naturam & illorum, duntaxat quod attinet ad deprecationem. Hæc te ſeparat à mutis animantibus, hæc te ſociat angelis. Quin facilè fiet, vt quis in illorum ciuitatem transferatur, in illorum vitam & conſortium, ad illorum honorem, nobilitatem, ſapientiam, & intelligentiam, qui per omnem vitam precibus ac diuino cultui vacare ſtuduerit. Quid enim poſſit inueniri ſanctius his, qui cum Deo commercium habent? quid porrò iuſtius, quid ornatius, quid ſapientius? Etenim ſi qui cum ſapientibus viris colloqui ſolent, propter aſſiduam conſuetudinem breui ſic transmutantur, vt illorum prudentiam referant: quid dicere conuenit de his qui cum Deo colloquia miſcent, ei ſua vota deferentes? Quanta ſapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta ſobrietate, quanta morum æquitate replet illos precatio & obſecratio? Proinde nequaquā aberrarit à vero, ſi quis affirmet deprecationem eſſe cauſam omnis virtutis & iuſtitiæ,

Digitized by Google

neque quicquam eorum quæ conferunt ad pietatem, venire poſſe in animum, cui non adſit deprecatio & obſecratio. Sed quemadmodum ciuitas quæ muris cincta non eſt, facile venit in poteſtatem hoſtium, propterea quòd prorſus abſit id quo fuerat hoſtium incurſus arcendus: ſic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere ſcelerum implet. Nam primùm quidem ad animam precibus communitam non audet proprius accedere, metuens robur ac fortitudinem quam illi deprecatio ſubminiſtrauit, magis vegetans animum, quàm cibus vegetat corpora. Adhæc, quia precantur ſeriò, non ſuſtinent quicquam admittere indignum precatione, ſed reuerentes Deum, qui cum modò collocuti fuerant, citò repellunt omnem mali ſpiritus molitionem, apud ſe reputantes quantum ſcelus ſit, eum qui paulò ante ſermonem cum Deo miſcuerit, quique ab eo pudicitiam ac ſanctimoniam petierit, extemplò ad diabolum deficere, fœdáſque voluptates in animum admittere, ac diabolo prębere aditum in pectus, quod paulò ante Deus inuiſerit, ac dæmoniis concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus ſancti gratia plurimam exercuit benignitatem ac ſollicitudinem. Verumtamen illud auſculta: ſupra vires hominis eſt, ſerere cum Deo colloquium, niſi adſit vis & actus ſancti Spiritus: ſed oportet illo præſente, ſanctiſque conatibus auxiliante, ita demum ingredi, ac flectere genua: poſtremò orare ac deprecari. Poſtquam enim maius eſt hominis viribus ſermonem miſcere cum Deo, opus eſt vt gratia Spiritus veniens, in nos confirmet addátque fiduciam, ac doceat nos honoris magnitudinem. Igitur vbi iam cognoueris, quòd & cum Deo loqueris, ac Spiritus in te operantis vim ſenſeris, oraturus & cum Deo collocuturus, nullum diabolo præbebis aditum in animam per Spiritum ſanctificatam. Etenim quemadmodum qui cum rege collocuti ſunt, & ab hoc ſermones placidos honorémque ſunt conſecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorum hominum: ita qui cum Deo confabulatus eſt, eique ſua vota protulit, nequaquam dignabitur mali & impij ſpiritus familiaritatem admittere. Nam verè profectò quiſquis voluptatibus ſeruit, cum dæmonibus habet familiaritatem, atque eorum inſaniam imitatus eſt. Sicut è diuerſo, qui temperans eſt, ac iuſtitiam exercet, cum angelis habet commercium, & illorum æmulatur dignitatem. Iam verò ſi quis dicat animæ neruos eſſe deprecationem, mea quidem ſententia videbitur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, viuit, ſtat, & compactum eſt: adeò vt ſi neruos incideris, vniuerſam corporis harmoniam diſſolueris: itidem animæ per ſanctas preces ſibi conſtant, & compinguntur, ac pietatis curſum facilè peragunt. Quòd ſi teipſum deſtitueris precatione, perinde feceris, ac ſi piſcem ex aquis extraxeris. Vt.n. piſci vita eſt aqua, ita tibi deprecatio: per hanc datur Deo velut ex aquis ſubuolare, cœlúmque tranſcendere, ac proximum Deo fieri. Itaque quæ hactenus dicta ſunt, ſufficiunt ad declarandum quanta ſit vis ſanctæ deprecationis. Sed fortaſſe præſtiterit, vt ad diuinas ſcripturas veniam, vt ex ipſius Chriſti verbis diſcamus opes quas deprecatio comparat his qui ſtudent per omnem vitam in ea verſari.

Lucæ 18 *Dicebat autem*, inquit, *eis etiam parabolam huc ſpectantem, quòd oporteat ſemper orare. Iudex quidem erat in ciuitate quadam, qui neque Deum metuebat, neque hominem reuerebatur: vidua autem erat in ciuitate illa & venit ad illum, dicens: Vindica me de aduerſario meo & nolebat aliquandiu: poſtea verò dixit apud ſeſe: Tametſi Deum non metuo, nec hominem reuereor, tamen quia mihi moleſta eſt vidua, vindicabo eam, ne tandem veniens ſuggillet me. Dixit autem dominus. Audite quid dicit iudex iniuſtus: Deus verò annon faciet vindictam*
A *electorum ſuorum clamantium ad ipſum nocte ac die & patientiam habebit ſuper illis? Dico vobis quòd faciet vindictam illorum citò.* Diſcamus fratres ſapientiam in ſermone Spiritus reconditam, perſcrutantes pro virili noſtra, non quanta eſt, ſed quantum nobis datur aſſequi. Itaque qui vitam agunt in mari, in ipſum profundum ſeſe demittunt, ac pretioſos lapillos his qui verſantur in terra deferunt. Nos verò diuinarum ſcripturarum mare ſcrutantes, in ipſum ſpiritualis ſapientiæ profundum, quantum quidem in nobis eſt, decurramus, & vobis adferamus theſaurum bonum melius ornantem animas, quàm ornant regum capita è gemmis contextæ coronæ. Nam harum quidem, pulchritudo ſimul cum ipſa vita marceſcit. Cæterum qui doctrina Spiritus coronat animam, cum hic interim cum omni mentis ſecuritate vitæ tempus exigit, tum poſt huius vitæ finem cũ fiducia accedit ad tribunal Chriſti, plenus virtute, & ab omni vitio purus. Quem igitur theB
ſaurum à pro fundo ſcripturarũ adducimus? Non ipſum profundum attingẽtes ſapientiæ, ſed eouſq; deſcendentes, quouſq; concedit Chriſtus, qui homines inuitans ad orandum, & vtilitatem hinc proficiſcentem commendare volens animis noſtris, iudicem quendam inducit improbum ac ſæuum, qui pudorem omnem ex oculis abiecerat, quique Dei timorem ex anima propulerat. Atqui ſatis erat iuſti clementiſque iudicis perſonam propoſuiſſe, vt huius iuſtitia collata cum Dei bonitate, demonſtraret quantum valeat deprecatio. Etenim ſi benignus ac manſuetus homo placidè recipit, qui ſupplices accedunt, quantò magis idem facturus eſt Deus, cuius tanta eſt erga mortalium genus benignitas, vt non ſolam noſtram excedat intelligentiam, verumetiam maior ſit quàm vt huius magnitudinem angeli ipſius poſſint animo complecti. Itaque ſatis erat, vt dixi, iuſti iudicis perſonam
C inducere. Nunc autem iudicem propoſuit immitem, impium, & inhumanum: in cæteris quidem implacabilem, ad preces verò benignum ac manſuetum, videlicet vt intelligas, quòd omnis precatio ingenium etiam malum facilè ad miſericordiam & clementiam pertrahit. Quam igitur ob cauſam hoc fecit Chriſtus? Ne quis omnium ignoraret, quantam vim habeat deprecatio: atque idcirco poſtquam iudici omnium immaniſſimo adhibuiſſet viduam, cúmque prętér naturam oſtendiſſet factum ex improbo humanum; ad patrem ſuum parabolam transfert, ad illum, inquam, bonum, manſuetum, mitem, humanum, miſericordia ſua vincentem peccata mortalium, condonantem errata plurima, tolerantem quotidie in ſe dicta conuitia, diſſimulantem honorem haberi dæmoniis, ſe contumeliis affici, filium ſuum innumeris inceſſi conuitiis aliáque ferentem atrocia, dicenda pariter ac ſilenda: & tamen ſic conuitiis affe-
D ctus adeò manſuetè tolerat. Quòd ſi viderit eo quo decet tremore accedentes ſibi, an non protinus miſerebitur? Audite, inquit, quid iudex iniuſtus dicat: Tametſi Deũ non timeo, hominem reuereor, attamen quoniam mihi negotium faceſſit, vindicabo illam. Quid ais? Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio? At minæ quidem, & vltionis expectatio non commouerunt hominem ad iuſtitiam, cæterum vbi prodiit vidua ſupplex, iudicem ex feroci manſuetum reddidit. Quid igitur coniectandum eſt de benigno Deo, ſi iudicem crudelem adeò manſuetum reddidit vidua ſupplicans? Quantam bonitatem, quantam humanitatem erga nos exhibebit Deus, qui non modò ſemper cupit miſereri, punire nunquam, verumetiam ob inſignem erga genus hominum charitatem, & ſupplicia comminatur nobis, & ingentia præparauit præmia, vt & metus ſuppliciorum arceret à vitiis, & præmij ſpes extimularet ad virtutem. Non poſſum ab in-

quo

quo iudice cogitationẽ auertere, contemplans in A
illius præter naturam manſuetudine, ineffabilem
Dei bonitatem. Etenim ſi is qui nunquam cogita-
rat quicquam humanitatis cuiquã præſtare, ſubi-
tò mutatus, miſertus eſt viduæ rogantis: quantam
erga nos Dei ſollicitudinem è cœlo deportabit
deprecatio? Ad hæc quantum valeat ac poſſit ſan-
cta precatio, vel hinc cognoſcas licebit, ſi con-
ſideres, quantum bonorum ſingulis diebus ac
ſingulis horis accipiant hi qui iugiter Deo ſup-
plicant. Quem enim fugit, quòd ſolis, lunæ,
ſtellarúmque lumen, quòd cœli temperiem, ac
variam alimentorum copiam, quòd opes, quòd
vitam, denique quòd alia innumera bona cuncta
ex æquo mortalibus largitur Deus iuſtis pariter
atque impiis, videlicet ob immenſam ſuam huma-
nitatem qua afficitur erga nos. Porrò ſi nec ro-
gantes, nec poſtulantes, tanta quotidie miſericor-
dia proſequitur ac refocillat, quantis bonis pro-
babile eſt fruituros eos qui omnem vitam preci- B
bus & obſecrationibus vacarunt? Agè iam & illud
exponamus vobis, quàm multis ſanctis datum ſit,
deprecationis præſidio ſeruare, non ſolùm gentes
ac ciuitates, verumetiam orbem vniuerſum. In
mentione verò deprecationis primus occurrit
Paulus, dignus cuius mentio fiat: Paulus, inquam,
ille inſatiabilis Dei cultor, & communis pater ac
progenitor ſeruorum Chriſti. Ille igitur cuſtos or-
bis terrarum, per deprecationem ac aſſiduam ob-
ſecrationem omnes gentes ſaluas fecit, ſemper il-
Eph.3. lud dicens nobis: *Huius rei gratia flecto genua mea ad pa-
trem domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis cognatio in cœlo
& in terra nominatur, vt det vobis iuxta abundantiam gratiæ
ſuæ virtute corroborari per Spiritum ipſius, vt in homine inter-
no inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris.* Vides
quantam vim habeat precatio & obſecratio? Ex
hominibus facit templa Chriſti. Et quemadmodum
aurum, lapides pretioſi, ac marmora conſtituunt C
domos regum, ſic deprecatio templa Chriſti: vt
inhabitet, inquit, Chriſtus in cordibus veſtris.
Quid ſublimius ad laudem deprecationis adferri
poſſit, quàm quòd templa facit Dei? quem cœli
non capiunt, is in animam ingreditur viuentem in
Eſa.66. precibus: *Cœlum, inquit, mihi ſedes eſt, terra vero ſcabel-
lum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit do-
minus, aut quis erit locus requiei meæ?* Quam domum Pau-
lus ædificat ſanctis obſecrationibus? Flecto, inquit,
genua mea ad patrem domini noſtri Ieſu Chriſti,
vt inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus ve-
ſtris. Quin & illinc intelligi poterit, quanta ſit vis
ſanctarum precum, quòd Paulus per totum orbem
terrarum velut alatus diſcurrens, in carceribus
habitans, flagella ſuſtinens, geſtans cathenam, vi-
uens in ſanguine ac periculis, inſuper & dæmones
eiiciens, ac mortuos excitans, morbos abigens, in
harum rerum nulla fiduciam poſuit ſeruandi ho- D
mines, ſed precibus communiit orbem: póſtque
miracula, poſt excitatos mortuos, ad deprecatio-
nis præſidium accurrit, non aliter quàm athleta à
corona ad palæſtram: quandoquidem & mortuo-
rum excitationem, reliquaque omnia ſuppeditat
deprecatio. Quam enim vim habent in arboribus
aquæ, hanc in vita ſanctorum habet deprecatio.
Paulus medio noctis rigans animam, omnia facilè
perpeſſus eſt quamlibet acerba, non aliter præ-
bens terga verberibus, quàm ſi fuiſſet ſtatua. Sic in
Macedonia carcerem concuſſit: ſic, ceu leo quiſ-
Act.16. piam, precatione diſrupit vincula: ſic carceris cu-
ſtodem eripuit ab errore, ſic dæmoniorum tyran-
nidem diſcuſſit. Quin & alia nouimus, quæ ſcribit
ad vniuerſos homines: *Deprecationi inſtate, vigilantes in
Ephes.6. ea in gratiarum actione, orantes ſimul & pro me, vt detur mihi
ſermo in apertione oris mei, ad liberè proloquendum myſterium
euangelij.* Quid ais? Tantam nobis fiduciam depre-
catio præbet, vt pro Paulo non vereamur orare?
Quis miles auſit pro magno duce interpellare Cæ-
ſarem? Quanquam ſanè nullus dux tam charus eſt
Cæſari, quàm Paulus Deo: attamen ad tantam di-
gnitatem nos prouehit deprecatio, vt auſimus pro
Paulo ſupplicare Deo. Sic & Petrus ille magnus, il-
le cœlo ſplendidior, carcerem effugit, maximè
quidem ob propriam virtutem, & communem ho-
minum ſalutem, ſed tamen interim eccleſiæ de-
precatio occluſas carceris fores velociter aperuit.
Nec enim temerè addidit Lucas: *Deprecatio autem* Act.12.
fiebat aſſidua totius eccleſiæ pro Petro, verùm vt nos diſce-
remus, quantam vim in cœlis obtineat deprecatio,
videlicet vt Paulum ac Petrum à periculis libera-
ret, columnas eccleſiæ, principes Apoſtolorum,
claros in cœlo, murum orbis terrarum, commune
præſidium totius terræ ac maris. Dic mihi, quomo-
do Moſes Iſraeliticum populum in bellis ſeruauit?
Annon arma quidem cum exercitu diſcipulo tra-
didit, ipſe verò deprecationem oppoſuit hoſtium
multitudini? Nos interim docens preces iuſtorum
plus valere, quàm arma, quàm equitatum, quàm
pecunias, quàm multas copias, eóque vniuerſus
exercitus, & innumera militum multitudo in de- Exod.17.
precatione prophetæ ſpem ſalutis habebat. Siqui-
dem orante Moſe ſuperabant Iudæi: eodem ab
orando ceſſante, inferiores erant hoſtibus. Itidem
& nos orantes facilè diabolum ſuperabimus, ceſ-
ſantes verò ſceleſtum illum in nos inſtruimus. Iam
& populum ad impietatem prolapſum, orando ſer-
uauit Moſes, orando meruit Dei conſpectu frui,
aliáque innumera bona conſecutus eſt, non alia re
quàm orando. Nam deprecatio & hoc illi præſtitit
vt vitam ageret aſſimilem iis qui cœlum inhabi-
tãt. Deprecatio incẽdij vim exercuit, leones mites Dan.5.
reddidit, hoc quidẽ in Daniele, illud verò in tribus Ibid.14.
pueris, per quos nimirum declaratum eſt omnibus,
quòd quoſcunque deprehenderit in periculo con-
ſtitutos, facilè ex ut gentibus malis eripiat depre-
catio ſalutis cauſa, immortalitatis animæ concilia-
trix, eccleſiæ murus, qui rumpi non poſſit, muni-
mentum inconcuſſum, dæmonibus quidem formi-
dabile, piis verò nimirum nobis ſalutiferum. Hæc 1.Reg.1.
eadem ſanctum prophetam Samuelem produxit.
Etenim cum natura matri eſſet aduerſa ad gignen-
dum, exorta deprecatio mox correxit naturæ im-
becillitatem. Talis eſt deprecationis fructus, talem
edidit deprecatio prophetam. Quapropter in cœ-
lis illuſtre nomen conſequutus eſt Samuel, ſuprà
quàm fert humana conditio, cùm homo ſit po-
tius angelorum admirator. Nimirum talem de ce-
bat oſtendi deprecationis culmen & ſpicam, qui
reliquos anteiret bonitate, virtutibus, ac moribus,
tantóque interuallo omnes retro ſanctos antecel-
lere videretur, quantum in ſegetibus fœlices emi-
nent ſpicæ. Deprecationis auxilio Dauid tot ac ta-
les hoſtes propulſauit, non arma mouens, non ha-
ſtam vibrans, non gladium educens, ſed depreca-
tione ſeptus. Huius præſidio Perſarum copias Eze-
chias celeriter vertit in fugam: atque hoſtes qui-
dem machinas admouebant mœnibus, ſed ille mu-
ros deprecationis vallo ſepſit: ſimúlque per de-
precationem ſine armis ſolutum eſt bellum, cùm
tuba quidem non clangeret, exercitus conquie-
ſceret, arma non mouerentur, nec terra ſanguine
rubeſceret, cæterùm deprecatio ſufficiebat ad ter-
rorem hoſtibus incutiendum. Quin & Niniuitis ea
ſaluti fuit, quæ citò depulit iram cœlitus imminen-
tem, citóque vitam corruptam emendauit. Tantam
vim, tantum robur habet deprecatio, vt cùm Ni-
niuitæ vitam omnem turpiter ac ſceleroſè pere-
giſſent, tamen ſimul atque in ciuitatem ingreſſa
eſt deprecatio, illicò verterit in diuerſum omnia,
ac temperantiam, iuſtitiam, amicitiam, concordiam
egenorum curam, denique vniuerſa bona ſecum
induxerit. Etenim quemadmodũ vbi regina quæ-
piam ingreditur ciuitatem, neceſſe eſt vt omnis
opulentia pariter conſequatur: ſic videlicet po-

ſteaquam

Digitized by Google

ſtaquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes ſimul ingrediuntur. Nam quod in domo eſt fundamentum, hoc in anima eſt deprecatio: hanc vbi primùm ceu baſim ac radicem in anima fixerimus, tum oportet diligenter ſuperſtruere pudicitiam, manſuetudinem, iuſtitiam, pauperum curam, breuiter omnes Chriſti leges, per quem, & cum quo, Patri cum ſancto Spiritu, gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen.

Deum laudemus fide formata exemplo ſanctorum: dignus eſt enim omni laude, ſermo.

IMITEMVR & ipſi Patriarcham illum: nec ſecus atque ipſe ſolebat, Deum laudibus proſequamur. Quid enim ille Deo gloriam dedit, niſi cùm diuinam iuſtitiam, infinitámque potentiam commemoraſſet? eſſétque de Deo pleraque decentiùs meditatus, de promiſſione fieri certior promeruit: idcircò & nos eundem tum fide, tum re & opere laudemus, vt gloria tandem donati, id laudis huiuſce præmium vindicemus: inquit enim: Qui me fuerint venerati, & ipſos honorabo. Quòd ſi nulla eſſet alia nobis pro ea re propoſita merces, illud tamen vel maximè nobis ad gloriam valeret, ſi diuinis in laudibus verſari non indigni haberemur. Siquidem & qui principum laudes eloquuntur, vel hoc vno, ſi nil reliquum eſſet mercedis, quod principem magnifaciunt, ſatis videntur ornamenti aſſecuti. Cogita itaque quàm ſit glorioſum, quámve magnificum, dominum noſtrum per nos venerari: vti & contrà quàm detrimentoſum illud & ſupplicij plenum, cùm reliquis in eum conuitiandi occaſionem damus. Exigit enim, etſi minus hoc munere egeat, hanc ille à nobis laudem. Quantum ipſe exiſtimas Deum inter hominémque diſtare? certè dixeris, quantum inter vermiculos & homines ipſos. Verùm id dictu adhuc nihil eſt ſatis, ſi dixerim illos hoc pacto differre, quando nequeat quantum inter ſe diſtent explicari. Num optaueris gloriam tibi apud vermes etſi magnam aut præclaram parere? Si ergo tu gloriæ es cupidior, velle te tale aliquid negaueris: quonam pacto qui huiuſcemodi cupiditatis vitio caret & adeò reliquis præſtantior eſt, his tuis laudibus indigebit? quarum etſi minus eſt indigens, laudari tamen à te cupit: nam ſi tua gratia ſeruitutem tolerauit, quid mirum ſi pleraque alia eadem ratione patitur? nihil enim indignum ſe putat, quod nobis conferat ad ſalutem. Quocirca cum ita ſe habere hæc ſanè intelligamus, peccatum omne quo Deus maledictis inceſſitur euitemus: inquit enim, delicta nobis non ſecus ac ſerpentis aſpectus defugienda. Quippe appropinquantem te morſu petent, quando non illa ſe nobis offerunt quin ea nos vltro adimus: quod Deus ita fore conſtituit, ne violentia diabolus ſuperaret, ſi nemo illius conatibus obſiſteret: eóque illum quemadmodum prædonem quempiam eiecit, qui neminem aggredi audeat, niſi quem ſuis in latebris nudum deprehenderit, & ſolum: neque inuadere audebit, niſi eundem viderit eremum peragrãtem. Eremo nanque & ſolitudine dæmones inuerſantur, quarum interpretatio nihil aliud exprimit, quàm malum facinus & peccatum. Opus itaque nobis cum fidei ſtabilimento & cardine, tum ſalutis caſſide, & Spiritus gladio: vt non ſolum mors non malè per nos ſit obeunda, ſed quouis modo inſultanti illi deſecanda eſt ceruix. Opus itaque perpetua prece, vt noſtris poſſit pedibus conculcari: impudens nanque eſt & ſceleſtus, tametſi de loco inferiori inferat bellum, victor tamen plerunque euadit, cum eius ictus paruifacimus ſuperare & plagas: neque enim illi licet magnum in modum efferri, quin humi ſerpit, cuius figuram vel anguis præfert: qui dæmon & ſi ab initio ea ſit conditione creatus,

A longè magis nos hoc tempore oppugnabit. Quòd ſi ignoras quid ſit de loco inferiori pugnare, enitar bellandi genus interpretari. Bellum itaque de loco inferiori gerere, à rebus infimis eſt aliquem impugnare, vti à voluptatibus, diuitijs, & præſentibus his vitæ bonis: verum ſi quem viderit ſubuolantem ad cœlum, & ſuperiora tenentem, primum neque húc ſubſequi ſurſum verſus ſaliendo poterit: dein e ſi id facere fuerit enìſus, celerrimè caſurus eſt: caret enim pedibus, caret alis, humi repṭat, terrenis in rebus verſatur, in quibus ſi nihil erit tibi cum eo cõmune, eris ſanè labore vacuus: nec enim nouit ille in aperto, vel in faciem pugnare: nec ſecus atque anguis latitans, diuitiarum ſe illecebris occulit. Itaque deſectis dumetis timore perculſus dilabetur, ferietúrque ſtatim, ſi diuinis fueris illi carminibus imprecatus. Chriſti enim Ieſu domini noſtri, & crucis virtus noſtra ſunt carmina, quæ non ſolum draconem hunc ſuis B è latebris educent, in ignemque impingent: verum vel ſi quæ nobis inhæſerint vlcera, ſanabunt: quæ ſi quis hoc pacto fuiſſe ad ſanitatem redacta negauerit, exiſtimet illud ob exiguam incantantis fidem, non explorati carminis impotentia eueniſſe. Siquidem qui Ieſum vrgebant, nihil ſunt vtilitatis aſſecuti: at quæ ſanguinis fluxum patiebatur, Chriſti corpore nec prætentato, cum veſtis duntaxat fimbriam attigiſſet, ſanguinis diutinos fontes continuit. Hoc Ieſu nomen tum inferis, tum morbis & vitiis terrori eſt: ex eo itaque ornatum nobis, vireſque vindicemus. Sic enim & Paulus magnus euaſit, qui etſi fuerat nobis natura proximus, fide tamen accepta longè fuit à priſtina conſuetudine immutatus: nam adeò ille gratia excellebat, vt vel eius amiculum vim non mediocrem habere videretur. Qua igitur erimus nos excuſatione digni, quorum precibus nec vitia reprimuntur, cùm talium virorum vel vmbra & veſtis mortem repel- C lant? Quid igitur in his cauſæ eſſe videtur, niſi permagna quædam animorum diuerſitas? nanque quæ ad naturam pertinent, nobis cum Paulo & paria ſunt, & communia, cuius ortus & educatio noſtro haud abſimilis: ſiquidem terram ille incoluit, & aërem eundem ſpirauit: in reliquis verò feruore, id eſt, fide & charitate præſtantior nobis fuit. Hunc itaque imitemur, reddamúſque nos Chriſti colloquio non indignos, cuius rei longè eſt ille cupientiſſimus: ſiquidem ſermonis huius habendi gratia organum in hoc corpore fabricauit: quod quidem vt torpens inexercitatúmque maneat, haud cupit, quod habere ſemper inter manus deſiderat. Cur itaque non illud promptum reddis, paratúmque vt capi per opificem ipſum, tractarique poſſit? verum per laſciuiam adeo organi huiuſce chordulas & laxas, & lentiores facis, vt citharam planè omnem D inutilem pares, cum eius eſſet potius & ſonus obfirmandus, & ſale ſpiritali moderandus: quam Chriſtus citharam ſi concinnam hoc modo comparatámque conſpexerit, per animam hanc noſtram edet vocem. Deinde angelos, & archangelos conſpicabimur, & cherubinos præ gaudio deſilire. Precandum ergo erit, vt manibus illis immaculatis eſſe tractabiles poſſimus, & Chriſtus ipſe cor noſtrũ oppulſet. Atqui neque prece eſt opus, ſi illud ipſe ei tactu dignum effeceris, ſequetur nanque ipſe, & prior inuadet, ſolet nanque futura acceleratius præuenire: ſiquidem nec Paulo, cùm nondum eò eſſet magnitudinis prouectus, haud prius laudes contexuit, quàm eundem magnum in modum profeciſſe conſpexit: poſtea verò nihil reliqui fecit quod eius ad laudem pertineret. Quòd ſi Chriſtus nobis inſonuerit, & Spiritus ſanctus præſto fuerit, erimus vtique cœlo potiores, neque ſolem ipſum, aut lunam effigiatos: quin horum hominum & angelorum principem obambulantem nobis habebimus, & cohabitantem. Hæc an-

Matt. 9.

tem dixerim non ea propter vt mortuos ſuſcitemus, aut lepra affectos reddamus mūdos: ſed quod horum omnium maius eſt, & præſtantius, charitatem præferamus: vbi enim id boni inerit, ibidem mox cum patre vnà & Ieſus aderit, & ſancti Spiritus gratia ſubſequetur. Vbi enim duo vel tres fue-
Matt. 18. rint in meo nomine congregati, ibi & ipſe adſum inter eos medius. quæ verba & vehementioris proferunt animi affectum, & amoris non mediocre indicium, cum eos quos amat, habere ſe circa con-
Contra ſeditioſos. cupiſcit. Dicet quiſpiam, quis erit adeò calamitoſus & miſer, qui velle ſe Deum neget habere medium? Hi profectò quos inter ſeditio eſt. Irridebit me fortè aliquis, dicétque: Quid ais? nónne ſub eiſdem non mœnibus conſpicaris, ſub vno & eodem templo, eodē in grege cōcordi animo permanere? noſtrū neminē vides diſſidentē, ſub eodem paſtore vocē vnà edimus, ſimulque dicta hęc tua audimus, ſimul etiā Deum cōprecamur: quid ergo diſcordias nunc, & ſeditiones cōmemoras? Ipſe verò etſi diſſidia narro, haudquaquā videor propterea inſanire, vel à me ipſo alienus: quod enim cerno, non me fugit, nec clam me habet, vos ſub eodem eſſe nunc templo, ſub eodémque paſtore: ſed eò magis queror, tot rebus vos ad concordiam prouocantibus, diſcordes tamen, & ſeditioſos eſſe. Dicet aliquis, quam hic ſeditionem ſpectaſti? hic equidem nullam: at hoc ſoluto conuentu, cùm erit abeundi facultas facta, tum is illum criminatur, alius in faciem conuitiatur, inuidia flagrat: rapit alius, aut vim infert: alius turpi amore irritatur, & dolos nectit: quæ omnia rectius conſpicerentur, ſi retegi animus ipſe poſſet: eſſet ſanè hoc pacto apud vos compertum, me compotem mentis eſſe, non inſanum. Nónne præterea milites conſpicamini per pacem & otium armis depoſitis, & imparatos hoſtium caſtra adire, in eiſque tuto verſari? Verum cum armis iidem muniuntur, & cuſtodiis diſpoſitis noctes inſomnes ducunt, ardentque ignes continenter, bellum, non pacem præ ſe ferunt. Poſſunt ſane in nobis hæc recognoſci, ſiquidem ab inuicem nobis cauemus, nec deeſt ſuſpicio aut timor, cum quiſque proximi auribus verba inſuſurrat, obticeturque ſtatim ſi quis propius accedat, & de medio tollitur occeptus ſermo: quod certè non fidentium eſt, ſed planè cauentium. Dicet aliquis non alios fallendi gratia id agitur, ſed ne ipſe fallat: eóque magis id mihi cenſeo deplorandum, quando & vitam vnà ducentibus cautione opus ſit, tantúmque ignis incendimus, vnáſque & item alteras locamus excubias, ne fallaciis circumuenti, iniuriam patiamur. Quorum omnium cauſa mendacium eſt, fallaciæ plurimæ, charitatis interitus, & ſine induciis bellum: vnde complures reperies Gentili potius, quàm Chriſtiano ſe credere. Proh pudor, quò hæc ſunt rubore, quibus lachrymis, qua lamētatione digna? Dicet quiſpiam. Quónam id pacto duxerim tolerandum, ſi fuerit aliquis peruersè inſtructus? vbi ergo ſapientiæ ſtudium, vbi & apoſtolicæ leges, quibus cauetur, alterius tolerari onera oportere? Si enim fratri præſtare te morigerum neſcies, quid facies alieno? vel ſi propriis membris facere ſatis haud noueris, quo pacto poteris externa pellicere, pellectaque corpori tuo copulare? Proh dolor, non facilis ſum lachrymas fundere, abundantiſſimos equidem (vt inquit Propheta) lachrymarum fontes ex oculis laxarem: video enim in noſtris hiſce regionibus prælia geri infinita, & his proculdubio grauiora quæ Propheta præuiderat. Is nanque cum barbaros Iudæam inuaſuros longè ante vidiſſet, Ventris dolore angor clamitabat, ipſe verò cum homines ſub eodem duce conſtitutos ſibi inuicem inſurgere, conuerteréque in ſeipſos morſus & laniatus, idque partim pecuniarum cupiditate, partim gloriæ, fruſtra nonnunquam & occaſione nulla factitare,

A ignominiis ſeipſos notare, vltro citróque inferri vulnera infinita, morte inſuper affici & horridiori, quàm qui bello trucidantur, fraternúmque nomen tenue admodum & exile reliquum eſſe videam: nullus profectò huiuſce tragœdiæ occurrit eo dignus luctus. Veremini, inquam, veremini menſam hanc, cuius omnes ſumus participes, quæve deſuper victima illa iacet, Chriſtus ſcilicet, qui noſtri cauſa occiſus eſt. Prędones enim vt primum apud quempiam ſalem deguſtarint, prædari deſinunt, apud quos ſal ille præſumptus ſit: quinetiam perditiſſimorum hominum mores hæc menſa immutat, efficitque ex his qui feris beſtiis ſæuiendo fuerint immaniores, ouibus ipſis manſuetiores. At nos talis menſæ & cibi participes facti, in nos inuicem arma conuertimus, cùm potius id in noſtrum illum & communem hoſtem moliri oporteret. Qua ex re ille nobis infirmioribus effectis, fortior redditur: non enim nosipſi eum aduerſis
B communis: quin mutuò quodam inſultu, potius ipſi nos, iuuante aduerſario, oppugnamus: eodemque vtimur ad huiuſcemodi in nos aciem inſtruendam duce, cum bellum illi inferre eſſet decentius: nunc verò hoſte omiſſo, in fratres ſagittas intēdimus. Quas, inquiet aliquis, ſagittas narras? Illas dico, quæ ex ore emittuntur & lingua: ſiquidem non ſolum telis & ſpeculis, verùm & verbis acriora vulnera infliguntur, quàm ſolent ſagittis infligi. Dicet aliquis, quonam pacto poterit iſtiuſmodi per me bellum dirimi? poterit vtique, ſi intellexeris, cum fratri fueris conuitiatus, cœnum ex ore profudiſſe: ſi noueris, inquam, cum in illum contumeliam dixeris, Chriſti te membrum vituperaſſe: quippe cùm in carnem tuam voracitatem exerces integerrimum illud concitas acrius, & horribile in te Dei iudicium: emiſſa nanque ſagitta, deſtinanti tibi, non ſaucio futura exitio eſt. Fuit tibi quiſquam
C iniurius, aut malo affecit, ingemiſce, ne maledictis inceſſeris: funde lachrymas, non iniuriæ gratia, ſed ob iniuriam inferentis interitum: quemadmodùm & dominus tuus Iudam deplorauit: non enim quòd cruci ſuffigeretur, deflebat, ſed quòd ſe ille eſſet ad ſui perniciem proditurus. Læſit te quiſpiam aut contumelia inſectatus eſt, Deum precare, vt mox illi cōcilietur & parcat: frater enim eſt, tuum eſt membrum, eodem quo tu partu genitus, ad eandem vocatus eſt menſam. Dicet aliquis: At ſi id egero, maiorem mihi in modum aduerſarius inſultabit. Ergo & maiora te, & plurima manebunt præmia, eóque iuſtius ira mittenda eſt, cùm illum videris vulnere mortali affectum. Dæmonum enim plagam illi inflixit: idcircò neque erit rurſum per te exulcerādus, vel aliquo modo calcandus, quem videris per dæmonem conſternatum: ſiquidem licebit tibi ſtanti illi & erecto opem & ſalutem afferre. Quòd ſi in reddenda iniuriarum vice & ipſe
D corrues, cui erit vos ſubleuandi facultas? num ſaucio illi? minimè. Num tibi æquè atque ille concidiſti? Quo enim pacto qui tibi ipſi facere ſatis nequiueris, opem alteri tuleris? Conſiſte itaque, & animi quadam magnitudine velut ſcuto prælato, fratrem vel mortuum è prælio ſubtrahe, percuſſumque ita haud irritabis, quin potius affixum ei ſpiculum auellito. Cuiuſmodi vitæ conſuetudo ſi fuerit per nos ſeruata, ſtatim optima erimus valetudine communiti. Verum ſi fuerimus in nos ſemper armati, nulla erit dęmonum induſtria ad noſtrum exitium neceſſaria: etenim ſi ciuile bellum moleſtum exiſtimandum eſt, magis tamen noſtrū hoc eò moleſtius eſſe apparebit, quò noſtrę huius ſocietatis humanæ vel potius neceſſitudinis iura potiora ſunt. Necauit Cain quondam germanum Abel, & propinquitatis ſanguinem fudit, quæ cædes tantò iniquior habēda eſt, quantò cōſanguinitas ipſa ſublimior. Is vtique corpus ferro transfodit: tu verò in animam gladium acuis. Cain fortè prior malo affe-

Digitized by Google

ctus eſt: at non malè pati, ſed facere improbè, hoc eſt malè perpeti. Attendite itaque: occidit Cain, Abel enecatus eſt: vter horum extinctus eſt? illéne qui poſt mortem ad Deum clamitans queſtus eſt: *Vox, inquit, ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: an
Gen. 4. is qui vitam omnem tranſegit trepidus? Is ſanè, is erat quouis mortuo calamitoſior. Vides itaque quàm longè præſtet illatæ iniuriæ tolerantia, vel ſi fuerit adusque interitum peruentum. Ediſce præterea quàm ſit conditione inferior, qui illam intulerat. Percuſſit germanum Cain, è vitáque ſuſtulit: horum tamen coronatus eſt alter, alter pœnas pro ſcelere luit: iniuſtius Abel occiſus eſt, mortuus tamen cædis fratrem inſimulans, vexabat, & comprehenſum manibus tenebat. Cain verò tacens, & à Deo increpatus pudore afficiebatur, contráque quàm ſperaret effecit: fratrem enim quem Deo gratum ſpectaſſet, interemit, exiſtimans hoc pacto diuinum illi amorem, quem auxit magis, intercludere: ſiquidem mortuum Deus diligentiùs con-
Ibid. quirebat, dicens, *Vbinam Abel frater tuus?* non enim Dei deſiderium extinxit inuidia, quin potius auctum reddidit: non enim tua hac cæde Cain ſunt Abel honores imminuti, ſed aucti magis & ampliati: quia etſi antehac illum tibi ſubiecerat Deus, nunc tamen de te vel extinctus ſupplicium ſumet: plurimum enim in Deum colebat. Vter igitur horum de cæde ſententiam laturus eſt, qui ſumpſerit, an qui dederit pœnas? qui tanto fuerit apud Deum dignus honore habitus, an qui noua quadam ſit & exquiſita pœna affectus? Viuentem Abel nihil es Cain veritus, mortuum ergo pertimeſce: cum ferro hunc eſſes inuaſurus, nihil trepidaſti, formidine tamen ſanguine profuſo perpetua capiere. Hunc, cùm in humanis ageret, tibi vel morigerum haud toleraſti, mortui ergo acerbior huius erit in te dominatus. His itaque omnibus cognitione perceptis inuidia cauenda erit, & nequitia extinguenda, reddendáque mutuò charitas, vt per eam nobis tum vitæ huius, tum futuræ bona vindicemus.

De amore Dei, & tolerantia in aduerſis, ſermo.

SECTEMVR & nos ſupernas illas poteſtates, neque ſolum vt throno aſtare propinquiores poſſimus enitendum, quin illum potius qui ei inſidet, nobis habeamus inhabitantem: ille nanque ſe odientes dilexit, & in amore perſeuerat. Solis enim vt probis, ita & improbis ortum præbet, iuſtiſque æquè atq; iniuſtis pluuiam dimittit. Tu ergo amantem te Deum cole: ob hunc enim in te amorem, inquit, gehennam comminatus eſt, & ſupplicia. Nequitiam quidem intercidens, ac tanquam frænis ſiſtens tuum ad peiora prolapſum, proſpera aduerſaque obiiciendo, nihil intermittit quatenus te comprimat ruiturum: nam & te non ſolum ſibi adiungit, ſed omni improbitate, quæ quauis gehenna grauior habenda eſt, liberum reddit. Quòd ſi hæc dicta irriſeris, libueritque nequiter potius vitam ducere, quàm ad diem vnum tormentis vexari, nihil eſt mirum: id enim eſt tum mentis non integræ, tum temulentiæ & inſanabilis morbi indicium. Nam & pueri minutiores cum medicum ſpectant vel vſtionem, vel inciſuram aliquam illaturum, diffugiunt gemebundi, & ſe lacerantes exiliunt, malúntque ſanie continua & tabe interire, quàm momentaneum dolorem ferre, vt in reliquum conualeſcant: verùm qui mentis ſunt compotes, non ignorant aduerſam eam corporis valetudinem fore cauterio quouis & ſciſſione grauiorem: nec minus improbum eſſe, quoduis ſupplicium malignitate excedit. Sanitas illam medelam conſequitur: at morbi incuriam & neglectum, interitus vel aſſidua valetudo. Quod autem ſanitas languore ſit potior, latet neminem: ſiquidem prædones haud tantum ſanè cùm latus transfodiuntur, ſunt deplorandi,

A ſed cum muros perforant, & homines enecant. Nam ſi anima corpore præſtantior eſt, eius potius eſt deplorandus interitus: idque eò magis dolendum, quò nullum ex vulnere dolorẽ ſentit. Enimuerò & qui perdito detinentur amore, maiore ſunt venia digni, quàm qui grauiori febre vexantur: vinoq; graues, quàm qui torquẽtur amore. Dicet aliquis, ſi adeò hæc (vt inquit) grauia ſunt, cur illa optamus? Reſpondebo equidem, quoniam pleroſque, vt aiunt, hominum peiora delectant, ita vt malis electis potiora prætereant: quod & in epulis rebúſque publicis, ac vitæ huius actionibus, fruendique voluptatibus, in fœminis ipſis, ædibúſque, & mancipiis, agris, & reliquis in rebus ſpectare licet. Quid enim delectabilius, mulieríne; an maribus commiſceri? fœminis an iumentis? inuenies tamen nonnullos fœminis reiectis cum belluis habere congreſſum, mariúmque corpora ſumma iniuria
B conſpurcare: tametſi quæ naturam ſequuntur, multò magis, quàm quæ contrà fuerint, voluptatem afferunt. Sunt tamen plerique qui res ſupplicio & irriſione dignas, minúſque delectabiles pro ſuauibus & amœnis conſectantur. Dicet aliquis: at iſtiuſmodi res conſueuiſſe nonnullis eſſe voluptati. Idcirco magis ac magis eos dixerim calamitoſos, quòd inſuauia pro ſuauibus ducant, pœnámque acerbiorem quàm peccata ipſa conſtituant, quod longè aliter eſſe conſtat: nam ſi peccantibus pœna obeſſet, neque mala Deus malis ingereret: nec enim diuinæ fuerat voluntatis, quos creaſſet, malos fore: neque is nequitiam auxiſſet, qui eam extinguere maximum ſit in modum eniſus. Non igitur illata peccanti pœna pro malo habenda eſt, quin malè cum eo fuiſſet actum, ſi nullo eſſet ſupplicio affectus: forétque ægrotanti illi haud abſimilis, cui nulla pro eius valetudine cura adhiberetur. Nihil itaque adeò officit, quàm abſurda & im-
C moderata libido: abſurdam autem dixerim deliciarum, inanis gloriæ, potentatus, & reliquarum rerũ, quæ fruſtrà appetũtur, cupiditatem. Qui enim molliorem hanc ſolutámque vitam duxerit, etſi omnibus appareat eſſe beatior, cunctis tamen eſt profectò miſerior, quandoquidem graues animæ ſuæ heros tyrannóſque inuexit. Eò nanque Deus vitam laborioſam effecit, vt eius nos ſeruitute liberaret, abſolutámque in libertatem induceret, proptereáque & ſupplicia comminatus eſt, & labore mollitiem comprimendo, vitæ huic cohæredes effecit. Nam & Iudæi cum luto eſſent & lateribus operandis aſtricti, & humiles erant, & Deum frequentiùs inuocabant: poſtquam verò libertate ſunt vſi, dominum queruli ad iram concitarunt, & malis ſunt innumeris circumuenti. Quid igitur de his dixeris, qui calamitatibus & preſſuris nonnunquam ſuccumbunt? reſpondebis fortaſſe illos non ob calamitatem, aut aduerſam fortunam, ſed pro-
D pria quadam imbecillitate ſuccubuiſſe. Nam ſi quis adeò languenti ſit ſtomacho, vt amaram aliquam medelam, quæ illum ſanare queat, non patiatur, ita vt hauſta offeciſſe potius quàm profuiſſe videatur: non eſt profectò potio iſta, ſed affecti ſtomachi valetudo culpanda: nec ſecus ea in re animi leuitas quædam incuſanda eſt: nam qui fuerit aduerſis animo conſternatus, eandem vel maiorem in proſperis iacturam patietur: quippe qui vinctus conciderit (id enim preſſuram & infortunium dixerim) facilius cum ſolutus fuerit & liber, lapſurus eſt: ſi conſtrictus itaq;, & calamitate preſſus conuincitur quiſpiam, longè magis cum ea vacuus aut miſſus fiet. Quo, inquiet aliquis, pacto potuerim non vinci, infortunio & calamitate oppreſſus? Poteris quidem, ſi te non fugerit, volenti tibi vel inuito aduerſa omnia eſſe toleranda: quę ſi animo patienti tuleris, plurimum lucri feceris: ſi iniquior, contumaci, & maledico, calamitate nihil imminuta maiorem in te procellam concitabis. Quæ

Digitized by Google

[A] cum ita ſint, faciamus ex neceſſitate voluntatem ſeu virtutem. Exempli gratia: Proprium quis amiſit filium, ſubſtantiam alius omnem, & fortunæ bona: ſi noueris, quod ſemel peractum eſt, nec deleri amplius, nec ſolui poſſe, licebit ex ea inſanabili calamitate vtilitatis aliquid comparare: ſi magno ac virili animo aduerſos tuleris fortunæ caſus, próque maledictis domino laudem referas, hoc pacto quæ præter ſpem obuenerint mala in voluntatis officium commutabis. Spectaſti filium immaturè ereptum, dicito: (Iob. 1.) *Dominus dedit, dominus abſtulit.* Vidiſti rem tuam imminutam, illud in ore habeto: (Ibidem.) *Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus decedam.* Verum ſi improbis videris rem bene ſuccedere, iuſtos autem infœlices eſſe, multáque & grauia pati, & eiuſmodi infœlicitatis cauſam ignoras, dices: Beſtia factus ſum apud te, verum ego ſemper tecum. At ſi quæſieris cur res hoc pacto ferri permittat Deus, intellige ſtatutum eſſe per eum iudicij diem, quo (Lucæ 16.) mundum ſit iudicaturus: hoc modo nihil poſtea [B] hæſitabis, nihil amplius: tunc enim pro meritis quiſque, non ſecus ac Lazarus & opulentus ille, receptúrus eſt præmium. Reminiſcere quemad-(Act. 5.)modum apoſtoli cùm cæſi eſſent, & diuerſis tormentis plerique affecti, ſummopere lætabantur, quòd dignarentur pro Chriſti nomine iniurias perpeti. Ipſe verò cum in aduerſam incideris valetudinem, feres æquo animo languorem, Deóque ob id gratiam dices: hoc modo parem illis recipies mercedem. Poteris præterea valetudine & dolore affectus Deo gratias reddere, ſi eum ex animo colueris. Nam ſi in ignem tres illi pueri coniecti, aliíque carcere & vinculis detenti, vel malis innumeris obducti, nihil intermittebant Deo gratias laudéſque referre: multò magis qui corpore fuerint inſano & affecto. Nihil eſt enim, nihil, inquam, tam horridum, tamque tremendum, quod hi qui vel morbo, aut pœnis diſcruciantur, non ſuperent, ſi [C] diuino ſint amore incenſi, & ita vt neque ignis, neque ferrum, neque inopia, neque languor aliquis, neque mors, neque aliud quippiam iſtiuſmodi, graue aut moleſtum appareat ei qui hunc ſit erga Deum amorem conſecutus: quinetiam aſpernatus cuncta, & irridens ſubleuabitur ad cœlum, vbi pari cum reliquis ibidem diuerſantibus vtetur beatitudine: terris inſuper & ponto repudiatis, in diuinæ gloriæ ſplendorem duntaxat & pulchritudinem firmabit obtutum: illique adeò animum intendet, vt rebus vitæ huius haudquaquam aliquam in partem aduerſis flecti queat, vel proſperis & iucundis efferri. Afficiamur itaque amore eiuſmodi, quem æquiparare nihil poteſt, nec ſolùm præſentium aut futurorum bonorũ gratia, quin his omiſſis ob ipſius amoris naturam. Sic enim ſumus tum in hac vita, tum in futura ſupplicia euaſuri & pœnas, ac regnum cœleſte illud vindicaturi. Verùm [D] neque gehennæ euitatio, neque cœleſtis imperij fruitio, pro magnis habenda ſunt, ſi cum his quæ dicturi ſumus, conferãtur: ſiquidem omnium præſtantius eſt Deum colere, eundémque tui habere amatorem, cuius amor etſi mutuo inter homines eſſe contigerit, omnem ſuperat voluptatem. At ſi idem & Deo ineſſe comperitur, quæ mens concipere, vel quæ eloquentia poterit concupitæ animæ beatitudinem, quam vel ſola tolerentia promerebitur, explicare? Vt itaque experientia ipſa tum ſpiritualis iucunditatis huius, tum vitæ beatioris, & Dei in quo vniuerſæ ſunt opes, haberi per nos cognitio poſſit, relictis cæteris, diuino huic amori, & noſtri oblectandi cauſa, & Dei, qui & colendus & efferendus eſt, gratia incumbamus.

[A]

De gratiis reddendis Deo, non ſolùm verbis, ſed etiam operibus, ſermo.

GRATIAE ſunt per nos Deo habendæ, quando cum his qui ſalui ſunt facti, & ipſi annumeremur: & eam quam ex noſtræ vitæ actionibus haudquaquam eſſemus ſalutem emeriti, Dei ſumus munere ſingulari conſecuti: idcirco vt gratias illi reddamus, non ſolùm verbis, verum erit & opere enitendum: poteritque tum vera quædam gratitudo dici, ſi noſtris ex actibus Deus laudem conſequatur, cauerimúſque ne in eadem illa recidamus, quæ ante improbata euaſimus. Nam ſi ipſi fortè imperatorem aliquem fuerimus conuitio & probris inſectati, iſque nos contrà pro pœna emerita honoribus auxerit: nónne & meritò ſupplicia prioribus acriora eſſent ferenda, ſi rurſum quemadmodum ingratitudinis & procacitatis conuicti, [B] eundem conuitijs inceſſerimus? Neque enim adeò nos prior illa in principem illata cõtumelia, quàm quæ poſt ſuſceptos honores & commoda, iniuria ingratos argueret. Quocirca fugienda erunt, quibus antehac liberati fuerimus diſcrimina: neque ore duntaxat ſunt gratiæ Deo habendæ, ne fortè de nobis illud pronuncietur: *Populus iſte labiis me honorat, corde autem longe à me abeſt.* (Matth. 15) Verum quo pacto non abſurdum illud videri debet, cum & cœli ipſi Dei gloriam prædicent: ipſe verò cuius ob gratiam ſunt illi effecti, ita te geſſeris, vt tui & fictor, & creator Deus propter te malè plerumque audiat? cui ſceleri non ſolum qui maledixerit erit obnoxius, verum & ipſe qui maledicendi cauſam dederis, fores pœna mulctandus: vtque & cœli etſi non magis taciti Deum laudibus proſequuntur, quàm eius cœleſti facie ad diuina præconia mortales inuitant, dicuntur tamen Deo laudem pronuntiare: [C] ſic & qui vitam duxerint puriorem, vel ore ſilenti Deum extollere videbuntur, quando ſui quodam exemplo & reliquos homines eundem vt laudibus efferant, pelliciunt. Siquidem Deus non tantum admirationis & laudis ex cœleſti hac formata machina vindicat, quantum gloriæ ſibi ex optimis vitæ huius humanæ actionibus comparat: quippe cum de fide aduerſus gẽtes oritur diſceptatio, nullum cœlum, quin homines ipſos proferimus, qui cum antea fuiſſent feris beſtiis truciores angelorum ſint diuino impulſu imitatores effecti: qua vitæ immutatione producta, confeſtim illis ora occludimus, eò magis cum homo ſit cœlo præſtantior liceatque eum animo parere cœleſti quouis ſplendore micantiorem. Cœlum enim etſi tamdiu ſit ad viſum expoſitum, non eam habet perſuadẽdi vim, quam Paulus eſt tam breui Chriſti fidem vulgando aſſecutus, vt ad ſe terrarum orbem traheret [D] vniuerſum: cuius & anima vel cœlo digna eſt habita, cum noſtra nec terra dignanda ſit: cúmque & cœlum ſuis terminis præſtet, huius tamen animi celſitudo vel cœlum ſuperans Chriſto obuerſatur: tantúmque decore præſtat, vt vel diuina ſit laude dignatus. Item & angeli cùm eſſent creati, aſtra ſunt ipſi & ſtellas demirati: hunc verò ille qui protulit, *Vas mihi electionis eſt iſte,* mirandum effecit. (Act. 9) Cœlum præterea hoc nebulæ plerunque obducunt: at Pauli animum nulla vnquam rerum obtexit anguſtia, quin aduerſantibus cũctis tranquillior quauis meridiana luce videbatur, eamque animi conſtantiam & nitorem in turbida tempeſtate ſeruabat, quam in ſereno ſeruaſſet: ſiquidem ſol qui in eo fulgebat, nec tam infirmos radios emittebat, vt ex moleſtiarum concurſu hunc ſineret obumbrari, quin eapropter magis ac magis clareſcebat. Vnde reſponſum illi eſt: *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim in infirmitate perficitur.* (2. Cor. 12) Imitemur itaque & ipſi Paulum: non enim (modò libeat) cœlum ipſum & ſol, vel orbis vniuerſus alicuius eſſe momenti apparebunt,

Digitized by Google

bunt, ſi nobiſcum conferantur. Hæc quippe noſtri ſunt gratia affecta, nec ipſi ſumus illorum cauſa creati: idcirco oſtendamus non immeritò cuncta hæc extitiſſe noſtri contemplatione edita, quorum ſi nec creationem, nec cœleſte videbimur emeruiſſe imperium, nec ſolem ipſum intueri, his proculdubio indigni erunt quotquot in Dei contumeliam vixerint. Ergo rebus ad Dei laudem enuntiandam creatis indignè fruentur, qui fuerint in opificem rerum contumelioſi: ſiquidem & filius ſi patrem laceſſit, nec dignus quidem iudicabitur, qui ſeruis anteponatur indiſpenſando non improbis. Cur id? quoniam creata hæc cum plurima ſint gloria potitura, nos ſupplicia & tormenta merebimur. Quantæ igitur illud ærumnæ fuerit, cum ea quæ ad noſtri ſunt gratiam condita, & Dei filiorum & libertatis figuram præ ſe ferant: nos verò in Dei liberos & habitos, & creatos, præ ignauia quadam iri perditum, per quos reliqua quæ fuerint creata, cœleſtem ſint beatitudinem habitura? Ne igitur illud eueniat à nobis, qui animo fuerimus puriori, curandum erit, vt idem ille ſtatu perſtet integer & immotus, augeatúrque ſplendore, & lumine illuſtretur: nec nobis tamen deſperandum, ſi illum ſimus ſordidum & ſqualentem ſortiti. Quando, vt ille inquit, *Si fuerint delicta veſtra vt coccinum rubentia, quemadmodum niuem dealbabo*: ſi rubra, in velleris ſpeciem candida reddam. (Eſa. 1.) Ne itaque erit de diuinis pollicitationibus hæſitandum, quin ita viuendum, vt pellectæ in commodum cedant, cui ſunt grauius pleraque commiſſa. Quorſum hæc? nondum tibi paratum ſpectaculum dimiſſum eſt, nondum vallem exceſſiſti & foſſas, licet adhuc extremæ palæſtræ victoria priorum certaminum damna ſarcire: nondũ eò peruẽtum eſt, vbi & diues ille cruciatur, vt audire queas, Chaos inter nos eſſe immenſum. (Luc. 16.) Nondũ ſponſus aduenit vt oleũ quis vereatur impartiri, datur adhuc illud emendi & ſeruandi facultas, nondum quiſpiam eſt qui id dixerit: *Ne forte nobis & vobis ſit* haud ſatis. (Matt. 25.) Extant enim adhuc opulenti complures, ſuperſunt nudi, famelici, valetudinatij, & carceris incolæ: hos ale, illos induito, iacẽtis & ægri curã ſuſcipito, fluet hoc pacto & tibi oleum quibuſuis fontibus vberius: nondum rationis reddendæ aduenit dies, vtere hoc ad opportunitatem tempore, præcide debita, ac miſſa facito, debentíque olei cados centum, dicito: Accipe librum, quinquaginta inſcribe: itidem tum in re pecuniaria, tum dictis factiſque tuis, & reliquis actionibus egeris velim, optimum illum diſpenſatorem imitatus: eadem hæc vt teipſum, ſic & neceſſarios, ſanguinéque coniunctos commonefacito, dum loquendi facultas ſuppetit, dum nulli ſint in tui locum neceſſitate aliqua, vt id exequatur, ſubrogandi, dum habes vt tibi, ſic & cæteris, conſulendi arbitrium. Quippe cum illò adueneris neutrum horum facere commodè licebit, & meritò quidem: qui enim tantum temporis ſpatium acceperis, nec tibi interea, nec alteri cuiquam profueris: quo pacto cum fuerit in iudicis manus peruentũ, conſequi iſtiuſmodi gratiam quiueris? Quæ omnia ſi in vnum contulerimus, enixius erit noſtræ ſaluti inhærendum, neque vitæ huius opportunitas intermittẽda. Poſſunt, inquam, poſſunt vel in ipſo vltimo ſpiritus efflatu gratiæ Deo haberi, licebítque, & ſi non pari facilitate, ex teſtamento cum Deo in gratiam redire. Dicet quiſpiam quonam id pacto fiet? fiet quidem ſi Chriſtum tuis hæredibus cohæredem aſcripſeris, & portionem illi hæreditatis totius imparties: quem & ſi viuens non alueris, moriens ſaltem è tuo aliquid illi relinquito, vel tum maximè cum deſinunt tuæ eſſe ditionis quæ poſſides. (Chriſtum heredem conſcribamus.) Nam vt ille natura clementiſſimus, nec paruo per te oblata penſabit: quamuis qui eum viuens aluerit, & meritis maioribus, & amore ampliore ſit dignus: quod ſi non egeris, ſaltem quod reliquum eſt aggredere, eundem ſcilicet tuis facito cohæredem, vel ſi id facere pigebit, animaduerte hinc te per eius genitorem hæreditatis effectum eſſe participem, eóque inhumanitatem hanc tuam, & ſæuitiam perdendam cenſebis. Qua enim ipſe fueris ratione excuſandus, ſi eum ad hæreditatis cum filiis vnà non admiſeris communicationem, qui tibi & cœlos communicauerit, qui mortem tui ob cauſam non obligatus, ſed gratiam facturus ſubierit, pro quibus ſuis immenſis in te beneficiis magnum es illi in modum obnoxius? hæc cum ita ſe habeant, non vt debitum exacturus corona te & palma donabit, ſed vti munus à te aut gratiam ſuſcepturus. Præbe itaque illi abundè pecunias, nec vſui tibi futuras in poſterum, neque vltra in tua poteſtate permanſuras: vt tibi imperium largiatur perpetuò valiturum, & donet item præſentibus his fortunæ bonis. Proinde cohæres per te conſtitutus, & liberorum leuabit orbitatem, inſidias ſoluet & moleſtias propulſabit, & calumniantium ora occludet: quódq; vel filij nequeunt, teſtamentum tutabitur, corrumpique haud ſinet: vel ſi permiſerit, quæ fuerint per te ex ſcripto relicta, propriis facultatibus compenſabit, liberalitate ſumma & munificentia, eò magis quo fuerit per te huiuſmodi honore dignatus, vt hæres aſcriberetur. Conſcribe itaque hunc cohæredem: is enim eſt, cum ſe adieris, omnium quæ viuens geſſeris cauſam cogniturus. Eò accedit, quòd hominum plerique miſeri quidem & calamitoſi, cum nullos ſuſceperint liberos, id tamen facere nec patiuntur quin paraſitis malint, & aſſentatoribus huic illíve eorum fortunas, quàm Chriſto optimè de ſe merenti impertiri. Quo quid fieri poteſt à recto magis alienum? Cuiuſmodi homines ſiue cum belluis ſiue cum lapidibus ipſis contulerit quiſpiam, nihil profectò affert, quod horum hominum ſocordia ſit, & inſenſibilitate dignum, neque quauis rerum ſimilitudine iſtorum quiuerit veſaniam & furias explicare. Quam igitur hi veniam aſſequentur, qui enim in humanis agerent, nullam Chriſto alimoniam dederint, nec demum vita exceſſuri, ex his pecuniis, quarum nulla eſt eis amplius certa aut futura poſſeſſio, aliquid velint illi vel tenue & perexiguum dono deferre: quin adeo ſe maleuolè in eum & hoſtiliter gerunt, vt ne eá quidem, quæ nulli ſunt ſibi vſui obuentura, Chriſto impertiantur? Num haudquaquam aduertis pleroſque hominum ne tali quidem fuiſſe viuendi fine dignatos, quin repentè morbo correptos exceſſiſſe è vita, cum tibi Deus & propinquos conſulendi, & propalandi fortunas, domui etiam vniuerſæ diſponendi facultatem conceſſerit? Quam ergo afferes, quæ purgare hanc tuam poſſit pertinaciam, rationem: ſiquidem pro accepta gratia Dei ſis beneficio abuſus, longóque abſis interuallo tum tua, tum maiorum tuorum fide? Illi enim dum viuerent, cuncta quæ habebant ad pedes apoſtolorum conferebant: tu verò, vel moriens tuarum rerum partem egenis demanda, ídque ſi facere neglexeris (tametſi alienæ inopiæ ſubleuatio potior ſit, dum ſpiritus hos regit artus, & fidentiorem facit) morti tamen proximus ede aliquid, quod animi præferat magnitudinem, amoriſque erga Deum, etſi non immenſi, mediocris tamen iudicio ſit futurum. Ita fiet, quòd ſi primas non fueris cum agnis ſedes habiturus, non parui poſſit exiſtimari ſi poſt eos ſecundas obtinueris, nec tibi ſit ad ſiniſtram cum hœdis commorandum. Quòd ſi ne id quidem erit per te peractum, qua poteris ratione excuſari, quando nec Dei timor, neque inutilis & ſuperuacanea pecuniarum futura poſſeſſio, neque liberis relinquenda ſecuritas, ampla illa, & propoſita tibi & ſeruata venia reddere te humanum queant? Quas ob res vos equidem hortari velim, vt veſtras haſce facultates & bona, maiorem in partem, dum auram hanc

ſpiratis,

ſpiratis, facereque id viuendo licet, egentibus re-
linquatis. quod ſi fuerint nonnulli adeò puſillo
animo & abiecto, qui exequi id optimum facinus
minime patiantur: in re tamen vrgente, & vitæ diſ-
crimine pietatem ſeruent, eò magis, quòd cùm vi-
tam hanc ducerent, non ſecus atque immortales
futuri, his bonis fortunæ inhærebant: nunc verò
certiores facti, ea fuiſſe ſe conditione natos, vt mo-
riantur, deſinant id opinari, conſulantque rei ſuæ
vti mortales. Ipſe verò, etſi graue tibi illud, horri-
bileque videbitur quod ſum dicturus, dicendum
eſt tamen, parem facito vel tuis Chriſtum manci-
piis, quæ vt per te nonnunquam libertate donan-
tur: ita & is inedia erit, & vinculis, inopia & nudita-
te ſoluendus. Contremuiſti id fortè audiens, vel
hiſce perculſus es verbis, quin potius ſi ea non
egeris, magis erit contremiſcēdum: ſiquidem mo-
riens illò conceſſeris, vbi & grauiora his multò
exaudies, & inſanabilia tormenta ſpectabis. Quid
tum inquies? ad quem confugies? quem tibi in au-
xilium, vt opem ferat, depoſces? num Abraham?
non te audiet. num virgines illas? ne hæ quidem
olei tibi quicquam impartientur. num genitorem?
num proauos? non certè quiuerit horum quiſpiam
vel ſi ſanctimonia præſtet, latam in te ſententiam
ſoluere. Quæ omnia tecum animò reputanti, ille
& ſolus precandus erit, & exorandus, qui & ſcri-
ptam in te delere damnationem poteſt, & incen-
dium reſtinguere: quod proculdubio aſſequeris, ſi
inopem continuò & alimonia iuueris, & amictu: ita
fiet vt hinc ſpei plenus abſcedas, & illò profectus
bonis futuris potiaris.

EX MATTHÆI CAP. V. DE FV-
giendis iuramentis, & quòd Deo gratias agere debemus, &c.
Vide, hoc tomo ad populum Antiochenum,
Homil. XXVIII.

De oratione Dominica, homilia.

DOMINICA oratio ex pontificali doctri-
na electis ad fidem debetur. Et quia debi-
tum ex debito à nobis exigitur, vltro vo-
bis reddimus re, quæ à nobis exigitis cor-
de. Oratio dominica ita dicta eſt credentibus, vt
operibus & moribus conueniat: & ne in multilo-
quio incurreremus peccatum, collectè voluit do-
minus noſter Ieſus Chriſtus diſcipulos orare. Alia
eſt enim propria oratio, alia dominica. Vos ergo
qui accepiſtis orationem in confeſſione aſſignan-
dam Deo, debetis corde credere, opere perficere.
Eccl. 18. Dictum eſt enim: *Ante orationem præpara teipſum.* Quid
eſt, Ante orationem præpara teipſum, niſi expolia-
tus cogitatione praua, ſic accedas ad dominicam
Matth. 6. orationem? Sic ergo orabis, *Pater noſter qui es in cœlis.*
Magna dignatio patris, magna dignatio creatoris,
vt creaturam captiuatam peccatis faceret liberam,
ille qui aſcendens in altum captiuam duxit capti-
uitatem, dedit dona hominibus. Ergo vide, quis ro-
gas, quid rogas, quem rogas. quis? homo: quid? in-
dulgentiam: quem? Deum. Ergo patrem noſtrum
dicimus Deum. Non quærit iſte pater propriè ſe
vni dare, & alij ſe negare, ſed quomodo dicimus
noſtrum, ſic & nos debemus effici ipſius. Qui ſerui
eramus, facti ſumus liberi: cæci, videntes: febrien-
tes, ſalui. Quia ergo pater & mater carnis huius
creauerunt nos, ille veniens dignatus eſt regene-
rare nos. Ergo patrem Deum habentes, ad hone-
ſtatem patris ambulate, in voluntate eius profici-
te, vt eius promiſſionem accipiatis. Indignum eſt
enim, vt ſi aliquis ſit adulter, bilinguis, inordina-
tus, ſubdolus, malè agens, à fide recedens, tepidus
in religione, ſine ſtudio viuens, captiuatus erro-
re, dignus ſit dici filius, aut ille audeat dicere, Pa-
ter. Ergo habete charitatem Dei, vt ſit in vobis
cor & anima vna, vt dignè dicatis ei, Pater noſter.

A & videte vbi vocatis patrem, vtique in cœlo. Ideo
clamamus in conſpectu ſacrificij, Surſum corda.
Vbi confeſſio noſtra tenetur, cor quotidie ibi re-
præſentetur. Cum *conſurrexeritis cum Chriſto, quæ ſur-*
ſum ſunt, quærite: vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, vt Coloſ. 3.
cum fiducia dicatis, *Pater noſter, qui es in cœlis.* Sequi-
tur oratio. *Sanctificetur nomen tuum.* Quæ eſt iſta ſan-
ctificatio Dei, niſi vt ſanctis moribus viuentes in
nobis Deus ſanctificetur? Nam quicunque puro
corde & pacifico cum omnibus hominibus viuit,
non loquitur varietatem in corde ſuo, & doloſè
non agit ſub lingua ſua: in hoc videntes homines
bona opera, clarificant patrem qui eſt in cœlis. Di-
xit ipſe dominus noſter, *Sancti eſtote, quia ego ſanctus* Leuit. 11.
ſum. Quid eſt, Sancti eſtote, niſi præcepta mea im-
plete, voluntatem meam facite, in viis meis ambu-
late? Cum iſta feceritis, ſanctificatur pater noſter,
qui eſt in cœlis. Sequitur dicens. *Adueniat regnum*
B *tuum.* Neceſſaria poſtulatio, quando fragilitatem
carnis noſtræ regit rector & creator noſter. Adue-
niat regnum eius, ſed in nobis, non ad iudicium,
ſed ad redemptionem. Nam quæ conſcientia eſt,
quæ ſit præparata ad regnum illud iudicij? Et qua-
re dicebatur, *Ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quoniam*
non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens? Ergo quo- Pſal. 142.
modo intelligimus, *Adueniat regnum tuum?* Adueniat,
id eſt, in me veniat, vt & ego efficiar rex regens li-
mum carnis meæ, terram meam quæ fuit maledicta
ſpinis & tribulis plena. Ideo dictum eſt: *Et nunc* Ibid 2.
reges intelligite, erudimini omnes qui iudicatis terram. Qui
iudicat terram carnis ſuæ, rex eſt carnis ſuæ.
Sed non poteſt homo regere carnem ſuam, ni-
ſi rectus fuerit à rectore ſuo. Nam quandiu con-
cupiſcit ſpiritus aduerſus carnem, caro aduerſus
ſpiritum, quia hæc duo ſibi inuicem aduerſantur,
vt non ea quæ volumus faciamus, nondum venit
regnum Dei in nobis. Sed quando ſubdita eſt caro
C ſpiritui, aduenit regnum Dei in nobis. *Adueniat ergo*
regnum tuum. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Quę
eſt voluntas eius, niſi dominus Dei filius, qui ait pa-
tri: *Non veni facere voluntatem meam, ſed voluntatem eius* Ioan 4.
qui miſit me? Quæ eſt voluntas eius, niſi quod domi-
nus cecinit patri, *Pater hoc volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint* Ioan. 5.
mecum? Quæ eſt voluntas eius, niſi obedientia, cha-
ritas, humilitas, manſuetudo, benignitas, caſtitas,
longanimitas, pudicitia, ſimplicitas? Hæ virtutes ex
voluntate Dei deſcendunt. Quid eſt, *Fiat voluntas*
tua? In anima mea, & in carne mea, in cœlo mentis
meæ fiat voluntas tua, in carne corporis mei im-
pleatur voluntas tua. Eſt & alius ſenſus, *Fiat volun-*
tas tua, ſicut in cœlo, & in terra: Sicut in angelis tuis,
quos feciſti in ſpiritu: Quia tu *facis angelos tuos ſpiritus,* Pſal. 103.
& miniſtros tuos ignem vrentem. Ita dona nobis ſpiritua-
liter viuere, quomodo angeli qui carnem non ha-
bent, vt fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.
Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Magnus iſte
D panis, qui replet mentem, & non ventrem. Iſte pa-
nis & noſter eſt, & angelorum: iſte panis mandu-
catur, & non finitur: iſte panis totum mundum re-
plet, & integer manet. De ipſo comedimus, inde vi-
uimus, inde paſcimur, inde nutrimur, inde perue-
nimus. Et tamen quotidie illum quærimus, ne defi-
ciat fides noſtra, ne vires animæ noſtræ in iſta ar-
cta & anguſta via fatigatæ non perueniant ad pa-
triam. Ergo, domine, paſce nos quotidie pane cœ-
leſti, verbo tuo ſancto, quod carnem fieri voluiſti,
vt habitaret in nobis. Ipſe panis eſt, qui fractus eſt
illis ambulantibus in via, quem *agnouerunt in fractione*
panis. Quid eſt enim frangere panem, niſi ſecretum Lucæ 24.
aperire, agnoſcere Deum & hominem? Ergo, do-
mine, da nobis iſtum panem quotidianum. Nam
primò mater eccleſia ex vberibus doctrinæ ſuæ
lacte potat, dicens: *Lac vobis potum dedi, non eſcam: non-* 1. Cor. 3.
dum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis, adhuc enim
eſtis carnales. Accipe lac, vt peruenias ad panem: ac-
cipe orationem, vt peruenias ad perfectionem. Ergo

panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Hodie Dei intelligitur, hodie Dei noctem non habet, hodie Dei lux lucis eſt, & fons luminis. Ergo domine illumina corda noſtra, vt mereamur quotidianũ panem. Hic modò verſiculus qui ſequitur magnam habet conditionem, magnum nobis incutit timorem. Excutite ergo pigritiam de animis veſtris, non eſt res leuis quam audituri eſtis. Sequitur dicens: *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quæ ſunt debita? fortè cautionum debita, fortè aliquid debemus Deo. Quid debemus Deo, niſi imaginem & ſimilitudinem eius ſeruare illæſam? Quid debemus Deo? honore mutuo præuenire. Sunt alia debita, quæ debemus Deo. *Peccauimus* illi grauiter,
Dan. 9. *iniuſte egimus, iniquitatem fecimus.* Aut *quis caſtum ſe*
Prou. 20. *gloriatur habere cor, aut mundum ſe eſſe à peccatis? Si di-*
1. Ioan. 1. *xerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Ergo iſta ſunt debita: quia non
Iob 14. eſt ſine peccato, *nec infans vnius diei natus ſuper terram.* Nam quomodo *poteſt mundus eſſe de immundo conceptus ſemine? quia in iniquitatibus concepti ſumus, & in delictis*
Pſal. 50. *mater noſtra in vtero nos aluit.* Exinde cõtraximus peccata, non tantùm originalia, ſed & propria commiſſa. De ipſis debitis clamamus: *Dimitte nobis debita noſtra,* & profitemur profeſſionem periculoſam, vt dicamus Deo, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ergo dimittis peccata peccanti in te, diſcute conſcientiam tuam. Si ſol non ſubiit cum iracundia tua, ſi maledicentem te non remaledixiſti, ſi iniuriam paſſus non es comminatus: ſi iſta feciſti, in errorem te non induxiſti: nec enim Deum fallere potuiſti, qui eſt iudex conſcientiæ tuæ. Ergo non aliqua debita attendenda ſunt, ſed peccata peccantibus in ſe. Concludat Apoſtolus propoſitionem
Rom. 13. noſtram: ipſe dixit: *Nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis.* Ecce ſi diligendo dimiſiſti, vera erit
Eccl. 28. confeſſio tua. Nam conſidera alibi quid dicit: *Homo homini ſeruat iram, & à Deo quærit medelam.* Si vis ergo vt dimittantur tibi à Deo quæ commiſiſti, dimitte peccanti in te, ne ſi non dimiſeris, dicatur tibi: *Serue*
Matth. 18. *nequam* & piger, *omne debitum dimiſi tibi, quia rogaſti me, & te non oportuit dimittere conſeruo tuo?* & eris non dimittendo inutilis ſeruus, & particeps pœnæ perpetuæ.
Marc. 11. *Dimittite* ergo *de cordibus veſtris fratribus, vt dimittat vobis pater veſter, qui eſt in cœlis.* Vltima eſt iſta orationis ſententia, quam dicturi ſumus: *Et ne patiaris induci nos in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quæ eſt iſta tentatio, niſi illa, de qua rogat Apoſtolus, dicens: *Fidelis eſt Deus, qui non vos patietur tentari ſupra quàm poteſtis ferre, ſed faciet tentationem etiam cum exitu, vt poſſitis ſuſtinere?* Tentatio grandis eſt, fratres chariſſimi, impatientem patientia vincere: *non vinci à malo, ſed vincere in bono malum*: cibare inimicum, neceſſaria ei ſubminiſtrare, orare pro illo magna tentatio, magna exagitatio eſt. Eſt alia tentatio hæreticorum, qui colloquio ſuo corrumpunt bonos mores. Eſt tentatio tertia, quando ſe transfert diabolus in angelum lucis, vt decipiat, vt per bonum operetur mortem, vt fiat ſupra modum peccator peccans per mandatum. Iſta tentatio eſt: vbi eſt legis prohibitio; ibi eſt magna tentatio. Ideo ergo clamat eccleſia, Ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos à malo. Sed quia viribus noſtris nullus poteſt iſta implere, dicamus adiutori noſtro, libera nos à malo. Quid eſt perfectũ malum niſi diabolus princeps huius mundi, & author operis mali? Cum ab ipſo nos liberauerit, verè liberi erimus. Tenete orationem, vt non intretis in tentationem, & dicite voce angelica de veſtra liberatione: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

IN SYMBOLVM APOSTOLORVM EXPOSITIO.

HOMILIA I.

VNIVERSALIS eccleſia gaudet in vna regula charitatis Chriſti, & in fide nominis Chriſti exultat, maximè quando credentium lucris locupletatur. Creſcente ergo populo peculiari, dilatatur cor credentium ad iuſtitiã, ore autem celebrãt confeſſionem ad ſalutem. Vos autem genus electũ, grex nouellus Dei, qui competitis à rege regum, & domino dominorum munus gratiæ: qui baptiſmum ſalutarem ſperatis vobis affuturum, audite profeſſionis veſtræ verba. Regularis iſta doctrina confirmat credẽtes, adiuuat proficientes, conſolatur viatores, confortat perſeuerantes, coronat perueniẽtes. Ergo audite hanc, vt dixi, regulam veſtræ confeſſionis: *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Videte qui, cui, & quid loquamini. Dixiſtis, Credo. Quàm breue eſt, quam modicum eſt? ſi ad latitudinem literarum redigatis, quinque literæ ſunt: ſi ad ſyllabarũ numerum, duæ ſunt ſyllabæ. Hæc credulitas ſi conquadret moribus & vocibus, fructum inuenit ſalutis. Credulitas hæc in toto mundo ſparſa eſt: credit Chriſtianus in eccleſia dimitti ſibi peccata, credit moribus cõpoſitis Deo placere, credit indulgentiam mereri, credit vitæ æternæ promiſſionem, credit pœnam promiſſam peccatoribus: ergo creditis Deo omnipotenti, qui poſſe ipſius non poteſt inuenire non poſſe: tamẽ aliqua non poteſt: vtpote falli, fallere, mentiri, ignorare, initium & finem habere, non præuidere, præterita obliuiſci, præſentia non attendere, futura neſcire: ad vltimum negare ſeipſum non poteſt. Ecce quãta non poteſt: tamen eſt omnipotens, quamuis ſuperius comprehenſa non poteſt. Ergo credo in Deum patrem omnipotentem. Ecce patrem Deum vocatis. Ad honorem patris venite, mores patris cuſtodite, eius voluntatem implete, ſi vultis hæreditatem eius accipere. Quis eſt filius cõtemnens patrẽ, qui mereatur eius accipere hæreditatem? Ergo ſi deſideratis ea quæ promittit mereri, viuite pro voto eius, in præceptis eius permanete: quæ iubet fieri, facite: & quæ prohibet ne fiant, facere nolite. Ecce iſti qui hoc faciunt, liberè dicunt, Credo in Deum patrem omnipotentem. Sequitur, dicens: *Et in vnicum filium eius, dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Iſte quare vnicus? quia alter filius non eſt. Quare primogenitus? quia in ſeculo nemo ſic natus eſt. Iſtum vnicum Dei filium de ſubſtantia patris natum & genitum confitemur, & initium de patre habere dicimus. Patri coæqualis in deitate, Deus, & Deus: ſed tamen non duo dij, ſed vnus Deus. In poteſtate vna poteſtas, in eſſe vna eſſentia, in ſubſtantia vna virtus, vna maieſtas, hoc credite, ne hæreticorum colloquia mala corrumpant mores veſtros bonos. Dicunt enim patrem maiorem, filiũ minorem. Hoc anathematizat eccleſia catholica. Æquè dicunt Spiritum ſanctum creaturam. Etiam hæc abominatur talem doctrinã. *Ergo iſte natus eſt de Spiritu ſancto ex virgine Maria.* Iſte ſpiritus venit ad Mariã, ingreſſus in eam, Verbum caro factum eſt. Creuit aluus virginis, virgo erat, & prægnans creuit, & virginitatem non amiſit. Iſte ergo natus creuit, ad paſſionem peruenit, *Crucifixus eſt ſub Pontio Pilato.* Eia fratres in hac prædicatione nullus piger inueniatur. Quis eis rependat viciſſitudinem? Crucifixus eſt innocens pro nocentibus: non reus pro reis, non indigens indiguit lucra acquirere patri. Iſte Pontius Pilatus præſidatum gerebat, iuſſit eum crucifigi. Sepultus eſt poſtquam

mortuus, vt nobis vitã donaret. Moriendo mortem occidit, leo de tribu Iuda rugientem leonem ſuperauit: pro peccatoribus pati voluit, ne in peccatis mũdus totus moreretur: alapis cæſus, flagellatus, aceto & felle potatus: in iis omnibus oſtendens patientiã, non eſt iratus, ſed econtrario manſuetudinẽ Lucæ 23. demonſtrans clamauit patri, dicens: *Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Videtis quale exemplũ nobis patientiæ dimiſit. Et vos, fratres chariſſimi, qui ſuſpi- Pſal. 106 ratis ad gratiam peruenire, qui clamatis: *Anima noſtra velut terra ſine aqua tibi,* citò exaudi nos, imitamini 1. Pet. 2. caput veſtrum Chriſtum, *qui cum malediceretur, non maledicebat: cum iniuriam pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti ſe iniuſte.* Ergo iſte crucifixus, ſepultus, tertia die à mortuis reſurrexit. Ecce quanta potentia. Et in iſta potentia eius, mentiti ſunt ei ini- Matth. 28 mici eius, vt dicerent: *Nobis dormientibus venerunt diſcipuli, & furati ſunt eum.* Impletum eſt quod dictum Pſal. 65. B eſt: *In multitudine potentiæ tuæ, mentientur tibi inimici tui. Sedet ad dexteram patris.* Cum auditis, ſedet, nolite credere ſeſſionem humanam. Genus eſt locutionis. Sedere dicitur permanere. Nam dicimus, Ille ſedit tres annos in illa ciuitate, ideſt, manſit. Ergo manet ad dexterã patris. Æquè cum auditis, patris ad dexteram, nolite putare Deum corporeum eſſe, aut membris humanis compoſitum: ſed ſcitote quia Deus ita de ſe voluit dici, quod poſſimus intelligere, non quòd ipſe eſt. Nam ſi dexteram habet corpoream, habet & ſiniſtram: & ſi habet manum, eſt vbi non tangit: ſi oculos habet, eſt vbi non videt: ſi aures habet, in lõginquo non audit: ergo hoc nolite credere. Cum auditis, Sedet ad dexteram patris: Dextera eius, potentia eius. brachiũ eius, magnitudo eius. Nam Deus noſter ſpiritus eſt, vbique totus, totus in cœlo, totus in terra, totus in cordibus ſanctis, pudicis, ſimplicibus, ſobriis, immaculatis. *Ergo ſedet ad dexteram patris, inde venturus eſt iudicare viuos &* C *mortuos.* Hîc geminum intellectum parit. Viui agnoſcuntur, qui in corpore erũt in aduentu eius: mortui, qui ex hac luce migrauerunt. Æquè alio intellectu viuos agnoſcimus, ſanctos: mortuos, peccatores. *Credo in Spiritum ſanctum.* Iſte Spiritus vbique to- Act. 13. tus eſt, vbi vult ſpirat. Ipſe eſt qui dixit, *Separate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos.* Iſte eſt Spiritus procedens de patre & filio, qui diuidit propria dona ſingulis prout vult. Ergo iſte Spiritus cõſecrat, ſanctificat, benedicit, honorificat, gubernat, protegit, conſolatur, perducit ad ſanctã eccleſiam. Quia velut nauis eſt in mari poſita hæc eccleſia, portat epibatas, portat credentes in vna charitate, in vna modulatione, in vno remigio ſanctitatis, in funibus charitatis, in velo orationis, in arbore crucis, in pice pœnitẽtiæ, in ſtuppa caſtitatis, in tabulis pacis, in anchora fidei. Iſta ergo eccleſia in vna modulatione cantans peruenit ad portum æternitatis, ad ciuitatem pacis. Ipſa eſt quæ dimittit peccata, exonerat omnia pondera, eliquata corda perducit D ad palmam promiſſam ſuperna vocationis. Promittit carnis reſurrectionem, promittit vitam æternam: Quia *mortale hoc induet immortalitatem, & cor-* 1. Cor. 15 *ruptibile hoc induet incorruptionem.* Credite carnis reſurrectionem, Credite quia ſtaturi ante tribunal 2. Cor. 10 Chriſti, & *reddituri rationem, quæ per corpus geſſimus, ſiue bonum, ſiue malum.* Credite vitam æternam promiſſam pro iſta gratia data, vt gratuita gratia accepta perſeueret in vobis, vt cùm perſeuerauerit, quæ audiſtis & vidiſtis, & didiciſtis à nobis, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum. Amen.

In Symbolum Apoſtolorum expoſitio alia;
HOMILIA II.

SVPER fabricam totius eccleſiæ nihil aliud in fundamento ponunt ſapientes architecti, qui ſunt verbi prædicatores, niſi Ieſum Chriſtum, de quo fundamento credulitas ſurgit. Et quia fides to- A tum ſibi vendicat, de Deo vos habere cõuenit hanc fidem, Dei electi, qui nuper ad veram crudulitatem confeſſionis acceditis. Sed quia *corde creditur ad iuſtitiam,* ore verò confeſſio celebratur in ſalutem, fides primò nobis prædicanda eſt, ſecundò ſpes, tertiò charitas. Nam de ipſa credulitate fit initium confeſſionis. Quid enim dicturi eſtis? Audite & intelligite: quia cum audieritis & intellexeritis, lætitiam vobis acquiretis, dicente Propheta: *Auditui meo dabis* Pſal. 50. *exultationem & lætitiam.* Dicite ergo quod à nobis audiſtis, *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Videte vnde cœpiſtis: Credo, dixiſtis. Hæc credulitas confert vobis præſentis vitæ ſecuritatem, & futuræ vitæ æternitatẽ. Ergo ponite in fundamento cordis hanc credulitatem. Sed in quo? Videte in patre, quod dixiſtis in capite orationis, *Pater noſter, qui es in cœlis:* Matth. 6. hoc dicitis & in ſymboli confeſſione, Credo in B Deum patrem omnipotentem: totus in cœlo, totus in terra, totus in miraculis, totus in cordibus, totus in virtutibus. Omnipotens dicitur, quia poſſe, ipſius non poteſt inuenire, non poſſe, dicente Propheta: *Omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra.* Pſal. 134 Ipſa ergo omnipotentia, vt totum quod vult, poſſit. Nam ſi dicimus de non poſſe ipſius, nihil dicimus: quia tantæ pietatis eſt, vt negare ſe non poſſit, præſertim credentibus. Ecce quia de fide diximus Dei patris omnipotentis, dicamus & de ſpe, vt fides credat, ſpes accipiat, charitas iungat. Ergo creditis in vnicum filium eius dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Iſte vnicus, qui ſemper fuit apud patrem, æternitatem habet cum patre, minor non poteſt eſſe patre, ſed vnam habet cum patre poteſtatem. Iſte vnicus, quem confitemur genitum ſine initio de patre, qui ſemper fuit apud patrem, & prodidit illum verbo ſuo, qui fuit apud Deum, & ipſe erat Deus, hoc *fuit in principio apud Deum.* Non Ioan. 1. dicatis minorem eſſe filium de patre genitum, ſed C iſtum qui natus eſt de Spiritu ſancto, & Maria virgine. Non intelligatis patrem Chriſti ſecundum carnem Spiritum ſanctũ eſſe: quia non omnis qui filius alicuius dicitur, de eo generatus intelligitur. Nam dicimus filios adoptiuos regeneratos ex aqua & ſpiritu: nunquid filij ſunt aquæ? Dicimus filios regni, filios eccleſiæ, ſicut ait apoſtolus: *Per Euan-* 1. Cor. 4. *gelium ego vos genui*: nunquid filij ſumus Apoſtoli? Nam ſi velimus de rebus indignis loqui, iniuriam facimus tanto ſacramento. Dicimus filios gehennæ, qui ſunt filij iræ, apoſtolo dicente: *Fuiſtis ali-* Epheſ. 2. *quando filij iræ, ſicut & cæteri*: licet talia tantæ magnitudini comparanda non ſint. Ideo diximus iſta, quia dictum eſt: Natus de Spiritu ſancto. Itaque credendum eſt Spiritum ſanctum patris eſſe, & filij. Et quia Deus ſpiritus venit in Mariam, dicente angelo: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & vir-* Lucæ 1. *tus Altiſſimi obumbrabit tibi: propter hoc quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei.* Natus de Spiritu ſancto. Iſtum Spiritum ſanctum dicimus patri & filio eſſe D coæqualem, & procedentem de patre & filio. Hoc credite, ne colloquia mala corrumpant mores veſtros bonos. Sunt enim hæretici, *quorum ſermo velut* 1. Tim. 2. *cancer ſerpit*, qui filium minorem à patre æſtimant, Spiritum ſanctum inter creaturas eſſe ordinatum. Sed cũ hæc audieritis, à peruerſis nolite peruerti. Quod accepiſtis & didiciſtis à nobis, hoc tenete, hoc credite. Hæc crudelitas cõfirmata ſit in vobis, vt Deus pacis regnet vobiſcũ. Ergo credite in vnicum dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, natum de Spiritu ſancto ex Maria virgine. Sed dicturi vobis ſunt Gentiles, deprauantes fidem veſtram: Quomodo potuit virgo concipere, virgo parere, virgoque manere? contra naturam eſt hoc, dicturi vobis ſunt: & vos econtrario reſpondebitis eis: Credulitas noſtra quod verbis explicare non poteſt, fide tenet. Nec enim ei qui ex nihilo fecit mundũ, cunctam creaturam diſpoſuit, elementa conſtituit, mari terminum poſuit, impoſſibile illi erat introire

Digitized by Google

in viſcera hominis,& carnem fieri,& poſſidere pu- A
dica viſcera matris. Nam homines nati de maſculo,
& fœmina, ſi interrogentur quomodo coagulati
ſunt in ſecreto matris, quomodo oſſa durata ſunt,
omnis compago membrorum, artuſque omnes or-
dinati ſunt in harmonia corporis diſpoſita, quis ex-
inde rationẽ reddit? Si ergo de natiuitate, quæ ſem-
per in iſto fluuio ſeculi venit & tranſit, rationem
nõ reddis, de ſingulari natiuitate Chriſti rationem
reddes? Quid dicturi ſumus? ſi dicamus teſtimoniũ
fidei noſtræ, fortè non credunt Gentiles: ſed quod
illis non proficit ad ſalutem, nobis credentibus
Ioan. 20. proficiat. Quomodo introiuit Chriſtus ianuis clau-
ſis ad diſcipulos ſuos, ſuper mare ambulauit, impe-
rauit vento & tempeſtati; & facta eſt tranquillitas
magna? quia ergo iſta ſupra nos ſunt, & rationem
de talibus miraculis reddere non valemus, fide te-
nemus. Ergo hoc credite, Deũ in vnanimitate vnici B
filij ſui facere quod nos cogitatione inueſtigare nõ
poſſumus. Ergo natus de Spiritu ſancto, & de virgi-
ne Maria crucifixus eſt ſub Pontio Pilato. Quare
hoc paſſus eſt innocens pro nocentibus, liber pro
ſeruis? vt quia nos in tranſgreſſionem per Adam
primum hominem mortui eramus, in patibulo cru-
cifixi reſuſcitaremur. Fixus eſt cruci. Magnum ſa-
cramentum, magna altitudo crucis, magna latitu-
do, magna profunditas. Altitudo, vt ad patrem cla-
Lucæ 23 maret, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Lati-
Ioan. 15. tudo, quia *maiorem charitatem nemo habet, quàm vt ani-
mam ſuam ponat pro amicis ſuis.* Profundũ, vt eccleſia
ad Deum clamaret, De profundis clamaui ad te,
Domine exaudi vocem meam. Et exaudiretur pro
filiis vox eius. Iſte Pontius Pilatus præſidatum ge-
rebat apud Hieroſolymam ciuitatẽ: ibi & Herodes
erat, qui inimicitiam tenebat cum Pontio Pilato.
Sed illa pietas Chriſti fecit ex inimicis in morte
ſua duos amicos, ſcilicet Pontium Pilatum, & Hero- C
dem. Fecit etiam & nos amicos patri, tollens parie-
tem inimicitiarum, qui erat inter nos & Deum, vt
Ioan. 15. reconciliaret nos patri. Nam ipſe dixit: *Si feceritis
ea quæ mando vobis, iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Er-
go iſte crucifixus ſub Pontio Pilato, ſepultus eſt, vt
in morte ſua nos viuificaret. Ipſe mori voluit, ne
nos more remur. Ipſe ſe obtulit, ſeipſum pro nobis
Ephe. 5. *hoſtiam & oblationem in odorem ſuauitatis,* vt de captiuis
liberos faceret, de ſuperbis humiles, de inimicis a-
micos. Deſcendit ad infernum, vt & ibi à miraculo
non vacaret. Nam multa corpora ſanctorum reſur-
Ioan. 11. rexerunt cum Chriſto, quæ poſtea mortua ſunt, ſi-
Marc. 5. cut Lazarus, ſicut filia archiſynagogi, ſicut filius
Lucæ 7. viduæ. Quod fecit in iſtis tribus, hoc fecit per pro-
priam reſurrectionem in multis ſanctis. Nam mul-
ta corpora ſanctorum reſurrexerunt cum Chriſto,
1. Cor. 15 de quibus dixit Apoſtolus: *Ex quibus plures manent vſ-
que adhuc, quidam autem dormierunt.* Tertia die à mor- D
tuis reſurrexit: ne caro eius videret corruptionem.
Reſurrexit, iam non corruptibilis caro, non paſſi-
bilis; ſed talis caro reſurrexit, qualis hodie cum pa-
tre permanet in cœlo. Videte vbique ſacramen-
tum trinitatis. Ecce & in Spiritum ſanctum credi-
mus, qui Spiritus ſanctus procedens de patre & fi-
1. Cor. 13. lio charitate cõiungitur. *Manent* enim *fides, ſpes, chari-
tas.* Hæc fides in patre, vna virtus in filio. Iſte Spiri-
tus ipſe eſt, qui propria dona ſingulis tribuit prout
vult. Ecce videte alia tria. In carnis reſurrectione
fides, in vita æterna ſpes, in ſancta eccleſia charitas.
Ezech. 37 Credite carnis reſurrectionem. Nam in Ezechiele
Propheta oſſa arida legimus fuiſſe collecta, quæ
ſparſa fuerant, & accepta carne membra ſingula
ſe agnouerunt, acceperunt ſpiritũ, & reſurrexerũt.
Nullus vos ſeducat inanibus verbis, dicens: Qui à
feris comeſti ſunt, qui combuſti ſunt, qui in mari à
piſcibus deuorati ſunt: vnde reſurgunt, qui tumu-
lati non ſunt, qui ſepulturam non metuerunt? Ne
mireris ad potentiam Dei: quia non eſt impoſſibile
ei reſtituere quod erat, qui fecit id quod non erat.

Credite ergo vitam æternam, vbi mors non nomi-
natur, corruptio, varietas, miſeria, & tentatio non
accidit. Erunt homines in reſurrectione in vita æ-
terna, ſicut angeli in cœlo, per ſanctam eccleſiam
peruenientes, quæ mittit perfectos, quæ dimittit
peccata, quæ candidatos in martyrio acquiſiuit,
quæ caſtos & pudicos perfecit, quæ neſcientes
ad perfectam ſcientiam perduxit. Nam vox eius
eſt, *Imperfectum meum viderunt oculi tui*: ſed quoniam Pſal. 138.
ipſos perfectos fecit; *in libro tuo omnes ſcribentur.*
Quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus cre-
dentes, vt Deus pacis ſit nobiſcum. Amen.

AD NEOPHYTOS,

HOMILIA.

BENEDICTVS Deus. Ecce ſtellæ etiam de
terra micuerunt, ſtellis cœleſtibus clariores
lucentes, in terra ſtellæ propter eum qui in terra
de cœlis apparuit. Nec ſufficit ſtellas in terra mon-
ſtrari, ſed & die ſuo lucente fulgeſcunt: & hoc
plus admirationis affertur, quòd fulgore ſtellarum
noctium miniſtrarum, à præſentibus lumina cla-
riora redduntur. Illæ nanque Solis aduentu ſuo
perfunguntur officio: hæ luce, Sole iuſtitiæ pro-
perante, maiore luceſcunt, & illæ ſeculorum con-
fuſione depereunt, hæ temporum fine ſeſe clario-
res oſtendunt. De illis etenim dictum eſt, quòd
ſtellæ de cœlo cadent, ſicut cadunt folia de vite:
de his autem, *Fulgebunt*, inquit, *iuſti ſicut ſtellæ cæli.* Matth. 13.
Quid ſibi vult quod dixit: Sicut cadunt folia de
vite, ſic ſtellæ de cœlo cadent? Sicut enim vites ſimile.
cum vuarum fructibus prægrauantur, foliorum
auxilium neceſſarium vt protegantur expoſcunt:
cum autem depoſuerint fructum, neceſſe eſt vt fo-
liis denudentur: ſic ſe habet hoc ſeculũ: quamdiu
habuerit in ſe humanum genus, tenebit & cœlum
ſtellas, ſicut & vitis folia. Nam nocte pereunte, ſine
dubio ſtellarum vtilitas ſimul cum nocte deficiet.
Illarum ignea natura ſtellarum eſt, & iſtæ edocen-
tur igneam ſortiri naturam. Sed ibi quidem ignis,
quem humanus ſenſus inuenit: hic autem, quem
ſecreta mentis oſtendunt. *Ipſe* namque *vos*, ait, *bapti-* Matth. 3.
zabit Spiritu ſancto & igni. Vultis & vtriuſque nomina
partis audire? Illis quidem ſtellis nomina hæc ſunt,
Orion, Mazaroth, Arcturus, Veſperus, Lucifer. In
his veſperus nullus, ſed Luciferi vniuerſi. Benedi-
ctus Deus, iterũ dicamus: qui facit mirabilia ſolus,
qui facit vniuerſa & cõuertit vniuerſa. Ecce liber-
tatis ſerenitate perfruuntur, qui tenebantur paulo
antè captiui. Et ciues eccleſiæ ſunt, qui fuerunt in
peregrinationis errore: & iuſtitiæ in ſorte verſan-
tur, qui fuerunt in confuſione peccati. Non enim
ſunt tantũ liberi, ſed & ſancti: non tantum ſancti:
ſed & iuſti: nec ſolùm iuſti, ſed & filij: nec ſolùm fi-
lij, ſed hæredes: nec ſolùm hæredes, ſed & fratres
Chriſti: nec tantùm fratres Chriſti, ſed cohæredes:
non ſolùm cohæredes, ſed & membra: nõ membra
tantùm, ſed & templum: nec tantùm templum, ſed
organa Spiritus. Benedictus Deus, qui facit mirabi-
lia ſolus. Vides quot ſunt baptiſmatis largitates?
Sed multis quidem videtur cœleſtem gratiam in
peccatorum tantũ remiſſione cõſiſtere: nos autem Infantiũ
honores cõputauimus decem. Hac de cauſa etiam baptiſ-
infantulos baptizamus, non vt ſint coinquinati mus.
peccato, vt eis addatur ſanctitas, iuſtitia, adoptio,
hæreditas, fraternitas Chriſti, vt eius membra ſint
omnes, vt ſpiritus habitatio fiant. Sed vos, dilectiſſi-
mi fratres (ſi tamen mihi conceditur fraterno ve-
ſtro nomine gloriari) & me quidem ſimilis beati-
tudo conceperat, ſimilis ornauit gratia: ſed poſte-
riore negligentia firmum nexũ cognationis amiſi:
ſed date vos mihi fraterno vocabulo nuncupari,

Digitized by Google

propter nimiam ſcilicet charitatem: & vos rogari permittite, vt tantæ gloriæ honorem animoſitas cōſequatur. Et tantò magis vos dignos gratia properetis oſtendere: quantò vos inſpicitis in culmine poſitos gloriarum: etenim tranſactum tempus palæſtra fuit, atque concio, & lapſus facilè veniā merebatur: ab hodierna verò die campus patet virtututū exercitationibus dedicatus. Agon inſtat, theatrum præparatur, & ad ſpectaculum conuenit non tantum hominum genus, ſed & cœleſtis etiam cœ- 1. Cor. 4.
tus angelorum. *Spectaculum* enim, inquit, *facti ſumus mundo*, non *hominibus* tantum, ſed etiam *angelis*. Angeli ſpectant, angelorū dominus præſidet coronæ certaminis: hoc non tantum honor, ſed & magna cautela, quando is qui prò nobis animam ſuam poſuit, ipſe ſit probamentū iudiciumque certaminis. Olympiaco namque certamine, & friuolo perditoque ſpectaculo, impoſitor coronarum in ipſo contentionis examine præeſſe conſueuit, & in medio certantium loco conſiſtens, nulli parti fauorabili nutu ſubuenire procurat, ſed ipſius certaminis expectat incertum, & vt mente, ſic & loco medio cōtinetur: inter noſtrum autem & diaboli certamen Chriſtus non media lance cōſiſtit, ſed totus noſter fautor expectat. Et vt ſcias noſtrarum partium ſpectatorem, peruide quomodo nos tanquam ſuos vn-
Lucæ 10. xit oleo lætitiæ, illum vt impenderetur nobis inſtrinxit, vt cum illum peruiderit cecidiſſe; Calcate, inquit, ſuper ipſum. Nos autem & ſi cecidiſſe per-
Pſal. 40. uiderit, auxilio ſuæ releuat maieſtatis, & dicit: *Nunquid qui decidit, non adiiciet vt reſurgat?* Et dormientes
Eſaiæ 51. excitat: *Exurge*, inquit, *qui dormis*. Vis amplius admirationis inſpicere? Nobis Deus cœlum poſt victoriam præparauit, illi poſt victoriam præparauit gehennam, minatur & pœnam. Ego ſi vicero, coronabor: ille ſi vicerit, punietur. Et vt ſcias maiora ei cū ſuperauerit præparari tormēta, vicit Adam, & ſupplantauit. Quid igitur meretur victoriæ ſuæ? *Supra*
Gen. 3. *pectus*, inquit, *& ventrem ambulabis, & terram manducabis omnibus diebus vitæ tuæ*. Si igitur ſenſibilem ita puniuit damnauitque ſerpentem, qua pœna inuiſibilis punietur, ſi tantis miniſter eius tormētis cruciatibuſque ſuccubuit? Incunctanter authorem maiores ſtimuli atque aculei conſequentur. Etenim ſi piiſſimus pater ſui filij reperire valuerit occiſorem: non ſolummodo dolorem ſuum, iramque conuertit in eum, ſed etiam ipſum gladium, quo filius perierat, particulatim cōminuit: ita & Chriſtus noſter cum à diabolo hominem interemptum eſſe peruiderit: non ſolum eum tormentis afficit, ſed etiā eius gladium obtundit, & ad nihilum redigit. Confidenter igitur nos reparemus ad pugnam: etenim nobis arma ſuppeditant vltra ſplendorem totius auri fulgentia, & fortia, adamantis robore firmiora, totius ignis ardorem vincentia, cunctarū pondere leuiora pennarum. Nec enim quiſquam hæc arma portando quaſſatur, ſed ſubleuāt membra, & in excelſa perducunt: & in cœlum, ſi cupieris, cùm his ſine dubio perfereris, penitus impedimento ceſſante. Rudis nanque natura horū armorum videtur, quia noualis nouus quotidie exercitatur, homo factus cum demonibus litigare cōpellor. Natus in corpore, incorporales inimicos agnoſcò. Hac de cauſa mihi thoracem diuinitus, non ære confectum, non arte cōpoſitum, ſed iuſtitiæ ſimplicitate præparauit, fidei clypeo roborauit. Armat me gladius meus, verbum teneo Spiritus ſanctitatis. Ille ſuis ſagittis armatus eſt, ego meum gladium teneo. Ille ſagittarum iaculatione cōfidit, mihi arma diuerſa non deſunt. Et vt eius formido mōſtretur, cominus litigare non audet. Iaculorum longitudinē ſemper affectat, vt mittat ſi peruiderit negligentem. Et aliam mihi Deus vltra tutelam donauit armorū. Quid illud? menſam præparauit, cibum ſatietatis oſtendit, vt poſt epularum refectionem inimicū poſſim robuſtius ſuperare. Cum enim te egredientem poſt

A conuiuium dominicum viderit inimicus, poſt cœleſtes epulas tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deſerit omni vento velocior, nec approximare cōtendit: & cum cruentam linguā tuam de longè ille crudelis proſpexerit, mihi crede, non ſtabit: & cum os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuū retrò cum timore torquebit. Vis huius ſanguinis audire virtutem? Redeamus ad eius exemplum, & priorem typum recordemur, & priſtinam ſcripturam narremus: In Ægypto nocte media Ægyptiis Exod. 11.
Deus plagam decimam minabatur, vt eorum primogenita deperirent, qui primogenitum eius populum detinebant. Sed ne amata plebs Iudæorum vnà cum illis periclitaretur, quia vnus locus cōtinebat vniuerſos, remediū diſcretionis inuentū eſt. Proinde exemplum mirabile; vt diſcas in veritate virtutem, ira diuinæ indignationis ſperabatur, & mortifer domus ſingulas circumibat. Quid igitur Exod. 12.
B Moſes? Occidite, inquit, agnum anniculū, & ſan- Leuit. 1.
guine eius linite ianuas. Quid ais Moſes? Sanguis ouis rationabilē hominem liberare cōſueuit? Valde, inquit: non eo quòd ſanguis eſt, ſed quia dominici ſanguinis per eum demonſtratur exemplum. Nam ſicut regnantium ſtatuæ, quæ ſine cauſa ſunt atque ſermone, nonnunquam ad ſe cōfugientibus hominibus anima atque rationibus decoratis ſubuenire conſueuerunt; nō quia ſunt ære confectæ, ſed quia retinent imaginem principalem: ita & ſanguis ille qui rationalis fuit, animos habentes homines liberauit, non quia ſanguis fuit, ſed quia huius ſanguinis oſtendebat aduentum. Et tunc angelus ille vaſtator, cùm linitos poſtes atq; aditus peruideret, tranſiecit greſſus, & nō eſt auſus intrare. Nunc ergo ſi viderit inimicus non poſtibus impoſitum ſanguinem typi, ſed fidelium ore lucentē ſanguinem veritatis, Chriſti templi poſtibus dedicatum, multò magis ſe ſubtrahit. Si enim angelus ceſſit exemplo,
C quātò magis terrebitur inimicus, ſi ipſam inſpexerit veritatem? Vis & aliam huius ſanguinis ſcrutari virtutem? Volo, vnde primum currit incipias, & de quo fonte manauit. De ipſa primum cruce proceſſit, latus illud dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Ieſu, & adhuc in cruce pendente approximauit miles, latus lancea percuſſit, & exinde aqua fluxit, & ſanguis. Vnū baptiſmatis ſymbolum, aliud Ioan. 19. Ex latere Chriſti fluxerunt Euchariſtia & baptiſmus, & formata eſt Eccleſia.
ſacramenti: ideo non ait, exiit ſanguis & aqua, ſed exiit aqua primū, & ſanguis: quia prius baptiſmate diluimur, & poſtea myſterio dedicamur. Latus miles aperuit, & templi ſancti parietē patefecit. Et ego theſaurum præclarum inueni, & fulgentes diuitias me gratulor reperire. Sic & de illo agno factum eſt. Iudæi ouem occiderunt, & ego fructū de ſacramento cognoui. De latere ſanguis & aqua. Nolo tam facile auditor tranſeas tanti ſecreta myſterij. Reſtat enim mihi myſtica atque ſecretalis oratio. Dixi baptiſmatis ſymbolum & myſteriorum aquam illam & ſanguinem demonſtrari. Ex his enim ſancta fun-
D data eſt eccleſia per lauacri regenerationem, & renouationem Spiritus ſancti: per baptiſma, inquam, & myſteria quæ ex latere videntur eſſe prolata. Ex latere igitur ſuo Chriſtus ædificauit eccleſiam, ſicut de latere Adam eius coniunx Heua prolata eſt. Nam hac de cauſa Paulus quoque teſtatur, Epheſ. 5.
dicens: *De corpore eius, & de oſſibus eius ſumus*: latus videlicet illud ſignificans. Nam ſicut de illo latere Deus fecit fœminam procreari: ſic & de ſuo latere Chriſtus aquam nobis & ſanguinem dedit, vnde repararetur eccleſia: & ſicut in ſopore quieſcentis Adæ Deus lateris membra patefecit: ſic modò poſt mortem aquam nobis donauit & ſanguinem. Et ſopor ille nunc mors eſt, vt diſcas mortem nulla ſoporis ſeparatione diſcerni. Videte quemadmodum ſponſam ſibi Chriſtus coniunxit, videte quo nos cibo ſatietatis enutrit. Ipſe nobis cibi ſubſtantia eſt, atque nutrimentum. Nam ſicut mulier affectionis natura cogente, genitum alere ſui

lactis

lactis fœcunditate feſtinat: ſic & Chriſtus, quos ipſe regenerat, ſuo ſanguine ſemper enutrit. Igitur quoniam nos tantis bonis agnouimus eſſe perfunctos, vitam congruam peragamus, & ſymbola illa atque pactiones quibus ſumus conſtricti, cordibus noſtris inhæreant. Vobis proclamo, cautiones vel chirographa peccatorum noſtrorum ſcinduntur: quia nunc eſtis recenti lumine illuſtrati. Sed & vos hac admonitione conſtringo, quos olim quoque ſimilis beatitudo ſuſcepit. Communis etenim hæc ratio nobis eſt, idem ſermo, communis obligatio: quoniam æquè & fœdera nobis cum illis communia: non atramento, ſed Spiritus recordatione conſcripta: non calamo, ſed linguæ puritate firmata. hoc enim calamo cum Deo pactiones conſcribi conſueuerunt. Et ideo Dauid ait: *Lingua mea calamus ſcriba velociter ſcribentis.* Pſal. 44. Confeſſi ſumus huius imperium, diabolicam negauimus tyrannidem. Hoc chirographum, hoc pactum, hoc ſymbolum docetur eſſe conſcriptum: videte ne chirographario inueniamur iterum debitores. Venit Chriſtus, & paternis nos cautionibus inuenit aſtrictos, quas conſcripſit Adam. Ille initium obligationis oſtendit, peccatis noſtris fœnus accreuit: ibi maledictio fuit, & peccatum, & mors, legiſque condemnatio; & hæc omnia Chriſtus deleuit atque conceſſit, & clamat Paulus dicens: Coloſſ. 2. *Chirographum peccatorum noſtrorum quod erat aduerſarium, & ipſum tulit de medio, affigens cruci*: non dixit, delens, non cataractans: ſed cruci affigens, vt prorſus eius nec veſtigia remanerent: ideo non deleuit, ſed conſcidit. Crucis enim claui diſſipauerunt illud, vt in eo nulla de poſtero remaneret vtilitas. Et hoc non in angulo, nec ſecretim, ſed in mundo medio, omnium videntibus oculis, in excelſo ligno nexum eius euacuat. Inſpiciant quidẽ angeli, conſiderent archangeli, & cum omni admiratione cœleſtes peruideant poteſtates. Nec aduerſarios hoc lateat, nec dæmones, nec ipſum diabolum, qui nos debitis obnoxios effecerunt. Scindantur ſub fœneratoribus cautiones, ne nobis in poſterum moleſtiæ præparentur. Quoniam igitur prius chirographum omnibus viribus caret, inuigilemus ne nos alia obligatio, alterque nexus aſtringat. Crux enim ſecunda nõ eſt, nec altera remiſſio peccatorum: per lauacri regenerationem eſt namque remiſſio, ſed non conceditur per lauacrũ. Et ideo inuigilemus, & arripiamus ſollicitudinem. Propter hoc enim de Ægypti finibus emigraſtis. Ne illius terræ iterum ſeruitia cogitemus, ne veluti lateris commemoratio habeatur: later etenim eſt iſtius vitæ dementia. Nam & ipſa ſpecies auri fulgentis nondũ arte compoſita, nihil aliud niſi terra monſtratur. Vidiſti mirabilia longè maiora, quàm Iudæi in illo tempore Ægyptum relinquentes: non vidiſti armatũ Pharaonem ſuffocatum, ſed vidiſti diabolum mole ſuppreſſum. Illi fluctus & pelagus tranſierunt, tu mortem tranſiſti: illi Ægyptiorum ſeparatione alienati ſunt, tu dæmonum liberatione gratularis: illi iugũ amiſerunt barbaricæ ſeruitutis, tu quod durius eſt, à peccatorum ſeruitute liberatus es. Vis aliunde quoque cognoſcere, vnde honor tibi eſt amplior attributus? Exod. 34 Iudæis tunc Moſi vultum glorificatum non fuit videre conceſſum, Adæ conſerui, & Adæ ſanguinis neceſſitate coniuncti: tu autem Chriſti vultum in ſua gloria peruidiſti. Et clamat Paulus dicens: 2. Cor. 3. *Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculamur.* Illi tunc habuerunt Chriſtum ſubſequentem: ſed nos hodie plus meremur habere protegentem. Et illos quidem propter Moſi gratiam Chriſtus dominus ſequebatur: nobis autem hoc non tantum nouelli Moſi cauſa cõceditur, ſed etiam propter obedientiam veſtram. Illis poſt Ægyptum cuncta deſerta ſerpentibus plena: ſed nobis cœlum poſt Ægyptum præparatur, diuerſis mãſionibus plenum. Illi habebant ducem Moſem, nos dominum ſaluato-

A rem. Hoc de iſto Moſe ſi quis dixerit, mihi crede non errat. Nam & huius labia ſpiritus lenitatis amplexus eſt, huius animæ ſpiritus manſuetudinem tenet. Moſes tunc manus ad cœlũ leuauit, & manna panem protulit angelorũ: iſte Moſes dexteram tetendit ad cœlum, & protulit panem cœleſtem. Ille percuſſit petram, & fontes aquarum protulit: iſte proximans menſæ petram percuſſit ſpiritualem, & fontes ſpirituales oſtendit. Ideo namque menſa, vt fons in loco medio collocetur, vt vndiq; circumſtantia ſatientur armenta: & ſalutaris ille meatus abundanti largitate decurrens, nullum ſitis rabie deperire permittat. Quoniam igitur talis nobis hic fons eſt, taliſque vita noſtra conceditur, & omnibus bonis menſa cõpletur, vt vndique nobis affluat largitio ſpiritualis: accedamus cum corde veritate ſuffulto, cum pura conſcientia, vt acci-
B piamus gratiam & miſericordiam, & auxilium opportuno tempore, gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem, & cum quo gloria patri, cum Spiritu ſancto, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

AD BAPTIZANDOS,

HOMILIA.

Quòd ſacramentorũ traditio catechumenis aſtantibus recitari non debet. Et cur Lauacrum iterum regenerationis, & non remiſſionis dicitur peccatorum. Et quia non ſolùm peierare non conuenit, ſed & bene iurare periculoſum eſt.

O QVAM dulcis iſta fratrum caterua conuenit! O quàm ſuauis dilectiſſimorum cœtus inſpicitur! Fratres enim vos & ante dolores partus nomino: & ante cognationis affectionem, vocabu-
C lo charitatis appello. Noui etenim, optimeque non neſcio, quantum vos paulò pòſt beatitudinis culmen excipiet, & quantam tenebitis poteſtatem. Quemadmodum autem eos precibus multi ambiunt ſupplices, quos ſpes eſt ad dignitatum faſtigia eleuandos, & futuri potentatus gratia, adulationibus eis ſeſe commendare feſtinant: & ante poteſtatis tempus ſe ſociant, vt futura mereãtur: hoc & ego facio, hoc mihi præparo, hoc diligenter excogito. Non enim ad ſimplicem gloriam eleuari ſperatis, ſed ad ipſam imperij poteſtatẽ: imò nec ſimpliciter ad ipſum imperiũ, ſed cœleſte. Et ideo vos peto, ideo omni deprecatione vos poſco: vt quãdo ad illud regnum veneritis, mei memores eſſe velitis. Et ſicut Ioſeph pincernarum principi dicebat: Memento mei, cum benefactum tibi fuerit. Hoc & ego nunc peto. Hoc dico, Mementote mei, quando vobis benefactum fuerit: nec vicem, ſicut ille,
D ſomnij interpretationis expoſco. Non enim ſum ſomniorum interpres, ſed cœleſtium ſecretorum, qualia *nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt*: 1. Cor. 2. talia ſunt, *quæ præparauit Deus diligentibus ſe.* Et Ioſeph quidem ad Archiœnum dicebat: Adhuc triduum, & reſtituet te Pharao ad Archiœniã: Gen. 40. ego autem non dico, poſt triduum ad officium tyrannici miniſterij venietis: ſed poſt triginta dies nõ vos Pharao, ſed cœlorum dominus ad priſtinam patriam reuocabit, & Hieruſalem cœleſti reſtituet. Et ille dicebat, quia à te calicem manus tyranni ſuſcipiet: ego autem dico, quòd ipſe imperator, ipſe dominus, tuis manibus terribilem calicem miniſtrabit, qui honore vtranque ſuperat creaturam, & omni virtute decoratur. Norunt iſtius calicis virtutem, qui ſunt diuinis conſecrati myſteriis: ſed & vos paulò poſt poteritis addiſcere. Mementote igitur mei, quando vos illud ſuſcipiet regnũ, quando regale vos proteget indumentum, quando purpura dominico ſanguine tincta decorabimini; quando coronam Solis radiis ſplendidiorem ſentieti in capite. Talia enim illius ſponſi dona eſſe conſue-

Digitized by Google

uerunt, quæ noſtrum quidem meritum vincunt: A
ſed dantis ſunt congrua pietati. Et ideo vos ante in-
greſſum ſancti thalami beatos appello. Nec ſolùm
beatos nomino, ſed & benignitatis laudo, quòd nō
ſicut nonnulli, ad baptiſmi perceptionem finem
vitæ expectare voluiſtis: ſed temporis formidantes
incertum, tanquam boni ſerui domini præcepta
ſeruaſtis: eiſdem animæ colla cum omni benigni-
tate ſupponitis, & iugū Chriſti cum omni ſuauitate
ſuſcipitis, & ſarcinam leuem ſentitis. Nam licet ſi-
milem etiam illi conſecrationem mereantur: ſed
non illis ſimilis eſt voluntas: nec rerū ſimilis præ-
paratio. Nam illi iacentes in lectulo percipiunt:
vos autem in eccleſiæ ſinibus, quæ mater omnium
eſt, meremini, conſecrari. Et illi flentes, vos læti &
exultantes: illi vlulantes, vos autem Deum glorifi-
cantes: illi valetudinis omnino calentes ardore,
vos ſpirituali ſuauitate completi. Hîc omnia cōue-
niunt gratiæ, ibi nihil conuenit gratiæ. Nam ibi B
fletus, ibi lamentatio, & in ipſa ſacrorū traditione
circumſtantium lacrymæ, fletuſque cunctorum.
Aſtant vlulantes filij, coniunx brachiis laceratis
ingemiſcit, amici triſtantur, lugent ſeruuli, & ipſa
domus triſtitia quadā imitatur infernū. Et ſi ipſius
cor iacentis inſpicias, aſtantibus eum reperies tri-
ſtiorem. Nam ſicut pelagus diuerſis flatibus agita-
tum, in multas diuiditur partes: ita & languentes
diuerſis cogitationibns occupati, multis ſollicitu-
dinibus prægrauantur. Quandò enim infantes vi-
derit filios, eorum imbecillitate ſtimulatur annorū:
quando matronam paulò pòſt relicturus inſpexe-
rit, viduitatis cogitatione conteritur: quando fami-
liam cogitauerit, eius ſeparatione laceratur: quan-
do ſeipſum inſpexerit moriturū, omnibus nebulis
ſollicitudinū circundatur. Talis illius animus eſt,
& in illa turbela domos ſacerdos ingreditur, ipſo
languore circumſtantibus execrabilior. Nam me-
dici voce, qui iacentem deſperatū nūntiat, putatur C
illo tempore deſperatior ſacerdotis ingreſſus: &
mortis ęſtimatur indicium, quod æternæ vitæ mate-
ria eſt. Sed nondum molem calamitatis ędixi: non-
dum malorum cacumina demonſtraui. Nam non-
nunquā cum neceſſaria præparantur, anima ſepa-
ratur, anima diuellitur è corpore. Sæpius adhuc in
corpore conſtituta nihil magnū commoditatis ag-
noſcit. Nam quando neſcit aſtantes, quādo vocem
prolatam non audit, quando illa verba, quæ ſpon-
ſionem communi omniū domino facere conſue-
runt, proferre non poteſt, ſed tanquam lignum aut
lapis immobilis actiuetur, quid vtilitatis ſacrorum
traditione præſtatur? Etenim in tanti perceptione
myſterij, vigilare vos conuenit, & totius ſollicitu-
dinis vincula laxare, & mundam domum tanquam
ipſi regi aduenienti præparare. Talis mentis veſtræ
perceptio ſit, talis animoſitas inuitetur. Et dignam
quidem vicem de cœleſti ſperate ſubſidio, qui re-
pendere cōſueuit eis, qui eius audire præcepta fe-
ſtinant. Sed & quia conſeruum condecet, quæ ſua D
ſunt conferre conſeruis, & noſtra vobis confera-
mus: imò non noſtra, quia & ipſa dominica ſunt.
1. Cor. 4. *Quid* enim, inquit, *habes quod non accepiſti? Sed & ſi acce-
piſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Et vellem hoc qui-
dem primum meo declarare ſermone, cur maiores
noſtri totius anni diebus præteritis hoc in tēpore
eccleſiæ filios conſecrare voluerunt: & cur poſt
noſtrū magiſterium imbuti, pedibus nudis, vno tā-
tùm veſtimento concеſſo, ad voces exorcizantium
accedunt. Non enim temere, nec ſine ratione &
hunc habitū, & hoc tempus illi conſtituerunt. Sed
hoc vtrunque habet myſticā & ſecretam rationē.
Sed, vt dixi, vellem vobis hoc antè monſtrare. Sed
quia neceſſario ſermone prouocamur, neceſſariū
eſt hæc interim præterire. Nam primò neceſſa-
rium eſt dicere, quid ſit baptiſmus, & cuius cau-
ſa hic ad noſtram vitam præuenit, & quanta no-
bis bona præparat. Sed ſi vultis, de ipſius myſticæ

A purificationis vocabulo dicamus. Non enim ei
vnum vocabulum eſt, ſed multis & diuerſis nomi-
nibus nuncupatur. Nam hæc expurgatio lauacrum Tit. 3.
iterum regenerationis dicitur: *Saluauit* enim, ait A-
poſtolus, *nos per lauacrum regenerationis & renouationis
Spiritus ſancti.* Dicitur & illuminatio: & ita illud
Paulus Apoſtolus nuncupauit. *Recommemorate* nam- Heb. 6.
que ait, *priores dies, quibus illuminati multam colluctatio-
nem ſuſtinuiſtis paſſionum.* Et iterum: *Impoſſibile eſt eos qui* Ibid. 6.
*ſæpe illuminati ſunt, & guſtauerunt donum cœleſte & parti-
cipes facti ſunt Spiritus ſancti, & lapſi ſunt, iterum renouari
ad pœnitentiam.* Vocatur & baptiſma: *Quotquot enim in* Galat. 3.
Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Vocatur & ſe- Coloſſ. 2.
pultura: *Conſepulti* enim, ait idem, *ſumus per baptiſmum
in mortem.* Vocatur circuncіſio: *In quo,* inquit, *& cir-* Ibidem.
*cunciſi eſtis circuncіſione, non manu facta in expoliationem
corporis peccatorum carnis.* Vocatur crux: *Vetus* etenim, Rom. 6.
inquit, *homo crucifixus eſt, vt conuertatur corpus peccato.*
B Eſt & alia vocabula multa proferre, ſed ne omne
tempus diuinæ gratię nuncupationibus erogemus,
ad prius dictum nomen redeamus & huius ſignifi-
catione monſtratum ſermonem finiamus. Sed in-
terim paulò ſuperius dicta tractemus. Eſt omnium
hominum lauacrum commune, quod ſordes cor-
poris lauare conſueuit. Eſt & lauacrū Iudaico illo
quidem lauacro melius, ſed quod cœleſti gratia
ſuperatur. Nam & ipſum ſordes corporales exter-
git, ſed non ſimpliciter corporales, ſed & imbe-
cillem conſcientiam tangit. Nam multæ res ſunt, Differentia baptiſmi noſtri à luſtrationibus Iudaicis.
quæ natura quidem ipſæ non ſunt immundæ, ſed
imbecillitate conſcientiæ efficiuntur immundæ.
Nam veluti perſonæ tragicæ arte quidem feras re-
præſentant, quum nullum ſuapte natura incutiant
terrorem: infantulis tamen formidabiles conſpi-
ciuntur eſſe, idque imbecillitate naturæ contuen-
tium, ad eum modum, quæ iam diximus, puta ſi iam
emortuum corpus contingatur, id ſuapte conditio-
C ne immundum non eſt: verum ſi puſillanimo oc-
currit, iam eum reddit immūdum, qui tetigit. Nam
quia non ipſa rei natura eſt immunda, ipſe Moſes,
qui iſta conſtituit, demonſtrauit: qui Ioſeph mor-
tuum ſecum portabat, & mundus nihilominus per-
manebat. Ideo & Paulus de iſta nō immunditia quæ
non ſui natura, ſed ex puſillanimi conſcientia ve-
nit, demonſtrans, dicit: *Nihil commune per ſe, niſi qui* Rom. 14.
cogitat commune. Vides immunditiam non ex ipſa rei
natura, ſed ex conſcientiæ imbecillitate proferri.
Et iterum: omnia quidem munda: ſed malum illi
homini, qui cum offenſione mãducat. Audis & hîc
quod non edere, ſed cum offenſa edere, cauſa im-
munditiæ eſt? Nunc igitur ſordes corporis Iudai-
cum lauacrum emundabat. Diuinæ autem gratiæ
lauacrum non corporis, ſed animæ maculam, ſor-
deſque mundare cōſueuit. Non enim eos qui mor-
tua corpora tetigerunt, ſed eos qui operibus mor-
tuis prægrauantur, efficit mundos. Etſi mollis, etſi
fornicator, etſi dolis ſeruiens, etſi quid aliud huiuſ-
D modi gerens quiſpiã reperiatur, etſi omni humana
deteſtabilitate fuerit prægrauatus, etſi totius mali-
tiæ nodis aſtrictus, cum ad illam natatoriam venit,
cum illius fontis diuinos ſenſerit riuos, Solis radiis
mundior eleuatur. Et ne putes ambitionis gratia
hæc verba proferri, audi Paulum de huius lauacri
virtute dicentem: *Nolite errare, nec hi qui idolis ſerui-* 1. Cor. 6.
*unt, nec fornicatores, nec adulteri, nec molles, nec maſcu-
lorum concubitores, nec ebrij, nec auari, nec fures, nec ſuſur-
ratores, nec rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Sed inquis,
Quid hoc ad tractatum propoſitū? Nam hoc quæ-
ritur, ſi omnia lauacri mundantur virtute. Et ideo
accipe quæ ſequuntur. *Et hæc,* inquit, *quidem eratis, ſed* Ibid.
*lauati eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine
Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu domini Dei noſtri.*
Nos quidē pollicemur vobis oſtendere totius ma-
litiæ vinculis abſolui, & omni immunditia liberari
eos, qui hoc lauacrum promerentur: verùm ratio
longè maiora declarat. Non enim mundos tantùm,

A ſed & ſanctos, & iuſtos effectos oſtendit. Non enim dixit lauati eſtis tantùm: ſed & ſanctificati, & iuſtificati. Quid hac re mirabilius, quid inopinatius demonſtratur: quando ſine certamine, quãdo labore ceſſante, quando minimè ſudore decurſo, iuſtitia procreari cõſpicitur? Talis enim diuinæ gratiæ miſericordia eſt, vt iuſtos faciat ſudore ceſſante. Nam ſi Imperatoris præceptio paucis conſcripta literis multorum criminum reos liberare conſueuit, aliis quoque præſtare culmina dignitatũ: multò magis Dei Spiritus ſanctus & cunctà potens, omni vos malitia liberabit, & multã iuſtitiam largietur? Et ſicut ſcintilla ignis exigua in profundi maris pelagus cadens, aquarum copia nõ paulatim, ſed ſtatim extinguitur, & illico nihilum eſſe demonſtratur: ita & omnis humana malitia, quando ad natatoriam cœleſtium fontium valuerit peruenire, illius ſcintillæ facilius extinguitur ardore. Et ob quã cauſam, inquis, hoc quod nobis peccata concedit, non lauacrum remiſſionis peccatorũ dicitur, nec lauacrum purificationis, ſed lauacrum regenerationis? Quia non nobis ſimpliciter peccata concedit, nec ſimpliciter nos purificat malis actibus implicatos, ſed tanquã è cœlo generatos efficit. Nam de cœlo nos condit, & inde conficit: non de terra componens iterum, ſed alio nos elemento, id eſt, per aquarum naturã progenerat. Non enim vas ſimpliciter purgat, ſed integrum nouat iterum. Simile. Nam cum vaſa purgantur, & ſi diligentia multa terguntur, quædam veſtigium nihilominus retinent vetuſtatis, & priſtinam maculam non amittunt. Illa autem quæ conflatorio cõmittuntur, cum flamma fuerint renouata, omnem maculã præteritæ fœditatis amittunt, & nunc primũ confectis non diſſimilia proferuntur æquali fulgore micantia. Vt igitur ſtatuam auri metallo confectam aliquanti temporis metis fumo, & puluere, & æruginis ſordibus coinquinatam, cùm artificis manus acceperint, renouãt fornacis ardore, & ſplendidam nobis lucidamque demonſtrant: ita & noſtram naturam Deus æruginatã mole peccati, & malorum geſtorum fumo violatam, & omni pulchritudine, quam primò ei donauerat, denudatam, in illos aquarum fontes, tanquàm in purgatorium mittit: & pro flamma, ſpiritus gratiam ſubminiſtrat, & exinde rudes effectos etiam ſolis radiis eleuat clarius lucentes, veterem hominem conterens, nouum autem oſtendens longè meliorem: & iſtam nobis quaſſationem & myſticam purificationem obliquo ſermone olim Propheta demonſtrabat, dicens: *Sicut vaſa figuli, conteres eos.* Psal. 2. Nam quia de fidelibus loquitur, ſuperius nobis manifeſtè declaratur, quum ait: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Ibidem. Vidiſti quemadmodum eccleſiam gentium commemorauit, & vbique extentum Chriſti nominauit imperiũ. Et propterea ait: *Reges eos in virga ferrea*, non graui, ſed forti: *ſicut vas figuli conteres eos.* Ecce & lauacrum ſentitur myſticè. Nõ enim dixit, ſicut vaſa fictilia: ſed, ſicut vas figuli. Et ideo attendamus, & diligẽtius audiamus. Nam confracta vaſa fictilia iam nulla emendatione corriguntur, ſemel figuram per flammas ſortita: vaſa autem figuli non ſunt fictilia, ſed argilla cõpoſita. Inde & ſi quo fuerint caſu peruerſa, facile ad figuram priſtinam artificis reformantur induſtria. Et ideo quando calamitatem ſine remedio dicit, non vas figuli, ſed vas fictile nominat. Hier. 18. & 19. Nam quãdo Propheta monſtrabat Iudæos cum ciuitate ſuppliciis extremis traditos, & nullum eis remediũ promittebat, iuſſit accipi vas fictile, & ante omnem confringere populũ, & dicit, quia ita ciuitas peribit. Quando autem ſpem eis pollicetur, prophetam ad figuli vas adduxit: & illi non oſtendit vas fictile, ſed argillam ei in manibus poſitã demonſtrat artificis, quæ etſi ceciderit, reformatur tamen. Ideo ſequitur, dicens: Si iſte figulus, ait, hoc vas lapſum iterũ renouabat, non multò magis ego vos potero lapſos corrigere? Et poſſibile quidẽ Deo eſt, non ſolùm de argilla factos corrigere per lauacrũ regenerationis, ſed & ſpiritus accepta virtute, & lapſos poſt pœnitentiam veram ad ſtatum priſtinum reuocare. Sed non nunc tempus eſt de pœnitẽtia nobis proferre ſermonem: imò nunquam neceſſe ſit talia vobis remedia demonſtrare, ſed contingat ſemper vos pulchritudinẽ quam eſtis accepturi, intactam inuiolabilemque ſeruare. Sed vt ſemper tales durare poſſitis, de conuerſatione vobis pauca narremus. Nam in palæſtra athletis ſemper ceſſante periculo exercitatio eſt, & lapſus facilè veniam promerentur. Nam ſuis certatur, & magiſtrorum corporibus meditantur. Sed quando agonis dies, quando certaminis tempus aduenerit, quando ſtadium patet, quando omnes ad ſpectaculum fuerint congregati, B quando agonotheta præſidet, quando monſtratur corona virtutis, tũc neceſſe eſt aut lapſum pudore infamatum, pœnas dedecoris ſuæ negligentiæ ſuſtinere, aut ſolertiæ palmam ſuſtinere vincentem: ita & vobis horum dierum triginta ſpatium exercitatio & meditatio eſt. Sed ex hinc diſcamus euincere, & aduerſarium dæmonem ſuperare properemus. Nam contra illum, magnum nobis eſt certamen. Poſt lauacrũ igitur, eum iam ſupplantare diſcamus: & vnde nobis inſidiatur, inuenire curemus; & vnde facilè poterit ſuperari, vt in agonis ipſo certamine, nulla nouitate terreamur, ſed eius inſidiis agnitis, arte, fraudeque comperta, ſecuri cum omni fiducia dimicare poſſimus. Vndiq; nobis inſidias præparare cõſueuit, ſed facilius lingua & ore peccante. Nullum enim æquè congruum illi organum in miniſterium eſt interitus atque peccati. Oris cuſtodia. Nam inde nobis mors, inde lapſus, inde perditio, inde naufragium præparatur. C Nam & mentium lapſus ex linguæ garrulitate venientes quidam declarans, ait: *Multi ceciderunt per gladium: ſed non tanti quanti per linguam.* Eccl 28. Et grauem caſum demonſtrare feſtinans, ait: Lapſus de pauimento, aut lapſus de lingua. Quod dicit, tale eſt, Conducibilius eſt, inquit, ruere & corporis ſentire iacturam, quàm verbum tale proferre, vnde anima poterit deperire. Et ſuadet multam ori adhibere cautelam, dicens: Fac ori tuo oſtium & ſeram. Non vt portas corpori faciamus, ſed vt non facilè verba proferantur, & ad incongrua dicenda ſeſe lingua cum omni cautela cõtineat. Et alibi oſtendens, quia ad hanc ſeram retinendam, ſolertiæ noſtræ etiam diuinum neceſſarium ſit auxilium: vnde & ad Deum manum protendens, dicebat: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Psal. 140. *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Ibid. Et qui priora perſuaſit, ipſe iterum ait: Quis dabit ori meo cuſtodiam, & labiis meis ſigillũ aſtutiæ? D Vides hoc lapſos ſingulos formidare, vides omnes lamẽtari, omnes ſuadere, omnes orare, linguam ſuam cautela cuſtodire ac retinere: Et cur, inquis, hoc membrum, quod tantum nobis periculũ adfert, Deus ab initio dedit? Quia & multum nobis hinc cõmoditatis eſt, & volentibus nonnunquam prodeſſe conſueſcit: nec mortem habet, nec peccatum concedit inuito. Et audi quid ille ait: *In manu linguæ vita & mors.* Prou. 18. Et Chriſtus ſignificans ait: *De ſermonibus tuis iuſtificaberis, & de ſermonibus tuis adiudicaberis.* Matth. 12. Media namque vtriuſque partis lingua eſt, & ſi vtriuſque eſt, tu dominus es. Nam & gladius in medio poſitus, ſiquidem fuerit aduerſus hoſtes arreptus, ſalutaris accipiẽti reperitur: ſi verò tenentis viſceribus inferatur, mortem præparat inferenti: non quia talis ferri natura, ſed quia vtentis tale conſilium eſt: ita & lingua æſtimetur gladius in medio poſitus. Armetur aduerſus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et ideo Deus eam velut muro duplici voluit circundari. Nam dentium tegmine, & labiorum cuſtodia continetur, ne verba improuida garrulitate proferantur.

Digitized by Google

A Refræna igitur linguam: & ſi non patitur reticere, dentium morſu quieſcat, & tanquam carnifici tradatur dentibus. Nam hoc eſt eam conducibilius ſuſtinere, quàm poſtea aquæ ſtillationẽ in illatenus promereri. Et alia quidem multa peccata admittere cõſueuit: vt cum blaſphemat, cum turpia verba componit, cum calumniatur, cum iurat, cum peierat. Sed ne hodie vniuerſa tractantes, mentes veſtras latius occupemus, vnam interim vobis indicimus legem, ne quando veſtrum quiſpiam iuret. Nam hoc prænuntio, atque prædico, quòd ſi quis non dico periuria, ſed etiam iurationes iuſtas de cætero non declinet, nõ promerebitur ſermonem noſtrùm. Nam vt ſtultum eſt magiſtros quidem puerilium ſtudiorum infantibus ante ſecunda magiſteria narrare, niſi priora eorum cordibus inhæſiſſe cognouerint: ita & nos, nondũ mentibus veſtris noſtro ſermone affixo, alios velle tractatus offerre, eſt facere, vt putidus è dolio liquor hauriatur. B Ne igitur vos amara prohibitione triſtemini: date operam, vt præceptis commodetur effectus. Nam hoc peccatum valde crudele eſt, nec adeò valde crudele putatur: & hac de cauſa illud timeo, quia nullus illud pertimeſcit: ſed ſicut ſimplex ſermo prolatus reatum non videtur aſſerre, ita & iuſiurandum eſſe putatur, ſi cum multa fiducia hoc profertur illicitum. Et ſi quis increpauerit, riſus mouet, iocos narrare putatur: & ideo de hac re ſermonem longius protraho. Funditus etenim hoc amputare feſtino: & multi temporis malum radicitus euellere cupio, non tantùm periuria, ſed ipſas quoque iurationes.

Contra iurantes.

Sed ille, inquis, iurat homo, qui mitis eſt, & cui eſt ſacerdotium commendatum, & qui in multa caſtitate & reuerentia conuerſatur. Nolo mihi hunc ſanctum, hunc mitem, hunc pudicum, hunc proferas ſacerdotem: ſed ſi Petrũ mihi, ſi Paulum, ſi de cœlo angelum narres, nec ſi perſonarum dignitate terreberis. C Nam legem nõ ſeruilem, ſed dominicã de iureiurando lego: & quando imperiale conſtitutum recitatur, omnis ſeruilis dignitas conquieſcat. Etenim, ſi Chriſtũ hoc mandaſſe poteris approbare, aut quia hoc Chriſtus non punit, oſtendere, acquieſco. Sed ſi cum tanta prouiſione hoc fieri prohibet, vt iurantem maligno ſociaret (nam ſuperfluum, inquit, horum, diaboli eſt) quid mihi alium atque alium commemoras, quid aliquorum nominas facta? Non enim ex ſeruorum negligentia, ſed ex ſua præceptione ſortem tibi Deus attribuit. Iuſſit, inquit, præceptis obtemperare. Congruum eſt, & non cuiuſlibet facta memorare: nec aliena mala conuenit imitari. Nam & magnus ille Dauid peccauit, & grande peccatũ. Quid ergo? ideo nobis ſine periculo peccare conceditur? Non. Nam hac de cauſa cauere debemus, & facta fortia imitari ſanctorum. Et ſi aliqua negligentia, legis præcepta violata ſunt, cum omni feſtinatione tranſire nos conuenit. Non enim ad conſeruos nobis, ſed ad dominum ratio eſt. D Huic omnium geſtarum rerum neceſſe eſt nos reddere rationes. Ad illud igitur nos iudicium præparemus. Nam licet magnus & admirabilis ille ſit, qui hanc legem reſpuit, pœnam ſine dubio calcatæ huius præceptionis exoluet. *Non enim eſt Deus perſonarum acceptor.* (Acto. 10) Quo igitur modo, quóve ſubſidio hoc poterimus declinare peccatum? Non enim ſolum conuenit crimen crudele mõſtrare, ſed potius criminis vltione liberari. Eſt tibi cõiunx, ſunt filij, eſt amicus, eſt ſeruulus, eſt vicinus, & ſanguinis cognatione ſociatus: feſtina omnibus huius legis præcepta narrare. Sed, inquis, Dura res conſuetudo, & quæ facilè mutari non poſſit: & quæ nos nonnunquam & inuitos trahit, & nolentes committere cogit illicita. Igitur tantò te huius mali reatu liberare feſtina, quantò conſuetudinis vim neceſſitatemque cognoſcis, & ad aliam conſuetudinem migrare propera. Nam ſicut te praua conſuetudo

A poſſidet, ita poterit melior obtinere, vt & volentem te iuriſiurandi lapſibus non permittat euinci. Nam reuera multum conſuetudo præualet, & iura didicit immutare naturæ. Vt igitur non aſſiduè doleamus, ad aliam conſuetudinem demigremus: & ab omnibus tibi ſinguliſque coniunctis hoc poſtula, hoc pete beneficium, vt te iurantem arguant, vt confundant. Nam cùm te afficiunt tua confuſione authorem, & ſibimet ſimilia largientur. Nam qui alterum, ne iuret, arguit: nec facile ſe præcipitare patietur in periurium. Etenim eſt iurandi peccatum: & non ſolùm cum de rebus friuolis, ſed etiam cum de maioribus celebratur. Nos autem & cum vilia comparamus, & cum de vno nummo contendimus, & cum aduerſus ſeruulum commouemur, Deum teſtem inuocamus. Et hominis quidem ingenui & aliqua dignitate muniti, in publicò ad huiuſmodi res non audemus teſtimoniũ poſtulare, B ne & iniuriarũ contra nos vindicta procedat: Deum autem cœlorum regem, angelorum dominum, & cùm cõtrahis, & cùm loqueris, & cùm quibuſlibet ſermonibus delectaris, aduocas teſtem? Vt igitur hoc crimine liberemur, inuicem admoneamur, inſitum tempus conſtituamus, & tempus dierum decem. Volentibus enim & vigilantibus & hi ſufficiunt dies, quo penitus hoc crimine conſuetudinis liberemur: & poſt decem dies nihilominus ſi illaqueati reperiamur, pœnam nobis conſtituamus. Sed inquis, Dicito pœnam, propone vindictã. Hoc iam non meum, ſed veſtrum eſt: & ſi ita circa nos non ſolum iureiurando, ſed & in aliis conuerſationibus præcauere voluerimus, conſtituentes tempora, pœnas indicentes, mundi ad noſtrum dominum ire poterimus, vt de ignis gehenna liberemur, & cum omni fiducia tribunal Chriſti videbimus, quam omnes liceat obtinere per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, &c.

C

DE MILITIA SPIRITVALI,

HOMILIA.

BONA quidem ſunt & vtilia regis ad eos, qui imperio eius ſubiecti ſunt, legum ſtatuta: ſed maiora, & auguſtiora illa præcepta ſunt, quæ militantibus obſeruanda decernit. At ergo nunc ad militiam ſpiritualem, cœleſtis regis mandata prædicantibus nobis, diligenter attendat omnis, qui magnæ & ſupernæ dignitatis eſt cupidus, qui & ſemper Chriſto aſtare deſiderat: quique magnificæ illius & diuinæ vocis non otioſus auditor eſt: (Ioan 12) *Si quis meus miniſter eſt, me ſequatur: & vbi ego ſum, & miniſter meus eſt.* Vbi ergo eſt Chriſtus rex? Vtique in cœlo. Illo ergo terreæ conſuetudinis, & omnis carneæ delectationis, nemo qui militiæ accingitur, domum ſibi conſtruit, neque poſſeſſiones agrorum comparat, aut vilibus humanorum negotiorum D commerciis implicatur. *Nemo*, inquit, *militans Deo, implicet ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat à quo probatus eſt.* (2. Tim. 2.) Eſcas miles regius habet, & Imperatoris annona paſcitur. Non oportet eum emere ſibi cibũ, neque in eius prouidendi ſollicitudine occupatum, à ſtudiis militaribus auocari. Vbique illi domus omnis prouincialium ex præcepto regali patet, vt nihil eum de priuata domo laborare neceſſe ſit: cui mãſio in caſtris, & cibus ad expeditionem modicus, & aqua potui, & tantum ſomni, quantum naturæ neceſſitas expetit. In vigiliis, in itineribus multi labores, & pro temporum viciſſitudine, in æſtibus aut frigoribus confirmata patientia: pugnæ ad hoſtes, pericula vſque ad mortem: verùm & ſi mors bellanti accidat, glorioſa eſt: vincentem verò honores & dona regia ſubſequũtur. Huic laborioſa in præliis vita, in pace autem ſplendida & honorata tranſigitur, & pro certaminibus proſperè decertatis gloriæ corona defertur, promotio dignitatis apponitur,

Digitized by Google

nitur; iuxta regem familiariter ſtare conceditur, de
manu Imperatoris aſſidua remuneratione dona-
tur. Cæteris principibus ſuæ gratiæ comitibus emi-
nenter præponitur, interuenire, etiam extrinſecus
pro amicis ſuis, ſi velit, libenter auditur: & tantum
propria dignitate pro meritis virtutis exuberat, vt
etiam ſodalibus honorandis author exiſtat. Nunc
ergo tu miles Chriſti modica hæc de humanibus
actibus exempla tibi ſumens, maiorum rerum, hoc
eſt diuinorum bonorum conceptionem mente ſuſ-
cipe, vt libera tibi & expedita mortalibus curis
vita ducatur. Non te domus auocet, non poſſeſſio
impediat, non ciuitas & patria conſtringat, exutus
enim & abſolutus omni terreſtrium rerum ſollici-
tudine, melius diuina curabis. Non te illiget con-
iugis amor, neque filiorum cura ſollicitet: impe-
dimenta enim ſunt diuinæ militiæ carnalium ne-
ceſſitudinum vincula. Arma enim nunc militiæ ti-
bi non carnalia, ſed potentialia à Deo. Scito autem B
quia te non vincet natura corporis, neque ſtrangu-
labit inuitum, neque te obnoxium faciet ex libero
niſi voluntaria declinatio. Longè diuerſa eſt ſpiri-
tualium affectionum conditio. Non quæras in terra
relinquere filios, ſed in cœlum perducere. Non er-
go carnalibus te agglutinari nuptiis, ſed ſpirituali-
bus oportet inhiare. Sume tibi coniugem ſapien-
tiam veritatis, vt ſcriptum eſt, & eam diſpoſitam
dotibus cœleſtibus toto corde complectere. Filios
genera ſpiritualiter, & æmulare cœleſtem ſpon-
ſum, per quem debellare poſſis inſurgentes ad-
uerſus animam tuam inuiſibiles inimicos. Dimi-
candum eſt enim tibi contra poteſtates, & princi-
patus harum tenebrarum, contra omnem diaboli
virtutem, & aëreum nequitiæ ſpiritualis exercitum
qui te occultis machinis & gladiis impugnare non
deſinunt, vt in teipſo reſiſtas eis, & eiicias eos
primum de anima tua, vt nullam ſortem ha-
beant in te: deinde vt his, qui ad te confugerint, C
téque ſibi elegerint ducem & propugnatorem,
eadem virtute poſſis adeſſe, qua tibi ipſe profue-
ris: id eſt, vt proximos tuos inſtruas verbo veri-
tatis, conuerſationis exemplo dirigas, oratio-
num interuentu deſtruas cogitationes extollentes
ſe contra fidem Chriſti, & omnem impium mali-
gnúmque ſermonem verbo pietatis deſtruens,
2. Cor. 10 doctrinæ apoſtolicæ armis potens. *Conſilia*, in-
quit, *deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe
aduerſum ſcientiam Dei*: maximè autem cum fide
ſummi regis inuicta manu, quæ facilè deterret,
in fugam vertit inimicos, ſi tantùm vel appareat
eis. Si verò dominus & periculis certamen agita-
re velit, & exercitum ſuum iubeat congredi exer-
citui aduerſariorum, hic tibi ad omnem laborem
præparatio firma conſiſtat, & contra omne peri-
culum interritæ mentis conſtantia maneat: & ſi
neceſſe ſit, de terra in terram, & de mari in mare D
libenter emigra, & patriam peregrinatione com-
muta. *Quando* enim inquit, *perſequentur vos, fugite de ci-
uitate in ciuitatem*. Et ſi in iudicium pertraheris, vt ne-
Matt. 10. ceſſe ſit te ſiſti ante principes, & poteſtates, & ple-
beiorum ſeditiones excipere, & dirum carnificis
vultum videre, & duram vocem ſæui perſecutoris
audire, ipſarúmque pœnarum horridam faciem
ſuſtinere, adhibitis etiam tormentis tentari: ſta-
re te fortiter, & vſque ad finem mortis certare
oportet; non cedente conſtantia mentis armata
terroribus inimici, & doloribus corporis: quia
2. Tim. 2 *niſi legitimè certauerit quis, non coronabitur*. Vtinam
præter hæc omnia ipſum ante oculos habeas, pro
te in paſſionis prælio dimicantem Chriſtum, ſciens
quia propter te & Chriſtus in iſto agone verſabi-
tur, & tu per ipſum agonis ipſius victor exiſtis: vi-
ctorem enim regem ſequeris, eum qui te victoriæ
ſuæ vult habere participem. Neque enim etſi mor-
tuus fueris in hoc genere certaminis, victus vide-
ris: ſed tunc magis palmam capies, ſi vſque ad fi-

A nem inconuertibilem veritatis fidem, & confeſſio-
nem in corde tuo conſeruaueris, & pro veritate
conſtantiam immobilem tenueris, à morte tranſi-
bis ad vitam æternam: & ab hominibus iniuriam
paſſus, ad Dei gratiam transfereris: & à temporali,
quam in hoc mundo pertuleris tribulationem, in
æternam requiē tranſuolabis, & ſanctorum ange-
lorū conſortio perfrueris. Terra te ciuē non ſuſci-
piet, ſed cœlū: non incolā te ſuſcipiet mundus, qui
perſecutus eſt, ſed angeli te portantes præſenta-
bunt Chriſto, & amicus Dei vocaberis, & deſidera-
bilem laudem ex ipſius domini voce audies: *Euge* Mat. 25.
ſerue bone & fidelis, euge miles ſtrenue, & imitator
domini tui, & regis æterni comes: ego te meis re-
munerabo præmiis, ego verba tua libenter exau-
diam, quia & tu me diligenter audiſti. Si petieris
pro fratribus tuis ſimilem patientibus perſecutio-
nem, ſociis fidei tuæ, & ſacramenti charitatis cu-
B ſtodibus, vt ſaluentur & viuant, percipies à rege
cœleſti omnium bonorum cōmunionem: & hym-
num dicens choris mixtus æternis, & inter ange-
los ſanctos accinctus lætitia, regalem coronā por-
tabis in conſpectu regis domini, & coæternalis
domino tuo factus, cum ipſo æternæ beatitudinis
largitore lætaberis. Si verò in hoc mundo adhuc
dimittere poſt acta certamina palmarum tuarum
ſuperſtitem velit, vt plures varios agones dimices,
vt multiplicētur coronæ tuæ de multitudine præ-
liorum, multíque exemplo tuo ab inuiſibilibus &
viſibilibus ſaluentur inimicis: magna erit tibi & in
hoc ſeculo gloria, & apud amicos Chriſti eris ho-
norabilis omnibus, qui te & præpoſitum, & adiuto-
rem, & legatum bonum inuenerint. Iſti paſcent te
ſicut militem bonum: iſti honorabunt te ſicut vi-
rum fortem, iſti dexteras dabunt tibi, & cum ma-
gna gratulatione ſuſcipient te, ſicut angelum Dei
excipientes, vt ait Paulus, Sicut Chriſtum Ieſum.
C Hæc & alia huiuſmodi monita atque præcepta ſer-
mo diuinus annuntiat. Neque enim tantum de vi- Fœminæ
ris differit, quia apud Deum etiam fœmineus mili- Deo cūa
tat ſexus. Multi enim ſexus fœminei virili animo militant.
militiam ſpiritualem gerunt, non pro corporis in-
firmitate reprobantur, quòd interioris hominis
virtute viros æquant, & in agonibus martyriorum
multæ pares, quædam fortiores viris extiterunt:
quibuſdam virorum & à fortiore ſexu ignauia mu-
liebri degenerantibus, infirmum corporis ſexum
virili mente vicerunt: & amiſſas negantibus viris
obtinuerunt coronas, quæ in teſtimonio virtutis
victrices pœnarum viris labentibus conſtiterunt.
Ex ipſis ſunt quæ angelicum ſacratæ virginitatis
ſplendent chorum, ex ipſis & illæ quæ glorioſis
confeſſionis præliis, & martyriorum triumphis co-
ruſcant: ſequebantur autem & ipſum dominum in
præſentia eius non ſolùm viri, ſed & mulieres, &
D ex vtroque ſexu comites, ſicut ſcriptura deſignat:
Et obſequebantur, & miniſtrabant domino. His Mat. 15.
igitur talibus tantiſque virtutibus & honoribus
militiæ Chriſti adiacentibus, certatim omnes, & pa-
tres filios, & matres filias offerunt Chriſto, & ſuam
quiſque progeniem regi cœleſti ad militandum
probare feſtinant: gaudentes in ſpe æterna, quæ Rom. 5.
non confundit: *quia charitas Chriſti diffuſa eſt in cordi-
bus noſtris*. Talia enim pignora non ſolum in con-
ſortium ſalutis & gloriæ, ſed etiam in ornamen-
tum, & in patrocinium perenne deuoti parentes
habebitis. Et non ſimus circa filios noſtros puſilla-
nimes, neque timeamus, ſi nunc in militia ſpiritua-
li laborent, ſed magis lætemur: quia ſi impenſius
laborauerint, illuſtrius glorificabuntur. Nos tan-
tum repræſentemus domino, quos ab ipſo accepi-
mus, vt & probatorum ac militantium Chriſto fi-
liorum efficiamur participes, nobiſcum eos addu-
centes, & ſtatuentes coram domino. His autem qui
ita exhibere ſe ſtudent Deo, & agonem iuſtum mi-
litiæ ſpiritualis legitimè certare nituntur, vt ap-

prehendant brauium ſupernæ vocationis, compe-
Pſal. 113. tenter illud ex pſalmis dicimus: *Benedicti vos à domino, qui fecit cœlum & terram.* Dignè etiam pro his ſecundum Moſem orabimus, Benedic domine opera ipſorum, & depone lumbos aduerſariorum eorum. Viriliter agite, ô probati milites, currite fortiter curſum veſtrum, & decertate certamen bonum, vt capiatis æternas coronas, in Chriſto Ieſu, per quē Deo Patri gloria, cum Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE MILITIA CHRISTIANA.

HOMILIA.

OMNES homines, qui ſe ſtudent humo tollere, & inſerere cœleſtibus: quique naturam mortalitatis euincere angelicæ conuerſationis æmulatione nituntur, vt ſtudio bonæ voluntatis angelorum incorruptionem ſequentes; appropinquent Deo: (incorruptio enim, vt ſcriptum eſt, hominem Deo proximum facit) remoueant ſe quantum poſſunt ſpiritu virtutis à corpore, & penitus abſiſtant à carnali concupiſcentia, morientes quidem ſuper terram huic vitæ, ſecundùm imitationem paſſionis Chriſti: viuentes autem angelicam vitam iuxta communionem vitæ domini, & reſurrectionem mortuorum. *Qui* enim *Chriſti ſunt*, inquit
Galat. 5. apoſtolus, *hi carnem ſuam crucifixerunt cum paſſionibus & concupiſcentiis.* His ergo talibus olera pro carnibus; aqua pro vino, & cibus modicus pro dapibus opimis eſt. Propter quod & vigiliæ gratiores, quàm ſomnus: & noctes pro diebus aguntur, & crebriora apud Deum per orationes colloquia, & in hymnis excubiæ, & verè (vt apoſtolus dixit) *in carne ambulan-*
2. Cor. 10 *tes, non ſecundùm carnem militant.* Qui autem ad plenam huius exercitij perfectionem, ſicut in verticem montis aſcendere non valent, ſaltem in ſecundo virtutis gradu conſiſtere ſtudeant, vt immoderatam carnalium concupiſcentiarum abundantiam circuncidant, vt ſanctæ ad dominum vocationis non penitus alieni ſint: & de his quæ circa hunc mundum ſunt occupationibus non omnino teneantur. Vbi enim voluntates multæ, ibi & vacationes plurimæ, quæ à Deo ſeparant, gula & ebrietas, quorum & comes eſt corporalium permixtionum delectatio. Hæc autem vitia magnas auaritiæ cauſas attrahunt; quia exuberantem rerum copiam exigit vita luxuriæ. Et ideo multa acquirendi neceſſitas ſtrangulat animas corpori ſeruientes, ne deſit effuſis affluens ſumptus impendiis. Ergo imitemur Loth illum beatum, fratruelem Abrahæ, qui de terra Sodomæ & Gomorrhæ cum igneis imbri-
Gen 19. bus ardere cœpiſſent, manibus angelorum eductus exiuit. Et cum iuberetur in montem confugere, & illic ab incendio damnatarum vrbium tutus manere, pigebat vt ſenex, ne deficeret in fuga, in montis aſcenſu, & ignibus apprehenderetur. Metuebat autem & angelos, ne contradicens præcepto Dei, quod per ipſos acceperat, perimeretur ab ipſis, quia in montem confugere colluctabatur. Vnum ergo minimum de Sodomicis vrbibus oppidum ad ſalutis refugium donari ſibi popoſcit à domino. Et qui altiora petere vitauit, minima autem pro multis poſcere elegit: dat ei primum quidem in ciuitate modica de magnis illis & optimis, & delitioſis vrbibus liberata: ſalutem, in magnis periclitans, in exiguo obtinet: propter quod & ipſa ciuitas, quæ prius Balath vocabatur, Segor appellata eſt, id eſt, ſaluatrix: ex hoc autem munere Dei, quo paruæ ciuitatis habitaculum meruerat à domino, aſſumens audaciam, aſcendit in montem. Tales quidem & nos efficiamur, vt primum effugiamus copioſas, & circumfluentes huius mundi delicias, quæ ſimiles ſunt Sodomitarum corruptis ex vbertate moribus terrarum, de quibus dicit Deus. Quia

A *in ſaturitate panum luxuriabant.* Coarctemus autem Ezech. 16
multa in modica, vt non incendamur ex multis epulis, & comeſſationibus, & diſtentionem ventris ſubſequentibus intemperantiis: ſicut incenſæ ſunt Sodoma & Gomorrha, & confines earum. Poſt verò moderata virtutis noſtræ fragilitate nutriemur, anima procedente in melius refrænandi corporis conſuetudinem: aſcendens ad perfectam abſtinentiam caſtitatis, ſicut in ipſum montem ſalutis, & verticem virtutis confugientes à ſeculi huius incendiis. Metue ergo delicias Sodomitarum, ne Sodomitica patiaris incendia: fuge fornicationem, diſcede ab omni luxuria, reſpue gulam, abdica ebrietatem & omnem ignium Sodomiticorum fomitem in temetipſo victo extingue. Si enim, inquit accenderis ignem, inflammaberis, & ipſe tibi eris author exitij, cùm te voluntariis libidinibus excitata vitiorum flamma conſumpſerit. Non agamus
B ſimilem infidelibus vitam, ſed à quibus fide diſcernimur, ab eorum ſtudiis etiam & moribus diuidamur. Declaret fidem tuam quotidiana actio tua, confirmet tuam ad Chriſtum charitatem euidens à carnalibus concupiſcentiis diſceſſio tua, ne quis te contra diſciplinam, & decus nominis Chriſtiani in deuiis ambulantem videns, dicat: iſte eſt ille, qui cœleſtis vitæ ſectator, qui denique ſummæ ipſius pudicitiæ magiſtri diſcipulus habebatur. Iſte eſt ille ſelectus à mundo, qui iam cœleſtibus angelis comparabatur, qui ſe in aduentum cœleſtis regis præparabat, ſeque eius lateri cominus adhæſurum præſumebat. In hæc ergo poſt laudem opprobria deuenire præcauens, ita age, vt glorificetur per te magis, quàm blaſphemetur Chriſtus qui di- Marc 8.
cit: Honorificantes me honorificabo, & annullan- Lucæ 12.
tes me deprecabuntur. Quem vtique deſpicere, & pro minimo habere conuinceris, etiamſi verbo honorare iudicaris, quādo non ſecundùm nomen
C fidei tuæ viuis, per operum tuorum prauitatem blaſphemari cogis in eum, cuius nomen præferre audes, & voluntatem agere detrectas: ſicut econtrà hi qui dignam Chriſto vitam agūt, manifeſtam virtutem eius, & admirabilem gratiam apud omnes faciunt, vt illud Domini verbum impleant: *Lu-* Matth. 5.
ceant opera veſtra coram hominibus, vt videntes eà, honorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt. Memento quia Chriſto ſacrata ſunt mēbra tua, non miſceantur membris meretricis. Non polluas templum ſacratum domino, ne fias ab ſpiritu eius alienus. Non enim capit quod ſanctum eſt in templo polluto. *Quæ*, in- 2. Cor. 6.
quit, communicatio lumini ad tenebras? Non abutaris natura contra naturam: filiorum enim generationem nouit lex naturæ, & propter ſobolem procreandam coniungit mulieri: concubitum autem ſuperfluæ voluptatis etiam nuptiæ profugiunt, fornicationum ſunt iſta. Et mulier data eſt tibi in adiutorium. Ergo licito honeſtóque conſortio ob hoc
D tantum vtere, & commercium inhoneſtæ permixtionis effugias. Neque contemnas quòd non iam hodie in opera peccantium vindicat Chriſtus. Quanta enim patientia ſuſtinet, tanta & ſeueritate reſtituet. Nunquid enim iraſcetur per ſingulos
dies? *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit.* Et quan- Pſal. 7.
tum te peccantem vt conuertaris expectat bonitas indulgentis Dei, tantum in te, niſi conuerſus fueris, eiuſdam iudicis cenſura procedet. Patientiæ quidem præſens tempus, ſed futurum iræ eſt. Noli ergo de huius temporis ſpatio remiſſionem non timendi tibi ad peccandi licentiam ſumere.
Sic loquimini, inquit, *& ſic facite, ſicut per legem libertatis* Iac 2.
iudicandi eſtis. Et ſi ſecundùm carnem viuatis, vt al-
ter Apoſtolus dicit, *Si ſecundùm carne vixeritis, moriemi-* Rom. 8.
ni: ſi verò ſpiritu facta carnis mortificetis, viuetis. Adiunge Ephes. 5.
te itaque, & colloquere Spiritui, & non tibi præualebit caro. *Nolite*, inquit, *inebriari vino, in quo eſt luxuria: ſed implemini ſpiritu ſancto, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Deo.* Ecce remedia animæ domeſticæ Deo.

omnia

omnia autem hæc frequenter audiamus, ſicut verba ſacra ſpiritualium canticorum. Reddamus vota & impendamus orationes domino, vocanti nos ad vitam æternam. Omnis ergo homo Dei indutus Chriſtum, fuge omnia quæ ſunt incentiua carnalium cupiditatum, velut conuiuia, comeſſationem, & temulentias crapularum: & non dico ſecundùm humanum prouerbium, ne ſubſtantiam tuam perdas, carnalis enim hæc cura eſt, ſecundùm humanam vtilitatem familiare conſilium, ſed dico ne ſpiritualem, quæ multò potior eſt, ſubſtantiam ſalutis amittas, & ſpiritualium diuitiarum inopem te facias. Non ſolum autem hæc baptizatis diſſero & prædico, ſed etiam baptizandis præcipio. Sicut enim is qui illuminatus eſt gratiæ dono, dignum ſe debet præſtare accepto diuinitatis munere: ita qui adhuc eiuſdem gratiæ candidatus eſt, & in eadem ſpe ſimili fide currit, dignum ſe facere debet gratiæ conſequendæ. Timeat enim, ne poſt agnitionem Dei, cuius ſignaculo iam prænotatus eſt, ſi non dignus agnitione percepta inueniatur, indignus etiam ſanctificationis munere iudicetur: *Ideo*,

1. Tim. 1. inquit, *miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in infidelitate: ſuperabundauit autem gratia domini noſtri Ieſu Chriſti cum fide & charitate.* Tu itaque ſi ſciens peccaſti in fide poſitus, metue ne gratiæ dono priueris, ſed magis præpara te quotidie per omnem diem & noctem domino. Quis enim regem ſuſcepturus, non parat & exornat domum vt digna ſit introitu & manſione regali? Nam quis audet in ſordida & inculta domo regium aduentum ſuſcipere? Nec ſanè ſub vna die domus adornetur Chriſto, ſed per totam vitæ noſtræ ætatem, æterno principi in reſeranda humani pectoris aula componatur. Sed peccaſti? pœniteat te. Emundat enim pœnitentia peccatorem, & reparat ad ſanctificationem. Ideo præuenit & Ioannes, *præparans viam domino*, & *præcipiens*

Lucæ 3. *dignos fieri fructus pœnitentiæ, vt fugerent ab ira ventura*, reconciliati per donum baptiſmatis in Spiritu ſancto: quod quia adeptus es ne recurras ad peccata, quæ remiſſa ſunt tibi: neque in delictis frequenter offendas, relinquens ea, & rurſus recurrens in ea: neque enim vt canem ad ſuum vomitum, aut ſuem in volutabrum contraria humanitati, irrationalium & immundorum animantium natura te ducat. Hoc enim profectò dicens, tradit te verbo Dei & ſanctarum precum ſtudio, vt naturæ carnalis immoderatas appetentias Dei ſermo contineat, & aſſidua ad Deum oratio arceat, vt & naturam tuam opere diuino bonam competenter in ſua menſura cuſtodias ſicut equum eam temperans & refrænans agitatoriis diſciplinis: atque ita & Domino non execrabilem facturam ſuam, in teipſo iuxta naturam ſuam compoſitus exhibebis. Non enim vult opifex creaturæ noſtræ corruptum in nobis videre opus ſuum. Itaque ſanctitatibus, & remediis ſpiritualibus integrum te cõſerua, vt & nunc & in illud infinitum ſeculum domino creatori placitus aſſiſtas, & non per modicam & breuem in hac vita corporis voluptatem æternæ beatitudinis detrimentum capias. Ipſe autem dominus fabricator naturæ noſtræ, & omnium accidentium modò languorum medicus, & futurorum bonorum dator, dirigat voluntates veſtras in bonum, & perficiat curſum veſtrum in ſalutem, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE ERVDITIONE DISCIPLINÆ,

HOMILIA.

ERVDITIO diſciplinæ, cuſtos eſt ſpei, & vinculum fidei, & dux viæ ad ſalutem ferentis, quæ fouet & nutrit animam ad profectum ſenſuum & ſpiritualium magiſtra virtutum eſt. Ipſa igitur in Chriſto manet ſemper, & indeficienter ſecundùm

A Deum viuit, & ad cœleſtes repromiſſiones perducit, & ad diuina præmia facit peruenire. Hanc ergo nos ſectari oportet ſalutem, & auerti ab omni malitia. Dicit enim in pſalmo Spiritus ſanctus: *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur dominus, & pereatis* Pſal. 2. *de via iuſta, cùm exarſerit in breui ira eius.* Et iterum: *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos poſt te.* Et iterum legimus: Sap. 3. *Qui abiicit diſciplinam, infelix eſt.* Et Salomonem ita nos admonentem accepimus: *Fili, ne fias puſillanimus, neque deficias cum increparis à domino.* Prou. 3. Si autem dominus *quem diligit, arguit & caſtigat*, vt emendet ac dirigat vias eius: Heb. 12. proculdubio fratres, & maximè ſacerdotes non oderunt, ſed diligunt quos corripiunt: ideo enim hoc faciunt, vt emendent quos arguunt. Quoniam & Deus per Hieremiam prædixit hæc Hier. 3. tempora noſtra, ſignificans & dicens: *Dabo ipſis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent eos paſcentes cum diſciplina.*

B Et quidem cum ſanctis ſcripturis frequenter, & ferè vbique diſciplinæ mandata ſeruantur, & omne fundamentum pietatis, & fidei noſtræ per cuſtodiam mandatorum confirmatur, vt radicibus noſtris fortiter complantatis, & domibus noſtris ſuper petram firmiter fundatis, inconcuſſi procellis & fluctibus iſtius ſeculi reſiſtamus, & ad diuina dona per obſeruantiam mandatorum eius peruenire poſſimus, conſiderantes ſimul, quia membra noſtra templum Dei ſunt. Ab omnibus ergo veteris vitæ inquinationibus purgemur, mundati lauacro immortalitatis & vitæ: quoniam qui templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Huius ergo viui & rationabilis templi nos ſacerdotes & miniſtri ſumus. Et ideò ſeruiamus ei, ſicut beatiſſimi Pauli ſermo eſt, in mandatis eius, per quem nos ad beatum amorem cœleſtis vitæ præceptis ſalutaribus introduxit, dicens: *Non enim eſtis veſtri: empti enim* 1. Cor. 6.

C *eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Ergo glorificemus & portemus Deum in mundo & immaculato corpore, & conuerſatione bona & redempti ſanguine Chriſti, in omni obſeruantia mandatorum redemptori noſtro pareamus, & ſtudeamus nihil ſordidum & immundum in domum Dei inferre, ne quando ipſe qui fecit te, indignans relinquat domum quam prius libenter habitabat. Hi ſermones viuificantes Dei ſunt, quibus docemur ſimul, & curamur, & in memoriam caſtigationis redimus, vt de cætero flagellari caueamus. *Ecce enim*, inquit, *ſanus factus es, noli vltrà peccare, ne quid* Ioan. 5. *tibi deterius contingat.* Cõfirmat & acuit nos ad curam & ſtudium diſciplinæ. Propter aſſequendam & obtinendam ſalutem, legem dat, vt poſteaquàm reddiderit hominem ſanitati, non ſinat eum in eadem reuolui, propter quæ fuerat infirmatus: & neque reſolui eum in ſecuritate ſanatum, neque euagari fiducia ſanitatis permittit: ſed ex quibus eum dili-

D genter curauit, per eadem ipſe curato homini vehementius comminatur: quoniam quidem minus eſt peccatum ei qui peccat priuſquam agnoſcat diſciplinam domini: nulla autem venia eſt peccanti poſt agnitionem domini, niſi pœnitens reuertatur, quia Deus mortem non fecit. Et non vult mortem morientis, ſed vt reuertatur, & viuat: ne ſit ſpiritus vadens, & non reuertens: quorum damnatio iuſta hæc. Hoc autem omnes ſimul viri & mulieres pueri & puellæ, & omnis omnino ætas obſeruent, ſolliciti ſint pro fide, & pietate, cuius vnuſquiſque debitor eſt Deo: ne quando hoc ſanctum & mundum quod miſericors Deus gratiæ ſuæ dono in nos conferre dignatus eſt, ſine cura & timore habentes amittamus. Ab hoc, fratres dilectiſſimi, periculo conſulens nobis dominus, ne quis zelans fratrem ſuum, in laqueos mortis caderet, interrogantibus diſcipulis, quis in ipſis maior eſſet: *Qui minor*, inquit, Matt. 20. *fuerit in omnibus vobis, ipſe erit magnus.* Ecce, fratres, vbi præſcidit omnem zelum reſponſione ſua, quia

omnem cauſam & ſubſtantiam inuidiæ ſuſtulit &
abſcidit. Didicimus vnde poſſumus placere. Vnde
& beatus apoſtolus Paulus adhortans & docens
nos, vt quicunque illuminati ſumus Chriſti lumi-
ne, tenebras nocturnæ conuerſationis effugiamus,
Rom. 13. & in factis & in operibus luminis ambulemus: *Nox*
inquit, *præceſſit, dies aduenit: abiiciamus opera tenebrarum,*
& induamur arma lucis, ſic vt in die decenter & honeſtè am-
bulemus, non in comeſſationibus, neque ebrietatibus; neque cu-
bilibus & laſciuiis, non in rixa & zelo. Si autem diſceſſe-
runt à pectore tuo tenebræ, & nox inde expulſa
eſt: ſi illuſtrauit ſenſum tuum ſplendor diei, & ho-
mo lucis eſſe cœpiſti, quæ bona ſunt, Ieſu Chriſto
gratias age, quia lux & dies Chriſtus eſt. Quid teip-
ſum mundi huius caligine rurſus inuoluis? Quid
ad diabolum, cui renuntiaſti, reuerteris? Quid Cain
ſimilis efficeris? Homicidij enim crimine reum te-
1. Ioan. 3. neri eum qui zelat & odit fratrem, Ioannes apoſto-
lus manifeſtat in epiſtola ſua, dicens: *Omnis qui odit*
Ibid. 2. *fratrem ſuum, homicida eſt: & ſcitis quia omnis homicida non*
habet vitam æternam. & iterum: *Qui dicit ſe in lumine eſſe,*
& fratrem ſuum odit, in tenebris ambulat, ipſo ſcelere cæ-
catus. Vadit enim neſciens in gehennam ignis, &
præceps fertur ad pœnã, ſeparatus à lumine Chri-
Ioan. 8. ſti, docentis & dicentis, *Ego ſum lux mundi huius: qui ſe-*
quitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.
Sequitur autem Chriſtum, qui inſiſtit mandatis
eius, qui per viam doctrinæ eius ambulat, qui
per veſtigia & per vias eius currit, qui imitatur
illa quæ Chriſtus fecit & docuit: ſicut & Petrus
1. Pet. 2. apoſtolus ſuadet & præcipit, dicens: *Chriſtus paſſus eſt*
pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt ſequamini vias eius, &
in veſtigiis eius ambulemus. Meminiſſe præterea & con-
ſiderare debemus, quo nomine populum ſuum
nuncupauit: Oues nominat, vt manſuetudo Chri-
ſtiana ouibus æquetur. Agnos vocat, vt agnorum
ſimplicitatem caſtis innocentiæ ſenſibus æmule-
mini. Quid ergo in veſtitu ouium lupus latet? Quid
Chriſtianum ſe eſſe mentiens, gregem Chriſti in-
famat? Chriſti enim nomen induiſſe, & per viam
Chriſti ambulare, quid aliud eſt, quàm quod ipſe
docet, dicens illum ad ſalutem venire, qui ſeruaue-
rit mandata eius, & illum eſſe ſapientem ædifica-
torem, qui verba eius audiat & faciat: & illum ma-
giſtrum maxiꝑum in regno cœlorum appellan-
dum, qui faciat & ſic doceat? Docet enim hoc ordo
doctrinæ magiſtri, vt primum ipſe perferat, quod
docet eſſe faciendum. Si enim videatur in actu eius
quod probabile ſit, promptius recipitur quod præ-
dicat. Adiicit enim doctrinæ authoritatem bona vi-
ta doctoris. Vnde frequenter diſcipulis ſuis domi-
nus ſalutiferam & cœleſtem doctrinam annuntiat,
vt quæ audiendo percipiunt, agendo cuſtodiant.
Inprimis ergo obſeruãdum & cuſtodiendum præ-
cipit, vt ea charitate qua ipſe dilexit nos, inuicem
diligamus. Sic enim, inquit Apoſtolus, firmum &
incorruptum charitatis vinculum cuſtodiamus.
1. Cor. 13. adiecit & dixit: *Charitas patiens eſt, charitas benigna eſt,*
charitas non æmulatur, charitas non inflatur. Docens vti-
que & oſtendens illum poſſe charitatem tenere,
qui ſit longanimis, & mundus ab æmulatione liuo-
ris. Et alio loco item, cum prædicaret & doceret vt
homo repletus gratia Spiritus ſancti, & regenera-
tionis cœleſtis filius Dei factus, nihil niſi ſpiritua-
1. Cor. 3. lia & diuina ſectetur, ita dicit: *Et ego, fratres, non potui*
vobis loqui vt ſpiritualibus, ſed vt paruulis in Chriſto lac vo-
bis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis, ſed neque
adhuc poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Quando enim in
vobis inuidiæ & *contentiones ſunt, nónne carnales eſtis, &*
ſecundùm hominem ambulatis? Et rurſus idem Apoſto-
Rom. 8. lus prouidenter & ſalubriter docens, dicit: *Itaque*
fratres, debitores ſumus, non carni, vt ſecundùm carnem viua-
mus. Si enim ſecundùm carnem viuatis, moriemini: ſi autem
Spiritu facta carnis mortificetis, viuetis. Quotquot enim Spiri-
tu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt. Si ergo filij Dei eſſe cœ-
pimus, accipientes Spiritũ ſanctum, ſanctè & ſpiri-
A tualiter viuamus. Si de terra in cœlum oculos ele-
uauimus, ſi ad excelſa & diuina repletum Deo &
Chriſto pectus ereximus, digna Deo Chriſto aga-
mus, ſicut & Apoſtolus exhortatur, & dicit: *Si ergo*
cum Chriſto reſurrexiſtis, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chri- Coloſſ. 3.
ſtus eſt in dextera Dei: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper
terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt in
Chriſto. Cum autem Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc &
vos apparebitis cum ipſo in gloria. Deus autem omnium
det vobis ſpiritum compunctionis, vt percipiatis
quæ dicuntur à nobis ſecũdum euangelium Chri-
ſti Dei noſtri, per quem Deo Patri honor, gloria,
cum Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

DE VIRTVTE

HOMILIA.

B TVRTVR amatrix eremi, quando in deſertis
degit locis, delectabilibus blandimentis ar-
ceſſit comparem vocis ſuæ, conuallia penetrans, &
ſuum maſculum in amœna & nemeroſa paſcen-
tem conuocat, & hinc auolare prouocans, hortatur
aſcenſionem ſui celerem facere. Vnanimi autem
mente ad inculta & prærupta rupium cubile fun-
dantes, exinde ſuos ſine timore volare prouocant
pullos. Aſſeuerant quidam turturem caſtam, &
amatricem comparis eſſe: ita vt ſi quando euene-
rit eius maſculum ab aquila, ſiue aucupe capi, non
ſe commiſcere alteri, ſed ipſum cupere, & ipſius
præſtolari aduentum, & in amore eius expectatio-
ne pendere. Idcirco audite, mulieres, quæ caſtitas
in volucribus reperiatur. Quotcunque igitur figu-
ram turturis in veſtra mente portatis, huius ſobriè
imitamini caſtitatem: talis etenim eſt omnis caſta
eccleſia: viro quippe eius Chriſto crucifixo, & in
cœlis ad dexteram patris ſedente, alteri viro non
C commiſcetur, ſed ipſum deſiderat, ipſum expectat,
& deſiderio eius commori cupit. Sed ne forte vi-
deamur, chariſſimi, ſcripturæ authoritatem præ-
tergredi, turturem nominantes, vera ipſius ſcri-
pturæ verba texamus: teſtatur nanque beatus Da-
uid, & dicit: *Etenim paſſer inuenit ſibi domum, & turtur ni-* Pſal. 83.
dum, vbi reponat pullos ſuos. Videamus ergo quem dicit
paſſerem: vt ego arbitror, hominem intelligi vo-
luit. *Anima* nanque *noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo* Ibid. 123.
venantium. Quod & dominus idipſum volens oſten-
dere diſcipulis ſuis, quantum alios ſanctitate præ-
cellerent, diciteis: *Nolite timere, multis paſſeribus meliores*
eſtis vos. Propterea & Salomon proclamat, dicens: Math. 10.
Vt eunadas ſicut damula ex caſſibus, & ſicut auis è laqueo. Si- Prou. 6.
mile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod accipiens homo Matt. 13.
ſeminauit in agro ſuo, quod quidem minimum eſt omnibus ſe-
minibus: quando autem creuerit, maius efficitur vniuerſis oleri-
bus, & fit arbor, ita vt veniant volatilia cæli, & ſedeant in ra-
mis eius. nam & hoc innumerabile hominum genus
D volatilibus coæquauit. *Etenim paſſer inuenit ſibi domum,* Pſal. 83.
& turtur nidum ſibi, vbi reponat pullos ſuos. Turturi com-
parauit omnem caſtam eccleſiam, propter multi-
plicem ſapientiæ gratiam. Et quia verum eſt quòd
dicimus, audi Dauid loquentem: *Omnis gloria filiæ re-* Pſal. 44.
gis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietate. Etenim
paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi, vbi reponat
pullos ſuos. Hoc in confeſſione trophæi crucis enu-
triens illuminatos filios ſuos. Huius turturis Hie-
remias mentionem facit, dicens: *Turtur, & hirundo, &* Hier. 8.
cicada: agri paſſeres cognouerunt tempus aduentus ſui. Turtu-
rem dicit omnem caſtam eccleſiam, hirundinem
verò Ioãnem hominũ amatorẽ, cicadam autẽ elo-
quentiſſimum Paulum, eccleſiæ organum. De iſto
nanque turture præcepit Abrahæ Deus, dicens:
Accipe mihi vaccam trimam, & arietem trimum, & capram Gen. 15.
trimam, turturem, & columbam. Huius turturis meminit
ſcriptura in Cantico canticorũ, dicens: *Vox turturis* Cant. 2.
audita eſt in terra noſtra. Vox turturis huius cœleſtem
Chriſti nobis verni temporis ſignificauit aduen-
tum.

Digitized by Google

A

tum. *Vox turturis audita eſt in terra noſtra.* Audiamus igitur huius turturis vocē melleam decantantē: *Nigra ſum*, inquit, *& ſpecioſa, filia Hieruſalem.* Nigra propter priorem præuaricationem, ſpecioſa propter celebrem pœnitentiam: nigra propter luctum ruinæ, ſpecioſa propter ſplendorem baptiſmi glorioſum. *Nigra ſum & ſpecioſa, filia Hieruſalem.* Filias Hieruſalem

Cant. 1.

ſanctas patrum animas dicit. Nigra ſum & ſpecioſa ex gentibus eccleſia, ne conſideretis me vos animæ ſanctæ, ne aſpiciatis in me, quoniam ego nigerrima ſum, quoniam deſpexit me ſol propter priora mea delicta. Et quis eſt ſol qui eam deſpexit, videamus. Ille nimirum, de quo Eccleſiaſtes dicit:

Eccl. 1.

Oritur ſol, & occidit ſol, & ad locum ſuum reuertitur. Ortus eſt nobis ſol iuſtitiæ Chriſtus, de ſancta Maria ſecundùm carnem genitus. Oriens quippe nomen eſt illi: occidit verò quando poſt crucem ad inferna deſcendit. Oritur ſol & occidit, & ad locū ſuum

Ioan. 12.

reuertitur, ipſo dicente: *Cum exaltatus fuero, vniuerſos*

B

Malac. 4.

traham ad me. De hoc ſole iuſtitiæ & Eſaias pronuntiat, dicens: *In diebus illis orietur ſol iuſtitiæ, & ſanitas erit in pennis eius.* Veniente enim ſole iuſtitiæ, Chriſto, ad tactum fimbriæ veſtimenti eius fons profluuij ſanguinis excitatus eſt. *Nigra ſum & ſpecioſa, filia Hieruſalem.* Si qua hîc peccatis anima denigrata eſt, ne timeat, tantummodo pœnitentiam agat, & dicat: Nigra ſum ego, & decora. Et ſi in nouiſſimo ſpiritu eſt, & (vt ita dicam) ſi in extremo halitu poſita, ne formidet, tantùm cum fletu pœniteat, & compuncto confiteatur corde. Ad veſperum enim demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Imitare itaque Ezechiam regem, qui ægrotatione conſtrictus & lectulo decumbens, audiuit ſanctum Eſaiam di-

Eſa. 38.

centem ſibi: *Diſpone domum tuam, quia morieris tu, & non viues.* Conuerſus ad parietem amariter fleuit, & precibus ſuis pœnitens, Deum ad miſericordiam prouocauit, & quindecim ad vitam annorum tempus illicò à Deo promeruit. Si quis eſt hîc cathecumenus, confiteatur peccata ſua, accedat ad Deum, baptizetur in nomine Chriſti: lauacro aquæ regenerationis ablutus, adoptabitur in filium Dei. Si quis eſt hic fidelis, per negligentiam peccator effectus, naturali lacrymarum fonte abluat ſemetipſum, & per bonam pœnitentiæ confeſſionē prouocet, imò inuitet miſericordiam Dei. Si ſic temetipſum adornaueris, ſi ſic animam tuam ad pœnitentiam præparaueris, & contemptam reddideris: ſi correptionibus iuſtis fueris delectatus, amplectetur te ſermo diuinus, & inflammabit mentem tuam, & ad deſiderium te attrahet Dei, & tunc dices & tu, Væ mihi, væ mihi, vulnerata charitate ego ſum. Lege Eſaiam, & in ipſo inuenies quomodo ipſa ſagitta

Cant. 2.

loquatur. *Poſuit*, inquit, *me ſicut ſagittam electam Deus*: verbum dicit, & in pharetra corporis abſcondit me. Iſta ſagitta vulneratus Hieremias dicebat ad

Hier. 17.

Deum: *Ego autem non laboraui ſequi poſt te, & diem humanum non concupiui.* Iſta ſagitta vulneratus mente Da-

Pſal. 62.

uid, dicebat: *Adhæſit anima mea poſt te, me autem ſuſcepit dextera tua.* Iſta ſagitta vulneratus Petrus, dicebat

Ioan. 21.

Chriſto: *Domine, tu noſti quoniam diligo te.* Iſta ſagitta vulneratus Paulus, & cōuinculatus Chriſto, dicebat

Rom. 8.

Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Iſta ſagitta vulnerata omnis caſta eccleſia dicebat: Væ mihi, væ mihi, vulnerata charitate ego ſum. O gemitus de medio cordis amabilis, bonitatis pullulās fōtes: ô gemitus cœleſtem ſponſum Chriſtum ad ſemetipſum adducens! propterea dicit, *Oſculetur me ab oſculo oris ſui*, deſponſata ſum cœleſti ſponſo per legem & prophetas. Ego eccleſiam ex gentibus non iam volo per Moſem, aut Eſaiam, aut Hieremiam, & cæteros vates, ſed ipſe veniat, cum ipſo volo ore ad os loqui: ipſe veniat, & oſculetur me ab oſculo oris ſui.

Deſiderium antiquorum patrum ad Chriſtū.

Cant. 1.

Hier. 17.

Audio Hieremiam dicentem de ipſo: *Graue cor eius præ omnibus, & homo eſt, & quis cognoſcet eum?* Ipſum deſidero, veniat, & oſculetur me ab oſculo oris ſui.

Amos 7.

Audio Amos dicentem de eo: *Ecce homo ſtans ſuper murum adamantinum, & in manu eius adamas*: ipſum quæro, veniat, & oſculetur me ab oſculo oris ſui. At ſicut coniunx amatrix viri abſente marito ſuo per feneſtras circunſpicit, ipſum requirens, & vbique ſpeculans in mari, & in terra: & ſi viderit nauem venientem, ibi ſuum putat eſſe virum: & ſi viderit viatores procul venientes, inter ipſos adeſſe exiſtimat, & occurrens eis interrogat, dicens: Dicite mihi vbi eum dimiſeritis, in qua regione, aut in qua ciuitate, quid dicentem, aut quid facientem, aut quando venientem? In hunc modum omnis ſancta eccleſia conſtricta amore Chriſti interrogat prophetas, Vidiſti eum? putas venit? putas non venit? putas adhuc in cœlis eſt? putas adhuc nonaginta & nouem oues quæ non errauerunt, paſcit in cœlis, & non venit ad erroneam ouem? *Dicite mihi, vbi paſcit, vbi cubat, quem diligit anima mea?* Interrogati Prophetæ per vnum reſpondentes Eſaiam, dicunt:

Ita legunt 70. & Symmach. noſtra editio vulgaris ſic habet: *Ecce dominus ſtans ſuper murum litum & in manu eius trulla cæmentarij.*

Cant. 1.

B

Eſa. 53.

Vidimus eum, ſi tamen ipſum expectas: ſiquidem vidimus eum, & non habebat ſpeciem, neque decorem, ſi viſio eius inhonorabilis, & minorata præ filiis hominum. Reſpondit omnis caſta eccleſia: Ipſe eſt, ipſum deſidero, ipſum quæro, veniat & oſculetur me ab oſculo oris ſui. Reſpōdet ad eam Eſaias: Ipſe eſt, veniet cum dominatione, ecce merces eius cum eo, & opera in conſpectu eius, ſicut paſtor congregat gregem ſuum, & in manu ſua congregabit agnos, & in vtero habentes conſolabitur. Audiens hæc omnis caſta eccleſia, quod manifeſtè de eo narrauerit Eſaias, dicit ad eum: Vbi paſcit, & vbi cubat quem diligit anima mea? Mittit eam ad Ioannem, Vade, inquit, interroga eum, quia ipſe eſt præcurſor eius, & vox clamantis in deſerto, parans viam domini, & dirigens ſemitas eius. Pergit ad Ioannem in deſerto. Dicito, inquit, mihi,

Ioan. 1.

ſi tu es Chriſtus? Reſpondet Ioannes: *Non ſum ego Chriſtus.* Denuo interrogat: *Si tu non es Chriſtus, quare*

C

baptizas? Reſpondit ille: *Ego quidem Chriſtus non ſum, ſed poſt me veniet qui fortior me eſt, cuius non ſum dignus corrigiam calceamenti ſoluere.* Et adhuc tardante eo, dicit ad eum: Væ mihi, væ mihi, vulnerata charitate ego ſum. Et iterum dicit Ioannes ad eam: Suſtine pauliſper, noli ingemiſcere, expecta, iamiámque veniet, ego illum tibi oſtendam. Videt Ioannes eminus venientem dominum, & dicit ad eam: Iam noli triſtari, nec ingemiſcas, quia venit: *Ecce agnus Dei,*

Ibidem.

ecce qui tollit peccata mundi. Et quum audiſſet agnum ab Ioanne, & paſtorem ab Eſaia, hæſitat, & putat, dicens ad ſemetipſam: Cui credam? putas huic, aut Eſaiæ? Videt dominus quoniam dubitat, clamat, &

Ibid. 11.

dicit, *Ego ſum paſtor bonus.* Et vno ſermone ſoluit omnem hæſitationem eius. Accedit illa ſponſum, amplectitur, & oſculatur eum. Et completur quod in Dauid ſcriptum eſt: *Miſericordia & veritas obuiauerunt*

Pſal. 48.

ſibi, iuſtitia & pax oſculata ſunt ſe. Vt autem manifeſtius addiſcamus, quoniam ſponſo ſponſa coniuncta

D

eſt, & ſpirituales factæ ſunt nuptiæ, ipſe Ioannes epithalamium dicit: *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus*

Ioan. 3.

autem ſponſi, qui ſtat, & audit vocem eius, gaudio gaudet propter vocem ſponſi: illum oportet creſcere, me autem minui. Neceſſe, inquit, erat ſicut in nuptiis dotalia ſcribi ſponſæ, charta quærebatur, & ſcriptor, & calamus. Dicit Spiritus ſanctus ad Eſaiam: *Accipe tu ca-*

Eſa. 8.

lamum nouum, & grandem, & ſcribe in eo. Quærebatur calamus, inuentus eſt apud Dauid. Dicit enim de eo:

Pſal. 44.

Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis: Specioſus forma præ filiis hominum, ipſe eam deſponſat, ipſe eam adornat, ipſe eam hortatur & docet, ſicut mos eſt doceri hominibus à pronubis. *Audi filia, & vi-*

Ibidem.

de, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, hoc eſt, diaboli, cui prius ſeruiebas, variis deſideriis & voluptatibus irretita. Ne deſperes, inquit, quoniam ſimilis tui eſt, quoniam dignatus eſt coniungi tibi: quod ſi temetipſam conſideraueris, vnde & quò veneris, concupiſcet rex decorem tuum, quoniam ipſe eſt dominus Deus tuus,

&

Digitized by Google

& adora eum. Si me audieris filia, vultum tuum deprecabuntur diuites plebis: neceſſarium quippe erat etiam quæ ab vnoquoque offerebantur ſcribi, ſeruos videlicet & ancillas, & à Chriſto quidem ſeruus venit Paulus, & Siluanus, & Timotheus ſerui Ieſu Chriſti. Expetũtur & ab ipſa ancillæ. Tranſit Dauid, & dicit: *Adducentur regi virgines poſt eam, proxima eius afferentur tibi.* Fiunt igitur nuptiæ. Venit dominus myſticè in Cana Galilææ. Cana interpretatur poſſeſſio: poſſeſſio autem Dei omne ſeculum eſt. Hic iam ſpirituales celebrat nuptias, hoc eſt Cana Galilææ. Et conueniunt omnes ſancti, & vnuſquiſque ſecundùm vires ſuas dona offerunt ſponſo. Abraham offert vitulum, Sara panes ſimilaceos, Iſaac ligna portat, Iacob hœdos defert, Ioſeph frumenta diſpergit, Moſes lampadam accendit, Eſaias canit, Dauid chorum ducit. Et quia neceſſe erat ad tales nuptias & ſanctas intereſſe mulieres, & ipſas quoque congratulari & canere. Venit Iudith compoſita, & Heſter, & Maria ſoror Moſi tenens tympanum, & dicens: *Cantemus domino: glorioſè enim honorificatus eſt.* Neceſſe etiam erat vt in talibus ipſis laudes & præconia ſcriberentur. Paulus collaudans nuptias, dicit: *Honorabiles nuptiæ, & cubile immaculatum.* Et quia myſticum erat quod dicebat, audi quemadmodum verba Adæ interpretatur, dicens: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adherebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Myſterium hoc grande eſt. Ego autem dico in Chriſto, & in eccleſia*: quod ergo ille interpretatus eſt, nos dubitare non conuenit: ſed oremus Deum, vt & nos gloriam ipſius videre mereamur, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cum quo eſt Deo patri, vna cum ſancto Spiritu honor, gloria, & poteſtas per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ibidem. Ioan. 2. Exod. 13. Hebr. 13. Gen. 2.

QVOD NEMO LÆDITVR, *niſi à ſemetipſo.*

SERMO.

SCIO quòd craſſioribus quibuſque, & præſentis vitæ illecebris inhiantibus, atque his qui per omnia terræ adhærent, & voluptati, propriæq; libidini deſeruiunt, nec ſpiritualem ſenſum capere quærũt, nouus videatur hic ſermo noſter, ac mirus: & deridebunt nos fortaſſe, quòd in ipſa ſtatim tituli fronte inepta ſatis, & quæ nulli videantur veriſimilia, proponamus: ſed non ob hoc nos à propoſito ceſſabimus, quinimò & eo ipſo ad conſignanda, & omnimodis comprobanda quæ promiſimus, perurgebimus, ſi tamen paululum nobis in principiis patientiæ tribuant in quibus abſurda videntur eſſe quæ loquimur, nec in exordiis obturbent dicentem, ſed finem propoſitæ orationis expectent. Scio enim quia poſt hoc nobiſcum ſtabunt, notantes ſemetipſos prioris erroris: & (vt dicitur) palinodiam canent, ac veniam poſtulabunt, pro eo quod minus rectam, minúſque veram tenuere ſententiam: inſuper & gratiam nobis habebunt, ſicut ægri quique medicis recuperata ſanitate. Nolo ergo mihi ingeras opinionem nunc illam, quæ apud te hactenus inueterata permãſit. Sed expecta paululum orationis huius noſtræ luctamẽ: & tunc ſcio quod rectã propoſito negotio ſentẽtiam dabis, vbi ſpinoſis opinionibus, quæ apud te ſunt, rationum quæ à nobis dabuntur falce reſecatis, rectum iudicandi tramitem potueris intueri. Quoniam quidem & iudices ſeculi huius negotiorúmque communium, etiamſi vehementer viderint eum qui primas negotij partes proſequitur, perorantem, & largiſſimis dicendi fontibus inundantem: expectant tamen etiam reſpondentis ad hæc proſecutionem, & audiunt eum cum patientia: nec prima allegatione mouentur ad ſententiam proferendam, etiamſi iuſtiſſima videantur eſſe quæ dicta ſunt. Seruatur enim apud audientiam eorum ſecundò quoque integer dicendi locus: quoniam quidem hæc eſt iudicum diſciplina, prius ex vtraque parte cauſam diligenter agnoſcere, & ita ſententiam promulgare. Igitur quia & nobis in præſenti negotio prima orationis pars proſecuta eſt, inueterata apud plurimos, & radicata multi temporis opinio, quæ omnem pene orbem terræ peragrat, & aſtruit dicens, confuſa eſſe omnia, nec aliquid rectè iuſtéque ſeruari inter homines poſſe. Quotidie enim videmus lædi quamplurimos, & affligi, & opprimi cum omni iniuria: humiles & infirmos à potentibus & fortibus, & pauperiores à ditioribus inuadi: & ſicut non eſt impoſſibile numerare fluctus maris, ita nec hi qui affliguntur, & iniuriam patiuntur, poſſunt numero comprehendi: quibus neque leges vllæ ſubueniunt, neque iudicum metus, neque vlla vis alia morbum hunc ac perniciem poteſt cohibere, quinimò & augetur per dies ſingulos, fletúſque & gemitus malorum ſemper increſcit. Ipſi enim iudices, qui ad hæc reprimenda conſtituti ſunt, grauiores tempeſtates, & pernicioſiores ſuſcitant morbos. Et intantum labes mali huius augetur, vt nonnulli infelices & ſtulti in id inſaniæ proruperint, vt etiam diuinam pro his prouidentiam culpent, videntes eum quidem qui honeſtum & placidum vitæ propoſitum gerit, interdum trahi ad iudicia, vinciri, & perturbari, & pati extrema omnia: proteruum verò & improbum, & peſſimi propoſiti virum augeri diuitiis, potentia, & honoribus cumulari, terribilem omnibus fieri, & innumeris modis excruciare & affligere, ac pedibus (vt ita dicam) conterere bonos & honeſtos viros. Hæc autem iniqua atque iniuſta inæqualitas, non ſolum in vrbibus, ſed & in agris: & non ſolum in terra, ſed & in mari committitur & exercetur. Quum ergo huiuſmodi apud plurimorum mentes feratur opinio, oratione vetuſtæ perſuaſionis aſſerta, neceſſario contra hæc hic noſter nunc introducitur ſermo, agones habiturus, quatenus falſæ huius opinionis quanuis antiquas deiiciat & ſubruat ſedes. Licet ergo, ſicut ſuperius diximus, nouum, quod aſſerimus, videatur, ac mirum, hoc tamen pollicemur, quod volentibus diligenter his quæ dicuntur intendere, & vera hæc noſtra & vtilis inuenietur aſſertio. Hoc ergo eſt quod hic ſermo noſter pollicetur oſtendere (ſed quæſo vos, nullus primo turbetur auditu) neminem poſſe lædi ab alio, niſi à ſemetipſo. Verùm vt planior ſermonis intelligentia & apertior detur, primò diſcutiamus quid ſit hoc ipſum lædi, & erga quam materiam, quám ve ſubſtantiam lædi contingat vnicuique. Sed hoc ita demum lucidius fiet, ſi prius quæ ſit in homine virtus, & vbi ſit, requiramus. Tunc enim verius apparebit, vnde & quomodo ei accidat lædi: & in quo quidem videatur lædi, nec tamen lædatur. Idque etiam exemplis adhibitis clarius demonſtrabimus. Omne quod eſt in rebus, habet aliquid quo corrumpi poſſit ac lædi. Verbi gratia: Ferrum rubigo lædit, lanam tinea, ouium greges lupus, vinum aceti permutatio, dulcedinem mellis amaritudo corrumpit: lolium ſegetibus nocet, grando vineam lædit, virgulta ac diuerſa plantaria locuſtæ ac bruchi exercitus vaſtant, & ſingulis quibuſque corporibus (vt ne in enumerando omnia longius producatur oratio) variæ morborum ſpecies inferunt corruptelam: ſit enim corruptela erga vnumquodque eorum habet, quo noceri poſſit, & ſtatus eius incolumitáſque corrumpi. Requiramus ergo nunc quid illud ſit, quo virtus quoque animi lædatur ac vitietur humani. Alij quidem alia opinantur. Oportet enim nos etiam falſas opiniones adducere in medium, confutatiſque eis, vt ſe veritas habet, edocere, & oſtendere euidenter, quod nocere nobis vera noxa nemo alius poteſt, niſi noſmetipſi. Alij ergo putant, quod

noceat homini paupertas, alij damna aut calumniæ, alij mors, & in his eſſe cunctas hominum miſerias iugiter deflent, multáque miſeratione dignos ducunt eos qui in his poſiti videntur, ac lacrymabiliter conqueruntur, dicentes adinuicem: Quid mali perpeſſus eſt ille? Subito direpta eſt eius vniuerſa ſubſtantia. Et alius rurſus de alio: Ille ægrotat grauiſſima ægritudine, & deſperatur à medicis, Et alius eos qui in vinculis habentur, deflet: & eos alius qui patria carent, & ad exilia propulſi ſunt: alius eos qui in ſeruitutem ex libertate rediguntur: alius eos qui ab hoſtibus deprædati ſunt, atque in captiuitatem ducti: alius eos qui nanfragio decepti ſunt, vel incendio conflagrarunt, vel ruinis oppreſſi ſunt. Iſti omnes planguntur, lugentur & deflentur ab omnibus: hi verò qui malè agunt, & nequiter viuunt, à nullò penitus flentur, ſed quod eſt infelicius, frequenter etiam iſti laudantur ab omnibus, & beati dicuntur: quod certè totius mali cauſa eſt. B Age iam nunc, ſi tamen (vt ab initio deprecatus ſum) nemo obturbet dicentem, oſtendamus quomodo nihil horum quæ ſuprà diximus, nocere prudenti viro poteſt, nec corrumpere animi virtutem. Quid enim, dic mihi, eum qui facultates calumniatoribus, vel furibus, vel latronibus obſeſſus amiſit, huiuſmodi damna læſerunt in animi virtute? Sed, ſi videtur, prius deſcribamus vt propoſuimus, quæ ſit animi virtus, eáque vt euidentius poſſit agnoſci, coniecturam & ſimilitudinem ex corporeis ſubſtantiis capiamus. Et videamus prius, verbi gratia, equi quæ ſit virtus. Numquidnam videbitur in argenteis frenis, pulchríſque tapetibus, ac ſericis flammulis, phaleríſque gemmatis, iubáque aureis intexta funiculis, equi virtus & magnificentia iudicari? an in velocitate curſus, & fortitudine pedum, greſſúſque cautela, ac pectoris firmitate, cæteríſq; quæ aut conficiendo itineri apta ducuntur, aut præliis peragendis, vt C vel interritus hoſtem petat, vel in aduerſis perniciter proprium poſſit ab exitio liberare ſeſſorem? Nónne certũ eſt in his potius equi virtutem quam in illis, de quibus ſupra dictum eſt, declarari? Quid autem & reliquorum animalium? nónne in eo omnis probitas habebitur, ſi vel ferre onera fortiter, vel robuſta poſſunt mouere carpenta? Nunquid volens aliquis probare animal, ad ea reſpicit quæ ei ſuperpoſita viderit: an (vt diximus) ſi membris, ſi pedibus, ſi vngulis validum ſit, inſpiciet? Et item ſi vineam probare volumus, nunquid ad hoc inſpicimus, ſi latos habeat pampinos, aut flagella diffuſa, an illud magis aſpicimus, ſi denſior ei fructus ſit, & vua fœcundior? Similiter & de oliua, atque aliis huiuſmodi arboribus contemplamur. Igitur eodem modo etiam de hominibus agamus, diſcutientes quæ aut vbi ſit vera hominis virtus, & tunc

Virtutis hominis, in quo ſita ſit.

eum lædi putemus, quum in ipſa fuerit læſus. Quæ D ergo eſt virtus hominis? Non ſunt diuitiæ, ne timeas paupertatem: nec ſanitas corporis, ne languorem metuas: nec fama & exiſtimatio humana, ne te hominum maledicta terreant: nec vita hæc communis, ne fortè metuas mortem: nec libertas ne ſeruitutem perhorreſcas. Sed quæ eſt virtus animi? Rectè ſentire de Deo, & rectè inter homines agere. Illa enim omnia quæ ſuprà diximus, auferri ab homine poſſunt, etiamſi nolit: hæc verò ſi habeat, auferre ab eo nullus omnino, nec ipſe diabolus poteſt, niſi ipſe ea qui poſſidet, perdat. Sciebat hunc rerũ ordinẽ diabolus, & ideo quũ expe-

Iob 1.

tiſſet beatũ Iob, omnẽ ſubſtantiã eius perditũ dedit, non vt eum pauperẽ faceret, ſed vt pro his dolens, impium aliquẽ ſermonẽ proferret in Deum. Propterea denique & omne corpus eius afflixit, non vt eum faceret ægrum, in quo nihil lædebatur ſed vt per ægritudinis cruciatum, ſi fortè conſtantia eius fatigari potuiſſet, animi virtute nudaretur. Ob hoc eum numeroſa orbitate percuſſit: ob hoc

A & corpus eius tormentis multò grauioribus, quam ſi carnifices adhibuiſſet, afflixit: non enim ita tortores vngulis latera ſulcarent, vt ille ea vermibus fodit. Ob hoc, inquam, hæc omnia, vt malè aliquid de diuinitate ſentiret. Ob hoc etiam amici qui ad conſolandum venerant inſtigantur ad exacerbandum: aiunt enim: Nondum dignè ſecundum ea quę peccaſti, flagellaris. Et multa alia huiuſmodi, incuſantes eum, loquuntur. Ille autem vrbe extorris & domo, & facultatibus ſimul, affinibúſque nudatus, ſterquilinium pro domo, pro ſtramentis humum, fimum pro indumentis habebat. Sed in his omnibus non ſolùm nihil læditur Iob, verum & clarior per hæc, ac magnificentior redditur. Cum enim cunctis eum facultatibus atque ipſius ſanitate corporis ſpoliaſſet, immenſas ei virtutum diuitias per patientiam congregauit. Neque enim tantæ fiduciæ apud Deum erat Iob, antequam in hoc agone deſudaret. Quòd ſi iſte qui tanta perpeſſus eſt, & ab eo perpeſſus qui omnes homines nequitia & crudelitate præcellit, lædi in animi virtute non potuit: quis erit iam cuius videatur digna excuſatio, cum dicit: Ille me læſit, ille offendit, ille nocuit, ille impediuit? Si enim diabolus, qui omni malitia repletus, commotis vniuerſis viribus ſuis, atque omnibus telis armiſque vel in domum iuſti, vel in corpus eius directis, lædere omnino non potuit: ſed magis eum, vt dixi, glorioſum, & ſpectabilem reddidit: quomodo dignè quis vllum hominem culpauit, quòd ab eo lædi quiuerit, aut noceri? Quid ergo, inquies, non eſt læſus Adam à diabolo, & non Gen. 3. eſt ſupplantatus atque eiectus de paradiſo? Non diabolus eum, ſed ignauia ſua læſit, dum erga obſeruantiam mandati non vigilauit. Nam hic qui tot machinis aduerſus beatum Iob, tótque fraudibus pugnauit armatus, nec tamen eum valuit ſuperare: quomodo vllis horum in Adam prolatis decipere potuiſſet, niſi per ignauiam ſuam ſemetipſum ſponte perdidiſſet? Sed dices: Quid ergo? qui calumniis circumuentus proſcribitur, & amittit vniuerſam ſubſtantiam, non eſt læſus, quum paternis nudatus bonis, vltima egeſtate cruciatur? Non: imò verò non ſolum læſus non eſt, ſed & lucri aliquid capiet, ſi vigilauerit. Quid enim, dic mihi, apoſtolos Chriſti penuria rerum corporalium læſit? Nónne in fame, & ſiti, & nuditate degebant, & pro his clari magis & magnifici habebantur, atque ingentem per hæc fiduciam quæſierunt apud Deum? Quid autem & Lazarum? nónne ægritudo, & vlce- Luc. 16. ra, & egeſtas vltima ad beatitudinem perduxit? & afflictio huius mundi coronas ei in æternum parauit? Quid verò Ioſeph? nónne quòd opprobriis domi & peregrè repletus eſt, eoúſque vt adulter Gen. 37. putaretur, & quod ſeruituti ſubiectus eſt, parentibus & domo extorris effectus? Nónne ob hæc ſingula in admiratione eſt omnibus apud homines, & in magna gloria apud Deum? Sed quid de exiliis, & paupertate, & opprobriis illatis loquor? & quod in ſeruitutẽ redacti ſint mirabiles viri? Mors ipſa, dic mihi, quid nocuit iuſtiſſimo illi Abel, & mors amara, & acerba mors, parricidio illata, non homicidio? Gen. 4. Nónne ob hoc in omni orbe terrarum canitur & celebratur Abel? Vides quomodo amplius oſtẽdit noſtra hæc etiam quam promiſit oratio. Non ſolùm enim hoc aperuit, quod promiſimus, quia nullus lædatur ab alio, ſed & quod lucra maxima capiant ſancti homines in his quibus videntur affligi. Cur ergo, ais, pœnæ, & ſupplicia, cur gehenna, quam ob cauſam minæ tam multæ, ſi nemo lædit, & læditur nemo? Noli confundere & permiſcere ſermonem: neque enim diximus, quia nemo lædit, ſed quia nemo læditur ab alio. Et quomodo, inquis, erit iſtud, ſi lædunt aliqui, vt nemo lædatur? ita vt iam oſtendimus. Nam & Ioſeph læſerunt fratres ſui, & iniquè egerunt in eum, ſed ipſe læſus non eſt: & in Abel iniquè egit Cain, inſidiatus eſt enim ei, ſed

ipſe

Digitized by Google

ipſe non eſt læſus, nec mali aliquid paſſus : ob hoc ergo pœnæ & ſupplicia. Non enim patientiæ virtus eorum qui patiuntur illorum crimen abſtulit, qui impio propoſito iniuriam proximis irrogarunt. Quamuis enim ipſi clariores effecti ſint per tolerantiam, non tamen illi eximũtur ſcelere per propoſiti ſui malitiam. Et ideo quidem illos virtus animi extollit ad gloriam: iſtos verò malitia animi demergit ad pœnam. Meritò igitur à iuſto iudice Deo illis quidem qui conſtanter philoſophati ſunt, & ad palmam victoriæ peruenerunt, regnum paratur: his autem qui in nequitia propoſiti perdurarunt, gehenna deputatur. Propter quod, ſi ablatæ tibi ſunt facultates tuæ, dic: *Nudus exiui de ventre matris meæ, nudus & hinc abſcedam*. (Iob 2.) Adde & illud apoſtolicum: *Nihil intulimus in hunc mundum, ſed nec auferre quidem quid poſſumus*. (1.Tim.6.) Audiſti te maledici, infamari apud homines, & contumeliis onerari: recordare & ante oculos pone verba domini, quibus ait: *Væ vobis, quum bene vobis dixerint omnes homines*. (Luc.6.) Et iterum: *Gaudete & exultate, quum eiecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter filium hominis*. (Matt.5.) Expulſus es patria & domo, recordare quia non habemus hic patriã manentẽ ſed futurã inquirimus. Quid ergo te putas patriã perdidiſſe, qui in tota terra peregrinus es? Sed & ſi ægritudinẽ incurriſti grauiſſimam, vtere illo apoſtolico ſermone quo ait: *Nam & ſi is qui foris eſt homo noſter, corrumpatur: ſed qui intus eſt, renouatur de die in diem*. (2.Cor.4.) In carcere cõcluſus es, & mors crudelis imminet: intẽde adhuc ante oculos Ioannẽ in carcere ceruicibus cęſum, & tãti prophetę caput ſaltatrici puellæ in mercedẽ libidinis datũ. (Matt.14.) Hæc ergo ſingula quũ inferuntur iniuſtè, tu non conſideres eorum quæ inferuntur iniuriã: ſed eorum quæ pro his retribuẽtur, perpende gloriam: non ſolũ enim peccatis abſoluitur qui hæc patitur, ſed & iuſtitias acquirit: tantum eſt vt fides eos conſtantiaque non deſerat. Quum ergo neque damna facultatum, neque calumniæ, neque opprobria, neque exilia, neque ægritudines & cruciatus, neque ipſa mors, quæ videtur omnium horum eſſe grauior, lædat homines, quinimò & iuuet, clarioréſque reddat: vnde iam probabis lædi aliquem poſſe, quum ex his omnibus non lædatur? Verum ego & amplius adhuc quid aſſignare tentabo: quia illi ſoli læduntur, qui lædunt, & nulli alij nocet noxa quam cæteris inferunt, niſi ipſis qui inferunt. (Illi ſolum læduntur qui lædũt.) Quid enim, dic mihi infelicius erat, quàm Cain? Mors enim illa quæ manibus eius fratri illata eſt, illum quidem iuſtum reddidit per ſecula: ipſum verò qui intulit, haberi fecit per ſecula parricidam. Quid etiam Herodiade miſerius, quæ caput Ioannis exhiberi ſibi deſiderauit in diſco, vt ſuum caput perpetuis gehennæ ignibus flammiſque demergeret? Quid etiam ipſo diabolo deterius, qui nequitia ſua ita clarum reddidit Iob, vt quantò illi gloria, tantò huic creſceret pœna? Vides quomodo & in his plus multò, quàm polliciti fueramus, oſtenditur? Claruit enim non ſolùm neminem lædi ab his qui iniurias inferunt, ſed & illos tantummodo lædi, & malè pati, à quibus irrogantur iniuriæ: quoniam quidem neque diuitiæ, neque libertas, neque ſanitas, neque alia huiuſmodi quæ ſupra memorauimus, propria bona hominis ſunt, ſed ſola virtus animi. Et ideo quum erga ea quæ extrinſecus ſunt, damnum, aut afflictio vlla ſuperuenit, non læditur homo: quia omne bonum eius in animi virtute conſiſtit. Quid ergo, ais, ſi in ipſa quis animi virtute philoſophatur, & læditur? Nequaquam: in his enim ſi lædatur, non ab alio læditur, ſed à ſemetipſo. Quomodo, ais, à ſemetipſo quis læditur? Si quando verberatus ab aliquo, vel facultatibus ſpoliatus, aut alio quolibet modo afflictus, blaſphemum & impium ex ore ſuo protulerit verbum: læſus in hoc, & valde læſus eſt, non tamen ab alio, ſed à ſemetipſo, per impatientiam ſcilicet ſuam. (Iob 1.& 2.) Intuere enim (ſicut & ſuperius di-

A ximus) quanta perpeſſus ſit Iob, non ab homine aliquo, ſed ab eo qui omnium hominum ſceleſtior eſt & crudelior. Quòd ſi ille immanis & cruentus, tot machinis, tot fraudibus adhibitis, totque ſuppliciis non potuit cogere vt peccaret Iob labiis ſuis ante dominum, & hoc quum neque legem Dei accepiſſet Iob, neque redemptionis Chriſti ac reſurrectionis eius fuiſſet gratiam conſecutus: quantò magis tu his omnibus munitus, ſi velis, & ex fide auxilium Dei implores, non poteris ſuperari? (2.Cor 11) Vide enim Paulum quanta paſſus eſt, quæ etiam numerare difficile eſt, carceres, vincula, verbera, flagella, ſupplicia, à Iudæis lapidatur, virgis cæditur, præcipitatur, latrones incurrit, ab inimicis & à falſis fratribus inſidias perfert: intus timores, foris pugnas patitur: famem, nuditatem, calumnias, inſidias, tribulationes, beſtias tolerat: & quid opus eſt multa dicere? quotidie moritur, & tamen in his omnibus non ſolum nihil blaſphemum ex ore ſuo profert, ſed & gaudet, & gloriatur, atque exultans dicit: *Gaudeo autem in paſſionibus meis*. (Coloſſ.1.) & iterum: *Non ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus*. (Rom.5.) B Si ergo hic tanta patiens gaudebat & gloriabatur: quæ erit venia, quæ excuſatio his qui pro paruis iniuriis, vel verberibus, aut qualibuſcunque tribulationibus, quæ vtique illis longè inferiores ſunt, blaſphemant? Sed & aliter, inquis, lædor: ſi enim non blaſphemauero, facultates meæ auferẽtur, & ero iã inutilis ad miſericordiã faciendam. Occaſiones ſunt iſtæ, & nõ bonæ. Si tibi opera miſericordiæ & eleemoſynæ cordi ſunt, audi: quia paupertas non impedit hominem ad miſericordiam faciendam. hominem dico miſericordem. Quamuis enim pauper ſis, erunt tibi duo minuta, quæ cum obtuleris, ſuper omnem diuitum cenſum reputabuntur tibi, & erit tibi manus plena farinæ, quæ ſufficiat tibi adpaſcendum prophetam. C Quòd ſi defuerint etiam hæc, nunquam tibi, crede mihi, deerit calix aquæ frigidæ, ex quibus omnes diuitias effuſas pro miſericordia ſuperabis. Mentem nanque miſericordem Deus requirit, non pecuniæ quantitatem. Vides ergo quia nec in hoc quidem damnum paſſus es, quòd perdideris facultates, quinimò & lucri plurimum: nam & coronas immortalitatis, quas alij multa largiendo mercantur, tu duobus minutis (vt diximus) aut pretio aquæ frigidæ comparaſti. Hæc quidem his qui veritati ſtudent, & ſalutis ſuæ curam gerunt, manifeſte euidentérque patuerunt: apud eos autem qui voluptatis vinculis alligati ſunt, & quos obtinet libido captiuos, quibúſque omnis vita in luxuria teritur, ſuperflua videntur hæc & inepta, quoniam quidem ſumma auiditate amplectuntur vmbras, & ſtringunt ventos. Hæc enim quæ eis videntur carnis & ſeculi bona, è manibus eorum tanquam ventus & vmbra effugiunt ac labuntur. D Et ideo, ſi videtur, aperiamus etiam ipſis interiores rerum cauſas: & imagine hac qua decipiuntur, ablata, ipſam eis interiorem impuræ huius & immundæ meretricis, quam complectuntur, faciem reuelemus. Meretricem nanque ego appello vitam hanc, quæ in deliciis, & affluentia diuitiarum, & huius ſeculi potentia ac voluptate tranſigitur. (Mundus eſt meretrix.) Et non ſolùm meretricem eam nomino, ſed & turpiſſimam atque obſcœniſſimam meretricem, cuius facies fœda, horrida, aſpera, amara, crudelis, & in hoc maximè eſt, in quo ſine venia habendi ſunt cuncti quos decipit. Quòd cum tam turpis ſit vultus eius, & fetus, & tam barbarus ac truculentus, multi tamen ab ea capiuntur. Et cum videant apud eam cruenta omnia, periculis, mortibus, præcipitiis plena: cũq; ſtipari eam cernant ſodalibus peſſimis, cõtumeliis dico, opprobriis, liuore, inuidia, inſidiis, criminationibus, & pernicioſiſſimis curis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis huiuſmodi infauſtis conſortibus, velut anguium corona circũdari: fructum

verò

Digitized by Google

verò in his nullum alium, niſi interitum eſſe, & perniciem pœnamque perpetuam: expetitur tamen à pluribus, & amabilis habetur atque exoptabilis. Tanta namque eſt eorum qui decipiuntur ſtoliditas, vt cum eos ratio nulla ab hoc interitu reuocet, nec euidentia quidem indeſinenter percuntium exempla deterreant. Non ergo iſtos ſtolidiores multò, quàm paruulos iudicém, quos puerilis ludus, vbi aut circulus voluitur, aut turbo vel trochus verberibus agitatur, & longis porticibus per curua ſpatia rotatur, ita intentos & inhiantes puerilibus annis tenet, vt auelli inde nullatenus queant, ignorantes penitus per ætatis fragilitátem, nihil in illo ludo vtilitatis, nihil perfecti operis haberi? ſed pro illis ſatisfacit ætas immatura. Iſti quid habebunt excuſationis, qui in ætate perfecta puerilem, imò & puerili imbecilliorem ſententiam tenent? Cur ergo, quæſo te, videntur appetendæ diuitiæ? Hinc namque incipiendum puto: quia, inquit, & ſanitati, & vitæ ipſi, & famæ, & patriæ, & propinquis, & amicis, & omnibus omnino quę ſunt, commodiores eas eſſe pluribus viſum eſt. Et iſta ſententia non ſolùm terra marique ſeruatur, ſed vſque ad ipſas iam nubes aſcendit ac ſydera. Noui & ego quòd non tam iſta ſententia, quam flamma eſt, quæ & iſtum vaſtat orbem terrarum: & qui extinguat quidem, nullus eſt: qui accendant verò, & magis magiſque inflamment, multi ſunt, Omnes enim fauent huic malo, non ſolùm illi qui ab eo capti ſunt, ſed & qui nondum illuc videntur ingreſſi: & vnumquemque hominē videas, ſeu vir ſit ille, ſeu fœmina, ſeruus aut liber, diues pauperve, pro viribus ſuis incendio huic materiam atque onera cōportare, & die ac nocte in eius miniſteriis vigilare. Onera autē dico non ligni aut fœni: non enim talis eſt flamma quæ iſta cōſumat, ſed animæ ſuæ & corporis iniqua & iniuſta ei opera deferunt, his enim accenditur ignis iſte, & his paſcitur. Nam & ipſi diuites, etiamſi totum orbem poſſibile eſſet poſſideri à ſingulis, adhuc tamen in deſiderio eius arderent. Pauperes verò dum cupiunt diuitibus exæquari, inſanabilē rabiem patiuntur, inſaniunt, furiunt & idem morbus diuerſos ſingulis generat languores. Intantum amor pecuniæ omnem animam fatigat, vt neque amicitiarum, neque propinquitatis, interdum etiam nec coniugis, aut filiorum amori det locum, quibus affectibus inter homines nihil præfertur: amor tamen pecuniæ omnia hæc humi deiicit, & pedibus conculcat: ita velut fera quædam, & crudelis domina omnium corda poſſidet, & tyrannica dominatione deuincit. Sæuit vt barbarus, feruet crudeliter vt tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix, nuſquam miſeretur, nuſquam pudet: adeſt vbique dura, vbique terribilis, dira, inclemens, impia, truculenta: & cum lupis & vrſis, ac leonibus ferocius ſæuiat, ſuauis tamen hominibus videtur, & amabilis. Et quid dico ſuauis? Melle ipſo, & fauis dulcior. Cumque his, qui eam deſiderant & exoptant, gladios acuat, quotidie foueas & præcipitia paret, ſcopuliſque eos mille, & mille naufragiis illidat: expetitur tamen ab eis, ac deſideratur, & quæritur, ac per innumeras mortes ſuas lætantur ſe aliquando ad eius ſaltem ianuam perueniſſe. Volutari namque in cœno eius tanquam ſues delectantur, & vt canthari ſtercus eius euoluere. Tales quodammodo omnes, qui auaritiæ huic manus dederint, infeliciores & turpiores etiam iſtis immundiſſimis animalibus fiunt. Et hæc eſt maior rei huius infelicitas, quod quantò magis in his ſordibus volutantur, tantò maiorem in his capiunt voluptatem: idque non rei natura, ſed voluntatis vitio patiuntur. Quomodo ergo ſanabimus mentes huiuſcemodi languoribus occupatas, niſi vellent nobis aurem paululū commodare, atque animos ad audienda dare, & ſuſcipere quæ dicuntur? Irrarionabilia namque illa, quę diximus, vt muta animalia, quæ ſe in huiuſcemodi ſordibus volutant, transferri ab his non poſſunt, vtpote intellectu & ratione carentia. Nobis verò ſermo nunc ad homines habetur, quibus intellectus, & ratio diuino munere data eſt: tantum eſt, vt audire velint, facile, & abſque multo labore de cœni huius de fœtore & indignitate ſtercoris poterunt liberari. Agè ergo iam nunc quaſi ad homines loquentes, & percontemur ab eis, cur expetendæ videantur eſſe diuitiæ? Reſpōdebunt ſine dubio, propter voluptatem primò vitæ, & delicias corporis: tum deinde & propter honorē, qui habetur in vita, atque officia quæ ab hominibus diuitiarū contemplatione deferuntur: & pro eo quod poteſt facile vlciſci, qui diues eſt, in eos qui iniuriā inferre tentauerint, vt & timori ſit cæteris. Puto quod alias, exceptis his, cauſas nō habeas, voluptatis dico, honoris, officiorū, timoris, vltionis. Nam neque ſapientiorem, neque temperatiorem, neque clementiorem, neque prudentiorem diuitiæ facere hominem poſſunt: non benignum, non placidum reddunt: non denique iracundum aliquando in manſuetudinem commutarunt, nec incontinentē continentiam, nec voluptuoſum ſobrietatē, nec inuerecundum verecundiam docuerunt: neque aliud aliquando virtutis genus animæ per diuitias acquiſitum eſt. Quòd ſi virtutibus animi nihil conferunt, nec meliorē hominem ſecundùm virtutū titulum reddunt: dic quęſo, quam ob cauſam expetendæ videantur eſſe diuitiæ? Imò verò non ſolū nihil virtutis animo conferunt, ſed & ſi paratum aliquid & reconditū inuenerint, ſubruunt, & econtrario vitia pro virtutibus introducunt: ipſarum enim pediſſequa eſt luxuria, ira, intemperantia, furor, iniuſtitia, arrogantia, ſuperbia, omniſque irrationabilis motus. Sed de his ſuis locis reſeruemus, quoniam quidem non libenter hi qui huiuſmodi ægritudine innexi ſunt, ſermonem de virtutibus ac vitiis audiunt. Partes enim luxuriæ agunt, & nihil aduerſus eam patiūtur audire. Hinc ergo interim ſermo moueatur: ſi eſt omnino in diuitiis aliquid quod delectare poſſit, aut ſi eſt in illis aliquid honoris. Incipiamus itaque, ſi videtur, à cōuiuiis, & à menſarum affluentia. In his enim diuitiarū magnificentia pręedicatur. Cōferamus menſam diuitis, & mediocris, & diſcutiamus vtroſque conuiuas: qui magis quæſo ſint, qui puram veramque vtriuſque mēſæ capiunt voluptatem? Illi namq; toto die attritis & laſſeſcētibus cubitis recumbūt, & cœnas prandiis iungunt, quique ventris diſtenſione rumpuntur, atque oppreſſione ciborum ſuorum premuntur: in quorum corpore vini inūdatione, velut naufragij cuiuſdam fluctibus obruta anima necatur, vbi neque oculus, neque lingua, neque pes propriis deſeruit officiis: ſed omnia membra corporis vini vinculis iacent vincta grauius, quàm catenis: vbi nō ſopor eis ipſe ad quietem datur, neque ad ſalubritatem cedit, ſed exterriti ſomniis, inſanientibus & furētibus deteriores fiunt, & quaſi ſponte dæmones ſuperducant animæ ſuæ, riſus, & ſpectaculū omnibus, etiam ipſis famulis ſuis fiunt: nihil agnoſcunt eorum quæ videntur, nihil ſentiunt, nihil norunt, dicere aliquid & audire non poſſunt, ſed latera fœdiſſima portantur de accubitis ad lectos. In talibus igitur conuiuiis magis voluptas eſt, an in illis vbi cibus potuſq; tantus eſt, quantus famem depellat ac ſitim? Hunc modum vitæ natura docuit, illū corruptela libidinis inuenit. Ideo denique in hoc etiā ſanitas adeſt, & ratio permanet, & honeſtas cum ſobrietate perdurat, nec grauatum corpus atque oppreſſum leuatur de conuiuio, ſed adiutum potius, atque auctum viribus, totaque alacritate ſubnixum ſurgit incolume. Quod ſi tibi parum fidei habere ſermo noſter videtur, vtrorumque corpora & animos conſidera: & inuenies illa magis robuſta, & valida, ac ſucci plena, quæ mediocribus ac ſimplicibus

Auaritiæ tyrannis

Sobrietatis laus.

vtuntur alimoniis. Nec mihi nunc adducas in medium, ſi qui fortè ex accidenti ægritudine, aut qualibet debilitate fatigantur. Alia eſt iſta cauſa, & aliàs in tempore requirenda. Hi verò qui in deliciis, & luxuria vitam ducunt, reſoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt; atque agmine quodam infirmitatũ repleta, quibuſque ad cumulum malorum podagræ, tremor, & immatura ſenectus accedit, & eſt eis vita ſemper cum medicis & medicamentis: ſenſus autem ipſi tardi, graues, obtuſi, & quodammodo iam ſepulti. Et ſi aliquid voluptatis, aliquid iucunditatis habent: quis hæc iucunda dicat & grata, qui tamen nouerit, quid ſit iucunditas & voluptas? A prudentibus enim ita definitur, quia hæc ſit ſola voluptas, cum quis deſideriis ſuis fruitur. Vbi verò frui deſideriis nõ poteſt, dum vel ægritudo non finit, vel ſatietas ipſa deſiderari non facit, quæ oneroſa efficit abundantia: ſine dubio & voluptas eis pariter, & iucunditas perit. Denique conſidera ægros, qui faſtidio perurgentur: quomodo, quamuis ſuaues eis & lauti apponantur cibi, horrori tamen eos magis accipiunt, quam voluptati. Sic ergo cùm per abundantiam cupiditas fuerit extincta, pariter & voluptas ac iucunditas perimitur: quia non tam ciborum gratia, quam deſiderij gignit ſatisfactio voluptatem. Vnde & ſapiens quis, atque in horum diſciplina philoſophari bene ſciens, aiebat: *Anima in ſatietate poſita, fauis illudit.* Oſtendens etiam ipſe, quia voluptas non in natura, vt diximus, ciborum, ſed in deſiderij vigore conſiſtit. Propter hoc & Propheta mirabilia enarrans, quæ in Ægypto geſta ſunt, quæque in eremo, inter cætera etiam hoc dicit: *De petra melle ſaturauit eos.* Equidem nuſquam inuenimus mel fluxiſſe de ſaxo: quid ergo eſt quod dixit? Quoniam quidem poſt multã itineris fatigationem & laborem ſitientes, aquis frigidis è ſaxo fluẽtibus fruebantur, eaſq; multo cum deſiderio hauriebant. Hoc ipſo ergo quod dulciſſime & deſiderabiliter potãdi cupiditas explebatur, aquas illas mel appellauit: non quod natura aquarũ fuerit commutata, ſed quod dulcedo poculi, inſtar mellis ſitiẽtibus & deſiderantibus obtineret dulcorem. Igitur cùm hæc ita ſint, nec dubitari à quoquam de his poſſit, niſi ſit aliquis aut contentioſus, aut ſtultiſſimus: nónne palàm eſt, & in propatulo, quòd ſimplicior victus, & menſa mediocris plurimum iucunditatis habeat & voluptatis: econtra verò diuitum menſæ execrabiles quidem & horridæ, ac morborum & contaminationis plenæ: & ſicut ait quidam prudentium, in quibus moleſta ſunt etiam ea quæ delectabilia videntur?

Prou. 27. *Pſal. 80.*

Diuitiarũ vanitas.

Sed honores, inquiunt, conferunt diuitiæ, & in inimicos vltiones facilius præſtãt: & ob hoc videbitur neceſſarium eſſe opus diuitiarum, quia vitiis miniſtrant, & iræ tribuunt effectum, atque inanes ambitionum bullas inflant amplius, & extollunt in maius, quodque ſuperbiæ malum tumidius erigunt: imò potius pro his omnibus maximè erant fugiendæ diuitiæ. Hoc eſt enim feras quaſdam beſtias in animis ſuis homines ſponte collocare, & in pectoribus ſuis nutrire. Et iterũ diuitiæ ſuadent, vt honore quidem vero cœleſtique careatur: falſum verò hunc veri illius colore ſolum quodã, & ſimulata imagine fucatum requiri honorem, non veritate, ſed nomine. Sicut enim plerunque meretricis vultus, cùm turpis & fœdus eſt per naturã, fucis & coloribus pigmentatus, proſtituitur ad decipiẽdos eos, qui ignorant quæ fœditas ſub velamine fuci illius contegitur: ita & diuitiæ faciunt, cùm adulationem volunt honorẽ videri. Neque enim voces illæ populi, per quas iudicibus acclamatur, ex veritate proferuntur, ſed & ipſæ ſunt quibus fucatũ nomen honoris depingitur. Nam ſi conſciẽtias interroges acclamantium tibi, inuenies apud vnumquemque eorũ mille te capitibus accuſari. Deniq; vbi metus ceſſauerit poteſtatis, & publicæ pompę fuerit ſcena reſoluta, tunc videas quanti oblatrantes, quanti obloquentes, quanti inſimulantes: & hi omnes ex illis ſunt, qui prius acclamabãt, & immenſis te laudibus extollebant: hæc tu honorem dicis? & hæc diuitiis quærẽda credis, quæ etiamſi ſponte adeſſent, recuſanda erant? plus enim odij, quàm amoris acquirunt. Sed ſi vis tibi oſtendam honorem verum. Honor verus, virtus animi eſt. Hic honor neque à Cæſaribus præſtatur, neque adulatione cõquiritur, neque pecunia præparatur: nihil fucati in ſe habet, nihil ſimulati, nihil occulti: huius honoris ſucceſſor nullus eſt, accuſator nullus, nullus ingratus: hic honor temporibus non mutatur, nec tyrannos patitur, nec picturam tabulæ metuit aliquando delendam. Sed vindictam, inquis, inimicorum ſumere non poſſum. Hæc verò eſt maxima cauſa, & præcipua: quia execrandæ diuitiæ ſunt, & amanda paupertas: iſtum enim gladium, quem dicis, aduerſum te acuunt: faciunt enim te præuaricatorem mandati illius, quo dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit dominus.* Vis autem videre quantũ mali habeat vindictæ cupiditas? miſericordiam Dei aufert ab homine, & conceſſam iam gratiam infringit ac reuocat. Scriptum eſt enim in euangelio, quòd is qui multorum talentorum debitor fuerat, & veniã precatus à domino, impetrauerat, cum conuerſus ad ſeruum ſuum, qui ei parũ pecuniæ debebat, hoc eſt qui in eum parum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam ſcilicet ſumere, & ob quod immitis fuit erga indulgentiam conſerui, ipſe de ſe ſententiam tulit, vt non ſolum iam conceſſa non frueretur indulgentia, ſed & tortoribus traderetur, atque vniuerſam debiti ſummã cum ſuppliciis pœnaq; perſolueret: & ita pro vindictæ deſiderio munus diuinæ perdidit indulgentiæ. Prò his, quæſo te, videntur expetendæ diuitiæ, vt tibi facilior via pateat ad interitum? Nónne pro his maximè oportebat eas veluti inimicum grauiſſimum, & hoſtẽ peſſimum, ac totius mali authorem vitari? Sed paupertas, inquis, difficile negotium eſt: interdum enim & blaſphemare cogit homines per penuriam, & multa inhoneſta & indigna committere. Non paupertas hæc, ſed puſillanimitas facit: nam & Lazarus pauper fuit, & valde pauper, cuius paupertati addebatur etiam ægritudo, & ægritudo amariſſima, quæ ipſam paupertatem redderet duriorem, cùm & vis morbi ſolatia multa depoſceret, & nullum penitus paupertas poſſet adhibere. Horum enim alterum, etiamſi ſolum ſit, graue eſt, & doloribus plenum: cùm autem ſimul iunguntur, nec adeſt qui ſubleuet, intolerabile efficitur malum. Ignis inextinguibilis, & dolor ſine remedio, tempeſtas plena naufragiis, animę ſimul, & corporis flamma. Erat tamen huic beato his omnibus malis aliquid adhuc amplius, vicinitas diuitis epulãtis luxurioſè: & adhuc magis ac magis etiam inde in eum tormenta cumulantur, quod & ad ianuã iacebat epulantis, vt eum multò amplius excruciarent opes in oculis poſitæ, quæ vetabantur, quàm illæ quæ per penuriam deerant. Multò enim grauius affligit animam, quod cogitur carere bonis quæ videt, quam his egere, quæ non videt. Verùm ne his quidẽ flectitur diues ille crudelis, ſed ſibi quidẽ præparari menſam ſolitis copiis iubet, & ornari miniſteria, vina diffundi, coquorum exercitus, & alios miniſtrorum cum paraſitorum turmis duci, & cantorum ſtatui cateruas, nec in aliquo luxuriam temulentiamque fraudari: pauperem verò Lazarũ dira fames, & amaræ ægritudines vaſtabant, miniſter verò nullus, nec vllum miſero ſolatium ex menſa diuitis, quæ paraſitos & luxurioſos vſque ad diſtenſionem & crapulam ſatiabat: ne micæ quidem quæ proiiciebantur, ad Lazarũ veniebant fame periclitantẽ: & tamen ita pertulit hanc tam dirã, tamq; teterrimã paupertatem, vt neq; amarũ ſermonem, neq; blaſphemiæ verbũ proferret & illicitum: ſed ſicut aurũ vehementius

Deut. 32. *Rom. 12.* *Lucæ 16.* *Lazari & diuitis cõparatio.*

ignitum, purius & ſyncerius redditur: ita etiã ille paſſionibus & cruciatibus examinatus, clarior & ſplendidior per patientiam reddebatur. Etenim ſi videntes tantũmodo diuites quoſque affliguntur humiles, & tabeſcũt ac diſtẽduntur inuidia, & vita ipſa amarior redditur, etiãſi neceſſarius eis non ſit cibus, etiamſi mediocria videantur habere miniſteria: quid verò paſſus Lazarus, qui ita erat pauper, vt nullus alius fuit: & non ſolum pauper, ſed æger, vt nullus alius æger fuit? Et qui nullũ omnino non dicã miniſtrum, ſed nec ſolatium quidem habuit in medio ciuitatis, vt in vltimis agens deſertis, famem patiens, omnium rerum penuriam habens; ſed plus ex abundantia vicinitatis eſuriens? Videbat enim diuitem copiis tanquam fontibus & fluminibus inundãtem, ſe verò ab hominibus quidem refrigerium nullum capientem: ſolis verò canibus iacere miſerandum: ita enim erat ægritudinẽ reſolutus, vt nec ipſos quidẽ canes valeret abigere. Hic ergo niſi fuiſſet ſummæ philoſophiæ, quomodo hæc omnia tam patienter, tamque fideliter pertuliſſet? Vides quoniã qui ſeipſum non læſit, à nullo potuit lædi. Iterabo & repetam promiſſionis meæ ſermonẽ. Quid ergo, dic mihi, morbus corporis? quid penuria rerũ omnium? quid irruentes vlceribus canes? quid vicinitas auari diuitis ac ſuperbi lædere potuit athletã Dei? aut in quo ex iis omnibus reſolutus, aut fractus eſt ab animi virtutibus? Nihil omnino, quinimò & anguſtiis rerũ magis ſolidatus eſt, & hinc illi coronæ paratæ ſunt, vnde infelicior putabatur: inde ei palma victorię, inde æterna remuneratio, vnde cruciatus multiplicabatur, & iniuria. Fames illa abundantiam præparabat futurorum bonorũ, ægritudo illa vitã conciliabat æternam: vlcera illa quæ canes lambebãt, ſplendorem gloriæ per angelos miniſtrandum ferebant. Inhumani & crudelis diuitis deſpectus, atque ad ianuas eius cubile contemptum, patris ei Abraham piiſſimos ſinus, & beatitudinis eius conſortia promittebant. Quid verò apoſtolus Paulus (non enim abſurdum puto iterum viri huius facere mentionem) nonne innumeris tentationum ſubactus eſt imbribus? & quid ex his omnibus læſus eſt? nõne per hæc glorioſior factus eſt? Quid enim fames, quid frigus, aut nuditas, quid flagella, quid verbera, quid ſaxa nocuerunt? Quid detrimenti in naufragiis, quid in profundo maris paſſus eſt? Nonne permanſit ſemper idem Paulus, & idem vocatus apoſtolus? Econtra autem Iudas vnus fuit & ipſe de duodecim, & vocatus apoſtolus Chriſti: ſed neque quod vnus ex duodecim fuit, neque quod vocatus apoſtolus dictus eſt, prodeſſe ei quicquam potuit, non habenti animũ virtutibus deditum. Sed Paulus quidẽ cum penuria & plagis cucurrit curſum, qui ducit ad cœlum: ille verò cum & prior vocatus eſſet in apoſtolatum, & ſimili cum cæteris gratia donatus, cœleſtemque edoctus eſſet philoſophiã, & ſacræ Chriſti mẽſæ, venerandique ſacramẽti particeps extitiſſet, habuiſſet etiam donũ Spiritus ſancti, ita vt mortuos ſuſcitaret, & leproſos curaret, ac dæmones effugaret: cumque de contemptu rerum ſecularium frequẽter fuiſſet edoctus, adhærens lateribus Chriſti, atq. ingentium ſibi eſſet cõmiſſa diſpenſatio, quò ſcilicet auaritiæ per horum latens in eo vitiũ ſanaretur (erat enim fur:) tamen nec ſic quidẽ proficere in melius potuit, cùm erga eum tot tantiſque prouiſionibus dominus vteretur. Sciebat enim Chriſtus, quod auarus eſſet Iudas, & pro amore pecuniæ periturus: & non ſolùm non arguit eum pro hoc vitio, ſed & latentibus medicamẽtis curare voluit, ipſi cõmittens diſpenſationem pecuniæ, vt habens in manibus quod deſiderabat, pernicioſa paſſio expleta cupiditate ceſſaret: nec decideret in illã mortis foueã, ſed minoribus malis maiora reprimeret. Sic in omnibus qui ſemetipſum non læſerit, ab alio non poteſt lædi: & rurſus, qui ſeipſum corrigere &

A emendare noluerit, & quod in ipſo eſt atque in poteſtate eius explere, nullus ei extrinſecus proderit. Præterea denique ſcriptura diuina tanquã in imagine quadã latiſſima & ampliſſima veterũ vitas & geſta depingit, ab Adam vſque ad Chriſtum generatione producta, vt tibi oſtenderet aliorũ lapſus, & aliorum coronas, & ex vtroque erudiret doceretque te: quia niſi quis ſeipſum læſerit, ab alio nõ poteſt lædi: etiamſi omnis contra eum coniuret orbis, etiamſi permutatio rerum ac temporũ fiat, etiamſi potentium & principum contra eum furor ſæuiat, & inſidientur omnes, ſiue noti, ſiue ignoti, ſiue amici, ſiue inimici, ſiue dolo, ſiue vi, vel fraudibus impugnantes, inſidiantes: tamen cõmouere ne parum quidem poterũt eum, qui conſtantiam tenet, & animi virtutibus vigilat: ſicut ecõtrario ignauum & deſidem, & qui ſemetipſum prodit B ac deiicit, etiamſi mille adhibeas medicinas, mille munimenta conquiras, meliorẽ facere & emendare non poteris, niſi ipſe prius quod in ſe eſt proponat ac proferat. Hoc eſt quod nobis indicat & illa parabola quæ de illis ſcripta eſt, quorum *alius ſupra petram ædificauit domum ſuam, alius ſuper arenam*: non vt arenam vel petram intelligamus, neque vt ædificium ex lapidibus & lignis cõſideremus extructũ, neque vt flumina, & imbres, & ventos, qui impingunt in domos illas materiales, putemus: ſed vt hęc eſſe intelligamus vel virtutẽ animi, vel ignauiã: & vt ex his aduertamus, quòd niſi qui ſe ipſe læſerit, ab alio nõ poteſt lædi. Non ergo pluuia, neque flumina cum impetu deſcendentia, neque venti validiſſimi cõmouere potuerunt domum ſupra petram fundatã: vt ex hoc intelligas, quia qui ſeipſum non prodiderit, nec à ſemetipſo fuerit motus, nulla ſuperueniens tentatio deiicere eum poterit, aut mouere. C Illud verò aliud ædificium facile ſubuertitur, nõ pro tentationũ violentia, alioquin & illud aliud ædificium deieciſſet: ſed propter fundamẽti, id eſt, propoſiti infirmitatẽ. Arena enim eſt res mobilis & fluens, quæ ſine dubio inſtabilitatẽ atque inconſtantiam deſignat animorũ. Non ergo, vt diximus, lapſus & ruinæ cauſa tẽtatio eſt, ſed inſtabilitas animi & ignauia, quæ etiam ſine tentatione interdum ſpõte deiicitur: ſicut & illa fabrica, quę ſuper arenã fundata eſt, etiamſi flumina ventique non vrgeant, ipſa tamen paulatim effluens, inſtabilis arena ædificij crepidinem ſubruit & euertit. Nam & arenæ ſponte rũpuntur: adamas verò nec malleis cæſus infringitur: ita ergo qui à ſemetipſo non læditur, etiamſi tundatur, ab aliis non poteſt lædi: qui verò animi ſui ignauia proditur, etiam nullo perurgente ſponte defluit & reſoluitur: ſicut & Iudas ille, non ſolũ nullo extrinſecus impellẽte delapſus eſt, ſed econtrario pluribus adiutus remediis ſtare non po- D tuit. Vis vt hæc non ſolùm per ſingulos geſta, ſed etiã per populos doceam? Quanta erga Iudæorum populum cura extitit diuinæ prouidentiæ? nõnne omnis, vt ita dicam, creatura erga emendationis (Exod. 14. & ſeqq.) eorum miniſterium præparata eſt? Nõnne præ cæteris omnibus hominibus noua quædam & magnifica eis vitæ inſtituta ſunt tradita? Nõnne in medio mari ſiccum iter apertum eſt eis, & in quo ipſis fuit ſalus, ibi inimicis eorũ venit interitus? Quadraginta annis in deſerto non orando, neque ſeminando vixerunt: laborem meſſis & areæ neſcierunt, vſus molæ eis, & coquẽdi panis neceſſitas non fuit: fœminas quoque eorũ nulla texendi ſollicitudo conſtrinxit, mercandi cauſa non inſtitit, macellum nemo pro comparandis carnibus requiſiuit: ſed hæc omnia fuit eis verbũ Dei, & parauit eis menſam in deſerto laboris & ſudoris expertem. Hæc enim fuit natura mannæ, cibus quotidie nouus, & ſaporem ſui pro deſiderio veſcentium ſubminiſtrans. Sed & indumenta eorũ, & calceamenta, & ipſorum etiam corporum natura oblita eſt infirmitatis ſuæ. Omni namque illo tempore neque indumenta

Digitized by Google

A

attrita ſunt eis, neque fuit in illis infirmitas, medico nullus indiguit, medicamenta nemo quæſiuit:

Pſal. 104.

Eduxit eos in argento, inquit, *& auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Sed quaſi qui iam reliquiſſent mundum hunc, & ad alium meliorẽ præſtantioremq́ue tranſiſſent, ita eis cibus & potus abſque labore & ſollicitudine ex verbo Dei præbebatur: & quod fuit ſuper omne miraculum, ne forte acrior eos radius ſolis adureret, vmbra nubis per diem deſuper tegebantur: & cùm ipſis quocunque abiiſſent, circumferebantur tecta illa cœleſtia. Sed nec noctis quidẽ tenebræ abſq; ſolatio relinquuntur. Lampas namque eis ignis verbo Dei accenſa lucebat, quæ non ſolùm illuminandi, verumetiã & itineris oſtẽdendi miniſterium præbebat in deſerto. Quid verò de ſequenti dixerim petra, aquarum fluuios emittente? Quid multitudinem auium, quæ denſitate ſui terram texerunt vniuerſam? Nam in Ægypto quæ facta ſunt mirabilia, quid repetam? quid etiam virtutes quæ conſummatæ ſunt in deſerto, bella orationibus geſta, & victorias ſola Dei inuocatione quæſitas? Non enim vt pugnantes, ſed vt choros agentes manuum protẽſione triumphabant. Illud autem quomodo narrabo, quòd qui Ægyptum aquis pro ſe pugnantibus tranſierant, muros Hiericho in voce tubarũ pſalmorumq́ue deiiciunt: ita vt aduerſariorum pſallentium magis chori quàm exercitus viderẽtur hoſtiles, & qui myſteria magis putarentur conſummare, quàm bella? Hæc autem cuncta ſigna & prodigia non ob hoc ſolũ fiebant, vt vſus populo tantũ videretur expleri, ſed vt doctrina agnitionis Dei, quam Moſe tradente didicerant, firmius eis, & tenacius adhæreret. Hæc enim omnia voces erant quædã, Deum cœli, & vniuerſitatis dominum prædicantes. Nam vt mare hoc clamabat, cùm pedibus trãſiretur: hoc etiam cùm extingueret aduerſarios, hoc illæ aquæ in ſanguinem conuerſæ, hoc irruptio ranarum prædicabat, & exercitus locuſtarũ, hoc eruca & cyniphes, omnia illa quæ geſta ſunt, ſiue in Ægypto, ſiue in deſerto prodigia nunciabant. Manna ipſum, & columna ignis, & coturnicum multitudo, atq; omnia illa liber quidam erat eis & literæ quæ deleri nunquam poſſent, nec de cõſcientiæ eorum paginis aboleri, quas legerent & haberent ſemper in cordibus ſuis: & tamen poſt hæc omnia tam euidentia diuinæ virtutis inſignia, & poſt vniuerſam gloriam, quæ eis ſupra cunctos mortales data eſt, infideles extiterũt, & ingrati. Caput namque vituli adorauerunt, & deos quæſierũt ſibi alios fieri, cum tantæ taleſq́ue Dei virtutes, aliæ adhuc in oculis haberentur, alię verò recentem & nuper geſtam ſeruarent in corde memoriam. At verò Niniuitarũ populus alienigena & barbarus, adhuc nullis prius diuinæ prouidentiæ beneficiis aſſuetus, non legibus, non mirabilibus, nõ pręceptis vllis, aut operibus illuminatus, hominem vidit habitu naufragum, vultu peregrinũ, nec vnquam ſibi prius cognitum, primo ſtatim ingreſſu

D

Ionæ 1.
ita 70.

dicentem: *Adhuc triduo, & Niniue ſubuertetur.* Et ex iſtis ſolis ſermonibus conuerſi ſunt ad timorem Dei, abiectiſq́ue cõtinuo prioris vitæ malis, ad virtutem ſe & iuſtitiam per pœnitentiam contulerunt, tam fideli ſatisfactione, vt diuinitus iam promulgatam ſententiam reuocarent, & vrbẽ ſiſterent nutantem metu excidij, ac iam iamq́ue perituram. Vidit enim, inquit, Deus, quia receſſit vnuſquiſque à via ſua peſſima. Quomodo receſſit, dic mihi? magna erat malitia eorum vſque ad cœlum, immenſa iniquitas, vulnera inſanabilia. Hoc enim indicat Propheta, cum dicit:

Ionæ 1.

Aſcendit malitia eorum vſque ad cœlum. Per hæc quippe ſpatia, magnitudinem peccatorum deſignat: ſed tamen tanta hæc eorum malitia, quæ vſque ad cœlum fuerat extenſa, à tribus ſolis diebus, vno peregrino ignoto & naufrago homine pauciſſimis ſermonibus commonente, ita extincta eſt & deleta, vt tale à Deo teſtimonium mererentur accipere, dicente: *Et vidit Deus, quia diſceßit vnuſquiſque à via ſua mala, & pœnituit à malitia quam dixit vt faceret eis.*

Ibid. 2.

Vides quomodo qui intentus eſt, & vigilat, ſuique meminit, nõ ſolùm ab hominibus non poteſt lædi, ſed & imminentem cœlitus iram repellit: qui verò ſemetipſum prodit & lędit, etiãſi mille extrinſecus diuinis beneficiis fulciatur, non ei ſufficit ad ſalutem: quia neque Iudæis tanta mirabilia, quæ in eos collata ſunt, profuerunt: neque alienigenis, quod nihil horum adepti fuerant, obfuit. Sed quoniam animo propoſitoq. recto ſemetipſos dederunt Deo, parua occaſione ſumpta plurimum profecerunt, & quidem cùm eſſent, vt diximus, barbari & alienigenæ, atque ab omni diuina inſtitutione peregrini. Quid verò de tribus pueris dicimus, in quos tot illata mala, virtutem tamen animi eorum nequaquam lædere aut infringere potuerunt? nónne pueri erant teneræ ætatis? & in primis ſtatim vitæ

B

initiis captiuitatem dominationemq́ue perpeſſi, exules patria, & domo temploq́ue extorres, alienati patriis legibus, auulſi diuinis altaribus, ſacrificiis purificationibuſq́ue ſolennibus, & ab ipſa iam pſalmi voce detracti, ad peregrina ducuntur, & dominationem barbaricam patiuntur, feris magis beſtiis, quàm hominibus traditi, nullam paternæ doctrinæ vocem, nullum propheticæ commonitionis ſermonem, nulla ſacerdotum aut paſtorum ſolatia capientes. Sic enim ipſi dicunt: *Quia non eſt in hoc tempore princeps, neque propheta, neque dux, neque locus ad ſacrificandum in conſpectu Dei, ad inueniendum miſericordiam.*

Dan. 3.

Sed & hoc acceſſit eis ad difficultatem rerum, vt intra aulam regiam tenerentur, & eſſent quaſi in medium pelagus abducti, vbi tempeſtates, & turbines, & procellæ, & immanium fluctuum ruinæ, ſine gubernatore, ſine nautis, ſine velo & remis nauigantes pelagus immenſum: & tamen quia erat inſita menti eorum diuina philoſophia, & præſentium rerum ſciebant contemptui habendas eſſe caducas fragileſq́ue potentias, ac tumidã calcandam eſſe iactantiam, penniſq́ue fidei ſubnixi, volare nouerant ad cœleſtia, aulam regiam velut ergaſtuli ſqualorem ducebãt. Et rex quidem iubet eos menſæ ſuæ participes fieri, menſæ illius affluentis, & tumidæ, & immunditiis atque execrationibus plenæ: ſed ipſis hæ abominationi erant, nõ honori, & tanquam agni inter lupos poſiti videbantur, quòd aut moriendũ ſibi fame ferroq́ue eſſet, aut ex his quæ execrabantur veſcendũ. Quid ergo faciunt adoleſcentuli? quid agit ætas immatura? quid captiua conditio? Non dicunt quia neceſſitas noſtra non latet Deũ, quod ſub tyrãno poſiti ſumus, quod in captiuitate, quod in ſeruitute retinemur, non poſſumus obſiſtere crudelibus dominis, ſuperbiſq́ue victoribus. Nihil horũ meditati ſunt, ſed intenderunt animo vſque ad mortem venire, tantum ne peccarent Deo, & facerẽt quod fieri non licebat. Erãt ergo eis cũcta quę extrinſecus ſunt, aduerſa & cõtraria. Neque enim captiuis & nudis erãt pecuniæ, quibus lenire poſſent imperantiũ ferocitatem: nec amicitiæ vlla fiducia, vtpote peregrinis: neque potentia aliqua, vtpote ſeruis: neque multitudine obtinere poterãt: tres enim ſoli erant. Quid ergo faciũt? Quod ſolum in poteſtate habere videbantur, verbis precantur Eunuchũ, qui ſuper eos acceperat poteſtatem. Sed & ipſum inueniunt metuentem, & pro ſalute ſua trepidum, ne forte ſi poſcentibus eis præſtare gratiam voluiſſet, ſuum caput traderet morti: & ait: *Timeo ego dominum meum regem, ne forte videat vultus veſtros triſtes præ cæteris pueris, & coætaneis veſtris, & condemnet caput meum in mortem.*

Dan. 1.

At illi ſapiẽtibus reſpõſis adimunt ab eo omnẽ timorẽ, & præſtare gratiam ſuadent. Cumq. ipſi omnia quæ in ſe erant, & in poteſtate ſua feciſſent, adeſt cõtinuo etiã Deus, & quæ in ipſo ſunt, ipſe iam cõplet. Non ergo ſolius Dei eſt opus iſtud, ſed initiũ datum eſt ex propoſito ipſorũ. Ipſi enim poſuerũt in corde ſuo, ne

gusta-

guſtarent de illicitis cibis: & cùm hoc conſtanter & fortiter cuſtodirent, affuit eis continuo etiam Dei nutus, & bonum propoſitum puerorum ad finem perduxit glorioſum. Vides ergo quoniam qui ſeipſum non læſerit, ab alio non poteſt lædi. Ecce enim in his pueritia, captiuitas, ſolitudo, ſeruitus, poteſtas perurgens, imperia dura, metus mortis, vis tyrannica, terrorque barbaricus. Vicinus verò non aliquis, propinquus, proximus, aut ciuis nullus, nulla bonorum monita, nulla ſolatia, & horum omnium nihil omnino fuit quod eos læſerit, quos propoſitũ & animus proprius nõ lædebant: quinimò & econtrario cùm omnibus his, quæ ſuprà enumerauimus, in patrio adhuc ſolo poſitus ille populus vteretur, prodeſſe ei tot extrinſecus adminicula nequiuerũt ad animi virtutem, eò quòd eum propria prodebat & deiiciebat ignauia. Sed interim pueri noſtri primò omnium glorioſum illud obtinuere certamen, ne contaminarétur cibis immundis. Et hoc ſubacto & calcato tyranno, ad alia producuntur celſiora & nobiliora certamina. Proponitur namq; eis multò dirior ſceleratiorque illa priori conditio. Fornax igne ſuccenditur, barbaricæ in eos turmæ ipſo tyranno ſæuiente cõſurgunt, cõmouetur omnis fera Perſica, & ad decipiendos pueros, natio implacabilis & dira cõſurgit, muſica diuerſa præparantur inſtrumenta, nouoque genere crudelitatis inuento, muſicis ignis & flamma coniungitur: pœnarũ minæ, terrorque mortis cum voluptate miſcetur: & tamen qui ſemetipſos nõ produnt, ſed quod in ſua poteſtate eſt exequuntur & peragunt, lædi à nullo alio potuerunt: quinimò & clariores ex hoc reddũtur, coronaſque nunc nobiliores ſumunt multò, quàm dudum. Vinxit quidẽ eos Nabuchodonoſor, & miſit in fornacem ignis, ſed lædere nihil potuit, imò & magnificè profuit. Maiorẽ namque eis gloriam tyrãnica crudelitas acquiſiuit. In medio enim fornacis poſiti, & barbarico in eos incendio plus quam flamma fornacis ardente, clariſſimã, magnificamque de hoſte ſumpſere victoriã. Et tres pueri captiui totam gentem cum rege pariter mirabili magnificentia duxere captiuos. Quorum gloria ſeculis omnibus canitur & canetur. Sic ergo qui ſibiipſi nõ nocuit, alius ei nocere nõ poterit: non enim ceſſabo frequentius profeſſionis meę titulũ recenſere. Si enim, vt ſuprà iam diximus, neque captiuitas, neque ſeruitus, neque ſolitudo, neque patriæ amiſſio & proximorũ, neque mortes, neque incẽdia, neque exercitus, neque tyrãnus crudeliſſimus tres pueros teneræ adhuc ætatis, captiuos, ſeruos, peregrinos lædere potuit aut deiicere: quid eſt quo poſſit aliquando animi virtus infringi? Sed dicis, Deus adfuit, & ipſe eos de incendio liberauit. Et tu quidẽ ſi facias omnia quæ in te ſunt, ſperare debes ea quæ à Deo ſunt. Aderit namque & tibi, ſi tu ipſe prius non defueris tibi. Veruntamen ego pueros iſtos nõ propter hoc admiror, & beatos dico, quia ignis incendia calcauerunt illæſi: ſed quia pro patriis legibus vinciri voluerunt, & in fornacem mitti, atque ignibus tradi. In hoc eſt eorum virtus & meritum. Statim namque vt in ignem coniecti ſunt, coronæ eis necti cœperũt, ex illis ſine dubio verbis, quibus cum omni fiducia & libertate reſponderunt regi,
Dan. 3. dicentes: *Non opus habemus nos de verbo hoc reſpondere tibi: eſt enim Deus noſter in cœlis, cui nos ſeruimus, qui poteſt liberare nos de camino ignis ardentis: & de manibus tuis, ô rex, liberabit nos. Quod & ſi non voluerit, notum tibi ſit rex, quia diis tuis non ſeruiemus: & imaginem auream quam ſtatuiſti non adorabimus.* Ex his verbis illi iam coronati ſunt, & in hac confeſſione, victoriæ ſuæ palmam acceperunt. In hoc fuit curſus eorum, quem in confeſſionis martyrio conſummauerunt. Quòd verò corpora eorũ tradita ſibi ignis erubuit, & vincula diſſoluit, atque oblitus naturæ ſuæ, in medio fornacis exhibuit eis cœleſtis roris refrigeria: hoc iam gratię Dei fuit, qui voluit per magnificentiam mirabilium

A notam facere potentiam ſuam. Illi verò in confeſſione ſua, & fidei conſtantia coronati ſunt, & martyrij ſui gloriam conſecuti. Quid tu ad hæc dicere poteris, etiamſi patria expulſus es, vt iſti, & etiamſi in captiuitatẽ ductus es, & barbaris dominis ſeruiſti? Hoc & iſtis accidit. Si ſine ſolatio, ſi ſine doctrina, ſi ſine commonitore vixiſti, & iſtis cuncta hæc defuere. Vinctus & exutus ad mortem ductus es, ſed & iſti per omnia tranſeuntes, ex vnoquoque horũ clariores nobilioreſque digreſſi ſunt. Et Iudæi quidẽ habentes templum, & ſacrificia, & arcam teſtamenti, Cherubin quoque, & propitiatorium, & omnia illa quibus quotidiana ſacrificia cõſummabant: habentes etiã Prophetas, alios defunctos, alios adhuc ſuperſtites, qui eos & de actibus præſentibus informarent, & de antiquis Dei beneficiis cõmonerent, quæ in Ægypto fecerat cum eis, quæ in deſerto, quæ etiam cum terram repromiſſionis ingreſſi
B ſunt: & in his omnibus non ſolùm nihil profecerunt, ſed & in ipſo templo ad inſignia pręuaricationis ſuæ idola collocarũt, filios ſuos eis & filias ſuas immolantes, ſub arboribus etiam & in montibus profana ſacrificia conſummantes. Hi verò in terra barbarica, in hoſtili ſolo ſub tyrannica poteſtate poſiti, flammis & mortibus traditi, non ſolùm nihil læduntur, ſed & maiorem gloriã capiunt. Hæc ergo ſcientes, & horũ ſimilia colligentes de diuinis ſcripturis: multa enim ſimilia inueniet qui requiret exempla, quibus agnoſcat, alios quidẽ ſine vlla difficultate temporum, & neceſſitate cauſarũ, nulla vi, nulla tyrannide cogente, collapſos: & alios his omnibus aduerſantibus ſibi, ne leuiter quidem à virtutis propoſito fuiſſe cõmotos, indubitata ſententia tenere debemus: quod ſi quis læditur, eandem namque quã in principio propoſuimus, in fine firmauimus: ſi quis, inquam, læditur, à ſemetipſo læditur,
C nec ab vllo alio, etiamſi innumeri ſint qui noceant. Et ſi omnes qui terram & mare habitant, conueniant ad lædendum, nocere nequaquam poterunt ei qui à ſemetipſo non læditur.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de virtutibus & vitiis, SERMO.

SVNT quidã huius loci homines, virtutis illi quidem ſtudioſi, quibus relicta vrbe occupare mõtes præcipuum fuerit. Eorum autẽ ſi quis rogetur, quidnã ita ab vrbe ſecedant, haud ſanè ignoſcendã excuſationem inueniet: ne peream, inquit, néve ad virtutem obtuſior efficiar, me ab vrbe diſiungo. Et quantò melius erat obtuſiorem te fieri, & in aliis potius lucrum facere, quàm in alto ſedentem pereuntes fratres deſpicere? Cùm igitur virtutem cæteri quidem penitus negligant, eius autẽ qui curam agunt, aciem deſerere parẽt, quõnam pacto delere
D hoſtes poterimus? Etſi enim diuina nũc ſigna prodeant, vbi vitium adeo latè patet, quis nobis credere, aut animũ externus aduertere volet? Hoc enim vulgo, ſi rectè viuimus, multò quidem fide dignius videtur. Signa videlicet apud homines pudoris & probitatis expertes, improbam quoque ſuſpicionem admittunt: at verò integra hominis vita, ipſius etiam ora diaboli potiſſimùm obſtruere poterit. Si ergo in terris eſſe, ac non eſſe modò, hac inſtitutione vitæ perficitur: licet autem Pauli exemplo non eſſe: noſmet igitur rapiamus è terra, cœlumq; ipſum continuò petamus. Nihil eſt enim, nihil eſt, inquã, quod nos omnes, ſi vtique velimus, ſuperare poſſit. Nam ſi artes quibus multi inſiſtunt, vehementi induſtria plerunque percipimus: id nimirũ facilius cõſequemur, quod tãti laboris nequaquã indigeat. Quid enim, dic agè, quid difficilius eſt, quã in fune extento ſuper eum quaſi per ſolũ incedere, ſubire etiã, ac redire veluti ſtrato inſidentẽ? dic obſecro, Virtus eſt facilis.
quid difficilius eſt quàm in fronte contũ erigere, ſuperimpoſito dehinc pugione, motus innumeros

[illegible],quibus ſpectatores applaudãt? Nónne horrenda nobis adeo videtur, vt nec ſpectare quidem patiantur oculi,ſed ipſo etiam viſu timeamus, formidemus? Verùm his omnibus facilior eſt virtus,ſi & cœlum ipſum conſcendere velimus. Nec mihi illud dixeris,vellem ego quidẽ,ſed nequeo: ſi enim rem quampiam conſequi optantibus, non ſolùm voluiſſe,ſed opera quoq; ſimul adhibenda ſit: multò magis cupientes ſcandere cœlũ,virtutis actione indigemus. Quòd ſi virtutem prædiſcere velis,nec laborioſam eſſe,quæque facilè cõparari poſſit: eia, ſi lubet, conſiderà mecum degentes in montibus viros: hi namque domos relinquunt, vxores, liberos,dignitates omnes,& denique mundo ſibi interdicunt,obſiti ſacco,ſibi cinerem ſubſternunt,ſtola cohibentes collum,parua ſe cellula includunt,nec ad hoc vſque perueniſſe contenti,ieiuniis,aſſiduaque fame ſeipſos deducunt. Nec mihi illud dixeris, potuere illi quidem. Multi enim te multò infirmiores,ditiores,meliores,duram illam tetricamque vitam ſubiere: ſed magnum eſt tamẽ illud, ſummuſque ſcopulus, & cœlo proximus apex, tu verò ad ſummum nequaquam euadere potes? Non igitur ſi humilia tenes,inferiora etiam pete. Pecunias exuere non potes: age verò hoc ſaltem, ab alienis manus abſtineas. Ieiunare difficile eſt: at effluere deliciis vel hoc vnum libenter omittas. Cùm enim tanta Chriſtus pro nobis paſſus fuerit, pro nobis, inquam,inimicis: quid vos viciſſim perferre poſſumus, vbi ab eo patientiã præſtitiſſe videamur? Nulla igitur necunde nobis erit illa die loquẽdi libertas? An ignoratis militẽ vbi vulnera & plagas aperiat, illuſtriorem tum denique apud Imperatorem haberi: quòd ſi nullum poſſit egregium facinus oſtendere,quanquam nihil perfidioſè fecerit,in poſtremis tamen ſolere conſtitui? Sed non belli tempus eſt, inquit: quòd ſi eſſet, obſecro te, quis pugnam iniret, quis hoſtibus inſidiaretur,quis aciem diſrumperet? fortaſſe nullus. Cùm enim te videam nec pecunias quidem pro Chriſto contemnere poſſe, quónam pacto vulnera credam contempturum eſſe? dic agè, contumelias fortiter pateris, & meliora dicis. Non facis, inquam, ſed offenderis. Vbi periculi nihil eſt, refugis: & vulnera quæſo feres, vbi doloris & anguſtiæ plurimum? Ne nos igitur fruſtremur ipſi pollicentes nobis ſuauem tantiſper huius vitæ fructum, vt breui deinde labore vniuerſi temporis vſuram capiamus. Nam ſi terris imperantẽ poſt multa deinde pericula, multaque exhauſta bella, vix vllus confidenter aſpicere poteſt: quidnam cœleſtem quiſquam regem aſpiciet, qui per omne vitæ ſuæ tempus alteri obnoxius fuerit,ſub altero militiam geſſerit? Cepiſti a Deo nobile genus, quid vim naturæ prodidiſti? quid agis? reſponde quæſo. Habent cæteri artes, quibus quantum permittitur, aues etiam in hominum genus transformare poſſint: pſittacos & picas in vocem humana erumpere docent. Violant arte naturam, leones manſueſcere faciunt, per forum vndique trahẽtes eos. Manſuetum reddis leonem, & teipſum lupis ferociorem inſtituis. Iam verò id ægrius ferendum, belluarum quidem vniuſcuiuſque vitium eſt: improbior verò omnis homo ita: neque enim vno ſæpius vitio laborat,ſed in animã ſuam multarum ſimul belluarum vitia congerit. Ne mihi igitur perſuadeas humanam tibi animam eſſe. An tu, inquam,ſi quid hominis ſapias,belluarum vtique dominus,belluarum cupiditatibus ſeruire patieris? Quomodo igitur appellem ego te hominem, qui nulla regis inſignia teneas? Veniat in mentem, veniat plerunque tibi cuius imaginem geras: haud ita credo poteris in belluarum adeo viliſſimũ genus corruere. Vt enim in theatris qui per ſublatum funem ſcandere ac deſcendere exercent,ſi parum aliquid oculorum acies errarit præcipites continuè ruunt: ita qui ſpiritualem graſſan-

A tur viam, ſi breui ſegnitiei tempus conceſſerint, per anfractus quoſdam proni ſæpe truduntur. Et fune illo quidẽ hic limes anguſtior eſt erectus magis & arduus,multoq; celſior, cuius ad apicem terminatur cœlum. Et cùm ſupremum illud faſtigium tetigerimus,tum verò gradus nobis incertior. quippe in edito ſtantẽ plurimis circumſiſtit horror, cui ſpes certè vna relinquitur, ne flectat ad ima aciem, néve terram humilem deſpiciat. Inde caligo prorſus ingens grauiſque obuerſatur oculis: & ſicut in cithara non vnius tantum fidis melodiam excitaſſe ſatis eſt, ſed omnes pari quodam numero percurrendæ: ſic in virtute animi non tantum lex nobis ad ſalutem ſufficit, ſed omnes æquè diligenter obſeruandæ ſunt. Quid enim,obſecro te,quid prodeſt attentius orare, ſegnius miſereſcere, vel etiam miſereſcere quidẽ, ſed cupere cuiquam vim inferre: vel nec cupere,nec vim inferre, ſed ad oſtentatio-

B nem hominum, & ambitionem ſpectantium omnia facere: vel denuo miſereſcere, idque omni diligentia, & pro voluntate Dei miſereſcere, ſed hoc ipſo confidenter inniti, & in animi quandam ſublationem efferri: vel rurſus humilem pr[illegible]ſtare ſe quidem,& impẽſius vacare ieiuniis: auarum autem eſſe,negotiatorem eſſe,terræ penitus infixum eſſe, & in animam ſuam malorum omnium parentem auaritiam vexiſſe? Ob hoc ipſum videlicet etiam amator hominum Deus ita diſpoſuit omnes homines coaleſcere in vnum ſine diſcrimine bonos & malos,vt & horum vitium reſecetur, & illorũ virtus illuſtrior reddatur. Magnas verò ex conſuetudine bonorum ignaui homines,modò velint, vtilitates conſequuntur. Quemadmodum enim boni ac probi viri duplici honore digni ſunt, quòd & frugi ſcilicet fuere, & ab improbis nihil quicquam vitij traxere: ſic & mali duplici pœna mulctandi, quòd cùm boni eſſe poſſent, & per vitia improbi fuere,

C & à bonis virtutis nihil adipiſci voluere. Pari ratione, ſicuti bonos non improbi ſolùm, ſed probi quoque admirantur: ita & improbos non boni ſolùm, ſed mali etiam odere. Atqui vulgus improbos admiratur, vt qui nocere aliis, & iniuriam potiſſimùm inferre poſſint: ignarum quippe vulgus quod neſciat eos, quantò cæteris miſeriores habẽdi ſunt,qui dum aliis nocere exiſtimant, ſeipſos gladio tranſuerberant: quod ſuprema prorſus amentia eſt,ſeipſum percutere, & hoc ipſum neſcire,ſed cùm alium iniuria credat afficere, tum verò ſeipſum omnino iugulare. Nec malum eſt enim affici malo,ſed afficere alios,& contumeliã pati neſcire. Quid enim iniuriæ dicã paſſum fuiſſe Dauid?

Melius eſt iniurias ferre, quam irrogare.

Quid verò intuliſſe Saül? vter igitur infœlicior fuit,vter miſerabilior? & rurſus,vter illuſtrior,vter fœlicior? Nónne hic moleſtia & iniquo dæmone angebatur: ille autẽ vel ſole clarior erat trophæis, & qua Deum præcipuè colebat,ingenti pietate ſuper æthera notus? Nónne hic tabeſcebat inuidia:

D ille verò dum tacitè omnia ferret, omnes ſibi charitate vinciebat? Et hic ſæpius eadem aggreſſus eſt: ille verò dum fugit,hoſtem in manibus cepit,capto deinde pepercit. Ex his igitur vter infirmior, vter ignauior apparet? nónne qui alterum agitabat iniuſtè? nec id ſine ratione: quia hic milites premendos armis,ille verò iuſtitiam innumeris legionibus validiorem ſociam ſibi & auxiliarem aſciuerat. Poſtquam verò hic ita affectus iniuria & victor, ipſe deinde alium affecit: en vide vt protinus infirmior efficitur. Iniuſtè læſerat Vriam, permutata rurſus acies, transfugêre cõtinuo robur & infirmitas: hæc ad exercitum nocentis,illud viciſſim ad caſtra læſi. Et hic quidem mortuus etiam illius vaſtare domum potis erat: at contrà rex ille,& ſuperſtes nihil omnino poterat. Hic verò & miles, & caſſus miles res illius omnes, ſuaque ſeque habebat. Quem igitur bene viuere perſpicias, & omnia ad diuimum cultum referre intelligas, hic ſi innumeris etiam

Digitized by Google

catenis obſitus fuerit, ſi ſemper in carcere vixerit, ſi apud indignos ſeruitutē tulerit, ſi pauper ſepulchro reuulſus combuſtuſque fuerit, ſi tractim perdendū corpus præbuerit, ſi deniq; graue quicquid dici poteſt, paſſus fuerit: hunc beare, hūc fœlicem dicere, hunc ad ſydera tollere memineris. Quòd ſi alium per flagitia videas, per ſcelera, per ſumma vitia viuere, multis verò honoribus fungi regio ſedentem ſolio, diademate ac purpura inſignem: ſuper eo lacrymas funde, miſerabiliorem ante alios, eumque omni lamentatione dignū exiſtima. Nihil enim reuera miſerius anima ſic affecta. Iam & ſi totus ei paruerit terrarum orbis, quid prodeſt affluere diuitiis, cum virtute omnibus inferior exiſtat? Quid lucri dixerim, tot tantiſque rebus imperare, cum ſibiipſi paſſionibuſq; ſuis imperare non poſſit? Si enim ad ſalutem noſtram nobis virtus haudquaquam ſufficiat, ſed alios etiam virtute prędiтos adire neceſſe ſit: quādo nec noſmetipſos, nec alios itidem ſeruemus, quónam plectemur ſupplicio? vnde nobis erit ſpes reliqua ſalutis? Et hoc ſimul accipias, ſi Deo placuiſſe hoc demum eſt hominem eſſe, is qui nec parum quidem audiens dicto præſtiterit, quid aliud eſſe quàm fera cenſebitur? Cogita quàm ſit iniquum ex hominibus velle nos Chriſtum in angelos cōuertere, nos ex hominibus in feras deſcendere. Nam ventri parere, pecuniarū cupiditati ſuccumbere, ira excandeſcere, morſus infigere, calcibus ſæuire: horum nihil quicquā hominis, ſed ferarum mos iſte omnis cōprobatur. Vt igitur ſi ad deſidiam inclinare cœperimus, quouis impediente continuo deſiſtimus: ita ſi reſipiſcere velimus, quanquam innumeri ſint qui nos ad vitia deducant, nihil prorſus tamen ſtudia noſtra corrūpere poſſit. Quòd ſi perdiſcere cupias fundamentis naturæ leges ſtatuiſſe Deū, quibus quid bonum ſit, quidve malum diſcerni poſſit, hoc ipſum ex animi noſtri conſenſu requiras. Cur qui mala commiſiſſe gaudent, malorum omnes nomina refugiunt? Vocatur ſiquidem mœchus, & tamen hoc ipſum audire mœchus ille ipſe erubeſcit. Peruulgato etiam mœcho dixeris: ô mœche: te, inquam, appello mœche. Et oblectat ſanè flagitium qui ipſe committit, & tamen ipſius rei nomen aures offendit. Quo periurum nomine appellaueris, ille proculdubio in contumeliæ locum ſui ſibi operis appellationem accipiet. Si bonum igitur exiſtimas peccatum, quid nomen refugis peccati? At contra modeſto dixeris modeſtum, haud ille reor cuius opere delectatur, appellationem erubeſcet. Iſtum quoque appellaueris iuſtum, & opere is ipſe triumphat, & nomine exultat. Etſi enim pudore quodam tantum nomen repudiet, bonam tamen animo famam non veretur accipere. Et nullum poſtremò vitium quiſquā inueniet aperta fronte in medium prodire, niſi mutuum prius à virtute vultum acceperit. Quod quomodo fiat, ſic iam accipias. Qui mentitur, nuſquam mendacium fatetur, ſed veritatem memoriter ſimulans, fefelliſſe conatur. Falſus homo falſitatem tegit, amicitiam fingit, & odiū exercet. Calumniator cum in iudicium venit, idipſum quidem eſt haud ſanè expoſiturus: venit, ſed falſa fronte teſtem veritatis obiiciens, ſuo ſibi mendacio teſtem iniquitatis oſtendit. Sed anima noſtra quāquā vitiis volutetur innumeris, tamen virtutis dulcedine capta, nomen eius vltro complectitur: potētes enim perſæpe multi, auaritiæ illi quidem nimium dediti, & quibus nihil aliud cordi, quàm rapina atque iniuſtitia, ſic adeo in miſericordiam plerunque adducuntur & mouentur, vt pauperem aut vrgenti neceſſitudine liberent, aut alieno ære conflato nonnihil releuent: vel quod admirabere magis, nec vlciſcantur eos à quibus moleſtia vexati aut ſunt, aut eſſe prorſus exiſtimant. Et qui legationem apud iniquum principem expoſiturus venit, nō ſtatim à veritate orſus, rem ipſam continuò narrat, ſed virtutis nomen hoc pacto præloquitur: Vir bonus es, inquit, tua omnes beneficia canunt, tuum vbique diuulgatur nomen: & multa generis eiuſdē oratione cōtexit, vt & bona eum fama demulceat, & in odium iniquitatē rapiat vel ducat. Aſpice porrò, vt vitium decora virtutis appellatione vincatur. Nemo vult malum hoc ipſum audire malum, quippe quod ſuum eſt natura complectitur, tametſi quidem contraria potius vltro ſectetur. Haud igitur illud dixerimus: Hic natura bonus, ille natura malus. Nam ſi quis natura bonus fuiſſet, certè nunquam malus effici potuiſſet: econtrà verò, ſi natura malus, nunquam profectò bonus. Etenim ſi noſtro nō eſſet arbitrio relictum, qualis eſſe quiſque malit, bonus an malus, nec ſui iuris noſtram naturā condidiſſet amator hominum Deus: neceſſe etiam erat omnes quicunque huius participes naturę fuiſſent, aut malos eſſe, & perturbationibus eiſdem ſuccumbere, aut certè bonos. Cùm igitur conſanguineos noſtros videamus his ipſis quibus & nos perturbationibus agitari, nec tamen eaſdem nobiſcū ruinas incidere, ſed naturam valida ratione aurigari, & motus eius incompoſitos moderari, omneſque vitæ huius illecebras ludibrio habere, & ad veram gloriam incenſos toto animo ferri: perſpicuum eſt hæc omnia poſſe diuina ſuggerente gratia, ſuo cuique ſtudio ac labore comparari. Et nos quidem inertiæ dediti, prodimus noſtram ipſi ſalutē, ſuperna illa charitate nóſmetipſi deſolatos fecimus. Nemo igitur accuſet alius aliū, quaſi ad labores virtutis impedimento fuerit, ſed ſuæ ipſius deſidiæ rem omnē aſcribat. Quid alium dixi, nec ipſum quidem diabolū putet aliquis, qua eſt ad virtutem iter, viam intercludere poſſe. Seducit ille quidem & offendit ignauos: ſed tamen nec coërcere quenquā, nec violare poteſt, & hoc quidem ipſa rerum experientia docet. Cùm enim reſipiſcere volumus, ita plerunque animi vires intendimus, vt cùm vitij captare viā nobis innumeri perſuadeant, nihil tamen ipſi conſilio noſtro nec parua quidem remiſſione deſiſtamus, ſed omni duriores adamante ſimus, & ab his qui turpia conſulunt, ſtipatis auribus auditus noſtros amoueamus. At ſi langueſcere cœperimus, tum verò nihil conſultore opus, nihil perſuaſore. In vitium ipſi à nobis perſuaſi cōtinuò ruimus. Eſt igitur per ſeipſam virtus admiranda, quòd ſi quis in medio nequitiæ collectus, ſtrenuè inde prorumpens virtutē adierit, hanc quidem illo multò admirabiliorem oſtendit: neque enim virtutē locus, ſed locum virtus natura ſua digniorem præſtat. Et vnius quidē virtute mali etiam vtūtur perſæpe multi: vitiis verò multorum, ſi vel vnus multo in populo ſtrenuus fuerit, nunquam tamen ille in perniciem collabetur. Et vir quidem vnus rectè viuens, diuina ira populū omnem liberare ſufficiet: econtrà verò ciuitas omnis corrupta, in ſuam pœnam atque ſupplicium imminens trahere ac rapere non poterit: quod quidem ex Noë liquidius patet, pereuntibus ſiquidē omnibus, liberatur vnus: & ex Moſe hoc idem videre licet, potuit ſcilicet vnus tantum reſtituere gentem. Gen. 7. Exod 14. Ego verò quod dicam & aliud habeo diuinæ humanitatis exemplum. Quando enim viuos homines quibus loquēdi fiducia ſit, quique peccatores reſtituere poſſit, nullos prorſus inuenerit, tum verò ad mortuos ille profugiēs: Per eos, inquit, peccata remitto. Quomodo enim fatur? Hanc ego, inquit, mea ipſe gratia tutor vrbem, Dauid etiam filij mei cauſa, qui ab hac iampridem vita diſceſſit. Aſpice ſanctorum quanta ſit virtus. Neque enim ſua verba tantum, aut corpora, ſed ipſa etiā corporis tegmina ſemper omni ſunt poſſeſſione auguſtiora. Heliæ ſiquidem leonina pellis Iordanem diſcindere fecit. Trium puerorum calcei per ignes ambularunt. Heliſæi lignum potuit vndarum mutare naturam, quas quidem ſuperficie ſua quaſi tergo ferrum

Digitized by Google

ſuſtinere coëgit. Moſes virga mare rubrũ dehiſcere iuſſit, & petram diſrumpere valuit. Pauli veſtes morbos fuderũt. Petri vmbrę mortẽ fugarunt. Sanctorum martyrum cinis improbos dæmones expulit. Summa igitur cum poteſtate omnia faciũt, ſicut Helias. Neque enim diadema ſolum, & exteriorem regis cultum ſpectabat, ſed animã quoque indutam lacerna, ſqualidam, ſordidam, quouis damnato miſerius affectam. Et cum captiuum, totque morbis obnoxium vidiſſet, illum cum ſuo regno contempſit, quem veluti in ſcena fictum regem ſpectare cenſebat. Quid igitur refert exterius tot affluere diuitiis, cum interius tanta recondita ſit inopia? Contrà vero, quid nocet exterius pauperẽ videri, cum interius tãta ſit repoſita copia? Talis nimirum leo beatus & ille Paulus erat. Is enim carcerem ingreſſus, ſola voce fundamenta omnia concuſſit, non dentibus, ſed verbis vſus vincula contriuit. Quapropter nõ leones illi, ſed maius quippiã, aliud etiam ſupra leones appellandi ſunt. Sæpe enim leo vbi in laqueos inciderit, captus reſedit: at verò coniecti in vincula ſancti, fortiores inſurgunt: leo fremit, & feras omnes in fugam auertit, ſanctus exclamat, & improbos dæmones vndique fugat. Quæ

D. Pauli laus.

verò Pauli bene geſtis rebus ſatis vnquam fuerit oratio, aut quæ lingua vehemẽs poterit illius planè aſſequi laudes? ſiue quid egregiũ edidere Prophetæ, ſiue Patriarchæ, ſiue iuſti, ſiue Apoſtoli, ſiue martyres, hæc ſimul omnia complexus tanta ipſe excellentia poſſidet, quanta illorum quicquid virtutis cuique fuit, nullus profectò poſſederat. Quando igitur quæcũque in hominibus bona fuere, ſola vnius anima complectitur: & cum exceſſione quidem non hominum modò, ſed angelorum quoque omnia complectitur, quónam pacto verbis tantarum laudum cumulũ adæquare poterimus? Quanta igitur ſumus animaduerſione digni, qui cũ vnus omnia in ſe complecti bona potuerit, nos nec minimam quidem illius partem imitari ſtudeamus? Ex

Gen. 22.

multis quidem & aliis benę geſtis rebus Abraham patriarcham omni admiratione proſequuntur, maximè verò quòd filium ſuum immolare non recuſarit. Iſaac autem innocentia admirabilem reddit, qui cum propriis finibus pelleretur, nihil ipſe renitens, ſuis vndique poſſeſſionibus ceſſit: nec prius cedere deſtitit, quoad inimicorum hominum libi-

Ibid. 29.

dinem explerit. Et Iacob itidem fortitudine & patientia inſignis: at manſuetudine Dauid: ingenti ardore deinde flagrabat Helias. Horum autem quid ſimile Paulo, qui cuncta hæc maiorem in modum complexus eſt? Neque enim filium ipſe immolauit, ſed ſeipſum millies ſacrificauit: nec propriis ſolùm finibus ceſſit, ſed terram, mare, Græciam, Barbaraſque nationes, & quicquid ſol aſpicit vbique terrarum, id omne ipſe quaſi volucris pererrauit, raptatus, cæſus, lapidibus pulſus, ſingula die moriẽs: nec bis ſeptem annis ſeruitutem geſſit diurno æſtũ & frigore noctis exuſtus, ſed vitã omnem fame, nudo corpore, catenis, cuſtodiis, iuſidiis, periculis, perſeueranter exegit. Modeſtiam verò & manſuetudinẽ quis Paulo magis, quiſve æquè pręſtitiſſe videatur? Quòd ſi ardorem eius inſpicias, tantò Helia ſuperiorem inuenies, quantò ipſe cæteris omnibus prophetis excellit. Locuſtis quippe Ioannes, & agreſti

Matth. 3.

veſcebatur melle. Hic ita in medio terrarum orbe, ſicut ille in deſerto viuebat. Locuſtis quidem & agreſti melle non veſcebatur, ſed menſam hic multò tenuiorem ſtatuebat, cum ſibi docendæ gentis ſtudio, nec ad cibum quidem neceſſariũ quæ ſuppetere poſſent, parare meminerit. Relinquitur nobis hunc deinceps angelis componere. Nec quiſquam prorſus orationis noſtræ audaciam reprehenderit. Nam ſi angelum dicere Ioannem ſcriptura non dubitat: quid nouum adeò nitimur, ſi talem virum vnum generis humani præſtantiſſimum virtutibus illis æquare ſtudemus? Etenim quid pe-

A

nitus ſit homo, quanta naturæ noſtræ nobilitas, quantæ virtutis hoc animal capax, omnium maximè Paulus oſtendit, qui nunquam ex quo natus eſt, accuſatores noſtros palam repellere, & nos pro domino acriter defendere deſtitit. Cùm & illud ſimul doceat, inter angelos & homines, ſi noſmet quidem noſcere velimus, haud multum profectò intereſſe: neque enim ipſe alterius naturæ particeps, neque externi cuiuſdam mundi colonus, ſed in eadem terra & regione eiſdem legibus & moribus educatus: omnes qui vbique fuerunt, ex quo nati ſunt homines, continuò ſuperauit. Et quemadmodum cadaueri cadauer adiectũ, nihilò ſecius immobile efficitur: ita qui tumidos naturæ motus victor ſedauerit, nulli vnquam vlla in rę humana paſſioni ſuccumbet. Nam ſicut in pecuniis duorum aureorum lucrum feciſſe, maiorem interea ad denos, vel etiam vigenos duobus illis congerendos

B

animum facit: ita in virtute bonum aliquod facinus geſſiſſe, adhortationẽ ſimul & admonitionem quandam ingenerat, vt alia deinde plura ſimiliter aggredi animus velit. Nec illud mihi quiſpiam dixerit, multi rectè fecerunt: neque enim id agimus, ſed omnium pariter æquitatem atque iuſtitiam exquirimus. Nónne & corpus noſtrum intuentibus, hoc idem intelligere facile eſt? Etenim ſi forte pedem offenſus, vnguem modò retorſeris, omne repente cum membro corpus dolor incendit. Non igitur dixeris illud, qui non rectè fecerint, pauci admodum relicti ſunt, ſed hoc potius conſidera, plures paulò pòſt & alios ipſi corrumpent. Etenim apud Corinthios qui lenociniis operã daret, vnus tantummodo inuentus eſt: nec ſecurus tamen Paulus ingemuit, quaſi ciuitas illa omnis funditus periſſet: nec id quidem maxima ratione caret. Sciebat enim niſi ille flagitio deſiſteret, deſcendentem ordine morbum alios omnes vaſtaturum eſſe. Nam ſi

Peccatorum contagium.

1. Cor. 5.

C

membrorum quicquid labefactũ fuerit, afficienſque dolore, confeſtim recidimus, veriti ne forte & in reliquum corpus labes illã deſcendat: & id profectò facimus, nõ quòd illud ſanè paruipendamus, ſed reliquo corpori diligenter cautum volumus. Si ergo hoc facimus in membris, quantò magis idipſum in his facere oporteat, qui vitiis corrupti nobiſcum vixerint? Et ſi quidem ſine dolore ipſos curare poſſumus, eò conferre ſtudium noſtrum omne debemus: quòd ſi forte & ipſi incurabiles fuerint, & nos præterea contagione læſerint, tum demum reſecandi ſunt omnes, & prorſus abiiciendi. Nam ſi à nobis liberos nihilominus plerunquę alienamus, nullo naturæ pudore impediti: multò magis familiares, & notos, vbi improbi eſſe cœperint, vitare atque adeò aufugere debeamus. Scandalizantur, inquit, & malè ſuſpicantur. Et quid hoc tua refert? Teip ſum honeſtes, & à nullo affici ignominia poteris. Quòd ſi teipſum dedecores, quanquam omnes tibi pariter habeant honorem, nun-

D

quam profectò honeſtaberis honore. Nam qui bonus fuerit, ſi forte vulgò malus habeatur, nihil inde damni faciet, quin idem ipſe ſit, cum alius à ſeipſo penitus eſſe non poſſit. Qui verò temerariam & inanem cuiuſpiam ſuſpicionem induerit, hic poſtea ſupremum omnino ſupplicium dabit: quòd ſi malus recenſetur in bonis, nihil inde lucri faciet. Exiſtimationem ſanè maiorem habebit, ſed propterea ignarus ipſe ſui, plus aliquantò deſidiæ ac marcoris incurret. Qui verò malus erit, & ita eſſe cenſebitur, hic ſaltem dimittat animum, & ſua aliquando peccata cognoſcet. At ſi latuerit ſibi ipſe nimium indulgens, nihil omnino doloris admittet. Si enim peccatores accuſantibus fermè omnibus vix adducuntur vt doleant: vbi non modò non accuſari eos, ſed & pleriſque laudari etiam contigerit, quando putas illos reſipiſcere tandẽ, & ſeipſos corrigere incipient? Fieri igitur non poteſt, vt qui virtutibus dediti ſunt, ab omnibus bene audiant

ſemper,

ſemper, & illud præterea ne virtutis curam agentibus viris, multi vbique detractores inſurgant: bona enim apud omnes fama ſignum certè vel maximum eſt, haud multum ſanè virtutis haberi rationem. Quomodo enim à cunctis laudetur, ſi quis affectos iniuria homines ab improbis eripere ſtudeat? Rurſus verò ſi peccatores caſtigare, iuſtos laudare velit: nónne (vt par eſt) laudabit hos quidem, vituperabit illos? Ita qui virtutis exquiſitus imitator eſſe voluerit, nec vllius præterea niſi Dei laudem quærere, is ab omnibus laudari, & bene ſemper audire nullo modo poterit: quippe in virtutem multa vſque vitij congelaſcit inſania. Eam autem non modò nihil deterit, verumetiam bello fortiorem reddit. Virtutis enim vis magna eſt, quæ dum læditur, lædentes ſuperat: dum profligatur, profligantes tunc maximè debellat. Iam etenim mihi cogites Abel: nónne impiis Cain manibus occubuit? ſed cæſus ille ad hoc vſque tempus præconium laureámque meretur, nec illius memoriam tanta deinde ſæcula obſcurare potuerunt. At vir parricida ille poſt victoriam, tum etiam grauiorem morte vitam trahit: & ex illo protinus tot per ætates nunc vſque reprobatur ab omnibus, & conuitiis vndique laceratur, & hæc præſentis vitæ quidem. Illa verò futuri ſæculi quænam oratio comprehendere poterit, quæ verò mens continere? Audi verò & Chriſtum ita loquentem: *Simile eſt regnum cælorum mulieri*, quaſi iuſtis velit fermenti vim quandam ineſſe, qua poſſint in ſpeciem ſuam improbos conuertere. (Matth. & Luc. 13.) At pauci ſunt iuſti, parum etenim fermẽti: ſed paucitas illa miſtam ſibi maſſam omnem in ſeipſam transformat. Eodem pacto non quantitate numeri, ſed gratia Spiritus vim ſuam iuſti homines tenent. Id autem quomodo fiat, accipe iam. Apoſtoli quidem fuere duodecim: fermenti quàm parum vides. Expers verò fidei totus terrarum orbis: maſſa quanta ſit. Conuertere in ſe autem duodecim illi totum terrarum orbem. Etenim fermentum maſſaque illa eiuſdem naturæ: naturæ prorſus, qualitatis autem minimè. Quod ſi aliunde etiam cognoſcere velis, tyrannica vi quantò potentior ſit iuſtorum loquendi libertas, audi quid dicat Herodi Ioannes: (Marc. 6.) Non licet, inquit, tibi fratris adhærere vxori. Rex erat Herodes, ſatellitibus vndique ſtipatus, diuitiis præpotens, regium tenebat imperium. At contrà pauper Ioannes, tecto, vrbe, copia, cibo carebat. Locuſtis ille quidem ex herba diſcuſſis, agreſti ſimul veſcebatur melle. Sed pauper iſte deſerta pererrans, multarum vrbium regi imperioſè adeo iubet: Non licet, inquit, tibi. Vides vt natura ſua vitio dominetur? Sed propterea iuſtus coniicitur in carcerem. Fit protinus amarum conuiuium illud. (Matt. 14.) Prodit in medium puella ſaltatrix, Herodi placet atque conuiuis. Iurat Herodes, Pete, quid velis, & tradam ego tibi ad dimidium vſque regni mei. Vides quódnam regnum abiecerit? Quicquid ipſa petieris, inquit, tradam ego tibi ad dimidium vſque regni. Miſer & infelix, itáne tibi mentis oculi cæcutiunt? Tanti regnum facis? Semel puella ſaltauit, & regni dimidium tradis. Quid ſi ſecundò ſaltauerit? Votis exopta, ne denuo ſaltet: vel ſi ſaltauerit, ne denuo placeat: ſin autem, porrò vnum relinquitur, vt tibi poſtea ſit mendicandum. Quicunque igitur bonis præſentibus inhiant, quanquam innumeræ ſibi diuitiæ fuerint, eos tamen in ſeruorum numero, præditi virtute viri ponere non dubitant. Si enim rex hinc improbus quidam, priuatus inde quiſpiam bonus: horum quis cuius dominus ſit, videamus, vbi regis inſignia fulgent, quis inferior, quiſve ſuperior. Quomodo igitur id ſcire poterimus? Priuato rex imperet tetrum aliquod flagitioſúmque facinus, quid igitur vir bonus priuatus ille & ſubditus? non modò non cedet imperio, neque parebit, ſed imperantem quoque à ſententia remouere

A ſtudebit, idque etiam ſi millies oppetendum fuerit. Quis ergo liber? Vtrum qui quod velit, perſequitur, nec regem propterea veretur? Atqui impotens à ſubdito ipſius ita pro nihilo habetur. Vt enim captiuus, tametſi copias ingentes habeat, vel ex hoc ipſo in primis omnibus capi aptus fuerit: ſic & illecebris irretitus homo, quanquam diademate præcinctus fuerit, omni tamen aranea abiectior eſſe cenſetur. Quid ergo mirabilius fuerit omnibus vitio deditis? qui & ipſa hominis appellatione iure priuantur, quinetiam pœnas meritò luunt: quòd cùm multa naturæ commoda acceperint, ea ludibrio habentes, vltrò prodiderunt, & ad vitium verè ipſi transfugæ & imbecilles continuò defecerunt. Etenim ſi quod accepit reddens domini ſeruus, id quia non geminauit, improbus habetur: quid qui illud ipſum etiam perdiderit, quid audiet, inquam? Si ille in tenebras coniicitur, vbi B ſtridor eſt dentium, quid nos luemus, quos ad virtutem muſſitantes, tergiuerſantes innumeri hortantur, atque adeò trahunt? Nónne vides quanta ſit abiectio vitæ, quanta ambiguitas, quantus etiam in rebus præſentibus labor? nec illud eſt quidem vt cum labore virtus paretur, ſine labore vitium petatur. Si ergo vtrinque labor, quid non hanc potiſſimùm deligimus, vbi vtilitatis ineſt plurimum? Itaque ſi videris ſacerdotem indignum, non ob id etiam calumniari ſacerdotium debes: neque enim calumnianda res, ſed ille ſolùm meretur onerari conuitiis, qui tanto bono abutatur. Non enim ſi Iudas proditor fuit, hoc Apoſtolicæ profeſſionis crimen, ſed vnius tantum viri mens improba fuit. Et medici quidem multi carnifices ſunt, qui pro medelis vena propinant, nec tamen artem vitupero, ſed qui arte ſua iniquus abutitur. Et nautæ complures nauigia amiſerunt, nec ars nauigandi tamen ſed eorum peruerſa voluntas iure damnanda. C Neceſſe quidem exoriri ſcandala, inquit ſalutare verbum Dei: *veruntamen væ homini illi per quem ſcandala naſcentur.* (Luc. 17.) Quid igitur? præfatúmne eſſe id forſitan ſcandalum inducit? Non quòd præfatum fuerit, apage inquam, nec quia prædixerit, ob id ſcandala naſcuntur: ſed quia omnia futura erant, idcirco prædixit. Ita qui ſcandala tulerunt, ſiquidem mali eſſe noluiſſent, exorta nunquam ſcandala fuiſſent: quòd ſi futura non erant, nunquam prædiceret: ſed quia perperam illi fecerunt, & iam corrupti pertinaciter erant, idcirco ſcandala venerunt, & quod futurum erat, prædixit. Quòd ſi illi emendari paterentur, inquit, vt qui ſcandala ſereret, penitus non fuiſſet: nonne verbum illud mendax deprehenſum iri oportebat? Minimè, inquam, neque enim dixiſſet. Nam ſi omnes emendari poſſe cerneret, id profectò nunquam prædiceret, neceſſe quidem ſcandala exoriri: ſed quia præuiderat eos ſuopte ingenio haud emendabiles fore, idcirco D ita præfatur. Exorietur omnino. Et cur non, inquit occidit eos? quia non inde læſi homines pereunt, ſed ſua ipſi deſidia vincũtur. quòd ſi propter ſcandala perirent, pereundum vno ordine omnibus erat. Quinetiam ſi reſipiſcere velimus, non parum inde vtilitatis conſequemur, vt ſcilicet nobis ſemper vigilandum eſſe arbitremur. Si enim inter hoſtes, cùm tot vndique doli nobis immineant, ſomno indulgemus: quid ſi nullo vrgente pauore ſecuri fuerimus? Et ſic primum quoque hominem, ſi velis, inſpicere licet. Etenim ſi cùm parum temporis, nec totum fortaſſe diem in paradiſo vixiſſet, deliciis hic ipſe vſus eò vitij peruenit, vt etiam æqualem ſe Deo cogitaret, veteratorem benefactorem putaret, nec vllum præterea imperium magnificaret: hic ſi reliquam eodem pacto vitam egiſſet, quod non ille flagitij genus perpetraſſet? Verùm enimuero vbi ſemel ſolutus quis malo, ſemel non emendatur, multò prorſus grauiora prioribus luet. Et hunc enim plu-

ribus de cauſis emendari oportuit, quòd prius ſupplicium dediſſet, quòd niſi ſolutus fuiſſet, quòd niſi mutaretur, grauiora expectaret. Cui verò tot emendandi cauſæ fuerint, ſi necunde melior efficitur, quid rei eſſe dixerim, cur non grauiora prioribus luat? Etenim Pharao, ſiquidē priori ex plaga emendari voluiſſet, poſteriores certè nunquam expertus fuiſſet, nec deinde cum toto pariter exercitu obrutus periiſſet. Sed qui fuerit ſub vinculo bonus, nūquam erit profectò bonus: ſimulac enim vi nulla cogetur, liber ipſe ad ingenium ſubito conuerſus, iterum deſciſſet. Hoc illud igitur quiſpiam rogarit, qui nec boni quicquam, nec mali fecerit, quémnam locum is ipſe ſit habiturus? Hoc enim ipſum non feciſſe bonū, nihil aliud eſt quàm feciſſe malum. Nam ſi ſeruum habueris non furem, non ebrium, non contumacem, ſed ſobrium, modeſtum, & omni flagitio vacuum: hic ſi domi quotidie otioſus ſedeat, ſiquorum à ſeruo vſus debetur domino, nihil efficiat, dic obſecro, nónne flagellabis eum? nónne tormentis afficies? Et tamen nihil quicquam flagitij commiſit. Satis eſt igitur mali hoc ipſum, nihil feciſſe boni. Sit nobis agricola quidam, nihil porro peculij noſtri diſſipet, neque dolis furto ſurripiat, tantum ſuas ille manus compreſſas tenens domi ſedeat, ſemina non ſpargat, rura non ſcindat, vites non colat, & quod præterea ad agriculturam pertineat, nihil prorſus efficiat: nónne ab eo ſuppliciū ſumemus? Et tamen nihil intulit iniuriæ, nec habemus omnino quod illū accuſare poſſimus: ſed illud ipſum arbitramur iniuriam. Et noſtro quidem in corpore abſtineat capite manus, non linguam excindat, non oculos euellat, nihil denique tale faciat, otioſa tantum fuerit, nec ſui quicquid eſt officij toto corpori ſufficiat: nónne ipſam potius fuerit abſcindere, quàm nihil agentem & inutilem toto corpori manum circumferre? Quid autem os, ſi neque manum abſumpſerit, neque pectus momorderit, quæ verò ad ſe pertineant omnia prorſus omiſerit, nónne illud obſignaſſe melius fuerat? In his igitur ſi non modo aliquid feciſſe mali, verumetiam aliquid omiſiſſe boni, magna comprobatur iniuria: porrò diuinis in rebus idipſum multò magis apparet. Vtinam fieri poſſet me pro vobis certamen bene gerere, vos autem bene geſtæ rei præmia ferre: nunquam profectò vobis tantum turbationis ingererem. Vt enim cùm febreſcit puer, grauato aſſidens filio mater, queribunda voce ſæpius imprecatur, vtinam hoc mihi daretur: poſſem ego tuam fili ſuſcipere febrem, & hanc omnem in me ipſam haurire flammam, ſic etiam ego vtinam perduellis ipſe rem pro vobis bene gerere poſſem. Sed non licet hoc nobis, non licet, inquam. Quocirca ſi quis & alios ſanare poteſt, in his ipſe potiſſimùm verſetur, quibus videat opus eſſe medela, & ita eos pro virili parte meliores facere ſtudeat. Si quis verò infirmior eſt, malos aufugiat, ne fortè illorum contagione tabeſcat. Sic enim præſens tutò exiget æuum, & futura deinde conſequetur bona: quæ quidem vtinam conſequi poſſimus omnes, gratia & humanitate domini, & Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri, ſimul & Spiritui ſancto gloria & poteſtas, nunc & ſemper, in ſæcula ſæculorum. Amen.

Non ſufficit nihil mali facere.

DE CHARITATE QVÆ CVNCTA *dirigit & perficit,*

SERMO.

CHARITATEM optimum amoris genus inter nos ſanciamus, quando nihil eſt boni & honeſti quin ortum ex ea ducat. Charitas enim, vt Paulus inquit, legis eſt adimpletio: ita fit, vt ſi mutuo fuerimus amore detenti, facile omnia ſint ſucceſſura. Siquidem charitas via quædam eſt ad virtutē procli-

A uior: nam quemadmodum qui callem fuerit non obliquum ingreſſus, nullo egebit ad progreſſum duce, tramite ipſo rectà ducente: ſic charitas vbi initium dederit, ad rectum deferet. Charitas enim nec proximum lædit, nec praua meditatur. Quocirca qui id facere nouerit, vt qualem ſibi ſeipſum præſtiterit, vt ſcilicet ſine iniuria ad ſuum commodum comprecetur, ducatque ſe neminem inferiorem, & ſuæ vtilitatis cauſa facere omnia connitatur, eundem in alios præſtet: omnis erit è medio ſublata moleſtia, deeruntque tum odia, tum & habendi cupiditates. Quis enim propria bona diripiat? profectò nemo, quin contrà rebus in medium quæſitis in vnum conuenietur: quod cùm fiet, nullus erit reliquus ad maleuolentiam locus. Quis enim ſeipſum odiat, aut ſuccenſeat ſibiipſi & iraſcatur? nónne ſolemus omnes in nos ipſos eſſe, quàm in cæteros indulgentiores? qua indulgentia

B ſi in proximum quemque vtemur, odium erit prorſus omne ſublatum. Quæret aliquis, quo pacto id fieri poteſt, vt pari beneuolentia, qua & nos ipſos, vel proximum complectamur? Nempe ſi nulli antehac hominum id egiſſent, iure fortè exiſtimares eoſdem animi affectus in alios ſeruari non poſſe: at cum pleroſq; illud egiſſe cognoueris, perſpicuum erit, præ ignauia potius quadam te id facere nequire, quod facitent multi: neque enim Deus cuius iuſta complures bene agendo exceſſerunt, aliquid oneris imponit, quod factu non facile ſit. Petis forſitan quis ille fuerit, qui hæc fecerit? nempe Paulus, Petrus, & reliqui ſanctorum cœtus: quos ſi dixerim fuiſſe in proximum beneuolentia affectos, nihil magni aut præclari videbor enuntiaſſe, quando tanto ſunt illi vel hoſtes amore proſecuti, quanto alius quiſpiam ne coniunctiſſimos quidem. Quis enim optauerit amici cauſa gehennam & incendium illud adire, cùm liceat ad regna cœleſtia

C proficiſci? profectò nemo. Paulus tamen pro lapidantibus & infenſis, ac ſe affligentibus ſubire gehennam cupiebat. Quæ ergo nobis erit vel venia, vel excuſatio concedenda, quando vel tenuem amoris partem, quem Paulus in hoſtes vel ardentiſſimum de ſe præſtabat, nec in beneuolos ipſi oſtendamus? Sic & Moſes ille beatus, qui multis Paulum ſæculis anteceſſit, eorum cauſa qui ſe hoſtiliter lapidibus inuaſiſſent, de libro vitæ aboleri malebat. Dauid etiam eos qui ſibi inſultaſſent, cùm profligatos & extinctos vidiſſet, his vſus eſt verbis: Ipſe qui paſtor ſum peccaui: hi verò quid commiſerunt? Saulem præterea cum inter manus haberet, perdere tamē non modò recuſauit, quin etiam ſeruauit illæſum, præſertim cùm ex eius ſalute haud parum ſibi diſcriminis impenderet. Quòd ſi in veteri hæc teſtamento ſunt geſta, quis nobis erit veniæ locus, qui cùm in nouo verſemur, nil prorſus priſcorum aut magnitudinem attigimus, aut

D conſtantiam? Si enim, vt Chriſtus inquit, noſtra iuſtitia, phariſæorum & ſcribarum non exceſſerit æquitatem, Dei regnum haudquaquam ingrediemur: at cum illis ſimus iuſtitia inferiores, quo pacto nobis eò patebit acceſſus? Colite, inquit, qui vos oderint: idcirco erit hoſtis amore proſequendus. Non enim id illi, ſed tibi in beneficium cedet, ſiéſque hoc pacto Dei ſimillimus: ſiquidem quem ipſe colueris, nihil erit ex tuo in ſe amore maioris quippiam lucri aſſecutus, quippe qui à conſeruo adametur: at ſi hunc ipſe amaueris, fueris hoc pacto Dei non abſimilis. Vides itaque vt tibi gratiæ plurimum compares, non illi qui tuo ſit amore affectus, ſic & præmium vindicas. Quæret aliquis quid ſi improbus fuerit is quem ipſe amandum cenſes? Nempe maiorem ex eo laudem aſſequeris, eruntque illi pro eius improbitate per te vel gratiæ habendæ: qui etſi innumeris ſit tuis in ſe beneficiis obſtrictus, ſe tamen ingratum reddet, & improbum. Non enim tibi accumulatè increſcerent

Rom. 9.

Exod. 32.

2. Reg. 24

Matt. 5.

Ibidem.

præmia

præmia, niſi magnum in modum illius augeretur iniquitas. Fiet itaq; ,vt eiuſmodi improbitas, quam odij cauſam fore exiſtimas, amoris occaſio ſit futura. Nam ſi aduerſitatem ſuſtuleris, & præmiorum cauſam tollas neceſſe eſt. Nónne & certatores ſpectaſti, qui exercendi ſe gratia vel vtres arena complent & geſtant? quod tamen vt agas, haud ſanè neceſſarium fuerit: abundat enim hæc vita eo hominum genere, qui & exercere te poſſint, & fortiorem reddere. Sic enim & arbores ſpectare licet, quæ vt validioribus ventis agitantur, ita & maiori robore obfirmari ſolent, & ramis fieri, & frondibus denſiores. Quocirca & nos ſi animi magnitudine præſtamus, magis ac magis inualeſcimus: Eccl. 22. inquit enim, *Vir conſtans, animo longè ſapit: timidus verò, ſtultus admodum & vecors.* Vides quàm ſit animi puſillanimitas incuſanda? non enim ſimplicem illi, ſed ingentem ineſſe aſſerit ſtoliditatem. Non erit itaque inter nos eiuſmodi mutuò tolerantia exercenda, aut tali inconſtantia vtendum: cùm id non ex odio aliquo, aut maleuolentia, ſed ex animi puſillanimitate quadam abiectioris fieri contingat: qui quandiu ſtabilis & immotus per ſtiterit, omnia facile tolerabit: neque ſolùm ipſe nullo impulſu in profundum mergetur, quin homines eius tolerantia ad tranquilliſſimos portus tranſuectabit.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI
de manſuetudine ſermo, quodam docto interprete.

OMNIBVS vobis perſpicuum arbitror, quàm conueniat his qui diuina audiunt eloquia, vt mores bonos & conuerſationem virtute præditam exerceant. In hoc enim ſerui Dei eos qui veritatem ignorant, potiſſimùm antecellunt, ſi in manſuetudine conuerſentur, & vitam agant religione ſua dignam. Qui Chriſtum ignorant, haud mirum ſi mali ſint, moribúſque damnatis. Seruus autem Chriſti magis à morum mititate, quàm à nomine quod ei parentes impoſuerunt, vocandus eſt. Neque Deus homines ita diligit propter virginitatem ieiunium, contemptum diuitiarum, hilarem eleemoſynarum dationem, vt propter mites benéque compoſitos mores: tametſi & illud alacriter ſuppeditare indigentibus non aliunde proficiſcitur, & conceditur his qui Chriſtum diligunt, quàm à mititate. Vt enim à fonte riuus, ita à morum ſuauitate cura pauperum profluit. Facilè enim ad miſericordiam manſueti & æquabiles trahuntur omnes, neque ferre poſſunt contemni pauperes, ſed aliorum inopiam ſuam arbitrantur calamitatem, & propterea inuidiam peſſimam omnium affectionum credunt. Neque vnquam grauem illum morbum in ſuam animam admittit vir benignus & mitis: ſed ſi viderit fratres honoratos, congaudet ac gratulatur aliorum gloriam ſuam putans. Alioquin amicorum omnia communia cenſens, in bonis quidem congaudet, in triſtibus verò condolet. Hæc enim manſuetudinis dona ſunt, & talis eſt mitium vita. Mitis orphanorum pater eſt, viduarum præſes, paupertatis procurator, iniuria affectorum adiutor, ſemper ſtrenuè agit quod iuſtum. Mitis reuerendus pater pueris, & obſeruandus dominus eſt ſeruis. Nihil enim ita conciliat domino familiares, vt quòd illum vident tranquillum ſeſe offerre, & manſuetudine iucundum. Nam & talem maioris faciunt & admirantur, habéntque pro patre, non pro domino. Agè, pro virili noſtra diligenter inquiramus, quænam ex morum ſuauitate bona manſuetis proueniant. Gratus & amabilis eſt videntibus, gratus item & his quibus tantum nomine notus eſt, neque facilè vllum inuenies, qui audiens laudari hominem manſuetum, illum videre, & exoſculari non deſideret, & non habeat in aliquanta lucri parte eius amicitia poſſe diu frui. Quòd ſi contingat aliquos propter opes inter ſeſe diffide-

A re, mox ad benignum & manſuetum illum properatur, bona ſpe, quòd eius bonitate quicquid litium & contentionum eſt, è medio tollatur. Atque ſi capitales inter ſe inimici ſunt, manſueti viri correptione placantur & manſueſcunt, etiamſi natura in iram & furorem propenſi ſint. Qui verò per manſuetos conciliari nequeunt, intractabiles planè ſunt, nulloque honore digni. Sed in quauis cauſa aptior & magis idoneus ad perſuadẽdum & conſulendum eſt: & primus, & præ aliis quicquid aſſequi cupit, impetrat. Inſuper quoniam exemplo ſuo magiſter eſt manſuetudinis, & ipſe opere ſuo ſtabilit quæ tradit, & mox, vt videtur, mitigat etiam furibundos. Neque multis ei verbis vel admonitionibus opus eſt, ſed pacem priuſquam loquitur, perſuadet. Quemadmodum & ſolis iubar, vt primum apparet, fugat tenebras: ita manſuetus & benignus ſua præſentia res turbulentas componit, B quietáſque ac tranquillas reddit. Eſt autem & hoc dignum recenſeri, quòd Chriſtus ſolum *pacificos, filios Dei* vocat. Et quare ſuum vocabulum mitibus communicat? Solus ille filium Dei pro viribus imitatur, qui pacis & amicitiæ author aliis fit. Matt. 5. Nam ſicut Chriſtus Deus & omnium dominus, in carne diuina nobis apparens, ſanctos angelos cum hominibus concordes effecit, qui quaſi bello quodam à nobis diſſidebant: ita & manſuetus homo fratres & cognatos, qui inter ſe diſcordes ſunt, conciliat: & reuereri leges, & præceptum Dei, abiectíſque inimicitiis in gratiam mutuam redire facit. Porro quod in corporibus noſtris nerui, hoc eſt manſuetus homo in domo, & eccleſia, & ciuitate. Paulus enim more ſuo fratres vocat corpus & membra inuicem. Qui autem diuulſos & pugnantes coire facit in amicitia, iam Pauli ſermonem implet, qui ſuadet omnibus, ne ignorent membra ſua, neque mutuum ſe deuorent. 1. Cor. 12 C Vnde verus eſt ſermo ille, quòd pacificator fratrum eandem virtutem habet in eccleſia, & domo, & ciuitate, quam habent in corporibus nerui, diſperſa & ſeparata coniungentes & contrahentes. Verùm hæc virtus tunc alicui data eſt, quando primus ipſe manſuetè viuere incipit. At qui facilè in iram erumpit, ridiculus apparebit, ſi quando exaſperatos alios placare attentat. Iræ deteſtatio. Iam quid deterius hominibus qui iræ ſeruiunt? Quis eos videns, non auertit oculos? Vir iracundus, inſuauis quidem eſt obuiis, inſuauis autem & vicinis: & ſi diuitiis abundauerit, non facilè egenorum inopiæ ſuccurret. Communis eſt hoſtis & ciuiũ, & peregrinorũ, clamat, vociferatur, plagas occurrẽtibus intentat, dicẽda & non dicẽda loquitur, aſpectu toruo, inflata facie, lingua rabida, manibus ad omnia prorumpentibus: &, vt apparet, dæmone plenus. Et quis videns virũ ita furere, dubitaret vel dæmonio agitari miſerum, vel voluntariò in tantam inſaniam proſilire? Ita voluntarius dæmon, D optata inſania, mentis eſt defectio. Qui iraſcitur, diaboli ludibrium eſt, dæmonum officina, & nequitiæ illius dignus miniſter. Dic obſecro, quid potiſſimum volunt dæmones quòd faciant homines? Nónne vt exprobrent parentibus? nónne vt pollutas manus natis inferant? nónne vt Deum blaſphement? Hæc autem omnia iraſcentium ſunt opera. Atque adeò ira ſeruis ſuis facilè impietatis author eſt: neque enim ſibiipſis imperare valent: & qui à furore & ira vincuntur, ſimiles ſunt naui, quę in media tempeſtate à gubernatore deſtituta ſubmergitur, vndequaque in eam procellis ingreſſis. Ira enim quaſi fulmen & tempeſtas quædam in animam irruit, ſeruientémque ſibi ſtupidum reddit ac amentem. Quid igitur faciendum? Prudentis hominis fuerit, vt ſibi ab hoc morbo caueat, mentem contineat, & furorem ſopiat ſcripturarum admonitionibus, priuſquam in iram inducatur. Nam ſi præſtigiatorum incantamentis beſtiæ obtemperant: quid mirum ſi eloquia Chriſti ferocis animæ

ſtatum

Digitized by Google

ſtatum tranquillum & æquabilem reddant? *Omnis* Epheſ. 4.
enim, inquit, *amaritudo, & ira, & furor, & clamor auferatur à vobis, cum omni malitia. Eſtote inuicem benigni, miſericordes, condonantes vobiſipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet reprehenſionem: quemadmodum & Deus in Chriſto condonauit* Ibid. 5.
vobis. Sitis igitur imitatores Dei. Videtis qualis ſit manſuetus? cuius vocetur imitator? non angelorum, non archangelorum, ſed domini vniuerſorum: tametſi etiam illi mitiſſimi ſint, virtutéque omni pleni. Paulus tamen Dei imitatores nos eſſe vult: quò propoſita tanti honoris magnitudine perſuadeat audientibus, vt omnes qui contumelia afficiuntur, vel aliud quiddam graue patiuntur, conuitia atque alia moderatè ferant, imperantéſque iræ, Deum imitentur. Iam quænam ſunt illa quæ Dei? In his enim quæ in ſupernis videmus & audimus, omnia diuina ſunt: in his quæ ſuper terram & ſunt, & dicuntur, iniuſtitiæ multæ. Quippe ſunt nonnulli, qui in tantam perueniunt impietatem, vt & Deum blaſphement, ſi quando in re aliqua contriſtentur & in cœlum reſpicientes, à nullis abſtineant verbis: Deus tamen fert, quamuis tantam habeat poteſtatem. Aut non poteſt de iniqua agentibus pœnam ſumere? Si omnes peccatores punire vellet, perquam pauci ſaluarentur, nec ſufficerent ad ſepulturas homines. Vnde & Dauid dicit: *Si iniquitates obſeruaueris domine, domine quis ſuſtinebit? quoniam apud te* Pſal. 129.
propitiatio. Et in illo oſtendit miſericordiam ſuam, eò quòd non ſeueriter punit. Igitur quiſquis aſſimilari vult Deo, pro virili manſuetus ſit ac mitis, ferátque fortiter, ſi quid grauius aliis patiatur. *Diligite*, inquit, *inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt:* Luc. 6.
orate pro his qui vos lædunt & inſectantur, vt ſitis filij patris veſtri qui eſt in cœlis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Et multæ quidem ſunt virtutes, quæ Chriſtianum virum bene decent: maximè autem omnium manſuetudo. Nam eos ſolos, qui hac conſpicui ſunt, Dei imitatores Chriſtus nominat. Proinde cõgruum eſt, vt quando quis contumelia nos afficit, vel verberat, vel alia ratione affligit: ſuſtineamus omnia manſuetè & patienter, conſiderantes, quòd Dei imitatores mititas facit. Etenim ipſe dominus & ſaluator noſter contumelia affectus, verberatus, cruci clauis affixus, leniter tulit Iudæorum furorem: & licet poſſet de eis vindictam ſumere, non ſumpſit tamen: ſed virtutem ſuam oſtendit, eo quòd concuſſit terram, & mortuos ſuſcitauit, & obſcurauit ſolem, & noctem ex die fecit. Manſuetudinem autem & miſericordiam declarauit, quia nullum ex his qui impiè agebant, puniuit. Vt diſcerent omnes, qui impias manus intulerant domino, quàm non fuiſſet difficile ipſos punire, qui tam facile terram commouit, & ſolem repente obſcurari præcepit. Et quia tam manſuetus fuit ipſe, vt non ſolùm manſuetè tulerit eos qui crucifigebant & blaſphemabant: ſed & patrem obſecrauerit, ne cœleſtibus aduerſus impios telis vteretur: idcirco cùm & tibi graue aliquid & durum ferenti, ſubrepunt furor & ira, recordare manſuetudinis Chriſti, & ſtatim manſuetus eris ac clemens: & non ſolùm tibiipſi benignitate tua plurimum lucri facies, ſed & inimicis proderis plurimum, erudiens illos vt ipſi benigni fiant. Videntes enim te extrema ſuſtinere, & iram manſuetè ferre, ſtatim poſito furore manſueti & lenes ipſi fient, manſuetudiniſque tuæ imitatores. Proinde quiſquis furibundos vincere voluerit, fortiter ferat iniurias & verbera, magnámque eius, qui verberibus in ſe ſæuiebat, conuerſionem videbit. At ſi etiam ipſe ab ira vinceris, ſtudens inimicum pari inſania vlciſci, nullus vnquam irarum & pugnarum erit finis: ſed ſemper qui inſaniunt & rabidi ſunt, & vincere alios conuitiis & verberibus cogitant, in immenſum bellum & pugnam erumpunt, mutuum inſidiantur, calumnias ſtruunt peierare audent, & accuſationes meditantur corum, quæ neque viderunt, neque audierunt: & in die quidem ſicut canes rabidi, & quærentes inimicum, noctem autem cogitando inſumentes, quomodo malum aliquod machinentur, & inſidias parent. Talibus neque ſomnus vincula deponit, ſed putant quòd adhuc aſſint apud inimicum, & criminentur & percutiant: & è ſomnis repente euigilantes, magis cædem mutuam, quàm epulas diligunt. Alij verò ira ebrij, calumniatores mercede conducunt, infandáque inter ſe agunt opera: & quantò pluribus malis ſeſe irritarunt, tantò maiore inſania furiunt. Nam quòd ebrios dicunt ob inſatiabilem ebrietatem ardentius ſitire, hoc & iracundis vſu euenit, quia in pernicioſiorem ruunt inſaniam propter inexplebilem contendendi libidinem. Hic vocauit ſeruilem, alius ſcorti filium: ille inſipientem, iſte inſanum: eſt qui furem & iniuſtum, & alius plenum omni malo. Dein ira ebrij confligunt inter ſe, beſtiarúmque mores imitantur, percutiunt, calcitrant, mordent, concidunt inuicem corpora, nulli parti parcunt: non oculis, non auribus, non naribus, non faciei, non alij cuipiam membro, ſed confligantes inter ſe conciduntur, & peſſundant inuicem. Et quod malum non faciunt? Secedunt à pugna, ille amiſſo oculo, ille auribus, ille labiis, ille alia corporis parte, magis tamen anima, quàm corpore corrupti, furibundi, nugaces, rabidi, ignorantes legem domini & ſaluatoris, qui præcepit vt alapa percuſſus & verberatus, atque alia paſſus, placido animo fortiter omnia ferat, vincátque mãſuetudine furorem iniquè agentium. Sanè qui hoc facit, laudatur ab hominibus, & coronatur à Deo & ſeruatore. Et propterea perſeuerandum eſt, ferendo leniter iratos, & reſpiciendum ad coronam, quam præparauit Deus manſuetis & mitibus. Abſurdum enim eſt, quòd athletæ in gymnicis agonibus & pulueribus verbera & vulnera ferunt propter vanam gloriam, coronam nullius momenti ſpectantes: nos autem coronandi à Chriſto, non imperamus iræ, non omnia fortiter toleramus: ſed breuem voluptatem, & iniuſtum furorem cœleſti honori & gloriæ præferimus. Enimuerò & hoc manifeſtum, quòd cùm multi magniq; fuerint, qui ornatam ac iuſtam vitam egerũt, manſuetudine tamen clariſſimi euaſere: quia placidi erga eos fuerunt, qui ſe iniuriis afficiebant. Hac enim virtute Moſes Iudæorum inſaniam moderatè ferens, & precibus ſaluans inimicos, honorem & gloriam cœleſtem præ aliis obtinuit, Deíque amicus vocatus eſt. Hac quoque virtute & Dauid parcens inimicis & hoſtibus, Deum ſibi amicum & beneuolum effecit. Hæc enim cum omnes homines ornare valeat, in primis tamen eos qui in poteſtatibus agunt. Nam cùm principibus omnia permittuntur, ſi ſeipſos continent, & ſuorum operum ducem habent legem Dei, nonnihil inde eorum celebritati & gloriæ accreſcit. Enimuerò Paulus & Petrus qui cœleſtem tangebant apſidem, propter virtutem qua conſpicui erant, humanitate tamen & manſuetudine magis claruerunt: quia honorem exhibuerunt his qui ſe conuitiis inceſſebant, inimicis benefaciebant, & ſæpe lapidantes precibus ſaluabant. Sciebant enim hæc maximè grata Deo, & præ aliis bonis admirabilia: & idcirco ipſi vitam ſuam in manſuetudine tranſmiſerunt, alióſque ad illam allexere. Quin & Stephanum periclitantem pro pietate, videmus pro inimicis orare, & mittatem in certaminibus admiramur. Reliquum, quia tantos ac tales duces manſuetudinis ſortiti ſumus, adhortemur nos mutuum, vt illorum veſtigia ſequamur, & in manſuetudine Deo miniſtremus: quandoquidem miniſterium iſtud aliis virtutibus eſt ei longè gratius. Et diuiniſſimus apoſtolus virtutem apoſtoli commonſtraturus, Chriſti miniſtrum manſuetudine potiſſimùm clareſcere voluit. Et quamuis multa potuiſſet dicere, ſiquidem 2. Tim. 2.

Ebrij procliues ad pugnam.

voluiſſet, vtpote dæmonum fugam, mortuorum reſurrectionem, atque alia: ſed omnibus illis præteritis, æquabilitatem morum ſurſum ac deorſum verſat ac tractat: quo perſuaderet nobis, vt ſua veſtigia ſequamur, benigníque ſimus, ac mites. Iuſtum eſt enim ſanctos illos imitari, & in exemplar vitæ proponere: vt bonis omnibus refulgentes, promiſſa bona aſſequamur à magno Deo & ſaluatore noſtro per quem, & cum quo Patri cum ſancto Spiritu ſit omnis gloria, honos, & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

DILIGAMVS OMNES, ETIAM *perſequentes,*

SERMO.

IVNGAMVS noſipſos inuicem, volentibus vel cæteris ab hac animorum coniunctione diſcedere, conſtans ipſe in officio permanebis, neque noſtrum quiſpiam dictum illud vulgatum & frigidum vſurpet, quo dici ſolet: Amore proſequar me colentem. & illud: Vel dextrum mihi oculum excuſſerim quem norim me habere infenſum. Dæmonum dicta ſunt hæc, publicanóque potius, vel gentili diffidente digna: tu verò qui ſis ad ampliorem quandam rempublicam accitus, & cœlo inſcriptus, maioribus videris eſſe obnoxius legibus; idcirco erit his verbis temperandum: quin & homines à tui amore abhorrentes, plurima ſunt in gratiam beneuolentia reducendi: ſunt enim & hi in membrum dati, quod membrum ſi fuerit à reliquo corpore reuulſum, enixè omnia facimus, viréſque & animum magis intendimus, vt ad priorem copulam reuocemus. Maioris enim eſt præmij cùm quempiam nec volentem ad nos amandum pellicimus. Nam ſi iubet Deus eos fore ad prandium inuitandos, qui nequeant vicem reddere, vt collatum illud in alterum augeſcat munus: longè magis id erit in amicitia ſeruandum. Siquidem qui alienam in ſe beneuolentiam mutuo amore compenſat, vicem rependit. At qui alienum in ſe amorem promerebitur, vel ſi nullam reddet amoris viciſſitudinem, Deum conſtituet pro ea in ſe beneuolentia obligatum. Vtque iſta omittam, nihil videbitur aliorum opera in fungendo officio indigere: vnde & hi iuuandi erunt, & ad amandum etiam compellendi, qui te oderint. Ne igitur vbi ſtudium præſtandum eſt, negligentiam inferas: neque id dixeris, eò fore quempiam negligendum qui ſit & corpore affecto, & valetudine correptus: ſiquidem cùm amor refrixit, morbus eſt, quin refoue algentem, vt incaleſcat. Quid ſi ne fotus quidem, dicet aliquis, incaluerit? tum rei tuæ vacabis. Quid ſi magis algore contrahatur? rurſus is præmia tibi maiora ſuppeditabit, eóque magis Dei te ſectatorem arguet. Quod ſi ex amore mutuo Chriſti diſcipuli

Ioan. 13. dignoſcuntur: (*in eo* enim, inquit, *dignoſcemini omnes eſſe mei diſcipuli, ſi vos adinuicem dilexeritis*) cogita quantæ illud ſit laudis, ſi odium amore compenſes: quippe & dominus tuus amore ſe odientes complectebatur, próque his & patrem precabatur: quantóque illos infirmiores ſpectaſſet, tantò magis illorum curam ſuſcipiebat, dicénſque exclamabat: Non opus habet qui proſpera ſunt valetudine medico,

Lucæ 5. ſed qui mala. Quinetiam menſa eadem & peccatores æquè & publicanos dignabatur: quantóq; magis ſe Iudaicus populus ignominia & probris inſectabatur, eò maiori ſibi & curæ fuit, & honori. Hũc itaque & ipſe imitare: non enim parui hæc virtus facienda eſt, qua ſine, vt Paulus ait, neque martyres ipſi multum Deo placere potuiſſent. Ne igitur

1. Cor 13 dixeris, nequire te eum colere, cui ipſe fueris exoſus: id enim vel maximè debes, odienti amorem: accedit & quòd nemini licet amantem ſe odiſſe ſtatim: quin etſi belluarum ſit quiuis ſimillimus, ama-

A bit qui ſe beneuolentia proſequitur. *Hoc enim,* inquit, *ethnici faciunt & publicani.* Quòd ſi quiſque colentẽ ſe colit, quis non eum adamarit, qui pro odio amorem repẽdat? Id igitur velim cæteris ad exemplum proferas, habeaſque in ore frequẽtius iſtiuſmodi: Non deſinam te amando inſectari, quamdiu me odio habueris: hoc pacto cõtrouerſias ſedabis: nam ſiue ex phlegmate, ſiue ex quadam naturæ frigiditate eiuſmodi morbus ortum duxerit, vtrunque tamen amoris potentia & vis eius feruore moderabitur. Nónne etiam ſpectaſti vnquã, qui turpi libidine detinentur, vti ab adulterata muliercula innumeris cõtumeliis affecti, cæduntur plerunque & conſpuuntur? quid igitur? num amor ignominiis ſoluitur? Minimè, quin magis incẽditur. Hæc ſanè humili & infimo genere fœmellæ poſtquam libidinatæ ſunt, factitant: qui verò iniuriis afficiuntur, poſſunt perſæpe maiores ſuos recenſere illuſtres,

B & claros viros, & familiæ nobilitatem prædicare non mediocrem: non tamen idcirco vel libidine extricantur, vel deſerunt quã amare occœperint; proinde nihil nos pudet, eam quam dæmoniacus amor habere vim creditur, non exiſtimare in diuinum poſſe deſiderium transferri, expugnaríque hoc pacto vel dæmones poſſe: nónne etiam noſti dæmonem illum impurum inſtare, vt vel eum qui ſit odio habitus ad ſe trahat, & membrum vindicet noſtrum, quod quempiam oderit: quo neglecto, victoriæ palmam prodis, id eſt, fratrem qui in palmæ morem in medium aſtat, & tibi ſi viceris futurus in præmium: ſi verò negligentior fueris, ſine palma abibis? Deſine itaque dæmoniacum illud pronuntiare, ſi me ſcilicet oderit frater, haudquaquã hunc mihi ſpectandum tulerim: quo dicto nihil eſt fœdius: cumque nõnulli eam animi cruditatem ſummis ingeniis aſcribant, nil tamen ipſe exiſtimauerim vel abiectius dici, vel inſanius & immitius poſ-

C ſe: eoque mihi ingemiſcendum cenſeo, quòd vitia ducitis virtutibus potiora, & inſoleſcere, & cęteros aſpernari, magni apud vos eſſe appareat, & clari officium: quod equidem non ſecus ac pro magnis dæmonum laqueis habendum duxerim, eò magis quòd velint plerique de animi malignitate benè opinari: ita fit, vt deleri eiuſmodi nequitia haud facilè poſſit. Audiui ego nõnullos iactare ſolitos, ſeſe non vltra ad eos adiſſe, qui vel ſemel nullam ſui habuerint rationẽ: quod tamen ſibi dominus tuus gloriæ duxit. Quoties namque hunc homines conſpuerunt, quoties aſpernati ſunt, quibus nihilominus ipſe & opem ferre, & ſubuenire non intermiſit? Ne itaque illud in ore habueris, minus ſcilicet poſſe odio te habentes cõuenire: quin illud vſurpatum habeas velim, nequire te tui paruifacere cõtemptores: quorum alterum Chriſti diſcipulum decet, alterum dæmones: vtque primum illud claros homines facit, & illuſtres, ita ſecundum hoc

D obſcurat, & ridiculos reddit: eoque & Moſes admirationi habetur, qui Deo dicente: Mitte me, vt iratus conteram illos: non eſt paſſus eos reſpuere, qui ſe fuiſſent ſæpius aſpernati, qui reſpondebat: Si dimiſeris eis peccatum, dimitte: ſin autem, & me perde. Erat is ſanè & Dei amicus, & imitator. Ne itaque nobis id laudi demus, quod potius fore tob turpitudinem occultandum: neque illud vſurpemus, quod dici vulgò ſolet: Noui ego contemptui habere quamplurimos, quin erunt omnes & irridẽdi per nos, & comprimendi, qui verbis iſtiuſmodi vtuntur: quandoquidem in his ſe iactant, quibus pudere oportuiſſet. Quid inquis, dic mihi, Chriſtianũ hominem conſpuendum cenſes, quem neque infidelem Chriſtus conſpuiſſet? at quid, conſpuiſſet, dixerim? quin adeò hunc etſi ſordidũ & informem dilexit, tantoque eſt amore proſecutus, vt eius gratia mortem ſubierit: tu verò eundem decorum admodum impræſentiarum effectum, & cunctis admirabilem reſpuis? dic mihi, nondum aduertis, qualia

Matt. 5.

Exod. 32.

Digitized by Google

A in eum verba iactes, aut quod audeas facinus, qui & Chriſti ſit membrum, & eiuſdem ac tu domini corpus gerat: eumque pro capite habeat, pro menſa & veſte, proque luce & ſponſo, ac demum vniuerſorum loco ducat: neque hunc ſolũ, quin & alios pleroſque maledictis offendis? Cõtine te iam, & deſine inſanire, recognoſce fratrem, diſce furentis hæc dicta eſſe, & animi valetudine laborantis: quin lõgè his aliena hunc in modum profare: Nunquam deſiſtam beneuolentia te complecti, vel ſi centies à te patiar repulſam: hoc pacto & fratrem lucrifeceris, viueſque hanc in Dei laudem vitam, & futuræ beatitudinis non eris immunis.

Vt benedicamus maledicentibus, Chriſti & ſanctorum exemplo.

SERMO.

INGEMISCENDI mihi cupido inceſſit, quando & nobis liceret Chriſti legibus decenter ſeruatis, non minus præſentia hæc, quàm futura illa vindicare, ni rebus nimiis & ſuperuacaneis ſtudentes, diuinis præceptis offenſi, his bonis excidiſſemus. Chriſtus ſanè legibus in vſum nobis & vtilitatem conditis, quid glorioſos, quid ſordidos & abiectos efficiat oſtendit: neque id iniunxiſſet haudquaquam, ſcilicet malefacta fore maleficiis compenſanda, ſi ſuos diſcipulos ob id futuros ridiculos comperiſſet: quin eò indixit, quòd noſſet id illis ad gloriam ceſſurum nõ mediocrem. Quòd ſi maledicentem maledictis nõ inſectari à Deo probatur, quantò magis qui fuerint maledicos laudibus, & maleficos beneficiis proſecuti, gloriam merebuntur? Dicet aliquis: Cur igitur Chriſtus huiuſcemodi leges promulgauit? Id quidem dixerim, indulget enim ſuis diſcipulis, C calletque quid hominum poſſit augere, quid imminuere dignitatem: quòd ſi indulgere ſolet, nouitque, quid illi contentioſe litigas, cupiens aliò iter diuertere? velle namq; alios malè agendo ſuperare, non diuinæ id legis eſſe, quin dæmoniacæ conſtat. Siquidem in Olympiacis certaminibus Inferis dedicatis hoc pacto victoria comparatur, quin & vincendi modus nullus eſt ſanè in Chriſti ſtadio ſimilis, quin longè diuerſus eſt ritus. Sancitum namque eſt, percuſſum, nõ percuſſorem corona donari oportere. Talis eſt apud Deum exercitandi conſuetudo, cui & ſtatuta ſunt omnia cæteris longe diuerſa, adeò vt non ſolùm ipſa victoria, quin & vincendi modus admirationis habere plurimum videatur: ſiquidem qui ſuccubuiſſe videntur, palmã retuliſſe creduntur. Hæc Dei eſt potentia, tale cœleſte illud eſt ſtadium, hoc angelorum ſpectaculum. Videre videor vos ad hæc dicta incaluiſſe, fuiſſeq; magis quauis cera emollitos: verùm cùm hinc fuerit abſceſſum, nulla erit horum apud D vos recordatio: idque eò magis iniquo animo tulerim, quòd horum nihil quæ dixerim facturos vos intelligam, præſertim cùm non ignorem haud mediocre ex his lucrum referri poſſe. Nam ſi manſuetudinem ac benignitatem prætuleritis, inoffenſi omniũ eſtis manus euaſuri: vel ſi inceſſerit quiſpiã maledictis, in authorem conuitia reditura ſunt omnia. Nónne & in iudiciis homines iniuria affectos ſpectaſti, quo vultus ſplendore, quáve inſtent audacia, vtque ore libero eloquantur: contrà, qui eam intulerit, capite demiſſo, pudore multo offuſus & trepidus terram ſpectet? Verùm quid criminatores cõmemorauerim, aut calumnias, quando ſi vel in tuam perniciem quiſpiam gladium acuat, vel ſuas è tuis ceruicibus ſanguine manus reſperſerit, te inoffenſo ſeipſum peremerit? cui rei teſtimonio eſt, qui prior fraterna manu occubuit: is enim gloriam adeptus immortalẽ, in tranquilliſſimum portum ſeceſſit: qui necem intulit, quauis morte vitam tranſegit miſeriorem: gemebundus ſiquidem, & vagus, ac trepidus, ſemper rei geſtæ crimen præ ſe feret: quocirca Cain ſceleri obnoxius, inferior erit. Nam qui mala illata tulerit patientius, domi non erunt nec diu apud ſe illa manſura, quando Gen. 4.
nullum ab ſe ortum habuerint, quin aliunde iniecta excipiens, in bonum praua commutauit: improbus verò ſuæ malignitatis plagas domi ſeruat. Nónne & Ioſeph erat in carcerem coniectus, cùm Gen. 39.
interea meretricula, quæ illi paraſſet inſidias, in ſplendida ac magnifica domo diuerſaretur: quòd ſi alterum è duobus daretur optandum, vter horum eſſe malles? crederem equidem Ioſeph te potius partes ſuſcepturum in carcere detenti, quàm Ægyptiæ in tectis ampliſſimis diuerſantis. nam ſi vtriuſque liceret animum inſpectare, cerneres Ioſeph latè & fidentius diuagantem: illam verò anxiam pudore, triſtitia, dolore, & mentis perturbatione magnum in modum, etſi viciſſe ſit viſa, vrgeri. B Quibus omnibus cognitione perceptis, ad malorum nos tolerantiam paremus, vt hac tandem patientia liberati, futura beatitudine potiamur.

NE SCANDALVM CVIQVAM *fratrum ponamus.*

SERMO.

ANIMADVERTE quantum Paulus curæ & diligentiæ præſtiterit, ne ſui exemplo quempiam perturbaret. inquit enim: *Si cibi gratia frater* Rom. 14.
tuus triſtitiam ceperit, nondum ſecundùm charitatem incedis: qui ſi mœrore afficiendus non erit, eò minus per te nec irritandus. & rurſus idem: *Neque propter cibum* Ibidem.
deſtrues opus Dei. Nam ſi ſacram aliquam ædem ſubuertis, graue & nefarium exiſtimatur: quantò magis ſpirituale hoc templum, ſi ruinam patiatur? quando & homines conſtet ſanctitate ſacris ædibus longè præſtare, quippe non parietum gratia, ſed noſtri huius templi mortem Chriſtus oppetiit. Circunſpectemus itaque ipſi nos vndique, nullique vel tenuem querimoniæ cauſam præbeamus. poteſt etenim vita hæc noſtra cum ſtadio conferri & nos ipſi quàm multis oculis abũdemus neceſſe eſt: neque quoquam id pacto credere, ignorantiam ſcilicet ſatis nobis ad excuſationem valituram, pro qua & pœnas daturi ſumus, cum ea nec veniam mereatur. Conſtat ſanè & Iudæos per inſcitiam deliquiſſe, quamuis eiuſmodi illorum ignoratio nulla ſit venia dignanda. Gentes præterea nouimus fuiſſe ignorantia captas, nec tamen propterea poſſunt excuſari. Nam ſi ignores quæ ſciri nequeunt, aut cognoſci, culpa vacabis: contrà verò ſi te cognitu facilia lateant, extrema ſupplicia feres: quinetiam ſi haud omnino nobis ipſi deerimus, ſed conantibus quæ abſtruſa ſunt & recondita cognitione attingere, opem Deus & auxilium feret, quod quidem & Paulum dixiſſe Philippenſibus patet, hoc modo: *Et ſi quid aliter ſenſeritis, id Deus vobis reuela-* Phil. 3.
bit. At cum ea quæ factu nobis facilia ſunt, perficere recuſamus, neque illum ſumus adiutorem habituri, quod & Iudæis accidit: Ideo enim, Chriſtus Matt. 13.
inquit, *in eis parabolis loquor, vt videntes non videant.* Dicet aliquis: Quo pacto viſu carebunt, qui vident? maximè: ſiquidem cùm ſpectarent abigi per Chriſtum dæmones, nec tamen temperabant illi obiicere: *Dæmonium habes*: cùm à mortuis cernerent ex- Ioan. 7. 8.
citatos, non eum adorabant, quin morte afficere conabantur. Cornelius verò nihil iſtorum ſimilis Act. 10.
videbatur, cui pro viribus omnia factitanti, ſupplebat Deus quod defuiſſet. Neque id quæras, quo pacto ex gentibus aliquem, cùm probus ſit & ſimplex, aſpernetur Deus. Principio dixerim, nulli hominum poſſe, niſi creatori, cuiuſpiam patere probitatem: deinde nullam gentilem illum aut curam adhibuiſſe, aut ſtudium, vt Dei haberet

notionem.

Digitized by Google

notionem. Dices fortaſſe, quónam pacto Dei quiſpiam cognitionem aſſequetur, qui nulla ſit ſapientia inſtructus? At hunc quem ipſe nec ſapientem iudicas, nec prudentem, ſed incautum appellas & inutilem, ſi fuerit in bonis externis periclitatus, cerneres longè rei ſuæ intentum, & circa eiuſmodi apprimè diligentem: qui ſi ſpiritualibus rebus incubuiſſet, quò cæteris ſolet, non adeò foret apud Deum deſpectus. Nam cùm veritas ipſa ſit ſole ſplendidior, quocunque ſe quiſque contulerit, eodem ſibi, ſi paulò fuerit attentior, ſalutem conueniet: quod ſanè ſuperuacaneum videri non debet: ſiquidem & Chriſti res geſtæ haudquaquam Palæſtinis locis, vel anguſto aliquo orbis terrarum angulo circumſcribuntur. Nónne & ipſe Prophetam audiſti iſtiuſmodi de Chriſto prædicantem, *Me omnes viſuri ſunt à minimo vſque ad maiorem?* Nónne Hier. 31. etiam intelligis hæc dicta veris fuiſſe rebus confirmata? Qua ergo hi ratione veniam ſunt habituri, qui cùm videant veritatis leges cunctis eſſe ad perdiſcendum expoſitas, nec tamen his imbui ſtudeant? Dicet aliquis: iſtiuſmodi ab homine ruſticano & barbaro duxeris exigenda? Non equidem à barbaro ſolùm, & ruri verſato, quin ab eo exegerim, qui omnes barbarie ſuperet, & feritate. Cur enim, dic mihi, ſi qua de re agatur, ruſticanus is, ſi reus fiat, & obiecta confutare nouit, & aduerſario, ſi vim patitur, obſiſtere, factitaréque omnia aſtu & viribus, ne damno vel tenui afficiatur, verùm ad ea quæ ſpiritus ſunt, non pari prudentiâ vtitur? Porrò cùm lapidem adorat venerabundus, ac dicit pro Deo, cùm feſtos illi celebrat dies, cùm pecunias fundit, vereturque ſe eius numen fatetur: nihil vltra vel ignauus, vel torpens præ eius ineptudine videbitur. At cùm verus ipſe conquirendus eſt Deus, tunc mihi hominem hunc, nec ſanum ſatis, nec frugi eſſe commemoras: non ita ſe res habent, non ita. Num inertiæ duntaxat hoc crimen erit? quos enim moribus vel faciliores, vel rudiores opinaris? eóſne quos Abrahæ fuiſſe temporibus conſtat, an huius noſtræ ætatis, homines? Id certè clarum, Abrahæ, dixeris. Vel quando pietas ipſa & religio inuentu facilior, noſtris his, an Abrahæ ſeculis? noſtris quippe, quibus Dei nomen eſt apud omnes vulgatum, & prænuntiatum à prophetis, & finem res ipſæ nactæ, gentium opiniones ſunt confutatæ & repudiatæ. Accedit etiam, quòd tunc temporis homines nondum erant veritatis cognitione inſtructi, & ſcelera ſuæ ſeditionis vniuerſa effecerant: nec lex erat vlla ad caſtigationem promulgata, propheta nullus, nulla miracula, doctrinæ nihil, aut qui eius cognitionem haberent non multi, neque aliud eiuſmodi: quin erant omnia tanquam in profundis tenebris obſcuráque & turbida nocte conſtituta, & tamen rebus aduerſantibus, mirandus ille, & ingentis animi vir, & Dei notionem habebat, & virtutem exercitans, pleroſque ad ſe imitandum induxit. Quod eo magis mirum videri debet, cùm eſſet externæ huius, & humanæ ſapientiæ prorſus ignarus: nondum enim fuerant elementa literarum inuenta, verùm conanti illi pro ſua virili omnia, opem Deus & auxilium tulit. Neque enim dici poteſt Abraham eam à ſuis maioribus accepiſſe religionem, quippe qui idolis inſeruiſſent: nihilominus cùm talibus eſſet ille progenitoribus ortus, barbarus inſuper natione fuiſſet & inter barbaros enutritus, neminémque habuiſſet diuinæ religionis inſtructorem, tantum reliquos qui vel leges accepiſſent & prophetas, probitate anteiuit, quantum nec dici ſat poteſt. Cur illud? quoniam Spiritui prorſus intentus, præſentibus bonis nec curæ minimum impendebat. Gen. 14. Quid prætereà Melchiſedec? nónne & his Abrahæ temporibus fuit, adeóque claruit, vt *Dei ſacerdos* diceretur? neque enim fieri poterat, vt qui caſtè & continenter vitam duceret, contemptui habere-

A tur. Cùm itaque intelligamus e quadam probata conſuetudine, quod ſemel ſentimus, firmum ac ſtabile ſeruandum eſſe, & noſtræ erunt per nos actiones circumſpectandæ, vt vitæ melioris profectum nanciſcamur: nec Deus precandus vt ſupplicia à quoquis hominum exigat: aut ſcrutandum cur hunc ſanitati reſtituat, illum ad ſe iam fato functum reuocet: ſic enim haud ſecus ſanè facere videremur, quàm ſolet infenſus ſeruus, qui domini diſpenſationem diſquirat. Miſerum equidem te, & calamitoſum dixerim, cui cùm futura ſupplicia curæ eſſe debent, quóve ſit pacto Deus conciliandus, aliorum pœnas depoſcas, pro quibus & tibi tormenta ſubeunda ſunt, illis omiſſis, quorum ſis rationem redditurus. Dicet aliquis, quid igitur? ſuntne hæc gentili cuiquam, & infideli renuntianda? quinetiam velim non ſolùm gentilem hominem eadem hæc commonefacias, ſed teipſum, vt rectius viuas. Si-

B quidem gentilis ille vitæ tuæ moribus perpenſis, non mediocriter ex his fuerit offenſus: ad hæc tibi quid ſit reſpondendum, cogita. Nam ſi qua re alia offendatur, nullam eris ob id rationem redditurus: at ſi ex prauis tuis facinoribus fuerit offenſus, eris ſanè diſcrimen vel extremum ſubiturus, eò magis ſi te quem fortè rebus cœleſtibus ſtudentem conſpicabatur, mox bonis præſentibus viderit inhiantem, non reformidantémq; æterna incendia. Eiuſmodi itaque cupiditatis inſimulatus, qua vti reſpóſione queas, excogitanda eſt, præſertim cùm gentilis ille tuis flagitiis perſpectis, his ſit te verbis criminaturus, Tu qui iudicium illud horribile operiris, cur præſentia hæc non aſpernaris? ſi immortalitatem ſperas, cur mortem non paruifacis? ſi cœleſtis imperij amore duceris, cur non hanc vitam contemnis? Iſtiuſmodi ergo obiectanti, cogita quid ſit per te reſpondendum, eóque magis inſtabit cùm te viderit ad pecuniariam iacturam treme-

C bundum, & ad oboli vnius lucrum lætum & hilarem, habentémque animam pro tenui argento venalem. Hæc ſunt, inquam, hæc ſunt quæ gentilem offendunt. Quocirca ſi tibi curæ tua eſt ſalus, erit pro his ratio non verbis, ſed re & actionibus reddenda: quando ob eiuſmodi gentilis hominis quæſtionem nemo vnquam Deum maledictis inceſſiuit, qui ob vitæ prauitatem vbique offenditur, quæ eò per nos erit emendanda, vt reliquos ab eiuſmodi petitionibus coërceamus. Quæret enim gentilis, vnde fieri certior poſſum, Deum toleratu facilia imperaſſe? Ecce tu Chriſti hanc fidem à maioribus tuis acceperis, ſiſque in hac tam probata religione educatus, nil tamen ea dignum pro Dei iuſſu facis. Quid ipſe ad hæc dices? fortè oſtendam tibi pleroſque alios, qui in eremo conſidunt, vitam agere qualem quæris, & Deo gratam. Proinde non te pudet, cùm ex confeſſo Chriſtianus ſis, gentilem hominem ad alios remiſiſſe, quaſi nequeas ipſe ali-

D quo indicio Chriſtianum te eſſe oſtendere? At mox ille dicturus eſt: Quid mihi neceſſe & montes adire, & ſollitudines inſectari? ſi enim fieri non poteſt hominem in mediis vrbibus diuerſantem, Chriſti hanc fidem & ſapientiam adipiſci, permaximè erit veſtra hæc Chriſtiana reſpublica incuſanda, eò magis ſi futurum eſt, vt relictis vrbibus noſipſos in ſeceſſum aliquem conferamus. Id modò velim, hominem afferas, vxorem, liberos & domum habentem, poſſe huic veſtræ ſapientiæ ſtudere. Quid ad hæc dixeris? nullus eſt impræſentiarum ſubterfugij aut pudoris locus. Longè enim aliter ſe habent diuina imperia. Sic ſplendeat, inquit, *lux veſtra coram* Matt. 5. *hominibus*: non montibus dixit, aut pro ſolitudine aliqua inacceſſa. Hæc dixerim, non vt eos qui montes ſibi ad habitandum elegerint, minus probem: quin vt vrbium incolas deplorem, quòd virtutes inde abegerint. Obſecro itaq; vt illud quod in remotiſſimis locis exercetur ſapientiæ ſtudium, ad nos vel in vrbes traducamus, vt ciuitates & lo-

Digitized by Google

ca frequentiora hoc pacto excolantur: ſic & gentiles reduci in viam poterunt, & offendicula ſubmoueri, adeò vt ſi eos reddere in offenſos cupieris, & tibi mercedis plurimum vindicare, & vita tua erit per te corrigenda, & quoquouerſus illuſtranda, vt homines tuis optimis facinoribus perſpectis, Deum cœleſtem patrem efferant laudibus, nóſque ea gloria, quæ explicari verbis haud ſat pro merito poteſt, frui poſſimus.

DE MALIS A NOBIS *euertendis,*

SERMO.

EVERTENDI ſunt nobis malorum fontes, quibus euerſis ſublatíſque, ardentiſſimum cupiditatis ignem extinguere licebit, ipſiúſque nequitiæ radices ab imo reuellere. Etenim ſi infœcundæ arboris ſuperiora circuncideris, eadem nouos edente ramuſculos, nihil videberis vel radicibus altè tendentibus effeciſſe. Quid autem malorum ſit radix, ediſce ab antiquo agricola, qui cum huiuſce ſit agriculturæ non ignarus, vineæ ſpirituali & curam impendit & operam, & terrarum orbis culturam ſuſcipi. Quid igitur dixerit quiſpiam cunctorũ malorũ eſſe cauſam? Pecuniarum equidẽ aſſeuerauerim cupiditatem: ſiquidẽ omnis improbitatis & nequitiæ fundamentum ipſa eſt habendi libido. Ex ea nanque diſſenſiones, inimicitiæ, bella, altercationes, contumeliæ, ſuſpiciones, iniuriæ, cædes, furta & ſacrilegia emanãt: ob eam, inquã, non ſolum vrbes & oppida, ſed viæ ipſæ, & orbis denique vniuerſus deſolantur, montes inſuper, & loca quæque ſuperiora, & cuncta demum ſanguine redundant & clade. quod malum neque ipſo ponto abſtinuit: ibi nanque maiori quadam veſania deſæuit, piratis (nouo quodam prædandi genere adinuento) vndique obſidentibus. Ob hanc præterea cupiditatem, & naturæ ſunt leges immutatæ, & ſublati conſanguinitatis termini, ipſiúſque ſubſtantiæ ac vitæ corrupta ſunt iura. Auri enim violenta cupido, non ſolùm in viuos, quin etiam in mortuos ipſos tales armauit manus, vt ne cùm tumulatis quidem habere inducias patiantur: quin has plerique ſepulchris refractis ſceleratè iniiciunt cadaueribus, neque ſinunt vita functos eorum eſſe inſidiis vacuos. Quæcunque denique mala, ſiue domi eſſe comperies, ſiue in foro, ſiue in iudiciis, ſiue in concionibus, ſiue in curia & regiis ædibus, ſiue quibuſuis aliis in locis, ex ea habent cupiditate ortum. Hoc illud eſt malum, hoc cuncta cæde & ſanguine oppleuit, hoc gehennæ flammam excitauit, hoc ciuitates ſolitudine nihilo meliores, verùm inferiores longè effecit. Siquidem obſeſſores viarum caueri facilius poſſunt, quàm qui prædabundi mediis vrbibus inuerſantur: hique tantò ſunt illis deteriores, quantum ad euitandum difficiliores videntur. Audent enim in propatulo, quæ illi ſeorſum ſolent & clam factitare: & leges quæ ad prædonum perdendam impuritatem ſunt & nequitiam latæ, in auxilium ſibi & commodum trahunt, vrbémque vniuerſam clade & facinoribus complent. Atqui inopem in eſuriem dedere, in carcerémque coniectum & vincula, tormentis poſt famem tradere, & variis equuleis diuexare, nónne pro cæde commiſſa habendum eſt, & cæde maius? quam rem & ſi ipſe non feceris, cauſam tamen vt fiat præbueris, magis eris quàm qui ſupplicia ſubminiſtrant, culpandus. Carnifex enim ſimul ac gladium iugulo defixit, breuíque dolore affecit, deſinit vltra hominem excruciare: ipſe verò ciues criminando, vexando, inſidiandóque ſuggeris centies mortem expetere. Aduerte itaque quàm multiplices variáſque ex vna conficias mortes, quódque grauiſſimum eſt, cùm nulla ſis neceſſitate, aut fame compulſus: ſed duntaxat, vt equorum fræna, domus faſtigia, & columnarum epiſtylia multo auro obducantur, rapiendo habendi ſemper in te creſcit cupiditas. Quónam igitur pacto hæc non gehenna digna iudicentur? quando & fratris, qui tibi eſt ineffabilium bonorum particeps, tantóque à Deo honore dignatus, nulla apud te ratio conſtet, idque ſolum habeas voluptati, vt lapides & pauimenta extollas, exornéſque adeò brutorum animalium corpora, & plurimas tibi ad perniciem & calamitates inferas & ærumnas. Canis tibi magna eſt cura: homo verò, imò Chriſtus ipſe, pro tuo hoc nimio in belluas ſtudio, próque inani cæterarum rerum ſolertia, fame extrema concluditur. Quid hac confuſione deterius? quid eiuſmodi nequitia poteſt eſſe moleſtius? quot flagrantia flumina, vel igne ſuccenſa huic fuerint ad cruciatum ſatis? Siquidem is qui ſit ad Dei imaginem creatus, tuâ inhumanitate ſordeſcit & ſqualet: mulorum verò facies qui coniugem vecturi ſunt tuam, auro non modico fulget, pelles inſuper & ligna quibus tegumentum aliquod contexitur, vel ſi ſedes paranda ſit, aut ſuppedaneum, auro argentóque operiuntur: at Chriſti membrum, cuius ob gratiam è cœlis ille ad nos deuenit, ac venerandum ſanguinem fudit, præ auaritia neceſſariis alimentis nil fruitur. Lectuli præterea tui vndique ſunt obtecti, ſanctorum verò corpora vel neceſſario amictu priuantur. Seruis itaque, belluis, ſtratis, ſuppedaneo, ſella & cæteris quæ viliora ſunt vaſis, inferior à te Chriſtus habetur & abiectior. Quòd ſi me audis, dictáque hæc mea horreſcis, deſiſte iam hæc factitare. Deſine, inquam, inſanire: eſt enim ſtudium hoc omne, quod circa huiuſmodi res impenditur, pro inſania habendum. Idcirco inani hac & ſuperuacanea cura omiſſa, oculos aliquando tandem ſubleuemus ad cœlum, diemque tum illum, id eſt, horribile Dei iudicium, tum ſtatutam certámque ſententiam, & in reprobos futuram damnationem, memoria reputamus. Animaduertamus inſuper & æternæ illius maieſtatis tolerantiam, quòd noſtris vel erratis, vel ſceleribus perſpectis, neque cœlitus in nos fulgura iaculetur, cum facta hæc fulmine ſint non indigna: id tamen facere intermittit: nec mare in nos refundit, nec terram ſcindit aperítque mediam, nec ſolem extinguit, neque diſturbat cum aſtris vnà & cœlum: nec cuncta denique è medio tollit, quin potius creata omnia ſinit ſuo ordine ferri, nobíſque pro inſtituto ſubminiſtrare. His itaque animaduerſis, diuinæ clementiæ & longanimitatem, & tolerantiam obſtupeſcamus, reputemúſque nobiſcum animo noſtri ortus ingenuitatem: quando in præſenti nihil planè videamur à brutis animantibus differre, ſed illis eſſe longè inferiori conditione orti. Siquidem ſanguinis illa trahuntur coniunctione, ſúntque naturali quadam amoris copula contenta: ipſe verò vel pleriſque ſeſe offerentibus occaſionibus, honore ſcilicet, qui religioni debetur & fidei, & multorum bonorum participatione, quorum ob gratiam cum membris tuis & fœdus inire, & copulam queas, factus es illis longè immanior. Præſertim cum ea quæ planè inutilia ſunt, & nullius momenti, magno videris ſtudio inſectari: eos autem qui Dei ſunt templum, fame & nuditate conſumptos, non ſolùm aſpernaris & negligis, ſed malis plerunque plurimis obuoluis. Atqui ſi ea per te gloriæ cupiditate geruntur, longè magis frater quàm equus curandus foret. Quantò enim is, qui tua ſit munificentia vſus, præſtantior fuerit, eò fulgentior tibi pro tuis in eum beneficiis corona contexitur: nunc verò cùm longè his fueris in aliena lapſus, non ſentis quàm multos excites, qui te criminantur. Quis enim tibi non maledixerit? quis non extremæ crudelitatis

&

1.Tim.6.

Auaritiæ deteſtatio.

In eos qui muros, ſupellectilem, & animalia ſua ornant pauperibus neglectis.

& inhumanitatis inſimulabit, cùm viderit te hominum genere neglecto, beſtias illis prætuliſſe, poſt beſtias verò domos & ſupellectilem curæ habere? Nónne apoſtolos audis aſſerentes, priores illos qui Dei verbum ſuſcepiſſent, domos fundoſque vendidiſſe, vt fratres alerent: tu verò domos & fundos ſubtrahis, vt equos, ligna, pelles, parietes, & pauimenta extollas? quodque grauius videri debet, non ſolùm viri, verùm & mulierculæ hac trahuntur veſania, quando ad inanem laborem hunc & maritos impellunt, vt vbiuis potius, quàm neceſſariis in rebus impendant. Quòd ſi quis hæc tulerit moleſtius, minuſque probet, præmeditatum habent, & in promptu reſponſum, non mediocriter increpandum: dicunt enim ea licere, quæ & cæteri factitent. Quid inquitis? nihil pudet, nihil veremini, quando & Chriſtum vt equis & mulis, ita & ſtratis & ſuppedaneis adnumeratis, & quidem fameſcentem: quin potius neque illis parem facitis, maioremque his rebus portionem, Chriſto verò perexiguam impartitis? Num vos fugit cuncta illius eſſe ditionis, vos inſuper ac veſtra omnia? Num ignoratis eundem & corpus condidiſſe, condito gratis indidiſſe & animam, in quam omnia ornamenta contulerit? Quiſpiam verò pro his omnibus donis nec beneficij vicem reddet? quíve pro locata domuncula pactam & conuẽtam pecuniam diligentiſſimè expoſcit, mundi hanc machinam omnem in vſum habens, tantumque inhabitans terrarum, neque parum tolerat mercedis dependere, cùm inani gloriæ, è qua facta eius omnia pendent, ſeipſum ſuaque vniuerſa deuouerit? eo inanius, quòd neque belluis tali ornatu circumactis, addi aliquid virium poteſt, neque ſeſſoribus ipſis virtutis plus quippiam accedere, quàm ignominiæ: ſiquidem plerique ab equite auerſari, oculos ad iumenti ornatum conuertent, inſequentemque familiam, vel præuios: & qui elatis ceruicibus anteceſſerit, circunſpectabunt, dominum verò ſatellitibus ſtipatum, non ſecus ac communem hoſtem & infenſum habebunt, & aſpernabuntur: quæ res contingere tibi haudquaquam poterit, ſi animum excolueris, quin homines potius & angeli vniuerſi, & angelorum princeps coronam plectent. Idcirco ſi gloriæ cupiditate duceris, deſine iam ſectari quæ ſoles, neque domum, ſed animam ipſam, vt clarior fias & circumſpectior, ornato. Nihil enim dici te vilius poteſt, ſi ei poſthabitæ & neglectæ domus ornatum anteponas. Quòd ſi mea hæc dicta iniquo animo tuleris, audi quid fuerit per quempiam alienigenam geſtum. Philoſophus enim quidam cum ſplendidam eſſet domũ ingreſſus, auro multo fulgentem, varioque marmore & columnarum cultu conſpicuam, pauimenta mox ipſa tapetibus ſtrata vidiſſet, in faciem domini dicitur domus conſpuiſſe: increpitus deinde reſpondiſſe: Cum ſibi id facere vlla in parte domus haudquaquam licuiſſet, coactum ſe domini vultum conſpurcaſſe. Vides itaque quàm irriſione dignus ſit ille apud eos qui mente valent, & deſpicatus qui exteriora ornauerit: nec immeritò. Nam ſi quis vxorem ſiuerit tuam opertam pannis, aut neglectam, ancillam verò veſte ſplendidiori obtexerit, num æquo id animo tuleris? Minimè, quin ira ſuccenſus ſummam hanc eſſe iniuriam clamitares. Nec ſecus igitur tibi erit de anima cogitandum, cùm parietes ſolùm & ſupellectilem exornas, & ſtipem minus abunde impertiris, nec in rebus gerendis prudentius impendis operam: quod eò grauius videri debet, cùm conſtet heram inter & ancillas pro e rum natura nihil diſtare, animam verò à corpore differre plurimum. Quæ res ſi ita ſe habet, longè magis domus ipſa, & lectuli, & ſcabella ab anima diſtabunt. Qua igitur fueris excuſatione dignus, cùm hæc fuerint auro per te argentóque obducta: animam verò, nulla eius habita ratione, pannis obſitam, ſqualentem, famelicam, vlceribus plenam, canibus ſiueris laniandam, & his inſuper exiſtimas te ex ornatu eiuſmodi, & exteriori laude vel gloria potiturum? Illud præterea maioris dementiæ apparet, cùm fueris ob id ſuperuacui ornamenti ſæpe aliàs increpitus, irriſionibuſque & conuitiis, vel iniuria quauis alia affectus, & extremis ſupplicijs adiudicatus, ſuperuacanea hæc fore tibi adhuc decori ducere. Vnde cùm ita, vt diximus, ſe rem habere intelligamus, repurganda ſunt nobis errata hæc omnia, vt aliquando tandem noſtri iuris effecti, reſipiſcamus, transferamuſque in animum decorem illum exteriorẽ omnem, & ornamentum. Hoc pacto Deus manebit illæſus, & ſine iactura erit, & nos angelis pares efficiet, & bonis certioribus donabit.

De nequitia depulſa, & virtute inducta,

SERMO.

AGE tandem, ſi placet, contentionibus omiſſis, ſermonem ad mortalitatem differendam conuertamus. Nequitia enim depulſa, inductaque virtute, clarè docebimus iniquitatem ipſam nullum habere à natura ortum, conquirentibuſque malignitatis originem, non ſolum verbis, verùm & rebus ipſis ora occludere facile poterimus: vtpote qui illius naturæ ſimus, non improbitatis participes: neque illud ſpectandum, quàm laborioſa ſit virtus, ſed quàm poſſit facile comparari, ſi ſtudio & diligentia incubuerimus, conſiderandum. Quòd ſi vitiorum voluptatem attuleris, & finem, qui ducit ad mortem: vbi econtra virtutes ad vitam explicabis, videbimus plurimum vitiis ineſſe doloris, virtutibus verò voluptatis non parum, ſi fuerint hæc diligentius vtraque diſcuſſa. Nam quid improba conſcientia moleſtius? quid ſpe meliori ſuauius? Nihil profectò. Nihil adeò nos frangere vel vrgere conſueuit, quàm rei aduerſæ aut mali imminentis expectatio: nihil vnquam nos adeò ſubleuat, & quaſi volitare facit, quàm recti conſcientia. Quod quidem facile poteſt in rebus humanis aduerti: nam qui carcerem habitant capitis damnati, damnationem operientes, & mortem, vel ſi deliciis abunde fruantur, vitam longè agunt moleſtiorem & anxiam, quàm qui emendicando, & nullorum ſibi malorum conſcij per rerum anguſtias incedũt. Mortis enim futuræ expectatio haudquaquam ſinit, vt quas in manibus habẽt voluptates ſeu delicias ſentiant. Verum quid vinctos dixerim, & in carcerem coniectos: quando & liberè vagantibus, & abundantibus dico & opulentis viris, ſibiipſis malorum conſciis, opifices ipſi longè ſint conditione meliores, qui ex diurno quæſtu victitent, & labore ſummo. Dumque in popinis nonnullos ſpectamus temulentos, incontinentes, & vẽtre diſtentos, eo illos infelices appellamus, quoniam edendi & perpotandi voluptate longè eſt acrior expectanda in eos & futura calamitas: quòd ſi hiſce omnibus viuendi hoc genus iucundum apparet, nihil eſt mirum, ſi nequeat in malignitudine amaritudo euitari, vel in nequitia defugi triſtitia. Ecce res tam execranda ebrioſis illis laude videtur digna non mediocri: non tamẽ idcirco beatos illos, ſed miſerabiles nuncupamus, & calamitoſos, quia ignorant quibus ſint malis immerſi. Quid de mœchis dixeris? qui pro breui fluxaque libidine turpem ſubeunt indecoramque ſeruitutem, pecuniarum inſuper iacturam, timorem continuũ, & vitam ducunt, eius ſanè quam Cain duxerit, nihil abſimilem, vel longè quàm ille moleſtiorem. Siquidem & præſentia verentur, & futura pertimeſcunt, amicos pariter & inimicos, gnaros vti, & ſceleris

Peccantium miſeria, & inquietudo.

A conſcios, ſuſpectos habent, adeò vt neque quieſcendo huius ſint anxietatis expertes. Facinorum enim conſcientia inſomnia eis vel plena formidinis aduſque terrorem effingit. Verum qui fuerit in vita moderatior, erit his malis omnibus ſolutus, tum illam ſummo in otio & libertate tranſiget. Obiectandi itaque erunt breuibus his oblectamentis formideloſi fluctus iſtiuſmodi & procellæ, perexiguoque abſtinentiæ labori tranquillitas illa vitæ ſempiternæ obiicienda: ſpectabis ſane moderatam hanc incontinenti illa eſſe longè iucundiorem. Prædo præterea & fur alienis pecuniis manus iniecturus, nónne diuerſando ſeruiſque non ſecus ac liberis adulando, portarum vigiles deterrendo, comminando, iniuriam inferendo, excubando tremebundus & anxius, & ſuſpectans omnia plurimum tolerat laboris: ei verò qui pecunias aſpernatur, nihil accidet iſtiuſmodi, ſed ingenti fretus animi ſuauitate, vitam quietè aget, ac tutò. B Cæterum ſi quis vitiorum partes diſcuſſerit ſingulas, conſpicabitur confuſionem illis ineſſe, & ſcopulos nec mediocres: mox ſi virtutis principia attendat, dura eſſe & laborioſa comperiet: quæ verò ſequentur, facilia adeò & iucunda videbit, vt ſuperior omnis obiectus labor ſubleuetur. Contra verò, longè ab his vitiorum eſt diuerſa conditio: ſiquidem oblectamenta ipſa, quæ ex illis initio ſtatim capiuntur, dolores ac ſupplicia conſequuntur, ita vt prior illa omnis depereat voluptas. Nam quemadmodum is, qui poſt partam victoriam coronam expectat, præſentes labores pro nihilo ducit: ſic & is quem poſt delectationem manent tormenta, nequit fructum puræ voluptatis, timore omnia perturbante, capeſſere. Quinetiam ſi quis diligenter rem omnem inueſtigauerit, vt cruciatus peccatis propoſitos omittamus, plurimum in vitiis exequendis comperiet ineſſe laboris. Quocirca ſi placet, ſcrutamur eadem hæc in his qui aliena rapi- C unt, vel ſi ditiores fortaſſe fuerint, & pecuniis circumfulti, ſint etiam, ſi velis, quouis diſcrimine, anxietate, cura, & cæteris eiuſmodi vacui: concedamus præterea quempiam eſſe nulla ſua induſtria opulentum, quodque nec fieri poteſt, fidentem, & ſpei plenum poſſe res ſuas & bona omnia in longum ſeruari. Qua igitur is, quoniam abunde ſit fortunæ bonis obſeptus, voluptate fruetur, præſertim cùm hæc haudquaquã ſinant quempiam diu lætari? ſiquidem appetenti plura tormenta augeſcunt, maximeque tum quiſque gratuletur, cùm habendi abſceſſit cupiditas. Nam & ſitibundi tunc recreamur, cùm ad ſatietatẽ ebibimus: quamdiu verò ſiti vexabimur, vel omnibus exhauſtis fontibus, fluminibuſque per nos abſorptis, & angimur magis, & acrius cruciamur. Ipſe ergo ſi ſeculi huius bona acceperis, nec eadem intermiſeris augendi deſiderium, eò te maiori cruciatu afficies, quò & plura guſtaueris. Ne itaque exiſtimes ex hoc multarum rerum complexu aliquam tibi, D niſi diuitias ſpreueris, poſſe afferri voluptatem. Quamdiu enim eas concupieris, nunquam ſupplicio carebis. Amor quippe diuitiarum ille inexplebilis eſt, & infinitus: quantoque plus proceſſeris vitæ, tantò magis à fine aberis. Nónne igitur cupiditas hæc pro monſtro & extrema ſocordia eſt habenda? Erit itaque principio nobis ab his auaritiæ malis longius abeundum, quin potius neque talia ſunt deſideria attingenda: vel ſi attingimus, fugienda erunt initio ſtatim, neque his diutius immorandum. Quod Salomon de muliere adulterata diſſerit hoc modo, & commonefacit: *Deſalta, ne moram traxeris, neque domus illius fores adieris.* (Prou. 5.) Nec ſecus ipſe de pecuniarum auiditate dixerim: Nam ſi ſenſim te vaſtum illud feruoris mare adire contigerit, haud facile reuocare gradum quiueris, difficulterque victor euades, nec ſecus ac ſolent qui capitis vertigine detinentur. Vnde ſi in huius aua-

A ritiæ profunditatem deſcenderis, teipſum ac tua vniuerſa diſperdes: quare principia ipſa nobis cauenda ſunt, quæve minora fuerint mala euitanda, è quibus & maiora ortum ducunt. Nam qui errata vel ſingula, vti exigua, paruipendere conſueſcet, paulatim omnium patietur iacturam: peccatorum ſiquidem incuria, & neglecta facinora, & vitia induxere, & vrbium mœnia ſolo æquarunt. Sic & corporibus morbi increſcunt, cum illorum vel tenues cauſæ negliguntur. Atqui Eſaü niſi primogenituræ renuntiaſſet, nequaquam eſſet indignus benedictione effectus. Item ſi benedictione non abdicaſſet, nec fratricidium committere concupiſcet. Cain præterea niſi primogenituræ fuiſſet deſiderio captus, ſed eiuſdem Deo curam demandaſſet, nunquam ſecunda fuiſſet primogenita conſecutus: quibus adeptis, ſi commonefacienti ſe Deo paruiſſet, cædem nunquam parturiſſet. Rur- B ſum fratricidio commiſſo, ſi eum rei geſtæ pœnituiſſet, Deoque ſe appellanti non impudentius reſpondiſſet, nihil eſſet in reliquum mali perpeſſus. Quòd ſi hi, quos ante conditam Dei legem fuiſſe conſtat, præ iſtiuſmodi negligentia ſenſim ſunt ad ipſius malignitatis ima prolapſi: cogita quid nobiſcum agetur, qui ad maiores ſumus foſſuras euocati, ni diligentius nobis præcauerimus, & malorum ſcintillulas, priuſquam ignem ſuſcitent, extinguamus. (Peccatorũ remedia.) Quorſum hæc? Peierandi frequentiori teneris conſuetudine, non modò ergo huic erit vitio obſiſtendum, ſed tollẽdum prorſus & iuſiurandum: id ſi egeris, & labore quouis, & peierandi vitio vacabis: longè enim eſt difficilius non peierare, quàm nullo omnino iuramento inſueſcere. Conuitiator ſi fueris vel contẽtioſus, aut percuſſor: præſcribe tibi non iraſcendi legem, nec clamitandi: hoc pacto cum radice vnà & fructus interibit. Libidinoſus es & incontinens: propone ti- C bi metas & terminos nullam mulierum ſpectandi, neque in foro alienum decorem oculis circumluſtrandi. Leuius enim multò à muliebri aſpectu abſtinebimus, quàm viſa & concupita fœmina libidinum incitamenta propulſabimus: ſiquidem & leuiora ſunt, quæ primum nobis inferuntur certamina, tametſi nihil erit nobis decertandũ, ſi nec portas ipſi hoſtibus patefaciamus, aut admiſerimus vitiorum ſemina. Idcirco Chriſtus virũ inceſtè mulierem ſpectantem pœna affecit, vt nos labore ſubleuaret: (Matt. 5.) indicit namque prius è domo hoſtem eiiciendum, quàm ſumptis viribus fiat validior, ac quum depelli facile queat. Quid enim opus eſt fruſtra nobiſipſis exhibere negotium, & manus cum hoſte conſerere, cùm liceat palmã ſine certamine comparare, & præripi queat ante incœptum bellum victoria? Neque enim adeò laborioſum eſt à mulierum aſpectu continere oculos quàm viſis & circumſpectatis abſtinere: quinetiam neque ipſa oculorum abſtinentia quippiam habere videtur dif- D ficultatis, ſed aſpectus ille ſudoris plurimum habet, & laboris. Quòd ſi vel ea res iſtiuſmodi difficultatibus vacaret, præſtaretque de ſe lucrũ aliquod nec mediocre: quid tum nobis properandum eſt, vt malis omnibus abundantiſſimum pelagus adeamus? præſertim cùm non ſolùm ſit à fœminarum intuitu hoc abſtinere facillimum, verum & ab earum concupiſcentia ne inquinari quidem concedatur. Contrà verò qui fœminam viderit, vt ſummo cum labore, ſic non ſine animi labe euadet, ſi fortè ſit aliquando euaſurus: vtque is qui facierum ſpeciem decoremque haudquaquam attenderit, erit omnibus quæ inde admittuntur libidinibus vacuus: ſic qui fuerit in viſendo cupidior, cum mentem primùm cogitatu fœdauerit, quærit demum admiſſæ cupiditatis notam excutere, ſi excuti quoquam pacto queat. Idcirco Chriſtus ne talibus afficiamur, non ſolum homicidium, verum & iracundiam interdixit: nec fœminam modò non

adulte-

adulterare,ſed ne inceſte quidem intueri iniunxit:
neque ſolùm non peierandum vetuit, quinetiam
& ſuſtulit iuſiurandum. Sic ne hoc quidem pacto
dimenſa virtute cõtentus,& legibus eiuſmodi pro-
mulgatis, ad maiora proceſſit. Siquidem humana
cæde interdicta,iniunctáque iraſcendi lege, indicit
etiam ad tolerandas iniurias patientiores eſſe debe-
re : neque fore ſolùm pro inſidiantis arbitrio ſuſti-
nendos inſultus,quinetiam vincendum eſſe inſul-
tantis furorẽ noſtræ tolerantiæ magnitudine.Non
enim dixit, ſi quis te in dexteram malam percuſſe-
rit,feres animo æquiori,& obticebis,verùm & alte-
ram fore percuſſori porrigendam addidit.Sic enim
perſpicua paratur victoria, ſi plus illi quàm velit
conceſſeris, ſuæque malæ cupiditatis & metas tuæ
magnanimitatis granditate ſuperaueris: hoc enim
pacto & illius ſoluiſti inſaniam, & quòd ſecundò
B patientius tuleris, prioris tolerantiæ mercedem
ſarciet. Vides itaque & nihil ex illata iniuria offen-
di, in noſtra eſſe, non in inferentis poteſtate : ne-
que ſolum nullo affici malo, ſed quod aliquando
patimur, noſtri eſſe, non alieni arbitrij : quodque
mirum magis videri debet, nulla prorſus offendẽ-
mur iniuria,ſi nobis paululum aduigilabimus,quin
pro beneficio erit quodcunque in nos ius præter
& æquum inferetur. Exempli gratia:fuit in te quiſ-
piam contumelioſus, potes, ſi libet, hanc in tuam
conuertere laudem contumeliam.Nam ſi contra &
ipſe fueris in te laceſſentem conuitiatus, accumu-
labis conuitiandi fœditatem : verum ſi te conuitio
inſectantem laudibus proſequeris,ſpectabis qui a-
derunt palma te & gloria iudicaſſe non indignum.
Vides, cùm volumus, iniurias nobis in beneficium
ceſſiſſe, quod idem de pecuniarum iactura, de pla-
gis ingeſtis,& iſtiuſmodi cæteris contingere poteſt:
ſi aliorum in nos malefacta accumulatis beneficiis
C compenſabimus, talique munificentia duplicem
nobis ipſi & palmam vindicabimus, & coronam
nectemus. Ita fit, vt ſi accedens quiſpiam, hunc il-
lúmve aſſerat fuiſſe de te impudentius locutum, &
vulgò maledictis inceſſere aſſeueret, tum ſi conui-
tiatorem coram delatore ipſo laudaueris plurimũ,
& obtrectantis iniurias vindicabis, & pœnas ca-
pies : quippe qui rem hanc memoratu dignam ge-
ſtam per te fuiſſe cognouerint,& te laudibus effe-
rent,& odio conuitiantem inſectabuntur,aſſerent-
que hunc quauis fera beſtia nequiorem : quando-
quidem nullam tibi iniecerit conuitiando triſtitiã,
cùm ipſe qui ſis iniuria affectus,nihil mali pro ma-
lo accepto retuleris: argueſque hoc pacto dicta in
te omnia commentitia fuiſſe,& falsò obiecta. Solet
enim qui alienis in ſe maledictis offenditur, con-
ſcientiam delati criminis præ ſe ferre : contrà ve-
rò, cuncta quæ obiiciuntur irridens, & vti nullius
D momenti ducens, quauis ſe ſuſpicione leuabit.
Cogita itaque quot bona hanc tuam moderantiam
conſequantur: ſiquidem & te quauis eximes animi
perturbatione : quodque primũ fuerat dicendum,
vel peccatis quibus fortè fueris obnoxius exueris,
quando criminatores tam leni animo feres, quàm
Phariſæum tulerit Publicanus obtrectantem. Acci-
dit etiam quòd animum ad ſapientiæ ſtudium exer-
cendo inſtituis, & laudem tibi omnium conſenſũ
comparas non mediocrem,eriſque quauis obiecto-
rum criminum ſuſpicione ſolutus. Quòd ſi in no-
minis tui detractores vindicandum cenſueris,faci-
lè id abundeque ſequetur,quando vel pro maledi-
ctis ſupplicium ſumpturus eſt Deus,eritque illi tua
vel ante id ſupplicij tempus in perniciem toleran-
tia.Nihil enim adeo maledicos mordet frænatque,
quàm illatæ contumeliæ contemptus. nam quem-
admodum tot bona ex ipſa ſapientia emanant : ita
ex ipſa animi puſillanimitate pleraque mala con-
tingunt: ſiquidem & ipſi ignominia notamur, vide-
bimurque ſpectantibus cæteris delati criminis non
expertes, animumque indignatione opplebimus,&

A hoſte iucunditate affecto, Deum irritabimus, ſuper-
inducemuſque erratis priſtinis noua delicta. Quæ
omnia cùm ita ſe habere intelligamus, euitemus
impatientiæ præcipitium, noſque ad ipſius toleran-
tiæ portum conferamus, vt hic noſtris animis pro
Chriſti pollicitationibus, quiete inuenta, eiuſdem
cum dono & gratia, cum benignitate & clementia
æterna conſequamur.

Quòd nulla reſideat apud nos vitiorum & malorum memoria.

SERMO.

B EO ipſo proximè ad perditionem accedimus, &
interitũ, quia cùm antehac florenti & iuueni-
li ætate fuiſſemus,nunc conſenuimus. Quocirca
eradenda erit eiuſmodi à nobis ſenectus omnis,
quæ etſi lauacro deleri nequeat, poterit pœniten-
tia obliterari. Excutiendum, inquam, quicquid in
nobis reſederit vetuſtatis, rugæ inſuper omnes &
maculæ ac labes abluendæ : nóſque ita excolendi
ordinandique erimus, vt noſtri decoris & cultus
deſiderio vel princeps ipſe & dominus capiatur.
Licebit prætereà nobis, vel ſi ad vltimam quandam
ſit deformitatem peruentum, eam pulchritudinẽ
recuperare, cuius & Dauid meminit : Deſiderabit
rex decorem tuum, *Audi filia, & vide, & obliuiſcere po-* Pſal. 44.
puli tui, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem
tuum. Atqui obliuio nihil cuiquam parit quod ma-
neat ornamenti: decorem equidem animæ dixe-
rim, obliuionem verò commiſſi & errati. Hæc ſa-
nè Dauid eccleſiam ex gentibus confectam appel-
C lans diſſerit : & commonefacit ne maiorum ſuo-
rum ritus, qui idolis immolaſſent, recordetur, cui
eccleſiæ cùm ex huiuſcemodi eſſet hominum ge-
nere congeſta, non ſolum priſtina ſacrificia inter-
dicit, quin, quod maius eſt, ne vel animo ipſo ad-
mittat, prohibet : quod & alio loco ſic dicit : *Ne* Pſal. 15.
meminerim nominum eorum in labiis meis: & rurſum : *Ne* Pſal. 16.
loquatur os meum opera hominum. Dicet aliquis: Nónne
virtutis eximiæ loco habenda eſt hæc taciturnitas?
eximiæ quidem, non tamen adeò, vt æquari cum
delicti obliuione queat : nec enim ſolum prophe-
ta opera hominum haudquaquam fore explicanda
inquit, quin ne recordatione quidem, aut memo-
ria repetenda. Vnde coniectare licet quàm longo
velit nos à nequitia interuallo abeſſe, cuius qui
haud meminerit, nec cogitatum in ea figet: qui au-
tem cogitatione vacabit eiuſmodi, & ſermone va-
cet neceſſe eſt : ſi taciturnus, actione carebit, &
D opere. Vides quibus nos viis vel interuallis à re-
bus ſuperuacaneis ſeiungat? Erit itaque nobis pro-
pheta ipſe audiendus, & ita, vt nulla reſideat a-
pud nos vitiorum aut malorum memoria : non ta-
men eorum quæ ipſi delinquimus tollendam eſſe
dixerim recordationem. Quippe commemora, in- Eſa. 43.
quit Deus, prior ipſe tua facinora, ſic horum nihil
vltra meminerim. Quorſum hæc? Nulla ſit amplius
priſtinæ rapacitatis recordatio, quin reſtituenda
ſint per nos fraude ſubtracta: id enim ſonat nequi-
tiam obliuioni mandare: & fumaces cogitatus tol-
lendi, & ita vt de cætero nunquã animo admittan-
tur, inſuper & errata obliteranda. Quæret aliquis,
quonam pacto aſſequi hanc nequitiæ obliuionem
poterimus? Nempe ex diuinorum bonorum repe-
tita memoria : ſi Deum continuò meminerimus,
haudquaquam licebit praua recordatione repete-
re. Si enim, inquit, in cubili fuerim tui memor, ma-
tutino eſſem de te meditatus. Nam & ſi ſemper Pſal. 62.
eſt Deus memoria complectendus, nec tamen id
maximè agimus, cùm animus & cogitatio in otio
verſantur, cùm eiuſmodi recordatione ſeipſum

Digitized by Google

quis increpat aut damnat, & in eadem longius A commemoratione perſeuerat: curæ ſiquidem interdiu, & animi perturbationes omnem de Deo cogitatum & intercipiunt & propellunt: noctu verò cum tranquilla eſt mens, & quietiòr, cùm in portu reſidet, & placida verſatur in aura, facile poterit Dei reminiſci. Inquit enim: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.* qua recordatione ne interdiu quidem vacandum eſt: ſed quoniam hoc vel maximè tempore vitæ huius actiones & negotia curæ ſunt potius, vel ſaltem ſit in cubiculo Dei memoria matutina, ſit noſtra in eo meditatio. Ita fiet vt ſi noctu Deum precando votis & precibus reconciliemus, ſecurè admodum, ac tutò aggredi quæ peragenda interdiu fuerint, poſſimus: ſic neminem nobis habebimus aduerſantem, quin viperam ipſam ſi obſiſtat nihili faciemus, cùm Deū habebimus placatum. Porrò bellum in foro geritur, poſſunt quippe quæ indies afferuntur, pro pugna & contentione, vel quauis procella haberi, ideoque & armis eſt opus: ſint autem nobis pro armis his firmioribus preces. Secundo opus eſt vento, cuncta etiam perdiſcenda, vt diurna hæc & longiora ſpatia ſine naufragio & vulnere trāſigantur. Quam multi quotidie ſcopuli offeruntur, ad quos eliſa nauis ſæpe demergitur, & eò magis matutino nobis orandum eſt tempore, ac noctu. Olympiæ ludos noſtrum perſæpe ſpectauere plerique, nec ſolum ſunt ſpectantium officio functi, qui fauore & laudibus certatores ſunt proſecuti, & ita, vt variè ſentientium diuerſa etiam fuerit vel laus, vel admiratio. Nec nos fugit præcones per id omne certaminis tempus diem noctemque vniuerſam aliud nihil eniti, nihil curare cogitatione, & ſtudio contendere, niſi vt certaturi magno animo in agone prodeant: qui verò certatoribus ipſis aſſiſtunt, buccinatorem nil aliud monent, niſi vt ſileat, ne ſpiritu forte & voce attritus, riſum præbeat audientibus. Si igitur apud eos qui humanum certamē ſunt ingreſſuri, tantum curæ impenditur, longè magis nobis, quibus omnis hęc vita certamen eſt, proſpicere rebus ſedulò conueniet, eaſque cogitatione & diligentia præuenire. Erunt itaque nobis & noctes ducendæ inſomnes, & curandum quo pacto dies omnis ſine illuſione tranſigatur, cuperemque vt vel ſola nobis eſſet illuſio ex his obuentura. Verū qui cœleſte illud certamē proponit, patri ad dexteram aſſidet, attenditque ſi quid vel ipſi abſonum vel inconcinnum obtulerimus: neque enim factorum modò, quin & dictorum futurus eſt index, eoque erit inuigilandum. Sumus namque & ipſi fautores habituri, ſiquidem vel nobis ſingulis aſſiſtunt angeli: nos verò ſtertendo noctes ducimus: eſſetque vtinam hæc duntaxat nobis dormitandi cura, nec ſcelerate agerent nonnulli: nam reptant plurimi terrenis rebus addicti, quando domicilium in lupanar conuertunt, cum ſcorta inducunt, ſic ſe habent plerique: nulla enim eſt his tecti alicuius ineundi certaminis meditatio. quàm multi etiam petulantiæ & ſcurrilitati incumbunt, tumultuantur nonnulli, alij prauè agendo & noctes vigilant, aguntque longè deterius, quàm qui ſomnolentia opprimuntur, cum dolos nectunt: vſuras prætereà nonnulli computant, alij curis franguntur, libentiuſque ſe ad alia conferunt, quàm ea quæ acceptum agonem doceant, aggrediantur. Quocirca vos equidem hortari velim, reliquis omiſſis, vnum illud ſpectemus, vt propoſitam vincentibus palmam adipiſcamur, coronaque obducti, obnoxiè omnia faciemus, vt bona illa quæ nobis ſunt in præmium expoſita, conſequi valeamus.

Pſal. 4.

B

C

D

Carnis concupiſcentiæ ne ſectemur, quæ generant mortem.

SERMO.

EXCITATVS è ſomno ipſum te indue, indutus morigerum corpus redde, ac ductu facile: id enim prætendit, qui concupiſcentiæ gratia carnem aſſerit nulli eſſe curæ habendam. Nam quemadmodum nec potum vetuit, ſed ebrietatem interdixit: nec nuptias reſpuit, ſed incontinentiam improbauit: ita & carnis habendam eſſe rationem non negat, ſed prodeuntes ex ea cupiditates, id eſt, neceſſitatis exceſſum interpellat. Quòd autem carnis curam habendam eſſe Paulus affirmet, audi quemadmodum his verbis Timotheum commonefaciat: *Vino modico vtere, propter ſtomachum, & tuos frequentes languores.* Nec ſecus hoc loco carni ad ſanitatem vult, non ad luxum & intemperantiam prouideri: aliter enim nec dici prouidentia poſſet, ſi per eam aut flammam ſuccenderes, aut ignis caminum tibi redderes grauiorem. Vt autem clarius perdiſcatis quid ſit ad carnis concupiſcentias & deſideria prouidentia, & quemadmodum illa poſſint euitari, opulentos animaduertite, & ventri deditos, abundantique veſtium ornatu excultos, vel deliciis immerſos, & eos qui vitam per luxum & incontinentiam ducunt, attendite: ſic vobis, quæ dixerim, facile innoteſcent: hi enim hæc non ad bonam corporis valetudinem factitant, ſed vt proſilire leuius poſſint, & venerem incitare. Verùm qui Chriſtum induerit, deliciis vniuerſis eiuſmodi interciſis, id ſolum curat, vt corpori æquam pariat valetudinem, pro qua vel ſola conſequenda, carnis cura habenda eſt, neque id vltra aliquid appetendum. Incumbendum præterea erit omni niſu ſpiritualibus rebus. Hoc pacto nullis eiuſmodi & variis libidinibus grauatus, excitari hac tua ſomnolentia poteris. Somnus enim præſens eſt vita, nil prorſus ab inſomniis aliena. Nam quemadmodum ſomno preſſi, pleraque & ſuperuacanea, & fruſtra loquuntur, videntque perſæpe nil ſanum: ita & nos deteriora his pleraque ſpectamus, ſiquidem qui indecora & turpia geſſerit, eademque illa obuerſari ſibi per viſum conſpexerit, mox ſomno expergefactus, turpi & indecoro aſpectu liberatur, & pœna quam pro ſcelere meruiſſet: quod aliter nobis euenire ſolet, quibus ob ignauiam ac ſocordiam ignominia atque ſupplicia perpetua ſunt. Item & qui per quietem ſomniando diteſcunt, vbi dies illuxit, inanes & diuitiis vacui arguuntur: captos verò dum viuitur, inerti ſomno plerunque, necdum luce oborta, falli poſſe compertum eſt, & ita vt breui eorum inſomnia euaneſcant. Excutiamus itaque pernicioſum hunc ſomnum: nam ſi dormitantes nos dies deprehenderit, mors inde perpetua exceptura eſt, quinetiam vel ante hunc diem hoſtibus erimus ſiue hominibus, ſiue dæmonibus captu faciliores: ita vt nemo ſit eos à noſtro interitu, ſi id facere libeat, prohibiturus. Nam ſi plurimi nobis vigilum excubarent, non tantum forte nobis periculi impenderet: verùm cùm vnus & item alter luminibus accenſis, non ſecus atque in profunda nocte dormitantibus reliquis aduigilet, vel ſumma nobis eſt opus ad ſecuritatem vigilantia, ne ea forte ſubeamus, quibus mederi nequeat. Quærat aliquis, nónne impræſentiarum & excitati videmur & vigiles? eſtis forſan ad hæc quæ dixerim irriſuri, dicam tamen. Sumus ſanè omnes nocte media ſomnum capeſſentibus aut ſtertentibus ſimillimi: ſiquidem facile oſtenderem, ſi poſſet incorporea hæc ſpectari ſubſtantia, vti pleroſque altè ſomno immerſos, diabolus parietibus transfoſſis & iacentes iuguiet, & diripiat quæ intus inuenerit,

1. Tim. 5.

Simile.

agatque

agatque omnia veluti in denſiſſimis tenebris otio ſummo & facilitate. Quin potius quoniã cerni hæc oculis nõ poſſunt, rationibus ſubſcribendo aſtruamus: ſic enim & conſpicari licebit, qui hominum fuerint prauis cupiditatibus oppreſſi, quiſve incontinentiæ & facinorum ſopore ſpiritali prorſus luce extincta correpti. Quorſum hæc? quoniam multi nihil ſuo ordine captantes, quæ hic prædicantur, haudquaquam aduertunt. Quòd ſi me peruigil ipſe & excitus mendacem deprehenderis, effare quæ hodie apud nos hoc loco aut dicta ſint, aut geſta, niſi forte quemadmodum ſomnolentus aliquis ſolet ſpectare inſomnia, prædicantem me audietis: quod equidem nec de vniuerſis dictum velim. Putò enim complures fore quibus eorum quæ ipſe dixerim, facile ſit renuntiandi facultas. in eum duntaxat ea protulerim, qui fuerit his dictis obnoxius, fruſtraque hunc locum adierit. Dic mihi quis hodierno die vel propheta, vel apoſtolus nobis prælectus eſt: aut quibus de rebus verba fecit? nihil habes quod reſpondere queas: vtpote ille ſis ad quem ſomniantem verba ſint facta. Eadem hæc & in mulieres dixerim: ineſt enim & illis ſomnus plurimus, qui vtinam dici ſomnus queat: ſiquidem ſomno captus nec mali quippiam, nec boni profatur. Verum qui parem vobis vigilantiam ſeruat, quàm multa in eius capitis perniciem effundit: nam & vſuras computabit, & rationem commodatæ pecuniæ componet, animoque ſecum ipſe verſabit turpes ignominioſáſque tabernulas, eodémque & ſenticeta interſeret iacto ſemine, nullo dato, vel ad quietem, vel ad profectum ſpatio. Sed ſurge tandem, & ſentibus hiſce radicitus conuulſis, auaritiæ temulentiam excute, à qua iſtiuſmodi ſomnolentia emanat: ſomnolentiam autem dixerim, non eam modo, quæ ex vino gignitur, verum & illam quæ cum ex vitæ huius curis, tum vel eiuſmodi ſopore infertur. His itaque non ſolum locupletes & diuites, ſed quibus res vel modicæ ſunt & tenues, velim eſſe admonitos, & eos maximè quos grata conuiuia delectant: non enim ſunt illa pro cibo, vel animi remiſſione habenda, ſed pro ſupplicio & tormentis. Quippe non indecens & indecorus ſermo, ſed grauis & moderatus, & cibo expleri, non frangi, in oblectamentis ducenda ſunt. Quod ſi his rebus aliquid ineſſe voluptatis exiſtimaueris, affer mihi quam heri & veſperi ex his concœnationibus ceperis voluptatem: nullam habes, deinde & quæ illam aſſequantur noxia. Sitque mihi interea de voluptate, quæ ſtatim deflaccet & fluit, diſceptatio: ſimulac enim miſſum conuiuium fuerit, euolat omnis ex eo capta iucunditas: cumque vomitus capitiſque grauedines & languores innumeros, animique capturam & illecebras commemorauerim, quid ipſe ad hæc reſpondebis? nec enim decet per paupertatis occaſionem agere impudenter. Hæc autem dixerim, non vt omnino negem conueniendum inter nos eſſe nonnunquam, & concœnandum: ſed vt inhoneſta & turpia interdicam, cupiámque luxum in cibum conuerti, qui dolore, temulentia & laſciuia, vtque vel gentes intelligant, Chriſtianos nos modum deliciis facere, id eſt, modeſtè & temperanter his vti. *Exultate*, Propheta inquit, *domino in tremore*. Qualis illa erit exultatio? hymnos ſcilicet pronuntiare, orare, & pſalmos pro ſeruilibus illis cantionibus inducere. Hoc pacto Chriſtus & menſæ aderit, dapes benedictione complebit, cum preces ad eum fuderis, cum ſpiritu decantabis, cum egenos ad victus communionem conuocaueris, conuiuiis modum & temperantiam adhibebis: ſic ex triclineo Dei domum effeceris, proque immoderatis & intempeſtiuis clamoribus hiſce & plauſibus dominum extuleris. Neque id dixeris, extare hoc tempore alias conuiuandi leges, quin potius corrigenda per te erunt quæ ſe haud rectè

Cõuiuia quomodò ſint celebranda.

Pſal. 2.

A habuerint. Si enim, Paulus inquit, cibum ſumitis, aut potum, ſeu aliud quodcunque agitis, omnia in Dei laudem facitote. Solent nanque ex iſtiuſmodi epulis cum turpia nobis deſideria, tum omnis laſciuia obuenire. Inſuper & vxores deſpectui eſſe, & ſcorta magnifieri, vnde & familiæ deſolatio, & mala innumera conſequuntur, feruntúrque omnia temerè: omiſſo nanque fonte puriſſimo, ad cœnoſum canale illud & lutulentum decurrit. Quòd autem cœnum ſit inceſtæ & proſtitutæ fœminæ corpus, te præter rogabo neminem, qui eo quoad fueris obuolutus, quantum etiam poſt delictum immundum te & ſordidatum ducas, non ignores. Idcirco fugito obſecro adulterium, eiuſque vel procreatricem temulentiam. Quid ſemen iacis, vnde nihil es demeſſurus? quin etiamſi meſſem feceris, ad ignominiam tibi nec

B mediocrem futurus eſt fructus: ſiquidem ex adulterio naſcitur: & tibi dedecus, & ſibi iniuriam parit nothus effectus, & degener, adeò vt ſi vel amplo per te relicto patrimonio abundet, tum in domo & vrbicis actionibus, tum in foro iudiciario ex adultera vel ſerua natus honore carebit, quo item ipſe, vel viuens, vel mortuus priuabere. Si enim mortem obieris, extabunt tibi ad ignominiam monumenta. Quid igitur omnia turpitudine comples? quid ſeris, vbi tellus celerrime cõſumptura eſt fructum, vbi ſterilitas plurima, vbi & interitus genituram præuenit? Nec ſatis habes mulierem adulteraſſe, niſi eandem viri cæde obſtrinxeris. Vidéſne ergo ex temulentia luxuriam, ex luxuria adulterium, ex adulterio homicidium ortum iri, quin vel homicidio ipſo deterius? Non enim impræſentiarum ſuccurrit, quo id ſceleris nomine queam explicare, quandò non ex ſe genitum enecat, ſed generandi intercipit cauſam. Quid igi-

C tur Dei vituperas beneficium? quid eius leges oppugnas? quid pro benedicto execrationem ſectaris, & gignendi illud receptaculum, necis conditorium facis? & fœminam quæ eſt ad liberos procreandos tradita, ad necem reddis paratiorem? quando illa vt concupita magis vel amatoribus viſui ſit, vel argenti pluſculũ exugat, neque imperata facere abnuit, ingens ſanè in caput tuum congeſtura incendium. Nam ſi & illi id facinus aſcribatur, eius tamẽ te ipſe authorem præbes: hinc poſtmodũ idolorum ſeruitus emanat, & pleræque vt magis adamentur, & carmina machinãtur, & vina ſacrificiis fundunt, & amatoria medicamenta, & alia nonnulla componunt. Cum hac tamen ac tanta rerum colluuione & fœditate, his cædibus, hac dæmoniaca ſeruitute, quam multi ſibi ad vtilitatem cedere id negotij arbitrantur, & hi maximè quibus vxores ſunt: quod minus eſt ex abundanti malorum concurſu tolera-

D bile: mox etiam veneficia non in adulteratam, ſed in affectam iniuriis coniugem intentant, accedunt prætereà inſidiæ plurimæ, dæmonũ inuocationes, deſumptaque ex mortuis vaticinia, quotidie diſſenſiones, & ſine iudiciis bella, & propinquorũ diſcordiæ: eoque cùm Paulus diceret: *Non in cubilibus & laſciuiis, non in contentionibus & æmulatione*, ſuperinduxit, præuidens iſtiuſmodi diſſidiis & domos ſubuerti poſſe, & ingenuis liberis iniuriã inferri. Vt itaque hæc euitare poſſimus, Chriſtũ induamus, vt nobis perpetuò ſit cum eo manendum: hoc enim induere id ſonat, quaſi nunquam ſit ab eo deficiendũ, videamurque vndiq; præ noſtra tum ſanctimonia, tum manſuetudine per eum cõplecti. Quod item dicere ſæpe ſolemus, hic illius perſonam induit, vt amoris vehementiam, & animorum nunquam defuturam coniunctionẽ exprimamus. Siquidem qui alium induerit, eum præfert, cuius ſibi perſonã induendam præſumpſit. Fiat itaque palam Chriſtum nos vndique fuiſſe complexum: quod vtique fiet, ſi eius fuerimus & mores imitati, & vitam. Quorſum hæc? *Filius*, inquit, *hominis non habet vbi caput*

1. Cor. 10

Ebrietas eſt mater luxuriæ.

Rom. 13.

Matth. 8.

Digitized by Google

reclinet: hunc ipſe vel hac in re imitare: nam ſi illi cibus erat ſumendus, pane ordei veſcebatur: ſi iter ſuſcipiendum, nulli aderant ad vecturam equi aut iumenta, quin tantum pedibus incedebat, vt laſſitudine afficeretur: ſi quieſcendũ, nauiculæ proram pro puluinis habebat: ſi recumbendum, herbidis campis reſidendum iniunxit. Vtebatur præterea vilioribus indumentis, & ſolus plerunque nemine ſubſequẽte diuerſabatur: vnde cum & reliqua eius geſta, quibus ſit initio contumeliis affectus, quõt ve in cruce perpeſſus, didiceris, eademq́; illa ſumpſeris ad imitandum, ſi carnis, inquam, curam nullam feceris ad concupiſcentiam, Chriſtum indues, cum ea præſertim nihil habeat in ſe voluptatis. Pariunt enim eiuſmodi deſideria acerbiores quaſdam de ſe libidines: quæ vt expleri nunquam poſſunt, ſic & acriora ſupplicia inferunt. Nam quemadmodũ qui ſiti aſſidua vexatur, vel infinitis ſibi ad potum expoſitis fontibus, nihil ex his capiet vtilitatis, cùm nequeat primum quo laborat morbum reſtinguere: ſic contra, qui in deſideriis vixerit, ſi omnia ad neceſſitatem metiatur, hoc nunquam erit ſatis ardore affectus: quin procul à ſe temulẽtia eiuſmodi omnis & laſciuiæ etiã euaneſcent. Tantum igitur tibi erit cibi capeſſendum, quanto demi eſuries poſſit. His vtere indumentis, quibus carnem obtegere queas, non ornare, ne id illi exitium ſit futurũ: quæ ſi remolleſcere tuo permiſſu cœperit, bona eius offenſa valetudine, nimia indulgentia diſſoluetur. Vt itaque optimum habeas animæ tuæ vehiculum, vtque tutius nauis rector gubernaculo inſideat, & miles arma pertractet, curandum erit æquo moderamine agantur omnia. Nec enim multis abundare, ſed paucis indigere, frugi hominem facit: ſiquidem diuitiis affluens, vel inoffenſus vereri omnia ſolet: qui verò minoribus erit fortunis iucundior, ſemper æquiori animo tolerabit iniurias, quam qui nullis fuerit affectus. Non itaque illud erit appetendum, ne qua nobis moleſtia afferatur: quin potius eam inferre cupienti, id facere ne liceat optandum: quod aſſequi aliunde non poſſumus, niſi cum fuerimus, maioribus rebus paruifactis, neceſſariis contenti.

Virtutibus progenitorum ne confidamus, neque vitiis eorum trepidemus,

SERMO.

PAVLVM & ipſi imitemur, Deumque pro ſuſcepta noſtri hac in vita cura, laudibus efferamus, nil prorſus maiorum noſtrorum confiſi virtutibus: cui rei Iudæi argumento ſint, quibuſcũ, præter eam quę ſpiritualis habetur, propinquitas nobis eſt nulla, ita fit vt Scytha quiſpiam pro Abrahæ filio duci poſſit, & Abrahæ filius vel Scytha quouis magis credatur alienus. Nihil itaque præclaris progenitorum facinoribus confidendum: quin vel ſi admirandum habeas genitorem, neque id quidem exiſtimaueris futurum tibi aut ſaluti ſatis, aut gloriæ, niſi fueris & ipſe illi & vita coniunctus, & moribus: vti contrà, ſi improbum fueris parentem nactus, nihil ex eo poſſe tibi vel ignominiæ vel dedecoris obuenire, ſi te laudabiliter geſſeris. Quid enim eſſe gentibus ipſis deſpectius poteſt? fide tamẽ ſimulac nobis concilientur, & neceſſitudine iuncti ſunt, & ſanguine. Quid nobis Iudæis familiarius? verum eorũ ſunt infidelitate alieni effecti: porrò propinquitas ipſa & naturalis eſt, & neceſſaria, qua omnes videmur vinculo quodam conſanguinitatis connexi, quando ex Adam ducimus vniuerſi ortum, neque tamen tum Adæ, tum Noë, tum terræ ipſius, quæ omnium eſt parens, habita ratione, alterutrum ſumus propinquiores, & magis proximi: verùm dignior illa palmarum & victoriæ coniunctio vel ſola eſſe apparet, quibus ab improbis ſeiungimur.

A Quippe cum nulla detur in terris certa propinquitas, niſi quæ ex conuenientia morum conciliatur: neque fratres eos dixerim, qui eodẽ nobis fuerint vel partu, vel aluo progeniti, ſed qui religionem præ ſe, & fidem tulerint noſtram, non alienam: ſic & Chriſtus hos Dei filios nuncupat: qui cõtrà ſenſerint, dæmonum. Sic inobedientiæ, & gehennæ, & perditionis filij appellantur, ſic inquam & Timotheus initiò Pauli filius aſſerebatur, cum Pauli ex ſorore nepos (quia prorſus inutilis) & ſi naturâ propinquior, quod fuerit nomen ſortitus, haudquaquam ſatis conſtet: ille verò non minus ſanguine ab eo diſtaret, quàm loco, vtpote qui Lyſtrẽſis ciuis fuiſſet, alioquin ad Pauli ſupra omnes propinquitatem admittitur. Efficiamur itaque & nos ſanctorum filij, quinimò Dei ipſius. Quid autem ſit Dei filios fieri, audi quid Chriſtus dixerit: *Eſtote* Matth. 5.
B *perfecti, ſicut & pater veſter, qui in cœlis eſt.* Idcirco inter precandum, patrem hunc appellamus, vt non ſolum eius in nos gratiam, quin & virtutes memoria repetamus, ne forte ea quippiam neceſſitudine indignum geſſerimus. Dicet aliquis, quonam pacto effici Dei filij poſſumus? Is profectò effici poteſt, qui omni ſit vitio vacuus, quíve in laceſſentes ſe iniuria, manſuetudinem præſtet: ſic enim & pater tuus erga eos ſe geſſit qui ſe maledictis inceſſerãt: vnde cùm nos multa & plurimis locis commonefaciat, nuſquam id infert, eſtote patris veſtri ſimiles, niſi cum diceret: *Orate pro perſequentibus vos, benefacite vos odientibus*, Ibidem. illud etiam tanquam palmam adiecit. Nihil enim nos Deo tam proximos facit, quàm bene de inimicis mereri: eò & Paulus cum Dei nos imitatores fieri oportere aſſerit, in eandem concedit ſententiam. Quippe cum neceſſariæ virtutes ſint, & ea præcipuè quæ cunctarum eſt maxima, pietas, & manſuetudo: cumque & nobis plurima opus clementia ſit quotidie delinquentibus,
C eandem in cæteros præſtemus neceſſe erit, cuius clementiæ vel exiguitas, vel magnitudo, non donorum quantitate, ſed exhibentis potẽtia, & rei familiaris neruis metitur. Idcirco neque opulẽtus efferatur, quod multis: neque pauper animò concidat, quod paucis quempiam donet: ſiquidem locupletem pauper largitionibus plerunque exceſſit. neq; ex modicis facultatibus miſerum ſe, aut infelicem ſe exiſtimet: ſolent enim res paruæ facere nos ad ſtipem erogandam promptiores: multiplex verò & abundans poſſeſſio, & bonorum fortunæ differentia, & rem familiarem augendi immoderata libido, homines faciunt tenaciores: cuius diffidentiæ & cupiditatis tyrannide liberatur, qui pauca poſſidet, ita vt plures ei ad bene agendum occaſiones offerantur: nam & carcerem adibit facilius, & valetudine affectos reuiſet, & cyathum porriget aquæ gelidioris: quæ proculdubio diues quiſpiam facere dedignabitur, vtpote qui præ diuitiis intumeſcat. Non itaque erit tibi ob inopiam deſperandum: quandò
D ob eam tibi vel cœli patebunt: quinetiam ſi nil habeas, animo tamen fueris clemẽtiori, merces te vel ex eo manebit non exigua. Eapropter & Paulus flendum eſſe cum flentibus, & vinctis conuinciri oportere iniunxit. Non enim ſolum gemebũdos & mœſtos, verũ & reliquis calamitatibus circunuentos, multorum fletus & dolor nonnullam in partem ſolatur & iuuat: adeò vt non minus perſæpe animis collapſi, verbis quàm pecuniis ſubleuentur, eoque & Dei iuſſu pecunię egeſtatem patientibus erogantur, vt non ſolum illorum leuetur inopia, ſed etiam nos ad proximorum mala commiſerandũ inſtruat. Itaque & auarus odibilis eſt, & inuiſus, quòd non ſolum egenos contemnat, ſed quòd inhumanitate deuincitur, & inopum miſeria ſæuiendo non permulcetur: quemadmodum contrà, qui pecuniam, inopem ſubleuando, aſpernatur, omnium iudicatur amore digniſſimus, quòd ſe miſericordem præſtiterit, & humanum. Deus præterea pios & clemen-

Digitized by Google

clementes, non eos ſolum qui egenum pecuniis
iuuerint, verum & qui animo fuerint ad commiſe-
rationem facili, extollit ac beat. Exhibeamus ita-
que iſtiuſmodi ad miſerandum promptitudinem,
hoc pacto nos & reliqua bona conſequemur. Nam
qui mẽte fuerit ad pietatem proclinior, vel quibus
affluet, pecunias fundet: ſi calamitatibus quem-
piam viderit afflictari, congemiſcet: ſi oppreſſum
iri, illico aderit: ſi diuexari, manum porriget: vtpote
qui ſit bonorum omnium theſaurum conſecutus,
mentem ſcilicet clementem ac piam, è qua ſcatu-
rire omnia conſtat, quæ ad proximi faciant vtilita-
tem, ita vt in poſterum ſit præmia à Deo ſeruata
habiturus: quæ vt vindicare poſſimus, animus no-
bis erit tum ad humanitatem, tum ad manſuetudi-
nem diſponendus: ita fiet, vt quamdiu in hac vita
eſſe licebit, & benefactis abundemus, & palma de-
inceps nobis ſeruata fruamur.

Contra deſperationem & ſuperbiam.

SERMO.

SI quis natura in mentis valetudinem inciderit,
culpa vacabit: qui verò eam vltro incurrit, &
venia priuatur, & ſupplicio quodam maiori afficie-
tur. Huiuſmodi ſunt qui pro comparata ſapientia
elati, plurimum ſibi prudentiæ arrogant, & in deſ-
perationem quandam collabuntur extremam: ſi-
quidem nulla re magis, quàm deſperatione ipſa
deſipimus: idcirco & Propheta dæmonum princi-
pem barbarum illum iſtiuſmodi verbis appellat:
Eſaiæ 32. *Stultus autem ſtulta loquitur.* Vtque eius inſipientiam
ſuis ex dictis perdiſcas, audi quid ille dicendo ia-
Ibid. 14. ctet: *Super aſtra cæli ponam thronum meum, & ero altiſſimo
ſimilis*: comprehendam manu tanquam nidulum
terrarum orbem, tollámque quaſi oua derelicta.
Quibus dictis quid dici poteſt inſulſius? Quippe ia-
ctanter prolata, vel ſingula ſapere mox impuden-
tiam videbuntur: nam ſi deſperantis verba ſigilla-
tim in medium produxerim, haud facile cerneres
virum ſpe deſtituti ſint illa, an ſtultitiæ morbo la-
borantis, adeò vtriſque par eſſe id vitium conſtat.
Item & barbarus alius ita inquit: Deus ſum ego,
Dan. 3. non homo. Et rurſum alius: *Nec enim poterit Deus vos
ſaluos reddere, nec à manibus meis eruere.* Inſuper & Æ-
Exod. 5. gyptius ille Pharao: *Non noui dominum, & Iſraëlem non
Pſal. 13. dimittam.* Nec abſimilis ille apud prophetam inſi-
piens, qui ſecum in corde diceret: *Non eſt Deus.* Et
Geneſ. 4. Cain: *Nunquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Quocirca non
facile erit internoſcere, vtrum deſperantium dicta
hæc fuerint, an mentis ægritudine affectorum: ſi-
quidem ἀπόνοια, id eſt, deſperatio, ea ſit, quæ cum
nec modum, nec æqualitatem teneat, tum quod
procul mente ſit, denominationem accepit: hæc
enim homines ſtolidos reddit, & inſolentes facit.
Pſal. 110. Nam vt *ſapientiæ initium Dei eſt timor*, ita inſipientiæ
eiuſdem ignoratio. Si ergo Dei cognitio pro ſapien-
tia habetur, nil dubium quin ipſius ignoratio ſtul-
titia ſit, quæ vtique ex ſuperbia oritur, cuius prin-
cipium eſt Deum non noſſe: erit ergo ſuperbia ex-
1. Reg 25. trema quædã dementia. Talem ſe Nabal exhibuit,
etſi non in Deum, erga hominem tamen: ex deſ-
peratione namque veſanus factus, timore demum
conſumptus eſt: ſimulac enim quiſpiam ſapientiæ
modo exciderit, formidoloſus ſimul & audax ani-
mo ipſo debilitato efficitur. Quemadmodum enim
corpus hoc noſtrum æquo temperamento amiſſo,
& malæ complexionis effectum, facilè omnibus
morbis corripitur: ita & animus cum inſoleſcere
cœperit, & contrahi humilitate deſierit, habitudine
alia quadam accepta, debilitatem, formidinem, au-
daciam, ſimul & dementiã incurrit, nec ſui demum
compos efficitur, aut gnarus: qui verò ſeipſum ig-
norat, quo pacto quæ ſupra ipſum fuerint intelli-
get? is ſanè haud aliter ſe habebit, quam ſolet ali-
A quis phreneſi interceptus, qui ſuipſius nullam ha-
beat notionem, neque ea quę ſibi pedibus adiaceat
dignoſcat. Item & oculus cum caligare cœperit, &
reliqua membra obtenebrat, quod certè deſperãti
ſolet accidere. Idcirco & qui eiuſmodi deſperatio-
ne ducũtur, & furentibus ſunt infeliciores haben-
di, & his qui natura deſipiũt miſeriores: nam riſum
æquè atque hi cæteris mouent, & minus placent; &
modo ſimili efferuntur, cum haud parem ſibi cum
ſtolidis veniam pariant, & omnibus ſunt inuiſi: ita
fit, vt cum eodem pene morbo agitentur vtrique,
commiſeratione tamen non ęquè priuentur: ſiqui-
dem non ſolùm ex dictis, verùm ex geſtu, & corpo-
ris motu ridiculi ſint. Quid enim, dic mihi, ceruicẽ
extendis? quid ſummis incedis vnguiculis? quid
attollis ſupercilia? quid pectus tumidum geris? ca-
pillo tibi nec licet albeſcenti nigredinẽ indere, vel
B nigro candorem: deinde vti rerum potitus aërem
volitando oberras, cupidior forte vel alas tibi ad-
naſci, ne terrã deſuper pedibus incedas: forſan e-
tiam commutari vel in monſtrũ cupieris, cum non-
dum monſtrum effectus: & homo cum ſis, volatum
tentas; quin potius corde ſublatus, omni ex parte
intumeſcis. Quo ergo te nomine appellauerim, vt
hac te queam deſperatione eximere? ſi cinerem te,
aut fumum, ſeu puluerem dixerim, tenuitatem ex-
primam: figuram tamen aut ſimilitudinem, quod e-
quidem maluiſſem, haud ſatis attigerim: vellẽ enim
inanem tumorem illum omnem depromere. Quam
igitur excogitauerim, quæ his cõgruere poſſit, ima-
ginem? Mihi certe poſſe videtur, horum hominum
tumiditatẽ cum ſtuppa aliqua flammeſcenti cõfer-
ri, quando poſt incendium mox illa inflatur & ſur-
git, poſtmodum leuiori quodam manuum tactu diſ-
ſoluitur omnis in cineres tenuiſſimos: eiuſmodi
ſunt iſtorũ animi, quorum tumores & inflatos ſpiri-
C tus quiuis fortuitus & aduerſus caſus comprimere
poterit ac diſturbare. Eſt enim neceſſe, eum qui in
deſperatione tenetur, debilem eſſe & infirmum. Si-
quidẽ elatio illa & celſitudo non ſatis conſtat vale-
tudine integra, ſed quemadmodũ in aquis ampullæ
ſolent, facile diſſoluũtur: ita & iſtiuſmodi homines
intereunt leuius. Quòd ſi nullam forte his dictis
adhibendam eſſe fidem cenſueris, da audacem, da
deſperantẽ, cernes ſanè lapſo quouis & proſtrato,
hunc magno tamen in diſcrimine timidiorem. Nam
quemadmodũ ex aridioribus virgultis flamma vix-
dum ſuſcitata in cineres collabi ſolet: ex ſolidis
verò & firmioribus natura lignis haud facile ignis
ſuccendi poteſt, ſuccẽſus verò excitatam diu con-
tinet flammã: ſic & animi qui perfectiores fuerint
& ſtabiles, haudquaquam vel ſuccenduntur facile,
vel reſtinguuntur: quæ duo abiecti homines, & ad
deſperationem proni, eodem temporis puncto pa-
D tiuntur. Hęc ſi ita ſe habere intelligimus, humilita-
ti operam demus; quæ quoniam potentiſſima eſt, &
duritie lapides vincit, tutiores nos reddet, quàm
vllæ poſſent aut turres, aut parietes tutari, quando
dæmonum & machinas ſuperat, & dolos. Contrà
verò, deſperatio ipſa & captu nos faciles volenti
cuique efficit, & frangitur, vt diximus, non abſimili
facilitate, qua vel ampulla in aquis ſcinditur, & a-
ranea celerius vel fumo diſſoluitur. Vt itaque no-
bis ſuper firmiori ſit lapide gradiendum, deſpera-
tione omiſſa, humilitatem ſectemur: hoc pacto
quiete dum viuitur inuenta, bonis in poſterũ frue-
mur ſempiternis.

Ne deſperemus ſi in bene operando tardi fuimus.

SERMO.

NEMO deſperet ſi per otium & inertiam pluri-
mum temporis fuerit tranſactum, quando vel
paruo tantum cuique compenſare liceat operan-
do, quantum neque omni ſuperiori tempore facti-
tare potuiſſet: ſi is qui Chriſti fidem antea nũquam

attigiſſet, principio ſtatim tam clarus euaſit, longè magis & hi qui eam iam ſint pridẽ conſecuti. Quare cum quiuis præteriti temporis iacturã tam breui ſarciri poſſe intelligat, ſegniorem ſe nihil præſtet. Eſt enim futurum omne incertum, dieſque domini non ſecus ac fur quiſpiam dormientibus nobis inopinatò incumbit: vigilantibus verò nihil obſiſtit, neque abducet imparatos, neque excitatos & abſtinentes aggredietur vt prædo: quin vti regius nuntius euocabit ad bona illa nobis longè antea parata: quòd ſi fuerimus forte ſopore capti, quãprimum inuadet. Nemò itaque obdormiſcat, nemo vel hebetior fiat, vel tardior ad virtutẽ: id enim dici ſomnolentia poteſt. Num eſtis neſcij dormientibus nobis nihil eſſe in tuto, facileque inſidiatum iri poſſe, vigilantibus verò haud opus eſſe cuſtodia, ſoporatis autem & ſomno captis, vel multis ſæpe diſpoſitis excubiis pereundum fore, & ita vt neq; portis, neque vectibus aut cuſtodibus vllis prohibere prædonum irruptionem poſſimus. Quorſum hęc? vt intelligatis, ſi vigilantiam præſtiterimus, fore vt nulla aliorum ope indigeamus: ſi verò ſomno erimus oppreſſi, neque aliena quidẽ vel magna ſubſidia nobis eſſe aliquid ad tutelam valitura. Sanctorum virorum fieri orationum participem optimũ eſt, tum tamen cum boni aliquid & ipſi factitamus. Dicet aliquis, ſi ipſe in officioſa aliqua actione ſum, quid alienis precibus opus habeo? Neque ego te velim egentem aliena ope efficias: verùm ſi bonæ mentis erimus compotes, hac re indigere nos exiſtimabimus: ſiquidem Paulus nunquam ſe aliorum votis carere dixerit: tametſi oratores illi haudquaquam digni viderentur pro ſe precari, neque ſibi aliquo modo pares. At tu, quid mihi, inquies, aliorum precibus opus eſt? quas neque Petrus ipſe repudiarit.

Act. 12.

Siquidem *oratio*, ait, *fiebat ſine intermiſſione ab eccleſia ad Deum pro eo*: tu verò illam parui ducis? quinimò eò magis opus habes, quò minus exiſtimas te indigere. Nam ſi Paulo fores ſimillimus, eſſet tibi vel aliena oratio neceſſaria. Noli te efferre, ne humilis fias. Itaque quod ante dixeram, vel vos bonum operantes iuuant plurimum alienæ preces; audi & Paulum hoc pacto dicentem:

Philip. 1.

Scio autem quòd hoc mihi cedet pro veſtris precibus, & permiſſione ſpiritus Ieſu Chriſti, ad ſalutem. & rurſus:

2. Cor. 1.

Vt ex multorum perſona ob donum quod in me eſt collatum, à multis pro me gratia referantur. Tu verò rurſum, quid opus precibus habeo alienis? quòd ſi in otio erimus, nemo profecto nobis orando aliquid poterit vtilitatis afferre.

Oratio ſanctorũ quando proſit.

Quid enim Iudæos iuuit Hieremias? nónne tertiò Deũ audiuit, tertioque ne pro eo populo oraret prohibitus eſt? non enim, inquit Deus, te exaudiã. Quid Saulem Samuel? nónne pro eo ad vltimum vſque diem præter preces & lacrymas fudit? Quid præterea idẽ ille Iſraëlitis profuit, cum diceret, Mihi autem abſit peccatũ ſubire, vt deſinam pro vobis orare? nónne omnes interibant? Dicet quiſpiã, ergo nihil proſunt orationes? quinimò & iuuant plurimum, ſed tum cum aliquid & nos boni peragimus: nam operantibus nobis cooperantur & iuuant. cooperator enim quis & adiumento eſt agitanti aliquid: quòd ſi deſes manebis & otioſus, nihil magnæ vtilitatis conſequere: nam ſi quirent aliorum preces deſides nos & pigros ſubleuare ad cœlos, quid impedit quò minus & ipſi gentiles omnes Chriſti fidẽ conſequantur? Nónne pro vniuerſo terrarum orbe oramus? Nónne & illud idem Paulus faciebat? nónne & reliquos precando petimus ſaluos fieri & conuerti ad Deum? Cur etiã ex improbis boni non efficiuntur? ſi nihil ex ſe, vt exiſtimatis, orationes eiuſmodi conferunt vtilitatis, quæ proculdubio magnũ in modum conducunt, ſi ipſi nobis pro viribus opis aliquid attulerimus. Quòd ſi volueris, quantum commoditatis afferant huiuſmodi preces, edoceri, animaduerte

Actoꝝ 16.
Ibidem 9
Gen. 31.

Cornelium & Tabitham illam: audi & Iacob ad Labam dicentem: *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac mihi adfuiſſet, nunc me vacuũ dimiſiſſes.* Audi rurſum & Deum ipſum hoc pacto dicentem:

4. Reg. 19

Defendam autem ciuitatem hanc me propter, & Dauid ſerui mei gratia. Verum quo tempore hæc Deus locutus eſt, niſi Ezechiæ vere iuſti? nam & ſi eandem vim orationes in improbos & ſceleratos haberent, cur Deus iiſdem pro illis non vſus eſt verbis, cum Nabuchodonoſor ciuitati illi exercitum hoſtiliter admouiſſet, ſed potius hoſtibus tradidit diripiendam, quoniam maxima in ea creuiſſet nequitia? Orauit enim iteratò Samuël idem pro Iſraëlitis, & effectus eſt voti compos: tum tamen cum illi eſſent Deo accepti, eoque de hoſtibus victoriam retulerunt. Dicet rurſum quiſpiam, quid mihi aliena comprecatione opus eſt, ſi ipſe Deo morem geſſero? caue, heus tu, ne id amplius dixeris: quinimò opus illa eſt, & maximè opus: audi quippe Deum de amicis Iob hoc pacto loquentem:

Iob 42.

Et orabit, inquit, *pro vobis, & remittetur vobis peccatum*: qui etſi peccaſſent, non tamen erant grauiori ſcelere obſtricti: iuſtus verò ille qui amicis orando ſaluti fuit, & Iudæorum tempore claruit, nequiuit tamen eoſdem perdendos tutari, ac ſaluos reddere. Quod vt intelligas, audi Deum per Prophetam loquentem:

Ezech. 14.

Si aſtiterint Noë, Iob, & Daniel, non liberabunt filios ſuos & filias, quoniam ſuperabundauit malitia. & rurſum:

Hier. 15.

Si ſteterit Moſes & Samuel, inquit, neque id aſſequentur. Aduerte autem quo pacto illud duobus prophetis fuerit renuntiatum, qui pro Iudæis ambo comprecati nihil ſunt pro voto conſecuti. Ezechiel autem:

Ezech. 9.

Heu mihi, inquit, *domine, perdes tu reliquias Iſraël?* deinde vt oſtendat ſe Deus iuſtè id facere, aperuit huic & Iudæorũ errata: inſuper palàm facit non eapropter quòd ſe paruifaceret, eius preces non fuiſſe admiſſas: ſatis, inquiens, hæc tibi ad perſuaſionẽ valeant, non vt nulla tui apud me ratio conſtet, orationes tuas minus fuiſſe exauditas, quin pro innumeris iſtorum erratis, pro quibus ſis ipſe deprecatus. Nec immeritò talia Ezechielem affatur: fuerat enim is pleraque paſſus. Dixiſti, inquit, mihi, pro foribus cibum caperem, & cepi: imperaſti ſuper alterum latus quieſcerem, & quieui: mandaſti per foramen delatus exirem, & exiui: ſuſtuliſti vxorem, & iniunxiſti ne flerem, nec fleui: quin tuli viriliter, & alia complura Iudæorum gratia feci: nunc verò pro eis orantem non audis? Quid Deus? Nequaquam: non enim te parui faciens id ago, ſed ſi Iob, vel Daniel ipſe pro filiis Iſrael orauerint, non exaudiam. Ad Hieremiam verò, qui in exequendis Dei mandatis, etſi minora perpeſſus, multa tamen ob illorum improbitatem ſuſtinuerit, quid Deus dicat, intellige: Nõ vides quæ iſti faciunt? Huic ita eſſe affirmanti, petentique vt ſe propter illis venia concederetur, his verbis reſpondet: Si aſtiterit Iob & Samuel ipſe, non parcam.

Exod. 32.

Primus inſuper legiſlator, qui Iudæos frequentius liberauit, dicens: Si dimiſeris eis peccatum, dimitte: ſin autem, & me tolle: ſi hoc tempore69 ſupereſſet, eademq; illa dictitans flagitaret, proculdubio nõ impetraret: quin etiam ſi Samuel ipſe, qui rurſum eos ſeruauit, & ab ineunte ætate omnibus fuit admirationi, idem expoſceret, haudquaquam aſſequeretur. Quod equidem mirum admodum videri debet, cum de Moſe dictum illud fuiſſe cõſtet. Hunc Deus quemadmodum amicum beneuolus, nullis ænigmatibus aut fucatis verbis alloquebatur. Item de Samuele & illud, in primæua ſibi apparuit ætate, & occluſa vaticinia aperuit:

1. Reg. 3.

Erat, enim inquit, *pretioſum verbum, neque enim erat viſio diſtinguens.* Quocirca vel ſi hi omnes Deo coram orantes aſtiterint, nihil proficient: neque Noë, de quo ita loquitur Deus:

Iob 1.

iuſtus & perfectus in generatione ſua: neque Iob, qui integer, & iuſtus, & verax, ac Dei cultor eſt appellatus: nec Daniel ipſe, qui etiã pro Deo habitus eſt, eorũ filios aut filias liberabunt. Hæc itaque cùm ita eſſe intelligamus, ſanctorum preces minus erunt per nos negligendæ: neque illis prorſus

con-

confidendum, ne forte his ſiſi, inerti otio torpeamus: quorum altero verendum eſt ne ſegniores reddamur, & fruſtra patiamur inſidias: altero nè maximo lucro excidamus, quinimo hortemur cæteros pro nobis orent, & manus porrigant: nos verò ad virtutem omni conatu nitamur, vt futura illa conſequamur bona, quæ Deum colentibus ſtatuta ac propoſita ſunt.

De nulla regni ſpe, vel honoris, ſed amore, & charitate ingenti.

SERMO.

QVo tandem ipſi digni ſupplicio iudicabimur? Siquidem Paulus, ob Chriſti, quo tenebatur, deſiderium, neque cœleſtia ipſa magnifaciebat: Rom. 9. nos verò quæ vel cœno & luto volutantur, Chriſto præferimus: cuius amore & gehennam ille adire, ſi fieri id neceſſe foret, percupit, & cœleſtis regni iacturam pati: nos verò à Pauli magnanimitate longo interuallo diſtantes, cum neque præſentia aſpernemur, nec digni quidem erimus, qui eius calceos attrectemus, Siquidem ille pro eius ſumma in Chriſtum pietate & obſeruantia, nec cœli regiam pro regno ducit: nos verò eum, cuius opera & admirari videmur & magnifacere, quod huidem optarem, contemptui habemus: propoſitum nobis cœleſte illud imperium prætereuntes, vmbras quotidie & inſomnia conſectamur, tametſi Deus pro ſuo in nos amore & pietate, ſe nec ſecus gerat, quàm ſolet indulgentiſſimus pater in liberos contumaces, qui cum eos videat ſuæ aſſiduæ conſuetudinis tædio affectos, alia quadam arte ad ſe pellicit. At nos cum nullo Chriſti detenti amore teneamur, & ſi pleriſque, vt in officio detineat rebus obiectis, reſidere apud ſe haudquaquam toleramus, quin ad ineptias potius pueriles tranſilimus, & ludos: quæ omnia Paulus nec mediocriter abhorrebat, quin vti ingenuus & liber filius genitoris amantiſſimus, quærit ſe illi aſſiduum dedere, cum eóque & ſolo verſari: nec ſui magnam habet in cæteris rationem, ſed longè minorem quàm filium deceat. Non enim pari ſe, quo & patrem honore dignatur: ſiquidem cum patrem attendit, ſua nihil putat, mauultque cum patre in plagis & cruciatu verſari quàm ſeiunctus in delicijs eſſe. Idcirco non poſſum non vehementer Paulum admirari, qui ſolus ob Chriſti gratiam tulerit omnia, nulla regni ſpe, vel honoris, ſed amore duntaxat & charitate ingenti, cum plerique hominum eiuſdem gratia ne pecunias quidem contempſerint: neque enim nos vel Chriſtus ipſe, vel eius opera, à terrenis his rebus retraxerit, quin vti vipera, & ſues, vel reliqua id genus animantia ſolent, cœno obuoluimur. Quid enim ipſi his feris beſtiis videmur præſtare, quibus cùm tam multa pateant exemplorum plena, & imitatione digna, haudquaquam intermittimus inferiora hæc ſuſpicere & admirari, cùm ne ad breue quidem ſpectare ſuperiora toleramus, præſertim cum noſtri gratia Filium Deus demiſerit cœlitus, cui nec panem ipſe impartiris, quando pro te fuerit oblatus, & morte affectus, & pater nec proprio filio te propter indulſit? Hunc ipſe inedia maceratum paruifacis, cum tibi ſit eius ope viuendum: quid hac fieri contumelia poteſt deterius? Tui ille ob gratiam proditus, te propter occiſus, famelicus pro te diuagatur: vel è ſuo aliquid huic impartire, vt in tuam id vtilitatem cedat: nec fruſtra quidem (mihi crede) id egeris. Quos igitur iſtiuſmodi homines non inſenſibilitate lapides exceſſerint, qui cùm tot rebus ad bonum trahuntur, in dæmoniaca tamen hac crudelitate perſeuerēt? Atqui Chriſtus nec morte tantum & cruce contentus, quin ſubire etiam inopiam voluit. Hoſpes inſuper vagus, & nudus fieri valetudine affici, & vincula tolerare, vt te vel hoc pacto ad ſe reuocaret: quòd ſi pro mea hac omni tolerantia, inquit, nec vicē reddēdam exiſtimaueris, ſaltem te meæ mendicitatis miſereat: quòd ſi nec huius rei gratia mihi compatiendum duxeris, vel ob ægritudinem meam aut nexus & vincula emollire. Si ne hæc quidem miſericordem te & pium reddiderint, leuia tamen & friuola depoſcenti annuas velim: neque enim pretioſiora quædam & magna expoſco, ſed panem duntaxat, & tectum, & verba ſolantia: quòd ſi poſt hæc fueris in tua feritate pertinacior, ſaltem pro regni cœleſtis deſiderio, ſiue ob ea quæ pro te tuli certamina, exhibe te meliorem. Si demum nulla iſtiuſmodi apud te ratio conſtabit, ſaltem naturæ ipſi compatere: cum nudum videris, reminiſcere eius, quam pro te tulerim in cruce nuditatis: cuius ſi nulla erit apud te recordatio, vel ob eam quàm inopum gratia exutus tolero: factus ſum antehac te propter egenus, & in præſenti egeſtate premor: vt vndecunque compulſus miſericordem te præbeas: eſuriem tui gratia toleraui, rurſum famem pro te patior. Sitibundus erám dum in cruce penderem: & impræſentiarum ſitio pauperum ratione, vt his vtriſque inedia ſcilicet, & ſiti te mihi adiunham, piúmque pro tua ſalute reddam & humanum. Quocirca etſi te mihi pro meis innumeris beneficiis in vice reddenda ſentiam obligatum, nec tamen quippiam te quemadmodum debitorem repeto, quin vti beneficium & largitorem, ſúmque pro paruis & exiguis rebus corona te & imperio donaturus. Neque id dixerim: ſolue me egeſtate, vel diuitias elargire. Fui equidem pro te pauper, ſed panem poſtulo, & amictum, vel tenue aliquod meæ inediæ ſolamen. Si fuerim ipſe in vincula coniectus, haudquaquam me inde eximas poſtulo: ſed vnum illud, vt vinctum tui ob gratiam reuiſas, ſic te vel hoc ſolo cœlo donauerim: etſi ipſe grauiſſimis te vinculis eruerim, feceris tamen mihi, ſi præpeditum & ligatum reuiſeris, ſatis. Poſſum præterea te vel nullis tuis in me meritis coronare, velim tamen me tuis eſſe beneficiis obſtrictum, vt te corona dono conceſſa faciat fidentiorem: idcirco cum habeam ipſe vnde me alam, facultates, emendicando circumuagor, præque tuis foribus aſtans, manum porrigo, & cibari à te percupio: amo enim te plurimum, & menſa inſuper tua delector: quódque am antium conſuetudinis eſt, vel hæc omnia mihi duxerim ornamento, quinetiam ſpectante terrarum orbe, laudes de te prædico vel ingentes, audientibúſque vniuerſis altorem meum oſtendo. Cúmque ſoleat nos cum à quoquam alimur, pudere, celaréq; item beneficium conſueſcimus, Chriſtus ipſe vel nobis obticentibus, quando vehementi nos amore proſequitur, noſtrum in ſe beneficium vulgabit, noſtrique haud mediocri cum laude profitebitur: neque enim eum fateri pudebit, nos ſibi huditatem patienti amictum, & fameſcenti contuliſſe & victum. Quibus omnibus rectè perceptis, ne laude tenus contenti ſimus, quin dicta hæc exequamur. Quid enim nobis huiuſmodi pluſus, & laudantium turba vtilitatis contulerit? vnum illud à vobis exegerim, vt oſtentationem hanc, & iactantiam tum ex factis, tum ex vera obtemperantia vindicetis. Id enim demum nobis in laudem, id in lucrum cedet, & quouis diademate fulgentius exiſtimaueritis. Hanc itaque & deceſſuri coronam, tum mihi, tum vobis per inopum manus deferendam parate, vt vel in hac vita ſpe meliori enutriti, ad futuram concedentes, perpetua beatitudine fruamur.

De inanis gloriæ cupiditate;

SERMO.

QVID tandem inanis gloriæ cupiditate ſumptuoſius? quid turpius, vel toleratu difficilius fieri poteſt? Siquidem morbi huius diſpendia ex his ſolent patere, qui fruſtra & inaniter, tum in theatris edendis ſpectaculis, tū rebus cęteris iſtiuſmodi intempeſtiuis, ad gloriam duntaxat & oſtentationem paratis: tum denique in ædificādis ſplendidis domibus, & excolendis, & reliquis inutilibus, quæ impræſentiarum ſilentio prætereamus, pecuniarum plurimum inſumunt: nec ſanè quempiam fugit, hominem hoc morbo laborantem, prodigum & iactabundum, rapacem inſuper & cupidum eſſe oportere: nam vt habeat vnde belluas alat, alienis fortunis inferet manus. Et quid fortunas dixerim? ſiquidem non eas ſolùm, ſed animos ipſos ignis iſte depaſcitur, neque morte corporea hoc modo & præſenti, ſed futura etiam afficit, & æterna. Nam & gehēnæ procreatrix inanis hæc gloria, & ignem excitat vehementius, & vermes peſtiferos: quinetiam eandem illam videbit quiſpiam vel apud mortuos tenere imperium, quo quid fieri poteſt deterius? Cúmque reliqua cum morte vnà vitia diſſoluantur; hic tamen iactantiæ morbus poſt mortem etiam omni conatu contendit ſuam vel in ipſo cadauere naturam prodere: Quippe hac vita exceſſuri, & ſtatuas inſignes, vel eorum ſubſtantiam omnem conſumpturas, erigi ſibi, & attolli demandant, præfiniúntque plurimum ſuo funere luxum: quíque dum in terra viuerent, nummi vnius, aut panis gratia adeunti egeno cōuitiati ſunt, mortui vberem vermibus menſam præbent & abunde. Quid ergo aliud quæras, quod morbi huius excedat tyrannidem? hoc enim ex malo abſurdæ quæque oriuntur cupiditates. Siquidem pleroſque, quos neque decora facies, neque libidinandi cupiditas ceperit, iactantiæ libido intercipit, vt pro ſeducta nonnūquam vel vitiata muliere apud alios glorientur. Quid reliqua dixerim, quæ ex inani hac gloria mala emergunt? optarem equidem quibuſuis barbarorum hominum potius in ſeruitutem dari, quàm ſemel eius ſubire iugum: nec enim à barbaris talia captiuis iniunguntur, qualia ſibi morigeris hoc pacto inquiens indicit: Exhibe te cunctorum ſeruum, ſiue te fuerint infirmiores, ſiue clariores: animam aſpernare, virtutem neglige, libertatem irride, ac tuæ demum ſaluti aduerſabere: tum ſi quid erit per te bene geſtum, non Dei oblectandi gratia id egeris, ſed ad oſtentationem duntaxat & iactantiam, vt promeritam ex eo palmam amittas: cúmque te miſericordem præſtiteris, ieiunio inediáve affeceris, eſt labor quidem ſubeundus, merces verò omni ſtudio perdenda. Quid huiuſmodi poteſt præceptis dici immitius? ſiquidem ex eis obtrectationes, inuidiæ, & deſperatio ortum habent, emanátque malorum omnium mater auaritia, præſertim cum familiarium examina, & barbari auro circunfulti paraſiti, aſſentatores, & connexi argento currus, & reliqua his magis irriſione digna, non voluptatis aut neceſſitas gratia, ſed ad oſtentationem parantur. Dicet aliquis: Ita ſe habet morbúmque hunc malum eſſe cuiuis patet: quo tamen pacto caueri poſſit, explicandum foret. Caueri, inquam, illud poterit, ſi id morbi graue & moleſtum eſſe cognoueris, quod optimum profectò erit ad vitæ rectitudinem ineundam initium. Siquidem valetudine affectus quiſpiam & æger confeſtim medicum conquiret, ſi primum ſe ægritudine laborare didicerit, quod ſi aliam ad hunc morbum euitandum viam quæris, Deum aſſiduè contemplare, eſtóque, quam inde capturus es, gloria contentus: deinde ſi ſenſeris inanis gloriæ morbo

A ſuggerente, te incitatum iri ad efferendum quod bene geſſeris, & aperiendū multis, animaduerſa quę ſequitur ex bonorū facinorū cōmunicatione iactura, extingue abſurdam illam, & ſuggeſtam renunciandi ac bene acta vulgādi cupiditatem, animúmque his verbis alloquere: Ecce tandiu parturiens efferendi rem bene geſtā percupidus extitiſti, neq; eā toleraſti ſilētio premere, quin omnibus cognoſcendam extuliſti, quid ergo ex eo plus aliquid tibi accreuit? plus equidē nihil, damni verò plurimū & extremi, & eorū euacuatio, quæ ſummo cum labore collegeras, mox etiam intelligas velim corruptum eſſe vulgi iudicium, infirmámque ſententiam, flacceſcereque ſtatim, & labare ſolere. Nam vt ad breue homines aliquid admirantur, ſic temporis proceſſu facile obliuiſcuntur, intercipitúrque omnis per eos Dei munere iam parta victoria: quam vel ſi mortales contulerint, tutari diu non poſſunt, vel ſi B in longum videretur manſura, calamitatis quinetiam loco haberi poſſet, ſi diuina foret cum mortali hac commutanda. Cum itaque fluxa ſit & labilis humana laus: qua vti excuſatione poterimus, ſi pro incertis certa perdemus, próque tam breui paucorum præconio tot bonorum patiemur iacturam? inſuper ſi vel infinita foret nos laudibus efferentium multitudo, eò eſſemus calamitoſi magis & miſeri iudicandi, quò maior eſſet laudantium numerus. Quòd ſi hæc fortè miraris, audi qualem Chriſtus in eam rem ſententiam ferat, Væ nobis, inquiens, quibus vniuerſi homines benedixerint: nec immeritò: nam ſi ad ſingularum artium diſcrimen internoſcendum opifices ipſos in iudices malis, quo pacto virtutem permiſeris multitudini probādam potius, quàm illi qui eius habeat, cæteris longo interuallo poſthabitis, notionem, præſtare & opem queat, & palmam? Illud ergo & parietibus ipſis, & foribus erit, ac mente & animo inſcribendum, re- C petendum etiam frequentius, quod à Chriſto domino vſurpatum eſt: Væ vobis quibus benedixerint homines: ſiquidem qui te tunc extulerint, paulò poſt nōn ſecus ac honoris & gloriæ, & ſuarum priuatarum laudum affectatorem calumniabuntur. Ab his longè alienus eſt Deus, quippe qui te quantò diuinæ gloriæ cupidiorem conſpicabitur, eò maiores in te congeret laudes, & ſumma omnium admiratione illuſtrabit: quòd certè mortalium egerit nemo, quin te excipiens, è libero ſeruum reddet, vel tenui plerunque verbo, laude in te vel commentitia vſus & ſubdola, vera promerita mercede fraudabit, faciétque te mancipio quouis emptitio ſubiectiorem: ſiquidem ſeruum dominus dicto audientem habebit, ipſe verò nec iuſſis domini obtemperabis: nam vt primum te illi rem gratam facturum cognoueris, nec imperanti morem geres. Quibus igitur non erimus incendiis digni, qui improbos adeò oblectemus, vt vel tacentibus ipſis D fiat ſatis: Deo verò vel iubenti quotidie, & commonefacienti nihil prorſus audiamus? Tibi itaque diuinam gloriam affectanti, humanæ ſunt laudes fugiendæ: quibus euitatis, apud Deum & homines quantumuis famæ & nominis vindicabis. Nil enim magis admirātur mortales, quàm eum qui gloriam aſpernetur: nec quempiam maiori laude & admiratione proſequuntur, quàm qui laudari ſe pro nihilo duxerint, aut magnifieri. Quod ſanè ſi homines ipſi id agimus, quantò magis cunctorum Deus gloria te & laudibus extollet, ſi eas te contemptui habere cognouerit? Quid ergo dici te beatius poteſt: ſiquidem quātum inter gloriam videtur ignominiámque diſtare, tantundem ſit vel longè maius humanæ huius mortaliſque laudis, & ſupernæ diſcrimen? Nam vt turpior ſuapte natura mortalis eſt, vel ſi nulla cum re alia conferatur, ita & collata quàm ſit deformis futura, & viſu grauis, cogitari poteſt. Etenim vt mulier proſtituta in domus faſtigio aſtans, ſeſe cunctis viſendam præbet: ſic homines

Lucæ 6.

Simile.

nes inanis gloriæ ſeruitute capti, ad oſtentationem omnia moliuntur: quos equidem impudica dixerim impudentiores: quòd meretriculæ nonnullos perſæpe amantium aſpernantur, cum ipſe (vt has ommittam) vniuerſis, fugitiuis inquam, prædonibus, furunculis, & burſarum præciſoribus tui copiam facias: ex his enim, vel horum ſimilibus conſtant in tuam laudem ſpectacula: neglectiſque liberali & præſtanti ingenio viris, prædonum collegium, quibus te arguis longè inferiorem, tuæ ſaluti anteponis. Nã quo pacto haud fueris minori quàm illi honore dignus, qui præconio indigeas alieno, neque ſatis tibi per te poſſe ad gloriam fieri exiſtimes, niſi aliorũ fueris laude potitus? Proinde haud intelligis (vt reliqua prætercam) quòd ſi conſpicuus fueris, & omnibus nõ ignotus, erratorum tuorum quàm multos ſis criminatores habiturus: ſi incognitus, & ſecurus peccando futurus ſis. Aſſentior, inquiet, verùm cum præclarum aliquod edidero facinus, infinitos habuerim qui illud & demirentur, & probent. Id equidem fore grauius dixerim, cùm non ſolùm delinquẽti tibi, verùm & rem bene gerẽti officiet, plurimum inanis gloriæ morbus. Siquidem flagitia admittendo, quàm multos ad ſcelus induxeris: rectè autem viuendo concupita per te laus meritorum præmia exhauriet. Cuiuſmodi gloriæ ambitio, ſi vel in rebus ciuilibus grauis admodum eſſe, & ignominioſa apparet: quis erit tibi reliquus ad veniam locus, ſi eadem illa in ſpiritualibus rebus fueris, & religioni pertinẽtibus infectus, quandò nec eodem toleraueris Deum honore impartiri, quem ipſe fueris ab eius ſeruis aſſecutus? Porrò & ſerui domini oculos intuẽtur, mercede conductus operibus præſidentem, qui ſit ſtipendia depenſurus, diſcipulus in præceptorem intendit obtutum: at ipſe te longè aliter geris: oculos enim à Deo conductore auerſos ad homines conuertiſti, nihil ignarus eundem rectè factorum vel in poſterum tempus meminiſſe: hominem verò ad præſens duntaxat rerum memoriam tenere: cumque certum habeas, firmúmque in cœlo ſpectaculum, in terris congeris ſpectatores. Certatores præterea vbi fuerit per ſe decertatum, eodem probatum ſe iri malũt: ipſe verò cùm in cœlo depugnes, ſtudes in terra coronari: qua ſocordia quid eſſe deterius poteſt? Verum ſi libet videamus coronas haſce cuiuſmodi ſunt futuræ, quando & deſperatione partim componantur, partim irriſione & adulationibus, partim pecuniis, & ſeruili quodam miniſterio: vtque & pueri per luſum ſolent, chartacea alterius capiti corona impoſita, coronatum plerúmque vel neſcium poſt terga irrident: ſic tuorum factitant laudum præcones, qui tibi paleis dorſo iniectis, laudando illudunt. Vtinam his ſolis paleis finiretur illuſio, laureáque illa haudquaquam noxia foret, nec perderet benefacta. Cognita itaque inanis gloriæ vilitate, ne officiat cauẽdum erit: verum quot cuperes ipſe tuarum forte laudum præcones, num centum, bis centúmve? Concedamus, ſi velis, ad hominum quatuor millia, ſint etiam, ſi libet, plauſores innumeri, nil tamen hi omnes à graculis de loco ſuperiori crocitantibus diſtabunt: verum ſi angelorum ſpectacula noueris, vel ipſis vermiculis eiuſmodi homines vniuerſi videbuntur abiectiores, aranea fumóq;, & inſomniis infirmiores: idcirco audi & Paulum quàm accuratè hæc omnia improbarit, qui non modò ne haſce laudes quærat, quin maximè deteſtetur his dictis, & reſpuat: *Mihi* Gal. 6. *autem abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti.* Hanc itaque & ipſe imitare iactantiam, ne Deum forte ad iracundiam concites: ſiquidem mortalium gloriam ambiendo, non ſolum tibi fueris, verum & Similes Deo iniurius. Etenim ſi effigiãdi peritus eſſes, & pictor diſcipulum haberes, qui à te quod ex arte perdidiciſſet, aliis te inuito proderet, aut pictam tabulam, non tibi, ſed aſtantibus cæteris in tui contem-

A ptum viſendam præberet, num æquo id animo ferres? quòd ſi conſeruis illud videtur ad ignominiam cedere, longè magis domino iniuriæ ducitur. Cæterum ſi aliunde id cupis doceri, quo pacto ſcilicet debeant humanæ laudes cõtemni, præſentibus rebus ingenuè paruifactis, audacta & concepta veræ gloriæ & prudentiæ ſpiritualis cupiditate, animus erit tibi haud abſimili dicto confirmandus, quo & Paulus vſus eſt, dicens: Num ignoratis, quòd angelos ſumus iudicaturi? próque affectata mortali gloria ſubleuatus iam, & leuiter caſtigatus, his eris verbis appellãdus: Num qui de angelis ſententiam ſis 1. Cor. 6. laturus, optaueris à mortalibus his & impuris iudicium de te fieri, conſequíque parem cum ſaltatricibus, mimis, aurigis, & belluarũ confectoribus laudem, vel qualem illis exhibent plauſores, quorum acclamationes & plauſus altiori quodam ſunt per te volitatu defugiendi? Ioannes præterea eremiciB uis imitandus, perdiſcendúmque quo pacto & ille vulgi laudes contempſerit, neque vllas hominum attenderit adulationes: ſiquidem cum Palæſtinos incolas ſe circa profuſos vidiſſet, & ſui admiratione obſtupefactos, nihil prorſus hoc tanto honore flectebatur: quin illis inſurgẽs, ad populum vniuerſum tanquam ad adoleſcentulũ aliquem verba iactitabat, & dictis iſtiuſmodi inceſſebat: *Serpentes,* Matt. 3. *viperarum ſemina:* cum ſui viſcendi duntaxat illi gratia relictis vrbibus magno ad ſe concurſu feſtinaſſent, nil tamẽ horum ſanctiſſimum virum à priſtino inſtituto relaxauit. nam vt longe aberat à gloriæ cupiditate, ſic erat quauis animi elatione liber. Nec ſecus & Stephanus, cùm eius populum ſpectaret haudquaquam in ſe venerabundum, ſed furore incenſum, & ſtridore quodã dentium ſæuientem, horum ſuperata veſania dictitabat: *O duræ ceruicis, &* Act. 7. *corde incircuncisi.* Sic & Helias aſtante exercitu, in Im- 3. Reg. 18 peratoris & populi vniuerſi conſpectu iſtiuſmodi C pronunciabat: *Quouſque tandem vtriſque tibiis claudicabitis?* Nos verò contrà, quaſi honorem pretio ab hominibus vindicaturi, ſeruili quadam induſtria omnibus adulamur: Ita fit, vt ordine quodam præpoſtero ferantur omnia, próq; populari hac gloria non minus fides, quàm religio ipſa neglecta prodatur, & pietas. Exterminemus igitur id morbi quodcunq; eſt: ſic enim nobis libertas, ſic portus & trãquillitas omnis egregiè innoteſcent. Etenim qui gloriæ libidine trahitur, fluctuanti cuiquam, & tempeſtate diſiecto videtur aſſimilis: ſiquidem tremebundus ſemper, & pauidus infinitis dominis geſturus ſit morem. At qui hac fuerit tyrannide liber, portum tenẽtibus erit, & puriori fruentibus libertate non alienus: aliter tamen longè cum gloriam cupienti agetur: nam & tot dominos cogetur habere, quotquot ei fuerint & familiares, & noti, quibus erit ſponte pariturus, cuius gloriæ pergrauem cauebimus ſeruitutem, ſi cœleſtis illius & veræ capie- D mur amore. Nam quemadmodum is qui fœminam quampiam adamauerit, alia viſa quæ pulchritudine priorem excedat, illa intermiſſa hanc deperibit: ſic terrenæ gloriæ ſectatores, vt primum diuina illuxerit, eam facile contemnent. Spectanda itaque erit cœleſtis illa, & diligentiſſimè imbibenda, vt illius admirari decorem, huius cauere poſſimus turpitudinem: ſic perpetuis freti deliciis plurima voluptate potiemur.

Diui Ioannis Chryſoſtomi contra luxum & crapulam,

SERMO.

EDAMVS *& bibamus, cràs enim moriemur.* In Pro- 1. Cor. 15 phetas hæc multi apud Iudæos dicebant, ſed haud mirum ſi Iudæi ita dicant, *quorum Deus venter eſt* Philip. 3. *& gloria in confuſione ipſorum:* ſed quòd poſt gratiam, poſt contemptum rerum præſentium, & tantam perfectionem & diligẽtiam, ſint adhuc aliqui, licet

non omnes, dicentes, & vt per ipſum apparatum patet, clamantes, quanta reprehenſione fuerit dignum? Etenim ſunt profecto, qui ob hoc in hanc vitam adductos ſe putant, vt deliciis vacent, & ventrem diſrumpant, & corpus impinguent: atque ſic hinc migrent, vermibus largiorē è ſua carne menſam inſtructuri. Et vtinam hoc ſolum graue eſſet, quod fruſtra & incaſſum, & ad nullam vtilitatem expenderent præſentia, quamuis nec hoc reprehenſionibus caret. Nam quando opes quæ datæ ſunt à Deo ad nutriendum corpus, & in ſubſidium egentium, in intemperantiam, & contumeliam, & extremam ignauiam inſumimus, non ſine correctione eſſe poterit peſſimus ille ſumptus, ſed omnino de hoc dabimus rationem. Et quod de quinq; talentis, & duobus, & vno dictum eſt, etiam de diuitiis & aliis omnibus dicere fas eſt. Igitur quod dicebam, ſi fruſtra & inuanum hic adeſſemus, neque ſic ſine culpa eſſet hoc opus: nunc & abſque hoc etiam alia iuſtè irrogabuntur. Nam eum qui viuit in deliciis, & ebrietati deditus eſt, & paraſitos alit, & adulatores, & carnium voratione & vini potatione diſrumpitur, ſæpe & inuitum, & ſponte neceſſe eſt peccare, & extra huius loci tēpus, & cum illinc receſſerit. Nam ſicut nauis oneraria, quæ ſupra ſuam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine grauata ſubmergitur: ita anima & corporis noſtri natura ſi plures acceperit cibos, quàm ferat natura ſua, impletur, & iniectorum grauitatem non amat, & in perditiones pelagus demergitur, & nautas, & gubernatores, & eos qui in prora, & alios nauigantes, & ipſum onus cum hominibus perdit. Sicut igitur non tranquillitas maris non ſcientia gubernatoris, non nautarum multitudo, non præparationis ſtudium, non anni pars tempeſtiua, non aliud quicquam naui, quæ ſic in tempeſtate eſt, prodeſt: ita & delicatis euenit; neque cogitationum multitudo, neq; eruditio & admonitio, neque admonitiones & conſilia, neque aliud quid, neque timor futurorum, neque pudor, neque accuſatio præſentium, neque aliud quid ſaluare poteſt ſic periclitantem animam: ſed inualeſcit luxus & amentia per omnia, & ſub aquas nolens volens eum qui ægrotat defert, & graue facit naufragium. Vnde nihil facile, neque ad futuram vitam & iuſtificationes quæ alibi futuræ affert. Sed qui talibus vacat, & ad præſentem vitam inutilis fit, ad nihil accommodus, & vbique ridiculus, tam in publicis, quàm in priuatis rebus: & ſi in tumultu aliquid opus eſt fieri, non inuenitur habere aliquid prouidentiæ, vel gubernationis: ab omnibus inimicis capi poteſt, omnibus inutilis, amicis & accedentibus: & non ſolum periculis & obſidionibus facile poteſt rapi: non in tranquilitate ſolum eum audire, pauore non caret, ſed & in arduis, ob immodeſtiam morum, ſe accedenti erit inutilis. Nam ipſum illic, in aduerſitatibus loquor, timor & effœminatio, & metus immodicus, & conſilij inopia apprehēdunt: hic autem in proſperitate, audacia, & ignominia, & intemperatia, & inflatio, & arrogantia plus inutilem quam ſuperiora efficiunt. Sanè talium non ſolùm corpora ſic affecta, & iniucundis, & ſuperfluis, & fœtidis vndiq; plena ſunt, ita vt tolerari nequeant: ſed & anima corpore multò iniucūdior, multò maiores quam illud morbos in ſe arripit ex deliciis. Nam ſicut corpus non ſolùm ſuperfluitates emittit naturales, ſed multò plures, & vndique. Nam & oculi, & nares, & os grauedine, muco, & corruptione, & his quæ intus generantur, lutulentis & impuris affectibus ſunt plena: & ipſa natura carnis laxior fit quam naturalis proportio, fœtidáque & inutilis, & ad omne bonum opus inutilis. Etenim & terra, quando à ſua abundantia oppreſſa fuerit, ſuum innatum perdit calorem, perdit autem & ſuas vires, & neque ad opus, neque ad ſuam generationem eſt accommoda. Hinc autem incurabilibus & difficillimis implicantur morbis, qui perpetuò in voluptate viuunt. Nam in tremoribus & palloribus, miriſque & pedum & manuum doloribus, & aliis pluribus, de quibus medici dicunt, irretibiles fiunt. Idque adeò ac ſi non eſſet gehenna neque cruciatus, neque extremum iudicium Dei, neque apud omnes homines correptio, neque intempeſtiuus ſumptus, neq; alia multa quæ in luxu oriuntur. Hoc autem ſi ſolum adſit, nónne ſufficeret ad omnes auertendos? Venenorum lethalium nullum melius inſtrueret menſam, imò ſi verùm oportet dicere, nullum peius: nā lethifera illa mox auferunt eum qui potat, & mortem ſine ſenſu inducunt, ita vt & qui moriatur, non doleat: voluptates autem vitam multis mortibus grauiorem inducunt, iis, inquam, quibus magnum vitæ ſtudium non miſerabilis tantum, ſed & fœdæ, & ridiculæ. Et dolores quidem alij multos inueniunt qui compatiantur, ſed quæ ex ebrietate & luxuria fuerint orta, neque volentes ſi viderint, permittunt condolere eis quibus obnoxij ſunt. Sanè grauitas quidem mali ad miſericordiam flectit, cauſa autem huius morbi exacerbat eum qui videt. Eapropter media quadam affectione tenemur, neque miſeramur eos quia non ſinit hoc cauſa malorum, neque iraſcimur: non enim permittit magnitudo malorum: ſed inter accuſationem & compaſſionem eſt ſtatus: non enim à natura incitati ſunt, ſicut & ij qui ſe in barathrum proiiciunt. Igitur ſicut eos qui ſe ſubmergunt, vel ex alto præcipitant, & gladiis transfigunt, non multum miſeramur: ſic neq; hos: quanuis ſi compatiendum, magis illi, quam hi compaſſionem merentur, tametſi etiam illi valde indigni compaſſione: Illi quidem vel calumniis, vel opum damnis, vel periculis quæ expectāt, vel plagis quas timent, vel aliam quandam expectantes mortem, & maioribus ſeipſos malis erepturi, ad conſolationem mortis confugiunt, tanquam in aſylum quoddam ad mortem procurrentes, vel vt in portum ſecurum à tempeſtatibus imminentibus feſtinantes. Hi autem nihil horum dicere poſſunt, vitæ ſe tradentes plurimis violentis mortibus grauiori. Tempeſtiuum igitur & nunc dicere illud Sapientis: *Quis miſerebitur incantatorem à ſerpente ictum, & omnes qui ſibi ipſis feras adducunt?* Fera enim eſt voluptas, fera grauis: neque ſerpens in viſceribus noſtris ſedens ita vndequaque graſſatur, ſicut deliciarum concupiſcentia omnia ſubuertit & perdit. Et feræ illæ tantum corpori inſidiantur: hæc autem cùm inſederit cum corpore ſimul & animam perdit. Eapropter fugiamus ab hac vt prudentius loquar ſi habet aliquid ſuaue, ne feramus, ne perſuadeamur. Quòd ſi vera quæ dicta ſunt, & corruptio omnium eſt, & extremus riſus, veſtri parcite corporis incolumitati, & animæ ſanitati. Non loquor vt auſteritatem vitæ inducam, ſiquidem nolueris: ſuperfluum amputemus, inutile reſecemus. Quam veniam habemus, quando alij quidem qui domini ſunt, vſu non fruuntur, nos autem plus quam vſus expoſcit excedimus? Terminus nobis ſit alimoniæ, ita vt non noceat, & abſque nocumento fames pellatur. Vltrà nihil requiramus, imò ſi oportet aliquid mirabile dicere, & præter multorum opinionem, quod tamen verum eſt: Si etiam voluptatem ipſam inquiramus, in frugalitate ipſam magis quam in luxuria inueniemus. Audi quomodo hæc quàm illa voluptas maior eſt, & vberior. Nam illa ſubſiſtere nequit, neque inuenit naturam ſanguinis, quæ ei vtilis, ſed hæc conſiſtere poteſt. Quid enim dicit Sapiens, qui his abundauit præ omnibus magis? Animæ enim, dicit, indigenti, & amara dulcia videntur. Anima impleta fauis illudit. Vides quomodo illa quidem ex paucis & ex omnibus facile conſtitui poteſt, hæc autem minimè? Nam ſi fauos non attingimus, nec curamus, quid vltra nobis dulce erit? ſi quod eſt dulciſſimum nequit præbere vo-

Simile. (beside "illinc receſſerit")

Simile. (beside "Etenim & terra")

Eccl. 21

Prou. 27.

luptaten

A luptatem, quale erit quod voluptatem poterit efficere? atque adeò ſi voluptatem quærimus, hic magis inuenimus. Quomodo ergo non extremæ dementiæ, fugere à menſa frugali, quæ habet voluptatem & ſuauitatem, & omnia bona, & Dei amorem: & inſtruere aliam plenam innumeris calamitatibus, inſuauem, triſtem, & morboſam, & quod grauiſſimum omnium, concitantem contra nos Deum? Nam ſi vidua *quæ in deliciis agit, viuens mortua eſt*, quid dicemus de viris? Si in veteri hoc prohibetur diligentiſſime, multáque vehementia contra agentes in deliciis vſus eſt Propheta, quamuis ſpeciem ponat deliciarum, non valde ſumptuoſam, neque adeò mollem. *Comedentes*, ait, *arietes ex gregi-* Amos 6. *bus, & vitulos lactentes, bibentes vinum defæcatum, & qui vnguntur primis vnguentis, & dormiunt in lectis eburneis, & laſciuientes in ſtratis ſuis.* Si tanta accuſatione digna ſunt hæc, quando omnia erant carnalia, & cœli ſermo nullus, quando doctrina erat Iudaica: quid dicemus B ad præſentem mollitiem quæ nunc? Nam ſi arietes & vitulos lactentes comedere, vt fluxam & luxurioſam accuſat vitam: quid dicemus de his qui profunda maris perſcrutantur, & extrema terræ, & varios auium & piſcium venatores vndequaque ſibi colligunt? & ſi bibentes vinum defæcatum reprehenduntur, quid diceres de his qui mittunt tranſmarinas pro vino profectiones, & omnia mouent, ne aliquod genus vini eis ſurripiatur, quaſi rationes ſint dandæ, vel ipſi inter extremos ſint computandi, niſi omne genus vini intulerint? Si eburneo lecto vti, dignum reprehenſione: qui multos lectos argento circundant, imò ex puro argento fabricant, non lectos, ſed matulas, & ollas, & lebetes, & furcas, qualem aſſequentur veniam? Quid paruum vel magnum, ſi de his corrigantur, dicere poterunt? Ego autem his appono, quod omnibus grauius, quod ex alienis calamitatibus hæc colleC cta ſunt, quamuis Propheta hoc non poſuit, ſed ſolum delicias arguit. Quando autem & cauſa adeſt deliciis grauior, quis eximet illos hæc facientes ab extrema pœna? Noë patrocinabitur? quis Iob? quis Pſal. 17. Daniel? Non eſt vnus quidem: ſed de his dicendum, Exardeſcet furor meus ſicut fumus. An non eſt, obſecro, furoris, & iræ extremæ, impleri & diſrumpi, quando alius quidem neque neceſſario alimento fruitur? Tu autem tantum argentum fruſtra & incaſſum in nullum vſum fabricas, ſed ne ad oſtentationem quidem. Non enim ad hoc tibi vtile erit, ſed in diuerſum vertetur. Tu enim ad hoc facis, vt illuſtris & nobilis fias: ſed ſecus euenit. Non enim es aliquis illuſtris & nobilis: ſed ob crudelitatem & auaritiam, & extrema mala accuſant te omnes. Nam quanta inuidia, quanta inuidentia, quantum odium ab omnibus, quantum viciſſitudinis & mutationis deſiderium omnibus? Mitto diceD re blaſphemias in Deum, quas diuitiæ illæ pariunt, quamuis hoc grauiſſimum eſt omnium. Et hoc præ illo, & quod non dices, illud illo deterius inuenies. Sed frugalem illam & mediocrem menſam, quam non Propheta carpit, non homo arguit, non Deus reprehendit, non ignis punit, nullus auerſatur, nullus odit, nullus inuidet: ſed probat Deus, commendant angeli, laudant homines, ſuſcipit cœlum. Iſtæ menſæ angelos ſuſceperunt, iſtis Chriſtus adeſt, non illis. Tales Prophetarum erant, tales Apoſtolorum, tales & iuſtorum. Sed illæ tyrannorum, & eorum qui in terris malè locupletantur, habentes ſaltatrices, & alios qui vitam corruptam egerunt, & latrones, & magos, & fures. Quando talem apponis menſam, angelus quidem refugit, exaſperatur Deus, lætatur dæmonum princeps, auerſantur & odio tabeſcunt præ inuidia non inimici ſolum, ſed & homines qui officioſi in te videntur, odio magis arroduntur, quàm præſentibus fruantur. Si autem illam ſobriam & frugalem & nullam habentem iram, appoſueris: & ſuauiſſima & blanda erit omnibus amicis, & Deo, & angelis, & hominibus: aderit quoque Dei vnigenitus. Nam ſicut fugit omnem inflatum, & ſuperbum, & turbulentum: ſic humili amicus eſt, & præſens ſemper, eúmque in omnibus & per omnia munit & cuſtodit: Chriſto autem præſente, nihil aliud inquirere opus eſt. Hæc igitur dilecti cum ſciamus, fugiamus luxum, ſequamur frugalitatem, vt & præſentia & futura bona nobis eueniant, gratia & miſericordia domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri honor, ſimul Spiritui ſancto, nunc & in ſæcula ſæculorum.

Contra gulam, & cæteras corporis voluptates.

SERMO.

CORPVS nobis reliquis ritè peractis morte B multandum eſt, verum (quod abſit) haudquaquam corporis ſubſtantiam ipſam conficiendam dixerim, verum incitamenta, & libidinum impetus mactandos duxerim, qui nos ad praua facinora compellunt. Nam & humanum nihil ſubire, nec indulgere voluptatibus, vitæ loco habendum eſt: ſiquidem qui his ſe dediderit præ triſtitia, formidine, periculis, & multiplici animorum affectu, quæ illis immixta in examinis morem circunferuntur, vitam dicere quietius in reliquum haud poterit, adeò vt ſi ei hac vita ſit excedendum præ horrore quodam & metu vel ante conſtitutum obeat mortem. Item ſi futuram ægritudinem ſuſpicetur, ſi contumeliam, ſi paupertatem, ſeu aliud iſtiuſmodi quippiam ex inſperato affuturum præuiderit, perit illico, & conſumitur. Quo vitæ genere quid eſſe poteſt miſerius? Contra verò qui ſpiritu vixerit, nulla erit ſimili calamitate obC ſtrictus, ſed ſine timore, mœſtitia, diſcrimine erit, & quauis rerum mobilitate ſuperior: neque eò victor euadet, quòd nil ſit aduerſi perpeſſus: ſed quod maius vtique eſt, aduerſos omnes fortunæ caſus contemnere: idque eò pacto fiet, ſi Spiritus nobis diuinus inhabitauerit, qui non ad breue aſſeritur, ſed perpetuò habitaturus. Nam inhabitare Spiritum dicit, non inhabitaſſe, vt continuam eius manſionem oſtendat. Quocirca qui vitam Comparantur deditus voluptatibus & iis abſtinens. hanc viuere creditur, ſempiternæ illi ac perpetuæ intereat neceſſe eſt: vnde dictum illud eſſe conſtat: Spiritus vita eſt per iuſtitiam. Sed hæc vt clarius innoteſcant, producamus homines duos in medium, quorum alter laſciuiæ ſit & voluptatibus deditus: alter verò prorſus ſit his rebus demortuus, videamúſque vter horum ſit viuens dicendus. Concedatur, abundet alter diuitiis, ſit etiam conſpicuus, ſit inſignis, alat paraſitos, helluones, adulatores, vniuerſúmque his in rebus diem terat, det item laſciuiæ operam, debacchetur: alter veD rò parcè ob victus auſteritatem & temperanter viuat, veſperi duntaxat cibum capiat neceſſarium: maneat, ſi velis, ad dies binos ternóſve impaſtus: quem horum magis viuere exiſtimabitis? Credo pleroſque mollem, prodigum, & bonorum diſſipatorē opinaturos: at nos eum dixerimus, qui in his bonis fortunæ modum ſibi præfinit. Sed quoniam diſceptatio hæc ex re orta eſt, adeamus interea iſtorum domos, vel eo maximè tempore, quo tibi opulentius ille viuere videatur, cùm in ſuis inquam deliciis diuerſatur: ingreſſique ſpectemus quibus ſint iidem illi in rebus occupati: ex his enim quæ per eos gerentur, quotuſquiſque eorum, mortuúſne, an viuens ſit, apparebit. Inueniemus certe alterum libris incumbentem, vacantem rei diuinæ, abſtinentiæ, vel rebus neceſſariis incumbentem, habentémque cum Deo ſermonem: alterum verò madentem mero, & emortuum, apud quem ſi ad veſperum vſque moram traxerimus, nihil eum in melius videbimus profeciſſe: quin

Digitized by Google

imminentem ei mortem magis ac magis augeri, & (A) exortam inde increſcere ſomnolentiam. Hunc verò noſtrum (ſobrium dico & continentem) vel noctes ſpectabimus inſomnes ducere. Vtrum itaque horum vitæ plus habere dixerimus, eúmne qui ſine ſenſu proſtratus iacet, & torpidus, & cunctis eſt ad riſum expoſitus: an actuoſum illum, & Deo colloquentem? Hunc quidem dixerim: illum nanque ſi accedens, rem aliquam opportunam rogaueris, nihil magis quàm quempiam vita functum audies reſpondentem. Cum noſtro verò hoc interdiu noctúque verſari cupieris: eum quippe audies & de rebus cœleſtibus differentem, & angelum potius agentem, quàm hominem. Videſne vti is pro eius vitæ ſolertia & integritate inter viuos obtineat primatum: ille verò mortuis ipſis miſerabilius iaceat conſternatus & torpens, inter agendúmque, ſi quid forte agere videatur, nil gerendarum rerum ordinem diſcernat, furentiúmque (B) ſit haud abſimilis: quin & his longè calamitoſior, quibus affectis iniuria condolemus & increpamus, ſi quos his forte conuitiari conſpicabimur: illum verò ſi quis inuadat, non modò nihil erimus commiſerati, ſed iacentem potius & proſtratum merito fuiſſe malo affectum pronuntiabimus. Num erit hæc vita dicenda, quæ mortibus infinitis eſt grauior? Vides itaque hominem deliciis incumbentem, non ſolùm viuendo obiſſe mortem, ſed eſſe mortuis longè inferiorem, pernicioſiorémque dæmone agitato & furiis. Quippe miſericordia hic iudicatur haud indignus, ille odio: veniam hic, pœnas ille pro eius tum vitiis, tum morbo meretur. Quòd ſi adeò quiſpiam exteriore hac facie fluente, ex ore pingui, & marcente ſaliua, & vrgente baccho grauis conſpurcatur: cogita quàm malè cum anima illa calamitoſa agatur, quæ hoc in corpore tanquam in ſepulchro aliquo recondita eſt, & contumulata. Cuiuſmodi in homine (C) temulentia nec ſecus videri debet quàm ſi barbarus quiſpiam deformis & impurus vi ſumma & poteſtate impetum faciat in adoleſcentulam decoram aliquam, venuſtam, & continentem. Quis igitur, qui mentis ſit compos, non potius optet mille obire mortes, quàm diem vnum hanc vitam degere? Quòd ſi orta iam luce, ex ea ſe ioculari ebrietate attollens, ſobrius fortaſſe appareat, nebula adhuc quadam ex vinolentiæ procella ſibi præ oculis obuerſante, nondum ſatis libera temperantia fruitur: eundem ſi vel abſtinentem viderimus & modeſtum, quid iuuat, cum nihil ex eò aliud aſſequatur vtilitatis, quàm quòd ſe crapulæ inſimulantes recognoſcat? Cùm enim impudentius agit, cū debacchatur, id duntaxat lucrifaciat, quòd ſe irrideri non ſentit: vbi verò dies illuxit, amittit omnem quam ex laſciuia ceperat voluptatem: ſiquidem familiam obmurmurantem & inſectantem ſe iurgio coniugem, obiurgantes amicos, inimi- (D) cos ludibrio ſe habentes recognoſcit. Quid ergo dici hac vita poteſt miſerius, irrideri ab omnibus interdiu, & rurſum eadem illa turpiter inceptare? Vis etiam cupidos in medium producam? eſt enim & hæc deterior alia quædam debacchatio, quæ etſi dici hoc nomine poteſt, conſequenter & mors eſt: quin alio quouis mortis genere tantò eſt acrior, quantò grauior eſt temulentia: neque adeò etiam vino madere moleſtum, quàm ipſa eſt pecuniarum affectatio infeſta. Ibi enim iactura ad ægritudinem vſque prouehitur, torporéque & inſenſibilitate ſubſiſtit, finítque in ipſius ebrietatis perniciem: hic verò, in habendi ſcilicet cupiditate detrimentum, & per innumeros hominum diſcurrit animos, & varia vbique ſuſcitat bella. Agè & homines tum auaritia, tum temulentia detentos adinuicem conferamus, videamúſque quibus in rebus aut conueniant inter ſe, aut excedant: rurſus, inquam, fiat de ebrioſis comparatio: quando-

quidem nequeunt cum beato illo, cuius ſuprà meminimus, ſpiritu incaleſcente conferri, menſámque iteratò infinitis cædibus refertam, in medium producamus, aperiamúſque quibus in rebus ſimillimi inter ſe & pares pro ipſius morbi natura videantur. Nam cum huius morbi ſint ſpecies variæ, ſiquidem partim vino, partim ex cupiditate nimia afficiuntur, morbus tamen vtriſque ineſt non abſimilis: æquè enim abſurda quadam auiditate detinentur. Nam vino grauis quò plures hauſerit calices, eò magis ſitim incendit. Ita & qui pecuniæ fuerit amore captus, quantò plura accumulauerit, tantò maiorem ſibi excitat cupiditatis & auaritiæ flammam, & grauius ſe diuexantem ſitim ſubminiſtrat. Ea itaq; re vtrique ſunt pares, verùm in eò rurſus temulentum excedit cupidus; quid illud ſit quæris? ebrius enim rem patitur à natura non alienam. Vinum quippe natura calidum, cùm innatam auxerit ſiccitatem, perpotandi ingerit auiditatem vel inexplebilem. Vnde, inquies, auaro & cupido tantus hic habendi amor accreuit? vnde inquis? Cùm enim is ad ſummum euaſerit diuitiarum culmen, tum maximè pauper eſt. Incredibilis ſanè hic morbus, perplexus eſt, & ambiguus. Spectemus ergo ſi libet & hoſce, cùm temulenti eſſe deſierint, cœperintque mentis eſſe compotes: tametſi cupidus ille nunquam ſit vinoſæ huius auiditatis expers: quin vtroſque potius cum ebrij ſint conſideremus, videamúſque vter horum magis ſit irridendus, effigiemúſque eos acrius, & deſcribamus: videbimus certè alterum præ vino delirátem apertis oculis, nec quempiam diſcernentem, oberrantem fruſtra, & agitari, in obuios quoſque offendentem, euomentem, lacerum, & informiter nudum, vſque adeò, vt cunctis abundè riſum moueat. Agè ad hæc & auarum in medium proferamus, cuius res geſtæ & actus non riſum modò, ſed execrationem, iram, & fulmina merebuntur: verùm reliquis omiſſis, quàm ſit irridendus conſideremus. Siquidem æquè is atque vinaticus ille, neminem vel amicum diſcernit, vel hoſtem, oculóſque apertos gerens, captus luminibus eſt. *Auaritiæ deteſtatio.* Vtque ille præter merum nihil habet acceptum, ita & is præter pecunias nihil aliud ſpectat: longè verò huic grauior eſt vomitus, ſiquidem non cibum potúmve remittit: quin verba conuitij, diſſenſionis & mortis plena, infinita inſuper in caput ſuum fulmina prouocat: cuius anima non ſecus ſe habet, quàm ebriantis corpus, quod maculoſum eſt, imbecille, ac fluidum: quando ne ipſe quidem huiuſce temulentiæ vitio careat: quin quod grauius eſt, curis capitur, ira & vigiliis aduſque interitum diuexatur, & ſenſim abſumitur: quippe qui vinolentia opprimitur, nocte tranſacta poteſt & ſobrius fieri: hic verò & dies & noctes auaritiæ ebrietate detinetur, acrioríque pœna afficitur, quàm qui vinculis aſtringuntur, vel qui metalla operantur & cudunt, vel ſupplicia patiuntur, ſi qua ſunt grauiora. Reſponde mihi: Num hæc illa eſt vita, nec mors potius exiſtimanda, quinetiam vel quauis morte miſerior? mors quippe corpus quieti donat, & quauis irriſione, dedecore, & erratis liberum reddit. At habendi cupientiſſima temulentia hominem planè in res huiuſmodi impingit, occluditque aures, excæcat oculos, mentem multa caligine obtenebrat. Nihil enim patitur præter fœnora audire, déque adauctis vſuris, turpi indecentíque lucro, deteſtandis tabernulis, ſeruilibuſque & illiberalibus mercaturis iuuat verba facere: omnibus quemadmodum canis oblatrat, omnes odit, omnes reſpuit, cunctis eſt ſine cauſa infeſtus, inſurgit in pauperes, opulentis inuidet, nulli ſe gratum exhibet, nec vxori quidem, non liberis, non amicis. Quod ſi nequeat vndique lucra congerere, vel hos quidem habebit infeſtiores, quàm qui natura ſunt hoſtes.

ſtes. Quid præterea tali veſania aut fieri deterius vel calamitoſius poteſt? ſiquidem ipſe tibi corpus habenti vnicum, ventríque ſolùm indulgendo, ſcopulos, præcipitia, terræ hiatus, & quæuis barathra ſubminiſtras: qui vel ſi aliquod ciuile munus inieris, impenſas veritus, prædabundus rapis, móxque corruptelis, & ambitu pleroſque alios comparas magiſtratus, ſuperiore illo non modò ſumptuoſiores, ſed certiores quidem, cum mammonæ tributum dependis: neque pecuniis duntaxat, vel corporis ſudore, animæque ipſius dolore & tormentis, ſed ſanguine improbo huic facis tyranno ſatis, vt aliquid tibi magis accreſcat: miſerum equidem te pro tua hac barbara ſeruitute dixerim, & calamitoſum. Nónne quotidie ſpectas, qui ad ſepulchra tumulandi gratia efferuntur, vt nudi, & rebus omnibus deſtituti educantur, vtque nihil eis liceat è domo efferre, quin vel ea quibus mortui obteguntur, vermibus deferant corrodenda? Quocirca hæc velim tecum animo ſingulis diebus reputes, forſitan hoc pacto auaritiæ in te morbus omnis ſedabitur, ni fortè vel in ipſa funeris pompa libuerit maiorem in modum debacchari. Eſt ſanè id graue vitium, & horribilis valetudo, eóque & nos concionibus ſingulis habemus de hiſce rebus apud vos ſermonem, ſumúſque forſan veſtris auribus iniucundi, eáſque dicendo exhaurimus, vt aſſuetæ ſaltem proficiant magis. Cæterum, neque enim in hoc mihi veſtrum quiſpiam contradixerit, non ſolum in ipſo futuri iudicij die, ſed longè antè, varius iſte & multiplex auaritiæ morbus ſupplicia quàm multa allaturus eſt: quando nec vincti & compediti, neque longiori & aduerſa affecti valetudine, neque hi quidem quibus cum inedia & fame colluctatio eſt, ſeu quouis mali genere preſſi, talia ſuſtinebunt, qualia pecuniarum tolerant amatores. Quid enim item ferri cuiquam moleſtius poteſt, quàm omnium in ſe concitare odia, ipſúmque omnes habere inuiſos, immitem ſe præbere vniuerſis & intractabilem, expleri nunquam, ſiti continua laborare, affligari fame aſſidua, vltra quàm credi poteſt, grauiori mœrore confici quotidiano, angi continuò & perturbari? Hæc & his longè plura ſubeunt hi qui accumulandi trahuntur cupiditate, adeò vt ſi cunctorum ſibi mortalium fortunas parent, nullam prorſus præ auiditate immodica ſentiant voluptatem. Quòd ſi vel nummi vnius iacturam fecerint, putant ſe ſuper cæteros fuiſſe grauiora perpeſſos, & vita ipſa excidiſſe: cuiuſmodi mala quis poterit ſermo explicare? At ſi præſentia hæc tantopere illos affligunt, cogita quam acerbiora poſt mortem tormenta manent, illum dico à regno cœleſti caſum, dolorémque qui ſit ex gehenna futurus, perpetuóſque carceres: tenebras exteriores, vermes illos venenatos, dentium ſtridorem, preſſuras, anguſtias, ignis fluenta, & caminos inextinguibiles. Quæ omnia colligens, conferenſque cum ipſa pecuniarum voluptate, funditus hunc auaritiæ morbum reuellito, vt graui eius inopia liber, & veras tibi diuitias compares, boniſque cum his præſentibus & futura aſſequaris.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, de leuium peccatorum periculis, è quibus maiorum peccatorum pernicies poſſit agnoſci.

SERMO.

SI leuium delictorum magnitudo noſcatur, & maiorum facillimè pernicies noſcitur. Vnde fit ſic, vt perpenſa diuerſitate culparum declinentur leuia, deteſtentur enormia, atque omnia ab homine omnino damnentur peccata: ne pro peccatis homo ipſe damnetur, maximè cùm quicquid leue quis duxerit, comparatione peioris eſt leue. Cæterùm leue non eſt, quod hominem ex interdicto occidit, & quod ex iuſſu interficit. Dum enim vetita fiunt, contemnuntur iuſſa, & imperata audaci contumacia negliguntur: ſic & authoritas Dei iubentis offenditur, & pœnarũ perpetuitas inuenitur. Cur enim iuſſa cõtemnis, ſi ſeruis: cur operaris vetita, ſi obſequeris: aut cur imperata negligis, ſi famularis? Nec enim contemnendo ſeruus quiſpiam promeretur: nec dominus obſequendo offenditur, nec parendo aliquis condemnatur. Contumacia creat pœnam, ſeruitus inuenit gloriam. Nunqaam enim proſpera ex contrariis proueniunt: nunquam denique ex bene geſtis mala naſcuntur. Quicquid ab homine homo tibi fieri cupis, hoc ſi genitori exhibueris, promereris. Non potes inde iudicem promereri, vnde te ab homine conſtat offendi. Sed leue forſitan æſtimas ſi ſermone deliqueris. At leue non eſt, quo homo aut iuſtificatur in bono, aut in malo ſermone econtrario condemnatur. *De ſermonibus tuis condemnaberis.* (Matth. 12) Quare beatus eſt ſermo, ſi iuſtificationi proficiat: infœlix eſt, ſi damnationem incurrat. Denique, martyrij gloria per ſermonem conficitur, dum Chriſtianus Chriſtum, quem prædicat, confitetur. Blaſphemia & detractiones, periuria, cæteráque ſimilia ſermone gignuntur. Negatio nominis, & abrogatio Chriſtianæ profeſſionis ſermone exprimitur: dum nefanda vox in funeſtam perfidiam aperitur. Ipſe iudex, dum iudicat, ſententiam ſermone exprimit: dum ſermone innocentem abſoluit, dum reum addicit, vt inde in reos ſententia veniat, vnde venit & culpa: inde eis pœna oriatur, vnde cauſa enaſcitur. Sermò enim fecit obnoxium culpæ, ſermo debitorem efficit pœnæ. Qualis autem cauſa ſermonis eſt, cùm prolatus in iudicio, ante hominem ſermo prior ipſe feſtinat: talis cauſa moleſti ſermonis eſt, quem aut pœnitentia culpat, aut pœna condemnat. Mors & vita, inquit, in manibus linguæ. Sermone enim dominus frequenter offenditur, ſermone frequentiſſimè promeretur. An tu leuem culpam habere eum exiſtimas, qui detrahit fratri, qui inuidet potiori, qui diſponit dolos, meditatur inſidias? Aut illum leuiter peccare exiſtimas, qui proximum ſermone circumuenit, adulatur reo, opprimit innocentem, qui meliori inuidet, humilem deſpicit, ſuperbum extollit? Sed forſitan cogitatus noſtros ad Deum non putas pertinere? (Peccatum cogitationis.) Nullus actus non cogitatione præcurrente conficitur: nullum opus non corde mediante completur, maximè cùm ſermo miniſter ſit cordis: nec quicquam aut actu conficitur, aut ſermone profertur, niſi prius idipſum cogitando gignatur. Nam etſi nonnunquam cogitemus, nec gerimus: diſponimus, nec implemus: tamen cogitata pro factis tenentur, licet nondum opere compleantur. Facere enim cordis, cogitare eſt: quia corporis eſt cogitata perficere. *Quid cogitatis,* inquit dominus, *nequam in cordibus veſtris?* (Matt. 5.) Et iterum: *Qui viderit ad concupiſcendum, iam mœchatus eſt in corde.* (Matt. 9.) Cor enim cogitando, tenetur in crimine, licet corpus immune videatur ab opere. Reus eſt iam animus, qui cogitauit: licet immune corpus ſit ab oprre, quod non fecit. Interior notatur, licet immune ſit corpus aut ſubſtantia, licet exterior ſit aliena à culpa. Sed dicis mihi: Quid ſi cogitauit aliquis, & non fecit: diſpoſuit, ſed non impleuit? Primò, malum cogitatum non facere, duplicem in ſe continet cauſam. Aut enim recordatio cogitata immutat, aut faciendi impoſſibilitas denegat. Alterum pœnitentia curat, alterum exercendi difficultas informat. Vt enim recordatione conceptum vulnus curatur: ita facultate negata, mala cogitatio ſummouetur. Sed ille qui recordatur, beatus eſt: qui potuit cogitata perficere, ſed noluit, quod non licebat, implere. Is verò miſer eſt, qui illicitum voluit facere: ſed non potuit occaſione negata complere. Poſtremò poterit hic veniam recordatione percipere.

percipere. Ille reus tenetur in crimine, cui perpetrandi difficultas non attulit curam, ſed perſeuerans cupiditas exaggerauit vindictam. Et quoniam leuium delictorum propoſuimus cauſas, guſtus vel viſus leue quiddam & inane forſitan videtur. Guſtus primò leuis non eſt, qui Adam protoplaſtum in origine mundi decepit, & cum eo genus humanum ſententia mortis addixit. Nec etiam immunis eſt viſus, qui interdicta videre Loth vxorem de Sodomis proficiſcentem non ſiuit: quæ ſtatim incurrit quod euaſerat, dum eam diuina vindicta in ſalis materiam transmutauit: vt ex hoc non appareat qualitatem delicti debere quenquam intendere, ſed diuina iuſſa tota veneratione ſeruare: nec debere hominem quid iubeatur expendere, ſed magis quis iuſſerit cogitare: neque enim leue dicendum eſt, quòd hominem contemnendo occidit, aut contemptorem transgrediendo decepit: cùm ſcriptum ſit: *Qui modica ſpernit, paullatim decidit.* Sed hoc maximè cogitandum: Si leuia ſic occidunt, quemadmodum grauia interficiunt? Nec in leuibus ſe immunem quis deputet: ſed ex præcedentibus exemplis, quid mereatur, conſideret. Nec euaſiſſe ſe credat, ſi fecit ille, quod ille fecit qui perit: ſed magis timeat, quòd ſibi in futurum iudicium cœleſte ſeruauit. Nam ſi commiſſa leuia impunitatem habere non poſſunt, quid de grauibus æ[illegible]mus? Ceſſet igitur, ceſſet humana teme[illegible]: omnia omnino delicta omni cautela ac ſollicitudine amputet. Ita enim quod interdicitur, tranſgredi mors eſt: vt quod iubetur, facere vita eſt. *Si vis,* inquit, *in vitam venire, ſerua mandata.* Vnde ſi obſeruantia legis vita paritur, contemptu mors neceſſe eſt inueniatur: quoniam ſi contemptu mors non naſcitur, nec vita de obſeruantia attribuitur: aut ſi neceſſe eſt vitam de obſeruantia attribui, neceſſe eſt mortem contemptoribus irrogari. Quare ſanctificatus homo ſanctè iam viuat, & peccata quæcunque ſunt, fugiat: vt qui peccator potuit condemnari per iuſtitiam, poſſit in æterna ſecula munerari per gratiam.

Gen. 19. — Eccl. 19. — Matt. 16.

De vanitate & breuitate præſentis vitæ.

SERMO.

QVEMADMODVM, inquit, in diebus Noë erant quæ nuptui traderentur, & qui vxores ducerent: ſic & prædictum id antè fuit, & nunc annos iam quadringentos, vel eo amplius prædicit Deus: nemo eſt tamen qui rem hanc animaduertat, quin potius eam quaſi commentitiam & ridiculam plerique arbitrantur: neminem timor capit, luget nemo, nemo pectus oppulſat, ignis interea fluuius ebullit, inardeſcit flamma: nos verò deliciis & luſibus operam damus, & peccato ſumus impudenter obnoxij, nemo diem illum mente peruoluit, nemo præſentia hæc breui lapſura meditatur, tametſi rebus ipſis diebus ſingulis proclamantibus, ſignificantibúſque idem illud. Siquidem nos neque acerbæ & immaturæ mortes, neque rerum immutationes, vel nobis ſuperſtitibus effectæ, neque valetudines & morbi caſtigant, quas rerum varietates non ſolum licet in noſtris corporibus, quin & in elementis ipſis conſpicari: quotidie enim & in omni ætate contemplamur interitum, in cunctiſque ex rerum euentu inſtabilitas quædam exprimitur & ſignificatur, non hyems, non æſtas, non ver, non autumnus perpetuò manent, ſed decurrunt omnia, euolant & delabuntur. Quid dicam de floribus? quid de magiſtratibus & principibus ipſis, quorum vel præſens in craſtinum nulla eſt vita? quid porrò de opulentis? quid de inſignibus & claris ædificiis? quid de nocte ac die? quid de ſole? quid de luna, quæ imminuitur nonnunquam & celatur? Itémque & ſol obtegitur perſæpe, & obtenebratur caligine: nihil denique quod viſibile fuerit, continuò manet: anima hæc tantùm quæ nobis ineſt, etſi neglecta, æterna eſt: at rebus quæ immutari poſſunt, tanquam perpetuis, omni ſtudio & cura incumbimus, illius verò nullam habemus in æternum manſuræ rationem. Dicet aliquis: hominis illius magna eſt potentia, verùm duratura in poſterum vſque diem, & paulò pòſt interitura: quod ita eſſe, ex longè olim potentioribus patet, qui nuſquam in præſenti apparent. Nec ſecus ſe habet hæc vita, quàm ſomnium aliquod, ac ſcena: qua ſublata, rerum illæ omnes varietates diſſoluuntur. Itémque radiante ſole tolluntur inſomnia: eodem pacto cùm finis tam cuiuſque vnius, quàm communis omnium venerit, reſoluta cuncta euaneſcunt: ſiquidem diu perſtat quod plantaueris lignum, & quam ædificaueris manet domus: faber autem ille murarius, ſiue agricola abeunt & corrumpuntur. Rebus itaque ſe hoc modo habentibus, nos minus pudet malefacti: quinimo crapula capti & luxu, quaſi ad mortalitatem cuncta molimur. Nunc verò audi Salomonem qui rei ipſius experientiam cepit, quid de præſentibus his fortunæ bonis diſſerat. *Aedificaui mihi domos, plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus, extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ex eis ſyluam lignorum germinantium: poſſedi ſeruos & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque & magnos ouium greges.* Hunc ſanè nemo vnquam deliciis, gloria, ſapientia, dominatu, omniúmque rerum ad voluntatem ſucceſſu anteiuit: nihil tamen ex his omnibus cepit vtilitatis, quin ea omnia vanitatem appellat, & vana vniuerſa: cuius vanitatis non ſimplicitatem, ſed exceſſum expreſſit. Cedamus obſecro ei, qui rerum huiuſmodi experientiam conſecutus eſt, morem obtemperemus, inquam, illi, & his rebus incumbamus, in quibus nihil eſt inane: ſed vera omnia, certa, ac ſtabilia ſunt, & cuncta lapide deſuper conſtructa, in quibus, inquam, nihil ſeneſcit, nihil præterit, quin virent omnia & floreſcunt, neque quicquam vetuſtate confectum ad interitum tendit. Concupiſcamus ex animo Deum, nulla gehennæ formidine, ſed regni ipſius cœleſtis cupiditate. Quid enim eſt quòd poſſit diuino illi ſpectaculo æquari? profectò nihil. Quid quòd bonis illis cœleſtibus par eſſe queat? *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ſe colentibus,* vt Paulus inquit. Illa, illa omni ſtudio, præſentibus his neglectis, conſequi enitamur. Nónne perſæpe terrena hæc incuſamus, & nihil eſſe hominum hanc vitam ducimus? quid ergo tam enixè in hoc nihilum incumbis? quid rebus inanibus laborioſè adeò intendis animum? ſpectabis forte magnifica ædificia, & illorum aſpectu ſeduceris: at ſi cœlum ſtatim ſuſpexeris, & à lapidibus his & columnis ad illius decorem deflexeris oculos, ſpectabis hæc eſſe formicarum opera. Philoſophare ergo, contemplando conſcende quæ cœlo inſunt: ex his ipſe perdiſces, & videbis ſtructuras haſce præclaras nihil eſſe, niſi pueriles ineptias & ludos. Spectaſti aërem quàm ſuſpenſus & lenis, quàm purus ſit & ſplendens, quantóque magis ad ſuperiora conceſſeris, videbis qui eleemoſynas fecerint, ibidem habere domicilium: at præſentia hæc ædificia non ſolum in humanorum corporum reſurrectionem futurum tempus conficiet, deſtruet ac diſſoluet, vel motu terræ diſcuſſa ſubuertentur, aut conſumentur incendio, quando non modò in hominem æuo, ſed in ſtructuris ipſis & molibus immaturi ſunt caſus, adeò vt domus, quæ fuerint vetuſtate confectæ ac penè collapſuræ, in ipſo terræ diſcuſſu

Matt. 24. — Eccleſ. 2. — Affectus dirigendus in cœlum. — 1. Cor. 2.

conſiſtant

conſiſtant immotæ: quæ verò nimio cultu ornatæ, ſolidæ ac bene fundatæ, nuperque conſtructæ ædes, vel ſolo fulminis ictu quaſſatæ collabantur. Quod ſanè haudquaquam ſine Dei prouidentia fieri ſolet, ne forte ex ipſo ædificandi ſtudio efferamur. Quòd ſi volueris alia quadam via ſollicitudine hac & cura liberari, adito publica ædificia, quorum es & ipſe fortaſſe non expers, quibuſque nulla eſt priuata domus, etſi magnifica, cultior, maneto & verſare in eis quoad tua ſunt, & aliis vnà communia: non tamen priuata & propria. Verum minus delectant, cum vulgata quadam conſuetudine, tùm cupiditate & auaritia. Ergo & delectatio illa ex habendi libidine, non ex decore aliquo & cultu procedit. Quocirca auiditas ipſa iuuat maximè, qua volumus nobis omnia vindicare, & noſtræ ditionis efficere. Quoadvſque tandem erimus his rebus affixi? Siquidem terrenis hiſce adeò detinemur, vt non ſecus ſimus ac vermes luto obuoluti. Corpus è terra Deus nobis effinxit, vt illud ſubleuaremus ad cœlum, non vt per id ad terram animam traheremus. Quod corpus etſi luteum eſt, poteſt, ſi libet, cœleſte fieri. Vides itaque quanto ſit Deus nos honore dignatus, quando tam immenſi operis nobis conceſſerit poteſtatem. Creaui ego, inquit, cœlum & terram, tu ſuſcepta à me creandi licentia, facito è terra cœlum: potes namque. Porrò illud, qui creat omnia, & eadem demolitur, de Deo dictum eſſe conſtat: eandem hanc & hominibus poteſtatem permiſit: vtque ſolet pius aliquis genitor, qui pictor ſit, non contentus ſolus effingere quæ libuerit, quin & filium cupit ad eam effigiandi peritiam inducere: ita & Deus. Creaui, inquit, ego corpus decorum, concedo tibi meliora faciendi arbitrium, facito & tu animam formoſiorem. Dixi ego: Educat terra herbam virentem, & omnem arborem ferentem fructum. Dices & ipſe, efferat terra propriũ fructum, & emerget quodcunque volueris operari. Facio ego æſtatem ac nebulas, offirmo fulmina & ſpiritum creo, formaui draconem ad illudendum ei, id eſt, diabolum: neque tamen hanc tibi inuideo poteſtatem, illude & illum ſi libet: poteris enim quemadmodum paſſerem aliquem vincire eum. Facio ſuper bonos & improbos oriri ſolem, imitare ergo & ipſe Deum, impertire tua tam bonis, quàm improbis. Laceſſitus iniuria fero animo æquiori, conuitiantibus benefacio, ſequere me cùm liceat. Beneficia abſque vlla viciſſitudinis ſpe cõfero, idem & ipſe facito, neque fueris ad mutuum minus liberalis. Incendi, inquit, in cœlo lumina, accende & tu his clariores faces, vales enim: lucem præbe errantibus, longè magis erit id factum bene, quàm ſolem intueri, meque id agens recognoſces. Creare hominem non potes, inſtum tamen efficere licet, & Deo placentem. Subſtantiam ipſe creauit, tu illius conſcientiam expoli. Vides quo erga te amore afficiar, quando vel in maioribus hiſce eam tibi conceſſerim facultatem? Attendite itaque, amantiſſimi, quem ſimus ad honorem prouecti: tametſi plerique ſint inconſideratius & ingratè loquentes, qui ſibi liberum fuiſſe arbitrium conceſſum querantur: & eò iniquius, quò neque in his quæ paulò antè commemorauimus, ſequi Deum, vllo pacto vel imitari poſſemus, niſi eſſet nobis ſoluta quædam & libera voluntas conceſſa. Dominor ergo in angelos, inquit Deus. In hos & ipſe eius dominationis gratia imperium habes. Regio, inquit, throno inſidio, eapropter & ipſe in hunc conſeſſum admitteris. Siquidem conſurgere, ait, nos fecit, & Deo ad dexteram aſſidere: quamobrem & tibi Cherubin, Seraphin, dominationes, poteſtates, throni, principatus, & vis omnis angelica paret. Inſuper neque corpus ipſum culpes velim, id fuiſſe honoris impartitum, quod contremiſcunt vel incorporeæ poteſtates, verùm

A quod dixi: non enim his ſolùm meum in te amorem pateſeci, quin ex his quæ tui ſum gratia perpeſſus: conſputus enim, & alapis faciem cæſus, gloriam exinaniui, patrem reliqui, & ad te, odio me tum habentem, tum refugientem deueni, quin etiam nomen meum audire impatientem ſum inſectatus; vtque comprehenderem curſu contendi, admiſi te, & mihi adiunxi. Epulare me dixi, & ebibe, vtque te ſuprà infraque haberem, tibi copulatus ſum & annexus: neque ſat me illud ſolatur, quòd tibi è cœlo originem dederim, niſi rurſum ad terras deſcendiſſem. Deinde haud ſolùm ſum tibi iunctus, & in amplexum recipior, ſed in eſum traditus, in fruſtra comminuor, & eapropter vt aerior fiat eiuſmodi copula: quæ verò fuerint coniuncta, ſuis perſtant limitibus, at ipſe tibi contextus, nullo velim nos interuallo diſtare, quin è B duobus vnum fieri maluerim. Hæc itaque cùm ipſi intelligamus, & non ignoremus quàm diligentiſſimam noſtri Deus curam ſuſceperit, nihil erit per nos intermittendum, vt ſuis maximis erga nos beneficiis haudquaquam arguamur indigni.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani de pœnitentia homilia prima,

Lælio Tifernate interprete.

LÆTA nobis hodie, ac feſtiua celebritas, ſolitoque illuſtrior C cœtus. Quænã ergo cauſa? Ipſe ieiunij hoc clarum tempus, hoc eſſe noui, ieiunij non præſentis, ſed expectati. Illud namque nos huc ad patriã congregauit domum: illud etiam eos qui ante hoc pigritauerunt, ad maternas reduxit manus. Si enim ſolum quod expectatur, tantũ ſtudij nobis ingeſſit: cùm apparuerit aduenerítque, qualem quantamque præ ſe venerationem feret? Sic & ciuitas principis tremendi ſubitura dominatum, omnem omittit deſidiã, maiorique excitatur ſtudio. Sed haud timete tremendum principem, ieiunium audientes: non enim nobis, ſed dæmoniorum naturæ tremendum eſt. Etenim ſi lunaticus fuerit quis, ieiunij ei faciem oſtende, atque lapidibus ipſis immobilior manet timore ſuffocatus, & veluti vinculo quodam detentus: idque potiſſimum, cùm viderit ieiunio adiunctam ſociam D contubernalemque orationem: propterea & Chriſtus dicit: *Hoc genus dæmonij non eiicitur niſi in ieiunio & oratione.* Cùm itaque noſtræ ſalutis hoſtes ſic perſequatur, atque inimicis vitæ noſtræ tam ſit timendum: nónne & amare & diligere id decuit? Si enim crapulam ebrietatemque timere oportuit, non ieiunium timeri debet. Illa ſiquidem noſtras poſt terga ligans manus, vitiorũque tyrannidi, veluti cuidam prauæ dominę, ſeruos nos captiuoſque reddit: ieiunium verò ſeruos exiſtentes nos, atque ligatos inueniens, vincula remittit, & tyrannide liberat, priſtinamque in libertatem reducit. Igitur quãdo & inimicos noſtros expugnat, ſeruituteque nos liberat, atque ad priorem reducit nos libertatem, quam aliam maiorem eius, quàm ad noſtram habet genus, amicitiæ rationem exquiris? etenim maximum rationis iudicium id eſſe videtur. Vis diſcere quantus hominibus ornatus ſit ieiuniũ, quæve ſtabilitas ac cuſtodia? Conſidera beatum atque admirabile monachorum genus: hi namque qui in eremo ſunt, tumultus fugientes, atque ad ipſa

Ieiunij laus.

Matt. 17.

montium cacumina currentes, tugurij, in eremi ſi- A
lentio, veluti in tranquillo quodam portu fugien-
tes, id quaſi connegotians, atque totius vitæ parti-
ceps ſuſceperunt: eapropter angelos ex homini-
bus illis fecit: non illos modò, ſed & in vrbibus
quotquot ſe tolerantes inuenit, ad ipſum philoſo-
phiæ culmen euehit. Nam & Moſes, & Helias vete-
ri in teſtamento Prophetarum turres, tametſi ex
aliis illuſtres magnique habentur, ac multa fiducia
gaudent: tamen ſi quando ad Deum volebant ac-
cedere & colloqui, quantum homini poſſibile erat,
ad hoc confugiebant, atque per huiuſmodi ad
Deum ducebantur manus. Propterea & Deus ho-
minem à principio faciens, illico frænum ei ieiu-
nij manibus impoſuit, veluti piæ, amabilique ma-
tri; & magiſtro optimo committens: Nam *ab omni*
Gen. 2, *ligno quod eſt in paradiſo comedetis, de ligno verò ſcientiæ*
boni & mali non comedetis, ſpecies ieiunij eſt. Si in pa-
radiſo ieiunium neceſſarium fuit, extra paradiſum B
multò magis. Si ante plagam vtilis medicina fue-
rat, multò magis poſt plagam. Si necdum bello
voluptatum inſurgente nobis arma fuerant op-
portuna, multò magis tantum poſt voluptatum vi-
tiorumque prælium à dæmonibus nobis illatum.
Igitur neceſſaria nobis à ieiunio ſunt auxilia. Si
hanc audiſſet vocem Adam, nequaquam ſecun-
dam audiſſet: *Terra es, & in terram reuerteris.* Sed quo-
niam hanc quidem tranſgreſſus eſt, propterea
mors, & ærumna, & curæ, & vita omni morte acer-
bior: propterea ſpinæ & tribuli, propterea labores
& dolores, vitaque anguſtiis plena. Vidiſti quo-
modo iraſcitur Deus ieiunio ſpreto? Diſce & quo-
modo lætatur ieiunio honorato. Quemadmodum
enim ieiunio ſpreto, mortem ſpernenti addidit,
honorabile ſpernenti: ſic iterum eodem honora-
to, de morte reuocat. Nam & volens tibi oſtendere
rei virtutem, poteſtatem ipſi dedit, poſt ſenten-
tiam, poſt abductionem, abductos media de via ra- C
pere, atque reducere ad vitam, idque non in duo-
bus, tribúſve, aut viginti hominibus, ſed in vniuer-
ſo Niniuitarum populo: & vrbem magnam admi-
rabilemque, ac dicentem, ingemui, ad ipſum bara-
thrum iam inclinantem caput, venientem deſuper
plagam accepturam, veluti quædam deſuper ſtans
potentia ipſis ex carnificis manibus eripuit, atque
ad vitam reduxit. Sed ſi videtur, & ipſam audiamus
Ionæ 1. hiſtoriam: *Factum eſt*, inquit, *verbum domini ad Ionam*
prophetam, dicens: Surge & vade in Niniuen ciuitatem gran-
dem. Subitò, ad vrbis ipſam magnitudinem, dubita-
re timereque vult, futuram præuidens prophetæ
Ionæ 3. fugam, ſed prædicationem audiamus: *Adhuc tres dies,*
Iſa. 70. *& Niniue ſubuertetur.* Et cuius rei gratia, quæ facturus
es mala prædicis? vt non faciam quæ prædico. Pro-
pterea & gehennam minatus eſt, quò gehennam
non inducat. Terreant, inquit, vos verba, ne facta
conturbent. Cuius autem rei gratia pactum ad tam
tenue tempus compulit? quò & barbarorum diſcas
virtutem, dico autem Niniuitarum, tribus diebus D
tantam peccatorum iram ſoluere valentium: atque
Dei clementiam admireris, trium dierum pœni-
tentia contenti tot pro peccatis: tuque deſperatio-
ne non corruas, & ſi peccaueris, muteris. Quemad-
modum enim anima pigritans atque negligens,
quanquam multum ad pœnitentiam temporis ac-
cipiat, nihil operatur magnũ, neque ſibiipſi Deum
per deſidiam conciliat: ſic qui propoſito excitato
feruet, atque multa cum ſolertia pœnitentiã oſten-
dit, breui temporis momento longæui temporis
peccata delere poterit. Nónne tertiò Petrus nega-
uit? nónne vilis cuiuſdam ancillæ verba timens?
Quid ergo, oportuitne illum ad pœnitentiam mul-
tos annos terere? Nequaquam, ſed eadem nocte
lapſus eſt & erectus, vulnuſque & medicinam ac-
cepit: ægrotauit, atque ad priorem rediit ſanitatem.
Qualiter & quomodo? flens & lugẽs. Magis autem
non modò flens, ſed multa cum ſolertia, multóque

A cum propoſito: propterea euangeliſta non dixit, Matt. 26.
quoniam ſolùm fleuit: ſed, *fleuit amarè.* Et qualis, in-
quit, quantaque fuerit lacrymarum vis, ſermo non
poterit explicare: ipſe autem rerum exitus mani-
feſtè oſtendit. Etenim crudelem poſt illum caſum
(nam nullum negationi par malum) ſed tamen
poſt malum, iterum eum ad priorem honorem re-
uehit, & eccleſiæ primatum gubernationemque
ſibi per vniuerſum mundũ tradidit: quodque om-
nium eſt ſublimius, oſtendit eum nobis ad domi-
num maiorem apoſtolorum omninm charitatem Ioan. 21.
habuiſſe. *Petre*, inquit, *diligis me plus his?* Huic autem
ad virtutis rationem nihil ſanè par fuerit. Quò ve-
rò minimè dicas, meritò Deum Niniuitis ignouiſ-
ſe: *Seruus*, inquit, *ſciens voluntatem domini, & non faciens,* Lucæ 12.
vapulabit paucis. Vt ergo hoc non dicas, Petrum tibi
in medium propterea duxi, ſeruum voluntatem
domini maximè ſcientem. Sed tamẽ hic idem pec-
B cans maximo peccato, reſpice quantum ad fidei
conſtantiæque culmen rediit. Igitur & ipſe pecca-
tis concidens, nequaquã orbatus perſtiteris. Quid
enim in peccato magis impium eſt? in peccato ſci-
licet ſtare. Et quid peius in caſu eſt? iacere in eo.
Hoc & Paulus deflet, & ingemiſcit, hoc fletu di-
gnum eſſe dicit. *Ne forte*, inquit, *cùm venero, humiliet* 1. Cor. 12
me Deus apud vos, & lugeam multos ex his, qui non ſolum
peccauerunt, ſed ex his qui pœnitentiam non egerunt ſuper
fornicatione & immunditia quam fecerunt. Ad pœniten-
tiam verò quale congruentius tempus poſſet ac-
cedere ieiunij tempore? Sed ad hiſtoriam reuerta- Ionæ 1.
mur. Audiens autem propheta verba hæc, *deſcendit*
in Ioppem, vt fugeret in Tharſis à facie domini. Quónam
fugis homo? nunquid & aliũ audiuiſti prophetam
dicentem: *Quò vadam à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fu-* Pſal. 138.
giam? In terram? *Sed domini eſt terra, & plenitudo eius.* Pſal. 23.
Si ad infernum, ades: *ſi in cœlum, tu illic es*: ſi in mare,
& illic, inquit, *tenebit me dextera tua*: quod & ſuper
C hunc euenit. Sed tale eſt peccatum, quod ad igno-
rantiam multam noſtrã redigit animam. Et quem-
admodum qui grauitate capitis ebrietateque te-
nentur, ſtultè ſimpliciterque feruntur, quamuis
præcipitium, quamuis barathrum, & aliud quid ſi-
mile ſubſit, infrà concidunt incautè: ſic qui cor-
ruunt in peccatum, veluti praua ebrietate, actio-
nis deſiderio detenti, neſciunt quid faciunt, ſcili-
cet non præſentia, non futura præuidentes. Domi-
num, dic mihi, fugis? parumper igitur mane, atque
ipſum per rerum diſces euentum, quoniam neque
ſerui maris poteris manus effugere. Neque enim
nauim iam conſcenderat, atque illud fluctus ex-
citauerat, in altitudinemque eleuauerat magnam:
& veluti ſidelis ſeruus & prudens conſeruum in-
ueniens fugientem, quaſi quid ex domini bonis
ſurripuerit, nuſquam ab eo recedit, milleque im-
pedimenta ingerit recipientibus illum, quoad ip-
ſum vindicans reducit: ſic & mare conſeruum in-
ueniens & cognoſcens, mille impedimenta exci-
D tat, turbans, clamans, non in iudicium trahens, ſed
comminans nauem ipſis demergere cum nautis,
niſi conſeruum ſuum ſibi prodiderit. Quid ergo
nautæ his contingentibus? Iactum, inquit, vaſo-
rum fecerunt, nauis verò nequaquam alleuiaba-
tur. Nihil tam oneroſum & graue atque ineptum
quàm peccatum & inobedientia. Propterea & Za- Zach. 5.
charias id plumbi figurauit ſimilitudine. Dauid
verò deſcribit eius naturam, dicens: *Iniquitates ſu-*
pergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ
ſunt ſupra me. Chriſtus autem ad eos qui in pec-
cato vixerant, iterum dicit: *Venite ad me omnes qui* Matt. 11.
laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Ipſum autem
peccatum & ſcapham tunc grauabat, & peſſun-
dari cogebat. Ionas verò dormiebat & ſterte-
bat, ſed non voluptatis erat ſomnus, magis au-
tem triſtitiæ & afflictionis. Nam qui ex ſeruis &
domeſticis prudentes ſunt, citò peccata ſentiunt,
quod & ille patiebatur. Poſt enim commiſſum

pecca-

Digitized by Google

A peccatum, peccati nouit prauitatem: nam eiuſmo-
di eſt. Cùm enim factum fuerit, atque ad ipſum a-
ctum culmen, tunc dolores parturienti animæ ex-
citat aduerſus legem noſtræ generationis. Nos e-
nim cùm primùm nati ſumus, parturienti dolores
ſoluimus: illud autem ſimul editum, diſtrahit do-
loribus parturientibus ipſum cogitationes. Quid
ergo gubernator? acceſſit, & inquit: *Inuoca Deum
tuum.* Nouerat ergo ipſa experiētia inſuetam illam
eſſe hyemem, atque à Deo illatam plagam maio-
res humana induſtria fluctus, vbi gubernatoris ma-
nus nuſquam profuerant. Alterius enim maioris
gubernatoris rei illius caſus, hunc vniuerſum ſci-
licet gubernantis mundum, ope atque ſuperno in-
digebat auxilio: propterea & illi remos, & vela, &
funes atque diuerſa dimittentes, orationi inſtantes
manus tendebant, Deumque orabant. Vbi verò
B neque ſic profecerunt, miſerunt, inquit, ſortes, &
prodidit de cetero ſors noxium. Hi verò neque ſic
arripientes eum demerſerunt, ſed tanto tumultu,
tanta tempeſtate incumbente, veluti multa in
quiete, multo ſilentio, ſic iudicium in naui ſtatuen-
tes, & interrogari & reſpondere eum dignum fece-
runt, atque cuncta ſubtili cum indagine exquire-
bant, veluti cuidam pœnas iudicialiter inflicturi.
Audi igitur eos quemadmodum in iudicio exami-
ne cuncta exactiſſimo inquirunt. Quod opus eſt
tuum? vnde venis? quò vadis? qua de regione? quo
de populo es tu? Et quidem accuſabat mare, accla-
mans contrà: increpabat autem ſors & condem-
nabat. Sed tamen neque mari contrà exclamante:
neque ſorte ex aduerſo teſtimonium reddente,
ſententiam vſque dabant, ſed veluti in iudicio &
accuſatoribus inſtantibus, & teſtibus præſentibus,
indiciis atque argumētis veridicis non prius dam-
nantes, ipſi ſententiam ferunt, quoad damnandus
C ipſe propriæ fieret accuſator culpæ. Sed & hi nau-
tæ homines barbari & inſenſati, eum qui in iudiciis
optimus eſt, ordinem imitantur: & id quidem tanto
timore, tot fluctibus, tanta ipſis circunſtante pro-
cella, & mari neque vel reſpirare permittēte: tan-
tus eius tumultus furenſque turbatio, inſaniente
atque exclamante, continuaſque vndas implican-
te. Vnde igitur tanta fuit prouidentia? à Dei diſ-
penſatione. Etenim hoc fieri Deus permittebat,
prophetam vel ex his admonens, ex his manſue-
tum fore & mitem, quaſi ad eum clamans, & dicēs:
Imitare nautas, homines inſenſatos: ſiquidem hi
neque vnam ſpernunt animam, neque vni tuo
non parcunt corpori: tu verò vniuerſam vrbem,
tot millia habentem, quantum in te fuerit, expo-
ſuiſti. Et hi quidem eius qui ſuorum cauſa malo-
rum effectus eſt, neque impetu ad damnationem
irruunt: tu verò nihil habens Niniuitas accuſare,
D demerſiſti. Et tu quidem me præcipiente eos ad
ſalutem tua prædicatione reuocare minus parui-
ſti: hi autem vnum audientes, vniuerſa faciunt, &
moliuntur, quò noxium effectum à mulcta reuo-
cent. Etenim ipſam poſt maris accuſationem, poſt
oſtenſionem ſortis, cùm incuſaret ſeſe, fugamque
fateretur, neque ſic irruerūt ad prophetæ necem,
ſed nitebantur de induſtria, & vim atque omnia
faciebant, quò eum neque poſt eius manifeſtiſſi-
mam culpam violentiæ maris exponerent. Sed
non permittebat mare, magis autem Deus, ſicuti
per nautas eum & per cetum corripere, ad ſapien-
tiamque reducere volens. Nam poſtquam audi-
Ionæ 1. tum eſt, *Tollite me, & mittite me in mare, & ceſſabit ma-
re à vobis*, viribus conabantur in aridam euadere,
ſed nequaquam permittebant fluctus. Tu autem
quemadmodum fugientem vidiſti prophetam, au-
di eum & confitentem ex inferioribus de ceti ven-
tre. Illud quidem veluti homo paſſus eſt: hoc ve-
rò quaſi propheta oſtendit. Accipiens igitur eum
mare, veluti in quodam iudicio ceti ventre depo-
ſuit, ſaluum domino fugitiuum ſeruans: neque

A acres vndæ ſuſcipientes ſuffocauerunt, neque ce-
tus vndis ipſis acrior oppreſſit. Saluauit autem, ad
vrbemque reduxit, atque & mare, & cetus contra
naturam obtemperarunt, quò omnia propheta in-
tueretur. Veniens igitur in ciuitatem, ſententiam
legit veluti regalem epiſtolam pœnas tormenta-
que habentem, & clamabat dicens: *Adhuc tres dies,* Eſa. 70.
& Niniue ſubuertetur. Audierunt illi hæc, neque non
crediderunt, neque neglexerunt, ſed illico cur-
ſus omnium vnus ad ieiunium, virorum, mulie-
rumque, iuuenum, ſenum, ſeruorum, principum,
ſubditorum, puerorum, antiquorum, neque irra-
tionabilium natura expers ab eo erat obſequio.
Vbique ſaccus, vbique cinis, vbique fletus & eiu-
latus. Nam ipſe diademate caput ornatus à regali
deſcendens throno, ſaccum ſibi ſubſtrauit, atque
ſic vrbem periculis eripuit. Et erat rem quidem
B nouam videre, purpuram ſacco cedentem præ-
ſtantiori effectu. Quod enim purpura nequiuit,
id ſaccus potuit: quod conſummare diadema non
valuit, hoc cinis perfecit. Vides quomodo haud
in vacuum dixi, non ieiunium, ſed ebrietatem cra-
pulamque timeri oportuiſſe? Nam ebrietas & cra-
pula vrbem ſtantem quati, ad caſumque nutare
compulit: ieiunium nutantem ipſam caſuramque
ſaluauit. Poſt hæc & Daniel leonum ingrediens Dan. 19.
lacum, quaſi cum ouibus, mitis cum immitibus cō-
ueniens, ſic exiuit. Nam æſtuantes ira, crudele
mortiferumque reſpicientes, appoſitam non tan-
gebant menſam, & hæc ipſa excitante atque im-
pellente natura. Nihil enim agreſtius illis beſtiis,
& fame (nam & ſeptem diebus non acceperunt
cibum) veluti carnifice quodam intrinſecus vr-
gente, vtque ipſa prophetæ femora diſcerperent,
clamante, cibum venerati ſunt. Tres pueri dum
C apud Babyloniam caminum ingreſſi, atque in igne Dan. 3.
multo colloquentes tempore, igne ipſo fulgidiora
corpora habentes, egreſſi ſunt: profectò ſi quis
erat ignis ille, quomodo quæ ignis ſunt partes
non implebat? ſi corpora erant illa, quomodo his
quæ corporibus contingere conſueuerunt, non
contingebant? Quomodo, ieiunium interroga, &
reſpondebit, tibique ænigma ſoluet. Etenim cor-
porum natura cum natura ignis certabat, corpo-
raque ipſa victoria ſecuta eſt. Vidiſti pugnam ad-
miratione dignam? vidiſti nouam inauditamque
victoriam? Igitur ieiunium mirare, proniſque ma-
nibus ſuſcipe, quoniam quidem & in camino fert
opem, atque in leonum cuſtodit lacu, dæmoneſ-
que fugat, & Dei reuocat ſententiam, vitiorumque
furorem ſupprimit, & ad ipſam reducit libertatem,
plurimamque in noſtris cogitationibus quietem
inſinuat. Quomodo non ſupremæ fuerit iniquita-
tis, tot tantaque in manibus habentem bona, &
D fugere, & timere? Conterit, inquis, noſtrique
corporis inſuper auget infirmitatem. Sed quantò
exterior homo corrumpitur, tantò interior homo renouatur 2. Cor. 4.
de die in diem. Magis autem ſi rem diligentius vo-
lueris intueri, & ſanitatis bonæque habitudinis
patrem inuenies. Atque ſi meis ipſe ſermonibus
derogas fidem, de his filios medicorum percun-
ctare, ipſique eadem tibi manifeſtius explica-
bunt, qui abſtinentiam matrem ſanitatis appel-
lant. Pedum verò dolores, & grauedinem capitis,
vomitum, apoſtema, & hydropiſim, & phlegmata,
milleque morborum aliorum torrentes, à delica-
tis cibis crapulaque prouenire dicunt, quaſi à peſ-
ſimo quodam fonte prauos riuulos, bonam cor-
poris habitudinem, & animæ ſanum intellectum
non tam lædentes, quàm depopulantes. Ne igitur
ieiunium timeamus, tot à nobis excludens ma-
la: neque ego vos ſine ratione potiſſima conti-
nuè ad id moneo. Sed quoniam quidem plurimos
video homines pigritantes & immorantes non
ſecus, quàm ſi agreſti horridoque cuidam dandi
in manus forent, ebrietate hodie crapulaque

Digitized by Google

corrumpentes: propterea moneo ne quis futuram à ieiunio vtilitatem perimat, gula ingluuieque præueniens. Nam qui malè ſe cibis ingurgitant, cùm aſperas ſunt medicinas accepturi, ſi nimia ſeſe eſca ſepeliunt, atque ſi medicinam accipiunt, aſperitatem quidem illam pertulerunt, vtilitate verò exciderunt, ægram facientes medicinę dimicationem ad corrupti humoris malitiam: quamobrem medici eos incœnatos dormire mandant, quo virtus totius medicinæ quamprimum atque illico morboſis occurrat humoribus. Sic & ieiunio contingit, ſi teipſum hodie multa obrueris ebrietate, craſtina verò eam acceperis quæ ab illo eſt medicinam: hanc tibi profectò vanam inutilemque effeceris, & laborem quidem pertuleris, quod verò ab illa fuerat lucrum, nequaquam aſſequeris, ruiſque in recentem ebrietatis malitiam, eius omnem conſumentem virtutem. Si verò leue præparabis tibi corpus, ſobrieque & vigilanti cogitatu ſuſceperis ex electis veteribus medicinam, multa poteris expurgare. Igitur per ebrietatē diſcamus, ne fortè tale fiat, quale ſi quis infirmanti corpori & conualidato, laſciuè minuſque temperatè innitens, iterum velocius atque cum maiori ruina cadat. Quod & in noſtra fit anima; cùm vtraque ieiunij ex parte, principio videlicet ac fine, ebrietatis nube obfuſcamus mundationem in nobis ab abſtinentia factam. Veluti enim qui cum feris dimicaturi, armis multis munientibus, munimentiſque mortalia quæque membrorum loca circundant, atque ita bellum ſuſcipiunt: ſic & nunc homines milites quaſi cum fera quadam pugnaturi, ventris ſe muniunt crapula, diſrumpenteſque ſeſe & obtenebrantes, multa cum impudentia ſuſcipiūt mitem ac quietum ieiunij oculū. Atque ſi quempiam interrogauero, cuius rei gratia ad thermas hodie properas? quo corpus abluam; ieiuniumque ſuſcipiam. Si verò interrogauero, quare inebriaris? iterum dices: Quoniam quidem ad ieiunium ſum ingreſſus. Quomodo igitur non erroneum, corpore quidem puro, impura verò ebriaque anima, optimum hoc rerum ieiunium ſuſcipere? Reſtant quidem plura; ſed hæc ſobriis ad correctionem ſufficiant. Quare neceſſe orationem ſupprimere: nam cupio patris audire vocem: quoniam ipſi quidem paſtoralis pueri ſubtili calamo ſibilamus, veluti ſub quercu, aut fago quadam ad vmbram ſatorum horum ſedentes. Hic autem veluti muſicus optimus auream citharam modulatus, ſonorum conſonantia vniuerſum excitat theatrum. Et huius non ictuum ſoni, ſed conſonantia verborū, conſonantia operum plurimam nobis affert vtilitatem. Eiuſmodi & Chriſtus doctores quærit: *Qui enim fecerit* Matt. 5. *& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Contingat autem & nos eius, omniumque præſulum orationibus regno cœlorum dignos fieri, gratia & amabili pietate domini noſtri Ieſu Chriſti: cum quo honor patri, gloria, & fortitudo, cum bono & ſancto Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Homilia quæ antea hoc loco ſecunda numerabatur, nunc habetur inter homilias in Geneſim prima.

HOMILIA III.

TAMETSI heſterna die vobis defuerim, non mea ſponte, ſed actus neceſſitate defui: defui corpore, non voluntate: defui carnis abſentia, non mentis affectu. Nam & complectebar omnes vos & ferebam. Iterum, fratres, temporalem hunc tranſeuntes morbū, ſolertius ſtuduimus facies veſtras videre. Iam enim mecum habens infirmitatis reliquias, ad veſtram charitatem cucurri. Conſueuerunt quidem ex ægris nonnulli lauacra & balnea inueſtigare: ego autem facies veſtras deſidera- A tas dignum videre duxi, debitamque auditorum voluptatem implere. Pelagus hoc magnum, & ſalſuginem non habens, mare hoc fluctibus vacuum, veni tellurem veſtram inſpicere. Quod enim pratum tale, quale eccleſia? Quis paradiſus talis, veluti hic veſter cœtus? Non eſt hic ſerpens inſidians, ſed Chriſtus docens: non Eua ad ſupplantandum, ſed eccleſia ad dirigendum. Non hic ſunt hortorum frondes, ſed Spiritus: non hic ſpinarum ſepes, ſed vitis fœcunda. Si autem ſpinam inuenero, in oleam transfero. Non enim naturæ defectus, ſed propoſiti hic libertas honoratur. Si lupum inuenero, ouem faciam, haud naturam conuertens, ſed propoſitum mutans. Quare iam non peccauerit, qui arcam eccleſiam maiorem eſſe conceſſerit. Arca quidem animalia ſuſcepit, & animalia conſeruauit: eccleſia verò animalia ſuſcipiens, eadem Gen. 7. transformabit: vt puta, accipiter illuc introiuit, & B accipiter exiuit. Introiuit huc quis accipiter, columba exit: introiuit lupus, & ouis egreditur: Agnus introiuit, & exit agnus, non transmutata natura, ſed malitia excluſa. Ideo ad pœnitentiam aſſiduo ſermone admoneo, ſed acerba & horrida eſt peccatori: eſt enim delictorum medicina, iniquitatum conſumptio, lacrymarum impenſa, fiducia ad Deum, aduerſus diabolum arma, gladius vim eius præcidens, caput eius amputans, ſalutis ſpes, deſperationis occaſus. Ipſa cœlum aperit, ea in paradiſum ducit, ipſa diabolum ſuperat. Ea igitur de re ſæpenumero ſermone moneo, vt pœnitentiam agas: peccator es, ne à ſpe recedas. Nō ceſſo iiſdem continuè medicamenta deliniens. Noui enim quæ arma ſint contra diabolum, à ſpe nunquam decidiſſe. Peccata ſi habueris, ne deſpercs, non deſiſte eadem ſæpe repetens. Tametſi quotidie peccas, quotidie pœnitentiam age. Et quod in domibus facimus, quum fragiles & ad caſum nutant, fragilia C educimus, tignaque noua ſubmittimus, continuæque reparationis munus obliteramus: idipſum & in nobis faciamus. Si hodie à peccato ſenueris, teipſum per pœnitentiam inſtaura. Eſtne, inquit, pœnitentem ſaluari? Sed dices, eſt, & valde. In peccatis omnem contriui vitam, atque pœnitentiam ſi egero, putas ſaluabor? valde. Vnde mihi cōſtabit? Domini excellentia pietateque, non iam tuæ confidentiæ. Neque enim tua poterit pœnitentia ſola ſordes tot diluere. Si ſola ſuperfuerit pœnitentia, meritò timebis: ſed quoniam pœnitentiæ Dei clementia, Deique pietas iuncta eſt, fide. Nam Dei clementia pietaſque menſuram non ſuſcipit; neque ipſius bonitas verbo interpretari poteſt. Tua quidem malitia menſuram habet, Dei verò clementia & pietas menſuram non habet. Tua malitia qualiſcunque fuerit, humana malitia eſt, Dei clementia & pietas eſt incircunſcripta: ipſa igitur tuam malitiam ſuperat. Cogita ſcintillam ſi in mare ceciderit, num poterit ſtare, aut apparere? Quantum D ſcintilla ad mare ſe habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam pietatemque, imò verò non tantum modò, ſed & longè ſuprà. Nam & pelagus, tametſi magnum ſit, menſuram recipit: Dei verò clementia & pietas menſuram non habet. Hæc dicam, non quò vos deſidiores faciam, ſed promptiores reddam. Admonui ſæpenumero theatra non aſcendere. Audiſti, atque haud obtemperaſti: theatrum aſcendiſti, meoque verbo aduerſatus es: non te pudeat eccleſiam ingredi ſecundò, & audire. Dicis, audiui, neque cuſtodiui, quomodo iterum poſſum ingredi & audire? Denique ipſe nouiſti, quòd minus cuſtodiuiſti: denique confunderis, erubeſcis. Denique corripiente nemine ipſe frænum accipis, denique ſermonem mente ipſe ipſe tua habes radicatum. Denique me non comparente, ipſa te mea purgat oratio. Non obſeruaſti, temetipſum accuſa: vel ſemis obſeruaſſe eſt, ſi minus obſeruaueris, non obſeruaſti dixiſſe.

Digitized by Google

Nam qui ſemetipſum accuſat, quaſi nõ obſeruaſſe, ad obſeruandum feſtinat: proſpexiſti altius, iniquitatem cõſummaſti. Captiuus meretricij effectus es, & in theatrum aſcendiſti: iterum recordatus es, iterum pudore confunderis. Accede: contriſtatus es, Deum ora. Sed hic atque eouſque veniens conſtitiſti, væ mihi, audiui, minus obſeruaui. Quomodo audeam eccleſiam introire? quomodo audeam iterum? Magis autem ingredere, quoniam quidem non obſeruaſti, quo iterum audiens, obſerues. Medelam ſi appoſuerit medicus, neque priori te die purgauerit, num eam rurſus die altera non apponet? Eſt quiſquam quercini roboris cæſor, is quercum ſi velit cædere, ſecurim accipit, incidit radicem: ſi plaga vna percuſſerit, neque ceciderit infructuoſa arbor, nónne ſecundam dederit, non quartam, non quintam, non decimam? ſic & tu fac.

Pœnitẽtia non remittatur, etſi relabamur.

Simile.

Quercus eſt fornicatio, glandes ferens irrationabilium animalium eſcam, multo tempore tua in mente radicata. In arborum circuitu tuam deiecit conſcientiam meus ſermo. Meus ſermo ſecuris eſt: vno audiſti die: quomodo vno die cadat, quæ tanto tempore radices immiſit? Si enim bis, ſi ter, ſi centies, ſi decem millies, non iam mirum. Modo incide vitem malam, & fortem conſuetudinem malamq́ue illam deiice, & gratiam impetraſti. Manna comedebant Iudæi, & cepas de Ægypto quærebant, conſuetudine ducti: tam adeò turpis eſt res conſuetudo peſſima, quod non ſtatim poteſt abijci, nec tempore breui. Si enim in decem conſummaueris diebus, ſi in viginti, ſi in triginta, non tamen non gratias ago, non te foueo, modò non deficias ſed pudore confundaris, & deſpice. Iterum de charitate diſſerimus, ſubiſti & rapuiſti, neque ipſa per opera oſtendiſti ſermonem, haud confundaris eccleſiam ingredi ſecundò: pudeat te peccantem, non pudeat pœnitentem. Attende quid tibi diabolus fecerit. Duo hæc ſunt, peccatum & pœnitentia: peccatũ vulnus, pœnitentia medicina. Quemadmodum enim in corpore vulnera & medicinæ, ſic in anima peccatum & pœnitentia: ſed peccatum pudorem habet, pœnitentia verò fiduciam poſſidet. Attende diligenter, obſecro, ne ordinem turbes, & vtilitatem perdas. Eſt vulnus & medicina, peccatum & pœnitentia: in vulnere ſanies, in medicina purgatio ſaniei: in peccato ſanies, in peccato improperium, in peccato deriſio: in pœnitentia purgatio peccatorum. Aduerte: peccatum ipſum confuſio & pudor ſequitur, pœnitentiam verò fiducia. Intellexiſti quæ dico? ordinem ſatanas peruertit, & confidentiam dedit peccato de vita longa, confuſionemq́ue pœnitentiæ. Non deſiſtam vſque ad veſperam quoad te ſaluaro: oportet enim me promiſſionem complere, impoſſibile eſt me deſiſtere. Eſt vulnus & medicina: vulnus ſaniem habet, medicina ſaniei purgationem. Nunquid in vulnere ſanitas? Num hæc proprium habent ordinem, & illa proprium? Nunquid hoc in id tranſire poteſt, & illud in hoc? Veniamus ad ipſam poſt hanc delinquentem animam. Peccatum confuſionem habet, peccatum improperium, peccatum honoris obfuſcationem habet hæreditariam. Pœnitentia fiduciam habet, pœnitentia ieiunium habet, pœnitentia iuſtitiam poſſidet. *Dic tuas prius iniquitates, vt iuſtificeris*: &, *Iuſtus prior in ſermone accuſator ſui.* Sciens igitur ſatanas, peccatum quidem confuſionem habere, potentem ad ſe pœnitentem retrahere, mutauit ordinem, deditq́ue confuſionem quidem pœnitentiæ, confidentiam verò peccato. Vnde hæc ipſe dico. Carpitur quis prauis deſiderijs de publica meretrice, ſequitur ſcortum, captiuus ingreditur locum, nequaquam erubeſcens, impudens meretricem complectitur, peccatum exequitur, nuſquam ipſi pudor, nuſquam correctio: egreditur inde cum peccatum conſummauerit, atque vt pœniteat pudore teneatur.

Eſa. 43. Prou. 18. Dum peccata ſunt cõfitenda non erubeſcendũ, ſed cum peccamus.

Miſer & infelix, cùm meretricem complectebaris, non te puduit: cùm ad pœnitentiam veniſti, pudore tunc confunderis? Quorſumnam id? Cùm fornicabaris, non pudebat: rem cùm facis, non erubeſcis: erubeſcis cùm pœnitere & confiteri debes peccata verbo? Diaboli hæc aſtutia eſt, quòd te in peccato erubeſcere vetat, & peccatum edicere impedit pudore. Nouit enim ſi homo erubuerit peccatum, fugiet illud: inuerecundus autem vel difficile pœnitere poteſt: & ita duo facit mala, & in peccatum trahit, & à pœnitentia arcet. Quid erubeſcis ergo? Cùm fornicari te contigit, haud erubeſcebas: cùm te peccato liberes, erubeſcis? tunc erubeſcere debuiſti, tunc oportuit pudore confundi, cùm peccabas. Cùm factus es peccator, tunc pudere oportuerat: cùm iuſtus efficeris, pudes? *Dic prius iniquitates tuas, vt iuſtificeris.* O domini clementiam & pietatem, non dixit vt puniaris, ſed vt iuſtificeris. Non Deo ſatis eſt eum non punire qui peccat, ſed eum tum inſuper & iuſtum efficit, & valde. Sed aduerte, iuſtum eum facio: & vbi id effecit? in latrone, vt ſolum dixit ille conſocio: Neque tu times Deum? & nos quidem iuſtè digna factis recipimus, dicit ei Chriſtus: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Non dixit, liberabo te à tormentis & pœna, ſed in paradiſum iuſtum introducit. Vides quomodo ex confuſione iuſtus efficitur? valde eſt clemens & pius Deus. Proprio filio non pepercit, vt ſeruis parceret. Dedit enim vnigenitum, vt ſeruos emat ignauos. Sanguinem vnigeniti pretium poſuit. O domini clementia & pietas. Neque mihi dixeris, permultum peccaui, quomodo ſaluari poſſum? tu nequis, ſed dominus tuus poteſt: atque ita poteſt, vt tua deleat peccata. Accuratè ad ſermonem aduerte. Sic enim delet peccata Deus, vt neque eorum veſtigium maneat. In corporibus quidem id non eſt ita: ſed quanquam millies conetur medicus, tametſi vulneri medicinas addat, vulnus quidem euaneſcit. Sæpeque in facie vulneratus quiſque, vulnus quidem curauit, cicatrix verò remanet vulneris argumentum, faciei deformitatem habens, atque ſi abolere contendat, mille medicus modis nequit: repugnat enim ſibi naturæ infirmitas, artis & medicinarum imbecillitas: Deus autem cùm deleuerit peccata, ſic delet, vt neque cicatrix, neque cicatricis ſuperſit indicium, non veſtigium quodquam, ſed & cum ſanitate decorem elargitur. Poſt pœnæ liberationem, & iuſtitiam inſerit, atque peccantem coæqualem facit non peccanti. Extinguit enim peccatũ, atque id non eſſe facit, neque fuiſſe. Sic enim omnino id tollit, vt non cicatrix, non veſtigium, non argumentum aliquod apparuerit. Atque vnde id nobis elucet quod dico? qui oſtendere debeo quomodo verum videatur? Ab ipſis itaque oſtendatur ſcripturis, fiduciaque firma permaneat. Inducam igitur vobis homines vulneratos, populum omnẽ vlceribus plenũ, & ſanie, & vermibus, vulnus vndique, & exiſtentem totum vlcus, atque ita ſanare volo, vt ne quidem cicatrix, non veſtigium, non ſignum maneat: neque vnum habentes vulnus, non duo, non tria, non quatuor, ſed à pedibus vſque ad caput vulnus exiſtentes. Attende hic diligenter, communis hic nobis ſermo, & ſalutaris. Medicinam ſpargam his quas ſeculares adhibent medici meliorem, quales neque ipſi reges ſpargere poſſent. Rex quidẽ poteſt carcere quenquam emittere, gehẽna verò liberare non poteſt: pecuniam dare poteſt, animam autem ſaluare nequit: ſed ex pœnitentia vos manuducam, quò Dei diſcatis fortitudinẽ, quò ſciatis ſuper eam peccatũ non poſſe, neque iniquitas potẽs eſt eius ſuperare virtutem. Tandem inducam non vnum, non duo, nõ tria, ſed millia multa vlceribus confecta innumeris, plena peccatis, & tamẽ pœnitentia valentia ſaluari, vt neque vel veſtigium cicatricũ priorum vuln-

Lucæ 23.

Deus nõ delet peccata tegẽdo ſed ita remittit, vt nihil remaneat.

Digitized by Google

A vulnerum ſupereſſet. Sed verbo diligenter attendite, ſed & memoriæ dicta mandate, quò & derelictis quandoque auxilio ſitis, atque dictorum vtilitate promptiores reddatis. Igitur & Eſaias procedit, qui Seraphim intuetur, qui myſticũ illud haurit melos, qui de Chriſto infinita prædicit. Percon-
Eſa. 1. temur quid ait. *Viſio quam vidit Eſaias ſuper Hieruſalem & Iudæam*. Dic viſionem quam vidiſti. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus eſt*. Alia præmiſiſti, & alia dicis. Quæ alia præmiſi? Incipiẽs dicis, Viſio ſuper Iudæam & Hieruſalem: cœlum alloqueris, atque in terram ſermonem declinas, dimittens rationales homines, irrationalibus cum elementis diſputas. Ita, inquit, quoniã irrationali irrationabiliores facti ſunt rationales: non ea modò ratione, ſed quòd Moſes volens eos promiſſionis terram inducere, prouidenſque fore tradita
Deut. 32. deſpici ab his debere: *Audite*, inquit, *cœli, & loquar, & audiat terra verba oris mei*, & conteſtabor vobis B cœlum & terram, ſi ingreſſi promiſſionis terram, dominum Deum tuum reliqueritis, in omnes diſpergendi eſtis gentes. Venit Eſaias, atque comminatio ipſa in opus efferri debuerat, non poterat vocare Moſem iam defunctum, atque eos qui tunc audiuerant, mortuique fuerant: elementa igitur quibus Moſes conteſtatus eſt, vocat. Ecce eiecti eſtis à promiſſione, ô Iudæi: ecce deſeruiſtis Deũ, quomodo te vocabo Moſes? interiſti enim, mortuuſq; es: quomodo & Aaron vocabo? & ille morti eſt deditus: non habes vnde hominem voces, voca, inquit, elementa. Idcirco & ipſe viues, non Aaron ſolum conteſtatus ſum, atque illũ & illum, ſed quoniam illi morituri fuerant, & permanentia elementa vobis conteſtor, cœlum ſcilicet, & terram. Dicit ergo Eſaias: *Audite cœli, & auribus percipe terra*. Vos enim Moſes cœpit hodie compellare: non ſolum hac ratione elementa compello, ſed quòd Iudæis dictum eſt, audi cœlum: tu enim man- C na produxiſti, tu ſupra naturam oſtẽdiſti, ſuperius es, atque aërem imitatus es. Auribus percipe terra, inferius quidem es, atque diffuſam latamque menſam præparaſti. Compreſſa eſt natura, gratiaque operata eſt. Neque boum opera, ſpicarumque apparatu, non manibus coquorum atque præceptis, ſed manna erat omne quod factum erat, ſanctificatus fons, menſa diffuſa, natura oblita propriæ infirmitatis fuit. Quomodo eorum veſtimenta non ſunt attrita, neque calceamenta vetuſtate conſumpta, cuncta ad eorum fiebant miniſterinm. *Audi cœlum, & auribus percipe terra*. Poſt prodigia me-
Eſai. 50. moranda, illaque beneficia laceſſitus eſt dominus iniuria. *Quem offendam, audientem virum non habeo: veni, & non erat homo: locutus ſum, & non erat audiens*. Irrationales alloquor, quoniam quidem rationales in vilitatem irrationaliũ acti ſunt: propterea & alius propheta regem vidit furentem, idolum veneratum, Deum deſpectum, alioſque vniuerſos trepi-
3. Reg. 13 dos, & dicit: *Audi altare, audi*. Lapidem alloqueris? D Sic, quoniam quidem lapide ipſo es inſenſibilior. Audi altare, audi, hæc dicit dominus: atque illico altare ſciſſum eſt, lapiſque audiuit, fractus eſt lapis, & effudit libamen, quomodo non audiuit homo? Extendit manum ſuam, vt prophetam raperet: & quid facit Deus? eius manum arefacit. Reſpice quid facis, domini reſpice clementiam, & ſerui peccatum. Quare à principio eius non arefecit manum? quò lapidis exemplo ſanior fieret. Si enim ſciſſus non eſſet lapis, conuerſus ipſe non eſſet. In te concitor ira. Extendit manum vt raperet prophetam, & exaruit manus. Stetit trophæum, tot aderant ſatellites, tot duces aderant, auxiliumque grande, atque ſuam reſtituere non poterant manum. Sed manus ſtabat vocem emittens, atque præ ſe ferens acceptum impedientis conflictum, pietatiſque trophæum, Dei clementiam, & illius inſaniã, reſtituique non poterat. Sed ne ſermonem ex ſermone texentes, & propoſito excidamus, iamque quæ promiſimus, oſtendamus, ſcilicet mille ſi fueris ictus & cæſus vulneribus, atque quod bonum eſt, feceris: ſic ea delet Deus, vt neque cicatricem vel veſtigiũ videas, vt nec ſignum priorum peccatorum appareat: hæc pollicitus ſum, hæc demonſtrare tentabo. Dicit ſcriptura: *Audite* Eſa. 1.
cœli, & auribus percipe terra, quoniam dominus locutus eſt. Dic mihi, quidnam locutus eſt dominus? *Filios* Ibid.
enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me: cognouit bos poſſeſſorem ſuum (ô rationales irrationabiliores iumentis!) *& aſinus præſepe domini ſui*, (ô aſinis ipſis inſipientiores!) *Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici*. Quare, inquit, non iam ſalutis ſpes datur? vel ſi datur, væ quare dicis, dic mihi? Quòd haud ſalutem, haud ſanitatem inuenio. Medelas appoſui, neque ceſſit vlcus, & ideo auerſus ſum. Quid igitur facere habeo? curare nequeo. Væ plorantem imitatur mulierem, & bene facit: obſecro attendite diligenter: væ quare dicit? quoniam & idipſum fit in corporibus, cum viderit medicus ægrotantem haud ſpem ſalutis habentem, illacrymat, domeſticique & proximiores vlulant, ingemiſcũt, ſed illic incaſſum & vanè. Cùm enim moribundus æger fuerit, tametſi mundus defleat omnis, nequaquam eum excitabit, ita vt non reſurrectionis, ſed lacrymarũ ille ſit fletus. In anima verò non ſic. Si enim mortuam fleueris, ſæpenumero mortuam excitabis. Quare? quoniam quidem moriens corpus humana non excitatur virtute: anima verò moriens, correctione reſurgit, & virtute diuina. Vide fornicantem, & defle, atque illum ſæpe excitabis. Propterea Paulus non ſcribebat exhortabaturve ſolùm, ſed & flebat, cum lacrymis peccatores admonens. Ideo etiam fundis lacrymas, quò ſi minus admonitio poterit eſſe auxilio, lacrymæ intercedant: ſic & propheta deflet, & dominus noſter videns Hieruſalem cadentem dicit: *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, &* Matt. 23.
lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: reuocans ciuitatem cadentem, & flentem hominem imitatus. *Væ genti peccatrici, & populo pleno peccatis*: nec habet ſanum corpus: vidiſti eos vlceratos? *væ ſemini nequam, filiis ſce-* Eſa. 1.
leratis. Quare defles, dic mihi? dereliquiſtis dominum, atque ad iracundiam ſanctum Iſraël prouocaſtis. Super quo percutiam vos vltrà, an fame ac peſte? omnis plaga iam venit, & neque veſtra malitia iam eſt conſummata, addentes præuaricationem, *omne caput languidum, & omne cor mærens. Non eſt* Ibid.
vulnus vnum, non liuor vnus. Res nouæ, paulò antè ſemini dixiſti nequam, filiis ſceleratis, dereliquiſtis dominum, ad iracundiam prouocaſtis ſanctum Iſraël, &, væ genti peccatrici, plorans tunderis, malaque loqueris, & rediens dicis: neque vulnus, neque liuor. Attende, vulnus tunc fit, quum altera quidem corporis pars ſana eſt, altera vulnus habet: hic autem dicit totum eſſe vulnus, totum liuorem, totum vlcus à pedibus vſque ad caput. Non eſt quo quis fomenta, quo quis oleum imponat, non eſt quo quis circunliget. *Terra veſtra* Ibid.
deſerta, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni, regionem veſtram coram vobis alieni deuorant: omnia hæc feci, & vos conuerſi non eſtis: omnia quæ ad artem ſunt feci, atque ægrum ipſum cadauer manet. *Venite, audite* Ibidem.
verbum domini, principes Sodomorum & Gomorrhæ: quid mihi multitudo victimarum veſtrarum? Quid igitur? Sodomitas alloquitur? Non, ſed Iudæos Sodomitas appellat. Quoniam quidẽ Sodomitas imitabantur, nomen ipſis imponit. *Venite, audite verbum Dei, principes Sodomorum & Gomorrhæ: quid mihi multitudo victimarum veſtrarum? dicit Dominus. Plenus ſum holocauſto arietum, & adipe pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum nolui. Cùm obtuleritis mihi ſimilæ florem, vanum, & incenſum abominatio eſt mihi: neomenias veſtras, & ſabbata odit anima mea: ieiunium & diem feſtum non feram: & quum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis*.

Eſtn

Eſtne iræ huic par quicquam? Propheta cœlum inuocat, plorat, ingemiſcit, illacrymat, dicit: Non eſt vulnus, neque liuor: Deus deſuper iraſcitur, non ſuſcipiam ſacrificia, non neomenias, non ſabbata, neque florem ſimilæ, non orationem, non extenſionem manuum. Vidiſti vlcus? vidiſti morbum inſanabilem, non vnius, non duorum, non decem, ſed mille? Quid ergo dicit poſt hæc, *Lauamini, mundi eſtote.* (Ibidem.) Num peccatum putas habet ipſe? Ipſe Deus dicit, Non audiam vos, & dicit, Lauamini. Quorum vtrumque vtiliter ingeritur: id vt terream, hoc vt alliciam. Sed eos non audis, ſpem pœnitentiæ non habent. Quòd ſi non habent pœnitentiæ ſpem quomodo dicit, Lauamini? Sed Deus verè clemens, veréque pius, ſolúſque bonus & miſericors ſuper patrem, atque vt diſcas quòd pater dicit ei: Quid faciam, neſcio, neſcis quid facis? ſcio, ſed nolo: expetit peccatorum natura, ſed continet clementiæ pietatíſque magnitudo. Quid tibi faciam? parcam tibi? ſed fides deſidior redditur: perſequar te, ſed mea non ſuſtinet clementia. Quid tibi faciam? vt Sodomam ponam te, & vt Gomorrham ſubuertam te. Conuerſum eſt cor meum. Impaſſibilis paſſibilem imitatur hominem, magis autem amabilem matrem. Conuerſum eſt cor meum, veluti ſi mulier puero dixit, non ſatis patior, fuerit. dictio Sed turbatus, inquit, in mea ſum pœnitentia Et Deus turbatur? Et iuſtè id quidem cogites: Deus enim immutabilis: ſed quod dixi, noſtras imitatur dictiones: Conuerſum eſt cor meum. Quid autem poſt hæc dicit? (Ibidem.) *Lauamini, mundi eſtote, auferte malitias de animabus veſtris, diſcite benefacere, quærite iudicium, iudicate pupillo, defendite viduam.* Neque grauia mandata, ſed quotquot natura nouit. Et venite, & arguite me, dicit Dominus. Parum facite, & ego reliquum adiiciam, dicit Dominus: parum mihi date, & totum ipſe dono. Venite, & quò ibimus? ad me quem incitauiſtis, quem ad iracundiam prouocaſtis, ad me dicentem, Non audiam vos: quò minus timentes fugiatis iram. Venite ad non audientem, vt audiam. Et quid faciam? non dimittam cicatricem, non veſtigium, non ſignum. Venite & arguite me, dicit Dominus. (Ibidem.) *Si fuerint peccata veſtra quaſi coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* Nunquid vlla vſquam cicatrix? Nunquid ruga poſt purgationis colorem? (Ibidem.) Etſi *fuerint*, inquit, *rubra quaſi vermiculus, veluti lana alba erunt.* Nunquid nigredo? nunquid macula? & quomodo fient hæc? Num vel promiſſiones aliæ hoc dicunt? (Ibidem.) *ſed os Domini locutum eſt.* Non modò magnitudinem promiſſorum vidiſti, ſed etiam donantis dignitatem. Etenim Deo omnia poſſibilia, qui poteſt facere mundum de immundo. Hæc igitur audientes, & pœnitentiæ medicinam ſcientes, gloriam referamus Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, in ſecula ſeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

(Simile.) Aſſiduè in eam paſtores conſueſcunt partem oues ſuas diuertere, qua gramen altius denſiúſque intuentur, atque inde prius non abigunt, quàm omne grex contuderit. Hos & ipſi ſectantes, quartam iam diem hanc ad pœnitentiæ modum hunc paſcimus gregem, neque vel hodie digredi paramus: loco enim pabulum vtilitatis multum ineſſe video, permultumque fructum, ſimul permultámque lætitiam. Nam neque arborum comæ pro pecorum tuguriis factæ, meridie per æſtum tam oues reficiunt, optabilem atque vtilem exhibentes vmbram, multáque ſuadentes cum voluptate, quàm ſacrarum ſcripturarum lectio afflictas angore animas, ærumniſque explicatas ſolatur, explicat, ſimúlque recreat. Nimium ſiquidem atque exurens voluptatis retundit malum, ſolatium omni vmbra ſuauius amœniúſque impartiens. Neque enim ſolum in pecuniæ iactura, aut orbatu liberorum, atque eiuſmodi, ſed & in peccatorum preſſura plurimum ea nobis ſolatii

A confert. Cùm enim homo peccato interceptus, circumuentus cecidit, poſtea mordetur conſcientia, & peccati ſemper memor, mœroris ſeſe magnitudine obruit, perque ſingulos dies incenditur, atque mille ingentibus ſolatij modis ſi minus acceperit, eccleſiam ingreditur, eò audiens ſanctorum multos cecidiſſe, rurſúſque reſurrexiſſe, atque in priorem rediiſſe dignitatem, clàm multo ſolatio plenus egreditur. Et qui in homines ſæpenumero peccamus, neque peccatum audemus prodere, pudore ruboreque detenti: atque ſi prodiderimus, non tantum conſequimur. Cùm autem Deus exhortatur, córque noſtrum tangit, illico omnis ſatanæ caligo fugatur. Hinc & iuſtorum conſcripti ſunt lapſus, quò & rectè & peruersè viuentes ab his maximè lucrifaciant. Nam & cadens, aut alienatus ſpe, indulgentiæ deſperatione, alte-B rum poſt caſum videns reſurgentem, & iuſtitiæ fiet ſedulus ac firmiſſimus cultor. Cùm enim ex his qui ſe maximè præſtant, multos cadentes viderit, illorum caſu factus cautior, perpetuo in agone verſabitur, multáque ſeſe ſtabilitate muniet. Sic itaque alter in peccato deſperationis liberabitur, ille quidem firmiter ſtabit, hic in priorem, à quo excidit, ſtatum reuertetur. Nam cum homo nobis ſolatij fomenta præbuerit, tametſi ad horam conſolari videamur, rurſum tamen in eum languorem voluimur: cum verò per alios qui peccant, atque inde ſaluantur, nos Deus conuertit, ſuam nobis manifeſtam facit bonitatem, ne propria de ſalute ambigamus, ſed firmam certámque conſolationem capiamus. Quemadmodum igitur in delictorum preſſura, ſic illatis in periculis, medicinam abundantem plurimæ ſcripturarum hiſtoriæ mœſtis conferunt proſpicere volentibus: & ſiue pecuniæ publicatio, ſiue calumniarum iactura, ſiue C flagella, ſiue carceres, ſiue aliud nos malum conterat, ad iuſtos proſpicientes, qui eadem & paſſi ſunt, & tolerauerunt, ad noſmetipſos citò redire poterimus. Aliàs quidem ſi corpus manifeſtis in paſſionibus patientes intuemur ægrotum, quandoque contrahimus infirmitatem, atque etiam non exiſtentem facimus. Puta ſi quis oculorum malo laborantem viderit, ipſo & intuitu ægritudinem in ſe contraxerit. In anima verò non ſic, magis verò eos noſſe qui eiuſmodi patiuntur, leuiorem proprijs in malis facit languorem. Propterea Paulus fideles hoc modo hortatur, vt non modò viuentes ſanctos, ſed & obdormientes in medium producat. Iudæis enim ſcribens, circumuentis & nutantibus ad caſum, ſanctos viros in medium producit, Danielem, tres pueros, Heliam, Heliſæum, ſic dicens: *Obturauerunt ora leonum, extinxerunt virtutem ignis, effugerunt ora gladij, lapidati ſunt, flagellati ſunt, in vincula & carceres detruſi, circumierunt in melotis & caprinis pellibus, egen-*D *tes & doloribus affecti, quibus dignus non erat mundus.* (Hebr. 11.) Ea autem paſſionum communio ſolatium præbet afflictis. Et veluti quempiam malis torqueri ſit intolerabile ei, qui ſolus in anguſtia verſatur, multóque id ſolatio medendum eſt malum: ita ſolatium inuenire eiſdem oppreſſum malis, leuiorem efficit plagam. Igitur vti cunctis quæ nobis moleſta eſſe videntur, magnificè repugnemus, ſcripturarum hiſtoriis diligenter intendamus. Multæ enim patientiæ hinc nobis occaſio excitatur, non modò eorum ſolandis cōmunione, qui paribus premūtur malis, ſed quòd & ab ingruentibus periculis liberationis viam diſcimus: atq; eorum poſt hyemem & fluctus iterum priori manere in dignitate, neque trahi in deſidiam, neque in ſenſum reprobum tolli. Haud enim mirabile eſt malis afflictos contrahi & humiliari, maioráque paruitatis indicia præ ſe ferre. Nam ea tentationum natura, quæ in triſtitia ipſa vel lapideum cor habentem, id facere cogat. Sed animæ venerabilis eſt, Deúmque continuò præ ſe ferentis, & ipſam poſt liberationem

tentationum in obliuionem minus cadere: quod Iudæi ſæpenumero paſſi ſunt. Quare & corripiens eos Propheta, dicit: *Cùm interficiebat eos, tunc quærebant eum, & conuertebantur, & diluculo vigilabant ad eum.* Et Moſes id primùm cognoſcens, ſæpe admonet eos, dicens: *Comedens & bibens, & incraſſatus, attende ad temetipſum, ne quando obliuiſcaris domini Dei tui.* Igitur id euenit. *Comedit enim*, inquit Moſes, *& impinguatus & incraſſatus, & recalcitrauit dilectus.* Quare non modò ea de re mirari ſanctos decet, & beatos dicere, quòd tribulatione ſuper eos ingraueſcente humiles, manſueti, philoſophi erãt: ſed quòd & hyeme, procellaque illa tranſacta, & tranquillitate facta, eodem in ſtudij manſuetudiniſque culmine permanebant. Atque eum equum laudarim maximè, qui vlla ſine habenarum vi pro nutu compeſcitur: ſi verò fræno cogente eum commodè ſubegeris, nequaquam mirum: neque enim pecudis generoſitate, ſed fræni neceſſitate ipſa modi obſeruatio reputabitur. Identidem & in anima licet intueri, quòd imminente timore, ſi trãquillè perſeuerat, nequaquam mirum: cùm verò tentatio ipſa quieuerit, atque timoris quis amouerit frænum, tunc vim mihi philoſophantis animę oſtende, modeſtiamque omnem. Sed vereor ne Iudæos accuſare volens, noſtram in primis conuerſationem accuſem. Quoniam quidem & nos, ſi quando fame peſteque fluctuantibus, & grandine, & ſiccitate, & incendiis, & hoſtium incurſibus: nónne per dies ſingulos ad eccleſiam conuentus, multitudo ploratu ac gemitibus reſonat, ac plurima nobis ineſt philoſophia, deſpectuſque rerum domeſticarum, & neque pecuniarum cupido, neque gloriæ deſiderium, neque libidinis conflictus, neque prauus alius cogitatus tunc ſubrepens, impedit. Sed vniuerſos vos ad Dei cõtuliſtis cultum, cum oratione & lacrymis: & fornicator quidem de caſtitate tunc agit, obiurgator & conuitioſus cõciliationi inhæret, auarus ad eleemoſynam flectitur, iracundus & furens ad mitem animum manſuetúque reuertitur. Atque vbi Deus iram illam depulerit, deque tot fluctibus fecerit tranquillitatem, protinus iterum priores ad actiones, damnataſque properamus. Sed neque ipſo in tentationum tempore diſtuli tunc prædicare, ea teſtificatus, cùm nihil magis in vobis euenit: ſed veluti ſomnum & vmbram vniuerſa illa cogitationibus veſtris excluſiſtis: propterea nunc abundantius quàm tunc timeo: quodque tunc dixi, nũc magis formido, ne prioribus peiora cõtrahamus mala, tuncque plagã à Deo recipiamus inſanabilem. Nam cùm quis continuò peccans Dei cõſequitur indulgentiam, poſtea nihil ab hac æquanimitate lucrifacit homo, ad malitiæ fugam hunc præparat, deinceps Deus vel cor inuitum ad ipſum malorum deducat culmen, funditúſque conterat, neque iam det pœnitentiæ illius locum: quod in Pharaone contigit. Vbi enim priori, & ſecunda, & tertia, & quarta, aliiſque poſt illas plagis à Deo longanimitatis plurimum conſecutus eſt, idque ſibi nullo acceſſit vſui, contriuit eum reliquum, atque cum ipſa ciuitate ſimul perdidit. Idem & Iudæi paſſi ſunt. Quare Chriſtus eos perditurus, eremumque deſuper inducturus, ſic prius alloquitur: Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? *ecce relinquetur domus veſtra deſerta.* Vereor igitur ne fortè eadem ipſi patiamur, quòd neque alienis malis prudentiores ſimus: atque hæc non modò ad præſentes, ſed ad eos dico, qui ſtudio quotidiano delapſi, priorum tribulationum obliti ſunt, ad quos nequaquam clamans deſtiti, dicens: Quanquam tentationes ceſſerint, earum tamẽ veſtris in animis memoria maneat, quò & beneficiorum ſemper memores continuas gratias habeamus eadem tribuenti Deo, hæc & tunc dicebam, & nunc dico, & vobis, & per vos illis. Imitemur ſanctos, qui neque preſſuris merſi, neque ſecundis rebus, aut longã pace debiliores fuere, quod & plures mortalium nunc patimur. Sicut enim imbecilliores cymbę, fluctuatione vel parua circumuentæ, demerguntur. Nam inuecta paupertas ſæpe deiicit in profundum, eò quòd obrutos relinquit: iterumque ipſa opum rediens facies nos tumore circundedit, atque in ſummam deduxit ſuperbiam. Quapropter æra noſtra omnia relinquentes, animas proprias ad ſalutem computemus, hac enim bene ſeſe habente, quodcunque ingruerit mali, quamuis fames, quamuis morbus, quamuis pecuniæ direptio, aut aliud ſi quid huiuſmodi, tolerabile erit, & leue, dominico ex præcepto, atque ipſa quam in illũ ſpe habemus: eò quòd anima ſeſe Deo minus accommodante, tametſi diuitiæ affluant, pueri aſſint, milleque pecuniæ voluptates, nullum profectum ad triſtitiæ curarumque leuamen contrahet. Igitur nequaquã diuitias quæritemus, ne paupertatem vitemus: ſed prius quiſque noſtrã curemus atque ornemus animam, eamque accommodemus ad pręſentis vitæ diſpenſationem, atque ipſam, quam hinc facturi ſumus profectionem. Iam enim modicum, & probatio vniuſcuiuſque noſtrum fiet, cum omnes aſtabimus tremendo Chriſti tribunali, propriis actionibus induti, & oculis intuebimur eas, atque dicemus: Id mihi lacrymæ orphanorum, id viduarum ſuſpiria, id inopum querelæ, id rapinæ pauperum, id turpes luxuriæ, quibus noſtras inquinamus animas. Non hæc autem modò, aut his proxima, ſed ſi quid inconcinnum mente tractauimus, quoniam & ipſe mentium ſcrutator, & cogitationum iudex: & iterum: *Scrutans corda & renes Deus.* & : *Reddens vnicuique ſecundùm opera ſua.* Hic mihi ſermo non ad illos, qui vitæ curis implicantur ſolum, ſed & qui tuguria in montibus fixerunt, quorum corpora non ſolum à fornicationis labe debent abeſſe, ſed etiã animæ ab omni auaritia ſatanæ. Non enim modò mulieres ſanctus alloquitur Paulus, ſed & viros, & vniuerſam eccleſiam, animam in virginitate perſeuerantem, ſanctam corpore eſſe oportere & ſpiritu. Et iterum: *Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Caſtam autem quomodo? haud habentem maculam vel rugam. Quoniam quidem virgines illæ lampades habentes extinctas, virgines quidem fuerant corpore, corde caſtæ nõ erant. Sed tametſi eas corruperat nemo, pecuniæ tamen libido corruperat. Earum quidem corpus purum: anima plurimo adulterio, malarumque repleta cogitationum erat in ſe repentium, pecuniæ cupidine, & impietate, & ira, & inuidia, & deriſu, & obliuione, & ſuperbia, omnibus pariter venerabilem virginitatis ſtatum demolientibus. Quare & Paulus dixit: *Vt ſit ſancta corpore & ſpiritu*, & iterum: *Virginem caſtam exhibere Chriſto.* Quemadmodum enim ſub adulteris corpus corrumpitur: ſic anima ſub ſatanæ cogitationibus inquinatur exemplis peruerſis, à cogitationibus corruptis. Qui enim dicit, virgo ſum corpore, anima verò inuidet fratri: hic nequaquam virgo: virginitatem enim vitiauit ſuam. Iterum inanis gloriæ homo, non iam virgo anima: nam hæc irrepens paſſio eius virginitatem ſoluit. Qui verò odit fratrem ſuum, hic homicida potius cenſeatur quàm virgo. Atque vt vniuerſa ſub vna definitione complectar: Quiſque in eum peruerſus quo tenetur morem, propriam virginitatem corruperit: propterea Paulus vniuerſos hos morbos prauos excluſit, exilioque dignos duxit, atque mandat ita nos eſſe virgines, vt animæ nullam ſponte ſuſcipiamus aduerſariam cogitationem. Quid ergo aduerſum hæc dicemus? quomodo miſericordiã conſequemur? quomodo ſaluabimur? quoniam quidem prorſus nihil tale cuſtodimus: quomodo ergo ſaluabimur? Ego dico, rationem corde ſemper verſemus, atque huius fructus, manſuetudinem dico, & humilitatem. *Diſcite enim à me, quoniam mitis ſum, & humilis corde, & inuenieti-*

Margin notes: Pſal. 77. — Deut. 6. — Ibid. 32. — In tribulatione Dei memores ſumus, in proſperitate minime. — Lucæ 13. — Pſal. 7. — Rom. 2. — 2. Cor. 11. — 1. Cor. 7. — 2. Cor. 11. — Matt. 11.

Section letters: A, B, C, D.

Digitized by Google

Pſal. 50. *veniſtis requiem animabus veſtris*. Et iterum David; *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non deſpiciet*. Nihil enim Deo tam gratum, tam amabile eſt, quàm mitis anima, manſueta, gratiaſque habens. Aduerte igitur & tu, ſi quid nimis moleſtum incidens videris, impedimentóque tibi paratum, nequaquam ad homines confugeris, aut ad humanum proſpexeris auxilium: ſed vniuerſos tranſiens, ad animarum medicamentum illud euola. Cor enim curare ſolus poteſt, *qui finxit ſigillatim corda noſtra, & intelligit ſemper omnia opera noſtra*. Ipſe ergo noſtram ſubire conſcientiam, mentem tangere poteſt, animam flectere. Si verò ille minus inclinauerit corda noſtra, ſuperfluum erit atque inutile quicquid ab hominibus exigetur. Quemadmodum etiam Deo exhortante & conſolante nos, quamuis mille hominum moleſtauerint, haud in re ſanè vel in minima offendere potuerint. Nam cum ille in ſolido corpoſuerit, nemo id vel moueri coëgerit. Hæc igitur ſcientes, ad Deum ſemper confugiamus, & volentem, & potentem noſtras moleſtias ſoluere. Atqui homines ſi quando exorare oportet, & ianitoribus prius occurrere conuenit, paraſitiſque, hiſtrionibuſque ſuadere, & longam ſæpenumero viam abire. In Deo nihil eſt tale. Sine mediatore exorabilis eſt, ſine pecunia, ſine impenſa precibus annuit. Satis eſt enim ſolo corde clamare, lacrymas fundere, atque illico eum ad miſericordiam contraxeris. Et item homines deprecantes, ſæpenumero formidamus ne quis inimicorum perceperit, aut rem ex aduerſariis quiſpiam intellexerit: alioqui prodit dicenda, iuſtumque corrumpit. In Deo autem nihil eſt tale ſuſpicari. Cùm enim me volueris precari, ſolus accede aſtante nemine: corde videlicet clama, neque labia mouens, oſtium tuum claude. *Intra*, inquit, *cubiculum tuum, & oſtium tuum claude, & ora patrem tuum in occulto*. Vide honoris excellentiam: cùm autem te honoro, orbem volo beneficij teſtem. credamus ergo, atque haud ad oſtentum oremus. Neque contra inimicos, ſed Deum noſtris pro tædiis oremus, neque illum noſtri auxilij modum doceamus. Si enim aduocatis & oratoribus hominibus forenſibus in iudiciis ſolū res ipſas noſtras explicamus; ſuffragiorum verò locos illis relinquimus, qui pro libito noſtras ipſi partes diſponant: multò magis in Deo id faciendum fuerit. Dixiſti ſibi cauſam tuam, dixiſti quæ paſſus es: ceſſa iam dicere, quo tibi pacto auxilium conferre deceat. Sunt verò nonnulli, qui mille verſibus orationis extendunt ſeriem, dicentes: Da mihi domine corporis ſanitatem, aut auge mihi duplo ſubſtantiam, vltionem de meis inimicis ſume, quæ leuitate ac petulantia plena ſunt omnia. Ea igitur omittentes vniuerſa, orare decet cum Publicano, qui dicit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, & ipſe deinceps nouit quo tibi pacto ſuccurrat. *Quærite* enim, inquit, *primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*. Sic igitur dilecti, labore, & humilium rerum conſenſu philoſophemur, quemadmodum ille, noſtra percutientes pectora: vti eorum quæ petimus, compotes ſimus. Si verò furore & ira perciti oramus, aut in noſtra re, aut eorum qui nos malis inceſſiuere, nequaquam aſſequimur. Nam ſi iudicem volueris ad tuæ animæ partes attrahere, tuique auxilij efficere partem, nunquam eum contra offendentem compellaueris. Etenim talis eſt iudicis mos, illis maximè annuit, atque his poſtulata concedit, qui contra inimicos inuecti nequaquam perdurant ſuper illis elati. Quia pertinacia quanta incumbunt, tantò eum magis irritant, niſi pœnitentia conuertantur. Vide ergo, à quoquam iniuria laceſſiti, ne protinus turbemur atque offendamur, ſed gratias agamus philoſophantes, atque à Deo poſtulantes auxilium. Num enim poterat Deus & ipſam ante petitionem tribuere nobis bona? num vitam elargiri omni dolore vacuam, atque omni à moleſtia ſegregatam? ſed vtraque de ſummo nobis amore faciens, permittit nos tribulari, neque illico in liberationem accedit. Quare? quò ſibi aſſiſtamus, ſemper ad eum refugiamus, eum ad noſtrum continuò patrocinium imploremus. Propterea & corporis dolores, propterea fructuum ſterilitates, fames: propterea & morbi, quò his in flagellis ſemper ab eo pendeamus, atque temporalibus ex tribulationibus hæreditemus vitam æternam: ita vt in his debitores ſimus Deo multis viis ſananti, & ſaluanti animas noſtras. Homines quidem ſi vel parum ſeſe nobis beneficos fecerint, atque hos poſtea vel inuiti paululum moleſtauerimus, illico improperant, beneficium proferentes, vt plures etiam execrentur, quaſi maximis operibus profuerint. Deus verò non ſic, ſed ipſa poſt beneficia iniuriatus, neglectus etiam, æquè etiam reſpondet, æquiſque cauſis cum iniuriantibus contendit, ſic dicens: *Popule meus quid feci tibi? aut in quo moleſtus fui tibi?* nunquid, inquit, grauis fui tibi, aut oneroſus, & importabilis? Sed nihil horū habes dicere: nam ſi ita id fuiſſet, neque vel ſic te deſtituiſſe oportuit. Quis enim eſt filius, quem pater non corrigit? ſed tamen neque id quidem dicere nobis locus. Et iterum magnum, vt verum fatear, & mirabile dictum. Quod enim dicit, tale eſt: Quid, inquit, peccaui? quod neque ſerui dominis dici concedunt. Neque quid peccaui dicit in vos, ſed in patres veſtros. Sed neque id, inquit, habetis dicere, quòd paternam in me defectionem hoſtilitatemque ſeruatis: neque progenitores veſtros incuſans, quandoque mea prouidentia dimiſi, in paruo aut magno deſpiciens eos. Neque ſimpliciter dixit; quoniam quid habuerunt patres veſtri: ſed, quid inuenerunt? quamuis multa quæſiuerunt, multa circumeuntes, meo ſub principatu effecti, nullum in me delictum inuenerunt. Igitur vel ex his omnibus ad Deum confugiamus, atque omni in moeſtitia eius quæramus ſolatium, eius omni in aduerſitate ſolationem, eius miſericordiam, omni in tentatione auxilium: quicquid mali fuerit, quæcunque calamitatis magnitudo, omnia ſoluere poteſt, & à nobis transferre. Non ſolùm id, ſed & omnem ſtabilitatem, & virtutem, & bonam gloriam, ſanitatemque inſuper corporis & animæ, philoſophiam, ſpes bonas, atque haud ocyus peccare ſua bonitas non permittit. Non ergo cum ſtultis ſeruis murmuremus, neque accuſemus dominum: ſed in omnibus gratias agamus, & vnum ſolum malum eſſe putemus, in eum peccare. Atque vbi ſic Deo præparati mentes ipſi noſtras diſpoſuerimus, non morbus, non paupertas, non deſpectus, non ſterilitas fructuum, non aliud quicquam eorum quæ inter mala computantur, nos præueniet: ſed pura voluntate caſtaque ſemper læti, etiam futura aſſequemur bona, gratia & amabili humanitate domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Marginal notes: Deus in neceſſitate quærātur, non homo. — Pſal. 32. — Matt. 6. — Lucæ 18. — Matt. 6. — Mich. 6.

HOMILIA V.

SEMPER quidem diuinus Apoſtolus diuina cœleſtiq; vtitur lingua, ac ſcientia multa euangelicum verbum orditur, non modò propria de ſententia loquens, ſed regalis dominationis doctrinam præferens: præcipuè verò ea vtitur ſcientia cum pertinacibus impœnitentibuſque pœnitentiæ ſermonem ingerit: de cuius ſententia docebo vos omnes. Id igitur ſingillatim tangam. Audiſtis quemadmodū Corinthios nuper alloquens dixit mirabilis ille diuinuſque vir: *Ne forte veniens, multos defleam eorum qui peccauerunt, & pœnitentiam non egerunt*. Homo quidem natura, erat hic magnus doctor, propoſito verò Dei miniſter: propterea veluti cœleſti vtitur lingua, & quaſi ipſis de cœlo 2. Cor. 12

loquens, ſic minatur peccantibus, pœnitentibus A verò propitiationem promittit. Cùm autem hæc dico, nequaquam Pauli linguæ diuinationem aſcribo, ſed ad Dei gratiam vniuerſa refero, De quo ait ipſe: *An experimentum eius quæritis qui in me loquitur Chriſtus?* Igitur peccantibus beneficij medicinam ſupponit, ſcilicet pœnitentiam ad ſalutem. Conuenit & hæc apoſtolica cum lectione euangelica: eſt ſaluatoris diuinatio qui peccatoribus vberius remiſſionem promittit: etenim paralyticum ſaluans, ſaluator inquit: *Fili, dimittuntur tibi peccata tua,* veluti nuper audiuimus. Remiſſio verò peccatorum fons ſalutis, & pœnitentiæ munus. Pœnitentia medicamentum eſt peccatum extinguens, donum cœlitus datum, virtus admirabilis, gratia vim legum ſuperans. Quare non fornicatorem renuit, non ebrium auerſatur, non abominatur idololatram; non adulterum repellit, non maledicum inſectatur, non reprobat blaſphemum, non ſuperbum; ſed omnes ſuſcipit, communicat omnibus: virtutis B enim digeſtio pœnitentia eſt. Neceſſarium eſt autem fratres primùm Dei noſſe intentionẽ, neque ex noſtra ſapientia huic nos ingerimus contemplationi, ſed ipſis ex diuinis ſcripturis atteſtatam veritatem oſtendimus. Dei intentio, fratres, longanimem ſeſe peccantibus exhibet, patienter enim expectat, ſalutem ipſis è pœnitentia ſpondens, ac poſteris ſuis: ad virtutem commonet, ſcilicet beneficium reſeruans. Et quò rurſus ſermonẽ aſſumam, Deus patiẽter expectat, vti peccatorem pœniteat, & naſcentis ex eo nequaquã ſalutis occludat viam: quamuis idem culpa impœnitenti delinquat, parcitque ſæpenumero, quò radicis fructus cuſtodiatur. Sæpe & ipſam transfert radicẽ, veluti præuenientes diximus. Sed tametſi actus ad vltimũ malorum cadat, differt tamen Deus vtiliter expectans pœnitentis ſalutem, & quomodo, audi. Thare Abraham pater idolorum & cultor, & factor: ſed C hoc loco haud impietatis pœnam Thare irrogauit & meritò. Si enim præueniens Deus radicem amputaſſet, vnde tantus fidei fructus germinaſſet? Quid Eſau nequius? conſideratur ob alterius occaſionem clementiæ. Quid Eſau nequius inuerecundiuſque, malitia ille nónne fornicator, nónne profanus erat? nónne odibilis Deo, quemadmodum teſtatur ſcriptura, dicens: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui?* Si ergo fornicator, & parricida, & profanus, & odibilis, quare protinus meritam non ſuſcipit animaduerſionem? Quare pulchrum quidem, fratres, pulchrã cauſam libet edicere. Si exciſus fuiſſet, maximum forſitan iuſtitiæ fructum mundus amiſiſſet: & qualem audi. Eſau genuit Raguëlem, Raguël Zaram, Zara Iob. Cernis quãtus elanguiſſet patientiæ flos, ſi præueniens Deus à radice pœnas exegiſſet. Omnibus igitur in rebus & initia ſpeculatur, & exitus Deus. Ea nanque vtitur prouidentia & ſuper Ægyptios, qui vltra fidem blaſ- D phemi: patienter expectat, quouſque ibi monaſteria & eccleſiæ, atque in illis florerent, qui angelicam imitarentur vitam. Nam aſtruunt & qui de publicis legibus diſputant, atque Romanorum mandant leges, prægnantem ſi quando contigerit mortis peccato damnari, non priùs quàm peperit, necari: & probè quidem. Neque enim iuſtè legum latores iudicaſſent, cum peccatrice innoxium ſimul fœtũ tolli. Quòd ſi humanæ leges his parcunt, qui nequaquam peccarunt: nónne Deus decentius accommodatiúſque radicem cuſtodit, in fructibus pœnitentiæ beneficium reſeruans? Cape de cætero ſuper ipſis peccantibus è pœnitentia beneficium. Nam & in ipſis ipſa clementiæ redditur ratio ſi pœnitentiam iuſtitia præueniſſet, periiſſet mundus omnino atque defluxiſſet. Si velox ad pœnam fuiſſet Deus, Paulum eccleſia non poſſediſſet, ſi primo talem tanquam noxium necaſſet. Propterea diſtulit blaſphemantem, vt pœnitentem oſtenderet Dei longanimitas: lupum in paſtorem tranſtulit Dei longanimitas: Publicanum fecit Euangeliſtam Dei longanimitas omnium noſtrum miſerata omnes. Si videris olim ebrium, nunc ieiunare: ſi olim blaſphemum, nunc theologum: ſi eum qui quandoque turpibus cantilenis os inquinauerit ſuum, diuinis nunc hymnis animam purgare, mirare Dei longanimitatem; pœnitentiámque collauda, ac demutationem & conuerſionem illius ſuſpiciens, dic: *Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi.* Bonus igitur ad omnes Deus, in peccantes præcipuè ſuam oſtendit longanimitatem. Atque ſi cupis nouum quoddam peregrinúmque verbum, audi. Peregrinum quidem ex inſueto, ſed religione verum, ac fide verax: Grauis iuſtis vbique videtur Deus, peccatoribus cominus pius, atque ad clementiam velox: Peccantem & cadentem, releuat, & inquit ad eum: *Nunquid cadens non adiiciet vt reſurgat,* aut auerſus non reuertetur? Vt quid auerſa eſt auerſione impudica imprudens filia Iudæ? Et iterum: *Conuertamini ad me, & ego ad vos conuertar.* Alibi autem ſalutem ex pœnitentia affirmat multa ſua de clementia. *Viuo ego,* dicit Dominus, *nolo mortem peccatoris, ſed potius vt conuertatur, & viuat.* Ad iuſtum autem dicit: *Si fecerit homo omnem iuſtitiam omnémque veritatem; & auerſus peccauerit, non recordabor iuſtitiæ eius, ſed in peccato ſuo morietur.* O magnam in iuſto cautionem: ô magnam in peccatore liberalitatem: Sic variè fratres & differenter excogitat Deus; non ipſe quidem mutatus ſed vtiliter diuidens bonitatis ſuę diſpenſationem. Et quomodo, audi. Cadentem & peccatis obnoxium ſi terruerit, ignorantia obcæcari, ſpe quoque periclitari eum compelleret: iuſtum verò ſi laudat ſuæ vim virtutis debilitat; atque veluti iam beatum de induſtria ſtudióque pigritare præparabit. Propterea, fratres, peccatoris quidem miſeretur, & ei blanditur, iuſtum verò terret. *Terribilis eſt ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.* Et quinam fuerint hi? ſancti. *Deus* enim, inquit Dauid, *glorificatur in concilio ſanctorũ, magnus & terribilis eſt ſuper omnes qui in circuitu eius ſunt.* Si cadentem intuetur, clementiæ manum protendit: ſi ſtantem, timore iuſtitiæ iuſtique iudicij concutit: atque hunc timore quidem confirmat, illum verò per clementiam excitat. Vis & opportunam eius noſſe bonitatem, ſimulque benignam & accommodatam ſeueritatem? Attende diligenter, nec te contemplationis huius fugiat magnitudo. Peccatrix mulier illa, atque omni conuoluta delicto, tot peruerſorum operum & delictorum rea, de pœnitentia ſalutem ſitiens, ſubrepſit ſaluatoris conuiuio. Nam ſaluatore diſcumbente in domo Simonis phariſæi, ſubintroiuit mulier illa peccatrix, ſaluatoriſque pedes tetigit, lacrymis eius rigauit pedes, & capillis exterſit, atque hanc tot defoſſam peccatis eleuat ille clemens piuſque, dicens: *Dimittuntur peccata tua tibi.* Neque mihi nunc eſt curæ omnem diſcutere hiſtoriam, ſed id ſolum teſtimonium induxiſſe. Igitur exuberantiam reſpice, cuius gratia dico tibi, dimittuntur ei eius peccata multa, quæ dilexit multum. Tot præuaricatrix delictorum dimiſſionem retulit, & Maria Moſi ſoror paruo ex murmure lepra damnatur. Peccatoribus dicit, *ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, veluti niuem dealbabo.* Et tenebras in lucem transfert pœnitentiæ mutatione, tótque malorum aceruum bonitatis voce ſoluit. Ambulanti verò in iuſtitia dicit: *Quicumque dixerit fratri ſuo, ſtulte, reus eſt gehennæ ignis.* Vni verbo tantam impoſuit mulctam, ac omnibus peccatis obnoxiam tanta liberalitate donauit. Atque aliud conſidera, frater, quoniam quidem peccata quaſi debita deſcribuntur, peccatoribus quidem & ipſam principalem ſortem elargitur Deus & debita dimittit: à iuſtis verò etiam vſuras exigit. *Et acceſſit ad eum qui debebat decem millia talenta,* ita vt pœnitentia multa multiſque precibus iudicem mitigauerit, & dixerit: *Domine, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Non

im

Marci 2.

Deus longanimitate ſua vocat peccatores ad pœnitentiam.

Rom. 9.

Pſal. 76.

Pſal. 40.

Ioel 2.

Ezech. 18

Ibidem.

Pſal. 88.

Luc 7.

Eſai. 1.

Matth. 5.

Ibid. 18

immoratus ipſe clemens piuſque Deus vt redderet, ſed in confeſſione debiti ſolutionem fecit: & debitori quidem decem milium talentorum vniuerſa dimiſit, & ipſam etiam priorem ſortem: à iuſtis verò & vſuras repetere promittit.

Lucæ 19.

Quare, inquit, *non dediſti argentum meum ad menſas, & veniens cum vſura recepiſſem?* Hæc dico nō quaſi Deo odioſè ſeſe ad iuſtos habente: Deo enim nihil iuſto acceptius. Sed quod paulò ante diximus, ſolatur peccatorem, quò eleuet: iuſtum, quò ſtatuat, terret. Et quibuſdam quidem multa dimittit peccata, quaſi inimicis & inflatis, quibuſdam verò & nimis exactè de minimis etiam quærit, nihil his ad perfectionem deficere volens.

Peccator eſt pauper, & iuſtus verè diues.

Et quod in mundo eſt pauper, id circa Deum eſt peccator. Nihil peccante eſt pauperius, nihil ditius eſt iuſto. Propterea de his qui in pietate & vitæ abundantia verſantur, Paulus dicit:

1. Cor. 1.

Gratias ago Deo, quoniam in omnibus diuites facti eſtis in ipſo, in omni ſermone, & in omni doctrina. De impiis verò beatus Hieremias dicit:

Hiere. 5.

Fortaſſe pauperes ſunt, quapropter non potuerunt audire verbum domini. Vides quòd pauperes eos vocat, qui malitiæ impietatiſque vinculis premuntur? Quaſi pauperum igitur peccatorum miſeretur, & quaſi à diuitibus & iuſtis expetit: illis quidem ipſis præ inopia donans, his verò accuratius rationem diuitiarum pietatis exigens. Quòd verò ſemper iuſtos peccatores facit, id ſuper diuites operatur & pauperes. Et ſicut peccatorem per clementiam excitat, iuſtum verò terret auſteritate: ſic mundi in negotiis ſua diſpenſatione vtitur. Cum enim viderit in dignitate potentes & inſignes, reges, principes, omnes quotquot diuitiis nitent, hos terrore alloquitur, ac doctrinæ timorem humiliter miſcet.

Pſal. 2.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quoniam rex eſt regum, & Dominus dominantiū. Vbi doctrina principum, illic regibus timorem imponit: vbi tenuitas humilitatis, ibi medicinam ſuæ profert clementiæ. Deus enim magnus rex eſt regum, & Dominus dominātium. Idem ipſe ſui dignitate excellens, iuxta diuinam ſcripturam pater inuenitur orphanorum & viduarum iudex, regum rex, dominorum Dominus. Cernis quanta cum clementia vbertatem, cernis vtilem metum religionis & potentiæ? Vbi enim potentiam vidit ad ſolamen ſufficere, ibi metum ad vtilitatem impōnit: vbi verò ad orphanitatem paupertatemque vilitate viduitatis imbecillitateq; diſcretam vidit, ibi clementiam ad conſolationem induxit. Ego pater orphanorum. Duo facit, & clementiam oſtendit, & potentiam punit: ſeſe patrem fatetur orphanorum, quò calamitoſos ſoletur, potenteſque deterreat, ne orphanis viduiſque moleſti ſint: quoniam quidem mors hunc patre, hanc autem viro nudauit, quos nunc lex corrumpit, clementiæ decretum reuocauit: at eadem gratia huic quidem iudicem, orphano verò patrem dicit regem ſanctorum. Itaque, ô inique, inquit, ſi viduam læſeris, viduarum quoque prouiſorem ad iracundiam prouocabis: ſi orphanos opprimes, filios Dei oppreſſeris. Ego ſum pater orphanorum, & iudex viduarum. Quis ad impietatem tam adeò ferox, tam præceps fuerit, qui filios Dei opprimat, atque adeò à Deo defenſas viduas lædat? Cernis quam opportunè pietatis medicinam præparet, & hos quidem terret, horum autem miſeretur. Non idem ipſe diuiſus ſed ad hominum ſententias accommodatus. Nobis igitur metipſis, fratres, medicinam infundamus ſalutis pœnitentiam, magis verò à Deo pœnitentiam ſuſcipiamus nobis medente. Non enim nos hanc illi præſtamus, ſed hanc ille nobis propinat. Vides eius in lege ſeueritatem? vides in gratia clementiam? Cum verò ſeueritatem in lege exiſtentem dico, haud iudicio detraho, ſed euangelicæ gratiæ clementiam prædico: quoniam quidem lex, vlla ſine excuſatione peccantes plectebat: gratia verò multa cum longanimitate pœnam differt, quò emendationem inducat. Suſcipiamus igitur pœnitentiam in ſalutem, medelam ſordes purgantem. Pœnitentia veſtra eſt, fratres, non verbo prædicata, ſed opere conſummata. Pœnitentia eſt, quæ ipſo de corde velet maculam impietatis.

Eſa. 1.

Lauamini, inquit, mundi eſtote, auferte malum de cordibus veſtris è conſpectu oculorum meorum. Quid ſibi vult ea dictionis ſuperfluitas? Nam auferte malum animabus veſtris, nónne ſatis erat totum ſignificaſſe? quid igitur addidit, è conſpectu oculorū meorum? Quoniam ſecus atque aliter hominum oculi vident, & aliter Dei oculus videt: homo in faciem, Deus in cor. Neque per oſtētationem, inquit, pœnitentiam degenerem facias, ſed in conſpectu oculorū meorum occulta ſcrutantium, oſtenditur fructus pœnitentiæ. Decet autem & nos purgatos à peccatis, eadem ante oculos habere peccata: quanquam Deus multum de clementia ignoſcat peccatum, pro tuæ tamen animę ſtabilitate & ſalute habe ante oculos peccatum: etenim præcedentium memoria, futurorum continentia fiet. Et qui in prioribus morſus eſt, in ſecundis firmiorem oſtendit ſententiam: propterea Dauid,

Pſal. 50.

Peccatum meum, inquit, *contra me eſt ſemper*: quia ante oculos habens præcedentia, in futura minus deflues. Quòd verò hunc ipſe à nobis Deus expetit ſtatum, ipſum audi dicentem.

Eſa. 43.

Ego enim ſum qui deleo peccata tua, & non recordabor: tu autem recordare & peccata tua, & iudicemur dicit Dominus, dic peccata tua prius, vt iuſtificeris.

Peccati confeſſio.

Non expectat Deus tempus à pœnitentia: dixiſti peccatum tuum, iuſtificatus es: pœnituiſti, miſericordiam es conſecutus. Non tempus æſtimatur, ſed pœnitentis modus peccatum extinguit. Fuit qui multo exacto tempore ſalutem non impetrauerit, atque repentino momento ſi verè fuerit confeſſus, à peccato ſoluetur. Multum exhauſit temporis beatus Samuel pro Saule deprecans, nocteſque multas tranſegit inſomnes pro delinquētis ſalute. Deus autem tempus repudians, nō enim cum Prophetæ oratione peccatoris conuenit pœnitentia, dicit ad prophetam, Vſquequo tu ploras?

1. Reg. 16.

Vſquequo, oſtendit tempus ac perſeuerantiam deprecantis. Et repulit Deus tēpus deprecationis prophetę. Non enim cū iuſti interuentu regis pœnitētia ſtetit. Sancto verò Dauid per beatum Nathan prophetam de peccati errore correpto, & illico ad minas verā proferenti conuerſionē, dicentique, Peccaui domine,

2. Reg. 12.

verbum vnum vno in momento prolatum verè pureque vniuerſam contulit pœnitēti ſalutē: protinus enim conuerſionem ſententia conſecuta eſt. Dicit igitur ad eum Nathan: *Et dominus tranſtulit peccatum tuum.* Cernis Deum, frater, tardum ad pœnam, atque à duce quomodo multo poſt tempore correctionem intulit. Peccauit Dauid, cōcepitque vtero, geſtauitque mulier, & peccatum nulla correctio ſecuta eſt. Sed poſt infantis partum de peccato nati, mittitur peccati medicus. Quare autē protinus peccantem non correxit? quoniā vidit in ipſo peccati vigore obcæcatam peccantium animam, & obturatæ ſunt eorum aures in peccati profundo merſorū. Differt ergo furibundæ paſſioni auxiliū addens, tantumq; poſt temporis correptio procedit, & vno in tēporis momento pœnitētia & remiſſio. Et dominus dimiſit peccatum tuū. O minantis diſpenſationē. Cernis quòd ad ſalutē velox. Idem & in aliis fecit, tardans ad demolitionē, ad reparationem properans. Accedat exemplo quod in nobis euenit hominibus, quibus multo in tēpore ædificia extruuntur, multo in tempore ædificamus domū, & ipſius ſtructurę quidem multum temporis, parum verò deſtructionis.

Deus pronus ad miſericordiam, tardus ad iram.

E conuerſo autem fit in Deo: Cum ſtruit, velociter ſtruit: cū deſtruit, tardè deſtruit. Velox Deus ſtruens, tardè deſtruens. Nam quia domino hæc ſibi conueniunt, illud quidem potentiæ, bonitatis

illud:

illud: potentiæ excellentia velox, mulcta de bonitate tardus: Verborum enim augmentum rerum experientia. Sex in diebus Deus cœlum terramque fecit, magnitudines, lateraque montium, campeſtria, montes, flumina, paradiſum viſibilem, omnem cultum & virtutem; mare hoc magnum & ſpatioſum, inſulas, maritima loca, omnem hunc viſibilem mundum, & qui in eo eſt ornatum, ſex in diebus conſummauit: quæ in eo ſunt animalia rationalia & irrationalia, omnemque viſibilem cultum ſex in diebus fecit. Hic igitur tam velox in conſtruendo; cùm ceperit vnius demoliendæ vrbis conſilium; inuentus eſt bonitate tardus. Vult Hiericho demoliri, & dicit ad Iſraël: Circumite eam ſeptem diebus & octaua die cadet murus. Mundum vniuerſum ſex in diebus conſtruis, & vnam vrbem ſeptem in diebus conſtruis, & vnam vrbem ſeptem in diebus ſoluis? Quid enim tuæ potentiæ impedimento accedit? Quare non repente deſtruis? Nunquid de te Propheta non clamat, dicens: *Si aperueris cœlum, tremor montes occupabit, liqueſcent ſicut cera à facie ignis?* Nunquid non opera virtutis tuæ narrans dixit: *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris?* Montes transferre & in mare potes, atq; vrbem vnam non vis deſtruere repugnantem, ſed dies ſeptem tribuis excidio. Quare? num potentia imbecillior? Sed clementia diutius tolerat. Septem huic addo dies, velut triduum Niniue, ſi fortè pœnitentiæ ſuſciperet prædicationem, & ſaluaretur. Et quis eis pœnitentiæ prædicator? Hoſtes vrbem circunſepſerant, duces circumdederant muros, multus vndiq; timor, tumultus multus. Quam eis igitur pœnitentiæ viam aperueras? Neque enim Prophetam tranſmiſiſti, neque euangeliſtam deſignaſti. Num inter eos quiſpiam fuerat qui ſaniora ſuggereret? Ita, inquit, habebant intus pœnitentiæ doctorem, admirabilem illam Raab, quam per pœnitentiam ſaluaui. Eiuſdem erat maſſæ; ſed eadem quoniam non erat ex ſententia, peccato non communicauit. Atque reſpice nouæ clementiæ prædicatorem, qui in lege dicit, Non mœchaberis: verbum tranſmutans de clementia clamat per beatum Ieſum Naue, Raab meretrix viuat. Ieſus ille qui dicit, Raab meretrix viuat, imago erat Domini Ieſu dicentis: Meretrices & publicani præuenient vos in regnum Dei. Si viuere debet, quare meretrix? & ſi meretrix, quare viuat? Dico, inquit, priorem ſtatum, quo ſequentem diſcas mutationem. Et quid Raab fecit ad ſalutis argumentum? Quòd in pace exploratores ſuſcepit. Id & meritoria faciunt hoſpitia. At neque ex ipſa ſolùm dilectione ſalutem conſequitur, ſed fide præuia, atque in Deum diſpoſitione. Et quò diſcas fidei magnitudinem, ipſam audi ſcripturam narrantem præclara quidem illa ſibi attributa geſta: Erat in fornice velut in volutabro confuſa margarita, aurum in luto abiectum, pietatis flos ſpinis confoſſus, religioſa anima recluſa impietatis loco. Atque mentem in me diligentius flecte. Suſcepit exploratores: & quem prodidit Iſraël in deſerto, hunc prædicauit Raab in fornice. Quomodo autem Iſraël audiuit in deſerto? Cum mons replebatur nube & caligine, & tubis & corruſcationibus, aliiſque terribilibus, audiuit à Deo de medio ignis: *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus vnus eſt, non erunt tibi dij alieni.* Ego in cœlum deſurſum & in terra deorſum, & præter me non eſt Deus. Hæc audiens vitulum digeſſit, Deúmque reprobauit, & ignorauit Dominum, repudiauit benefactorem & dicit Aaron: *Fac nobis Deos.* Si dij, quare dicis fac? quomodo enim dij qui fiunt? Sic malitia obcæcans ſibi ipſi repugnat, & ſemetipſam extinguit. Vnus factus eſt vitulus, & clamat ingratus populus: *Hi dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Hi dij, vnum reſpiciens, reſpiciens vitulum, vnum factum vitulum. Quare igitur hi dij? vt oſtendat quòd non modò eum quem videt adorat, ſed & deorum pluralitatem annuntiat: ſententiam interpretatur, non quod videtur indicat. Quò verò ad nobis ſubiectum reuertamur opus, quæ audiuit Iſraël, fide tot ſignorum habita, tantáque lege inſtructus, & negauit, hoc Raab in fornice recluſa prædicat. Dicit ergo exploratoribus à Ioſue deſtinatis: *Noui quanta Deus veſter fecerit Ægyptiis.* Et Iudæus dicit, hi dij tui qui eduxerunt te de terra Ægypti, & meretrix non diis, ſed Deo ſalutem aſcribit. Nouimus quanta fecerit Deus veſter Aegyptiis in deſerto. Ita audiuimus, & elanguit cor noſtrum, & quòd in nobis non eſt fortitudo, nouimus. Cernis quomodo reſpicit legiſlatoris verbum per fidem? Et nouimus, quoniam Deus veſter in cœlo deſurſum, & in terra deorſum, & præter eum non eſt Deus. Raab eccleſiæ figura, fornicatione dæmonum olim inuolutæ, tunc verò Chriſti exploratores ſuſcipientis, non eos qui à Ieſu Naue, ſed Apoſtolos à Ieſu vero ſaluatore tráſmiſſos, Noui, inquit, quoniam Deus, veſter in cœlo deſurſum, & in terra deorſũ & præter eum nõ eſt Deus. Hæc accipiẽtes Iudæi, non cuſtodierunt; hæc audiuit eccleſia, & obſeruauit. Digna itaque Raab omni laude, eccleſiæ imago. Quare & generoſus Paulus eius fidei dignitatem diſcens, ex priori ſtatu haud reprobam cogitauit: magis verò acceptabilem, ſanctam ob ipſam conuerſionẽ omnibus eam connumerans ſanctis, qui dixit: *Fide Abel ſacrificium obtulit,* fide Abraham hoc & illud fecit, *fide Noe arcam compegit,* fide Moſes hæc & illa fecit & geſſit: atque multos deinde connumerans ſanctos, tandem adiecit, *fide Raab meretrix non periit cum incredulis, exploratores excipiens cum pace & remittens alia via.* Atque reſpice quomodo multa cum ſapientia bonam eius inferunt voluntatem. Cùm enim tranſmiſſi à rege ſunt qui exploratores quærerent, dicunt ei: Si ingreſſi ſunt ad te viri? Ipſa verò ad eos ita, inquit, ingreſſi: prius veritatem ædificat, atq; ita mendaciũ inducit. Nequaquã enim mẽdacium ex ſe creditur, niſi præueniẽs veritatẽ oſtenderit: propterea qui creduliter mentiuntur, prius vera fatentur atq; omnibus manifeſta, deinde mendacium inducunt ac dubium. Ingreſſi ad te, inquiunt, exploratores? dicit, ſic. Si enim à primo dixiſſet, non, ad ſcrutinium prouocaſſet abeuntes. Sed ingreſſi ſunt inquit, & egreſſi eadem via: perſequimini & comprehendite eos. O bonum mendacium, ô bonum dolum, diuina non tradentem, ſed pietatem cuſtodientem. Si igitur Raab illam, fratres, pœnitentia dignam effecit, atque per os ſanctorum prædicatur, Ieſu quidem Naue in deſerto clamante, Viuat Raab meretrix: Paulo verò dicente: *Fide Raab meretrix non periit cum infidelibus:* multò magis nos ſi pœnitentiam induxerimus, ſalutem conſequimur. Pœnitentiæ ergo tempus nunc: multus enim timor imminentium peccatorum. Præoccupet pœnitentia pœnam, *præoccupemus faciem eius in confeſſione.* Rogum peccatorum extinguimus, non iam aquis multis, ſed paruis cum lacrymis: multus enim peccati ignis, atque modica extinguit eum lacryma: nam lacryma, fratres, rogum extinguit peccatorum. Teſtaturque ſanctus Dauid, quantum lacrymarum virtus poſſet. *Lauabo,* inquit, *per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Nam & ſi lacrymarum vbertatem voluiſſet oſtendere, ſatis fuerat dixiſſe, lacrymis meis ſtratum meum rigabo: quare ergo præuenit lauabo? vt oſtendat lauacrum & purgatorium peccati lacrymas eſſe. Malorum omnium cauſam conſtat eſſe peccatum. Ex peccato triſtitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes quotquot nos premunt paſſiones. Quemadmodum igitur optimi medicorum non modò qui apparent morbos perſcrutantur, ſed apparentium cauſas inquirunt in hominibus: ita Dominus oſtendere volens malorum omnium cauſam eſſe peccatum, paralytico dicit idem animarum medicus, vbi prius illum, anima poſtea

cor-

Marginalia: Gen. 1. — Ioſue 6. — Pſal. 67. — Pſal. 45. — Deut 6. — Exod 32. — Ioſue 2. — Hebr. 11. — Pſal. 94. — Pſal. 6. — Triſtitia de peccato bona.

Digitized by Google

Ioan. 5. corpore paralyticum viderat: *Vide, ſanus factus es, noli amplius peccare, ne tibi deterius fiat.* Igitur & præce-
dentis infirmitatis cauſa peccatum, id damni cau-
ſa, id triſtitiæ, id calamitatis vniuerſæ materia. Ve-
rùm id admiror, fratres, triſtitiam homini tri-
buens Deus per peccatum, ſententia ſententiam
ſoluit. Attende diligenter, mulieri minatus Deus,
& de præuaricatione pœnam inducens, dicit ad
Gen. 3. eam: *In triſtitia paries filios tuos*, & oſtendit triſtitiam
peccati fructum. Sed ô magnum donum, quod in
pœnam dedit, in ſalutem vertit: peccatum triſti-
tiam peperit, triſtitia peccatum contriuit: & quem-
admodum vermis in ligno natus idipſum commi-
nuit, ſic triſtitia de peccato nata, peccatum com-
minuit per pœnitentiam inducta. Quapropter
2. Cor. 6. Paulus dicit: *Quæ ſecundum Deum triſtitia, pœnitentiam in ſalutem incommutabilem operatur.* Bona eſt triſtitia ve-
rè pœnitentibus. Conuenit enim peccantibus pro
Matt. 5. peccato luctus: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Luge peccatum, ne pœnam defleas: reſponde
iudici priuſquam in prætorium veniat. An ignoras
eos qui iudicem mitigare volunt, non ipſo in exa-
mine cauſæ, ſed priuſquam iudicij ingrediantur
locum, beneuolum ſibi faciunt, vel amico media-
tore, vel præſule, aut modo alio ſibi iudicem con-
ciliant? Igitur & Deo non ſeſſionis tempore ſua-
dendum erit iudici, ante verò iudicij tempus miti-
Pſal. 94. gabilis eſt iudex. Quare dicit Dauid: *Præoccupemus faciem eius.* Illic magnum iudicem ars rhetoris nul-
la decipiet, & nullius potentia mitigatur, dignitati
non condeſcendit, non veneratur perſonam, ſed
Eleemoſyna cœlum emitur. tremendum & implicabile iuſti iudicium. Hic ve-
rò iudicem exorabimus, & placabimus, non pecu-
nia: magis autem (ſi verum dicere oportet) cle-
mens ipſe piuſque pecunia ſuadetur: non ipſe ma-
nu, ſed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam,
& iudicem mitigaueris. Hæc autem dico fratres, al-
liciens vos, quoniam quidem pœnitẽtia ſine elee-
moſyna mortua eſt: & ſine plumis nequit volare
pœnitentia, pennas eleemoſynæ non habens.
Quapropter Cornelio bene pœnitenti religionis
& pietatis penna eleemoſyna fuit. *Eleemoſynæ* enim
Act. 10. *tuæ*, inquit, *& orationes tuæ in cœlum aſcenderunt.* Ita niſi
habuiſſet pennam, eleemoſynam ſcilicet, pœni-
tentia nequaquam ceſſiſſet in cœlum. Producitur
hodie bona negotiatio eleemoſyna. Videmus
enim captiuos & pauperes, videmus in foro quoſ-
dam circumferri clamitantes, videmus lacryman-
tes, videmuſque ſeſe humili nobis quodam fle-
ctentes applauſu. Nundinæ nobis profectò mira-
biles ſunt, harum nulla eſt alia profeſſio, & nego-
tiatori nulla alia intentio, quàm paruo quidem
emere, magno vendere: nam ea cuiuſque nego-
tiantis induſtria. Num negotiationis alia ratio eſt,
quàm quòd minori empta, maiori pretio vendat,
atque duplicatam ſibi ſummam inueniat? Tales
igitur nobis Deus nundinas propoſuit: modico iu-
ſtitias eme, quò multo vendas in ſæculo futuro. Hic
modico iuſtitia emitur, niſi pro panis fragmento,
vili pro veſtimento, pro calice aquæ frigidæ. *Amen*
Marc. 6. *dico vobis* (inquit ſpiritualis mercaturæ doctor) *non perdet mercedem ſuam.* Calix frigidæ aquæ dignus eſt
mercede: data veſtimenta, datæ pecuniæ per bene-
ficium, putas non ſortientur mercedem magis, &
multò maiorem? Quare ergo calicem aquæ frigi-
dæ in medio duxit? ſine impenſa eleemoſynam di-
xit: nam ſi frigida aqua, neque ligna conſumis: vbi
verò ſine impenſa datum tanto beneficio repen-
ditur, vbi veſtimentorum ſumptuoſitas, pecunia-
rum affluentia, aliorumque bonorum collatio, à iu-
ſto iudice quanta mercede remunerabitur? Quan-
diu itaque virtutes aſſunt, quæ paruo venundan-
tur, ab eo qui magna donat accipiamus, rapiamus.
Eſai. 55. *Sitientes* enim, inquit, *venite ad aquas. Et qui non habetis argentum, venite & emite.* Quandiu nundinæ ipſæ per-
durant, demus eleemoſynam, ſalutem emamus.

Chriſtum veſtis, qui pauperem veſtis. Hæc, inquit,
ille optimè & noui, & accuratè, & bene eadem
prius didici, non tu prior docuiſti, neque abs te pri-
mum audiuimus, nequaquam noua prædicas, ſed
eadẽ ſæpenumero ex his qui aſſunt, nobis ingeſſe-
runt. Noui & ipſe noui, hæc atque huiuſmodi ſæpe
didiciſti. Sunt ſæpe diſcentes, vel boni operum
operantes. Qui miſeratur pauperis, fœneratur
Deo: demus eleemoſynam, quò ab eo nobis cle-
mentia rependatur. Sed ô verbum ſapientiſſimum
ſummum. *Qui miſeratur pauperis, fœneratur Deo.* Quare Prou. 19.
non dixit: Qui miſeratur pauperis, dat Deo, ſed fœ-
neratur? Scriptura noſtram auaritiam intuetur. At-
tendit diligenter ad auaritiam. Nouit inſatiabilem
cupiditatem noſtram reſpicere, & additamentum
quærere. Quare ſimpliciter non dixit: Qui miſera-
tur pauperis dat Deo? quò non ſimplex datum,
mercedemque ſimplicem putes: ſed, *qui miſeratur pauperis, fœneratur Deo.* Si Deo fœneramur, is ergo no-
bis debitor erit. Quem ergo eum tibi eſſe velis, de-
bitorem, vel iudicem? Debitor veneratur fœne-
rantem, iudex nequaquam mitigatur ab eo cui ipſe
fœneratus eſt. Neceſſarium verò, fratres, & iuxta
alteram explicare ſententiam. Quare dixit Deus,
mihi fœneratur qui dat pauperi? Quoniam qui-
dem, veluti iam diximus, noſtram videt auaritiam
ad incrementum tendere, & habentem pecuniam
in ſtabili & ſolido, non fœneraturum, nec velle fœ-
nerari. Poſtulat enim fœnerans hypothecam, vel
pignus, vel æquipollens, atque per tria hæc eius
pecuniam tradit, vel vades accipiens, vel hypothe-
cam, vel pignus. Quoniam quidem videt Deus præ-
ter hæc fœnerantem neminem, & clementia ſola
neminem moueri, ſed lucro intentos ſolùm habe-
re animos, & pauperem horum omnium priuatum,
non hypothecam habentem, nihil enim poſſidet:
non pignus ferentem, nudus eſt enim: non æqui-
pollens exhibentem, nihil enim ſibi præ inopia
creditur: vt videt eum periclitantem inopia, atque
vnà pecuniam habentes per ſæuitiam peſſum abi-
re, medium ſeſe ingeſſit vadem, quippe pauperis
pignus. Fœneranti dicit Deus: Non credis huic
per inopiam, mihi per diuitias crede. Vidit paupe-
rem, neque ſpreuit, ſed ſemetipſum dedit pi-
gnus nihil habenti, atque inopi aſtitit ſua multa de
bonitate. Veram hanc conſtat eſſe clementiam,
probante ſancto Dauid, & dicente: *Aſtitit à dextris* Pſal. 108.
pauperis. Qui miſeratur pauperis, fœneratur Deo:
confide mihi fœnerans. Magis autem nequiſſimum
eſt à Deo rationem exigere. Verùm tuæ vt conde-
ſcendam nequitiæ, atque clementia tuam ſuperem
ſæuitiam, de his quæramus. Fœnerans cæteris,
quidnam conſecutus fueris lucri? quid ab aliis in
additamento requiris? tibi tradam. Num centum
iure ſi quæſiueris, ſi verò inſatiabiles actus, dupli-
cem, triplicémve eam tibi feceris iniquitatem: ego
tuam ſupero auaritiam, ſuperexcedo immenſam
illam cupiditatem, atque mea vbertate immode-
rantiam tuam. Centum quæris, ego centuplum tri-
buo: hanc itaque in fœnus à me accipis, quam in
pauperem facis eleemoſynam, quòd ea mihi quan-
doque deſpecta poſtulo, vel ſic communicationem
poſtulo. Cupio roborari, deſigna quoque mihi re-
tributionis tempus, decerne mihi receptionis ter-
minum. Magis quidem ſuperfluum eſt à Deo hanc
rationem exigere. Fidelis Dominus in omnibus
verbis eius. Quòd verò mos & intentio eſt cui vel
gratè fœneratum eſt, metiri diem: audi quando &
vbi tibi debitum reddet, cui per pauperes fœnera-
ris. *Cùm ſedebit*, inquit, *filius hominis in ſede maieſtatis* Matt. 25.
ſuæ, & ſtatuet oues quidem à dextris, hædos vero à ſiniſtris,
tunc dicet his qui à dextris: (Hic diligenter attendite,
quoniam debitor fœneratori fit gratus: quoniam
qui fœnus recipit, multa cum gratia retulit.) *Venite* Ibidem.
benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: quare? *quia eſuriui, & dediſtis mihi*

manducare : ſitiui, & dediſtis mihi bibere: in carcere eram, A *& veniſtis ad me : infirmus eram, & viſitaſtis me : hoſpes eram, & collegiſtis me.* Hinc qui in tempore bene diſpenſarunt, propriam infirmitatem reſpicientes, atque in eius dignitatem, qui fœnus recepit, dicunt : Ibidem. *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pauimus te? ſitientem, & dedimus tibi potum?* Pſal. 144. *In quem oculi omnium ſperant, & tu das eſcam eis eorum in vbertate.* O bonitatem multam! occultat dignitatem per clementiam. Dediſtis mihi potum. O multam comitatem! Pſal. 135. ô benignitatem immenſam! *Qui dat eſcam omni carni, qui aperit manum, & implet omne animal benedictione.* Matt. 25. *Eſuriui*, inquit, *& dediſtis mihi manducare* : non dignitate minorata, ſed Dei clementia pro paupere fideiubente. *Sitiui, & dediſtis mihi bibere.* Quis hæc dicit? qui lacubus, & fluminibus, & potibus aquarum naturam præbet. Qui per euangelium dicit: Ioan. 7. *Quoniam qui me credit in me, ſicut ſcriptura dicit, flumina de ventre ſuo fluent aqua viuæ.* Ibidem. Qui dicit: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Matt. 25. *Si nudus*, inquit, *eram, & cooperuiſtis me.* Cooperimus cooperientem cœlum nubibus, qui vniuerſam induit eccleſiam, vniuerſum orbem. Galat. 3. *Quotquot enim in Chriſto baptizati ſumus, Chriſtum induimus.* In carcere eram. Tu in carcere, qui educis vinctos? Interpretare quæ loqueris. Nam ipſa dignitas fidem derogat dictis. Quando te in tanta neceſſitate vidimus? quando eadem fecimus? Reſpondet Dominus: *Quod enim feciſtis vni ex minimis, mihi feciſtis.* Num verus ſermo? Prou. 19. *Qui miſeretur pauperis, fœneratur Deo.* Atque mirabile hoc vide. Nullum aliud quàm in virtutis opus in medium duxit. Poterat enim dicere: Venite ad me benedicti, quòd caſti, quòd virgines vixiſtis, quòd angelicam ſuſcepiſtis conuerſationem. Sed tacet hæc, non quòd memoria ſint indigna, ſed quòd à clementia ſint ſecunda. Sed quemadmodum his qui à dextris, multa de clementia elargitum oſtendit regnum: pari modo eis qui à ſiniſtris, de peccato comminatus eſt pœnam! Matt. 25. *Ite à me maledicti* in tenebras exteriores, paratas diabolo & angelis eius. Quare? propter quod malum? quia *eſuriui, & non dediſtis mihi manducare* : non dixit, quia fornicati eſtis, quia furtum, quia falſum feciſtis teſtimonium, quia peieraſtis. Mala quidem hæc manifeſtè, ſed à duritate negantis eleemoſynam ſunt ſecunda. Quare autem Domine viarum aliarum non recordaris? Non iudico, inquit, peccatum, ſed inclementiam: non peccantes, ſed immiſericordes iudico : inclementiæ vos damno, quòd talem ac tantam ſalutis medicinam, eleemoſynam ſcilicet, qua emolliri atque intergi omnia peccata potuerunt, tantum beneficium deſpexiſtis. Itaque inclementiam vitupero, quaſi malitiæ radicem, atque comminor illis quidem æternum ignem, his verò æternum polliceor regnum. Vtiles tuæ Domine promiſſiones, vtile & expectatum regnum tuum, vtilis iterum comminata gehenna. Et id quidem bene alliciens, bene enim allicit regnum, terret verò vtiliter gehenna. Minatur enim gehennam Deus, non quò gehennam inducat, ſed quò à gehenna liberet. Alioqui ſi torquere vellet, non iam antè minatus eſſet. Quò firmi ac ſtabiles euitemus minas, pœnam minatur: & terret verbo, quò minus opere torqueat. Fœneremur igitur Deo per clementiam, fœneremur quò debitorem inueniamus eum, quemadmodum paulò antè diximus, non iudicem. Veneratur enim debitor fœnerantem. Veneratur eum, & erubeſcit. Si adierit fœnerator ad debitoris ianuam, ſiquidem inops fuerit, fugiet: ſi verò diues, læto eum animo excipiet. Alterum iuſti iudicis mirum intuere, humanis ex rebus proueniens. Si cui in paupertate manenti fœneratus fuerit, atque exinde ad diuitiarum ſplendorem venerit qui accepit, potens factus tibi debitum reddere, latebit multos ac reddet, ne pudore confundatur de priori ſtatu: & gratias quidem agit beneficium verò celat, priorem erubeſcens paupertatem. Deus autem non ita, ſed occultè mutuum accipiens, palam debitum reddit: tunc verò cùm accipit, clam per eleemoſynam accipit, cùm verò reddit, in oculis vniuerſæ creaturæ reddit. Ioſue 2. Sed fortaſſe quis diceret: quare autem omnino quemadmodum mihi diuiti dedi, non æquè pauperi dedit? Poterat quidem ſicut tibi, & pauperi dare, ſed noluit, ne tuas diuitias infructuoſas faceret, neque illius ſine merito faceret paupertatem. Tibi diuiti dedit ditefcere, per eleemoſynam & iuſtitiam diſtribuere. *Diſperſit enim, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Pſal. 111. Cernis diuitem eleemoſyna æternam theſaurizare iuſtitiam? Quid ergo ad pauperem qui diuitias non habet? quomodo iuſtitiam operatur? ſed habet paupertatem, de qua patientia lucratur æternam. Nam *patientia pauperum non peribit in finem.* Ibid. 9. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo Patri gloria, & Spiritui ſancto, in ſæcula B ſæculorum. Amen.

HOMILIA VI.

ECCE nobis hodie ſanctus imminet Dauid, perfectus eſt muſicus pudicitiæ doctor. Cùm enim ſpiritualem eius per pſalmos lyram mouet, auditum quidem mulcet, mentem verò pudicitia exornat: propterea decreuit gratia Spiritus hunc ſolùm fermè omnis Chriſtiana anima modulari, quo audito lætemur pro ſinu animæ. Mihi verò ſæpenumero admirari contingit, & mecum mente confundor, cogitans & dicens: Cuius rei gratia præ cæteris veteris inſtrumenti nouique ſcripturis, librum Dauid ſic adamarunt omnes Chriſtiani, atque hunc ſolum ore voluerunt verſari? Moſes magnus fuit legiſlator, facie ad faciem contemplans ipſum vidit Deum, qui deſurſum omnem nobis à primo C creaturam, atque ipſum creatorem innotuit, dicens: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Gen. 1. Liberque hic maximus eſt, omni refertus pudicitia, vixque ſemel eum annis ſingulis per eccleſias legimus. Sed quid ais, quod veteris eſt inſtrumenti? Quid ad lectionem ſanctorum euangeliorum? vbi miracula præſentia Chriſti prædicantur, vbi Deus cum hominibus conuerſatur, vbi mors deſtruitur, vbi dæmones præcepto fugantur, leproſi verò mundantur: vbi cæci naturæ defectum luto curauit, & quinque hominum millia per deſertum de panibus quinque nutriuntur: vbi latro in paradiſo conſtituitur, & meretrix aſtris purior inuenitur: vbi Iordanis fluenta ad ſanctificationem noſtrarum animarum conſecrantur, & vnigenitus filius à patre de cœlo prædicatur: vbi vitam noſtram Chriſtus renouat, & renouans ad ſalutem genus humanum reuocat, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Matt. 5. D *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*: atque has leges ſemel aut bis legimus in hebdomada. Sed dices, diademata regalia non decere quotidie in publicum proferre. Et quid ad beatum Paulum Chriſtum rhetorem, mundi piſcatorem, qui quatuordecim per epiſtolas veluti ſpiritualia retia ad ſalutem captat? Qui tertium vſque ad cælum raptus, & iterum in paradiſum tranſlatus: 2. Cor. 12. cui myſteria regni Dei ſunt credita, quæ non licet homini loqui. Atque hunc bis per hebdomadam legimus, eius non ferimus epiſtolam in ore, ſed lectioni duntaxat accommodantes intellectum, pro tempore ipſo hac ſola procedimus. Quid ergo ad ſanctum habeo dicere Dauid, quomodo Spiritus gratia diſpenſauit, omnes eum dies noctesque omnes prædicare? Pſalterij laus. Omnes enim hunc odoriferi vnguenti loco circumferimus ore. In eccleſiis pernoctantibus, & primus, & medius, & nouiſſimus eſt Dauid. Diluculo quæruntur hymnorum modulationes, & primus, & medius, & no-

uiſſimus

Pſalmi decantati pro defunctis. uiſſimus eſt Dauid. Si pompæ in funeralibus de-
functorum,& primus, & medius, & nouiſſimus eſt.
Si tela in virginum domibus agitur , & primus , &
medius , & nouiſſimus eſt Dauid. O rem inau-
ditam ! Multi qui literarum experimenta minus
ſumpſere, neque ipſis edocti principiis , totum
Dauid in pectore conſeruant : neque in vrbi-
bus ſolùm atque eccleſiis ſic per omne tempus,
per omnem ætatem fulget , ſed in foro medio , at-
que ipſa in ſolitudine,& inhabitabili terra certatim
Deo ſacras ſtationes excitat. In monaſteriis ſan-
ctis,choris angelicarum acierum,& primus, & me-
dius , & nouiſſimus Dauid. In cœnobiis virginum
greges Mariam imitantium,& primus & medius, &
nouiſſimus eſt. In deſertis viri crucifixi collo-
quentes Deo,& primus , & medius , & nouiſſimus
Dauid. Et omnes quidem homines naturali noctis
ſomno altè premuntur , ſolúſque Dauid inſtat, at-
que ipſos Dei ſeruos in angelicas turmas congre-
gans, excitat tota mente : terrã in cœlum vertit,&
angelos homines facit. Noſtrã proinde vitã omni-
bus exornat muneribus,omnibus omnia factus, no-
ſtram omnino vitã angelicã reddit : pueris coado-
leſcens,iuuenes ad prudentiã conuocans: virgini-
bus pudicitiam largitus,ſenioribus firmitatem do-
nat , peccatores ad pœnitentiam prouocat dicens:
Pſal. 106. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Eos qui per pœni-
tentiam profecerunt,roborans,dicit : *Delicta iuuen-*
Ibid. 24. *tutis meæ , & ignorantias meas ne memineris Domine.* Eos
qui beneficia receperunt, ad gratiarum actiones
Ibid. 115. excitans, *Quid retribuam*,inquit, *Domino pro omnibus quæ*
Ibid. 129. *retribuit mihi* ? Eos qui multoties peccauerunt , ad
confeſſionem reuocat, & dicit : *Si iniquitates obſerua-*
Ibid. 50. *ueris Domine , Domine quis ſuſtinebit* ? Miſericordiam à
Deo cupientes edocens , *Miſerere mei Deus ſecundùm*
Ibidem. *magnam miſericordiam tuam.* Vocatos ad ſacerdotium
Ibid. 118 confirmans: *Ne proiicias*,inquit, *me à facie tua.* Ad iu-
dicium tractos docet & dicit: *Libera me à calumniis ho-*
Ibid. 58. *minum.* In timore ab inimicis conuerſos admonet,
dicens : *Eripe me de inimicis meis Deus.* Expectantes &
Ibid. 39. gratias agentes,maiores ad gratiarum actiones ex-
citans,& dicens: *Expectans expectaui Dominum, & inten-*
dit mihi,& exaudiuit orationem meam. O magnam citha-
ram , hominum totius orbis animas veluti neruos
quoſdam vnam in conſonantiam, vnum gloriæ
ſermonem concrepantem & congregantem. Et
quomodo talis tantúſque vir, hominum mores ex-
ornans , angelorum politiam in terra ſtatuens , &
angelorum celebritate coronatus in cœlo : quó-
nam modo duo in maxima peccata dilabi permit-
titur ? Nam peccatorum priora & maxima permiſ-
ſus & peſſundari. Propterea ſæpenumero mecum
ipſe reputans,hæcq; cogitans, mente excido haud
ſecus, quàm nauis in pelago magiſtro priuata hinc
inde fluctuans circumfertur: ita motus eſt ſæpenu-
mero animus meus , ipſe cogitans afflictus eſt , &
æſtuans, ac dicens : Quomodo vir tot bonis orna-
tus,rex, propheta ,Chriſti ſeruus, ſeruus per natu-
ram,pater per carnem. Liber enim Ieſu Chriſti fi-
lij Dauid : qui magnificatus virtutibus, diademate
inſignitus, circundatus purpura , & humilitate
Pſal. 130. munitus .dicens : *Domine non eſt exaltatum cor meum,*
neque elati ſunt oculi mei , neque ambulaui in magnis , neque
in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam , ſed ex-
altaui animam meam ſicut ablactatus. Qui terminos in-
Pſal. 7. nocentiæ cuſtodiuerat , dicens : *Domine Deus meus ſi*
feci iſtum , ſi eſt iniquitas in manibus meis , ſi reddidi retri-
buentibus mihi mala : qui non modò ſuperbiam retun-
debat , ſed & ſuperbos animaduerſione inſectaba-
Ibid. 100 tur, dicens : *Non habitabit in medio domus meæ faciens ſu-*
Ibid. 16. *perbiam, loquens iniquitatem non direxit in conſpectu oculo-*
rum meorum: qui confidenter Deo dicebat : *Tentaſti*
me , & non eſt inuenta in me iniquitas. Et quid dico at-
que ſuis vtor teſtimoniis ? Sæpè fidem derogat ei
qui de ſe teſtimonium perhibet. Alter benè ſuis
actis rebus teſtimonium afferat, alter eius coronas

A proferat, quò fidelius ſit teſtimonium. Et quódnam 1 Reg. 13
Deo fidelius,dicente: *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſe-*
cundum cor meum? Quid hoc teſtimonio firmius? Quid
hac voce fidelius? Et quomodo tot donatus benefi-
ciis , tot coronatus virtutibus , qui ſecundum cor
Dei teſtimonium accepit : quónam pacto peccatis
his maximis peſſundari permittitur? Non mœcha-
beris , non occides , & homicida , & mœchus Dei
Propheta. Hinc nobis hodie perlectus eſt locus.
Num prophetam carpo? abſit,ſed veſtram roboro
vitam. Quomodo? tametſi ſæpe bene officio ſéque
geſſeris,teipſum corrobores, ne cadas : ſic & apo-
ſtolus dicit. *Qui ſe putat ſtare,videat ne cadat.* Propterea 1. Cor. 10
& ipſe ſæpius orans dicebat : *Et vſque in ſeuectam &* Pſal 70.
ſenium Deus non derelinquas me. Cuius ergo rei gratia
tantus vir permiſſus eſt ruere ? Tribus de rebus.
Quibus ? Primum quò iuſtos propria de vita robo-
raret. Sum religioſus, eremita ſum , neque dicam
multum, virtute officióque profeci,multis inſigni-
B tus ſum meritis,ieiuno,vigilo, oro, illacrymor, in-
duor cilicio , corpus meum auſteritate contriui
non iam diaboli impetus formido,iam mihi quæ ad
coronam pertinent perfecta ſunt. Noli errare ho-
mo , ne mente in ſublime tollaris,haud plura fe-
ciſti quàm Dauid. Audi dicentem ipſum: *Genua mea* Pſal. 108.
infirmata ſunt à ieiunio , & caro mea infirmata eſt propter
oleum.& iterum : *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent, indue-* Ibid 34.
bar cilicio , & humiliabam in ieiunio animam meam. Audi
eum de vigilia dicentem: *Media nocte ſurgebam ad con-* Ibid. 118
fitendum tibi.& iterum: *Septies in die laudem dixi tibi.* Au-
di eum de lacrymis dicentem: *Laboraui in gemitu meo,* Pſal. 101.
lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum
meum rigabo. Audi eum de auſteritate vitæ : *Quoniam* Ibid. 6.
cinerem tanquam panem manducabam , & potum meum cum
fletu miſcebam. Et quid memoro quæ de propheta
ſunt? Audi iterum Chriſti teſtimoniũ dicens : *Inue-* 1 Reg. 13
ni Dauid filiũ Ieſſe virũ ſecundùm cor meũ. Et poſt tamẽ tot
C geſta, poſt tot celeberrima officia tales in errores
delatus cõcidit. Neq; ergo cõfidas,ſed quotidie ro-
boreris,quotidie apoſtoli diſciplina id accipiẽs: *Qui* 1. Cor. 1.
putat ſtare, videat ne cadat. Primam audiſtis cauſam. Se-
cundam accipite. Quò peccatores minus ſuis re-
bus deſperent,ſed ſi peccauerit quis,quotidie con-
fiteatur peccatum: tametſi millies peccauerit, per-
ſtet millies confiteri. Nihil enim deſperatione de-
terius. Si quis enim deſperauerit ob peccata , pec-
cans non iam ad ſanitatem recurrit. Aut non vides
medicos, ſi de ſalute ægrotantis diffidant, nón iam
curare ? dicunt enim quod mallent infirmitati da-
re,ſed non vlteriorem ſuſcipit morbus curam: ar-
tis enim induſtriam morbi malitia vincit: hæc di-
cunt qui de ægroti ſalute deſperant. Si verò ſani-
tas expectatur, omnia faciunt ægroto, ſalubres af-
ferunt medicinas. Pari modo ſi quis peccatis de-
ſperando ceſſerit, quaſi non ſuperſit pœnitenti ſa-
lus, ſeſe maius in malum ſtimulat. Et tu ergò ſi no-
D ueris peccanti ad ipſam peccati ſummam, cæde ſci-
licet, & adulterio medelam acceſſiſſe & ſanitatem,
tametſi millies peccaueris , confeſſione te excita.
Hæc autem dico non vos alliciens ad peccandum,
ſed peccatores ad confeſſionẽ prouocãs: quoniam
quidẽ Deus pius ac clemens vel maxima peccato-
rum delet. Quid enim maius cæde & adulterio? Et tu Pſal. 31.
ipſum audi prophetã pœnitentem: *Dixi,inquit, con-*
fitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domino,& tu remiſiſti im-
pietatem peccati mei. Propterea peccatorum maxima
Chriſtus peregrinatus in terra remiſit. Latronem in
paradiſum duxit, Publicanũ fecit euãgeliſtam, bla-
ſphemum Paulum orbis Apoſtolum: vt peccans tu
minus deſperes , ſed peccatum fatendo deleas, ſa-
lubremque ingrediaris viam. *Confitemini enim Do-* Pſal. 105.
mino, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Ecce ſecun-
dam cauſam. Tertiam accipe. Debuit ipſe ſaluator
noſter peregrinari ſecundùm ipſam in carne præ-
ſentiam , mixturámque noſtræ carnis ſuſcipere,
& cum hominibus conuerſari. Sed quoniam Deus

erat,

Digitized by Google

erat, & idem ſine peccato ſolus, permiſit iuſtos proprium penes arbitrium humanis erroribus incuruari, non ipſe iam ad peccatum impellens, ſed arbitrio permittens ſecundum proprium nutum ambulare. Sic itaque infidelitate ſanctus peccauit Abraham, propterea pœnam non effugit à Deo, vt ſeruiret eius ſemen annis quadringentis. Et iterum, Moſes non glorificans Deum cùm aquam de petra donauit, ingratus, atque ideò ad eum Deus: *Non videbis*, inquit, *terram promiſſionis, & non intrabis in eam.* Sic & hunc permiſit in peccatum cadere, quò ſolus ipſe in hominis corpore ſine peccato inueniatur. Quare & propheta Dauid, cùm de cætero ad peccati confeſſionem veniſſet, hoc dicit de eo: *Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci:* quare? *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Cùm, inquit, venerit dies illa, maſſa noſtræ mixturæ manifeſtè erit ſedens in dextera maieſtatis Dei. *Sede enim à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* In illa die apparebit & corpus, quod de natura noſtra ſuſcepit ſuperius corpus, & inferius corpus. *Videbunt*, inquit, *eum quem tranſfixerunt*: ſed hoc quidem grauatum, videlicet noſtrum: illud verò ſine peccato, & peccatorum exigens pœnas: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* Quomodo? Quoniam quidem *peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius.* Ipſi gloria & imperium, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Exod. 7. Pſal. 50. Ibid. 109. Apoc. 1. Eſa. 53.

HOMILIA VII.

Simile.

IAM ergo turbine ſæcularium rerum liberati, animam lectione diuinarum reficimus literarum. Sic faciunt & nautæ. Cùm enim procellam digreſſi fuerint, & multum deinceps pelagus decurrentes, in portum diſceſſerint quietum: dimittentes vela: deponentes remos, egredientes nauim, quiete ſeſe ſomno recreantes, robuſtiores conatus reliquam ad nauigationem præparant. Hos imitemur & ipſi, atque omni procella, tumultuq; & fluctibus liberati, quaſi tranquillum ad quendam portum, ſcripturarum ad lectionem impellamus animas. Etenim portus eſt à fluctibus liber, murus firmiſſimus, turris minimè nutans, gloria non diripienda, non vitianda, firma felicitas, minimè languens, continua voluptas, & quotquot quis dixerit bona, ſacra comperiet in ſcriptura. Eadem & mœrorem abiicit, lætitiámque conſeruat, pauperem ditiorem ipſis fœlicibus facit, diuitibuſque firmitatem adhibet, & peccatorem iuſtum reddit, & iuſtum ſtabilitate confirmat: malaque euellit, bona inſerit, fugat malitiam, bonitatem inducit, nec modò inducit, ſed radicibus etiam firmat, continuamque facit permanere, ſpiritualis exiſtens medicina: quoniam quidem diuina quædam & ineffabilis eſt paſſionum extinctio. Nam & ſpinas paſſionum exſtirpat, puramque tellurem reddit, ſeminaque dimittit pietatis, atque ad vigorem fructum agit. Nequaquam igitur tot pigritemus à bonis, neque deficiamus à conuentu: ſed huc frequentius conueniamus, quò ſemper curemur. Et ne quis liuore ſtimuletur diuitem videns, neque deprimatur inopia: ſed rerum perdiſcens naturam, tranſeat quidem vmbras ipſas, veritatem autem complectatur. Quo ad vſque enim quis ſeſe longius à virtute conſtituerit, magnæ videntur huius vitæ negotiationes: cùm verò in luce diuinarum ſcripturarum conſtiterit, tunc leuitatem & breuitatem, vtilitatémque ſimul mortalium harum rerum manifeſtè diſcet, quòd fluuialibus aquis non conſtantius defluunt, ſimul & cùm apparent decurrunt. Quare propheta philoſophans, occupatos in his, puſillanimes ac miſeros, humíque innixos vocat, qui ad diuitiarum phantaſiam anhelant, trementes hos corripiens, ab eo atque reuocans trepidationem, ſuadenſque diuitias, quaſi nihil eſſent, deſpici oportere. *Ne timeas*, inquit, *cùm diues factus fuerit homo, aut cùm multiplicata fuerit gloria domus eius.* Non enim dixit, gloria ſua: ſed, *gloria domus eius: quoniam cùm morietur, non accipiet omnia.* Vidiſti dictionis ſubtilitatem, & manifeſtam diuiſionem? Non enim dixit, cùm multiplicata fuerit gloria eius, ſed gloria domus eius: oſtendens ſanè alteram quidem eſſe hominis gloriam, alteram gloriam domus. Domus quidem gloria, porticus, deambulatoria, laquearia pulchra, pauimentum, gemmarum ornatus, prata, hortuli, ſeruorum multitudo, ſumptuoſa quæque ſupellex, quorum nihil ad hominem. Hominis verò gloria, fides recta, zelus in Deum, charitas, humilitas, manſuetudo, aſſidua oratio, eleemoſynæ, philoſophiæ ornatus, & cætera vniuerſa virtutis membra. Et illa quidem poſſidens, haud inde gloriam conſequitur, neque iure quis cognominabitur bonus, ſed contrà vniuerſæ malitiæ indicium. Nam & crudeles, & inhumani, ſordidíque, & philoſophiæ expertes excitantur in comœdiis, qui eiuſmodi ſunt atque ſuas in his opes oſtentant. Igitur non eadem hominis, vti prædiximus, & domus eſt gloria. Qui verò ſeſe caſtitate, ornatu, manſuetudine, humilitate accuratè deuouent, hos admiramur, prædicamus, laudamus: quoniam quidem ea potiſſimum eſt hominis gloria. Hæc igitur ſcientes, nihil imitandum eſſe putetis, nihilque ad eos pertinere, qui eiſdem conſepti ſunt. Nam opes, luxuriæ occaſio, malitiæ ſchola, turpis vitæ & defluentis cauſa, animæ corruptela, via ad diuerſa ferens mala, curſus nullum habens bonũ, his qui abutuntur ſe. Hinc fures, hinc murorum foſſores, domeſtici transfugæ, in ſemetipſis furti morbum nutrientes. Sed eas vbinam deponemus? In terra ſuffodiemus? Abſit, ſed meis ſi ipſe conſiliis acquieſcere volueris, modum tibi dixero, quo transfugas opes fidas tibi eas reddideris. Quónam modo transfugæ ipſæ tenebuntur? Diſtributæ maneat, cuſtoditæ fugiunt. Atque vel ab ipſis agricolis diſce. Nam illi quidem frumenta ſi domi concluſa teneant, vermium in eſca amittent: ſi verò diſperſerint in terras, non modò cuſtodiunt, ſed etiam augent: ſic & opes ſtantes quidem in arca, atq; ſub ſera & vecte defoſſæ, citò transfugiunt: ſi verò eas in ventres diſperſeris pauperum, non modò non fugiunt, ſed & maiores inde reſurgunt. Hæc igitur ſciens, in manibus fac eas millenis detineri, viduarum ſcilicet, orphanorum, infirmorum. Neque enim diffugere poterunt tot detentæ manibus: ſed cum firmitate & conſeruantur planè & creſcunt. Et quid pueris, inquis, relinquam meis? Ego verò non te totas cogo euacuare. Nam & tunc pueros feciſſes ditiores pro pecunia, cùm Deum ipſis propitium reliquiſſes: atque ex eleemoſyna lucrum fertilitatemque haberes. Non enim eiuſmodi pueros deſpiciet Deus: haud itaque exiſtimate ſubſtantiam his minorari eleemoſynæ amore & opera. Multiplicabit enim ipſis firmitatem, quæ ſecundùm Deum eſt bonæ voluntatis, ſi eas hoc in primis ipſis depoſitum facies: ſi autem inopiam timuiſti, & is ſuperuacuus eſt timor. Qui enim malos nutrit, multò magis & ægrotos, & captiuos, & inopes. Hæc igitur ſciens, ſuperflua quæque amputa, facq; pauperibus ſupplementum. Nam ſi calceamenta quis ſupra menſuram pedibus adegerit, itinere certè prolixiori impedimẽta ſentiet: & veſtimentum induens corporis ſtaturam excedens, pari modo implicabitur. Atque ſuperfluum vbiq; in eo quod ſatis eſt, ad opportunitatem inutile eſt. in pecunia multò fortius id euenit. Et qui ſupra quod eſt ſatis habent, non modò in ipſa ſufficientia, ſed & in neceſſariis quibuſdam impediuntur. Nam qui deforis in agone currunt, & ipſa exuunt veſtimenta: viam verò in cœlum ferentem, & eandem arctam & arduam tot cum impedimentis quomodo poteris ambulare? quoniam quidem & veloci & expedi-

Pſal. 48. Simile. Eleemoſyna non relinquatur propter liberos. A ſimili.

expedi-

Digitized by Google

A expedito cuiquam penè impoſſibile eſt deſideratum iter optimæ huius viæ, ſiue ſalutem conſequi. Sparge igitur ſuperflua in pauperes, & quod inuitus fortaſſe paulò poſt ipſis inimicis es ceſſurus, idipſum volens depone: tuaque fac, quæ tua nunc non ſunt. Neque enim vllum habebis reſponſum, vllam indulgentiam, cùm hinc abiens Chriſti tribunali aſtiteris, rationemque factorum pones. Fugiamus ergo, fratres, auaritiæ morbum, neque ipſis irrationabilibus ferociores ſimus. Illis communia omnia, & terra, & fontes, & paſcua, & montes, & valles, atque nihil alterum habet plus altero. Tu verò homo mitiſſimum animal, fera es violentior, atque infinitas pauperũ eſcas domi concludis. Et non modò natura nobis communis eſt, ſed & alia his multò plura, & aër, & mare, & ignis, & aqua, & fontes, & vita, B & mors, & adoleſcentia, & ſenectus, & morbus, & ſanitas, eſcæ & veſtium indigentia. Et ſpiritualia pari modo communia ſunt; ſacra menſa, dominicum corpus, regni promiſſio, lauacrum regenerationis, purgatio peccatorum, ſanctificatio, & redemptio, arcana bona, *quæ oculus non vidit; nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt*. (1.Cor.2.) Quomodo ergo non indignum eſt, qui tot tantiſque mutuò communicamus: de pecunia tamen eſſe diuerſos, atque idem non ſeruare cognomentum, ſed ipſorum animalium de ſe præbere feritatem, & id debentibus nobis his paulò poſt cedere, ſed & inſuper ſupremis de malis periclitari? Nam mors vſu quidem abducit: ad pœnas verò reliquum, atque ad æterna mittit tormenta. Igitur quò hæc minus fiant, multa vtamur eleemoſyna. Ipſa enim eſt regina virtutum, quæ illic cum fiducia aſſiſtit, à tormentiſque eripiet, & nemo repugnabit ei qui ſecum in ſæculum abierit. Nam & leuis eius eſt C penna, plurimaque fiduciæ ſibi ſublimitas ineſt, atque ad ipſum aſcendit regalem thronum, alumnos ſuos audacter agens, *Orationes enim tuæ, & eleemoſynæ* inquit, *aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. (Act.10.) Quò ergo & ipſi ad illam altitudinem tollamur, ab importuna auaritia liberati, atque deliciis, & honoris cupiditate ſuperflua, in virtutibus quæque vtilia faciemus; multas illic nobis theſaurizantes diuitias: atque dexteræ eius crede manui, qui decimam non exigit, qui & cuſtodire has poterit diligenter: atque hinc in iudicij die mitis propitiuſque inueniri, tametſi millies peccauerimus, ad indulgentiam peruenire nos, & reſponſo dignos efficere. Magnum eſt bonum, & Dei donum eleemoſyna, ipſi Deo potentia ſua coniungens. Id maximè & è ſapientibus quidam dixit: Magnus homo & honorabilis vir miſericors. Ea noſtra eſt gratia quæ mortuos excitat. Per hanc enim in homine Ieſu mortuos excitare poterimus, quantò D magis eſurientem nutrimus Ieſu? Sed hîc tu Chriſto beneficium tribuis, illic tu tibi: & meritum ipſum non quòd ſuſcipiat quis, ſed quòd faciat bonum, prouenit. (Eleemoſynæ laus) Hic quidem, in ſignis dico, debes ipſi Deo: in eleemoſyna verò Deum habes debitorem. Eſt eleemoſyna cùm de propoſito, cùm de liberalitate fit, cùm abundè, eùm non te tam dare cenſes, quàm accipere: cùm quaſi lucrantem te, non quaſi amittentem: quoniam quidem niſi ſic exiſtimaueris, non eſt gratia. Etenim de neceſſariis vſibus minus deſperare decet. Nam quomodo erroneum non eſt, alterius te ſoluere triſtitiam, & ſimul in hoc contriſtari? Non enim iam ipſam eleemoſynam eſſe finis, ſed neque illum ipſum Chriſtum enutriri. Nam ſi contriſtaris quòd alterum triſtitia liberaſti, ſummæ ſæuitiæ & ſeueritatis indicium geris. Quantò præſtabilius fuerat non liberare, quàm ſic liberare? Quid autem omnino triſtaris homo? Prorſus aurum tuum non minuitur: ſi hac duceris ſententia, ne tribue. Si enim minus fidis quòd tibi in cœlis accumuletur, ne dederis. Sed hîc quæris tibi rependi. Dimitte eleemoſynam eſſe eleemoſynam, & non negotiationem. Multi quidem & hic receperunt, ſed non ſic receperunt quaſi plura his qui non receperunt haberent: & hi quidem infirmi receperunt, quoniam quidem ad illa non valde feſtinant. (Simile.) Et quemadmodum nebulones ad regalem vocati menſam, atque idoneum non expectantes tempus, quaſi parui pueri ſuam offendunt comeſſationem, præuenientes, cibis ad crapulam repleti craſſioribus: ſic & hic quidam mercedem quærunt, & eorum quæ illic ſunt, minorantur bono. Atqui fœnerans ipſe multò plus priorem deſiderat habere ſortem, fortaſſe neque recipere deſiderat, quò per moram in maius creſcat fœnus: hic autem citò repetis hoc, cùm quidem hic nequaquam futurus ſis, ſed illic perpetuè manſurus, non hic iudicandus, ſed illic pœnas daturus. At ſiquidem tibi domum quis ædificauerit, quam non habitaturus fores, id iacturam fortaſſe duceres. (Peregrini ſumus.) Tu homo vis hic diteſcere, vnde & ante veſperam ſæpenumero profecturus es? Neſcis in aliena nos terra verſari, veluti peregrini & incolæ tranſmigratores? Neſcis incolas eiici, cùm non proficiunt, aut non ſperant, quod ipſi patimur? Propterea & quæcunque ædificauerimus, hîc dimittemus. Non enim permittit dominus eadem recipientes abire: tametſi domus ædificauerimus, tametſi agros emerimus, aut ſeruos, aut ſupellectilem, aut quid ſimile, non modò non permittit, qui hic bona cupiunt non abire, ſed neque tibi computat: prædixit enim tibi ne ædificares, aut in alienis impenderes, ſed in tuis. Quid ergo tua dimittens, in alienis & operaris, & impendis, quò laborem & mercedem amittas, atque inſuper vltima tormenta ſubeas? minimè obſecro: quoniam quidem natura ſumus inquilini, & inhonorati, & abiecti. Hic fortaſſe ſi ciues eſſe voluerimus, neque hic erimus, neque illic ciuium fiduciam accipiemus. Si verò quaſi inquilini conuerſantes erimus, & hic accipiemus fiduciam, & illic. Iuſtus enim in his nihil habens bonis, hic omnino quaſi in ſuis verſatur bonis: & in cœlum abiens videbit æterna tabernacula, & neque hic patietur quicquam incommodi. Neque enim alienigenam quis eum facere poterit, qui omnem ſub ſe terram habuerit, & in ſuam veniens patriam, veras oſtendit opes. Quò igitur vtraque cõſequamur, & præſentia, & quæ illic ſint bona, præſentibus pro ſufficientia vtamur, & cœli erimus ciues, & multa fulti fidentia. Ea igitur pro re faciamus vniuerſa, quò apprehendamus illa, quò illis fruamur bonis: ſic oro, ſic obſecro, in idipſum ſtudio multò incumbamus. Nemo in caſura vrbe ædificat. Dic, inquam, ſi quis tibi prænuntiaret poſt annum ipſam caſuram vrbem, num fortaſſe in caſura vrbe ædificares? Id itaque nunc fac. Nequaquam in hoc ædificemus mundo. Cadet enim paulò poſt, & cuncta peribunt. Quid dico cadet? ante ipſum caſum ipſi peribimus, atrociaque patimur mala. Quid in arena ædificamus? ædificemus ſupra petram, quantumcunque impetus fiet, inconcuſſa quidem illa erit ædificatio, eamque demoliri nihil poterit. Cum enim ſæpenumero terræmotus fiunt, incendia, bellorumque congreſſiones, nobis etiam viuentibus ea nobis eripitur domus. Sæpe autem & vnà multa pereunt. quod ſi & eadem perſtiterit, morbus præueniens aut citò transfert, aut manentes nequaquam ea vti commodè permittit. Vbi enim voluptas, ibi morbi, & calumniæ, & inſidiæ: aut ſi nihil horum, liberos non habentes, quibus ipſas demus, aliaque demus vniuerſa, quaſi in alienis laborantes affligimur: quandoque & alienis ipſa peruenit cum domo hæreditas, non modò nobis præmorientibus, ſed etiam viuentibus. Quid ergo miſerius quàm in id cum labore conari, quò inimici nobis inuitis hære-

ditati ſuccedant, atque quò illi quieſcant delicatè viuentes, & gaudeant tuis laboribus? Horum exempla in vrbibus plura videntur. Sed ne triſtitia eos conficiam, qui huiuſmodi inciderunt, tacebo. Poſſem & eorum fortaſſe aliquod vel nominatim exprimere, prolixioremque narrationem facere, multáſque vobis domus oſtendere, quæ proprios hoſtes ſuſceperunt, eorum qui in his laborauerũt: non domus modò, ſed & mancipia, atque vniuerſa ſæpe hæreditas ad inimicos deuoluitur. Eiuſmodi enim humana ſunt bona, in cœlis verò nihil timẽdum eſt tale. Neque vt morienti ſuperueniat hoſtis, hæreditatique ſuccedat. Non enim illic mors, non hoſtilitas. Tabernacula verò ſanctorum ſolida ſunt, atque in ſanctis illis exultatio, gaudium, & lætitia. Pſal. 117. *Vox enim, inquit, exultationis in tabernaculis iuſtorum.* Æterna ſunt tabernacula illa finem non habentia. Non illa eadem tempore cadunt, non poſſeſſores putant, ſed permanent continuo in vigore. Neque enim quid corruptibile eſt illic & mortale, ſed vniuerſa & ſtabilia, & immortalia. Hanc in ſtructuram pecuniam impendamus. Non architectorum ſanè, aut operariorum magna nobis fuerit cura: pauperum manus huiuſmodi domos conſtruunt, claudi eſurientes illas ædificant. Ne mireris, quoniam quidem hi & regnum nobis propinant, fiduciámque nobis ad Deum tribuunt. Nam eleemoſyna ipſa artifex eſt, optímaque illorum propugnatrix & tutela qui exercent eam. Etenim Deo amica eſt, & cominus ſibi ſemper aſſiſtit. Quos amauerit, his facillimè gratiam impetrauerit: modò non patiatur à nobis iniuriam. Quomodo verò patitur? cùm eam fecerimus ex rapina. Adeò quòd ſi pura fuerit, plurimum tribuerit fidentiæ his qui ſibi adhærent, imò & pro terrenis eorum rebus orat, tanta eius eſt vis. Eadem vincula diſrumpit, tenebras ſoluit, extinguit ignem, ſtridorem effugat dentium, huic multa cum facultate cœlorum aperiuntur portæ. Ac velut regina ingrediente nullus cuſtodum ipſis in portis poſitorum audet interrogare quæ ſit, aut vnde iter agat, magis verò illico ſuſcipiunt omnes: ſic & eleemoſyna regina omnino eſt, eum Deo ſimilem faciẽs. Lucæ 6. *Eſtote, inquit, miſericordes ſicut pater veſter cœleſtis.* Pennata eſt enim & leuis, aureas habens alas: ipſos ſupra modum delectans angelos. Pſal. 67. *Ibi*, inquit, *pennæ columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Apud ipſum regalem thronum perſiſtit. Cùm iudicamur, imminet, tormentíſque nos eripit, ſuis complectens & protegens alis. Hanc vult Deus, atque adeò vſque diligit, vt multa de hac ipſe diſputet. Vidua & orphanus & pauper, inquit, reficietur ab ea. Vult appellari Deus miſerator, & miſericors ſuper omnem terram. Ipſa enim eleemoſyna humanum genus ſaluauit. Niſi enim miſertus fuiſſet, vniuerſa fortaſſe periiſſent. Ipſa nos exiſtẽtes hoſtes, Deo reconciliauit: ipſa infinita operata eſt bona, ipſa filium Dei compulit ſeruum fieri, & ſemetipſum exinanire. Hanc æmulemur, per quam ſaluati ſumus, hanc amemus. Nihil enim Chriſtiano tam ſe fert charactricem, quantum eleemoſyna: hanc & infideles quique mirantur. Multis etiam & ipſi in locis Dei miſericordiam petimus, & ad ipſum dicimus: Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Prius ipſi incipimus: magis verò non priores incipimus. Iam enim & ipſe ſuam nobis miſericordiam præoſtendit, vel ſaltem ſecundi ſimus. Si enim homines miſericordes, quamuis infinita commiſerint peccata, miſerentur: quantò magis Deus? Ibid. 51. Audi prophetam dicentem: *Ego quaſi oliua fructifera in domo domini.* Eiuſmodi ſimus. Neque enim ſatis eſt oliuam fieri ſolùm, at fructiferam. Sunt qui miſerantes parua dant ipſo anno labente, aut omni hebdomada vel quid exhibentes, hi oliuæ quidem ſunt non fructiferæ & veræ, ſed aridæ: quod quidem miſerentur, oliuæ: quòd autem non promptè aut ex animo, non fructiferæ. Sed vt fructiferi ſimus ſæpenumero diximus, & nunc dico. Non dantis menſura, eleemoſynæ magnitudo metitur, ſed dantis propoſito. Non enim dederis veluti vidua, quæ totas opes exhauſit ex tota anima. exemplum id & ipſi imitemur, quò minus de te deſperes, quaſi ex propoſito non dederis. Dederunt quidam capillos in templi ſtructuram, neque repulſam paſſi ſunt. Sed aurum ſiquidem habentes, capillos ſi attuliſſent, maledicti: ſi verò habentes ſolùm idipſum tulerunt, accepti. Geneſ. 4. Propterea & Cain accuſatur, non quaſi vilia obtulerit, ſed quòd eorum quæ habuerit, viliora obtulit. Malach. 1. *Maledictus*, inquit, *qui habens maſculum & fœminam, corruptum Deo obtulerit.* non ſolùm maledictus dicitur, ſed qui habet, inquit, & parcit. Si quis autem non habet, à crimine liberatur, magis autem mercedem habet, modò ſententia propoſitoque talis ad conſeruum flectatur, atque ſibi in pacifica manſuetudine reſpondeat vſque ad calicem aquæ frigidæ. Da indigenti, & tribulato compatere. Si verò hæc minus habueris, vel ſuſpirium ſi profers, atque omne tribuiſti. Nam & inſomnis oculus te vidit quod habueras dediſſe. Quid enim duobus obolis vilius? quid capillis minus, ac farinæ floribus? & tamen hæc placuerunt magis, quàm vituli, quàm aurum. Etenim in eo quòd quis habet, acceptus, haud in eo quòd nõn habet: & quod tua habuerit manus, eo benefacit. Quare indigentibus libenter tribuamus opportuna, quanquam modica ſint, quamuis parua. Eandem cum illis accipiemus mercedem, qui plura impendunt, magis autem maiorem talenta decem millia proferentibus, modò cum propoſito. Hæc agentes, atque ineffabiles Dei theſauros aſſequemur; quæ non audiamus modò, ſed & operibus comprobemus. Quorum omnium nos contingat fore compotes, in Chriſto Ieſu domino noſtro, cui & Patri gloria, cum Spiritu ſancto, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA VIII.

A ſimile.

QVAM iucundi ſpiritualis huius nobis maris ſunt fluctus, & ipſis qui in pelago ſunt iucundiores. Illi quidem ventorum inſolentia, hi auditus deſiderio excitantur. Et illi quidem ſublimius agglomerati, trepidrtionem gubernatori plurimam inferunt: hi vbi apparuerint, dicentem fidentia multa conuallant. Et illi quidem furibundi maris argumenta, hi animæ lætabundæ ſunt indicia. Et illi petris illiſi, ignobilem ſonitum reddunt: hi verò doctrinæ contriti blanda voce redundant. Sic & zephyri flatus in ſata cadentes, atque ipſa ſpicarum capita inclinantes ac releuantes, in terra maris fluctus imitantur: ſed & illis ſatis iucundiores: hic enim non zephyri flatus, ſed Spiritus gratia animas releuat calore: & ignis ille de quo olim Chriſtus: Lucæ 12. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur?* Hunc enim video immiſſum incenſumque in animabus veſtris. Quoniam igitur tot lampades vobis Chriſti timor accendit, agite huic doctrinæ oleum inſtillemus, quò vobis abeundè lumen fiat. Etenim vobis de cætero ieiunij tempus ad finem vrget. Nam ſtadij mediũ prætergreſſi, reliquum ad ipſum finem concedimus. Sicut enim incipiens ad medium feſtinat: ſic mediũ prætergreſſus deſudat ad finem. Igitur tempus ad finem euolat, atque de cætero cymba proſpicit. Sed quod quæritur, non iam eſt iam ad portum peruenire, ſed nauem haud lucri vacuam trahere. Oro vos omnes, & obſecro ſuam quiſque ad conſcientiam, ieiunij negotiationem reputet. Sed ſi lucrum multum accumulatum inuenerit, negotiationi

Ieiunium non eſt ſi non abſtineatur à vitiis, & à fœdis ſpectaculis.

addat

addat: ſi nihil congregatum, reliquum tempo- A ris negotiationi impendat. Quoadvſque ſtant nundinæ, negotiantes, de magno ſperantes lucro, contendamus ne vacuis excidamus manibus, ne ieiunij laborem tolerantes, ieiunij amittamus præmium: licet enim & ieiunij laborem ſufferre, & ieiunij fructum non conſequi. Quomodo ſcilicet? Cum ſcilicet eſca abſtinemus, peccato non abſtinemus: cùm carnibus quidem non veſcimur, deuotamus tamen pauperum domus: cùm vino quidem haud inebriamur, inebriamur verò deſiderijs prauis: cùm quidem inedia totam tranſigimus diem, atque eandem impudicis in theatris conſumimus: Ecce ieiunij labor, & ieiunij fructus nuſquam eſt, cùm iniquitatis theatra conſcendimus: non ad vos mihi eſt ſermo, noui enim ab ea accuſatione vos vacuos eſſe: Sed mos dolore preſſis eſt, B cùm eis non adſunt qui doloris dant cauſam, in præſentes irruere. Quod enim lucrum theatra iniquitatis aſcendere, ad communem luxuriæ officinam introire, ad publicũ incontinentię gymnaſium, ſuper cathedram ſedere peſtilentiæ? Etenim & cathedram peſtilentiæ, & incontinentiæ gymnaſium, officinamque luxuriæ, atque omnem deinceps impudicitiæ orcheſtram ſi quis dixerit, haud peccauerit, peſſimum illum locum, plurimorumque morborum plenum Babylonicam fornacem: omnino velut in fornacem quandam compelleris in theatrum. Diabolus vrbem ſic infernalibus flammis ſubminiſtrans; non iam malleolos ſubmittit, veluti Barbarus ille; neque naphtam, neque ſtupam, neque picem: ſed his multò peiora, fornicarios viſus, turpia verba, delibuta membra, atque omnes plenos malitiæ cantus. Illam igitur fornacem barbaricæ manus accenderunt, hanc autem fornacem cogitationes Barbaris inſipientiores accendunt: hæc illa peior, quando- C quidem ignis deterior, non qui corporis naturam, ſed qui bonam animæ depopulatur habitudinem. Et quod nocentius eſt, neque ipſi qui comburuntur, idipſum ſentiunt. Si enim ſentirent, non iam effuſum illum in his riſum emitterent. Igitur id vel peſſimum eſt malum, cùm quis infirmatur, neque idipſum quòd infirmatur nouit: & miſerè ardens & ærumnoſè, non ſentit incendium. Quænã ieiunij vtilitas, dic mihi, cùm quidem corpus arces legitimo à nutrimento, iniquum verò nutrimentum animæ inducis? cùm diem illic trahis ſedens, communem naturam deturpatam intuens ac deformatam, mulieresque fornicarias adulterię damnatas, illic cuiuſque domus mala colligentes? Nam & fornicationes videre datur, & audire blaſphemias, quò & ipſos per oculos, & per auditum ipſi animæ morbus procedat: alienas imitantur calamitates, vnde & ipſis nobis ineſt turpitudinis D contagio. Quod igitur ieiunij lucrum, dic mihi? Anima cibis eiuſmodi nutrita, quibus oculis vxorem illis à theatris videbis, quibus oculis videbis filiũ, quibus domeſticum, quibus amicum? Neceſſe autem dicentem illic geſta turpitudine, aut tacentem rubore confundi. Sed hinc non ſic abis: licebit verò domi multa cum fiducia vniuerſa narrare, propheticas voces, apoſtolica dogmata, leges diuinas, omnem virtutis menſam apponere, vxoremque narrationibus eiuſdem pudiciorem reddere, amicabiliorem filium, chariorem domeſticum, atque ipſum inimicum perſuadebis odium deponere. Vides quomodo hæc quidem vbique ſalutaria dogmata, illa verò ſpurcè vbique reſonantia? Quę igitur ieiunij vtilitas, cùm corpore quidem ieiunas, oculis verò mœcharis? Adulterium non ipſa modò conglutinatio aut copula corporis, ſed impudicus viſus. Quæ vtilitas cùm illuc hinc abis? ego corrigo, ille corrumpit: ego medicinas morbo adhibeo, ille cauſam morbi miniſtrat: ego naturæ flammam extinguo, ille libidinis flammam accendit. Quæ vtilitas, dic mihi? vnus ædificans, & vnus deſtruens, quid ſibi labore profecerunt? Non ergo hic incaſſum, ſed vtiliter conuerſemur, quò fructuosè, quò minus inuanum hic, quò non inutiliter, atque ad damnationem vnus ædificans & vnus deſtruens, facilitate ſubuerſionis, ædificantium multitudo vincatur. Magnæ profectò tupitudinis, & iuuenes, & ſenes ad ſtudium feſtinare. Sed vtinam eouſque eſſet malum. Etenim id homini libero intolerabile fortaſſe videtur, & damno plectendum maximo, improbatione & confuſione: verum enim nequaquam ad confuſionem vſque erogata correctio. Sed tormenta imminent, & pœnæ: neceſſe eſt enim illic ſedentes adulterij delicto natare, non quòd mulieribus copulemur, ſed quòd impudicis eas intueamur oculis. Etenim his neceſſe eſt quempiam adulterio deprehendi. Neque meum vobis dicam ſermonem quò minus negligatis, ſed diuinam legem explicabo, vbi neglectui nequaquam locus. Quid ergo diuina lex inquit? *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quod quicunque viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Exod. 20. Matth. 5. Vidiſti adulterium conſummatũ? vidiſti completum peccatum? Et quod deterius in adulterijs, deprehenſum adulterio, non humano, ſed diuino ſub iudicio adulterij reum eſſe, hinc mortales pœnæ. *Quicunque* enim *viderit mulierem ad cõcupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Non modo morbum, ſed & morbi radicem euellit. Radix enim adulterij concupiſcentia impudica. Quare non modò plectit adulterium, ſed & concupiſcentiam adulterij matrem. Sic & medici faciunt, non ad morbos inſtant ſolùm, ſed ad cauſas etiam tollendas, quamuis ægrotantem oculum viderint, prauum reuma deſuper à temporibus compeſcũt. Sic & Chriſtus facit. Cæcitas mala eſt adulterium, oculorum eſt morbus, non corporis ſolum, ſed animæ prius. Idcirco inde compeſcit reuma impudicitiæ per timorem legis. Quare non modò adulterium punit, ſed concupiſcentiam quoque vlciſcitur. *Iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* A ſimili. Corde corrupto, quæ deinceps vtilitas in reliquo corpore? quemadmodum enim in plantis & lignis, ſi quando exceſſum videmus, reliquam de cætero repudiamus partem: ſic & in homine cùm id perierit, incaſſum eſt inde reliqua corporis ſanitas. Auriga perit, fractus, deiectus eſt, vacuum in poſterum equi currunt: laborioſa lex & multum oneris habet: ſic igitur & magnam habet coronam eiuſmodi: laborioſa namque magnas habet retributiones. Tu verò nequaquam laborem attende, ſed retributionem conſidera. Sic & in vitæ rebus fit. Si enim laborem proſpexeris, graue atque onerosum: ſi verò retributionem cogitaueris, leue & facile quod ſubeſt. Sic & gubernator, ſi fluctus viderit ſolùm, nuſquam è portu ſcapha digredietur: ſed ipſam præ fluctibus vtilitatem commodumque metitur, atque demum credit inſtabili pelago: ſic & miles ſi vulnera cædeſque viderit, non iam induit thoracem: ſi verò triumphos pro vulneribus, victoriaſque, imparatus quaſi concurrit ad prælium. Quæ enim natura grauia, ſic leuia fiunt, cùm iam nõ labores cogitamus, ſed ipſos laborum fructus conſideramus. Diſcerene vis quomodo natura grauia, leuia fiunt? Paulum audi dicentem: Nam *& ipſum momentaneum & leue tribulationis noſtræ ſupra modum excelſum, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Ænigma eſt quod dicitur, tribulatio quomodo leuis? hæc enim repugnant. Sed ſoluit ænigma illatio ſuſtentans tribulationis leuitatem, quomodo ego eſt leuis? quomodo non hæc quæ videntur nobis duntaxat conſiderantibus. Sed coronam propoſuit nunc quidem inuiſibilem, certamen, atque leue ſimul fecit ſeculum. Oſtendit brauium, & deſudantem ſolatus eſt. Tu verò cùm mulierem videris formoſam, ſplendentem oculis,

A ornatam ſtola, libidine titillantem, deſiderantem viſum: reſpice deſuper ſtantem coronam, quò tale ſpectaculum prætereas. Vidiſti conſeruum? dominum conſidera, atque omnino morbum curabis. Si enim qui ſub diſciplina pædagogum ſequuntur, non flectuntur circum, non variè inhiant, non ſtudio deſiſtunt: multò magis tibi, qui Chriſtum quaſi præſentem cogitationibus intueris, nihil horum fuerit. Matth. 5. *Qui mulierem viderit ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Iucundè ac ſæpius legis decurro brauium, vtinam & per dies ſingulos idipſum decurriſſem: imò non ad vos, ſed ad eos qui peccatis ſunt obnoxij: magis autem ad vos. Nam vos firmiores eſſetis, & qui morbo laborant ad ſanitatem citius redirent. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Sufficiunt omnem peccati morbum purgare nuda hæc verba recitata. Sed ignoſcite, vulnera purgamus, vulnera verò purgantem neceſſe eſt amaras medicinas imponere. B Quantò verò magis portabũt verba, tantò magis purgabitur virus. Quemadmodum igitur ignis naturæ quantò cohærebit, tantò magis virus conſumit: ſic & verborum timor, quantò mente imprimitur, tantò magis peccatum impudicitiæ noſtræ purgatur. Hic igne examinemus, verbo ſcilicet doctrinæ, quò minus idipſum cogamur examinare gehennæ igne. Nam purgatam animam atque hinc abeuntem ille non ſuſcipiet ignis. 1 Cor. 3. *Vniuſcuiuſque* enim *opus quale*, inquit, *ſit ignis probabit.* Probemus noſmetipſos nunc ſine dolore, quò nec cum dolore tunc probemur. Quicquid ergo fortaſſe dixeris, id erit quod diximus, laborioſa lex: Quid igitur? impoſſibilia mandat nobis Deus? non, inquam. obmuteſce, neque domino ſuccẽſeas. Non enim hic reſponſi modus, ſed peccati additamentum priori peius. Quòd autem peccatorum plurimi conſueuerunt in dominum ſuas accuſationes retorquere, C audi: Lucæ 19. Acceſſit ille cui talenta quinque tradita fuerant, & alia quinque attulit: acceſſit qui duo, & alia duo attulit: acceſſit cui vnum fuit creditum & quoniam non habuit talentum quod ferret, pro talento accuſationem attulit. Quomodo? *Noui*, inquit, *quoniam auſterus ſis.* O ſerui proteruiam, non contentus peccato, etiam contra dominum ſtatuit accuſationem. Metens vbi non ſeminaſti, & tollens quod non poſuiſti. Sic & in præſenti vita quotquot nihil operantur boni, additamentum malorum faciunt accuſationem aduerſus dominum. Nequaquam igitur dominum incuſes: haud mandat impoſſibilia, multi & ipſa ſuperant mandata. Ergo ſi impoſſibilia fuiſſent, minus ſua ſponte ſuperaſſent. Virginitatem, in boniſque nihil poſſidere nuſquam mandat, atque à ſe propriam ſubſtantiam multi abiiciunt, ipſis operibus reddẽtes teſtimonium legibus mandatorum ineſſe multum facilitatis. Nequaquã ergo ſuperaſſent ea, niſi facilia approbaſſent. D Non mandauit virginitatem: nam virginitatem mandans, & neceſſitatem & voluntatem agit: qui verò admonet auditorem, reliquit dominum propriæ voluntatis. Propterea Paulus inquit: 1 Cor. 7. *De virginibus autem præceptum non habeo, conſilium autem do.* Cernis non mandatum, ſed conſilium? Cernis non præcipientem, ſed admonẽtem? Alterum neceſſitatis, inquit, alterum voluntatis. Non præcipio, inquit, vt non onerem. Moneo & conſiliũ do, vt alliciam. Sic & Chriſtus nequaquã inquit, omnes virginitatem tenete. Nam ſi mandaſſet omnes virginitatem tenere, & legem mandaſſet eſſe præceptum, his obediens iam non honore multo dignaretur, & inobediẽs ſupplicia dediſſet. Vidiſti quemadmodum nobis parcit legiſlator? Quomodo noſtra ſollicitus eſt pro ſalute? Nũquid non poterat præceptum hoc ponere, & dicere: qui quidem virginitatem ſequentur, honorabuntur: qui verò non, punientur? ſed oneraſſet naturam: parcit ergo naturæ noſtræ. Dimiſit extra ſtadium, dimiſit ſuperiorem certaminibus virginitatem, quò & in ea proficientes, ſuam magnanimitatem oſtendant: non proficientes verò, domini indulgentia digni habeantur. Sic & de mẽdicitate rem non poſuit in præcepto, neque ſimpliciter dixit, vende quæ habes: ſed ſi vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes. In tua ſitum eſt voluntate, dominus eris conſilij tui: non cogo, non grauo, ſed proficientem quidem coronabo, nõ proficientem non punio. Nam ea quæ ex mandato, quæve ex debito fiunt, præmium iam non tale conſequuntur: quæ de induſtria, ſponteque fiunt, ſplendidas coronas ſuſcipiunt. Atque horum Paulum inducam teſtem: 1 Cor. 9. *Si Euangelizauero*, inquit, *non eſt mihi gloriſicatio.* Quare? *Neceſſitas mihi impoſita eſt. Væ enim mihi eſt niſi Euangelizauero.* Cernis in legibus hunc quidem proficientem non multum habere præmij, neceſſitas enim eſt: qui autem non proficit, reus erit ſupplicio & vindicta. Væ autem eſt mihi niſi Euangelizauero. In cæteris verò quæ ex propoſito, nõ ſic. Sed quid? Quæ eſt ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, ſine ſumptu ponam Euangelium Chriſti, vt non vtar poteſtate mea. Ibi lex erat, propterea mercedis multum non habuit: hic propoſitum, quare mercedis multum habuit. Hæc à me omnia non inuacuum dicta ſunt, ſed diuinæ legis gratia, vt oſtendam grauem non eſſe, non eſſe oneroſam, non laborioſam, neque impoſſibilem. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Vidit ſimul & id ipſum Chriſtus multos legis difficultatem accuſaturos: quapropter haud nudam, neque ſimplicem induxit, neque à ſemetipſo: ſed antiquæ legis memoriam reduxit à comparatione, felicitatemque illius atque humanitatem oſtendit. Quomodo autem, attendite. Non enim ſimpliciter dixit, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Hic ergo diligenter attende. Sed prius antiquæ legis reminiſcitur, dicens: Exod. 20. Matth. 5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, Non mœchaberis: ego autem dico vobis: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Vidiſtis geminas, legem veterem & nouam, quam poſuit Moſes, & quã ipſe introduxit? Magis autem & illam poſuit: etenim per Moſem. Quare perſpicuum eſt eam ipſam à ſe fuiſſe poſitam. Non ex Ioanne, aut apoſtolorum quoquam teſtimoniũ vſurpabo: nam ad Iudæos mihi concertatio eſt, ſed prophetis quibus videntur credere, ab ipſis oſtendam & veterem, & nouam vnum habere legiſlatorem. Quid igitur Hieremias inquit? Hiere. 31 *Diſponam vobis teſtamentum nouum.* Sed inde videmus quod & veterem idem ipſe dederit, dicens: Ego diſponam vobis teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum quod diſpoſui patribus veſtris. Ita, ſed hactenus iam non rem oſtendimus: oportet enim vniuerſa eiuſmodi refragantia adducere in medium, manifeſtaque facere, quò ſermo continuò purus nobis inſit, nullamq; impudentibus relinquamus cauſam. Diſponam vobis teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum quod diſpoſui patribus veſtris. Geneſ. 6. Diſpoſuit teſtamentum Noë cùm diluuium fuit, volẽs nos timore liberare & colluctatione, ne diluuium intuentes & imbrem, in commune exitium aſſiduè timeremus, propterea inquit: Diſponam teſtamentum tecum, & cum vniuerſa carne. Iterum ad Abraham teſtamẽtum circuncifionis diſpoſuit. Diſpoſuit teſtamentum per Moſem omnibus notum. Dixit Hieremias: Diſponam vobis teſtamentum nouum, non ſecundùm teſtamentum quod diſpoſui patribus veſtris. Dic, quibus patribus? Etenim perſonarum indeterminatio confuſionem parit. Hic aduerte, non iuxta teſtamentum quod diſpoſui patribus veſtris, non quò minus credas ſub Noë teſtamentum datum: ſed eius de

Digitized by Google

A cetero temporis ſic reminiſcitur dominus, dicens: Diſponam vobis teſtamentum nouum, non iuxta teſtamentum quod diſpoſui patribus veſtris, ſubiunxit & tempus: In die qua tenui manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti. Quo paternum oſtenderet amorem, non quaſi ſeruos eduxit, ſed veluti paruulum filium manu accipiens pater, ſic liberauit: non poſt tergum ſequi mandauit quaſi ſeruum, ſed veluti filium nobilem & liberum manu tenens, ſic duxit. Vidiſti teſtamentorũ duorum teſtatorem vnicum? Quoniam in certamine liberati ſumus, & ex vno id tibi oſtendam, vt teſtamentorum conſonantiam noſcas. Vidiſti prophetam quæ ex verbis eſt? diſce vel eam quæ figuris conſtat, quamuis idipſum perſpicuum ſit, quidnã per figuram ſit prophetia, quidve per ſermonem prophetia: breuibus ergo idipſum manifeſtum faciemus. B Prophetia per figuram quæ rerũ eſt prophetia, altera prophetia verborum: nam prudentioribus quibuſque verbis perſuaſi, rudiores verò per rerum viſionem cohortatus eſt. Quoniã quidem futurum erat rem magnam in lucem prodire, & Deus carnem ſuſcepturus erat: quandoquidẽ terra cœlum fore debebat: noſtraque natura ad angelorum nobilitatem aſcendere, quoniam quidem ſpem ipſam ſuperauit & expectationem, egrediens ſermo futurorum bonorum vti nouum & inauditum repentè comparens, audientes minus, videnteſque turbaret: figurauit olim per res, perq; verba noſtrum aſſueſcens & auditum, & viſum, quodque in lucem futurum erat præparans: hoc autem erat quod diximus, quòd eſt per figurã prophetia, & quòd eſt per ſermonem prophetia. Altera quidem rerum, altera ſermonum. Dico tibi rerum

Eſa. 53.

prophetiam, & verborum idipſum: *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* C Hæc per verbum prophetia. Cum enim Abraham tulit Iſaac, tunc arietem videns hærentem cornibus, ad ſacrificium duxit, opere veluti per figuram proclamans nobis ſalutarem paſſionem. Quod igitur dixi, vis tibi duo hæc teſtamenta per opera oſtendam? quemadmodum vidiſtis ouem in verbo, diſcite & in re.

Galat. 4.

Dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe. Benedixit, vultis: non enim erant ſub lege: fortaſſe ænigma eſt quod dicitur. Nam lex auditores Chriſto tranſmiſit, qui magiſtro iniuriatur, ignorat & pædagogum. Quare, inquit, dicite mihi, qui ſub lege vultis eſſe, legem non audiſtis? quoniam

Ibidem.

Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, alterum de libera, quæ ſunt per allegoriam dicta. Vidiſti per rem prophetiam? in eo enim quòd mulieres habet, non verbum, ſed res eſt. Et ſeruam & liberam oſtendit tibi per verba. Quoniam duorum teſtamentorum vnus eſt legiſlator, diſce & ipſam figuram: Abraham duas vxores habuit, hæ autem ſunt duo teſtamenta, & vnus teſtator: D quemadmodum illic ouis & ouis, alterum quidem in verbo, alterum autem in re, multa verò & operum & verborum concordantia ineſt: ſic & hic teſtamenta duo. Et hoc Hieremias quidem per verba prædixit: Abraham autem duas habens vxores, operibus figurauit. Quẽadmodum igitur vnus vir, & vxores duæ, ſic vnus legiſlator, & teſtamenta duo. Sed quod dixi, vniuerſa vnde hæc effuſa ſunt:

Matt. 5.

Iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Sed quare hæc vniuerſa nouimus? Cuius ergo rei gratia veterem ipſis legem repetit? Dicit enim ipſis:

Ibidem

Audiſtis quoniam dictum eſt antiquis, Non mœchaberis. Cognouit difficile eſſe mandatum, non ſuapte natura, ſed audientium deſidia. Multa enim quæ natura facilia ſunt, difficilia fiunt cùm pigritamus: veluti difficilia quæ ſunt, leuia & facilia fiũt nobis accuratè proſpicientibus: nõ enim difficultas rerum naturæ ineſt, ſed exercentium propoſito. Quod veriſſimũ eſſe vel ex eo patet. Nam mel natura dulcedinem habet, atque eandem iucundiſſimam, ſed ægrotis amarum quid atque illibitum A eſt, non propria, ſed illorum ægritudinis natura: ſic lex tametſi videatur oneroſa, non ſua natura, ſed noſtra fit pigritia. Haud etenim mihi multum laboris, oſtendere factum facile eſſe: nam idipſum difficile aliud dicere oportuerat. Nunc enim dicit, fuge mulieris viſum, à luxuria recede. Quod aut peius oppoſitum dicere fuerat, exquire mulieres, ſcrutare alienas formas, atque ſic libidinem vince. Id ergo difficile fuerat: nam dicere, fornacem fuge, recede longius ab igne, flammæ propius non acceſſeris, quò ſis innocuus, multum facilitatis habet. Etenim iuxta naturam mandatum eſt antiquis, non mœchaberis. Cuius igitur rei gratia antiquam legem nobis ad memoriam redegit? Alteram introducturus, quò ſcilicet comparatione diſcas non eſſe huius atque illius pugnam. Cùm enim ponitur comparatio, tunc fit manifeſtius iu- B dicium, quoniam inficiaturi erant quidam quòd legiſlatoris loco hæc diceret. Ecce inquit, vtraſque alternatim leges pono, tantam addiſce conſonantiam. Non id ſolùm, ſed etiam vt oſtendat facilem opportuneque introductam: Propterea inquit: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis.* Matth 5.

Tamdiu in antiqua lege cogitauiſtis. Quaſi doctor pigritanti paruulo antiquorum doctrinæ inniti volenti, atque ad altiora eum tollere cupiens, dicit: Cogita quantum temporis hac in lectura contriuiſti. Sic & Chriſtus recordatus, eos prolixiori tempore tenuiſſe legem antiquam, & cogitaſſe in ea, eſſeque tempus de cætero ad altiorem conſcendere, ad ipſam quæ patrum quandoque fuerat, legiſlationem traducit, dicens: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis*: id antiquis dictum eſt, *ego autem dico vobis.* Si enim antiquis dixiſſet, meritò quæritis, cum imperfectior adhuc eſſet noſtra natura. Ea verò cùm altius pullulauit, per- C fectior facta eſt, atque diſcipulis perfectioribus de cætero ipſis erat. Propterea incipiens à legiſlatione, ne quis intuens philoſophiæ ſublimitatem pigritet, aut mora teneatur, inquit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 5.

Plus à me laboris exigis? quare, num vnà cum illis non ſum natura? nunquid non homo ſimilis illis? Quò minus hæc dicerent: Quare nobis labores addidit? quare maiores deſudationes exquirit? dicens labores, dicens certamina, dicens extenſionem legis, & præmiorum meminit. Nequaquam, inquit, Palæſtinam do, neque terram fluentem lac & mel, ſed ipſum vobis cœlum defero. Neque in officiorum mercede plura ſolùm recipimus, ſed etiam in ipſa peccatorum tranſgreſſione ſupplicium maius trahimus. Quemadmodum qui legem præceſſerunt, mitiorem pœnam his dederunt, qui peccauerunt in lege. *Quicunque enim ſine* Romã 2.

D *lege peccauerunt, ſine lege peribunt*: id eſt, legem accuſantem nequaquam habebunt. Sed hos contra, ab ipſa natura ſententiam, inquit, feram inter cogitationes accuſantes, vel reſpondentes. Sic & his qui in lege peccauerunt delinquentes ſub gratia grauioribus ſuberunt tormentis. Atque differentiam ipſe oſtendit Paulus, dicens: *Irritam quis faciens legem* Heb. 10.

Moſi, ſine vlla miſeratione duobus vel tribus teſtibus morietur. Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Cernis ſub gratia maiorem pœnam, veluti & præmia maiora. Sed quoniam ſancta myſteria ad memoriam vobis retuli horrenda ac ſpiritualia, rogo, obſecro, deprecor, atque omni cum inſtantia expeto, omne deponentes peccatum, horrendam ſic ad menſam hanc accedere. *Pacem, inquit, ſe-* Ibid. 12

quimini cum omnibus, & ſanctificationem, ſine qua nemo videbit Deum. Qui autem videre dignus non eſt, neque communione dignus eſt dominici corpo- 2 Cor. 11

ris. Propterea Paulus inquit: *Probet autem ſe homo, & ſic de pane illo comedat, & de calice bibat.* Non reuelauit

A vlcus, non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum teſtes ſtatuit: intus in conſcientia aſtante nemine, præter eum qui cuncta videt Deum, qui & ſcrutatur, & de peccatis iudicat, & omnium vitam quaſi lance quadam librat, iudicium peccatorum ſtatuens; reforma quod deliquiſti, atque ſic pura conſcientia ſacram attinge menſam, participſque ſancti ſacrificij ſias. Hæc mente retinentes, & omnium quæ de luxuria diximus, recordati, quantáque his pœna poſita ſit, qui incontinenter & minus pudicè reſpiciunt in mulieris faciem, & pre gehenna Dei timorem & charitatem habentes ante oculos, noſmetipſos hinc inde purgantes, ſic ſacris myſteriis propinquemus, ne in iudicium damnationémque nobis fiant, ſed in ſalutem, & animæ ſanctitatem: fiduciámque cõtinuam ſalutis huius ſuſcipiamus: quam aſſequi nos contingat, gratia & amabili clementia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in B ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA IX.

ERGO nouiſtis vnde nobis heſternus ſermo incœperat, aut vbi defecerat, aut vbi incœpimus prioris homiliæ verba: ſed vos oblitos exiſtimo, quò vobis ille ſermo quieuerit, qua in re minus damno, aut redarguo. Quiſque enim veſtrum vxorem habens paruulis ſtudet, & quæ domi ſunt curat omnia. Alij militiæ indulgent artibus, alij laborant manibus, ac veſtrum quiſque diuerſis inſudat operibus: nos verò in his verſamur, in his cogitamus, atque in his noſtrum terimus tempus. Itaque ea in re haud accuſandi eſtis, magis pro ſtudio laudandi, quòd nequaquam nos vllo reliquiſtis ſolemni die. Is enim laudum eſt cumulus C ciuitati noſtræ, non tumultum & ſuburbia, non domos deauratis trabibus & tricliniis, ſed diligentem populum habere, atque exercitum. Neque enim ex frondibus generoſam arborem, ſed ex fructibus intuemur. Idcirco enim mutis animalibus prælati ſumus, quòd ſermonem habemus, ſermone mutuo colloquimur, ſermonem amamus. Homo qui ſermonem abhorret, iumentis eſt minus rationalis, non ſatis ſciens cuius gratia honoratur, atque vnde honorem accipit. [Pſal. 48.] Quare bene Propheta, *Homo*, inquit, *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* En homo cui proprium loqui, ſermonem non amas, & quánam indulgentiá dignaberis? Sic mihi omnes neceſſarij eſtis, ſed in primis qui ad virtutis ſermonem pennati aduenistis. Vndique igitur edocti diuino ſermone rem aggrediamur, atque prioribus ſequentia connectamus. Debeo enim vobis, atque ipſe læto vobis animo debitum D perſoluo: non enim id mihi inopiã affert, ſed diuitias nuntiat. In his quæ foris ſunt, eos qui credunt debitores fugiunt, quò minus reddant, & meritò quidem: nam exteris in rebus reſtitutionem inopia accedit, ipſam verò ſermonis diſſolutionẽ diuitiæ ſequuntur. Quale id eſt: Debeo cuiquam aliquid: ſi perſoluero, nequit apud illum & illũ eſſe, atque etiam apud me, ſed à me deficiens, illi adhæſit: ſermonem verò ſi perſoluero, & mecum eſt, atque omnes habetis: ſi ſermonem retinuero, neque reſtituam, tunc inops ſum: ſi perſoluero, tunc ditior fiam. Si non perſoluero ſermonẽ, ſolus ipſe diteſco: ſi perſoluero omnibus vobis, fructum refero. Eia ergo debitum reddamus. Quídnam id eſt? de pœnitentia ſermonẽ cudimus, ac cæteris de virtutibus quòd multæ variæque ſunt pœnitentiæ viæ, quibus facilis nobis ſalus fiat. Nam ſi vnam nobis dediſſet, repuliſſemus eam vtique, dicẽtes: Nequimus hanc ingredi, ſaluari nequimus. Nunc ipſam

A hanc tuam amputans obiectionẽ, non vnam tibi, neque ſecundam, neque tertiam, ſed plures ac diuerſas dedit, quò multitudine tibi ad cœlum facilis aſcenſus fiat. Et dicimus facilem eſſe pœnitentiã, neque onus in ea: peccator es, eleemoſynam ingredere: dic peccaui, & ſoluiſti peccatum. Producimus peccantem Dauid, & ſoluentem peccatum. Hinc ſecundã ſubiicimus viam, ſuper peccatum flere, & dicimus: Quíſnam hic labor, non pecuniam opus effundere, non longas ire vias, nec tale quid dicere, ſed peccatum flere duntaxat. Hoc de ſcriptura inducimus, quòd in Achab Deus, quòd fleuerit, quòd mœſtus fuerit, peccatum ſibi dimiſit, atque idem Heliæ dicit: Nónne vidiſti humiliatum Achab coram me, flentem & contriſtatum? non faciam ſecundum iram meam. Hinc tertiam dedimus pœnitentiæ viam, ac de ſcriptura Phariſæum duximus in medium, ſimul & Publica- B nium. Quòd Phariſæus quidem ſuperbè elatus, à [Lucæ 18.] Iuſtitia cecidit: Publicanus humilibus conſentiẽs, fructum iuſtitiæ ſuſcepit, neque vllo ſub labore preſſus iuſtificatus eſt: verba dedit, res accepit. Agè ergo cœptum ſequamur, & quartam proferamus viam. Et quænam ea eſt? Eleemoſyna, regina illa [Eleemoſyna cœlũ emitur.] virtutum, homines celerrimè ipſorum in cœlorum axes adducet, aduocati optimi loco fungens. Magna res eleemoſyna, præcidit aërem, trãſit lunam, ſolis radios cædit, ad ipſum venit cœlorum culmen, ipſos pertranſiens cœlos, & angelorum populos decurrens, archangelorũque choros, & omnes ſuperiores poteſtates, ipſi aſſiſtit regali throno. Quod ex ipſa diſce ſcriptura. [Acto. 10.] *Corneli, eleemoſyna*, inquit, *& orationes tuæ aſcenderunt in conſpectu Dei.* Tametſi multa habueris peccata, aduocatrix eleemoſyna eſt, ne timeas. Nulla enim ſuper omnibus virtutibus huic ſeſe oppoſuerat, Chriſtum requirit, quem ipſa lucrifecit propriis in manibus baiulans. C Ipſius, enim domini eſt vox: [Matt. 25.] *Si quis fecerit vni ex minimis his mihi fecit.* Ita ergo quotquot talia habueris peccata, eleemoſyna tua omnibus eſt grauior. Aut non intellexiſtis in Euangelio decem virginum parabolam, quòd eleemoſynam non habentes, virginitati indulgentes, à nuptiis excluſæ ſunt? [Ibidem.] *Erant*, inquit, *decem virgines, quinque prudentes, & quinque fatuæ: prudentes quidem oleum habebant*, ſtultæ verò non habebant oleum, ſed extinctas lampades. Accedentes autem ſtultæ ad prudẽtes, dixerunt: *Date nobis oleum de lampadibus veſtris.* Pudet me, & rubore confundor, & lacrymis, virginem ſtultam audiens. Erubeſco cùm audio nomen, poſt tale virtutis lucrum, & virginitatis ſtudium; vbi in cœlum euolarunt, vbi ad ipſas ſuperiores virtutes certamen habuerant, laboreſque ſuperauerunt, vbi ipſam voluptatis flammam conculcauerunt: tunc inſipientes, & iure inſipientes, quòd maius cùm viciſſent, à minore victæ ſunt. Et accedentes inſipientes dixerunt ſapientibus: Date nobis oleum de lampadi- D bus veſtris. Hæ autem dixerunt: Non poſſumus vobis dare, ne fortè non ſufficiat nobis & vobis. Et non malitiæ illud verbum, ſed timoris. *Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis*: ne fortè quemadmodũ omnes intrare quærimus, omnes remaneamus: ſed abeũtes emite vobis à vendentibus. Qui nãque ſunt mercatores olei huius? Pauperes ad eleemoſynam ſedẽtes: & quanti emitur? quanti libuerit. Pretium nõ appono, ne obiicias inopiã. Quanti potes, tanti eme: habes denariũ, eme cœlũ: non quod venale ſit cœlũ, ſed quod clemens ſit dominus. Nõ habes [Matt. 10.] denariũ, da calicem frigidæ aquę. Inquit enim: *Quicunque dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ propter me, non perdet mercedẽ ſuã.* Mercatura negotiatióque cœlũ eſt, atque ipſi pigritamus. Da panẽ, & accipe paradiſũ: parua da, & magna ſuſcipe. Da mortalia, & immortalia recipe: da corruptibilia, & incorruptibilia accipe. Si celebritas adeſſet epulum habẽs, atque in ea ciborum abundantia, multaque

paruo

A paruo emerentur, num ſubſtantiam vendentes, cunctaque poſtponentes, in partem eius negotiationis veniretis? Et vbi quidem corruptio, tanto ſtudio laboratis: vbi immortalis eſt negotiatio, pigritatis, atque adeo conciditis. Da inopi, quamuis tu tacueris, orare pro te, reſpondebunt infiniti. Eleemoſyna tua ſtante & declinante, pretium redemptionis animæ eleemoſyna eſt. Præterea pelues & lauacra cum aqua ſunt, quo manus laues, qua veſtes, aqua: ſic & eleemoſyna quò per eam animæ manus diluas. Nec inopiam proferas.

3. Reg. 17

Vidua in vltimo cœnaculo Heliam hoſpitabatur, ac paupertas non affuit impedimento, ſed eximio cum gaudio ſuſcepit eum, quare & dignos recepit fructus, & metens eleemoſynæ ſpicam legit. Sed fortaſſe auditor dicet, da & mihi Heliam. Qui quæris Heliam? dominum Heliæ do tibi, nec ipſum cibas: Heliam ſi inueneris, quomodo hoſpitaberis? B Chriſti domini ſententia eſt: Quicunque vni ex minimis fecerit, mihi fecerit.

Simile.

Si fortè rex quempiam de populo appellauerit, atque ad ſeruos dixerit: Reddite gratias huic meo nomine quamplures, qui me inopia laborantem nutriuit, qui mihi beneficia in tempore permulta cōtulit: num certatim quiſque pecunias eius omnes apprehenderit, cui rex gratias dederit? Si ergo in hominem regem tantum honoris res ipſa tribuit, cogita Chriſtum in illa die ad angelos dicentem: Hic me in terra ſuſcepit hoſpitio, hic mihi innumera contulit beneficia, hic me peregrinum exiſtentem confouit inducens. Cogita de cætero fiduciam, inter angelorum populos gaudium. Igitur cui teſtimonium Chriſtus perhibet, non fiduciam ſuper angelos habuerit? Magna igitur res eleemoſyna, fratres. Hanc amando faciamus, cui nihil æquale: potens eſt enim peccata alia delere, iudiciumque propulſare. Te tacente infinita pauperum ora gratias referunt, C imò verò minus verbo aut ore neceſſe eſt, rebus ipſis clamantibus. Tam adeò exuberans, tamque magnū eleemoſynæ bonum, & ipſi pigritamus & concidimus. Da panem pro poſſe: non habes panem, da denarium, da vel frigidæ aquæ calicem: atqui neque id habes, vel malis oppreſſo compatere, atque appenſam mercedem habes. Non enim neceſſitatis, ſed intentionis eſt merces. Aliter etiā in his diſputemus. Euagata à nobis oratio eſt. Age, ad propoſitum redeamus.

Matt. 25.

Date nobis oleum de lampadibus veſtris. Non poſſumus vobis dare, *ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ſed euntes emite à vendentibus.* Abeuntibus autem ipſis, venit ſponſus, & quæ habebant oleum, intrauerunt cum eo. Et clauſa eſt ianua conuiuij. Inſipientes autem accedētes clamabant: Aperi nobis domine. Vox autem ab intra ad eas: Recedite à me, neſcio vos. Id omnino eſt fruſtrà magnum virginitatis certamē. D Cogita quomodo poſt tot labores excluſæ ſunt, cùm frænabant incontinentiam, cum aduerſus voluptates oppoſuerant ſeſe, cum ſuperiores ad virtutes certamen habuerant, cùm vitæ huius res ſpreuerant, cum periculum tolerauerant magnum, cum tantum laboris ſuperauerant, cum de terra ad cælum euolauerant, cùm corporis ſignaculum non ſoluerant, ac magnum virginitatis ſpecimen acquiſiuerant, cum in corpore, quæ incorporeorum ſunt, perfecerant, cùm corporis neceſſitates ſuppeditauerant, cùm magnum atque incomparabile virginitatis lucrum poſſederant, tunc audierunt: Recedite à me, neſcio vos. Neque enim mihi exiſtimaueris tantillam virginitatis eſſe magnitudinē. Talis enim virginitas eſt, vt eam potuerit nemo veterum conſeruare. Propterea enim gratia magna, quòd quæ tremēda prophetis fuerat & veteribus, eadem nunc facilis leuiſque exiſtimatur. Quę tunc fuerunt grauiſſima & neceſſaria, virginitas, mortiſque deſpectus, ea nunc vel teneræ puellæ paruipendunt. Grauis etenim erat virginitatis poſſeſſio, vt hac ſe nemo religaret.

Geneſ. 6.

Noë iuſtus erat, & à Deo teſtimoniū accipiens, ſed mulieri adhæſit. Grauis etenim erat virginitatis prædicatio, quoad flos de virgine germinaret. Nemo igitur veterum poterat virginitatem tenere.

Virginitas magnam patitur pugnam.

Magnum etenim eſt corpus frænare. Pinge mihi ſermonē virginitatis, ſpecimen atque rei magnitudinem diſce: quòd bellum habet quotidie, nullatenus ſedandū, ipſo barbarico bello deterius. Nam barbarorum bellum vel temporis quietem habet, quo aut paciſcuntur, aut ordinant, & quandoque quidem pugnant, quādoque non, & ordines, & tempora ſunt: belli verò in virginem collati nulla datur quies. Diabolus eſt enim ſemper bellum inferens. Non temporis obſeruationem ſciens, non globum in aciem congregans, ſed quærens virginem ſemper nudam inuenire, quò mortale infligat vulnus, neque à bello vnquam virgo ceſſare poteſt. Et damnati ad tempus quidem principem vident, neque paribus moleſtiis premuntur: virgo autē quocunque abierit, & iudicem circumagit ſecum, & inimicum ſecum portat ad bellum, neque veſperi permittit reſpirare: non nocte, non diluculo, non meridie, ſed bellatur ſemper, voluptatemque ſubmittit: nuptias in memoriam adducens, quò virtutem excludat, malitiamque in ea generet, pudorem expellat, fornicationem inſerat. Exuritur ergo ſingulis diebus & horis fornacis modo ſuccenſa. Cogita quantus officij labor ſit. Sed illæ poſt hæc audierunt: Neſcio vos. Vide rem magnam, cum virginitas ſecum ſororem habuerit eleemoſynam, in eam nulla aduerſa poterunt, ſed omnibus ſuperior erit: propterea non introierunt illæ: quòd cum virginitate eleemoſynam non habuerunt. Multo rubore digna es, voluptatem debellans pecuniæ ſubcubuiſti: ſed virgo quæ vitæ renuntians, mundo crucifixa pecuniam amas, vtinam virum deſideraſſes, atque minus criminandum fuerat: nam eiuſdem ſubſtantiæ rem ac materiam deſideraſſes. Sed & hæc væ. Quid enim quæ ſub viro ſunt? illæ ſæuitiā malè oſtendunt ſub filiorum vmbrā. Quòd ſi ei dixeris, da eleemoſynam, filios habeo & nequeo, dicit. Deus filios tibi dedit, fructum ventris accepiſti, non quò ſæua, ſed quò pia miſericorſque fias. Ne igitur cauſam clementiæ pietatiſque, ſæuitiæ cauſam feceris. Cupis hęreditatem bonam filiis tuis relinquere? eleemoſynam relinque, quo te omnes laudibus efferant, vulgatamque artem memoriæ tuæ relinquas. Tu verò haud habens filios, ſed vitæ crucifixa, quid pecuniam congregas? Sed iuſtus nobis ſermo à pœnitētiæ & eleemoſynæ via abducitur. Diximus eleemoſynā magnam poſſeſſionē, inde ſuſcepit nos pœnitētiæ pelagus. Habes igitur pœnitentiā, magnam eleemoſynam, valentem peccati catenā diſſoluere: habes & viam aliam pœnitentiæ opportunam, qua poteris à peccatis te vindicare. Ora per momenta ſingula, neque orans deficias, Dei clementiam pete, neque repellet manentē te, ſed peccata dimittet, & petita concedet. Orans quidē ſi exauditus fueris, permane gratias agens in oratione: non exauditus, mane orans vt exaudiaris. Neque dixeris, multum oraui, atque haud exauditus ſum: etenim vel id ſępe tuæ vtilitatis gratia. Nouit enim quod piger es, & concidens, quique ſi compos voti fueris, abis iam non orans: & ſub voto orationis pertrahit te, quo crebrius Deum alloquaris, orationeque exciteris. Nam ſi ea in neceſſitate exiſtens, atque indigens pigritas, neque orationi inſiſtis; quidnam egeris horū, ſi nullo indigueris? Itaque id tibi facit, quo frugi tibi res fiat, nolens te abſiſtere iugi oratione. Mane ergo & ora, dilecte, multum enim oratio poteſt, neque rem paruam aggrederis, orationi indulgens. Quòd oratio peccatum dimittet, vel ex diuinis euangeliis diſce, quid enim inquit? Simile eſt regnum cœlorum homini qui ſuam ianuam clauſit:

Lucæ 11.

venit autem quidam veſpere, accipere volens ab eo

panem,& pulſat dicens: Aperi nobis,quoniam in-
digeo panibus. Hic ad eum: Non poſſum dare tibi,
obdormiuimus enim & nos,& paruuli. Hic autem
inſiſtebat pulſans ianuam,neque recedebat. Dixit
ergo paterfamilias: Surge & da ei,& dimitte abire.
Docet ergo te orare,neque obtorpeſcere. Si minus
acceperis,permane quoad acceperis. Plures alias
pœnitentiæ vias in ſcripturis inuenies. Ipſa pœni-
tentia & ante Chriſti aduentum per eius prophe-
Hier. 8. tam Hieremiam prædicatur: *Nunquid cadens non reſur-
get, aut auertens non reuertetur?* Et iterum poſt hæc di-
cit ei: Accede,conuertere ad me. Præterea & vias
alias pœnitentiæ diuerſas dedit,quò nobis omnem
deſidiæ occaſionem amputet. Nam ſi vnam habe-
remus,hac vadere nequiremus, mucronem hunc
diabolus fugit. Peccaſti,eccleſiam egredere,atque
tuum dele peccatum. Quoties cecideris in foro,to-
ties exurgis: ſic quoties peccaueris, peccati pœni-
teat,neque deſperes. Tametſi ſecundò peccaueris,
ſecundò pœniteat, neque animo conſternatus à
ſpe repoſitorum bonorum cadas: quamuis nouiſſi-
mo in vitæ die peccaueris,ingredere,pœnitentiam
age: medicinæ locus eſt hic,non iudicij,non pœnas
ſed peccatorum remiſſionem tribuens: Deo ſolùm
dic peccatum tuum. Habes & aliam pœnitentiæ
viam haud difficilem, ſed omnino accommodatiſ-
ſimam: qualem? hanc,defle ſuper peccatum tuum,
idque ex ſacris docetur euangeliis. Petrus ille apo-
ſtolorum princeps, in eccleſia prior amicus Chri-
ſti, qui reuelationem ab hominibus non accepit,
ſed à patre, ſicut ſibi teſtimonium Dominus red-
Matt. 16. dit: *Beatus es Simon Bar Iona, quis caro & ſanguis non reuela-
uit tibi, ſed pater meus, qui in cœlis eſt.* Hic idem Petrus,
Petrum cum dico,petram nomino indebilem, non
ſe crepidinem immobilem, apoſtolum magnum,
primum diſcipulorum, primum vocatum, & pri-
mum obedientem. Ille non paruam rem fecit, ſed
maximam, qui Dominum negauit: hoc dico, non
iuſtum accuſans, ſed tibi pœnitentiæ præbens oc-
caſionem. Ipſum orbis Dominum negauit,ſaluato-
rem,procuratorem pauperum. Vt verò altius repe-
tamus, vidit Saluator quoſdam abeuntes retrò, &
Ioan. 6. dixit Petro: *Nunquid & tu abire vis?* Petrus autem di-
Matt. 26. xit: *Si oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Quid dicis
Petre? Deus eſt qui decreuit, quid ipſe reluctaris?
Sed tamen intentio quod ſuum erat oſtendit, natu-
ræ verò infirmitas redarguitur. Hæc verò quando?
nocte verò qua ſtetit Petrus ante prunas calefa-
ciens ſe, puella quædam acceſſit,& dixit: Heri & tu
cum homine iſto fuiſti? Hic autem dixit: non noui
hominem hunc. & impletum eſt decretum. Hinc
Chriſtus reſpiciens in Petrum, vocem dimiſit per
ipſum intuitum. Nō enim ore locutus eſt, ne ipſum
fortè inter Iudæos redarguat,& proprium confun-
dat diſcipulum, ſed per oculum dimittens vocem,
quaſi diceret: Petre,quod dixi,factum eſt. Igitur Pe-
trus tunc ſentiens cœpit flere: & non fleuit modò
ſed amarè, ſecundum baptiſma per lacrymas ex
oculis oſtendens. Cumque fleuiſſet amarè,deleuit
peccatum. Non enim paruus fuit reatus,proprium
Dominum negaſſe, ſed magnus & fortis, eumta-
men lacrymæ deleuere. Defle igitur & ipſe ſuper
peccatum, neque ſolùm defle, aut apparenter, ſed
defle amarè: quemadmodum & Petrus,ex ipſo pro-
fundo deduc fontes lacrymarum, quò Dominus
miſericordia motus,tibi dimittat: clemens etenim
Ezech. 18 eſt: ipſe enim dicit: *Nolo mortem peccatoris, ſed potius con-
uertatur & viuat.* Quid igitur lapidatus,cæſus,mor-
tuus,qui omnia pro Chriſti nomine ſuffert,qui cœ-
leſti voce deſuper compellatus, hic dicit qualem
1.Cor. 15. emiſerit vocem? Accepi,inquit,gratiam à Deo,ſed
& ego laboraui, & vnà toleraui, & gratia eius quæ
in me eſt, vacua non fuit, ſed plus laboraui omni-
bus. Nouimus,inquit,gratiæ magnitudinem quam
accepi,ſed non deſidem inuenit: ſic & ipſi fratres
manus ad eleemoſynam doceamus, vt parum quid
A inferamus. Ploremus ſuper peccatum, ingemiſca-
mus ſuper iniquitatem, quò videamur vel parum
quid inferre. Tametſi magna nobis in futuro repo-
ſita ſunt noſtram vim ſuperantia: paradiſus enim
eſt,& cœlorum regnum, cuius & ipſi omnes parti-
cipes ſimus,gratia & clementia Domini Ieſu Chri-
ſti,&c.

Homilia X.

PIA nunc recordatio veſtri nos tenuit, quanto Declarat ſuum affectum in ſibi ſubditos.
tempore abſuimus: atque ipſe quidem veſtri
nuſquam obliterari potui, ſed vrbem dimittens,
veſtram memoriam non dimiſi. Quemadmodum
enim qui corporum præſtanti forma capiuntur,
quocunque receſſerint, ſecum deſideratam faciem
circumferunt: haud ſecus ipſi venuſtate animarum
veſtrarum tacti, eam mentis veſtræ ſpeciem ſem-
B per nobiſcum tulimus. Et veluti pictores colori-
bus variis corporis imagines oblinire ac decorare
conſueuerunt: ita & ipſi ſtudium veſtrum in cœtu,
in audientia promptitudinem obducere, beneuo-
lentiam, cæteraque alia officia, veluti colores vir-
tutum varios immiſcentes, atque ipſum animarum
veſtrarum characterem imprimentes, mentiſque
apponentes oculos, ea ſpeculatione ſatis noſtræ
peregrinationis accepimus ſolatij. Hæc & ſedentes,
& ſurgentes, & ambulantes, & quieſcentes, & in-
troeuntes, & exeuntes continuò verſamus, chari-
tatem veſtram interpretantes; neque interdiu ſo-
lum, ſed etiam noctu iiſdem cogitationibus quaſi
deliciis enutrimur, illud cum Salomone ſcientes:
Ego dormio, & cor meum vigilat. Idipſum & nobis con- Cant. 5.
tingit, nam ſomni neceſſitas palpebras ipſas con-
trahit, tyrannis verò amoris veſtri oculos noſtræ
mentis excitat, atque ſæpenumero per ſomnum
vobiſcum loqui viſus ſum. Etenim cōſueuit anima
C quæ interdiu cogitat, eadem in ſomniis per phan-
taſiam cernere. Quod & nobis tunc accidit. Et vos
carneis minus videntes, oculis charitatis inſpici-
mus, corporeque abſentes diſpoſitione præſentes
fuimus, meæ aures ſemper clamore veſtro cale-
bant. Quare & corporis ægritudine eò diutius co-
gente immorari, & aëris ſanitate ad carnis ſanita-
tem proficiente, id vis amoris veſtri non tolerabat,
ſed exclamabat, neque prius moleſtando ceſſauit,
quàm nobis ante præfixum tempus exurgere ſua-
ſit,& ſalutem,& alacritatem, & omne quodcunque
eſt boni conuentum hunc veſtrum exiſtimare. Hac
igitur ſuaſi, maluimus redire, tametſi morbi reli-
quiæ minus cederent, corporis infirmitatem pror-
ſus deponere ſatagentes, quàm de cætero charitati
veſtræ moleſtias inferre. Nam & illic manens cri-
minationes audiebam: continuæ enim literæ has
nobis afferebant. Gratiaſque habui criminantibus
non minus, quàm laudantibus. Nam animæ ſitien-
tis amaræ illæ criminationes fuerant, abſentiam
D noſtram accuſantes. Quare ſurgens cucurri, quare
nunquam mea vos mente quiui excludere: ſed
quid multa? ruri ſi commoratus licentia quadam &
libertate fruens, veſtri non ſum obliuioſus recor-
dator: quandoquidem Paulus vinculis alligatus,
carcerem inhabitans, atque infinitis penè pericu-
lis ſeptum ſe videns, in carcere non ſecus quàm in
prato verſatus, ſic fratrum memoriam habebat, &
ſcribebat dicens: *Sicut eſt iuſtum mihi hoc ſentire pro om-
nibus vobis, & quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis in* Philip. 1.
defenſione, & confeſſione Euangelij. Extrà inimicorum ca-
tena, intrà amoris diſcipulorum catena. Sed exte-
rior quidem ferro obfirmabatur: interior charita- Simile.
te iungebatur. Et illa quidem ſæpenumero depo-
nebatur, hanc verò nunquam diſſoluit. Sed quem-
admodum mulieres quotquot dolorum partus ex-
perimenta ſumpſere, quum matres fiunt horum
quos parturiunt, quocunque fuerint, vinculo con-
tinuo alligantur: ſic & Paulus adeò multò fortius:

Digitized by Google

ſemper enim diſcipulis ſuis adhærens atque affixus erat, eóque fortius, quò naturalibus ſpiritualia vincula ſunt fortiora. Nam non ſemel, ſed eoſdem
Galat. 4. bis parturiuit, & clamauit dicens, *Filioli mei quos iterum parturio.* Id adeò mulier nunquam pateretur, neque ſufferret eoſdem iterum dolores. Sed tolerabat hoc Paulus, quod in natura non eſt videri: & quos ſemel pepererat, iterum conſpiciens actos in his dolores. Propterea & confundere eos volens, dixit: *quos iterum parturio*: quaſi diceret, Parcite mihi: nullus filius ſecundò maternum vterum partus doloribus affecit, quod me pati cogitis. Nam dolores illi vno temporis momento torquent, atque infante aluo delabente & ipſi quoque delabuntur: hi verò non ſic, ſed & menſibus tot manent. Nam & annum totum ſæpenumero parturiuit Paulus, atque haud conceptos peperit. Et illic quidem carnis eſt labor, hic verò non ventres extenduntur, vnde illi ſunt dolores, ſed animæ robur lacerant. Atque vt diſcas eos feruentiores eſſe dolores quæ vnquam mater optat natorum loco gehen-
Rom. 9. nam ſuſtinere? Sed optat anathema eſſe à Chriſto, quò poſſet in Deo edere quos ſemper continuè
Ibidem. parturibat, & dicebat: *Triſtitia mihi eſt magna, & inceſſabilis dolor cordi meo.* Atque idem iterum: *Filioli mei*
Galat. 4. *quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis.* Quidnam aluo illa beatius fuit, quæ tales filios parere potuit, qui in ſe Chriſtum haberent? Quid verò fœcundius eo qui orbem progenuit totum? Quid eo fortius, qui editos & adultos abortiuos poſſet denuo concipere ac formare? Id autem in naturali partu præter humanas eſt vires. Quare igitur non dixit: Filioli mei quos iterum progenero, ſed parturio? Etenim alibi generans, inquit: *In Chriſto enim*
1. Cor. 4. *Ieſu ego vos genui.* illic ergo progeniem tantummodo oſtendere voluit, hic verò & partum coram ſtatuere conatus eſt. Quomodo enim filios vocat nondum enixos? Si enim parturit, nondum peperit: quomodo filios vocat? Vt diſcas, quòd is prius eos non parturiuit doloribus, quod ſatis illis fuerat ad ruborem. Si enim, inquit, ſemel factus ſum pater, debitúmque in vos partum toleraui, vos verò filij facti eſtis, quomodo me ad ſecundos iterum dolores mittitis? Satis enim qui principio habentur, ſunt partus dolores, quid me ſecundariò doloribus cruciatis? Nam eorum qui nondum crediderunt caſus, non ſecus quàm fidelium labores ſibi accedebant. Intolerabile enim fuerat poſt talium myſteriorum communionem videre quoſdam ad impietatem ſponte declinare. Quare acriter & ſublimè, ac omni muliere paſſibilius ingemiſcebat, dicens: *Filioli mei quos iterum parturio, donec Chriſtus for-*
Galat. 4. *metur in vobis.* Id autem dixit, & fidere eos, & timere volens. Cum enim oſtendit non formatum in ipſis Chriſtum, timorem incuſſit & agoniam: cum demonſtrat poſſe formari, iterum fidem voluit. In eo enim quod dicitur, donec formetur, vtraque ſunt oſtendentis, quódque nondum formatus eſt, & formari poſſe. Si enim foret impoſſibile, inuacuum ad eos dixiſſet; donec Chriſtus formetur in vobis: ipſos ſpe vana nutriuiſſet. Hæc igitur ſcientes, neque ipſi à ſpe cadamus, ſed neque omnino pigritemus. Vtraque enim hæc pernicioſa. Deſperatio quidem exurgere non ſinit, & ſtantem cadere facit, & neglectus quidem ex ipſis detrudit cœlis. Deſperatio in ipſam malitiæ deducit abyſſum, ſicut fidentia deductum inde velociter trahit. Conſidera verò vtriuſque vim: diabolus ante hæc bonus erat, pigritans verò & deſperans cecidit, tantaq; obrutus malitia eſt, vt in poſterum non reſurgeret. Quòd enim bonus erat, audi quid dicit: *Vidi*
Lucæ 10. *ſatanam veluti fulgur cadentem de cælo.* Fulguris enim ſimilitudo, & claritatem priſtinæ conuerſationis oſtendit, & naturæ acumen. Paulus *blaſphemus erat,*
1. Timo. 1. *& perſecutor, & contumelioſus*: vbi verò deſudauit, & ſpe non decidit, exurrexitque par angelis effe-

A ctus. Iudas apoſtolus erat, ſed pigritans factus eſt Matt. 27.
proditor. Latro item poſt tantum malitiæ, vbi de Lucæ 26.
ſpe non lapſus eſt, ante omnes paradiſum ingreditur. Phariſæus confidens quaſi ſua clarus virtu- Lucæ 18.
te, ab altitudine cecidit in profundum. Publicanus non diffidens ſic erectus eſt, vt illum præueniret. Vis vt tibi oſtendam & vrbem omnem hoc facere? Niniuitarum vrbs ſic omnis ſaluata eſt, & illos certè lata iam ſententia à ſpe depulerat. Non enim dixit, ſi pœnitentiam egerint, ſaluabuntur: ſed ſolum, *tres adhuc dies, & Niniue ſubuertetur.* Sed tamen iu- Ionæ 3.
bente Deo, & propheta clamante, ſententia non correctionem habente, non ceciderunt à minis, neque bonas ſpes perdiderunt. Propterea enim conditionem minis appoſuit, neque dixit, pœnitentiam ſi egerint, ſaluabuntur: quò & ipſi latam Dei ſententiam audiẽtes, neque ſic à ſpe cadamus, ſed eo fidentes exemplo haud deficiamus. Nam
B vel in eo eſt maximè videre Dei clementiam, quòd ſententiæ conditionem minus apponens, tamen pœnitentibus reconciliatur: ſed vel ex eo quod apprehenſa ferebatur, augeri volens timorem, eóſque plurima ſua morderi pigritia, id effecit, ipſúmque pœnitentiæ tempus ineffabilem eius oſtendit clementiam. Quomodo enim tres dies effeciſſent, vt deleretur malitia tanta? Cernis quomodo adhuc Dei clementia apparet? plura enim hic ad eius vrbis ſalutem contulit. Hæc igitur ſcientes, ſpe nunquam cadamus. Neque enim vel ſic diabolo ceſſeris vt deſperes, quòd neque tam adeò lætum eum peccantes reddimus, quàm facimus deſperantes. Audi de fornicante quòd ſupra peccatum Paulus deſperationem timuerit. Corin- 1. Cor. 5.
thiis enim ſcribens, ſic inquit: *Omnino auditur in vobis fornicatio, & talis, quæ nec inter gentes nominatur.* Non dixit, quam nec in gentibus audent: ſed, neque no-
C minatur, quod modò aduſque appellationem illis intolerabile, id ipſi opere auſi eſtis. *Et vos inflati eſtis*: Ibidem.
& non dixit, ille inflatus. Sed eum qui peccauerat, dimittens, ſanos alloquitur: quemadmodum medici faciunt, ægros dimittentes, adhærentibuſque plurimo ſermone vtuntur: Secus autem & hi omnes mendacij cauſa erant, nequaquam corripientes, neque terrentes. Mouit igitur crimen, quò facilis curatio vulneris fiat. Graue quidem peccatum eſt, ſed multò grauius altum ſapere in peccato. Nam ſi de iuſtitia inflari, iuſtitiæ ſit euacuatio: multò magis id in peccatis ſi contingat, maximam nobis iacturam inferet, atque ipſorum peccatorum maius crimen fuerit. Propterea inquit, *cùm omnia quæ præcipiuntur vobis feceritis, dicite, quia ſerui inutiles* Lucæ 17.
ſumus. Si enim qui omnia faciunt parua feciſſe computabuntur: multò magis & peccatorem flere decet, & infimum ſeſe omnium computare. Id itaque oſtendens, tunc dixit: & non magis fleuiſtis. Quid
D dicis? alter peccauit, atque ipſe plorabo? Ita, inquit: corporis enim & membrorum exemplo mutuò compacti ſumus. In corpore enim tametſi pes Correptionem fraternam docet.
vulnus accipiat, humi declinans, caput inclinamus. Et quid eo venerabilius? ſed tamen dignitatem ſuam non nouit calamitatis tempore. Idem & ipſe fac. Quare & Paulus admonet, dicens: *Gaudete* Rom. 12.
cum gaudentibus, flete cum flentibus. Et non magis fleui- 1 Cor. 4.
ſtis *vt tolleretur de medio veſtrum qui opus id fecerat.* Non dixit, & non magis ſtuduiſtis: ſed quòd non magis fleuiſtis, quaſi morbo communi & peſte ciuitatem comprehendente: quaſi diceret: Orationem exigit, & confeſſionem, & preces, quò morbus tota ciuitate tollatur. Vide quantum his timoris incuſſit. Et quoniam putabant ad illum duntaxat perueniſſe malum, ac conſtitiſſe, eos ſollicitos reddit, dicens: *Neſcitis quòd modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Ibidem.
Quod autem dicit, tale eſt: Vltra graditur malum, atque reliquis ſeſe applicat membris, veluti de communi malo conſulentes, curare vos decet. Neque id mihi ſubieceris, quòd ille ſolus pecca-

Digitized by Google

Simile. uit, ſed illud conſidera, quòd ſanies quædam eſt peccatum, reliquum corporis depopulans. Veluti domo ardente, & qui nondum malo læduntur, his qui in malo ſunt, moleſtia non minori premuntur: atque vniuerſa conferunt, quò ne vrgens ignis ad proprias inualeſcat domos. Sic & vos Paulus excitat, dicens: Pyra quædam eſt, præueniamus malum, extinguamus incendium priuſquam eccleſiã inuadat: ſi verò neglexeris peccatum, veluti in alieno exiſtens corpore, maximè quidem vel ſic malè. Ille enim membrum totius eſt corporis. Verùm & id conſidera, quòd ſi pigritaueris ac ſpreueris, te quoque quandoque comprehendat. quare ſi non fratris, tua tamen cura exciteris. Reprime peſtem, saniem coërce, depopulationem amputa. hæc & his plura dicens, & mandans tradi illum ſatanæ; denique inquit: Quandoquidem conuerſus, & melior factus, ſatis huic ea fuit correctio à pluribus. 2. Cor. 2. *Confirmate ſuper eum charitatem:* vbi enim cõmunem inimicum & aduerſarium ſtatuit vniuerſis, & à grege excluſit, à corpore recidit, vide quanto in eum vtitur ſtudio. Vt enim rurſus coniungat & annectat, non modò amate eum, dixit: ſed confirmate ſuper eum charitatem firmam: id eſt, immobilem in eum oſtendite amicitiam, calentem quandam, & feruidam, atque ignitam: æquiualentem priori inimicitiæ dilectionem inferte. Quid factum eſt? num tradidiſti eum ſatanæ? nónne iuſſiſti? Ita, inquit, ſed non quò in manibus ſatanæ permaneat, ſed eius dominatum illico diffugiat. Et quemadmodum dixi, conſidera quàm timuerit deſperationem Paulus, quàm magnam diaboli armaturam: dicens enim, *Confirmate ſuper eum charitatem:* & cauſam addit, *Ne fortè nimia triſtitia abſorbeatur.* hic in lupi faucibus eſt ouis: præueniamus igitur, præripiamus antequam abſorbeat aut corrumpat noſtrum membrum. Simile. Periclitatur nauis: priuſquam obruatur, eripere naufragio ſtudeamus. Quemadmodum enim mari ſeſe tollente, & fluctibus vſque ad ſummum eleuantibus, ſub procella ſcapha inũdatur: ſic & anima vndique mœrore circundata, velocius demergitur, ni quempiam dantem habuerit manus. Et quæ ſalutaris in peccatis eſt mœſtitia, exitialis immoderata fit. Atque vide quomodo accuratè dixit: non enim dixit, ne hunc diabolus perdat: ſed quid? ne lucrifiamus à ſatana. Auaritia enim eſt aliena concupiſcere. Oſtendens igitur alienum ab eo de cætero factum, & quod in Chriſti gregem domeſticum ſe pœnitentia redegit, inquit, ne lucrifiamus à ſatana. Si enim de cætero comprehendat eum, noſtrum rapiet membrum, de grege ouem ſurripiet: nam pœnitentia peccatum depoſuit. Sciens igitur Paulus quid fecerat diabolus Iudæ, timuit ne quid fortaſſe idem faceret. Quid autem fecit in Iuda? pœnituit Iudam: Matt. 27. *Peccaui,* inquit, *tradens ſanguinem iuſtum.* audiuit hæc diabolus, nouit in melius viam capientem, & ad ſalutem tendentem, timuitque mutationem. Clementem, inquit, Dominum habet: cùm traditurus eum fuerat, plorauit, atque ipſum miris prouocauit modis, nunc multò fortius correptum, & peccatum fatentem trahet. Idcirco enim crucifigendus venit. Quid ergo fecit? exterruit eum, & obtenebrauit, mœroris magnitudine effugauit, perſecutus eſt, quò ad laqueum duxit, atque è præſenti duxit vita, pœnitentiæque propoſito priuauit. Quoniam ſi vixiſſet, & ipſe fortè ſaluatus foret. Argumentum ex crucifixoribus ſumitur. Si enim hos qui eum crucifixerant, ſaluauit, & ipſe in cruce exiſtens rogauit patrem, indulgentiámque tantæ audaciæ poſtulauit: conſtat quòd & ipſum proditorem dignè pœnitentem cum manſuetudine ſuſcepiſſet. Sed ille præſeruari in medicina non tulit, mœrore nimio abſorptus. Id igitur & Paulus timens, Corinthios ſollicitabat eripere à faucibus diaboli hominem. Et quid opus eſt de Corinthiis dicere? Petrus enim poſt myſteriorum cognitionem ter negat, & plorans deleuit omnia. *Paulus perſecutor blaſphemus, contumelioſus,* (1. Tim. 1.) non crucifixum modò, ſed illius vniuerſos perſequens, pœnitentia ductus, Apoſtolus efficitur. Solùm à nobis Deus orationem vel paruam exigit, atque vniuerſa dimittit nobis peccata. Dico & parabolam idipſum confirmantem. (Luc. 15.) Duo quidem erant fratres, paternamque diuidentes ſubſtantiam, alter quidem cuncta quæ obuenerant, comedens, patria extorris factus erat: hic paupertatis non ferens pudorem. Hæc autem dico, quò ſciatis & peccatorum quæ poſt baptiſma contrahuntur, remiſſionem eſſe, ſi attendimus: dico non vti ad inertiam compellam, ſed à deſperatione reuocem. Nam ea nobis quàm inertia maiora confert mala. Quoniam hic filius eos qui poſt baptiſma cadunt, pœnitentia tamen reſurgentes, filios eſſe oſtendit, Filius enim dicit: Nam extra baptiſmum nemo filij appellatione nominatur, & domum habitat paternam, & paternam in ſortem accepit omnia. Ante baptiſma non eſt paterna accipere, neque hæreditatem conſequi: ita vt ex his fidelem hunc fuiſſe comprobetur. Et probi atque frugalis frater erat, frater verò ſine ſpirituali regeneratione nequaquam fuiſſet. Hic igitur ad ſummam malitiam veniens, quid inquit? *Reuertar ad patrem meum.* Propterea hunc pater dimiſerat, neque prohibuerat quominus in patriam abiret alienam, quatenus experimento diſceret accuratè quantum beneficium ſuſceperit domi manens. Sæpe enim Deus, quum dicens minus ſuadet, rerum experimentis doctrinam promittit. Quod & ad Iudæos dixit: quoniam quidem infinita per prophetas verba impendens, non ſuaſit, neque illexit, omittens per flagella corrigere, dixit ad eos. *Corriget te correptio tua, & malitia tua corripiet te.* (Hier. 2.) Oportuerat ipſum quidem meritò fidelem eſſe, & ante ipſarum rerum euentum: quoniam verò ſe tam adeò impudenter habuerunt, vt eo monente & conſulente minus crederent, permiſit eos rerum euentu corrigi, quò vel ſic reciperet. Quia concedens luxurioſus in alienam terram, rebus ipſis perdidicit, quid mali ſit paterna domo excidere. Rediit: non enim turbatus eſt pater, ſed mitibus ſuſcepit manibus. Quid ita? quia pater, non iudex erat: & choreæ, & facta eſt celebritas de cætero, lætáque & gaudens domus. Quid dicis? Hæ ſunt malitiæ viciſſitudines? Non malitiæ homo, ſed reditus: non peccati, ſed pœnitentiæ: non fornicationis, ſed in melius mutationis. Et quod in his eſt maius, turbatus eſt his maior filius. Is autem & hunc manſuetè mitigauit, dicens: *Quoniam tu quidem ſemper mecum es, hic verò perierat, & inuentus eſt: mortuus erat, & reuixit.* Cum verò perditum ſaluari oportet, non iudicij tempus eſt, neque ſubtilioris examinis, ſed clementiæ indulgentiæque duntaxat. Nullus enim medicus vnguenta adhibens ægrotanti, curam dimittens, incontinentiæ pœnas ab eo poſtulauerit. Si verò pœnas eum dare oportuit, ſatis pœnarum quòd in aliena verſatus eſt, dedit. Tanto enim à nobis tempore ſegregatus, fame dedecoréque ac ſummis dimicans malis, laborat: propterea, inquit, *& perierat, & inuentus eſt: mortuus erat, & reuixit.* Non enim, inquit, attendes præſentia, ſed prioris calamitatus magnitudinem conſidera. Fratrem intueris, non alienum, ad patrem qui priorum neque vel parum recordari poteſt: magis verò eorum ſolùm reminiſcitur quæ ad compaſſionem, miſericordiam, clementiam, indulgentiam poſſent inducere, genitoribus accommodata. Propterea non quæ fecit, dixit, ſed quæ paſſus eſt. Non quòd ſubſtantiam diſſipauerit, meminit, ſed quòd innumeris periclitatus eſt malis. Sic & ouem tanto ſtudio quæſiuit, magis autem maiori: hic enim ipſe rediit filius, illic autem ipſe abiit paſtor, & inueniens reduxit, & lætatus eſt ſuper eam magis quàm ſuper

Digitized by Google

cæteris quæ ſaluæ erant. Cernis verò quòd reduxit, quòd non flagellauit, ſed ferens in humeris rurſus gregi redditur. Igitur intelligendum non modò à redeuntibus non auerti Deum, ſed hos non minori cum iucunditate, quàm ipſos proficientes recipere: quòd non modò pœnas non exigit, ſed ad errantium inquiſitionem proficiſcitur: quòd horum plus gaudet inuentione, quàm cæteris tuto in loco perſeuerantibus. Ipſi neque malis obruti, ſpe ſternamur, neque bonis abundantes confidamus: ſed & proficientes timeamus, ne per confidentiam labamur, & labentes pœnitentiam non recuſemus. Quod enim incipiens dixi, & nunc dico, duo hæc: Stantem confidere, & deſperare iacentem, perditionem animarum eſſe. Quare ſtantes roborans Paulus dicit: *Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat.* Et iterum: *Timeo ne fortè aliis prædicans, ipſe reprobus fiam.* (1. Cor. 10) Iacentes erigens, & ad vlterius excitans ſtudium teſtificabatur, Corinthiis ſic ſcribens: *Ne fortè multos defleam qui antè peccauerunt, & pœnitentiam non egerunt*: (2. Cor. 12) oſtendens non tam peccantes, quàm non pœnitentes dignos lachrymis fore. Et propheta ad eos: *Nunquid qui cadit, non reſurget, aut auerſus non reuertetur?* (Hier. 8.) Quare & eoſdem exorans Dauid dicit: *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione.* (Pſal. 94.) Quo hodie dicitur: Ne corruamus ſpe, ſed bonas in Domino ſpes habentes, & pelagus clementiæ ſuæ cognoſcentes, omnem conſcientiam excutientes malam, multa cum ſpe propoſitóque adhærentes virtuti, & pœnitentiam maiorem in modum oſtendentes, hic vniuerſa deponamus peccata, vt multa cum fiducia coram Chriſti tribunali ſtare poſſimus, regnúmque cœlorum conſequi. Cuius omnes nos participes fieri contingat, gratia & clementia domini noſtri Ieſu Chriſti, cui cum Patre, ſimul cum ſancto Spiritu gloria, imperium, &c.

Homiliarum D. Ioannis Chryſoſtomi de pœnitentia, Lælio Tifernate interprete, finis.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de pœnitentia,

Sermo.

PROVIDA mente, & profundo cogitatu cognoſci debent duo rerum diſtincta negotia: id eſt, quantum diſtat inter bonum & malum, nec aliunde hæc cogitatio, quàm à primordio repetenda eſt. Quid aliud eſt malum, quàm peccatum committere? quid eſt bonum, quàm agere pœnitentiam pro commiſſo? Hæc eſt diſcretio vtriuſque negotij. Serpens in paradiſo peccatum ſuaſit. Heuam pœnitentia recluſit, & inde boni malíve origo. Quis Deo dignior quàm Dauid? Et tamen deliquit. Qui cecidiſſet de culmine, ſi non fuiſſet compunctus. Quis ſceleratior Manaſſe? & hunc pœnitentia reuocauit. Pœnituit Deum quod Saulem regem elegerit: quapropter? niſi quia idem pœnitentiam ignorauit. Quis ſapientior Salomone? Sed neſciens pœnitentiam, perdidit gratiam. Et ob hoc dictum eſt, *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* (Pſal. 7.) Concipit peccator delicti dolorem, & ſi non pœnituerit, parit ſibi mortem. Paruulus antequam prodeat ex vtero, dolor eſt matri: poſtquam verò editus fuerit, venit ei gaudium. (Peccati incommoda.) Peccatum verò conceptum coluber eſt, in præcordiis hominis parit mortem, niſi fuerit pœnitudine expiatum. Peccati conceptio ſerpens eſt in præcordiis latens. Conſummatum venenum ſpirat, & lethiferum generat morbum. Qui peccatum parit, in iudicium cadit: & ſi neglexerit, in ipſo manebit. Natum ſuum mulier libenter perlactat, natum verò peccatum facit exitium nutrienti. Peccati verò pater & mater eſt venter incontinens & libido, captúſque ducitur in vtraque prodigus & profuſus. Peccati virtus confuſa ebrietas, & caſtigandi ſecuritas. Seminarium delicti, lex eſt cupiditatis in membris: & cor impenitens capietur ab ea. Commiſſum crimen dulce eſt ad momentum, ſed vertitur protinus in exitium. Temerarius & audax feſtinus cecidit in crimen, declinat autem ab eo prouidus pœnitendo. (Simile.) Nam ſicut aqua ignem extinguit ardentem, ſic pœnitentia diluit crimina fontibus lacrymarum. Sicut in tenebris non eſt abſque lucerna lumen, ſic non poteſt homo peccatum ſine pœnitentia abluere. Hoc de homine iam baptizato dicit. Item lector intelligat martyrium pœnitentiæ præteriti non egere. Et ſicut lux diei non quærit lucernam: ſic iuſtitia ante Deum ſine pœnitentia lucet. Pondus peccati deprimit deſperantem, prouidus autem pœnitens leuius pergit. Præſumptiuo ſpiritu ſubintrat peccatum, & multiformis callidus diſcurrit in homines: ſapiens autem non illi dat locum gradiendi. In corde pigri vt cereus ardet peccatum: nam in pectore pœnitentis liqueſcit vt cera. Peccati princeps factus eſt aſpis. In Adam ſubintrauit eius dolus, & fecit eũ intra ligna paradiſi latere confuſum: vocauit illum Deus non matutina ſed veſpertina voce, dicens: *Adam, vbi es?* Et quid ille? *vocem tuã audiui, & timui: quia nudus ſum, & abſcondi me.* (Gen. 3.) Timui. Quare? Quia peccaui. Abſcondi me. Quare? Quia nudus ſum, & erubui. Quia ergo expulſus eſt pater per peccatum, reuocantur filij per pœnitentiam. (Pœnitentiæ laus.) Nam quod peccatum clauſit, pœnitentia reſerauit: & de quo ira præcipitauit, pietas reuocauit. Qui non pœnitet modò, nullus manebit in vmbra mortis: qui verò timet Deum, per pœnitentiam illuſtratur. O pœnitentia quæ peccatum miſerante Deo remittis, & paradiſum reſeras: quæ contritum ſanas hominem, & triſtem exhilaras: vitam de interitu reuocas, ſtatum reſtauras, honorem renouas, fiduciam das, & reformas vires gratiámque abundantiorem refundis. O pœnitentia, quid de te noui referam? Omnia ligata tu ſoluis, omnia ſoluta reſeras, omnia aduerſa tu mitigas: omnia contrita tu ſanas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas. O pœnitentia rutilantior auro, ſplendidior ſole, quam non vincit peccatum, nec defectio ſuperat, nec deſperatio delet. Pœnitentia reſpuit auaritiam, horret luxuriam, fugit furorem, firmat amorem, calcat ſuperbiam, linguam continet, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſufferre: ſi violentus quærat quæ habet, non vetat: ſi veſtem dirimat, non refragatur: percutienti maxillam præbet alteram: iam angariatus vltro adiicit, caſtigatus gratias agit, prouocatus tacet, exaſperatus blanditur: ſuperiori ſupplex eſt, inferiori ſubiacet, in corde eius contritio eſt, in ore eius confeſſio, in opere tota humilitas. Hæc eſt perfecta & fructifera pœnitudo. Sic pœnitenti præſto eſt Deus, eſurienti nutritor, ſitienti potator. Sapienti quod ſultũ putatur, ſapit: quod triſte eſt, placet: quod molle eſt, diſplicet: quod fluxum eſt, horret. O pœnitentia miſericordiæ mater, & magiſtra virtutum, magna opera tua, quibus reos reſoluis ac reficis delinquentes, lapſos releuas, recreas deſperatos. Per te nobis Chriſtus regnum cælorum appropiatum deſignat dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* ita & Baptiſta clamat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ*, (Matt. 3.) quoniam ecce adeſt regnum Dei. Per te ſubitò rapuit latronem Chriſtus ad regnum: per te Dauid poſt flagitium felix iterum recepit Spiritum ſanctum: per te Manaſſes poſt cruenta facinora ecce meruit fieri acceptabilis: per te Petro Apoſtolo poſtquam ter negauit, data eſt indulgentiæ dextera: per te filius prodigus regreſſus ad patrem, non ſolùm amplexum oſculumque paternum, ſed etiam epulum vituli ſaginati, veſtemque inſignem promeruit adipiſci:

per-

per te mulier fornicaria vberes ſtillauit lacrymas, fonteque ſui baptiſmi protinus lauit pedes Chriſti, crineque deterſit: per te Niniue ciuitas magna, populuſque integer Barbarorum ſubitò Deum ſapuit, virtutem tuam ſenſit, odorem tuum accepit, ſaporem tuum ſtrinxit, dulcedinem tuam guſtauit, cilicium contraxit, cinerem tuum comedit, ieiunium tuum protraxit, lacrymas tuas profudit, gemitum tuum, ſuſpiriumque perſenſit, fructuſque vbertatis tuæ abundanter exhibuit, & ſic per opera tua non ſolum decretæ mortis diſcrimen euaſit, ſed etiam vitæ incognitæ coronam accepit. Cuius ſimilitudini pœnitentiam comparemus? Sic eſt quomodo ager fructifer, aut vinea fœcunda, aut etiam arbor fructifera; fructus eius edit peccator famelicus, proficit in fiducia Dei, acceptaque remiſſione pingueſcit in vita, & hæc ſunt verba eius. *Domine ante omne deſiderium meum, & gemitus cordis mei non eſt abſconditus à te.* (Pſal. 37.) Clamorem meum, ſuſpiriumque intellige, pauor peccati ſollicitat me, pondus conſcientiæ meæ deprimit me; non eſt mihi ſpes viuendi, neque fiducia moriendi; iudicium tuum Deus vereor, & pœnas timeo præparatas impiis. Audi me obſecro, modo dum tempus eſt, remitte quod timeo; dele quod vereor, priuſquam abeam, & amplius non ero. Tali animo pœnitenti remiſſio datur, & vita donatur, nec regnum deerit à Domino tribuendum. (Lacrymarum pœnitentium vtilitas.) Quid ergo times pœnitentiam, ô homo, ſine qua non eſt viuere, nec Deo placere? Clamat Hieremias compunctus pro populo; *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum*, & flebo vulnera populi mei? (Hier. 9.) Sciebat enim quòd lacrymæ iuuarent populum transmigratum, ſciebat quòd eius fletibus ſubueniret: ſciebat quòd Deus contritionem quærit, & fletibus flectitur: ſciebat quòd Deus lugentes lætificat, & pœnitentibus præſto eſt. Ideo prophetandi locum quærebat remotum, vt vſque ad vallem pertingeret lacrymarum, quam Deus amat, quam Chriſtus amplectitur. Vallis eſt remotis fletibus diſcreta, quæ dicitur Ioſaphat, in qua iudex cœleſtis populos diſcutit, & omnes gentes examinat. Diſpoſuit in conualle fletus. Eſt enim vallis hæc propter iudicium quidem metuenda: ſed propter pœnitentiam exoptanda. Publica enim & ſecreta eſt. Publica eſt ad futuri iudicij pœnam, & ſecreta eſt propter ſalubres pœnitentiæ lacrymas. Magnus profectus eſt lacrymarum, vt plorando ſeruus propitiet Dominum, filius lacrymis mitiget patrem & aſperam matrem plorans paruulus muleeat. Ita ergo & peccator profuſis fletibus remouet iram Dei, reformatus in ipſo. Cupit videre Timotheum Paulus propter fletum: *Deſidero, inquit, videre te, memor lacrymarum tuarum.* (2. Tim. 1.) & Dauid dicit: *Venite adoremus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos:* (Pſal. 94.) & iterum: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte,* (Ibid. 41.) &: *Potum meum cum fletu miſcebam, ſtratumque meum per ſingulas noctes cum lacrymis rigabam.* (Ibid. 6.) & iterum: *Deus vitam meam annunciaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo*: (Ibid. 55.) tanquam ſi diceret, Suſcipe Domine lacrymas meas, quoniam lacrymæ ſunt quæ radunt rudera, & ſanant vulnera: lacrymæ ſunt quæ pænitentiam armant, & indulgentiam prouocant, lacrymæ ſunt quæ cælum pulſantes, crimina delent, & conſcientiam degrauant. Sonant in ore pænitentiæ verba, & mouent in pectore pietatis veniam. Et impletur caput aqua, tumeſcunt oculi, rigantur genæ, decurrunt riuuli, & Deus indulgentiæ mentem exhilarat. Lacrymæ ſunt, quæ reconciliant Deo, à peccatis redimunt animam, & ſanant languores eius: Sordentem animæ veſtem lacrymæ lauant, & dant illi remiſſionis candorem. (Simile.) Nam ſicut auceps auium, aut viſco, aut reti in grano aliquo captum tenet paſſerem, & manu ſua ſubtiliſſimo funiculo ligatum retinet, & quaſi dimittens laxum de manu ſua, dans ei liberam volandi poteſtatem: at ille auidus ad volandum, euaſumque ſe putans, alacer altiora appetit: ſed iſte ſummum funiculum tenens, reſtringit eum cum volauerit, & ad ſe trahit, ab ſpe volandi & viuendi deceptum. Ita & diabolus verſutus venator, & per ſpiritum præſumptionis laqueo ſuo deceptum implicat hominem: qui ſemel hæſerit, vult quidem ab eo euelli, ſed vinculum velox venator tenens, reuocat captum ſemel in laqueo, & reuolutum premit. (Conſuetudo peccandi periculoſa.) Et quidem vinculum ipſum fluxum eſt, ac facilè poteſt diſrumpi: ſed deſidia noſtra & dilatio diuturna, facit vt robuſtum fiat, & non citò rumpatur. Quicquid enim durum aut rigidum obiicit, vigilantia vincitur, & pœnitudine propulſatur, orationibus mollitur, fletibuſque reſoluitur. Nam vbi præſumptionis ſpiritus imperat, ibi excluſa pœnitudine, ſola peccati arbor fructibus ſuis exuberat. Et hæc eſt arbor, in qua deceptus protoplaſtus in mortem defluxit. Sed reſtat lignum vitæ in paradiſo Dei repoſitum, quod nunc per pænitentiam recepit homo. O homo recurre ad arborem vitæ. Quid tardas manducare fructus eius, vt maneas in æternum? Quid times pænitentiam? Nihil tam durum quod non deleat: nunc cum guſtaueris, tunc præſentis quoniam ſuauis eſt, & odor eius in naribus, & ſapor in faucibus. Pænitentiæ ſapor eſt ieiunium pro peccato. Quando perfectam verè arripueris abſtinentiam, & compellentis gaſtrimargiæ cupiditatem ſuperas continendo, pænitudo eſt. Quando perſuadentis gulæ libidinem vinum potando vincis, & iam eo quàm parciſſimè vteris, pænitudo eſt. Quando te ſomnus premit, & vincis eum, & vigilas propter Deum, pænitentia eſt. Quando eſurienti fœneras, pretium vitæ eſt, veſtire nudum, paſcere peregrinum, & cum indigentibus menſæ habere conſortium. Scriptum eſt enim: Quoniam *eleemoſyna à morte liberat*, (Tob. 12.) ſi non habet huius vituperationis meritum: quia eleemoſyna cum iniquitate acquiſita, abominatio eſt coram Deo. Illa eſt pretium perpetuæ vitæ. Si oraueris & ieiunaueris, & eleemoſynam iuſtè feceris, compleſti pretium, redemiſti peccata tua, remiſſa ſunt crimina, reparata eſt vita tua. Duo æra munita mulier vidua miſit in aream Dei, & prælata eſt opulentis. Et quid de duobus minutis dico, quando calix aquæ frigidæ porrectus non vacat à pretio vitæ? Ergo non expaueſcas pœnitentiam, ſed eſto in proceſſu eius promptior, in opere paratior, in amore propenſior. Riſum fuge, linguam contine, mores compone, vitia vince, virtutem dilige, ſanctitatem ſequere, promiſſa malè loquentium damna, & plena eſt pœnitentia tua atque perfecta, & promerebitur indulgentiam: præſtante ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi ſermo de pœnitentia & confeſſione.

OBSECRO, flagito, ſupplicò, vt hic peccata noſtra deploremus & lugeamus, doleamus ob peccata noſtra, nec erit quod illic terreat: mordeant nos hic verba, & non lancinabit nos illic vermis venenoſus: vrat nos hic increpatio, & non vret nos illic gehenna ignis. Conſectaneum erit, vt qui hic lugent, illic conſolationem accipiant: qui verò hic rident & deliciantur, & in peccatis iacent, neceſſe omnino vt illic videant lugentes, & plorantes, & dentibus frendentes. Non meus hic ſermo eſt, ſed eius qui iudicaturus eſt nos. *Beati, inquit, lugentes, quoniam ipſi conſolationem accipient. Væ vobis qui ridetis, quoniam plorabitis.* (Matt. 5. Luc. 6.) Quantò nunc melius temporalem compunctionem & breuem luctum mutare bonis, & voluptatibus finem non habentibus, quàm poſt breuem & momentaneam vitam hic ridentes abire illuc perpetuò puniendos? Sed confunderis & erubeſcis peccata tua effari. Atqui oporte-

Digitized by Google

oportebat maximè apud homines ea dicere & in-
uulgare. Confuſio enim eſt peccare, non eſt confu-
ſio confiteri peccata. Nunc autẽ neq; neceſſarium
præſentibus teſtibus confiteri: cogitatione fiat de-
lictorum exquiſitiò, abſq; teſte ſit hoc iudicium. So-
lus te Deus confitentem videat. Deus qui non ex-
probrat peccata tua, ſed ſoluit peccata propter cõ-
fuſionem. Nunquid & ſic grauaris & retrocedis?
Verum & ego ſcio quod conſcientia non ſuſtinet
ſua delicta. Nam ſi veniamus ſolùm in memoriam
delictorum noſtrorum, ſicut pullus equi indomi-
tus & infrænis inſoleſcit mens, ſed coërce, refræ-
na, demulce manu, cicura teipſum, perſuaſum ha-
be, quòd niſi quis nunc confiteatur, omnino illic
confitebitur, vbi maior pœna, vbi amplior tradu-
ctio. Hic abſque teſte iudicium, & tu qui peccaſti
condemnas: illic autem in medium totius orbis
theatrum producentur omnia, niſi prius hic dete-
gamus ea. Confunderis confiteri peccata, confun-
daris admittendo. Nos autem quando ea agimus,
frequenter & impudenter audemus: quando au-
tem confiteri oportet, tunc confundimur & graua-
mur. Oportebat cum alacritate hæc facere. Non
enim confuſio accuſare ſua peccata, ſed iuſtitia &
virtus. Nam ſi non eſſet virtus, non illi mercedem
poſuiſſet Deus. Habet enim mercedem confeſſio.
Audi quid dicit: *Dic tu prior peccata tua, vt iuſtificeris.*
Eſa. 43. Quis confunditur de opere à quo fit iuſtus? Quis
confunditur confiteri peccata, vt ſoluat peccata?
Num propter hoc iubet confiteri te, vt puniat?
non vt puniat, ſed ignoſcat. Nam in externis iudi-
ciis poſt confeſſionem pœna. Idcirco & Pſaltes
iſtuc ipſum ſuſpicans, ne quis veritus pœnam poſt
confeſſionem neget peccata, dicit: *Confitemini Domi-*
Pſal. 117. *no quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.* Num
ignorat peccata tua Deus, ſi tu non confitearis?
Quænam vtilitas tua etiamſi non confitearis? Num
potes latere Deum? Etiamſi non dicas illa, ipſe no-
uit: ſi autem tu dicis, ille obliuiſcitur. *Ecce ego ſum*
Eſa. 43. *Deus, qui deleo iniquitates tuas, & nunquam memorabor.* Vi-
des? ego nunquam memorabor, inquit. Hoc miſe-
ricordiæ fuerit, tu autem memor eſto, vt emenda-
tionis capias argumentum. Hæc vt audiuit Paulus,
quod Deus peccatorum non ſit memor, ipſe con-
tinuò memor fuit, ſic dicens: *Non ſum dignus qui vocer*
1. Cor. 15 *Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam.* & : *Chriſtus Ie-*
ſus venit in mundum, vt ſaluet peccatores, quorum ego ſum pri-
mus. Condonata fuerant peccata à Deo: ſed memo-
ria peccatorum condonatorum non euanuit apud
Paulum. Et ea quæ Dominus deleuit, illa ipſe in-
uulgauit. Audiuerat enim Prophetam dicentem:
Eſa. 43. *Ego non memorabor, tu autem memor eſto.* Deus vas bene-
dictionis eum vocabat, & ipſe primum ſe peccato-
rem vocat, non oblitus peccatorum ſibi condona-
torum: cogita quomodo beneficiorum Dei memor
fuerit. Et quid dico, quod non confundit peccato-
Memoria peccatorum quã ſit vtilis. rum memoria? non ita claros nos reddit bonorum
operum memoria, ſicut memoria peccatorum: imò
nos bonorum operum memoria non ſolum claros
non facit, ſed & confuſione replet, & condemna-
biles efficit. Peccatorum autem memoria implet
nos fiducia iuſtitiáque multa. Quis hoc dicit? Pha-
Lucæ 18. riſæus & Publicanus. Nam hic dictis peccatis rediit
domum iuſtificatus: ille autem dictis bonis operi-
bus deſcendit factus Publicano inferior. Vides
quantum damnum ſit meminiſſe operum, quanta
vtilitas non obliuiſci peccatorum? Et valde meri-
tò. Nam qui bona opera commemorat, arrogans
efficitur, hominéſque alios contemnit, id quod &
phariſæo accidit. Non enim in tantam arrogan-
tiam veniſſet, ſi non dixiſſet, vt cæteri homines, ſi
non commemoraſſet ieiunia ſua, & decimas. Pec-
catorum autem memoria mentem humiliat, & hu-
militer ſapere facit, & per humilitatem conciliat
ei gratiam Dei. Audi ſaltem quomodo Chriſtus
Lucæ 17. præcipit nos obliuioni tradere bona opera: *Quando*
A *hæc omnia feceritis, dicite, quoniam inutiles ſerui ſumus.* Ego
te non facio inutilem, tu autem ſi confeſſus fueris
vilitatem tuam, ego te illuſtrem faciam, & corona-
bo. Vides per quot nobis demonſtratum eſt, quan-
tum lucri nobis ex peccatorum accreſcat memo-
ria? Et è diuerſo quoque pœna quidem nobis à
peccatorum obliuione: vtilitas autem, ſi bonorum
operum noſtrorum obliuiſcamur. Vis & aliunde
diſcere, quod maximum bonum opus ſit meminiſ-
ſe peccatorum? audi beatum Iob. Sicut enim de
aliis gloriabatur, ita & de confeſſione peccato-
rum, ſic dicens: Si autem & peccans ſponte decli-
nabam multitudinem populi mei, vt ne annuntia-
rem peccata mea, Quod autem dicit, hunc ſenſum
habet: Nunquam me ſocietas conſeruorum ad
pudorem duxit. Quæ enim vtilitas ex ignorantia
hominum, ſi iudex ſciat omnia? Quod autem dam-
num, ſi homines ſciant delicta, quando ille abſol-
B uere vult à pœna, licet omnes condemnent, iu-
dex tamen liberum pronuntiet? Nulla mihi ratio
eſt calculi illorum: & ſi omnes abſoluant, & admi-
rentur, ille autem me condemnet, nulla etiam mi-
hi ex illorum iudicio vtilitas. Vbique enim ad il-
lum ſpectare oportet, & idem facere in peccatis,
quod in pecuniarum ſumptibus. Statim cum ſur-
reximus à lecto, priuſquam nos conferamus in fo-
rum, vel priuſquam aggrediamur opus aliquod vel
priuatum, vel publicum, vocato miniſtro rationem
ſumptuum petimus, vt ſciamus quidnam male, vel
quid bene expenderit: & ſi viderimus parum quid-
dam deſiderari, omnibus modis recogitamus ac-
ceſſionum occaſionem, ne inuiti perdamus. Facia-
mus igitur hoc & in operibus noſtris vocata con-
ſcientia noſtra. Faciamus ſimiliter rationem ver-
borum, operum, cogitationum, & ſcrutemur quid
vtiliter inſumptum ſit, & quid in perniciem no-
ſtram: quis ſermo malè expenſus in conuitia, in ſa-
C les, in turpiloquia: quæ concupiſcentia oculum in
intemperantiam prouocarit, quæ cogitatio cum
damno noſtro in opus prodierit, vel per manus,
vel per linguam, vel per cogitationes ipſas. Ope-
ram demus, vt ab intempeſtiuo ſumptu abſiſtamus
pro ſemel malè inſumptis aliud reponamus lu-
crum: pro verbis temerè prolatis, ſanctas preces:
pro viſu intemperatè facto, eleemoſynas & ieiunia.
Quòd ſi intempeſtiuè inſumpturi ſumus, nullum-
que nobis vel repoſuerimus vel theſaurizaueri-
mus bonum, in extremam redacti inopiam, ſolue-
mus pœnam, immortali igni nos inicientes. Igi-
tur ſeruorum mane rationem facere conſueuimus
operum autem poſt cœnam & veſperam ipſam le-
cto iacentes, nullo interturbante, nullo obſtre-
pente, omnium eorum quæ per diem facta & dicta
rationes à nobis exigamus: & ſi viderimus quid
peccatum eſſe, puniamus noſipſos, increpemus
D mentem & conſcientiam, compungamus ratio-
nem tanto impetu, vt non audeat vltra exurgere,
& in idem peccatorum profundum nos inducere,
memores veſpertinæ plagæ: & quòd tempus hoc
huic rationi accommodatius, audi Prophetam di-
centem: *Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris* Pſal. 4.
compungimini. Multa per diem non vt volumus faci-
mus, & amici exacerbant, & familiares exaſperant,
& vxor contriſtat, & puer dolet, & ſollicitudo ne-
gotiorum tum priuatorum, tum publicorum cir-
cumſiſtit, & non poſſumus tunc attendere, neque
quomodo ſupplantamur. Omnibus autem illis li-
berati, & apud nos collecti ſub veſpera, multa-
que fruentes quiete, iudicium in lecto requiramus,
vt Deum per tale iudicium miſericordem facia-
mus. Quòd ſi quotidie peccauerimus, & animam
noſtram contuderimus, nunquam autem ſenſeri- Conſcientia veſperi indaganda eſt.
mus, ſicut continuò vulnera accipientes & deſi-
pientes, febrem mortemque ſibi accerſunt: ita vti-
que & nos ineuitabile nobis ſupplicium continua
ſenſus carentia attrahimus. Scio quod grauia quæ

A

dicta ſunt, ſed multum habent lucri. Manſuetum habemus Dominum, ſolùm occaſionem arripere vult, mox omnem præ ſe fert miſericordiam. Nam ne peccantes & inulti manentes nos efficeremur deteriores, non remiſit nobis ſupplicium, ſed vidit hoc manifeſtè, quòd peccatis ipſis non minus damnoſum ſit non puniri: propter hoc imponit pœnam, non exigens ſupplicium de peccatis, ſed ad futura nos corrigens. Et vt diſcas quod hoc ſit verum, audi quid dicat ad Moſem: *Dimitte me, & iratus delebo eos.* Dimitte me, non quòd Moſes eum retinuerit: neque enim locutus erat ad eum, ſed ſilenter aſtabat ſua pro illis oratione. non autem ſupplicationem ei dare volebat, quoniam illi digna ſuppliciis commiſerant, ſuppliciiſque ineuitabilibus. Punire autem volebat, ſed miſericorditer: id quod eos ſegniores reddebat. Vtraque autem fecit & vt pœnam non inferret, neq; illos faceret ignauiores pœna non irrogata. Diſcebant enim, quod non ſuo merito, ſed Moſis patrocinio iram dominicam effugerint. Hæc & nos ſæpè facimus, & famulos qui peccauerunt, dignos ſuppliciis nolentes punire, neque à ſupplicij metu liberari, amicos iubemus vt illos è noſtris eripiant manibus, atque vt ita timor illorum in eis creſcat, & noſtra effugiant verbera. Hoc & Deus fecit. Et quòd hoc ſit verum, ex ipſis verbis manifeſtum eſt. Dimitte me, inquit, & iraſcar. Etenim nullus remittit, qui punire vult: tunc enim iraſcimur. Ipſe autem dicit, dimitte me, & iraſcar: vt ſcias quòd ira in Deo non ſit affectio, ſed pœna in nos eo vocabulo nominetur. Quando igitur audis Moſem dicentem: Siquidem dimittis peccatum, dimitte: pro ſeruo Dominum obſtupeſce, quòd ipſe ſibiipſi miſericordiæ occaſiones quærit. Non hic autem ſolùm hoc fecit ſed ad Hieremiam, & ad Ezechielem idem hoc dicit: Circuite & videte in viis Hieruſalem, num ſit qui faciat iudicium & iuſtitiam, & miſericors ero eis. Vidiſti miſericordiam? Multi etiam impij vnius virtute ſimul fruuntur. Multorum autem malitia, quanuis vnus ſit qui rectè agat in medio magni populi, non ruit. Sed vnus quidem homo rectè viuens populum integrum eripere poteſt ab ira Dei. Ciuitas autem integra peruerſáque in ſuam pœnam & ſupplicium attrahere bene viuentem & deiicere non poteſt. Et hoc de Noë manifeſtum. Pereuntibus enim omnibus, ſolus ſeruatus eſt. Et de Moſe clarum eſt. Solus enim potuit tanto populo impetrare veniam. Mihi autem aliud maius eſt indicium diuinæ miſericordiæ quod dicam. Quum enim non inuenit homines viuos, & fiducia præditos, qui poſſint intercedendo veniam obtinere, confugit ad defunctos, & per illos inquit, ſe remiſſurum peccata: quemadmodum Ezechiæ dicit: *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid puerum meum.* Olim enim mortuus erat Dauid. Hæc igitur omnia quum ſciamus, quòd omnia moueat & cauſetur Deus, vt nos à pœna & ſupplicio liberare poſſit, multas ei præbeamus occaſiones, confitendo, pœnitendo, lacrymando, precando, proximis iram dimittendo, in orationibus ſimus ſobrij, humilitatem animi exhibeamus, peccata noſtra continuò memoremus. Non enim ſufficit dicere, peccator ſum: ſed operæpretium eſt & ſpeciatim peccatorum & delictorum reminiſci. Sicut ignis qui in ſpinas inciderit, facilè ipſas abſumit: ita & cogitatio quæ continuè in ſeipſa omnia verſat peccata quæ à iuuentute fecit vſque ad ſenectutem, ea exuit. Deus autem qui tranſcendit iniquitates, & delet iniuſtitias, etiam à peccatis nos liberet, & regno cœlorum dignos faciat: gratia & miſericordia Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Exod. 22.

Simil.

B

C

4. Reg. 19 & Eſa. 7.

D

Diui Ioannis Chryſoſtomi de confeſſione peccati.

SERMO.

SPIRITVS ſanctus medelam purgandi facinoris, & curam admiſſi delicti obtulit, dum qualiter iram Dei placaremus oſtendit. Non vult peccatoribus inferre vindictam, qui dare quærit confitentibus veniam. Non enim vult iraſci, qui præſtruit: ſanitati conſulit, qui medicinam vulneribus ſuggerit: miſereri cupit, qui reo ſalutis conſilia & vtilitatis remedia tribuit. Cæterum punire non vult, qui ad hoc præmonet, ne cogatur vlciſci. Vult aboleri offenſam, ſi qui offendit, damnauerit culpam: vult confeſſione iam viuere eum, qui præcepta contempſerat periturus: vt cui peccatum attulit mortem, ei confeſſio afferat ſanitatem. Confeſſio enim pœnitentiam monſtrat: ſatisfactio veniam ſibi diuina pietate conciliat. Nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ita Dei poſſit confeſſione placari. O veneranda pietas Dei. Peccamus, & parcit: delinquimus, & ignoſcit: offendimus, & adhuc placatus exiſtit. Vnde qualis erga iuſtos ſit monſtrat, dum talem ſe erga peccatores oſtendat. Nec peccator iam poterit excuſari, qui confeſſionem, per quam venia naſcitur, non properauit amplecti, quò poſſit reus gemino crimine detineri: dum primò legem contempſit, vt relinqueret: & confeſſionis remedia amplecti noluit, vt periret. Rape tu, quiſquis es peccator, remedia, qui peccando diuina contempſiſti præcepta. Confeſſio afferat ſalutem, qui contemptus attulerat mortem. Viue remediis, qui moriturus fueras aliquando peccatis. Conſilia amplectere ad ſalutem data. Hortamenta diuina prouide, ac libenter admitte: peccatorum indulgentiam confeſſione inſtanti merere. Quid horres fateri, quod libenter ac properè commiſiſti? Cur cõfunderis dicere, quod non confuſus es perpetrare? Cur vereris Domino indicare, quod veritus non es ipſo præſente committere? aut nunquid eum putas admiſſa neſcire, niſi à nobis quæ commiſimus noſcat? Aut ignorare quæ fecimus putas, niſi nobis confitentibus diſcat? Peius eſt confiteri nolle, quam legem contemnere. Peius eſt admiſſi pœnitentiam ſpernere, quam monita diuina deſpicere. Peius eſt Dei offenſam non ſatisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. Et quamuis peccandi cauſa grauior videatur, leuior tamen frequenter exiſtit, dum confeſſione abſoluitur, aut contumacia debito mortis expungitur. Denique Niniuitæ confitentur, & viuunt: Sodomitæ obdurantur, & pereunt: illos impendens ſupplicium prouocat confiteri: hos vicinus interitus non confitendo efficit aboleri. Filij Iſraël quoties peccant, hoſtibus traduntur: quoties ſe peccaſſe fatentur, de eorum manibus liberantur. Ita enim nullus vnquam peccatum euaſit, vt nullus confitendo indulgentiam Dei non mereatur. Doceant diuina monita; ſi exempla docere non poſſunt. *Confitemini*, inquit, *Domino: quoniam bonus eſt.* Bonum Dominum hoc loco dicit, non iuſtum: quia qui bonum oſtendit, confiteri perſuadet. Peccatorem enim bonus abſoluit, iuſtus condemnat. Bonus indulgentiam tribuit, iuſtus merita peccatorum expungit. Apud iudicem bonum confeſſio mater eſt indulgentiæ: apud iuſtum, pœnæ debitum. Bonus confitenti tribuit veniam, iuſtus competentem infert pœnam. Vnde ſic fit, vt qui confitendo bonum ſentire noluerit, iuſtum ſentiat reticendo, & quem confeſſio poſſet abſoluere, eius contumaciam poſſit ſeueritas iuſti iudicis abolere. Quare conſule tibi peccator, dum licet: qui offenſus eſt, ſuadet Dominus: ad miſerandum Dominus ipſe paratus eſt. Nam ſi qui contemptus eſt, miſereri

Pſal. 117.

Digitized by Google

noluiſſet: rogares vt vellet: cùm ipſe miſereri deſideret, qui offendit, rogando non deſinat: liceat conſiteri, cui peccare licuit: liceat petere veniam, cui licuit contrahere culpam: indulgentiam poſtulet, qui mandata contempſit: veniam optet, qui legis iuſſa deſpexit. Confeſſio reddat, quod peccatum detraxerat. Curet pœnitentia, quod delictorum macula ſordidarat. Serpentinum virus, ſatisfactionis antidoto recurretur: peccatorum venena, precũ inſtantia depellãtur, vt Dominum, quem nobis delicta fecerant iracundum, reddant obſequia digna placatum. Et qui à nobis fuerat peccatis offenſus, confeſſione nobis miſericors reddatur & pius.

Satisfactio poſt peccatum

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani de ieiunio.

Sermo I.

PROPITIATIONIS tempus adeſt: temporis oportunitatem ne contemnamus: abiiciendorũ peccatorum tempus eſt, gratiam ne negligamus, ſed ieiunemus à cibis, ſed primùm à malis peccatis. Malitia autem eſt, quæ virtuti opponitur, inuidia, furtum, & homicidium, & bellum, & quæcunque mala dicuntur, & ſunt. Qui in malis eſt, in pœnam habet malitiam. Nam gehenna eſt malitiæ præſentis pœna. Non affligeret ſecando medicus, niſi ob præcedentem malitiam corriperet. Primum malum eſt in malitia deprehendi. Impius & alienus à Deo, etiamſi nunquam proiiciatur in gehennam, bonis priuatur. Qui non continet, à concupiſcentiis læditur: qui inuidet, afflictione ſua tabeſcit: qui furatur, erubeſcit & metuit: qui occidit, non credit vitæ ſuæ. Primum malum eſt eſſe malum. Etiamſi non ſecat medicus, ægrotat æger: etiamſi non punit Deus (nam longanimis eſt) in morbo eſt qui peccat. Dicit enim: *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Igitur qui peccat, ante peccatum ſeruus factus eſt, & iam habet pœnam. Bonum ieiunij lupatum, his qui diligunt ieiunij vtilitatem. Ne attendas ad ſolum laborem, ſed etiam ad fructum. Niſi enim ad vſum ſpectaret, non ſementem faceret qui ſerit, vt ne repoſita diſpergere videretur. Reſpiciens autem in ſpem, ſeminauit quæ habuit, vt quæ non habuit, vt quæ non metat. Dolet in ieiuniis caro, ſed epulatur anima. Quid melius in nobis, anima vel corpus? Hæc accepit vt non doleat. Nutritur autem & hoc pulchrius & melius. Oportet nos eſſe in ieiunio, nec eſt propterea corpori corruptio, ſed medicina & cura. Nam qui ieiunant, & à fluxibus corporis liberantur: & qui ſe præparant, ſuperfluitatem carnium liquefaciunt, & animam deficientem nutriunt. Semper anima corporis curam habeat. Nutrit autem & ſeipſam, & ſuiipſius curam habet. Corporis mores anima moderatur, ſibiipſi verò rationem. Iam quum corporis curam agit, multò magis decet vt & ipſa ſui curam agat. A Deo ordinatum eſt, vt anima corpori imperet. Qui præferunt corpus animæ, ſubuertunt rectum ordinem. Non ipſa corpori ſeruit, ſed ſi rectè fiat, ſemper animæ ſeruit corpus. Si autem ferias ſuas feriabitur anima in damnum corporis, & non ſapit quæ ſunt corporis, corpus ſaluatur. Quando regit corpus animam, & ipſa corrumpetur, & corpus perit. Ne putetis paruum quoddam lucrum eſſe ieiunium. Ab vno ligno ſi abſtinuiſſet Adam, ſi ab vno ieiunaſſet, mortua fuiſſet mors, imò non fuiſſet mortua

Ioan. 8.

A quæ non erat. Vides ſi hoc pharmaco vſus eſſet Adam, non fuiſſet mortale noſtrum genus. Quantæ gratiæ fuit vſus, vt reſoluatur quod inuenit Adam per intemperantiam? Quando vides, quid mali operatum ſit contrarium, hoc eſt quòd non abſtinuit ab vno ligno Adam: cognoſce quantum bonum ieiunium & abſtinentia ab his quæ licita ſunt afferant. Nam vbi attigit Adam quod non licebat, cecidit: contrà abſtinentia ab his quæ licent, ſua beneficentia ruinam reparat. Vtinam & Eſau ieiunaſſet, & non vendidiſſet primogenita, ſed cibo minor factus, naturæ priuilegium pro lentibus vendidit. Doctis ſcripturas velociter tranſcurro. Quid detulit Iudæis legem à monte? Ieiunium Moſi, quod quadraginta diebus fiebat: ſed priuſquam deferretur lex, viſus eſt populus veritatem amiſiſſe. Prima lex, Dominus Deus vnus eſt: & mandatum ſuſcepturi dicunt, Hi dij tui. Magna infirmitas. Nam & pro Deo viuo ſimulachrum vituli venerati ſunt. Quod ergo eiuſmodi pharmacum? Iterum ieiunat Moſes, qui non peccarat, & ignoſcitur peccantibus peccatum. Veteris legis radix à ieiunio initium ſumpſit. Baptizatus enim ſaluator propter nos, & profectus in cremum prius ieiunauit, & tunc ſigna facere cœpit, non ipſe ieiunio opus habens: nos autem docens pro virili ieiunij præmiſſionem. Si igitur vetus à ieiunio incipit, & noua ab eo fundamenta ponit, ne putemus malum eſſe ieiunium. Grauatim ferunt aliqui, moleſtam & onerosam legem videntes. Et leones in lacu ieiunium didicerunt, & non attigerunt Danielem. Si autem leones mandato obtemperant, & vt noti quidam cohibent naturæ impetum, & non inuadunt vt alieni feſtinemus ad ieiunium ordinari. Iterum ſcriptum eſt, quando Roboam rex Iudeæ impiè egit, vitulum adorans, id quod à patre hæreditariè acceperat, aſtitit Propheta & regi, & populo: nihil dixit, ſciens quòd immorigeri & principes & ſubditi, relictiſque hominibus qui audire nolebant, loquitur ad altare, vt monſtret quod lapides magis audiant, quàm homines. Dicit: Naſcatur Ioſias, & oſſa ſacrificantium comburat ſuper altare in ignominiam. Succenſuit qui reprehendebatur, valideque manum extendit, vt benefactorem prophetam peſſundaret: extendit quidem manum, non potuit autem flectere: nam areſcerat illam flagitium. Qui extendit manum, dicit, vt Propheta iuuet, quem volebat comprehendere. Sanat manum Propheta. Dicit ipſi rex: Veni mecum in domum, vt guſtes panem, & bibas aquam, & ſic vadas. Reſpondit Propheta: Mandatum Dei habeo in locis illis in quibus tam impiè viuitur, non guſtare vel panem, vel aquam. Recedit Propheta, Intendite autem fini verbi. Ecce alius Propheta, qui audierat quod Propheta iſte quum præſens eſſet, talia dixiſſet, ſequitur & comprehendit, & orat Prophetam vt ingrediatur, & guſtet ſecum, & perſuadet. Perſuaſit autem vt dixit, quia & mihi Dominus dixit, vt hoc facias. Ingreſſus eſt, & comedit, & dum comederet, ingreſſus eſt Spiritus ſanctus in Prophetam qui vocauerat, & poſtea prophetauit, non quæ ex corde ſuo, ſed quæ ex Spiritu: & inquit ad illum qui intrauerat & comederat. Quare non audiſti Dominũ Deum tuum, comediſti vbi iuſſus es non comedere? abi hinc, & comedet te leo. Vides hic cõtempſiſſe mandatum de ieiunando, quantum malum conciliat? recedit Propheta, & non patrocinatur illi prophetiæ dignitas ob inobedientiam. Egreditur leo, non vt comedat, ſed vt oſtendat quòd ipſe mandatum audiat, & inuadat eum qui non audierat. Inuadit corpus inobedientis, vt interimat, & eũ qui præuaricatus erat puniat. Vt autem interemit, vſus eſt pro deliciis ieiunio, abſtinens à deuoratione eius qui non obedierat. Iacebat itaq; mortuus Propheta, ſtabat verò aſina eius viua, non quòd eſſet difficilius interſi-

Gen. 3.

B

Ibid. 25.

Exod. 32.

C

3. Reg. 13

D

Digitized by Google

cere aſinum, quàm hominem: ſed irrationabilis
leo præceptum diſcreuit, & aſinam quæ non pec-
carat, non occidit, neque tetigit eam quæ præuari-
cata non erat, ſed eum qui præuaricatus erat, & iam
non prophetam, eò quòd inobediens fuerat, occi-
dit. Et videre licebat de hoc triplicia mirabilia. Ia-
cebat Propheta declarans inobedientiam: aſſide-
bat leo declarans obedientiam: aſtabat aſina neque
leonis naturam timens, neque recedens, neque
aliquid à leone patiens: vt clarum eſſet non pro-
pter explendum ventrem acceſſiſſe leonem, vt
acceſſerat, ſed ideo quia ieiunium non ſeruarat il-
3. Reg. 19 le cui præceptum erat. Aſſumptus eſt Helias quaſi
ſuper cœlum. Et quod ſignum aſſumptionis? ieiu-
nium quadraginta dierum. Si Moſes ieiunat, & ſi-
militer Helias ieiunat, & Dominus obſignat, bona
eſt imitatio: quanuis non reiicimus intermedias re-
focillationes. Non enim quadraginta dies ieiuna-
mus, ſed in medio interualla interpolamus, nume-
rum coniungimus, ieiunium non diſcernimus. B
Magna ſunt quæ illi ante nos egerunt, parua quæ
nos, ſiquidem & parua aſſequimur. Manifeſtum
certè, procul & alienos nos ab his qui olim ieiuna-
runt. Nullus noſtrum ieiunat quadraginta dies.
Nam quadraginta interuallis reficimur, ſicut via-
tores ad veſperam in diuerſorio manentes, & ite-
rum incipientes. Si autem illi quadraginta dies ie-
iunarunt, nos autem non eandem viam etiam cum
refocillatione imus, non audebimus meminiſſe eo-
rum, quorum imitationem ieiunando non habé-
mus. Ieiunium, angelorum imitatio eſt pro noſtro
virili, contemptus præſentium, ſchola precum,
alimonia animæ, frænum oris, & mitigat concupi-
ſcentias: ſciunt qui ieiunant: & mitigat voluptates
& non ignorant qui tentarunt: mollit furorem,
compeſcit iram, ſedat fluctus naturæ, excitat ratio-
nem, claram facit animam, alleuiat carnem, fugat
fœdas intemperantias nocturnas, liberat ab ebrie- C
tate, tollit capitis dolores, claros affert & colores,
& aſpectus. Bene compoſiti ieiunis ſunt geſtus, fa-
cilis lingua: abeſt riſus ebriorum, recta eſt cogita-
tio: non enim effunduntur concupiſcentiæ: hilaris
eſt continentia, ſerenitas inualeſcit. Homo enim
exterior otioſus eſt. In ebrietate ea quæ patimur,
non recordamur: à quibus liberati ſimus, in ieiu-
nijs habemus memoriam. Ieiunium enim & ſei-
pſum ſcit, & quæ ſibi ſunt aduerſaria: ebrietas au-
tem & ſeipſam ignorat, & bona quæ ex ieiunio
prouenient. Cuius gratia occiſi ſunt filij Aaron ſa-
Leuit. 10 cerdotes? nónne quia in miniſterio vinum guſta-
Num. 9. runt? Quæ erat lex Nazaræorum? nonne abſtinere
à vino, & omnibus quæ inebriant? Daniel cum ſuis
Dan 1. legumina comedebant, contemnentes menſam
tyranni Nabuchodonoſor. Ieiunauit Daniel tri-
Ibid. 9. ginta ſex dierum hebdomadas: & vir ille deſide-
riorum, quia à concupiſcentiis ſibi temperabat, D
cognomen ſortitus eſt. Et quomodo ieiunauit non
vnum Iudaicum diem, & breuem, ſed triginta ſex
dierum hebdomadas? Et ipſe præfigurabat eccle-
ſiæ conſuetudinem. Panem, ait, delicatum non co-
medebat. Alij autem pro voluptate ſua aliquando
bibunt. Vinum & caro non intrauit in os meum, à
quibus ieiunat eccleſia. Vide in veteri Chriſtia-
nam vitam. Figuræ enim in his qui infirmi & im-
perfecti: in prophetis autem iam veritatis veſtigia.
Ieiunium ſententiam Dei reuocauit. Dixit enim
Deus, Subuertetur Niniue: & non ſubuerſa eſt.
Ionæ 3. Adhibuerunt enim ieiunium, & effugerunt. Ionas
effugit, quia timuit præſidium quod illis ex ieiunio
futurum. Nam cetus eum abſorbuerat. Abſorbuit
autem ieiunans: non enim vt præda & eſca vtatur
abſorbens, ſed deponebat, & ſeruabat depoſitum
Domino, & eum qui per ſeipſum abire noluit, ab-
ducebat quò ordinatum erat. Audiuit Niniue ma-
gna illa ciuitas verbum nudi Prophetæ, qualis erat
qui à ceto egreſſus, cui ob metum neque hominis

A color. Vnus Propheta illuc venit, & ſignum hoc
quod fecit, tempus indicauit, quin & dixit, quòd
ſubuertenda ciuitas: & qui præmittebatur, faciebat
ad hoc vt à fide abducerentur. Illi verò audierunt
Prophetam illum vnicum, & ediuerſo prædica-
runt ieiunium, pharmacum quo ſubuerſionem
amoliri poſſent. Ionas autem contendebat, non
quòd ſubuerteretur Niniue, ſed ne argueretur ex
comparatione Iſraël, quòd gentes promptè audie-
bant etiam vnum prophetam, Iſraël autem tot &
tantos audire negligeret. Adhibitum eſt ieiunium,
vt reuocaretur Dei ſententia. Erat autem ieiunium
non vulgare, ſed abſtinentia quidem à cibis, &
abſtinentia à peccatis. Nam qui propter peccatum
ieiunat, & in peccatis volutatur, quid amplius fa-
cit quàm ſi in luto lotus ſit, iterumque in luto vo-
lutetur? Principio à peccato ipſo abſtinendum eſt.
Quid enim prodeſt diebus aliquot de peccatis do-
luiſſe, ſi iterum idem cogitabimus poſt priora no-
B cumenta? quia infirma ſatis eſt anima ob plagas
prius acceptas. Nónne orantes deteſtamur quòd
peccauimus? ſi priorum pœnitet, cur ſequentia
colligimus, & idem repetimus? Scriptum item: Ab-
ſtinebant à cibis, abſtinebant & à peccatis, exaudiit
Deus. Sufficit enim ieiunium, vt inflectat Domi-
num. Ionas grauatim tulit, quòd vocaturi eſſent
cum pſeudoprophetam: at Deus mutata ſententia
propria illos ſeruare non dedignatus eſt. Neque
Deus mendacij argui poteſt: ſed quæ dixit, verè
locutus eſt. Et cùm dixerit aduerſus gentem & re-
gnum, vt ſubuertatur, & eradicetur, & à peccato
ſuo pœnitentiam egerit, agam & ego pœnitentiam
ſuper his quæ decreueram, non mentitus eſt Deus
reuocata ſententia. Neque enim miſit prophetam,
vt ſubuertatur Niniue: alioqui quid neceſſarium
erat vt prædicaret? ſed quia ſubuertere noluit, mi-
natus eſt ſe ſubuerſurum, vt reſipiſcentes non
C ſubuerterentur. Nónne comedit Adam de ligno,
tunc ipſum puniuit Deus? Verum, ſed prædixit, *Si
comedes, morieris*, vt non comederet. Non audiuit
ipſum prædicentem. Comedit, deuoratus eſt. Non
eſt locus accuſationi vbi prædictio. At neſciebat,
inquit aliquis, quòd comeſturus eſſet? Fortè hære-
ticus eſt qui ita dicit, & obiter vetus teſtamentum
tranſcurrit. Ad quem dicetur, Sciebat ſeruator,
quòd Iudas eum proditurus eſſet: quomodo igitur
illum elegit? Sed fortè aduerſus hæreticos excuſa-
bimus, ea quæ de Iuda dicta, cum iis quæ de Adam
dicuntur, componentes. Nunquid vna ſolutio eſt,
vel duplex vinculum? Oportet igitur ſatisfacere,
quare Iudam cum talem ſciret, elegit: & quare præ-
ſcius Adamum peccaturum, in paradiſo colloca-
uit. Operæ pretium eſt ieiunij tempore, quando
ſobria eſt anima, maiores quæſtiones in medium
afferre. Sciebat ſaluator (hinc enim exordiendum)
quòd Iudas traditor eſſet: cur igitur eligitur? vt
D commendaret excellentem miſericordiam: quaſi
dicat, quod in me eſt, & Apoſtolus es, & cum diſci-
pulis te numero: quòd ſi tu indignum te declara-
ueris, conſpicua quidem erit excellens mea miſe-
ricordia, ſed & manifeſta erit prodigioſa tua mali-
tia. Nam & marſupium illi ſuarum rerum concre-
diderat, non ignorans quòd furaretur, ſed volebat
dando hanc poteſtatem mederi illius auaritiæ. Ne-
ſciebat igitur, & prædicebat? Non ſolùm præſcius
erat, ſed & ſæpè prædicebat: *Vnus ex vobis me tradet.* Marc. 14.
Cur igitur accuſaretur, quòd malus malitia ſua bo- Ioan. 13.
ni diſpenſationē implet? Sed qui eū elegit, nō pro-
ditorem ipſum coegit fieri, ſed apoſtolū: ſed neque
apoſtolum fieri coegit. Nam quod ex neceſſitate
fit, ipſum dicitur fieri, non ſit. Contingēs ex neceſ-
ſitate nō eſt contingēs, eò quòd neceſſitas ſit. Non
enim vinculis virtus, ſed electione vitæ conſtat.
Quare igitur & Adam in paradiſo deliquit? Quem
formauit, bonus fuit, liberum fecerat, & vt libero
legem dederat: ſed ſciens quòd comeſturus eſſet,

Quare Deus Adamum poſuit in paradiſo quem præſciuit caſurum & Iudam elegerit in Apoſtolum quem ſciebat futurum proditorem. Gen. 2.

non

Digitized by Google

non neceſſitate prohibuit, nec voluntatē cōſtrinxit,& Adam peccauit. At ſi locus honorē meruit, ob lignum quod tam honorabile. Neq; enim malè creatum, ſed poſtquam denuntianti non eſt obtēperatum. Iam ſi guſtu quoque tranſgreſſum mandatum eſt, ieiunium poſt præuaricationem reparat & ſeruat. Teipſum proba: quis enim vſus perpetuarum lectionum? Conſidera teipſum, quis eras ante ieiunium, & quis iam ieiunans. Opera enim fructus ſequētur, tametſi nec operi ſuus deeſt fructus. Qui piſcaturus ad mare vadit, non habet in manibus capturam dū vadit: qui ieiunat, mox fructum habet. An nō arridet ſerenitas, an nō fluctus illi à temulentia venientes ceſſarunt, an nō à tempeſtate & æſtu maris liberatus es? An nō deſideras audire: Et caro quæ refrænata eſt, nō laſciuit, neq; erubeſcit? Non curas tu tunc ſermonem de continentia? Non audis quòd ieiunat quis & gaudet? Qui ieiunant, ne in malum ieiunent. Qui enim malum putat ieiunium, etſi ieiunet, in malitia eſt. Nō ſunt in malis angeli, non habentes opus noſtris alimonijs. Non ſplendidè, & vt par eſſet, paſcimur: ſed pro indigentia explemur, omniaque mala in ieiunijs extinguūtur. Ieiunium autem voco nō ſolū abſtinentiam ab alimentis, ſed quod ſciuit Eſaias: Ieiuna vt audiaris. Et ſi dicas Deo iuxta morem Iudaicum: *Ieiunauimus, & non vidiſti: humiliauimus animas noſtras, & nō cognouiſti*: caue ne dicatur tibi: Nam *in ieiunijs veſtris inueniuntur volūtates veſtræ*. Si voluntatem domini ieiunando feciſti, in ieiunio aliquādo ieiunaſti. Non enim negotiatio ieiunium eſt, vt lucrum faciamus non edendo, ſed vt quod manducaturus eras, pauper te commedat, fiatque tibi duplex bonum, tum quòd tu ieiunas, tum quòd alius non eſurit. Labor quidem nobis eſt in ieiunando, at nondum pro Ieſu crucifixi ſumus. Quare ieiunium pro cruce eſt? Maiora ipſe tulit, parua nos reddimus. Crucifixus eſt propter te, & ſitit, & bibit acetum cum felle, in fame educatio eſt, & magnum ieiunium: at nondum quantum id fellis. Et ſtas in labore? Nōdum perpendiſti in cruce. Ne ſis ingratus erga Ieſum, ne deplora quòd ieiunas, ſed plora quòd non ſemper ieiunas. Quæ tibi ſubtracta ſunt: Vinum, phlegmatis immunditia, capitis dolor, reſpirandi difficultas. Vt nunc habent res tuæ? es in ſilentio, in lenitate. Color faciei ieiunij tempore melior, mitior, ſerenior. Vini enim calor, ignis ardor eſt. Qui non compatitur Ieſu, ignorat Ieſum. Qui repellit ieiunium, ignorat crucē, quæ vt non eſt mala, ita tu nec eā quaſi malam ſuſpiceris, ne ſit fœdus ſeruus, qui miniſter eſt Dei. Neminem contriſtant feſta, niſi quis ignoret quę feſtorum virtus. Quādo ſunt feſta, quando es vt angelus, tunc ſucceſes. Ignorans quod medium ſit: tunc expoſcit natura nuptias, non ſupernaturales nuptias celebras. Eſto pius in coniugio, ſi ieiunium veneraris. Per dies ieiunij ſanctus eſto. Non reprehendo nuptias: præfero autē ieiunium. Quæ ante ieiunium comedimus, nobiſcum non manent: quæ in ieiunio non edimus, manent nobiſcum. Quid ergo in his quæ non manent adeò occupamur? Quæuis voluptas ciborum non diutius durat, quàm quouſque abſorbeatur: vt tranſierint organum guſtus, fiunt quaſi non fuerint: ieiunium verò non langueſcit: neque enim per ventrem ad ſtercora tranſit. Nam immortalitatis eſt conciliator, cum angelis conuictus eſt: nam pro virili angelorum imitatio eſt. Inſuauiter agis quòd ſobrius es, quòd alienis carnibus non grauaris, quòd recta eſt ratio, quòd pura caro, quod floret mens, quòd cum gaudio ſcripturas audis, quòd non dicenda taces, quòd non es homo, ſed fermè angelus: quia fermè angelus eſt ieiunans & agens feſtum Domini. Qui vocauit ad nuptias, cùm ingreſſus fuerit, vt videat recumbentes, videbit ne quis alienis veſtibus ingrediatur. In nuptijs autem puræ veſtes

Eſai. 58.

A geſtandæ, impollutæ autem & ſanctæ ad ſanctas nuptias, claræ exterius, & intus fulgidæ. Quieſcāt & nuptiæ ad mandatum & admonitionem Apoſtoli, vt concorditer coniuges ieiunijs vacent, in ieiunijs coniungantur preces. Ieiunium admoneat, vt tempeſtiuæ preces ſint. Ieiuna, quia peccaſti: ieiuna, vt non pecces: ieiuna, vt accipias: ieiuna, vt & permaneant quæ accepiſti. Hæc enim ieiunij genera ſunt. Peccauit alius, ieiunauit ſeipſum caſtigans, vt effugiat pœnam. Ieiunemus ne inſurgant in nos concupiſcentiæ. Vides vt ieiunium peccata ſequatur, hoc eſt, quia peccata admiſſa ſunt, ſit ipſum propter conuerſionem & pœnam. Aliud ieiunium peccata præcedit, non vt auferat peccatum quod commiſſum ſit, ſed vt tollat quod futurum, ni ieiunaretur. Aliud ieiunium, vt qui legem quærit, legem accipiat. Etenim qui petit, ieiunat: vt Moyſes ieiunauit, vt acciperet legem. Iterum alius ieiunat, vt ne amittat iure, quæ aſſecutus fuit. Eccleſia autem ſimul ob gratiam ieiunat, Ieſu opus

B agnoſcens, vtpote cum crucifixo crucifixa, & vt dū patitur cum domino, & cū domino glorificetur: nō vt dominum lugeamus, viuit enim viuentis filius, ſed diſpenſationis confiteamur beneficium: & ſi lugemus quòd crucifixerunt ipſum, non propter ipſum, ſed propter audaciam eorum qui auſi fuerunt: ſurrexit ex mortuis, ſtat in gloria, in qua antea cum patre fuit. Simul erat cum patre, à quo & erat. Non eſt luctu digna victoria Ieſu: ſed ieiunemus, noſipſos curantes, operamque dantes, vt paſſionum illius participes ſimus. Agimus quid ſupra noſtram dignitatem, fratres. Quis enim dignus vt communicet afflictionibus Ieſu? Magnū hoc myſterium, feſtinemus ad bona, non declinemus ad mala. Ieſus crucifixus eſt, immortalis Dei filius pependit corpore in cruce, non propter ſeipſum, ſed propter te occiſus eſt à ligno: ieiunauit in ligno, accepit quæ nō debuit, poſuit corpus pro eo quod accepiſti: concupiſcentia victus es, fel bibit pro voluptate, ne ſis alienus à regno noſti quòd crucifi-

C xus eſt, noſti quòd pro te mortuus eſt, confitere quòd viuit, pro viuente: fac martyr ſis, pro eo qui pro te martyr fuit: morere pro eo qui pro te mortuus eſt. Si autem ſic expoſcit mortem, paruum eſt ieiunium. habes magna, largire parua. Cū gaudio ad feſta, cum lætitia ad ieiunium veni. Deliciæ ſint ieiunium. Sed fortè fruſtrà clamo. Nam ſicut fax mutauit colorem ad menſam venientium, ita & vos. Atqui hoc non eſt amantium ieiunium. Non enim conſequens eſt vos ægrè ferre, quòd à mēſa Domini abſtrahimini. Præter expectationem autem occurrit ſpectaculum, ſicut occurrit facis ſplendor. Reprehenſa eſt conſcientia, quæ latebat, quòd vi detinemur: & vtique non ſtamus, quamdiu aliquando verè cadimus, quamdiu aliquando in negotijs Domini difficiles ſumus, An non audiſtis pſalmum dicentem, imò ipſum obe-

D dientem? Si *veritatem loquimini*. Si verè ieiunas, gaudium in ieiunio habe: ſi autem doles, teipſum iniuſtum declaras. Si laboras, non lætaris: ſi perſecutionem pateris, ſi bonis priuaberis, bona non aſſequeris. Ieſus crucifixus eſt, ô homo. Non mihi tanta virtus eſt, vt clamem quantum debeo, Ieſus crucifixus eſt. Vide & præfigura ante oculos. Crucifixus eſt propter te, crucifigere, glorificare cum illo, non vt moriaris, ſed vt morte libereris. Hæc dies paraſceues eſt, in qua Chriſtus pro te, & tu morere, & crucifigere. Pro Deo ſermo hic. Cū Deus ſit homo pro te, non reueremur dignitatem, non erubeſcimus paſſionem. Vtrumque cogita, quid erat, & quid paſſus eſt. Iudicatus eſt iudex, vita morti traditur. Qui paſcit, eſurit: qui potat, ſitit: qui in gloria, in ignominia, vt rex ad præſides, & Deus ab homine condemnatur. Qui in ſermone verax, ait: *Pater nullum iudicat, omne iudicium filio dedit*: qui omnes iudicat, à quodam iudi-

Pſal. 14.

Ioan. 5.

Digitized by Google

catur. Sufficiat hæc in ieiunij memoriam. Oportet enim primum ſcire quomodo ſe res noſtræ habeant: quando diligemus ieiunium,& afficiemur ſicut ad feſtum, ſubminiſtrãtes & in ieiunijs cõuiuium: apponẽdo myſteria ieiunijs, laudando menſam domini, gloriam quæ ante ſecula, ac diſpenſationem eius, quæ in poſterioribus temporibus, quis fuit,& quid factus eſt, vnde, & ad quæ, & propter quid. Vt & lętantes & lætificantes ob ieiuniũ, hanc religionem domino ſemper habeamus, ſemper gratias agamus, ſemper glorificemus, ſemper diligamus eum, qui dilexit: & adoremus eum qui iterum ſe oſtendet, moriamur propter eum qui pro nobis eſt mortuus, ſperantes cum eo qui in ignominia erat, nos glorificandos. Sanctiſsimo patri, qui hoc ieiunium nobis conceſsit,& non pepercit filio ſuo propter noſtram ſalutem, cum eo qui per ipſum qui abijt, ad nos miſſus eſt, gloria & imperiũ in ſæcula ſæculorum. AMEN.

D. Ioannis Chryſoſtomi de ieiunio.

SERMO II.

ADeſt nobis ſpendidus dies, & deſideratum tempus aduenit: & conuentus, ideo opulentior congregatur,& hæc omnia ſpes nobis expectati ieiunij præparauit. Ad paternam hodie conueniſtis domum, & ad matris eccleſiæ conuolaſtis amplexus: & ſperatum ieiunium tantam nobis diligentiam obſeruationis impoſuit, quantum nobis reuerentiæ, cum aduenerit, donare poterit firmitatem. Sic & ciuitas, cùm in eam iudex ſperatur terribilis aduenire, depoſita deſidia quam ſibi ineſſe cognoſcit, totius diligentiæ ſollicitudinem gerit. Sed, quæſo, ne vos terreat comparati iudicis terribilis nomen auditum. Non enim vobis ieiunium terribile, ſed aduerſus dæmonum naturam conſtitutum eſt: vt ſi quis ſpiritu fuerit arreptus immundo, & ieiunij perſpexerit vultum, ceu ipſe lapis immobilis actiuetur: ſed & ſi addes ei ieiunij ſororem, id eſt, cum eo orationem perſpexerit ſociam. Et ideo Chriſtus dixit: *Genus hoc non exit niſi in oratione & ieiunio.* Mat. 17. Quando igitur aduerſarios ſalutis noſtræ minuit atque propulſat,& inimicis noſtris formidinem tanti terroris incutit, amplecti iuuat atque venerari, non timere conuenit: & cùm vltra modum cibus atque ebrietas declinetur per ieiunium, debemus omni animoſitate primum complecti. Ibi etenim voluptatis illecebris ſuperati, captiuitatis laqueis illigati, libertatis tranquillitate priuantur. Vbi autem ieiunium fuerit affectatum, laxantur tyrannidis nodi, captiuitatis vincula ſoluuntur, libertatis iura reſtituuntur in integrum. Cùm igitur ieiunium aduerſarijs noſtris obſiſtat,& iugũ ſeruitutis expellat,& ingenuitatis ſecuritatem reſtituat: quid aliud argumẽti eſt, omnium bonorum atque beneficiorum cardinem eſſe, niſi ieiunium conſtitutum? Vis audire quanta tutela, quantumque ſubſidium humano generi de ieiunio generatur? Beatam monachorũ vitam diligentius vnuſquiſque conſideret. Illi nãque turbulentæ conuerſationi renuntiantes, & iſtius mundi delicias abdicantes, libertatis amœnitate illecti, montiũ cacumina poſtularũt: & tamquã tutum portum beatitudinis eligentes, ibi receptacula tabernaculaq; cõponunt: & ſolũ ſecum ieiuniũ vitę ſueſuffragiũ retinere feſtinãt. Hac de cauſa etiã angelorũ eos ieiunium cõſortio ſociauit, & nõ ſolũ illos, ſed etiã eos, quos in ipſis vrbibus ſui cupidos valeret reperire, ad ipſius philoſophiæ culmẽ exaltãt. Nã Moyſes & Helias teſtamẽti veteris arces & optima ornamenta, licet & aliàs cæleſtẽ confiteri virtutem merebantur, tamẽ quãdo ſuis auribus diuinã vocem inhærere cupiebant, ad ieiunij ſubſidium cõuolabant: vt ipſius quodãmodo

A patrocinio eorũ deprecatio tolleretur ad cælum. Hac de cauſa & Deus cùm in initio hominem faceret, ſtatim eum ieiunij magiſterio commodauit. Nam *de omni ligno manducabis: de eo autem ligno ſcientiæ boni & mali non manducabis*, ieiunij ſpecies eſt. Et cùm in paradiſo ieiunium pro magna commoditate indicitur, multò magis extra paradiſum neceſſarium poſtulatur. Gen. 2. Et cùm ante plagam remediũ vtiliter demonſtratum eſt, multò magis ſauciatis appetẽdum eſt, vt præſtet vulneribus ſanitatẽ. Et cũ ante cõflictum, ad reſiſtendũ libidinoſis voluptatibus, clypeus nobis abſtinentiæ neceſſarius fuit, multò magis ipſo noſtro certamine, ieiunij auxiliũ ad noſtram victoriam flagitandũ eſt. Si huic voci obedientia conſenſiſſet, ſecundæ vocis ſententiã non meruiſſet audire, Terra es, & in terram ibis. Sed quia huius vocis præcepta contempſit: ideo mors, & dolores,& animi cogitationes,& mẽtis anguſtiæ, & ipſa vita omni morte grauior eſt: propterea ſpinæ & tribuli, propterea dolores & gemitus, & humani generis vita nimio dolore conteritur. B Vides, Deus quemadmodum commouetur, cùm abſtinentia ieiuniumque contemnitur? Diſce igitur quemadmodũ gratulatur, cũ ieiuniũ obſeruatur. Nã ſicut ad vindictam violati ieiunij, mortẽ violatori cõſtituit: ita obſeruantibus vitam pro morte donauit. Et vt ieiunii poſſis comperire virtutem, à diuinitate ei cõceſſam vide poteſtatem: mortẽ ſolet ad vitam conuertere: & multos poſt ſentẽtiam liberauit: & in ipſis deſperationis anguſtijs ingemẽtes, ſalutari remedio luci donare cõſueuit. Et hoc non decem aut viginti hominibus præſtitiſſe mõſtratur, ſed ingenti populo, Nam Niniuitarũ illa magna atque miranda ciuitas, cum diuino motu labefactari funditus ſperatur,& in ipſis eſſet ruinæ præcipitijs declarata, & non longè poſt amiſſis ciuibus ſuis à cunctis expectaretur terribili labefactatione deleri, & ciuitatis vocabulum amittere: Ionæ 3. C adueniens de cęlo ſolum potuit ieiunium liberare, & cæleſtem ſententiam mitigauit, & mortem conuertit ad vitam.

Diui Ioannis Chryſoſtomi Epiſcopi Conſtantinopolitani, de eleemoſyna & hoſpitalitate.

SERMO.

SI opifices, qui manuũ ope induſtriaq;, vel operibus præſidendo vitam ducunt, tantam præ ſe tulerint liberalitatem, vt pleriſque fidelibus opem tulerint: quam erunt hi qui bonis fortunæ abundant, veniam habituri, qui egenos deſpexerint? quinetiam nec ſuo ſanguini illi, nec vitæ pepercerunt, vt Deo ſe morigeros præſtarent, cùm ipſe vt tenui plerumque pecuniæ parcas, nihil prorſus animæ tuæ indulgeas. Dicet aliquis, erga præceptorũ & dominum tales ſe illi præſtitere, non tamẽ D eadem ſunt in diſcipulos munificentia vſi: quod iure dici non poteſt. Siquidem, vt legimus, gentilis Eccleſia his gratias ageret, qui etſi natione Iudæi, tã ſynceræ & integræ fidei extiterunt, vt eorũ Eccleſiæ ex gentibus confectę volẽti animo neceſſaria ſubminiſtraſſent: quorum ſtudiũ & virtutes vel fœminis imitandæ potius forent, quã ſericis,& auro,& veſtiũ abundanti ornatu expoliri. Quæ enim vmquã regina adeo claruit, vel magis eſt in omniũ ore verſata, vt Pauli poſſet ſectatricis & ſociæ mulieris nomen aut famam excedere? hæc enim Paulum non ad decimum vſque, aut vigeſimũ annũ, quin ad eam vſque tempeſtatem qua Paulo Chriſtus ſui præſentiam obtulit, ſectata eſt: ita vt vbique ob id virtutis laudibus abundè potita, fama & nomine celebrętur: quod proculdubio maiori ſibi fuit decori & ornamento, quàm cuiuis corona aut inſigne aliquod regium extitiſſet. Quid enim vel maius, vel dici par poteſt, quàm Pauli

defen-

Digitized by Google

defenſionem ſuſcepiſſe , eiuſque vitæ diſcrimine
terrarum orbis inſtructionem tutari? Cogita itaq;
quot fuerint reginæ ſilentio occultatæ, cùm hæc
quæ Paulũ comitabatur, vnà cum eo ſempiterno
nomine celebretur: quantumq; ſol terrarum cir-
cũluſtrat, tantundẽ huius fœminæ gloria peruaga-
tur. Siquidẽ Perſæ, Scythæ, Thraces, & qui vltimos
orbis incolunt fines, eiuſdem ſapientiam & præ-
dicant, & admirantur: quis ipſe vel opes, vel regias
veſtes, vel imperia non paruifeceris, vt hanc tibi
teſtatorem laudem pares? Neque id dixerit quiſ-
piam, tales ſe illos in periculis præſtitiſſe, vel fuiſſe
dũtaxat in erogãdis pecunijs liberales, in Chriſti
verò nomine diuulgando negligentes, quando
eoſdẽ Apoſtolus cooperatores appellat, quos in-
ter nec eã pudet fœminam coadiutricem nuncu-
pare, quin id ſibi ornamẽto ducit: non enim naturæ
ſexũ attẽdit, ſed animi promptitudinem palma di-
gniſſimam arbitratur. Quid ergo hunc poteſt de-
corem æquare? Vbi nunc effuſæ diuitiæ? vbi facie-
rum decus? Vbi & inſani gloria? Perdiſce hũc mu-
lieris ornatũ, qui non corpori eſt circũiectus, ſed
animam perpetuò manſuram exornat: qui nec py-
xide aliqua, ſed cælo reconditur. Reſpice horũ in
vulgãdo Chriſti nomine laborem, in tolerandis
ſupplicijs victoriã, in his fortunæ bonis impartiẽ-
dis liberalitatem. Aduerte, inquam, qua ſit illa Pau-
lum charitate complexa, quóve Chriſtum amore
proſecuta: mox tua cũ his conferto, ſcilicet quàm
ſis ipſa in accumulandis pecunijs diligens, quàm
ad ſectandam impudicitiam attentior, quã ad ex-
plendam ventris ingluuiem vigilantior: ſpectabis
ſanè hoc pacto quales Chriſti diſcipuli fuerint, &
quaſi nũc ipſa lis cõditione. Malim equidem non
magis te cũ his conferas, quàm eam tibi admiran-
dam mulierem deſumas, & ita vt depoſitis laſciuiæ
ſarcinis, id etiam præferat tuus iſte veſtimentorum
cultus, excipias cælorum ornatum, perdiſcaſq; vn-
de tam clari euaſerint qui cũ Priſcilla verſarẽtur.
Quod ſi fieri certior cupis, quo pacto illi eò ſunt
magnitudinis prouecti, facilè intelliges, cũ noueris
Paulum ab his hoſpitio biennio fuiſſe ſuſceptum:
quo quid eſſe virtutis poteſt, vt non interea animũ
excoluerint? Dicet aliquis, heu me miſerũ, qui nul-
lum habeam apud me Paulum: quin ſi volueris,
vel Paulum habebis tibi hærentẽ: non enim illos
Pauli facies, ſed ſermo prouexit. Itaq; ſi tibi id ani-
mo ſedet, nõ modò Paulum, ſed Petrum, Ioannem
Prophetarum inſuper & reliquorum Apoſtolorũ
cętũ omnem tecũ habebis aſſiduò colloquentem.
Cape in manibus iſtorũ libros, & ſcripta perlege,
hæc te mulieris iſtius facient non abſimilẽ: at quid
Paulũ dixerim? quin & dominũ ipſum, ſi voles, te-
cũ habebis: ſiquidem per Pauli ſermonem tecum
colloquetur. Licebit & aliter eumdẽ admittere, ſi
ſuæ fidei iuueris ſectatores, quibus vel abeuntibus
pietatis poteris & manſuetudinis monimẽta pro-
mereri. Solent enim, & mẽſa in qua vir ſanctus ali-
quis cibũ ſumpſerit, ac ſella cui inſederit, & quò
decubuerit lectulus, vel eo decedẽte faciles eos ad
pœnitentiã reddere, qui domi ſanctũ aliquem virũ
exceperint. Quocirca quantum exiſtimas animo
4. Reg. 4. Sunamitẽ illã fuiſſe perculſam, aut quali venera-
tione imbutã, cũ triclinium vbi Heliſæus mãſiſſet
conſcendit, & eò magis cùm mẽſam & lectulũ quò
vir ſummę ſanctimonię quieuiſſet, inſpectaret? nec
ſanè filiũ illi emortuũ ſuſcitandũ expoſuiſſet, niſi
eius viri cõtubernio plurimũ profeciſſet. Quòd ſi
lõgo poſt tẽpore ea loca adierimus, vbi & Paulus
diuerſatus ſit, & in vincula coniectus, vel in mul-
torum ſit conſeſſu concionatus: nónne videremur
eſſe præ gaudio quaſi alis quibuſdam ſublati? Item-
que ſi temporis illius ex locorum aſpectu repetita
memoria tantùm capimus voluptatis: quid priſcos
illos exiſtimandum eſt fuiſſe ex recentibus bene-
ficijs iucũditatis aſſecutos, qui venerabundi hoſpi-

A tio alieno ſuſceperint? Erũt itaque ſanctiores per
nos viri admittendi, vt eiuſmodi hoſpitalitate & do-
mus illuſtretur, purgeturq; ſentibus, & ex diuerſo-
rio loco portus efficiatur: neq; hi ſolùm erũt ſuſ-
cipiendi, quin & eorũ abluendi ſunt pedes. Neque
enim ipſa, ſi vel regio fueris nomine inſignita, Sa-
rai potior eris, vel eam nobilitate & opulẽtia an-
teibis, cui quadringenti decem & octo vernæ, &
domi nata mancipia fuerant, & filij duo, quos om-
nibus diuitijs præferebat. Verũ quid dixerim decẽ
& octo & quadringentos, quando eius ex ſemine
emanaturũ terrarũ orbem eſſet certior facta, ha-
beretq; in virum Dei amicũ, eundemq;, quod om-
ni fuit imperio maius, curatorem? Verùm cùm tã- Geneſ. 18
ta eſſet gloria illuſtrata, fermento farinæ indito pa-
nes cõnciebat, & reliqua in ancillæ morem angelis
veſcẽtibus miniſtrabat. Porrò neq; Abraham ipſe
nobilior fueris, qui poſt trophæa & inſignes victo-
rias, poſt exactum etiam Perſarum regem & profli-
gatum, cũ magnis eſſet ab Ægyptio principe ho-
noribus auctus, ſeſe pro ſeruo geſſerit. Illudque
haudquaquam erit animaduertendũ, quòd apud
B te ſanctiores plerumque viri, aſpectu viles, egeſta-
te & pannis obſiti diuertant, quin potius erit vocis
illius reminiſcendum, aſſerentis: *Quod vni ex mini-* Math. 25
mis his feciſtis, mihi feciſtis. Neque ex paruulis quem-
piam paruifeceritis: ſiquidem eorũ angeli ſemper
ſpectant faciem patris veſtri cæleſtis. Excipe itaq;
hos animo libentiori, qui ex pacis oſculo infinita
deferũt ad te bona. Poſt Sarã autẽ hanc & Rebecca Geneſ. 23
cogitatione repetenda eſt, quæ cũ aquandi gratia
fontem petiſſet, omni animi elatione depoſita, &
potum alienis iumentis hauſit, & hoſpitem domũ
apud ſe inuitauit. Quorſum hæc? quoniã eiuſmodi
hoſpitalitatis ob cauſam, præmia illa immẽſa pro-
merebantur, quæ & ipſa longe maiora accipies.
Quippe cùm non ſolùm te Deus ad liberos pro-
creandos faciet fœcundiorem, ſed cælo inſuper
ipſo, & bonis cæleſtibus donabit, liberabitque ge-
henna, & errata remittet. Magnus præterea eius
eſt hoſpitalitatis fructus, quam & Iother, etſi bar- Exod. 2.
barus natione, ſectatus, curatorem ſui eum ſuſce-
pit, qui tam vaſtum in mari haberet imperium, qua
C tã bona venatione filiarum beneficio vſus eſt. His
itaque cogitatione perceptis, cùm muliebrẽ hanc
animi magnitudinem tecum ipſe reputaueris, om-
nis erit tibi calcanda ſuperbia. Inſuper veſtium
ornatus omnis, & reliquorum ſumptuoſitas, odorũ
vnguentationes, & huiuſmodi ad luxum deliciæ
conculcandæ erunt: & gradu compoſito gradien-
dum, ita vt omiſſa hac inani ſolertia, ſtudiũ id om-
ne ad animum transferas excolendum, eumque
cæleſti deſiderio incendas: cuius cæli ſi te amor
inuaſerit, terrena hæc pro cæno & luto duces, &
facilè contemnes, quæ nunc pro bonis homines
demirantur. Neq; fæminam decet quæ ſpirituali-
bus ſit officijs prædita, ea conquirere quæ ridicula
ſint. His itaq; omnibus reiectis, quæ ſolẽt è turba
D mulierculæ ſaltatrices inſuper & tibicinæ magni-
ficare, circumcinge te ſapientia, hoſpitalitatẽ ex-
erce, continenter orationi incumbe: videbis hæc
fore auratis veſtibus potiora, gemmiſq; pretioſis &
monilibus longo interuallo præſtare. Hæc quippe
apud homines laudem, apud Deum mercedis plu-
rimum promerentur. Eiuſmodi ſunt Eccleſiæ or-
namenta: illud verò cuius nunc meminimus, inde-
cora ſcilicet & turpis voluptas, in theatris habetur
& ſpectaculis decori: cuiuſmodi ornamentorum
alterum cælo eſt dignum, alterum equis & belluis.
Animum quippe clarum illud & emicans, hoc ve-
rò indecens & cadauerosa corpora circumagit.
Nunc igitur & ipſi nobis paremus ornatum, vt fa-
ma & gloria celebres effecti, & Chriſto dum viui-
mus morem geſſerimus, & futuris bonis perpetuò
potiamur.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de miſericordia.

S E R M O.

Col. 3. AVdite fratres Paulum dicentem: *Induite quē admodum electi Dei miſericordiæ viſcera.* nos autem longe aliter factitamus. Siquidem adeuntem quempiam vel numum à nobis deprecaturum, probro & maledictis inceſſimus, & importunum appellamus. Cuius rei non te pudet, ô homo, moleſtum & importunum clamitare panem depoſcentem? is enim vel ſi moleſtior eſſet, foret quidē miſericordia dignus, qui adeò fame vexatus, tibi perſonato homini ſupplicet: qua in re noſtra eſt crudelitas incuſanda. nā ſi nec facilè impartiri aliquid egentibus toleramus, varia coguntur arte noſtram inhumanitatem pellicere, & emollire duritiem. Porrò ſi argentum, aurúmve expoſcerēt, aliquid fortè rationis durius tuum illud reſponſum habere videretur: at cùm neceſſarij fructus gratia te adeant, quid ineptè philoſopharis, verbis accuratioribus & ſuperuacaneis inopi otium inertiamque exprobrando? quæ ſi in quempiam eſſent meritò conferrenda, nemini omnium magis quàm nobis ipſis forent obijcienda: cuius pronuntiati in egenum probri memineris velim, cùm Deum ipſe audieris, peccatis veniam comprecaturus, tum quidem ſenties dignius te hæc poſſe à Deo, quàm à te pauperem audire: nondum tamen talibus in te ille verbis eſt vſus, cuiuſmodi hæc ſunt: Deſine iam, hinc abi in rem malam, admodum es ipſe importunus. Siquidem poſtquam & templa, & aras frequentaueris, meaque & inſtituta & iuſſa perceperis, mox foro adito, aurum, libidines, amicitias, neceſſitudines, & reliqua iſtiuſmodi meis & legibus, & inſtitutis anteponis, humilitatemq; nunc præferendo te ſupplicem reddis: poſtquam verò precari deſieris, crudelem te exhibes & inhumanum: abi itaque hinc, meque nec vltra adieris. Hac ipſi etſi ſumus auditione vel acriori multò non indigni, nihil tamen iſtiuſmodi improperat Deus: quin tolerat ille nos animo ingenti, cunctaque per ſe ipſe exequitur, indulgendoque precantium vota excedit. Quòd etſi nihil horum nos fugiat, ſoluamus inopum mendicitatem, vel ſe ingerentium, nec acrius vltrà in eos inuehamur, quando & nobis ad ſalutem haud minus opus ſit diuina clementia, quàm venia, & maiori quadam miſericordia. Neque enim conceditur nobis, nec licet quidem noſtris omnibus diligentiùs diſcuſſis actionibus, ſine ſupplicio vel morte ſalutem parare. Ne igitur efficiamur aliorū acerbiſſimi exactores & iudices, ne fortè acriùs de nobis ſupplicia exigantur: cōmiſſa enim habemus quauis venia non inferiora, quinetiā illorum nos miſeret, quorum errata veniam non merentur, vt eamdē nobis vel diu ſeruatam comparemus: vel potius ſi fuerimus, quod ingeniū ſuppetet & vires, eniſi, numquā tāta in alios clementia vtemur, quanta & ipſi indigebimus ab indulgentiſſimo Deo promereri. Quo igitur pacto non abſurdū videri debet, cùm in tantis ſimus ipſi rerum anguſtijs ad veniam promerendam cōſtituti, adeo nos eſſe in cōſeruos parcos illiberales, vt in eos, id eſt, in noſipſos omnia enixè faciamus? neq; enim tam reliquos noſtrorum beneficiorum indignos arguimus, quàm noſmet diuina clemētia. Siquidē qui conſeruum verbo offenderit, Deum habebit ſe acriùs laceſſentem. Non igitur erit nobiſipſis detrahendum, cùm inopes vel torpidos dixeris vel ignauos: re aliqua impartiamus adeuntes. Solemus enim & nos præ torpedine quadam vel incuria pleraque delinquere: quinimò vel ſi cūcta ab his noſtra emanant errata, haudquaquam tamē mox pœnas exigit Deus, ſed ad pœnitendū nobis & ſpatium præbet, & victum tribuit, caſtigando inſtruendoq;, vel reliqua ad neceſſitatem ſubminiſtrat, vt ipſi hanc eius clementiam ſectemur. Erit itaq; noſtra hæc perdēda impietas, & feritas à nobis omnis propulſanda: vtpote id nobis potius quā reliquis profuturū. Nam cum egentibus argentū, panē, amictúmve impartimus, tam nobis ingētem gloriam vindicamus, vt nullis queat verbis explicari. Siquidē incorruptibile corpus reſumētes, cū Deo vnà & laudē ſimus recepturi & regnū: quod quanti ſit faciendum, & noſtrarum, & præſentium rerum coniectura vel leuiter comprehendi licet: tametſi nequeat impræſentiarum liquidò ſatis internoſci, id tamen exēplis conabimur explicare. Dic mihi, ſi quis ſeneſcentem te & inopē polliceatur in priſtinam reſtituere iuuentutē, redacturumque ad priorē illum ætatis florē, effecturum etiā & valetudine optima, & virtute præſtantem, largiturū inſuper tibi ad annos mille terrarū orbis ſumma tranquillitate imperium: quídnam ipſe pro iſtiuſmodi pollicitationibus vel facere, vel pati recuſares? Ecce igitur & Chriſtus nō ſolùm hęc, ſed his lōgè maiora pollicetur: neq; enim quantū inter ſe vidētur ſenectus & iuuenta diſtare, tantundē incorruptionis corruptioniſq; diſcrimē. Neq; pro ipſius principatus & paupertatis, quin pro ſōniorū & veritatis interuallo præſens hæc gloria cū æterna illa conferenda eſt, nec tamen ſatis adhuc horum intercapedinem explicauerim: ſiquidē nulla enarrari poſſit eloquentia futurorum bonorum magnitudo, ſi cum præſentibus conferatur, & temporis illius infiniti, & momentanei huius ratio habeatur. Quo enim pacto cum præſenti hac quiſque vitam illam contulerit ſempiternam, aut terram cum cæleſti quiete? quæ tantum videntur altrinſecus abeſſe, quantum à bello pax eſt, otiumque ſemotum. Vtque puriſſima margarita à luteo quouis lapillo ſecernitur: ſic profectò eſt à corruptione immortalitas aliena, quin quò pluribus id exprimere cōnitemur, eò minus certè aliquid vel ſimile afferemus. Quippe ſi vel cum micantibus ſolis radijs futura nobis corpora cōtulerimus, nihil tamen pro illius ſplēdoris dignitate explicabimus. Pro his itaq; futuris bonis, quæ tam immenſæ facultates, aut quæ potius humana vita tanti vmquam poſſunt exiſtimari, quæ non vltrò relinquēda ſint? etenim ſi quis te in regiam aliquam induxerit, cæteriſque aſtantibus, & principis tibi beneuolētiam adeò cōciliet, vt poſt ſermones familiariter habitos conuiuantem illi, & comitem aſſiduum faciat, nemini profectò diceres te pro tanta beatitudine conceſſurum. At ſi cælum conſcēdere, regiq; illi omnium potentiſſimo aſſiſtere, inque angelorum conſpectu ſplēdeſcere, fruique gloria ſineffabili effecerit, hæſitaréſne vel omnium fortunarum pati iacturam, aut ſi illud cōduceret, vel vita ipſa ſpoliari? quinimò proſilire, & lætitia afferri oporteret: &, vt ita dixerim, præ gaudio alas ſumere ad volatū. Atqui ipſe vt principatum aſſequaris, fraudandi & rapiendi occaſiones innumeras allaturū, & ſi illud haudquaquam pro lucro duxerim aut commodo, & tua diſpendis, & aliena mutuatus, vxorem (ſi vſus ferret) & liberos nō verebe-ris in ſeruitutem dare: ob regnum autē cæleſte illud nobis propoſitum, quod neminem habet, Deo teſtificāte, ſucceſſorē, nec exiguos continet angulos, aut terræ partem, ſed cælum integrè ſub eius ditione capit, ſegnior ipſe pecunijs immerſus inhias: neq; intelligis, quod ſi inferior hæc cæli facies, quæ ad nos vergit, tantum in ſe habet decoris & oblectamenti, qualis ſuperior illa, & cælum cæli futura ſit. Sed quoniam hæc corporeis interea oculis ſpectare non licet, conſcende mente & cogitatione cælum, quod ſuperaſtans ſuſpice, & ſupernum illud quod altius tendit: attende immenſam illam altitudinem, & ſpendorē horribilē: contemplare angelorum multitudinem, archan-

gelorum gentem innumeram, aliaſque infinitas A
poteſtates: poſt hæc deſcendens ſupernè & cęlitus,
nota, & oculis circumluſtra noſtrarum harũ rerũ
imaginem, noſtrateſque principes, vti ſe circum
habeant viros veſte aurata conſpicuos, currus in-
ſuper auro vbertim excultos, quos iumenta tra-
hunt candidiora, & vehicula pretioſioribus gem-
mis ornata, vt niueos lectulos, vt carpenta aureis
bracteis crepitãtia, dracones præterea auro & ſeri-
co veſtibus effigiatos: vt ſcuta auratis vmbonibus,
& lora ex auro, lapillo diſtenta, equos demũ ipſos
& phaleratos, & auro obſeptos: cuiuſmodi orna-
mẽta nihil profectò vltrà viſo principe aut ſpecta-
mus, aut magnifacimus: princeps enim vel ſolus,
tum ex eius purpureo amictu, tũ diademate, ſella,
fibula, & ſoccis, tũ demum fulgentiſſimo eius aſ-
pectu, omnium noſtrum in ſe oculos cõuertet. His
itaque rebus terrenis animaduerſis, animus erit ad
ſuperiora transferendus, intendenduſq; ad horri-
bilem illum iudicij diem, quo Chriſtus & cognoſ-
cendi & iudicandi gratia affuturus eſt. Neq; enim B
belluarum iuga, vel aurata vehicula, ſeu dracones
ſpectabis, & ſcuta: ſed quod viſu horrendum &
animos pauefacit, vt vel incorporeæ obſtupeſcant
Luc. 21. poteſtates: ſiquidem *virtutes*, inquit, *cælorum com-
mouebuntur*. Tũc præterea vniuerſum cælũ patebit,
ab ipſis cardinibus reuulſæ diſturbabũtur & fores,
deſcendet Dei vnigenitus filius, non vigenis, aut
centenis viris ſeſe armis ſtipãtibus, ſed angelis in-
numeris, Cherubin, Seraphin, poteſtatibus reli-
quis circũſtantibus. Erunt tunc quidẽ omnia for-
midinis & terroris plena, cùm ex terrę hiatu, quot-
quot hominum, qui ab ipſius Adæ origine vmquã,
diemque adusque illum futuri ſunt, aut emergent,
aut rapientur: Chriſtus verò cum tanta gloria ap-
parebit, vt eius ſplendore tam ſolis quàm lunæ, &
cæterorum aſtrorum lux omnis occultetur. Qui-
bus poterunt verbis, tum beatitudo illa, tum glo-
ria & ſplendor explicari? Heu mi anime: oboriun-
tur enim mihi nunc lacrymæ, & ingens incumbit
gemitus cogitãti, quibus excidimus bonis, & quali C
ſumus beatitudine alieni effecti: à qua tum vibebi-
mur longius abfuiſſe, cùm magni nihil, aut boni
operamur. Ne itaque quiſpiam mihi hoc loco ge-
hennam commemorauit: ſiquidem eiuſmodi glo-
riæ caſum ſubire, & gehenna longè ſit grauius, ea-
demque abeſſe, quouis ſupplicio deterius, necdum
tamen intermittimus & terrenis incumbere, & dæ-
monum nequitia falli: qui pro puſillis his & mini-
mis rebus nos priuabunt maioribus: quippè lutum
offerunt, vt aurum ſubtrahant, vel potius vt cælo
nos fraudent: vmbram præferunt, vt è veris pro-
pellant: inſomnia immittunt (nihil enim aliud id
præter dici poſſunt fortunæ bona) vt luce oborta,
omnium nos arguant egentiſſimos. Quæ omnia ita
ſe habere intelligentes, caueamus aliquãdo tandẽ
dolos hoſce & fraudes, animumque ad futura cõ-
uertamus: neque enim affirmare licebit ignoraſſe D
nos vitam hanc breuem eſſe & temporariam, re-
bus præſertim ipſis tuba clarius quotidie claman-
tibus, pertenuem illam eſſe, ridiculam, & informẽ,
plenam diſcriminis, plenam voracitatis. Qua igi-
tur erimus accuſatione digni, quando criminoſa &
turpia tanto ſtudio conſectamur: fugimus verò
quæ glorioſos nos facerent, & inſignes, vniuerſi-
que in ipſam pecuniarum tyrãnidem cõcedimus?
ſiquidem illa dura eſt ſeruitus, quauis tyrãnide in-
tolerabilior: quod profectò nec eos fugit, qui ea ſe
vt explicarent, digni ſunt habiti. Quocirca & vos
vt optimam hanc libertatem perdiſcatis, refringi-
te vincula, extricate vos laqueis, nullum iaceat
domi aurum: quin quod infinitis eſt pecunijs ho-
noratius, pietas & eleemoſynæ recondantur, id
enim nos faciet apud Deum fidentiores: at illud
dedecore multo & pudore offundit, facitque dæ-
mones magnum in modum in nos deſæuire. Quid

igitur in te hoſtem & armas, & fortiorem reddis?
armis potius erit tua in eũ dextra munienda, trãſ-
ferenduſq; domus omnis in animũ ipſum ornatus,
in eoque opes locandæ. aurum pro area & domo
cælum ſeruet, noſtra omnia nobiſcum deferamus:
ſumus certè ipſi & parietibus potiores, & pauimẽ-
to maioris faciendi. Quid igitur nobis poſthabitis,
ſtudium in hæc omne concitamus, quorũ ſumus
poſt vitæ huius exceſſum expertes futuri? quinimo
perſæpe in humanis agentes, potiri haudqua-
quam poſſumus, cùm liceat diuitijs adeò prouehi,
vt non modò in hac vita, ſed in futura poſſimus
opulentiſſimi videri: idcirco quicumque villas, do-
mos, & aurum animo vel curæ habuerit, vbiuis ſui
præſentiam fecerit, cum his fortunis ſe offerat ne-
ceſſe eſt. Dicet aliquis, quo pacto id fieri poterit?
Poterit quidem, & facilitate ſumma: nam ſi hęc bo-
na per inopum manus in cælum tranſtuleris, ap-
parebunt ſane in tuum fuiſſe animum traducta, ita
vt te vel morte pręuentum, nemo his opibus frau-
det: quin vita functus abſcedes cælo opulentus fu-
turus & diues. Eiuſmodi Tabitha illa theſaurũ po- Act. 9
tita eſt, ſiquidem non domus aut parietes, non lapi-
des aut columnæ, ſed viduarum corpora amictu
operta, fuſæ lacrymæ, mors fugata, ac demum vita
reddita, cõſpicuam illam fecere & clarã. Iſtiuſmo-
di nobis paremus arcas, tales ſtruamus & domos:
ſic Deus nobis opem præſtabit, & ipſi nobis eodem
coadiutore vſi in opere & quidem præclaro abſo-
luendo videbimur non defuiſſe. Atqui ex nihilo
Deus inopes adeſſe traduxit: tu verò traductos hoſ-
ce, & creatos, nec fame ſiuiſti leuando curandoq;,
nec reliquis confici ærumnis, Dei templum attol-
lens vndique & ſuſtentans: cuius templi vel pro-
bitatem, vel gloriam quid vmquam poterit æqua-
re? Quòd ſi nondum clarè perdidiciſti, quibus te
Deus pro iniuncta hac & ſuſcepta ſubleuãdæ ino-
piæ cura inſigniuerit ornamentis: tecum id animo
reputãs, ex eo quod inferemus, intelliges. Etenim
ſi quiſpiam tibi caſurum cælum ſubleuandi erigẽ-
dique traderet facultatem: nónne id tibi honori
duceres, perinde ac conditionem tuam, & vires ex-
cedens? Ecce nunc maiore quodam te honore di-
gnatus eſt Deus, ſiquidem quod cælo ipſo maioris
facit, tibi ſubleuandum conceſſit. nihil enim Deo
ex his quæ viſuntur, æquè atque homo eſt gratum,
cuius gratia cælum, mare, ac terras creauit, eiuſ
que habitatione potius, quàm cæli lætatur. Quòd
& ſi ita eſſe nos haud latet, nihil tamen curæ vel
diligentiæ diuino huic templo mancipamus: quin
eo neglecto, amplas ac magnificas paramus do-
mos: ideoque rebus omnibus deſtituti, extrema
inopia laborantibus ſumus inferiores, quando &
domicilia, è quibus poſt vitæ huius exceſſum nihil
ſumus ſplendoris relaturi, ornatiora ſtruimus, illis
reiectis, quæ transferre nobiſcum vnà licuiſſet.
Conſurgent namque reſoluta iam egentium cor-
pora, quibus Deus, cuius hæc iuſſu fiunt, in me-
dium productis, qui ea curauerint, & laudabit, &
cum omniũ admiratione extollet: propterea quòd
inopia affectos, vel paulò pòſt ſiue inedia, ſiue nu-
ditate, ſiue algore collapſuros erexerint. Verũ ad-
huc vel his nobis propoſitis laudibus, tardiores
certè ad optimam hãc egenorum curam adeundã
ſumus, & torpidi. Chriſtus præterea quò diuertat,
nihil habet: quin hoſpes famelicus circũfertur, &
nudus. Ipſe verò ſuburbana vel laxiora, balneas &
ambulacra, fruſtraque multa ſtruis cubicula: illi
verò neque anguſtum aliquod impartiris tegumẽ-
tum, qui coruis & vulturibus celſiſſima ſtruis te-
ctorum faſtigia. Quid hac fieri peius ſocordia po-
teſt, & furijs? ſunt enim hæc pro extrema quadam
habenda inſania, quæ nec verbis quidẽ poterit ſa-
tis explicari. Licebit tamen, ſi libet, eiuſmodi à
nobis ægritudinẽ, etſi pergrauem, propulſare: neq;
id tantũ potis factu eſt, ſed etiã facilè, neq; facilè

modò,ſed eò facilius peſtilenti hoc &animi,&corporis morbo liberabimur, quò & medicus aderit omnium excellentiſſimus. Is itaque erit per nos & alliciendus, & hortandus,vt ſe nobis iungat. Conferenda inſuper in medium noſtra omnia, & ipſi nos,voluntas ſcilicet & animi promptitudo, nullis hic rebus alijs opus habet,modò hæc tulerit, de ſe omnia præſtabit. Conferamus itaque quæ noſtri ſunt iuris,vt meliori dum viuimus valetudine vſi, bona illa futura conſequamur.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de miſericordia,& duabus mulieribus viduis.

HOMILIA.

TRia ſunt quæ in miſericordiæ opere optanda ſunt Chriſtiano, vt poſſit facere, vt velit, vt compleat. Vt poſſit, id eſt, vt ſubſtantia faciendi non deſit: vt velit, hoc eſt, voluntas adſit qua faciat, quia ſubſtãtia non deeſt,qua fiat. Tertiũ eſt, vt compleat,id eſt,quæ poſſit & velit ſine dilatione perficiat:his enim tribus opus tantum tamq; præclarum impletur. Nam ſunt qui poſſunt facere, ſed nolunt:ſunt qui volunt,& non poſſunt: ſunt& qui volunt & poſſunt, ſed differendo non faciũt. Cæterùm qui poteſt facere oret vt velit:&qui vult facere oret vt poſſit:& qui in vtroque paratus eſt, det operam vt miſericordiam inſtanter efficiat, ne quod vult poteſt,differendo non complet. Eſt enim miſericordia ſalutis præſidium, fidei ornamentum,propitiatio peccatorum. Hæc eſt quæ iuſtos probat,ſanctos roborat, Dei cultores oſtentat:cuius exercitium lætũ efficit dominum, placatum exhibet Chriſtum,dum cernit ſubſidijs huiuſmodi foueri pauperem, inopem ſubleuari. Hæc miſericordia cũ à cunctis impleri præcipitur, tum maximè ab his qui ſignati ſunt, vt dẽt potius, quã accipiant:tribuant, quàm ſumant:donẽt alijs quã ipſi indigeant. Cæterùm non poteſt ille miſericordiam facere,qui poſſeſſionibus longè lateque diffuſis, in confinio alium poſſidere non patitur, dum terminos iũgit, fines producit, calumniatur pauperi,mediocrem premit, vicinum excludit, & omnes circumcirca poſitos infeſtando ac perſequendo depellit:qui non acquirit niſi alius fleuerit:lucra non condit, niſi alius gemuerit, cui ſoli bonum eſt quod publicum malum eſt, dum aut fructus ſeruat,aut annonã captat,aut inflat pretia, aut fœnus exaggerat, dum acquirendi lucra per nocẽdi exquirit ingenia. Põteſtne talis miſericordię implere officia,cui pupillorum dulcis eſt gemitus &viduarum ſuauis eſt fletus,dum præda huiuſmodi pacitur, & ſpolijs talium delectatur, qui diues eſt arca,non merito,poſſeſſione, non genere, nomine,non dignitate? Poteſtne miſericordia tangi,aut humanitate moueri,cuius auaritiæ nec proprium ſufficit,nec modum ponit alienum? Qui & ſi pauperi tribuat, hoc magis deterior, ſi alij tollit quod alij pertineat,& eſurientis pane eſurientem paſcat,& nudum ſpolijs veſtiat alienis,cùm ſcrip-

Eccl. 34. tum ſit: *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperis, ſic eſt quaſi qui victimet filium in conſpectu patris ſui.* Cæterum ille verè eſt diues, qui in Deo diues eſt, qui magis miſericordia opulentus, quàm diuitijs, facultates ſuas cum pauperibus diuidit,qui locupletem ſe dando magis quàm habendo oſtendit, qui ad hoc ſe meminit habere diuitias, vt fœneretur Deo,paſcat Chriſtum,veſtiat dominum, qui patrimonium ſuum non ingrato hæredi quærat relinquere,ſed per pauperes illud Chriſto deſideret cõmodare,qui diuitias cælo magis,quàm mundo cõmendat, qui deſiderat potior eſſe opere, quàm ſuæ ſubſtantię facultate,qui theſauros ſuos ad ſuperna tranſmittit, qui ad hoc viuit vt operetur, qui ad hoc operatur vt in æternum viuere mereatur, qui viduarum caſibus flectitur, & pupillorum miſeria commoueatur,qui dolentium cauſam ſuſcipit, & arrogantiã ſuperborum addicit. Cæterùm habere, nec facere,miſereri poſſe,nec velle, commendatũ ſibi deputat quod per cruciatus ſuum ad hæredem tranſmittat. Nec de ſuo miſer permittitur tangere, quod poſt ſe futuro cogitur reſeruare: qui ſolicitius ſeruat,quàm acquirit, moleſtius cuſtodit, quã rapuit. Suſpirat enim vigilans acquirendo, ſuſpirat dormiens reſeruando. Nec vigiliæ lætæ, nec ſomnus ſecurus. Nec dies lætus, nec nox quieta eſt:diſcurrit,torquetur & gemit,& quaſi illi proficiat quod acquirit, ſic augere deſiderat quod alij cũ ſuo cruciatu relinquat,vt quale fuerit patrimonij pondus,talis ſollicitudinis habeatur & cumulus. Sed dicet econtrario de mediocribus aliquis: Ego miſericordiæ inſtanter implerem officia, ego inopes paſcerem, egenos fouerem, nudos veſtirẽ, ego pauperibus neceſſaria victus impenderẽ, nec à me inanis quiſquam aut ſine fructu diſcederet, ſi mihi facultates ſuppeterent, diuitiæ adeſſent, copiæ redũdarent. At cũ mihi neceſſaria deſint,cùm operandi facultas neceſſitate habendi interdicta ſit,cur mihi aut dandi ſterilitas imputatur, aut miſerendi ceſſatio ſuccẽſetur? Sed audi quiſquis hoc loqueris,& excuſandi anſas quas obtendis omitte. Nullus miſer eſt, niſi qui miſereri noluerit: quia nec quiſquam miſereri deſiderans poterit non habere quod tribuat. nullus petentẽ pauperem poterit inanem relinquere,niſi qui ei noluerit commodare. Non enim miſericordię definita ſunt pretia,aut niſi quis multum dederit, acceptabile eſſe quod datur nõ poterit:aut inopes tantũ à quoquã expoſcunt,quantum qui poſcuntur dare non poſſunt:aut ex modico multum,aut de exiguo plurimum dare quiſpiam cogitur,cùm libenter ex modico modicum attributum diuina pietas gratule-

tur. Denique vidua Heliam ex modico paſcit,&idipſum quod habuit,finiri non potuit. Supremi victus dando non deſunt, & diuitũ horrea finiũtur: 3. Reg. 17

modicũ olei erogatur,nec deficit, & peccatorum apothecas penuria famis exhaurit. Miſericordia viduæ ſeruat,quod peccata locupletũ exterminãt: modica diuitijs maiora ſunt, & diuitiæ paupertate viduæ ſuperantur. Ita enim & iuſtis alimenta non deſunt,vt peccatoribus ſubſidia denegentur. Deniq; audi domini vocem, viduã in Euangelio collaudantẽ,quæ in dona Dei totum quod habuit,miſit. Amẽ,inquit,dico vobis,vidua iſta plus omnibus fecit. Omnes enim iſti de eo quod abundauit illis,

fecerũt:hæc autem totum quod habuit miſit. Laudatur in modico vidua, & diuitum non laudantur Marc. 12.

oblata. Minimũ viduæ diuitũ opulẽtias vicit,&vota diuitum votũ viduæ ſuperauit. Diuites enim ex multo modicũ, vidua verò ex modico obtulit totũ. Vnde dominus diuitum & viduæ operationes expendens, nõ quãtum quiſq; obtulerit,ſed quantum quis fecerit,ſingulorum animos & facultates oſtendit,& viduam in opere perfecto laudauit. Certabat enim animo cum diuitibus vidua, cũ locupletibus pauper,mediocris cum opulentiſſimis, fide ac deuotione certabat: ſed vincit animo, deuotione ſuperat,denique inuenitur potior, melior cõſpicitur,maior omnibus à iudice pronuntiatur. Amen,inquit,dico vobis, vidua iſta plus omnibus fecit. Prouocaris Chriſtiane,prouocaris, & à vidua in certamen deduceris. Hæc enim vidua quæ præſente tunc Chriſto certauit,nunc quoq; cum omnibus certat,& tamen neſcierunt talem qui victi ſunt,qualem nunc qui prouocantur, nouerunt. Quare taceant ſteriles, aridi conticeſcant, infructuoſi aut mutentur,aut ſileant:vidua quod fecit, non didicit, & ſteriles quotidie diſcunt, & non faciunt. Quæſiuit vidua quomodo poſſet præſentem Dominum promereri, quæſiuit quomodo poſſet potior diuitibus inueniri, inuenit cauſã, inuenit

uenit conſilium, vt quam natura fecerat pauperem, deuotio faceret diuitibus potiorem: & ne poſſit quiſquam non habendi excuſatione purgari, gratuita miſericordiæ inducũtur officia, vt oſtendatur Dominum etiam ipſis pauperibus operandi impoſuiſſe obſequia. Calicem frigidæ prophetæ porrigere, præmium Prophetæ promittitur: ægrotum, vel conſtitutũ fratrem in carcere viſitare, dominum viſitare eſt, ſicut ipſe Dominus dicit, vt poſſit ex gratuitis promereri, qui de ſubſtantia non poteſt miſereri: vt iam conſtet pro qualitatibus hominum miſericordiæ non debere ceſſare officia, vt operantibus poſſint præmia diſpenſari cæleſtia: vt cùm cœperint miſericordes expungi, & ſteriles condemnari, & miſericors, quia miſertus eſt, gaudeat, & ſterilis pœnas, quas non ſperauit, inueniat.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, quòd diſpenſatio rerum tuarum per teipſum exequenda eſt, & de laudibus inſtitutiſq; monachorum.

SERMO.

Rerum tuarum diſpenſatio Eccleſiæ præſidibus minimè concedenda eſt, qui per teipſum exequenda, vt non ſolùm minuendi fortunas, ſed etiam adminiſtrandi mercedem habeas: ipſe ſemen tuis manibus ſulco iacta: non enim erit terræ aratrum defigendum, aut boues iungendi, vel tellus ipſa nouanda, geluque & frigore contendendum: hac enim omni difficultate caret iſtiuſmodi ſemen. In cælo namque ſeminas, vbi algores nulli, neque hyems, vel eiuſmodi aliud quippiã inuenitur: in animo ſeris, vnde nemo quod ſatũ fuerit, tollet, quin inhærebit maximè, & acrius ac celerrimè detinebitur. Tu ſemen iacito, cur te hoc præmio fraudas? maxima etenim ſunt propoſita præmia his, qui aliena rectè ſubminiſtrauerint: ſiquidem non ſolùm qui ſua diſtribuit, ſed & qui oblata bene impartitur, dignus mercede eſt. Tu verò cur illam tibi, cùm licet, non vindicas? Quòd autem vel ex eo futurum ſit præmium, illud audi: Act. 5. Conſtituerunt autem apoſtoli Stephanum, & qui circa eum erant, ad diſpenſationem per manus faciendam. Efficere ergo & tu tuarum rerum diſpenſator: hîc enim humanitas, id eſt, Dei timor, te fortiorem reddet, inſolentiam tollet, animo quietem, manibus ſanctitatem largietur, intellectum eliciet, philoſophari edocebit, promptiorem faciet, & benedictionis participem, qua & caput ipſum manuum miniſterio donatur. Eſto itaque ad orandum diligentior, ſanctorum virorum curam ſuſcipito, eorum dico, qui verè ſunt ſancti, qui in ſolitudinibus conſiſtunt, qui emendicare nequeunt, qui Deo adhærent. Iter longius ſuſcipe, tum & tua alijs impartire: plurimum enim vtilitatis afferet iſtiuſmodi per te datio. Spectabis enim in ea eremo tuguriolum, videbis & diuerſorium, oculis ſolitudinem luſtrabis, ita vt cum illò per cauſam pecunias dilargiendi conceſſeris, & animam plerumque des integrè, detentuſque efficiere illis conſeruus, & hoc ſeculo alienus, & hoſpes. Magnum quidem, & præclarũ eſt, pauperes intueri & inuiſere. Eccl. 7. *Melius* enim *eſt*, inquit, *ingredi domum luctus, quàm domum lætitiæ*. Inde namque incẽditur ad virtutem animus. Nam ſi laſciuiẽtibus cæteris & ipſe arriſeris, erit id tibi quædã ad luxum & incõtinentiã incitatio: ſin autẽ, mœſtitia corripieris. In domo autẽ luctus, nihil eiuſmodi: nã ſi deliciæ deerũt, dolore carebis: ſi verò inerunt, abſtinebis. Certiſſimæ lacrymarũ ſedes monaſteria ſunt, vbi ſaccus & cinis, vbi ſolitudo, vbi riſus nullus, vel rerum præſentiũ obturbatio, vbi ieiunium, & humi cubatio. Sunt namq; ibi omnia nidore & illecebris vacua, & quauis interpellatione & inquietudine libera: inſuper portus tranquilliſſimi ſunt, quos qui inhabitant, veluti ignes ſunt, qui cum è loco editiori emicent, lucem vel eminus aduentantibus exhibent: cumque vel in portu reſederint, cæteros ad ſuam alliciunt tranquillitatem, neque ſe intuentes pati naufragium ſinunt, vel in tenebris degere, qui ad ſe oculos intenderint. Adito itaq; iſtiuſmodi viros, vtere eorum contubernio, accedito, inquam, & ſanctorum pedes amplexare, quos prehẽſare longè venerabilius eſt, quã aliorũ complecti caput. Dic mihi, complectuntur nõnulli ſtatuarum pedes, quoniam figuram & imaginem præferant Imperatoris: túne illum, qui Chriſtum continet, tenebis à pedibus? Sancti itaq; ſunt iſtiuſmodi pedes, vel ſi viliſſimi fuerint: inquinatorũ verò neque caput ipſum honore dignum. Siquidẽ ſanctorum pedes permagna operati ſunt: nam & excruciare ſolent, cùm à ſe excuſſerint puluerẽ. Cùm igitur quiſpiam ſanctus apud nos fuerit, nihil vile illius ducemus. Sãcti enim ſunt omnes, qui vt rectè credunt, & vixerint, vel ſi nulla ediderint ſigna, vel dæmones eiecerint: ſancti ſunt etenim. Ad monaſteriũ ſancti viri diuertere, tale eſt, quale foret è terris ad cælos ſubuolare: non enim tibi in eo licebit, quæ domi plerumq;, intueri: nã & monachorum cætus iſte perpurus, ſilentiumq; apud eos, & quies plurima. Hoc, Meum, Tuum, lõgè abeſt: apud quos ſi ad diem vnum, ſeu binos mãſeris, eò maiorem ſenties voluptatem: cùm enim primũ dies illuxerit, quinimò ante vocem ipſius diei lucẽ edidit vocem gallus, nihil tum ibi ſimile ſpectabis quod domi ſolemus: ſtertunt ſerui & familia, erunt occluſæ fores, mortuis omnes ſimillimi præ ſomno videbuntur, quatiat & aſinarius tintinnabula. bula. Sed mox omnes per monaſterij præſidem excitati, ſomno excuſſo, modeſtè conſurgunt, ſtatuẽteſque ſanctum illum chorum, ſtatimque tollẽtes manus, ſacros decantant hymnos, neque enim vt nos excutiendo ſomno & ſopore multo, horarum longiori indigent ſpatio. Ipſi enim ſimul ac è ſtratis attollimur, ad multam horam oſcitando, & corpus diſtrahendo reſidemus, mox ad ſecretum accedimus egerendi gratia, deinde manus faciemque abluimus, poſt hæc veſtẽ induimus & calceos: hoc pacto temporis plurimum teritur. Apud hos autẽ nihil huiuſmodi, nemo ſeruum euocat, cùm quiſq; ſibi faciat ſatis, nõ multis indiget indumentis, nec ſomni excuſſore opus habet: ſed vt primũ aperuit oculos, præ abſtinentia ſimilis apparet ei qui multum ac diu vigilauerit. Nam cùm nullo cor fuerit cibo grauatum, aut ſuffuſum, nec longiùs illi neceſſarium eſt ad leuandum tempus, quin leuior ocyus ſe exterſis manibus attollit. Somnus præterea modeſtus eſt & ſobrius: nemo enim ibi ſtertẽtem quempiam viderit, aut anhelantem, neq; inter quietem corpore iactabundum, vel nudũ: vel dormiunt ſanè cubantes modeſtius, quàm vigilẽt cæteri: quod profectò è quadam bene inſtituti animi moderatione efficitur. Hi proculdubio & ſancti ſunt, & inter homines angeli habendi. Plurimus enim Dei timor arcto & profundo ſomno haudquaquam eos ſinit ſoporata mente mergi: quin leuior ille duntaxat imminet ad quietem, à qua vel eorũ inſomnia minus aliena: ſunt enim vanis & monſtruoſis imaginibus vel præſtigijs vacua. Vnde diximus, edente gallo vocẽ, cũ monaſterij præpoſitus vel vnum pede pupugerit, omnes excitauit: neque enim ibi nudos cubare fas eſt: inde expergefacti, illico ſtãtes propheticos hymnos concinnitate ſumma, & modulatis carminibus decantat, eo modulatu & ſymphonia, vt neque cithara, neque fiſtulæ vllæ, neq; aliud muſicũ in genus inſtrumentum talẽ edant ſonum, qualem audire licet, integerrimis viris altiori quadam quiete, & animi tranquillitate ſuccinentibus, qui cantus & ſuauitate referti ſunt, & diuino amore oppleti. *In no-*

A ctibus, inquit, *extollite manus veſtras ad Deum.* Et illud: Vigilat anima mea ad te Deus, quoniam lux ſunt præcepta tua in terra. Item & Dauidici cantus quã multos lacrymarum concitant fontes, cùm canẽs Dauid illud pronuntiat: Defatigatus ſum in meo Pſalm. 6. luctu, *lauabo per noctes ſingulas lectum meum, & in lacry-* Ibidem. *mis ſtratum meum rigabo.* Et rurſum: *Quoniam cinerem* Ibid. 8. *tamquam panem manducabam. Quid eſt homo quoniam il-* Ibid. 143 *lius es memor? Homo vanitati factus eſt ſimilis, & dies no-* Ibid. 48. *ſtri tamquam vmbra decedunt.* Et illud: *Ne timeas cùm ditabitur homo, ſeu cùm fuerit aucta gloria domus eius.* Ibid. 67. Et: *Qui habitare facit pares moribus in domo.* Et: *Se-* Ibid. 118 *pties in die laudaui te ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.* Et rurſum: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi ſuper iudicijs æquitatis tuæ.* Et illud: *Deus erue animam meam* Ibid. 88. *de manu inferi.* Et: *Si ambulauero in medio vmbræ* Ibid. 22. *mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* item: Ibid. 90. *Non timebo à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à ne-* Ibid. 43. *gotio in tenebris perambulante, ab occurſu & dæmonio meridiano.* Et: *Æſtimati ſumus tamquam oues iugulationis.* Itaque oſcitantibus nobis, otioſeque torpentibus ſtertentibuſque, vel ſupinis cubantibus,& fallacias animo verſantibus innumeras, canunt iſti B Ibid. 148 iſtiuſmodi angeli vnà: *Laudate dominum de cælis:* concinentibus. At vbi primum dies illuxerit, quieſcunt illi: idque temporis quod nos ad laborem, illi habent ad quietem, clareſcente verò die, cùm per cauſam impenſas computandi, vel dimittendi ad forum alios euocamus, hicque principibus coram pœnas veritus aſtat trepidus, alius ſe in tabernaculum confert, alius arti ſe & operi cuius eſt gnarus accõmodat, rurſum illi matutinas incœptãt preces,& hinc ſe ad ſacrarum lectionem ſcripturarum conuertunt. Sunt & qui ſcribendi artem edocti, libros ſcriptitant,& deſtinatis cellulis ſe quiſq; tacitus continet. Precationes poſtmodum, quę tertia, ſexta,& nona hora,& veſperi inſuper dicũtur, abſoluunt: ita vt quadripartita die ſingulis partibus varijs Deum laudibus honorent. Igitur veſcẽtibus, ridentibus,& laſciuientibus reliquis, ac multo cibo diſtento ventre diſtractis, hi ſeſe hymnis C applicant, cùm eis nondum cibi & menſæ ſit tempus, neque vlla horum ſenſibilium cura. Sumpto verò cibo, cùm ſe primum quieti dederint, iiſdem incumbunt laudibus. Huius verò mundi homines vel die dormitant: at illi noctes ducunt inſomnes: quare lucisprogeniti meritò poſſunt appellari: ſiquidem id tempus quod reliqui ſomnolentiæ maiorem in partem ſumunt, oneroſique cibo & graues prodeunt, abſtinent hi, & impaſti manent, & orationibus ſtudent. Veſperi autem iteratò otiantibus cæteris, certatimque ad balneas properantibus, ad breue laboribus ſoluti, nulla ſeruorum excitata caterua, nullo per domum diſcurſu aut tumultu, neque varijs, & gulam irritantibus appoſitis epulis, diſcumbunt, pane dumtaxat plerique contenti & ſale, alij oleo his adiecto, & D qui infirmiores fuerint, oleribus & leguminibus veſcuntur. Diuinis interea laudibus haud intermiſſis, cùm paululum conſederint, ſingulis ſtoreis, & humi cubant, ad quietem ſolùm, non ad delicias paratis. Nullus ibi principum terror, nulla dominorum increpatio, neque vlla ſeruilis trepidatio eſt, nullus ibi fœminens tumultus, nulla puerorum obturbatio, non multæ ſunt apud eos apothecæ, aut condendarum rerum gratia parata loca, nulla abundans & ſeruata veſtis, auri & argẽti nihil, cuſtodiæ nullæ, nullum ærarium, vel aliud iſtiuſmodi quippiam: ſed omnia oratione, & diuinis laudibus, & fragrantia ſpirituali ſunt plena, nihil ibi quod carni indulgeat. Prædonum incurſus haud verentur, cùm nihil habeant cuius poſſint iacturam pati: ſiquidem & pecunijs carent, corpus tantùm habent,& animam: hæc ſi diripiat, profuiſſe potius viderentur, quàm dãni aliquid intuliſſe, quando eſſent per eos his corporis vinculis

ſoluti. *Mihi enim,* Paulus inquit, *viuere Chriſtus eſt,* Phil. 1. *& mori lucrum.* Vox itaque, *exultationis in tabernaculis* Pſal. 117. *iuſtorum.* Nullus præterea ibi eiulatus aut lamentatio exauditur, vel gemitus, vacat iſtiuſmodi mœrore domicilium illud, aut vlulatu. Moriuntur ſanè inter eos nonnulli, cùm haudquaquam ſint corpore immortales, neq; tamen mortem pro morte ducunt: ſuos enim canticis præmittunt mortuos, præcedere illos exiſtimantes, non emori. Quòd ſi e ſuis quempiam obiiſſe mortem enuntietur, gaudio ſummo & lætitia afficiuntur: quinimò neque illum audebit quiſpiam mortuum appellare, ſed viuendi finem feciſſe dicet. Proinde gratiarum actio, diuina affatim laus & ſuauitas oritur, optantibus ſingulis ſe talem vitæ finem habituros, eoq; modo ſeculi huius certamen excedere, ab agoneque hoc & laboribus requieſcere, & Chriſtum ipſum intueri. At ſi quis eorũ ægrotauerit, nullæ exprimuntur lacrymæ, nullus gemitus, ſed orationi iteratò incumbitur: nulla medicorum manu, ſed fide tantùm plerumq; ſubleuantur,& ægrotus cõualeſcit. Quòd ſi vel medico opus habuerit, permagna patientia & tolerantia præſtatur. Nõ adeſt præterea vxor ſoluta crines, non liberi futuram orbitatem deplorantes, non ſerui orantes efflaturũ mox ſpiritum, ſeſe cuinam commendatos relinquat: ſed horum omnium liber animus, vnũ illud & ſolum aduertit, vti vltimo ſuo efflatu decedat Deo gratus. Verũ ſi in morbum aliquẽ inciderint, nulla crapula, vel nimio ſtomachũ grauante cibo, eum incurrunt: quin potius erunt eius morbi cauſæ quauis laude cumulatæ, nulla ægrotantium culpa exortæ. Nã vel ex lucubratione immodica, aut cibi longiori abſtinentia, languorem inferunt, vnde & curantur facilius, quando his ſe nequeũt malis eximere, niſi deſierint ęquè laſſeſcere vt cœperant,& defatigari. Dicet quiſpiam: Licebitne iſtiuſmodi viros in media Chriſtiani populi frequentia ſpectare? Nos verò ita reſpondemus, non ea mẽte iſtorum nos vitam explicaſſe, vt videãtur qui eccleſijs viuũt, contemnẽdi. Quàm multi enim ſunt plerũque iſtiuſmodi ſanctitate viri, & ſi haud propalàm, vel in ipſo Chriſtianorum conuentu medio: neq; ex eo quòd alienas circũuagantur domos, aut in foro verſantur, vel alijs præſunt, parui illos facimus, eò minus, quò & Deus illud iniũxit: *Iudicium,* inquiens, *pupillo facite, & viduam iuſtificate.* Eſai. 1. Diuerſæ enim ſunt ad virtutem viæ: ſiquidem & margaritæ inter ſe differunt plurimum: vel ſi omnes idem ſint nomen ſortitæ, tamen hæc fulgentior eſt,& rotũda: illa verò haud parẽ habet decorem, ſed alium quemdam,& varium. Qualis verò A ſimili. ille ſit, explicabimus: quemadmodum enim corallum artificio quodam productas in longum lineas nonnũquam habet, circumciſoſq; angulos, & expolitos, coloremque à candido, etſi diuerſum, longã tamen delectabiliorem, viridis etiam infectus color præter omnem viriditatem iuuat. Item & flos quidam coniunctum habet cum innata fragrantia & ſanguinis colorem: alius autem qui glaucus fuerit, glaucitate ipſa mare vincit: alius etiam erit purpureo colore ſplendidior, & iſtiuſmodi pleroſque alios videmus: inſuper & ſolis colores varios eſſe inuenire quis facilè poterit: ſic & his ſimiles dici viri ſancti poſſunt, quorum nonnulli propria quadam exercitatione & induſtria ſibijpſis, plerique verò eccleſiæ profuere. Itaque vt eò vnde digreſſa eſt, redeat oratio, ſi ſanctorum pedes lauerimus,& opem tulerimus oppreſſis, ſalutare erit. Incumbamus ergo his rebus, vt gloriari in cælo poſſimus ſanctorum pedes abluiſſe. Quòd ſi horum abluendi ſunt pedes, eò magis & ipſi per nos pecunijs iuuandi erunt. *Non enim ſciat* Matth. 6. *ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.* Quid multos admittis teſtes? ſi enim fieri poteſt, ne domeſtici quidem, vel vxor ipſa ſit huius beneficij conſcia: quã plura enim

ra enim ſunt ſubdoli illius aduerſarij impedimenta: plerumque enim coniunx arrogantia quadam, vel alia quauis de cauſa, etſi numquam antea, tunc tamen te interpellabit, & beneficium illud tuum intercipiet. Geneſ.22 Siquidem Abraham, etſi admirandam haberet vxorem, ea tamen, cùm filium eſſet immolaturus, clàm habuit, præſertim cùm ipſe rei euentum ignoraret, certior tamen quòd illũ eſſet necaturus. Quid igitur è turba vir aliquis dixerit, quiſnã hic eſt qui hæc facit? & is ſimul nónne crudelitatis eum & ruſticitatis inſimulabit? dicens nõ licuit matri filium ſpectare, & vltimã audire vocẽ, morientemque inſpicere? Nihil tamen iſtiuſmodi iuſto illi diuino amore incenſo veniebat in mentem, præter id ſolum, vt Dei mandata exequeretur, non ea in re filium, non vxorem animaduertebat: & quod maximum eſt, futuri neſcius, adeo ille omni ex parte integrum Deo offerre ſacrificium ſtudebat, vt ne lacrymis quidem illud, aut contentione aliqua inquinaret. Ad quem ait Iſaac: *Ecce ligna & ignis, vbinam victima?* Quid ergo pater? *Deus prouidebit ſibi victimam ad holocauſtum, fili mi.* Fertur autem id eſſe propheticum, vt illud: Et filium viſurus eſt in victimam. At cur eum qui immolandus eſt celas? etiam, inquit, veritus ne torpeſcat, vel indignus inueniatur. Vides itaque quàm multa diligẽtia vir ille cuncta factitaris, quæ ſacris literis exprimuntur: Neſciat ſcilicet ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. Quod illud ſonat, vel ſi quempiam habuerimus, quamuis propinquitate iunctum, nihil illi quod fuerit per nos piè geſtum, vltro aperiamus, niſi cogat neceſſitas. multa quippe ex eo ſuccedunt grauia: nam ſi quis ſuperbire occœperit, erit id quidẽ illi ad bene agendum impedimento. Quapropter cũ aliquid inopi impartimus, vel nos ipſos ſi fieri poteſt celabimus, ea vt bona cõſequamur, quæ nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro manent certiora & parata.

Diui Ioannis Chryſoſtomi ſermo, ne ſcrutemur pauperes curioſè.

QVid ſtipem depoſcẽtem ſcrutaris? quin illum Chriſti ob gratiam excipe: nam ſi nimiũ fueris explorando curioſus, vel probum plerumq; virum præteribis, facieſq; hoc modo futuræ & emeritæ mercedis iacturam: quamuis qui vel improbũ pro Chriſto ſuſceperit, culpandus non erit, quin capiet pro eo & præmiũ. Nam qui Prophetam ſub prophetæ nomine admiſerit, prophetæ mercedem accipiet: qui verò pro intempeſtiua hac & ſuperuacanea ſcrutandi cura quempiam laude dignum paruifecerit, pœnas luet. Non itaque aut vita hominum, aut facta ſcrutanda ſunt: quod proculdubio extremæ cuiuſdam nos experientiæ arguit, dũ panis vnius gratia petiti, vniuerſa ſit inopis vita indagãda: qui ſiue prædo fuerit, ſiue aliud quiduis, num eapropter vel pane tibi, vel argenteis nonnullis & paucis apparet indignus? eumque cui Dominus tuus orientem ſolem ſit impartitus, perexiguum ipſe cibatum & tenuem victum exiſtimas immerentem? Quin etiam quod dictu maximum eſt, ſi vel hunc compertum habeas innumeris eſſe vitijs conſtipatum, eoque paruò & exili cibo fraudaueris, nihil id tibi poterit ad excuſationem valere, præſertim cùm eius ſis Domini ſeruus, qui ita inquit: Num ignoratis ex quo patre ſitis? Illius prętereà familiaris, qui ſe lapidantes animo tulerit patienti, imò qui eſt pro ſe lapidantibus in crucem ſublatus. Neque id dixeris, mendicum quempiam ſicarium eſſe, aut homicidam, qui vel ſi tibi eſſet exitium allaturus, non tamen foret, quando inedia maceretur, aſpernãdus: ſiquidem eius diſciplinam ſecteris, qui cruci ſe ſuffigentium concupiuit ſalutem, eius, inquam, qui in ipſo patibulo ita profatur: Luc.23. *Pater dimitte eis, non enim norunt quid faciunt.* Illius inſuper ſeruitutem ſubiſti, qui ſe manu cædentes tulit mitius, qui noxiũ in cruce coronauit. Quod facinus quid vmquam poterit æquare? Porrò latrones vel vtrique Chriſtum maledictis inſectabantur: horum tamen alteri paradiſum nõdum cuiquam patefactum, peruium fecit: deflétque qui mortem ſibi ſunt allaturi: turbatur enim terreturque proditore conſpecto, non eò quòd foret ipſe cruci ſuffigendus, ſed quòd ille eſſet ob id ſceleris interiturus: cõmouebatur præterea quòd ſuſpendij laqueos præuidiſſet, quos ſupplicia ſequerẽtur. Iudam tamen, etſi eius nequitiæ præſcius, adúſque extremam horam tolerauit, neq; proditorem reijciebat, quin amplexando oſculabatur. Hunc itaq; Dominus tuus labijs admittit, qui mox eius eſt pretioſum ſanguinem fuſurus: tu verò egenum neq; pane dignaris, nihil veritus quas Deus condidit leges, quibus nos commonefacit, non ſolũ non eſſe inopes reijciendos, ſed ne hos quidem qui nos ad interitum duxerint. Neq; illud commemorauetis, hunc illúmve mali quiſpiam alteri intuliſſe: quin potiùs recognoſce quid Chriſtus ſub ipſo patibulo & oſculo quo erat prodendus, egerit, vt proditorem emendaret. Attende quàm prudenter id dicat: *Iuda oſculo filium hominis tradis?* Quem hominum non his verbis leniſſet? quem, inquam, eiuſmodi vox non ad pietatem flexiſſet? quam belluam, aut quem adamantinũ lapidem non commouiſſet? ſolus ille miſer flecti non potuit. Ne itaque dixeris, ea ratione nonnullos eſſe fugiendos, in animũ induxi, quòd humana ſint cæde & ſanguine inquinati: quin potius eorũ erunt deoſculandæ manus, vel ſi tuæ ſint ceruicis ſanguine reſpergendæ, quando & Chriſtus ſit os illud impudentiſſimũ deoſculatus, quod necem ei parauerat. Igitur & ipſe lacrymis potiùs & commiſeratione proſequere, quàm odio aut maleuolentia, qui fuerit in te quippiã machinatus: is enim eſt non indignus cuius non pigeat: quippe illius & ſerui ſumus, qui ſe tradenti oſculum dedit, (id enim ſæpe ac multũ repetendo commemorauerim) & quouis oſculo molliora eſt verba effatus: ſiquidem non indignabũdus, vt homines ſolent, talia inuehit: Facinoroſe proditor & omnium perditiſſime, has mihi pro meis in te beneficijs vices reddis? quin, Iuda, inquit, eum nomine appellans, quod commiſerantis eſt potius, & à ſcelere ad officium reuocantis, quàm iraſcentis: nec magiſtrum ſe dixit ac Dominum, aut bene de ſe merentem, ſed filium aſſerit illum hominis prodere. Atqui ſi nec præceptor ille, vel Dominus extitiſſet, id ſolum quòd ſe purè adeò & ſimpliciter erga te geſſerit, vt cùm vel prodendus eſſet, ni oſculum proditionis indicium, quod erat antea per te in ſui capturam deſtinatũ, obtulerit, prodendus, à te non fuiſſet. Sis bone Deus benedictus: quot enim nobis tradidiſti, tum ad humanitatem, tum ad innocentiam exempla? talem ſe Iudæ præbuit Chriſtus? Nónne & pari vſus eſt in eos benignitate, qui ſe fuſte & gladijs inuaſiſſent? Maximè: quid enim dici his verbis manſuetiùs poteſt, quæ ad eos fertur habuiſſe, quos & ſi perdere mox omnes pro voluntate licuiſſet, facere id tamen temperauit, quin pudentiùs ſic illos alloquitur: Quid in me cũ gladijs & fuſtibus tanquam in latronem aliquem irrupiſtis? quibus protinus pauore reiectis, & ſupinis cadentibus, & ſtupiditate affectis, rurſum ſeſe vltro obtulit: cumque manus ſibi ſanctiſſimas ligari vidiſſet, etſi confundendi omnia & diſturbandi facultatem haberet, patientiſſimè tolerauit: deinde Chriſti perſpecta manſuetudine tam acriter in inopem ſæuiendo efferatis, qui vel ſi innumeris fuerit obnoxius vitijs, eius tamen vel egeſtas, vel fames ſatis vtique facere poſſe videntur ad animum non penitus obtuſum vel cæcutientem, mitigandum. Tu verò contrà leonum more, & ſi nihil illi cadaueroſum attingant, efferatus & fures in

Digitized by Google

pertinacia manes: iacentemque inopem, & egeſtate immodica maceratum, ac malis confectum & premis, & vrges, eiuſque corpus conuitijs diſcerpens, quaſi procellas, vt aiunt, tempeſtatibus ſuperinductis adaggeras, compelliſque ad portum refugientem illidi ſcopulis, & cogis naufragiũ ſubire maritimo longè moleſtius. Quo igitur pacto tuis facinoribus veniã à Deo precaberis, remittiq; commiſſa poſtulabis: qui nihil peccanti cõuitiaris, pœnaſque pro tanta inedia & rerum anguſtia depoſcis, adeò vt tua ſæuitia immanium belluarũ feritas obſcuretur? Siquidem ventris illæ vrgente eſurie naturali conſuetoque cibo veſcuntur: tu verò nemine impellente fratrem & mordicus lanians, etſi nullis dentibus, dictis tamẽ laniatu quouis & morſu infeſtioribus deuoras. Quo igitur pacto ſacram illam oblationem ſumpturus es, qui linguam humano ſanguine cruentaueris? quomodo & pacis oſculum deferes ore hoc tuo contentioſo & hoſtili? Cibum præterea corporeum hunc & ſenſibilem quo animo ceperis, qui tantum accumulaueris virus? cur atteris quã nec ſubleuas pauperiem? cur deprimis, quem non iacentẽ erexeris? cur auges, quam haudquaquam ſuſtuleris animi moleſtiam? Pecunias nullas impartiris, quid probris quempiam inſectaris? nondum tibi ad aures peruenit, quantum hi pœnarum luant, quibúſve ſint tormentis adiudicati, qui mendicum non aluerint? Abite, inquit, in ignem diabolo & eius angelis paratum. Si igitur qui nullis inopem alimonijs iuuerint, tam acriter condemnantur: quas illos pœnas daturos putas, qui nec victum impartiuntur, & contumelias ingerunt? quot, inquam, hi ſubituri tormenta ſunt? quot incendia & gehennas? Ne itaque tantum in nos malorum ardorem concitemus, quamdiu id exequi ad arbitrium licet, corrigendus & hic nefarius morbus erit, & linguæ imponendi ſunt fræni, neque ſolum per nos inopes non acerbandi, quin dictis factiſve haud mediocriter conſolandi, vt venia ob id nobis longè ante comparata, bona illa aſſequamur, quæ nobis ſunt diuinitus adiudicata: præſtante Domino Ieſu Chriſto, cui cũ Patre & Spiritu ſancto ſit gloria, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Diui Ioannis Chryſoſtomi Oratio Kalendis habita, cùm non veniſſet in publicum eo die epiſcopus Antiochiæ Flauianus, contra eos qui nouilunia obſeruant, & in ciuitate choros ducunt, & in dictum Apoſtoli, Omnia in gloriam Dei facite. Ioanne Checo Cantabrigienſi interprete.

QVemádmodum chorus præſultorem, & nautarum multitudo gubernatorem inquirit: ſic & ſacerdotum iſte cætus Pontificem hodie ſuum, & communem patrem Flauuianum deſiderat. Sed in choro, & naui, eorum qui præeſſe debent abſentia multum ſæpe tum ornamenti, tum ſalutis detrahit: hac in re autem non ita fit. Quamuis enim carne non adſit, ſpiritu tamen adeſt, & nunc nobiſcum eſt, domi cùm ſedeat, quemadmodum nos cum illo ſumus, quamquam hic ſtemus. Ita enim charitatis natura eſt, vt longo interuallo diſiunctos congreget & deuinciat. Nam in hominem in aliena regione commorantem, & magnis à nobis fretis diſiunctum, ſi diligamus, quotidie eum locum vbi ille permanet, animò cogitationeque ſequimur: quemadmodum cùm erga aliquem non ita affecti ſumus, eum ne prope quidem aſtantem aſpicere † ſuſtinemus. Sed vt cùm charitas adeſt, nullum impedimentum ex loci interuallo eſt: ſic eadem cùm abeſt, nullum præſidium ex locorum vicinitate paratur. Nuper autem cùm diuum Paulum laudaremus, ita exultauiſtis, quaſi ipſum præſentem vidiſſetis. Atqui corpus eius cùm in *a* baſilica Romæ iaceat, anima autem in manu Dei ſit, charitatis tamen vis illum ante oculos veſtros collocauit. Cuperem autẽ in idem quoque argumentum hodie deſcendere, ſed ad alia quædã, quæ magis vrgent, oratio noſtra prouehitur, in quibus à tota hodie ciuitate peccatur. Eos enim qui laudes Pauli audire cupiunt, priùs virtutes Paulinæ æmulos eſſe oportet, deinde hoc ſe ſermone dignos iudicare. Quoniam ergo non adeſt hodie Põtifex, agè precibus illius freti, aliquid quod ad inſtitutionem veſtri pertinet, attingemus. Nam & Moyſes, quanquam corpore nequaquam præſens cum exercitu fuit, nihilominus tamen, imò multò magis quàm reliqui præliantes, victoriam promouit, panſis manibus ſuſtentans cauſam ſuorũ, ſubleuans, & hoſtibus terrorem incutiens. Quemadmodum autem neque charitatis vis, ita neque precationis efficacitas loci interuallo coërcetur, ſed quemadmodum illa longè diſiunctos copulat, ſic & hæc eos qui procul abſunt, admodum iuuare poteſt. Fidentes igitur in pugnam procedamus. Nam & nobis hodie bellum indictũ eſt, non Amalecitis inuadentibus, vt tum fecerant, aut alijs barbaris incurſantibus, ſed dæmonibus põpam in foro ducentibus. Diabolicæ enim pernoctationes quæ hodie fiunt, *b* & caueæ ludorum, & conuitia, & ſaltationes nocturnæ, & explodendæ comœdiæ, quouis hoſte deterius ciuitatem noſtram expugnant, *c* & propterea par eſt vt animo contrahantur, lugeant, erubeſcant, tum qui delinquunt, tum qui non delinquunt, illi quidem propter admiſſa facinora, hi verò quia fratres viderunt fuiſſe immodeſtos. Læta cumprimis ciuitas fuit, & ſplendidè coronabatur, & forum quaſi elegans ſumptuoſaque mulier, ambitioſè hodie exornabatur, & auro, indumentis pretioſis, calceis, & reliquis eius generis veſtiebatur, ſingulis in officina ſua opificij ſui venditatione, eiuſdem artificij ſocios antecellere ſtudẽtibus. Hæc autem concertatio quanquam puerilis cuiuſdam cogitationis eſt, & animi nihil neque magnũ, neque ſublime cogitantis, non ita multum tamen ſecum incommodi apportat, ſed cum inconſiderata ſit quædam venditatio, irriſionem continet eorũ qui in illis elaborant. Si enim exornare aliquid volueris, non officinam, ſed mentem: non forum, ſed intelligentiam tuam exornato, vt angeli mirẽtur, archangeli hoc approbent, ipſe angelorum Dominus ſuis te donis compenſet. Hæc enim quæ nunc eſt venditatio, tum riſum, tũ æmulationem apportat: ab ijs qui excelſo ſunt animo, riſum; ab illis qui in eadem ægritudine ſunt, æmulationem, inuidiãque multam. Sed quemadmodum antè dixi, non ita adeò reprehendendæ ſunt hæ concertationes: qui verò in tabernis ludi fiunt, illi me maximè excruciant, & impietatis atque intemperantiæ pleni ſunt: impietatis quidem, quòd qui hoc faciunt, dies obſeruant, & augurijs addicuntur, & putant ſi nouilunium menſis huius cum voluptate & lætitia degant, reliquum ſe annũ ſic tranſacturos: intemperantiæ verò, quod cum prima luce fœminæ & viri pocula implentes, multa cum intemperantia vinum merum hauriunt. *d* Hæc quanquam vos ipſi non facitis, indigna tamen noſtra religione ſunt, ſi vel alios hoc facere permittatis, ſiue hi famuli veſtri, ſiue amici, ſiue vicini fuerint. Non audis Paulũ dicentem: *dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos, metuo vobis, ne fruſtra in vobis laborauerim*. Nempe extremæ hoc eſt amentiæ, propter vnũ diem ſi auſpicatus fuerit, per vniuerſum hoc expectare annum: neque amentiæ ſolum, ſed *e* diabolicæ cuiuſdam efficientiæ indicium eſt, non proprio ſtudio & alacritati, ſed quibuſdam dierũ circuitionibus vitam noſtram commendare. Fortunatus tibi in vniuerſum annus erit, non ſi in nouilunio ebrius fueris, ſed ſi in nouilunio & * ſingulo quoq; die quæ Deo probata ſunt, feceris. Dies enim bonus & malus eſt, non ſua quadam & propria natura, (nihil enim

dies à

Gr. ἀνεχόμεθα videmus.

Vide not. fol. 805.

Exod. 17

Ἀμιλλῶν

Galat. 4.

* vno.

dies à die differt) ſed noſtra vel diligentia, vel ignauia. Si iuſtitiam feceris, bonus tibi dies erit: ſin peccatum deſignaueris, malus & ſupplicij plenus. Si iſta meditatus, ſi ita animo affectus fueris, & preces eleemoſynaſq; quotidie adhibueris, fortunatū habebis totum annū: ſin virtutem neglexeris initijs menſium, ac ſtatis diebus animi tui oblectationem concredideris, omnium inanis eris bonorū. † Quòd cū diabolus perſpiciat, & ſtudeat noſtros in virtute labores frangere, & animi alacritatem extinguere, tum bonas, tum malas felicitates diebus aſcribere nos docet. Nam qui ſibijpſi perſuadet diem vel bonum vel malum eſſe, neq; in malo die bonorum factorum curam habebit, quaſi propter diei neceſſitatem fruſtra laborādo nihil proficiet: neque contrà in bono die quidquam faciet, quaſi propter bonum diei ſucceſſum propria ſocordia nequaquam lædatur. Sic vtrinque ſuam ipſius prodet ſalutem, interdum quaſi inaniter, interdū quaſi ſuperuacaneè laborās, in otio & nequitia vitam deget. Quod cùm ſciamus omnes, diaboli aſtutias fugere oportet, & hunc animi ſenſum deponere, vt neque dies obſeruemus, neque hunc diem refugiamus, illū perſequamur. Non enim ſolùm vt nos in ſocordiam inijciat, ſed etiam vt opera Dei ſugillet, & hæc malus ille molitur dæmon, & in impietatem ſocordiamq; ſimul animas noſtras pertrahere cogitat. Sed reſilire nos oportet, & certò ſtatuere, nihil malum eſſe niſi peccatum ſolum, & nihil bonum, niſi virtutem ſolam, & † perpetuum cultum Dei. Oblectationem animi, non ebrietas, ſed precatio ſpiritualis: non vinum, ſed verbum erudiens adfert. Vinum enim tempeſtatem, verbum tranquillitatem creat: illud tumultum introducit, hoc turbulentiam expellit: illud obſcurat mētem, hoc obſcuram illuminat: illud † animi demiſſiones quę ante non fuerant inuehit, hoc eas quæ adſunt, rurſus expellit. Nihil enim ita tranquillitatem ac ſedationem animorum ingenerat, atq; hæc religionis noſtræ inſtituta: res præſentes deſpicere, futuris inhiare: nihil humanum ſtabile iudicare, nō diuitias, non potentiam, non honores, non cliētelas. Hæc ſi recta ratione reputes, cùm diuitem videris, non te inuidia mordebit: ſi in paupertatem incideris, non deſpondebis animum, atq; adeò perpetuò feriari potes. Chriſtianū enim non menſibus, non nouilunijs, non dominicis diebus feriari oportet: ſed per omnem vitam feſtum diem ſibi accommodatum agere. At quis illi feſtus dies maximè conueniens eſt? Audiamus Paulum dicentem: Itaque feriemur, *non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ: ſed in fermento integritatis & veritatis*. Si ergo puram habes conſcientiam, feſtum diem ages perpetuò, bona ſemper nutritus ſpe, & futurorum bonorum † perfuſus expectatione. Sin animo perturbatus, & ſceleribus multis obnoxius fueris, quanquam ſexcentæ feriæ & celebritates ſint, nihilò tamen melius, quàm hi qui lugent, cōſtitutus es. Quæ enim ſplendidæ diei vtilitas eſſe poteſt, ſi ego mihi animæ obſcuratæ conſcius ſim? Sin fructū aliquem percipere è nouilunio vis, hoc facito: Vbi annum expletum videris, gratias age Domino, qui te ad hanc annorum circuitionem perduxit. Extimula cor tuum, vitæ tuæ tempus tecum reputa, tecum ad hunc modū verba facito: Dies auolant & prætereunt, anni finiuntur: magnā viæ noſtræ partem confecimus: quid boni à nobis factum eſt? iudicium Dei pro foribus eſt, & reliquū vitæ tempus ad ſenectutem vergit. Hæc in nouilunijs meditare. Hæc de annorū conuerſionibus reuolue. Futurę diei perpetuò recordemur, ne aduerſum nos loquatur quis illud, quod aduerſus Iudęos à Propheta dictum eſt: *Abierunt dies eorum cum vanitate, & anni illorum cū celeritate*. Has ergo ferias perpetuas, & in ambitus annorū nequaquā incluſas, neq; dierum permenſione deſcriptas, tū diues, tū pauper ex æquo poteſt agere. Nō enim hîc pecunijs, neque rerum affluentia opus eſt, ſed virtute ſola. Non habes pecunias? at Dei timorem habes, omnibus pecunijs vberiorem theſaurum, qui neq; conſumitur, neq; interuertitur, neque exhauritur vmquā. *f* Intuere in cælū, terram, mare, aërem, in genera animantium, ac varietatem ſtirpium, in naturā hominum vniuerſam: conſidera Angelos, Archangelos, ſuperiores poteſtates: reputa hęc in domini tui ditione eſſe. Haud fieri poteſt, vt domini tam locupletis, præſertim ſi propitium habeat dominū, pauper quiſquā ſeruus ſit. Dies obſeruare non Chriſtianæ religionis, ſed græcæ cuiuſdam inanitatis eſt. In cæleſtem ciuitatē aſcriptus es, in rempublicam eam receptus es angelis teipſum admiſcuiſti: vbi non eſt lumen quod in tenebras deſinit, neque dies quæ in noctē terminatur, ſed perpetua dies, & perpetua lux. In illa ergo intueamur omnino. Cæleſtia, inquit ille quærite, *vbi Chriſtus ad dexteram Dei ſedet*. Nihil habes commune cū terra, vbi ſolis curſus & conuerſiones, & dierum viciſſitudines ſunt, ſed ſi rectè viuas, nox tibi dies fiet: contrà ac illis qui in laſciuia & ebrietate & intemperantia viuūt, quibus dies ad noctis conuertitur tenebras, non quidem defectione ſolis, ſed illorum, propter ebrietatem, obſcuratione mentis. Dies ergo tales in admiratione habere, & magnam ex illis voluptatem capere, & lucernas in foro accendere, & coronis admodum redimire, puerilis cuiuſdam amentiæ eſt. Ab hac iam imbecillitate liberatus es, & in virum euaſiſti, & in cæleſtem aſcriptus es rempublicam. Non ergo in foro accendas lumen ſenſibile, ſed in animo accende lumen ſpirituale. *Luceat enim lux veſtra, & coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, &* gloria afficiant patrem veſtrum cæleſtem. *g* Hæc lux hanc adfert compenſationem: non vt domus tuæ fores ſertis coronentur, ſed vbi talem tuum demonſtraueris cū cæteris conuictum, vt iuſtitiæ coronam capiti impoſitam, à Chriſti manu accipias. Nihil temerè, nihil imprudenter à vobis fiat. ita enim Paulus præcepit, omnia in gloriam Dei vt faceremus: *Siue enim*, inquit, *editis, ſiue bibitis, ſeu quid facitis, ad gloriam Dei faciatis*. At quomodo, inquies, edere & bibere ad gloriam Dei poſſumus? Accerſe pauperē, participem menſæ tuæ facias Chriſtum & ad gloriam Dei ediſti ac bibiſti. At non hoc ſolùm præcepit ad gloriam Dei fieri, ſed & reliqua omnia, vt in forum ire, domi ſe continere. Hæc enim vtraq; propter Deum fiant. At quomodo vtraquè iſta fient propter Deum? Quando ad eccleſiam accedis, quando precationis, quando doctrinæ ſpiritualis particeps es, hæc progreſſio ad gloriam Dei eſt. Sed domi etiam licet propter Deū manere. Quomodo? aut qua ratione? Vbi audiueris tumultus immodeſtos, pōpas diabolicas, malis atq; intemperantibus hominibus forum plenum eſſe, domi maneto, & à turba tali diſcedito, & ad gloriam Dei ibi manſiſti. Quemadmodum autem tū domi permanſio, tum egreſſio foras, ſic tum laus, tum vituperatio quoq; ad Dei gloriā eſſe poteſt. Quomodo autem ad gloriā Dei licet aliquem laudare ac vituperare? Sedetis ſępe in officinis, videtis pręterire homines malos atq; improbos, ſupercilia contrahētes, inflatos, qui multos poſt ſe paraſitos & adulatores ducūt, qui pretioſas habent veſtes, & multis inanitatibus amiciūtur, alienarum rerum direptores, atq; auari. Hic ſi quemquam audiueris dicentem: An nō præſtabilis hic vir? An nō beatus? increpa, redargue, os obſtrue, commiſerator, lacrymare: hunc tu ad gloriam Dei vituperabis. Vituperatio enim talis, † ad religionem reliquorum præſentium & virtutem inſtructio eſt, vt in res † ad victum ſpectantes minus inhient. Quære ab illo qui illa dixit: Cur tam beatus hic eſt? Nū quia admirabilē habet equum † auro exornatū? aut quia

magnum

addo è Græc. *τῶν κατὰ σαυτὸν quæ ad te pertinent.*

ἀρέσκειν τῷ θεῷ placere Deo.

ἀθυμίας molestias animi aut mœrores.

1. Cor. 15

εὐτρυφῶν τῇ προσδοκίᾳ

Coloſſ. 3.

Matth. 5.

1. Cor. 10

Quomodo omnia quæ agimus in Dei honorē poſſumus dirigere.

Nemo beatus propter bona externa.

φιλοσοφίας.

περὶ τὰ βιωτικά.

ἵππον χρυσοχάλινον aureo fræno.

Digitized by Google

magnum famulatum? aut præclaram habet veſtẽ? A & ebrietate delicijſque quotidie ſoluitur? Sed propterea miſer atque infelix eſt, & multis lacrymis proſequendus. Video certè vos nullam illius partem laudare poſſe, ſed externas res omnes, equũ, frænum, veſtes, quæ omnia nulla illius pars exiſtunt. Dicas ergo, quid omnino miſerius eſſe poteſt, quàm vt equus, & equi frænum, & veſtium ſplendor ac famulorum bona corporis conſtitutio laudetur, ipſe illaudatus prorſus prætereatur? Quid eo homine pauperius, quàm cùm nullum habeat bonum proprium aut domeſticum, neque quidquam quod inde educere in aſpectum poteſt, alienis vt rebus totus exornetur? Proprium enim & domeſticum ornamentum diuitiæque noſtræ ſunt, non famuli, non veſtes, non equi, ſed animi virtus, ſed bonorum operum abundantia, ſed libera & ſecura cũ Deo collocutio. Rurſus, cùm videris pauperem abiectum, ſpretum, cum penuria vitam tranſigentem, & à ſodalibus qui tecum ſunt, † commiſeratum, laudato illum: & hæc prætereuntis laus, inſtitutio eſt & adhortatio ad bonam

ταλανιζόμενον miſerum habitum.

B & honeſtam vitam tranſigendam. Si dixerint, ærũnoſus & miſer eſt: tu contrà illum omnium beatiſſimum prædica, qui Deum habet amicum, qui virtuti incumbit, qui diuitias nequaquam fluxas poſſidet, qui conſcientiam habet puram. Quid enim illi incommodi eſt, ſi pecunijs terrenis egeat, cùm cæli & cæleſtium hæreditatem aditurus ſit? Si tu cum illis ſic diſputaueris, atque alios inſtitueris, magnam recipies tum vituperationis, tum laudationis tuæ mercedem, cùm vtraque ad gloriam Dei facias. Quòd autem nequaquam temerè animum tuum his verbis pellexerim, ſed quòd permagna quædam his, qui ita animo conſtituti ſunt, à Deo compenſatio futura ſit, & in ſumma hoc virtute habent, ita de illis qui ſic vitam degunt ſtatuere: audi quid propheta dicat, & in quo rectè factorum numero ponat, tum malos homines pro nihilo habere, tum timentes Deũ gloria afficere. Poſtquam enim reliquas virtutes commemoraſſet illius qui à Deo honorandus eſſet, & qualem eſſe illum oporteret, qui in ſancto illius tabernaculo habitaturus

C eſſet, hoc eſt, inculpatum, & colentem iuſtitiam, &

Pſal. 14. à nequitia vacuum, etiam hoc ſubiecit: *Qui non doloſus fuit lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum*. Et paulò

Ibidem. pòſt: *Pro nihilo habitus eſt apud illum maleficus, timentes autem Dominum gloria afficit*. His verbis demonſtrat vnum certum eius officium eſſe, malos contemnere, laudare & beare bonos. Et alibi idem ſignificauit, cùm diceret. Mihi autem admodum honorati ſunt amici tui, ô Deus, multiplicati ſunt magiſtratus eorum. Quem Deus laudat, tu ne vituperes. Laudat autem eum, qui cum iuſtitia viuit, quamuis pauper ſit. Quem Deus auerſatur, tu ne laudaueris: auerſatur autem omnem qui cum nequitia viuit, quamuis multis opibus circumfluat. Sed ſiue laudaueris, ſiue vituperaueris, vtraque ad Dei voluntatem facias. Licet etiam ad gloriam Dei obiur-

D gare. Licet etiam ad gloriam Dei corrigere, quemadmodum erga ſeruos noſtros ſæpe animo cõmouemur. Quomodo autem licet propter Deum obiurgare? Si ebrium, aut furantem videris, vel ſeruũ, vel amicum, vel alium quempiam vicinum tuum, aut in theatrum currentem, aut animam ſuam ipſius prodentem, aut iurantem, aut peierantem, aut mentientem: ſtomachare, punito, reuoca, corrige, & hæc omnia propter Deum feciſti. Si erga te peccantem videris, aut aliquam officij partem erga te ſui prætermittentem, remitte hoc ei, & remiſiſti propter Chriſtum. Nunc verò multi contrà faciunt, cùm erga amicos, tum erga ſeruos. Quando enim erga ſe alij peccant, acerbi, inexorabileſque ſunt iudices: quando autem in Deum contumelioſi ſunt, & ſuas ipſorum perdunt animas, nullam eius rei rationem habent.

Amici tibi acquirendi ſunt? propter Deum acquirito. Inimici tibi capiendi ſunt? propter Deum capito. At quomodo amici & inimici propter Deũ acquirendi ſunt? Si non amicitias illas colligamus, vnde pecunias corripere, conuiuia agitare, *b* imperia conſequi poterimus: ſed illos proſequamur & acquiramus amicos, qui mentem noſtram moderari, † præcipere honeſta, peccantes increpare, de-

συμβουλεῦσαι conſulere.

linquentes arguere, ſupplantatos erigere, conſiliò ac precibus opem ferre, & ad Deum adducere poſſunt. Rurſus inimicos licet facere propter Deum. Si videris aliquem intemperantem, nefarium, nequitiæ plenum, opinionibus impuris refertũ, ſupplantantem te ac nocere cupientem, recede, & reſilias ab illo. Sic enim Chriſtus iubet: *Si dexter oculus offenderit te, extrahe eum, & abijce abs te*. Hoc nempe Matth. 5.

præcepit, vt amicos quos æquè ac oculos charos habes, & ad omnem vitæ vſum neceſſarios, ſi ad animæ ſalutem impedimentum afferant, amputes & abijcias. Si in cœtum hominum prodieris, & verba multa cum alijs feceris, propter Deum hoc facito: ſi tacueris, propter Deum taceto. At quomodo in cœtu verſari propter Deũ licet? Si cum alijs ſedens, non de rebus † externis diſſeras, neque de

περὶ τῶν βιωτικῶν.

his quæ nobis planè perparum, aut nihil conducunt, ſed de religione noſtra, de gehenna, de regno cælorum, non autem de rebus inanibus aut ſuperuacaneis, cuius generis hæc ſunt: Quis magiſtratum gerit? Quis magiſtratu abijt? Qua de cauſa hic mulctatus ſit? Vnde ille tantum lucratus ſit, & locupletiſſimus euaſerit? Quid ille huic reliquerit moriens? Quomodo ille ab hæreditate abfuerit, cũ in primis heredibus ſe adſcribendum putauerit? ac multa alia his ſimilia. De his rebus autem neq; nos communicemus, neque alios cõmunicare permittamus. Sed conſideremus potius quibus dictis aut factis Deo placebimus. Rurſus poteris propter Deum ſilere, exagitatus, violatus, infinita mala paſſus, ſi feras generosè, & nulla maledicta referas illi qui hæc deſignauit. Non autem laudare ſolùm & vituperare, nec domi manere, aut foras ire, non loqui, aut ſilere, ſed etiam flere, dolere, & lætari quoque ad gloriam Dei licet. Quando enim vel fratrem videris peccantem, vel teipſum in peccatum aliquod delapſum, deinde ingemiſcas, ac animo mœreas, haud pœnitendam ſalutem ex hoc lucrifeciſti, quemadmodum Paulus ait: *Qui ſecundùm Deum dolor eſt, ſalutem haud pœnitendam efficit*. Si floren- 2. Cor. 7.

tem alterum videas, nolito illi continuò inuidere, ſed Deo, qui tam præclarum effecit fratrem tuum, perinde ac de proprijs bonis gratias agito, & huius lætitiæ permagnum habes fructum. Quid enim inuidis hominibus eſt miſerabilius, quibus cùm liceat gaudere, & fructum lætitiæ ſuæ capere, ipſi tamen mallent propter alienas fœlicitates dolere, & cum dolore ipſo pœnam à Deo & ſupplicium intolerabile arceſſere? Cæterùm quid laudes, & vituperationes, dolores, & lætitias commemoro? vbi etiam à leuiſſimis rebus & viliſſimis maximas vtilitates percipiemus, ſi propter Deum ipſum eas faciamus? Quid enim eſt tonſione crinium vilius? Hoc tamen licet propter Deum facere. Quando enim comam non compoſueris, neque vultum tuum ornaueris, neque te ad illecebras ac lenocinia eorum qui te intuentur compſeris, ſed † incul-

ἀκαλλῶς.

tè, atque horridè, & quantum vſus fert, teipſum appararueris, tantum propter Deum feciſti, & eius mercedem reportabis, tum quia cupiditatẽ repreſſiſti malam, tum quia ambitionem importunam coërcuiſti. Si enim qui poculum frigidæ ſolum dat propter Deum, regni cælorum hæreditatem adibit: qui omnia fecerit propter Deum, conſidera quantam habebit compenſationem. Quin & propter Deum ingredi, & propter Deũ intueri poſſumus. At quomodo intueri & ingredi propter Deum licet? quando non ad improbitatem curris: quando

non

Digitized by Google

non in alienam pulchritudinem nimis inquiris: quando mulierem occurrentem videns, refrænas oculos, & timore Dei propter Deum, munis aſpectum:† quando non pretioſis veſtibus & delicatis, ſed his quę tegere nos ſatis poſſunt, induimur. Sed & ad imos vſque calceos demittere hũc morem licet. Eouſque enim mollitiei luxuſq́; delapſi ſunt homines, vt & calceos exornẽt, & omni ex parte, æquè ac faciem ſuam alij componunt, variare ſoleant, quod animæ impuræ ac deprauatę ſignũ eſt. Quamquam enim per exiguũ hoc eſſe videatur, tamen tum in viris, tum in fœminis magnũ perditæ mentis argumentum & ſignificatio eſt. Licebit ergo & calceis ipſis propter Deum vti, cùm omnino † vſum quærimus, & hunc vtendorũ calceorũ † finem habuerimus. Ingreſſu enim & amictu nos Deum gloria afficere poſſe, cognoſce ex eo, quod ſapiens quidã olim dixit: Veſtitus viri, & riſus oris, & inceſſus pedum, indicant hominem. Quando enim honeſtè veſtiti, grauitatis pleni, & multam in omni re gerenda modeſtiã adhibentes, in aſpectum hominũ prodimus; qui infidelis, qui intemperans, qui turbulentus eſt vir, is quamquã futilis, atq; inconſideratus fuerit, tamen primo quoq; occurſu in aliquem eius generis hominem intuens, omni illum honore ac admiratione proſequetur. Si vxorem duxerimus, propter Deũ hoc faciamus: non vt facultates maiores acquiramus, ſed vt temperanter viuamus: animæ nobilitatem, non pecuniarum abundantiam inquiramus: non maiorum ſplendorem, ſed morum virtutem perſequamur, & modeſtiam, vitæ ſociam, non lenociniorũ comitem capiamus. Cæterùm quid opus eſt omnia cõmemorare? Licet vobis ex his quæ dicta ſunt, ſingula quæ fiunt aut geruntur, percurrere, & omnia propter Deum facere. Et quemadmodũ mercatores nauigantes maria, & ad ciuitates appellentes, non priùs abeunt à portu, & in foros conſcendũt, priuſquam intelligunt aliquod lucrũ eſſe in mercimonijs: ſic nec tu quidquam facias nec dicas, niſi lucrum aliquod habeas ſecundùm Deum. Ne dicas autem, neminem poſſe omnia propter Deũ facere. Quando enim calceamẽta, cæſaries, veſtitus, inceſſus, aſpectus, verba, conſeſſus, ingreſſus, exitus, facetiæ, laudationes, vituperationes, commendationes, amicitiæ, inimicitiæ, poſſunt propter Deũ fieri: quid reſtat, ſi voluerimus, quod non poterimus propter Deum facere? Quid carceris cuſtodibus deterius eſſe poteſt? Nónne hæc vita omnium nequiſſima eſſe videtur? Licet tamen ei qui velit, inde lucrũ reportare, quando vinctis parcit, quando iniuſtè in carcerem coniectis commodat, & in alienis calamitatibus commodatur: quando communis proponitur omnibus † afflictis portus. Ita cuſtos carceris Pauli † ſeruabatur. Ex quo ſatis liquet, quòd ex omnibus rebus, ſi voluerimus, lucrũ facere poterimus. Quid † parricidio indignius eſſe poteſt? Attamen iuſtitiam afferre poteſt etiam hoc facinus, ſi quis admittat: tanti eſt propter Deũ quicquam facere. At quomodo poteſt parricidiũ iuſtitiam afferre? Madianitæ olim volebant infenſum Deum Iudæis facere, hac via arbitrati ſe illos ſuperare poſſe, ſi beneuolentiã Dei erga illos minuerent: puellas exornantes, & in exercitus conſpectu collocantes, lenocinabantur eos, & ad ſtuprum primò, deinde etiam ad impietatem adducebant. Hoc cùm vidiſſet Phinees, duos in ipſo facinore deprehendens, diſtricto gladio vtroſque transfodit, & hac rei ſuſceptione, Dei iram à deſtinata ſententia deduxit. Ac facinus quidẽ ipſum † parricidium fuit: fructus autem illius, omniũ perdendorum ſalus fuit: vnde & iuſtitiam attulit, qui hoc fecit. Et non modò non manus hæc cædes inquinauit, ſed multò etiam puriores fecit. Atque id iure quidem. Non enim ad eorum quos interfecit, inuidiam, ſed ad eorum qui ſuperfuerant, ſalutem, hoc ſuſcepit. Duos interfecit, & infinitam hominum multitudinem ſeruauit. Perinde autem feci t ac medici ſolent, qui partes corporis putreſcentes amputando, integrum corpus conſeruant. Sic & ille fecerat. Propterea Pſalmus ait: *Stetit Phinees, & placauit, & ceſſauit plaga, & habitum eſt illi hoc ad iuſtitiam, à generatione ad generationem*, vſque ad perpetuitatem. Immortalis huius rectè facti memoria permanet. Rurſus alius orauit & laceſſiuit Deum: adeò eſt aliquid, non propter Deum facere: Phariſæum dico. Sed quemadmodum Phinees etiam cùm cædem feciſſet, gratioſus apud Deum fuit: ſic & iſte non propter precationis naturam offendit, ſed propter animi affectionem, qua cùm precabatur, prolapſus eſt. Ita etiamſi ſpirituale aliquid fuerit, ſi tamen propter Deum non fiat, cumprimis illum lædit qui facit. Quemadmodum ſi aliquid externum fiat, modò propter Deum fiat, admodum adiuuat eum, qui cum religioſa id facit mente. Quid enim cæde grauius aut horribilius eſſe poteſt? Iuſtum tamen effecit eum, qui hoc ſuſceperat. Qualem ergo excuſationem habebimus nos, qui dicimus ex omnibus rebus lucrifacere, & omnia propter Deum nos facere non poſſe, cùm inueniamus etiam qui è cæde lucrum fecerunt? Si animum aduertere voluerimus, ſiue emendum, ſiue vendendum ſit, per omnem vitam ſpiritualem hanc mercaturam faciemus: vt ſi tolerabili pretio nihil amplius requiramus: ſi difficultatem annonæ nequaquam obſeruemus, & tum egentibus diuendamus. *Maledictus* enim, inquit ille, *qui rei frumentariæ caritatem auget*. Sed quid oportet ſingula percenſere? Vno exemplo omnia colligenda fuerant. Quemadmodum enim ædificatores cùm murum exſtructuri ſunt, amuſſim ab angulo ad angulum ducunt, atque ita murum pertexunt, vt minimè inæqualis eius ora exiſtat: ſic & nos pro amuſſi verbum hoc adhibeamus, quod apud Apoſtolum eſt: *Siue editis, ſiue bibitis, ſeu quid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite*. Siue ergo precemur, ſiue ieiunemus: ſiue accuſemus, ſiue condonemus: ſiue laudemus, ſiue vituperemus: ſiue ingrediamur, ſiue exeamus: ſiue vendamus, ſiue emamus: ſiue taceamus, ſiue diſputemus: ſiue aliud quid faciamus, omnia ad gloriam Dei faciamus. Et ſi quid ad gloriam Dei non pertineat, illud neque facto, neque dicto à nobis vſurpetur. Sed pro baculo magno, pro armis, pro præſidio, pro theſauris inexplicabilibus, hoc dictum animo inſcribentes, nobiſcum, quamcumque viam ingreſſi fuerimus, circumferamus, vt omnia ad gloriam Dei facientes, loquentes, ſuſcipientes, tum hic, tum poſt huius vitæ peregrinationem, gloriam ab eo conſequamur. Ait enim: Gloria afficientes me, gloria afficiam. Non dictis ergo, ſed factis ipſis illum aſſiduè gloriam afficiamus: quia illum decet gloria ad omnem æternitatem. AMEN.

a *In baſilica Romæ.*] Græca ſic habent in Oxonienſi σῶμα ἐν τῇ βασιλίδι κεῖται ῥώμῃ *corpus eius cum in Regina vrbe iaceat Romæ.* Romam alij vrbem regiam & mundi dominam, caput imperij vocant, ipſe Chryſoſt. Homil. 4. in 2. ad Timoth. τὴν βασιλίδα πόλιν ὑποτεταγμένην & de hoc ipſo D. Paulo ſepulto οὗτος δὲ πάντων βασιλέων λαμπρότερος ἐν αὐτῇ κεῖται τῇ βασιλίδι, ἵνα καὶ ἐνίκησεν. Deinde hic in Græco additur poſt illa, *in manu Dei ſit*, δικαίων γὰρ ψυχαὶ ἐν χειρὶ θεοῦ καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος. *Iuſtorum animæ in manu Dei, & non tanget illos tormentum.* Sic enim legitur & apud LXX.

b *Et caueæ ludorum.*] Interpres legiſſe videtur, καὶ τὰ σκάμματα. Sic enim alibi vertunt hoc verbũ, at in Oxonienſi erat καὶ τὰ σκώμματα *& ſcommata, & conuitia.*

c *Et propterea par eſt.*] Græc. καὶ δέον ἐπὶ τούτοις κατεστάλθαι, πενθεῖν, καταδύεσθαι, περιχαρὴς ἡμῖν ἡ πόλις γέγονε. *Et cùm oporteret animo contrahi, lugere, confundi, cum eos qui deliquerunt, tum eos qui non deliquerunt, illos quidem propter adm. faciv. hos verò quia f. v. f. immodeſtos: læta cum primis ciuitas facta eſt, & ſplendida, & coronata eſt, & forum, &c.*

Margin notes (left): adde propter Deũ hoc feciſti — χρείαν, μείζον. — τοῖς δεσμίοις. ἐπιδοῦ. — φόνου. — Num. 25 — φόνος.

Margin notes (right): Pſal. 105. — Luc. 18. — Prou. 11. — Simile. — 1. Cor. 10 — Vide fol. 798.

Section letters: A, B, C, D

d *Hæc quamquam vos ipſi.*] Græca non negant eos hæc facere. Ταῦτα ἀνάξια τῆς ὑμετέρας φιλοσοφίας, κἂν ὑμεῖς ποιῆτε, κἂν ἑτέρους ποιοῦντας περιίδητε. *Hæc indigna ſunt veſtra modeſtia,* vel certe, noſtra religione, *ſiue ea vos ipſi faciatis, ſiue alios facere ſinatis, ſiue ij famuli, &c.*

e *Diabolicæ efficientia*] Gr. καὶ διαβολικῆς ἐνεργείας. Notum eſt illud apud Dionyſ. Areopag. alioſque Græcos Patres appellari ἐνεργουμένους τοὺς ὑπὸ τῶν δαιμόνων κατεχομένους qui à dæmonibus vexantur, itemque de ſpiritu dæmonum aguntur, vt apud Arethã προφῆτις πονηρῷ πνεύματι ἐνεργουμένη.

f *Intuere in cælum*] Græca copioſius ἴδε εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὸν οὐρανὸν τοῦ οὐρανοῦ, τὴν γῆν. *Intuere in cælum, & in cælum cæli, terram mare.* Cælum cæli dici cælum intimum & æthereum, vt ab aere diſtinguatur, volunt quidam Theologi; alij cælum inferiores cælos dici, cælum autem cæli empyreum & ſupremum illud domicilium beatorum. vt Pſal. 113.

g *Hæc lux hanc affert*] τοῦτο τὸ φῶς πολλὴν φέρει τὴν ἀμοιβήν. *Hæc lux multam affert compenſationem.* Atque hoc cum ſuperiori periodo connectendum eſt, quæ verò ſequuntur aliã inchoãt, itaque vertenda ſunt μὴ τὴν θύραν τῆς οἰκίας στεφανώσῃς. *Ne tuæ domus fores ſertis corones, ſed talem exhibe tuum cum cæteris conuictum, vt iuſtitia, &c.*

h *Imperia conſequi*] προστασία quidem & imperium ſignificat & auxilium: ſed alterum hic malim, cùm ita Græcè legatur ὅθεν προστασίας ἀνθρωπίνης τυχεῖν: *vnde auxilium humanum poſſimus conſequi.*

Quum Presbyter eſſet deſignatus, de ſe ac de epiſcopo, deq; populi multitudine, Sermo.

INCERTO INTERPRETE.

Extenuat ſe. NVm vera ſunt quæ nobis acciderunt, num re ipſa geſta ſunt, nec falſi ſumus, neque quæ nunc fiunt ſunt ſomnia? an verè dies eſt, & vigilamus omnes? Et quis credat quòd in die, quum ſobrij ſunt, ac vigilant homines adoleſcens nullius rei & imperitus, ad tãtum dignitatis faſtigium ſubuectus ſit? Nam nocte talia accidere nihil ſit incredibile. Tum enim quidam & corpore claudi, & adeò tenues, vt ne neceſſarius quidem ſuppetat victus, in ſomnis ſibi videntur integris membris, & formoſi, & regali frui menſa: ſed quæ videbantur, ſomnus erat, & inſomniorum ludibria: ſiquidem hæc eſt natura ſomniorum, vafra quædam ac verſuta res eſt, ac prodigiorum artifex, gaudet nouis & incredibilibus ſimulachis illudere. At verò nec interdiu, nec reuera forſitan aliquis videat hoc accidere: verùm omnia nunc cõtigerunt, facta ſunt, perfecta ſunt, quemadmodum videtis, hæc, inquam, ſomniorum viſis incredibiliora. Et ciuitas tantæ magnitudinis, tam celebris, ac hominibus differta, populus & multus, & admirandus ad meam inhiat exiguitatem, tamquam à nobis magnum quiddam ac præclarum auditurus. Atqui etiamſi mihi amnium more proflueret oratio, ſique verborum fontes eſſent in ore meo, protinus ex tantæ multitudinis ad audiendum concurſu, metu ſiſteretur profluuium, & in diuerſum fluenta reſilirent. Nunc verò quum tantum abſimus à fluminum ac fontium copia, vt exiguæ pluuiolæ mediocritatem obtineamus: quî fieri poſſit, vt me non deficiat tam exiguus fluxus, metu arefactus, idemque eueniat, quòd in corporibus ſolet accidere? Quid accidit in corporibus? multa frequenter quæ manu tenemus, quæ digitis ſtringimus, præ metu nobis excidunt omnia, diſſolutis neruis noſtris, corporiſque vigore remiſſo. Itidem mihi profectò nunc metus eſt ne idem eueniat in animo noſtro, videlicet ne quæ multo cum labore excogitauimus, quamquam & hæc ſanè perquam exilia paruique momenti, præ pauore veniant in obliuionem, & euaneſcant abeantque, animum noſtrum deſertum relinquentia. Quapropter pariter omnes, tum vos qui cum imperio eſtis, tum vos qui paretis impe-

A rio, obſecro: vt quantam nobis anxietatem iniecit is veſtro ad audiendum conſurſu, tantundem nobis audaciæ inſpiret precum veſtrarum diligẽtia, ſi rogetis illum qui dat ſermonem *euangelizantibus virtute multa*, vt nobis quoque det *ſermonem in apertione oris noſtri*. Pſalm. 67 Epheſ. 6. Nullus omnino vobis tot ac tantis labor erit vnius adoleſcentis animum timore diſſolutum, denuo compingere: quin & par fuerit, vt quod nunc petimus, præſtetis: quandoquidem tantam procellam ſubiuimus propter vos veſtramque charitatem, qua nihil violentius aut imperioſius, vt quæ nos non admodum dicendi peritos, ad dicendum pertraxit, effecitque vt ad doctrinæ ſtadium exiremus, licèt antehac hoc palæſtræ genus numquam attigerimus, ſed ſemper in auditorum ordine, quieto ſilentio frui ſoleamus. Verùm quis ſit adeo durus & immobilis, vt iſtum veſtrum conuentum ſilentio prætereat, & amicos nactus audiendi ſtudio flagrantes, non alloquatur, etiamſi omnium hominum eſſet infantiſſimus? B Cupiebam equidem primùm in eccleſia dicturus, procœmiorum primitias illi dicare, qui linguam nobis hanc dedit, nimirum Deo. Atque ita ſanè fieri oportuit: neque enim areæ tantùm ac vinarij lacus, verùm etiam verborum primitias oportet verbo perſoluere, multoque magis verborum, quàm actionum. Quinetiam vt ad vos hic fructus magis pertinet, ita ipſi Deo qui honoratur acceptior eſt. Botrum enim & ariſtam ſuo terra emittit gremio, alit pluuiarum irrigatio, colit agricolarum manus: at ſacrum hymnum parit animi pietas, alit bona conſcientia, Deus in cæleſtia recipit horrea: porrò quantò præſtantior eſt animus terra, tantò hæc illa melior eſt oblatio. Quapropter & prophetarum quiſpiã vir magnus & admirandus, nomen illi Oſee, eos qui Deum offenderant, parabantque illum ſibi propitium reddere, adhortatur, dicens: *Adferte vobiſcum*, non armenta boum, neque ſimilæ menſuras tot, aut tot, Oſee 14 C neque turturem, neque columbam, neque aliud quicquam iſtiuſmodi rerum: ſed quid? *ferte vobiſcum verba*. Et quale ſacrificium, dixerit aliquis, ſunt verba? maximum quidem, ô chariſſime, ac ſplendidiſſimum cæteris omnibus præſtantius. Et quis iſta dicit? is nimirum qui hæc omnia nouit maximè atque exactiſſimè, videlicet magnanimus ille ac magnus Dauid. Is enim quum aliquando Deo gratiarum actiones immolaret pro victoria quam ex hoſte tulerat, ita fermè loquitur: *Laudabo nomen Dei mei cum cantico, magnificabo eum in laude.* Pſalm. 68 Mox huius ſacrificij præſtantiam nobis aperiens, ſubiecit: *Et placebit Deo ſupra vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas.* Ibidem. Cupiebam igitur & ipſe hodie has mactare victimas, & altare ſpirituale hiſce cruentare hoſtijs. Sed quid faciam? Vir quidam ſapiens obturat mihi os, deterretque dicens: *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* Eccl. 15. D Quemadmodum enim in coronis nõ ſat eſt flores eſſe puros, niſi pura ſit & manus eas cõtexens: ſic & in ſacris hymnis oportet non verba tantùm eſſe pia, verumetiam animum hymnos concinentem. At is mihi impurus eſt, fiduciæ vacuus, vtpote multorum plenus ſcelerum. Porrò ſic affectis, non hæc modò lex obturat os, verumetiam alia quædam illa vetuſtior, & ante illam lata, quam & ipſam adiecit is qui modò nobis de ſacrificijs loquutus eſt Dauid. Quum enim ait: *Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelſis, laudate Dominum de terra*: Pſal. 148. quum vtramque inuitat creaturam, & quæ ſurſum eſt, & quæ infernè, ſenſibilem atq; intelligibilem, conſpicuam & inconſpicuam, quæ ſupra cælos eſt, & quæ ſub cælo, & ex vtraq; chorum conſtituit, atque ita iubet hymnis celebrare regem vniuerſorum, nequaquam inuitauit peccatorem, ſed & hic illi fores occluſit. Cæterùm vt vobis quod dico fiat euidentius, ipſum pſalmum ab initio vobis prælegemus. *Laudate Dominum de*

Digitized by Google

cælis, Laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius, Laudate eum omnes virtutes eius. Vides angelos laudantes, vides archangelos, vides Cherubim & Seraphim, ſummas illas virtutes. Quũ enim ait, omnes virtutes eius, vniuerſum populum cæleſtem complectitur. Nuncubi vides peccatorem? Et quomodo, dixerit aliquis, in cælo videre poſſum? Ergo agè in terram deſcendamus, ad alteram chori partem tranſeuntes, nec hic rurſus videbis peccatorem. *Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyſſi, beſtiæ & omnia pecora, reptilia & volucres pennata.* Haud fruſtra neque temere, dum hæc loquor, interſilui. Quia & mentis cogitatio metu confuſa eſt, ad amaras vſque lacrymas, grauemque eiulatum perducta. Quid enim obſecro poſſit eſſe miſerabilius? ſcorpij, ſerpentes ac dracones inuitantur ad laudandum eum à quo conditi ſunt: ſolus peccator ab hac ſacra chorea ſubmotus eſt, idque iure optimo. Mala beſtia eſt peccatum, non quidem in cõſerua corpora malum proferens, ſed in ipſam Domini gloriam effundens malitiam: propter vos, inquit, nomen meum conuitijs afficitur inter gẽtes. Eoque peccatorem tanquam è ſacra patria abegit propheta, & vltra fines ac pomœria ſubmouit: atque vti muſicus optimus è cithara bene modulata chordam diſſonam reſecat, ne reliquarum vocũ harmonia vitietur: ſic & peritus artis medicus, mẽbrum putrefactum amputat, ne hæc lues ad cætera membra ſana tranſiliat. Eumdem ad modum propheta fecit, dum veluti chordam diſſonam ac veluti membrum ægrum ab vniuerſo creaturæ corpore reſecat. Quid igitur nobis faciendum eſt? Poſteaquam reiecti ſumus, poſteaquam reſecti ſumus, omnino ſileamus oportet: dic igitur, obſecro, num tacebimus? neque quiſpiam nobis permittet hymnis celebrare dominũ noſtrũ? ergóne fruſtra veſtros animos implorauimus? fruſtra ad veſtras confugimus preces? Abſit vt fruſtra: reperi enim reperi & alterum glorificãdi modũ, veſtris in hac hæſitatione precibus, ceu ſtellis in caligine apparentibus. Fas enim eſt & conſeruos noſtros laudare, quibus laudatis haud dubium eſt quin ea gloria penetret in cælum, cuemadmodum ipſe Dominus dicit: *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrũ qui in cælis eſt.* En alter glorificandi modus, quo & peccatori fas eſt vti, vt legem tamen non violet. Quem igitur, quem, inquam, conſeruorum laudabimus? quem alium, quàm illum communem huius patriæ doctorem, non ſolùm per patriam, ſed & per vniuerſum orbem? Quemadmodum enim vos ille docuit vt vſq; ad mortem religioni inſtaretis: ita & vos alios homines docuiſtis, à vita citius, quàm à pietate recedendum eſſe. Vultis igitur illi poſthac laudum coronas plectamus? volebam equidem & ipſe, ſed video rectè factorum pelagus immenſæ profunditatis, vereorque ne ſermo noſter ad fundum delatus, præ imbecillitate non poſſit in altum recurrere. Oportet enim vetuſta narrare facinora, peregrinationes, vigilias, curas, iudicia, pugnas, trophæa trophæis, victorias victorijs cumulatas, res geſtas, non noſtram modò, ſed & omnem humanam linguam ſuperantes, quæque vocem requirunt apoſtolico ſpiritu concitatam, qui poteſt omnia tum eloqui, tum docere: ſed hanc partem prætercurrentes, ad alteram quæ minus habet periculi accedemus, quam vel exigua ſcapha licet enauigare. Agè igitur de temperantia dicere tentabimus, quomodo ventri imperarit, quomodo delicias contempſerit, quomodo menſam ſumptuoſam deriſerit, idque quum in domo ſumptuoſa eſſet educatus: nam mirum non eſt, eum qui in paupertate vixit, ad hanc ſqualidam aſperſamque venire vitam, quandoquidem is habet ipſam paupertatem peregrinationis ac viæ comitẽ, quæ illi ſarcinam indies reddit leuiorem. At qui factus eſt diuitiarum Dominus, haud facilè ſeſe ab illarum explicet complexu, tantum cupiditatũ examen animam illam circumuallauit: tam grauis & caliginoſa affectuũ nubes mentis illius oculos obducit, vt non ſinat ad cælum intuitũ erigere, ſed cogat deorſum inclinare caput, & ad terram inhiare. Nec eſt alia res, quæ perinde obſtet quò minus proficiſcamur in cælũ, ac diuitiæ, & hinc venientia mala. Nec meus eſt hic ſermo, ſed ab ipſo Chriſto deuenit ſententia: *Facilius eſt,* inquit, *camelum per foramẽ acus ingredi, quàm diuitem in regnum cælorum.* Sed ecce, quod erat difficile, vel impoſſibile potius, factum eſt poſſibile. Et de quo Petrus olim dubitabat apud præceptorem, voluitq; ex eo diſcere, iam ipſa experientia nouimus omnes, imò etiam amplius: nõ enim iam diues ipſe tantummodo aſcendit in cælum, verumetiam populum introducit, quum præter diuitias, & alia his non minora habeat impedimenta, quòd iuuenis eſt, quòd ante tempus orphanus, quæ res quemuis hominis animum poſſint in fraudem illicere. Eiuſmodi habent incantamenta, eiuſmodi præbent venena. Verùm hæc iſte deuicit, & cælum apprehendit, ſeſeque contulit ad cæleſtem philoſophiam, ac neque ſplendorem præſentis conſiderauit vitæ, neque ad progenitorum claritatem reſpexit: imò potius ad maiorum claritatem reſpexit, non quidem iſtorum, quos ipſi natura neceſſariò deuinxerat, ſed qui iuxta pietatis propoſitum coniuncti ſunt, eoque talis factus eſt quales illi fuerunt. Reſpexit ad patriarchã Abraham: reſpexit ad magnum illum Moyſem, qui quũ eſſet in regio educatus palatio, menſa Sybaritica frui conſuetus, & inter Ægyptios relictus ſtrepitus ac tumultus, (noſtis autem cuiuſmodi ſint barbarorum illorum mores, quàm faſtus & arrogantiæ pleni ſint) contemptis illis omnibus, ad lutũ & laborem opificum vltrò ſe contulit, & in ſeruorũ numero eſſe cõcupiuit, qui rex erat, & regis filius. Atqui hanc ob cauſam poſt reuerſus eſt maiore cũ dignitate, quam antea gerebat atque abiecit. Siquidem poſt exilium, poſt impoſturam apud ſocerũ, poſt ærumnas peregre toleratas, rediјt, regis ipſius princeps, imò verius regi iam factus Deus. *Feci,* inquit, *te Deum Pharaoni,* ipſoque rege ſplendidior erat, non geſtans diadema, neque purpura amictus, neque curru vectus aureo, ſed vniuerſo illo faſtu conculcato. Erat omnis filiæ regis gloria ab intus. Reuerſus eſt ſceptrum geſtans, quo imperaret, non hominibus tantùm, ſed & cælo, terræ, marique, aëris & aquarum naturæ, ſtagnis, fontibus ac fluminibus: in quæcunque enim voluit Moyſes, in ea vertebantur elementa, & in manibus illius denuo transformabatur creatura: quæ non aliter quàm ancilla quæpiam officioſa, conſpicata heri ſui amicum adueniſſe, per omnia parebat, dictoq; audientem ſe præbebat perinde atque ipſi Domino. Ad quem hic, quem nunc laudandum ſuſcipimus, reſpiciens, illi ſimilis effectus eſt: quum eſſet iuuenis (ſi tamen vnquam fuit iuuenis, non enim ſanè credo, vſque adeò illi ab ipſis cunabulis mẽs erat cana) ſed quum iuxta ſupputationem ætatis eſſet iuuenis, omnem arripuit philoſophiam: & poſteaquam cognouerat naturã hominis eſſe veluti fundum quendam & agrum ſylueſtrem, animi cupiditates ratione pietatis ceu falce quapiam facilè reſecuit, agricolæ purgata reddens arua ad faciendum ſementem: ea recepta totum ſemen ad profunda demiſit, vt deorſum radicatum, nec ad radiorum impetum cederet, nec à ſpinis malè ſuffocaretur. Animum quidem ad hunc curauit modum: carnis verò laſciuiam temperantiæ remedijs compreſſit, tanquam equo cuipiam, os habenti rebelle, ieiunij frænum inijciens, & hactenus in diuerſum tendens, vt ipſa concupiſcentiarum ora cum parſimonia congruente cruentaret. Atque adeò corpori frænũ intendit hactenus, vt nec im-

Math. 19. Marc. 10. Luc. 18.

Exod. 3. & ſeq.

Matth. 5.

Laus cuiuſdã probi viri.

A modicè ſtringendo equum ſibi ad miniſterium redderet inutilem, neque paſſus ſit ſupra modum obeſum fieri, ne corpulentior factus, rurſus erigeret ſeſe aduerſus rationem habenas moderantem: ſed ſimul & ſanitatis illius, & moderationis curam habuit. Talis autem erat, quum nondum eſſet iuuenis: verùm poſteaquam teneram ætatem exceſſerat, hãc quoque corporis curam abiecit: cæterùm nunc qui in ſenectute, velut in amœno portu ſedet, rurſus eamdem curam obſeruat. Nam iuuentus ô dilecte pelago furenti ſimilis eſt, immitibus vndis ac ventis malis referto: canities verò velut in tranquillo portu fouet eorum animos qui conſenuerunt, præſtans vt ibi per ætatem à periculis liberam delicientur. Hac ætatis tranquillitate quum hic nunc tutò fruatur, nihilominus tamen in certamine verſatur, atque hũc timorem accepit à Paulo, qui quum aſcendiſſet in cælum, atque inde reuerſus terras rurſus attigiſſet, aiebat. *Ne fortè quum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*: eoque hic ſeſe in perpetuo timore conſtituit, vt eſſet in perpetua fiducia, aſſideretque clauo, non ille quidem ſtellarum exortus obſeruans, neque rupes, ſub aquis latentes, neque ſcopulos, ſed dæmonum inſultus, ac diaboli verſutias, cogitationumque pugnas, omnique parte luſtrãs exercitum, cunctos in tuto conſtituit. Neque enim illud modò ſpectat, ne ſcapha demergatur, ſed ne quis eorum quos ſecum habet in naui vectores, à tumultu cupiditatum, tamquam à piratis abripiatur, nihil non curat agitatque. Per hunc perque huius ſapientiam nos omnes ſecundo nauigamus vento, plena nauis vela pandentes. Sanè quum priorem illum patrem amiſiſſemus, qui & hunc nobis genuit, in deſperatione noſtra nauis erat, eaque gratia miſerabiliter lamentabamur, vt qui non ſperabamus fore, vt hic thronus alium virum talem acciperet: verùm vbi hic aduenit, & in clara luce viſus eſt, effecit vt omnis illa deſperatio veluti nubes præterierit, & omnes moleſtiæ euanuerint. Neque ſenſim nobis luctum illum exemit, ſed adeò repente, quaſi idem ille beatus è tumulo rediuiuus in hunc thronum aſcendiſſet. Verùm imprudentes amore ſtudioque præclarè geſtorum patris noſtri, ſermonem vltra modum produximus, non dico vltra modum eorũ quæ hic cum laude geſſit, (nam de his ne loqui quidem cœpimus) ſed vltra noſtræ iuuentutis mediocritatem. Agedum igitur rurſus velut in portum orationem ſilentio ad quietem reuocemus: cæterùm ea deſinere non vult ſed ægrè fert, indignaturque, cupiens toto prato expleri. Verùm id impoſſibile eſt, ô pueri. Deſinamus igitur ea perſequi, quæ non poſſumus aſſequi, ſufficiant nobis ad ſolatium ea quæ dicta ſunt. Quandoquidem in pretioſis vnguentis non tantum ſi quis effundat lecythum, verùm etiam ſi quis vel ſummis digitis ſuperficiem attingat, & aërem nouo colore tinxit, & quotquot adſunt, ſuauitate fragrantiæ repleuit. Quod & in præſentia contigit, non viribus eloquentiæ noſtræ, ſed propter vim ab hoc bene geſtorum. Abeamus igitur, abeamus, ad preces diuertentes, deprecemur Deum, vt communis mater noſtra illabefacta & immota maneat, vt hunc patrem, hunc doctorem, hunc paſtorem & gubernatorem, ad longam producat vitam: ſi quis vobis etiam noſtri reſpectus eſt (neque enim iam nosipſos in ſacerdotum numero ponere audebimus, quando nec fas eſt abortiuos partus cum legitimis ac perfectis numerare) quod ſi qua, inquam, eſt apud vos & noſtri ratio tanquam fœtus cuiuſdam abortu eiecti, orate vt è ſupernis nobis multus accedat vigor: opus quidem erat nobis & priùs tutela, quum ſoli vitam gereremus à negotijs liberam. At poſtquam in mediũ producti ſumus (omitto quomodo, ſiue humano ſtudio, ſiue fauore diuino, nihil enim vobiſcum hac de re contendam, cui videar per diſſimulationem & ironiam loqui) attamen quando producti ſumus, ac iugum hoc validum graueque ſuſcepimus, multis nobis opus eſt manibus, infinitis precibus, quò poſſimus depoſitum reddere Domino qui depoſuit, in die illo, quum ij quibus talenta credita ſunt, citabuntur, & iudicio ſuſtentur rationem reddituri. Orate igitur ne nobis eueniat, quod euenit illis alligatis & in tenebras cõiectis: ſed ſimus in eorum numero, qui poterunt qualemcumque aſſequi veniam, gratia & bonitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. AMEN.

(Margin: 1. Cor. 9.)

Cùm de expulſione ipſius ſancti Ioannis ageretur.

HOMILIA.

MVlti quidem fluctus, & vndæ immanes, ſed ſubmergi non vereor: quia ſupra petrã ſto. Inſaniat licet mare, petram non poteſt commouere: inſurgant quantumlibet fluctus, nauis Ieſu B obrui non poteſt. Sed quid putant? Ne mortem verear, cui *viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Ne exilium pertimeſcam, qui nouerim *Domini eſſe terram, & plenitudinem eius*. Sed bonorum proſcriptionem metuam, qui ſciam quòd *nihil intulerim in hunc mundum, ſed neque auferre quid poßim*. Quicquid terroris habet mundus, contemno: quicquid delectabile habet, rideo. Diuitias non cupio, paupertatem non horreſco, mortem non timeo. Vita enim mihi ad veſtrum profectum tantũmodo ducitur, ſed charitatem veſtram precor, vt æquo animo ſitis. Nemo enim nos à vobis poterit diuellere. Quos enim Chriſtus coniũxit, homo nõ ſeparabit. Quod ſi de muliere & viro dicitur: *Propter hoc relinquet homo patrem ſuũ & matrẽ, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna*: & ſi huiuſmodi nuptiarum coniunctio ab homine non poteſt ſeparari, multò magis eccleſia non poteſt à paſtore diuelli. Sed impugnas me. Quid mihi nocebit impugnatio tua, niſi quia me C quidem clariorem impugnationibus tuis reddes, tuas verò conteras vires? *Durum* enim *tibi erit aduerſum ſtimulum calcitrare*: quia non ſtimulum retundes, ſed pedes calcitrans vulnerabis: neque fluctus qui ſaxo illiduntur, ampliùs aliquid proficient, quàm vt † ſemetipſos fracti diſſoluant, & in ſpumas extenuati depereant. Chriſti eccleſia nihil fortius, ſi quis eam impugnare proponit, vires atterat neceſſe eſt: tale eſt enim velut ſi cælo bellũ meditetur inferre. Homini ſi bellum inferas, fortaſſe vinces, aut fortè vinceris: eccleſiam vincere nulla vis poterit. Deus eſt eccleſia, qui eſt omnibus fortior. Aut æmulamur Dominum. Numquid fortiores illo ſumus? Deus fundauit hoc, quod labefactare conaris. Aut experiri vis potentiam Domini? Ipſe eſt *qui reſpicit ſuper terram, & facit eam tremere*: & iterum qui iubet, & tremor eius ſolidatur. D Aut non vidiſti, trementem ciuitatem tuam quoties ſtare fecit? Multò magis eccleſiam ſuam trementem poterit confirmare: fortior enim eccleſia multò quàm terra, imò & fortior cælo. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*. Quæ verba? *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt in eam*. Quòd ſi non credis verbo & rebus ipſis, operibus crede. Quanti tyranni aggreſſi ſunt impugnare eccleſiã Dei, quanta tormenta, quantas cruces adhibuerunt, ignes, fornaces, feras, beſtias, gladios intendentes, & nihil agere potuerunt? Vbi nunc ſunt illi qui hæc fecerunt, & vbi illi qui hæc fortiter pertulerunt? Nunc ij æternis pœnis premuntur, & iſti æternis gaudijs eriguntur: fulget enim eccleſia ſuper ſplendorem ſolis, & perſecutores eius perpetuis tenebris conteguntur. Non legis ſcriptum, quia vndecim ſoli erant, & vinci non potuerunt?

(Margin: Se exiliũ non curare, quod Eccleſia Dei ſit inſuperabilis. — Philip. — Pſal. 23. — Iob 1. — Gen. 2. — Epheſ. 5. — Act. 9. — † v. in ſemetipſos fracti diſſoluantur — Luc. 23. — Math. 16.)

Nunc

A Nunc vbi orbis terrarum repletus eſt piorum multitudine, quomodo poterunt vinci? Luc. 21. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt:* & meritò: charior enim eccleſia Dei, quàm cælum. Non enim eccleſia propter cælum, ſed propter eccleſiam cælum. Nihil enim, quæſo, perturbet vos eorum quæ agere videtis. Ponamus ante oculos noſtros Petrum ſuper aquas incedētem, & parum quid hæſitantem, atque ob hoc paululum periclitantem, non propter potentiam fluctuum, ſed propter infirmitatem fidei. Numquid humana voluntate huc venimus, aut propter hominē huc producti ſumus? & hæc non arroganter loquor, neque iactantia agitatus, ſed animos veſtros, qui fortè turbantur, cupio confirmare. Intuemini ergo quomodo commota eſt & contremuit terra, & tamen non corruit ciuitas. Quomodo impuriſſime diabole eccleſiam te putas poſſe deijcere, qui trementes parietes deijcere minimè valuiſti? Non eſt in parietibus eccleſia, ſed in multitudine piorū. Ecce quàm fortes, quàm immobiles ſtatis, non ferro, ſed fide vincti. Et quid de tanta multitudine loquor? Vnum fidelem vincere non B potes. O diabole, neſcis quæ tibi fecerint martyres? Quomodo frequenter ingreſſa eſt puella ætate tenera, annis immatura, & inuenta eſt ferro fortior, cùm latera eius ſcinderes, fidem tamen eius mouere non poſſes. Defecit frequenter caro in tormentis, & robur fidei non defecit. Conſumptum eſt corpus, & mens non potuit inclinari. Interijt ſubſtantia, & perſtitit patientia. Si ergo frequenter ab vna puella victus es, quomodo ſperas tantæ huius & tam fidelis multitudinis fidem te poſſe euincere? Non audis Domini vocem dicentis: Math. 18. *Quia vbi duo aut tres ſunt congregati in nomine meo, ibi ſum & ego in medio eorum?* Quid, vbi tanta fidelium multitudo eſt charitatis nexibus vincta? Non ego propria virtute confido, habeo ſcripturam Domini mei, manum ipſius teneo, illa mihi cautio ſatis tuta eſt, illa me ſecurum reddit & intrepidum: etiamſi orbis terræ commoueatur, ego cautionem Domini mei teneo. Lego manū eius, ipſa mihi murus eſt inexpugnabilis. Vultis vobis recitem Domini cautionem? Mat. vlt. *Ecce, inquit, vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* C Chriſtus mecum eſt, quem timebo? Etiamſi fluctus inſurgat, etiamſi totum pelagus aduerſum me conturbetur, etiamſi principum furor, omnia mihi illa araneæ erunt, & araneis fragiliora. Et niſi propter fragilitatem veſtram, hodie non dubitarem ire quò vellent. Semper enim dico: Domine, voluntas tua fiat: non quod ille vult, vel ille, ſed quod tu vis. tua voluntas mihi turris fortiſſima, & petra ſtabilis, & baculus fidus. Si tu vis permanere mecū hic, habeo gratiam: ſi non vis, ſimilem refero gratiam. Nemo vos conturbet fratres, orate tantū: hæc enim diabolus mouet, non aliā ob cauſam, quā vt religioſa ſtudia veſtra diſrumpat, & exercitia veſtra, quæ in orationibus & D vigilijs gerebatis, extinguat. Sed nō obtinebit, nec eripiet à vobis ſtudia religioſa: niſi quia ſollicitiores vos inueniet, & feruidiores efficiet. Craſtina Oſtendit affectū in ſubditos. vobiſcum exeam ad orationes: & vbi ego ſum, ibi & vos eritis: & vbi vos eſtis, ibi ero & ego. Vnū corpus ſumus, neq; caput à corpore, neque corpus à capite ſeparabitur: etiāſi loco diuidamur, ſed charitate cōiungimur, ego à vobis nec morte diuellar. Nam etſi corpus meum moriatur, anima mea viuit, & memoriam veſtri tenebit. Vos eſtis mihi patres, vos mihi mater, vos mihi vita, vos mihi gratia: ſi vos proficitis, mihi placebit. Vos eſtis corona mea, & diuitiæ meæ, vos eſtis theſaurus meus. Ego millies pro vobis immolari paratus ſum: & nec gratia mihi in hoc eſt, ſed debitum reddo. Bonus enim paſtor debet animam ſuam pro ouibus ſuis ponere: huiuſmodi enim mors immortalitatem parit. Non enim propter diuitias mundi, inſidias patior: quod ſi eſſet, vtique contriſtari deberem. Nec propter aliquod peccatum, ſed propter charitatem, quam erga vos habeo: quia omnia ago vt vos proficiatis: & ne ſubintroeat conturbare gregem bene inſtitutum, ſed vt permaneatis in ſimplicitate fidei. Hæc eſt cauſa periculorum meorum, & hęc ſufficiant mihi ad coronam. Quid enim nō patiar pro vobis? Vos mihi ciues, vos mihi fratres, vos mihi filij, vos mihi membra, vos mihi corpus, vos mihi lux, imò & iſta luce dulciores. Quid enim mihi tantum præſtant radij ſolis, quantum charitatis veſtræ ſplendor acquirit? Ecce pro charitate veſtra corona mihi paratur in futuro ſęculo, hoc mihi ſolis huius ſplendor præſtare non poterit. Hæc autem dico in auribus audientium. Et quid ita ad audiendum ſollicitum & paratum, quàm aures veſtræ? Ecce quot dies ſunt quòd vigilatis, & nullum veſtrum ſomnium inclinauit, nec temporis ſpatium frangit, nullum timor, nullum minæ deterrent, ſed terror eorum fortiores vos reddet. Video in vobis quod ſemper optaui, ideo quòd contempſiſtis mundi negotia, renuntiaſtis omnibus: nihil iam de terra, neque de terrenis actibus cogitatis. Ad cæleſtia vos migraſſe iam cerno, abſoluti eſtis vinculis corporis, ad beatam illam & cæleſtem contenditis philoſophiam. Hoc mihi ſufficit vidiſſe de vobis, hæc mea conſolatio, iſta me in agonibus meis velut vnguenta quædam corroborant, & fortiorem me agonibus reddunt, & ad gaudia immortalia atque æterna tranſmittunt: pro his gratias agamus Deo, cui gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Poſt reditum prioris exilij.

HOMILIA.

QVid dicam? quid loquar? Benedictus Deus, hunc egrediens dixi ſermonem: hunc iterāui reuertens, & illic conſtitutus hunc in ore volebam. Puto vos meminiſſe, cùm ante hoc beatum Iob adduxiſſem in † medio dicentem: *Sit nomē Domini benedictum.* † Hanc vobis hiſtoriam dereliqui, has gratiarum actiones iterabo regreſſus, *Sit nomen Domini benedictum in ſæcula.* Diuerſæ rerū cauſæ, ſed vna glorificatio: & cùm expellebar, benedicebam, & reuerſus iterum benedico. Et ſi variæ quidem cauſæ, ſed vna definitio. Super hyemem & æſtatem vnus eſt finis. Culturæ fertilitas ſubſequens campi. Benedictus Deus, qui conceſſit exire: benedictus Deus, qui redire præcepit. Benedictus Deus, qui permiſit hyemem: benedictus Deus, qui diſſoluit hyemem, & fecit tranquilitatem. Hęc dico admonens vos, vt ſemper benedicatis. Si euenerint mala, benedicite, & diſſoluentur mala: ſi proſpera venerint, benedicite, & perſeuerabūt proſpera. Siquidem Iob cùm in proſperis eſſet, benedicebat: & cùm pauper eſſet effectus, glorificabat: neque tunc ingratus fuit, neque poſtea blaſphemauit. Diuerſa quidem tempora, ſed vna voluntas gubernantis actum. Nec tranquillitas reſoluit, nec tempeſtas hyemis demergit. Benedictus Deus, & cùm à vobis ſum ſegregatus, & cùm iterum recepi vos. In vtroque Dei prouidentia eſt, ſeparatus à vobis corpore, ſed anima non ſum à vobis diuiſus. Et ex veſtro affectu meum metimini animum. Et quid dicam? Non ſum ſeparatus à vobis, ſed magis accenſus ſum deſiderio veſtri, quod etiam de vobis confido: nihil nobis nocuere inſidiæ, nihil læſit inuidia, ſed magis augmentum præſtitit charitati, & multiplicauit diſcipulorum numerum. Ante hoc enim diligebar à meis, nunc verò honorificabor à Iudæis. Sperabant me & meis filijs ſeparare, ſed magis mihi ex-

In diſceſſu & reditu ſe Deum laudare, ſubditos laudat

† *in medio.* Iob. *hæc verba ex hiſtoria derel.*

A

traneos adiunxerunt. Non illis agam gratias: ſed Dei miſericordiæ gloriam referam, qui conatus illorum malos in melius commutauit. Nam & Iudæi crucifixerunt Chriſtum, & illius morte humanum ſaluatum eſt genus. Non illis gratiæ, ſed crucifixo. Conſiderent quid boni pugna eorum præſtitit, inſidiæ eorum qualem nobis lætitiam præparauerunt. Ante hoc quidem eccleſia replebatur, ſed nunc & in plateis eccleſiæ factæ ſunt. Et vnanimes, & coniuncti pſallẽtes, Dei in vos prouocatis aſpectum: voces veſtrę cæli ſecreta penetrarũt, vt omnis ætas veſtras ſpalmodias miraretur attenta. Curſus equorum hodie, & pauci illuc, imò cuncti in eccleſia: quaſi torrens quidam ac fluuius veſtra facta eſt multitudo. Voces veſtræ eleuantur ad cælum, amorem qui ad patrem eſt, oſtendentes. Orationes veſtræ meum coronauerunt caput. Oratio omni monili præclarior viri & mulieris.† *In Chriſto enim Ieſu non maſculus, neque fæmina.* Qualiter enarrem potentias Domini, aut mirabilia eius recenſeam? Videtis quia quod dico, verum eſt. Quoniam ſi quis tentationem viriliter tulerit, ma-

adde ẽ m. u. magis enim non viri & mulieris. Gal. 3.

B

gnum ex ipſa vindemiat fructum. Ideo vos ad apoſtolos inuitaui, vt ad eos, qui aliquando perſecutionem paſſi fuerant, veniremus. Et nos quidem inſidias paſſi, illi verò impugnati. Sed inimici illis nihil nocuerunt: quia iſti orbem terrarum lucrauerunt. Veniamus ad ſancta corpora, quæ Chriſti ſtigmata portauerunt. Veniamus ad Timotheũ nouũ Paulum, & Andræam alterum Petrum. Credimus iuuari nos illorum meritis. Si virilem animum geris, non timeas tentationes. Omnes ſancti per iſta tranſierunt. Multa tribulatio corporum, ſed maius refrigerium animarum. Præſtet vos Dominus ſemper augeri, & celebres conuentus agere. Gloria quippe paſtoris eſt ouium multitudo: quid faciam? quid loquar? incultum vbi ſeminẽ non habeo agrũ. Extenſa eſt propago vitium, perfectum eſt templum, & præ multitudine piſcium rũpuntur retia mea. Quid faciam? laborandi locum non habeo, gaudendi habeo tempus, ideo loquor: non quia indigetis doctrina, ſed vt meam voluntatem

C

vobis oſtendam, vbique ſpicæ comant. Tãtæ oues, & nuſquam lupus: tot ſpicæ, & nuſquam lolium: tantæ vineæ, & nuſquam vulpes. Vbi nunc latẽt lupi? quò abierũt vulpes, quæ eos perſecutæ ſunt? O rem inauditam! Paſtor quieſcit, & oues luporum rabiem abegerunt, inſidias vulpium oppreſſerunt. O ouium ſapiẽtia! ô filiorum affectus! ô diſcipulorum charitas! ô pulchritudo ſponſæ! abſente viro abegit adulteros, oſtenſæ ſunt eius diuitiæ, apparuit pulchritudo. Latrones confuſi ierunt, & aufugerunt. Dicite mihi, quomodo perſecuti eſtis lupos? quomodo pepuliſtis latrones? Frequenti, inquit, oratione ad Deum. Quomodo deſpexiſtis adulteros? Continuis, inquit, lacrymis, ex deſiderio viri. Non accepi arma, non ſumpſi lanceas, non arripui ſcutum: ſolummodo oſtendi eis

D

pulchritudinem meam, qua perſpecta vulnerati fugerunt. Vbi nunc illi? Proculdubio in confuſione. Vbi nos? in lætitia. Vbi nunc illi? conſcientiæ ſuæ malo tabeſcunt. Vbi verò nos? in magna exultatione glorificamus Deum. Quid dicam? quid loquar? *Adijciat Dominus ſuper vos, & ſuper filios veſtros. Et alleuet Dominus vultum ſuum, & miſereatur veſtri,* in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum quo eſt Deo patri, & Spiritui ſancto honor, gloria, & poteſtas per immortalia ſæcula. AMEN.

Pſal. 113. Ibid. 60.

De regreſſu ſancti Ioannis de Aſia Conſtantinopolim.

HOMILIA.

Exod. 1. & ſeq.

MOyſes magnus ille Dei famulus, caput prophetarum, maris viator, aeris agitator, menſæ apparator, qui à genitrice proiectus eſt, & ab impugnatrice ſaluatus: genuit quidem eum mater, abſtulit autem eum Ægyptia, & enutriuit: & qui in Ægypto nutriebatur, in cælis conuerſabatur: qui tantum ac tale ſtatuit trophæum, iſte talis ac tantus vir, qui quadraginta dies reliquerat populum, inuenit eum idola fabricantem, & ſeditiones commouentem. Ego autem non quadraginta dies tantùm, ſed & quinquaginta, & centũ, & amplius, & inueni vos lætantes, & philoſophantes, & in Dei timore perſeuerantes. Numquid ego Moyſe† altior ſum? Abſit: hoc enim dicere extremæ dementiæ eſt. Sed quia populus iſte illo populo ſublimior, propterea & ille de monte deſcendens increpababat Aaron ob ſeditionem populi, & iraſcens inuehebatur in eũ, cur acquieuerit volũtati eorum. Ego autem adueniens præconia veſtra, & coronas contexã. Vbi enim pręuaricatio, ibi reatus ſubſequatur neceſſe eſt, & obiurgatio: vbi autem correctio, ibi laudes, & præconia, & coronæ: ideoq; etſi ampliori tempore demoratus ſum foris, non me pœnitet, quia confidebam debam de veſtræ charitatis affectu, & integritate fidei: ſciebam enim vxorem mihi deſponſatã caſtitate eſſe munitam, ſicut in ſæculari coniugio aſſolet euenire. Etenim vir quãdo impudicam vxorem habere ſe nouit, nec proſpicere ei de domo permittit: qui etſi peregrinari aliquando coactus fuerit, cogitur citò reuerti, quaſi quodam ſuſpicionis aculeo ſtimulatus: qui autem ſobriam & caſtam habet, foris ſecurus moratur, ſufficientes pro curatorum munimine mores relinquens vxoris: hoc ego & Moyſes paſſi ſumus, ille quidẽ, quia inemendabilem ſynagogam habebat vxorem, reliquit eam, & fornicata eſt, & compellit eũ Deus, dicens: *Exurge, deſcende: impiè enim fecit populus tuus.* Sed ego nullam huiuſmodi iuſſionem accepi. Et cùm paululum mihi infirmitas corporis accidiſſet, non me inquietauit veſtra abſentia, ſed ſecurus de vobis ægrotationis meæ expectaui medelam. Non enim opus habent ſani medico, ſed qui malè habent. Nam etſi tardaui parumper à vobis, non hoc ad detrimentum veſtri, ſed ad diuitias puto proficere veſtras. quæ enim per me, imò magis per gratiam Dei correcta ſunt, veſtra corona eſt, veſter profectus eſt. Et ideo gaudeo, & tripudio, & tamquam volitare me credo, & gaudij huius magnitudinem effari non queo. Quid ergo faciam? quomodo indicabo exultationem mentis meæ? In teſtimonium voco conſcientiam veſtram, quoniam video ex aduentu meo gaudio eſſe repletam: quod gaudium corona & laus mea eſt. Si enim mea vnius viri præſentia, tantam plebem tali repleuit† voluptate: quantum putatis mihi ex viſione veſtra gaudium cumulatum? Et Iacob quidem vnum filium vidẽs Ioſeph, gaudebat ſenex, & recreabatur ſpiritu: ego autem non vnũ Ioſeph, ſed omnes vos illi ſimiles video & gaudeo, quia paradiſum meum recepi, illo paradiſo meliorem: & ibi quidem ſerpens erat inſidians, hic autem Chriſtus myſteria celebrans: ibi Heua erat ſeducens, hic autem eſt coronans eccleſia: ibi Adam ſeducebatur, hic autem populus adhæret Deo: ibi arbores diuerſæ, hic autem donationes variæ: in paradiſo arbores marceſcentes, in eccleſia arbores fructificantes: in illo paradiſo vnumquodque genus ſementis in ſuo perſeuerat ſtatu, in iſto verò paradiſo, ſi inuenero labruſcam, vitem vberem efficiam: ſi inuenero oleaſtrum, veram oliuam efficiam: talis etenim eſt terræ iſtius natura: propter hæc gaudeo, prætermitto ſatisfactionem: quomodo verò nos abduxit tanti temporis longitudo, ſuſcipite ſatisfactionem meam chariſſimi. Si ſeruum alicubi dirigatis non reuertentẽ, exigitis cauſas vbi moratus ſit, vbi tantũ expẽderit tẽporis: & ego ſeruus ſum veſtræ charita-

v maior ſum?

Laudat ſubditos quod bene ſe in abſentia geſſiſſent.

Simile.

Exod. 32

v. ſolemnitate.

tis: emi-

A

v. conſeruantes.

tis: emiſtis enim me non pecuniam † conficientes, ſed charitatem oſtendentes. Gaudeo quippe tali ſeruitio mancipatus, nec vmquam hoc famulatu opto me ſolui: etenim iſtud ſeruitium mihi libertate elegantius: iſtud ſeruitium in illud tribunal beatum collocauit mihi ſedem: iſtud ſeruitium non eſt neceſſitatis, ſed voluntatis. Quis enim non libentiſſime ſeruiat dilectioni veſtræ tam elegantiſſimis amatoribus? quod etſi lapideam haberem animã, cera feciſſetis molliorem: quid † dicam deſiderio veſtro, & fauori, quem heſterna oſtendiſtis die,

v. de deſiderio v. & fauore.

quomodo voces veſtræ cum gaudio cælum penetrarunt? ipſum ſanctificantes aerem, ciuitatem feciſtis eccleſiam: honorabar ego, & Deus glorificabatur: hæretici confundebantur, eccleſia verò coronabatur: quia magna lætitia eſt matri, cùm exultant filij. Et grande gaudium paſtori, cùm exultant agni gregis. Veni ad gaudia virtutum veſtrarum, audiui quia cum hæreticis colluctati eſtis, & quia iniquè egerunt in baptiſmo, redaguiſtis: numquid incaſſum dicebam, quoniam caſta vxor abſente viro repellit adulteros, abſente paſtore † agit lupos,

v. abigit.

B

ſine gubernatore nautæ ſaluauerunt nauem, ſine duce milites victoriam reportauerunt, ſine doctore diſcipuli profecerunt, ſine patre filij roborati ſunt? imò magis non ſine patre: veſter enim profectus, meum gaudium, veſtra glorificatio, mea corona eſt. Sed deſiderabamus, inquitis, tecum facere Paſcha. Satisfacio dilectioni veſtræ, quippe cùm iam † iracundiam veſtro diſſolueritis aſpectu.

v. diſſolueritis noſtro aſpectu.

nam ſi pater prodigum ſuſcipiens filium ſtatim reconciliauit, neque pœnas exegit ab eo, ſed illico amplexus eſt: multò magis filij patrem ſuſcipientes. Sed tamen & ad hoc reſpondeo: Paſcha mecum in votis facere habebatis, nemo prohibet hodie vos mecum facere Paſcha. Sed forſitã dicetis, Numquid duo Paſcha facturi ſumus? Non ſed vnum, & ipſum multipliciter. Sicut enim ſemper ſol exoritur, & non dicimus multos ſoles, ſed eſt ſol quotidie oriens: ſic & Paſcha ſemper conſummatur, & cùm ſemper celebretur, † vnum eſt ſolennitatis noſtræ.

v. vnũ eſt Solẽnitatis noſtra Iudæorũ ſimiles nõ ſumt, non ſer.

C

Iudæorum ſimiles non ſumus non ſeruimus loco, nec ſubditi ſumus neceſsitati temporis, dominica voce firmati. *Quotieſcumque*, inquit *manducaueritis panem iſtum, & hunc biberitis calicem, mortem domini annuntiabitis.*

1. Cor. 11

Annuntiamus namque hodie mortem Chriſti. Sed tunc quidem feſtiuitas. Et hodie feſtiuitas. Vbi enim charitas gaudet, ibi eſt feſtiuitas: & vbi recepi lætantes filios, maximam celebro feſtiuitatem. Etenim & illa feſtiuitas † charitas eſt.

v. caritatis eſt.

Sic enim, inquit apoſtolus: *Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigentium daret pro eo.*

Ioan. 3

Sed multi, inquiunt, te abſente baptizati ſunt Et quid tum? nihil minus habet gratia, non claudicat donum Dei. præſente me baptizati non ſunt, ſed præſente Chriſto ſunt baptizati.

Sacramẽta nõ dependent à bonitate, aut malitia miniſtri. *Vide not. fol. 217.*

Numquid homo eſt qui baptizat? Homo dexteram porrigit, ſed Deus manum gubernat. Noli de gratia dubitare, chariſsime, quia donum Dei eſt.

D

Attende diligenter quæ dicuntur, ſi fortè aliqua cauſa ſacra explicanda eſt, cùm obtuleris preces, & ſubſcriptam acceperis ſacram, non requiris quali calamo ſubſcripſerit rex, neque in quali charta, neque quali, quóve atramẽto, ſed vnum ſolummodo quæris, ſi rex ſubſcripſerit: ſic & in baptiſmo, charta, conſcientia eſt: calamus, lingua ſacerdotis: manus gratia eſt Spiritus ſancti. Siue ergo per me, ſiue per illum qui officio fungitur ſacerdotis, ipſa manus ſcribit, nos miniſtri ſumus, non authores. Et Paulus miniſter eſt: *Sic* enim, inquit, *æſtimet nos homo, tamquam miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

2. Cor. 4.

Quid enim habes, quod non accepiſti? Si quid habeo, accepi: ſi autem accepi, non meum, ſed eius qui dedit donum eſt. Noli ergo dubitare, chariſsime gratia enim Dei perfecta eſt, locus non prohibet, ſiue hîc baptizeris, ſiue in naui, ſiue in itinere. Philippus baptizauit in via, Paulus in vinculis, Chriſtus in cruce latronem ex vulnere, & ſtatim paradiſi meruit ianuam reſerare.

A

Propter hæc gaudeo & exulto, & orationes veſtras exigo, cum quibus ad Aſiam perrexi, cum quibus reuerſus ſum, cũ quibus pelagum transfretaui, & adiutus veſtris orationibus feliciter nauigaui: nec enim nauim citra vos ingreſſus ſum, nec exiui citra vos, non in ciuitate citra vos, aut in eccleſia ſine vobis, ſed auulſus quidem eram corpore, connexus autem charitate. Videbam namque eccleſiam veſtram & in pelago, & in exultatione gaudebam. Tale enim quid ſignificat charitas, quæ neſcit anguſtari: intrabã in Eccleſiam, aſtabam altari, orationes offerebam: & dicebam: Domine, conſerua eccleſiam, quam mihi tradidiſti. Ego quidem corpore abſens ſum, ſed tua miſericordia præſens eſt, * quæ illuc perduxit, & pluſquam merebar, conceſsit.

*v. * qua me illuc.*

Et quia amplificauit, multitudo teſtatur præſentium. Florere video vineam, & nuſquam ſpinæ, neque ſentium vlla veſtigia, exultant oues, & nuſquam lupus. Quòd ſi etiam alicubi repertus fuerit, demutatur, & fit ouis.

B

Tanta enim veſtra eſt fides & charitas, vt æmulatione veſtra cæteros prouocetis. Ipſe Dominus vos cõſeruauit, & ipſe me reduxit, & in infirmitate poſitus, orationum veſtrarum ſenſi auxilium, quas mihi quotidie in ſuffragium poſtulo. Peregrinatio mea coronauit ciuitatem veſtram. Et quia diligebatis ex initio, nunc omnibus manifeſtum eſt. Sic enim me abſentem, tamquam præſentẽ habuiſtis. Nam in Aſia cùm eſſem ad corrigendas eccleſias, hinc illò venientes nuntiabant nobis, dicẽtes: Inflammaſti ciuitatem. Et certe charitas tẽpore ſolet marceſcere, veſtra autem dilectio quotidie augmẽtabatur. Et quem ita abſentem diligebatis, præſentem credo quod melius ametis. Iſte meus theſaurus, hæ ſunt meæ diuitiæ. Et ideo veſtras orationes requiro. Orationes veſtræ, murus mihi & munimen ſunt. Noli dicere: Ego languidus ſum, quomodo potero pro ſacerdote orare? Audi ſcripturam dicentem: *Oratio autem fiebat continua.*

Act. 12.

C

Et eccleſiaſtica oratio ſoluit vincula Petri, & Pauli dilatauit prædicationis fiduciam. Oratio caminum ignis extinxit, oratio concluſit ora leonum, oratio ſeditionem compeſcuit, oratio paradiſum aperuit, oratio cæli cardines reſerauit, oratio ſterilem fœcundauit, oratio Cornelij cælos penetrauit, oratio Publicanum iuſtificauit. Tale à vobis munimen requiro, talem gratiam poſtulo: & Deus gloriæ ſuſcipiens orationes veſtras, *det mihi in apertione oris mei ſermonem*, quò poſsim creditum mihi populum inſtruere ad ſalutem, per Chriſtum Dominum noſtrum, cum quo eſt Deo patri cum Spiritu ſancto honor, gloria, & poteſtas, in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Epheſ. 6.

D

a *Si forte aliqua*] In manuſcripto libro Bibliothecæ S. Victoris ex quo aliquot varias lectiones collegimus, hic locus ſic effertur, *Si forte pro aliqua cauſſa ſacra explicanda eſt.* Rectè, non enim hic cauſſam ſacrã eſſe vult Chryſoſt. ſed ad defenſionem cauſſæ diploma imperatorium exhibendum. Sic enim, quas literas regias vocamus, ſacram illi dicebant, vt in Codice Iuſtiniani ſacra probatoria, ſacra reuocatoria, & in Cõcil. Epheſino ſacra Imperatoris Theodoſij, in Chalcedonenſi ſacra Valẽtiniani & Martiani Auguſtorum.

Vide fol. 816.

Beati Ioannis Chryſoſtomi Homilia, quum Sartoninus & Aurelianus acti eſſent in exilium, & Gainas egreſſus eſſet à ciuitate, & de auaritia.

INCERTO INTERPRETE.

MVlto tempore ſilui, & poſt longum temporis ſpatium ad charitatem veſtram reuerſus ſum.

ſum. Quamquam id non accidit vlla vel animi ſocordia, vel corporis deſidia, ſed abſui tumultus componens, fluctus ſedans, tempeſtatem corrigēs: eoſque qui iam demergi cœperant, ad portum & in tranquillum porrecta manu reducere ſtudens. Sū enim communis omnium pater, eoque neceſſe eſt curam agere non tantùm eorum qui ſtant, ſed eorum quoque qui collapſi ſunt: non illorum tantū qui ſecundis nauigant ventis, ſed & illorum qui tempeſtate iactantur: non eorum modò qui in tuto ſunt, verumetiam illorum qui periclitantur. Harum ſanè rerum gratia reliqui vos ad temporis ſpatium, obambulans, exhortans, obteſtans, ſupplicans vt à Domino ea calamitas diſſolueretur. Poſteaquam autem inamœnis illis ac triſtibus finis eſt impoſitus, denuo me ad vos recepi, ad vos qui in tuto eſtis, qui multa cum tranquillitate nauigatis. Ad illos profectus eram, vt tempeſtatē ſedarem: ad vos reuerſus ſum, ne qua tēpeſtas exoriatur. Ad illos diſceſſeram, vt eos à moleſtijs liberarem: ad vos redij, ne in ſimiles moleſtias incidatis. Quemadmodum enim oportet habere curam, non eorum modò qui ſtant erecti, ſed eorum quoque qui lapſi ſunt: ita rurſus non lapſi tantùm nobis debent eſſe curæ, ſed & ſtantes: illi quidem vt erigantur, hi verò ne cadant: illi vt ab vrgentibus malis liberentur, hi ne incurrant in moleſtias imminentes. Nihil enim eſt in rebus humanis ſtabile, nihil inconcuſſum, ſed hominum vita imitatur mare veſaniens, quotidie parturiēs naufragia, naufragia, inquam, tum noua, tū periculoſa. Omnia tumultuum ac turbarum plena ſunt, omnia ſcopuli & præcipitia, omnia rupes ſub aquis latentes, & ſinuoſæ cautes. Omnia terrores, diſcrimina, ſuſpiciones, tremores & angores. Nemo cuiquam fidit, à ſuo quiſque proximo metuit. Tempus fortaſſis illud in propinquo eſt, quod Propheta depinxit his verbis: Ne fiduciam habeatis in amicis, & in principibus nolite ſpem ponere, à ſuo quiſq; proximo cauete, à coniuge tua caue, ne quid illi credas. Quid ita tandem? Quia tempus malum eſt, quia omnis frater inſidiatur calcaneo vt ſupplātet & omnis amicus doloſe incedit. Non eſt amicus tutus, non frater firmus. Sublatum eſt charitatis bonum, ciuile bellum habet omnes, ac ne id quidē apertum, ſed obumbratum. Innumerabiles vbiq; perſonæ, ſimulatæque facies. Multa ouium vellera, innumeri vbique lupi ſub his occultati: vt iam inter hoſtes aliquis tutius vixerit, quàm inter hos qui videntur amici. Qui heri adulabantur, qui blādiebantur, qui manus exoſculabantur hodie repentè comperti ſunt eſſe lupi, abiectiſq; perſonis facti ſunt omnibus accuſatoribus acerbiores. Pro quibus heſterno die gratias agebant, pro his nunc incuſant & calumniantur. Quæ eſt igitur horum omnium cauſa? Pecuniarum amor, veſana diuitiarum cupiditas morbus inſanabilis, fornax quę nūquam extinguitur, tyrānis quaquauerſum per totum orbem terrarum diffuſa. Hanc ob cauſam & nos quæ prius dicebamus, nunc denuo dicimus, nec dicere deſinemus, tametſi heri cōplures incuſabant nos, talia loquentes: Itáne numquā deſines aduerſus diuites armatā habere linguā? Non deſines cum his aſſiduè belligerari? Num ego cū illis bellum gero? Nū aduerſus illos armor? An potius pro illis cuncta tum dico, tum facio? Imò ipſi aduerſus ſeipſos gladios acuunt. An nō id declarauit ipſa rerū experientia? Quo, inquies, pacto? Ego quidē increpans & aſſiduè obiurgans quærebam illorum commodum: ſed illi verius ſunt hoſtes, qui nobis hæc loquentibus culpam impingūt. Vidiſtis euentus rerum cum oratione noſtra congruere. An nō ſemper dixi, fugitiuas eſſe diuitias, ab hoc ad illum tranſeuntes? Atq; vtinā trāſiſſent ſolùm, non etiam occidiſſent: vtinam diſceſſiſſent tantùm, ac non è medio quoque ſuſtuliſſent. Nunc autem præterquam quòd deſerunt ſuā protectionem etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt, eò quòd ſunt periculoſæ proditrices, cumq; his potiſſimum bellum gerunt, à quibus amantur. Ingratæ ſunt, fugitiuæ, homicidæ, crudeles & implacabiles, beſtiæ incicurabiles, præcipitium vndiquaque præruptum, ſcopulis aſſiduis plenæ & fluctibus, mare innumeris ventis agitatum. Tyranni acerbè imperātes, dominæ quouis barbaro ſæuiores, inimicæ irreconciliabiles, hoſtes implacabiles, quæq; numquam erga eos à quibus poſſidētur, remittūt ſimultatem. At non huiuſmodi paupertas, ſed his quæ dicta ſunt contraria. Ea ſiquidem eſt tutum aſylum, portus tranquillus, perpetua ſecuritas, deliciæ periculorum expertes, voluptas ſyncera, vita turbationū neſcia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philoſophiæ parens, frænū intemperantiæ, ſupplicij ſublatio, radix modeſtiæ. Quamobrem igitur rogo, hāc fugientes, illas perſequimini? illas hoſtes, illas homicidas, illas quauis beſtia ſæuiores? Talis enim eſt pecuniarum amor, tale veſanum auri ſtudium. Cur hoſtem tibi domeſticum & perpetuum conuictorem tibi facis? Quur beſtiam irritas, quam delinire oportuit? Et quo pacto, inquis, fiet manſueta? Si vel nunc mea verba toleretis dum delicta feruēt, dum calamitas viget, dum omnes in tumultu ſunt ac mœrore. Ergo qui fieri poſſit, vt beſtia non ſit beſtia? Equidem poſſum illam immutare, ſi vos velitis. Nam ea ſermonum vis eſt. Quo pacto igitur à feritate ſua mutabitur? Si didicerimus quomodo fiet ſæua, more leonum, more pardorum, more vrſorum, qui dum includūtur coercēturq; in tenebris, erigūt animos, acuuntque iras. Itidem & diuitiæ dum includūtur & defodiuntur, acrius rugiunt quā leones, perturbantq; omnia. Quòd ſi eas è tenebris eduxeris, & in egenorum ventres diſſemines, ex feris beſtijs fiunt oues: quæ fuerant inſidioſæ duces, pro ſcopulis fiunt portus, pro naufragio tranquillitas. Quandoquidem hoc & in nauigijs videre licet, ſi quando onus eſt iuſto grauius, demergit cymbam. Rurſum cum eſt moderatum, proſpero fertur curſu. Idem vſuuenit in noſtris ædibus. Quum vltra quàm vſus poſtulat, congeris pecunias, exigui venti procella, & quiuis rerum inexpectatarū incurſus demergit cymbam. At ſi tantum reponas, quantum poſtulat neceſſitas, etiamſi vehemēs turbo ingruat, facile percurris vndas. Noli igitur plus concupiſcere, quàm exigit neceſſitas, ne totum amittas. Noli quæ ſuperant vſum congregare, ne perdas etiam neceſſaria. Noli præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus vniuerſis exuaris: ſed quod ſupereſt reſeca, vt neceſſarijs diteſcas. An non vides quòd agricolæ vitem putant, ne vim omnem in panpinis & palmitibus, ſed in radice proferat? Idem & tu facito. Amputa folia, omneq; ſtudium huc intende, vt quamplurimum fructus ferat. Quod ſi facere recuſes rebus proſperis, expectes aduerſas. In tranquillitate tempeſtatē expecta, in ſanitate morbum expecta, in diuitijs paupertatem ac mendicitatem expecta. Memento, inquit ſcriptura tempus famis, in tempore abundantiæ: mendicitatem & egeſtatem, in diebus opulentiæ. Ad hunc modum ſi fueris affectus, tum & diuitias multa cum ſobrietate adminiſtrabis: & egeſtatem, ſi incidat, fortiſſimè perferes. Malum enim inexpectatum perturbat animum ſi incidat. Quod autem expectabatur, ſi accidat, non multum adfert perturbationis. Ita duo commoda lucrifeceris, alterum ne proſperitas te reddat ebrium & inſolentem: alterum, ne commouearis ac perturberis rebus in diuerſum commutatis: maximè ſi ſemper expectatione contrariorum pendebis, ſuffecerit pro experientia expectatio. Tale eſt quod dico: diues es, expecta quotidie paupertatem. Quare & quamobrē? Quo-

niam

In homine nō eſt fidendū.

Ierem. 9.

Diuitiarum periculum.

niam iſta expectatio tibi maximam adferre poterit vtilitatem. Etenim qui in diuitijs expectat paupertatem, non indiget delicijs, non extollitur, non diffluit, non concupiſcit aliena. Nam expectationis metus qui illi adeſt, pædagogi cuiuſdam vice cohibet eius mentem, nec patitur mala auaritiæ germina ſubnaſci, dum ea metu contrariorum veluti falce quadam prohibet creſcere, amputatque. Hoc igitur vnũ eſt è maximis bonis quę lucrifacies. Alterum autem non eſt iſto minus, videlicet vt ſi acceſſerit paupertas, nõ expaueſcas. Aſſumatur igitur rerum triſtium expectatio, nequãdo veniat ipſa triſtium experientia: ob hoc enim venit experientia, quòd nõ adſit expectatio. Quod ſi illa correxiſſet hominem, hac non erat opus admodum. Huius rei teſtis Ionas Niniuitis prædicens interitum. Siquidem illi dum expectant quod propheta prædixerat, eis imminere calamitatem inſanabilem, expectatione malorum venturorum fregerunt iram numinis. Rurſus Iudæi non credentes prophetæ prædicenti Hieroſolymorum excidium, acerba perpeſſi ſunt. Sapiens enim metuens declinauit malum, inſipiens fiducia ſua inuoluitur. Qui expectat paupertatem dum verſatur in diuitijs, haud facile fiet pauper. Nam quod ab expectatione lucrari noluiſti, id ab ipſa experiẽtia pulchrè diſces. Proinde quum in diuitijs es, expecta paupertatem: quum in affluentia, expecta famem: quum in gloria, expecta ignominiam: quum in ſanitate viuis, expecta morbum. Aſſiduè perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet, quàm amnium defluxus, & fumo in aërem euaneſcente fugacior eſt, & vmbra prætercurrẽte inanior. In his ſi philoſophatus fueris, nec ſuauia te poterunt inflare, nec moleſta deijcere: & præſentibus bonis nõ admodũ hæreas, neque abſentibus diſcruciaberis. Conſuefacias animum ad diuerſorum expectationem. Sæpe quidem fiet, vt diuerſa non accidãt. Sed ſi acciderint, non vehemẽter te commouebunt. Atque vt intelligatis me hęc nõ ex coniectura loqui, volo vobis narrare veterẽ quandam hiſtoriam. Fuit vir quidam admirabilis & magnus, & vbiq; per orbem terrarum celebratus, beatus ille Iob, ille pietatis athleta, ille totius mundi victor & coronifer, qui per omnia certaminũ genera trãſiuit, qui innumera trophæa erexit deuicto diabolo. Hic erat diues & pauper, glorioſus & contemptibilis, multorum liberorum pater, & orbus. Hic verſatus eſt in aulis regalibus, ſed idem fuit in ſterquilinio. Hic fuit in ſplendida veſte, ſed poſt illam in morſu tinearum. Hic poſſedit innumera miniſteria, ſed idem ſuſtinuit innumeras contumelias, à familiaribus in ipſum inſurgentibus, ab amicis conuitiantibus, ab vxore inſultante. Omnia illi prius velut è fonte affluebant, pecuniarum copia, potentiæ magnitudo, gloriæ acceſſio, pax & ſecuritas, honores & obſequium, corporis ſanitas, & filiorum opulentia, nec erat in his quidquam moleſtum. Aderant illi diuitiæ cum ſecuritate, proſperitas ſtabilis. Atque optimo quidem iure. Deus enim illum vndique vallauerat. Sed poſt illa omnia receſſerunt, moxq; innumeræ tempeſtates immigrarunt in domum illius, omnes, inquam, ac ſibi viciſſim ſuccedẽtes ac perpetuæ: denique ſupra modum, ſupraque fidem omnes. Siquidem vniuerſæ facultates illi ſemel ereptę ſunt, famuli liberique præmatura violentaque morte oppreſſi ſunt, ad menſam & ipſo in conuiuio mactati, non quidem ſecuri aut gladio, ſed à malo ſpiritu, qui domum concuſſit. Tum vxor in illum armabatur, ſuaſque machinas admouit iuſto. Famuli porrò & amici, partim expuerunt in faciem eius, quemadmodum ait ipſe, *Non pepercerunt faciem meam cõſpuere:* partim irruerunt in eũ, & ex tota domo eiectus eſt, ac deinceps in ſterquilio vitã egit, ac verminum fontes ſcatebant, vndiq; ſanguine & ſanie diffluebat ille pretioſus adamas. Et accepta teſta abſterſit ſaniem, ipſe ſibi factus carnifex: dolor dolorem excipiebat, & cruciatus intolerabiles, & nox die moleſtior, & dies nocte terribilior, ſicut ipſe dicit: *Quum obdormiero, dico, quando erit dies? Cum ſurgo, rurſum dico, quando erit veſpera?* Plenus dolorum ſum à veſpera vſque ad diluculum. Omnia præcipitia, omnia ſcopuli, nec eſt vllus qui conſoletur, qui inſultent innumeri. Attamen in tanta tempeſtate, tantiſque fluctibus adeò intolerandis, conſtitit aduerſus omnia generoſo animo & illabefactabilis. In cauſa fuit id quod dicebam: Nimirum quòd quum diues eſſet, expectabat egeſtatem: quum ſanus eſſet, expectabat ægrotationem: quum tot liberorum eſſet pater, expectabat vt ſubitò fieret orbus. Atque hunc timorem ſemper apud ſe ſuſcepit, & hanc anxietatem ſemper apud ſe aluit, intelligens rerum humanarum naturam, momentariamque volubilitatem negotiorum conſiderans. Eoque dixit: *Timor quem timebam, euenit mihi: & periculum quod metuebam, occurrit mihi.* Semper enim cogitatione ſpectabat ad illum timorem, operiens eum, ſperans expectanſque: eoque quum aduenisſet, non perturbauit illũ: Neque ſilui, inquit, neq; quieui, ſed mihi venit ira. Non dixit, non ſilebo, neque quieſcam, præſenti tempore: ſed, non quieui, præterito tempore. Neq; enim rerum proſperitas attulit arrogantiam, ſed expectatio triſtium non ſinebat me quieſcere. Quamquam affluentia vehementer hortabatur ad delicias, ſed aſperitas eorum quæ expectabãtur, profligabat ſecuritatem. Et licet præſens felicitas cogeret frui rebus, tamen futurorum ſollicitudo voluptatẽ interrupit. Ideoque quoniam præmeditãs in animo ſuo hæc vẽtura proſpexerat rebus lætis, hæc certamina poſteaquã acciderunt, fortiter & animoſè pertulit, vtpote iam olim ad illa exercitatus: & quoniã ea expectatione præceperat, non eſt perturbatus quum cerneret illa adeſſe: quoniã ne tum quidem, quum adeſſent læta, vehementer illis adhæſit. Audi quid dicat: Quòd ſi delectatus ſum quum mihi multæ affluerent diuitiæ, ſi repoſui copioſam auri vim mihi, ſi fiduciam habui in lapidibus pretioſis, ſi ad innumerabilia poſui manum meam. Quid ais homo? non delectatus es diuitijs affluentibus tibi? Nequaquam, inquit. Quid ita? Quoniam videbam illarum inſtabilem fluxamque naturam, videbam poſſeſſionem haud durabilem. Aut non video quidem, inquit, ſolem orientem ac deficientem, lunam verò intereuntem: nõ enim in eodem manet ſtatu. Quod autem dicit, tale eſt: Si ſtellæ quæ ſunt in cælis perpetuoque lucent, recipiunt nonnullam mutationem, ſol deficiens, luna interiens, an non extremæ dementiæ ſit, terrena pro ſtabilibus fixiſque ducere? Eoque nec præſentibus magnopere delectabat, nec diſcedentibus vehementer contriſtatus ſum: quoniam probè noueram earum rerum naturam. Hæc nos audientes chariſſimi, neque paupertate deijciamur, neque diuitijs intumeſcamus, ſed in rerum permutatione animum immutabilem retinentes, philoſophiæ fructum metamus, vt & hic voluptate perfruamur, & futura aſſequamur bona. Quæ cõtingat nobis omnibus adipiſci, gratia & bonitate domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Hiſtoria Iob.

Iob. 30.

Iob. 7.

Iob. 3.

De recipiendo Seueriano.

HOMILIA.

SIcuti capiti corpus cohærere neceſſariũ eſt, ita eccleſiam ſacerdoti, & principi populum: vtq; virgulta radicibus, & fontibus fluuij, ita & filij patri, & magiſtro diſcipuli. Hæc autem nõ ſuperfluò ad charitatem veſtram præfati ſumus: ſed quoniam dicenda mihi ſunt quædam apud vos, vt nemo tur-

A ſimili.

mo turbetur, neque ſermoni noſtro aliqua oria- A
tur interruptio, ſed vt obedientia diſcipulorum
creſcat in vobis, & quantum affectum patri de-
feratis, appareat. Adornate me filij, & imponite
mihi obedientiæ veſtræ coronam, facite me apud
omnes beatum iudicari, & doctrinam meam ma-
gnificate per obedientiam veſtram ſecundùm
Hebr. 13 Apoſtoli monita, dicentis: *Obedite præpoſitis ve-*
ſtris, & obtemperate eis, quia ipſi peruigilant pro vo-
bis, quaſi pro animabus veſtris rationem reddituri. Hæc
ergo præmoneo, ne quis ſuperbiat in commo-
nitionem noſtram. Pater enim ſum, & neceſſe eſt
me filijs conſilium ſuadere: quod enim in carna-
libus patribus natura carnis, hoc in nobis gratia
Spiritus agit. Pater ſum, & pater nimis ſuper filios
tremens, ita vt ſanguinem meum pro vobis fun-
dere paratus ſim. Et in hoc non eſt mihi gratia.
Apoſtolica enim lex eſt, & Domini præceptum
Ioan. 10. dicentis: *Paſtor bonus animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.*
Sed & vos eadem facite pro nobis: ſimili namque
erga nos deuincti eſtis affectu. Nam & Paulum au-
Rom. 16. dite quid dicit. *Salutate*, inquit, *Priſcillam & Aquilam*
adiutores meos in Chriſto, qui pro anima mea ſuas cerui-
ces poſuerunt. Sicut enim pulchrum eſt paſtorem B
pro ouibus immolari: ita rurſum pulchrum eſt &
oues à paſtore nec morte ſeiungi. Cùm enim in-
ſeparabiles fuerint ab eo, lupum diabolum non
timebunt. Murus enim charitatis firmior eſt
Prou. 18. adamante. Et *frater cùm adiuuatur à fratre, erit ſi-*
cut ciuitas munita & firma. Hæc autem præmitto,
vt cum omni affectu, quæ dicimus, audiatis, neque
aliquis veſtrum incipiat perturbari. Loquimur rē
quam dignum eſt in eccleſia loqui, & quam di-
gnum eſt libenter audiri. Pro pace loquimur ad
vos. Et quid ita conueniens, quàm ſacerdotem
Dei pacem populo perſuadere? Cōtradictio nul-
la eſt, vbi & legatio ſancta, & legatus acceptus eſt,
Pro pace loquimur, pro qua filius Dei deſcendit
ad terras, vt pacificaret per ſanguinem non ſolū
quæ in terra ſunt, ſed & quæ in cælis, & terrena
cæleſtibus ſociaret. Pro pace loquimur, pro qua
filius Dei paſſus eſt, propter quam crucifixus eſt,
& ſepultus, quam nobis pro omni hæreditatis cē-
ſu reliquit, & velut murum eccleſiæ dedit, quam C
ſcutum aduerſum diabolum poſuit, quam gladiū
aduerſum dæmones dedit, quam portum trāquil-
liſſimum fidelibus collocauit, quā repropitiatio-
nem ad Deū dedit, quam delictorū abſolutionem
conceſſit: pro hac ergo legatus ad vos miſſus ſum.
Nolite mihi incurrere pudorem, nolite legatio-
nem meam fœdare, acquieſcite mihi, quæſo vos.
Multa dudum triſtia geſta ſunt in eccleſia, Deum
confiteor, ſed non laudo perturbationes, ſeditio-
nes nō amplector. Sed omittamus iam hæc, defini-
te, conquieſcite, cohibete animos, refrænate ira-
cundiā: ſufficit iam quod laborauit eccleſia, finis
ſit, deſinat turbatio: hoc enim & Deo placitum, &
pijſſimo principi acceptum eſt. Oportet enim &
regibus obedire, maximè cum & ipſi obtemperēt D
Tit. 3. eccleſiaſticis legibus. Dicit enim Apoſtolus, *Prin-*
cipibus & poteſtatibus ſubditi eſtote: quantò magis reli-
gioſo principi, & pro Eccleſia laboranti? Si ergo
præparaui animos veſtros ad ſuſcipiendam lega-
tionem meam, recipite fratrem noſtrum Seueria-
num epiſcopum. Habeo gratiam quod ſermonem
meum laudibus proſecuti eſtis. Dediſtis mihi fru-
ctus obedientiæ: nunc me ſemen bonū gratulor
ſeminaſſe. Ecce enim ſtatim frumenti manipulos
colligam. Retribuat vobis Dominus præmiū be-
nignitatis, & obedientiæ mercedem. Nunc enim
veram hoſtiam pacis obtuliſtis Deo, quia nemo
ſuſcepiſtis turbatus eſt audito hoc nomine, ſed cū charitate *
ſuſcipitis: ſimul vt ſermone locuti ſumus, omnem
ex animo fugaſtis iracundiā. Suſcipite ergo eum
pleno pectore, apertis manibus. Si quid triſte geſtū
eſt, omittite: quia vbi tēpus pacis, recordatio diſ-

ſenſionis nulla eſt, vt ſit gaudium in cælo, gaudiū
in terra, lætitia & exultatio ſpiritualis in eccleſia
Dei. Et oremus de reliquo, vt pacificam Deus cu-
ſtodire dignetur eccleſiam, pacem fixam & perpe-
tuam dare, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cum
quo eſt gloria Deo patri, vnà cum Spiritu ſancto,
in ſæcula ſeculorum. AMEN.

Sermo ipſius Seueriani de pace, cùm ſuſceptus eſſet à beato Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano.

IN aduentu Domini & ſaluatoris noſtri atque
in præſentia eius corporali, angeli ducentes
choros cæleſtes euangelizabant paſtoribus, di-
centes: *Annuntiamus vobis hodie gaudium magnum, quod* Luc. 2.
erit omni populo. Ab ipſis enim ſanctis angelis etiā
mutuatam nos vocem, annuntiamus vobis hodie
gaudium magnum. Hodie enim in pace eccleſia
eſt, & hæretici in ira. Hodie eccleſiæ nauis in por-
tu eſt, & hæreticorum furor iactatur in fluctibus.
Hodie paſtores eccleſiæ in ſecuritate, & hæretici
in perturbatione ſunt. Hodie oues Domini in tu-
to, & lupi inſaniunt. Hodie vinea Domini in abū-
dantia, & operarij iniquitatis in egentia. Hodie
populus Chriſti exaltatus eſt, & inimici veritatis
humiliati ſunt. Hodie Chriſtus in lætitia, & diabo-
lus in luctu. Hodie angeli in exultatione, & dæmo-
nes in confuſione. Et quid opus eſt multa dicere?
Hodie Chriſtus, qui eſt rex pacis, cum ſua pace
procedens, fugauit omne * diſſidium, diſſenſio- diſcidium
nes depulit, diſcordiam perturbauit. Et ſicut
cælum ſplendor ſolis, ita eccleſiam fulgor pacis
illuminat. O quàm deſiderabile nomen pacis,
quàm religionis Chriſtianæ ſtabile fundamētum,
& altaris dominici cæleſtis armatura. Et quid poſ-
ſumus de pace proloqui? Pax nomen eſt ipſius
Chriſti ſicut dicit & Apoſtolus: *Quia Chriſtus pax* Epheſ. 2.
noſtra, qui fecit vtraque vnum, quæ neque fide, ſed
inuidia diaboli diſſidebant. Verùm ſicut proce-
dente rege & plateæ mundantur, & tota ciuitas
diuerſis floribus & ornatibus coronatur, vt nihil
ſit quod minus dignum vultui regis appareat: ita
& nunc procedente Chriſto rege pacis, omne
quod triſte eſt, auferatur è medio, & illuceſcen-
te veritate fugetur mendacium: fugiat diſcordia,
* reſplendeſcente concordia. Et ſicut frequen- reſplendente.
ter fieri vidimus, vbi regum vel fratrum tabulæ
pinguntur, vt in vtriſque vnanimitatis declaren-
tur inſignia, artifex picto fœmineo habitu poſt
tergum vtriuſque concordiam ſtatuit, brachijs
ſuis vtrumque complectentem, indicans quòd
hi qui videntur corporibus ſeparati, ſententijs &
voluntate conueniant: ita nunc pax domini media
aſſiſtens, & vtrumque noſtrum gremio palpante
connectens, diſcreta corpora in vnum conuenire
animum, vlnis iungentibus docet. In qua ſine du-
bio completur ſermo propheticus, qui ait: Et erit
conſilium pacificum inter vtroſque. Et heſterno
quidem pater noſter communis, euangelico pacē
ſermone præfatus eſt: hodie verò nos verba pacis
exponamus. Ipſe nos heſterno reſupinis manibus
in verbo pacis excepit & nos hodie dilatato pe-
ctore, vlniſque patentibus ad Dominum cum
muneribus pacis occurramus. Iam bella deſtructa
ſunt, pulchritudo pacis obtinuit. Nunc in luctu
eſt diabolus, & in lamentatione omnis dæmonum
turma, nunc in cæleſtibus lætitia, & in angelis ex-
ultatio, quibus ſpecialis familiaris pax. Hoc
enim etiam cæleſtes admirantur virtutes opus,
quas fons eius habet perennis, ex quo etiam ter-
rena hæc noſtra guttis quibuſdam exinde ſtillā-
tibus irrorantur. Et ideo etiamſi in terris pax,
laudis eius ſplendor redundat in cælum, laudant
eam cæleſtes angeli, & dicunt: *Gloria in excelſis Deo,* Luc. 2.
& in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vides quo-
modo cæleſtes omnes & terreſtres inuicem ſi-

bi munera pacis emittunt? Cæleſtes angeli pacem terris annunciant, ſancti in terris Chriſtum, qui eſt pax noſtra, collaudant in cæleſtibus poſitum, & myſticis choris acclamant, oſanna in excelſis. Dicamus ergo & nos, Gloria in altiſſimis Deo, qui humiliauit diabolum, & exaltauit Chriſtum ſuum. Gloria in altiſſimis Deo, qui diſcordiam fugat, & pacem ſtatuit. Dico enim vobis artem diaboli, cuius neque vos aſtutiam ignoratis. Vidit ſatanas firmitatẽ fidei, ſtabilitatem in ea pietate dogmatum ſeptam, vidit & operum bonorũ fructibus abundantẽ: & ideo pro his omnibus ad inſaniã venit, & rabie furoris exarſit, vt ſcinderet amicitiã, & euelleret charitatẽ, vt diſrumperet pacem: ſed pax Domini ſemper ſit nobiſcum, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cũ quo eſt Deo patri & Spiritui ſancto gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

EPISTOLÆ DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI Conſtantinopolitani.

Innocentio Epiſcopo Romæ, Domino meo reuerendiſſimo, pientiſſimoque, Ioannes in Domino Salutem.

Conqueritur ſe cõtra ius à Theophilo eſſe dãnatum, & petit iudiciũ illud irritari, exponit ei ſeditiones factas, & proteſtatur ſubiectionem Romano Epiſcopo.

ET iam antequam redditæ ſunt literæ noſtræ, opinor pietatem veſtram audiuiſſe, quidnam hic patrare auſa fuerit iniquitas. Ea enim rerum eſt magnitudo & grauitas, vt nulla fermè orbis pars relicta ſit, quæ triſtem hanc tragœdiam non audierit. Quandoquidem fama vſque ad fines terræ perlata, plurima vbiq; lamenta & eiulatus excitauit. Verùm quia nõ ſatis eſt plãgere, ſed opus etiam vt cura geratur, & ſpectetur qua ratione & quo conſilio grauiſſima illa eccleſiæ tempeſtas ſedetur: proinde neceſſarium eſſe duximus, vt perſuadeatur Demetrio, Panſophio, Pappo & Eugenio, dominis meis maximè venerabilibus, piiſque epiſcopis, relictis negotijs proprijs, pelago ſe committere: ſuſceptaque longinqua peregrinatione hac, ad veſtram properare charitatem, de omnibus vos manifeſtè docentes, quò quantocius rebus ſuccurratur. Miſimus autem cum eis venerabiles dilectoſque diaconum Paulum & Cyriacum, qui & ipſi, quæ facta ſunt, charitati veſtrę exponent, & nos quoque paucis in epiſtolæ forma docebimus. Theophilus ille qui Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopatum regendum ſuſcepit, quum à pientiſſimo rege, cui aduerſus illum quædam nunciata erant, iuſſus eſſet venire ſolus, collecta multitudine epiſcoporũ non paucorum huc venit, quo præludio quaſi declarare volebat, ſe ad bellum & aciẽ pergere: cumq; in magnam, diuinoque cultui deditam vrbem Cõſtantinopolim ingreſſus eſſet, iuxta conſuetudinem & conſtitutionem hactenus obſeruatam non intrauit in eccleſiam, neque ad nos acceſſit, neque participem ſe fecit vel ſermonis, vel precum, vel communionis: ſed egreſſus è naui, & prætercurſis Eccleſiæ veſtibulis, alicubi extra vrbem diuerſatus eſt, tametſi nos plurimũ obſecraremus & ipſum, & eos qui cum ipſo erant, vt apud nos diuerterent. Erant enim diuerſoria, & omnia alia quæ oportebat, bene inſtructa. At neque illi, neque ipſe, nobis morem gerebant. Vnde nos ea videntes, valde conſternabamur animo: & quamuis iniuſtarum illarum inimicitiarum cauſam nullam inuenire poſſemus, nihilominus tamen officium eis, quod illi nobis debebant, impendimus. Nam iterùm atque iterum eum obſecrauimus, vt ſe nobis coniungeret, ac diceret, cuius gratia ſtatim ab initio tantum excitaret bellum, tantamque vrbem ſeditioſam faceret. Verùm cùm ille cauſam dicere nollet, neque vrgerent accuſatores eius, vocauit nos rex pientiſſimus, & iuſſit vt iremus ad locum in quo ille agebat, reique ſummam ab eo audiremus. Nam inſidias, & cædes, & alia plurima cauſabantur: nos autem ſcientes leges patrum, viroque honorem habentes, habentes etiam ſuper hac re eius literas, oportere in quibuſque prouincijs ſua negotia tractari, tranſmontanoſque ad noſtra iudicia non trahendos, fortiter detrectauimus ne cauſam ſuſciperemus iudicandam. Porrò ille, ſicut & prius, nobis obluctari cœpit, & multa authoritate vocato archidiacono meo, quaſi iam Eccleſia viduata eſſet, ac epiſcopum non haberet, clerum omnem ſibi per illum adiunxit: factæque ſunt Eccleſiæ ſeditioſæ, & è ſingulis Eccleſijs abducebantur clerici, & inſtruebantur vt nos accuſarent, & libellos aduerſus nos producerent. Poſt hæc vocauit & nos ad iudicium, nondum dilutis quæ aduerſum ſe erant cauſis, id quod contra omnes canones & leges eſt. Porrò nos ſcientes quòd non ad iudicium, ſed ad hoſtem inimicum perrecturi eſſemus, id quod ſatis declarant quæ prius ac poſtea ſunt facta, miſimus ad eum epiſcopos, Demetrium epiſcopum Piſinatium, Eleuſium Apamiæ, Lupinum Appiariæ: presbyteros autem, Germanum & Seuerum, qui congrua lenitate reſponderent, ac dicerent: Non vitare nos iudicium, ſed inimicum apertum, & hoſtem manifeſtarium. Nam qui nondum acceptis libellis ſtatim ab initio talia fecit, & ſeipſum abſtraxit ab Eccleſiæ precibus & communione, & inſuper accuſatores ſubornauit, clerum ad ſe traxit, Eccleſiam deſolauit: quomodo idoneus cenſeri poſſit huiuſmodi, vt in iudicijs thronum conſcendat ſibi minimè congruentem? Neque enim congruum eſt, vt hi qui in Ægypto ſunt, iudicent eos qui in Thracia, & præſertim ille qui ipſe reus eſt, inimicus & hoſtis. At ille nihil horum reueritus, magno ſtudio anhelabat, vt perficeret ea quæ mente conceperat. Cùm autem conteſtaremur paratos nos ad diluendum crimina, & ad innocentiam, ſicut & innocentes ſumus, declarandam coram centum vel mille epiſcopis, non aſſenſit: ſed licèt abſentes eſſemus, & ad ſynodum appellaremus, & iudicium inquireremus, & non auditorium, ſed manifeſtas inimicitias fugemus: ipſe tamen accuſatores ſuſcepit, meos excommunicauit, & de illis qui nondum ſe de ſuis purgauerant criminibus, libellos collegit: quæ omnia legibus & canonibus prohibita ſunt. Et quid opus eſt multum dicere? non deſtitit omnia facere & tractare, donec nos vi & potentia ciuitate & Eccleſia eijceret, etiam iam prouecta veſpera, & vniuerſo populo nos attrahente. Tractus igitur vi & abductus à magiſtratu ciuitatis in media ciuitate, & in nauim coniectus, per noctem nauigaui, eò quòd ad ſynodum & iuſtum iudicium prouocaram. Quis hæc ſine lacrymis, etiamſi cor lapideum habeat, audiret? Verùm, ſicut prius dixi, ea quæ perperam fiunt, non ſolùm deploranda, ſed & corrigenda ſunt: & ideo charitatem veſtram obſecro, vt prouocetur ad condolendum, faciendumque omnia, quò mala hæc ſiſtantur. Neque enim hic facinorum illius finis, ſed ad priora adiecit & alia. Nam poſtquam eos qui Eccleſiam inuaſerant, pientiſſimus rex eiecit, & multi epiſcopi qui aderant, cognoſcentes iniquitatem, & fugientes inſidias illorum, quaſi incendium depaſcens omnia; in ſuas regiones conceſſerunt, noſque iterum in vrbem & in Eccleſiam, à qua eiecti eramus, vocati ſumus, inducentibus nos epiſcopis ſupra triginta, & notario à rege pientiſſimo in hoc miſſo: ille ſtatim aufugit eò,

Digitized by Google

quod ingreſſi mox obſecrabamus Chriſtianiſſimũ regem, vt concilium cogeret, quo facta hæc iuſtificarentur. Male conſcius enim ſibi erat, & reprehenſionem pertimeſcens: & idcirco cùm regis literæ in omnia loca mitterentur, & vndequaq; omnes congregarent, occulte, mediaque nocte & ipſe, & ſui cõſcenſa naui elapſi ſunt. Porrò nos, vtpote conſcientiæ noſtræ fidentes, nõ propterea deſtitimus, ſed eadem iterum à Chriſtianiſſimo rege rogauimus. Qui & pro ſua pietate, miſſis ad illum nuntijs, eum & omnes qui cum eo erant, ex Ægypto vocauit, vt rationem factorum redderent: neque ſufficere putarent ad defenſionem, quæ attentarant ex vna parte abſentibus nobis, tam iniuſtè, contra tot ac tantos canones. Atqui regijs literis ille non obtemperauit, ſed domi mãſit, prætexens ſeditionem populi, & intempeſtiuã feſtinationem: tametſi etiam illic erant qui ei reluctabantur: & populus quoque ante literas conuitijs eum innumeris abluerat. Verum hæc vos exactè proſequi nolumus, ſummatim nefarios illius conatus oſtendentes. Itaque nos non quieuimus, ſed in hoc incubuimus, orantes regem, vt haberetur iudicium, in quo agere & reſpondere liceret. Dicebamus enim nos paratos ad oſtendendum nos non eſſe reos, ſed illos legum extremos trangreſſores. Erant autẽ relicti hic Syri, qui cum eo affuerant, & communiter omnia fecerant. Quos etiã acceſſimus, ad dandam rationem parati, atq; ſuper ea re ſæpe eos interpellauimus, obſecrantes vt dignentur nobis libellos & commentarios accuſationum dare, vel genus criminum, vel accuſatores ipſos ſignificare. Verùm nihil horum obtinuimus, iterumque ex Eccleſia eiecti ſumus. Quòd ſi quæ tunc contigerunt, & omnem excedunt tragœdiã, enarrare vellẽ, quis ſermo explicaret? quæ auris ſine horrore perciperet? Cùm autem illa quæ dixi, prætenderemus, ipſo magno ſabbato collecta manus militum, ad veſperam diei in eccleſias ingreſſa, clerum omnem qui nobiſcum erat, vi eiecit, & armis gradum vndiq; muniuit. Mulieres quoq; quę per illud tempus ſe exuerant vt baptizarẽtur, metu grauiorum inſidiarum nudæ aufugerunt. Neq; enim cõcedebatur vt ſe velarent, ſicut mulieres honeſtas decet. Multæ etiam acceptis vulneribus eijciebantur, & ſanguine implebantur natatoria, & ſancto cruore rubeſcebant fluenta. Neq; hic rerũ finis erat. Nam & ſanctuaria ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullis initiatos myſterijs, & viderunt omnia quæ intus erant. Quin & ſanctiſſimus Chriſti ſanguis, ſicut tali tumultu cõtingit, in prædictorum militum veſtes effuſus eſt, fiebantque quaſi in barbarica captiuitate omnia. Vulgus enim in ſolitudinem fugabatur, populus omnis extra ciuitatem verſabatur, erantque in tãto feſto vacuæ Eccleſiæ, & plures quã quadraginta epiſcopi qui nobis communicarant cum populo & clero, ſine cauſa fugabantur. Et ob prodigioſa flagitia, vbique per fora, per domos, per ſolitudines, per omnes ciuitatis partes, omnia lamentis, eiulatibus, fontibus lacrymarum, & id genus calamitatibus plena erant: & in tanto tumultu, & trepidatione ac planctu erant omnia, vt non modò qui affligebantur, ſed & qui nihil tale patiebantur: & non ſolùm qui noſtræ fidei erant, ſed & hæretici, & Iudæi, & gẽtiles, quaſi ciuitate capta nobiſcum dolerent. Talia auſi ſunt præter ſententiam pientiſſimi regis, nocte profunda, epiſcopis hæc inſtruentibus, & vbique militantibus, nec erubeſcentibus, quòd eſſent duces militum, & pro diaconis ſatellites præeuntes haberẽt. Facto autem die, omnis ciuitas extra muros ſub arbores, & in nemora emigrauit, ibi feſtum diẽ celebrans, quaſi oues diſperſæ. Liceat vobis ex his & cætera omnia penſare: nã omnia quæ facta ſunt ſermone complecti, vt dixi, impoſſibile eſt. Eſt autem & hoc perquam moleſtum, quòd talia tantaque mala nullum adhuc finem accipiunt: neque ſpes eſt quòd ſtatim finiantur, ſed augentur indies magis ac magis, noſque multis ridiculò facti ſumus, imò ridet nullus, etiam valde peruerſus: lugent autem omnes, propter extremam & inauditam hanc malitiam, malorum facilè colophonem. Quid ſi quis dicat de turbationibus etiam in alijs eccleſijs poſtea excitatis? Non enim hic ceſſauit hoc malum, ſed vſque ad Orientem peruenit. Nam ſicut à capite, quod malis humoribus plenũ, & reliqua mẽbra corrũpuntur: ita & nunc quoq; tumultus qui in hac magna ciuitate cæperũt, quaſi ex fonte in omnia loca effluũt, & clerici vbique in epiſcopos inſurgunt, & epiſcopi ab epiſcopis, & populi à populis ſciſſi ſunt, & alij propediem ſcindentur, & expectatur vbique malorum partus, orbiſque totius ſubuerſio. Igitur Domini maxime venerandi, & pij, cùm hæc ita ſe habere didiceritis, ſtudium veſtrum, & magnam diligentiã adhibete, quò retundatur hęc quæ in eccleſias irrupit iniquitas. Quippe ſi mos hic inualuerit, & fas erit cuiuis in alienam parœciam irrumpere, idque ex tantis interuallis, & eijcere quos voluerit, & authoritate propria quæque pro libidine ſua facere, ſcitote quòd breui tranſibunt omnia, & totus orbis premetur bello non indicto, omnibus ab omnibus eiectis, & omnes eijciẽtibus. Quapropter ne confuſio hæc omnem quæ ſub cęlo eſt nationem inuadat, obſecro vt ſcribas quòd hæc tam iniquè facta, & abſentibus nobis, & non declinantibus iudicium, non habeant robur, ſicut neque ſua natura habent: illi autem qui inique egerunt, pœnæ eccleſiaſticarum legum ſubiaceant: nobis verò, qui nec conuicti, nec redarguti, nec habiti vt rei, litteris veſtris & charitate veſtra, aliorumq; omnium, quorũ ſcilicet & antea ſocietate fruebamur, frui concedite. Si autem aduerſarij noſtri, qui ita iniquè egerunt, adhuc fingunt crimina quædam, propter quę nos iniuſtè eiecerũt, non datis nobis neque commentarijs, neque libellis, neque manifeſtatis accuſatoribus, agemus & tuebimur etiam nos libenter cauſam, monſtrabimuſq; illos ipſos, non nos reos eſſe eorum quę nobis impingunt, ſicut & planè innoxij ſumus: & cõtrà quæ ab ipſis facta, contra omnem ſunt honeſtatẽ, cõtra omnes leges, cõtra omnes eccleſiaſticos canones. Et quid dico canones eccleſiaſticos? Neque in Gentiliũ iudicijs, neque in Barbarorum tribunalibus talia attentata ſunt vnquam. Neque Scythæ, neq; Sauromatæ vnquam iudicarunt, iudicium dandum vni parti, abſente ea quæ accuſatur, & vitante non iudicium, ſed inimicitias, & inuocãte multa millia iudicum, & proteſtante coram toto orbe declaraturam ſe non eſſe ream, depulſuramq; crimina, & oſtenſuram ſuam innocẽtiam. Hæc igitur omnia cùm ita ſe habere intellexeritis à dominis meis pientiſſimis fratribus noſtris epiſcopis, obſecro, vt præſtetis id quod petent officij. Quo non ſolum nobis gratificabimini, ſed & eccleſiarum vniuerſitati, mercedemq; accepturi eſtis à Deo, qui nihil non propter Eccleſiarum pacem facere dignatur. Semper vale, & ora pro me Domine digniſsime & ſanctiſsime.

Innocentio epiſcopo Romæ, Ioannes in Domino Salutem.

Agit gratias pro adhibito remedio ſeditioni & rogat, vt pergat iuuare.

Corpus quidem noſtrum vno eodemque loco tenetur, & ſtabilitum eſt: animus autem charitatis ala in vniuerſo orbe circumuolitat. Proinde licet tanta itineris intercapedine ſeparati ſimus, à pietate tamen veſtra non abſumus, ſed quotidie vobis præſentes ſumus. Animi enim oculis videmus veſtram illam fortitudinem & ſynceram affectionem, conſtantiamque non mutabilem, & quòd vos conſolari nos plurimùm

& per-

& perpetuò cupiatis. Quantò enim fluctus extolluntur ſublimius,& plures latent ſcopuli, vehementioreſque venti ſunt & tempeſtates , tantò & vigilãtia veſtra augetur. Neque vos tanta viæ prolixitas,neque tantum temporis interuallum, neq; cauſarum difficultates ſegniores reddidit: ſed perſeueranter imitamini optimos gubernatores, qui tunc maximè vigiles ſunt,quando eleuari fluctus, & mare intumeſcere, & multas aquas in nauim inundare,grauiſſimamque interdiu noctẽ ingruere vident. Eapropter & gratias vobis habemus multas,& deſideramus quidẽ ad vos dare crebras literas,id quod nobis maximo foret ſolatio. Verùm quia ſolitudo huius loci intantum vos à nobis ſeparat,neque facilè ad vos peruenire valent hi qui nobiſcum agunt,vel etiam qui in vicino habitant, tum quòd in extremis finibus locus ille ſitus eſt, tum quòd latrones vias illas vndique obſident: precamur vt diuturnum ſilentium noſtrum efficiat,quòd magis nobis condoleatis, quã quòd nos reos putetis negligentiæ. Neque enim contẽptus in cauſa eſt,quòd tacuimus. Nũc enim multo tempore venerabilem & dilectum Ioãnem presbyterũ, Paulumque diaconum in hoc tenuimus,vt ſcriberemus . Perpetuas enim vobis gratias agimus,quòd paternam erga nos beneuolentiam declaraſtis.Nam quãtum in veſtra pietate ſitum fuit,iam res omnes ſedatæ & emẽdatæ,& ſublata omnia ſcandala fuiſſent,gauderentq; Eccleſiæ tranquilla & ſyncera pace:& eſſent planè ſecunda,omnia,neque contemptæ leges, neq; violatæ patrum conſtitutiones forent. At illi in ſuis impijs operibus pergunt,quaſi antea nihil attẽntarint, ita priora malefacta recentibus vincere certant. Nolo autẽ omnia,quæ interim geſta ſunt ſingillatim recenſere,quandoquidẽ non ſolũ epiſtolæ, ſed & hiſtoriæ modũ tranſcẽderet narratio. Cęterùm veſtrã oro vigilantiã, quòd licet illi omnia tumultibus impleuerint, laborauerintq; morbis incurabilibus,& pœnitentiæ non capacibus: ſi tamen curari morbos voluerint,ne affligãtur, neque è cœtu abijciantur, conſiderata tanti operis magnitudine. Certamen enim illud fermè totius orbis eſt.Eccleſiæ vſque ad genua humiliatæ ſunt, populi diſperſi, clerus diuexatus, epiſcopi exules, conſtitutiones patrum violatæ. Et idcirco iterum atque iterum,& ſæpius veſtram oro diligentiam,vt quantò maior eſt tempeſtas,tantò maius adhibeatur ſtudium. Expecto quidem futurum, vt aliquãtò amplius corrigantur. Quòd ſi minùs fiet, vos veſtram coronam paratam apud miſericordem Deum habetis: & hi qui iniuria afficiuntur,conſolationem ex incremento charitatis veſtræ non minorem accipient. Nam & nos tertium nũc annum in exilio verſamur, expoſiti peſti,fami,bello,continuis obſidionibus,ſolitudini indicibili,quotidianæ morti, & Iſauricis gladijs: & non mediocriter nos conſolantur ſolida veſtra fides & charitas,quę ſe in me tam tenui & ſimplice oblectant. Hic noſter murus,hæc ſecuritas,hic portus abſque fluctibus, hic multorum bonorum theſaurus, hæc lætitiæ mirificæque voluptatis cauſa eſt. Et ſi in deſolatiorem, quàm ille eſt , locum iterum abigemur, non paruam hinc habentes noſtrarum afflictionũ conſolationem,abimus.

Cyriaco Epiſcopo exuli, Ioannes exul.

Conſolatur exulem, & ſe innocentem declarat, de criminibus ſibi falſo obiectis.

AGe mœſtitiæ tuæ vlcus denuò exhauriam & cogitationes quæ tibi hanc triſtitiæ nubem inuehunt, denuò diſcutiam. Quid enim eſt quod mœres & luges? An quod periculoſa tempeſtas,& luctuoſum naufragium Eccleſiam inuaſerunt? Hoc & ego ſcio, nec eſt qui contradicat. Et ſi vis depingam formam rerum, quomodo ſeſe habeãt. Mare ab infima abyſſo, amotis repagulis omni- A bus turbari cœpit, & nautæ relictis remis, & gubernaculis, manibus amplexati genua, & omni conſilio propter tempeſtatem deſtituti , neque cælum ſpectant,neque pelagus,neque aridam: ſed in ſtratis iacent,plorantes & flentes. Et talia quidem in mari contingunt. Verum in mari noſtro, grauiores tempeſtates , grauioreſque fluctus ſunt: ſed ora Dominum noſtrum Chriſtum,qui non arte tempeſtatem ſedat, ſed nutu ſolo maris ſæuitiam ſoluit. Ne ſis autem puſillo animo, quòd licet ſæpe rogaueris, non tamen ſis exauditus. Habet enim hanc conſuetudinem Deus. An non potuit ipſe tres pueros liberare, vt non inijcerentur in caminum ignis? ſed cùm in ſeruitutem redacti, cum in regionem Barbarorum abducti, cum paterna hæreditate priuati eſſent, cùm ab omnibus ignorarentur, & nihil eis penitus relictum eſſet, tunc denique Chriſtus verax Deus repentè mirabili opere diſperſit ignem. Ignis enim non ferens iuſtorum virtutem, exilijt foras, & Chal- B dæos quos circa caminum inuenit, incendit, fuitque illis poſtea caminus pro Eccleſia. Vnde & omnes creaturas aduocabant, tam viſibiles,quàm inuiſibiles,angeloſque ac virtutes, & omnia cõplexi, dicebant: *Benedicite omnia opera Domini Dominum.* (Dan. 3.) Vides quomodo patientia ſanctorum ignem in rorem commutauit, tyrannumque ita placauit, vt in orbem terrarum literas mitteret? Magnus Deus,inquit, Sidrac,Miſac, & Abdenago. Et ecce quanta ſeueritate præcipit, ſtatuens, quòd ſi quis verbum aduerſus illos dixerit, domus eius confiſcetur,facultateſque diripiantur. Ne igitur mœſto & puſillo animo ſies. Etenim ego cùm à ciuitate fugarer,nihil horum curabam,ſed dicebam intra memetipſum: Siquidem vult regina me exulem,agat in exilium. *Domini eſt terra & plenitudo eius.* (Pſalm. 23) Et ſi vult ſecare, ſecet. Idem paſſus eſt & Eſaias, ſubſcribat illi. Si vult in pelagus mittere,Ionæ recordabor: ſi vult in caminum inijcere, idem paſſi ſunt tres illi pueri. Si me feris vult obijcere, obij- C ciat: Danielis in lacum leonibus obiecti recordabor.Si me lapidare vult, lapidet me: Stephanum (Act. 7.) habeo primum martyrem ſocium . Si & caput tollere vult,tollat: habeo ſocium Ioannem Baptiſtam.Si & ſubſtantiam auferre,auferat. *Nudus exiui de vtero matris meæ,nudus etiam abibo.* (Iob 1.) Me admonet Apoſtolus: *Hominis perſonam Deus non accipit.* (Gal. 2.) *Et ſi adhuc hominibus placerem, ſeruus Chriſti vtique non eſſem.* (Ibid. 1.) Armat me & Dauid, dicens: *Loquebar coram regibus, & non confundebar.* (Pſal. 118.) Multa quidem aduerſus me cõfinxerunt, & dixerunt, quòd ad communionem non ieiunos receperim. Et ſi quidem hoc feci, expungatur nomen meum ex albo epiſcoporum , & non ſcribatur in libro orthodoxæ fidei, quoniam ecce ſi tale quid admiſi,abijciat me etiam Chriſtus è regno ſuo. Si autem pergunt hoc mihi obijcere & contendere,deponant & Paulum,qui poſtquàm D cœnauit, totam domum baptizauit. Deponant & Chriſtum ipſum,qui poſtquàm cœnatũ eſt, Apoſtolis communionem dedit. Dicũt quòd cum muliere dormiuerim: exuite me, & inuenietis membrorum meorum mortificationem. Sed hæc omnia per inuidiam excogitarunt.Iam multũ contriſtaris frater Cyriace,quòd illi nos in exiliũ abegerunt,ipſi autem in concione fidenter ambulant,& loquuntur, multitudineq; ſatellitum ſtipãtur. Verum hoc loco mente verſa Lazarum & diuitem, vter illorũ in hoc ſæculo afflictus? vter fructũ acceſſit? Quid nocuit illi inopia? Nõne quaſi athleta & victor in ſinus Abrahæ abductus? Quid profuit huic opulentia , & quòd in purpura & byſſo vitam egit? Vbinam qui faſces geſtabant? vbi ſatellites? vbi equi aureis frænis? vbi paraſiti,& regia menſa? Nõnne vt latro vinctus in ſepulchrũ abductus eſt, nudam animam exportans,& clamans vana voce: *Pater Abraham mitte Lazarum*, vt riget & refrigeret (Luc. 16.)

ſummitate digiti linguam meam, quia grauiter torqueor? Cur patrem vocas Abraham, cuius vitam non es imitatus? Ille omnem hominem in domo ſua hoſpitabatur, tu autem neque inopis curam habebas. Non eſt deplorandum & flendum, quòd diues ille aquæ gutta dignus non habetur. Micas cadentes de menſa, pauperi non dedit: quid mirum, ſi nunc guttam aquæ non accipit? Hyeme non ſeminauit miſericordiam, venit æſtas, & nihil meſſuit. Eſt & hæc diſpenſatio Domini, vt quando impios punit, & iuſtos remunerat, mutuum ſe videant & cognoſcãt. Etenim tunc martyres, ſuos quique tyrannos agnoſcent, & tyranni ſuos quos afflixerunt martyres. Neque mea verba ſunt hæc, ſed Sapientis, qui dicit: *Tunc in magna fiducia ſtabit iuſtus aduerſum eos qui ſe afflixerunt.* Sap. 5. Nam ſicut ſi viator, qui in æſtu & calore ambulat, inuenitque fontem limpidum ſiti flagrans: & magna fame laborans, exhibita menſa omnigenis dapibus inſtructa, prohibeatur à potentiore aliquo, ne menſam vel fontem contingat, néve cibis & aqua fruatur, valde graui dolore afficitur: Ita & in die iudicij videbũt impij ſanctos lætari, & ipſi menſa regia frui non poterunt. Ita & Deus Adamum punire volens, fecit eum è regione paradiſi terram operari, vt locum illum deſiderabilem quotidie videns, maiorem in anima dolorem haberet. Cæterùm nos quamuis hic non conuenimus mutuum: attamen alibi nullus eſt qui prohibeat ne ſimul verſemur. Videbimus ſanè eos qui in exilium nos miſerunt, ſicut Lazarus diuitem, & martyres tyrannos. Ne igitur animo conficiaris, ſed eſto memor Prophetæ dicentis: *Subſannationem hominum ne timueritis, & ab improbitate eorum ne vincamini.* Eſai. 51. Nam ſicut lana à tinea deuorabuntur, & ſicut veſtes veteraſcent. Cogita autem & dominum, quomodo ſtatim à cunabulis perſecutionem tulerit, & in terram barbaram fuerit miſſus. Qui terram continet, factus eſt nobis figura, ne deficeremus in tentationibus. Recordare paſſionum ſaluatoris, & iniuriarum quas tulit pro nobis. Alij eum Samaritanum vocabant, alij dæmoniacum, & voracem, & pſeudoprophetam: dicebant enim: *Ecce homo vorax, & vini potor.* Et: *In principe dæmoniorum dæmonia eijcit.* Math. 11. Quid autem quod duxerunt eum vt præcipitarent? Quid, quòd in faciem eius conſpuerunt, & alapas ei dederunt? Quid, quòd aceto & felle potarunt, & arundine caput eius percuſſerunt? Quid, quòd eum circumdederunt chlamyde, & ſpinis coronauerunt, & ſupplicando, omnique alio irridendi genere deriſerunt, circumdederuntque eum ſanguinarij illi canes? Quid, quod ad paſſionẽ ductus, & nudatus, dereliqueruntque eum omnes diſcipuli? Et vnus quidem negauit, alius etiam prodidit, alij autem omnes fugam inierunt, & ſolus ipſe ſtetit nudus in medio illarum turbarum, quas feſtus dies coegerat: & quòd vt malefactorem in medio malefactorum eum crucifixerunt: & quòd ſepultura carens pendebat, neque deponebant ipſum à cruce donec precibus à quodam impetratus, qui eum ſepeliret: & quòd ſepulturam non habuit, conuitiaque mala aduerſus eum pronuntiabant, & inter cætera, quòd diſcipuli ipſum furati eſſent, & quòd non reſurrexiſſet. Cogita item Apoſtolos, quòd vbique perſecutionem ferebant, & occultabantur in ciuitatibus, non valentes in aperto ambulare: & quomodo Petrus apud Simonem coriarium, & Paulus apud mulierem purpurariam latuerint: neque enim diuitibus fidere audebat, ſed poſthæc facta ſunt omnia proſpera: ita & nunc. Igitur ne ſis triſti animo. Audiui enim & ego de deliro illo Nectario, quem regina in throno collocauit, quòd afflixerit fratres & virgines non volentes ſibi communicare, & quòd multi illorum propter me in carcere mortui ſunt. Nam lupus ille eſt in agnino habitu, & perſonam gerit epiſcopi, cùm ſit adulter. Nam ſicut adultera eſt mulier, quæ viuente viro alteri ſe coniunxerit: ita & ille non carnalis, ſed ſpiritualis eſt adulter, qui me viuo ſedem meæ Eccleſiæ inuaſit. Hæc tibi per epiſtolam ſignificata ſint à Cucuſis Ciliciæ, quo loco regina me exulem manere iuſſit. Porrò in itinere multa aduerſa acciderunt, quæ non curauimus. Vbi autem in Cappadociç prouinciam Taurociliciam venimus, multi ſanctorum patrum chori, nobis occurrerunt, in primis examina monachorum & virginum, iuges lacrymarum fontes effundentium & flentium, eò quòd in exilium nos proficiſci videbant, dicebantque, tolerabilius fuiſſe, ſi ſol radios ſuos retraxiſſet obſcuratus, quàm quòd os Ioannis tacuit. Turbauerunt & afflixerũt hæc me non parum, eò quòd omnes propter me flentes videbam: alia enim omnia non admodum curabam. Epiſcopus autem huius ciuitatis me perquàm humaniter excepit, multamque in nos declarauit charitatem: atque adeò ſi licuiſſet, ſede ſua nobis ceſſiſſet, ni nos à patribus præſcriptam legem obſeruaſſemus. Oro, & ſupplico, genuaque tua contingo frater, abijce luctum mœroris tui, & noſtri apud Deum memor eſto, nobiſque reſcribe precor.

Diui Ioannis Chryſoſtomi ad Epiſcopos & presbyteros ob pietatem in carcere incluſos.

EPISTOLA.

Beati vos ob carcerem, ob catenas, ob iniecta vincula: beati, inquam, & ter beati, imò ſæpius. Totum orbem vobis conciliaſtis. Etiam longe abſentes amicos vobis feciſtis. Vbique terrarum & marium canuntur veſtra præclara facinora: fortitudo, conſtans ſententia, animuſque minime ſeruilis. Nihil quod alijs videtur graue, vos deterruit: non tribunal, non carnifex, non tormentorũ coaceruationes, non minæ, quæ innumeras mortes nuntiabant: non iudex qui ignem ab ore flabat, non aduerſarij, qui frendebant dentibus, & innumeris alijs inſultandi modis geſtiebant, non tantæ calumniæ, non impudentiſſimæ accuſationes, non mors ante oculos quotidie propoſita, ſed hæc omnia vobis vberem potius ac ſufficientem conſolationis materiam pręſtitere. Et idcirco clari quidem vos, & celebrant ac prædicant vos omnes, non amici ſolùm, ſed & inimici ipſi, qui hæc effecerũt. Eorum ſi quis introſpiciat conſcientiam, licet nõ manifeſtè fateantur, inueniet etiam apud ipſos veſtrum miraculum magnificari. Tanta res eſt virtus, vt illam etiam impugnantes admirentur. Tanta res eſt malitia, vt etiam ij qui eam operantur, condemnent. Et ita in hac vita res veſtræ ſe habent. Quæ autem in cælis fiunt, quis ſermo dignè explicabit? Inſcripta ſunt nomina veſtra in libro vitæ: cum ſanctis martyribus connumerati eſtis. Scio hæc ego certò, non quòd in cælũ tranſcenderim, ſed è diuinis oraculis didici. Nam ſi Ioannes ille infœcundæ fructus, & eremi ciuis, nuptijs in quas peccabatur, patrocinatus eſt: & cùm præuaricationem corrigere non poſſet, arguit tamen, & propterea in carcerem coniectus, & decollatus, martyr, & martyrum primus eſt: vos qui legibus & conſtitutionibus patrum, quas tranſgrediuntur aliqui, & ſacerdotio, quod inuadunt & contaminant, patrocinamini, & propter veritatẽ hæc patimini, vt ceſſent impudentes calumniæ: cogitate qualem accepturi ſitis mercedem: *Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui:* dixit fortis & ſublimis ille, ſatiſque ei fuit ad recentem arguendi libertatem. Locuti eſtis & vos. Et expoſita ſunt etiam veſtra corpora pœnis, ſupplicijs, tormentis. Nondum decapitati eſtis, ſed longè acerbiora tuliſtis.

Conſolatoria eſt in aduerſitatibus.

A liſtis. Non enim idem eſt breui temporis momento caput amittere, & tanto tempore cum talibus luctari doloribus, terroribus, minis, vinculis, abductionibus ad tribunal, carnificum manibus, ſycophantarum impudentiſſimis linguis, conuitijs, ſalibus & dicacitatibus. Nam & hoc maximum certaminis genus, poniturque à beato Paulo in magnorum certaminum ordine, cùm ſic ait: *Recordamini dies priſtinos, in quibus illuminati, ingens certamen afflictionum ſuſtinuiſtis.* Deinde certamen narrans, ipſum ponit ſic dicendo: Partim opprobrijs & afflictionibus ſpectaculo eſtis: partim communicantes his qui ſic affliguntur. Si ergo qui communicant, certant: multò magis qui ſuſtinent. Non enim vnam, aut duas, aut tres, ſed longè plures ſuſtinuiſtis mortes: etſi non experientia, certũ tamẽ quòd animo. Gaudete igitur & plaudite. Dominus cælorum iuſſit non ſolùm non dolere, vel frangi animo, vel decidere, ſed gaudere & exultare, quando nomen veſtrum tamquam malum eijciẽt. Quòd ſi in ſycophantijs gaudendum, quando his accedũt B calumniæ, verbera, tormenta, gladij acuti, vincula, catenæ, abductiones, traductiones, inimicorum atroces cateruæ, cogitate qualis merces, quã coaceruatæ erunt retributiones. Gaudete igitur, & exultate, viriles eſtote, corroboramini, cogitate quot veſtro exemplo ad certamina armatis, quantos fluctuabundos confirmatis, quantos ſpiritus reſuſcitatis. Nam afflictionibus veſtris multũ profuturi eſtis, non ſolùm præſentibus, ſed & abſentibus: nec his ſolùm qui vident, ſed & his qui audiunt. Continuò verſetur in ore veſtro illud Apoſtolicum dictum: *Non ſunt æquales afflictiones quæ nunc tolerantur, ad futuram gloriam in nobis reuelandam.* Expectate: breui tentationum finis erit, liberatioque perfecta. Orate etiam iugiter pro nobis. Nam etſi viarum prolixitate longè diuerſis locis habitamus, multoque tempore à vobis ſegregati ſumus: C attamen vos vt præſentes & conuiuentes nobis deamamus, veſtrum amicum caput oxoſculamur, coronatos vos expanſis manibus excipimus. Expectate etiam vos ex mutua erga nos charitate luctum veſtrum maximum. Nam ſi magnam mercedem expectare licet his, qui vos amant: cogitate quales vos, qui tantis claretis virtutibus, maneant retributiones.

Hebr. 10

Rom. 8

Diui Ioannis Chryſoſtomi ad Theodorum lapſum paraneſis prior, vel de reparatione lapſi, liber vnus, viro quodam docto Interprete.

Ierem. 9.

Hortatur ad reſipiſcentiã

QVis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Quod in tempore quidem nunc dixerim, longeque tempeſtiuius, quàm tum Propheta ille: tametſi multas ciuitates deflere, aut vniuerſas gentes, conſilium non eſt. Animam tuam deploro, numeroſiſſimis adeoque ampliſſimis populis adæquatam dignitate, imò multis nominibus D digniorem. Quandoquidem vnus iſte melior eſt, qui Dei voluntatem amplectitur, quàm ſunt decem millia transgreſſorum. Melior nimirum & tu pridem fuiſti infinitis Iudæorum millibus. Qua de cauſa nemo mihi vitio verterit, ſi ex Propheta luctum acerbiorem aſſumam, altioremque dolorem oſtendam. Equidem nec ciuitatem aliquam euerſam lugeo, neque viros iniuſtos in ius victoris coactos. Quinimò ſacram animam lugeo deſtitutam eſſe deploratamque, ac templum demolitum atque extinctum, cui Chriſtus nuper præfuit, hoc eſt, ornatum cogitationis iſtius, quem modò exuſſit diabolus. Quis honeſtus & clarus non ingemuit, qui incidit in ploratum Prophetæ, qui animaduertit barbaram manum ſancta ſanctorum profanaſſe, & ſubiectis ignibus perdidiſſe omnia, Cherubim, arcam, tabulas lapideas, vrnam auream? Atqui damnum mũdi illo eſt tanto pernicioſius, quò illorum ſignificatio pretioſior, quæ ad tuam ipſius animam pertinet. Tu es illo ſanctius templum, quod neque auro, neque argento, ſed ex gratia ſpiritus reſplenduit: & in vicem Cherubim atque arcæ, Chriſtum & huius patrem, ſimul atque conſolatorem habuit cõuerſantem intra ipſum: at non amplius habet. Vaſtum nunc eſt deſertũ ac deformis nuditas à pulchritudine ac decore priſtino, quando diuinum & incredibile ornamentum detractum eſt. Deſertum plenum periculis ac ſine cuſtode. Ibi nec ianua, nec peſſulum, omnia omnibus patent corruptoribus animæ, turpibus animi dijudicationibus. Si ſuperbia, ſi ſcortatio, ſi habendi libido aditum captat, nemo prohibebit. Principio quemadmodum cælum eſt inacceſſum omnibus, ita fuit duritas cogitationis tuæ. Et fortè videor incredibilia dixiſſe ijs qui vident deſtitutionem tuam & ſubuerſionem: propterea doleo & lugeo, nec in hac aduerſitate ceſſo, quouſque te in priſtina alacritate videro. Hominibus hoc eſſe ſupra vires apparet, Deo tamen omnia in manu ſunt. Is eſt enim *qui erigit è terra mendicum, & è ſtercore exaltat pauperem, vt ſedeat cum principibus, cum principibus populi ſui.* Psal. 112. Is eſt *qui facit incolere ſterilem in domo, matrem propter liberos lætantem.* Itaque ne deſperes ad optima commutari. Quòd ſi cacodæmon tantum potuit, vt te à vertice illo & faſtigio virtutis in extremum malitiæ detruderet: multò magis Deus in priſtinam te poterit vindicare libertatem, neque in eam ſolùm, ſed tibi multò fæliciorem, quàm fuit prior perficere. Tantùm ne relabaris, ne excindas amplas, ne in te admittas, quæ impijs accidunt. Nunquam enim peccatorum quamlibet exuberans copia in deſperationem conijcere ſolita fuit, ſed cum illis impiam habere animam. Propterea Salomon non dixit ſimpliciter. Quiſquis *venit in profundum malorum, contemnit:* ſed nominatim, inquit, *impius:* Prou. 18. quia illorum tantùm eſt ille morbus, poſtquam in profundum malorum deſcenderunt. Et hoc eſt quod non permittit eos reſpicere, neque eò reuerti vnde exciderant. Nam flagitioſa diſceptatio perinde atque collarium incumbit in animæ ceruicem, & compellens oculos in terram demittere, prohibet ne ad Dominum ſuum ſuſpiciat. Atqui viri eſt per quàm generoſi, planeque admirabilis, conterere huiuſmodi lignum, & impoſitum ſibi lictorem deturbare, adeoque dicere Prophetæ verba: *Quemadmodum oculi ancillæ in manus dominæ ſuæ, ſic oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſerebitur noſtri. Miſerere noſtri Domine, miſerere noſtri: quoniam multifariam repleti ſumus deſpectione.* Psal. 122 Hæc ſunt diuinæ diſciplinæ, & ſupremæ philoſophiæ verè dogmata. Repleti ſumus, inquit, deſpectione, & infinitis rerum triſtium procellis quatimur, neque tamen prohibemur à ſuſpiciendo ad Deum. Et priuſquàm nacti fuerimus poſtulata, non intermittimus eum orare. Hoc eſt nimirum animi generoſi, non conſternari, nec à ſpe diſcedere propter vim incidentium malorum: neque referre pedem propterea quòd ſubinde precando nihil emolumenti perſenſit, ſed perdurare quoad miſereatur noſtri, iuxta beati Dauid ſententiam. Quare diabolus in varias deſperationis cogitationes nos immittit, quò excludat in Deum expectationem, hoc eſt, anchoram tutam, ſubſtantiam vitæ noſtræ, manuductionem in ea via, qua in Deum ferimur, ſalutem perditarum animarum. Ipſa enim ſpe, inquit, ſeruabimur. Siquidem ea ipſa eſt catena aurea & firma, qua de cælo propenſa ſubducimus animas noſtras: quæ breui ſurſum in illud ſummum faſtigium retracta eos, qui ipſam fortiter manibus ſeruant, euellit, & rapit ſupra fluctus præſentis vitæ, omnium longè periculo-

riculoſiſſimos. Quámobrem qui mollis per indulgentiam hanc ſacram anchoram amittit, cõtinuò decidit & ſuffocatur, ſubmerſus in profundũ malitiæ. Quæ cùm agnouit verſipellis, poſteaquàm ipſi nos conſcientia malorum operum onerauimus, tum ille reuerſus ingerit cogitationem omni plũbo grauiorem, qua vergimus ad extremam ſalutis deſperationem: qua ſemel ſuſcepta, continuò deprimimur pondere, & omiſſa catena illa delabimur in vltima malorum. Quo in rerum ſtatu dudum es, qui reiecto mandato Domini tam manſueti, tam humilis, iſtius tyranni & ſine fœdere noſtrã ſalutem impugnantis, atrox imperium ſuſtines. Benigno iugo diſſipato, abiectoque leui onere, in vicem illorum ferreis vinculis collum inſertaſti. Et quod ampliùs eſt, lapidem molarem, quem aſinarium nominant, de tua ipſius ceruice dependiſti. Vbi igitur ſubſiſtes in poſterum, qui demerſiſti in tam vaſtum mare animam miſerrimam, cùm ipſe tantam tibi neceſſitatem, quæ continuò deorſum cogit, vltrò induxiſti? Mulier itaque illa quãdo inuenit vnam drachmam, vicinas conuocauit participes lætitiæ: Gratulamini mihi, ait. Equidem amicos omnes & meos, & tuos in rem planè diuerſam conuocabo: non dicam gratulamini mihi, ſed lugete mecum, ploratus illos aſſumite, ac triſte & flebile quiddam nobiſcum exclamate. Maximam nimirum iacturam fecimus, non quia tot, aut tot auri talenta è manibus exciderunt, neque quòd magna vis lapidum pretioſorum, ſed quòd is qui omnium illorum eſt pretioſior, nauigans nobiſcũ hoc mare magnum & vaſtiſſimum, neſcio quo pacto excuſſus, ad profundum perditionis proruit. Si qui me tentarint à luctu ſeducere, ijs hæc verba Prophetæ reſpondebo, dicens: *Omittite me, amarè flebo, conſolari me non poteſtis.* (Iſa. 22.) Equidem huiuſmodi luctum lugeo, qui nobis immenſam vim lacrymarũ adducit, de quo haud dubium neque Paulum, neque Petrum puduiſſet lugere ac plorare omni cõſolatione reiecta. Quandoquidem hanc communem mortem deplorantibus, quiſpiam facilè paucis multum animi reddit. Cæterum quando vice corporis anima morti ſuccumbit, infinitis confecta vulneribus, vbi cum morte bona forma quæ priùs apparuit, & habitus & pulchritudo omnis extincta eſt: quis tam durus, tam alienus à condolendi affectu, qui in locum fletus & lacrymarum ſermonem ſe ſolantem queat adducere? Quemadmodum illic non lugere, ita è diuerſo hic lugere philoſophiæ eſt. Qui ad cælum peruenit, qui ſæculi huius vanitatem irriſit, qui formam corporum nõ aliter atque lapideum ſimulachrum inſpexit: qui aurum vt lutum, delicias omnes vti cœnum contempſit, ille nobis ex inſperato febre correptus abſurdæ concupiſcentiæ, ſanitatem, virile robur, ſpeciem omnem perdidit, ſeruuſque factus eſt voluptatum. Hunc itaque num iure obſecro deplorabimus? num plangemus, donec eum nobis iterum afferamus? Alioqui quis eſſet in nobis ſenſus humani animi? nam corporeæ mortis deſtructionem nemo hic inueniet, id tamen lugentes à lamentis nihil cohibet. Cæterùm vnius animæ mors hic aboleri contingit. *In inferno* enim *quis,* inquit, *confitebitur tibi.* (Pſal. 6.) Quò igitur pacto non maximi eſt flagitij, tam incurioſè ferre animæ interitum? Qui corporis mortem lugent, tanta id ſolent vehementia, quamquam vident quòd defunctum lacrymis in vitam reuocare nequeant: & nos nihil tale exhibemus, qui ſcimus ſpem eſſe de anima in priſtinam vitam reducenda. Siquidem complures & hac tempeſtate, & progenitorum noſtrorum ſæculis, qui ordinis ſui deſertores, & è frequentata via præcipites euntes, tanta alacritate reſurrexerunt, vt priora ſequentibus facilè celarent, palmamque corriperent, ac redimiti corona cum victoribus prædicarentur, ac in cœtum beatorum allegerentur. Quamdiu tamen quis in fornace voluptatum conſiſtit, etiamſi exemplis abundat infinitis, ipſi res eſſe ſupra vires apparet: cæterùm ſi vel leuiter cœpit illinc egredi, identidem procedens, vim ignis à tergo relinquit, videtque ante ſe & ad pedes propemodum viam roſcidam, atque eximiæ facilitatis, tantum ne deſperemus, ne dubitemus de reditu ad ſuperos. Etenim cui deeſt fiducia, is fruſtrà poſſidet vel infinitam ac fortiſſimam animi promptitudinem. Ianuam enim ſibi reſipiſcendi ſemel obfirmauit, & ad curriculum aditum interclusit. Quis poteſt autem foris manens præclarum facinus deſignare? Quapropter malignus nihil non tentat, quò nobis hanc diffidentem cogitationem inſerat. Etenim non eſt ſudandum ei, neque amodo opus habet induſtria vt nos oppugnet, nimirum lapſos & iacentes, quibus nec reluctandi conſilium ſupereſt. Qui verò vinculis magna vi ruptis receperit priſtinum robur, & in rebus iſtis perditiſſimis non eſt acturus quietem, ſedulò diabolo reluctans, ſit vel millies lapſus, ſurget iterum, & hoſtem conficiet. Cæterùm qui cogitatu deſperationis impeditus, animoque fractus eſt, quomodo abibit victor? quomodo reluctabitur? quin abiecto, quod aiunt, clypeo, mox fugam capeſſit. Caue dicas, ijs tantùm veniæ locum concedi, qui modicè deliquerunt: Nam finge, ſi lubet, aliquem vniuerſa malitia redundantem, & qui patrarit omnia quæ à regno excludunt, is vt demus non ſit extra fidem, ſed fidelis aliquando fuerit, acceptuſque Deo, poſtea verò factus ſcortator, adulter, mollis, pædico, fur, ebrius, calumniator, aliaque id genus flagitia ſedulò committat, equidem illi non ero deſperandi author, neque ſi perſeuerauerit ad extremam vſque ſenectam, cum infandis illis maximiſque vitijs. (Grauiſſimis peccatoribus nequaquam eſt deſperandum.) Quòd ſi morbus eſſet ira Dei, non iniuria quis à ſpe decideret, perinde atque concitata tantis facinoribus flamma deinceps reſtingui nequeat. Cæterùm diuinum numen quia liberum eſt à perturbationibus, & punit, & in promeritos animaduertit, neque tamen vlla vltionis cupiditate vmquam tangitur, ſed amorem potiùs ad nos id faciens præ ſe fert, magnamque curam, bono eſſe animo addecet, & confidere de virtute reſipiſcẽtiæ. Siquidem illis qui in ipſum deliquerũt, nõ ſolet propter ſuã cõtumeliã immittere, aut quidquã incõmodi hanc naturã inducere: ſed omnino noſtram ſpectans vtilitatẽ, videlicet ne peruerſitas noſtra aut in peius abeat, aut contemnat, deſpiciatque illius benignitatem. Quemadmodum is qui conſpectu lucis vltrò ſecedit, ea damnum non dedit, ſua potiſſimùm ipſius culpa coniectus eſt in tenebras: ſic qui ſolitus faſtidire virtutem Dei, omnia potẽtem, ex ea quidẽ nihil mali habet, ſummum autem exitium ipſe ſibi aduexit. Hac de cauſa Deus flagella nobis minatur, & interim adducit, non vt ſe vlciſcatur, ſed vt nos ad ſe trahat. Medicus enim propter contumeliã mente captorum nõ dolet, neque mordetur: ſed omnia facit, molitur, quæ ad ſedandos illorum abſurdos mores attinent, non ſuam ſpectans, ſed illorum vtilitatem. Quòd ſi tenuem ægrotus coniecturam temperantiæ & frugalitatis oſtendit, continuò gaudet & lætatur, multoque accuratius medicinam apponit: non propterea quòd ſit vindex, aut quòd expetat pœnas prioris contumeliæ, ſed quia tam pulchrum initium prouehere vult ac abſoluere in ſynceram ſanitatem. Non aliter Deus poſtquàm nos in extremam cecidimus inſaniam, non eſt vltor veteris flagitij, ſed vt morbum arceat, omnia dicit ac facit: quod ſatis à rectis cogitationibus videre eſt, idipſum conteſtantibus, cæterùm incredulis vobis de his rebus facilè fidem faciemus ex diuinis ſcripturis. Nam quis eſt rege Babyloniorum ſceleratior? Profer aliquem, ſi potes, qui tantam vim diuinæ po-

Digitized by Google

tentiæ priùs acceperat, vt & Prophetam adoraret, & ei ſacrum, ceu Deo, fieri iuberet: rurſum in veterem ſuperbiam proiectus, eos qui ipſum noluerunt præferre Deo, vinctos in fornacem accenſam dedit, nihilo tamen ſecius hunc tam atrocem ac impium, qui fera potius, quàm homo cenſendus erat, ad reſipiſcentiam cohortatur, variaſque offert occaſiones mutandi animi in melius: primò miraculum quod in ardente fornace contigit:
Dan. 4. deinde faciem quam rex vidit, & Daniel interpretatus eſt, quæ idonea erat vel ſaxum, nedum animam inflectere. Tandem poſt illam rerum admonitionem, etiam Propheta in mediũ fideliter conſuluit, quando dixit: Propterea rex conſilium meum tibi gratum eſto, peccata tua per eleemoſynas redimito, ac iniquitates per commiſerationem ſuper pauperes: forſitan erit longanimitas delictis tuis. Quid dicis tu ſapiens ac beate? Eſtne poſt tantum caſum reditus? poſt morbum tam deſperatum iterum ſanitas, iterũ prudentia ſperanda, poſt mentem ſcilicet adeò motam? Omni ſe reſponſione nudauit rex, qua priùs eſſe potuit vtcumq; purgatus. Nam antea neſciebat eũ qui ipſum creauit, & qui ipſum in eximiam illam euexit gloriam: quamquam iure debuit tam potentiæ eius, quàm prouidentiæ argumenta recenſere, quæ plurima ſunt facta tum erga ſe, tum erga progenitores. Quandoquidem vbi ſapientiæ eius & præſcientiæ euidentia ſigna ſuſcepiſſet, atque magicam aſtronomiam, omnemque diabolicæ inſaniæ vmbrã vidiſſet ſubuerſam, grauiora prioribus exhibuit. Nam quæ ſapientes magi Gazareni exponere nequibant, candideque profitebantur eſſe maiora, quàm quòd iuxta humanã induſtriam paterent, ea puellus illi reddidit abſoluta: quo miraculo eum ſic reduxit, vt non ſolùm crederet, ſed & vt orbi terrarum toti fieret eius dogmatis præco, & magiſter manifeſtus. Quare ſi erat ante ſuſcepta ſigna venia indignus, quòd Deũ ignoraret: multò magis indignus erit poſt illa portenta, poſt confeſſionem eius, poſt doctrinam erga alios oſtenſam. Neque enim parum probè credidit, quòd ſolus eſſet Deus verus, qui tantam in ſeruum ſuum gloriam poſuiſſet, quamuis id alijs præcepiſſet, nihilo tamen ſecius ab huiuſmodi cõfeſſione recidit in idololatriam. Qui quidem proſtratus in faciem, Dei ſeruum adorauit, tanto deinde furore correptus eſt, vt & ſeruos Dei qui ipſum adorare recuſarunt, in fornacem immitteret. Quid igitur? Num Deus, ſicut erat puniendus, deſertorẽ puniuit? Quinimò maiora ei argumenta potentiæ tribuit, ſedulò reducens à ſocordi arrogantia in veterem modeſtiam: & quod eſt ſanè magis admirandum (neque enim eſt cur ob exceſſum miraculorum minùs credas quæ facta ſunt) in nullo alio ſignum fecit quemadmodum in camino, quem ille ipſe accendit contra pueros, quos ligatos in eũ
Dan. 3. coniecit. Fuit itaque flamma ſupra opinionem ad miraculum vſque exardens. At clementiſſimus, quò maiore metu illum expaueſceret, quóve terrore ampliore exanimaret, omnemque excluderet ab eo pertinaciam, id quod eſt magis obſtupeſcendum inexpectatumque effecit. Siquidem permiſit illam conflagrare, quantum ille volebat, ſuamque oſtendit potentiam moderatam ea prudentia, quæ non diſſolueret opus inimicorum, permanens tamen inane reddidit, ac ſine viribus: ne aliquis cùm eos intra flammas obambulantes vidiſſet, arbitraretur flammam eſſe quiddam fictitij, permiſit vt combureret illos, qui eos iniecerant, etiam corrigiam calceorum & ſtupam, totque aboleuit corpora. Quandoquidem imperio Dei nihil eſt potentius, quem ſequitur omnium quæ ſunt natura, vt qui eam ex eo quod non eſt in eſſe produxit, quemadmodum tum demonſtrauit: nam flamma quæ corripuit mortalia corpora, non aliter atque ab immortalibus abſtinuit, integrum-

A que reddidit apud ſe depoſitum, idque multo cum ſplendore. Nam quemadmodum ex regijs reges, ita de camino egreſſi ſunt illi pueri. Nemo ad regem dignatus eſt vel reſpicere, quin ab illo omnes viſum in hoc incomparabile ſpectaculum obuerterunt: nec diadema, nec purpura, nec aliud quidpiam regiæ phantaſiæ populum adeò permouit, atque ſpecies illorum fidelium, vt qui talia ceu per ſomnium perferre videbantur. Quod enim eſt in nobis maxime infirmum, & abolitu faciliimum, nempe capillorum natura, id velut omni robuſtius adamante ſuperauit flammas, alioqui omnia deuorantes. Cæterùm ne id quidem ſolùm erat ſuſpiciendum, quòd in medium ignis accepti nihil incommodi ſenſerunt, ſed quòd ſemper locuti ſunt. Omnes ſciunt qui ardentibus adfuerunt, quamdiu habuerunt labia in ſermonem ſoluta, pauliſper quidem ad incendium ſubſtiterunt, viſuri quomodo futura eſſet ex ore diſſoluto diſceſſio animæ. Verùm tot miraculis animaduer-
B ſis, omnibuſque obſtupeſcentibus, tam præſentibus & ſpectatoribus, quàm abſentibus, & illis quicumque per literas didicerunt, rex ille qui alios edocuit, perdurauit inemendabilis, iterum in veterem reuerſus eſt malitiam. At ne tum quidem adeò deſperatum afflixit, quin adhuc animum continuit, & per ſomnium, & per Prophetam ei conſulens. Cæterùm ſane vbi nihilo melior eſt factus, tum inducit in poſterum flagellum nec id velut vltor præteriti delicti, ſed vt futura incõmoda præſcindat, vt reliquam malitiam arceat: necdum tamen omnino extinxit, ſed paucis annis erudito priſtinum reddidit honorem. Pœna quã Deus irrogat, nihil damni dat, ſed lucrifacit quod eſt inter bona omnia maximum. Solidam enim dat in Chriſtum tenere fiduciam, & reſipiſcere à peccatis aduerſus illum commiſſis. Siquidem tanta eſt Dei humanitas, & erga nos amor: numquam auerſatur pœnitentiam ſyncerè factam, ſi quis ad malitiæ fines olim penetrarit, illinc eum ad
C virtutis viam reducere conatur, & ſuſcipit redeũtem, & ſuauiter amplectitur, nihilque non facit quò in priſtinam dignitatem reformet. Quodque eſt maioris facilitatis argumentum, etiamſi non omnem præ ſe fert pœnitentiam, breuem illam & exiguo tempore factam non abnuit, ſed magna penſitat mercede: id quod manifeſtum eſt ex ijs quæ de populo Iudæorum alicubi dicit Eſaias: *Propter peccata pauliſper contriſtaui eum, & percuſsi eum, & auerti faciem meam ab eo, & ipſe contriſtatus ſum, & ambulaui mœſtus, & ſanaui eum,* Eſaias 57 *ſolatus ſum eum.* Teſtor vos quòd rex ille impientiſſimus, qui propter mulierem factus eſt maxime deditus peccatis, vbi ſemel dumtaxat luxit, & ſaccum indutus agnouit ſcelera ſua, vſqueadeò Dei miſericordiam arripuit, vt euitaret omnia mala quæ tum ei imminebant. Nam Deus Heliæ dixit: *Vidi quomodo compunctus eſt Achab à facie mea, non inducam malum* 3. Reg. 21
D *in diebus eius.* Poſt hunc Manaſſe cunctos inſania anteiuit ac tyrannide, legalem euertit cultum, templum clauſit, idolorum errorem Deo aduerſum inuexit, vniuerſis qui ante ſe vixerunt impietate præſtans. Is poſteaquam aliquando reſipuit, relatus eſt in numerum amicorum. Si conſpecta imagine ſuarum iniquitatum de reditu deſperaſſet, ac de immutatione, decidiſſet profectò ab his bonis quæ poſtea obuenerunt: nunc verò quia perpendit quàm exiguum ſit vel exceſſus tantus ſuorum peccatorum reſpectu infinitæ commiſerationis Dei, diaboli vincula diſſipauit, euaſit victor, bonum curſum conſummauit. Cæterùm Deus non ſolùm per ea quæ in hunc facta ſunt, ſed per verba Prophetæ eliminauit cogitationem deſperationis. *Hodie* enim, inquit, *ſi vocem eius audieritis, ne obſfirmetis corda veſtra ſicut in exacerbatio-* Pſal. 94. *ne.* In hunc modum hodie nobis per omnem

vitam

A vitam dicendum eſt, & ſi libet, ad ſenectam vſque. Non enim ad temporis rationem, ſed iuxta affectum animæ ſolet dijudicari pœnitentia. Niniuitæ non multis diebus precati vt peccatum eorum deleret Deus: tempus exiguum potuit vniuerſam eorum abolere iniquitatem. Et latro haud longo tēpore ingreſſum paradiſi impetrauit. Quacumque quis hora ſe deijciens, vel vnum dixerit verbum, in eo momento totius vitæ peccata ſimul abſterſit, atque ante Apoſtolos officij grati præmium ſuſcepit. Videmus etiam martyres non ita multis, annis, imò paucis diebus, adeoque non rarò inter dieculam ſplendidas conſecutos coronas. Quapropter vbique nobis opus eſt alacritate, ſeduloque affectu. Itaque paremus conſcientiam, vt tanta vehementia cum veterem odiſſe malitiam, tum diuerſam elegiſſe viam videamur, quantam Deus nobis imperat ac requirit: nihil ob temporis breuitatem habeamus minus, quando multi ex poſtremis ardenti ſtudio ſe priores præuenerunt. Neque B enim graue eſt hominem cecidiſſe, ſed lapſum iacere, nec reſurgere conari: vltrò perferre malum, torpereque ob deſperationis ſermonem, & morbum corrupti iudicij prædicare graue eſt. Contra (Hier. 8.) quos exardens Propheta dixit: *Num qui cadit, non reſurgit: nec qui auertitur, numquam reuertitur?* Si quem à nobis requiris, qui poſt ſuſceptam fidem ſit prolapſus, animaduertas quòd de hoc etiam illa dicta ſunt: nam qui cecidit, ex eorum eſt numero qui prius ſteterunt, non qui iacuerunt: nam qui iacet, quomodo is poteſt cadere? Verùm alia quoque (Math. 12) dicuntur per parabolas, per manifeſta facta, nedum verba. Ouis illa quæ ſeparata fuit à nonagintanouem, moxque inuenta & reducta, quid aliud nobis demonſtrat, quàm caſum & reditū? Quoniā ouis erat non alieni paſtoris, de reliqua rūerat grege, priuſque ſub eodem paſtore paſcebatur: & errauit neutiquā caſu, ſed per montes & ſaltus, hoc eſt, per viam longā, deflectentemq; à recto. Quid? num neglexit errantem? Nequaquam, reportauit eam C impoſitam humeris ſuis, non egit ante ſe, nec verberauit. Quemadmodum optimi medici difficili diuturnoq; morbo decumbentes, varijs medicinis ad ſanitatem reſtituunt, non ſemper vtentes arte interim enim nonnihil cupientibus diuerſa obſecundant: ſic Deus vehementer corruptos non impellit magna vi ad virtutem, ſed manſuetè & ſenſim promouet: imò plerumque portat, ne immanior ſciſſura fiat, aut error productior. Non eſt (Luc 15.) vnum hoc ſimile, quod huiuſmodi doctrinam confirmat, parabola etiam de intemperante puero ſtat ab eadem: qui non erat patri alienus, vtpote filius, & frater pueri acceptiſsimi, nec in malitiam caſu incurrit: quinimò ſciens prudenſque, vt ſic dicam, in alterum littus malorum prorupit, diues, liber, bene natus, omnibus ſeruis, omnibus mercenarijs, nedum hoſpitibus, factus eſt calamitoſior: atqui D redditus eſt priſtinæ dignitati, amiſſamque gloriam recuperauit. Si de vita deſperaſſet, ac de his rebus quæ ei contigerunt, ambiguus in aliena reſediſſet regione, orbatus fuiſſet nimirum bonis illis quæ mox obuenerunt: perijſſet fame, mortemq; obijſſet omnium maximè miſerabilem. Verùm quia pœnituit, nec diffiſus eſt ſuper reditu, è tanta corruptione in priorem claritatem commutatus, amicitur ſtola pulcherrima, fruitur prioribus quā frater, à lapſu immunis. Tot annos, inquit, ſeruio tibi, & numquam pręceptum tuum ſum prætergreſſus, nec mihi vmquam hœdum dediſti, vt cum amicis meis lætarer: at poſtquam filius ille tuus, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam, venit, occidiſti ei vitulum illum ſaginatum. Tanta eſt virtus pœnitentiæ. Tā præclaris itaque exemplis excitati, ne permaneamus in malis factis, nec incerti fluctuemus de mutandis nobis in melius, quin magna fiducia dicamus. Pergamus ad patrem, appropinquemus A Deo, is nequaquam nos auerſabitur. Atqui nos conſultò, deditaque opera procul ipſos ſeiungimus. Deus autem, inquit, appropinquans ego ſum, & non Deus procul. Quemadmodum per prophetam iterum exprobrat: *Non,* inquit, *peccata veſtra diuidant inter me & vos.* (Eſaiæ 59) Quare cùm peccata nos longè dirimant à Deo, tollamus neceſſe eſt ea ceu interuallum moleſtiſſimum, quod nos priores fieri prohibet. Audi, iam in rem præſentem duceris. Apud Corinthios vir quidam inſigne patrauit peccatū, quale nec apud Ethnicos nominabatur: is erat fidelis de familia Chriſti: ſunt qui eum fuiſſe ſacerdotem quoque autumant. Quid tum? Paulúſne à ſpe illorum qui ſeruabantur, eum deiecit? Ille, inquam, Paulus, qui in ſuperioribus & conſequentibus toties expoſtulat cum Corinthijs hunc non eſſe receptum in pœnitentia, oſtenſurus denique nullum eſſe peccatum quod medicinam refugiat, iterum loquitur de eo qui grauius quàm gentes peccauerat: *Tradite,* inquit, *eum ſatanæ ad interitum carnis, quò ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu.* (1 Cor 5.) B Id quidem (2.Cor.2.) ante pœnitentiam dixit. Mox vt reſipuit: *Satis eſt,* inquit, *iſtiuſmodi homini increpatio hæc quæ facta eſt à pluribus.* Et ſcripſit vt eum conſolarentur, vt reſipiſcentiæ locum darēt, ne eum in ſatanæ poteſtatem tranſire contingeret. Item Galatæ gens perfecta, poſt ſuſceptam fidem, poſt ſigna per facta, poſt multas tentationes propter fidem ſe Chriſti exuperatas, lapſi ſunt, iterumque reſurrexerunt: ſiquidem claruerunt miraculis, quemadmodum idem manifeſtat. *Qui igitur vobis,* ait: *præbet ſpiritum, & operatur virtutes in vobis.* (Galat. 3.) Multa fidei certamina decertarunt, quod ſic docuit: Tam multa, inquit, paſſi eſtis fruſtrà, ſi tamen & fruſtrà. Poſt tanta virtutis incrementa graue flagitium commiſerunt in hoc, quòd à Chriſto diuerterunt, de quo videtur (Galat 5.) ille dixiſſe: *Ecce Paulus dico vobis, ſi circūcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit.* Et iterum: *Quicumque à lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis.* (Ibidem.) A lapſu tam pernicioſo perquam amanter eos recepit: nam dicit, C *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis,* (Ibid. 4) oſtendit nimirum vel ab vltima deſtructione poſſe Chriſtum ſuperiorem reformari in nobis. *Non vult* enim *mortem peccatoris, ſed vt reuertatur, & viuat.* (Ezec. 18.) Reuertamur itaque amicum caput, & voluntatem Dei perficiamus. In hoc quidem nos creauit, ac in iſtud eſſe produxit, quò nos æternis bonis participaret, vtque tribueret regnum cælorū, non vt in gehennam detrudat, aut ignibus dedat, qui quidem facti ſunt propter diabolum, non propter nos, non aliter atque noſtri gratia paratum eſt regnum cælorum. Vtrumque ſubindicat, cùm dicit illis qui à dextris aſtabunt: *Venite benedicti patris mei, poßidete regnū paratū vobis ab exordio mūdi,* (Mat. 25.) à ſiniſtris autē conſtitutis, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternū, qui paratus eſt:* nō addit, vobis, ſed: *diabolo & angelis eius.* Qua de cauſa nō eſt gehenna inſtituta propter nos, ſed propter aduerſariū & an- D gelos eius: regnum autem cælorum ab exordio mundi propter nos adornatum, modò ne nos reddamus indignos ad hæc, vt cum ſponſo ingrediamur: quamdiu enim hic ſumus, etiamſi peccamus decies millies, ſemper erit ſpei locus, omnia dabitur abluere ſcelera dignam exhibentibus pœnitentiam. Cæterùm ſi quando hinc abierimus, nondum conſecuti vehementiſſimam pœnitentiam, manebit nos quiddam acerbius: nam tum vel dentibus frendemus, vel plangemus, vel rogabimus infinita, ſed ne ſummo quidem digito paululum quiddam refrigerij diſtillabit ardentibus nobis: quin eadem audiemus, quæ quondam diues ille, nempe magnum eſſe hiatum inter nos & vos. Redeamus itaq; ad frugem meliorem moneo, dum hîc degimus, & agnoſcamus Dominum ſicut agnoſcere fas eſt. Etenim non eſt cur alibi ſperemus pœnitentiam in inferno conſtituti, quo

in loco

Digitized by Google

in loco pharmacum hoc infirmum eſt: in hoc autem ſæculo etiam in extrema ſenecta impoſitum, miram vim præ ſe fert. Vnde diabolus omnē, quod aiunt, lapidem mouet, quò in nobis altè radicem agat cogitatio deſperationis: quandoquidē nouit, quamlibet exiguum pœnituerimus, nullo id pacto facturos indonatos à Deo. Quemadmodum enim malitia ſubfrigida ſi incidit, imminētem habet retalionem: ſic actus pœnitudine ſuper commiſſis à ſe, quanquam idoneam delictis pœnitentiam non exhibet, æqualem tamen illi quam habet, quantulacumque eſt, retributionem ſentiet. Etenim nihil bonorum, ſit vel minutiſſimum, à iudice neglectū erit. Quando peccata tanta cura diſquiruntur, vt de verbis & cogitationibus pœnam attemperet: quantò accuratius bonorū operum tam inſigniū, quàm obſcurorum rationem habebit illis temporibus? Quare ſi vires non ſufficiunt ad amiſſam diligentiam reuerti, & fortè præſens morbus libidoque te deſtituit, nihil adhuc deploratum videtur, modò initium rei feceris, atque ad certamen aditum recluſeris. Quanto tempore ante veſtibulum oberras, optimo iure omnia tibi difficilia ac deſperata videbuntur: ante nimirum experientiam res facillimæ maximeque parabiles, arduæ difficultatis ſpeciem præbere ſolent: deinde vbi facto periculo paulum introſerpſimus, & animum perdurauimus, pro torpore, pro deſperatione confidentia ſubit, diminuit timorem, facilitatem auget, ſpes amplas confirmat: propterea malignus Iudam inde ſeduxit, quò minus facto fæliciter initio, redierit per pœnitentiam, vnde prolapſus erat. Equidem dico quod ſuprà veri fidem alijs apparet, ne illud quidem peccatum Iudæ eſſe maius, quàm auxilium quod nobis à pœnitentia venit. Quare rogo & obſecro, omnem ſatanæ cogitationem à ſeptis animæ procul arceas, atque ad hunc penetres portum ſalutis. Si vno velut niſu ad ſummū illud faſtigium conſcendere iuberem, haud iniuria grauatim tentares, propter permixtam rei difficultatem: quando verò tantulum dūtaxat in præſentia requiro, non dico quantum malis peractis debetur, ſed quantulumcumque eum qui hoc loci conſiſtit, retinere ſufficit, ne in contrarium relabatur: quid dum contaris? quid refugis? quid teipſum retrahis? Num vidiſti quoſdā qui in delicijs, in ebrietatibus, in reliquo huius vitæ ludibrio mortui ſunt? Vbi nunc ſunt qui pridem videlicet per forum tumidi ſuperbia cum multis aſſectatoribus ſe mouebant, qui ſericis induti veſtimentis, vnguentum olentes, arridentes paraſito, & ſemper affixi ſcenæ, vbi nūc illorum eſt phantaſia? ſublata eſt. Cœnarum ſumptus, immodicus riſus, quies animæ, cogitationis diffuſio, vita mollis, otioſa, luxu perdita, vbi nunc? Euolarunt omnia. Quid ex corpore factū eſt, quod pridem tanto famulitio, tam exquiſita munditia abundabat? Abijt nimirum ad ſepulchrum. Contemplare puluerem, cineres, vermes, eius formæ ſpeciem, & amarè ſuſpires. Atque vtinam ad puluerem tantum eiuſmodi damnū pertingeret. Verùm interim à ſepulchro & his vermibus deduc oculos mentis ad vermem illum immortalem, ad ignem illum inextinguibilem, ad fremitum dentium, ad extremas tenebras, ad afflictionem & anguſtiā, ad ſimile Lazari ac diuitis, qui amictus purpura, & tot nummorū Dominus, factus eſt omniū rerum adeò indigus, vt nec vnius guttulæ aquæ Dominus eſſet, & ſub acerbiſſima tormentorum neceſſitate conſtitueretur. Quid? putáſne ſomnijs præſtare huius perituri ſeculi bona? Quemadmodum enim qui ad metalla damnati, aut aliam quamdam pænam luunt hac grauiorem, ſi quando ſub duris illis laboribus, & acerbiſſima vita conſopiuntur, ſe vident in delicijs, ac læta rerum affluentia, experrecti autem à ſomnijs nihil oblectamenti reliquum intelligunt: ſic diues ille tam-

Delitijs hic vacaſſe nihil ad gehennam.

Luc. 16.

A quam in ſomnio tantum diues fuiſſet, poſteaquam hinc emigrauit, amaram ſuam pœnam perſoluit. Hæc cōſidera, & iſti igni repugna, qui te occupat nunc ardore concupiſcentiarū. Recede à fornace interim: nam qui eam hic probè reſtinxit, nec eius incaleſcet alibi vicinia: ſi quis eam non exuperat, hunc abeuntem excipiet tanto vehementior, quò tibi cupis longiore tempore huius vitæ fructum ſupereſſe. Equidem opinor non plures annos tibi quàm quinquaginta expectandos, imò ne hoc quidem nobis certum eſt: ſiquidem qui de noſtra vita neſcimus, an veſperum imminens aſſequatur, qua fronte ſuper tot annis aſſeuerabimus? Præterea dubia aliarum rerum viciſſitudo, & inobſeruabilis, nedum temporis: quandoque enim dum vita in lōgum tempus producitur, quæ oblectant, non æqualiter producuntur, modo adſunt, modò elabuntur. Verùm vt demus gratia ſermonis, ita fore, teque tot annos victurum, neque vllus caſus felicitatem intercipiat: quantum hoc ad

B ſecula infinita ſempiternaque erit? quantulum ad ſæua flagella, & inenarrabile cælorum gaudium? Hic habent tam iucunda quàm triſtia finem, cumque celerrimum: illic ſeculis extenduntur vtraque immortalibus, nec dici poteſt quantum virtute & potentia differant à rebus præſentibus. Quum ignem audis, ne arbitreris eſſe ſimilem huic igni: accenſus enim deferueſcit, & mutatur: ille autem ſemel in flammam exurgens, ardet perpetuò, nūquam intermoritur. Qui peccauerunt, neceſſe eſt vt immortalitatem induant, non tamen ad honorem ſibi: verùm vt continuum ſuperſit viaticū illius ſupplicij, quod quàm ſit horrendū, oratio nequit vmquā explicare. Ab experimento rerum tenuiū fieri poteſt vt accipiamus de magnis aliquid coniecturæ. Si quando in balneo fueris nimium efferueſcente, tum gehennæ recorderis: & rurſus ſi quando febre acriore conflagraueris, ad flammam quæ tunc eſt, progredere: tum probè intelliges, quia balneum & febris adeò nos affligant ac terri-

C tant: quo animo futuri ſumus, quando in fluuium ignis inciderimus, qui ducitur ab illo horrendo tribunali? Profectò frendemus dentibus propter labores & cruciatus illos indicibiles, nemo ſuppetias feret. Plorabimus omnes triſtiſſimè, flamma nobis vehementiùs incumbente. Neminem videbimus præter condemnatos nobiſcum, & immanem ſolitudinem. Quis poteſt verbis conſequi, quam formidabiles pauores à tenebris exorientur, quæ in animis noſtris extabunt? Quemadmodum ignis illic non habet vim reſoluendi, ſic nec lucere poteſt, alioqui non eſſent tenebræ. Huiuſmodi igitur pauorem à tenebris, tremorem, ſolutionem membrorum, attonitum ſtuporem adducere ſufficit vna illius temporis ratio. Multa illic variaque tormenta, grumuli pœnarum ceu niuis inundant. Cæterùm ſi quis fortè dubitat quo

D pacto ſatis eſſe, ac æternum durare immortalis queat anima, confecta tanta vi pœnarum, is cōgnoſcat quæ hic fiunt: quomodo non rarò multi ad morbum non minus acrem, quàm diuturnum ſuffecerint, nec anima diſſoluta eſt, ſed corpus eſt conſtrictum ac depreſſum, anima afflicti remanente in negotio, non aliter atque ſi corpori non indita foret. Quare poſtquam incorruptibile corpus inſolubileque acceperit, nihil prohibet in infinitum protendi ſupplicium. Hic quidem non ſimul contingunt, vehementia pœnarum, & earum diuturnitas. Altera enim cum altera pugnat, propter conditionem corruptibilis illius corporis nō ferentis ea; immortalitate autem ſuccedente, ſoluitur hæc pugna, & magna potentia nos in infinitum vtraque mala poſſidebunt, nec exceſſus vllus tormentorum perimet animam noſtram. Sic, inquam, licet nos eſſe perſuaſos: neque enim hoc corpus poterit in illo tempore conſumi cruciati-

Digitized by Google

bus: afflictum permanebit cum anima, nec finis vllus erit. Quàm exquiſitas igitur delicias appetis, & quantum temporis opponi cupis illi ſupplicio & pœnæ? Víſne centum annos, aut bis centum? Verũ quid hi ſunt ad ſæcula interminabilia? quod enim eſt ſomnium vnius diei per omnem vitam, id eſt fructus rerum præſentium comparatus ad ſtatum futurorum bonorum. Eſtne qui propterea vt ſuaue ſomnium videat, per omnem vitam eligat ferre cruciatum? & quis ſic ſtultus eſt, vt vltrò ad talem mercedem aduolet? Nihil dum equidem delicias, nec amaritudinem, quæ in eis occulitur, aperio: quandoquidem loqui de his rebus adhuc eſt intempeſtiuum: vbi eas effugere valebis, tum locus erit huiuſmodi tractandi. Nunc quia morbo illo detineris, videbimur tibi nugas agere, ſi quando voluptatem amaram nominauero: liberatus olim à morbo Dei beneficio, mox planè intelliges malitiam. Quare ſermones illos in aliud tempus differamus, hoc nunc dicemus. Fingamus delicias eſſe delicias, & voluptatem voluptatem, nihilque habere fellis: ſed quid, obſecro, dicemus de imminente pœna? quid tum faciemus? qui modò læti geſtimus velut in vmbra & imagine, opere quidem alibi perſoluemus pœnam: & præterea quia exiguo tempore, quæ tum futura diximus, aut etiã abſurdiora effugere licet, fruique bonis adiacentibus. Hoc eſt enim opus clementiæ diuinæ, quod nobis certamina non in longum tempus præſcripſit, breui quidem & in momento, & in ictu oculi finientur: nam tantula eſt præſens vita, quæ omnino bello debetur, ſi eam ad infinita ſæcula conferas. Num id animas damnatorum contriſtabit, quando meminerint quòd occaſione emendandi per hos paucos dies non vſi, ſe tradiderint malis immortalibus? Surgamus ergo, ne ſimile quiddam patiamur, dum tempus eſt acceptum, dum eſt ſalutis dies, dum eſt vis magna pœnitentiæ. Siquidem malis ignauiter cohærentes, quæ dicta ſunt omnia excipient, multoque illis duriora. Ea enim quæ in gehenna noxijs parantur, multò ſunt moleſtiora: à tantis excidiſſe bonis tantum habet dolorem: tãtam afflictionem, tantam anguſtiam, quantum vllum eſſe poteſt aliud flagellum: certè hic debitum peccantibus, cuiuſmodi per ſe ſufficere, & quàm tormenta reliqua gehennæ acerbiùs mordere, cõtererequé animas noſtras videtur.

Fælicitas vitæ futuræ.

Concipe animo ſtatum vitæ illius, quantum homini concipere datur: nam iuxta rei dignitatem nobis ſermo nullus adeſſe poteſt: ex ijs tamen quæ audimus, ceu per ænigmata coniecturam quantulamcumque faciemus. *Abiuit*, inquit, *dolor, & triſtitia, & gemitus.* (Eſai. 35) Quid igitur ea vita beatius erit? Non eſt cur illic pauperiem metuas & morbum. Nemo videbit contumelioſum, nec iniquè oppreſſum, nemo exaſperatum aut iraſcentem, aut inuidentem: nemo ardentem abſurda concupiſcentia, aut mœrentem propter ſumptum neceſſarium, aut à magiſtratu vapulantem. Omnis enim affectuum turba quæ hic ſedata eſt, perimetur: omnia erunt pax, lætitia, gaudium, omnia ſerenitas & tranquillitas, omnia dies, & ſplendor, & lux: lux, non quæ nunc eſt, ſed planè alia quæ hanc tantum excedit fulgore, quantum ea lumen lychni: neque enim occulitur illic aut nocte, aut congreſſu nubium, nec vrit, neque inflammat corpora: nam nox non obumbrat; nec aderit veſpera, nec frigora, nec æſtus, nec alia huius generis immutatio: ſed omnino alia eſt conditio, quam demum ad hoc idonei reperti intelligẽt: non eſt illic ſenium, nec ſenectæ mala, quæque obnoxia ſunt corruptioni, è medio & è pedibus, quod aiunt, tollentur. Omnia occupabit vbique incorruptibilis gloria, & quod omnium longè eſt maximum, continua fruentur conuerſatione cũ Chriſto, vnà cum angelis, cum archangelis, cum ſuperioribus poteſtatibus. Contemplare cælũ, animaduerte permutatum fore habitum totius creaturæ: nihil enim huiuſmodi vt nunc eſt manebit, ſed multò pulchrius erit ac præclarius: & quantùm plumbo aurum vibrans aera, tantùm hac rerum præſentium ſpecie futurus ille decor illuſtrior erit, quemadmodum beatus Paulus ait: *Quoniam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis.* (Rom. 8.) Etenim nũc ceu corruptionis particeps multa patitur, quæ ferre corpus contingit: tum verò hæc vniuerſa reijciet, nobiſque exhibebit elegantem & incorruptibilem habitudinem. Incorruptibile nanciſcetur anima corpus, quæ & ipſa in melius formabitur. Vnde putas tum ſimultas? vnde pugna? Iucundus nimirum concentus erit in hoc, quòd omnes ſancti perpetuò inter ſe conſentient: nullus illic calumniator timendus, nullæ dæmonum inſidiæ, nullæ minæ, nulla mors, nec ea, quà hic extinguimur, nec altera, quæ hac multò eſt acerbior: omnis harum rerum expectatio deſijt. Et quemadmodum puellus regius primùm alitur cibo non admodum ſplendido, terretur minis pædagogi, ne per indulgentiam lapſus, paterna ſe indignum reddat hæreditate: mox regiam nactus maieſtatem, omnia hæc mutat, præſidet cum magna libertate, veſtitus purpura, diademateque ornatus, & ſtipatus numeroſo ſatellitio, abiectis ab anima rebus humilibus ac ſubamaris, in quorum tunc locum omnia magnifica, omnia iucunda ſucceſſerunt: ſic tum eueniet omnibus ſanctis. Atqui ſermonis elegantia, & vires nihil poſſunt: ad montem illum oratione pergamus, vbi Dominus transformatus eſt: cõtemplemur eum ſplendentem, ſicut reſplenduit, quamquam ne ſic quidem vniuerſum nobis futuri ſæculi ſplendorem exhibuit, quia fuit quod tum apparuit, attemperatio quædam pro captu noſtro, neutiquam accurata rei demonſtratio, quòd è verbis euangeliſtæ manifeſtum eſt. Quidnã ait? *Splenduit*, inquit, *ſicut ſol.* (Matt. 17.) Cæterùm incorruptibiliũ corporum gloria non tantam lucem demittit, quantam illud corruptibile corpus: neque talem eiuſmodi oculi mortales capere ſufficiunt. Ad hanc quidem viſionem oculi requiruntur incorruptibiles & immortales. Verùm in monte tum aperuit tantum lucis, quantum ferre potuerunt citra læſionem aciei, atque afflictionem oculorum contuentium in illud, quod tamen aliter cecidit: prociderunt enim in faciem. Dic obſecro, ſi quis te in theatrum induceret, vbi magna multitudo hominum ſederet amicta ſtolis aureis, & in medio omnium oſtenderet alium quemdam adornatum eximiè gemmis, regio veſtitu inſignem, coronam habentem in capite, deinde polliceatur te aſſumpturum in numerum eorum, num omnia faceres quæ ipſe iuſſerit? Euola nunc in cælos animo, in illud intende theatrum, quod non coijt ex huiuſmodi viris. Conuentus eſt illic eorum qui exuperant omne pretium auri, lapidum pretioſorum, radiorum ſolis, & omnis viſibilis formæ, non hominum ſolùm, ſed eorũ qui hominibus antecellunt, angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, poteſtatum. De rege ipſo nihil ſatis idoneum dici poteſt, adeò ſermonem & mentem omnem excedit eius pulchritudo, formoſitas, ſplendor, gloria, maieſtas, magnificentia. Tantúmne bonorum à nobis ipſis ſummouebimus, quò declinemus exigui temporis laborem? Quòd ſi quotidie foret infinities moriendum, ferendum tamen eſſet. Præterea gehennam tormentaque omnia conuenit ſuſtinere, vt videre queas Chriſtum venientem in gloria ſua, & conſcribi ordini ſanctorum. Audi quid Petrus dicit, *Bonum eſt nos hic eſſe.* (Math. 17) Si Petrus qui vidit obſcuram quamdam imaginem futurorum, omnia continuò reiecit ab animo propter voluptatem inditam animæ à tali aſpectu: quid dicemus, quando rerum veritas aderit, quando regijs cubiculis adapertis, contueri li-

cebit

cebit ipſum regem, non per ænigma, nec per ſpeculum, ſed facie ad faciem, non amplius, inquam, per fidem, ſed per ſpeciem? Sunt quidam abſurdi iudicij, ij dumtaxat amant effugiſſe gehennam: contrà ego multò durius eſſe tormentum quoddam aſſero, quàm gehenna eſt: hoc eſt, non aſſecutum eſſe tantam gloriam, & illinc elapſum eſſe. Nec opinor equidem tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto neceſſe eſt caſum deplorare, quòd de cælis excidimus, qui eſt nimirum cruciatus omnium duriſſimus. Quando regem videmus frequenti ſatellitio palatium adequitantem, eos qui illi proximè cohærent, ſermonis conſilijque & maieſtatis eius participes, felices iudicamus, noſque miſeros: licet enim infinitis bonis abundauerimus, & harum rerum nihil ſentimus, ſuſpicientes in gloriam ſanctorum. Adde quod compertiſſimum eſt, ſeculi faſtum eſſe dubium & infirmum propter vim bellorum, propter inſidias & inuidiam, propter hoc quòd vel extra teli iactum, & extra periculi ſuſpicionem, per ſe tamen ne huius quidem faciendus eſt: cæterùm tuta perpetuaque erit felicitas regnante rege omnium, qui poſſidet non modò quæ terra, verumetiam quæ ambitu cæli continentur: imò terram pugno complectitur, & palmo cælos, qui omnia ſuſtinet verbo potentiæ ſuæ, cui gentes cunctæ pro nihilo computantur: & adhuc dubitamus, an ſummum ſit ſupplicium, à choro qui eſt apud Deum, excludi? adhuc amabimus ceu bonum præcipuum effugiſſe gehennam? Quid anima ſic affecta miſerius? Nam rex ille non iugo alborum mulorum, nec aureo vehiculo vectus, nec purpura, neque diademate ornatus veniet dijudicaturus terram. Sed quomodo veniet? Audi Prophetas clamantes & dicentes, quoniam hominum facultatem excedit. *Deus* enim *veſter*, ait quidam, *palàm veniet, nec ſilebit: ignis coram eo exardebit, circa eum tempeſtas vehemens.* Aduocabit cælum à ſuperioribus, & terram ad dijudicandum populum ſuum. Ad hæc Eſaias pœnam nobis proponit: *Ecce*, inquit, *dies Domini veniet, auſterus furore & ira ad ponendum totum orbem terrarum in ſolitudinem, & ad abolendos peccatores ex ea: quia nec ſtellæ cæli, nec Orion, neque quis alius ornatus cæli lucem diffundet, & obtenebreſcet ſol in exortu ſuo, neque luna dabit lumen ſuum: & orbi terrarum ingeram mala, & impijs peccata ſua: & perdam ſuperbiam iniquorum, & altitudinem ſuperborum humiliabo: & erunt qui relicti ſunt, pretioſiores quàm aurum valdè exuſtum igni: & homo pluris æſtimabitur lapide qui eſt ex Sapphir. Cælos enim commouebit, & terra excutietur ex fundamentis ſuis, propter furorem iræ Domini ſabaoth, in die quâ venerit furor eius.* Et iterum: *Feneſtræ*, inquit, *de cælo aperientur, & commouebuntur fundamenta terræ, & turbabitur terra, & eliqueſcet terra; inclinando inclinabitur terra, ſicut ebrius & crapulans: concutietur ſicut caſula cuſtodum: terra concidet, nec poterit reſurgere: confirmabitur enim contra ſe iniquitas, & iudicet Deus aduerſus ornatum cæli in alto manum ſuam in illo die, & contra regna terræ: & congregabuntur congregationes eius ad carcerem, & excludent munitionem.* Subſcribit Malachias: *Ecce*, inquit, *veniet Dominus omnipotens, & quis expectabit diem ingreſſus eius, aut quis ſubſiſtet in viſione? propterea quòd ipſe ingreditur tamquam ignis conflatilis, & tamquam vrceus fullonum, & ſedebit ad conflandum, & ad purgandum velut argentum & aurum?* Et iterum: *Ecce*, inquit, *dies Domini veniet exardens vt fornax, & inflammabit eos: & erunt omnes alienigenæ, & omnes qui faciunt abſurda, arundo: accendet eos dies ventura, dicit Dominus omnipotens: nec relinquetur neque radix, neque palmes.* Cæterùm vir deſideriorum: *Vidi*, inquit, *vſque dum throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, & veſtimentum eius album ſicut nix, & capillus capitis eius tamquam lana munda: thronus eius flammæ ignis: rotæ eius, ignis conſumens, fluuius igneus proruit, antecedens ante eum: millia mille miniſtrabant ei, & decies millies decem millia conſiſtebant ante eum: concio iudicum conſedit, & libri aperti ſunt.* Deinde poſt pauca: *Vidi*, inquit, *in viſione noctis, & ecce cum nubibus cæli ſicut filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & coram eſt ei oblatus, & datus eſt ei principatus, & honor, & regnum: & omnes populi, tribus & linguæ ei ſeruient, & poteſtas eius poteſtas æterna, regnum eius non deſtruetur. Horruit ſpiritus meus: ego Daniel territus ſum: viſiones capitis conturbauerunt me.* Tum aperientur omnes cæleſtium faſtigiorum portæ, imò illud ipſum cælum è medio ſubducetur, haud aliter atque ſcenæ pelles, ac velum contrahitur è medio, vt commutetur in melius. Tum omnia ſtupore conferta erunt, & horrore, & metu, tum etiam angelos ingens metus occupabit: neque ſolùm angelos, ſed etiam archangelos, & thronos, & poteſtates cælorum: propterea quòd conſerui iudicium ſubituri ſunt de peracta in mundo vita. Nam ſi in iudicio vnius ciuitatis, quæ in ipſius cura, omnes exhorruerunt, quamquam erant extra periculum: quid tum erit, quando cognoſcetur de vniuerſo terrarum orbe, ſub iudice non requirente teſtes, nec iudicia: ſed quando abſque illis facta ſimul & verba in medium ipſe reus exactè prodet, oſtendetque ſcelera ipſorum iſtorum authoribus, pariterque illis qui ea ignorant? Quomodo, inquit, fieri poteſt, vt tum non concutiatur quælibet potentia? Si enim fluuius ignem non volueret, neque angeli aſſiſterent adeò formidabiles: ſoli autem conuocati homines, quorum pars laudata eſt, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriè, ne gloriam Dei videat: num iſtud per ſe pœna foret tota gehenna longe acerbior? A tantis bonis eſſe prolapſum, orbatas animas mordet perpetuò, quantum illud malum putas? Nullo ſermone quiſquam hic explicabit, alibi autem dilucidè perſpiciemus. Quare, obſecro, ob oculos modò ponas, non dico immaniſſimam illam pœnam, & ſuffuſos graui pudore, nec non palàm conſpicuos, defixis in terram oculis ob conſcientiam ignominiæ: ſed illam viam teterrimam quæ ad ignem abripit, ſed & ferentes tormenta, traditoſque atrocibus punitoribus: idque eo temporis, quo coronis adornati, celebreſque cantantibus angelis regio throno aſſiſtunt quicumque hic bona fecerunt, quique digni fuerunt reperti æterna vita. Hæc in illa die. Quæ autem ſequuntur, quis ſermo nobis exprimet? Quis vel delineabit voluptatem quæ ex conuictu Chriſti extabit, aut vtilitatem, aut gaudium? Etenim anima quæ in propriam redijt naturam, quæ in reliquum tempus multa libertate Dominum ſuum ſuſcipit, quantum ea fructum capiat, quantum dulcedinis, quantum lucrum, haud quiſquam vmquam ſatis explicabit: nec ſolùm læta bonis præſentibus, ſed ſecura tutaque erit, quòd tanta gaudiorum ſemina nequaquam deſitura ſint. Eam itaque iucunditatem vniuerſam ſermone quis effinget, quis attinget cogitatione? Obſcurè, vtpote minutis magna demonſtraturus, tentabo facere perſpicuum. Perpendamus igitur eos qui in hac vita huius mundi commodis oblectantur, diuitijs inquam, & magiſtratu, atque gloria, quanta libidine ſuperbiaq; efferũtur? In terra enim ſe adhuc degere, negare videntur: quamquam fruuntur ijs demum bonis, quæ bona eſſe nondum omnibus perſuaſum eſt: quæ poſſeſſores mutare ſolita, frequentius ex inſperato euolant, & quandoque citius quàm ſomnia. Quòd ſi paulisper conſiſtunt, iuxta modum forſitan vitæ huius, ſi latiſſimè extenduntur, nam vlterius protendi nequeunt. Quòd ſi hæc fluxa ſuos poſſeſſores in tanta ſu-

Dies iudicij horrẽda.

Pſalm. 49

Eſai. 13.

Eſai. 24.

Malach. 3

Ibid. 4.

Dan. 7.

ſtollunt,& animum, licet incerta ſubitaque ſint, in ingem effundunt lætitiam: quid putas futurum de animis illis accerſitis ad infinita bona, quæ in cælis pios manent, quæ fixa ſemperque duratura ſunt, quæ virtute quoque his præſentibus longè præſtant, nedum conſtantia ſua numquam deſitura, & cuiuſmodi haudquaquam aſcenderunt in cor hominis? Nunc enim quemadmodum in vtero puellus, ſic in mundo viuimus múltis interclusi anguſtijs, venturique ſeculi nec fulgorem, neque claritatem valentes contueri: cæterùm vbi tempus imminet parturitionis, & partus editur iuxta legitimum præuiſumque tempus, hæc vita omnes tum excipit mortales. Nam abortiui de tenebris ingrediuntur ex afflictione ad afflictionē non paulò duriorem. Maturi autem fœtus, qui notam regij ſimulachri gerunt obſeruantque, perducuntur ad regem, eiuſque myſterium capeſſunt, quod angeli quoque & archangeli Deo rerum omnium perficiunt. Quare noli characteres illos perpetuò nobis obſcurare, amice optime, ſed eos eueſtigio inſtaura, refingeque in melius: pulchritudinem corporis intra naturæ vim Deus deſcripſit: decorem autem animæ illinc à neceſſitate & ſeruitute exemit, veluti corporis luce meliorem, atque eius potiundæ copiam omnem nobis attemperauit diuina trutina. Quandoquidem Dominus noſter impendio nos amat, eoque vehementius cohoneſtat genus noſtrum. Minora quidam illa, nec quidquam eximij præ ſe ferentia proficiunt nobis, & quæ minimè præſtantia credas, ea neceſſitati naturæ producenda commiſit. Porrò verorum bonorum nos eſſe opifices dedit, propterea quòd corporis pulchritudo in noſtra ſita poteſtate, mox curæ nimiæ fuiſſet, ſemperque rebus infructuoſis impendiſſemus operam, & animæ dotes vbique neglexiſſemus, cùm negata ea facultate iam nunc omnia facimus, omnia molimur: pigmentis formam à nobis quaſi ab inuitis aſſerimus, cùm veram nequimus, coloribus, tincturis, concinnatione capillorum, veſtium circumductu, oculorum lubricitate, multiſque eius generis ineptijs falſam affingimus: quod ſtudium rebus frugi tribuiſſemus, ſi potuiſſemus ad bonam formam aliquid adiungere? Haud temerè aliud quidquam egiſſemus, vbi fuiſſet noſtrarum virium, quàm excolere formam: quin omnia ſimul in hoc tempora conſumpſiſſemus, & venuſtaſſemus abiectiſſimam ſeruam infinitis ornamentis, relicta domina nobiliſſima, inculta magis, magiſque neglecta quouis mancipio. Qua de cauſa Deus adempta infelici cura, melioris rei artem nobis indidit, per quam qui corpus ex deformi elegans reddere nequit, is animum vel vltimæ turpitudinis in ſummam ſpeciem reducere ſufficiet: adeoq; amabilem reddere, atque adeò illicem, vt & Deum regem omnium in ſuam concupiſcentiam pelliciat, nedum viros bonos, iuxta ea quæ pſalmorum cantor de huiuſmodi pulchritudine animæ abſoluit. *Et concupiſcet*, inquit, *rex pulchritudinem tuam*. Num vides quòd deformes impudenteſque mulieres proſtitutæ vix poſſunt obtrudi gladiatoribus, & ijs quoque qui cum beſtijs depugnare ſoliti ſunt? Cæterùm ſi quæ bonæ formæ, ſi ingenuæ liberalique facie, per occaſionem in eam inciderint calamitatem, quemlibet generoſum eximiumque virum nihil pudebit vel connubio ſibi talem adiunxiſſe. Tanta eſt apud homines miſericordia, tanta deſpectio vulgaris opinionis, quæ ſæpenumerò in propatulo affectas ignominia, liberat ab infami ſeruitute, recipitque in ordinem matronarum. Quantò benignior facilitas erit apud Deum erga animam, propter ſuperni generis præſtantiam, quæ per tyrannidem diaboli in huius vitæ turpiſsimū lupanar coniecta eſt? Harum rerū exempla plurima ſunt apud prophetas, qui vaticinantur aduerſus Hieroſolymam prolapſam in ſcortationem aliquam nouo modo, quemadmodū Ezechiel dicit: Quibuſlibet meretricibus datur merces, tu autem addidiſti mercedē, & in te eueniet contra omnium mulierum conſuetudinem: ſediſti expectans eos tamquam coturnix ſola in eremo. Hanc adeò deperditæ libidinis vocat rurſum Deus. Etenim captiuitas eis pœna nō fuit, ſed potius ad occaſionem reditus, & ad correctionem: propterea quia ſi Deo libuiſſet conficere pœnis commeritos, profectò domum non reduxiſſet, nec ciuitatem celebriorem, nec templum auguſtius vetere apparaſſet. Erit enim gloria, inquit, huius domus, illa vltima præſtantior priore: quia ſæpius conſpurcatam libidine Deus à pœnitentia non ſummouit: multò auidius animā tuam amplexabitur, ne dubita, iſto dumtaxat caſu prolapſam. Nemo enim, nemo amator formæ quamlibet inſanus aduerſum adamatam tanto conflagrat igni, quanto ſtudio Deus noſtram appetit ſalutem: quod videre eſt de vnaquaque anima, & de diuinis ſcripturis. Obſerua in præfationibus Hieremiæ, & paſsim apud prophetas contemptum faſtiditumque Dominum, iterum tamen aduolantem ac inſtaurantem amicitiam erga defectores, iuxta id quod etiam in euangelijs ipſe conteſtatur: *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Deus*, inquit, *erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ſua, & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur: tamquam Deo obſecrante per nos, rogamus pro Chriſto reconciliamini Deo.* Hæc ad nos modò dicta putato: non enim incredulitas tantum, ſed & vita immunda ſolet excitare grauem inimicitiam. Affectus enim carnis, inquit, *inimicitia eſt aduerſus Deum.* Deſtruamus igitur interiectum murum diſsipemuſque, atque cadauer eijciamus, quò beata reconciliatio contingat, quò reddamur iterum amabiles, & expetendi Deo. Scio quòd admiraris Hermiones faciem, & bonam formam eius: nihil ei in terris exiſtimas ſimile: verū ſi voles, ô amice, iam nunc eris ea multò elegantior & pulchrior: tantūque præſtabis, quantum luteis aureæ ſtatuæ. Si ſuper corpore illuſtri multorū mentes percelluntur & obſtupeſcunt, quando in anima refulſerit lumen decoris, quid æquale huic ſic pulchro oppones? Nā huius pulchritudinis ſubſtantia eſt pituita, ſanguis fluidus, atra bilis, ſuccus cibi bene manſi. Talibus enim pigmētis, oculi, genæ, & reliqua membra venuſtantur: quamquam non ſuſcipiant huiuſmodi aſperſionē quotidie, quod ſæpenumero propter ventris malitiā aut hepatis corrūpitur, ipſaq; cutis marceſcit, congruo farcimento deſtituta, atque oculi excauantur. Citiùs euolat, quàm intellexeris oris decor vniuerſus. Quid ſubeſt micantibus ocellis? quid occulitur rectis naribus? quid ore celatur gratioſo, & malis purpureis? Certè nihil aliud, quàm gypſo incruſtatū ſepulchrū eſſe dixeris bonam corporis formam, modò exactè cognoſcas, tam diuerſis oppleta eſt intus ſordibus. Deinde & pannū reiectū, quem cū vides implicitum, tenere ſimile quiddam pituitæ aut fluori, cuiuſmodi ex ore vltro diſtillat: quēque ne ſummis quidem digitis audes attingere, imò ne intueri quidem: ſed ad plicas eius & conuolutiones intimas conuertens viſum, exhorreſcis nauſeans. Huiuſmodi eſt, ſi penitus expendis, corporis venuſtas, quæ conferta eſt putore & ſanie multa. Cæterùm iſta tua dignitas, qua pridem claruiſti, erat multò alia. Sicut enim terram cælū, ſic ea formā corporis euanidam exuperat: quin imò & cælo ipſo eſt illuſtrior meliorque. Animam enim à corpore exutam nemo vſpiam vidit, aliunde tamen

Dignitas & decor animæ corporis ornatum ſuperat.

Pſalm. 44

Ezech. 16

Math. 23

2. Cor. 5.

Rom. 8.

eius

eius tibi demonſtrare decorem tentabo, à poten-
tijs nimirum maioribus. Audi igitur quomodo vi-
rum deſideriorum conſternauit illarum decor: nã
demonſtraturus earum pulchritudinem, neque
corpus cui componeret valens inuenire, ad me-
talli materiam profugit, qua nihildum contentus,
fulgurationis vim acerrimam in exemplum quo-
que aſſumpſit. Quare cùm ſubſtantiam angeli nec
puram, nec nudam vidit, ſed obſcurè admodum
& obtectè, ſic tamen eam illuſtrauit, vt decuit
apparere, expoſitam extra omne velamentum.
Eiuſmodi quiddam etiam de pulchritudine animæ
Matt. 22. cogitaſſe fas eſt: Erunt enim, inquit, angeli: in cor-
& Mar. 12 poribus leuiora & tenuiora quæ ſeceſſerunt ad vi-
tam ferentem ſuper corpora, quo nomine melio-
ra, magiſque admiranda iſtis creduntur: ergo vt
terra cælum, & aqua ignis, & lapidibus ſtellæ ſunt
ſpecioſiores: & iridem potius, quàm violas, aut ro-
ſas, aut quoſlibet flores terræ admiramur: ſic nimi-
rum illis omnibus Chriſtianæ animæ facies præ-
fulget, ſed & modis omnibus, vbi oculis corporis
liceret contueri ſpeciem huius, deridicula vide-
rentur, quæcumque exempla è rebus craſſis & vi-
ſibilibus deſumpſerimus. Vſque adeò tenuiter de-
lineant incomparabiles animæ dotes & venuſta-
tem. Cuiuſmodi poſſeſſionem & felicitatem ne ne-
gligamus, maximè quia facilis aditus nobis ad il-
lud pulchrum conſequendum datur per ſpem fu-
turorum. continuò enim leuiuſculum afflictionis,
graue & inæſtimabile pondus gloriæ perficit, no-
2. Cor. 4. bis videlicet *conſiderantibus, non quæ videntur, ſed quæ*
non videntur: nam quæ videntur, temporaria: quæ autem non
videntur, æterna ſunt. Quòd ſi afflictiones, quas noſti,
faciles portatu, leueſque nominauit beatus Pau-
lus, propterea quòd non reſpicitur ad ea quæ vi-
dentur: quantò procliuius erit eo ingenio petu-
lantiam reſtinguere? Nam ad pericula te non vo-
camus, quæ à pijs interim obeunda ſunt, neque ad
mortem quotidie obeundam, neque ad perpetuos
labores, neque ad flagra, neque ad vincula, neque
ad inimicitiam cum orbe terrarum ſine fœnore ge-
rendam, neque ad odium domeſticorum, neque
ad vigilias frequentes, neque ad longam peregri-
nationem, neque ad naufragia, neque ad latronum
incurſus, neque ad inſidias cognatorum, neque ad
affectum doloris pro fortunis amicorum afflictis
ſuſcipiendum, neque ad famem, neque ad algores,
neque ad nuditatem, neque ad experimentum ali-
quod durum, neque ad animum conſternatum de
rebus tuis alieniſve confouendum. Interea qui-
dem à te nihil harum rerum requiro, tantùm ſtu-
deo maledictam ſeruitutem amouere, priſtinam-
que reducere libertatem: quæ quidem libertas
exactè nouerat & agnouerat, quanta ſit intem-
perantiæ pœna, quodque præmium ſuperiori vi-
tæ probæ futurum eſt. Nam incredulos de re-
ſurrectione ex mortuis leuius commoueri, nul-
lumque metum ſentire, non admodum eſt admi-
randum: ſed quòd nos qui credimus quæ hic
ſunt, vel potiùs ea quæ alibi proſpicimus, tam mi-
ſerè vitam tranſigimus, tam calamitoſè, & ea-
rum rerum memoria nihil excitamur, exuti pror-
ſus omni ſenſu, iſtud quidem longè eſt omnium
abſurdiſſimum, maximeque obſtupeſcendum: ſi-
quidem credentes, quæ ſunt incredulorum deſi-
gnamus: parum dixi: multò nimirum indigniora,
quàm illi perpetramus. Sunt enim inter illos,
qui ſecundùm virtutem huius vitæ clari extite-
runt, quæ nobis eſſe debet vehemens admonitio.
Num deinceps venia iure negabitur? Naufragio
enim periclitanti mercatores fermè nihildum cõ-
cidunt, eamdem viam audent iterum tentare, quã-
quam ex incuria id non euenit, ſed ex vi vẽtorum
ineuitabile damnum pertulerunt: & nos cõtamur
ſemel fruſtrati rurſum accingi negotio, qui ſcimus
ante vltimum vitæ momentum nihil deſperandũ,
A qui prænouimus nec naufragium, nec damnum in-
cidens, niſi volentibus accidere. Quid abſtinemus
manum? quid ceſſamus? quantus pudor ſic reſu-
pinos conſertis inter ſe mutuò manibus iacere,
atque vtinam inter ſe conſertis, & non contra ſe-
ipſas commiſsis. Quod quidem inſignis eſt inſania,
non minor quàm ſi quis eorũ qui in arena pugnis
decertant, omiſſo aduerſario in ſuum caput mani-
bus irrueret, faciemque contunderet propriam.
Ex inſidijs nos obſeruat diabolus, & incautos in
magnam abducit perniciem: quare neceſſe eſt vt
reſiſtamus intrepidi, vt caueamus ne iterum
ſubripiamur ad pericula, ne ipſi nos in præceps
collocemus, ne cicatricem ab illo inflictam, no-
ſtra culpa refricemus. Quandoquidem beatus
Dauid caſu decidit non leuiore, quàm tu modò,
imò non tantùm æquali: ſubinde enim aliud flagi-
tium adiecit, nempe cædem atrociſsimam inno-
centis Vriæ. Quid igitur? Num proſtratus ni-
hil amplius tentauit quò reſurgeret? Numquid
forti animo arma reſumpſit aduerſum inimicum?
Adeò enim conſtanti pectore eſt ei reluctatus, vt
B & mortuus filijs ſuis præſidio foret. Nam Salo-
moni commerito mille mortes, propter Dauid
Deus (ſcriptum eſt) reliquit regnum inte-
grum, cùm ſic loquitur: *Scindens ſcindam regnum* 3. Reg. 12
in manu tua, & dabo iſtud ſeruo tuo: verùm temporibus
tuis id non faciam, propter Dauid patrem tuum: è mani-
bus filij tui iſtud accipiam. Ipſi denique Ezechiæ peri-
clitaturo vltimo diſcrimine, quamquam iuſtus eſ-
ſet, propter beatum illum virum auxilium promi-
ſit. *Protegam eam, inquit, vrbem, vt ſeruem eam, pro-* 4. Reg. 19
pter me, & propter Dauid ſeruum meum: tanta eſt pœni-
tentiæ virtus. Porrò ſi eius ſententiæ fuiſſet, cuius
tu nunc es, Deum non poſſe deinceps placari: &
ſi dixiſſet, Affecit me honore eximio, allegit in nu-
merum prophetarum, & imperium in contribu-
les conceſſit, periculiſque infinitis eripuit: quo ita-
que pacto continget, vt eum iterum placem,
cui poſt tanta beneficia ſum aduerſatus, omnia
peſſima temerè perpetrando? Huiuſmodi ſi vm-
C quam venire in mentem permiſiſſet, non ſolùm
non attigiſſet ea quæ inde præſtitit, ſed etiam prio-
ra inſignia diſſipaſſet. Neque enim ſola corporis
vulnera dum negliguntur, inducunt mortem,
ſed etiam ipſius animæ: & inſcitia noſtra tanta eſt,
vt illius plagis accuratiſsimè medeamur, huius
autem obſtinatè contemnimus: quamquam cor-
pori malum immedicabile ſæpenumero accidit,
nihil tamen de ſalute deſperamus, quin dicto me-
dicorum audientes, quamquam morbum phar-
macis abolere nequeunt, ſtudemus tamen ex ver-
bis eorum qualemcumque poſſumus conſolatio-
nem venari. Animi hic nullus eſt morbus deplora-
tus, quoniam naturæ viribus non ſubeſt, & perin-
de negligimus huius incommoda, deſperato ſalu-
tis obtentu, tamquam ad nos nihil pertineret: in-
de quidem exiſtit, quòd detrudimur in barathrũ
D deſperationis. Quemadmodum ægrotos qui bo-
na ſpe ſuſtinentur, ſalubriter curamus, propterea
quòd nihil in eis, de quo dubitandum videa-
tur: ita ab illis abſtinemus, qui animum ad ſa-
nitatem prorſus abiecerunt, eoſque nolumus
accipere curandos: tantò diligentiorem corpo-
ris, quàm animæ curam habemus. Quo fit, vt nec
ſeruare corpus valeamus, optimo quidem iure:
nam qui neglecto potiore, de minutis omni ſolli-
citudine diſtringitur, vtraque diſsipat & perdit:
cæterum qui ordinem, cui maxima virtus, cuſto-
dit, & quod prius eſt, maximè curat, altero, quod
eſt vilius, poſthabito, per potioris quidem ſalutem
ſeruat etiam poſterius. Sicut & Chriſtus inſinuare
videtur: *Ne timeatis, inquit, eos qui occidunt corpus,* Math. 10
animam autem nequeunt occidere: quin potiùs timeatis
potentem & animam & corpus perdere in gehennam.
Fortaſsis tibi per nos perſuaſum erit, numquam

Digitized by Google

eſſe negandum reditum animæ ad ſanitatem à A morbis tamquam deſperatis. Non abſurdum itaque videtur aliorum iam cogitationes rememorare. Quamlibet ipſe animum abieceris, nos vtique ſpem de conſequenda ſanitate tuá numquam vocabimus in dubium: neutiquam enim id nobis permittemus, quod ſolemus alijs vitio vertere: & multum intereſt, vtrum à ſpe ipſe te ſummoueas, an ab alio ſummouearis. Etenim ab alio in eum torporem detruſus, non rarò celerem veniam obtinebis: at is qui ſibi ipſi omnem ademit fiduciam, numquam inde confidet. Et quid ita? quia nemo alterius ſtudia reſipiſcentiamque in manu habet, ſuorum autem poteſtatem omnino tenet. Atqui nihildum tantopere præcludimus ſperandi viam, quamquam infinities ignauia hac laboraueris, fortè dabitur aliquis in virtutem regreſſus, & de malitia veteris vitæ reconciliatio. Audi ſequentia. Niniuitæ audita Prophetæ inuectione & minis,

Ionæ 3. qui ait: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur:* non ita conſternati ſunt, quamquam nihil ſpei B vſpiam fuit de Deo precibus impetrando, imò potius contrarium habuerunt ſuſpicari ex oraculo. Nam non erat dictum cum aliqua disiunctione, ſed aperta ſententia, & nihilo ſecius tantā exhibuerunt pœnitentiam: Quis ſcit, inquit, ſi pœnitebit & conſolabitur nos Deus, & auertet animum ab indignatione, neque nos pereamus? Et vidit Deus opera eorum, quòd ſummoti eſſent à vijs ſuis peruerſis, & pœnituit Deum ſuper afflictione quam locutus erat ſe ipſis facturum, & non fecit. Homines illi barbari & imprudentes tantum potuerunt intelligere: multò amplius conuenit vt nos idem perficiamus, qui diuinis decretis, totque exemplis eruditi ſumus, qui tam in verbis, quàm in operibus quouis populo plus

Eſaiæ 55 perſpeximus: *Conſilia*, inquit, *mea non ſunt vt conſilia veſtra: nec via mea, ſicut viæ veſtræ. Quantum abeſt à terra cælum, tantum diſtant iuſtificationes meæ à cogitationibus veſtris, & conſilia mea à veſtris conſilijs.* Porrò nos miniſtri, qui ſæpenumero deliquimus, in meliorem frugem proficiſci ſtipulati ſumus, quàm C blandè reuerſi ſuſcipimur, quanta gloria cohoneſtamur, & nos non rarò delabimur in maiorem licentiam. Non quidem in eum caſum à Deo deſcribimur: ſiquidem vbi Deus in hoc nos creaſſet, vt perderet, probè quidem id pernoſſes, iureque dubitaſſes ſuper propria ſalute: cæterùm quia non ob aliud, quàm propter bonitatem nos produxit, quò bonis fruamur ſempiternis, atque in hoc omnia facit, omnia molitur in præſentem horam vſque: quod factum ipſius idoneum eſt nos dubios reddere. Vehementer eum exaſperamus, qualiter alioqui nemo alius: quo fit, vt ea de cauſa maxime oporteat abſtinuiſſe ſceleribus, duci pœnitudine ſuper peractis, multumque ſpeciem præbere animi demutati. Quandoquidem nihil eſt quod in nos queat ſoleatque illum ipſum ſemel perinde irrita- D re, atque in poſterum nolle reflexiſſe in viam: nam peccaſſe eſt humanum, perduraſſe autem in flagitijs non humanum eſt, ſed penitus diabolicum. Conſidera quantò maiore ſtomacho Deus id ferat apud prophetam. Scriptum eſt enim, poſteaquam ab eo defecerint omnia.

Hiere. 3. *Ad me*, inquit, *reuertere, neque reuerſus eſt.* Et econtrario iterum adnitens demonſtrare, quàm benignè lancem quæ continet ſalutem noſtram, inclinet, vbi poſt tanta tamque enormia delicta ſe receperunt rectà incedere, cùm id audiſſet, inquit: Quis dabit vt ſic parentur corda eorum intra ipſos, quò me timeant, cuſtodiantque præcepta mea omni tempore, vt eis bene ſit, & filijs eorum per ſeculum? Præterea Moyſes ſubſcribit: Agè,

Deut. 10. inquit, *Iſrael, quid Dominus Deus à te petit? Vt timeas Dominum Deum tuum, vt ambules in cunctis vijs eius, & vt ames eum.* Quare qui captat omnibus modis, vt à nobis ametur, & in hoc omnia facit: neque vnigenito propter amicitiam noſtram pepercit, vtque ipſi aliquando reconciliemur, tam amabilem rem præſtitit: quî fieri poſſit, vt reſipiſcentes non admittat? vt non redamet? Audi quid per Prophetam dicit: *Dic*, inquit, *iniquitates tuas prior, vt ſis iuſtificatus:* & hoc, quò in amicitiam fortiter ardeamus, expetit à nobis. Eſai. 43. Qui eſt amore captus, ſi ipſum ij quos amat, afficiunt quamlibet graui contumelia, nondum extingui ſuſtinet concupiſcentiam, nullius rei gratia illatas iniurias in medium feſtinat proponere, quàm vt ſolido ipſius amore demonſtrato, arctiore eos dilectione obuinciat. Quoniam autem confeſſum eſſe peccata, tantum affert ſolatij: quantum putas allaturum, per opera diluiſſe? Niſi ſic foret, & à recto curſu ſemel deflectentibus pateret reditus, quotus tum quiſque ex tot hominum millibus in cælum introiſſe videbitur? præter admodum paucos, qui ſupra nos iam nunc ſunt cooptati in numerum bonorum. Atqui maximè refulgentes inuenimus poſt lapſus enormes, qui magnum impetum in malitia præ ſe tulerunt, eumdem rurſus adhibuerunt ſæpenumero rebus optimis, perpenſis apud ſe debitis, quibus ſunt velut obærati per ſua ipſorum malefacta. Quod & Chriſtus ipſe illuſtre reddidit, vbi Simoni de muliere reſpondet: *Vides* enim, ait, *hanc mulierem: ſum ingreſſus domum tuam, aquam ad pedes meos non dediſti, ea autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis ſuis abſterſit: oſculum mihi non dediſti, ipſa verò ex eo tempore quo intrauit, non intermiſit pedes meos exoſculari: oleo caput mihi non vnxiſti, hæc autem vnguento pedes meos inunxit.* Luc. 7. Non temerè dico tibi, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Cæterùm *cui parum remittitur, is parum diligit*, eique dixit: *Remittuntur tua peccata.* Quare aduerſarius cum his rebus cognitis, planè intelligit eos qui malefacta quantumlibet immania perpetrarunt, vt primùm cœperint pœnitere, quod maiore ſtudio id faciunt, tamquam conſcij delictorum ſuorum, vehementer timet ac formidat, ne quando rem exordiantur. Gradu enim facto, amplius detineri nequeunt: conflagrant per pœnitentiam tamquam vehemens ignis, & auro puto puroque animas ſuas puriores efficiunt, tamquam vento rapido conſcientiæ, ac memoria præcedentium peccatorum, in virtutis portum conuehuntur. Et hoc eſt quod peccatores plus poſſident, quàm qui numquam ceciderunt: quoniam maiore alacritate reditum tentant, tantùm rem, vt ſic dixerim, auſpicentur. Nam arduum eſt & difficile factu, poſſe ingredi cliuum primum, & veſtibula contingere pœnitentiæ, & inimicum illic exufflantem ignem & imminentem abigere atque proſternere: ille autem tanto furore deinceps non digraſſabatur ſemel exuperatus, ex ea re fortis eſt qui cecidit. Cæterùm nos maiorem alacritatem concipiemus, multaque facilitate pulcherrimam illam pugnam depugnabimus. Suſcipiamus itaque quod ſupereſt aſcenſus, recurramus in vrbem cæleſtem in qua profiteamur, in qua ciues agere iuſſi ſumus. Nam à nobis ſpem omnem abijcere, non ſolum id mali habet, quòd eius ciuitatis portas nobis intercludit, aut quòd in peiorem ignauiam trahit atque contemptum, aliud habet facilè peſſimum: intrudit enim in ſocordiam, cuiuſmodi eſt ipſi ſatanæ. Etenim diabolus ex nulla re tantus euaſit, atque ex prima deſperatione, vnde in ſocordiam ceu per gradus delapſus eſt. Vt primùm enim anima de conſequenda ſalute dubitat, non ſentit ampliùs quo periclitetur præcipitio, quidlibet faciendo, dicendoque contra ſalutem ſuam. Quemadmodum furia correpti, deperdita ſemel ſanitate capitis, nihil verentur, nihil eos pudet, intrepidè quiduis audent, in ignem, in mare, in prærupta editaque ſaxa impigrè

conuo-

conuolant: In hunc modum qui ſe incuriæ per deſperationem permiſere, dienceps ſunt intolerabiles, per auia vitiorum aſſiduò diſcurſitant, neque mors imminens eos ab inſania deterret, atq; à deprauatione infinitis ſe calamitatibus conficiunt. Quare adhortor, antequam altius ab ea ebrietate commadueris, vt reſipiſcas, vt reſurgas, vt crapulam diabolicam ſecludas. Si putas eſſe ſupra vires, vt vniuerſam ſecludas, & ſenſim & paulatim eius mali, atque iterum paululum deme. At mihi quidem longè facillimum videtur, omnes laqueos quibus complicamur, ſimul abrumpere, conferendo nos in palæſtram pœnitentiæ, cæterùm quia tibi fortaſsis arduum apparet, ſicut lubet attingas viam ad meliora ducentem, modò attingas & apprehendas vitam æternam. Magno ſiquidem ſtudio precor & oro per ſuperiorem probationem, per iſtam libertatem, vt iterum videamus omiſſum animi robur: miſerere offenſorũ per caput tuum, miſerere cadentium & eorum qui facti ſunt per te ſegniores, qui virtutis viam deſperarunt. Et nunc quidem ingens mœror occupat fratrum conuentum, voluptas autem & lætitia conſeſſum incredulorum, & iuuenum otio deditorum: cæterùm vbi redieris in illam accuratam diligentiam, contrarium erit, noſtraque ignominia in aduerſarios vniuerſa deriuabitur. Nos autem ingenuæ reddemur libertati, videntes te iterum cum eximio ſplendore coronatum prædicatumque: tales victoriæ maiorem ferunt & iucunditatem, & voluptatem. Non enim propria benefacta mercede penſabuntur, ſed quòd alijs cohortationi fuiſti & ſolatio, exemplum eſt maximum, quiſquis in tanta mala inciderit, ad reſurgendum, & ad conquerendum contra ſe. Ne contemnas tantum lucri, neque animas noſtras ad inferos cum mœrore ſubducas, quin dederis nobis & reſpiraſſe, excuſsiſſe nubila pectoris, quæ per triſtitiam nos occuparunt: noſtris enim malis omiſsis, tua damna lamentamur. Quando autem in animum induxeris reſipiſcere, diſpicere omnia prudenter, & angelicæ militiæ connumerari: tum nos à luctu reuocabis, bonamque partem de peccatis noſtris auferes. Qui per reſipiſcentiam iterum exurgunt, magna claritate reſplendent, & non rarò maiore quàm alij qui numquam ceciderunt: quòd primò demonſtraui etiam à diuinis ſcripturis. Ea nimirum ratione & vectigalium exactores, & ipſæ meretrices hæreditate acquirunt regnum cælorum: ea ratione multi ex nouiſſimis anteferuntur prioribus. Narrabo tibi, quæ noſtris contigêre temporibus, & quorum ipſe teſtis eſſe valeo. Noui iuuenem illum filium Vrbani, continuò à teneris vnguiculis abſque cuſtodia fuit educationis legitimæ, Dominus autem multarum rerum, pecuniarum, miniſtrorum, agrorum. Is cùm dixiſſet, quàm ſit oblectatus conſuetudine rei muſicæ, depoſito illo ſplendidiſſimo amictu, totoque huius vitæ faſtu, repente pallio ſe viliore contexit, ad montes, ad ſolitudinem ſeceſſit, egregiamque exhibuit philoſophiam, non iuxta illius ætatis modum, ſed qualem poſſet vir quiſpiam admirabilis & excellens: deinde ad ſacra myſteriorum ſacerrima idoneus reputatus, magnã acceſſionem virtuti adiecit. Omnes gauiſi ſunt impenſè, Deumque glorificarunt, quòd in affluentia deliciarum enutritus, clarus ex progenitoribus, & admodum adoleſcens cunctam huius vitæ phantaſiam, fucatamque felicitatem, ſemel conculcaſſet, & euaſiſſet ad verum faſtigium virtutis. Cùm eſſet eo loci conſtitutus, & nunc iure ſuſpiciendus: ecce corruptores quidam conſiderantes id eſſe præter dignitatem generis, iterum illum in fluctus priſtinos abduxerunt. Reiectis iterum cunctis eius vitæ, quæ pridem erant, ornamentis, à montibus in medium forum ſe contulit, & equis

Exempla pœnitentiæ.

A vectus, & magno ſtipatus famulitio, totam vrbem obiuit, neque ſapere, neque temperatè viuere libuit, nimijs enim delicijs incaleſcens, in abſurdos amores ceu nolens perpellitur. Nemo erat ex cætu conuerſantium, qui non de ipſius ſalute putaret actum eſſe, tantum ei examen adulatorum cohæſit: cui acceſſerunt carentia parentum, iuuentus, multæ opes: qui omnia ſolent calumniari, hominem traduxerunt eo nomine, quòd à ſpiritualibus defeciſſet, inutilis futurus & rei familiari, quòd ſuperiori tempore ſermoni & eloquentiæ deditus, retuliſſet pedem, illicque nihil fructus valuerit cõſequi: huiuſmodi quiddam crebro occinuerunt. Cùm eſſet itaque multo ſuffuſus pudore, quidam ſancti viri qui ſæpenumero in tales belluas impegerunt, & per experientiam probè ſunt edocti, quòd ſpe diuina communitis neutiquam ſit deſperandum: obſeruarunt eum aſsiduè, viſumque in foro acceſſerũt, amplexiq; ſunt: quos ille principio ſequentes velut è ſublimi, equo inſidens, alloquebatur contemptim, B tanta erat primùm impudentia hominis. At illi miſericordes, ſtudioſique in rem alioqui perituræ pueritiæ, non ita multum ea contumelia mouebantur, in vnum iſtud figentes obtutum, vt quacumque via lupo agnellum ſubtrahant: & callidè perfecerunt. Siquidem poſthac aliquando velut obſtupeſcens, intra ſe abreptus eſt. Aſsiduam eorum curam tum cœpit reuereri: quoties illos vel procul obuiam factos conſpexit, ab equo citò deſilijt, & oculis in terrã deiectis, cùm multo ſilentio, quæ apud illos agerêtur, auſcultauit, propiorque factus maiori pudore ſuffundebatur, & eis habuit honorem debitum. Atque eo ingenio lapſum diuinæ gratiæ paucis diebus reddiderunt, omniaque iſta retia ſimul expedientes, priſtinæ tranquillitati philoſophiæque liberum tradiderunt. In tantam autem lucem tunc temporis emicuit, vt ſuperiorem vitam, quæ poſt caſum peracta eſt, inceſſens, homo nihili videretur. Cùm enim probè perſpexiſſet, quæ ſit malo- C rum eſca, diſtribuit in egentes diuitias omnes: eo facto ſe à noxijs curis exonerans, omnem occaſionem, quæ potuit inſidias tendere, abſcidit. Viam quæ ducit ad cælum incedens, ad apicem virtutis iamdudum penetrauit. En ille cùm eſſet iuuenis, excidit, & iterum ſurrexit. Alius quiſpiam poſt multos ſudores eremiticæ conuerſationis, cui dumtaxat vnus fuit conuictor, cùm quo vixit planè angelicam vitam, ad ſenectam vſque perſeuerans. Is aliquando ex verſutia diaboli velut oſcitans ac remiſsior factus, acceſſum dedit maligno ad incitandam concupiſcentiam: & lapſus eſt cum muliere ſe commiſcendo, qui numquam vidit mulierem ab eo tempore quo ſe ad monaſticam vitam contulit. Principio conturbernalem ſuum orauit, vt ipſi daret carnes atque vinum, adiectis minis, niſi impetraret, in forum ſe perrecturum: D quod dixit non ex deſiderio carnium, ſed cauſam & prætextum capturus deſcenſus in vrbem. Commilito eius cùm varia curioſè diſpexiſſet, formidaretque ne renuens illum in maius flagitium conijceret, permiſit vt ſatisfaceret affecto animo. Poſtquam in eo refriguit amor ſapientiæ, depoſita fronte fictionem aperuit, palamque profitebatur ſibi neceſſe eſſe, vt in ciuitatẽ proficiſceretur. Is qui prohibebat, dum vidit ſe fruſtra niti, tandem id etiam conceſsit: at procul affectatus, abeuntem obſeruauit, quònam terrarum eo deflexu deſcenderet. Vidit autem intrantem lupanar, & cùm intellexiſſet eum commixtum fuiſſe cum muliere meretrice, expectauit foris: & poſt abſurdæ concupiſcentiæ ſaturitatem, egredientem obuijs manibus excepit, amplexumque, ac multum exoſculatum, nihil expoſtulando de commiſſis flagitijs, tantum eſt adhortatus, vt expleta iam concupiſcentia, in ſolitudinis domiciliũ velit

Digitized by Google

A

reuerti. De tanta manſuetudine pudere cœpit, moxque animo perculſus, compunctuſque ſuper temere perpetratis, ad montem eſt ſociũ perſecutus: eoque loci conſtitutus vir ille, ſe caſa quapiam concluſit, & eius domunculæ ianua obſerata, alter ipſi panem & aquam quotidie præbuit: quærentibus autem de ſe, iuſsit vt reſponderet ſe ſomnum capere. Hæc cùm dixiſſet, facilè inuenit illum ipſum amicum aſſenſorem, ſeipſum introcluſit, perſeuerauitque illic per omnem vitam in ieiunijs, in precationibus, in lacrymis, repurgans animam à ſorde peccati. Tempore autem non ita multo peracto, magna ſiccitas viciniam inuaſit: omnes incolæ cùm fruſtra plorarent, quiſpiam ex eis per ſomnium mandatum accepit, vt abiret ad virum illum incluſum, hortaturus eum, quò velit orare ac diſſoluere ſiccitatem. Itaque diſceſsit aſſumpto ſocio, & inuenerunt veterem illius conuictorem ſolum: à quo dum percontantur, accipiunt, quẽ tum quæſitum venerant, obiiſſe diem: qua in re cùm ſibi imponi putarent, ad preces iterum conuertuntur, iterumque per priorem viſionem eadem ſuperioribus didicerũt: circumſteterunt deinde hactenus verum fateri diſſimulantem, obteſtatique ſunt, vt ipſis viri illius indicium faceret: nam quòd mortuus non eſſet, quodque adhuc viueret, omni contentione affirmarunt. Is cùm hæc audiſſet, ac videret quæ ex pacto inter ſe arcana tenuerunt euulgata, deduxit eos ad virum illum, & pariete demolito (quia ianuam obſtruxerat) intrauerunt omnes, mox aduoluti pedibus, expoſito mandato ſuo, rogarunt, vt ferret ſuppetias aduerſus ariditatem. Ille primùm reſiſtere, aſſerens abeſſe ſe à tanta impudentia: nam vt recens factum peccatum, ita ſemper ante oculos conſeruauit: tandem commemorantes omnia quæ ſibi contigerant, perſuaſerunt vt oraret. Vt primùm autem orauit, mutata eſt ſiccitas. Quæ geſta ſunt cum illo iuuene, qui pridem diſcipulus fuit Ioannis, filij Zebedæi: deinde longo tempore ducem egit latronum: iterum à ſanctis manibus beati ſenis interceptus, in ſuperiorem virtutem è luſtro, è ſpelunca latronum penetrauit, ipſe non ignoras: noſti enim non minùs quàm ego. Sæpenumero te admirantem audiui referre beati viri condeſcenſum, & manſuetudinem, & ſuauitatem illicem: quoniam prior cruentam dexteram exoſculatus eſt, hærens in amplexu adoleſcentis, & ea via reduxit ad amiſſam virtutem.

B

Vide Euſebiũ Cęſarienſem hiſt. eccl. li. 3. c. 23

C

Beatus item Paulus ſic Oneſimon inutilem transfugam, furem illum non ſolùm ipſe amplexus eſt, demutatum in melius, ſed etiam idoneum putauit quem pœnitentem honorem præceptoris dignaretur. *Rogo te*, inquit, *pro filio meo, quem genui in vinculis meis, Oneſimo, quondam tibi inutili, nunc verò mihi & tibi perutili, quem remiſi. Tu autem eum, hoc eſt, viſcera mea ſuſcipe, quem ego cupiebam apud me retinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis euangelij: ſed abſque tua ſententia nihil volui facere, ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed ſpontaneum. Nam propterea forſitan ſeceſſit ad tempus, vt æternum eum reciperes, non iam vt ſeruum, ſed ſupra ſeruum: nempe fratrem dilectum maximè mihi, quantò autem magis tibi & in carne, & in Domino? Si igitur me habes conſortem, ſuſcipe illum tamquam me.* Ad Corinthios ſcribens: *Ne fortè*, inquit, *vbi venero lugeam multos, qui ante peccauerint, & non pœnituerint.* Et iterum: *ſicut prædixi, & prædico, quòd ſi venero denuo, non parcam.* Intelligiſne quos lugeat, quibus non parcat? Non ijs qui peccauerunt, ſed qui ſemel atque iterum orantibus vt reſipiſcerent, refugerunt aures præbere. Siquidem quod ait, prædixi & prædico, vt præſens cùm eſſem, iterum ſcribo: nihil eſt aliud quàm ne timor nos exanimet. Etenim Paulus & ſi non adeſt, vt

Ad Philẽ

D

2 Cor. 12

Ibid. 13.

olim, quando cum Corinthijs expoſtulauit: at Chriſtus ipſe in præſentia manet, qui tum per hũc locutus eſt. Vbi perdurabimus in peccatis obſtinatè, non parcet, magnum vulnus infliget, atque hic interim permittet conſcindi flagris. Anteuertamus igitur faciem eius in confeſſione, effundamus coram eo corda noſtra. *Pecccaſti* enim, ait ſcriptura, *ne ſuperaddas amplius, atque de prioribus tuis preceris.* Et iterum: *Iuſtus eſt ſui accuſator ab exordio ſermonis.* Ne expectemus igitur accuſatorem, quin illius partes præripiamus, eoque officio iudicem nobis pacatiorem conſtituemus. Cæterùm tu confiteris peccata, teque tui miſeret ſupra modum: ſcio equidem ſatis: verùm id non requiro ſolum, cupio autem, vt te res aliqua iuſtificet, vt primùm te obſequentem præbueris. Quamdiu enim lucroſam intermittis confeſſionem illam, nihil eſt cur te accuſes: quoniam neſcis in poſterum de peccatis diſcedere. Nam nemo quidquam perficiet cum alacritate & idonea obſeruantia, cui non prius perſuaſum fuerit, quòd ea res ſibi commodo ſit futura. Num is qui ſeminat, poſtquam meſſem non expectat, poſt ſementem vmquam metet? Quis enim propoſuit aliquando fruſtra laborare, & non conſequi ex induſtria fructum? Non aliter qui ſeminat viſiones, lacrymas, & confeſſionem extra ſpem alioquin vtiliſſimam, nequit à peccatis abſtinere, detentus adhuc malo incredulitatis. Sed quemadmodum agricola ille, qui deſperato fructuum prouentu, ſegetes deuaſtantia non arcebit: ita & ille qui ſeminat per lacrymas confeſſionem, nihil lucri expectans, neutiquam dimouere ſtudebit ea quæ reſipiſcentiam corrumpunt. Corrumpit autem pœnitentiam, iterum ijſdem malis inſtitiſſe. Nam *vnus eſt*, ait ſcriptura, *qui extruit, & alter qui demolitur: quid lucri accedit præter laborem?* Expiatur quis à tactu mortui, & iterum attingit funus: quid emolumenti huic ex lauacro? Haud ſecus homo qui ieiunat, de peccatis ſcilicet ſuis, & pergit, eademque denuo committit, quis huius preces exaudiet? Et rurſum: Qui diuertit, inquit, à iuſtitia ad peccatum, eum Dominus præparabit in gladium. Et ſicut canis ad vomitum reglutiendum redit, fitque odioſus: ſic imprudens, qui per propriam malitiam ad peccata reflectit. Ne igitur perinde peccatum atque accuſator traduxeris: ſed tamquam qui debet iuſtificari per formam pœnitentiæ: quo pacto animam confitentis aſſidua cura licebit continere, ne quando ad vitia relabatur. Nam vehementer ſe damnare, profiterique peccatorem, commune eſt, vt ſic dixerim, etiam cum infidelibus. Multos à ſcena tam viros quàm mulieres, quum turpitudinem ſuam perpendunt, ſui miſeret: at non collimant ad verũ ſcopum: ideoque illud confeſſionem nulla ratione nominarim: quia non eſt cũ animæ compunctione, neque cum amaritudine lacrymarum, neque cum peccatorum abolitione, quòd ea ſic enuntiant. Verũ ſunt qui eo nomine ab auditoribus gloriam nimirum elegantia & gratia ſermonum aucupantur. Peccata enim non apparent eiuſdem moleſtiæ, quando alius quiſpiam ingerit, & quando ipſe audis. Sunt rurſum qui nimia deſperatione obſtupeſcunt inſenſatique redduntur, & bonam exiſtimationem & ſiniſtram opinionem iuxta ponentes, magna petulantia ſua, ceu aliena mala proclamant, cæterùm caue ne fueris, neque de horum, neque de illorum numero. Nolo enim vt proficiſcaris à deſperatione ad confeſſionẽ, quin cum alacritate ac fiducia eruta radice deſperationis, quantum vales, huic diuerſum ſtudium oſtendas. At quæ tamdem eſt radix & mater deſperationis? Ignauia, inquam, imò quam quis haud ineptè nominauerit non tantùm radicem, ſed viciſsim illius quoque & parentem, & altricem.

Prou. 18

Eccl. 21.

Cõfeſſio quomodo facieda.

Eccl. 34.

Ignauia parit deſperationẽ

A Quemadmodum in cadauere tabes gignit vermiculos,quæ ab iis iterum augetur:ita eſt propemodum hoc loci. Nam ignauia deſperationem parit, ab ea mutuò & illa nutricatur, adeoque dum ſeruant inter ſe execrabiles vices dandi accipiendique, confirmantur in potentiam haud mediocrē: alteram itaque reſcindens abarcenſque, alteram quæ conſequitur facili opera conficiet. Numquam enim qui non torpeſcit, in deſperationem proruet: neque qui alitur ſpe bona,aut qui expectationem ſalutis non abdicat,in ſocordiam delabitur. Par iſtud peſſimum diſſipa, & iugum confringe,hoc eſt,illam variam,illam grauem cogitationem. Quandoquidem qui vtrumque malū coniunxit,non eſt vnius formæ,ſed multiplicem de ſe præbet ſpeciem omnifariamque. Quis autem talis eſt? Vſu euenire ſolet,vt is qui pœnituit, corrigat plurima,maximaque facinora:interim autem quia denuo peccat,nactæ correctioni non minoris ponderis peccatum opponit: quod maximè in deſperationem abripit:haud ſegnius atque hi ab ex- B pectatione cadūt,qui ſimul eadem vt ædificarunt, demoliūtur,exhauſto fruſtrà tanto labore. Neceſſe eſt,vt illa in mente habeamus, vtq; expellamus tam pernicioſam cogitationem. Siquidem virtutis modo alteram vitiorum lancem adæquante, non anteuerterimus,à mole peccatorum quæ interim obrepſerunt,penitus opprimemur: nihil enim tū retinebit,quò minus abſorbeamus: ſin actione boni præmuniti fuerimus, ea nos defendet non aliter atque thorax firmus acuta noxiaque tela ſummouet,quò minus,quod ſolent, queant præſtare: quin his diſiectis,omne periculum à corpore defendit. Nam qui illinc abſcedit,tam bonis,quā malis operibus affluēs, habebit aliquid ſolatij in pœna & diris illis tormentis:qui autē à factis melioribus alienus,tantumque eſt peioribus ſtipatus, dici non poteſt,quàm arctiſſimè pœnæ ſempiternę cohæreat à vita illinc amandatus. Nam illic bellum C erit malorum operum cum alijs diuerſæ conditionis. Si hæc deprimunt libram,ſaluum reddunt non mediocriter authorem ſuum: & non tantum poterit damnum,quod vſu malorum operum accreuit,quantum eam deorſum rapit prior ordo. Peruerſa autem opera ſi exuperant, abducunt ad ignem gehennæ: propterea quòd non ſit tantum agmen operum virtutis, quòd valeat reſtitiſſe impulſui tam violento: ſermo noſter ſolus hoc nō aſtruit,verùm conteſtantur omnia diuina eloquia: ſiquidem ait illē: *Reddet vnicuique ſecundùm opera ſua*, (Math. 16) neque id gehenna tantùm,inuenies etiam in cælo diſcrimina plurima. *Manſiones* enim *multa*, inquit, *ſunt apud patrem meum*. (Ioan. 14.) Et: *Alia eſt claritas ſolis, alia claritas lunæ.* (1.Cor. 15) Et quid miraculi eſt eum tam curioſè illa perſcrutatum,quando ſtellæ quoque differentiam ad ſtellam aſſeruit? Quare rebus his omnibus perſpectis,numquam ab exercitio operum ceſſemus. D Vbi aſſurgere ad ordinem ſolis aut lunæ non datur,ne contempſerimus aſtrorum cætum,donec tantum virtutis de nobis præbuerimus, vt liceat incolere cælum. Si non aurum,ſi non pretioſus lapis habebimur,ad argenti modum pertingentes, adhuc permaneamus in fundamento. Id vnū curæ ſit,ne ad eam deflectamus materiam, quam ignis citò corripit: deinde cum videmus egregia facinora ſuperare captum noſtrū,minora perfeciſſe nihil pudeat. Reijcere enim parua, vbi magna cōſequi non vales,extremæ eſt dementiæ,quam omnibus modis effugiamus. Quemadmodum enim opes corporis accumulantur, quum amatores illarum ne minimum quidem lucellum negligunt: ſic ſpirituales diuitiæ. Num abſurdū apparet,quòd iudex quoque frigidi poculi mercedem rependit? Atqui nos ſtolidiores,niſi magna benefacta poſſimus, minorum curam omnem abijcimus. Minima qui non deſpicit, accurato ſtudio vel maxima perficiet: qui verò illa faſtidit,ab his interim excidet: quod ne cōtingat,libuit Chriſto pro illis mercedem ampliſſimam certò polliceri. Quid enim faciliùs, quàm reſpectum agere eorum qui laborant, de quo tamen magnum viciſſim præmiū tribuit? Itaque vitam ſempiternam ſuſcipe, oblectes te domino,& ei ſupplica: iterum arripe iugum cōmodum, ſubeas leue onus, dignum principio finē ſuperadde. Ne deſpexeris diuitias tantas,quæ vltro affluunt: quas ſemel vniuerſas amittes,vbi perſeueraueris exaſperando Deum per ea quæ nunc facis. Vbi autem obſtruxeris canales antequam multum damni datum,aut antequam aluuiū aquarum exculta arua corruperit, recuperare poteris ab initio cuncta quæ perierant, adiecto etiam illis non exiguo fœnore. Quæ quidem cùm ritè perpēderis,excutias obſecro lucrū & ſordes: à terra, vbi iaces,reſurgas, & formidabilis eris aduerſario, qui te ceu numquam reſurrecturum proſtrauit: poſtquam viderit manus te mouentem contrà,inexpectato vulnere percuſſus ſegnior erit ad inſidias denuo ponēdas: ipſe autem tutior factus, nō amplius accipies tā acerbam plagam. Si aliorū calamitates idoneæ ſunt,vt nos erudiant: quātò potentius quas ipſi exhauſimus erudient? Videor mihi propediem viſurus iſtud in tuo capite,& iterum ex libramine diuino te clariorem,pluchriorémve euaſurū, tantamque præſtiturum virtutem, vt alijs illic anteferri queas,modò ne deſperes,neque recidas. Hæc enim ad iudicium proficiunt, ſic mihi quidem vſus eſt. Poſtquam aliquid vel per alios intelligo, non ceſſo, quod mihi conducat eligere: qua in re ſi probè auſcultas, nihil erit loci reliquis medicamentis.

Ad Theodorum monachum,

EPISTOLA VI.

(Deſeruerat hic Theodorus religionem hortatur eum ad reſipiſcētiam.)

SI fletus poſſet & gemitus per literas nuntiari, redundantia lacrymis atque ſuſpirijs profectò ad te ſcripta miſiſſem. Equidem fleo,non quòd paternarum rerum ſollicitudinem geras, ſed quòd ex fraterno te deleueris numero,quòd negligendo calcaueris,quidquid antè de pectore Chriſto ſpoponderas,ad hæc inhorreſco,his angor & crucior, propter iſta formido, non immeritò: vt enim non obijcitur deſertio militiæ non militanti: ita is qui ſemel eſſe cœperit miles, cùm deſeruiſſe detegitur,pœna dignus vltima iudicatur. Non eſt graue, Theodore chariſſime, cadere luctantem, ſed iacere deiectum: non eſt pernicioſum in prælio vulnerari; ſed poſt vulnus acceptū deſperatione curandi medelam vlceri denegare. Nullus ſe demergit,naue fluctibus ſemel merſa,ac poſt totum onus perditum deſijt nauigare: ſed rurſus ad maria nudus quoque feſtinat,rurſus immenſa peruolat freta, & iterato felicius curſu, caſus prioris damna compenſat. Sæpe etiam athletas videmus,poſt frequentes lapſus & deiectiones plurimas coronatos: militem quoque ſcimus poſt fugas multas virum fortem fuiſſe,& viciſſe victores. Multi etiam, qui negauerant prius Chriſtum,propter crudelitatem neceſſitatemque pœnarum, ſimile rurſus certamen aggreſſi, glorioſè coronam martyrij receperunt. Quòd ſi vnuſquiſque eorum quos dinumerauimus propter aduerſa principia deſperando ceſſiſſet, numquam ad ſequentium voluntatem,ac fructum bonorum peruenire potuiſſet, ſimilis profectò res eſt,frater chariſſime: ideoq; cōſidera,ne quia pauliſper communis inimicus te vbi bene ſteteras,loco mouit,idcirco & ipſe te totū ad præceps,quod videtur,impellas. Perſiſte,imò magnanimus eſto,& vnde extuleras pedem reuoca,néve ignominiæ,vel opprobrij genus credas exiguā hanc parui temporis plagam. Neque enim reprehenditur

henditur miles, cùm de prælio reuertitur vulnera- A
tus,ſed reprehenſibile magis,ac ſemper turpe eſt
arma deponere,& ſeruitutis iugum ſubire capitiuũ.
Quamdiu autem quis in conflictibus perſeuerat,ſi-
ue pro tempore cadat ille,ſiue fugiat,nullus vſque
adeò ingratus ac durus,& bellicę diſciplinę expers
erit,qui vituperet denuò dimicantẽ. Nõ pugnantẽ
quippe eſt non vulnerari. Quicumque autẽ iracũ-
dia pertinaci in hoſtes feruntur, aut cadere non-
numquam videntur,aut vincere. Quod quidem tibi
nũc proueniſſe non miror,qui dum ſubitò ſerpen-
tẽm occiſurus inſequeris, minimè morſum tetri
dentis euadis. Verùm ſi conſtantior redeas, & ſo-
brio vt conuenit paululũ corde confidas, nõ ſolũ
& ipſa veſtigia impreſſi vlceris repentè delebis,
ſed diuinitatis auxilio,etiam caput ſcelerati anguis
extingues. Neque illud te fortè terreat, quòd tam
ſubitò,& in exordijs ſuis refrænatus tibi curſus vi-
detur,& impedita principia. Vidit ſine dubio,& ve-
lociter vidit oculus hoſtilis,non modicarũ in ſen-
ſibus tuis ſigna virtutũ,& inuictũ debellatorẽ ſuis B
rebus increſcere longè ante præſenſit. Qui enim
cõtra ipſum ſubitò moliri tot& tanta cœpiſſet,eum
niſi inimicitijs occuparet, expugnandũ à ſe poſtea
difficilius æſtimauit. Ob quod ſollicitius vigilan-
tiuſq; feſtinans,aduerſum te totus exiliuit,imò ad-
uerſum ſe magis:ſi tamen ita ipſe perſtiteris,vt cœ-
peras repugnare. Quis enim non in te iure miratus
ſit,poſt repentinam illam mutationem, & rapidum
ad meliora tranſcurſum, cæleſtis iam verè animæ
probos mores? Epularum quidem tibi oblectatio
omnis, & luxus contemptui erat. Deſpiciebatur
ſupellex varia atque pretioſa, omnis inanium re-
rum iactura ignorabatur. Totum illud externæ at-
que peregrinæ philoſophiæ ſtudium. Non diuerſis
lectionibus ſufficiebat dies,non perpetuæ oratio-
ni noctes:exciderat paternę ſenſibus tuis memoria
dignitatis, diuitias obliuio profunda poſſederat.
Fraterna autem genua complecti,& ſanctorum pe-
dibus aduolui omni nobilitate ſublimius iudica-
bas. Iſta dæmonem perculerant, iſta illum ad cer-
tamen armarunt. Propter hæc factum eſt,vt intor- C
queret quidem tela violentius, ſed tamen certius
non feriret. Et quidem ſi poſt multorum hoc tibi
temporum ſpatia,poſt diuturna ieiunia, poſt terre-
norum duritiam lectulorum,poſt alios labores cæ-
leſtis philoſophiæ cõtigiſſet, ne ſic quidem deſpe-
randum putarem: quamuis videretur non parua
priorum iactura meritorum, licet maximum dam-
nũ plures putarent poſt tot tantoſque ſudores,tot
luctas,tot pericula,tot palmas, ſubitò iacere victũ.
Verùm quia is nunc te in procinctu certaminis,
cum quo eras certaturus, eliſit, hoc tantum profi-
cit, vt fortiorem te ſentiat reſurgentem. Modò
enim tibi è portu ſoluenti magis,quàm de cõmer-
cijs reuertenti,ac repleta diuitijs repertis nauigia
reportanti occurrit incaſſum pirata violentus: vt
ſi quiſpiam prouocatum leonem conetur occide-
re,ſoloque tantùm rugientis tranſitu feri pelli ſe D
agnoſcat,non ſolùm illum profectò non læſit, ſed
cautiorẽ, ſæuioremque in ſui magis perniciẽ pro-
uocauit. Lubricum genus eſt natura mortalis, citò
quidem labitur, ſed non ſerò reparatur. Et vt fa-
cilè cadit,ita & velociter ſurget. Beatus quoque il-
le Dauid,vir electus in ordine regũ, electus in nu-
mero prophetarũ:poſteaquam in plurimis Deo di-
gnus apparuit,hominẽ ſe eſſe mõſtrauit,& in amo-
re quodã alienę mulieris exarſit. Nec hoc ſolo cõ-
tentus fuit, ſed adulteriũ ex cupiditate commiſit,
& homicidiũ propter adulterium perpetrauit. Sed
non ideo,quoniã duplex vulnus acceperat, etiam
tertiò ſe ipſe percuſſit: verũ mox ad medicũ con-
uolauit,& diuerſa medicamina plagis feſtinus ap-
poſuit,ieiunia,lachymas,luctus,preces, & indefeſ-
ſam peccatorum cõfeſſionem,ac ſic per iſta placa-
to veniam à Deo meruit,& ad priorem dignitatem
rediit, vſqueadeò, vt poſt adulterij & homicidij,cri-
men impietatem ac ſcelus filij paterna memoria
potuerit obũbrare. Filius enim eius, cui Salomon
vocabulum erat,iiſdem quibus pater vitijs inuolu-
tus,ob mulierũ gratiã à paterno recedere auſus eſt
Deo. Hinc aduerte quàm leue ſit non vincere vo-
luptatem cupiditatis:ſed peruertere ordinem na-
turæ,& virũ genitum ſubiacere ſeruitio fœmina-
rum. Hunc ipſum ergo Salomonem, qui omni
penitus ſpoliari imperio digniſſimus erat,paterno-
rum contemplatione meritorum ſextam regni
Dominus portionem habere permiſit. Et ſanè ſe-
curè,ſi tibi eſſet eloquentia ſecularis,& repente in
exercẽdis negligentior ſtudijs, fori voces, ac tri-
bunaliũ palmas, & coronas illas atq; victorias de-
ſeruiſſes:reuocarem profectò ſenſibus tuis memo-
riam præteritorum,& peterem ne tibi perire pate- In die iudicij nulla valebit excuſatio
reris tot ac tantos inter illa iudicia deſudatos labo-
res. Verùm quia omnis nobis ſollicitudo eſt cæ-
leſtium rerum,ne terreſtribus prorſus cogitationi-
bus præpediamur: aliud magis contemplare,
quæſo,iudicium,aliud proſpice,quod ſine fine re-
uerendum eſt atque intremiſcendum tribunal.
Omnes enim *nos*,inquit, *neceſſe eſt manifeſtari ante tri-* Rom. 14
bunal Chriſti. Ille tunc iudex ſedebit,qui nunc à te
repudiatur. Quid tunc ergo dicemus? quo colore
excuſationis vtemur, ſi in eodem crimine perma-
nebimus? Interrogo,quid loquimur? Negotiorum
fortè, atque cauſarum varias ſollicitudines præ-
tendimus. Sed ante nos commonens ipſe prædixit:
Quid proderit homini,ſi totum mundum lucretur,animæ au- Math. 16
tem ſuæ damnum patiatur? Sed ſeductos nos à quo-
cumque cauſabimur. Sed non potuit Adam vxoris
illecebras excuſare, dicens: Mulier quam dediſti
mihi ſociam,ipſa me ſeduxit. Nec rurſum vxorem
ſerpentis culpa defendit. Magni horrendique ti-
moris plenum illud Theodore iudicium eſt, nõ ac-
cuſatore eget,neque teſtes requirit. Omnia enim
nuda atque detecta ſunt oculis iudicantis: nec fa-
ctorum tantũmodo,verumetiam cogitationũ no-
ſtrarũ rei neceſſariò ſubiacemus. Scrutator enim
atq; diſcretor eſt cogitationis & cordis ille qui iu-
dicat. Sed forſitan naturali infirmitate tentabimus
crimen obtegere, nec potuiſſe nos ſuſceptum iu-
gum ferre dicemus. Et qualis hæc excuſatio erit,
iugum nos placidum non voluiſſe ſufferre, onus
non potuiſſe portare, quod ipſe vocauerit leue,
imò graue & oneroſum pondus putare, quietum
laborem,ad quem nos Chriſtus inuitat,dicens: *Ve-* Math. 11.
*nite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos
requieſcere faciam*. Et rurſus: *Tollite iugum meum, quia
ſuaue eſt,& onus meum leue eſt*. Quid enim leuius eſſe
dices,ac melius,quàm ſollicitudine ſeculari, & la-
boribus,& metu exui, quàm ab iſtius mũdi flucti-
bus ſegregari,& poſſidere placidi tranquilliq; por-
tus ſecuritatem? Age perſpiciamus quid in hoc ſe-
culo nobis beatum,quid optabile eſſe videatur. Si-
ne dubio dignitatem & opes dices, & ambitionis
humanæ felicitatem. Sed quid his miſerabilius erit,
ſi ea libertati Chriſtianorum volueris comparare?
Illum primatem beatum æſtimas. Iudex populari
iracundiæ ſubiacet, multitudiniſque vulgaris ir-
rationabilem impetum tremit: maiorum autem
poteſtatum authoritatem veretur, & perpetua
pro his quos regit, ſollicitudine frangitur: & qui
paulò ante iudex erat, fit repentè priuatus. Non
eſt profectò theatralibus ſcenis præſens vita diſſi-
milis. Nam vt illic ille Imperatoris, hic iudicis, al-
ter & militis implet officium: vbi autem conſecuta
nox fuerit, nec Imperator agnoſcitur Imperator,
nec iudex, qui fuerit iudex, videtur, nec miles
poſtea qui prius miles: ita vnuſquiſque noſtrum
in illius ſæculi die, non perſonis, ſed rebus atque
actibus competentem accipiet dignitatem. Hæc
ergo gloria iudicanda eſt, quæ ſic ab homine de-
fluit,vt cadere diuinus ſermo florem dixit à fœno.

Sed

Digitized by Google

Sed diuitiarum pompa laudanda eſt, quam qui poſſident, miſerabiles iudicantur. *Væ* enim, inquit, *diuitibus*. Et alibi: *Væ his qui confidunt in virtute propria, & qui in vbertate diuitiarum ſuarum gloriantur.* Chriſtianus autem nec priuatus ex iudice, nec pauper ex diuite, ne ex glorioſo eſſe inglorioſus poteſt, ſed opibus ſemper ex vbertate fit egendo locupletior: at tunc maximè ſupra omnes eſſe incipit, cùm inferiorem ſe omnibus facit, & ex dignitate illa per quam regit non homines, ſed mundi iſtius poteſtates, ipſumque ſæcularium tenebrarum obtinet principem. Humilitas quippe non illa tantum laudatur, quæ de conſcientia peccatorum venit, ſed illa quæ ex virtute deſcendit, Deo chara eſt. Et quia in ea requieſcit Deus, ideo omnibus dominatur, & nullus eum de hac dominatione detrudere poteſt. Bonum quidem nuptias & ipſe confiteor. *Honorabiles*, inquit, *nuptiæ, & cubile immaculatum. Fornicatores autem & adulateres iudicat Deus*. Sed te iam ſeruare non conuenit priuilegia nuptiarum: Angelorum enim ſocietati ſemel iunctum, illam relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere eſt: quamuis frequenter hoc ipſum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò maior ac melior mortalibus angelus. Neque vllus tibi fortè perſuaſerit, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quòd adulterium interdixit, nō nuptias vetuit, verū in te adulterij nomē accipiet, ſi volueris vnquam, quod abſit, nuptias cogitare. Et quid mirum, ſi nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? Maius longè audies: Homicida, iuſtorum laude donatur, & miſericors plus quàm homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iuſtitiam reputatum eſt, quòd impudicum cum turpi fœmina virum vno gladio percuſſiſſet. Saulem autem Samuel ſanctus Dei in luctibus, lacrymis, precibuſque pernoctans, damnatione, cui illum addixerat Deus, liberare non potuit: quoniam hoſtium duci, quē debuerat trucidare, inuito parcendum credidit Deo. Cùm hæc ita ſint, ſtupere deſiſte ſi nuptiæ peiores adulterio iudicantur, quoties Chriſtus offenditur. Atque vt illud repetam, quod in principio poſui epiſtolæ, ſi militiæ vincula non tenerent, quis tibi deſertionis crimen obijceret? Nunc autem nihil in te penitus tui iuris eſt, quippe qui tanto Imperatori militare cœpiſti. Nam ſi *mulier proprij corporis non habet poteſtatem, ſed vir*: multò magis hi qui Chriſto potius quàm ſibi viuunt, conditionem corporis ſui habere non poſſunt. Iſte qui nunc, Theodore, contemnitur, ipſe tunc ſine dubio iudicabit. Hoc præcipuè cogitemus, proſpiciamus illum igneum fluuium, qui ante conſpectum ipſius præcedet: & quòd qui illis ſemel traditus fuerit flammis, ſperare non poterit requiem, finemque pœnarum. In hoc quippe ſæculo aut quæritur vita, aut amittitur. Huius enim vitæ diuitiæ, & illicitæ voluptates, ſomno ſimiles vmbriſque tranſcurrunt, in quibus antequam peccato terminus detur, delectatio cupiditatis extinguitur: illa verò ſupplicia, quæ homines propter iſta ſuſcipiunt, non carent fine tormenti: & quod hic oblectare creditur, temporale eſt: quidquid autem illic cruciat & conſumit, æternum eſt. Quid in hoc mundo ſtabile, quid perenne eſt? Credo diuitiæ, quæ vſque ad veſpertinas quidem horas plerumque manſerūt. Sed fortaſſe gloria ſæcularis? Audi ergo cuiuſdam venerabilis viri vocem: *Tempus*, inquit, *vita mea leuius curſoribus fuit*. Vt enim illi priuſquam bene ſtent, exiliunt; ita & hæc euolat antequam veniat. Nec ignoro quòd inferiorem te fecerit contra inimici conflictum ceſſatio dimicandi: ſcio quòd in medio verſeris incendio ſæcularium voluptatum. Sed ſi aduerſario

Luc.6. Pſalm.48 | Hebr.13 | Religio ſus vxorē ducēs eſt adulter, quia ſcilicet matrimonium nullū eſt. | Num.25 | 1.Cor.7. | Iob 9.

A dictum velis, non ſeruiemus oblectationibus tuis, nec radicem adoramus omnium malorum: ſi ſuſtuleris ad cælum oculos, mox caliginem Dominus tetri ignis excutiet: & eos quidem, qui te ad incendium impulerunt, concremabit: te autem in medio fornacis conſtitutum reſperget rore nebularum, & ſibilantis auræ ſpiritu æſtuantia tibi corda mulcebit, ita vt nec ad cogitationes, nec ad conſcientiam tuam vis ignis accedat: tantum ne requieſcere ſegnior velis, & ſponte vincaris. Nam & munitiſſimas ciuitatum, cùm ſæpe omnia obſidentium tela viciſſent, omnium expugnationum genera vitaſſent, vnius tantùm, vel alterius ciuium interius commanentium occulta proditio ſine vllo repente certamine capi fecit. Et nunc caue, ne qua in ſenſibus tuis cogitatio proditionis tibi machinam moliatur, innumeris artibus, licet longi temporis expugnatione murorum vtatur inimicus, incaſſum cuncta tentabit. Multos namque, ac magnos habes diuini muneris gratia viros, qui nobiſcum B dolent, qui te palæſtri oleo ſpirituali ſæpe pertundunt, qui pro animæ tuæ diebus ac noctibus ſalute formidant. Habes ſanctum Valerium, ac Deo dignum: Florentinum quoque per omnia eidem morum ornamento germanum. Habes Porphyrium philoſophiam Chriſti philoſophantem: alioſque præterea plures numero, & pares vita. Omnes hi indefeſſa caſum fraternum lamentatione deplorant. Etiam ſine dubio iugi prece meruiſſent aſſequi dudum quod precabantur, ſi paulisper hoſtium temetipſum laqueis eruere tentaſſes. Quomodo ergo non incongruum, & reprehenſione dignum videtur, ſi cum alij ne nunc quidem de tua ſalute deſperent, ſed continuis orationibus recepturos ſe proprij corporis fratrem eſſe confidant, nolis ipſe conſurgere ſemel lapſus, ſed iacere perſiſtas, atque ipſum quodammodo hoſtem increpes, dicens: Occide, ne parcas. *Numquid qui cadit, non reſurget?* in libris cæleſtibus legimus dictum. Verum contradi-C cis ipſe his ſermonibus, & repugnas. Nam deſperare ſemel lapſum, nihil aliud eſt dicere, quàm hoc, qui ſemel ceciderit non reſurgat. Ne quæſo, ne vſque adeò in expugnatione tui, ac læſione permaneas, néve tantum ignominiæ omnibus nobis offundas dolorem. Et quidem non nunc ſolùm loquor, quando annum viceſimum nec dum agis, ſed etiamſi omni te æuo Chriſto vixiſſe meminiſſes, poſtmodum autem in vltimo ſenectutis curriculo æquè vt nunc lapſum viderem, ne tunc quidem huiuſmodi in te deſperationem probarem. Sed erige, obſecro, mentem, euangelici latronis exemplo, iuſtificati in cruce, & in ipſa morte ſaluati. Ante oculos collocabo eos etiam, qui vndecima quidem hora aggreſſi ſunt opus, ſed ad totius mercedem diei peruenire meruerunt. Vt igitur ſatis durum videtur, ac barbarum his, qui deuoluti fue-D rint ad profundum imi gurgitis cœnum, ſi tamen caſus prioris crimina emendent, ſalutare correctis remedium denegare: ita rurſus haud tutum eſt hac ſpe hominem ad vitia nutriri, vt dicat, emendatio poſt iſta ſuccurrit, nunc interim voluptatibus vitæ iſtius fruar, poſtea autem per exigui temporis caſtitatem mercedes tranſactorum quoque adipiſcar annorum. Memini namque ſæpe dixiſſe his, qui in ſtudijs tibi ſæcularibus poſito, tam pernicioſa ſuadebant, etiamſi in iſto, aiebas, breuis temporis ſpatio, bonum terminum vitæ minimè fuero conſecutus: quemadmodum ad illum ibi, qui dixit: Nolo *differas conuerti ad Deum, neque diem ex die protrahas*: neſcis enim quid pariat ſuperuentura dies: huius animi, huiuſque conſilij recipe ac recordare obſecrationem, & conſtringe vinculis furem. Hoc enim nomine exceſſum de hoc ſæculo noſtrum Chriſtus appellat, quòd ignorantibus veniat, & neſcientibus nobis repentinus aſſiſtat. Conſidera vniuerſas mundi iſtius

Hier.8. | Luc.23. Math.20 | Eccl.5.

Digitized by Google

curas, vel quæ ſingulis quibuſque ſunt propriæ, A vel quæ multis ſolent eſſe communes, metum intolerabilis iudicij, & extrema nonnumquam pericula, quæ ad inuidiam ciuium plerumque naſcuntur, miſerabiles illos labores, & ſeruile adulationis ingenium: imò & ſeruos quoſque, qui honeſtiores paululum videntur, indignos terrenorum operũ, ac breues fructus, quorum infælici cupiditate deficiunt. Multi etiam voluptate ob quam tot labores impenderant caruerunt, & priori omni æuo in ſollicitudinibus periculiſque conſumpto, tunc cùm recepiſſe ſe immenſi ſudoris putauere mercedem, ſubita morte præuenti, nihil ſecum ex his, quibus nec hic quidem vti potuerant, abſtulerunt: nec immeritò. Nam ſi huius telluris Imperatorem vix aliquem poſt multa diſcrimina, poſt frequentium trophæa bellorum cum authoritate promerita videre contingit: quemadmodum cæleſtem omniũ regem poterit intueri ille, qui per totum ſuæ tempus ætatis alij vixerit, & alij militarit? Agè vt & de B domeſtica, quæ in vxore, filijs, ſeruuliſque ſunt ſollicitudine dicam, durum eſſe filios non habere monſtrabo, quorum alterum fruſtrà nuptijs illigari eſt, alterum amariſſimæ ſuccumbere ſeruituti. Ægritudo tentabit paruulum, formido præcipuè immaturæ mortis diſrumpit, orbitate non ferenda, creſcentibus deinceps annorum gradibus curam quoque adipiſcar animorum, ac ſemper pro ipſis aut timorem parens ſuſtinet, aut dolorem. Graue æquè eſt, ſi ſe magis pauperem quis agnoſcat vxore: graue etiam, ſi ditior ſit illa, quæ nubit: vno enim facultates mariti imminuuntur, alio libertas & authoritas derogatur. Quis prætereà illas enumerare moleſtias poſſit, quæ à dominis ingeruntur ſeruis? Hæc ergo, Theodore chariſſime, vita dicenda eſt, vnam diſcerpi ac diuidi animam in tam varias rerum ac perſonarum neceſſitates, tot hominibus ſeruire, tot viuere, ſibi autem ſoli tempus omne viuendi penitus denegare. Nihil horum apud nos, dilectiſſime, quod & te teſte confirmo, inueniri poteſt. Illo enim ipſo perbreui tempore, C quando paulisper demerſum fluctibus caput expedire tentaſti, memor es quæ dulcedo, quod gaudium in tua mente ſe diffuderat. Non eſt profectò, non eſt omnibus curis ſolutus ac liber, niſi ſolus ille qui Chriſto viuit ac ſeruit. Ille ſemper vniuerſis quæcumque ſunt malis ſuperior inuenitur: tantùm vt ſeipſo aduerſum ſe vti nolit inimico. Alius ei obeſſe nihil poterit, nullius vmquam regis captiua colla iugo ſubmittit, non facultatum damnis ſollicitatur: quippe qui dicit, quòd nihil intulimus in hunc mundum, neque hinc quicquam auferre poterimus, non gloriæ, aut bonorum cupiditate ſuperatur. Scit enim quòd nobis dignitas noſtra ſeruatur in cælo, non conuitijs, non plagis ad iracundiam commouetur: vnum tantummodo Chriſtianus iudicat malum, ſolumque formidat, Domini cæleſtis offenſam. Nam illa alia, hoc eſt, D imminutionem pecuniarum, amiſſionem patriæ, periculum vitæ: quorum omnes etiam memoriam perhorreſcunt, pernicioſa prorſus eſſe non credit. Hinc autem aliquandò migrare, & ad ſuperna tranſire, fore dulcius, ſub ipſa vitæ iſtius luce confidit, vt ſi quiſpiam rupis excelſæ verticem tenens, pelagus omne proſpiciat, multoſque inde nauigantium crebris fluctibus freti, & vnda ſubmergi, alios in prærupti montis ſaxo collidi, nonnullos ad alia littora contendendo properare, & ſubitò vi tempeſtatis, vt vinctos ad alia deduci, plures ſorbente vnda ſæuientis profundi ima penetrare, aliquos tabulæ vnius auxilio, ex fragmentis nauis inuentæ, à morte defendi, aliquando pro gubernaculo, atque remigijs manibus tantummodo ſuis vti: alios autem videat inter turbidos fluctus multiformi atque multiplici genere cadauera ferri: ita eſt ergo ille, qui militat Chriſto, cùm ſe à tempeſtatibus atque turbinibus vitæ iſtius ſeparat, conſiſtit in arduo ſemper, ac tuto ſecurus loco. Quid enim celſius poteſt eſſe, quid tutius, quàm vnam tantùm nos ſollicitudinem gerere, quemadmodum Deo placere poſſimus? Vidiſti certè, Theodore, naufragia huiuſmodi, pelagus vndaſque declina, & excelſum illũ huiuſmodi pelago quære nauigantẽ: quãobrẽ obteſtor ac deprecor, fuge maria, vndaſq; declina, & excelſum illũ, atque à periculo captiuitatis immunem occupa locũ. Reſurrectionẽ, Theodore, non ambigis fore, & illud cęleſte iudiciũ, quod nos, poſt finem vitæ huius expectat. *Omnes*, inquit beatus apoſtolus, *nos adſtare oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*. (Rom. 14) Non incaſſum gehenna cum pœnis denuntiatur, nec fruſtra tot ac tantorum bonorum præmia præparantur. Vmbra autem quædam, ipſiſque vmbris inanior nequiorque eſt conuerſatio ſæcularis, plena periculorum, plena tormentorum, extremo cuidam ſeruitio ſubiugata. Ne quæſo & præſentis temporis bono frauderis, & futuri. Licet autem vtrumque lucrari, ſi velis facere, clamat beatus Ioannes: *Qui in Chriſto credit, debet ſicut & ille ambulauit, & ipſe ambulare*. (1.Ioã. 2.) Et alibi: *Fugite fornicationem*. (1.Cor.7.) Et iterum: *Tempus breue eſt*. Et: *Bonum eſt*, inquit, *homini mulierem non tangere*, quaſi & in tactu ſolo periculum ſit. Et iterum: *Volo autem omnes homines eſſe, vt meipſum*. (Ibidem.) Beatus qui Pauli ſimilis fuerit, fælix qui audit apoſtolum præcipientem, non ignoſcentem. Liberi nos arbitrij eſſe natura permiſit, vt quod volumus, hoc faciamus. Eligamus igitur bonum potius, quia boni Dei creatura ſumus, ne nos diaboli opprimant mala. Nam qui in Chriſto viuunt, etiam iſtius mundi commoda conſequuntur, dicente apoſtolo: *Vos*, inquit, *templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis*. (1.Cor.3.) Et quem cælum & terra non capit, famuli Dei pectus capit. Vides ergo, Theodore, quòd in hac vita etiam melior ac maior oſtenditur ille qui Deum, quàm ille qui coniugis curam gerit. Nullus quippe hinc ad illam tranſgreſſis pœnitentiæ locus eſt. Neque enim aliquis athletarum, poſteaquam egreſſus ſtadio fuerit, ſpectaculis ex more finitis, luctamen aggredi poteſt. Hoc ſi cogitare ſemper velis, terribilem illum atque violentum maligni dæmonis gladium frangendo comminues, quo interficere plurimos ſolet, per quem deiectio ſpem reſurrectionis abſcindit. Graue iſtud ac durum eſt armorum ipſius genus, & alia ſemel captum arte non retinet, ſed huiuſmodi vinculis illigatos conſtringere ſolet, quos potuerit ſubiugare. Quos tamen nexus citò, ſi volueris, Dei nutu diſſoluendo rumpemus. Scio quidem me epiſtolæ exceſſiſſe menſuram, ſed ignoſce quòd longius paulò non ſponte proceſſi, ſed triſtitiæ acerbitate compulſus, & charitatis affectu: propter quã & ipſe mihi, vt noſti, impoſui iſtam ſcribendi neceſſitatem, vetantibus multis atque dicentibus: Omitte, quid incaſſum laboras, & ſupra petram, vt aiunt, ſeris? Sed cùm multi mihi iſta ſuaderent, nulli acquieſcendum putabam. Spero enim, vt mecum ipſe confero, Chriſti Dei noſtri clementia faciente, literas aliquid profuturas: ſin autem id quod abhorret ex votis fuerit conſecutum, nos tamen non mediocriter conſolabimur, ſi ſilentij crimen vitare potuerimus, neque his, quibus mos eſt peragrare totum nauibus fretum, peiores eſſe credemur. Qui quoties viderint eiuſdem artificis diſciplina nauem fluctibus merſam, aut ventorum impetu diſſolutam, incumbentes alicuius tabulæ pelago ſæuiente deferri, vela deponunt, & anchoras iaciunt, & minoris nauiculæ remigijs occupantes homines, alias fortaſſis ignotos, ſed ex præſentis periculi conditione noſcendos, omnibus modis ſeruare feſtinant. Verùm ſi illi fortè reſpuerint ſalutis auxilium, nullus his credo poterit imputare eorumdem perditionem, quaſi noluiſſent ſeruare

Digitized by Google

perituros. Hæc à nobis tranſmiſſa perſpicies. Speramus autem quòd etiam à te inuicem nobis votiua referetur, & quòd iteratò te ſancto atque fælici ſaluatoris diſcipulorũ choro videbimus aggregatum, incolumemque te ſanitate, quæ vera eſt, citius recipiemus, orationibus ſanctorum. O mihi amicũ caput, ſi qua etiam nunc in ſenſibus tuis memoria noſtri eſt, neque ab arcano pectoris tui expuliſti, dignare ſcribere. Non enim ambigis ex literis tuis maximum nobis gaudium eſſe venturum. AMEN.

Ad Eutropium quæ hoc loco legebatur, non eſt epiſtola, ſed oratio in Eutropium, quærenda circa huius tomi finem.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani liber contra Gentiles, Babylæ Antiocheni Epiſcopi ac martyris vitam continens, per Germanum Brixium Altiſſiodorenſem, Canonicum Pariſienſem, latinus factus.

Viget miracula cõtra Gentiles.

DOMINVS noſter Ieſus ad crucis ſupplicium iamiam acceſſurus, ac mortem illam viuificam moriturus, nocte ea poſtrema, qua diſcipulos ad ſe ſuos ſemotis arbitris vocauit, apud eos cũ permulta verba alia fecit, eoſdem plurimarum commonefaciens, tum inter alia & tale quiddam ipſis dixit: *Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet.* (Ioan. 14.) Atqui multi olim alij magiſtri extitere, qui & diſcipulos habuerunt, & miracula item oſtentarunt, quemadmodum iactitantes gloriantur gentiles: veruntamen illorũ nemo vnquam eiuſmodi orationem vſurpare, ac ne animo quidem verſare ſuſtinuit, neque ſanè poſſint è gentilibus vlli, etiamſi nihil non ſe præſtituros, quę illorum eſt impudentia, profiteantur, commonſtrare huiuſmodi elogiũ, ſermonémve apud ſe extare. Spectra quidem certè demortuorum, neque non cadauerum quorundã ſimulachra qui repræſentarẽt, multi multos apud illos nouarum mirandarumque rerũ authores extitiſſe affirmant, quin & voces neſcio quas quibuſdam è monumentis eductas, ad nonnullos perueniſſe referunt: quòd verò quiſpiam ex eis omnibus, qui magna in admiratione habiti apud illos vixerunt, vel quos poſt obitum in deorum numerũ relatos opinati ſunt, tali ad diſcipulos ſuos oratione vſus ſit, illorum ſanè nemo vnquam affirmauerit. Cauſam autem, ſi placet, aperiam, quamobrem illi in reliquis alioqui omnibus impudentes, nudo quaſi capite, ac perfricta fronte mendacia ſua proferentes, tamen eius generis commentum effingere auſi nunquam fuerint. Non enim temerè, neque certè ab re ab eo ſermone comminiſcendo abſtinuerunt: ſed hoc ipſum aſtutè ſciuerunt peſtilentiſſimi generis noſtri hoſtes illi, eum qui alijs fucum facturus ſit, oportere probabilia quædam, & verſutiæ atque artificij plena, & quæ deprehendi non facilè queant, commentari. Nam & callidos tum piſcatores, tum aucupes nequaquã nuda proponere retia, ſed illis diligenter eſca priùs circumlitis, ita demum venationis vtriuſque compotes euadere: qui ſi retibus detectis, ea belluis quas captant, contuenda præbuerint, fiet certè, vt neque piſces, neque aues vnquam in ea introeant, imò verò vt ne illis quidem prorſus appropinquent, ita vt vterque domum vacuis manibus ſit reuerſurus, tam qui mari piſcatur, quàm qui terra venatur. Ergo quando & illis quoque propoſitum erat homines in naſſam obtrudere, ſuam impoſturam in huius vitæ quaſi mare quoddam, nudam minimè coniecerunt, ſed confictis priùs ac compoſitis ijs, quibus imprudentiores capere poſſent, vlterius mendacio procedere ſuperſederunt, vt qui tum vererentur ne plus æquò mẽdaces apparerent, tum formidarent ne priores ſuas fraudes poſteriorum immodico vſu ſubuerterẽt. Si enim hoc dixiſſent, extitiſſe apud illos qui tale quiddam profeſſus eſſet, quale ſeruator noſter ad diſcipulos ſuos dixit: certe vel illis ipſis, quibus fucus fieret, ridiculos ſe præbuiſſent, quaſi qui ne probabilia quidem mentiri poſſent. Nam tale quiddam profiteri, idque re ipſa præſtare, ad diuinam illam virtutem ſolam ſpectat. Quòd ſi potuere olim dæmones, homines in errorem adductos, per phantaſmata nonnihil ludificari, idipſum tum vſuuenit, quum luminis fons vulgo nondum cognitus eſſet: quo certè tempore partim fraude alia atque alia, partim ſacrificijs ipſis declarabatur, quæ fiebant omnia dæmonum opera eſſe. Illos enim ſuas aras imperare humano ſanguine rubefieri, neque non ab illis ipſis qui genuiſſent iubere eiuſmodi ſibi victimas immolari, id verò quam vel ſummã inſaniam nõ obſcuret? qui enim calamitatibus noſtris numquam ſatiantur, neque vllum terminum aut finem propoſitæ ſemel aduerſus non pugnæ norunt, ſed immortalem vbique præ ſe rabiem ferunt, perinde quaſi neutiquam illis abunde ſatis foret ad proprium furorem explendum, ipſorum aris horum vel horum tum vxores, tũ liberos pro ouibus ac bobus admotos immolari, ij nimirũ nouam quamdam homicidij immanitatem excogitarunt, atque adeò inſolentiorem calamitatis modũ introduxerũt. quos enim par erat peremptorũ cædes lugere, ijs dæmones ijdem perſuaſere, authoreſque fuere, vt eos qui occidendi eſſent, in miſerabilis illius homicidij theatrum producerent: qui item, vt ne humanæ tantũ leges ignominiam paterentur, & ipſas quoq; naturæ leges funditus diuulſas ſubuerterunt: tum præſtantes, vt ipſa hæc, quã dico, natura aduerſum ſemet debaccharetur, tum autem cædem omnium ſceleſtiſſimam in hominũ vitam introducentes. Nullos enim iam inimicos ſic, vt genitores ipſos, cuncti formidabant: atque adeò quibus maximè omnium fidere oportebat, hos maximè omnium ſuſpectos habebant, atque auerſabantur. Siquidem cacodæmones illi ſummopere contendebant, vt per quos Dei beneficio ad mundi huius ſpectaculum prodieras, per eos tu te huiuſmodi dono priuatus exigereris: hoc agentes, vt qui tibi ad vitæ munera capeſſenda adminiſtri fuiſſent, ij & mortis quoque authores fierent: perinde quaſi planum facere volentes, mortalibus nihil prorſus lucri, nihil auctarij ex Dei optimi bonitate acceſſiſſe, vt qui non alijs egerent iugulatoribus, quàm illis ipſis à quibus geniti fuiſſent. Hæc etiamſi magnum aliquod miraculum ſubſecutum fuiſſet, ne dicam ſicubi exiguum quoddam ac nihili exiſtimandum, idemque multa impoſtura ſcatens proditum fuerit, hæc inquam opera etiamſi magna eſſent, tamen quæ ego dixi, eiuſmodi fuiſſe conſtat, vt abundè probare poſſint, ijs quidem certè, qui mente prorſus alienata nequaquam ſunt, quinam planè eſſent operum illorum artifices, vt flagitioſi, vt omnibus modis ſceleſti, vt nihil non ad vitæ ſtatuſque noſtri ſubuerſionem molientes. At verò Dominus noſter Ieſus nobis, quod tale foret, nihil quicquam imperauit, quin potius admirabilis quum ſit ob ea quæ edidit miracula, nimirũ ob ea quæ reliquit præcepta, nihilo minus quàm ob miracula iure ab omnibus adorari, ac Deus eſſe credi poſſit. Impietatem quippe eam, quam diximus, aduentu ipſe ſuo ſoluit: & quod mirabilius etiam eſt, ab dura & immani tyrannide non nos

Dæmon gentilibus præcepit immolare homines.

modò,

A modò, qui ipſum adoramus, ſed eos item à quibus blaſphemijs ac conuitijs laceratur, expediuit. neq; enim gentilium quiſquam huiuſmodi victimas dæmonibus ſuis poſthac offerre coactus eſt: tanta eſt ille erga noſtrum genus benignitate ſemper vſus, cuius etiam ampliora extant erga inimicos ſuos beneficia, quàm dæmonum in amicos ſuos maleficia. Siquidem dæmones, eos à quibus colerentur atque honorarentur, propriorũ liberorum mactatores agere coegerunt, quum contrà Chriſtus eos qui ſe auerſarentur, huiuſmodi imperijs liberatos eſſe voluerit, immaniſque illius ſacrificij immunitatem & pacem hanc admirabilem non intra ſuos modò coarctauerit, ſed & ad alienos vſque eduxerit. Hac ratione oſtendens illos quidem tyrannos quoſdam, ac generis noſtri peſtilentiſſimos hoſtes eſſe: quo nomine ſic ijs etiam quos ſibi aſciuerant, conciliauerantque, quaſi alienis abutebantur: ſiquidem erant & ipſi alieni. Ipſe autem & rex, & opifex, & aſſertor totius generis hominum extitit, itaque vel alienis vt proprijs pepercit. Etenim proprium ipſius opus erat vniuerſa hominum

Ioan. 1. natura: quemadmodum diſcipulus eius ait: *In propria* B *venit, & proprij eum non receperunt.* Eius verò omnem in nos clementiam enumerare temporis huius non eſt, de qua quidem vt nullo vnquam tempore loqui deſinas, tanta etiam virtute præditus, quãta incorporeas illas virtutes præditas eſſe par eſt, tamen ne ſic quidem rem pro dignitate attingas: quàm enim bonus eſt, ſolus ipſe nouit, quandoquidem & ſolus ipſe ſic bonus eſt. Vide igitur cuiuſ-

Ioan. 14. modi verbis diſcipulos ſuos conueniat: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his item maiora faciet:* neque enim tantæ eos gratiæ participes eſſe voluiſſet, non ſumma ipſe, atque adeò immenſa bonitate præditus. Quòd ſi quis fortè mecum contendat, vbínam Chriſti oraculum hoc finem ſuum ſortitum ſit, accepto in manus libro eo, cui Acta apoſtolorum nomen eſt, (continet autem is non acta ipſa omnia, neq; omnium, ſed vnius tantum, & alterius, & ea quidẽ numeratu facilia) videbit hinc ægrotos in lectulis de- C cumbentes, vmbras autem beatorum illorum ſolo ſtatim corporum attactu ipſis ſanitatem reſti-

Act. 19. tuere: hinc furioſos permultos nullo prorſus alio quàm tactarum Pauli veſtium remedio eguiſſe, vt à dæmone, quo exagitabantur, liberarentur. Quæ omnia ſi quis falſum eſſe dicat, & figmentorũ præſtigias minimè perſuaſu faciles: certè quæ nũc cõſpiciuntur, ad blaſphemum os obturandum, idque pudefaciendum, ad effrænem linguam cohibendã, ſatis ſuperque fuerint. Nulla eſt enim noſtri huius orbis ſeu regio, ſeu gens, ſeu vrbs, vbi noua atque inopinata miracula hæc non decantẽtur: quæ quidẽ ſi figmenta fuiſſent, prorſus in tantam hominũ admirationẽ non veniſſent. Atque huius rei teſtimonium ipſi vos nobis exhibere poſſitis: eorum enim quæ à me dicuntur, neceſſariũ nobis non erit aliũde fidem mutuari, quum vos, qui hoſtes noſtri eſtis, D nobis per vos eam faciatis. Quãmnã enim ob cauſam Zoroaſtem illum, itemq; Zamolxim ne de nomine quidem multi, imò verò nulli niſi admodum pauci norunt? quoniam figmenta erant quę de illis circumferuntur omnia, quanquam tum illi, tum ij etiam qui illorum facta memoriæ prodiderũt, ſummi artifices fuiſſe feruntur: illi quidẽ impoſturę cõminiſcendæ, atq; exercendæ, hi autẽ mendacij orationis illecebris adumbrandi. Sed quemadmodum omnia fruſtra ac temerè fiunt, quum vitiatũ, infirmum, ac minimè verũ fuerit eorũ quæ dicere propoſueris argumẽtum: ſic quum id ſolidum ac verũ, omnia rurſus fruſtra ac temerè tentantur, quæ ad illius ſubuerſionem ab inimicis excogitata fuerint. Veritatis enim robur planè nullo indiget auxilio, ſed vt infinitos habeat, qui ipſam extinguere conẽtur, ea non ſolùm non deleri poteſt, ſed & per eos quoque, à quibus oppugnatur, ſplendidior multò ac ſublimior exurgit, eoſdem illos irridens, nihil aliud, quàm tum ſeſe diſcruciantes, tum verè inſanientes. Etenim apud nos, quæ vos figmẽta eſſe af- *Martyres inuicti contra tyrannos* firmatis, & tyranni, & reges, & inuicti dicendo ſophiſtæ, præterea & philoſophi, & incantatores, & magi, & dæmones ſubuertere ſummo ſtudio tentauerunt, & debilitata eſt aduerſus eos lingua ipſorũ, vt prophetæ verbum vſurpem, *& ſagitta infantiũ pla-* Pſalm. 63. *gæ eorum factæ ſunt.* Ipſi enim reges non aliũ ſanè fructum reportarunt, non alium quæſtum fecerunt ex his, quas nobis ſtruxere inſidijs, niſi quod feritatis opinionẽ apud omnes aſſecuti ſunt. Nam propter eum demum furorẽ, quem in martyres prętulerũt, in communem naturã ferocientes, ſe ipſi imprudẽtes ſexcentis obnoxios opprobrijs reddiderũt: philoſophi autem, & ingenioſi item rhetores, opinionẽ multam cùm apud pleroſq; haberent, illi ſeueritatis, hi eloquentiæ, geſta aduerſus nos pugna, ita ridiculi euaſere, vt viſi fuerint nihil prorſus à nugãtibus pueris diſcrepare. Ex tot enim gentibus, ex tot populis, non ſapientẽ aliquem, non inſipientẽ, non virum, non mulierem, ſed nẽ puerulũ quidem à ſententia ſuadendo deducere potuerũt, quin potius tantus riſus ex ijs quæ illi contra nos cõſcripſere, exortus eſt, vt vel eorum libri iam olim exoleuerint, ex quibus etiã complures ſimulatque editi fuere funditus deperierunt: ſicubi autẽ ſaluus aliquis cõperiatur, hunc penes Chriſtianos ſaluũ inueniaſ: tantum abeſt, vt ab illorũ in nos inſidijs detrimentum aliquod ſuſpicemur: ſic irridemus multiplices, eoſdemq; ſuperuacaneós illorũ aduerſum nos conatus, neq; enim ſi adamantina atq; immortalia nobis corpora ineſſent, ſcorpios, ſerpentes, ignẽ manibus conſtringentes timeremus, quinimò & huius rei periculum vulgo oſtentantes faceremus: eadem ratione, ne ipſi quidẽ poſteaquam animas noſtras fidemq; in nobis tantã ſtabiliuit Chriſtus, hoſtium noſtrorum venenis petiti timemus. nam ſi nobis imperatũ eſt ſuper ſerpentes, ac ſcor- Luc. 10. pios, ſuper omnem item diaboli tyrannidem ambulare: multò magis ſuper lumbricos, & ſcarabeos: horum enim librorũ ab aduerſarijs religionis noſtræ conſcriptorum nocumentum tali interuallo diſſidet, ſi eos compares cum mali illius in nos dæmonis inſidijs. Et noſtrarum quidem rerum ea eſt ratio: veſtrarum verò talis. Aduerſum vos nullus vnquam bellum geſſit, neque enim Chriſtianis fas eſt neceſſitate ac violentia illata errorem ſubuertere, ſed tum ſuadela, tum ratione, tum mãſuetudine hominum ſalus concilianda eſt: quo nomine nullus omnino rex, ex eis qui à Chriſto ſteterunt, talia contra vos dogmata ſanxit, qualia aduerſum nos excogitarunt qui dæmonũ cultum ſunt ſecuti. *Adſtruit fidem noſtrã ex eo quod gẽtilitas & idololatria per rudes ſæculo Apoſtolos tã breui ſit extincta.* Veruntamen gentilis ſuperſtitionis error tanta quiete quum frueretur, & à nemine illi negotiũ faceſſeretur, per ſeſe tamen extinctus eſt, & in ſe ipſe corruit, eorum corporũ more quæ longa ac diuturna tabes exedit: quæ quidem ſponte ſua, vel à nemine offenſa, corrumpuntur, ac ſenſim diſſoluta prorſus depereunt. Quo fit, vt quanquam non in totũ ſatanicus iſte riſus ab orbe exoleuit, tamen vel ea quæ iam facta ſunt, ſatis ſint ad firmandam in nobis rerum futurarũ fidem: plura enim tam breui tempore ſubuerſa quũ ſint, de reliquis nemo poſtea controuerſiam mouebit. Etenim vrbe capta, muris dirutis, exuſtis prætorijs, theatris, deambulacris, denique deletis ijs omnibus qui arma ferre poſſent, ſi quis fortè intueatur porticus aliquot ſemiuſtas, & paucarum ædiũ ſtantes adhuc partes, ſaluis aniculis ac puerulis: is non continuò victori, & qui plurima iam ex parte rerum potitus fuerit, victoriã cõtrouerſam facturus eſt, tanquam non valenti quod reliquum eſt, conficere. Piſcatorum verò inſtituta non perinde ſeſe habent, quæ ipſa in ſingulos dies magis florent, & quidem non per apertam

quam-

Digitized by Google

quamdam, vt ſic dixeris, planitiem, non per quietē, ſed per afflictionem, per bella, per pugnas ad noſtram vſq; ætatem perducta ſunt. Gentilitas enim per vniuerſum terrarum orbem latiſſimè quū patuiſſet, mortaliumque omnium animos occupaſſet: poſtea ita vt videmus, poſt tantum robur, atque incremētum, ipſius Chriſti virtute diſſipata eſt. Euāgelica verò prædicatio, non quum iam vbique tradita, ac ſolidè ſtabilita eſſet, aduerſas bellatorum manus ſuſtinuit, ſed vixdum in auditorum animis infixa atque inſita, iam inde ab initio, coacta tamquam acie inſtructa depugnare contra vniuerſum terrarū orbem, contra principatus, contra poteſtates, contra mundi Dominos, ac rectores tenebrarum ſeculi huius, contra ſpirituales verſutias: fidei enim ſcintilla nondum bene accenſa, fluuij atque abyſſi vndequaque influebant. Vos autem, opinor, nequaquam latet, non perinde eſſe plantam eam reuellere, quæ multis iam annis radices

Simile.

altè egerit, vt eam quam nuper ſeueris: ſed tamen quum is eſſet rerum ſtatus, in Chriſtianæ quidē pietatis ſcintillam, quod modò dixi, aduerſariorū mare inundabat, ea verò ſcintilla eiuſmodi inundatione non ſolum non reſtinguebatur, ſed & maior & illuſtrior inde quum exurgeret, quoquò verſum ſtatim omnia ſuo flatu comprehendebat, aduerſariorum partes facilè perdens ac conſumens, noſtras autem Chriſtianorum excitans, atq; ad immenſam tollens altitudinem, etiamſi viri quidam ſimplices, tenues, atq; obſcuri operā ad eā rem ſuā præſtarent. Neque verò piſcatorum illorum vel verba, vel miracula ſucceſſum huiuſmodi efficiebant: ſed Chriſti virtus in illos efficaciam ſuam infundens. Nam ex ijs, qui quæ dixi miracula edebant, alter, is Paulus fuit, tabernaculorum texēdorum artifex: alter, Petrus is fuit, piſcator erat, &

Act. 18.
Matth. 4.

quidem in mentem numquam veniſſet hominibus tam tenuibus tamque abiectis tale quiddam effingere, niſi ſi quis eos inſaniſſe ac deliraſſe dicat: hi porrò quòd non inſanirent, liquet tum ex egregijs virtutis eximiæ operibus, quæ illi ſolo verbo ediderunt, tum ex compluribus, qui etiam nunc illis fidē habent. Nūquam igitur talia temerè illi vel emētiti fuiſſent, vel gloriabundi iactaſſent. Siquidē quod initio dixi, qui alijs verba daturus eſt, mentitur quidem: mentitur autem non ſic, vt omnibus planum id fiat. Si enim poſteaquam & res ipſæ contigerunt, & tam multi rerum earundem euentum verum fuiſſe ſunt teſtati, tum ij qui per ea tempora crediderunt, tum ij qui ex eo tempore vbique eadem hæc ita eſſe decantant, non apud nos modò, ſed & apud barbaros, & ſi qui barbaris ipſis ſunt efferatiores: nonnullos tamen adhuc inuenias, qui poſt tot ac tanta ſigna, poſt vniuerſi, vt ſic dicam, orbis teſtimonium, prorſus his omnibus, quæ antea facta ſunt, nullam fidem habeant (vt taceam hîc permultos eſſe, qui de re tota nihil quicquam inueſtigare, nihil indagare, nihil examinare laborant) quis, obſecrò, initio neque rebus ipſis coram perſpectis, neque recepto rerum earundem digno teſtimonio, fidē ſuam Chriſto obſtringeret? quid autem omnino illos commoueret tale quiddam fingere atque cōponere? neq; enim orationis vi, (quo pacto enim, quum eorū alter literas prorſus ignorauerit?) neque opum, ac diuitiarum copia nitebantur, vt quibus neceſſarius victus vix ſuppeteret, manuum ſuarum opificio victitantibus: ſed neque ob natalium ſplendorem criſtas tollere illis licebat, alterius enim patrem ignoramus, tam fuit ille obſcurus, atque ignotus: Petri autem notus quidem pater fuit, ſed ea ex parte Pauli patrem claritudine ſuperat, quatenus eius nomen ſacræ tantùm ſcripturæ nobis notum, idque propter filium, eſſe voluerunt. Quòd ſi & regionem, & gentem exquirere velis, alterum Cilicem fuiſſe comperies, alterum ignobilis ciuitatis ciuem, ſeu vt verius dicam, non ciuitatis,

Act. 22.
Ioan. 1.

A ſed vici cuiuſdam infimi incolam, qui Bethſaidæ (locum in Galilæa hoc nomine appellant) natus ſit. Iam artes eorum quiſquis audiet, quales fuerūt, videbit nihil illas magnū, nihil graue ſpirare: nam tabernaculorum artifex piſcatore quidem honeſtior, ſed idem tamen cæteris artificibus vilior. Vnde ergo, obſecro, vnde rem tantam ſimulare auderent? quānam ſpe ſublati? quo præſidio freti? calamóne, atque hamo? an cultro ac terebra? homines inſani, in malam crucē iam hinc non vos auferetis, aut vobis præcipitium aliquod parabitis? Agedum verò fingamus hoc, quod alioqui opinione quidem veſtra geri nequit, fieri tamen poſſe: hoc eſt, vt cum is, qui è palude recens egreſſus ſit, hæc verba vſurpet: Corporis huius vmbra mortuos ſuſcitauit, tum is qui nuper ex coriaceorum tabernaculorum officina exilierit, de veſtibus ſuis eadem, quæ ille, gloriabundus profiteatur: quis ita inſaniret ex his qui hæc exaudirent, vt nudis modò verbis tam magnis de rebus fidem haberet? quamobrem autem nullus planè ab illo tempore artifex tale quiddam vel ipſe de ſe, vel alius de illo prædicauit? quāquam

B ſi quæ à noſtris facta ſunt, ea figmenta fuiſſent, veriſimile quidem eſt minori negotio talia mendacia fuiſſe conficturos, qui illos ſunt ſubſecuti. Illi enim quum quod facerent, id ad alios, qui tale quiddam olim feciſſent, referre non haberent: certè non poterant ſperare futurum, vt figmentū ſibi ſuum ſuccederet. Qui verò illis poſteriores fuere, ad illos ſpectantes, figmentum idem promptius ſanè, ac faciliùs aggredi auſi fuiſſent, præſertim quum haberent priorum exemplum, audaciam ac fiduciā poſterioribus addens, perinde quaſi nullus vſquam ſit qui mentē habeat, quin potius omnes obſtupeſcant, atque inſaniant, atque adeò vnicuique volenti liceat, quæcumque ipſe velit, de ſe prædicare, alijſque perſuadere. Nugæ ſunt hæc, riſus ac non niſi gentilis ſtultitiæ verba. Quemadmodum enim ſi quis adductus ſit in cælum arcum intendere, velut ſagittis ſuis illud perrupturus, aut Oceanum exhaurire, tanquam ſuis illum manibus

C vacuaturus: hunc profectò ex facetioribus riſu, ex grauioribus lacrymis, iiſque permultis nullus non proſequeretur: ſic quoties nobis gentiles contradixerint, bene habebit res, ſi illos & rideamus & deploremus: res enim multò magis arduas, multò magis imperuias aggrediuntur, quàm qui vel cælum vulnerare, vel abyſſum vacuare ſe poſſe ſperat. Neque enim vnquam donec lux exiſtet, tenebræ erunt lux, neque rerum noſtrarum veritas refelletur. Veritas enim eſt, hac autem nihil validius. Atque quòd vetera ea, quæ nos auditu accepimus, nō minore fide digna ſint, quàm quæ præſentia ſunt, & quæ ipſi videmus, id certè omnes fateantur, niſi ſi qui fortè ſtupidi, ac delirantes fuerint: verùm vt victoriam etiam vel ex ſuperioribus facultatibus reportemus, volo & memoriæ noſtræ nouum quoddā, atque inopinatum facinus proferre. Enimuerò ne

D tumultuemini, ſi miraculum ætate noſtra factū dicturum me pollicitus, tamen à veteri hiſtoria narrationis exordium contexere aggredior, neq; enim intra vetera illa tantùm ſubſiſtam: neque quæ ego vetera ſum huc allaturus, ea à rerum nouarum argumento diſcrepant: ſic enim vtraque inter ſeſe cohærent, vt non poſſis illorū conſequentiam alterā ab altera ſeparare. Id quod auditis rebus, probè iudicabitis. Fuit Imperator quidam maiorū noſtrorum temporibus, qui qualis alioqui fuerit, dicere non habeo, verum vbi ſcelus ab eodem magna audacia atque improbitate factum audieritis, & reliquam morum illius crudelitatē perſpectam habebitis, quodnam ergo piaculum id fuit? Viſum fuerat genti cuidam cum hoc Imperatore bello decertāti, bellum tandē componere, ſic, vt neq; alteros affligerent, neq; ipſi viciſſim ab alteris poſthac affligerentur, quin potius moleſtijs, periculis, omni de-

Exemplū crudelitatis & perfidiæ inter duos reges.

nique

A nique timore defungerentur, ac partis contēti, nihil quidquam præterea requirerent: præſtare enim timore procul depulſo mediocribus frui, quā plura appetentes vbique timere, trepidare, atq; adeò malis vltrò citroque datis & acceptis vitam tranſigere. Itaque quum conſtitutum illis eſſet, bello prorſus depoſito, quietam ac minimè ſollicitam vitam viuere, viſum eſt commodum hoc firma aliqua pactione, ac ſtabilibus terminis vinctum confirmare. Tum fœdere facto, dato atque accepto iureiurando, & regi præterea ſuo ſuadere conantur, vti ſuo ille filio (puer autem is admodum erat) pro certo pacis pignore depoſito præſtaret, tum vt qui prius hoſtes erant, bono in reliquum tempus animo eſſent, tum animi ac conſilij tui teſtimonio prodito indicaret ſe, quam pacem cum illis faceret, eam citra dolum omnem facere. Qua oratione rex adductus filium dedidit, vt ipſe quidem opinabatur, amicis, ac ſocijs: vt verò rei exitus probauit, belluæ omnium belluarum crudeliſſimæ. Amicitiæ ac fœderis lege regium illum puerulum quū accepiſſet, ſtatim omnia ſimul conculcauit, ac ſubuertit, iuſiurandum, pacta, pudorem eum qui homini ab homine, religionem quæ Deo debetur, miſericordiam quam à nobis ætas illa impetrare ſolet. Ac neque iuuentus feram illam flexit, neque ſanè, quæ huiuſmodi ſceleribus comes eſſe ſolet, vltio agreſte illud pectus terruit, neque patris filium deponentis verba eiuſdem animum ſubiere: ea inquam, quæ ille filium in manum tradens, fortaſſe mandarat, dum poſtulat vti illius curam quàm diligentiſſimè Imperator ſuſciperet, patrem etiam illum filio ſuo appellans, dum obſecrat, vt quaſi ipſe genitor foret, ſic illum enutriret, atque erudiret, perficeretque, vt maiorum ſuorum nobilitate dignus ille olim euaderet: denique dum idem pater inter hæc verba media filij dextram homicidæ dextræ inſertat, ac multis etiam cum lacrymis congreſſum ſoluit: horum omnium inquinatiſſimus ille, nihil quidquam ſecum reputans, quin potius omnibus illis vnà ex animo excuſſis cædem illam cædium omnium ſceleſtiſſimam patrat. Hoc enim flagitium filij etiam proprij cæde grauius eſt, cuius rei teſtimonium à vobis mutuabor, qui vtique non ſic, opinor, indoluiſſetis (ſi modò ex animi mei affectibus & veſtrorum item affectuum coniecturam facere oportet) ſi illum audijſſetis proprium filium occidiſſe: tum enim vnà cum communibus legibus & naturæ etiam leges ſubuerti viſę fuiſſent. Hic autem plurima ſimul cōcurrerunt, quæ numero ipſo, naturæ neceſſitudine validiora eſſe poſſunt. Quoties enim mihi ante oculos obuerſatur adoleſcens ille prorſus innocens, idem à patre deditus, idem à maiorum ſuorū regia auulſus, idem domeſticas delicias, gloriam, honorem cum extorri vita, hoc nomine cōmutans, vt poſſet impurus Imperator pactis cum hoſte fœderibus fidere: idem poſtea ab illo miſerè cōfectus, & ſplendore domus paternæ per eadē fœdera priuatus, denique ab eodem iugulatus: nimirum ſecū pugnans me ſubit affectus, liquefacto ſimul, atque exæſtuante intus animo, quorum affectuum alterum mihi ira, alterum mœſtitia parit. Nam dum mecum reputo ſceleſtum illum armantem ſeſe, gladium intentantem, pueri collum apprehendentem, qua dextra depoſitum receperat, hac eadem gladium in illud impellentem, diſrumpor, atque adeò ira ſuffocor. Rurſus dum intueor iuuenem illum timentem, trementem, ploratus extremos plorantem, patrem inclamantem, hunc ipſum iſtarum rerum authorem fuiſſe teſtantem, cædem non ei qui gladiū in guttur mergeret, ſed ei, qui ſe genuiſſet, acceptā referentem, neque fugam adornare, neque ſibi auxilio eſſe valentem: ſed quod vnum ſupereſt, fruſtra de proprio parente expoſtulantem, denique plagam receptantem, palpitantem, calcibus pauimentum ferientem, terram ſanguineis riuis inquinantem, ipſa mihi intus viſcera diſcerpuntur, ipſa mihi cogitatio obtenebratur, ac mihi ob oculos mœſtitiæ caligo quædam offunditur. At verò non perinde beluinum illud Imperatoris pectus affectū videas: quin potius quaſi vel agnum, vel vitulum immolaturus, ſic ad ſceleſtam illam cædem animatus fertur. Et puer quidem plaga accepta exanimis iacebat. At percuſſor admiſſo ſceleri patrocinabatur, poſteriori facinore prius illud obſcurare laborans. Exiſtimaturus es fortaſſe me de ſepultura loqui velle, deque Imperatoris impietate, qui à ſe occiſo ne tantillum quidem terræ impertiuerit. Ego verò aliud quoddam facinus, eo quod à me iam dictum eſt longè atrocius, indicaturus ſum. Nam manus illas impias tam innocenti ſanguine vbi conſpurcauit, atque conſcelerauit, nouamque illā tragœdiam peregit, quaſi nullo prorſus à ſe ſcelere facto, effrons & ipſis etiam ſaxis durior, ad Dei optimi maximi templum feſtinabundus accurrit. Miraturi fortaſſe ſunt nonnulli cur factum eſt, vt qui tam ſæuum patraſſet facinus, diuina ſtatim plaga percuſſus non fuerit: aut quo pacto prius quàm introijſſet, in illum Deus non continuò fulmen cælitus contorſerit, ita vt eiuſdē os impudens cæleſti igne mox conflagraret. At ego, ſi quibus huiuſmodi cogitatio in animum deſcenderit, laudo quidem illos, & admiror excandeſcentiæ iſtius cauſa: tamen huic meæ de illis tum laudationi, tum admirationi nonnihil certè adhuc deeſſe dico. Etenim iuſta quidem illos indignatio ſubit, tum ob peremptum iniuria puerum, tum ob diuinas leges tanta cum petulantia, atque contumelia violatas: ſed ijdem tamen iræ impotentia exæſtuantes, rem ipſam totam non perpendunt. Iuſtitiæ enim lege hac, alia quædam lex longè ſublimior in cælis lata eſt. Lex verò ea quæ tandem eſſe poteſt? Ijs qui peccatū aliquod commiſere, pœnam non è veſtigio Deum irrogare, ſed tempus delinquenti concedere, ac veluti præſcriptum diem ſtatuere, intra quem peccatū quum depoſuerit, pœnitentiæ beneficio par tandem ijs euadat, qui nullum prorſus peccatum admiſerunt. Id quod & tunc Deus in miſeri ac perditi illius cauſa declarauit, ſed nullus tamen propterea ſubſequebatur profectus: inemendatus enim perſiſtebat. At Deus, quo eſt in humanum genus amore, hoc etiam quum prouidiſſet, ne ſic quidem illum deſpexit, neque partes ipſe ſuas intermiſit, ſed & laborantem inuiſit, adhibitis etiam ijs remedijs, quę ſalutem afferre poſſent: cæterùm tantum abfuit, vt porrectum ille medicamentum admitteret, vt vel medicum ad ſe hoc nomine miſſum trucidauerit. Vita B. Babylæ.

Medicamentum porrò, ac medicinæ item ratio huiuſmodi erat. Fortè fortuna per quod tempus crudelis, ac miſeranda, quam dixi, fabula licentioſè ageretur, magnus quidam atque admirabilis vir (ſi modò viri nomine deſignare illum fas eſt) noſtri huius gregis curam gerebat, Babylas huic nomen erat: is igitur per eos dies Chriſti eccleſiam hanc à ſpiritus gratia ſibi concreditam quum haberet, Heliam, atque huius æmulū Ioannem, non dico præterijt, ne inuidioſo admodum verbo vtar, ſed vſque adeò eſt aſſecutus, vt ne tantillum quidem illorū generoſorū pectorum libertati conceſſerit. Neque enim paucarum ciuitatū tetrarcham, neque gentis vnius regem, ſed eum, qui imperio ſuo plurimā totius orbis partem contineret, ipſum, ipſum hunc inquam homicidam, de quo nobis eſt ſermo, eundem multarum gentium, multarum ciuitatum, immenſi item exercitus dominum, eundem quoquò te vertas, tum ab imperij amplitudine, tum à morū ferocitate terribilem, quaſi vile quoddam, ac nullius pretij mancipium, ſic à Dei templo exegit: tanta adeò cum conſtantia atque animi præſentia, cū quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ouem ab ouili excludit, dum prohibet ne laborantis ouis morbus

Digitized by Google

morbus ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat. Et hæc quidem fecit Babylas, re ipſa ſeruatoris noſtri verbum confirmans: Solum illũ videlicet ſeruum eſſe, qui peccatum facit, vt ſexcentas etiam coronas capite geſtet, vt omnibus, qui ſuper terram ſunt, hominibus imperare videatur: qui autem culpæ nullius ſibi conſcius eſt, vt in ſubditorum claſſe cenſeatur, hunc vel regibus omnibus regaliorem, præſtantioremq; eſſe. Ergo ipſum Imperatorem ſtatim is, qui illius imperio parebat, rexit: & ei, qui omniũ dominator erat, ſubditus iura dedit, atque adeò aduerſus eum, damnationis calculum tulit. Tu verò quiſquis es qui hęc audis, noli quod dictum eſt leuiter tranſmittere. Nam auditus facti huius nuntius, extitiſſe ex ſubditis, qui Imperatorem à templi veſtibulo exegerit, per ſe abundè ſatis eſt ad commouendos ac perterrefaciẽdos auditorum animos: qui ſi vis miraculum totũ exactè pernoſcere, ne verbum ipſum nudum ſpectes, ſed ponito tibi ante oculos hinc ſatellites haſtatos, hinc milites ſcutatos, hinc tribunos, hinc exercitus duces, hinc permultos in aula regia educatos, hinc eos quibus ciuitatũ adminiſtratio credita eſſet, hinc præeuntiũ, hinc ſequentium faſtum, hinc aſſeclarum ſeipſos vrgentiũ turbam, denique vniuerſum Imperatoris famulitium: ſecundũ hæc ipſum Imperatorẽ in medio illo comitatu multo cũ faſtu ingredientem, eundemque veſtium, purpurę, lapillorum hac illac conſperſorũ, in dextra, in militaris veſtis commiſſura, in capitis diademate refulgentium ſumptu ſibi placentem: ac ne hoc quidem loci cœptæ ſemel à te imaginis iſtius faciem finias, quin eandem proferas ad Dei vſque ſeruum illum, beatum, inquam, Babylam, eiuſdemque humilem habitum vulgarẽ veſtem, animam contritam, ſenſum ab omni temeritate alienum, atque his demum coloribus vtrũque quum depinxeris, & alterum alteri oppoſueris, tum certè facti huius miraculum bellè perſpicies. Imò verò ne ſic quidẽ id exactè comprehendes. Babylæ enim fiduciam nullius planè ſermo, nullius oculorũ acies repræſentare queat, ſed ſolũ illius experimentum, atque vſus: cuius generoſi animi præſentiã ſolus is poſſit rectè animo concipere, qui potuerit ad idem fiduciæ faſtigium pertingere. Quomodo enim ſenex ille acceſſit? quomodo prætoriam cohortẽ diſſipauit? quomodo labia diduxit? quomodo verba fecit? quomodo increpuit? quomodo dextram in pectus impactam firmauit? pectus, inquam, ira turgens, ac cæde feruens: quomodo homicidam exegit? nihil illum eorum quæ agerentur deterruit, nihil de ſententia deduxit. Exclamare hic libet, ô animum imperterritum, mentemque excelſam! ô cæleſte pectus, & conſtantiam angelicam! Quaſi enim depictam in pariete videret vniuerſam illam ſpeciem, ſic omnia intrepidè generoſus ille vir peregit. Etenim illum ſacræ erudierant literæ, mundi huius res omnes non niſi vmbram eſſe, ac ſomnium, & ſi quid his vanius eſt. Propterea Babylam nihil ea omnia terruere, imò verò magis animauere: illorum enim quæ coram contuebantur aſpectus, eius cogitationem traducebat ad ſupremum illum regem, ſedentem ſuper Cherubin, abyſſos contuentem, ad thronum illũ glorioſum, & excelſum, ad exercitum illum cæleſtem, ad angelorum myriadas, ad chiliades archangelorũ, ad ſuggeſtum terribile, ad tribunal incorruptum, ad flumen ignis, ad iudicem ipſum. Propterea certè ſe ipſe totum à terra in cælum transferens, quaſi iudici ipſi aſſiſteret, ipſumque audiret iubentem, vt ſceleſtum, atque inquinatum illũ à ſacroſancto grege expelleret, ſic eiecit, & à reliquo armento ſeparauit, nihil prorſus reſpiciens eorũ omnium quæ videbat, quæq; terrifica aliis videtur: quin potius illo viriliter, atque admodum generoſè expellendo, diuinis legibus vim, ac tyrannidem patienti-

A bus opem tulit. Atqui quanta Babylas erga cæteros fiducia vſus ſit, hinc conſtare poteſt: quemnã enim ex aliis metueret, qui aduerſus ipſummet Imperatorem tantam ſibi poteſtatem ſumeret? Equidem vir ille qualis fuerit, coniectura quodammodo aſſequor: ſeu, vt veriùs dicam, de eo ſic mihi perſuaſi; vt nihil quicquam vel in gratiam, vel in odium vnquam vel faceret, vel diceret: ſed generoſo ſemper ac forti animo contra timorem, contra item adulationem, quæ timore impotentior eſt, contra id genus alia (cuiuſmodi multa inter homines accidunt) ſeſe opponeret, nec vnquã ne tantillum quidem rectum adulteraret iudicium. Si enim amictus, dentium riſus, pedis ingreſſus, hominis naturam arguunt: multò quidem magis tot, ac tanta illius egregia facta omnibus nobis fidem facere poſſint, quantam ille in reliqua vita virtutem amplexatus fuerit. Neque enim nobis ille ob fiduciam modò, qua præditus erat, admirabilis eſſe debet, verùm ob id quoque, quòd eam fiduciã B ad hoc vſque loci perduxerit, ſimul ob id, quòd eam vlterius non promouerit. Talis eſt enim Chriſti ſapientia, quæ permittit ne quid minùs, ne quid item plus iuſto decertes: ſed vt omnia intra modum efficias. atqui Babylæ licebat, ſi voluiſſet vlterius progredi: ei enim qui vitæ curam ſemel abiecerat (prorſus enim non acceſſiſſet, niſi ſe ipſe huiuſmodi cogitatione armauiſſet) omnia liberè agere licebat, & Imperatorem conuitiis aſpergere, & diadema capiti detrahere, & pugnis os contundere: nam & dextram in pectus iam impegerat. ſed tamen ab his omnibus abſtinuit: animam enim habebat ſale ſpirituali conditam, quæ res præſtabat, vt nihil temerè, nihil ſtultè, ſed omnia recto rationis iudicio, ac ſtato ordine exequeretur: non quemadmodum gentilium ſapientes, qui nunquam intra modum, ſed vbique, vt ita dicam, aut maiorem, aut minorem, quàm decet, orationis libertatem vſurpant: idque vt nuſquam fortitudinis, vbique affectuum ratione carentium opinionem ſibi concilient: in iis quæ aſſequi non poſ- C ſent, metus, atque ignauiæ: in quibus exceſſiſſent, inſolẽtiæ, ac vanitatis apud omnes conuicti. At nõ ſic Babylas noſter, qui quod ipſi in mentem venerat, id non inconſultò aggreſſus eſt, ſed nihil non accuratè perpendens, & animi ſui cogitationes diuinis legibus conformans, ita demum ad opus eas eduxit. Eapropter ſectionem ipſam neque per ſumma tantùm inflixit, vt ne maior membri affecti pars incurata relinqueretur, neque altiorem quàm deceret, vt ne ſuperuacanea plaga quod ſanum eſſet, offenderet: ſed plaga prius ad morbum attemperata, medicinam quàm optimam adhibuit. Equidem hinc illum pronuntiare auſim, ira, puſillanimitate, arrogantia, ambitione, odio, timore, adulatione prorſus vacauiſſe: quod ſi & maius quiddã atque admirabilius fatendũ eſt, non tam certè mirum mihi videtur eundem aduerſus Im- D peratoriam inſaniam tanta fiducia conſtitiſſe, quã vidiſſe, atque intellexiſſe, quatenus hoc ipſum facere oporteret, nec quicquam præterea vel feciſſe, vel dixiſſe. Equidem quod poſtremum hoc longè illo admirabilius ſit, multos vtique inuenies illius compotes euaſiſſe, ab hoc tamen ſuperatos. vocis enim libertatem vtcunque vſurpaſſe poſſunt & ex plebeis permulti: at illa eadem decenter vti tempore conſentaneo, congrua tum menſura, tum prudentia adhibita, magni admodum animi & admirabilis fuerit, quando in beatum illum Dauid magna cum licentia, contumelia inuectus eſt Semei, quem & ſanguinarium virum 2. Reg. 16 appellauit: verùm hanc ego nunquam dixerim fiduciam ac libertatem; ſed linguæ potiùs intemperantiam, mentis temeritatem, contumaciã, dementiam, atque id genus quodlibet vitium. Conuenit enim, arbitror, vt qui alios reprehenſurus

eſt, is

Digitized by Google

eſt, is animum ſuum quàm longiſſime ab omni temeritate ac contumacia aſſerat, quamq́ue vſurpat agendi vehementiam, eam ex verborum atque rerum natura tantùm demonſtret. Etenim medici dũ vel putrida membra ſecare, vel intumeſcentia cõprimere opus eſt, non ita priùs animum ſuum complentes, ita demum ad curandum accedunt, ſed tũ maximè decenti in ſtatu animi cogitationem continere adlaborant, vt ne arti ipſi turbati animi motus officiat. Quòd ſi corpus curaturo tanta animi ſedatione opus eſt, quo, obſecro, animarum medicum loco habebimus? quantam ab eo ſapientiam exigemus? certè longè maiorem, atque adeò tantam, quantam bonus ille martyr præſtitit. Nobis enim quoſdam quaſi terminos & regulas præſcribit, per quas videlicet & in reliquis facta proportione, nobis ipſi modum deſumamus, ſic miſerum illũ à ſacroſanctis clauſtris ſummouit. Ac factum quidẽ hoc videri poteſt vnum modò eſſe egregiæ virtutis opus: veruntamen ſi quis id perpendat, ac tanquã explicans vndique diligenter ſpeculetur, inueniet & alterum, & tertium item emolumentum inde ſimul enaſci, magnumq́ue inibi vtilitatis theſaurum recondi. Siquidem vnus tantùm is fuit, quem à tẽplo expulit Babylas, at multi extitere qui lucrum inde reportarunt. Quotquot enim erant qui fidem ſuam Chriſto nondũ obſtrinxiſſent (de ijs loquor, qui tyranni huius imperio parebant, id autem imperium bonam totius orbis partem occuparat) ij certè omnes obſtupuere, admirati ſunt: inde edocti quantam ſeruis ſuis libertatem Chriſtus impertierit, deriſerunt ſuam ipſorum illiberalem & abiectã ſeruitutem, perſpexerunt quantum inter ſe diſcrepent Chriſtianorum nobilitas, & gentilium probrũ. Qui enim apud illos templorum adminiſtrationem ſuſcepere, ij reges ſuos colunt pluſquam dominos, pluſquam idola etiam ipſa quæ adorant, regumq́ue metu ſtatuis ipſis aſſident, ita vt maligni illi dæmones honorem omnem ſibi impenſum, Imperatoribus ſolis acceptum referant. Itaque vbi contingit Imperatorem aliquem creari, qui cum illorum religione non conſentiat: mox ibidem ſi quis in idolorum templa fuerit ingreſſus, paſſim aranearum telas parietibus circumfuſas videbit, & tanto ſitu idoli ſtatuam obductam, vt neque naſus, neque oculus, neque alia quæuis totius oris pars appareat. Ex altaribus autem, aliorum reliquias ſolùm ſupereſſe, maiore parte iam collapſa, alia interim tam alta vndique herba circumdari, vt qui altaria ea eſſe neſcit, ſterquilinij aceruum aliquem eſſe putet. Cuius rei cauſa hæc eſt: Illis olim licebat quæcumque vellent ſuffurari, & per ſtatuarum cultum ventri indulgere: nunc verò quamobrem ſeſe miſeri diſcruciauerint? accubantes enim, ac ſe ipſi conficientes, ab illis tamen nullam prorſus expectant retributionem: ſunt enim ligna tantùm ac lapides: verùm honore eo quem Imperatores ſtatuis ijſdem exhibent, adducuntur illi ad huiuſmodi cultum ſimulandum, qui certè tollitur, dum Imperatores ſapiunt, Dei opt. max. filium adorantes. At non ea eſt rerum noſtrarum conditio, ſed planè contraria. Quum enim Imperatorium thronum conſcendit, qui nobiſcum in fide diuinitatis opinione conſentit, hic ſegniores efficiuntur Chriſtianorum res: tantum abeſt, vt illæ per humanos honores erectæ conſiſtant. Rurſus quum impius aliquis Imperator regnat, qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet, tum eædem pretium accipiunt, atque inclareſcunt, tum præmiorum ac triumphorum tempus, tum coronarum, præconiorum ac virtutis omnis oſtentandę facultas. Quòd ſi quis dixerit ſupereſſe etiam nunc ciuitates, eamdem quam olim ſuperſtitionem circa idolorum inſaniam præ ſe ferentes, is primùm admodum paucas numerabit. Verumtamen ne hac quidem ratione officiet inſtituto à me ſermoni. Ea-

A dem enim ſuppoſitio adhuc manet: nam pro Imperatore, ciuitatis adminiſtratores habent parem ſecum idolis honorem deferentes. Atque huius cultus cauſæ hæ exiſtunt: crapulæ, comeſſationes tum diurnæ, tum nocturnæ, tibiæ & tympana, & quod liberum eſt, turpia quidem cum omni oris impudentia proferre, turpiora autem factitare, liberum item præ ingluuie diſrumpi, præ ebrietate debacchari, & in probroſiſſimã inſaniam dilabi. Id genus indecentes ſumptus continent adhuc & fouent intercidentem illum errorem. Nam qui opulentiores inter illos ſunt, in ordinem paraſitorum cogunt eos, qui ob ignauiam fame pereunt, quos ipſos tanquam canes ad menſas ſuas enutriunt, eorumq́ue impudentes ventres iniquarum cœnarum reliquijs differciunt, ijſdem pro animi arbitrio abutentes. At nos, qui in vniuerſum mores veſtros iniquos, ac prorſus ratione carentes abominamur, qui ob propriam ſegnitiem, atque ignauiam eſurire coguntur, eos non paſcimus, quin potiùs ſuadendo B hortamur, vt & ſibi, & cæteris opera ſua victum ſufficiant: qui verò mutilo ſunt corpore, ijs permittimus modo, victum neceſſarium ab ijs quibus facultates ſuppetunt, mendicare. At comeſſationes, ebrietates, & reliqua omnis inſania, ac turpitudo à cœtu noſtro exacta, exploſaque eſt, pro quibus introducta ſunt quæcumque grauia, quæcumque caſta, quæcumque iuſta, quæcumque ſunt probata, ſi qua virtus, ſi qua laus. Nam cætera illa quæ Græci iactabunde efferunt, philoſophis ſuis attribuentes, facilè commonſtrarunt vanam gloriam, temeritatem, & puerilis cogitationis opera eſſe. Neq; enim temerè apud nos dolio quis accepto ſe ipſe incluſit, neque vili ac lacero panno obtectus, ſic per forum ingreſſus eſt. Ea enim admirabilia quidem eſſe videntur, laboreq́ue multo, ac ſumma ærumna plena, ſed indigna tamen ſunt quæ laudem mereãtur. Eſt autem diaboli aſtutiæ, ſibi ſeruientes laboribus eiuſmodi addicere, vnde qui decepti ab illo fuerint, cùm diuellantur, tum ridiculi omnibus C appareant. Labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, nullam prorſus laudem meretur. Etenim exiſtunt etiam hodie perditi quidam homines, nullis non flagitijs pleni, qui multò maiora iactitant, quã philoſophus ille. Alij enim acutos clauos comedunt, alij calceos mãdunt, & deglutiũt, alij ad alia his longè flagitioſiora malè conſulti ſe conferunt, opera porrò huiuſmodi multò ſunt admirabiliora, quàm vel dolium illud, vel panni illi viles, ac laceri: ſed ea tamen minimè probamus, ſicuti neque illa: quinimò & iſtos, & omnes item qui ſimilibus præſtigijs mirabiles ſunt æquè ac philoſophum eũdem damnantes deploramus. Dices, magnam verò philoſophus orationis libertatem apud regem præ ſe tulit. Videamus ergo quæ ſit egregia illa libertas, num etiam ea dolij præſtigijs vanior ſit. Quænam igitur illa? proficiſcenti cum exercitu D aduerſus Perſas Macedoni, eidemq́ue philoſophum magna inſtantia hortanti, diceret, ſi qua re indigeret: nulla, ille inquit, niſi quòd regem rogauit, ſibi à ſole ne obſtaret. Acciderat enim tum iam vt philoſophus à ſolis radijs calefieret, hic non vos ipſos pudore ſuffundetis? non oculos, frontemq́ue contegetis? non hinc faceſſentes terra vos obruetis, ob ea ipſa vobis placentes, ob quæ pudore ſuffundi oportebat? quantò enim præſtiterat, veſte aliqua ſumpta, eaq́ue craſſiuſcula ad opus aliquod ſe traducere, neque non à rege quidpiam, quod vſui foret, petere: quàm lacero indutum pallio ſedentem ad ſolis radios calefieri, paruorum lactentiumq́ue puerorum more, quos nutrices lotos, atque iunctos ibi collocant, vbi tum philoſophus idem ſedebat, infælicis aniculæ gratiam flagitans? At admiranda ea eſt orationis libertas: imò verò & hac quoque nihil certè prodigioſius. Bonum enim virum oportet publica vtilitate facta ſua omnia metiri, & alio-

Gentiliũ opera & ſcelera cõfert cum bonis operibus Chriſtianorum.

Philoſophorũ vt Diogenis & aliorũ auſteritates ridendas.

rum

rum vitam emendatiorem reddere. Poſtulare verò, vt ne ſibi à ſole obſtetur, quámnam id ciuitatem, quámnam domum, quémnam virum, quámnam mulierem conſeruauit? Age verò num quoddam lucrum vocis huius libertas peperit? nam lucrum à libera martyris noſtri voce natum iam ipſi demonſtrauimus, idque vlterius progreſſi apertius detegemus. Tum enim Babylas iniuriũ Imperatorem, quatenus ſacerdoti fas eſt, puniuit: principum altos ſpiritus compreſſit: diuinis legibus, dum violarentur, opem tulit: ſupplicium pro iniuſtè occiſo exegit, ſuppliciorum omnium grauiſſimũ, iis quidem certè qui mente ſana ſunt. Meminiſtis quidẽ omnino, quum de cæde ipſa verba facerem, quemadmodum veſtrum qui audiebatis vnuſquiſque intra ſe afficeretur, atq; inflammaretur, percuſſoremque ipſum in manum capere deſideraret, neque non precaretur alicunde apparere, qui cædem vlciſceretur. hoc ipſum igitur beatus ille præſtitit: pœnam enim ſumpſit tum ſe dignam, tũ idoneam quæ illum conuerteret, ſi modò ſtupidus admodum non fuiſſet: nequaquam poſtulando, vt ſibi ad ſolis radios caleſcenti abſcederet rex, neu à ſole obſtaret, quin potiùs impudenter in templi ſepta ingredientem, atque omnia confundentem, quaſi canem quemdam, aut ſeruum improbum à domini ſui aula excludendo. Vides nunc me non iactabundè, non temerè paulò antè dixiſſe, philoſophorum veſtrorum miracula à Babyla puerilis ſenſus opera reddita fuiſſe? At temperans, inquis, fuit, continentemque vitam egit Sinopenſis ille, vt qui etiam legitimas nuptias non ſuſtinuerit? Sed adde, obſecro, temperantiæ ac continentiæ illius modum. Tu verò nequaquam addes, quin libentius temperantiæ laudes illi detraxeris, quàm temperantiæ eius modum prodideris, adeò certè ille infamis, ac magno dedecore plenus. Percurrerem hoc loco & cæterorum nugas, ſtultum, ac vanum ſtudium, denique turpitudinem: vbi enim quæſo, vtile eſt ſeminis humani guſtu non tẽperare? id quod faciebat Stagirites: quale commodum cum matribus ac ſororibus miſceri? quod quidem philoſophus Stoæ præfectus lege ſanxit. percurrerem etiam Academiæ principem, illiuſque diſcipulum: item & eos, de quibus maior eſt admiratio, his quos nominaui obſcœniores fuiſſe demonſtrarem: obſcœnum quoque puerorum amorem ab illis in honeſtatis ac philoſophiæ parte annumeratum, omni detecta allegoria denudarem, niſi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret, tum omnium illorum riſus, vno à nobis detecto, ſatis ſuperque redargueretur. vbi enim is qui auſteriorem philoſophiæ partem ſequi viſus eſt, quique cæteros & linguæ libertate, & vitæ continentia excelluit, adeò turpis, adeò ineptus, adeò immoderatus fuiſſe demonſtratus eſt (nam & humanis veſci carnibus indifferens eſſe dixit) quorſum attinet & de reliquis deinceps verba facere, præſertim vbi qui ſtudij ac vitæ inſtituti excellentia cæteris illuſtrior fuit, omnibus tam ridiculus, tam puerilis, tam delirus apparuit? Itaque eò noſtra redeat, vnde aberrauit oratio. Ergo Babylas, vt dictum eſt, tum eos qui nondum Chriſti fidem receperant, compeſcuit: tum eos, qui iam receperant, religioſiores etiamnum reddidit, non priuatos homines modò, ſed & milites, & militum duces, & præfectos: planum faciens, ipſum etiam regem, eumque, qui ſummus fuerit apud Chriſtianos, nuda tantummodo eſſe nomina, ac dum vel pœna irroganda, vel honos deferendus fuerit, quiſquis etiam diadema geſtet, hunc vel infimis quibuſque adæquari. Ad hæc eorum certè ora obturauit, qui impudentia quadam abutentes affirmare vellent, quum Chriſtiani libertatem Apoſtolis tribuimus, eam non niſi fictam quamdam à nobis iactantiam eſſe: re quidem demonſtrans olim etiam eiuſmodi viros probabiliter extitiſſe, dum eorum poteſtatem ſignorum præſtatio maiorem efficeret. Exiſtit & hinc tertiũ quoddam raræ virtutis facinus, atque exemplum. Futurorum enim poſthac & ſacerdotum & regum animos, horum quidem demiſit, illorum autem extulit: planum faciens terræ, & eorum quæ in terra fiunt, curam, ac præfecturam veriùs reſidere penes ſacerdotem, quàm penes eum qui paludamento ornatus, ac purpura indutus eſt: nec non oportere de poteſtatis huius amplitudine ſacerdotem nihil detrahere, ſed hominem potiùs exuere, quã auctoritatem huic principatui ſupernè à Deo attributam deponere. Proinde qui ſic è vita deceſſerit, vel mortuus nemini non prodeſſe poterit. at qui ordinis huiuſmodi deſertor fuerit, non ſolùm nemini mortuus vſui eſt, ſed viuentium quoque, quibus præeſt, quàm plurimos ſegniores mollioreſque reddit, exteris ipſe interim & vituperabilis, & ridiculus. Idem etiam cum è viuis deceſſerit, multo cum dedecore, ac mœrore ad Chriſti tribunal ſiſtetur: vnde ipſum poſtea trahentes in fornacem ardentem abducent poteſtates eæ quibus id negotij demandatum eſt. Quamobrem ſapientis verbum nos monet, *Ne perſonam aſſumpſeris contra tuam ipſius animam.* (*Eccl. 42.*) Quòd ſi diſſimulare tutũ nõ eſt, dum homini ab homine iniuria infertur, quo tandem ſupplicio dignus non erit, qui ſiluerit, ac neglexerit, intuitus diuinas leges iniuriam accipere? Quinetiam & aliud item, non minus iis quæ dixi, bonum nos Babylas docuit, quòd videlicet vnumquemque oportet ſuo officio fungi, etiamſi inde nullum lucrum ad alios dimanet (neque enim ipſi, ad Imperatoris quidem emolumentum, libertas profuit) nihilo tamen ſecius ſuas omnes partes, atque officium omnibus numeris impleuit, quum interim qui morbo laborabat, propria contumacia atque vecordia artificis peritiam offenderit, medicamento à vulnere magna cum animi indignatione amoto. Quaſi enim abundè ſatis ad impietatem non eſſet, homicidium patraſſe, & fronte perfricta in Dei templum inſiliiſſe, ſic homicidio priori & alterum adiecit homicidium: & quaſi ſimul ſtuderet poſterioribus ſceleribus priora vincere, nec tamen præcedentium indignitatem ſubſequentium excellentia obſcurare (ea eſt enim diaboli inſania, vt quæ contraria, ac ſibi inuicem pugnantia ſunt aſtruat, moliaturque) ſic vtrique homicidio eximium id largitus eſt, vt mutuam quandam inter ſe congruentiam haberent. Et erat profectò pueri cædes prior poſteriori miſerabilior: Babylæ autẽ cædes poſterior priori ſceleſtior. Anima enim, quæ peccati guſtum ſemel fecerit, tum quæ nullius doloris aut pœnitentiæ ſtimulis tangitur, magnum certè auctarium morbo adiicere ſolet. Ac quemadmodum vſuuenit, vt ſcintilla ignis, ſi fortè immenſam materiam corripuerit, ſtatim obuiam quãque exurat, nec antè tamen ſubſiſtat, quàm quod reliquum eſt, id omne depaſcatur, quantoque plura comprehenderit flamma, tantò maius robur ad alia conſumenda concipiat: fitque tum vt comprehenſorum à flamma lignorum congeries lignis iis quæ mox flamma comprehenſura eſt, quaſi inſidias ſtruat, flamma eadem ſeſe ſemper lignorũ comprehẽſorum auxilio contra ea quæ intacta adhuc manent, armante: Sic & peccati natura, vbi animi cogitationem aliquam adorta eſt, nec quiſquam eſt qui malum reſtinguat, procedens vlterius grauior certè, ac magis indomita efficitur: propterea ſæpe fit, vt quę poſteriora ſint peccata prioribus grauiora ſint, anima ſemper poſteriorũ peccatorum acceſſione ad maiorem contumaciam ac deſpicientiam ſeſe promouente, & per hæc ipſa ſuam quidem vim eneruante, peccati autem robur alente, qua vtiq; ratione complures videas in omne peccatorum genus imprudentes prolapſos,

Peccatũ ſi pœnitentia nõ deleatur ad aliud trahit.

A B C D

quòd flammam initio exorientem non reſtinxerint: Sic & infelix ille Imperator peccatis ſuis prioribus poſteriora grauiora adiecit: vbi enim iuuenẽ illum extinxit, eueſtigio ab illius cæde ad inferendam templo iniuriam irruit: rurſus ab hac iniuria, tamquam iter ſemel cœptum perſequens, ad contumaciam temeritatemque ſuam, ſacerdoti o contumelia afficiendo ſe accinxit, vinctumque ferro Babylam, atque in carcerem coniectum ita tum excruciabat, ab eodem beneficij pœnas exigens: eumque ob quæ officia admirari potius, coronaque inſignire, ac pluſquam etiam parentes proprios vereri conueniebat, ob ea ipſa cogebat maleficorum hominum vincula, vinculorum calamitates, miſerias, ærumnas ſuſtinere. Ita, quod modò dixi, peccatum vbi initium cepit, nec eſt qui id vlterius progredi impediat, cohiberi poſtea, ac frænari haud facilè poteſt: equorum inſanientium ritu, qui quũ fræno ab ore diſſecto, nec non ſeſſore ab armis excuſſo, atque reſupinato, neutiquam tolerabiles occurrentibus euaſerint, nemine illos inhibente, immoderato quodam impetu hac illac ſe ipſi præcipites ferunt: quo fit, vt ſalutis noſtræ hoſtis huiuſmodi animas ad inſaniam impellat, quò eas medicorum præſentia atque auxilio deſtitutas deprehendens concidat, & infinitis malis exerceat. Etenim qui corpore laborant, donec medicos ad ſe adire patiuntur, in magnam certè ſalutis ſpem ingrediuntur: vbi verò mente capti calcitrant, ac ſe morbo liberare volentes mordent: tum denique morbo incurabili laborant, idque non ob morbi ingenium, ſed quòd ab iis, deſtituti ſunt, qui inſaniam illam ſanare poſſint. In quam inſaniam & tyrannus iſte ſeſe coniecit. Nam medicum nactus, hunc, vulnus adhuc dum ſecaret, ſtatim expulit, & à domo quàm potuit longiſſimè exegit. Hîc poteras Herodis fabulam non iam auribus tantùm haurire, ſed & coram maiori ſanè cum petulantia atque immodeſtia ſpectare: quoniam quidem & maiori certè cum oſtentatione, atque apparatu diabolus rurſus ipſam fabulam vitæ huius theatrum agendam introduxit, pro tetrarcha regem ſubſtituens, pro vna cauſa duplex argumentum, idque longè illo inquinatius præbens: vt non numerò tantùm, ſed & ipſa rerum natura, hæcce tragœdia clarior multò, atq; illuſtrior euaſerit. Nõ enim hîc ſicut illic nuptijs iniuria afferebatur, neque ex illegitimo coitu, ſed ex ſceleſtiori pueriles cędis inquinamento, ex tyrannide crudeliſſima, ex legis tranſgreſſione, non in vxorem, ſed in ipſam ſanctimoniam præſtita, hiſtoriæ huius telam diabolus cõtexuit. Coniectus ergo in carcerẽ Babylas, gaudebat quidem de vinculis, dolebat autem de eius exitio, à quo vinctus fuerat. neque enim pater, neq; pædotriba, quum ille ex filij, hic ex diſcipuli flagitio, aut calamitate celebriores fiunt, celebritatis huius voluptatem mœrore vacantem capiũt. Propterea & beatus Paulus Corinthios alloquens, dicebat: *Precamur autem vt mali nihil committatis, non quò nos probati videamur, ſed vt vos bonum faciatis, nos autem tamquam reprobi ſimus.* Eadem igitur ratione & admirabili viro Babylæ diſcipuli ſalus deſideratior erat, quàm expectata ex carcere merces, cui quidem gratius certè accidere nihil potuiſſet, quã ſi per diſcipulum reſipiſcentem huiuſmodi laudibus priuari ipſum contigiſſet: ſeu, vt verius dicam, ſi diſcipulus prorſus in iſtam morum peruerſitatem dilapſus non fuiſſet. Nolunt enim ſancti corollas ſibi alienis ex malis contexi: quòd ſi ab alienis malis nolunt, multò minus ab iis malis, quæ ipſorum domeſticis ac familiaribus obueniunt. Quo nomine & beatus Dauid victoria parta, ac triũpho iam acto, lugebat, & lacrymabatur, quòd ad calamitatem quam ex filio receperat, & hæc itẽ acceſſiſſet: quin exeuntibus ad conflictũ militibus multa tyranni nomine mandabat, eoſque qui ad illius cædem properabant, hac oratione cohibebat: Parcite puero Abſalon, quem ipſum in prælio proſtratum lugebat, non ſine fletibus, lacrymiſque amaris inimicum reuocans. Quòd ſi naturalis pater tã propenſo eſt erga liberos ſuos affectu, certè multò magis id de ſpirituali patre fatendum eſt. Parentibus enim ſpiritualibus liberorum ſuorum maior cura eſt, quàm naturalibus, Paulo ita atteſtante: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offendiculum patitur, & ego non vror?* Sed hoc quidem æqualitatem nobis repræſentat, quamquam certè vix patres in hanc ipſam vocem erumpant. Verumtamen demus & illos hucuſque affectu accedere poſſe: nos enim ſpirituales patres maiora etiã præſtare oſtendemus. At hoc ipſum vnde? Ab iiſdem iterum viſceribus, & à legiſlatoris Moyſis verbis. Ille verò quid dicit? *Si remittis eis peccatum, remitte: ſin minus, & meipſum ex libro quem ſcripſiſti, dele.* Nullus ſanè eſt pater, cui alioqui bonis infinitis perfrui liberũ ſit, qui tamen malit vnà cum liberis ſuis pœnis affligi. At Apoſtolus, vt qui in gratiæ ſtatu verſatus fuerat, paterni huius affectus intentionẽ addidit, propter Chriſtum. Non enim Moyſis exẽplo cũ illis pœnas dare malebat, ſed vt alijs bene eſſet, ſibi ipſe excidium imprecabatur, quum diceret: *Optarim anathema eſſe in Chriſto pro cognatis meis fratribus ſecundum carnem.* tanta certe miſericordia, atque affectu olim ſanctorum animi abundabant. Vnde & Babylę noſtri viſcera magis excruciabãtur, quòd Imperatoris exitium magis ac magis inualeſcere tueretur. Neque enim ſolùm templi cauſa ſtomachatus, ſed beneuolẽtia quadam erga Imperatorẽ adductus id fecit quod illũ feciſſe diximus. Etenim hic dum diuina ſacra cõtumelia afficeret, illis quidem detrimenti nihil afferebat, quin potius ſemetipſum infinitis malis implicabat. quapropter pater filij amore tactus, illum intuitus illata ſacris cõtumelia furore percitũ præcipitem ferri, immoderatum illum impetum cohibere conatus eſt, eundem à ſe obiurgatum quaſi effrænem equum retro inhibere properans. At nõ ſuſtinuit infelix ille, quin potius morſo fræno prorſus obſiſtens, ſeq; & furori, & inſaniæ, rationis gyro relicto, dedens, in extremi exitij voraginem coniecit, Babylam à carcere eductum, iubens vinctum ad mortis ſupplicium abduci. Atque hic quæ fierent, iis quæ cernerẽtur, minimè reſpondebant. Qui enim vinctus videbatur, omnibus ſimul vinculis ſolutus erat, tam ferreis, quàm alijs item grauioribus (curas hîc intelligo, ac labores, cæteraque mala omnia, quæ nos in hac mortali vita circumſiſtunt) contrà, qui ſolutus ferro & adamante videbatur, alijs quibuſdam cõpedibus longè grauioribus vinctus erat, peccatorũ ſcilicet catenis irretitus. Sãctus igitur Babylas morti ſe propinquum dum videret, corpus ſuum vnà cum ferreis illis catenis ſepeliendum mandauit, planum faciens, quæ ignominioſa videntur, ea quoties propter Chriſtum fiunt, honorifica eſſe, ac ſplendida: eumque qui ea patitur, non ſolum non diſſimulare, ſed inde ſibi placere oportere, hac quidem in parte beatum Paulum imitatus, qui ſurſum ac deorſum ſtigmata, vincula, catenam verſabat, ob ea ipſa gloriabundus, ac ſibi placens, quorum alios puderet. Quòd autem alios puderet, id ille nobis ea defenſione declarauit, qua ad Agrippam vſus eſt. Nam Agrippæ dicenti, Parum abeſt Paule, quin me Chriſtianum efficias, reſpondit Paulus, Vtinam vel paruo, vel multo tempore, non ſolùm tu, ſed & qui hic circumſtant omnes Chriſtiani fierent: exceptis hiſce vinculis: quę vincula non vtiq; adieciſſet, niſi res ea ignominioſa vulgo viſa fuiſſet. Sãcti enim dominum verè quum amarent, afflictiones pro illo magna cũ alacritate ſuſcipiebant, per quas etiam clariores euadebant: vnde & hic idem ait: *Gaudeo in afflictionibus meis.* Lucas autem & de reliquo apoſtolorum cætu eadem

Margin: A, B, C, D; 2.Cor.13; 2.Re 18; 2.Cor 11; Exo.32; Rom.9; Act.26; Coloſ.1.; Act.5.

hæc

A hæc teſtatur: poſt multa, inquit, flagella recedebãt, gaudentes quod digni habiti eſſent pro Chriſti nomine ignominia notari. Igitur vt ne quis gentilium exiſtimaret certamina à dedecora vi ac neceſſitate à noſtris ſuſtineri: ipſa certaminum ſymbola iubet Babylas vnà cũ cadauere ſuo inhumari, oſtendens ſibi illa pergrata, & peramica eſſe, pro ea quidem charitate, qua totus in Chriſtũ appenſus erat. Et extant etiam nunc cũ Babylę cineribus compedes, eccleſiarum præfectos omnes cõmonefacientes, vt vinciri, vt iugulari, vt quiduis pati oporteat: certè omnia prompto atque alacri animo, ac magna item cum voluptate ſuſtinenda, vt cõcreditæ nobis libertatis ne leuiſſimã quidem partem prodamus, aut contaminemus. Et quidem beatus ille in eo ſplẽdore atque honore mortem cum vita commutauit. Enimuerò exiſtimaturus eſt fortaſſe quiſpiam hoc loci orationi noſtræ finem impoſituros: neque enim vita hac finita laudatorum operum, aut virtutis oſtentandæ

B occaſiones ſuppetere, quemadmodum neque athletis poſt ipſum certaminum tempus exactum corollas contexi conuenire. Verùm ea quidem eſt gentilium non abs re opinio, quorum ſpes vltra hanc mortalem vitam haudquaquam prorogatur. At nos quibus vitæ huius exitus illuſtrioris vitę alterius initium eſt, ab hac ſuſpicione atque opinione longè abſumus: quam ſanè opinionẽ rectã eſſe, apertius à nobis alibi commonſtrabitur. Interim & quæ virtutis eximiæ opera poſt Babylæ generoſi martyris obitum obuenere, talia ſunt, quæ magnã orationi noſtræ fidem facere poſſint. Poſteaquam enim pro veritate tuenda ad mortem vſque decertauit, & ad proprij ſanguinis effuſionem vſque cõtra peccatum depugnans reſtitit, atque vt ne ordinem eum, quem à magno rege acceperat, deſereret, ipſam etiam animam deſeruit, nullo non generoſo atque egregio bellatore illuſtrius occumbens, animam quidem ipſius cælum habuit, corpus autem (quo tamquam miniſtro ad virtutis opera præſtanda vſus fuerat) terra, ſic vt creatura ipſa athletam diuiſerit. Atqui poterat Babylas vel exẽ-

C plo Enoch transferri, vel Heliæ modo rapi, vt qui vtriuſque æmulator fuerat. At Deus qua eſt in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis ſalutis noſtræ occaſiones dedit, & hanc quoque viam nobis à ſe munitam eſſe voluit, idoneum ad virtutem capeſſendam ſtimulum, relictis ſcilicet interim apud nos ſanctorum reliquijs. Nam poſt ſermonis facultatem, ipſa certè ſanctorum ſepulchra proximum locum obtinẽt ad animas hominum in ipſos ſanctos intuentium ad virtutum earumdẽ æmulationem excitandas. Ac ſicubi quis huiuſmodi conditorijs aſtat, ſuum ſtatim ſenſum ab hac, quam dico, vi correptum animaduertit: capſulæ enim aſpectus in animam inuadens ipſam percellit, & exuſcitat, ac perinde afficit, quaſi qui illic mortuus iacet, preces ſimul fundat,

D præſenſque adeſſe cernatur: deinde fit, vt qui ſe ſic affectum ſentit, mira alacritate geſtiens, aliuſque prorſus quodammodo effectus, ita ex eo loco decedat. Quiſquis porrò animũ aduertere volet ad eos, qui mortuos luctu proſequuntur, probè inde edocebitur, imaginationem de mortuis conceptam ſolere ex ipſis locis in animos inſinuare: qui vbi mortuorum ſepulchris aſtiterunt, protinus quaſi idẽ ſepultos coram ſtantes contueantur, ſic eoſdẽ in ipſo ſtatim veſtibulo inclamant: plerique autem intolerabili dolore vexati reliquum vitæ tempus ad demortuorum monumenta habitare ſibi in animum induxerunt. Id quod nequaquam feciſſent, niſi à locorum aſpectu conſolationem aliquam cepiſſent. Et quid hîc de locis ac ſepulchris verba facio? quum & ſæpe veſtis ſola mortuorum viſa, & verbum vnum in mentem influens animum noſtrum excitet, & memoriam interlabentẽ refricet, quibus de cauſis ipſas nobis ſanctorum reliquias Deus reliquit. Porrò dicam autem quòd hæc non temerariæ cuiuſdam iactantiæ cauſa, ſed quòd id ipſum emolumenti noſtri gratia factum fuerit, abunde orationi noſtræ fidem faciunt, tum quæ quotidiana à martyribus miracula eduntur, magna affatim ad illa hominum multitudinę affluente, tum illis nihilo inferiora Babylæ præclara poſt ipſius obitum virtutis egregiæ ſpecimina. Vbi enim ita vt mandauit ſepultus fuit, & tam longum temporis interuallum ab eius ſepultura interceſſit, vt non niſi oſſa, ac cinis in feretro ſuperarent, placuit Imperatori vni ex ijs qui poſtea imperarunt, Deo ipſius animum ad id impellente, capſulam in ſuburbium iſtud Daphnen abduci. Quũ enim Deus vidiſſet locum illum adoleſcentium intẽperantia quadam quaſi tyrannide obſeſſum, in periculum venire, ne prorſus ab ijs deſereretur, qui grauiores eſſent, quique in honeſtate ac modeſtia vitam degere in animo haberent; loci incommodum ac noxam miſeratus, miſit qui contumeliam vindicaret. Etenim ipſe Daphnes locus pulcher atque amœnus vt eſſet, Deus fecit, ſimul aquarum copia, ac pulchritudine, ſimul terræ ingenio, ſimul cæli atque aëris temperie, non quidẽ vti ſolũ inde oblectamentum ac leuamentũ captaremus, ſed vti his de rebus ſe optimum opificem laudaremus. Salutis autem noſtræ hoſtis (cuius ea eſt natura, vt Dei muneribus in opus contrarium ſemper abutatur) locum eundem quum occupaſſet, quà corruptorũ iuuenum turba, quà malorum ſpiritum habitaculis, affinxit præterea & infamem quamdam fabulam, per quam ſuburbij decor omnis ac gratia dæmoni accepta ferebatur. Fabula porrò ſic habet. Daphnen aiunt adhuc puellam, Ladonis fluuij filiã (antiquis enim mos is receptus fuerat, vt & fluuij gignerent, & quæ à fluuijs genita eſſent, in res poſtea ſenſu carentes mutarentur, & pleraque id genus prodigioſa effingerentur) Daphnen, inquã, puellam, forma admodũ præſtantẽ fuiſſe volunt, quam quum vidiſſet Apollo, illius ſtatim amore deflragrauit: hæc verò Deum curſu ſe capere cupientem fugiens, in ſuburbium iſtud quum perueniſſet, ibidem ſubſtitit. mater porrò vim patienti filiæ opem ferre volens, aperto gremio virginem ſtatim excepit, ac pro puella eiuſdem nominis plãtulam reddidit. hic perditus amator amoribus ſuis fraudatus, arborem circumplexus, tum plantã, tum locum ſibi vendicauit, propriumque fecit. In quo poſtea quum aſſiduus commoraretur, eũ præ alijs omnibus diligere atq; amare cœpit: poſtremo qui tũ rex erat, Apollini templum & arã extrui iuſſit, quò poſſet dæmon ſuam inſaniam per eum locum conſolari. Et hæc quidẽ vetus fabula, at incommodum à fabula exortum non iam fabula fuit. Poſteaquam enim iuuenes permulti impudici illuc accedentes, ſuburbij pulchritudinem contaminarunt, ibidem in comeſſationibus atq; ebrietatibus victitantes. volens diabolus malum hoc magis ac magis gliſcere, fabulam eam quam recitaui, confinxit, dæmonem loci eius incolã eſſe diuulgans, vt eiuſmodi hiſtoria maius illis impudicitię atque impietatis incendium fieret. Ad tanta porrò iſthæc mala tollenda inuenit Imperator ſapientiſſimum id remedium. Sanctũ Babylæ martyris corpus eum in locũ ſi transferretur, exiſtimauit perinde fore, ac ſi medicus ad laborantes mitteretur. Sin iter id, quod ab vrbe ad ſuburbium ferret, auctoritatis regiæ mandato impediret, atque interdiceret, iudicauit mandatum id omnibus vulgò viſum iri tyrannicũ quoddam, agreſte, ac crudele factum. Quòd ſi mandato adderet, vt qui honeſti ac moderati eſſent, ijs ſuburbij adeundi poteſtas fieret: qui verò incontinentes, atque intemperantes, ab eo arcerentur, mandatum perplexum ac difficile fore cẽſuit, vtpote per quod præuidebat quotidianas cen-

Tranſlatione reliquiarũ S. Babylę locus Daphnes qui ſuperſtitioſus erat gentiliũ ritibus, in honore cœpit haberi à Chriſtianis.

Digitized by Google

ſuras in dijudicanda vniuſcuiuſq; vita neceſſarias. A Itaque martyris præſentiam malorum horũ omnium finem ac remedium fore exiſtimauit, quem quidem idoneum intelligebat, qui tum dæmonis potentiam antiquaret, tum iuuenum luxum emendaret: qua vtique ſpe nequaquam falſus eſt. Nam vbi quis Daphnæ appropinquat, viſo ſtatim martyris monumento, vel ab ipſo ſuburbij veſtibulo compeſcitur, atque emendatur, more adoleſcentis alicuius in conuiuio accumbentis, ac pædagogũ aſtantem contuentis, eundemque vultus ſignificatione iubentem, vt decenti ordine ſeruato bibat, edat, loquatur, rideat, cauens necubi modum ſupergreſſus, ſuam ipſe exiſtimationem dehoneſtet. porrò ab eiuſdem monumenti aſpectu, tum ab ea, quam de beato martyre concepit, imaginatione factus ille religioſior, ad capſulam ipſam continuò accurrit: ad quam cùm primùm peruenit, maiorem animo trepidationem recipit, mox abiectò omni contemptu tamquam volatilis effectus, ita ab eo ſe loco domum recipit. Idem etiam eos qui ab vrbe in ſuburbiũm aſcendunt de via excipiens, huiuſmodi cum temperantia relegat ad Daphnes laxa-

1 Cor. 10 mentum, tantùm non vocem illam inclamãs: *Exultate Domino in tremore*, & apoſtolicum illud adijciẽs:

Pſal. 2. *Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliud quoduis facitis, ad Dei gloriam omnia facite.* Qui idem ſi incidat in nonnullos delicijs delibutos, ex ſuburbio ad vrbem ſe recipientes (ſi quibus fortè vſuuenerit vt quadã quaſi animi ſocordia frænum abijciãt, atque in crapulam, in abſurdas aliquas delicias præcipites ferantur) hos ebrios in ſuum diuerſorium excipiens, nõ permittit ebrietatis noxam geſtantes, domum abire, quinimò timore incuſſo refrænans, ad eamdem reducit ſobrietatem qua præditi erant, antequam ebrietate madefierent. Etenim quaſi tenuis quædã aura eos, qui in martyris æde fuerint, vndique circumſpirans afflat, non ea quidem ſenſibilis, nec quæ ad augendam corporis vim faciat, ſed quæ in ipſum tantùm animum obrepat, eundemque vndique decenter compeſcens, ac terreſtrem omnẽ ſarcinam circumcidens reficiat, atque ingraueſcentem iam & fractum agiliorem reddat. Et quidẽ Daphnes forma, ac pulchritudo ſegniores ad ſe ipſa euocat: at martyr quodam quaſi in piſcatu confidens, & ad ſe introgreſſis inſidias parans, eos retinet, ac veluti ad normam quamdam priùs compoſitos dimittit, & ita dimittit, vt amata in poſterum pudicè, ac citra omnem incontinentiam ſint vſuri. dum enim ex hominibus alij ſocordia adducti, alij mundanis ſolicitudinibus impediti ſanctorum martyrum monimenta inuiſere negligunt, perfecit Deus vt hocce irretirentur modo, & talem ipſi fructum curationis animæ caperent: ac perinde fit, vt ſi quis ægroto medicamenta ſalutifera admittere nolenti, medicamentum dulci quodam condimento oblitum præparet. qui igitur inibi tandem curantur, eò perueniunt, vt iam nõ deliciæ ſolum, ſed & viſendi ſancti deſiderium ſuburbij adeundi occaſionem multis afferat: ſiue, vt veriùs dicam, qui honeſtioris vitæ ſunt, hoc vno nomine illuc ventitant: qui infirmiores illis ſunt, vtroque nomine: qui verò infirmiſſimi, nõ alio, quã deliciarum captandarum nomine: poſteaquam autem illuc peruenerunt, eos aduocans ad ſeſe martyr, ſuis ipſius epulis ſplendidè exceptos, fortique armatura præmunitos, non patitur in malum aliquod prolabi. Et eſt perinde mirũ eo in loco mollem aliquem ac ſocordem reſipiſcere, & tamquam è media inſania ſanum caput attollere, vt ſi quis in medios ignes coniectus ab igni detrimenti nihil accipiat: circumuallata enim rationis arce ab iuuentute, ab effrænata audacia, à vino, à ſaturitate, moleſtiùs etiam quàm à flamma ipſa, beati Babylæ ros inſpectantium animam ex obtutu ipſo influens flammam ipſam ſopit, incendium ſiſtit, ac magnam certè animi religionem inſtillat. Atq; in eum, quem dixi, modum, Babylas intemperãtiæ tyrannidem ſubuertit. At quo idem modo & dæmonis poteſtatem extinxit? Primùm quidem tum dæmonis inibi habitantis obſidionem, tum fabulæ noxam ijs ipſis, quas dixi, rebus inefficacem reddidit: deinde & dæmonem ipſum exegit. Verùm antequam ad exactionis modum veniam, illud vos annotare poſtulo, Babylam non ſtatim vbi aduenit, dæmonem eieciſſe, ſed manentem eũ otioſum, inertem, agendiſque rebus ineptum reddidiſſe. Illi enim os ita obſtruxit, vt vel lapidibus ipſis magis mutus redderetur. Et quidem manentem inibi dæmonem ſuperauiſſe, non minus fuit, quàm ſi eũdem de loco exegiſſet, quum qui loci illius accolis omnibus fucum priùs faceret, ne extincti quidem Babylæ cineres contueri ſuſtineret. Ea eſt enim ſanctorum poteſtas, vt illorum ſuperſtitum dęmones ne vmbras quidem aut veſtes ferre poſſint, vita autem functorum & loculos quoque reformi- B dent. Itaq; ſi quis quæ ab apoſtolis facta fuiſſe prædicantur, fidem non habet, is tandem memoriæ huius miracula intuitus, ab impudentia ſua deſiſtat. Nã qui de omnibus olim gentilibus victoriam reportabat, à martyre tamquã ab hero increpatus, ſuppreſſa voce latrare deſijt. Ac primùm quidem videbatur mutus eſſe, quòd ſacrificiorum & aliorũ id genus cultuum particeps minimè fieret. Dæmonum enim mores ij ſunt, vt dum mortales nidore, fumo, ſanguine eos inuitant, & allectant, tamquam canes cruoris auidi, & helluones, ebibendi, abſorbendique eius cauſa præſto adſint: rurſus dum nemo eſt, qui ea offerat, quaſi fame quadam pereant. Quibus certè ſacrificia dum fiunt, ac fœda dum celebrantur myſteria (quæ ipſa nihil certè aliud ſunt, quàm amores quidam obſcœni, quàm puerorum contumelia, quàm adulteria, quàm domorum ſubuerſiones, vt nihil hîc agam de inhumanis cædium generibus, neque nefarijs illorũ cœnis, qui- C bus, inquam, fœda dum celebrantur myſteria, ſtatim aduolant, & delectãtur, etiamſi malefici, etiãſi præſtigiatores, etiamſi peſtes hominum ſint, qui myſteria eadem peragant. Imò verò, vt veriùs dicam, non alios planè habent, quàm quos depinxi, ſacrorum ſuorum adminiſtros. Qui enim temperans, modeſtus, caſtus eſt, is nec comeſſationẽ admittet, nec temulentiam, nec dictu fœdum aliquod verbum proferet, nec alteri cuiquam id genus fœditatibus inſeruienti aures ſuas accommodabit: quamquam oportebat, ſi quã illi humanæ virtutis curam gereret, ſi quam fęlicitatis aſſeclarum ſuorũ rationem haberent, nihil potius requirere, quàm vitã optimam, quàm mores rectè emendatos, prætermiſſis illis indecoris dapibus, quibus tamen (quando nihil habent antiquius hominum exitio) magnopere delectantur, ijſdem coli ſe profitentes, D quibus tum noſtra mortalium vita ſubuertitur, tũ honeſtas omnis radicitus diuellitur. Primùm igitur videbatur hic dæmon hac, quam dixi, ratione obmuteſcere: poſt autem conuictus fuit, violenta neceſſitate præpeditus id facere: metus enim, quo quaſi indito in os fræno cogebatur, impedimento illi fuit, quò minus ſolita contra homines impoſtura abuteretur. Vnde hoc liquet? Sed ne tumultuemini. Id enim commonſtrabo, atque ita commonſtrabo, vt ne illis quidem, quibus maximæ curæ ſemper fuit impudẽter omnia aſſeuerare, in poſterum ea impudentia abuti liceat, quoties ſermo inciderit, vel de veterum illorum dæmonum, vel de iſtius dæmonis infirmitate. Neque mihi coniecturis opus eſt, neque id attinet planum facere probabilibus quibuſdam rationibus, ſed ipſum dæmonis hac de re teſtimonium adhibebimus. Ipſe enim lethalem vobis plagam inflixit, veſtramque omnem fiduciam ac libertatem conſcidit. At vos ne illi ſuccenſeatis: neque enim prudens, ſed à

maiore

Digitized by Google

maiore quadam poteſtate coactus, tyrannidem ip-
ſe ſuam deleuit. Id verò qua tandem ratione fa-
ctum eſt? Mortuo eo Imperatore qui Babylæ cor-
pus in ſuburbium tranſtulerat, huius fratrem ad
imperij adminiſtrationem perduxit is idem qui il-
lum Imperatorem fecerat, atque hic ſine diadema-
te imperiũ accipit: hactenus enim demortui quo-
que fratris poteſtas præſcripta erat. Idem hic Im-
perator quum impoſtor ac ſceleſtus eſſet, primum
propter eum à quo principatum acceperat, Chri-
ſtianum ſe eſſe ſimulauit: deinde eo vita defuncto,
abiecta ſtatim perſona, fronte perfricta, quam an-
tea ſuperſtitionem intus celauerat, hanc in mediũ
productam nemini non manifeſtam fecit, diuulga-
to per vniuerſum terrarum orbem mandato, vt
idolorũ templa inſtaurarentur, aræ excitarentur,
priſtini dæmonibus honores redderentur, magni
item illis prouentus varijs ex locis ſuppeterent.
Quo ex mandato magi continuò, incantatores, au-
gures, haruſpices, menagyrtæ, hoc eſt, menſtrui
viatores, ſeu præcones, denique omnifariæ im-
poſturæ artifices vndique ab vniuerſo orbe con-
fluxerunt. Hîc cernere quidẽ licebat regiã ipſam
infamibus, abiectis, ac profugis hominibus refer-
tam. Nã quotquot vſquã fame tabeſcentes, quot-
quot ob veneficia ac maleficia conuicti, quotquot
publicæ cuſtodiæ addicti, atque ad metalli opus de-
truſit, denique quotquot ſordidarũ artium artifi-
ces vix inde victitare poſſent, quum ſe ipſi dere-
pente ſacerdotes eſſe profiterentur, mirum eſt
quanto in honore, quanto in pretio habiti omnes
fuerint. Hic Imperator duces ipſos, ac militum
præfectos contemnere, aſſis vnius non æſtimare,
contrà mares meritorios, & meretrices è fornici-
bus ſuis excitatas vnà ſecum per totam vrbẽ, per
angiportus omnes circũducere, quum interim re-
gius quidẽ equus, omneſque prætoriani ponè mul-
to interuallo ſequerentur, lenones autem, & me-
retriculæ anteambulonũ loco, & vniuerſus meri-
toriorum adoleſcẽtum chorus regem medium ſti-
pantes per forum inambularent, ſermones eos
proferentes, atque cachinnos attollẽtes, quos par
erat eiuſmodi fariuæ homines attollere: quæ ip-
ſa certè non neſcimus talia tamque abſurda fuiſ-
ſe, vt poſteris fide maiora futura ſint. neque enim
priuatorum quiſquam eorúmve qui humile pudẽ-
dumque viuẽdi genus inſtituerint, velit tam tur-
pis, tamq; indecens publicè videri. Sed ad eos ſanè,
qui adhuc vita ſunt ſuperſtite, oratione nulla opus
eſt: qui enim adfuere, & ea dum fierent ſpectaue-
re, hi & quæ hîc à me dicuntur, nunc exaudiunt:
propterea enim ſuperſtitibus etiam nunc teſtibus
hæc ſcribo, vt ne quis vetera recenſentem me, in-
ter eos qui rei ignari ſint, magna licentia mentiri
exiſtimet. Ex ijs enim qui ea viderunt, ſuperãt ad-
huc & ſenes, & iuuenes, quos omnes obſecro, & ob-
teſtor, ſi quid à me hiſtoriæ adiectum fuerit, in me-
dium prodeant, meque redarguant. Sed ſcilicet tã-
tum abeſt, vt me de meo adieciſſe quidquam ſint
redarguturi, vt deprehẽſuri etiã ſint, multa certè à
me prætermiſſa: neq; enim fieri potuit, vt oratione
turpitudinis illius immẽſam magnitudinem repræ-
ſentarem: poſteris verò, qui credituri iſthæc non
ſunt, vnum id dictum eſſe velim, dæmonẽ veſtrum,
quem Venerem appellatis, nequaquam pudere id
genus adminiſtris vti. Itaque mirum nemini eſſe
debet, ſi miſer ille, qui prorſus dæmonum ludibrio
ſeſe addixerat, ea minimè diſſimularet, propter
quæ dij ij quos coleret, magnopere ſibi placent.
Iam verò quis enumerauerit necromantias? quis
puerorum cædes? nam victimæ illæ à quibus ho-
mines ante Chriſti aduentum non abſtinebãt, poſt
eius apparitionem repreſſæ, de integro renouabã-
tur, non iam quidem in propatulo: nã tam etſi Im-
perator eſſet, ac licentioſè omnia ageret, tamẽ tan-
ta erat rerum earũ impietas, vt ea imperatoriæ etiã
A licentiæ magnitudinem ſuperaret: victimæ, inquã,
illæ de integro tamen renouabantur. Daphnẽ ita-
que idem hic Imperator grauitatem ore præferens
conſcendit, multis quidem cum donarijs, ac ſacri-
ficijs, manante etiam ſanguinis torrente, quẽ ma-
ctatarum pecudum cædes effecerat. Tum à dæmo-
ne magna inſtantia oraculum poſcit, poſtulans ſi-
bi ille ijs de rebus reſponſum vt daret, quas animo
agitabat. Ibi ſtrenuus ille ſcilicet, qui pelagique
modum, & numerum qui nouit arenæ, qui mutum
capit, & ſurdum qui intelligit idem, vt de ſe ipſe
profitetur, bellè admodum cauit, ne in eum ſermo-
nẽ deueniret vt apertè teſtaretur per ſanctum Ba-
bylam, ac vicinorum virtutem obſtructũ ſibi eſſe
os, ac propterea loqui nequaquam poſſe: nimirum
veritus, ne cultoribus ſuis ridiculus fieret. Cæterũ
quum idem adumbrare vellent virium ſuarum à
Babyla deuictarum conditionem, eum taciturnita-
tis titulum aperuit, per quem ridiculus magis red-
debatur, quàm ſi prorſus tacuiſſet. tacens enim
imbecillitatem tantummodo ſuam detexiſſet, nũc
verò & imbecillitatem, & turpitudinem, & impu-
B dentiam declarauit, ſtudens ea adumbrare, quæ
adumbrari minimè queunt: quis enim color hic eſ-
ſe poteſt? Daphnes, inquit, locus cadaueribus ſca-
tet, id quod oraculum arcet. Et quantò præſtabat,
peſſime dæmon, martyris virtutem non diſſimula-
re, quàm titulum tam impudentem prætexere? Et
hæc quidem dæmon. Imperator autem mente alie-
nata quum eſſet, perinde vt in ſcena ludens, fabu-
lamque agens, eueſtigiò ad beatum Babylam fer-
tur. quamquam, ô nequam, ac nequiſſime, niſi vo-
bis ipſi vltrò mutuò verba daretis, inque aliorum
exitium colluderetis: quam tandem ob cauſam tu
quidem ſuppreſſis nominibus, atque in genere de
cadaueribus loqueris: tu verò quaſi certi alicuius
cadaueris nomen exaudiſſes, alijs intactis, Babylæ
vnius cadauer mouendum tibi ſumis? oportebat
enim iuxta dæmonis ſententiã conditoria ea om-
nia quæ in Daphne eſſent effodere, & terriculum
à Deorum aſpectu quã lõgiſsimè abducere. At nõ
C de omnibus, inquis, mortuis dæmõ verba fecit. Cur
igitur id non apertè profeſſus eſt? nempe tibi im-
poſturæ fabulam agenti, ænigma illud reliquit.
Equidem cadauera, inquit, tibi dico, vt ne palã fiat,
me victum eſſe: nam & alioqui reformido Babylam
nominatim deſignare: at tu intelligito quod à me
dictum eſt, atque vnum pro omnibus martyrem
amoueto. Ille enim eſt, per quẽ muti efficimur. Tã-
tæ certè dementiæ dæmon cultores ſuos à ſe dam-
natos eſſe voluit, vt tam apertam impoſturam ca-
pere nequirẽt. Nã vt mente alienata, atq; inſana
omnes eſſent: tamen nec ſic quidẽ ignorare debe-
bant, quòd victũ ſeſe dæmon fateretur, tam ea res
manifeſta, tam aperta futura erat. Nam ſi hominũ
cadauera inquinatum quiddam (quod tu eſſe vis)
& execrabile ſunt: multò magis brutorum cadaue-
ra, ac tantò certè magis quantò brutorum genus
D humano genere contemptibilius eſt. Multorũ ve-
rò canum, ſimiarum, aſinorum oſſa proximè tem-
plum defoſſa ſunt, quæ potius mouenda fuerant,
niſi fortè cenſes homines ſimijs eſſe viliores. Vbi
nunc ſunt qui Solem bellum Dei opificium, &
ad noſtrum miniſterium creatum, contumelia
afficiunt, & dæmoni aſtrum attribuunt, & hunc il-
lum eſſe affirmant? Sol enim, in tanta etiam cada-
uerum in terra iacentium copia, per vniuerſum
orbẽ diffunditur, nec vllo loco neque radios, ne-
que radiorum ſuorum efficaciam propter ipſas
locorum inquinationes contrahit. At Deus veſter
impuram hominum vitam, impoſturas, cædes non
modò non auerſatur, aut odit. ſed diligit, amplexa-
tur, amat, corpora autem noſtra deuitat: quamquã
peccati genus tale eſſe ſolet, vt vel apud ipſos
authores in ſummã etiam reprehenſionẽ veniat;
corpus autem mortuum, & quod minimè mo-

A uetur, omni reprehenſione ac criminatione vacat, Sed ſcilicet iſtud eſt veſtrorum deorum inſtitutū, vt abominentur quæ abominanda nequaquā ſunt: colant iidem & approbent quæ omni odio & auerſatione digna ſunt. Et bonus quidem vir, quiſquis eſt, neque à ſano aliquo conſilio vel dando, vel capiendo, neque ab opere neceſſario faciundo per mortuum corpus prohibebitur, imò ſi animo ſano eſt, vel ad ipſa ſepulchra inhabitans, & temperantiam, & iuſtitiam, & omnem denique virtutem præſtabit: prætereaque artifex ſuæ quiſque artis opera abſque vllo impedimento facturus eſt, iiſq; qui ipſum rogauerint, præbiturus, non ſolum cadaueris propinquus aſſidens, ſed etiamſi ipſa mortuorum monimenta extruere opus ſit, & pictor, & latomus, & faber, tam lignarius, quàm ferrarius, denique omnes ſua ipſorum opera conferunt, vnus autem omnium Apollo per cadauera impediri ſe ait, quo minus futura proſpiciat. Atqui & apud nos magni & admirabiles viri extitere, qui res futuras quadringentis ac mille etiam antè annis quàm B euenirent, prædixerunt: quod dum facerent, nullū prorſus harum excuſationum vel quæſierunt, vel cauſati ſunt: neq; mortuorum ſepulchra perfringi, neque eos qui intra ea iacerent abijci, neque nouum & impudentem effodiendorum cadauerū modū excogitari iuſſerunt. Attamen ex eis nōnulli impijs ac ſceleſtis gentibus vicini quum habitarent, vel in medijs ipſis Barbaris, quorum omnia cōſpurcata ac polluta erant, verè futura vaticinati ſunt, neque illis ad vaticinationem aliorum obfuit conſpurcatio. Quid ita? quòd quæ illi dicebant, ea reuera per diuinæ virtutis opus dicebant. Dæmon autem quum prorſus in eo diuina vis nulla eſſet, de futuris nihil habuit quod Imperatori prædiceret. Cæterùm ne hæreat, perplexuſq; eſſe videatur, cogitur veriſimilia quædam ridicula ſimulare. Quamobrē enim, quæro ex te, ſuperiore tempore numquam tale quiddam elocutus eſt? quandoquidē tum velamen hoc prætendere poterat, ſui cultum C ab hominibus intermiſſum eſſe: hac autem idem excuſatione ſibi adepta, ad cadauera confugit, anxius animi quorſum euaderet. Nam à decoro ipſe ſuo recedere nolebat. Verùm ipſi vos illū coegiſtis, qui cultus excuſationem ei ademiſtis, neq; locum illi feciſtis ad ſacrificiorum penuriam confugiendi. Hæc igitur vbi audiuit fabulæ iſtius actor Imperator, iubet ſtatim capſulam deturbari: quò omnibus dæmonem victum eſſe innoteſceret. Etenim ſi dixiſſet ille, per ſanctum Babylam loqui impedior, ſed hunc tamen ne loco ſuo moueatis, néve illius capſam vlterius conturbetis: nimirum ea res dæmonis modo cultoribus innotuiſſet, illos enim puduiſſet factū id ad alios deferre. Nunc verò quaſi ipſius infirmitatem traducere adlaboraret Imperator, ſic nihil non fieri coegit, quo ne volēti quidem factum adumbrare licebat. Neque enim D iam ſimulatio ſalua & integra eſſe poteſt, propterea quòd nō alius mortuus, ſed ſolus Babylas illinc tranſlatus eſt: nec ſolùm qui vrbem, & ſuburbium, & agros item incolebant, ſed qui remotiſſimè etiā habitabant, in rem præſentem quum venirent, capſulamque non amplius illic eſſe viderent, quæſita cauſa ſtatim edocebantur, dæmonem ab Imperatore rogatum vaticinari, reſpondiſſe, id ſe pręſtare non poſſe, niſi beato Babyla prius à ſe procul amoto. Quamquam, ô perridicule dæmon, licebat tibi ad alias confugere excuſationes, cuiuſmodi multis identidem vteris, infinita ſemper rebus in dubijs artificioſè excogitans: aliàs Lydorum regi promittens magni imperij perditionem Halym fluuium tranſgreſſo, hūc ipſum tamen regem poſtea ſuper accēſam pyram poſitum commōſtrans: aliàs in Salamine hac eadem arte vſus, quum tu perridiculam illam addidiſſes coniunctionem. Nā quòd dixiſti, muliebria pignora perdes, ſimile fuit illi, quod Lydorum regi dixeras. Quòd autē adieciſti, vſquam vel Cerere ſparſa, coeunte vel vſquā, maiore id certè riſu dignum fuit, ac prorſus ſimile iis quæ à circulatoribus in triuijs vulgò iactantur. At tibi ne iſtud quidem facere placuit. Licebat & tibi ſermonem tuum obſcuritate velare: (nā & hoc tibi artificium ſolenne eſſe ſolet) at enim inſtitiſſent omnes iterum non intellectæ vocis ſolutionem quærentes. Tibi etiam licebat ad aſtra confugere: id enim tute perſæpe nullo rubore, nullo pudore facis: neque enim tibi res eſt cum viris mente præditis, ſed cum pecudibus, atque adeò cum longè craſſioribus, quàm ſunt pecudes ipſæ: non erant vtiq;, qui tum te conſulebant, Græcis ſapiētiores ancipitia reſponſa tua audire ſolitis, ab errore tamen ſeſe non eximentibus. At mendacium intellexiſſent? Te igitur oportuit vni tuo ſacerdoti veritatem aperire, qui quòd victus eſſes melius quàm tutè multò adumbrare noſſet. Nunc verò quis te miſer adducit, vt te in tam manifeſtā impudentiam obtruderes? Sed tu fortaſſe peccaſti nihil: Imperator verò perperā fabulæ ſubſeruiuit. In genere enim quū de cadaueribus audiſſet ad Babylam ſolum adiens, te ille coarguit, & impoſturam tuam denudauit. Sed ne ille quidem volens id fecit: neq; enim vnius eiuſdemq; erat tot ac tanta tibi donaria honoris gratia offerre, & temet rurſum infamare. Verùm omnium ſimul oculis martyris virtus tenebras offudit, neque paſſa eſt illos ea intelligere quæ fierent: quæ omnia fiebant quidem quaſi contra Chriſtianos, riſus autem non in eos qui ea paterentur, ſed in eos qui ea facerēt, totus vertebatur. Quod ipſum vſu venire videmus, quū qui furore correpti ſunt, in ipſos etiā parietes calcitrātes, & fanda ac nefanda in præſentes cōuitia iactitantes, ſibi ipſi videntur proximos bellè vlciſci, quū factis talibus nō illos, ſed ſeipſos dedecorent. Id quod & tum certè euenerat. Trahebatur enim capſula per totam viam, reuertebatur autem martyr athletæ alicuius exemplo coronam alterā in ſuam vrbem ferens, in qua & priorem coronam reportarat. Quamobrem ſi quis eſt fortè, qui mortuorum reſurrectionem neget, quū videat martyris noſtri facta illuſtriora poſt obitum eſſe, in poſterum erubeſcat: qui martyr ſtrenui alicuius bellatoris more trophæis trophæa coniunxit: magnis maiora, & mirabilibus mirabiliora. Tum enim certamen illi cum Imperatore ſolo fuerat, nunc cum Imperatore pariter ac dæmone. Tū Imperatorē à ſacro templi ambitu exegerat, nunc ex omnibus Daphnes locis peſtilentiſsimū humani generis hoſtem expulit, non manum admouens, quemadmodum & prius fecerat, ſed virtute inuiſibili inuiſibilem virtutem debellans. Ac viuentis quidem liberam orationem non tulit homicida, mortui autem cineres neque Imperator, neq; dæmon ſuſtinuit, quo dęmone auctore Imperator hęc agebat. Nam quòd Babylas ambobus iſtis poſterioribus maiorem incuſſerit timorem, quàm antea incuſsiſſet priori illi Imperatori, inde certè apertè liquet. Prior enim ille Babylam captum, eundemque in vincula coniectum interfecit: poſteriores autē iſti Babylam ſolum tranſtulere. Cur enim capſulā in mare demergi, neq; dæmon iuſsit, neq; poſterior hic Imperator voluit? cur non attriuit & exuſsit? cur non in vaſtam aliquam ſolitudinem deferri eam mandauit? Nam ſi ea piaculum & ſcelus fuiſſet, ſi eam abominans, ac non potiùs reformidans illinc dimouiſſet, non intra vrbem piaculum deducere, quin potiùs in montes quoſpiam, in ſaltus transferre oportuit. Sed ſcilicet perdito huic Imperatori æquè atque Apollini Babylæ virtus, & quam cum Deo haberet, fiducia cognita erat (ob id formidabat, ſi hoc feciſſet, ne fulmen diuinum, néve aliquem alium morbum in ſe ipſe prouocaret: multa enim habebat Chriſti virtutis,

Digitized by Google

A tum in ijs qui ante ſe regnauerant, tũ in ijs qui vnà ſecum imperium adminiſtrabant, ſpectatæ argumenta. Nam ex ſuperioribus Imperatoribus ij, qui ſimilia attentauerant, multis, ijſque intolerabilibus calamitatibus acceptis, fœda, ac miſerabili morte interierant, ita vt cuiuſdam, dum adhuc viueret, ſponte ex oculis pupillæ exilierint: Maximinus hic fuit: alius autem furore, alius alia id genus calamitate vexatus, mortem cum vita commutarit. Cæterùm ex ijs qui tum cum ipſo erant, patruus, cùm licentioſius inſaniam ſuam cõtra nos prodidiſſet, auſus impuris manibus ſacra vaſa contingere, hoc etiam ſcelere non contentus, ſed cõtumelia vlterius progreſſus (vaſis enim ijs inuerſis, & ſuper pauimentum collocatis atque extenſis, ita ſuper ea deſedit) eueſtigio illegitimæ huiuſce ſeſſionis pœnas luit. Illius enim verenda corrupta vermiculos generarunt: ita, vt morbum diuinitus illatum conſtaret, ad quem curandum medici aues pingues, eaſque peregrinas interficiebant, quiB bus ad putrefacta membra admotis, vermiculos euocabant: illi verò loco cùm non mouerentur, mordicus putridis partibus inhærebant, atque illum ita demum multis diebus abſumptum perdiderunt. Alius porrò regij ærarij præfectus, antequã aulæ regiæ limen tranſcenderet, derepente medius crepuit, & ipſe id genus impietatis cuiuſdam pœnas luens: hæc ſanè, & his item plura, neque enim omnia enumerare temporis huius eſt, animo luſtrans impius Imperator, verebatur temeritatem ſuam vlterius promouere. Me porrò hæc non ex me enuntiare ex eis conſtabit, quæ ab illo poſtea edita ſunt. Interim hiſtoriæ noſtræ tenorem perſequamur, quid exinde euenerit recenſentes: hoc enim demum mirum admodum eſt, non modò Dei optimi maximi virtutem, ſed & inenarrabilem benignitatem patefaciens. Babylas intra ſacra templi ſeptum erat, intra quod & prius fuerat, antequam Daphnen tralatus fuiſſet. Ac malignus dæC mon ſtatim edoctus eſt fruſtra ſibi fraudis ſua artificia confiſta, ſeque non iam certamen habere cũ mortuo, ſed cum eo qui viueret, qui efficax eſſet, quique non ſe modò, ſed omnes quoque dæmones fortitudine ſuperaret. Is enim Deum precatus ignem in templũ vt cælitus demitteret, totum illius tectum exuſſit, ipſoque idolo ad extremos vſque pedes deleto, eodẽque in cinerem ac puluerem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipſi integri adhuc ſtant, abſtinuit. Ac ſi quis nunc illò acceſſerit, numquam vtique dixerit factum id ignis opus eſſe. Neque enim incendium id non ex compoſito factum, neque ex materia inanimi natum: ſed tamquam manu quadam ignem circumagente atque indicante, à quibus abſtinere, quæ porrò abſumere oportet, tanta certè concinnitate, tanto artificio ipſum templum detectum eſt, nec aſſimile quidem D ijs, quæ caſu, ac temerè incendio conflagraſſe videmus: verùm ijs quæ parietum ambitum integrum cùm habent, tecto tamen carent. Cætera enim omnia, & columnæ item omnes, tam eæ quæ templi culmen, quàm quę veſtibulum ſuſtinebant, adhuc extant, præter vnam, quæ ad poſteriorem templi partem ſtabat: & hæc tamen non temerè perfracta eſt, ſed ea de cauſa, quam poſtea dicturi ſumus. Hoc incendium vbi accidit, ſtatim dæmoniſis ſacerdos in carcerem rapitur, incendij auctorẽ indicare coactus: qui vbi non habuit quem accuſaret intortis cubitis multis flagris vapulauit, in ſublime raptus, ac latera vndique cæſus quamquã ne ſic quidem ex eo quidquam didicerit: reique huius euentus ſimilis erat illi, qui in Chriſti reſurrectione accidit. tum enim diſpoſiti fuere milites qui corpus Ieſu cuſtodirent, ne quà poſſent eius diſcipuli furto illud auferre: cæterùm is fuit rei ipſius euẽtus, vt nulla vel impudẽs ſpecies ijs relicta fuerit, qui reſurrectionis eius fidẽ eleuare, ac calũniari

A vellent. Atque hic diſtrahebatur miſer ſacerdos, quò teſtificaretur factum id non diuina ira, ſed humano maleficio accidiſſe. Is tamen contortus ac fœdè laceratus, cùm neminem haberet, quem proderet, ignem è cælo delapſum teſtatus eſt, vt maleuolis, atque impudentibus nullus iam calumnię locus relictus fuerit. Sed quod nos paulò antè dicere volentes in alium locum reiecimus, id ipſi hîc tẽpeſtiuè dicemus. quidnam verò id eſſe poteſt? Certè martyr noſter Babylas Imperatorem eouſque terruit, vt furore ille ſuo ſuperſederet. Neq; enim ipſum quidem ſacerdotem, eumque quem tanto antea honore proſequebatur, tot malis tecti exuſti cauſa affecit, & immaniùs, quàm fera crudelis, dilaniauit (à cuius etiam vorandis carnibus fortaſſe non temperaſſet, niſi res ea deteſtanda, omnibuſq; abominabilis viſa fuiſſet) Babylam autem per quẽ dæmon os ſuum obſtruxerat, rurſus in vrbem ea de cauſa tranſtulit, vt maior illi honos ab omnibus haberetur. Etenim idem Imperator ſi minus B prius, hoc eſt, quo tempore victum ſe eſſe dæmon faſſus eſt, at certè poſt ipſum incendium omnia ſubuertiſſet, ac perdidiſſet, capſulam exuſſiſſet, vtrumque item monumentum, tum quòd Daphne, tum quòd in vrbe erat, niſi metus in eo, quàm ira maior fuiſſet, ac niſi eius mœſtitiæ timor imperaſſet. Solenne enim permultis eſſe videmus, cũ eos ira ac dolor corripuerit, etiamſi affectum eorum authores non nanciſcantur, in obuios quoſque, ac ſuſpectos iram effundere. Non procul autem ab hac ſuſpicione Babylas erat. Nam ſimul vt in vrbem peruenit, ſtatim ignis in templũ inuaſit. Sed, quod dixi, affectus cum affectu pugnabat, & irę metus imperabat: mihi enim hîc cogita qualis eſſe poterat bonus ille Imperator in ſuburbium aſcendens, hinc martyris monumentum ſtans intuitus, hinc templum exuſtum, idolum deletum, donaria abſumpta, & liberalitatis ſuæ, ac pompæ ſatanicæ memoriam omnem de medio ſublatam. Nam vt C concedamus futurum fuiſſe, vt illum hæc cernentem, neque ira, neque mæſtitia ſubire poſſet: ipſum certè dedecus ac riſum permultum ferre minimè potuiſſet, quin potius ſacras, impuraſque manus in ſancti Babylæ ſacellum intendiſſet, niſi illum ea, quã antè dixi, cauſa prohibuiſſet. Neq; enim parui momenti ea res eſſe videbatur, per quam videlicet præciſa ademptaque erat omnis gentilium fiducia & libertas, lætitia omnis extincta, ac tanta mœroris nebula illorũ animis offuſa, quanta certè offundi potuiſſet, ſi deorum ſimul omnium templa diruta diſturbataque fuiſſent. Ac quod rem ipſam verbis non attollo, ipſa hic ego lamenti, & neniæ eius, quam ciuitatis ſophiſta in dæmonẽ conſcripſit, verba apponam. Sic autem habet neniæ initium: Viri, quorũ oculis æquè ac meis caligo offuſa eſt, in poſterũ neque pulchram, neque amplam ciuitatem hanc vocemus.] Deinde cũ nonnulla D attigiſſet, diſſeruiſſetque de Daphnes fabula (neq; enim omnem illius orationem huic noſtræ inſerere tempus patitur, ne longiores, quàm par eſt, ſimus) Perſarũ, inquit, rex olim ciuitate hac capta, tẽplo pepercit. Verba porrò ipſa ſunt hæc: Ille quidem ducto contra nos exercitu præſtare putauit, ſi templũ integrũ eſſe ſineret, ac certè ſtatuæ decor barbaricæ iræ præualuit, nunc autem ô Sol, ô Terra, quiſnam, vel vnde hoſtis hic? qui citra omne auxiliũ equitũ, citra omne præſidium & grauis, & leuis armaturæ militũ, tenui ſcintilla omnia abſumpſit?] Poſtea vbi declarauit Babylã dæmone ſuperiorẽ fuiſſe tũ, cũ gentiũ res victimis ac ſacrificijs maximè florerent: Et noſtrum, inquit, templum ingens illud diluuium non diſturbauit: in ſudo autem, atque adeò cùm nubes ipſa præterijſſet, deiectum eſt.] nimirum nubẽ ac diluuiũ appellans Imperatoris eius, qui præceſſerat, tempus. Rurſus oratione paulum proue-

A ctus idipſum amarulentius deplorat,his verbis: Ad hæc cum aræ tuæ ſanguinem ſitirent, ſedulus Daphnes cuſtos,vel contemptus cùm eſſes, permanſiſti, ô Apollo, aliquoties etiam iniuria laceſſitus, a q; externo ſpoliatus ornatu,patienter tamen tuliſti:nunc vero multis ouibus, multis item bobus ad aram tuam mactatis, poſteaquam ſacroſanctũ Imperatoris os pede excepiſti,intuitus quæ prædicebas,viſus liberatus eſſe mortuo quodam, quem te iudicaueras malum tibi vicinum eſſe, ac tibi obſtrepere, de mèdio ſtatim cultu ſolum vertiſti, vndénam hoc tempore gloriabimus apud eos qui memores ſunt ſacrorum, ſtatuarumq́; tibi erectarum?] Quid ais lugubris decãtator? Itàne Apollo,cùm nullus ei honos tribueretur,atq;adeò cùm in vituperium veniſſet, tutus Daphnes permanſit cuſtos:honore autem,ac cultu illi præſtito, ne ſuũ quidem templum tueri valuit:præſertim qui ſciret per illius caſum ac ruinam futurum, vt in maiorem priore ignominiam ipſe deueniret? Quis porrò mortuus ille,ô ſophiſta,qui Deo tuo negotium
B faceſſit? qualis mala iſta vicinia? hoc loci enim in beati Babylæ virtutes cùm incidiſſet,neque poſſet dæmonis ignominiam tranſmittere, re ſimpliciter diſſimulata præterijt,teſtatus quidem dæmonem à martyre obturbari, ac premi:ſed neutiquam adijciens,quod cùm dæmon infirmitatem ſuam adumbrare adlaboraret,eandem magis detexerit: verũ ſimpliciter mala, inquit,vicinia liberatus eſt. quámobrem enim non aperte indicas,mortuus ille quiſnam fuerit? quamobrem ſolus ipſe Deo tuo negotium faceſſit? quamobrem ſolus tranſlatus eſt? quamobrem & tunc ipſum eundem viciniam malam appellitas? Anne quoniam dæmonis impoſturam conuicit? Atqui idipſum non praui alicuius hominis opus fuerit, ſicuti neque mortui, ſed viuentis potius,& opus agentis & probi & præſidis,& patroni,& omnia pro veſtra ipſorum ſalute procurantis,ſiquidem voluiſſetis.Nã vt ne amplius vobis liceret voſmetipſos decipere,ac dictitare, dæmoné ipſum excandeſcentem, eundemq́ue propter in-
C termiſſa ſacrificia expoſtulantem, tum verò & de reliquo ſui cultu conquerentem vltro abſceſſiſſe: nimirum hac de cauſa illum Babylas ex eo omni loco ſummouit,qui locus ei maxime omnium gratus eſſet,quemque præ alijs tam charum haberet, vt eum etiam inhabitare non grauaretur, tum, cũ nullus ei honos,nullus cultus redderetur.Tu enim primo ſtatim loco id teſtatus es: Atque hoc ipſo in tempore cùm multas oues, multos boues Imperator illi immolaret.] Quo fit,vt vndequaque palam fiat dæmonem ipſum coactum,atque à maiore potentia pulſum, de Daphne deceſſiſſe. Potuiſſet quidem Babylas vel ſtatua ipſa ſtante dæmonem exigere:ſed vos nec credidiſſetis, quemadmodum neque olim, cùm ab eo vinctus fuiſſet: & aſſiduo item cultu inſtaretis.Quamobrem Babylas ſtatuã primùm ſtare cùm permiſiſſet,hanc ipſam tum de-
D iecit, cùm maximè impietatis flamma altior ferretur:planum faciens quiſquis vincit, hunc ſic vincere oportere:non quidem iam depreſſis aduerſariis, ſed tum maximè, cùm efferuntur ac clareſcunt.Quemobrem enim Babylas cum Daphnen tranſportaretur,Imperatori tranſportationis eius auctori non mandauit,vt & templum ſubuerteret, & dæmonis ſtatuam aliò transferret,quemadmodũ arculam transferebat? Quia nullum plane detrimentum ab ea ſtatua Babylas ſentiebat, neque ei certe aduerſus dæmonem carneo auxilio opus erat:quem & tunc, & nunc quoque citra humanæ manus præſidium deiecit, & priorem quidem victoriam nobis manifeſtam eſſe noluit,ſed illi os tãtummodo cùm obſtruxiſſet,cõquieuit. Tales enim eſſe ſanctos conſtat,vt perfici modò velint,quæ ad hominũ ſalutem ſpectant, non etiam vulgo oſtentare opera huiuſmodi per ſeipſos fieri, niſi ſicubi

vius aliquis cogat. Vſum autem rurſus eſſe dico, ſeruandorum hominum curam, id quod tum vſu venit. Cùm enim impoſturæ dęmonis mala inualeſcerent,tum demũ detecta nobis eſt victoria,& quidem non à victore,ſed ab eo ipſo qui victus eſt:qua ratione & teſtimoniũ ipſum apud noſtros minimè ſuſpectũ fuit ,& Babylas, vt de ſe ipſe prædicaret, vel cùm neceſſarium erat,euitauit. At verò cũ ne ſic quidem dæmonis impoſtura finem haberet,ſed rurſus qui vel ſaxis ipſis ſtupidiores erant, atque adeò ad tam apertam veritatem cæcutiebant, deuicti dæmonis opem implorarent: hîc neceſſe fuit ſtatuam igni deflagrare, quò per incendium & alterum item idololatriæ incendium extingueretur. Cur tute ergo dæmonem increpas, qui affirmas illum è medio ipſo cultu ſe ſubtraxiſſe? Non quidem vltro ſe ſubtraxit,quin potius exactus eiectuſq́ue eſt nolens,coactuſq́ue tum, cùm ob nidorem ac ſacrificia manere in animo maximè haberet.Nam qui tum imperabat Imperator, quaſi ob hoc vnum imperaret,vt vniuerſi terrarũ orbis pecudes inſumeret,ſic largiter & affatim ad aras oues boueſq́ue mactabat, qui & euſque inſaniæ prolapſus eſt, vt multi etiam ex ijs qui philoſophi apud illos viderentur, coquum ipſum & carnium cauponem,nec non id genus artificem vocitarent. A tam opipara igitur menſa, ab huiuſmodi nidore ac fumo,ab his ſanguinis torrentibus dæmon vtiq́ue non ſeipſe vltrò ſubtraheret,cùm idem antea abſque his omnibus, quod tute nuper affirmaſti, propter eam inſaniam, qua amicam deperibat, libens ibidẽ moraretur.Sed enim ſuſpenſa hîc à nobis oratione noſtra,interim rurſus exaudiamus ſophiſtæ huius lamenta. Miſſo enim Apolline ad Iouem his queſtus ſuos conuertit: Quale, ô Iupiter, laborantis animi laxamentum perdidimus? quàm Daphnes regio tumultibus vacua erat? quantò etiam templum ipſum magis vacuum? vtpote in quo natura ex ſeſe quaſi portum in portu fecerat, ambobus quidem admodum tranquillis,altero tamen maiorem tranquillitatem præſtante, quis nõ ibi mortẽ? quis non ibi timorem? quis nõ ibi luctũ poſuiſſet? quis præterea fortunatas inſulas inibi deſideraſſet?] Quale,obſecro,laxamentum, ô ſceleſte, perdidimus? quî verò templum tumultibus magis vacuum? quis item portus tranquillus? in quo tibiæ,in quo tympana, in quo crapulæ,in quo comeſſationes,in quo ebrietates? Quis,inquit, inibi morbum non poſuiſſet? qui potius ex aſſeclis tuis morbum ibidẽ non contraxiſſet,etiamſi priùs ſanus eſſet? morbum,inquam, omnium longe peſtilentiſſimum. Nam qui dæmonem ipſum adorat, & ad Daphnes fabulæ argumentum exaudiendum aures applicat, tum autem tantam Apollinis inſaniam videt, vt abſorpta amica, loco atque arbori etiam nunc incubet:hic quantum ſecum morbũ, quantam perturbationem circunfert? hoc igitur animi laxamentum,hoc portum quietũ,hoc morborum defunctionem appellitas? Et quid mirum fuerit, ſi contrarijs contraria appendis? nam qui mente capti ſunt,nullius rei naturam,vt ſe habet, ſentiunt:quin potius contrà quàm rei veritas habeat,ſententiam ferunt. Olympia, inquit non admodum procul.] Rurſus enim ad huius lamẽtationem reuertar,oſtẽdens quãtam Græci illi omnes, qui tum vrbem incolerent,plagam accepiſſent, & ſimul vt nequaquam id æquanimiter tuliſſet Imperator:quin potiùs omnem ſuum furorẽ in martyris arculam effudiſſet,niſi eum maior metus cohibuiſſet.Quid igitur ait? Olympia iam appetunt. Conuocatura eſt autem panegyris ciuitates: hæ verò aderunt Apollini ſacrificandos boues agentes. Quid faciemus? quis præco, quæ buccina lacrymis non exprimet,quis olympia feſtũ diem eſſe atteſtabitur? cùm proximus caſus luctum inuexerit. Da mihi arcum & fidiculas, tragœdia inquit.

Ego

Digitized by Google

Ego autem dico & vaticinij nonnihil, vt tum capiam, tum excuſſis arcu ſagittis petam ſceleris huius authorem: ô impiam audaciam! ô animam impuram! ô temerariam manum! Tityus alter aliquis hic, vel Idas Lyncei frater non magnus quidem, vt ille neque iaculator, vt hic, veruntamen vnum hoc edoctus, vt contra Deos inſaniat. Aloei filios etiamnum dijs inſidias ſtruere cogitantes morte conſopiuiſti ô Apollo, huic verò ignem procul afferenti non obuiam ijt ſagitta ipſius cor petens. ô dextram malignam! ô iniquum ignem: quónam primum delapſus eſt? quódnam mali huius exordium? Num à tecto exorſus, ad reliqua deinceps ſerpſit? Ad illius caput, ad faciem, ad phialam, ad cidarim, & talarē veſtem? Vulcanus ignis arbiter non comminatus eſt ligni huic detrimentum afferenti, cū beneficio deuinctus Apollini deberet, ob indicium olim ſibi ab illo factum. ſed neque Iupiter qui imbrium habenas tenet, aquam in ignem dimiſit, præſertim qui olym Lydorum regi periclitanti pyram extinxerit. quídnam primùm ad illum fari auſus, qui bellum hoc aggreſſus eſt? Vndénam audaciam tantam ſumpſit? quónam modo impetum aſſeruauit ſuum, qui animi ſententiam non mutauit, Dei pulchritudinem reueritus?] Quouſque tandem miſer & infortunate rem ipſam intellecturus non es, qui dictitas ignem hunc humana manu immiſſum, quique delirantium ritu pugnantia inter ſe loquutus tecum ipſe digladiaris? Nam ſi dæmon Perſarum regis, tam magno exercitu ſti pati, capta iam vrbe, cæteriſque templis exuſtis, facem manu quatientis, eandemque templo iſti iamiam admoturi, mentem immutauit (nam & hæc initio ſtatim næniæ tuæ dixiſti, ſic lamentatus, Perſarum regem eius qui nunc nobiſcum bellum gerit ex maioribus vnum, vrbem proditione captam cū exuſſiſſet, & ad Daphnen concederet item facturus, dæmon ſic immutauit, vt face quam manu teneret, abiecta, Apollinem adoraret, adeò eius animum delinijt, & coercuit conſpectus) iſte, inquam, dæmon ſi furorem illum barbaricum, & tam magnum exercitum victor, vt tute fateris, exuperare, ac periculum illud euitare potuit (addis autem & eundem Aloidas dijs inſidias ſtruere cogitantes morte compeſcuiſſe) quo, quæſo, modo, qui tanta præſtare potuit, nunc nihil quicquam, quod tale foret, præſtitit? quamquam ſi aliud certe ſacerdotis tā iniuſtè dilacerati, producto facinoris authore miſereri oportuit. Et ſi authorē ipſum prodere per ipſum incendij tempus recuſauit dæmō, ſaltem repreſentare tum ac dedere oportuit, aut etiam indicare tantùm, ſi dedere non potuit, cum miſer ille ſacerdos ſuſpenſo corpore latera profoderetur, cumque rogatus incendij authorem indicare, non haberet quem nominaret: nunc verò ingratus & inconſultus miniſtrum ſuum iniuria flagris affigi, ac lacerari velut conniuentibus oculis permittit: ſinit item & Imperatorē poſt tot ac tanta ſacrificia ludibrio haberi. Eum enim vt inſanum ac delirum omnes riſere, cùm iram ſuam in miſerum illum effunderet. Quomodo autē qui regis procul adhuc diſtātis aduentū prædixit (nam & ipſum hoc ſuperius lamentatus es) eum qui ſibi própinquus eſſet, ac qui ſe exureret, non vidit? Atqui vatem illū eſſe vultis, & veſtris quidē dijs alias alijs artes, perinde vt hominibus diſtribuentes, illi vaticinandi peritiam acceptam tuliſtis, nec tamen illum tecum artem ſuam communicare poſtulas. Quo pacto igitur proprias calamitates non cognouit, cùm id factum ne eum quidem qui homo ſit, latuiſſet? At verò fierine potuit, vt obdormiret quo tempore illum ignis contingeret? Sed nemo certè tam ſtupidus eſt, quin flamma corpori ſuo admota ſtatim excitetur, & admouentem cōpeſcat. Reuera pueri ſemper ſunt Græci, ſenex autē Grçcus nullus. Nam cùm oporteat domeſticā impru-

A dentiam complorare, quòd videlicet vel res ipſæ dæmonum impoſturam clamitent, ipſi vos ne ſic quidem ab illis deficitis, ſed dedentes vos ad internecionem proſtituta veſtra ſalute ducimini pecudum ritu, quà illi vos ſubſequi iuſſerint, ſeſſitando ſtatuarum excidium lugentes. Tu verò & arcū flagitas, nihil ab illo diſcrepans, qui hæc in tragœdia dixit. quomodo enim non aperta ac manifeſta inſania fuerit, expectare vt aliquid iſtis armis efficias, quæ ne domino quidem ſuo opem attulere? ſi enim maiorem tibi tum artem, tum experientiam vendicas, quàm dæmon habeat, certe haudquaquam oportebat illum abs te coli indoctiorem, & imbecilliorem ijs in artibus, quibus in artibus illum cæteris antecellere affirmatis: qui ſi primis illi partibus cedis, ſiue iaculandi, ſiue vaticinandi, quî fieri poteſt, vt tibi perſuaſeris in artis particula quadam præſtare ea poſſe, quæ ille totam artem callens præſtare minimè potuit? Hæc certè deridicula prorſus ſunt, ac nugatoria. neque enim Ille diuinatoriæ artis quicquam habuit, neque ſi habuiſſet, B ei illa quicquā profuiſſet. Non enim, non, inquam, huius incendij author fuit homo, ſed diuina vna virtus, cauſam autem poſtea aperiam. Sed interim non indignum fuerit perdiſcere, quam ob cauſam Vulcanum ingratitudinis accuſat, per hæc verba: Vulcanus autem ignis cuſtos non comminatus eſt igni iſti detrimentum afferenti, cum de beneficio deuinctus Apollini ob vetus indicium deberet.] Quódnam, quæſo, beneficium? quódnā vetus illud indicium intelligis? quamobrē occultas deorum tuorum præclara & magnifica facinora? ſi enim beneficium indicares, nimirum Apollinem magis ingratum fuiſſe oſtenderes. Sed te video, pudet, atque erubeſcis. Igitur ipſi liberè res tuas aperiemus. Quódnam ergo illud beneficium? Aiunt Martem Veneris amore olim fuiſſe correptum, eundemque cùm Vulcanū (Veneris is maritus erat) vereretur, obſeruata illius abſentia ad eam acceſſiſſe. Apollinem autem, cùm illos vnà C commixtos vidiſſet, ad Vulcanum adijſſe, illique adulterium renuntiaſſe: Vulcanum porrò re comperta, vinculis illos, ſic vt erant, in lecto comprehendiſſe, deoſque ad turpe illud ſpectaculū aduocaſſe, ac tales quidem de illis adulterij pœnas ſumſiſſe. Huiuſmodi beneficio deuinctus Vulcanus Apollini cùm deberet, poſtulante tempore ingratum in referenda gratia fuiſſe ait. Quid igitur admiſit & Iupiter, ô præclare? nam & tu hunc immanitatis inſimulas, cùm eum dictitas imbriū habenas tenentem noluiſſe aquam in flammam dimittere, præſertim qui olim Lydorum in rege infælicitate preſſo pyram extinxiſſet. Sed enim nobis quidem non importunè Lydi regis memoriam ſuggeſſiſti. Nam & illum flagitioſus hic dæmon vana ſpe turgidum decepit, in præſentaneū periculum conijciens, ac niſi humanitatem in eum ſuam Cyrus D oſtendiſſet, certè longè illi abfuiſſet Iouis auxiliū. Quapropter fruſtra Ioui vitio vertis, quòd filio ſuo Lydū antetulerit, neque enim ſibi ipſemet quo in loco in primis coleretur (Romuli vrbē intelligo) fulmine tactus auxilio fuit. Cæterùm audiamus, & reliqua lamenti ipſius verba: ita enim belle luctū eum, qui illorum annos occupauit, intelligemus. Viri, trahitur mihi mens ad Dei Apollinis ſpeciē, ac mihi ob oculos cogitatio typum ipſum repræſentat, formæ lenitatem, colli mollitiem, idque in lapide, cingulum quo aurea tunica circa pectus ſic colligebatur, vt partim ſubſideret, partim ſubſurgeret, breuiter totus Dei habitus cuius irā vel feruentē non ſedauiſſet, vt qui ſimilis eſſet cantilenā occinenti. & Hercule audiuit hunc olim aliquis, vt aiunt, in meridie cithara ludentem. aures beatas. cæterùm cantus erat terræ laudatio, cui quidem de aureo cyatho libare mihi videtur, quòd puellam occuluerit dehiſcens, ac ſeſe deinde contrahens.

Poſt hæc pauca admodum ad incendium pertinentia queſtus,clamabat, inquit, viator flamma erumpente, turbabatur per lucum Daphnes inquilina ſacerdos Dei, planctus autem pectorum, & vlulatus ingens per locum arboribus denſum percurrens ad vrbem vſque vehemens, atque horrificus peruaſit. Imperatoris oculus vix ſomnum capere incipiens,amaro illo nuntio audito,è lecto exurrexit:ipſe furore percitus, Mercurij talaria perueſtigans, ad mali iſtius originem indagandam pergebat;æquè intra ſe flagrans,ac templum ipſum: trabes ferebantur deorſum ignem deferentes,id omne quod ignis comprehendiſſet, abſumentes, ipſum ſcilicet ſtatim Apollinem, tanquam à tecto non admodum diſtantem, mox & alia Muſarũ ornamenta,ſigna inibi extantia, lapillorum fulgura, columnarum pulchritudinem. Vulgus autem circunſtans lugebat, auxilium tamen ferre minimè valens, id quod vſuuenire ſolet ijs, qui de terra naufragium ſpectant, quorum vnum hoc ſupereſt auxilium,caſum ipſum lachrymis proſequi.Nymphæ certè è fontibus ſuis egreſſæ ingentem luctũ excitarunt, ingentem item & Iupiter haud procul conſidens, cuiuſmodi illum veriſimile eſt labe factatis filij honoribus concitaſſe. Ingentem autem ſexcentorum dæmonum in luco agentium turba neque ſane minorem è media vrbe Calliope, præſide muſarum Apolline ignis iniuriam ſentiente.] Poſtea & ſub finem ait:Præſta te mihi talem Apollo, qualem te reddidit Chryſes, dum Græcis imprecaretur,ira plenum, & nocti adſimilem: quandoquidem tibi ornamenta cùm redderemus, & quicquid olim de templo tuo ablatum fuerat reſtitueremus, præreptum eſt quod colamus ſimulachrum, haud aliter quã ſi ſponſus aliquis, interim dum corollæ contexuntur,emoriatur.] Et ſophiſtæ quidem noſtri lamentatio hæc fuit, ſeu potius paruæ quædam lamentationis partes hæ. Mihi verò ſuccurrit admirari, quî factum eſt, vt ob quæ illum præ pudore ſe auertere oportebat, ob ea ipſe placere ſibi putet,vt qui Apollinem eundem intẽperati atque obſcœni iuuenis ritu per meridiem cithara perſonantem inducat, dicatque illi cantilenæ argumentum amicam eſſe, aures item eas beatas vocet,quibus obſcœnum id carmen exaudire contigerit. Et quidem quod nonnulli ex ijs qui Daphnen, & adiacentia Daphne loca incolunt, collacrymentur, quodque & ciuitatis princeps ipſe excandeſcat,ac nulla certè alia in re, quàm in luctu ac lamentis verſetur: id verò mirum haudquaquam fuerit.Quòd autem ipſi etiam dij eadem mentis conſilijque inopia laborent, & ſolum inter ſe lacrymentur, quodque neque Iupiter, neque Calliope,neque frequens dæmonum turba, ac ne ipſæ quidem nymphæ extinguendo incendio pares ſint,ſed omnes eiulatus,omnes luctus tantum modo excitent: id profectò ridiculum admodum fuerit. Ex ijs itaque, quæ à nobis dicta ſunt, magnam illos plagam accepiſſe liquet:etenim ſophiſta vel in media ipſa monodia apertè profeſſus eſt illos ad viuum(quod dicitur) ſauciatos. Id quod certè neutiquam leuiter tuliſſet Imperator, niſi illum maior metus ac formido diſtinuiſſet. Cæterum tempus iam appetere puto, vt oſtendamus tum cur iram ſuam non in Imperatorem, ſed in dæmonem conuertit, tum cur factum eſt, vt ignis totum templum non abſumpſerit,ſed templi tecto ſtatim diſſipato,correptum ſimulacrum improbarit,atque refutarit: neque enim ea temerè, neque ſine cauſa contigerunt, ſed ab ea Dei benignitate,qua errantes homines tueri ſolet, facta fuere, qui enim res omnes,etiam antequam enaſcantur, nouit,is & hoc item vnà cum alijs nouerat, futurum,vt ſi fulmen contra Imperatorem contorſiſſet, qui præſentes rem ſpectaſſent, temporario quodam timore percellerentur, altero autem, &

A tertio vertente anno, rei eius memoria deperiret, multique miraculo fidem minimè haberent: ſin autem templum flamma correptum fuiſſet, fore, vt ea res quouis buccinatore clarius, non ijs modò, qui tum ſuperſtites erant, ſed & poſteris quoque omnibus Dei iram enuntiaret, vt ijs quoque qui impudentes eſſe, ac factũ id occultare vellent, omnis calumniandi anſa eſſet prærepta: quiſquis enim in rem præſentem venit, quaſi nuper contigerit incendium,ſic animo afficitur: idemque horrore quodam perculſus, cælum contuitus, ſtatim Dei optimi Max. incendij authoris gloriam ac virtutem laudibus effert. Vt enim ſi quis primarij cuiuſdam latronis perfracta ſupernè ſpelunca, ac latibulo,vinctum illum extraxerit, tum eiuſdem ſupellectile omni ablata, locum illum feris ac monedulis receptaculum eſſe ſiuerit, poſtea quiſquis latibulum huiuſmodi fuerit ingreſſus, ſimul vt locorum deuaſtationes ac direptiones contemplatus fuerit, ſtatim ſecũ animo concipit ac reputat, qua-

B lis fuerit qui locum illum priùs inhabitaret: ita & hic vſuuenit.Procul enim columnas quis intuitus, poſtea vbi acceſſit, ac templi limen ſupergreſſus eſt, effingit ſibi dæmonis abominationem, fraudẽ, inſidias, ac Dei iram atque fortitudinem admiratus, ita demum de loco eo decedit: ſic quæ prius domus erroris & blaſphemiæ fuerat, nunc diuinæ gloriæ hymnis decantandæ argumentum eſt: tam ingenioſus, tamque induſtrius eſt Deus noſter. Atque hæc quidem nec opinata non nunc primùm, ſed iam inde à ſuperioribus ſæculis magno ille miraculo edere ſolet. Omnia porrò recenſere, temporis huius non eſt: commemorabimus tamen factum quoddam huius per quam ſimile.Prælio olim in Palæſtina à Iudæis contra alienigenas quoſdam facto,victoria potiti hoſtes,captam Dei arcam,tanquam exuuias, & opimum quoddam ſpolium ſuo cuidam idolo (huic nomen erat Dagon) donarij loco conſecrarunt: ea porrò in idoli eius templũ perlata, ſtatim idoli ſtatua delapſa in caput iacebat.Vbi autem diuinæ virtutis robur hac ruina illi

1.Reg.4.5

C minimè agnoſcentes, idolum de integro excitatũ in ſede ſua collocarunt, poſtridie ſub auroræ tempus eò cùm acceſſiſſent,viderunt non iam collapſum idolum, ſed prorſus diffractum. Huius enim manus ab humeris auulſæ vnà cum pedibus ad tẽpli limen exilierant, reliqua idoli parte, & ea quoque diuulſa, aliò diſperſa.Et Sodomorum item tellus, vt parua magnis cõferamus, hac ratione vnà cum ipſis incolis incendio abſumpta, ſterilis facta eſt, vt non ſolùm qui id temporis ſuperſtites eſſent, ſed & poſteri item omnes locorum vaſtitate admoniti,continentiores viuerent. Si enim ad homines ſolos ſupplicium peruaſiſſet,futurũ erat, vt factum id poſtea ab alijs minimè crederetur: propterea locus ipſe plagam accepit, qui tẽpore prorogari poteſt, quique & ſubſequentia omnia ſæcula admonet lege cautum eſſe, vt qui ſimilia cõmiſerint peccata, ij ſimiles pœnas luant, etiamſi in

Geneſ.19

D præſentia id non fiat: id quod & in templi huius incendio accidiſſe videmus.Ecce enim iam viceſimus ex eo annus agitur,nec tamen ędificij ab igne relicti pars vlla deleta eſt: ſed quæ partes flammas euaſerunt,eæ ſolidæ ac firmiter ſtant, ſuntque etiã nunc ſic validæ, vt vel ad centenos, ducentenoſque, & multò item plures annos durare poſſint. Id verò quî mirum videri debet, ſi ex columnis nulla prorſus ab altera auulſa ad ſolum deciderit? Columnarum enim earum, quæ ad poſteriorem tẽpli partem erant, vna tantũ tum perfecta, nec ea quidem corruit, ſed à ſua ſede mota, ad murum dum caderet inclinata,ſic manſit. Cuius quidem colũnæ partes ſunt duæ,quarum altera à baſi ad ſectionem obliquè muro incubuit, altera à ſectione eadem ad capitulum ſupina conſtitit, & ea ab inferiori parte ſuffulta. Quanquam autem & venti

vehe-

vehementes loco illi ſæpe incubuere, & terræmotibus crebris tellus fuit concuſſa: ignis tamen reliquiæ inconcuſſæ manſerunt, quæ ipſæ firmiter ſtant, propemodum clamitantes, ſeſe ad poſterorum emendationem aſſeruatas eſſe. Et quidē quòd templum ipſum totum non conflagrarit, hanc dicere poſſis cauſam eſſe: quòd autem Imperator fulmine percuſſus non fuerit, aliam ſi quæſieris, cauſam reperies, ex eodem bonitatis & benignitatis Dei fonte manantem. Propterea enim Deus ignem ab Imperatoris capite defendit, eundemque in templi tectum eiaculatus eſt, vt alieno ille malo edoctus, pœnam ſibi reſeruatam effugeret, pœnitentia cōpunctus, & errore liberatus. Illi enim hoc neq; ſolū, neque primum virtutis ſuæ ſignū Chriſtus dedit, ſed & alia item multa hoc ipſo nō inferiora. Nam & patruus eius, & quæſtor ærarius, ſic, vt dixi, vterque vitam finientes, præterea & fames in vrbem ſtatim vnà cum ipſo inuadens, & aquarum penuria numquam antè viſa, quàm ab eo ſacrificia in ipſis fontibus facta fuiſſent, & multa præterea alia, tum ea quæ in ipſius caſtris, tum ea quæ in vrbibus euenerunt, huiuſmodi certè fuere, vt vel ſaxeam animam flectere poſſent, non ob id quidem quòd permulta eſſent, neq; od id, quòd omnia pariter ēderētur, ac deinceps, & poſt ipſa ſtatim ſcelera perpetrata, vt quondam Ægyptiorum regis tempore: ſed quòd quæ edebātur miracula per ſeſe talia erant, vt ad eorum qui ea cernerent emendationem aliud alio non egeret, verùm illorum vnumquodque hoc ipſum per ſe præſtare poſſit. Nam vt cætera prætermittam, quem tandē, qui idem non admodum ſtupidus eſſet, non per terrefeciſſet editum ad veteris templi Hieroſolymitani fundamēta miraculum? id porrò cuiuſmodi fuit? Tyrannus cùm videret per omnes imperij ſui fines Chriſti fidem diffuſam, eandemq; ad Perſas vſque, alioſq; remotiores barbaros, atque adeo vltra etiam illos peruaſiſſe, breuiter omnem eam, quam ſol radijs ſuis luſtrat, regionem occupare, cruciabatur animo, atque angebatur, apparabatq; ſeſe ad gerendum contra Chriſtianorū cōuentus bellum: infelix, vt qui ignoraret ſe contra ſtimulū calces. Ac primùm quidem Hieroſolymitanum templum Chriſti virtute ſolo æquatum excitare conabatur, & Iudæorum res quamquam Græcus homo procurabat, virtutis Chriſti periculum inde facere volens. Hic vocatis ad ſe Iudæis quibuſdam, iiſque ſacrificare iuſſis (nam & illorum maiores dicebat hunc religionis ritum obſeruare ſolitos) vbi Iudæi ijdem eò confugerunt, vt dicerent, fas ſibi nequaquam eſſe, id, templo collapſo, extra veterem metropolim facere, iubet illos pecunia de regali theſauro ſumpta, ſuppeditatiſque ijs omnibus quæ ad opus neceſſaria forent, abire, templū inſtaurare, & ad priſtinam ſacrorum conſuetudinem redire. Tum illi dementes planè, à matriſque vtero errantes, atque ad canos vſque eruditione indigentes diſceſſerunt, imperatoris mandato parituri. At ſimul vt ædificaturi foſſitiā humum euacuare cœperunt, ſtatim è fundamentis ignis exilijt, quo omnes pariter abſumpti fuere. Quæ res Imperatori vt renuntiata fuit, neq; vlterius inſaniā ſuā promouere conatus eſt: metu enim detinebatur: neque tamen dæmonum errore (quorum tyrannide prorſus premebatur) liberari voluit. Ac tum quidem ſuperſedebat. Cæterùm non ita multo pòſt tēpore ad id genus leuitatis redijt, tēplum quidem non iam ædificare audēs, aliunde autē paruulis prælijs, ac velitationibus nos petēs: aperto enim marte nos adoriri tum differebat: primum, atque præcipuè, quòd perſuaſus planè eſſet, fruſtrà ſe id tentaturum, deinde quòd nullam relinquere volebat, per quam martyrij corona redimiri poſſemus. Ferre enim haudquaquam poterat, idque illi quauis calamitate indi-

Iuliani Imperatoris impietas & odium in Chriſtianos, eiuſque punitio.

Iudæi conātes extruere tēplum diuinitus impediūtur.

A gnius erat, ſi quis in medium productus pro veritate vel ad mortem vſque tormenta ſuſtineret: vſque adeò ex animo inimicitias ſe noſtras ſuſcepiſſe declarabat: nouerat enim, nouerat, inquam, apertè, futurum, vt ſi id ipſe attentaſſet, omnes pro Chriſti nomine ſuas animas proderent. Proinde vafer & callidus cùm eſſet, quos intelligebat ob peccatum aliquod Chriſtianorum conuentuum principibus pœnas dediſſe, & à præfectura quā gererent amotos, eos omnes liberos eſſe iuſſit: hoc modo peſſimis quibuſq; licentiam largiens, Eccleſiæ leges ſubuertens, denique omnes inter ſe committens: fore enim ſperabat, vt poſtea minori negotio debellarentur, ſi prius bello inter ſe conflictati fuiſſent. Quin etiam quendam, huic Stephano nomen erat, tum ob doctrinæ peruerſitatē, tum ob vitæ improbitatem ab eccleſiaſtico principatu amotum, iubet de integro magiſterij ſedē occupare: atque adeò Chriſtianum nomen tunc vt extingueretur, quoad eius poterat, elaborabat, Galilæos pro Chriſtianis nos in edictis ſuis tum ipſe appellans; tum principes vt idem factitarent adhortans.

B Inter media autem ea ſigna, quæ per famem atque ſiccitatem eueniſſe recenſui, à ſua ipſe impudentia, ac duritia minimè deſiſtebat. Idem contra Perſas bellum ſuſcepturus, tanto cum faſtu cùm deſcendiſſet, vt ſi omnem barbarorum gentem deleturus eſſet, identidē nobis comminabatur, cùm diceret omneis ſe, poſt ſuum à Perſis reditum, funditus perditurum: hoc enim bellum ſibi eſſe Perſico grauius, atque adeò oportere minore illo confecto, tum demum ad hoc quod maius foret deſcendere. & hæc quidem nobis annuntiabant qui illi à conſilijs erant. Æſtuans porrò ira aduerſum nos, ad maiorem quotidie inſaniam ſublatus in eadem nunquam ſententia perſiſtebat, ſed priore illo conſilio poſito, rurſus nobis perſecutionem minabatur. Cæterùm cùm illum Deus inhibere, atque intumeſcentem ſedare vellet, edidit rurſus ſignum hoc in Daphne, igni in templum immiſſo: hic verò ne ſic quidem furore ſuo ſuperſedit, quin potius ſumma depopulandi noſtri cupiditate cùm

C diſrumperetur, ne ad id quidem tempus, quod minitatus fuerat, ſibi temperauit: ſed Euphratem traiecturus, militum ſuorū animos probabat, ac paucos quoſdam adulatione cùm corrupiſſet, quos ſuæ voluntati repugnantes inuenit, nequaquam exautorauit, veritus ſi eos à reliquorum cœtu ſegregaſſet, ne copias ſuas contra Perſas debiliores redderet. Quis nobis hic quæ ſubſecuta ſunt enarrabit? quæ quidem ijs multò terribiliora ſunt quæ tum in eremo, tum in mari, tum in Ægypto acciderunt, quo tempore Pharao ille ſenſu carens plectebatur, & qui cum eo erant omnes ſubmergebantur. Quemadmodum enim tum, poſtea quàm Ægyptius ob nullum calamitatis genus concedere, ac melior fieri voluit, illum tandem Deus vnà cum ſuo exercitu perdidit:

Exod. 14.

D ſic & nunc poſtea quàm ad omnia Dei miracula Imperator hic impudenter conſtitit, nihil fructus inde percipere volens, animumque inemendatum ad omnia afferens, hunc ipſum Deus idem extremis malis inuoluit, vt quoniam aliorum calamitatibus edoctus ad frugem bonam redire non ſuſtinuit eius ſupplicijs meliores alij euaderent. Qui enim plures militum myriadas ſecum duxerat, quàm vllus vnquam ante ipſum Imperator, quique Perſidem omnem per incurſionem, ac ſine puluere, quod aiunt, capturum ſe ſperauerat, huic ſic infæliciter, ac miſerabiliter res ſucceſſit, vt fœminarum potius, ac puerulorum, quàm virorum exercitum illum ſecum habuiſſe dicas. Primùm enim imprudentia ſua in tantam illos neceſſitatem adegit, vt equinis carnibus veſcerentur, ac partim fame, partim ſiti abſumpti perirent: quaſi enim in Perſarum gratiam copias ageret, neque

illos

Digitized by Google

illos caperet, quin potius ſuos illis prodere ſtuderet, ſic eos in locorum difficultates quaſdam concluſit, ac tantùm non vinctos hoſti tradidit. Enimuerò calamitatum earum genus omne nullus poſſit, ne ex ijs quidem qui illas viderunt expertique ſunt, recenſere: ita omnem modum ſuperabunt. Sed vt ſummatim dicamus, illo turpiter ac miſerabiliter mortuo (alij enim illum volunt à lixa quodam, rerum indignitatem non ferente, percuſſum interijſſe: alij autem, ne vidiſſe quidem ſe à quo interfectus ille ſit, ſed fuiſſe tantummodo percuſſum dicunt, rogaſſeque vt in Ciliciam, inibi ſepeliendus, portaretur, vbi etiam nunc iacet) illo, inquã, tam turpiter mortuo, cùm viderent milites in extremo ſeſe vitæ periculo conſtitutos, cum hoſtibus pepigerunt: quibus cum iureiurando recepiſſent, abſceſſuros ſe à loco locorum omnium tutiſſimo, eodemque regionis noſtræ tanquam muro quodã inexpugnabili, Barbaros humanos erga ſe nacti, ita euaſerunt, atque è multis pauci reuerterunt, & ipſi affectis admodum corporibus, erubeſcentes ob fœdera cum hoſtibus pacta, coacti verò illis per iuſiurandum paternis bonis cedere. Hic videre erat ſpectaculũ qualibet captiuitate miſerabilius: nam vrbis illius ciues à quibus gratiam aliquã expectabant, quòd ſuos omnes intus muri inſtar in portu collocarant, pro omnibus ſemper ad omnia pericula obiecti, ab ijs hoſtilia omnia paſſi ſunt, proprijs domibus, atque agris relictis ſolum vertere coacti, & à maiorum ſuorum poſſeſſionibus auulſi: & quidem iniuriam à ſuis acceperunt. hunc nos fructum ab egregij iſtius Imperatoris operibus percepimus. Hæc porrò temere à nobis dicta non ſunt, ſed vt ſatisfactum eſſet ijs, qui quærerent, cur non antea Deus de Imperatore pœnas ſumpſit. Illum enim rabie percitum ſæpenumero reprimere voluit, ne impetu vlterius procederet, & alienorum malorum exemplo emendare: verùm vbi reſtitit, extremis illum malis obiecit, iuſtam quidem peccatorum eius retributionem in magnum illum iudicij diem reijciens: præſenti autem pœna ſuperiores excitans & caſtigans. Talis eſt enim Dei lenitas, vt qui eadem non rectè vtuntur, eos grauiore pœna afficiat, quæ quemadmodum reſipiſcentibus vtilis, ita & obſtinatis, ac peruicacibus maioris ſupplicij occaſio eſſe ſolet. Quòd ſi dixeris, quid? nónne præuiderat Deus fore vt tyrannus hic numquam emendaretur? huic ita reſpondebimus: præuiderat quidem, ſed tamen ob id quòd malitiam noſtram proſpiciat, officium ille ſuum non intermittit: quin potius etiamſi eius non admittamus admonitionem, clementiam tamen in nos ſuam præſtat: qui ſi poſtea in grauiora etiam nos peccata impingimus, id certè non iam eo authore euenit, qui non propterea lenis longanimiſque eſt, vt pereamus, ſed vt ſeruemur potius: verùm nobis authoribus fit qui in illius immenſam tolerantiam iniurij ſumus. Sic autem & infinitam ſuam in nos benignitatem oſtendit. quoties enim recuſamus ab eius prolixa lenitate adiuuari, tum ille in aliorum vſum eam vertit, nuſquam non clementiam erga nos ſuam ſimul & prouidentiam ſolertiamque prodens. Id quod tum præſtitum eſt. Et tyrannus quidem in hunc, quem dixi, modum è viuis deceſſit. Rabiei autem eius, ac beati Babylæ virtutis argumenta extant, & templum, & martyrij monumentum: illud deſolatum, hoc eandem quam prius efficaciam retinens. Cuius capſula non vltra refertur, Deo rem ſic diſpenſante, quò poſteris teſtatoria ſint præclara Babylæ eiuſdem facinora. Quiſquis enim eò aliunde accedit, martyrem requirens, hunc vbi ab eo loco abeſſe videt, ſtatim cauſam ſciſcitatur, neque prius de loco decedit, quàm omnem eam hiſtoriam perdoctus fuerit: ſic & dum ad Daphnes locum accedit, & rurſus ab eodem dum decedit, fructum maximum percipit. Ea eſt martyrum virtus, & viuentium, & mortuorum, & ad loca illa vel illa adeuntium, & rurſus ab eiſdem aliò migrantium. Etenim ab initio ad finem vſque Babylæ noſtri præclara facinora continua quaſi ſerie copulata fuere. Rem, quæſo, animo luſtra, Dei leges ab iniuria vindicauit, pro occiſo pœnas ſumpſit, qua ex re planum fecit, quanto inter ſe interuallo ſacerdotium & regnum diſſideant, mundi faſtum omnem diſſoluit: vitæ huius opinionem conculcauit. Reges docuit nihil vltra modum ipſis à Deo datum poteſtatem promouere: ſacerdotibus planum fecit, vt principatui huic præeſſe oporteat. Atque hæc quidem, & his item lõgè plura etiamnũ viuens præſtitit. Vbi autem hinc emigrauit, dæmonis robur eneruauit, gentilium impoſturam coarguit, vaticinij deliramẽta detexit, perſonam eius contriuit, ſimulationem omnibus denudauit, ac patefecit: eum, qui in ea dominari videretur, obmuteſcere cogens, ac magna vehementia opprimens: hodie quoque tẽpli parietes recti ſtãt, omnibus quaſi prædicantes quà dæmonis impudentiam, riſum, imbecillitatem, quà martyris coronas, victoriam, virtutem. Ea ſanè eſt ſanctorum fortitudo, tam inexpugnabilis, & terrifica tum regibus, tum dæmonibus, tum ipſi etiam dæmonum principi.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani aduerſus Iudæos oratio prima, Deſid. Eraſmo Roterodamo Interprete.

RVRSVS infælices illi, mortaliumque omnium miſerrimi Iudæi ieiunaturi ſunt, rurſus Chriſti gregẽ muniamus neceſſe eſt. Quandoquidem & paſtores, quãdiu noxia beſtia moleſta non eſt, ſub ilicem aut populum porrecti, fiſtula canunt, ſinentes oues liberè pro ſuo arbitratu paſcere. Verùm ſimulatque ſenſerint alicunde luporum incurſionem imminere, mox abiecta fiſtula, fundam arripiunt, & omiſſo calamo, fuſtibus & ſaxis obarmant ſeſe, proque ſeptis conſiſtentes, magno emiſſo iubilo, ingentique vlulatu vociferantes, frequenter ipſo clamore ferã priuſquam irrumpat, abigunt: Itidem & nos facimus. Superioribus enim diebus in ſcriptura velut in prato ludentes, choreaſq; ducentes, nihil in enarratione attigimus contentioſi ſermonis: eò quòd nullus eſſet, qui nobis obturbaret, aut moleſtus eſſet. Cæterùm quoniã hodie lupis omnibus ſæuiores Iudæi, oues nobis circumuallaturi ſunt, ad pugnos & pugnã accingamur oportet, ne quid nobis ereptum cedat in prædam ferarum. Ne verò mirũ vobis videatur, ſi cùm ieiunium illud poſt decem & eo amplius dies venturum ſit, nos ab hoc ſtatim tempore munimus & armamus animas veſtras. Quandoquidem & inter agricolas qui vigilantes & induſtrij ſunt, cùm habent vicinum torrentem, qui vexat læditque ſegetem, non cum ſuo tempore torrens inundat, videlicet hyeme, ſed tempus illud præuertentes, & ripas obſepiunt, & aggeres erigunt, & foſſas agunt, denique modis omnibus ſeſe prẹparant aduerſus torrentis futuram violentiam. dum enim tranquillus eſt & ſtagnans, atque anguſtus, facile eſt illi admoliri manus: verùm poſteaquam increuit, multoque aquarum impetu fertur violentus, non perinde facile eſt exũdantibus obſiſtere. Eoque multo antè tempore præueniunt illius

Reprehẽdit Iudæorum ieiunium. Simile.

A illius irruptionem, vndiquaque præparãtes quidquid agros poſſit tutos reddere. Eundem ad modũ & milites, & nautæ, & agricolæ, & meſſores facere conſueuerunt. (*Simile.*) Siquidem & milites priuſquam veniat pugnandi tempus, & thoracem abſtergunt, & ſcutum, ſi quid deſit, circumſpiciunt, & frænos apparant, & equos omni diligentia nutriunt, cæteraque omnia rectè diligenterque curant. Similiter & nautæ priuſquam nauim in portum detrahant, & clauum apparant, & inſtaurant latera, & remos dolant, & vela conſarcinant, denique quidquid prǽterea ad totius nauis armaturam pertinet, diligenter accurant. Quin & meſſores conſimili modo multis antè diebus & falces acuunt, & aream præparant, boues item & currum, breuiter quidquid ipſis ad meſſem ac trituram conducibile iudicant. Imò videas omnes homines, ſi quid rerum agendum eſt, priùs ad eas apparatum facere, vt cũ aduenerit rei gerendæ tempus, facilè conficiant quod eſt opus. Hos igitur & nos imitantes, mul-B tis antè diebus præmunimus animas veſtras, exhortantes vos vt impium hoc Iudæorum & ſceleratum ieiunium fugiatis. Neque enim ita dixeris, ieiunant: quin potiùs illud mihi oſtẽdito, eos ex Dei ſententia ieiunare. Quod ni id fiat, quauis ebrietate ſceleratius eſt ieiunium. Neque enim ſolùm conſiderandum eſt quid ab iſtis fiat, verùm illud etiam obſeruandum, quam ob cauſam faciant. (*Obedientia nihil diſcutere debet.*) Etenim quod fit iuxta Dei voluntatem, quamuis videatur improbum eſſe, tamen omnino Deo gratum eſt & acceptum. Contrà, quod fit præter Dei voluntatem, at ſecus quàm ille vult fieri, quamquam exiſtimatur acceptum Deo, tamen eſt omnium peſſimum & iniquiſſimum. Etiamſi quis occidat hominem ita volente Deo, quauis humanitate melius eſt hoc homicidium. Rurſus ſi quis parcat, & humanitatis officium collocarit in quẽpiam præter Dei ſententiam, quauis cæde ſceleratior eſt iſta ſanguinis parſimonia. Non enim ipſa eorum quæ fiunt natura, ſed Dei voluntas decretũ efficit vt eadem vel bona ſint, vel mala. Vt autem C intelligas hoc eſſe verum, Achab cùm aliquando (*3 Reg. 20*) regem quemdam Syrorum cepiſſet, contra Dei voluntatem dedit vitam, & aſſeſſu dignatus eſt, denique multa cum honorificentia dimiſit. Mox Propheta quiſpiam accedens, dixit ad ſibi proximum: In nomine domini percute me: ille verò noluit eum percutere. Dixit igitur ad illum: Eò quòd non audiſti vocem domini, ecce tu fugies à me, & percutiet te leo. Diſceſſit ab illo, reperit eum leo, & percuſſit. Ac mox Propheta reperit alium hominem, cui dixit: Percute iam me. Et percuſſit eum homo ille, vulnerauitq́; eum, ac Propheta ſibi obligauit faciem. Quid hoc abſurdius fieri poſſit? Qui percuſſit Prophetam, euaſit incolumis: qui pepercit, dedit pœnas: nimirum vt intelligeres in iuſſis diuinis non oportere curioſum eſſe, examinareque rerum quæ præcipiuntur naturam, ſed ni-D hil aliud quàm obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret prophetæ, non dixit illi ſimpliciter, percute, ſed addidit, in verbo domini: hoc eſt, Deus præcepit, ne quære vlterius. Rex eſt qui hãc præſcribit legem. Reuerere iubentis authoritatem, ſummaque cum animi promptitudine obtẽpera. Ad id facere non ſuſtinuit, eoque pœnas dedit grauiſſimas, ſuo exemplo ſecuturos adhortans, vt quidquid præceperit Deus, per omnia obtemperarent, moremq́ue gererent, in poſterum. Vbi poſterior ille percuſſiſſet eum & vulneraſſet, propheta ſibi caput obuinxit loro, & oculos obtexit, denique in eam ſpeciem ſeſe transformauit, vt à nemine poſſet agnoſci. Cuius igitur rei gratia hoc fecit? Erat redarguturus regem, & ſententiam in eum laturus de ſalute regis Syriæ. Is igitur, cùm vt erat impius, ſemper odium geſſiſſet aduerſus prophetas, ne conſpectum ipſum & agnitũ ab oculis

A ſuis ſubmoueret, eóque facto non reciperet correctionem, velat propheta ſimul & faciem ſuam, & negotij narrationem, vt & ipſi contingeret poteſtas dicendi quæ volebat, & regis confeſſionem extorqueret. Etenim cùm rex præteriret, clamore compellans eum dixit: (*Ibidem.*) Seruus tuus egreſſus eſt ad exercitum vt præliaretur, & ecce vir quidam adduxit ad me virum, dixitq́ue Serua mihi hunc; quòd ſi elapſus euaſerit, erit anima tua pro anima illius, aut dependes argenti talentum. Et accidit dũ ſeruus tuus circumſpiceret huc & illuc, & ecce vir nõ comparebat. Et dixit illi rex Iſrael: Ecce iudex tu apud me, occidiſti. Et illico propheta detraxit velamen ab oculis ſuis, & agnouit illum rex Iſrael, quòd eſſet vnus ex filijs prophetarum. Dixitq́; ad illum: Hæc dicit dominus, eò quòd dimiſiſti virum exitio dignum e manu tua, erit anima tua pro anima illius, & tuus populus pro populo illius. Vides quòd non ſolum Deus, ſed & homines ſimili modo iudicant, non reſpicientes ad eorum quæ fiunt na-B turam, ſed ad finem potiùs, & cauſas ob quas fiunt. Ecce, inquit, etiam ipſe rex, tu iudex apud me qui occideris. homicida es, inquit, eò quòd hoſtem dimiſeris: ob hoc enim Propheta velum addiderat, & velut in aliena cauſa ſententiam elicuit, vt rex quod verum & rectum erat pronũtiaret: quod & accidit. Etenim poſteaquam rex ſeipſum ſua ſententia condemnaſſet, detracto velo, dixit Propheta: Quoniã tu dimiſiſti virũ exitio dignũ è manu tua, erit anima tua pro anima illius, & populus tuus pro populo illius. Vides quas pro humanitate pœnas luerit rex, proq́ue intempeſtiua ſanguinis parſimonia, quo affectus ſit ſupplicio? Et hic quidẽ qui ſeruauit, punitur: alter verò, qui occidit, comprobatus eſt. Igitur & Phinees, qui eodem temporis articulo duplex perpetrauit homicidium, virũque ſimul cum muliere ſuſtulit, ſacerdotio honoratur: (*Num 25.*) adeò nõ inquinauit manum ſanguine, verũ etiam puriorem reddidit. Proinde cùm videris eum qui Prophetam percuſſit eſſe ſeruatum, eum verò qui non percuſſit extinctum, & illum qui pepercerat C dare pœnas, rurſus eum qui non pepercit approbatum: ſemper apud te potior ſit ratio, quid Deus præcipiat, quã quæ ſit negotiorum natura. Quòd ſi quid compereris illo comprobante geri, illud ſolùm amplectere. Atque hac vtentes regula, & ieiunium hoc Iudæorum expẽdamus. Etenim ni id fecerimus, ſed actiones nudas per ſe tantũ in medium prolatas conſideremus, ingens erit cõfuſio, magnaque iudicij perturbatio. Nã prædonibus raduntur latera, & monimentorum perfoſſoribus, maleficiſq́ue: verùm idem patiuntur & martyres. Facta quidem ſunt eadem, cæterùm animus & cauſa cur hæc fiant, non eſt eadem, eoque plurimum eſt diſcriminis inter hos & illos. Quemadmodũ igitur in illis non tormentũ tantùm expendimus, ſed priùs animum & cauſam ob quam cruciatus inferuntur, conſideramus: & ob id martyres ama-D mus, non quòd crucientur, ſed quòd ob Chriſtum cruciatus ferunt: cõtrà, latrones deteſtamur, non quia puniuntur, ſed quòd ob malefacta puniũtur: ad conſimilem regulam & in hoc negotio Iudæorum, rationem eorum quæ fiunt ſubducito. Quòd ſi videris illos amore Dei ieiunantes, amplectere quod fit: at ſi perſpexeris illos hoc præter diuinam voluntatẽ facientes, magis eos deteſtare, maioreq́; odio proſequere quã ebrios, quàm temulentiæ & comeſſationibus indulgentes. In hoc autem ieiunio non ſatis eſt cauſam inquirere, ſed & locus & tempus conſideranda ſunt. Verùm priuſquã moueamus aciem aduerſus Iudæos, lubens orationem verterim ad eos qui ſunt noſtri corporis membra, ac noſtri quidem ordinis eſſe videntur, cæterùm illorum cultum ſequuntur: (*Reprehẽdit Chriſtianos conuerſantes cũ Iudæis.*) quandoquidem horũ cauſa totũ hoc quidquid eſt laboris ſuſcepi, atque hac quidem ex parte dignos eſſe video grauiore

condem-

condemnatione, quàm Iudæos vniuerſos. Id eſſe verum non modò ſapientes & cordati, verumetiam quicunque vel paulum habēt mentis ac rationis, mecum fatebuntur. Nec enim opus eſt argumentis arte excogitatis, nec artificioſa probatione, nec prolixis ſermonum ambagibus ad hoc demonſtrandum, cùm ſatis ſit illos ſimplici percontatione interrogatos, ex ipſa reſponſione capere. Quid igitur? Percontabimur iſtorum quęque, qui in hiſce rebus inſaniunt. Chriſtianus es? Quam igitur ob cauſam moleſtus es Eccleſiæ? Qui Perſa eſt, nónne quæ Perſarū ſunt curat? Barbarus, nónne barbarorum ritus æmulatur? Qui habitat in ditione Romanorum, nónne veſtris vtitur legibus? Agè dic mihi, nónne ſi quis horum qui apud vos viuunt, cum illis ſentire fuerit deprehenſus, inauditus citraque examinationē punitur, etiamſi multa habeat, quibus cauſam ſuam poſſit defendere? Et ſi quis apud iſtos extiterit, qui Romanis vtatur inſtitutis, nónne rurſus idem perpetietur? Quomodo igitur tu qui ad impium illud vitæ inſtitutum defeciſti, audes ſperare ſalutem? Neque enim exiguum interuallum eſt inter nos & Iudæos, neque de rebus leuibus aut vulgaribus inter nos eſt controuerſia, ne tu vnum & idem eſſe credas noſtrum & illorum inſtitutum, ac non miſcenda miſceas. Illi crucifixerunt Chriſtum, tu crucifixum adoras. Vides quantum interſit? Quî fit igitur, vt ad illos qui Chriſtum occiderunt, curras, profitens te adorare crucifixum? Neque verò ipſe legem hanc fero qua illos criminer, nec hanc accuſationis formam inueni. An non ſcriptura ſimili modo accuſat illos? Audi igitur quid dicat Hieremias aduerſus eoſdem illos: *Abite in Cedar, & videte, emittite ad inſulas Chettin, & indicate, num talia facta ſint.* Quænam iſta? *An gentes mutent deos ſuos, & iſti non ſunt dij. Vos autem mutaſtis gloriam veſtram, in eam ex qua nihil vtilitatis capietis.* Porrò quod dicit, huiuſmodi eſt: Illi, inquit, cùm venerentur ſimulachra, colantque dæmones & adorent, tam conſtant in errore, vt ne velint quidem illa relinquere, & ad veritatem conuerti. Vos autem qui verum adoratis Deum, relicta maiorum religione vltrò ad aliena defeciſtis, neque tantum religioſæ mentis pręſtatis in veritate, quantum illi præſtant in ſuo errore. Proinde dicit: Si iſtiuſmodi facta ſunt, ſi mutarunt gentes deos ſuos, & iſti non ſunt dij: vos autem mutaſtis gloriam veſtram, vnde nullam capietis vtilitatem. Non dixit, mutaſtis Deum veſtrū: Deus enim non mutatur: ſed, mutaſtis gloriam veſtram. Neque enim me læſiſtis, inquit, neque vlla noxa ad me peruenit: voſmetipſos affeciſtis ignominia. Meā gloriam non imminuiſtis, ſed veſtram ipſorū. Concedite ſanè mihi hunc ſermonem etiam ad noſtros accommodem, ſi tamen par eſt illos appellare noſtros qui cū illis ſentiūt. Abite in ſynagogas, & videte num Iudæi mutaturi ſint ſuum ieiunium, num illi ſub Paſcha nobiſcum celebrarint ieiuniū, num hunc diem vmquam prætermiſerint. Atqui hoc non eſt ieiunium, ſed legis tranſgreſſio, ſed error, ſed peccatum: attamen illi numquam mutarunt, vos autem mutaſtis gloriam veſtrā, vnde nihil vtilitatis capietis, & vltrò ad illorum ritus deſciuiſtis. Quando Paſchæ ieiunium celebrarunt illi? Quando martyrum feſtos dies nobiſcum egerunt? Quando diem Epiphaniorum nobiſcum communiter celebrarunt? Illi non accurrunt ad veritatem, & vos ad iniquitatē properatis? Iniquitatem autem dico, quandoquidem iſta fiunt non ſuo tempore. Erat olim tempus quo conueniebat iſta ſeruare, iam verò non eſt amplius. Eoq; quod tum iuxta legem fiebat, nunc præter legē fit. Concedite mihi vt illud etiam Heliæ dicam aduerſus eos. Cùm enim ille conſpiceret Iudæos impiè viuentes, & nunc quidem obtemperantes Deo, nunc rurſus idola colentes, ad hunc loquitur modum. *Quouſque claudicatis vtroque poplite veſtro? Si dominus eſt Deus, venite & ſequimini eum.* Idē & ipſe loquor ad iſtos. Si Iudaiſmum putatis verum eſſe, qua gratia obſtrepitis Eccleſiæ? Quòd ſi Chriſtianiſmus verus eſt, ſicut reuera eſt, in eo manete, & illum ſequamini. Particeps es nobiſcum myſteriorum: age dic mihi, Chriſtum adoras, ab illo bona petis, & cū illius hoſtibus feſtum celebras? Et quo tandem animo prodis in Eccleſiam? Verùm hæc dixiſſe ſufficiat ad illos qui prædicant ſe nobiſcum ſentire, cùm quærant diuerſa. Igitur & ad illos volo dirigere ſermonem. Concedite mihi vt liceat doctrinam hanc altius repetere, quò perſpicuum fiat, Iudæos nunc ieiunantes legem ignominia afficere, Deique præcepta conculcare, ſemper ea facientes quę illius placitis aduerſantur. Etenim cū illos volebat ieiunare, tū incraſſabantur dilatabanturque. Rurſus vbi non vult eos ieiunare, mordicus tenēt ieiunium, quum vellet illos victimas offerre, ad ſimulacra properabant. Cùm nō vult illos celebrare feſtum diem, ſtudio feſtum diem agunt. Et ideo Stephanus dixit ad illos. *Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* In hoc, inquit, ſolùm incubuiſtis, vt quæcunq; Deus præceperit, ijs contraria faciatis, quēadmodum & nunc faciunt. Vnde id liquet? Nimirum ex ipſa lege. Siquidem in ipſis etiam feſtis Iudaicis, nō tempus ſolùm, verùm & locum obſeruari iuſſit ipſa lex. Nam & de Paſcha quod erat apud ipſos diſſerens, loquitur hunc in modum: *Non poteſtis celebrare paſcha in vlla ciuitatum earum quas Dominus Deus dat vobis.* Sed quemadmodum decimoquarto die primi menſis, ita Hieroſolymis iubet illud peragi, ſimiliter & Pentecoſten. Et hic loci ſimul & temporis obſeruationem complexa eſt, dum poſt ſeptē hebdomadas iubet hoc feſtum celebrari, rurſum cum addit: *In loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* Sic & feſtum ſcenopegiæ & ieiunium hoc inſtituit. Sed deſpiciamus, vtrum tandem horum eſt magis neceſſarium, locus, an tempus. Et ſi non ſint hæc inter ſe paria, vtrum obſeruandum eſt tempus neglecto loco, an neglecto tempore loci ratio tenenda eſt. Quod dico, tale eſt: Præcepit Dominus vt in primo menſe & Hieroſolymis celebraretur paſcha, videlicet tempore pariter & loco præfinito. Ponamus igitur duos quoſpiam eſſe qui paſcha celebrent, quorum alter præuaricetur locum, tempus obſeruet: rurſus alter obſeruet quidem locum, ſed tranſgrediatur tempus. Atque is qui tempus obſeruat neglecto loco, celebret paſcha in primo menſe, ſed alicubi procul extra Hieroſolymam, Is verò qui locum obſeruat, neglecto tēpore, paſcha celebret Hieroſolymis, non tamen primo menſe, ſed ſecundo. Deinde videamus vter horum duorū ſit in crimine, vter probandus, iſne qui neglecto tempore locum ſeruauit, an qui loco neglecto tēpus ſeruauit. Etenim ſi is qui tempus neglexit, vt intra ciuitatem paſcha celebraret, videtur approbandus: contrà, qui ſeruato tempore locum neglexit, vocandus eſt in crimē, & impietatis reus peragendus: nimirum liquet, quòd iſti quoque legem violant, loco non ſuo facientes quod faciunt, etiāſi decies millies prædicent ſeſe ſeruare tēpus. Vnde igitur hoc nobis perſpicuū eſt? videlicet ab ipſo Moyſe. Siquidē cùm quidam eſſent celebraturi Paſcha, adierūt Moyſem, dicentes: Nos impuri ſumus ſuper hominis anima, num omittemus offerre munus Domino iuxta tēpus ſuum, in medio filiorum Iſrael? Reſpondit illis Moyſes: State hic, & audiam quid præcepturus ſit Dominus de vobis. Et reſpōſum dedit Dominus Moyſi, dicēs: Homo quicunq; fuerit inter vos impurus ſuper hominis anima, aut in longo itinere, aut in nationibus, faciet paſcha menſe ſecundo. Quod autem dicitur tale eſt: Quiſquis, inquit, primo menſe deprehenſus fuerit in peregrinatione, ne faciat paſcha extra ciuitatem, ſed menſe ſecundo, vt venire poſſit Hieroſoly-

Hier. 2. — 3. Reg. 18. — Iudaiſmum ceſſaſſe ex eo quod Paſcha non celebrent in loco à Deo præſcripto. — Act. 7. — Deut. 12. — Ibidem. — Num. 9.

mam, ac tempus negligat potius, quàm faciat extra ciuitatẽ. Ex hoc declarans quòd obſeruatio loci, tẽporis obſeruatione magis eſt neceſſaria. Quid igitur iſti habent quod dicant, qui extra ciuitatem præſcriptam faciũt paſcha? Nam poſteaquã tranſgrediuntur id quod magis eſt neceſſarium, nihil illos excuſare poteſt eius obſeruatio, quod minoris eſt momenti. Igitur etiamſi decies millies videãtur ſeruare tempus, extrema legis tranſgreſſio eſt quod faciunt. Atque id eſſe verum non hinc liquet tantum, verũ etiam ex prophetis. Cùm enim conſtet illos numquã ſacrificaſſe, neque canticum ceciniſſe in terra aliena, neque iſtiuſmodi ieiuniũ ieiunaſſe: quam veniam promerentur iſti? Attamẽ illi quidem expectantes reditum in ciuitatem ſuã, nihilo ſecius perſiſtebant in lege, parentes illi, quæque lex præſcribebat, implẽtes. Hoc enim lex ipſa illis fore promiſerat. Iſti verò hæc faciunt, cũ nullam habeant ſpem fore vt priſtinum vitę ſtatũ recipiant. Non habent, inquam, vllam ſpem: id ipſorum prophetarum teſtimonio docere poſſumus, & tamen ne ſic quidem poſſunt conquieſcere. Iam vt maximè ſperarent ſe ciuitatem recepturos, etiam tunc oportebat ſanctos illos imitari, tum à ieiunijs, tum à cæteris obſeruationibus abſtinẽtes. Quòd enim iſtiuſmodi rerum nihil illi fecerint, audi quid rogantibus reſponderint. Cũ enim vrgerent, compellerent, cogerentque barbari vt

Pſal. 137.

vterentur organis ſuis, dicerentque: *Cantate nobis canticum Domini:* illi qui pulchre legis mentem tenebant, reſponderunt: Non decere vt iſta facerent extra Hieroſolymam: *quomodo*, inquiunt, *cantabimus canticum domini in terra aliena?* Rurſus tres illi pueri qui verſabantur in Babylone, dicebant:

Dan. 3. καρπῶσαι

Non eſt hoc tempore princeps, neque propheta, neque dux, non locus vt ſacrificemus in conſpectu tuo, & inueniamus miſericordiam. At ſanè multus erat ibi locus: cæterùm quoniam ibi templum non erat, abſtinẽt à ſacrificijs. Iam verò & ad alios per Zachariam

Zach. 7.

loquitur dominus: *Num ieiunium ieiunaſtis mihi per annos ſeptuaginta?* Sentiens de annis quos egerant in captiuitate. Quomodo ergo tu nunc ieiunas, dic mihi, cùm maiores nec ſacrificauerint, nec feſta celebrauerint? Id ex eo palàm eſt, quòd ne paſcha quidẽ ibi celebrarũt. Nam vbi non erat ſacrificiũ, ibi ne feſtum quidem erat, eò quòd omne feſtum ſacrificiorum peragi oportebat. Quòd ſi pleniorem huius rei demonſtrationem exhibere veli-

Dan. 10.

mus, audi quid dicat Daniel: *In diebus illis eram ego Daniel lugens, panem deſiderabilem non comedi, & vinum carneſque non ingreſſa ſunt in os meum, & vnguento non vngebar in hebdomadibus illis. Et factum eſt in decimoquarto die primi menſis vidi viſionem.* Hic mihi diligenter auſcultate. Ex his enim perſpicuum eſt, quòd tum paſcha non celebraueritis. Quí ſic? Dicam. Per dies azymorum, id eſt, quibus abſtinebãt à fermentatis, ieiunare Iudæis fas non erat. Hic autem dies viginti vnum prorſus non attigit panem. Et vnde hoc docetur, dicit aliquis? Et quòd iſti viginti dies & vnus inciderint in dies azymorum? Id inde demonſtratur, quod dicit, quarto & vigeſimo die primi menſis. At paſchæ feſtum vigeſimo primo die finiebatur. Nam incipiẽtes à decimoquarto die primi mẽſis, denique diebus ſeptẽ continuata celebritate, ad vigeſimum primum diem perueniebant. Attamen Daniel perſeuerabat ieiunans etiam cùm præterijſſet paſchæ tempus. Nam cùm cœpiſſet à tertio die primi menſis, ac deinde per dies viginti vnum continuaſſet, nimirum decimũquartum diem præterijt, & poſt hunc item alios decem ieiunauit. An non igitur iſti exleges & impij, qui cùm illi ſancti viri in aliena terra nihil ſeruauerint eorum quæ lex præſcribebat, tamen per contentionem & peruicaciam diuerſa factitant? Etenim ſi quilibet fuiſſent incogitantes parumque circumſpecti, qui talia vel facerent,

A

vel dicerent, forſitan incogitantiæ negligentiæque tribueret aliquis, quòd ea non obſeruauerunt. Iam cùm fuerint amantes Dei, cùm pij, cùm ij qui pro Dei præceptis tradiderunt animas ſuas: conſpicuum eſt, eos haudquaquam per negligentiam feciſſe quod fecerunt, ſed ab ipſa potiùs lege perſuaſos, quòd non oporteat quidquam talium ceremoniarum extra Hieroſolymam obſeruare. Quin & aliud quiddam ex his perſpicuè colligitur longè maximum, videlicet quòd obſeruationes ſacrificiorum, ſabbatorum, & nouiluniorum, denique ſimilium rituum omnium ex ſuperfluo additæ ſunt Iudaicæ viſæ, vt neque ſi ſeruentur, aliquid magni momenti conferre poſſint ad virtutem: neque ſi prętermittantur, poſſint ex bono facere malum, aut pietatis ſtudium, quod in animo ſitum eſt, aliqua ex parte imminuere. Illi igitur qui vitam angelorum nobis in terris oſtenderunt, cùm harum rerum nihil omnino peregerint, non victimam mactarint, non feſtum diem obſeruarint, nõ

B

iſtiuſmodi ieiunium ſuſceperint: adeò tamen placuerunt Deo, vt ipſam naturam tranſcenderint, totoque terrarum orbe ſuperiores, meritis ſuis in Dei cognitionem raperentur. Quid enim proferri queat quod cum Daniele conferatur? quid quod cum tribus pueris? quandoquidem illi quod præceptum in euangelijs maximum, quodque bonorum omnium caput ante proditum euangelium occuparunt, ipſiſque factis declararunt. *Maiorem hac*, inquit, *charitatem nemo habet, quàm ſi quis animam ſuam exponat pro amicis ſuis.* Ioan. 15

Illi verò animã ſuã expoſuerunt pro nomine Dei. Nec hac parte ſolũ admirandi ſunt, verumetiam ob hoc quòd id nullius mercedis gratia fecerunt. Ideoque dicebant: *Eſt Deus in cælo potens eripere nos: qui etiamſi non eripiat, notum ſit tibi rex non ſeruituros non dijs tuis.* Dan. 3

Sufficit nobis illa merces, quòd propter Deum morimur. Hæc præſtiterunt, tamque inſignem virtutem exhibuerunt, nihil eorum obſeruantes quæ lex præſcripſerat. Ergo qua tandem, inquies, gra-

C

tia Deus iſta præcepit, ſi non volebat obſeruari? Qua gratia tuam ciuitatem demolitus eſt? Nam alterum è duobus illi faciendum erat, ſi voluiſſet illa remanere: aut non debebat præcipere, vt ipſi vno tantùm in loco ſacrificia fierent, cùm vos per omnes mundi plagas eſſet diſperſurus: aut ſi nolebat vos eo in loco ſacrificare, non ſolùm debebat vos per vniuerſum orbem diſſipare, verumetiam ſolam illam ciuitatem deſertam & inacceſſam reddere, in qua ſola victimas iuſſerat immolare. Quid

Deus ideo voluit, ſibi à Iudæis immolari victimas, vt ab idololatria eos abſtraheret.

igitur? An ſecum ipſe, inquis, pugnat Deus, qui vno in loco ſacrificari iuſſerit, & rurſus ab hoc ipſo loco quem præſcripſit, excludat? Nequaquam, imò magnopere ſibi conſtat Deus: neque enim initio ſibi volebat offerri ſacrificia. En ipſum prophetam adduco teſtem, qui loquitur hunc in modum:

Eſai. 1.

Audite verbum Domini, principes Sodomorum, attendite ſermoni Dei veſtri, populus Gomorrha.

D

Non ad Sodomitas & Gomorthæos verba faciens hæc loquitur, ſed ad Iudæos. Sic autem appellat illos Deus, quòd imitantes illorum malitiam, ſibi cognationem cum illis aſciuiſſent. Similiter &

Eſai. 56. Hier. 5.

canes illos appellat, & equos inſanientes in fœminas, non quòd illorum eſſet transformata natura, ſed quòd illorum animalium incontinentiam imitarentur. *Quò mihi multitudinem victimarũ veſtrarum?* Cæterùm qui Sodomis habitabãt, numquã viſi ſunt immolare victimas, ſed ad Iudæos ſermo Dei dirigitur, ob cauſam quam diximus, Sodomorum cognomina illis tribuens:

Eſai. 1.

Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit. Plenus ſum holocautomatis arietum, & adipem ouium, & ſanguinem hircorum ac taurorum nolo. Nequaquam veniatis in conſpectum meũ. *Quis enim exquiſiuit hæc omnia de manibus veſtris?* Audiſtis clariſsimam vocem dicẽtem, quòd in initio nõ poſtularit hęc de manibus veſtris? Etenim ſi

poſtu-

Digitized by Google

poſtulaſſet, ſimiliter & priſcos illos omnes qui ante hos floruerunt, prius ad hoc vitæ inſtitutũ adegiſſet. Quo igitur, inquis, cõſilio hæc præcepit? Nimirum veſtræ morem gerens infirmitati, nõ aliter quàm medicus, videns hominem febricitantẽ, moroſum, minimeque ſibi temperantem, ſi concupiſcat frigidam bibere, ac ni accipiat, periturũ, ac planè futurum, vt vel ad laqueum fugiat, vel è ſublimi ſe præcipitem det, dum ſtudet maius excludere malum, permittit quod minus eſt, cupiens illum à violenta morte reuocare. Conſimilem ad modum fecit & Deus, quoniam vidit illos inſanientes, anxios, concupiſcentes victimarũ oblationem, iamq; niſi acciperent quod deſiderabant, paratos vt ad idola ſe deflecterent, imò non ſolũ paratos verumetiam eò iam prolapſos, permiſit immolationẽ victimarum. Atq; vt ſcias hanc fuiſſe cauſam, vel ex ipſo tempore declaratur id quod dico. Siquidẽ poſt feſtum quod impijs dæmonibus celebrarant, tum demum permiſit illis immolationes pecudum, tantum non dicens: inſanitis, & vultis immolare victimas, quin igitur mihi potiùs immolatis? Quanquã ne hoc quidem ita permiſit, vt perpetuò liceret, ſed prudentiſsimo conſilio quod permiſerat, rurſus eripuit. Et quemadmodum ſi medicus ille (nihil enim vetat eodem exemplo denuo vti) poſteaquam indulſit appetitui laborantis, mox phiala è ſuis ædibus allata præſcribat, vt ex hac ſola bibat aquam: deinde perſuaſo ægroto, clam ijs qui miniſtrant, præcipiat confringere phialam illam, vt eũ clàm nihilque ſuſpicantem auocet ab illa cupiditate bibendi frigidam: Itidem fecit Deus permittendo ſacrificia. Neq; enim in vllo orbis loco permiſit id fieri, niſi in vnis Hieroſolymis. Mox vbi per breue tempus ſacrificaſſent, diruit ciuitatem: & quemadmodum ille fracto vaſe, ita Deus ſubuerſa ciuitate, vel inuitos illos abducere voluit à victimis. Etenim ſi clarè palamque dixiſſet, deſiſtite: haudquaquam facilè ab immolandi inſania deſtitiſſent. Nunc autem loci adepti neceſſitate, clanculum ac diſſimulanter illos abduxit ab oblationũ inſania. Sit igitur medicus quidem ipſe Deus, phiala verò ciuitas: ſit ægrotus ille moroſus Iudæorum populus. Denique frigida potio, ſit victimarũ permiſſio conceſſioque. Quemadmodum igitur medicus fracto vaſe ægrotum cohibet ab intempeſtiuo frigidi potus appetitu: ſic & Deus, euerſa ciuitate ipſa, adeoque funditus diruta, vt omnibus facta ſit inacceſſa, Iudæos à ſacrificijs abduxit. Nam ſi non hoc agebat, cur religionem illam in vnum locum concluſit, qui nuſquã non eſt præſens, qui implet vniuerſa? Cur cultum redegit ad victimas, victimas ad certum modum, modum ad tempus, tempus ad vnam ciuitatem contraxit, ac rurſus hanc ipſam ciuitatem ſubuertit? Adde quod mirum eſt & incredibile, totus terrarum orbis conceditur Iudæis ad ſacrificandum, vbi fas non eſt ſacrificari: ſolam Hieroſolymam illis adire non licet, in qua ſola licet immolare. An non igitur vehementer etiam tardis clarum perſpicuumque eſt, quam ob cauſam ea ciuitas fuerit ſubuerſa? quemadmodum faber iactis fundamentis, erectis parietibus, concamerata teſtudine, ipſaque concameratione in vnum lapidem in medio poſitũ connexa, ſi eum tollat, totam ædificij compagem ſoluerit: Similiter Deus cũ eam ciuitatem feciſſet quaſi nodum totius religionis Iudaicæ, ac mox eam ſubuerterit: nónne pariter & vniuerſum eius ciuitatis ſtatum diſſoluit? Verùm hactenus aduerſus Iudæos pugnatum eſto. Nam hodie ſolùm eminus in illos iaculis velitati ſumus, tantum locuti, quantum ſatis erat ad depellendum periculum à fratribus noſtris, imò multò etiam amplius. Reſtat autẽ illud neceſſariò, vt vos qui adeſtis, adhortemur, vt multam ſollicitudinẽ habeatis pro mẽbris veſtris. Ne dixeritis, quid mea refert? cur autem ego rerum alienarum curioſus ſim & ſollicitus? Dominus propter nos mortuus eſt: tu verò ne ſermonem quidẽ profers pro illo? Et quam inuenies veniam, aut quã reperies excuſationẽ? Quomodo ad Chriſti tribunal ſtabis cum fiducia, dic mihi, tot animarum exitium diſſimulãs? Vtinam mihi contingat eò currentes videre, nequaquam vobis opus eſſet, ſed celerrimã adhiberem correctionem. Quoties frater eſt ad meliora reuocandus, etiam vitam oportebat impẽdere, vt ſerues. Imitare dominum tuum. Quòd ſi famulum habes, ſi vxorem, multa cum auſteritate illos domi contineas. Etenim ſi non permittis illis vt in theatrum erant, quantò magis à ſynagoga Iudæorum ſunt arcẽdi? maius eſt hic ſcelus, quàm illic. Quod illic fit, peccatum eſt: quod hic, impietas. Hæc non ideo loquor, vt illos ſinatis in theatrum ire, nam & iſthuc malum eſt: ſed vt ab illis arcentes, & ab his multò magis prohibeatis. Agè dic mihi, quid ſpectaturus eò curris? num homines tuba canẽtes? At oportuit domi ſedentem gemitus ac lacrymas pro illis profundere, quòd rebellant præcepto, Dei, quòd diabolum habẽt cum ipſis choreas agẽtem. Nam vt antè, dixi, quod fit præter voluntatem Dei, etiamſi quando fuit permiſſum, poſtea violatio legis eſt, & innumerabilium ſuppliciorum materia. Tuba canebant Iudæi tum cùm habebant ſacrificia, nunc verò non eſt illis permiſſum idem facere. Proinde accipe iam qua de cauſa datæ ſint illis tubæ. *Fac*, inquit, *tibi tubas ductiles argenteas*. Num. 10. moxque commonſtrans vſum illarum, ſubijcit: *& illis canite in holocautomatis veſtris*. Vbi igitur eſt altare, vbi arca, vbi tabernaculum & ſancta ſanctorum, vbi ſacerdos, vbi Cherubin gloriæ, vbi thuribulum aureum, vbi propitiatorium, vbi phiala, vbi pateræ libatoriæ, vbi ignis ille cælitus demiſſus? Cùm omnia amiſeris, nihil aliud retines quàm tubas? Vides illos ludere veriùs, quàm ſacrificare? Verùm quemadmodum illos culpamus, quòd legẽ tranſgrediuntur: ita multò magis vos incuſamus, quòd ad tranſgreſſores legis concurritis, nec illos tantũ qui eò concurrunt, verumetiam eos quibus cùm ſit authoritas prohibendi ſuos, nolint tamen id facere. Ne mihi dixeris: Quid mihi cum illo cõmercij eſt? Alienus eſt, ignotus eſt. Dummodo ſit fidelis, dum eorumdẽ particeps myſteriorum, dum eadem iungatur eccleſia, & fratribus, & cognatis, & neceſſarijs, & cæteris omnibus eſt propinquior. Proinde quemadmodum non ipſi tantùm fures dant pœnas, verùm etiam eadem pœna plectũtur ij, quibus cùm eſſet poteſtas vetandi, non vetuerunt tamen: ita non ſolùm qui impiè agunt, verùm etiam illi qui cùm poſſint ab impietate reuocare, tamen vel ob pigritiam, vel ob timiditatem id facere nolunt, ſimili cum illis pœna plectũtur. Alioqui talentum illud quod acceperat ac defoderat ſeruus ille, reddidit integrum: attamen dat pœnas, eò quòd non auxerat lucrum: ita tu quidem etiã ſi ipſe purus & innocens perſeueres, cæterùm non augeas talentum, nec fratrem pereuntem reuoces ad ſalutem, eadem quæ ille patitur, patieris. Quid magni poſtulo? vnuſquiſque veſtrum vnum mihi ex fratribus ad ſalutem reuocet. Hic ſollicitus, hic quiſque curioſus eſto, quo nimirũ in craſtina communione multa cum fiducia compareamus donaria Deo ferentes. Donaria inquam omnium pretioſiſſima, ſi animas errantium reduxerimus, etiamſi contumelia fuerit ferenda, ſi toleranda verbera, breuiter ſi quid aliud his etiam moleſtius ſufferendum, omnia faciamus vt illos recuperemus. Quandoquidem & ægrotos ferimus calcibus ferientes, contumelijs & conuitijs inceſſentes, nec offendimur contumelijs: verùm nihil aliud videre cupimus, quàm ſanitatem hominis per morbum indecora facientis. Quin & medici veſtem ſæpe lacerauit ægrotans, at non ideo à cura deſtitit ille. Quî fit igitur vt qui corporibus conſulunt, tã-

Simile. Simile.

Digitized by Google

ta vtantur diligentia, nos animabus illorum pereuntibus ceſſemus, perinde quaſi exiſtimemus nihil accidere graue, cùm membra noſtra putreſcunt? At non ita Paulus: ſed quomodo? *Quis*, inquit, *infirmatur, & non infirmor?* Quis offenditur, & non vror ego? Hunc ignem tu quoque concipe, & ſi conſpexeris fratrem pereuntem quamuis contristetur, quamuis vim & contumeliam inferat, quamuis verberet, quamuis minitetur ſe futurum hoſtem, aut aliud quidlibet intentet, fac omnia perferas fortiter, vt illius lucrifacias ſalutem. Si ille fiat inimicus, Deus tibi eſt amicus, magniſque in die illo bonis te remunerabitur. Vtinam autem hæc donet Deus ſanctorum votis ac precibus, vt & qui in errorem abducti ſunt, recuperentur ad ſalutem, & vos in hoc venatu voti compotes euadatis: & illi ipſi blaſphemi liberati ab impietate ſua, Chriſtum agnoſcant ab ipſis crucifixum, vt omnes vno animo, eodemque ore glorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

2. Cor. 11

Eiuſdem aduerſus Iudæos.

Oratio II.

Vnde tandem nobis hodie frequentior conuentus factus eſt? Ad efflagitandum quod polliciti ſumus, comparuiſtis omnes, & in hoc aduenistis, vt argentum igni probatum quod me vobis exhibiturum promiſeram, accipiatis. Nam *eloquia*, inquit, *Dei, eloquia pura, argentum ignitum probatum terræ*. Benedictus Deus, qui vobis tantum audiendi ſpirituales ſermones inſpirauit ardorem. Quemadmodum enim homines vino & potionibus dediti, ſingulo quoque die ſimulatque ſurrexerunt, obambulant, curioſeque diſquirunt, vbi compotationes agantur, vbi conuiuia, vbi cœnæ, vbi comeſſationes, vbi temulentiæ, phialæ, crateres, & pocula: Sic & vos quotidie ſimulatq; ſurrexeritis, curioſè perquiritis, vbinam futura ſit exhortatio, vbi ſalubris admonitio, vbi doctrina, vbi ſermo ad ſermonẽ Chriſti cõducens. Quas ob res & nos quoq; propenſiore ſtudio hoc quod polliciti ſumus, aggredimur: & quæ promiſimus, ſumma cũ fide præſtabimus. Itaq; pugna nobis cum Iudæis ſuſcepta, exitum quem debuit, ſortita eſt. Trophæum erectũ eſt, & corona nobis parta eſt, & brabium ex ſuperiore dictione reportauimus. Siquidem hoc ſuſceperamus agendum, vt demonſtraremus quòd ea quæ fiunt ab iſtis, ſit quædam trãſgreſſio legis præuaricatioque, nec aliud quàm hominum aduerſus Deum erecta machina bellumq;, idque Deo auxiliante nobis accuratiſſimè demonſtratũ eſt. Etenim ſi ciuitatem ſuam eſſent aliquando recepturi, & ad priſtinũ vitæ ſtatũ redituri, templumque inſtauratũ viſuri, quemadmodum aiunt ipſi, quamquam id numquam eſt futurum, ne ſic quidẽ haberent iuſtá excuſationem eorum quæ faciunt. Nam & tres illi pueri, & Daniel cæterique omnes qui viuebant in captiuitate, & expectabant donec reciperent ciuitatem ſuam, ac poſt annos quadraginta viderent patriæ ſolum, priſtiniſque viuerent legibus. Atqui cùm hoc illis & palàm euidenter eſſet promiſſum, non tamen auſi ſunt quidquam eorum facere iuxta legis ritus, quæ faciunt iſti. Hoc pacto poteris & ipſe Iudæo occludere os. Roga illum, qua de cauſa ieiunas, cùm non habeas ciuitatem? Quòd ſi dixerit. Quoniam ſpero me recepturum ciuitatem; dic illi: Proinde quieſce, donec receperis. Nam illi ſancti donec ad patriam ſuam redirent, nihil eorum quæ tu facis, auſi ſunt facere. Vnde palàm eſt, quòd nunc legem Dei violas: etiamſi, vt vis, recepturus ſis ciuitatem, tamen pacta cum Deo inita reſcindis, & in ipſum vitæ ſtatũ contu-

Pſalm. 11

Docet Iudaiſmum ceſſaſſe, quia à Chriſto eorum ciuitas eſt deſtructa & multa à Chriſto prędicta, quæ iam contigerunt.

A meliosus es. Igitur in oratione ſuperiore diximus veſtræ charitati, quantum ſatis eſt ad retundendã Iudæorum impudentiam, & ad redarguendam eorũ præuaricationem. Cæterum quando non hoc tantùm nobis erat propoſitum, vt illorum ora clauderemus, verum vt eccleſiam copioſius de ſuis proprijs dogmatibus edoceremus: agè rurſus & hoc ex abundanti demonſtremus, quòd templum nũquam inſtaurabitur, neque ad priſtinum vitæ ſtatum reſtituendi Iudæi ſunt. Hoc pacto fiet vt & vos exactius noueritis apoſtolica dogmata, & illi contrà ad majorem impietatem prolapſi capiãtur. Harum verò rerum teſtem adducemus, non angelum, non archangelum, ſed orbis vniuerſi principem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Is enim quum ingreſſus Hieroſolymam, vidiſſet templũ, dixit futurum vt *Hieroſolyma conculcaretur à gentibus multis, donec implerentur tempora gentium*, videlicet tempus ſignificans vſque ad conſummationem mundi. Ac rurſus hæc de templo comminatus eſt, loquens diſcipulis, non *manſurum lapidem ſuper lapidem* in eo loco qui non diruatur, B videlicet explanatè prædicens eum prorſus abolendum, & in perpetuam ſolitudinem redigendum. Verùm Iudæus omnino reijciet hoc teſtimonium, nec recipiet ea quæ dicimus. Inimicus, autem, inquit, meus eſt qui talia loquitur: ego illum adegi in crucem, & quomodo recipiam illius teſtimoniũ? Atqui hoc ipſum prodigioſum eſt, ô Iudæe, quòd cùm tu crucifixeris eum, ille poſteaquam abs te crucifixus eſt, tunc ciuitatem tuam euertit, tuam gentem diſſipauit, tuum populum per vniuerſum orbem diſperſit, videlicet re ipſa declarans ſe reſurrexiſſe, ac viuere, atque nunc agere in cælis. Quoniam enim ex benefactis noluiſti potentiã illius cognoſcere, per afflictionem ac ſupplicia demonſtrauit robur ſuum ineuitabile pariter & inexpugnabile. At ne ſic quidem credis, aut putas illum eſſe Deũ, ac totius orbis dominum, ſed arbitraris hominem C fuiſſe quemlibet è vulgo. Agè igitur perinde quaſi nihil aliud quàm homo fuerit, ipſum æſtimemus. Quum aliquos videmus homines quos in omnibus comperimus eſſe veraces, nec vlla in re mentientes; horum etiamſi fuerint hoſtes, modò ſapiamus, dicta recipimus. Rurſum ſi viderimus eos mentientes, etiamſi in nonnullis veraces fuerint, nec illa facilè recipimus quæ verè ab illis dicta ſunt. Agè nũc igitur cõſideremus Chriſti mores, & cuiuſmodi fuerit vita. Non enim hoc tantũ quod diximus, prædixit, clareque pronuntiauit: verumetiam alia multa, longo pòſt tempore ventura, vaticinatus eſt. Proferamus igitur prædictiones illas in medium, in quibus ſi videris illum mendacem, ne hác quidem recipito, neque putes illi fidem habendam. Contrà, ſi videris illum in cæteris omnibus veracem, & hanc ipſam prædictionem eueniſſe: deinde quum videas immenſum temporum curri- D culum atteſtans veritati eorum quæ prædixit, ne velis vlterà perfricare frontem, neque rebus ſole clarioribus obſtrepere. Videamus igitur quid præterea prædixerit. *Acceſſit ad illum mulier alabaſtrum habens vnguenti pretioſi, & effudit vnguentum in caput illius accumbentis*. Hoc factum indigne ferentes diſcipuli, dicebant: Quin iſtud potius venundatum eſt triginta denarijs, ac datum pauperibus? Hoc reprehendens, loquitur hunc in modum: *Quid moleſti eſtis mulieri? bonum enim opus fecit. Dico enim vobis, quum prædicatum fuerit hoc euangeliũ in vniuerſa terra, dicetur & hoc quod illa fecit, in ipſius memoriam.* Vtrùmne mentitus eſt, an dixit verum? Euenit quòd prædixit, an fuit inane vaticinium? Interroga Iudæum, & ſi millies perfricuerit frontem, aduerſus hanc prædictionem non poterit oculos attollere. In omnibus enim eccleſijs appellari mulierem audimus. Sunt conſules, duces, viri, mulieres, nobiles, illuſtres, ſplendidi, in omnibus vrbibus, & in quamcum-

Luc. 21.

Matt. 24.

Math. 26

Ibidem.

que orbis partem deueneris, ſummo cum ſilentio audiunt omnes huius mulieris officium. Nec eſt vlla mundi plaga, quæ factum hoc ignoret. Atqui quot reges multa magnaq; in multos contulerunt beneficia, bella cũ laude geſſerunt, trophæa ſtatuerunt, gentes gubernarũt, ciuitates erexerũt, & innumeris commodis auxerunt rempublicã, & tamẽ cum ſuis benefactis ſilentio teguntur. Item reginæ primariæq; fœminæ innumerabilia benefacta contulerunt in eos quibus imperabant, quæ ne de nomine quidem vlli notæ ſunt. Hæc autem abiecta mulier quæ tantum effudit vnguentum, toto terrarum orbe decantatur. Ne temporis quidem tam immenſa lõgitudo memoriam illius vel extinxit, vel extinguet vnquam, idque quum factũ ipſum non eſſet inſigne (quid enim magni erat vnguentum effundere?) neq; perſona eſſet celebris: erat enim mulier abiecta, neque multi teſtes aderant: nã inter diſcipulos res eſt geſta, neq; locus nobilis, neq; enim hoc fecit per theatrum trãſiens, ſed in domo decẽ dumtaxat hominibus præſentibus. Attamẽ neque perſonæ vilitas, neq; teſtiũ paucitas, neq; loci obſcuritas, neque vlla res alia potuit illius abolere memoriã. Quin potius reginis omnibus ac regibus vniuerſis celebrior eſt nunc hæc mulier, nec vlla ætas obliuioni tradidit quod factũ eſt. Vnde id? dic mihi, aut quis hoc effecit? An non Deus ipſe, cui tum hoc officium præſtabatur, hanc famam per omnia terrarum loca diſperſit? Proinde dic mihi, num huiuſmodi prædicere, virtutis humanæ videtur? Quis enim ſanæ mentis hoc dixerit? Nam prædicere quæ facturus eſſet, priuſquam ab ipſo fierent, mirum quidem ac prodigioſum: verũ prædicere quæ fiunt ab alijs, efficereque vt fides illis habeatur, ſintq; cũctis perſpicua, multò maius eſt, ac mirabilius. Rurſus prædixit Petro: *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Matth. 16 Proinde dic age Iudæe, quid habes quod reprehendas aut redarguas ex ijs quæ dicta ſunt? quid habes quod doceas hãc prædictionem eſſe mendacem? An non teſtimoniũ cum rebus conſentit, etiamſi mille modis ipſe cõtendas in aduerſum? Quot enim bella aduerſus eccleſiam concitata ſunt, quot exercitus inſtructi, quot arma mota, quod non afflictionum & vindictę genus excogitatum, ſartagines, catapulta, lebetes, fornaces, lacus & præcipitia, beſtiarum dentes, maria & proſcriptiones, aliaque innumera tormentorum genera, neque dictis memoranda, neque factis toleranda? Atque hæc non tantũ ab extraneis, verùm etiam à noſtris domeſticis. Nã ciuile quoddam bellum occuparat omnia, vel quouis potius ciuili bello pernicioſius. Neque enim ciues modò cum ciuibus, verùm etiam cognati cum cognatis, domeſtici cum domeſticis, amici cum amicis conflictabantur: nihil tamen horum diſſoluit eccleſiam, ac ne inferiorem quidem reddidit. Atque id ſanè mirum & incredibile, quòd hæc in ipſis ſtatim primordijs mota ſunt. Nam ſi tum irruiſſent hæc acerba, poſteaquam iam radices egerat, & per omnes mundi partes plantatum eſſet euangelium, haud perinde fuiſſet admirandum nõ fuiſſe ſubuerſam eccleſiam. Cæterùm cùm in ipſo doctrinæ exordio nuper iacto fidei ſemine, teneris etiamnum auditorum mentibus, tot procellæ bellorum eruperint, res noſtras non ſolùm ex parte fuiſſe diminutas, verumetiam multam acceſſionem adiunctam fuiſſe: hoc nimirum ſuperat omne miraculum. Ne quis autem dicere poſſit, quod nũc eccleſia ob pacem à regibus præbitam conſtabilita ſit, cùm eſſet minor, cùm videretur imbecillior, tunc illam oppugnari permiſit: vti cognoſcas etiam quod nunc in tuto eſt, non acceptũ eſſe ferendum paci quam præſtant reges, ſed à potentia Dei proficiſci. Id quo magis cognoſcas eſſe verũ, reputa tecum, quam multi conati ſint apud Græcos opiniones nouas ac peregrinas viuendi rationes inducere, velut Zenon, Plato, Socrates, Diagoras, Pythagoras, alijque innumeri: tamen adeò non vicerunt, vt pleriſque ne de nomine ſint noti. Chriſtus autem non modò præſcripſit vitæ formam, verumetiam hanc per totum terrarum orbẽ plantauit. Quàm multa fertur Apollonius ille Tyaneus feciſſe? verùm vti ſcires illa omnia eſſe conficta, vana, nihil habentia veri, extincta ſunt, & finem acceperunt. Iam ne quis arbitretur contumeliam eſſe Chriſti, quòd de illo verba facientes, Pythagoræ, Platonis, Zenonis, & Tyanei meminerimus: (non enim id facimus ex animi noſtri ſententia, ſed ad Iudæorum infirmitatem nos ipſos demittentes, qui credunt nihil aliud eum eſſe quàm hominem) itidem & à Paulo factum eſt. Is enim ingreſſus Athenarum vrbem, non ex prophetis, nec Act. 17. euangelio cum illis diſſeruit, ſed ab ara cœpit exhortationem. Non quòd aram illam ad faciendam fidem plus habere momenti crederet, quàm euangelia, neque quòd literas illic inſcriptas potiores duceret prophetis: ſed quoniam cum gentibus diſputabat, quæ nulli noſtrorum voluminum credunt, à proprijs ipſorum dogmatibus ipſos aggreſſus eſt. 1. Cor. 9. Hinc eſt quod ait: *Factus ſum Iudæis Iudæus, his qui ſine lege erant, tamquam eſſem ſine lege, cùm ſine lege non eſſem Deo, ſed eſſem in lege Chriſti, vt lucrifaciam eos qui ſine lege ſunt.* Itidem & veteris teſtamenti ſcriptura facit, de Deo Iudæis loquens. Sic enim ait: Pſalm. 85 *Quis ſimilis tui in dijs Domine?* Quid ais propheta? Itáne comparatio eſt vlla Dei veri ac deorum falſorum? Non, inquit, hoc vt comparationem inducam locutus ſum, verùm quoniam ad Iudæos mihi erat ſermo, qui magnificam de dæmonibus habent opinionem, ad illorum imbecillitatem memet accommodans, hoc docendi genere ſum vſus. Quoniam igitur nobis quoque diſputatio eſt aduerſus Iudæos, qui Chriſtum exiſtimant ſimplicem fuiſſe hominem, & hominem quempiam legis præuaricatorem: propterea ab his quæ apud gentes in admiratione ſunt, induxi comparationem. Quòd ſi vultis me & eorum qui apud ipſos Iudæos eadem conati ſunt, vel aduerſus diſcipulos, vel aduerſus principes aut præfectos, ſed protinus extincti ſunt, exempla recenſere, agè conabimur & hæc demonſtrare. Hoc igitur modò Gamaliel illis obturauit os. Cùm enim videret illos inſanientes, cupidoſque effundendi ſanguinis diſcipulorum, ſtupens eos ab impotenti vaſania cohibere, iuſſis pauliſper ſecedere apoſtolis, ſic ad illos verba fecit. *Proſpicite vobis quid de his hominibus ſitis facturi. Ante hos enim dies exortus eſt Theudas,* Act. 5. *dicens ſe eſſe aliquem, & ſecuti ſunt illum viri quadringenti, & ille perijt, & omnes quotquot ei paruerunt, diſperſi ſunt. Et poſt illum exortus eſt Iudas Galilæus, qui concitauit turbam magnam, & mortuus eſt, diſcipuliq; illius perierunt. Et nunc dico vobis, proſpicite vobis, quoniam ſi factum hoc fuerit ex hominibus, diſſoluetur. Sin ex Deo eſt, non poteſtis illud diſſoluere, ne fortè comperiamini & aduerſus Deum pugnare.* Vnde igitur manifeſtum eſt, fore vt quidquid ex hominibus ſit diſſoluatur? Experimentum, inquit, cepiſtis à Iuda & Theuda. Itaque & hic qui ab iſtis prędicatur, ſi talis eſt, quales fuerunt illi, nec diuina potentia peragit omnia, expectate pauliſper, & ipſe rerum euentus vobis faciet fidem: ex ipſo fine certò cognoſcetis, vtrum hic ſit impoſtor, vt dicitis, ac legis tranſgreſſor, an Deus vniuerſa temperans, ineffabilique potentia res mortalium diſpenſans moderanſque. Quod dico, factum eſt. Expectarunt, & ex ipſis factis declarata eſt diuina & inexpugnabilis potentia. Atque hoc inuentum quod ad decipiendos plurimos adhibitum erat, retortum eſſe in caput diaboli. Nã quũ videret illum aduenisse, volens illius obſcurare aduentum, ſubmiſit deceptores aliquot, quò videlicet & ille vnus quiſpiam ex eorum numero

putare-

putaretur. Quodque de cruce fecit, procurans vt duo latrones cum illo crucifigerentur: idem fecit de illius aduentu, ſtudens veritatem admixto mendacio obſcurare: verũ nec illic præualuit, nec hic, quin magis hoc ipſum potentia Chriſti declarauit. Alioqui dic mihi, quid eſt in cauſa, vt quum tres fuerint crucifixi eodem loco, eodem tempore, ſub iiſdem iudicibus, illi ſileantur, hic ſolus adoretur? Rurſus quam ob rem tandem cùm plures nouam viuendi rationem induxerint, ac diſcipulos habuerint, illorum ne nomen quidem hodie notum ſit, hic per omnes mundi plagas colatur? Res enim potiſſimùm eluceſcunt ex collatione. Cõfer iſta mihi, ô Iudæe, ac diſce veritatis excellentiam. Quis impoſtor tot eccleſias toto terrarum orbe parauit? Quis ab extremis ad extrema mundi cultũ ſuum protulit? Quis omnes ſubiectos habuit, idque quum eſſent innumera obſtacula? Nemo ſane. An non igitur perſpicuum eſt Chriſtum non eſſe impoſtorem, ſed ſoſpitatorem, ſed beneficum, ſed curatorem, ſed principem vitæ noſtræ? Proinde ad id quod erat propoſitũ redibo, ſi priùs vnam adhuc prædictionem addidero. *Non veni*, inquit, vt mitterẽ *pacem ſuper terram, ſed gladium*: Non declarans quid ipſe cuperet, ſed rerum euentum prædicens. *Veni enim*, inquit, *ſeparare hominem, excitare filium aduerſus patrem ſuum, & nurum aduerſus ſocrum ſuam, & filiam aduerſus matrem ſuam*. Vnde hæc prædixit, ſi nihil aliud erat quàm homo, & vnus quiſpiam è vulgo? Quod autem dicit, hũc habet ſenſum: Quoniam eueniet, vt in eadem domo vnus ſit fidelis, alter infidelis: deinde pater velit filium ſuum pertrahere ad impietatem, hoc ipſum prædicens ait: Adeò vincet euangelij poteſtas, vt filij quoque contemnant patres ſuos, & filiæ matres, & parẽtes liberos. Non ſolùm autem priùs habebunt familiares contemnere, verùm etiam ſuam animam exponere, cunctaque ſuſtinere ac perpeti, ne pietatẽ ab ſe repellãt, aut quidquam deſerant eorum quæ noſtræ conducunt prædicationi. Vnde hæc ille tum ſcire, tũ efficere potuit, ſi fuit homo vnus quiſpiam è vulgo? Vnde illi venit in mentẽ hæc cogitare, quòd ipſe filijs eſſet magis reuerendus futurus, quàm patres? quòd parentibus dulcior quàm liberi? quòd vxoribus deſiderabilior quàm mariti, idque non vna in domo, neque duabus, neque tribus, neque decem, neque viginti, neque centum, ſed vbique per orbem terrarum, in vrbibus omnibus ac regionibus, in terra pariter atque in mari, & in parte mundi habitata ſimul, & inhabitabili? Nec illud poſſis dicere, dixit quidem iſta, verùm haud perduxit ad effectum. Complures igitur in primordijs eccleſiæ, atq; adeò nũc quoque ob pietatem habẽtur odio, eijciuntur è paternis ædibus, nec ad quidquam horum reuertentes, abundè magnũ ſolatiũ eſſe ducentes, quòd hæc ob Chriſtum perpetiuntur. Dic mihi, quis hæc vmquam potuit inter homines? Hic igitur qui hæc omnia prædixit, de muliere illa, de eccleſia, de bello hoc, idem prædixit templum ruiturum, Hieroſolymam interituram, eamque ciuitatem non amplius fore ciuitatem Iudæorum, quemadmodum fuit antea. Itaque ſi mentitus eſt illa omnia, nec euenerunt quæ prædixit, diffide & his. Quòd ſi vides illa clariſſimè eueniſſe, inque dies ſingulos augeſcere, neque inferorum portas aduerſus eccleſiã præualere, ſi vides quod mulier illa fecit, prædicari tanto iam tempore per vniuerſum orbem, ſi homines illi crediderunt, cum pluris faciunt, quàm parentes, quàm vxores, quàm liberos: quur, quæſo te, huic vni prædictioni reſiſtis, præſertim quum ex ipſo tempore teſtimonium illius ſilentium imponat impudentiæ tuæ? Quòd ſi poſt excidium vrbis non tranſiſſent niſi decẽ anni, aut viginti, aut triginta, aut quinquaginta, minimè tamen decebat vel tum impudenter obſiſtere, etiamſi fuiſſet aliqua reluctandi reliqua occaſio:

Mat. 10. Ibid.

A iam verò ſi non quinquaginta tantùm, & centum, imò bis ac ter tantum annorum, multoq; amplius præterijt poſt ciuitatem captam, nec interim vllũ veſtigium, aut vmbra apparuit, pollicens rerum veſtrarum mutationem, quur fruſtra, nullaque de cauſa impudentiam tuam obtines? Hæc ſatis erant ad demonſtrandum vobis, numquam fore vt templum reſtituatur. Verùm quando veritas multis modis exuberat, omiſſis euangelijs ad prophetas me verto, quibus & maxime videntur fidere: atque ex his perſpicuum faciam, neque ciuitatem, neque templum vmquam poſthac reſtituendum. Quamquam nihil erat mihi neceſſe demonſtrare quod non reſtituetur. Neque enim hoc meum erat, ſed illorum partes erant, docere quòd eſſet reſtituendum. Nam ipſe quidem ex ipſo tempore congruũ habeo teſtimonium, mihi patrocinans: ipſi contrà, quum ex ipſo rerum euentu deijciantur, nec alioqui quidquam eorum quæ dicunt queant demonſtrare, tamen nihil aliud quàm oſtentant ſeſe, B quum oporteat ipſos hoc teſtimonium exhibere quod exhibeo. Nam illa quæ dico, ipſo rerum euẽtu doceo eſſe vera. Corruit enim ciuitas, nec tam longo iam tempore inſtaurata eſt. Contrà quæ dicunt iſti, nudis verbis nituntur. Atqui debebant ipſi docere, futurum vt ciuitas rurſus inſtauretur, quandoquidem in forenſibus iudicijs videmus ſic fieri probationes. Nam quoties inter illos aliqua incidit controuerſia, & alter alterum ſcripto conuenit, deinde id aduerſus quem agitur, inficiatur ea quæ obijciuntur, cogitur is qui negat, poſtea teſtes & alias adferre probationes, quibus doceat non eſſe vera quæ ſcripto continentur, non is qui ſcriptum produxit. Eodem modo conueniebat & iſtos hic facere, nobiſque in medium producere prophetam qui prædixerit omnino futurum vt ciuitas reſtituatur. Nam quod prorſus eſt neceſſe, prophetas vobis prædixiſſe venturum iſtius captiuitatis, C in qua eſtis, finem, ſi venturus eſt, nimirum perſpicuum eſt omnibus qui vel inſpexerint libros propheticos. Mos enim erat apud Iudæos vetus, vt prophetæ diuinitus afflati prædicerent illis quæ imminerent, ſeu bona, ſeu mala. Qua gratia & quã ob rem? Propter inſignem illorum improbitatem & impudentiam. Alioqui fugiſſet illos, beneficia quibus afficiebantur, à Deo proficiſci: eaque quæ fiebant, dæmonibus aſcripſiſſent, & bona illis imputaſſent. At nunc quidem cùm illis egreſſis ex Ægypto, mare ſciſſum eſſet, aliaque prodigia fierent, obliti quòd hæc authore Deo gererentur, ij qui dij non erant, tribuebant ea quæ fiebant, dicentes Aaroni: *Fac nobis deos qui præcedant nos.* Videntur autem & Hieremiæ dicere: *Sermonem quem locutus es ad nos ſub nomine domini, non audiemus ex te, quoniam facientes omnia quæ egredientur ex ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cæli, & immolemus illi victimas, quemadmodum hactenus fecimus & nos, & patres noſtri, &* D *principes noſtri, & repleti ſumus panibus, & bene nobis erat, & mala non vidimus: & poſteaquam deſtitimus ſacrificare reginæ cæli, & immolare illi victimas, diminuti ſumus omnes nos, & gladio fameq; defecimus.* Proinde ne quid eorum quæ contingunt ſimulachris imputarent, ſed potius crederẽt & vltiones & beneficia ipſis à Deo proficiſci, illas quidem ob peccata, hæc verò per Dei bonitatem erga genus humanũ, prophetæ diuinitus afflati prædicebant illis euentura. Atque vt certius ſcias hanc eſſe cauſam prædictionis, vide quid dicat vocaliſſimus ille Eſaias ad populum Iudaicum: *Scio quòd durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua*: hoc eſt, inflexibilis: & frons tua ærea, hoc eſt, impudens. Sic & nos frequenter ſolemus eos qui neſciũt erubeſcere, χαλκοπροσώπους, id eſt, æream habentes faciem appellare. *Et annuntiaui tibi quæ ventura erant in te priuſquã fierent*, & ingreſſi auribus tuis: deinde prædictionis cauſam applicans, ſubijcit: *Ne quando dicas, idola me ſeduxerunt,*

Exod 32. Hier 44. Eſa. 48. Ibid. Ibid.

& ſculptilia conflatiliaq́ præceperunt mihi. Ac rurſus, quoniam peruicaces quidam & elati, poſt euentum rei, perfricabant frontem, perinde quaſi non antea fuiſſet illis prædictum: prophetæ non ſolùm futura prædicebant, verùm etiam teſtes adhibebant eorum quæ gerebantur. Sic enim rurſus lo-
Eſa. 8. quitur idem Eſaias: *Da mihi teſtes, viros bonæ fidei, Vriam ſacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Nec hoc contentus, in nouo volumine deſcriptam depoſuit prophetiam, quò poſtquam eueniſſet, ipſæ res de ſe ipſis teſtimonium ferrent, quòd afflatu cæleſti multò antè tempore fuiſſet illis prædictum. Eoque non ſolùm ſcripſit in volumine, ſed in nouo volumine, quò poſſet in multum durare tempus, nec facilè corrumpi, ſed expectare euentum rerum quæ ibi continebantur. Equidem eſſe verum quod dico, videlicet Deum illis omnia ventura prædixiſſe, non ex his tantùm: verùm & ex ipſis quæ illis acciderunt, tum bona, tum mala, demonſtrabo. Tres ſeruitutes grauiſſimas pertulerunt Iudæi, quarum nullam Deus illis ingeſſit non prædictam, ſed ſingula illis prædicenda curauit, & locum, & tempus, & perſonam, & afflictionis ſpeciem, & reditum, aliaque cuncta ſumma cum diligentia prænuntians. Ac primo loco dicam de captiuitate quam paſſi ſunt in Ægypto: Deus lo-
Geneſ. 15 quens ad Abraham his fermè verbis vtitur: *Sciens ſcias, quòd ſemen tuum peregrinum erit in terra non ſua, & in ſeruitutem adigent, & affligent illud annis quadringentis. Gentem autem cuicumque ſeruierint, ego iudicabo,* dicit Dominus. Quarta autem generatione reuenient huc cum apparatu copioſo. Vides vt & numerum annorum expreſſerit, & ſeruitutis modum quum non ſimpliciter inquit, in ſeruitutem adigent, ſed addit, affligent. Audi quomodo Moyſes paulò poſt exponat afflictionem: *Palea,* in-
Exod. 5. quit, *non dantur famulis tuis, & iubent nos lateres facere,* & flagris cædebantur quotidie, vt intelligas quid ſibi velit, in ſeruitutem adigent & affligent.
Gen. 15. *Gentem* autem, inquit, *cuicumquè ſeruierint, ego iudicabo:* ſignificans Ægyptiorum ſubmerſionem in mari rubro, quam in canticis deſcribens Moyſes, ſic loquitur. *Equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Mox
Exod. 15. & reditus modum, quòd eſſent redituri cum multa ſupellectile. Sumite, inquit, commodato à ſuo quiſque vicino & contubernali vaſa aurea & argentea. Quoniam enim longo tempore ſeruierāt, nec mercedem receperant, Deus effecit vt inſciētibus ac nolentibus etiam peterent, clamatq́; propheta, dicens: *Eduxit eos cum argento & auro, nec erat*
Pſal. 104 *in tribubus eorum infirmus.* Hęc eſt vna ſeruitus exactiſſimè prædicta. Agè nunc & ad alteram captiuitatē vertamus ſermonem, quam perpeſſi ſunt in Babylone. Nam & hæc accuratè prædixerat Hiere-
Hier. 29. mias ita loquens: Sic ait Dominus: *Poſteaquam impleti fuerint in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo eos, & ponam erga vos verba mea bona, vt redeatis in locum hunc, & conuertam captiuitatem veſtram, & congregabo vos ex omnibus gentibus, & ex cunctis locis in quos diſperſi vos, dicit Dominus, & conuertam vos in locum vnde vos demigrare feci.* Vides vt rurſus hic & ciuitatē expreſſerit, & annorum numerum, & vnde, & quò eſſet illos congregaturus. Eoque Daniel nō priùs ſuper his rogauit dominum, quàm vidiſſet annos ſeptuaginta completos. Quis hæc dicit? Ipſe Da-
Dan. 9. niel ita loquens: *Et ego Daniel faciebam opera regis, & admirabar viſionem, nec erat qui intelligeret, & intellexi in libris numerum dierum, qui fuit ſermo Domini ad Hieremiam prophetam, ad expletionem deſolationis Hieroſolymæ anni ſeptuaginta: & dedi faciem meam ad dominū Deum meum, vt exquirerem precationem & obſecrationem in ieiunio, ſacco & cinere.* Audiſti quemadmodū hæc quoq; captiuitas prædicta fuerit, & propheta non auſus fuerit preces ad ſupplicationem admouere Deo ante tempus præfinitum, ne fruſtrà temere-
Hier. 7. que admouens audiret quod audiuit Hieremias: *Ne*

A *rogaueris pro populo hoc, neque poſtularis pro illis: quoniam non audiam te.* Verùm vbi vidit vaticinium eſſe completum, ſimulque tempus vocare ad reditum, tunc orat, non ſimpliciter, ſed in ieiunio, ſacco & cinere: & quod in hominum moribus euenire ſolet, id fecit erga Deum. Nos enim quum videmus aliquos qui famulos poſt multa grauiaque commiſſa coniecerunt in vincula, non protinus in principio exordioque punitionis admouemus ſupplicationem; ſed vbi ſciuerimus illos aliquot dies temperatiores eſſe factos, tunc adimus heros, nacti iā & ab ipſo tempore auxiliū: hoc ſanè & propheta fecit. Poſteaquàm enim pœnas dederant, haudquaquam dederant dignas admiſſis, attamen iam adit Deum pro illis verba facturus. Quòd ſi videtur, ipſam etiam deprecationem audiamus: *Confeſſus ſum enim, inquit, & dixi: Deus magne & admirabilis, qui ſer-* Dan. 9. *uas pactum tuum, & miſericordiam tuam ijs, qui te diligunt, & ſeruant præcepta tua.* Quid facis, ô Daniel, pro ho-
B minibus qui peccarunt & offenderunt intercedēs, eorum mētionem facis qui leges illius ſeruauerūt? Ergo indigni venia ſunt, qui præcepta illius violāt? Non ob iſtos hæc loquor, inquit, ſed ob horū progenitores, ob Abraham, ob Iſaac, ob Iacob. Illis promiſit, illis pollicitus eſt Deus, qui præcepta illius ſeruauerunt: Quoniā igitur hi nullo iure poſſunt petere ſalutem, idcirco progenitorū mentionē facio: ac ne putares quòd de his verba faceret, quū adieciſſet, Qui ſeruas pactū tuum, & miſericordiam tuam diligentibus te, & ſeruantibus præcepta tua: mox ſubijcit, peccauimus, iniquè egimus, iniuſtitiam perpetrauimus, exceſſimus, deflexìmus à præceptis tuis, & à iudicijs tuis: non auſcultauimus ſeruis tuis prophetis. Vna ſiquidem ſolaque purgatio peccatoribus reliqua eſt poſt peccata, videlicet vt ſua commiſſa confiteantur. Tu verò mihi conſidera & iuſti virtutem, & Iudæorum improbitatem. Nam ille quidem nullius mali ſibi conſcius, ſeipſum multa cum auſteritate damnat, dicēs: Pec-
C cauimus, iniquè fecimus, iniuſtitiam perpetrauimus: hi verò malis innumeris pleni, contra fecerunt, dicentes: Seruauimus præcepta tua: & tunc beatos dicimus alienos, & reſtituuntur qui patrant iniquitatē ac peccata. Quemadmodū enim ſolent iuſti poſt iuſta facta modeſtè agere, ita ſolent mali poſt admiſſa ſcelera laudare ſeſe. Qui nullius peccati ſibi conſcius erat, dicebat: In iquitatē fecimus, deflexìmus à præceptis tuis. Contrà, qui innumerabilium facinorum ſibi conſcij erant, dicebant: Seruauimus præcepta tua. Atque hæc eò loquor, vt alterum vitemus, alterum imitemur. Poſt hæc quoniam attigerat illorum peccata, narrat & vindictam ac pœnam quam dederunt, & ex hoc Deum ad miſericordiam reuocare cupiens, ait. *Et venit ſu-* Ibid. *per nos execratio, quæ ſcripta eſt in lege Moyſi ſerui Dei, quia peccauimus.* Quænam eſt iſta execratio? Vultiſne le- Deu. 28.
D gamus illam? *Niſi ſeruieritis,* inquit, *domino Deo veſtro, inducet ſuper vos gentem impudentem, & non audietis vocem illius, & eritis numero pauci.* Hoc quidem declarantes tres illi pueri, palamque facientes quòd ob ipſorum peccata accidiſſet hoc vindictæ genus, & ipſi pro communibus peccatis confeſſionem proferentes dicebant: Tradidiſti nos in manus hoſtium impiorum, inimiciſſimorum, deſertorū, ac regi iniuſto & ſceleratiſſimo, terram quæ tranſgreſſa eſt. Vide quomodo completa eſt illa execratio quę dicit: Eritis numero pauci. Rurſus quod dicit, Adducam in vos gentem impudentem: idem hoc & Daniel hic rectè ſignificans, dicit: Venerunt ſuper nos mala, qualia non acciderunt ſub omni cælo, præ his quæ facta ſunt Hieroſolymis. Quæ tādem iſta? Matres liberos ſuos comederunt. & hoc ſanè prædicit Moyſes: ceterū Hieremias oſtendit eueniſſe. Ille quidem loquitur: Ciuitas tenera ac delicioſa. Cuius enim non cepit experientiam pes eius vt inſiſteret in veſtigio propter teneritudinē

Digitized by Google

Nullibi eſt prædictum Iudæos liberandos à malis in quibus nūc ſunt.

Triplex Iudæorū captiuitas

ac delicias,attinget impiam menſam,& ſuos ipſius A
filios comedet.Hieremias autem declarat hoc eue-
[Thren. 4.] niſſe, dicens: *Manus mulierum miſerabilium aggreſſa*
filios ſuos. Quamquam autem peccata illorum qui
peccauerant elocutus eſſet, & vltionem in mediũ
adduxiſſet, ne ſic quidem illos ex his iudicat di-
gnos qui ſeruentur. Vide bonitatem famuli. Si-
quidem hic quum oſtendiſſet quòd nondum di-
gna meritis eſſent perpeſſi, nec his, quæ multa li-
cet pertulerant,diſſoluiſſent quæ pro cõmiſſis de-
debant,mox cõfugit ad Dei miſericordiam, & ad
ſolitam illius bonitatem erga genus humanum,di-
cens:Et nunc domine qui eduxiſti populum tuum
è terra Ægypti,& feciſti tibi nomen,vt hic eſt dies,
peccauimus,iniquitatem fecimus. Et quemadmo-
dum illos,inquit,non ex ipſorum benefactis ſaluos
feciſti,ſed afflictionem videns, & anguſtias, & cla-
morem illorum exaudiens:ſic & nos libera à præ-
ſentibus malis,propter ſolam bonitatem tuam er-
ga genus hominum. Nam aliud nullum habemus
ius ſperandæ ſalutis.Hæc locutus,multaque lamẽ- B
tatus, mox inducit ipſam ciuitatem ceu mulierem
aliquam captiuam,& ait:Oſtende faciẽ tuam ſuper
ſanctificationem tuam,inclina aurem tuam,&audi,
aperi oculos tuos,& vide interitum noſtrum ciui-
tatijſq; tuæ,in qua inuocatum eſt nomen tuũ ſan-
ctũ.Poſteaquàm circũſpectis hominibus neminem
vidit qui poſſit Deum reddere propitium,ad ædifi-
cia confugit,& ciuitatem ipſam obijcit, eiuſq; de-
ſolationem ponit ob oculos, atque ad hæc deflexo
ſermone Deum propitium reddit. Id perſpicuum
eſt ex his quæ ſequuntur. Verùm quod dicebam:
oportet enim ad id quod erat propoſitum reuerti,
quando hæc obiter interiecta ſunt,nõ ſimpliciter,
neque temerè,ſed vt animos veſtros aliquantiſper
refocillarem ex perpetuis contentionibus fatiga-
tos. Age redeamus igitur vnde digreſſi hæc dixi-
mus,demonſtremuſque quòd ea quæ Iudæis erant
euentura,diuinitus prædicta ſunt illis exactè ple-
neque. Iam enim duas captiuitates ſermo noſter
demonſtrauit illis accidiſſe,quemedmodum à pro-
phetis erat prædictum,idque non caſu,neque præ- C
ter expectationem.Supereſt vt vbi tertiam adiece-
rimus,de hac qua nunc tenentur dicamus, docea-
muſque perſpicuè,quòd nullus propheta promiſit
illis futurum, vt vllo pacto ab his malis, in quibus
nunc ſunt,ſoluantur aut liberentur. Quæ eſt igi-
tur tertia? Quæ facta eſt ſub Antiocho cognomẽto
Illuſtri.Nam Alexander Macedonum rex,vbi Da-
rium Perſarum regem deuiciſſet, in ſeſe tranſtulit
imperium.Hoc autem extincto,quatuor poſt illum
reges ſucceſſerunt, è quorum vno prognatus An-
tiochus longo poſt tempore & templum incendit,
& ſancta ſanctorum deuaſtauit,& ſacrificia ſuſtulit,
& Iudæos ſubegit,denique totam illorum religio-
nem ac ritus deſtruxit.Et hæc omnia ad vnum vſ-
que diem exactiſſimè prædicta ſunt à Daniele, &
quando hæc eſſent futura,& quomodo,& à quo, &
qua ratione, & vbi finem acceptura, & quam tan- D
dem mutationem ſortitura. Hoc autem euiden-
tiùs perſpicietis , vbi viſionem ipſam audieritis
quam ſub ſimilitudinis inuolucro propoſuit pro-
pheta, arietis vocabulo deſignans Darium regem
Perſarum:hirci verò Græcorum regem, videlicet
Alexandrum Macedonem:quatuor cornua vocat
eos,qui poſt illum extiterunt: poſtremum cornu
ipſum ſignat Antiochum. Quin præſtat ipſam au-
[Dan. 8.] dire viſionem.*Vidi*,inquit,*viſionem,& ſedebam in Vbal*:
(Vbal locum quempiam dicit, Perſarum lingua ſic
illum appellans.)*Et ſuſtuli oculos meos, & vidi, & ecce*
aries vnus ſtans in Vbal,& erant illi cornua excelſa,& vnum
excelſius cæteris, & excelſum illud perueniens vſque ad ex-
trema:& videbam arietem mouentem cornu contra mare,
& Boream, & Notum, & omnes beſtiæ non ſteterunt in
conſpectu eius, nec erat qui eriperet de manu illius, &
faciebat iuxta voluntatem ſuam, & magnificatus eſt, &
ego intelligebam. De potentia loquitur Perſica, quæ A
peruaſit totam terram.Deinde de Alexandro Ma-
cedonum rege loquens,dicit:*Et ecce hircus caprarum* [Dan. 8.]
venit ab Auſtro ſuper faciem vniuerſæ terræ, & non tange-
bat terram,& hirco illi prominebat cornu in medio oculorum
ipſius.Deinde narrans congreſſum Alexandri cum
Dario,eiuſque victoriam viribus partam: *Venit*,in- [Ibidem.]
quit, *hircus vſque ad arietem habentem cornua, & effe-*
ratus eſt in eum, & percuſsit arietem, (dicendum eſt
enim compendio)*& contriuit vtrumque cornu illius,nec*
erat qui eriperet de manu illius. Poſt hæc narrans mor-
tem Alexandri & quatuor regum ſucceſſionem, &
quum hic inualeſceret,inquit:*contritum eſt cornu ma-* [Ibidem.]
gnum,& exorta ſunt quatuor cornua ſub illo,ad quatuor vẽ-
tos cæli.Hinc tranſiens deinceps ad Antiochi regnũ
venit,& declarãs quòd ex horum vno ſit ortus, ſic
fere ait. *Ex vno prodijt cornu validum, & exaltatum eſt* [Ibidem.]
vehementer , ſupraq; modum ad Notum & Orientem:
deinde deſignans, quòd Iudaicam ditionem fundi-
tus deſtruxit:*Poſt hæc*,inquit, *per eum ſacrificium tur-* [Ibidem.]
B *batum eſt delicto*.Et factum eſt,& ſucceſſit illi proſpe-
rè,& ſanctum deſolabitur, & datum eſt contra ſa-
crificium peccatum,altari ſublato,ſanctis concul-
catis idolum ſtatuit intus,& hoſtias immolauit dæ-
monibus impijs, & proiecta eſt in terram iuſtitia,
propter mala quæ fecit. Et ſucceſſit illi proſperè.
Deinde repetens denuò hanc eamdem, quæ ſub
Antiocho Illuſtri facta eſt, captiuitatem, excidiũ-
que ac deſolationem templi, etiam ipſum tempus
addidit.Exorſus denuò ab Alexandri regno vſque
ad finem libri,commemorans obiter & omnia quæ
Ptolemæi & Seleuci confligantes inter ſeſe fece-
runt,quæque horum ductores geſſerunt,dolos, vi
ctorias,exercitus,pugnas nauales,prælia pedeſtria:
deinde progreſſus in Antiochum deſinit iterũ, di-
cens:Brachia,ex ipſo exorientur,& prophanabunt
ſanctum, & transferent continuationem (Conti- [iuge ſacrificium.]
nuationem appellans ſolẽnes & quotidianas victi-
mas) & inferent in illam abominationem, & eos
qui violant teſtamentum, hoc eſt, præuaricantes
Iudæos adducent in ruinas, ſecum habebunt ac
C transferent, & populus cognoſcens Deum ſuum
præualebit:Machabæorum res ſignificans,quæ ac-
ciderunt ſub Iuda,& Simone,& Ioanne:&prudẽtes
populi intelligent ad multa, & infirmabuntur in
gladio & flamma: nimirũ iterum narrãs incendiũ
ciuitatis & in captiuitate & in direptione dierum,
& quum infirmati fuerint, adiuuabuntur adiuto-
rio paruo:ſignificans quòd in medijs illis malis po-
terunt reſpirare,& emergere ex afflictionibus,qui-
bus inuoluti ſunt. *Et adiungentur illis multi in ruinis,* [Dan. 11.]
& ab intelligentibus infirmabuntur. His autem verbis
ſignificat futurum, vt multi etiam ſtantes cadant.
Deinde cauſam etiam aperit, ob quam permiſit
Deus illos in tantis malis verſari. Quænam eſt ea?
vt intendant, inquit,in illis, & eligant ac dealbent
vſque ad terminum temporis. Propter hæc enim,
inquit,hæc permiſit Deus,vt eos repurgaret,oſten-
D deretque qui eſſent inter illos probati. Deinde
commemorans regis illius potentiam , ait: Vt fa-
ciat iuxta voluntatem ſuam, & exaltabitur, & ma-
gnificabitur. Mox blaſphemum illius animum
ſignificans , addit: *Aduerſus Deum deorum*, inquit, [Ibidem.]
loquetur ſuperba , & proſperabitur donec conſummet
iram:declarans quòd non ex proprio conſilio,ſed
propter iram Dei aduerſus Iudæos ille ſic inua-
luerit.Tandem vbi dixit quanta mala per alios cõ-
plures facturus eſſet,tum Ægypto,tum Palæſtinæ,
quomodo rediturus ſit,& quo vocante, & qua vr-
gẽte cauſa: poſtea narrat earum rerum commu-
tationem : præterea quòd Iudæi poſteaquàm
per hæc omnia pœnas dederint, nanciſcentur
aliquod auxilium , miſſo angelo in illorum ſub-
ſidium. *In tempore enim illo*, inquit, *experietur Mi-* [Dan. 12.]
chael princeps magnus , qui præfectus eſt filijs populi
tui, & erit tempus afflictionis, quale non fuit ex quo gen-

A *tes fuerunt in terra, vſque ad tempus illud, & in tempore illo ſalua fiet omnis multitudo, quæ reperietur deſcripta in libro*, hoc eſt qui digni ſunt ſalute. Verùm ne nunc quidem adhuc demonſtratum eſt de quo fuit inſtituta quæſtio. Quid autem hoc eſt? Videlicet quòd illis etiam tempora præfinierit in his malis, velut illic, annos quadringentos, & poſtea ſeptuaginta. Videamus igitur, an his quoque præfiniat tempus aliquod. Vbi verò licebit hoc inuenire? In his quæ poſt hæc dicentur. Quoniam enim audierat multa magnaque mala, ciuitatis incendium, ſubuerſioné, familiarum captiuitatem, poſtea deſiderat finem illorum diſcere, & quæ futura ſit earum calamitatum commutatio. Percontans autem loquitur hũc in modum: *Domine quis eſt iſtorum finis? Et dixit: veni huc Daniel, quoniam ſignati ſunt ſermones*: videlicet rectè ſignificans obſcuritatem eorum, quæ dicerentur vſque ad temporis finem. Mox cauſam aperiens quare iſta permiſerit euenire mala, *donec eligantur*, inquit, *& dealbent, & igni examinentur multi, & iniquè agent iniqui, & intelligent omnes impij, & cordati intelligent*. Deinde quãto tempore ſint illos cõ-

B triſtatura hæc mala prædicens, ait: *A tempore tranſmutationis endelechiſmi*. Sic autem vocabatur quotidianum ſacrificium. Nam hoc perpetuum eſt, frequens, & continuum. Erat autem mos Iudæis & veſperi, & ſub aurorã, & ſingulo quoq; die ſacrificiũ offerre Deo. Atque hac de cauſa ſacrificium illud endelechiſmum, id eſt, aſſiduitatem ſiue continuationem vocabant. Itaque veniens Antiochus hũc morem ſuſtulit, & immutauit: hoc eſt quod ait angelus: A tempore tranſmutationis endelechiſmi, hoc eſt, à tempore quo commutabitur hoc ſacrificium. Sunt autem *dies mille ducenti, & nonaginta*, hoc eſt, tres anni cùm dimidiato, ac paulò amplius. Deinde quòd tum eſſet futurus horum malorum finis ac terminus, ſubijcit: Beatus qui ſuſtinuerit ac peruenerit vſque ad dies mille, trecentos, & triginta quinque, ducentis nonaginta addens quadra-

C ginta quinque. Quoniam enim in menſe, & dimidio menſis accidit vt fieret ille conflictus, in quo victoria illa pura facta eſt, & omnium malorum vrgentium commutatio, quum ait: *Beatus qui ſuſtinuerit ad mille trecẽtos, triginta quinque*, rerum immutationem declarat. Neque ſimpliciter dixit qui peruenerit, verùm quoniam multi eorum qui impietatem perpetrarant, viderunt commutationem, non eos ſimpliciter dixit beatos, ſed eos qui teſtimonium præbuerant in diebus afflictionum, nec à pietate deſciuerant, ac deinde conſecuti ſunt relaxationem, nec amplius patiebantur, quæ meritò patiebãtur, qui nõ perdurarant in tempore certaminis ac probationis bonorũ ac malorũ, vt inſtabiles in bono, temporarijſque amici reperirentur. Eoque non ſimpliciter dixit, qui peruenerit: ſed, ſuſtinuerit & peruenerit. Agè, quid his eſſe poteſt dilucidius? Vides vt non vſque ad annum vnum,

D aut menſem, ſed vnum vſque diẽ ſumma cura & captiuitatem, & captiuitatis ſolutionem prædixerit propheta. Atq; vt ſciatis quòd hæc non loquor ex coniecturis, agè proferamus & alium teſtem eorũ quæ dicta ſunt, quem illi grauiſſimũ habent authoram, Ioſephum loquor: qui calamitates illorũ tragicas deſcripſit, ac vetus teſtamẽtum omne veluti paraphraſi fuſius explicauit: qui fuit poſt Chriſti aduentum, & captiuitatem à prophetis prædictam commemorans, de hac quoque diſſeruit. Danielis viſionem enarrans, de ariete, de hirco, de quatuor cornibus, de poſtremo poſt illa exorto. Et ne quis habeat ſuſpecta quæ à nobis dicta fuerint, agè referamus & illius verba. Quum enim laudaſſet Danielem, ſupraque modum extuliſſet, cæteris omnibus prophetis anteponens, ad hanc venit viſionẽ, ac dicit: Reliquit autem nobis ſuorum ſcriptorum monumẽta: vnde nobis huius prophetiæ exactam & ineuitabilem certitudinem præſtitit. Ait enim,

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem. τρία ἥμισυ ἔτη.

Iudaicæ antiquitatis li. 8. cap. 14.

Suſis, quæ Perſidis eſt metropolis, quum exiſſet in campum cum ſocijs ſuis, ſubito terræmotu cõcuſſioneque oborta, deprehenſum fuiſſe ſolũ fugientibus cæteris; & ipſe quidem turbatus pronus in faciem concidit, innixus ambabus manibus: dein vbi quiſpiam tangeret eum interea, iuberetque ſurgere ac videre quæ poſt multas ætates ciuibus eſſent euentura, erecto monſtratum ait fuiſſe arietem ingentem, cui multa quidem enata ſunt cornua, ſed horum poſtremum excelſius fuiſſe cæteris. Deinde ſuſtuliſſe oculos ad occaſum, vidiſſeq; hircum, qui per aerem impetu ferebatur. Hunc cõgreſſum fuiſſe cum ariete, & cornibus inuolutum bis eũ in terram deieciſſe, conculcaſſeque. Atque hircum fuiſſe viſum excelſiorẽ, è fronte producentẽ cornu maximum, non adglutinatum, ſed agnatum. Quatuor autẽ ad ſingulos obuerſa ventos, ex his aliud minus exortũ fuiſſe ſcripſit, quod increuit. Dicebat autẽ qui illi hæc oſtendebat Deus, futurũ vt gens ipſius bellũ agerет, ac ciuitatem vi ſubuerteret, templum confunderet, ſacra prohiberet: futurum autem ad dies mille, ducentos, nonaginta. Hæc quidem vidit in campo iuxta Suſas Daniel, quæ ſcripſit. Declarat autem quòd Deus expoſuerit quid ſibi vellent quæ per viſum apparuerãt, videlicet quòd aries indicaret regna Perſarũ ac Medorum, cornua verò reges futuros, extremũ autem ac poſtremò natum regẽ eſſe, qui hos omnes præceſſurus eſſet, tũ opibus, tum gloria. Cæterũ hircus ſignificabat & ex Græcis oriturum regem, qui bis congreſſus cum Perſa prælio ſupperaret, ablaturus vniuerſum illius principatum. Significatum autem fuiſſe per magnum cornu, quod erat in frõte hirci, primum regem, & quatuor illorum exortũ. Exciſo autem illo ſignificari, iuxta quatuor cornua ſingulorum ſucceſſorum exortum poſt mortem primi regis, foreque vt regnum illius inter multos diuideretur, quandoquidem primus ille nec filios, nec fratres eſſet habiturus, eoſque pluribus annis regnaturos in orbe terrarũ. Ex his rurſus exoriturum regem quẽdã, qui expugnaturus eſſet & leges illius gentis, religionem ac ritus ſublaturus, tum ſacrilegio ſpoliaturus templum, ac per triennium vetiturus fieri ſacra. Hæc ſanè iam euenerunt omnia. Paſſi ſunt iſta Iudæi ab Antiocho, cui cognomen Illuſtri, ſicut Daniel multis antè annis præuiderat, ſcripſitque euẽtura. Agè quid his poſſit eſſe euidentius? Nunc tempus eſt, niſi videmur eſſe moleſti, vt ad id quod quærebatur, reuertamur, cuius gratia hanc præſentem captiuitatẽ ac ſeruitutem, reliquaque omnia hodie mouimus. Agedum igitur nunc vigilantibus animis auſcultate. Non enim nobis de rebus vulgaribus certamẽ eſt. Abſurdum enim fuerit alios in certaminibus Olympiacis quotidie à medio noctis vſque ad meridiem perdurare, expectantes vt videant, cui ceſſura ſit corona, nudoque capite excipere ſolis radios, nec prius abſcedere, quàm de certamine fuerit pronuntiatum: nos verò nunc quum certamen ſit non de tali corona, ſed de corona immortali, defatigari ac tædio affici. Itaque quòd tres captiuitates prædictæ fuerint antequam acciderent, vna quæ annos habebat quadringentos, altera ſeptuaginta, tertia tres ac dimidiatum, hactenus ſatis eſt nobis demonſtratum. Agè ſupereſt vt & de hac loquamur. Quòd autem de hac vaticinatus ſit propheta, rurſus eundem Ioſephum adducamus teſtẽ, qui res Iudaicas optimè nouit. Poſtquàm enim illa dixerat, audi quid poſt ſubijciat: Eodem autem, inquit, modo Daniel & de Romanorum principatu ſcripſit, quodque ab illis tollenda eſſet Hieroſolyma, ac deſolandum templum. Tu verò illud mihi conſidera, quòd tametſi Iudæus eſſet Ioſephus, tamen veritus eſt veſtram imitari peruicaciam. Etenim quum dixiſſet ſubuertendã eſſe Hieroſolymam, non auſus eſt addere quòd eſſet reſti-

A tuenda, neque tempus aliquod certum præſcribere: ſed quoniam ſciebat, prophetam nō præfiniſſe tempus, quamquam ſuperiùs enarrans Antiochi victoriam ac deſolationē, & dies, & annos expreſſerat, quantumq́; temporis eſſet duratura, de victoria Romanorum nihil iſtiuſmodi locutus eſt: tantū hoc ſcripſit, quòd eſſet in ſolitudinem redigenda Hieroſolyma, templumq́ue diruendum. Cæterùm quòd eſſet aliquando venturus finis deſolationis, non addit, eò quòd videret ne prophetam quidem hæc addidiſſe. Hæc autem omnia, vt ait, Chriſto monſtrāte conſcripta reliquit: vt qui legerint, & eueniſſe conſpexerint, Danielem admirentur ob honorem illi à Deo habitum. Vbi igitur dixerit Daniel, fore vt templum redigeretur in ſolitudinem, nos deinceps conſideremus. Nam vbi precationem illam in ſacro & cinere perfecerat, Dan. 9. venit ad eum Gabriel, & ait: *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper ciuitatem ſanctam.* Ecce hic, inquit aliquis, & tempus expreſſum eſt. Tempus, nō captiuitatis, ſed poſt quā- B tum temporis eſſet reditura captiuitas. Poſſumus & aliud tempus dicere, quamdiu eſſet duratura captiuitas, rurſum tempus poſt quod eſſet ventura. *Septuaginta*, inquit, *hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum:* non ait, ſuper populum tuum, non ſuper populum meum. Atqui propheta dixerat, oſtende faciem tuam ſuper populum tuum, ſed Deus illum poſthac pro alieno ducit, propter futuram audaciam. Ibid. Mox & cauſam exprimit: *donec inueteraſcat delictum, & conſummentur peccata.* Quid eſt hoc, donec conſummentur peccata? Multa, inquit, peccāt, ſed malorum finis tunc erit, quum dominum ſuum occiderint. Math. 23. & hoc dixit Chriſtus: *Implete menſuram patrum veſtrorū.* Seruos occidiſtis, addite & herilem ſanguinem. Vide quomodo concordant ſentētiæ. Chriſtus dixit, implete: Propheta ait, conſummetur delictum, & ſignentur peccata. Quid enim eſt, ſignentur? ne quid præterea reliquum fiat, & adducat iuſtitiam ſempiternam. Quid eſt autem æterna iuſtitia, niſi quæ à Chriſto data eſt? Et donec C propheta quoque ſignet viſionem & inungatur ſanctus ſanctorum: hoc eſt, ſiſtere oportet poſthac prophetias: hoc enim eſt ſignare, ſiſtere vnctionem, ſiſtere viſionem. Luc. 16. Ideò Chriſtus dixit: *Lex & prophetæ vſque ad Ioannem.* Vides vt hæc omnino minentur deſolationem, ac ſcelerum malefactorumq́ue vindictam? Non enim indulturum ſe, ſed incubiturum peccatis illorum, minatur Deus. Quādo tandem hoc factum eſt? quando prorſus ſublatæ, quando vnctio ſic eſt ſublata, vt numquam ſit reditura? Et ſi nos ſileamus, ipſi lapides clamabunt, adeò manifeſta eſt ipſa rerum vox, nec enim poſſunt aliud tempus proferre, quo hæc geſta ſunt, quàm hoc longum ac magnum, ſed maius etiam futurum. Poſt hæc exactius etiam de his loquens, ait: Dan. 9. *Et cognoſces, & intelliges ab exitu ſermonum, vt reſpondeas, vtq́; ædificetur Hieruſalem, donec* D *regnet Chriſtus, Hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ.* Hic mihi diligenter auſcultate, nam hic eſt totius quæſtionis cardo: hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ, conficiunt annos quadringentos octoginta tres. Nec enim hic dicit hebdomadas dierum, aut menſium, ſed annorum. Nam à Cyro vſque ad Antiochum, qui dictus eſt Illuſtris, & captiuitatem illam, ſunt anni trecenti nonaginta quatuor. Itaque declarās quòd non de captiuitate ſentiat, quæ fuit ſub Pompeio, Veſpaſiano & Tito, vlterius profert tempus: mox docens nos, vnde oporteat ſupputare, demonſtrat non eſſe numerandum à die reditus. Sed vnde tandem? Ibid. *Ab exitu ſermonum, vt reſpondeas, & ædificetur Hieruſalem.* At non fuit extructa ſub Cyro, ſed ſub Artaxerxe, cognomento Longimano. Poſt deſcenſum enim rurſum aſcendit Cambyſes, deinde Magi, poſt hos Darius Hyſtaſpæ filius, deinceps

A Xerxes Darij filius, poſt hunc Artabanes, poſt Artabanē Artaxerxes Longimanus imperauit Perſidi. Et dum hic regnum obtineret, anno vigeſimo regni illius Neemias reuerſus ciuitatem inſtaurauit, & hæc Eſdras accuratiſſimè deſcripſit. 2. Eſdr. 2. Nos igitur hinc quadringentos octoginta annos numeremus, & haud dubiè veniemus ad hanc ſubuerſionem. Eoq́ue dicit: Dan. 9. *Ædificatur platea & murorum ambitus.* Quum igitur, vt ait, reſtituta fuerit, ſuumq́ue ſtatum receperit, ex hoc ſupputa hebdomadas ſeptuaginta: vide hanc captiuitatem nondum ſortitam finem eſſe. Atque hoc ipſum euidentius etiam aperiens, quòd mala quibus nunc tenentur, non ſunt habitura finē, ad hunc fermè modū loquitur: Poſt hebdomadas autem ſeptuaginta abolebitur vnctio, & iudicium non erit in ea, & ciuitatem, & ſanctum perdet, cū eo qui præcedit, & vēturus eſt: & concidentur tamquā in diluuio, neq; ſupererūt reliquiæ, neque radix quæ repullulet, & vſque ad finē belli abbreuiati internecionibus. Rurſus lo- B quens de hac captiuitate, dicit: Ibid. *Tolletur ſacrificiū & libamen*, ac præterea, *ſuper templum abominatio deſolationis, conſummatio dabitur ad deſolationem.* Heus Iudæe, audis cōſummationem, quid adhuc ſupereſt quod expectes? Rurſus poſt hæc. quid autem eſt, poſt hæc? hoc eſt, præter hæc quæ dicta ſunt, poſt ſacrificiorum & libaminis ſublationem, & aliud maius accedet malum. Quódnam hoc dicis? Super templum abominationis. Hieron enim vocat templum, abominationem autem deſolationis vocat ſtatuam quam collocauit in templo, is qui ceperat ciuitatem. Et vſque ad conſummationem, inquit, deſolationis. Quam ob rem dicit Chriſtus, qui iuxta carnem fuit poſterior Antiocho Illuſtri, vaticinans imminens vrbis excidium, ac declarans quod de hac prædixerit Daniel: Math. 24. *Quum*, inquit, *videritis abominationem deſolationis, de qua locutus eſt Daniel propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit intelligat.* Quoniam enim omne ſimulachrum & hominis effigies apud Iudæos appellabatur abominatio, re- C ctè ſignificans ſtatuam illam, ſimul aperuit & quo tempore, & ſimul quo rege captiuitas eſſet ventura. Quòd autem de Romanis hæc dicta ſunt, & ipſe Ioſephus, quemadmodum antè docuimus, aſſeuerauit. Quid igitur vobis reliquum eſt quod loquamini? Quum reliquas captiuitates prædicunt prophetæ, certum & præfinitum tempus expreſſerunt: in hoc nullum tempus præfiniunt quin potius contrarium addunt, videlicet captiuitatem vſque ad conſummationem duraturam. Porrò quòd hactenus dicta vana non ſint, agè à rebus etiam ipſis exhibeamus teſtimonium. Nam ſi Iudæi numquam tentaſſent ædificare templum, dicere poterant: Si voluiſſemus aggredi tēpli inſtaurationem, omnino potuiſſemus, & perfeciſſemus. Nunc autē res ipſa demonſtrat eos non ſemel, aut bis, ſed ter aggreſſos, & impetum feciſſe, non aliter quàm fit D in certaminibus Olympiacis, vt nulli dubium eſſe poſſit, quin eccleſiæ ſit victoria. Qui enim igitur hoc aggreſſi ſunt? Nimirum illi qui ſemper reſiſtūt Spiritui ſancto, qui res nouas moliuntur, qui ſeditiones concitant. Poſt deuaſtationem quæ facta fuit ſub Veſpaſiano ac Tito, ſub Adriano mota ſeditione conati ſunt priſtinam rempublicam inſtaurare, haudquaquam intelligētes quòd arbitrio Dei bellum gereretur, iubentis in perpetuum eam ciuitatem deuaſtari. Porrò Deo bellante ſuperare impoſſibile eſt. Impetu igitur facto in Cæſarem, rurſus eum adegerunt, vt funditus deleret ciuitatem, deuictis ac ſubactis illis: omnibuſq́ue reliquijs abolitis, ne in poſterum poſſent impudenter agere, ſtatuam ſuam in loco collocauit. Deinde ſciens futurum vt illa tempore collaberetur, quo illius victoriæ notam immedicabilem inureret & illius impudentiæ monumentum, nomen ſuum ciuitatis ruinis impoſuit. Quoniā enim ipſe dicebatur

Iudæi conātes reædificare Ieruſalē impediūtur.

Hieroſolyma dicta Aelia

A Ælius Adrianus, ideò & ciuitati nomen Æliæ iuſſit imponi, inde & Ælia dicitur, in hodiernum vſque diem, cognomine euictoris & euerſoris. Poſt hunc ſub Conſtantino rurſus eadem aggreſſi ſunt. At ille amputatis illorum auriculis, ac rebellionis ſigno impreſſo corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia ac verberones, corporibus mutilatis conſpicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erãt ſparſi, erudiens, ne in poſterum eadẽ conarentur. Sed hæc, inquient, priſca & obſoleta. Imò hoc potius notum eſt etiã ijs qui inter vos ſunt ſeniores. Quiddam etiam dicturus ſum, valde iuuenibus clarum ac perſpicuum. Non enim geſtum eſt ſub Adriano, aut Conſtantino, ſed ſub Imperatore qui fuit ætate noſtra ante annos viginti. Etenim cùm Iulianus qui imperatores omnes ſuperauit impietate, vocaret illos ad ſacrificandum idolis, & ad ſuam impietatem pertrahere conaretur, ac mox obijceret illis priſcum culturæ ritum, dicẽs: A veſtris maioribus Deus hoc modo cultus eſt, etiã
B nolentes tum fatebantur hæc quæ nos nunc demonſtrauimus, quòd fas nõ eſſet extra ciuitatẽ immolare victimas: ſed totã, inquiebant, religionem violant, quicumq; ſacrificant in terra aliena. Proinde ſi vis nos videre ſacrificãtes, redde nobis ciuitatẽ, reſtitue tẽplum, exhibe nobis ſancta ſanctorũ, colloca aram, & ſacrificabimus nunc quemadmodum olim. Nec puduit ſceleratos & effrõtes hæc poſcere á viro impio paganoq;, & impuras manus vocare ad extructionem ſanctorum: nec intelligebant ſe conari impoſſibilia, neque perpendebant, quòd ſi homo illa demolitus eſſet, potuiſſet homo illis ea reſtituere. Verùm quum Deus eſſet qui ciuitatẽ illorum ſubuerterat, fieri nequaquam potuit, vt quæ Deus decreuerat, vmquam verteret humana potẽtia. Nã quæ Deus ſanctus, inquit, ſtatuit, quis diſſipabit? ac manũ illius excelſam quis auertet? Sicut enim quæcumque ille ſtabilierit, volueritque manere, nullus homo poteſt demoliri, ita quæcumq; deſtruxerit, volueritq; manere diruta, nemo poterit inſtaurare. Verùm eſto ſanè, templum reddiderit,
C aram prorſus erexerit, quemadmodum vos fruſtrà potuiſſe fieri ſuſpicamini: num & ignem cæleſtem è ſublimi poterat vobis demittere? qui ſi defuiſſet, impium & impurum fuiſſet ſacrificium. Ob

Leu. 10.

hoc enim perierunt filij Aaron, quòd ignẽ alienũ induxerint. Nihilominus ad omnia obcæcati, obſecrabant ac ſupplicabant, vt cum ipſis ſuſciperet & aggrederetur inſtaurationem templi. At is qui & pecunias impendit, & præfectis dedit negotiũ, viros primates & artifices vndequaq; accerſiui iuſſit, nihil non fecit, nihil nõ tẽtauit, paulatim ac ſenſim hoc agens, ſperanſque futurum, vt ſi poſſet illos ad ſacrificandum inducere, facilè illos reuocaret ad cultus ſimulachrorum. Simul & illud fore ſperabat inſanus ille ac vecors, vt Chriſti ſentẽtiam fruſtraretur, quæ non patitur templum illud
D inſtaurari. Verùm is qui comprehendit ſapiẽtes in ipſorum aſtutia, protinus ipſis factis declarauit illi, quòd Dei decretum omnibus eſt potentius, quodque valida ſunt opera ſermonum Dei. Nã ſimulatque tentaſſent hunc impium conatũ, cæpiſſentq; nudare fundamenta, multamque terram exhauſiſſent, reſtaretque vt iam ſtructuram aggrederentur: protinus ignis exiliens è fundamentis exuſsit multos, & intempeſtiuam pertinaciam interrupit. Hæc vbi reſciuit Imperator, quamquam veſania deditus erat illi negotio, veritus tamen ne vltra progreſſus in ſuum ipſius caput ignem accerſeret, deſtitit, extinctus cum tota gente. Et nunc ſi redeas Hieroſolymam, conſpicies nuda fundamẽta: quòd ſi cauſam quæras, haud aliam, quàm hanc audies. Huius rei nos omnes teſtes ſumus. Noſtra enim ætate hæc non ita pridem acciderunt. Iam conſidera victoriam inſignem. Non hoc accidit ſub pijs

A Cæſaribus, ne quid dicere poſsint, quòd Chriſtiani ſuperuenientes opus perfici vetuerunt, ſed tum quum res noſtræ afflictæ, quum omnes de vita periclitaremur, quum omnis libertas eſſet ſublata, quum floreret paganiſmus, quum fideles alij quidẽ in ædibus ſuis latitabant, alij verò in ſolitudines demigrarãt, foraque fugerant, tũ demum hæc acciderunt, ne qua iſtis vel impudens reliqua fieret occaſio tergiuerſandi. Etiámne adhuc dubitas Iudæe, quum perſpicias & ex Chriſti prædictione, & ex prophetarum vaticinijs, & ex ipſarum rerum demonſtratione teſtimonium aduerſus te confirmatum? Verùm nihil mirum eſt. Iſtiuſmodi quippe fuit tua natio, ab initio effrons & peruicax, ſemperque rebus euidentibus repugnare ſolita. Vultis vt & alios prophetas in vos armemus, qui hoc ipſum apertè dicunt, futurum quòd veſtra ditio, veſtraque religio finem eſſet ſortitura: noſtra contrà effloritura, totoque terrarum orbe proroganda, Chriſti præconium, aliudque ſacrificiorum ge-
B nus inducendum, ijs quæ apud vos fuerunt, abrogatis? Audi Malachiam, qui cæteris prophetis fuit poſterior: nondum enim Eſaiæ aut Hieremiæ produco teſtimonium, neque cuiuſquam aliorum qui præceſſerunt captiuitatis tempus, ne dicere poſsis quòd hæc mala quæ prædixerunt, acciderunt in captiuitate: ſed adduco prophetam qui fuit poſt reditum è Babylone, ac poſt ciuitatis inſtaurationem, deque rebus noſtris apertè vaticinatus eſt. Etenim poſteaquàm redijſſent, ac reſtituta ciuitate templum extruxiſſent, hanc præſentem deſolationem narrans, futuramque ſacrificiorum ſublationem, hoc fermè pacto ſub perſona Dei loquitur Malachias: *Accipiam facies veſtras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab ortu ſolis vſque ad occaſum, nomen meum glorificatum eſt inter gentes, & in omni loco ſacrificium offertur nomini meo, & ſacrificium purum. Vos autem profanaſtis illud.* Quando hæc euenerunt Iudæe? Quando in omni loco incenſum oblatum eſt Deo? Quando ſacrificium purum? Non poſsis aliud proferre tempus, quàm hoc, poſteaquàm

Mala. 1.

C Chriſtus aduenit. Quod niſi de hoc tempore prædixit, niſi de noſtro ſacrificio vaticinatus eſt, ſed de Iudaico, etiam legi repugnat prophetia. Nam cum Moyſes vetet vllo alio in loco ſacrificium fieri, præterquam in eo quem elegit Dominus Deus, cumque ille in vnum locum ſacrificia illa concluſerit: nimirum propheta dicens, quòd in omni loco incenſum adolendum ſit, ac ſacrificium purũ, aduerſatur ac repugnat Moyſi. Verùm nulla eſt inter illos pugna, neque diſſenſio. Ille de alio locutus eſt ſacrificio, & hic de alio pòſt vaticinatus eſt. Vnde hoc declaratur? Tum ex his quæ dicta ſunt, tum ex alijs plurimis ſignis. Ac primum ex ipſo loco. Non enim alijs vna ciuitate, quemadmodũ ſub Iudæis, ſed ab exortu ſolis vſque ad occaſum prædixit hanc culturam eſſe celebrandam. Præterea ex ſacrificij modo, ſi quidem purum illud appel-
D lans, declarauit de qua loqueretur. Deniq; à perſonis offerentium. Nõ enim dixit, in Iſrael, ſed in gẽtibus. Ac ne putares quod in vna duabúſve, aut tribus ciuitatibus hoc culturæ genus inſtaurandũ eſſet, nõ ſimpliciter dixit in omni loco, ſed ab ortu ſolis vſq; ad occaſum: demonſtrans quòd quantũ terræ ſol aſpicit, tantundem Euangelium eſſet occupaturum. Purum autem dicit ſacrificium, quaſi prius illud fuiſſet impurum, non quidem ſuapte natura, ſed iuxta voluntatem offerentium, & ideò dixit: Incenſum abominatio eſt mihi. Quamquã & alioqui ſi quis ipſum hoc ſacrificium conferat cum illo, ingens immenſumque diſcrimen inueniet, vt iuxta comparationis rationem ſolum hoc purum dici mereatur. Quodq; de lege & gratia dixit Paulus, ne glorificatum quidem fuit, quod erat glorificatum, propter eminentem gloriam: idem & hic iure dixerimus, videlicet quòd hoc ſa-

Digitized by Google

crificium cum illo collatum ſolū dici debeat purum. Non enim per fumum ac nidorem, non per ſanguinem ac redemptionis pretia, ſed per Spiritus gratiam offertur. Audi igitur & alium prophetam hoc idem prædicentem, quòd Dei cultus non circumſcribendus eſſet loco, ſed ipſum omnes deinceps homines eſſent laudaturi. Sophonias autem ad hunc fermè modum loquitur: *Illuceſcet Dominus ſuper omnes gentes, & abolebit omnes Deos gentium, & adorabunt illum è ſuo quiſque loco.* Atqui non dixit hoc Moyſes, ſed vno in loco ſacrificari iuſſit. Cùm igitur audias prophetas hoc dicentes ac vaticinātes, quòd non in vnam ciuitatem, neque in vnum locum compellendi ſint homines, ſed ſuæ quiſque domi ſedens culturus Deum, quòd aliud poſſis afferre tempus quàm hoc præſens? Audi ſanè quo pacto & euangelia, & apoſtoli cum prophetia concordent. Hic dixit, Illuceſcet Dominus: Apoſtolus ait, *Illuxit gratia Dei ſalutaris.* Hic, inquit, ſuper gentes: Ille, ſuper omnes homines. Hic dixit, Abolebit deos gentium: Ille erudiens nos, vt abnegantes impietatem ac mundanas concupiſcentias, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus. Rurſum Chriſtus Samaritanæ dixit: *Crede mihi mulier, quòd venturum eſt tempus, quando nec in monte hoc, nec Hieroſolymis adorabitis patrem. Spiritus eſt Deus, & qui eum adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Hæc autem dicebat, ſimul & neceſſitatem tollens obſeruandi loci, & culturæ ſublimius magiſque ſpirituale genus inducens. Ex his igitur rurſum poterat demonſtrari, quòd poſthac neque ſacrificia, neque ſacerdotium, neque regnū Iudæos futurum ſit. Nam per vrbis euerſionem hæc omnia potiſſimùm ſemel probata ſunt: attamen poteramus & alios prophetas allegare, qui hoc expreſſè loquuntur: ſed video vos orationis longitudine fatigatos, vereorque ne fruſtrà temereque videar eſſe moleſtus. Quapropter polliceor me hæc alio tempore abſoluturum. Illud interim rogabo vos, vt fratres veſtros ſeruetis, ab errore reuocetis, ad veritatem reducatis. Nihil enim profuerit audiſſe, niſi facta demonſtrentur, quæ cum dictis conſentiant. Etenim quæ dicta ſunt, nō propter nos dicta ſunt, ſed propter infirmos, vt illi poſt quā hęc è nobis didicerint, & à praua cōſuetudine fuerint liberati, ſyncerum & germanum præſtent Chriſtianiſmum, fugiantque prauas Iudæorum ſynagogas, ſiue quæ fiūt in ciuitate, ſiue in ſuburbijs, ſpeluncas latronum, dæmonum habitacula. Proinde ne deſeratis illorum ſalutem, ſed omnia facientes, nihil non tentantes, ægrotos reducite ad ad Chriſtum, vt & in hoc ſeculo, & in futura vita recipiamus præmium benefactis noſtris longè maius: Gratia & bonitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum, & per quem Patri gloria, vnà cum Spiritu ſancto, nunc, & ſemper, & in ſecula ſæculorum. AMEN.

Sopho. 3. — Tit. 2. — Ioan. 4.

Eiuſdem oratio tertia, quum ſuperiori die prolixius diſſeruiſſet aduerſus Iudæos, atque hinc raucedinem vocis contraxiſſet, hanc deinceps orationem habuit.

Simile.

BEſtiæ donec in ſyluis paſcunt, & ab hominibus negliguntur, mitiores ſunt, minuſq; ſæuæ. Verùm vbi venatores eas captas in ciuitates adduxerint, atque incluſas extimularint, vt pugnent cū ijs qui beſtijs obijciuntur, protinus irruentes vbi carnem deguſtauerunt, & ſanguinem humanum biberunt, poſtea non facilè abſtinēt à talibus epulis, ſed multa cum auiditate ad eandem decurrunt menſam: Hoc ſanè & nobis vſuuenit: quoniam nunc cum Iudæis pugnam ſuſcepimus, & impetu aduerſus illorum impudentes contradictiones facto, rationes illorum ſubuertimus, omnemque celſitudinem erigentem ſeſe aduerſus cognitionem Dei, & cogitationes captiuas duximus ad paren-

A dum Chriſto, maior etiam nos cepit aduerſus illos bellandi cupiditas. Sed quid faciam? Videtis mihi vocem factam imbecilliorem, idemque mihi nunc accidere, quaſi ſi quis miles concisis aliquot ex hoſtibus, magnoque animo impreſſione facta in hoſtium cōdenſatam aciem, pluribus proſtratis, mox fracto gladio cōſternatus ad ſuos ſeſe referat. Quin potius quod nobis accidit, periculoſius eſt. Nā militi qui fregit gladium, licet ab alio quopiam aſtantium enſem eripere, ſuumque animum exerere, multamque ſtrenuitatem oſtendere. Cæterùm ſi vox laboret, nō licet ab alio vocem mutuo ſumere. Quid igitur ſuffugiemus & nos? At non permittit hoc veſtræ charitatis tyrannis ac violentia. Vereor & patris præſentiam, & veſtram reuereor promptitudinem. Proinde conabor & ea quæ ſupra vires meas ſunt. Omnia committemus & precibus huius, & charitati veſtræ. Ne verò veſtrum quiſpiam reprehendat orationem, velut intempeſtiuam, ſi cùm martyres vos hodie vocent, nos ſuperſedentes il

Dixit præſente epiſcopo.

B lorum exponere certamina, aduerſus Iudæos exiuimur. Nam & ipſis martyribus hic ſermo eſt exoptatior. Ex noſtris enim laudationibus nihil illis ſplendoris accreſcet. Quid enim egeant linguis noſtris, quorum certamina ſuperant naturam humanam, quorū præmia vim ingenij noſtri vincūt? Deriſerunt hanc vitam, conculcarunt carnificinas ac tormenta, deſpexerunt mortem, ad cælum euolarunt, erepti ſunt è fluctibus rerum humanarum, in tranquillum enauigauerunt portum, haudquaquam aurum argentúmve, aut veſtes pretioſas, ſed theſauros quos nemo poteſt eripere importantes, tolerantiā, fortitudinem, & charitatem. Nunc in Pauli chorum peruenerunt, ante coronas ſuas expectatione coronarū alacres ac geſtientes, eò quòd iā de futuro incerti eſſe deſierunt. Quid igitur iſtis opus ſit oratione noſtra? Hoc igitur argumentum illis gratius. Ex noſtris enim laudatio-

C nibus, quemadmodū antea cœperā dicere, nihil illorū gloriæ acceſſerit. Cæterū ex noſtris aduerſus Iudæos conflictationibus multum illis adiungetur gaudij, & libenter auſcultaturi ſunt maximè ſermones eos qui pro gloria Dei dicuntur. Iudæi in primis inuiſos habent martyres, quādoquidem ab illis crucifixum maximè diligunt. Nam iſti dicebant: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros:* illi verò ſanguinem proprium effuderunt eius amore, quem illi occiderunt. Hos igitur ſermones libenter audient. Ergo quòd ſi hæc Iudæorum ſeruitus finē eſſet habitura, hoc quoque prædicturi fuerint prophetæ, & nequaquam ſilentio præterituri, ſatis declarauimus: poſteaquàm docuimus omnes captiuitates, vt à prophetis prædictæ fuerant, in illos veniſſe, primùm in Ægypto, deinde in Babylone, tertiam ſub Antiocho illuſtri. Demonſtrauimus enim harū vnicuiq; & locum & tempus fuiſſe prę-

Mat. 27.

D dictum in ſacris literis. Huic verò præſenti nullus propheta præfiniuit tempus. Verùm quòd eſſet vētura, omniaque deſolatura, ditionem inſuper & religionem tranſlatura, quantoque tempore poſt reditum è Babylone ventura, prædixit Daniel. Cæterùm quòd ſit habitura finem, quodque aliquando ſiſtenda ſint iſta mala, nec ille patefecit, nec quiſquam aliorum prophetarum. Quin cōtra magis prædixit, quòd ad finem vſque duratura eſſet hæc ſeruitus. Atteſtatur his quæ diximus, & ipſum tempus, quod iam tantùm peractum eſt, nec vllum initium ad hunc vſque diem bonæ commutationis oſtendit, idque cùm crebrò iam conati ſint inſtaurare templum. Nam ſemel & iterum ac tertiò ſub Adriano, ſub Conſtantino, ſub Iuliano conatus illorum interruptus eſt. Primum quidem à militibus, rurſus ab igni promicante è fundamentis, & illorum importunam peruicaciam coercente. Iam verò lubens illos rogauerim, qua de cauſa cū tantum temporis in Ægypto verſati receperint

Digitized by Google

ſtatum ſuæ ciuitatis, ac rurſus abducti in Babylonem redierint Hieroſolymã, tertiò ſub Antiocho tam multa paſſi mala, ad priſtinum reuerſi ſint ſtatum, ac denuò ſacrificia, altare, ſancta ſanctorum, breuiter omnia cum priſtina receperint dignitate, nunc nihil ſimile factum fuerit, verùm quũ centũ anni, imò bis tantùm, imò ter, imò quater tantum, multoque amplius annorum præterierit (nam hic quingenteſimus ex eo tẽpore agitur annus) ne ſignificationem quidem vllam eius mutationis videmus alicunde apparere, ſed res illis funditus collapſas, ac ne per ſomnium quidem vllam ſpem eis oſtendi, quemadmodum prius. Etenim ſi peccata ſua obijcerent, dicentes: Quoniam peccauimus Deo, offendimuſque, ideò non recipimus noſtram regionem, & ſi qui priùs cùm à prophetis accuſarentur aſſiduè, non erubeſcebant, atque illis atrociter exprobrantibus homicidia negabant, ijdem nunc confiterentur damnarentque propria peccata: lubens de integro vnumquemque illorum interrogauerim, ob quæ tandem peccata, ô Iudæe, extra Hieroſolymam agis tanto tempore? Et quid iſtud nouum eſt aut mirum? Non enim nunc tantũ in peccatis viuitis, priùs in iuſtitia rectèque factis ſoliti viuere. Nónne iam olim ab initio in innumerabilibus peccatis verſabamini? an non innumera reprehendit in vobis Ezechiel propheta, cùm inductis duabus meretricibus Oolla & Oolliba, loquitur hunc in modum: *Lupanar ædificatum eſt in Aegypto, & inſaniſtis in barbaros, & alienos deos coluiſtis.* Quid porro? quum mare finderetur, quum petræ rumperentur, quum tot miracula fierent in deſerto, nónne vitulum adoraſtis? Nónne Moyſem nũc lapidibus impetentes, nunc alijs atque alijs modis frequenter conati eſtis occidere? Nónne adhuc perſeuerabatis blaſphemias iaciẽtes in Deũ? Nónne Beelphegor immolaſtis? nónne filios veſtros ac filias ſacrificaſtis dæmonijs? nónne omne peccatorũ genus perpetraſtis? nónne propheta vobis ſub perſona Dei loquitur: *Quadraginta annos infenſus fui generationi huic, & dixi ſemper, hi errant corde?* Quî fieri potuit, vt tũ vos nõ auerſaretur Deus, ſed poſt mactationem filiorum, poſt tantam improbitatẽ, poſt ineffabilem ingratitudinem, etiam prophetã apud vos eſſe paſſus eſt, magnum illum Moyſem, ſignaque edidit miranda ac prodigioſa, quæq; ſub alio mortalium nemine facta ſunt? Hæc inter vos contigerunt, nebula ſuper vos teſtudinis vice porrecta, columna tedæ loco vos præcedente, hoſtibus vobis vltrò cedentibus, ciuitatibus ſola propemodum voce captis, non armis vobis opus erat, non pugna, tantùm inſonuiſtis tuba, & vltrò mœnia corruerunt. Suppeditatus eſt vobis nouus quidam & inauditus commeatus, de quo clamat Propheta, dicens: *Panem cæli dedit eis, panem angelorum comedit homo.* Quibus igitur de cauſis, dicite mihi, tunc aſpernantes Deum, ſimulachris immolantes, liberos mactantes, prophetas lapidibus obruẽtes, aliaque innumera ſcelera perpetrantes, tãtam beneuolentiam eſtis conſecuti, tantam à Deo prouidentiam? Nunc verò cùm nec idola colatis, nec liberos occidatis, nec prophetas lapidetis in perpetua degitis captiuitate? Num enim tum alius erat Deus quàm nunc eſt? An non idem eſt, qui tum illa gubernabat, & qui nunc quæ fiunt operatur? Quid igitur in cauſa fuit, vt cùm grauioribus peccatis abundaretis, vberior fuerit erga vos Dei beneficentia: nũc verò quum leuiora peccetis, prorſus vos auerſetur, perpetuæque tradiderit ignominiæ? Etenim ſi vos nunc ob ſcelera reijcit, multò magis hoc tunc conueniebat facere. Quòd ſi tunc vos ſuſtinuit impiè viuentes, nunc multò magis oportebat ſuſtinere, quum nihil ſimile committatis. Quam ob rem igitur non ſuſtinuit? Si vos pudet cauſam dicere, ego dilucidè profitebor, imò potius nõ ego, ſed ipſa rerũ veritas loquitur. Poſteaquàm Chriſtum occidiſtis, poſteaquàm in dominum inieciſtis manus, poſteaquam ſanguinẽ illum pretioſum effudiſtis: propterea non eſt vobis reliqua corrigendi ſpes, neque venia, neque purgatio. Tum enim quæ per audaciam perpetraſtis, in ſeruos perpetraſtis, in Moyſem, in Eſaiam, in Hieremiam. Tũ tametſi impietas aliqua committebatur, tamen audacia nondum proceſſerat vſque ad malorum caput. Nunc autem omnia veterũ facinora veſtris ſceleribus occultaſtis, nec vobis vllum reliquiſtis locum atrociora committendi, ob inſaniã qua debacchati eſtis in Chriſtum: eoque nũc grauiores luitis pœnas. Etenim ſi hæc non eſt cauſa veſtræ reiectionis qua nunc tenemini, quare Deus veſter tum vos occidentes liberos veſtros tolerauit, nunc autem à talibus abſtinentes auerſatur? Siquidẽ occiſo Chriſto maius grauiuſq; ſcelus cõmiſiſtis, quàm ſi mactaſſetis liberos. Agedum igitur dicite mihi, etiámne poſthac ſuſtinebitis illum vocare impoſtorem ac legis transgreſſorẽ, ac non potius aliquò ſecedẽtes, vos ipſos occultabitis, qui coram oculis obtueamini tam manifeſtam & euidentem veritatem? Etenim ſi impoſtor erat Ieſus, quemadmodum dicitis, legiſque transgreſſor, par erat vt hanc etiam laudem ferretis, qui talem occideritis. Nam ſi Phinees vnico tantùm perẽpto homine, totam numinis iram aduerſus populum exardeſcentem ſedauit (*Stetit enim* inquit, *Phinees, & placauit, & ceſſauit quaſſatio*) tamque multos homines eripuit ab ira diuina vnius hominis cæde: multò magis hæc vobis oportuit accidere, ſi legis transgreſſor erat quem vos crucifixiſtis. Quur igitur, quæſo, Phinees, viro legis transgreſſore perempto, iuſtus habitus eſt, & ſacerdotio honoratus? Vos autem quum in crucem egeritis virum impoſtorem, vt dicitis, Deoque aduerſantem: quî fit vt non ſolũ non feratis laudem & honorem, verùm etiã acerbiora paſſi ſitis, quàm tum cũ filios veſtros mactaretis? An non iſtud perſpicuum eſt etiam vehemẽter tardis & hebetibus, quòd poſteaquàm aduerſus ſeruatorem ac principem orbis impiè egiſtis, talis vindicta de vobis ſumpta ſit? Et nunc ſanè abſtinetis à nefario ſanguine, & ſabbatis, tum verò ipſum etiam ſabbati diem violabatis. At ecce Deus per Hieremiam iuſſit parci ciuitati veſtrę, ſi deſiſteretis geſtare onera ſabbato. Sed hoc nunc facitis, neque tollitis onera ſabbato, attamen ne ſic quidem vobis reconciliatur ille. Nam peccatum illud veſtrum omnium erat maximum, vt iſta vobis excuſatio de peccatis, ſuperuacanea ſit. Non enim ob cætera vitæ cõmiſſa, ſed propter illud facinus eſtis in iſtis calamitatibus. Quod ni ſic haberet, Deus haud vos fuiſſet ad iſtum modũ auerſatus, etiamſi innumera alia peccata commiſiſſetis. Id quum perſpicuum ſit ex omnibus quæ dicta ſunt, ex hoc quod dicturus ſum, erit dilucidius. Quid autem eſt hoc? Audimus Deũ, crebrò per prophetas dicentẽ maioribus noſtris: Vos quidẽ eratis digni malis innumeris, at ego non facio propter nomen meum, ne profanetur inter gentes. Non propter vos ego facio domus Iſrael, ſed propter nomen meum. Senſus autem hic eſt, Eratis quidem grauioribus digni ſupplicijs ac pœnis: verùm ne quis diceret, quòd Deus quum ob inopiam virium non poſſet ſeruare, reliquit Iudæos in manibus hoſtiũ auxiliabor & proſpiciam vobis. Itaque ſi legis transgreſſor erat Chriſtus, quem vos crucifixiſtis, etiã ſi decies mille peccata commiſiſſetis, multò etiã prioribus illis grauiora, profectò propter hoc factum ſeruaſſet vos Deus, ne nomen ipſius pollueretur, ne ipſe crederetur non eſſe magnus, néve quis diceret quòd ipſius cauſa hæc pateremini. Quòd ſi videtur ob ſuam ipſius gloriam relaxare peccata, multò magis hoc nunc erat facturus, & mactationem hanc acceptã habuiſſet, ac multitudinẽ peccatorum veſtrorum deleuiſſet. Cæterùm quoniã,

Ezech 23. Exo 32. Num. 25. Pſal. 94. Pſalm. 77. Pſal. 105. Hier. 17.

Iudæos à Deo deſertos eſſe

vt ap-

A vt apparet, vos perpetuò auerſatur, palá eſt quòd per hanc iram & perpetuam derelictionem, demóſtrat etiam vehementer impudentibus, eum qui à vobis occiſus eſt, non fuiſſe tranſgreſſorem legis, ſed ipſum legis conditorem, & innumerabilium bonorum authorem vobis aduenisse. Eoque vos qui impiè feciſtis aduerſus illum, in contumelia & ignominia degitis: nos verò qui illum adoramus, honore vos omnes præcedimus, perq; Dei gratiã venerabiliores vobis omnibus ſumus & in maiore dignitate conſtituti. Et vnde liquet, inquiũt, quòd nos repulit Deus? Quæſo te, etiamnum opus eſt hoc verbis demonſtrare, cũ ipſa res clamitet, ac vocem tuba clariorem emittat, tã per vrbis euerſionem, tum per templi deſtructionem, tum per cætera omnia? Verùm homines, inquiunt, nobis hæc intulerunt, non Deus. Imò Deus iſta potiſſimũ effecit. Quòd ſi hæc hominibus imputas, illud rurſum conſidera, quòd vt homines iſta fuerint auſi, niſi Deo placuiſſet, haudquaquam potuiſſent ad effectum perducere. B Quũ igitur rediiſſet ille barbarus, totá Perſidem ſecum ducens, ſperans fore, vt vniuerſos ex inſidijs adortos caperet, ciuitatem totam velut ſagena quadam ac reti concluſam habebat: tunc demum, tuum inquam, quoniam Deus erat vobis propitius, abſq; bello, ſine cõflictu, ſine prælio centũ octoginta millibus militum interfectorum Aſſyriorũ apud vos relictis, ita fugit, vt ſatis haberet ſi ſolus euaderet incolumis. Verùm & alia bella innumerabilia frequenter iſtum ad modum iudicauit Deus: itidem & nũc niſi ipſe eſſet qui ſemel vos deſeruit, haudquaquam potuiſſent ciuitatem veſtram diruere, ac templum vaſtare, nequaquam huc vſque tanto tempore manſiſſet ſolitudinis calamitas, nequaquàm vobis ſæpe conãtibus inſtaurationem, conatus in vacuum ceſſiſſet. Iam non ex his ſolùm, verumetiam ex alijs conabor vobis facere fidem, quòd non ſuapte virtute vobis iſta fecerũt Romanorũ imperatores, ſed quia Deũ habuiſtis iratũ, qui vos deſeruerat. Etenim ſi quod geſtum eſt, humanum erat opus: oportuit veſtras C calamitates excidio finiri, nec longius proferri veſtram ignominiam. Ponamus enim iuxta veſtram ſententiam, mœnia ab hominibus fuiſſe ſubuerſa, ciuitatem dirutam, altare deiectum: num & illud ab hominibus factum quòd prophetæ ceſſarunt? num & ſpiritus gratiam ſuſtulerũt? num alia quæ apud vos fuere magnifica deſtruxerunt? velnti vocem de propitiatorio reddi, vim vnctionis, declarationẽ quæ fiebat in lapidibus ſacerdotũ: neque enim Iudaica religio origines omnes habebat ex inferioribus, ſed plures ac magnificentiores ſupernè è cælis. Hoc autem dico: Permiſit ſacrificia fieri. Altare quidem erat ex inferioribus, quemadmodum gladius & ligna, necnon ſacerdos. Cæterũ ignis venturus in adyta illa, victimaſque conſumpturus, è ſupernis habet originem. Nec enim homo inferebat ignem in templum, ſed flãma è ſublimi immiſſa ſuo miniſterio conſummabat hoſtiã. D Rurſum ſi quando cognoſcendum erat aliquid è propitiatorio, vox quæpiam è medio Cherubin prodibat, prædicens futura. Rurſus è lapidibus qui erant in pectore ſummi ſacerdotis, id vocabãt declarationẽ: relucebat fulgor quidam futura ſignificans. præterea quoties eſſet aliquis inungẽdus, deuolabat Spiritus gratia, & inſiliebat in vnguentum. Hæc autem adminiſtrabant prophetæ. Quin & nebula frequenter, & fumus adyta corripiebat. Itaque ne Iudæi perfricta fronte hominibus imputarent ſuarum rerum vaſtationem, non ſolùm ciuitatem Deus paſſus eſt dirui, ac tẽplum vaſtari, verumetiã illa quæ cælitus habebant originem, è medio ſuſtulit, videlicet ignem, vocem, è lapidibus reddi ſolitum fulgorẽ, & huius generis alia vniuerſa. Proinde cũ tibi Iudæus dixerit, homines non expugnarunt, homines inſidijs adorti ſunt, dicito illi: Profectò nequaquam expugnaſſent homines, niſi Deus hoc permiſiſſet. Verùm eſto ſanè, murum veſtrum diruerint homines, num & ignem ex alto deuehi vetuit homo? Num vocem aſſiduè propitiatorio audiri ſolitam inhibuit homo? Num declarationem in lapidibus? num ſacrã vnctionem? num cætera omnia ſuſtulit homo? An non Deus hæc omnia ſubmouit? Nemini non perſpicuum eſt, ſed qua de cauſa ſuſtulit? An non manifeſtum eſt ideo feciſſe, quòd vos odiſſet, quodque ſemel auerſatus eſſet? Nequaquam, inquiunt, ſed quoniam ciuitate caremus, ideo caremus & iſtis. Quin potius vt ex abundanti impudentia illorum ora claudamus: agè & hoc & ſcripturarum teſtimonijs demonſtremus, quòd templi apparatus non fuerit cauſa deſtructionis cæterorum à prophetis prædictæ, ſed ira Dei, & quòd magis etiam ipſum prouocarint inſanientes in Chriſtum, quã tum cùm vitulum adorarent. Nam quum vaticinaretur Moyſes, nec templum erat, nec altare, ſed quum perſiſterent in innumeris impietatibus, tamen prophetiæ donum non ceſſauit. Verùm & hic ipſe egregius vir, & alij rurſus præter hunc ſeptuaginta tum extitere prophetæ: nec id ſolum, verùm & poſt datum templum reliquamque totam culturam, deinde hoc incenſo, cunctiſque deportatis in Babylonem, rurſus extiterunt Ezechiel & Daniel, qui nec ſancta ſanctorum aſpicerent, nec altari aſſiſterent, ſed in media barbarorum regione & impurorum hominum conſortio agentes, ſpiritu repleti, futura prædicebant, idque de rebus multò tum pluribus, tum admirabilioribus, quàm præceſſerant: ac diuinam viſionem viderunt, quatenus ipſis videre licuit. Itaque dicite mihi, quam ob cauſam non habetis nunc prophetas? An non perſpicuum eſt hanc eſſe cauſam, quòd Deus vos repulerit? Sed quam ob cauſam repulit? Clarum item & hoc, quòd ob illum crucifixum, & impium illud facinus. Vnde hoc liquet, inquis? Ex hoc quòd cùm antehac impiè viueretis, nihil non obtinebatis: nunc verò cũ videamini modeſtiùs viuere poſt crucem, atrociores luitis pœnas, neque quidquam eorum cõtigit habere quæ priùs habebatis. Vt autem & ipſis prophetis hoc euidẽter & expreſſè teſtificantibus, præſentiũ malorũ cauſam intelligatis, audite quid dicit Eſaias, quomodo prædicit ſimul & venturã omnibus per Chriſtum beneficentiam, & veſtram improbam ingratitudinem. *Liuore*, inquit, *eius nos ſanati ſumus*: (Eſa. 53.) ſalutem indicãs per crucẽ omnibus oblatam. Deinde de noſtri ſimilibus loquens, ſubiecit: *Omnes vt oues aberrauimus*, homo in via ſua errauit. Tum crucis modum explicans, ſic loquitur: *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & vt agnus in conſpectu tondentis ipſum ſine voce fuit, ſic non aperuit os ſuum.* (Ibidem.) Et vbi licet hoc videre? In nefario prætorio Pilati, quum tam multa, inquit, teſtimonia proferrẽt aduerſus ipſum, nihil eis reſpondit Ieſus. Et dixit ad illum Præſes: *Audis quàm multa in te teſtificentur?* Verũ nihil reſpondit, ſed ſtabat tacitus. (Matt 27.) Hoc olim cælitus afflatus propterea dixerat: *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram ſe tondẽte mutus.* Poſt hæc exponens iniquitatem in prætorio perpetrata ait: (Eſai. 53.) *In deiectione eius iudicium ſublatum eſt.* Nemo tum iuxta iuris rationem de illo ſuffragium tulit, ſed falſa potius aduerſus illum recipiebant teſtimonia. In cauſa erat quòd tum nolebat elabi. Nam ſi voluiſſet, omnia turbaſſet, concuſſiſſetque. Etenim ſi id temporis quo pendebat in cruce, ſaxa diſcidit, orbem terrarum obſcurauit, ſolis radios auertit, noctem medio die per vniuerſam terram induxit, idem potuiſſet in prætorio facere. Verùm noluit, manſuetudinem ac lenitatem exhibens. Eoque dicit: *In deiectione illius ſublatum eſt iudicium.* (Act 8. & Iſa. 53.) Deinde demonſtrans, quòd non eſſet vnuſquilibet è vulgo, ſubiecit: *Generationem eius quis enarrabit?* (Ibidem.)

A Quis enim eſt, de quo dicit: Tolletur de terra vita eius. Ideò & Paulus dicit: *Vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quum apparuerit Chriſtus vita noſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.* (Coloſſ. 3.) Sed quod dicere propoſueram, vt demonſtrarem quod propter hunc ſuſtinuerit præſentia mala, tempus eſt vt ipſum Eſaiam inducam loquentem. Vbinam hoc eſt, inquis? Poſt dictum prætorium, poſt occiſionem, poſt aſſumptionem, vbi dixit: *Tolletur de terra vita eius,* & ſubijcit: *Et dabo improbos pro ſepultura eius, & diuites pro morte illius.* (Eſai. 53.) Non ſimpliciter dixit Iudæos, ſed improbos. Quid enim illis improbius eſſe poſſit, qui poſt tot tantaque accepta beneficia beneficum occiderunt? Niſi hæc euenerunt, niſi nunc viuitis in ignominia, niſi omnibus quæ maiores habuerunt, eſtis priuati, niſi corruit veſtra ciuitas, niſi templum veſtrum verſum eſt in ruinam, denique niſi veſtræ calamitates ſuperant omnem tragœdiam, ne credas, ô Iudæe. Contrà, ſi res ipſæ clamitant, ſi quod prædictum erat à prophetis, perfectum eſt, quid fruſtra, quid incaſſum obtines tuam impudentiam? (Apud Iudæos nō eſſe verū ſacerdotium.) B Nam vbi illa apud vos veneranda, vbi pontifex, vbi ſtola & rationale, vbi declaratio? Ne verò mihi iſtos patriarchas dixeris, caupones, negotiatores, iniquitate plenos. Dic mihi qualis eſt ſacerdos, cùm non ſit vetus illud oleum, neque quicquam omnino veteris ſanctimoniæ? Dic, inquam, mihi, qualis ſacrificus, quum non ſit ſacrificium, neque altare, neque cultura? Vis tibi recitem leges de ſacerdotio, quomodo ſolent olim conſecrari, vt intelligas quòd qui nunc apud vos dicuntur patriarchæ, non ſint ſacerdotes, ſed per ſimulationem ſacerdotum agant perſonam, nec aliter ludant quàm hiſtriones in ſcena, imò, vt veriùs dicam, nec ſuſtinere poſſint ſacerdotis perſonam? non dico iuxta veritatem, verùm ne iuxta ſimulationem quidem ſacerdotij. Excute igitur: recordare quomodo tum Aaron factus ſit ſacerdos, quot hoſtias pro illo immolarit Moyſes, quot pecudes proſtrauerit, quomodo illum lauerit, quomodo illum vnxerit, extremum auriculæ, manum dextram, in ſancta ſanctorum introduxerit. C Poſt hæc iuſſit præſcripto ſeptem dierum numero manere intus. Quin potius operæpretium eſt audire verba illorum: Hæc, inquit, vnctio Aaron, & vnctio filiorum eius. Et dixit Dominus ad Moyſen, dicens: Aſſume Aaron & filios eius, & ſtolas, & vnctionis oleum, & vitulum pro peccato, & arietem, & conuoca ſynagogam ad oſtium tabernaculi teſtimonij. (Leu. 7.) Et dixit Moyſes vniuerſæ multitudini congregatæ ſermonem quem mandarat Dominus & poſteaquam applicuiſſet illos (dicendum eſt enim compendio) lauit eos aqua, induit tunica, cinxit zona, induxit ependyten, impoſuit humerale, præcinxit illum ac ſubſtrinxit, impoſuit rationale, impoſuit declarationem & veritatem, & mitram impoſuit capiti illius, & ſuper mitram laminam auream, D deinde ſumpto oleo conſperſit altare, & ſanctificauit illud, & vaſa, & baſim ſanctificauit ex eodem, & effudit ex eo in caput Aaron, & filijs illius ſimiliter fecit, & adduxit vitulum. (Leu. 8.) Quum autem occidiſſet eum, poſteaquam Aaron cum filijs ſuis impoſuiſſent manus, ſumpſit de ſanguine, & impoſuit cornibus altaris, & purificauit altare, & ſanguinem effudit in baſim, & ſanctificauit illud, vt propitiaret ſuper illud. Deinde poſteaquam quædam ex his mactaſſet, alia foris, alia intus, adduxit rurſus alium arietem, & ipſum immolauit in holocauſtum, & iterum adduxit arietem conſummationis, & rurſus Aaron cum filijs imponente manus occidit, rurſuſque ſumens de ſanguine eius ſuper extremum auriculæ Aaron dextræ, & ſuper extremum manus dextræ, & ſuper extremum pedis dextri, ſimili modo fecit & filijs illius. Deinde ſumens hoſtias, impoſuit

A manibus Aaron & filiorum eius, ac ſic obtulit. Et ſumpto ſanguine, rurſus ex oleo conſperſit ſuper Aaron & ſtolas illius, & ſuper filios eius, & ſuper ſtolas eorum, & ſanctificauit eos, & iuſſit coqui carnes in atrio tabernaculi teſtimonij, illicque eis veſci: & ab oſtio tabernaculi teſtimonij ne egrediamini, inquit, dies ſeptem, donec impleatur dies ordinationis veſtræ: ſeptem enim diebus conſummabit manus veſtras, vt propitietur pro vobis. Cũ igitur dicit, quòd his rebus legitime initiatus ſit Aaron, his purificatus, his ſanctificatus, per hæc placauerit Deum: nihil autem horum nunc fiat, neque victima, neque holocauſtum, neque ſanguinis aſperſio, neque olei inunctio, nec adſit tabernaculum teſtimonij, neque ad præfinitum dierũ numerũ ſedeatur intus: profectò palàm eſt, quòd ſacerdos qui nũc apud iſtos eſt, impurus ſit ac nefaſtus, illegitimus ac profanus, denique quòd non propitiet, ſed prouocet. Etenim ſi non poterat aliter cõſecrari, niſi hiſce ritibus: omnino neceſſe eſt totum ſacerdotium illorum non conſiſtere. B Vides à me meritò dictum, quòd non ſolùm à veritate, verùm etiam ab ipſa rei ſimulatione procul abſunt. Nec ex his tantùm, verùm etiam ex alijs diſcere licet, quanta fuerit ſacerdotij dignitas. Proinde cũ aduerſus Aaron ſeditionem mouiſſent homines quidam ſcelerati perditique, conãtes eum à principatu depellere, & de honore cum illo diſceptarent, (Num. 17.) manſuetiſſimus Moyſes cupiens illis rebus ipſis facere fidem, quòd non vt fratrem, aut cognatum, aut familiarem euexiſſet illum ad eum honorem, ſed Dei parens edicto tradiderit illi ſacerdotium illud, iuſſit vt vnaquæque tribus virgam adferret, idẽ præcepit Aaroni: quũ attuliſſent, omnes accepit, & intus repoſuit, eo facto iuſſit expectari diuinum iudicium, quòd per virgas illas eſſet proferẽdum. Deinde quum ſimul omnium reliquorũ virgæ manerent in eodem habitu, ſola virga Aaron germinauit, frondeſq; produxit ac fructus, vt intelligerent quòd naturæ Dominus illum delegiſſet C denuo, literarum vice folijs vtens. Etenim qui in initio dicebat: *Germinet terra herbam graminis,* eiuſque vim ad fructificandum excitauit, (Geneſ. 1.) idem & illud lignum quod erat aridum & infrugiferum, fecit vt abſque terra ſine radice germinaret. Ac nunc quidem illa virga ſimul & illorum malitiam, & Dei iudicium declarat, non emittens quidem vocem, ſed ipſo aſpectu quauis tuba clarius exhortãs, ne quid talium facinorum in poſterum aggrederẽtur. Nec hoc modo tantùm, ſed alio quodam argumẽto Deus declarauit eum ſacerdotem. Etenim quũ multi mota aduerſus illum ſeditione, appeterent ipſius honorem (principatus enim res eſt pro qua depugnari ſolet, eò quòd expetatur à multis) iuſſit vt illatis thuribulis, & impoſito thymiamate, cælitus expectarent ſententiam. (Num. 16) Atque illis adolentibus, terra dehiſcens, omnes abſorbuit, & eos qui D ipſis conſenſerant, foculoſque ſumpſerunt, ignis è cælo demiſſus exuſſit. Tum ne quod acciderat, temporis progreſſu deletum obliuione iaceret, néve admirabilem hanc Dei ſententiam ignorarent poſteri, præcepit Moyſes, vt thuribula ſublata applicarent ad altare, vt quemadmodum virga ſine voce vocem emiſit ipſo conſpectu, itidem & hæc per ora poſterorum volitantia cunctis commemorarentur, admonitura conſulturaque minoribus, ne maiorum amentiam imitarentur, ne quando ſimili pœna plecterentur. Ad hunc modum olim ſacerdotes creabantur, nunc verò luſus meri ſunt riſuſque, quæ fiunt apud Iudæos omnia, pudor & cauponatio, plena immẽſæ impietatis. Hos igitur ſequens, dic mihi, qui pertinaciter ſolent ſemper tum facere, tum dicere omnia, quæ Dei legibus aduerſentur? ad horum ſynagogas accurris? nec metuis, ne fulminis impetus cælitus emicans exurat caput tuum? An ignoras eos qui

ipſi quidem non prædantur, ſed tamen in prædonum ſpeluncis conſpecti fuerint,eaſdem dare pœnas cum prædonibus? Quid autem loquor de prædonibus,profectò ſcitis omnes ac meminiſtis,quòd apud nos ſcelerati quidam & impoſtores ſtatuas principis demoliti ſunt. Quid factum? Non illi tantùm qui facinus auſi fuerant, ſed quotquot ſimpliciter præſentes erant ijs quæ gerebantur, quoniam videbantur illis aſſentiri, in iudicium abrepti,eaſdem cum illis pœnas dederunt. Tu verò vbi pater afficitur contumelia, vbi filius laceſſitur conuitijs, vbi ſpiritus ſanctus contemnitur, eò ſtudes accurrere? Agè dic mihi, non metuis, non horreſcis,quum teipſum in loca profana impuraque conijcis? Dic mihi, quid habebis quod excuſes,quam ſperabis veniam, qui volens teipſum in barathrum immittas, in præcipitium des? Neque enim mihi illud dixeris, quòd illic ſita eſt lex, & prophetarum libri.Neque enim iſta res locum reddit ſanctum.Vtrum enim maius eſt, libros eſſe repoſitòs in loco,an loqui ea quæ ſunt in libris? Perſpicuum eſt melius eſſe ſi ea quæ ſunt in libris ſones, habeaſque in animo.Ergo reſponde mihi, quum diabolus recitaret ea quæ ſunt in ſcripturis, num os illius ſanctificatum eſt?Non potes dicere, ſed permanſit id quod erat diabolus. Quid autem dæmones?quum prædicarent ac dicerent. *Iſti homines ſerui Dei altiſſimi ſunt, annuntiantes vobis viam ſalutis*, an ideò illos in apoſtolorum ordinem referemus? Nequaquam, imò nihilo minus execramur illos odimuſque quàm antea.Ergo quum verba prolata non ſanctificent,libri repoſiti ſanctificant? Minimè.Qua tandem ratione id conſequitur? Imò hoc nomine odi ſynagam,quòd legem habeat ac prophetas, & nunc etiam amplius odi, quàm ſi nihil iſtorum haberet. Quur ita tandem? Quoniam hinc habent eſcam, variamque fraudis materiam,qua ſimpliciores alliciant. Quandoquidem & Paulus ſpiritum loquentem magis quàm tacentem inſectatus eſt. Etenim moleſtia tædioque affectus, inquit ſpiritui: Exi ab illa. Qua de cauſa? Quoniam clamabat: *Iſti homines ſerui Dei altiſſimi ſunt*. Tacentes enim non perinde decepiſſent ſimplices,loquentes autem multos ſimpliciores erant attracturi,perſuaſurique, quò nimirum & alijs in rebus ſibi auſcultarent.Siquidem vt oſtium aperirent ſuis fraudibus,poſſentque in poſterum mentiri confidentius,propterea vera quoque nonnulla commiſcebant: non aliter quàm qui lethifera miſcent venena,os poculi melle circumlinentes, efficiunt vt faciliùs accipiatur malum.Hãc ob cauſam & Paulus potiſſimùm afficiebatur moleſtia, feſtinabatque illis occludere os,quòd ſibi authoritatem vſurparent nequaquã ipſis congruentē.Hanc ob cauſam & ipſe Iudæos odi, quòd quum legem habeant,legem violant,& hoc modo ſimpliciores ineſcare conantur.Non perinde graue crimen admitterent,niſi,quum credant prophetis, diffiderēt Chriſto. Nunc verò ſibi omnem veniæ ſpem ademerunt,qui cū ſe iactent prophetis credere, contumelijs afficiunt eum quem illi prædixerunt. In ſumma,ſi credis illos eſſe ſanctos,eò quòd illic lex & prophetarum libri repoſiti ſunt, ſupereſt vt & idola,& idolorum templa pro ſanctis ducas. Quondam enim quum bellum teneret Iudæos, victores Azotei ceperunt arcam, inque ſuum templum intulerunt.An ideò ſanctum erat illorum templum, quòd haberet arcam?Nequaquam, ſed profanum, ſed impurum: id protinus ipſis factis declaratum eſt, vt hoſtes intelligerent victoriam ipſis ceſſiſſe, non ob impotentiam Dei, ſed ob iniquitatem eorum à quibus colebatur, arca capta in aliena terra vim ſuam oſtendit,idolo bis in ſolum deiecto, effecit vt etiam comminueretur. Tantum aberat vt locum ſanctificaret, vt locum etiam expugnaret. Verùm hic quænam eſt arca penes Iudæos,vbi nō eſt propitiatorium,non vnctio,non teſtamenti tabulæ,non ſancta ſanctorum,nō velum, non ſummus ſacerdos,non thymiama, non holocauſtum, non victima, non alia quæ tum arcam illis reddebant venerandam?Mihi quidem Iudæorum, quam nunc habent, arca nihilo melius habere videtur, ijs quæ væneunt in foro,imò peius habet. Nam hæ nihil lædere poſſunt ſi quis adeat, illa verò quotidie multam noxam infert ijs qui acceſſerint. Fratres ne ſitis pueri ſenſibus,ſed malitia paruuli eſtote: eoſque qui ad iſta ſtupent,ab hoc intempeſtiuo certamine liberantes,erudite quid oporteat timere, reuererique non iſtam arcam, ſed quod cōcurrentes ad illam violant templum Dei,per conſciētiam ad Iudaiſmum propenſam, per intempeſtiuam iſtam obſeruationem. *Quotquot*, inquit, *in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis*. Hoc oportet timere, ne in die illo audiatis ab eo qui vos iudicaturus eſt: *Diſcedite, non noui vos*: communicaſtis enim cum his qui me crucifixerunt: ad Iudæorum qui impiè agebant in me ac legem violabant, ſynagogas concurriſtis. Atqui ego quidem templum illorum ſubuerti, & in ruderum aceruum verti templum illud venerabile, templum res verendas & horrendas continens. Vos autem habitacula negotiationum nihilo meliora ſpeluncis latronum colitis. Etenim ſi tunc cùm eſſet Cherubin, cū arca,cum adhuc Spiritus floreret gratia,dixit: *Feciſtis illud ſpeluncam latronum*, aut vt refert Ioannes, *domum negotiationis*, propter iniquitates ac cædes illorum: nunc poſtquam illos Spiritus deſeruit gratia,cunctaque illa magnifica ſublata ſunt, etiam cum Deo pugnantes impiam iſtam religionem celebrant, quid addere poſſit aliquis, vt nominatis ſynagogis reperiat illis dignam impietatem? Etenim ſi iam tum erat ſpelunca latronum, cùm ſtatum ſuum obtineret:nunc etiam ſi lupanar,ſi trāſgreſſionis locum, ſi diaboli ſpeluncam, ſi animarum exitium dixeris, ſi totius perditionis præcipitium ac barathrum, denique quidquid addideris, minùs quàm pro rei dignitate dixeris. Templum cupis videre, ne curras ad ſynagogam, ſed ipſe ſias templum. Vnicum templum diruit Deus Hieroſolymis,& innumerabilia erexit illo longè venerabiliora. *Vos*, inquit, *templum eſtis Dei viuentis*. Hãc domum exorna , omnem exige cogitationem malam, vt ſias pretioſum membrum Chriſti, vt ſias templum,deinde & alios redde tales.Et quemadmodum cùm vides pauperes, non facilè prætercurris: ita cùm videris aliquem ad ſynagogam currentem, ne diſſimules, ſed oratione ceu fræno quodam cohibitum reducas ad Eccleſiam. Hæc eſt maior eleemoſyna, quàm illa, imò maior quàm decem millia talentorum, quàm hic mundus vniuerſus,quantus quantus vndiq; patet oculis.Siquidem homo eſt toto mundo pretioſior: huius enim cauſa & cælum,& terra, & mare, condita ſunt,& ſol,& ſtellæ.Perpende igitur quanta ſit dignitas eius cuius ſaluti conſulitur, & ne contempſeris illius curam. Nam etiamſi pecuniæ vim immenſam dinumerarit aliquis,nihil ſimile præſtiterit ei quod præſtat is qui ſeruat animam, & abducens ab errore ad pietatem manu reducit. Qui dederit pauperi, famem ſoluit: qui iudaizantem correxerit, impietatem extinxit. Ille paupertati ſolatium adhibuit, hic iniquitatem inhibuit: ille corpus liberauit à dolore, hic animam eripuit à gehenna. Oſtēdi theſaurum, ne deſeratis lucrum. Non eſt quòd hic paupertatem cauſemini, non eſt quòd mendicitatem prætexatis: verba tantùm inſumenda ſunt, ſermonis modò ſit impendium. Ne pigritemur igitur, ſed omni ſtudio venemur fratres noſtros, eiſque vel inuitis in domum noſtram pertractis prandium apponamus, ad menſæ communionem illos aſciſcamus hodie, vt vbi noſtro in conſpectu ieiunium ſoluerint, ſatiſque declara-

Marginal notes: Act. 16. (beside "Paulus ſpiritum loquentem"); 1. Reg. 5. (beside "Azotei ceperunt arcam"); Galat. 5. (beside "in lege iuſtificamini"); Mat. 25. (beside "ne in die illo audiatis"); Hier. 7. (beside "Feciſtis illud ſpeluncam"); Ioan. 2. (beside "domum negotiationis"); 2. Cor. 6. (beside "templum eſtis Dei viuentis").

clarauerint, fidemque plenam fecerint, quod in melius correcti ſint,& ſibijpſis,& nobis æterna bona concilient,gratia ac bonitate Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui cum, & per quem Patri vnà cũ Spiritu ſancto gloria,imperium,honor, & adoratio in æuum.

Eiuſdem aduerſus Iudæos.

ORATIO IIII.

VTrum vos pugnæ huius cum Iudæis ſuſceptæ ſatietas cepit,an vultis vt rurſus hodie quoq; materiam eandem tractemus? Quamquam enim multa ſunt iam dicta,attamen arbitror vos ſic affectos,vt cupiatis iiſdem de rebus iterum audire. Etenim qui non ſatiatur amore erga Ieſum, is nec vmquam ſatiabitur pugna aduerſus eos ſuſcepta, qui Ieſum oderunt.Super hæc,& alioqui nobis hic ſermo neceſſarius eſt. Superſunt enim adhuc feſtorum Iudæorum reliquiæ. Sed quemadmodum illorum tubæ multò ſceleratiores erant iis qui ſonant in theatris,& ieiunia quauis ebrietate & comeſſatione erant improbiora: ita & tabernacula quæ nunc apud illos figuntur, nihilo ſunt honeſtiora diuerſorijs,in quibus ſcorta verſantur ac tibicinæ. Ne quis autem orationis huius audaciam reprehendat.Nam auſus eſt extremus ſummaque impietas ſecus de illis opinari.Cùm enim aduerſus Deum contendant,ac Spiritui ſancto reſiſtant, cur non de illis feramus ſententiam? Erat olim hoc feſtum venerabile cùm iuxta legem fieret, Deique iuſſu.Nunc autem non amplius, eò quòd tota illius dignitas ſublata eſt,eò quòd contra Dei mentem celebratur. Quique maximè violant legem priſcaque feſta,ij maximè omnium ſunt, qui nunc videntur ea celebrare.At contrà nos ſumus qui maximè legem veneramur,qui eam velut hominem ſenio defectum quieſcere ſinimus, nec in caueas hominibus differtas protrahimus poſteaquam incanuit,neque præter ætatem certare compellimus.Nunc enim nec eſſe legis tempus,neque vetuſtæ religionis,ſatis antè demonſtrauimus. Age igitur, quod ſupereſt hodie perſoluamus.Satis quidem erat ex Prophetis omnibus demonſtraſſe, quòd nunc extra Hieroſolymam tale quippiam facere,tranſgreſſio legis ſit, & impietas. Nam ſi verum eſſet quod iſti ſemper vbique iactantes prædicant,futurum vt ciuitatem denuo recipiant, ne ſic quidem poſſent à violatæ legis crimine liberari:attamen nos ex abundanti hoc quoque demonſtrabimus,quòd nec ciuitas ſit inſtauranda, neque priſcum reipublicæ ſtatum ſint recepturi.Hoc autem demonſtrato,reliqua omnia in confeſſo ſunt, videlicet quòd neque ſacrificiorum ritus, neque holocauſtorum,neque legis vis,nec alia pars vlla ſtatus illius conſiſtere poterit. Primùm enim præcepit lex,vt ter in anno omne maſculinum aſcenderet in templum, cæterùm deiecto templo hoc fieri nequaquam poterat. Rurſus præceperat,vt qui profluuio ſeminis laboraret,qui lepra contaminatus eſſet,quæ menſtruo fluxu teneretur,quæ peperiſſet, offerret ſacrificia. Atqui nec hoc fieri poteſt,cùm deſit locus,nec extet altare. Iuſſit cani ſacros hymnos, & hoc antè declarauimus tum ipſo loco vetari,tum à prophetis dãnari, accuſantibus illos ac dicentibus,quod foris legerent legẽ, & appellarent confeſſionem.Cùm igitur ne legere quidem fas fuerit extra ciuitatem, quomodo legem ſeruare potuerunt extra ciuitatem? Hanc ob cauſam & minitans illis dicit: Non viſitabo filias veſtras cùm ſtupum admiſerint, neque nurus veſtras cũ mæchatæ fuerint. Quid autem hoc eſt? Recitata veteri lege conabor vobis reddere dilucidius.Quæ igitur illa lex? *Si mulier præuaricata fuerit à viro ſuo, eumq́ negligens deſpexerit, dormieritq́ aliquis cum illa coitu ſeminis, & latuerit oculos viri, nec teſtis fuerit aduerſus illam,nec fuerit deprehenſa: ac ſuper ipſum quidem ſpiritus Zelotypiæ, cæterùm ipſa non fuerit contaminata.* Senſus horum verborum hic eſt:Si mulier, inquit, mœchata fuerit, & vir habeat illam adulterij ſuſpectam,ille quidem ſuſpicabitur. Et ſi non fuerit teſtis,nec vterus coarguens, ducet,inquit,illam ad ſacerdotem,& offeret donum illius,ordeaceam farinam. Cur ita tãdem non ſiligineam, non triticeã farinam,ſed ordeaceam? quoniam id quod gerebatur luctus erat, & incuſatio ſuſpicioque, forma ſacrificij domeſticam calamitatem imitabatur,eoque dicit: Non effundes ſuper illam oleum, neque impones illi thus.(nam contrahẽdus eſt ſermo.) Adducet illam ſacerdos, ſumetque puram aquam in vaſe fictili, & ſumet de terra quæ eſt in pauimento, ſumptamque conijciet in aquam, ſtatuetq; mulierem,& adiurabit illam,& dicet:Si non es tranſgreſſa, nec polluta viro tuo, ſalua eſto ab aqua redargutionis.Quod ſi trãſgreſſa es ac polluta,& aliquis tecum concubuit, det Dominus te in execrationẽ ac deteſtationem in medio populi.Quid eſt,in execrationem, ac deteſtationem? Vt dicant, ne mihi accidat quod accidit illi mulieri. Vt reddat Dominus vterum tuum inflatum, & ingrediatur aqua execrata, infletque ventrem tuum, & dicet mulier, fiat, fiat. Et erit ſi fuerit polluta, ingredietur aqua redargutionis,& inflabit ventrem illius,& erit mulier execrabilis.Quòd ſi non fuerit polluta mulier,erit innocua,& proſeminabit ſemẽ. Ergo poſtquàm in captiuitatem abducti ſunt, neque quicquam horum fieri poteſt, cùm nec tabernaculum habeant,nec offerantur hoſtiæ, Dominus comminans dixit:Non viſitabo filias veſtras, cùm ſtuprũ admiſerint: nec nurus veſtras,cùm mœchatæ fuerint.Vides legem à loco vim habere? Ex hoc perſpicuum eſt, ne ſacerdotium quidem eſſe poſſe, cùm deſit ciuitas. Quemadmodum enim fieri non poteſt,vt Imperator ſit,ſi non ſit exercitus aut diadema, non purpura, non alia quæ regnum commendant, comprobantque: ita nec ſacrificus eſſe poteſt ſublata hoſtia,vetita oblatione, ſanctis conculcatis,toto rerum ſtatu abolito. Nam his rebus omnibus conſtabat ſacerdotium. Sufficiebat igitur nobis ad probationem quemadmodum dicere cœperamus, quòd neque ſacrificia, neque holocautomata, neque reliquæ purificationes,neque præterea quicquam obſeruationis Iudaicæ rediturum ſit. Supererat, vt demonſtraretur, nunquam fore vt templum inſtauretur.Nam quemadmodum omnia ſunt abrogata ſi non ſit templum, & ſi quid videatur fieri,facinus eſt aduerſus legem commiſſum: ita poſteaquàm ratio demonſtrauit nunquam fore vt templum redeat ad priſtinum ſtatum, eadem opera & illud demonſtratum eſt, quòd neque cæteri ritus & cultus ad priſtinum ſtatum ſint rediturj: non ſacerdos erit quiſpiam, non rex. Etenim ſi non erat permiſſum vti quis ipſorum cognatione quamuis plebeius,ſeruiret alienigenis:multò magis fas non erat ipſum regem alienigenis ſubijci. Verùm quoniam hîc contendimus conamurque non tantùm, vt illis obturemus os,verumetiam vt veſtram charitatem erudiamus: agè hoc ipſum aliunde demonſtrabimus, videlicet,quòd illis & ſacrificiorum & ſacerdotij finis ſit, adeò vt nunquam amplius ad priſtinam conſuetudinem hæc ſint reditura. Quis igitur hæc dicit? Admirandus ille ac magnus propheta Dauid: declarans enim quod omne ſacrificiorũ genus eſſet eijciendum,& aliud inducendum, loquitur hũc in modum: *Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua,& cogitationibus tuis non eſt quiſimilis ſit tui. Annuntiaui & locutus ſum.* Vides Prophetæ ſapientiam: vbi dixiſſet,multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, ſtupefactus admiratione diuini opificij, nihil dicit de conditione rerum nobis conſpicuarũ, cæli,

Marginalia: Iudaica feſta iam ceſſaſſe. — Num. 5. — Iudaicũ templum & ſacrificia eius nunquã fore reſtaurãda. — Pſal. 39.

A cæli, terræ, maris, & aquæ, & ignis, non de ſtupendis illis prodigijs, quæ acciderunt in Ægypto, non de cæteris huiuſmodi oraculis. Sed quæ dicit eſſe miracula? *Sacrificium & oblationem noluiſti.* Quid, obſecro, dicit? An iſtud ſtupendum eſt ac mirandum? Nequaquam, inquam: non enim hoc ſolum vidit, ſed cælitus edoctus proſpiciebat oculis propheticis futurum vt gentes adducerentur: & quomodo qui priùs erant addicti dijs, colebantque lapides, miſeriores ipſis brutis, repente viſum reciperent, omniumque Dominum agnoſcerent, ac relicta impura dæmonum cultura, purè citraque ſanguinem Deum colerent: ſimulque intelligens quòd non illæ ſolùm, ſed & Iudæi infirmiores relicta hoſtiarum, holocautomatum, aliorumque corporalium rituum obſeruatione, ad noſtram & ipſi philoſophiam adducerentur, ſimulque reputans ineffabilem Dei erga genus humanum charitatem, quæ ſuperat omnem intellectum, & attonitus admiratione tantæ mutationis futuræ, & quàm B mirabiliter iſta Deus in alium ordinem tranſlaturus eſſet, & homines ex dæmonibus facturus angelos: ac vitæ genus inducturus cælis dignum. Tum quod hæc omnia eſſent futura vetere ſacrificio abolito, & altero in illius locum inducto per corpus Chriſti: quod ſacrificium admiratus ac ſtupefactus dicebat; Pſalm. 39 *Multa tu feciſti Deus meus mirabilia tua,* & ex perſona Chriſti totum hoc vaticinium edit. Ibidem. Sanè cùm dixiſſet: *Sacrificium & oblationem noluiſti,* ſubijcit: *Corpus autem adaptaſti mihi.* De corpore loquens dominico, communi pro toto orbe ſacrificio, quo noſtras purificauit animas, peccata diſſoluit, mortem extinxit, cælos aperuit, multaſque magnas ſpes nobis oſtendit cæteraque præparauit omnia: quæ quidem & Paulus videns, Rom. 11. exclamauit, dicens: *O altitudo diuitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm imperſcrutabilia ſunt iudicia eius, & imperueſtigabiles viæ eius.* Hæc igitur omnia proſpiciens dicebat: *Multa tu feciſti Domine Deus meus mirabilia tua.* C Deinde cùm ex perſona Chriſti dixiſſet, Holocautomata & pro peccato non probaſti, ſubiunxit: Tunc dixi, ecce adſum: quoniam perfectioris doctrinæ tempus eſt. Nam imperfectiora per ſeruos erant docenda, ſublimiora verò & humanam ſuperantia naturam per ipſum legis autorem. Hebr. 1. Ideò & Paulus dicebat: *Multifariè, multiſque modis Deus locutus patribus noſtris per prophetas: extremis hiſce diebus locutus eſt nobis per filium, quem conſtituit hæredem omnium.* Ioan. 1. Ac rurſus Ioannes: *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Itaque hæc ſumma legis laus eſt, quòd ea naturam humanam illi doctori præparauit. Deinde ne putares hunc eſſe recentem Deum, aut aliquid nuper Pſalm. 39 inueptum adferre, audi quid dicit: *In capite libri ſcriptum eſt de me.* Iam olim meum aduentum prædixerunt Prophetæ, & in initio librorum meæ diui D nitatis cognitionem obiter hominibus aperuerunt. Itaque cùm Deus dicit initio conditi mundi: Gen. 1. *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram,* rectè nobis filij diuinitatem aperit, ad quem loquitur. Poſt hæc declarans quòd hæc vitæ ratio non eſt priori contraria, ſed hoc quoque voluiſſe Deum, vt illo ſacrificio antiquato, in eius locum hoc induceretur, (Nam erat correctionis vehementia, non contrarietas aut pugna) Pſalm. 39 vbi dixiſſet: *In capite libri ſcriptum eſt de me,* ſubiecit: *Vt facerem voluntatem tuam Deus, volui, & legem tuam in medio ventris mei:* poſt exponens quæ tandem eſſet voluntas Dei, prætermiſſa mentione hoſtiarum, holocautomatum, Ibidem. oblationum, laborum, ac ſudorum, ait: *Annuntiaui iuſtitiam in Eccleſia magna.* Quid hoc eſt, *annuntiaui iuſtitiam in Eccleſia magna?* Non dixit, dedi: ſed, annuntiaui. Quid tandem igitur? non ex benefactis, nec laboribus, nec penſatione, ſed ex ſola gratia iuſtificauit genus noſtrum. Quod Rom. 3. & Paulus declarans, dicit: *Nunc autem abſque lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti,* non per vllum ſudorem aut laborem. Et hoc aſſumpto teſtimonio, hunc in modum loquitur: *Vmbram enim habens lex futurorum bonorum,* Hebr. 10. *non ipſam rerum imaginem, ſingulis annis ijſdem hoſtijs quas ſemper offerunt, nunquam poteſt accedentes perfectos reddere. Eoq; ingrediens mundum dicit: Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi:* ſignificans ingreſſum vnigeniti in mundum per carnis diſpenſationem. Sic enim ad nos venit, non locum loco commutans (quî namque conueniat hoc in eum, qui eſt vbique, quique cuncta cõplet?) ſed per carnem nobis factus conſpicuus. Cæterùm quoniam non ſolùm aduerſus Iudæos eſt nobis pugna, verumetiam aduerſus gentes, ac multos hæreticos: agè profundiorem ſenſum quemdam hic vobis aperiamus, quæramuſque quid tandem ſibi velit, quòd cùm Paulus innumerabilia haberet teſtimonia, quæ docerent ceſſare legem veteremque ritus, huius meminit: neque enim ſimpliciter, neque fortuitò id fecit, ſed ratione ac ſapientia quadam ineffabili. Quòd enim alia quoque habuerit teſtimonia, tum maiora, tum vehementiora, ſi voluiſſet adducere, omnes confitebuntur. Eſaias enim ait: *Non eſt mihi voluntas in vobis, plenus ſum* Iſai. 1. *holocautomatibus arietum, & adipem agnorum, & ſanguinem taurorum & hircorum nolo,* neque ſi veneritis in conſpectum meum. *Quis enim exquiſiuit hæc de manibus* Ibidem. *veſtris? Si obtuleritis ſimilaginem, fruſtrà facietis. Incenſum, abominatio mihi eſt.* Et alibi rurſum: *Non nunc aduocaui te Iacob,* Ibid. 43. *neque moleſtiam tibi exhibui Iſrael, non glorificaſti me ſacrificijs, neque ſeruiſti mihi in donis, neque tibi moleſtus fui in thure, neque paraſti mihi argento ſuffitum.* Hieremias autem: *Ad quid mihi thus* Ierem. 6. *è Saba offeras, & cinnamomum è terra longinqua? holocautomata veſtra non delectarunt me.* Ac rurſus: Ibid. 7. *Holocautomata veſtra cum ſacrificijs veſtris, & comeditis carnes.* Et alius inſuper Prophetarum ſic ait: Amos 5. *Aufer à me ſtrepitum cantionum tuarum, & canticum organorum tuorum non audiam.* Rurſus alibi, cum Iudæi dicerent: *An accipiet Dominus in holocautomatibus,* Mich. 6. *ſi dedero primogenita mea pro impietate mea fructum ventris mei, pro peccato animæ?* Propheta increpans illos dicebat: Ibidem. *Annuntiabo tibi homo quid ſit bonum, & quid Dominus Deus quærat abs te, vt diligas miſericordiam, & facias iudicium & iuſtitiam, vt paratus ſit ambulare poſt Dominum Deum tuum.* Dauid quoque ſic dicebat: *Non accipiam de domo tua vitulos,* Pſalm. 49 *neque de gregibus tuis hircos.* Quàm igitur ob rem cùm tot poſſet adferre teſtimonia, per quæ Deus videtur illa ſacrificia reijcere, neomenias, ſabbata, dies feſtos, omnibus illis omiſſis huius vnius meminit? Non ſimpliciter id factum, neque fortuitò: ſed iam cauſam dicemus. Multi infideles, & ex Iudæis ipſis pugnantes aduerſus nos, dicunt veterem religionem antiquatam eſſe, non quòd ipſa eſſet imperfecta, neque quòd inducta ſit maior, noſtra videlicet religio, ſed propter improbitatem eorum qui tunc offerebant ſacrificia. Eſaias itaque dicit: Eſai. 1. *Si extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: ſi multiplicaueritis obſecrationem, non exaudiam vos.* Mox cauſam addens proſequitur: *Manus veſtræ ſanguine plenæ.* Hoc autem non eſt ſacrificia accuſare, ſed offerentium iniquitatem criminari. Et ideò non accepta habuit ſacrificia, quòd ea manibus impuris offerrent. Rurſum cùm Dauid dixiſſet: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hædos,* Pſalm. 49 adiecit, dicens: *Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu autem odiſti diſciplinam, & abieciſti ſermones meos poſt tergum tuum: ſi videbas furem, currebas eo, & cum adultero ponebas portionem tuam: os tuum abundauit malitia, & lingua tua contexebat dolos: ſedens aduerſus fratrem tuum obtrectabas, & aduerſus filium matris tuæ ponebas offendiculum.* Vnde perſpicuum eſt, quòd hic ob has etiã cauſas reiecerit ſa-

Digitized by Google

crificia, quoniam furabantur, quoniam fratribus A
inſidiabantur. Sed cùm vnuſquiſque propheta-
rum, inquiunt, accuſet offerentes, fatentur om-
nes Deum has ob cauſas aſpernatum fuiſſe noſtra
ſacrificia. Sed Paulus illis plagam ſatis magnam
inflixit, & abunde illorum impudentiæ ſilentium
impoſuit hoc teſtimonio. Cùm enim vellet oſten-
dere, quòd ipſam Iudæorum religionem vt im-
perfectiſſimam reieciſſet, irritamque feciſſet, hoc
aſſumpſit teſtimonium, in quo accuſatio offeren-
tium nulla eſt, ſed ipſius religionis imperfectio
nuda per ſe declaratur. Propheta enim nulla in re
Pſalm. 39 accuſans Iudæos, ſimpliciter ſic loquitur: *Sacrifi-
cium & oblationē noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi, ho-
locautomata & pro peccato non probaſti.* Idque expo-
Hebr. 10 nens Paulus ait: *Tollit prius, vt poſterius ſtatuat.* Nam
poſteaquam dixit, ſacrificium & oblationem no-
luiſti, deinde addidit, corpus autem adaptaſti mihi:
quoniam oſtendit aliud inductum ſacrificium, nul-
lam præterea ſpem dedit, futurum vt illud reſti-
tueretur. Et hoc ipſum interpretans Paulus dixit: B
Ibidem. *Per oblationem hanc ſanctificati in voluntate Chriſti. Si
Ibid. 9. enim ſanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aſper-
ſus, inquinatos ſanctificat ad carnis emundationem: quan-
to magis ſanguis Ieſu Chriſti, qui per Spiritum æternum ob-
tulit ſemetipſum immaculatum, emundabit conſcientiam
veſtram ab operibus mortuis?* Itaque quòd illud ſacrifi-
cium antiquatum eſt, & aliud in eius locum indu-
ctum, quodque poſthac illud non ſit reſtituendum,
ſatis ex his demonſtratum eſt. Agè, iam ſupereſt,
vt quod dudum conati ſumus demonſtrare, illius
ſacerdotij ritus poſthac non exorituros, neque de-
nuò redituros, euidenter hoc, palámque è ſcriptu-
ris ipſis dilucidum faciamus, pauca priùs vobis
præfati, quò fiat euidentior eorum quæ dicentur
enarratio. Abrahā reuerſus è Perſide genuit Iſaac;
Iſaac deinde Iacob, Iacob duodecim patriarchas;
ex quibus profectæ ſunt duodecim tribus, magis
autem tredecim: quandoquidem loco Ioſeph, duo
ipſius filij Ephraim & Manaſſes extiterunt tribuū
principes: & quemadmodum vnicuique filiorum
Iacob, tribus cognomine reſpondebat, Ruben, Si-
meon, Leui, Iuda, Nephthalim, Gad, Aſer, Benja- C
min: ſic ſub Ioſeph duo illius filij cognomen inde-
bant tribubus, & appellabantur, altera quidem
Ephraim, altera verò Manaſſe. Harum itaque tre-
decim, cæteræ quidem omnes agros habebant ac
prouentus multos, & agricolabantur omnes, reli-
quaque omnia exercebant ad victum pertinentia.
Cæterùm tribus Leui ſola honorata ſacerdotio, à
negotijs ad victum pertinentibus liberata erat,
neque colebant agros, neque tractabant opificia,
neque præterea quicquam huius generis exerce-
bant, ſed ſoli ſacerdotio vacabant, ac decimas ac-
cipiebant à toto populo, tum frumenti, tum hor-
dei. Ex his enim rebus illis portionem dabant om-
nes, & hic erat illis prouentus. Nec fas erat ex vlla
alia tribu ſacerdotem vnquam fieri. Ex hac enim
tribu factus eſt Aaron, nimirum de tribu Leui, ac D
per ſucceſſionem illius poſteri ſacerdotium acci-
piebant, neque quiſquam vnquam ex alia tribu
creatus eſt. Hi itaque Leuitæ decimas ab illis acci-
piebant, & ſic alebantur. Sed ante Iacob, ſub Iſaac,
ſub Abraham, cùm nondum eſſet Moyſes, non-
dum ſcripta lex, nondum Leuiticum ſacerdotium
eſſet proditum, non tabernaculum, non templum
eſſet, non tribus diſcretæ, non Hieruſalem exta
ret, cùm nullus omnino in Iudæos rerum princi
patum occupaſſet, fuit quidam Melchiſedech, rex
idem & ſacerdos: typus enim futurus erat Chri-
ſti, cuius & ſcriptura manifeſtè meminit. Cùm
enim Abraham irruptione facta in Perſas, ac fra-
tris filio Loth ex illorum manibus erepto, omni-
bus ſpolijs direptis, rediret, hoſtibus virtute deui-
ctis, hunc in modum de Melchiſedech loquitur
ſcriptura: Et Melchiſedech rex Salem obtulit pa-
nem ac vinum: erat enim ſacerdos Dei altiſſimi,
& benedixit Abrahæ, dixitque: *Benedictus es Abraham* Gene. 14.
*Deo altiſſimo, qui condidit cælum & terram, & benedictus
Deus altiſſimus, qui tradidit inimicos tuos ſub manu tua.
Et dedit illi decimas ex omnibus Abraham.* Si quis igitur
Prophetarum extitit qui dicat, quòd poſt Abra-
ham poſtque ſacerdotium illud, & hæc ſacrificia
atque oblationes exoriturus eſſet ſacerdos alius,
non ex illa tribu, ſed ex alia, ex qua nunquam
creatus eſt ſacerdos, non ſecundùm ordinem Mel-
chiſedech: manifeſtum eſt quòd vetus ſacerdo-
tium ceſſauit, aliud autem nouum in illius locum
inductum eſt. Nam ſi futurum erat vt vetus illud
obtineret non ſecundùm ordinem Melchiſedech,
ſed ſecundùm ordinem Aaron, oportuit hoc ex-
plicare. Quis igitur hoc dicit? Hic ipſe qui de ſacri-
ficijs locutus, de Chriſto diſſerens hoc quoque ali-
cubi dicit: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Pſal. 109.
Deinde ne quis de vulgarium hominum aliquo
ſuſpicaretur illud eſſe dictum, nō dicit hoc Eſaias,
neque Hieremias, neque quiſquam alius prophe-
ta priuatæ conditionis, ſed ipſe rex: vt intellige-
res quòd non poſſit hominem appellare ſuum Do-
minum, ſed Deum ſolum. Nam ſi priuatus fuiſſet,
fortaſſis aliquis improborum dixiſſet illum de ho-
mine loqui. Quomodo enim ſi de quopiam homi-
num hæc locutus fuiſſet Dauid, dixiſſet quòd ho-
mo à dextris conſedit ineffabilis ac ſummæ illius
maieſtatis? Hoc enim impoſſibile. De hoc verò ait:
*Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: Donec po-
nam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum.* Deinde ne
putares eum imbecillem eſſe, minuſque poten-
tem: *Tecum*, inquit, *principatus eſt in diebus potentiæ* Ibidem.
tuæ. Manifeſtius etiam declarans, addidit: *Ex vte-
ro ante luciferum genui te.* Ante luciferum nullus
hominum fuit genitus, *Tu ſacerdos in æternum ſe-* Ibidem.
cundùm ordinem Melchiſedech. Non dixit ſecundùm
ordinem Aaron. Proinde percontare Iudæum, ſi
ſacerdotium vetus non eſt antiquandum, quam
ob cauſam induxit alium ſacerdotem ſecundùm
ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm ordi-
nem Aaron. Per hoc igitur ipſum rem euiden-
tiorem reddidit. Cùm enim dixiſſet de Chriſto,
quemadmodum & alibi loquitur: *Tu es ſacerdos in* Hebr. 7.
æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſubiunxit, *de
quo multus nobis ſermo, & enarratu difficilis.* Deinde
cùm increpaſſet diſcipulos, (dicendum eſt enim
breuiter) ait: *Quis eſt ille Melchiſedech?* & adducit Ibidem.
hiſtoriam quæ loquitur hoc modo: *Hic occurrit Ab-
rahæ reuertenti à conciſione regum, benedixitque illi, cui &
decimas impartitus eſt* Abraham. Poſt aperiens con-
ſiderationem figuræ: *Contemplamini autem quan-* Ibidem.
tus ſit iſte, inquit. Hoc autem non ſimpliciter di-
xit, ſed oſtendere cupiens, quòd maius ſit ſacerdo-
tium noſtrum quàm Iudæorum, atq; in ipſis typis
præueniens rerum excellentia declaratur. Nam
Abraham Iſaac erat pater, auus Iacob, proauus Le-
ui, ſiquidem Iacobi filius erat Leui. Ex Leui ſacer-
dotium apud Iudæos ſumpſit originem. Verū hic
Abrahā progenitor Leuitarū ad Iudaicorū ſacer-
dotū, ſub Melchiſedech, qui typum gerebat no-
ſtri ſacerdotij, laici locum obtinuit, idque duplici
modo declarauit. Primum quòd illi dederit deci-
mas. Nam laici ſacerdotibus dabant decimas. De-
inde quòd benedictionem acceperit ab eo. Etenim
laici à ſacerdotibus benedictionem accipiunt.
Rurſum conſidera quanta ſit excellētia noſtratis
ſacerdotij, quandoquidem Abraham patiarcha
Iudæorū, progenitor Leuitarum, cōperitur bene-
dictionem accipere à Melchiſedech, illiq; dare de-
cimas. Nā horum vtrumque narrat vetus teſtamē-
tum, & quòd Melchiſedech benedixit Abrahæ, &
quòd decimas ab eo acceperit. His igitur in mediū
adductis Paulus dicebat: *Conſiderate quantus eſt iſte.* Ibidem.
Quis? *Melchiſedech*, inquit, *cui etiam decimas Abraham
ex præcipuis dedit, ipſorum patriarcha. Et quidem hi*

qui ſunt

qui ſunt ex filijs Leui, ſacerdotium accipientes, mandatum habens, vt decimas accipiant à populo, hoc eſt à fratribus ſuis, quamquam egreſſis è lumbis Abraha. Quod autem dicit tale eſt: Leuitæ, inquit, qui apud Iudæos ſunt ſacerdotes, mandatum acceperunt iuxta legem, vt decimas acciperent ab alijs Iudæis, attamen omnes Leuitæ progeniti ſunt ex Abraham, quemadmodum & reliquus populus, nihilominus decimas accipiunt à fratribus ſuis. Melchiſedech verò qui non ducit originem ab illis, neque enim ex Abraham progenitus erat, neque ex tribu Leuitica, ſed ex alio genere, decimauit Abraham, hoc eſt, decimas accepit ab Abraham: nec id ſolum, verùm & aliud quiddam fecit. Quid autem hoc? quòd eidem, qui promiſſiones habebat, videlicet Abrahamo, benedixerit. Et quid hoc inquis, ſignificat? quòd hoc ſacerdotium illo multò ſit inferius. Quomodo? Citra omnem controuerſiam quod minus eſt, à maiore benedictionem accipit. Itaque niſi Abraham progenitor Leuitarum fuiſſet inferior Melchiſedech, nequaquam ille huic benedixiſſet, neque hic illi decimas dediſſet. Deinde volens oſtendere quòd per Melchiſedech aduenerit hoc ſacerdotium, ſubiecit, dicens: *Et, vt ita loquar, hoc eſt, propemodum, per Abraham etiam ipſe Leui, qui decimas accipiet, decimatus eſt.* [Heb. 7.] Quid eſt, decimatus eſt? Decimas dedit Melchiſedech & ipſe Leui, qui nondum erat genitus per patrem ipſius, inquit. *Adhuc enim in lumbis patris erat cùm occurreret Abraha Melchiſedech.* [Ibid.] Nam ideò hoc occupans dixit. Cuius igitur cauſa hæc dicebat? Subijcit dicens: *Si conſummatio igitur erat per Leuiticum ſacerdotium, populus enim ſub illo legem accepit, quid opus erat deinde ſecundùm ordinem Melchiſedech exoriri alium ſacerdotem, qui non dicatur iuxta ordinem Aaron?* Quid autem eſt quod dicit? Si res, inquit, erant perfectæ quæ gerebantur apud Iudæos, neque lex vmbra futurorum bonorum, ſed ipſa totum efficiebat, nec futurum erat vt cuiquam alteri concederet, neque vt ſacerdotium prius ceſſaret, qua de cauſa Propheta dixit: *Tu es ſacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech?* dicendum enim erat, ſecundùm ordinem Aaron. Et idcirco ait: *Si conſummatio per Leuiticum ſacerdotium erat, quid deinde opus erat ſecundùm ordinem Melchiſedech exoriri ſacerdotem alium, qui non diceretur ſecundùm ordinem Aaron?* [Ibid.] Ex hoc enim liquet, quòd illud finem acceperit, & aliud in illius locum inductũ ſit multò melius ac ſublimius. Hoc autem euicto, ſimul & illud in confeſſo eſt, quòd alius etiam vitæ ſtatus ſacerdotio congruẽs, ſimul inducendus eſſet, neque non legiſlatio melior, nimirum noſtra. Quod ſanè demonſtrans Paulus, dicebat: *Translato enim ſacerdotio, neceſſariò fit & legis tranſlatio.* [Ibid.] Quoniam autem pleraque legalia circa ſacerdotij miniſterium conſiſtebant, prius autem ſacerdotium profligatum eſt, nimirum alio in illius vicem inducto, legationem etiam meliorem in illius locum induci oportuit. Poſt hæc declarans de quo hæc dicat, ait: *De quo enim dicuntur hæc, alterius tribus particeps fuit, ex qua nullus vacabat altari. Manifeſtum eſt enim quòd ex Iuda exortus eſt Dominus noſter, in quam tribum nihil de ſacerdotio Moyſes locutus eſt.* [Ibid.] Cùm igitur clarum ſit Chriſtum ex illa eſſe tribu, nimirum ex Iuda, & ſacerdotem iuxta ordinem Melchiſedech, porrò Melchiſedech eſſe multò honorabiliorem Abrahamo, nimirum & illud vndiquaque conſtat, quòd etiam aliud pro alio inducitur ſacerdotium, multò quàm prius fuerat ſublimius. Nam ſi typus talis etiam Iudaico ſacerdotio ſplendidior erat, multò magis ipſa veritas: quod tractans idem Apoſtolus dixit: *Amplius adhuc manifeſtum eſt, ſi ſecundùm ſimilitudinem Melchiſedech exoritur alius rex, qui non ſit iuxta legem præcepti carnalis, ſed iuxta virtutem vitæ incorruptibilis,* [Ibid.] quòd nullũ illius præceptum erat carnale. Non enim oues mactare, neque vitulos iuſſit, ſed virtutem animi curare, & hoc pacto Deum colere, & horum præmia vitam nobis deſignauit, quæ numquam corrumpetur. Ac rurſum mortuos nos ſub peccatis veniens ſuſcitauit, & in vitam reduxit, deſtructa duplici morte, altera peccati, altera carnis. Quoniam igitur venit, propter hoc dicit: *Non iuxta legem præcepti, ſed iuxta virtutem vitæ incorruptibilis.* Iam igitur & illud quod reſtabat demonſtratum eſt, quod tranſlato ſacerdotio, legis quoque tranſlationem fieri conueniebat. Attamen & hoc ipſum expreſſè licebat demonſtrare, prophetaſque teſtes rurſus adducere, quòd & lex eſſet tranferẽda, quòd reipublicæ ſtatus in melius tranſmutandus, & quòd numquam rex aliquis Iudæus exoriturus ſit. Verũ quoniam tantum eſt dicendum, quantùm auditor poſſit capere, nec omnia ſimul, nec aceruatim, illis in aliud tempus diſpenſatis, hic ſermonem finiemus, exhortãtes veſtram charitatem, memineritis eorũ quæ dicta ſunt, & hæc illis quæ prius dicta ſunt, annectatis: quodque prius rogauimus, idem & nunc rogamus, vt fratres veſtros reducatis ad ſalutem, multám ſollicitudinem habeatis pro membris neglectis. [Hortatur ad fraternam correctionẽ.] Propter hoc enim nos tantum laborũ ſuſcipimus: non vt vulgari more loquamur, neque vt plauſum ſtrepitumque feramus: ſed vt auulſos ad viam veritatis reducamus. Ac ne quis mihi dicat, nihil mihi cum eo eſt negotij, vtinam cõtingat mihi mea ipſius negotia rectè gerere. Nemo ſuum ipſius negotium rectè gerere poteſt neglecta proximi ſalute, propter hoc & Paulus ait: *Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quiſque quod alterius:* [1 Cor 10] ſciens quòd ſua cuiuſque vtilitas in proximi vtilitate ſita eſt. Sanus es tu, ſed oculus tuus infirmatur: hoc eſt, eſt ægrotus. Itaq; ſi verè ſollicitus fueris pro ægrotante, magis dolebis, & imitaberis in hoc quoq; beatum illum, qui dicit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non vror?* [2 Cor. 11] Etenim ſi cùm duos obolos dederimus, paulumque pecuniæ inſumpſerimus in pauperes, gaudemus: ſi poterimus animas ſeruare, quantò maiorem voluptatis fructum capiemus? quantum autem in futuro ſeculo recipiemus gaudium? Nam ibi quoque quoties conueniemus, multam capiemus voluptatem ex congreſſu, reminiſcentes officiorum, quæ viciſſim alij in alios præſtitimus. Deinde cũ illos cõſpexerimus ad tribunal illud metuendum, multæ fiduciæ participes erimus: & quemadmodũ qui iniuria afficiunt, qui vſurpant aliena, qui rapiunt, qui mala innumera proximis inferunt, cùm illuc venerint, eoſque viderint qui hæc paſſi ſunt, (videbunt enim, videbunt inquam, omnino, id quod perſpicuum eſt & ex diuite illo, & Lazaro) neque os aperire poterunt, neque habebunt quod dicant aut excuſent, ſed multo pudore, magnaq; condemnatione repleti ex illorum aſpectu, ad ignea flumina adducẽtur. Itidem qui bene viuunt, qui docent, qui inſtituunt, vbi viderint eos quos ſeruauerunt, illic patrocinantes ipſis, multa fiducia replebũtur. Et hoc Paulus declarans, dixit: *Gloria veſtra ſumus, quemadmodum & vos noſtra.* [1 Cor. 1.] Quando hoc? In die domini noſtri Ieſu Chriſti. Ac rurſus Chriſtus exhortatur, dicẽs: *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, accipiãt vos in æterna ſua tabernacula.* [Luc. 16.] Vides quòd multa fiducia nobis contingit ab his, quos hic noſtro beneficio iuuerimus. Quòd ſi vbi pecunia dũtaxat inſumitur, tot ſunt coronæ, tanta merces, tãta remuneratio: vbi iuuatur anima, qui fieri poteſt, vt non multa magnaque nobis contingant bona? Etenim ſi Tabitha illa quæ viduas veſtiebat, quæ paupertati ſubueniebat, à morte in vitã reuocata eſt, [Act. 9.] & lacrymæ eorum qui beneficijs affecti fuerant animã in corpus reduxerunt, cùm nondum veniſſet reſurrectio: qui facient hominum lacrymæ per te ſeruatorũ? Quemadmodũ enim hãc circumſtãtes viduæ viuam ex mortua reddiderunt, ſic & te tunc circumſtantes, qui nunc per te ſeruati fuerint,

rint,efficient vt multam experiaris humanitatem, A & ex incendio gehennæ eripient. Hæc igitur ſciẽtes, non ad præſentem horam tantùm feruidi ſimus & vigilantes, ſed ignem quem habetis nunc, excitate, egreſſi foras, luſtranteſq́ue curate ſalutem ciuitatis. Quod ſi ignoretis, diſquirite vbi ſint qui his malis ægrotant. Sic enim & nos vobis promptius lubentiuſq́ue loquemur, ipſis factis cognoſcentes quòd non in petram ſemen iacimus,& vos ipſi circa virtutis exercitationem eritis alacriores. Quemadmodum in pecunijs,qui duos lucratus eſt aureos,procliuis eſt ad decem, ad viginti colligendos congregandoſq́ue. Sic vſuuenit & in virtute,qui fecerit bonum opus, officiúmve præſtiterit, extimulationem aliquam aut exhortationem ad agendum ſumit, vt alia quoque benefacta aggrediatur. Vt igitur & fratres ſeruemus, & nobis veniam pro peccatis,imò potius multam fiduciam reponamus, denique curemus & illud, vt à cæteris omnibus nomen Dei glorificetur, cum vxoribus,liberis,& famulis ad hunc venatum & indagi- B nem egreſſi, extrahamus è diaboli laqueis captos ab illo iuxta ipſius voluntatem: nec priùs deſiſtamus,quàm quidquid per nos præſtari poterit, præſtiterimus,ſiue pareant,ſiue non pareãt. Quin potius impoſſibile eſt vt Chriſtiani cùm ſint,non pareant: ſed ne vel hanc excuſationem habeatis, illud dico: Si poſtquàm multa verba exhauſeris, & quidquid per te præſtari poterit, expleueris, videris illum non obtemperare, adducito ad ſacerdotes,& omnes per Dei gratiam potientur venatu, totumq́ue tuum erit,qui illum adduxeris. Expedit vt hæc & vxores dicãt viris, & viri vxoribus, & filij parẽtibus,& patres filijs,& amici amicis. Diſcant hæc & Iudæi,& ij qui nobis quidem coniuncti videntur,ſed cum illis ſentiunt,quòd nobis aliquod ſtudium eſt, ac ſollicitudo, vigilantiaque pro fratribus noſtris ad illos vltrò currentibus. Et omnes ante nos, illos corrigent, qui cùm noſtræ profeſſionis ſint,tamen illò commeant. Quin C potius nemo poſthac auſurus eſt ad illos confugere,ſed erit corpus Eccleſiæ purum. Deus autem qui vult omnes homines fieri ſaluos,& ad agnitionem veritatis venire, & vos ad iſtum venatum corroboret, & illos ab hoc errore liberet. Denique cunctos ad ſalutem reuocatos dignos reddat cælorum regno, in gloriam eiuſdem Domini noſtri ac ſaluatoris Ieſu Chriſti,cui gloria & imperium, nunc & ſemper,& in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Eiuſdem aduerſus Iudæos.

ORATIO V.

PRæterijt ieiunium Iudæorum,imò potius ebrietas Iudæorum. Eſt enim & abſq; vino ebrietas, D eſt & in ſobrietate temulẽta luxurioſaq́; comeſſatio. Quòd ſi nemo poſſet abſque vino temulentus eſſe,nequaquam Propheta diceret: Væ ijs qui ebrij ſunt,& non à vino: ſi non eſſet ſine vino, ebrietas, haudquaquã dixiſſet Paulus: *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Nam quemadmodum vino,ſic & alio modo poſſit aliquis inebriari. Eoq́; dixit, *Nolite inebriari vino.* Eſt enim ebrietas & in ira,& in abſurda cõcupiſcentia,& in auaritia,& in amore gloriæ,deniq; in alijs innumeris affectibus. Erietas enim nihil aliud eſt,quàm excidiſſe à recta ratione, deliratioq́; & ſanæ mentis priuatio. Non ſolùm igitur qui multũ exhaurit merũ, verumetiam qui alium quempiam morbum alit in animo vehementer ebrius eſſe iudicabitur. Etenim qui mulieris alienæ tenetur amore,qui ſcortis vacat,ebrius eſt. Et quẽadmodum is qui multũ ebibit merum, ſeſeq́ue ingurgitauit,illiberales voces effundit, aliudq́ue pro alio videt: ſic & hic veluti mero quopiam,ſua cupiditate repletus, neque ſana profert verba, ſed obſcœna omnia,ſed pernicioſa, ſed illiberalia, riſuſq́; plena,aliaq́; pro alijs videt,cæcutiẽs ad ea quæ cernuntur. Quòd ſi cui mulieri ſtuprũ inferre concupiſcit,hanc vbiq; imaginans,non aliter quàm mẽte captus,ac delirans,in conuenticulis,in cõuiuijs, in omni tempore,in omni loco,& ſi innumera hominum millia ipſum alloquantur,ne audire quidẽ videtur,ſed ad illam tãtùm intẽtus eſt animus,nec aliud ſomniat quàm peccatum, habetq́ue ſuſpecta omnia,metuit omnia,nihilo melior animãte quod alligatum ſcutica impellitur. Rurſuſq́ue quem tenet ira,ebrius eſt. Similiter & huic turget facies, vox fit aſperior, oculi fiunt ſanguinolenti, mens obtenebratur,prudentia ſubmergitur, lingua tremit,oculi intorquentur,aures alia pro alijs audiũt, nimirum ira longè grauiùs,quàm vllũ merum ſoleat,percellente cerebrũ,tempeſtatem concitãte, turbationemq́; gignente inſedabilem. Quòd ſi ebrius eſt, quem tenet concupiſcentia iráve: multò B magis homo impius & in Deum blaſphemus,illiuſq́ue legibus repugnans, quiq́; hanc intempeſtiuã Iudæorum pertinaciam nunquam vult effugere, ebrius eſt,inſanitq́ue, deterius affectus quã ij qui comeſſantur,quiq́ue mẽte capti ſunt, licet ipſe morbum ſuum non ſentire videatur. Nam id maximè cõuenit ebrietati,etiam ſenſu vacare malorũ, quæ turpiter committit. Quemadmodum igitur illud eſt grauiſſimum in mente captis & attonitis, quòd cùm ægrotent,nec hoc ipſum ſentiãt ſe eſſe ægrotos: & ſic Iudæi, nunc cũ ſint ebrij,non ſentiunt tamen morbum ſuum. Præterijt igitur illorum ieiunium, quauis ebrietate fœdius. Nos autem ne remittamus pro fratribus noſtris ſollicitudinẽ,neque poſthac exiſtimemus vllam illorum curam eſſe importunam: ſed quemadmodum faciunt milites, vbi Simile. commiſſo prælio verterint in fugam aduerſarios, ab inſectatione redeuntes, non protinus currunt ad tabernacula,ſed prius ad conflictus locum profecti,tollunt eos qui ex ipſorum numero cæſi ſunt, C ac vita quidem defunctos terra occulunt: cæterùm ſi quos viderint inter mortuos ſpirãtes adhuc, nec lethale vulnus habentes, ijs in tentoria ſublatis, multam adhibent curationẽ, extracto telo, accerſitis medicis, abſterſo ſanguine, pharmacis porrectis,reliquaq́; omni curatione admota ad ſanitatem reducũt. Et nos igitur quoniã opitulante Dei gratia Iudæos perſecuti ſumus, armatis aduerſus illos vndiquaque prophetis, reuerſi ad nos videamus, nũ qui fratrum noſtrorũ ceciderint,num qui ab ieiunio intercepti ſint, nũ qui illis in feſto cõmunicauerint: ac neminem quidem tradamus ſepulturę, ſed potius ſublatos omnes curemus. Nam ſub externis quidem hoſtibus,qui ſemel conciderit, animamq́; efflarit,fieri non poteſt vt miles eum recuperet,& ad vitam reuocet. Cæterùm in hoc bello D prælioq́;,etiamſi quis lethale vulnus acceperit, fieri poteſt vt auxiliante nobis Dei gratia eum ad vitã reducamus. Non enim hæc naturæ mors eſt, quemadmodum illa,ſed voluntatis ac propoſiti. Voluntatem autem mortuam licet denuò ſuſcitare, animæq́ue morti datæ perſuadere licet,vt ad ſuam vitam redeat,ſuumq́ue dominum agnoſcat. Agite ne defatigemur fratres,neque delaſſemur, neque deſiſtamus, neque quiſquam illa verba dicat, quòd ante ieiunium illis cauere oportuerit, omnemq́ue mouere lapidem: nunc verò poſteaquam ieiunatũ eſt, poſteaquam peccatum admiſſum eſt, poſteaquam iniquitas conſummata eſt, quæ ſupereſt vtilitas? Etenim ſi quis nouit quid ſit fratri conſulere, nouit & illud, quòd nunc potiſſimum oporteat admouere manus, omneq́ue ſtudium impendere. Neque enim tantùm ante peccatum admiſſum conuenit fratris ſaluti cauere, verùm & poſt lapſum manus porrigẽdæ ſunt. Etenim ſi Deus ab initio feciſſet iſtud, tãtumq́ue nobis conſuluiſſet ante

Ebrietas metaphorica in alijs peccatis.

Epheſ. 5.

pecca-

peccatum, poſt peccatum neglexiſſet hominem, A
paſſuſque fuiſſet perpetua in ruina iacere: nullus
adhuc noſtrũ vnquam ſalutem fuiſſet cõſecutus.
Verùm hoc non facit Deus, quippe amans humani generis ac mitis, noſtræque ſalutis auidiſſimus.
Quin & poſt peccata multam præſtat ſollicitudi-
Gen. 2. nem, quãdoquidem & Adæ cauit ante peccatũ, dicens, è quouis ligno quod eſt in paradiſo comedes: comedes: è ligno verò cognitionis boni maliq; nõ comedetis, ſed quocumque die comederitis, morte moriemini. Ecce & facilitate legis, & largitate conceſſorum, & acerbitate ſupplicij, & ipſo fine illationis proſpexit ne peccaret. Non enim dixit, poſt vnum aut duos tres've dies, ſed in ipſo die quo comederitis, morte moriemini. Denique cunctis quibus cauere oportuit modis, cauit homini: attamen vbi poſt tantam prouidentiam, eruditionem, exhortationem, beneficentiam lapſus eſt, nec obtemperauit iuſſis diuinis, non dixit Deus, quæ iam reſtat vtilitas. Comedit, cecidit, tranſgreſſus eſt
legem, credidit diabolo: deſpexit præceptum Dei, B
accepit vulnus, mortuus eſt, neci traditus eſt, in damnationis ſententiam incidit. Quid poſthac eſt quod illi loquamur? Nihil horum dixit, ſed protinus ad illum venit, allocutus eſt, conſolatus eſt, ac rurſus aliud admouit remedium, videlicet laborẽ ac ſudorem: nec priùs deſtitit omnia facere, conari omnia donec naturam collapſam reſtituiſſet, atq; à morte liberaſſet, & ad cælum prouexiſſet, maioraque quàm perdiderat homini bona dediſſet: factis ipſis docens diabolum, quòd his inſidijs nihil profeciſſet, ſed quòd homines eiectos à paradiſo, paulò poſt viſurus eſſet in cælis angelis permixtos. Idem fecit de Cain. Siquidem & illius, priuſquam peccaret, cauerat ſaluti, denuntiato peri-
Gen. 4. culo, dicens: *Peccaſti, quieſce, ad te conuerſio illius, & tu illius dominaberis.* Vide ſapientiam prudentiamque Dei. Hoc metuis, inquit, ne te frater ſpoliet prærogatiua primogenitorum, propterea quòd mihi charus eſt, ne principatum ſibi vſurpet tibi
debitum. Nam primogenitos, poſterius genitis C
oportebat honorabiliores eſſe. Bono, inquit, animo ſis, ne metue, ne hac de cauſa deſpondeas animũ: ad te conuerſio eius, & tu dominaberis illius. Quod autem dicit hunc habet ſenſum: Mane in honore primogeniti, & eſto fratri tuo refugium, vmbraculum, ac patrocinium, imperaque & dominare illius, tantùm ne ad parricidium proſilias, neque ad impiam illam feraris occiſionem. Verùm ne ſic quidem auſcultauit, neque conquieuit, ſed cæde ſemet inquinauit, dexteram in fraternum immiſit iugulum. Quid igitur? num dixit Deus, Sinamus illum in poſterum? Quis poſthac erit profectus? Perpetrauit parricidium, mactauit fratrem, contempſit admonitionem meam, inſanabile minimeque condonandum homicidium auſus eſt perpetra-
re, talique ac tanta dignatus ſollicitudine mea, D
eruditione, conſilio, cuncta illa propulit ex animo, nec vlla ratione conuerſus eſt. Deſeratur igitur in poſterum, ac proiectus eſto, nec vllo meo reſpectu dignus habeatur. Nihil tale Deus nec dixit, nec fecit, ſed ad illum venit denuo, & corrigit homi-
Ibidem. nem, dicens: *Vbi eſt Abel frater tuus?* Ac ne inficiantem quidem deſerit, ſed vel inuitum adigit ad fa-
Ibidem. cinoris confeſſionem: cumque ille dixiſſet, *Neſcio: num cuſtos fratris mei ſum ego?* ait, *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ipſæ, inquit, res prædicant te homicidio inquinatum. Quid ille? Maius eſt peccatum meum quàm vt mihi remittatur, etſi eijcias me de terra, etiam à facie tua occultabor. Huius ſermonis ſententia ſic habet: Grauiora quidẽ cõmiſi, quàm vt veniam mereatur, aut excuſari poſſint, aut condonanda ſint: ſed ſi velis vrgere quod factũ eſt, omnibus obijciar, tuo auxilio deſtitutus. Quid igitur Deus? Non ſic, inquit, imò quiſquis occiderit Cain, ſeptẽ vindictas perſoluet. Ne metuas, inquit, hoc, viues longam vitam. Si quis te occiderit, obnoxius erit multis ſupplicijs. Nam ſeptenarius numerus in ſcripturis infinitæ multitudinis ſignificationem habet. Quoniam igitur Cain multis ſupplicijs obnoxius erat, anxietati, tremori, ſuſpirijs, deiectionibus animi, diſſolutioni corporis: Qui occiderit, inquit, te, & ab illis vinculis liberarit, ipſe in ſeſe vindictas accerſet. Ac videtur quidẽ id quod dicitur vehementer atrox eſſe, cũ contrà declaret domini beneuolentiã. Etenim Deus volẽs poſteros ad tẽperantiam adducere, tale ſupplicij genus excogitauit, quod Cain à peccato poſſet liberare. Nã ſi protinus illũ interfeciſſet, abijſſet quidem peccatum in ſeſe tectum ferens, neque poſteris vllo pacto fuiſſet cognitus. Nunc autem permiſſus multo tempore viuere in illo tremore, docuit obuios omnes ipſo aſpectu, vacillationeq; carnis exhortans ne quando ſimilia auderent, ne ſimilia paterentur, ſimul & ipſe redditus eſt melior. Nam tremor, & timor, ac vita cum anxietate peracta, corporiſq; diſſolutio, veluti vinculo quopiam cõſtrinxit illũ, neque permiſit denuo ad ſimile facinus prorũpere, & prioris aſſiduè cõmonefecit, & interim ipſius animam moderatiorẽ reddidit. Sed inter hæc loquenti mihi venit in mentem, vt in medium adducam, quæramque quamobrem tandem cùm peccatum ſuum eſſet confeſſus, factumque damnaſſet, dicẽs ſe maiora peccaſſe, quã vt veniam mereretur, nullaque excuſatione ſe dignum eſſe, non potuerit abluere peccata, cũ Pro-
pheta dicat: *Dic tu iniquitates tuas prior, vt iuſtificeris:* Eſai. 43.
ſed condemnatus fuerit? Quoniam non dixit quẽadmodum iuſſit Propheta: non enim ſimpliciter dixit, Dic tu iniquitates tuas, ſed ait, dic tu prior iniquitates tuas. Quod quæritur hoc eſt, non ſimpliciter eſſe dicendas, ſed priùs eſſe dicendas, non expectandam redargutionem accuſantis. Hic autem non dixit prior, ſed expectauit donec redargueretur à Deo, quin potius illo redarguente negauit. Poſtquam autem ſemel factum eſt peccatum palàm, tum dixit peccatum, quæ quidem non eſt confeſſio. Proinde tu quoque dilecte cùm peccaueris, ne expectaris vt ab alio accuſeris: ſed priuſquam accuſeris ac deferaris, tu condemna quæ facta ſunt. Nam ſi quis alius deinde te redarguerit, non iam confeſſionis eſt officium, ſed illius qui accuſat correctio. Quapropter & alius quiſpiã,
inquit: *Iuſtus ſuipſius accuſator eſt in principio ſermonis.* Prou. 18.
Itaque non hoc eſt quod quæritur vt accuſes teipſum, ſed vt prior teipſum accuſes, nec expectes ab alijs redargutionem. Petrus itaque poſt illam nefariam abiurationem, quoniam celeriter ſuum ipſius peccatum recordatus eſt, nulloque accuſante dixit peccatum, fleuitque amarè: adeò abluit illam
abnegationem, vt etiam primus Apoſtolorum fue- Math. 26
rit factus, ac terrarum orbem totum ſubiecerit. Luc. 22.
Sed quod dicebam (nam oportet ad id quod pro-
poſitum eſt reuerti) ſatis vobis ex his demonſtra- Correptionem
uit ratio, quòd non oporteat fratres lapſos negli- fraternã
gere neque contemnere, verùm proſpicere qui- docet.
dem illis ante peccatum, cæterùm etiam poſt peccatum multam erga illos præſtare curam. Itidem faciunt & medici: præſcribunt enim ac præcipiũt hominibus, quæ poſſunt illorum ſanitatem tueri, omnemque morbum excludere: cæterùm vbi neglexerint præſcripta, & in valetudinem aduerſam inciderint, non negligunt eos ipſi, ſed tũ maximè multam adhibent ſollicitudinem, quò illos morbo
leuent. Identidem & Paulus fecit, qui eũ qui ſtuprũ 1. Cor. 5.
commiſerat, poſt illud peccatum, quod ne inter gentes quidem inueniebatur, non cõtempſit: verùm etiam auerſantem, nolentemque confiteri peccatum, ſed ſubducere ſe parãtem ac reſilientẽ, reduxit ad ſanitatem: & ita reduxit, vt coniungeret corpori Eccleſiæ: neque dixit apud ſeſe, Quid ampliùs quæ vtilitas? Stuprum commiſit, pecca-

Digitized by Google

A tum perpetrauit, nec vult deſiſtere à laſciuia, verũ ſibi placet, & immedicabile vulnus reddidit: ſinamus igitur illum, ac deſeramus. Nihil horum dixit, ſed propter hoc ipſum maxime multa vſus eſt erga illum ſollicitudine, quod ad non referendam malitiam videbat illum eſſe delapſum: neque ceſſauit terrere, minari, punire, tum per ſeſe, tum per alios cõplures, nihil non faciens, nihil non tentans, donec illum ad agnitionem peccati perduxiſſet, ad ſenſum iniquitatis, poſtremò donec ipſum liberaſſet ab omni nota. Hoc ſanè facito tu quoq;, imitare Samaritanum illum, qui in Euangelio tantam erga vulneratum præſtitit ſollicitudinem. Etenim illic præterijt leuita, præterijt phariſæus, ac neuter deflexit ad iacẽtem, ſed inclementer crudeliterq; relicto ſeminece abierunt. Samaritanus autem quiſpiã, qui nulla ex parte illi coniũctus erat, non prætercurrit, ſed accurrens miſertus eſt, inſtillauit oleum & vinum, impoſuit aſino, duxit ad diuerſorium, pecuniam partim dedit præſentẽ, partim pollicitus eſt, pro eius qui nihil ad ipſum pertinebat curatione, nec dixit apud ſeſe: Quæ mihi cura eſt iſtius? Samaritanus ſum, nihil mihi cum illo, procul abſumus à ciuitate, & ille ne ingredi quidẽ poteſt. Quid autem ſi ferre non poſſit viæ lõgitudinem, mortuum afferam? capiendus ſum ob cædẽ, obnoxius ero homicidio. His ſanè de cauſis multi ſæpe prætereuntes ac vidẽtes homines vulneratos, prætereunt, nõ quod grauentur tollere, pecunijſq; parcant, ſed metuentes ne & ipſi pertrahantur in iudicium tamquam cædis rei: verùm humanus ille ac mitis nihil horum metuit, ſed his omnibus contemptis, impoſuit eum aſino, & in diuerſorium perduxit, neque quidquam harum rerum ſpectabat, non periculum, non pecuniarum impendium, non aliud præterea quidquam. Quòd ſi Samaritanus adeò humanus mitiſque fuit erga hominem ignotum, quam habituri ſumus nos veniam, ſi proprios fratres neglexerimus in malis grauioribus? Nam & iſti qui nunc ieiunauerunt, inciderunt in prædones Iudæos: imò veriùs omnibus prædonibus ſæuiores, quiq; grauioribus malis afficiunt eos qui in ipſos incidunt. Neque enim veſtes illorum lacerarunt, neque corpori inflixerunt vulnera, quemadmodum illi tunc fecerant; ſed animam ſauciarunt, multiſque vulneribus illis inflictis ſic abierunt, illos relinquentes in fouea peccati iacentes. Ne igitur diſſimulemus talem tragœdiam calamitatemque, neq; prætereamus inclementer tã miſerabile ſpectaculum. Quinetiam ſi alij hoc fecerint, tu ne feceris. Ne dixeris apud temetipſum, homo ſum mundanus, vxorẽ & liberos habeo, iſta ſacerdotũ ſunt, iſta monachorum. Neque enim Samaritanus ille hæc dicebat, Vbi nunc ſacerdotes? vbi nunc phariſæi? vbi Iudæorum doctores? ſed perinde quaſi venatum quempiam maximum nactus eſſet, ita lucrum arripuit. Et tu igitur cum videris aliquem egentem curatione vel corporis, vel animæ, ne dicito apud teipſum, quare ille & ille eum non curauerũt? ſed à morbo libera. Ne petas ab illis cauſas negligentiæ. Si inueneris aurum iacens, non dicis apud teipſum, quare ille aut ille hoc nõ ſuſtulerũt? ſed feſtinas ante alios rapere. Itidẽ & de fratribus collapſis cogita, putatoq; te theſaurum reperiſſe, nimirum occaſionem illis medendi. Etenim ſi inſtillaueris illi velut oleum ſermonis doctrinam, ſi obligaueris humanitate temperantiaq; vulneratũ, ſi ſanaueris, ille te faciet ditiorem quouis theſauro. Qui enim eduxerit pretioſum ex indignitate, *tamquam os meum erit*, inquit ille. Quid huic poterit æquiparari? Quod neque ieiunium, neq; humi peractæ cubationes, neq; peruigilia, neq; aliud quippiam poteſt efficere, efficit fratris procurata ſalus. Cogita quàm multa tuum os frequenter peccauerit, quàm multa verba obſcœna protulerit, quàm multa conuitia, quàm multa maledicta euomuerit, & omnino ſuſcipies collapſi curam. Nam hoc vno benefacto omnem illam delere maculam poteris. Et quid dico delere? facies vt ſit os tuum ſicut os Dei. Quid huic honori poſſit æquiparari? Non enim ego iſta polliceor, ipſe Deus hoc dixit. Si vnũ quempiam eduxeris, inquit, vt os meum erit os tuũ, purum, ſanctumque. Ne igitur negligamus fratres, neque prætereũtes dicamus, quàm multi ſunt qui ieiunant, quàm multi intercepti ſunt, ſed curam habeamus illorum, etiãſi multi ſint qui ieiunarũt, tu ne traducas, néve in fabulam vertas Eccleſiæ calamitatem, ſed medere potius. Et ſi quis dixerit, multi ieiunarunt, obtura illi os, ne fama diuulgetur, eiq; dicito: Ego quidem non noui, deceptus es homo, mentiriſque dicens illos eſſe multos. Ac delatori quidem impone ſilentium, cæterùm eos qui intercepti ſunt ne neglexeris: vt vtrinq; multa ſecuritas contingat Eccleſiæ, tum ex eo quòd fama non ſit euulgata, tuum inde quòd eos ipſos interceptos ad ſacrum gregẽ reduxeris. Ne igitur obambulantes referamus qui peccauerint, ſed feſtinemus vt eos qui peccarunt, corrigamus. Eſt enim praua conſuetudo tantùm accuſare fratres, nec illorum curam habere, traducere mala infirmorum, nec mederi. Auferamus igitur hanc prauam conſuetudinem chariſſimi. Neque enim ea mediocrẽ peſtem inuehit. Et quo pacto? ego dicam. Audiuit aliquis ex te quòd multi cum Iudæis ieiunauerint, minimeque expendens quo animo dixeris, in aliud id quod dictum eſt, detorſit: rurſus ille parùm attẽtus, alteri hoc ipſum elocutus eſt, deinde paulatim hac mala fama increſcente, magnum quidem probrum offunditur Eccleſiæ: his verò qui pereunt nulla affertur vtilitas, quin potius grauiſſima noxa, tum his, tum alijs. Etiamſi pauci fuerint, nos tamen eos rumoribus malis multos facimus: & eos qui ſtant, imbecilliores reddimus: & eos qui ad caſum procliues ſunt, impellimus. Frater enim audiẽs eſſe multos qui ieiunarunt, ipſe negligẽtior erit. Deinde rurſus qui infirmior eſt, hoc audito accurret ad multitudinem eorum qui ceciderunt. Ne igitur vel ſuper hoc, vel ſuper alio quouis improbo facto gaudeamus, etiamſi multi fuerint peccatores, traducere eos, ac dicere multos eſſe, ſed potiùs obturemus os, & coerceamus. Ne mihi dixeris, multi ſunt qui ieiunarunt, ſed corrige multos. Non ideo mihi conſumptum eſt tantũ verborum, vt accuſes multos, ſed vt ex multis facias paucos, imò potiùs ne paucos quidem, ſed & hos ipſos etiã ſanes. Ne itaque traduxeris peccata, ſed medere. Quemadmodum enim qui traducunt, & in hoc tantùm vacant, etiamſi pauci fuerint qui peccauerũt, faciunt vt multi eſſe putentur: ſic qui cohibent ac ſilentiũ imponunt traductoribus, lapſorumque curam habent, etiamſi multi fuerint, & eos ipſos facilè corrigũnt, nec quemquam ſinunt ex horum fama lædi. Non audiſtis quòd Dauid deplorans Saulem, dixit: Quomodo ceciderunt potentes? *Ne annuntiaueritis in Geth, neque prædicaueritis in vijs Aſcalonis, ne lætentur filiæ incircumciſorum.* Quòd ſi ille rem manifeſtam noluit traduci, ne aduerſarijs gigneret voluptatem: quantò magis non oportet hæc efferre ad aures alienas, ſed potiùs ad noſtras, vt neque hoſtes audientes gaudeant, neque noſtri re cognita concidant, ſed oportet cohibere rumorem, & vndiquaque compeſcere. Ne mihi dixeris, hoc illi dicebant, apud te ipſum contine verbum. Quemadmodum tu non poteras tacere, ita nec ille poterit hæc apud ſeſe continere. Hæc non de hoc præſente tantùm ieiunio dico, ſed de cæteris etiã innumerabilibus peccatis: Ne hoc conſideremus tãtùm, an multi ſint abrepti: ſed illud conſideremus, quomodo illos reducamus, ne exaggeremus res hoſtium, ac noſtras deijciamus: ne illos potentes oſtendamus, noſtras verò res imbecilles: ſed omnia potius contrarium faciamus. Nouit etiam

Marginal notes: Luc. 10. — In correptione fraterna nõ eſt bona excuſatio dicere hoc aliorum eſſe. — Hier. 15. — Peccãtes non ſunt accuſandi ſed corrigendi. — Quærendũ expediat publicare turbã peccantium. — 2. Reg. 1.

famá vel deijcere, vel erigere animum. Ideoque moneo vt illos rumores augeamus, qui res noſtras attollunt, magnaſque videri faciunt: non autem illa fratres exaggeremus, quæ toti ſodalitati dedecus offundunt. Contrà, ſi quid audierimus boni, apud omnes proferamus: ſi quid verò mali prauique, apud nosipſos occultemus, idque vt tollamus, nihil non faciamus. Et nunc obambulemus, curioſè ſcrutemur, contemplemur eos qui lapſi ſunt, etiamſi in ædes oporteat ingredi, ne grauemur. Quòd ſi ignotus fuerit, nec vlla ex parte ad te pertinens is qui cecidit, ſcrutare, eſto curioſus quẽ habeat amicum aut neceſſarium, & cui maximè obtemperet, hoc aſſumpto, ingredere in ædes, ne pudeſcas, neque erubeſcas. Si ingredereris pecuniam poſtulaturus, aut beneficium accepturus ab illo, æquum erat erubeſcere. Cæterũ cùm pro illius ſalute ingrediendi occaſionem ceperis, liberatus es ab omni crimine. Aſſide ſanè, loquere cum illo, alijs de rebus facto ſermonis exordio, quò correctio careat ſuſpicione. Dic mihi, laudáſne Iudæos eò quòd Chriſtum crucifixerint, quodque eum conuitijs afficiant, & legis tranſgreſſorem appellant? Profectò non ſuſtinebit ſi fuerit Chriſtianus, etiamſi millies Iudaizet, dicere, laudo: ſed obturabit aures, dicetque tibi, abſit. Bono animo ſis homo, quum ab ipſo ceperis conſenſum vnius proloquij. Rurſus aſſumito, dicens: Quomodo igitur cum illis, dic mihi, quomodo particeps es feſti? Quomodo cum illis ieiunas? Poſt hæc accuſa illorum improbitatem, expone omnem iniquitatem, quam ſuperioribus diebus narrabam apud veſtram charitatem, à loco, à tempore, à templo, à prædictione prophetarum redargui: oſtende quomodo fruſtrà & incaſſum omnia faciunt, nec vmquam ad priſtinum ſtatum redituri ſunt, quodque fas illis non eſt extra Hieroſolymam quidquam tale facere. Ad hæc commonefacias gehennæ, formidandi tribunalis Chriſti, eorum quæ noſtram cauſam illic vel leuatura, vel grauatura ſunt, quodque illorum omnium reddituri ſumus rationem, quòd vltio non parua repoſita eſt eis qui talia audent. Commonefacito & Pauli dicentis: *Quicumque in lege iuſtificamini, à gratia excidiſtis:* & rurſus comminantis. *Si circumcidamini, Chriſtus nihil vobis proderit:* dicitoque quòd quemadmodum circumciſio, ita & ieiunium Iudaicum è cælis expellit ieiunantem, etiamſi habuerit alia innumerabilia benefacta. Dic, quòd Chriſtiani propter hoc vocamur & ſumus, vt Chriſto pareamus, non vt ad hoſtes curramus. Quòd ſi prætexat curationes aliquas, dixeritque tibi, pollicentur remedium, ideo ad illos curro: patefacito illi impoſturas, incantationes, applicaturas, veneficia. Neque enim alio modo videntur mederi, neque enim verè medentur. Abſit. Quin ego quidem illud longè mirabilius dicam, etiamſi verè ſanarent, ſatius tamen eſſe emori, quàm ad Chriſti hoſtes accurrere, itaq; ſanari. Quid enim prodeſt curare corpus, anima pereunte? Quid autem lucri, aut quid ſolatij nanciſcamur, mox conijciendi in ignem æternum? Nam ne dicerent iſta, audi quid dicit Dominus: *Si extiterit propheta in te, aut ſomnium ſomnians, edideritq́, ſignum ac prodigium, euenerité, ſignum ac prodigiũ, ſicut locutus eſt, dixeritq́, eamus & ſeruiamus dijs alijs: ne auſcultetis prophetæ illi, quoniam tentat vos dominus Deus veſter, an diligatis ipſum ex toto corde veſtro.* Quod dicit tale eſt: Si quis, inquit, propheta dixerit, Poſſum excitare mortuum, mederi cæco, ſed obtemperate mihi, adoremus dæmones, immolemus idolis. Deinde ſi qui hæc loquitur, poſſit mederi cæco, aut excitare mortuum: nec iſta præſtanti credideris, inquit, eò quòd Deus tentans te, permiſit vt ille hoc poſſit, non quòd ille non noſſet tuum animum, ſed vt tibi probationis occaſionem exhiberet, an verè

Modus correctionis fraternæ faciendo.

Galat. 5.

In eos quia Iudæis curantur maleficijs &c.

Deu. 13.

A diligeres Deum. Eſt autem amantis, etiamſi exanimes ad vitam reuocent qui nos conantur ab amato diſtrahere, nequaquam tamen ab amato deficere. Quòd ſi hæc dixit Iudæis, multò magis ad maiorem ſapientiam inuitauit eos, quibus reſurrectionis oſtium aperuit, quibus præcepit ne in rebus præſentibus figerent amorem, ſed ſpes omnes ad vitam futuram transferrent. Sed quid dicis? Affligit te, premitque corporis morbus? Atqui nondum tanta paſſus es, quanta beatus ille Iob, imò ne minimam quidem partem malorum illius. Siquidem poſtquam ſimul interiſſent greges & armenta cum cæteris omnibus, in prædam abductus eſt, & puerorum totus chorus, eaque omnia vno die peracta ſunt, vt non modò natura calamitatum, verùm etiam perpetuitas deijcere poſſet athletam. Poſt hæc omnia vulnus accepit lethale, vidit vermes toto vndique corpore ſcatentes, nuduſque ſedit in ſterquilinio, B publicũ ijs qui aderant calamitatis ſpectaculũ, ille iuſtus, ille pius, ille ab omni malo opere abſtinens athleta. Ne hic quidẽ erat malorum finis, ſed dolores addebantur diuini pariter ac nocturni, nouaque quædam & admirabilis illum fames oppugnabat? Auenam, inquit, video cibum meum, probra quotidiana, ſcommata, riſus: Nam famuli, inquit, mei, & concubinarum mearum filij inſurrexerunt aduerſum me, & in ſomnis terrores, cogitationum perpetua quædam fluctuatio. Atqui vxor conſilium dedit, vt ab his omnibus malis liberaretur, ita loquens: *Dic aliquod verbum aduerſus Dominum, ac morere.* Dic, inquit, blaſphemiam, & ab vrgentibus malis liberare. Quid igitur? Num ſubuertit ſanctum illum virum mulieris conſilium? Imò contrarium fecit, magiſque ſibi ſumpſit alas, ſic etiam vt increparet vxorem. Potius enim duxit, maioribus affici cruciarique doloribus, innumeraque perpeti mala, quàm blaſphemia vlla tantorum malorum relaxationem conſequi. Itidem C & ille qui triginta octo annis detentus fuerat in infirmitate ſua, ſingulis annis currebat ad piſcinam, & ſingulo quoque anno repellebatur, nec aſſequebatur ſanitatem: ſed quotãnis cõſpiciebat alios ſanari, propterea quòd multos haberent à quibus curarentur, ſe verò quoniam nullos haberet qui ipſum exhiberent, in perpetua manere paralyſi. Ne hic quidem confugit ad diuinos, non adijt incantatores, aut proſilijt ad eos qui per applicaturas promittunt ſanitatem, ſed expectauit diuinam opem, eoque tandem admirandam quamdam & inauditam ſanitatem adeptus eſt. Lazarus autem cum fame, cum morbo, cum ſolitudine per omnem vitam colluctatus eſt, non triginta & octo annos verſatus in his, ſed per omne vitæ tempus. Si igitur & expirauit in diuitis veſtibulo iacens, contẽptus, irriſus, eſuriens, canibus obiectus pabulum. Sic au-D tem illius corpus debilitatum erat, vt nec canes irruentes vlceraque illius lingentes poſſet abigere. Haud tamen quærebat incantationem, non petala circumligauit, non expertus eſt impoſturas, non veneficos ad ſe vocauit, nec aliud quidquam vetitarum artium tentauit, ſed prius habuit illis immori malis, quàm vlla ex parte deſerere pietatem. Quàm igitur veniam nos impetrabimus, qui cùm illi in tantis malis perdurarint, ob febriculam, aut leue vulnus procurrimus ad ſynagogas, veneficos & impoſtores in ædes noſtras acceſſimus? Non audiſti, quid dicat ſcriptura? *Fili ſi accedis ſeruiturus domino, præpara animam tuam ad tentationem:* dirige cor tuum, & perdura in morbo ac paupertate: in illo fidens eſto. Sicut in igni probatur aurum, ſic homo fit acceptus in camino deiectionis. Si tu famulum flagris cæcideris, & ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis, illico prouocet ad libertatem, aut deſerat tuum dominium & ad alios quoſpiam ſeſe conferat, qui te oderint,

Iob. 2.

Ioan. 5.

Luc 16.

Eccli. 2. a ſimili.

Digitized by Google

eoſque in te concitet, dic mihi, num is abs te veniam impetraturus ſit? An quiſquam pro illo poterit eſſe patronus? Nequaquam. Quur ita tandem? Quoniam officium eſt heri, punire talem famulũ. Non ob id tantùm, verùm etiam ob hoc, quòd ſi fugiendum erat, non ad hoſtes & oſores Domini prioris oportebat fugere, ſed ad amicos & cognatos. Proinde tu quoque ſi videris te puniri à Deo, ne profugias ad inimicos Iudæos, ne magis etiam illos in te prouoces, ſed ad amicos illius martyres ac ſanctos, qui illi placuerunt, quiq; multam apud illum habent authoritatem. Sed quid loquor de famulis & heris? Filius non poterit hoc facere, nec abnegare cognationem quam habet cum patre. Nam & naturæ leges, & leges ab hominibus inſtitutæ, ſic præſcribunt, etiamſi flagris cædat pater, ſi à menſa depellat, ſi ædibus exigat, ſi quocumque modo puniat: iubent omnia fortiter perpeti, nec vllam illi veniam concedunt, ni paruerit pertuleritque. Etiam ſi filius cęſus innumeras querimonias deplorans proferat, hæc verba audit ab omnibus: B Pater eſt qui cæcidit, ac Dominus, habetque poteſtatem in te quod vult faciendi, & oportet omnia placidè ferre. Ergo famuli quidem ferunt dominos, filij parentes, frequenter & præter æquum punientes, tu verò non ſuſtines Deum te corripientem, qui plus habet in te iuris, vtpote verè Dominus, qui plus te diligit quàm pater, quique nihil per iracundiam, ſed omnia facit in tuam vtilitatem: ſed ſi leuis aliquis morbus acciderit, illico reſilies ab illius dominio, ad dæmones accurris, & ad ſynagogas confugis? Et quam tandem poſt hæc veniam conſequeris? Quo pacto valebis illum denuo tibi propitium reddere? Quin potius nec alius quiſquam pro te deprecari poterit, etiamſi tantum valeat apud Deum authoritate, quantum Moyſes. Non eſt, inquam, quiſquam qui hoc facere poterit. Non audis quid Deus loquatur ad Hieremiam de Iudæis:

Cap. 7. & 15.

Ne depreceris pro populo iſto, quoniam ſi ſurrexerit Moyſes & Samuel, non exaudiam illos. Adeò C ſunt peccata omnem remiſſionem ſuperantia, quæque nullam recipiant excuſationem. Itaque ne tantam in nos prouocemus iram, etiamſi videatur aliqui febrem incantamentis ſedare, non enim verè ſedant; tamen aliam in conſcientiam inducunt febrem, ratione ſingulis diebus ſtimulante, conſcientiaque flagellante ac dicente: Impiè feciſti, iniquitatem perpetraſti, violaſti fœdus cum Chriſto ictum, ob paululum bonæ valetudinis, pietatem deſeruiſti. Num tu ſolus hæc paſſus es? An nõ alij multò quàm tu acerbiora paſſi ſunt? Attamen nullus illorum tale quid auſus: tu verò mollis ac diſſolutus animam tuam oppignoraſti. Quomodo excuſaberis Chriſto? quomodo illum implorabis precibus? qua conſcientia poſthac ingredieris eccleſiam? quibus oculis videbis ſacerdotem? qua manu ſacram attinges mẽſam? quibus auribus audies ſcripturas quæ illic leguntur? D Quũ his ſtimulis quotidie ratio te punget vrgebitque, quum conſcientia flagellabit, rurſus ipſe dices: Quæ hæc eſt ſanitas, quum intus tam multas habeam cogitationes accuſatrices? Quòd ſi perduraueris pauliſper, eoſque qui vel incantationem aliquam canere voluerint, vel applicationes aliquas applicare corpori, multa etiam cum contumelia tuis ex ædibus eieceris: protinus ab ipſa conſcientia refrigerationem acceperis. Etiamſi millies exurat febris, anima tua quouis liquore, quauis irroratione meliorem vtilioremque mitigationem adducet. Quemadmodum enim poſtquam receperis incantationem, ſanuſque factus fueris, miſerius affectus es ijs qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem: ſic nunc quoque etiamſi febriciteris, innumeraque patiaris mala, repulſis impijs illis, quouis ſano melius eris affectus animo, geſtiente præ gaudio conſcientia, ac laudante te, probanteque ac dicente, euge, euge, heus homo Chriſti ſeruus, fidelis vir, athleta pietatis, qui malueris moleſtijs immori, quàm deſerere tuam pietatem, proximo ſecundùm martyres loco ſtabis in illo die: Quemadmodum enim illi præoptarunt cædi flagris torquerique, vt ad honorem peruenirent: ita tu quoque hodie præoptaſti flagellari torquerique à febri vulneribuſque, ne abijceres pietatem, non incantamẽtis, non applicaturis ac ſpeciebus iſtiuſmodi ineſcatus, neque ſenſu prementium dolorum deiectus. Nam etſi, te non auferat hæc febris, alia prorſus auferet, etſi nunc non moriamur, tamen poſthac moriemur. Mortale corpus ſortiti ſumus, non vt illius cupiditatibus obtemperantes impietatem amplectamur, ſed vt illius affectionibus ad pietatem abutamur. Hæc enim corruptibilitas, & hoc ipſum mortale corpus, ſi ſobrij fuerimus, nobis eſt materia probationis, multamque nobis in illo die præſtabit fiduciam, non autem in illo ſolùm, verumetiam in præſenti vita. Siquidem cùm eieceris incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc auditu collaudabunt, mirabuntur, & inter ſe dicent: Ille laborans ægrotanſque, plurimis exhortantibus, incantantibus, conſulentibus, vt magicis quibuſdam incantamentis vteretur, non acceſſit: ſed reſpondit, Satius eſt hoc pacto mori, quàm deſerere pietatem. Ad hæc conſequentur multi plauſus ab his qui audierint, cunctis ſtupentibus, Deum glorificantibus. Hoc quot ſtatuis erit tibi honorabilius? Quot imaginibus magnificentius, quanto honore inſignius? Omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te corona dignum iudicabunt. Præterea ipſi quoque meliores fient, ac viciſſim tuum exemplum æmulabuntur, imitabunturque fortitudinem, & ſi quis alius tale quippiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris author. Neque tantùm conſequentur laudes rectè factorum, verùm etiam celerrima morbi leuatio, quum ipſa tua præclara voluntate conciliante tibi Deum ad maiorem beneuolentiã, tum ſanctis omnibus gratulantibus tuæ promptitudini, atque ex intimo corde pro te preces fundẽtibus. Quòd ſi hic talia ſunt præmia fortitudinis huius, cogita quantas illic recipies coronas, quum angelis omnibus præſentibus, omnibus archangelis, Chriſtus adueniens prehenſa manu tua in medium te illud theatrum produxerit, cunctiſque audientibus dixerit: Hic homo quum aliquando febre correptus eſſet, multis ipſum exhortantibus, vt à morbo liberaretur propter nomẽ meum, ac reuerentiam quam habet erga me, ne quid offenderet meam bonitatem, omnes qui pollicebantur ipſi damnatarum artium præſidio ſanitatem, repulit, cumque ignominia reiecit, ac præoptauit emori potius morbo, quàm deſerere meam beneuolentiam. Etenim ſi eos qui ipſi potum dederunt, qui veſtierunt, qui cibum dederunt, in medium adducit: multò adducet eos qui propter ipſum optarunt obnoxij eſſe & affligi febri. Neque enim ſimile eſt dare panem ac veſtem, & morbum diutinum perferre. Imò hoc illo multò maius eſt. Quantò enim laboris ac doloris plus toleratum fuerit, tantò etiam corona erit magnificentior. Hæc & ſani meditemur, & ægrotantes inter nos colloquamur: & ſi viderimus noſipſos aliquando febri intolerabili correptos, illud apud noſipſos dicamus: Quid autem ſi nobis alicunde intentata lite ad tribunal rapiamur, moxque ſublatis nudentur latera, an non neceſſe fuerit omnino perpeti, idque nullo lucro nullaque mercede? Hoc & nunc cogitemus, propoſita ſit etiam tolerantiæ merces ſatis magna, vt leniat collapſum animum. Sed moleſta eſt febris. Verùm oppone illi incendium gehennæ, quod effugies omnino, ſi volueris iſtam febrim cum omni tolerantia perferre. Reputa tecum

Digitized by Google

A quàm multa paſſi ſunt apoſtoli, conſidera iuſtos perpetuò in afflictionibus fuiſſe, recordare beati Timothei, qui numquam ab aduerſa valetudine reſpirauit, ſed ab adoleſcentia iugi morbo erat obnoxius, idque Paulus declarans, dixit. [1.Tim. 5] *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum, ac frequentes infirmitates tuas.* Quòd ſi ille iuſtus, ille ſanctus, ille qui orbis præfecturam ſuſcepit, qui mortuos excitauit, qui dæmones abegit, qui morbos innumerabiles in alijs correxit, tam acerba paſſus eſt: quam excuſationem habebit qui tumultuatur ac deficit in morbis temporarijs? Non audiſti ſcripturam dicentem: [Heb. 12] *Quem diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit?* Quàm multi frequenter optarunt martyrij coronam accipere? Hæc eſt parata martyrij corona. Non enim is modò martyrium peragit, qui iuſſus ſacrificare, potiùs ducit emori, verùm etiam ſeruantem quod iuſtum eſt, ac ſponte propter Deum mortem accerſere, manifeſtum eſt martyrium. [Mat. 14] At vt intelligas hoc eſſe verum, recordare quomodo Ioannes Baptiſta mortuus ſit, & [Gen. 4] qua de cauſa, & quamobrem: quomodo Abel. B Neuter enim horum vel altare vidit incenſum, vel ſtatuam poſitam, vel iuſſus fuit immolare dæmonibus: ſed ille quidem quia tantummodo reprehendit Herodem, decollatus eſt: hic verò quoniam Deum meliori ſacrificio honorauit, quàm frater, occiſus eſt. Num igitur priuati ſunt martyrij coronaſ? At quis hoc audeat dicere? quandoquidem ipſum etiam mortis genus ſufficit ad omnibus perſuadendum, quòd inter primos martyres celebrantur. Quòd ſi etiam diuinam ſententiam ſuper his prolatam quæris, audi quid dicit Paulus. Nam [1.Cor. 7.] quæ ille loquitur, ſine dubio ſpiritus ſunt. *Puto enim*, inquit, *quòd ſpiritum Dei habeam.* Quid igitur hic dicit? Exorſus ab Abel, quum dixiſſet, quòd maio- [Hebr. 11.] rem hoſtiam Abel præ Cain obtuliſſet Deo, & propter hanc mortuus adhuc loqueretur: deinde digreſſus ad prophetas, ac decurſa ſerie vſque ad Io- [Ibid. 10.] annem, dixiſſet, *occiſione gladij mortui ſunt, alij verò diſtenti ſunt*, multis & diuerſis mortis generibus commemoratis, C ſubiecit hoc modo: Itaque nos quoque tantam habentes circumdantem nos nubem martyrum, abiecta omni ſegnitie, & tenaciter inhærente peccato, per tolerantiam curramus. Vides quòd etiam Abel appellauit martyrem, & Noë, & Abraham, & Iſaac, & Iacob: nam & iſti propter Deum [1.Cor. 15] mortui ſunt. Quemadmodum, inquit, Paulus, *quotidie morior*: atqui non mortuus eſt, ſed propoſito tantùm perpeſſus eſt mortem: Sic & tu ſi repuleris incantamenta, veneficia, ac magicas artes, etiamſi morbo moriaris, martyr perfectus fueris, eò quòd alijs pollicentibus morbi leuationem cum impietate, præoptaris mortem cum pietate. Et hæc nobis dicta ſunto aduerſus eos qui iactant dicuntque dæmones mederi. Cæterùm vt intelligas, ne hoc quidem eſſe verum, audi quid Chriſtus dicat de [Ioan. 8.] diabolo: *Ille homicida erat ab initio.* D Deus, dicit, homicida eſt, & tu ad illum tamquam ad medicum curris? [Diabolus neminẽ ſanat.] Dic mihi quum accuſaberis, quam rationem adferre poteris, qui credas horum impoſturis eſſe fidendum potius, quàm Chriſti ſententiæ? Quum igitur Deus dicat, homicida eſt, iſti verò dicant, poteſt leuare morbos, nimirum repugnantes ſententiæ diuinæ: tu recipies maleficia illa & incantamenta, nihil aliud quàm ipſis factis tuis iudicas, iſtorum verbis potius habendam fidem, quàm Chriſti. Quòd ſi diabolus homicida eſt, manife- [Math. 8.] ſtum eſt quòd illi ſeruientes dæmones ſunt. Et hoc quoque te ipſis factis docuit Chriſtus, qui permiſit illos irruere in illum gregem porcorum, vt intelligeres quòd eadem facturi fuerint hominibus, ſtatimque præfocaſſent, ſi Deus illis permiſiſſet aduerſus eos propria potentia ac voluntate vti. Nunc verò ipſe illos coërcuit prohibuitque, nec quidquam eis permiſit facere aduerſus homines: A quod quidem ipſi poteſtate accepta in porcos declararunt. Etenim ſi porcis non pepercerunt, multò minùs à nobis abſtinuiſſent, ſi aduerſus nos poteſtatem habuiſſent. Ne igitur, dilecte, fraudibus illorum abducaris, ſed eſto confirmatus in timore Dei, ne ſimilis illorum fias. Nam *ſimiles illorum ſunt qui faciunt eadem, & omnes qui confidunt in illis.* [Pſal. 113.] Et quomodo ingredieris ſynagogam? Si ſignaris frontem tuam, illico fugiet praua poteſtas ſynagogam inhabitans: ſin verò non ſignaueris, in ipſis [Signanda fons crucis ſignò] foribus protinus arma abieciſti, mox nudum & & inermem abreptum diabolus malis innumeris afficiet. Sed quid attinet de illis loqui? Nam quod ipſe quoque maximum peccatum eſſe iudicas, ad ſceleratum illum locum accurrere, manifeſtum eſt ex ipſo adeundi modo. Etenim quoties illuc accedis, ſtudes & famulos, & amicos, & vicinos fallere, iubeſque ne te deferant ad ſacerdotes: ac ſi quis detulerit, indignaris. An non igitur magnæ dementiæ ſit, homines velle fallere, quum Deus B qui videt, vbique ſit præſens, perfrictaque facie tantum facinus audere? Sed non times Deum? Ergo ſaltem ipſos reuerere Iudæos. Quibus enim oculis ipſos intueberis? quo ore alloqueris, profitens te eſſe Chriſtianum, tamen ad illorum artes currens, & ab illis opem implorans? Non perpendis quantum riſum in te effundent, quot ſcommata, quantam ſubſannationem, quanta dedecora, quantam irriſionem, quanta probra? Etſi non palàm, certè in ſua ipſorum conſcientia. Proinde dic mihi, hæccine ſunt tolerabilia? hæccine ferenda? Etiamſi mille mortes ſint oppetendæ, & non ferenda mala tolerare ſit neceſſe: multò ſatius erat omnes illas perpeti moleſtias, quàm iſtis ſceleſtis riſui & ludibrio fieri, præterea cum mala conſcientia viuere. Hæc non dico vt audiatis tantùm, verùm etiam vt his morbis laborantes ſanetis. Quemadmodum enim illos incuſamus, quòd ad ſceleratum illud theatrum, & impiam illam oberrent ſynagogam: ſic & vos, quòd infirmos corrigere non vultis. C Non igitur hoc eſt quòd quæritur dilecte, vt huc ingreſſus tantùm audias quæ dicuntur. Nam id quidem etiam ad condemnationem facit, quum auditis ſermonibus non adiungitur operum demonſtratio. Etenim propterea Chriſtianus es, ideo hoc nomen accepiſti, vt Chriſtum imiteris, eiuſque legibus operum exhibitione pareas. Quid autem ille fecit? Non Hieroſolymis [Correctio fraterna quã ſit vtilis.] deſidens vocauit ad ſe ægrotos, ſed obambulabat ciuitates ac vicos, geminos curans morbos, tum animi, tum corporis: attamen poterat eodem in loco ſedens omnes ad ſe attrahere, non tamen hoc fecit, nobis præbens exemplum, vt obambulemus & quæramus eos qui pereunt. Rurſus hoc etiam parabola de paſtore ſignificauit: nõ [Math. 18] enim deſidebat cum nonaginta ouibus, expectans, donec quæ aberrauerat veniret ad ipſum, D ſed abijt ipſe & inuenit, inuentamque geſtauit humeris ac reduxit. An non vides medicos quoque hoc ipſum facere? [Simile.] Non cogunt ægrotos lecto decumbentes ad ipſorum ædes deferri, ſed ipſi accurrunt ad eos. Hoc & tu facito dilecte, ſciens hanc præſentem vitam eſſe breuem: quodque niſi hæc lucra parauerimus, nullam illic ſumus habituri ſalutem. Sæpe vna anima quam lucrati fuerimus, poteſt innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæque redimendæ fieri pretium illo die. Cogita quamobrem propheta, quamobrem apoſtolus, quamobrem iuſti, quamobrem frequenter angeli miſſi ſint, quapropter ipſe primogenitus filius ac verbum Dei aduenit. An non vt homines ſeruaret? an non vt eos errantes reduceret? Hoc idem fac agas tu quoque pro viribus tuis, omneque ſtudium ac ſollicitudinem impendas ad reducendum eos qui aberrarunt. Ad hæc vos ſingulis cõcionibus adhortari non ceſſo:

ſiue mentem adhibeatis, ſiue non adhibeatis, ego dicere non deſinam. Nam hanc legem nobis Deus præſcripſit, vt ſiue audieritis, ſiue non audieritis, hoc miniſterium impleamus. Et ſi quidem audieritis ea quæ dicuntur, multa cum voluptate hoc ipſum faciemus. Sin autem neglexeritis, ac per inſignem ſocordiam contempſeritis, nobis quidem ex veſtra inobedientia nullum futurum eſt periculum: (quandoquidem quidquid erat noſtrum, præſtitimus) attamen quamquam non periclitamur nos qui præſtiterimus omnia quæ in nobis ſunt, dolemus tamen quòd vos accuſabimini in die illo. Non enim abſque periculo vobis erit audiſſe, ſi non acceſſerint opera. Audi igitur quomodo Chriſtus accuſans doctores ſermonem occultantes, etiam his qui docentur, loquatur. Quum enim dixiſſet: *Oportuit deponere pecuniam meam apud menſarios*: & adieciſſet: *Ego veniens cum vſura vtique repetiſſem illam*: oſtendit, quòd poſteaquam audierit (nam hæc eſt pecuniæ depoſitio) qui accepit doctrinam, vſurā facere oporteat, tamquam domino repetituro. Vſura autem doctrinæ nihil eſt, quàm operum exhibitio. Ergo quoniam nos quoque deponimus pecuniam in aures veſtras: neceſſe eſt vt vos reddatis vſuram domino, hoc eſt, ſalutem fratrum veſtrorum. Itaque ſi hæc ipſa quæ dicuntur tantùm detinueritis, nihil ex his lucri facientes, metuo ne eamdem detis pœnam, quam dedit ille qui defoderat talentum. Nam ille propterea manibus ac pedibus vinctus in tenebras eiectus eſt externas, quoniam non deprompſit in alios quæ audierat. Ne igitur nos quoque eadem patiamur, eum qui quinque talentis acceptis duo lucratus eſt imitemur, etiamſi ſermonem, etiamſi pecuniam, etiamſi corporis laborem, etiamſi preces aut aliud quidpiam, quidquid illud fuerit, proximo ſeruando inſumere oportuerit, ne grauemur, vt vndecumque talentum nobis à Deo traditum pro ſua quiſque portione multiplicantes, poſſimus illam beatam audire vocem. *Euge ſerue bone & fidelis in paucis fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*: quam nobis omnibus audire contingat, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cùm & per quem Patri gloria, ſimul cum ſancto Spiritu, in ſæcula ſæculorum.

AMEN.

[Margin: A; B; Math. 25; Math. 25]

THEODORI GAZAE THESSALONICENSIS AD ALPHONSVM REGEM PRÆFATIO IN ORATIONES DE INCOMPREHENSIBILI DEI natura, D. Ioan. Chryſoſt. quas è Græco in Latinum vertit.

EVNDEM regem & pontificem olim fuiſſe accepimus, diue Alphonſe rex inclyte, tanquam regis officio is fungi non poſſet, qui minus iura & rationes rerum ſacrarum teneret, quas noſſe pontificis certè intereſt. Romani itaquè tui, gens armis præſtantior cæteris omnibus, ingenio autem, doctrina, & deorum cultu facilè cum Græcis etiam conferenda, homines præditos ſacerdotio potius Reipublicæ praeeſſe cenſuere: & vehementius de ſummo pontifice, quàm de conſulatu ſolebant contendere: quippe qui ita ſeſe dignius rempublicam regere credi poſſe arbitrarentur, ſi profiteri cognitionem partis quoque diuinæ viderentur. Græcis item hominibus hæc eadem opinio ſemper & probata, & ſummo in ſtudio habita eſt. Vnde apud Athenienſes inter nouos illos, & primarios magiſtratus regia dignitate præditus is enumerabatur, qui dearum Cereris & Proſerpinæ myſterijs, & Mineruæ ludis praeeſſet, & ſacra vrbis præcipua faceret: ad quem cauſa vel impietatis, vel ſacerdotij, vel cuiuſuis de religione controuerſia deferretur: qui iura matrimoniorum diſcerneret, & vnus ex principum numero, cum ſancto Areopagitano ſenatu de homicidijs iudicaret. Ad hæc Iudæorum genti, cuius nobilitatem Ioſephus, cognomine Flauius, inſignis author, duobus libris, quos contra Appionem Grammaticum ſcripſerat, latè ac perpulchrè aperuit, id fuiſſe in more certum eſt, quandiu reges tales ſiue diuinitus, ſiue optimo iudicio hominum crearentur, vt reipublica bona & ſeruarentur, & augerentur. Aegyptios præterea, quos bonarum artium, & religionis ſtudium ſingulare nobilitarit, atque etiam Perſas, Medos, Indos, gentes nominis magni, ſuos reges vel ex ſacerdotum ordine facere, vel maximè familiaritate ſacerdotibus deuinctos habere ſolitos legimus. Ita omnes quaſi duce natura regerentur, regem, quem peritum eſſe rerum humanarum oportere cenſerent, eundem haudquaquam diuinarum eſſe ignarum patiebantur: & vt gens quæq; magis ad rempublicam probam & laudabilem accederet, ita diligentius id ſeruauit ſemper, & coluit. Verùm hac noſtra ætate, ſic inſtitutum videlicet à primis Chriſtianæ religionis temporibus vſque habetur, vt non ijdem & reges ſint, & pontifices: credo ob eam potißimùm cauſam, quoniam regi facilius poſſe exiſtimabant, ſi duo quidam, quorum alter rebus humanis, alter diuinis praeeſſet, crearentur. Quamobrem etſi vterque, tam rex, quam pontifex, ſine altero exequi officij quidem ſui ratione authoritateq; poſſet vices rei tum diuinæ, tum humanæ, tamen digeſtum in duas perſonas eſt. Vnde fit, vt rex ſæpius res ſacras ſibi vendicare iure ſuo exiſtimet, & pontifex non alienam adire prouinciam arbitretur, ſi quando rem attinentem ad regem ſibi attribuat: quod cæterorum quoque officiorum collegis vſu venire conſpicuum eſt. Cedere tamen & rex pontifici debet, & regi pontifex: & alterum ſeruari ab altero, quantum conſtitutum delegatumq; à maioribus eſt, oportere exiſtimamus. Quod etſi rex minus diuinam rem facit, minuſq; iudex conſtitutus eſt rerum ſacrarum, quas eccleſia ſuo vocabulo ſpirituales appellat: tamen rationes noſſe earum rerum, & quemadmodum agi ſingula Chriſtianæ religionis debeant, minimè ignorare pulchrum proculdubio eſt, & maieſtati regiæ conſentaneum. Quocirca tu vt ſemper hoc ita eſſe iudicaſti, ita ſemper dediſti operam, ne quid deſit, quò te regem minus perfectum abſolutumq; ageres: atque ita effectum eſt, vt te cæteris noſtræ ætatis regibus elegantiorem, & planè cum illis, quorum memoriam & laudem ſeruant ſæcula, comparandum omnes & cenſeamus & prædicemus: ac niſi mentiri quis velit, & verba contrà quàm ſentit facere (quod non hominis grauis & veri, ſed aſſentatoris eſt) te quiſque adeò religione, & rerum diuinarum ſcientia cæteris principibus antecellere affirmauerit, vt non cui te comparet, quærat, ſed cuius vnius exemplo cæteros omnes ad eam ipſam præclaram virtutem hortetur & moneat. Quis enim ex tot terrarum orbis principibus te pietate inſignior? quis diuini cultus obſeruantior? quis ordinem ſacerdotum ſibi deuinxit familiarius, vel plura ſuæ pietatis reliquit monumenta? Quis autem acutius de rebus diuinis, aut ſubtilius poteſt diſſerere? Cæteri prorſus vel eo tenentur errore, vt putent parum attinere ad principem rerum diuinarum cognitionem: vel cùm eam probarent ſtuderentq; adipiſci, voluntate quidem proximè acceſſerunt ad laudem, ſed doctrina atque ingenio tanto te exiſtunt inferiores, vt non minus theologiæ princeps, quàm facultate & copia rerum ciuilium iure inter principes habearis & nomineris. Sed cur præ cæteris principibus te conſideres, quando ne hominibus priuatis, qui in hoc ſtadio verſantur, amplius quicquam ſupereſſe quam tibi percipimus? Quoties Narciſſus Verdunenſis, & vir & theologus ſingularis, argumentis, quibus vel reſpondiſſes, vel obieciſſes, recitatis in frequenti omnium doctorum conuentu, ratione demonſtrauit euidentißima ita eſſe, vt qui tecum ita diſputant, non regiæ maieſtati, ſed exquiſitæ tuæ doctrinæ viribus cedant, & victorem te inuiti interdum confiteantur. Quoties eiuſdem ſcientiæ profeſſores alij vltro, ſed animo inuito, vt verbo Homeri vtar, expertos in ſe fuiſſe fateri quod Narciſſum doctorē ſæpenumero explicaſſe retuli, vidimus. Ita fit vt maiorē in modum tuū admiremur ingenium, quo præter cæteras virtutes ingenuas, quas tam multas complexus mirificè es, theologiam tam pulchrè conſequi potuiſti: quæ res etſi honeſtißima & grauißima eſt, tamen ob percipiendi difficultatem vix à pauciſſimis quæritur. Ita meritò vnus tu vehementiſſimè laudatis ab homine probato & laudato, Beſſarione Pontico, Romanæ eccleſiæ Cardinali, quem deſiderium tui viſendi Neapolim ad te duxit, ac menſem iam quartum tenet apud te ſumma cum delectatione, laude & admiratione tuarum virtutum & operum. Laudat hic ſapiens vir, & religionibus venerandus, te regem & ſapientem, & religionis tum cultorem, tum defenſorem egregium: bona animi tui commendat homo, cui certè omnium conſenſu contigit, vt literarum Græcarum ſit facilè princeps, Latinarum autem tãtum teneat, quantum nemo adhuc Græcorum conſequi potuit: effert ſummis laudibus prudentiam, ingenium, doctrinam, mores, denique præſtantiam tui animi. Vir qui præ ſui animi magnitudine admodum paucos ſolet laudare, te tamen ita is admiratur, exoſculatur & complectitur animo, vt vix poſſet abs te diſcedere. Oſtendit hic porrò quanti tuam doctrinam faceret, cum libros, quos Ariſtoteles nobilis philoſophus de rebus diuinis inſcriptos Metaphyſica edidit, hos diligentiſſimè tibi in Latinum conuertiſſet ſermonem, ac tuo dicaſſet nomini: vt quos ille Alexandro regi ſapienti perquam gratos compoſuit, ijdem ad te interpretati mitterentur, regem theologum, ac longè rebus diuinis addictiorem, quàm de rege Alexandro coniectari ex ijs quæ accepimus, liceat. Te igitur religionis obſeruantiſſimum, & Chriſtianæ doctrinæ ſtudioſiſſimum regem, ſi operibus, non modo quæ ad rem attinent militarem, verumetiam quæ ſumma religionis ſunt, adire perſeuius; non ineptè id agimus, nec ea offerre videmur, quæ minus te delectent & moueant. Quamobrem poſt Mauricij illos de re militari libros, quos anno ſuperiori obtuli tibi, vt iuuari peritiſſimè eorum quæ Imperator ille & geſſit, & ſcripſit: has de incomprehenſibili Dei natura orationes quinque, Ioannis Antiochenſis, cognomine Chryſoſtomi, doctoris eccleſiæ ſingularis, conuerti: & legendas propterea tibi obtuli, vt vel ex hac mea interpretatione, & ingenium, & dicendi copiam eius doctoris perciperes, & te ſacro ſermone, vt ſoles, oblectares. Fuit is certè facundior cæteris Chriſtianæ religionis doctoribus, & copioſior. Et quamquam more eccleſiæ, vel in grauitate ſermonis vel in exquiſito Atticæ linguæ vſu negligẽtior, aut Gregorio, aut Baſilio eiuſdē profeſſoribus, & prædicatoribus Chriſtianæ religionis, tam in

expenendis ſacris codicibus, tum magna vtilitate populi ad dilatandum argumentum, ad amplificandam ſententiam, ad exemplorum copiam, ad facilem & omnino accommodatam, tum ad populi aures, tum ad religionis præcepta elocutionem, ad memoriam omnium, quæ officium doctoris Chriſtiani requirit, hic meo iudicio anteponendus eſt cæteris: nec eſſe arbitror quempiam, qui, ſi modò quæ is Græcè diſſeruit, aſſequatur, aliter ſentiat. Vnde hic iure optimo cognomen id Chryſoſtomi meruit, ab oris aureo flumine: quod idem datum eſt Pruſienſi Dioni: ſed eò dignius Ioanni noſtro, quò longè hic plura, & ad hominum vitam moreſq́ue vtiliora, quàm Pruſienſis ille ſcripſit, prædicauit, & docuit. Conſtat hunc iiſdem claruiſſe temporibus, quibus Arcadius Theodoſij Imperatoris gentilis, cuius filius tum armis, tum pietate, ingenio, & literarum bonarum ſtudio ſeſe exhibuit ſingularem, tantaq́ue apud eum ipſum Imperatorem authoritate & gratia valuiſſe, vt & ſuos ciues Antiochenſes, homines parum quietos, & plus ſibi libertatis ſumentes, quàm Romanorum pateretur imperium, ab ira capitali Imperatoris ſæpe liberarit, vniuerſamq́ue ipſe vnus ſeruauerit ciuitatem, ne pœnas grauiſſimas lueret: & eccleſiæ Conſtantinopolitanæ patriarcha præfuerit, quæ dignitas proxima in ſacro ordine à ſummo pontifice habetur. Vixit tanta probitate morum, & ſanctimonia illuſtris, vt nomen ſancti acceperit ea vice, qua aut heroa, aut certè diuum, homines ſuperioris religionis nominarent eum, qui virtute quadam excelluiſſet heroica, miruḿq́ue in modum generi mortalium profuiſſet. Huius itaque orationes, quas homilias ipſe à conuerſatione, & ſua doctrina communicatione inſcripſit, vt hominis ſancti, & docti, & elegantis, & diui Arcadij Imperatoris familiaris, leges cùm otioſior fueris: eris autem eò citius, quò plus apud te religionis charitas, quàm ciuile negotium valet.

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani de incomprehenſibili Dei natura, contra Anomœos, abſente Epiſcopo, Homilia prima, Theodoro Gaza Theſſalonicenſi Interprete.

QVID hoc ſit, fratres chariſſimi, paſtor abeſt, & tamen oues ſuum cum diligentia ſeruat ordinem, video. Profectò boni illius paſtoris id quoque officium eſt, vt non modò illo præſente, verùm etiã abſente ouile ſtudium omne adhibeat, ne quid temerè agatur. Brutorum gregem ſi quis educet, nec adſit, manere intra ſepta neceſſe eſt: vel ſi ſine paſtore prodierit, paſſim oberrat & vagatur. At inter vos nihil eiuſmodi video euenire: ſed etiam cùm paſtor abeſt, vos conſueta paſcua petitis cum ordine & decore. Verùm vt melius loquar, paſtor & ipſe adeſt mente & animo, quamquam corpore abeſt: nemo id abeſſe dixerit, cùm ordinem noſtrum, & modeſtiam contempletur, tametſi minus corpoream eius faciem cernit. Quàm ob rem ego magis magiſq́ue illum laudo & miror, quòd tantum nobis imponere ſtudij, virtutis, veræq́ue religionis potuerit. Nam & copiarum Imperatorem ita præcipuè commendamus, ſi eo non ſolùm præſente, ſed etiam abſente milites ſuum ordinem ſeruant & tuentur. Quod idem Paulus à ſuis petebat diſcipulis, cùm diceret: *Itaque, chariſſimi, ſic ſemper obtemperaſtis, non in præſentia mea ſolùm, ſed multò magis in mea abſentia.* (Phili. 2.) Cur multò amplius in abſentia, quam cùm paſtor adeſt? Si lupus gregem inuadit, repellit facilè poteſt, & fugari: at cùm abeſt, grauius periculum imminet, cùm nemo ſit qui defendat, & ſeruet. Adde quòd paſtor cùm adeſt, mercedem ſtudij ac induſtriæ cum eo ipſo ouili, quod cuſtodit regitq́ue, partitur: cùm autem abeſt, totum ſuum officium, munuſq́ue virtutis ab ipſo ouili proficiſci intelligendum eſt. Ob hæc eadem vel abſens ille humaniſſimus magiſter & pater, vbicunque gentium ſit, vos veſtrumq́ue conuentum & ordinem cogitat, & complectitur animo: neque tam quos ſibi habet præſentes, quàm vos abſentes cernit, atque intuetur. Noui illius ſummum amorem, noui charitatis feruorem inſuperabilem, quem penitus radice innixum viuaciſſimo, animo continet, & ſingulari ſtudio colit. Quippe qui certè ſciat charitatem ipſam caput eſſe bonorum omnium, & radicem, fontem & parentem, atque ea vna abſente, cætera vobis nullum fructum afferre, nullam præſtare poſſe vtilitatem. Hæc enim diſcipulorum Domini indicium eſt, magnus ſeruorum Dei character. *In hoc*, inquit, *omnes cognoſcent, quod mei diſcipuli eſtis.* (Ioan. 13.) In quo? num in eo, vt mortuos ſuſcitent, vt leproſos purgent, aut dæmonia expellant? Minimè, inquit. Sed illa Miſſa faciens omnia, in hoc vno, dicit, omnes cognoſcent, quòd mei diſcipuli eſtis, *ſi charitatem adinuicem habueritis.* Nam illa vnius ſupernæ gratiæ munera ſunt, hoc humani ſtudij eſt officium: animum autem probum & generoſum, non tam ea quæ Deus præbuerit munera, quam ſuorum laborum officia commendant. Quapropter Chriſtus non à ſignis, ſed à charitate ſuos cognoſci diſcipulos aſſerit. Hæc enim ſi adeſt, nulla pars deeſt philoſophiæ: ſed integerrima perfectiſſimaque virtutis ratio habetur: quemadmodum certè laborum expertem eſſe neceſſe eſt omnium, cui hæc deeſt. Quocirca & Paulus eam commendat, & verbis magnopere extollit, quamuis eius dignitatem nemo ſatis attingere queat. Quid enim ea eſſe poſſit condignum, quæ prophetas, legemq́ue vniuerſam continet, ſine qua non fides, non ſcientia, non ſacramenti ratio, non ipſum martyrium, non quicquid dixeris aliud ſeruare hominem valeat? *Nam ſi tradidero*, inquit, *corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* (1 Co. 13.) Idem item cùm ſummum bonum, & caput bonorum omnium charitatem eſſe oſtendere vellet, ſic retulit: *Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur: manet autem fides, ſpes & charitas.* (Ibid.) Sed quæſtio ex iis, quæ de charitate propoſui, oritur non meo iudicio negligenda: prophetiam enim euacuari, & linguas ceſſare nil mirum eſt, quando hæc mira vbi ſuum vſum ad tempus nobis præſtitere, deinde ceſſant, & nihil detrimenti noſtræ inferre poſſunt rationi. Iam prophetia nulla eſt, nullum linguarum munus: & tamen ratio pietatis nihilo impedita eſt. At ſi ſcientia ceſſat, ambigendum, quærendumq́ue eſt, an quicquid hominis reſtet. Cùm enim dixiſſet, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt: adiunxit, ſiue ſcientia deſtruetur. Quòd ſi ſcientia aliquando ceſſauerit, res noſtra non ad melius, vt ſperamus, ſed in deterius deducetur. Nam ſine ſcientia id quoque vt homines ſimus, amittemus. *Deum* enim *metue*, inquit, *& mandata eius cuſtodi, quoniam hoc quiſq́ue homo eſt.* (Eccle. 12.) Quòd ſi homo non aliud ſcit, quàm Deum timere: timor autem ipſe Dei non niſi ex ſcientia prodeat: ſcientia item deſtruetur, vt Paulus author eſt, aliquando noſtra omnia amittemus, & ſcientia priuati omnino peribimus, & nulla ex parte melius, imò multò ex rebus vilius, quam animalia bruta euademus. Hac enim re vna præſtamus, cùm in cæteris omnibus corporeis longè admodum à natura brutorum ſuperemur. Quid igitur ſit, quod Paulus

dicat,

dicat, & qua de re ita aſſerat, vt ſcientia deſtruatur? Non de perfecta & vniuerſali ſcientia diſputat, ſed de particulari & imperfecta, profectumque noſtrũ in meliora deſtructionem voluit nominare, videlicet noſtra particulari ſcientia ita deſtructa, vt non præterea particularem perfectam, & vniuerſalem habeamus. Vt enim puerilis deſtrui ſolet, non deleta ſubſtantia & natura pueri, ſed tẽpore aucto, & ipſius ætatis proceſſu, euentuq; in virũ perfectũ: ſic in ea ſcientia poſſe fieri intelligere debemus. Parua hæc ſcientia, inquit, non propterea erit parua, ſed amplitudinẽ in poſterũ capiet, magnaq; efficietur: hoc ſub illo vocabulo, Deſtruetur, intelligit: quod clariùs ipſe ſuis frequentibus verbis explicauit. Vt enim cum audires ſcientiam deſtrui, non poſſes inferre deſtructionẽ cuiuſque ſcientiæ, ſed incrementum potius, & ſciendi profectum in meliora, addit: *Ex parte enim cognoſcimus, &*
1.Co.13. *ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, tunc euacuabitur quod ex parte eſt.* Vt non præterea ſit hoc ex parte, ſed perfectum, ergo imperfectio eius deſtruitur, ne præterea ſit imperfectum, ſed perfectum eſſe incipiat. Deſtructio igitur iſta accumulatio eſt, & ad maiora acceſſio. At velim, vt aduertas diligentiã Pauli: non enim partem cognoſcimus, dicit: ſed ex parte cognoſcimus: hoc eſt, partis partem tenemus. Sed quantum reſtet, & vtrũ maiorem, an minorem partem teneamus. Ergo vt te partem minorem tenere intelligas, nec quamlibet minorem, ſed centeſimam, aut milleſimã, accipe quæ ſequuntur: vel potius antequã verba Apoſtoli recitem, exemplum referam, quot exprimetur quoad fieri poteſt exemplo, quantum reſtet, quantùmque ſit, quod impræſentiarum tenemus. Quæris quantum differentiæ ſit inter præſentem ſcientiam & futuram? Quantum inter virum perfectum ſit, & lactantem puerum, tantò futura ſciẽtia præſente amplior eſt & præſtantior. Quod ita eſſe à Paulo item accipe, qui cum dixiſſet: Ex parte cognoſcimus, velletque explicare quanta ex parte, & quàm exiguum eſſet id quod tenemus,
Ibid. addit: *Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus: cùm autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Cũ habitu paruuli præſentem ſcientiam comparat: cum habitu viri perfecti, futuram ſcientiam confert. Nec dicit, cũ eſſem puer, quoniam & qui decennis eſt, puer dicitur: ſed cùm eſſem paruulus, hoc eſt, infans & lactens, & parentis deſiderans vbera. Hunc enim à ſcriptura vocari paruulum, accipe à pſalmo, qui ita dicit: *Domine dominus noſter, quàm admirabile eſt no-*
Pſal.8. *men tuum in vniuerſa terra: Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos. Ex ore paruulorum & lactentium perfeciſti laudem.* Vides iam paruulum accipi pro lactente vbiq;? Tum ſpiritu præſagiens ſancto, hominum poſteriorum impudentiam & temeritatem explicat, nec vno exemplo contentus, ſed etiã ſecundo & tertio idem affirmat. Quemadmodũ enim
Exo.4. Moyſes cùm ad Iudæos mitteretur, trium ſignorum demonſtrationem accipiebat: vt ſi primo illi diffiderent, ſecundo obtemperarent: aut ſi parùm etiam arderent, ſecundo perſuaſi, & tertio eximiũ prophetam illum reciperent: ſic & Paulus tria proponit exempla, primum ex paruulo, ſecundũ ex ſpeculo, tertium ex ænigmate. Nam poſteaquam dixit: Cùm eſſem paruulus, intulit: *Videmus*
1.Cor.13. *autem nunc per ſpeculum.* Secundum verò præſentis infirmitatis exemplum eſt, & imperfectæ ſcientiæ noſtræ indicium. Tertio per ænigmatis obſcuritatem idem declarat. Etenim puer tametſi complura videt, audit, loquitur, tamen nihil expreſſè, nihil dilucidè aut videt, aut audit, aut loquitur, & ſapit quidem, ſed nihil integrè. Itaque more pueri ego quoque & ſcio complura, tamen modum eorum ignoro. Deum namque eſſe vbique, totumque eſſe quaque in parte orbis terrarum noui, ſed quẽ-

A admodum ſit, neſcio. Item non incœptum, nõ genitum, ſempiternum eſſe Deum non ignoro: ſed quo pacto ita ſit, intelligere nequeo. Haud enim humana ratio poteſt capere, quemadmodum fieri poteſt, vt aliqua ſubſtantia ſit, quæ neque à ſemetipſa, nec aliunde ſuam originem habeat. Filiũ eſſe à patre Deo immortali genitum noui, ſed quẽadmodum, ignoro. Spiritum ex eo procedere ſcio, ſed quemadmodum, neſcio. Vbi igitur illi ſunt, qui ſe totam ſcientiam recepiſſe affirmant, qui ſe in fauces ſummæ ignorantiæ præcipitarunt? Nã qui hoc in ſeculo totum ſciendi modum ſe recepiſſe autumant, in poſtero priuatos ſeſe omni ſcientia conſtituunt, & miſerrimos ac perditos eſſe patiũtur. Quippe cum ego qui me ex parte cognoſcere aſſeuerem, & hanc meam ſciẽtiam deſtrui aliquãdo, debere fatear, in melius ac perfectius proficiſcar, deſtructa particulari ſcientia, & accedẽte perfectiore & pleniore: ille verò qui ſe integerrimam perfectiſſimamq; tenere ſcientiam arbitretur, & Deũ ſciẽtia humana nõ poſſe cõprehẽdi.
B tamen deſtrui eam aliquando debere cogatur aſſerere, omni ſcientia priuatum, deſtitutumque in poſtero fore nequaquã poſſit inficiari. Quã enim nunc tenet, deſtruitur, & nulla requiritur perfectior, cùm ea ſit perfectiſſima, vt ipſe cenſet, quàm hoc tempore obtinet. Videtiſne quemadmodum cùm omnem hoc in ſeculo ſeſe habere ſcientiam contendant, neque in hoc habeant quod intelligant, & in poſtero omni deſpoliati ſcientia peſſum eant? Tam malum, tam nefarium eſt, non intra iuſtos ſe continere limites, quos principio Deus immortalis nobis deſcripſit & ſtatuit. Sic Adam honorem, quo erat præditus, ſpe amplioris amiſit. Sic homines cupidi & quæſtui dediti, ſæpenumero cũ plura maioraque perſequerentur, non modò nihil plus acquirere potuerunt, ſed etiam quæ habebant, amiſerunt. Sic etiam iſti ſummæ ſcientiæ authores, cum ſe totum tenere arbitrentur, parte
C etiam, quam poſſunt habere, deſtituti, labuntur & corruunt. Quas ob res vos, fratres chariſſimi, hortor & rogo caueatis, & inſaniam illorum hominum fugiatis. Contendere enim ſcire quid ſubſtantiæ Deus ſit, poſtremę eſſe inſanię iudico. Quod vt melius intelligatur, prophetarum ſententias afferam: quos non ſolùm quid ſubſtantiæ Deus ſit ignorare videmus, ſed etiam de ſapientia eius quanta ſit, planè ambigere: quamquam non à ſapientia ſubſtantia eſt, ſed ex ſubſtantia ſapientia. Verùm cũ eam ne prophetæ quidem planè percipere valeant, quantum ij inſaniunt, qui ſubſtantiam ipſam ſuis obijcere rationibus poſſe arbitrantur? Audiamus quid de ea Dauid dicat propheta præclarus: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Vel potius Pſal.138.
altiùs repetamus: *Confitebor tibi, quoniam terribiliter* Ibid.
magnificatus es. Quid cum terribiliter dicat, ſignificat? multa ſunt, quæ licet miramur, non tamen cũ
D timore: Verbi gratia: Magnifica ædificia columnarum, ornamentum parietum, picturas corporum, flores & elegantiam miramur. Item maris vaſtitatem, immenſoſque gurgites, ſed non ſine metu, cùm eius inſpicimus altitudinem. Sic & propheta cùm vaſtum id immenſumque diuinæ ſapientiæ mare inſpiciat, vertigine quaſi tentatus ſtupeſcit, ac ſummo cum timore demirans recedit, atque exclamat: *Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua.* Ac rurſus: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Corroborata eſt, & non potero ad eam.* Vide modeſtiam famuli, nota animi gratitudinem. Gratias, inquit, propterea tibi ago, quòd te Dominum habeo incomprehenſibilem. Non de ſubſtantia agit hoc loco, illam enim vtpote inter omnes conſtantem eſſe incomprehenſibilem omittit. Sed cùm Deum eſſe vbique cogitaret, hæc retulit, explicauitque ne id quidem ſe intelligere, quemadmodum fieri poſſit, vt Deus vbique adſit. Hac de re cum illa dixiſſet, accipe ab his quæ

adiun-

Digitized by Google

Pſal. 138. adiungit: *Si aſcendam in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.* Vidéſne quàm propheta, quemadmodũ Deus vbique adſit, intelligere nequeat, ſed ambigat, hæreat, vacillet vna eius ipſius rei cogitatione? Quomodo igitur fieri poteſt, vt non ad poſtremum inſaniæ ſint profecti, qui tantum ab illius gratia abſunt, quantum quid ipſa Dei ſubſtantia ſit, curioſe quærunt & perſcrutantur? Atqui hic eſt ille propheta, qui *incerta*, inquit, *& occulta ſapientia tua manifeſtaſti mihi:* verumtamen qui occulta & incerta diuinæ ſapientiæ percepit, de hac eadem ſapientia refert, immenſa eſt, incomprehenſibilis eſt. Quippe qui, Magnus dominus, dicat, & magna virtus eius, & ſcientiæ eius nõ eſt numerus: id eſt, nulla eſt comprehenſio. Heus tu, quid ais? Sapientia Dei non comprehendi à nobis poteſt? Nónne iſtud perſpicua ſit inſania? Magnitudo eius nullo deſcribitur fine, & tu ſubſtantiam deſcribere audes, ſatiſque complecti animo poſſe opinaris? Hæc eadẽ cùm Eſaias pro ſuo nobiliſſimę philoſophiæ ſtudio contemplaretur: *Generationem*, dicebat, *eius quis enarrabit?* non, quis enarrat: ſed, quis enarrabit: vt omnem poſteri temporis rationem ſecluderet. Cùm itaque Dauid dicat: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, Eſaias non ex ſe tantummodo inquit, verumetiam ab omni natura humana ſecludi narrationẽ eiuſmodi aſſerit. Sed videamus, an Paulus vas illud electionis cognouerit, vtpote quia gratia ampliore potiretur. Omnino hic eſt, qui illa refert: *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.* Nec eo loco ſolùm, ſed etiam alibi, nõ de ſubſtantia, ſed de ſapientia ipſe quoq; diſſerens ea, quæ in prouidentia verſetur, non de illa vniuerſali, qua angelis, archangelis, ac omnibus ſupernis virtutibus prouidetur: ſed de ea prouidẽtiæ parte, qua hominibus terræ incolis conſulitur, ac de eius ipſius parte, nec tamen totam eam ſcrutatur, qua ſol oritur, qua animæ inſpirantur, qua corpora effigiantur, qua mortalia aluntur, qua vniuerſus mũdus continetur: ſed hæc omnia omittens, & particulam quamdam diuinæ prouidentiæ inquirens, qua ſcilicet Iudæos neglexerit, gentes autẽ natos receperit, amplexus ſit: & hanc ipſam particulam veluti ad mare immenſum & gurgitem prælatum inſpiciens, conturbatur, deficit, & recedit, illico voce magna exclamat: *O altitudo diuitiarum, & ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* Non incomprehenſibilia dicit, ſed inſcrutabilia: quòd ſi ſcrutationem non patiantur, longè minus percipi poſſint & comprehendi. *Et inueſtigabiles viæ eius.* Iam vias eius inueſtigabiles eſſe audis, & ipſum eſſe comprehenſibilem putas? Sed cur loquar de vijs? præmia ipſa, quæ nos manent, comprehendi poſſunt. *Oculus* enim *non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quæ Deus præparauit his qui diligunt eum.* Et munus eius inenarrabile eſt. Gratias enim Deo, inquit, pro inenarrabili eius dono, & pax eius omnem excedit intellectum. Quid ais? iudicia inſcrutabilia ſunt, & viæ inueſtigabiles, pax omnem excedit intellectum, donum inenarrabile: quæ præparauit diligentibus ſe, non aſcenderunt in cor hominis, magnitudo finem non habet, ſcientia caret numero, omnia eius incomprehenſibilia ſunt, & ipſe ſolus eſt comprehenſibilis? quis ad tantam inſaniam poſſit accedere? Retine illum hæreticum, noli ſinere abire, vrge acriùs, quære quid in ijs Paulus referat: *Ex parte cognoſcimus.* Non id de ſubſtantia, ſed de diſpenſationibus dici reſpondent. Omnino ſi de diſpenſationibus Paulus ita dixerit, longè amplius vicimus, quàm ſi de ſubſtantia loqueretur. Nam ſi Dei diſpenſatio incomprehenſibilis, multò magis ipſe Deus incomprehenſibilis eſſe debeat. Verùm non de diſpenſationibus agi hoc loco, ſed de ipſa Dei ſubſtantia, accipe ex his quæ adduntur. Cùm enim propoſuiſſet. *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*, adiunxit: *nunc ex parte cognoſco: tunc autem cognoſcam ſicut cognitus ſum.* Dic ergo, à quo eſt cognitus? A Deóne, an à diſpenſationibus? A Deo ſcilicet. Deum igitur ipſum ex parte cognoſcit, non tamen ita ex parte, vt partem ſubſtantiæ nouerit, partem ignoret, cũ Deus natura ſimpliciſſima ſit: ſed quòd eſſe quidem Deum proculdubio norit, quod autem ſubſtantiæ ſit, omnino ignoret. Sapientem eſſe certò ſcit: quantum ſapientia valeat, neſcit. Magnum eſſe minimè ignorat: ſed quemadmodum & quæ ſit eius magnitudo, intelligere non poteſt. Vbique Deum adeſſe exploratum habet, ſed quemadmodum, neſcit. An prouideat, contineat, regat, gubernet ſumma cum diligentia omnia, non dubitat: ſed modum quo hęc agat, ignorat. Hac de cauſa ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Sed iam ſi placet, dimiſſis prophetis & Paulo, cælum petamus & an in illa regione ſuperiori aliqui ſunt, qui Dei ſubſtantiam norunt, quæramus: quamquam ſi qui id ſciẽtes, ibi comperiantur, nihil inde poteſt deduci argumenti. Nihil enim commune angelis cum hominibus eſt, cùm tam magnum diſcrimen inter naturam corpoream ſit & incorpoream. Verumtamen demus, & concedamus, vt latiſſime intelligatur, Deũ incomprehenſibilem eſſe, quando ne in cælo quidem virtus aliqua ſit creata quæ norit diuinam ſubſtantiam. Audiamus igitur angelos ipſos, non quòd de diuina ſubſtantia illi diſputent inter ſeſe, atque diſceptent: ſed quòd glorificant, adorant, & modulos triumphales ſecretoſque aſſiduè referunt ſummo cum timore. Alij, *gloria in excelſis Deo*, modulantur: alij, hoc eſt, *Seraphin, ſanctus, ſanctus, ſanctus*, concinunt: & ſuos auertunt oculos, cùm ne condeſcenſum quidem & indulgentiam Dei valeant tolerare. Ad hæc, Cherubin benedictã gloriam eius ex loco eius obſeruatiſſime referunt, nõ quòd locus aliquis circa Deum conſiſtat, ſed quòd more humano conſueuimus dicere, vbicumq; ſit, & quemadmodum ſit: quamquam ne id quidẽ tutè dici de Deo poteſt. Homines ſumus, nec aliter quàm lingua humana verba de Deo facere poſſumus. Videſne quantum timoris, quanta religionis obſeruantia inter angelos eſt? Vides quantus contemptus, quanta negligentia inter homines? Angeli glorificant, honorant, colunt, obſeruant, adorant: homines pauifaciunt, petulanter ſcrutantur, temerè pluſquam capere poſſunt, conãtur rapere. Illi commendant & laudant, hi diſceptant & plus ſibi arrogant, quàm valeant intelligere. Illi oculos integunt & venerantur: hi contendunt impudenter inſpicere atque intueri ineffabilem gloriam. Quem non hominum eorum miſereatur? Quis non lugeat, quum adeò errantes inſanienteſque videat? Volebam prolixiùs agere, ſed quoniam nunc primum in iſtud diſputandi certamen deuenerim, commodiùs eſſe arbitror non plura vobis in præſentiarum proponere, ne larga eorum quæ occurrant, copia, ſuo impetu memoriam eorum quæ iam accepiſtis, detrahat atque aboleat. Aliàs itaque, ſi Deo placuerit, ſæpius de hac re diſſeremus. Equidem iampridem hæc referre vobiſcum & diſcutere cupiebam: ſed cunctandum prætera, differendumq; duxi ob eã rem, quia cõplures ex his, qui eo morbo laborãt, videre noſtris intereſſe libenter ſermonibus: quos cùm nollem repellere, linguã adhuc meam retinui, vt primũ illos nobis familiares, deuinctoſq; redderẽ: deinde in hoc perluctandi genus me more athletarum expoliarem. Nunc verò quoniam Dei immortalis gratia ipſi me & adhortantur & rogant adire hunc puluerem, ſubeo iam pro incomprehẽſibili Deo certamẽ, & arma ſuſcipio: quæ hominum vanas cogitationes, omnem animi elationem atq; ſuperbiam, contra Dei ſciẽtiam poſſint euertere, fundere, & proſternere. Suſcepi tamen non

vt euerterem aduerſarios, ſed vt erigerē iacentes. Hæc enim armorum meorum vis eſt, vt homines contendentes feriant atque vulnerent: audientes piè benigneque, curent cum diligentia, & ſanentur. Non id genus armorum inferre vulnera, ſed mederi vulneribus conſueuit. Igitur non contra illos excādeſcemus, non animo irato agemus: ſed modeſtè, humanè, amiceque diſputabimus. Nihil enim māſuetudine validius, nihil modeſtia efficacius. Quamobrē Paulus rem huiuſcemodi ſeruari
2.Tim.2 accuratiſſimè monet, cùm dicat: *Seruum Domini non pugnare oportet, ſed manſuetum eſſe erga omnes.*
Phil.4. Ac rurſus: *Modeſtia veſtra nota ſit, non* fratribus, dicit: ſed
Math.5. *omnibus hominibus.* Quæ enim ſit vtilitas, inquit, ſi *eos diligitis qui vos diligunt?* Si tamen amicitiæ detrimento ſint, & ad ſocietatem ſuæ impietatis inuitēt, recedendum, reſiliendumque, etiamſi cum parentibus, agitur, eruendus eſt oculus ſi offendit. Ita enim præcipitur: *Si oculus tuus dexter te ſcandalizat,*
Ibid. *erue eū:* quod non de oculo corporis intelligimus. Nam ſi de corporis natura hoc diceretur, crimē & culpa iure in corporis creatorem transferretur. Præterea non oculum vnum, ſed vtrumq; eruere oporteret. Nam ſi alter, id eſt ſiniſter relinqueretur, nō minus ſcandalizare te poterit. Sed vt intelligas nō de oculo dici, adiungit dextrum: quò oſtēdat præſtare, ſi quem amicum habeas, etiam charum perinde ac tuum oculum, eum quoque reijcere, & à tua præcidere familiaritate, ſi modò te ſcandalizet, hoc eſt, animæ noceat. Quid enim iuuat habere oculum, cum reliquū corpus lædatur & pereat? Ergo ſi, vt propoſui, detrimentoſæ ſint amicitiæ, reſiliamus & fugiamus: at ſi nullam noxam, nullā iniuriam nobis ad religionem, pietatiſque rationem inferant, inuitemus, ducamus amicos ad meliora. Verùm ſi neque prodeſſe amico poſſis, & detrimentum ex eo haurias, conſulere tibi debes, vt tutus, ſecureque maneas. Fugiēdæ ſunt enim amicitiæ, ſi offendant. Si minus probentur, fuge, tamen ſine lite, ſine pugna. Sic enim Paulus monet, cùm
Rom.12. dicit: *Si poſſibile eſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Seruus es Dei, qui author pacis eſt: qui cum dæmonia eijceret, & bona ageret innumerabilia, & cum male audiret, in homines qui eum dixere dæmonium habere, non fulmen miſit, non ora maledica proſtrauit, non linguas igne cōſumpſit impudicas, ingratas, improbatas, quamquam hæc facere omnia poterat, ſed verbis hiſce
Ioan.8. dumtaxat maledicta illa auertit: *Ego dæmonium non habeo,* ſed eum honoro, qui me miſit. Famulus item pontificis alapam contumelioſè in eius faciem in-
Ibid.18. flixit. At is ita reſpondit: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi bene, cur me cædis?* Quòd ſi dominus & angelorum, & hominum omnium, vindictam ſibi non faciat, ſed excuſet, & ſeruo atrienſi examinandum proponat, nihil profectò eſt, quod nos ſermone egeamus prolixiore admonitionis: hæc enim pauciſſima verba abundè ſufficiant, hæc tantummodo animaduerte. Cogita tecum frequentius, meditare & refer: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi bene, cur me cædis?* Et quis ſit qui hæc dixit, intellige, & ad quem, & cuius cauſa dixerit. Ita enim efficietur, vt hæc verba diuinum quoddam & perpetuum carmen tibi habeantur, vt omnem animi inflationem, omnem timorem doloremque ſedare poſſint & tollere. Cogita dignitatem eius qui affectus eſt contumelia, & authoritatem, perſonam vilem atque abiectam eius qui contumelia affecit. Adde grauitatem contumeliæ, & moleſtiam, & acerbitatem. Non enim maledixit ſolum, ſed etiam cæcidit: nec modo quolibet cæcidit, ſed alapa: qua quidem plaga nil ignominioſius, nil contumelioſius eſſe poteſt. Sed tamen hæc omnia æquo animo tulit, & tranquillo, vt tu latiſſimè intelligeres, quemadmodum modeſtiam, patientiam, manſue-
A tudinem, denique virtutis officium ſeruare deberes. Hæc non modò philoſophari probareque hoc loco debemus, fratres chariſsimi, verumetiam quum res exigit, meminiſſe & colere probata & commendata, quæ diximus: verùm non ſatis hoc eſt, ſed etiam cùm res agitur, ſerues ea oportet, quæ probas & laudas. Nam & athleta non fruſtrà ſe in palæſtra exercet, ſed & fructum, quem ex ſtudio meditandi ceperit, in ipſo dimicandi certamine explicat. Igitur & tu qui modò audiſti, poſteaquam ira te concitarit, quantum fructus adeptus hinc fueris oſtendes, & verbum illud crebrius dices: *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſin bene, cur me cædis?* Hoc manda memoriæ, hoc tuo inſcribe animo, & tene. Nam ob eam rem idem ſæpius memoro, vt in animis noſtris inhæreat, vt eius memoriam fructumque memoriæ nullum tempus, nulla negotij occupatio poſſit delere. Etenim ſi hæc verba ſcripta in pa-
B gina animorum noſtrorum teneamus, nemo tam durus, tam excors, tam inſenſatus ſit & lapideus, vt per iram turpiter efferatur, & erret. Nam omni fræno, omnibus habenis firmius ac validius linguam noſtram, vltra modum decoremque ſe proripientem, poſſunt hæc verba inhibere & retinere, poſſunt hæc animum intumeſcentem ſedare, compeſcere, & in pe petua modeſtia tranquillitateque conſtituere: poſſunt hæc truces oculos & efferatam faciem emendare, placare, & mitigare: poſſunt hæc pacem pleniſſimam integerrimamque in nobis creare & conſeruare, qua vtinam ſemper fruamur & potiamur, gratia & clementia, &c.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos.

HOMILIA II.

C Age iterum aduerſus impios Anomœos certamen ingrediamur: qui ægrè ferant, quòd impij appellantur, fugiant ipſi rem, vt ego vocabulum fugiam: diſcedant ipſi à mente impia, vt ego ab hac probroſa appellatione diſcedam. Sed ſi ipſi cùm fidem re ac opere negligant, & ſemetipſos turpiſſimè tractent, non ſentiunt: cur mihi ſuccenſeant, qui ea obijcio, quæ ipſi ſummopere exerceant? Nuper quum in hoc veniſſemus curriculum diſputandi, & luctandi captus eoſdem tetigiſſemus, quemadmodum meminiſtis, pugna nos cum cuneo Iudæorum excepit, cum minimè eſſet tutum membra propria grauiter ægrotantia negligere. Diſputatio contra Anomœos agi quoque tempore poteſt opportuno. At fratres noſtros morbo teterrimo, Iudæorum opinione laborantes, niſi feſtinantibus ab igne eripuiſſemus Iudaico,
D nihil iuuare admonentes poſſemus, cū iam error ieiunandi ille pro voluntate ceſſiſſet firmius. Deinde nos aduentus accepit patrum ſpiritualiū, qui complures huc diuerſis ex locis acceſſerunt. Neq; enim per id tempus duximus eſſe opportunum, vt dum illi omnes veluti flumina quędam in hoc mare ſpirituale affluerent, nos ſermone prolixiore ageremus: poſt deceſſum illorum celebritates percrebræ martyrum occurrere, quorum ſolennitatē negligere, & laudem haudquaquam deberemus. Quæ propterea refero atque enumero, ne per aliquam meā negligentiam aut deſidiam commiſſum eſſe exiſtimetis, vt certamen Anomœorum vſque ad hoc tempus differretur. Nunc itaque cum Iudæorum pugnam, Deo bene iuuante, curſu felici expedierimus, & patres in ſuas redierint ſedes, & martyrum laudes nos ſatis delectarint, agè diuturnum veſtrum audiendi deſiderium expleamus. Nā certè ſcio non minus vos hæc de re audire cupere, quàm me diſputare: cauſam, cur ita ſit, dicam.

Digitized by Google

Ciuitas noſtra ſemper dedita Chriſto, eiuſque obſeruantiſſima fuit, & paternam hanc denique accepiſtis hæreditatem, vt numquam pietatis, veræq; religionis opinionem adulterari, deprauarique pateremini.
Act. 15. Vnde id conſtat? Venerat olim ex Iudæa nonnulli tempore maiorum veſtrorum, qui lucem ac munditiam doctrinæ apoſtolicæ perturbarent, atque præciperent circumcidi, & legem ſeruari Moyſi. Quam rem nouam ferre minimè potuerunt qui per id tempus vrbem colebant: ſed quemadmodum canes generoſi & nobiles, conſpectis lupis aggredientibus atque vaſtantibus gregẽ, ſic cõcitati illi inſultarunt, nec prius expellentes profugantesq; vndique illos deſtiterũt, quàm effeciſſent, vt ab apoſtolis quoquouerſus decreta mitterentur, quæ & illorum, & poſterorum omnium impiorũ inſidias cõtra fideles & impetus reprimerẽt atque arcerent. Sed vnde exordiar? An ab ipſa perfidię infidelitatiſque eorum improbatione & compellatione? quippe cùm ſummopere nitantur, & omnia tractent ac faciant, vt fidem ab hominibus omnino excludant: quo crimine quid fieri poſſit grauius? quid ad pietatem ſceleſtius?
Res fidei non ſunt curioſius rimandæ. Cùm enim Deus immortalis quippiam aſſerit, accipere cum fide oportet quod aſſerit, non temere rimari & perſcrutari. Vocet me, qui ex his velit, infidelem ac impium, non ægrè feram. cur ita? quia facta dictaque mea, quo nomine appellãdus ſim, late oſtẽdunt. Stultum etiam me appellet, ſi placet, in Chriſto. Nam vel hoc nomen tamquam adeptam coronam gloriabor, & communem hanc habebo cum Paulo nuncupationem. Sic enim ille egregius
1. Cor. 4. author ſcribit: *Nos ſtulti propter Chriſtum*. Porrò hæc ſtultitia prudentior omni ſapientia eſt. Quæ enim externa illa ſapientia comperire non potuit, hæc ſtultitia, quam ſecundum Chriſtum excolendam cenſemus, nimirum efficere potuit: hæc tenebras orbis terrarum excuſſit, hæc lucem cognoſcendi reuocauit. Quid ſecundùm Chriſtum ſtultitia ſit, cupis audire? Cùm noſtras efferas cogitationes compeſcimus, & animi furentes appetitiones continemus & moderamur, tunc ſecundũ Chriſtũ ſtultitiam colimus: atque etiam quoties data opera animum expertem externarum diſciplinarum, & vacuum ſciſcitamentis illis curioſis habemus: vt cùm res exegit ſacra Chriſti edicta recipere, vacantem & mundum ad recipiendum adhibeamus. Etenim quoties aliquid Deus aſſerit, quod minus ſcrutari ac diſcutere valeas, ex bona fide recipiẽdum & admittendum eſt. Nam rerum eiuſmodi cauſas pertinacius quærere, & rationes exigere, & modum ſciſcitari, animi certè eſt nimium audacis & temerarij. Quod & ipſum ſacræ ſcripturæ teſtimonio confirmabimus. Fuerat Zacharias quidam vir miræ virtutis, præclarique nominis: ſacerdotio præditus, & patrocinium totius populi commeritus apud Deum immortalem: qui ſancta ſanctorum ingreſſus, ipſum ſcilicet penetrale, quod vni fas erat illi inſpicere, ac pro populo Deo ſupplicans (intellige quantum in illo fuit authoritatis) & Dominum reddens propitium famulis, quaſi quidam eſſet interpres Dei & hominum: vidit angelum intra parietem ſacri illius domicilij ſtantem, cuius aſpectu ictus atque expauidus vocem
Luc. 1. audit: *Noli timere Zacharia, exaudita eſt oratio tua: & ecce Elizabeth vxor tua pariet filium*. Sed vnde hæc verba conſequendi habeant rationem? Ille pro populo rogabat, pro peccatis veniam ſuis conſeruis implorabat. Hic noli timere, inquit, nam exaudita eſt oratio tua. Atque exaudiendi indicium addit, filium in lucem venturum Ioannem. Vide quàm rectè iſta ſequãtur, quũ pro peccatis rogaret populi, naſci ex eo debere filium, qui
Ioan. 1. clamaret: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi*, ra-
Luc. 1. tione ſanè optima, ita angelus retulit: *Exaudita eſt oratio tua, & Elizabeth vxor tua pariet tibi filium*. Quid ille ad hæc? quod enim probare voluimus id eſt, nullam ijs dari veniam, qui modos Dei oraculorũ ſcrutantur, & hæſitant, qui diuinas ſententias non fide recipiunt, ſed rationis examine requirũt. Cõſpicatus eſt ſuam ætatem, ſuam caniciem, ſuum debile corpus & imbecillum, Animaduertit ſuæ vxoris naturam ſterilem, atque ita diffidit, & modum quo ita fieret petijt, & dixit: Vnde hoc ſciam? Quo pacto, inquit, poſſit fieri? Iam ego conſenui & percanui, vxor ſterilis, prouecta in diebus ſuis, ætas inepta, natura incommoda, quæ ratio huius pollicitationis ſit, non equidem video. Ego qui feram, admodum ſum imbecillis: ſeges quæ ſemen recipiat, nihil reddere poteſt. Nónne illi ſeni dixeris eſſe ignoſcendum, cùm rerum ordinem petat, & legem naturæ conſideret? Nónne aliquid illum ex ratione rerum deliberare putaueris? Sed tamen Deo nullam mereri veniam viſus eſt, & rectè quidem. Quum enim aſſerit Deus, nemo ſuas rationes debet mouere. Nullus rerum conſequentiæ aut naturæ neceſſitati locus relinquitur. Nil penitus huiuſmodi eſt obijciendum. Vis enim diuinæ ſententiæ longè ijs omnibus eſt ſuperior. Homo quid agis? Deus pollicetur, & tu reſpicis ætatem, & ſenectutem proponis? Num ſenecta validior ſit voluntate diuina? Num natura potẽtior ſit ſuo creatore? Neſcis verbo illius vno ſumma atq; pręcipua eſſe effecta opera? Iam eius verbum cælum inſtituit, angelos creauit, orbem terrarum condidit, creaturam omnem produxit: & tamen tu de filij procreatione, & vnius animulæ inſpiratione dubitas? Idcirco moleſtè angelus tulit, ne ſacerdotij quidẽ negotio pepercit, imò ob idipſum pœnã illi ſubeundam cẽſuit grauiorem. Qui enim plus quã cæteri obtinebat honoris, habeat fidem quoque quam cæteri ampliorem. Sed quemadmodum puniatur, videamus. Ecce eris tacens, & non poteris loqui. Lingua tua, inquit, quæ ad meorum verborum diffidentiam ſuum officium præſtitit, pœnam incredulitatis ipſius luet. Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem quo hæc fient. Animaduerte clementiam Domini & humanitatem. Quia mihi, inquit, non credis, nunc pœnã aliquam ſolues: quum autem re effecta monſtrauero quod propoſui, tunc illam meam extinguam: quum te punitum iure optimo intellexeris, tunc te ſupplicio eximam. Audiant Anomœi quemadmodum Deus ægrè atque moleſtè tulit, quum eius ſententia curioſiùs quæreretur. Quòd ſi ille quum minus crediderit humano mortalique puerperio, punitur: tu qui diuinam ac ineffabilem & ſupernam illam vnigeniti generationem penſitas vanè & rimaris, quo pacto effugere valeas, quin ſupplicio plectaris grauiſſimo? Ille nihil ſua authoritate aſſeruit, ſed tantummodo quo pacto res efficeretur, voluit intelligere, & tamen nullam veniam conſecutus eſt: tu qui & ſcire te vehementer affirmas, quæ omnibus inconſpecta, inaudita, & incomprehenſibilia ſunt, qua excuſandi ratione vtaris? Quod genus ſupplicij non meritò tibi haurias? Verùm diſpenſationem generationis ad tempus aliud differamus, nunc priorem cauſam repetamus: cuius reliquias his diebus ſuperſedimus, quũ radicem illam pernicioſam ſecare atquę euellere conaremur, quæ parens malorum omnium eſt, ex qua omnis eorum opinio proficiſcitur. Quænam ſit iſta omnium malorum origo, horret animus dicere, piget ea narrare, quæ illi aſſiduè meditantur atque efficiunt. Quod nemo vmquam dicere auſus eſt, ipſi ſe ita Deum noſſe, quemadmodum Deus ſe ipſe nouit, aſſerunt. Hoc audent dicere? hoccine refelli debeat argumentis, & tamquam res dubia in controuerſiam cadere? Nónne ſatis hac ipſa verborum ſerie efficitur, vt omnis eorum impietas latè oſtendatur? Nónne ſtatim ex ſe, ipſum eorum ſcelus explicatur, & deprehen- Anomœorũ impietas dicentium ſe Deũ ita cognoſcere, vt noſcitur à ſeipſo.

Digitized by Google

ditur furor? Id manifeſta eſt inſania minimè ignoſcenda, nouus impietatis modus, nemo vnquam aliquid tale vel animo cõcipere, vel lingua referre auſus eſt. Intellige homo infelix & miſer, quidnam ſis, & quid quæras atq; explores. Homo quum ſis, Deum ſcrutaris, & noſſe omnibus rebus contendis. Tua ipſa tantummodo nomina ſatis tuæ amentiæ poſſunt monſtrare nimietatem. Homo es, terra, cinis, caro, ſanguis, fœnũ, floſculus herbę, vmbra, fumus, vanitas, & ſi quid iis exilius, vilius, atque abiectius. Sed nolim ita putetis, quaſi ego inuehar in naturam humanam, velimque maledictis eam laceſſere. Nec enim à me iſta dicuntur, ſed à prophetis ſtudio philoſophiæ veræ atq; nobilis: non tamen vt genus noſtrum vituperarent notarentque illa retulerunt: ſed vt hominum ſtolidorum & deſipientium animos opinione inflatos caſtigarent: non vt noſtræ naturæ detraherent, ac probro darent & vitio, ſed quò furentium hominum inſolentiam compeſcerent atque ablegarent. Nam ſi poſtquam tam copioſè, tam ſeuerè, imò acerbè diſputarunt, nõ deſunt, qui animi fatui elatione ſuperbiam diaboli ſuperent: quò tandem amentiæ non proueherentur, ſi nihil eiuſmodi ſanctiſſimi illi homines appoſuiſſent? Qui vbi appoſitam gerunt medicinam, tamen adhuc inflantur & intumeſcunt: ad quid faſtus ſtoliditatiſque non demum ruiſſent, ni illi tot atque talia de natura aſſeruiſſent humana? Audi
Gen. 18. quid ille beatus patriarcha de ſe referat: *Ego ſum puluis & cinis.* Deum alloqui meruit, & tamen nihil propterea effertur, quinimo eapropter moderatiorem ſe exhibere oportere cenſebat, & humiliorem. At iſti qui ne cum vmbra quidẽ illius ſunt conferendi, angelis ipſis maiores ſeſe faciũt, & ſuperiores: quam rem certè vltimæ inſaniæ argumẽtum eſſe nulli dubium eſt. Deum ſcrutaris, & pertinaci ſtudio inueſtigas, qui nullo eſſe cœpit initio, nullam patitur immutationem, nullo corpore conſtat, nulla corruptione diſperit, qui vbique adeſt, omnia ſuperat, omni creatura excelſior eſt. Audi quid de eo prophetæ prophetarunt, & me-
Pſal. 103. tue: *Qui aſpicit terram, & contremere facit eam.* Aſpexit enim, & illico terram tam magnam, tam ponderoſam commouit & conquaſſauit. *Qui tangit montes, &*
Ibid. *fumigant.* Qui commouit orbem terrarum funditus, & columnæ eius concutiuntur. Qui mari minatur, & ſecat id. Qui dicit abyſſo, deſolaberis.
Pſal. 113. *Mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerunt ſicut arietes, & colles ſicut agni ouium.* Omnis creatura mouetur, metuit, contremiſcit, deſtituitur, ſoli iſti contendunt, deſpiciunt, negligunt, parui faciunt ſuam ſalutem, non dicam dominum omnium. Paucis antè diebus à ſuperiorum virtutum ordine eos admonebamus: hoc eſt, ab angelis, archãgelis, Cherubin, Seraphin, nũc à creatura ſenſu priuata. Hoc enim genus ferũ hominũ nullis rationibus cedunt, nullis argumentis flectũtur. Vides cælum hoc, quàm pulchrum, quam amplum, quã magnificum ſit, quemadmodum vario ſtellarum ordine exornetur & ſplendeat, quãtum edurare potuerit tẽporis. Iam enim quinq; millia annorum, atq; etiam plus ſeruatur, & conſtat, nec tamẽ longo temporis ſpatio effectum eſt vt ſeneſcat, ſed ad corporis modum adoleſcentis robuſti floret, vigetq; ætate: & quam principio ſortitũ eſt pulchritudinem, eandem integerrimã ſeruat, nulla ex parte factũ deterius tanto ſpatio tẽporis. Attamen hoc pulcherrimum, ſplendidiſſimis ſtellis elegãtiſſimè ornatũ, infeſſum, edurãſq; iam diu, Deus, quẽ tu ſcrutaris, & rationibus tuis ſubijcis, & definis, quaſi quis per ludum tugurium faceret, ita ſumma cũ facilitate creauit. Quã rem Eſaias pro-
Eſa. 40. pheta pulcherrimè exprimit, cũ dicit: *Qui inſtituit cælum ſicut cameram, & extendit, ſicut tabernaculum ſuper terrã.* Quid de ipſa terra? qui cõtinet gyrũ terræ, qui

A fecit terram quaſi nihil, tam ingens corpus, tam opus arduum. Animaduerte quot montiũ moles, quot mortalium gentes, quot ſtirpiũ, quot quadrupedũ, reptiliũ denique animantiũ genera ſuo dorſo ſuſtineat tellus. Sed tamẽ hanc talẽ tantamque Deus facile adeò condidit, vt propheta quòd ne exemplum quidem tantæ facilitatis haberet, perinde ac nihil factũ tradiderit. Quum enim nõ ſatis rerũ conditarũ magnitudo & ornamenta potentiã facultatemq; ſui conditoris exprimerẽt, ſed longè ab omni illius vi & excellẽtia iacerẽt inferius, modum prophetæ excogitarũt alium, quo pro viribus poſſent aliquid plus nobis explicare de diuina potentia: quo magnitudinem non ſolum creaturarũ, ſed etiam modũ creationis referrent, vt vtraq; ex parte, videlicet tum rerum magnitudine conditarum, tum facilitate condendi poſſemus dignius quid pro virili noſtra de Deo omnipotenti intelligere. Igitur non modò rerum magnitudinem ſpe- Dei magnitudo
ctare debemus, verumetiam qua factæ ſunt à Deo
B facilitatẽ. Nec ſolũ in terra hoc patet, ſed etiam in ipſa natura hominũ. Quippe quũ author dicat: Qui continet gyrũ terræ, & habitãtes in ea quaſi locuſtas: aut *quaſi ſitula omnes gentes in conſpectu eius:* ne mi- Eſa. 40.
nus conſideratè quod dicit prætereas, ſed diligentius attendas, diſcutias, atque inquiras rogo & hortor. Repete omnes gẽtes, complectere animo Syros, Cilices, Cappadoces, Bithynios, Myſos, Phryges, Mæones, Lycios, Pamphylios, Iones, Aſſyrios, Arabes, Indos, Ægyptios, Æthiopes, Pœnos, Hiſpanos, Gallos, Germanos, Sarmatas, Pannonios, Sauromatas, Maſſagetas, denique omnes Scythas, degenteſque vltra Aquilonem ſitem Albanos, Iberes, Bactrianos, Caſpios, Medos, Perſas, Parthos, Armenios, ponti Euxini vicinos omnes & incolas, Thraces, Macedonas, Græcos omnes: adde Epirũ, Daciam, Dalmatiam, Italiam: inſulas omnes tam interioris maris, quàm exterioris, cæteraſq; innu-
C merabiles gentes, quarum ne nomina quidem nouimus: hæc omnia mortalium genera inſtar guttæ labentis de ſitula coram Deo verſari autumat. Accipe accuratiùs, dic quæſo, quota eius guttæ particula ſis, qui Deum, cui vniuerſæ gentes pro ſtilla ſitulæ habentur, ſcrutaris atque examinas? Sed cur de cælo, terra, mari & natura hominum loquar? Cælum ſuperet ipſum noſtra oratio, & vlteriùs pergat ad angelos. Noſtis denique vnũquemuis angelum rependi, paremque eſſe vniuerſæ huic viſibili creaturæ, vel potius multò nobiliorem, præſtantioremque. Nam ſi homine iuſto dignus non ſit vniuerſus mundus, vt Paulus author eſt, qui dicit: *Quibus non erat dignus hic mundus:* Heb. 11.
longè minus ad dignitatem poſſit accedere angeli, qui omni homine iuſto ſuperior eſt admodum & præſtantior. Verumtamen millia angelorum ſunt innumerabilia, mille millia archangelorum: adde
D ſedes, dominationes, poteſtates, principatus, cætus incorporeos virtutum innumeros, denique genera cæleſtia innumerabilia, quæ omnia Deus creauit tanta cum facilitate, quantã nemo valeat verbis exprimere. Satis enim illi ad omnia fuerat voluiſſe. Itaq; vt nobis voluntas nihil affert laboris, nihil negotij: ſic illi creare tot tantaſque virtutes facile fuit, & ſine vllo labore. Quod propheta expreſſit cùm diceret: *Omnia quæcunque voluit, fecit in cælo & in terra.* Vidéſne quemadmodum nõ ſolum Pſal. 113.
ad condendum res inferiores, ſed etiam ad creandum virtutes ſuperiores, vna eius voluntas ſatis fuerit? Hæc cũ audis, non tu luges, non te ab hominũ conſortio diſtrahis, non te obruis, qui eò temeritatis atque amentiæ proruiſti, vt quem glorificare duntaxat debes & adorare, hunc ceu rem quandã abiectam & vilem curioſè ſcruteris, & cõtendas penitus comprehendere? Hinc Paulus ſapientiſſimus ille cùm incomparabilẽ Dei exuperãtiam, & naturæ humanæ fragilitatẽ cogitaret, con-

tra homines qui diſpenſationes diuinas ſcrutabãtur & perquirebant, moleſtiſſime ferens dicebat ad hanc vehementiam: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* (Rom. 9.) Quis es? intellige prius tuã naturã, quæ ſit: nomen enim nullum comperies, quod poſſit tuam ſatis exprimere exiguitatem. Dices credo, homo præditus ſum libertate, & honore præponderans. Sed honorem adeptus es iſtum, non vt libertate ad obloquendum abutaris, ſed vt eum qui te affecit honore, colas atque obſerues ſummo cum honore. Deus te cenſuit honorandum, non vt eum afficeres contumelia, quod facis quum eius ſubſtantiam inquiris & perſcrutaris: ſed vt animo pio, fideli, modeſto, grato vicem pro viribus reddas. Nam dum eius pollicitationes minus ſcrutaris, glorificas & obſeruas: porrò cùm quæris & curioſiùs exploras, non ſententiam ſolùm, ſed etiam dicentem ſententias contemnis & negligis. Quàm verè Deum glorificet is, qui eius pollicitationem minùs ſcrutetur & quærat, ex Paulo accipe, qui de Abraham ac eius obedientia, & in rebus omnibus fide, hæc dicit: *Conſiderauit quidem corpus ſuum emortuum, quum iam ferè centum annorum eſſet, & emortuam vuluam Saræ: verùm in repromiſſione Dei non heſitauit fide.* (Rom. 4.) Natura quidem & ætas, inquit, faciebant vt deſperaret, ſed fides ſpem bonam mouebat. Sed *confortatus eſt fide, dans gloriam Deo, & pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt facere.* (Ibidem.) Vides quemadmodum qui ratus & certior de rebus iſtis eſt, quas Deus aſſerit, gloriam reddit. Quòd ſi gloriam is reddit, qui confidit & credit: contumeliam certè, qui diffidit, non in Deum, ſed in ſuũ caput conuertit & trahit. *Tu quis es,* inquit, *qui Deo reſpondeas?* (Rom 9.) Deinde quum oſtendere vellet, quantum differentiæ inter Deum & hominem eſt, retulit minus quã quidẽ res tanta deſiderat: eo tamen quod proponit exemplo fieri poteſt, vt etiam longe maiorem differentiam intelligamus. Quid dicat, audi: *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* (Ibidem.) Quid ais? Itáne debeo ſubijci & obtemperare Deo, vt lutum figulo? Ita inquit. Tantum eſt enim inter Deum & hominem diſcrimen, quantum inter figulum & lutum: vel potius ne tantum quidem, ſed longè amplius: quippe cũ luti & figuli eadẽ natura ſit. Quod etiam apud Iob ſcribitur: Sine inquit, *habitantes domos luteas.* (Iob 4.) Sed ſi homo nobilior & formoſior luto videatur, hoc nõ diuerſitate naturæ, ſed ingenio artificis prouenit. Nã materiæ quidẽ ratione nihil inter lutum & te intereſt, quòd ſi nõ credis, ſepulchra & monumenta inſpice maiorũ tuorũ, illa ſuo exẽplo facilè tibi poſſunt perſuadere te puluerẽ eſſe & lutũ. Diſcrimẽ itaq; luti & figuli nullũ eſt. At inter Deũ & hominẽ tanta eſt ſubſtãtiæ differentia, quanta nec lingua narratur, nec animus cõplecti omnino polleat: Quo igitur modo illud manibus figuli, quocumque duxerint, obſequitur, paret & ſeruit: ſic tu morem gerere ac Deo obtemperare promptus libenſque debes, quoties aliquid iſte ſtatuit & diſpenſat; nec aliter quàm more luti ad nutum te voluntati diuinæ exhibere tuum omnino eſt. Non enim ob eam rem Paulus illa ſcripſit, vt nobis poteſtatem agẽdi auferret, & liberum arbitrium tolleret: ſed vt multò amplius noſtrã temeritatẽ, procacitatemque prohiberet atque perimeret. Sed ſi placet, illud etiam videamus, quid quum illi intelligere velint, tam vehementer increpantur & reprimuntur. Num ſubſtantiam Dei ſcrutabantur? Minimè: nemo vmquam id auſus eſt. Sed quod eſt minus, diſpenſationes diuinas quærebant, ſcilicet quamob rem hominum alius puniretur, alius veniã impetraret, alius ſupplicio liberaretur, alius angoribus & moleſtijs implicatus eſſet, alij ignoſceretur, alij minimè. Hæc enim & cætera id genus illi ſciſcitabantur & quærebant. Vnde id conſtat? ex his quæ ſcribuntur ſuperiùs. Cũ enim dixiſſet: *Ergo quem vult miſeratur, & quem vult indurat: dices itaque mihi, quid adhuc quæritur: voluntati enim eius quis reſiſtet?* (Rom. 9.) adiunxit continuò: *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Ita conſtat eos cõfutari & reprimi qui curioſius Dei quærebãt diſpenſationes. Quòd ſi illis ne id quidẽ conceditur, tu qui beatã illam ſubſtantiã, quæ rebus omnibus conſulit, quæ omnia regit, gubernat, diſpenſat, tam curioſe inquiris & perſcrutaris, non te putas mereri vt fulminibus innumerabilibus corripiaris? Quî fieri poteſt, ne iſta ſint furoris ſummi facinora? Audi prophetã dicẽtem, vel potius Deum immortalem verba facientem oris illius: *Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* (Malach. 1) Qui enim metuit, non ſcrutatur, ſed colit, obſeruat, adorat, honorat, glorificat, laudat, cõmendat. Accipe hæc tũ à ſuperis illis virtutibus: tũ verò ab ipſo beato Paulo, qui vt cæteros reprehendit, ita ipſe non aliter agit quã doceat: audi quid ad Philippenſes ſcribat, cùm ſe particularem adhuc tenere ſcientiã, & nondum totã perfectamq; recepiſſe velit declarare: quod idem ſcribens ad Corinthios, dixit: *Ex parte cognoſcimus.* (1. Cor. 13) *Fratres ego me nondum arbitror comprehendiſſe.* (Philip. 3.) Quid hac voce apertius, quid certius, quid expoſitius, quid deniq; manifeſtius dici poteſt? Tuba clarius ſonat, vniuerſum commouere faciens orbem terræ, cõtentum eſſe eo ipſo ſciendi modo, quem Deus præbendũ cenſuerit, nec totũ perfectumq; ſcientiæ munus in hoc ſeculo ſe recepiſſe exiſtimare. Quid dicis Paule? Chriſtũ in teipſo loquentẽ geris. Idcirco ita ſentio, ita mihi eſt perſuaſum, doctrinæ ipſius Chriſti, qui in me loquitur, beneficio. Quã ob rem iſti quoq;, niſi penitus Spiritus ſancti adiumenti & auxilij eſſent inanes, eiuſq; omnem intelligendi operandiq; gratiam ab animo ſuo exterminaſſent, non cùm Paulus diceret, nondum comprehendiſſe me arbitror, ipſi totam ſcientiam adeptos eſſe arbitrarentur. Vnde, inquis, id cõſtet, vt de fide, ſcientia & opinione iſta dicantur à Paulo, non de vita & moribus? Quaſi dicat: Ego minùs me eſſe perfectum virtute ac vitæ officio probum & laudadilẽ arbitror. Profectò hoc ipſum ampliſſimè ille explicauit, cùm diceret: *Certamen bonum certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* (2. Tim. 4) Qui itaque recepturus erat coronam, & ſuum curſum perfecit, qua ratione dicere aptè de ſe poteſt, nondum comprehendiſſe arbitror? Agenda, item, & non agenda nemini eſſe poſſunt incerta, ſed omnibus tam Græcis, quàm barbaris vitæ officia explorata habentur omnia: nec eſt vllum mortalium genus, quod ignoret quid honeſtum ſit, quid turpe, quid iuſtum, quid iniuſtum, quid vtile, quid inutile aut detrimentoſum: quid deniq; probatum improbatúmve ex legibus & inſtitutis maiorum ſuorum. Quid igitur pacto ipſe vnus ſe intellexiſſe comprehendiſſeq; negaret, quæ omnibus conſtant? Atque vt latius mea hæc ſententia pateat, epiſtolam ipſam non item interciſam, ſed continentem exponam. Cum enim dixiſſet: *Videte canes, videte malos operarios,* (Philip. 3.) cùm plura de his qui importunè ritus Iudaicos introducebant diſſeruiſſet, addidit: *Quæ mihi fuerunt lucra; hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, vt inueniat non habens iuſtitiam, quæ ex lege eſt; ſed iuſtitiam quæ ex Deo eſt, quæ per fidem Ieſu Chriſti eſt.* (Ibidem.) Poſt hæc qua de fide loquatur, adiungit: *Vt eum cognoſcerem, & potentiam reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum eius.* (Ibidem.) Sed quid ſignat cùm dicit: potentiam reſurrectionis eius? Nouus quidem, inquit, & inuſitatus reſurgendi modus apparuit. Plerique enim anteà reſurrexere mortui, verùm eodem quo Chriſtus modo nemo vmquam ſurrexit. Cæteri quippe omnes, qui aliquando reſurrexerunt, in terram iterum redierunt: & mortis vinculis

rela-

Digitized by Google

relaxati ad tempus, rurſum ad poteſtatẽ illius ducti ſunt. At corpus ipſius domini cum ſemel ſurrexerit, nunquam præterea collapſum in terram eſt, ſed cœlum aſcendit, & tyrannide hoſtis perempta, ex toto vniuerſum terrarum orbem ſecum luci reſtituit, & nunc victor & dominus omnium regio ſedet ſolio. Quæ cum animaduerteret omnia Paulus, velletque explicare tot tamque admiranda, quæ ratione quidem nulla, fide autem vna poſſent recipi, ac pro veris certiſque haberi, dixit fidem cognoſcendi potentiam reſurrectionis eius. Nam ſi reſurrectionem abſoluta contemplatione nulla docere ratio poteſt, cum hoc ſit plus quàm natura & ſeries rerum patiatur: quo pacto eam exprimere poſſit reſurrectionem, quæ tam à cæteris omnibus differat reſurrectionibus tamque nobilior ſit & admirabilior? Nulla certè ratio eſt quæ rem tantam attingere valeat, ſed fide opus eſt, ſi opinari velimus corpus mortale, fluxum, caducum, ſenſu omni priuatum ſurrexiſſe, & vitam recepiſſe perpetuam, nullo fine, nullo termino deſcribendam. Quod idem alibi ſignificat his verbis: Chriſtus cum ex mortuis reſurrexerit, *non preterea moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Duplicatur itaque admiratio, cùm & ſurrexerit, & eo modo ſurrexit: cauſa hæc eſt, cur dicat fidem cognoſcendi potentiam reſurrectionis eius. Quod ſi fieri non poteſt, vt eius reſurrectionem ratione captemus, longè minùs ſuperam illam generationem ratiocinari nos poſſumus, & eius elicere ſcientiam. De his rebus cùm Paulus diſputaret, de cruce quoq; & paſſione domini egit, quæ & ipſa committenda fidei cenſuit: quæ vbi mouit, explicauitque omnia, id addidit: *Ego me arbitror non comprehendiſſe.* Non ego arbitror me non ſcire aut noſſe dicit, ſed comprehendiſſe: ne ex toto vel ſcire, vel ignorare intelligatur. Quòd enim fatetur ſe arbitrari nondum comprehendiſſe: adhuc illum eſſe in via, & ambulare, ac vlterius pergere, necdum deueniſſe ad finẽ, quem totum adipiſceretur ſignificat. Quod ad alios quoque ſcribens, ſic admonet, dicens: *Quicunque perfecti ſumus, hoc ſentiamus: & ſi quid aliter ſapitis, hoc Deus reuelabit,* non ratio docebit. Vides non de vita & moribus agi, ſed de opinione & fide? Vita enim & mores non deſiderant reuelationem, ſed opinio & ſcientia. Quod idem etiam alibi ſignificans ſcribit: *Si quis exiſtimat ſe aliquid ſcire, nondum aliquid nouit.* Non enim nihil omnino ſcire aſſeuerat, ſed nihil quemadmodum oporteat. Habet quidem ſcientiam, ſed non perfectam illam & exquiſitam. Quod vt latius ita eſſe intelligas, omiſſis ſuperioribus illis, menteque illa accipiendi, inferiorem hanc, & ſenſu noſtro ſubditam creaturã proſequamur. Cœlum hoc formam quidem concamerati gerere nouimus, idque non ingenio noſtro & ratione, ſed diuinæ ſcripturę ſententia. Complectique idem vniuerſam terram non ignoramus, quod & ipſum ab eodem diuino fonte hauſimus. Sed qua ſubſtantia conſtet, neſcimus. Dicat qui cõtendit, & ſe nouiſſe affirmat, quid ſubſtantiæ cœlum ſit. Num humor quidem in gelu concretus? Num obdenſata nubes & in ſpiſſiorem obducta ſubſtantiam? Num aër caſſus & corpulentior? Nemo certè quid ſit, planè docere poteſt. Quod ſi ita eſt, quis præterea poſtulet argumentũ, quo amentiam intelligebat & furorem eorum qui Deum quid ſit ſe ſcire autumant? Cœli quod quotidie cernis, naturam reddere nequis, & inuiſibilis Dei ſubſtantiam ſcire indubiè profiteris? Quis tam rudis & inſenſatus ſit, quin his qui hæc garrulant, non poſtremum inſaniæ irroget? Quas ob res vos, fratres chariſſimi, omnes & hortor & rogo, curare tentetis pro viribus eorum opinionem, perinde ac inſaniam & delirium furentium, cum modeſtia tamen & cum clementia. Nam hæc eorum opinio orta eſt ex ſtoliditate & inflatione mentis vehemẽtiſſima: vulnera autẽ inflata & tumeſcentia tactum omnem recuſant aſperiorem, ne attrectationem quidem manus patiuntur. Proinde medici ſpongia quadam præmolli & humefacta vlcera leuiter leniterque attrectare conſueuerunt. Quod cum his quoque vlcus in animo ſit inflatum ac tumeſcens, officij eſt, his quas diximus rationibus, velut humore quodam clemente ac mirifico, ſpongia molliſſima abluendum curare, atque flatum eorum compeſcere, ac tumorem omnem diffundere conati: & quamuis nos afficiant contumelia, quamuis inſpuant, calcitrent, quodcumque faciant, noli relinquere curam, noli deſerere hominem. Multa enim huiuſinodi patiatur neceſſe eſt, qui furioſum hominem curat. Non propterea deſiſtendum eſt, frater chariſſime, quinimo eapropter maiorem in modum miſerandum, illacrymandumque, quòd tali genere morbi laborant & pereunt. Hæc tamen ad eos dicta intelligi volo, qui animo ſint firmiore, qui nullum ex ſocietate colloquiiſque eorum poſſint capere detrimentum. Nam qui infirmior eſt, fugere debet congreſſum & vocem, deuitet is conuentum eiuſmodi hominum, ne ratio amicitiæ pariat errorem impietatis. Sic enim & Paulus facit, ipſe quidem cum ægris conuerſatur, & dicit: *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, his qui in lege erant, tanquam ſine lege eſſem:* Sed ſuos diſcipulos atque infirmiores auocat, commonefaciens ad hunc modum, dicens: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua.* Quod propheta etiam præcipit, cum dicit: *Exite ex medio eorum, & ſeparamini, dicit dominus.* Medicus enim cum ad ægrotum accedat, prodeſt ſæpenumero & illi, & ſibi. Sed ſi quis parum ſanus validuſque acceſſerit, & ſe, & ægrotantem mutua contagione reddet infirmiorẽ: & qui prodeſſe illi haud quicquam potuiſſet, ſibi ipſi magnam hauſit labem. Omnino quemadmodum qui oculos inſpiciunt lippientium, malo afficiuntur eodem: ita his accidit, qui conſortiũ blaſphemorum & fœdorum illorum hominũ adeunt, eò quòd animo ſint infirmiori: plurimum quippe contrahunt ſibi impietatis, & ſtolidorum numerum augent. Igitur qui ita ſe habent, vt offendantur, vitent & fugiant illorum colloquia, & optent duntaxat, vt clementiſſimus Deus qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, liberet eos ab errore & diaboli laqueo, & ad lucem ſcientiæ reſtituat: hoc eſt, ad Deum & patrem, qui viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

Rom. 6. — Philip. 3. — Philip. 3. — 1. Cor. 9. — Simile. — Infirmi vitent malorum congreſſum. — 1. Cor. 9. — Ibid. 15. — Eſaiæ 5. — Simile.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura, contra Anomœos,

HOMILIA III.

Agricolæ, quibus non deeſt induſtria, arborem quam ſylueſtrem ac ſterilem viderint ſuis officientem laboribus, vel ex radicis reptatu improbo, vel vmbræ opacitate nimia detrimentum inuehentem generi vrbano ſtirpium & frugali, præcidendam tollendamque ſummo ſtudio curare conſueuerunt: qua in re flatus quoque interdum, caſuſque adiuuat, qui ſuo impetu comam intorquens vehementiùs arboris frangat ſtipitem, molem totam proſternat, itaque bona laboris parte leuet agricolam. Cum itaque nos quoque arborem præcidendam curemus ſylueſtrem, atque erraticam ipſam Anomœorum opinionem, Deum immortalem rogemus, nobis gratiam ſui diuini Spiritus mittat, quæ omni vehementius flatu occurſans, errorem illum ſtirpitus extrahat, & noſtrum laborem reddat leuiorem. Profectò vt ſeges cultu ſolito deſtituta herbas vitioſas educit, & ſentibus horret, & arbores ſponte interdum edit ſylueſtres: ſic animus Anomœorum cultu ſcripturæ ſacræ priuatus, & carens doctrinæ ſanctæ & Chriſtianæ munere, ſponte ac ſuopte motu ferocem iſtam & horridam prompſit hæreſim

Simile. — Si Deus incõprehenſibilis ſit angelis, quãto mag. hominibus.

Hanc etenim arborem non Paulus plantauit, non Apollo rigauit, non Deus auxit: ſed plantauit rationum intempeſtiua ſcrutatio, rigauit ſuperbia ſtolida, auxit ambitioſa cupiditas. Itaque flamma Spiritus ſancti opus eſt, vt non ſolùm extrahamus peſſimam iſtam radicem, ſed etiam peruramus. Inuocemus igitur Deum ipſum, quem illi maledictis laceſſunt, nos omni laude proſequimur & honore: rogemuſque vt linguam ad dicendum plenius & mentem ad intelligendum certius excitet.

Deum blaſphemantes nō Deo ſed ſibi nocent.

Cauſam enim illius agimus, pro eiuſque gloria laboramus, vel, vt veriùs loquar, pro ſalute noſtra contendimus. Deum namque nemo quiſquam eſt, qui vel contemnendo offuſcet, vel commendando reddat illuſtriorem. Manet ille quidem ſemper in ſuo eodem ſtatu cum gloria, neque laudibus ampliandus, neque maledictis diminuendus. Homines verò, qui dignè illum commendant, vel potius qui pro viribus (nam dignè quis poteſt commendare?) fructum ſibi ex ea ipſa commendatione egregiè capiunt. Contrà, qui blaſphemarit & pro nihilo putant, ipſi lædunt ſalutem & perimunt. Veriſſima namque illius ſententia eſt, qui blaſphemis inquit hominibus:

Eccl. 27.

Lapidem qui ſurſum iaciunt in excelſum, in ipſorum caput iaciunt & contendunt. Quemadmodum enim qui lapidem illò iaculatur, corpus cœleſte non attingere, nedum lacerare poteſt, plagam autem ſuo capite excipit, cum lapis eodem vnde iaculatus eſt redeat: ita qui beatam illam blaſphemat ſubſtantiam, vt nunquam offendere eam poteſt, cùm longè potior atque excelſior ſit, quàm vt affici aliquo poſſit detrimento: ſic ferrum aduerſum animam ſuam acuit & parat, cum ſe ingratum domino bene merenti exhibet. Inuocemus itaque ipſum ineffabilem, inuiſibilem, incomprehenſibilē, in intelligibilem Deum, qui omnem linguæ humanæ ſuperat facultatem, qui omnes mortalis intelligentiæ vires excedit: quem neque angeli inueſtigare, non archangeli indagare, non virtutes, non denique aliqua creatura cernere valet: ſed filius duntaxat cognoſcit, & Spiritus. Nec verò ignoro aduerſarios noſtros verbis his meis inſolentiam ſummam obiecturos, quòd ne ſupremis quidem virtutibus Deum eſſe comprehenſibilem iudicem. Verùm ego ſuum ob idipſum illis obiicio furorem. Non inſolenter is agit, qui natiuorum omnium vim comprehendi & ſuperari à ſuo creatore autumat, ſed qui ipſum incomprehenſibilem virtutibus ſuperis exiſtimat poſſe deſcribi, & comprehendi rationibus hominũ, qui terrenam hanc regionem incolunt, & tam à ſuperis illis diſtant ac diſcrepāt. Ego niſi quod pollicitus ſum, probauerim atque demonſtrauerim, me crimine inſolentiæ damnandum eſſe confiteor. Atqui vos, poſteaquam oſtenſum ſit Deum incomprehenſibilem eſſe virtutibus ſuperis, contendetis præterea & affirmabitis voſmet illum noſſe, & comprehendere: quo terræ hiatu, quo præcipitio, qua mala cruce non iure optimo puniamini, qui eò inſolentiæ deueniſtis, vt quæ virtutes incorporeæ omnes inſpicere nequeunt, hæc vos explorata certaq; habere putetis, ac prædicetis? Agè igitur ad rem ipſam demonſtrandam explicandamque veniamus, ſi prius interim orauerimus, à Deoque implorauerimus auxilium. Sæpius enim orandi ratio rem de qua agitur, probabit atque exponet. Inuocemus itaque ipſum regem regum, & dominum dominantium,

1. Tim 6.

qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inacceſſibilem habitat: quem nullus hominum vidit, neque videre poteſt, cui eſt honor & imperium, in ſempiternum, Amen. Hæc non mea ſunt verba, ſed Pauli. Tu velim animi deuotionem intelligas, & amorem penè incredibilem. Cùm enim Dei meminerit, non antè ad deſtinatæ doctrinæ rationem venire patitur, quàm debitum ſuum exoluat, finem dicendi faciens cum commendatione & laude.

Prou. 10.

Nam ſi *memoria iuſti cum laudibus*, teſte Salomone

A

viro ſapientiſſimo: longè magis mentionem Dei immortalis facere cum commendatione debemus & laude. Quod idem Paulus in exordiis ſuarum epiſtolarum facere aſſolet. Sæpius enim cùm epiſtolam ordiatur, ſi Dei meminerit, non priùs pergit vlteriùs, quàm debitam reddat commendationem & gloriam. Audi quid ſcribens ad Galatas dicat:

Galat. 1.

Gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto: qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, vt eriperet nos de præſenti ſeculo nequam: ſecundum voluntatem Dei & patris, cui eſt honor, & gloria in ſecula. Amen. Atque etiam alibi:

1. Tim. 1.

Regi autem ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli ſapienti Deo honor & gloria in ſecula. Amen. Sed nunquid in patre tantummodo hoc facere conſueuit, non itidem ſeruat in filio? Vide quemadmodum in vnigenito quoque faciat hoc idem diligentiſſimè: cùm enim dixiſſet:

Rom. 9.

Optabam anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati ſecundùm carnem, adiunxit:

B

Quorum adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium, & promiſſa, quorum ſunt patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt benedictus ſuper omnia in ſecula. Amen. Iam vt patri, ſic etiam filio poſtquam laudem & gloriam reddiderit, ſermonem aggreditur: quippe qui dicentem audierit Chriſtum, vt omnes honorent filium, ſicut patrem honorant. Sed vt intelligatis ipſa noſtræ orationis propoſita verba ea eſſe, quæ rem de qua agimus probare poſſint atque exponere: agè hæc ipſa in medium afferamus. Regem regum, inquit, & dominum dominantium,

1. Tim. 6.

qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inacceſſibilem habitat. Hic inſiſtendum, interrogandumque hæreticum illum, quid hoc ſignificet: Et lucem inacceſſibilem habitat. Atque attendas velim diligentiæ Pauli. Non enim dicit, qui lux inacceſſibilis eſt: ſed, qui lucem inacceſſibilem habitat, ſcilicet vt intelligas, quàm ipſe habitans Deus inacceſſibilis ſit,

C

quando domicilium quod inhabitat inacceſſibile eſt. Non tamen ita hæc refert, vt Dei locum & domũ eſſe ſuſpiceris: ſed quò latiùs, quàm ipſe Deus incomprehenſibilis ſit accipias. Quapropter nec lucem incomprehenſibilem habitat, dicit, ſed inacceſſibilem: quod longè plus quàm incomprehēſibile eſt. Quod enim inquiſitum, inueſtigatumque comprehendi non poteſt, id eſſe incomprehenſibile dicimus. Quod autem ne inueſtigandi quidem vllo pacto operam patitur, & ad quod nemo propius accedere poteſt, id inacceſſibile eſt. Exempli gratia: Mare incomprehenſibile dicimus, quod ſubeuntes vrinatores, multumq; altitudinis tranſmittentes, fundum attingere nequeunt: inacceſſibile, quod nemo vel vrinari tentet, vel metiri. Quid ad hæc dixeris? Hominibus, inquis, lux illa incomprehenſibilis eſt, non angelis, non virtutibus ſuperis. Tu verò angelus es, inter virtutes incorporeas enumeraris: non homo es, & eiuſdem cuius ego ſubſtantiæ?

D

An etiam tuæ naturæ oblitus es? Sed ponamus hominibus tantùm eſſe inacceſſibilem, quanquam hoc non additum eſt, nec ita Paulus ait, hominibus lucem inacceſſibilem habitat, angelis verò non inacceſſibilem. Veruntamen hoc ſi placet, do tibi, & pono. Sed licet angelis ſit acceſſibilis, quid hoc ad te hominem, qui examinas & contendis, & comprehenſibilem eſſe naturæ humanæ diuinam illam ſubſtantiam iudicas? Verum vt non hominibus ſolùm, ſed etiam virtutibus ſuperis incomprehenſibilem eſſe intelligas, audi quid Eſaias dicat: (cùm autem Eſaiam dico, ſententiam Spiritus ſancti intelligo: propheta enim non niſi quæ diuinitus inſpirantur, ſcribit & loquitur:)

Eſaiæ 6.

Anno quo mortuus eſt rex Ozias, vidi dominum ſedentem in ſolio excelſo & eleuato, & Seraphin ſtabant circum eum, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus obuelabant facies ſuas, & duabus obuelabant pedes. Dic quæſo, quamobrem alas prætendunt, & ſuas operiunt facies? quid aliud dixeris cauſæ, quàm ſplen-

dorem

Digitized by Google

dorem procurſantem è ſolio illo, & fulgur proſi-
liens ferre nequire? quanquam non ipſam meram
videbant lucem, nec ipſam ſynceram ſubſtantiam:
ſed quæ videbant, condeſcenſus erant & indul-
gentia. Quid nomen hoc condeſcenſus ſignificat?
Condeſce ſus, quæ nobis ſcriptura cõdeſcendit in deſcribendo Deo.
Cum Deus non vt eſt, ſe oſtendit, ſed quoad vide-
re is poteſt qui aſpectum huiuſmodi meruit, ea-
tenus firmitate videntis ſuam repræſentationem
metitur ac temperat, condeſcendere illum tantiſ-
per dicimus: & eiuſmodi rem condeſcenſum no-
minamus & indulgentiam. Conſtat & illa condeſ-
cenſum fuiſſe verbis ipſius prophetæ. Vidi domi-
num, inquit, ſedentem. At Deus non ſedet: corpo-
ris enim hic habitus: & in ſolio, cùm Deum nullũ
ſolium complectatur. Eſt enim nullius penitus ca-
piens deſcriptionis. Attamen non condeſcenſum
quidem ferre potuerunt, quanquam propinquæ:
Seraphin enim ſtabant circum eum, inquit: quod
tamen non loci ſignat propinquitatem. Sed cum
Spiritus ſanctus vellet oſtendere illas eſſentias,
quanquam diuinæ ſubſtantiæ propiores, non tamẽ
propterea poſſe proſpicere: idcirco dixit, Seraphin
ſtabant circum eum, non vt locum & ſpatium in-
dicaret, ſed quò ex ipſa loci propinquitate pro-
pius quàm nos illas eſſe oſtenderet. Deum nam-
que incomprehenſibilem eſſe non pari modo nos
atque virtutes nouimus. Sed quantò illæ excretio-
res, puriores, ſapientiores, & perſpicaciores ſunt
natura humana, tantò perfectius norunt, & melius.
Quemadmodum lucem radiorum ſolis non tam
cæcus, quàm qui videt, eſſe inacceſſibilem nouit:
ſic naturam Dei inacceſſibilem non eodem nos
nouimus modo, quo illæ ſuperæ virtutes & incor-
poreæ. Quantum enim inter hominem cæcum &
videntem diſcriminis eſt, tantum illæ à nobis dif-
ferunt. Quamobrem ſi prophetam dicentem audis,
vidi dominum: noli quaſi eius ſubſtantiam viderit,
ſuſpicari, ſed condeſcenſum ipſum vidiſſe intelli-
ge, eumque obſcurius, quàm virtutes ſuperæ vi-
deant: non enim tantum videre, quantum Cheru-
bin potuiſſent. Sed cur de beata illa ſubſtantia lo-
quor, quando ne angeli quidem ſubſtantiam ho-
mo videre liberè valeat? Quod vt ita eſſe intelliga-
tis, hominem vobis in medium ducam, Dei im-
mortalis familiarem, & plurimum confidẽtem au-
Dan. 8. dentemque cum ſapientia & religione, cum iuſti-
tia cæteriſque virtutum officiis, ſanctum Danielẽ,
cuius inſignem pietatem & probitatem iuuat audi-
uiſſe: vt cùm eum oſtendam expaueſcentem, lan-
guentem, deficientem, deſtitutum omnino propter
præſentiam angeli, nemo cauſa peccatorum ma-
læque conſcientiæ hoc accidiſſe exiſtimet: ſed ex-
poſita illius animi audentia, virtutiſque ampliſſima
confidentia, naturæ humanæ fragilitas planè de-
Dan. 10. prehendatur, & pateat. Hic igitur Daniel trium
hebdomadarum diebus panem deſiderabilem non
comedit, & vinum aut mulſum non introiuit in os
eius, neque vnguento vſus eſt. Tum viſionem me-
ruit illam, cùm iam aptior eius animus eſſet ad re-
cipiendam eiuſmodi faciem, lenior ſcilicet ieiunij
beneficio factus, & ſpiritualior. Quid igitur inquit?
*Leuaui oculos meos & vidi: & ecce vir lineis veſtitus, & renes
eius accincti auro obryzo, & corpus eius quaſi chryſolithus, &
facies eius quaſi ſpecies fulguris, & oculi eius quaſi lampas
ardens, & brachia eius & crura quaſi ſpecies æris candentis,
& vox ſermonum eius, vt vox multitudinis. Vidi autem ego
ſolus hanc viſionem, porrò viri qui erant mecum non viderunt:
ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum,
ego ſolus relictus vidi, & non remanſit in me fortitudo: ſed
ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcuit, nec habui in me
quicquam.* Quid iſtud ſit, *Species mea immutata eſt, &
emarcuit?* Fuit ille adoleſcens corpore pulchro,
forma perquam venuſta & liberali. Quem florem,
quam elegantiam oris, cùm ſummus præſentiæ di-
uini angeli pauor abſumpſiſſet, palloremque in-
duxiſſet, & vultus triſtitiam, adeò vt perinde quaſi

A animam expirare videretur, hac de cauſa dixit:
Species mea immutata eſt, & emarcuit. Vt enim vbi Simile.
auriga perterritus habenas amiſit, equi præcipites
feruntur, & currus diſtractus labefactatur, ac pe-
rit: ſic prorſus euenire animo ſolitum eſt, quo-
ties magno occupatur ſtupore, grauique metu de-
tinetur: quippe qui ictus expauiduſque ſuo deſit
officio, ac veluti quaſdam habenas ſuas actiones
amittat, membraque ereptis ſenſibus deſerat, quæ
protinus amiſſo, quo continentur & reguntur, fri-
gent, corruunt & labuntur. Quod Danieli quoque
tunc accidit. Quid angelus facit? Erigit hominem,
ſicque alloquitur: *Daniel vir deſideriorum intellige verba* Ibidem.
*quæ ego loquor ad te, & ſta in gradu tuo: nunc enim miſſus ad
te ſum.* Ille ſurrexit tremebundus. Et cùm angelus
item is ad eum fari incœperit: *Ex die quo poſuiſti cor* Ibidem.
B *tuum affligi in conſpectu Dei, exaudita ſunt verba tua, & ego
veni propter ſermones tuos.* Rurſum frangitur, & ex-
animatus labitur in terram. Quod euenire his,
quibus animus deficit, ſolet. Vt enim illi cùm rece-
perint ſe erectique reſpexerint, aliquandiu rur-
ſum inter ſociorum amplexus, dum frigido inſper-
guntur rore, deficiunt, reſolutiſque membris col-
labuntur: ſic nobilis ille propheta afficiebatur, la-
borabat, occumbebat: animus enim metu vehe-
menti perculſus, conſpectuſque impatiens ange-
li, minimè lucem illam ferre idoneus, ſollicitaba-
tur, & admodum conturbatus cadebat, quaſi ſe
extrudere corpore veluti vinculis feſtinaret. Au-
diant qui principem angelorum perpenſant atque
examinant. Daniel quem venerati leonum oculi
ſunt belluarum ferociſſimarum, Daniel qui plus
quàm natura pateretur humana, efficere potuit,
præſentiam angeli ſui conſerui ferre nequiuit, ſed
defectiſſimus viribus, atque exanimatus iacuit.
C Sunt enim conuerſa, inquit, inteſtina mea in viſio-
ne mea, & nihil in me ſpiritus remanſit. Iſti qui
tam longè ab illius iuſtiſſimi hominis virtute ab-
ſunt, & iacent, & ſordent, ipſam ſubſtantiam Dei
ſeſe diligentiſſimè noſſe profitentur: quæ ſupre-
ma & prima eſt, quæ millia angelorum creauit,
quorum vnum Daniel videre non potuit. Sed re-
deò ad id quod propoſui explicandum, & quàm
ſuperis quoque virtutibus Deus, quanquam con-
deſcendens, minimè conſpiciatur, oſtendam. Cùm
enim Seraphin alis productis ſeſe obuelant, nulla
prorſus alia ratio eſt, quàm lux, quam inacceſſibi-
lem Deum habitare præclarè Paulus retulit: nec
Seraphin ſolum re ipſa lucem eſſe inacceſſibilem
prædicant, ſed etiam Cherubin qui his ſuperiores
virtutes ordinantur. His enim prope conſtare da-
tum eſt: illæ ſedem Deo miniſtrant, ipſæ pro ſolio
ſubditæ, non quòd Deus ſedili conſideret, ſed vt
nobilitatem virtutum earum intelligas, & præſtan-
D tiam. Audi igitur alium quoque prophetam de
his, modo quidem diuerſo, ſed cogitatione eadem
narrantem: *Factum eſt verbum Domini ad Ezechielem* Ezech. 1.
filium Buzi ſecus fluuium Chobar. Hic quoque ad Cho-
bar fluuium, quomodo Daniel ad Tigrim diuinam
rem accipit. Quoties enim Deus nonnihil expli-
caturus ſuis famulis eſt, extra vrbem tumultum-
que hominum ducit, & loco tranquillo conſtituit,
quò nullis rebus, quæ ſeſe aut oculis, aut auribus
offerant, animus interpelletur: ſed liber omnino,
ac otioſus vacet eorum, quæ diuinitus aperian-
tur, contemplationi. Sed quid ſe vidiſſe enarrat?
Ecce nubes veniebat ab Aquilone, & ſplendor in ea, & in Ibid.
*medio ſimilitudines animalium quatuor. Hic aſpectus eorum,
ſimilitudo hominis in his, & quatuor facies vni, & quatuor
alæ vni. Erat his altitudo & aſpectus horribilis, & terga
eorum plena oculis in circuitu eorum quatuor, & ſimilitudo
ſuper caput animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli
horribilis extenti ſuper capita eorum deſuper: & alis vnum-
quodque duabus velabat corpus ſuum: & ſuper firmamentum
quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo throni: & ſuper ſimi-
litudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper.*

Digitized by Google

A *Et vidi quaſi ſpeciem electri à lumbis eius & deſuper, & à lumbis eius vſque deorſum vidi ſpeciem quaſi ignis ſplendentis, velut aſpectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ.* Poſt hoc cùm vellet exprimere, nec à propheta, nec à virtutibus illis meram ipſam ſubſtantiam recipi, Ezech. 2. illud addidit: *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ domini.* Vides tam hîc, quàm ibi Dei condeſcenſum? Attamen virtutes ipſæ illis etiam pennis ſæpe operiuntur, vtpote quæ facie detecta nequeant contueri, quanquam ſapientiſſimæ & puriſſimæ. Vnde id cõſtat? Ex ipſa nominum ratione. Nam ideo angelus dicitur, quia Dei ſententias hominibus ἀγγέλλει, hoc eſt, nuntiat. Et archangelus nuncupatur, quòd angelis ἄρχει, id eſt, imperat; ſiue præeſt. Sic illæ quoque virtutes nomina ſortiuntur, quæ ſapientiam, puritatem, notam denique earum nobiliorem cõſignatiſſimè indicent. Et quemadmodum angelorum pinnæ naturæ eminentiam referunt: (Gabriel B quippe volitans repræſentatur, non quòd Deus pinnatos angelos condidit, ſed vt eum ex ſupremo domicilio & cœleſti collegio, ad terram & genus deueniſſe humanum intelligas) ſic in his quoque, de quibus agitur, nihil pinnæ ſignificant aliud, quàm vires ſublimes atque excelſas naturæ. Quo igitur modo pinnæ ſuperiorẽ naturæ conditionem interpretantur; ſolium, requiem, in his ipſis Dei deſignat, oculi perſpicacem Dei intelligentiam, propinquitas ſolij & hymnus aſſiduus inſomnium & vigilantiã docent: ſic etiam ipſa nomina partim ſapientiam, partim puritatem, ſynceritatemque declarant. Enim vero Cherubin nuncupatio plenam accumulatamque ſcientiam exprimit. Seraphin verò à candente flagranteque ore nomen inuenerunt. Vides quam & puritatem, & ſapientiam nomina explicent. Quòd ſi virtutes tam expletæ ſcientiæ compotes, ne condeſcenſum quidem Dei valeant tolerare: quantæ ſit amentiæ facinus, quæſo, homines in quibus particularis quædam ineſt C 1. Cor. 13 ſcientia, Paulo authore: *Qui ex parte cognoſcimus*, inquit, *& per ſpeculum & ænigma:* ea ſibi perſpicua explorataque haberi putare, quæ ne illis quidem patere virtutibus liceat? Statueram quidem non modò Cherubin ac Seraphin, verumetiam principatibus, poteſtatibus, & omni virtuti creatæ Deum eſſe incomprehenſibilem explicare: ſed animum feſſum iam ſentio veſtrum, non tam eorum quæ propoſui multitudine, quàm horrore. Solet enim animus pij hominis expaueſcere, quoties diu in ſuprema illa verſatur contemplatione. Quamobrem agè, animum reuocemus de cœlo, & ſolita recreemus exhortatione: qua vt homines, qui eo morbo laborant, conualeſcant aliquando optemus. Nam ſi pro ægrotis, pro laborantibus in argentifodinis metallorum, pro ſeruientibus duram ſeruitutem, pro agitatis ſpiritu malo, Deum rogare præcipimur: quantò magis pro his orare debeamus? Error namque impietatis longè grauior agitatione illa D dæmonis eſt, furori etenim illi ignoſci poteſt, ac vitium hoc omni caret purgandi ratione, nullam veniam poteſt impetrare. Sed quoniam mentionem orationis pro agitatis fecimus, nonnihil ad vos quoque, fratres chariſſimi, cenſeo diſſerendum, quò morbum perquàm grauem à conuentu noſtro eiiciam. Perperam enim, ac perabſurdè agetur, ſi qui externis tam accuratè medemur hominibus, membra propria peſſum ire patiamur.

Quàm aſſidui debeant fideles eſſe in ſacrificio miſſæ, ob efficaciam cõmunis orationis.

Quod genus morbi iſtud ſit? Ingentem, & penè inauditam hanc populi multitudinem, quæ modò affluxit, tantaque cum attentione ſermonem audit meum, ſæpenumero tempore illo perhorrendo requiſiui, & tamen nunquam videre potui, atque ita me vehemens cepit ſuſpirium, quòd cùm ego diſputo veſter conſeruus, ſtudium adhibetis & ingenium, contenditis animum, alter alterum impellit & iactat, vt ipſe propius adſit, frequentes ad finem vſque dicendi patientiſſimè perſeueratis.

A Cùm autem ipſe Chriſtus communis magiſter & dominus, ſemet in ſacris myſteriis oſtenſurus eſt, vacua deſertaque eccleſia redditur. Proh fidẽ hominum Chriſtianorum, quo pacto iſthæc veniam conſequantur? Facit profectò veſtra iſta ſiue deſidia, ſiue negligentia, vt laudem ſtudij auſcultandi illius omnem amittatis. Quis enim non tam vos, quàm me damnet ac reprobet, cùm fructũ omnem audiendi delapſum cernat, & euanidum? Nam ſi cum diligentia his quæ docuiſſem attenderetis, facto palàm ſtudium faceretis veſtrum, non verbis tenus, corde habere mõſtraretis. Sed quòd ſtatim cùm audiuiſtis, diſceditis, & fugam quaſi vos hoſtis inſectaretur arripitis: coniectari omnino licet, nihil vos recepiſſe & recondidiſſe animo vtilitatis. Nam ſi quæ propoſita ſunt, recondita in animis veſtris ſeruarentur: prorſus vos, illa in templo tenerent, & ad rem horribilem maiore cum deuotio- B ne hortarentur & mouerent. Nunc verò quaſi fidicinam audiretis aliquam, ſic omni vtilitate vacui, ſimul ac factus finis dicendi eſt, diſceditis. Sed ô frigidam excuſationem excuſandi, quam à cõpluribus reddi audio. Orare vel domi poſſumus, dicũt, ſed homiliam doctrinamque audire non niſi in eccleſia poſſumus. Te homo decipis, & magno in errore verſaris. Nam ſi & domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam bene ores, quàm in eccleſia, vbi tot patres, vbi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur: non pariter exoras cum ſolus dominum obſecras, atque tuis cum fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris & charitatis, ſacerdotũ clamores: præſunt enim ob eam rem ſacerdotes, vt populi orationes quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ, ſimul in cœlum euehantur. Adde quòd nil fructus capi ex homilia poteſt, niſi oratio adiũ- C gatur. Porrò ſermoni oratio debet anteire. Sic apoſtoli dicunt: *Nos in orationes ac ſermonis doctrina perſeuerabimus.* Act. 1 & 2. Sic Paulus facit cum in exordiis ſuarum epiſtolarum oret, vt perinde quaſi lumen lucernæ lux ipſa orationis regat ſermonem, ac dirigat. Profectò ſi orare cum diligentia inſueſcas, nihil eſt quod doctrinam tui conſerui deſideres, cùm ipſe Deus ſine vllo interprete mentem tuam abundè luce afficiat. Quòd ſi omnis oratio tantam vim habeat, longè magis eam, quæ ore multorum proueniat valere conſentaneum eſt. Plus enim neruorum in ea eſt, & multò audientia maior, quàm in domeſtica illa & priuata. Vnde id conſtet, Paulum ipſum dicentem 2. Cor. 1. audi: *Qui ex tantis periculis eripuit nos & eruit, etiam ſperamus quòd adhuc eripiet: vobis quoque in oratione pro nobis ſubuenientibus, vt dono in vos collato, à multis perſonis gratiæ agantur pro nobis.* Sic etiam Petrus carcerem euaſit. Act. 12. *Oratio* enim *pro eo ab eccleſia ſedulò agebatur ad Deum.* Quòd ſi Petro eccleſiæ oratio profuit, & columnam illam ac ſtabilimen noſtræ religionis carcere D liberauit: cur eius vim tu contemnis & negligis? Qua te poſſis purgare ratione? Deum quoque dicentem audi, quàm populo cum beneuolentia inuocante placetur, & parcat. Quippe qui ſe excuſans apud Ionam prophetam fruticis argumento cucurbitæ, verba ad hunc modum faciat: *Tu doles* Ionæ vlt. *ſuper cucurbita, in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret: ego non parcam Niniuæ ciuitati meæ magnæ, in qua habitant plures quàm centumuiginti millia hominum?* Non abs re amplum populi numerũ proponit, ſed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur, & iugi concordia plurium hominũ. Quod exemplo quoque rei humanæ libet explanare. Nam ante hos decẽ annos capti ſunt nonnulli tyrannidẽ appetentes, cuius rei vos etiã meminiſſe arbitror. Fuit inter eos quidã dignitate ac principatu præditus, qui cum damnatus capite ad ſuppliciũ duceretur: populus motus miſericordia, vniuerſus prætorem adiit, & deprecandi communi

opera

Digitized by Google

opera efficere potuit, vt reus ille venia nulla dignus
liberaretur ab ira Imperatoris. Quòd ſi cum iram
terreni imperatoris velitis extinguere, vniuerſi
cum liberis & vxoribus feſtinatis: cur quoties ad
cœleſtem illum Imperatorem placandum, red-
dendumque propitium ire pergitis, vt eius iræ ex-
imatis non vnum, vt tunc: nec duos, aut tres, aut
cẽtum, ſed omnes orbis terrarum peccatores, om-
nes dæmone agitatos, à flagello liberetis diaboli:
foris ſedetis, non vniuerſi concurritis, & eccleſiã
penetratis, vt Deus veſtram reueritus atque exo-
ſculatus concordiam, & illis pœnam dimittat, &
vobis peccata abſoluat? Si in negotiis neceſſariis
non omni leone vehementius, diſruptis omnibus
vinculis, curriculo is, & te confers ad ſupplicatio-
nem communem, quam ſpem habere poſſis ſalu-
tis? Nec ita facias. Tempore illo, mi frater chariſ-
ſime, non ſolùm homines clamorem illum horri-
bilem reddunt, ſed etiam angeli domino genu fle-
ctunt, & archangeli rogant, habent ſibi tempus id
idoneum, habent ſacram illam oblationem in fa-
uore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes
mouere reges conſueuerunt: eoque arboris ge-
nere miſericordiam commemorant & humanita-
tem: ſic angeli tunc pro ramis oleaginis corpus
domini ipſum protendentes, rogant pro genere
humano, quaſi dicant: Pro his domine rogamus,
quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortẽ
obires, animam in cruce efflares, pro his ſupplica-
mus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem:
pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.
Agitatos quoque ob eam rem diaconus tempore
illo adducit, & iubet caput inclinare. Cum eos v-
nà cum fratribus orare non liceat, adducit eos, vt
tu miſeratus, & quia tam acerbè vexantur, & quia
vocem reddere nequeunt, tua facultate ad eorum
vtaris defenſionem & auxilium. His itaque magis
magiſque animaduerſis, fratres chariſſimi, omnes
tempore illo in eccleſiam properemus, vt dominũ
ad miſericordiam inuitemus, & tempeſtini adiu-
menti gratiam comparemus. Probaſtis quæ dixi,
magno cum tumultu & plauſu admonitionem re-
cepiſtis: ſed velim curam quoque adhibeatis, vt fa-
cto veſtra approbatio oſtendatur. Iam nõ longum
poſt tempus periculum faciam obtemperandi. O-
ratio excipere ſolet admonitionem. Equidem ge-
nus id probandi & commendandi cupio atque po-
ſtulo: plauſum illum deſidero, quem non dicta, ſed
facta cõficiant. Alter igitur alterum hortetur cõ-
ſtare, quò nunc modo manetis: & ſi quis ſe moueat,
reuertite, retinere cum diligentia, vt duplicem
tam proprij ſtudij, quàm curæ in fratres merce-
dem adepti, fidentius ac audentius ſupplicetis
Deo immortali, benigno ac propitio, & conſequi
vitæ felicitatem tum præſentis, tum futuræ poſſi-
tis, gratia & humanitate domini noſtri Ieſu Chriſti,
qui cum patre viuit & regnat in vnitate Spiritus
ſancti, &c.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos,

HOMILIA IIII.

SATIS iam eſſet, fratres chariſſimi, ſi poſtea-
quam nuper oſtendimus Deum incomprehen-
ſibilem eſſe hominibus, atque etiam Cherubin &
Seraphin, moleſtia hominum hæreticorum leuati
nihil vlterius moneremus: ſed cum animus & ſtu-
dium ſit, vt non ſolum ora aduerſariorũ compri-
mamus, ſed etiam vos faciamus doctiores, eandem
aggrediamur cauſam, & ſermonem vlterius pro-
trahendum cenſemus. Faciet enim mora, quam
his in rebus traxerimus longiorem, vt & vos plura
percipiatis, & ego palmã adipiſcar ſplendidiorem,
dum ſi quid reliquiarum reſtet, id penitus excidẽ-

A dum delendumque perſequor. Nam herbas quo-
que vitioſas & noxias non modò tondere per ſum-
ma ceſpitum: ſubitò enim radix repullulat: verum
etiam ſtirpitus ab ipſo telluris gremio euellere, di-
ſpoliataſque ſua humo ſolis ardori facilius mace-
randas exiccandaſque exponere, officium boni a-
gricolæ eſt. Agè igitur cœlum iterum ſermone co-
gitationeque petamus, non tamen vt curioſè rem
inquiramus diuinam, non vt pluſquam ſatis ſit in-
dagemus, ſed vt hominum qui ſe ignorãt, nec mo-
dum humanæ naturæ intelligere patiuntur, con-
tentionem intempeſtiuã peruertamus. Hinc enim
magna argumentandi copia, non ſolum Dei con-
ſpectum, ſed etiam angeli intolerandum ſanctiſſi-
mo illi viro extitiſſe oſtendimus: totam vobis hi-
ſtoriam recitauimus. Et ſæpius beatum Danielem
poſuimus ante oculos pallentem, contrementem,
B nihilominus quàm qui ex vita diſcedunt conſtan-
tem, cùm eius animus vinculum corporis abrum-
pere feſtinaret, & liber ſupernum petere domici-
lium. Nam vt domeſtica & manſueta quædam co-
lumba per tabulata ſpatians ædium, ſi ſtrepitum
ſenſerit, exterrita abuolat in tectum, & ſublimem
ſeſe efferens, exitum ſollicitè petit, pauoreque le-
uari enititur: ſic animus beati illius à corpore ef-
ferre, foraſque omni ex parte extrudere cogeba-
tur. Et quidem exiſſet, abuolaſſet, corpus ſuum de-
ſeruiſſet, niſi continuò angelus eum intimo libe-
raſſet metu, ad ſuumque reuocaſſet diuerſorium.
Hæc ob eam rem tunc latiùs diſſerebamus, vt illi
re cognita, quantum inter angelum & hominem
intereſt, perſpectaque conſerui præſtantia emen-
darentur, atque ita ceſſarent ſæuire in dominum.
Vir ille iuſtiſſimus, qui tantũ apud Deum valebat,
conſpectum non tulit angeli, qui verò tam ab illius Dan. 8.
C virtute longè abſunt, non angelum, ſed ipſum do-
minum angelorum perquirunt atque examinant.
Ille ferocitatem leonum edomuit, nos ne vulpecu-
las quidem vincere poſſumus. Ille draconem con-
uulſit, tamque pernicioſam belluam ſuperauit ſua
in Deum familiaritate: nos minutiſſima reptilia
pertimeſcimus. Ille regem more leonis ſæuientem
cohibuit, iram ille Nabuchodonoſoris flamma om-
ni rapaciorem in hoſtes ruentem ſtatim quum ac-
ceſſiſſet, extinguere, & diſpulſa caligine, lucem
cunctis reſtituere potuit. Veruntamen qui lucem
præbuit illam, cùm angelum dilucentem aſpexiſ-
ſet, caligine graui occupatus, humi proſtratus eſt.
Quo igitur modo purgare ſeſe habeant, qui bea-
tam illam Dei naturam perluſtrare tentant, &
explorare? Sed nos finem dicendi non in his ipſis
tum fecimus, ſed etiam ad ſapientiſſimas illas vir-
tutes cenſuimus pergere, quas ſuos auertere o-
culos, pinnis ſe obuelare, cruribus conſtare cre-
D ctis, clamorem aſſiduum reddere latè oſtendimus.
Porrò illæ virtutes pauorem metumque rebus om-
nibus ſuum vobis aperuerunt. Quò enim ſapien-
tiores ſunt, ac propius ad ineffabilem & beatam
illam accedunt ſubſtantiam, eò magis quàm nos
Deum, quàm ſit incomprehenſibilis, norunt. Au-
get enim admirationem & metum ſapientiæ ma-
gnitudo. Diximus item quid inacceſſibile eſt, quod
eo plus eſt quàm incomprehenſibile: poſtquam
inueſtigatum eſt, incomprehenſibile eſſe conſtat:
inacceſſibile autem ne inueſtigandi quidem ope-
ram, aut vllum aditum recipit: quam ad rem ſimi-
litudinem quoque à mari petiuimus. Ad hæc Pau-
lum non Deum, ſed lucem eſſe inacceſſibilem di-
xiſſe retulimus, vt ſi domicilium Dei inacceſſibi-
le, longè magis ipſe habitans Deus inacceſſibilis
eſſe intelligeretur. Quæ tam præclarus ille au-
thor ſcripſit, non vt loco circumſcribat Deum
& ſpatio: ſed vt ampliſſima argumenti copia
doceret, quòd Deus inacceſſibilis, minimeque
intelligibilis. Adduximus alias quoque virtu-
tes, id eſt, Cherubin, ſuper aquas firmamentum,

cryſtallum, throni ſimilitudinem, ſpeciem humanam electrũ, ignem, arcum oſtendimus. Quæ cum propheta enumeraſſet omnia, adiunxerit: Ezech. 2. *Hæc viſio ſimilitudinis gloriæ domini*. Atque ex his omnibus Dei condeſcenſum intolerabilem eſſe virtutibus ſupernis explicauimus. Quæ modò non vacanter cęperis repetenda: ſed quoniam promiſſionis illius debitorem me eſſe ſcio, intelligere diligentiùs volo quantum exoluerim, quãtum reſtet. Sic æris alieni boni ratiocinatores faciunt, efferunt tabellas in medium, in quibus ratio computandi omnis notata eſt. Vnde cùm quantum de ſumma ſuis reddiderint creditoribus conſtiterit, reliquum exoluunt. Quorum exemplo ego quoque, memoriam veſtri animi velut libellum aperiam, & ſermone quaſi digito quodam parte, quæ ſoluta iam eſt, dogmatum demonſtrata, pergam & reliqua. Sed quid reſtat? an vt oſtendamus non principatus, non poteſtates, non dominationes, non ſi qua creata virtus alia eſt, Dei exquiſitam capere comprehenſionem. Sunt enim vel aliæ virtutes, quarum ne nomina quidem nouimus. Animaduerte hæreticorum amẽtiam, quæſo, ſeruorum ipſorum nomina ignoramus, & tamen ſubſtantiam domini ipſius exquirunt, contenduntque comprehendere. Sunt enim angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus & poteſtates: ſed non hi ordines ſolùm, ſed innumera cœleſtẽ regionem incolunt genera, quorum nulla dicendi facultas numerum poteſt exequi illorum. Vndenam conſtet, quæretis, plures hiſce enumeratis virtutis eſſe, quarum nomina ignoramus? Paulus qui hæc docuit, id etiã dixit, cùm de Chriſto in hunc modum ſcriberet: Ephes. 1. *Conſtituit eum ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem*, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro. Videtis quàm ſint aliqua facillimæ cognitionis nomina: hac de cauſa non ſolum quæ in hoc ſeculo nominantur, ſed etiam in futuro, inquit. Verum quid mirum, ſi virtutes illæ exquiſita careant comprehenſione diuinæ ſubſtantiæ? id enim demonſtrare nil ardui eſt. Sunt porrò diſpenſationes eiuſdem illius complures, quas neſciant principatus iidem & poteſtates, & dominationes. Quam ad rem teſtem religioſiſſimum item Apoſtolum citemus. Quippe cùm verbis eiuſdem planè oſtendatur eſſe nonnullas diſpenſationes, quas virtutes illæ nobiſcum intellexere, cum omnino antequam nos intelligeremus, ignorarẽt: nec modò nobiſcum, verùm per nos ipſos accepere: Ephes. 3. *Quod aliis generationibus*, inquit, *non eſt agnitum: ſic nunc reuelatum eſt ſanctis apoſtolis eius, & prophetis in ſpiritu, eſſe gentes cohæredes & concorporales, & comparticipes promiſſionis eius per Euangelium, cuius factus ſum ego Paulus miniſter*. Sed quónam argumento conſtat modò virtutes ſuperas accepiſſe, (quæ enim propoſita adhuc ſunt, de hominibus proculdubio differuntur) audi: Ibidem. *Mihi omnium hominum minimo eſt data gratia hac euangelizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti*. Quid inueſtigabile eſt? quod quæri non poteſt, quod non ſolùm ſcrutari, ſed etiam veſtigare nequeas. Audiant quemadmodum percrebra aduerſum ſeſe iacula à Paulo iaciantur. Nam ſi diuitiæ inueſtigabilis ſunt, qui fieri poteſt quin Deus qui largitus diuitias eſt, veſtigabilis ſit? Ibidem. *Et illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis in Deo, qui creauit, vt manifeſtetur nunc principatibus & poteſtatibus per eccleſiã multiformis ſapientia Dei*. Audis quẽadmodum nunc, non antè, cognouerint hoc illę virtutes, & rectè quidem. Rem enim de qua apud Imperatorem conſultatur, miles neſcit. *Vt manifeſtetur principatibus & poteſtatibus per eccleſiam multiformis ſapientia Dei*. Vide quantum honoris in genus humanum Deus immortalis contulerit, nobiſcum & per nos virtutes ſupernæ regis ſummi ſecreta cognouerunt. Sed vndénam pateat de cœleſtibus illis dici? Nam & dæmones principatus & poteſtates ſolet appellare, velut cum dicat: Ephes. 6. *Non eſt nobis colluctatio aduerſus ſanguinem & carnem, ſed aduerſus principes, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum ſeculi huius*. Numquid ergo hoc etiam loco illud velit intelligi, dæmones rem minimè tenuiſſe? Nequaquam, ſed de illis virtutibus ſupernis loquitur: vbi enim principatibus & poteſtatibus, dixit, addit, in cœleſtibus: ille enim principatuum & poteſtatem ordo cœleſtis eſt, hic ſub cœlo verſatur. Sed ad debitum illud ſoluendum veniamus, hoc eſt demonſtrandũ nec principatus, nec poteſtates nouiſſe Dei ſubſtantiam. Quis hæc dicit? Non item Paulus, aut Ezechiel, aut Eſaias: ſed vas illud immaculatum, & ſanctum, ipſe tonitrui filius, chariſſimus ille Chriſto Ioannes, qui ad pectus recubuit domini, atque ab illo diuino fonte ſacra ſua flumina hauſit. Quid hic dicit? *Deum nullus vnquam vidit*. Ioan. 4. Verè tonitrui filius dictus, qui vocem tam illuſtriorum, tam omni tuba clariorum reddidit, qui vt omnes contentioſi conturbarentur, & obmuteſcant, facit diligentiſſimè. Sed ſcrupulum qui ſe obiiciat, videamus? Quid ais Ioannes? *Deum nullus vnquam vidit*? Ergo minimè prophetis credemus, qui ſeſe vidiſſe inquiũt. Eſaiæ 6. Eſaias enim: *Vidi Dominum*, inquit, *ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum*. Dan. 7. Daniel: *Vſquequo throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedebat*. 3 Reg. 22 Micheas: *Vidi dominum Deum Iſraël ſedentem ſuper ſolium ſuum*. Amos 9. Alius rurſus propheta: *Vidi dominum ſtantem ſuper altare, & dixit mihi: Percute cardinem*, &c. Denique multa huiuſcemodi teſtimonia poſſunt colligi, quæ cùm ita ſint, quamobrem Ioannes negat ita eſſe quenquã qui Deum viderit? Nullum vidiſſe Deum, Ioannes inquit, vt exquiſitam illam comprehenſionem, & expreſſam cognitionem in nullo contigiſſe intelligas. Conſtat illa condeſcenſum fuiſſe omnia, nec vidiſſe quempiam illorum ſynceram ipſam ſubſtantiã, eò quòd variè quiſque viderit. Deus enim ſimplex omni concretione abiunctus, nulla forma aut figura effigiatus eſt. At verò illi omnes figuras viderunt varias: quod idem Deus per alium item prophetam inſinuans ac ſuadens, neminem ſcilicet exquiſitè ipſam ſuam vidiſſe ſubſtantiam, inquit: Oseæ 12. *Ego viſiones multiplicaui, & in manibus prophetarum aſſimilatus ſum*. Tum ex his quæ Deus Moſi denegat: cum enim ille videre Deum ſenſu oculorum cõcupiſceret: is, Exod. 33. *Nemo videbit faciem meam, & viuet*, addidit. Liquidum itaque nobis hoc & cõfeſſum habetur. Quamobrem non de natura humana ſolùm ſic ait: Deum nullus vnquam vidit, ſed etiam de virtutibus ſuperis. Proinde vnigenitum allegat eius dogmatis præceptorem & authorem. Ne quis enim vnde id conſtet obiiceret, addidit: Ioan. 1. *Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe expoſuit*: teſtem prorſus locupletiſſimum, & magiſtrum egregium ſuæ opinionis allegat. Atqui ſi Moſes id idem vellet deſignare, porrò hic vacanter dixiſſet: Vnigenitus expoſuit filius. Nam vel antequam Ioannes hæc tãquam ab vnigenito accepta referret, conſtaret ita eſſe verbis prophetę, qui ex Deo acceperat. Verùm quod plus aliquid quàm olim propoſitum fuiſſet, ipſe nobis eſſet reuelaturus, videlicet ne virtutes quidem ſupernas poſſe Deum videre, idcirco vnigenitum allegare magiſtrum voluit. Viſum autem hoc loco pro cognitione poſitum arbitrare: haud enim pupillæ, & oculi, & genæ inſunt in virtutibus illis ſupernis, ſed quod viſus in nobis eſt, idem in illis cognitio. Quapropter quoties Deum nullum vnquam vidiſſe audis, illud intellige, nullum eſſe qui Deum nouerit, qui Deum cognouerit, qui ſubſtantiam Dei exquiſita ratione perceperit. Quinetiam cum de Seraphin audis oculos aduertiſſe, pinnas viſui obduxiſſe, itẽ Cherubin hoc idẽ feciſſe, noli oculos habere illos exiſtimare: corpori enim hæc forma peculiaris eſt: ſed his ipſius humanæ ac pinguis Mineruæ vocabulis cognitionem illarum deſignari tibi à propheta intellige.

Cum

Cùm itaque dicat Deum quamuis condeſcendentem minimè ferre illas virtutes potuiſſe, nihil aliud docet, niſi eius cognitionem expreſſam, amplam, integram non potuiſſe recipere, neque auſas eſſe intueri ſynceram illam perfectiſsimamque ſubſtãtiam, imò ne ad ipſum quidem eius condeſcenſum ſatis aſpirare. Hinc etiam Euangeliſta certior, neque humanæ naturæ intereſſe rem tantam ſcire, neque ipſis virtutibus ſuperis Deum eſſe comprehenſibilem, ipſum à dextris eius ſedentem, ac diligentiſsimè rem ſcientem, allegat huius opinionis authorem. Nec filiu tantummodo dixit: quanquam etiam ſatis, ſi ita dixiſſet, ora impudentium hominum comprimere atque obturare poſſemus. Vt enim Chriſti eſſe complures poſſunt, ſed verus & præcipuus Chriſtus vnus eſt: & multi quidem domini nominantur, vnus tamen dominus per excellentiam eſt, ac etiam dij plures dicuntur, at verus princepſque Deus vnus eſt: Sic multi quoque filij appellantur, verus tamen filius vnus eſt, & quidem ipſa articuli græcæ linguæ adiectio præcipuam & excellentem vnigeniti exprimere poteſt conditionem. Attamen non contentus his fuerat, ſed quum dixiſſet, Deum nullus vnquam vidit, iunxit: Vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe expoſuit. Primum vnigenitus dixit, deinde filius, cum enim propter nominis communitatem gloriã eius plerique minuant, vnum ex hoc vulgari filiorum numero eſſe arbitrantes: nomen etenim filij commune omnium eſt: hinc quod eius præcipuum eſt, & peculiare, ac nemini è cæteris tribui poteſt hominibus, id eſt vnigenitus, antepoſuit: vt ex hoc credas, vel commune illud nõ præterea eſſe commune, ſed peculiare eius & proprium, nec vlli è cæterorum numero perinde ac ei conueniens. Atque vt dilucidius quod doceo fiat, exponam latius. Filij nomen & hominibus datur, & Chriſto, ſed nobis abuſiuè, illi propriè: at verò vnigeniti nomẽ eius vnius eſt, nec vlli è cæteris vel propriè, vel abuſiuè contingit. Vt igitur ab ea quæ nemini cõgruat, niſi ipſi vni appellatione, alteram quoque illam multitudinis propriam eius eſſe per excellentiam arbitreris, ea propter primùm vnigenitus, pòſt filius dicit. Sed ſi minus hæc tibi ſufficiant, inquit, tertium illud addam, craſſum quidem atque humanum, verùm efficax ſatis, vt vel iacentes homines ad vnigeniti intelligendam gloriam erigat: quid hoc ſit, In ſinu patris? Chariſſimi, hoc verbum eſt ad explicandam cognitionem, & veram germanamque, vt ita loquar, intimitatem aptiſſimum: modò piè, & quemadmodum Deum deceat, accipiatur. Vt enim quum ſedem audis, & ſedere à dextris, non ſedile intelligis, non locum, non aliquid deſcriptionis, ſed ſedis vocabulo, & ſedendi ſocietate honorem parem, & nulla ex parte diuerſum cogitas: ita quum ſinum audis, non amiculi gremium, non loci quicquam adeſſe putandum, ſed ipſo ſinus vocabulo proximitatem ad parentem & familiaritatem apud eundem arbitrare. Nam cum verſari in ſinu dicitur, longè expreſſius propinquitas genitoris, quàm cùm ſedere à dextris, ſignificatur: nec enim pater ſuo in ſinu tenere filium pateretur, niſi eiuſdem eſſet ſubſtantiæ: nec filius in ſinu paterno degere auderet, ſi naturam inferiorem ſortiretur. Ergo vt filius & vnigenitus in ſinu degens paterno, rem omnem patris diligentiſſimè nouit & tenet. Ob eámque rem verbis hiſce Euangeliſta vſus eſt, & filij exquiſitam ſuo de patre cognitionem explicaret. De hac enim ipſa cognitione agebatur. Quod niſi ita eſſet, cur, quæſo, ſinus vocabulum ſumeretur? Nam ſi neque corpore Deus conſtat, neque cognitio & ad genitorem propinquitas aduocat, fruſtra id nomen inſeritur, nullum ad vſum idoneum. Verùm nõ fruſtra (dictum enim quicquam à Spiritu ſancto fruſtra putare nefas eſt) ſed filij ad patrem propinqui-

A tatem deuinctionemque declarat. Cùm enim rem magnam aſſeruiſſet, videlicet ne ſuperam quidem creaturam poſſe Deum videre, id eſt, exquiſita ratione cognoſcere, huiuſque opinionis teſtem fide dignum vellet adhibere, hæc inſeruit verba, cui vt filio & vnigenito, & vt in paterno ſinu degenti, de rebus omnibus crederes, nec quicquam dubitares. Si autem quis non contendat, nec agere impudentius velit, idem hoc æternitatem interpretari dixerim. Vt enim eo quod ad Moſem dicitur: *Ego ſum qui ſum*, ſempiterni rationem dicimus: idem vel ex hac dictione, qui eſt in ſinu patris, deducere ſanè licet. Sed iam Deum incomprehenſibilem eſſe omnium creaturarum generi, latè ex his quæ propoſuimus, patet. Reſtat vt à filio & Spiritu ſancto duntaxat exquiſitè illum cognoſci diſſeramus. Verùm hoc in aliud tempus differri melius eſt, ne ad-
B modum prolixo ſermone memoriam eorum quæ propoſuimus, obruamus atque obliteremus. Hinc itaque ad ſolitam veniamus admonitionem. Quænam iſta ſolita admonitio eſt? Vt orationem ſeruemus ingenuam mente ſobria, animo vigili. Nuper enim cum hac de re diſſeruiſſemus, omnes facilè vidi obtemperantes: quamobrem perperam certè ageretur, ſi cum negligitis, non increpem, cum ex officio facitis, non laudem. Laudare igitur vos hodie volo, & gratiam vobis ob illam obedientiã reddere. Gratiam autem reddam, ſi vos docuero, quãobrem illa præ cæteris oratio ſolet fieri, & cur homines dæmone agitatos, & furore accitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinare iubet diaconus. Qua de cauſa igitur agitur ita dicam. Vincula perquam praua & grauia agitatio dæmonium eſt: vincula enim ferro validiora. Vt itaque tempore inſtante, quo iudex prodire, & pro tribu-
C nali ſedere ſolitus eſt, cuſtodes carceris, homines quos in vinculis tenent, omnes carcere educunt, & pro cancello ſeptiſque fori collocant, ſqualentes, ſordentes, coma expletos nimia, pannis miſerrimè obductos: ſic patres ſtatuerant, vt quum breui Chriſtum velut pro tribunali ſedere, in ipſiſq; ſacramentis apparere futurum eſſet, homines dæmone agitati illi tanquam vinculis quibuſdam retenti adducerentur, non vt rerum quas commiſiſſent, examen ſubirent modo eorum qui in vinculis ſunt, nec vt luerent pœnas, & ſupplicio afficerẽtur: ſed vt populo vniuerſáque ciuitate præſente, communes pro his fierent ſupplicationes, vt omnes iugi concordia dominum communem orarẽt pro his, & quòd miſereretur, magno clamore cõtẽderent. Cæterũ vt his tunc ſuccenſui, qui orationem huiuſmodi negligerent, foriſque tempore eo verſarentur: ſic impræſentiarum his qui intus conſtant, ſuccenſendum vtique reor, non quia intus
D manent, ſed quod cum eo quo debent, maneant loco, nihilo melius afficiuntur, quàm qui foris euagantur. Diſputant enim inter ſeſe, & aut iocantur, aut negotia tractant tempore illo perhorrẽdo. Homo quid facis, quum tot in vinculis fratres videas tuos aſtantes, tu de rebus quæ nihil ad te pertinẽt, diſputas? Vnus ipſe aſpectus non ſatis te pauefacere, & ad condeſcenſum commiſerationemque ducere poteſt? Frater tuus in vinculis, & tamen tu piger & negligens. Quo pacto tibi ignoſcatur, quum tam durus ſis, tam inhumanus, tam crudelis? non vereris, ne dum diſputas, omittis, negligis, dæmon quis inde proſiliens, tuam animã nactus otioſam, & ſcopis mundatam, ei ſeſe inſinuet, & ſumma cum facilitate domum patentem ingrediatur? Quàm cunctos tempore illo luctu confici, quam riuos lacrymarũ effundere, madenteſque vbertim oculos peruideri, & flere atq; ingemere vniuerſam eccleſiã deceat? Iam poſt ſacramenti cõmunionem, poſt ſacri lauacri ſplendorem, poſt Chriſti ſocietatẽ lupus ille agnos de noſtro ouili rapere potuit, & retinere: tu cum tantam calamitatem, tantam iacturam

Oratio in ſacrificio nulla quã attente ſit peragẽda.

Digitized by Google

vides, non lacrymas commoues? Quam purgandi rationem habere tua iſta poſſint facinora? Si nolis vicem fratris dolere, ſaltem pro te ipſe verere & expergiſcere. Si dominum tui vicini conſumi incẽdio videris, etiamſi infeſtiſſimus tibi ſit ille vicinus, nónne intentiſſime ad extinguendum occurres, ne ignis paulatim ſerpens, tua quoque veſtibula ineat? Idem in his qui dæmone agitantur, conſidera: ignis quidem & exitioſum incendium dæmonum agitatio eſt. Caue igitur ne tuam etiam animã dæmon ſenſim paulatimque incedens occupet. Cúmque eum præſentem videris, refuge quamprimum ad dominum, vt perfecto animi tui ardore & ſtudio dæmon nullum ſibi aditum apud te dari intelligat. Nam ſi viderit deſidioſum, oſcitantem, otio & pigritia marceſcentem: compendio te, vtpote diuerſorium deſertum ingredietur. At ſi excitatum, intentum, ſtudioſum, paratum, cœlum ipſum petentem, ne reſpicere quidem audebit. Quãobrem & ſi fratrem contemnis, tamen rebus tuis conſulere, & aditum omnem in tuum animum immundo illi ſpiritui occludere debes: Nihil autem eſt, quod tam excurſionem eius aduerſus nos arcere ac repellere valeat, quàm orandi ac deprecandi intentum ſtudium. Haud enim illa diaconi exhortatio erecti conſtantiſque fruſtrà & ſine cauſa inſtituta ſancitaque eſt: ſed vt noſtras repentes humi cogitationes erigeremus, vt noſtrum animum preſſum, demiſſum, fatigatum rerum humanarum cura, reiecta omni eiuſmodi ſollicitudine, erectum, leuatum, recreatum, Deo immortali repræſentaremus. Animum igitur iubemur erigere. Quo verbo Paulum quoque modo eodem vtentem licet perſpicere. Cum enim ad homines iacentes, & oneri aduerſarum rerum ſuccumbentes, ac penè perditos ſcriberet, dicebat: Heb. 12. *Languentes manus, & reſoluta genua erigite*. Quid igitur? num de manibus & genibus corporis ſcribit? Minimè. Non enim cum hominibus curſum pugilatúmve exercentibus ille diſputat: ſed vires cogitationum proſtratas tentatione, ſuſcitandas his verbis monet atque hortatur. Cogita apud quem proximè ſtas, quibus cum inuoces Deum, ſcilicet cum Cherubin, cum Seraphin, cum omnibus cœli virtutibus: animaduerte quos habeas ſocios: ſatis hoc tibi ſit ad ſobrietatem, cum recordaris te corpore conſtantem, & carne coagmentatum admitti, cum virtutibus incorporeis commẽdare omnium dominum. Nemo igitur animo reſoluto ſacras illas & miſtycas laudes ineat ſocius, nemo rerum vitæ humanæ conſilia illo tempore volutet, ſed omni terrena ſorde animo pulſa, in cœlum quiſque ſe totum transferat, vtpote qui propinquus ſolio gloriæ ſuæ ſtet, & cum Seraphin volitet; atque ita laudem ſanctiſſimam referat ſummo, optimo, glorioſiſſimo Deo. Idcirco bene conſtare tempore illo iubemur. Bene enim conſtare nihil aliud eſt, niſi ita conſtare, vt hominem conuenit, qui corám Deo immortali ſtat, cum horrore tremoréque, cum ſobrio, parato, ſtudioſoque animo. Nam id quoque vocabulum pertinere ad animum, Paulus idem docet, cum dicit: Philip. 4. *Sic ſtate in domino chariſsimi*. Simile. Etenim vt ſagittarius qui ſua tela directurus ſit, probè ac ſcitè priuſquam mittat, quemadmodum conſtet, procurat: & vbi ſè perdirectum calci propoſitæ accurratè conſtituit, tum iacere incipit: idem etiam tu agere debes. Cum ſagitta peſſimum illud infeſtumque hoſtis diaboli caput transfigere cupias, cura de ſtatu cogitationum tuarum accipere priùs, vt ex directo, & ſine vllo impedimento fixo pede tela tua probè in illum poſſis dirigere. Hactenus de oratione. Diaboli inſidiæ in oratione. Cùm autem poſt illam orandi deſidiam genus inſidiarum aliud aggreſſus hoſtis idem diabolus moleſtiam quandam intulerit, nos hac etiam ſua tentandi facultate eum fruſtrari faciamus.

A Quid item infeſtus & peſſimus ille molitus eſt, cũ vos ad hunc modum quaſi ad corporis compagem vnius adductos conſtitutoſque vidiſſet, magna cum intentione præcepta vitæ opinioniſque optimæ accipientes animaduertiſſet, ſubmittere quidem aliquos è ſuis miniſtris, qui conſilio & hortatione vos à ſtudio audiendi abducerent, minime auſus eſt: ratus ſcilicet neminem veſtrum tali cõſilio obtemperaturum: ſed latrunculos quoſdam, furaces homunculos veſtræ inſeruit multitudini, quibus molitus ſæpius eſt, vt à multis aurum appenſum ſubriperetur. Ne igitur hoc ſemper accidat, & veſtrum auſcultandi animum iactura pecuniæ, furto indies inualeſcente, extinguat, conſulo atque hortor neminem huc venientem ſecum portare aurum: ita enim efficietur, vt nunquam veſtra attentio præſtet illis furandi occaſionem; & lætitia quam ex mora huius conuerſatio- B nis capitis, nulla pecuniæ amiſſione peruertatur. Hanc enim rem ille molitus eſt, non ea gratia vt vos redderet pauperiores, ſed vt iacturæ pecuniariæ moleſtia reuocaret à ſtudio audiendi. Nam & Iob illum ditiſſimum hominem omni diſpoliauit pecunia, non ad eum finem vt inops egenuſque fieret, ſed vt pietate amoreque illo ſuo erga Deum ſingulari eludaretur. Cupit enim ille, & ſtudet non pecunias auferre, quippe qui nihil eſſe hoc nouerit, ſed per priuationem pecuniarum præcipitare in peccatum delictumq; animæ. Quod quidem ſi facere nequeat, nihil ſe perfeciſſe arbitratur. Certior itaque de eius animo, ſtudioque in te frater chariſſime, quoties tibi aurum; vel per fures, vel per quaſuis artes auferat, facilè patere, & gratias age, vt debes, domino. Ita enim plus poſſis lucrari quàm amiſeris, & vulnus duplex hoſti infligas, & quia non ægrè tuliſti, & quia gratias domino egeſti. Nam ſi te viderit damno pecuniarum C frangi, eoque adduci vt in dominum perturberis, nunquam deſiſtet, quin idem moliatur & inuehat. Sed ſi te non modò non blaſphemarë Deum qui te creauit, verumetiam gratias illi agere in rebus perſpexerit arduis, recedit prorſus à tentationum negotio, certus ſcilicet cauſam gratiarum agendarum, fideliſque & conſtantis animi præberi tibi ab ipſo rerum aduerſarum periculo, itaque palmam confici tibi illuſtriorem, & præmia dari ampliora. Quod certè vel iure Iob illi piiſſimo eueniſſet cõſtat. Quum enim ſublatis opibus, & corpore morbo grauiſſimè infeſtato, animum nihilominus ſibi conſtare, & gratias agi perſpexerit, nõ item aggredi auſus eſt, ſed turpiter, & omni venia procul deuictus abiit, reliquitque ſua opera illum Dei athletam clariorem. Hoc igitur nos quoque & tenentes & cogitantes, peccatum rem vnam metuamus, & euitemus: cætera animo forti & conſtanti feramus, ſiue iactura pecuniarum, ſiue corporis morbus, ſiue temporum difficultas, ſiue rerum moleſtia, ſiue D hominum iniuria, ſiue quid aliud malum nobis inuehatur. Hæc enim non ſolùm detrimento afficere nequeunt, ſed etiam prodeſſe egregiè poſſunt, ſi animo grato pioque feramus. Porrò longè plures, amplioreſque mercedes nobis hæc comparabunt, atque efficient. Iam enim vides & Iob illum, quàm poſt adeptam patientiæ coronam & fortitudinis, omnia quæ amiſerat, dupliciter recepit. Tu verò non duplicata, non triplicata, ſed centuplum exaucta recipies omnia, ſi modò forti animo tuleris & tranquillo, atque etiam vitam poſſidebis æternã, quam vtinam omnes adipiſcamur, gratia & humanitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de incõprehenſibili Dei natura, contra Anomœos hæreticos,

Homilia V.

Qvi rem ſibi explicandam propoſuerit ampliorem, & tam prolixum deſiderantem ſermonem,

Digitized by Google

nem, vt nō vno ac altero die, ſed vix pluribus poſſit expediri: eum neceſſe habere arbitror non vniuerſam eodem dicendi curſu rem offerre auditorum auribus, ſed in plura partiendo leuius hinc & facilius reddere onus orationis. Nam & lingua, & aures, & ſinguli noſtri ſenſus modum, normam, & limitem certum habent datum à natura.

Simile.

Quemadmodum qui egredi ſuperareque contendit vel ab ea ipſa data, præſenteque ſibi facultate eiicitur, & quod ſeruare poteſt, amittit, cum plura quàm valeat proſequatur. Quid luce iucundius? quid radio ſolis acceptius? Attamen res hæc tam iucunda, tam accepta & placida, vbi ſupra modum ſeſe oculis noſtris obtulerit, grauis moleſtaque occurrit. Quamobrem Deus immortalis noctem diei ſuccedere voluit, quæ oculos fatigatos demiſſis genis operiret, & pupillis quietem reconciliaret, atque ita vim recrearet videndi, & ad futurum officium redderet aptiorem. Hinc etiam vigilia & ſomnus res inter ſe contrariæ, pariter iucundiſſimæ accedunt ſuæ moderatione viciſſitudinis: & quum lucem ſuauem nominemus, ſomnum quoque ſuauem dicimus, qui nos dimouere à luce conſueuit. Ita omnibus in rebus graue moleſtumque eſt, quod immodicum eſt: ſuaue, vtile & iucundum, quod modicum eſt. Quam ob cauſam & ſi dies iam quintus poſteaquam agere de incomprehenſibilitate incœpimus, tamen nondum perficere diſputationem valuimus totam, ſed adhuc partim differendum, partim relaxandum cenſuimus. Verum vbinam diſputationem reliquimus nuper, inde etiam repetamus neceſſe eſt, quum non quædam dicendi ſit ſeries & ſequela. Diximus autem à Ioanne filio illo tonitrui propoſitum eſſe, Deum nullus vnquam vidit, vnigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe expoſuit. Hodie quo loco ipſe vnigenitus Dei filius expoſuerit, comperire atque excipere operæpretium eſt.

Ioan. 6.

Reſpondit, inquit, Iudæis, & dixit: *Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt ex Deo, hic vidit patrem.* Viſionem hic rurſus cognitionem appellat. Nec vbi, nullus vidit patrem, dixiſſet, tacuit, ne quis de hominibus tantum hoc dici exiſtimaret, ſed quum oſtendere vellet nec angelos, nec archangelos, nec virtutes omnino ſupernas cognoſcere, certum hoc ipſum ex his quæ adiunxerat, reddidit. Quum enim præpoſuiſſet. *Non quia patrem vidit quiſquam:* addidit, *niſi is qui ex Deo eſt, hic vidit patrem.* Nam ſi nullus tantummodo dixiſſet, complures credo de natura duntaxat humana hoc dici arbitrarentur: nunc verò quòd vbi, nullus præpoſuit, adiunxerit, Niſi filius, ea ipſa vnigeniti adiectione omnem ſecludit creaturam. Quid igitur? nunquid Spiritus etiam ſanctus ſecluſus eſt? Nequaquam, pars enim creaturæ ille non eſt: vocabulum id autem, nullus, ſemper ad diſtinguendam creaturæ tantùm conditionem poni ſolitus eſt. Itaque fit, vt nec ſi de patre agitur, filius remoueatur: nec ſi de filio, Spiritus vnquam ſecludatur. Atque vt hoc ipſum continuò explanetur, videlicet verbum hoc, nullus, non ad Spiritus ſancti ſecluſionem, ſed ad creaturæ poſitum, dum de ea ipſa cogitatione filij vnius differitur, audiamus quid Paulus ad Corinthios ſcribat,

1.Cor. 2.

Quis enim ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ Dei ſunt, nullus cognouit, niſi Spiritus Dei. Quemadmodum igitur eo loco cum nullus dicatur, non ſeiungitur filius: ſic etiam hic, vbi de Chriſto, nullus, poſitum eſt, nō Spiritus ſecluditur ſanctus.

Scriptura vocando vnam in trinitate perſonā nō excludit alias.

Patet ergo hoc ita eſſe vt propoſuimus. Nam ſi cum diceret, nullus patrem vidit, niſi is qui ex Deo eſt, ſecluderet Spiritum: vacanter Paulus ſcriberet: Vt homo ſua quiſque nouit: ſic Spiritus ſanctus rem Dei nouit diligentiſſimè & tenet: Vnus quoque eodem hoc dicitur modo: habet enim eandem omnino vim atque poteſtatem.

A

1.Cor. 8.

Quod ita eſſe ex eodem illo authore accipies, *Vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Nam ſi quod vnus dicitur pater, filius à deitate ſecluditur: pari vtique ratione pater quoque à dominatione dimouebitur ipſe, quòd filius vnus dominus dicitur. At verò non propterea pater ſecludetur à dominatione: quia Chriſtus vnus dicitur dominus: ergo nec filius dimoueri à deitate debet, cum vnus Deus pater proponitur. Si autem dicant, idcirco vnus Deus dicitur pater, quoniam filius etſi Deus eſt, tamen non talis eſt qualis pater: licet his eiſdem vt in eos quæ ipſi aduerſum nos ſumunt, & ponunt: ſcilicet vnus dominus Chriſtus dicitur, quoniam dominus quidem pater quoque eſt, ſed non talis, qualis filius eſt. Quòd ſi nefas dictu, nec prius illud ratione vlla dicendum eſt. Sed quemadmodum, cùm vnus dominus Chriſtus dixeris, non patrem ſecludis à perfecta abſolutaque dominatione, nec eſt cur filio vni

B

rationem tribuas dominandi: ſic cùm vnus Deus pater protuleris, non à vera germanaque deitate excludis filium. Nec eſt quòd patris vnius deitas eſſe confirmetur: filium quippe Deum eſſe, & talem qualis pater eſt Deum, dum tamen filius manet, conſtat ex eo ipſo quod additur. Nam ſi nomen hoc, Deus, patris tantummodo eſſet, nec poſſet vllam ſignificare perſonam ſiue hypoſtaſim aliam, ſed illam ſolam primam atque ingenitam, vtpote proprium eius vnius & peculiare (vt ita dicam) notificum, vacanter pater adiungeretur. Satis enim eſſet dixiſſe, vnus Deus. Ita enim cùm diceretur, facilè intelligeremus. Verùm quoniam Deus, nomen commune patris & filij eſt, atque ob eam cauſam, ſi vnus Deus tantùm dixiſſet, quémnam Deum referret, minus conſtaret: ideo pater addidit, vt de prima illa & ingenita hypoſtaſi ſeu perſona dici oſtenderetur, tanquam Deus, nomen

C

ſolum ſatis eam non poſſet exprimere, cùm pater id commune haberet cum filio: nomina enim diuina partim communia, partim propria habentur. Communia, vt eadem atque indifferens ſubſtantia oſtendatur: Propria, vt perſonarum denotetur proprietas. Pater namque & filius nomen perſonæ proprium eſt: Deus verò & dominus commune. Quamobrem vbi nomen commune Deus propoſuiſſet author ille ſapientiſſimus, meritò proprium id addendum cenſuit, vt poſſes de quo diceret, intelligere, ne in execrandam illam incideres Sabellij opinionem. Nec enim Deus, nomen maius quàm dominus eſſe: nec dominus minus quàm Deus, patet veteri in teſtamento, in quo pater frequenter dominus dicitur: *Dominus Deus tuus, dominus vnus eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies.* Deut. 6. Itemque: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.* Pſal. 146. Atque etiam *cognoſcant, quia nomen tibi dominus, tu ſolus altiſſimus in omni terra.* ibid. 82.

D

Atqui ſi dominus, nomen minus quàm Deus, indignumque illa ſubſtantia eſſet, haudquaquam filium qui minor eorum ſententia eſſet, nomine eodem quod patri conueniat, eiuſque vnius proprium ſit, appellare oportet. Sed non ita, non ita. Nec enim filius patre inferior eſt, nec dominus nomen quàm Deus abiectius. Quapropter viciſſim modò de patre, modò de filio ſine vllo diſcrimine ſcriptura ſacra his appellationibus vtitur. Itaque vt patrem dominum appellari audiuiſtis, filium quoque Deum dici audite: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod eſt interpretatum, nobiſcum Deus.* Eſaiæ 7. Math. 1. Vides quomodo & patri dominus nomen, & filio Deus nomen reddatur, vt enim ibi eſt ſcriptum: *Cognoſcant quia nomen tibi dominus:* Pſal. 82. ita hoc loco, *Vocabitur nomen eius Emmanuel:* Hiere. 13. itemque, *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius magni conſilij angelus, Deus fortis & potens.* Eſaiæ 9. Velim conſideres ingenium, & ſpiritualem ſapientiam prophetarum. Nam ne cùm Deum tan-

Digitized by Google

tummodo dicerent, de patre diſſerere putarentur,
incarnationis prius meminerant. Non enim pater
ipſe natus de virgine eſt, nec factus eſt puer.
Quando etiam propheta alius ita ſcribit: *Hic Deus*
Baruch 3. Ibidem. *noſter, non exiſtimabitur alius aduerſus eum*: addidit, *Inue-*
nit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, &
Iſrael electo ſuo, poſt hæc in terris viſus eſt, & cum ho-
Rom 9. *minibus conuerſatus eſt.* Paulus verò ſic ait: *Ex quibus*
Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia Deus bene-
Ephe 5. *dictus in ſecula, amen.* Item: *Omnis fornicator, aut auarus*
non habebit hæreditatem in regno Chriſti & Dei. Ad hæc
per illuminationem Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu
Chriſti, Ioannes quoque ſic nominat eum, cum di-
Ioan. 1. cit: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, &*
Deus erat verbum. Sint iſta, inquis: ſed illud oſtende,
vbi ſcriptura filium patri coniungens, Dominum
patrem ipſum appellat. Ego verò non iſtud ſolum,
ſed etiam Dominum tam patrem, quàm filium ap-
pellari, iunctis perſonis facilè oſtendam. Vbi Chri-
ſtus cùm aliquando cum Iudæis diſſereret, *quid vo-*
Matt. 22 *bis videtur de Chriſto*, interrogauit, *cuius filius eſt? Illi di-*
cunt: Dauid. Dicit eis: Quomodo igitur Dauid in ſpiritum Do-
minum eum vocat, dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à
dextris meis? Ecce Dominus, & Dominus. Viſne præ-
terea vbi Deum patrem, & Deum filium nominet,
iunctis perſonis accipere? Audi cùm Dauid pro-
Pſal 44. phetam, tum Apoſtolum Paulum: *Sedes tua Deus in ſe-*
culum ſeculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſti-
tiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus
oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Paulus hoc idem allegat,
& ſuæ ſententiæ teſtimonium adhibet, quum dicat:
Hebr. 1. *Et ad angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus: ad*
filium autem: Thronus tuus in ſeculum ſeculi. Sed quamob-
rem, inquis, patrem hoc loco Deum appellat, fi-
lium autem Dominum? Non temerè, nec ſine cau-
ſa id facit, ſed quòd aduerſum gentiles ageret, qui
deorum opinione plurium laborarent, ne illi dice-
rent: Cum nobis deorum aut dominorum plurium
cultum vitio des, ipſe eidem es obnoxius crimini,
cùm Deos dicas, non Deum. Idcirco indulgens
imbecillitati eorum, nomine filium appellauit di-
uerſo, quod tamen vim eandem omnino obtine-
ret. Quod ita eſſe latè intelliges, ſi eam epiſtolæ
1. Cor. 8. partem altius repetamus. *De his autem qui idolis ſacri-*
ficantur, ſcimus quoniam omnes ſcientiam habemus. Scientia
inflat, charitas verò ædificat. De eſcis autem quæ idolis ſacrifi-
cantur, ſcimus quoniam nullum idolum in mundo eſt: & quo-
niam nullus Deus, niſi vnus. Vides quomodo in eos qui
ibidem. plures colerent Deos, dicerit. *Nam & ſi ſunt qui di-*
cuntur dij & Domini multi, ſiue in cælo, ſiue in terra, eoſdem
ita impugnat. Vt certè ſint dij multi, & Domini
multi, hoc eſt, qui dicantur: *nobis tamen vnus Deus pa-*
ter, ex quo omnia: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem
omnia. Hinc etiam, vnus, addidit, ne Deos item plu-
res introduci illi arbitrarentur. Et quanuis patrem
Deum vnum appellet, tamen non à Deitate ſeclu-
dit filium: vt etſi filium Dominum vnum dicit, non
tamen remouet patrem à dominatione, ſed imbe-
cillitatem emendat gentium, nec vllam vult dare
occaſionem. Quòd idem certè cauſa etiam fuerat
quamobrem non expreſſè ac manifeſtè, ſed ob-
ſcurius raróque à prophetis filius Dei Iudæis ſi-
gnificaretur. Quòd enim ipſi nuper errore Deo-
rum plurium eſſent abiuncti, ſi iterum Deum &
Deum audiuiſſent, prorſus ad morbum animi re-
uerterentur. Quocirca frequens id apud prophe-
tas vſurpatum eſt: Vnus Deus eſt, præter quem
nullus eſt alius, non quò ſecluderent filium, abſit:
ſed vt hominum imbecillitatem emendarent, ac
ſuaderent antè ſuſpicionem plurium deorum re-
iicere, quàm filium, & hunc Deum prædicarent.
Quoties igitur audis, vnus & nullus, & cætera ge-
neris eiuſdem: non Trinitatis opinionem diminui,
ſed quantum inter eam & creaturam intereſt, ver-
bis his ipſis ſignari arbitrare. Quippe quum etiam,
Rom. 11. alibi dicat: *quis cognouit ſenſum Domini?* Quod quidem,

A quis, nec filium, nec ſpiritum, à cognitione ſeclu-
dere, oſtenſum iam his quæ ſuprà diximus eſt,
quum teſtimonium afferemus illud: *Quis enim ſcit* 1. Cor. 2.
quæ ſint hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt? Ita & quæ
Dei ſunt nullus cognouit, niſi Spiritus Dei. Ad hæc filius
ait: *Nullus cognoſcit filium, niſi pater: neque patrem quis co-*
gnoſcit, niſi filius. Igitur & hoc loco ad eandem ſen- Matt. 11.
tentiam accipe: non quia patrem quis vidit, niſi
qui eſt ex Deo, hic vidit patrem: plenè & exquiſitè
illum notiſſe, & cauſam quamobrem nouerit di-
cit, quoniam ex eo eſt. Cuius item documentum,
quòd eum norit exquiſitè. Hinc enim apertè eum
nouit, quia ex eo eſt, argumentóque eſt ex eo,
quòd eum planè apertéque cognoſcit. Subſtantia
nanque ſubſtantiam ſuperiorem nunquam perfe-
ctè intelligere poteſt, etiamſi parum intereſt. Audi
quid propheta de angelis, ac de hominum genere
dicat, quàm parum inter eam vtramque naturam
intereſt. Cum enim propoſuiſſet: *Quid eſt homo, quòd* Pſal. 8.
B *memineris eius; aut filius hominis quòd viſitas eum?* addidit.
Minuiſti eum paulominus ab Angelis. Veruntamen etſi
parum diſcriminis eſt, tamen quia intereſt aliquid
neſcimus exquiſitè angelorum ſubſtantiam, nec ſi
ſummè philoſophabimur, comperire vnquam
quid ſit poterimus. Sed cur de angelis loquor?
Quando ne ipſius quidem animi noſtri ſubſtan-
tiã ſatis nouimus, imò nullatenus attingere valea-
mus. Sin illi noſſe contendunt, percontare quid-
nam ſubſtantiæ ſit animus, nũquid ignis, num aër,
num aqua, num terra? nihil ex his eſſe dicent. Hæc
enim omnia corporea ſunt, ille incorporeus eſt.
Tamen qui angelos neſciunt, qui ſuos animos
ignorant, iidem Dominum & conditorem omnium
rerum ſcire exquiſitè contendunt. Quid hac
amentia poteſt fieri tetrius? Sed cur de ſubſtantia
loquor animi? iam quemadmodum inſit animus in
noſtro corpore ignoramus. Quicquid enim dixe-
C ris, extendit ſeſe vnà cum dimenſione corporis,
totámque infuſa per artus mens agitat molem. At
hoc penitus ratione caret, cùm id corporis pro-
prium ſit, atque ita euenire videamus, vt plerum-
que & manibus præciſis, & pedibus integer ille
permaneat, nihilo ipſe truncatus, corpore dimi-
nuto & manco. Sed non tota toto in corpore eſt,
ſed parte ſe colligit certa & reſidet: ergo reliquas
partes reddi inanimas neceſſe eſt: ſed dici ne id
quidem poteſt. Verum animum eſſe quidem in no-
ſtro corpore nouimus: ſed quemadmodum ſit
ignoramus. Et quidem etiam hanc rationem ſcien-
di propterea Deus immortalis à nobis ſecluſerat,
vt larga quadam argumenti copia noſtra oppri-
meret ora, & mentem fragilem detineret, ac deor-
ſum moueret: conſtarétque minimè res maiores,
quàm vires poſſunt humanæ attingere, ſcrutari &
curioſè exquirere. Sed ne rationibus noſtris hæc
confirmemus, ſcripturarum iterum repetamus ſa-
D cram, vt inde argumenta longè potiora adduca-
mus. *Non quia patrem vidit quiſquam, niſi is qui ex Deo eſt,* Ioan. 6.
hic vidit patrem. Sed quid hoc doceat, nondum id ver-
bum cognitionem vlli plenam exquiſitámque at-
teſtatur. Sed creaturam quidem minus eum noſſe
ſignat, cùm dicat: Non quia patrem vidit quiſ-
quam. Filium item noſſe eundem ſignificat, cùm
addat, niſi is qui eſt ex Deo, hic vidit patrem. Ve-
rùm acquiſitè eum nouiſſe, & ita, vt ipſe ſe nouit,
nondum explicatum eſt. Dixeris enim: Eſſe itaque
poteſt, vt nec creatura, nec filius eum expreſſe
ſciant: ſed quanquam expreſſius quàm creatura fi-
lius nouerit, tamen plena illa exquiſita compre-
henſione filium quoque carere. Nam quod eum
videt, quicquid tandem eſt cognoſcere ait: perfe-
ctè autem & abſolutè cognoſcere, & ita vt ſe ipſe,
nondum oſtendit. Vultíſne igitur huius quoque fi-
dem à ſacris ſcripturis, atque à voce Domini ipſa
petamus? Audi quid ad Iudæos ipſe dicat: *Sicut co-* Ioan. 10.
gnoſcit me pater, & ego cognoſco patrem. Quid hac cog-

nitione

gnitione certius quæras? interroga aduerſarium, an pater filium exquiſitè norit, omnemque eius teneat rationem, nec eum quicquam filij lateat, ſed integram, expleram, & abſolutam quandam cognitionem percalleat. Ita eſt, inquit. Ergo cùm audis ita filium patrem noſſe, vt ipſe pater filium nouit: nihil præterea quærere, nihil ambigere debes: cùm tam pari modo inter ſeſeæquent cognitiones. Quod idem etiam alibi exprimit cum dicit:
Matt. 11. *Nemo cognoſcit filium, niſi pater, neque patrem quis cognoſcit, niſi filius, & cui velit filius reuelare.* Reuelat autem non quantum cognoſcit, ſed quantum nos recipere poſſumus: nam ſi Paulus ita fecit, multò magis Chriſtus idem facere debet. Ille quippe ad ſuos diſcipulos ſcribens, ſic ait:
1. Cor. 3. *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, nondum enim poteratis.* Sed dicet fortaſſe agendum ita fuiſſe cum Corinthiis tantum. Quid ſi pleraque alia nouiſſe ipſum oſtendam, quæ nemo acceperit, ſed vnus ipſe ſciens è vita abiit? Vt hoc quod ad Corinthios ſcribit, ſic dicens:
2. Cor. 12 *Audiui ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui.* Veruntamen hic etiam ipſe, qui ineffabilia audiuiſſet, & quæ nemini narrare liceret, particularem quandam cognitionem tenuit, & multò futura illa inferiorem. Qui enim hoc retulit, idem etiam illa ſcribit: *Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus.*
1. Cor. 13 Itemque: *Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus.*
Ibidem. Atque etiam *nunc video per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ita omnis iſtorum deprehenditur fraus, omnis fallacia coarguitur: quando enim ipſa Dei ſubſtantia ignoratur, non inquam an ſit, ſed quid ſit, furoris certè eſt ſummi, vel nomen ei tribuere, nedum comprehendere opinari. Quanquam & ſi nota certáque haberetur, non tutum propterea eſſet nos ipſos iudicio noſtro modum appellandi ſtatuere ſubſtantiæ Domini. Nam ſi Paulus nomen virtutibus ſuperis imponere minus auſus eſt, ſed quum dixiſſet:
Epheſ. 1. *Conſtituit Chriſtum ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur,* non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro: quum docuiſſet nomina nonnulla eſſe virtutum, quæ tunc ſcire poterimus, minimè ipſe confiſus eſt vel alia pro illis ſtatuere nomina, vel eadem illa exquirere: qui fieri poteſt, vt his omnibus aut ignoſcatur, aut purgandi detur occaſio, qui in ipſa ſubſtantia domini tam temerè audent, totque nefaria committunt? Quando autem ipſius quoque ſapientiæ ratio ignoratur, profectò genus id hominum non ſecus quàm inſanos deliroſque deſpicere aſpernarique debemus. Iam Deum eſſe vnigenitum certum eſt, nomen tamen idipſum eſſe diuinæ illius ſubſtantiæ à nullo vel propheta, vel apoſtolo, vel euangeliſta, aut expreſſè, aut per ambagem propoſitum eſt. Et rectè quidem: qui enim ipſam ignorarent ſubſtantiam, quo pacto eius nomen tradere haberent? Sed cur de ſacris loquor ſcripturis, quando tam abſonè, tam iniquè de natura Dei proponitur quæſtio, vt ne quidem gentilibus, qui à vera opinione aberrarunt, tale quid vnquam placuerit? Nemo enim naturæ diuinæ definitionẽ reddere, vnóve amplecti nomine Deum auſus eſt. Sed cur naturam, inquam, diuinã, quando ne virtutes quidem incorporeas, quos Deos appellant illi inferiores, plenè definierunt, ſed obſcura quadam expoſitione ac deſcriptione potius quàm definitione docuerunt? Verùm quid iſti pro ſua eximia ſapientia ex his, quæ diximus, inferent? Ergo Deum, quem colis, ignoras. Prorſus nihil ad hanc eorum obiectionem reſpondere debemus, cùm tam latè ſcripturæ ſacræ authoritatibus demonſtratum ſit, fieri non poſſe vt quid ſubſtantiæ ſit Deus ſciatur. Verùm quoniam non propter inimicitias agimus, ſed quò eos doceamus & emendemus: agè benignè id etiam oſtendamus, non eos

Nomen Dei quomodo etiam ignotam.

A qui neſciunt quid ſubſtantiæ Deus ſit, ſed eos potius, qui ſcire contendunt, Deum ignorare. Dic quæſo, ſi inter duos orta altercatio eſſet de cœli magnitudine, quorum alter negaret hominis oculum rem poſſe percipere, alter contenderet fieri poſſe vt palmo ſuæ manus facilè metiendo totam molem tranſmitteret: quem cœli nouiſſe dixeris magnitudinem? eúmne, qui ſcire contendit, quot palmos cœli ambitus compleat, an eum qui neſcire confitetur? Hunc prorſus. Quòd ſi qui cœli amplitudini cedit, hic potius nouit eius magnitudinem: longè omnino abeſt, vt is mente ſit ſanus, qui in Dei immortalis ratione ne tantillum quidem cenſeat temperandum. Requiritur certè à nobis, vt eſſe Deum ſciamus, non vt quid Deus ſit indagemus. Quod Paulus doctor eximius docet, cum dicit: *Credere enim oportet eum qui ad Deum accedit, quia eſt.* Heb. 11.

Simile.

Propheta item cum impietatis quempiã argueret, non crimini aſſignat, quòd neſcit quid Deus ſit: B ſed quòd Deum eſſe ignorat, quippe qui ita ſcribat: *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.* Igitur vt ille Pſal. 13. impius eſt, non quia Deũ quid ſubſtantiæ ſit, ignorat: ſed quia neſcit Deum eſſe, ſic ſatis ad pietatem eſt ſcire Deum eſſe. Sed habent aduerſarij noſtri aliam quoque argumentandi meditatam euigilatámque rationem. Dicitur, inquiunt, Deus ſpiritus eſt. Sed nunquam hoc nomen exprimens diuinæ ſubſtantiæ eſt. Quis enim ſi nuper adeò fores ſcripturæ ſacræ adierit, non peregrinam & omnino alienam iudicet iſtam ſententiam? Iam enim eadem ipſa ratione Deus ignis quoque. Nam vt ſcriptum eſt, Deus ſpiritus eſt: ita ſcriptum habemus: *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Deut. 4. Itemque: fons aquæ viuæ. Nec ſpiritus, & ignis, & fons ſolum ſit: ſed etiam animus, & ventus, & mens humana, & complura alia multò his quæ modò enumeraui, abſurdiora. Non enim omnia perſequi debeo, nec illorum inC ſaniam imitari. Spiritus quippe nomẽ plura ſignificat. Nam & animum noſtrum: velut cùm Paulus dicit: *Tradite hominem huiuſmodi ſatanæ, vt ſpiritus ſaluus ſit.* 1. Cor. 5. Et ventum, vt propheta inquit: *Spiritu violento conteres eos.* Pſal. 47. Donum etiam ſpirituale ſpiritus dicitur: *Ipſe ſpiritus conteſtatur ſpiritui noſtro.* Rom. 8. Item: *Orabo ſpiritu, orabo etiam mente.* 1. Cor. 14 Ad hæc ira atque excandeſcentia, authore Eſaia: Non tu es, *qui meditaris ſpiritu duro interimere eos.* Eſa. 27. Præſidium quoque & auxilium Dei vocari ſpiritum nouimus: ſpiritus enim ante faciem noſtrã Chriſtus dominus. Erit igitur Deus hęc omnia illorũ ſententia, atque ex his ipſis rebus cõſtabit. Sed ne tempus incaſſum teramus, dum confutanda refellendaque proponimus, quæ tam perſpicui ſunt erroris, vt nullam penitus poſtulent contradictionem: agè finem hic faciamus dicendi aduerſus eos, ad orandũque more noſtro veniamus. Ergo pro his amplius rogemus, atque oremus vt aliquando inſania liberentur, hoc enim gratum acD ceptumque Deo ſaluatori eſt: *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. Minimè igitur negligendum, vt preces pro his agamus, ſupplicemuſque domino. Aptiſſima enim arma oratio eſt, theſaurus certè perpetuus, diuitiæ inexhauſtæ, portus quietus, occaſio tranquillitatis, denique author, parẽs, fons, & radix bonorum omnium & innumerabilium oratio eſt, atque etiam regia ipſa facultate potior & ſuperior. Sæpius itaque euenit, vt cùm rex ipſe ægrotet, cubet, febriat, ardore laboret, & adſint medici, adſint cliẽtes, familiares, proceres, milites, duces: non ars medicorum, non amicorum præſentia, non familiarium adminiſtratio, non medicamentorum copia, non apparatus magnificentia, non pecuniarum facultates, non aliud quicquam rerũ humanarum poſſit reddere infeſtantem morbum leuiorem. At ſi quis valens apud Deum familiaritate acceſſerit, & corpus languens duntaxat tetigerit, & ſyncere pro eo orauerit, languorum omnem expellit: &

Hortatur ad orationem.

quod non diuitiæ,non numerus miniſtrorum magnus,non medicinalis ſcientia,non regius faſtus efficere potuit, hæc vnius pauperis atque egeni oratio potuit.Orationem autē dico, non tenuem illam & deſidioſam, ſed eam quæ intenta ex animo dolēte & corde contrito proficiſcatur. Hæc enim eſt
Simile. quæ in cœlum ſcandere valeat. Et quemadmodum aqua dum per plana & ampla ſpatia fertur, non in altum exurgit, ſed tenuem ſeſe latè quaquauerſus expandit:cùm autem manu artificum ſubtus colligente ſtringenteque coacta fuerit in anguſtum, iam inde ſollicita omni telo velocius ſe in excelſum iaculatur, petitque regionem ſupernam: ſic mens humana dum otioſa & liberior quàm expediat,degit, diffunditur, lateque defluit, cùm autem rerum euentu aſperiori,caſuque ſubtus coarctante aduerſo ſollicitetur, iam agiliùs ſe extrudit, & intentas,dilucidaſq; orationes mittit in excelſum. Atque vt intelligas eas potiſſimum orationes poſſe audiri, quæ preſſo afflictoque animo reddantur, audi quid propheta referat: *Ad dominum cùm tribu-*
Pſal 114. *larer, clamaui, & exaudiuit me.* Igitur noſtram ferue faciamus conſcientiam,affligamus animam,torqueamus memoria peccatorū,vt non in anguſtam deducamus viam, ſed vt idoneam exaudiri à Deo efficiamus, vt vigilem, ſobriam, & ipſum cœlum tangentem reddamus.Nihil tam pigritiam & negligentiam poteſt expellere, quàm dolor & afflictio animi,quæ vndique cogitationes vagātes colligat,& ſua in ſede conſtituat.Qui ita afflictus mœſtuſque orat, hic lætitiæ plurimum poſt orationem
Simile. ſibi poteſt conciliare. Et vt frequentia nubiū principio cœlum obfuſcat: vbi verò percrebras dimiſerit ſtillas, iam & humore ſepoſito ſerenum cœlum & dilucidum facit:ſic mœror animi dum intus verſatur , caligine cogitationem noſtram obducit: cùm autem verbis orationis & lacrymis, quæ ſolēt comitari orationem foras verſus euaporatus, diſflatuſque euanuit, plurimum iam inde ſplendoris afferri in animum ſolitum eſt, fauore ſcilicet humaniſſimi & liberaliſſimi Dei, veluti radiò quodā in eius qui orat animum ingruente, ac luce afficiente lætiſſima. Sed quàm frigidam, quàm ineptam & ſordidā complures ſui erroris reddunt rationem. Non audeo, inquiunt, minimè confido, me pudet, ne diducere quidem os poſſum, peccata me detinent. Satanica iſta verecundia eſt, pudendi ratio peſſima,obtentus negligētiæ ac deſidiæ occludere tibi aditum ad miſericordiam & clementiſſimū Deum. Tuus hoſtis diabolus te petit, cùm te tam verecundum facit, & pauidum. Diffidíſne? Magna idipſum ad confidēdum facultas magna hinc proficiſcetur vtilitas, ſi te arbitraris meritò carere fidendi audendique facultate: vt cōtrà ſummus pudor, ſummum dedecus, ſumma condemnandi oratio,ſi te arbitreris poſſe fidenter agere. Quanquam enim multa ex officio feceris, quanquam nullius tibi ſis conſcius mali: modò putes agere poſſe fidenter ac liberè, omni gradu orationis continuò eiicieris ac decides. Contrà, ſi onera conſcientiæ innumerabilia ſuſtines, peccatis ſummis grauaris: nec eſt quòd te non premat delictum, modò illud vnum perſuaſum ſit tibi, te omnium eſſe minimū, mirificè tibi animus fidendi audendique apud Deum præſtabitur. Quanquam id nulla humilitas
Humilitas quid ſit. eſt, vt cùm peccator ſis, peccatorem te opineris: humilitas enim eſt quoties quiſpiam rerum ſibi præclararum conſcius, nihil magni de ſeipſo exiſtimat. Quoties quis Paulo ſimiles dicere iure ſuo poteſt: *Nullius mihi ipſe ſum conſcius:* & tamen dicit, *non*
1. Cor. 3. *in hoc iuſtificatus ſum*, &c. *Chriſtus Ieſus venit peccatores*
1. Tim. 1. *ſaluare, quorum primus ſum ego.* Hoc eſt humilitas, ſi te excelſum per virtutum officia, humilem per opinionem reddas. Deus tamen pro ſua ineffabili humanitate, nōn ſolùm modeſtos eos & humiles, ſed etiam eos qui ſua confitentur peccata, recipit, am-

A plectitur, benigniſſime tractat. Atque vt planius intelligas, quàm ſit bonum nihil magnum de ſe opinari, finge animo bigam duplicem: quarum ſub altera virtus iuncta ſit cum ſuperbia: ſub altera peccatum cum humilitate. Videbis enim bigam illam peccati virtuti facilè anteire, palmamque decurſionis celerioris obtinere, non peccati pernicitate,ſed coniugatæ humilitatis facultate. Contrà, bigam alteram virtutis retardari, & vinci, non imbecillitate virtutis,ſed ſuperbiæ mole ac pondere. Vt enim humilitas præ ſumma ſua excellentia, peccati ſuperat pondus, atque in cœlum peruenit: ſic ſuperbia præ nimio ſuo pondere ac intolerabili onere ſuæ molis præualet, adeò vt etiam leuiſſimam illam & ſupernam virtutem vincat, deorſumque verſus facilè detrahat, quoniam alterum quod dixi, non parum exiſtat pernicius altero, latius ſanè exemplo Phariſæi & Publicani illius perſpicies. Iunxerat Phariſæus iuſtitiam cum ſuperbia, dixitque: *Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæte-* Lucæ 18.
B *ri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, nec velut hic Publicanus*, O inſaniam hominis, vniuerſa natura hominum minus explere ſuperbiam eius, & inſolentiam potuit: itaque Publicanum proximè ſtantem petulantiſſimè inuadit, & elatus ſua iuſtitia temerè inſultat in hominem. Sed quid hic agit? non repellit probra ſibi obiecta, non agitur maledictis, non repugnat aduerſario, non vlciſcitur inimicum, ſed patitur facilè petulantiam. Itaque efficit vt illud aduerſarij telum medicamento ſibi occurrat atque remedio: & probrum conuerſum in laudem ſit, & maledictum in coronam & commēdationem. Tam magnum humilitas bonum eſt, tam magnum comparatur emolumentum, dum hominum maledictis minus mordemur, dum ad illatas contumelias minus incendimur. Licet enim vel ex his ipſis fructum egregiè capere modo Publicani illius. cum
C enim patienter probra tuliſſet, peccata depoſuit Lucæ 18.
omnia: cumque dixiſſet, *Deus propitius eſto mihi peccatori*, deſcendit iuſtificatus ſuper illum, & dicta ſuperauerunt facta, & verba vicerunt opera. Alter nanque iuſtitiam, & ieiunia, & decimas propoſuit ſuas, alter verba duntaxat reddidit: atque ita effectum eſt, vt magnus ille numerus delictorum deleretur, & peccata obliterarentur omnia Publicani. Non enim verba Deus tantummodo audiuit: verumetiam animum, quo ita dicerentur, inſpexit: quem cum humiliatum contritumque comperiret, miſertus eſt, & benigniſſimè ac humaniſſimè egit. Hæc tamen non ob eam rem dixit, vt licentius peccaremus: ſed vt animum ſeruaremus humilem & modeſtum. Nam ſi homo Publicanus vltimum vitiorum genus, non humili, ſed facili quodam & pio duntaxat animo peccatis propoſitis, & rem, vt erat, confeſſus, tantum beneuolentiæ apud Deum
D contraxit: quantum meritum quæſo ſibi homines comparare poſſint, qui cum præclara egerunt bona, nihil magni feciſſe arbitrentur? Quas ob res vos hortor, & rogo, & oro fratres chariſſimi, crebrius Deo immortali confitemini, & enumeratis veſtris delictis veniam petatis, & numen propitiū. Non te in theatrum conſeruorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Repete coram Deo conſcientiam tuam, & explica: oſtēde Deo medico præſtantiſſimo tua vulnera, & pete ab eo medicamentum. Oſtende ei qui nihil opprobret, ſed humaniſſimè curet. Cur taces, quæ optimè ille nouit? Dic atque enumera, vt fructum maximum conſequaris. Dic, vt abſterſis hic tuis maculis, abeas illuc mundus, & ſine vllo dedecore, vt intolerabili promulgatione illa delictorum Dan. 3.
tuorum libereris. Tres illi pueri in fornace continebantur, ſuamque animam expoſuerunt certo ſuæ vitæ periculo. Veruntamen poſt tot tantaque virtutis officia referunt: Non poſſumus aperire os, confuſio & opprobrium facti ſumus

Digitized by Google

mus ſeruis tuis, & colentibus te. Cur itaque os aperuiſtis? Vt hoc ipſum diceremus, nobis os minus licere aperire, atque ita dominum inuitaremus ad beneficiū. Vis orationis vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, bella compoſuit, prælia remouit, tempeſtates ſuſtulit, dæmonia expulit, cœli fores aperuit, vincula mortis diſrupit, languores eiecit, offenſas repreſſit, vrbes terræmotu nutantes firmauit, plagas cœlitus irruentes, inſidias hominum, mala denique omnia deleuit oratio. Orationem autem, vt iterum dicam, non eam commendo, quæ fruſtra in ore habeatur, ſed quæ ab imis animi prodeat. Simile. Vt enim arbores quæ radicem altius miſerint, quamuis ſummum ventorum excipiant impetum, non frangi aut euelli poſſunt, cùm planta & firmiſſima ſtirpe innitantur: ſic orationes quas animus de ſuo imo reddiderit, perquā tutè affixæ efferunt ſeſe in excelſum, nulloque peruertuntur aggreſſu cogitationum. Vnde propheta inſignis ait: Pſal. 129. *De profundis clamaui ad te domine.* Hæc ita doceo, non vt verbis probetis tantùm, & laudetis: verumetiam vt factis palam animum veſtrum recepiſſe quæ laudat, faciatis. Nam ſi apud homines ſuos quempiam caſus dixiſſe, ſuaſque calamitates narraſſe, affert nonnihil conſolationis, quaſi difflatio quædam malorum per ipſam narrationem ageretur: longè magis ſi cum domino illo communi ægritudinis animi tui communicaris, cōſolationes atque remedium capies. Homo enim vel grauatur plerunque tædio alienæ querelæ, & luctus repellit, fugitque hominem miſerum: at verò Deus non ita agit nobiſcum, ſed inuitat, ducit, hortatur, acceptat. Et ſi totum diem in communicandis cum eo tuis calamitatibus conſumpſeris, ita te magis magiſque diliget & tuis precibus liberaliùs annuet. Et quidem hoc ipſe dominus explicans, ita dicebat: Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Vocat, obſequamur: inuitat, accedamus: ſi peccatis innumerabilibus detinemur, curſum ob eam rem maiorem in modum eò agamus. Tales enim homines ad ſe vocat: Matth. 9. *Non veni*, inquit, *iuſtos vocare, ſed peccatores ad pænitentiam.* Homines oneratos, oppreſſos, feſſos, fatigatis pondere peccatorum. Deus enim dicitur conſolationis, Deus miſericordiarum: quoniam hoc eius officium eſt perpetuum, vt homines dolentes, mœrentes, afflictos conſoletur atque hortetur, etiam ſi peccata commiſerint innumerabilia, modò noſipſos ei dedamus, modò accedamus, nec negligamus, re ipſa experti ſciemus eorum quæ propoſui veritatem omnium. Nihil penitus nos dolore afficere poterit, ſi orationem intentam exquiſitámque habeamus: quicquid enim acciderit, facile per eius orationis facultatem repellemus. Nec mirum ſi caſus humanos tollere vires poſſunt orationis, quando & ipſam peccatorum naturam extinguunt, & compendio excidunt, ac delent. Vt igitur vitam cum facilitate agamus, & quæcunque peccata contraximus, omnia reiiciamus, & fidenter ac ardenter apud Chriſti iudicis noſtri tribunal conſtemus: hoc aſſiduè nobis ipſi medicamentum præparemus, ex lacrymis, ſtudio, ſedulitate, pecunia compoſitum. Ita enim efficietur, vt perpetua valetudine bona fruamur, & bona illa futura obtineamus: quæ vtinam omnes nos conſequamur gratia & humanitate domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.

Diui Ioannis Chryſoſtomi ſermo, Quòd neque viui, neque mortui anathemate plectendi ſunt.

NVPER ad vos de incomprehenſibili cognitione Dei diſſerens, tam ſcripturarum teſtimoniis, quàm rationibus quas natura ſuppeditat, copioſè declarabam, quòd licet illam inuiſibiles poteſtates, quæ vitam omnino beatam & materiæ

A expertum agunt, attingere nequeant: nos tamen quorum vita planè diſpeſcens & fluitans eſt, & qui omnibus vitiis immerſi ſumus, tentemus apprehendere id quod inuiſibilibus ſubſtantiis eſt denegatum. Atqui dum id argumenti tractamus, & multum noſtro tribuentes iudicio, & inanem ab auditoribus captantes gloriolam, fit interim, vt neque naturæ noſtræ menſura nobis comperta ſit, neque diuinam ſcripturam, neque partes probè imitetur, & proinde à noſtrarum imaginationum deliriis, quaſi à rapido torrente abſtracti, in grande ruimus peccatum. Agè nunc & de anathemate, quę conuenit in medium fideliter afferamus, demonſtraturi vim mali, quod plerique neque inter mala computant, vt detegatur morbus eorum qui hoc malò laborant, cōpeſcanturque ora perpetuò frenum reſpuentia. Etenim in tam deploratam valetudinem res noſtræ perductæ ſunt, vt quaſi vulgariter ægrotantes, ignoremus nos peſſimè habere. B Atque adeò impletur in nobis vox prophetica: Eſa. 1. *Non eſt quòd adhibeantur, vel malagma, vel oleum, vel obligaculum.* Igitur de hoc malo vnde dicendi initium faciam? num à dominicorum mandatorū diſpoſitionibus, an à veſtra inſcitia & ſtupore? Rideórne, & inſanire videor, quòd hæc dico? Exibilórne, quòd tam iniucunda, lacrymiſque digna dictūrum me polliceor? At quid mihi accidit? Doleo, mente diſſecor, rumpuntur viſcera: quia video tam inſenſatos & malos, vt legis tranſgreſſione Iudæi, & impietate gentes ſuperentur. En ſpecto viros, qui nullum ex ſacris literis germanū ſenſum imò nihil omnino ſacrarum literarum tenent, & vt pleraque tranſeam, nam erubeſco dicere, furibundos, nugaces, contentioſos, qui neque ſciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc vno tantum audaces, quòd dogmata ſtatuunt, & anathema declarant, ea quæ maximè ignorant. Hinc eſt, quòd exteris, C hoſtibuſque fidei noſtræ ludibrio ſumus, habemurque perinde quaſi nulla ſit nobis honeſtæ vitæ cura, & nunquam benefacere didicerimus. Heu mihi quàm dura atque dolenda ſunt hæc. Heu mihi, Prophetæ deſiderauerunt videre, quæ vidimus, & non viderunt: & audire quæ audiuimus, & non audierunt: & nos inter hæc enutriti ſumus. Audite oro quænam illa, ne quando pereamus. Nam ſi ſermo per angelos dictus, ita cōfirmatus eſt, vt omnis tranſgreſſio & inobedientia iuſtam præmij repenſationem acceperit: quo pacto nos adeò ſalutis negligentes ſupplicia effugiemus? Dic quis ſcopus euangelij gratiæ? quidnam ſpectat? an non filij Dei in carne aduentum? Et quare? an vt mutuum mordeamus & deuoremur? Minimè. Nam cum vbique perfectiora ſunt præcepta quæ à Chriſto, quàm quæ à lege data, etiam maior charitas à nobis expoſcitur. Lex dicit: Matt 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum:* hîc autem & moriendum eſt pro proximo. Audi & D Chriſtum quid dicat: Lucæ 10. *Homo quidam deſcendebat à Hieruſalem in Hierico, & in latrones incidit, qui & deſpoliarunt ipſum, & vulneribus inflictis abierunt ſemimortuo relicto: accidit autem quòd ſacerdos quidam deſcenderit eadem via, viſoq; ipſo tranſijt: ſimiliter & Leuites, cùm eſſet in eodem loco, viſo ipſo tranſijt: Samaritanus autem quidam vt venit ad eum locum, viditq; illum, miſericordia motus eſt, & accedēs obligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum: & impoſito eo ſuper iumentum ſuum, duxit in diuerſorium, curamq; eius egit. Poſtero autem die depromptos denarios duos ſtabulario dedit, ac dixit: Curam eius habe, & ſi quis expenderis vltrà, cum rediero reddam tibi. Quis igitur horum trium proximus tibi fuiſſe videtur ei qui in latrones incidit? Ille autem dixit: Qui fecit cum eo miſericordiam. Dixit autem ei Ieſus: Vade, & tu fac ſimiliter.* Papè, quàm mira? Non ſacerdotem, non leuitam dixit proximum: ſed illum, qui iuxta Iudæorum decreta eiectus erat: qui Samaritanus erat, qui alienigena: qui in multis blaſphemabat, & illum ipſum vocat proximū: quia apud eum inuenta eſt miſericordia. Hæc verba filij Dei ſunt. Hæc & ope-

opera eius ſunt, quæ in carne aduenieńs demonſtrauit. Non mortuus eſt, non ſolum pro amicis & ſuis, ſed & pro inimicis, pro tyrannis, pro maleficis, pro oſoribus, pro crucifigentibus, atque pro his ipſis quos tales fore ante conditionem mundi ſciebat, eoſque præſcius formauit, vincente præſcientiam bonitate, & pro eis ſanguinem fudit, mortemque ſubiit. Ioan. 6. *Panis*, inquit, *caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Rom. 5. Paulus item per epiſtolam ſic dicit: *Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius.* Et iterum in epiſtola ad Hebræos dicit ipſum pro vniuerſis guſtaſſe mortem. Cùm igitur & hæc ab ipſo geſta ſunt, & horum typos exprimit eccleſia, quotidie pro omnibus preces faciens, quomodo tu audes talia loqui? Quin dic, quid eſt iſthuc ipſum dicere anathema? Vide quid dicis: cognoſce quid loqueris. Noſti verbi vim? Quamuis inuenies in ſacra ſcriptura, quod dicitur contra Hiericho: Ioſue 6. *Et anathematizabis totam ciuitatem domino Deo tuo.* Et inualuit apud nos omnes conſuetudo, quæ in hodiernum vſque diem durat, vt anathema dicatur quod certo loco ſuſpenſum. An hoc tu dicis anathema? ſed hoc plerumque in bonum ſonat, & eſt interdum oblatum Deo. Quid ergo illud, quod anathema tu dicis eum qui oblatus eſt diabolo, nec vltra regionem ſalutis inhabitat, ſed alienus eſt à Chriſto? Heus, quis tu tantæ authoritatis, qui tantam tibi vſurpas potentiam? Matt. 25. Tunc enim *ſedebit filius Dei, & ſtatuet oues à dextris, & hœdos à ſiniſtris.* Cur igitur dignitatem tantam aſſumis? quæ apoſtolis tantùm communicata, & his qui illorum idonei ſucceſſores, verè pleni gratia & virtute. Iam apoſtoli diligenter id mandati ſeruarunt. Sic enim hæreticos eiiciebat ex eccleſia, quaſi effodiẽdus eſſet dexter oculus. Qua tempeſtiua membri defectione, magnum ſuæ compaſſionis & doloris indicium præ ſe ferabant. Atque idcirco Chriſtus quoque dextrum oculum dicit, vt illum abiecturis compaſſionem commendaret. In qua re, ſicut & in aliis, admodum diligentes fuere: hæreſes quidem redarguendo & eiiciendo, nulli autem hæreticorum hanc pœnam adhibendo. Porrò Apoſtolus in duobus duntaxat locis vocem hanc quaſi coactus affert, nec tamen certæ & determinatæ perſonæ illam intentat. Nam Corinthiis ſcribit: 1.Cor. 16 *Si quis non amat dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, anathema ſit*, &c. Galat. 1. *Si quis vobis euangelizauerit aliud præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Cur igitur quod nullus eorum, qui poteſtatem acceperunt, vel facere, vel declarare auſus fuit, tu facere audes, planè aduerſarius mortis dominicæ, & præoccupans iudicium regis? Vultis diſcere qualia de hoc ſanctus quidam dixerit, qui & apoſtolorũ temporibus martyrium meruit? Monſtraturus huius verbi grauitatem, tali vtebatur exemplo: ſicut priuatus homo, regiam ſibi ipſi purpuram circumponens, vnà cum omnibus qui ſe iuuant, punitur vt tyrannus: ita & qui dominicam ſententiam fert, & hominem facit anathema eccleſiæ, abducit ſeipſum in extremam perniciem, vſurpando dignitatem filij Dei. Sic ille dicebat: Putatiſne hanc parui momenti rem eſſe, ante iudicem iudiciſque tempus aliquem eiuſmodi ſententia condemnare? Anathema enim omnibus modis à Chriſto ſeparat. Ad hæc quid reſpondent illi malitia potentes? Hæreticus, aiunt, ille factus eſt, inhabitantem habet diabolum, aduerſus Deum iniuſtitiam loquitur, multos in profundum perditionis abducit eloquentiæ ſuæ efficaci ſuadela & deceptione. Sanè propter hoc à patribus eiectus eſt, maximè quia eius magiſter quoq; partem eccleſiæ abſtulit, Paulinũ, vel Appollinarem deſignando. Sanè de ſingulorum iſtorum diſcrimine, ſermo multis bene nouitatem refutauit, errorem in pernicioſiſſimæ præſumptionis penetralibus inualuiſſe redarguens. Doce, ait, in lenitate, erudiẽs eos qui obſiſtunt, *ſi quando det eis Deus pœnitentiam ad*

A *agnoſcendam veritatem, vt reſipiſcant à diaboli laqueo capti in voluntatem illius.* Extende ſagenam charitatis, vt non ſubuertatur claudicans, ſed potius ſanetur. Oſtende, quòd magna affectione bonum proprium cupias facere commune. Affer dulcẽ eſcam compaſſionis in hamo, & ſic ſcrutare profunda, atque ex imo perditionis extrahe eum qui ſenſu deſcenderat, vt & quod opinabatur, & quod ignorabat, bonum exiſtimaret. Erudi ſicut alienum ab apoſtolica traditione, & ſi quidem hoc boni conſulere voluerit homo qui prius errore infectus erat, iuxta vocem prophetæ, & ille viuet vita, & tu animam tuam liberabis: ſi autem reſpuit ſermonem, vtpote contentioſus, tu conteſtare ne reus fias, tantum cum longanimitate & ſuauitate, vt ne animam eius de manu tua iudex requirat. Ne odio habeas, ne auerſeris, ne perſequaris, ſed ſynceram & veram erga eum oſtende charitatem. Vt interim etiamſi aliud nullum, certè hoc feras lucri, & magna eſt

B hæc vtilitas, egregiumque lucrum quod diligis, & ſimul doctrinam Chriſti doces. *In hoc enim*, ait, *cognoſcent, quòd mei ſitis diſcipuli, ſi charitatem habueritis inuicem.* Ioan. 13. Qua abſente nihil proderit vel ſcientia myſteriorum Dei, vel fides, vel prophetia, vel paupertas, vel confeſſio Chriſti: id quod & Paulus ipſe demonſtrauit, dicens: 1. Cor. 13 *Si tenuero myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & fidem, ita vt etiam montes dimoueam, charitatem autem non habuero*, nullam inde vtilitatem capio. *Et ſi linguis angelorũ loquar, & ſi impertitus fuero omnes facultates meas, & ſi tradam corpus meum, ita vt comburar, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Charitas ſuauis eſt, non inflatur, non quærit quæ ſua ſunt: omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Dilecti, nullus ex vobis taliter erga Chriſtum fuit affectus, qualiter iſta ſancta anima. Nullus hominum talia verba præter illum loqui auſus fuiſſet. Nam anima eius ambure-

C batur, cùm diceret: Coloſſ 1. *Adimpleo afflictiones Chriſti in carne mea quæ reliqua.* &, Rom. 9. *Precabar ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis.* &, 2.Cor. 11 *Quis infirmatur, & non infirmor ego?* cumque tanta erga Chriſtum affectione præditus eſſet, non iniurias, non violentias, non anathemata cuipiam inferebat: & profectò, quaſi non eſſet is qui tot gentes, & integras ciuitates domino obtuliſſet: ſed quaſi humiliaretur, verberaretur, colaphis cæderetur, ridiculuſque eſſet omnibus, ita hæc curabat blandiendo, adhortando, obſecrando. Sic ſanè & apud Athenienſes ſibi patefecit introitum. Nam cùm inueniſſet omnes idolorum cultu inſanientes, non exprobrauit eis dicens: Impij eſtis vos, & planè omnis religionis expertes. Nõ dixit: Omnia vos diuino honore indignamini, Deum ipſum, vnicum & verum dominum & opificem vniuerſi, negatis. Sed quid? Obambulans, inquit, & conſiderans culturas veſtras, Act. 17. *inueni etiam aram inſcriptam, ignoto Deo. Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego vobis annuntio.* O miraculum! ô paterna viſ-

D cera! Piè colere dicit Græcos & idololatras, quamuis impiè colentes. Quare? quia vt pij & verè religioſi cultum ſuum perficiebant, Deum ſe colere putantes. Hoc & vobis perſuadete. Huius vos imitatores omnes fieri precor, atque vobiſcum & meipſum. Nam cùm dominus, qui prænouit quid vnuſquiſque noſtrum elegit, & qualis futurus eſt, hoc facit, vt bonitatem & magnificentiam ſuam comprobet: neque enim propter malos creationẽ intermiſit, ſed etiam illos communibus bonis locupletauit: quo pacto igitur tu ſecus facis, qui in eccleſia cum aliis accurris, & hoſtiã filij Dei perficis? Iſa. 42. Neſcitis quòd *calamum confractum non contriuit, & linum fumigans non extinxit?* Et quorſum hoc dictũ? audi: Iudam, & eos qui ſicut ille exciderant, tamdiu non abiecit, quouſque ſeipſum quiſque abductum errori mancipauit. Nónne & pro populi ignorantiis preces offerimus? Nónne præceptum habemus, vt pro inimicis, & qui nos oderunt & Matth. 5. perſequuntur, precemur? En quàm probè imple-

mus

Digitized by Google

mus miniſterium? en obſecro ordinatio non effert, non in ſublime extollit, non potentiam præſtat? Omnes eundem Spiritum accepimus, omnes in adoptionem filiorum vocati ſumus: quos autem probauit pater, eos fratribus in poteſtate ſeruire voluit. Eia miniſterium noſtrum curemus: obſecramus, & conteſtamur vos, vt à tanto malo deſiſtatis. Nam is quem tu anathematizare decreuiſti, vel viuit, & adhuc in mortali vita hac ſupereſt, vel mortuus eſt. Quòd ſi adhuc ſupereſt, impiè agis, qui eum qui à malo in bonum ſe vertere poteſt, crudeliter abſecas: ſin mortuus eſt, multò magis crudelis es. Curnam? Quia *domino ſuo ſtat vel cadit*, non iam ſub iure humano exiſtens. Et de eo quod occultatum reſeruarumque ſeculorũ iudici, pronuntiare tutum eſt ſolùm ei, qui menſuram ſcientiæ, & quantitatem fidei cognoſcit. Dic mihi obſecro, quî ſcis, quibúſnam verbis ſeſe accuſabit vel defendet ille in die quo Deus venturus eſt, vt iudicet occulta hominum? Profectò *inſcrutabilia ſunt iudicia, & inperueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini, vel quis eius conſiliarius fuit?* Dilecti, fortè nullus ex vobis baptiſmum ſe conſecutum putat, nullus iudicium aliquando futurum ſuſpicatur. Quid dico iudicium? ipſam noſtram mortem & egreſſum è corpore non cogitamus, adeò corda noſtra huius vitæ ſollicitudine & curis obbruteſcunt & deſipiunt. Obſecro, deſiſtite ab hoc malo. Ecce dico, & conteſtor coram Deo & electis angelis, hinc vobis in die iudicij magnum malum, & inextinguibilem ignem parari. Nam ſi in virginũ ordine eos, qui cum fulgida fide & morum honeſtate vixerunt, dominus qui omnium opera eorũ conſiderabit, ob miſericordiæ penuriã à thalamo arcebit: quomodo nos qui in omni luxu & crudelitate erga cognatos verſamur obliti Dei, ſalutem aſſequemur? Ea propter vos oro, ne vobis verba hæc mente excidant. Dogmata enim impia, & quæ ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet: hominibus autem parcendum, & pro ſalute ipſorum orandum. Det Deus omnes nos ita charitatis erga Deum & proximum eſſe ſtudioſos, implereque mandata domini, vt cum miſericordiæ oleo, & fulgidis lampadibus occurramus in die reſurrectionis ipſi ſuperno & cœleſti ſponſo, offerentes ei plurimos in gloria, quos noſtra compaſſione & pietate lucrifecimus: præſtante gratia & miſericordia ipſius vnigeniti filij Dei, cum quo patri ſit gloria ſimulque ſancto Spiritui, in ſecula, Amen.

Rom. 14.

Rom. 11.

Diui Ioannis Chryſoſtomi aduerſus Gentiles demonſtratio, quòd Chriſtus ſit Deus.

Totó hoc ſermone docet Chriſtum vere Deũ eſſe, & eius religionem verã quodtam mira ab Apoſtolis mũdo rudibus tot populis regibus & perſuaſa ſint.

QVONIAM librorum magnitudo, faſtidium parit mortalium pleriſque, qui vel ignaui domi reſident, vel immodicis huius vitæ curis implicantur, vel hebetudine & inſcitia præpediuntur: ideo operæpretium viſum, reſecare multiloquij remoramenta, & in arctum redigere varios prolixoſque patrum ſermones, vt ad inſtituti operis lectionem etiam plurimum deſides allecti, magnam promptitudinem & alacritatem præ ſe ferãt. Atque ea de cauſa orationem hanc nullis verborũ nominúmve fucis & lenociniis illuſtrabo: ſed huiuſmodi hominibus vtar, quæ & famulo, & ancillæ, & viduæ, & inſtitori, & agriculæ comprehenſibilia, captúque facilia ſint: & omnino periclitabor, vt quantum fieri poteſt, omiſſa prolixitate, appetitus & ſtudia excitem ſupinorũ oſcitantiúmque auditorum, quò & ad hæc noſtra facilè & abſque labore ingrediantur, & quæ apprehendunt fideliter memoria retineant. Primum autem cum gentibus nobis certamen ineundum. Dicet enim vtique gentilis: Vnde manifeſtum quòd Chriſtus eſt Deus? Ante omnia igitur hoc præſtruere oportet, & ſponte ſequentur alia omnia. At non à cœlo petenda demonſtratio, neque ab aliis id genus. Nam ſi ad gentilem dixero, creauit cœlum, vel terram, vel mare, non me feret: incredulus enim eſt. Si dixero, mortuum excitauit, cæcos curauit, dæmones fugauit: neque hoc accipiet. Denique ſi dixero, quòd regnum & ineffabilia bona promiſerit, hoc non ſolùm non credet, ſed & ridebit. Vnde igitur illum, maximè ſi idiota eſt, inſtituemus? Non aliunde quàm ab his quæ inter nos & illum confeſſa ſunt, & quæ in dubium reuocare nequit. Nam quòd cœlum fecit, & alia quæ dicebam, non ſuſtinebit vt ſibi nunc ſuadeantur. Quæ igitur ſunt quæ & ille feciſſe Chriſtum confitetur, & non contradicit? Quòd Chriſtianorum genus plantauit Chriſtus. Neutiquam enim contradicet, quòd omnes vndiquaque eccleſias orbis Chriſtus fundarit. Hinc faciemus demonſtrationem virtutis Chriſti, & oſtendemus ipſum Deum. Etenim nõ eſt puri hominis, in tantis rebus orbem terra marique tam breui tempore comprehendere, & tam abſurdis moribus præuentum, tantiſque malis irretitum liberare humanum genus, & non Romanos tantùm, ſed & Perſas, & omne (vt ſic dicam) barbarorum genus. Inſuper quòd hæc confecit nullis vſus armis, nullos faciens ſumptus, nullos mouens exercitus, nulla prælia committens, ſed per vndecim viros principio, ignobiles, viles, rudes, idiotas, pauperes, nudos, perſuaſit tot hominum tribubus: idque non præſentibus ſolùm, ſed & futuris. Quid? quot ſubuertit leges patrias, aboleuit conſuetudines inueteratas, euellit ſtirpes tanto tempore radicatas, & pro illis ſuas alias implantauit? Abduxit ab his in quæ propenſi eramus, & in ardua & difficilia induxit, cúmque hæc faceret, infeſtabantur & ſui ab omnibus, & crucem ipſe, genus mortis ignominioſiſſimum ſuſtinuit. Nihil hic contradicent, quòd crucifixus eſt & à Iudæis, quòd innumera ab illis paſſus, quòd quotidie prædicatio increſcit & floret: non hic ſolùm, ſed & apud Perſas, etiamnum dum ab illis oppugnatur. Etenim & inde multa ſunt martyrum examina, & qui ibi lupis feriores erant, accepta prædicatione ouibus manſuetiores euaſere, núncque de immortalitate & reſurrectione, & ineffabilibus bonis diſſerunt. Neque in ciuitates ſolas, ſed in ſolitudinem vſque peruaſerunt hæc præclara facinora, & in pagos, & in regiones, & in inſulas, & in portus, ac nauium ſtationes. Nec priuati & principes tantùm, ſed & ipſi reges qui diademata ferunt, inſigni fide crucifixo ſe ſubmittunt. Ad hæc, non ſimpliciter contigerunt iſta omnia, ſed multò antea prædicta ſunt: atque adeò vt ne ſermo ſuſpectus ſit, libros habemus à Iudæis, qui illum crucifixerunt, & ipſorum teſtimoniis, & ex libris quos illi cuſtodiũt, noſtra probamus, è quibus etiã nunc nonnulla proferemus. Primò omnium quòd Deus exiſtens, homo futurus erat, dicit Hieremias: *Hic Deus noſter non conferetur alius ad illum, inuenit omnem viã ſcientiæ, & dedit ipſam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Poſt hac in terra viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Vides quomodo omnia paucis verbis declarauit, nempe quòd Deus exiſtens, homo factus eſt, & quòd etiam veterem legem ipſe condidit? Inuenit enim, inquit, omnem viam ſcientiæ, & dedit ipſam Iacob puero ſuo, & Iſraël dilecto ſuo. Ecce declarat his, quòd & ante ſuum in carnem aduentum omnia ipſe diſpenſarit, & omnia ipſe fecerit, legem ſtatuens, prouidens quoque, curans & benefaciens. Alius propheta non ſolùm quòd homo futurus, ſed & quòd è virgine naſcendus erat, dicit, quem audi. *Ecce* inquit, *virgo in vtero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel*: quod ſi interpretetur quis, ſonat, *nobiſcum Deus*, Deinde oſtendit, quòd non apparenter, ſed verè homo ſit, adiecit enim dicens: *Butyrum & mel comedet*. Mos enim

Baruc. 3.

Eſa. 7.

Math. 1.

Eſa. 7.

eſt, vt his cibis peculiariter paſcantur pueri mox vt nati fuerint. Et declarans quòd non putus homo, Ibidem. iterum addit dicens, *Propter quod priuſquam ſciat puer bonum vel malum, bene ſciet à malo ſeligere bonum.* Et quòd non ſolùm homo ex virgine, ſed & quòd ex domo Dauid futurus, audi quomodo & hoc multò antea prædicit Eſaias, figuralibus verbis & tranſ- Ibid. 11. latione viſus multa, prædicit tamen: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & quieſcet ſuper eum Spiritus Dei, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus cõſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis: Spiritus timoris Dei implebit ipſum.* Nam Ieſſe ille pater fuit Dauid. Manifeſtum igitur, quòd à tribu illa, & non ſolùm à tribu illa, ſed & à domo illa proceſſurus erat. Et hoc prædixit, dicens: Egredietur virga de radice Ieſſe, non de virga loquens, ſed de Chriſto & regno eius. Quòd non de virga dixerit, cõſequentia declarant. Nam cùm dixiſſet: *Egredietur virga:* adiecit, *quieſcet ſuper eum Spiritus ſapientiæ & intellectus.* Nullus autem tam inſipiens, qui dicat, quòd ſuper lignus veniat Spiritus gratia, ſed manifeſtum quòd ſuper immaculatum illud templum: & non dixit, veniet: ſed, ſuper eum quieſcet: quia vt venit, man- Matth. 3. ſit, & non diſceſſit. Hoc etiam Euangeliſta dixit: *Ego vidi Spiritum deſcendentem ſicut columbam, & manſit ſuper eum.* Neque ſiluit Iudaicam ſententiam, quam oſtenderunt ipſo nato. Nam Euangeliſta ſic dicit: Ibid. 2. *Vt Herodes audiuit, turbatus eſt, & omnis Hieruſalem cum eo.* At propheta, audi quomodo & hoc multò antè Iſa. 9. prædicens annuntiarit: *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius magni conſilij angelus, admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, potens, princeps pacis, pater futuri ſeculi.* Hoc de puro homine nemo dicit, etiam qui valde contentioſus. Nam nullus hominũ vnquam etiam ab ipſo ſeculo dictus eſt Deus fortis, ſicut neque pater futuri ſeculi, neque princeps pacis huius. Nam pacis ſuæ, ait, non eſt terminus. Et manifeſtat rerum euentus, quòd pax in omnem intrauit terram, & in mare, in orbem habitabilem & inhabitabilem, & in montes, & colles, & valles à die illa, à qua Chriſtus incipiens dixit: Ioan. 14. *Pacem meam do vobis, non ſicut mundus dat pacem.* Hominũ enim pax ſtatim diſſoluitur, & varias habet viciſſitudines. Verùm quæ à Chriſto datur, ſtabilis eſt, imò firma, ſolida, immortalis, fine carens, licet millia bellorum vndequaque ingruant, & quotidie millia inſidiarum parentur: attamen omnipotens ſermo ſuus etiam hanc perficit, & conſeruat. Non ſolùm autem prædixerunt futurum hominem, ſed & modum aduentus eius. Nam affuturus erat non iacens vel fulmina, vel fulgetra è ſupernis, nec concutiens terram, nec rotans cœlum, nec alia id genus prodigia operans: ſed abſque ſtrepitu, & ita abſque tumultu & turbatione, vt nemo perſentiſceret. In domo enim fabri natus eſt, in domo ignobili & vili. Audi, quomodo neque illud propheta prædi- Pſal. 71. cendo tacuerit, dicit enim: *Deſcendet ſicut pluuia in vellus,* quibus aduentus illius tranquillus, & quietus ſignatur. Neque hoc contentus, declarauit etiam quàm manſuetè & ſuauiter cum hominibus conuerſaturus eſſet. Nam cum iniuriis afficeretur, opprobraretur, conſpueretur, flagellaretur, & denique cruci affigeretur, nullum vltus eſt talia facientem: ſed tulit omnia ſapienter, & æquo animo, cõtumelias, inſidias, inſaniam & furorem importunę illius plebis. Quod etiam ipſum manifeſtans ſcriptura, ſic dicit: Eſaiæ 42 *Calamum contritum non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec educat in veritatem iudicium, & in ipſo gentes ſperabunt.* Et alius locum, in quo Matth. 2. naſcendus erat, indicat, dicens: *Et tu Bethlehem in terra Iuda, nequaquam es minima in principibus Iuda: ex te enim egredietur dux, qui reget populum meum Iſraël, & exitus eius* Mich. 5. *ab initio à diebus ſeculi.* En diuinitatem & humanitatem indicat. Nam dum dicit, *& exitus eius ab initio, & à diebus ſeculi,* ſubſtantiam declarauit, quæ ante ſecula fuit. Cùm autem dicit: *Egredietur dux, qui reget populum*

A *meum Iſraël:* natiuitatem ſecundùm carnem docet. Vide autem iterum & aliam prophetam refulgentem. Non ſolùm enim quòd naſcendus ſit, ſed & quòd nobilis ille locus futurus, tametſi vilis & paruus. Nequaquam enim, inquit, minima eris in ducibus Iuda. Nam omnis orbis Bethlehem confluit, vbi natus poſitus eſt: & nobilis factus eſt locus ille non alia de cauſa, quàm hac ſola. Item & tempus quo affuturus erat, manifeſtauit, ſic di- Gen. 49. cens: *Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex lumbis eius, donec veniat cui repoſitum eſt: & ipſe erit expectatio gentium, ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem pullum aſinæ ſuæ: lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ palliũ ſuum: iucundiores oculi eius vino, albiores dentes eius lacte.* Vides & hoc vaticinium congruere? Nam tunc comparuit, cùm iam deficerent principes Iudaici, & ſceptris Romanorum ſubderentur: & impleta eſt prophetia, quæ dicit: Non deficiet princeps à Iuda, neq; dux à lumbis eius, donec veniat: Chri- B ſtum dicens. Nam ſimul vt natus eſt, & deſcriptio prima facta eſt, imperantibus videlicet Romanis Iudæorum genti, & eam ſub virtutem ſuam agentibus. Deinde aſſignatur & aliud: *Et ipſe erit exſpectatio gentium.* Aduentu enim ſuo gentes omnes attraxit. Herodes Chriſtum inquiſiturus erat, & interempturus propter eum omnes qui ibi erant pueros: & neque hoc ſiluerunt prophetæ, ſed multis antea temporibus prædixerunt dicentes: *Vox in Rhama audita eſt, luctus & fletus, & clamor multus:* Hier. 31. *Rachel plorabat filios ſuos, & conſolari noluit, eò quòd non erãt.* Rediturus erat ex Ægypto, & hoc ſignificauerunt vates: *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Erat in locis in- Oſee 11. ſignibus manifeſtandus, vbi ſtatim ſigna faceret ac doceret, & ipſum prædictum eſt, propter quod Eſaias dicebat: *Regio Zabulon, terra Nephthalim, populus* Eſa. 9. *qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnam: ſedenti in tenebris & vmbra mortis, lux orta eſt eis.* Quibus manifeſtat C aduentum illius. Doctrinam quoque & cogitationem, quam à miraculis illius acceperint, enerrat: & deinceps alia miracula ſubiungit, quomodo claudos curarit, quomodo cæcos ſanos, & quomodo balbos expeditè loqui fecerit. *Tunc aperientur,* in- Ibid. 35. quit, *oculi cæcorum, & aures ſurdorum audient, tunc ſaltabit quaſi ceruus claudus,* & clara erit vox inexpeditè loquentium: quod ſcilicet nunquam factum eſt, quàm in aduentu illius. Signorum item aliquorum etiam ſpeciatim meminerunt. Ingreſſo enim aliquando in templũ, pueri adhuc ab vbere pendentes, & inexpeditam habentes linguam, cecinerunt in illum hymnos, ſic dicentes: *O ſanna in excelſis, benedictus qui venit in nomine domini.* Hoc multò antea Matth. 21 prædixerat propheta, ſic dicens: *Ex ore infantium &* Pſal. 8. *lactentium perfeciſti laudem, dum deſtruis inimicum & vltorem,* hoc eſt, Iudaicum populum: contra quem pugnabat natura, & opificem prædicabat, fungebaturque apoſtolico munere innocens ætas, nec- D dum loqui valens. Porrò quòd nonnunquam diſputando cum Iudæis, ob ingratitudinem eorum, pleraque ænigmatis & parabolis adumbraturus eſſet, prædictum etiam iſtuc ipſum antea fuit: *Lo-* Pſal. 77. *quar enim, inquit, propoſitiones à fundatione mundi, eructabo occulta ab initio.* Quin & ſapientiam eius in concionando propheta prædixit, inquiens: *Diffuſa eſt gratia* Ibid. 44. *in labiis tuis.* Et alius iterum: *Ecce intelliget puer meus,* Eſa. 28. *& exaltabitur, & glorificabitur, & valde ſublimis erit.* Præterea aduentus ſui inſignia facta cum miraculis, quaſi in ſumma enarrat idem. *Spiritus, ait, domini ſu-* Ibid. 61. *per me, cuius gratia vnxit me: vt euangelizem pauperibus miſit me, vt prædicem captiuis remiſſionem, & cæcis viſum.* At quòd Iudæi tanta beneficia in ſe conferentem, quem nec in paruo, nec in magno arguere poterant, ſine omni cauſa auerſaturi eſſent, audi Dauid dicentem: *Impugnauerunt me gratis, cum oſoribus pacis* Pſal. 119. *eram pacificus.* Erat aſino aliquando ciuitatem ingreſſurus: hoc etiam ipſum olim eſt prædictum, Zacharia ſic dicente: *Gaude valde filia Sion, prædica* Zacha. 2.

Digitized by Google

A
filia Hieruſalem: Ecce rex tuus venit manſuetus, aſcendens ſuper ſubiugalem, & pullum nouum. Eiecit vendentes columbas & nummularios, faciens hoc zelo domus Dei, & oſtendens quòd non ſit contrarius Deo, idem ſentiendo quod pater: vnde & iuſte vindicabat, quia facta erat domus patris, domus negotiationis. Cui rei conſcius propheta, mentem qua faciebat, prædixit in hunc modum:
Pſal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me.* Quid hoc euidentiùs dici potuit? Tradendus erat à participe menſæ ſuæ, proditorem agente. Vide, quomodo & illum reuelauerit propheta?
Ibid. 40. *Qui comedit*, ait, *panem meum, magnificauit ſuper me calcaneum.* Conſidera item, quàm
Marc. 14. conſonet euangelium: *Qui intinxit*, ait, *mecum manum ſuam in catinum, ille me tradet.* Erat autem illum traditurus non ſimpliciter, ſed vendens ſanguinem pretioſum, & pro illo pecuniam accipiens: &
B
neque hoc obticuit propheta demonſtrans conſona, & impudentia illorum conſilia, ac ſermones
Matt. 26. quos inter ſe conferebant. Nam ille dicebat: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam?* Iſti verò reſpondebant: *Triginta argenteos.* In ænigmate dicit: *Os peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt.* Proditor ille damnans ſeipſum ob peccata quæ fecerat, argenteos abiecit, & ad laqueum currens vitam finiuit, fecitque vxorem ſuam viduam, & filios orphanos, & domum deſertam. Vide ergo quomodo & hanc tragicam calamitatem propheta annuntiat,
Pſal. 108. dicens: *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* Commoueantur, vſquequo eiiciantur à ſcrutantibus domus eorum. Et poſt illum factus eſt apoſtolus quidam Matthias, & iſtuc ipſum etiam præcinuit,
Ibidem. dicens: *Epiſcopatum eius accipiat alter.* Tradito Ieſu, & comprehenſo voluntariè, coactum eſt concilium iniquitate plenum, conuenientibus Iudæis & gentibus. Vides quomodo etiam hoc prædixerit pro-
C
Ibidem 2. pheta, dicens: *Quare fremuerunt gentes, & populi: vſque, Abiiciamus à nobis iugum ipſorum.* Quæ vox eſt eadem, cum illa quam clamauerunt cum Pilato dicente:
Ioan. 19. *Regem veſtrum crucifigam?* reſponderunt: *Nos regem non habemus, niſi Cæſarem.* Ad hæc quoque prædixerunt & multos alios ſermones & accuſationes, quos interim miſcebant. Silebat Ieſus, & ſilentium
Eſaiæ 53. quoque Eſaias dixit: *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus coram tondente mutus, ſic non aperuit os ſuum.* Poſtea corruptam ſententiam monſtrans,
Ibidem. *In humilitate ſua iudicium illius ſublatum eſt*, ait: hoc eſt, nullus illi iuſta iudicauit. Poſtea & cauſam cædis dicit. Nam ſuorum peccatorum gratia non eſt paſſus quæ paſſus eſt, immaculatus enim & innoxius erat, ſed pro mundi malis traditus eſt. Vide
Ibidem. quomodo duo hæc aperuit, cùm dixit: *Peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius.* Cuius ergo gratia occiſus eſt? pro iniquitatibus populi ad mortem venit. Quid lucri à cruce & morte illa?
D
Bona quibus nunc gaudemus, peccati interitus, vulnerum animæ emendatio, cura & medicina mirabilis ac rara. Quod & ipſum quomodo prædicat, vide, dicit enim:
Ibidem. *Omnes ſicut oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam aberrauit, & diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, liuore eius nos curati ſumus.* Ad hæc & Iudæi pœnas daturi erant pro flagitiis ſuis. Vide
Ibidem. quomodo hoc manifeſtauit, dicens: *Dabo malos pro ſepultura eius, diuites pro morte eius.* Quod Dauid cùm dixiſſet, *Abiiciamus à nobis iugum ipſorum*, adii-
Pſal. 2. cit: *Qui habitat in cœlis irridebit eos: tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.* Quibus ſignificat diſperſionem eorum in omnes gentes in to-
Lucæ 19. to orbe. Quod & in Euangeliis declarans, dicebat: *Eos autem qui me ſuper ſe regnare nolebant, adducite huc, & occidite eos ante me.* Præterea, qui prænuntiauerunt mortem, neque mortis genus ſiluerunt,
Pſal. 21. ſic dicentes: *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Inſuper & aliam poſt crucifixionem iniquitatem non tacuerunt, dicen-
Ibidem. tes: *Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam*

miſerunt ſortem. Conſequenter ſepeliendus erat: quod ſic manifeſtatum: *Poſuerunt me in lacu inferiori,* Pſal. 87.
in tenebris, & in vmbra mortis. Funeris quoque pompam non tranſierunt ſilentio: nempe, quòd mulieres attulerunt myrrham, guttam, & caſiam, audi quid dicat propheta: *Myrrham, & guttam, & ca-* Pſal. 44.
ſiam à veſtimentis tuis, ex quibus lætificauerunt te filiæ regum in honore tuo. Reſurrecturus erat, vide quomodo & hoc prædixerunt: *Non derelinques*, ait, *animam* Pſal. 15.
meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Aliis autem verbis Eſaias idem hoc demonſtrat, dicens: Et dominus vult ipſum purificare à plaga, oſtendere ei lumen, iuſtificare iuſtum, qui bene multis ſeruierat. Quòd eius occiſio fuerit multorum peccatorum humanorum ſolutio, Peccata, dicit, multorum ipſe tulit. Quòd à dæmonibus liberauit homines: Et diuiſit, ait, ſpolia fortis: per mortem enim hoc fecit: & ea cauſa in mortem tradita eſt anima eius. Et qui præficiendus erat toti orbi, addit: Et ipſe hæreditate poſſeſſurus multos. Inſuper deſcendit in infernum, omnes diſturbauit, & tumultu turbationeque impleta, arcem deſtruxit: audi de hoc in inferioribus tumultuantes, & dicentes: *Tollite portas principes veſtras, &* Pſal. 23.
eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ. Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus virtutum, ipſe eſt rex gloriæ. Et Eſaias iterum: *Portas æneas confringam, & vectes ferreos conteram, & aperiam tibi theſauros obtenebratos,* Eſa. 45.
& inuiſibiles oſtendam tibi. Infernum ſic vocat. Nam quamuis infernus eſſet, animas tamen tenebat ſanctas, & vaſa pretioſa, Abraham, Iſaac, & Iacob. Propter quod theſauros vocat: obtenebratos autem, quia nondum ſol iuſtitiæ ibi fulſerat, neque de reſurrectione ſermones prædicarat. Iam quòd non manſurus in terris poſt reſurrectionem, ſed aſcenſurus eſſet, hoc quoque nobis manifeſtauit, dicendo: *Aſcendit Deus in iubilatione, & dominus in voce tubæ.* Per Pſal. 46.
iubilationem & tubam, clara eius aſcenſio docetur. At quòd aſcenſurus ipſe, non ſtatutus eſſet cum angelis, neque cum archangelis, neque cum aliis adminiſtratoriis virtutibus, ſed ſeſſurus ſuper ſedem regiam, audi quid dicat: *Dixit dominus domino meo,*
ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Poſt hæc miſſurus erat apoſtolos, & Pſal. 109.
hoc prædixerunt, dicentes: *Quàm ſpecioſi pedes annuntiantium pacem, annuntiantium bona.* En quantum laudat Eſaiæ 52.
corporis partem pedes, qui illos vndequaque ferebant. Sub hæc, commemorat quomodo præualuerint apoſtoli, dicit enim: *Dominus dabit verbum euan-* Pſal. 67.
geliʐantibus virtute multa. Non enim mouerunt arma, neque expenderunt pecunias, neque robore corporis, neque exercituum multitudine, neque aliquo tali vſi ſunt: ſed verbo ſimplici, & multam habente virtutem, ac miraculorum oſtenſione. Crucifixum enim prædicantes, & miracula facientes, totum orbem ſibi ſubiecerunt, & propterea dicit: *Dabit virtutem euangeliʐantibus virtute multa:* miracula ſignificans. Etenim mira virtus erat, piſcatorem, publicanum, pellionem, nudis præceptis mortuos ſuſcitare, dæmones expellere, mortem abigere, philoſophorum linguam mutam facere, rhetorum ora conſtringere, apud principes ac reges verſari, Barbaris, Græcis, & omni hominum generi imperare. Nam omnia hæc verbo illi perfecerunt, & virtute multa mortuos in viuos mutauerunt, peccatores in iuſtos, cæcos in videntes, & mortuos naturæ, ac malitia animæ expulerunt. Dein, quòd virtus hæc eis à Spiritu ſancto affuerit, declararunt, cùm dicunt: Spiritu impleti ſunt, prophetaruntque viri ac mulieres. Quòd autem in linguis igneis ſuper eos conſedit, Ioel Ioel 2.
multò antea prædixit, inquiens: *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ: & adoleſcentes veſtri viſiones videbunt, priuſquam veniat dies domini magnus:* futurum illum prædicens: nam nec hunc ſiluit. Poſtea declarans fide ſalutem conſtare, dicit: *Et erit, omnis qui inuocauerit no-*

men domini, ſaluus erit. Nec ſolum habemus quod illi mittendi erant, ſed etiam quòd in totum orbem peruenire debeat prædicatio, ita vt nulla pars eſſet in qua non audietur. Pſal. 18. *In omnem terram*, ait, *exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Ad hæc, quòd cum authoritate prædicarint, & in regibus potentiores fuerint, docet inquiens: Ibidem. *Conſtitues eos principes in omni terra*. Quòd autem regibus maiores ſint Petrus & Paulus, declarauit euentus. Nam regum leges, etiam ipſis viuentibus irritantur: at piſcatorum illorum, etiam mortuis ipſis ratæ ſunt, & immobiles manent: licet multis legibus, animaduerſionibus, armis, ſuppliciis, argutiis, verborum eloquentia, cognationibus, amicitiis, dæmonibus, diabolo, conſuetudinibus, malis moribus, voluptatibus, & infinitis aliis refringere plurimi conati ſint. Et quia illi conſtituti principes, etiam deſiderabiliores ſint ſubditis, non ſicut multi principes, terribiles, moleſti, & atroces: ideo ſubdit, dicens: B Pſal. 44. *Propterea populi confitebuntur tibi in ſeculum*: hoc eſt, gratias dicent tibi, gratias multas tibi offerent, quod tales principes dediſti. Et quòd prædicatio vbique increſcat, audi: Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuam terminos terræ*. Et iterũ alicubi: Eſaiæ 11. *Implebitur omnis terra ſcientia domini, ſicut aqua multa quæ operit mare*. Et facilitas obedientiæ docetur: Ierem. 31. *Non docebit*, ait, *vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum dicens: Cognoſce dominum: quia omnes cognoſcent me à minimo illorum vſque ad maximum illorum*. Indiſciſſa eccleſia manifeſtatur: Eſaiæ 2. *In nouiſsimis diebus inſignis erit mons domini, præparatus in vertice montium, & exaltabitur ſuper omnes colles, & venient ad eum omnes populi, & gentes multæ*. Et quòd non ſolùm firma, & ſolida, & immobilis, ſed quòd & multa orbi pace præſidebit. Et interibunt principatus multorum in ciuitatibus, & monarchiæ, vnum autem quoddam regnum propagabitur, & abundantius erit pace; non ſicut prius. C Nam priſca illa regna, & doloſi rhetores, & armati milites parauerunt: Chriſto autem adueniente, omnia illa diſſoluta ſunt, & bella in partẽ ſeorſum conceſſerunt. Hoc enim docens propheta, dicebat: Ibidem. *Et confringent gladios ſuos in vomeres, & lanceas in falces, & non accipiet gens contra gentem gladium, & non diſcent bellum*. Nam prius in illis omnes exercebantur, nunc & artis eius obliti ſunt, imò plures eius neque initium guſtarunt. Si autem ſunt quædam bella, quid hoc ad crebra illa & continua, cùm gens contra gentem inſurgeret? Deinde & vnde conſtituta ſit eccleſia, prædicit. Nam non ſolùm benigni & manſueti, & ſuaues homines, ſed & feri, & inhumani inter ſeipſos, & lupi, & leones, & tauri moribus colligendi erant: è quibus omnibus vna fiebat eccleſia. Audi quomodo armenti illius varietatem Eſaiæ 11. declarans propheta dicit: *Tunc paſcetur ſimul lupus cum agno*, quo frugalem vitam regum indicat. Quòd autem non de feris hæc ſonant, vt fortè dixerit Iudæus, quando hoc factum eſt dicat, nunquam lupus agno compaſcuus fuit. D Aut ſi ſimul paſcetur, quid hoc humano generi proderit? Sed hoc ad feros & agreſtes homines pertinet, Scythas, Thraces, Mauros, Indos, Sauromatas, Perſas, quia gentes illæ omnes ſub vno iugo erunt. Id quod & alius quidam Sopho. 2. propheta manifeſtius dicebat: *Et ſeruient ei ſub iugo vno, & adorabit eum vnuſquiſque à loco ſuo*. Non vltra Hieroſolymis ſolùm, ſed in toto orbe: neque vltra dicetur hominibus, vt Hieroſolymas adeant, ſed vnuſquiſque domi manens, cultum illum perficiet. Erant eiiciendi Iudæi, audi quomodo & hoc prædixit propheta: Malac. 1. *Ecce & in vobis concludentur ianua, & non accenditis altare meum gratis*. Et mihi quidem ſeruiunt, ait, ab Oriente ſolis vſque ad Occidentem. *Nomen meum glorificabitur in gentibus, & in omni loco ſacrificium mihi offertur, & hoſtia pura*. Vides quomodo cultus nobilitatem manifeſtauit, quomodo excellentiam & immutationem eius, quòd non in loco, ſed modo: non in nidore & fumo, ſed in alio cultu noſtra erunt miniſteria. Et quomodo illos, dicet quiſpiam, attraxerunt apoſtoli? Qui non niſi vnam linguam habebant, nempe Iudaicam: quomodo Scytham, & Indum, & Sauromatam, & Thracem docebant? Acceperant à Spiritu ſancto gratis multiiugarum linguarum dona. Et hoc quoque non apoſtoli ſolùm ſuum dicunt, ſed & prophetæ ſimul duo hæc declarantes, ſcilicet, quòd varietatem linguarum acceperint apoſtoli, & quòd neque hoc attraxerit Iudæos. In variis linguis, & in labiis aliis loquar populo huic, & neque ſic audient me, dicit dominus. Quid hoc manifeſtius vidit aliquis? Erãt Iudæi increduli futuri, & gentes ad fidem adſciſcendæ. Hoc Eſaias declarans manifeſtat: *Inuentus ſum ab his qui me non quærunt, manifeſtatus ſum his qui me non inquirunt. Dixi: Ecce ego ſum ad gentem, quæ non inuocauit nomen meum: ad Iſraël expandi tota die manus meas, ad populum incredulum, & contradicentem*. Eſaiæ 65. Et iterum: *Annuntiamus coram eo vt puer, & ſicut radix in terra ſitienti. Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium domini cui reuelatum eſt?* Ibid. 53. Et non dixit, doctrinæ noſtræ: ſed auditui noſtro: vbi oſtendit, quòd non proprium aliquid loquuntur, ſed ea ipſa adminiſtrarſint, quæ audierunt à Deo. Et quòd noſtra Iudaicis præferenda magiſque colenda ſint: vide quomodo prædicit propheta: Irritabo vos in non gente, in gente inſipienti irritabo vos. Prioris populi vtilitatem ſignat in hoc, quòd dicit, in non gente: non enim gens putabatur eſſe, ob vilitatem nimiam, ob ſtultitiam, ob inſipientiam. Sed mutatio hæc fide facta eſt, vt noſtra gens nunc multò dignior appareat, quàm iſta fuit olim. Vide etiam quomodo declarauit hoc ægrè laturos Iudæos, & inde irritatos futuros meliores: dicit enim: Irritabo vos in non gente: hoc eſt, tanta dabo ipſi bona, vt æmulatione corripiamini, & mordeamini. In hoc meliores facti ſunt: nam cùm audirent Moſem, & prophetarum ſigna viderent, mare diuiſum, petras ſciſſas, aërem mutatum, aliaque prodigia, filios ſacrificabant, & initiabant Beelphegor, magicæque vacabant arti. At vbi nos ad fidem acceſſimus, longeque venerabiliores apparuerunt res noſtræ, quàm illorum, & ipſi zelotypia laborarunt, & humiliati ſunt, & ita meliores facti quàm dum à prophetis erudirentur, & prodigia viderent. Nam ex æmulatione noſtri rectè ſe gerunt: nullus enim ipſorum vel pueros nunc immolat, vel ad idola currit, vel vitulum adorat. Virginitatis decor apud veteres neque nominabatur, in noua autem lege fulſurus erat. Vide quomodo in hoc prædixit Dauid: *Afferentur regi virgines poſt eam, afferentur in templum regis*. Pſal. 44. Et neque ipſum ſacerdotum nomen obticuit, epiſcoporum nomen dico. Conſtituam enim principes tuos in pace, dicit, & epiſcopos tuos in iuſtitia. Veniet vt iudex rationem exacturus ab hominum genere, & cumprimis à Iudæis. Vide quomodo hoc prędicit & Dauid & Malachias. Malachias enim ſic Malac. 3. dicit: *Et veniet ſicut ventilabrum, ſicut herba fullonum, & purgabit argentum & aurum*, iuxta dictum Pauli, *Dies declarabit, quia in igne reuelabitur*. 1. Cor. 3. At Dauid ſecundũ eius aduentum prædicãs, *Deus manifeſtè veniet*, dicit: Pſal. 49. Nam prior eius aduentus multæ miſericordiæ eſt, ſecundus autem non item: ſed aderit è cœlis ipſis, angelorum multitudine vndique effuſa, aduentuque ſuo ad ſimilitudinem fulguris omnia comprehendente. Nam *vt fulgur egrediens in Oriente, etiam in Occidente videtur, ita erit aduẽtus filij hominis*. Lucæ 17. Quo declaratur eius claritas, & quòd ſemetipſum annuntiet: nullo enim præcone opus habebit: quod propheta docens, dicebat: *Dominus manifeſtè veniet*. Pſal. 49. Deinde iudicium adducens futurum, ſic inquit: Ibidem. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida*. Dixit ſupplicia, dicit & fulgorem: Ibidem. *Aduocabit cœlũ deſurſum, & terram, vt diſcernat populum ſuum*. Terram hic omne hominũ genus dicit, deinde cum omni hominum genere & Iudæos iungit. Nam ad ipſos pertinet:

Ibidem.

Congregate illi omnes ſanctos eius, quia Deus iudex eſt. Aduentu ſuo cultum victimarum reiecturus erat, vt ne amplius ille acceptus eſſet, ſed noſtrum illud ſacrificium admitteretur. Accipe quomodo & hoc prædictum ſit:

Pſal. 39.

Sacrificium & oblationem noluiſti, corpus autẽ perfeciſti mihi. Nam per corpus, & obedientiam noſtram inſtituturus erat cultum nouum: ideoque dicit, corpus autem perfeciſti mihi. quod & alibi manifeſtans dicebat:

Pſal. 17.

Populus quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, non videns mare ſciſſum, non petram ruptã, ſed audiens meos apoſtolos. Et vbi corpus perfeciſti mihi, tunc dixi: ecce venio.

Pſal. 39.

In capite libri ſcriptum eſt de me. Duo autem hæc manifeſtauit, & quòd affuturus ſit tunc, quando ceſſabunt ſacrificia: quod & factum principatu Iudæorum ad Romanos transeunte, & quòd de aduentu ſuo antequam adueniret, prædictum ſit. Quomodo autem ſcriptum de eo quòd aderit, diximus,

Baruch 3. Deut. 18.

quod Baruch dicit, *In terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.* Dicit autem & Moſes ſic: *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus de fratribus noſtris: ſicut me ipſum audietis: & erit, omnis anima quæ prophetam illum non audierit, exterminabitur de populo ſuo.* Vides hoc in nullo impletũ, quàm in hoc ſolo. Etenim multi prophetæ ſurrexerunt, & omnes parum auditi ſunt, attamen propterea Iudæi nihil ſunt paſſi. Hunc autem quia non audierunt, vagantur erratici, fugitiui & exules, oberrantes vbique, excluſi à ſua ciuitate, & à paternis legibus & conſuetudinibus, in ignominia & vltionis pœna. Quæ ſub Veſpaſiano & Tito ſunt paſſi, iam dicere non vacat: ita omnem calamitatem excedit ea tragœdia. Et impletum eſt propheticum illud: Omnis qui non audierit prophetam illum, exterminabitur. Propter hæc omnia, quæ illorum fuerunt, in ſolitudinem redacta, quia prophetam illum non audierunt.

Eſaie 26.

Quòd ſuſcitabit omnes, prædictum eſt cùm dicunt: *Reſurgent mortui, & euigilabunt qui in monumentis.* Ros enim paradiſi medicina ipſis eſt. Quòd poſt crucem, poſt mortem res Chriſti clariores futuræ, & quòd poſt reſurrectionem prædicatio Chriſti inualitura eſſet, ſimiliter prædictum.

Matt. 14.

Nam poſtquam orauit in Olíueto, proditus eſt à diſcipulo, conſputus eſt, conuitia audiuit, flagellatus eſt, crucifixus eſt, & irriſus quantum illi volebant, neque ſepulturam obtinuit: veſtes eius diuiſerunt carnifices: in mala opinione vitam finiuit, vt blaſphemus, vt tyrannus.

Ioan. 19.

Nam omnis *qui ſeipſum facit regem,* dicebant, *non eſt amicus Cæſaris.* Et iterum: *Ecce audiſtis quod blaſphemus eſt.* Erantque hæc omnia antea ſignificanda. Ne timueris horũ gratiã, quòd crucifixus, quòd flagellatus, quòd colaphis cæſus, quòd conſputus, quòd à latronibus conuitiis inceſſitus, quòd tyrannidis & blaſphemiæ nomine occiſus. Ita ſe habebunt res eius poſt mortem & reſurrectionem, vt nemo contradicat, quin ſummo honore antecellat. Hoc certè & factum eſt, & prædictum, quod & propheta prædicebat, inquiens:

Eſa. 11.

Erit radix Ieſſe, & qui exurgat vt regat gentes, in ipſo gentes ſperabunt. Et erit quies eius honor. Hoc autem mortis genus diademate quouis glorioſius eſt. Nam reges poſitis diadematis, crucem ſuſcipiunt, mortis ſymbolum. In purpuris crux, in diadematis crux, in precibus crux, in armis crux, & in menſa ſacra crux, & in toto orbe crux, & ſuper ſolem fulget crux. Et erit requies eius, honor: licet diuerſo modo in rebus humanis contingere ſolet. Nam cùm hi qui hic in magna gloria, rebuſque florentibus agunt, moriuntur, pereunt cum eis ſimul alia omnia: id quod non ſolùm in diuite, ſed & in principe, atque adeò id & in regibus ipſis quis videt. Nam leges eorum irritantur, ſtatuæ obſcurantur, memoria extinguitur, nomen eorum in obliuionem venit, à cognatis deſpiciuntur. Et licet pridem mouerint arma, concitarint ſeditiones populorum & vrbium, reuocauerint proſcriptos, occiderint dominos, ſimul tamen conciderunt hæc omnia, quamuis glorioſa prius fue-

A

Ioan. 18.

rint. At ſecus in cruce euenit. Ante crucem in luctu res erant, Iudas prodidit, Petrus negauit, reliqui profugerunt, Ieſus ſolus inter amicos comprehenſus eſt, multi qui crediderant, retrorſum abierunt. Cæterùm vbi occiſus eſt, & mortuus, vt diſcas quòd non ſit purus homo, non ſolùm res eius non interciderunt, ſed multò clariores illuſtrioreſque & ſublimiores ſunt redditæ. Nam ante crucem præcipuus apoſtolorum, neque oſtiariæ minas tulit, & poſt tantam eruditionem aiebat ſe neſcire quis eſſet. At poſt crucem, orbis ad fidem acceſſit, & infiniti martyrum populi occiſi, malentes mori, quàm dicere; quòd præcipuus ille apoſtolorum formidans vnius oſtiariæ minas. In omni regione, omni ciuitate & ſolitudine, & parte orbis, quæ habitationi accommoda, & quæ non accommoda, prædicamus crucifixum. Et reges & principes, & milite, & præ-

B

ſides, & ſerui & liberi, & idiotæ, & ſapientes, & inſipientes, & barbari, & reliqua hominum genera, ac terræ omnes quas ſol ſpectat, ad hoc nomẽ currunt, vt adorent: vt diſcas quid ſit, Et requies eius honor. Et locus quidem quo corpus hoc poſitum breuis erat, & valde anguſtus: anguſtior tamen & venerabilior mille regum palatiis, imo etiam regibus ipſis, Et erit requies eius honor. Non in ipſo tantùm, ſed & in diſcipulis ſuis hoc contigit. Nam quid ducebantur circunducebantur, qui contempti erant & vincti, qui innumera patiebantur dum viuebant: vbi defuncti ſunt, regibus ipſis erant magis venerabiles: etiam Romæ, quæ vrbium eſt regaliſſima, relictis omnibus, ad ſepulchra piſcatoris & pellionis currunt & reges, & præſides, & milites. Et in Conſtantinopoli reges noſtri magnam gratiam putant, non ſi prope Apoſtolos, ſed ſi vel extra eorum veſtibula corpora ſua ſepeliantur, fiàtque piſcatorum oſtiarij reges. Neque hinc in

C

morte cõfunduntur, ſed honeſtantur & ipſi, & eorum nepotes, & pronepotes. Et erit requies eius honor. Quale autem ſymbolum huius mortis? Signum erat mortis maledictæ, mortis omnium defamatiſſimæ. Hoc enim ſolum mortis genus maledictioni obnoxium fuit. Vt exempli gratia quid dicã, qui olim peccabant, comburebantur, lapidabantur, & aliis modis vitã finiebant, vt ſupplicijs tantùm: Crucifixus autem, & in ligno ſuſpenſus, non ſolùm hoc ferebat, vt graue aliquod ſupplicium, cui adiudicatus erat, ſed & vt maledictum quoddam.

Deut. 21.

Nam, *maledictus omnis,* dicit, *qui pendet in ligno.* Verùntamen hoc maledictum, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum, crux, diadematibus & coronis clarius factum eſt.

Crucifixi & crucis vis apud Chriſtianos.

Neque enim ſic regia corona ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior, & quam omnes prius abhorrebant, eius figuram tantopere quærunt: atque adeò vbique ea

D

inuenitur apud principes, apud ſubditos, apud mulieres, apud viros, apud virgines, apud nuptas, apud ſeruos, apud liberos: ſubinde omnes ea ſe ſignant, inſcribendo in nobiliſſimum membrum noſtrum. In fronte enim noſtra quaſi in colũna quotidie figuratur. Sic in ſacra menſa, ſic in ſacerdotum ordinationibus, ſic iterum cum corpore Chriſti in myſticis cœnis fulget. Hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in viis, in montibus, in collibus, in vallibus, in mari, in nauigiis & inſulis, in lectis, in veſtibus, in armis, in thalamis, in ſympoſiis, in vaſis argenteis, in aureis, in margaritis, in murorum picturis, in corporibus brutis malè affectis, in corporibus à dæmoniis obſeſſis, in bellis, in pace, in diebus, in noctibus, in delicatorum choreis, in monachorum ordinibus: adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira eſt hæc gratia, nullus confunditur, nullus erubeſcit, cogitans quòd maledictæ mortis ſymbolum fuerit: ſed omnes ipſo magis ornantur, quàm diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus. Et non

Digitized by Google

ſolùm non fugitur, ſed & deſideratur & adamatur,
& omnes de ea ſolliciti ſunt, & vbique fulget, &
ſparſa eſt in parietibus domorũ, in culminibus, in
libris,in ciuitatibus, in vicis,in locis quæ habitan-
tur,& quæ non habitantur. Vellem audire à paga-
no, vnde ſymbolum tam maledictæ mortis ac ſup-
plicij omnibus tam deſiderabile, ſi nõ magna cru-
cifixi virtus? Quòd ſi nihil hoc eſſe putas, ſed ad-
huc impudens manes,& veritati te opponis, & ad
lumen cæcutis:ex alio argumento diſce,quale hoc
ſit,& quantæ virtutis.Sunt lictoribus multa tormẽ-
torum genera, ligna, lora, vngues,plumbum qui-
bus torquent corpora, & membra dilacerant, &
diſtrahunt:& quiſnam vellet hæc in domum ſuam
inferre? quis vellet manu contingere? vel quis
vellet ad carnifices,dum hæc agunt, propius acce-
dere vt videat? An non plures ita abominantur, vt
neque aſpectum; neque tactum ſuſtineant, aliqui
nauſeant, & inauſpicatum cenſent, proculque fu-
giunt, & oculis àuerſantur? Tale quippiam vtique
& crux olim erat, atque illis multò grauior, vt ſu-
prà memini.Nam non mortis tantùm, ſed & male-
dictæ mortis ſymbolum erat. Vnde ergo, dic mihi
omnibus tantum eius ſtudium & cura, quòd ita de-
ſiderata cunctis,& omnibus deſiderabilior? Ipſum
ergo hoc lignum, in quo poſitum ſanctum cor-
pus domini, & crucifixum, quarẽnam habere to-
tus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex
illo habent,hoc auro includãt,tam viri,quàm mu-
lieres, & ceruicibus ſuis aptant, hinc valde hone-
ſtati,& magnifici,muniti,& protecti,licet condem-
nationem fuerit lignũ? Sed qui omnia operatur &
præparat, qui orbem terrarũ à peccato tanto trãſ-
fert,& terram cœlum facit, etiam rem hanc, licet
contemptam,& omnibus mortibus turpiorem, ſu-
pra cœlos eleuauit. Hæc igitur omnia præuidens
Propheta,dicebat: Et erit requies eius,honor. Hoc
enim mortis ſymbolum (non deſiſto idem ſæpe
commemorare)multæ benedictionis argumentum
eſt factum, & omnigenæ ſecuritatis murus,tempe-
ſtiua diaboli plaga,demonum frænum,chamus cõ-
trariarum virtutum. Hoc mortem ſuſtulit, hoc in-
ferni æreas portas confregit, hoc ferreos vectes
contriuit, diaboli arcem expugnauit, peccati ner-
uos execuit, totum orbem condemnationi ſubie-
ctum eripuit,plagam à Deo immiſſam aduerſus na-
turam noſtram remiſit: quæque non potuit mare
cum diuideretur,& petræ cùm rumperentur,& aër
cum mutaretur, & manna quod quadraginta annis
tot millibus dabatur, & lex, & alia ſigna, tam in e-
remo, quàm in Palæſtina facta:ea potuit crux, non
in vna gente, ſed in toto orbe, & in omnibus quas
ſol aſpectat terris. Crux maledicti ſymbolum,quod
omnes fugiebãt, quod omnes deprecabatur, quod
probroſiſſimum dicebant omnes, tantum ac tale
poſt crucifixi mortem robur accepit. Diſce ergo,
quanta eius ſit virtus,quomodo ſine bello & omnia
facilè operetur: non ſolùm autem hæc, ſed & præ-
ter hæc & alia oſtendunt eius virtutem. Orbem e-
nim, cùm eſſet ſterilis, & infœcundus in ſermone
virtutis,& non meliùs ſe haberet ad hoc, vt aliquid
boni pariat, quàm terra ſolitaria, vel infœcunda
mulier: fecit matrem multorum filiorum, & para-
diſum frugiferam. Et hoc quoque antea prædictum
Eſa. 54. à propheta ſic dicente: *Lætare ſterilis, quæ non paris: iu-
bila & clama, quæ non parturis: quia plures ſunt filij ſterilis,
quàm habentis virum*. Et quòd talem eum fecerit, de-
deritque ei & legem, ſed priore multò præſtantio-
Hier. 31. rem, minimè obticuerunt prophetæ, dicentes: *Diſ-
ponam teſtamentum nouum, non ſicut diſpoſui patribus eorum
in die qua manum eorum apprehendi, educendo ipſos è terra
Aegypti: quia ipſi non manſerunt in teſtamento meo, & ego
neglexi eos, dicit dominus. Quia hoc eſt teſtamentum quod
diſponam eis: dabo enim leges meas in mente eorum, & in cor-
de eorum inſcribam eas*. Præterea illam magnam muta-
tionem, eruditionemque facillimam declarans

A prædicebat. Et non docebit vnuſquiſque proxi-
mum ſuum, dicens: cognoſce dominum, quia om-
nes ſcient me à minimo ipſorum vſque ad maxi-
mum. Iam etiam hoc ipſum quod daturus eſſet &
remiſſionem peccatorum, omnibus ad ſe venien-
tibus, prædixit Propheta,ſic dicens: Hoc erit ipſis
à me teſtamentum,quia auferam iniquitates eorũ,
& iniquitatum eorum non ero memor amplius.
Quid hoc manifeſtius? quid dilucidius? Vocatur
lex noua, veterem expellit: facilè credentes inſti-
tuũtur, danturque in baptiſmate gratia & donum.
Porrò qui hæc fecit, idem aderit, & poſt hæc iudi-
cauit: ſed vide quomodo nec hoc ſilentio tranſie-
rint. Nam eorum aliqui viderunt ipſum in habitu
quo venturus eſt: alij per verba ipſum prædixe-
runt. Nam Daniel quidem in medio Babylonis, & Dan. 7.
inter Barbaros, vidit ipſum in nubibus ſedentem.
B *Ecce* enim, ait, *quia filius hominis venit, & peruenit vſque
ad antiquum dierum, & ei oblatus eſt omnis principatus, om-
nes populi, tribus & linguæ ei ſeruiunt*. Et de tribunali eius
ſubdit, dicens: *Throni poſiti ſunt, & libri aperti ſunt, & flu-
uius ignis exiit ante eum, mille millia miniſtrabant ei, & de-
cem millia aſſiſtebant ei*. Et quòd per ignem erit hoc Malach. 3.
iudicium: *Ingredietur*, ait Malachias, *ſicut ignis con-
flans, & ſicut herba fullonum*. Sed quòd boni magno ho-
nore tunc perfruentur, ac de reſurrectione gau- Dan. 12.
debunt, inquit idem Daniel: *Reſurgent qui in puluere
ſedent*. Vidiſti diligentiam Prophetarum, quomodo
ventura omnia prædixerunt? Quomodo ergo ad-
huc in incredulitate perſtas, cùm tantam virtutis
eius demonſtrationem acceperis? Verba ante hæc
tempora prædicta ſunt, & opera verbis ſuccedere
vides conſona, & omnino prætermiſſum nihil. At
quòd non ſint figmenta, teſtantur hi qui libros &
primum acceperunt,& conſeruant, inimici noſtri,
& à crucifixoribus progeniti. Et quomodo hoc, di-
cet quis, quòd habentes libros non credunt? Ecce
C viderunt tunc operantem miracula, & non credi-
derunt: ſed hoc non arguit id quod non creditur,
ſed eos magis qui in meridie cæcutiunt. Nam &
hunc mundum in medium propoſuit, opus bonis
proportionibus vndique benè conſtitutum, & vo-
ces vndequaque miſſas, quæ annuntient opificem.
Et ſunt homines aliqui, qui dicere audent omnia
fortuita, & per ſe mota: alij non eſſe facta quæ vi-
dentur, alij opificiũ & conditionem, ac prouiden-
tiã dæmonibus aſcribunt: alij fortunæ, & natiuita-
ti,& fato,& ſtellarũ circumferentiæ. Neque hæc in
opificẽ cadit reprehenſio, ſed in eos potius, qui in-
ter tot remedia adhuc extremis laborant morbis.
Nam ita cõtingit, vt anima prudẽs ſi videt aliquid
quo ſibi opus, nõ multis ad hoc egeat adiumentis:
imprudens autẽ, & ſtupida, & quæ multis antea lã-
guet affectionibus, cæcutiẽs maneat etiã quanticũ-
que illi contingãt manuductores. Vide vt hoc ſem-
per & vbique eueniſt, nõ in hoc argumento dunta-
xat. Nam quot ſunt, qui nullis vnquã auditis legi-
D bus, honeſtè ac legitimè vixerũt, cùm interim qui-
dã à pueritia enutriti legibus, vſq; ad ſenectã, nũ-
quam trãſgredi illas ceſſarũt? Hæc & apud veteres
contigerũt. Nã Iudæi, licet ſigna & miracula pluri-
ma haberẽt, nunquã tamẽ per ea meliores euaſere.
Niniuitæ vna tantùm voce audita, vitã mutarunt, à Ionæ 3.
peccatis liberati. Hoc etiã videre licet nõ in nobi-
libus tãtùm viris. Nã Iudas quãta doctrina admo-
nitus, factus eſt proditor? latro autẽ qua admonitio-
ne incitatus, in cruce Chriſtũ confeſſus eſt, & eius
regnũ prædicauit? De rebus igitur, nõ à peruerſis
cõſilia quære, ſed à rerum veritate calculũ iuſſum
affer apud rectè volentes. Non crediderunt Iudæi,
& crediderũt multi ex gẽtibus, quod & ipſũ à Pro- Pſal. 17.
phetis nõ eſt prætermiſſũ ſilentio. Dicit enim. *Filij
alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicã-
uerunt à ſemitis ſuis*. Et Eſaias: *Domine quis credidit auditui* Eſa. 53.
noſtro, & brachium domini cui reuelatum eſt? Et iterũ: *In-* Ibid. 65.
uentus ſum ab his qui me quærũt, notus factus ſum his qui me nõ

inter-

Digitized by Google

interrogant? Et in hoc Chriſti aduentu crediderunt Chananæi & Samaritana mulier: ſacerdotes autem & principes eum impugnauerunt, & ei inſidiati ſunt, & alios abegerunt, & è ſynagogis credentes in eum eiecerunt. Non vtique rara hæc fuerint, nam & vita noſtra plena huiuſcemodi exẽplis eſt: quę & partim noſtro tempore, partim ſuperioribus ſeculis acciderunt. Nihilominus licet non omnes, tamen etiam ex Iudæis & nunc, & olim multi credidere. Quòd autem non omnes, nihil nouum, nihilque admirabile. In cauſa enim eſt, quòd alium inſipientia, alium verò incogitans, vel affectionibus peſſundata mens perdit. Cæterùm quia prophetias quæ de Chriſto, multò ante ſua tempora prædictas tractauimus, agè in medium afferamus, quæ etiam ipſe in terris ambulans, cúmque hominibus conuerſans, de futuris dixit, vt & inde eius potentiam ac virtutem diſcas. Igitur cùm adeſſet, B noſtræque ſalutis ageret negotium, variis modis id egit, & quantum ad illos qui tunc viuebant, & quãtum ad poſteros attinebat. Et quid facit? Miracula operatur, prædicit nonnulla longis poſtea temporibus euentura. Et per ea quæ tunc fiebant, veritatem eorum quæ poſt multum tempus ventura exponit, fidem faciens auditoribus tam præſentibus quàm ſecuturis, & ex dictis ſuis quæ tunc implebãtur, & miraculis quæ fiebant: atque hac duplici demonſtratione ſermones fide digniores erant. Nam duplicia prædicere ſolebat; ea videlicet quæ in præſenti vita, & quæ poſt conſummationem & mortem euentura: & confirmabant hæc ſe mutuũ, omniaque verè dicta monſtrabantur. Et vide quid dicam: nam ſermo parum dilucidus eſt, vnde & dilucidiorem ipſum facere tentabo. Duodecim erant diſcipuli ſequentes ipſum, & Eccleſiam referebant, quamuis nullus tunc eam mente conciperet: C ſiquidem nec nomen Eccleſiæ erat, ſed florebat ſynagoga. Quid igitur dicit? Orbe fermè toto in impietate detento, prædixit: *Super petram hanc ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* (*Matt. 16.*) Examina quid hoc ſibi verbum vult, & videbis perſpicuam eius veritatem. Nam non ſolum hoc mirum eſt, quòd ædificauit eam per totum mundum, ſed quia inuictam fecit, & inuictam, licet tot bella inſurgant. Hoc enim eſt quòd *portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* (*Matt. 16.*) Pericula, ait, quæ mortem generant, pericula quæ ad infernum deducunt. Vidiſti prædictionis veritatem? vidiſti euentus certitudinem ac robur? vidiſti verba in operibus relucentia, & virtutem abſque armis omnia facilè conficientem? Ne ideò quia paucis dicitur, Ædificabo eccleſiam, tranſcurras obiter: ſed conſidera & cogita tecum; quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos D perſuaderi, vt patrias leges irritent, conſuetudinem ſtabilitam & radicatam reuellant, altaria & templa, & ſtatuas & ſacrificia, & profana feſta, & immundum odorem, ſicut ſimum aliquem aboleant: & excitent altaria vbique gentium in regione Romanorum, Perſarum, Scytharũ, Maurorum, Indorum, & vltra orbem noſtrum. Nam & Britannicæ inſulæ extra hoc mare ſitæ, & quæ in ipſo Oceano ſunt, virtutem verbi ſenſerunt (ſunt enim etiam illic fundatæ eccleſiæ, & erecta altaria.) Illius, inquam, verbi, quod tunc dictum, quod & in omnium animabus, inque omnium labiis plantatum. Vnde & omnis (vt dicitur) terra ſpinis plena, repurgata, factuſque purus ager, ſemina pietatis ſuſcepit. Magna res foret, & excellenter magnæ diuinæque virtutis, etiamſi nemo interturbaret, eſſetque pax ſumma, & multis ſimul adnitentibus, & reluctante nullo, poſſe intra tam breue tempus totum orbem à conſuetudine ſua mala, qua præoccupatus fuit, liberari, & ad aliam induci. Verùm hoc multò maius, quòd non ſolùm in aliam indu-

A citur, ſed in multò difficiliorem: non ſolùm enim diuerſa conſuetudo erat, ſed & voluptate firmata. Duo violenta. Quæ enim acceperat à patribus, auis, & proauis, aliiſque ſuperioribus & progenitoribus, & philoſophis, & rhetoribus, ea reſpuere docebatur, quod ſanè difficillimum erat: at difficilius nouam accipere conſuetudinem quæ nuper irrepſerat, illamque valde laborioſam. Abduxit enim Chriſtus à voluptate, & induxit ad ieiunium: abduxit ab amore opum, & induxit ad amorem paupertatis: abduxit à luxu, & induxit ad temperantiam: abduxit ab ira, induxit ad manſuetudinem: abduxit ab inuidia, & induxit ad benignitatem: abduxit à via lata & ſpatioſa, & induxit in anguſtam, & arctam, & præruptam, & induxit aſſuetos viæ latæ. Neque enim alios homines extra huius mundi conſuetudinem viuentes aſſumpſit, ſed B illos ipſos qui in talibus vitiis computruerant, & luto molliores erant, iuſſit vt anguſtam & arctam viam, aſperamque illam & duram ambularent. Et perſuaſit eis. Quot autem perſuaſit? Non duobus, vel decem, vel viginti, vel centum, ſed omnibus fermè ſub ſole habitantibus. Et per quos perſuaſit? Per viros vndecim illiteratos, priuatos, ineloquẽtes, obſcuros, pauperes, patria, facultatibus, robore corporis, præcellentia gloriæ, dignitate progenitorum, vehementia rhetorices, eminentia ſcientiæ carentes: per piſcatores, per pelliones, per barbaros. Neque enim eadem illis & auditoribus vox, ſed extraneum planè & peregrinum ſermonem à linguis eorum, quibus prædicabant, ſortiti erant. Hebraicum dico. Atque per hoſce ædificauit Eccleſiam hanc, quæ à finibus vſque ad fines extenta eſt. Neque hoc ſolum mirabile, quòd priuati, & pauperes illi, & parui, & ignobiles, & illiterati, & viles, & exotici ſermonis, & contemptibiles, totius C orbis correctionem attentarunt: ſed & quòd ad longè difficiliora opera ipſum ducere iuſſi, non hoc in pace fecerunt, ſed infinitis bellis hinc inde excitatis. Nam in vnaquaque gente & ciuitate, & quid dico, gente & ciuitate? in ſingulis domibus gerebatur bellum. Radicata enim hæc doctrina, & puerum ſæpe à patre diuiſit, & nuptam à ſocru, & fratrem à fratre, & ſeruum à domino, & ſubditum à principe, & virum à muliere, & patrem à pueris (neque enim ſimul omnes crediderunt.) Ad hæc, quotidianas inimicitias; continua bella, multaſque ipſis mortes attulit. Et fecit, vt Apoſtolos quaſi communes hoſtes & inimicos plerique auerſarentur, abigerentque eos à ſe omnes reges, principes, priuati, liberi, ſerui, populi, vrbes: & non ſolum ipſos, ſed & (quod grauius) nouitios in fide, & eos qui ab ipſis inſtruebantur. Eodem enim bello premebantur & diſcipuli, & magiſtri. Videbatur e- D nim doctrina hæc contraria præceptis regiis, & conſuetudini, & patriis moribus: quandoquidem adhortabantur ab idolis abſtinendum eſſe, deſpectui habenda altaria, quæ patres progenitoreſque ipſorum coluerant: deſiſtendum à profanis præceptis, ridendas ſolennitates, reſpuenda ſacrifici[illegible] quæ illis maximè horribilia & formidabilia [illegible] bantur, pro quibus & animas potius expo[illegible] cre- quàm vt eligerẽt ea quæ ab illis diceb[illegible] ductũ ad derent in natum ex Maria, & cruci[illegible] alia paſſum, tribunal præſidis, conſputũ, & [illegible], q[illegible] ſepultus, & eum qui mortẽ maledictã [illegible]ſione[illegible] [illegible]ertinebant, quiq; reſurrexit. Et quæ [illegible]pote fla[illegible]lla, colaphi, omnibus manifeſta er[illegible] probra, q[illegible] omnes in eũ alapæ, ſputa, crux, i[illegible] quæ parti[illegible] beneficij loco iactabant: & ſep[illegible] non item: n[illegible] rergens ſolis erat: at reſurr[illegible] [illegible]aruit: veruntam[illegible] & [illegible] dicendo diſcipulis a[illegible] ædific[illegible]runt. Quo perſuaſe[illegible], ſicque Eccle[illegible] [illegible] tute eius [illegible]: Ille e- pacto [illegible] qua ratione? [illegible] faciebat, reddens [illegible]m facilia nim præuius om[illegible] enim diuina quædam vis effecit- quæ dura. [illegible]

ſet, nequaquam hæc vel principium vel prælndiū
accepiſſent. Quo enim modo ille dixit, fiat cœ-
Geneſ. 1. lum, & monſtrauit opus: fundetur terra, & illius
ſubſtantia producta eſt: fulgeat ſol, & indicauit a-
ſtrum, omniaque verbo operatus eſt: eodem modo
idem & eccleſias illas plantauit. Et verbum hoc,
Matt. 16. *Aedificabo eccleſiam meam*, hæc omnia operatū eſt. Il-
la verba Dei condiderunt opera tam admirabilia,
& quæ nemo expectaſſet. Nam ſicut cum dixit:
Germinet terra herbam fœni: & omnia mox hor-
tus erant, & omnia pratum, terraque mandatum
ſuſcipiens, infinitis ornabatur plantis: Sic & nunc,
vbi dixit: Aedificabo eccleſiam meam: multa acce-
leratione facta eſt, etiam contra illam tyrannis ſe
armantibus, & militibus arma mouentibus, & po-
pulis plus valido igne inſanientibus, & obluctante
conſuetudine, etiam oratoribus, & ſophiſtis, & di-
uitibus, & principibus inſurgentibus, ſermo Dei
velut ignis validus adueniens ſpinas conſumpſit,
agros repurgauit, ſeminauit verbum prædicatio-
nis. Et licet hi qui crediderunt, in carceribus ſer-
uarentur, deſpecti eſſent, amitterent ſubſtantias,
occiderentur, traderentur igni, ſubmergerentur
aqua, & omne tormentorum genus ſuſtinerent
cum ſumma ignominia, & perſecutionem pateren-
tur vt hoſtes publici, plures tamen ſemper accreſ-
cebant: non ſolum nihil ex afflictionibus aliorum
facti ſegniores, ſed & multò alacriores, & ad pul-
chram hanc piſcationem aſſiliebant, ſicque à pi-
ſcatoribus capiebantur, non coacti, non vim paſſi,
ſed ſponte accurrentes, gratiamque habentes ad-
ducentibus. Et quamuis viderent fluere torrentes
ſanguinis credentium, feruentiores tamen redde-
bantur in fide, & fidentiores. Et non diſcipulis ſo-
lùm, ſed & magiſtris vinctis, fugatis, flagellatis, a-
liaque mille mala paſſis, diſcipuli plures fiebant:
Philip. 1. & magis ſtudioſi. Quare Paulus clamat, dicens,
Atque adeò *plures fratres freti in domino vinculis meis,
vt abundantius audeant impauidè ſermonem loqui.* Et alibi
1. Theſſ. 2. iterum: *Vos imitatores facti eſtis eccleſiarum Dei, quæ ſunt
in Iudæa: quia eadem paſsi eſtis, quæ & nos à cognatis pro-
priis, prohibentibus nos loqui gentibus vt ſaluentur.* Aliis
Hebr. 16. quoque ſcribens, ſic dicit: *Memores eſtote dierum pri-
ſtinorum, in quibus illuminati graue paſsionum certamen tu-
liſtis, ſcientes meliorem habere ſubſtantiam in cœlis, & ma-
nentem.* Vides virtutis excellentiam, quæ tanta o-
perata eſt? Nam qui tanta patiebantur, non ſolùm
non ægrè ferebant, vel deficiebant, ſed & gaude-
Act. 5. bant, geſtiebant, exultabant. Et de diſcipulis qui-
dem dicit, quòd publicationem ſubſtantiæ cum
voluptate acceperint: de magiſtris verò, quòd iue-
rint *à conſpectu concilij gaudentes*, vtpote *digni habiti pro
nomine Ieſu contumeliam pati.* At de ſeipſo ait: *Gaudeo in
Coloſſ. 1. afflictionibus meis, & adimpleo quod reliquum afflictionum
Chriſti in carne mea.* Et quid miraris, quòd in paſſio-
nibus gauiſus fuit, cùm & moriturus non ſolùm
gaudebat, ſed & diſcipulos ad communionem læti-
tiæ ſuæ vocabat, quod ſanè excellenter lætantis
Philip. 2. animæ erat: ſic enim ait: *Gaudeo & congratulor omni-
bus vobis, idipſum etiam vos gaudete & congratulamini mihi.*
Et quid factum eſt, dicito, quòd tanto gaudio im-
2. Tim. 4. *nis* ...r? *Ego* enim ait, *immolor, & tempus meæ reſolutio-*
ædific... Sic igitur ædificabant, Alioqui nullus
& calce ...teſt parietem vnum, quem lapidibus
etiam Eccle... ſi impediatur & fugetur: illi autem
licet ligare...tur toto orbe vbique extruxerunt,
tur, proſcrib...rent...ſecutionem ferrent, fugaren-
tentur, occide...entur, ...um bona, flagellis cæde-
rentur vnà...um diſcipulis, ...urerentur, ſubmerge-
pidibus, ſe anim...abus & inſtit... ædificabant, non la-
multò diſſilius, q...àm lapidibus ... : quod planè
enim par..., conſtru... ſenſibilem p...rietem, &
animæ ta... temporibus a ...monibus irr...tæ per-
ſuadere, ab inſania illa deſi... & ad tantam per-
ueniat temperantiam. Nihilominus ... poſue-

runt nudi illi, & calceis carentes, & vna veſte ami-
cti, perque vniuerſum orbem currentes. Habe-
bant enim adiutricem & commilitantem inuictam
Matt. 16. virtutem eius, qui dixerat: *Super petram hanc ædi-
ficabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt ad-
uerſus eam.* Numera quot tyranni ab illo tempore
aduerſus ipſam inſtruxerunt acies, quot grauiſſi-
mas perſecutiones mouerunt, quomodo toto prio-
re tempore, quando nouitia erat fides, & nuper
plantata, teneræque hominum mentes, gentiles
regnabant, Tiberius, Caius, Nero, Veſpaſianus &
Titus, & poſt illum omnes, vſque ad beati Con-
ſtantini tempora, & omnes illi, alij minus, alij ſæ-
uius infeſtabant eccleſiam, infeſtabant tamen om-
nes. Quòd ſi qui ipſorum viſi ſunt manſueti, hoc
ipſum quòd reges manifeſtè in impietate erant,
materia aliqua bellorum erat, cùm alij eis adula-
rentur, alij ſatagerent, vt aduerſus Eccleſiam bel-
la ſuſciperent. Veruntamen inſidiæ & machina-
tiones illæ omnes leuius quàm araneorum telæ diſ-
cerptæ ſunt. Et ea quibus nos inuadebant, & qui-
bus inſidiabantur, citius fumo diſſoluta, puluere
præterierunt infirmiora. Magnum enim nobis nu-
merum martyrum implerunt, immortaleſque illos
Eccleſiæ theſauros reliquerunt: & columnas, &
turres, & eos qui non ſolùm viuentes, ſed & mor-
tui poſteris magnæ vtilitatis materia facti ſunt.
Vides prædictionis robur? *Et portæ inferi non præua-
lebunt aduerſus eam.* Ab his & de futuris crede, quòd
nullus obſiſtet. Si enim cum ex paucis conſtaret,
& nouæ ſectæ opus eſſe videretur, nouaque habe-
retur doctrina, ac tot bella, tot pugnæ vbique com-
mitterentur; non præualuerunt, neque obſtite-
runt: multò magis cum vniuerſum orbem, & om-
nem locum, & montes, & colles, & valles, & ter-
ram, & mare, & gentes omnes quæ ſub cœlo ſunt,
comprehenderit. Parum eſt, quidquid reliquum
eſt impietatis, præſertim ſublatis templis, altaribus,
idolis, omnibuſque feſtis & ſacrificiis, & fumo, &
nidore, & profanis conuentibus. Quo pacto ergò
tale atque tantum negotium, tot munitum obſtacu-
lis, finem habere potuiſſet, tam clarum veritati ex-
itium teſtificantem, niſi diuina quædam & inuicta
virtus fuiſſet, quæ & hæc prædixiſſet, & perfeciſ-
ſet? Nullus vtique his contradixerit, niſi quis val-
de inſanus, & totus ſtupidus ſit, naturæque ſenſu
priuatus. At non hæc tantum, ſed & cæteræ eius
prophetiæ, & alia, inuictam eius potentiam teſtan-
tur. Nam futura veriſſimè prædixit, & ad finem
fœliciſſimè perduxit. Adeoque impoſſibile eſt, vt
intercidat vel vnum verborum quod ab eo dictum,
imò citius peribit cœlum & terra, quàm aliquod
verbum in prophetia falsò dictum coargui poſſit.
Propter quod & ipſe antequam res fieret, hoc ip-
ſum declarans, de dictis ſuis ita manifeſtè affirma-
uit: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſi- Matth. 24.
bunt.* Et meritò: nam licet verba ſint, ſunt tamen
verba Dei, & per quæ res conduntur: ſic cœlum
fecit; ſic angelorum multitudines, ſic alias inuiſi-
biles poteſtates. Quod manifeſtum faciens Pro-
pheta dicebat: *Dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata
ſunt.* De omni ſimul creatura, tam quæ ſupra, quàm Pſal. 148.
quæ infra nos: tam ſenſibili, quàm intellectuali: tam
corporea, quàm incorporea, ea pronuntians. Indi-
cabat igitur, vt antea commemoraui, prophetia de
Eccleſia, magnitudinem, pondus & eminentiā ve-
ritatis, prudentiæ, bonitatis & curæ eius. Agè & aliā
eius prophetiam in manus accipiamus, quæ ſole &
radiis illius ſit clarior, quæ ante omnium oculos ſi-
ta, quæ in omnes ſubſecuturas generationes pro-
tendatur, ſicut & prior. Nam id genus ſunt multa
eius vaticinia: non conſummantur breui tempo-
re, neque in vna generatione complentur: ſed ad
omnes pertinent homines, tam ad eos qui ſunt,
quàm qui futuri ſunt poſt illos, & iterum ad illo-
rum poſteros, & eos qui illos quoque ſequentur: &

Digitized by Google

A ita vſque ad ſeculi conſummationem, omniaque docent veritatis illius fortitudinem, quēadmodum & prius vaticinium. Nam à die qua dictum eſt, cōſtat Eccleſia ſolida, & ſtabilis, ac inuicta, florens & fulgens, & indies magis ac magis vigens, creſcens, & plus roboris ſumens, & omnibus qui ab illo die vſque ad domini aduentum futuri ſunt, præſtans vt ſummos inde fructus, & ineffabilem vtilitatem capere queant. Nam & qui ante nos, & qui ante illos, & qui multò ſuperius fuere, cognouerunt eius virtutem, videntes eam vexari bellis, periculis, tumultibus, turbis, fluctibus & tempeſtatibus: & neque ſic ſubmergi, vinci, ſuperari, & extingui: ſed florere, creſcere, & extolli. Et hoc vaticiniū quod nunc dicturus ſum, tale eſt vt demonſtrare poſſit eius robur, ac dictorum veritatem. Et quænam prophetia illa? Ingreſſo aliquando Ieſu in templum **B** Iudaicum, florens tunc, & vndequaque fulgidum auro, conſpicuúmque tam pulchritudine, quàm magnitudine ædificiorum, ac alia omnifaria magnificentia, non ſolùm artificio, ſed & materia, admirantibuſque diſcipulis: quid inquit? Nónne videtis hæc omnia? *Amen dico vobis, non manebit lapis ſuper lapidem.* (Matth. 24) Eam ſubuerſionem ibidem declarans, deſolationem, interitum, ruinam, quæ nunc in Hieroſolymis: Omnia enim ædificia illa, quamuis fulgida & præclara, corruerunt. Vides in vtroque magnam & ineffabilem eius potentiam, in eo quod ſe colentes augebat & ædificabat, & in ſe impingētes humiliabat, deſtruebat, & radicitus euellebat. Nuſquā enim huic ſimile templum erat, & tam venerabile, & quod tanto cultu inſigne. Nam in toto orbe habitantes Iudæi, etiam in finibus terræ, illuc olim proficiſcebantur, dona & hoſtias, & oblationes, & primitias, & multa alia ferentes, orbiſque diuitiis templum ornabant: confluebant enim eò omnes ex **C** toto orbe aduenæ Iudæi, ita vt celeberrimum nomen loci eſſet, etiam in extremitatibus terræ. Sed vnum verbum Chriſti omnia illa obſcurauit & perdidit, & quaſi puluerē è medio eiecit. Et illuc olim neque Iudæis omnibus, neque ſacerdotibus omnibus, ſed vni ſoli ſummo ſacerdoti intrare licebat: & hoc ſemel tantum in anno, & cum ſtola, coronis, & mitra, alioque amictu ſacerdotali: nunc autem & meretricibus, & mollibus, & effœminatis, & mœchis ingredi licet, nec eſt qui prohibeat: Nam vt verbum illud aduenit, omnia euaneſcere fecit, & perdidit. Et tantæ ſolùm ſuperſunt templi reliquię, vt monſtrari queat olim ibi fuiſſe templum. Cogita ergo quantæ & hoc ſit virtutis. Nam hi qui olim tam potentes erant, vt ſe opponerent populis & regibus, & abſque ſanguine vbique hoſtibus præualerent, miros & inopinatos triumphos ſtatuentes, templū vnum ab illo die vſque in hodiernum **D** reædificare non valuerunt: quamuis tot tantique reges, & tanta multitudo in toto orbe diſperſa ipſos iuuarent, eſſentque ſibi tantæ opes. Vides quomodo quæcunq; ædificauerit, nullus deſtruet: & quæcunque deſtruxerit, nullus ædificabit? Ædificauit Eccleſiam, & nullus eam deſtruere poterit: deſtruxit templum, & nullus illud ædificare poterit, idque in tam longo tempore. Nam & illam deſtruere conati ſunt, & non potuerunt: & hoc ædificare attentauere, & nec idipſum potuerunt. Concedatur autem hoc, quod nullus dicere poterit, ſi attentaſſent, potuiſſent: ecce attentarunt, & nihil valuerunt. Enimuero rex, qui hac noſtra ætate omnes alios impietate præcellebat, & facultatem tunc dedit, & cooperatus eſt: & opus incipiebant, ſed nec in minimo profecerunt: nam ignis à fundamentis exiliens, omnes ipſos fugauit. Quòd autem voluerint, & hoc indicium eſt, quia vſque nunc manent fundamenta denudata: vt videas quòd attentarunt quidem effodere, non valuerunt autem extruere. Nam obſiſtebat eis hoc Chriſti verbum. Quamuis autem & olim deſtructum tem-

A plum illud, attamen vbi poſt ſeptuaginta annos redierunt, ſtatim excitatum eſt, fuitque priore multò præclarius. Et dicunt hoc Prophetæ, & prædicunt priuſquā factum. Nunc autem ſupra quadringenteſimum annum eſt, & nulla vel cogitatio vel expectatio eſt, ſed neque ſpes quòd inſtauretur. Et quid obſtabat, ſi non diuina virtus obluctata eſt? Non certè opum penuria, quarū multa illis copia, neque patriarcha, qui omnium vndequaque colligebat tributa, & immenſos theſauros poſſidebat: non raritas populi, non pudor, non lites, non inſcitia, non bella, non hi qui in Palæſtina, non in Phœnice, non alia multitudo. Quomodo ergo non potuerunt vnum templum extruere, præſertim videntes cultum ſuū alioquin vbique reſidere, quaſi ligatum, & Iudaicos ritus aboleri, & ſacrificia, & oblationes, & alia legitima auferri? imò non licebat **B** eis excitare vel templum vel altare aut ſacrificium offerre, aut immolare ouem, aut imponere thymiama, aut recitare legem, aut inſtituere feſta, aut aliud quiddam, quod vel in veſtibulis quondam agebant. Porrò cùm olim in Babylone eſſent, & cogebātur ab hoſtibus vt pſallerent, illis tamen non parebant: & licet ſerui & captiui eſſent, dominis tamen & imperatoribus non obediebant: ſed quia patriam & libertatem amiſerant, & periclitabantur de vita, in medio laqueorum & in manibus potentium derelicti, iuſſique canere canticum in organis, ſic dicebant: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, quando rogabant nos, qui captiuos duxerant nos.* (Pſal. 136) Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Neque quis dicere poterit quòd ob organorum penuriam, luctum faciebant: nam & ipſi cauſam poſuerant, dicentes: Quomodo cantabimus canticum domini in terra aliena? Nam in ſalicibus in medio eorum ſuſpendimus organa no- **C** ſtra. Sed neque ieiunium ieiunare licebat: & hoc declarans Propheta, dicebat: *Non ieiunabitis ieiunium mihi ſeptuaginta annis, dicit dominus.* (Eſa. 58.) Et quod neque immolare, neque ſacrificare eis ius erat, audi è tribus pueris dicentibus. *Non eſt princeps, neque propheta, neque dux, neque locus primitiarum coram te, vt inueniri queat miſericordia.* (Dan. 3.) Non dixit, non eſt ſacerdos: aderant enim ſacerdotes. Sed vt diſcas, quòd hoc totum illius loci erat, & omnia quæ à lege ſtatuta, tūc erant impedita, dixerunt non eſt locus. Et quid de ſacrificando & litando inquam, prorſus ipſam legem legere non licebat. Quod & alius Propheta citans, ait: *Et legerunt abſque libris legem, & induxerunt confeſſionem*: (Eſa 29.) non Paſcha, non Pentecoſten, non ſcenopegiam, neque aliud quicquam illorum. Attamen nunc vident, quòd ſolitudo eius loci ab his omnibus ſe excludat, & quòd attentauerunt quidem, ſed temeritatis pœnam luentes non potue- **D** runt locum in quo hæc omnia licebat legitimè operari, erigere & conſtruere. Nam virtus Chriſti, quæ ædificauit Eccleſiam, eadem & templum deſtruxit. Et prædixerunt prophetæ etiam hoc, quòd & aderit Chriſtus, & hæc operabitur. Et quidam poſt captiuitatem ſic dicebat: *Propter quod & in vobis concluduntur ianuæ, & non accenditur altare meum gratis: non eſt mihi voluntas in vobis. Quia ab Oriente Solis vſque ad Occidentem nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco ſacrificium offertur mihi, & oblatio pura.* (Malac. 1.) Vides quómodo manifeſtè & Iudaiſmum eiecit, Chriſtianiſmum monſtrauit effulgentem vbique in terra diffuſum, rationemque cultus ſignificauit? Alius iterum: *Et adorabit eum vnuſquiſque à loco ſuo, & ſeruient ei ſub iugo vno.* (Sopho. 3.) Alius quoq; ait: *Virgo Iſraël cecidit ſuper terram ſuam, non eſt qui erigat eam vltrà.* (Amos 5.) Et Daniel manifeſtè omnia hæc narrat, & quòd omnia auferētur, ſacrificiū & immolatio, & vnctio, & iudicium. Sed hæc omnia, quando cum Iudæis conferemus, manifeſtius & latius conſiderabimus. Iam autem in inſtituto itinere manentes, gentilium ſtultam contentionē redarguimus. Non tibi dixit mortuos

ſuſcitatos, non leproſos mundatos: vt ne dicas hęc, mendacia, figmenta & fabulas: quis vidit, quis audiuit? Et quamuis qui dixerunt, quòd crucifixus ſit à Iudæis, & conſputus & alapis cæſus, & colaphis: illi etiam hæc dixerunt: quomodo dignos fide putas in illis, in his verò arguis, quaſi dixerint non facta? & ſi ad gratiam magiſtri ſui hæc ſcripſiſſent, ſtultè & fruſtra iactaſſent, ſi non tacuiſſent, quæ multis ignominioſa & dura videntur. Nunc autem horum veritatẽ monſtrarunt hi qui in his maximè conuerſati ſunt, omniaque valde diligenter & magna copia tractarunt, neque paruũ, neque magnum prætermittendo, ſed in ſignis & miraculis plura tranſierunt: omnia autem quæ ad paſſionem attinent, & quæ contumelioſa videtur, ab omnibus dicta ſunt. Verum ego nihil horum tibi dixi, de ſignis & miraculis loquor, vt abundanter omnem impudentis linguæ furorem compeſcam. Sed in medium attuli ea quæ nunc apparẽt, & quæ nunc ante oculos ſita ſunt, quæ ſole clariora; quæ vbique in toto orbe diſperſa, quæ in toto orbe recepta factaque ſunt: ita vt humanam naturam tranſcendant, ſintque Dei ſolius. Quid dicis, non ſuſcitauit mortuos? An & hoc potes dicere, quòd Eccleſiæ non ſint per totum orbem, vel quòd non inſidias paſſæ, vel quòd non infeſtatæ, vel quòd non vicerint & obſtiterint? Sed ſicut dici non poteſt, quòd non ſit, ſolita nec hæc. Quid autem templi Iudaici ſubuerſionem dicam? Nõ vides ante totius orbis oculos hæc conſpicua? Quare non ipſe tecum expendis? Si non Deus eſſet Chriſtus, quomodo colentes illum, ſic aucti forent cum diuexarẽtur? At hi qui crucifixerunt illum, & impegerunt in petram, & ſic humiliati ſunt, vt & totam rempublicam perdiderint, ipſique vagi, errones & profugi obambulẽt, neque vllus ex eis in tanto tempore liberatus eſt: quamuis tunc tam potẽtes Iudæi illi fuerint, vt aduerſus Romanorum principatum bellum decreuerint, & arma mouerint, & longo tempore illis ſe oppoſuerint, etiam aliquando vicerint, & negotia fecerint non vulgaria Auguſtis: tanta ipſorũ potentia erat. Veruntamen qui cum tantis regibus bella geſſere, & in acie decertarunt, & opum tantam potentiam ac armorum & militum habuerunt, totque milites, ac foſſores, vnum non potuerunt extruere templum: ſed ſynagogas in omnibus ciuitatibus ædificant, locum autem à quo ſuæ reipublicæ dominium cœpit, & vbi omnia facere conſueuerunt, & vnde Iudaiſmus collectus eſt, illum ſolum reparare non potuerunt.

Diui Ioannis Chryſoſtomi contra Anomæos,

SERMO.

Declarat. in ſubditos affectum.

VNVM apud vos diem diſſerui, & inde tantum vos dilexi, quantum ſi ab initio vobiſcum eſſem educatus: tantum me vobis charitatis alligant vincula, quantum ſi plurimo tempore fructus dulciſſimæ conſuetudinis à vobis percepiſſem. Quod fit non quia ego admodum ad amicitiam & charitatem ſim idoneus, ſed quia vos deſiderabiles, omniumque maximè amabiles. Quis enim non admiraretur, & obſeruaret igneum zelum, charitatem abſque ſimulatione, beneuolentiam in præceptores, concordiam inter vos, quibus conſpicui eſtis? Sufficerent hæc & lapideam animam vobis conciliare. Et propterea non minus vos amamus, quàm Eccleſiam illam in qua nati, ſcripti, & eruditi ſumus. Soror enim illa huius veſtræ eſt, voſq; cognationem illam opere declaraſtis. Quamuis autem illa tempore ſit antiquior, hæc tamen fide feruentior eſt, & illic maior conuentus eſt ac celebrius theatrum, ſed hic maior patientia, maioriſque fortitudinis indicium. Nam video vndequaque hic lupos obambulare, ouile autem non imminui.

A Quaſſant ſanctam hanc nauim continuò tempeſtas & hyems, procellarumque vis: non ſubmerguntur tamen qui in ea nauigant. Vndecunque inuadunt hæreticæ flammæ, & qui in medio ſunt camino, rore ſpirituali perfruuntur. Eſt & hoc admirabile, quòd videmus in hac parte ciuitatis Eccleſiam hanc plantatam, & nihilominus quaſi in medio camino oleam germinantem, foliiſque comantem, & fructu grauem. Igitur cum vos tam cordati, tamque multis bonis digni, agè prompto ſtudio promiſſionem pridem vobis receptam reddamus. Tunc enim de armis Dauid & Goliath apud vos philoſophabamur, ſermone noſtro oſtendentes, hunc quidem omnigena grauique armatura vndique munitum, illum autem armis nudum, fide munitiſſimum, & hunc quidem extrinſecus fulgidum thorace & ſcuto, illum autem intus ſpiritu & gratia radiantem, atque hanc ob cauſam à puero

B certamine victum iuuenem, à nudo ſuperatum armatum, à paſtore proſtratum militem, à paſtoralis lapidis natura, bellici æris naturam contritam & corruptam. Proinde & nos lapidem illum in manus accipiemus, angularem illum & ſpiritualem inquam. Si enim Paulo philoſophari licuit de petra in ſolitudine, neque nobis quis ſuccenſebit, ſi lapidem illum eodem modo accipiamus. Nam ſicut non natura petræ viſibilis apud Iudæos, ſed virtus ſpiritualis petræ emittit illarum aquarum flumina, ita vtique apud Dauid, non ſenſibilis, ſed ſpiritualis lapis barbaricum illud caput deiecit. Et nos quoque pollicebamur vobis, nihil ex rationibus dicturos. Noſtra enim arma, non carnalia, ſed ſpiritualia, deſtruentia rationes, & omnẽ ſublimitatem quæ ſuper terram ſeſe extollit cõtra ſcientiam Dei. Præceptum nobis eſt, vt eas demoliamur, non extruamus, imperatum nobis eſt, vt eas diſſoluamus, non armemus. Rationes enim

C mortalium timidæ ſunt. Et quare non dicam timidæ? Quemadmodum enim timidus, etiamſi ſecuro loco ambulet, non audet, ſed formidat ac trepidat: ita quæ propter rationes accepta ſunt, etiamſi vera ſint, nondum tamen ſatis certa argumenta, dignamque fidem animæ afferunt. Proinde quia tanta rationum infirmitas eſt, agè ſcripturis contra aduerſarios pugnemus. Vnde igitur ſermonis exordium ſumendum? Vnde vobis placet, an ex noua, vel ex veteri? Non enim ſolùm in Euangeliis, & Apoſtolorum verbis, ſed & in tota veteri lege fulgentem vnigeniti gloriam videre licet. Vnde mea ſententia etiam inde aduerſus illos corripienda ſunt tela. Ita enim non illos tantum qui ſuos ſermones inde afferunt, ſed & multos alios hæreticos ſimul proſternere poterimus, videlicet Marcionem, Manichæum, Valentinum, Iudæorumque omnium ora. Nam ſicut cum à Dauide proſtratus eſt Goliath, in fugam ſimul verſus eſt omnis Allophylorum exercitus: & mors

D quidem vnius corporis, & percuſſio vnius capitis erat, fuga autem communis, & timor totius exercitus: Ita & ſi nos vnam hæreſim deiecerimus, communis erit enumeratorum omnium profligatio. Manichæi enim, & qui factione illorum ſocij, videntur recipere Chriſtum qui prædicatur: Prophetas autem & patriarchas qui illum prædicant, contemnunt. Contrà, Iudæi eos qui Chriſtum prædicant, accipere videntur, Prophetas, inquam, & legiſlatorem ſuum: Chriſtum autem qui ab illis prædicatur, contemnunt. Igitur ſi fauente gratia Dei demonſtrauerimus magnam vnigeniti gloriã in veteri prædictam, omnia illa Deo aduerſa ora, linguaſque blaſphemas confundemus & compeſcemus. Nam ſi colliqueſcet Chriſtum in veteri inſtrumento prædicari, qua ſe defenſione tutabuntur Manichæi, & cæteri qui cum illis ſcripturam contemnunt, quæ prædicat illum communem omnium Deum? Quod item effugium erit Iudæis,

quam

Digitized by Google

quam veniam merebuntur ij qui à Prophetis promiſſum non ſuſcipiunt? Itaque cum abunde de eis triumphare poſſimus, ſermonem ad libros vetuſtiores vertamus,& ad ipſum qui aliis omnibus vetuſtior eſt,ad Geneſim,inquam,& ad caput Geneſeos conſcendamus. Dicit enim Chriſtus: Ioan. 5. *Si credidiſſetis Moſi,credidiſſetis vtique & mihi, nam ille de me ſcripſit:* id quod nunc declarare tentabimus. Poſteaquam igitur perfecta eſt omnis creatura cœlumq; vario ſyderum choro coronatum, & terra omnigenis floribus ornata eſt, multaque eſſent montiũ cacumina, multi campi & valles, & in ſumma,omnis terræ facies plantis,& arboribus,& herbis conſpicua,laſciuirentque greges & armẽta: aërem autem impleret genus auium cantillantium natura, & ſingulari muſica: maria quoque marinis animalibus plena: ſimiliter & ſtagna, & fontes, & fluuij, omnibus quæ in eis naſcuntur: nihilque eſſet imperfectum,ſed perfecta omnia: tũc quærebat corpus caput, ciuitas principem, creatura, inquam, hominem. Formaturus igitur ipſum Deus, inquit: Gen. 1. *Faciamus hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ad quem dicit? Manifeſtum quòd ad vnigenitum ſuum. Non dixit fac, vt ne ſeruile aliquid ſuſpiceris præceptum iuberi: ſed dicit faciamus,vt forma conſultoriorum verborum æqualis detegeretur honor. Nam Deus interdum conſiliariũ habere, interdum non habere dicitur: & non ſibiipſi pugnat ſcriptura, ſed per duo hæc aperiuntur vobis abſcondita dogmata. Quando enim ſignificare vult, Deum nullius egere, dicit eum non habere conſiliarium: quando autem docet æqualem vnigeniti gloriam, conſiliarium vocat Chriſtum. Et vt diſcas duo hæc, quòd Prophetæ filium vocent conſiliarium: non quòd pater opus eius conſilio habeat, ſed vt vnigeniti gloriam doceant,& quòd non opus habeat conſiliario,audi Paulum dicentem: Rom. 11. *O profunditatẽ diuitiarum, & ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm inſcrutabilia iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim nouit ſenſum Domini? vel quis conſiliarius eius fuit?* & propterea dicit eum nullius indigere. Eſaias verò iterum de Vnigenito Dei loquens ſic inquit: Eſa. 9. *Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & vocabitur nomen eius magni conſilij angelus, admirabilis, conſiliarius.* Et ſi admirabilis, conſiliarius: quomodo Paulus dicit: *Quis ſenſum nouit domini, vel conſiliarius eius fuit?* niſi quod Paulus,ſicut dixit,voluit patrẽ nullo indigere. Propheta autem æqualem filij gloriam docere voluit. Et idcirco etiam hic non dixit, fac, ſed faciamus. Dicere enim fac, præcepti eſſet ſeruo iniungendi, quòd diſcere inde potes. Acceſſit aliquando Centurio Ieſum, & dicit: Domine, filius meus iacet in domo paralyticus, & grauiter torquitur. Quid igitur Chriſtus? Matth. 8. *Ego enim veniero, curabo eum.* Centurio autem non audebat medicum in domum trahere, quamuis miſericors ille ſponte ſua pollicebatur ſe illò iturum, vt cauſam & occaſionem illi daret, quò virtutem ſuam nobis declararet. Præſcius enim quid ille dicturus erat, pollicitus eſt ſe affuturum, vt viri pietatem diſcas. Dicit enim Centurio: Ibidem. *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.* Neque morbi neceſſitas eum à pietate euertere valebat, quin excellentiam domini teſtaretur,etiam in tanta calamitate. Eapropter dicit: *Dic tantùm verbum, & ſanabitur puer meus. Nam & ego homo ſum, habens ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alteri, veni, & venit, & ſeruo meo fac hoc, & facit.* Vides quòd verbum, fac, eſt domini ad ſeruum loquentis? At faciamus, verbum eſt eius cui æqualis honor. Quando enim ſeruo dominus loquitur, dicit, fac: quando autem pater filio,dicit,faciamus. Quid ad hæc dicit hæreticus? Centurio ita ſuſpicabatur: res autem non ſic ſe habet, neque Apoſtolus eſt Centurio, neque diſcipulus, vt ipſius verbis credamus. Veriſimile eſt quòd errauerit. Bene, non eſt Apoſtolus. Quid ergo? Videamus quod ſequi-

A tur. Num correxit ipſum Chriſtus? num increpauit? num dixit ad ipſum, Cur hoc facis homo? Maiorem de me habes opinionem,quàm par eſt. Plura mihi tribuis, quàm mihi debentur. Ex authoritate putas me imperare, cum non ſit mihi authoritas. Num dixit tale quid? Minimè, ſed ſtabiliuit illius ſententiam, & comitibus dixit: Amen dico vobis, neque in Iſraël tantam finem inueni. Igitur dominus laudando confirmat Centurionis verba. Vnde iam non ſunt Centurionis verba,ſed occaſio quædam à domino ad virtutem declarandam oblata. Quod enim ipſe laudat, & calculo ſuo tanquam bene dictum approbat, pro diuino oraculo habendum eſt. Authoritatem enim ſupernè à domini iudicio ſumit. Vides vt nouum veteri conſonet, & vtraque authoritatem Chriſti indicent? Quid igitur, ſi faciebat quidem hominem, cùm hoc vt miniſter feceris, inquit? ſed audi verba quæ ſequuntur, & deſiſte ab intempeſtiua contentione. B Enimuero vt dixit, Faciamus hominem: non dixit ſecundùm imaginem tuam minorem, neque ſecundùm imaginem meam maiorem,ſed *ſecundùm imaginem noſtrã,* Geneſ. 1. nempe patris & filij imaginem, quæ vna eſt. Non enim dixit imagines, ſed imaginem noſtram, non quòd duæ ſint inæquales, ſed vna & eadem æqualis patris filiíque imago. Vnde & à dextris iubet ſedere, vt æqualem honorem & poteſtatem non inferiorem diſcas. Miniſter enim non ſedet,ſed aſtat. Sedere dominicæ poteſtatis eſt, aſtare ſeruilis & ſubiectæ conditionis: propterea & Daniel dicit: Dan. 7. *Aſpiciebam donec poſiti ſunt throni, & antiquus dierum ſedit, mille myriades miniſtrabant ei, & mille millia aſſiſtebant ei.* Et iterum Eſaias: *Videbam dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum, & Seraphin in circuitu eius ſteterunt.* Eſa. 6. Michæas autem: *Videbam dominum Deum Iſraël ſedentem ſuper thronum ſuum, & omnis exercitus cœli ſtabat à dextris eius, & à ſiniſtris eius.* 3. Reg. 22 Vides vbique ſupernas virtutes aſſiſtentes, ipſum autem ſedentem? C Cum igitur videris & filium à dextris habentem cathedram, non miniſtrãtis dignitatem quandam putes, ſed habentis authoritatem dominicam. Idcirco & Paulus cum vtraque ſciret, quòd aſtare miniſtrantium ſit, ſedere autem imperantium & præſidentium, vide quomodo hæc ſeparat, dicens: *Angelis quidem ſuis inquit, Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. Filio autem, Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi.* Hebr. 1. Itaq; cum ſermo noſter omnino probauit filij dignitatem non ſeruilem, ſed herilem eſſe, adoremus quoque & dominum ipſum patri honore coæqualem: ſic & ipſe præcepit,cum dixit, vt omnes venerentur filium, ſicut venerantur patrem. Cõiungamus item rectitudini dogmatum diligentiam vitæ & operum,vt ne dimidiatim quæ ad noſtram ſalutem ſpectent,curentur. Iam vitæ diligentiam & puritatem nihil ſic efficit & corrigit, vt D continua in templis conuerſatio,& alacre ad audiendum verbum Dei ſtudium. Quod enim corpori eſt cibus, hoc animæ diuinorũ eloquiorum doctrina. *Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed & in omni verbo quod procedit per os Dei.* Deut. 8. Hinc & famem inducere ſolet, vt huic menſæ non communicetur, & audi de hoc interminantem, & famem hanc in ordine ſuppliciorum,& pœnarum intentantem. *Dabo* enim *eis,* Amos 8. inquit,*non famem panis,neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi ſermonem domini.* Quomodo igitur non abſurdum pro corporali fame repellẽda facere & attentare omnia, animæ autem famem ſponte quærere? quamuis multò grauior ſit, quantò ſcilicet grauius eſt & damnum. Oro & ſupplico,ne tam malè nobis conſulamus, ſed præferatur hoc ſtudium occupationibus & curis omnibus. Quid enim tantum lucrari potes,quantum damni facis & tibiipſi,& toti domui,ſi conuentum & ſynaxim relinquis? Quamuis & integrum theſaurum auro refertũ inuenias, & propter illum domi detinearis: maius tamen detrimentum quàm lucrum facies, & tantò maius,

quantò ſenſibilibus ſpiritualia ſunt meliora. Nam licet illa multa ſint, & vndiquaque affluant, non tamen hinc tecum commigrabunt, ad vitam futuram, neque ſimul nobiſcum in cœlos transferentur, neque aſtabunt apud terribile tribunal, ſed ſæpe & ante mortem nos deſtituentia dilabuntur: quòd ſi ad finem vſque manſerint, neceſſariò tamen ſub ipſum finem tolluntur. Spiritualis autem theſaurus poſſeſſio eſt quæ auferri nequit, & vbique comes eſt, ſequiturque peregre euntes, multum fiduciæ apud tribunal Chriſti nobis tribuens. Quòd ſi ex aliis conuentibus multum lucri conſequimur, certè ab his qui hic celebrantur, duplex lucrum expectare licet. Non enim hunc fructum ſolum capimus, quòd animam diuinis eloquiis rigamus, ſed & quòd hoſtes confundimus & diſpergimus, fratribus noſtris magno ſolatio exiſtentes. Noſtræ huius aciei & ordinis lucrum eſt laborare, vtique periculoſam partem in exercitu tenemus. Et propterea omnes huc confluere oportebat, & hoſtes qui nos adoriūtur, repellere. Eſto, nequeas longum ſermonem producere, nec habeas docendi gratiam, adſis ſolùm, & totum perfeciſti. Nónne qui ad hæc veſtibula aſcendit, videns paucos, alacritatem ſuam remittit, abiicit, torpeſcit, factuſque ſegnior, inde recedit, fitque ſic omnis multitudo hæc paulatim diſſolutior & ignauior? Sin videris concurrere vndiquaque magnoque ſtudio: nónne etiamſi valde ignauus ſis, alacrior redderis? Nam ſi lapis ſæpe ad lapidem concuſſus ſcintillas exilire facit, tametſi nihil ſit frigidius lapide, nihilque igne calidius: attamen concuſſio, victa natura ignem elicit. Quod cum in lapidis contingit, multò magis idem fit & in animabus quæ mutuum atteruntur, & igni ſpiritus concaleſcunt. Non audiſtis quòd apud maiores noſtros tantùm centum & viginti erat totus fidelium numerus, imò ante illos centum

Acto. 4. & viginti duodecim tantùm erant, & neque hi māſerunt omnes, ſed vnus ex eis Iudas periit? & erant vndecim omnes, attamen ex vndecim illis facti ſunt centum & viginti, & ex centum & viginti tria millia, & deinde quinque millia, denique omnem orbem terrarum impleuerunt ſcientia Dei: non tunc conuentus tenuiores fiebant: ſed ſimul in templo conuerſabantur, precibus & electionibus intenti, & propterea magnum ignem incenderunt, propterea nunquam diffluxerunt, ſed totum attraxerunt orbem. Hos & nos quoque imitemur. Quomodo enim non abſurdum, quòd non tanta cura Eccleſiæ habetur, quantam vicinis ſuis mulieres exhibent? illæ cùm viderint virginem aliquam pauperem, & omni deſtitutam præſidio, officioſè ſua afferunt, & magnam quis ibi videt frequentiam, dum virgo deſponſatur: & aliæ quidem offerunt pecunias, aliæ corpore præſentes ſunt, quod etiam ipſum non eſt parum: nam hiſce ſtudiis exiſtimantur humanæ & pacificæ, contegiturque illarum paupertas. Facite hoc & vos in hac Eccleſia, concurramus omnes vndiquaque, & eius contegamus inopiam, imò ſoluamus eius paupertatem, continuò hic præſentes. *Caput mulieris vir eſt,*

Ephes. 5. *mulier viri adiutrix.* Ne igitur caput abſque corpore viam ad hæc ſancta arripiat, neque corpus abſque capite, ſed integer huc ingrediatur homo. Habete & pueros vobiſcum. Nam ſi iucundum eſt videre arborem quæ habet nouam plantam è radice ſua exurgentem: multò magis iucundum eſt videre hominē omni olea amœniorem, à radice ſua filiū habere aſtantem, quaſi nouam plantam. Non iucundum autem hoc ſolùm, ſed & vtile. Etenim quod dixi, ſi congregati fuerimus, maius lucrum erit. Enimuero & agricolam tunc maximè admiramur, non quando agrum colit antea bene cultum, ſed ſi loca non ſeminata & inarata, digna cura excoluerit. Sic & Paulus faciebat ſtudioſus, maiore ſtudio euangelizans, vbi Chriſtus non erat nomi-

A natus. Illum & nos ad decorem Eccleſiæ, vtilitatemque noſtram imitemur, quotidie ad hanc congregationem confluentes. Nam ſi concupiſcentia flagras, poteris eam facile reſtinguere, tantùm viſa hac domo, & ſi iraſcaris, facile beſtiam domabis, iram, inquam, & ſi alia quapiam affectione impeteris, tempeſtatem eam facile ſedabis, reddeſque pacem & ſerenitatem animæ tuæ. Qua nos frui concedat dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui cum patre, & ſancto Spiritu ſit gloria, nunc & in ſecula ſeculorum, Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi aduerſus hæreticos.

SERMO.

EST lapis quidam quem chryſaconion vocant, quo probatur aurum adulterinū & nothum, ſi illi atteratur, oſtenditurque purum & immixtum,

B incorruptumque numiſma. Hunc indicem ego fideliſſimorum hominum cor dixerim. Nam vt qui de fide rationes orthodoxorum & aduerſariorum accipiunt, & in gnomone cordis quaſi atterunt & probant, inueniunt fidem orthodoxorum ſynceram & puram, prauamque aliud ſentientium opinionem, & fidem eſſe adulterinam. Verùm ne videar à ſcripturis aberrare tali parabola vtens, audi Apoſtolum nos admonentem & conſulentem: Eſtote probi nummularij: & quia eloquia domini auro ignito & probato conferuntur, Dauid inquit: *Eloquia domini caſta, argentum ignitum probatum terræ.* Psal. 11. Eſaias quoque cum conſideraſſet apud Iudæos diuinæ legis eloquium vitiatum ſicut argentum, & diuinam doctrinam humanæ malitiæ lenocinio adulteratam, dicit eis: *Argentum veſtrum reprobum, cau-* Eſaiæ 1. *pones veſtri miſcent vinum aqua.* Proinde, dilecti, cùm in promptu habeatis & vos gnomonem & indicem

C cordis, cùm noſtras, tum aduerſariorum rationes accipite, nihil ad cuiuſquam gratiam facientes, ſed in veritate ambulantes, & quorum rationes ſolidas probaueritis, eas in cordibus veſtris fortiter ſeruate. Hæc autem dico non omnibus, ſed his qui adhuc in fide claudicant & hæſitant, anchoram confeſſionis triplici funiculo vnitam, in profundum mentis ſuæ proiecerunt etiam abſque his inconcuſſam & immotam cordis ſui ſcapham in fide cuſtodiunt. Nunc *non eſt nobis certamen aduerſus* Ephes. 6. *ſanguinem & carnem, ſed contra principatus, contra poteſtates, contra mundi dominos, rectores tenebrarum harum, contra ſpirituales verſutias in cæleſtibus.* A quibus excitati hoſtes fidei, blaſphemos ſermones ex gutture quaſi ſagittas è pharetra depromptos, in ſublime deitatis iaculantur. Et vide, dilecte, hæreticorum alia lingua loquentium aciem. Armatum eſt enim cor eorum quaſi exercitus impiorum, contraque Deū

D pugnantium. Acuta eſt lingua eorum gentilium impietate, quaſi ſerpentis. Fulget eorum ſermo quaſi honeſtus & aduerſarius impietati ſpiritus: ſed coinquinati ſunt eorum mores, immaniſque illorum iniquitas eſt in Deum. Habent arcum extētum, os inquam, quod porta carens, non clauditur. Habent quoque ſagittas, iacula verborum, inquā, contra veritatem ſtridentia, quæ à mente eorum prodeunt, & ſimpliciorum animas & conſcientias vulnerant. Propterea patres & fratres precemur, vt dominus animæ noſtræ manus contra aciem Hæretici aduerſariorum erudiat, & mentis noſtræ digitos ad in Deum prælia ſermonum inſtruat, vt & nos dicamus pſal- iaculātur. mum qui dudum decantatus eſt: *Benedictus dominus,* Psal. 143. *qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.* Miſericordia mea & refugium meum. Igitur primus ad bellum vocetur Arius. Nunquam enim ille pacificus eſſe poteſt, dilecti, id quod ex nomine eius coniectari poteſt. Ares enim, quo nomine exteri vtuntur, bellum interpretamur. Mittant tela ſua à diabolo fabricata. Non enim timeo talia obtuſa,

Digitized by Google

tuſa, vadeque inualida iacula. Veniat & Macedo-
nius, qui figura quidem ab Ario differre videtur,
re autem ipſa idem quod ille ſentit. Nam cùm &
illum videris paris blaſphemiæ ſermones aduer-
ſus Spiritum ſanctum ſagittare, diſces quomodo
duæ gentes diuerſis linguis, figura tantùm diſtin-
ctæ, re autem vnitæ aduerſus nos certent. Euno-
mij memoriam prætereo. Etenim ſi tanquam Da-
uid Goliathen principem impietatis illius ſubuer-
terimus, vniuerſa caſtra ſimul fugabũtur: at quia
nobis quoque telis opus eſt, non deerunt ea. Ha-
bemus enim tela diuina à Spiritu ſancto fabricata,
quibus & flagitioſa opera interimuntur, & homi-
Pſal. 119. num animæ erudiuntur. Quales hæ ſagittæ? *Sagitta*
potentis acuta cum carbonibus deſolatoriis. A quibus eru-
Ibid. 37. ditus clamabat: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque*
in ira tua corripias me: quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mi-
bi. Sed miſſis factis multis ſagittis, dilecti, vnica ſa-
gitta vtemur, qua omnis hæreticorum, & Iudæo-
rum, & gentium phalanx proſternitur. Qua ſagit-
Eſa. 49. ta? Sagitta ipſa loquitur in Eſaia: *Poſuit me vt ſagittam*
electam, & in pharetra ſua occultauit me. Sagitta electa
verbum Dei eſt, ante ſecula ex patre natũ. Nam
occultauit in pharetra corporis, dignitatem deita-
tis à dracone. Aperi Ari ſepulchrum gutturis tui
impletum mortuis ſermonibus. Non enim habes
verbum illud viuificum, qui tuis rationibus factum
illud & creatum fabricas. At ille ſtatim quum ac-
cerſitur, à ſcripturis dicendi facit initium. Verùm
tu vt fidelis, ne timueris eum, quum videris ipſum
ex ſcripturis loquentem. Nam & diabolus quum
accederet Chriſtum, & tentaret eum, per ſcriptu-
Matth. 4. ras locutus eſt cum eo, dicens: *Si filius Dei es, mitte te*
ipſum è ſupernis deorſum: ſcriptum eſt enim, Quia angelis ſuis
Pſal. 90. *mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, & in ma-*
nibus portabunt te. Cætera autẽ quæ ſequuntur, obti-
cuit. Sciebat enim quòd aduerſum ſe dicta erant.
Ibidem. Qualia hæc? *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & cõ-*
culcabis leonem & draconem. Et attende diligenter, di-
lecte, quia ex eadem arte profectum eſt quod dia-
bolus dixit, & quod ſui, qui filium Dei creaturam
& facturam dicunt. Deguſtauit ſcripturam diabo-
lus. Aperiat os & Arius, ac dicat. Et inuenies etiam
eum à capite exordiri, & cætera tacere, vt ne ar-
guatur. Nam quid dicit? Dominus, inquit, in Euan-
Ibidem 6. gelio dicit, *Deſcendi è cœlo, non vt faciam voluntatem meã,*
ſed voluntatem eius qui miſit me patris. Vides, inquit, quod
eſt miniſter patris? vides quomodo ei ſubditus ſit?
Ipſe fatetur, & dicit: *Deſcendi de cœlo, non vt faciam vo-*
luntatem meam, ſed eius qui miſit me patris. O Ari, quid
obtices? dic & ſequentia. Imitaris diabolum præ-
ceptorem tuum, ſicubi cauſæ tuæ ſeruit. Quamuis
autem tu taceas, ego tamen clamabo cum Euange-
lio, non furabor tecum diuina eloquia & verba do-
Pſal. 49. mini, timeo enim iudicium dicentis: Nam tametſi
videres furem, currebas cum eo, & cum adultero ponebas por-
Ioan. 6. *tionem tuam. Deſcendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meã,*
ſed voluntatem eius qui miſit me patris. Dic & quæ ſequũ-
Ibid eni. tur: *Hæc eſt autem voluntas patris, vt credant in eum quem*
ille miſit. Quid ergo pugnas? Cur non ſubiicis ceruı-
cem cordis tui iugo ſeruitutis? ſed incompoſitè ob-
errans, peruerſo ſulco pietatis aras. Iam iterum à
ſcripturis inquirit, non vt veneretur Chriſtum, ſed
vt filium Dei vituperet: non vt exaltet, ſed vt mi-
Pſal. 98. norem faciat, quamuis eloquium dicat: *Exaltate do-*
minum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quia
ſanctus eſt. Et iubemur adorare ſcabellum pedum e-
ius. Macedonius autem Spiritum ſanctum, qui ex
patre ineffabiliter procedit, adorare nolebat. Ve-
rùm nobis nunc aduerſus Arium ſermo eſt. Et
quomodo, inquit, ſi habuit eundem honorem cum
patre filius, gloriam à patre quærit? Dicit enim ad
Ioan. 17. patrem: *Glorifica me pater gloria quam habui apud te ante-*
quam hic mundus eſſet. Nondum intellexiſti, ô Ari, ſa-
Arium cramentum quod eſt in Chriſto, nec mirum: Spi-
impugnat ritu enim cares, qui te inducat in veritatem: non-
A dum capis quòd non pro ſemetipſo hoc dicit, ſed
pro Adam, quem & acceperat. Nam ſicut aduoca-
tus à malefactore inſtructus ad tribunal accedit, &
perſonam gerit eius cui patrocinatur, & omnia cri-
mina eius qui iudicatur, in ſe aſſumit, & quaſi pro
ſeipſo apud iudicem cauſam agit, tametſi criminũ
minimè reus ſit: eum in modũ & dominus noſter
Ieſus Chriſtus venit è cœlis impeccabilis. Pecca-
tum enim non fecit. Induit me Adam, aſſumpſit in
ſe mea crimina. *Ipſe enim peccata noſtra portat, & pro no-* Eſa. 53.
bis dolet. Induit me Adæ perſonã, & pro me interce-
dit. *Glorifica me pater*, inquit, *gloria quam habui antequam*
hic mundus eſſet. Qui factus ſum Adam, eram in incor-
ruptibilitate, æqualem cum angelis menſam ſor-
titus eram: indeficientem mihi cibum paradiſus
quotidie producebat: Spiritus ſancti gratiam &
gloriam in facie ferebam, hanc per meam tranſ-
greſſionem amiſi: nunc oro, glorifica me pater
B gloria quam habui apud te, antequam hic mundus
eſſet. Eapropter ſupernè reſpondet pater, dicens:
& glorificaui tunc in paradiſo, & iterum glorifi-
cabo. Nam in eandem paradiſi gloriam & delicias
te iterum collocabo. Quòd autem quum hæc dice-
ret filius Dei, habuerit gloriam patri æqualem, te-
ſtatur ipſe, cum dicit: *Ego & pater vnum ſumus*: &, *Qui* Ioan. 10.
videt me, videt & patrem meum. Et Ioannes clamat, di- Ibid 14.
cens: *Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti à patre, plenus gra-* Ibidem 1.
tia & veritate. Verùm iterum curioſè inquirit & pro-
fert tela inæqualia & imbellia. Apud fideles enim
tela iſta obtuſa ſunt & inutilia, ſicut ſcriptum eſt:
Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum. Si ante ſecula, Pſal. 63.
inquit, regnauit filius Dei, quare ipſe ergo in pſal-
mis dicit, *Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo?* quod tem- Ibidem 2.
poris ſignificatiuum eſt. Ne confuſionem facito
Ari: da carni paſſiones, & deitati diuinas dignita-
tes. Nam quod dicit, Ego autem conſtitutus ſum
rex ab eo: non ſecundùm deitatem dicit, ſed ſe-
C cundùm formam ſerui, quæ in tempore genita ac
in genealogia recenſetur. Quippe diuinitatis illius
genealogiam ne angeli quidem dicerent, humani-
tatis autem & euangeliſtæ narrant, dicentes: *Liber* Matth. 1.
generationis Ieſu Chriſti. Et quòd ante ſecula regnauit
Deus verbum, audi prophetam iterum claman-
tem: *Deus autem noſter rex ante ſecula.* Arius nondum Pſal. 73
audiens quæ ſequuntur, ſtatim audaci ore dicit, De
patre hæc dicta ſunt. At tu audi quæ ſequuntur.
Non enim de patre dicuntur, ſed de filio, & decla-
rat id quod ſequitur. *Deus autem noſter rex ante ſecula:*
operatus eſt, inquit, *ſalutem in medio terræ.* Quis ille? an
non omnino ille qui trophæum crucis ſtatuit, &
mortem ſoluit, diabolum ligauit, & hominem ſer-
uauit? Sed profectò ait: Recentem habet thronum.
Dicit enim ad ipſum pater: *Sede à dextris meis, donec* Pſal. 109.
ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Ecce quod
dicit, ſede, temporis eſt indicatiui. Atqui ignorant,
quòd etiam hic ſimiliter loquitur ei qui è virgine
D natus eſt. Nam quòd Deus ſermo ante ſecula cum
patre fuerit regnans, & ſedem habens, indicat
Pſaltes, & poſt eum Paulus: *Thronus tuus Deus in ſecu-* Hebr. 3.
lum ſeculi: virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam,
& odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo
lætitiæ præ conſortibus tuis. Præ conſortibus enim eius
vnxit Ieſum Spiritu ſancto. In ipſo enim erat *omnis* Coloſſ. 2.
plenitudo diuinitatis corporaliter: nos autem *omnes de pleni-*
tudine eius accipimus, ſicut dicit Ioannes, *De plenitudine* Ioan. 1.
eius omnes nos accepimus. Ita quoque & Apoſtolus di- Hebr. 3.
cit: *Participes eius ſumus, ſi confeſſionis primitias ad ſidem vſ-*
que ſolidas ſeruauerimus. Mox autem occurrit & Ma- Macedonium impugnat.
cedonius. Et qualia ille contra Spiritum ſanctum
tela iaculatur? Profectò, inquit, bene dicis, ortho-
doxe, pater thronum habet, & ſedet. Dicimus, e-
nim, quòd habet thronum decentem & dignum
Deo, non corporalem, ſed ſicut ſcriptum eſt:
Deus ſedet ſuper thronum ſanctitatis ſuæ: habet
etiam filius thronum. *Thronus tuus*, inquit, *Deus in ſe-*
culum ſeculi. At vbi ſpiritus habet thronum, vel cõ-

ſidet patri & filio? O aduerſarie Dei maxime, non oportebat enim te de ſpiritu Dei ambigere, quòd ſedeat,& habeat thronũ ſicut patre & filius. Quandoquidem & de pater, & filio, & Spiritu ſancto dicere licet, quòd ſedeant, vt dicimus. Ita enim ſcriptum eſt, alioqui diuinitas loco non continetur, ſed Pſal. 138. vbique eſt. Quò enim *ibo à ſpiritu tuo, & à facie tua quò fugiam?* thronum Dei ſcriptura dicit regiam dignitatẽ. Iam ſi apoſtoli cathedras habent, vt dicit: Matt. 19 *Vos ſedebitis ſuper duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël*: Spiritus ſanctúſne throno caret? Sed quòd Spiritus ſanctus thronum habeat, vt & hoc vos diſcatis, oſtendimus quòd & dominus ſit, & Sabaoth Eſaiæ 6. dicitur. Dicat igitur Eſaias, qui & te, & me maior: *Vidi dominum Sabaoth ſedentem ſuper thronum ſublimem & eleuatum, quia plena erat domus gloria eius. Et Seraphim in circuitu aſtabant, ſex pennæ vni, & ſex pennæ alteri*, & reliqua. *Et dixit dominus ad me.* Quem viderat dominus ſedentem ſuper thronum excelſum, & eleuatum; B Ibidem. ille dicebat ei: *Quem mittam? & quis ibit ad populum iſtum Iudæorum*, ac dicet: *Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis?* Venit Paulus poſt multos annos, vt diceret prophetiam illam, venit, mittitur Romam à Spiritu ſancto, congregat Iudæorum gentem per omne ſabbatum docens: & cum non audiretur ab eis, memoriam huRom. 11. ius ſcripturæ fecit, ſic inquiens Iudæis: *Bene dicit Spiritus ſanctus per Eſaiam prophetam: Auribus audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non perſpicietis*, Itaque quia oſtendimus regiam dignitatem & diuinitatem Spiritus, nos cathedra exurgentes, vno ore, & vno corde glorificemus patrem, & filium, & Spiritum ſanctum, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi contra Iudæos, gentiles & hæreticos Sermo, de Euangelio, Nuptiæ facta ſunt, &c.

G

Simile. HIRVNDINVM pulli in nidulis ſedentes, parentum ſuorum qui ſibi aliementa afferunt, aduentum expectant: & quum ipſos venire perſpexerint, leui ala mouent aërem cantillantes, & ad illorum aduentum applaudentes: ſimiliter & eorum parentes, cùm nidulo appropiant, cantillant, pullis aduentum ſuum nuntiantes. Similiter autem & vos in nido templi huius ſedetis, meum aduentum expectantes: & quia venientem videtis, leui mentis ala volatis. Neque ego diſſimiliter ſpirituali huic nido appropiaturus, Deum voce præmiſſa glorifico, quòd mihi filios dedit tam mei amantes. Sed hirundines alimenta ſua ab ore in os tradunt: nos autem noſtra non ſic, ſed ab ore in aurem. Illa enim in corruptionem procedunt, noſtra verò in incorruptibilitatem: illa corpora paſcunt, noſtra animas impinguant. Hæc omnia non D temerè à me dicta ſunt, ſed quia lecti Euangelij continentia ad hæc docenda nos inducit, neceſſarium vt vos doceam. Vocatus eſt, dicit, Ieſus ad nuptias. Oro, compoſitis moribus eſtote, & audite In omni ſtatu Deo ſeruiri poteſt. quæ dicuntur. Quoniam multi nuptias prætexunt, alij filios, alij militiam, alij negotiationem, alij artificium, alij ſeruitutem, alij diuitias, alij inopiam, & quæcunque talia ſunt: Volo igitur declarare vobis, quòd neque diuitiæ impediunt, neque inopia, neque militia, neque negotiatio, neque nuptiæ, neque pueri, neque ſeruitus, neque opificium, neque aliquid tale. Vocatus eſt Ieſus ad nuptias. Venit, vel non venit? Certum quòd venit. Quòd ſi venit, quomodo ergo nuptiæ malæ? non potes excuſare. Ego autem non dico, quòd tantùm non venerit, ſed quòd & dona ſecum attulerit: Aquam in vinum mutauit. Ne excuſes te propter nuptias, dominus tuus nuptiis interfuit, & nuptias honeſtabit, & tu nuptias arguis, & dicis nuptias obſtaculum eſſe ad pietatem? Nullum enim ad pietatem eſt ob-

A ſtaculum. Vis cognoſcere quòd nihil nocet habere vxorem & pueros? Moſes nónne vxorem habuit & liberos? Helias nónne virgo erat? Nónne Exod. 16 Moſes manna è cœlo deduxit? Nónne Helias ig- 3. Reg. 18 nem è cœlo deduxit? Nónne Moſes coturnices 3. Reg. 17 Exod. 12. aduolare fecit? Nónne Helias verbo cœlum clau- 4. Reg. 2. ſit? Nónne Moſi Deus locutus eſt? Nónne & cum Helia conuerſatus eſt? Nónne Moſes mare diuiſit? & transduxit populum? Nónne Helias curru igneo in cœlum ſublatus eſt? An nocuit huic virginitas: an impedimento fuerunt illi vxor & liberi? Vidiſti Heliam aurigam in aëre, vidiſti Moſem in mari viatorem? Vide & Petrum eccleſiæ columnam, quòd & ipſe habuit vxorem. at non eſt ſcriptum, inquit, quòd Petrus habuit vxorem, vnde ergo liquet, quòd vxorem habuit? Ego dico: Lucæ 4. *Ingreſſus eſt Ieſus ad ſocrum Petri, & erat illa infirma, & tetigit eam, & reliquit eam febris, & ſtetit, & miniſtrauit.* Vides quòd & Petrus vxorem habuit? Vbi enim ſocrus, manifeſtum quòd ibi & vxor. Vides quòd & Petrus vxorem habuit? ne incuſes nuptias. Hæc dico, vt ne quis prætexat vel vxorem, vel liberos, vel militiam, vel negotiationem, vel opificium, vel ſeruitutem, vel diuitias, vel paupertatem. Hæc excuſatio, hic prætextus diaboli inſidiæ ſunt. Militiam prætexis, & dicis, Non poſſum eſſe pius. Centurio nónne miles erat? & dicit ad Ieſum, Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum, ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus. Et admiratus Ieſus, ait: Amen dico vobis, neque in Iſraël tantam fidem inueni. Nihilque nocuit illi ſua malitia. At quid ſi opifex? Et Paulus operatus eſt manibus, qui & antea eccleſiarum deprædator, & poſt hoc factus prædicator & apoſtolus. Quid verò ſi diues? & Abraham diues, & ipſe vxorem habuit & pueros. *Credidit enim Abraham, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, & amicus* Rom. 4. *Dei vocatus eſt*: tam nihil obfuerunt ei diuitiæ, & mulier, & pueri. Non habes excuſationem. Tria quæ prætexere potes, vnus ille habuit, & vxorem, & pueros, & diuitias. Sed quomodo ſi ſeruus? Et Oneſimus ſeruus erat, & ſcribit Paulus Philemoni, dicens: *Oneſimum qui olim nullius frugis, nunc autem & mihi,* Ad Philem. 1. *& tibi vtilis.* Verùm quid ſi rex: Erat & Dauid rex, & quum ingreſſus ad eum Nathan propheta arguit ipſum de peccato quod fecerat, nunquid in illum tyrannidem rex exercuit? nunquid vel aſperum aliquod verbum prophetæ dedit? an non & in regno ſeruum ſe fatebatur, dicens: Peccaui domino? Et propheta videns pœnitentiam eius, dixit: Et dominus abſtulit peccatum tuum. Velox pœnitentia, velocior condonatio. Num aliquid tribuit ſibi rex, & dicit: Rex ſum amictus purpura, circundatus diademate, fero tela, ſagittas, ſcuta, arma: mihi ſunt milites & armigeri, & pauperem illum timerem? ferrémne eum, & non occiderem? Sed nihil talium, quamuis rex eſſet: ſciebat enim quod peccarat, & ob hoc pœnituit, quia ſciebat ſe grauiter peccaſſe. Et nihil ei obfuit regnum. Iam quid ſi iuuenis? erat & Daniel iuuenis, & leonum Dan. 13. & 14. ora conſtrinxit, & dracones confregit, Bel ſubuertit, & presbyteros iudicauit, Suſannam liberauit, tantæque virtuti imperfecta ætas non obfuit. An Geneſ. 39 non & talis erat fratrum amator Ioſeph, qui tantam præ ſe tulit ſapientiam & continentiam apud Ægyptiam? Veſtem ſuam diuiſit, fidem non diſrupit, impudentiam mulieris vicit, concupiſcentiam non ſatiauit, & nihil impediuit illius virtutem adoleſcentia. Sed quid ſi vidua? Erat & Sidonia vidua, 3. Reg. 17 quæ Heliam hoſpitio excepit, & pauit pane & aqua, & authorem famis non eſt reuerita. Quid autem ſi meretrix? Erat & Raab, quæ exploratores Ioſue 2. occultauit, & quum filij Iſrael terram promiſſionis accepiſſent, ſaluata eſt ipſa cum domo & genere ſuo. At quomodo ſi pauper? Pauper erat talis & Lucæ 16. Lazarus. Et quantam ille ſapientiam ac patientiam in extremis oſtendit, licet nihil illum in tanta

neceſ-

Digitized by Google

neceſſitate leniret? Iam ſi mulieri quis deditus ſit, A
an non & Sampſon? nam licet à muliere ſit prodi-
tus, tamen ipſi Deus dedit vt ſe de alienigenis vl-
ciſceretur. Sed quid ſi amas filios? amabat & Iob.
Sed tentaris, tentabatur & Iob. Vides quot ſaluati
ſunt? Habes fidem, habes omnia: non habes fidem,
rex licet ſis, non tibi proderit regnum. Sed ne
promiſſionis obliuiſcar: Vocatus eſt igitur Ieſus
ad nuptias, & cum ipſe ibi eſſet, vinum non habe-
Ioan. 2. bant. Dicit ei mater ſua: *Vinum non habent. Dicit eis Ie-
ſus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt hydrias aqua, & fe-
cit aquam vinum.* Quare autem dixit, implete hydrias
aqua? an non qui verbo cœlum fecit, & terram
fundauit, & omnia quæ in eis, cuius oculus areſa-
cit abyſſos, à quo tremit omnis creatura tam cœ-
leſtium, quam terreſtrium, qui ea quæ non ſunt,
facit eſſe: potuit etiam hydrias aqua implere? &
dicit, Haurite aquam. Ad quid? Ego dico, quòd ſi
negarint, manus eorum quæ hauſerunt, & humeri B
qui geſtauerunt aquam, ipſos redarguant. Idem e-
tiam fecit cum Lazarum ſuſcitauit: antequam ad
locum illum veniret, dicit diſcipulis ſuis: *Lazarus
amicus noſter obdormiuit.* Poſtquam autem venerunt
ſorores Lazari, & dixerunt ei. *Lazarus mortuus eſt:
dixit eis: Quò poſuiſtis eum? Dicunt ei, Veni, & vide.* O no-
ua & inopinata opera: paulò antea dixerat diſci-
pulis, Lazarus mortuus eſt, & nunc dicit, Vbi po-
ſuiſtis eum? Mortem prædixerat diſcipulis ſuis, &
locum neſcit? Sciebat, ſed propter Iudæos dice-
bat, quia rudes erant. Et ita cùm dicit, Vbi poſuiſtis
eum? non ignorantiæ erat: ſicut & quum in para-
Geneſ. 3. diſo dicebat Adam, *Adam vbi es?* Ignorabâtne vbi
eſſet? non eſt dicendum: ſed quia dicebat illis dia-
bolus, quòd in die in quâ comedetis ex ligno hoc,
eritis vt dij: & ſuſpicati ſunt illi quòd futuri eſſent
dij: ob hoc arguit ipſum Deus, Adam vbi es? pro
eo quod comediſti, & manſiſti homo. Sic & apud
Lazarum egit. Nam vt appropiauit monumento, C
Ioan. 11. dixit Iudæis: *Tollite lapidem de monumento, & tulerunt.
Dicit ipſi ſoror Lazari: Iam fœtet, nunc enim quatriduanus
eſt. Et vt clamauit voce magna, dixit: Lazare, veni foras. Et
prodiit vinctus inſtitis.* An non *qui transfert montes in cor
Pſal. 45. maris*, potuit verbo lapidem mouere? qui ſtimulos
mortis confregit, qui portas inferni contriuit, non
potuit vincula diſrumpere? & dicit ipſis, *Soluite ip-
ſum.* Ad quid? vt ſi negent, manus eorum & oculi
ipſorum redarguant ipſos. Ob hoc dixit, Soluite
ipſum. In primis autem ſoror Lazari teſtimonium
dedit, dicens: Iam fœtet. Idem & in nuptiis fecit,
dicendo eis: Implete hydrias aqua. Et impletis hy-
Ioan. 2. driis aqua, *fecit aquam vinum.* Et propterea vndequa-
que certos ipſos reddebat. Semper enim incre-
duli erant Iudæi, & impudentes. Vultis cognoſce-
re quanta eis fecit Deus, & permanſerunt ſemper
ingrati? Diſcite, ſed oro, accommodate vos mihi,
& auſcultate quæ dicuntur. Demonſtrabo enim
vobis, quòd ab initio ingrati & increduli fuerunt. D
Septuaginta & quinque animæ Ægyptum ingreſſæ
ſunt, & facta ſunt ſexcenta millia. Mortuus eſt Io-
ſeph & ſurrexit alius rex, qui Ioſeph memor non
fuit, afflixit igitur filios Iſrael valde. Clamauerunt
Exod. 32. ad Deum, dicentes: *Domine tu iuraſti patribus noſtris, da-
turum te ſemini noſtro terram fluentem lacte & melle: nunc
domine memor eſto teſtamenti quod poſuiſti patribus noſtris,
& erue nos de manu Pharaonis regis AEgypti, & ex ſeruitute
AEgyptiorum.* Audiuit igitur dominus vocem eorum,
& miſit ad eos Moſem. Sed attendita verba, dicit
Exod. 12. Moſi Deus: Accipe agnum immaculatatum, anni-
culum, primogenitum, & immola, & ſanguine eius
vnuſquiſque obliniat fores, vt cum venerit ange-
lus habens glaudium extentum, & viderit quòd
ſanguine ſit linita domus, illam tranſeat: ſin vide-
rit non oblitam, ingredietur, & omnia perdet. Fe-
cit igitur Moſes ſic, & tradidit populo, & illi ac-
cepto cruore ianuam linierunt. Et venit angelus
habens extentum gladium ſuum, & vidit ſangui-

A nem in foribus, & tranſiit: vbi autem non vidit, in-
greſſus omnia perdidit. Hæc omnia non abſque
ratione facta ſunt: ſed quia per lignum & ſangui-
nem ſaluandi eramus, propterea iuſſit Deus vnum-
quemque ſanguine fores ſignare. Et quare non
dixit Deus, Lini muros ſanguine? quia non eramus
ſaluandi per lapides, ſed per lignum. Eduxit itaq;
eos Moſes ex terra Ægypti, & tulit in diſertum, & Exod. 16.
dicunt Moſi: *Eduxiſti nos in deſertum vt occideres, quaſi* Num. 16.
*non ſint ſepulchra in AEgypto? Nónne nobis melius erat cum
eſſemus in AEgypto, dum comederemus melones & pepones, al-
lia, & cepe?* Vidiſti ingratitudinem? ipſi dicebant
Deo, & precabantur vt educeret ſe ex terra Æ-
gypti: at vbi in deſertum venerunt, fuerunt ingra-
ti. Cognoſcis ingratitudinem? ſed rem maiorem &
ſingularem vide. Quadraginta annis fuerunt in
deſerto, capilluſque ipſorum non creuit, neque
vnguis, veſtimentum ipſorum non fuit ſordida-
tum, calceamentum ipſorum non fuit contritum:
B non laborauerunt, non foderunt, boues non iun-
xerunt, aratrum non traxerunt, ſulcos non ſecue-
runt, tribulos non euellerunt, ſemina non ſparſe-
runt, imbres non expectauerunt, ſolis æſtus non
tulerunt, tempus meſſis non exceperunt, falcem
non acuêre, neque meſſuere, non colligarunt ari-
ſtas, non comportarunt, non conuexerunt in
aream, non extriuerunt, non repurgarunt, non
pinſuerunt, non coxerunt panes, & nihil omnino
illorum fecerunt: ſed panem è cœlo nullis mani-
bus elaboratum comederunt: apponebatur menſa
nullo præparante, impaſſibilitate imitabantur an-
gelos: natura ſuæ imbecillitatis oblita erat: & poſt
tot beneficia, dixerunt Aaroni, *Da nobis deos, qui nos* Exod. 32.
*præcedant; Moſi enim illi, qui nos eduxit à terra AEgypti, ne-
ſcimus quid acciderit*: feceruntque vim magnam Aa-
roni. Ille vt vidit eos duri cordis, & incircunciſos,
dicit ipſis: Tollite inaures veſtras, & mittite in ig-
C nem, & ſi quid aſcendit, hoc Deus ſit: & aſcendit
bubulum caput. Hic obſerua hæreticum paraſi-
tum, ingratum Iudæum, dicentem: Si Deus genuit, Trinitatis
igitur & fluxuram ſuſtinuit, & corruptibilis eſt. O myſterium.
miſer & perdite, hæccine de filio Dei ſuſpicaris? At
nos, abſit, ne ſit. Sed genuit pater filium, vnus vni-
cum, Deus Deum perfectum: ita ſentiunt Chriſtia-
ni. Quia autem licet teipſum neſcias, ſuperna cu-
rioſius putas perquirenda, dic: Putáſne te ſcire,
quomodo inauribus in pyram coniectis, bubulum
caput aſcenderit? Non hoc chalcotypus operatus
eſt, non erat conflator; quomodo ergo egreſſum eſt
bubulum caput, audes dicere? Si neſcis hæc infe-
riora, quomodo curioſè ſuperna inquiris? qui ne-
ſcis propria, quomodo curioſè aliena inquiris? Et
afferunt nobis euangelicam vocem, quòd Ieſus
dixerit diſcipulis, *Ego ſum vitis, vos palmites, pater meus* Ioan. 15.
agricola eſt. Vides, dicit, quòd fecit filium. Inutilis e-
D nim vitis, niſi ab agricola colatur. Et putauit quòd
magnum aliquid & egregium dicat. Sed auſcultate
obſecro. Dicebam de ingratis & reprobis Iudæis,
ſinite dicam & aduerſus impudentes hæreticos.
Potes mihi dicere ingrate & impudens hæretice,
agricolam non paſci à vite? Armis tuis te capiam.
Sicut agricola colit vitem, ita & pater operatur
ſuum filium. Videamus quis ab altero educetur, an
vitis ab agricola, vel agricola à vite. Vt dicis, pater
à filio habet eſſe: non eſt igitur agricola, qui non
ex operibus ſuis paſcitur. Quid ergo? filius paſcit
patrem? Non, abſit. Deſine inſipientiſſima hæc lo-
qui. Nam ſicut agricola gaudet de vite, ita & pater
in filio: Non enim dixit, Pater meus operatus eſt
me: ſed, *pater meus agricola eſt.* Gauiſus eſt enim pa- Ioan. 15.
ter in filio. Non audiſti ipſum dicentem, *Ipſe eſt fi-* Matth. 17.
lius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite? Quã- 2. Pet. 1.
do ſtetit in Iordanis fluentis, non dixit, Ille eſt
quem creaui, quem feci, ſed dixit, In quo mihi be-
ne placitũ. Num & vocem illam reiicis? Et iterum
dicit, *Deſcendi è cœlo, non vt voluntatem meam facerem, ſed* Ioan. 6.

Digitized by Google

eius qui miſit me patris. Quibus dicebat? Omnino Iudæis, qui dicebant ipſum eſſe fabri filium: & quaſi inimico Dei contrarij erant; & propter hoc dixit, deſcendi. Et quia Deo contrarium dicebant, reſpondebat. *Non veni vt faciam voluntatem meam, ſed eius qui miſit me patris.* Nam licet videbantur colere patrem, ipſum tamen negabant, & ob hoc infirmitati eorum conſuluit, ſic loquendo. Alioqui quomodo is qui vbique eſt, vel qui omnia adimplet, demittitur, vel deſcendit? Vides igitur quòd propter Iudæos dixit, deſcendi de cœlo, non propter ſeipſum. Nullam habes excuſationem. Afferunt autem hic nobis & aliud teſtimonium apoſtoli dicentes. *Vnus Deus pater, ex quo omnia: & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Dicis quòd alius Deus præter patrem non ſit: & ego dico quòd præter filium alius talis dominus non ſit. Quid igitur? contendemus? Minime, abſit. Scimus enim propter quos, & quibus hæc Paulus dixerit, ſed audite diligenter ſermonem. Quia gentiles multos deos colebant, Iudæi verò vnum principatum. Vt ergo & multitudinem deorum, & principatum vnius ſimul auferret, dicebat: *Siue enim ſint dij multi & domini multi, ſiue in cœlo, ſiue in terra: ſed nobis vnus Deus pater.* Et dicendo vnus, ſuſtulit deorum multitudinem. Vbi enim vnus, ibi non ſunt multi: dicendo verò, pater, ſuſtulit principatum vnius. Vbi enim pater, manifeſtum quòd ibi & filius. Et propterea dixit: *Vnus Deus pater, ex quo omnia, & vnus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Vides quòd ad Gentiles & Iudæos ſermonem verterit Paulus, ob hoc dixit, Vnus dominus noſter Ieſus Chriſtus, per quem omnia. Quia omnia tam viſibilia, quàm inuiſibilia, de quo audi Ioannem dicentem: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt.* Vides quòd ipſe omnium eſt opifex. Non audebis, inquit, mihi oſtendere, quòd filius cum patre numeretur. Increduli quouſque non ceſſatis contradicere, peruertentes ſcripturas, vt filium ſimplicem dicamus creaturam vel facturam? Vultis cognoſcere quòd cum de filio verbum aliquod ſublime & Deo dignum audiunt, inſanire incipiunt, & putant in ora ſua amaritudinem immitti? eius rei vobis exemplum dicam! Cum quis morbis & febribus laborat, & paululum relinquitur ab eis, ſi ordinant medici, vt os eius melle obliniatur, faciantque id ſerui vt præcipitur: exiſtimat infirmus quòd amarum ſit mel, licet circunſtantes infirmum moneat dulciſſimum eſſe mel, videtur tamen infirmantis ori amarum, non quòd amarum ſit mel (quid enim dulcius melle?) ſed quòd ille qui mel accipit, infirmus eſt. Sic & illis contingit, cum audiunt conſubſtantialem, opinantur offundi ſibi amaritudinem, non quòd ſermo eius naturæ ſit, ſed quòd infirmæ illorum ſunt aures. Pater filium vocat, ſimiliter apoſtoli ipſi autem creaturam & facturã. Et quomodo filius creatura & factura? An idem eſt gignere, & creare? Si omnis qui gignit, creat, & omnis qui creat, gignit: colligemus omnes creaturas filios & genitos eſſe Dei: quia omnia per filium facta ſunt. Igitur qui creauit, idem etiam genuit. Vides quòd nati ſunt Dei, ſicut tu dicis? Quam diu eritis increduli? Dicite mihi, quomodo colatur filius, quandoquidem filius dicitur? Nónne & tu filius? ſed quid, quòd Deus dicitur, nónne & tu? Sed potes mihi dicere, Ille re filius, tu nomine. Ergò filius? Ecce os tuũ te redarguit. Ille enim nec factura, nec creatura, ille re filius, tu appellatione. Ille à ſolo patre genitus eſt, tu autem ex præiacente materia formatus. Hęc contra Gentiles, Iudæos, & hæreticos dicta ſint. Nos autem glorificemus patrem, & filium, & Spiritum ſanctum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Matt. 13.
1. Cor. 8.
Ibidem.
Ibidem.
Ioan. 1.
Simile.

REVERENDO IOANNI BELLAIO EPISCOPO *Pariſiorum, Germanus Brixius.*

EGO, antiſtes optime, quum me intelligerem iampridem in ære tuo eſſe, cogitarémque, quo potiſſimum munuſculo, ex iis opibus ſumptos quæ in cenſu meo in primis eſſent, poſſem tibi non dico contracta nomina diſſoluere (qui enim id poſſim?) ſed probatum ſaltem, ac teſtatum facere, quæ tu mihi olim beneficia largiter contuliſſes, ea te homini; ſi minus merito, at neque ingrato, neque immemori contuliſſe, mihi commodum Chryſoſtomus meus (meum hic appello, in cuius ſcilicet lectione ſtudia nunc noſtra omnia ſunt) de immenſo eloquentiæ ac doctrinæ ſuæ theſauro ſuppeditat; quod tibi maximè omnium conueniẽs munus offeram. Liber eſt, vt breuis, ita certè elegans, vt ſunt authoris illius ſcripta omnia, in quo quidẽ verum monachum, eúmque, qui cũ pietatis Chriſtianæ amore, ſacrarum literarum ſtudia coniunxit, cum mundi huius principibus confert, oſtendens interim illius felicitate, principum, diuitum, ac nobilium quorumuis felicitatẽ longè inferiorem. Quem ego libellum quum è Græco in Latinum vertiſſẽ, tibi non epiſcopo modo, & Pariſiorum epiſcopo, ſed & variis monachorum cœnobiis præfecto nuncupare, ac propter te in hominum manus emittere placuit: vt habeant, qui verè monachi ſunt (quos multos hodie eſſe non ambigimus, ex tot ordinis illius ſodalitiis) grauiſſimũ, non cuiuſlibet; ſed Chryſoſtomi, hoc eſt, authoris & eloquentiſſimi, & ſanctiſſimi teſtimonium, id ſe vitæ genus inſtituiſſe, quod non tantum non ſuppudendũ, ſuppœnitendúmque, ſed magnifaciendum, & vel ſummorum quorumque regum amplitudini ac ſplendori anteponendum ſit, poſſintque iidem quaſi ad trutinam quandam, eamque iuſtiſſimam dignè felicitatem ſuam appendere, metiri, agnoſcere. Te itaque pontifex digniſſime, non modò hortor, vt libellum ipſum per intermittentium iſtorum negotiorum interualla legendum in manus ſumas, verùm etiã ad eos omneis, qui in illis tuis cœnobiis degunt, monaſticam, quam dixi, vitam profeſſi, multis exẽplaribus mittendum cures. Sic enim intelligẽt te, vel in maximis iſtis occupationibus, quibus tu diebus ac noctibus pro republica diſtringeris, à Franciſco rege inter eos perpaucos adlectus, quos ille in ſanctioris ſecretiorisque conſilij ſui album aſcriptos eſſe voluit: ſic, inquam, intelligẽt illi, te paſtorẽ ſuum, per id etiam tempus, quo præſentia tua, per publicas iſtas curas, frui non poſſunt, ſui curam ac ſtudium adeò non abieciſſe, vt ipſos etiã ſummopere cupias ſic ad virtutis ac religionis Chriſtianæ cultũ compoſitos eſſe, vt ad eam tandem aſpirare felicitatem poſſint, quam illis diuus Ioan. Chryſoſtomus, non in hac ſolùm, ſed in ea quoque, quæ nos poſt obitũ manet, vita, promiſſam eſſe elegãtiſſimo hoc libello pronũtiat. Vale, & hoc tibi veluti animi erga te mei pignus, ac monumẽtum habe, donec maiori tecũ munere agens, benignitatis tuæ erga me prolixitatẽ, ſi non omni, at aliqua tamen parte remunerer. Ex Bertocuriano noſtro, Kalen. Ianuariis, M. D. XXXIII.

Diui Ioannis Chryſoſtomi libellus, in quo confert eum, qui in veriſſima ac Chriſtiana philoſophia vitam degit monaſticam, cum ſummo quoque mundi huius principe, Germano Brixio Altiſsiodorenſi interprete.

EGO quum intuear ex hominibus complures, quæ bona eſſe videntur, ea maiori & amore, & admiratione ſectari, quàm quæ natura ac veriſſimè bona ſunt, neceſſarium eſſe reor, breui oratione de vtriſque hic agere & componere inter ſe tum quæ vulgò neglectui ſunt, tum quæ magno mortales ſtudio ſequuntur, vt vtrorumque differentiam edocti, illa quidem vt ſeria, ac ſalutaria magni faciamus, hæc autem tanquã nihili æſtimanda contemnere diſcamus. Igitur magnopere expetuntur diuitiæ, principatus, imperium, gloria, ac beatos quidem vulgus eos ducit, qui gẽtium principes ſunt, qui ſplendidis vehiculis feruntur, qui præconum clamorem, ac ſatellitium magnum aſſequuntur. Contrà, philoſophantium vita, & eorum qui ſolitariæ vitæ inſtitutum delegerunt, deſpicabilis eſt: atque illi quidem dum fores prodeunt, ad ſeſe contuendos populum ipſum conuertunt: hi autẽ ſicubi apparuerint, nullius oculos, aut certè perpaucorum ad ſui ſpectaculum trahũt; & præterea horum nullus ſimilis eſſe cõcupiſcat: illorum contrà, nemo non: quanquam principatum quærere, gentis alicuius imperio potiri, arduum ſanè ac ſupra vulgarium hominum vires, ac quorum animis imperij amor inceſſit, iis magna pecunia opus. ſolitariam verò vitam eligere, Dei cultui vitam ſuam mancipare, æquè omnibus procliue ac facile. Adde quòd principatus poſſeſſio vnà cum vita hac deſinit, ſeu verius dicam, viuos etiam ſui amatores deſtituit: vt taceam hic multos olim exſtitiſſe; quos magnum in periculum, vel certè magnam in ignominiam coniecit. At ſolitudo iuſtos hac in vita bonis multis quum repleuerit, à vitæ exitu hilares ac ludibundos ad Dei & ſeruatoris tribunal ducit, quo potiſſimùm tempore eorum qui imperio functi fuerint, bonam partem magnas peccatorum in vita admiſſorum pœnas luere videas. Agè itaque contendentes inter ſe tum philoſophiæ bona, tum ea quæ hac in vita principatus ac gloriæ bona eſſe videntur, vtrorunque bonorum diſcrepantiam perdiſcamus: ſic enim collata apertiora fient: quin potius, ſi placet, ipſum bonorum faſtigium (regnum intelligo) cum philoſophia comparantes, vtriuſque poſſeſſionis fructus contemplemur, diligenter edocti, quibus rex, quibus rurſus philoſophus imperet: Rex igitur vrbium, regionum, tum multarum gẽtium præfecturam gerit, prætores, proprætores, exercitus, populos, ſenatus ſuo vnius nutu agens: at verò qui ſe ipſe totum Deo dedit, ſolitariamque vitam elegit, iræ, inuidiæ, auaritiæ, voluptati, cæteriſq; animi morbis imperat, aſſiduè ſpeculans, ac meditans, quẽnnam in modum non committat, vt ſuum animum obſcœnis affectibus non ſubiiciat, neu amaræ tyrannidi ratio inſeruiat; ſed ſupra res humanas omnes cogitationem ſemper erectam habet, Dei timorem animi morbis præficiẽs. Huiuſmodi igitur imperium rex, huiuſmodi item principatum monachus adeptus eſt: vt iuſtius quidem hunc regem voces, quàm eum qui purpura indutus, ac corona ornatus ſplendeſcit, throno in aureo ſeſſitas. Nam is demum verè rex eſt, qui iram, qui inuidiam, qui voluptatem cohibens, omnia ſub Dei lege agit, mentem liberam ſeruans, neque patiens voluptatum dominationem animo ſuo imperitare. Talem equidem regẽ libens viderem, & populis, & terræ, & mari, & ciuitatibus, & exercitibus iura dantem. Quiſquis enim animi affectibus rationem magiſtram præfecerit, is paruo admodum negotio & hominibus vnà cum diuinis legibus præfici poſſit, vt eundem patris lo-

A co ſubditi habeant, cum omni manſuetudine ciuitatibus conſuetudinis ſuæ copiam facientem. Qui verò hominibus imperare quum videatur, iræ tamen, auaritiæ, voluptatibus ſeruit: hic primum ſubditis ſuis ridiculus videri poſſit, hoc ipſo, quòd coronam quidem geſtat gemmis auroque intertexam, temperantiæ verò corona minimè inſignis eſt; & purpureo quidem paludamento toto corpore fulget, animum autem inornatum habet. Deinde idem hic ne adminiſtrandi quidẽ imperij ſcientiam habiturus eſt. Qui enim ſibi ipſe imperare neſcit, hic quo tandem modo alios legibus regere poterit? Quin ſi id belli genus, quod vterque ſibi peculiariter gerendum ſumpſit, ſpectare volueris, inuenies hunc cum dæmonibus depugnantem, eundemq; & ſuperantem, & vincentem, & à Chriſto coronam capientem: vtpote qui ad pugnam accedat diuino ſuſtentatus auxilio, cœleſtibus armis communitus, vt neceſſe quidem ſit victoriam B ab ipſius partibus ſtare, quum interim regem nullum cum Barbaris bellantem cernas: quantò autẽ hominibus dæmones terribiliores ſunt, tantò ſplẽdidior eſt, qui hos ſuperat, eo qui illos vincit. Quòd ſi vtriuſque belli cauſam perdiſcere cupis, magnã profecto inæqualitatem reperies: Alter enim pro pietate ac Dei cultu cum dæmonibus bellum gerit, vel vrbes, vel vicos ab errore aſſerere deſiderans: alter verò cum Barbaris digladiatur, pro locis, finibus, opibúſve raptis, illum auaritia, atque adeò iniuſti principatus ambitione ad pugnã prouocante: vbi certè plerique plerunque reges maiora cũ appetiuiſſent, iam parta amiſere. Itaque tũ principatus, tum ipſa bellorum genera arguunt, eouſque inter ſe diſcrepare & regem, & eum qui vitæ ſuæ ſtudiũ Dei cultui addixit, ſed tamen eoſdem illos exactè vtique pernoſcas; ſi ad vtriuſque vitam, quotidianaque geſta examinanda deſcenderis. C Reuera enim hunc inuenias cum prophetis verſantem, Pauli ſapientia animum exornantem, aſſiduè à Moſe ad Eſaiam, ab Eſaia ad Ioannem, à Ioanne ad alium quempiam tranſeuntem. At regẽ aſſidua centurionum, proprætorum, & ſpiculatorum conſuetudine abutentem. Porrò autem natura comparatum eſſe videmus, vt cum quibus aſſiduè quis verſatur, horum mores ſimiles habeat. Itaque qui ſolitarius viuit, is animum ſuum ad apoſtolorũ & prophetarum mores conformat. At rex ad mores ducum, ſcutatorum, ſatellitum, hominum vino ſeruientium, voluptatibus indulgentium bonam diei partem in potu conterentium, denique nullius rei neceſſariæ, aut honeſtæ ſcientiam, vino impediente, callentium. Hac ergo ratione monaſticã vitam conuenit ea beatiorem dicere, quæ principatu, quæ regno, quæ ſceptris conſtat. Quòd ſi & noctis tempus examinare voluerimus, monachum quidem videbimus Dei optimi cultu, ac precibus D inſignem multò ante gallinaceos tempore canentem, angelis conuictoribus vtentem, cum Deo colloquentem, cœleſtibus bonis fruentem: Eum verò qui multis gentibus, multis populis, atque exercitibus præeſt, quique terra ac mari latè imperat, in lecto diſtentum ac ſtertentem. Ille quidem cibis iis alitur, qui altum ob eo ſomnum minimè exigant: hunc autem deliciæ conſopiunt & potus, eundem in lectulo in ipſum vſque diem detinens. Iam monacho & veſtis, & menſa moderata, & conuictores eiuſdem virtutis æmuli. At regem neceſſe eſt & lapillis, & auro ſuperbum eſſe, menſamque extruere ſplendidam, tum conuictoribus vti, ſi quidem imprudens ille fuerit, ſua ſtolidiate dignis: ſin autem mentem habeat, temperanſque ſit, probis fortaſſe & iuſtis, ſed tamen virtute iis quos ante dixi, longe inferioribus, ita rex vt philoſophiæ deditus ſit, tamen ne tantillum quidem ad monachi virtutem propius accedere queat. Etenim in itineribus faciendis, ſubditis grauis eſt prætereà & vrbem ha-

bitans,

Digitized by Google

bitans, & pace fruens, & bello operam dans, tum A tributa exigens, tum exercitus conficiens, tum captiuos agens, & dum victor, & dum victus eſt, ſubditos propiis malis replet: victor quidē intolerabilis eſt, victoria ſeſe venditans, ac ſibi placens, tum militibus præbens licentiam rapiendi, deprædandi, viatores iniuria afficiendi, vrbes obſidione cingendi, pauperum domos depopulandi, ab iis à quibus excepti fuerint, ea quotidie exigendi, quæ nulla lex permittit, idque per cauſam priſcæ alicuius cōſuetudinis iniquæ & iniuſtæ. Quū interim nullū neſcio quē per huiuſmodi mala rex minimè lędit, ſed de paupertate tantū malèmeretur: perinde quaſi verè ille diuites vereatur. At verò non ſic monachus, qui ſimul vt cōſpectus fuerit, ſtatim tā diuitibus quàm pauperibus donū aliquod offerēs, vtriſque æquè munificū ſe præſtat, vno tantū amictu ad vitę ſuæ inſtitutū conformi vtens, tū aquam libētius bibēs, quàm vinū, quāmuis admirabile: pro ſe quidē nullā neq; paruam, neq; magnam à diui- B tibus gratiam poſtulans: pro indigentibus autem tum multas, tum cōtinuas, eaſque vtriſque conducentes, hoc eſt, tam iis qui largiuntur, quàm iis qui accepturi ſunt. Sic fit, vt communem ille agat medicū, diuitum iuxta & inopum, illos peccatis liberans per bonam admonitionem, hos ab indigentia eximens. At rex tributa dum minus grauia eſſe iubet, diuitibus magis, quàm pauperibus vſui eſt. Idem dum contrà facit, paucarū facultatum dominos lædit: nam diuiti tenuē admodum iacturā attulerit tributorū acerbitas: at eadē pauperum domos, tanquam torrens diſtrahit, fletu complens vicos: quum interim neq; ſenectus iis miſerabilis eſt, qui tributa exigunt, neq; mulierū viduitas, neque liberorum orbitas, quinimò proteruiendi finē nullum illi faciunt, communes quidā regionis hoſtes, quæ tellus nequaquā tulit, ea ab agricolis exigētes. Age verò & illud inſuper examinemus, quānā in parte C monachus, qua contrà in parte rex ſubditis beneficus ſit. Igitur hic quidē aurum largitur, illę verò Spiritus gratiā: pręterea idē hic dū bonus eſt, paupertatē ſoluit: ille autē animas dæmonū tyrannide oppreſſas precibus liberat: ac ſi quis forte huiuſmodi calamitate affligetur, is regē tanquā ſtatuam præterit, ad monachorum verò habitaculum confugit, quaſi qui conſpecti lupi timore ad venatorē gladium manu geſtantem fuga contendit. etenim quod venatori gladius, id preces ſunt monacho: neque ſanè ſic lupos gladius, vt dæmonas iuſtorū preces terrent. Itaque non nos modò ad ſanctos monachos, dum rei vſus poſtulat, confugimus, ſed vel reges ipſi ad eoſdem in temporibus formidandis, haud aliter quàm famis tempore mendicantes ad diuitum domos confugiunt. Nónne Achab Iudæorum rex per famem, & annonæ caritatem, in Eliæ precibus ſpem poſuit ſuam? Nónne Ocho- D zias illud idem imperium illum eundem principatum obtinens, æger, ac iamiam moriturus, inſtantem ſibi mortem quum videret, ad eundem prophetam confugit, tanquam morte potentiorem, ac vitæ largitorem? Atqui bello erumpente, Palæſtinaque in tantum adducta periculum, vt funditus excidenda eſſet, Iudæorum reges miſſo exercitu, miſſis peditibus, ſagittariis, equitibus, ducibus, centurionibus, ad Eliſei preces ſe receperunt, exiſtimabant enim Dei ſeruum ſibi multarum myriadum inſtar fore. Itidem & Ezechias rex bello Perſico conflato, iamque ciuibus ipſis pro aris ac focis in maximum pertractis periculum, iiſque qui pro mœnibus ſtarent, iam trementibus, metuētibus, ac perinde cōmotis vt cōmoueri homines ſolēt, quoties vel tonitruū vel terræmotū omnia quatientē expectāt, Eſaiæ preces multis Perſarū millibus oppoſuit: neq; ſua illū ſpes fefellit. Nā ſimul vt propheta manus in cœlū ſuſtulit, ſtatim Deus ſagittis è cœlo miſſis, Perſicū bellū confecit: reges erudiēs, eo ſe loco ipſius miniſtros habere debere, vt eos communes eſſe terræ ſeruatores exiſtiment, vt hac quidem ratione edoceantur per iuſtorum exhortationes, ad omne bonum atque humanum opus inuitati, tum conſilia reuereri, tum bonis admonitionibus locum relinquere. Proinde non ex iis ſolùm quæ dixi, vtriuſque diſcrimen cognoſcere licet, ſed ſi vſuuenerit & hunc, & illum deturbari: hoc eſt, hunc quidē à virtute deſtitui, illum autem regno priuari; nimirum hic paruo admodum negotio ad ſe redit: ac ſtatim per preces, per lacrymas, per mœrorem, per pauperum curam, peccatis abſterſis, de integro facilè ad priſtinum principatum recurrit. At rex ſolio deiectus quum fuerit, tum demum multis ſanè ſociis indiget; multis itē armatis militibus, equis, pecuniis, periculis: deniq; ſalutis ſuæ ſpem in aliis ſitam habet. Monachus verò ſalutem celeriter voluntati ſuæ, ſtudio, ac ſententiæ mutationi comitem habiturus eſt. Regnum enim cœlorum, inquit ille, in nobis. Iam mors regi Lucæ 17. terribilis eſt, eadem philoſopho minimè moleſta. Eum enim qui diuitias, voluptatem, delicias (quorū gratia vitam agitare multi concupiſcunt) deſpicit, neceſſe eſt migrationem ab hoc orbe haud ægrè ferre. Quòd ſi & hunc & illum iugulari contigerit, hic quidem pro pietate pericula ſibi accerſet, immortalem & cœleſtem vitam morte ſua cōparans. At rex tyrannum aliquem, & eum qui imperium affectat, iugulatorem ſuum habiturus eſt, miſerabile, idémque horrendum poſt cædem ſpectaculum. Adde his quòd monachus bonorū ſuorum affectatores habiturus eſt æmulatores ac diſcipulos, bona ex parte comprecantes, vt ipſius ſimiles euadant. At rex multos fruſtra in precibus ſermones inſumpſerit, Deum rogans, vt nemo exiſtat, qui regnum affectet. Præterea illum interficere nullus audeat, niſi ſi quis exiſtimaturus eſt impiū ſe in Deum futurum, ſi eum ſuſtulerit. Huic verò multi iugulatores ingruunt, tyrannidis affectatores. Quamobrem alter milites adhibet corporis ſui cuſtodes, alter vrbes precibus ſuis tanquam muro communit, neminem timens, quum rex perpetuo in timore, cōtinua in cædis expectatione viuat: ſecum enim circumfert auaritiā periculoſam, pro qua monachus tutam præ ſe fert ſalutem. Proinde de rebus quæ nos in præſenti vita circunſiſtunt, abunde mihi dixiſſe videor. Quòd ſi & certamen futurū examinare velimus, monachū quidē videbimus ſplendidū ac conſpicuū rapi inter nubes, ad occurſū Chriſti in aëra, exēplo ducis, & inſtitutoris huius vitę ſalutaris, omniumq; virtutū. At rex, ſi quidē iuſtè & humanè imperiū rexiſſe viſus fuerit ſuū (hoc autē admodū rarū eſt) minorē ſalutem, minorē honorē ſortietur: non enim idem, non, inquam, idem fuerit, bonus rex, & monachus, ſummā in Dei cultu curā ponens. ſin autē malum & importunū vixiſſe eum cōſtiterit, ac multis malis orbē repleuiſſe, quis tandē enarrare poſſit calamitates eas, quas ſuſtinere eum videbis, igni exuſtū, flagellatū, cruciatū, deniq; ea patientē, quæ neque verbo exprimi, neq; re ipſa tolerari poſſunt? Hæc omnia reputantes, atque ediſcētes, oportet nō diuites admirari: etenim conſtat horū dominium ne tantillū quidē ad monachi virtutē propius accedere. Ergo vbi conſpexeris diuitē veſte ornatū, auro ſuperbū, curru vectū, inceſſus magnificos incedentē, ne hominem beatum dixeris. Temporariæ enim diuitiæ, & quicquid bonum eſſe videtur, vnà cum vita hac corrumpitur. At monachum vbi videris ſingularem, humilem, manſuetum, quietum, pacificum, hominem æmulare, fac videare imitator philoſophiæ ipſius, fac preceris eſſe iuſti ſimilis. *Petite* enim, inquit, *& dabitur vobis*. Hæc enim verè Math. 7 ſunt bona, ſalutaria, iuſta, propter Chriſti benignitatem ac prudentiam: cui gloria & imperium per ſecula ſeculorum. Amen.

DOMI-

DOMINO AMANTISSIMO, AC MERITO VENERABILI PATRI MATTHÆO, Frater Ambroſius S.

EXegiſti à me iure tuo, ſenex optime atque ſuauiſſime, vt exercitij cauſa aliquid ſacrarũ literarum ex Græco conuerterẽ. Aiebas enim fore optimi auſpicij, ſi huiuſmodi monumẽtis primitias ſtudiorum meorum conſecrarem, facturumq́ rem conuenientiſſimam voto & inſtituto meo, ſi non minus ſtudij, operæ & diligentiæ in transferẽdis noſtratis philoſophiæ magiſtris oſtenderem, quàm feciſſent ætate noſtra, hodieq́ facerẽt nonnulli clariſſimi atque doctiſſimi viri familiares noſtri in conuertẽdis externæ ſapientiæ authoribus.

B *Ego itaque etſi viris illis ingenio, doctrina, ſtudio lõgè inferior ſim, nullaq́ his ratione conferendus: nihil tamẽ mihi minus integrum exiſtimaui, quàm votis tuis, tuæq́ adeò rationabili deeſſe poſtulationi: negotiumq́ iſtud transferẽdi, fretus iuſſione atque authoritate tua, vtinam tam fauſtè & feliciter, quàm promptè & obtemperãter aggreſſus ſum. Sed cùm aliquid trãsferre cuperem, quod propoſito noſtro, & vitæ inſtituto maximè conduceret, opus egregiũ offendi beatiſſimi Ioãnis Cõſtãtinopolitani epiſcopi, cui Chryſoſtomi cognomẽ oratio aurata dedit, tres in libros diſtinctũ. Quo in opere ſummus ille vir philoſophiã noſtrã contra vituperatores & derogatores omnes, ita magnificè, tantaq́ vel orationis dignitate, vel argumentorũ vi, vel ſententiarũ vbertate tuetur,*

C *vt omnibus poſthac maledicis ora perpetuo ſilentio obſtruxiſſe videatur. Id igitur eò libẽtius conuertere inſtitui, quò noſtris ſummæ ſpei adoleſcẽtibus, atque omnibus vbique monachis ſummo & ſolatio & vſui fore arbitratus ſum: cùm illi cauſam ſuam animaduerterint à præſtantiſſimo viro ante mille annos, tãta vel cura ſuſceptã, vel elegãtia & vbertate defẽſam. Præterea plurimorũ qui vitæ præſentis cõmodis & voluptatibus addicti, monaſticæ vitæ inſtituta carpere non deſinunt, hoc ſtudio & labore noſtro vel reprimendã audaciam, vel inſtruendam ignorantiã putauimus. Eſt enim incredibile, quantũ negotij, quid moleſtiarũ ab eiuſmodi hominibus perpeti cogamur: quantumq́ illi nobis obſtrepant; ſi quando illorum liberos, aut propinquos, aut alia aliqua ex parte neceſſarios; Chriſti ſe milites profiteri, atque in eius ſacramẽta iurare cupientes, in noſtrũ*

D *cœtum admiſerimus. Quod item ferè monaſteriis omnibus, & religioſis congregationibus contingit. Quorũ in manus libri iſti ſi inciderint, nonnihil de irrationabili furore, & incõſultiſſima indignatione remittẽt, & niſi fuerint penitus excordes, manus etiã fortaſſis dabũt, cùm viderint ſe tot & tã variis doctiſſimi viri rationibus cõcluſos & circũſcriptos. Tu itaque, mi ſenior optime & iucundiſſime, hos libros ita leges, vt ab ingenio parum exercitato traductos memineris. In quibus ſi quid incõcinnius dictum offenderis, offendes autem plurima, imperitiæ interpretis imputes velim. Neque enim tantũ mihi arrogo, vt putẽ me eloquentiſſimum virum pari orationis luce trãsferre potuiſſe; imò verò nõ ambigo, quin illũ ſeſe longe inferiorem, in lingua noſtra videri fecerim, cùm in ſua, hoc eſt, in Græca, incredibili facilitate & vbertate fluat. Quibus ego in rebus illũ, ſi vt erat optimi officiũ interpretis, imitari nõ potui, tibi inprimis, pater optime, imputare*

A *debebis, qui immemor virium noſtrarum, eaſq́ amore potius, quàm ratione metiens, rem doctiſſimorum hominum ab imperito requiſiſti. Ego enim cum tuã iſtã iuſſionẽ mihi minimè ſpernendã, ſeu detrectandam arbitrarer, malui in me eloquentiã deſiderari, quàm fidẽ. Eſſet enim profectò parũ grati, & minimè officioſi animi, huiuſmodi abs te iniunctũ munus recuſare, cum Græcas ipſas Latinaſq́ literas tuo potiſſimùm beneficio & auxilio ſim conſecutus. Cordi verò eſt, ſi hoc exercitationis genus gratũ tibi eſſe cognouero, ſiq́ tua fuero authoritate confirmatus, gratiuſq́ otio noſtro cõſulueris: nonnulla etiã eiuſdẽ viri monumenta (ſunt autẽ ferè innumerabilia) ſimili ſtudio ac labore cõuertere, tuoq́ dicare nomini, vt hoc vel minimo officio, incredibili in me amori tuo ſatisfaciam: ita tamen, vt pro iſto qualicunque labore meo, ampliſſimum ſemper orationum tuarum munus abs te repoſci intelligas.*

DIVI

IOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ liber primus,

Ambroſio Camaldulenſi interprete.

CVM templum illud peruetuſtum & percelebre, quod Hieroſolymis fuerat, multis annis euerſum atq; ſolo adæquatum, longiſſima captiuitate redeuntes erigere, atque inſtaurare Hebræi cuperent: tum verò feri quidam, ac barbari, immanéſque homines, quos neque tantæ virorum cladis miſericordia vlla ſubierat, ex qua ſerò ſe tandem, vixque receperant, neque diuinæ animaduerſiionis metus admonuerat, quæ ſolet eiuſmodi audaces ac facinoroſos e veſtigio ſubſequi, primùm quidem per ſeipſos nitebantur cœptæ eos ædificationis ſtudiis arcere. Cùm verò nihil proficerent, datis ad regem ſuum literis, in quibus ciuitatem illam defectionis, nouarumque rerum ſtudioſam, ac bellicis rebus aſſuetam appellabãt, perſuaſerunt tandem, vt ſibi eiuſce impediendi ædificij facultas omnis permitteretur. Hac igitur accepta poteſtate, cùm ingenti equitum manu viros adorſi, interruperunt opus interim. Et elati, inquit, ea victoria gloriabantur: qui ſi quid ſibi cordis fuiſſet, ingemiſcere ac lugere debuerant, nihilque poſthac eiuſmodi moliri: verùm id erat profectò exordium quoddam, atque principium eorum quæ ſe protinus apprehenſura erant malorum. Opus enim illud proficiebat indies, egregióque ſucceſſu, & præclaro fine claudebatur. Tum interim illi didicerunt, ac per illos vniuerſi, quòd non homines profectò oppugnare perrexerant, neque Mithridates modò tunc, aut alius quiſpiam, ſed quiſquis omninò eis hominibus aduerſus infeſtúſque eſſe maluerit, qui boni aliquid agere inſtituunt, ipſum potiſſimùm qui per illos honoratur, Deum oppugnare contendunt. Is autem qui aduerſus Deum bellare inſtituit, clementiori fine deſinere nunquam penitus valebit: aut is qui eiuſmodi eſt, initio quidem facinoris, nihil fortaſſe patietur mali, Deo illum ad pœnitentiam vocante, atque admonente, veluti ex quadã ebrietate reſipiſcere. Sin verò in hac amentię ſuæ temeritate perſtiterit, nihilq; ex tãta clemẽtia diuinę patiẽtię fuerit lucratus, certè vel aliis ſumma cõferet emolumenta, pœna ſua erudiẽs, atque admonens,

nunquã prorſus vlla ex ratione aduerſus Deũ pugnare inſtituere, quòd impoſſibile ſit, excelſam illã inuictamq; effugere manũ: denique eiuſmodi ſtatim illos apprehẽſos inuoluerunt clades, quæ magnitudine ſua tragœdias omnes vinceret. Poſt enim ingentẽ illã ſtragem, atq; innumeras cędes, quas in illos eorũ qui tunc prohibebantur exercuere manus, madeſcebat altiſſimè cæſorũ ſanguine infecta humus, lutũq; plurimũ ex eo cruore gignebatur. Corporibus autem æquorũ, atque hominũ ſimul mixtis, eorũdq; vulneribus inuicem ſe tangentibus, atque cõprimentibus, tanta vermiũ, tamque incredibilis multitudo gignebatur, vt cum terra multitudine cadauerum operiretur, hæc eadem rurſus vermibus abſconderentur. Diceret profectò qui tunc locũ illum vidiſſet, non inferius ſubiecta mortuorum corpora, verùm fontes eſſe quàplures, plurimis ex locis emanãtes genus illud animantiũ: adeò omni inundatione vehementius ex putredine illa exundabat ingens vermium vis. Atque id nõ per dies decem, aut viginti factum eſt, ſed per plurimum temporis. Et ea quidem quæ hic perpeſſi ſunt, eiuſmodi fuere: quæ verò illos in futurum manent, longè his acerbiora ſunt & diriora: Neque enim mille annis, aut decem millibus, non bis térq; totidem, ſed infinitis ſeculis, animata tũc corpore tormenta illa cruciatuſque ſempiternos ſuſtinebunt. Quæ quidem vtraque, tum Eſaias beatiſſimus, tum admirabilium viſionum ſpeculator Ezechiel nouit: Qui eiuſmodi hominum inter ſe diſtribuentes cruciatum, alter quidem præſentis tẽporis, alter verò futuri ſupplicia proſecuti ſunt. Atque ego horũ non fruſtra, nec ſine certa ratione modò mentionem feci. Nam profectus ad me quidam mihi admodum familiaris nuntium attulit plenum amaritudinis, anxietatis, mœroris, atque ingentis aduerſus Deũ contumeliæ. Quoſdã enim eſſe homines, qui hodieque fere eadem, ac prorſus ſimillima barbaris illis facinora auderent, quin multo quoque immaniora. Eos enim qui ad philoſophiã hortari pergunt, vndique exagitare, expellere, exterminare, eiſque ſub ingentibus minis interdicere, ne quid omnino tale vnquam aut loqui, aut docere aliquẽ præſumant. Hæc ego cùm audiſſem, vehementer commotus, exclamaui protinus, eúmq; qui iſta proſecutus fuerat, ſollicitè, ac iugi interrogatione cõpellabam, ludóne, vt ſæpe fit, an ſeriò iſta loqueretur? Minimè verò, inquit ille. Nũquã enim ioco iſta cõfingerem, aut loquerer, quæ plurimi redemiſſem, votiſque omnibus exoptauiſſem, ne nunc quidẽ quãdo facta ſunt, vel ſola aure percipere. Tum verò ſummo dolore affectus, atque acrius ingemiſcens: iſta, inquam, profectò tantò ſceleratiora eis ſunt, quæ Mithridates illiq; omnes peccauerunt, quantò templum hoc noſtrũ illo eſt purius, honeſtius, ſanctius. Sed quinam iſti, quæ ſorte, aut vnde ſunt, qui talia præſumũt? Vt quid, quáve ex cauſa, vel ad quem finem reſpicientes, lapides in ſublime iaciunt, teláque in cœlũ iaculãtur, atque aduerſus Deum pacis pugnare contendunt? Sameas enim, & Pharatei, Aſſyriorum principes, omnéſq; reliqui & barbari erant, quod ex ipſis nominibus manifeſtum eſt, & longè aliis quàm Iudæi moribus degebãt: nolebántque vicinos, adiũctóſque ſibi homines multiplicari, quòm illorum vires fore vt ſuã potentiam obſcurarent atque deiicerẽt, arbitrarentur. At verò iſti quãnam ſibi adepta ſeu imminuta libertate, quãnam ſublata quiete ac tranquillitate, quibuſue principibus nixi tale facinus admittere auſi ſunt? Illi enim Perſarum reges habuere, quorũ authoritate atque conſilio iſta gerebãt: at verò noſtri contraria his penitus, vt mihi quidem ipſe perſuadeo, & cupiunt, & optãt. Itaque vehemẽs me tenet hæſitatio, quòd regibus ſub pietate degentibus, hæc tũ tam nefaria ſcelera mediis in ciuitatibus fieri aſſeris. Quid verò, inquit ille, ſi his quoque mirabiliora didiceris? Ipſi enim illi qui iſta peragũt, & pios ſe videri volunt, & Chriſtianos appellari. Plurimi autẽ ex his iam etiã initiati ſunt. Audiui ego ex his quendã diabolico ſpiritu vehementer inſtinctũ, qui lingua ſua iniquiſſima atque nefaria ſe à fide receſſurũ, & idolis immolaturum dicere auderet: diſrumpi enim ſe, ac penè ſuffocari iracũdia, intuentẽ homines liberos, nobiles, copiis omnibus locupletes, vitámque deliciis plenã degere valentes, ad hanc ſeueritatem vitæ, duritiamque propoſiti abduci, atque nolẽtes pertrahi. Tum ego his auditis, acerbiori atq; diriori vulnere percuſſus ſum, & ex hoc vno, mala iam omnia coniiciens, orbẽ ſimul flebã vniuerſum, atque ad Deum ipſum conuerſus dicebam: Tolle animã meã à me, & de neceſſitatibus erue me, & ex hac vita morti obnoxia libera me: atque ad illum locũ transfer, vbi nec alius aliquis quicquã eiuſmodi loquetur, neque ipſe loquentem audiam. Noui equidẽ, quòd hinc excedentẽ exteriores excipient tenebræ, vbi fletus ingens erit, ac ſtridor dentium. Verùm mihi longè iucundius & gratius eſt, dentes audire ſtridentes, quàm iſta verba reſonantes. Videns autem me ille vehementiſſimè lugentem, ac animi furore confectum, non, inquit, hæc modò tempus poſcit: neque enim his lacrymis eos qui iam perierunt, & quotidie pereunt recuperare vnquam poteris: nec enim reor perniciem iſtam finem habituram. Magis verò quod noſtræ partis munus eſt; prouideamus diligenter, quatenus rogum iſtum extinguamus, finémque peſti tam immani ſtatuamus. Quòd ſi mihi morẽ gererẽ volueris, his fletibus omiſſis, literis tuis eos omnes admonebis, qui eiuſmodi ſunt, quique cõtra ſuam cunctorúmque ſimul hominum ſalutẽ ſeditionis turbines excitant. At ego hoc aſſumpto libro medicaminis cuiuſdam vice eiuſmodi hominibus legendum tradam. Sunt enim mihi ex his plerique coniuncti amicitiis, qui patienter & ſemel, & bis, & ſæpius perlegent: atque celeriter, vt certus ſum, hac liberabuntur peſte. Tu quidem, inquã, charitate tua vires etiã metiris noſtras, mihi verò nulla ferè vis dicẽdi ineſt: & ea quæ ineſſe videtur, in hac præſertim materia vti vehemẽter piget. Vereor enim cùm cæteros, tũ maximè gentiles omnes, quique modò ſunt, & qui poſthac futuri ſunt, quorũ ego nõ ſegnius vitæ, morúmque negligentiam, quàm doctrinæ peruerſitatẽ ſemper arguere & carpere ſolitus, timeó ne ipſi noſtra per me modò doceantur mala. Nam ſi qui ex illis fortè perſenſerint, eſſe apud Chriſtianos quoque genus hominũ adeò virtuti ac philoſophiæ inimicum, vt nõ modò eius gratia laborare negligant, verùm ne vllum quidẽ verbum de his fieri ſinãt: nec iſto ſaltẽ inſaniæ furore cõtenti, ſi quis hæc cõſulere vel loqui perrexerit, hunc exagitẽt, hunc vndique exturbent: Hæc, inquã, illi ſi compererint, vereor ne tandẽ ne homines quidem nos eſſe exiſtiment, ſed feras belluas, ac portẽta horrenda, humanæ formæ lineamẽtis adumbrata, dæmonéſque noxios, atque naturæ cõmunis inimicos: nec de his modò qui rei ſunt, verùm de vniuerſa gente noſtra hanc profectò ſententiã ferent. At ille ridẽs, ludis ipſe planè, inquit, iſta dicens. Ego enim opportunè te iſta cura leuabo: quid enim vereris, ne ex verbis tuis id addiſcant, quod dudum ex operibus ipſis vniuerſi didicerunt? Nam velut nequiſſimus aliquis ſpiritus omniũ ſimul animos occuparit atque expleuerit, per cunctorum ora hæ fabulæ ſermonéſque vertuntur. Si enim vel in forum te contuleris, aſpicies tum in tabernis medicorũ, tum in qualibet vrbis parte, vbi ſedẽ habere ſolent hi qui nihil operari volunt, ingentem riſum ab omnibus moueri: riſus autem huius & comœdiæ materia omnis eſt eorum, quæ aduerſus ſanctos viros geſta ſunt, iucunda ac feſtiua narratio. Vt enim generoſi quidam, atque inſignes bellatores, qui multas pugnas con-

confecerint, hoſteſque ſæpius fuderint, geſta ſua fortia narrare gaudet: ita & iſti in ſuis facinoribus geſtiunt, hiſque ornari ſe putant. Denique audies hunc dicentē: Primus ego manus in illum monachum inieci, eumque verberibus affeci. Alius verò refert: at ego ante alios illius cellulā inueni. Econtra alius: ego verò omnibus magis iudicem aduerſus illum concitaui. Alius carcerem, carceriſque ſupplicia proſequitur, quodque per forū ſanctos Dei traxerit, laudis in parte conſtituit, alius item aliud: deinde ſimul omnes cachinno ſublato ſuper his gaudent, exultant, triumphant. Atque hęc quidem in conſeſſibus Chriſtianorum fiunt. Gentiles verò & hos irrident, & qui ab his irridentur: hos quidē quod iniquè egerint, illos autem quòd malè affecti ſunt, cunctaq; prorſus quaſi inteſtino quodam bello cōpleta ſunt: quin multò quoque illud atrocius bellum, quàm illud eſt. Nam qui bellum illud bellauerint, quoties eius poſtmodum illis in mentem venerit, eos qui id mouerūt, authoreſque fuerūt ciuilis diſcordiæ, maledictis omnibus inſectantur, malaque illis imprecantur omnia, dæmoni cuidā iniquiſſimo cuncta, quæ in illo geſta fuerint, accepta referunt. Et ibi quidem tantò ampliore quiſque ſuffunditur pudore, quantò maius quàm cæteri facinus aliquod admiſerit. Iſti autem ſuo ſcelere atque audacia ſe ornatos exiſtimant. Neque idcirco tantum hoc bellum illo ſceleratius, atque funeſtius eſt, quòd aduerſus ſanctos & innocentes viros, & qui neminem penitus iniuria laceſſierint, fit: verùm quòd aduerſus eos fit, qui nulli nocere, aut male facere nouerunt, pati verò tantūmodo parati ſunt. Tum ego, cohibe, inquā, te quæſo cohibe, ſatis iam eiuſmodi narrationum, quibus niſi me enecare mauis, ſaltem modicū hoc virium quod ſupereſt mihi relinquens, miſſum me facito. Equidem libenter mandatis tuis obſequar: tu tantū nihil nobis amplius eiuſmodi enarres, ſed abiēs precare, vt diſiecta atq; diſſipata mœroris nebula, momenti aliquid, atque adminiculi accipiā ab illo qui oppugnatur Deo, in eorum qui ſe oppugnant medicinā atque ſanitatem. Dabit autē id penitus, quippe clementiſſimus cùm ſit, malitque cōuerti peccatores, ac viuere, quàm emori. Sic itaque illo à demiſſo, ſcribendi negotiū hoc protinus arripui. Nempe enim ſi hoc tantū malum eſſet, atque in eo totius rei cardo verſaretur, quòd ſancti illi, atq; admirabiles viri traherētur, affligerentur, excruciarentur, necarentur, abducti ad iudicia, atque cæſi, cæteraque id genus perpeſſi, quæ modò enarraui: nullūque ex his detrimentum in eorum cōuerteretur caput, qui eiuſmodi facinoroſi ſunt, in tantū abeſſet, vt in his dolore aliquo, aut mœrore cōmouerer, vt etiam iucundiſſimè atque vbertim riderē. Nam & infantes pueri quoties quidem ſine ſuo periculo feriunt matres, riſum illis vel copioſiſſimū mouent: quantoque vehementiore cum iracundia percuſſerint, tantò maiore illas voluptate afficiūt, ita vt effundātur ſæpius, atque incuruentur, & penè diſrumpantur riſu; ſin verò dum id ingerit infans, ac validius facit, vulneretur aliquādo, ſiue acu circa zonam tunicę matris affixa, ſiue radio maternis pectoribus appenſo, ferientis manū excipiente: tunc verò, tūc omiſſo riſu mater, maiore, quàm is qui vulneratus fuerat, atque acriore dolore cōſtringitur, & interim quidem curat, fouet atque alligat vulnus: ex hinc verò maximis minis, ne quid iam tale agat, interdicit, ne rurſus patiatur eadem. Itaque & nos idipſum feciſſemus, ſi puerorū hanc eſſe iracundiam conſpiceremus, aut eſſe hanc infantium plagam, nec ſummā illis perniciem inferentem. Quoniam verò poſt modicū, & ſi ipſi modò non ſentiāt, furore ſcilicet atque amentia præcipites, ingemiſcent, flebunt & lamentabūtur: nec eiuſmodi fletum flebunt, cuius infantes pueri, ſed eum qui in exterioribus tenebris, ignique inextin-

A guibili agitur: paria item matribus faciamus, hoc tātùm ab eis differentes, quòd nos non cum interminatione aut iniuria, vel contumelia, vt illæ faciunt, verùm blandiſſimè, ſummaque cum lenitate ac manſuetudine pueros iſtos alloquemur. Nempe quòd ſancti illi viri nihil ex huiuſmodi lædantur, nihilque omnino detrimenti patiātur, quinimò & merces illis copioſior, & fiducia maior augeatur. Si quidem futura bona adduxerimus in mediū, atque ex his trahere argumenta voluerimus, affatim fortaſſe ridebitis: quippe qui eiuſmodi riſum ſemper ex inſtituto veſtro ridere ſoleatis: his tamē, quæ ante oculos ſunt, quæ tenentur, profectò creditis, etiamſi millies ridiculoſi eſſe perſtiteritis: neque enim his fidem nō habere poteritis, ne ſi volueritis quidem, rebus ipſis ita eſſe clamantibus. Neronem prorſus ex fama nouiſtis: vir enim impudicitia, ſce- B leribuſque omnibus inſignis fuit, primuſque ac ſolus in tanto imperij culmine, nouos quoſdā laſciuiæ, flagitij, atque turpitudinis modos excogitauit, exquiſiuit, inuenit. Hic itaq; Paulo beatiſſimo (vno enim eodemque tempore vitā iſtam agebant) eiuſmodi ac prorſus ſimillima crimina obiiciens his quæ vos modò ſanctis viris obiicitis. Pellicē enim eius, quam ille deperibat, atq; in deliciis habebat, cùm induxiſſet fidei ac religionis ſacramenta ſuſcipere, perſuaſerat vnà inceſtū illum impurumq; congreſſum declinare: hæc, inquam, ille crimina obiectans, corruptoremque nequam, flagitioſum, atque nebulonē, & his ſimilia, quæ vos modò perſtrepitis, Paulum vocitans, primùm quidem coniecit in vincula: cùm verò vt puellæ eiuſcemodi monita atque conſilia dare deſineret, illi perſuadere non poſſet, necauit tandem. Quid igitur ex hoc vel detrimenti ei contigit, qui paſſus eſt mortem, vel emolumenti ei qui intulit mortem? Imò verò quid C non emolumenti fuit tunc necato Paulo? quid nō detrimenti necanti Neroni? Nónne vt præſentia tantum interim loquār, alter ex his vbique per orbem terrarū canitur, atque laudatur: alterius verò tanquam reuera corruptoris, perditiſſimiq; ganeonis, dæmoniſque cuiuſdam ferociſſimi nomen carpitur, probriſque omnibus apud omnes afficitur? ea verò quæ in futurum contingent, etſi vos minime credatis, propter eos tamen qui credūt, neceſſe eſt me dicere: quanquam ex his quæ coram ſunt, quæ videntur, illis etiā credere debueratis. Verùm vos quoquo animo iſta acceperitis, dicētur à nobis, nec occultabuntur. Quænam ergo illa erunt? Infelix quidem ille & miſerrimus, ſqualore ac ſordibus obſitus, confuſioniſque caligine repletus, mœrēs, triſtis, demiſſus, anxius, eò abducetur, vbi vermis immortalis eſt, ignisque inextinguibilis: Paulus verò beatiſſimus ingenti cum gloria atque cō- D fidentia, ad ipſum aſtabit Imperatoris ſolium, clariſſimo fulgore radians, tantaq; amictus, ac tam inſigni hilaritate, vt angelis ipſis atque archāgelis in nullo inferior ſit, tātamq; recipiet mercedē, quantā recipere par eſt hominem, qui pro Deo, Deique legibus, ac ſcitis, ſeipſum atq; animā ſuam deuouerit, expoſuerit, dederit. Ita enim ſe res habet, parata quidē eſt his, qui ſe in rectè factis exercēt, ingēs premiorū retributio: maior tamē ea fit atq; auctior, quoties qui bona iſta operātur, etiā pericula ſubierint, neq; fuerint vlla ignominia, vlloque dedecore, quò minus id quod rectè inſtituerant, proſequātur impediti. Nam & ſi rectē quodlibet factū nihilo deterius ſit in eo qui ſine labore id perfecerit, honores tamē & coronæ pares profectò nō erunt. Nam & in bello coronatur quidem qui ſigna contulerit, hoſtémq; fuderit: longè tamen illo glorioſius, qui & vulnera præ ſe fert, per quæ fuſi hoſtes, victoriaque parta eſt. Quid autē hoc de viuētibus dico, quandoquidem & hi qui hoc tantum dederint virtutibus indicium, vt in bello præclarè occumberent, nihilque commodi vel emolumenti

ciuibus ſuis aut patriæ morte ſua pepererunt, tanquam rectores & conſeruatores ciuitatum prædicantur vbique per omnem Græciam? Quanquam vos illa quoq; ignoratis, riſui & deliciis dediti ſemper, & voluptatibus addicti: ſin autem gentiles homines, nihil que ferè ſanum ſentientes, iſtud conſpicari potuerunt, ſummiſque honoribus eos proſecuti ſunt, qui pro ſe, pro patria, pro liberis ſuis mortem obierunt, nihilque præſtiterunt amplius præter indicia beneuolentiæ, egregiæque in patriā ſuam voluntatis: quātò magis Chriſtus hoc faciet, eóſque vbique qui propter ſe periclitantur, largiſſimis effuſiſſimiſque munerum præmiis augebit? Non enim ille perſecutionum tantùm, aut verberum, carceriſve, vel necis, aut cędis mercedem ſtatuit: verùm nudæ quoque contumeliæ, verbiſque (Matth. 5) iniurioſis præmia perſoluit ingentia. *Beati enim,* inquit, *eritis cùm vos oderint homines, & cùm ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Si igitur & pati & audire, male patientibus atque audientibus præmiorum incrementa cumulóſque largitur: quid obſtat quò minus talia fiant, nō iſtis ſanè, ſed eis qui malè & faciūt, & dicunt, proſpicit: his enim ferè etiam nocet, mercedis illis partem maximam abſcindens, cauſamque ac materiam gaudiorum, clariſſimarúmque coronarum auferens. Quocirca hæc etiam omittere ſatius fortaſſe fuerat, ne quid inſtituti cœleſtis æmulis detrimenti afferremus, ex quibus profectò incredibile eſt quantas & quàm ingentes bonorum copias, quantúmque confidentię conſequantur. Verùm, quia ſumus inuicem membra, & ſi iſti etiam oblatam gratiam ſuſcipere abnuant, minimè conuenit ita affectis, vt nos ſumus, vnius membri curam habere, alterum negligere. Namque ſanctis illis, & ſi modò minus affligantur, alia probitatis occaſio ſuppetit, qua & eorum virtus eluceat, & æternis præmiis afficiantur: iſtis verò niſi ab hac pugna deſtiterint, nulla iam ſalutis ſpes relinquitur. Itaque noſtris illis omiſſis, ad vos redeo, oróque & obſecro precibus noſtris obtemperetis, nec vltra contra voſmetipſos, atque in veſtram perniciem ferrum impellatis, neu calcitretis aduerſus ſtimulos, ne dum putatis mœrore homines afficere, Spiritum ſanctum contriſtetis. Scio equidem, & planè perſuaſum habeo, quia ſententiam hanc noſtram, atque conſilium, & ſi non modò, certè paulò poſt probabitis atque laudabitis. Cæterum illud nunc malo vos facere, (Lucæ 16.) ne poſtmodum id fruſtra faciatis. Nam diues ille quidem cum hanc vitam degeret, prophetas & leges, legiſque monita fabulas eſſe & deliramenta quędam exiſtimabat: cùm verò vita exceſſiſſet, adeò in admiratione atque honore ea habuit, quæ antea velut inania & friuola irriſerat, vt cùm planè intelligeret, nihil ſe commodi ex eius laudibus conſequi poſſe, patriarcham orauerit, vt aliquem ab inferis mitteret, qui ea quæ ibi gererentur, in terris annuntiaret: id ſcilicet veritus, ne & ipſi paterentur eadem, atque ſcripturas interim ſacras irridentes, tunc eas admirari inciperent, cùm ex ea admiratione & honore nihil emolumēti conſequi valerent. Et certe nihil ille tale egit, quale vos. Ipſe enim & ſi nihil ex ſuis communicauit Lazaro: non tamen eos qui id agere vellent, prohibuit, aut afflixit, aut repulit, vt modo vos facitis. Neq; hinc modò illum crudelitate, atque immanitate ſuperatis, verū aliunde quoque. Sicut enim par ac ſimile facinus non eſt, nihil quempiam boni facere, & alios facere volentes prohibere: ita profectò ſimile non eſt, cibum carni morituræ denegare, & eum qui philoſophiæ vehementiſſimam patiatur eſuriem, ne ab aliis quidē paſci ac recreari permittere. Itaque duabus ex partibus ſæuum illum atque immanem diuitem crudelitate viciſtis, quòd & alios pro-

A hibeatis famem extinguere: quodq; cum animam ſuffocari videatis, tanta oſtenditis immanitatis indicia, vt ne aliis quidem opem ferre volentibus, liberè id per vos fieri liceat. Eiuſmodi ſcelus aliquādo Iudæi quoq; admittere auſi ſunt, cùm apoſtolos ne viam ſalutis homines docerent, vehementer perterrere vellent: quos tamen & ipſos iniquitate tranſcenditis. Illi enim cùm ſe palam profiterentur inimicos, vniuerſa illa gerebāt: vos amicorum perſonam quandam atque adumbratam aſſumentes imaginem, inimicis omnibus deteriora molimini. (Actor. 5.) Verberibus illis, atque cōtumeliis tunc ſanctos illos viros afflixerunt, infamiaque & probris affecerunt, magos eos, atque ſeductores appellantes: verùm illos eiuſmodi continuò corripuere clades, vt nulla iam penitus calamitas ſit, quæ poſſit eorum caſibus vlla ratione comparari. Itaque primi & ſoli ex omni hominū memoria ea paſſi ſunt, B quæ modò memorabimus. Atque horum certiſſimus prænuntiator ipſe Chriſtus eſt, ſic dicens: *Erit vexatio magna, qualis ab initio ſeculi non fuit, neque poſt erit.* (Matth. 24) Igitur ea quidem omnia quæ illi paſſi ſunt, proſequi non huius eſt temporis: pauca tamē ex multis ſtrictim breuiterque neceſſariò dicenda ſunt. Verbis autem vtar non meis, ſed Ioſephi hiſtoriographi, Iudæi hominis, qui eam hiſtoriam conſcripſit diligenter. Quid ergo ait ille? Cùm enarraſſet incenſum templum, communeſque illos caſus enuntiaſſet, ita intulit: (De bello Iudaico lib. 7. c. 7. & 8.) Et templum quidem hoc in ſtatu erat: eorum verò qui per ciuitatem fame occumbebāt, infinita penè cadebat multitudo, atque inenarrabiles continebāt clades. Nam per vnamquamque domum, ſicubi ciborū veſtigium vllum forte appareret, bellum inerat, atque aduerſum ſe inuicem manus conſerebant, qui hactenus erant amiciſſimi, ac infelix animæ viaticum eripiebant, ne morientibus quidem, quòd cibo indigerent, fi- C des habebatur: ſed eos quoque qui animam efflabant, latrones perſcrutabantur, ne quis forte ſimulata morte cibum ſinibus occuluiſſet. Alij verò fame hiantes, canum inſtar rabie furentium, ſpe omni deſtituti ferebantur, amentia præcipites, atque oſtiis impingebant, vt ebrij. Præ deſperatione autem, & quòd aliquid ſemper inuenire ſe poſſe exiſtimarent, in eandem domum vna hora bis terque irrumpebant. Cuncta verò ſubigebat dētibus ſæua neceſſitas, & ea quæ ne ſordidiſſimis quidem, & brutis animantibus vſui fuiſſent, legentes manducare ſuſtinebant. Nec cingulis quidem ipſis, atque calceamentis poſtremò abſtinuerunt, ſcutiſque detracta coria mandebant. Eſca autem, inquit, erat fœni laceri quod reliquum inueniri poterat. Purgamenta item cuiuſque rei nonnulli colligentes, minimum eorum pondus atticis quatuor vendebāt. Et quid me neceſſe eſt famis improbitatem in rebus inanimis perſequi? Opus vnum eius enarrare pergo, quod neque apud Græcos, neque apud D Barbaros contigiſſe vnquam memoratur, dictu horrendum, atque incredibile auditu. Atque ego ne viderer portenta confingere, calamitoſiſſimum hunc caſum libenter miſſum facerem, niſi plurimos eius haberem teſtes. Prætereaq; patriæ friuolam, & planè leuem gratiā referrem, ſi quæ rebus illa paſſa eſt, ea verbis ſupprimere atq; ſubducere hiſtoriæ conarer. Mulier quædā fuit ex his, qui ſupra Iordanē incolebāt, Maria nomine, patre Eleazaro, caſtello Bethezo, quod ſignificat interpretatum, domū hyſſopi, genere & diuitiis inſignis. Hæc vnà cum reliqua multitudine Hieroſolymam confugerat, ac ſimul obſidebatur: cuius omnem ſubſtantiam tyranni diripuerant, quam ſecum domo aſportauerat, atque in oppidum intulerat. Cæterùm reliquias reconditorum omnes, & ſi quid eſculentum præparaſſet, ingreſſi quotidie ſatellites diripiebant. Dira autē atque acerba indignatio ſubibat mulierem, ac frequenter conuitiis &

maledictis omnibus raptores proſequens, contra ſeipſam magis irritabat: cùm verò nullus eam, neque miſerans, neque ira concitatus occideret, ciboſque alios inuenire laboraret, eſſetque iam penitus difficile quicquã reperire, fameſque præterea per viſcera & medullas ſerperet, ac fame ipſa vehementius ardens incitaret indignatio, iracũdia ſimul & neceſſitate dictante conſilium, naturam ipſam violare proficiſcitur: filiumque arripiens (erat autem illi paruulus, & ſugens vbera) infelix, inquit, puer cuinã te in bello, & fame, & ſeditione ſeruabo? Nempe enim à Romanis, & ſi vixerimus, ſeruitus nos manet: anticipat autem ſeruitutem fames, inſtant ſæuiores vtriſque graſſatores. Perge igitur, mihi cibus eſto, graſſatoribus furiarũ tæda, omnique mortalium generi fabula, quod ſolum Iudæorum calamitatibus deeſt. Atque hęc dicens, necat filium: indeque illum coquens, ipſa dimidiũ comedit, partem reliquam operiens ſeruabat. Adſunt continuo graſſatores, nefario nidore attracti, comminanturque, ni quod parauerat, in conſpectum daret, eam ſe ſtatim necaturos. At illa cùm partẽ illis bonã ſeruaſſe ſe diceret, nati reliquias aperuit: tum illos protinus horror ingens ceperat, ac mentium ſtupor, atque ad aſpectum ipſum diriguerant, & velut ænei defixi ſtabant. Tum illa, meus, inquit, eſt natus, iſque chariſſimus, meũque iſtud opus eſt. Edite, quid cunctamini? namque & ipſa comedi: nolite fieri neque muliere molliores, neque matre miſericordiores. Quòd ſi vos reueremini, hoſtiamque meam auerſamini, ſiue opus execramini, ego quidẽ manducaui, quodque reliquũ eſt, mihi manebit. Poſt hæc illi quidem trementes exierunt: hac vna tantũ in re timidiores, eamque ſolam eſcam matri concedentes. Tanti ſtatim ſceleris fama ciuitas tota repleta eſt, eamque cladem, adeoque miſerandum facinus ſibi quiſque ante oculos ponebat, idq; nõ ſecus, ac ſi ipſe admiſiſſet, abhorreſcebat. His autem qui fame cruciabantur, mors votis omnibus expetebatur, eamque ſibi nõnulli conſciſcebant: beatique cunctorum voce dicebantur hi, qui priuſquam eiuſmodi facinus audiſſent, aut vidiſſent, vita exceſſerant. Nec mora, Romanis quoque ea calamitas annuntiata eſt. Ex his autem partim non credebant, nonnulli rem miſerabantur, plurimi verò in odium ipſius gentis etiam vehementius animati ſunt. Hæc autẽ atque his multò quoq; atrociora illi paſſi ſunt; nõ modò quia Chriſtum cruci ſuffixerunt, ſed quia poſtmodũ apoſtolos ea loqui prohibebãt, quæ ad ſalutem noſtrã pertinerent. Quod profectò beatus Paulus illis crimini dans, hæc eis pronuntiauit euentura

1. Theſſ. 2 mala, dicens: *Peruenit enim ſuper eos ira in finem.* Et quid hæc, inquit, ad nos? neque enim illos à fide abducimus, neque à prædicatione. Quid enim, quæſo, fides conferet emolumenti, ſi vita ſincera nõ fuerit & pura? Verùm vos & iſta fortaſſis neſcitis, quibus noſtra ferè omnia & ignota ſunt, & inaudita. Itaque vobis neceſſariò Chriſti ſententias ſummatim numerabo: vos autẽ cautè & diligenter obſeruate, vtrùmne ſemper de fide ac dogmatibus diſputet, próque his tantum ſupplicia decernat, niſi integra ſeruentur: an verò vitam ipſam quoque, ac mores improbos caſtiget aliquando. Cùm enim in montem conſcendiſſet, videns innumerã circumfluentem, ac ſe circumſtantem multitudinem, talia

Matth. 7. monita edebat. *Non omnis qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei.* Item: *Multi dicent mihi in illa die: domine, nõnne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: recedite à me, qui operamini iniquitatem, non noui vos.* Eum verò qui audit ſermones ſuos, & non facit, ſimilem eſſe dixit homini fatuo, qui domum ſuam ſuper arenam conſtruit, eam ventis, & fluminibus, & pluuiis labefactandam, ac diruendum pa-

A rat. Item cum alio in loco concionaretur: ſicut, inquit, piſcatores cum ſagenam traxerint, malos Matt. 9.
piſces abiiciunt: ita erit in illa die, angelis eos omnes, qui peccauerint, in fornacem iactantibus. De flagitioſis quoque, & impuris hominibus cùm loqueretur, aiebat: Et illuc abibunt, vbi nec vermis eorum moritur, nec ignis extinguitur. Et rurſum: Matth. 26
Rex, inquit, *fecit nuptias filio ſuo, & cùm vidiſſet hominem indutum veſtibus ſordidis, ait ad eum: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit miniſtris ſuis: Ligatis eius manibus & pedibus, eiicite illum in tenebras exteriores.* Impudicis iſta, vt dictum eſt, & flagitioſis, atque impuris comminatur. Virgines quoque quæ excluſæ à ſponſi thalamo fuerunt, propter crudelitatẽ atque immanitatem id paſſæ ſunt: aliique rurſus eadem ex cauſa eunt in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo &

B angelis eius. Et hi quoque qui fruſtra, & ſine cauſa loquuntur, punientur. Ex verbis enim, inquit, tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Ergóne tibi videmur inaniter, ac ſine ratione vitæ noſtræ cautè timideque rationem habere, eique philoſophiæ parti, quæ mores inſtruit propenſius ſtudere? Minimè equidem id puto, niſi fortè Chriſtum hæc ſuperuacuè dixiſſe velis aſſerere, atque his plura etiam: neque enim hic omnia inſerere viſum eſt. Quod niſi vererer librum prolixius extendere: & ex prophetis ipſis atq; ex beato Paulo, aliiſque apoſtolis oſtenderem profectò, quantum ſtudij in hac parte emendandæ vitæ, morumque componendorum nos Deus ponere voluit. Sed enim hæc arbitror poſſe ſufficere, nec iſta modò omnia, ſed eorum vel minimã partem. Cùm enim Deus aliquid dicit, etſi nõ id amplius, quàm ſemel dicat, ea fide ac deuotione ſuſcipiendum eſt, ac ſi ſæpiſſimè dixerit. Quid igitur, inquis, hi qui domi

C reſident, reique ſuæ curã gerunt, non ea poterunt perficere, quæ neglecta tantos cruciatus pariunt? Vellem equidem & ipſe, neque ſegnius quàm vos, imò verò multò etiam ardentius, & frequenter optaui ac deprecatus ſum, tantum leges ac iura optima in ciuitatibus valere, vt nihil iam opus eſſet monaſteriis, neque ad eremum confugere cuipiam neceſſitas inſtaret. Quoniam verò quæ ſuprà fuerunt, infrà iam facta ſunt, ipſæque ciuitates in quibus & iudicia, & leges erant, omni iniquitate & ſcelere impletæ ſunt: ſolitudo verò philoſophiæ fructus vberrimos germinat: profectò non illi in culpa ſunt, qui hac procella & turbine ſe eximere atque ſeruare cupientes educunt, eiſq; ad quietis ac tranquillitatis portum duces fiunt: non, inquã, iſti meritò à vobis culpari debent, verum hi qui ciuitates ſingulas adeò virtuti inuias & inacceſſas fecerunt, atque ad philoſophiam penitus inutiles,

D vt qui ſalui eſſe cupiunt, non aliter id poſſint aſſequi, quàm ſi ſolitudines & deſerta perſequantur. Dic enim, quæſo te, ſi quis noctis medio aſſumpta face domum incendiſſet magnam, ac multitudine Simile.
hominũ refertam, eos qui intus obdormirent, inſidiis appetens: vtrum eſſe diceremus malum, atque ſuppliciis omnibus afficiendũ, eúmne qui excitaret dormiẽtes, & illis ædibus educeret, an eum qui initio ignem illum ſuccendiſſet, adeoque durã neceſſitatem & eis ipſis, & illi qui eos educeret impoſuiſſet? Quid autẽ illud, ſi quis vel tyrãno violenter oppreſſam ciuitatem, ſiue aliàs inteſtino bello, ciuilibúſque diſcordiis ac ſeditionibus languẽtem intuens, hortaretur quos poſſet, atq; perſuaderet, vt relicta ciuitate reciperent ſe ad montium vertices, nec perſuaderet ſolum, verum ad eam fugam ipſe etiam quæ poſſet adiumenta conferret: quem ex his inſimulares, quem malè de omnibus mereri diceres? eúmne qui ab his turbinibus & tempeſtatibus ad ſereniſſimum aq tranquilliſſimum portum eos homines qui in medio æſtu iactarentur, abduceret: an eos qui naufragia iſta ac pericula

Digitized by Google

paraſſent? Non itaque velim arbitreris meliore in ſtatu modò res humanas eſſe, quàm ciuitatem tyranno incubatam, verùm in longè deteriori. Neq; enim homo aliquis, ſed dæmon quidam iniquiſſimus, tanquã tyrannus immanis atque atrox, cum vniuerſis ſuis copiis ac phalange tota, vniuerſum ſimul orbem occupans, in humanas animas graſſatur. Demum inde veluti ex arce quadam, impia & ſcelerata quotidie edicta omnibus proponit, nõ modò matrimonia dirimens, ſiue pecunias aut mittens, aut ferens, aut iniquas tantùm exercens cædes, verũ longè his quoq; grauiora atq; diriora indicia tyrannidis præ ſe ferens. Coniunctã enim ſemel Deo humanã animam, eius familiari contubernio ſubducens, atque flagitioſis immundiſque ſatellitibus ſuis illudendam tradens, impuris illorum congreſſibus ſubſterni cogit: qui poſtquã eam ſemel aſſumpſerint, adeò illi turpiter congrediuntur, támque contumelioſè, quantum credere par eſt nequiſſimos dæmones, vehementer atq; immaniſſimè perditionem noſtrã atq; turpitudinem deſiderantes. Exutam enim omnibus virtutum indumentis, vitiorumque pannis obſitã, eiſque ſordidis, conſciſſis ac putridis, quibus profectò fœdior apparet, quàm ſi nuda eſſet, familiariq; ſibi impudicitia, & omni flagitio reſpergentes, ac penitus inficientes, illi fœdiſſimè omni contumelia illudere non deſinunt: neque enim vllam ſatietatem nouerunt inceſti huius ſceleratique concubitus. Cæterùm vt ebrij faciunt, qui cum ſe multo mero ingurgitauerint, tunc maximè exardeſcunt, ac feruntur per vitia præcipites: ita & hi quoque tunc maximè inſaniunt, eiſq; & vehementius inſtant, & ferocius inſultant, cùm illa ad omnem turpitudinem abuti cœperint, compungentes vndiq; atque mordentes, venenaque nequitiæ ſuæ in illã refundentes, nec prius deſinentes, quàm in ſuum illam habitum, formamque tranſtulerint, vel corpore abſolutam viderint. Quænam ergo violenta dominatio, quæ captiuitas, quæ vaſtitas, quæ ſeruitus, quænam in ſeruitutum abductio, quod bellum, quod naufragium, quæ fames aut peſtis, quid horũ denique his vlla ratione conferri poſſit, quin videatur eſſe leuiſſimũ? Quis adeò dirus, quis tam ferus ac ferreus, quis ita brutus atque inhumanus, adeoque ſine vllo miſericordiæ ac doloris ſenſu, quin malit eiuſmodi animam ſic affectam contumeliis, ſic vndique probris laceſſitam, pro virili parte flagitioſa iniuria, inſanaque contumelia abducere, liberare, conſeruare, quàm ſic deſtitutam negligere, præterire, relinquere? Quòd ſi id eſſet, vt eſt profectò, immanis animi, atque lapidei: vbinam, quæſo illos ſtatuemus, qui præter id, quod eiuſmodi negligunt, aliud etiam, & quidem longè deterius ſcelus admittũt? Eos enim qui parati ſunt mediis ſe periculis cõſtanter obiicere, nec renuũt in ipſum feræ belluæ guttur manus demittere: quinimò & fœtorem omnem, atque pericula ſubire, vt abſorptas iam ac deuoratas animas ex ipſis dæmonum faucibus educant, atque violenter extrahant, non tãtum non laudant, neq; amplectuntur, ſed impellũt quoque, atque perturbant vndique. Quid ergo, inquit aliquis, cunctíne periere, qui vrbes habitant, ac vitæ huius periculis iactantur, ipſiſque iam vrbibus demiſſis atque deſolatis, ad ſolitudines confugiendum erit, atq; in ipſis montiũ verticibus ſedes nouæ collocandæ? tuq; iſta iubes, ac te legiſlatorem profiteris? Minimè id quidẽ, ſed contrà penitus: vt enim ſuperius dixi, & vellem, & vehementer optarem, eo nos in ſtatu rerũ, eaque in pace degere, adeoq; tyrannidem malorũ horũ omnium deſtrui ac diſſipari, vt non modò eis qui in ciuitatibus degũt, nulla neceſſitas incumberet occupandorum atque inhabitandorum montiũ, verum hi quoque qui ſolitudines incolunt, veluti fugitiui quidam longo poſtliminio ſecuri ac tuti,

A pacatis rebus ad ciuitates ſuas remeare poſſent. Sed quid ago? Vereor nimium, ne dũ illos patriæ ac parentibus reddere ſtudeo, nequiſſimorũ dæmonũ manibus tradam, dumque ſolitudine & fuga abducere & reuocare cupio, per me illi philoſophia omni, quietiſq; trãquillitate excidãt. Quòd ſi tu mihi ciuitatum multitudines in mediũ adducas, hiſque putes extortum iri, atq; in eam ſententiam traducendũ, vt putem Deum parciturũ multitudini, nec paſſurũ in orbem vniuerſum damnationis ferri ſententiam, ſumptis Chriſti verbis aduerſus obiectionem tuam ſtabo. Neque enim tam audax factum, tam nefariũ facinus admittes, vt etiã aduerſus eius ſententiam, qui nos tunc iudicaturus eſt, aſſiſtas. Quid ergo ille inquit? *Anguſta eſt ianua, atque ardua via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Matth. 7. Sin verò pauci ſunt qui inueniunt, profe-
B ctò longè pauciores erunt, qui ad ſummũ eius peruenire poſſunt. Neque enim omnes, quique illam initio apprehẽderunt, ad finem etiã profecti ſunt: ſed alij quidem in ipſis ſtatim initiis, nonnulli itineris medio, plurimi verò in ipſum iam ferè portum inuecti, naufragiũ fecerunt. Rurſus autẽ multos eſſe aiunt, qui vocati eſſent, paucos qui electi. Matth. 20. Cumque ita Chriſtus ampliorem quidem pereuntium partem eſſe aſſeueret, atque in paucis ſalutẽ præfinitam dicat: quid tu pugnas aduerſum me? Genes. 6 & 7. Prorſus enim idem facis, ac ſi de Noë & diluuio verba nobis facientibus admirateris, & an id fieri potuerit, vt omnes perierint, duoq; tantũ vel tres homines effugerint, interrogares: his tu rationibus ora noſtra obſtruere poſſe tu putas, perinde ac iſtis perſuaſi, non auſuri ſimus aduerſus multitudinem ferre ſententiã? Sed enim id nunquam penitus efficies, nec perſuadebis, vt multitudinem veritati in honore præferamus. Neque enim his quæ tum contigiſſe memorantur, inferiora iſta ſunt,
C verum multò funeſtiora etiam atque ſceleratiora: atq; eò magis, quò gehennæ iſtis intentatur ignis, & ne ſic quidem vitia arcentur, neque excidũtur. Quis enim, oro te, non fatuum appellat fratrem? Matth. 5. leue id videtur, at igni ſempiterno facit obnoxiũ. Quis non intendit impudicis oculis in mulierem? hoc autem conſummatũ adulterium, pleniſſimũque flagitium deputatur. Is verò qui adulter eſt, quòd in gehennam ignis proiiciẽdus ſit, omnibus profectò conſtat. Quis non deierauit? Atque iſtud penitus ex malo eſt: quod autem à malo eſt, id adeò æternum parit cruciatum. Quis nunquã omnino amicis inuidit? Hoc verò publicanis ipſis & gẽtilibus deteriores facit. Quòd autem eiuſmodi effugere ſupplicia æterna non poſſint, ita omnibus liquet, vt non poſſit clarius. Quis furorem omnem, atq; iracundiam ex corde depulit atque abiecit, peccataq; omnium in ſe delinquentiũ remiſit? At is qui non dimiſerit, quòd æternis ſuppliciis addicendus ſit, nemo qui Chriſtum audierit, refraga-
D bitur. Quis non ſeruiuit mammonæ? Sed qui eiuſmodi ſeruit, Chriſti ſeruitutem penitus abiecit: qui verò Chriſto ſeruire abnuit, ſalutem ſuam prorſus abnegauit. Exod. 21. Leuit. 20. Num. 15. Quis occultè nulla in aliquem maledicta cõiecit? Eos ſanè qui ſunt eiuſmodi, vetus quoque lex concidi atque interfici iubet. Sed enim in tantis malis, tantiſque periculis, quæ nos conſolatio, quod ſolatiũ ſuſtẽtat ac recreat? Quod omnes, veluti ex ſigno quodã & condicto, per vitiorum ac flagitiorũ omniũ abrupta feruntur. Miſera planè conſolatio, & eius quæ nunc obtinet peſtis ſingulare documentum, argumentumque præcipuum, quandoquidem id nobis maiſque noſtris ſolatium affert, quod ipſum maioris mœroris, & comploratiouis materia eſſe debuerat. Neque enim multitudo in peccando ſociorum criminibus nos ac pœnis liberabit. Sin autem aliquis ex his, quæ modò diximus, adducitur, vt ſibi diffidat, ac penè deſperet, is pauliſper expectet, dũ

eadi-

eà dicamus, quæ his multò diriora ſunt, & tunc id longè patietur amplius. Nam ſi iurare diabolicum eſſe comprobatur, qui iuramenta etiam conculcant, nec periurare metuunt, qua tandem animaduerſione puniendi erunt? Si fatuum appellare fratrem, gehennæ flammas attrahit, quid hi patientur, qui eum probris & contumeliis innumeris, etiam innocentem, nulláſque iniurias irrogantem affligere non metuunt? Si meminiſſe tantummodo iniurias, omni punitione dignum iudicatur: etiam vlciſci pergere, quantos cruciatus promeretur? Verùm hæc ſuo tempori & loco reſeruabimus. Vt enim alia interim omittam, hoc ipſum quod nos hæc ſcribere impulit, nónne vel ſolùm ſufficit præſentis, iámque obtinentis morbi peſtem indicare? Si enim peccata propria negligere, quinetiã ſine doloris ſenſu quotidie peccare, extremus malitiæ terminus eſſe pro confeſſo habetur: vbi tandem iſtos nouos, nouæ huius atque iniquiſſimę ferendæ legis authores ſtatuemus, qui maiori conſtantia atque fiducia fugant ac propulſant virtutum magiſtros, quàm faciunt malitiæ ac vitiorum alteri: eóſque multò amplius & violentius oppugnant, qui peccata emendare pergunt, quàm qui ipſi peccauerunt? Imò verò cùm illis non niſi iucundè ac libenter vtantur, neque criminentur aliquandò, iſtos vix vnquam lætius intueri poſſunt, quodammodo & verbis ipſis, & operibus clamantes atque ſuadẽtes inhærendũ eſſe vitiis acerrimè, atque ad virtutem nunquam accedendũ, quandoquidem non modò qui propenſius ei operam dant, verùm ſi qui vel liberiori eam voce tueri audeant, eos omnibus incommodis afficiendos cenſent.

Ad Gentilem atque infidelem patrem,
LIBER II.

Inſtruit parentes infideles ne impediãt monaſticam vitam filiorum. Hiere. 11

SATIS quidem & iſta eſſe poterant, quibus incuteretur ſtupor ingẽs, atque horror. Quòd ſi qui ſuper his prophetæ illud nunc loquatur: *Obſtupuit cœlum ſuper hoc, & exhorruit terra vehementer*. Itémque, Stupor atque horrenda facta ſunt in terra: opportunè & hæc, & huiuſmodi cuncta proſequetur. Verùm id longè grauius atque acerbius eſt, quòd non modò alieni quidam, & nullo his quibus conſulitur propinquitatis, nullo familiaritatis iure coniuncti, ita indignantur, & fremunt, verum ipſi quoque propinqui ac parentes ſuper his iraſci didicerunt. Tametſi non ſum ignarus complures eſſe, qui patribus quidem ita affectis facile ignoſcendum putant, nec propterea valde admirari dicũt: ſuffocari autem ſe ac penè diſrumpi iracundia, cùm videant eos, qui neque patres ſunt, neque amici, neque propinqui, neque vlla penitus alia ex parte neceſſarij, quin & frequenter ignoti, aduerſus eos qui philoſophari inſtituunt, hoc ipſum pati, atque ipſis patribus magis angi & dolere, eóſque qui illos hortati ſunt, & ad eius vitæ amorem traduxerunt, oppugnare, inſimulare, ac maledictis omnibus perſequi. Mihi verò longè alia mens eſt. Eos enim qui nullum paterni affectus priuilegium, nullum ius amicitiæ ac familiaritatis habent, alienis in bonis angi, nihil profectò nouum, aut mirum videri debet, partim inuidiæ ſtimulis concitatos, partim malitiæ ſuæ, atque vitiis aliorum perditionem ſolatio, & excuſationi eſſe arbitrantes. Miſere id quidem & infeliciter, arbitrantes tamen. At verò qui genuerunt, qui educauerunt, qui diebus ſingulis natos ſuos proficere, ſibíque ipſis & ad virtutẽ, & ad gloriam præcellere & cupiunt, & optant: qui propterea cuncta & patiuntur, & faciunt, eos quadam veluti ebrietate correptos repente mutari, angíque, ac dolere vehementius, cùm ab ſe liberi ad philoſophiã abducuntur: hoc profectò eſt, quod vnum omnium ego maximè admiror, quódque omnia iam corrupta ſint & perdita, ſatis firmum & validum argumentum ergo duco. Hoc enim prioribus temporibus vnquam contigiſſe, nemo qui poſſit dicere, ne tum quidem cum latè dominaretur error: ac tum quidẽ ſemel memoratur in gentili & Græca ciuitate, ſed quam tyranni incubabant. Neque tamen tum parentum aliquis, vt nunc, ſed hi qui arcem occupauerant, ne hi quidem omnes, ſed qui horum erat flagitioſiſſimus, Socratem irridens, iubebat philoſophiam tueri, atque ad eam hortari deſineret: verùm ille tyrannus perfidus, ſæuus, atrox, & qui ad euertendam rempublicam cũcta moliebatur, alieníſque in malis acquieſcebat & gloriabatur, cùm ſciret nihil æquè atque talem iuſſionem optimum reipublicæ ſtatum poſſe peruertere, id auſus eſt, quod ante illum nemo. At hi & fideles, & in bene inſtitutis ciuitatibus, ac ſub optimis legibus degentes, liberíſque ſuis conſultum cupientes, ea de ſanctis viris loqui audent, quæ ne tyrannus quidem de his quibus dominaretur auderet, nec erubeſcunt. Itaque horum gratia magis indignandum ac ferendum moleſtè erat, quàm aliorum admirãdum. Ideircò & ego illos miſſos faciens, iſtos qui in primis curam filiorum gerunt: loquar verius qui curam gerere debuerant, non autem gerunt: leniter & ſumma cum moderatione alloquar: hoc ab illis primum bona venia impetratum cupiens, vti ne moleſtè ferant, neu indignentur, ſi quid vtile ſit, quídve magis expediat illorum liberis nos melius ſcire dixerimus, quàm illos ipſos. Neque enim quiſque qui procrearit filium, quid etiam illi conducat docere eum poterit, etſi eiuſce inſtruẽdi voluntas honeſta non deſit, quam elicit à natura inſitus parentum ſingularis ad filios affectus. Ad id enim edocendum diligenter quid vtile ſit, neque procreãdo pater, neque amando vnquam ſufficeret. Nam ſi iſtud concederetur, nemo hominũ certè patre melius noſſe atque conſpicari poſſet, quidnam eſſet filiò vtilius: ſicuti ne in amando quidem filio nemò eſt qui patrem ſuperet, vel etiã exæquet. Quinimò ipſi quoque patres ex his quæ ſtudioſè aguntt, hoc ipſum ſe ignorare confitẽtur, cùm ad magiſtros ducunt, cùm pædagogis inſtruẽdos tradunt, cùm plurimos conſiliarios aſſumunt, qui, quódnam vitæ propoſitum filio arripiendum ſit, quíve delectus habendus, & amicè, & fideliter conſulant. Id autem eſt item miſerabilius, quòd dum de filiis conſultant, dum familiari colloquio quid ſentit quiſque in medium adducit, illi nonnunquam ſuam irritantes, aliorum ſententiam ratam eſſe atque obtinère voluerunt. Itaque ne nobis quidem ſuccenſeant, neq; indignentur, ſi quòd eorum liberis vtile futurum ſit, nos illis melius noſſe dixerimus: verum niſi id certa ratione conſtiterit, tunc accuſent, tunc affligant, tunc probris appetant, veluti reuera perditos, flagitioſos, ac naturæ totius inimicos. Quonã ergo modo iſtud manifeſtum erit, aut qua ratione ſcire certius poterimus quíſnam ſit, qui quod vtile ſit planè proſpiciat, quíſve qui proſpicere quidem ſibi videatur, nequaquam verò ſciat? Si vtrorumque rationes pugnantium in morem ad examen iudicij deſcẽdere, atque congredi cominus cogamus, permiſſa omni de hiſce iudicandi facultate incorruptis, integerrimíſque iudicibus. Itaque lex quidem certaminis noſtri Chriſtianum exui ad pugnam iubet, atque cum illo ſolummodo certare, qui ſit eiuſdem religionis cultor, nihilque amplius requirit à nobis. *Quid enim ad me attinet eos etiam qui foris ſunt iudicare?* ait beatus Paulus. Verùm quia ſæpe contingit, vt plurimi ex his qui ad cœlum pertrahuntur, filij gentibus atque infidelibus patribus ſint, quãquam lex certaminis nos contra huiuſmodi dimicare non iubeat, ſponte tamen ipſi, ſummaque alacritate aduerſus iſtos primum pugnare aggredimur. Atque vtinam aduerſus iſtos tantum nobis certamẽ indiceretur, quanquam ipſum

1. Co. 5.

quidem perdifficile eſt, plurimamque habet capita. *Animalis enim non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei: ſtultitia quippe illi eſt.* [1. Cor. 2.] Prorſus idem facimus, ac ſi aliquem hortari vellemus, vt cœleſte regnum appeteret, qui antea credere an id eſſet, aut quidnam eſſet, renuiſſet. Sed tamen cum tantis anguſtiis coarctatus ſimilic quoque aduerſus iſtos tantum hoc mihi certamen indici vehementer optarem. Nam ſi ad infidelem aliquem hic mihi ſermo inſtituatur, erunt mihi iura complura, bonitaſque cauſæ adiuuabit plurimùm, etſi eam victoriæ meæ voluptatem obſcurat & obruit magnitudo verecundiæ. Suffundor enim vehementer, ſi aduerſus illum quoque me pugnare neceſſe ſit, vereorque ne hoc crimen tantummodo gentilis mihi poſſit obiicere: nam in reliquis illum, & quidem facile ſuffragante gratia diuina capiemus, atque ſi voluerit eſſe nõ ingratus, citò illum non modò ad amorem huius vitæ traducemus, verum ad ipſius quoque doctrinæ ac religionis deſiderium, à qua vita illa initium & materiam ſumpſit. Tantùm verò abeſt, vt certamen aduerſus illum ſubire metuam, vt cum id primum durius atque difficilius mea ratione conſtituero, tum demum pugnare aggredi inſtituam. Fingamus nempe patrem iſtiuſmodi non modò eſſe gentilem, ſed nobilem quoque, & vltra omnes homines locupletem, inſignem, ſingulari potentia præditum, habeat agros plurimos, ædes permultas, aurique innumera talenta: ſit præterea clariſſima patria & regia, illuſtriſſimo genere, neque habeat alios liberos, neque habiturũ ſperet: ſed huic ſoli innitatur, & ex hoc ſolo pendeat. Quin & ipſe ſit ſummæ ſpei, eoque ingenio, natura, induſtria, vt ad imperia, & ad magiſtratus maturè aſcenſurus expectetur, patremque ipſum & ſplendore, & gloria breui ſuperaturus, omnibuſque vitæ commodis longè anteiturus. Tum verò in medio tantæ ſpei & expectationis accedat aliquis ad illum, atque de hac ei philoſophia verba faciens, perſuadeat vt ſpretis illis omnibus, veſtem ſe ruſticam induat, & relicta vrbe ad montem confugiat, vbique plantet, inſerat, riget, aquas ferat, cæteraque monachorum faciet opera, quæ & vilia, & indigna eſſe videantur. Incedat præterea diſcalceatus, & humi iacens quieſcat, efficiaturque pallidus, gracilis, ac macie cõfectus decorus ille adoleſcens, qui tantis antea in deliciis & honoribus degebat, tantæque ſpei ſigna præ ſe ferebat, viliuſque etiam quàm ſerui ſui veſtiatur. Num ſatis multas accuſatori occaſiones dedimus, ſatiſve aduerſarium armauimus? Præbeamus illi alias quoque, ſi ſatis adhuc inſtructus non eſt: præter iſta enim quæ dicta ſunt, omnia moueat, pater, cunctaque moliatur, vt diſſuadeat filio, atq; ab arrepto illum inſtituto reuocet: ſed incaſſum, vtpote cum ille ſupra petram collocatus ſit, & fluminibus, & pluuiis, & ventis cedere non norit. Lamentetur, & lugeat, atque lacrymas emittat, & vt indignationem omnium aduerſum nos magis incendat, circumeat iugiter mœrens, afflictus, ſordidatus, omneſque prenſans, cõtra nos huiuſmodi accuſationem commoueat. Filium ego genui, & enutriui, ætatemque omnem in ærumnis contriui, cuncta ea & gerens, & patiens quæ ex hac educatione liberorum ſolent accidere. Spem de illo optimã habui, pædagogos accerſiui, magiſtros obſecraui, pecunias impendi, vigilaui ſæpiſſime, curam gerens ingentem, vt quàm ornatiſſimus atque eruditiſſimus euaderet, vt in nullo maioribus ſuis eſſet deterior, vt omnibus appareret illuſtrior & clarior. Expectabam hunc ſenectuti meæ ſolatio & adiumento fore, proceſſuque temporis de vxore, ſplendidiſſimoque matrimonio tractabam, de imperio, de magiſtratibus, & inſigni poteſtate cogitare cœperam. Cùm repente tanquam fulmen, aut procella ingens, neſcio qua parte irruens, pretioſiſſimam nauem, multiſq; oneribus refertam, quæ

A plurima pelagi ſpatia confecerat, ac ſecundis ventis nauigabat, cùm iam ad portum propinquaret, parum ante ipſum oſtium ſubmerſit: metumque non modò extremæ paupertatis, verùm acerbiſſimæ mortis, ac perditionis eius capiti, qui illa parauerat, tempeſtas illa ſæua circundedit. Sic ſic profectò mihi nunc contingit. Namque execrabiles illi, flagitioſi, perditi nebulones (dicat enim hæc, atque huiuſmodi cætera, nihil illi ſuccenſebimus) tantæ ſpei filium, ſenectutis meæ cuſtodem & nutritorem, veluti latrones quidam immaniſſimi mihi repente ſubductum in ſpeluncas ſuas abduxerunt: adeoque illum ſuis carminibus excantauerunt, vt eligat magis aduerſus ferrum, ignem, beſtias, aduerſus omnia denique fortiter ac ſumma conſtantia perſiſtere, quàm ad priorem proſperitatẽ prioreſque copias remeare. Quódque his durius & grauius eſt, illi ipſi qui hæc perſuaſerunt,
B melius ſe quid ſit vtile ſcire, atque intueri profitẽtur, quàm nos. Deſertæ iam domus, deſolati agri, ipſique agricolæ, ac ſerui luctu ac mœrore pleni ſunt. Exultant in malis meis inimici, pudoreque operiuntur amici. Apud me autem nulla ſententia obtinet, niſi vt iniecto igne cuncta ſimul exuram, ædes, agros, armenta boũm, greges pecorum. Quò enim mihi iam hæc vtilia ſunt, cùm ille non adſit, cuius vſibus parata erant, captiuus ſcilicet abductus, atque apud Barbaros crudeliſſimos ſeruitutem ſeruiens, omni morte duriorem atque acerbiorem? Amictu nigro ſeruos omnes operui, cunctamque familiam. Aſperſi cinere capita mulierum, choros inſtitui, iuſſique dirius atque amarius plangere, quàm ſi mortuum vidiſſem. Date veniam hæc facienti mihi, hic mihi luctus longè illo maior, diuturnior, grauior. Iam mihi ferè lux ipſa moleſta eſt, ipſoſque ſolis radios ingratè ſuſpicio. Quoties enim in mentem venerit infelicis
C illius habitus: quoties viliſſimis illis ruſticis inhoneſtius illum amictum video, atque ad opera viliora conuerſum: quoties inflexum eius immobileque propoſitum, vtque nulli cedat deſiderio, vror, diſrumpor, diſtrahor. Hæc atque huiuſmodi dicens, prouoluatur etiam audientium pedibus, aſpergat cinere caput, deturpetque puluere faciẽ, caniciem vellat, omneſque prehendens oret, ſe vt adiuuent, ac porrigant manum. Satis puto diligenter accuſatorem expreſſimus, atque inſtruximus ad commouendam auditoribus omnibus vehementem iracundiam, & ad perſuadendum, vt eos qui horum cauſa ſunt, per præcipitia deiectos, exterminent: atqui nos idcirco ad has ſupremas anguſtias oratione noſtra conuecti ſumus, vt cum is qui ita venerit paratus, diuina gratia ſuperatus fuerit, iam nemo nobis obſtrepat. Cùm enim is qui iſta omnia, quæ prædixi, ſimul habet, conuictus fuerit, atque obmutuerit, & is quoque qui non omnia ſimul habet (neque enim facile cuncta ea conue-
D nire poſſunt) nobis iam de victoria concedet. Hic itaque & iſta, & his plura etiam loquatur. Ego inprimis iudices orabo, ne ſtatim miſereantur ſenis huius, ſed hanc miſericordiam differant in extremum, cùm illum oſtenderimus lugentem filium, in nullo quidem violatum, nihilque penitus perpeſſum mali, verùm contrà etiam maximis potitum bonis, eiſque tam inſignibus, vt excellentiora non poſſint reperiri. Tunc enim profectò miſeratione & lacrymis dignus iudicandus eſt, cum nati felicitatem, ſecundoſque ſucceſſus ne conſpicari quidẽ poſſit: tantũque abeſt, vt ea intueatur, vt ſic in maximis profectibus tanquã in ſummis eius malis lamentetur. Quódnam ergo erit noſtræ orationis exordium, at vnde potiſſimùm inchoabimus? Ab ipſis planè opibus atque pecuniis. Nam & ipſe maximè omniũ hoc vnum lamentis omnibus, omnique comploratione proſecutus eſt, idque ſibi videtur eſſe acerbiſſimum, ſi diuites filij pertrahan-

Digitized by Google

tur ad hanc duritiam vitæ atque propoſiti. Dic ergo, quæſo te, vtrum omnes beatum dicimus, atque inuidioſum, & planè feliciſſimum: eúmne qui ſiti ſemper æſtuat, quique antequam priorem calicem ſorbuerat, rurſus alio indiget, atque ſemper in hoc perſeuerat ſtatu: an eum qui ſuperior ea neceſſitate conſtitutus, ſine ſiti ſemper durat, nec vlla vnquam potationis neceſſitate conſtringitur? Nónne alius quidem his qui graui febrium ardore cruciantur, ſimillimus videtur, atque violentiſſimæ neceſſitati addictus, etiamſi ex fontibus haurire puriſſimos atque vberrimos latices poſſit: alius verò vera profectò libertate liber eſt, veraque ſanitate ſanus, ipſamque naturam excedit humanã? Quid illud? Si quis adamaret mulierem, eique congrederetur iugiter, verum maiore poſt concubitum illũ flagraret ardore: alius verò perſiſteret hac inſania liber, & ne in ſomniis quidem vnquam hoc malo caperetur: vter rurſus felix & beatiſſimus videretur? nónne iſte? Vter cõtrà infelix & miſerrimus? nónne is qui nouo hoc armore languet, qui nonquam poſſit prorſus extingui, quinimò excogitatis quoque remediis magis magíſque ſuccenditur? Sin autem præter iſta, quæ dicta ſunt, etiã ex ipſo morbo ſuo ſe beatum dicat, nec curet ipſe, nec velit ea neceſſitate liberari: quin eos quoque lamentetur, & lugeat, qui iam ea peſte liberati ſunt, vt iſte nunc facit: nónne hic quoque miſerabilior erit, atque infelicior, non tantum quòd morbo illo & peſte detinetur, verum quòd ne idipſum quidem quòd languat nouit, proptereaque nec ipſe liberari valet, & eos qui iam liberati ſunt, luget? Reducamus igitur hanc orationem noſtram ad pecuniarũ poſſeſſionem, inſpiciamuſque quis reuera miſer, quis infelix ſit. Illis nempe amoribus iſte & vehementior, & inſaniæ propior eſt: non idcirco tantũ quòd moleſtiores habet faces, verum quòd ad excogitata quæque ſolatia inflexus perdurat, duriorque ex illis atque acerbior efficitur. Citius quippe hi qui & potum, & corpora amant, poſtquam his potiti fuerint, ſatietatem ſument, quàm qui diuitiarum inſanis amoribus flagrant. Quocirca illos noſtra ratione effingere neceſſe fuit, quòd non facile ſit, neque in promptu illorum documentum: huius autem peſtis multa poſſumus exempla afferre. Nã, quæſo te, idcirco lamentaris, & luges filium tuum, quòd hac tanta veſania, tamque deſperato morbo liber euaſit? quòd hoc irremediabili inſanoque amore caruit? quòd bello hoc, & pugna manſit immunis? At id nunquam paſſus ille fuiſſet, inquies, neque plura concupiſſet: verùm his quæ haberet contentus, nihil inquiſiſſet amplius. Rem quidem dicis impoſſibilem, ipſique (vt ita dixerim) naturæ contrariam. Verùm ſi iſtud quoque concedamus fieri potuiſſe, vt ea eſſet moderatione animi, vt his quæ haberet nihil vellet adiicere, nec vllo vnquam eiuſmodi mœrore caperetur: ego ſic quoque illum maiori modo in quiete ac voluptate cõmorari docebo. Quid enim leuius aut tranquillius eſſe cenſebimus, tantíſne, tantarumque rerum curis implicari, eiuſmodique cuſtodiæ, ac ſeruituti obnoxium, & obſtrictum fieri, quotidieque ſollicitè metuere, ne quid rei familiaris pereat: an verò his curis atq; vinculis omnino expediri? Nam etſi ſarcinas alias non appetat, vt interim id concedamus: nónne multò melius, multoque præſtantius eſt, iam impoſitas abiicere, quã ab eis ipſis opprimi? Denique ſi, vt conceſſum eſt, maximum bonũ elicitur, plurimis non indigere, minimiſque contentum eſſe: neceſſitate omni celſiorem euadere, maioris profectò felicitatis erit. Is enim qui neque ſitit vnquam, neque amat (nihil enim me prohibet rurſus ad eadem exempla redire) multò profectò beatior, multoque glorioſior eſſe monſtratus eſt, non modò eis qui ſemper ſitiunt, ac ſemper amant: ſed eis quoque qui quantumlibet parum id

A paſſi ſunt, ſuæque concupiſcentiæ ſatisfecerunt, cùm ipſe nunquam eiuſmodi neceſſitati ſe ſubdiderit. Percontabor autem te rurſus, ſi diuitiis vltra omnes eminere, cunctíſque eis malis eximi, quæ ſolent illæ parere, liceret, ergóne non incredibiliter optares ea pace ac tranquillitate frui, vt non inuidiam, non calumnias, non inſidias, non curas, nõ quicquã aliud eiuſmodi ab vllo prorſus hominum patereris, aut pati formidares? Quòd ſi filium tuum hæc omnia habere monſtrauero, atque lõgè etiam eſſe ditiorem, deſinéſne tandem te lamẽtis ac ſuſpiriis adeò amaris conficere, tamque diris gemitibus abſtinebis? Nempe abſolutum eum curis illis ac malis reliquis quæ ſolent opes e veſtigio ſubſequi, ne tu quidem ipſe negabis. Idcirco nec nos ad te de ea re verba facere neceſſe eſt. Studes autem id magis addiſcere, quonam modo ille diues ſit, ac teipſo, qui tam multa poſſides, longè opulentior: hoc ego modo te docebo, oſtẽdamque B te ſi illi compateris, id pati, quod illum pati arbitraris, atque extrema in paupertate degere. Nec modò me cœleſtia bona perſecuturum putes, quæ nobis poſt huius exceſſum vitæ reddenda ſunt. Ex his quæ ſunt in manibus, quæ tenentur, te interim docebo. Nempe enim tu eorum tantum, quæ poſſides, dominus es: ille verò omnium quæ ſunt in toto orbe terrarum. Sin verò tu minus credis, agè ad illum adducamus, ac perſuadeamus, vt de mõte deſcendens, magis autem illic reſidens, alicui ex his qui & diuites valde, & religioſi ſunt, mandet, ſi mittat auri pondus quantum ipſe vis: ſiue quia iſtud non pateretur, illi vel illi indigenti dare iubeat: videbis diuitem illum ſibi deuotius, alacrius, promptius obaudientem, quàm faceret nutu tuo quiuis ex diſpenſatoribus tuis. Nam hic quidẽ cùm aliquid iubetur impendere, mœrens, triſtis, demiſſus id facit: contrà ille cùm non impenderit, C tunc demum maximè trepidat, atque anxius eſt, ne fortè in aliquo offenderit, quòd ſibi eiuſmodi nihil imperetur. Atque ego plurimos tibi poſſem oſtendere, non modò ex eis qui excellentiores ſunt, verùm ex humilioribus quoque, qui tanta hac poteſtate ſunt præditi. Atqui tu, ſiquidem villici tui ſibi credita malè abſumpſerint, alium non habes à quo petas, verùm illorum peruerſitate ex diuite continuò pauper efficeris: at filius tuus nil eiuſmodi metuit. Siue enim ille cui prius imperauerat, diuitiis excidat, imperabit alteri: ſiue is quoque aliquid tale paſſus fuerit, ad alterum ſe conuertet. Prius denique deficient fontium latices atque ſiccabuntur, quàm qui nato tuo non obtemperet imperanti. Quòd ſi nobiſcum in religione concordares, enarraſſem tibi profectò multas ac lõgas, nouaſque & veteres eiuſmodi hiſtorias. Verùm quia te gentilem profiteris, gentiliumque doctrinis acquieſcis, ne hinc quidem exempla deerunt. Audi denique D apud Platonem quid ad Socratem loquatur Crito: Tibi quidem ſunt meæ pecuniæ, vt equidem reor, ſatis multæ: ſin verò tu quòd mei curam geras, idcirco re mea tibi abſtinendum cenſes: at hi qui aſtant, ſuam quiſque impendere parati ſunt. Intulit quippe in hoc ipſum pecuniam ingentem Simmias, paratus eſt Cebes quoque, alij item permulti: itaque vt antea dicebam, noli vllo horum metu laſſeſcere, tuamque ſalutem quin tuearis negligere. Neque verò id quod paulò ante in iudicio dicebas, moleſtiam tibi vllam, aut curam pariat, quòd ſcilicet profectus à nobis, non haberes quatenus teipſo vtereris, quibúſve vſui eſſe poſſes. Multis enim & aliis in locis, quocunque tu tandẽ proficiſcare, amabunt te, atque obſeruabunt plurimi. Sin autem volueris & in Theſſaliam pergere, ſunt mihi plerique illic hoſpites, qui & te plurimi facient, & tutum eſſe ab omni iniuria præſtabunt. Quid hac ſuppeditatione iucundius dici poſſit, aut gratius? Verùm iſtæ quidem, vt ad hominem ſecu-

A lo obnoxium ſunt dicta. Quòd ſi ſubtilius atque diligentius nati tui opes diſcutere velimus, tu quidem fortaſſe non aſſequêris intellectu quæ dicimus, ea tamen ad iudices neceſſariò dicenda ſunt. Tantæ enim ſunt virtutis opes atque copiæ, adeoque quàm veſtræ dulciores atque amœniores: vt qui has habuerint, nunquam eas velle poſſint cum vniuerſa terra commutare, ne ſi illa quidem aurum fiat cum mari, & fluminibus, & montibus, atque ſi fieri id poſſet, didiciſſes profectò ex ipſo experimento, quòd non iactantiæ & leuitatis verba loquimur: ſed maiores quoque illi, copioſioreſque diuitias negligerent ac ſpernerent, vt eas poſſent adipiſci, nunquam prorſus iſtis illas commutarent. Et quid ego dico commutarent? Ne cum illis quidem has habere vellent. Et certè ſi qui vobis vnà cum pecuniis virtutis conferret opes, obuiis eas ſupiniſque manibus ſuſciperetis. Adeò ipſi quoque eas diuitias & magnas, & admirabiles eſſe cõ- B fitemini. Contrà, iſti ne cum ſuis quidem opes veſtras habere, dignabuntur, adeò rem eſſe contemptibilẽ ac penitus abiectam norunt: atque hoc ipſum rurſus exemplis veſtris perſpicuum faciam. Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas? ſiquidem ille voluiſſet accipere? Sed noluit. At ille nixibus totis contendebat, cunctaque moliebatur, vt huius virtutibus propius accederet. Viſne aliunde quoque & tuam inopiam, & nati tui copias cognoſcere? proficiſcere ad illum, eiuſquè pallium, quod ſolum habet, illi aufer. Educ item ex cellula, atque ipſum eius tugurium deſtrue, ne ſic quidem illum indignantem, aut dolore aliquo commotum penitus videbis: verum aget tibi gratias, idque tantò magis, quantò illum ad philoſophiam amplius impellis. Abs te verò ſi quis vel decem drachmas tulerit, ingemiſcere, flere, lamentarique non deſinis. Vter ergo di- C ues exiſtimandus eſt, vter beatus? iſne qui vel minimis mordetur, an qui mortalia cuncta ſimul deſpicit? Neque id tantum facias, quod dixi, verùm omni quoque illum prouincia deturba, videbis lætum, hilarem, atque ita ridentem, ac ſi ludens puſio ſe feriret. Te ſi quis vel ſola patria & genitali ſolo exturbet, acerbiſſima perpeſſum conquereris, neque eam calamitatem ferre poteris. Enimuerò ille, quippe terræ mariſque dominus, ita facile, ſicque ſine mœrore & gemitu migrabit ad alia, vt facis tu cum per agros tuos incedis, quin longè etiam facilius. Nam tibi & ſi per tua licenter incedis, tamen per aliena quoque neceſſariò incedendum eſt. At verò terram ille omnem vt propriam obambulat, eique potum vndique largiſſimum ſuppetunt ſtagna, fontes, amnes: cibum verò & olera, & virentes herbæ, multiſque ex locis panes aduecti ſuppeditant. Nondum enim id dico, quòd terram ipſam omnem aſpernatur, habens in cœlo ciuitatem. Sin D autem ſibi moriendum fuerit, lætius atque iucundius feret obitum, quàm vos dilicias veſtras: atque ita mori magis optabit peregre, quàm vos in patria & lecto. Sicque ille erit planè vagus, fugitiuus, palabundus, qui vrbem incolit, & domum habet, non qui his omnibus liber euaſit. Neque enim illum vnquam de patria poteris educere, niſi ex terra prius vniuerſa propuleris. Ita enim interim loquamur. Nam vt veriſſima ratione conſtat, tunc eum maximè in patriam reduces, cum terra penitus deduxeris: verùm id nondum ad te loquemur, neque ſic agemus tecum, qui nihil eis quæ videntur, amplius noſti. Neque verò nudum eum poteris oſtendere, donec amictus fuerit virtutis indumentis: neque fame vnquam perimes, quandiu qui ſit verus cibus, agnouerit. Ceterùm his omnibus diuites capiuntur facile, atque perturbantur. Itaque iſta quoque ratione non peccabit, quis hos quidem pauperes, ac prorſus inopes dixerit: illos verò etiam ad omnem copiam locupletes. Nam cui cibus, & potus, & domus, & requies vbique ſuppetit, nec modò in eiuſmodi non ingemiſcit, aut mœret, verumetiam quàm vos in veſtris iucundius degit: liquet prorſus eum vobis omnibus diuitibus eſſe ditiorem, qui iſta in ædibus veſtris tantum inuenire poteſtis. Quocirca nec inopiam ille vnquam lugebit. Neque autem iſta victus facilitate, & copia, & voluptate tantum diuitiæ iſtæ præſtantiores ſunt, verùm ob hoc ipſum quoque, quòd neque capi aduerſis vllis poſſunt, neque in paupertatem aliquando decidere, neque ſubiectæ ſunt incertis vllis caſibus, neque curis anguntur, neque liuore capiuntur, ſed admirationem omnem & laudes ac famam præſtantiſſimam merentur. Atqui in vobis contraria his penitus aſpicimus. Non modò enim vos non laudant diuitiarum gratia, verùm hac maximè ex cauſa & oderunt, & execrantur, & inuident vobis atque inſidiantur plurimi: hic verò quòd veris diuitiis beatus ſit, idcirco ſummæ admirationi omnibus eſt, nec propterea inuidia vel inſidiis vllis appetitur. Porrò ad ſanitatem vter aptior? nonne qui virtuti ſtudet, eiuſque diuitiis beatus eſt, agreſtium inſtar animantium viget, ac vegeto corpuſculo eſt: quippe qui & puriſſimo fruitur aëre, & ſaluberrimis vndis, & pratis, & floribus, & odore integerrimo atque gratiſſimo: hic verò veluti in cœno iacens, & mollior eſt, & imbecillior, & morbis omnibus magis obnoxius? Sin autem in ſanitate primas iſte partes tenet, liquet profectò quòd & in voluptate. Vtrum enim tu magis exiſtimas in deliciis degere, eumne qui ſuper viridi accumbit atque altiſſimâ herba pone fontem limpidiſſimum, ſub vmbra denſarum comantiumque arborum, oculoſque paſcit obtutu, puriorem ipſo cœlo nitidioremque animum poſſidens, ab omniumque rerum perturbatione ac tumultu longiſſimè remotus: an verò eum qui domi incluſus manet? Profectò enim nec nitenti aëre puriora ſunt marmora, nec vmbra tecti frondeis vmbris eſt gratior, nec lapilli vlli vel lateres ſolo variis veſtito floribus amœniores: atque horum omnium vos diuites teſtes eſtis, qui ſi fieri poſſet, in ipſis tectis habere arbores cupitis, & prata, & penſiles hortos, horumque ſolatia profectò malletis, quàm aurea tecta, parieteſque mirabiles. Denique quoties ex laboribus in requiem relaxare animos cupitis, his omnibus omiſſis, ad illa properatis. Verùm tu fortaſſe pro gloria quereris ingenti illa atque ſingulari, quaſi nuſquam hic locum habere videatur. Regiam enim ſolitudini conferens, atque ſpem rei vtriuſque componens, è cœlo ipſo filium tuum decidiſſe arbitraris. Id igitur imprimis oſtendendum & docendum, vt neque ſolitudo faciat ignobilem, neque regia clarum & illuſtrem: atque antequam ad rationes veniamus, exemplis iſtis hac te ſuſpicione liberabo, exempliſque potiſſimùm veſtris. Dionyſium fortaſſis accepiſti Siciliæ tyrannum, audiſti & Platonem Ariſtonis filium. Vter igitur inſignior fuit, aut clarior? vter vbique cantur, ac per cunctorum ora celebratur? Nonne philoſophus tyranno amplius? atqui ille quidem inſulæ totius potiebatur, atque in deliciis degebat, ingentibus copiis, lictorum agminibus ſtipatus, reliquo quoque cum apparatu regio diutius vixit: hic autem academiæ in hortis morabatur, plantans, inſerens, aquas irriguas ducens, oleaſque comedens, ac viliſſimam apponens menſam, omnique ſplendore regij illius apparatus immunis. Quod cùm ſit profectò mirabile, id omnino mirabilius eſt, quòd ſeruus effectus, atque ad tyranni ſententiam venditus, intantum abfuit vt vllo propterea aut abiectior appareret, aut vilior, vt ipſi quoque tyranno ex hoc & famam & claritudinem tradiderit. Adeò virtus non ex his modò quæ geſſerit, ſed ex eis quoque quæ perpeſſa fuerit, non ſeipſam, non eos de-

nique

Digitized by Google

nique qui ſe affligunt perniatis occultari, ac eſſe incelebres. Quid verò præceptor eius Socrates? Quantò is Archelao fuit illuſtrior, & glorioſior? at ille in plurimis opibus, ingentique gloria & ſplendore degebat: hic autem morabatur in Lycio, nihilque præter vnum pallium habebat, quo & hyberno, & æſtiuo tempore, omnibuſque horis anni vtebatur, nudis ſemper pedibus incedens, ac ſine cibo toto die perſeuerans, panemque tantummodo in cibum ſumens, atque is erat ei & pulmentum, & eſculentum: nec iſtam quidem menſam ex rebus ſuis, ſuaq; ex domo apponebat, ſed ab aliis accipiebat. Sicque cum ſumma paupertate vitam degens, adeò rege ipſo fuit illuſtrior, vt cùm eum ille frequenter ad ſe inuitaret, noluerit Lycio dimiſſo ad illius opes proficiſci. Et ex ea quoque quæ nunc obtinet exiſtimatione, quid potius, quid excellentius ſit, apparet. Nanque horum quidem nomina & celeberrima ſunt, & plurimis nota: illorum verò obſcura, & ferè omnibus ignota. Diogenes verò rurſus hic alius philoſophus tantò & his, & eiuſmodi aliis innumeris regibus opulentior fuit: ſemicinctiis amictus, vt cum Alexander Philippi filius exercitum in Perſas duceret, omnibus demiſſis, ad illum pergeret viſendum, rogaretque cominus per ſeipſum, vllâne re indigeret, & an aliquid iuberet? Cui ille nihilo ſe egere reſpondit. Num iam exemplorum ſatis habes, an vis alia quoque memoremus? Nempe iſti non modò his, qui in regia inſignes ſunt, ſed ipſis quoque regibus fuere clariores, quòd ſimplicem, quòd priuatam, quòd quietam vitam delegere, atque nunquam ad rempublicam ſe conferre voluerunt. Sed enim in ipſa quoque reipublicæ adminiſtratione, ſi diligenter inſpicias, non illi eminent aut excellunt, qui diuitiis ac deliciis, rerumque omnium copia ſtipati degunt: verùm qui in paupertate & vilitate vitam ab omni faſtu alienam ducunt. Nam apud Athenienſes Ariſtides ille, quem etiam mortuum ſepeliuit ciuitas, Alcibiade (cum is opibus, deliciis, generis nobilitate, orationis vi & copia, corporis ſpecie & robore, cæteriſque eiuſmodi vinceret,) tantò fuit inſignior, quantò vili aliquo puſione philoſophus mirabilis. Apud Thebanos verò Epaminondas, cùm in concionem vocaretur, ac propterea proficiſci non valeret, quòd veſtem lauiſſet, nec aliam haberet qua operiri poſſet: cunctis, qui eò conuenerant, ducibus inſignior ac ſpectatior fuit. Non ergo mihi ſolitudinem in medium adducas, aut regiam. Neque enim in locis claritudo, ſplendor & gloria, non in veſtibus, non in dignitate, non in potentia, ſed in virtute tantùm animi & philoſophiæ ſtudiis conſiſtit. Verùm quia exempla fortaſſis apud te non vſqueadeo vim atque authoritatem habent, age iam ex ipſo filio tuo rem iſtam diſcutiamus diligenter. Inuenimus illum ſanè non modò clariorem eſſe nunc, quàm fuiſſet domi: verùm ex illis ipſis rebus eam claritatem aſſecutum, quibus illum tu & vilem eſſe, & ignobilem exiſtimas. Nam ſi vis perſuadebimus illi de monte deſcendere, atque in forum irrumpere. Aſpicies protinus totius ciuitatis in illum ora conuerti, cunctoſque inuicem ſibi eum demonſtrantes, ſumma admiratione ac ſtupore & gaudio repletos, velut angelus aliquis de cœlo deſcenderit: an parum tibi gloriæ videtur aſſecutus? Certè non eis modò qui in regia verſantur, ſed ipſo quoque cui diadema circumligatum eſt, profectò erit illuſtrior, idque aſſequetur ob indumenta illa viliſſima, atque conſciſſa. Nunquam enim ita miraculo ac ſtupori omnibus fuiſſet, ſi veſtibus operiretur auratis, ſi ipſam purpurã denique, ipſamque geſtaret capiti impoſitam coronam, ſi ſtratis inſideret ſericis, aureoque curru mulorum officio inueheretur: aurata lictorum turba comitatus: vt modò eſt ſqualore ac ſordibus ob-
A ſitus, craſſoque amictus indumento, nullo à latere comitatus aſſecla, nudiſque pedibus incedens. Regij nanque illi apparatus & ſolennes ſunt, & conſtituti legibus ac definiti, atque adeò nemo regem admiratur, quòd veſtem induat auratam. Non modò enim non miramur, verum ſi quis id admirans dixerit, ridemus: quippe qui nihil nouum, nihil mirabile locutus ſit. At ſi quis de filio tuo verba faciat, vtque irriſerat paternas opes, omnemque ſeculi gloriam dederit peſſum, omnique mundana ſpe celſior euaſerit, atque ad ſolitudines commigrans tunica vili, conſciſſa ac putri ſe induerit: ſi hæc, inquam, ille de filio tuo proſequatur, prorſus continuò concurrent omnes, applaudentque, atque laudabunt eius magnitudinem animi tantam & tam illuſtrem. Contrà, cum reges innumeris quotidie maledictis impetantur, nihil auratæ veſtes quò minus id fiat terrori ſunt: tantum abeſt, vt illæ eos venerabiles reddant. Hic au-
B tem ex ipſis quoque indumentis plurimas occaſiones habet admirationis & laudis. Iſte igitur amictus multò magis ipſum ſpectatum illuſtremque facit, quàm faceret regius. Siquidem ex illo nemo regem admiratur, ex hoc ita indutum omnes & venerationi & ſtupori habent. Dices, quid mihi emolumenti confert opinio multorum? quid tandem hæ laudes omnium præſtant? Nempe gloria nihil aliud eſt. Sed huius, inquies, amore non teneor, honores magis & potentiam cupio. At hi qui laudant, prorſus honorabunt quoque: ſin verò tu & potentiam, & regimen deſideras, ea nihilominus, vt priora omnia, apud iſtos reperiemus eſſe præſtantius, quàm apud vos: atque cum eam rem exemplis confirmare facilè poſſemus, ad eum probationis modum, qui te maximè ſolari poſſit, venire malumus, huiuſque rationis documenta ex ipſo potiſſimum filio tua inquiremus. Quòd enim
C tu ſummæ poteſtatis argumentum eſſe aſſeris? Nonne vt poſſit quis & hoſtes, & omnes penitus qui ſibi infeſti ſint, vlciſci, cunctoſque qui ſe beneficiis affecerint, remunerari? Atqui hanc omnem ne apud regem quidem inuenire poteris. Namque & plurimos habet infeſtantes inimicos, quibus vicem reddere non poteſt: & plurimos beneficos, quos facilè non poſſit munerari. Plerunque enim & hoſtes qui ſe bello laceſſierint, maliſque innumeris affecerint, vlciſci cum vehementer cuperet, non potuit: amiciſque item qui magna in bello oſtenderunt fortitudinis ac probitatis indicia, non potuit paria rependere cùm vellet, quòd illi prærepti fuiſſent, atque in bello ipſo occubuiſſent. Quid ſi hac potentia, qua vt aperta ratione demonſtratum eſt, ne reges quidem ipſi frui poſſunt, aliam quoque longè maiorem, atque excellentiorem filium tuum habere monſtrauero? Atqui nemo me bona cœleſtia modò
D dicturum putet, quibus tu non credis.. Non adeò, quid receperim, oblitus ſum: verùm ex his quæ hac in vita fiunt documenta afferam. Si enim vlciſci poſſe inimicos, ea demum ſuprema potentia cenſetur: multò planè erit excellentius, eiuſmodi vitæ ſtatum reperire, in quo nemo ſit, qui etſi velit, nocere poſſit. Nam quòd hoc illo maius ſit, & excellentius, tunc magis conſtabit, ſi ad exemplum aliud orationem reducamus. Dic enim, quæſo, vtrum eſſe commodius cenſes, vtrum præſtantius? reine bellicæ ita quempiam peritum eſſe, vt nemo qui ſe vulneret, inuulneratis effugiat: an eiuſmodi eſſe corpore, quod quantalibet quiſque machinetur, vulnerare non poſſit? Omnibus profectò conſtat hoc illo & potius eſſe, & longè diuinius. Illud quoque præterea adiiciendum, quod primo illo potentiæ genere ſuperius, & extremo inferius, ac medium inter vtrumque eſt. Quódnam verò iſtud eſt? Etiam medicamenta noſſe, quæ per vulnera deleantur omnia. Tribus ergo iſtis

Digitized by Google

potentiæ modis conſtitutis, primo quidem, vt poſ- A
ſit quis iniuria; vlciſci: altero verò qui & ſuperior
& dignior eſt, vt vulnera propria curare norit: ter-
tio, vt à nullo prorſus hominum lædi poſſit, quod
naturam penitus excedit humanam, extremum
hoc filium tuum habere monſtrabimus. At ne hæc
verba ſtrepitus inanis eſſe videantur, hac ipſa
ſumma potentia rurſus aliam maiorem inter quæ-
rendum inuenimus. Non modò enim non repe-
rietur, qui nocere poſſit, ſed ne qui velit quidem.
Ita duabus ex partibus ille tutus erit. Quid igitur
hoc vitæ ſtatu ſingularius, quid diuinius dici, aut
fingi poſſit, in quo nemo nocere velit: nec ſi velit,
poſſit? Cùm potiſſimum nolle nocere non ex im-
potentia veniat, vt in pleriſque contingit, ſed ex
eo quòd nocendi nulla cauſa rationabilis exiſtat.
Nam ſi nocere non poſſe, id tandem per ſe ſolum
ſit, nihil erit cur ita admiremur. Poterunt enim e-
tiam vehementius odiſſe hi, qui cùm voluerint,
nocere non poſſunt. Itaque non parum beatus B
iſte quoque potentiæ modus eſt. Ipſum ergo pri-
mum, ſi videtur, intueamur diligenter. Quiſnam
eum rogo lædere, atque iniuriis affligere velit, qui
nihil habet commune cum hominibus, non tabu-
larum, aut chirographorum gratia, non prædio-
rum, non pecuniarum, non negotiorum, non alte-
rius denique rei alicuius? Pro quibus aduerſus
eum vilis corrixabitur, pro quibus ſeruis, pro qua
gloria? Quidnam metuens, quid inuidens? Aut e-
nim inuidia, aut timore, aut ira commouemur, vt
aliquem lædamus. At iſte illuſtriſſimus, & planè re-
gius, his omnibus ſuperior euaſit. Quis enim illi
inuideat, qui cuncta ea irrideat, quæ alij vehemen-
ter amant, & plurimi exiſtimant? Quis illi iraſca-
tur, à quo nulla fuerit laceſſitus iniuria? Quis e-
um metuat, quem nihil ſuſpectum habet? Conſtat
igitur ex his neminem eſſe, qui nocere velit, quòd
autem non poſſit, ne ſi velit quidem, & hoc ſimili- C
ter manifeſtum erit. Nullæ enim ſunt occaſiones,
aut cauſæ, quibus eum aliquis impedire poſſit, ſed
vt aquila ſublime volans, minutarum auium la-
queis non capitur: ita & hic. Vnde enim, vel ex
qua cauſa nocere ei poſſit aliquis? Pecunias ille
non habet, vt damnum metuat: patriam non ha-
bet, vt exilium ſibi aliquis intentet: gloriam non
optat, vt dedecus timeat. Vnum reliquum eſt,
mors ſcilicet, ſed eam qui intulerit, non modò il-
lum non lædet, aut aliquo efficiet mœrore, verùm
ſumma quoque illi conferet emolumenta. Nan-
que eum ad aliam tranſmittit vitam quam ille
ſummis ambit deſideriis, cuius gratia cuncta & a-
git & molitur. Itaque laborum illa ſibi finis erit,
non pœna ſudorumque abſolutio, & requies. An
cupis genus aliud ſuæ potentiæ, ac virtutis addi-
ſcere, longè iſto excellentius, ac philoſophia di-
gnius? Siue quis enim innumeris iniuriis afficiat, D
ſiue verberibus atterat, ſiue in vincula coniiciat,
corpus quidem natura infirmum violatur: cæte-
rum animus quòd philoſophiæ intentus ſit, in-
uiolabilis durat: neque enim iracundia capitur,
non odio peruſus eſt, non inimicitias exercet.
Quæ cùm ſint mirabilia, id profectò mirabilius ſit
neceſſe eſt, quòd eos qui ſe ita vexant, ſic diligit,
ſic amat, vt beneficos: & ſuorum profectuum
magiſtros, bonaque illa cuncta imprecatur. At
qui tu quid ei vnquam tale præſtare potuiſſes, e-
tiamſi millies regem ipſum, ac totius orbis terra-
rum dominum conſtituiſſes, & decem millibus an-
nis imperium ei prorogaſſes? Quænam purpuræ
vis, quæ claritudo, quæ gloria ſic affecto animo
comparata, non vileſcat atque euaneſcat? Quid-
nam aliquis non libenter impenderet, vt eiuſ-
modi animum acciperet? Ego puto eos etiam qui
corpori vehementer ſtudent, huius vitæ deſiderio
non ſegniter moueri. Viſne aliunde quoque viri
huius potentiam addiſcere, & mirabilem & iu-
cundiſſimam, humiliorem quidem ex parte peritam,
ſed tamen tibi ſummè gratam atque ſuauiſſimam?
Cuncta ſanè ea quæ dicta ſunt, nec capi illum, nec
violari poſſe oſtendunt. Verùm tu fortaſſe quó-
nam ille modo alios quoque moderabitur, & re-
get, atque tutiſſimos præſtabit, quæris addiſcere.
Principio quidem ipſius in eo apparet magiſte-
rium, quod alios quoque imitatione ſui ad idem
propoſitum adducit, ſimilique fortitudine prædi-
tos facit. Sin verò illi noluerint, eamque vitam,
quæ & fragilior eſt, & terræ propior, hominibuſq;
communior viuere maluerint, in eo quoque de-
lectu vitæ, maiore illum poſſe potentia qui nihil
habet, quàm te qui diues es, idque idcirco maxi-
mè, quia nihil habet, docebo. Quis enim maiore
cum fiducia ac libertate regem alloquetur, & ſi
neceſſe ſit, increpabit? túne qui tanta poſſides, &
propterea ſeruis quoque illius obnoxius & obſtri-
ctus es, próque omnibus tremis ac trepidas, occa-
ſioneſq; illi innumeras præſtas, quibus te quotidie
capiat iratus: an iſte, qui illius iras potentiamque
non metuit? Huiuſmodi enim potiſſimum ingen-
ti cum libertate regibus collocuti ſunt, quique ſe
mundi negotiis penitus alienos reddiderunt. Cui
verò facilius cedet, promptiuſque obtemperabit,
is qui eſt in poteſtate conſtitutus, atque in regia
verſatur? tibíne qui diues es, quem ille pecunia-
rum cauſa crebro plurima ſuſpicatur facere: an ei
qui vnam tantummodo habet intentionem, cau-
ſamque iuſſionum, humanitatem ſcilicet in om-
nes, atque clementiam? Quem, inquam, ille am-
plius amabit, obſeruabit, admirabitur, eum de
quo nihil humile, nihil abiectum ſuſpicari poteſt,
vt quem ſeruis quoque ſuis humiliorem arbitra-
tur atque viliorem? Sicut enim in re pecuniaria,
quoties aliquid impendendum fuerit, illis obau-
diunt magis, ita impendiis quoque præeſſe iubent.
Sin autem ita vis, nihil ille per alios tranſigat, ſed
per ſemetipſum omnia. Adducatur afflictus ali-
quis, inſigni calamitate mœſtus, & ad illum, & ad
te, quin magis non ad te, ſed ad regem ipſum, tum
videamus vter illum refouere & recreare magis
ſua prouidentia poſſit. Primuſque & ante alios
ducatur, qui acerbiſſima omnium perpeſſus ſit.
Fingamus interim aliquem habere filium vni-
cum, quem in ipſo flore ætatis amittat, hunc neque
princeps vllus, neque rex, neque alius quiſpiam
ſolari mœrentem poterit, ne tu quidem, nihil e-
nim eiuſmodi ſibi dare quale amiſit, valebis. At
ſi ad filium tuum ille educatur, ſtatim ex aſpectu
ipſo, atque habitu, itemque ex ipſo habitaculo de-
miſſum ora eriget, ac perſuadebit facile nihil æ-
ſtimare res humanas, cum oratione ſua mœroris
omnem nebulam fugabit & exterget. Tua verò
ex domo luctum ille, & quidem acerbiorem re-
feret. Cùm eam enim viderit immunem, exortem
malorum, omnibuſque ſecundis ſucceſſibus re-
pletam, & eum qui hæreditate potiturus ſit, præ
ſe ferentem, tum verò magis aduretur, atque ad
luctum acrius inflammabitur. At verò inde man-
ſuetior, & quietior redibit, philoſophiæque vici-
nior. Nam cùm viderit filium tuum tantas opes,
tantas copias ſpreuiſſe, tantamque claritudinem
& gloriam, minus dolebit ſibi filium obiiſſe. Qui
enim morderi, aut angi poterit, nullo ſibi ex libe-
ris hærede ſuperſtite, cùm hunc proſpexerit illa
omnia ingenti magnitudine animi ſpreuiſſe? Au-
diet illum præterea facilius & gratius de philoſo-
phia verba facientem, quòd operibus ille fidem
verbis faciat, dictiſque res ipſæ aſtipulentut. Tu
ſi vel aperire os, atque hiſcere auſus fueris, eum
mœrore incredibili replebis: quippe qui alienis in
malis philoſophari pergis. At ille rebus ipſis eru-
diens perſuadebit facile, nihil aliud quàm ſopo-
rem mortem eſſe: neque enim plurimos enume-
rabit patres perpeſſos eadem, ſed ſeipſum oſten-
det

det diebus ſingulis in corpore mortem meditantem, ac ſe ad eam obeundam ſemper præparantem. Atque illum reſurrectionis admonens, magna perſuadedi vi, ita ab ſe dimittet, maxima parte mœroris amputata: multoque amplius valebunt huius verba rebus ipſis aſſerta ad leuandum animi dolorem, quàm contubernalium, ſodalium, ac ſequeſtrium. Et iſtum quidem ita forſitan ſonabit. Adducatur ad illum rurſus alius, qui iugi ex morbo oculos amiſerit: quis illius dolori medebitur, quiſve melius curare eum poterit? Nempe enim iſte certa ratione monſtrabit, nihil mali illum eſſe paſſum, breui cellula incluſus, atque ad lucem aliam properans, præſentemque ſi illi comparetur, & breuem, & obtuſam eſſe arbitrans: ſicque admonebit eum caſum & conſtanter, & fortiter perferre. Sed num tu malè aliquibus affectis, vt philoſophari velint, perſuadere poteris? Minimè verò, quin etiam magis irritabis, atque perturbabis. Nanque triſtia noſtra in proximorum ſecundis rebus melius atque diligentius conſueuimus inſpicere. Tuus porrò filius hos quoque facilius recreabit, & refouebit. Omitto precum ſuffragia longè his omnibus & grauiora, & maiora. Hæc autem ideo omitto, quoniam ad te mihi nunc ſermo eſt. Sin autem honorari cupis ex filio, nec vllis eſſe contemptui, par enim eſt his quoque te moueri, atque ea cupere: neſcio quo pacto id vberius conſequi poſſis, quàm vt eum habeas filium, qui naturam excedat humanam, quique in toto terrarum orbe illuſtris & clariſſimus habeatur, cumque ſit tanta virtute & poteſtate, neminem habeat inimicum. Nam ſi veſtra hac potentia præditus fuiſſet, habuiſſet quidem plurimos qui vererentur, verùm nec pauciores qui odiſſent: at hic illum omnes & iucundè, & cum voluptate honorant. Si enim nonnulli humili loco nati, agreſtiumque atque operariorum filij, cùm ad hanc ſe philoſophiam contuliſſent, adeò cunctis fuere venerabiles, vt ne hi quidem qui in ſummis dignitatibus agebant, erubeſcerent proficiſci ad illorum tuguria, & cùm eis colloqui, menſæque participes fieri: quin ita fuere affecti, tanquam bonis maximis, id quod erat veriſſimum, potiti fuiſſent: multò ſanè magis id facient, cùm viderint hunc illuſtriſſimo ex genere, clariſſimiſque diuitiis, ſumma illa ex ſpe ad eam ſe virtutem contuliſſe. Itaque quod tu maximè quereris ex his eum ad illa tranſiſſe, id in primis eſt quod illum maximè omnium & probatum & ſpectatum facit, omnes vt in illum tueantur inducit, non planè quaſi hominem, ſed iam penitus vt angelum. Neque enim quæ de aliis opiniari ſolent, ea de filio quoque ſuſpicabuntur tuo, quòd ille ſcilicet vel honoris ambitione captus, vel pecunias deſiderans, vel inſignis ex humili fieri cupiens, hanc elegit viam, huicque propoſito ſe addixit. Quæ profectò verba, etſi cùm de aliis dicuntur, mendacia ſimul & iniqua ſunt: in ipſo tamen tuo nato, ne obſcuræ quidem ſuſpicioni locum dare potuerunt. Et ne tu putes iſta tantum contingere regibus pietatem colentibus, etiamſi imperium transferatur, & Imperatores infideles fiant, tum quoque nati tui virtus illuſtrius clareſcet. Neque enim vt apud gentiles, ita fit apud nos: neque principum edictis, & ſententiis iniuſtis acquieſcimus, neque ea ſequimur: verùm ſua cuique virtus immota inuiolabiliſque perdurat, tuncque apparet maximè, cùm maximè oppugnatur. Nam & is miles, qui in pace probatus fuerit, longè erit ſpectatior, ſi belli terror increpuerit. Itaque & ſub regibus gentilibus erit tibi æquus honor, imò verò maior quoque atque auctior. Nam qui filium tuum in pace verentur, multò amplius id facient cùm præliantem viderint, ſummaque confidentia & conſtantia vtentem, & plurima probitatis inſignia præ ſe ferentē.

A Viſne illa etiam quæ pertinent ad te, diligenter inquiramus? An id quoque ſuperfluum videtur? Is enim qui cæteris ita blandus & mitis eſt, vt querelæ occaſionem nulli præbeat, multò magis patrem reuerebitur, atque in ſummo habebit honore, longeque amplius fouebit ac tuebitur obſequio, quàm nunc. Atqui ſi in ſummo fuiſſet magiſtratu, incertum eſt an ipſum quoque patrem contemtui habiturus eſſet: nunc verò eam elegit vitam, per quam cum rege ipſo ſit illuſtrior & clarior, cunctorum tamen vitæ humilitatem & officio ſuperare perſeueret: quippe eiuſmodi apud nos obtinet philoſophia, quæ ea quæ videntur contraria, celſitudinem & humilitatem in vnam animam cogat. Et tum quidem, quippe pecuniarum cupidus, tuum etiam fortaſſis optaſſet occubitum: nunc verò vt quàm longiſſima tibi vita prorogetur orat, vt ex hoc etiam coronis clarioribus donetur. B Non enim exigua merces eis propoſita eſt, qui parentes honorauerint, cùm eos ex legis inſtituto vereri iubeamur vt dominos, verboque ſimul & operibus colere, dum tamen in nullo pietas ac religio lædatur. Quid enim tale, inquit, illi reddes, quale ipſe tibi? Conſidera denique quàm ſit rationi conſentaneum, eum qui in cæteris ad ſummum virtutis verticem prouectus ſit, id officium quoque ſumma intentione ſeruare. Nam etſi moriendum ſibi fuerit pro tuo capite, non abnuet, non recuſabit: quippe qui non tantum naturali te lege colit, obſeruat, honorat: verùm multò magis, vt Dei iuſſis obtemperet, propter quē cuncta ſimul penitus deſpexit & reliquit. Cùm igitur ille nunc probatior ſit, & opulentior, potentior & liberalior, cumque hac tanta magnitudine animi ſeruus tuus ſit longè amplius, quàm fuerit prius, cuius rei gratia quereris? quid ingemiſcis? An quia quotidie non metuis ne forte in C bello moriatur, quòd nunquam offenſurus eſt regis animum, quia commilitonum inuidiæ non patet? Nónne & hæc, & his plura etiam probatis filiis metuunt patres? Vt enim qui infantem puerum in ſublimi aliquo loco ſtatuerint, ne tandem is decidat, metuere coguntur: ita & hi qui filios ad excelſum aliquem dignitatis gradum prouehendos curant, illis omnia timere ſolent. At habet aliquam voluptatem baltheus, & paludamentum, & præconis vox. Et iſta tandem quot dierum ſpatio tenduntur? Num triginta, aut centum, aut bis etiam totidem? Quid poſtea? Nónne tranſierunt illa omnia vt fumus, vt ſomnium, vt vmbra, vt fabula? At nunc illi vſque in finem honor iſte permanet, imò verò poſt mortem quoque, & quidem tunc multò cumulatior: atque hūc honorem, hoc imperium, nemo vnquam ab illo poterit auferre: quippe cum iſta non ille ab homine acceperit, verum à virtute ipſa. Sed enim tu D illum malles pretioſa amictum veſte procedentem, inſignique vectum equo, clientum ſtipatum multitudine, paraſitos parenteſque nutrientem videre. Cuius tandem rei gratia id velles? Num vt illi voluptatem aliquam ex his omnibus parares? At qui audis illum dicentem, ne nobis fortaſſe minus fidem habeas, tanto ſe vitam iſtam ea quam degunt qui in deliciis viuunt, qui formoſis meretricibus vtuntur, qui ſe muſicæ, paraſitis, aſſentatoribus, omnique id genus laſciuiæ addixerunt, iucundiorem ac dulciorem exiſtimare, vt malit millies emori, quàm iis obtemperare, qui iubent hac illum omiſſa voluptate, ad illam ſe conferre. Quid ad hæc dicturus es? Num ignoras quantum voluptatis, quid iucunditatis ea vita pariat, quæ à ſtrepitu negotiorum remota penitus quietem agit? Fortaſſe nec vllus id hominum nouit, quippe qui eam vitam nunquam perfectè guſtauit. Cùm itaque nec claritudo deſit, atque hæc quæ ſibi miniſceri vix poſſunt, ſecuritas & gloria

A in vnum coëant: qui hac vita præſtabilius dici aut fingi poteſt? Dices, quid tu iſta mihi ingeris, qui ſum à philoſophia remotiſſimus? Cur ergo natum tuum quoque ad eam propius accedere non ſinis? Satis ſit illo te incommodo affectum eſſe. Nónne ſummum eſſe detrimentum arbitraris, quando ad extremam prouecti ſenectutem, vt qui in priora ætate nihil boni, nihil emolumenti fueritis lucrati, moleſtiſſimè eam ætatem fertis? At ideo, inquit, eam moleſtè ferimus, quòd magna nobis contulit iuuentus commoda. Quænam magna? Da ſenem, qui magna iſta commoda habeat. Si enim illa habuiſſet, perſeueraſſent vtique cum illo, nec modò vt his orbatus atque deſtitutus, ita lamentaretur: ſin verò illa auolauerunt, & marcida euanuerunt, quónam modo fuerunt magna quæ ſic cito extincta ſunt? Atque filius tuus nunquam prorſus id patietur: ſed ſi ad longiſſimam quoque ſenectutem ſibi protendantur anni, non illum videbis in- B dignantem, aut iniquo animo ferentem, vt vos facitis: verùm gaudentem, geſtientem, exultantem, triumphantem. Tunc enim bona ſua vigent amplius, & florent. Veſtræ autem diuitiæ etſi bona habeant innumera, in primo ſtatim ætatis flore facient illa contractiora. Non autem iſta ita faciunt, ſed vſque ad ſenectutem durant, excedentéſque è vita comitantur: idcircò vos cùm tantam copiam præparatam in ſenectutem habeatis, plurimæque vobis & deliciarum & gloriæ occaſiones ſuppetat, iraſcimini & indignè fertis, quod ætas non ſufficiat vt eis frui valeatis: idcircò mortem quoque perhorreſcitis, voſque tunc potiſſimum miſerabiliores omnibus eſſe confitemini, cùm maximè floretis. Contra, ille tunc inſigni requie fruetur, cùm ſenuerit, quippe qui ad portum venire properat, habetque eam iuuentutem quæ viget ſemper, ac viret, nullumque metuit ſenectutis occaſum. Ve- C rùm enim tu filium tuum eis deliciis, eiſque hauriendis voluptatibus inſtare voluiſſes, quarum illum millies pœnituiſſet, cùm ad ſenectutem perueniſſet. Sed ab eiuſmodi deliciis ipſos quoque inimicos noſtros liberet Deus. Verùm ego quid ſenectutem memoro, quandoquidem die vno voluptas illa omnis extinguitur? imò ne die quidem integra illa perdurat: ſed breuiſſimo temporis momento. Quid enim eſt voluptas? Nónne ventri ſe dedere, ciboſque delicatos parare, & ſpecioſis mulieribus congredi, porcorum inſtar ſe in cœno volutantium? Sed illa poſt videbimus. Interim voluptatem ipſam quæ ſit indagemus, atque videamus ſi non planè leuiſſima ſimul & viliſſima ſit, atque illam, ſi placet, primum inſpiciamus, quæ delicias omnes videtur ſua dulcedine longe antecedere. Dic oro illius tempus, quantumque nos illa continere poſſit: profectò partem temporis adeò breuem, vt ne plenè quidem qualis ſit videri D poſſit. Nam ſimul ac quiſque impletus fuerit, voluptatem etiam omnē extinxit. Atque antequam illa impleatur, fluendi vndè citiùs pertranſiens, ad ipſas fauces deficit & euaneſcit, nec tandiu durare poteſt, dum cibus & interiora deſcēdat: ſimul enim atque linguam pertranſiit, vim etiam omnem amiſit. Omitto mala illa & incommoda quæ ſolent eiuſmodi deliciis gigni, quantum illæ rixarum, quantumque tumultuum excitent. Non modò autem iucundior & lætior eſt, qui eas delicias ſpernit, quàm is qui ſaturitate diſtenditur, verùm leuior quoque, facilior, gratior. Somnus etiam ſanitatis in viſcere moderato, inquit. Quid me dicere neceſſe eſt morbos, mœrores, clades, inaneſque ſumptus? quæ controuerſiæ, quæ lites, quæ inſidiæ, quæ ex hiſce commerciis odia, rixæque pullulant? At habet quiddam dulcedinis ac ſuauitatis meretricibus mulieribus congredi. Et quæ poteſt eſſe voluptas in tanta turpitudine. Sed hæc interim indagare omittamus, nec amatorum pugnas proſequamur, nec bella inter ſe riualium, nec accuſationes & crimina: verùm ſit aliquis qui licenter, ſummaque cum libertate obſcœna illa libidine fruatur, neque riualem vllum habeat, nec à ſpecioſa illa muliere contemnatur, pecuniarum præterea tanta illi ſit copia, vt eas veluti ex manantibus fontibus hauriat, & largiſſimè impēdat, quāquam impoſſibile eſt hæc omnia ſimul conuenire. Cæterum ei qui riualem habiturus eſt, omne patrimonium exhauriendum erit, vt alios omnes largitate munerum ſuperet: rurſumque qui noluerit ad extremam inopiam deduci, is demum à meretrice ſpernetur, abiicietur, reſpuetur. Cæterùm vt concedamus nihil horum fore impedimento quo minus ſibi omnia ſuperfluant, atque ex ſententia proueniant, quàm tu tandem nobis voluptatem ex his potes oſtendere? Num in ipſo congreſſus tempore apparet? At quiſque ſimul ac impleuit coitus rem, voluptatem etiam extinxit omnem: qui autem adhuc in congreſſu eſt, non ſanè in voluptate agit, verùm in tumultu, & perturbatione ingenti, in ardentibus aculeis, in inſania, in concuſſione & feruore vehementi. Atqui non eiuſmodi noſtra voluptas eſt. Abſit id penitus, verùm & quietum ſemper animum ab omni perturbatione ſeruat, & metum nullum aut concuſſionem inducit, ſed puriſſimam quandam præſtat integerrimamque lætitiam, eámque glorioſiſſimam, & quæ ſine nullo concludi poſſit, longeque illa vehementior, quàm veſtra, & potentior eſt. Atque id oſtendere quatenus noſtra ſit quàm veſtra iucundior, ſecurior, gratior, difficile non eſt. Veſtra enim voluptatem metus comprimere ac fugare poteſt. Nam ſi rex mittat, qui minetur mortē, complures ita affectos ea voluptas deſeret: eis verò qui noſtra iſta voluptate potiuntur, ſi qui millies mortem inferat, non modò nō perſuadebit vt eam negligant, verùm irridebitur magis: adeò noſtra gratior & dulcior & violentior quàm veſtra eſt, prorſuſque nulla eſt vtriuſque comparatio. Non igitur inuideas filio, cùm à fluxis bonis, & quæ ne ſunt quidē, ad ea quæ & ſunt, & in æternum perſeuerant confert: neque lugeas eum qui beatiſſimus meretur dici: ſed eum luge, qui non eiuſmodi eſt, quique in præſenti vita, tanquam in concitatiſſimo circunfertur euripo. Atque vt iam ad ſummā veniamus: tu enim etſi gentilis ac infidelis es, noſtram tamen hanc perorationem ſuſcipies. Audiſti profectò Cocytos, & Pyriphlegethontas fluuios, & Stygis vndam, & Tartarum tantò inferiorem terra, quantū hæc ipſa diſtat à cœlo, plurimoſque ſuppliciorum modos. Etſi enim hæc illi explicare, prout erant, non potuerunt, quippe gentiles & cogitationibus propriis inſtincti, noſtra quàm longius odorati, futuri tamē iudicij vmbram quandā atque imaginem expreſſerunt. Denique inuenies & poëtas, & philoſophos, & oratores, atque omne ſcriptorum genus de dogmatibus huiuſmodi philoſophantes. Audis enim & Elyſium campum, & beatorū inſulas, & prata virentia, & myrtos, & aurā tenuem, odoremq; ſuauiſſimum cuncta replētem, & choros ibi commorantes, amictos ſtola candida tripudiantes atque hymnos quoſdam concinētes, prorſuſque poſt vitæ exceſſum, & malis, & bonis repoſitam pro meritis mercedē. Quónam ergo tu tandem in ſtatu animi eos, ſiue bonos, ſiue malos, viuere exiſtimas, qui iugiter eiuſmodi ſecum cogitationes verſant? Nónne alij quidem, etſi præſens eis vita per cuncta blandiatur, degantque alias ſine mœrore, ſummaque cum voluptate, quaſi quodā cōſcientiæ flagello ſemper impelluntur, & exagitantur, atque perterrentur, furiarum tædis ardentibus, futurorumque malorum expectatione cruciantur: boni verò etſi malis innumeris vexentur, iuxta Pindarū, ſpē habent, qua recreentur, quæ mala præſentia ſe nec ſentire ſinit. Itaque in hoc

Digitized by Google

A quoque maior voluptas noſtrà, quàm veſtra eſt. Multò enim profectò melius, multoq́; præſtantius eſt, à tẽporalibus & momentaneis laboribus incipere, atq; in infinitã requiem deſinere, quàm his, quæ videtur eſſe iucundiſſima, breuiter guſtatis, in ſumma & grauiſſima incõmoda decidere. Cùm igitur id cõceſſum ſit, hic etiã vitam illã virtuti deditam eſſe iucundiſſimã: non id quod initio dixi faciundũ eſt, atque eos miſerandũ, qui in talibus tãtiſq́ue bonis lacrymãtur & gemunt. Non enim lamẽtationibus dignus eſt filius tuus, verùm plauſibus coroniſq́ue clariſſimis, qui ex tãtis mundanorũ fluctuũ motibus, ad tranquilliſſimam vitã, portumque ſereniſſimũ ſe recepit. Atque exprobrãt tibi patres plurimi filios habẽtes ſeculo addictos, teq́; digito denotãt, ac ſibi inuicẽ oſtendunt alij cùm vident, atq; irrident alij. Cur nõ tu eos magis & irrides, & miſeraris? Neq; enim id intuendũ eſt, an irrideant & obiurgẽt nos, ſed an rectè & iuſtè id B faciãt. Quòd ſi digni fuerimus qui irrideamur, etiãſi nõ illi rideãt, nos tamen lugere meritò debebimus, ſin verò id iniuſtè & inquiè faciãt, etiãſi omnes rideant, nos tamẽ beatos eſſe ſentiamus: illorũ vicẽ doleamus, quippe qui cũctis infeliciores ſunt, & nihilo inſanis meliores. Inſanorũ enim eſt, & eiuſmodi morbo laborãtium, eũ qui plurimis & coronis, & laudibus ſit dignus, irridere. Dic enim, oro, ſi quòd filius tuus, ſaltatorũ inſaniæ, vel aurigarũ ſe omnino addixiſſet, inde te laudarẽt atq; admirarentur vniuerſi, beatiſſimũq́; eſſe faterentur: nónne irriſionẽ hanc, & quidẽ mordacẽ eſſe exiſtimares? Quid illud? Si quod ſtrenuũ aliquid, ac forte, dignũq́; laudibus egiſſet, propterea te omnes irriderẽt, probriſq́; reſpergerẽt: nónne illos amẽtes, inſanos, furioſóſque proclamares? Atque hoc nũc quoq; faciamus, neque opinioni multitudinis acquieſcamus: verũ diligẽtiſſimo rationis exC amini de filio tuo ferendã ſententiã permittamus: videbis profectò ridiculoſos iſtos homines viliſſimorũ potius mancipiorũ, quàm liberorũ parentẽs eſſe filiorũ, ſi filio tuo illi cõparati fuerint. Verũ enimuero tu necdũ iſta conſpicari, aut perpẽdere vales: cum verò te modicũ collegeris atque requieueris, filiuſq́ue tuus plurima de ſe virtutis documenta dederit, non iam tibi verbis opus erit: & ipſe enim hæc, atq; his plura etiã ad alios loqueris. Quę ſanè ego omnia non tibi ſine certa ratione prænuntio, ſed loquor quæ expertus ſum. Amico enim quodã & ſodali vſus ſum, qui patrem habebat infidelem, diuitem, ſpectatum, & vndicunque clariſſimum. Is primum quidem concitauit principes, & intẽtauit carcerem, parauit vincula, ipſumque omnibus exutum; & neceſſariis etiã alimẽtis indigentem, in alienum dimiſit ſolum, hac illum arte ſibi acquieturũ putans, atque ad ſeculi latiores vias rediturum: poſtquam verò illum in nullo D ſibi credere peruidit, neque penitus moueri loco, victus tandẽ manus dedit, & palinodiam cecinit: nunc in honore habet filium, illumq́ue amplius, quàm ſi pater eſſet, colit, obſeruat, reueretur. Cúmque plures alios habeat liberos ſpectatos in ſeculo viros, eos ne dignos quidem qui ſerui eius ſint, arbitratur; atque ex eo ipſo filio longè clariſſimus eſt. Hæc eadem in tuo nato etiam perſpiciemus, atque me vera proſecutum ex rebus ipſis addiſces diligenter: idcirco ipſe quoque iam loquendi finem faciam, id tantum orans atque obſecrans, vt annum vnum expectes, aut minus etiam. Neque enim ea quæ apud nos in ſtudio eſt virtus, multis diebus vt perficiatur opus habet, quippe quæ diuina gratia germinat, & maturè ad frugem peruenit. Inſpicieſque iſta omnia quæ dicta ſunt, rebus ipſis impleta. Nec modò facta laudabis, verùm ipſe quoque ſi te parum colligere volueris, citius ipſius æmulus atque imitator eris, ducem & magiſtrum habens virtutis atque probitatis filium.

Liber tertius ad Patrem fidelem.

Inſtruit parentes fideles de recta inſtitutione proliũ, & de non impediẽda vita eorũ monaſtica.

AGE, iam fidelem quoque patrem doceamus, quàm illi non expediat, vtq́ue integrũ non ſit eos oppugnare, qui filium ſuum, vt Dei monita & conſilia implere pergat, hortantur. Quanquam periculum eſt, ne iſte quoque ſermo ſuperfluò à nobis inſtituatur, contraq́ue ac ſuperiori libro dixeramus, cõtingat. Tunc enim diximus, per legem certaminis noſtri nos aduerſus gentilem dimicare non cogi, eóſque tantùm qui interius ſunt iudicare, Apoſtolum iubere, omniq́ue aduerſus eos qui foris ſunt, pugna immunes eſſe ac liberos ſinere. Nunc autem, vt mihi quidem videtur, ne iſtis quidem dimicationibus ſumus obnoxij. Nam ſi priore libro Chriſtiano de his verba facere oportere turpe eſſe videbatur, multò id magis nunc. Quis enim non erubeſcet, is qui fidelis eſt, ſi de his admoneri opus habeat, in quibus ne infidelis quidem quicquam nobis contradicere aut reluctari poſſit? Quid igitur? Tacebimúſne propterea, nihilq́ue loquemur? Minimè verò. Nam ſiquidem eſſet aliquis qui in futurum ſponſor, & fideiuſſor accederet, nobiſq́ue perſpicuum, & planè manifeſtum faceret, fore poſthac neminem qui eiuſmodi facinora auderet, nos quoque ipſi quietem ageremus, eiſq́ue qui præteriſſent, ſilentio noſtro vt latere poſſent, concederemus. Quoniam verò neminem eiuſmodi tenemus idoneum fideiuſſorem, neceſſaria penitus videtur verborum admonitio. Si enim aliquis inuenerit hoc morbo laborantes, operabitur profectò quod ſuum eſt: ſin verò nemo in hanc malam valetudinem incidit, actum eſt vt volumus, & vehementer optamus. Quippe & medici etiam poſteaquam infirmis medicamenta parauerint, maximè cupiunt nihil eis opus eſſe languenti: itaque & nos optamus quidem votis omnibus, neminem eſſe ex fratribus noſtris, cui iſta admonitione opus ſit: ſin verò, quod tamẽ abſit, fuerint aliqui eiuſmodi, vel ſecundum nauigationis remedium non illos effugiat. Fingamus ergo iam fidelem quoque eiuſmodi eſſe, cuius infidelis fuerat, eiq́ue per cuncta ſimillimum, præterquam in cultu Dei & religione. Lamentetur & lugeat ſimiliter, prouoluatur omnium pedibus, prætendat canos, & ſenectutem, & ſolitudinem, cunctaque illa proſequatur, quæ gentilis dixerat, & quantum vult iracundiæ iudicibus moueat: quanquam in hoc aduerſus iſtum certamine iudicium iam hominibus permittendum non eſt. Audiuit enim profectò quæcunque ſummi apud nos viri, diuino Spiritu repleti, de terribili horrendóque iudicio, quod poſt huius exceſſum vitæ ſequitur, philoſophati ſunt. Atque ante omnia admonendus eſt diei illius, ac pernicioſiſſimi fluminis in morem decurrentis ignis, eiuſq́ue flammæ quæ nunquam extinguitur, cum ſolis tollentur radij, lunæq́ue ſplendor occultabitur, cum ſtellis decidentibus cœliſq́ue conuolutis virtutes commouebuntur, cum vndique concuſſa, & liqueſcente humo, terribilis alternúſque ſonitus tubarum concrepabit: cum percurrentibus orbem vniuerſum angelis, aſſiſtentibúſque regi millibus, & millibus millium miniſtrantibus, aduenientibúſque cum ipſo iudice ad eius obſequium paratis exercitibus, ante caſtra ipſa cœleſte ſignum elucebit, cum ſolium parabitur, & aperientur libri, maieſtáſque illa reuelabitur inacceſſa, atque ineffabilis: cum vox illa iudicantis audietur horribilis & metuenda, alios quidem in ignem paratum diabolo & angelis eius ire præcipientis: alios verò poſt ingentem illam exercitationem, virginitatíſque labores ipſis thalami ianuis arcẽtis, miniſtrorúmque aliis zizania colligere, atque in fornacẽ immittere iubentis: aliis item alios nonnullos compeditos, vinctóſque poſt ter-

ga manus in exteriores tenebras abducere, atque A horrifico dentium ſtridori addicere: cùm hunc quòd impudice tantum aſpexerit, illum quòd intempeſtiuo ſe riſui dederit, aliũ quòd maledixerit duntaxat, vehementiſſima atque grauiſſima animaduerſione plectet. Nam quòd iſtos quoque pœna acerbiſſima maneat, ipſum iudicem audias licet, qui & hæc, & eiuſmodi ſupplicia intentat. Ad hunc nobis iudicem prorſus eundem eſt, atque diem illum metuendum in quo nuda & patefacta erunt omnia, non tantũ opera & verba, verùm ipſæ quoque cogitationes & intẽtiones animi. Nam eorum quoque delictorum, quæ videtur eſſe leuia & nulla, terribiles tunc pœnas expendemus. Adeò iudex ipſe pari & eadem ferè diligẽtia & noſtram, & proximorum noſtrorum ſalutem requirit à nobis: idcirco Paulus quoque ſemper & vbique monet ſin-Correctio fraterna. gulos, non quæ ſua ſunt quærere, ſed quæ proximorum: ideo in Corinthios vehementer inuehitur, quòd nullam prouidentiam, nullamque curam B habuerant eius qui in grauiſſimum crimen fornicationis inciderat, ſed magis eius vulnus tumidum Galat. 6. obduratumque contempſerant. Galatis quoque eadem ſcribens aiebat: *Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, eiuſmodi corrigite.* Theſſalonicenſibus item eadem monita ede-1. Theſſ. 5. bat, dicens: *Itaque exhortamini inuicem ſicut & facitis.* Ibidem. Itemque, *Corripite indiſciplinatos, conſolamini puſillanimes, ſuſtinete infirmos.* Ne quis enim diceret, quid mea intereſt etiam aliorum curare ſalutem? qui perit, pereat: & qui ſeruatur, ſeruetur: nihil horũ pertinet ad me, mei tantùm ipſius curam habere mihi imperatum eſt. Ne quis, inquã, iſta diceret, immanem hanc, & prorſus inhumanam cogitationem iugulans, legibus iſtis illã ſepſit & circunclusit, quibus plurima iuberet noſtrorum commodorum negligere, vt proximorum ſaluti conſuleremus, atque C omnibus in locis vitæ eandem diligentiam haben-Rom. 15. dam definiuit. Romanis quoque cùm ſcriberet, ingentis illis curam huiuſmodi procurationis impoſuit, multúmque in ea parte voluit eſſe ſollicitos, fortes imbecillibus patrum loco eſſe iubens, eorumque ſalutem curæ illis eſſe admonens. Sed iſta in eo loco hortantis atque conſulẽtis voce magis, quàm imperantis authoritate mandauit: alio verò in loco ſumma cum vehementia auditorum animos perterruit, eos qui fratrum ſalutem negligerent, in ipſum Chriſtũ peccare aſſeuerans, Deique ædificium diruere. Quæ quidem omnia, non vt à ſe inuẽta aſſerebat, verùm à magiſtro didicerat. Namque vnigenitus Dei filius docere nos cupiens, quàm illud debitum neceſſarium ſit, vtque hi qui illud reddere negligunt, ſummis afficiantur incõ-Matth. 18. modis, aiebat: *Quicunque ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria circa collũ eius, & demergatur in profundum maris.* Atque is qui talen-D tum attulerat, non quòd aliquid ex ſuis contempſiſſet, ſed quòd proximi ſalutem neglexiſſet, & increpatus, & ſupplicio affectus eſt: itaque etſi vitam omnem noſtram diligentiſſimè compoſitam & instructam egerimus, hac non euitata negligentia, nihil conſequemur emolumenti, cùm ea talis ac tanta ſit, quæ ſola in gehennæ profunda poſſit immergere. Si enim is, qui proximum in eis rebus quæ ad corpus pertinent, adiuuare noluerit, nulla ratione excuſari poterit: verùm etſi virginitatem ille ſeruauerit, extra ſponſi thalamum proiicietur: is qui, quod multò maius eſt, omiſerit, (quippe longè maximum eſt animarum gubernatio & regimen) cur non mala omnia perpeti meritò digniſſimus exiſtimetur? Hominem enim non vt ſibiipſi tantùm prodeſſet creauit Deus, ſed vt multis. Idcirco Paulus quoque fideles homines luminaria appellat, ex ipſa appellatione manifeſtans, oportere fideles cæteris quoque vſui eſſe. Luminare quippe quamdiu ſeipſum tantummodo illuminat,

A luminare profectò non eſt. Quocirca gentilibus quoque ipſis deteriores eſſe ait, qui proximorum ſalutem negligerent, ſic dicens: *Si quis autẽ ſuorum,* 1. Tim. 5. *& maximè domeſticorum prouidentiam non gerit, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.* Quid enim hoc loco prouidentiæ nomine ſignificari putas? An fortaſſis neceſſariorum largitionem? Equidem reor ipſum hoc nomine curam animæ ſignificare voluiſſe: ſin verò tu contentioſè ſenſum tuum afferre malueris, ſic quoque ſententia mea firmior ac validior manebit. Nam ſi de corpore hæc dixit, cumque qui vilem hunc & quotidianum cibum non præbet, tantis cruciatibus addixit, gentilibuſque deteriorem eſſe ait: quónam tandem in loco ſtatuemus eum, qui id quod longe maius & dignius eſt, magiſque neceſſarium, contemnit? Age itaque colligamus peccati noſtri magnitudinem, ac paulatim aſcendentes oſtendamus, quantùm peccata omnia exuperat proximorum contemptus & neglectio, B vtque ad ſummum malignitatis verticem euadit. Eſt igitur primus malitiæ & iniquitatis gradus, amicos aſpernari: quin vt ad inferiora ſermonem reducamus: (neſcio enim quo pacto id me penè effugerat:) prior illa lex Iudæis tradita, ne iumenta Exod 23. Deut. 22. quædam inimicorum deſpici permittit: ſed ſiue illa deciderint, ſimul erigere: ſiue aberrauerint, reducere iubet. Eſt itaque primus malitiæ & crudelitatis gradus ab infimis aſcendendo, iumenta & pe-Impietatis gradus. cora inimicorum errantia, vel lapſa negligere. Secundus illo ſuperior, inimicos ipſos negligentius curare. Quantò enim homo mutis animantibus ad honorem præſtat, tantò peccatum iſtud maius, quàm illud eſt. Tertius deinceps, fratres aſpernari, ſi fuerint ignoti. Quartus familiares quoque deſpicere. Quintus, cùm non ſolùm corpore, verùm anima quoque fratrum pereunte deſidemus. Sextus, ſi non familiaribus modò, verùm ipſis C quoque liberis noſtris pereuntibus, negligimus. Septimus, cùm nec alios quibus illi curæ eſſe poſſint prouidemus. Octauus, cum & eos qui id à ſeipſis facere inſtituũt, arcemus atque prohibemus. Nonus, cùm nõ tantùm illos prohibemus, verùm oppugnamus quoque. Itaque ſi primus, & ſecundus, & tertius eiuſce facinoris gradus tanto ſupplicio afficiendus eſt: quantos ille meretur ignes, qui cunctos eos gradus aſcendit? Quod profectò modò vos facitis, qui nonum illum à primo gradum tranſcendiſtis: quinimo ſi quis eum non tantùm nonum, verùm & decimum & vndecimum dixerit, profectò non peccabit. Cur id? Quia non natura ſolùm id peccatũ multò maius eſt, verùm ex ipſa quoque ratione temporum durius multò & grauius ſit. Quid ita? Quia eadem modò peccantibus nobis, quæ vetus lex damnat, non eadem ſupplicia debentur: verùm tantò acerbiora & diriora, quan-D tò maiori gratia potiti, excellentioriſque doctrinæ participes effecti, maioribus item honoribus affecti ſumus. Cum igitur & natura, & tempore ſcelus hoc adeò immane ſit & vehemens, conſidera iam quantas flammas, quantoſque cruciatus in eorum capita, qui id perpetrare non metuunt, exaggerabit: verùm ne ſine certa ratione computando hæc dixiſſe videar, ex re ipſa documenta afferam, vt ſciatis, quia etſi vitam noſtram omnem ſumma cum diligentia & cura diſponamus, extrema animaduerſione puniemur, ſi liberorum ſalutem neglexerimus. Rem autem vobis enarrabo, non à meipſo inuentam, ſed in diuinis literis traditam. Sacerdos quidam apud Iudæos fuit, vir in primis moderatus atque manſuetus, Heli nomine: huic duo cùm eſſent liberi, videretque illos vitiis deditos, non corripuit, aut coërcuit: ſiue, vt verius loquar, corripuit illos quidem, & cohibuit, verùm non omni cum ſtudio & vehementia id fecit: horum hæc autem fuere crimina, ventris ingluuies, & fornicatio. Edebant enim, inquit, antequam

Digitized by Google

ſanctificarentur ſacræ carnes, priuſquam offerretur Deo ſacrificium. Quibus compertis, pater non illos pœna affecit, cæterum verbis tantùm caſtigare, lenique admonitione ab hac eos peruerſitate reuocare conatus eſt, atque huiuſcemodi verba iugiter ad illos loquebatur: *Nolite filij, nolite ſic facere, non enim bona fama eſt quam ego audio de vobis, vt faciatis populum non ſeruire domino. Si delinquens peccauerit vir in virum, orabunt pro illo dominum: ſin autem domino peccauerit vir, quis pro illo orabit.* Et certè plena ſunt grauitatis, reuerentiæ, ac ponderis hæc verba, & quæ recuperare, atque ad ſtatum vitæ melioris reuocare poſſent eum qui penitus excors & amens non eſſet. Quippe ſceleris immanitatem indicant, & quàm ſit metuendum & cauendum admonent, & quæ illud pœna ſubſequebatur, oſtendunt, grauiſſima ſcilicet & intolerabilis. Verùm quia non omnia quæque fuerant agenda, vt ea reſecarentur vitia, molitus eſt, & ipſe cum illis vnà periit. Namque & minas ille addere debuerat, & à ſuo eos conſpectu amouere, atque abdicare etiam, & verberibus afficere, multoque illis grauius & durius inſtare. Quia igitur nihil horum egit, verborumque tantùm monitis contentus fuit, & illis, & ſibiipſi Deum aduerſum, infeſtumque conſtituit. Cumque improbè & intempeſtiuè filiis parceret, & ſuam ſimul, & illorum ſalutem perdidit. Audi denique quid ad diſcipulum de magiſtro locutus ſit Deus: quippe & diſcipulo, & prophetæ alteri, & cunctis penitus eius clades reuelare & loqui, quàm illi maluit, adeò illum auerſabatur atque oderat. Quid ergo inquit Samuel? Nouerat quòd maledicerent filij eius Deo, & non corripiebat eos: certè corripuerat, ſed hanc Deus pro correptione non ſuſcepit: adeò illum quòd vehementia & inuectione caruiſſet, reprehendit. Itaque etſi prouidentiam habeamus filiorum, non autem quantum neceſſe id faciamus, profectò non ea prouidentia dicenda eſt, ſicut nec fuit illa correctio Heli. Cum verò crimen proſecutus fuiſſet, tum demum ingenti cum iracundia cruciatum adiecit: Iuraui enim, inquit, domui Heli, ſi peccatum iſtud de domo Heli expiabitur, ſiue incenſo, ſiue ſacrificiis vſque in æternum. Vidiſtine ingentem indignationem, cruciatumque vehementiſſimum, & omnino ſpe veniæ excluſum? Prorſus, inquit, illum perire neceſſe eſſe, nec ipſum modò, vel eius filios, verùm cum illo domum quoque vniuerſam, nullumque medicamentum erit, quo vulnus iſtud curare poſſit: quanquam ſeni illi præter filiorum neglectionem, nihil quod crimini daret, habuit Deus. Erat enim admirandus in cæteris, eiuſque philoſophiam omnem, cùm ex aliis locis intueri licet, tum ex ipſa quoque calamitate caſuum ſuorum. Primùm enim cùm iſta omnia audiſſet, ſeque ad ſupremum cruciatum perueniſſe conſpiceret, non acerbè, non grauiter, non indignanter tulit. Non dixit quidnam iſtud eſt? vt feciſſent plurimi: num enim ego dominus ſum aliorum voluntatis? Peccatorum meorum pœnas perſoluere habeo. Filij ætatem habent, ipſique ſoli merentur cruciari. Nihil omnino horum dixit, ne cogitauit quidem: cæterùm vt ſeruus fidelis & gratus, & qui vnum tantum ſibi obſeruandum nouit, vt quæque dominus ſuus ei intulerit, æquanimiter & faciliter ferat, quantumlibet illa triſtia & acerba ſint, ita pleniſſima philoſophiæ

1. Reg. 3. verba edidit: *Dominus, inquit, ipſe: quod gratum eſt in conſpectu ſuo faciat.* Non ſolùm autem ex loco iſto, verùm ex alio quoque virtus eius animaduerti poteſt: nam cùm bello finitimorum laceſſerentur Iudæi, profectuſque ad illum quidam belli clades enuntiaſſet, vtque turpiter & miſerabiliter illius liberi in ea dimicatione corruiſſent, hactenus quidem agebat quietem: verùm cùm ille tantæ huic

A cladi arcam Dei direptam ab hoſtibus fuiſſe adieciſſet, tum verò præ mœroris magnitudine obtenebratus ſenior, cecidit de ſella retro iuxta ianuam, & contritum eſt dorſum eius. Senex enim erat, & grandæuus, & honorabilis, & ipſe iudicauit Iſraël viginti annis: qui ſine querela genus Hebræorum rexerat, qui eis temporibus conuerſatus eſt, quæ non magnam vitæ diligentiam requirebant, nihil excuſare potuit, quò minus quia illi cura non fuerat & diligentiſſima, & vehemens ſalutis liberorum [illegible] miſere & infœliciter periret: contemptuſque illius ſcelus [illegible] fluctus tetri & ingentis, virtutes eius cunctas tran[illegible] vniuerſaque rectè facta ſua magnitudine operuit: qu[illegible]dem nos animaduerſione puniemur, qui & eo tempore nati ſumus, quo longè maior à nobis philoſophiæ fructus poſtulatur, & ſenis huius virtute non parum inferiores ſumus: quippe qui non tantùm ipſi liberos noſtros non moderamur, neque B ad virtutem dirigimus: verum eos quoque qui id facere voluerint, & inſidiis appetimus, & hoſtium vice oppugnamus, barbariſque omnibus immaniores erga natos noſtros ſumus? Illorum enim atrocitas & feritas vſque ad ſeruitium duntaxat, & captiuitatem, & vaſtitatem patriæ, corporiſque incommoda & mala ſæuit: vos autem ipſum animum in ſeruitutem abducitis, & veluti captiuum quendam vincientes, ita demum nequiſſimis & ferociſſimis dæmonibus traditis, eorumque libidinibus & ludibriis exponitis: cùm enim neque ipſi aliquid quod ad Spiritum pertineat monetis, neque alios id facere permittitis, nihil profectò agitis: nec id mihi modò aliquis obiiciat, quòd plerique circa filiorum curam longè quàm Heli negligentiores, nihil tale perpeſſi ſunt, quale Heli. C Multi enim ſæpenumero multa ob id facinus acerbiora paſſi ſunt, & diriora. Nam vnde ergo acerbæ & intempeſtiuæ mortes, vnde morbi perpetui, atque grauiſſimi plerunque nobis, & liberis noſtris inferuntur? Vnde damnis & incommodis afficimur? Vnde caſus varios, vnde calumnias, vnde mala innumera quotidie perpetimur? Nónne quòd filios noſtros malos aſpicimus, & eos emendare negligimus? Atque quòd iſta inanis coniectura non ſit, ſatis quidem ſenis huius caſus & euentus confirmare nos poterat: cæterum ego dictum ex noſtris cuiuſdam ſapientis viri de hac re loquar. Cùm enim is de filiis diſſereret, ita ferè inquit: Ne læteris in filiis impiis, & niſi fuerit in illis Dei timor, ne confidas illorum vitæ: ingemiſces enim intempeſtiuo luctu, & confeſtim illorum ſcies conſummationem. Plurimi igitur, vt dixi, eiuſmodi multa perpeſſi ſunt. Sin verò aliqui effugere fortaſſe viſi ſunt, iſti non in D finem penitus, ſed in capitis ſui malum effugerunt: acerbiores enim ac longè diriores cum exceſſerint è vita, pœnas luent. Cur autem, inquies, non hic potiſſimùm omnes qui ſunt eiuſmodi, ſuppliciis afficiuntur? Quia profectò Deus diem ſtatuit, in qua iudicaturus eſt orbem vniuerſum; hæc autem dies nondum adeſt. Præterea ſi iſtud fieret, iam diu abſumptum defeciſſet, ac præreptum fuiſſet omne mortalium genus. Cæterum vti ne iſtud contingat, neu plurimi ex dilatione ac tarditate iudicij pigriores fiant, aſſumit quoſdam interim Deus peccatis obnoxios, eoſque hic pœnis excrucians, per illos admonet reliquos, quænam ipſos quantaque ſupplicia maneant: vtque addiſcant, quòd etſi hac in vita nulla animaduerſione plectantur, poſt eius tamen exceſſum punientur, & quidem longè grauius ac durius. Neque enim quòd prophetas nunc non mittit Deus, per quos pœnam peccantibus denuntiet, idcirco deſides eſſe & ſtolidi debemus. Non enim prophetarum hoc tempus eſt, imò verò eos nunc

quoque mittere non deſinit. Vnde autem id nobis conſtat? *Habent*, inquit, *Moſem & prophetas*. (Lucæ 15.) Ea quippe quæ ad illius temporis viros dicta ſunt, ad nos quoque dici ſimiliter manifeſtum eſt: nec modò Heli, ſed omnibus prorſus eadem peccantibus, per illum perque illius clades intentans loquitur Deus. Nec enim perſonas accipit, vt qui minora peccātem cum domó tota funditus euertit & deleuit, is eos qui longè maiora & grauiora deliquerint, impunitos eſſe permittat. Nec id quidem dicere poſſumus, quòd non illi ſumm[illegible] huius rei ratio & cura: ſummum eni[illegible]ptimè educandorum liberorum ſtudi[illegible]ducit, adeóque ingēs eius rei deſideri[illegible]aturæ præterea inſeruit, vt veluti ne[illegible]ſſitatem quandam ineuitabilem prouidentiæ & curæ habendæ filiorum parentibus conſtituiſſe videatur. Leges item poſtmodum intulit de cura pro liberis gerenda. Nam cum dies feſtos agi ſtatueret, filiis ſuis eiuſce celebrationis rationes & cauſas vt aperirent, imperauit. Denique cùm de Paſcha loqueretur, adiecit: Et annuntiabis filio tuo in die illa, dicens: Idcirco fecit Deus mihi hæc, cùm exirem de Ægypto (Exod. 13.) Quod itidem facit in eius legibus, quas de ſacrificiis tulit. Cùm enim de primogenitis præcepta edidiſſet, rurſus adiecit: *ſi poſt hæc interrogauerit te filius tuus, dicens: Quid hoc eſt? dices ad eum: Quia in manu valida eduxit nos Dominus de Ægypto ex iugo ſeruitutis.* Cum verò obduraretur Pharao, nec dimitteret nos, occidit omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenitis hominum vſque ad primogenita iumentorum: idcirco ego immolo domino omne maſculinum adaperiens vuluam. Atque per omnia vt illos ad Dei notitiam adducant, monet & iubet. Sed & ipſis quoque filiis plurima de his qui ſe genuerunt officioſiſſimè tractandis imperat; eos quidem qui parentes fouerint, atque omnibus beneuolentiæ officiis proſecuti fuerint, honorās: reliquos verò, quique fuerint ingrati, ſuppliciis afficiens. Hac autem rurſus ratione chariores illos ac iucundiores parentibus facit. Nam ſi qui cuiuſquam nos conſtitueret dominos, honore iſto ſummam nobis neceſſitatem videretur imponere, ne illum negligeremus: & ſi enim nihil aliud, certe vel id nos exorare poſſet, quòd illius omnia noſtrie in manibus conſtituta eſſent, nec ita nobis crediti ſalutem facile prodere ſuſtineremus: Cum verò præterea Deus vnà iraſcatur, ampliuſque quàm hi qui iniuriis & contumeliis fuerint affecti, indignetur, grauiſſimóſque cruciatus addat, hinc quoque vberiorem parentum ad filios amorem elicit. Tertium verò deinceps à natura ipſa neceſſitudinis & charitatis vinculum adiunxit: ſin autem ita mauis, primum: nam ne illius de educandis liberis monita patres aſpenarentur, naturalem addidit neceſſitatem. Ne autem illa ipſa naturæ neceſſitudo filiorum tandem iniuriis offenſa, imbecillior fieret, aut deflueret, aut rumperetur, inobedientes liberos & ipſe per ſeipſum punit, & patribus coërcendos puniendóſque permiſit: ſicque eos ſumma cura parentum ditioni ſubiiciens, prorſus ne ab illis negligerentur, effecit. Non autem hinc ſolum, verùm alia quoque ex ratione ſumma nos illis cura diligentiaque coniunxit. Non modò enim malos atque ingratos erga parentes liberos pœna afficit, bonóſque ac beneuolos ſuſcipit: verum in ipſis quoque parentibus identidem facit, liberorum quidem negligentem diriſſime puniens: eos verò qui ſtudioſius illorum curam gerunt, collaudans, ſummiſque honoribus afficiens. Nanque ſenem iſtum, tametſi aliàs illuſtrem ac virtute ſingulari præditum, ex huiuſmodi tamen negligentia puniuit. Patriarcham verò cùm ex virtutibus reliquis, tum ex hac inprimis diligentia & cura laudauit atque honorauit. Cum enim dona illa plurima & maxima proſequeretur, quæ ſe illi daturum pollicebatur, cauſam quoque adiecit, & dixit: *Noui enim*, inquit, *quòd conſtituet Abraham filiis ſuis, & domui ſuæ poſt eum, & obſeruabunt vias domini Dei, vt faciant iuſtitiam & iudicium.* (Geneſ. 17) Iſta nunc à me ideo commemorata ſunt, vt oſtenderem quàm non ſit æquanimiter laturus Deus, ſi eos negligentius tractemus, qui tantæ ſibi curæ ſunt. Neque enim eiuſdem eſt, vt liberi ſalui fiant, tanta moliri, atque ſi illi negligantur, ira non commoueri. Non itaque filios negligi impunè permittet, verum vt ex rebus ipſis declaratum eſt, indignabitur, & vehementiſſimo furore concitabitur. Quocirca beatus Paulus iugiter admonet, dicens: *Patres, educate filios veſtros in diſciplina, & correctione domini.* (Epheſ. 6.) Si enim nos ipſi quoque vigilare iubemur, tanquam pro animabus illorum rationem reddituri, id profecto multò magis pater, qui genuit, qui educauit, qui cum illo domi ſemper conuerſatur. Vt enim in ſuis propriis delictis non valet quiſque ſe ad excuſationis remedia conferre, ita ne in his quidem, quæ filii deliquerint. Idque rurſus beati Pauli probatur teſtimonio: Cum enim ille ſanciret cuiuſmodi eſſe deberent, qui ad aliorum magiſterium & regimen aſſumerentur, inter cætera quæ illis ineſſe neceſſariò debere teſtatus eſt, etiam filiorum curam & diligentiam annumerat, quaſi nulla iam reliqua ſit veniæ ſpes, ſi peruerſi illi fuerint. Et nimirum id quidem conuenienter. Nam ſi à natura ipſa vitia homines haurirent & acciperent, poſſet aliquis excuſationis ſe velamine obtegere: quoniam verò ſponte atque ex propoſito & probi, & improbi efficimur, quam tandem ille probabilem excuſationem poterit obtendere, qui quem omnium maximè diligit, & charum habet, peruerti & nequiſſimum ac perditiſſimum fieri permittit, dum liceat, ſi velit, optimum ac probatiſſimum facere; atque hoc cum ex naturali affectu iugiter ad profectum liberorum auidiſſimè expetendum excitetur? An verò non poteſt? Nihil eſt quod illi minus conceſſerim. Nam quòd eum tenerum acceperit, primuſque ac ſolus omnem eiuſce inſtruendi facultatem nactus ſit, ſemperque domi ſecum continuerit, & belliſſimè illum, & facillimè imbuere ac moderari potuit. Itaque nulla alia ex ratione peruerſi vt fiant liberi contingit, niſi quòd eorum patres circa vitæ præſentis commoda æquo amplius incumbunt, & ferè dixerim inſaniunt. Cum enim illa ſolummodo inquirunt, nihilque illis præferendum cenſent, & ſuam pariter, & liberorum animam negligere coguntur. Hos ergo patres, quod nemo tamen me commotius dicere, quàm verius exiſtimet, parricidis ipſis immaniores, ſceleratioréſque dixerim. Illi enim corpus ab anima diſſeparant. Iſti & animam & corpus æternis ignibus tradunt. Atque is quidem qui corpore occiditur, neceſſariò naturali lege, etiamſi necatus non fuiſſet, moreretur: hic verò ſempiternam mortem vitare potuiſſet, niſi hanc illi conſciuiſſet paterna negligentia. Præterea corporis mortem ſuperueniens protinus reſurrectionis gloria delere poterit facillimè: animæ verò interitum nihil ſolari poterit; cum ſibi nulla iam ſit reliqua ſalutis ſpes, verum immortales cruciatus luere cogatur. Itaque non iniuria parentes eiuſmodi deteriores parricidis eſſe diximus. Non enim ita crudele facinus videtur, gladium acuere, & armare dexteram, atque in ipſum filij guttur immergere, vt animam perimere, atque corrumpere: nihil enim huic ad honorem & dignitatem ſimile habemus. Quid igitur is qui ciuitatem habitat, qui domum habet & vxorē, ſaluus eſſe non poterit? Primum quidem non vna ſalutis via, nec vnus modus eſt, verum permulti, ac differentes. Quod quidem Chriſtus indefinitè dicit, cum *multas eſſe apud patrem manſiones* aſſerit. (Ioan. 14.) Paulus verò ſub definitione quadam idem loquitur, ſic ſcribens: *Alia claritas ſolis, alia lunæ, & alia ſtellarum:* (1. Cor. 15.)

ſtella-

Digitized by Google

ſtellaq́; item à ſtella differt in claritate. Quod autem dicit, eiuſmodi eſt: Alij quidem fulgebunt ſicut ſol, alij vt luna, & alij vt ſtellæ. Nec iſta differentia contentus, maiorem longè varietatem intulit, tantamq́ue quantam in tanto ſtellarum numero contingere par eſt. Stella enim, inquit, à ſtella differt in claritate. Diligēter igitur perpende, per quot dignitatum ac meritorum gradus deſcendes, ſi à ſolis magnitudine ad vltimam & minimam ſtellarum deuoluaris. Perquàm igitur iniquū & indignum eſt, ſi filium tuum ad regiam & ad regem introducens, vt ipſum familiariſſimum regi chariſſimumq́ue conſtituas, omnia & facis & pateris, cunctaque moliris, nihil penitus, dum id aſſequaris, omittens aut ſubterfugiens, non ſumptus, non pericula, non vlla incommoda, non mortem ipſam denique: cœleſtis verò militiæ, cœleſtiumq́ue munerum optione propoſita, non doleas, neque lamenteris, ſi extremum ſortiatur locum, ſitq́ue omnium nouiſſimus? Verùm hoc ipſum altius inſpiciamus, fierı́ne poſſit, vt qui in mediis ſeculi curis ac negotiis verſatur, vel extremus electorum eſſe dignus habeatur. Paulus quidem de huiuſmodi breuem ſententiam tulit, eoſq́ue qui habent vxores, non aliter ſaluos eſſe poſſe declarauit, quàm ſi eas ita haberent, *tanquam non habentes*, mundoq́ue iſto non abuterentur. Nos autem ſi placet, id quoque paulò altius ac diligentius intueamur. Poteſne ipſe gloriari, filium tuum vel te admonente didiciſſe, vel à ſeipſo fuiſſe conſpicatum, quòd is qui iurat, etſi non ſine ratione iuret, in Deum peccare conuincitur? Quid verò? Num illud didicit abs te, quòd is qui memoriam iniuriarum retinet, ſaluus eſſe non poteſt. *Via* enim, inquit, *illorum qui non obliuiſcuntur iniurias in mortem.* An forte id abs te audiuit, quòd maledicum ita dehoneſtauit Deus, vt ipſa quoque ſcripturæ ſacræ lectione prohiberet? Quid verò? Nunquid hoc illi proteſtatus es, quòd ſuperbum & iniurioſum de cœlis deiecit, ac gehennæ tradidit ignibus? Num illud tandem eum docuiſti, quòd qui impudicis tātum oculis aſpicit, tanquā qui conſummarit adulterium, ſit puniendus? An verò leue iſtud, vt videtur, promptumq́ue delictum, iudicare proximos, grauiſſimis cruciatibus afficiendū vt fugeret, eum aliquando monuiſti, Chriſtique de huiuſmodi conſtitutas leges illi vnquam legiſti? Fortaſſe nè tu quidem, quænam iſta ſint noſti: quónam ergo modo poterit ea filius perficere, quorum nec pater ipſe, qui illum erudire debuerat, leges nouit? Atque vtinam hoc tantum culpa eſſet, nihil vtile parentes liberis conſulere: poſſet id, etſi ſit grauiſſimum, aliqua fortaſſe ratione tolerari: nunc verò illos ad ea quæ saluti ſuæ ſunt aduerſiſſima omni ſtudio impellitis: denique audias patres, cùm liberos ſuos ad ſtudia literarum hortantur, huiuſmodi verba illis iugiter inſuſurrare: Ille, inquit, humilis, humiliq́ue loco natus, quia dicēdi facultatem conſecutus eſt, ſummos magiſtratus, maxima imperia adminiſtrauit, opes acquiſiuit ingentes, vxorem accepit diuitem, conſtruxit præclaras ædes, omnibus terrori eſt, ſummaq́ue in gloria verſatur. Alius rurſus: Ille, inquit, Latina lingua eruditus, in regia clariſſimus eſt, cunctaq́ue intus ipſe adminiſtrat. Alius item alium in medium adducens proponit ad imitandum, cunctíque penitus inſignes & claros in ſeculo viros memorant: cœleſtis verò conuerſationis, cœleſtiumq́ue bonorū nulla omnino fit mentio. Cæterum ſi quis aliquid eiuſmodi memorare voluerit, vt qui cuncta peruertat, ita reiicitur, exagitatur, affligitur. Cum ergo hac doctrina teneros illorum animos imbuitis, atque hiſce verbis rudes adhuc aures excantatis, profectò nihil eos aliud, quàm materiam malorum omnium docetis, duos iſtos illis violentiſſimos amores inſerentes, pecuniarum ſcilicet, & qui longè pernicioſior eſt, leuiſſimæ atque inaniſſimæ gloriæ: horum verò cum ſeorſum quilibet cuncta peruertere vi ſua ſufficiat, quid tandem ambo facturi exiſtimantur, ſi ſimul coëant, ſicq́ue in iuuenis animum irruant molliſſimum atque tenerrimum? Nónne veluti torrentes quidā coniuncti, bona ſimul omnia corrumpunt & periunt, tantum ſpinarum, tantum arenæ numerum, tantamq́ue materiæ vim intus congerentes, vt animum illum ſterilem, bonorumq́ue omnium inferacem faciant? Qua in re ipſi quoque externæ philoſophiæ authores nobis teſtimonio ſunt. Alterum enim horum vitiorum non coniunctum, ſed ſeparatum ac ſolum, vnus quidē arcem: alius verò caput malorum appellauit. Sin verò ſeparatum arx malorum, & caput eſt: quid tandem erit, ſi alterum quoque ſibi acceſſerit immanius longè, atque potentius? gloriæ ſcilicet inſanus amor, atque cum illo violenter irruens firmiſſimis radicibus nitatur, iuueniſq́ue occupet animum? Quis iam eiuſmodi impetum poterit obtundere, quis eam perniciem reſtringere, cùm præcipuè parentes cuncta ea & faciant, & moliantur, non quibus hæc iniquiſſima germina vellantur, verum quibus firmiora & ſolidiora fiant? Quis adeo ſtultus, atque amens ſit, quin ita imbuti & inſtructi deſperet ſalutem? Optandum in primis fuerat ei animo, qui huiuſce verbis indies incitaretur, eam peſtem euadere poſſe. Cum verò præterea vndique illiciant pecuniarum præmia, vbique ſcelerati homines ad imitandum proponantur: quænā iam ſalutis ſpes relinquitur? Qui enim pecuniæ amore rapiuntur, inuidi quoque, nequam, detractores, periuri, temerarij, audaces, maledici, fures, inuerecundi, impudentes, ingrati, mala denique omnia ſint neceſſe eſt. Atque horum omnium teſtis fideliſſimus eſt beatus Paulus, qui radicem omnium vitæ malorum pecuniæ immodicam cupiditatem eſſe ait. Quod idipſum Chriſtus antea manifeſtauerat, cum impoſſibile eſſe aſſereret, eum ſeruire Deo, qui illi vitio eſſet obnoxius. Cùm igitur initio iuuenis ad hanc ſtatim adducatur ſeruitutem, quando iam liber eſſe, quando vndarum moles poterit euadere, cunctis impellentibus atque mergentibus, extremoq́ue in ſubmerſionis periculo illum ſtatuētibus? Nam ſi nullo perturbante, ſi plurimis porrigētibus manum, exurgere ille, atque emergere potuerit, cunctamq́ue perturbationum ac vitiorum amaritudinem diluere: nónne congratulandum atque congaudendum illi erit? Si, inquam, longo tempore diuinis excantatus carminibus, inolitas paſſiones abiicere valuerit: nónne & laudandus millies, & coronandus erit? Dura enim, dura ac penitus acuta & violenta res conſuetudo eſt ad vincendam capiendamq́ue animam, cum inprimis iſta voluptatem adiutricem habeat: ea verò virtus, ad quam feſtinamus, & ad quam transferri atque applicari ſtudemus, ingentes nobis præbeat labores. Quocirca Deus ipſe quoque, cùm Hebræis, eorum quæ in Ægypto didicerant malorum vetus conſuetudo deponenda eſſet, ſeorſum illos in ſolitudinem adduxit, atque ita illorum formabat animos, viam omnem medicinæ, & curationis tentans aſperiorem atq; leniorem, nihilq́ue penitus omittens ex his quæ viderentur eorum ſalubritati profutura. Et ne ſic quidem vitia illi effugerunt, ſed cùm manna cœleſti cibo alerentur, cepas tamen, & allia, & cætera Ægypti mala præferebant, atque requirebant. Adeò conſuetudo valet, tantumq́ue habet roboris. Si autem Iudæi cùm tanta diuinæ diligentiæ cura fruerentur, ducemq́ue præſtantiſſimum, & oratorem adeo egregium, cui niterentur haberent, metuq́ue præterea, & comminatione, & beneficiis, & cruciatibus, modis denique omnibus erudirentur, tantaq́ue & tam illuſtria miracula viderent, in nullo meliores euaſerunt: tu filium tuum iuuenem in Ægypto media, ſiue magis in media dimicatione verſantem, nullumq́ue, qui quod vtile eſſe poſſit, cōſulat

1.Cor. 7. Eccl. 14. Matth. 5. 1.Tim. 6. Marc 6. Num. 11.

audientem: cunctos verò ad ea quæ cōtraria ſaluti ſunt ſe exhortari inſpicientem, atque eos omnium maximè, qui ſe genuerunt & educauerunt, diaboli laqueos euadere poſſe arbitraris? Vnde quæſo? Num ex his quæ tu illū doces? Atqui tu ad ea quæ omnino contraria ſaluti ſunt, hortaris, cùm philoſophiæ ne per ſomnium quidem permittis illum meminiſſe, cunctaque ſeculi iſtius, infrà ſupraque voluens commoda, maximis fluctibus iactari, ſummiſque in periculis vitæ verſari, tuis adhortationibus inducis. Num fortè à ſemetipſo? Maximè quidem iuuenis ſibiipſi non ſufficiet ad virtutem conquirendam atque exercendam: ſed & ſi quid ex ſeipſo ſtrenuum atque illuſtre cōceperit, priuſquam id germinet, verborum tuorū perpetuo imbre ſuffocabitur. Vt enim corpus ſi ſalubribus cibis non fruatur, inſalubribuſque nutriatur, lōgo tempore ſubſiſtere & durare non poteſt: ita & anima quæ eiuſmodi doctrinis fuerit imbuta, nihil vnquam altum, nihil magnum cogitare poterit, ſed eiuſmodi neceſſe eſt languidam & mollem, vitiiſque velut peſte quadam iugiter infectam, ita demum in æternos ignes, atque immortales cruciatus proiici. Sin verò tu iſta non ita ſe habere contenderis, eſſeque poſſibile mediis in rerum perturbationibus virtutem omnem aſſequi, affirmare perrexeris, ne quæſo pigeat nouam hanc atque inauditam nos docere diſciplinam. Nolo enim ſine cauſa, ſi fieri poſſit, tantum mihi negotij aſſumere, nec fruſtrà ſeculi læta reſpuere. Sed enim hoc addiſcere non poſſum: neque enim permittitis vos, huic ſententiæ & verbis, & operibus contradicentes, atque omnia contraria docentes: veluti enim dedita opera liberos veſtros omni ſtudio perdere curetis, ita vniuerſa illos facere iubetis, quæ qui faciunt, ſalui eſſe non poſſunt. Id ſi placet aliquantò altius cōſideremus, cœleſtibus euangelium vocibus intonans: *Væ*, inquit, *ridentibus*: vos illis quotidie innumeras riſus occaſiones præbetis. Væ diuitibus: vos contrà, vt illi pecunioſiſſimi fiāt, vniuerſa molimini. Væ cùm vobis benedixerint homines: vos autem & quidem ſæpe, vt laudes fauoreſque populares conſequamini, omne patrimonium effunditis. Ruſuſque qui fratrem contumeliis affecerit, ſempiternis ignibus obnoxius ſit: vos autem & imbecilles eſſe putatis, & timidos, qui tacitè ſibi illatas contumelias ferūt. Imperat Chriſtus pugna & vltione abſtinere vitæ cœleſtis æmulos: at vos in eiuſmodi peſtibus illos ſemper enutritis. Oculum ille, ſi noceat cerebro, eruendum iubet: vos eis maximè amicis vtimini, quiq; pecunias dare ampliſſimas potuerint, etiamſi ſupremum vitiorum omnium doceant. Dimittere ille vxorem non permittit, præterquam in ſola cauſa adulterij: vos autem modò pecunias accipere ampliores liceat, hoc etiam præceptum vt illi aſpernentur, imperatis. Iuſiurandum ille penitus prohibuit: vos ſi quem id ſeruare videritis, etiam ridetis. *Qui amat*, inquit, *animam ſuam, perdet eam*. Vos ad huiuſmodi amorem ſemper illos hortamini. *Si non remiſeritis*, inquit, *hominibus peccata illorum, nec pater veſter cœleſtis remittet vobis*: nos quoties eos qui nos iniuriis laceſſunt, vlciſci noluerimus, ignauiam nobis exprobratis, vtque filij veſtri maturè ſe vlciſci poſſint, curam omnem adhibetis. Rurſus gloriæ inanis cupidos cuncta ſine mercedis fructu gerere, ſententia ſua Chriſtus docuit, ſiue illi ieiunauerint, ſiue orauerint, ſiue miſerti fuerint: vos contrà, vt hac frui valeatis nihil omittitis. Et quid me neceſſe eſt vniuerſa perſequi, cùm iſta quoque quę dicta ſunt, gehennas innumeras inferre idonea ſint, non modò ſi cuncta ſimul coëant, verùm & ſeorſum ſingula? Cæterum vos ſimul vniuerſa congeritis, & imponentes peccatorum onus importabile, ita demum in fluuium igneum immittitis. Quando itaque ſeruari poterunt quæ tanta ferunt igni nutrimenta? Neque iſtud ſolum iniquum

Lucæ 6.

Ioan. 12.

Matth. 6.

A & indignum eſt, quòd Chriſti præceptis contraria docetis, verùm quòd fauorabilibus appellationibus vitia obducitis. Quippe Circenſibus ludis, & reliquis ſpectaculis intereſſe iugiter, vrbanitatem & facetias vocatis: diuitiis affluere, liberalitatem: gloriam amare, magnanimitatem: arrogantiam, confidentiam: prodigalitatem, clementiam: iniuſtitiam, fortitudinem eſſe aſſerentes. Tum verò quaſi non hæc ſufficiat decipula, virtutem quoque contrariis nominibus obnubitis, ruſticitatem quidem pudicitiam vocantes: formidinem, modeſtiā: imbecillitatemque, iuſtitiam: contemptumque faſtus & gloriæ ſeruilis eſſe animi exiſtimantes, malorumque tolerantiam, ignauiam & infirmitatem: tanquam profectò metuentes, ne ſi tandem veram & propriam harum rerum appellationem ab aliis audierint, effugiāt eiuſmodi perniciem filij. Neque enim parum confert ad euitationem mali, nudas B ipſas & proprias vitiorum proferre appellationes, verùm tantum habet momenti & roboris ad eos qui peccant feriendos, vt plurimi nonnunquam turpiſſimis flagitiis inſignes, cum id quod ſint, ſe vocari audiunt, modeſtè ferre non poſſint, ſed vt qui acerbiſſima ſint perpeſſi, ita ſæuiunt atque efferantur. Denique ſi quis vel mulierem adulteram, vel ſtupratum puerū ex actu ipſo fœdiſſimo vocauerit, vt qui maximis iniurijs affecerit, irreconciliabilis efficitur repentè inimicus. Nec iſtos ſolùm, ſed & cupidū quemque, & ebrium, & elatum, ac tumidum, omneſq; penitus qui graue aliquid peccauerint, videas non tam opere ipſo nefario, multitudiniſque opinione morderi ac dolere, vt appellationibus propriis operum ſuorum. Atque egò cōplures iſto correptionis genere emēdatos noui, factoſque ipſis exprobrationibus moderatiores ac meliores. Verùm enim vos iſtud quoque ſolatium ac remedium ſuſtuliſtis: quodque grauius eſt, nō verbis C ſolum, ſed operibus ipſis quoque hæc illis monita datis, dum ædes præclaras inſtruitis, dū emitis pretioſiſſimas villas, dum apparatus alios magnificos quæritis, prorſuſque veluti atra quadā nebula illorū animos obnubitis. Vnde igitur mihi perſuaderi poterit, eiuſmodi poſſe ſaluos fieri, cùm eos omni ſtudio ad illa cōpelli conſpiciam, quæ qui faciunt, Chriſtus perire omnes apertis vocibus docuit? cùm videam vos illorū animas, vt vile aliquid ac ſuperfluum negligere: eorum autem, quæ & ſuperflua reuera & indigna ſunt, veluti ea neceſſaria ſint & principalia, curam gerere ingentem? Nempe enim vt ſeruus, vt equus optimus, veſtiſque pretioſiſſima filio ſit, omnia facitis: vt autē ipſe bonus & probus fiat, ne cogitare quidē vnquam vultis. Cæterum ad ligna vſq; & lapides hoc ſtudium perducitis: animā verò nec minima quidem huius diligentiæ parte dignā iudicatis. Cumque vt in domo ſtatua antiquo opere admiranda conſiſtat, & tecta aurea rutilent, D cuncta moliamini: pretioſiſſimam omniū ſtatuarum animam, quatenus auream efficiatis, nullam curam gerere vultis. Atqui nondum ſupremum verticem, & culmen malorum omnium dixi, necdum ſummam totius calamitatis reuelaui: quā cùm ſæpe dicere inſtituerem, verecundiæ ac ruboris magnitudine ſuperatus deſtiti. Quid verò iſtud eſt. Audendum enim iam, ac dicendū eſt. Nam eſſet profectò incredibilis ignauiæ & imperitiæ, ſi peſtem aliquam reſecare cupientes, ne mutire quidē aduerſus illam auderemus, ſilentioque noſtro morbū illum accuſare, & grauiorem conſtituere vellemus. Nō itaque ſilebo amplius, etiamſi millies & pudendū mihi, & erubeſcendum fuerit. Neque enim medicus cum putredinem exprimere & extergere parat ex vulnere, ferrum manibus arripere deuitat, atque in ipſum, vt ita dixerim, vulneris fundum digitos demittere. Et nos itaque, & ſi ſit iſta longè grauior & moleſtior putredo, non tamen de hiſce loqui recuſabimus. Quod ergo tandem iſtud malum eſt?

Virtutum ab impiis nominari nominibus vitiorum.

Amor

Amor quidam nouus & nequiſſimus noſtra ætate,
atque in noſtrū genus irrupit, & latè dominatur.
Morbus irruit acerbus atque inſanabilis. Peſtis te-
terrima, atque omni pernicie immanior & grauior
inuecta eſt. Scelus quoddam nouum & intolerabile
excogitatū eſt. Non enim ſcriptæ & cōſtitutæ mo-
dò, verùm ipſæ quoque naturæ peruertuntur le-
ges. Nihil iam ferè ad impudicitiæ rationem forni-
catio eſſe exiſtimatur. Cæterum vt in partus dolo-
ribus, cùm paſſio incumbit violentior, prioris do-
loris ſenſum omnē ſua magnitudine intercipit: ſic
huius quoque magnitudo flagitij facit, vt quod ſu-
apte natura tolerabile nō eſt, non iā videatur eſſe
intolerabile, obſcœna ſcilicet cū mulieribus libi-
do. Optādum enim iā votis omnibus videtur, poſ-
ſe huiuſmodi reria effugere, periclitaturq; iam ſu-
perfluò effectus eſſe ſexus muliebris, adoleſcenti-
bus vices eius omnes implētibus. Quod cùm perſe
eſt acerbiſſimū: facit id profectò, vt deterius & te-
trius ſit, quòd tātum ſcelus, tā nefarium facinus in-
credibili audacia, ſummaque iā cum libertate ad-
mittitur, flagitiumque lex factū eſt. Nemo iam me-
tuit, nemo perhorreſcit, nullus continetur vere-
cundia, nullus rubore ſuffunditur. Cæterū iſta im-
pudētia & ornari putāt, & faceti videri ex ſcelere
volunt. Inſanire iā videntur, qui pudicitiæ ſtudēt:
& eſſe dementiſſimi, qui leges cōtrà ferre audent.
Qui ſiquidē imbecilliores fuerint, verberibusquo-
que conciduntur: ſin verò potentiores, ſpernun-
tur, irridentur, & probris reſperguntur innumeris.
Nihil iā leges, nihil iudicia valent. Non pædagogi,
non parentes, non magiſtri, non aſſeclæ obſiſtere
iam valent: alios enim pecuniis voluere corrum-
pere, eos ſcilicet qui ſolā ad mercedē ſpectāt. Por-
rò ſi qui fuerint modeſtiores, eorúmque qui ſibi
crediti ſunt, ſalutē curare perſtiterint: alij quidem
circūueniuntur facile, reliqui verò flagitioſorum
potētia & metu perterriti ſuccūbunt: facilius enim
is qui tyrannidē ſibi parare moliatur, ſi ſuſpectus
fuerit, ſeruabitur, quàm ſceleſtorū illorum nequiſ-
ſimorumque hominū manus poſſit effugere, qui il-
lis fuerit infenſus: adeò mediis in ciuitatibus ve-
luti in ſolitudine ingenti maſculi in maſculos tur-
piter deſæuiunt, horrēdumque flagitiū in alterutrū
cōmittunt. Si qui tamen hos laqueos effugere po-
tuerint, opinionē ſaltem, quòd ſint eiuſmodi, diffi-
cile vitabunt. Primùm quidē quòd ſint ipſi admo-
dū pauci, ſicque facillimè operiuntur improborū
multitudine. Secundò, quòd flagitioſi illi atque ne-
quiſſimi dæmones, cùm eos qui ſe ſpernunt, & ex-
ecrātur, non poſſint aliter vlciſci, vel hac in parte
illos violare ſtudēt. Quia enim lethale illis vulnus
infligere nō valent, ipſamq; animā vel penetrare,
vel polluere, exteriorem ſaltem ornatum, quo illi
amicti ſunt, maculare nituntur, omnēque illis ho-
neſtatis gloriam eripere. Quocirca cōplures audi-
ui, cùm ſe mirari dicerent, quòd nōdum hodieque
imber alius igneus eruperit, quòd non ſimilia So-
domis vrbs veſtra paſſa ſit: tantò ſanè grauiore di-
gna cruciatu, quantò ne aliorū quidem cladibus e-
mendata corrigitur. Verùm quanquā ipſa quoque
regione, iam poſt duo annorū millia ipſa ſua facie
clarius clamante, quàm ſi voce loqueretur, atque
orbē vniuerſum admonēte, ne quid eiuſmodi præ-
ſumat, non modò timidiores aut ſegniores ad hoc
audendū facinus facti nō ſunt, verùm lōgè impu-
dentiores: tanquam profectò aduerſus Deum con-
tendētes, atque operibus ipſis oſtēdere ſtudentes,
tantò ſe cumulatius his malis adiecturos, quantò
maiora ille intentauerit ſupplicia. Cur ergo nihil
factū eſt eiuſmodi, ſed cùm admittantur Sodomo-
rum ſcelera, non tamen contingunt Sodomorum
clades? Quia manet iſtos ignis alius longè iſto gra-
uior, cruciatuſq; finem nullum habens. Nam cùm
multò grauiora ſcelera, quàm hi qui diluuij aquis
periere, plurimi poſtea admiſerint, nullus tamen

A imber eiuſmodi poſtmodū factus eſt. Atque in hoc
facto eadē rurſus cōtrouerſia eſt. Cur enim hi qui-
dē qui initio ſeculi fuere, cum neq; iudicia eſſent,
nec principū metus immineret, nō legis commi-
natio terreret, non prophetarum adeſſet chorus,
qui moderaretur & regeret, non expectatio gehē-
næ, nō cœleſtis regni ſpes, non miracula ipſa, deni-
que lapides ipſos quoque excitare valentia, cur in-
quam, iſti qui nullo horum potiti ſunt, pro his quæ
peccauerūt, tanta animaduerſione puniti ſunt: qui
autem horum omniū participes fuere, atque inter
metum diuinorū humanorumq; iudiciorū degunt,
hodieque non eadem quæ illi patiuntur, cùm ſint
longè grauiori ſupplicio digniſſimi? Nónne puero
cuiuis cōſtabit, quòd acerbiori atque vehemētiori
pœnæ reſeruantur? Nam ſi nos ipſi quoq; ſuper his
& iraſcimur & indignamur, Deus cui omnium ma-
B ximè totius mortalium generis cura incumbit, qui
vitia vehementer & auerſatur & odit, quando iſta
impune admitti ſcelera paſſurus eſt? Sed profectò
non ita ſe res habet, non adeò nos decipiamus. Im-
mittet in illos penitus manū illam validiſſimam &
plagam non ferendam, doloremque cruciatuum
ſempiternorum adeò grauiſſimum, vt ſi Sodomorū
clades illi conferatur, ludus puerorum eſſe exiſti-
metur. Quam enim Barbarorum feritatem iſti non
ſua improbitate tranſcenderunt? Quod belluarum
genus congreſſu ſuo impuriſſimo non ſuperaue-
runt? Eſt in quibuſdā mutarum animantium à na-
tura inſitus libidinis ardor incredibilis, cupidoque
intolerabilis, & nullo ab inſania differens: quæ ta-
men amorem hunc nefarium nō norunt, ſed intra
leges à natura præſtitas permanſerunt: neq; ſi mil-
lies libidine vtātur, naturæ vnquam præterlabūtur
legem. At iſti & rationales conditi, diuinoque ma-
giſterio potiti, quidve agendum ſit, vel non aliis
C quoque annuntiare iuſſi, non ita licentioſè ac ſine
metu meretricibus, vt adoleſcentibus cōgrediun-
tur. Et quaſi homines non ſint, non prouidentia
vlla res humanas agat, aut moderetur, & ea quæ
fiunt iudicet, ac tenebræ cuncta occupauerint, nul-
luſque ſit qui iſta videat vel audiat, ita cuncta fla-
gitia admittunt, inſania ac furore incredibili. Libe-
rorum verò qui eiuſce contumeliis afficiuntur, pa-
tres hæc taciti ferunt, nec ſecum vnà filios terra
obruunt, neque tantæ cladi vllum remedium, aut
ſolatium inquirunt. Nam ſi ad externas gentes, ſi
ad mare, ſi ad extremas inſulas, ſi ad inacceſſam
terram, ſi ad eum qui citra nos eſt orbem, filij vt
hac peſte liberi euaderent, adducendi atque per-
trahendi eſſent: nónne omnia & facere, & pati de-
buerant, ne fierent huiuſmodi flagitia? Certè ſiqui-
dem inſalubris eſſet locus aliquis, ac peſtilens, nū-
quam eò filios adduceremus, etiamſi lucra ingen-
D tia inde conſecuturi videremur, etiamſi ſani illi
viribuſque eſſent validiſſimi. Nunc verò quū tam
immanis peſtis cuncta compleuerit, non ſolùm
ipſi liberos noſtros ad hæc prærupta pertrahimus:
verùm ſi qui illos eripere ac liberare voluerint, eos
tanquam perditos & corruptores vndique exagi-
tamus. Quàm iſta igitur ingenti iracundia, quanto
furore, quantiſque fulminibus digna ſunt? quādo-
quidem vt illi linguæ acumen ac nitorem habeāt,
per exteriorem ſapientiā, omni ſtudio curamus: a-
nimam verò in ipſo cœno ſpurcitiæ iacentē, atque
indies putreſcentem nō modò deſpicimus, verùm
exurgere quoque cupiētem prohibemus. Et quiſ-
quam iam aſſerere audebit, poſſibile eſſe tātis ma-
lis inuerſantes, ſaluos fieri? Quānā tandē ratione?
Nempe qui impudicorum effugere inſaniā potue-
rint, pauci omnino ſunt, illique ipſi non effugient
amores illos violentos, qui cuncta perdiderunt,
pecuniarum ſcilicet, & gloriæ. Complures verò &
his ipſis, & vnà impudicis amoribus vehementius
oppreſſi detinentur. Deinde diſertos illos & libe-
ralibus ſtudiis excultos fieri cùm volumus, non

ea ſolùm quæ huic eruditioni impedimento eſſe poſſunt, reſecamus, verùm cuncta quæ ad eam aſſequendā conferre poſſunt, ſollicitè paramus, pædagogos ac magiſtros illis procurantes, ſumptuſque ſuppeditantes, atq; à rebus cæteris otium præſtantes, eiſque intentius acclamantes, atque ſtudioſius quàm in Olympiacis certaminibus pædotribę faciunt, inopiam quam imperitia, copiáſque quas parit eruditio cōmemorans, cunctaque per nos ipſos & per alios agentes, ac dicentes quibus illos ad finem deſtinati ſtudij perduci poſſe arbitramur. Et ne ſic quidem crebro voti compotes efficimur. Mores verò optimos & moderatos, conuerſationiſque præclaræ diligentiam vltrò illis prouenire arbitrabimur, quum tot ac tanta ſint quæ illa impediant & intercipiant. Et quid hac abſurditate dici deterius poſſit, ſi id quidem quod leuiſſimum eſt, maximo & honore, & ſtudio dignemur, quaſi poſſibile non ſit aliter aliud adipiſci: quod verò longè difficillimū & grauiſſimū eſt, id dormientibus contingere exiſtimemus, vt vnū aliquid minimū, ac nullius æſtimationis ac pretij? Philoſophia nāque animi literarū eruditione, ſtudiiſq; liberalibus tantò difficilior eſt & operoſior, quātò facere quā dicere difficilius, operáq; quā verba laborioſiora ſunt. Et quid, inquit, liberis noſtris philoſophiā diligētiori opus eſt? Iſtud iſtud omnino eſt, quod vniuerſos perdidit, quod rem adeò neceſſariā, qua vita omnis noſtra continetur, ſuperfluam eſſe & otioſam iudicamus. Certè enim ſi qui corporis incōmodo laborare filiū viderit, nunquā dicturus eſt, quid illi integra & diligentiori ſanitate opus eſt? verū cuncta molietur & geret, quibus tā inſignē ille, tamq; excellentē habitū acquirat, vt iam ad eum vltra morbus ille redire non poſſit: animæ verò morbo quū illi grauiſſimè laboret, nihil eis aiunt curatione opus eſſe. Poſtq; iſta omnia patres ſe vocare audent. Quid igitur? Philoſophabimúrne omnes, inquit aliquis, ſeculiq; omnia peribunt? Non ita prorſus, virorū optime. Non enim philoſophiæ dare operā, id tādem eſt quod vniuerſa corrupit & perdidit, verū id nōn agere. Quinā enim, quæſo te, præſenti hoc in rerū ſtatu per ſcelera & flagitia ferūtur? Illíne qui moderatè & quietè viuunt, an qui nouos & iniquos excogitant deliciarum modos? Qui res omnium diripere, ſibique conſciſcere ſummo ſtudio nituntur: an qui frugalitati ſtudentes, ſuis & quidem modicis contenti ſunt? Qui ſeruorum cuneos & aſſentatorū greges, exoletorumque examina circunducūt: an qui ſeruum vnum ſibi ſatis eſſe arbitrantur? Nondū enim ſumma de philoſophia loquor, ſed de ea quæ & plana eſt, & peruia, & plurimis acceſſa. Illíne qui clementes, & moderati ac manſueti ſunt: an'ij qui nihil æquè ac ſummos à contribulibus honores quærunt, maximiſque calamitatibus afficiunt, ſi non ille ſibi aſſurgat, ſi non ſalutet prior, ſi non ſuppliciter inclinet, cunctáque ſeruorū obſequia præ ſe ferat? Qui alieno imperio regi, aliiſque obtemperare mediantur: an qui poteſtates & magiſtratus auent, cunctáque dum his potiantur & facere & tolerare ſuſtinent? Qui quòd ſe cunctis meliores eſſe arbitrentur, licere ſibi & loqui, & agere omnia exiſtimant; an qui ſeipſos cum vltimis & vilioribus annumerant, iſtámque irrationabilem potentiam virium caſtigant & fugiunt? Qui præclara ædificia conſtruunt, & magnificè inſtructas apponunt menſas: an qui parco cibo habitaculoq; quod neceſſitatis ſatis ſit, contenti, nil amplius requirūt? Qui innumera ſoli ſulcant iugera, an qui ne glebę quidē vnius poſſeſſionem ſibi neceſſariam exiſtimant? Qui fœnus fœnori adiiciunt, omniq; mercaturæ viā iniuſtam licet aperiunt & mouent, an qui huiuſcemodi conuentionū & chirographorū iniquitatē penitus oderūt, atque ex his quo poſſidēt, egentibus ſubuenīūt? Qui mortalis cōditionis im-

A becillitatē vilitatēque cōſiderant, an qui ne hanc quidem conſiderationem admittunt, ac ferè homines ſe præ iactātiæ ac tumoris magnitudine exiſtimare deſierunt? Qui ſcorta nutriūt, alieniſq. matrimoniis ſe inquinānt, an qui vxore quoque legitima abſtinent? Nónne illi quidem veluti tumores corpori, vētique ſæui ac furentes mari: ita totius orbis terrarū euertendæ reipublicæ exorti, eos quoq. qui ſeruari poſſent, per ſuam intemperantiā & improbitatem immergere, ac prorſus extinguere conātur: iſti verò tanquam lumina clariſſima in tenebris micātia, eos qui in æſtu medio iactātur, ad ſummam inuitantes quietem & ſecuritatem, ac philoſophiæ faces de ſublimi quodam & longinquo pharo accenſas præferentes: ita demum eos qui monitis ſuis obtemperare non renuunt, ad quietem ac tutiſſimum portum perducunt? Nónne per illos quidem ſeditiones, bella, pugnæ, euerſiones vrbium, in B ſeruitutem abductiones, ſeruitutes, captiuitates, cædes, malaque alia innumera quę in ſeculo fiunt, nec ea ſolùm quæ inferuntur ab hominibus, verùm & quæ de cœlo omnia, puta ſiccitates, imbres, terræmotus, fames, peſtes, aliaque omnia quæ cœlitus nobis immittuntur? Nónne ergo iſti qui & mores totius humanitatis peruertunt, qui reſpublicas corrumpunt, hi aliis quoque innumerabilium calamitatum cauſa ſunt, qui vitæ quietiori ſtudētes, eáque degere volentes, perturbāt vndique & pertrahunt variiſque ſuppliciis affligunt? Horū gratia profectò & iudicia, & leges, & mulctæ, variaque tormentorū genera ſunt inſtituta. Vt enim in ea domo, in qua plurimi morbis variis laborant, paucique ſanitate gaudent, videas plurima & medicamentorum genera, & medicos quamplures: ita in orbe toto nulla gens eſt, nulla ciuitas vbi non leges plurimæ, non multi magiſtratus, non innumeri pœnarum modi ad perterrendos improbos ſunt conſtituti. Neque C enim ſufficiunt medicamenta ipſa ſola lāguidos eripere, niſi adſint qui illa vulneribus imponant: hi profectò iudices & magiſtratus ſunt, qui illos velint, nolint, medicinam admittere cōpellunt. Atque ita etiam morbus obtinuit, adeò vt ipſam ferè medicorum artem ſuperauerit, ipſoſque iudices infecerit: prorſuſque idē cōtingit, ac ſi quis & febre, & morbo intercutis, aliiſque itē ægritudinibus innumeris & grauioribus oppreſſus, mala quidem propria curare negligeret, alios verò qui iiſdem incōmodis laborarent, erigere ſtuderet: nempe enim vitiorū inundātio & vis, quaſi torrens quidā, vniuerſis obicibus ruptis, vehementi impetu in animos mortalium effuſa eſt. Et quid me dicere neceſſe eſt morū optimorum omnium peruerſionem? Periculum iam ingēs metuſque ſubiit, ne peſtis iſta quæ à nequā iſtis improbiſſimiſque hominibus inuecta eſt, ea etiam quæ de prouidentia à pluribus in libris diſputata ſunt, refellat omnia. Adeò indies procedit, augetur, inſanit, omniaq. occupare feſtinat, adeò quæ ſupra D fuerant, infra iam fecit, atque aduerſus cœlum bellare inſtituit, mortalium linguas non iam aduerſus homines conſeruos, ſed planè iam aduerſus omnipotentem dominum armans. Vnde enim, quæſo, fati nomen multum per ora omnium vbique vertitur? Vnde ſyderum irrationabilibus motibus cūcta quæ accidunt, plerique imputant? Vt quid fortunam, vt quid cauſam quidam profitentur, & prædicant? Vnde ſine ratione, ſine prouidētia, ac temere ferri cuncta arbitrantur? Propter eóſne qui iuſtè, & quietè, & moderatè viuunt, an propter illos quos tu quidem continere & conſeruare reſpublicas dicebas? Ego verò communem totius humani generis peſtem eſſe monſtraui, atque iſtud ita manifeſtum eſt, vt nemo inde dubitare poſſit. Nullus enim indignatur quòd ille aut ille philoſophari pergit, quòd mitis eſt, quòd moderatus, quòd pudicus, quòd negligit humana omnia & ſpernit: verùm quòd ille delicatè viuit, quòd cupit, quòd rapit

Digitized by Google

quòd nequiſſimus cùm ſit, vitiiſque omnibus re-
pletus, clariſſimus eſt, ſummaq; in rerum copia &
proſperitate verſatur. Iſta queruli annuntiant, hęc
obiiciunt, hæc accuſant qui non credunt Deo, his
offenduntur plurimi, adeò illorum gratia qui iuſtè
& moderatè viuunt, non modò nihil horum ver-
borum loquentur, ſed illa quoq; reprehenderent,
quibus vt Dei accuſarēt prouidentiam, fuiſſent in-
ducti. Atque vtinam aut omnes, aut certè pars ma-
ior viuere ita voluiſſet, nunquam profectò verba i-
ſta aliquis excogitaſſet, nec ſummus malorum om-
nium vertex irrepſiſſet, vt quæreretur vnde mala
eſſent. Cùm enim illa non eſſent, neque appare-
rent, quis inquirere pergeret malorum cauſam?
Ne innumeræ quidem ab iſta quæſtione ſectæ pul-
lulaſſent. Manes enim, & Marcio, & Valens, & Gē-
tilium plurimi, hinc potiſſimū habuerunt princi-
pium. Sin verò omnes philoſopharentur, quæſtio
ſanè iſta locum non inueniſſet, ſed ſi nullis aliis ex
locis, vel ex iſto certè viuendi optimo atque lætiſ-
ſimo genere dudū vniuerſi didiciſſēt, ſub Deo nos
rege degere, reſque humanas ab illo & adminiſtra-
ri, & regi, ſecundùm ſuam inæſtimabilem incom-
prehenſibilemq; ſapientiam. Quod quidem fit nūc
quoque, & ſi non facilè perſpicitur, ob ingentem
illam & craſſam nebulam, quam iſti toto terrarum
orbe effuderunt. Quæ auferretur, profectò veluti
in meridiana luce, & ſereno candidiſſimoq; cœlo
cunctis mortalibus diuina perſpiceretur prouidē-
tia. Denique ſi non eſſent iudicia, non accuſato-
res, non calumniatores, non tormenta, non mul-
ctæ, non carceres, non cruciatus, non bonorum
publicationes & damna, non timores & pericula,
non inſidiæ & inimicitiæ, non iurgia, non maledi-
cta, non odia, non peſtilentiæ, non denique aliud
aliquid eiuſmodi, ſi quod à nobis in hac enumera-
tione prætermiſſum eſt, ſed omnes digna & con-
uenientiſſima cum moderatione viuerēt, quis vn-
quam mortaliū de prouidentia diuina dubitaſſet?
Profectò nullus. Nunc verò ferè idem contingit,
ac ſi hyeme ingenti ac procella imminente gu-
bernator quidem faciat quod ſui muneris eſt dili-
gentiſſimè, ſeruetque inter vndarum moles nauē,
non autem appareat eiuſce peritiæ & artis diligen-
tia vectoribus, quòd hanc illis conſiderationem &
perturbatio, & metus, & ſollicitudo præſentium,
iam iamque impendētium malorum eripiat. Deus
enim nunc quoque gubernat omnem hanc ma-
chinam, & ſi non id à plurimis animaduertitur, ob
rerum turbines & perturbationem vitæ: quam qui-
dem perturbationem iſti maximè omnium exci-
tant. Itaque nō tantùm morum rectitudinem per-
uertunt, verùm ipſam quoque pietatem religio-
nis contaminant. Nec ſanè peccabit qui iſtos na-
turæ totius inimicos appellauerit, qui in aliorum
perniciem coniurant, & doctrinis ſceleratis ac im-
puris moribus, eos qui ſecum hoc in vitæ ſalo na-
uigant, demergunt. Atqui nihil horum penitus in
monaſteriis inuenies: verùm quanquam procella
tanta, tantique fluctus deſæuiunt, ſoli in tranquillo
& portu, & ſecuritate ſumma reſidentes, veluti ex
cœlo ipſo cæterorum naufragia proſpectant. Nan-
que conuerſationem planè cœleſtem elegerunt,
nihilque deterius angelis affecti ſunt. Vt enim il-
lis nulla ineſt inæqualitas, nec alij ſucceſſibus, ſe-
cundiſq; rebus elati gloriantur, alij extremis ma-
lis & incommodis oppreſſi gemunt, ſed omnes pa-
riter in gaudio & quiete, ſummaque illa & cœleſti
gloria exultant: ita fieri quoque perſpicias in mo-
naſteriis, nullus ibi paupertatem exprobrat, nul-
lus diuitiis honeſtior eſt. Inde id quod omnia per-
uertit & perturbat, meū & tuum penitus eliminatū
eſt. Cūcta quippe illis cōmunia ſunt, mēſa, domus,
indumentū, & quod ſanè miſerabilius eſt, vnus e-
tiā idemq; animus omnibus eſt. Omnes eadē ſunt
nobilitate nobiles, omnes eadē ſeruitute ſerui, eadē

A libertate liberi, vnæ illic omnibus diuitiæ, quæ ve-
ræ diuitiæ ſunt: vna gloria quæ verè gloria eſt. Nō
enim in appellationibus, ſed in ipſis rebus bona
eorū conſiſtunt. Vna ibi voluptas, vna iucūditas,
vnæ deliciæ, vnum deſiderium, vna ſpes omnibus
ineſt. Ibi veluti quadā ex regula & libra cuncta di-
ligentiſſimè ſunt ordinata. Nulla ibi inæqualitas,
cęterū ordo ſummus, & moderatio, & cōuenientia,
& ineffabilis cōcordiæ ſeruādæ diligentia, iugiſq;
ac perpetua lætitiæ materia. Quocirca omnes om-
nia & patiuntur, & faciunt, vt vnà lætentur & gau-
deāt. Illic enim ſolū videas id perfectè continge-
re, nuſquā alibi, non modò quòd præſentia omnia
contemnāt, omnemq; ab ſe rixę, & diſcordiæ, & pu-
gnæ materiā abſciderint, clariſſimaq; cœleſtiū bo-
norum ſpe beati ſint, ſed quòd ea quoq; quæ ſin-
B gulis contingūt & triſtia & læta, cōmunia eſſe om-
niū exiſtiment. Quippe & mœror facilius fugatur,
quū pro virili ſua omnes ſingulorū comportent
onera, lætitiæq; occaſiones habēt innumeras, nō
in ſuis modò lætis, ſed in aliorū quoque, & quidem
non minus, quàm in ſuis quiq; geſtientes. Quónā
ergo modo res humanæ quò minus pereant, con-
ſeruabuntur? Si iſtos omnes imitemur. Nunc enim
illæ planè propter eos perierunt & corruptæ ſunt,
qui longè ab his moribus atq; ab iſto vitæ inſtitu-
to exercentur. Tu verò dum his cōtraria decernis,
idē prorſus facis, ac ſi quis eam lyrā quæ diligen-
tiſſimè aptata eſſet, muſicæ diceret inutilem: eam
verò quæ & diſſona & diſciſſa eſſet, nimiaq; vel in-
tentione, vel remiſſione diſſipata & corrupta, hanc
& ad pulſus, & ad voluptatē ſpectatorū eſſe dice-
ret aptiſſimā: atq; nullum vel hæc dicentiū abſur-
ditatis argumentū certius, vel inuidiæ, & immani-
tatis ita decernentiū documentū clarius inuenire
C poſſemus. Quænā verò eſt modeſtiorū & clemen-
tiorum patrum ratio? Diſcant primùm, inquiunt,
literas, atq; ita quum vim diſcendi aſſecuti fuerint,
tum demū ad philoſophiā iſtam adducantur. Tunc
nemo qui prohibeat, nemo qui retrahat futurus.
Et vnde ſcire certius poterimus, quòd ad viros illi
euaſuri ſint? Pleriq; enim abierunt immatura præ-
repti morte: verùm concedamus id quoque mani-
feſtum eſſe, fingamuſque illos interim ad viriles
annos prouehēdos. Quis illud nobis pollicebitur,
priorem omnem in medio ætatem illos bene actu-
ros? Adeò enim nihil contendendi ſtudio loquor,
vt ſi qui de his certius confidere & ſperare poſſint
optimè, eos ego ne tum quidem vrbe educturus
ſim, cùm hāc dicendi facultatem cōſecuti fuerint:
verùm tunc maximè manere iubebo, quíque illos
fugare voluerint, non modò non laudabo, verùm
vt communes hoſtes noſtræ reipublicæ reiiciam &
execrabor, quòd lucernas occulentes, & lumina
D clariſſima ex vrbe ad ſolitudinem ducentes, ciui-
tatem noſtram maximis incommodis afficiant, in-
gentique gloria & honeſtate nudent, ſin verò ne-
mo eſt qui iſta polliceri poſſit, quid tandem com-
modi illi conſecuturi ſunt, ſi mittantur ad magi-
ſtros, vbi vitia prius omnia, quàm eloquentiam ad-
diſcent, dúmq; quod minimum eſt, accipere & aſ-
ſequi ſtudēt, amittent id quod longè maximum eſt,
vires animi ſcilicet, omnémque probitatis indolē?
Quid ergo? Scholáſne omnes diruemus, inquiūt?
Minimè id quidem dico, ſed vt ne virtutis deſtrua-
mus ædificiū, viuentémq; diruamus animam, omni
ſtudio & prouidendū, & cauendum cenſeo. Quæ ſi
quidem pudica fuerit & ſobria, nullo ex loquendi
imperitia afficietur detrimēto: ſin verò fuerit cor-
rupta, damna cōſequetur ingētia, etiāſi lingua ve-
hementer & acuta fuerit, & expolita, tantóque ma-
iora, quantò illi vis dicendi maior acceſſit. Nequi-
tia enim ſi cum dicendi facultate fuerit coniun-
cta, multò deteriora, quàm imperitia, multo-
que funeſtiora ſolet operari. Quid ſi autem il-
luc abeuntes, inquies, præterquam quòd linguam

Digitized by Google

rudem habeat,& imperitam, etiam virtute illa excidant? Reſpondebo tibi tuis verbis: Quid verò ſi domi manentes, præterquam quòd animum noxiis fomitibus corrumpant, ne ad eloquentiam quidem conſequendam vnquam aſpirent: ſiue quòd non otij quantum ſatis eſt, ſuppeditent, ſiue quòd ad ea ſtudia minus idonei nati videantur? Mihi quippe, mihi prorſus iſta dicere competit, quàm illà tibi. Cur id? Quia etſi vtriuſque incertus inuentus eſt, longè tamen tuus incertior. Quonam id modo, & vt quid? Quia eloquentiam & eruditionem vt aſſequamur, morum etiam ornatu & modeſtia opus eſt: mores autem probi non etiam eloquentiæ adiectione opus habent. Quippe ſobrietatem, pudicitiam, iuſtitiam, virtuteſque reliquas, etiam ſine iſta eruditione licet acquirere: eruditionē verò ac dicendi vim, ſine probitate morum nemo ferè vnquam fuit qui aſſequeretur, cùm tempus per flagitia conſumeret. Quid ergo illa verebare? B hic quoque neceſſariò eſt metuendum, & quidem tantò hic amplius, quantò & crebrius qui voti non potirentur, inuenti ſunt, & de maioribus rebus periculum imminet. Atque illic quidem vnius tantùm rei exercitatio neceſſaria eſt, quòd alteram ſine altera conſequi poſſibile non ſit. Sin autem tu ita vis, impoſſible etiam iſtud concedamus eſſe poſſibile: quid tandem boni, quid emolumenti nobis eiuſmodi eruditio conferet, adeò lethalem circa ipſa vitalia accipientibus plagam? Quid autem mali, quid incommodi paritura eſt locutionis imperitia, ſi quæ ſunt maxima, fuerimus adepti? Atqui iſta non ſolùm apud nos qui externam ſapientiam ridemus, eamque ſtultitiam eſſe arbitramur: ſed apud ipſos philoſophos quoque ita eſſe pro confeſſo habetur. Idcirco ex illis plurimi non valde ediſcendis literis operam dederūt, alij verò prorſus contempſerūt, & eſſe perſtiterūt imperiti, C omnemque ætatem in ea philoſophiæ parte, quæ mores componit, conterentes, clariſſimi atque celeberrimi fuerunt. Anacharſis enim, & Crates, & Diogenes huius aſſequendæ peritiæ nullum ſtudium, nullam omnino curam habuerunt. Aiunt quidam, quòd ne Socrates quidem, atque id atteſtari videtur, qui in ea re longè cæteris excelluit, quique illius omnia diligentiùs quàm cæteri cognouit. Cùm enim illum aliquando in iudicium introduxiſſet, rationem pro ſe redditurum, in ea oratione quam ad iudices habuit, ita illum fecit loquentem: Vos autem ex me audituri eſtis omnem veritatem, & non tamen, per deos immortales, ô viri Athenienſes, orationem compoſitam electis verbis & nominibus, vt faciunt qui horum ſtudioſi ſunt, neque aliquo ornamento fucatam, ſed audietis vulgaribus vilibuſque verbis loquentem. Credo enim iuſta eſſe quæ dico, nulluſque veſtrum aliter expectet. Neque enim profectò, iudices, huic ætati conuenire videtur, veluti D adoleſcentulo, fictis ad vos ingredi verbis. Hoc autem cùm dicit, oſtendit ſe non ob negligentiam quandam, vt fieri ſolet: ſed quòd eam rem non magnificaret, nec didiciſſe, nec illa vnquam vſum fuiſſe. Itaque philoſophis quidem eloquentia indigna eſt, & viris prorſus: ludentium verò adoleſcentulorum certamen & gloria, quod ipſis quoque philoſophis videtur, nec philoſophis quibuſlibet, ſed illi qui omnes facilè in ea arte ſuperauit. Denique magiſtrum ea re ornari non permittit, eiuſmodi ornatum & turpem eſſe, & indignum philoſopho exiſtimans. Verùm hæc ad infidelem quempiam meritò quis dixerit, imò verò ad fidelem quoque. Perquam enim ineptum & iniquum eſt, ſiquidem hi qui gloriam à multis aucupantur, nec alio ex loco quàm externa ſapientia clari & illuſtres eſſe poſſint, eam rem nihili exiſtiment: nos eam ita admiretur, tantique æſtimemus, vt propter illam aſſequendam ea contemnamus, quæ

A neceſſaria in primis ſunt, atque vtilia. Sed hæc quidem ad infidelem dixiſſe ſatis ſit. Ad fidelem verò præter iſta etiam ex noſtris documenta offerenda ſunt. Quænam verò illa erunt? Magni illi & ſanctiſſimi viri, qui initio ſeculi fuerunt, quum literæ non erant, quique poſt illos fuerunt, quum erant quidem literæ, dicendi verò ars nondum erat inſtituta: & qui poſt eos ipſos fuere, cùm eloquentia iam apud omnes obtineret, maximoque in honore eſſet: horum tum profectò ſinguli ſuo quique tempore erant imperiti, non ſolùm artis oratoriæ, verùm ipſarum quoque literarum. Qui tamen omnes in eis ipſis rebus, in quibus dicendi vis videtur in primis eſſe neceſſaria, tanta facilitate eos qui in ea re ſunt eminentiſſimi ſuperauerunt, vt ſi illis ipſi comparentur, ſtultis pueris deteriores, eſſe videantur. Cùm enim perſuadendi vis in facultate oratoria maximè conſiſtat, philoſophique nullos hac arte tyrannos ſuperauerint, hi verò imperiti & ſine literis orbem vniuerſum incredibili facilitate conuerterint: conſtat profectò palmam ſapientiæ apud iſtos literarum rudes & imperitos eſſe, quàm apud illos, qui & literas & oratoriam aſſecuti ſunt diligentiſſimè, adeò vera ſapientia & vera eruditio nihil aliud eſt, quàm Dei timor. Porrò nemo me modò hanc legem ſtatuere exiſtimet, vt pueri eſſe perſiſtant imperiti. Nunquam enim prohibere pergerem, quin iſtud etiam ex abundanti fieret, ſi de his quæ ſunt neceſſaria, quiſquam me ſecutum faceret. Veluti enim ſi domus *Simile.* fundamenta quaſſata nutarent, omniſque fabrica ruinam minaretur, extremæ dementiæ atque ſocordiæ eſſet, non ad cæmentarios & fabros, verùm ad tectorij operis peritos recurrere: ita rurſus importunæ ſimul & improbæ contentionis eſſet, parietibus inconcuſſè & firmiter ſtantibus, eum qui tectorium addere ornandi cauſa vellet, prohibere. Atque vt iſta me ex animo loqui ſciatis, quæ profectò ſi poſſem, rebus ipſis oſtenderem, peropportunè hiſtoriam quandam referre inſtitui. *Exemplū.* Adoleſcens quidam admodum locuples aliquando in vrbe noſtra demoratus eſt, vtriuſque eruditionis acquirendæ gratia, latinæ ſcilicet & græcæ. Hunc pædagogus ſequebatur ſemper, cui ea vna & ſola cura erat, vt ipſius formaret animum. Eum igitur ego aliquando conueniens (erat enim ex his qui montes & ſolitudines habitans vnus) cauſam addiſcere ſtudebam, cur omiſſa tam inſigni philoſophia, in pædagogi ordinem ſeipſum deieciſſet. Ille verò cum ſe parum continuiſſet, cunctum iam rei ordinem nobis enarrauit: Puer, inquit, iſte patrem habet durum, immitem, aſperum, mundique negotiis vehementer intentum: matrem econtrà pudicam, moderatam, piam, cœleſtiaque ſolùm ſuſpirantem. Pater itaque, vt qui in bellicis rebus plurima de ſe fortitudinis ac probitatis indicia dederit, inſignemque ex militia gloriam fuerit adeptus, filium quoque in ordinem ſuum transferre cupit. Id verò mater omnino abhorret, & vehementer execratur: optat enim illum clariſſimum in monachorum conuerſatione perſpicere, verùm id quidem patri apertius dicere auſa non fuit: metuebat quippe ne ſi id ille vel leuiter ſuſpicaretur, intempeſtiuè iam ſeculi vinculis illum obligaret, & ab hoc ſtudio abducens ad baltheum adduceret, atque ad omnem quæ ex illo ſolet conſequi vitæ negligentiam, ac poſtmodum huius propoſiti & vitæ aditum omnem intercluderet. Igitur huiuſmodi artem excogitat. Domum me accerſit ex eremo, mecumque conſilia ſua cuncta communicans, apprehenſam pueri dexteram inſeruit manibus meis. Cùm verò illam percontarer, quid ſibi hoc vellet: Vna, inquit, hæc nobis reliqua eſt ſpes obtinendæ filio ſalutis, ſi volueris tu, & paſſus fueris in pædagogi ordinem deſcendere, ſumptoque puero à nobis proficiſci. Meum erit perſuadere patri,

quòd

quòd ſi militarem quoque vitam ille voluerit eligere, perutilis erit dicendi vis, & copia per ſtudia liberalia quæſita. Hæc ego, inquam, ſi efficere potuero. Iam illum tu ſeorſum, atque in alieno ſolo tecum habens, vbi nec pater, nec propinquorum aliquis impedire ac perturbare poſſit, ſumma illum cum facilitate formare poteris, moreſque illius ad id componere, vt veluti in monaſterio ita tecum viuat. Cæterum tu mihi hac in parte conſenti, mecumque ſalubrem iſtam functionem ſimulaturum pollicere, non parua res agitur, non pro minimis depre cor, de filij mei anima certamē eſt atque periculum: non ergo ſpernas cunctorum amantiſſimum, mihique luce ipſa chariorem periclitantem: eripe illum laqueis vndique iam paratis & poſitis, educ ex procella, & tempeſtate, & turbine. Sin verò tu gratiam præſtare nolueris, Deum iam medium noſtrum appello, & teſtem voco, me quidem nihil eorum omiſiſſe quæ ad huius pueri ſalutem pertinere videbantur, mundamque me eſſe à ſanguine pueri iſtius. Quòd ſi quid illum eiuſmodi contigerit pati, quale vt patiatur fieri vehementer poteſt, quippe iuuenis, & in tantis deliciis degens, tantaque vitæ negligentia: abs te & de tuis manibus requiret Deus animam pueri iſtius. His plura etiam adiiciens, miſerabiliterque & vehementer illacrymans, perſuaſit tandem vt hoc negotium ſuſciperem, atque cum his mandatis à ſe demiſit. Nec ſanè inanis fuit iſta machinatio, nec religioſo matris voto diuina pietas defuit. Ita enim puerum illum breui egregius ille pædagogus exercuit, tantamque in eo flammam deſiderij cœleſtis accendit, vt cuncta ſimul repente abiiceret, atque ad ſolitudinem conuolaret: alioque rurſus indigeret fræno, quod illud ab intempeſtiua illa & vehementi exercitatione ad moderationem poſſet commodioremque conuertere. Namque metuendum valde videbatur, ne repentino hoc & immaturo ſtudio rem ipſam totam reuelaret, matrique, & pædagogo, & omnibus vbique monachis grauiſſimum bellū excitaret. Si enim fugam iſtam ſubitamque mutationem præſenſiſſet pater, nunquam profectò deſtitiſſet omnia moliri & facere, vt ſanctos illos fugaret atque affligeret: nec eos modò qui illum recepiſſent, ſed alios quoque vniuerſos. Hunc ergo puerum inſignis ille inſtitutor aſſumens, hæcque & his plura illi allegans, cœleſtis quidem philoſophiæ deſiderium in eo durare permiſit, & præterea vt cautus fieret, curauit: vrbem tamen vt habitaret, ſtudiaque liberalia vti cœperat, perſequeretur, induxit, ita eum cœtuis quoque maximo emolumento futurum perſuadens. Quod quidem operæpretium eſſe videbatur, non modò ſanctorum illorum, aut matris, aut pædagogi gratia, ſed pueri ipſius quoque. Si enim initio ſtatim in illum irruiſſet pater, timendum ſatis erat, ne philoſophiæ plantas commoueret, vel etiam penitus conuelleret, quippe teneras & recenter poſitas: ſin verò proceſſu temporis optimis ille, firmiſſimiſque radicibus niteretur, vehementer confidebat, quantalibet pater ageret, nūquam illum mouendum loco, neque vlla omnino ratione ceſſurum: quod & factum eſt, nec illum fefellit ſpes. Pater enim longo poſt tempore illum adorſus, vehementique cum impetu irruens, non ſolum in nullo ædificium inclinauit, aut læſit: verùm firmius quoque validiuſque monſtrauit. Condiſcipulorum verò plurimi tantum ex illius conturbernio familiari profecerunt, vt eiuſdem inſtituti fierent æmuli: habebat quippe ille domi qui ſe perpetuò moderaretur, ac veluti ſtatua iugiter ſub artificis manu conſtituta, ornatior indies euadebat, ingentemque animo decorem aſſiduè adiiciebat. Et quod eſt profectò mirabilius, exteriori quidem cultu nihil à cæteris differre videbatur. Non enim agreſtibus vel incomptis erat moribus,

A non comæ negligentia, non amictus vilitate nobilis: ſed erat communis habitu, voce, aſpectu, & cæteris omnibus. Quibus ex rebus factus eſt, vt facilius plurimos contubernalium inter retia ſua includeret, cùm haberet intrinſecus incredibilem latentem ſapientiam. Denique ſi quis illum domi vidiſſet, vnum ex eis eſſe putauiſſet, qui montes & deſerta incolunt. Domus enim ita illi diſpoſita & parata erat, vt in nullo monaſterij diligentiam deſideraret, nihilque neceſſariis amplius habebat. Tempus autem omne in diuitiorum librorum lectione conterebat. Erat enim ingenio celeri, atque ad percipiendas diſciplinas acutiſſimo. Itaque externæ illi eruditioni breuiſſimam diſtribuens diei partem, reliquum tempus omne perpetuis orationibus, diuiniſque literis inſtabat, ac ſine cibo totā perſeuerabat die. Imò verò non vnum, aut duos tantum, ſed plurimos interdum dies ſine cibo vllo tranſigebat. Noctes præterea totas in eiuſmodi
B conſumebat ſtudiis, lacrymis, orationibus, ſacriſque lectionibus vacans. Hæc autem omnia pædagogus ille nobis clàm annūtiabat. Indignabatur enim puer ille vehementer, ferreque vix poterat, ſi quid eiuſmodi efferri cognouiſſet. Dicebat ergo veſtem illum ſibi ex cilicio paraſſe, eaque noctibus veſtiri ſolitum, eo ſcilicet conſilio, vt celerius euigilans ſurgeret, aliaque prorſus omnia ad imitationem monachorum illi diligentiſſimè parata erant, atque egregius ille inſtitutor, Deum iugiter ingenti cum lætitia benedicebat, quòd adeò leues huius philoſophiæ pennas puero largitus eſſet. Itaque ſi quis mihi nunc quoque eiuſmodi animum ac pædagogum daret, aliaque ſimiliter ſe polliceretur curaturum, incredibile eſt quàm id fieri optarem etiam amplius longè quàm parentes ipſi. Sic enim profectò copioſiori ex lucro magis gauderemus, cum poſſent eiuſmodi & per vitam, &
C per ætatem, & per iuge contubernium coæuos etiam lucrari. Verum enim nullus eſt qui hæc ſe ſpondeat exhibiturum. Cum verò nullus ſit, incredibilis ſanè immanitatis eſſet, eum qui nec ſibi ipſi auxiliari poſſet, & iacens vulneribus innumeris confoderetur, alioſque impeditiores faceret, in medio concidi permittere, quum deberet ex media dimicatione ſubmoueri. Nanque meritò ſimiliter in eum ducem animaduertendum eſſet, qui alacres & pugnare valentes milites ex prælio abduceret, & qui eos qui ſaucij iacerent, aliiſque perturbationi & impedimento eſſent, ſic ſemper iacere in medio iuberet. Verùm quia plurimi parentum inſtant vehementius, liberoſque ſuos & eruditos & diſertos ſinguli videre cupiunt, veluti certum & planè exploratum habeant, ad ſummum illos eloquentiæ culmen prouehendos: aduerſus iſtos nolo equidem contendere, nec dicam illos ſpe ſua deſtituendos, idque interim concedam, & e-
D minentiſſimos illos in ea re fore, & ad ſummum prouehendos. Sit autem nobis duarum rerum optio propoſita, vt vel ad magiſtros proficiſcentes, eruditionem aſſequi contendant, vel abeuntes ad ſolitudines, virtutes animi, ſalutemque perpetuam conquirere decertent: vtro igitur in ſtudio obtinere præſtat? Nam ſiquidem in vtroque valeamus, & ego id volo: ſin verò alterum ſit eligendum, ſatius erit quod præſtabilius eligere. Ita ſanè, inquiunt, ſed hoc ipſum vnde nobis conſtare poterit, quòd ſtabit ille, perſeuerabit, neque propoſito decidet omnino? Multi enim exciderunt. Et ego tibi reſpondebo: Vnde verò tibi conſtat, quòd non perſiſtet, neque perſeuerabit? Multi enim ſunt qui perſeuerauerūt, & quidem longè plures, quàm qui exciderunt. Itaque illorū gratia magis confidēdū eſt, quàm illorū metuendum. Cur autē in ipſis liberalibus ſtudiis hoc ipſum nō metuis, vbi maximè timendū eſt? Namque apud monachos quidē ex ingēti multitudine vix pauci lapſi ſunt: in ſcho-

Digitized by Google

la verò liberalium diſciplinarum ex plurimis vix pauci ad ſummã peritiã prouecti ſunt. Nec ſolùm iſtis rationibus, verùm aliis quoque plurimis meritò id magis metuendũ videatur. Quippe & pueri obtuſum ingeniũ, & magiſtrorũ imperitia, & pædagogi negligentia, & patris occupatio, & ſumptuum mercedumque defectio, & diſſimilitudo morum, contubernaliumque atque in diſcendo ſociorum nequitia, & inuidia, & linor, aliaque plurima, quò minus ad finem deſtinati ſtudij pertingat, nonnunquam impedimento ſunt. Neque iſta ſolùm quæ diximus, verùm poſt ipſorum quoque ſtudiorum finem, alia etiam quæ impediant, imminent. Quum enim illa omnia impedimenta præteruectus, ad ipſum eruditionis culmen euaſerit, nec vllo eorum retardatus fuerit, aliæ rurſus illic inſidiæ ſunt poſitæ. Namque & principis ignauia, & inuidia eiuſdem artis ſociorum, & conſortum, & difficultates temporum, & amicorum ſolitudo, & ipſa ſæpenumero rei familiaris inopia, ab ipſo fine nonnunquam excluſerunt atque abiecerunt. Atqui in monachorum inſtitutis nihil horum videas: illic enim vna tantum re opus eſt, nobili ſcilicet atque eximia alacritate animi, hæc ſi adſit, nihil quò minus quiſque ad ſummam virtutem perueniat, impedire poterit. Quàm igitur iniquum ſimul & indignum eſt, vbi quidem ſunt ſpei optimæ pleraque indicia manifeſta & viciniora, ibi deſperare & tremere: vbi verò ſpes ipſa & longinquior eſt, & tantis impedimentis intercipitur, illic non deſperare, imò verò rei difficillimæ ſpes ſibi maximas proponere? Quod ſanè faciunt qui in ipſis eloquentiæ ſtudiis; non ea quæ ſæpius contingunt triſtia, ſed quæ perraro læta conſiderant. Cumque in monachorum vita & inſtituto, vbi ſpes optima & certiſſima eſt, ad ea ſolùm, quæ triſtiora ſunt, inclinentur, in ipſis liberalibus ſtudiis, vbi maximæ difficultates ſunt, meliorum tantum ſpem in animo verſant. Quanquam illic nonnunquam cum ea ſimul omnia cõuenirent, quæ debent neceſſariò concurrere, ad ipſum iam finem immatura mors irruens, poſt innumeros labores illos, ſudoreſque frequẽtiſſimos athletam ipſum ſine coronis abripuit: quę ſi in medio monaſtici certaminis contingant, tum verò bellator ipſe hinc maximè illuſtris & coronatus proficiſcitur. Itaque ſi futuri veteris incertum, id inprimis in ſtudiis humanitatis faciendum eſt, vbi ne ad extremum perueniatur, plurima ſunt impedimento. Tu verò illic quidem reſides, & tempora expectas longiora, nihil eorum quæ in medio ſunt, cogitans, non ſumptus, non ærumnas, non incertum euentum, ſed ad finem tantummodo reſpiciens. Hic verò cùm necdum veſtibulum ipſum filius ingreſſus ſit, necdum decoram iſtam honeſtiſſimamque philoſophiam attigerit, iam metuis, iam trepidas, iam cogitando deſperas: atqui ipſe paulò antè dicebas: Quid enim? Is nè qui vrbem habitat, qui domum habet & vxorem, ſeruari non poteſt? An verò ſi cum vrbe, & vxore, & familia, & domo ſeruari quis poteſt, non longè id facilius, aptius, melius poterit, ſi fuerit is liber? Neque enim eiuſdem eſt, nunc quidem ſaluti cuiuſpiam confidere, quamlibet ille ſeculo obſtrictus fuerit, quaſi ſic etiam acquiri ſalus poſſit: nunc verò quantuncunque liber omnibus euaſerit, vereri & metuere, quaſi ne ſic quidem ad virtutem & probitatem adſpirare poſſit. Nam ſi is qui vrbẽ habitat, ſic indubiè ſeruari poteſt, vt tu modò dicebas: multò ſanè magis poterit, ſi ſe ad ſolitudines contulerit. Quid eſt ergo cur ibi ſalutem deſperes, vbi minimè debueras: ibique non metuas, vbi maximè pauere debuiſti? At, inquies, eiuſdem criminis non eſt, eum qui ſeculo addictus ſit, peccare, & eum qui ſemel ſe ac penitus Deo deuouerit, religionis propoſito excidere. Neque enim ambo eadem ex altitudine decidunt, ita nec eadem quidẽ vulnera ſuſcipiunt. Fallis teipſum prorſus ac decipis, ſi putas aliud à ſecularibus viris, aliud à monachis requiri. Hæc enim ferè ſola eſt in vtroque genere vitæ differentia, quòd illi quidem matrimonij ſe vinculis conſtringunt, hi verò his liberi perdurant. In reliquis verò communis, atque eadem ab vtriſque vitæ totius ratio requiritur, eiſdem pro culpis pœna vna omnibus debetur. Nam qui fratri ſuo iraſcitur ſine cauſa, ſiue ille ſecularis, ſiue monachus fuerit, Deũ ſimiliter offendit. Atque is qui mulierem reſpicit, & concupiſcit eam, quolibet in vitæ ſtatu fuerit, eadem adulterij plectetur pœna. Imò verò vt aliquid ex nobis addere, quod rationi conſentaneum videatur audeamus, magis ſine vlla ſpe veniæ peccabit, qui ex ſeculo id ſcelus admiſerit. Neque enim par facinus admittere videtur, qui vxoris ſolatio ſubnixus, decore mulieris irretitur, atque is qui eiuſmodi auxilio, & infirmitatis remedio deſtitutus, hac interdum peſte corripitur. Rurſus qui iurat, ſiue hoc, ſiue illud fuerit, pari omnino pœnæ ſubiacebit. Neque enim Chriſtus, cùm de his monita ederet, legeſque ſtatueret, ita diſtinxit, vt diceret, ſi quidem is qui iurat monachus ſit, à malo iuſiurandum eſt: ſin verò monachus non fuerit, non iam à malo eſt: ſed abſolutè omnino dixit: *Ego autem dico vobis, ne iuretis penitus.* Rurſúmque cum diceret, *Væ ridentibus*: non addidit, monachis, ſed abſolutiſſimam ſententiam de omnibus tulit. Atque idem in cæteris mandatis ſuis maximis & admirandis facit. Cum enim dicit, *Beati pauperes ſpiritu, beati qui lugent, beati mites, beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, beati miſericordes, beati pacifici, beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, beati qui & fanda, & infanda propter me & meum nomen ab his qui ſunt foris, patiuntur: nec monachi, nec ſecularis nomen adiecit: cæterum iſta diſtinctio ex hominum æſtimatione introducta eſt. Sacræ verò literæ nihil horum penitus nouerunt, ſed omnes monachorum vita & inſtituto viuere volunt, etiamſi vxoribus fuerint adiuncti. Audi denique quid Paulus moneat, quem cum nomino, rurſus Chriſtum prædico. Hic itaque cum ſcriberet vxoratis hominibus, filióſque nutrientibus, omnem ab illis monaſticæ vitæ diligentiã requirit. Namque delicias omnes penitus abſcindens, ſiue quæ ad cultum veſtium, ſiue quę ad cibos pertinent, his verbis admonet: *Mulieres, in habitu ornato, cum pudore & caſtitate ſemetipſas ornare, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa*, & rurſus, *Quæ autem in delicijs degit, viuens mortua eſt.* & rurſus: *Habentes cibos & tegumenta, his contenti ſimus.* Quid amplius poſſet aliquis à monachis exigere? Rurſus verò cùm aliis linguam continere admoneret, ſeueriſſimas leges conſtituit, & tales leges, quales monachis ipſis implere negotij non minimi eſt. Non enim turpitudinem tantùm, ac ſtultiloquium damnat, verùm ipſam quoque ſcurrilitatem ſeueriſſimè caſtigat & iugulat. Neque iracundiam ſolùm, & furorem, & amaritudinem, ſed ipſum etiam clamorem ab ore fidelium arcet & reſecat. Omnis enim, ait, iracundia, & furor, & conuicium tollatur à vobis cum omni malitia. Num iſta tibi parua videntur? Ergo paululum expecta, dum his longè maiora referamus, quæ de tolerantia malorum omnibus præcipit. *Sol*, inquit, *non occidat ſuper iracundiam veſtram: videte ne quis malum pro malo cuiquam reddat, ſed ſemper quod bonum eſt, perſequimini, & inuicem, & in omnes.* Rurſúmque: *Noli vinci à malo, ſed vinci in bono malum.* Vidiſtíne philoſophiæ & longanimitatis magnitudinẽ ad ipſum ſupremum culmen aſcendẽtem? audi quid de charitate etiam loquatur, quæ caput bonorum omnium, & ſumma eſt. Cùm enim illam vehementer extolleret, eiuſque merita inſignia proſequeretur, eandem ſe à ſeculi hominibus exigere oſtendit, quam à diſcipulis Chriſtus. Vt enim ſaluator hunc tandem extremum ait eſſe charitatis finem, ſi quis animam ſuam pro amicis

ponat.

Non ſoli monachi iubentur eſſe perfecti.

Matth. 5. Lucæ 6.

Matth. 5.

Tit. 2.

1. Tim. 5. Ibid. 6.

Epheſ. 4. 1. Theſſ. 5

Rom. 12.

ponat: ait Paulus quoque idipſum ſignificauit, cum
1.Cor.13 diceret: *Charitas non quærit quæ ſua ſunt*, atque eiuſmo-
di charitatem ſequi nos iubet, quid igitur hac phi-
loſophia maius, aut dignius inquirere poſſemus?
Cùm enim & furore, & iracundia, & clamore, &
pecuniarum cupiditate, & ventris ingluuie, & ma-
gnificẽtia veſtium, & inani gloria, & aliis ſeculi re-
bus ſuperiores eſſe nos iubeat, nihilque commune
habere cum terra, cumque mortificare membra
noſtra præcipiat, conſtat profectò ipſum non mi-
norem à nobis vitæ diligentiam requirere, quàm
requirat à diſcipulis Chriſtus, vſque adeò verò
peccatis eſſe mortuos iubet, ac ſi iam & mortui, &
Rom. 6. ſepulti ſimus. Idcirco enim ait: *Qui autem mortuus eſt,*
iam iuſtificatus eſt à peccato. Nonnunquam verò ad ip-
ſius quoque Chriſti imitationem ſumma vi exhor-
tationis inducit. Cùm enim nos deligere admonet,
inde potiſſimùm ſumit exempla: ita cùm ad malo-
rum quoque tolerantiam, atque ad humilitatem B
hortatur. Cùm itaque non monachos tantùm, vel
apoſtolos, ſed ipſum etiam Chriſtum imitari nos
iubeat, eiſque qui non imitantur, ſupplicia maxi-
ma intentet, qua tu tandem ratione illam dicis
eſſe maiorem altitudinem? Eandem enim omnibus
aſcendere propoſitum, & imperatum eſt. Sed hoc
planè eſt quod euertit orbem vniuerſum, quòd
ſumma vitæ bene agendæ diligentia monachis o-
pus eſſe arbitramur, cæteris negligenter viuere li-
cere. Non ita ſanè, non ita eſt, ſed eadem ab omni-
bus philoſophiæ ratio requiritur: atque id equi-
dem vehementer affirmauerim, imò verò non ego,
ſed ipſe iudex omnium Chriſtus. Sin verò tu adhuc
hęres, & titubas: agè rurſus tibi eiſdem verbis aures
repleamus, vt omnis abs te & malitia, & infidelitas
fugetur. Faciam autem huius rei documentum ab
ipſis cruciatibus diei illius horribilis, nimiũq; me-
tuendæ. Diues profectò ille, non quòd monachus
crudelis fuerat, idcirco vehementius cruciabatur: C
ſed ſi quid loqui ex nobis audeamus, quod tamen
veritati contrarium non ſit, ideo exurebatur maxi-
mè, quod ſeculo deditus cum eſſet, & in diuitiis ac
deliciis degeret, & purpura operiretur, Lazarum ſu-
prema inopia vexatũ aſpernatus eſt. Virgines item
quia clementia & humanitate caruerunt, ideo cœ-
leſti thalamo excluſæ ſunt: & vt ipſe aliquid adiiciã
quod veriſimile exiſtimo, non ſolum cruciatus illis
additi nõ ſunt virginitatis gratia, ſed ob eãdem ip-
ſam mitiores quoque pœnas exceperunt. Neque e-
nim illis dictum eſt: Ite in ignem æternum, diabolo
Matth. 5. & angelis eius præparatum: ſed ſolum. *Non noui vos*.
Sin verò dicat aliquis, hoc idem eſſe quod illud eſt,
neque ego contendã: quod enim mihi nunc maxi-
mè incumbit, id profectò eſt, vt oſtendã monacho-
rum vitam grauiora nõ attrahere ſupplicia, verùm
iiſdem quoque peccãtes ſeculi homines obnoxios
fieri. Is etiã qui ſordidis veſtibus amictus fuit, quiq. D
centum numos ſumma improbitate requiſiuit, non
quòd monachi fuerũt, ea paſſi ſunt, quæ paſſi refe-
runtur: ſed alter ob fornicationem, alter quòd non
donaſſet iniurias, perierunt. Sed & alios quoque qui
tum punirentur, ſi quis inquirat diligẽtius, pro pec-
catorum tantũ meritis eos cruciatus perpeti anim-
aduertet. Neque verò in inferendis ſolùm crucia-
tibus, ſed etiam in ſanciendis legibus id Chriſtum
Matth. 11 feciſſe reperies. Etenim cum dicit: *Venite ad me omnes*
qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum
meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis
corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: non mona-
chos tantùm alloquitur, ſed & omne prorſus homi-
num genus. Itemque cum iubet per anguſtã viam
ingredi: non iſtos modò, ſed omnes omnino homi-
nes hoc imperio conuenit. Cumque odiſſe animam
ſuam in hoc mũdo, atque cætera eiuſmodi iuberet,
nullum hominum genus excepit. Cùm verò non
omnes alloquitur, neque iura & leges omnibus cõ-
ſtituit, hoc ipſe nobis inſinuat aptius. Denique cùm

A de virginitate loſiueretur, adiunxit: *Qui poteſt cape-*
re, capiat: neque omnis adiiciens, neque id in præce- Matth. 15
pti ordine ſtatuens. Ita Paulus quoque (nam omni-
bus locis magiſtrum imitari deprehenditur) cùm in 1.Cor.7.
hanc incidiſſet materiam, aiebat: *De virginibus autem*
præceptum domini non habeo. Itaque quod ad eandem vi-
tæ diligentiam, ſupremumque perfectionis faſti-
gium per diuinas leges pariter & ſecularis, & mo-
nachus cogantur: quódque ambo ſi ceciderint, æ-
qualia ſint excepturi vulnera, neminem iam quã-
tumlibet ille ſit contentioſus & impudens, contra-
dicturum exiſtimo. Hoc autem apertiſſimè oſtenſo,
agè illud quoque inquiramus (ſi tamen inquiſitio-
ne opus eſt in re tam manifeſta) vtrius ſit pronior
ac facilior lapſus. Pudicitiam quidem is qui vxorẽ
habet, facilè ſeruare poſſe videtur, quippe ſolatio
non minimo ſuffultus: cæterum in reliquis nulla
comparatio eſt: verùm ſic quoque plures longè vi-
B deas lapſos ex coniugatorum, quàm monachorum
ordine. Neque enim tam multi ex monaſteriis ad
matrimonia accedunt, quam ex iugali thoro ſe ad
ſcorta recipiunt. Quòd ſi in eis certaminibus quæ
facillima illis toleratu ſunt, quippe thoro legitimo
ſubnixis, ita ſe ſuperari facilè permittunt: quid tã-
dem in aliis perturbationibus acturi exiſtimantur,
quibus longè amplius quàm monachi pulſantur?
Nam concupiſcentia quidem, ardorque congreſ-
ſus muliebris his vehementius imminet, quippe
vxorum contubernio & ſolatio carentibus: reli-
quæ vero perturbationes cum his vicinius propin-
quare vix poſſint, illos per vim ſubiiciunt, atque in
ſuum caput impellunt. Sin verò in eis ipſis, in qui-
bus bello vehementiore perturbantur, iſti magis
obtinent, victoréſque fiunt, quàm hi, quibus id
ineſt leuiſſimum, & ferè nullum: conſtat profectò
longè eos facilius ea quoque vitia ſuperaturos, à
quibus nihil ferè perturbationis patiuntur. Nam
C & pecuniæ amor, & deliciarum ac potentiæ, cæte-
rarumque rerum deſiderium facilius ab his, quàm
à ſecularibus vinci ſubigique conſueuit. Vt igitur
in prælio & pugna eam belli partem leuiorem eſſe
dicimus, non ex qua alterni ac iuges mortui ſuper
inuicem cadunt, ſed ex qua pauciſſimi & rari: ita de
his quoque ſtatuere & decernere debemus. Quip-
pe habendi immodicam cupiditatem is longè faci-
lius vincet, qui in montium verticibus moratur,
quàm qui mediis in rerum perturbationibus ver-
ſatur: nam iſte quidem facillimè capitur. Eum ve-
rò qui captus cupiditate iſta fuerit, in eorum nu-
mero qui venerantur ſimulachra & colunt, nume-
rari certum eſt & definitum, atque is quidem ſi pe-
cunias habuerit, nunquam profectò proximos cõ-
temnet, ſed ipſas omnes in illorum vſus facillimè
impendet: hic autem non modò eos aſpernabitur,
verùm non ſecus eos atque alienos tractabit, iniu-
riiſque & incommodis omnibus afficiet. Quod
D profectò genus aliud eſt ſeruiendi idolis, & quidem
priore illo deterius & grauius. Et quid me neceſſe
eſt proſequi reliqua, quæ monachis quidem facil-
lima ad ſuperandum ſunt, ſeculi autem homines
nullo negotio, ingentique facilitate deiiciunt? Cur
ergo non pauidus trepidas, cùm ad eam vitam fi-
lium adducis, in qua vitiis omnibus capi facillimè
poſſit? An parum tibi videtur ſeruire idolis, ipſiſ-
que infidelibus deteriorem eſſe, Deique ſeruitium
operibus ipſis abnegare? Quæ quidem omnia mul-
tò facilius hi qui ſeculo addicti ſunt, patientur,
quam monachi. Vidéſne vt callida tergiuerſatio
metus iſte ſit? nam ſi metuendum fuiſſet, non vti-
que eſſet illis metuendum qui fluctus & procellas
fugerent, atque omni ſtudio ad portum feſtina- In vita
rent: ſed eis qui hyeme ingenti & turbine inuoluti ſæculari
iactarentur. In vita enim ſeculari & plura ſunt, & eſſe maio
paratiora naufragia: quòd & plura ſint quæ pertur- ra pericu-
bent, & qui eam vitam degunt, negligentiores, at- la quàm
que adeò inualidiores ſint, quàm vt aduerſus ea in ſtatu
religioſo.

ſtare

ſtare poſſint. In monachorum autem vita profectò & fluctus tanti non ſunt, ſed contrà penitus ſerenitas ſumma & tranquillitas, & ſtudium longè excellentius aduerſus eam fluctuum rabiem pugnaturorum. Quocirca nos eiuſmodi ad deſerta pertrahimus, non vt cilicio induantur, torqueſve ferreos ſibi circumdent, aut cinerem ſubſternant ſolum, ſed vt in primis vitia effugiant eligántque virtutes. Quid igitur? Omnéſne qui matrimonij vinculis aſtricti ſunt, peribunt? Non equidem id dico, ſed maioribus, vt ſeruari poſſint, laboribus eis opus eſſe confirmo, ob imminentem neceſſitatem. Nam eo qui ligatus fuerit, is qui ſolutus eſt & facilius longè & expeditius curret. Num ergo maiore ille idcirco mercede donabitur, illuſtrioribúſque coronis? Minimè verò. Sibi enim ille hanc neceſſitatem conſciuit, cùm liceret effugere, ſi vellet. Quoniam igitur vt apertis documentis declaratum eſt, iiſdem ſumus obnoxij, quibus & monachi: faciliorem percurramus viam, liberóſque noſtros ad eam pertrahamus, non illos demergamus, neque ad vitiorum prærupta, hoſtium immaniúmque Barbarorum vice præcipitemus. Hæc enim ſi quis alius facere tentaret, non eſſet adeo horrendum & execrandum. At verò cùm parentes ipſi qui ſecularium rerum omnium periculum fecerunt, qui rebus ipſis quàm ſit friuola & nulla vitæ mortalis voluptas didicerunt, adeò inſaniant, vt alios quoque ad eam ipſam trahere nitantur, quà ipſi iam frui per ætatem prohibentur: cúmque ſeipſos ex his quæ antè peccauerint infelices & miſeros agnoſcere & dicere haberent, alios in eaſdem miſerias præcipitant: atque iſta cùm iam mors vicina eſt & iudicium, horrendique illi cruciatus, quænam excuſatio relinquitur, quæ venia, quæ miſericordia? Neque enim ſuorum tantum peccatorum pœnas dabunt, ſed eorum quoque quæ filij peccarunt, ſiue fallere illi filios potuerint, ſiue non potuerint. At fortaſſe filiorum filios videre cupitis. Quomodo id tandem, cum ipſi tam improbi parentes ſitis? Neque enim patrem facit generatio. Quod ipſi quoque patres teſtari ſolent, qui filios cùm viderint ad ſummum vitiorum culmen perueniſſe, quaſi non ſint illi ſui, ſic eos à ſe abiiciunt & abdicant: neque generatio ipſa, neque affectus naturalis, neque aliud aliquid eiuſmodi ipſos, quo minus id faciant, continere poteſt. Itaque ne ipſi quidem patres horum digni eſſe iudicentur, quibus philoſophiæ ratione longè inferiores & deteriores ſunt. Sed cùm ipſos non minus ſpiritu, quàm carne genuerint, tunc etiam nepotes quærant. Nam tunc ſolùm etiam videre eos poterunt. Sunt enim, ſunt profectò illis filij, non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo ipſo generati: atque hi filij, non pecuniarum gratia luctum parentibus, aut mœſtitiam inducunt, non matrimonij, non alterius cuiuſque rei, ſed omni illos hac cura liberos immunéſque dimittentes, maioribus longè illos, honeſtioribúſque voluptatibus afficiunt, quàm ſi eſſent illi naturales patres. Neque enim eſt eadem vtriuſque generationis ratio, neque vt carnales filij, ita ſpirituales quoque nutriuntur: ſed longè iſti excellentius & dignius, idcirco parentes quoque copioſiore lætitia afficiunt. Illud præterea adiiciendum, quòd hi qui reſurrectionis fidem non ſuſcipiunt, mirum non eſt ſi in eiuſmodi lugeant & lamententur: quippe quibus ſola hæc poſteritatis ſpes & conſolatio reliqua eſſe videatur. Nos verò qui cœlitus edocti mortem ſoporem eſſe exiſtimamus, quibus præcipitur præſentia omnia deſpicere: qua tandem venia digni erimus, ſi in eiuſmodi lugeamus, filióſque videre cupiamus, atque hîc relinquere, vnde ipſi tranſire feſtinamus, & vbi cum ſimus, ingemiſcimus? Verum iſta ad eos qui capaciores rationis ſunt dixerimus. Si qui verò fuerint

A ſtudioſi corporis, atque huic ſeculo penitus affixi, illud in primis dicemus, quod incertum eſt, an ex matrimonio liberi ſint, ſecuturi: ſed & ſi nati illi fuerint, maioris inde mœroris occaſio ſequetur. Neque enim tantū ex iſta liberorū procreatione lætitiæ, quantum ex aſſidua cura & anxietate mœroris acquirimus, dum illis omnia quotidie timere cogimur. Et cui, inquies, villas, ædes, mancipia, aurúmque relinquemus. Nam & iſta illos cōquerentes audio. Ei profectò, qui hæc antea hæreditario iure poſſeſſurus erat, nuncque tantò magis, quātò hæres ipſe & ſecurior, & tutior eſt. Hac enim in vita plurima ſunt, quæ illa corrūpant & demoliantur: nam & tineæ, & longitudo tēporis, & latrones, & calumniatores, & inuidi, & futuri incertum, humanarúmque rerū varietas, & mors tandem ipſa, & pecuniis, & prædiis, & villis filium profectò tuū ſpoliaſſent. Nunc verò editiori atque tutiori in loco diuitias repoſuit, locū inuiolabilem reperiens, B ad quem nulli ex his quę dicta ſunt aſpirare fas eſt. Is verò locus cœlū eſt, nullum impetum metuens, nullíſque inſidiis peruium, omníque ſoli fœcunditate feracius, atque ingenti cum fœnore depoſitorum fructus lætiſſimos his qui ea depoſuerint decerpendos præbens. Non igitur nunc eá verba dicēda ſunt, ſed ſi ſeculo ſe dedere mallet filius tuus, tunc ingemiſcendum & lamētandum eſſet, atque talia dicendum: cui modò villas relinquemus, cui aurū, cui pecunias reliquas? Nunc enim tanta proprietatis & dominationis eſt copia, vt ne tum quidē, cùm vita exceſſerint, eo dominio fruſtrādi ſint, ſed tunc maximè rerū ſuarū lucris potituri. Quod ſi tu hac etiam in vita cupis illum dominum videre, demulcétque te blanda dominationis appellatio: id quoque monacho, quàm ſeculari videas excellentius contingere. Quis enim oro te, dominus dicendus eſt? Illéne, qui ſumma cum facilitate pecunias impēdit & erogat, C an is qui præ parcitate & auaritia eas contingere non audet, ſed ſuffodit atque humo abdit, ſuíſque ita abſtinet, tanquam profectò illa non ſint ſua? Qui inaniter & abſque ratione impendit rem ſuam, an qui ſumma cum moderatione id facit? Qui in terra ſeminat, an qui in cœlo? Qui non ſua omnia quibus voluerit erogare permittitur, an qui omnibus eiuſmodi tributa exigentibus liber euaſit? Ei quippe qui prædia ſulcat plurima, quíque mundi ſe negotiis addicit, cōplures plurimis ex locis imminebunt, vectigalia perſoluere cogentes, ſuaſque partes quique repetentes: ei verò qui clementer in pauperes erogat, nemo prorſus erit qui obſtrepat, nemo qui minas vllas intētet. Et hoc igitur ex loco inſigniori iſte potiorique dominatione beatus eſt. An verò tu illum dominum dices rerum ſuarum, qui meretricibus, & gulæ illecebris, & aſſentatoribus, & paraſitis patrimonium effundit, & gloriæ ſuæ maculam acquirit, D ſalutemque ſuā prodit, atque ab omnibus ridetur: qui autē ad conquirendam verā, ſempiternamque gloriam, atque ad immortalia conſequenda cōmoda, vtque diuinis monitis obtemperet, illud ſapientiſſimè diſpenſat, cum non iam eſſe rei ſuæ dominum quereris? Nónne ergo idem facis, ac ſi perſpiciens quempiam in ſubterraneos aliquos meatus vel cuniculos rem ſuam proiicientē, diceres eū verè rei familiaris ſuæ dominū: ſin verò neceſſariis vſibus diſpenſantē intuereris, vt qui rerū ſuarum non haberet poteſtatem, ita illum lamentarere? Immò verò non eis qui rationabiliter patrimonia conſumunt, ſed eis qui in perniciem ſui capitis id faciunt, iſti conferendi ſunt. Denique præclarum hoc impendendi genus & illuſtriorem eum, & ditiorem, & potentiorem faciet: illud verò perlaſciuum & luxurioſum, non modò odioſum & execrabilem, ſed extremæ quoque damnationi obnoxium & obſtrictum reddet. Quid ergo? Poſt matrimonium, inquies, & liberos non licebit hanc phi-

Digitized by Google

loſophiam apprehendere, cùm ad ſenectutem filius peruenerit? Et quis tandem ille erit, qui polliceatur ad extremam nos prouehendos eſſe ſenectutem, quódque cùm ad illam peruenerimus, hac in voluntate & ſententia perſeuerabimus? Neque enim ſumus domini præſtituti ac definiti vitæ noſtræ temporis, atque hoc Paulus nos docuit, cùm
1.Theſ. 5. diceret, *Dies domini ſicut fur in nocte ita veniet.* Neque rurſus in eadem ſemper alacritate propoſiti cogitationes noſtræ perſeuerant. Quocirca ſapiẽs quidam admonet, dicens: *Ne moreris conuerti ad dominum,*
Eccl. 5. *neque differas de die in diem,* ne forte cùm tu moram trahis, côteraris, atque in tempore vltionis pereas. Nempe ſi nihil horum quoque incertum eſſet, ne ſic quidem liberos noſtros differre deberemus, ne tanta detrimenta, quanta mox aperiemus, ex dilatione iſta paterentur. Eſſet enim profectò incredibilis amentiæ & fatuitatis, imò verò ſummæ immanitatis, ſi cum iuueni opus eſſet adiutorio, aduerſariuſque vehementer immineret, tunc illum iuberemus quietum agere, mundaniſque immiſceri negotiis, ne capi facilius poſſet: cùm verò vulneribus innumeris confoſſus iaceret, nullaque ex parte eſſet integer, tunc illum vt ſe erigeret, atque armaret hortaremur, iacentem iam, & ſaucium, atque omninò debilem. Ita ſanè inquies. Tunc enim & lucta leuior, & dimicatio facilior futura eſt, iam extinctis voluptatibus. Quænam tunc dimicatio, quæ pugna erit, cum nullus ſit compar qui nos prouocet, nullus qui prælio laceſſat? Ita profectò, ne coronis quidem illuſtrioribus donabimur. Beatus e-
Thren. 3. nim, inquit, qui *tulit iugum graue ab adoleſcentia ſua: ſedebit ſolitarius, & tacebit.* Hic planè, hic miraculis innúmeris eſt dignus, hic & laudari, & beatiſſimus meretur dici, qui rebelles inſanoſque naturales motus rationes frænare perrexerit, atque in ipſo impetu tempeſtatis & turbinis illæſam ſeruarit nauem: verùm nihil inde quoque contendamus. Sit etiam iſta dimicatio, ſi placet. Nempe ſi eſſet in poteſtate noſtra certaminis tempus, rectè forſitan ſenectutem expectare poſſemus. Sin verò per omnẽ vitam nobis dimicandum eſt, atque à prima ſtatim ætate inchoandum, cum decem annorum eſſe cœperimus, ex ea quippe ætate eorum omnium, quæ peccauimus rationem reddituri, pœnaſque daturi ſumus: quod inſinuant pueri illi, qui quòd Heli-
4.Reg. 2. ſæum irridere auſi ſunt, vrſis deuorandi permiſſi memorantur: & nunc ex eadem ætate iam in acie eſt ſtandũ, quando bellum aduerſum nos acerbius & grauius imminet, qua tu ratione tẽpus illud certaminibus ſtatuis? Si enim ipſi diabolo poteſtatis iure imperare poſſes, vt atrocius imminere & pugnare deſineret, videretur eſſe non irrationabilis hæc tua admonitio. Nunc verò dum tu illum & pugnare, & ictibus me grauioribus pulſare permittas, ſi mihi contrà quieſcendum ſtatuas, imò ſponte ſuccumbendum: quid hac iniquitate & abſurditate poſſit eſſe deterius? Quis, oro, niſi inimicus belli rabie dirius inſtante, pugnantem armis exuit, atque ita hoſtium manibus tradit? Iuuenis eſt, & imbecillus. Nónne idcirco maiore & cautione, & ſecuritate illi opus eſt? Quam quidem vt poſſit conſequi, ſumma cura & diligentia illi opus erit, atque is qui eiuſmodi eſt, in tranquillitate ſemper & quiete ſumma degere, non mundanis negotiis incumbere, neque mediis fluctibus merſari debebit, vbi tumultus ingens, & perturbatio eſt. Tu verò contrà penitus quibus bellum acrius imminet, & per ætatem, & per imbecillitatem, & per imperitiam, reique nouitatem, eos quaſi iam perfecti bellatores ſint, reique militaris peritiſſimi, firmiſſimiſque viribus ſubnixi, in medium certaminis pertrahis, nec permittis, vt prius ad ſolitudinem profecti, vires ſibi per exercitationem comparent: veluti ſi quis fortiſſimum virum, & qui millies hoſtem fundere poſſit, iubeat quietem agere, bellicíſque rebus per

A meditationem aſſueſcere: eum verò qui & rudis ſit, & imperitus, nec pugnam vnquam aſpicere potuerit, ob hoc ipſum in media pugna verſari debere ſtatuat, difficillimæque rei maiora impedimenta proponat. Ad hæc ſciendum illud quoque, non licere poſt nuptias cuiquam ſuiipſius eſſe dominum, ſed è duobus alterum neceſſariò contingere, aut vxori ſemper, ſi ita voluerit, côiungi: vel ſi continenter viuere voluerit, ea dimiſſa, adulterij flagitio capi. Quid me proſequi neceſſe eſt educandorum liberorum ſummas neceſſitates, curaſque reliquas rei familiaris? quæ profectò tantæ ſunt, vt omnem alacritatem propoſiti obtundere, ſummãque ſegnitiem ac ſtuporem animis offundere ſufficiant. Quocirca ſatius omnino, ac melius cenſeo, eum, dum adhuc liber ac ſui dominus eſt, ab ipſo ſtatim ætatis initio armare, nõ eorum tantùm gratia quæ dicta ſunt, verùm eius quoque in primis
B quod dicendum eſt. Qui enim ad finem vitæ philoſophiæ huic dare operam aggreditur, in hoc tempus omne conterit, vt poſſit ea, quæ in priori ætate admiſit, peccata diluere, cunctũmque illi ſtudiũ in hac duntaxat parte conſumitur: & ne ſic quidẽ ſæpenumero illi quantum ſatis eſt temporis ſuppetit, ſed ex hac vita proficiſcitur vulnerum reliquias ſecum ferens. At verò qui à prima ſtatim ætate ſe exercuit, vireſque ſibi ad certandem comparare ſtuduit, non in hoc tempus conſumit, nec ſedet curans vulnera, ſed ab ipſis iam tyrocinij ſui rudimentis meretur, atque accipit palmas. Et illi quidem ſatis optandum videtur, eas pugnas omnes, in quibus victus fuerat, repetita dimicatione ſuperare: hic verò ab ipſo ferè dixerim pueritiæ aditu & limine, tanquam è carceribus emiſſus, atque ad calcem curſu perpetuo properans, fundit hoſtem, victoriaſque victoriis iungit, & velut Olympici certaminis victor, à primæ ætatis flore per
C buccinationes ad ſenectutem proficiſcitur, innumeris coronis inſignitus caput. Quorum igitur in ordine conſtituere mauis filium tuum? Eorúmne qui ob ingentem fiduciam, ſummæque virtutis côſcientiam, in ipſos etiam archangelos defigere obtutus valent: an eorum qui cum omnibus ſtant, extremúmque ordinem obſeruant? Extremum enim ſortientur penitus, eúmque ipſum tum demũ, cum potuerint cuncta ea impedimenta percurrere, quæ modò memoraui: cùm ſcilicet neque mors immatura præripuerit, neque poſtea fuerint vxore impediti, neque tanta negotia ſubierint, vt non poſſit ad curam priorum vulnerum ſufficere ſenectutis tempus, eámque ſententiam firmam ſemper, immobilemque ſeruauerint. Cum enim ſimul hæc omnia conuenerint, tunc quoque vix inter extremam ſortem ſtatuentur. Horum igitur ex numero vis eſſe filium tuum, an eorum qui in phalangis frõte eximia virtute emicant? Et quis, inquies, adeò
D miſer & infelix eſt, quin hæc magis optet filiis ſuis? Verùm cõſuetudinem, inquiunt, requirimus, nobiſcúmque eos eſſe cupimus. Hoc ipſum ego quoque & cupio, & opto, nec minus ſanè, quàm voſipſi, vt illi ad paternam domum redeant, educationiſque & alimentorum vices parentibus referant: quibus profectò illi dulciores reperire non poſſent, verùm hoc non modo ab illis exigimus. Quàm enim iniquum eſt, ſi vt aſſequantur ſtudia liberalia, longo illos tempore patria arcemus, vtque artem aliquam vulgarem ac mechanicam addiſcant, domum quoque ne accedant interdicimus, in magiſtri domo & prandere illos, & dormire iubentes: cum verò non ad humanam diſciplinam, ſed ad philoſophiam cœleſtem proficiſci parant, antequam id fiat, quod optamus, confeſtim trahere illos inſtituimus: atque is quidẽ qui per extenſum funem currere docetur, vt eius rei peritus fiat, nõ paruo tempore, & domo, & patria ſe abdicabit: nos autem eos qui ad cœlũ auolare diſcunt, domi cum

Digitized by Google

A parentibus claudemus? Et quid hac abiurditate
poſſit eſſe deterius? Nónne agricolas videtis, vt e-
tiam cum ſatis properant laborum fructus carpe-
re, acerbos tamen eos nunquam metere ſuſtineāt?
Ergo ne nos quidem intempeſtiuè liberos noſtros
ab deſerti commoratione reuocemus, verùm ſtu-
dij cœleſtis diſciplinam in eis ſolidari permitta-
mus, altiſque radicibus arbuſta firmari: & ſiue de-
cem annos, ſiue etiam viginti nutriendi illi ſint in
monaſterio, non perturbemur, non mœrore vllo
afficiamur. Quantò enim amplius fuerint in ſcho-
la virtutis exercitati, tantò ampliores vires adipiſ-
centur. Sin autem tu mauis atque ita videtur, tem-
pus nullum certum ſtatuamus, ſed ille terminus
ſit ſolus, qui ad maturam frugem perducat ſatos in
illis boni operis fructus, túncque ſolùm ex deſer-
to redeant. Prius autem nullo modo. Nihil enim
ex hac celeritate noſtra conſequi aliud poterimus
niſi vt illi nunquam ad maturitatem pertingant.
B Qui enim ante tempus radicis nutrimento deſtitu-
tus fuerit, is profectò nec tempore adueniente iam
vtilis vlla ratione erit. Quòd vti ne fiat, toleremus
interim bono animo ſeparationem: nec ſolùm il-
los non vrgeamus ad reditum, verùm prohibea-
mus quoque ſi voluerint ante tempus atque im-
maturè remeare. Nam ſi ad ſummam virtutem pro-
fecerit filius tuus, commune lucrum erit & patri, &
matri, & familiæ, & ciuitati, & gentibus omnino
omnibus: ſin verò minus perfectus fuerit, ridiculus
erit, contemptus, abiectus, ſibíque ipſi, & aliis no-
xius. Non igitur tanti illis incommodi, tantique
detrimenti cauſa ſimus. Nam quoties peregrè à
nobis liberos dimittimus, tunc demum illos videre
volumus, cùm ea conſecuti fuerint quorum gratia
peregrinati ſunt. Quòd ſi antea redierint, non tan-
tum ex peregrinatione ipſa voluptatis capimus,
quantum quòd fruſtra & intempeſtiuè aduenerint,
mœroris. An non extremæ dementiæ & iniquitatis
C eſt, nō tantum ſtudij ac ſollicitudinis in rebus ſpi-
ritualibus ponere, quantum circa temporalia &
fluxa monſtramus? Cum enim illic adeò philoſo-
phicè feramus ſeparationem à nobis filiorum, vt
eam extendi cupiamus, & prolixiorem fieri, dum a-
liqua ex ea gigni commoda conſtanter teneamus:
hîc in tantum animi mollitie frangimur, vt ex hac
puſillanimitate noſtra ſumma corrumpamus bona.
Atque id cùm plurima habeamus ſolatia, non tan-
tùm quòd illi ſe ad maiora ac digniora contule-
rint, & optato fine potituri ſint, nihilque ſit peni-
tus, quod eam ſpem infirmet aut frangat, verùm
quòd ipſe quoque ſeparationis modus & periucū-
dus ſit, & facilè poſſit tolerari. Nam cùm illi lon-
ginquius peregrinati fuerint, non eis congredi fa-
cilè poſſumus, idque cùm ſemper contingit, tum in
primis quando ſenuerimus. Hîc verò aſſiduè ad il-
los proficiſci poſſumus, atque ex eorum cōgreſſio-
D ne fructus vberrimos conſequi. Ita ergo faciamus,
cúmque illi nondum ad nos proficiſci poſſunt, ipſi
illos habeamus, illis congrediamur, cùm eis fami-
liariter loquamur. Maximum enim emolumentum
ex hoc eorum contubernio, ſummáque voluptatē
conſequemur. Non enim ex aſpectu ſolùm aman-
tiſſimorum filiorum exultabimus, verùm inſigni
profectu meliores facti, ita domum remeabimus.
Nonnunquam verò cum illis etiam vnà permane-
bimus, eiuſdem philoſophiæ amore capti. Tunc er-
go ſolùm ipſos ad nos vocemus, cùm vires ſum-
mas fuerint adepti, atque aliis etiam prodeſſe po-
tuerint, tunc eos reuocemus tantùm, & non aliter,
vt clariſſima lux illa omnibus cōmunis fiat, vt lu-
cerna ſuper cādelabrum conſtituatur. Tūc demū,
tunc apertius inſpicietis, quorū liberorum vos pa-
rētes eſtis, quorúm ve ij, quos modò maximè beatos
dicitis. Tunc philoſophiæ lucra cognoſcetis, cùm
illi eos homines curarint, qui morbis grauiſſimis
laborāt, cùm veluti benefici cōmunes, & conſer-
uatores, & rectores prædicati fuerint, cùm veluti
cœleſtes angeli cum hominibus in terra conuer-
ſati fuerint, cum illos intuebuntur omnes, cùm in
illos atque in illorum nomen ſe cunctorū ora cō-
uertent. Imò verò quæcunque dixerimus, nihil ta-
le profectò dicturi ſumus, quale in ipſo experimē-
to & in rebus ipſis cognoſcetis. Iſta vobis vt Dei le-
ges facienda erant, ſi officiis humanitatis ſatisfa-
cere vel aliqua ex parte curaremus. Non tum libe-
ris noſtris timores intentandi erant, cùm ad viriles
annos perueniſſent, ſed cum pueritiæ ætatem age-
rent, moderandi illi & inſtituendi, formādique fue-
rant, nec poſthac vnquam opus habuiſſent minis
& terroribus. Nunc verò idem facimus, ac ſi me-
dicus aliquis languenti ægroto nihil dicat, nihil-
que per quod curari poſſit ab ægritudine, oſtendat:
cúm verò corruptus fuerit & perditus, atque in-
ſanabili morbo comprehenſus; tunc iam innume-
ras remediorum leges conſtituat. Nam reliqui ſanè
legiſlatores tunc nos inſtituunt & monent, cùm
fuerimus peruerſi: ſed non ita Paulus facit, verùm
ab initio ſtatim, atque à prima ætate, virtutis magi-
ſtras ſtatuit leges, vitiis omnem penitus aditum adi-
mens. Hæc eſt enim optimi atque rectiſſimi magi-
ſterij norma, non prius vitia dominari ſinere, póſt-
que vt illa effugentur inquirere: verùm cuncta fa-
cere, & vniuerſa moliri, vt natura noſtra vitiis in-
uiolabilis fiat, atque inacceſſa. Quocirca hortor &
moneo, non modò alios, qui hoc volunt facere, nō
prohibeamus, ſed ipſi quoque adiutores acceda-
mus, atque vnà ſeruātes inter vndarum moles na-
uem, nihil omittamus, vt felici illa curſu, auris ſe-
cundis impulſa, nauiget. Nempe enim ſi hanc ſen-
tentiam omnes amplecteremur? aliiſque omnibus
poſthabitis, natos noſtros ad virtutem perducere
inſtitueremus, atque hoc ſolum operæpretium, re-
liqua omnia & ſuperflua, & otioſa eſſe arbitrare-
mur, tanta nobis inde bona, tanta prouenirent cō-
moda, quanta ſi dicere voluero, vereor ne iuueni-
liter gloriari videat. Porrò ſi quis id certius addiſ-
cere voluerit, ex rebus ipſis celerius agnoſcet, in-
genteſque nobis gratias habebit, Deóque longè
vberiores, cùm viderit cœleſtem in terris conuer-
ſationen germine læto pullulantem, atque inde in
primis bonorum futurorum ſpem & reſurrectio-
nis fidem iam apud ipſos infideles quoque obti-
nentem. Enimuero quòd iſta iactantiæ verba non
ſint, hinc perſpicuum eſt. Quoties illis eorum qui
ad ſolitudines ſe receperunt, vitam exponere in-
cipimus, nihil habent quod refragari poſſint, aut
contrà obiicere. Cæterum huic tantum rationi ni-
ti videntur, atque inde contentionis occaſionem
ſumere, quòd pauci ad culmen perfectionis eua-
dunt. Si vero in ciuitatibus virtutum fructus ſere-
remus, legemque aliquam, & initiū diſciplina cœ-
leſtis acciperet, liberóſque noſtros ante omnia ad-
moneremus, Deo amicos & familiariſſimos fieri,
ſpiritualéſque diſciplinas aliarum vice, atque alias
ante omnes illos doceremus, iam dudum triſtia cū-
cta deſiiſſent, innumeríſque malis vita noſtra ca-
ruiſſet: ídque quod de beatitudine futurę vitæ dici-
tur, quòd inde aufugit dolor omnis, & triſtitia, & ge-
mitus, hic quoque omnes conſecuti fuiſſemus. Nā
ſi nec pecuniarum amor, nec inanis gloriæ cupido
vlla inceſſerit, non mortem timeremus, non pau-
pertatem, non iniuriis affici, læſionem vllam, aut
damnum arbitraremur, ſed maximum lucrum, ſi
non hoſtiliter perſequi, non odiſſe nouiſſemus,
nunquam profectò perturbationibus propriis, nū-
quam alienis iniuriis victi ceſſiſſemus, ſed angelis
ipſis proximum ac ſimillimum eſſet hominum ge-
nus. Et quis, inquies, mortalium iſta impleuit? Mi-
nimè verò mirū eſt, ſi tu non credis: quippe qui ci-
uitatē inhabitas, diuinorúmque librorū conſuetu-
dinē & familiaritatem nullam habes. Quòd ſi eos
qui ſolitudines habitāt, quique diuinis literis olim

aſſueti

aſſueti ſunt, noſſes; agnoſceres profectò quòd & monachi, & ante hos apoſtoli, atque ante illos ipſos veteres iuſti diligentiſſimè philoſophiæ huius documenta dederunt. Verùm vt contentione interim omni abſtineamus, concedamus ſanè ſecundum aut tertiũ à ſummis illis viris fore filiũ tuum. Num ideo paruis, aut negligendis bonis potietur? Non ad Petri vel Pauli merita conſcendit. Num igitur idcirco illum proximo etiam honore priuabimus? Idem enim facis, ac ſi ita loquereris, quandoquidem ipſe pretioſus lapis fieri non poteſt, ferrum eſſe perſeueret, neque argentum fiat, neque aurum. Cur ergo in reliquis rebus nõ eandem habes rationem, ſed penitùs contrariam? Nam cùm filium tuum ad eloquentiæ aſſequendam diſciplinam abs te dimittis, non ſummis illum oratoribus excellentem te viſurum ſperas: nec tamen idcirco eiuſmodi illum ſtudiis deducis: ſatis eum tibi exiſtimans facturum, ſi quintum etiam, vel decimum ab his qui in oratoria principes fuerunt, fieri contingat. B Quódque ad regiam militiam filios veſtros aſcribendos curatis, non ad ipſa penitus præfectorum tribunalia conſcenſuros expectatis, nec tamẽ ideo baltheum illos ſoluere iubetis, aut ne initio quidem regiam conſcendere: ſed omnia molimini, vti ne illi vnquam regiæ commorationi decidant, ſufficere exiſtimantes, ſi vel inter mediocres illos numerari perſpexeritis. Cuius ergò rei gratia, illic quidem etſi maiora conſequi nõ liceat, ne ſic quidem deſiſtitis: verùm vt minora conſequamini elaboratis, ærumnáſque ſubitis, atque iſta facitis cùm tamen ſpes nulla certa ſit: hic autem deſidetis, atque torpore laſſeſcitis. Cur? niſi quòd illa quidem vehementer cupitis, horum verò ne breui quidem deſiderio tangimini. Cúmque iſtud confiteri erubeſcatis, figmenta & occaſiones excogitatis. Itaque ſiquidem planè ac penitus velletis, nihil vobis ad hæc aſſequẽda impedimento eſſe potuiſſet. C Ita enim ſe res habet, ſi quis aliquid ardẽter amet, etſi non illo aut primus fruatur, aut ſolus: vel medio in loco ſtare patietur, atque etiam aliquãtò inferiore, dum eo quod amat frui tandem vlla ratione poſſit. Quippe & is qui vino potationique addictus fuerit, & ſi vinum ſuauiſſimum accipere non poſſit, ne id quidem quod deterius fuerit, vnquam contemnet. Rurſus qui pecuniæ veſano amore flagrauerit, non ſolùm ſi quis ei pretioſos lapides, vel aurum dederit: verùm ſi argentum quoque, maximas illi gratias habebit. Tanti nempe eſt concupiſcentia, violentiſſima quidem res, & quæ eum quẽ ſemel ceperit, omnia ſuſtinere & perpeti quálibet ex re, vi ſua poſſit adigere. Itaque niſi eſſet hęc verborum callida tergiuerſatio, cooperandum illis fuerat & collaborandum. Neque enim eius eſt, qui aliquid fieri deſideret, id vti ne fiat impedimẽto eſſe, ſed vt fiat omnia moliri. Nam & hi qui ad D Olympiaca certamina deſcenderint, cùm probè norint, vnum ex tanta multitudine victorem fore, laborant tamen atque fatigantur, & in ſudoribus, & in ærumnis agunt. Etſi nihil ferè hic atque illic ſimile eſſe videatur, non ſolùm ob certaminum diſſimillimum finem, ſed quòd cùm ſit neceſſe ibi vnum ſolummodo corona donari: hic non ea præmiorum eſt ratio, vt alius ſine coronis, alius coronatus abſcedat, ſed quòd cùm alius maiore gloria clarioréque laudatione potiatur, alius minore: omnes tamen beati & illuſtres ſunt. Prorſus verò ſi vellemus in ipſis ſtatim initiis effingere ac formare liberos noſtros, atque eis erudiendos tradere, qui illos regere & moderari ſcirent, fieri ſatis poſſet, vt in primo caſtrorum ſtarent ordine. Nunquam enim profectò ſperneret Deus tantam deuotionem & alacritatẽ animi, tantúmq; ſtudium: ſed ad hanc formandam perficiendamque ſtatuam, manum quoque ſuam adieciſſet, qua operante, poſſibile non eſſet quicquam ex his, quæ fierent,

Simile.

A cadere: imò contrà, eſſet impoſſibile illam non ad ſummum ſplendoris & gloriæ culmen peruenire, ſi modò quod noſtræ partis munus eſt, non negligeremus. Nam ſi mulieres impetrare à Deo valuerunt, vt ad curam liberorum adiutor ſibi & fautor accederet: longè id magis nos, ſi voluerimus, conſequi poterimus. Et alias quidem conſulto omitto: ſunt autem permultæ, ne liber qui iam claudendus eſt, prolixior fiat, vnam tantum memorabo. 1. Reg. 1. Anna quædam fuit Hebræa mulier, hæc vnum filium cùm partu edidiſſet, nec alium iam ſe ſperaret parituram: hunc enim vix tandem poſt multas lacrymas acceperat, erat enim ſterilis, videretque propterea æmulam ſuam ſibi crebrò inſultantem, ne ſic quidem quicquam tale paſſa eſt, quale vos: verùm cùm filium illum genuiſſet, id ſolum tempus eum apud ſe morari permiſit, quo lacte nutriri opus habuit. Cùm verò non iam eiuſmodi indigeret alimento, ſumptum ſtatim obtulit Deo, nec iam vt paternam domum reuiſeret, orauit, ſed ſemper in Dei templo ille morabatur, eúmque ſi quando illa videre cupiuiſſet, quippe mater, non ad ſe conuocabat filium, ſed ad illum vnà cum patre aſcendebat, illo tanquam reuera donario Deo iam conſecrato abſtinens. Adeò verò magnus & ſtrenuus adoleſcens ipſe factus eſt, vt Deum quum illam Hebræorum gentem ob effuſam latè malitiam execraretur, nec iam illis vteretur, nec viſionem vllam eis reuelaret, rurſus eximiæ virtutis meritis attraxerit, perſuaſeritque ea omnia quæ antea ſolebat exhibere, prophetiam quoque quæ diu abuolarat, reſtituere. Nec iſta tunc modò valuit, cùm ad maturam ætatem perueniſſet, ſed etiam quum puer adhuc eſſet. 1 Reg 3. *Non enim erat*, inquit, *viſio comprimens, & verbum pretioſum non erat*. Cúmque iſta talia ac tanta eſſent, illum Deus iugiter alloquio familiari dignabatur, ac per illũ frequens oracula edebat: tãtum confert emolumenti Deo ſemper quæ poſſederimus concedere, cunctiſque vt illi placeamus, nos extraneos facere, non tantum pecuniis & poſſeſſionibus, ſed ipſis quoque liberis noſtris. Nam ſi hoc in noſtra anima facere iubemur, multò magis in omnibus cæteris. Hoc enim & patriarcha fecit Abraham: imò verò multò maius aliquid, idcirco longè etiam maiore cum gloria filium recepit. Tunc enim maximè & veriſſimè filios habemus noſtros, quum Deo noſtro illos tradiderimus. Lõgè quippe ille eos melius & excellentius, quam nos moderabitur & reget, maioremque illorum curam geret. Nónne id vides in diuitum quoque domibus fieri? Nempe enim ibi eos qui domi cum parentibus morantur, non vſque adeò illuſtres, inſigniqúe potentia præditos videas: quos autem à parentibus principes abduxerint, ſuoque ſeruitio ac miniſterio accommodauerint, ærariique cuſtodiæ præfecerint, eos videas & ſumma dominorum beneuolentia, & longè maxima fiducia potiri, tantúmque conſeruis eſſe clariores, quantùm ſeruis domini excellunt. Sin autem homines miniſteriis & officiis ſuis deditos tanta beneuolentia & benignitate proſequuntur, longè id profectò dignius & excellentius infinita illa bonitas, quæ Deus eſt, faciet. Permittamus ergo illos miniſterio cœleſti famulari, non in templum eos introducentes, vt Anna Samuelem, ſed in ipſum cœlum cum angelis diuino miniſterio dicandos. Quòd enim cum angelis illi miniſtraturi ſint, qui hanc philoſophiam apprehenderint, omnibus profectò liquet. Tunc ſanè illi non tantum ſuæ, ſed noſtræ quoque maiore cum fiducia gloriæ felicitatique proſpicient. Nam ſi quidam parentum gratia nonnulla conſolatione potiti ſunt, multò id magis filiorum cauſa parentes conſequentur. Illic enim naturæ tantum prærogatiua erat, hic ius etiam educationis accedit, quod natura longè maius & potentius eſt. Atque ego vobis vtrunque ſcripturæ diuinæ exem-

plis affirmabo: Ezechiam certè inſigni virtute & A pietate virum, minus tamen ex virtutum ſuarum conſcientia fiduciæ habentem, quàm vt poſſet aduerſus imminens periculum conſiſtere, paternæ virtutis gratia ſe Deus ſeruare teſtatus eſt.

4.Reg. 19

Protegam enim, inquit, *ciuitatem iſtam, vt ſeruem eam propter me, & propter Dauid puerum meum.*

1.Tim. 2.

Paulus item quum ad Timotheum de parentibus ſcriberet, aiebat: Quoniam ſalui fient *per filiorum generationem, ſi permãſerint in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum caſtitate.* Iob quoque ſanctiſſimum virum, quum ex virtutibus reliquis ſcriptura collaudet, quòd fuerit iuſtus, quòd verax, quòd religioſus, quòd pius, tum ex eo maximè quòd filiorum optimè nutriendorum habuerit ſummam diligentiam. Non enim ea cura vrebatur, vt aurum illis copioſiſſimum acquireret, non vt humana gloria verendos & illuſtres cerneret: ſed quid ille tandem requirebat? audi quid ſcriptura dicat:

Iob 1.

Quum conſummati, inquit, eſſent dies conuiuij, mittebat Iob, & purificabat eos, conſurgenſq́; diluculo, offerebat pro eis ſacrificia ad numerum ipſorum, vitulumq́; vnum pro peccatis, pro animabus eorum. Dicebat enim Iob in corde ſuo: Ne forte filij mei in mente ſua mala cogitauerint aduerſus Deum. B Vllane iam nobis erit excuſatio, eiuſmodi ſcelus admittere audentibus, quando is qui ante gratiam, ante legem fuit, qui nullo ſacrarum literarum magiſterio inſtructus erat, tantam filiorum oſtendit geſſitque prouidentiam, vt de incertis quoque eorum, & occultis tremeret paueretque delictis? Quænam nos iam excuſabit ratio, qui cum ſimus ſub gratia, cùm tantis, & tam inſignibus magiſtris potiamur, quum eiuſmodi exemplis abundemus, totque monitis erudiamur, non modò pro occultis incertiſque filiorum peccatis non metuimus, verùm aperta quoque & manifeſta contemnimus? Nec iſta ſaltem pernicie contenti, ſi qui eos emendare voluerint, eos vndique reiicimus, exagitamus, affligimus. Abraham quoque ſimul, vt dictum eſt, cùm cætera rectè facta commendant, tum iſtud quoque clariſſimum facit. C Igitur cùm tanta ſummorum virorum teneamus exempla, paremus Deo miniſtros idoneos & probatiſſimos famulos.

Quæ hæreditas filiis relinquenda.

Nam ſi is qui vel athletas ciuitatibus nutrit, vel exerceret ad regis obſequium milites, maximis honoribus fruitur: quanta nos munera, quot coronas accepturi ſumus, qui tam magnos & eximios viros, dicam verius angelos, Deo educamus? Omnia ergo faciamus, cunctaque moliamur, vt eis inſignes pietatis opes relinquamus, quæ ſolæ permanẽt nobiſcum, excedenteſque è vita comitantur, neque hac in vita ſolum, ſed in illa etiam maximo nobis vſui erunt, ſummaque conferent emolumenta. Nam ſeculi quidem diuitiæ, neque excedentes è vita comitantur, & hic nonnunquam nos deſerũt, poſſeſſoreſque ſuos crebro perdiderunt. Iſtæ autem diuitiæ & in vita, & poſt mortem firmæ ſtabileſque perdurant, eoſque qui ſe poſſederunt, tutos inuiolatóſque ſeruabunt. D Ita enim ſe res habet, vt is quidem qui terrena ſpiritualibus præfert, & illis decidat & iſtis: qui autem cœleſtium deſiderio tenetur, terrenis etiam omnino potiatur. Nec iſta mea ratio eſt, ſed eius qui cuncta præbiturus eſt domini.

Matth. 6.

Quærite enim, inquit, *regnum cœlorum, & hæc omnia apponentur vobis.* Quid huic honori par vlla ratione eſſe poſſit? Curã, inquit, gere ſpiritualiũ rerum, mihi verò tua omnia permitte. Ac ſi pater aliquis indulgẽtiſſimus & domus curã, & familiæ regimẽ, aliarumque rerũ omnium adminiſtrationẽ ipſe ſibi aſſumeret, filiumque ſuũ, vt philoſophiæ ſolùm operã daret, admoneret. Ita profectò Deus quoque. Pareamus illi igitur, inquiramuſque cœlorum regnũ: ſicque & filios noſtros probatiſſimos videbimus, & ipſi vnà ex illorũ præclaris actibus illuſtriores erimus, boniſque etiam præſentibus fruemur, ſi futura tantùm cœleſtia diligamus. Iſta vobis, ſiquidem obtemperare volueritis, maxima præmia conferent, ſummamque mercedem: ſin autem reluctari, atque eis minime parere perſtiteritis, grauiores cruciatus. Neque enim vllus iam excuſationi locus erit, vt tergiuerſari & colligere figmenta valeatis, aut dicere neminem fuiſſe à quo iſta diſceretis. Certè enim ante noſtram quoque admonitionem hæc omnis excuſatio ſublata erat, quum habeat natura ipſa diligentiſſimum bonorum malorumque iudicium, iſtaque philoſophia vbique propoſita ſit omnibus: tantáque ſint præterea vitæ præſentis incommoda & mala, vt eos quoque qui illam vehementer amant, ab ea ad ſolitudines fugare ſufficiant. Igitur, vt dixi, etiamſi ipſi taceremus, omnis excuſatio ſublata eſſet: nunc verò multò id magis continget poſt iſtos adeò prolixos libros, támque longam admonitionem, quam ex rebus ipſis, & quæ etiam illuſtrior eſt, quam ex diuinis literis fecimus. Nempe enim etſi domi remorantes, poſſibile eſſet non penitus corrumpi & perire, ſed vel inter extremam electorum ſortem numerari, nec ſic quidem ſupplicia euadere poſſemus: cum & his qui ad diligentioris dilectum vitæ properant, impedimento fuiſſemus, & eos mundanis rebus obligatos teneamus, qui ad cœlum euolare cupiunt, atque in auras vitæ libertatis emergere. Cùm verò iſtud poſſibile non ſit, ſed omnino pereundum conſtet, & de extremis periculum immineat, quam tandem veniam, quam excuſationem habituri ſumus, qui non modò noſtrorum peccatorum, ſed eorum etiam quæ poſtea filij peccauerint, pœnas in noſmetipſos acerbiſſimas attrahimus? Neque enim eos ita punitum iri exiſtimo pro his quæ deliquerint ad mundanos fluctus violenter attracti, vt vos qui hanc inuitis illis & renitentibus neceſſitatem impoſuiſtis. Nam ſi ei qui vnum ſcandalizat, cum mola in mare præcipitari expedit:

Matth. 18

quæ tandem pœna, qui cruciatus illis ſatis erunt, qui ſæuitiam tantam & immanitatem in liberos proprios oſtendunt? Quocirca moneo, atque obteſtor, velitis eſſe philoſophorum filiorum patres. Neque enim dicere debetis, quod audio plurimos tergiuerſantes dicere. Quidnam verò iſtud eſt? Quum viderimus, inquiunt, eos ad finem peruenire non poſſe, iſtud prohibuimus. Etiamſi hoc apertiſſimè nouiſſes, nec eſſet iſta fallax coniectura: plurimi quippe ex his qui lapſuri putabantur, firmiter ſteterunt: ſi tu tamen id omnino præſciuiſſes, ne ſic quidem illum ab inſtituto retrahere debueras. Neque enim ſi quem cadere incipientem, anticipantes lapſum, ipſi præcipitaremus, id nobis ad excuſationem ſatis eſſet, ſed ipſum hoc nos in primis condemnaret: vt quid enim tu non permiſiſti illius magis negligentia ruinam illam contingere, ſed præueniens alterius peccatum rapuiſti, cunctaque in tuum caput conuertiſti? Quinimò ne permittere quidem vt ea ruina contingeret, debebas. Cur enim non omnia feciſti, vt non rueret filius tuus? Itaque idcirco maximè extrema animaduerſione dignus es, quòd ſciebas illum ruiturum. Qui enim ruinam præſciebas, non illum deiicere, ſed manum porrigere debueras, ſtudiumque maximum oſtendere, vt is qui ruiturus videbatur, fortiter perſiſteret, ſiue ille poſtea ſtare firmiter duraret, ſiue non. Non enim cuncta partium noſtrarum munera exequi atque implere conuenit, etiamſi illi nihil ex noſtra diligentia & ſtudio fuerint lucrati. Cuius rei gratia? & vt quid? Vt non iam aduerſum nos Deus ſententiam ferat, ſed aduerſus illos. Quod & ipſe eum qui talento accepto nihil operatus fuerat, criminans dicebat:

Matth. 25

oportebat enim, inquit, *te pecuniam meam deponere ad numularios, & ego veniens cum fœnore exegiſſem illam.* Obtemperemus igitur iſta monita edenti, vt cruciatus quoque quos ille comminatus eſt, effugere poſſimus. Neque enim ſanè Deum cum hominibus ludere poterimus, qui cordium

ſcru-

Digitized by Google

ſcrutatur arcana, & omnia in lucem adducit: qui vbique etiam ſalutis filiorum reos parentes conſtituit. Nam ſi is qui pecuniam deponere neglexit, tanta ſeueritate punitus eſt: quid ille patietur, qui deponere volentibus impedimento fuit? Non ſolùm enim ſi ad mundi ſtrepitum filij veſtro conſilio deuoluti fuerint, ſed etſi fortiter impetum tulerint, monteſque occuparint, eadem vobis ſupplicia ſunt conſtituta. Sicut enim qui ad philoſophiam hortari pergit, ſiue ille perſuadeat, ſiue non, perfectam conſequitur integerrimamque mercedem: omne enim quod erat ſui muneris impleuit: ita & qui aliquem perdere voluerit, ſiue illum læſerit, ſiue non læſerit, eadem animaduerſione punietur: & hic enim cuncta quæ potuit, fecit. Itaque etſi nihil valueritis ad deiiciendos ac peruertendos fortes filiorum animos, huius tamen iniquiſſimi conatus tantas pœnas dabitis, quantas ſi id quod cupiebatis, ex propoſito illos deieciſſetis. Hæc igitur vniuerſa cogitantes, cunctiſq; cauillationibus omiſſis, curemus effici nobilium fortiumque filiorum patres, templorumque Chriſtiferorum fabri, pugilumque cœleſtium curatores, vngentes, erigentes, & vndique commodis illorum conſulentes, vt coronarum quoque participes eſſe mereamur. Sin autem vos contenderitis, filij quidem ſi fuerint egregia virtute præditi, etiamſi nolueritis, ad hanc peruenient philoſophiam, ſempiterniſque gaudiis fruentur, vos autem infinitos vobiſipſis cruciatus congereris, tuncque ea quæ à nobis dicta ſunt, laudabitis, quum ex eiſce laudibus nihil commodi conſequi poteritis.

EIVSDEM HOMILIA

In Eutropium eunuchum patritium ac conſulem, præfectumque cubiculi Arcadij Auguſt. cùm offenſo principe deliteſceret ſub altari Eccleſiæ, cui ipſe antea ius aſyli abrogare conatus fuerat.

Sigiſmundo Gelenio interprete.

Eccleſ. 1. SI vnquam antea, nunc maximè licet dicere, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Vbi nunc inclytus ille conſulatus ſplendor? vbi illuſtres illæ faces? vbi applauſus illi ac choreæ, epulæque & feſti conuentus? vbi coronæ & aulæa? vbi ſtrepitus vrbis, & illæ circenſium ſpectatorum fauſtæ acclamationes atque adulationes? Omnia illa perierunt: procella vehemens folia deiecit, arborem ſpoliatam reddidit, iam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta eſt, vt cum neruos eius vniuerſos concuſſerit, tum ipſam funditus proſternere minetur. vbi nunc fucati illi amici? vbi compotationes & cœnæ? vbi paraſitorum examen, & merum per totam diem exhauſtum, variæque coquorum artes, & potentatus cultores illi, ad gratiam omnia dicere ac facere aſſueti? omnia illi nihil niſi nocturnum ſomnium fuerunt, appetente die euaneſcens: flores fuerunt verni, vere exacto emarcuerunt omnia: vmbra erant, & præterierunt: fumus erant, & ſoluta ſunt: bullæ erant, & dirupta ſunt: araneæ erant, & lacerata ſunt. Quapropter ſpirituale hoc dictum occinimus, indeſinenter dicentes, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas,* hoc enim dictum in parietibus, in veſtibus, in foro, in ædibus, in viis, in feneſtris, in ianuis, ſed potiſſimùm in ipſa cuiuſque conſcientia continenter inſcriptum eſſe oportet, omnique tempore cogitationi obuerſari: quandoquidem negotia fraudulenta & perſonata ac inimica veritatis opinionem apud pleroſque ſibi parauerunt, hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proxi-

A mum ſuum compellare oportebat, idemque ab illo viciſſim audire, nempe quòd vanitas vanitatum, & omnia vanitas. An non aſſiduè tibi dicebã fugitiuas eſſe diuitias? tu verò nos non ferebas, an non dicebam fugitiui ſerui naturam eas habere? tu verò credere nolebas, ecce experientia docuit, quòd non ſolùm fugitiuæ & ingratæ, ſed homicidæ etiam ſunt, vt quæ in metum nunc te coniecerint, nónne dicebam tibi, quum me indeſinenter obiurgares vera monentem, quòd ego tibi potius amicus eſſem, quàm adulatores, ego redargutor maiorem tui curam gererem, quàm hi qui tibi per omnia obſequerentur? nónne & hoc addebam, fide digniora eſſe vulnera ab amicis, quàm vltrò ingerentia ſe oſcula inimicorum? Si mea vulnera tuliſſes, haudquaquam tibi illorum oſcula hoc exitium attuliſſent, mea enim vulnera ſanitatem adferunt: illorum oſcula morbum immedicabilem tibi conciliauerunt. Vbi nunc pocillatores tui, vbi qui in foro B populum de via decedere cogebãt, tuaſque laudes paſſim apud omnes deprædicabant? transfugerũt, deſeruerunt tuam amicitiam, ſuam ſecuritatem tuis periculis quærunt, at non tales nos, ſed & tunc quamuis ægrè ferentem non deſtituimus, & nunc collapſum protegimus ac curamus. Eccleſia à te hoſtiliter habita, expanſo ſinu te ſuſcepit: theatra autem magnis obſequiis à te culta, quorum cauſa ſæpius nobis infenſus fuiſti, & prodiderunt te, & perdiderunt, attamen nunquam deſtitimus his te verbis alloqui: Cur iſta facis? in eccleſiam debaccharis, & teipſum in exitium præcipitem agis, & tu hæc omnia monita neglectim prætercurrebas. Et circenſis quidem multitudo exhauſtis in ſe tuis facultatibus gladium in te acuit: eccleſia verò tuo furore exagitata, vltro citroque curſitat, ſi quo pa-C cto te ex his caſibus implicitum extricare queat. Et hæc nunc dico, non quò proſtrato inſultem, ſed quòd eos qui adhuc ſtant, tutiores reddere cupiam: nec vt plagas vulnerati refricem, ſed vt nondum vulneratos in ſanitate conſeruem: non vt iactatum fluctibus demergam, ſed vt eos qui ſecundis auris nauigant erudiam, ne fortè cum ipſo nauigio in profundum deferantur. Quo autem modo caueri poſſit? Nimirum ſi rerum humanarum mutabilitates conſideremus. Si enim iſte mutationem timuiſſet, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iſte nec domeſticis, nec alienis conſiliis corrigi potuit, vos ſaltem qui diuitiis extollimini, huius calamitatem in veſtrum profectum conuertite, nihil enim eſt humanis rebus infirmius. quapropter quocunque nomine earum vilitatem ſignificaueris, minus quàm pro rei veritate dixeris: vel ſi fumum eas, vel fœnum, vel ſomnium, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaueris, vſque adeò ſunt fragiles, & D magis nihili, quàm nihil ipſum. Quòd autem non ſolùm nihil ſint, ſed & in præcipiti ſtent, vel hinc apparet. Quis hoc homine fuit excelſior? nónne in toto orbe diuitiis præcellebat? nónne ad ipſa faſtigia honorum conſcendit? nónne omnes eum formidabant ac verebantur? Sed ecce factus eſt & vinctis miſerior, & ſeruis miſerabilior, & mendicis fame tabeſcentibus indigentior, per ſingulos dies gladios præ oculis habens in ſe exacutos, & præcipitia, & carnifices, & viam quæ ad ſupplicium ducit: ac neque memoria præteritarum voluptatum fruitur, imò ne luce quidem communi, ſed meridie quoque tanquam in denſiſſima nocte anguſtiis parietum incluſus, oculorum vſu priuatur. Et quorſum hæc commemorare attinet, cum quantumuis adnitar, nullis verbis exprimere valeam, quis illi animus ſit, per ſingulas horas capitis ſupplicium expectanti? aut quid noſtris verbis opus eſt, quum ipſius calamitatis imago ob oculos noſtros verſetur? Nuper namque miſſis ad eum à rege qui vel per vim hominem pertraherent,

Digitized by Google

quum ad ſacraria confugiſſet, buxo pallidior factus, nunc quoque nihilo meliorem quàm mortui colorem obtinet, accedit huc dentium arietatio, tremor totius corporis, vox ſingultiens, & lingua titubans, in ſumma talis habitus, qualem oportebat habere animam, quæ iam metu diriguiſſet. Hæc dico non exprobrandi cauſa, neque inſultans eius infortunio, ſed vt veſtrum animum molliam, & ad commiſerationem pertraham, eoque inducam, vt præſenti hominis pœna ſit contentus. quoniam enim multi ſunt è noſtris adeò inhumani, vt nos etiam incuſent, qui eum ſuſceperimus, illorum duritiem noſtris ſermonibus mollire volens, miſerias iſtius traduco. Quid enim eſt, quæſo, dilectè, quod indignè fers? dices: quia in eccleſiam confugit, qui eam indeſinenter impugnabat. Atqui hoc potiſſimùm nomine glorificandus erat Deus, quòd permiſit eum in tanta conſtitui neceſſitate, vt & potentiam eccleſiæ, & clementiam diſceret: potentiam, eò quòd in tantam inciderit mutationem ob ſimultatem quam cum illa habebat: clementiam verò, quòd infeſtatorem ſuum obiecto nunc ſcuto protegat, & alarum obtentu tueatur, præteritarumque iniuriarum oblita, ſinus ei amantiſſimè pandat. hoc enim quouis trophæo ſplendidius, quauis victoria illuſtrius: hoc Ethnicos, hoc Iudæos pudefacit: hoc placiditatem vultus eius oſtentat, quòd hoſti captiuo parcat, & ab omnibus deſertum ac contemptum vt amantiſſima mater ſuis velamentis occultet regis ſimul iræ, & intolerabili populi furori ac odio ſe opponens: hoc ipſum eſt eximium altaris ornamentum. Dices: hoccine ornamentum, hominem ſceleſtum, auarum, rapacem, altaria contingere? caue talia dixeris: quandoquidem & meretrix pedes ipſius Chriſti contigit, inceſta illa & impurata: [Lucæ 7.] nec tamen hoc in crimen domino Ieſu ceſſit, ſed in laudem magnam & admirationem: neque enim purum impura offendit, ſed ſceleſtam meretricem purus & inculpabilis ſuo contactu purificauit. Caue iniuriarum memineris, ô homo. Crucifixi illius ſerui ſumus, dicentis: *remitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* [Lucæ 23.] Dices: at præcluſit huius loci refugium, legibus ſcriptis quibus hoc irritum facere conatus eſt. At nunc reipſa didicit, quale ſit quod fecit: & ſuomet facto legem ſuam primus abrogauit, factus orbis totius ſpectaculum: & ſilea t licet, omnes tamen admonet: nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini. Sua calamitate alios docet: & altare hoc ipſo illuſtrem ex ſe ſplendorem emittit, ac venerationem ſibi comparat, quòd leonem vinctum contineat, quandoquidem & regiæ effigiei non tantum ornatus ex eo contingat, ſi ſolio rex ſublimis ſedeat, purpuratus & diademate redimitus, quantum ſi ſub pedibus quoque regiis barbari manibus poſt terga reuinctis proni iaceant. Et quòd hæc non verba modò ſint ad perſuadendum parata, voſmet feſtinatione veſtra ac concurſu atteſtamini. Etenim præclarum hoc vobis ſpectaculum, & hilaris conuentus contigit: nec minorem nunc video populi frequentiam, quàm in proxima ſacrata paſchæ celebritate: adeò exciti eſtis iſtius ſilentio, quod impræſentiarum quauis tuba clariorem ſonum emittit. Et virgines penetralibus, & mulieres gynæciis, & viri foro vacuo relicto, vniuerſi huc concurriſtis, vt humanam naturam traduci videretis, & ſecularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illamque in republica verſantium ſpeciem, heri ac nudiuſtertius præclariſſimè ſplendentem. Talis enim eſt ex alienis iniuriis fœlicitas, quauis anicula rugoſa deformior demonſtrata, mutatione reipublicæ, ac ſi ſpongia, eius tectoria fucoſque abolente: tanta nempe eſt huius infortunij vis, quæ virum felicem ac conſpicuum, nunc omnium abiectiſſimum reddidit. Introeat diues aliquis, & magnam vtilitatem percipiet: videns enim à tam celſo faſtigio delapſum eum qui totum orbem nutu concutiebat, ac formidine contractum, quauiſque rana aut lepore timidiorem, & abſque vinculis columnæ huic hærentem, & vice catenæ timore affixum trementemque, deprimet faſtum ſuum: & conſideratis quæ in humanis caſibus conſideranda ſunt, diſcedet re ipſa doctus, quæ verbis ſcripturæ nos docent. Quale eſt illud: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria hominis, vt flos fœni: aruit fœnum, & flos eius decidit*, [Eſa. 40. Pſal. 36.] item illud: *Sicut fœnum citò areſcent, & ſicut olera virentia citò decident*, quoniam ſicut fumus dies eorum ſunt, & reliqua ſimilia. Contrà pauper introgreſſus, & hoc ſpectaculum animaduertens, non diſplicet ſibi ipſe, neque ſortem ſuam deplorat: ſed gratias inſuper paupertati habet, quæ ſibi & aſyli vice ſic tutiſſimi, & portus tranquilliſſimi, & arcis munitiſſimæ: & his viſis, ſi detur optio, mallet præſenti conditione contentus eſſe, quàm omnium facultatibus pauliſper occupatis, mox in proprij ſanguinis periculum venire. Vides quòd non parua vtilitas diuitibus & pauperibus, celſis & humilibus, ſeruis & ingenuis, ex hoc iſtius refugio enata eſt? Vides vt cum remedio quiſque hinc abit, huius rei ſpectaculo affectus ſuos curaturus? Num igitur molliui veſtros animos, aut indignationem expuli? num inhumanitatem extinxi? num ad commiſerationem adduxi? equidem adduxiſſe me opinor: idque ex vultibus veſtris ac lacrymis colligo. Quandoquidem igitur terra cordis veſtri in pinguem & fertilem agrum verſa eſt, agè iam fructum quoque miſericordiæ proferentes, flauenteſque commiſerationis ſpicas præ ſe ferentes, procumbamus regi ad genua: vel potius deprecemur benigniſſimum Deum, vt molliat iram regis, & cor illi tenerum dare dignetur, quò hanc gratiam integram ab ipſo auferre poſſimus, iam enim ex illo die quo huc confugit iſte, non parua eſt facta mutatio, poſtquam enim cognouit rex eum ad aſylum hoc ſe recepiſſe, affluente milite, & concitato ob eius crimina, depoſcenteque hominem ad ſupplicium, longam habuit orationem, qua militarem indignationem compeſceret, poſtulans vt non culparum modò, ſed etiam rectè factorum rationem haberent: vt qui pro illis gratiam haberet, & ſi quid humanum ſecus accidiſſet, ignoſcendum duceret. Quum autem illi de integro vrgerent ad vindictam læſi regis, clamantes, exilientes, ad mortem depoſcentes, haſtas vibrantes: tum verò ne à lacrymis quidem clementiſſimis ſuis oculis temperans, & ſacroſanctæ menſæ ad quam perfugerat, religionem illis incutiens, ægrè tandem iram eorum ſedauit. Admoneamus igitur nos quoque quæ à nobis adhiberi par eſt. Qua enim ipſi venia digni eſſetis, ſi rege propriam iniuriam condonante, & oblito, vos nihil tale paſſi in ira obſtinatè pergatis? aut quomodo hoc cœtu ſoluto ſacramenta contrectabitis, & precationem illam dicetis, qua rogare iubemur: Remitte nobis, quemadmodum etiam nos remittimus debitoribus noſtris: ſi à debitore veſtro pœnas exigatis? Iniuriis vos fortè magnis affecit ac contumeliis? ne nos quidem iſtud inficias ibimus. Sed non tribunalis eſt præſens tempus, ſed miſericordiæ potius: non repetundarum, ſed clementiæ: non examinationis, ſed condonationis: non ſuffragiorum ac calculorum, ſed miſerationis ac gratiæ. Ne igitur quis veſtrum accendatur, néve ægrè ferat, ſed potius mitiſſimum Deum deprecemur, vt reo vitam proroget, eumque ex impendente cæde eripiat, vt ipſe errata ſua corrigat, &

com-

communi opera interpellemus clementiſſimum regem pro eccleſia & altari, vnum hominem ſacroſanctæ menſæ donari obſecrantes. Quod ſi fecerimus, & regi gratum faciemus, & Deus vel magis quàm rex factum noſtrum approbabit, magnamque nobis huius humanitatis mercedem retribuet. Sicut enim crudelem & inhumanum auerſatur & odit: ita miſericordem & humanum amplectitur & amat: eique ſiue iuſtus ſit, ſplendidiores plectit coronas: ſiue peccator, peccata eius diſſimulat, commiſerationis erga conſeruum talionem illi retribuens. *Miſericordiam volo*, inquit, *& non ſacrificium.* Et per vniuerſam ſcripturam vides eum ſemper hoc requirere, atque hanc peccatorum medelam adhibere. Proinde nos quoque ad hunc modum illum propitiemus: ſic enim peccata noſtra redimemus, ſic eccleſiam ornabimus, ſic & regem clementiſſimum, vt dixi, demerebimur: ita fiet vt vniuerſus populus nobis applaudat, & vſque ad fines orbis terræ humanitatis & clementiæ noſtræ rumor celebretur, mercedemque ſimus vbique terrarum laudem noſtri facti recepturi. Vt igitur talibus bonis frui contingat, accidamus ad genua, obteſtemur, deprecemur: eripiamus è periculis captiuum, profugum, ſupplicem, vt & ipſi futura bona conſequamur; gratia & benignitate domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri gloria, ſimul & Spiritui ſancto, in ſecula ſeculorum. Amen.

Oſeæ 6.

Diui Ioannis Chryſoſtomi Sermo, quòd regulares fœminæ viris cohabitent.

HEV me, ô anima. Ita & ego nunc cum Propheta tempeſtiuè dico, & ſemel, & iterum ac ſæpius. Heu me, ô anima, quale negotium, & quanta refertum ſermocinatione. Virgo iniuria, eſt affecta, velum quod eam à nuptiis coercebat, ſublatum eſt, & ab impudentiſſimis porcis dilaceratum. Sancta ſanctorum conculcata ſunt, honeſta & reuerentiæ plena profanata, & omnibus peruia. Quæ honeſtior nuptiis adeò deducta eſt & humiliata, vt nuptias magis dicere beatas liceat. Semper quidem virginitas cum coniugio comparata, primas partes tenuit, & omnem dignitatem. Nunc autem neque in ſecundo ordine manere potuit, ſed valde procul, & planè in vltimum conceſſit ordinem: & quod multò grauius, non hoſtes, neque inimici, ſed ipſæ potiſſimùm quæ illas curare deberent, eam ſic affecerunt, & propter quas aduerſus infideles hactenus liberè loquebamur, illæ ipſæ ora noſtra maximè obturant, & multa ignominia confundunt. Inter Græcos ſanè quidam, licet pauci, ita philoſophati fuerunt, vt opum eſſent contemptores, & iram vicerunt: virginitatis autem flos nullo modo apud illos floruit, in qua ſemper conceſſerunt nobis primam dignitatem, ingenuè fatentes, rem ſupra naturam eſſe, & non humanam, & ea propter omnibus gentibus admirationi fuimus: ſed nunc non item, quin potius derident, & ſales in nos iactant, & propterea diabolus contra hanc turmam ſpirauit, quoniam vicit in hac potiſſimùm phalange fulgidum Chriſti exercitum: ſicque attentauit ipſam confundere, vt poſthac melius ſit ne virgines quidem eſſe, quæ ita præuaricari attentent. Cauſa malorum omnium, quòd perſeuerant adhuc nomen & appellatio rei, & negotium totum in corpore ſublatum eſt, quod ſcilicet nomen extrema virginitatis pars eſt: quæ autem plus neceſſaria, & ipſam magis demonſtrant, neglecta ſunt, & nulla ratio habetur veſtium, quæ virginitatem decent, vel ſermonis, vel ſilentij, vel compunctionis, vel alicuius

A id genus. Quin temerè nugantur omnia, & ridentintempeſtiuè, & deridentur, & in deliciis magis viuunt, quàm mulieres, quæ in fornice vndequaque peccatores ſuis technis capiunt, & cogunt vt ipſæ in obſcœnitatem mulierum quæ ſtuprantur, impellantur, quaſi aduerſus ſeipſas certantes, & contendentes, vt prior dignitas in fœditatis gloriam tranſeat. Vnde enim dic mihi, poterimus poſtea talem virginem ordine illarum & ſocietate eximere, quando & ipſa idem facit, quod illæ: quando ſcilicet, vt adoleſcentum corda aduolent, ſuperba incedit, & intemperans eadem pharmaca terit, quando eoſdem lethales ſuccos miſcet, eundemque parat puluerem. Sed non dicit, Heus adeſto, amore implicemur: nec dicit, aſperſi accubitum meum myrrha, aloë, & cinnamomo. Vtinam accubitum & lectum, veſtes & corpus. Illa enim domi eſcam occultant, tu vbique laqueum circumfers, & expandis voluptatis alas obambu-

B lans in foro. Sed non dixiſti, neque contuliſti verba illa meretricia, Heus amore inuoluamur. Non loquuta es lingua, ſed loquuta es greſſu: non loquuta es voce, ſed loquuta es oculis clarius quàm voce. An ideo excuſatam te putas, quòd non vocaueris, non obtuleris teipſam? Neque ſic à peccato liberaris. Eſt enim & hæc quædam fornicationis ſpecies. Pura manſiſti ab iniuria corporis quidem, ſed non animæ, & completum à te peccatum, etiamſi non per coitum, ſed per aſpectum. Cuius enim gratia vocas prætereuntes? cur accendis ignem? Quomodo putas te puram à peccato, cùm totum ipſum opus operata ſis? Etenim cùm adulterum feceris perfectum eum quem tuo iſto habitu cepiſti, quomodo non potes eſſe adultera, cùm opere tuo adulterium committitur? Illius inſania tuum opus eſt. Profectò te quæ adulteros

C præparaſti, adulterij ſupplicium minimè poſſe effugere, nulli non manifeſtum. Tu gladium acuiſti, tu dextram armaſti, tu armatam dextram in miſeram animam impuliſti: quomodo igitur poteris ab homicidij ſupplicio liberari? Dic enim, quos nos habemus odio, & auerſamur? Quos autem puniunt legiſlatores & iudices? num eos qui bibunt mortifera venena, an miſcentes calicem, & præparantes ea, arteque ſua perdentes alios? Non bibentes quidem, quorum, vtpote iniuria affectorum, miſeremur. Veneficos autem omnibus calculis condemnamus: nec ſufficit eis ad excuſationem, quòd non ſeipſos offenderunt, ſed alios perdiderunt: ſed propter hoc tantò grauiorem luent pœnam. Tu autem miſera & calamitoſa, miſcuiſti calicem hunc pernicioſum, & præbuiſti & dediſti pharmacum: & poſtquam bibit & perditus eſt, defenſam te putas, quia non

D ipſa biberis, ſed alteri præbueris venenoſa? Quamuis & vos tantò grauiorem luetis pœnam, quàm pharmacopolæ illi, quantò & mors grauior. Non enim corpus ſolum, ſed & animam interimitis. Et illi quidem ſæpe vel furore, vel ira hoc faciunt, vel inopia: vos autem ad nullum talem confugere prætextum poteſtis. Neque hoc facitis inimicis, vel eis qui nocuerunt, vel ob inopiam: ſed ob ſolam vanam gloriam in alienis luditis animabus, & ex alienis animabus voluptatem propriam conſtituitis. Sed neſcio vnde, vt hæc dicerem, huc appulſus, propter quod redeundum ad id, vnde digreſſus ſum. Nam quaſi non ſufficerent hæc quæ dicta in totius fœminei generis confuſionem, & aliud quiddam maius excogitauerunt. Sed nemo hæc de omnibus dicta putet. Non enim tam miſer ſum & imprudens, vt ſimul omnia commiſceam & confundam. Nam de his quæ culpis obnoxiæ, & hæc dicta ſunt, & quæ poſtea dicentur. Quaſi igitur non ſatis damnoſa eſſent hæc, viros ſibi minimè conuenientes ſemper includunt, & omni tempore

Digitized by Google

contubernales faciũt, quaſi demonſtraturæ & per A
hæc, & propter ea quæ dicentur, quòd inuitæ ad
virginitatem raptæ ſint, & extremam vim ſuſti-
nuerint, & hac ratione conſolantur vim & neceſ-
ſitatem. Et quur hæc non dicerem, quum vos lon-
ge deteriora his, vbi hæc contingunt, dicitis apud
omnes amicos & familiares? Permittendæne ſunt
illæ viuæ & reſpirantes, & non potius diſſecandæ
mediæ, vel viuæ cum illis ipſis tumulandæ? Ete-
nim & hæc, & his multò plura omnes dicunt. Cæ-
terùm & frequens, & quotidianus eſt curſus obſte-
tricum ad virginum domus, quaſi ad parientes,
non quòd obſtetricentur parienti, quamuis conti-
git in aliquibus etiam hoc, ſed quòd probentur
& iudicentur ſicut emptæ ancillæ, quænam corru-
ptæ, vel quæ intactæ: & illa quidem facilè obediit
probationi: hæc verò contradixit, & hoc ipſo con-
fuſa abiit, etiamſi non corrupta ſit, & hæc quidem
vim paſſa, illa verò non vim paſſa, & hæc etiam B
non minus illa confunditur, quum non poſſit di-
gna fide hoc more comprobari, ſed opus habet
externo teſtimonio. Quantis lacrymis hæc non
ſunt digna? quamuis non digna mortibus? quis au-
tem ſic lapideus, & ſine compaſſione, vt non ac-
cendatur zelo ſicut Phinees? Et ille quidem, ſi per
hoc tempus hanc turpitudinem videret fieri, non
ipſi placeret, ſed faceret idem quod in Madiani-
Num. 24. tide olim fecit. Nos autem quum nobis non ſit
permiſſum arripere gladium, neque confodere
pugione eos qui ita negligentes ſunt: affecti igitur
ſimus ſicut ſanctus ille, non faciamus autem ea-
dem, ſed dolori aliter ſuccurramus, ploratibus
ſcilicet, ac lamentis. Venite ergo, dolorum ac ge-
mituum ſociæ eſtote, quotquot ab hac obſcœnitate
eſtis alienæ: nam calamitoſæ & miſeræ illæ fortè in
tanta ſunt miſeria, vt mali dolorem vllum non
ſentiant. Sed vos quæ hanc ſuſcepiſtis vitã, dignæ
factæ thalamo & ſponſo, lampades claras geſtatis, C
& honeſto virginitatis ſerto magis ornatæ, quàm
corona regia, lacrymas fundite nobiſcum, & ama-
rè ſimul eiulate: nam hoc non paruum eſt reme-
dium ad curandos & eos qui incurabiliter ægro-
tant, & ad conſolationem lugentium. Hoc ipſum
aliquando & ſponſus noſter fecit. Nam quum vi-
Lucæ 19. deret Hieruſalem in extremam perditionem in-
ductam, ita vt non poſſet iam ab infirmitate reduci,
lacrymas fudit, & in Bethſaida ſymbolis quidem
non eſt vſus, item neque ſignis, miſerans autem
ciuitates ſolùm: Væ ſubinde inclamauit, ſicut &
nos facimus in his, qui animam iam efflant. Item
beatus Paulus exemplo magiſtri ſui non ceſſauit
per omnem vitam ſuam eos qui exciderant, & qui
in ruina ſua manſerant, & reſurgere poſtea nolue-
rant, deplorare tam amarè, vt hac valida deter-
minatione ſignificaret & ſcriberet Romanis, di-
Peccantibus condolendũ. Rom. 9. cens: *Triſtitia mihi eſt magna, & continuus dolor cordi
meo pro fratribus meis, qui mihi cognati ſecundum carnem.*
Vides quantam habent verba emphaſim, quantam D
anxietatem cordis proferant? Inſuper fideles æ-
grotantes, & tempeſtatibus depreſſos ſic deplorat,
quaſi ipſe eadem mala experiretur. *Quis* enim, ait,
2. Cor. 11 *infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego
non vror?* Et non dixit, triſtor: ſed vror, intolerabi-
lem & incredibilem dolorem per incendiũ enun-
tiare volens. Imitemur igitur etiam nos & domi-
num noſtrum, & conſeruum. Nam nobis horum
vlulatuum & lamentorum non parua erit merces.
Sicut neque vulgariter reprehenduntur à Deo, qui
abſque compaſſione ſuorum membrorum mala
prætercurrunt & contemnunt. Quæ tam apud for-
Ezech. 9. tiſſimum Ezechielem, quàm apud beatũ Michæam
videre licet. Ille enim dicit, cum Iudæi in extre-
mum malorum veniſſent, & ſponte idolorum cul-
tu ſe coinquinaſſent, imperaſſe Deum dari ſignum
ſuper facies virorum gementium, & dolentium ſu-
per his quæ faciebant. Neque enim ſimpliciter do-
lere oportet, quamuis nihil vnquam dixerint, vel
fecerint illi ad correctionem eorum quæ fiebant:
ſed quoniam ſua intulerant ſolùm, tantum adepti
ſunt honorem à miſericorde Deo, vt & gloriam, & Amos 6.
ſecuritatem multam aſſequerentur. Amos autem
cum aliis reprehẽſionibus, comeſſationis, & ebrie-
tatis, & inunctionis vnguentorum, etiam adiicit
reprehenſibilem contemptum compaſſionis, ſic
dicens: *Neque compatiebantur ſuper contritione Ioſeph, &
eos qui habitabant ciuitatem Aenam,* propter hoc repre-
hendit, ſicut iterum dicit, quod non exiuit vt plo-
raret domum contiguam. Si autem ibi Deus iraſci-
tur, & reprehendit eum qui non compatitur ei qui
punitur iuſtè: qua venia dignus erit, qui non con-
dolet cum eo, qui in peccatum prolapſus? Neque
mireris, ſi oporteat nos ſimul dolere cum iis qui
puniuntur, quamuis Deus puniat. Neque enim
B Deus ipſe qui puniuit, vult hoc facere. *Non enim* Ezech. 18
volo mortem peccatorum, dicit. Si igitur qui vindictam
ſumit, non vult vindictam ſumere, multò magis
nos veniam concedere oportet his qui puniuntur,
fortè hac via illos eripiemus, fortè reparabimus.
Nam licet perierint, tamen curam quæ reliqua eſt
geramus, admoneamus & lacrymemur, & plore-
mus, non circumſtantibus lamentatricum mulie-
rum choris, ſed vnuſquiſque priuatim apud ſemet-
ipſum præſentibus illis. Si autem vultis, ipſe inci-
piam luctuoſum hoc canticum: neque enim con-
fundar cum Hieremia hoc facere, & Eſaia, & Paulo,
& in primis cum domino noſtro. Incipiamus igitur
ſicut Chriſtus incœpit primùm, & dicamus: Væ ti-
bi anima: ad quam vocata es dignitatem per beni-
gnitatem & miſericordiam Dei? qualem reliquiſti?
qualem accipies regionem propter ignauiã tuam?
Væ tibi, quia ipſe te ad thalamos traxit ſpirituales,
tu autem teipſam ab hac gloria abrupiſti, & inducta
es in diaboli ignem, & ad incurabilia ſupplicia, vbi
C planctus & ſtridor dentium, vbi nullus qui conſo-
laturus eſt, quíve manum porrecturus: ſed tene-
bræ omnia, & perplexitas, & turbatio, & mala neq;
conſolationem, neque finem habentia: hæc ſibi
omnia mundi fecit amicitia, quia prætuliſti cœlo
terram, & noluiſti audire vocem ſponſi continuò
admonentis. Nihil enim vobis & præſentis ſeculi
rebus commune. Quis te miſeram & calamitoſam
miſerari poteſt poſtea? Nam etſi ipſum videas Noë,
qui in communi totius orbis diluuio totam domum
ſaluauit, & in hac ira patrocinantem, etſi Iob, etſi
Danielem, cumque illis Moſem & Samuelem, etſi
patriarcham Abraham, nullus tibi manum poſtea
porriget. Etiamſi genere illum attingas, etiamſi
filia ſis, etiamſi ſoror, etiamſi ſupplices multum,
ſicut diues ille, omnia fruſtra & inuanum fa-
cies. Quomodo excidiſti è cœlo, quæ non ſicut
Lucifer, neque ſicut mane oriens, ſed ipſis ſo-
lis fulgoribus plus radiare potuiſſes? Quomodo
ſedes deſerta? Atque adeò haud quis aberrarit,
D ſi in captiuam hanc animam & plura lamenta,
quàm quæ in ciuitatem illam dicta ſunt transferat.
Sed forte lamentorum ſatis, ſatis, inquam, quaſi in
libello & anguſtè ſcripto, alioquin ad condignam
deplorationem neque omne tempus nobis ſuffice-
ret. Quid enim quis deploraret primùm? an quòd
venerabile, & ſanctum, & manſuetum nomen
Dei per vos blaſphematur in gentibus, & gloria
ſua prophanatur? an quòd tam venerabilis &
magna res ita abiecta eſt? an quòd tam multæ ani-
mæ per vos tot ſcandalis perduntur? An quòd ſana
pars chori noſtræ gloriæ, macula obſoleſcit? an
quòd inextinguibilis & vobis, & cohabitantibus
vobis accenditur ignis? Et quomodo neceſſarium
eſt, vt hæc fiant, inquit, cùm poſſimus oſtendere
corpus noſtrum non corruptum, neque vitiatum?
Verùm hæc demonſtratio, non nunc, ſed in die il-
lo erit manifeſta & certa. Obſtetricis enim ars
& ſapiẽtia hoc ſolùm poteſt videre, an congreſſum

viri

Digitized by Google

viri corpus tulerit: an liberum, & adulterium ex oſculis & corruptionum amplexibus effugerit, dies illa tunc declarabit, quando verus Dei ſermo, qui occulta hominis in medium adducit, & præſens nunc his quæ clam fiunt, omnia nuda & exuta ante omnium oculos ponet: tunc ſciemus bene an ab his ſit purum, & vndequaque incorruptum corpus. Atqui de his non tam exactè loquemur, neque contendemus, ſed ponatur (ſuperductis omnibus retibus) eſſe corpus vndequaque purum, ab omnique damno liberum, & maneat virgo, quæ virgo. Quid hoc ad ea quę dicta ſunt à nobis? Etenim graue hoc omnium grauiſſimum eſt, & plurimis dignum lacrymis, quòd tantum vndequaque ſuſtinuerit laborem, diligenter obſeruarit corpus, & omnem laborem inſumpſerit, & ſudorem effuderit, & nihilominus facta eſt blaſphema in Chriſtũ. Cumque pepercerit carni, non pepercit gloriæ Chriſti, ſed vt intactum ipſi maneret corpus, omnia fecit: vt autem ille non afficeretur contumelia, nec blaſphemaretur apud multos, ne vllam quidem curam habuit. Vtinam non omnia feciſſet, & omnibus operam dediſſet, per quæ gloria Dei infamaretur. Et quomodo hoc, ait? quia viris tecum in domo incluſis ſemper tu aſſides. Nam ſi habere cohabitatores concupiſcis, non oportebat virginitatem eligere, ſed ad nuptias tranſeundum erat; multò enim melius ſic nupſiſſe, quàm illo modo virginem profiteri fuiſſet. Nam illas nuptias neque Deus condemnat, neque homines reprehendunt. Honeſta enim res eſt, neminem offendens, neminem lædens. Virginitas autem illa cum viris plus ab omnibus arguitur, quàm ſtuprum ipſum. Nam quæ ſuum perdit ordinem, in profundius, quàm ſit ſtupri barathrum, eiecta eſt. Non enim aliquis ferret cum virginibus numerari eam, quæ non curat quæ ſunt domini, & multos reddit adulteros: neque cum nuptis. Illa enim curam habet, quomodo placeat viro vni: tu autem vt plurimis, & his qui non lege coniugij noti, ſed alio quodam modo ab omnibus condemnato & reiecto: vnde vereor ne cum inhoneſtis mulieribus videaris ordinata. Etenim ab appellatione ipſa ſi quis rem diiudicare velit, contradicere nihil poſſemus. Nam ſi quãdo in foro de his incidit mentio, vel aliàs ſermo domi de ipſis fit apud eos, qui diſputant de abſurdo coniugio, ſignificare volentes quandam huius, vocant non matrem, neque enim illum peperit: neque ſororem, non enim ex eodem vtero prognatus eſt: neque coniugem, non enim lege coniugij cohabitant: neque aliud quoddam cognationis nomen, quod conceſſum, vel lege permiſſum, ſed fœdum & ridiculum. Non enim ego quidem tulerim ipſum nominare; ſic exoſam habeo & auerſor hanc appellationem, & præponitur mihi etiam contubernij cognomen. Sed non peperiſti, nulli dolores. Et quid hac defenſione fœdius? quid item miſerius quàm quòd ab his vult apparere virgo, ad quæ & multæ fornicatrices mulieres confugere poſſunt? Sed illæ aliunde manifeſtariæ publicè libidinantur. Vnde aliunde dic mihi? à veſtitu, à viſu, à greſſu, ab amatoribus quos capiunt? Benè quidem nobis depinxiſti ſcorti characterem. Sed vide ne his coniecturis & argumentis, antequam illas, teipſam capias. Etenim & tu tibiipſi tales ſæpe præparas amatores, atque per eadem retia. Quòd ſi non vocas in domicilium prætereuntes, at habes intra concluſos ſemper. Quòd multò grauius, ob nihil quidem aliud, quàm vt abſurdam voluptatem impleas, & illius, & tuam, non congreſſum inquam. Sed quid hoc commemoras? quandoquidem oculos paſcendo mutuis aſpectibus iſtuc ipſum contigit, alioqui neque adulterium hoc genus eſſet. Sed dic, quare ipſum habes domi? Quam cauſam iuſtam & rationabilem nobis dices? Nupta enim nuptias dicet: ſcortum libidinem: tu autem virgo qualem nobis cauſam narrabis dignam quæ proferatur, & iuſtam? At cur curioſè inquiris, dicit, cùm non ſimul dormiant, neque nobis cohabitent, vt illis mulieribus illi? imò hoc potiſſimum plerique affirmant. Verum quid hoc: dicit contra ſuum caput, & planè contra ſuum ſolius caput. Dictum hoc poſteà inquiremus, & iam quidem manifeſtè diſſeruimus, cùm de viris diceremus, quòd non ſolùm qui maledicunt, ſed & qui occaſiones temerè præbent in cauſa quæ agitur, rei ſunt ſupplicij. Veruntamen hoc ipſum denuo demonſtrabimus: iam autem ſi te rogauero cauſam huius contubernij, prætextum aliquem dicere potes? Infirma ſum mulier, neque ſola valeo meo vſui ſufficere. Enimuero cùm hæc cohabitatoribus veſtris obiicimus, ab eis contraria audimus, nempe quòd propter veſtrum miniſterium vos teneant. Quomodo igitur quæ ex ſubſtantia veſtra etiam viris ſuppeditare poteſtis, vobis ipſis mulieribus ſubſidio eſſe non poteſtis, ſed aliis indigetis? Nam ſicut vir viro, ita mulier mulieri commodius & rectius vtique cohabitarit. Quando autem & viris ad miniſterium commodiores eſtis, multò magis vobis ipſis. Ad quid enim, dic mihi, neceſſaria & vtilis viri ſocietas? aut quale ille mulieri exhibebit miniſterium, quod non poteſt mulieri mulier? num tegmen tecum texere vel nere ille magis poterit quam mulier? An non contrà ſe res habet? Ille enim etiamſi vellet, nihil horum attentare poteſt, niſi fortè nunc id ipſos docueritis: quippe mulieris ſolius hoc opus eſt. Sed veſtem lauare, ignem accendere, & legumina coquere, etiam hæc, non minus, ſed melius quàm vir, mulier efficere poteſt. Quomodo igitur vtilis vir, dic mihi? An quando exponere quiddam oportet, vel omnino comparare? ſed neque hic mulier valet minus quàm vir, & teſtabitur vtique forum, & omnes quotquot veſtimenta emere volunt, à mulieribus plura, quàm ab his emunt. Quòd ſi turpe virginibus in foro ſtare in commerciis, ſicut & turpe eſt: at maximè cohabitare viro, turpe eſt: verumtamen & hoc minus, quàm illud, effugere poteſt. Nam hæc vel puellæ quæ miniſtrat, vel vetulæ quæ ad hæc idonea rectius commiſerim: vnde manifeſtum, quòd prætextus illi, & effugia ſunt, & tegumenta infirmitatis. Qualis infirmitatis velamenta? Nam ſi concupiſcunt virum & nuptias, & id genus conuerſationis appetentes ſunt, quis prohibebat, & adimebat libertatem ne hoc facerent? quo neque offenſus Deus, neque ipſæ ab hominibus redargutæ fuiſſent. Etenim & ego hoc dico, & non tam tua, quàm mea ſunt verba. Vel neceſſe dicere, vbi tibi viri vſus tantopere neceſſarius? vel cùm monſtrare non potes, eiiciatur malè cohabitans. Nam ab hoc crimine abſolui aliter non potes. Nam hæc quæ dicebas, non tua magis ſunt, quàm eorum, qui turpitudinem dolent. Oportebat quidem, tametſi plurimum vtile eſſet, vir miniſterium cum tanto conuitio non admittere. Nam quando Dei gloria conuitiis contemnitur, nullus tam neceſſarius ſit prætextus, vt perſuadeatur contemni tantum malum. Quin etiamſi infinities die vno moriendum, ne hoc fiat, decretum ſit: & cum multa voluptate hoc ſuſtinere oportebat, ne ſcilicet quietis, vel mundani vſus gratia, tantum prætereat malum. Audi igitur quomodo idipſum timuit Paulus, & tremuit, & quàm vehementer. *Bonum enim mihi eſt mori*, ait, *quàm gloriam meam vt quis euacuet.* (1. Cor. 9.) Deinde, vt ne euacuaret ſuam gloriam, mori elegit. Nos autem vt ſcandala tollamus; neque paruam voluptatem contemnimus: & quomodo

Digitized by Google

poterimus vnquam ſaluari, cùm non ſit par, neque alludat propè, ſed multum diſſonet, laude priuari, & incidere in ignominiam? Ille enim etſi hoc feciſſet, non offendiſſet dominum: ipſe enim ei conſtituerat ex euangelio viuere, attamen maluit mori, quàm tam bonum opus relinquere. Nos autem turbantes ea quæ vbique ſunt ordinata, licet ſciamus quòd maximam propterea luituri ſimus pœnam, neque conſuetudinem frigidam & intempeſtiuam deſpici patimur; & quæ tandem nobis venia? Oportebat igitur, ſi & virum vnum multi vſus requirerent, & quòd ſcilicet dicebam; tanta inde naſceretur contumelia, eligere mortem potius, quàm hoc quod ſit contemnere. Cum autem & per mulierem commodius & faciliùs hæc omnia perfici poſſint, quæ nobis erit venia ſic delicatè agentibus, & contra ſalutem noſtram nos fœdantibus? Dic item mihi, quando tibi hæc ille exhibet, exhibebíſne etiam ipſa illi viciſſim aliquod miniſterium? Nulli non manifeſtum. Et quantò melius non retribuere talia, neque viciſſim accipere, ſed tempus laborum, quod in illius quietem impendis, hoc in tuam ſalutem inſumere, quàm grauiter laborantem tuam opinionem & gloriam confundere? Sed nullum ipſi exhibes miniſterium. Ergo ipſum ſibiipſi omnia miniſtrare neceſſarium, & ſternere lectos, & coquere, & ignem accendere, & alia id genus facere. Hæc neque famulus ferret ita miniſtrans, & nihil commodi à domino accipiens. Sed hic fert omnia, ait, propter timorem domini, & repoſitam huic miniſterio mercedem, & gratiam feret qui imperat, cùm nihil illi vtilitatis ex nobis. Vnde igitur poſtea impudentium obturabimus ora? Etenim tantam ipſa eius teſtaris pietatem, & ſic tremit, & veretur Dei mandata, vt ſeipſum ac viliſſimum mancipium deſpiciat, omniaque tibi exhibeat, nullum inde capiens fructum. Ante omnia oportebat ipſum rationem habere gloriæ, & bonæ famæ in Deo: nunc autem non eſt eiuſdem animæ ſimul & per idem tempus tantam abominationem ſimul & deſpectum oſtendere circa mandata Dei, & nunc quidem ipſa tremere, nunc verò nullam rationem habere eius qui leges dedit, quem contumelia afficis. Etenim ſi ita ſe purum ſeruat à voluptate, nihil humani agit, vt ſeipſum humiliet, affligat, & ærumnis ſubiiciat, ſuiſque laboribus aliis quietem paret, verè valde ſapientis animæ eſt & ſublimis, ſed non item, ſi quis gloriam Dei contumelia afficiat, & neque hæc faciat, propter quæ blaſphematur à multis, & quæ non valde magni plures bene & cum laude faciunt. Quomodo igitur tibi credemus, quòd hoc propter Deum facias, quod magnam & generoſam animam requirit, quando illud quod ſcilicet maius eſt, & vulgare deſpicis? Non fers vt abſiſtas ab his, à quibus Deo facta eſt iniuria, & corpus, & omnia ex ponis pro ipſo? Et cui hæc perſuaderi poterunt? Sed neſcio quomodo à virginibus ad earum cohabitatores ſimul tranſiuerim, propterea vtique ad eas nobis redeundum. Vnde igitur illos qui ita eas accuſant, vt coniecturas habeant, docere poſſumus? Non perſuadeantur, ait. Et vbi hæc pia fuerit anima? Tunc enim maledici deſpiciendi ſunt, cùm nos illis anſas non præbuerimus: imò neque tunc. Quando autem ipſorum obturare ora poſſumus, totum ex nobis eſt, & in noſtrum vertitur caput totus ignis. Sic enim, ait, *peccantes in fratres, & infirmam ipſarum conſcientiam percutientes, in Chriſtum peccatis.* (1. Cor. 8.) Sciebat enim, ſciebat manifeſtè, quòd non ſufficeret ad defenſionem noſtram, eorum qui offenduntur infirmitas, ſed hoc ipſum potiſſimum eſſet, quod condemnat nos. Quantò enim puriores ſumus, à cauſa quæ intentatur, tantò magis iuſti ſumus, parcendo infirmitati eorum. Et nondum dico quòd hic à tenui coniectura offendantur, ſed ponatur,

A quòd impudenter hoc patiantur. Nam nec ſic deſpiciendi erant. Quæ Romanis per epiſtolam ſcribens Paulus, erudiuit nos, ſic dicens: *Ne per cibum deſtruatur opus Dei:* (Rom. 14.) quamuis illi improuidè erant offenſi, attamen non eum qui offenditur, ſed offendentem increpat. Nam quod iam videlicet dicebam, & nunc dico. Quando magnum aliquod lucrum, & damno, & plaga maius, contemnendi ſunt qui ſcandalum patiuntur: quando autem nullum fuerit amplius, quàm quòd infirmi abiiciuntur, etiamſi infinities ex imprudentia hoc patiantur illi, parcendum eis erit: quoniam & Deus eos, qui impellunt, & deiiciunt in ſententiam ſupplicij, puniet. Nam dum nullum lucraris, & alium offendis, extremæ malitiæ eſt. Nos autem quando videmus aliquem pallidum & deformem ob diuturnam valetudinem, eos qui illum exacerbent, B domo abigimus, neque multum diſputamus, an iuſtè vel iniuſtè illi hoc faciant, ſed negata illis omni defenſione, & nulla data ob infirmitatem venia, & quamuis iniuſtè exacerbetur, veniam damus. Quòd ſi nos hac cura circa famulos & pueros vtimur, & ſæpe filium ita peccantem flagellamus, multò magis bonus Deus, & iuſtus, & æquus hoc faciet. & quid dicis? Infirmus eſt qui offenditur, igitur dignus eſt cui parcatur, non vt lædatur: vulnera habet, ne igitur atteramus, ſed curemus. Suſpicatur malè & imprudenter, igitur auferamus ſuſpicionem, non inferamus. In Chriſtum enim peccat, qui de his contendit. An non audis continuò in veteri Moſem dicentem: *Deus zelotes eſt?* (Exod. 20) & iterum: Zelaui Hieruſalem? in noua verò Paulum elamantem, *Zelo enim vos Dei zelo?* (1. Cor. 11) Hoc, ſi nihil aliud, ſufficere debebat, ne ſubuerteretur anima, etiam non valde infirma, ſed morbo libera. Tam terribile enim eſt animam perire: zelus dulce C quiddam magis eſt, quàm terribile. Nunquam enim zelus eſt, non præeunte charitate aliqua calida, & tam feruente, vt valde accendatur Dei amor. Argumentumque hoc eſt: Non enim affectio eſt zelus in Deo, ſed volens indicibilem eius amorem in nos interpretari, hoc ſæpe vſus eſt nomine. Attamen nos qui valde inſenſati ad humanas decidimus affectiones, & eum qui nos valde amat, contumelia afficimus: eos autem, qui nihil nobis prodeſſe poſſunt, omnibus modis curamus. Quid enim tibi, ô miſera, tantum prodeſſe poteſt frigida hæc cohabitatio, cùm tantum theſaurum eiicias? Vide quæſo, deducit te è cœlis, excludit te ſpirituali thalamo, ſeiungit te à cœleſti ſponſo, parat tibi immortalia ſupplicia, & tormenta finem non habentia. Pro his ſi talenta infinita haberet contubernio, ſi promptior eſſet mancipiis venalitiis, ſi te in maiori honore & dignitate conſtitueret, quàm ſit regina: an non vt damnoſum & inimicum, & plura auferentem, quàm D dantem, ſic auerſari, & odio habere oportebat? Paruáne tibi cura de bonis cœleſtibus, de regno futuro, de vita immortali, de ineffabili gloria? Tune parua terrena commemoras? Et hunc ad illa vtilem vſum curas quaſi domiuum, & non te occultas, neque oras terram vt te abſorbeat, vt ſic inde migres? Sed infirmitatem muliebris naturæ mihi prætexis, & humanorum vſuum diſpenſationem, & quietem domeſticam, fingens & componens prætextus, qui non ſunt. Sed neque ſic eos qui cor habent fallis. Non eſt enim, non eſt quies quæ ad tantam turpitudinem cogit. Mulier enim ſi voluerit, non ſibiipſi ſolùm, ſed & aliis ſufficiet ad miniſterium: quoniam & ab initio à viro ciuilibus negotiis ſuſceptis, mulier ſortita eſt domeſticam adminiſtrationem & curam. Igitur cuius quietis indigæ intus rapitis viros? Sed quid, dicit mihi, ſtupri gratia & libidinis? ego quidem non ſic dixerim, abſit, ſed non deſino obiurgare eos qui ſic dicunt. Vtinam poſſibile eſſet perſuade-

re.

Digitized by Google

re. Quis ergo prætextus, quæ cauſa probas nos faciet? Dicet quis: Inanis gloriæ amor. Et quemadmodum viris voluptas friuola & miſera, ſic illis honoris concupiſcentia hoc contubernium conciliat. Nam vanè glorioſum omne hominum genus eſt, vt ita dicam, maximè autem muliebre. Nam cùm neque opus habeant quiete, ſicut declaratum eſt, neque cum ipſis rem habeant, manifeſtum quòd hoc ſolùm reliquum eſt ſuſpicari. Quoniam igitur hanc mali radicem inuenimus, age cætera non reprehendamus: admoneamus autem & perſuadeamus, quòd ſicut viri, qui cohabitantes videntur quidem voluptate frui, maiori autem tormento ſubduntur: etenim ſola pura & ſolida voluptas, quæ per ſequeſtrationem: ſic vtique & cauſa mulierum habet. Videtur quidem, vt ipſæ opinantur, gloria aliqua hinc, & claritas naſci. Si autem diligenter quis exquiſierit, plena & referta eſt riſu, confuſione, opprobriis, & extrema ignominia. Et de his dicta ſunt in principio pauca, dicentur autem & nunc. Sit igitur qui cohabitat, ſi vult, non aliquis vilis, neque abiectus, ſed qui multam in eccleſia dignitatem habeat, & generis claritudinem, & admirabilis ſit omnibus ob eloquentiam & pietatem, ſitque vndequaque clarus. Neque vel ſic poterit illam facere claram ac probatam. Gloriam enim habiturus ex amicitia erga aliquem, illius gloriam prius cuſtodire debet, qui præbet vt glorificetur: nam ſi hæc offenditur, multò magis ſua periclitatur. Nam ſicut fonte corrupto, & quæ inde manant fluenta cœno communicant: & radice corrupta, multò magis fructus corrumpentur: ſic & nunc. Facturus claram virginem ſit ridiculus ob cohabitationem, ipſa quoque ante illum, & cum illo ridebitur: & ſi mulieri antea contigerit gloria bona apud multos, ea tamen ſtatim ingreſſa illius domo decedit, tantum abeſt vt aliam ſecum afferat, etiamſi ipſe habeat talem opinionem. Non vtique gloriam nobis bonam adducit hæc conſuetudo, ſed neceſſe ſequatur eam ignominia, quæ & eam quæ non meruit fœdat, imò vtrique grauis eſt. Et quod de Iudæis Propheta dicit, opportunum eſt etiam nunc dicere: *Si mutabit Aethiops pellem ſuam, & pardus maculas ſuas*, etiam quæ talibus cohabitant, maculam deponent aliquando hanc: ſic quemadmodum corpora inurens cauterio: amborum opinionibus inuritur, & bona ipſorum omnia obfuſcat. Sed forte gloriam putant hoc ipſum placere viris: at hoc eſt mirè ridiculum, & quod quærunt interim etiam gloriantes meretrices. Mulierum vtique liberarum & caſtarum hoc non fuerit, in talibus rebus deliciari. Quoniam & hinc iterum aliud ignominiæ argumentum, & quantò magis imperant viris, & grauiora iniungunt, tantò magis ſeipſas confundunt cum ipſis. Non enim quæ ſeruire facit viros mulier, ſed quæ reueretur, omnibus eſt reuerenda & glorioſa. Si autem non ſuſtinuerunt hæc noſtra verba, Dei lex occludere ora earum poteſt, ſic dicens: *Ad virum tuum conuerſio tua; & ipſe tui dominabitur. Caput omnino mulieris vir.* Et aliundè è multis locis quis hoc inueniet ſic legibus cautum, & hunc ſupernè datum eſſe ordinem: atque magna fœditas, ſi ſuperiora fiant inferiora, & caput deorſum & corpus ſurſum. In nuptiis autem hoc turpe, multò autem magis in coniugiis, vbi non ſolum hoc graue eſt, quòd ſit transgreſſio diuinæ legis, ſed peſſimam & mulieri, & illi affert famam. Nam ſi cohabitare eſt turpe, multò magis cohabitando in ſeruitutem redigi. Non enim vndequaque imperare laudem habet, ſed probatur nonnunquam non imperare, & turpe eſt imperare. Itaque ſi vis in admiratione eſſe apud viros, nihil tibi commune ſit cum ipſis. Procul à congreſſu & aſpectu & coha-

Hier. 13.

Geneſ. 3.
Epheſ. 5.

A bitatione illorum eſto, tunc te & mulieres obſtupeſcent, & viri omnes ſimul admirabuntur, vtpote virginem ſponſo indiuulsè aſſidentem, tunc non domeſtici ſolùm, ſed & Iudæi, & Gentiles, & omne hominum probabit genus: atque adeò ſi gloriam amas, hanc vade viam, non aliam: tunc te non iam illius vocabunt, ſed Chriſti. Huius autem ornatus alius par à nullo tibi erit. Vel pauca hæc, dic mihi, quæ toto die canuntur & in foro, & in domibus, & in aliis ciuitatibus. Puella quædam formoſa valde & adoleſcens, ſi voluiſſet, multos præſides ad ſe attrahere potuiſſet, ſed noluit, imò voluit quæcunque ſuſtinere & pati, quàm Chriſti amorem relinquere, & caſtitatis florem obſcurare. Beata & bis, & ter, & ſæpius, & digna tantis frui bonis: qualem accipiet coronam, quantam mercedem accipiet, cum quibus immortalibus certabit virtutibus? Hæc & talia de hac omnes dicunt, & ad æmulationem ſuis filiabus proponunt: & ſi quis
B admonere honeſtè viuentem, & ſi quis corruptam ad modeſtiam reducere voluerit, hæc illi iterum omnes encomia in medium ferent: non hic autem ſolum, ſed & quoties de virginitate fit ſermo: & ſic omnes laudabunt, non ſolùm qui caſtè viuunt: ſed & illi qui ſtuduere, & omnia fecerunt, vt ipſam procando obtineant: deinde vbi contempti & deſpecti fuerunt, ipſa quidem tanta, & multò maiore quàm dicta eſt, fruetur gloria. Quæ autem cohabitantes habet, omnia ſecus reperit: & primò quidem quando ab aliquibus pollutis accuſatur virginitas. De vtriſque enim habetur memoria in talibus conuentibus, ſed illa quidem aperit ora defenſantium, iſta autem accuſantium. Poſtea quando corrigi aliquam & compoſitam reddi decet, hæc quidem vt pharmacon vtile, & quod putredinem repellere poteſt, in medium affert, & præ-
C ceptoris os ornat: illa autem, cùm confuſa ſteterit, tametſi non adſit erubeſcens & confuſa. Neceſſe enim vt peccans in ſingulis accuſetur, & iterum confundatur: & vbi de re hac ſermo fit, ſicut illa beata, ita illa miſera & calamitoſa, & omnia talia audiuntur. Et ſicut illam non qui vident ſolùm, ſed & qui ignorant, & nullo beneficio affecti, celebrant, & hymnis laudant: ita & hanc quotquot ſciunt vel ignorant, & qui nihil mali ab ea paſſi, affligunt & criminantur. Nam hi quidem rectè viuentes, non à notis ſolùm, ſed & ignotis, ſed & ab ipſis inimicis laudantur, & admirationi ſunt: qui autem corrupti & improbi, & ab amicis affliguntur. Et hoc diuinæ prouidentiæ opus eſt, quod tantam nobis virtutis familiaritatem & cognationem, & tantam vitiorum abominationem indidit. Ita illa quidem (de virtute loquor) omnium calculo probatur, etiam abſentium. Hæc
D verò, malitia ſcilicet, condemnatur etiam ab his, qui virtutem non curant, & auerſantur, ac perſequuntur. Vnde clarum, quòd ignauas illas non ij ſolùm qui viderunt, ſed & qui neſcierunt, auerſantur: & maximè omnium ij qui cohabitant. Nam etſi valde dicant quòd vos diligant, & admirentur, etſi gratiam habeant pro hac voluptate, próque his, quæ donatis: attamen odio iterum eritis conſcientiis eorum, vbi parum reſipuerint, & intellexerint quo laqueo fuerint capti. Tantum malum eſt hoc peccatum, vt hi quos maximè omnium curatis, vos potiſſimum condemnaturi ſint, quoniam & maximè omnium veſtra ſciunt, in penitiſſima admiſſi; & ſecreta veſtra infanda probauerunt, & quòd oderunt, manifeſtum inde: ſæpius voluerunt ab hac ſcabie & hoc morbo graui liberari, & oderunt omnes qui ſciunt: ſciunt autem non minùs qui ſunt domi ſuæ, quàm qui non. Nam licet quis valde miſer & calamitoſus ſit, non eſt tamen ita deſperatus, & valde ſuam confundi cupiens gloriam, vt velit in turpitudine viuere, & eſſe in ore omnium

Digitized by Google

accuſari, rideri, & opprobrari, & ſpectaculum eſſe foro commune, & omnium digitis monſtrari per ignominiam. Enimuero non parua his inſuauitas ab huiuſmodi ſuſpicione naſcitur, & inſidens conſcientia continuo turbatur, & omni vermiculo ſolidius inhærendo mentem intus depaſcitur. Si autem hæc ab hominibus ſequitur confuſio, & nihil manifeſtè dicentibus, & domi quoque ſeipſos reprehendentibus talis eſt dolor: quando ad ipſum abituri ſumus ſponſum iniuria affectum, quando & quæ incerta in medium ducentur, quando & corda reuelabuntur, & ſermo, & figura, & viſus, & cogitatio, tranſeo quæ his turpiora: quando igitur omnia ſimpliciter in orbe toto nuda apparebunt, & exuta, quantam ſuſtinebimus ignominiam, & ſupplicium, & vindictam? Tunc enim ſi non patrocinabitur fulgens virtutibus anima, vt congruum eſt illi ſponſo, ſi non omni labe, macula, & ruga ſit pura, peribit, & extrema feret. Etenim non magna macula ſufficit ad eiiciendam eam. Quod ſi vna macula eiicere ſufficit, quando multa ſordes eſt, & tantus fœtor, & plurima vbique vlcera, quis eam eruet è ſupplicio & illa pœna? Nam ſi hic ita improba & inſuauis eius vita, & omnes eam auerſantur, & amici, & inimici, quomodo poterit ad regia tranſcendere veſtibula tanta luti varietate oblita? Non vides, quòd neque in domo viri priuati & vilis ferret quis porcum luto volutatum intus oſtendi, ſed iuſſu eius abigunt & inſequuntur omnes, & ianuas recludunt, & fugant procul? Si autem brutum animal, præſertim in luto educatum, non ferunt homines intus excipi cum macula, quomodo in cœleſtia tabernacula, vbi tanta claritas, vbi omnia fulgida, vbi lex inacceſſa, vbi fulgure omni fulgidiores occurrent fulgentes virgines, poterit quis ſic coinquinatus ingredi? Quæ non habent oleum, à thalamo excluſæ ſunt, & quomodo vos adyta illa vt ingrediamini expectatis? Etenim multo hoc difficilius peccatum. Non enim eſt par, corporea voluptate coinquinari, & multas perdere animas. Illæ quidem pauperes nulla in re affecerunt iniuria, ſed quia ſua illis non impartitæ ſunt, neque eorum inopiam leuauerunt, hæc paſſæ ſunt: tu autem iniuria affeciſti, & expuliſti, & non ſolùm non profuiſti, ſed & maximè nocuiſti. Quòd ſi quæ nihil profuerunt, tantam dederunt pœnam, præſertim virginitate ſyncera manente: quæ autem non ſolùm inutiles aliis, ſed & plurimum ſeipſas nocuerunt, & cohabitantes, & ſcandalizatos, & præ omnibus nomen ſponſi contumelia affecerunt, qualem ſuſtinebunt cruciatum? An neſcitis qualem rem aggreſſæ? in quem agonen inſtructæ eſtis? quam prælij partem ſortitæ? cuius ordinis in exercitu hæredes & occupatrices eſtis? Apud ipſum belli ducem, imò apud ipſum habitatis regem, & militatis. Sicut igitur in bellis non vnum locum exercitus omnis occupat, ſed alij cornua agminis, alij medium, alij poſtrema, alij frontem phalangis ornant, alij autem vbi rex comparet, ibi cum ipſo apparent: ſic quoque & virginum chorus nullum alium niſi hunc ordinem ſortitus eſt. Non ſic ij qui aureas togas induti, & equis auro ornatis vecti, & aurea ferentes ſceptra, & gemmata monilia, præſentes reges videri debent, vt virgo Chriſto. Nam illi quidem apud ipſum currum regium verſantur: virgo autem regius quoque curſus ſit, ſicut Cherubim, ſi vult, & aſtat ipſi ſicut Seraphim. Igitur cùm in publicum ſe recipit, oportet & omnis philoſophiæ ſpecimen præ ſe ferat, & omnes in ſtuporem conuertat, ſicut angelus ſi nunc è cœlo deſcenderet, & ſicut Cherubim aliquis ſi in terris appareret, omnes homines in ſtuporem conuerteret: ſic & virginem, omnes qui eam vident, adducere in admirationem & ſtupo-

Virgo ſimilis Cherubim.

A rem ſuæ ſanctimoniæ oportet. Nam dum vadit, quaſi per deſertum eat: quando autem ſedet in eccleſia, profundiſſimo ſilentio oculus nullum videat prætereuntium, non mulierum, non virorum, ſed ſolum ſponſum & præſentem, & conſpicuum. Concedens autem iterum in domum, ei in precibus loquatur, & eius ſolius vocem per ſcripturas audiat, & in domo eum quem deſiderat & amat, ſolum cogitet, vt peregrina & aduena omnia faciat, quaſi res præſentes nihil ad eam pertineant: & non ſolùm maſculorum fugiat aſpectus, ſed & conuentum ſecularium mulierum: tantaque corpori ſuppeditet quanta neceſſe, & vniuerſa in animæ ſalutem impendat. Quis non admiretur, quis non obſtupeſcat, in muliebri natura vitam talem angelicam intuens? Quis autem homo exiſtens, accedere, quis tangere audeat tam flagrantem animam? Eapropter omnes quidem ab ea abſtinent, B & ſponte, & inuiti: Omnes item in ſtuporem vertuntur, vtpote aurum fulgens & ignitum videntes. Nam & auri natura habet per ſe multum fulgoris, cùm autem & ignem in ſe tenet, maiori miraculo eſt & terribilior. Quòd ſi hoc in corpore: quando idem in anima contingit aurea, non tunc hominibus ſolùm, ſed & angelis deſiderabile erit hoc ſpectaculum. Quare ergo veſtibus teipſam ornas, quæ à flamma tantum habes ornatum? Etenim veſtes non ſunt datæ vt eis ornemur, ſed vt nuditatis fœditatem occultemus, non vt talibus induamur, quæ nos maiori turpitudini, quàm ipſa nuditas, exponant. Idcirco & Adam induit Deus veſtes pelliceas, ſimiliter & eius mulierem, quamuis ſi voluiſſet, delicatis eum potuiſſet induere veſtibus: ſed nobis denuo & per illas oſtendit, quòd non ſit præſens tempus deliciarum, ſed gemendi & plangendi. Quod ſi ignominiæ eſt & condemnationis, & ex peccato venit hoc amictu indigere, quid C reprehenſionis materiam auges? An non ſatis caſum noſtrum indicat, quòd veſtium ſumus indigi? Cur crimen exaggeras? cur viſu ampliore accuſationem auges? Oportebat enim eiulare & gemere, & corpus ipſum caſtigare, iuxta Paulum: nos autem ſedemus, & velamenta artificioſè contexentes, ſicut ſi quis tegmenta circa oculos dolentes habẽs, cogatur ea conſiderare, & adhuc ornet velamenta hæc. Propterea Helias, propterea Ioannes ſimplicem habentes amictum, & pelliceas tunicas, & veſtibus è pilis induti, anhelabant & concupiſcebant indumenta incorruptionis accipere. Tu autem mulieres in fornice præcellis veſtium curioſitate, quibus inſidias adoleſcentibus elegantioribus pares. Non ſic te indui & ornari vult ſponſus, ſed in anima tua omnem reponere gloriam iuſſit: tu autem illam negligis, & lutum ac cinerem variè decoras, & amatores incontinentes illicis, & adulteros facis omnes, vt ita dicam, qui te vident. Et cùm frequenter ignem hinc conflas, puto neque D te inficias ire, quod inde ignominia & probra ſequantur, id quod & ab amatoribus tuis declarabo. Nam quæ animam ornant, Deum ſuæ pulchritudinis habent amatorẽ: tu verò homines, imò neq; homines, ſed porcos & canes, & illis brutiores. Quid ſic inſipiens, vt ne ornatiorem illis putet, quarum deſiderio Deus fertur ob internam formoſitatem? Atque adeò, quantò curioſitati plus vacas, tantò abominabilior facta es: & Deum quidem à te auertis, hos autem illicis: tantòque magis fœda ac turpis appares. Nam quomodo non turpis, ſi Deum allicere non potes? Quòd ſi quæ ſe ornat, adeò ingrata: quæ cohabitantem habet, cogita quantum conciliet ſibi odium. Sed ſi videtur, non cohabitationem dicamus ſolùm, ſed ipſam aperiamus palmam, vt magis fœda videatur. Nam quoniam non timent oculum ſoporis neſcium, ſed oculi hominum timor eorum, age & ipſas hac conſolatione priuemus, quæ occulta & tecta in parieti-

Carpit luxum veſtium in virginibus.

Geneſ. 3.

1. Cor. 9.

bus

Digitized by Google

bus in medium afferentes, aperiemus ianuam his qui videre eá volunt, à lecto ipſas primum excitantes: imò ſi videtur, primum exquiramus quæ per domum contingunt, & ponamus parietibus ipſas cohiberi,& cubiculis variis ſedere. Non enim puto aliquem, & ſi valde fœditati ſit obnoxius, ita ſeipſum traduci velle, vt in vno cohabitet cubiculo. Sint igitur diſiuncti parietibus,& quid hoc fuerit? Non enim ſufficit vt à ſuſpicione liberentur. Verùm nunc de ſuſpicione nihil. Nam licet ancillæ plurimæ ei cohabitent. Aliam autem turpitudinem iam exquiremus. Euenit enim cum per idem tempus ſurgunt, non ob matutinas horas (nihil enim vnquam pium ab his animabus fieri ſolet) vt tranſeant ad ſe inuicem iacentes,& compellent nocte, quo quid ſit turpius? Quòd ſi contingat repente & cohabitantem ægrotare, neque parietum hic poſtea aliqua vtilitas, ſed exurgens præ aliis ad virginem iacentem ingreditur, infirmitatem prætexens, & ancillis ſæpe tardius paratis, & aſſidet,& alia curat, quæ mulierem quandoque ſolam vix miniſtrare fas eſt,& neque ob illa pudeſit, ſed gloriam putat,neque ipſe erubeſcit, ſed magis gaudet, & tantò magis, quantò fœdiorem ſeruitutē ſubit, & apoſtolicum illud verbum, quod dicit, *Gloria in confuſione ipſorum*, re ipſa monſtratur. Vbi autem & ancillæ ſurrexerint, maior turpitudo, nam & intecto capite, & vna tunica, & nudis manibus vtpote turbatæ, & in nocte ſurgentes diſcurrunt illo præſente, imò in medio verſante; & ſimul currente, omnia coguntur implere: quo quid fieret fœdius? Quòd ſi & obſtetrix adſit, neque ſic pudeſit, ſed & aliis virginibus ingredientibus officium ſuum facit. Ad vnum enim ſolum ſpectat, quomodo monſtret ægrotanti ſuum miniſterium, ignorans, quòd quò magis ſuam diligentiam monſtrat, tantò magis & ſeipſum & illam confundat. Et quid mirum, ſi præſens non erubeſcat? ſæpe enim mediis noctibus vilium ancillarum opus facturus, ad ipſam currere non grauatur. Quando autem adeſt, nunc quidem ipſum eiiciunt & inuitum, licet valde impudens: nunc autem admonent, vt iterum ingrediatur,& aſſideat: quanuis cur quis etiam plurima ſtudioſè colligat, vt illum confuſibilem reddat,& talem qualem ipſe ſe, dum multa talia parat ſibi, efficit? Vbi autem dies illuxerit & vtroſque lecto fugere oportet, cuſtodiæ & obſeruationes ſunt, ne quis ad exteriorem domunculam progrediatur, ne ipſa terreatur. Sæpe autem progreſſa, & forte nudo corpore ad virum accedit,& ille hoc ipſum videns parum curat, nunc quidem miſſo nuntio ingreditur,nunc autem ſine obſeruatione, & multum excitat riſum. Nihil enim dicere volo. Hæc autem quanuis parua, tamen magnæ libidinis carbones accendere conſueuerunt. Et hoc quidem domi, & maiora his: quando autem in publicum iuerit reditutus, iterum maior confuſio. In domum ſuam ingreſſus, & dum non cogitur prænuntiare inuentis mulieribus aſſidentibus apud illam pudefacit, & ipſa ſæpe ita afficitur, turpéque cenſet ſi mulier mulierem excipiat, & vir virum: mutuam autem ſuam conſuetudinem non abhorrent, nec vitant: cauent autem ne cognatos hoſpitio excipiant. Quo quid deterius ſit? Accidit interdum, vt ipſum mulieres inueniant aſſidentem extentæ & fuſum habenti. Quis diceret iurgia, quotidianas lites, etiamſi multa amicitia & pax ſit? ſed hæc contingere veriſimile. Audiui autem & de aliquibus quòd zelotypi ſunt. Nam vbi non eſt dilectio ſpiritualis, & hoc neceſſe eſt fieri, ibi & varij caſus,ibi virgines redduntur impudentes & ſeruiles, etſi corpore non corrumpantur, moribus tamen. Quando enim diſcit liberè loqui viro, conſidere, in eum obtueri,& ridere, & multa alia fœda agere, neque hoc graue aliquid eſſe putat, ſuſtollit virginitatis velum, & conculcat flo- A rem: ibi nihil grauantur, neque deprecantur, ſed & internuntiæ nuptiarum fiunt, & inſtitoriam ſcortorum obeunt, multaſque volentes eſſe viduas prohibent. Et putantes ſe ſuorum malorum defenſionem inueniſſe, ibi omnibus deſpicabiles ſunt,ibi & nuptæ ipſarum nomine erubeſcunt,vtpote in omnibus melius agentes. Multò enim melius & vno,& altero coniugio coniungi,quàm hæc fœda agere, & internuntiorum & paranymphorum ſuſpicione ſuggillari ab omnibus,quòd à ſuauitate nuptiarum ſe abſtrahant, & oneribus nuptiarum ſe ſubdant. Quid enim oneroſius quàm virum habere, & ſollicitum eſſe de his quæ illius? Exonerauit te ab hac moleſtia Deus. *Ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe tui dominabitur.* Soluta es per virginitatem, quid iterum te ſeruituti ſubiicis? Liberam te fecit Deus,tu autem tibiipſi plectis negotia. Nullus ſollicitam te fecit,tu autem negotia plectis. Gen. 4.

B Sed quoniam ſollicitudinis mentio incidit, tempeſtiuè hæc dicenti aduenit apoſtolicum illud. Nam ſi cohabitare viris mulieres, & mulieribus viros curas tolleret, ad continentiam adhortando Paulus non dixiſſet: *Volo autem vos ſine ſollicitudine eſſe*, vt & hac nos admoneat. Quid enim vultis, ait, quietem & libertatem? Deinde non videtis contrarium euenire ſeruitutem, & labores, & miſerias multas, dum viris cohabitatur? Multæ igitur ſæpe relictis viris ob hoc non iterum nubunt, ne ſub iugo ſeruitutis ſint. Prorſus autem ſi in paupertate viuis, & omni tutore cares, virtutem vitæ oſtendas, & cum viro nihil habe commune. Coniunge te mulieribus quæ honeſtè vixerunt, & neque tuam coronam diſperdes, & omni perfrueris ſatietate. Quod ſi hoc inſufficiens eſſe putas, quære diligenter,& omnino inuenies, imò non neceſſarium eſt quærere. Nam ſicut ad lucem occurrimus omnes, ſi refulgebunt radij vitæ tuæ, omnes accurrent diligentes, vnaquæque tibi ordinem iniunget miniſtræ, & te domus ſuæ ſecuritatem putabit eſſe, & ornatum vitæ, & coronam, ſecundùm ſermonem Chriſti. *Quærite* enim, ait, *regnum cœlorum, & omnia hæc adiicientur vobis.* Nunc autem & nos authores ſumus, vt ex hac ſeculari fœlicitate excidamus, & cœleſtia quoque negligamus. Nos autem quando dico, non viros ſolùm dico, ſed & vos, & vos magis,quàm viros. Quoniam ab initio ob hoc grauiorem pœnam accepit mulier, & deceptionem magis attulit: propter hoc & decipientem magis quàm deceptum puniuit Deus, quod & nunc erit, ſi non volueritis corrigi, & ad propriam redire nobilitatem: propter hoc enim & mulier tunc reprehenſa, quòd viro dedit de fructu, non audebat dicere, quod oportebat, cùm vir non deberet perſuaderi,neque decipi: ſed hanc quidem vtpote frigidam defenſionem tacuit, ad aliam autem venit infirmam quidem & ipſam, attamen plus hac habentem rationis. Vnde manifeſtum, quòd qui prætexunt deceptores, rectius in ſe deceptos,quàm in deceptores culpam ingerere poſſunt. Scortum accerſit contumelia afficiētem ſuum corpus, & poſtquam cum illo dormierit, iterum dimittit: tu autem vbi vocaris eum qui iniuria afficit tuam animam, & corrumpit, ſemper ipſum includis, & non permittis exire, vinculáque grauia iniicis, adulatione, cura, & aliis operibus, & putas te glorificari cùm teipſam ita confundis? Non cogitas tu, dic mihi præſentem vitam quàm breuis, vt ſomniis aſſimiletur, & floſculis marceſcentibus; & vmbræ prætereunti? Cur vis deliciari nunc in ſomnio, & puniri tunc in veritate? Quanuis neque delicias hæc res habet. Quomodo enim, vbi condemnatio,& reprehenſiones, & conuitia, & ſcandala? Verùm ſi & deliciæ ſint, quid eſt parua aquæ gutta ad immenſum mare? *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum*, ad orbem terræ aliquando malè affe-

Philip. 3.
1. Cor. 7.
C
Matth. 6.
D
Geneſ. 3.
Pſal. 44.

ctum dicebat Dauid. Hoc igitur nos tibi occinemus, breue verbum prophetæ ſubimmutantes, & dicemus cum propheta: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere malæ conſuetudinis, & eorum qui tibi malè cohabitant, & concupiſcet rex pulchritudinem tuam. Quid tibi hoc maius? Quid item par poterimus dicere, quàm vt cœli & terræ, & angelorum, & archangelorum, & ſupernarum virtutum dominum amatorem ſortita libereris à vilibus conſeruis, tuam nobilitatem confundentibus? Propter quod vtique & hic finire ſermonem bonum. Nihil enim dicere poterimus, quod huic honori ſit par. Nam ſi quæ ſponſum in terra acceperit regem, omnibus ſe putat eſſe beatiorem: Tu habes autem non terrenum, nec conſeruum, ſed eum qui in cœlis, eum qui ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & omne nomen quod nominatur: eum qui ſuper Cherubin ſedet, concutientem terram, extendentem cœlum, terribilem & reuerēdum Cherubin, inacceſſum Seraphin, non ſponſum ſolùm, ſed amatorem, & amatorem omnium hominum ardentiſſimum: quomodo non omnia relinquis quæ hic ſunt, etiamſi animam ipſam relinquere oportet. Quoniam igitur ſufficit, hoc verbum ſolum, & plumbo omni grauius ad corrigendum & promouendum ad ſupernam conuerſationem, & nos hic definimus, & te admonemus, & quaſi diuinum aliquod canticum accinimus, vt & in domo, & in foro, & in die, & in nocte, & in via, & in thalamo, & voce, & mente continuè loquaris animæ, dicens: Audi anima, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere malæ conſuetudinis, & concupiſcet rex pulchritudinem tuam. Et ſi hoc continuè verbum dixeris, auro omni puriorem facies animam. Dictum enim hoc igne vehementius, & efficacius efflare tuas cogitationes, & omnes tuæ mentis maculas expurgare valebit. Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi aduerſus eos qui apud ſe fouent ſorores adoptiuas, quas συνεισάκτους & ſubintroductas vocant, & contra concubinarios.

SERMO.

MAIORIBVS noſtris duæ tantùm cognitæ fuerunt cauſæ propter quas mulieribus viri cohabitent. Et vna quidem vetus eſt, ac iuſta, rationique conſentanea: nempe matrimonium, quod Deo legiſlatore inſtitutum. *Propter hoc* enim, inquit, *relinquet vir patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, eruntq; duo in carnem vnam.* (Geneſ. 2.) Altera verò poſterior & ex confeſſo iniuſta, & legi aduerſa, nempe ſtuprum, quòd à malignis introductum eſt dæmonibus. Atqui noſtra hac ætate tertius quidam nouus & inſolitus mos prodiit, cuius cauſam haud facilè inueſtigaueris. Sunt enim nonnulli, qui puellas nuptiarum inexpertes domum ducant, & vſque in extremam ſenectam incluſas tenent, ac fouent, non procreandorum puerorum gratia: negant enim ſe cum illis rem habere: neque libidinis cauſa: aiunt enim quòd illas & integras, & incorruptas ſeruent. Et ſi quis ab eis cauſam rogauerit, dicunt ſibi multas eſſe: ſed fingunt. Ego enim nullam eos habere crediderim, quæ vel honeſta, vel idonea ſit. Verùm de his nunc non dicemus. Afferemus autem in medium, quam nos potiſſimum cauſam ſuſpicemur. Et quænam illa? Omnino, ſi à ſcopo aberrauero, fas vobis eſto vt me redarguatis. Et quænam cauſa? quis ille prætextus? Videtur mihi mulieris conuictus, etiam abſque nuptiis ac congreſſu, voluptatis habere nonnihil. Quòd ſi non rectè ſentio, non eſt quòd dicam. Meam vobis ſententiam narro, mox autem non meam ſolùm, ſed & illorum dicam: nam & illis ſic videtur. Quod inde colliqueſcit. Tantam enim gloriā, & tanta ſcandala neutiquam deſpicerent, niſi ingens quædam & vehemens cohabitandi voluptas eſſet. Precor vt nobis venia detur, deſitque indignatio. Neque enim temerè, & ſimpliciter inimicos vellem. Non ſum tam miſer ac ærumnoſus, qui temerè omnes offendere velim: ſed valde doleo ac crucior, & gloriam Dei blaſphemari, & multorum ſalutem propter voluptatem hanc paulatim perire. Et habet voluptas hæc maiorem cohabitandi amorem, quàm legitimæ nuptiæ. Quod nunc fortè vobis mirum videtur: ſed vbi quod auditis declarabo, eritis & vos mihi teſtes. Etenim cùm legitima muliere congredi, cùm non ſit vetitum, concupiſcentiæ vehementiam demulcet, & ſæpenumero ſatietatem affert, immodicum reſtinguens ardorem. Præterea partus & partuum dolores, puerorumque procreationes ac educationes, nec non & frequentes qui ex his ſequuntur morbi, corpus affligunt, florem ætatis marcidum reddunt, inualidumque voluptatis calcar faciunt. In virgine autem cohabitatrice nihil horum reperies. Abeſt enim coitus, qui naturæ impetum deprimat, ac calcar obtundat: neque dolores partus, neque puerorum educationes carnem langueſcere faciunt: ſed iuuenilem vigorem diu conſeruat, vtpote intacta manens. Vnde poſt partus & educationes puerorum, corpora vxorum infirmiora fiunt: illa autem vſque in quadrageſimum annum in ſua permanet forma, & cum virginibus iam elocandis certat: hinc eſt quòd cohabitantes duplici igne accenduntur: nam & ardor eorum non reſtinguitur coitu eis interdicto, & ardoris fomes redditur validior. Quam ergo huius contubernij cauſam ſuſpicer? Sed ne valde ſuccenſeamus eis, neque difficiles ſimus & importuni. Nam qui ægrum vult reſtituere, non hoc agit ira & verberibus, ſed aptat magis pharmaca magna cura, & blanda adhortatione. Nobis, quamuis illos punire, & eis indignari liceret, vtpote in iudicum aſcitis ordinem: non tamen hoc facimus, ſed medicorum magis, & eorum qui curare ſolent, morem ſequi lubet: vnde obſecramus & adhortamur, & eorum ſi opus eſt genua attingimus, ſi fortè quod agendum ſuſcepimus, perficiamus. Igitur quemadmodum medici, qui ægros à cibo vel potu nociuo abarcere cupiunt, licet illa mixtam habeant voluptatem, ante omnia tamen perſuadent, ineſſe illis præter nocumenta etiam multum inſuauitatis: ſic & nos faciemus, cōmonſtrando illis quòd cohabitatio illa, quanuis ſuauis & iucunda videatur, pernicioſa ſit, & nihilo melior, quàm mortiferæ potiones. Et videtur quidem multam habere lætitiam, latet tamen multum in ea amaritudinis, quàm animæ quæ voluptatibus oblectatur, infundit. Nam qui perſuaſus diſcedit, facile diſcedit. Sanè qui metu & neceſſitate à dilecta ſeiungitur, fortior amator fit, & fortaſſis iterum ad illam accedet: at ſi vt rem damnoſam & amaram fugit, haud quaquam iterum reuertitur ob calculum ſententiæ ſuæ, quæ quauis neceſſitate violentius illi perſuadet. Quocirca quomodo perſuadebimus illis, quòd hoc non ſolùm noceat, ſed & amarum ſit? & quomodo aliter, quàm ex ipſa rerum natura? Interrogamus ergo eos, ſi quis menſa ſumptuoſa appoſita, variis dulciſſimiſque plena edulijs, denuntiet ſummis minis, ne quid propoſitorum contingatur: non velint ad talem menſam conſidere, & ſeipſos cruciare? (Simile.) Ego vtique non opinor: neque enim ex aſpectu voluptate fruentur, quantam triſtitiam ex interdicto concipient. Quid autem ſi quis ſitienti & ardenti præ ſiti fontē limpidum & purum demonſtratum, non ſolùm non deguſtare, ſed ne extremis quidem digitis contingere permitteret, an quid eo cruciatu acerbius? Neque hic mihi contradixerit vllus. Tantum enim hoc malum eſt, vt etiam exteri, qui plurimum valent in naturæ voluptate & triſtitia expendenda,

volentes effingere quoſdam qui valde cruciantur, talem quandam fabulam in medio proferant, (Tantalus.) Introducitur in fabula extremo ſupplicio afficiēdus, cui oſtenditur omnium ciborum copia, & præterfluens aqua: nec cōcęditur, vt aliquo iſtorum fruatur: & cum extendit ille manum, omnia quæ videntur, à tactu fugiunt, ſicque hoc ſemper. Et hæc eſt externorum fabula. Et philoſophorum quidā, cum vidiſſet ſodalium quendam oſculum formoſo puero dare, admirabundus dixit: Cur tantum intra ſe caminum accendere, & in ignem ſe auſit cum periculo inijcere? Ego autem non idem dixerim de his qui cohabitantes amant & contrectant? At ſi qui ſunt qui hæc calumnientur, demonſtrare tentabo, quòd & hi illo vſque perueniant, & durius ſibi, quàm ſit dictum, ſupplicium accerſant. Nam ſi aſpectus ſolus tantum infert dolorem: quantò maiorem & contactus accendit? ex quo vt eſt voluptas multò craſſior, quàm ex aſpectu: ita maiorem ſtruit flammam, & acerbiorem efficit dolorem, qui magis quàm fera exaſperatur. Quantò enim magis concupiſcentias augemus, & plurima eis fomēta ſuppeditamus, tantò & dolores noſtri magis intenduntur. Et quemadmodum qui menſæ & fonti aſſident, non ſic videndo dolent, vt cui permiſſum eſt attingere, & tamen ne deguſtet prohibetur: ſic vtique qui ad contrectanda virginum corpora admittuntur, grauius puniuntur, quàm qui ex ſolius ſpectaculi refocillatione hauriunt cruciatum. Et quid opus eſt philoſophari in his, afferendo res externas? Dei enim ſententia his omnibus potentior, ipſa nobis oſtendit rem ita ſeſe habere. (Geneſ. 3.) Nam cùm vellet punire Adam, non procul à paradiſo ipſum habitare fecit, ſed prope paradiſum, vt continuam pœnam haberet è ſpectaculo loci quem deſiderabat, & eo, quamuis ſemper illum ante ſe videret, frui non permitteretur. Iam forte aliquis dixerit, & quomodo ſi hoc natura tam amarum, plerique tanto ſtudio ſectantur? Ad quod ego dixerim, quòd iſtuc ipſum extremæ ægritudinis maximum eſt argumentum. Nam hic mos eſt ægrotantium; vt quærant frigidam quandam; breuiſque temporis voluptatem; vnde prolixiorem ſibi conciliant pœnam. Hoc & in febrientibus videre quis poteſt, qui cum pauliſper abſtinere nolunt à refocillatione momentanea vetitorum vel eſculentorum, vel poculentorum, longum quendam & difficillimum inuehunt ſibi morbum. Oportet autem vt hi qui bene valent, non eorum qui male habent ſententiam & mores ſequantur. Nam ſi illos ſequemur, & à medica arte, & à philoſophia condemnabimur. Non autem hoc ſolum in febri contingit, vel mulierum amore, ſed & in diuitiis, & omnibus aliis qui ita ægrotant. Etenim qui in pecunias inſaniunt, licet ſciant, quòd hi qui parua hæc indigis impartiantur, infinita bona inde capiant: detinent tamen ea, & defodiunt, & bonis omnibus excidere malūt, ob frigidam breuemque hāc voluptatulam, quàm æterna pœna liberari, & immortalem vitam adipiſci, illas ad breue tempus deſpiciendo. Hoc vtique & illis contingit ob paruam oculorum concupiſcentiam: nam dum non ferunt vt ſeipſos aliquantiſper contineant, intolerabilem intra ſe ignem cogunt: & quantò ſcilicet ſe magis oblectari putant, tantò magis malo implicantur, diabolo ſuis artibus hoc curante ad incrementum & perſeuerantiam incendij, vt ardentes & electentur, & doleant, abſurdum quoddam temperamentum in animabus ſuis plantantes. Iam ſi quis nos intemperantiæ ob hæc verba condemnet? Sanè ſtrenuos illos viros, & cum mulieribus habitantes, qui nihil graue patiantur, beatos quidem dico, qui tales ſunt; & vellem etiam ipſe hoc robore donari: & ipſe quidem fortè adducor vt credam, quòd poſſibile ſit eſſe aliquos tales. Vellem tamen eos qui nos reprehendunt, poſſe hoc nobis perſuadere, quòd a-

A dolescens feruens, puellæque virgini cohabitans, & ad latera eius aſſidens, & ſimul cœnans, & per diem totum confabulans, vt nihil aliud apponam intempeſtiuos riſus & effuſos cachinnos, & mollia verba, atque alia quæ dictu inhoneſta audiens, & eadem habitans domo, eademque communicans menſa, vbi vltro citróque eſt libertas verborum, nulla humanarum affectionum capiatur, ſed purus à mala voluptate & concupiſcentia permaneat. Vellem hæc ab his qui nos arguunt me doceri poſſe: ſed neque ipſi volunt doceri, & reclamant nobis, quaſi impudentibus, & eodem morbo decumbentibus, ſuóque vitio correptis, ſi nos defendamus. Et quid hæc ad nos, inquit? Neque nos ſumus obnoxij inſipientiæ alienæ, neque ſi quis ſtultè ſcandalizetur, dignus ego ſum, qui pœnas dem ob illius inſipientiam. (Scandalū vitandum) Sed Paulus non dixit hoc, ſed iuſſit, vt ſi iniuſtè ſcandalizetur aliquis, eius infirmitati conſulatur. (Rom. 14) B Tunc enim ſolùm liberamur à pœna, quæ poſita eſt in eos qui ſcandalum dant aliis, ſi ex ſcandalo aliud quoddam lucrum naſcatur maius damno quod ex ſcandalo fit. Adeóque ſi hoc non fuerit, & hoc ſolum obuenerit, vt ſcādalizentur alij, ſiue ob rationem aliquam, ſiue ob nullam, ſiue vt infirmi offendantur, ſanguis illorum ſuper caput noſtrum, & ex manibus noſtris Deus animas tales requiret. Et propter hoc ne per omnia curam nullam haberemus, vel abiiceremus eorum quibus offendiculo ſumus, terminos quoſdam & regulas tales nobis Chriſtus præſcripſit. Nam & hoc, & illud fecit, nunc illos curans, nunc contemnens, prout tempus poſtulabat. Enimuero cùm de natura ciborum diſſereret, & oſtenderet eam eſſe puram, & à Iudaica obſeruatione liberaret, vbi ſcilicet Petro egreſſo, & dicente, *Scandalizati ſunt*: dixit: *Sinite ipſos*. (Matth. 15.) Et non ſolùm deſpexit, quin & accuſauit. C *Omnis enim plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur*. Ita legem de cibus ſtatuit. Vbi autem petebant à Petro drachmam, tunc non idem egit ſicut antea, ſed rationem habuit ſcandali, & ait: *Vt autem non ſcandalizemus ipſos, mitte hamum in mare, & piſcem qui primum egreſſus fuerit, tolle, inueniesq́, in ore eius ſtaterem, hunc acceptum, da pro me & te.* (Ibid. 17.) Vides vt ſcandali & curam habet, & negligit. Nam hoc loco nihil valde referebat etiam gloriam vnigeniti obſcurari: aut quomodo, cùm & alibi ſtuduerit eam adumbrare, præcepitque multis, ne cui dicerent quòd ipſe eſſet Chriſtus? Et propterea nihil damni ex eo quòd dependit didrachmum: ſi autem non ſoluiſſet, nata fuiſſent mala. Nam vt tyrannum, & obluctantem, & ciuitatis vniuerſæ inimicum, & in extrema pericula iniicientem vtique auerſati fuiſſent, & propterea ipſos qui volebant rapere Chriſtum, & facere regem, longius fugit, eámque opinionem à multis, qui circa ipſum erant, repulit. (Ioan. 6.) D Alio autem loco opus erat, vt corrigeretur factum, proptereaque vtiliter ac tempeſtiuè, & vt in meliori opere contempſit ſcandalum. Etiam poſtea valde tempori congruebat, vt ad excellentiorem philoſophiam adcenſuri, non prohiberentur lege, quæ ad Iudæos pertinebat, ſed abirent poſthac ita vocate tempore ad animi puritatem, neque remorarentur corporali obſeruatione, ſed permitterentur ad humilitate illa eximi. Sic & Paulus contempſit eos qui ſcandalizabantur, magiſtrum ſequens, & dixit: *Per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi conducit, ſed quod multis, vt ſaluentur.* (1. Cor. 10.) Si autem Paulus ſuam contemnit vtilitatem, vt inueniat quod multis proſit: quanta nos digni erimus pœna, ſi neque proprium fugimus damnum, nec cogitamus quomodo inueniamus quod vtile ſit aliis? nos quoque cùm aliis ſuauiter perdimus, cum oportebat & nos ipſos, & alios ſeruare. Atque propter hoc cùm videt maius lucrum, quàm damnum quod oritur, contemnit eos qui ſcandalum patiuntur. Vbi autem lucrum nul-

Digitized by Google

A lum, ipſum ſcandalizari ſolum habet pro iuſta cauſa, omnia & facere, & pati paratus, ne eueniat. Et non diſputat talia more noſtro. Non enim dicit, Quare ſunt tam infirmi? quare tam ſtupidi? quare affectiones illas admittunt? Sed ea de cauſa ipſis potiſſimum parcit, quia ob rationis penuriam ita ſe habent, & ita infirmi ſunt. Dic enim mihi, qualem ille rationabilem prætextum dicere poteſt, qui ſcandalizatur in comedente carnem, & bibente vinum? An non hanc nobis legem Deus ipſe permittit? Veruntamen in his ſi ſcandalizetur aliquis, Paulus abſtinet. Nunquam enim carnem comedam, inquit, vt ne ſcandalizem fratrem: & non dixit, ſicut nos. Subiiciendúſne ego alienæ inſipientiæ: num quia alicui ſimpliciori videtur eſſe ſcandalum, egóne dignus qui ſupplicium luam? Quãuis ſi etiam dixiſſet, multò tamen iuſtius dixiſſet, quàm nos. Nam qui in illis ſcandalizatur, inſenſatus eſt, & valde inſipiens. Verùm in his ipſe multas iuſtas & dignas cauſas quas diceret habet. B At multò iuſtiores dixiſſet Paulus, ſiquidem dicere voluiſſet: at non dixit, ſed ad vnum ſolum ſpectauit, nempe ſalutem proximi. Et vide eminentiam. Non enim dixit ſemel, aut bis, vel tanto, aut tanto tempore: ſed, *in æternum*, ait, *non comedam*, ſi ſcandalizetur alius. Et vt ne putes in his eum ſubſiſtere, &
Rom. 14. aliud quiddam adiicit hoc maius? Vt enim dixit, *bonum eſt non comedere carnem, & non bibere vinum*; coniunxit & illud: Neque illud per quod frater tuus impingit, vel ſcandalizatur, vel infirmatur. Et animaduerte ſapientiam præceptoris. Relicto enim infirmo, fortem corrigit aſſte illum. Nam fortis author eſt, quòd ille infirmus eſt, eò quòd poſſit infirmitatem corrigere, & non facit. Et quid dico de infirmis fratribus? Etenim Iudæis & gentibus iubet
1. Cor. 10 eandem curam impendi. *Abſque offendiculò* enim, ait, *ſitis & Iudæis, & Gentibus, & eccleſia Dei*. Itaque quantò C fortiorem eſſe dicis, nihilque ab hac cohabitatione incommodi accipere, tantò magis teipſum debitorem conſtituas, vt vinculum hoc rumpas. Nã quantò fortior eras, tantò & iuſtior fuiſſes, infirmiorem guſtando. Igitur ſi infirmus es, propter teipſum deſiſte: ſin robuſtior, propter alterius infirmitatem. Non enim ſibiipſi duntaxat, ſed & aliis fortem eſſe oportet eum qui fortis eſt. Quòd ſi te fortem eſſe dicis, & infirmitatem illius contemnis, duplam dabis pœnam, tum quòd non peperciſti, tum quòd multa tibi vis erat vt illi parcere poſſis. Nam vnuſquiſque noſtrum debitor eſt ſalutis proximi. Propterea iuſſi ſumus, vt *non quæ noſtra*
2. Cor. 10 *ſunt*, ſed quæ proximi ſpectemus. *Prætio enim magno*
Cor. 6. *empti ſumus*, & qui nos redemit, hoc præcepit in cõ-
7. munem animarum noſtrarum vtilitatem. Non enim hoc ſolum noſtrum eſt lucrum, quando propria ſaluamus membra, ſed & quando alios in maiora ſecuritate conſtituimus. Quamuis te perpetuò D defendas, redargueris tamen per opera damnum ex hac cohabitatione accepturus non vulgare. Quando enim te video ita auelli non poſſe, & deſpicere millia quæ offendunt, & non conuerti te tam multis reprehendentibus, ſed & gloriam tuam conculcare, eccleſiæque accuſationem vulgo proterere, & infidelium ora laxare, & omnes mala opinione imbuere: & tanta quidem ex cohabitatione nobis naſcuntur mala, nullum autem prouenit bonum: ex ſeparatione verò, horum omnium malorum ſubleuatione, multorum autem aliorum bonorum poſſeſſionem adipiſci licet. Cæterum quum non fers, vt à te tranſeat, quomodo perſuadere potero aliis, quòd affectionis ſis expers, & à concupiſcentia mala purus? propter hęc nihil cõtendo: ſed eſto quòd ſis etiam cohabitando purus, quanuis ne Iob quidem ille beatus auſus fuit tantam virtutem & ſapientiam ſibi aſcribere, & de ſe ita teſtari. Sed qui omnem tranſcenderet virtutem, ex omnibus diaboli retibus extractus, & primus, & ſolus tantam fortitudinem demonſtrauit, & omne ferrum, & adamantem ſua continentia prætergreſſus, ſubneruauit diaboli poteſtatem: ſic veritus erat talem pugnam, & putauit impoſſibile eſſe cohabitare virgini ſine damno & purum, adeò vt non ſolùm à cohabitatione tali & procul & longè ſeipſum, ſed & ab aſpectu prorſus, & occurſu ſubduxerit, legemque proſuerit oculis ſuis omnino in virginem ne reſpicere quidem: ſciebat enim manifeſtè, quòd non ſolùm cohabitantem, ſed & videntem curioſè in faciem virginis, difficile, forte autem & impoſſibile ſit effugere damnum quod inde oritur. Propter quod & dicebat, *ne cogitem quidem de virgine*. At ſi paruus videtur vobis ad certa- Iob 31.
men Iob, quanuis reuera neque ſtercore illius ſimus digni: veruntamen licet minus tua magnanimitate eſſe putas exemplum, cogita vocaliſſimum præconem veritatis, qui totum orbem circuit, & dicere potuit verba illa multa ſapientia referta, quòd non iam ipſe ſit viuens, ſed Chriſtus in ipſo: Galat. 2.
& quòd *crucifixus ſit mundo, & mundus ſibi*: & quòd *quo-* 1. Cor. 15
tidie moriatur: poſt tantam Spiritus gratiam & tanta certaminum ſpecimina, poſt tam innumera pericula, poſt tam eximiæ diligentiæ ſapientiæ ſtudiũ: declarat nobis & commonſtrat, quòd donec ſpirauerimus, & hac carne fuerimus circundari, certaminibus nobis opus eſt & laboribus: neque vnquam otio temperantia paratur, ſed multis ſudoribus & laboribus opus eſt. Ad hoc enim trophæũ parandum ſic dicebat: *Caſtigo corpus meum, & in ſerui-* 1. Cor. 9.
tutem redigo: ne dum aliis prædicauero, ipſe reprobus fiam. Hæc autem dicebat, declarans ſeditionem carnis, & concupiſcentiæ rabiem, præliumque continuum, ac vitam ſemper in agone conſtitutam. Et idcirco etiam Chriſtus arduitatem rei declarans, neque vel licitè aſpicere permittit mulierum facies: quoniam & adulterorum pœna puniendos ſic ſpectãtes interminatus eſt. Et cùm dixiſſet Petrus, *Non* Matth. 19.
expedit vxorem ducere: non ſtatuit legem, ne ducantur vxores, ſed naturam rei declarans, dicebat: *Qui poteſt capere capiat*. Audimus autem & hoc noſtro ſeculo, quòd nonnulli ferro totum corpus obligantes, & ſacco veſtientes, & ad vertices montium currentes, & in continuis vigiliis ac inedia ſumma viuentes, & omnem diſciplinæ ſeueritatem oſtendentes, ab omnibus mulieribus ſegregati, aſcendere in domunculam & tugurium, vt hac ratione ſeipſos caſtigantes, concupiſcentiæ furorem comprimant. At tu dicis, quòd licet videas cohabitantem virgini, & alligatum, & delicientem, & animam potius amittentem, quàm cohabitatricem, paratumque omnia & facere, & pati potius, quàm ſeparari à dilecta: ne ſuſpiceris aliquid mali, ne putes concupiſcentiæ negotium, ſed pietatis potius. Admirande vir, is affectus eſt his qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Et tu quidem fortè non credis ob magnam tuam continentiam. Ego autem audiui multos dicentes, quòd etiam multi apud lapides & ſtatuas aliquid paſſi ſint: Quòd ſi tantum valuit dura effigies, quantam operabitur inſaniam in effigie pulchra tenerum corpus? Quomodo nõ credentur magis veriſimilia dicere qui nos accuſant, quàm nos qui defendimus? Quid enim veriſimile, dic mihi? An quòd vir mulierem concupiſcit, vel quòd non concupiſcit? Omnino dixerimus quòd concupiſcat. Rurſum quum innumeræ cauſæ impellunt vt egrediatur, & non fert quòd egrediatur, ſed vult vt intra domum ſe contineat, haud in vllum bonum: quin potius multa ſunt probra, & damna, tam à ſuis, quàm ab alienis. Quid hic veriſimile? Ex bonóne hoc agatur propoſito, an ex malo? Opinor quis facilè dixerit quòd ex malo. Veruntamen non de his ipſis diligenter ſcrutabimur: ſed ponatur, vt fingi poteſt, quòd ij qui ſcãdalizantur, non ſcandalizentur iuſtè, ſed temere, & ſine cauſa. Sed dic mihi, cuius gratia virgini cohabitas?

Digitized by Google

habitas? Nulla enim alia cauſa cœpta eſt cohabitatio hæc, quàm propter dilectionem & amorem. Sed circumſcribe hoc, & auferetur rei vtilitas. Quis enim vir eſt, qui vellet ſine hac ferre neceſſitates, delicias, & iniurias mulierum, & alias huius generis imperfectiones? Propterea & ab initio Deus mulierem hoc robore armauit, bene ſciens quòd valde deſpicabilis eſſet, niſi hoc ſibi initio conferret, & quòd nullus ei cohabitaturus eſſet, cui purificandarum conſcientiarum eſt ſtudium: nam quòd nunc tam neceſſariæ & vtiles ſunt, ideo eſt, quia & pueros procreant, & domum cuſtodiunt, & alia multa his plura adminiſtrant. Si igitur, inquam, quæ viris miniſtrant, ſæpe tamen contemptæ ſunt, vt & è domo eiiciantur: quomodo abſque concupiſcentia nobis eſſe poſſunt dilectæ, præſertim à quibus tot opprobria? Vel ergo cauſam cohabitationis dicite, vel nullam aliam ſuſpicari neceſſe, quàm malam concupiſcentiam, & ignominioſam voluptatem. Quid igitur ſi poterimus, ait, cauſam iuſtam & rationabilem dicere? Fruſtra hæc apud nos dixeris, præſertim ſi nullam talem dices. Veruntamen & ipſam vellem dicere, ſi vel vmbram aliquam iuſti prætextus dicere poſſes. Defenſore caret, ait, virgo, neque virum habet, neque tutorem, neque patrem, ſæpe item nec fratrem, & indiget aliquo, qui ei manum præbeat, & ſolitariæ mœrorem conſoletur, & vbique ſe pro ea opponat aduerſariis, & ipſam in ſecuritate & portu conſtituat. Quam tu mihi hic ſecuritatem, quem portum narras? Portum enim non arcentem fluctus, ſed excitantem: & portum non comprimentem tempeſtates, ſed & proprias habentem & grauiores procellas. Non confundimini, non vultus veſtros obtegitis, ita vos defendentes? Nam hoc miniſterio neque excuſatio, neque damnum, neque ſcandalum naſceretur, ſed fama adhuc ſalua liceret iſtuc ipſum facere. Cur igitur non eſtis miſericordiores, & vt augeatis eius diuitias, & ſeculari ſtudio dediti, & negotiis vos immiſcentes, ac in mundanis conuerſantes curis, reditis in diſpenſatorum, & exactorum, & mercatorum ordinem? Non poteritis de paupertate differere, vel perſuadere, vt facultates contemnantur, qui omnia facitis, ne quid ex veſtris facultatibus vobis decedat, vt opibus opes accreſcant, propter vos, & iterum etiam propter illas inſtitores facti. Neque enim ingenua & iucunda ſunt veſtra officia. Qui iuſſi eſtis portare crucem, & ſequi Chriſtum, abieciſtis crucem. Quaſi effœminati milites ſcuto ſublato ad fuſum & calathum confidetis, propter alium turpiorem congreſſum aperta in præſentem vitam ianua. Non enim tam turpe eſt, eos qui in matrimonio ſunt, hæc adminiſtrare, vt vos qui ſimulatis vos reſiliiſſe à præſentium rerum curis, ob alterius perſonam iterum eaſdem ſubire. Propterea helluonum, & adulatorum, & paraſitorum, & mulieribus ſeruientiũ, vbique curam ſuſcipimus, quandoquidem inhumanam abiectam omnem generoſitatem nobis ſupernè datam, ſeruilitate & vtilitate terrena commutamus. Et viduarum quidem diſpenſare opes noluerunt generoſi olim illi viri: nam quum oriretur contentio, eò quòd nullus eſſet qui adminiſtraret, exiſtimauerunt hoc inferius eſſe ſua philoſophia, vnde aliis demandarunt. Non autem non erubeſcimus diuitias alienas augere, cum damno earum quas poſſidemus, nihilo meliores eunuchis illis, & hoc potiſſimum opus occupatis: qui ordinati vt quotidie ſanguinem & animam pro viduis exponamus, & hæc noſtra ſunt arma? Quid igitur? oportebítne omnia quæ virgini ſunt ablata contemnere, & quæ tolluntur & circunferuntur à cognatis, à familiaribus, & alienis, & domeſticis? Non profectò: bonam reddemus virgini retributionẽ, propter quæ neque nuptias habuit, neque præſentem mundum dilexit, ſed pro omnibus Chri-

A ſtum rapuit. Sinemus illam iacere ante eos qui eam facultatibus ſuis priuant. Et quantò ſatius erat nuptui eſſe traditam, vſamque cohabitatore, cui incumberet harum rerum adminiſtratio, quàm cùm innupta manet, fœderáque cum Deo conculcat, & iniuriam facit rei tam honeſtæ ac reuerendæ, & alios quoque ad ſuffragia ſuorum malorum trahit? Quo pacto autem hanc pro omnibus Chriſtum delegiſſe dices, cùm Chriſtus dicat: *non poteſtis ſimul ſeruire Deo & mammonæ?* (Matth. 6.) Quo pacto item mundum & præſentia odio habere poterit, quæ concupiſcentias huius mundi non aſpernandas ſuadet? Quomodo autem eam, quæ virum habet, hortari potes, vt contemnat mundana, cùm tu virgini diuitias conquiris, hanc ipſam olim relicturus, vt continuò ſeruiat domino, & indiuulſè omnem vitam & omne ſtudium in id negotij expendat? Quomodo poterit virgo philoſophari, cùm te virum videat, & habitum in opinione aliqua, ſuis in opibus ita negotioſum? B Quomodo diſcet damnum contemptui habere, cùm te videat omnia & facientem, & patientem, vt illius opes accumules? Nõ ſic nos Deus à negotiis liberari vult, ſed contemnere facultates, & omnibus quæ ad hanc vitam pertinent renuntiare: at non ſinitis vos, neque conceditis legem Dei valere. Quid ergo, ſi aliorum opus habeat præfectura & patrocinio, dicit, interim multa ferens indigna? An non indigna ſunt hæc virgine? Imò nihil tam indignum virgine, vt ditari & negotiorum turba adobrui. Quid autem ſi & alia cum his iubeat, qualia ſunt fœnerari aureos: deinde nobis vocatis ad compoſitiones, nihil perſuadeamus: & cum perſuaſa non fuerit, nocuerit aliis: arguemúrne nos vt authores? Quid autem, ſi negotiationes illas illiberales & ſeruiles inſtruat? Deinde cùm nos cooperari noluerimus, aliis quibuſdam opus habet: indignine erimus qui redarguamur? C Nullo modo, quin potius digni qui laudemur. Itaque ſi ſecus agitur, & accuſationẽ meremur, quod earum cooperarij ſimilia facimus. Vis non auferri bona illius? admone eam vt deponat, vbi neque viro opus habeat ad cuſtodiam, & perpetuò incõſumpta maneant: ſi autem voluerit opes habere, cuius gratia ludit in non ludicris? Nam ſi virgo hæc agat, ludit ludum non iucundum, ſed mortiferum. Quandoquidem debitricem horum certaminum ſe conſtituit, omnino indigna ſua pollicatione facit. Maior pœna, grauior vindicta. Num audiſti qualem ipſi legem poſuit Paulus, imò Chriſtus qui per illum locutus eſt, quòd *diuerſa eſt mulier, & virgo. Et quæ innupta eſt, cogitat quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta & corpore, & ſpiritu?* (1. Cor. 8.) Sed vos non ſinitis, ad omnia earum deſideria auſcultantes magis, quàm emptitia mancipia. Etiam dicit quis: Quid igitur, ſi extrema inopia laboret? Nam de abundantibus bene à te dicta ſunt. Quæ autem in mendicitate & inopia multa D neglectæ iacent, reprehendis nos, ſi iuuentur? Vtinam non deieciſſetis & depuliſſetis eas in alia perditionis barathra, & bonum eſſet. Enimuero ſi hac ſatis abductus perſuaſione, qui iuſſit præeſſe pauperibus: habes multos fratres ibi, perſuade & monſtra, vt ſubeatur honeſtum illud opus ab eo, de quo nulla ſuboritur ſuſpicio & ſcandalum, eò quòd hoc loco eleemoſyna omni inhumanitate & crudelitate ſit deterior. Quæ enim vtilitas, dum tu quidem corpus bene alis, animam autem expolias: quando veſtem das, ſuſpicione autem hac & nudis turpiorem facis: quando prodes in his quæ ſunt corporis, omnia autem ſpiritualia diſperdis: quando ei multa præparas ſuper terram, eiicis autem è cœlis? Qualis autem hæc eleemoſyna, quando gloria domini contemptui eſt, quando palam ſunt opprobria & confuſio, & conuicia, & ſcommata, & eius cui miſericordia fit, & aliorum multorum qui ſcandalizantur? Non à miſericorde, ſed inhumana anima hæc proficiſcuntur. Nam ſi ex

miſe

Digitized by Google

miſericordia & humanitate eſſent, hæc circa viros quoque declarare oportebat. At mulieres, inquis, maiore opus habent cura: viri autem natura multa habet adiumenta. Quin & in viris multi ſunt mulieribus deterius habentes, & ob grandem ſenectam, & ob valetudinem, & ob cæcitatem corporis, & ob morbos graues, aliáſque id genus cauſas. Veruntamen quia maximè vobis curæ eſt mulierum genus, vtpote infirmius, & ad eas valde miſericordes & compatientes eſtis, neque hic hoc prætextu deſtituamini: ſed oſtendemus hæc argumenta in his quibus nihil ſuſpicionis, & mercedis plurimum. Sunt enim & mulieres quædam quæ pre ſenio confectæ, vel abſectis manibus, vel captæ oculis, variíſque aliis morbis inualidæ, & difficiliore morbis paupertate. Siquidem inopia, cùm prorſus nihil habetur, corporis morbos affert. Hæc autem paupertas à morbis quoque grauior fit, & intolerabilior: has ſi inueneris, collige, imò in colligendis nullo opus erit labore, ita ante omnes iacent, paratæ omnibus qui porrigant manum. Si opes habes, his expende: ſi validus es, has corporis miniſterio adiuua, multa & hic opera videbis, quæ indigent corporali miniſterio, & ſumptu opum, & circumcurſitatione. Nam opus habent vt illis aſſignentur domicilia, præparentur potiones, & lauentur ipſæ & veſtes, & curentur cibi boni, aliaque multa, etiamſi ſolùm decem eſſent, quæ ita ægrotant: nunc autem ciuitas noſtra his tota impleta eſt, inueniéſque mille, aut duo millia, quibus cura opus foret. Iſtæ deſolatæ ſunt, iſtæ humi iacent Hæc eſt eleemoſyna, hæc eſt humanitas, hoc in gloriam tranſit Dei, & in vtilitatem eorum qui vident, & qui accipiunt, & qui faciunt. Etenim iuſtius adiuuantur infirmiores, quàm fortiores: & vetulæ, quàm iuniores: & he quibus neque neceſſaria ſunt, quàm illæ, quæ mediocria poſſident: & illæ quæ apud multos abominabiles, quàm quas multi adamant: & illæ quæ contemptæ diu fuerunt ob intolerabiles dolores, quàm quæ fauorem aliis conciliare poſſunt. Oſtende igitur quòd propter Deũ hoc facias, & illis opitulare. Quòd ſi has neque per ſomnum videre vis, ſed formoſas & adoleſcentes obambulando venaris, & illiberalis huius venationis cauſam quidem aliam habes non ferendam, prætexis autem aliam quæ in ſpeciem honeſta & accepta eſt, nempe cauſam tutelæ, licet homines decipias, ſed non item tribunal Dei, quod muneribus corrumpi nequit. Nam ob aliam quidem cauſam hæc facis, & aliam prætexis; nam dicitis, quòd propter Deum faciatis omnia, facitis autem opera quæ ſunt inimicorum Dei. Ego autem & addo aliquid amplius. Ponamus enim quòd vera dicat qui ſic dicit, & ab omni concupiſcentia purus ſit, neque ex vllo alio, quàm ex ſola pietate hanc præfecturam ſuſcipiat: attamen neque ſic ipſum à pœnis fore liberum inueniemus. Nam ſi deeſſent occaſiones aliæ, in quibus etiam pietatem declarare facereque, nullis animabus in eo impingentibus, poſſet: nec ſic tamen hoc agere oporteret, vbi minus lucro damnum. Quomodo feres vt ob corporalia negotia vnius aut duarum virginum infinita multitudo animarum iacturam faciat? Veruntamen nec ſic grauiſſima eſt accuſatio: cùm autem innumeras inuenias vias, & alienas ab accuſatione, & liberas à ſcandalis, & quæ maiorem habent abundantiam: cuius gratia tibiipſi negotia fruſtrà & incaſſum, & lucrum ſubtrahis, & periculoſe extruis, & ignominioſe? Et liceret ſine damno & cum gloria. An neſcis fulgidam Chriſtiani vitam vſquequaque lucere debere, & eum qui ſuam gloriam fœdet, vbique poſtea inutilem, & nihil magnum lucrari poſſe, etiamſi fortunatus ſit? Nam *ſi ſal infatuatum fuerit*, dicit, *ad quid valebit vltrà*? Matth. 5. Sal enim nos eſſe vult, & lumen, & fermentum Deus, vt & alij à nobis vtilitatem accipiant. Quòd ſi homines irreprehenſibiliter viuentes, vix conuertere valent negligentes: quomodo ſi illis damno ſimus, non vndequaque rei erimus? Nam ſicut qui peruerſam agit vitam, nunquam ſaluatur: ita neque qui ſeipſum ignominia aſpergit, pœnam effugere poterit. Quòd ſi etiam admirabile quiddam dicendum, etiamſi grauiter quis peccet, atque clam hoc faciat, & neminem ſcandalizet, minorem dabit pœnam, quàm qui leuiter peccauit, idque impudenter, & cum multorum ſcandalo. Et ne dictum admireris, neque plus iuſto dictum putes, ipſam tibi hanc è cœlo ſententiam afferemus, & hanc legem inde prolatam probabimus: nam beatum Moſem, omnium qui ſuper terram hominum mitiſſimum, Dei amicum, prophetarum maximum, quandoquidem Deus aliis per ænigmata locutus eſt, huic autem ſicut amicus amico. Hunc talem qui multas miſerias in deſerto ulit, tot annis, qui in extremis ſæpe periculis fuit apud Ægyptios propter Iudæos, & apud Iudæos, pro ipſis ingratis: tamen hunc talem & tantum nihil aliud prohibuit poſt tot ærumnas & labores, multaque preclarè geſta, promiſſione potiri, quàm quòd ſcandilizati ſunt ij, qui cum ipſo erant apud aquam. Et hoc eſt quod inſinuabat Deus, dicendo: *Quia non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël: propter hoc non inducetis congregationem hanc in terram, quam dedi eis.* Num. 20. Quamuis autem ante hoc in nonnullis minus obediſſet, contradixit enim Deo ſemel ac iterum cùm mitteretur in Ægyptũ, & poſtea in deſerto incredulus dicebat: Sexcenta millia ſunt peditum, & tu dixiſti; carnem dabo ipſis, & comedent menſem dierum: num oues & boues mactabunt, vel omnia edulia maris congregabuntur, & ſufficient ipſis? Et poſtea iterum difficilem ſe reddidit, & populi præfecturam detrectabat, attamen nihil aliud potuit ipſum propoſitis præmiis priuare, quàm ſolum illud quod apud aquam contigit: quod natura quidem minus aliis erat, ſed quia cum damno aliorum fiebat, multò maius iudicatum. Illa enim priuatim & occultè accidebant, hoc autem manifeſtè, & apud populum omnem committebat. Propterea & reprehẽdens Deus hoc, inſinuabat dicens: Quia non ſanctificaſtis me coram filiis Iſraël: peccati eorum naturam detegens, & vnde factum quod veniam non mereatur declarans. Si autem talem virum hoc fecit impingere, nos vermiculos, & nullius penſi, quomodo non deſtruet & perdet? Nihil enim ita exacerbat Deũ, vt quando nomen eius blaſphematur. Vnde ſurſum ac deorſum apud Iudæos hoc iactat, eos reprehendens, quòd nomen meum profanaſtis: & iterum, *Vos profanaſtis ipſum*: &, *Propter vos nomen meum blaſphematur in gentibus*: Eſa. 52. & tanta ipſi cura, ne eueniret quod euenit, vt & indignos ſæpe ſaluarit, vt ne hoc fieret. Feci enim, ait, ne nomen meum profanetur, & non propter vos ego facio domus Iſraël, ſed vt nomen meum non profanetur. Iam Paulus anathema eſſe optabat pro gloria Dei: Rom. 9. & ipſe Moſes quoque è libro vitæ deleri orabat pro gloria nominis Dei: Exod. 32. vos autem non ſolùm nihil eligitis pati, atque adeò in ipſam inciditis blaſphemiam, & omnia facitis per quæ illam augeatis, & quotidie intendatis. Quis igitur vos excuſaret? quis item ignoſceret? Nullus eſt, & planè nullus. Tantam autem curam & Deus facit, vt non blaſphemetur nomen ſuum: ſimiliter & ſancti, non quòd Deus opus habeat vt à nobis glorificetur: nullius enim indiget, & perfectus eſt, ſed ex ea re multum damni hominibus. Quando enim apud nos malè audit nomen Dei, & gloria eius nobis nihil vltra prodeſt. Quòd ſi Deus quum accuſatur, nihil prodeſt: multò minus vos. Omnia igitur faciamus, vt nulla ſit occaſio ſcandali, etiam ſi iniuſtè reprehendant: perſuaſionibus diluamus crimina, & imitemur ſanctos, quibus tantum fuit

ſtudium

ſtudium & gloriæ Dei, & ſuæ propter Deum. Ne abiectis omnibus & conculcatis, ſufficere arbitremur ad defenſionem, ſi dixerimus: Veſtem emimus virgini, & calceos, & alia quæ ad corporalem curam virginis attinent, bene diſpoſuimus. Quis, ait, adminiſtraret ea quæ domi noſtræ? quis poſſeſſionibus intenderet? quis præeſſet domui nobis abſentibus? & cum intus non ſit mulier: quandoquidem & hæc prioribus contraria, & turpiora. Et nullius ipſi curam habent, neque erubeſcunt, ſicuti ebrij omne quod in buccam venit loquens: quapropter neque nos defatigabimur, etiamſi talia ſunt quæ ab iis dicuntur, vt nullum reſponſum mereantur. Non grauabimur, inquam, & reſpondere, & manſuetè cum eis agere, donec ab hac ebrietate illos liberemus, quantum ſcilicet ad nos attinet. Confundor quidem & erubeſco cùm hæc euertere attento, quibus contradicere illi non erubeſcunt, ferenda tamen omnino erubeſcetia propter eos qui erubeſcere neſciunt. Etenim abſurdum fuerit; redarguentem eos qui fratres quos ſcandalizant contemnunt, ſeque ipſos confundunt, propter pudorem illorum curam abiicere. Dic enim: quæ ſunt illa, quæ domi agunt, propter quæ tantopere neceſſarius vſus virginis? Barbararũ puellarum tibi examina ſunt, & nuper empta, quæ oportet erudire, & ad lanificium, & ad alia miniſteria. Ad hæc dicis, promptuarium mihi eſt opum multarum, & oportet cuſtodem intus ſemper ſedere, & familiarium malitiam obſeruare, oculos virginis, cœnam quoque, & conuiuia continuè apparare, & oportet domum ornari, & coquos, & menſæ miniſtros cura regi virginis. Sunt item multi varij ſumptus, ſunt & continui, & oportet aliquem ſemper præſidem eſſe, & ſuperintendentem, vt cuſtodiantur cum diligentia, & ne illa à domo ſine vtilitate elabantur: Nihil horum ait, ſed quo pacto ipſam hanc arcam & veſtem, & aliam aſpiciat facultatulam? bene verrat menſam, bene ſternat lectum, & incendat ignem, & abluat pedes, & aliam quietem omnem præbeat. Deinde pro parua & frigida refocillatione hac tantam feremus accuſationem? tanta ſuſtinebimus opprobria? Et quantò melius frater & facilius adminiſtraret? Natura enim fortior eſt muliere vir, vſu autem nobis magis familiaris, & non tam ſumptuoſus. Mulier quippe, vt pote tenerior, & molliore indiget lectulo, & tenuiore veſtitu, & fortaſſis puella altera, quæ ei miniſtret: & non tantum nobis miniſterium præbebit, quanto ipſi opus erit apud nos: frater autem hic non tantis eget. Quòd ſi aliquo eget, eodem & nos indigemus, quod non paruæ cõmoditatis, ſi contubernales non variis, ſed iiſdem vtantur: id quod certè in virgine non eſt. Primum ſanè ſiue lauari velit, ſiue nudare corpus, neque frater ipſi ad hæc miniſtrabit, tametſi valde impudens ſit, neque ipſa ſibi ſufficiens eſt. Si autem fratres ſunt qui cohabitant, viciſſim miniſtrare poterunt: Item quando dormire opus fuerit, virgine quidem intus ſedente, & lectos ſeiunctos duos eſſe oportet, & ſtrata duo, & lodices duos, ſi autem caſtius agant, & domicilia duo. At ſi fratres ſint, iterum re familiari tanta non eſt opus. Etenim domus vna, ceruical vnum, & lectus vnus, & eadem regmina vtriſque ſufficiunt: & in ſumma, ſi quis omnium pertractet miniſterium: hic multam inueniet facilitatem, alibi autem difficultatem. Et transeo domus turpitudinem. Quale enim eſt, ſi in domum viri ſolitarij itur, videre calceos muliebres ſuſpenſos, & cingula, & mitras, calathiſcos & circulos, & pectines, & fuſa, & alia quæ particulatim omnia numerare non datur? Sin autem vlterius de his quæſieris, plurimus eſt riſus. Primùm quidem in puellarum tanta turba ſolus paſcitur, quaſi choraules in orcheſtra, qui in choro mulierum ſaltantium concinit: quo quid turpius & inhoneſtius?

A Deinde diſrumpitur tota die familiaribus ſuccenſens ob res quæ ad mulieres ſpectant. Nam ei neceſſarium omnino ſilere, & omnia negligere, & ab illa increpari, vel dicentem & increpantem confundi, & vide quid contingat. Nam qui iuſſus eſt ne prope quidem ad temporalia negotia accedere, non ſolum temporalia, ſed muliebria ipſiſſima tractat. Etenim vaſa muliebria afferre non detrectabit argentariis, ſubinde rogans num ſpeculum dominæ præparatum ſit, num cadum, num lecythum reddiderint: nam in eam corruptionem venerunt omnia, vt pluribus vaſis vtantur, quàm ſeculares virgines. Hinc iterum ad vnguentariam officinam currit, diſputans de aromatibus dominæ, ſæpe etiam plus quàm mediocri ſtudio. Nec detrectabit ſi & pauper criminandus ſit. Vtuntur autem & virgines vnguentis, non modò variis, ſed & ſumptuoſis. Deinde ab vnguentaria ad vendentem lintea:

B & ab illo iterum ad pellionem. Non enim verentur imperare hæc parua, quia vident eos valde obedientes, & gratiam habentes imperãtibus maiorem, quàm alij miniſtrantibus. Hinc iterum ſi quãdo aliquid apparandum quod ad circungeſtabile tabernaculum hoc pertinet, vſque ad veſperam impranſi perſeuerant officinis affixi. Et de loco nõ eſt miraculum, ſed quod & miſeris famulis ſunt moleſti, & frequẽti iniuria, & inclamatione, & clamore hos vrgent. Cogita quantæ hinc accuſationes: miniſter enim iniuria affectus, & pro talibus rebus, quia eum qui iniuria affecit, non alio modo vlciſci poteſt, lingua hoc facit, & occulta obtrectatione: nec parcit alicui eorum, quin furori ſuo ſatisfaciat, ſed tam immodicè vlciſcitur, quantum veriſimile eſt ſeruum ita exprobratum, & cui ſola hæc eſt conſolatio, è malis ſuis aduerſus eum qui contriſtauit. Atqui pauperi, inquit, cohabitat, nec cum argentariis negotia habet: non enim paupertas ſinit aſſidere officinis vnguentariis, & cum ſu-

C toribus, & textoribus, & variegatoribus, & tinctoribus multum conuerſari: & quid opus catalogo omnium ſordium, vt quando in domum inducunt ceruſſæ & croci venditores, & deinde in foro talia iterum requirunt? Et hæc quidem in domo & foro contingunt, ſed ferunt his multò magis ridicula. In eccleſia dici non poteſt quãta ſi confuſio. Nam ſicut nemo ignorat ipſorum locum contemptum, illiberalem ſeruitutem: ſic & in loco hoc ſancto, & terribili, omnibus ſuam intemperantiam prædicant: & quod vtique moleſtius & maioris ignominiæ, quòd & ſe fucant & ornant, de quo erubeſcere oportebat. Ante fores ipſas excipiunt, eunuchorum loco pompam habent, & præambulantes faſtum ſpirant habentibus omnibus, & non humiliter deſcendunt, ſed cum exultatione aſſultant, idque in ſancto & reuerendo ſacramentorum tem-

D pore, & miniſtrando multas vt illis placeant occaſiones, his qui eas vident, præbentes. Illæ autem miſeræ & calamitoſæ eos ab hac gratia prohibent, idque miris deliciis & faſtu. Quamuis ſi quis vel his, vel illis maledicere vellet, quid maledicto hoc inueniret atrocius, quàm vt tam innumeris teſtibus intemperantia eorum arguatur, & in oculis omnium fœdè agunt? Quid opus eſt dicere quot in eccleſiis ob illarum gratiam ſubuertuntur, quot diuina opera à multis negligantur, vt ne has irritent? Et quid dico ne irritent, ſi quis tantum inſuauiter & triſtius eas videat, omnia malunt ferre, quàm diſſimulare illam hoc paſſam, & non vlciſci. Hactenus & nos fœdè agimus, illorum omnia enarrantes. Non vtique hoc propoſuimus: nam ſi omnia tractare velimus, multa & longa nobis oratione opus eſſet: imò ſi maximè prolixior eſſe vellem, non poſſent omnia dici: quandoquidem dum ex multis pauca colligimus, etiam ſic prolixi ſumus: ſed non ad hoc venimus, verùm inuiti ad illorum memoriam rapti ſumus, vt cordati audi-

Digitized by Google

tores parumper admonerentur: reliquum operæpretium obſecratione & precatione. Oro igitur & ſupplico, & ante genua veſtra me prouoluo, & omnibus preces affero, perſuadeamini, & ab hac ebrietate redeamus, ſimus noſtri ipſorum compotes, & agnoſcamus honorem, quem dedit nobis Deus. Et Paulum clamantem audiamus: [1.Cor.7.] *Ne ſitis ſerui hominum*: & deſinamus, vt ſeruiamus mulieribus ad communem omnium noſtrorum perniciem. Milites nos eſſe Chriſtus vult, & ſtrenuos, & athletas. Non propter hoc nos armauit armis ſpiritualibus, vt puellarum triobolarium miniſteria ſuſcipiamus, vt circa lanas, & ſtamina, & alia miniſteria verſemur, vt aſſideamus ad mulierculas nentes & texentes, vt totum diem conſumamus, verbáque & mores muliebres in animas demungamus: ſed vt configamus inuiſibiles virtutes, quæ nobis aduerſantur: vt diabolum percutiamus, qui contra nos militat, vt abigamus feroces dæmonum phalanges, vt ſubuertamus eorum præſidia, vt poteſtates & mundi dominos, rectores harum tenebrarum ligatos in ſeruitutem ducamus, vt ſpiritualia malitiæ in exilium effugemus, vt ignem ſpiremus, vt ad quotidianas mortes parati ſimus. [Epheſ. 6.] Propter hoc induit nos thorace iuſtitiæ, propter hoc cinxit nos zona veritatis, propter hoc impoſuit galeam ſalutis, propter hoc calceauit præparatione euangelij pacis, & tradidit gladium Spiritus, propter hoc ignem accendit noſtris animabus. Si igitur militem aliquem poſtquam induerit galeam, ſuralia, thoracem, poſtquam acceperit ſcutum, gladium, lanceam, tela, ſagittas, pharetram, tuba iam clarum ſonante, & omnes euocante, hoſtibus magno impetu ſæuientibus, & ciuitatem à fundamentis euertere molientibus, videres non in agmen foras currere, ſed in domum ingredi, & mulieri aſſidere cum armis: an non, ſi modò liceret, gladio medium transfoderes, ne ſermone quidem eum dignatus? At ſi tu tanta ira impletus es, quomodo putas Deum in multò turpioribus erga nos affici? Tantò enim turpiora & abſurdiora ſunt hæc quàm illa, quantò & grauius bellum, & hoſtes truculentiores, & præmia pro quibus bellatur, maiora, & in ſumma, omnia tantùm tranſcendunt, quantùm vmbram veritas. Itaque ne effœminemus robur noſtrum, ne ſuccidamus neruos noſtros iſtis cohabitationibus. Etenim indicibilem & infinitam animabus noſtris inſtillat malitiam. Quid enim, etiamſi non ſentiamus amore ebrij? Iſtuc enim ipſum omnium eſt longè grauiſſimum, quod neſcimus quomodo eneruemur, ceraque omni molliores reddamur. Nam ſicut ſi quis leonem ſuperbum & toruè videntem arripiat, & iubas abradat, dentes excutiat, vngues amputet, turpemque faciat & ridiculum, & terribilem illum & intolerabilem, & rugitu ſolo omnia concutientem, facilè iam à puero vincibilem: Ita & hos omnes quos capiunt, facilè poſſe capi faciunt à diabolo, molliores, concitatiores, impudentes, inconſiderantes, iracundos, audaces, intempeſtiuos, humiles, abiectos, ſeruiles, illiberales, ſordidos, nugaces, & in ſumma, omnino corruptos mulierum mores in animam illorum immittunt & inferunt. Etenim fieri non poteſt mulieri cohabitantem cum tanta compaſſione, & illarum conuerſationibus emollitum, non eſſe ſordidum quendam, & forenſe mancipium: & ſi quid loquitur, de ſtaminibus & lanis loquitur, lingua eius qualitate muliebrium verborum infecta. Et ſi quid facit, hoc magna ſeruilitate operatur, & ſeipſum procul à Chriſtiana libertate ſeiungit, ad nihil eximium, & quod præclarè fit, vtilis. Nam cum ad ſeculares & ciuiles res hominum inutilis ſit & nullius frugis, multò magis ad magnitudinem rerum ſpiritualium, quæ tantò generoſiores vires requirunt, vt ne attingi quidem poſſint, niſi ab his qui ad eas tranſituri angeli ex hominibus fiant: non ipſi autem ſolum tanto malo afficiuntur, ſed & illis morum peſſimorum authores fiunt. Nam quemadmodum illi qui iſtis impendio placere volunt, officij ſui rationem negligunt, ita ipſæ propter illos à ſua verecundia excidunt, malam & pernicioſam inuicem exhibentes retributionem. Etenim ſe ornant curioſius, delicatiorum veſtium & inceſſus multam curam habent, & quæ non licet, quotidie nugantur: quandoquidem vident multos incompoſitis moribus & verbis oblectari, omnia inſtruunt per quæ ipſos in ſeruitute contineant. Iam ſi voluerimus pauliſper reſipiſcere, & noſtri ipſorum eſſe, & illos lucrabimur, & nos ipſos & alios omnes: & ſicut nūc perditionis multorum rei facti ſumus: ſic & à multorum ſalute mercedem accipiemus: & quibus nunc potimur turpiter, illis fruemur magno cum honore. Cur enim vis honorari à mulieribus, dic mihi? Maximè indignum hoc eſt viro ſpirituali, amare talem honorem. Veruntamen & ſic aderit, quando non quærimus ipſum. Solet enim homo deſpicere eos, qui ſibi miniſtrant, & in admiratione habere eos, qui non adulantur: cui rei muliebris natura magis obnoxia eſt. Nam ſi illis quis aduletur, intolerabilis eſt. Admirantur autem multò maximè eos, qui cedere neſciunt, nec ſuccumbunt intempeſtiuis ſuis concupiſcentiis: & huius vos mihi teſtes eritis. Nam tunc non ſolum externæ, ſed & ipſæ quoque vos irrident: etſi nō manifeſtè, certè tamen in conſcientia, glorianturque hac dura tyrannide: tunc autem omnino vos admirabuntur, & veſtram obſtupeſcent libertatem. Quòd ſi noſtris ſermonibus non creditis, illas ipſas interrogate, vtros magis laudent & approbent, an eos qui ſæuiuunt, & qui dominantur, an ſubiectos, & qui omnia faciunt & patiuntur ob ipſarum gratiam, vel qui nihil horum ferunt, & duris ſuis præceptis eas erubeſcere faciunt? Et ſi volent dicere verum, omnino illos dicent: imò neque reſponſo opus, rebus iſtuc ipſum clamantibus. At voluptatis gratia qui cohabitat, opibus inhiat, oculos paſcens virginum aſpectibus, maximè quidem ſi & hoc ſic poterit. Verùm propter hoc ipſum fugere oportebat: nunc autem nobis ſatis demonſtratum eſt, quòd ſuaue hoc non ſit, ſed planè contrarium, ſi quis hac contemplatione non fruatur: & tu illis adiicito, etiam è bona conſcientia lætitiam illis auferri. Nihil enim nos ſic exhilarare ſolet, vt conſcentia pura, & bona ſpes. Sed quietis gratia hoc inquiris? Iam demonſtratum eſt, quòd hoc facilius eſſet, ſi frater cohabitaret, ac nunc penè nihil à ſeruo differs: & quærens requiem, ſeruitutem inueniſti multò grauiſſimam: extra hoc miniſterium ſtabas, eráſque inter eos qui imperabāt, non quibus imperabatur. Igitur hic pro voluptate mœror, & pro gloria confuſio, & pro libertate ſeruitus, & pro requie labor. Accedunt ad hæc, quòd & Deus blaſphematur, & tanta perditio ac ſcandala, & immortalis pœna, & plurimorum bonorum amiſſio. Ibi autem contraria omnia, gloria, honor, voluptas, libertas & vitæ & ſermonis, ſalus animarum, regni hæreditas, pœnæ effugium. Cuius ergo gratia non hæc illis commutamus, ego certè neſcio. Veruntamen ſi quis ſeipſum perdere deſiderat, nulla nobis poſthac defenſione opus erit, nec venia. Si enim nihil horum eſſet, omnia tamen pro gloria Dei ferre oportebat: cùm & præſentia percipere, & futura aſſequi bona liceat. Nunquid cura de hoc quòd Dei gloria contemnitur & blaſphematur, & nos ipſos perdimus? quis eripiet & liberabit à ſupplicio propter hoc imminente? Nullus, nullus. Omnia igitur hæc nobiſcum perpendentes, reparemus vel tardè animarum ſalutem. Quòd ſi quid difficultatis habet diuelli conſuetudine longa, virtute rationis poſt Dei gratiam

Digitized by Google

hoc tantum ſubuertamus: & illud nobis perſuadeamus, vel ſi principium ſolum imponamus operi, non vltra viſuros nos difficultatem: ſic aduerſus conſuetudinem præualebis. Nam ſi decem dies te abſtraxeris, facilè feres viginti: & iterim bis tantos, deindeque via progrediens, neque ſenties difficultatem, quam habuiſti initio, videbiſque facillimum factu, quod tot agones prius expoſcebat, & in aliam te mutabis conſuetudinem, inueniens haud ita grauem tranſlationem: neque id per conſuetudinem ſolùm, ſed & per bonam ſpem continget. Sic te illæ magis admirabuntur, & Deus præ aliis acceptum habebit, & homines coronabuntur, viueſque liberè & iucundè. Quid enim fuerit ſuauius, quàm à mala conſcientia liberari, & perpetuum concupiſcentiæ bellum dirimere, & multa facilitate bonam continentiæ coronam plectere, & liberis oculis in cœlum reſpicere, putaque voce & corde dominum vniuerſorum inuocare? Nullus catenis, pondere, & aliis carcerum incommodis exemptus, imò nullus qui cæcus erat apertis oculis, & viſa hac dulci luce ſic exultat, geſtit, & tripudiat, vt cùm ab hac ſeruitute liberari contigit. Longè enim dulcior hac luce eſt liberatio ac hac tyrannide, & omni caligine grauior ſeruitutis huius & incolarum miſeria. Verùm quid opus eſt hæc prolixius referre? & vitæ illius indignitatem, triſtitiam, damnum & corruptionem: & huius libertatem, voluptatem, vtilitatem, & multifarias virtutes nullus ſermo ſatis commendare poteſt, ſed ſola rerum experientia. Et tunc ſcietis bene, à quibus malis liberati ſitis, quam aſſecuti fueritis vitam, cùm reipſa parere volueritis. Parete igitur, vt opere ipſa quæ dicta ſunt diſcatis. Quòd ſi adhuc reſpuitis, & noſtris ſermonibus non creditis: dicite aliquem qui hanc ſeruitutem tulerit aliquando, & deinde liberatus ad libertatem bonam recurrerit, & ſcietis admonitionis huius luctum. Etenim & Salomon cùm ſecularium rerum concupiſcentia teneretur, magnas eas & admirandas putabat, multumque in eis laboris & ſollicitudinis inſumebat, magnificas ædificando domos, copioſum coaceruando aurum, congregando cantorum choros, varia genera miniſtrorum menſæ & popinæ, quærendo animæ ſuæ voluptatem ab hortorum & corporum formoſorum gratia: & omnem, vt ita dicam, oblectationis & refrigerij viam ſectando. At vbi inde ad ſe reuerſus, & quaſi ex vmbroſa quadam abyſſo ad lumen veræ ſapientiæ reſpicere valuit, tunc ſublimem illam, & cœlis dignam emiſit vocem: *Vanitas vanitatum*, dicens, *& omnia vanitas.* (Eccleſ. 1.) Hanc & vos, & hac ſublimiorem, ſi volueritis, efferetis ſententiam de intempeſtiua hac voluptate, ſi aliquantiſper à mala conſuetudine vos ſequeſtraueritis. Quamuis autem à Salomone ſeculis ſuperioribus non tam multa ſapientiæ exigebatur diligentia: neque enim delicias lex vetus prohibebat, neque aliis frui ſuperuacuis dicebat vanum: attamen & ſic ſe habentibus rebus, in ipſis contueri licebit, quàm viles, & vanitati obnoxiæ res ſint. Nos verò ad maiorem vocati vitam, & ad excellentius faſtigium aſcendimus, & in maioribus exercemur palæſtris. Et quid aliud, quàm quòd ſicut ſupernæ virtutes, intellectuales & incorporeæ illæ vitam inſtituere iubemur? Igitur, quo pacto non eſt turpe, extremóque ſupplicio dignum, illis multò minores apparere: & non ſolùm conceſſis non fieri ſublimiores, vt illæ, ſed & vetita aggredi, quamuis intolerabilem pœnam afferant? Nam in anima malum amorem paſcere, ex concupiſcentia ſpectare mulierem, ſpeculari alienam formoſitatem, confundere ſeipſum, nocere infirmioribus, Iudæis & Gentilibus anſas noſtram fidem blaſphemandi præbere, domeſticos & alienos ſupplantare, ſeruili miniſterio mancipatos eſſe, ad ſecularium negotiorum turbam nosipſos intrudere, donatam nobis libertatem diabolo offerre, & immaniſſima tyrannide commutare: ridiculum quidem amicis, opprobrioſum verò inimicis eſſe, malam omni eccleſiæ opinionem inuehere, confundere honeſtam virginitatis dignitatem, & luxuriantibus multas præbere occaſiones, aliaque his plura facere grauia. Neque enim omnia ſcire licet, quæ pro his rebus ferant, quæ tamen valde prohibita ſunt, & cruciatum intolerabilem ſecum afferunt: atque adeò ſi parua etiam voluptas ſit, & opponantur ei riſus, confuſio, multorum ſuſpiciones, reprehenſiones, conuitia, opprobrationes, vermis perpetuus, tenebræ exteriores, ignis inextinguibilis, tribulatio, inanguſtia, ſtridor dentium, vincula inſolubilia. Hæc ſicut in tabula proponamus ante oculos; reſiliamuſque vel ſerò à pernicioſo grauiſſimoque hoc morbo, vt cum fulgentibus coronis hinc migremus, & poſſimus libero ore ad Chriſtum dicere: Propter te & gloriam tuam, & familiaritates contempſimus, & voluptati imperauimus, & animam noſtram affliximus, & lectis amicis & ſuſpectis, te amoremque tui rebus omnibus præpoſuimus. Sic enim lucramur nosipſos, lucramur miſeras illas, lucramur eos qui ſcandalizantur: & cum martyribus collocabimur, primoque in ordine erimus eorum qui hoc maximo certamine vicerunt, & fortiter cruciatus tulerunt. Non enim minorem pono hominem, concupiſcentia veteri detentum, & in ſuauiſſima & antiqua conſuetudine comprehenſum: & deinde per timorem Dei diſrumpentem vincula, & ad id quod Deo probatur, recurrentem. Eſt enim & hoc multò difficillimum, compaſſionem & affectionem inueteratam eiicere, & multiplices occaſiones auellere, & aſſumptis alis ad cœleſtes apſides recurrere. Et ſicut martyrum velox labor, ita & horum prolixior dolor. Quapropter & pares coronæ, quoniam & certamina inter ſe reſpondent, & ſimilia. Et ſi qui educit & ſeparat pretioſum à profano, ſicut os Dei erit: (Ierem. 15) qui & ſeipſum liberauit, & multos alios à calumniis exemerit, cogita quantam accipiet mercedem, & præmiorum ſpe leuis & alacris, contemnet malam conſuetudinem, & iuxta Dei voluntatem tranſita vita hac, pura Deum conſcientia alibi videat, ſanctiſſimaque conuerſatione fruatur. Nam vt corporales affectiones ſolutæ fuerint, & extinguetur tyrannica concupiſcentia: nullum erit obſtaculum ſimul ibi eſſe mulierem & virum, è medio ſublatis omnibus ſuſpicionibus malis, & agere & ſeruare vitam, quam agunt angeli, & intellectuales illæ virtutes, & omnes qui in regnum cœlorum introducuntur. Amen.

MISSA SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI SVPRA COMPLVRES ANNOS

ab Eraſmo Roterodamo in gratiam Epiſcopi Roffenſis, verſa.

Oratio quam dicit ſacerdos priuſquam ingrediatur templum vbi ſacrificat.

DOMINE Deus noſter emitte manum tuam de ſancto habitaculo tuo, & corrobora me ad propoſitum miniſteriū tuum, vt citra condemnationem aſſiſtam metuendo altari, & immaculatum ſacrificium peragam, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio quam dicit ſacerdos, cùm ingreditur.

Pſal. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo domine*; nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

Hæc vbi dixit, oſculatur menſam quater in figuram crucis, & accipit ſtecharion, id eſt, lineam veſtem, dextera manu: & oſculatur, ac benedicit eum.

Eſai. 61. *Exultet anima mea in domino: induit enim me veſtimentum ſalutis, & tunicam lætitiæ*, circumpoſuit mihi mitram, *& tanquam ſponſum adornauit me decore*, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

In ceruicale.

Pſal. 92 *Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt dominus virtutem, & circumcinctus eſt*, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

In cingulum.

Ibid. 44. *Accingere gladio tuo ſuper femoribus tuis: potens ſpecie & pulchritudine tua, & intende, & proſperare, & regna propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.*

Oratio pallij.

Ibid. 131. & 2. Pat 6 *Sacerdotes tui domine induentur iuſtitia, & ſancti tui exultationem exultabunt*, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Ad primam ſublationem.

Eſai 53. *Tanquam ouis ad mactationem ductus es* Chriſte rex, *& tanquam agnus coram eo qui totondit ſe mutus, ſic non aperuit os ſuum. In humilitate iudicium eius ſublatum eſt.* Generationem autem eius quis enarrabit?

Sacrifica domine agnum: quoniam tollitur de terra vita illius.

Immolatur agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

Ad ſecundam ſublationem.

Precibus domine eius quæ genuit te deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, ſanctarum omnium poteſtatum ſpiritualium, pretioſi prophetæ præcurſoris ac Baptiſtæ Ioannis, ſanctorum glorioſorum Apoſtolorum, & ſancti Nicolai, cuius & memoriam celebramus, miſerere, & ſerua nos.

Benedictio tertiæ ſublationis.

Memento domine auguſtiſſimorum & Dei obſeruantium regum noſtrorum: Memento domine ſpiritualis noſtri patris, & totius in Chriſto fraternitatis noſtræ, & omnium qui præmigrarunt è vita, patrum & fratrum noſtrorum.

Ad infuſionem vini.

Ioan. 19 *Et vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis.*

Et addens aquam dicit.

Ibidem. *Et aqua: & qui vidit teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius.*

Diaconus. Dominum obſecremus.

Oratio myſtica.

Domine Deus noſter qui obtuliſti teipſum agnum irreprehenſibilem, pro mundi vita: reſpice ad nos, A & ad panem hunc, & ad poculum hoc, & fac illum immaculatum & pretioſum tuum ſanguinem in tranſſumptionem animarum & corporum: quoniam ſanctificatum eſt, & glorificatum pretioſiſſimum & auguſtum nomen tuum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Oratio thymiamatis.

Thymiama offerimus in conſpectu tuo domine Deus noſter in odorem beneuolentiæ ſpiritualis, quam accipe domine in ſanctum & ſupercœleſte & intellectuale ſacrarium, ac viciſſim mitte nobis diuites miſericordias tuas bonas ſeruis tuis, qui inuocant nomen tuum ſanctum: quoniam glorificatum & ſanctificatum eſt pretioſiſſimum & auguſtum nomen tuum Patris, & Filij, & ſancti ſpiritus.

Ad diſcum.

Operuit cælos virtus eius, & laudis eius plena eſt terra. Abac. 3.

Cum tetigit calicem.

B *Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Pſal. 92.

Cum mittit nebulam.

Et nebula lucida obumbrauit eos. Verbo domini cœli ſtabiliti ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen. Matt. 17. & Pſal. 32

Oratio ad oblationem, cùm ponuntur ſacra, priuſquam inferantur ad altare, qui locus eſt in ſiniſtra altaris.

Deus Deus noſter, qui cœleſtem panem alimoniam totius mundi dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & Deum emiſiſti ſeruatorem, & redemptorē, & beneficum benedicentem; ac ſanctificantem nos, ipſe benedic oblationem hanc, & accipe eam in ſupercœleſte tuum ſacrarium. Memento quippe bonus, & humanus, eorum qui intulerunt, & per quos intulerunt, noſque ſine condemnatione ſerua in celebratione diuinorum tuorum myſteriorum: quoniam benedictum eſt, & ſanctificatum eſt, C & glorificatum eſt pretioſiſſimum & auguſtum nomen tuum Patris, & Filij, & ſancti ſpiritus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Deinde venit Diaconus, & accipit benedictionem à ſacerdote, & ſacerdos dicit:

Angelus domini dirigat viam tuam, & vnà nobiſcum ſacra peraget.

Primum benedicit ſacerdos populum.

Gratia ſanctiſſimi, & boni, & viuificantis Spiritus ſit vobiſcum.

Sacerdos autem cum Diacono faciunt aſcenſiones tres in ſanctum ſacrarium, & accipit benedictionem ſacerdotis diaconus, & ſacerdos benedicit caput illius, dicens:

Angelus domini dirigit vitam tuam, & vnà nobiſcum ſacra peraget.

Diaconus autem egreſſus ſacrarium, dicit:

Benedic domine.

Et ſacerdos. *Reſponſis.*

D Benedictum regnum Patris, & Filij, & ſancti ſpiritus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen. Exclamatio, ſiue Pronuntiatio.

Tunc diaconus exclamat:

In pace dominum obſecremus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Pro ſuperna pace, & ſalute animarum noſtrarum, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Pro pace totius mundi, proſperitate ſanctarum Dei eccleſiarum, & omnium vnione, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Pro ſancta hac domo, & cum fide, reuerentia, timore Dei ingredientibus in eam, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Pro vniuerſo epiſcopatu orthodoxorum, honorabili presbyteratu, toto in Chriſto diaconatu, clero, & populo, dominum rogemus.

Digitized by Google

Populus. Domine miſerere.
Diaconus
Pro auguſtiſſimis & Deo deditis regibus noſtris, toto palatio, & exercitu illorum, dominum rogemus.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Vt illos in bello adiuuet, & ſubiiciat pedibus illorum omnem hoſtem & inimicum, dominum rogemus.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Pro ſancta hac ſola ciuitate tota, & regione, & fide habitantium in eis, dominum rogemus.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Pro temperie aëris, fertilitate, & temporibus pacificis, dominum rogemus.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Pro nauigantibus, viatoribus, ægrotantibus, laborantibus, captiuis, & pro ſalute illorum, dominum rogemus.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Vt liberet nos ab omni tribulatione iræ, & neceſſitatis, dominum rogemus.
Populus. Domine miſerere.
Dum diaconus pronuntiat rogationes, ſacerdos dicit hanc orationem ſecrete.
Domine Deus noſter, cuius robur inæſtimabile, & gloria incomprehenſibilis, cuius miſericordia immenſurabilis, & humanitas ineffabilis, ipſe domine ſecundum clementiam tuam reſpice in nos, & ad ſanctam domum hanc: & fac nobiſcum, cumque his qui nobiſcum vota faciunt, diuites miſericordias tuas & miſerationes tuas.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Defende, ſerua, miſerere, cuſtodi nos Deus tua gratia. Sanctiſſimæ, incontaminatæ, ſuper omnes benedictæ, glorioſæ dominæ noſtræ, deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus ſanctis memoriam agentes, noſipſos, & inuicem, & omnem vitam noſtram Chriſto Deo noſtro commendemus.
Populus. Domine miſerere.
Exclamatio ſacerdotis.
Quoniam decet te omnis gloria, honor, & adoratio, Patrem, & Filium, & ſanctum Spiritum, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.
Antiphonum primum.
Chorus vnus canit:
Pſal. 91. *Bonum confiteri domino, & pſallere nomini tuo altiſſime.*
Hoc idem in altera chori parte canitur:
Precibus ſanctiſſimæ deiparæ, ſeruator, ſerua nos.
Ibidem. *Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam omnibus diebus noſtris,* precibus deiparæ, ſeruator, ſerua nos.
Pſal. 91. *Quoniam rectus dominus Deus noſter,* & nunc eſt in iuſtitia vultus illius. Precibus deiparæ, ſeruator, ſerua nos.
Oratio.
Ibid. 27. Domine Deus ſerua populum tuum, *& benedic hereditati tuæ,* plenitudinem eccleſiæ tuæ ſerua: ſanctifica diligentes decorem domus tuæ. Tu eos viciſſim glorifica diuina tua virtute, & ne deſeras nos ſperantes in te.
Diaconus.
Defende, ſerua, miſerere, & cuſtodi nos Deus tua gratia.
Populus. Domine miſerere.
Diaconus.
Sanctiſſimæ, intemeratæ, ſuper omnes benedictæ, glorioſæ dominæ noſtræ, deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus ſanctis memoriam agentes, noſipſos, & inuicem, & omnem vitam noſtram Chriſto Deo noſtro commendemus.
Populus. Domine miſerere.
Exclamatio ſacerdotis.
Quoniam tua eſt potentia, & tuum eſt regnum Patris, & Filij, & ſancti Spiritus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.
Antiphonum ſecundum. Ex vna parte chori canitur.
Dominus regnauit, decorem indutus eſt: indutus eſt dominus fortitudinem & præcinxit ſe. Ibid. 92.
Hoc idem in altera parte chori canitur.
Etenim firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.
Teſtimonia tua domine credibilia facta ſunt nimis.
Precibus ſanctorum ſerua nos.
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.
Oratio.
Vnigenitus filius, & verbum Dei, qui eſt immortalis, quique vt nos ſaluos faceret, carnem aſſumpſit ex ſancta deipara, ſemperque virgine Maria, intrepide aſſumpto homine, & crucifixus Deus mortem morte conculcans, æqualis in Trinitate, conglorificatus cum Patre, & Spiritu ſancto, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.
Diaconus.
Etiam atque etiam, in pace dominum rogemus.
Oratio.
Qui communes has & concordes preces largitus es, quique quando duo aut tres concordant in nomine tuo, petitiones præſtaturum te promiſiſti: Matt. 18.
ipſe nunc quoque domine ſeruorum tuorum poſtulationes ad eorum vtilitatem imple, concedens nobis in præſenti ſeculo cognitionem veritatis, & in futuro vitam æternam largiaris.
Diaconus.
Etiam atque etiam dominum rogemus.
Defende, ſerua, miſerere, & cuſtodi nos Deus tua gratia.
Populus. Domine miſerere.
Sanctiſſimæ, incontaminatæ, ſuper omnes benedictæ dominæ noſtræ, deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, cum omnibus ſanctis memoriam agentes, noſipſos, & inuicem, & omnem vitam noſtram Chriſto Deo noſtro commendemus.
Exclamatio ſacerdotis.
Quoniam bonus, & humanus Deus es, & tibi gloriam referimus, Patri, Filio, & ſancto Spiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.
Antiphonum III.
Ex vna parte chori canitur.
Venite exultemus domino, iubelemus Deo ſeruatori noſtro. Pſal. 94.
Hoc idem in altera parte chori canitur:
Serua nos fili Dei vnigenite, qui in ſanctis es mirabilis, canentes tibi, alleluia.
Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei.
Serua nos fili Dei vnigenite, &c.
Quoniã Deus magnus dominus, & rex magnus ſuper omnem terram.
Serua nos, *vt ſuprà.*
Quoniam in manu illius fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit.
Serua nos, *vt ſuprà.*
Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius.
Serua nos, *vt ſuprà.*
Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.
Canuntur hæc ab vtroque choro alternatim. Sacerdos autem egreditur è paruo oſtio, portans Euangelium, præ-

cedente miniſtro cum lucerna. Et conuerſus ad Chriſti imaginem inter duo oſtia inflexo capite, cum exclamatione dicit hanc orationem primum ſecretè. A

Here domine Deus noſter, qui conſtituiſti in cœlis ordines, & exercitus angelorum & archangelorum in miniſterium tuæ gloriæ, fac vt cum noſtro ingreſſu, fiat ingreſſus ſanctorum angelorum nobiſcum ſacra celebrantium, & pariter glorificantium tuam bonitatem.

Tunc addit ſacerdos.

Benedictus ſit ingreſſus ſanctorum tuorum, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Et tollens in altum Euangelium in imaginem crucis, magna voce dicit:

Sapientia recta.

Chorus.

Venite adoremus, & prouoluamur Chriſto.

Serua nos fili Dei, &c.

Quoniam ſanctus tu Deus noſter, & tibi ter ſanctum hymnum referimus, patri, & filio, & ſancto ſpiritui. Amen. B

Cantor verò canit hæc:

Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere nobis.

Gloria patri, & filio, & ſancto ſpiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Cantor verò canit hæc magna voce:

Sanctus Deus, ſanctus immortalis, miſerere nobis.

Dum hæc cantantur, ſacerdos dicit tacitè hanc orationem:

Deus ſancte, qui in ſanctis requieſcis: qui ter ſancta voce à Seraphim laudaris, & à Cherubim glorificaris, & ab omni ſupercœleſti poteſtate adoraris: qui à non ente ad eſſe producis vniuerſa: qui hominem condidiſti iuxta imaginem tuam & ſimilitudinem, eúmque omni tuâ gratia coronaſti, dans poſtulanti ſapientiam & intellectum, non deſpiciens errantem, ſed ponens ad ſalutem pœnitentiam: qui dignatus es nos humiles & indignos ſeruos tuos, etiam in hoc tempore conſtituere in conſpectu gloriæ ſancti ſacrarij tui, vt prouoluantur tuis miſerationibus, & debitam tibi adorationem, & glorificationem offerant: ipſe domine ſuſcipe ex ore noſtro peccatorum ter ſanctum hymnum, & reſpice nos in bonitate tua. Condona nobis omne delictum, & voluntarium, & inuoluntarium, & ſanctifica noſtras animas, & corpora. Et da nobis in pietate ſeruire tibi omnibus diebus vitæ noſtræ, precibus ſanctæ deiparæ, & omnium ſanctorum, qui à ſeculo tibi placuerunt.

Sacerdos.

Attendamus. Pax omnibus.

Sapientia recta.

Cantor. Pſalmus Dauid.

Diaconus. Attendamus.

Cantor. Quod proponitur. D

Et poſt hæc quod proponitur, *ſacerdos dicit:*

Pſal. 103 *Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam. Verſus.*

Ibid. 102 *Benedic anima mea domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.*

Tunc dicit epiſtolam ad Hebræos.

Epiſtola Pauli.

Lectio.

Hebr. 2. Fratres, *Si enim per angelos dictus ſermo fuit firmus,* &c.

Poſt epiſtolam ſacerdos dicit:

Pax omnibus.

Cantor.

Sapientia recta.

Pſalmus Dauid, & Alleluia.

Tunc venit Diaconus ad ſacerdotem flexo capite; ſacerdos autem orat ſuper eum.

Pſal. 67. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa,* per preces dominæ noſtræ deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, ſancti & glorioſi Apoſtoli & Euangeliſtæ huius.

Et ſacerdos.

Sapientia recta. Audiamus ſanctum euangelium.

Diaconus. Ex Lucæ euangelio.

Et populus. Gloria tibi domine.

Et ſacerdos. Attendamus.

Diaconus.

Dixit dominus diſcipulis ſuis: Qui vos audit, me audit: & qui ſpernit vos, me ſpernit. &c. Lucæ 10.

Poſt euangelium, Diaconus.

Dicamus omnes ex tota anima, & ex tota mente dicamus.

Sacerdotis exclamatio.

Domine omnipotens Deus patrum noſtrorum, diues in miſericordia, & bonus in miſerationibus, qui non vis mortem peccatoris, ſed expectas cõuerſionem & pœnitentiam, vt conuertatur & viuat. Ezech. 18

Diaconus.

Pro ſancta domo hac, & iis qui cum fide, pietate, & timore Dei ingrediuntur eam, rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Vt liberet nos ab omni tribulatione iræ, & neceſſitatis, dominum rogemus.

Oratio ſecreta.

Domine Deus noſter prolixam hanc ſupplicationem accipe à tuis ſeruis, & miſerere noſtri ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ, & miſerationes tuas dimitte ſuper nos, & ſuper omnem populum tuum expectantem abs te diuitem miſericordiam.

Diaconus.

Vt propitius, beneuolus, & placabilis fiat, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Vt exaudiat dominus Deus vocem deprecationis noſtræ peccatorum, dominum rogemus. C

Populus. Domine miſerere.

Pro ſpirituali noſtro patre, ſacræ legis adminiſtratore, & omni in Chriſto miniſterio, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Pro omnibus qui ante nos laborarunt, & ſacris initiarunt, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Pro circunſtante populo, & expectante abs te diuitem miſericordiam, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Exclamatio ſacerdotis.

Quoniam miſericors, & amãs hominum eſt Deus, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Diaconus.

Precamini catechumeni dominum.

Fideles, pro catechumenis rogemus, vt dominus eorum miſereatur.

Populus. Domine miſerere.

Catechizabit eos verbo veritatis.

Populus. Domine miſerere.

Aperiet illis euangelium iuſtitiæ.

Populus. Domine miſerere.

Aduniet eos ſanctæ ſuæ catholicæ, & apoſtolicæ Eccleſiæ.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Serua, miſerere, & cuſtodi eos Deus tua gratia.

Diaconus.

Catechumeni capita veſtra domino flectite.

Oratio ſacerdotis ſuper catechumenos.

Domine Deus noſter qui in altis habitas, & humilia reſpicis, qui ſalutem hominum generi emiſiſti vnigenitum tuum filium, & Deum & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, reſpice ſuper ſeruos tuos catechumenos, quique tibi ſuas ceruices inclinarunt, ac dignos eos facito in tempore op-

portuno

portuno, lotione renaſcentiæ, remiſſione peccatorum, & indumento incorruptionis. Aduni eos ſanctæ tuæ catholicæ, & apoſtolicæ eccleſiæ,& annumera eos electo tuo ouili.

Exclamatio ſacerdotis.

Vt & ipſi nobiſcum glorificent pretioſiſſimum, & auguſtum nomen tuum, patris, & filij, & ſancti ſpiritus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Diaconus.

Quotquot eſtis catechumeni accedite. Catechumeni accedite. Quotquot eſtis catechumeni accedite. Ne quis catechumenorum: quotquot eſtis fideles, etiam atque etiam in pace dominum rogemus.

Oratio fidelium prima.

Gratias agimus tibi domine Deus virtutum, qui dignatus es nos, vt aſſiſtamus, & nunc tuo ſancto ſacrario, & vt prouoluamur tuis miſerationibus, B pro noſtris peccatis, & populi ignorantiis, ſuſcipe Deus deprecationem noſtram: fac nos dignos, vt offeramus tibi deprecationes & ſupplicationes, & ſacrificia immaculata pro populo tuo: & idoneos nos redde, quos poſuiſti in miniſterio tuo hoc, in virtute Spiritus tui ſancti, ſine condemnatione, & offenſa in puro teſtimonio conſcientiæ noſtræ, vt inuocemus te in omni tempore, & loco, vt exaudiens nos propitius nobis ſis in multitudine bonitatis tuæ.

Diaconus.

Defende, ſerua, miſerere, cuſtodi nos Deus tua gratia.

Populus.

Domine miſerere, & cuſtodi nos Deus.

In exemplari quodã Græco deſunt, & cuſtodi nos Deus. Et poſt ſapientia ponitur ἐκφώνησις τοῦ ἱερέως.

Sapientia.

Quoniam te decet omnis gloria, honor, & adoratio, patrem, & filium, & ſanctum ſpiritum, nunc, & C ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Diaconus.

Etiam atque etiam dominum rogemus.

Diaconus autem dicit litanias.

Oratio fidelium ſecunda.

Iterum & ſæpius tibi prouoluimur, & te rogamus bone, & humane, vt reſpicias ad deprecationem noſtram: Purifica noſtras animas & corpora ab omni inquinamento, carniſque & ſpiritus: & da nobis, vt innoxij, & ſine condemnatione aſſiſtamus ſancto tuo ſacrario: da verò Deus etiam his, qui nobiſcum rogant, profectum vitæ, & fidei, & intelligentiæ ſpiritualis. Da ipſis ſemper cum timore & dilectione ſeruientibus tibi, citra noxam, & abſque condemnatione participes eſſe ſanctorum tuorum myſteriorum, & ſupercœleſti tuo regno digni habeantur.

Diaconus.

Defende, ſerua, miſerere noſtri Deus tua gratia.

Populus. Domine miſerere.

D Sapientia.

Exclamatio ſacerdotis.

Vt à tua virtute ſemper ſeruati, tibi gloriam referamus, patri, & filio, & ſancto ſpiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Nullus dignus eſt implicitus carnalibus deſideriis & voluptatibus, accedere, aut appropinquare, aut miniſtrare tibi rex gloriæ. Siquidem miniſtrare tibi magnum, ac formidandum etiam ſupercœleſtibus virtutibus. Attamen propter ineffabilem & immenſam tuam humanitatem, intrepidè, & irreuocabiliter factus es homo, & ſummus pontifex noſter Sacrificiorum ritum inſtituiſti, ac ſolennis huius & immaculati ſacrificij celebrationem nobis tradidiſti, tanquam dominus omnium. Tu enim ſolus domine Deus noſter dominaris ſupercœleſtibus, & terreſtribus, qui ſuper thronum Cherubicum veheris, qui Seraphim dominus, rex Iſraël, qui ſolus ſanctus es, & in ſanctis requieſcis. Te i-

A gitur exoro ſolum bonum & placabilem, reſpice ad me peccatorum, & antiquum * ſeruum tuum, ac purga animam meam, & cor à conſcientia mala, & idoneum me redde, virtute tui ſancti Spiritus indutum, tui ſacerdotij gratia: vt aſſiſtam ſanctæ tuæ huic menſæ, conſecrem ſanctum & immaculatum tuum corpus, & pretioſum ſanguinem. Ad te enim accedo inflexa mea ceruice, & precor te, ne auertas faciem tuam à me, neque reprobes me à pueris tuis: ſed patiaris, vt offerantur tibi à me peccatore, & indigno ſeruo tuo dona hæc. Tu enim es, qui offers, & offerris, & accipiens, & dans Chriſte Deus noſter. Ac tibi gloriam referimus, cum patre tuo initio carente, & ſanctiſſimo, ac bono, ac viuificante tuo Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

* Legiſſe videtur interpres, ἀρχαῖον pro ἀχρεῖον i. inutilem.

Et cum ſacerdos dicit hanc orationem, cantores canunt hæc:

Qui Cherubim myſticè repræſentamus, & viuificanti Trinitati ter ſanctum hymnum canimus, & omnem vitæ ponimus ſollicitudinem, tanquam regem omnium ſuſcipientes, & angelicis inuiſibiliter ſtipati agminibus. Alleluia.

Sacerdos verò poſt orationem ſequitur diaconum, & vadit ad oblationem. Et inclinatis capitibus ter in terram, ſumunt, diaconus quidem corpus, ſacerdos verò ſanguinem: & exeunt ex paruo oſtio, dicente ſacerdote paululum egreſſo.

Meminerit tui dominus Deus in regno ſuo, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen

Et ſi quis eſt epiſcopus, dicit:

Sancte ſacerdos, memento mei.

Sacerdos autem dicit:

Meminerit tui dominus Deus noſter in regno ſuo.

Et iterum, ac tertiò, dicit:

Memento mei, dùm veneris in regnum tuum. Luc. 23.

Poſt hæc ingreſſi alterum oſtium, ponunt ſacra dona in magno altari. Et dicit ſacerdos hæc:

Decorus ille Ioſeph à ligno deponens immaculatum corpus tuum, ſyndone pura inuoluit, & aromatibus, impoſuit monumento nouo.

Diaconus egrediens dicit:

Impleamus deprecationem noſtram domino.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Pro appoſitis & ſanctificatis pretioſis donis, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Pro ſancta domo hac, & cum fide, pietate, ac timore Dei ingredientibus in eam, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Diaconus.

Vt liberet nos ab omni tribulatione iræ & neceſſitatis, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Oratio poſt depoſitionem ſanctorum donorum à ſacerdote.

Domine Deus noſter, qui omnipotens es, qui ſolus ſanctus, qui accipis ſacrificium laudis ab iis, qui inuocant te in toto corde, accipe & noſtram peccatorum deprecationem, & adducito in ſanctum tuum ſacrarium. Et idoneos nos redde ad inferenda tibi dona & ſacrificia ſpiritualia pro noſtris peccatis, & populi ignorantiis, & dignos nos fac, vt inueniamus gratiam in conſpectu tuo, vt acceptabile fiat ſacrificium noſtrum, & vt obumbret Spiritus gratiæ tuæ bonus ſuper nos, & ſuper propoſita dona hæc, & omnem populum tuum.

Populus. Præſta domine.

Subueni, ſerua, miſerere, & cuſtodi nos Deus tua gratia.

Populus. Præſta domine.

Diem omnem perfectum, ſanctum, pacificum, peccati expertem à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine

A Veniam & remiſſionem peccatorum, & delictorum noſtrorum à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Honeſta & conducibilia animabus noſtris, & pacem mundo à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Reliquum tempus vitæ noſtrę in pace & pœnitentia noſtra, à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Chriſtianum finem vitæ noſtræ, doloris, ac turpitudinis expertem, pacatam, & honeſtam defenſionem, à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Sanctiſſimæ, immaculatæ, ſuper omnes benedictæ, dominæ noſtræ deiparæ, & ſemper virginis Marię, cum omnibus ſanctis memoriam facientes, noſipſos, & inuicem, & omnem vitam noſtram Chriſto Deo noſtro commendemus.

Exclamatio.

B Propter miſerationes vnigeniti tui filij, cum quo benedictus es, cum ſanctiſſimo, & bono, & viuificante tuo Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Populus. Et cum ſpiritu tuo.

Diaconus.

Diligamus inuicem, vt in concordia confiteamur

Populus.

Patrem, & Filium, & ſanctum Spiritum, Trinitatem vnius eſſentiæ, & inſeparabilem.

Tunc oſculatur ſacerdos operculum quater, & dicit:

Hoſtia, hoſtia, in ſapientia attendamus.

Lector autem dicit:

Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ, viſibiliúmque omnium & inuiſibilium, & in vnum dominum, & reliqua.

Poſt ſymbolum autem, dicit ſacerdos:

C Stemus honeſtè. Stemus cum timore Dei. Attendamus ſacram ſublationem in pace offerre.

Chorus.

Miſericordiam pacis. Laudis hymnum.

Exclamatio ſacerdotis.

Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, & dilectio Dei Patris, & communio ſancti ſpiritus cum omnibus vobis.

Populus. Amen.

Diaconus. Surſum habeamus corda.

Populus. Habeamus ad dominum.

Diaconus. Gratias agamus domino.

Populus. Dignum & iuſtum.

Sacerdos ſecretè,

Dignum & iuſtum te canere, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis. Tu enim es Deus ineffabilis, incogitabilis, inuiſibilis, incomprehenſibilis, ſemper exi-
D ſtens, eodem modo exiſtens, tu & vnigenitus tuus filius, & Spiritus tuus ſanctus. Tu à nihilo ad eſſe nos produxiſti, prolapſos reſtituiſti rurſum, neque deſtitiſti omnia facere, donec nos in cœlum ſubduceres, & regnum largireris futurum. Gratias agimus tibi, & vnigenito tuo Filio, & Spiritui tuo ſancto, pro omnibus quæ ſcimus, & quæ non ſcimus, manifeſtis & occultis beneficiis tuis in nos collatis. Gratias agimus tibi & pro hoc miniſterio, quod è manibus noſtris accipere dignatus es. Et quidem tibi aſſiſtunt millia archãgelorum, & multa millia angelorum, Cherubim ac Seraphim, ſenis alis, pluribus oculis, ſublimia pennata.

Exclamatio ſacerdotis.

Victoriam hymnum canentia, vociferantia, clamantia, & dicentia:

Populus.

Sanctus, ſanctus, ſanctus, dominus ſabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua: oſanna in excelſiſſimis.

Benedictus qui venit in nomine domini.

Sacerdos autem inclinato capite, dicit.

Cum his & nos beatis poteſtatibus domine hominum amator clamamus, & dicimus: Sanctus es, & totus ſanctus: tu, & venigenitus filius tuus, ac Spiritus ſanctus, ſanctus es, & totus ſanctus, & magnifica gloria tua, qui mundum tuum ſic dilexiſti, vt Ioan. 3.
filium tuum vnigenitum dares, & omnis credens in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam: qui veniens, & omnem pro nobis diſpenſationem adimplens, nocte qua traditus eſt, magis autem ſeipſum tradidit pro mundi vita, accipiens panem in ſanctis ſuis, & immaculatis, & incontaminatis manibus, gratias agens, benedicens, ſanctificans, frangens, dedit ſanctis ſuis diſcipulis & Apoſtolis, Matt. 25.
dicens: Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, Marc. 14.
quod pro vobis frangitur in remiſſionem pecca- & Luc. 22
torum. Amen.

Similiter poſtquam cœnatum eſt, accipiens calicem, & benedicens, dixit: Bibite ex eo omnes. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remiſſionem peccatorum.

Secreta oratio.

Memoriam igitur agentes ſalutaris huius mandati, & omnium pro nobis factorum, crucis, ſepulchri, triduanæ reſurrectionis, in cœlos aſcenſionis, ad dexteram conſeſſus, ſecundi & glorioſi rurſum aduentus.

Exclamatio ſacerdotis.

Tua ex tuis tibi offerentes, & omnia, & per omnia.

Chorus.

Te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus.

Rurſum inclinato capite dicit ſacerdos:

Propter hoc tibi offerimus rationalem hunc, & immaculatum cultum, & inuocamus, & rogamus, & ſupplicamus. Emitte Spiritum tuum ſanctum ſuper nos, & ſuper propoſita dona hæc. Amen.

Et ſurgens, obſignat ſacra dona, & dicit:

Et fac panem quidem hunc pretioſum corpus Chriſti tui. Amen.

Et in calice dicit:

In calice verò hoc pretioſum ſanguinem Chriſti tui, transmutans Spiritu tuo ſancto.

Sacerdos orat:

Vt fiat aſſumentibus in lotionem animarum, in remiſſionem peccatorum, in communionem ſancti Spiritus, in regni cœlorum impletionem, in fiduciam apud te, non in iudicium, non in condemnationem. Præterea offerimus tibi rationalem hunc cultum, pro in fide requieſcentibus maioribus, patribus, patriarchis, prophetis, & Apoſtolis, præconibus, & euangeliſtis, martyribus, confeſſoribus, continentibus, & omni ſpiritu in fide initiato: Præcipuè pro ſanctiſſima, immaculata, ſuper omnes benedicta, domina noſtra deipara, & ſemper virgine Maria. Vt verè dignum & iuſtum eſt, glorificare te deiparam, & ſemper beatiſſimam, & penitus incontaminatam matrem Dei noſtri, honoratiorem Cherubim, & glorioſiorem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperit: verè deiparam te magnificamus.

Hæc canente choro ſacerdos dicit:

Aue gratia plena Maria, dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui: quoniam ſaluatorem animarum peperiſti noſtrarum. Lucæ 1.

Oratio.

Honorabilium, incorporalium, ſupercœleſtium, ſancti Ioannis prophetæ præcurſoris, & Baptiſtæ, ſanctorum glorioſorum & omnino celebrium apoſtolorum, ſancti huius cuius & memoriam agimus, & omnium ſanctorum tuorum, quorum ſupplicationibus reſpice nos Deus, & memento omnium qui dormierunt in ſpe reſurrectionis & vitæ æternæ, & requieſcere eos facito, vbi videtur lumen vultus tui.

Adhuc te inuocamus. In primis memento domine omnis epiſcopatus orthodoxorum rectè inter-

Digitized by Google

pretantium verbum tuæ veritatis, totius ſacerdotij, in Chriſto diaconatus, & omnis ſacerdotalis ordinis. Etiam offerimus tibi rationale hoc obſequium pro orbe terrarum, pro ſancta catholica & apoſtolica eccleſia, pro iis quoque qui in pura & caſta vita degunt. Pro fideliſſimis & Chriſtum amantibus noſtris regibus, omni palatio & exercitu illorum. Da illis domine pacificum robur, vt & nos in tranquillitate illorum pacatam & quietam vitam agamus in omni pietate & religione.

Exclamatio.

In primis memento domine omnis epiſcopatus orthodoxorum & rectè interpretantium verbum tuæ veritatis.

Chorus.

Et quos quiſque in animo cogitat.

Diaconus.

Et da nobis vno ore & vno corde glorificare & celebrare pretioſum & auguſtum nomen tuum patris, & Filij, & ſancti Spiritus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

Et ſint miſericordiæ magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Criſti cum omnibus nobis.

Populus. Amen.

Omnium ſanctorum memoriam agentes, etiam atque etiam in pace dominum rogemus.

Super adductis, & ſanctificatis pretioſis donis, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Quoniam humanus Deus noſter, qui ſuſcepit hæc in ſanctum & ſupercœleſte & intellectuale ſacrarium ſuum.

Populus. Domine miſerere.

Vt viciſſim dimittat & nobis diuinam gratiam, & communionem ſancti Spiritus, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Vt liberet nos omni tribulatione iræ, & neceſſitatis, dominum rogemus.

Populus. Domine miſerere.

Oratio.

Memento domine gregis noſtri huius, in quo habitamus, & totius ciuitatis & regionis, & in fide habitantium in ipſis. Memento domine nauigantiũ, viatorum, ægrotantium, laborantium, captiuorum, & ſalutis ipſorum. Memento domine fructificantium & laborantium in ſanctis tuis Eccleſiis, & qui pauperum meminerunt, & ſuper omnes nos miſericordias tuas emitte.

Sacerdos inclinans orat.

Tibi commendamus vitam noſtram omnem, & ſpem, domine amator hominum, & inuocamus te, & rogamus, & ſupplicamus. Dignos nos facito, vt participes ſimus ſupercœleſtium tuorum & tremendorum myſteriorum huius ſacræ & ſpiritualis menſę, cum pura conſcientia, in remiſſionem peccatorum, in condonationem delictorum, in Spiritus ſancti communionem, in regni cœleſtis hæreditatem, in fiduciam erga te, non in iudicium aut condemnationem.

Diaconus.

Defende, ſerua, miſerere, & cuſtodi nos Deus tua gratia. Diem omnem perfectum, ſanctum, pacificum, & ſine peccatis à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Nuntium pacis, fidelem ducem, cuſtodem animarum & corporum noſtrorum, à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Veniam & remiſſionem peccatorum & delictorum noſtrorum à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Honeſta & conducibilia animabus noſtris, & pacem mundo, à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Vt reliquum tempus vitæ noſtræ in pace finiamus, & pœnitentia noſtra à domino poſtulemus.

Populus. Præſta domine.

Chriſtianum finem vitæ noſtræ, doloris & turpitudinis expertem, pacatum, & honeſtam purgationem, à domino poſtulemus.

Exclamatio ſacerdotis.

Et dignos fac nos domine, vt cum fiducia, & ſine condemnatione audeamus inuocare te ſupercœleſtem Deum, & dicere:

Populus.

Pater noſter qui es in cœlis: ſanctificetur nomen tuum: & reliqua.

Exclamatio.

Quoniam tuum eſt regnum, & poteſtas, & gloria, patris, & filij, & ſancti Spiritus, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Sacerdos. Pax omnibus.

Diaconus. Capita veſtra Deo inclinate.

Sacerdos dicit orationem hanc:

Gratias agimus tibi rex inuiſibilis, qui immenſa tua virtute omnia condidiſti, & multitudine miſericordiæ tuæ à nihilo ad eſſe vniuerſa produxiſti, ipſe domine cœlitus reſpice ad ſeruos tuos inclinantes tibi ſua capita. Non enim inclinarunt carni & ſanguini, ſed tibi metuendo & humano Deo. Tu igitur domine propoſita dona omnibus nobis in bonum exæques iuxta propriam cuiuſque indigentiam, cum nauigantibus nauiga, cum viatoribus vi[illegible] ambula, ægrotos ſana, medicus animarũ & corporum. Gratia & miſerationibus, & humanitate vnigeniti tui filij, cum quo benedictus es, cum ſanctiſſimo, & bono, & viuificante tuo Spiritu, nũc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Sacerdos orat:

Attende domine Ieſu Chriſte Deus noſter, de ſancto habitaculo tuo, & de throno glorię regni tui, & veni ad ſanctificandum nos, qui in excelſis vna cum Patre ſedes; & hic nobiſcum inuiſibiliter ades, & dignos nos redde potente manu tua, vt participes ſimus immaculati tui corporis, & pretioſi tui ſanguinis, & per nos omnis populus.

Sacerdos autem ſpargit fumum incenſi ſacris.

Exclamatio. Attendamus.

Sacerdos eleuans ſanctum panem, dicit:

Sancta ſanctis.

Chorus dicit:

Vnus ſanctus, vnus dominus Ieſus Chriſtus in gloria Dei patris.

Sacerdos autem eleuat panem dicens:

Super cœlos Deus, & ſuper omnem terram gloria eius effuſa eſt.

Diuiſurus ſacerdos panem dicit:

Diuiditur agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.

Et accipiens ſacerdos ex pane particulam mittit in calicem, dicens:

Plenitudo Spiritus ſancti, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Et tunc ſacerdos aſſumit, & populus canit, & ſacerdos potitus particula diuini corporis, dicit:

Conuiuij tui myſtici hodie filij Dei communionẽ aſſumpſi, non tamen hoſtibus tuis dixi myſterium. Neque oſculum tibi dabo quemadmodum Iudas, ſed veluti latro ille confitebor tibi, Memento mei domine, cùm veneris in regnum tuum.

Hanc orationem dicunt duo priuſquam aſſumant diuina.

Deus remitte, dimitte, ignoſce mihi peccatori peccata mea, & voluntaria, & inuoluntaria, ſiue in cognitione, ſiue in ignorantia, ſiue in verbo, ſiue in opere, ſiue in concupiſcentia feci: omnia ignoſce: quoniam bonus, & humanus, longanimis, & multæ miſericordiæ. Et interceſſione immaculatæ dominæ noſtræ deiparæ, & ſemper virginis Mariæ dignum me fac, vt ſine condemnatione accipiam immaculatum tuum donum in remiſſionem peccatorum, in vitam æternam, in purgationem

malarum mearum cogitationum, in illuſtrationem mandatorum tuorum: quoniam te decet gloria, honor, & adoratio, patrem, & filium, & ſanctum Spiritum, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Oratio.

Fiat mihi domine Ieſu Chriſte corpus tuum ſanctum in remiſſionem peccatorum meorum, & ſanguis tuus pretioſus in vitam æternam. Et in ſecundo tuo aduentu annumera me iuſtis tuis, & electis ouibus.

Oratio.

Gratias agimus tibi domine, humane benefactor animarum noſtrarum, quoniam & hodierno die dignatus es nos ſuper cœleſtibus tuis & immortalibus myſteriis: dirige noſtram viam, & confirma nos in timore tuo omnes, cuſtodi vitam noſtram, ſtabili noſtros greſſus, precibus & ſupplicationibus ſanctæ deiparæ, & ſemper virginis Mariæ, & omnium ſanctorum.

Tunc aperitur magnum oſtium ſuſpenſis lucernis.

Et ſacerdos oſtendit calicem populo, dicens:

Cum timore Dei, & fide, & dilectione accedite.

Chorus dicit:

Benedictus, qui venit in nomine domini.

Sacerdos dicit:

Benedictus Deus noſter, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Diaconus egreſſus è ſancto altari, dicit poſt depoſitionem ſanctorum donorum.

Recti qui participes fuimus diuinorum, immaculatorum, immortalium, ſupercœleſtium, viuificantium, tremendorum myſteriorum, dignè in omnibus gratias agamus domino.

Diaconus addit:

Defende, ſerua, miſerere, cuſtodi nos Deus tua A gratia. Omnem diem perfectum, ſanctum, pacatum, & peccati expertem poſtulantes, nosipſos, & inuicem, &c.

Exclamatio.

Quoniam tu ſanctificatio noſtra, & tibi gloriam referimus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Diaconus.	In pace accedite.
Populus.	In nomine domini.
Diaconus.	Dominum rogemus.
Populus.	Domine miſerere.

Oratio poſt ambonem.

Qui benedicis benedicentibus tibi domine, & ſanctificas in te confidentes, ſalua populum tuum, & benedic hæreditati tuæ. Plenitudinem eccleſiæ tuæ cuſtodi, ſanctifica diligentes decorem domus tuæ. Tu ipſos viciſſim glorificá diuina tua virtute, & ne deſerás nos ſperantes in te. pacem mundo tuo da, eccleſiis tuis, ſacerdotibus, regibus noſtris, exercitui, & omni populo tuo: quoniam, *omne donum* B *bonum, & omne datum perfectum deſurſum eſt, deſcendens ex te patre luminum.* Et tibi gloriam, & gratiarum actionẽ, & adorationem offerimus, Patri, & Filio, & ſancto Spiritui, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

ἄμβων, locus editus, aſcenſus.

Iacob. 1.

Tunc populus dicit:

Sit nomen domini benedictum, ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Pſal. 71.

Benedicam dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo: & reliqua. Ibid. 33.

Sacerdos autem benedicit ſancta, & exuit.

Qui ipſe es impletio legis & prophetarum Chriſte Deus noſter qui impleſti omnem paternā diſpenſationem, imple gaudio & exultatione corda noſtra, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorū. Amen.

Deo gratia.

AD CLARISSIMVM PRINCIPEM

OTHONEM TRVCHSES, DE WALBVRG, AVGVSTANORVM VINDELICORVM EPISCOPVM, S. R. E. Presbyterum Cardinalem Ampliſſimum.

IVLIVS POGIANVS.

VIRGINITATEM, Otho ampliſſime, ſi Chriſtiana fide, & charitate fulta ſit, tantò rebus humanis anteire exiſtimo, quantò generi hominũ antecedunt beatæ mentes, quarum præſtantiam illi conſecuti eſſe mihi videri ſolent, qui reſtincto naturalis ardore voluptatis, eam caſtitatis laudem piè, ſanctéq; coluerũt. Quanquam haud ſcio an ſit hominibus ad dignitatem glorioſius, repugnante natura innatam immortaliũ vim aſſequi potuiſſe. Magnus locus, & Chriſtiani hominis proprius, nobilitatus ex illo fonte, & capite Chriſto, vnde hæc in ſummum honorem adducta virtus ad hominum imitationem latiſſimè dimanauit. Is enim præter ortus, & vitæ ſuæ gloriam virginitatis ſingularem, tantũ præterea tribuit iis, qui caſtimonia floruerunt, vt ad imaginem cœleſtium miniſtrorum, lectiſſimum ex virginibus comitatum ſibi deligeret: in quibus Ioannem Zebedæi filium vnicè dilexit. Etenim illi præſtans diuinæ virtutis habitus eam peperit & Ieſu Chriſti gratiam, & cœleſtis vim ſapientiæ, quam deinceps admirata eſt omniũ memoria ſæculorũ. Quæ cùm diuinis literis conſignata ſint, cùm ſanctiſſimorum virorum & illorum temporum partim æqualium, partim ab ea ætate recentium auctoritate comprobata, quid eſt, quòd tantis propoſitis & præmiis, & adiumentis non conantur homines naturæ incommodum animi contentione ſuperare? Quod ſi vſque eò tardi atque hebetes ſumus, vt ne explorata quidem ſpe ampliſſimæ mercedis incitemur, quæ virginali pietati reſeruatur in cælum, at excitemur præſenti theologiæ fructu, quem illi inde capiunt vberrimum, qui ſe puros integroſque ad id veritatis ſtudium contulerunt. Nam datur ipſis tanquam in manus pretium glorioſi laboris, quod indicium ac ſpecimen quoddā ſit reliquæ, ac

ſperatæ

ſperatæ beatitudinis. viui enim & præſentes Deo fruuntur,quem quaſi per tranſennā aſpiciunt aſſiduè,dum tota mente omnique animo contueri liceat. Eſt ergo vlla ſpecies delectationis tanti falſa præſertim,vt & huius exiguæ, & illius perpetuæ vitæ ſolidam expreſſamque voluptatē amittamus? Sed fit neſcio quomodo,vt maxima parte in vitiorū luto demerſi defixique ſimus ſic, vt nihil altū, nihil magnificum neque mente ſuſpicere neque actione ſuſcipere poſſimus. Vt enim nocturnæ aues, ſi in ſolem inciderint,inſolentia diurni luminis obcæcantur : ſic nos flagitiorum quibuſdam aſſueti tenebris,in rebus illuſtribus nihil videmus.quinetiā,ſi cæleſtis dexteræ beneficio nonnunquā excitati ſubleuemur,tamen mala conſuetudine deprauati, & oculos,& mentem identidem reuocamus ad turpitudinem,vt,quæ nobis diuino munere lux veritatis oblata fuerat,ea rurſus vitæ ſordibus obruatur. Perdita nequitia multorum,ſed intolerabilis arrogantia,qui ſe in officina obſcœnitatis diuinæ ſapientiæ magiſtros profiteri audeant.Hinc falſi theologi,hinc peſtiferi ſalutariū rerū interpretes,qui in illa cæcitate libidinis,literis lucem,auditoribus animi atque ingenij lumen eripiunt Nam puriſſimos fontes ſic inceſto ore corrumpunt,vt,quidquid per eos hauſeris,totum id turbidum inquinatūque ſit.Piuni,humilem,innocentem hominem, imprimiſque purum & caſtū quærunt diuinæ literæ, impium,ſuperbum,facinoroſum,maximè verò impurū,& impudicum à ſua cognitione, ac ſcientia repellunt.Non longè abieris:Ioannes ille Chriſti diſcipulus,idem euāgelij ſcriptor,idem vates,nonne harum virtutum,atque adeò huius excellentiſſimæ virtutis, virginitatis gradibus aſcendēs in altiſſimum cæli locum,incomprehenſam,& inexplicabilem Dei naturam & animo comprehendit, & oratione explicauit? Quid? Paulus alter planè Ioannes:(vt hoc oratio mea definiatur exemplo,quod propoſitam rationem attingit)is igitur,cùm ſe totum ad eam conuertiſſet curam, vt Chriſti mores exprimeret imitando,nónne tantum illa tum voluntate,tum imitatione eſt conſecutus,vt cuius vitam ſtuderet effingere,eius mentem aſſequeretur,non modò cogitatione,ſed etiam facultate? Quod cùm ipſius omnes declarant epiſtolæ; tum ſapientiſſima fideliſſimi conſilij de virginitate expoſita ratio maximè teſtatur.Tanta eſt enim huic conſilio ſimilitudo cum iis,quæ apud Matthæū de virginali virtute diſputantur,tanta verborum,ſententiarum,ordinis conuenientia,vt ea Chriſtum Pauli ore diſſeruiſſe,nemo niſi turpiter ignorare,aut impiè negare poſſe videatur.Eadem eſt vtrobique diuinæ rationis index indulgentia,& eam habet vim vtriuſq; oratio, vt in ſumma rei difficultate propter infixum naturæ coniunctionis appetitum nullam iam hominibus neceſſitatem virginitatis imponat,veruntamen virginū officio celebrando,& illuſtrando quibus tanquā iure hoſpitij deprecantibus ſæpe Deus,non ſingulorum modò hominū, ſed ciuitatum,ac prouinciarū ſcelera,ſuppliciaque condonet,omnes ad huius amorem ſtudiūque virtutis adhortetur.Sed profectò ſe altus animus, Dei ſpe fiduciaque munitus,à cupiditatum illecebris inuictū facilè præſtat.Quare ad eam laudem omnis generis erecti multi mortales,& naturalem domuerunt libidinem, & cæleſtium vitæ ſimillimam in terris vitam egerunt.Plenum eſt cælum noſtrorum hominum,quorū propter eximia veræ caſtitatis ornamenta & cōſecratas veneramur imagines,& ampliſſimis honoribus anniuerſaria ſacra conficimus.Sapientes verò & beatos illos,qui humana ſpecie & figura diuinā, & planè cæleſtem vim conſecuti ſunt: inſanos & miſeros reliquos, qui cum dignitate ad beatas mentes proximè accederent, ſe in impuram belluarum intemperantiam abiecerunt. Quorum alij palàm virginitate ſimulanda, coniugio acerrimè vituperando, clàm,vt moribus etiam oratio refellatur, in omni flagitiorum genere volutati ſunt. alij corporis voluptatibus dediti, præceptoreſque libidinum, fœdiſſimam vitæ turpitudinem cumularunt ſcelere orationis. Ex quibus partim caſtitatem ab hominum arbitrio, & libera voluntate remouentes, præcipuo quodam Dei munere nonnullis inſitam & ingenitam volunt. partim quaſi naturæ neceſſitatem vſum amplexantes ac tuentes libidinis, virginitatem reiiciunt, & tanquam triſtitiam ac vitæ peſtem deteſtantur. Contra quos omnes patrocinium cæleſtis cauſæ diuinitus à plurimis ſuſceptum eſt. Extiterunt enim & illis temporibus,quibus hæc oppugnari cœpta ſunt, neque poſtea defuerunt, qui cum debitum nuptiis legitimis gradum honoremque tuerentur, tum admirabili vitæ integritate, ſcientiaque diuinarum literarum, virginitatis & maximam, iuuante Deo, facultatem probarent, & amplitudinem præſtantiamque defenderent. quare monumentis compluribus & Græcis & Latinis celebrata res eſt,quibus ſummi homines Ieſu Chriſti mentem, Paulique cum illo coniunctam ſententiam explicauerunt vberius, & ad virginalem palmam vehementius ſunt cohortati. Atque vt omittam de aliis, ea de re ad intelligentium prudens ſubtileque iudicium eleganter,nedum abundanter,& ad popularem ſenſum accommodatè diſſeruit hoc libro ſui ſimillimus Ioannes Chryſoſtomus, de quo minus mihi multa dicenda duxi, quòd is bene de Eccleſia Dei nomine ac dignitate meritus, & Chriſtianam diſciplinam in primis illuſtrauit, & ex aureo quodam eloquentiæ flumine nomen inuenit,& quod caput eſt, eam vitam vixit,vt in ſanctorum numerum ſit relatus, Deo hominibuſque approbantibus. Vtinam modo liber non intercidiſſet, ſed ex quo primùm eſt editus, deinceps verſatus inter hominum manus ad noſtram perueniſſet memoriam, multorum enim compreſſis voluptatibus,mirabiles virginitatis amores excitaſſet. Quare dolendum eſt in tanta iactura ſuperiorum temporum, nobis verò ſummopere lætandum diuino hoc & immortali beneficio. Quod quoniam munus ampliſſimum habemus à Marcello eius nominis II. Pont.Max. cum cæterarum illius virtutum,quæ Reip. fructuoſæ fuerunt,tum huius beneficentiæ laudem, qua facilè excelluit, & memoria, & vocis teſtimonio conſeruare debemus. Nam ille quòd acceperat à Gulielmo Sirleto Chryſoſtomum de virginitate ſcripſiſſe librum, quo libro Chryſoſtomus ipſe in illa nobili explanatione Pauli epiſtolæ ad Corinthios eum locum, quantum in ſe fuit, perpurgatum teſtaretur, egit cum homine vt id monimentum, ſicunde poſſet, erueret. Quare Sirletus,is vir, cuius multiplicem exquiſitamque doctrinam admiramur, ſingulari probitati ac beneficiæ voluntati,parem, vndique conquiſitum,& aliquando Florentia,Venetiiſque

accerſitum opus Marcello curauit. Quid multa? conſiderauit ille rem : vidit quantum eſſet in ea Chriſtianæ perfectionis inſtrumentum, ſtatim cum omnibus communicandam putauit, atque vt bonum id latius pateret, ad pluresque pertineret, latinum Chryſoſtomum fieri iuſſit. Quod quando mihi negotium datum eſt, vt librum conuerterem, mea quidem ingreſſio fuit eiuſmodi, vt me ſatisfacere poſſe huic muneri magis optarem, quàm vllo modo ſperarem. Nam, cùm duplex mihi interpretandi ratio, eaque inter ſe contraria proponeretur, cumque hac ætate neutri viderem contigiſſe vt omnem haberet laudem: illud etiam intelligebam vtrumcunque, præſertim in hoc ſcribendi genere parum exercitatus, inſtitutum tenuiſſem, fore, vt propoſitum meum in altera reprehenſionem incurreret. Sunt enim qui ſimplici veritatis ratione contenti, eam interpretationem poſtulent, qua verbum è verbo exprimatur, omni præterea ornamēto, omni latinæ linguæ concinnitate in Græco ſcriptore abhorreant. Illos hoc, alios longè diuerſa delectant. Res enim modò, ſententiaque permaneat, ad rationem moremque Romani ſermonis eius explicationem dirigi volunt, & tanquam græcum hominem in noſtram ciuitatem aſcitum, noſtrum etiam veſtitum, & ornatum imitari debere contendunt. Præclara ſanè ratio, & quam, licet difficillimam ad aſſequendum, in Demoſthene tamen, aut Aeſchine, quorum ars nititur eloquentia, libenter eſſem ſecutus : in Chryſoſtomo, qui ſalutis præcepta tradit, quæ rerum pondere, non verborum ſplendore definiuntur, periculoſam & lubricam exiſtimaui. Illam verò alteram ad verbum conuertendi viam eatenus ſum perſecutus, quoad Latini ſermonis conſuetudo ferre videbatur. nam omnino ; cum ineptum negotium, tum iniucundum putaui. Ac medium quoddam meum conſilium fuit, vt ea quorum Chryſoſtomus eſſet auctor, iis duntaxat exceptis vocabulis, quæ noſtræ ſunt propria religionis, ſi modo ſui tanti, operam darem, vti latinè redderem. Quæ verò ex veteri, & vtique ex nouo teſtamento protuliſſet, in illis fidem eius ſequerer, quem tot annos ſanctiſſima parens probauit Eccleſia. Hæc mea ratio eſt: in qua mihi non ſumo ; vt omnem offenſionem effugerim. Cuius enim impudentia eſt, id de ſe polliceri? Illud affirmo tantum ſpectaſſe me, vt aliquid Chriſtianis hominibus, qui græcè neſcirent, vtilitatis afferrem, nullam præterea hac in re aut laudem quærere, aut vituperationem recuſare. Nunc ſi ſit optandi locus, vellem Marcellus Pontifex, hunc, quicunque eſt, laboris mei ex ſuo munere fructum capere potuiſſet, vt, cùm ad eum, qui & præclarum opus in commune contulerat, & mihi conuertendum dederat, & erat ipſe exemplum continentiæ, de virginitate librum miſiſſem, propter illam tum perſonæ opportunitatem, tum gratam animi mei ſignificationem, æquioribus vterer iis, qui in Chryſoſtomo vertendo maius ingenium, acrius etiam iudicium requirent. Accedit eò, perſpecta ſemper quidem omnibus eximia viri voluntas in ſtudia virtutis, & artium optimarum, mihi verò in ſummo eius honore multò perfectiſſima. Nam cùm in maximo primi illius, vel potius vltimi temporis rerum hominumque concurſu Pontificem Maximum ſalutatum veniſſem, memini, cum me de Chryſoſtomo eſſet hortatus, vt laborem ſuſciperem, gratulari bonis ac ſtudioſis, quibus tantum acceſſiſſe diceret ad præſidium, & ornamentum, quantum ſibi ad honorem, & ad promerendi poteſtatem eſſet adiunctum, vt omnis propterea mea de virtute cogitatio poſita propè in conſpectu, meo Marcelli imagine, tantæ benignitatis gratiam à me flagitare videatur. Quibus & cōmunibus, & priuatis de cauſis, hærebit perpetuò quidem in mente & oratione mea memoria diuini hominis, ſed tamen hoc eius beneficio, quando ineſt in eo aliqua remunerandi vis, ad referendam illam quàm ad ineundam aliam gratiam vti maluiſſem. Quæ quoniam Dei iudicio ſublata facultas fuit, proximum erat in Chryſoſtomo peruulgando & rei dignitatis, & quodammodo Marcelli voluntatis habere rationem. Nec verò difficilis fuit ea deliberatio. nam mihi de virginali laude cogitanti verſabatur ante oculos, vel potius feriebat oculos Reginaldus Polus Cardinalis, quod & reliquarum virtutum ſpecimen, & illuſtre exemplum caſtitatis habuit hæc ætas. Illud ego excellens illius animi & corporis bonum in ſumma cæterorum excellentia bonorum cùm ex conſtanti hominum fama atque ſermone, tum ex ipſius ore Marcelli ſic admirabar, vt me & illi, cuius mihi viuit auctoritas, & cauſæ officioque meo defuturum intelligerem, niſi, quod Marcello debebam, Polo potiſſimum redderem. Quanquam Chryſoſtomi viri ſanctiſſimi gratiam mihi per hanc cauſam facilè conciliari putabam poſſe. Ad quem enim is, aut omnino per quem ſua hæc ad alios peruenire mallet, quàm per eum, in quo expreſſam videret effigiem animi, ingenij, temporum ſuorum ? qui eiſdem itineribus contendebat in cælum? qui virtutis doctrinæque ſtudia ætati ſuæ ferè æqualia ita coniunxerat, vt ei probitas & innocentia prudentiæ ac ſapientiæ quaſi fores aperuiſſet, ſcientia præſtantiſſimarum artium virtutem confirmaſſet, vtraque ſic adiunxiſſet Deum, vt per ipſum ſuorum operum opus omnium maximum maximeque admirabile effecerit: Ille enim chriſtianam veritatem iam diu in Anglia extinctam excitarat, ille memoriam pietatis intermortuam reuocarat, illius ſacrorum, illius ciuilis, illius erat omnium domeſtica diſciplina. Quæ quanquam eius aduentu, planeque aſpectu tanquam cæleſti alicuius hominis præſentia reuixerant, tamen is niſi perfecta re non conquieſcebat, ſed mirificam cognitionem, vſumque diuinarum & humanarum rerum ad eam referebat cogitationem, quomodo nationi ſuæ dignitas ſaluſq; pareretur. Quare hic opportunius illi veniebat adiutor, quo benè factorum benèque dictorum egregio doctore legendo & audiendo, præceptis Anglia ſalutaribus inſtitueretur. Sed mecum hic etiam non ſolum cum Anglis actum eſt incommodius, nam dum ſuſtineo me, veritus ne parum periti interpretis ſermone non delectetur vir tum græcè, tum latinè doctiſſimus, moritur interea Polus, vt iam quaſi quodam omine à proferendo libro deterreri viderer. Quem in perpetuum facilè compreſſiſſem : ſed inſtiterunt aliquando poſcere libri editionem ij, quibus negare non potui, præſertim cùm me publici Chriſtianæ Eccleſiæ concilij opportunitate cum hac commoditate ac nobilitate Romanæ librorum impreſſionis vrgerent, cùm denique admirabili, ſalutarique exemplo diuinitus hoc incumbente Pio Pontifice Maximo ad

reſt i-

Digitized by Google

reſtituendam veterem Eccleſiæ diſciplinam ſimul, & ad certiſſima diſciplinæ ſubſidia excitanda ac peruulganda literarum, ac ſtudiorum commoda, religioni habendum dicerent, virginitatis patronum non opponere petulantiæ plurimorum. Ceſſi igitur, ſed ita, ſi vt inſtitueram, rei grauitati conſulerem, leuemque operam meam aliena auctoritate roborarem. Ergo mihi vtrunque ſuppeditat ex te Otho ornatiſſime, qui ſi, quæ video, tantum in te eſſe audirem, mouerer fama laudem tuarum. Nunc, quæ tua eſt liberalitas, viuo apud te, & ſæpe interſum ſermonibus & actionibus tuis, vt tibi viuenti conſtantem iſtam, & probatam vitam, & ſacris diuiniſque rebus mirificè dedito Chryſoſtomi librum de virginitate debere non poſſim. Quod item à me tuum poſtulat flagrans, atque perpetuum ſtudium tuendæ propagandæque religionis: quò cùm & curas, & facultates conferas tuas præclarè, hoc eius & animi ſimulachrum, & monimentum ingenij, tibi qui Chryſoſtomum imitari ſtudes, ducem communis officij, conuenire ſum arbitratus. & verò gratius erit etiam illorum nomine, quibus deſponderam, quorum alter bonus Pontifex, alter Pontificatu dignus, vterque & tui amantiſſimus, & à te cultus diligentiſſimè ſibi à me receptum, tibi perſolutum officium probabit. Itaque habebis ab illis me interprete librum iſta perſona, ſtudiis, moribus dignum, cuius nec explicandæ ſententiæ commodior ſcriptor optari poſſit, quam Chryſoſtomus, nec diuulgandæ magis idoneum tempus, quàm hoc. Vtinam meæ partes ne deſiderentur. Quòd ſi quid de operis pondere mea infirmitate detractum eſt, tamen aliquam mihi excuſationis veniam datum iri ſpero, quòd in hoc interpretando diuini Spiritus interprete, facultatem fortaſſe pio conatu, atque egregia voluntate compenſem.

LECTORI.

CVM hunc Chryſoſtomi librum ita ſcriptum reperiſſem, vt in quatuor & octoginta capita diuiſus, initio ſingulorum capitum ſeparatim deſcriptam haberet cuiuſque loci ſententiam, tametſi librarij temeritate, quæ plerunque inſcitiæ ſocia eſt, intercisum credidi, non ſcriptoris conſilio diſtributum, quem perpetuum operis argumentum continenti oratione explicaſſe puto, tamen vt liberum cuiuſque iudicium relinquerem, ſummas modò rerum in capitum interuallis ineptè, vt mihi quidem videbatur, & ad curſum orationis lectioniſque moleſtè poſitas, tranſtuli in commodiorem locum, diſtinctionem non omnino ſuſtuli: nam & ſeruaui numerum, & primum quemque diuiſionis verſum prima eius grandiori litera notandum curaui. Quòd ſi quid operæ nauaui, quòd de eo legentes admonuerim gaudeo: ſin minus, iidem illi, quibus per me vtrumuis ſentire integrum erit, mihi viciſſim æqui eſſe debebunt, ſi, cùm ipſis fidem præſtitiſſem, meam quoque de re ſententiam notam eſſe volui.

SANCTI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI Conſtantinopolitanorum,

De Virginitate Liber, à Iulio Pogiano conuerſus.

Reprehendit ita laudantes virginitatẽ vt damnẽt matrimonium.

IVDÆI virginitatis laudem aſpernantur: neque mirum, quando etiam ipſum natum ex virgine, Chriſtum ignominiis affecerunt. contrà verò gentes admiratione virginitatis obſtupeſcũt: quam tamen ſola colit Eccleſia Dei. nam hæreticorum virgines, ego virgines eſſe minimè dixerim: primùm, quòd illæ caſtæ nõ ſunt, neque enim ex ſanctiſſimi illius viri ſententia, qui virginem Chriſto conciliat, deſponſæ ſunt vni viro:

2.Cor.11

Deſpondi enim, inquit is, *vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* quod etiamſi de vniuerſa Eccleſia dictum eſt, tamen illa etiam hæc complectitur oratio. Quomodo igitur, quæ vno viro non contentæ, alterum, qui non eſt, Deum introducunt, caſtæ eſſe poterunt?

II. Virginitatem hæreticorum mercedem nõ habere.

Quare primum ex iis, quæ diximus, deinde, quòd contumelioſæ in nuptias in eum locum proceſſerunt, vt connubiis abſtineant, virgines eſſe non poſſunt. quòd enim coniugium malum eſſe lege ſanxerunt, ea anticipatione ſibi præmia virginitatis ademerunt. non enim, qui vitia cauent, corona donandi ſunt, ſed eos à pœna tantummodo vacuos eſſe decet. & quidem videre licet, non ſolùm id noſtris eſſe, ſed externis etiam legibus conſtitutum: inquit enim lex, Homicida morte multator: C at non præterea adiicit, Qui hominem non occiderit, honore afficitor. item, Fur plectitor: at non eum etiam, qui neminem vlla re læſerit, præmium capere iuſſit. ac leges ipſæ adulterum occidentes, eum, qui coniugium non violat alienum, nullo dignandum honore cenſuerunt: & iure id quidem optimo: laudem enim & admirationẽ habere, rectè facientium eſt, non eorum, qui vitia declinauerũt. nam præclarè cum illis agitur, ſi nulla ad eos pœna peruenerit. itaque dominus noſter, ſi qui temerè, ac ſine cauſa fratri iratus fuerit, vel eundem ſtultum appellauerit, ei gehennam eſt comminatus, non etiam iis, qui neque fratri ſine cauſa ſuccenſuerint, neque in eum maledicta contulerint, regnum cæleſte promiſit, ſed plus eo quiddam, maiuſque requiſiuit, dum inquit, *Diligite inimicos veſtros.*

Matth.5.

cumque vellet oſtendere, parum admodum eſſe, & vile, & planè nullo dignum pretio, fratres non odiſſe, multò maius illud adiunxit, vt eos ipſos beneuolentia, & amore complectamur, ac ne id quidem D ſatis eſſe nobis inquit, vt honorem aliquem conſequamur. nam qui id fieri poſſit, ſi amplius ea in re, quàm ethnici, nihil aſſequimur? quare longè maiores acceſſiones faciamus oportet, ſi quidem mercedem exigere voluerimus. Neque enim, quia te, inquit, ad gehennam non damno, quod in fratrem maledictis abſtineas, nec in eum ſis offenſior, propterea tute corona donandus tibi eſſe videare: tãtum enim abeſt, vt abs te iſto comitatis modo contentus ſim, vt etiamſi te non ſolum non ei conuitium facere, verùm eundem amare dixeris, tamen adhuc & circum terram voluteris, & in publicanorum numerum aſcribaris. Quòd ſi perfectus, ac cælo dignus eſſe vis, iſtic modò ne conſtiteris, ſed altius aſcendito, & eam, quæ ſupra naturam ipſam eſt, cogitationem ſuſcipito, vt inimicos beneuolentia proſequare. Cùm igitur vndique hoc nobis conſtet, deſiſtant hæretici fruſtra ſeipſos affligere:

Hæretici fruſtra continent

nullam enim afflictationis ſuæ mercedem accipiet, non quia ſit iniuſtus dominus, (nefas enim id dictu

A eſt), ſed quòd iniqui ipſi, ac ſceleſti. quid ita? quia demonſtratum eſt, nullum iis, qui vitia tantummodo deuitarunt, præmium eſſe propoſitum. ipſi autem matrimonium malum ſtatuentes, eo abſtinuerunt. quomodo ergo, quòd à malo abfuerint, mercedem illis poſcere licebit? vt enim nos, quòd non ſumus adulterati, digni non erimus qui corona donemur: ita ne illi quidem, quòd à coniugio adhorruerunt. nam ſic cum ipſis aget ſummo illo die is, qui iudicium inter nos exercebit. Non equidem illis præmia conſtitui, qui tantum à culpa ſunt alieni, (parui id enim duco) ſed, qui virtutes omnes complexi fuerint, hos in cæleſte domicilium introducam, vbi beati hæreditate ſempiterna fruantur. Quid igitur eſt, quamobrem, cùm ſtatueritis matrimonium cum obſcœnitate, & ſcelere eſſe coniunctum, & eo propterea abſtinueritis, præmia, quæ rectè facientibus debentur, vobis ob delictorum B fugam dari poſtuletis? non enim, ſi agnos à dextra collocat, & eoſdem collaudatos in cœleſtẽ regiam introducit, id eò facit, quòd aliena non diripuerint, ſed quòd aliis ſua diſpertiuerint,

Matt 25.

neque ſi is, cui quinque talenta credita ſunt, domino probatus eſt, tam id factum eſt, quòd de commiſſa ſibi pecunia quidquam non diminuerit, quàm quòd eam auxerit, ac duplicatum depoſitum domino reddiderit. Quouſque igitur progrediemini, inani vos curſu exercentes? quàm diu laborem irritum ſuſcipietis? quem ad finem, aëra verberantes, fruſtra pugnabitis? atque vtinam ſolùm id fruſtra ſit. nam haud parua pœna illa fuerit, pro multis laboribus, proque ſpe præmiorum, maiori certè, quàm laborum ratio poſtulet, quo die honorem vobis habitum iri ſperatis, in eorum poni numero, qui ignominia notabuntur.

III. Hæreticos virginitatis pœnas pendere.

Nec verò hic illis erit malorum modus: neque ſolum id detrimenti facient, C vt nihil lucrentur, ſed alia multò his grauiora mala ſubibunt: æterno enim igne comburentur,

Matt.22.

vermi corrodentur immortali, tenebris exterioribus obruentur, angoribus, atque anguſtiis cruciabuntur. Quamobrem innumerabilia nos ora habere, & angelica vi præditos eſſe oporteat, vt Deo pro eius cura de nobis ſatis dignè gratias agere poſſemus: vel potius ne ſic quidem comparati id aſſequi queamus: qui enim id fieri poſſit? nam cùm pari nos cum hæreticis labore (niſi fortaſſe longè illi maiorem inde ſuſcipiunt moleſtiam) colenda virginitate exerceamur, haudquaquam pares laborum fructus vtique percipimus. illos enim & vincula, & lacrymæ, & gemitus, & æterni cruciatus, conſequentur: nos contrà, conſortes erimus angelorum, vbi fulgentes lampades collucebunt, & quod caput eſt honorum omnium, ſponſi conſuetudine fruemur. Sed quamobrem iiſdem laboribus contraria præmia tribuuntur? quòd illi, diuinæ legi vti legem ferrent aduerſariam, virginitati ſe D dediderunt, nos, vt domini voluntati pareamus, eadem efficimus. Deum autem velle, omnes vti coniugio abſtineant, teſtis eſt is, qui Chriſtum in ſe loquentem habuit:

1.Cor.7.

Volo enim, inquit, *omnes homines eſſe, ſicut ego ſum.* Quòd verò nobis parceret Saluator noſter,

Matt.26.

quodque ſciret, *ſpiritum* quidem *eſſe promptum, carnem autem infirmam*, minimè id neceſſario iuſſo ſeruandum conſtituit, ſed animis noſtris ſolutam eſſe voluit eligendi optionem: nam ſi præſcriptum eſſet, & lex, nunquam iis, qui id perfeciſſent, is honor habitus eſſet, ſed illud reſponſum à Domino tuliſſent,

Lucæ 17

Feciſtis quod facere debuiſtis: neque iis qui rem non aſſecuti fuiſſent, eſſet ignotum, ſed iis, qui leges negligunt, conſtitutam pœnam ſuſtinerent: nunc verò cùm illud dixerit,

Matt.19.

Qui poteſt capere, capiat, non eos condemnauit, qui minus id aſſequi poſſunt, ſed illis qui rei facultatem habent, multum, atque adeò maximum certamen propoſuit, ob eamque cauſam Paulus, magiſtri ſui veſtigia perſequens,

1.Cor.7.

præceptum domini ſe non habere dicit, ſed dare

con-

Digitized by Google

IV. Deteſtatione coniugij ſatanicæ immunitatis eſſe.

Ioan. 8.

conſilium. At verò neque Marcio, neque Valentinus, neque Manes eam moderationem tenuerunt: neque enim Chriſtum in ſe loquentem habuerunt, qui ſuis ouibus parcit, pro quibus etiam vitam poſuit, ſed *homicidam illum mendacij parentem*: quamobrem eos omnes, quicunque fuerunt dicto audientes, iidem illi perdiderunt. nam ipſos in ignem ſibi paratum ad inferos traxerunt ſecum, quos inanibus in vita, & intolerabilibus laboribus exercuerant. O miſerrimam veſtram conditionem, atque etiam gentium ſtatu miſeriorem. nam, etſi gentes grauia apud inferos gehennæ manent ſupplicia, tamen certè, dum viuunt, coniugij, & pecuniæ, cæterarumque rerum, quæ in vita iucunditatem habent, voluptatem percipiunt: vos verò tormentis, & cruciatibus vtrobique affecti, & præſentes voluntarij, & mortui inuiti ſempiternam pœnam ſuſtinetis. ac gentibus quidem pro ieiunio, & virginitate, neque mercedem dederit quiſquam, neque eiſdem ſupplicium conſtituetur, vos

V. Hæreticos quod ad cultū virginitatis attinet, gētibus etiā miſeriores eſſe.

B autem, pro quibus innumerabilibus laudibus celebratum iri ſperauiſtis, pro eiſdem extremas pœnas perſoluetis, idque cum aliis reſponſum feretis à domino, Quòd ieiunium virginitatemque ſeruaſtis, *diſcedite à me in ignem paratum diabolo, & angelis eius*: nam neque ieiunium, neque virginitas per ſe bona, vel mala ſunt, ſed eorum propoſito, qui illa colunt, ita vel bona, vel mala efficiuntur, neque verò ea virtus gentibus fructuoſa eſt: receperunt enim mercedem ſuam; quia hanc ipſam virtutem metu Dei non coluerunt. at vos tum propter bellum, quod cum Deo geritis, tum propter crimen, quod eius operibus affertis, non modò mercedem veſtram recepiſtis, ſed præterea pœnas dabitis: nam pro decretis veſtris ducemini in gentium loco, atque numero: quandoquidem æquè, atque ipſę gentes, vero & vnico Deo reiecto, multitudinem deorum introduxiſtis: pro vitæ autem inſtituto melius

Matt. 25.

C cum illis, quàm vobiſcum, agetur. nam eatenus illæ damnum facient, vt nihil boni adipiſcantur: vobis præterea fiet acceſſio malorum. adde, quòd illis ipſis in vita voluptatibus omnibus frui licuit: vos omnibus vtrobique caretis. Num erga pœna grauior eſſe poteſt vlla, quàm pro mercede laboris, & ſudoris, perferre ſupplicia? Adulter, auarus, is qui in alienis rebus luxurioſus fuit, direptor denique proximorum, omnes certè ſolatij aliquid habent, breui illud quidem, ſed tamen aliquid, quòd eorum cauſa plectuntur, quibus hic delicatè, molliterque vixerunt. At qui paupertatem perfert voluntariam, vt cùm è vita migraris, locupletetur, qui virginitatis labores ſponte ſuſcipit, vt illic exultet cum angelis, is, ſi repente, ac præter omnem expectationem hiſce de rebus plectatur, quarum ſe innumerabilia præmia conſecuturum ſperauit, non dici queat, quantum capiat doloris,

D vbi illa, contrà quàm omnino ſperauerat, mala ſubierit. ego enim ipſum conſcientia æquè atque flamma cruciatum iri exiſtimo, cum eiuſdem conſortes laboris apud Chriſtum commorari videbit, &, ob quæ infinitis illi fruentur bonis, ab ea ſe extrema ſupplicia ſuſtinere, in illaque virginitate grauiora ferre mala, quàm luxurioſi, nequiſſimique homines patiantur. Etenim hæreticorum cōtinentia omni eſt libidine flagitioſior. illa enim hominum modò offenſionibus terminatur: at iſta cum Deo pugnat, & in eius infinitam ſapientiam iacit contumeliam. diabolus autem ſuis cultoribus eiuſmodi tendit inſidias: eius enim fraude virginitatem hæreticorum, ſubtiliter inuentam eſſe, non ego mea, ſed is, qui diaboli cōſilia non ignorat, ſua oratione teſtatum reliquit. quid igitur inquit ille? *Spiritus manifeſtè dicit, quòd in nouiſſimis tēporibus diſcedent quidā à fide, attendētes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à*

VI. Virginitatem hæreticorum adulterio etiam fœdiorē eſſe.

1. Tim. 4.

A *cibis, quos Deus creauit ad recipiendum*. Quomodo igitur virgo ſit, quæ diſceſſit à fide? quæ planos audiuit? quæ dæmonibus obtemperauit? quæ mendacium coluit? quo pacto illa virgo, quæ tātas conſcientiæ labes habet in anima? virginis enim nō ſolùm corpus caſtū, ſed puram, atque integrā animam eſſe oportet, ſiquidē curat ſponſum illū ſanctitatem inſignem excipere. quòd ſi ipſa iis maculis notatiſſima fuerit, quonam modo pura eſſe poterit? ſi enim eam terrenas etiā curas ab eiuſmodi cubiculo abiicere oportet, vtpote quæ ſponſi dignitati cum illis cōgruere nequeat, quomodo, cogitationibus impiis eius animo obuerſantibus, virginitatis decus cōſeruare poterit? Nam etſi corpus ipſius incorruptum eſt, animæ tamē, quæ pars eſt potior, ſunt corrupta cōſilia. quænam igitur iſta cōmoditas diſiecto tēplo, quæ tēplum cingunt, porticus, & ſepta permanere? aut quid eſt in eo emolumenti, cùm purus ſit ſolij locus, ipſum eſſe ſolium ſordibus in-

VII. Hæreticos colenda virginitate non animā modò, ſed etiā corpus inquinare.

B quinatū? quanquam ne ſic quidē à ſordibus libera eſt. execrationes enim, & maledicta intus quidem formātur, neque tamē intus cōſiſtunt, ſed ore prolata, & linguam, & aures, quæ ad ea patent, coinquinant, ac veluti venena peſtifera in ipſam animā infuſa, radices eius corrodūt, quauis tinea grauius, vt cum ipſis radicibus reliquum corpus intereat. Atqui, ſi corporis & ſpiritus ſanctitas definitio virginitatis eſt, quî fieri poteſt, vt ea virgo ſit, quæ ſceleribus, ac flagitiis vtrunque contaminauit? At iſta mihi & oris pallorē, & membrorum gracilitatem, & ſimplicem ſtolę cultū, & aſpectum humilem, ac verecundū oſtentat? ſed quanti id refert, ſi elatus, & inuerecundus eſt oculus animæ? quid enim eius aſpectu petulantius eſſe poteſt, quæ ſpecie, & oſtentatione adducit homines in eā ſententia, vt Dei opera habeant in numero malarū rerum? *Omnis gloria filiæ Regis ab intus*: at ipſa peruerſo ordine extrin-

Simile.

Pſal. 44.

C ſecus gloria circumfluens, omnem intrinſecus habet infamiā. Illud verò graue eſt, quòd maximam hominibus præ ſe fert modeſtiā, in Deū verò creatorem ſuum ſummam adhibet inſaniam, quodque adduci non poteſt, vt virum aſpiciat, (ſi modò vllæ in ipſis ſic affectæ virgines reperiuntur) in Dominum verò hominū impudentibus oculis intuetur, & iactat voces in ſublime nefarias: exangue buxi inſtar ipſis os eſt, mortuique ſimillimū: at propter eam cauſam multis lacrymis, maximiſque miſerationibus dignæ ſunt, quòd nō modò fruſtra, ſed ad perniciem, & quæ in eorū caput redundant, tantū ærumnarū ſuſceperunt. Vilis quidem ſtola eſt, at non veſtitu, neque eius colore, ſed corpore, & anima virginitas definitur: nam ſi neque philoſophū coma, baculo, aut tunica, ſed moribus, & anima metiri ſolemus, neque militē ex chlamyde, aut ex balteo, ſed ex robore, & virtute ſpectamus: nónne illud perabſurdum ſit, virginem, rem adeò mirabilem, ac de humanis rebus longè prę́ſtantiſſimam,

VIII. Virginem nō veſtitu, ſed anima æſtimari oportere.

Simile.

Virginū veſtis pulla.

D ſqualore capilli, oris mœrore, & pulla veſte definire, ipſiuſque vim, ac virtutem ita negligenter temereque interpretari, neque eius animam quaſi denudatam inſpicere, atque habitum, & mores ſubtiliter inde pernoſcere? At non id permittit is, qui luctationem iſtam lege conſtituit: neque enim veſtibus eos, qui in hoc certamen deſcenderent, ſed præceptis, & anima probare ſe iubet: inquit enim, *Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, nempe ab iis, quibus animæ ſanitas perturbatur: &, *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*: quænam ergo huiuſce luctationis leges conſtitutæ ſunt? audi iterum Paulum, vel potius in eo loquentem Chriſtum, certaminis authorem, *Vt virgo ſit ſancta & corpore, & ſpiritu*, atque idem *honorabile connubium, & thorus immaculatus*. Quid ad me hoc, illa inquit, quæ multam coniugio ſalutem dixi? iſtud enim miſera, iſtud ipſum te perdidit, quæ tanquam ad te nihil id decre-

2. Cor. 8.

2. Tim. 2.

1. Cor. 7.

IX. Virgini detrimentum afferre elationem

Digitized by Google

animi in eos, qui matrimonio iuncti ſunt.

tum pertineret, rem propterea incredibili irriſione excipiens, cùm in Dei ſapientiam inuecta es, tum creatas res omnes accuſaſti: ſi enim coniugium impurum eſt, animantes omnes, quæcunque ex eo creatæ ſunt, eadem impuritate continentur, ita vos etiam: non enim dixerim hominum naturam, quomodo igitur illa virgo ſit, quam impurum eſſe conſtat? Verum altera, vel tertia potius hæc eſt fœditatis & impuritatis à vobis excogitata ratio, quæ connubium veluti turpitudinem quandam fugientes, iſta ipſa fuga nuptiarum omnium impuriſſimæ factæ, virginitatem excogitaſtis adulterio fœdiorẽ. In quorum igitur numero vos reponemus? Iudæorum ne? at vos illi non recipient, quippe qui coniugium colunt, & diuinum opus admirantur; an noſtrum? at Chriſtum ex ore Pauli loquentem audire noluiſtis, *Honorabile connubium, & thorus immaculatus.* Reliquum igitur eſt, vt gentibus annumeremus, ſed vt ſceleſtiores, & magis impios, quàm ipſæ ſint, vos etiam illæ repellent: eſt enim apud Platonem, eum, qui cuncta fabricatus eſt, probum eſſe, probum autem nemini vlla in re inuidere: tu verò ipſum improbum appellas, & malarum rerum procreatorem. Verùm ne extimeſcas: habes iſtius conſortem ſectæ diabolum, & angelos eius, vel potius ne eos quidem: neque enim propterea, quòd te illi in iſtum furorem induxerunt, eadem ipſos ſentire exiſtimes: ſcire enim eos Deum eſſe bonum, argumento tibi ſit ipſorum vox exclamantium tum hoc, *Scimus quòd ſanctus Dei ſis*, tum illud, *Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis.* Etiámne igitur virginitatem commemorabitis? etiam in ea gloriabimini? ac nòn potius veſtrã deflebitis & lugebitis ſtultitiam, propter quam diabolus vos colligatos veluti captiuos trahet in ignem æternum? At non es matrimonio coniuncta? at non eo omnino virginitas definitur: quæ verò liberam habuit nubendi poteſtatem, & à nubendi conſilio abfuit, hanc ego virginem eſſe dixerim: cùm autem te connubio lege prohiberi dicis, iſtud, quod à te rectè factum eſt, non iam liberæ tuæ voluntati, ſed neceſſario legis iuſſo tribuendum eſt. Quapropter Perſas eos admiramur, qui matres vxores non ducunt: Romanos nõ item. nam apud eos id omnibus omnino execrandum videtur: apud verò Perſas impunitas audendi talia cauſæ fuit, vt, qui ab huiuſmodi coniunctionibus abſtinerent, laudibus afficerentur: & hac quidem ratione de nuptiis eſt inquirendum: nos enim, quòd omnibus liceat matrimonio ſe coniungere, meritò eos qui non nubunt, admiramur: vos verò, qui nuptias in numerum flagitioſarum rerum retuliſtis, minimè vobis eam virginitatis laudem aſſumere poteſtis: nam à vetitis abſtinere, nequaquam eſt præſtantis & egregij animi argumentum: illud certè perfectæ virtutis eſt, non ea cauere, quæ ſi commiſerimus, ab omnibus mali iudicemur, ſed in iis excellere, quæ non experita improbitatem non coarguunt, culta verò atque perfecta non ſolùm homines liberant ſuſpicione improbitatis, ſed argumento ſunt, eos inter bonos referri debere: vt enim eunuchis, quòd non nupſerint, virginitatis laudem nemo tribuerit: ſic neque vobis. quod enim illi naturæ neceſſitate, id vos anticipatione malæ mentis effeciſtis, & quam ipſis ea in re gloriã corporis debilitas abſtulit, eam vobis integris diabolus, rectis ablatis cogitationibus, eripuit: atque ita hac, quam neceſſariò ſeruetis, non nubendi lege propoſita, laboribus quidem aſſiduè vos exercet, ſed ad honores peruenire prohibet. Tu coniugium vetas? at tibi, tantum aberit vt propterea quòd non nupſeris, merces detur, vt etiã ob id ipſum cruciatus, & ſupplicia perferas. Tu, inquit, matrimonio non prohibes? minimè, minimè verò ſit, vt vſque adeò tecum inſaniam. Quomodo igitur, ait, hortaris homines, vt matrimonio ne coniungantur? quod mihi ipſe

Hebr. 12

Marc. 1. Act. 16.

Simile.

Perſarum inceſta coniugia.

Simile.

X. Cohortari ad virginitatem,

A perſuadeo, virginitatem coniugio multò eſſe præſtantiorem, neque tamen propterea connubium in malis pono, quin etiam ipſum magnis laudibus afficio: eſt enim continentiæ portus iis, qui præclarè eo vti voluerint. nam neque appetitum furere ſinit: quaſi enim molem quandam, illi legitimam opponens coniunctionem, & libidinis fluctus ſuſtinens, in magna nos tranquillitate collocat, & retinet. At ſunt quidam, qui huiuſmodi præſidij non indigeant, ſed eius loco ieiuniis, vigiliis, corpore ſuper ſolo ſternendo, vita denique duriter agenda, naturæ furorem leniant: hos equidem cohortor, vti ne connubio iungantur: quo minus id faciant, non impedio. Magna verò eſt vtriuſque verbi differentia, & planè tanta, quantum inter neceſſitatem intereſt, & liberam cuiuſque voluntatem. nam iis, qui conſilium alteri dat, ita dimittit auditorem, vt ei integra ſint ea, de quibus conſilium dedit: qui verò prohibet, is hanc aufert ab eo B facultatem. Accedit ad id, quòd ego virginitatem ſuadens, non damno coniugium, neque eum, qui me non audierit, accuſo: tu, cùm & nuptias condemnes, malumque appelles, & legumlatoris, non conſiliarij perſonam arripias, qui tibi non obtemperant, meritò eos odiſti. ego verò non ita, verùm cùm illos admiror, qui ad hoc certamen nomina dederint, tamen, qui eò non deſcenderint, non accuſo: accuſatio enim ea iuſta eſt, quæ contra illum adhibetur, qui id commiſerit, quod omnes malum confitentur. nam qui leuiorem aliquam virtutem adeptus eſt, neque aliam ea maiorem aſſecutus, vt eandem laudem, & admirationem non habeat, non tamen propterea eſt accuſandus. Quî igitur prohibeo connubium, qui nubentes non reprehendo? ſtupra verò, & adulteria, coniugium minimè ego C quidem, qui verò illa audent, punio, & à ſacris, atque à communione Eccleſiæ repello: qui autem nuptias colunt, dum id caſtè faciant, iis ego perpetuam laudem tribuo. Quamobrem duplex lucrum fit, alterum, quòd Dei operibus crimen non offertur, alterum, quòd virginitas ſua dignitate non ſpoliatur, quin etiam multò illa ipſa præſtantior oſtenditur. Qui enim matrimonium vituperat, virginitatis gloriam funditus tollit: qui verò id laudat, multò illam ipſam admirabiliorem reddit, ac præclariorem: quod enim præ eo, quod deterius eſt, bonum videtur, non id admodum bonum fuerit: quod verò iis, quæ omnium ſententia bona ſunt, melius eſſe conſtat, illud præſtantiſſimum bonum eſt, cuiuſmodi docemus nos eſſe virginitatem. Quare, quemadmodum qui nuptias in malis ponunt, ſuam virginitati laudem detrahunt: ſic qui coniugium à crimine vindicant, non magis ipſum coniugium, quàm virginalem laudant caſtitatem. Etenim in corporibus non ea, quæ mancis, ac debi- D libus, ſed quæ ſanis, & integris comparata excellunt, pulchriora dicimus. Bonum eſt connubium: eſt verò ob eam cauſam virginitas admirabilis, quæ eo, quod bonum eſt, melior exiſtit, tantoque melior, quantò remigibus gubernator, quantò eſt militibus dux præſtantior: ſed quemadmodum, è naui ſi remiges ſuſtuleris, nauigium ſubmerſeris; ſi milites ſubmoueris è prælio, ducem hoſtibus conſtrictum tradideris: ita, ſi matrimonium loco deieceris, virginitatis prodideris gloriam, & in ſummorum ordinem malorum compuleris. Virginitas eſt bonũ: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior: & iſtud tibi aſſentior, ac ſi libet, illud adiungam, tantò nuptiis eam præſtare, quantò cœlum terræ, quantò hominibus angeli antecellunt, ac ſi quid præterea audendum eſt, etiam magis: nam ſi neque nubunt angeli, neque vxorem ducunt, non etiam carne, & ſanguine coagmentati ſunt, in terris præterea non commorantur, non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus ſunt obnoxij, non cibi indigent, aut potus, non ſunt eiuſmodi, vt eos dulcis

non eſſe prohibere connubium.

XI. Qui coniugium improbat, eũ ſimul violare virginitatem.

Simile.

Simile.

ſonus,

Digitized by Google

ſonus, aut cantus mollire, aut præclara ſpecies poſſit allicere, nulla denique eius generis illecebra capiuntur: ſed, quemadmodum cœlum ſummo meridie, nullis perturbatum nubibus, purum & lucidum apparet, ſic angelorum natura, nullis commota perturbationibus, neceſſariò clara permanet, & illuſtris.

XII. Qui virginitatem verè colit ex hominibus angelos fieri.

At humanum genus, cùm natura beatis illis mentibus inferius ſit, omni vi ſtudioque contendit, vt, quoad eius fieri poteſt, illas aſſequatur: quomodo? non nubunt angeli, neque vxorem ducunt: at neque etiam virgo: aſſiſtentes illi ſemper ad Deum, eidem inſeruiunt: & iſtud ipſum virgo: quamobrem Paulus ab omnibus curis eas auocat, vt attentè & aſſiduè Deo ſeruire, neque vlla inde re diſtrahi poſſint.

1. Cor. 7.

Quòd ſi virgines, quãdiu corporis onere deprimuntur, quemadmodum angeli in cœlum nequeunt aſcendere, illud eo vel maximo ſolatio compenſant, quòd, modò ſpiritu, & corpore ſanctæ ſint, cæli Regem recipiunt. Vidéſne virginitatis præſtantiam? quomodo terrarum incolas ſic afficiat, vt eiſdem illi, quibus cælites, muneribus perfungantur, & qui corpore veſtiti ſunt, eos incorporeis mentibus exæquet, & homines ipſos æmulos ſtudij efficiat angelorum? Verùm nihil ad vos iſta, qui & tantam rem violaſtis, & dominum accuſaſtis, improbumque appellaſtis, quamobrem ea vos, quæ ſeruo debentur improbo, manent ſupplicia: piis autem virginibus multa, & maxima præſto erunt bona, & planè ea, quæ non modò ſupra ſunt oculorum & aurium ſenſum, ſed omnem hominum mentem & cogitationem ſuperant. Quamobrem, illis omiſſis, (ſatis enim contra eos diſputatum eſt) ad Eccleſię filios reliquum ſermonem conuertemus.

XIII. Quid velit Paulus. Ego, non ego, ſed dominus: de vxore nõ dimittenda, & connubio impari. 1. Cor. 7. 2. Cor. 13. Galat. 2. Rom. 8.

Vnde igitur præſtat initium dicendi facere? nempe ab eo Domini ſermone, quem is diuo Paulo habuit internuntio: huius enim admonitionem, domini admonitionem eſſe, neceſſariò credendum eſt: etenim cùm inquit, Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, & illud, *Reliquis autem ego dico, non Dominus:* non eò dixit, quaſi alia ſua, alia Domini eſſet oratio: quomodo enim is, qui Chriſtum in ſe loquentem haberet, qui viuere non curaret, vt Chriſtus in ipſo viueret, qui regnum, qui vitam, qui angelos, qui poteſtates, qui reliquas res creatas, qui omnino omnia charitate in Chriſtum inferiora duceret, quomodo, inquam, præſertem de his legem ferens, ea non dicam decere, ſed cogitare eſſet auſus, quæ ex Chriſti ſententia non eſſent? Sed quomodo illa accipi debent, ego, & non ego? nempe hoc modo: leges nobis tulit, & decreta fecit, partim per ſe Chriſtus, partim per Apoſtolos: quòd autem ipſe per ſe leges omnes non tulerit, audi eiuſdem teſtimonium: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.*

Chriſtus quædam per ſe, quædam per Apoſtolos tradidit. Ioan. 16.

Quocirca de vxore, quæ à viro diſcedere non debeat, anticipans illud ipſe Chriſtus, legem nobis impoſuit tum, cum homo verſabatur in terris, propterea inquit, *Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed dominus:* de infidelibus verò nobis ipſe nihil dixit, ſed ad id Pauli incitans animum, eius ore legem tulit, ac propterea inquit, *Si quis vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam: & ſi qua mulier habet virum infidelẽ, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum:* ob id igitur dixit, Non dominus, ſed ego: non eo volens oſtendere, humanum illud eſſe dictum, qui enim fieri poteſt? verum id præceptum, cùm hic eſſet, Chriſtum diſcipulis non tradidiſſe, ſed nunc ſe internuntio tradere: vt igitur illud, Dominus, non ego, haud illius eſt, qui Chriſti iuſſo aduerſetur: ita hoc, Ego, non dominus, non ab eo dicitur, qui præter Dei ſententiam ſuum ipſe, ac proprium aliquid afferat, ſed ab eo, qui tantum hoc oſtendat, per ſe nobis id nunc præceptum traditum eſſe: etenim de vidua cum loquitur ipſe, *Beatior*, inquit, *eſt, ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium*, deinde ne, cùm illud audieris, *Secundùm meum conſilium*, id ab homine excogitatum arbitreris, ſuſpicionem conſequenti oratione ſuſtulit in hunc modum: *Puto autem, quòd & ego ſpiritum Dei habeam.*

1. Cor. 7. 1. Cor. 7. Ibidem. 1. Cor. 7. Ibidem.

Quemadmodum igitur, cùm ea, quæ Spiritus ſancti eſſent, loquebatur, ſuũ dixit eſſe conſilium: neque eam propterea nos hominis ſententiam dicemus: ſic neque hic etiã cùm dicit: Ego dico, non dominus, ob id Pauli ſermonem exiſtimabis. Chriſtum enim in ſe loquentem habebat: neque verò vnquam quicquam fuiſſet auſus de tanto hoc decreto ferre ſententiam, niſi inde legẽ nobis tuliſſet: ſic enim cum Paulo quiſquam ageret: Ego fidelis homo cum infideli, cum impura purus cõſuetudinem habere non poſſum: tu paulò antè dixeras, dicere te iſta, non dominum: vnde igitur id mihi tutum, certúmve fuerit? At diceret, Ne verearis: id enim dixi, quòd Chriſtum in me loquentem habeo, & quòd puto Spiritum Dei habere, ne eum ſermonem vlla ex parte humanum eſſe ſuſpicere: niſi enim ita eſſet, nunquam cogitatis meis tantum authoritatis tribuiſſem: *cogitationes* enim *mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ.* Præterea, quanta ſit legis vis vbique terrarum, oſtendit Eccleſia, legem ipſam diligenter ſeruans, alioqui non ſeruatura, niſi perſuaſum haberet, ex Chriſti iuſſo illum omnino eſſe ſermonem.

Sapi. 9.

Quid igitur ait Paulus, domini inſtinctu concitatus? *De quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere.* Hoc loco amauerit aliquis de eo Corinthios, quòd, cùm nullum antea à magiſtro ſuo de virginitate conſilium habuiſſent, occupantes ipſi ab eodem illud requirant: eo nimirum oſtendentes, quanta ſibi iam diuinæ gratiæ acceſſio facta eſſet: nam veteri teſtamento res perſpicua non erat: neque enim ſolùm reliqua tum multitudo, ſed & leuitæ, & ſacerdotes, atque adeò magnus ille Pontifex magni nuptias æſtimabat.

1. Cor. 7.

XIV. Cur ad Paulum Corinthij de virginitate ſcripſerint, nõ autem prior eos ipſe admonuerit.

Sed quamobrem eò progreſſi ſunt, vt id à Paulo quærerent? acutè illi rem, & præclarè viderunt: quippe cùm ipſis, maiori munere affectis, maioris etiam virtutis opus eſſet. Verùm illud etiam conſiderandum eſt, quamobrem Paulus nullum vnquam ipſis de eiuſmodi conſilio ſermonem intulerit. non enim ſi quid horum illi accepiſſent, iterum ad eum ſcribentes, de eiſdem rebus rurſus eius ſententiam requiſiuiſſent. atque hinc etiam admirabilem Pauli ſapientiam licet animaduertere. non enim temere, aut ſine cauſa tanta de re admonitionem prætermiſit, ſed expectauit, dum id prius cuperent Corinthij, & aliquam eius rei ſuſciperent cogitationem, vt, cùm eorum animos, qui ad virginitatem præparati eſſent, excolẽdos ſuſcepiſſet, fructuoſos hiſce de rebus in illis ſermones fereret: ſic enim illis per ſe erga virginitatem affectis, factum eſt, vt poſtea ſe maximè dociles ad Pauli conſilium præberent. adde, quòd huius rei magnitudinem, & grauiſſimum pondus oſtendit. non enim, niſi ita ſe res haberet, illorum ea in re alacritatem expectaſſet, ſed anteuertens ipſe rem introduxiſſet, ac ſi non vt iuſſum, aut præceptum, certè vt admonitionem, atque conſilium: ſed cùm ne ſibi id quidem ſumpſiſſet, vt prior faceret, liquidò nobis oſtẽdit, quàm multi ſudoris, quantæque contentionis virginitas indigeat: quo etiam communem dominum imitatus eſt: nam & ille tum, cùm diſcipuli eum interrogarunt, de virginitate diſſeruit. cùm enim dixiſſent: *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, expedit non nubere:* tunc ait, *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum:* cùm enim id, quod rectè fit, magnum, & difficile eſt, neque ob eam cauſam iuſſo concluditur neceſſario, tunc expectandum eſt, dum iis, qui idipſum aſſequi volunt, rei cupiditas innaſcatur, alio quodam modo, ac ſine vlla ſuſpicione comparatis illis ad eiuſdem rei ſtudium, & voluntatem. Sic itaque Chriſtus fecit: non enim eos vlla diſputatione de virginitate in cupiditatem

Matt. 19.

virgi-

A virginitatis adduxit, ſed tantum in ſermone de nuptiis, rei grauitate demonſtrata, atque in iis terminata oratione, rem tractauit adeò ſapienter, vt qui de virginitate nihil audiuiſſent, ſua ſponte dicerent, *Expedit non nubere.* Ob id Paulus etiã ille Chriſti imitator inquit: De quibus ſcripſiſtis mihi: quod perinde eſt, quaſi de iis ita reſpondiſſet: Equidem propter ſummam rei difficultatem nunquam per me vos eſſem auſus in tam excelſum locum compellere, verùm cùm id anteuertentes ipſi de eo ad me ſcripſeritis, propterea, quid mei conſilij ſit, fidenter vobis exponam: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Verùm quid eſt cauſæ, quòd cùm multis de rebus ad Corinthios ſcripſiſſet Paulus, nuſquam huius ipſe fecerit mentionem? nihil, niſi id quod iam dictum eſt: ne quis enim literarum admonitionem moleſtè ferret, in memoriam eorum redigit, quæ ipſi ſcripſerant: ac ne ita quidem occa-B ſionem nactus maximam, vehementiorem adhibet admonitionem, ſed remiſſius cum illis agit, in eo etiam Chriſtum imitatus. Saluator enim in extremo illo ſermone, quem de virginitate habuit, illud adiecit. *Qui poteſt capere, capiat.* at quid ait Paulus? De quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere.

XV. Oppoſitio eorũ, qui virginitatẽ eiiciunt & ſolutio.

Sed dixerit fortaſſe quiſpiam, ſi præſtat mulierem non tangere, quid ſunt introductæ nuptiæ? aut, ſi non ad coniuginm, & ad liberorum procreationem mulieres adhibemus, quid eſt præterea, in quo illæ nobis vſui eſſe poſſint? morte enim quotidie conſumente, atque cædente humanum genus, neque hoc permittente ſermone, vt, aliis cadentibus, alij exoriãtur, quid prohibet, quo minus vniuerſi homines intereant? ſi enim bonum id ſequeremur omnes, neque mulierem attingeremus, perirent omnia, & vrbes, & familiæ, & agri, & artes, & animantes, & cuncta, quæ C ex terra oriuntur.

Simile.

Quare quemadmodum, vbi cecidit Imperator, omnes ordines in acie diſſipari neceſſe eſt: ſic homine, qui omnium in terris eſt Imperator, quia nuptias non colat, ſublato, nihil præterea reliquum eſt, quod ſalutem ſuam, ordinemque tueatur: atque hoc ipſum præclarum cõſilium complebit orbem terrarum malis innumerabilibus.

Non eſſe timendũ ne intereat genus humanũ, ſi omnes virginitatem profiteantur.

Equidem, ſi hoſtium, & infidelium tantummodo hæc eſſet oratio, parui eam æſtimaſſem: cùm verò multi ex iis etiam, qui in Eccleſiæ numero videntur eſſe, eadem iſta dicant, atque imbecillitate conſilij ad virginitate deficientes, eam, quòd multi ſudoris ſit improbent, & inanem eſſe oſtendant, eo videlicet conſilio, vt ſuam tegant pigritiam, neque negligentia, ſed recto iudicio certamen illud contempſiſſe videantur: agè, iam, omiſſis hoſtibus, (nam animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei: *ſtultitia enim eſt illi*) 1.Cor.2. eos, qui nobiſcum facere ſimulant, vtrunque do-D ceamus, & virginitatem non modò non ſuperuacaneam, ſed valde eſſe fructuoſam, maximeque neceſſariam, & ipſos, quòd virginitati crimen offerunt, non impunè laturos, ſed tantum eiuſce rei pœnarum ſubituros, quantum iis, qui virginitatem coluerint, & mercedis, & laudis tribuetur. Vt enim vniuerſus hic mundus factus eſt, & parata nobis omnia, quæ ad quietem noſtram, vſumque pertinerent, Deus hominem finxit, cuius etiam cauſa mundum fabricatus erat: is igitur in paradiſo remanſit, neque vlla nuptiarum mentio facta eſt, opus ei fuit adiutrice: adhibita eſt: ne tum quidem coniugium viſum eſt neceſſarium, imò verò ne apparebat quidem: quinetiam illi connubij expertes in paradiſo, tanquam in cœlo vitam degebant, & iucundiſſima Dei conſuetudine fruebantur. nam & coniunctionis appetitio, & conceptio, & partuũ dolores, & partus ipſi, interitus denique omne genus longè aberat ab illorum animis, & quemadmodum amnis liquidus è puro fonte profluens, Simile. ſic ipſi ibi vitam agebant virginali caſtitate decorati: & tum erat in omnibus terris ab hominibus ſolitudo: quod nunc verentur iſti, qui de orbe terrarum laborant: ea enim eſt horum hominum ratio, aliena vti ſedulò curent, ſuarum verò rerum ne minimam quidem cogitationem ſuſcipiant, & cùm de eo ſolliciti ſint, ne commune hominum genus aliquando deficiat, omnem animæ ſuæ, tanquam alienæ, curam vnuſquiſque negligit, præſertim cùm eius cauſa ſumma vel minimarum rerum, paucitatis verò hominum ne minima quidem ratio ab ipſis repoſcenda ſit.

Aliena curans, ſua nec cogitans.

Non erant tum oppida, non artes, non familiæ, (neque enim leuiter vos iſta curatis) ſed tum iſta non erant, neque tamen beatam illam vitam, & hac noſtra longè meliorem quidquam aut impediebat, aut incidebat, at ſimul atque Deo non obtemperauerunt, ac terra, ciniſque facti ſunt, ſimul cum beata illa viuendi ratione virginitatis decus amiſerunt, & vnà cum Deo ſemigrauit ab eis caſtitas virginalis: nam quàm diu à diaboli ſeruitute liberi fuerunt, ac dominũ ſuum ſunt veriti, fuit penes eos virginitas, quæ maiori ipſis erat ornamento, quàm ſit diadema Regibus, aut aurea veſtimẽta. Poſteà verò quàm captiui fuerunt, & regiam ipſam exuerunt ſtolam, cœleſtique ornatu abiecto, morti, diſſolutioni, execrationique propoſiti, miſeram & laborioſam vitam inſtituerunt, tunc vnà cum illis ſucceſſit connubiũ, mortale hoc, & ſeruile veſtimentum. *Qui*, inquit, 1.Cor.7. *cum vxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi.* Videſne vnde initium habuerint nuptiæ? vnde neceſſariò profectæ videantur? à diuini præcepti contemptione, ab execrationibus, à morte: ſiquidem vbi mors eſt, ibi nuptiæ commorãtur: quæ ſi non eſſet, neque nuptiæ ſequerentur. At hæc virginitatem non cõſequuntur, ſed illi ſemper vtilitas, felicitas, beatitudoque comitantur, tam nondum morte, aut nuptiis introductis, quàm poſt earum introductionẽ. Cedo, quod connubium Adam procreauit? qui dolores Euam pepererũt? neque enim habes quod reſpondeas: quid igitur ſine cauſa contremiſcis metu perterritus, ne ſublatis nuptiis conſiſtat ortus humani generis? Innumerabiles angeli Deo inſeruiunt, infinita vis archangelorum ad ipſum aſſiſtit, neque quiſquam eorũ eſt ex naturæ ſucceſſione, ex partu, ex doloribus, ex conceptione procreatus: multò igitur magis homines ſine coniugio fingere potuit, quemadmodum primos finxit, vnde genus hominum vniuerſum exortũ eſt.

XVI. Coniugiũ nõ augere genus humanum. Geneſ. 1.

Neque verò nunc etiam genus noſtrum auget connubij vis, ſed domini oratio ea, quam habuit initio, *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Quid enim, quæſo, Abraham ad liberos gignendos nuptię profuerunt? an non is, cùm tot annos vxorem haberet in matrimonio, tãdem eiuſmodi vocem emiſit? Geneſ.15. *domine Deus quis dabis mihi? ego vadam abſque liberis.* Vt igitur tum ex mortuis corporibus Deus prolem, & ſtirpem excitauit, ad innumerabilium hominum procreationem: ſic idem à primo, ſi dicto audiens Adam illam omiſiſſet ligni voluptatem, viam reperire potuit, qua humanũ genus augeret.

Adamum non fuiſſe filios generaturũ ſi non peccaſſet.

neque enim vnquam contra Dei voluntatem exercendis nuptiis maior erit hominũ numerus, neque colenda virginitate, Deóque id approbante, eorundem multitudo minuetur. Verùm, inquit, id voluit noſtra culpa, quòd ei non obtemperauimus. Quid eſt enim, quod antè quàm in fraudem induceremur, nullũ extitit connubium? quamobrem nulla fuit in paradiſo corporis coniũctio? cur ante noſtri execrationem nulli partuũ dolores? quod erant tum illa ſuperuacanea, quæ deinde fuerunt propter hominum infirmitatem neceſſaria, neque ſolùm hæc ipſa, ſed alia omnia, oppida, artificia, veſtium cultus, & ornatus, & omnino reliqua neceſſariarũ rerum turba: his enim contractis omnibus, mors in orbem terrarũ irruit, hoc inſtructa comitatu. Quãobrẽ non eſt, vt quod infirmitati tuę remiſſum eſt,

id

id non modò virginitati præferendum, ſed ne cum ea quidem conferendum putes. nam ſi iſta ratione & via proceſſeris, duas etiam habere in matrimonio, quòd id lege Moyſis permiſſum fuit, quàm vna vxore contentum eſſe, melius affirmabis, iſto etiam modo diuitias paupertati voluntariæ, luxuriam frugalitati præpoſueris, atque adeò iniuriam vlciſci, quàm fortiter ferre, præſtare dixeris.† Tu igitur, inquit, iſta improbas? ego verò non improbo, nam & à Deo conceſſa ſunt, & fuerunt tempore fructuoſa: at leuia eſſe dico, neq; tam virorum recte facta, quàm puerorum appello. Quare cùm perfectos nos Chriſtus vellet efficere, iuſſit illa tamquam pueriles veſtes deponere, quæ neque virum perfectum tegere poſſent, neq; ornare menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, his verò ornatioribus, & pretioſioribus, quàm illæ eſſent, veſtiri voluit, non ea re ſibi ipſe contrarius, ſed maximè conſentaneus: nam etſi hæc ſunt illis iuſſa grauiora, tamẽ idem fuit legiſlatoris propoſitũ. ſed quodnam id eſt? vt, animarum noſtrarũ omni prauitate circumciſa, nos ad perfectam virtutem deduceret. ſi enim id rationis habuiſſet, vt nullum nobis priore grauius onus imponeret, ſed idẽ permitteret, vt eandem illam perpetuò legem ſeruaremus, neque vmquam nos ab illa humilitate ſubleuaſſet, hoc nimirum oſtendiſſet, quantum à ſe ipſe diſſentiret. Quemadmodum enim initio ſi tũ, cũ adhuc eſſet imbecillius, & puerili quadam infirmitate humanum genus, arduam hanc propoſuiſſet viuendi rationem, numquam moderatam poſtea recepiſſemus, ſed quæ ad ſalutem noſtram pertinerent, immoderata hac ipſa regula nobis omnia perijſſent: ita, niſi poſt longinquum illud tempus, & eam diſciplinam, quæ lege tradebatur, cùm ad cæleſtem hanc philoſophiam dies nos hortaretur, in terris permanere voluiſſet, parum admodũ nobis illa profeciſſet indulgentia, quòd ea perfectionis vis non acceſſerat, propter quam indulgentia tributa eſt. Verùm aſſimile quidpiam nobis, & pullis auium accidit. nam vbi eos, aluit mater, educit quidem è nido, ſed ſi propter imbecillitatem decidere viderit, & illis opus eſſe intus amplius educari cognouerit, aliquot dies ibidem eſſe ſinit, non iã perpetuò vti commorentur in nido, ſed dum præclarè corroboratis alis, & omni confirmato robore, ſecuri deinceps volatum ſuſcipere queant: ſic etiam nos Dominus noſter à primo trahebat ad cælum, & viam monſtrabat, quæ illuc duceret, nõ ſanè ignorans, ſed qui vel optimè intelligeret, nõ ſatis fore nos ad illum volatum conficiendum, voluit autem nobis oſtendere, non ſua voluntate eum fieri caſum, ſed imbecillitate noſtra. quod ſimulatq; demonſtrauit, poſtea permiſit, vt terrenis his rebus, cultuq; nuptiarum, tamquam in aliquo nido diutius aleremur: vt verò nobis virtutis pẽnæ longo temporis interuallo naſci cœperunt, tunc ſenſim accedens, è terreno domicilio eductos, altius docuit euolare. ergo lãguiores alij, arctiſſimeque etiam dormientes, & in humanis rebus defixi, nidi adhuc manſione delectantur, alij generoſiores, & amantes lucis, hunc locum facillimè deſerunt, ac, relictis in terris nuptijs, pecunijs, curis, alijſque rebus omnibus, quæcumque mortales ad terram reuocare conſueuerunt, ſuperas partes petunt, ad cælumque perueniunt. Quamobrem non eſt, vt initio conceſſum coniugium deinceps eiuſmodi eſſe exiſtimemus, quaſi neceſſariò ab eo diſcedere prohibeamur. nam ipſum velle, vt nuptijs abſtineamus, ex eius oratione cognoſce, *Qui poteſt capere capiat*. quòd id autem non ſtatuerit initio, ne mireris. neque enim medicus omnia ſimul ægrotis, aut eodem tempore proponit adhibenda, ſed dum febris æſtu correpti iactantur, cibum prohibet duriorem: cùm verò & ardorem illum, &, quæ ab eo profecta ſit, corporis infirmitatem depulerunt, tum omnem eſcam, quæ minus placeat remouet, & permittit victum, quo antea aſſueuerunt. vt enim in corporibus inter ſe pugnantia principia, quòd in illis ſuperet, vel deficiat aliquid, aduerſam valetudinem creant: ſic in anima immoderatæ perturbationes ipſius corrumpunt ſanitatem. maximè autem opportunitate opus eſt, vt ad præſentes animorum commotiones diuinum iuſſum aptè accommodari poſſit. etenim animæ peruerſitatem, niſi vtraque hæc inter ſe conueniant, numquam per ſe lex emendare queat, quemadmodum neque etiam per ſe medicamentorũ vis vlcus vmquam ſanare poſſit: idẽ enim peccatis leges ſunt, & remedia vulneribus. An tu, cùm medicũ ſæpius idem vlcus modò ſecantem, modò vrentẽ, modò neutrum horum in illo ipſo facientem, præſertim verò à fine ſæpenumero aberrantem videas, de eodem curioſè nihil inquiris: in Deo autem, qui nuſquam offendit, ſed omnia præ ſua ſapientia rectè, atque ordine diſponit, ſis mortalis ipſe curioſus? & ab eo inſtitutorum eius rationem repoſcas? neq; id infinitæ tribuas ſapientiæ? an nõ hæc ſumma amentia eſt? *Creſcite*, inquit, *& multiplicamini*. Iſtud enim furente natura, cùm neque ea libidinis impetũ ferre poſſet, neq; in illa tempeſtate portũ alium haberet, quò confugeret, tempora poſtulabant. Quid igitur imperandum fuit? an vt continenter, caſteque viuerent? at iſtud, & grauiorem caſum effeciſſet, & maiorem ignem accendiſſet: etenim ſi quis pueros, qui ſolo lacte ſunt alendi, remouerit ab eo cibo, & eſca veſci, quæ corroboratis iam viris ſit accommodata, coẽgerit, nihil prohibebit, quo minus ſtatim moriantur: tantum mali ineſt rebus intempeſtiuis. Propterea non eſt initio virginitas inſtituta, imò verò principio virginitas tradita eſt, & illa, quàm matrimonium, prius apparuit, iccirco ſucceſſit matrimonium ſecundo loco, viſumque eſt neceſſarium. Quòd ſi Adam obedientiam non abieciſſet: haud illo nobis opus fuiſſet. At quomodo, dixerit quiſpiam, tot extitiſſent hominum millia? Ego verò, quando iſto timore tantopere commoueris, iterum abs te quæro, quomodo Adam, & Eua, nondum interpoſitis nuptijs, procreati fuerint? Quid igitur? vt illi nati ſunt, inquit, ſic reliqui omnes naſci debebãt? Siue iſto modo, ſiue alio quopiam, nihil habeo dicere. quod enim nũc in quæſtione verſatur, eiuſmodi eſt, Deo, ad augendum hominum genus in terris, nihil opus fuiſſe coniugio.† Neque verò genus humanum virginitate, ſed peccato, obſcœniſq; coniunctionibus Noë ætate defeciſſe docuit, & hominum, & belluarum, & omnino in terris omnis animantium generis interitus. ſi enim obſcœnam illam cupiditatem continuiſſent filij Dei, & virginitati honorem habuiſſent, neque filias hominum iniquis oculis aſpexiſſent: numquam eos tanta calamitas oppreſſiſſet. at nemo propterea me cauſam illorum cladis in nuptias conferre arbitretur. nõ enim id nunc ego dico, ſed peſtem, & interitum noſtri generis, non virginitati tribui, ſed peccato aſſignari oportere. † Eſt verò inſtitutum liberos procreandi cauſa connubium, ſed multò magis, vt in natura inſitum reſtinguat ardorem: quod ſanè Paulus ita teſtatur: *Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat*, nõ propter liberorum procreationem. & iterum eodem iubet conuenire, non vt multos liberos ſuſcipiant: ſed cur? *Ne tentet*, inquit, *vos Satanas*. atque in eo ipſe progrediens, non cupiditate prolis: ſed quamobrem? *Si ſe*, inquit, *non continent, nubant*. Duæ autem hæ fuerunt, quemadmodum initio dixi, coniugij inſtituendi cauſæ, ſed deinde & terra, & mari, & vniuerſo terrarum orbe animantium referto, vna relicta eſt coniungẽdi cauſa nuptiarum, vt libido, & incontinentia ſedaretur. ijs enim, qui nunc etiam in eiuſmodi libidinibus volutantur, ſuumq; more viuere, & in lu-

[Marginal notes: xvij. Coniugium eſſe indulgentiæ. — Simile. — Math. 19. Simile. — Gen. 1. — Matrimonia futura non fuiſſe, ſi Adamus non peccaſſet. — xviij. Non virginitate, ſed peccato imminui genus humanũ. — xix. Duas quidẽ olim fuiſſe connubij cauſas, verũ nunc vnã tantũ reliquã eſſe. 1. Cor. 7.]

Digitized by Google

ſtris confici concupiſcunt, non parum afferunt
adiumenti nuptiæ ad illam impuritatem, & neceſ-
ſitatem tollendam, & ad purè, ſanćteque viuendũ.
Sed quouſq; vobiſcum ego hac vmbratili pugna
dimicabo? etenim vos iſta differentes nihilo mi-
nus, quàm nos, virginitatis præſtantiam intelligi-
tis. &, quæ à vobis dicuntur, omnia ſpeciem ſimu-
lationis habent, veſtræque ſunt intemperantiæ te-
xx. gumenta. † Verùm vt hæc impunè dicere liceat,
Vt nullũ ijs, qui virginitatẽ deſpiciũt periculũ propoſitũ ſit, graue tamẽ eſſe eam deſpicere.
tamen vel ita à calumnia deſiſtere oportuit. qui
enim ſic eſt animatus, vt præclaris rebus aduerſe-
tur, præter alia, quæ facit detrimenta, graue etiam
adeò peruerſa, & iniqua ſententia apud omnes te-
ſtimonũ de ſua dicit improbitate, vt, etiamſi nul-
la alia de cauſa, tamen, ne tantum in ſe contrahe-
ret inuidiæ, linguam continere debere, idque cùm
eum, qui in maximis certaminibus cæteris præſtã-
tes admiratur, licet ipſorum aſſequi præmia non
poſſit, tamen ab omnibus veniam conſequi ani-
maduertat: qui verò in illis ipſis non modò ſe non
B exercet, ſed ea vituperat, quæ præmijs ampliſſimis
afficienda ſunt, is, vt inimicus, & hoſtis virtutis,
quique inſanis hominibus miſerior ſit, iure omni-
bus in odio eſſe debet. Inſani enim, nec quæ com-
mittunt, intelligunt, nec quæ ferunt, voluntarij
patiuntur, quamobrem cùm eos iniuria afficiunt,
qui rerum potiuntur, tantum abeſt, vt pœnas pen-
dant, vt ab illis etiam ipſis, quos iniuria laceſſiue-
runt, eis miſericordia tribuatur. quòd ſi quis men-
tis compos, quæ illi non ſua ſponte faciunt, eadem
committere audeat, is, vt communis naturæ ho-
ſtis, iure ſententijs omnibus condemnetur. †
xxj. Quamobrem etiamſi, quemadmodum dixi, eiuſ-
Eos magnũ adire periculum, qui virginitatẽ deſpiciunt.
modi criminatio impunè eſſet, tamen eorum, cau-
ſa, quæ dicta ſunt, ea oportuit abſtinere. nunc ve-
rò vel magnum periculum calumniæ proponitur.
Neque enim ſolùm qui *ſedens aduerſus fratrem ſuum
loquitur, & aduerſus filium matris ſua ponit ſcandalum,*
Pſalm. 49 pœnam ſuſtinebit; ſed is etiam, qui ea, quæ Deo
præclara viſa ſunt, improbare conatur. verùm ac-
Eſai. 3. cipe, quæ ab alio Propheta de hac ipſa re differan-
C tur. *Væ tibi, qui dicis malum bonum, & bonum malum, qui
ponis lucem tenebras, & tenebras lucem: qui ponis dulce
amarum, & amarum dulce*: quid enim virginitate ſua-
uius? quid pulchrius? quid illuſtrius? Etenim ipſis
Solis radijs fulgores ſplendidiores emittit, nos ve-
rò ab omnibus terrenis rebus auocans, ſic afficit,
vt Solem iuſtitiæ puris & intentis oculis intuea-
mur. Et hæc quidem Eſaias in eos vociferabatur,
quorum eſſent corrupta iudicia. Audi verò præte-
rea, quid alius Propheta, ab hac ipſa voce faciens
initium, de ijs dicat, qui in alios eiuſmodi verbo-
Abac 2. rum peſtes effundunt: *Væ illi, qui potum dat amico ſuo
turbidum*: atque hoc ipſum Væ, haudquaquam ſim-
plex verbum eſt, ſed eo maximæ minæ continen-
tur. Nam eam nobis pœnam protendit, quæ ne-
que verbis explicari poſſit, neque vmquam remit-
D tenda ſit. Etenim hæc ipſa vox in diuinis literis
poſita eſt contra eos, qui futuram pœnam iam
euitare non poterunt. & iterum alius Propheta Iu-
Amos 2. dæos accuſans inquit: *Et propinabatis Nazaræis vi-
num.* quòd ſi is, qui Nazaræis vinum miſcet, tan-
tum ſubibit pœnarum: quo ſupplicio dignus erit,
qui in animas ſimplicium hominum turbidam in-
fundit potionem? ſi qui minimam eorum partem
ſuſtulerit, quæ lex iubet fieri, pœnæ ſe ſubijcit,
quam vitare non poteſt: quibus cruciatibus affi-
cietur, qui vniuerſæ huic obtrectat ſanctitati?
Matth. 18 Marc. 9. Luc. 17. *Quiſquis ſcandalizauerit*, inquit, *vnum ex his puſillis, expe-
dit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & in mare
demergatur.* Quid igitur dicent, qui eiuſmodi ora-
tione non apud puerulum quempiam, ſed apud
multos offendunt? quòd ſi, *qui dixerit fratri, Fatue,*
Matth. 5. *reus erit gehennæ ignis*: quantam in ſe contrahet iram.
qui hanc improbat æqualẽ inſtituto angelorum vi-
Num 12. uẽdi rationem? deriſit olim Moyſem Maria, multò

A quidem leuius, & moderatius, quàm ipſi nunc vir-
ginitatem derideatis, quippe quæ neque de homi-
ne detraxit, neq; tum virtutem beati illius viri ir-
riſione excepit, quem etiam vehemẽter eſt admi-
rata: tantum dixit, ijſdem ſe frui, quibus ille frue-
batur: & tamen Dei iram in ſe tantopere concita-
uit, vt ne ipſo quidem, qui laceſſitus iniuria vide-
batur, pro ea magnopere deprecante, quidquam
profectum ſit, ſed diuturniorẽ illius etiam opinio-
ne pœnam pertulerit. † Sed quid dico Mariam? cũ
ad Bethleem pueri ludentes, quòd tantum Eli- xxij.
ſeo dixerant, Aſcende calue, vſque adeò Deum ir- Propter Eliſeum pueros vtiliter interijſſe
ritauerint, vt is in ipſo ſermone in eam multitudi-
nem (erant enim duo, & quadraginta) vrſos immit-
teret, à quibus omnes diſcerpti ſunt. ita neq; ætas, 4. Reg. 2.
neque multitudo, neque omnino illud, quod ioco
dixiſſent, pueros tueri potuit: & iure id quidem op-
timo. nam ſi, qui tantos ſuſtinent labores, & pueris,
& viris ludibrio ſunt: quis ex numero infirmiorum
eos ipſos labores ſubire volet, qui ludo, & irriſione
hominum excipiantur? aut quis de populo virtu-
tem colet, quam ita ridiculam eſſe videat? Quòd ſi
nunc omnibus, qui vbique ſunt, virtutem admirã-
tibus, neque ijs modò, qui ipſam expetiuerunt, ſed
illis etiam, qui in eam inciderunt, grauatè tamen
multi mortales, ac tergiuerſantes, vix eius cauſa
labores ſuſcipiunt: quis erit, qui, ſi eam non modò
in admiratione non eſſe, ſed vituperari præterea
videat ab omnibus, ad eandem amplectendam fa-
cilè poſſit adduci? nam qui fortitudine excellunt,
& iam ad cælum peruenerunt, non multorũ ſola-
tio indigent, ſed omnẽ alacritatem ſatis illis eſt ea
laus, quam à Deo conſequuntur: imbecillioribus
verò, & ijs, qui nuper in eam viã deducti ſunt, non
parum accedit virium, cùm, quid de ſe multitudo
exiſtimet, intelligunt, donec rebus omnibus pau-
latim inſtructi eò perueniũt, vt eiuſmodi ducis ope-
ra non amplius egeant. nec verò tantum id illorũ
cauſa factum eſt, ſed irriſorum etiam ſalutis gratia,
ne, cùm priorum erratorum nullam pœnam per-
ſoluerint, in ea prauitate progrediantur. Verũ mi- Ibidem.
hi iſta commemoranti in mentem veniunt, quæ
præterea in Eliam commiſſa ſunt. quod enim pue-
ri propter Eliſeum ab vrſis paſſi ſunt ſupplicium,
idem propter eius magiſtrum centum viri cũ ſuis
ducibus, igni è ſuperiore loco defluente, pertule-
runt. nam quòd & illi ad Eliam accedentes, ac per
ſummam diſſimulationem virum iuſtum appel-
lantes, ad ſe iuſſerunt deſcendere, eius loco deſ-
cendens ignis omnes abſumpſit, non ſecus atque
illos antea feræ deuorarant. Quibus animaduerſis,
omnes vos virginitatis hoſtes aliquando ianuam
ori, & ſeram adhibete, ne ſupremo illo iudicij die
eos intuentes, qui virginitatis ſplendore fulge-
bunt, ipſi etiam illud incipiatis dicere, *Hi ſunt, quos* Sap. 5.
*aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem im-
properij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſa-
niam, & finem illorum ſine honore: quomodo computati
ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? ergo
à via veritatis aberrauimus, & iuſtitiæ lumen non luxit no-
bis.* ſed quis erit eorum verborum fructus, cũ ener-
uata tum pœnitentia futura ſit? † Sed fortaſſe quæ- xxiij.
ret aliquis veſtrum, fueritne quiſquam, qui poſtea Quid ſit quamobrem qui eadẽ peccent, non eaſdẽ dent pœnas.
ſanctis hominibus malè dixerit? multi, & vbique
terrarum fuerunt. quid eſt igitur, inquit, quòd eã-
dem non dederunt pœnam? dederunt illi quidem,
& eiuſmodi multos ipſi nouimus. ſi verò ſunt, qui
etiam pœnam effugerint, eam illi ad extremum,
vt eſt apud diuum Paulum, non effugient: *Quorum-* 1. Tim. 5
dam enim, inquit, *peccata manifeſta ſunt, præcedentia
ad iudicium, quoſdam autem & ſequuntur*: & vt legum-
latores nocentium pœnas in actis ſcriptas relin- Simile.
quunt, ſic etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in
vnum, aut alterum facinoroſum hominem ani-
maduertens, tamquam in columna ænea, aut in ta-
bulis deſcripta, quæ de illis ſumpſit ſupplicia, depo-

nit,

Digitized by Google

nis, vt quæ illis acciderunt, palàm expoſitis, planũ faciat omnibus, fore, vt, etiãſi qui eadem committentes, eaſdem viui pœnas, quas illi ipſi dederunt, non dederint, mortui tamen grauiora mala patiantur. † Quamobrem cùm multa peccantes, nullas ſcelerum pœnas pendimus, ne confidamus, ſed timeamus potius. quamuis enim hîc à Deo non iudicamur, tamen vnà cum mundo apud inferos condemnabimur, cuius rurſus equidem non ſum author ſententiæ, ſed is eam pronuntiauit, qui in Paulo loquitur, Chriſtus: ſic enim inquit, cùm ad eos loquitur, qui myſteriorum immeritò participes fieri volunt: *Ideo inter vos multi infirmij, & imbecilles, & dormiunt multi. quod ſi noſmetipſos dijudicaremus, non vtique iudicaremur: dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Quidam enim, quòd eorum ſunt mediocria delicta, & quòd ſupplicio affecti, numquam poſtea in eadem vitia delabentes, canem ad vomitionem redeuntem imitantur, in vita modo caſtigationis indigent. Sunt alij, qui propter ſummam improbitatem & viui, & mortui peccatorum pœnas perſoluent. alij verò tantummodo apud inferos ſupplicijs afficientur, quòd enim indigniſſima omnium facinora commiſerunt, indigni ſunt, qui cum hominibus torqueantur. *Neque* enim, inquit, *cum hominibus flagellabuntur*, vt qui in id tempus reſeruati ſint, quo cum dæmonibus ſupplicia expendant. *Diſcedite* enim, ait, *à me in ignem æternum, paratum diabolo, & angelis eius*. Multi ſacerdotium pecunia rapuerunt: qui quamquam, vnde obiurgarentur, habuerunt neminem, neque ea audierunt, quæ Simon olim magus accepit à Petro, non eò tamen illud impunè ferent, ſed quòd, ne exemplo quidem propoſito, non reſipuerunt, multò grauiores cruciatus ſuſtinebũt, quàm qui viuis ipſis debebantur. Multi autem, quæ Core, ſunt auſi; neque tamen eandem, quam ille, pœnam dederunt, ſed dabunt poſtea cruciatibus affecti grauioribus. Nõ pauci, Pharaonis impietatem imitati, non iam, vt ille, mari ſubmerſi ſunt, ſed gehennæ pelagus ipſos manet. neq; enim in eos, qui fratres ſtultos appellant, iam animaduerſum eſt: nam ipſis ad inferos ſunt reſeruata ſupplicia. Quamobrem non eſt, vt Dei ſentẽtias verba tantùm eſſe exiſtimetis: ob id enim ipſe nõnullas, id quod de Sapphira, Charmi, Aarõ, multiſque alijs conſtat, exitu comprobauit: vt, ſi qui verbis eius fidem non habent, rerum teſtimonijs perterriti, & deſinant aliquando verſari in hoc errore, ſe nihil pœnarum daturos, & diſcant eò ſpectare Dei benignitatem, vt præfiniat ſontibus tempus agendæ pœnitentiæ, non in eo poſitum eſſe, vt omnino det peccatorum impunitatẽ illis, qui in vitijs perſeuerant. Poſſem equidem plura de eo dicere, quantum in ſe contrahant incendium, qui virginitatis decus extenuãt: ſed & prudẽtibus ſatis ſunt quæ diximus, neque poſſent deprauatos, & furioſos multò his plura ab illa inſania remouere. quamobrem eam partem omittentes, ad eos, qui rei ſunt intelligentes, omnem orationem conuertemus: & ad illud diui Pauli redibimus, *De quibus ſcripſiſtis mihi, bonum eſt homini mulierem non tangere*. Illos igitur pudeat, & qui coniugium improbant, & qui plus ei tribuunt, quàm rei dignitas poſtulat. vtroſque enim diuus Paulus cum his, quæ dicta ſunt, reddit elingues, tum ijs, quæ deinceps dicentur. † Bonum eſt coniugium, quippe quod hominem retinet in officio temperantiæ, neque delapſum in adulterium patitur interire; quare ne ipſum vituperes: magnas enim habet vtilitates: nam Chriſti membra, meretricis membra eſſe non ſinit: neque ſacrum, & purum templum profanum, aut impurum fieri patitur, propterea bonum eſt, quòd labentem ſuſtinet, & erigit: ſed quid ad eum, qui ſtat, hoc ipſum attinet? aut quãti id illius refert, qui eius non egeat adminiculo? hic enim neque vtile eſt, neque neceſſariũ, ſed virtuti præterea eſt impedimento: non enim ſolum multas affert moras, ſed maiorem etiam partem detrahit gloriæ. † Nam ſi quis eum armis vndique texerit. qui & nudus deſcendere in certamen, & ita ſuperior eſſe poſſit, is, tantum abeſt, vt opem ferat, vt ſummam illi faciat iniuriam: quippe qui omnem victoriæ admirationem tollit, & palmæ ſplendorem. neque enim viri virtutem vniuerſam elucere, neque trophæum admodum celebre eſſe ſinit. In nuptijs verò tantò maius etiam damnũ fit, quòd nõ ſolũ popularem gloriam, ſed eam etiam mercedem non habet, quæ virginitati propoſita eſt. Quamobrem *bonum eſt homini mulierem non tangere*. quid tu igitur tangere permittis? *Propter fornicationem*, inquit, *vnuſquiſque habeat vxorem ſuam*. Vereor, inquit, ſi te ad virginitatis verticem extollere voluero, ne in voraginem intemperantiæ delabaris. nondum enim ea pennarum leuitate præditus es, vt te ad excelſum illum locum efferre poſſim. atqui ſponte ipſi in illud certamen deſcenderũt, & virginalem laudẽ appetiuerunt. quid igitur eſt, diue Paule, quòd timeas, aut horreas? quòd rei ignoratio (ita enim fortaſſe dixerit) hanc hominibus virginitatis expetendæ alacritatem addit. me verò huiuſce vſus, & periclitatio pugnæ reddit ad conſulendum alijs timidiorem. † Noui virginitatis vim: noui huius certaminis contentionem: quantum hoc habeat prælium difficultatis, intelligo: vehementi quodam, & forti animo opus eſt, & qui nullum habeat ſenſum voluptatis? quandoquidem per candentes carbones, vt non aduraris, per mucrones gladiorum, vt non ſaucieris, eſt incedendum: ea eſt enim libidinis vis, vt cum igni, & ferro conferatur. quòd niſi ſic anima comparata fuerit, vt ne illius quidem doloribus moueatur, ſe ipſa facilè perdat. quamobrem adamantina quadam rationis vi, oculis numquam ſomno conniuentibus, ſumma tolerantia, muris etiam firmis, muris inquam nobis opus eſt, & repagulis, quibus extrinſecus muniamur: vigilantibus præterea, fortibuſque cuſtodibus, in primis verò diuinæ gratiæ indigemus adiumento. *Niſi* enim *Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam*. Sed quomodo hocipſum adiumentum nobis conciliabimus? ſi quantum animo valemus, & corpore, totum eò contulerimus, rectas nempe cogitationes, ſummam ieiunij, & vigiliarum intentionem, accuratam diuinæ legis obſeruationem, præceptorum obedientiam, & quod caput eſt, omnem confidentiæ noſtræ vitationem. licet enim magna facinora fecerimus, tamen illud nobiſcum perpetuò loquamur, oportet: *Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum ſæculi huius, contra ſpiritalia nequitia in cæleſtibus*, ac noctes dieſque nos armis cogitationum armatos, & tamquam impudentibus libidinibus formidoloſos eſſe oportet. Etenim ſi quis paulùm de intentione remiſerit, continuò diabolus adeſt, ignem tenens in manibus, quo in templum Dei coniecto, illud incendat. Ergo tecti vndique ſimus, neceſſe eſt: pugnamus enim cum ijs, quæ naturæ neceſſitas poſtulat: æmulamur inſtituto angelorum: eum tenemus curſum, quem mentes tenent incorporeæ? terra, & cinis ad cælum contendunt, & ſeſe cælitibus æquare ſtudent, & mortalitas in certamen cum immortalitate deſcendit. Et quæſo, tanta cum re quiſquam nuptias, aut voluptatem comparare audeat? nõnne id erit perabſurdum? quæ cùm omnia Paulus intelligeret, *Vnuſquiſque*, inquit, *ſuam vxorem habeat*. idcirco refugiebat, idcirco non audebat apud ipſos initio de virginitate diſſerere, ſed commoratus in commemoratione nuptiarum, paulatim eos ſtude-

[Marginal notes: xxiiij. Qui peccant, neque peccatorum pœnas pẽdunt, nõ eò confidere, ſed magis timere debere. — 1. Cor. 11 — Pſalm. 72 — Math. 25 — Simoniaci. — Act. 8. — Num. 16 — Gen. 12. — Ioſ. 7. Num. 3. — 1. Cor. 7. — xxv. Imbecillis neceſſariũ eſt coniugiũ — xxvi. Maximã ſibi ipſũ facere iniuriam, qui cùm virginitatem colere poſſit, cõnubio iungitur. Simile. — xxvij. Magnum quiddam eſſe virginitatem, & magnorum conciliatricẽ bonorũ. Simile. — Pſal. 126. — Ibidem. — Ephes. 6. — 1. Cor. 7.]

A

ſtudebat à coniugio reuocare: ac cùm breuiter quædam de continentia dixiſſet, ea nimirũ pauca longiori illi de connubio orationi permiſcuit: neque Corinthiorum aures grauitate admonitionis offendi paſſus eſt. Qui enim ſeuerioribus ſenſibus vſquequaque texit orationem, cùm moleſtus eſt auditori, tum eius animum ſæpenumero vehemẽter perturbari cogit, vt qui dictorum grauitatem minimè perferat: qui verò ſic eam variat, & temperat, vt grauibus rebus faciliora plura, quã moleſta illa ſint, commiſceat, is & rei ſeueritatem ſubtrahit, & reficiens auditorem, ita perſuadet, & magis, magiſque conciliat. quod quidem etiam diuus Paulus effecit: cùm enim dixiſſet, *Bonum eſſe homini mulierem non tangere*, ſtatim ad nuptias retulit orationem, cùm inquit: *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat*, quod vbi in beatitudinis loco poſuiſſet, omiſit: *Bonum* enim, ait, *eſt homini mulierem non tangere*. De nuptijs verò & conſilium dat, & ſtatuit, & rei præterea rationem adiungit: nam, Propter fornicationem, inquit. in quo videtur quidem rationem afferre, quamobrem ſint conceſſæ nuptiæ, ſed reuera expoſitis coniugij cauſis, continẽtiam clàm laudando extollit, non id quidem verbis aperiens, ſed auditori cogitandum relinquens. Auditor enim vbi coniugium à Paulo laudari intelligit, non quia perfectæ virtutis opus ſit, ſed quòd in ipſo auditore Paulus eam nouit ineſſe libidinẽ, vt ſine nuptijs ſe in ipſa libidine continere non poſſit, pudore quodam & rubore ſuffuſus, operam dat, vt continuò virginitatem colat, & ſummam intemperantiæ vitet infamiam. † Quid verò præterea inquit? *Vxori vir debitum reddat, ſimiliter & vxor viro*. quod deinde cùm interpretaretur, & explanaret apertius, adiungit: *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. quæ cùm de nuptijs videatur dicere, re tamen vera tamquam hamum vſitata piſcator eſca circumueſtiens, ſic ipſe in audientium aures inſerit orationem, eo conſilio, vt illo ipſo ſermone de nuptijs eoſdem à nuptijs deterreat. nam qui illud audit, ſe per coniugium non in ſua, ſed in vxoris eſſe poteſtate, confeſtim operam dabit, vt ab acerbiſſima ſeruitute liberetur, vel potiùs id primum cauebit, ne ipſum ſubeat iugum ſeruitutis. Vbi enim ſemel ſe poteſtati ſubiecerit, quamdiu ipſi vxori videatur, ei eſt neceſſariò ſeruiendum. Me verò non temerè hoc ex Pauli ſententia conijcere, ex diſcipulis Ieſu facile intelligi poteſt: nam neque illi graue, aut moleſtum coniugium prius exiſtimauerunt, quàm à Domino audiuerunt ſe in eadem neceſſitate concluſos, in quam aliquando Corinthios etiam Paulus adduxit. Illud enim, *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit ipſam machari*. & hoc, *Vir ſui corporis poteſtatem non habet*, ſunt inter ſe quidem diſſimilibus enuntiata verbis, verùm eandem habet ratio vtriuſque ſententiam. Si quis autem Pauli verba diligẽtius conſideret, tyrannidem magis augeri intelliget, ac ſeruitutem fieri grauiorem. Siquidem dominus viri poteſtatem eſſe non vult, vxorem domo expellendi: Paulus verò, proprij etiam corporis iure adempto, omnem ipſius principatum dat vxori: cuius imperio ſubiectum virum magis eſſe vult, quàm puerum emptum pecunia: ſeruo enim, ſi quando comparata pecunia pretium, quanti emptus eſt, domino perſoluere potuerit, plerumque libertatem omnino recuperare licet: at vir, quamuis omnium difficillimam nactus ſit vxorem, ſeruitutem tamen perferre neceſſe habet, quippe qui nullam inire poteſt viam, qua ſolutus eiuſmodi dominatu liberetur. † Cùm igitur illud dixiſſet, *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet*, adiecit: *Nolite fraudare vos inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, & ieiunio, & rurſum reuertimini in id ipſum*. Equidem in tanta Pauli indulgentia pleroſque eorum, qui virginitatẽ è medio tollunt, hîc erubeſcere, & pudere exiſtimo. Sed ne vereamini, néve ſtultè vos abijciatis. Sic enim loquitur Paulus, vt ijs, qui connubio iuncti ſunt, indulgere videatur. verùm ſi quis ea accuratius animaduerterit, vnam & eandem atque ſuperiorũ verborum ſententiam eſſe videat. Quòd ſi quis propoſitam remouens cauſam, ſimpliciter hęc interpretari voluerit, non tam illa apoſtoli, quã connubiorum conciliatricis cuiuſpiam verba videantur. Sin verò eius mentem explicarit, is hanc etiam admonitionem apoſtolicam dignitatem habere intelliget. Verùm quid longiorem hunc ipſum facit ſermonem? nónne ſatis illud fuerat, cùm ſuperiori oratione rei grauitas eſſet expoſita, finem admonendi facere? Quid enim habet amplius hoc, *Nolite fraudare vos inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus*, quàm illud, *Vxori vir debitum reddat, & vir proprij corporis poteſtatem non habet?* nihil ſanè amplius: niſi quòd illic breuius & obſcurius ſignificatum erat, hîc & pluribus verbis, & planius

xxviij. Quæ de cõnubio dicũtur, cohortationes ſũt ad virginitatem. Simile. 1. Cor. 7.

Matth. 19. Vxor nõ dimittenda.

xxix. Illud, Nolite fraudare inter vos, eò dictum eſſe vt ad virginitatẽ adduceret.

B

eſt explicatum. quod nimirum facit Samuelem illum, ſanctum Dei virum, imitatus. Quemadmodum enim is quàm potuit ſubtiliſſimè apud imperitiam multitudinem regni leges expoſuit, non vt Regem reciperent, ſed ne reciperent, quippe qui rei præceptionem tradere videatur, cùm verè quamdam ipſius oratio intempeſtiuæ eorum hominum cupiditatis diſſuaſionem habeat: ſic Paulus etiam connubij tyrannidem continenter inculcat atque eo ipſo ſermone planius illos inde reuocare, ſtudet: cùm enim dixiſſet, *Mulier proprij corporis poteſtatem non habet*, adiunxit: *Nolite fraudare vos inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis ieiunio, & orationi*. Vides quomodo eos qui coniugio eſſent coniũcti, vt nullam eius oratio ſuſpicionem, aut moleſtiam haberet, ad cultum continentiæ perduxerit? Ab initio rem omnino commendauit: *Bonum enim*, inquit, *eſt homini, mulierem non tangere*. In hoc

1. Reg. 8.

1. Cor. 7.

Ibidem.

C

verò admonitionem etiam adhibuit, cùm inquit, *Nolite fraudare vos inuicem, niſi fortè ex conſenſu*. ſed quid eſt, quamobrem quod ſtatuere volebat, id tamquam monitum introduxit, non in iuſſi formulam redegit? non enim dixi, Fraudate inter vos, verùm ex communi voluntate, vt vacetis orationi: ſed, *Nolite fraudare vos inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus*: quòd hæc eſt lenior oratio, quæ doctoris mentem & ſententiam declarans, minimè id acerbius exigit, quòd ita ſumma Corinthiorum gratia perſoluitur. Quamobrem fit, vt non ſolùm auditorem conſoletur, ſed etiam breuitate orationis rei triſtitiam comprimat, & antè ad iucundiora tranſeat, in illiſque diutius hæreat & commoretur, quàm ad auditorem moleſtia perueniat. † Illud etiam quærendum eſt, cùm *honorabile ſit connubium, & thorus immaculatus*, quamobrem illi nullum in ieiunio, & oratione locum relinquat?

xxx. Cùm ſit honeſtũ cõnubiũ, quid ſit quod Paulus in ieiunio moneat de abſtinentia cõcubitus. Hebr. 13. Exod. 19.

D

quod perabſurdum eſſet Iudæis, quorum ad corpus omnia pertinebant, quibus etiam duas in matrimonio habere cõceſſum erat, &, illis ipſis dimiſſis vxoribus, alias earum loco ducere, tantum eiuſce rei rationem habentibus, vt per id tempus, cùm loquentem Deum audituri eſſent, ne legitimo quidem vterentur concubitu, idque non vnum, aut alterum, ſed complures dies efficerent: nos tãto diuinæ gratiæ beneficio affectos, Spiritu ſancto afflatos, qui domitas habemus libidines, qui vnà cum Chriſto ſepulti, qui Dei adoptione dignati ſumus, nos ad tam excelſum dignitatis gradum elatos, tot denique tantiſque ornatos muneribus, ne infirmorum quidem illorum hominum ſtudium aſſequi non poſſe? quòd ſi quis illud etiam quærere perſiſtat, cur Moyſes ipſe Iudæos ab eiuſmodi coniunctione remouerit, ei ego ita reſpondeam, honeſtum quidem eſſe coniugium, ſed eatenus, vt coniuges ea ſe coniũctione non inquinẽt:

ſanctos verò præterea homines eo fieri, non iam connubij virium eſſe, ſed virginitatis. verùm, vt id non ſolum Moyſen, Paulumque monuiſſe exiſtimes, audi quæ à Iohele dicantur: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, coadunate ſenes.* Sed quæris fortaſſe, vbinam ab vxore abſtinendum iuſſerit? Egrediatur, inquit, ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo: hoc enim eſt Moyſis etiam præcepto maius. Nam ſi eos, qui connubio iuncti ſunt, feruentes libidine, florentes ætate, cupiditate effrænatos, in ieiunio, & oratione ſeiungi oportet: quantò cæteros magis, quibus tantam vim non affert neceſſitas coniunctionis? qui enim, vt debet, ſacris precationibus operam dat, & ieiuniū adhibet, hunc omnem cupiditatem, omnem terrenarum rerum curam, omnem mentis perturbationem abijcere, præclareque vndique comparatum ſic ad Deum adire oportet. Ob id etiam ieiunium bonum eſt, quòd omnem circumcidit animi ſollicitudinem, & eam, quæ circa mentem effunditur, curam humilium, abiectarumque rerum contrahens, facit vt tota in ſe ratio ipſa vertatur. Quod cùm Paulus attigiſſet, ſub obſcura ſignificatione nos à concubitu auocauit, ſermoneque admodum proprio vſus eſt: non enim dixit, ne inquinemini, ſed, vt vacetis ieiunio, & orationi: quòd coniunctio cum vxore non illa quidem ad impuritatem adducit, ſed implicat negotijs, & occupationibus. † Cùm autem nobis, hoc adeò tuto & munito loco collocatis, in ipſo tempore orationis diabolus tamē aliquod impedimentum conetur inferre: quid non molietur mentis oculis hic, & illic libidine incenſis, ſi diſſoluta, diſſipataque anima nos eſſe comperit, & muliebris coniunctionis cupiditate languentes? quod ne accidat, neque quo potiſſimùm tempore Deum nobis ſtudemus placare, eo ipſo per inanem orationem in nos reddamus offenſiorem, tū iubet à thalamo ſecedere. † Si enim ij, qui ad Reges adeunt, Reges autem? imò verò ſi ad minimos magiſtratus, ſi ſerui ad dominos accedentes, vel vt de illata ſibi ab aliquo iniuria conquerātur, vel egentes ab eiſdem vt aliquid auferant, vel omnino ſibi vt iratos lenire ſtudeant, ita congrediuntur, vt & oculos, & mentem omnem ad eos cōuertant: qui ſi etiam paulò remiſsiores fuerint, tātum abeſt, vt quod illis opus eſt, aſſequantur, vt etiam malo aliquo accepto, inde digrediantur: quòd ſi illi hominum animos ſedare cupientes, tantum adhibent contentionis: quid miſeris nobis fiet, qui ad communem omnium dominum, ac Deum ita remiſſè diſſoluteque accedimus? præſertim cùm ea cōmiſerimus, quibus multò magis nobis Deus iraſci, quàm illis domini ſuccenſere debeant? neque enim tam dominum ſeruus, neque tam Regem is, qui in eius poteſtate ſit, irritare poteſt, quàm Deū in dies ſingulos irritamus ipſi: quod eo Chriſtus declarauit, cùm peccatum in proximos cētum denarios appellauit, delicta verò in Deum decē millia talentorum. Quare cùm ad Deum adimus, vt tantam eius in nos iram precibus extinguamus, & eundem, quem quotidie oppugnamus, nobis conciliemus, iure nos ab illa auocat voluptate, quaſi ſic agat nobiſcum: Hic mihi, chariſsimi homines, animæ ſalus agitur: verſamur in extremis diſcriminibus: trementes, timidique, ac demiſſo, atque humili animo ſimus oportet: nam accedimus ad dominū formidoloſum, & qui multis laceſsitus iniurijs magna habet, quæ nobis ſuccenſeat: non complexibus, aut voluptatibus impertiendū eſt hoc tēpus, ſed lacrymis, acerbiſsimis gemitibus, abiectione corporis ad terram, diligenti confeſsione, continētibus precationibus, multiſque ſupplicationibus conſumendum. quòd ſi quis vel ſummo iſto ſtudio iratū Deum placare potuerit, valde magnū ſanè is effecerit, nō quòd durus ſit Dominus noſter, aut inhumanus, quippe cuius eſt tāta lenitas, & humanitas, ſed quòd nō patitur incredibilis magnitudo ſcelerum, ne in illa quidem bonitate, facilitate, ſummaque miſericordia Deum facilè nobis ignoſcere. propterea inquit, Vt vacetis ieiunio, & orationi. Quid igitur hac ſeruitute acerbius eſſe poteſt? volo progredi in virtutem: volo continentis ieiunij & orationis patientia, omnibus elutis animi ſordibus, ad cælum euolare. Quòd ſi illa huic ſententiæ aſſentiri non vult, tum demum eius libidini cogor inſeruire. Quapropter Paulus à primo dixit, *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Quare dominum etiam diſcipuli ſic allocuti ſunt: *Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, expedit non nubere.* ſic enim ratiocinabantur, alterutri parti iniuriam fieri neceſſe eſſe: atque illis anxij cogitationibus hanc vocem emiſerunt. † Quamobrem Paulus etiam idipſum inculcat aſsiduè, vt Corinthios in eam inducat cogitationem, *Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat.* Et: *Vxori vir debitum reddat.* Et: *Mulier proprij corporis poteſtatem non habet.* Et: *Nolite fraudare vos inuicem.* Et: *In id ipſum reuertimini.* Neque verò etiam beatis illis viris, vt primùm id audierunt, ita eſſe perſuaſum eſt, ſed, cùm ea de re iterum accepiſſent, tum quantam iuſſum poſsideret neceſsitatem, intellexerunt. Etenim cùm Chriſtus ipſe ſediſſet in monte, de eo diſſeruit: cumque multum alijs de rebus ſermonē habuiſſet, rurſum eis amorem iniecit continentiæ: nam frequentata eadem de re oratio ad perſuadendum plus habet efficacitatis. itaque Chriſti diſcipulus, magiſtri exemplo, eandem rem ſæpius iterat, nuſquam autem illis, vt connubio iungantur omnino, ſed cum cauſa concedit: nam, Propter fornicationes, propter ſatanicos, inquit, impulſus, propter incontinentiam. atque ita in eo ſermone de nuptijs occultius, quàm vt quiſquam id eum agere ſuſpicetur, virginitatis laudes perſequitur. † Quòd ſi eos, qui matrimonio iuncti ſunt, Paulus inde ad multum tempus remouere dubitat, ne quem aditum nactus, eà ſe quaſi per cuniculum diabolus inſinuet: quæ illis coronæ debentur, quæ nullius eiuſmodi ab initio ſolatij eguerūt? quæ ad extremum inuictæ permanſerunt? quamquam non æquè ad vtraſque diaboli machinæ adhibentur. his enim ne moleſtum quidem eſſe arbitror, quippe quas proximum refugium habere intelligat: quibus etiam, ſi vehementiorem aliquem appulſum ſenſerint, ſtatim in portum confugere licet. nam neque diuus Paulus permittit ipſis, vt lōgius nauigent, verùm admonet, vbi defeſsi fuerint, vti congrediantur, & vt ad iterum redeant, cohortatur. At virgo fluctibus omnino iactari cogitur, & mari nauigare minimè portuoſo: quòd ſi grauiſsima tempeſtas coorta fuerit, ne ſic quidem nauis in portum deducta quieſcere poteſt, vt igitur, qui piraticam faciunt, numquam ad oppida aut in naualibus, aut portubus, quòd ita ſine cauſa diſcrimini ſeſe offerrent, nauigantes adoriuntur, verùm, ſi in alto nauem offenderint, eius ſolitudinem audaciæ occaſionem habentes, omnia mouēt, omnia verſant, neque prius ea conari deſiſtunt, quàm aut vectores ſubmerſerint, aut eo ab illis ipſi malo affecti fuerint: ſic acer iſte pirata magnam in virginem tempeſtatem, difficilemque iactationem, ac procellas intolerabiles commouet, infima ſumma miſcens, vt & vi, & impetu nauem euertat. audiuit enim, virginem facultatem non habere ad idem redeundi, ſed illi contra ſpiritus nequitiæ luctari aſsiduè, & continenter pugnare neceſſe eſſe, donec ex illa nauigatione in tranquillum portum perueniat. Tamquam enim forti militi, mœnibus excluſo, ſic Paulus virgini, vel ſi acrius inſtet hoſtis, vel ſi etiam hoc ipſo vehementior ſit, quòd nullam habeat aduerſarius poteſtatem faciendi inducias, portas prohibet aperiri. Neq; vero diabolus virgines modò magis exercet, quàm eos, qui

Iohel 2. — Ieiunii. — xxxj. Qui precationibus ritè operam dare volunt, eos neceſſariò Paulum à cócubitu auocaſſe. — xxxij. Si ſegniter Deum precemur, nó modò non placere, ſed etiam irritare. — Simile. — Diſſimile. — Matth. 18 — Math. 19 — xxxiij. Eorundē repetitione Chriſti imitatione eſſe — 1. Cor. 7. — xxxiiij. Virginitatem nó eſſe admirabilem, & multis coronis dignam. — Simile. — Simile.

Virginũ maior libidinis æſtus.

A connubio iuncti ſunt, ſed ipſis etiam vehementior ineſt impetus libidinis: quod quidem omnibus omnino perſpicuum eſt. Nam quibus frui poſſumus arbitratu noſtro, ea non facilè appetimus: quòd facultas, quam habemus, percipiendi illa, negligẽtiam animo nobis ingenerat. quod nimirum teſtatur prouerbium vulgare illud quidem, ſed tamen veriſſimum, Quæ in promptu ſunt, eorum non eſſe nos admodum appetentes. contrà autem fit, ſi quando priuamur ijs quæ antea poſſedimus: quæ enim propter copiam contẽnimus, vbi nõ ſunt in poteſtate noſtra, maior eorum nobis cupiditas innaſcitur. Quamobrem primùm tranquilliori loco ſunt coniuges: tũ, ſi quãdo in illis excitatur ardor libidinis, concubitu facilè ſedatur. virgo autem nõ habens vnde ignem reſtinguat, flammam quidẽ excitatam, & in altum ſublatam videt, ſed eam extinguere non poteſt: tantum verò relinquitur vt igni reſiſtens non vratur.

Quid ſit vri libidine.

Quid igitur eſt admirabilius, quàm vniuerſum geſtare in animo rogum ardentem, neque comburi? quàm flammam in intimis animæ partibus verſari, & integram permanere rationem? nemo enim illi dat hanc veniam, vt libidini parẽs eiuſmodi carbones effuſos extinguat. verũ quod ſcriptor prouerbiorum fieri non poſſe dicit in corpore, idipſum anima virgo cogitur ſuſtinere. quid igitur inquit ille? *Numquid poteſt homo ambulare ſuper prunas, vt nõ comburantur plãta eius?* *Prou. 6.* ecce ambulat ipſa, & perfert cruciatum. Numquid poteſt quiſquã abſcondere ignem in ſinu, vt veſtimenta eius non ardeant? at hæc ipſa non veſtibus, ſed intus ignem continens furentem, & crepitantem flammam perfert, & ſuſtinet. Etiámne, quæſo, nuptias quiſquam cum virginitatę conferre, vel omnino in eius conſpectu ponere audeat? at non id permittit diuus Paulus, qui magnum inter vtrũque ponit interuallum: hæc enim, inquit, cogitat quæ domini ſunt: illa autem cogitat quæ ſunt mũdi. Itaque ijs, qui connubio iuncti ſunt, eodẽ compulſis, & ita obſecutus, audi quomodo iterum eos accuſet. Ad id enim, inquit, reuertimini, ne tentet vos ſatanas. ac cùm vellet oſtendere, nequaquam totum id illius tentationi tribuẽdum eſſe, ſed maiorem partem in noſtra deſidia reſidere, rei cauſam admodum propriam attulit, cùm, Propter veſtram, inquit, incontinentiam. Quis igitur hæc audiens non erubeſcat? quis incontinentiæ vituperationẽ non ſtudeat effugere? neque enim ad omnes hæc pertinet admonitio, ſed ad illos tantùm, qui ſunt ad libidinem procliuiores. nam, Si vſque eò ſeruus es, inquit, voluptatum, vſque eò mollis, vt ſemper inhies libidini, corpus cum vxore commiſce. Itaque non laudantis, neque permittentis iſta, ſed cõtemnentis eſt, & improbantis oratio. Niſi enim voluptuarios homines vehementer carpere voluiſſet, numquam eam incontinentiæ vocem abhuiſſet, quæ cùm maximè ſignificat, tum magnam notat infamiam. cur enim non dixit, Propter imbecillitatem veſtram? quòd in ea voce venia magis ineſſet: verbum autem incontinentiæ ſummam arguit ignauiam: nam incontinentis hominis eſt, adulterio ſe abſtinere non poſſe, niſi aſſidua coniugis conſuetudine fruatur. Quid igitur hoc loco afferant, qui virginitatem ſuperuacaneam cenſent? nam quò magis ea, diutiuſq; ſeruatur, eò maiorem habet laudem: coniugio verò cùm quis ad ſatietatem abutitur, tum maximè omni laude priuatur. Hoc autem, inquit, dico ſecundùm indulgentiam. at cui indulgentia tribuitur, nullus ipſi ea in re locus ad laudem relinquitur. *De virginibus autem* cùm diſſereret, *Præceptum*, inquit, *Domini non habeo, conſilium autem do*. An igitur coniugium propterea virginitati confert? minimè id quidem: nam de virgine conſilium dat, hic tribuit indulgẽtiam, neutrum certè iubet, neque eadem eſt vtriuſque rei cauſa, verùm hîc, ne, ſi quis ab intemperantia diſcedere voluerit, tamquam iuſſo coactus, neceſſariò id facere prohibeatur: illic, ne, ſi virginitatis laudẽ aſſequi nequeat, rerum, quæ facultatem nõ habeant, quaſi præcepto non paruerit, cõdemnetur. Non iubeo, inquit, virginitatem colere: nã rei vereor difficultatem. non iubeo aſſiduè rem habere cum vxore: nolo enim legis intemperãtiæ lator eſſe, cùm, vt inter ſe cõueniant, dico, veto quidem in inferiorem locum deſcendere, cupiditatem perueniendi altius non impedio. Non igitur hæc eſt principalis Pauli voluntas, vt cum vxore conſuetudinem aſſiduè habeamus, verùm hoc ſtatuit propter ignauiam intemperantiorum. quòd ſi eius ſententiam noſſe vis, audi quæ dicat ipſe. *Volo*, inquit, *omnes homines, ſicut meipſum, continentes eſſe*. *1. Cor. 7.* Si igitur vis, omnes vti ſe contineant, neminem vis iungi coniugio. At enim eos qui connubio iungi volunt, neque propterea prohibeo, nec accuſo: omnes tamen oro, & exopto ab omnibus, vti ſimiles mei ſint, concedo illis connubium propter fornicationes:

B quòd verò illud mihi optatius eſt, propterea dixi initio, Bonum eſſe homini mulierem non tangere.†

xxxv. Apoſtolum ad exemplũ continentiæ ſeipſum interpoſuiſſe.

Quid autem hoc loco ſui mentionem facit, cùm, Omnes homines, inquit, volo eſſe, ſicut me ipſum? nam niſi hoc adiecíſſet, ſui mentionem euitaſſet. quid igitur addidit, Sicut me ipſum? nõ eo quidem conſilio, vt ſe ipſe extolleret. is enim eſt, qui cũ Apoſtolis in prędicatione euangelica labore præſtitiſſet, ſe tamẽ Apoſtoli nomine indignum iudicauit. *1. Cor. 15* nam cùm *ſe minimum eſſe Apoſtolorum* dixiſſet, tamquam aliquid magnificentius locutus, quàm ſuæ eſſet dignitatis, eò ſtatim ſe ipſe correxit: *Qui non ſum dignus vocari Apoſtolus*. *Ibidem.* Sed quamobrem hoc loco idipſum ad cohortationem adhibuit? non temerè id quidem, aut ſine cauſa, ſed quòd intelligeret diſcipulos ad virtutis ſtudium magiſtri exemplo maximè incitari oportere: vt enim, qui verbis, non re philoſophi ſunt, haud magnam auditori afferunt vtilitatẽ: ſic quod

C quiſque alteri faciẽdum cẽſet, id ſi à ſe prius rectè factum probare poteſt, is ita omnium maximè audiẽtem in ſuam adducit ſententiam: deinde ab inuidia ſe, atque animi elatione vacuum eſſe oſtẽdit. Quod enim proprium ſuum eſt, id cum diſcipulis communicat, ac nihilo plus ſibi aſſumit, quàm illis tribuat, ſed eos omnibus rebus ſibi æquales eſſe vult. Poſſum & tertiam eius rei cauſam afferre: quamnam? quòd, cùm id factu difficile, atque eiuſmodi videretur, vt non quiuis illud aſſequi poſſet, cumque eam ipſe rem magnam habere facultatem vellet oſtendere, eum, qui id opus abſoluiſſet, in medio poſuerit, idque, ne multi laboris rem exiſtimarent, quinimò ducem intuentes fidenter ipſi etiam in eandem viam ingrederentur: quod & alio loco facit ad Galatas ſcribens, & eis timorem legis eripere ſtudens: quamobrem ipſi ad veterem conſuetudinem moremque deducti, multa le-

D gis præcepta ſeruabant. quid igitur inquit? *Eſtote ſicut ego, quia ego ſicut vos.* *Gal. 4.* quod in hanc ſententiam dictum eſt. Neque enim ita mecum agere poteritis. tu recens à gentibus redijſti, &, quid ob legem non ſeruatam timendum ſit, ignoras: propterea impunè in his omnibus nobiſcum philoſopharis. etenim vt vos, inquit, hanc ego olim ſeruitutem ſeruiui: ego legi aſtrictus fui, ego præcepta obſeruaui: verùm, vbi gratiæ lumen eduxit, totum me ab illa lege ad hanc gratiam contuli. nec tamen id eſt contra legis præcepta, quòd in alterius viri poteſtatem venimus. quamobrem nemo illud de me poterit dicere, quòd aliud faciens ipſe, ad aliud reliquos cohorter: neque quod id cogitem, quomodo me in tuto collocans, vos in diſcrimen adducam: nam ſi res periculoſa eſſet, numquam me ipſe prodidiſſem, nunquam ſalutis meæ curam neglexiſſem. Quemadmodum igitur Galatis, ſuo propoſito exemplo, metum eripuit: ſic hoc lo-

eo, ſe

co, ſe in medio poſito, ſollicitudine Corinthios liberat. † Sed *vnuſquiſque*, inquit, *proprium habet donum, alius autem ſic, alius verò ſic*. Vide ſignum apoſtolicæ ſummiſſionis nuſquam deperditum, ſed vbique maximè elucens. quæ enim ipſe rectè fecit, Dei gratiam nominat: quem ipſe multum effudit ſudorem, omnem Domino tribuit. ſed quid mirum eſt, eum ita de ſua loqui continentia, cùm de prædicatione diſſerens, cuius cauſa innumerabiles labores, aſſiduas ſollicitudines, incredibiles ærumnas, quotidianas mortes perpeſſus fuerat, eadem ratione procedat? Quid igitur de ea inquit? *Abundantius omnibus elaboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum*. non enim partem ſibi ſumit, partem Deo dat, ſed totum illi tribuit: quod grati ſerui eſt argumentum, nihil ſuum putare, ſed omnia Domini, nihil proprium ducere, ſed omnia Domini. id quod & alio loco facit. cùm enim dixiſſet, *Habentes donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes*, progrediens oratione, præfecturas, eleemoſynas, communicationem bonorum numerauit in donis. Hæc autem rectè facta eſſe, non dona, planè perſpicuum eſt: quæ ſanè dixi, vt cū illud acceperis ab eo, Vnuſquiſque propriū donum habet, ne concidas animo, néve ſic tecum loquaris: nihil mihi ad hanc rem labore, aut ſtudio meo opus eſt: donum enim eam Paulus vocauit. neque enim ita dixit, quod continentiam in numerum cæleſtium munerum vellet referre, ſed modeſtiæ cauſa donum appellauit. non enim adeò & à ſe ipſe, & à Chriſto diſſentiret, cuius illud eſt, *Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*: & illud, *Qui poteſt capere, capiat*. Sibi certè, ijs condemnatis, quæ, cùm viduitatem elegiſſent, non manſerunt in ſententia, minus ipſe conſtaret. nam ſi donum id eſt, quid ipſis eo minaris? *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: nuſquam enim Chriſtus in eos animaduertit, qui dona non habuerunt, at illos ſemper pœna afficit, qui honeſtè vitam non agunt. Atque illud, quod ab ipſo maximè quæritur, optima vitæ ratio eſt, & actiones eiuſmodi, quæ nullam habeant anſam reprehenſionis: partes verò facere diuinorum munerum, eaque diſtribuere, non accipientis eſt optio, ſed dantis iudicium. Quemobrem Chriſtus nuſquam eos laudat, qui miracula faciūt, quinetiam diſcipulos propter id ipſum lætitia elatos illis verbis ab eiuſmodi animi voluptate deterret. *Nolite gaudere, quòd ſpiritus vobis ſubijciuntur*: qui enim beati dicuntur, ij ſunt miſericordes, humiles, mites, mundi corde, pacifici, quique & hæc omnia, & horum ſimilia efficiunt. atque ipſe quidem Paulus enumeratis ijs quæ rectè feciſſet, in illis commemorauit de ſua continentia. *In multa* enim, inquit, *patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs*: quibus adiecit, *in caſtitate*: cuius, ſi donum res eſſet, non meminiſſet: quid enim eos accuſat, qui caſtitatem non colunt, quippe quos intemperantes appellat? quid etiam eum rectius facere dicit, qui nuptum non det virginem? quā denique ob cauſam beatior eſt vidua, ſi in voluntate non nubendi perſtiterit? quòd, vt iam diximus, non miraculis, ſed honeſtis actionibus tribuntur beatitudines, quemadmodum nec ceſſationi, ſed prauis actibus ſupplicia proponuntur. Sed quid opus fuit in eiuſdem rei admonitione permanere, ſi noſtri illa non ſit arbitrij, ſi præter diuinæ gratiæ momenta, non etiam opera, ac ſtudium noſtrum nobis ſint ad eius facultatem neceſſaria? cùm enim dixiſſet, *Volo omnes homines, ſicut ego ſum, continentes eſſe*, rurſus inquit: *Dico autem non nuptis, & viduis: bonum eſt ipſis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego*: ſe iterum interponit propter eandem cauſam. quod enim ipſi propinquum, & domeſticum exemplum haberent, virginitatis laboribus fortius occurrerent. nam etſi ſuprà dixerat, Volo omnes homines eſſe, ſicut me ipſum, & hic etiam dicat, Bonum eſt ipſis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego, nuſquam verò rei cauſam afferat: nihil tamen eſt, quòd mireris, neque enim id ſuperbia facit, ſed quòd ſatis rem probari exiſtimat ſua ſententia, qua fretus ipſe munus illud abſoluerat. † Quòd ſi quis etiam rationes cognoſcere voluerit, primùm hominum exquirat ſententias, deinde, quæ rei accidant animaduertat. quamquam enim legumlatores eiuſmodi nuptiarum pœnam non conſtituant, ſed eas concedant, atque permittant: tamen in homines ſecundarum nuptiarum multa à multis, & domi, & in foro maledicta, probra, conuitiaque iactantur. Omnes enim aditu, & congreſſione indignos eos exiſtimantes, non ſecus, quàm qui iuſiurandum violant, abhorrent, neque cum illis ferè amicitiam inſtituere, aut fœdus facere, neque omnino quidquam illis credere audent. vidētes enim eos tantæ conſuetudinis, neceſſitudinis, coniunctionis, ſocietatis memoriam tam facilè ex animo eijcere, ea in cogitatione quaſi quodam torpore perfuſi, minime fidenter eos in conſuetudinem recipiunt, ſed à leuibus atque inconſtantibus hominibus refugiunt: neque verò ſolùm propter eam cauſam, quam diximus, ſe ab illis auertunt, ſed eorum, quæ ab ipſis fiunt, faſtidio, & offenſione. Quid enim, quæſo, turpius eſſe poteſt, poſt maximos luctus, gemitus, & lacrymas, poſt diuturnum capitis ſqualorem, pullæque ſtolæ ſordes, quàm repentini plauſus, quèm nuptiales thalami, quā ſonitus priori contrarius: quæ ſimilia ſunt luſibus hiſtrionum, qui modò hi, modò illi fiunt. eundem enim hominem videas in ſcena interdum Regem, interdum aliquem agere omnium egentiſſimum, talis hic etiam: qui cùm nuper ad ſepulchrum volutaretur, fit repente ſponſus: qui, quo ex capite capillos euellebat, rurſum in eo coronam geſtat: qui, cùm mœſtus, & mœrens, multiſque ſæpe cum lacrymis ad eos conuerſus, qui ſe conſolarentur, mortuam laudaſſet, ſibique vitam acerbam propterea dixiſſet, & illis ſuccenſeret, qui eundem ſe à luctu abducerent, frequens inter illos ipſos comptus iterum, & ornatus apparet: qui ridentibus oculis ipſos intuetur, quos iiſdem lacrymantibus prius aſpexerat; & eo ore amicè accipit, & ſalutat omnes, quo cūcta hæc antè repudiabat. Miſerrimū autem eſt omnium, bellum ad perniciem liberorum, leæna contubernalis filiarum. eiuſmodi enim eſt omnino nouerca. hinc quotidiana ſeditio, & pugna: hinc inopinata illa, & noua obtrectatio eius, quæ nulla lædit iniuria. viui enim inter ſe odia exercent, mortuis vel hoſtes reconciliantur. at nullus apud hanc eſt odij aut inuidiæ finis: ſed ab eadē pulueri, & cineri obtrectatur: incredibiles ſimultates: cùm humata geruntur iurgia, maledicta: crimina in eam, quæ in terram diſſoluta eſt, iaciuntur: cū ea, quæ nihil nocuit, ſempiternæ exercentur inimicitiæ. quid hac amentia, & crudelitate tetrius, aut flagitioſius eſſe poteſt? quæ nullam à mortua accepit iniuriam: quid dico iniuriam? quæ fructus capit illius laborum, in cuius rebus luxurioſe viuit, nullum finem facit pugnādi cum eius vmbra, quæ nullam attulit moleſtiam, ac ſæpius, quàm ne vidit quidem, quotidie verberat conuitijs innumerabilibus, cuius liberis pœnas expetens mortuā vlciſcitur. atq; , vbi nihil proficit ipſa, ſæpenumero virū armat in illos ipſos. Sed tamen hæc omnia facilia hominibus, tolerabiliaq; viſa ſunt, dum ne libidinis tyrannidem perferre cogantur. At virgo in hac acie non æſtuauit, neque declinauit certamē, quod multis videtur intolerabile, ſed fortiter inſiſtēs naturæ prælia ſuſtinuit. Quis igitur virginē ſatis pro merito queat admirari, cùm alij, ne vtātur, ſecundarum nuptiarum indigeant, ipſa autē intacta ab omnibus, perpetuò caſta, & integra permaneat:

xxxvj. Virginitate modeſtiæ cauſa ab Apoſtolo donū appellari.

1. Cor. 7.

1. Cor. 15

Rō. 12.

Mat. 19.

1. Tim. 5.

Luc. 10.

2. Cor. 6.

1. Cor. 7.

xxxvij. Multas in eſſe moleſtias in ſecundis nuptijs. Malè audiunt digami.

Simile.

Nouerca leodiū.

neat:quemobrem etiam antequam de his diſſerat,
propter ea præmia,quæ in cælo viduitati colloca-
ta ſunt,ſic inquit is,qui in ſe Chriſtum loquentem
1.Cor.7. habebat: *Bonum eſt ipſis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego.*
Non potuiſti ad ſummum verticem aſcendere: at
vide,ne ex iſto gradu in inferiorem locum, vbi il-
la eſt,decidas:tantò autem tibi præſtet virgo,quã-
tò præclarius eſt eam ne ſemel quidem libidini
ſuccubuiſſe, quàm, cùm in te aliquando libido
dominata ſit, perpetuò dominari non potuiſſe,
quantoque præſtantius eſt,illam integram, inuio-
latamque è pugna ſuperiorem diſcedere, quã te,
vna accepta plaga, inde victoriam reportare. om-
nino pugnæ exitu pares eſtis: at initio tantùm illa
ſuperauit.† In eos autem, qui cõnubio iuncti, ſunt
longè indulgentior eſt: qui ne altero quidem vo-
lente,illos ab ipſis diſtrahat,neque diſiunctionem,
quæ communi vtriuſque conſilio facta eſt, pro-
ducit longius: quin etiam ipſis alteras, ſi modò id
cupiunt,ne vtantur,concedit nuptias: ijs autem,
qui virginalem caſtitatem colunt, ne vnum qui-
dem eiuſmodi ſolatium dedit:verùm cùm illis in-
termiſſam parum per rurſus remittat voluptatem,
nullum relinquit virgini reſpirandi locum, ſed
eam vult perpetuò in prælio verſari,& aſſiduis li-
bidinum aculeis vulnerari, neque vt ſe tantiſper
relaxet, eidem permittit. ſed quamobrem illud
etiam virgini non dixit,Si ſe non continet,nubat?
quod ne athletæ quidem,cùm is,reiecto pallio,vn-
ctus in certamen deſcendit, iamque puluere aſ-
perſus eſt,quiſquam dixerit, abſcede, fuge aduer-
ſarium:ſed illi alterutrum neceſſe eſt euenire, vel
vt victor corona donetur,vel vt humi ſtratus cum
infamia diſcedat.nam in ludo,& palæſtra,quòd cũ
familiaribus homines exercentur, & cum amicis
tamquam cum aduerſarijs congrediuntur, ſuo
quiſq; arbitrio eum laborẽ ſuſcipit. cùm verò de-
ſcriptus frequentiſſimo theatro fuerit,atq; is, qui
ludos facit,adeſt,omneſq; ſpectatores conſedere,
ac productus aduerſarius illi ipſi opponitur:tũ lege
certaminis illo priuatur arbitrio. Virgini etiã, quã
diu deliberat,vtrum connubio iungatur, an non,
nuptiæ fraudi non ſunt:vt verò virginitatem ele-
git,deſcriptaque in certamen deſcendit, quis au-
deat,plaudente theatro, angelis è ſuperiore loco
ſpectãtibus,Chriſto certaminis præfecto, diabolo
furente,fremente etiã dentibus, hærenteq; in lu-
cta,ac mediũ occupante ſpatium,quis,inquam, in
medium progreſſus ſic cum illa agat, fuge hoſtẽ,
cede labori,recede de pugna, ne ſterne néve ſup-
planta, ſed palmam defer aduerſario? quid dico
virgines? cum viduis hac vti voce nemo audeat,
ſed potius pro huiuſmodi ſermone horribilẽ illã
1.Tim. 5 habeat orationẽ, *Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, & nubere voluerint,damnationem habebunt, quia primam fidẽ*
1.Cor. 7. *irritam fecerunt*. Atq; idem ipſe Paulus, *Dico autem innuptis,& viduis bonũ eſt illis,ſi ſic permanſerint,ſicut & ego: quòd ſi ſe non continent,nubant*: & illud, *Quòd ſi dormierit vir eius,libera eſt,cui autem vult,nubat,tantùm in Domino.*
† Sed quamobrem in eam,quam liberã dimiſerat,
pœnam deinde conſtituit,&,quod in Domino eſſe
inquit connubium,id quaſi cõtra legem concilia-
tum cõdemnat?ne verearis:non enim id de his ip
ſis,ſed de alteris vult intelligi nuptijs. vt enim, cũ
dixit virginem,quia nupſerit, non peccare, de ea
non eſt locutus,quæ coniugiũ renuntiarit,quippe
quam deliquiſſe, & intolerabili ſcelere ſe aſtrin-
xiſſe perſpicuum eſt omnibus,ſed de illa, quæ ex-
pers adhuc nuptiarũ,nihil dum ſtatutũ habet, ve-
rùm etiam nunc inter vtrumq; ancipiti cogitandi
cura diſtrahitur:ſic & viduã. hoc enim loco de ea
omnino loquitur,cui,viro amiſſo, neque dum de-
liberatũ ſit nubere,&integrum,vtrum malit opta-
re:illic verò eam ſignificat, cui cùm iam in certa-
men continentiæ deſcenderit, non amplius libe-
rum eſt nubere cũ aliquo: licet enim, quamdiu id

xxxviij. Quid ſit, quare ijs qui matrimonio iũcti ſint, magna ſolatia, virgini verò ne reſpirãdi quidem à laboribus facultatẽ concedat.

Simile.

xxxix. Cui viduæ, cuíue virgini nubendi poteſtatẽ permittat.

A non elegerit,viduam eſſe, neque in viduarum or-
dinem referri:itaque inquit ipſe,*Vidua deligatur non* 1.Tim. 5
minus ſexaginta annorum. nam viduæ omnino, ſi vo-
luerit, poteſtatem nubendi facit:at eam, quæ cõ- 1 Cor.7.
iuge mortuo, ſe in reliquum tempus Deo caſtam
fore profeſſa ſit , ſi poſtea nupſerit , vehemen-
ter accuſat,vt quæ pacta,quæ cum Deo ſecerat,tã-
quam oblita neglexerit. non his ergo, ſed illis di-
xit, *Si ſe non continent, nubant: melius eſt enim nubere,*
quàm vri. Vides, vt per ſe nuptias nuſquam admi-
remur, ſed propter inceſta, atque ſtupra, prop ter
tentationes,propter incontinentiam? hæc quidem
omnia ſupra ſcripſit. verùm, quòd ipſos malè ver-
bis acceperat, rurſus iucundiori vocabulo rem ip-
ſam appellat,incendium,& ardorem nominãs. ac
ne id quidem, vt auditorem non laceſſeret, præte-
ritum voluit. non enim dixit, ſi quadam libidinis
vi coguntur,ſi tranſuerſi aguntur,ſi non poſſunt:
nihil omnino poſuit eiuſmodi,quod aut vim allatã
B oſtendat, aut venia dignum ſit: verùm quid is in-
quit? *Si verò ſe non continent, nubant*. quod eorum vo-
luntati tribuendum eſt,qui propter pigritiam no-
lunt elaborare. Demonſtrat enim ipſos rei facul-
tem habentes, ob id minus eam perficere, quòd
laborem defugiunt: in quos tamen vel ita affe-
ctos neque animaduertit,neque his ipſis ſupplicia
proponit,ſed tantum laude priuatis, verborum re-
prehenſione vim vituperationis oſtendit: nuſquã
verò meminit liberorum procreationis, quæ qui-
dem cauſa facit,vt connubium ſpeciem habeat,
& grauem cauſam honeſtatis, ſed innati ardoris,
intemperantiæ,ſtupri,& inceſti, ſatanicæque ten-
tationis. quare,ne quid tale committatur, conce-
dit coniugium. Quid ergo eſt? inquit: dummodo
nobis perpetuæ libidini, & luxuriæ parere liceat
impune, quamuis reprehenſionem, ac vitupera-
tionem facilè feremus. quid verò, vir optime,ſi ne
voluptate quidem frui licet? Sed quomodo libidi-
ni,inquit, negas inſeruiendũ eſſe, cùm apud Pau-
C lum ita ſit,Si ſe,non continent, nubant? Tu verò
audi,quæ præterea ſequantur. accepiſtíne, quem-
admodum præſtet nubere, quàm vri? probaſti,
quod iucundum eſt: cõceſſam rem laudaſti. Apo-
ſtolum propter indulgentiam es admiratus? at iſtic
ne conſtiteris,ſed perge legere, quæ ſequuntur.
eiuſdem enim Apoſtoli eſt vtrumque conſilium.
quid igitur præterea inquit Apoſtolus? *Iis autem,*
qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam,aut viro ſuo reconciliari,& vir vxorem ne dimittat.† Quid autem,ſi vir moderatus eſt, vxor ve-
rò nequam,maledica, loquax,&, quod commune
eſt mulierum vitium,ſumptuoſa, multiſq; alijs im-
buta vitijs fuerit? quomodo miſer ille quotidianã
hanc moleſtiam,ſuperbiam, & impudentiam per-
feret?quid,ſi contrà acciderit,probam illam,& mi-
D tem eſſe,virum autem ferocem, inſolentem, ira-
cundum, pecunia etiam potentiaque admodum
elatum, & inflatum, qui liberam habeat pro an-
cilla, nihiloque melius in eam, quàm in famu-
las ſit animatus? quonam pacto eiuſmodi neceſſi-
tatem, vimque tolerabit? quid denique, ſi vir ab
vxore continenter auerſus, perpetuò adhorreat?
Perferat,inquit,omnem iſtam ſeruitutem: tantum
enim illa ſui iuris futura eſt,cùm is è vita migrarit:
nam quamdiu vixerit,alterutrum neceſſe eſt, vel
vt eum magno ſtudio regat,ac moderetur, melio
remque faciat,vel bellum minimè denuntiatum,
perpetuumque prælium fortiter ſuſtineat. Ac ſu-
prà quidem dixerat, *Nolite fraudare vos inuicem, niſi*
fortè ex conſenſu: hic verò diſiunctam ipſam à viro
vel inuitam ſe continere iubet: Maneat, inquit,
innupta, aut viro reconcilietur. Vidéſne ipſam
mediam inter duo prælia,vt vel libidinis vim fer-
re, vel ſi id noluerit, ei, à quo afficitur iniurijs aſ-
ſentari,&omnino pro eius arbitrio,ſiue is verberi-

xl. Magnã eſſe ex coniugio ſeruitutem, neq; poſſe vitari.

Digitized by Google

bus,ſiue conuitijs vexare,ſiue ludibrio & deſpectui ſeruorum ſubijcere,ſiue huiuſmodi quippiam cōmittere voluerit, (multas enim viri vias reperiūt, cùm volunt,inferendæ vxoribus iniuriæ)in omnibus patiens eſſe neceſſe habeat? quòd ſi illa non tulerit,continentiam colat oportet, inutilem, inutilem, inquam, quòd eo non nititur fundamento, quo deberet. non enim id ſanctitatis ſtudio facit, ſed ira in coniugem incitata. Maneat,inquit, innupta,aut viro reconcilietur.Sed quid inquit,ſi numquam cum viro in gratiam redire voluerit?habes illud alterum,quo te inde expedire poſſis: quidnam id eſt? Expecta,dum is tibi decedat.nam, quēadmodum virgini,viuo eius viro,(immortalis autem is eſt)numquam licet nubere: ſic nuptæ, tantum coniuge mortuo.nam ſi fas eſſet,illo viuo, cōiungi cum altero , tum ab illo tranſire ad alium, alijs aliorum vxoribus promiſcuè, & communiter inter ſe ad libidinem abutentibus, viriſque omnibus cum illis omnibus omnino concumbentibus, quid tandem coniugio opus fuit? aut quomodo hodie hoc,illo cras, ac deinceps alijs cum eorum vxore conſuetudinem habentibus, coniugum amor, ac ſtudium non labefactetur? quamobrem Dominus meritò id adulterium appellauit. † Quid igitur id Iudeis permiſit? nempe propter illius gētis peruicaciam, ne inter ſe dimicarēt, ne proprias domos implerent ſanguine propinquorum. Vtrū, quæſo,præſtat,inuiſam vxorem domo expellere,an intra parietes domeſticos occidere? quod ſanè feciſſent Iudæi, ſi non ipſis illam ex ædibus eijcere licuiſſet. Itaque inquit, Si ipſam odiſti, amandato. cùm verò ad moderatas,& ad eas loquitur, quibus, vt iraſcantur, minimè permittit, quid inquit? Si diſceſſerit,maneat innupta. Vidéſne rei neceſſitatem,& inexorabilem ſeruitutem? vides vtrumque vinculis vndique conſtrictum? eſt enim connubij neceſſitudo inſtar vinculorum, neque ſolùm propter curarum turbam, quotidianaſque moleſtias, ſed quòd vſq; adeò coniuges deuincit nodo ſeruitutis, vt nulla magis ſeruitia in cuiuſquam dominatu,quàm ipſi alter in alterius poteſtate eſſe cogantur. Dominetur,inquit, vir vxori:ſed quodnam illi facit is dominatus emolumentum? rurſus enim in eius ſeruitutem tradit, quæ ipſius poteſtati ſubiecta eſt. Nouam prætera quandam,& admirabilem excogitauit compenſationem ſeruitutis. ac, quemadmodum ſerui fugitiui, ſinguli ſeparatim vincti ſuis dominis, rurſumque tenui quadam catena inter ſe conſtricti vniuerſi, quòd compedibus catenæ vtrinque affixis, alius alium ſequi cogitur,liberam non habent abeundi facultatem: ſic coniugum animæ, cùm propriam ſui curam ſuſtinent, tum altera etiam premuntur neceſſitate, à communibus coniugij vinculis impoſita, quæ & grauius vrget omnibus vinculis, & hoc ipſo ab vtroq; libertatem aufert, quòd alteri ne ſemel quidem principatum defert, ſed vtriq; diſtribuit. Vbi igitur ſunt parati iſti ad omnem perferendum ſeruitutem propter fructum voluptatis? nam in diſſidijs,ac diſſenſionibus,quæ ſæpiſſime inter ipſos ad multū tempus permanent,nō parum de voluptate deminuitur: atque eiuſmodi ſeruitus, quæ alterum vitia alterius vel inuitum ferre cogit, facilè omnē obruit fructum voluptatis. iccirco ſanctus ille vir impetum libidinis primum repreſſit graui illa cohortatione,Propter fornicationes, propter intemperātiam,ardoremque libidinis. vt verò intellexit, apud multitudinem eam reprehenſionem minimi eſſe ponderis, illud, quod ad deterrendum vim maiorem habet, adiunxit, quamobrem diſcipuli etiam dicere coacti ſunt. Non expedit nubere. quod hanc vim habet, qui connubio iunctus ſit, ſui iuris eſſe neminem. ac neque id ita dictum eſt, quia cohortatio ſit, aut conſilium, ſed quia iuſſi, ac præcepti neceſſitatem habeat . iungamur enim

Virgo poſt votū nubere nō poteſt. — *Matrimonii quòd ad vinculū indiſſolubile.* — *Quamob rē Iudæis Deus diuortium permiſerit.* — *Coniugium mutua ſeruitus. Gen. 3.* — *Simile.* — *Voluptas ſeruitute empta.*

A connubio, necne, noſtri id arbitrij eſt: vt verò in matrimonio collocati fuerimus, noſtro carentes arbitrio,velimus,nolimus,ſeruitutem feramus neceſſe eſt. quamobrem id tandem? quia haudquaquam huius ſeruitutis ignari eam expetiuimus, ſed, eius tum officiorum,tum legum admodum intelligentes,voluntario nos ipſi iugo ſubiecimus. Deinde verò,cùm de ijs locutus eſſet,qui fideles vxores habent, omnibuſque de coniugio legibus explicatis,atq; ſermone de ſeruis interpoſito,illis deniq; ipſis ſatis eo confirmatis,quòd eiuſmodi ſpiritalis ingenuitas ſeruitute nō imminuitur, reliquū deinceps aggreditur de virginitate ſermonem,quē diu conceperat animo,ac parturierat, parit in præſentia.neque tamen in ijs, quæ de coniugio dicit, tacitam virginitatem relinquere potuit, breui quidem eius facta, diſperſaque mentione: ſed tamen hanc ipſam orationem illi etiam cohortationi intexuit,præclara iſta ratione & via noſtras aures ad audiendum præparans, & animos antè deliniens, B aditum ad orationem ſibi optimè comparat. Itaque poſt eam,quam in ſeruos adhibet admonitionem, (*Pretio, inquit, empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.*) Domini in nos beneficia nobis in memoriam redigit, atque eo omnium mentibus excitatis, & ad cælum erectis,illum infert ſermonem de virginitate: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do , tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, vt ſim fidelis.* de fidelibus autem, qui infideles mulieres habent in matrimonio, cum nullum haberet præceptum, hiſce verbis magna authoritate legem tulit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus, ſi quis frater vxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, ne dimittat illam.* Qui igitur non fers eandem de virginibus ſententiam? quia de hac ipſa re planè Chriſtus ſtatuit , virginitatem vetans inter neceſſaria iuſſa referri oportere. illud enim, Qui poteſt capere, capiat, liberam dat auditori optionem eligendi. cùm autem de continentia differit, Volo omnes homines, in-C quit,ſicut me ipſum, eſſe continentes. Item. *Dico autem innuptis, & viduis, bonum eſt ipſis,ſi permanſerint, ſicut & ego.* Cùm verò de virginitate diſputat, nuſquam ſeipſum interponit:itaque ſubmiſſius loquitur,& planè refugiens: neque enim id ipſe perfecerat. Præceptum,inquit,non habeo,primum id ad arbitrium cuiuſque referens, ſibique beneuolum faciens auditorem, ſic ad conſilij dandi rationem aggreditur. quòd enim virginitas, vt primum ea vox emiſſa eſt,magnam vim laboris oſtendit,iccirco ad virginitatis cohortationem non ſtatim acceſſit,ſed,data auditori ſoluta eligendi optione,eū ſibi conciliat,& ipſius animum huiuſmodi apparatu deliniens,& oblectans, initium ad id adhortandi facit. Tu,hoc audito virginitatis nomine, quòd eius cultus multi laboris ſit, atque ſudoris, nihil propterea timebis.non enim eſt iuſſum, neque ita D præſcriptum,vt neceſſariò ſeruari debeat. nā eos Apoſtolus,qui rem ſua ſponte,& voluntate ſuſcipiunt,fulgentibus,& florentibus coronis ipſorum capitibus impoſitis, proprijs bonis remuneratur: qui verò excuſatione vtuntur,nec ad ipſam volūt accedere,neque in eos pœnam ſtatuit,neque id efficere cogit inuitos.nec verò ob id ſolùm lenem & dulcem orationē adhibuit,ſed eò etiam, quòd eius rei beneficiū non ſuum,ſed Chriſti eſſe dixit. non enim inquit,De virginibus haudquaquā ipſe præcipio,ſed,Præceptum non habeo.quaſi ita diceret: Si rationibus humanis impulſus iſta cogitaſſem, cogitatis meis confidendum non eſſet: ſed quando ita Deo viſum eſt, magnum id habetis pignus veſtræ libertatis : mihi quidem iubendi talia facultas non eſt: quòd ſi conſeruum quodammodo veſtrum vultis audire, *Do*, inquit, *conſilium, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino,vt ſim fidelis.* Quo quidem loco Pauli artificium,

1. Cor 7. — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibidem.* — *Ibidem.*

admirabilemque prudentiam licet intueri, quomodo videlicet is inter duas neceſſarias, eaſdemque inter ſe contrarias res deprehenſus, ita ſe commendet, vt gratum, acceptumque illi eius habeant conſilium, & quod eam virtutem non erat aſſecutus, nihil de ſe magnificè locutus, breuiter vtrumque comprobarit. Quod enim dicit, *Tamquam miſericordiam conſecutus*, quodammodo ſe ipſe commendat, quòd non autem à præclarioris officij munere id faciat, rurſum ſe extenuat, & deprimit.

xlij. De Pauli ſubmiſſione

† Non enim do, inquit, conſilium tamquam is, cui creditum ſit euangelium, tamquam qui dignus habitus ſim, qui illud apud gentes prædicarem, tamquam negotium meæ præfecturæ gerens, tãquam doctor, & magiſter. Quid ergo? Tamquam miſericordiam, inquit, conſecutus à Domino, vt ſim fidelis, & illud etiam attenuans. minus eſt enim, tantummodo fidelem eſſe, quàm fidelium magiſtrum. Alteram deinde ſubmiſſionis rationem excogitat: quámnam? non dixit, vt qui per me fidelis fuerim, ſed, Tanquam miſericordiam conſecutus, vt ſim fidelis. Cauete enim exiſtimetis, quòd Apoſtolus, quòd prædicator euangelij, quòd doctor ſim. Dei hæc ſolùm eſſe beneficia. etenim fides etiam ipſa eiuſdẽ eſt Dei in me miſericordiæ. non enim propter dignitatem meam, inquit, fidei munere ſum affectus, ſed propter miſericordiam modò: miſericordia autem gratiæ eſt, non meritorum, vt, niſi admodum benignus Deus fuiſſet, non ſolùm Apoſtolus, ſed ne fidelis quidem vllo modo eſſe poſſem. Vides gratum ſerui animum, ſummamque ſubmiſſionem, vt nihilo plus ſibi aſſumat, quàm cæteri habeant? quin etiam fidem ipſam, quæ ei communis erat cũ diſcipulis, ne ſibi quidem tribuit, ſed Dei benignitati, & gratiæ acceptum refert, idipſum hiſce verbis declarans: quod idem valet, ac ſi diceret: Nolite meum aſpernari cõſilium: neque enim me Dei benignitas eſt aſpernata, præſertim cùm hoc ſit conſilium, non iuſſi vim habeat. faciendũ enim id cenſeo, nõ, vti faciatis, legem fero. nam ponere in medio, & proponere quæ vnicuique conducant, præſertim cùm idipſum, quemadmodum nos in præſentia, auditorum rogatu facias, nulla lex prohibuerit. *Exiſtimo* autem, inquit, *hoc bonum eſſe*. Vides humilem rurſus orationem, & omnis expertem authoritatis? & quidem ei in hanc ſententiam loqui licuiſſet: Quia Dominus noſter de virginitate non præcepit, propterea ne ego quidem præcipio, ſuadeo certè, voſque ad eius cultum cohortor: etenim Apoſtolus veſter ſum, quemadmodum ipſe ad eos loquens poſtea dixit: *Si alijs non ſum Apoſtolus, at vobis ſum.*

1. Cor. 9.

at nihil hoc loco horum dicit, ſed verecundiore vtitur oratione. nam pro eo, Vobis author ſum, conſilium do: loco eius, Tamquam doctor, tamquam miſericordiam, inquit, à Domino conſecutus, vt ſim fidelis. Ac veluti ſi non ea ſatis eſſent ad ſubmiſſionem orationis, à conſilio exorſus, ſibi rurſus præcidit authoritatem, non ſtatuens omnino, ſed afferens rationem:

1. Cor. 7.

Exiſtimo enim, inquit, *hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem.* atqui de continentia differens, neque verbum adiecit, Exiſtimo, neque vllam præterea rationem, ſed omnino, Bonum eſt illis, ait, ſi permanſerint, ſicut & ego: hoc autem loco, Exiſtimo id bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem. Quod quidem facit, non quòd de re dubitaret, (nihil enim minus) ſed vti totum id audientium permittat arbitrio. neque enim conſiliarij eſt, decernere quæ dicit, ſed totum auditoribus iudicandum relinquere.

xliij. Ecquam Paulus inſtantem appellet neceſſitatem.

† Sed quamnam hic etiam nobis neceſſitatem inquit impoſitam? à naturáne? minimè. primùm enim, ſi id dixiſſet, facta illius ipſius mentione, contrarium ei, quod voluiſſet, efficeret: nam qui connubio iungi volunt, eandem ſurſum, deorſumque verſant: deinde numquam

A ipſam inſtantem vocauiſſet. non enim nunc primùm, ſed iam diu hæc inſita eſt in hominum genere libido: quæ quidem cùm violentior olim eſſet, & planè indomita, Chriſti aduentu, & eius virtutis vi, quæ nobis adhibita eſt, domitu facilis eſt facta. Ergo nullus eſt hac de neceſſitate ſermo: verùm alteram obſcurius ſignificat variam, atque multiplicem. Sed quænam eſt iſta neceſſitas? humanarum rerum, negotiorumque conuerſio. is enim eſt concurſus curarum, ea ſollicitudinũ oppreſſio, ea varietas caſuum, vt, qui connubio iunctus ſit, vel inuitus multum ſæpe peccare, & errare neceſſe habeat.

xliiij. Facilius virginitate, quàm cõnubio cæleſte regnum acquiri.

† Nobis autem ſumma hæc virtutis norma olim præſcripta non erat, ſed & vlciſci iniurias, & conuitia in conuitiatorem iactare, & facere pecuniam, & verè iurare, & oculum pro oculo eruere, & inimicos licebat odiſſe: neque etiam luxurioſe viuere, aut iraſci, aut vxore eiecta, alteram ducere, erat impeditum: ac neque id ſolum, ſed duas etiam eodem tempore habere in matrimonio B lege permittebatur: magna præterea cũ harum, tum aliarum rerum omnibus indulgentia tribuebatur. quæ ſanè indulgentiæ via poſt Chriſti aduentum longè fuit anguſtior, neque eo ſolùm, quòd tanta hæc eorum, quæ diximus, licentia, quanta verbis exprimi non poteſt, circumciſa nobis eſt, ſed quod eam vxorem, cuius ſuaſu, coactuque multa etiam ſæpe peccamus, inuiti domi perpetuò habere cogimur: vel, qui velit eijcere, adulterij condemnetur, neceſſe eſt.

Duas ſimul habere vxores lege vetere permiſſum.

neque verò ob id ſolùm eam virtutem aſſequi nequimus, verùm etiam, ſi ſit vxor moribus facilibus, tamen moles curarum, quæ nobis circumfunduntur propter ipſam vxorem, ac liberos eius, ne minimum quidem cælum ſuſpicere patiuntur, vndique animum quadam quaſi vertigine contorquentes, & obruentes. quòd ſi vir priuatorum hominum tutam, atque tranquillam vitam viuere voluerit, nullo modo id aſſequi queat. cùm enim videat circum ſe ſtare liberos, & vxorem: cui multa in ſumptum eroganda ſint, vel inuitus demittit ipſe ſe in fluctum ciui- C lium negotiorum: quò vbi inciderit, non dici poſſit, quanta illi deinceps peccandi neceſſitas impoſita ſit, in iracundia, in iniuria, in iureiurando, in cõuitio, in ſimulatione, multa gratiæ, multa ſimultatis cauſa faciendo. quî autem fieri poteſt, vt is ea tempeſtate iactatus, & in illa ipſa laudem quærẽs, magnas inde peccatorum ſordes non contrahat? Ac ſi quis domeſticas eius res ſcrutatus fuerit, tum eum grauiori etiam difficultate vxoris cauſa plenum offendet. de multis enim cogitur vir eſſe ſollicitus: quorum nullam ſua cauſa curam ſuſcipere neceſſe haberet, idque, ſi modeſta eſt vxor, & commodis moribus: ſin verò nequam, difficilis, & moleſta fuerit, non modò hanc ipſam rem neceſſitatem dicemus, ſed pœnam, atque ſupplicium. Quomodo autem is, tanto negotiorum oppreſſus pon- D dere, grauiſsimis etiam vinculis catenæ ad terram aſsiduè trahentis conſtrictis & colligatis pedibus, (vincula enim vxoris improbitatem appello) quomodo, inquam, cæleſte illud iter, quod ſoluto, & expedito gradu, vacuo etiam ac libero animo ineundum eſt, ſic affectus conficere poterit? Sed quę eſt iſta ſapiens multitudinis oratio, qua nobis reſpondent ad ea omnia, quæ in ipſos diximus?

xlv. Nullũ ijs præmiũ eſſe propoſitum qui ſuper uacaneas excogitãt difficultates.

† Nónne, inquit, maior illi merces debetur, qui in tanta difficultate propoſitum ſibi finem nihilo minus aſſequitur? Quid ita, vir optime, aut quamobrem? Quia maiorem, inquit, propter coniugium laborem ſuſtinet. Quis autem eum tantum oneris ſuſcipere coegit? nam ſi matrimonio coniungi, legi omnino eſt obtemperare, contrà verò, non nubere, legis iuſſa negligere: habet ſpeciem probabilitatis iſta ratio. ſin autem is, cùm iugum connubij minimè ſubeundi poteſtas ipſius eſſet, nemine cogente, vt ſibi illud virtutis certamen moleſtius

redde-

redderet, libens in tantas ſe difficultates induit: nihil id ad certaminis authorem: tantum enim is iuſſit bellum cum diabolo ſuſceptum conficere, & expugna vitiorum referre victoriam. quod ſiue quis iunctus connubio, corporique deſeruiens, deque multis ſollicitus, ſiue exercitus, & excruciatus, ab omni verò alia cura liber, idipſum perficiat: nihil illi eſt cura de reliquo: rationē certè victorię, & viā, quæ ad trophæum ducit, illam ijs eſſe inquit, quæ ab omni terrenarum rerũ cura ſoluta ſit, & libera. tu verò cùm vxore, liberis, & ijs, quæ inde moleſtiæ contrahuntur, impeditus, quod bellum gerere, & pugnare vis, quaſi eadem effecturus, maiorē etiam fructum percepturus, quàm illi, qui nulla earũ rerum implicantur, propterea ſis admirabilis? ſed ſi te in illum excelſum locum quòd illi aſcenderũt, peruenire non poſſe dixerimus, magno fortaſſe nos arrogantiæ crimine condemnabis: verũ exitus ipſe, & coronarum dies tibi illud facile probabit, inani ambitioni multò præſtare certam poſſeſſionem, longeq; eſſe melius parere Chriſto, quā inanibus tuis rationibus commoueri. Chriſtus enim rerum omnium renunciationem ad virtutem aſſequēdam ſatis eſſe negauit, niſi præterea ipſi nos oderimus. tu verò in his omnibus volutatus, te in hoc prælio ſuperiorem eſſe poſſe affirmas? ſed, quemadmodum dixi, tum præclarè intelliges, quātum vxor, curæque de ea ſuſceptæ, ad virtutem conſequendam impedimentum afferant. † Quomodo igitur hanc adiutricem, inquit, appellauit, quæ impedimento eſt? *Faciamus* enim, inquit, *ei adiutorium ſimile ſibi.* Ego contrà abs te quæram, quomodo illa adiutrix, quæ tanta virum tranquillitate priuauit? quæ de admirabili illo paradiſi ſtatu deturbauit, & in huius vitæ perturbationē impulit? hæc enim non modò non ſunt adiutricis, ſed eius, quæ hoſtilem in modum inſidiata fuerit. *A muliere* enim, inquit, *initium factum eſt peccati, & per illam morimur omnes.* Ac diuus quidem Paulus, *Adam*, inquit, *nō eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prauaricatione fuit.* quomodo igitur adiutrix illa, quæ virum morti ſubiecit? quomódo adiutrix, cuius vitio filij Dei, vel potius omnes terrarum incolæ vnà cum feris, ac volucribus, cæteriſq; animantibus eluuione perierunt? nónne vxor iuſto illi Iob, niſi is admodum ſe virum præbuiſſet, fuiſſet exitio? non ſua Samſonē perdidit? nónne eò mulier Hebræorum genus adduxit, vt omnes Beelphegor initiarentur, & propinquorum manibus trucidarentur? quis maximè Achab, quis ante eum Salomonem, ſumma ſapientia, & gloria virum, diabolo prodidit? nónne vxorum ſuaſu viri etiam nunc multa apud Deum offendunt? an non iccirco ſapiens ille breuem omnem *malitiam ſuper malitiam mulieris* eſſe teſtatur?

[xlvj. Si ad vitæ perfectionem vxor impedimento eſt, quid ſit quòd eā adiutricē vocent diuinæ literæ. Gen. 2. Eccl. 25. 1. Tim. 2. Eccl. 25.]

Quonam igitur pacto, inquit, Deus illud dixit, *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi?* neque enim mentitur Deus. numquam enim ego auſim id dicere, minimè. illa quidem profectò ad hoc creata fuit, verùm dignitatem ſuam retinere noluit, quemadmodum ne propriam quidem vir, conſeruauit. Etenim illum Deus ad ſui imaginem, & ſimilitudinem finxerat: *Faciamus* enim, inquit, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: quemadmodum illud etiam dicit, *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* quibus ille præditus, mox amiſit vtrumque: nam neque quod de diuina imagine, neque quod de ſimilitudine ei fuerat impertitum, tutatus eſt. quî enim cui vel inuito, cùm is, importunæ libidini deditus, & fallacibus captus illecebris, minimè voluptatem temperaſſet, omne ornamentum diuinæ imaginis detractum eſt. neq; enim paruam ei Deus poteſtatis partem ademit, qui ipſum cæteris animantibus præpoſitum, quaſi Dominum quempiā formidoloſum, tamquam ingratum ſeruum, qui apud Dominum offendiſſet, in contemptionem ſeruorum adduxit: nam initio vel à beſtijs omnibus timebatur: omnia enim Deus ad eum adduxit: neque illi quidquam vel nocere audebat, vel inſidiari, quippe quòd in eo videbant regiam relucentem imaginem. Simulac verò ſpeciem illam peccati tenebris obſcurauit, Deus hominem de imperij ſtatu deiecit. Vt igitur, quòd in omnes terrenas animantes is non tenet imperium, quin etiam tremit nonnullarum timore perterritus, propterea Dei ſententiam illam, Dominentur beſtijs terræ, falſam id eſſe non arguit: non largientis voluntate, ſed accipientis culpa illa tum deminutio facta eſt: ſic, quæ viris inſidiæ comparantur ab vxoribus, nihil illis verbis officiunt, Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. vt enim illud efficeret, mulier creata fuit, at non in eo manſit. Sed illud præterea dici poſſit, ad huius vitæ conſeruationem, ad liberorum procreationem, naturalemque libidinem quātum ea adiumentum afferat, nobis oſtendi. Sed cùm & huius vitæ, & propagandæ ſobolis, omne coniunctionis tempus abierit, quid hic mihi adiumentum iſtud fruſtra commemoras? nam eam, quæ minimis tantum in rebus poſſit opitulari, ſi quis in magnis etiam negotijs adiutricem adhibeat, non modò ſibi nihil profuerit, ſed etiam curarum impedimentum accerſierit.

[Gen. 2. Ibidem.]

† Quid autem Paulo, inquit, ad illud reſpondebimus? *Vnde enim ſcis mulier, ſi virum ſaluum facies?* aut quid ad ea dicemus, cùm ipſius adiumentum in ſpiritalibus etiam neceſſarium eſſe demonſtrat? Iſtud & ego fateor: non enim omnino eam à ſpiritali ſocietate remoueo, non: quin eam laudem tum aſſequi affirmo, cùm res, quæ pertinent ad connubium, non agit, ſed muliebri ſexu ad virtutem ſanctorum virorum peruenit: non enim, cùm fuco oblinitur, cùm luxurioſè viuit, cùm certas à viro penſiones exigit, cùm ſumptuoſa, cùm prodiga eſt, illis moribus ad ſalutem virum perducere poterit, ſed, cùm infra ſe habens humana omnia, vitamque exprimens Apoſtolorum, ſummam cùm probitatem, ac modeſtiam, tum pecuniæ deſpicientiam, tolerantiamque præ ſe fert, tunc ipſum poterit trahere in ſuam ſententiam, cùm dicit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*, cùm hæc vita & moribus oſtendit, ac corporis irridens interitum, vitam hanc nihil eſſe dicit, cùm omnem rerum humanarum gloriam ex ſanctiſſimi Prophetæ ſententia pro fœni flore putat. Non igitur vxor, quia cum viro coniungatur, virum ſeruare poterit, ſed euangelicæ vitæ ratione, & inſtituto: ſiquidem id nullo iunctæ connubio multæ mulieres effecerunt: nam Priſcilla Apollo, inquit, aſſumpto, eum in omnem viam veritatis induxit. quòd ſi id nunc vſu non venit, vt idem ſtudium mulieres adhibeant, & hũc ex ſe fructum edant, non tamen illa, queamadmodum dicebam, quia vxor eſſet, hominem allexit: ſiquidem nihil prohibeat, quemquam eorum, qui fideles vxores habent, in infidelitate permanere, quandoquidem connubium, & coniunctio per ſe rem perficeret. at non eſt ita, non inquam ita eſt, ſed optima viuendi ratio, ſumma tum patientia, tum eorum contemptio, quæ coniugio attributa ſunt, perpetuuſque huius vſus operis efficiet, vt eũ ſeruet, qui cùm eſt matrimonio copulata, quòd ſi permanſerit in cupiditate, & ſtudio eorum, quæ ad vxores attinent, non modò non ipſi adiumento, ſed etiam detrimento fuerit. quantam autem vel ita res habeat difficultatem, ex Paulo cognoſce. Vnde enim, inquit, ſcis mulier, ſi virum ſaluũ facies? quo nimirum interrogandi genere in ijs, quæ præter opinionem accidunt, vti conſueuimus. ſed quid præterea adijcit? *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem. ſolutus es ab vxore? noli quærere vxorem.* Vides, quā frequenti tranſitione vtatur? quantam identidem ad vtrumque adhortando vtriuſque temperationem adhibeat? vt enim in ijs, quæ de connubio differuit, excitans auditorem, continentiam

[xlvij. Quomodo virum adiuuet vxor in ſpiritualibus rebus. 1. Cor. 7. 1. Tim. 6. Act. 18. 1. Cor. 7.]

inter-

Digitized by Google

interpoſuit: ſic hoc loco etiam de continentia loquens, vt idem interdũ reficeretur auditor, rurſus coniugium introducit: à virginitate exorſus eſt, ac priuſquam de ea diſſeret, ſtatim ad nuptias refugit. quod enim dixit, *Præceptum non habeo*, eo conceſſit, & introduxit & connubium: deinde ad virginitatẽ ingreſſus, atque ita locutus, *Exiſtimo hoc bonum eſſe*, quia animaduerterat, ſi virginitatis nomen ſæpius inculcaretur, id ijs, quorum eſſet faſtidioſior aurium ſenſus, moleſtius futurum, minimè frequens illud adhibet: quin, etiamſi ſatis cauſæ attulerat ad ſolatium laborum, qui propter eam rem ſuſcipiũtur, cùm inſtantem dixit neceſſitatem, neque ſic tamen rurſus vti vocabulo virginitatis eſt auſus: ſed quid? *Bonum*, inquit, *homini ſic eſſe*. ne id quidem verbo exprimit, verùm præcidens, abſcindens orationem, antequam rei acerbitatẽ aperiret, ſermonem illum intulit de connubio: *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem*. quod niſi ita eſſet, numquã adductus fuiſſet, vt hic eiuſmodi ſolatium excogitaret, quòd eſſet ſuperuacaneum, in conſilio de virginitate de coniugio diſputare. deinde iterum ad virginitatem redit: ac neque hic etiam ſuo rem nomine appellat: quid verò inquit? *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*. Sed ne verearẽ? non decreto id Paulus, non lege ſanciuit. nam vt hunc timorem eriperet, quæ de virginitate dixerat, eiuſmodi ſermone de nuptijs ſubſecutus eſt: *Sin autem acceperis vxorem, non peccaſti*. Sed ne in eo quidem concides: rurſus enim te ad virginalem caſtitatem reuocat. Simile. Atque hæc eſt huius orationis ſententia, eos qui connubio dent operam, magnam corporis moleſtiam ſuſtinere: vt enim boni, & lenes medici cùm acriori medicamento vti, & ad ſecandum, aut ad vrendũ venire, aut omnino eiuſmodi aliquid ægroto volunt adhibere, haudquaquam hæc omnia ſimul efficiunt, ſed interuallo medentes, ægrum reſpirare patiuntur, & ita reliqua identidem adijciũt: ſic diuus Paulus neque ſine interuallo, neque vniuerſè, neque omnino ordine ſententiam de virginitate contexuit, ſed frequenti connubij commemoratione interrumpens, atque ita rei moleſtiam occultans, illud eſt aſſecutus, vt & iucundior, & gratior eſſet oratio. Atque hæc eſt cauſa permiſtæ in hac diſputatione varietatis. reliquum verò eſt, vt verba etiam illa perpendamus: *Alligatus es*, inquit, *vxori? noli quærere ſolutionem*. quod non tam valet ad conſilij dandi rationem, quàm ad proponendã difficultatem, & ad iudicandos laqueos, vnde nullo te modo expedire poſſis. quid enim non dixit: Habes vxorem? ne dimiſeris: viuis cum illa coniunctè? ne ab ea diſtraharis: ſed vtriuſque coniunctionem vinculum appellauit, vt, quantum haberet res oneris, demonſtraret. nam cùm omnes inhient connubio, tanquam optabili cuipiam, & expetendo bono, ab ijs, qui inter ſe colligati ſunt, coniuges nihilo differre oſtendit. nam hic etiam, altero trahente ad eius arbitrium, alterum ſequi neceſſe eſt, ſeditioſo item altero, alterum vnà cum eo interire oportet. Quid ſi vir, inquit, procliuior fuerit ad libidinem, ego verò continens eſſe voluero? Eſt omnino eius obſequendum cupiditati. etenim, niſi id tua voluntate feceris, te iniecta per coniugium vincula ad eam attrahent, cumque ipſo congregabunt, qui tibi initio aſtrictus eſt. quòd ſi reſtiteris, nodumque incideris, non ſolùm te non exemeris è vinculis, ſed extrema ſupplicia ſubibis.

xlviij. Vxorem quę ſe cõtra viri voluntatem continuerit, ſi vir flagitium fecerit, eius flagitij pœnas dare.

† Quæ enim ſe contra viri voluntatem cõtinuerit, non eo ſolùm præmio priuatur, quod eſt continẽtiæ propoſitum, ſed etiam rationem reddet eius adulterij, vel potius ipſius pœnam ſuſtinebit. quãobrem tandem? quia virum illa impulit in eam flagitij voraginem, quòd ei legitimæ coniunctionis fructum denegarit. Quod ſi vxori ne ad punctum quidem temporis, nolente viro, facere permiſſum eſt: quæ ei venia dabitur, quæ ipſum perpetuò pri-

A uat eo fructu iucunditatis? ſed quid, inquit, hac neceſſitate, quid hac vi grauius poſſit accidere? Iſtud ego etiam tibi aſſentior: ſed quid eſt, quamobrem eam tantæ aſtringis neceſſitati? priuſquam nuptiæ coniungerentur, non illis coniunctis hac ratione vti oportuit. Quamobrem etiam Paulus poſt coniugij vincula, coniunctionis eius neceſſitatem imponens, de diſiunctione loquitur: nam cùm hoc dixiſſet: *Alligatus es vxori? noli quærere ſolutionem*, tum illud adiunxit, *Solutus es ab vxore? noli quærere vxorem*. quod iccirco fecit, vt, cùm, quantam vim habeat coniugium, diligenter conſideraris, atque perſpexeris, tum faciliùs audias, quæ de colenda caſtitate dicantur. *Si enim nupſeris*, inquit, *non peccaſti*. illud etiam, *Si nupſerit virgo, non peccauit*: vide quàm præclarum huic matrimonio finem proponit, vt vitet vituperationem, admirationem non habeat: hæc enim eſt propria virginitatis. nam qui duxerit vxorem, ſatis habeat illud audire, ſe nihil ea re peccare. Quid igitur hortaris, inquit, B me, ne vxorem expetam? Quòd ſemel alligato nulla vnquam poſtea tibi inde explicandi te facultas datur, quod ſummum præterea habet angorem. Sed, quæſo, ſolũne id boni eſt ex virginitate, quòd eius cultu homines angorem effugiunt? at quis, vt virginitatem colat, his propoſitis præmijs adducetur? cuius verò patientiæ illud erit, in maximum hoc certamen, ſudoriſque pleniſſimum, hac tantum mercede deſcendere?

xlix. Cur præſentibus voluptatibus ad virginitatẽ adhortetur.

† Quid ais? me ad pugnam dæmonum inuitas: (*non enim eſt nobis luctatio cum ſanguine, & carne*) Ephes. 6. vt contra naturæ furorem reſiſtam, adhortaris: ſuades, vt carne, & ſanguine coagmentatus eadem aſſequar, quæ mentes efficiunt incorporeæ: & nunc terreſtrium meminiſti bonorum? vt affirmes nos expertes coniugij, nullam moleſtiam habituros. Sed quamobrem illud non dixit, Virgo, ſi nupſit, non illa quidem peccauit, ſed ipſa ſe virginitatis corona priuauit, nempe magnis muneribus, inexplicabilibus? Quid verò Math. 25 C bona non expoſuit ea, quæ, certamine confecto, ipſis ſunt reſeruata? quomodo ſponſo obuiam prodeunt, quomodò fulgentes geſtabunt lampades, quomodo glorioſè admodum, fidenterque vnà cum Rege ſponſo in thalamum introeant, quomodo ad regium ſolium accedentes omnium maximè fulgeant? At de illis ne verbum quidem fecit, paſſim verò meminit vacuitatis moleſtiarum, quas vita hæc habet. *Exiſtimo*, inquit, *hoc bonum eſſe*: &, omiſſa cauſa futurorum bonorum, *Propter inſtantem*, inquit, *neceſſitatem*. Deinde iterum inquit: *Si nupſerit virgo non peccauit*. ac, cæleſtibus muneribus, quibus eam priuauerat, ſilentio præteritis, *Tribulationem carnis*, inquit, *habebunt huiuſmodi*, neque verò hactenus id facit, ſed vſque ad finem perducit orationis: neque rem etiam ſuadet propoſita ſpe futurorum bonorũ, ſed iterum ad eanD dem refugit cauſam: *Tempus*, inquit, *breue eſt*: atque eius loco ſermonis. Volo, vt ſplendor veſter in cælo luceat, & vti magis eluceatis, quàm qui connubio iuncti fuerint, rurſus terrena commemorat, *Volo*, inquit, *vos ſine ſollicitudine eſſe*. Nec verò id ſolùm hoc loco facit, ſed de tolerantia differens, hanc ipſam inijt conſilij dandi viam: *Si*, inquit, Rom. 12 *eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi*: ac tantam rem imperans, naturæque neceſſitati vim iubens afferre, & ita intolerabilem rogum ſuſtinere, in ijs, quæ de præmijs dicuntur, vt cælum, & cæleſtia bona ſilentio tranſiens, mercedem definit eius incommodo, qui intulit iniuriã: *Ita enim*, Ibidem. inquit, *carbones ignis congeres ſuper caput eius*. Quid autem hac cohortandi ratione vſus eſt? non inſcitia, neque quòd ignoraret quomodo auditor allici, aut perſuaderi deberet, ſed quod omnium maximè hanc ipſam virtutẽ, perſuadendi inquã facultatẽ aſſecutus eſſet. Vnde id apparet? ex ijs, quæ ab ea dicta ſunt. quomodo? quáve id ratione? ad Corinthios

Digitized by Google

thios loquebatur: (primùm enim dicemus de ijs, A quæ de virginitate diſſeruit) ad Corinthios, inquã,

1.Cor.1.

loquebatur, apud quos *ſe nihil ſcire iudicauit, præter Chriſtum, & eum crucifixum*: quibus cum agere tamquam cum ijs, qui rebus cæleſtibus dediti eſſent, minimè potuit: ac, quòd qui hærerent in corpore, & in cura terrenarum rerum eſſent defixi, lac etiã tum illis adhibuit: ad quos cùm illa mitteret, ſic eſt locutus:

1.Cor.3.

Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis: ſed ne nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis. Icciréo terrenarum rerum commemoratione, & eorum quæ ſub oculos, & ſenſus cadunt, eos & ad virginitatem cohortatur, & à coniugio deterret. præclarè enim intelligebat, humiles, humíque ſtratos, & adhuc in terra defixos, ſic terreſtribus rebus erigi faciliùs, & adduci poſſe. Quî enim, cedo, pleriq; eorum, qui rudi adhuc, tardóque admodum ſunt ingenio, tam in minimis, quàm in maximis rebus audacter per Deum iurant, ac peierant, in capite verò liberorum ne iurare quidem audent? & quidem B multò maius illud periurium, multò etiam maior periurij pœna: ſed tamen hoc iureiurando magis, quàm illo, commouentur. vt verò inopi ſubueniãt homines, non tam cæleſtis regni pollicitationibus (quamquam illis vocibus eorum aures aſſiduè perſonant) adducuntur, quàm ſi aliqua vel liberorum, vel eorum ipſorum vitæ vtilitatis ſpes proponitur. tunc itaque eiuſmodi miſericordiam largè impertiunt homines, cùm ex diuturno aliquo morbo conualuerint, cùm periculum effugerint, cùm potentiam, ac principatum aliquem conſecuti fuerint: & omnino maximam hominum partem ijs, quæ ante pedes ſunt, magis moueri reperias: in ſecundis enim rebus magis hæc mouent: in aduerſis verò plus terroris eſt, quò propiora ſunt ſenſui. icciréo & ad Corinthios ita locutus eſt, & Romanos cõmemoratione præſentium rerum ad tolerantiam erudiuit. nam qui imbecillo eſt animo, ſi iniuriam acceperit, non tam facilè iracundiæ C dolorem deponit, cùm de regno audierit, aut cùm in maximorum ſpem bonorum inciderit, quàm eius ſpe ſupplicij, qui iniuriam fecerit. itaque cùm vellet fibras memoriæ iniuriarum extirpare, & omnino libidinem puniendi eius, qui læſiſſet, exhaurire, illud elegit, quod adhibitum ad conſolandũ eum, qui accepiſſet iniuriam, magis accommodatum eſt: nõ adimit illi ſpem mercedis in cælo conſtitutæ, ſed tamen ipſum interea, quoquo modo poteſt, in ſapientiæ viam deducere, & ei gratiæ fores patefacere ſtudet. nam virtutis principia difficillima illa quidem, progreſſio verò ad virtutem non ita laborioſa eſt. At non id fecit Dominus noſter Chriſtus, neque cùm de virginitate, neq; cùm de tolerantia diſſeruit: ſed in illis quidem cæleſtis

Matth.19

regni meminit: *Sunt enim, inquit, eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*: cùm verò ad pre- D ces pro inimicis faciendas cohortatur, neque de incommodo eorum, qui læſerunt, mentionem facit, neq; candentium carbonum, ſed, illis omiſſis omnibus, quæ in eam orationem conueniunt, quæ ad parui, & anguſti animi, calamitoſóſq; homines habeatur, maioribus eos ipſe præmijs inuitat: qui-

Matth.5.

búſnam? *Vt ſitis, inquit, ſimiles patris veſtri, qui in cælis eſt.* Vide, quantum præmium proponatur: horum enim auditores fuerunt Petrus, Iacobus, Ioannes, & reliquorum Apoſtolorum chorus: quamobrem cæleſtibus eos præmijs inuitat. Quod Paulus etiam ipſe feciſſet, ſi ei cum huiuſmodi hominibus fuiſſet negotium. Quòd autem ad Corinthios rudiores loqueretur, ipſis fructus laborum iam nunc repræſentat, quò ad colendam virtutem alacriores veniant. Idcirco Iudæos etiam, promiſſis regni cæleſtis omiſſis, terrenis bonis alliciebat Deus: pro malis verò actionibus non æternum ignem, ſed præſentes eis calamitates minabatur, famem, peſtilentiam, morbos, ſeruitutem, bella, & alia eius generis: his enim homines, qui magis hærent in corpore, magis commouentur: quæ verò neque videntur, neque adſunt, neque mouentur minus. quamobrem Paulus etiam diutius in ijs moratur, quę maximè eorum tarditatẽ mouere poſſunt. Adde, quòd illud oſtendere voluit ex alijs bonis, quædam vt aſſequamur, multis nos in vita laboribus exerceri, fructum autem omnem in futurum tempus referuari, virginitatem verò, dum colitur, nõ leuia nobis præmia tribuere, quæ tot, tantiſque nos laboribus, ac moleſtijs liberet: Accedit eò, quòd tertiũ quoddam comprobari vult. quidnam id eſt? virginitatem non ex earum rerum haberi numero, quas adipiſci non poſſimus, ſed ex illis eſſe, quæ maximam habent † facultatem. Id autem facit, cũ multis partibus plures ineſſe docet in coniugio difficultates, tamquam ſi diceret: Grauis tibi videtur huius rei cultus, & laborioſus? ego verò virginitatem propterea colendam cenſeo, quòd tantam eã facultatem habet, vt multò minus, quã coniugiũ, negotium nobis exhibeat: quòd veſtri miſereor, inquit, & moleſtia liberos eſſe volo, icciréo vti coniugio abſtineatis, vobis author ſum. At quæ eſt iſta moleſtia, dixerit fortaſſe quiſpiam? negamus verò nos, qui ſummam & quietem, & deliciarum vim in coniugio reperimus. Ac primum omnium, habere omnem libertatem explendę libidinis, nullamque naturalis impetus vim perferre, non parũ momenti habet ad vitæ tranquillitatem: deinde mœrore, ſqualoreque remoto, à reliqua vitæ conſuetudine, eſt etiam alacritatis connubium, riſuſque & lætitiæ refertum. etenim & ſumptuoſis mẽſis, & molli veſtitu, & lecto molliori, & perpetua lauatione, & vnguentis, & vino nihilo deterius, quàm ſint vnguenta, concinnato, & alijs multis, varijſque ſumptibus coniuges corporibus indulgentes, in magna luxuria & voluptate verſantur. † Primùm verò ne iſta quidem connubio permiſſa ſunt. nobis enim concubitus modò facultatem dare ſolet, luxuriæ licentiam non item: quod hiſce verbis Paulus teſtatur: *Quæ luxuriatur, viuens mortua eſt.* Quòd ſi de viduis hæc dicta ſunt, audi quæ de nuptis præterea dicantur: *Similiter & mulieres in habitu ornato cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veſte pretioſa, ſed, quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* At non hîc modò Paulum, ſed alibi etiã multum de eo ſermonem habere videas, in his rebus tantum ſtudij omnino ponendum non eſſe: *Habentes*, inquit, *alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in deſideria inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Sed quid dico Paulum? qui, cùm iam perfectè viuendi rationis maturitas veniſſet, & ſumma ſpiritus gratia diffuſa eſſet, iſta dicebat. Amos enim propheta cũ ad rudes Iudæos loqueretur de ijs, quibus & deliciæ & luxuria, & omnia ferè ſuperuacanea permiſſa eſſent, audi, vt in eos qui delicatè viuunt, inuehatur: *Væ vobis, qui properatis ad diem malam, & falſa ſabbata coitis, qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis hædos de gregibus, & lactentes vitulos de medio armentorum, qui plauditis ad cantum organorum, vinum purum bibentes, & optimis vnguentis delibuti: quæ vt ſtabilia, non vt fugacia, exiſtimarunt.* † Quemadmodũ autem diximus, primùm luxurioſè viuere minimè permiſſum fuit: quòd etſi nihil horum vetitum eſſet, verùm nobis concederentur omnia, tamen eſt alia quædam triſtitiæ, doloriſque ratio, quæ æquè valeat, vel potius maior, & grauior ſit, quòd ne minimam quidem voluptatis partem ex illis capere patitur, ſed omnem inde iucunditatis ſenſum excludit. † Cedo enim ſi quis natura propenſior ſit ad eam ægritudinem, quòd alterum quoque vxore ſua potiri ſuſpicetur, etiã ſi falſa aliqua ſpecie eo morbo correptus

Margin notes (right column): facilitatẽ — L. Et veteri & nouo teſtamento iniquũ eſſe luxurioſè viuere. 1.Tim.2. — 1.Tim.6. — Amos 6 — LI. Etiam ſi luxurioſè viuere permiſſũ ſit, tamen cõiugij moleſtijs omnem illã tolli voluptatem. — LII. Quantũ ſit zelotypia, id eſt obtrectatio, malũ

Digitized by Google

reptus ſit, quid eiuſmodi homine miſerabilius eſſe poſſit? quod prælium, quam tempeſtatem cum huiuſmodi ſuſpicione, vel furore comparantes, eius imaginem perfectè conſequi poterimus? omnia doloris, omnia ſuſpicionis, omnia ſeditionis, ac perturbationis referta ſunt. cùm verò eo furore corripitur, nihilò melius afficitur, quàm qui aut agitantur à dæmonibus, aut mente capiuntur: adeò continenter effertur & inſultat, ſtomachaturque omnibus, in obuium omnino, & innocentiſſimum quemque ſemper exercet iracundiam, ſiue is ſeruus ſit, ſiue filius, ſiue quicunque alius: voluptas autem omnis excluditur, angorum, moleſtiarum, lacrymarumque plena ſunt omnia: etiamſi domi ſe contineat, ſi in publicum prodeat, ſi peregrinetur, vbique malis tentatur, quæ quouis aculeo grauius eius animum mordent, ac ſtimulant, neque ipſum vllam quietis partem capere patiuntur. neque verò morbus is triſtitiam ſolùm, ſed etiam iram intolerabilem ingenerare ſolet. Atque hæc vel per ſe ſingula captum perdere queunt. cùm verò concurrunt omnia ad hominem aſſiduè opprimendũ, & affligendum, neque ei minimum dant reſpirandi locum, quo non id eſt mortis genere calamitoſius? nam vel ſi ſummam quis egeſtatem commemorarit, ſi morbum inſanabilem, ſi ignem, ſi ferrum, nihil illi par attulerit. atque id tantum ij, qui ſunt experti, bene nouerunt. nemo autem oratione complecti poſſit mali huius incredibilem magnitudinem: cùm eam vir, quam omnium maximè charam habet, pro qua libenter etiam animã profunderet, ſuſpectam ſemper habere cogatur, ecquid illi ſolatio eſſe poteſt? ſiue enim ſomnum, ſiue cibum capere, ſiue ei bibere neceſſe ſit, non tam cibi menſam, quàm peſtiferi veneni refertam putabit. In lecto verò ne punctum quidem temporis tremore vacuus eſt, ſed tanquam candẽtibus ſubiectis carbonibus, ſic tumultuatur, ſeque verſat in omnes partes, quem neque amicorum conſuetudo, neque negotiorum cura, neque timor periculorum, neque exuperantia voluptatis, neque aliud quidquam ab eiuſmodi tempeſtate poteſt abducere, ſed omni vel commodorum cura, vel incommodorum ſollicitudine violentior ea procella hominis animum opprimit. Quæ cùm animaduertiſſet Salomon. *Dura*, inquit, *ſicut infernus æmulatio*. Et idem: *Aemulationis enim plenus eius viri animus non parcet in iudicij die, nec vllo pretio inimicitias deponet, neque multis muneribus placabitur*. Ea enim morbi huius inſania eſt, vt neque ſumpto de eo ſupplicio, à quo læſus ſit, dolorem æger abijciat. itaque multi, adultero ſæpe ſublato, neque iram, neque angorem tollere potuerunt. Sunt qui etiam, vxore iugulata, iidem manſerint, vel maiori etiam rogo conſumpti ſint. Ac vir, etiamſi nihil eorum verum repererit, in his tamen viuit miſerijs. Multò autem grauiora, quàm ea ſint, quæ vir ſuſtinet, perfert miſera, & infelix vxor. Cùm enim eum, qui ſe in omnibus moleſtijs conſolari deberet, & à quo defenſionem expectare oportebat, immaniorem in ſe, atque omnium ſibi inimiciſſimum eſſe videat, quid reliquum ſpectare poſſit? aut ad quem confugiat? vbi, præcluſo portu, & innumerabilibus molibus oppoſitis referto, malorum finem reperiat? tum etiam iniquioribus vtitur ſeruis, & ancillis, quàm viro. cũ enim ſuſpectum per ſe, & ingratum eſt hoc hominum genus: tum verò, ſi ad maiorem licentiam peruenerint, & dominos inter ſe diſſentire intellexerint, magnam ad inſolentiam cauſam ſumunt illorum diſcordiam. Etenim illis per ſummam licentiã addere, afferre de ſuo, & comminiſci licet, quæcũque voluerint: tum quoque ſuis criminationibus maiorem dant materiam ſuſpicioni. nam vt ſemel animus graui hoc morbo occupatus eſt, facilè credit omnia, & æquè ſe præbet attentum omnibus, vt qui calumniatorem à veraci dijudicare nequeat, quin etiam eiuſmodi homines eos certiores authores habent, qui ſuſpicionem maximè augent, quàm qui eam imminuere ſtudent. ſic illi reliquũ eſt, vt contubernales omnes non ſecus, ac fugitiuos ſeruos, & eorum vxores neceſſariò timeat, & horreat, quibus ſuo cedit loco, contraque ipſa eorum ſuſcipit conditionem. quod illi tandem à lacrymis tempus vacuum fuerit? quæ nox? quæ lux? qui dies feſtus? quando libera à gemitu, à fletu, à lamentationibus eſſe poterit? vndique minæ, contumeliæ, conuitiaque iactantur, tum à viro ſine cauſa timent, tum verò ab impuris ſeruis, cuſtodes, primi alteri ponũtur. omnia denique timoris, & tremoris referta. non enim aditus ſolũ, aut exitus curioſius obſeruantur, ſed in verba etiam, in aſpectum, in ſuſpiria ſtudioſiſſimè inquiritur. Atq; illam oportet vel ſaxo immobiliorem cuncta ferre ſilentio, & grauiorem in modum, quàm qui vinculis conſtricti ſunt, in thalamo hærere perpetuò, vel, ſi loqui, & ingemiſcere, aut exire velit, omnium rationem reddere, cauſamque apud corruptos illos iudices dicere, ancillas, inquam, multitudinemque ſeruorum. Inter hæc mala ſi infinitam vim diuitiarum, ſi menſas cõquiſitiſſimis cibis extructas, ſi ſeruorum greges, ſi ſplendorem nominis, ſi magnam potentiam, ſummamque gloriam, ſi maiorũ claritatem, & amplitudinem ponere velis: ſi nihil omnino relinquas eorum, quæ expetendam vitam videntur efficere, ſed omnibus vnum in locum diligenter collatis, & cum hac moleſtia comparatis: ne apparebit quidem vlla earum rerũ ſpecies voluptatis, ſed quemadmodum in ingens aliquod pelagus paruam incidentem ſcintillam, ſic illam interire par eſt. Hęc autem ita ſunt, cùm eã vir habet ſuſpicionem. Si quãdo verò inciderit vxor in eiuſmodi perturbationẽ, (neque enim id rarò ſolet accidere) vir quidẽ facilius eam perferet, quã vxor: plus autem doloris rurſus ad illam miſeram redũdabit. neque enim iiſdẽ armis in eum, qui ſibi ſuſpectus ſit, vti poterit. nã quis id tulerit, vt ſuæ vxoris iuſſu domi perpetuò cõmoretur? aut quis è ſeruorum numero in domino curioſior eſſe audeat, vt continuò in voraginem non demergatur? non igitur his machinationibus ſe ipſa conſolari, neq; iram querimonijs euomere queat. nam vt illam vir ſemel fortè, aut iterum conquerentem ferat, ſic, ſi nullum fecerit querendi finem, citò eam doceat præſtare, id ferre ſilentio, ac dolore tabeſcere. Et hæc quidem de ſuſpicionibus. Sin autem à veris cauſis fortè ea perturbatio proficiſcatur, vxorem è viri læſi manibus eripiet nemo: quinetiam is, legibus ſuffragantibus adductam in iudicium omniũ ſibi chariſſimam coniugem iugulabit, ac vir quidẽ legum pœnam effugit, at è ſuperiore loco Dei iudicio condemnabitur. At non ſatis id eſt ad illam miſeram conſolandam: quin diuturnam aliquã, ac miſerandam mortem ſubire neceſſe habeat, nempe vt cantionibus tollatur, aut veneficijs, quæ à meretricibus comparantur. Sunt qui ad eas perdẽdas, quibus iniuriam impoſuerant, ne inſidijs quidẽ indiguerint. id enim illæ occupantes, doloris grauitate perierunt. Quamobrem etiamſi viri omnes alacriores ſint ad expetenda connubia, mulieres tamen ea ſequi non oporteret. non enim id dixerint, in ſe tantam ineſſe vim libidinis, vt neceſſariò cogantur. & maiorem inde partem incommodorum, quemadmodum demonſtratum eſt, trahunt mulieres. Num igitur, inquit, hæc in omnibus inſunt nuptijs? At ne ab omnibus quidem abſunt, ab omni certè virginitate vel longiſſimè remota ſunt. Ac nupta quidem, vt in hoc malũ non incidat, tamen in mali metum incurret. non enim ea, cui cum viro viuendum eſt, in illa conſuetudine non poteſt reputare, ac timere mala omnia. Virgo autem non ſolùm à rei moleſtia libera eſt, ſed etiã à ſuſpicione. At iſta non ſunt in omni connubio.

Cant. 8.
Prouer. 6

Ne id

Ne id quidē ipſe dico. Verùm vt hæc illi nō inſint,
aliæ multæ inerunt moleſtiæ: ac, ſi quis illas effuge-
rit, haud tamen omnia omnino poterit euitare. aç,
quemadmodum cùm in dumeti tranſitu ſpinæ ali-
cuius veſtibus adhæſerunt, ſi is, vt vnam vellat, in
aliquam ſe partem conuerterit, multis alijs com-
pungitur: ſic in re vxoria, qui hoc effugerit, illo
læditur: qui verò illud euaſerit, ad aliud offendit:
nullum denique omnino moleſtiæ expers coniu-
gium reperias. Verū, ſi videtur, ijs aliquando omiſ-
ſis, quæ moleſta ſunt, quod in hoc ipſo feliciſſimū
iudicatur, quodque plerique ſæpe, vel potius om-
nes precibus expetunt, idipſum in medium profe-
rentes, in præſentia perpendamus. Quid ergo eſt?
vt pauper aliquis, humilis, & abiectus, ex ampla, &
potenti familia, pecuniaque affluenti vxorem du-
cat. at hoc ipſum contempti illius homini optatum
non minus calamitatum habere reperias. eſt enim
alioqui ſuperbia elatum, & impotentius mulierum
genus, ob eamque cauſam magis etiam perturba-
tionibus propoſitum. cùm verò multas ſuperbiæ
occaſiones habent, nihil eſt, quod præterea illas
in officio contineat. ſed quemadmodum, vbi ſyl-
ua aliqua concepit ignem, flamma in ſublime fer-
tur: ſic ipſæ elatæ incredibiliter & ordinē peruer-
tunt, & ſumma infima faciunt. neque enim virum
principatum tenere patitur vxor, &, qua eſt cōtu-
macia & arrogantia, illo de ſuo gradu deiecto, de-
truſoque in locum ſibi congruentem, eum ſubie-
ctum eſſe vult, ipſaque dominatum & imperium
occupat. Quid ergo hac peruerſitate peius eſſe po-
teſt? Ac mitto conuitia: taceo contumelias: præte-
reo moleſtias: nihil ex omnibus rebus eſt intolera-
bilius. † Sin autem dixerit quiſpiam: (id enim de
multis audiui tum, cùm iſta de re ſermo haberetur)
ſit modò copijs, atque opibus affluens, nihil erit
negotij eam continere, aut ipſi ſuperbiam excu-
tere. Si quis igitur iſta dixerit, primùm ignorat id
ex eorum eſſe numero, quæ magnam habent diffi-
cultatem: deinde, vt ita ſit, non parum id detrimē-
ti habet. quòd enim illa timore, ac vi in poteſtate
viri eſſe cogitur, id viro grauius eſt, ac moleſtius, quā
ſi ipſa omnem imperandi poteſtatem haberet. quid
ita? quia omnem ipſa amorem mutuum, ac volup-
tatem eijcit ex animo vis. ſublata autem amicitia,
remoto ſtudio, metu, ac neceſſitate illorum locum
occupantibus, quid eiuſmodi coniugio ad dignita-
tem reliqui eſſe poteſt? † Et hæc quidem de vxo-
re locuplete. ſin verò vſu veniat, vt egeat, ipſa,
vir autem abundet, pro vxore erit ancilla, & quæ
libera ſit, pro ſerua habeatur, amiſſaque propria
libertate, nihilo meliore ſit conditione, quàm qui
pecunia empti fuerint. Quin etiam, ſi intempe-
rans ille, ſi vinolentus eſſe voluerit, etiam ſi turbā
impudicarum mulierum in eius cubile deduxerit,
libenter iam omnia ferat, vel domo ipſa excedat,
neceſſe eſt. Neque verò ſolùm hoc moleſtiæ ha-
bet, ſed viro ſic affecto, nec ſeruis, nec ancillis libe-
rè quidquam poterit imperare, ſed, perinde quaſi
cum alienis vitam agat, & fert quæ non ſunt ſuæ di-
gnitatis, &, tamquam, apud Dominum potius, quàm
apud virum habitet, ſic omnia per vim & agere, &
pati cogitur. Quòd ſi pari nubere voluerit, rurſus
lege, quæ ſubiectam viro uxorem eſſe iubet, æqua-
litas & par honoris læditur gradus, cùm faculta-
tum modus poſtulet, vt ea cum viro æquetur. quid
igitur eſt, re vndique miſerrima, quod quiſquam
poſſit efficere? Nec verò eſt, vt pauca admodum,
& quæ numero facilè perſequare, connubia profe-
ras, quæ ab ijs incommodis aliena fuerint. non
enim ijs, quæ rarò eueniunt, ſed ijs, quæ ſemper
fiunt, res notandæ ſunt. † Nam hæc virginitati ac-
cidere difficile eſt, vel potius, vt ei accidant, fie-
ri nequaquam poteſt, in coniugio verò haud fa-
cile eſt illa non euenire. quòd ſi in ijs rebus, quæ
ſecundæ videntur, tantæ moleſtiæ, & calamitates
exiſtiunt: quid in illis fieri dices, quas aduerſas eſſe
conſtat? non enim eſt vxor de vna morte ſollicita.
quamquam illi ſemel moriēdum eſt, neque de vna
anima laborat, licet vna prædita ſit, ſed in timore,
& tremore verſatur viri, liberorum, cognatarum
mulierum, ſeruorum præterea cauſa, & quò radix
in plures ramos diffunditur, eò maioribus ipſa cu-
ris afficitur. Atque in illis ſingulis, ſiue iactura pe-
cuniæ facta ſit, ſiue corpus morbo tentetur, ſiue
quid eiuſmodi, quod nolit, acciderit, cædere ſe ipſa,
lamentarique neceſſe habet, non ſecus atque illi,
quibus ea acciderunt. quòd ſi priùs, quàm illa, de-
ceſſerint omnes, intolerabili luctu afficitur. ſin au-
tem eorū partim in vita māſerint, partim immatu-
ra morte obierint: ne ſic quidē ſyncerū quiſpiam
ſolatium reperire poſſit timor enim, quo perterri-
tus eius aſſiduè contremit animus, non minus ip-
ſam de ijs, qui viuunt, quā de mortuis, habet ſolli
citam. quin etiam, quod mirabile dictu ſit, neceſſe
eſt, illorum cauſa magis angatur. leuatur enim tē-
pore dolor is, quem ex morte alterius ceperis: cura
de ſalute viuorum vel perpetua ſit, oportet, vel tā-
tum morte dimittitur. Sin autem domeſticas curas
ferre non poſſumus, ecquam vitā viuemus, cū alie-
nas calamitates lugere cogamur? Multæ autē per-
ſæpe, claris ortæ parentibus, delicatè admodum, ac
molliter educatæ, præpotētibus viris datę in matri-
monium, repente, priuſquàm illis connubijs beatę
iudicari poſſint, caſu aliquo, tamquam commota
procella, aut vento, obruuntur & ipſæ, maloꝝumq;
naufragij participes fiunt, & quæ, antè quàm nube-
rent, innumerabilibus bonis fruebantur, ſimul ac
connubio iunctæ ſunt, in extremam calamitatem
incidunt. Ad hæc, inquies, nec omnibus, nec ſem-
per accidere ſolent. At neque omnes omniū ſunt
expertes. etenim ego quoque viciſſim illud dicam,
id in ſe quoſdam expertos eſſe, quicumque au-
tem rei periculum non fecerunt, eos tamen eiuſ-
dem expectatione eſſe cruciatos: at virgo tum à
re, tum à rei timore libera eſt. † Sed, ſi placet, illis
omiſſis, ea nunc conſideremus, quæ coniugiū na-
tura conſequuntur, quæque nemo vnquam neq;
libens, neque inuitus effugerit. quænam autē ſunt
iſta? dolores, & partus, & infantes. Verùm potius
orationem altius repetamus, & ea, quæ coniugio
antecedunt, quoad eius fieri poteſt, cognoſcamus.
qui enim in ſe experiuntur, ſoli ſubtiliter ea no-
uerunt. Inſtat nubendi dies: itaque continuò varia-
rum concurſus curarum, cui tandem nubat, ne ob-
ſcuro homini, ne infami cuipiam, ne moroſo, ne
fraudulento, aut ventoſo, aut audaci, ne vxoris
cauſa ſuſpicioſo, ne ſordido, aut ſtupido, aut im-
probo, aut duriori, aut effeminato alicui colloce-
tur. neque enim hæc omnia omnibus accidere ne-
ceſſe eſt: at omniū cogitatione, ne accidant, labo-
rare, & eſſe ſollicitas, eſt neceſſe. atque hæc nondū
certo viro, ſed cuius adhuc cauſa ſpe ſuſpenſus, &
incertus animus timet, & horret omnia. ac nihil
eſt horum, de quo non illa cogitationem ſuſpiciat.
Sin dicat quiſpiam, hanc ipſam expectatione eorū,
quæ his ſunt contraria, lætari poſſe: idem bonorū
ſpem non tantum ad lætitiam, quantum ad triſti-
tiam malorum metum apud nos valere intelligat.
bona enim tantum, cùm in ſpe firma ſunt, pariunt
voluptatem: ſola malorum ſuſpicio ſtatim cōfun-
dit & conturbat animum. vt enim mancipijs incer-
tis cuinam ſit domino ſeruiendum, per eam co-
gitationem quieto animo conſiſtere non licet: ſiç
virginum mens totum illud tempus ante coniugiū
inſtar fluctuantis nauigij iactatur, cùm earum quo-
tidie parentes modò hos probent, modò illos rei-
ciant, & ex procis eum, qui ſuperior heri fuerat,
hodie ſuperet alius, & hunc ipſum rurſus eijciat
alius. factum eſt etiam in ipſa quaſi ianua nuptiarū,
vt is, qui certus eſſet ſponſus, inanibus manibus
abiret: illi, qui nulla in ſpe puellam haberet, eam

paren-

Marginal notes:

Simile.

liij. Coniugium diuitum expetendum non eſſe, imò verò pauperū connubio eſſe moleſtius

Simile.

liiij. Vel ſi qui diuitem vxorem in officio cōtinere poſſit, maiorem tamen eum habere moleſtiā.

lv. Intolerabile malū eſſe, locupletiori viro nubere.

lvj. Nuptam magnam doloris neceſſitatem habere.

lvij. De ijs moleſtijs quæ in omni coniugio ſunt.

A parentes darent in matrimonium. Non ſolùm autem mulieres, ſed viri etiam grauibus curis exercentur. Sed enim licet his quantúlibet eſſe curioſis: ſed quî fieri poteſt, vt eius, quæ domo ſepta perpetuò tenetur, vel mores, vel formam diligenter quiſquam poſſit exquirere? Et hæc quidem de tempore conciliandæ affinitatis. Factis autem ſponſalibus, augetur ſollicitudo, nec tā voluptate afficitur, quā timore, ne fortè illo ipſo eius diei veſpere iniucūda viro, ne eius expectationē longè feſelliſſe videatur. nam quæ placuit initio, ſi poſtea diſplicuerit, ferendum eſt: quæ verò ſtatim à principio viſa eſt inſuauis, quando in reliquum tempus in admiratione eſt futura? At ne mihi hoc dixeris: Quid ſi illa formoſa? Ne ſic quidem ſollicitudine vacua fuerit. multæ enim ne eximio quidem ſplēdore, & pulchritudine corporis proprios viros tenere potuerunt, quinetiam ſe illi, relictis vxoribus, ijs mulieribus dediderunt, quæ forma, quàm illæ ipſæ, multò inferiores eſſent. atque huiuſmodi ſoluti cura, B rurſus alia occupantur. nam eas, quæ de ſolutione dotis moleſtiæ ſuſcipiuntur, cū & ſocer, tamquam ſi gratis filiam collocaſſet, ſolutionem ſuſtinet, & ſponſus, quò minus omnem vrgeat exactionem, dotemq; repetat, verecundia impeditur, & vxor in dilatione ſolutionis viri aſpectum vbiq; magis, quàm ingratus debitor, veretur, & erubeſcit, mitto in præſentia. Sed enim his illa cura liberatis, continuò timor accedit, ne decedant ſine filijs. cura præterea procreandæ multitudinis liberorum: quorum etiamſi nihil dum perſpicuum ſit, à principio tamen vtraq; ſollicitudine perturbantur: &, ſi vxor facilè concipiat, tamen cum timore eſt coniuncta lætitia, neque quidquam boni eſt in cōnubio, quod ſit à formidine ſeiunctum. formido autē ea eſt, ne quando & per abortum, quod conceptū erat, intereat, & mulier grauida veniat in extremū vitæ diſcrimen, quòd ſi longum fuerit interuallū. quaſi ſit ipſa domina partus, ſic hiſcere nō audet: C ſub ipſum verò partum laborioſæ illius vterus diſcerpitur, ac dilaceratur doloribus: qui nimirū ſoli tantam vim habent, vt obſcurēt omnia commoda coniugij. Neq; hæc ſatis, ſed multis præterea ſollicitatur curis. miſera enim, & infœlix puella, vel tanta illa dolorum acerbitate diſcruciata, non minore timore torquetur, ne fortè pro ſano & integro debilis & mancus fœtus exiſtat, ne tandem pro mare fœmina in lucem prodeat: etenim ipſas non minus, ac dolor, ea tum ſollicitudo conturbat. neque enim in ijs tantum, quorum culpam ſuſtinent, viros metuunt, ſed in illis etiam, quorum ipſæ cauſa non ſunt, nihilominus eos extimeſcunt, ac propriæ ſalutis curam in tanto periculo abijcientes, verentur, ne quid viro, quod nolit, accidat. Accedunt deinde aliæ curæ de ſalute, & alimentis infantis, qui tum ex vtero elapſus, primam vocem D emiſerit. & ſi ſcitus ſit puer, & in eo fortè indoles virtutis eluxerit, rurſus in timore ſunt parentes, ne quid incommodi accidat filio, ne illi mors inſtet immatura, ne ad aliquam vitæ prauitatem conuertatur. non enim modò ex improbis probi fiunt, ſed etiam mali prauique ex bonis euadunt. & ſi quid eius generis, quod nolit, euenerit, maiorem habet moleſtiam, quàm ſi id initio contigiſſet. Quòd ſi omnia ad virtutem ſtabilia fuerint, tamen certè mutationis morum metus ſemper impendet, qui parentum conturbat animum, & maiorem partem adimit voluptatis. At non omnibus, qui connubio iuncti ſunt, liberos habere contingit. Nónne rurſus alterum confiteris moleſtiæ argumentum? Cùm igitur, ſiue ſint liberi, ſiue non ſint, ſiue probis illis, ſiue improbis, varijs tamen curis, atq; moleſtijs occupentur, quid iam eſt reliqui, quod in coniugio iucundum appellemus? quòd ſi rurſus coniuges concordiſſimè vixerint, rurſum illis timor inijcitur, ne mors dirimat coniūctionis voluptatem. quamquam non id tantùm timore & mali expectatione graue eſt, ſed omnino re ipſa fieri aliquando eſt neceſſe. nemo enim probarit, vtrumq; eodem die moriturū eſſe: quod cùm fieri nequeat, neceſſe eſt ei, qui alteri ſuperſtes ſit, eam vitam agere, quæ morte longè ſit acerbior, ſiue diutius, ſiue parum diu cum coniuge vixerit. nam quò ille maiorem vſum habet, eò maiori dolore afficitur, quòd conſuetudo diuturna diſiunctionem intolerabilem facit. hic verò, antè quàm vim coniunctionis guſtare, & ea ſe poſſit explere, quòd vigente cupiditate orbatus vxore, maiori in luctu, quàm ille alter, verſatur, & tamquam ex cōtrarijs cauſis parem vtriq; moleſtiam trahunt. Quid vero commemoranda ſunt, quæ inter illud coniugij tempus moleſta acciderunt? diuturnæ peregrinationes? coniunctæ inter eos ſollicitudines? morbi? Verùm quid hæc, inquit, ad coniugium? imò verò maximè per huiuſce rei cauſam ſæpenumero multæ vxores in morbum delapſæ ſunt. Etenim affectæ contumelia, & ex eo irritatæ, tum iracundia, tū dolore in magnos febris æſtus inciderunt. quòd ſi præſentibus viris, nihil illis tale cōtingit, ſed perpetuò facilioribus ipſis vtūtur: abſentibus tamē, & peregrinantibus, eiſdē malis circumſidentur. Sed, vt alia huius generis mittamus omnia, & nihil eorū coniugio tribuamus, ne ſic quidem illam inde cauſam remouere poterimus, quam tandem? quòd valentē hominem nihilo meliore conditione, quā ægrotū, eſſe patitur, ſed parem ei, atque ægro dolorem affert.† Vis ergo etiam, his omnibus omiſſis, ea ponamus, quæ iure eſſe non poſſunt, concedamuſque coniugium bonis vniuerſis refertum eſſe, multis, & eiſdem probis liberis, diuitijs, vt pudica ſit vxor, formoſa, prudens, cum viro concordiſſimè ad ſummam viuat ſenectutem, accedat eò ſplendor generis, & magna potentia, neque, quod eſt commune naturæ, metus vllus earum rerum mutationis eam perturbet, ſed omnis cauſa angoris, omnis curarum, & ſollicitudinum occaſio inde excludatur, ac nulla omnino cauſa, ne mors quidē immatura coniugium diſiungat, ſed vt eodē die decedāt omnes, vel, quod multò videtur felicius, ſuperſtites ſibi relinquant liberos, hæredes bonorum, qui parentes ipſos ad extremam eorum ſenectutē ſimul efferant, quem tandem finem conſequentur? aut quid ex tanta illa voluptate commodi, illuc migraturi ſecum afferent? multos filios reliquiſſe, vxorem formoſam habuiſſe, delicijs, alijſq; omnibus, quæ modò commemoraui, vitam ad multam ætatem perduxiſſe, quid id nobis ad illud tribunal. in æternis, & veris rebus prodeſſe poterit? nihil. an non hæc vmbra ſunt, atque ſomnium? Cùm enim futuro illo infinito tempore nullum ab eiuſmodi rebus fructum percipere, nullum inde ſolatiū habere poterimus, eum qui illarum rerum particeps, ab ijs, qui earundem expertes fuerint, nihil differre fatendum erit. neque enim, ſi quis mille annorum ſpatio tantum vna nocte boni aliquid in quiete viderit, meliore illum conditione eſſe dicemus, quā eum, cui tale viſum non occurrerit. Quamquam non dixi, quod volebam: non enim tam à veris rebus ſomnia ſuperātur, quàm hæc terrena ab æternis abſunt. multò enim hæc magis. neque, quam ad mille annos vna nox, eam præſens non futuro tempore comparationem habet. quinetiam hoc multò eſt longius interuallum. At non eſt virgo eiuſmodi, verùm illa multarum mercium referta hinc proficiſcitur. ſed ab initio potius ſermonem conſideremus.† Non neceſſe habet nimis eſſe curioſa in cogitatione & inquiſitione viri: neque veretur, ne quam ſibi is fraudem faciat. Deus enim eſt, non homo, Dominus, non conſeruus. & quidem hoc inter ſponſos diſcrimen eſt. quibus verò coniungantur, animaduerte. Non enim dos huius ſponſæ ſunt mancipia, non agri iugera, non tot,

lviij. Connubiū quāuis omnes moleſtias effugerit, nihil tamē magnum aut amplum habere.

lix. Facilem eſſe virginitatem.

tanta-

tantaque aurea talẽta, ſed cælum, & bona cæleſtia. Accedit eò, quòd, quæ nupta eſt, cùm alijs de cauſis mortem reformidat, tum quòd ſe ab eo ſeiungat, qui cum matrimonij vinculo coniuncta eſt. virgo & exoptat exitum, & vitam ſibi grauem eſſe ſentit, quòd viri os intueri, & eius gloria frui properat.

lx. Virginitatem nullius indigere earũ rerũ, quæ non ſunt in noſtra poteſtate

† Nam, quòd inopem vitam viuat, vt ijs, quæ nuptæ ſunt, id ei nocere non poteſt. quinetiam ſi eam conditionem libenter ferat, ſponſo ſit ob eã cauſam charior, & iucundior, nec quòd humilis ſit, & abiecta, nec, quòd minus formoſa, & pulchra ſpecie, neque omnino ei quidquam huiuſmodi detrimento eſt. quid verò iſta dico? etiam ſi minus fortè libera ſit, ne id quidem illi ad nuptias impedimentum affert: quin ei ſatis eſt animæ pulchritudinem præſtare, & principatum adipiſci. nullus illic obtrectationis metus, nec eſt, quòd doleat alterius inuidia mulieris; quòd eam videat clariſſimo viro collocatam. non enim quiſquam ſimilis, aut par eius viri eſt, neque omnino qui ad eum propius accedat. Nupta verò, etiamſi diuitis, & potentis inprimis hominis matrimonium teneat, aliam tamen inueniat cum viro nuptam, qui maiores opes habeat, & copias: non enim parum ſuperiorum præſtantia de ea voluptate detrahitur, quæ ex victoria de inferioribus percipitur, ſed auri, veſtium, ac ciborum, aliarumque rerum affluentia, & copia allicere animum, ac trahere facilè poſſunt. Sed quotaquæque mulier his fruitur? maximam enim partem homines inopem, miſeram, & laborioſam vitã viuunt. quòd ſi quædam ſunt illarum rerum participes, paucæ admodum ſunt, & quas facilè numero perſequi poſſis: & quidem illæ id faciũt præter Dei ſententiam. nemini enim, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, in his luxurioſè viuere permiſſum eſt.

lxj. Aureum ornatum plus timoris habere quã voluptatis.

† Sed concedamus, hanc illis rerum copiam permiſſam eſſe, neque prophetam, neque Paulum quidquam ſtatuiſſe contra delicias vxorum: quid lucri eſt in multis aureis ornamẽtis? nihil aliud omnino, niſi inuidia, niſi curæ, niſi formido non mediocris. neque enim tum, cùm ea ornamẽta in arca collocarint, neque cùm nocte opprimuntur, tantum ſollicitudine commouentur, ſed, cùm illis luce etiam exornantur, eandem, vel grauiorem potius habent moleſtiam. etenim in balneis, & in cœtibus præſto ſunt mulieres, quæ furta faciunt, atq;, vt illæ non adſint, impelluntur in turba, & vrgentur ornatæ auro, vt nihil illis ſentientibus aureum interdum aliquod ornamentum excidat. itaque multæ non iſta modò, ſed quæ maioris etiam pretij erant, facta ex pretioſis gemmis, auulſa, ac delapſa monilia perdiderunt.

lxij. Aurea ornamenta & formę nocere & augere deformitatem.

† Sed fac eſſe, vt nihil eiuſmodi ſit timendum, & vt huius rei cura tollatur. Eſt, inquit, eum aſpectum quiſpiam admiratus. at non eius eſt admiratio, quæ ornatum geſtat, ſed ornamentorum, cui ſæpe etiam id vitio verſum eſt, quòd præter dignitatem eum haberet ornatum. nam ſi formoſa fuerit, naturalis nitor offenditur, quòd ille nimius ornatus, maximam partẽ adimens venuſtatis, ipſam formæ veritatem elucere non ſinit. ſin autem deformis illa, turpiſq; fuerit, eò turpiorem reddit ornatus. deformitas enim ſemper, quantacumque eſt, per ſe modò eminet, & apparet: cùm verò vel gemmarum ſplendor, vel cuiuſpiã alterius rei pulchritudo acceſſit, tũ magis etiam ea turpitudo deformatur. nam & corporis nigrorem adhibitum margaritæ lumen multò magis obſcurat, tamquam fulgor in tenebris: & veſtiũ decor tum prauitatem oris longè deteriorem facit, quippe qui formæ ſpeciem ex ſe conſiderari, & ſolam exiſtimatorum iudicium venire non ſinit, ſed adiuncto illo manu & opere facto, eximiæque pulchritudinis ornamento. qua ex re grauior calamitas accipitur, quòd in comparatione maior eius deformitas apparet. nam & veſtimẽta diſtincta auro, & quæ artificio eius generis fiunt, operum magna varietas, & reliquus omnis ornatus, tamquam ſi generoſus, valens, & robuſtus athleta ſcabioſum, infamem, & enectum fame aliquem proſtrauerit aduerſarium: ſic oris decus obruens ornatæ mulieris, ad intuendum ſpectatores allicit, vt mulierem magis rideant, ornatum incredibiliter mirentur. Simile.

lxiij. Qui ſit virginitatis ornatus, quæve pulchritudo

† At nullum eiuſmodi eſt virginitatis ornamentũ. non enim ornatæ virgini nocet, quippe qui non eſt corporis ornatus, ſed totus ad animã pertinet. quamobrem etiam, ſiue deformis ſit, formæ dignitas vndique adhibita deformitatem facile tollit: ſiue liberali, & egregia forma, pulchriorem reddit. non enim gemmæ, aut aurum, non veſtium ſumptus, non colorum illic varietas, ac differentia, non omnino aliud eius generis, quod fragile, aut caducum ſit, eſt animarum ornamentum, ſed eorum loco ieiunia, nocturnæ ſacrorũ peruigilationes, modeſtia, comitas, paupertas, fortitudo, ſubmiſſio animi, tẽperantia, & omnino omnium humanarũ rerum deſpicientia. etenim eius oculus ita pulcher eſt, ita venuſtus, vt pro hominibus beatas mentes, & earũ dominum habeat amatorem. ſic autẽ purus & acutus, vt pro corporeis rebus ſpecies corporis expertes intueri queat: adeò mitis, & placidus, vt ne in eos quidem, qui aſſiduè iniuriam, & moleſtiã afferant, conturbetur, aut efferatur. quinetiam iucundè in eos, ac ſuauiter intuetur. Tanta autẽ virgo hæc grauitate circumfluit, vt vel intemperantes, cùm ipſam diligenter aſpexerint, pudore erubeſcant, & proprium furorem remittant: ac, quẽadmodum honeſtè mulieris miniſtram, & famulam, vel inuitam dominæ mores, & vitam imitari oportet: ſic animæ, quæ tali ſapiẽtia prædita ſit, ſenſus inſeruire neceſſe habet, & omnes ſuas appetitiones regere illius ratione motionũ. (Simile.) Etenim oculus, lingua, habitus, ingreſſus, & omnino omnia ad intimum animæ ordinem conformantur. &, vt vnguentum pretioſum, etiamſi in vas infundatur, aëra tamen ſuaui odore permulcet, neque eos ſolũ, qui intra eum locum ſunt, aut eius loci vicinos, ſed omnes, qui foris commorantur, voluptate perfundit: ſic virginitas animæ, quaſi iucundus odor ſenſibus circumfuſus, interiorem virtutem oſtendit, appetitus verò regit ſic, vt illis ſingulis, quaſi equis quibuſdam, iniiciens aurea fræna modeſtiæ, eos in ſumma moderatione retineat. (Simile.) Nihil enim neque linguam abſonum, aut abſurdum effutire, neque oculum impudẽter, aut ſuſpicioſè intueri patitur, neq; omnino auribus quidquam, quod minus deceat, percipi ſinit. De membris autem, & pedibus curæ eſt illi, ne diſſolutus, aut mollis ſit inceſſus, ſed vt ſimpliciter quodammodo, & ſine cura moueantur. atque, omni veſtium ornatu circumciſo, os aſſiduè moderatur, ne ſolutior riſus erũpat, imò verò, ne leniter arrideat: quin graue ſemper, & auſterum oſtendit ſupercilium: atque ita comparata eſt, vt lacrymas ſemper effundere, riſum numquã edere poſſit.

lxiiij. Quæ propter Chriſtũ patimur, etiã ſi moleſta ſint, tamen voluptatem habere.

† Cùm verò de lacrymis acceperis, nihil triſte ſuſpiceris: tantum enim illæ lacrymæ voluptatis habent, quantum mundi huius riſus non habet. quod ſi non credis, accipe apud Lucam quæ dicantur. Cùm flagellis cæſi fuiſſent, *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij.* (Act. 5.) quamquam non ea vis ineſt in verberibus, non enim voluptatem, aut lætitiam, ſed dolorem, & moleſtiam efficere ſolent. Fides autem in Chriſtum eam vim habet, vt ipſam etiam rerum naturam ſuperet. quòd ſi verbera, Chriſti cauſa ſuſcepta, pariunt iucunditatem: quid mirum ſit, ſi propter illũ ipſum idẽ eſt effectus lacrymarum? ob hanc igitur cauſam, quam arctam, & anguſtam viam vocauit, eam deinde *ſuaue iugum, & leue onus* appellat. (Matth. 11) natura enim res eſt, vt antè dixi, ſed propoſito, ſpeque bona eorũ, qui in illa perfectè verſantur, leuior efficitur. itaque illos, qui non latas, & amplas vias, ſed arctam, & anguſtam ſemitam ſibi delegerunt, alacrius multò propera-

Digitized by Google

re videas. non quia non habeant moleſtiam, ſed quòd fortiores ſunt,quàm vt quidquam eiuſmodi detrimenti accipiant, cuiuſmodi alios perferre credibile eſt.Sunt verò etiam angores in hoc vitæ genere: ſed ſi cum coniugio conferantur omnia, nō erit,quòd illos angores appellemus,†Sed,quæſo,quid tale patitur virgo toto vitæ tēpore, quale in ſingulos fermè annos nupta,partus doloribus, & fletibus exercita perferre cogitur? tanta verò eſt eius doloris vis,vt in diuinis literis ſeruitus, fames, peſtis, atque alia huius generis intolerabia mala hoc ipſo doloris nomine ſignificentur. Deus quidem id mulieri ad pœnam,& ad execrationem dedit,non iam vt pareret,ſed vt cum labore ac dolore pareret.*In dolore*,inquit,*paries filios*.à quibus virgo tum doloribus,tum execrationibus libera eſt. Nā qui eam è connubij deteſtatione liberauit, eorum etiam,quæ connubium conſequuntur, expertem eſſe voluit.

lxv. Quæ ex virginitate laborioſa ſunt, cū doloribus cōnubij conferenda nō eſſe. Gen. 3. Durè dictum.

† Sed mulis in foro circumuehi iucundum eſt.inanis tantum ſuperbiæ eſt,nihil præterea voluptatis habet ea circumuectio. & quemadmodum neque tenebræ ſunt luce priores: neq; conſtrictum, quàm ſolutum eſſe præſtat: neque mulis eſt melius,quàm nulla omnino re indigere: ſic neque hæc mulis vecta meliori loco fuerit,quā quæ pedibus iter facit. Sed omitto nunc moleſtias,quas ex ijs rebus perferre eſt neceſſe: neque enim,quotiens vult,totiens ei domo egredi licet: quinetiam ſæpenumero,cùm,vt inde exeat,magna aliqua flagitat vtilitas, tamquam mendici, qui pedibus abſciſſis,quò vehantur,non habent: ſic illa domi manere cogitur. quòd ſi vir fortè mulas occuparit,deiectio nimi, contentio, & magnum ſilētium conſequitur.Sin verò ipſa nihil in poſterum proſpiciens ,id ipſum effecerit, relicto viro,in ſe conuertit iram eiuſce rei,eandem ſe aſſiduo dolore conficiens. Quantò igitur præſtat, pedum officio fungentem(ad id enim nobis illos Deus affixit)nullam eiuſmodi moleſtiam ſubire, quàm per eas delicias neceſſariò totiens angi, frangique animo? Neque verò ſolùm eas,quas dixi cauſas habēt domeſticæ commorationis,ſed tum etiam, cū ambo muli,alterve fortè laborat ex pedibus,idem accidit. Cùm verò fit, vt agantur in paſcua, (fit autē id quotannis)multoſque dies ibi paſcantur: rurſum vel ſi neceſſaria aliqua,vt inde exeat, cauſa poſtulat,tamquam ſi conſtricta ſit,ita domi ſe tenere neceſſe habet. Quòd ſi dixerit quiſpiam, ſic à multitudine occurrentium eſſe liberam, nullumque à notis hominibus fieri conſpectum,in quo erubeſcat:is mihi ſanè videtur ignorare, quæ mulieri natura & adimant,& afferant infamiam. nam ſiue in aperto,ſiue in operto ſit,neutrum horum efficitur: ſed alterum facit intemperantis animi petulantia, alterum continentia, & verecundia. quamobrem multæ illo carcere liberæ , vel in media multitudine,& foro euntes, non modò accerſunt vituperatores, ſed ſuæ continentiæ multos tum corporis habitu, tum inceſſu, tum veſtitus ſimplicitate amatores habent. quas ob res in illis intimæ pulchritudinis ſplendor elucet. At non paucæ ſunt, quæ ſe domeſticis parietibus continentes, infamiā contraxerunt.nam ei,quæ clauſa ſit,ſi modò id cupit,maior,quā illis,quæ in publicum prodeunt,petulantius,impudentiuſque ijs, qui intueri volunt, oſtentandi ſui facultas eſt.

lxvj. Iucūdius eſſe pedibus ire, quā mulis circūuehi. Simile. In Grçcia claræ mulieres mulis vehebantur.

† Verùm ancillarum multitudo fortè iucunda eſt? nihil igitur eſt hac voluptate deterius. nam quot illæ ſunt, totidem curis afficitur:ſingulis enim tum ægrotantibus, tū morientibus perturbari, atque angi neceſſe eſt. Sed hoc fortaſſe, & his etiam grauiora tolerabilia ſunt,vt quotidianæ illæ,& vehementes contentiones,dum in ancillarum pigritiam inuehitur, dum fraudem perfringit, dum ingrati animi vitia tollit,dum reliquam omnino vitioſitatem coercet, at id omnium grauiſſimum eſt, quod in huiuſmodi

lxvij. Famularū multitudinem habere moleſtiā,

A ancillarum turba maximè ſolet vſuuenire:cū vna aliqua fortè in illo grege famularum forma liberali,(id enim omnino in multitudine accidere neceſſe eſt:nam copioſi homines non id modò ſtudent,vt multas habeant ancillas, ſed vt æquè formoſas) cùm igitur contingit vnam aliquam in illis forma reliquis antecellere,ſiue ea dominū ſpecie,& venuſtate ad ſui amorem attraxerit, ſiue nihil aliud potuerit,niſi quòd in ſui admiratione adduxerit, victa domina pari in dolore verſatur, ſi minus ob eam cauſam,quòd vir ancillæ cupiditate teneatur,certè ob eiuſdem corporis pulchritudinē,& admirationē. Cùm igitur, quæ per ſe præclara videtur,& expetenda,tātas habeant ſollicitudines, quid de ijs dicas, quæ moleſta, & acerba ſunt? † At nihil tale patitur virgo. nā ipſius domus ab omni perturbatione libera eſt,&omnis inde remotus clamor, ac velut in pleno tranquillitatis portu apud eā cuncta ſilentio cōtinentur, ac ſilētio maior requies altera,qua præditus animus,tamquam nullam agens humani muneris partem,aſſiduè cum Deo colloquitur, & illū intentius intuetur.

lxviij. De quiete,ac trāquillitate quæ virginitati ineſt,

B Quare quis eā voluptatē,quanti eſt,queat æſtimare? aut cuius oratio eius animæ, quæ ſic affecta ſit,oblectationem poſſit exprimere? nullius vtiq;. at eius vim voluptatis tantùm illi nouerunt,qui ſe oblectant cum domino, tantoque ipſam præſtare intelligunt,vt cum nulla alia iucunditate comparari poſſit.At multi vndique aſpectus argēti valde delectat oculos. at quantò melius eſt in cælum ſuſpicere,& multò maiorem inde voluptatis fructum perſpicere? quantò enim aurum ſtanno, atq; plumbo,tantò cælum eſt auro, & argento, omniq; materie ſplendidius,atque fulgentius. Et quidem hæc cæli contemplatio à curis libera eſt:illud verò ſpectaculum cum ſumma ſollicitudine coniunctum,quod ex omni parte cupiditates maximè corrumpit.At tibi non libet intueri cælum, licet verò argentum ſpectare in foro collocatum, quæ ex C diui Pauli ſententia dico, vt vos pudeat, quando ſic inhiatis pecuniæ cupiditati. At,quid dicam,neſcio. magna enim hic mihi accidit dubitatio, neque diſpicio,quamobrem omne ferè hominum genus, cū illis facilem,& iucundam vitam ducere liceat, vel ſollicita,& anxia maximè capiantur. Quid autem cauſæ eſt,quòd non tam eos in foro poſitum, quā quod domi habent, argentum delectat? atqui ſplēdidius illud eſt,& ab omni cura vacuum animum relinquit. quòd, inquit, forenſe illud meum non eſt, domeſticum verò hoc proprium meum. Cupiditas ergo eſt, non argenti natura, quæ voluptatem habet:nam ſi id ita ſit, forenſi etiam illo æquè delectari oportuit. Quòd ſi vſus cauſa iſta dicis:vitrum eſt multò melius, idque è diuitum ſententia,qui ſibi maiorem partem ex ea materie pocula comparant. Sin verò elati ſuperbia, illa ipſa D ex argento facere cogantur: primùm intus vitro conflato,ſic illud argento circumdant poculum, vt vitrum interius poſitum ad potionis ſuauitatē, & commoditatem, circumdatum verò argentum ad oſtentationem tantùm,ac ſuperbiam eſſe oſtēdant. Sed quænam eſt rei ſumma? meū & non meū: quæ cùm diligentius conſidero, verba tantū inania eſſe video. ſunt enim multi, qui vel in vita deſerentē ſe poſſeſſionem retinere nō poſſunt. quòd ſi qui vſque ad mortem illa ſeruarint, ipſis tamen, velint,nolint,morte exturbabuntur. neque modò in argento,& auro, ſed in balneis,& in hortis, ædibuſque meum illud,& non meum,verba ſolùm eſſe omnes intelligant. nam eorum vſus eſt communis omnium. qui verò rerum illarum Domini videntur,plus inde,quàm qui non ſunt,habent moleſtiarum: bonis enim modò fruuntur alij, hi verò cum ſumma earum rerum cura tantundem inde capiunt,quantum cæteri ſine vlla ſollicitudine. † Quòd ſi quiſpiam magnam luxuriē admiretur, ve-

lxix. Sumptuoſas mēſas magnatū moleſtiarum refertas eſſe,

luti

luti diſſectæ carnis vim, ſuperuacaneum vini ſumptum, exquiſitas ciborum delicias, eorum, qui cõuiuia inſtruunt, piſtorum, coquorum artificia, paraſitorum, & conniuarum turbam, ſciat is, copioſos homines in ijs rebus non eſſe meliore conditione, quàm coquos ipſos. nam vt illi dominos, ſic hi verentur eos quos inuitarunt, ne videlicet eorum improbent, quæ magno labore ac ſumptu ipſorum cauſa apparauerunt. & hac quidem re cum ſeruis pares ſunt, reliquis verò ſuperant illi. non enim accuſatores modò, ſed inuidos etiam extimeſcunt. nam ſæpe ab huiuſmodi conuiuijs multæ ortæ inuidendi cauſæ, non prius ſublatæ ſunt, quàm illos homines in extremũ diſcrimen adduxerint. At multum cibi capere ſæpenumero iucundum eſt. minimè verò: etenim tum, cùm ebrietates, & ventris intentiones, & ſpiritus anguſtiæ, & tenebræ, & vertigines, & oculorum caligo, & alia his etiam grauiora mala ab huiuſmodi luxuria progignuntur, quam inde capiemus voluptatem? Atque vtinam hic in ſingulos dies finis ſit moleſtiarum, turpitudinis, & incommodorum. nũc verò maximè ab iſtis menſis morbi inſanabiles ortum habent. nam & pedum dolores, & tabes, & ſacer morbus, & diſſolutiones neruorum, & conuulſio corpus obſeſſum tenent, dum extremum ſpiritum reddas. quis igitur hæc mala vlla harum rerum voluptate compenſari poſſe dixerit?

lxx. Et vtilius & iucundius eſſe ſobriè, quàm luxurioſè viuere.

† At non eſt frugalitas eiuſmodi, quin ea longè abeſt ab his incommodis, ſanitatis, & bonæ valetudinis effectrix; quam potiorem eſſe reperies, quàm luxuriam. At primum quidem ipſa tenuitas victus valetudinem tuetur, neque vllis ex illis malis perturbatur: quorum per ſe ſingula omnem extinguere voluptatem, ac tollere funditus poſſunt. deinde cibis ipſis comprobatur. quomodo? quia cibi auiditas eſt efficiens voluptatis, auiditatem verò nõ expletio, aut ſatietas gignit, ſed inopia, & indigentia. at hæc in illis copioſorum conuiuijs non ſunt, inopum verò cibis ſemper adſunt, quæ plus illis ſuauitatis inſtillant, quàm menſarum conditores, aut coci propoſitis epulis aſpergere ſoleant. diuites enim neque eſurientes cibum capiunt, nec bibunt ſitientes, ac, priuſquam ſomni vis illis dormiendi neceſſitatem afferat, cubitum eunt: hi verò prius horum omnium indigentes, ſic illis vtuntur: quod quidem eſt ad voluptatem maximum. quid enim, quæſo, Salomon hiſce verbis ſerui ſomnium iucundum appellat? *Dulcis eſt ſomnus ſeruo, ſiue is parum, ſiue multum comedet.* num propter lectum molliter ſtratum? atqui ſternuntur humi, vel ſuper paleas maiorem partem. an propter libertatem? at ne temporis quidem pũctum illis liberum eſt. an propter otium? at laboribus, & ærumnis conficiuntur aſſiduè. Quid tandem igitur illud eſt, quod ſomnũ ſuauem efficiat? labores, & quòd coacti prius neceſſitate, ſic illi ſomno ſe dedunt, diuites verò, niſi eos vino plenos nox oppreſſerit, noctem peruigilare, & in mollibus lectis verſare ſe in omnes partes, & iactari coguntur.

Eccl. 5.

lxxi. Animam etiã lædi luxuria.

† Poſſum & alia ratione delicatorum conuiuiorum moleſtiam, incommoda ac turpitudinem commemorare perſequendis ijs malis, quæ longè plura, & grauiora, quàm ſint corporis morbi, animis inurunt. Etenim & molles, & effœminatos, & audaces, & ventoſos, & intemperantes, & contumelioſos, & procaces, & iracundos, & crudeles, & ignauos, & auaros, & ſordidos, & omnino tales homines reddunt, vt neque vtilibus, neque neceſſarijs rebus gerendis ſint accommodati. quibus contraria omnia frugalitas efficit. Verùm ad alia noſtra feſtinat oratio. Quamobrem, illo tantùm addito, Apoſtoli verba rurſus attingemus. Nam ſi quæ videntur expetenda, tantorum malorum referta ſunt, tantamque quaſi niuium, ſic morborum vim important & animo, & corpori, quo loco, quæ ſunt moleſta, dominorum terrores, populorum impetus, calumniatorum, & inuidiorum inſidias reponemus? Hæc enim diuites maximè circumſtant, in quibus mulieres, quòd eiuſmodi commutationes fortiter ferre non poſſunt, plus etiam mali habere neceſſe ſit.

lxxij. Luxuriã preterala mala, intolerabiles præter ea vitæ cõmutationes afferre.

† Quid dico mulieres? etenim huiuſmodi rebus viri ipſi miſerè capiuntur. nam qui ſobriè viuit, nullum caſum extimeſcit. qui verò mollis illius, & profuſæ vitæ ſumptibus exhauſtus eſt, ſi quando caſu, vel vi aliqua ad inopiam compulſus fuerit, quod nihil antea tale cogitarat, expertúſve fuerat, morietur potiùs, quàm eam mutationem perferat. itaque diuus Paulus: *Tribulationem*, inquit, *carnis habebunt huiuſmodi: ego autem vobis parco*.

1. Cor. 7.

lxxiij. Præſens hoc tempus non eſſe coniugij.

† Atque illud idem adiungit, *Tempus breue reliquum eſt*. Sed dicet fortaſſe quiſpiam. Quid iſta ad coniugium? Imò verò ad ipſum maximè pertinent. ſi enim huius vitæ finibus terminatur matrimonium, & vbi è vita migrarint, neque nubent, neque vxorem ducent, & hoc tempus ad finem properat, & dies reſurrectionis in limine adeſt, non eſt nuptiarum tempus, aut copiarum, ſed inopiæ, & totius eius cogitationis, ac rationis, quæ nobis illic profutura ſit. nam quemadmodum virgo, quamdiu domi eſt apud matrem, verſatur in magna cura rerum omnium puerilium, & arcula in cubiculo collocata, ijſque obſignatis, quæ ſunt ibi recondita, clauem ſeruat ipſa, & omnem earum rerum poteſtatem habet, tantamque ſuſcipit parua & vilia cuſtodiendi curam, quantam illi habere ſolent, qui maximas familias adminiſtrant: cùm verò nubilis eſt, ac nupta iam è paterna domo cogitur diſcedere, tum ab illa tenuitate, & humilitate liberata, rerum, mancipiorumque multitudinis, viri curam, aliaque his multò maiora ſuſcipere neceſſe habet: ſic nos etiam facere oportet, vt, cùm ad perfectam vitam, & viro dignam perducti ſimus, relictis in terris ludis omnino omnibus puerilibus, de cælo, de cæleſtis illius conſuetudinis ſplendore, deque omni gloria cogitemus, deſponſi enim ſimus & nos viro, qui eo nos in ſe amore eſſe vult, vt non modò terrena, & parua hæc, leuiaque relinquamus, ſed è vita etiam, ſi opus fuerit, eius cauſa diſcedamus. Quare cùm illud reliquum ſit, vt eò nos venire oporteat, curarum leuitatem dimittamus. neque enim ex tenui domo migraturi in Regiam, de teſtis, ac lignis, deque ſupellectile, ac reliqua domeſtica tenuitate laborabimus. Ne igitur nos, ne inquam iam terrena curemus. dies enim iam nos vocat ad cælum, quemadmodum diuus Paulus ſcripſit ad Romanos: *Nunc* enim *propior eſt noſtra ſalus, quàm cum credidimus: nox præceſſit, dies appropinquauit*. Et iterum is: *Tempus breue reliquum eſt, vt & qui habent vxores, ſint tamquam non habentes*. Quid igitur ijs coniugio opus eſt, quibus frui non liceat? vel quos potius æquè affectos eſſe oporteat, atque eos, qui coniugia non attigerunt? Quid pecunia nobis, quid poſſeſſiones opus ſunt? quid, quæ ad vitam pertinent, ſi inopportunus eſt, & intempeſtiuus earum rerum vſus? nam ſi, qui ad iudicium in terris ſunt affuturi, vt ſuorum delictorum rationẽ reddant, ſub ipſam iudicio dictã diẽ, omni non ſolùm vxoris, ſed cibi, & potus cura dimiſſa, vnum illud cogitant, quo modo ſe tueri poſſint: multò magis nos, qui non ad terrenum aliquod iudicium, ſed ad cæleſte tribunal affuturi ſumus, vt ſingulorum & dictorum, & factorum, & cogitationum rationem reddamus, ab omni terreſtrium rerum tum lætitia, tum triſtitia abſtinere oportet, & formidoloſum illum diem modò cogitatione complecti. Nam *ſi quis*, inquit, *venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus: & qui non tollit crucem ſuam, &*

Rom. 13. 1. Cor. 7. Simile. Luc. 14.

venit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Tu mulierum libidinibus, riſui, conuiuijs intemperanter indulges? at Dominus adeſt. Tu pecuniam curas, deque illa ſollicitus es? at cæleſte regnum impẽdet. Tu de familia, de luxu, de alijs voluptatibus cogitas? at præterijt figura mundi huius. Quid igitur eſt, quamobrem te conficias cura terrenarum rerum, quæ & inanes, neque ſtabiles ſunt, ea negligas, quæ & ſunt, & eorum eſt firma poſſeſſio? Non eſt poſtea coniugium, non dolores, aut voluptates, non corporeum coniunctio, nõ pecuniæ copia, non cura poſſeſſionum, nõ commeatus, non veſtes, non agricultura, neque nauigatio, non artes, neque ædificia, non oppida, non domus, ſed alia rerum conditio, aliud viuendi inſtitutum.

1. Cor. 7. Hæc autem mox interibunt omnia: nam eam vim habet id quod dictum eſt, *Præterit figura mundi huius*. Quid igitur, tamquam omnium hic ſæculorum ætates victuri, ſtudium omne præ nobis ferimus, eam rerum curam ſuſcipientes, quas ante veſperum plerumque deſerimus? quid laborioſam vitam delegimus, ſi nos ad tranquillitatem

Ibidem. Chriſtus inuitat? *Volo* enim, inquit, *vos ſine ſollicitudine eſſe. qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt de ijs, quæ Domini ſunt*. † Sed quomodo nos cura vacuos eſſe vis, ſi nouam rurſus nobis inijcis ſollicitudinem? quia non eſt iſta ſollicitudo, quemadmodum etiam, in angore eſſe Chriſti cauſa, non eſt angi: non quo rerum natura commutetur, ſed eorum propoſito, qui talia libenter ferunt, & rerum vim ſuperant. nam qui de illis rebus laborat, quibus ad exiguum tempus, aut ſæpe ne ad exiguum quidem fruetur, rectè is dicatur eſſe ſollicitus. qui verò maiores, quàm illæ ſint curæ, fructus inde eſt percepturus, cum ijs qui ſine cura ſint, iure omnino numerandus eſt. Adde etiam, quòd tantum inter vtramque ſollicitudinem interuallum eſt interiectum, vt hæc cum illa comparata, ſollicitudo putanda non ſit: vſque eò tum expeditior, tum facilior eſt. Atque hæc omnia ijs, quæ antè dicta ſunt, demõſtrauimus, qui ſine vxore ſit, eum de ijs ſollicitũ eſſe, quæ domini ſunt, qui autem ſit cũ vxore, de ijs, quæ ſunt mũdi. At hic præterit, ille permanet. itaq; non eſt hoc ſatis ad virginitatis dignitatẽ demonſtrandam: quantum enim inter Deum differt, & mundum, tantum inter eas curas, quæ de vtroque ſuſcipiũtur, intereſt. Quid igitur eſt, quod nobis concedis coniugium, cuius cauſa & aſtringimur curis, & à ſpiritalibus rebus abducimur? Propterea dixi, inquit, vt, qui habent vxores, ſint tamquam non habentes, vt, qui matrimonio iuncti vel ſint, vel futuri ſint, nodum illum alia quadã ratione laxiorem faciant. cùm enim ſemel conſtricto tibi vincula rumpere non liceat, mollioribus illis vtere. Poſſumus enim, ſi volumus, & omnia, quæ ſuperuacanea ſunt, circumcidere, & ijs curis, quas coniugij natura parere ſolet, noſtram ſegnitiam non adiungere. Quòd ſi quis, quid tandem ſit, habentem vxorem, non habere, liquidius cupit intelligere, animaduertat, quomodo cum illis agatur, qui cupiditates ſuas cruci affixerunt. † Quomodo autem cum illis agitur? non ancillarũ multitudinem emere cogũtur, non aurea ornamenta, non monilia, non luculentas, & amplas domos, nõ agri infinita iugera, ſed, ijs omiſſis omnibus, de vno earum veſtitu, & victu laborant. licet etiam viro vxorem in hanc vitæ rationem inducere. nam, quod ſupra dictum eſt, Nolite fraudare vos inuicẽ, tantùm ad corporum coniunctionem pertinet. in ijs enim, vterque alteri obſequatur, imperat, ac neutrum ſui iuris eſſe ſinit. vbi verò colendum ſit aliud vitæ inſtitutũ in veſtitu in victu, in alijs omnibus, non, quod alter facit, item alteri præſtãdum eſt. Atqui viris ad ſuum arbitrium, vel inuita vxore, omnem luxuriam, concurſumque circumfluẽtium curarum circumcidere licet, nulla item vxori

lxxiiij. Quid ſit quamobrem, cùm velit nos ſine ſollicitudine eſſe, iubeat eſſe ſollicitos.

lxxv. Quid ſit habẽtem vxorem non habere.

A ſi nolit, neceſſitas imponitur ornatus, inanis gloriæ, nulla ſuperuacanearum rerũ cura: iure id quidem. eſt enim ille naturalis quidam appetitus, & propterea magna in eo ad ignoſcendum venia dari ſolet: neque alterum inuitum fraudare alterutri liberum eſt. deliciarum verò, ac ſuperuacanei cultus, inſanæque cogitationis cupiditas minimè à natura commouetur, ſed à deſidia, ſummaque nequitia ortum habet. Quamobrem nullam in his rebus, id quod in illis vim affert coniugibus, vti inter ſe neceſſaria ſeruitute obſtringantur. itaq; hoc illud eſt, quod dixit, eum, qui haberet vxorem, non habere, cùm ſuperuacaneas curas à nequitia, delicijſque ortas, vxorum cauſa non ſuſcipimus, ſed tantam earum acceſſionem facimus, quantam in vnius animæ nobiſcum coniunctione, & eius, quæ ſobriè, continenterque viuendi rationem delegerit, nos facere par eſt. Hanc enim eſſe Pauli ſentẽtiam, id ipſe ordine orationis oſtendit, Et qui flent tamquam non flentes, & qui facultatibus gaudent, tamquam non gaudentes. nam qui non gaudent,

B neque de rerum poſſeſſione laborabunt. & qui nõ flent, neque inopiam horrere poſſunt, neq; ab eo, quod ad vitam traducendam ſatis ſit, abhorrere. hæc eſt vis illorum verborum, Habere vxorem, & non habere, mundo vſum, & non abuſum eſſe. qui autem ducit vxorem, eſt de terrenis rebus ſollicitus. Cùm igitur vtraque conditio ſollicitudinem habeat, & hæc quidem temerè, ac ſine cauſa, quinetiam ea cum dolore coniuncta ſit: *Carnis* enim inquit, *tribulationem habebunt eiuſmodi*, illa verò in bonorum inexplicabilium cogitatione verſetur, 1. Cor. 7.
quid eſt, quòd hanc potius curam, quæ tot, tantiſque bonis compenſatur, & eſt natura quàm illa facilior, non deligimus? Qua enim ſollicitudine, quæ non nupſit, afficitur? num pecuniæ? num ſeruorum? aut eorum, qui domeſticas res tuentur? aut agrorum? aut aliarum rerum? an cocis præeſt, aut textoribus, aut reliquo ſeruitio? minimè verò, nihil eiuſmodi cogitat: ſed tãtùm id curat, quomodo

C animam ſuam inſtruere, quomodo ſanctum illud templum exornare poſſit, non iam capillis intexẽdis auro, vel margaritis, non frictionibus, aut pigmentis, non alio incommodorum, aut nequitiæ genere, ſed tum corporis, tum ſpiritus ſanctitate. Nupta verò cogitat, inquit, quomodo viro placeat. in quo ſapienter admodum non eſt aggreſſus earum rerum inueſtigationem: neque illud cõmemorauit, quàm multa in ſtudio ineundæ à viris gratiæ vxores & corpore & animo patiantur, dum illud torquent, oblinunt, alijs malis conficiunt, hunc illiberalitate complent, aſſentatione, ſimulatione, ſubmiſſione, ſuperuacaneis, & inſanis curis. Sed hæc omnia, vnius verbi ſubobſcura ſignificatione inuoluta, auditori intelligenti relinquit æſtimanda. atque ita præſtantiam virginitatis oſtẽdens, & eam ad cælum ipſum extollens, veritus omnino, ne quis illud iuſſum exiſtimet, rurſus ad

D id transfert orationem, vt concedat coniugium. quamobrem non eſt priori cohortatione contentus, ſed, *Præceptum*, inquit, *Domini non habeo*. Et: *Si nupſerit virgo, non peccauit*, hoc loco etiam, *Hæc autem dico, non vt laqueum vobis inijciam*. † Quamobrem aliquis illud iure quæſierit, quid ſit, quòd, cùm vinculorum ſolutionem ſuperius appellaſſet, & eam ſe nobis vtilitatis noſtræ cauſa ſuadere dixiſſet, & ne moleſtiam haberemus, & vt eſſemus ſine ſollicitudine, cumque nobis peperciſſet, & per ea omnia expeditam, tolerabilemque rem ipſam oſtendiſſet, nunc illud adijciat. *Non vt vobis laqueum inijciam*? quid autem id eſt? num virginitatem laqueũ appellauit? minimè. ſed virginitatis cultum & neceſſitate ſuſceptum. Etenim res ſe ſic habet: quod quiſque coactus onus ſuſcipit, & contra ſuã voluntatem, quamuis id leue ſit, omnium ſit grauiſſimum, & preſſu grauiore, quã laqueus faceret,

lxxvj. Virginitatem nõ eſſe laqueũ, ſed noſtram id eſſe deſidiam

noſtram

noſtram ſuffocat animam. itaque illud dixit, Non vt laqueum vobis inijciam. quod hanc vim habet: Ego bona virginitatis enumeraui, ac demonſtraui omnia: quæ licet ita ſint, volo tamen, totum vti veſtrum rei ſit arbitrium: non inuitos traho ad virtutis ſtudium: neque enim, vti vos excruciarem, id conſilij dedi, ſed ne terrenarum rerum cura, honeſta aſſiduitas interpelletur. Verùm hic, quæſo, Pauli prudentiam conſidera, quomodo rurſum indulgentiæ ſubijciat admonitionem, & conſilium adiungat. nam quod inquit, Non cogo, ſed ſuadeo, quod præterea addit *ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi*, eo, & virginalis caſtitatis admirabilitatem, & quantum ex ea vitæ ratione fructum caperemus, oſtendit, quæ in rerum diuinarum meditatione verſetur. neque enim, quæ terrenis, & vndequaque diſtrahentibus curis implicata eſt, propter omnem & ſtudij, & temporis rationem in tam multas res diſtributam, veluti in viri, & in familiæ curam, aliorumque omniũ, quæ coniugium contrahere ſolet, ritè, continenterque Deo preces facere poteſt.† Quid igitur? inquit, virgo multa pertractans, & ijs, quæ ad vitam pertinent, diſtenta curis, quæro, an virginitatis laudem retineat? minimè. nam iſtam ab harum virginum choro excluſiſti. neque enim illud, Non nupſiſſe, virginem conſtituit, ſed ad id præterea opus eſt animæ integritas, integritas, inquam, ea, quæ non ſolùm prauis, ac turpibus voluptatibus, ornatu corporis, reliquiſque rebus ſuperuacaneis vacua ſit, ſed terrenis etiam curis libera. nam niſi ea ſit, quid illi proſit, caſtitas corporis? quanti enim eſt, virginem corpore puram eſſe? vt enim eo milite nil turpius eſſe queat, qui, abiectis armis, in caupona conterit otium: ſic nullum virgo maius dedecus concipere poteſt, quàm ſi terrenis curis incubuerit. etenim quinque illæ & lampades habebant, & virginitatem coluerant: at neutrum eis profuit, ſed, clauſis ianuis, excluſæ perierunt. Etenim propterea virginitas etiam bonum eſt, quòd omnem extirpat ex animo cauſam inanium curarum, & hominem inducit, vt totum dicet ſtudium ſuum diuinis operibus. quòd ſi non ita ſit affecta virgo, longè ea ſit nuptiis inferior, quippe quæ ſpinas circumfert in animo, quibus purum, ac cæleſte ſemen opprimitur. † *Si quis autem*, inquit, *turpem ſe videri exiſtimat ſuper virgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri, quod vult, faciat: non peccat*, nubāt. quid dicis, quod lubet, faciat? nec rationem dirigis deprauatam? ſed concedis coniugium? quid eſt, quod non dixiſti: ſi quis virginis ſuæ cauſa de ſe malè exiſtimari putat, miſer eſt, & infælix, qui rem adeò admirabilem turpiſſimam credat? quid non hominem ab eiuſmodi ſuſpicione liberaſti, & ei fuiſti author, vt filiam connubio arceret? quòd, inquit, infirmæ admodũ erant huiuſmodi animæ, & humi defixæ, quæ ſic affectæ, ad virginitatis rationem ſtatim compelli non poſſent. qui enim vſque eò incubat terrenis rebus, & hanc vitam admiratur, vt quod cælo dignum eſt, & propè accedit ad inſtitutum angelorum, poſt tantam cohortationem id probroſum putet, quomodo conſilium, quod eò impelleret, tuliſſet: Quid verò mirum, id Paulum in re conceſſa feciſſe, ſiquidem in vetito, & in eo quod contra legem eſt, rurſum id facit? exempli cauſa, in cibis nimis eſſe religioſum, & hoc maximum ſtatuere, illud eijcere, Iudaicæ erat infirmitatis. Verumtamen in hominibus Romanis quibuſdam eadem erat infirmitas: quos non modò vehementius non accuſauit, ſed etiam aliud quiddam eo maius adhibuit. nam, ijs dimiſſis, qui peccaſſent, eos, qui illa prohibere conantur, hiſce verbis obiurgat: *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* At non id egit cùm ad Coloſſenſes ſcriberet, ſed & magna authoritate illos reprehendit, & ita apud eoſdem philoſophatur: Nemo vos in potu, & cibo iudicet rurſum, *Si mortui eſtis cum Chriſto ab alimentis huius mundi, quid adhuc tamquam viuentes in hoc mundo decernitis? ne tetigeris, neque guſtaueris, neque contrectaueris quæ ſunt omnia in interitu ipſo vſu*, Quidnam igitur tandem id facit? quòd illi valentes erant, Romanis autem magna præterea opus erat indulgentia. nam expectauit, dum fides prius hæreret in eorum animis, veritus, ne, ſi citius quàm rei tempus, aut maturitas veniſſet, ad zizaniæ fibras euellendas acceſſiſſet, ſalutaris diſciplinæ ſemina vnà cum radicibus extirparet. Quamobrem neque eos accuſat acerbius, neque ſine obiurgatione dimittit, tantùm perſtringit, ſed obſcurè, & vt nullam res habeat ſuſpicionem reprehenſionis, quam cum aliorum obiurgatione coniungit. Illud enim, *Domino ſuo ſtat, aut cadit*, reprimere quidem videtur obiurgatorem: re autem huius pungit animum, oſtendens eiuſmodi inſtitutum non eſſe firmorum, aut ſtabilium hominum, ſed eorum, qui iactantur adhuc, & inconſtantes in periculo ruinæ verſantur. quam hic etiam conſuetudinem ſeruat propter ſummam eius infirmitatem, quem rei pudet: non enim in ipſum apertè inuehitur, ſed illo laudando, qui ſuam ſeruet virginem, grauem eiſdem ipſi plagam infligit. Quid enim inquit is? *Nam qui ſtatuit in corde ſuo*: quod quidem ad eius differentiam dictum eſt, qui citò, & facilè in hanc, & in illam partem rapitur, veſtigiumque firmè vſquam imprimere, & conſtanter admodum ſtare neſcit. Quæ cùm deinde verba ad illius laceſſendum animum ſatis ponderis habere intelligeret, vide quomodo rurſum afferenda cauſa, non ita reprehenſione digna, idipſum obſcurarit. nam cùm inquit, Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, illud adiunxit, *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens*. Atqui illud conſentaneum erat dicere qui ſtatuit firmus, neque rem turpem exiſtimat. At id erat acerbius. Quamobrem pro eo lenius, ac mitius adhibuit, & vt re mitigata magis ad hanc cauſam acceſſit. neque enim tam graue eſt rem neceſſitate, quàm propoſito dedecore prohibere. nam hoc imbecilli, & miſeri animi eſt, illud peruerſi, & qui de rerum natura rectè iudicare non poſſit. Sed nondum bene maturum erat, eum inferre ſermonem. non enim vrgēte neceſſitate, eam impediri oportere, quæ virginitatem colere inſtituerit, ſed contrà potius omnibus, quæ præclarum hunc impetum in terrumpant, fortiter occurrere, ex Chriſti oratione cognoſce. *Qui amat patrem, & matrem plus quàm me, non eſt me dignus*. Nam cùm aliquid eorum, quæ probantur, efficimus, quicumque id prohibuerit, ſiue pater, ſiue mater, ſiue quiuis, is inimicus, & hoſtis eſto. Sed Paulus ferens adhuc auditorum imperfectam rationem, ſcripſit in hanc ſententiam: *Qui autem ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem*. neque verò hic terminauit orationem. atqui *non habens neceſſitatem, & poteſtatem habens*, idem eſt. Sed tum longa oratione, tum perpetuitate conceſſorum, eos, quorum eſſet ſimplex, & parua ratio, conſolatur, ijs, quæ dicta ſunt, aliam præterea cauſam adiungens, Qui iudicauit in corde ſuo. neque enim liberum eſſe, ſatis eſt, neque ob id ſolùm debet, ſed cùm eum delegerit, & ſtatuerit, rectè facit. deinde, ne propter ſummam indulgentiam nullum putes eſſe interuallum, rurſum diſcrimen ponit, & quidem idipſum reprimens hiſce verbis. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit*. quo tamen loco quàm id præſtet, ob eam rurſum cauſam, minimè declarauit. Quòd ſi id ſcire vis, Chriſtum loquentem attende. *Neque nubent, neque vxorem ducent, ſed ſunt ſicut Angeli in cælo*. vide interuallum, quàm in excelſum locum virginitas, cùm eiuſ-

Margin notes: lxxvij. Mulierē quæ de terrenis rebus ſollicita ſit virginem non eſſe. — Integritas. — Simile. — Matth.25 — lxxviij. Quid ſit quòd vehementius non accuſat eum, qui ſuper virgine ſua turpē ſe videri exiſtimet 1.Cor.7. — Rom.14 — Coloſſ.2. — Rom.14. — 1.Cor.7. — Ibidem. — Matth.10 — 1.Cor.7. — Ibidem. — Math.22.

> lxxix. Nulla re inferiorē Angelis fuiſſe Heliam, & qui eius ſimiles fuerūt, & virginitatem fuiſſe quæ tales reddiderit.

eiuſmodi eſt, mortale corpus extollat. † Qua enim,
quæſo, re differebant ab Angelis Helias, Heliſæus,
Ioannes, veri hi virginitatis amatores? nulla, niſi
quòd mortali natura conſtabant. nã cætera, ſi quis
diligẽter inquirat, hi nihilo minùs affecti reperiẽ-
tur, quàm beatæ illæ mentes: & idipſum, quò infe-
riore conditione videntur eſſe, in magna eſt eorũ
laude ponendum. vt enim terrarum incolæ, & ij,
qui eſſent mortali natura, poſſent ad illam virtu-
tem vi & contentione peruenire, vide, quanta eos
fortitudine, quanta vitæ ratione præditos fuiſſe
oporteat. Virginitatem autem fuiſſe, quæ tales eos
reddiderit, ex eo perſpicuum eſt. nam ſi vxores
habuiſſent, & liberos, haud facilè adducti eſſent,
vt & in ſolitudine viuerent, & ſuas familias con-
temnerent, & reliqua, quæ neceſſaria eſſent ad vi-
tam, non compararent. Nunc verò his omnibus
ſoluti vinculis, tamquam in cælo, ſic in terris di-
uerſantes, non parietibus, non tecto, non lecto, nõ
menſa, non alijs eius generis rebus indigebãt, quin
illis cælum erat pro tecto, ſolum pro ſtrato, pro
menſa ſolitudo & quæ ſterilitas ſolitudinis, alijs
famis effectrix videtur, ſanctis illis viris ſuppedita-
bat rerum omnium copiam. nam ipſis neque viti
bus erat opus, neque torculari, neque frugibus,
neque meſſe, ſed vberem & ſuauem potum, fon-
tes, fluminaque & ſtagna præbebant. Inſtruxit au-
tem angelus vni menſam admirabili quodam, &
incredibili apparatu, ſupraque hominum conſue-
tudinem. Vnus enim panis ſatis fuit, inquit, ad
quadraginta dierum tolerandam inediam. Alterũ
autem ſæpius aluit Spiritus ſancti gratia, admira-
bilia opera facientem, neque eum modò, ſed etiam
per eum alios. Qui verò plus, quàm propheta fuit,
Ioannes, & quo non ſurrexit maior inter natos
mulierum, humani cibi non indiguit: non enim
pane, non vino, non oleo, ſed vitam locuſtis, & ſyl-
ueſtri melle tolerabat. Vidiſti in terris angelos,
vidiſti virginitatis vim, homines ſanguine, & car-
ne coagmentatos, & in terris veſtigium facientes,
& mortalis naturæ neceſſitati ſubiectos, vt illi cor-
poris expertes, vt cælum iam adepti, vt immorta-
litatem ſint conſecuti, ita te compara, vt iſta om-
nia efficias.

> lxxx. Quid ſit honeſtũ, & aſſiduè decorum eſſe.

† Cuncta enim illis erant ſuperuaca-
nea, & non modò quæ per ſe ſuperuacanea ſunt, vt
deliciæ, opes, potentia, gloria, & reliqua horum
corona ſomniorum, ſed illa etiam, quæ videntur
neceſſaria, & domus, & oppida, & artificia. hoc eſt
honeſtum, & aſſiduè decorum eſſe: hæc eſt virgi-
nitatis virtus. Admirabilis enim res eſt, & maximis
digna præmijs, tum in libidinis rabie victoria, tum
in furore naturæ continentia, ſed ita admirabilis,
ſi hæc adſit vitæ ratio. nam ipſa per ſe imbecilla
eſt, nec ſatis ad illos conſeruandos, qui ea præditi
ſint. ac nobis eius rei teſtes eſſe poſſunt, qui vel ho-
die virginitatem colunt, tantum enim abſunt ab
Helia, ab Heliſæo, ab Ioanne, quantum terra diſtat
à cælo. vt enim ſi honeſtam aſſiduitatem ſuſtule-
ris, ipſos virginitatis neruos excideris, ita ſi ipſam
cum optima vitæ ratione colueris caſtitatem, radi-
ces & fundamentum bonorum poſſederis. quem-
admodum enim ſtirpes ſolum fertile & optimum,
ſic præclarum viuendi inſtitutum virginitatis fru-
ctus alere ſolet. quinetiam radix, & fructus virgi-
nitatis eſt vita, quæ cruci conſentanea ſit. Hæc ge-
neroſos illos viros in admirabilẽ vitam deduxit.
nam eos omnibus circumciſis vinculis, vti liberis,
leuibuſque pedibus tamquam aues ad cælum vo-
larent, dimiſit. vbi enim neque vxoris famulatus,
neque cura liberorum, ibi eſt ſumma inopiæ faci-
litas. nos verò non modò terroribus, curiſque, aut
periculis, ſed alijs omnibus difficultatibus libera-
tos, inopia proximè tollit ad cælum.

> lxxxj. Quãtum ſit bonũ inopia.

† Nam cui ni-
hil eſt, tamquam ſi adſint omnia, ſi is cuncta deſ-
picit, magnaque & in Principes, & in potentes, &
in eum, qui diademate ornatus ſit, loquendi liber-
tate vtitur. pecuniã verò qui ſpernit, is rectà pro-
grediens, mortem etiam facilè contemnit, atque
ijs excelſior nihil timens, aut tremens, liberius lo-
quitur apud omnes, qui verò pecuniæ operam dat,
is non modò ſeruus eſt pecuniæ, ſed opinionis, ho-
noris huius vitæ, omnium denique (vt verbo cõ-
plectar) mancipium eſt eorum quæ ad vitam perti-
nent. quamobrem ipſam maiorum omnium radi-
cem Paulus appellauit. Sed virginitas potis eſt &
hanc radicem exurere, & egregiam alteram ani-
mis noſtris inſerere, quæ fruticetur, & bonorum
omnium fructus edat, libertatem, licentiam, ardẽs
cæleſtium bonorum ſtudium, terrenarum verò re-
rum omnium contemptionem, & ita honeſta ac
decora fit aſſiduitas.

> lxxxij. Cõtra eos qui dicũt virginitatis cultores precari, vt in ſinũ Abrahæ perueniant Petrus & Paulus continentes.

† Sed quænam eſt iſta ſapiens
oratio multitudinis? Abraham patriarcha, inquit,
vxorem habuit, & liberos, copias præterea, greges,
& armenta, & tamen Ioannes tum Baptiſta, tum
Euangeliſta vterq; virgo, Petrus præterea, & Pau-
lus continentiæ laude florentes, vt in illius ſinum
veniant, deprecantur, quis verò tibi id dixit, vir
optime? num propheta? num euangeliſta? Chri-
ſtus inquit ipſe. nam cùm in centurione ſummam
eſſe fidem vidiſſet, ait: *Multi venient ab oriente, &
occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob.*
Lazarus etiam vnà cum illo in deliciarum abun-
dantia à diuite videtur. Sed quid id ad Paulum?
quid ad Petrum? quid ad Ioannem? nam neque La-
zarus, neque Paulus, neque Ioannes, neque multi
ab orientis & ab occidentis ſolis partibus cœtus
erant Apoſtolorum. quamobrem nobis iſta ſuper-
uacua eſt, & inanis oratio. Quòd ſi omnino ſcire
vis, quæ ſint præmia Apoſtolorum, ex illo cognoſ-
ce, qui ea daturus eſt. *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſecu-
ti eſtis me, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ,
ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim
tribus Iſrael.* Neque vſquam hic Abraham, neque
filius eius, neque filij filius, nuſquam ibi ſinus, vbi
illi recipiantur, ſed multò maior honos eis habe-
bitur, quippe qui ſedentes de illorum poſteritate
iudicabunt. Nec verò hoc ſolùm inter eos conſtat
eſſe diſcrimen, verùm quod Abraham adeptus eſt,
id multi aſſequentur. *Multi* enim, inquit, *venient ab
oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, &
Iacob*, in ſellis autem illis tantùm ſedebit ſancto-
rum virorum chorus, præterea nemo. Num igitur,
quæſo, etiam nunc ouilia, armenta, nuptias, libe-
roſque meminiſti? Quid ergo id eſt, quod multos
virginitatis cultores tanto effuſo ſudore, precibus
petere dicit, vt in eum locum perueniant? Ego
verò illud adiungam, non paucos ex ijs, qui virgi-
nitatem coluerint, neque ſinum illum, neque
multò minora aſſecuturos, ſed in ipſam gehẽnam
peruenturos eſſe. ac virgines id illæ oſtendunt à
thalamo excluſæ. num igitur coniugium eſt pro-
pterea virginitati par? an hæc etiam illo deterior?
ipſam enim tuo exemplo inferiorem facis. Nam, ſi
qui vxorem duxit, Abraham in quiete, delicijſque
verſatur, virgines cruciantur in gehenna, ſequi-
tur enim, vt id ex veſtra ratione ſuſpicemur. ſed
non ita eſt, non, inquam, eſt ita. non enim ſolùm
non concedit virginitas, ſed eſt etiam coniugio
longè præſtantior. quonam id modo? quòd nec
connubium eum, qui fuit, reddidit Abraham, nec
omnino miſeras illas perdidit caſtitas virginalis.
At Patriarcham reliquæ virtutes illuſtrarũt, iſtas
verò ſempiternis flammis cætera vitia tradiderũt.
Ille enim etiam in coniugio dedit operam, vt exe-
queretur officia caſtitatis, honeſtatem videlicet, &
aſſiduitatem: at iſtæ virginitatem deligentes, in
hos vitæ fluctus, & connubij turbas inciderunt.
Quid igitur prohibet, inquit, quò minus nunc
etiam in coniugio, in liberis, in pecunia, in alijs
denique omnibus honeſtas iſta, & aſſiduitas ſerua-
ri poſſit? Primùm quòd nemo hac ætate cum A-
braham conferri poteſt, ne propè quidem ad eum

> Matth. 8. Luc. 16.

> Math. 19

> Math. 25

> Virginitas coniugio potior.

acce-

Digitized by Google

accedere: etenim magis ille pecuniam, diuitiaſque contempſit, quàm qui inopiam profitentur. cumque vxorem haberet, magis etiam, quàm qui virginalem caſtitatem colunt, ſibi in voluptate temperauit. iſti enim quotidie flagrant coniunctionis cupiditate; at ille libidinis ardorem vſque adeò reſtinxit, vſqueadeo nulla cupiditate irritus eſt, vt non modò ſe à concubina abſtineret, ſed vt inde cauſam omnem pugnæ, & diſſenſionis extirparet, domo ipſam eiiceret, at nunc id reperire nõ facile eſt.

lxxxiij. Non eundem virtutis modum nobis, & illis, qui veteri teſtamẽto vixerunt, eſſe propoſitum.

† Sed his omiſſis, quod initio dixi, id repetam etiam in præſentia, non eundem à nobis, & ab illis virtutis modum requiri. neque enim nunc quiſquã perfectus eſſe poteſt, niſi vendiderit omnia, niſi omnibus renuntiauerit, neque pecuniæ ſolùm, aut domui, ſed propriæ etiam vitæ curam abiecerit. at nullum tantæ perfectionis tum ſpecimẽ fuit. Quid ergo eſt? perfectiórne, inquit, noſtræ huius vitæ ratio eſt, quàm tum Patriarchæ fuerit? deberet quidem, & ea lege ſumus aſtricti, ſed hac viuendi regula non vtimur. Quamobrem longè ab illo iuſto viro abſumus, licet & illud omnino perſpicuum ſit, maiora nobis certamina eſſe propoſita. Itaque quo loco diuina ſcriptura Noë admiratur, non ſimpliciter, ſed cum appoſitione quadam id facit. *Noe* (Gen. 6.) *enim, inquit, vir iuſtus atque perfectus in generatione ſua*, Deo probatus eſt, non quòd omnino perfectus eſſet, ſed vt illa ætate. multi enim perfectionis modi temporum varietate definiuntur, fitque imperfectum procedente tempore, quod olim abſolutum videbatur, exempli cauſa, dabatur olim perfectæ laudi ex lege viuere. *Qui* enim *fecerit*, inquit, *hæc, viuet in eis.* (Leu. 18.) Verùm quæ fuerant tum abſoluta, Chriſtus aduentu ſuo imperfecta eſſe docuit. *Niſi* enim, (Matth. 5.) inquit, *abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum*, nam tum ad pœnam cædes modò propoſita eſſe videbatur, nunc ira, ac ſolum conuitium tantam habet vim, vt homines gehennæ cruciatibus poſſit addicere, in adulterium tum erat tantùm animaduerſio cõſtituta, nunc mulierem petulanter aſpicere ne impunè quidem licet, tum ſcelus erat tantummodo peierare, nunc eſt vel iurare nefas. *Quod his*, inquit, (Ibidem.) *abundantius eſt, à malo eſt.* hanc ætas illa maximam laudem propoſitam habuit, vt ſui ſtudioſis in amore reſponderet: hoc tempore magnum illud, & admirabile tantum abeſt à rei perfectione, vt id adepti nihilo plus, quàm publicani aſſequamur.

lxxxiiij. Iure eorũdem rectẽ factorum nobis, & iſtis, qui veteri teſtamento vixerunt, non eandem mercedẽ eſſe propoſitã. Simile.

† Sed quamobrem tandem eorundem rectè factorum nobis, & iis, qui veteri teſtamento viuebant, eadem præmia conſtituta non ſunt, ſed maiori nos virtute nitamur oportet, vt eandem, quàm illi ſunt aſſecuti, mercedem conſequamur: quòd magna nunc effuſa Spiritus ſancti gratia, magnum nobis Chriſti aduentu munus impertitum, ex infirmis perfectos reddidit. Vt igitur nos à liberis noſtris, cùm iam pubuerunt, multò maiores virtutis actiones requirimus, & quæ ab illis prima ætate rectè facta, prius laudabamus, eadem poſtea, cùm ſe ætas corroborarit, ab eiſdem perfecta non ita admiramur, ſed longè maiora iubemus efficere: ſic & Deus primis temporibus tanquam ab infirmorum hominum natura haud magna facinora requiſiuit: vt verò illi Prophetas, & Apoſtolos audiuerunt, ac Spiritus ſancti gratiam ſunt aſſecuti, iure ipſis maiorem conſtituit rationem rectè factorum, nam & maior nunc merces propoſita eſt, & ſplendidiora multò certaminis præmia conſtituta ſunt: non enim iam terra, aut terrena, ſed cælum, & quæ mente conſequimur, rectè facientibus bona proponuntur. Quid? nónne abſurdum ſit, cùm ſimus ætate confirmata, in illa nos exiguitate continere? tum enim inter ſe hominum natura diſſentiebat, belloque perpetuo premebatur, quod Paulus illis verbis declarauit. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis*, (Rom. 7.) at nunc non ita eſt, *quod enim poſſibile erat legi, in quo infirmabatur lex per carnem, Deus mittens filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato peccatum condemnauit in carne.* (Rom. 8.) Quamobrem Paulus illa eſt vſus actione gratiarum, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Deo per Ieſum Chriſtum.* (Rom. 7.) Propterea iure plectimur, quòd expediti curſum impeditorum aſſequi nolumus, quanquam vel ſi in eo pares illis eſſe poſſimus, ne ſic quidem liberi ſimus à pœna, nam qui ſumma pace perfruuntur, eos multò maiora, & illuſtriora trophæa ſtatuere oportet, quàm qui grauius bello premuntur. Quòd ſi in pecuniæ, deliciarum, vxorum, negotiorum denique cura, & cogitatione verſari volumus, quando erimus viri? quando ſpiritu viuemus? quando, quæ Domini ſunt, nobis curæ fuerint? an cùm hinc migrauerimus? at non erit præterea laborum, aut certaminum, ſed præmiorum, & pœnarum dies. Tum ne virgini (Math. 25) quidem, quæ in lampadibus oleum non habuerit, id ab aliis ſumere licebit, ſed excludetur. Quòd, ſi quis ſordidum veſtitum indutus affuerit, ad permutandam veſtem exire non poterit, ſed ad ignem gehennæ trahetur. Quòd ſi ipſum (Luc. 16.) etiam inuocauerit Abraham, nihil id ei fuerit adiumento, vbi enim aduenerit præfinitus iudicio dies, proque tribunali iam ſederit iudex, & flumen igne fluxerit, deque noſtra vita, & moribus quæſitum fuerit, non præterea permiſſum erit exuere vitia, ſed velimus, nolimus, ad ſupplicium propter illa ipſa peccata nobis debitum, trahemur, quo tempore nemo nos Deo reconciliare poterit, ne ſiquidem par libertate ſit magnis illis, & admirabilibus viris, etiamſi Noë, ſi Iob, ſi Daniel, etiamſi pro liberis deprecetur, nihilo tamen plus proficiat, tantùm neceſſariò ſupereſt, vt ſontes perpetuò torqueantur, quemadmodum qui rectè fecerint, ſempiternis bonis perfruantur, tam enim his, quàm illis finem nullum Chriſtus fore declarauit, vt enim vitam, ſic pœnam ſempiternam futuram dixi: nam aliis tum à dextera conſtitutis, aliis à læua condemnatis, Ibunt, inquit, iſti ad pœnam æternam, iuſti verò ad vitam æternam. Quamobrem in iis omnibus hic agere, & laborare oportet, & qui vxorem habet, ſic viuere, vt ſi non habeat, & ita ad virginitatis cultum reliquas omnes virtutes adhibere, ne, cùm ex hac vita migrauerimus, fruſtra lacrymas effundamus.

Sequentes Homiliæ nouem prius reperiebantur ſeorſum impreſſæ Baſileæ per Ioan. Oporinum Anno Domini 1552.

Digitized by Google

D. IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTI- nopolitani, Oratio de prouidentia, conuerſa in Latinum à Vito Amerpachio.

Adſtruit Dei prouidentiã licet non ſtatim puniat impios, & licet hic interdum proſperẽtur, Dei iudicia non eſſe ximanda.

QVAM ob cauſam non ab initio Deus inimicum, poſtquam decepiſſet, deleuit, ſi dominatur vis? dixerit aliquis. Ad hoc dici poteſt, quod ſit rationi conſentaneum: ſin hac facultate caret, ac perſuadet ſolùm, & eſt non parêre noſtræ poteſtatis, quare adimis nobis occaſionem laudis, & coronarum excutis materiam? Item alter, ſi reliquit eum, ſciens futurum vt vinceret,

B

nec ſic eſt res digna, cur vocetur in dubium. Nam quòd ille ſuperat, à nobis eſt, cùm inclinamur volentes, non cogimur. Quòd ſi multi fuerint iam ſuperiores, & multi poſthac erunt, quare futuros in exiſtimatione tanto priuas honore? Sed non omnes erunt illo ſuperiores. Generoſos tamen eſt multò iuſtius occaſiones habere, in quibus inſtitutum probent: ac eos qui tales non ſunt, puniri de propria ſocordia, quàm propter hos, iſtos affici damno. Malus enim etſi patitur iniuriam, non tamen ab aduerſario, ſed à ſua ſegnitie, quod multitudo vincentium declarat. Verùm tunc eſſent læſi malis boni, ſi non haberent vbi fortitudinem exercerent. Sic autem oris etiam, & oculorum effectionem accuſare poterunt. His enim appetunt multi, quæ appetere non conuenit, & in adulterium incidunt: illo autem conuitiantur, & pernicioſa decreta efferunt alij. Num igitur ſine lingua, & oculis homines factos oportebat? Ergo

Honore, intelligit victoriã, quę nulla eſſet hoſte ſublato. Lædi ſignificat bonos, quando nõ habẽt aduerſarium à quo exerceantur.

C

& manus, & pedes amputabimus, nam illæ ſunt plenæ ſanguinis: hi verò ad malitiam currũt. Aures inſuper etiam, quòd vanum auditum recipiãt, ac doctrinarum deprauationem in animum ablegent. Iam, ſi hæc, & eſculenta, & poculenta, & cælum, & terram, & mare, & lunam, & ſtellarum chorum. Vbi enim erunt vtilia, ſi tam ſit miſerabiliter is, propter quem facta ſunt, vulneratus? Vides riſum, & abſurditatem, in quam orationem perduci eſt neceſſe. Diabolus, hoc eſt, calumniator ille, ſibi eſt malus, non eſt nobis. Nos autem, ſi velimus, & multa bona per eum conſequimur, vt quoſdam fructus, ipſo inuito quidem, & nolente: ſed miraculum in eo maius erit, ac Dei benignitas in homines vberior. Quòd enim fiunt homines

D

meliores, mordet eum per ſe, ac dolore afficit. Quando autem hoc etiam per ipſum nobis conciliatur, nec ferre poteſt moleſtiam. Niſi Deus, dicunt quidam, conceſſiſſet, nec potuiſſet adoriri diabolus, nec decipere hominem ab initio. Quid igitur ad hoc dicemus? Nec ſcire potuiſſe Adamũ, niſi hoc factum fuiſſet, quantum bonum cepiſſet: nec ab amentia recedere illa vmquam. Is enim, quoniam ſe ipſe tanti feciſſet, vt etiam Deum ſe futurum ſperauerit, quid non fuiſſet auſus, non compreſſus moderatione? Ponamus enim, calumniatorem illũ nec dediſſe cõſilium, an propterea nõ peccare potuit? Nõ eſt hoc dicẽdum. Qui enim tam facile fuit à muliere perſuaſus, hic etiam, ſi diabolus nõ fuiſſet, per ſe in peccatum incidiſſet. Ac is, qui tam facile deceptionem admiſit ab alio, fuit etiam antè quàm deciperetur, ſegniter affectus, & molliter: nec tamen potuiſſet ille, ſi anima ſobria fuiſſet, ac vigil. Et quam ob rem Deus tale præceptum Adamo dedit, cũ ſciret eum eſſe peccaturum? Quòd etiam dare præceptum eſt maioris curæ, quàm non dare. Habeat enim Adã propoſitũ

A

ita languidũ, vt eum habuiſſe finis docuit: ac nullũ præceptũ accipiat, ſed perſeueret in delicijs viuere. An igitur infirmitas, & ſegnities in hac remiſſione ad peius, an ad melius promouiſſet? Sed nemimem latet, eum ad extremam vitioſitatem incidiſſe per negligentiam. Qui ergo nondum poſſet immortalitatem ſperare, ſed in pendenti eſſe, hanc ſpem ſciret, ac ad tantam petulantiam, & amẽtiam eſt elatus, vt ſe Deum fore ſperaret: cumque qui hæc promiſiſſet, nuſquam fidelẽ eſſe, aut certum, ſi firmam habuiſſet immortalitatem, quò nõ proceſſiſſet amentiæ? Quare autem non peccauiſſet? Quãdo paruiſſet Deo? Nam, qui Deum, qui dederat præceptum, contempſit adeò poſt iuſſum acceptum, ſi nihil omnino audiuiſſet ab eo, citò etiam dominum ſe habere ignoraſſet. Porrò, ſi prorſus malorum nemo hic fuiſſet punitus, & nemo frugi honore affectus, multi non credentium reſurrectionis doctrinam, virtutem, vt malorum cauſam fugiſſent: vitium autem expetiuiſſent, vt bonorum

B

conciliatorem. Si rurſus hic omnes accepiſſent, quod fuiſſent meriti, ſuperflua putauiſſent eſſe, ac falſa, quę de iudicio dicerẽtur. Ne igitur vmquã ſic diffideretis, & multitudo vilioris populi deterior fieret contemnẽdo, hic etiam de multis peccantibus fert ſententiam, & quibuſdam rectè faciẽtibus dat præmium, eo quidem, quòd non hoc facit omnibus, doctrinam de iudicio confirmãs: quod autem non punit quoſdam ante iudicium, dormientes quaſi multos excitans, Multi enim reſurgunt videntes puniri malos, & quia metuunt, ne patiantur eadem: cùm autem non omnes pro merito hic vident gratiam recipere, coguntur cogitare, quòd hoc in aliud opportunum tempus reſeruatum ſit. Quapropter cùm peccauiſſet Cain, Deus non ſtatim eum ſuſtulit, vt omnes deinde per eum fierent moderatiores, & ob reprehenſionem eius meliores. Hoc ergo nobis debet eſſe perſuaſum, adminiſtrari à Deo nobis omnia vtiliter: modum au-

C

tem non eſſe amplius quærendum: non etiam ignorantibus moleſtè ferendum, aut animum demittendum. Nec enim poſſibile eſt hæc ſcire, nec vtile: alterum, quia mortales ſumus: alterum, quia celeriter in dementiam rapimur. Vult enim & eos qui non credunt ipſi, Deus mutatione ſeruari, ſicut ipſe dicit: Non veni ad iuſtos vocandum, ſed peccatores ad pœnitentiam. (Matth. 9.) Et quare non è medio ſublatus eſt calumniator? Sit vnus aduerſarius, & pugiles duo cum illo certaturi: & horum duorum athletarum alter ingluuie corruptus, neglectus, eneruatus: alter verò aliquid agat honeſtè, bono ſit habitu corporis, verſetur in luctis, in multis gymnaſijs, ac vtens omni exercitatione in certando. Si tollas igitur aduerſarium, vtri ex illis nocue-

D

ris? an ignauo, & negligenti: an agenti honeſtè, quique tanta fecit laborando? Patet, honeſto & acri te nocuiſſe. Nam hic propter ignauum affectus eſt iniuria, ſublato aduerſario. Sed ignauus, & piger, hoc relicto: non etiam ideo, quòd acris læſerit. Ex propria namque ignauia prolapſus eſt. Infirmus igitur inſtituto, & neglectus, & ignauus, etiam quando non eſt calumniator, citò cadit, ac in multa ſe ipſe barathra vitioſitatis præcipitat. Si enim & noſtra membra inſpiciamus, eaſdem pernicie cauſas inueniemus, vbi non aduigilamus, nõ à propria natura, ſed à noſtra ignauia. Sed vide, oculus eſt datus, vt videns quod eſt conditum, conditorem & prædices, & Dominum. Si autem non honeſtè oculo fueris vſus, adulterij tibi ſit cõciliator. Lingua data eſt, vt laudes canas, & conditori benedicas: verùm ſi non rectè aduertis maledicẽtiæ tibi, & conuitiorum ſit cauſa. Manus datæ ſunt, vt eas ad orationes extendas, quòd ſi non ſis ſobrius, extendis eas ad ſtudium alijs plus habẽdi. Pedes dati ſunt, vt curras ad bona opera: ſed ſi negligas, malas per eos habebis actiones. Vides quòd

omnia

Digitized by Google

omnia lædant infirmum, etiam ipſa remedia ſalutaria protrudunt eum in mortem, non ex propria natura, ſed ex illius imbecillitate. Solus diuinus conſpectus ad malos perdendum ſatis eſt. Nam ſi dæmonum robur infirmat ſanctorum præſentia, multò magis Dei. Quando videmus rerum diſſipationem & perturbationem, ne Deum accuſemus, ne putemus improuiſa eſſe præſentia. Non enim rerum curſus eſt verè diſſipatio, & perturbatio: ſed in hunc modum affecta cogitatio, quę tametſi decies millibus ordinibus vteretur, antè quàm diſſipationē, quæ ipſi eſt, correxerit, nihil, nihil inquam ei plus ordinis in rebus erit: ſed quēadmodum oculus, cùm ægrotat, in meridie clariſſima videbit tenebras, & alia pro alijs, ac nihilo radiorum ei plus erit: bene autem valens, & firmus, ad veſperum etiam proterit corpus ducere, vt ſit in tuto. Sic & mentis noſtræ oculus, donec firmus erit, etiamſi fuerit intuitus quæ diſſipata eſſe putari poſſint, pulchrorum loco intuebitur: quando autem fuerit corruptus, etſi cælum ipſum in eum inuexeris, ea quæ ibi ſunt, magnæ diſſipationis & perturbationis condemnabit. Nec itaque hic Deus pœnam petit, ne reſurrectionem reijcias, & iudicium deſperes, quaſi omnia rationem hic reddant: nec finit omnes abire impunè, vt non putes omnia carere prouidentia. Si quis non credit eſſe reſurrectionem, cogitet, quàm ex ijs quæ ſunt, multa fecerit Deus, & neceſſariam de hac etiam recipiat probationem. Etenim ex terra ſumpta & mixta & hominem quoque fecit terra, quæ *antea non erat. Quomodo igitur facta eſt homo terra? Et quomodo ipſa, quæ non erat, eſt adducta? Qualia fulcra verò ſunt eius? Et quid eſt poſt eam? Quomodo ex ea producta ſunt omnia ratione carentium infinita genera, ſeminum, ſtirpium? Hoc enim eſt reſurrectione incertius. Non eſt enim æquale, iterum accendere lucernam extinctam, & monſtrare ignem qui nuſquam appareat: nec, domum collapſam reparare, ac producere, quæ non ſit omnino. Illic enim, ſi aliud nihil, materia tamen adfuit: hîc autem nec ſubſtantia viſa eſt. Propterea, quod nobis difficilius videtur, fecit priùs, vt ex eo proponeret exemplum illius quod eſt facilius. In ortu etiam noſtro nónne parum ſeminis rudis & indiſtincti prius in vterum ſuſcipientum inijcitur? Vnde ergo eſt tanta animantis effictio? Quid frumentum? non granum in terram nudum proijcitur? non, eſt vbi proiectum, putreſcit? Vnde ſpicæ, ariſtæ, culmi, & alia omnia? Nō fici paruum granulum ſæpe in terram prolapſum, radicem tulit, & ramos, & fructum? Præterea quodlibet horum accipis, & non curioſè de ipſis agis: Deum verò tantum ad pœnam poſcis in formando noſtro corpore? Et quomodo merentur hæc veniam? Cuius autem rei cauſa Deus diabolum, qui tam prauus eſt, vt ſupplantet nos, reliquit? Vt quando metu compelleremur, & belli aggreſſionem expectantes, multas vigilias, & continuam ſobrietatem præſtaremus. Et quid eſt mirum tibi, ſi diabolum propter hoc reliquit. Nam cùm noſtram ſalutem curaret, ſocordiamque noſtram excitaret, ac materiam coronarum præpararet, ipſam ideo parauit gehennam, vt pœnæ metus, & ſupplicij moles intolerabilis nos ad regnum cōcitaret. Si ergo boni quid facies, & non acceperis hic eius mercedem, ne turbare. Cum vſura enim huius redditio te manet in futuro tēpore, nec, ſi mali quid feceris, & non dederis pœnam, confide. Nā iſtic pœna te excipiet, ſi non fueris mutatus, & factus melior. Tumultuaris, & fers impatienter, & omnia perturbatione reples, cùm vides multos in prauitate viuentes, & rectè habere, ac feliciter, & frui præſentibus, doleſque patientia Dei. Quid facis? dic mihi. Quòd inſident, ac infeſtas faciunt vias? quòd muros perfodiunt? quòd noxijs venenis

*Antea ſ. quã eſſet ipſa condita, non homo: eſt illa fuerit quando iſte conderetur.

A multos perdiderunt? Num igitur iudicem de his accuſamus? Nequaquam. Si hos comprehenderet, & quaſi ad calculum adigendo examinaret, affectumque iniuria puniret, ac eum qui feciſſet, honoraret, & coronaret, accuſatione reuera dignus eſſet, & extremis criminationibus. Cùm autem nondum ſint iudicio traditi, actionem ipſe intentas, ac damnas præueniendo? Intuere actiones tuæ vitæ, homo: ingredere in tuam conſcientiam, & excute animum: ita fiet, vt non tantùm non laudes tuum calculum, verùm ſis mutaturus quoque ſententiam, & humanitatem recepturus, ac habiturus gratiam propter cohibitionem, ita vt mireris malorum tolerantiam eius. Nam ſi vnuſquiſque noſtrûm penſurus pœnam eſſet peccatorum, ſtatim cùm eſſent commiſſa, non poſſet fieri quin iam olim noſtrum genus interijſſet. Ne igitur labamur, fratres. Non enim tam ſalutem noſtram nos curamus, quàm is qui nos fecit: nec tam curæ nobis eſt, vt nihil aduerſi patiamur, quàm eſt, qui nobis animam largitus eſt, Deo. Nec enim calamitatibus relinquit

B ſemper homines Deus, vt non ſuccumbant: nec in ſecundis rebus, vt non ſegniores fiant: ſed variat ſalutem noſtram viſſitudinibus. Nam ſi nauigium non ſubſiſtit, niſi habeat rectorem, ſed facile ſubmergitur: quomodo mundus conſtitiſſet tam diu, ſi nemo gubernaret eum? Et ne quid nimium dicam, finge nauem eſſe mundum, carinam terram, velū eius cælum, homines vectores, mare ſubiectā profunditatem, quomodo in tam longis temporibus non factum eſt naufragium? Relinque igitur nauem ſine rectore ac nautis vnum diem, ac ſtatim videbis eam demergi. Sed mundus nihil eſt paſſus tale, cùm durauerit quinquies mille, ac multò plures annos. Et cur dico de nauigio? paruum tuguriū quis inter vites conſtruxit, & poſtea collecto fructu, eam deſeruit, ac ſæpe nec duos dies perdurat, ſed diſſoluitur, & collabitur citò. Non autem ſine proſpiciente ipſi tuguriolum ſtaret ac tātum opus

C maneret incollapſum in tempus tam longum ſine prouidentia. Vide mihi pulchritudinem hominis, quàmdiu duret, ac non ſit corrupta. Intuere vim terræ, quomodo non ſit ruptus, qui tam longo tempore peperit, eius vterus. Vide mihi fontes, quomodo ſcaturiant, & nō defecerint, ex quo ſunt conditi. Vide mihi mare, quot receptis fluminibus, non tranſierit limites. Iure de illorum quæ dicta ſunt, vnoquoque dicitur: *Magnificè prædicata ſunt opera tua, Domine, ſapienter feciſti omnia.* Quomodo enim Pſal. 103. abſurdum non eſt, nec rationes petere, nec reprehendere aſſidentem, & videntem fabrum diuidere ac ſecare ligna, & in medicum non inquirere, qui ſecat & vrit carnem, atque in caueam includit, ac affligit fame decumbentem, ſed quieſcere, & tacere: ſapientiam verò non exprimendam verbis, & non efferendam humanitatem excutere, ac in ea re multum eſſe occupatum? (Auxiliari etiam, &

D profundere pecunias pro iniuriam patientibus & paupertatem non facile non grauentur.) In totum autem inquire, cur hic eſt pauper, cur ille mendicus eſt? cur ille diues? Non deorſum intueris, & noſcis teipſum, ac fræno linguæ impoſito, etiam contrahis intelligentiam, abiecta illa curioſitate faciendi multa, quæ nihil ad te pertinent? Ad tuam te vitam conuerte. Inſpice in ea quæ ſunt à te geſta, in pelagus tuorum peccatorum, atque ſi es curioſus & negotioſus in alienis, à teipſo exige pœnas dictorum & factorum, quæ male protuliſti, quæ turpiter feciſti. Nunc verò, te relicto inexcuſſo, Deum damnas, ac tuis peccatis addis peccata. Et quomodo hæc non digna ſunt punitione? quam nobis omnibus concedatur effugere, fauore ac humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Digitized by Google

Diui Ioannis Chryſoſtomi, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, De diuitijs & paupertate, Oratio, Martino Cromerò Interprete.

Diuitiæ quã fluxæ, & fallaces ſint.

Luc. 16.

CVm præter meritum quempiam diuitem eſſe videris, ne beatum iudices: ne dignum æmulatione putes: ne condemnes Dei prouidentiam: ne arbitrere caſu atque temere ferri præſentia. Recordare Lazari & diuitis, quomodo hic quidem ad ſummum opulentiæ ac luxuriæ profectus eſt, cùm eſſet acerbus, immitis, immanis, & quibuſuis canibus efferatior. Siquidem illi miſerabantur & curabant pauperem, non ſegniter lambentes vlcera, quæ totum corpus illius oppleuerant: hic verò ne micas quidem ipſi porrigebat. Pauper verò ille, reuera diues, reuera copioſus, in extremam paupertatem decidit, & neceſſario etiam alimento deficiebatur, & cum morbo ac fame continua colluctabatur. Atque ille quidem plura quàm vſus poſtularet, habebat: hic verò ne modicis quidem potiebatur. Sed tamen non grauatè tulit, non incuſauit Deum, non queſtus eſt de prouidentia. Quàm abſurdum igitur ſit, illos quidem ipſos qui malo afficiuntur, ita de omnibus Domino gratias agere: te verò extra certamina poſitum, de his Deo conuitiari, quæ alij gratis animis perferunt? Nam ijs quidem, cui aduerſi quid accidit, ſi quod verbum improbum odioſum dicat, & ſi non tantam, quantam alter, ſed tamen minorem dumtaxat veniam conſequitur. At qui extra res aduerſas poſitus ipſe, aliorum cauſa animam ſuam it perditum, quãnam venia dignus fuerit, qui de his Deo conuitietur, de quibus is ipſe, qui malo afficitur, gratias agit, nec vſquam ceſſat eum laudibus extollere? Quam enim ob rem, ô homo, eiuſmodi tibi videntur diuitiæ, quas oporteat magno ſtudio conſectari? Propter voluptatem ſcilicet eam, quæ ex menſis percipitur: propter honorem, propter ſatellitium eorum qui ob hæc te colunt, & vt eos qui tibi moleſti ſunt, vlciſcare, ſisque omnibus formidabilis. Neque enim alias cauſas habes dicere, præter voluptatem, adulationem, metum, & vltionem. Neque enim ſapientiorem, neque temperantiorem diuitiæ reddere ſolent: non commodum, non humanum, non vllam aliam virtutis partem in animum inducere & inſerere. Nec potes dicere, propter horum aliquid eas te conſectari atque deſiderare. Non ſolùm enim non norunt quippiam horum bonorum inſerere aut excolere: verùm etiamſi repoſita repererint, vitiant & obturbant: quædam verò etiam reuellunt, & contraria pro his inducunt. Sed non dicam de his. Nam quos hic morbus cepit, non ſuſtinent audire, accuſari ſe & argui: toti voluptati addicti, atque ob id ſerui ipſius facti. Propter hoc igitur, dic mihi diuitiæ nobis deſiderabiles, ac de quibus conflictari conueniat, videntur eſſe, quòd grauiſſimas in nobis affectiones alunt, iram ad opus excitantes, & inſani gloriæ ſtudij ampullas maiorem in modum attollentes, & ad ſuperbiam exuſcitantes? Quin ob hoc maximè obſtinatè fugiendæ ſunt quòd feras quaſdam immanes & aſperas in animum noſtrum deducunt, per quas eo quidem honore, qui ab omnibus defertur, priuant: ei verò aduerſum coloribus illius illinunt, atque ita deceptis offerunt, perſuadentque, hunc illo maiorem eſſe, cùm non ſit natura, ſed in ſpeciem potius eſſe videatur.

Simile.

Quemadmodum enim meretricantium mulierum formæ frictionibus & fucis compoſitæ, pulchritudine quidem ipſa carent, turpem verò ac deformem faciem pulchram & formoſam ſeductis ab illa videri faciunt: ita diuitiæ quoque infamiam honoris loco exhibent. Ne

A enim eas mihi acclamationes, quæ in propatulo propter metum & aſſentationem fiunt, intueare: ſed conſcientiam cuiuſque ex ijs qui ſic adulantur, explica, & videbis intus innumerabiles accuſatores, qui contra te vociferantur, teque magis quàm qui maximè inimici hoſteſque ſunt, auerſantur & oderunt. Quòd ſi quando perſonam iſtã ex metu compoſitam rerum commutatio ſuperueniens è conſpectu ſubduxerit & redarguerit, ſicuti facies illas ſol radio calidiori immiſſo, tunc probè cernes, ſuperiori tẽpore infra omnes te fuiſſe contemptiſſimum apud eos qui te colebant, & honorem tibi haberi te putauiſſe ab ijs qui te primis oderant, & in extremis calamitatibus videre cupiebant. Quare non errauerit quiſquam, ſi diuitias improbum ſeruum vocet, ſeruum ſanguiuorum, ſeruum homicidam, ſeruum cæde domino gratiam referentem: & quod grauius eſt, non tunc, cũ ipſum reliquerit, in pericula conijcit, verùm etiam prius quàm reliquerit, tumultus ipſi atque turbas ciet. Enimuerò, quis Eutropio
B fuit ſublimior? nónne vniuerſum orbem terrarum diuitijs anteibat? nónne ad ipſa honorum faſtigia euaſerat? nónne omnes eum tremebant & formidabant? Ecce autem ipſis etiam nexis in carcere factus eſt miſerior, & ſeruis miſerabilior, & fame tabeſcentibus mendicis indigentior: & quotidie gladios exacutos cernens, & barathrum, & carnifices, & abductionem ad necem, ne nouit quidem, an vmquam in illa voluptate fuerit: ne radium quidem ipſum ſolis ſentit, ſed meridie medio, quaſi denſiſſima nocte circumſeptus, ita viſu orbatus eſt. Quin ſi maximè contendamus, non poterimus verbis aſſequi dolorem quantum ſuſtinere eum conſentaneum eſt in dies, vt capite plectatur, expectantem. Buxeum enim vultum eius video, nihiloque melius affectũ, quàm qui ſemel iam nunc emortuus ſit. Iam crepitus & ſtridor dentium, totiuſque corporis tre-
C mor ipſi adeſt, & vox interrupta, & facies, & qualem lapideam illam animam habere par eſt. Dicebámne tibi aſſiduò, fugitiuas eſſe diuitias? Tu verò nos non ferebas. Dicebámne improbum ſeruum eas eſſe? tu verò nolebas credere. In rebus ipſis experientia monſtrauit, non ſolùm fugitiuas & improbas eſſe, verumetiam homicidas. Hæc namque te nunc tremere & formidare fecerunt. Dicebámne tibi, cum aſſiduò vera dicentem me increpares, quòd ego plus adulatoribus te diligam? ego obiurgans, obſequentibus magis curem? Addebámne his verbis: fide digniora eſſe vulnera amicorum, quàm inuoluntaria oſcula inimicorum? Si mea vulnera pertuliſſes, oſcula illorum mortem iſtam tibi non periſſent. Mea namque vulnera ſanitatem præſtant: illorum verò oſcula inſanabilem morbum effecerunt. Vndénam hoc? ex eo, quòd humanarum rerum mutationes non cogitabas. Nam

Prou. 27.

D ſi metuiſſes mutationem, non ſubiuiſſes mutationem. Sed quoniam neque per te ipſe, neque ab alijs fiebas melior, propterea periculum eorum quæ verbis dicebantur, re ipſa feciſti. Si dico quòd diuitiæ eos qui ipſis malè vtuntur, produnt, & venit tempus, re ipſa verum id eſſe oſtendens, cur eas detines, quæ in aduerſis nihil proſunt? Si vires habent, adſint tibi cùm in neceſſitatem incideris. Quòd ſi tunc fugiunt, quid opus eis habes? Hæc dico, neque dicere deſinam, quamuis multi nobis ſuccenſeant. Semper dicit, inhæret diuitibus. Enimuero & illi ſemper inhærent pauperibus. Ego verò inhæreo diuitibus, imò non diuitibus, verùm ijs qui diuitijs malè vtuntur. Semper dico, non diuitem traducens, ſed raptorem. Aliud diues, aliud raptor: diſtingue res, & ne confundas quæ impermixta ſunt. Diues es, non veto. Raptor es, accuſo. Habes tua, fruere. Aufers aliena, nõ taceo. Vis me lapidare? paratus ſum & ſanguinem profunde-

Digitized by Google

fundere. Modò vt peccatum tuum prohibeam, non eſt mihi curæ odium, non bellum. Vnum mihi curæ eſt, vt proficiant audientes. Et pauperes mei filij,& diuites mei filij ſunt. Idē vterus vtroſq; parturiuit, eædem parturitiones vtroſque pepererunt. Lapidet qui vult, oderit qui vult, inſidietur qui vult. Pignora coronarum ſunt mihi inſidiæ, & numerus præmiorum vulnera. Non metuo inſidias: vnum tantummodo metuo, pcecatum. Modò ne quis me peccantem arguat, vel orbis terrarum aduerſum me bellum gerat. Videtis humanarum rerum vilitatem? Videtis imbecillitatem potentiæ? videtis diuitias, quas ſemper fugitiuas appellaui, non ſolùm fugitiuas, verùmetiam homicidas? Neque enim habentes ſe deſerunt, ſed iugulant. Vbi quis eas colit, ibi maximè eum produnt. Quare colis diuitias, quæ numquam contineri poſſunt? Vis eas continere? ne defodias, ſed da in manus pauperum. Feræ ſunt diuitiæ: ſi contineantur, fugiunt: ſi ſpargantur, manent. Sparge, vt maneant. Ne defodias, vt ne fugiant. Vbi ſunt diuitiæ, libenter eos qui deceſſerunt, rogarem? vbi diuitiæ? Hoc autem dico, non exprobrans, abſit: neque refricans vlcera, ſed ex aliorū naufragijs vobis portum parans. Etenim qui hodie diues eſt, cras pauper fuerit. Eoque ſæpenumero riſi teſtamenta legens, dicentia: dominium quidem agrorum, vel domus ille habeto, vſum verò alius. Omnes vſum habemus, dominium nemo. Quamuis enim tote vitæ tempore penes nos maneant diuitiæ, nullam mutationem admittentes, volentes, nolentes moriendo alijs eas concedemus, vſu quidem earum decerpto, eoque ſolo, non etiam dominio: ſed nudi vacuique ad illam vitam demigrabimus. Vnde planum fit, illos dominium habere, qui & vſum earum contempſerint, & fruitionem deriſerint. Quãnam igitur de cauſa diuitias appetendas eſſe putas, eoſque qui eas poſſident, beatos iudicas, & æmularis? Quónam verò differt diues à paupere? Nónne vnum & ipſe corpus veſtit? non vnum ventrem alit? Cur autem ſeruos multos habes? Nam vt veſtimentis vſum modò conſectari oportet, itemque in menſa: ſic & in ſeruis. Etenim vno ſolo ſeruo vnum Dominum vti oportebat: imò verò etiam duos & tres Dominos vno ſeruo. Quod ſi graue hoc eſt, cogita eos qui nullum habent, & expeditiori tamen cultura fruuntur. Propterea namque & manus dedit nobis Deus, & pedes, vt ne ſeruis indigeamus. Neque enim neceſſitatis cauſa ſeruorum genus inductum eſt. Etenim cùm Adam, ſeruus quoque conformatus fuiſſet: verùm peccati & inobedientiæ pœna hæc eſt, atque coercitio. Quod ſi maximè neceſſarium ſit ſeruum habere, at vnicum, aut alterum dumtaxat. Nam quid tibi vult multitudo ſeruorū, & inſolenter incedere in foro? An enim inter feras ambulas, quòd obuios abigis? Ne metuas? nemo mordet eorum qui accedunt, & prope te ambulant. At enim contumeliam ducis? pariter cum omnibus incedere? Quanta verò hæc amentia eſt? equum prope ſequentem, contumeliam afferre non putare: hominem verò, niſi decem millibus ſtadiorum abigatur, dedecori eſſe exiſtimare? quid hac ſtultitia deterius, homines propellere, vt iumentum ſpatioſe incedat? Tanta enim nobis inter nos, vſus mutui neceſſitas à Deo ſolerti prouidentia conſtituta eſt, vt ſi etiam quis omnium hominum ſit ditiſſimus, ne ita quidem ſolutus eſt coniunctione hac, & vt tenuiori opus non habeat. Neque enim diuitibus tantùm pauperes indigent, ſed & diuites pauperibus: & iſtis magis illis, quàm illi iſtis. Atque vt hoc manifeſtius videas, faciamus, ſi videtur, duas ciuitates: alteram diuitum tantùm, alteram pauperum. Ac neque in ea quæ diuitum erit, pauper ſit quiſpiam: neque in ea quæ pauperum, vir quiſpiam diues ſit: videamuſque, vtra magis ſeipſa contenta eſſe poſſit. Igitur in illa quæ copioſorum eſt, nullus erit opifex, non ſtructor, non faber materiarius, non calcearius, non piſtor, non agricola, non ærarius, non reſtio, non alius quiſquam eiuſdem modi. Nam quis diues exercere hæc vmquam volet? quando & ij qui hæc tractant, cùm ditati fuerint, ærumnam horum laborum non ferunt. Quónam igitur modo ciuitas hæc nobis ſtabit? Dato, inquit, argento ement hæc diuites à pauperibus. Quónam verò pacto domos ædificabunt? An & hoc ement? At natura id fieri non poteſt. Quare neceſſe erit artifices illuc acceſſere, legemque abrogare, quam initio ſanximus, cùm ciuitatem conderemus. Videamus ergo etiam pauperum ciuitatem, an & ipſa itidem minus ſufficienter conſtituatur, priuata diuitibus: prius diuitias, velut aurum, argentum, lapides pretioſos, & veſtimenta ſerica, & purpuram auro intextam oratione amputauerimus, eaque inde eiecerimus. Quid igitur ob hæc ſtatus ciuitatis huius requiret, dic mihi? Nihil penitus. Nam ſiue ædificare oportet, ſiue ferrum cudere, ſiue veſtimentum texere, non auro, neque argento, neque vnionibus opus eſt, ſed arte & manibus. Quid verò ſi agrum colere, terramque fodere operæpretium ſit, diuitibúſne, an pauperibus opus eſt? Cuius clarum eſt, quòd pauperibus. Vbi ergo tandem diuitibus indigebimus? niſi ſi demoliri ciuitatem hanc oporteat. Quoties igitur videris quempiam veſtimentis & numeroſo ſatellitio foris ſplendentem, explica conſcientiam ipſius, & multum cœni reperies. Cogita Paulum, Petrum: cogita Ioannem, Heliam, atque adeò ipſum Dei filium, non *habentem vbi caput acclinet*. Illius, & ſeruorum eius æmulator eſto, eorumque ineffabiles diuitias cum animo tuo reputa. Quod ſi cùm paululum proſpexeris, ex diuitijs rurſus tenebris inuoluare, perinde ac in naufragio quopiam ſuperueniente procella: audi ſententiam Chriſti dicentem: Fieri non poſſe, vt *diues in regnum cælorum introeat*. Et ad hanc ſententiam confer montes, & terram, omniaque, ſi vis, oratione fac aurum eſſe: nihil videbis par detrimento, quod illinc tibi exiſtit. Iam verò, dic mihi, ſi quis te in regiam introduceret, & vt rex coram omnibus ſermonem tecum haberet, procuraret, conuictoremque & contubernalem tibi ipſum faceret, nónne omnium beatiſſimum te eſſe diceres? Cùm autem futurum ſit, vt in cælum aſcendas, & iuxta ipſum regem vniuerſorum aſtes, & angelis ex aduerſo reſplendeas, & inacceſſibili illa gloria fruare, dubitabis, an operæpretium ſit pecuniam profundere? cùm cōueniat, ſi vitam quoque ipſam exuere neceſſe ſit, exultare & geſtire, & volucrem fieri præ voluptate. Sed heu magnum ſtuporem, quod quum huiuſcemodi bona expectentur, adhuc præſentibus inhiamus, & non animaduertimus dolum malum diaboli, qui paruorum obiectu magna nobis adimit: lutum dat, vt cælum rapiat: umbram oſtendit, vt veritatem excludat: in ſomnijs imagines obijcit, hoc enim ſunt præſentes diuitiæ, vt adueniente die pauperrimos omnium oſtendat. Ne igitur magnum bonum diuitias eſſe arbitremur. Magnum enim bonum eſt non poſſidere diuitias, ſed poſſidere timorem Dei. Ecce enim ſi quis iuſtus eſſet, & multam fiduciam in Deo fixam haberet, ſatis eſſet, ſi manus modò in cælum protenderet, Deumque vocaret, & ſtatim nubes hæc præteriret. Tantum verò auri repoſitum eſt, & quouis luto inutilius id eſt, ad laxamentum malorum prementium. Neque verò in hoc ſolo periculo: verumetiam ſi morbus occupet, ſi mors, ſiue quid aliud eiuſmodi, redarguitur diuitiarum vis, nullum leuamen ijs quæ accidunt, à ſe habens oſtendere. Nam qui vt malè ſibi conſcius eſt,

Teſtamēta quæ riſerit.

Luc. 9.

Marc. 10. Luc. 18.

Diuites indigent pauperibus.

etiamſi

A etiamſi omnium pecunia circumiectus ſit, omnium eſt miſerrimus: ita qui perpurgatam habet conſcientiam, etiamſi detritis pannis amictus ſit, & cum fame luctetur, æquiore animo eſt, quam qui vehementer luxu affluunt. Iccirco habes pecuniam, vt paupertatem diluas non vt paupertatem aſciſcas. Tu verò prætextu leuaminis maiorem miſeriam efficis, benignitatemque vendis pecunia. Vende, non prohibeo, ſed regno cælorum. Ne paruum tanti rectè facti pretium acceperis, nempe vſuram centeſimam, ſed vitam illam æternam. Cur mendicus es, & pauper, & anguſti animi, paruo, hoc eſt, pecunia pereunte magna vendens? Cur Deo relicto humana lucra lucraris? cur diuitem prætercurrens, non habenti moleſtus es: & gratiam referentem deſerens, ad ingratum te ingeris? Ille cupit referre gratiam, iſte verò grauatè etiam refert: iſte vix centeſimam reddit, ille verò centuplam, & vitam æternam: iſte cum contumelijs & conuitijs, ille cum laudibus & cum

Pecunijs ſeruire quàm ſit miſerum

B approbatione: iſte inuidiam tibi exuſcitat, ille verò coronas etiam concinnat: iſte vix hîc, ille verò & illic, & hîc. Nónne igitur extremæ amentiæ eſt, neſcire lucrari? Pecuniam poſſidere oportet vti dominos, non vti ſeruos: ita vt ea in poteſtate noſtra, non vt nos in ipſius ſimus. Propterea namque χρήματα, id eſt, pecûnia dicta eſt, vt in neceſſaria miniſteria ipſa vtamur, non vt in cuſtodiam deponamus. Serui enim eſt aſſeruare: expendere verò domini, & magnam poteſtatem habentis. Quocirca nihil inſipientius ſeruo pecuniæ. Tenere ſibi videtur, cùm ipſe teneatur: videtur ſibi Dominus, cùm ſit ſeruus: & cùm vincula ſibi ipſe circumdederit, quaſi in omnes imperium habens geſtit: & aſperiore in ſe feram efficiens lætatur: & ſaltat in captiuitatem incurrens: & videns canem rabie percitum, & aſſilientem animæ ſuæ, pro eo quòd ligare & fame macerare eum deberet, affluentem cibum ipſi præbet, vt magis aſſiliat, ſitque formidabilis. Et quemadmodum nexum,

C cùm vides, & ſcapulas, & manus, ſæpe etiam pedes ferro conſtrictum, ob id maximè miſeraris: ita & in diuite, cùm contemplatus fueris eum innumerabili pecunia circumſeptum, ne propterea diuitem, imò propterea miſerum eſſe arbitrare. Nam præter hæc vincula, cuſtodem quoque carceris aſperum habet & improbum, amorem, inquam, pecuniæ. Qui non patitur eum carcerem iſtum tranſgredi, ſed innumerabiles ipſi fabricat pedicas, & cuſtodias, & oſtia, & vectes: & cùm in interiorem cuſtodiam ipſum conieceerit, perſuadet, vt delectetur etiam hiſce vinculis, vt ne ſpem quidem vllam reperiat ex malis illis prementibus euadendi. Diuitem te fecit Deus, vt opituleris indigentibus, vt peccata tua diluas benignitate in alios exercenda. Pecuniam tibi dedit, non vt concludas in tuam perniciem, ſed vt profundas in ſa-

D lutem tuam: ob hoc & poſſeſſionem ipſius incertam fecit, & minimè ſtabilem, vt & in hoc relaxet inſaniæ circa ipſam ſatagentis contentionem. Nam quis Helia pauperior fuit, dic mihi? verùm ob id omnes diuites vincebat, quoniam pauper erat. At ipſam etiam paupertatem diuite animo eligebat, omneſque pecuniæ diuitias inferiores animi ſui magnitudine putabat eſſe, neque dignas philoſophia ſua. Nam ſi magna hæc præſentia duxiſſet, nequaquam ex ouinis pellibus veſtem ſolam poſſediſſet. Ita enim præſentem vanitatem damnauit, vt pro luto proiecto aurum intueretur. Propterea namque & rex pauperis illius indigebat, & ad corpus nihil præter ouinam veſtem habentis, ſtupidus hiſcebat, tantum auri habens. Ita ſanè purpura ſplendidior erat ouilla veſtis, & regijs palatijs ſpelunca iuſti: eoque in cælum aſcendens, nihil aliud quàm ouillam illam veſtem Heliſæo diſcipulo ſuo reliquit. Cum hac, inquit, aduerſus diabolum luctatus ſum, hac tu quoque aduerſus illum te arma. Firma enim ſunt arma, inopia, & inuictum præſidium. Et accepit ouillam veſtem perinde atque maximam hæreditatem Heliſæus. Enimuero maxima dubio procul erat hæreditas, & omni auro pretioſior: Et erat duplex Helias ille, eratque ſuprà Helias, & infrà Helias. Noui quòd beatum iudicetis iuſtum illum, velitque vnuſquiſque veſtrum ipſe eſſe. Quid igitur ſi vobis demonſtrabo, aliud quiddam multò maius illo nos omnes accepiſſe? Nam Helias quidem veſtem ouillam dimiſit diſcipulo: Filius verò hominis aſcendens, ſuam ipſius carnem nobis reliquit. Quoties ergo pecuniæ iacturam audierimus, ne perturbemur, ſed dicamus, Benedictus Deus & longè maiores diuitias reperiemus. Neque enim ſanè tam vberem fructum percipies, ſi diuitias in indigentes expendas, atque circumeas pauperes conquirens, & facultates tuas ſpargas eſurientibus, quantum hoc verbo lucri feceris. Quando & ipſum Iob non tam admiror aperientem domum indigentibus, quàm ſtupeo, & laudibus extollo rapinam bonorum ferentem cum gratiarum actione. Nam qui eiuſmodi eſt, vt poſſit tranatis naturæ fluctibus ſine lacrymis illud Iobi dicere, *Dominus dedit, Dominus* Iob 1.
abſtulit: cum Abrahamo ipſo ſtatuetur, & cum Iobo laudibus extollerur, ex hoc ſolo verbo. Cùm igitur aurum tibi abſtulerit diabolus, vel per prædones, vel per aliam quampiam occaſionem, laudibus celebra dominum, & plus lucratus fueris: duplicemque plagam dederis inimico, tum quòd te angori non dediſti, tum quòd gratias etiam egiſti. Nam ſi animaduerterit, deijci te pecuniæ detrimento, & vt domino ſuccenſeas adduci, numquam deſinet hoc agere. Sin autem aſpexerit, te non modò non conuitiari Deo, qui te fecit, ſed magis etiam gratias agere, quæcumque res grauior acciderit: deſinet tentationes admouere, ſciens quòd gratiarum actionis occaſionem tibi præbeat aduerſitatum obiectus, ſplendidioreſque coronas tibi faciat, id quod in Iobo quoque vſu uenit. Nam cùm pecuniam ipſi abſtuliſſet, corpuſque percuſſiſſet, vidit ad gratias agendas magis eum incitari, neque accedere deinceps auſus eſt, ſed turpiter & implacabiliter victus abijt, ſplendidiorem Dei athletam cùm effeciſſet. Ac Iob quidem poſteaquam coronis patientiæ & Iob 42.
fortitudinis omnibus exornatus eſt, duplicia quæ amiſerat, recepit omnia. Tu verò non duplicia, ac triplicia, verùm centuplicia accipies omnia, ſi generoſè tuleris, & vitæ æternæ hæreditatem adibis: quam vtinam nos omnes adipiſcamur, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Diui Ioannis Chryſoſtomi de Auaritia Oratio, Martino Cromero Interprete.

QVamnam ob rem ex auaritia diteſcere cupis homo, vt alijs quidem aurum atque argentum reponatur, tibi verò diræ & accuſationes? & vt is, à quo abſtuliſti, alimenti indigentia mordeatur & lamentetur, & denas millenas accuſationes tibi conciliet? Et quid horrendum eſt magis, quando illum diem ante terribile tribunal in medium producetur is qui malo affectus eſt, & omnia ſua amiſit, tu autem nullum habebis aduocatum, quid dices iudicanti? Nunc enim vel corrumpere iudicium hoc hominum poteris: tunc autem illud nequaquam. Imò ne hoc quidem. Etenim Deus videt ea quæ fiunt, & propè adeſt ijs qui afficiuntur iniuria, etiam non vocatus. Etenim is cui malè fit, vt ipſe quidem indignus ſit qui vindicetur, ſed tamen, quoniam ea quæ fiunt, Deo placent, habet omnino vltorem. Nec mihi

dicas: Quomodo ille proſpero rerum ſucceſſu fruitur, cùm ſit improbus? Vt enim fruatur: ſed non ad extremum vſque. Nec enim, inquit, æmuleris agentes improbè: *quoniam vt fœnum citò areſcent, & vt olera citò decident.* Auaritia fermentum quoddam vetus eſt, quæ quocumque inciderit, quamcumque domum intrauerit, impuram eam facit. etiamſi parum ex iniuſtitia lucratus fueris, vniuerſas facultates tuas fermentauit. Propterea ſæpe pauca malè illata, quamuis multa bene repoſita eiecerunt. Quid enim inquit? Siquidem ex multis auarè agentibus non omnes eadem patientur. Maximè verò patientur, etiamſi non mox in ipſo peccato patiantur. Quòd ſi nunc effugerint, tunc verò magis metue. Maiori enim ſupplicio aſſeruantur. Quin, ſi ipſi effugerint, at hæredes eorum eadem patientur. Et quonam modo hoc iuſtum eſt, inquit? Iuſtum ſanè, etenim qui hæreditatem iniuſtitia refertam accepit, etiamſi ipſe nō rapuerit, ſed tamen probè nouit aliena ſe habere, atque ideo dignus erat, qui pateretur. Hæc autem & externorum leges norunt, quæ omiſſis ijs qui rapuerunt & ſuſtulerunt, ab illis iubent repetere, apud quos quiſpiam ſua repererit omnia. Si nouiſti eos qui iniuria affecti ſunt, redde cum multo fœnore, quemadmodum Zacchæus. Sin minus nouiſti, diſtribue illa inter egenos, & ſic malum releuabis. Nam ſi omnia aliena demus, nihil compendij faciemus. Indicat hoc Zacchæus, qui tum demum placare ſe Deum dixit, cùm daret quadrupla eorum quæ abſtulerat. Nos verò cùm dena milia rapiamus, placare nos Deū arbitramur. Si enim Cain, quòd minus præcipua obtuliſſet, neque quidquam præterea iniuſtè egiſſet, tamen extremum luit ſupplicium: nos cùm de rapina & auaritia offerimus, quomodo non grauiora patiemur? Cur dominum afficis contumelia, impura dona illi offerens? Non vult ali Chriſtus auaritia, neque huiuſmodi alimentum ſuſcipit. Melius eſt fame tabeſcentem negligere, quàm aliena alijs dare. Dic enim mihi: Si quos duos videres, alterum quidem nudum, alterum verò veſtitū: deinde exuto eo, qui veſtem habuit, nudum veſtires: nónne iniuſte faceres? Nemini id quidem dubium. Quòd ſi omne id quod abſtuliſti, alteri dans, tamen iniuriatus, non miſeratus es: quod nō expendes ſupplicium, ſi vix minimam partem eorum quæ rapuiſti, dederis, & eleemoſynam id vocaris? Si Lazarus nulla affectus iniuria à diuite, ſed quòd ijs modò quæ illius erant, fruitus non eſt, acerbus illi extitit accuſator: qua defenſione vtentur ij, qui præter quòd non miſerantur de ſuo, aliena etiam auferunt? Si illi qui Chriſtum eſurientem nōn aluerunt, cum diabolo inextinguibili igni addicuntur: quantum ſupplicij dependent ij, qui fame etiam eum enecant, per id quod rapiunt: & veſtitū denudant: & hoſpitem non modò non recolligunt, verumetiam abigunt: & infirmum non modò non viſitant, ſed magis etiam conterunt: & non ſolùm vinctum non cognoſcunt, verumetiam ſolutum in carcerem conijci curant? Si is qui diligentes ſe diligit, nihilo meliore erit conditione, quàm ethnici: quam veniam obtinebit is, qui lædit eos, à quibus iniuria nulla affectus eſt? Si qui ſua non impartitur, accuſatorem habet eum, cuius miſertus non eſt: quam veniam merebitur is, qui etiam aliena rapit? Non ſolùm enim aliena rapere, ſed etiam ſua non impartiri alijs, rapina eſt, & auaritia, & ſpoliatio. Si, qui Chriſtum eſurientem non pauerunt, tantum ignem in capita ſua attraxerunt: quod leuamen conſequentur ij, qui ea quoque, quæ nihil ad ſe pertinent, rapiunt, & aliena ſibi iniuſtè acquirunt, & pupillorum ac viduarum domos euertunt? Perhorreſcamus itaque rem hanc, fugiamus peccatum. Fugiemus autem, ſi cogitemus eos qui ante nos iniuriam fecerunt, qui auari fuerunt, & deceſſerunt. Nónne facultatibus, & laboribus eorum fruuntur alij, ipſi verò in cruciatu & ſupplicio ſunt, & extremis malis? An non extremæ igitur dementiæ eſt, diſrumpi & affligi, vt viuentes laboribus diſtineamur, & mortui intolerabiles cruciatus & ſupplicia perferamus? Quidnam ergo raptore miſerius? eò quòd collecta ſæpe inimici & hoſtes inter ſe partiuntur: ille verò accumulata ſibi ex his peccata auferens decedit, magna cum diligentia repoſcendus de ijs, quæ in illis deliquit. Quid igitur auaris fuerit ærumnoſius? quòd & vitam ſuam omni morte ærumnoſiorem faciunt, cura & anxietate animi, & perpetua vigilia ipſam mandente, ſenſimque conſumente, & omnem voluptatem, & virtutis vitijque diſcrimen inde propellunt. Et in lucrando quidem, etiamſi omnia omnium acquirant, nullam ſentiunt voluptatem, eò quòd plura appetant: in detrimento verò accipiendo, vt obolum dumtaxat amittant, omnium acerbiſſima ſeſe paſſos eſſe, & vita ipſa excidiſſe arbitrantur. Quòd ſi vxorem talis habet, ſi liberos, ſi amicos, niſi vndequaque lucrari potis fuerit, omnibus qui natura ipſi hoſtes ſunt, hi magis hoſtes videntur eſſe. Iure quidam inquit, Cupido nihil eſſe crudelius. Nam qui eiuſmodi eſt, ſeſe vendit, & cōmunis totius orbis terrarum inimicus obambulat, dolens non aurum pro ariſtis terram producere, non profluentis fontes, non montes pro lapidibus: aliorum ſucceſſibus ſeſe crucians, & in communibus bonis animum contrahens: omnem occaſionem auerſans, vnde argentum ſumere non licet: omnia perferens, vnde vel duos obolos corradere liceat: omnes peroſus, pauperes iuxtà ac diuites: illos quidem, ne accedentes ſtipem poſcant: hos verò, quòd non ea quoque quæ illi habent, habeat. Omnes ſua poſſidere putat, & quaſi ab omnibus iniuria afficiatur, ita in omnes animatus eſt. Et quod furenti gladius eſt, hoc cupido diuitiæ, imò verò longè acerbius quiddam. Nam is qui furit, accepto & adacto ſibi gladio, furore ſeſe liberat, & alteram plagam non accipit: cupidus verò dena millena vulnera grauiora illo quotidie accipit, non liberans ſeſe furore, ſed intenſiorem eum efficiens: & quo plura accepit vulnera, eò magis materiam alijs præbet grauioris plagæ. Quid igitur auaro ærumnoſius? quando is præter quòd animam ſuam perdit, & corpus innumerabilibus curis extenuat, etiam alimento, & voluptate, & honore, & gloria, propter quam multa in primis peccant homines, ſeſe defraudat. Et quod durius eſt, nihil læſus efferatur & armat ſeſe in eos, qui ipſum neutiquam læſerunt, & honeſta omnia ab animo proijciens, omnibus hoſtis eſt. Nam qui iniuria ab ipſo affecti ſunt, oderunt eum, vtpote malo affecti. At qui nihil etiamdum paſſi ſunt, metuentes ne patiantur, & eorum qui paſſi ſunt vicem dolētes, eādem hoſtilitatem præ ſe ferunt. Maiores porrò atque potentiores, quòd mordeantur & indignentur pro humilioribus, imò verò inuidentes etiam, iuxtà inimicitijs eum & odio proſequuntur. Sed quid loquor de hominibus? cùm Deum etiam infeſtum habeat, quæ ſpes ei reliqua erit, aut quod refrigerium? Hócne ſunt diuitiæ, iniuriam ſcilicet facere, dic mihi? Hoc non acerbius eſt, quàm pœnæ ſeruum eſſe? Nam pœnæ quidem ſeruus, corpus vinctum habet, hic verò animum. Vides ipſum vinctum, & non miſeraris? Propterea, inquit, eum odi, quia vinctus eſt, non neceſſitate, ſed vltrò, voluntate ſua catenam ſibi attrahens. Rurſus tu aduerſus diuites: rurſus vos aduerſus eos qui diripiuntur. Vos non ſatiamini edentes, & commordentes pauperes: Neque ego ſatior corrigens vos. Semper tu diuitibus inhæres: ſemper & tu pauperi inhæres. Abſtine oue mea: abſtine grege meo. Quod ſi vaſtas gregem meum, ſuccenſes quod te perſequar? Non te per-

Pſalm. 36. Iniuſtos taxat. Luc. 19. Simile. Luc. 16.

ſequor: lupum perſequor. Si non es lupus, nô perſequor te. Tibi ipſi imputa, quia lupus factus es. Quid enim Achab improbius? Et tamen is, cùm vineam concupiuiſſet, animaduerte quantum dolorem cepit. Rex cũ eſſet, & omnibus dominaretur, nec haberet quemquam contradicentem, tamen cùm conſcientiæ calculum non ferret, ingreſſus eſt triſtis, demiſſo vultu, confuſus, multam caliginem ferens in oculis, conſcientiæ condemnantis ſe redargutionem vultu prædicans: nec valens tegere dolorem, qui ex mœſtitudine in eo exiſtebat. Vultis liquidò noſſe, quomodo diuitiæ homines non ſinant eſſe homines, ſed feras atque dæmonas? Siccitas quondam occuparat ciuitatem noſtram, & videret erat cælum factum æneum, & mortem omnium grauiſſimam indies expectari, Deúque inuocari, vt metu illo liberaret: Cuius benignitate præter omnem ſpem multa & immẽſa pluuia supernè decidit. Omnibus igitur celebritatem & feſtum diem agentibus, quippe qui ab ipſis portis mortis reuerterentur, diues quidam triſtis, deiecto animo, mœrore mortuus obambulabat. Cumque multi eum cauſam rogarent, ne continere quidem intus potuit, ſed cùm tyrãnide acerbi iſtius morbi pungeretur, cauſam in mediũ protulit: Decies enim mille, inquit, frumenti menſuris deinceps quid faciam, non habeo. Quid ais? Quòd non omnes perierunt, tu aurum accumules? Non audiſti quid dicat Salomon? *Qui ad pretium augendum aſſeruat frumentum, vulgo execrabilis.* Sed obambulas communis bonorum totius orbis inimicus, & liberalitatis Domini hoſtis, & mãmonę amicus, atque adeò ſeruus? An non præcidi linguam illam oportuit? An non extingui cor, quod talia verba peperit? Quid enim poteſt eſſe ipſo miſerius diuite, propterea dolente & indignante, & periiſſe ſe putante, quòd infinita poſſideat: & quotidie optante famem, vt aurum ipſi augeatur? Quomodo vultis vobis delineem auari & raptoris morbos? Quid enim manibus illis ſceleratius? Quid oculis illis impudentius, & caninum magis? Non aſpicit homines vt homines, neque cælum vt cælum, ſed omnia pecuniam eſſe putat. Hominum enim oculi cùm pauperes vident afflictos, vicem eorum ſolent indolere: raptores verò, cùm intuentur pauperes, magis efferantur. Hominum oculi ea quæ alijs data ſunt, non appetunt, ſed ſua quoque in alios effundunt: iſti verò non ferunt, niſi quæ omnium ſunt accipientes, ſua faciant. Hominum oculi nudum proximi corpus aſpicere non ſuſtinent: iſti verò niſi omnes denudauerint, & quæ omnes habent domi ſuæ recõdant, numquam ſatiantur. Quin ne eo quidem explentur, eóque non modò ferarum manus, manus ipſorum quiſpiam eſſe dixerit, ſed his etiam truculentiores multò & acerbiores. Vrſi enim & lupi, vbi ſaturati ſunt, abſtinent ſe cibo: iſti verò non ſatiantur. Enimuerò propterea manus nobis fecit Deus, vt alijs opitulemur, non vt inſidiemur. Etenim ſi ad hoc eis vſuri ſimus, ſatius eſſet eas præcidi, & abſque eis eſſe. Cùm enim ouem à fera diſcerpi quis videns, dolet & angitur animo, in contribulem verò idem ipſe patrans, nihil acerbi ſe putat facere: quomodo homo hic fuerit, ac non fera potius, & fera deterior? Feræ enim natura ſunt huiuſcemodi. Auari autem cùm natura lenitatem habeant, præter naturam in feritatem ſeſe transferre volunt. Talium ora etiam, ferarum ora ſunt, quin his etiam truculẽtiora. Etenim verba promunt, magis quàm illarum dentes venenum emittentia, & necem patrantia. Quòd ſi mẽtem quoque talium quis excutiat, iam non feras, ſed etiam dæmonas ipſos appellabit. Multa ſiquidem immanitate pleni ſunt, & hoſtilitate aduerſus conſeruum. Dæmones enim adiutores habent eos homines, quibus inſidiantur. Quod

ni adiuuarent ij, plurimum inſidiarum in nos ipſis in irritum caderet. Iſti verò reſiſtentes, etiam ſibi eos quos impetunt, ſubigere nituntur. Ac neque regni amor eſt illic, neque gehennæ metus: non pudor hominum, non miſericordia, non condolentia: ſed impudentia, & violentia, & futurorum omnium contemptio: & fabula ipſis Dei verba videntur eſſe. Propterea pecuniæ vocãtur χρήματα, quaſi tu dicas vtilia, vt vtamur quemadmodum par eſt, non vt cuſtodiamus. Hoc enim non poſſidere eſt, ſed poſſideri. Nam ſi hoc ſpectemus, vt ſemper eam augeamus, non vt quemadmodum par, eſt, ipſa fruamur, peruerſus eſt ordo: & illa nos potius habet, non nos illam. Qui pecuniam amat, non ſolùm inimicos non diliget, verumetiam amicos oderit. Neque enim cognationem nouit talis, neque familiaritatis meminit, neque ætatem reuerètur, neque amicum habet quemquam: ſed in omnes hoſtili eſt animo, & præ alijs omnibus in ſeipſum, non modò quòd animam ſuam perdit, ſed etiam quòd innumerabilibus curis ſeſe extenuat. Et is quidem qui pecuniam contẽnit, modum ponit cupiditati: Qui verò vult diteſcere, & plus coaceruare, longè magis eam accendit, & nuſquam ſiſtit. Verùm etiamſi decem millia talentorum accipiat, alterum tantum cõcupiſcit. Quod ſi id quoque adipiſcatur, rurſus bis tantum appetit: & porrò pergens, etiam montes, terram, mare, & omnia aurum ſibi fieri optat, nouam quandam inſaniam inſaniens, & eam quidem terribilem, & quæ numquam extingui poſſit. Nam cùm alijs dare iuſſi, aliena rapiamus, quænam quæſo nobis ſalutis ſpes eſt? Si, quòd non alueris eſuriẽtem, puniêre: quam veniam merebere, ſi veſtitum etiam exuiſti? Proptereáne igitur auarè agis, & aliena rapis, vt equi frænum multo auro tibi perungatur? itémque culmen domus, & capita columnarum? Quónam.* probro hæc digna non fuerint, quando fratrem, quem Dominus tuus tanto honore dignatus eſt, in innumerabiles calamitates conijcis, vt lapides, & pauimentum, & expertium rationis animalium, ne ſentientium quidem ornatum corpora exornes? Et columna quidem diligenter curatur: homo verò, imò Chriſtus ipſe, propter columnam, & quæ dicta ſunt omnia, ad extremam famem adigitur. Siue autem ſolium parare opus ſit, ſiue ſcabellum ſuſtentandis pedibus, omnia ex auro & argento parantur: membro autẽ Chriſti, & ei propter quem ille de cælo deſcendit, ne neceſſarium quidem alimentum ſuppetit, ſed omnibus vilior factus eſt tibi Chriſtus? Quid huiuſmodi iniquitate acerbius? Quot flumina ignis huiuſmodi animæ ſufficiant? cùm aliæ quidem animantes cognatas diligant, & naturæ cognatio ſatis momenti apud eas habeat ad mutuum inter ſe amorem. At tu innumerabiles amicitiæ cauſas habens, truculentior illis oſtenderis. Ne quæſo vtrinque irritemus Deum, nempè & congregantes vnde nõ oportet, & diſpergentes vbi non conuenit. Quãnam enim ira dignus non fueris, cum das meretrici, præteriens pauperem? Nam vt ex iuſtis laboribus præbeas: nónne reprehenſionem res hæc haberet, quòd flagitij mercedem præbeas, & pro quibus punire oporteret, pro ijs muneteris? Quando autem & pupillos exuens, & viduas iniuria afficiens, alis libidinem, cogita quantus erit talia auſis ignis. Timete, qui pauperibus iniuriam facitis. Habetis vos potentiam, diuitias, & pecuniam: ſed habent illi omnium validiſſima arma, gemitus & lamentationes; & illud ipſum, iniuriam pati, qua auxilium de cælo attrahunt. Hæc arma domus ſuffodiunt, fundamenta diruunt, vrbes euerterunt, vniuerſas nationes fluctibus obruerunt. Tantam gerit Deus eorum qui læduntur prouidentiam. Magna enim & valida arma ſunt, iniuriam patientium hominum gemitus. Reueretur

hanc

Margin notes: 3. Reg. 21. — Prou. 11. — Auari ſunt feris ſimiles. — * Mutila hîc erat dictio in exẽplari græco: cuius extremo ex veſtigio ſuſpicor legẽdum eſſe αἰσχύνης, quod nos probro vertimus.

hanc æquanimitatem Deus, cùm malo afficiũtur: neque improbum verbum proferunt, ſed gemunt modò, ac deplorant ſua mala. Et his quidem fit propitius, de vexatoribus verò ſumit ſupplicium. Fugiamus igitur iniuriam facere, vt propitium habeamus Deum, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, de, ingluuie & ebrietate Martino Cromero Interprete.

VUltis videamus, quam voluptatem quemque honorem habeant diuitiæ? Menſas diuitum atque pauperum expendamus, rogemuſque eos qui edunt, quinam ſint maximè, qui pura & germana voluptate perfruantur: iſne qui ad dimidiatum diem in ſtragulis accubantes, cœnas prandijs coniungunt, & ventrem diſrumpunt, & ſenſus obtundunt, & immodico eduliorum pondere nauem, ita vt exhauriri non poſſit, obruunt, & quaſi in naufragio corporis eam demergunt, & pedicas, manuum atque linguæ vincula excogitant, totumque corpus aſtringunt vinculis, ferrea catena grauioribus, ebrietatis inquam, & luxuriæ, & neque verum ac ſyncerum ſomnum capiunt, neque à terribilibus inſomnijs liberi ſunt, inſanientibus miſeriores, & vltrò dæmonem animæ ſuæ aſciſcunt, & riſus luduſque caueæ ſeruorum propoſiti, neminem eorum qui adſunt cognoſcũt: & neque loqui, neque audire queunt, ſed inter manus à ſtragulis in lectum deferuntur? aut qui ſobrij & vigilantes, & qui modum neceſſitate finiunt, maximumque condimentum famem & ſitim habent? Nihil enim adeò voluptatem & ſanitatem facit, vt ſi quis cùm eſurit, ac ſitit, tum demum ea quæ proponuntur attingat, ſatietatemque ſola neceſſitate metiatur, neque maius viribus onus corpori imponat. Quòd ſi ſermoni meo fidem non habes, contemplare vtrorumque corpora & animum. Nónne moderatè quidem edentium corpora robuſta ſunt, ſenſuſque expeditè admodum munus ſuum explent? Illorum verò flaccida, & quauis cera molliora, & morborum examinibus obſeſſa? Etenim pedum dolores celeriter inuolant, tremorque intempeſtiuus, & immaturum ſenium, & dolor capitis, & diſtenſiones, & oris contortiones, & appetituum extinctiones, aſſiduiſque medicis, & continuis medicinis, quotidianaque curatione indigent. Hæcne igitur voluptatis ſunt? dic mihi. Quiſnam hoc dixerit eorum, qui, quid ſit voluptas, norunt? Tunc enim voluptas fit, cùm eſt fruitio, præcedente concupiſcentia. Etenim ſi fruitio quidem ſit, concupiſcentia verò nulla extet, perit voluptas omnis, & euaneſcit. Et quemadmodum nauis, quæ maiorem, quàm pro modo ſuo, mercium vim receperit, oneris magnitudine depreſſa, ſubmergitur: ita & animus, & corporis noſtri natura, ſi plus alimenti, quàm pro virtute ſua acceperit, obruitur: & pondus mercium non ferens, in profundum internecionis demergitur, nautaſque & gubernatorem, & proretam, & nauigantes, & ipſum denique onus cum omnibus perdit. Quemadmodum igitur in illis nauibus, quæ ita diſpoſitæ ſunt, non maris tranquillitas, non ſcientia gubernatoris, non multitudo nautarum, non inſtrumentorum aptus apparatus, non tempus anni commodum, non aliud quidquam ita fluctanti naui prodeſt: ita & ijs qui luxu affluunt vſuuenit, non doctrina, non exhortatio, non inſtitutio, non conſilium, non metus futurorum, non pudor, non eorum qui adſunt reprehenſio, non aliud quidquam denique ſeruare animum ita fluctuantem poteſt. Verùm & ad hanc præſentem vitam inutilis fit is qui talis eſt, & ad omne opus bonum reprobus. Hinc, & non aliunde, grauibus & inſanabilibus morbis capiuntur ij, qui in perpetua luxuria viuũt, quique ob id in hanc vitam productos ſe eſſe arbitrantur, vt cùm luxuriæ indulſerint, ventremque diſruperint, ita ſaginato corpore, decedant, lautiore menſa è ſuis carnibus vermi inſtructa. Etenim tremoribus, liquefactioni, tabi, grauedinibus, pedum doloribus, & alijs compluribus quæ medicorum filij vſurpant, fiunt obnoxij. Venenatis medicamentis nihilo melius conſtituentur menſæ huiuſcemodi: imò verò, ſi verè dicendum eſt, multò deterius. Nam illa quidem ſubitò eum, à quo ſunt accepta, ſuſtulerunt, mortemque ſine ſenſu aduexerunt, ita vt ne hoc ipſum quidem moleſtia morientem affecerit. Iſtæ verò vitam innumerabilibus mortibus grauiorem afferunt ijs qui ipſas magni faciunt. Atque alij quidem morbi multos habent condolentes; qui verò è luxuria & ebrietate acciderunt, non patiuntur intuentes, ne ſi velint quidem, ijs qui eis detinentur, condolere: ſed mali quidem exuberantia flectit ad miſericordiam morbi verò cauſa ſcientem exacerbat. Neque enim à natura, quemadmodum illic, læſi ſunt, neque ab hominibus inſidijs appetiti, ſed ipſi ſibi horum morborum opifices extiterunt, vltrò ſeſe in præcipitium malorum proijcientes. Non ita ſcorpius aut ſerpens in viſceribus cuiuſquam inſidens quoquouerſus inficit, vt luxuriæ concupiſcentia omnia peruertit atque perdit. Feris enim illis ad corpus duntaxat procedunt inſidiæ: iſta verò cùm inſederit, cum corpore animum item perdit. Omnium ergo pernicies iſta res eſt, extremumque deridiculum, vos ipſos ſanitati corporis veſtri non parcere. Non dico vt victus aſperitati vos detis, ſi ipſi nolueritis. Quod ſuperfluum eſt, tollamus: quod extra neceſſitatem, amputemus. Quam enim meremur veniam, cùm alij ne neceſſarijs quidem rebus fruentes, tametſi authores, quamuis poſſent, nos autem vltra neceſſitatem affluentes, iter faciamus? Non videtis, cum quibus nobis lucta eſt? Cum incorporeis poteſtatibus. Quónam igitur pacto caro cùm ſimus, eos ſuperabimus? Nam ſi, qui cum hominibus luctatur, temperanter edat neceſſe eſt, longè magis qui cum dæmonibus. Cùm autem ad corpulentiam diuitijs inſuper fuerimus aſtricti, qua vi vincemus aduerſarios? Nam vt in cithara cùm ſoni fuerint molles & remiſſi, nec bene intenti, artis quoque præſtantia ſucciditur, neruorumque vitio ſeruire cogitur: ita & corpore, cùm id multam curationem à nobis indeptum fuerit, acerbam ſeruitutem animus perfert. Ne igitur ſaginemus corpus, neque iners id atque laxum luxuria reddamus. Non dico, vt parco atque aſpecto victu nos ipſi extenuemus, ſed vt tantum cibi ſumamus, quantum & voluptatem habeat, veram inquam voluptatem, & alere corpus obſequens nobis, aptumque ad functiones animi exhibere poſſit. Nam ſi qui defæcatum vinum bibunt, reprehenſione non carent: quid dicemus ad eos, qui peregrinationes tranſmarinas vini cauſa ſuſcipiunt: quique omnia mouent, ne quod vitis genus ipſos lateat? quaſi rationem repoſcẽdi ſint, aut ad extrema ſupplicia cõdemnandi, niſi omni genere vini ſeſe ingurgitauerint. Reuera nihil ita amicum eſt dæmoni, vt luxuria atque edacitas. Quid enim non mali facit luxuria? porcos facit ex hominibus, ac porcis etiam deteriores. Nam porcus quidem in luto volutatur, & ſtercore paſcitur, iſte verò abominabiliore, quàm illa eſt, menſa veſcitur, illicitos cõcubitus excogitans, & exleges amores. Talis nihil differt à lymphato. Ac lymphatum quidem miſeramur: iſtum verò auerſamur & odimus. Quamobrem? quoniam vltroneam ſibi inſaniam attrahit, & os, oculos, nares, & omnia prorſus membra peccati cloacas efficit.

Simile.

Luxuriæ deteſtatio.

A efficit. Quòd ſi interiora quoque inſpicias, videas & animum ipſum tamquam in tempeſtate & frigore gelatum atque torpentem, ita vt ne ſcapham quidem propter tempeſtatis magnitudinem ſeruare poſſit. Nam qui ebrietati & ingluuiei mancipati ſunt, neque ſomnum verum & ſyncerum capiunt, neque à terribilibus inſomnijs liberi ſunt. Quónam igitur modo abſurdum non eſt, expertes quidem rationis animantes nihil vltra neceſſitatem quærere: homines verò præditos ratione, & imagine Dei cohoneſtatos, illis etiam minus compotes ratione fieri, mediocritatis fines prætergredientes? Quantò enim melior huiuſmodi hominibus aſinus eſt? quantò melior canis? Nam hi quidem, ſiue edendum eſt, ſiue bibendum, finem norunt, id quod ſatis eſt, neque vltra neceſſitatem progrediuntur: etiamſi innumerabiles ſæpe cogant, non ſuſtinent modum excedere: iſti verò his etiam deſpicabiliores ſe eſſe iudicarunt. Quàm multa ab ebrietate hominibus mala accidant, pudet me dicere: ſed ipſorum relinquo conſcien-

B tiæ, vt quæ exactius ea cognita habeat. Quid enim turpius ebrio, temereque vagante, & graue illud naufragium perferente, ac Dei dona ſtultorum conuitijs exponente? Multos enim, cùm hæ affectiones acciderint, dicere audio: Vtinam ne ſit vinum. O amentiam! ô ſtuporem! alijs peccantibus dona Dei incuſas? An enim vinum, ô homo, malum illud fecit? non vinum, verùm intemperantia malè vtentium. Dic igitur? Vtinam ne ſit ebrietas, ne ſit luxuria. Quod ſi dicis, ne ſit vinum: dices ſenſim progrediens, ne ſit ferrum, propter homicidas: ne ſit nox, propter fures: ne ſit lux, propter calumniatores: ne ſit mulier, propter ſcortationes: & omnes res denique ſubuertes. Ne vinum inſimules, verùm ebrietatem, & eum qui bono malè vſus eſt, & ſobrium eum nactus, deſcribe cunctam ipſius turpitudinem, & dic ipſi: Vinum datum eſt vt exhilaremur, non vt turpiter nos de-

C mus: vt rideamus, non vt rideamur: vt ſani ſimus, non vt ægrotemus imbecillitatem corporis corrigamus, non vt animi vires deijciamus. Honorauit te Deus hoc dono, cur te ipſe contumelia per intemperantiam afficis? Nam qui in ebrietate & intemperantia viuunt, ijs in noctis tenebras dies conuertitur, non quòd ſol extinguatur, ſed quòd ipſorum ratio ebrietate opacetur. Qui ſe ebrietati dedunt, quantò magis merum ſibi infuderint, tantò maiore ſiti inardeſcunt, ſemperque hauſtio ſitis fit fomes: & voluptas quidem ad extremum euaneſcit, ſitis verò facta inſedabilis, in ipſum ebrietatis præcipitium deducit eos quos captiuos egit. Hinc vel maximè ſtupeſcat quis amentiam eorum, qui ebrietati addicti ſunt, quòd ne tantum quidem iſti ſibi ipſis parce-

D re volunt, quantum alij parcunt vtribus. Nam hos quidem vini venditores non patiuntur plus æquo capere, vt ne rumpantur: iſti verò miſerum ventrem ne hac quidem prouiſione dignantur: ſed cùm eum impleuerint ac diſruperint, vſque ad aures, vſque ad nares, vſque ad fauces ipſas replent omnia, peranguſtum meatum ſpiritui, quæ vis animal gubernat, inde comparantes. An enim ob hoc fauces tibi datæ ſunt, vt eas vſque ad extremum oris putrido vino aliaque labe expleas? Non ob hoc, ſed vt ſacras preces ſurſum ad Deum mittas, ac diuinas leges legas, proximiſque conducibilia des conſilia. Neque enim ita vis rapidorum fluminum ripas exedere & ſubruere ſolet, vt luxuriæ deliciæque omnes ſanitatis noſtræ munitiones facilè ſubuertunt. Etenim cum auiditate eſcis inhiare, & corporis vires incidit, & animi fortitudinem deprimit & relaxat. Neque hoc ſolùm luxuria affluenti incommodum accidit, quòd diſtringitur, & ventrem ſuum diſrumpit, & corporis pariter atque animi ſanitatem ſuccidit: ſed etiam illud, quod celeriùs præterfluit & ſubducitur, & ne vnum quidem diem id quod ingeſtum eſt, continere poteſt: ſed eo digeſto, alia rurſus inijcere cogitur. Enimuero non edere malum eſt, abſit: verum edacitas, & vltrà neceſſitatem implere ventrem, ac diſrumpere. Quemadmodum neque moderato vino vti malum eſt, ſed ebrietati ſeſe dedere, & iudicium rationis per intemperantiam euertere. Eiuſmodi enim copori nos implicauit Dominus, quod aliter neque conſiſtere, niſi ſit alimenti particeps: intemperantia modò recidatur. Hoc enim ad ſanitatem eius & bonam habitudinem plurimùm conducit, & obſequens id nobis aptumque ad functiones mandatorum Chriſti præſtat, vt & præſentem vitam expeditè pertranſeamus, & futurorum bonorum potiamur, benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cui gloria & imperium, vnà cum Patre, & ſancto Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, de non contemnenda Eccleſia Dei, & myſterijs, Oratio, Martino Cromero Interprete.

PErpauci hic hodie nobis adſunt. Quidnam hoc cauſæ eſt? Martyrum memoriam peragimus, & nemo ad nos accurrit, ſed prolixius viæ ſpatium ſegniores eos fecit: imò verò non ſpatium, ſed ſegnitia eos impediuit, quemadmodum etiam gnauum, arrectoque animo præditum prohibere nihil poteſt. Martyres ſanguinem ſuum veritatis gratia profuderunt, tu non potes ne breuis quidem viæ ſpatium pro nihilo ducere? Illi caput poſuerunt propter Chriſtum, tu ne paruum quidem ſpatium vis accurrere propter Dominum? Dominus tua cauſa mortuus eſt, & tui ipſius cauſa cunctaris? Memoria martyrum fit, & tu ſegnis & ſupinus iaces? Congruum eſt vt adſis, & videas diabolum vinci, martyrem vincere: Deum celebrari, eccleſiam coronari. At enim peccator ſum, inquit, neque poſſum accurrere. Quandoquidem peccator es, accurre, vt iuſtus fias. Quiſnam verò homo ſine peccato eſt, dic mihi? An neſcis, quòd & illi ipſi qui altari aſſident, peccatis affixi ſunt? Carne enim amicti & corpori implicati ſunt. Quin & nos ipſi qui in ſolio ſedemus, ac docemus, peccatis implicati ſumus. Sed non deſperamus de diuina benignitate, neque immanitatem ipſi affingimus. Propterea nanque ipſos etiam ſacerdotes affectionibus ſeruire fecit Deus, vt ijs quæ ipſi patiuntur cōmonefacti, alijs etiam ignoſcant. Quantus igitur hic fuerit ſtupor & incogitantia: quòd ſi citharœdus, vel ſaltator, vel alius quiſpiam eiuſmodi hominum nos vocet, ſtudioſè omnes currimus interim, & gratiam ipſi, quòd nos vocarit, habemus, totumque diem, aut certè dimidium conſumimus, illi ſoli animum aduertentes: Deo verò per prophetas & apoſtolos nobiſcum loquente, oſcitamus, torpemus, & æſtuamus? Et in circo quidem, culmine, quod à cæli hunc iniuria muniat, non ſuperpoſito, complures largis imbribus decidentibus, & vento aquam in ora ſufflante, ſtant inſani, & in frigore pluuiaque viæ prolixitatem paruipendunt; neque quicquam eos vel domi continet, vel illum adire vetat: ad eccleſiam verò quò minus eamus, pluuia nobis atque lutum impedimento eſt? Ac ſi quidem rogetur quis, quiſnam ſit* Amos, aut Abdias, ſiue qui ſit numerus prophetarum, vel apoſtolorum, ne hiſcere quidem poteſt: * pro equis verò, & aurigis, & ſophiſtis, & oratoribus defenſiones artificioſè componit: & quónam pacto quæſo hæc tolerabilia ſunt? Admonui ſæpenumero, non eſſe aſcendendum in theatrum: audiſti, nec paruiſti orationi meæ: ne pudeat te rurſus ingredi, & audire.

* Exeſum hic fuit exemplar
* Vel: at equorū & aurigarum recēſum, quā ſophiſtæ & oratores artificioſius agit.

Audiui,

Audiui, neque tamen ſeruaui, inquis. Quomodo poſſum ingredi & audire? Interim intelligis te non ſeruaſſe, interim te pudet, interim erubeſcis: interim nemine arguente frænum adhibes: interim orationem meam certam & infixam retines: interim me non comparante, doctrina mea te purgat. Non ſeruaſti? magis ingredere, vt cùm rurſus audieris, ſerues. Medicamentum ſi tibi adhibeatur, nec te purget, nónne altera die rurſus idipſum adhibes? Sit quiſpiam inciſor arborum, ô homo, velitque quercum incidere, accipit aſciam: deinde radicem incidit, quod ſi vno ictu arbor non concidit, nónne & alterum ictum addit? non quartum? non quintum? non ſextum? non decimum? Itidem tu quoque facito. Hæc dico, non vt ſegniores reddam, ſed vt minus ignauiores efficiam. Ingreſſus es in eccleſiam, ô homo, dignatus es Chriſti conſortio: ne exeas, niſi dimittare. Nam ſi ante miſſionem exieris, perinde ac fugitiuus rationem repoſcêris. Totum diem in ijs rebus quæ ad corpus ſpectant, inſumis: & duas horas ſpiritualibus non vacas? Ad theatrum ſæpe abis, neque inde diſcedis, donec dimittaris: & in eccleſiam ingreſſus, priuſquam diuina myſteria peragantur, exibis? Time eum qui dixit: Qui contemnit rem, contemnetur ab ea. Ac regi quidem cùm aſtas, ne rideſe quidem omnino audes: omnium verò domino cùm aſtiteris, non ſtas prauidus tremenſque, ſed rides, ipſo ſæpe iraſcente? Non cogitas, quòd hoc facto, multò magis quàm peccatis ipſis, eum irritas? Neque enim vſque adeò peccantes, vt eos qui poſt peccatum non anguntur, auerſari ſolet Deus. Quid agis, ô homo, in eccleſia ſtans? formas mulierum curioſè contemplaris? Non perhorreſcis, tanta iniuria templum Dei afficiens? Lupanar tibi eſſe videtur eccleſia, & foro ipſo deſpicabilior? Nam in foro quidem metuis, & erubeſcis videri mulierem curioſè contemplari: in templo verò Dei, ipſo tecum loquente, deque his communinante, talia audes, eo ipſo tempore, quo audis hæc facienda non eſſe? Et non perhorreſcis, neque de ſtatu mentis deijceris, officinam iniquitatis cor & oculos tuos faciens? Præſtaret huiuſcemodi oculos cæcos eſſe, quàm ad hos vſus accommodari. Cogita, prope quem aſtiteris, ô homo, in ſacro illo & horrendo ſacrificio, cum quibus Deum ſis inuocaturus: cum Cherubin, cum Seraphin, & cum alijs cæleſtibus virtutibus. Reputa quóſnam gregales & canendi ſocios habeas. Sufficit hoc tibi ad attentionem animi excitandam, cùm perpĕderis, te corpore circumſeptum, & carni implicatum, vt cùm incorporeis virtutibus communem omnium Dominum concelebres, aſſecutum eſſe. Ne igitur diſſoluto animo ſacris, & laudibus illis Dei arcanis communica, ne de vitæ huius commodis per illud tempus cogita: verùm terrenis omnibus cogitationibus eiectis ex animo, & ad cælum totus erectus, perinde ac ſi prope ipſius ſolium gloriæ aſtares, & cum Seraphim volares, ita Deo ſanctam per omnia laudem offer. Propter hoc enim honeſtè tempore diuini ſacrificij ſtare iubemur, vt cogitationes humi repentes erigamus, vt languore, quem ex vitæ huius negotijs contraximus, excuſſo, rectum coram Deo animum noſtrum exuſcitare poſſimus. Non enim de corporis manibus atque genubus dicit, (neque enim cum curſoribus aut pancratiaſtis loquitur:) ſed interiorum cogitationum vires tentationibus proſtratas, exuſcitare his verbis iubet. Diuinæ enim communionis tempore, fratres, non ſoli homines maximè horrendum illum clamorem vociferantur, ſed & angeli procumbunt domino, & archangeli canunt. Nacti ſunt enim tempus opportunum, & oblationem ſibi auxiliantem. Et quemadmodum homines ramos olearum reciſos regibus protendunt, per ſtirpem illam, miſericordiæ & humanitatis ipſos admonentes: ita ſanè & angeli tunc, pro ramis olearum ipſum corpus Domini protendentes, dominum pro natura humana precantur, tantùm non dicentes: Pro his rogamus, quos tu ipſe prior ita dilexiſti, vt animam tuam dares: pro his ſupplices preces profundimus, pro quibus ipſe ſanguinem profudiſti: pro his precamur, pro quibus corpus hoc hoſtiā obtuliſti. Nam quid eccleſia Dei potentius eſſe poteſt? Ne mihi mœnia, & arma dicas. Hæc enim tempore veteraſcunt: eccleſia verò numquam ſeneſcit. Mœnia barbari deſtruunt, eccleſiam verò ne dæmones quidem ſuperant. Et quòd non ad inanem ſpeciem hæc dicantur, res ipſæ teſtantur. Quàm multi oppugnarunt eccleſiam, atque ipſi quidem oppugnatores perierunt: hæc verò ſupra cælum aſcendit? Tanta magnitudine prædita eſt eccleſia: cùm oppugnatur, vincit: cùm appetitur inſidijs, ſuperat: cùm afficitur iniuria, ſplendidior euadit. Vellem igitur ſcire, quibus rebus operam impendant iſti, qui communionem negligunt, quique ſacra hac menſa ſeſe abſtinent. Imò verò ſcio. Aut enim de abſurdis & ridiculis rebus colloquuntur, aut vitæ ſollicitudinibus affixi ſunt: quorum vtrorumque ſtudium venia caret, extremamque meretur animaduerſionem. Ac de priore ne verbis quidem opus eſt, neque demonſtratione. Quod autem neque ijs qui rem familiarem, & intolerabilem neceſſitatem inde orientem nobis prætendunt, veniam conſequi poſſint, propterea quòd non pluris faciant ſpiritualia, quàm terrena, cuius manifeſtum eſt. Quinam enim famulus, quæſo, rei ſuæ domeſticæ curam egit vmquam, priuſquam herile miniſterium expleuerit? Quomodo igitur abſurdum non eſt, inter homines quidem, vbi nudum & inane nomen dominatio eſt, tantùm reuerentiam & obedientiam dominis exhibere? eum verò, qui verè non modò noſter, ſed & ſuperarum virtutum Dominus eſt, nec eo quidem ipſo, quo conſeruos noſtros dignamur, cultu dignari; Vtinam quidem fieri poſſet, vt illorum animum oculis veſtris oſtenderem: videretis ſordeſcentem, ſqualentem, profligatum, deiectum, atque diffidentem. Vtinam fieri poſſet, vt corda eorum qui communione ſeſe abſtinent, aperiremus: vtinam poſſetis vos in conſcientiam ipſorum penetrare: tunc ſanè videretis, quàm multis vulneribus referti ſint, quā multas ſpinas habeant. Nam quemadmodum terra, niſi agricolarum manibus colatur, horreſcit & ſilueſcit: ſic & animus ſpirituali doctrina deſtitutus, ſpinas & tribulos producit. Nā ſi nos qui quotidie Apoſtolorum & prophetarum auſcultationi intendimus, & aſſidua carmina de ſacris ſcripturis deſumpta affectionibus noſtris occinimus, vix tamen excandeſcentem animum continemus, vix iram frænamus, vix inuidiæ tabem eijcimus, vix ſedamus concupiſcentiam, vix impudentes feras coërcemus: quam ſpem ſalutis habebunt illi, qui hac medicina non vtuntur, neque diuinam doctrinam audiunt? Multi ſemel in anno myſteriorum fiunt participes, alij bis, alij crebrò. Quos igitur de his probabimus? eos qui ſemel? an qui crebrò? an qui rariùs? Neque qui ſemel, neque qui crebrò, neque qui rarò: verùm eos, qui cum pura conſcientia, cum puro corde, cum irreprehenſibili. Huiuſmodi qui ſunt, ſemper accedant: qui minùs, ne ſemel quidem. Iudicium enim ſibi ipſi accipiunt, atque damnationem. Vt enim alimentum natura alendi vim habens, ſi in eum qui malè concoquit, incidat, omnia deſtruit atque corrumpit, & morbi occaſionem præbet: ita ſanè & horrenda illa myſteria. Menſa ſpirituali frueris, menſa regia, & rurſus luto te inquinas? corpus vnguento vngis, & rurſus fœtore

Simile.

Quanta reuerĕtia miſſa audienda.

Qui abſtinent à cōmunione quā male ſibi conſulant.

Indigne cōmuni-cā:es quo modo peccent.

id reples? Putas tibi ſufficere ad peccatorum vniuerſi temporis purgationem, ſi anno vertente communione participas,& rurſus poſt ſeptimum diem ad priora te refers? Age, dic mihi, ſi cum à diuturno morbo ad quadrageſimum diem valuiſſes, ad illas res, ex quibus morbum contraxeras, te rurſum referres, nónne & priorem laborem perderes? Quòd ſi mutantur naturalia (multò magis ſpiritualia, vel (vt abſolutè dicam) ea quæ ſelectionis & arbitrij noſtri ſunt. Ac ſiquidem corpus ægrotat, ne communibus quidem cibis veſcitur. Tanta verò graueolentia in animo cùm ſit, myſteriorum particeps eſſe audes? Dic mihi, quam veniam conſequeris? Ait enim diuinus

1 Cor. 11

Apoſtolus: *Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini*: hoc eſt, eandem pœnam dabit, quod ſupplicium luent ij qui Chriſtum cruci affixerunt. Quemadmodum enim illi iugulatores rei ſunt ſanguinis, ita & hi qui indignè myſterijs participant. Sicut enim, ſiue quis dirumpat regiam purpuram, ſiue luto contaminet, ex æquo contumelia regem qui eam induit, affecerit: ita hîc quoque, & qui peremerunt corpus Domini, & qui impuro animo id acceperunt, iuxtà ludibrio habent, atque qui regium indumentum. Ac Iudæi quidem cruce id diruperunt: qui verò impuro animo accipit, contaminat. Quocirca etſi diuerſa peccata ſunt, at par contumelia. Hoc multos pupugit, hoc multos perturbauit, momordit audientium conſcientiam: imò verò non modò audientium, ſed & meam ipſius qui dico, priùs quàm veſtram. Communis enim hæc doctrina eſt: communia vulnera, ideoque communia medicamenta appono. Hoc diuinæ benignitatis opus extitit, vt & qui dicit, & qui audit, iiſdem legibus ſubiaceant: eadem natura participent: ex æquo obnoxius ſit, quiſquis tranſgreditur. Quamobrem? vt moderatè increpet, vt pronus ſit ad ignoſcendum peccantibus: vt in memoriam inbecillitatem ſuam reuocans, ne intolerabiliter corripiat. Si quem igitur ex iis qui tecum congregantur, ſcortantem, & ad myſteria accedentem videris, dic eorum diſpenſatori: iſte myſterijs indignus eſt, prohibe profanum ſacris. Nam ſi talis dignus non eſt, qui iuſta facta Dei enarret, cogita, quantopere augeſcet illi ſupplicium, ſi ſacram etiam menſam attingat. Neque verò ipſi tantùm, ſed tibi etiam præumbranti. Neque enim dixit, & adulterium patrabas: ſed,

Pſalm 49

Cum adulteris portionem tuam ponebas. Papæ, quantum malum eſt occultare aliorum putredines. Socium enim te ait eſſe ſupplicij, quod illi delicto debetur. Et meritò. Ille enim affectionem dicere habet, tametſi non meretur veniam hic prætextus: tu verò ne hoc quidem habes. Quàm igitur ob cauſam, cùm voluptate non fruaris, pœnæ te facis ſocium & participem? Sed quoniam acriùs eos qui indignè diuinis myſterijs participant pupugimus: operæpretium eſt, vt ad vos quoque qui miniſtratis, ſermonem deinceps conuertamus, vt multo cum ſtudio dona hæc diſpenſetis. Neque enim parua vobis pœna impendet. Nam ſi ſcientes aliquem eſſe improbum, hac menſa participare eum permittatis, ſanguis eius è manibus veſtris exquiretur. Siue is dux exercitus, ſiue præfectus equitum ſit, ſiue ille ipſe qui diademate circumdatus eſt, ſi indignè accedat, prohibe. Maiorem Dominum habes: caue ne irrites Dominum tuum, non expurgans corpus huius. Ne gladium alimenti loco porrigas. Verùm, etiamſi ille imbellitate adductus venit vt accipiat, prohibere ne metuas. Metue Dominum Deum, non hominem. Si hominem metueris, & ab eo ipſo irrideberis, & illum irritabis. Sin Deũ, & hominibus venerandus eris, & Deo charus. Quòd ſi ipſe non audes, ad me adduc. Non patiar eum hæc audere: anima deficiat priùs, quàm ſanguinem Domini præter dignitatem porrigam: & meum ipſius ſanguinem profundam priùs, quàm ſanguinem tam tremendum, ſecus quàm conuenit, porrigam. Melius eſt enim multò, vita priuari propter Deum, quàm propter vitam ipſo Deo. Quem decet gloria, imperium, honor, & adoratio, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Diui Ioannis Chryſoſtomi Oratio de Anima, Martino Cromero Interprete.

Anima virtutibus ornãda à vitijs purganda.

QVi bonis operibus nitent, fidem verò in Deum ignorant, ſimiles eſſe videntur reliquijs mortuorum, quæ pulchrè quidem veſtitæ ſunt, ſed ſenſum pulchrorum nullum habent. Nam quod operæpretium eſt homini, mortuam, & bonis operibus veſtitam habere animam? Opera ſpe præmij coronarumque fiunt. Quòd ſi non nouiſti præſidem certaminis, qua de re certas? Quemadmodum enim hominibus prius eſt vt viuant, deinde vt nutriantur: ſic vitæ noſtræ præire ſpes in Chriſtum debet, nutriri verò etiam bonis operibus eam oportet. Contingit enim ſæpenumero, vt is qui non nutritur, viuat: qui verò non viuit, ne nutritur quidem omnino. Et ſine fide quidem opera iuſtitiæ facientem vixiſſe, regnoque dignatum eſſe, oſtendere quemquam non potes. Nemo enim ſine fide vixit: at verò latro, cùm credidiſſet modò, iuſtus factus eſt. Ne enim mihi dixeris, eum vitæ inſtituendæ tempus accommodatum non habuiſſe. Nam ſi fidei ſuperſtes fuiſſet, operaque neglexiſſet, ſalute excidiſſet. Habebat & Cornelius de eleemoſynis & precibus teſtimonium, ſed Chriſtum non nouerat. Et quoniam cernebat oculus veritatis, ipſe magnus iudex, pulchra quidem eſſe opera, ſed mortua, fidem non habentia, mittit præmium operibus parantem angelum, vt pulchrè certantem fide coronaret, quemadmodum ait ad ipſum:

Act. 10.

Corneli, preces tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei. Si igitur exauditæ ſunt preces, & ſuſceptæ eleemoſynæ, quid mihi reliqui eſt ad iuſtitiã? Sed *mitte*, inquit, *Ioppen, & accerſe Simonem, cognomento Petrum, qui cùm venerit, loquetur tibi verba, in quibus ſaluus fies tu, & vniuerſa domus tua.* Si igitur ex iis quæ dicit Petrus, ſaluus fit ipſe, domuſq; ipſius, nequaquam adhuc ex operibus ſalutem habebat, quoad fides operibus ipſius præmium parauit. Fertur etiã exterorum philoſophorum quiſpiam, ſplendidam domum multo auro ſplendentem, multoque marmorum & columnarum ornatu coruſcantem, ingreſſus, cùm & ſolum tapetibus inſtratum vbique cerneret, in faciem domini domus inſpuiſſe: deinde appellatus, dixiſſe, propterea ſe faciem illius cõtumelia affeciſſe, quòd nuſquam alibi in domo illa id facere liceret. Vides quàm ſit ridiculus, qui cultui exteriori nimiopere ſtudet, & apud omnes, qui mentis cõpotes ſunt, cõtemptibilis? Et meritò ſanè. Nam cùm parietes quidem, & ſolum, aliaque omnia accuratè exornes: animam verò ſordidatã, plenam vulneribus, ab innumerabilibus canibus laceratam, negligas, quod non ſupplicium quæſo expendes? Pecuniam enim ſi perdas, poteris dare pecuniam: ſi domum, ſi mancipia, ſiue quid aliud de his quæ poſſides: animam verò ſi perdas, non poteris aliam animam reddere: verùm etiamſi mundum habeas vniuerſum, etiamſi rex ſis orbis terrarum, vt quidem omnia quæ ſunt in orbe terrarum, pariter cum ipſo orbe terrarum conferas, non poteris emere vnam animam. Nam ſi in corpore, vt ſanè innumerabilibus diadematibus redimitus ſis, corpus verò natura morbidũ & inſanabile habeas, etiamſi regnum totum impenderis, vt etiam innumerabilia corpora, & vrbes, & pecunias adijcias,

Digitized by Google

non poteris corpus corrigere: quantò id magis in anima? Omnia nobis duplicia dedit Deus, duos oculos, duas aures, duas manus, duos pedes: vt, ſi alterum horum læſum ſit, altero indigentiam releuemus. Animam verò vnam nobis dedit: quam ſi perdiderimus, quónam * viuemus? Anima namque auaritia ſemel capta, non facilè, neq; expeditè recuſabit & facere, & dicere quidquam quod Deum irritet: quippe quæ alterius Domini ſerua facta ſit, & eius quidem, omnia contrà ac Deus imperantis. Anima cùm ſemel ſalutem ſuam deſperauerit, nuſquam deſiſtit ab inſania: ſed habenis ſalutis ſuę remiſſis, brutis cupiditatibus quoquouerſum circumfertur, & obuiam venientibus non cedit, ſubterfugientibus omnibus, ac nemine audente retinere: ſed omnia vitij loca percurrit, donec ad extrema interitus profunda delata, ſuam ipſius ſalutem det in præceps. Nam ſicut ſus in luto ſeſe volutans delectatur, ita & anima praua conſuetudine implicata, ne ſentit quidem peccatorum fœtorem: & vt terra non irrigata, etiamſi quis innumerabilia ſemina iaciat, non poteſt ſpicas producere: ita & anima, niſi diuinis ſcripturis prius illuſtretur, etiamſi quis innumerabilia verba effundat, nō poteſt fructū vllū exhibere. Et vt terra niſi ſeminetur & plantetur, herbam ſolā profert: ita & anima vbi quid rerum neceſſariarum, quod agat, non habet. Quum enim nihil agere prorſus non poſſit, agendi cupida, prauis negotijs ſeſe dedit. Et ſicut in corporibus ij qui vulnera negligunt, febres, & putredines, & mortem ſibi pariunt: ita & in animis, qui ad parua peccata conniuent, maiora inducunt. Propterea è terra nobis corpus dedit Deus, vt id etiam ad cælum educamus, non vt per id animam etiam in terram detrahamus. O rem mirandam. Quomodo omnes præſentibus rebus inhiant, & futurarum intelligentiam nunquam accipiunt, ſed in corporeas quidem voluptates iugiter feruntur, animas verò fame tabeſcere ſinunt. Et cùm innumerabilia quotidie vulnera accipiant, nunquam ſentiunt in quibus ſint malis: ſed corpus quidem exquiſita diligentia curant, animam verò negligunt ſqualentem & ſordentem, & innumerabilibus affectionibus perturbatam: & quod grauius eſt, quòd poſt multos ſudores & labores, ne mortale quidem corpus hoc morte ſuperius efficiunt, ſed & immortalem illam cum mortali hoc æternis ſubijciunt pœnis. Quocirca magnopere deplorans animis hominum circumfuſam dementiam, craſſamque caliginem obtenſam, vellem ſpeculam aliquam excelſam inuenire, quæ mihi omnia genera hominum cernenda ſubijceret: vellem autem & vocem adipiſci, quæ ad extremos fines circunquaque perſonaret & omnibus, qui ſuper terram viuunt, ſufficeret: & ſtare & vociferari, Dauidicaque illa voce exclamare, *Filij hominum quouſque graui corde?* Quam igitur defenſionem habebimus, dic mihi? quam veniam? cùm corporis quidem ægrotantis, vbi & argentum expendendum eſt, & medici accerſendi, & dolor magnus perferendus, tantam curam habeamus: animam autem negligamus, præſertim neque argentum expenſuri, neque negotium alijs exhibituri, neque dolores ſubituri: ſed abſque his omnibus, ſelectione & voluntate ſola corrigere nos ipſi valentes, & exactè ſcientes, quòd niſi id fecerimus, extremum luemus ſupplicium, & irrecuſabiles cruciatus atque pœnas. Et quemadmodum qui carcerem inhabitant, ſemper quidem in anxietate ac doloribus ſunt, ſed maximè eo die, quo ſunt educendi, & ad ipſas fores iudicantis ducendi, & ante cancellos ſtantes, iudicantiſque vocem intus audientes, metu ſuffocantur, & nihilo meliore ſunt ſpecie, quàm mortui: ſic & anima, & ipſo quidem peccati tempore maximè affligitur & premitur, ſed multò magis, quando hinc auulſa, ad rationes illic reddendas, & ad terribile illud iudicium abduci debet. Propterea ſæpe refugit, & intrò recedit, metuit, & exhorreſcit, cùm è carcere euolatura eſt. Tunc enim ſiue quis rapuit, ſiue auare quæſiuit, ſiue iniuſtè inimicus cuiuſquam fuit, ſiue quid aliud improbum deſignauit, vniuerſus peccatorum chorus renouatur, & oculis ſeſe offert, ſtatque acerbus conſcientiæ accuſator. Ideo & animam nacti ſumus immortalem, & corpus erit immortale, vt infinitis bonis fruamur. Quòd ſi terræ affixus fueris, cùm cæleſtia proponantur, cogita quanta contumelia donantem afficias, cùm ille quidem ſupera tibi porrigat: tu verò non magnam eorum rationem ducens, terram commutes cæleſtibus. Quæ vtinam omnes adipiſcamur, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.

> *ἐμβσόμεθα fuit in græco exemplari, abſūptis carie medijs literis. Vide an ἐμβιωσόμεθα, quod nos viuemus, reddidimus: aut ἐμβιβασόμεθα, ſit legendum.

> Pſalm. 4.

> Simile.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, de humilitate animi, Oratio, Martino Cromero Interprete.

CVm peccatum cum animi humilitate coluerit, ita expeditè currit, vt iuſtitiam cum arrogantia copulatam ſuperet & anteuertat. Quod ſi iuſtitiæ ipſam (humilitatem inquam) iunxeris, quò non euadet? quos non tranſcendet homines? apud ipſum planè regium tribunal aſſiſtet in medio angelorum, cum magna fiducia. Quòd ſi ij qui peccata ſua confitentur, tantam ſibi fiduciam conciliāt: quas non adipiſcentur coronas ij, qui cùm multorum ſibi bonorum conſcij ſint, animum tamen ſuum humiliant? Quare vt decies millena ſurſum extruas, vt eleemoſynam, vt precationes, vt ieiunium, vt omnem virtutem, niſi hanc prius fundamenti vice ieceris, omnia abs te, fruſtraque ſuperſtruentur. Nihil eſt enim, nihil in noſtris rectè factis, quod ſine eā ſtare poſſit. Sed ſiue temperantiam dicas, ſiue virginitatem, ſiue pecuniarum contemptum, ſiue quid aliud, omnia ſunt impura, deteſtanda, abominabilia, ſi abſit humilitas animi. Propterea namque ex duabus ſubſtantijs nos Deus condidit, vt cùm ſuperbia quidem elatus fueris, reprimat te carnis vilitas: cùm autem degener quid & indignum dato tibi diuinitùs honore cogitaueris, animi nobilitas te ad cæleſtium virtutum æmulationem ſubleuet. Magnum enim bonum eſt, cognationem ſuam conſiderare, & noſſe vnde conſtiterimus. Etenim ſufficiens doctrina eſt, naturæ contemplatio: quippe quæ poſſit omnes perturbationes reprimere, tanquillitatemque in animo facere. Reputa tecum naturam tuam & fabricam: & ſatis id tibi eſt, vt perpetuò te reprimas. Conformatus eſt è terra Adam, ſed neſciebat quomodo conformatus eſſet. Non enim oportebat eum teſtem adeſſe eorum quæ fiebant, vt ne aduerſus Deum ſeſe erigeret. Nam ſi tanta humilitate ſeptus, erigit ſeſe, & ignorat eum à quo conformatus eſt: quis eius ſuperbiæ immodeſtiam caperet, ſi accepiſſet id quod ſupra naturam eſt? Propterea Deus cùm hominem conformaret, & virtutes magnas operi illi indidit, & humilitates multas, vt propter virtutem quidem inditam, opificis gratia admirationi eſſet: propter humilitatem verò, ſpiritus hominum reprimeretur. Dedit ei linguam loquentem, Deum laudantem, diuina canentem, interpretantem pulchritudines creaturæ. Differit de cælo terraque parua caruncula lingua, ne duorum quidem digitorum menſuram habens. Sed quid dico digitorum? ne extremi quidem vnguis: ſed extremum illud paruum loquitur de cælo & terra. Et ne magnum quid ſe eſſe putet, & ſupra naturam ſuam ſeſe erigat, ſæpe & tumores ipſam implicāt, vt diſcat quòd mortalis de immortalibus loquitur: debetque noſſe, quænam virtus ſit eius quem prædicat, quæque imbecillitas prædicantis. Dedit ipſi oculū, paruum illud granum, quo crea-

creaturam omnem perſpicit. At ne viſu creaturam omnem comprehendens, erigat ſeſe, ſæpe & lippitudines, & pelliculæ, & lacrymæ, quæque alia viſum turbant, ipſi innaſcuntur, vt ex imbecillitate quidem ſeſe nouerit, ex opificio verò artificem diuinis laudibus celebret. Si igitur talem imbecillitatem homo circumferens, ita vilitatis ſuæ obliuiſcitur, vt etiam aduerſus opificem inſoleſcat: quis eum tuliſſet faſtu ſeſe efferentem, ſi hac imbecillitate omnino caruiſſet? Cogita homo, in cuius ſocietatem te ingeris, cùm inflaris, & arrogantia te erigis, & cùm te hoſpitem curare pudet. At quónam id modo fieret, inquit? Si quis enim honeſto ſit loco natus, & illuſtris, & ſplendidus, & nobilis, ipſéne hoſpitis lauabit pedes? Nónne turpe id eſſet? Imò non lauare, magis turpe eſt. Nam vt decies millies nobilitatem ſuam extollat, & claritatem & ſplendorem, eiuſdem certè naturæ particeps eſt cum eo qui lauatur, & conſeruus eſt eius quem curat, pariſque dignationis. Cogita, quíſnam diſcipulorum pedes lauit, & deſine de nobilitate diſſerere. Cogitemus naturam noſtram, reputemus peccata, diſcamus qui ſimus, & ſatis eſt nobis ad humilitatis materiam. Hic enim maximè ſeſe nouit, qui nihil ſe eſſe putat. Nihil enim Deo tam charum eſt, quàm in extremis ſeſe numerare. *Venite* enim, inquit, *diſcite à me, quòd mitis ſum, & humilis corde.* Niſi mitis eſſem, cum regis ſim filius, ſeruámne matrem elegiſſem? Niſi mitis eſſem, inaſpectabilis & aſpectabilis ſubſtantiæ opifex, ad vóſne peregrinatus eſſem? Niſi mitis eſſem, præſepíſne paupertatem ſuſcepiſſem, vniuerſæ creaturæ diuitias obtinens? Niſi mitis eſſem, dorſúmne meum flagris pro captiuis præbuiſſem? Quid? id quod maius eſt, non dico. Niſi mitis eſſem, cùm alij pati deberent, egóne qui nihil debebam, mortis debitum pro ipſis exoluiſſem? Ita mitis & humilis ſum, vt me ſeruis meis ſupplicare non pudeat: ſed malo obſecrare, vt ne punire cogar. Cùm igitur cogitatio tibi obrepſerit, vt de humilitate animi te ipſe admireris, cogita Dominum tuum, quò deſcenderit: & iam te ipſe non admiraberis, neque laudabis, ſed deridebis, quaſi qui nihil feceris. Humilis es, & omnium hominum humillimus, ne ob id magnificè de te ſentias, neque exprobres alijs, & non perdes gloriam. Propterea te humilias, vt ſuperbiam euites. Si igitur per humilitatem in ſuperbiam incidas, melius fuerit, non humiliare temetipſum. Manſuetudo enim dicitur, non quando quis à potente affectus iniuria, fert placidè; ſed quando etiam ab his, qui inferiores videntur eſſe, læſus, cedit. Vide enim Dei benignitatem, & cuiuſmodi curam erga ſeruos ſuos oſtendat. Cùm enim Iſaac à rege Gerarorum & indigenis iniuſtè ſuis laboribus arceretur, non indignatus eſt, neque puſillanimem ſeſe oſtendit, neque intra ſe vociferatus eſt: neque dixit, quia ius habeo frui puteis, ánne deſtitutus ſum ope ſuperna? ánne prouidentia Domini orbatus ſum? Nihil huiuſcemodi neque cogitauit, neque ratiocinatus eſt: ſed moderatè tulit omnia, eoque plus auxilij ſupernè conſecutus eſt. Apparuit enim ei Dominus nocte illa, dixitque: *Ego ſum Deus Abraham patris tui. Ne timeas. Tecum enim ſum, & benedixi tibi.* Volens enim iuſtum refocillare, apparet ipſi, dicitque: Ego ſum Deus, qui patrem tuum celebrem feci, & in tanta claritate conſtitui, & peregrinum indigenis ſplendidiorem feci. Ego ſum ille, qui talia illi incrementa præſtiti. Ne ergo timeas. Tecum enim ſum, & multiplicabo ſemen tuum, propter Abraham patrem tuum. Multa enim obedientiæ præmia ipſi debeo. Hæc vbi audiuit iuſtus ille, bono deinceps fit animo. Qui enim dixit, Tecum enim ſum, & benedicam tibi, *& multiplicabo ſemen tuum*: hic & ſplendorem donauit. Vide quanta ſit vis humilitatis. Qui enim dudum exagitauerant, nunc venientes ad iuſtum illum, non modò non defendunt quæ dudum fecerant, & veniam petunt, verùm etiam laudibus celebrant. Quis enim eſſet eo fortior, qui Deum ſecum habebat? Cernentes enim, inquiunt, vidimus quòd Deus tecum ſit. Videamus autem quomodo & huius filius Iacob, cùm perſecutioni cederet, peregrinatur. Neque enim paruū inde quoque fructum decerpemus. Proficiſcente enim illo in Haran, occidit ſol, & ſumpſit de lapidibus loci illius, & poſuit ſubter caput ſuum, & cubuit. Vides ineffabilem philoſophiam? vides quomodo antiqui peregrinabantur? Vir domi magna cura indulgentiaque enutritus, ſumens lapidem poſuit ſubter caput ſuum. Vide pueri virilem animum: lapide in loco ceruicalis vtebatur, & humi dormiebat, & ob id Domini aſpectu dignatus eſt. Et ait: Ego ſum Deus Abraam, & Deus Iſaac patris tui: Ego & principem illum generis, & hunc patrem tuum ad tantam claritatem euexi. Ne metuas ergo, ſed crede, quia ego ſum, qui & illis promiſſa præſtiti, & te mea prouidentia dignatus ſum. Et nunc tecum ſum, cuſtodiens te in hoc omni itinere, quocumque proficiſcêris. Ne putes, inquit, ſolum te iter facere: me habebis comitem, me habebis cuſtodem in omni itinere. Tecum enim ſum. Si igitur humilis eſſe vis, non verbis, nec habitu ſolùm, ſed & re, & voce virtutem hanc præ te feras. Et ne ſis aduerſus hunc quidem humilis, aduerſus illum verò inſolens: ſed in omnes humilis, ſiue amicus ſit, ſiue inimicus, ſiue magnus, ſiue paruus. Hæc enim eſt humilitas animi. Licet enim humilem eſſe, ſimul & facilè irritabilem & iracundum: ſed nullo operæ pretio. Sæpe enim ira correptus, omnia perdidit. Nam veram humilitatem animi hinc diſcere licet animum aduertentibus. Cùm veniſſet Ieſus Capernaum, acceſſerunt ad Petrum ij qui didrachma accipiebāt, dixeruntque; *Præceptor veſter non pendit didrachmum?* Et vide. Ad ipſum quidem Chriſtum adire auſi non ſunt, ſed ad Petrum. Ac ne ad hunc quidem magna cum vehementia, ſed modeſtiùs. Neque enim poſcentes, ſed interrogantes dicebant: Præceptor veſter non pendit didrachmum? Necdum enim conuenientem de eo habebant opinionem, ſed quaſi de homine ſentiebant, niſi quòd reuerentiam quandam & honorem ipſi exhibebant, propter perađa ſigna. Quid igitur Petrus? Etiam, inquit. Et his quidem, ſoluere eum: ipſi verò non dixit: fortaſſe quod puderet eum de his ipſum compellare. Quid igitur, qui omnia exactè nouit Deus? Anteuertens eum, inquit: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus tributum vel cenſum accipiunt? a filijs ſuis, an ab extraneis? Ab extraneis, inquit. Dicit ei Ieſus: Num igitur immunes ſunt filij? Ne enim exiſtimaret Petrus, quòd ab illis audiſſet eum dicere, anteuertit eum, cùm hoc ipſi aperiens, tum fiduciam præbens, ambigenti priùs de his dicere. Quod autem dicit, huiuſmodi eſt: Immunis equidem ſum à dando cenſu. Si enim reges terræ à filijs ſuis non accipiunt, ſed à ſubditis: multò magis me immunem eſſe oportet ab hac exactione, cùm ſim non terreni regis, ſed cæleſtis filius, atque rex. Et his dictis, inquit: Verùm vt ne offendamus ipſos, vade ad mare, iace hamum, & piſcem qui primus hæſerit, tolle, & inuenies in ipſo ſtaterem, eum ſublatum da ipſis pro me, atque pro te. Vide quomodo neque detrectat tributum, neque ſimpliciter dare iubet: ſed cùm primùm oſtendiſſet, non debere ſe, tum demum dat. hoc quidem faciens, ne illi offenderentur: illud verò, ne hi. Neque enim, quaſi deberet, dat, ſed vt infirmitatem illorum corrigens. Sed qua de re non ex repoſitis dare iuſſit? Vt in hoc etiam vniuerſorum ſe Deum oſtēdat, & quod mari dominetur. Neque enim paruum

Matt. 11.
Gen. 26.
Matt. 17.

erat,

erat,illum prædicere futurum eſſe, vt ex profundo primus incideret, qui tributum penderet, piſcis, & quaſi reti in profundum illud immiſſum iuſſu eius educi eum, qui ſtaterem ferret, & facere,vt ita mare dona afferret, & vndique ſubiectionem ipſi oſtenderet. igitur magnum vis oſtendere rectè factum, ne magnifice de te ſentias, & tunc maius id effeciſti. Nam ſi, cùm peccatores ſumus, & hoc nos eſſe putamus quod ſumus, iuſti efficimur, quemadmodum publicanus: quantò magis, cùm iuſti ſumus,& peccatores nos eſſe arbitramur? Nam ſi dixeris teipſum probum factus es inutilis, etiamſi probus fueris. Vt enim *ſuperbis nouit Deus reſiſtere, ita gratiam dare humilibus,* (Iac.4. 1.Petr.5.) quia ipſum decet gloria,& imperium, in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, de aduerſa valetudine, & medicis, Oratio, Martino Cromero Interprete.

In infirmitate patientia eſt habenda.

CVm in aduerſam valetudinem incideris, ô homo,recordare corporis Iobi, & ſanctæ illius carnis:ſancta enim erat,& pura. Nam quis ita ægrotauit vnquam?quis tantam plagam accepit? alterúmve qui acceperit,vidit?Non eſt quiſquam, non eſt. Paulatim corpus eius conſumebatur, & vermium fontem ipſi è membris vndique exſcaturiebat,eratque perennis hic affluxus, & multus vndequaque fœtor,& corpus paulatim fathiſcens: talique liqueſcens putredine, inſuaues cibos reddebat: & erat ipſi fames peregrina, & inaudita. Neque enim oblatis alimentis veſci poterat. Crepitum enim,inquit, inteſtinorũ video cibos meos. At enim ſatis,inquit, iſte ſolatij & leuaminis habuit,quòd ſciret Deum hæc ſibi inferre. Imò hoc maximè perturbabat & commouebat hominem, quòd iuſtum Deum,quiq́ue à ſe omni modo ſtetiſſet,putabat ſibi infeſtum eſſe,neque vllam probabilem cauſam eorum quæ fiebant,poterat inuenire. Quòd ſi hoc ſufficere ad ſolatium putas, poteris ſanè & ipſe hocce leuamen habere. Quamuis enim non propter Deum aduerſi quidquam patiaris, ſed ex hominum vexatione, gratias ages, neque conuitiaberis ei, qui poteſt quidem prohibere, ſed prætermittit tamen, probationis tuæ gratia: quemadmodum qui propter Deum paſſi ſunt,coronantur,ita & tu eandem mercedem conſequeris, quòd ab hominibus oblata incommoda generoſè tuliſti,& ei qui poterat quidem, ſed noluit prohibere, gratias egiſti. Neque enim bonus quiſpiam ſine peccato eſt, neque malus quiſpiam ſine iuſtitia:vtriuſque autem compenſatio, & remuneratio eſt. Si quis iuſtus & mali quid egerit, & ægrotauerit,& ſupplicio addictus ſit,ne commoueare, ſed dicito: Hic iuſtus paulum quid mali fecit, aliquando & recipit hic, vt ne illic puniatur. Rurſum ſi videas peccatorem rapientem, auarè agentem,iucundè viuere,cùm innumerabilia mala faciat, ne ita quidem commoueare, ſed dicito:Hic peccator, qui innumerabilia mala perpetrat, boni quippiam fecit aliquando,& recipit hîc bona, vt ne illic mercedem repetat. Hoc autem & in Lazaro eſt videre,quoniam contigit, vt & ille peccata quæpiam, & diues rurſus boni quid haberet. (Luc.16.) Audi quid dicat Abraham, *Recepiſti bona tua illic, & Lazarus mala ſua.* Qualia? egiſti quid boni, recepiſti pro eo diuitias, bonam valetudinem,delicias, potentiam, honorem, & nihil tibi debetur. Quid igitur Lazarus? Nihilne peccauit? Sanè verò.propterea dicit, & Lazarus mala ſua. Cùm enim tu bona tua recipiebas,tunc & Lazarus mala. Animaduerte autem quid dicam. Iob iuſtus erat,irreprehenſibilis, verax, pius, & afflictum eſt cor eius hîc,vt illic mercedem repeteret,Ait enim Deus ad eum: Sed fruſtra me tibi oraculo præcepiſſe putas,vt exiſtas iuſtus: Num igitur peruertit ſanctum illum Iob vxoris conſilium? Imò verò contrarium magis fecit, maioremq́ue in modum eum confirmauit,ita vt increparet etiam vxorem. Maluit enim dolere & affligi, & innumerabiles aduerſitates pati, quàm cum conuitio exitum ab huiuſmodi malis vllum inuenire. Sed vulgus hominum cùm in aduerſam valetudinem inciderint, conuitiantur illico,& ærumnam quidem morbi ſuſtinent:lucro verò,quod ex eo morbo per patientiam percepturi erant,fraudantur. Quid facis ô homo? Benefactori,& curatori, & defenſori, & ſeruatori conuitiaris? Non ſentis quòd in præceps feraris,& in profundum extremi interitus temet ipſe conijcias? Propterea namque diabolus innumerabiles aduerſitates infert, vt in profundum illud deducat:ac ſiquidem conuitiantem te viderit,facilè dolorem auget, maioremq́ue facit, vt cùm pungeris,rurſus faſtidio replearis. Sin fortiter ferentem animaduerterit, & quò magis morbus intenditur, eò magis gratias agentem Deo, abſtinet confeſtim, velut temerè & fruſtra inſidias tenſurus deinceps. Quámnam ob rem indignaris,ô homo,& conuitiaris,ſi in quippiam, quod diſpliceat,vnquam incideris? An enim, ſi conuitieris, leuiorem morbum facis? Imò verò intendis ipſum, & multò grauiorem dolorem efficis. At non potes tacere, cùm à dolore pungeris? Verùm tu pro conuitio gratias age, lauda,celebra Deum. Nam ſi conuitieris, tum Dei auxilium propulſaſti, tum diabolum acriorem contra te effeciſti. Quòd ſi gratias agas,& improbi dæmonis inſidias propulſaſti, & curatoris Dei curam tibi adiunxiſti. At conſuetudine lingua ſæpenumero fertur incita, vt improbum verbum proloquatur. Verùm tu, vbi feretur incita, priuſquam verbum proferat, mordicùs eam dentibus vndique vehementer conſtringe. Melius eſt vt nunc ſanguine perfluat,quàm vt illa die guttam appetens, leuamen conſequi non poſſit:quemadmodum in diuite. Præſtat vt temporarium dolorem perferat, quàm vt tunc perpetuò & æuo ſempiterno frigatur. Cùm igitur in grauem morbum incideris, & multi adfuerint qui cogant, alij quidem incantationibus,alij amuletis,alij porrò alijs quibuſdam leuare malum:tu verò propter timorem Dei generoſo & infracto animo tuleris, & omnia pati malueris, quàm vt eiuſmodi quidquam facere ſuſtineas,hoc tibi martyrij coronam affert. Et ne dubita. Quemadmodum enim ille tormentorum cruciatus fert fortiter, vt ne adoret ſimulachrum: ita & tu morbi dolores perfers, vt ne vllius rei ab illo indigeas,neque facias ea quæ imperat.At enim vehementiores illi ſunt. Verùm hi diuturniores: quocirca par exitus. Nam cùm febris ardor intus moleſtus eſt & vrit,tu verò alijs hortantibus incãtationem refutas, nónne martyrij coronã induiſti? Cùm enim incantatores magna cum contumelia domo eieceris, omnes qui audierint laudabunt & admirabuntur,dicentq́ue ad ſe mutuò: Hic ægrotans, cùm innumerabilia hortarentur quidam,& monerent,& cõſulerent magicis quibuſdam incãtationibus vti,non eſt aſſenſus,ſed dixit:Præſtat ſic mori, quàm prodere pietatem. Quòd ſi hîc tantæ laudes ſunt,cogita quantas illic coronas feres, cũ præſentibus angelis & archangelis Chriſtus tranſiens,manu te apprehenſum in medium theatrum illud producet,& omnibus audientibus dicet: Hic homo febri correptus aliquando, cùm innumeri eũ hortarẽtur, vt è febri illa euaderet,propter nomen meum & timorem mei, vt nulla in re offenderet,repulit ac deſpexit eos, qui ſe illo modo curaturos recipiebant:maluitq́ue morbo emori, quàm beneuolentiam erga me prodere. Nam ſi eos qui ſe potarunt, & cibarunt, & veſtiuerunt, in medium producit:multò magis eos, qui propter ſe febres

bres ſuſtinere in animum induxerunt. Neq; enim par eſt, dare panem & veſtimentum, & morbum diuturnum ſuſtinere. Sed longè hoc illo maius eſt: ita & corona erit ſplendidior. Audiuiſti quæ de Lazaro dicta ſunt, quomodo cum fame, morbo, ſolitudine, per omne tempus ſuum luctatus eſt: ita vt & vitam ipſam in veſtibulo diuitis finiret, neglectus, eſuriens, canibus eſca expoſitus. Adeò namque corpus ipſius debilitatum erat, vt ne abigere quidem poſſet canes inuadentes, & vulnera lambentes. Sed tamen non quæſiuit incantatorem, non applicauit * folia, non magica mouit, non præſtigiatores ad ſe vocauit, non quidquam aliud vetitum fecit. Sed maluit immori malis illis, quàm exiguam prodere pietatis partem. Quæ igitur venia nobis dabitur, tantas aduerſitates patiēte illo, & tolerante fortiter? ſi propter febrem aut vulnera, veneficos præſtigiatoreſque domos noſtras accerſamus? Multi enim ſæpenumero ægrotant, ſed neceſſario alimento non egent. Alij in extrema paupertate viuunt, ſed bona valetudine fruuntur. Lazarus verò ita erat debilitatus, vt ne canes quidem poſſet abigere, ſed mortuus ſpirās iacebat, inuadentes quidem eos cernens, ſed arcere nō valens. Ita ipſi mēbra debilitata erant, ita tabeſcebant aduerſa valetudine, ita conſumebantur tentatione. Quòd ſi per ſe horum quoduis intolerabile & acerbum eſt: quando ſimul coniuncta ſunt, quomodo non adamas quiſpiam erat, qui ea ſuſtinebat? Nam ſi in ſolitudine & inhabitabili poſitus hæc fuiſſet paſſus, & neglectus fuiſſet, non hoc doluiſſet, ac ſuaſiſſet, vt inuitus ferret ea quæ acciderent. Si verò, qui in medio horum, quibus res erant ſecundæ, iacebat, nulla, ne vulgari quidem cura dignari, acriorem faciebat malorum ſenſum. Cogita, quónam modo affici eū par erat, cernentem paraſitos, adulatores, deſcendentes, aſcendentes, exeuntes, introeuntes, tumultuantes, temulentos. Nos quidem certè etiamſi innumerabiles aduerſitates patiamur, habemus tamen intuentes in illum, vnde affatim ſolatij accipiamus. Nam ſocios ſuorum malorum reperire, dolentibus multum affert ſalatij: ille verò neminem alium videre potuit, qui eadem illa quæ ipſe patiebatur, paſſus eſſet: quinetiam præſente hac vita, res præſentes concludi putabat. Erat enim ex ijs, qui fuerunt ante gratiam. Quòd ſi nunc noſtris temporibus poſt tantam Dei cognitionem & bonas ſpes reſurrectionis, & præparata ijs qui rectè agunt, bona, tam puſillo quidā ſunt animo, vt ne his quidem expectationibus corrigantur: quónam modo illum par fuit affici? Imitetur Lazarum, & diuites, & pauperes. Neque enim vnū, aut duo, aut tria dūtaxat, ſed multò plura virtutis certamina ſubiuit: paupertatem, ſolitudinem opitulatorum, aduerſam valetudinem: quòd non duos treſve dies, verùm per omnem vitam, & ſe in his, & diuitem in contrarijs videbat: quòd alium Lazarum intueri non habebat: quòd nihil de reſurrectione philoſophari poterat: quòd cum prædictis malis, malam etiam ſuſpicionem apud vulgus hominum ex illis calamitatibus ſibi collegerat. Quam igitur defenſionem habebimus, ſi cùm hic omnia ſimul aduerſa tam fortiter tulerit, nos ne dimidium quidem feramus? Non enim habes, non habes oſtendere, neque dicere alium quempiam qui tam multa & talia paſſus ſit. Propterea namque ipſum Chriſtus in mediū propoſuit, vt in quodcumque aduerſitatis genus inciderimus, exuberantiam vltra id videntes, luculentum ex ipſius philoſophia ſolatium & leuamen accipiamus. Communis enim totius orbis terrarum magiſter propoſitus eſt ijs, quicumq; aduerſi quid patiuntur, omnibus intuendum ſeſe exhibēs, & omnes vincentem malorum ſuorum exuberantia. Etenim ſapientes medici putrida membra ſecturi, aut lapides meatibus inhæreſcentes extracturi, aut aliud quodpiam naturæ peccatum correcturi, non in angulum abducto ægroto id faciunt: ſed cùm in medio foro eum propoſuerint, theatrumque ex prætereuntibus conſtituerint, ita demum ſectionem adhibent. Atque id faciunt, non quòd velint humanis miſerijs inſultare: ſed vt eos qui aſpiciunt, in alienis corporibus doceant multam ſanitatis ſuæ gerere prouidentiam. Cùm igitur videris iuſtum premi & vexari aduerſa valetudine, & innumerabilibus alijs aduerſitatibus præſentem vitam finire, dic ipſi, niſi eſſet reſurrectio & iudicium, nequaquam Deus tanta mala paſſum, nullo bono fruitum, fineret hinc demigrare. Vnde planum eſt, quòd aliam ipſis vitam parauit, præſente hac ſuauiorem, ac multò optabiliorem. Enimuero quánam id ratione conſiſteret, quod improbos multos præſentem hanc vitam in delicijs degere paſſus eſt, iuſtos verò multos in innumerabilibus reliquit malis: cùm ſit & appelletur iuſtus, noueritque iuſtè cuique pro meritis gratiam referre? Quem decet omnis gloria, imperium, honor, & adoratio, in ſæcula ſæculorum. AMEN.

* πέταλα.

Luc. 16.

Diui Ioannis Chryſoſtomi, de muliere & pulchritudine, Oratio, Martino Cromero Interprete.

QVi vxores ducturi ſunt, leges apud Paulum de nuptijs poſitas priùs legant, indeque diſcant, quid facto opus ſit, cùm improba, & maledica, & amentiæ plena, & quiduis aliud eiuſmodi habens vxor obtigerit. Si igitur videris facere eum tibi poteſtatem, vt eam, ſi vnum de his vitijs repereris, eijcias, & aliam inducas, confide quaſi expers omnis periculi. Sin hoc minimè concedit, verùm omnia alia vitia, præter ſcortationem, habentem, amare iubet, ita teipſum munito, vt omnem eius improbitatem laturus. Quod ſi hoc graue & moleſtum eſt, omnia fac & ſatage, vt commodam, modeſtam, & obſequentem vxorem ducas. Nam ſi domos atque ſeruos empturi, curioſè ſciſcitamur & perſcrutamur vendentes pariter, atq; priores poſſeſſores, de illarum quidem fabrica, de horū autem & corporis habitudine, & animi ſtudio inquirentes, multò magis vxores ducturos, tantam ac lōgè maiorem etiam prouidentiā gerere oportet. Domū enim vitioſam, & ſeruum, ſi ineptus videatur, reddere vēditori licet: vxorē verò ductam reddere ijs qui dederunt, nō licet. Malum eſt igitur pauperiorem vxorem ducere, malum item opulentiorem. Nam illud quidem facultatum detrimento virum afficit, hoc verò authoritatis & libertatis. Et multi ex ijs qui meretricibus adhærent, non modò æternam mortem inde ſubierunt, ſed & hîc malè perierunt, ærumnas à meretricantibus mulieribus perpeſſi. Cùm enim contenderent illæ, vt adhærētem ſibi amore ſui penitus aſtringerent, magicas artes excitarunt, amatoria pocula apparārūt, multaſq; præſtigias cōſarcinarunt: ita deinde in grauem morbū coniectum, & lui tabique lentæ traditum, & in innumerabilia mala coniectum, ex hac vita ſuſtulerunt. Si igitur homo dicentem gehennam nō metuis, at præſtigias earum metue. Cùm enim per hanc laſciuiam Dei te auxilio priuaueris, & ſupernā opem tibi præcideris, ſuſcipies, excluſo omni metu, meretrix, cùm dæmones ſuos inuocarit, & folia ſcripſerit, & inſidias ſtruxerit, facilè ſalutem tuam opprimit, probrum te & ludibriū omnibus qui vrbem inhabitant, conſtituens. Si igitur animum tuum oblectare vis, ne ito ad theatra, ſed ad viridaria, ad prēterlabentē amnē, & ſtagna: perdiſce hortos, audi canentes cicadas: frequenta ad martyrum monumenta, vbi corporis ſanitas eſt, & animi emolumentū, & nocumentū nullū. Habes

1. Cor. 5. & 7.

Inſectatur theatra ſequentes.

vxorem, habes liberos, quid par huic voluptati? Habes domum, habes amicos. Hæc ſuauia ſunt cũ temperantia,& lucrum præbent. Quid enim liberis dulcius,dic mihi? Quid vxore, ei qui temperãs eſſe velit? Barbari ſanè feruntur, quondam verbum philoſophia plenum dixiſſe. Cùm enim de exlegibus iſtis theatris, & importuna oblectatione audiuiſſent: Romani,inquiunt, quaſi liberos & vxores non habeant,ita huiuſmodi voluptates excogitarunt. Cũ igitur videris venuſtam mulierem,fulgidum habentem oculum,vultu hilari coruſcãtem, eximium quendam decorẽ aſpectu præ ſe ferẽtem, vrentem mentem tuam,& concupiſcentiam augẽtem;cogita terram eſſe id quod admiraris, ſtercus quod te vrit,& conquieſcet furens animus. Detege ipſi cutem vultus,& tunc videbis omnem venuſtatis vilitatem. Ne ſubſiſtas ſuperficie tenus,ſed interius penetra cogitatione: nihil inuenies, quàm oſſa,& neruos,& venas. Sed non ſufficiunt hæc. Cogita mihi,eam alterari,ſeneſcere, ægrotare, ſubſidentes oculos, cauas genas, florem illum omnem defluentem: animaduerte quid admireris & pudeat te iudicij tui. Lutum admiraris, & ſtercus, & puluis te vrit atque cinis. Pulchritudinis enim eius, quam aſpicis,ſubſtantia, nihil aliud eſt quàm pituita,deſtillatio,ſanguis, alimenti computrefacti ſuccus. His enim & oculi,& genæ,& reliqua omnia rigantur. Quod niſi quotidie rigationem illam accipiat ab aluo & iecinore prodeuntem, ſtatim tota auolat, ſubſidente plus æquo cute, & oculis in cauum recedentibus. Quocirca ſi tecum reputes, quid intra pulchros illos oculos ſubſit, quid intra rectum naſum,quid intra os & genas,nihil aliud dicturus ſis venuſtatem corporis,quàm ſepulchrum calce illitum. Tantis ſordibus intus plena eſt. Et panniculum quidem,huiuſmodi aliquid, velut pituitam,vel mucum habentem ſi aſpicias,ne extremis quidem digitis contrectare,imò neque aſpicere ſuſtines: ad horum autem cellas,& horrea obſtupeſcis? Is igitur qui corporis amator eſt, & ad venuſtam puellam obſtupeſcit,ſi velit ſermone dicere deformitatem ſubſtantiæ, ipſam in ſe ex aſpectu cognoſcet. Etenim multæ æquales amicæ illius,ac ſæpenumero ſplendidiores etiam defunctæ, poſt vnum atque alterum diem fœtore, & tabo oppletæ ſunt,& putredine vermium. Cogita ergo,cuiuſmodi pulchritudinem amas homo, & ad qualem venuſtatem obſtupeſcis. Cùm autem vir vxorem voluerit eijcere,aut vxor virum dimittere,huius dicti recordetur, & à Paulo præſente condemnari ſe putet, clamante atque dicente: *Mulier ligata eſt lege,quamdiu viuit vir eius.* Hoc declarans, non adiecit: Si autem vir eius mortuus fuerit,libera: ſed, Si autem dormierit, tantùm non conſolans viduam,& ſuadens priori contentam eſſe, neque alterum ſponſum inducere. Non eſt mortuus, inquit,vir,ſed dormit. Quis autem dormientem non expectat? Liberam verò poſt mortem viri eam factam eſſe dicens, oſtendit ſeruam fuiſſe prius viuente illo. Serua autem cùm eſſet, & ſubiecta legi, etiamſi decies millies repudij libellum acceperit, ſecũdùm externas gentilium leges adulterij legi obnoxia eſt. Neque enim his legibus Deus tibi iudicabit die illo,ſed ijs quas ipſe fixit. Quamquam & externæ leges non ſimpliciter hoc ſtatuerunt, ſed puniunt & ipſæ hoc factum,& moleſtè ferunt hoc peccatum. Ab vtro enim ſoluendi matrimonij occaſio extiterit, eum detrimento facultatum multant,nudum & vacuum pecunia illinc eijcientes. Fertur quidam externorum philoſophum improbam habens vxorem,& garrulam,& vinolentam, interrogantibus,quam ob cauſam talẽ habẽs toleraret,dixiſſe: vt exercitationem & palæſtram domi habeam. Ero enim alijs placidior,inquit, in hac edoctus quotidie. Ille igitur philoſophus propterea dicitur vxorem malam habens, non eieciſſe.

Pulchritudo quã vana.

1.Cor.7.

In eos qui male tractant vxores.

A Quidam autem ob id etiam ipſum eã duxiſſe aiunt. Cùm igitur Græci magis nobis ſint philoſophi, quam defenſionem habebimus, contumelia afficientes eam, propter quam etiam parentes Deus iuſſit dimittere? Quis autem ſermo exprimere poterit,cùm eiulatus & vlulatus per compita feruntur,& concurſus vicinorum pariter & prætereuntium ad domum eius qui hęc dedecora patrat,quaſi fera quapiam intus vaſtante? Melius eſſet vt ſolum verteret,qui ſic inſanit,quàm vt in foro conſpiceretur deinceps. Pareamus legi diuinæ,& neq; noſtras vxores eijciamus, neque ab alijs eiectas recipiamus. Quo enim vultu virum vxoris aſpiciet? quibus oculis amicos eius,atque ſeruos? Nam ſi,cũ mortuo quopiam,vxorem eius quiſquam duxerit, deinde imaginem ſolam repoſitam videat,commouetur, atque diſcruciatur: intuentem virum eius, quæ ſecum habitat, intuens, cuiuſmodi vitam viuet? quomodo domum ingredietur? qua mente,

B quibus oculis aſpiciet vxorem ſuam,quæ illius ſit? Quin rectius neque illius, neque ſuam, eam quæ illius ſit, quiſpiam appellauerit. Adultera enim, nullius eſt vxor. Etenim pacta, quæ cum illo habuit, conculcauit, & ad te non legitimè venit. Quantæ amentiæ eſt,rem tantis plenam malis domum adducere? Numquid mulierum penuria eſt, eò quòd tantam perniciem capiti tuo attrahis? Nã quæ priori viro contenta eſt eſt mulier, oſtendit, ne electuram quidem ſe eum fuiſſe initio,ſi bonam habuiſſet rei experientiam, Quæ verò in cubiculum prioris alterum inducit ſponſum, non paruum edidit magnæ cum mundo amicitiæ & affectionis erga res terrenas argumentum. Nam ſi eas mulieres,quæ ſuperſtitibus adhuc viris decedunt, admiramur omnes, & commendamus: quomodo non ſtupeſcendæ & laudandæ ſunt eæ, quæ erga mortuos etiam eandem præ ſe ferunt beneuolentiam? Non igitur alteras nuptias eijcimus, ſed hortamur,ſi quis continere poſſit, vt in prioribus ac-

C quieſcat. Sæpe enim pugnæ,& quotidianorum bellorum principium & occaſio ,alteræ nuptiæ factæ ſunt. Sæpenumero enim vir ad menſam ſedens, prioris vxoris recordatus, coram altera,placidè illacrymauit: at illa ſtatim efferata,perinde atq; fera inſiluit,amoris erga illam pœnam ab eo expetens. Quod ſi laudare defunctam voluerit,belli atq; pugnæ occaſio fit laudationis argumentum. Et cum inimicis quidem mortuis pacificamur, & poſt vitam ipſorum inimicitias cum eis diſſoluimus: in vxoribus verò contrarium prorſus vſuuenit. Quã enim neque vidit,neq; audiuit, à qua nihil moleſti paſſa eſt,eam odit,& auerſatur, ac ne mors quidem odium illud extinguit. Quis vidit, quis audiuit æmulatione peti, & oppugnari cinerem? Nec tamen hoc ſine moleſtia terminatur. Sed ſiue naſcãtur liberi ex altera,ſiue non naſcantur, bellũ rur-

D ſus, atque pugna. Nam ſi non naſcantur , dolet admodum perinde ac hoſtes, & à quibus graui iniuria affecta ſit,prioris liberos aſpicit, manifeſtiorem orbitatis ſuæ ſenſum ex illorum vita capiens. Sin autem naſcantur, rurſus non minor moleſtia. vir enim ſæpe amanter ſe habens erga mortuam, amplectitur illos,amans iuxta ac miſerans eos, vtpote pupillos: illa verò vbique ſuos præferri vult. Audite viri, audite mulieres, coniugum amorem mutuum,quem inter ſe vſque ad pericula ipſa præ ſe tulerunt. Cùm enim habitaret Abraham in Geraris,dixit de Sara vxore ſua: *Soror mea eſt.* Timuit enim dicere, vxor mea eſt, ne quando occiderent eum viri ciuitatis illius,propter ipſam: & miſit Abimelech rex Gerarorum,& abſtulit Saram. Cogita mihi tempeſtatem cogitationum,quam pertulit iuſtus ille,cùm videret vxorem ſuam abduci, neque poſſet vindicare: Tacitè enim cuncta ferebat, ſciens non neglecturum ſe eſſe dominum, ſed citius opem laturum. Et Saræ autem magnum con-

In adulteros.

Genes.21

iugalem amorem admirari licet, quem oſtendit, vt iuſtum illũ è periculo eriperet. Cõueniebat enim ei fabulam detegere, vt effugeret apertam iniuriã. Sed generosè omnia pertulit, vt ſalutem iuſto illi præſtaret. Et impletum eſt dictum illud: *Quoniam erunt ipſi duo in carnem vnam.* Perinde enim ac ſi vna

Geneſ. 2. caro eſſent, mutuæ ſalutis curam gerebant: tantamque præ ſe ferebant concordiam, ac ſi vnum corpus eſſent, & vna anima. Si verò noſſe vultis, quónam modo iuſtus ille vxorem filio ſuo acceperit, audite: Et factum eſt, quando ad extremam ſenectutem venit Abraham, volens vt Iſaac Chananæorum cognatione abſtineret, vt nè inde vxorem duceret, vocato beneuolentiore de ſeruis, præcepit ipſi hac de re, & ait; *Pone manum tuam ſub-*

Gen. 24. *ter femur meum, & adiuro te per Dominum Deum cæli & terræ, vt ne accipias vxorem filio meo Iſaac de filiabus Chananæorum, cum quibus ego habito inter ipſos. Sed ad terram meam, vbi ortus ſum, vade, & ad tribum meam, & accipies inde vxorem filio meo.* Cognouiſti præceptum Patriarchæ, quod ſeruo præcepit? Cogita quomodo antiquitus ſtudium collocabant, non pecuniæ copiam quærentes, non magnas diuitias, ſeruitia, & iugera terræ tot, & tot: non exterioris pulchritudinis decorem, ſed animi pulchritudinem exquirebant, & morum nobilitatem. Ac Patriarcha quidem ille animi virtutis curam habens, & indigenarum improbitatem fugiens, hoc facit. Cæterùm omnes qui nunc ſunt, numquam animum inducerent aliquid eiuſmodi cogitare: verùm etiamſi decies mille malis plena fuerit, vnum modò perquirunt, pecuniæ copiam. Cætera omnia poſteriora ab ipſis ducuntur: neque ſciunt corrupto iudicio, etiamſi immenſæ affluant diuitiæ, citius ad extremam paupertatem ſe redactum iri: neque vllam fore vtilitatem copiæ, ſi non adſit animus, qui rectè diſpenſare poſſit. Si vero magnificentiam vis in nuptijs oſtentare, lucrum habentem, voca choros pauperum. Verùm pudet te, & erubeſcis? Quid confeſſione hac deterius, cùm diabolum quidem domum trahens, nihil turpe facere te putas: Chriſtum autẽ inducturus, erubeſcis? Sed nemo in ciuitate hoc fecit, inquit. At tu incipe, da operam, vt princeps ſis pulchræ huius conſuetudinis, vt poſteri ad te referant: & ſi quis æmulabitur & imitabitur opus iſtud, nepotes, & qui ab his naſcentur, habeant dicere ijs qui quærent: Quia ille primus pulchrã hãc legem introduxit. At quod ab alijs rectè factum erit, tibi, qui primus ſeuiſti, fructum illorum acceptum feret. Et quemadmodum mollibus, & hiſtrionibus choreas illic ducentibus, diabolus in medio laſciuit: ita etiam pauperibus ingrediẽtibus, Chriſtus adeſt. Ac de ſumptu quidem illo nihil redit compendij, ſed magnum diſpendium potius: ex ijs verò impenſis, quæ in hos fiunt, multum fructum citò percipies. Et quòd verum ſit, ex puella illa Ioppenſi diſce. Hanc enim quondam mortuam ia-

Act. 9. centem circumſtantes pauperes, qui ab ea alebantur, exuſcitarunt, & ad vitam reduxerunt, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & imperium, cum Patre, & ſancto Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

A

IOANNI SANTANDREÆ IOANNES CVRTERIVS S. P.

NVLLVS eſt (*Santandrea doctiß.*) *ſi Plinio credimus, tam malus ſcriptor, ex quo aliqua, modò idoneum lectorem năciſcatur, hauriri non queat vtilitas. Quod vt minimè paradoxum videatur nonnullis, in vnius apiculæ ſolertiam intueri iubebo, quæ vel ex amaro florũ genere etiam mel ſuauiſſimũ nouit colligere. Addam & Virgilij in Ennio vno exemplum, quem eius lectione aurũ colligere profeſſum aiunt: vt idem in cæteris præſtari poſſe, non ſit qui diffiteatur. Nec aliam profecto ſuperioris ætatis noſtræq́ue adeò mentem eorum extitiſſe arbitror, qui magna ſua laude, noſtraq́ue omnium vtilitate, conquiſitis vndique plurimorum ſcriptorum monumentis, ſiue publicas, ſiue priuatas extruxerunt & ornarũt bibliothecas. In eiuſmodi autem libris eruẽdis edendiſq́ue, cùm ſeculi noſtri ſtudium duplex ſit, alterum quidem paßim ab omnibus excoli diligenter nemo non latabitur, qui quantum adferant ad vitam adiumenti artes humanitatis nouerit: Alterum verò ab hominibus Chriſtianis & veræ eruditionis nomen affectantibus miſerè negligi, qui in doctrina & morum, hoc præſertim dierum ſenio, corruptißimũ ſtatum intuebitur, modò pius, non dolere certè vix poterit. Laudo quidem ego, vndique ab his qui litteras tractant humaniores quas vocant, veterum oratorum, philoſophorum, poëtarum omnium (modò ne moribus obſint & pietati) omniũ denique Græcorum, Latinorumq́ue fragmenta vel minima, etiam ad hemiſtichia vſque, antiquitates præterea omnes cõquiri, edi, & illuſtrari. Sed ex tanta virorum theologorum turba, in veteris eccleſiæ doctißimis illis & eloquentißimis ſcriptoribus ab interitu vindicandis & illuſtrãdis paucos adeò occupari probare numquam potero. Multos in bibliothecis cũ tineis & blattis rixari mihi ipſe teſtis es, Santandrea, qui eccleſiæ & viris theologis vſui magno ornamentoque eſſe poſſint. Horum quærendorum edendorúmque ſtudium quantum in te ſit, non ignorant, qui tecum ſemel atque iterum ſunt cõgreßi. Quamuis enim vtriſque, noſtris ſcilicet & profanis, magno ære magnaq́ue diligentia comparatis, tua abundet bibliotheca: illis tamen te, ſiue ſortis tuæ & conditionis memorem, ſiue domeſtica diſciplina, quæ tam ſanctè & incorrupte in noſtra reip. luce iuſtitiam colit & pietatem, magis delectari ſentio. Quod mecum magna cum voluptate tum demũ Chriſtianus fatebitur lector, quando, vt edita iam taceam, ex ea prodire etiam quæ iamiam publicanda viris doctißimis, & mihi non ignotis commiſiſſe te ſcio, deprehendet. Facient verò & ad huius rei fidem aliquid Chryſoſtomi quatuor iſtæ oratiunculæ, ſeu forſan orationum fragmenta, quas de veteribus tuis membranis ex Græco ſermone Latinas feci, vt tuo nomine, ne quid tanti authoris vel minimum pereat, quoad fieri per te poßit, ederentur. Eis verò non facilè concesſerim, qui Chryſoſtomi non eſſe dicturi ſint, quando & veteres membranæ eius nomen habeant, & Græca ſancti viri conueniat cum reliquis quæ extant, ſcribendi ratio. Quamquam autem orationis nomen præ ſe ferant tituli, ego tres integras eſſe mihi negare poſſe videor, cùm & æquo breuiores ſint, & duæ priores vſitata Chryſoſtomo peroratione deſtituantur. tertiam reliquis multò prolixiorem, integram eſſe poſſem affirmare, niſi & eadem in titulo, tamquam primo ingreſſu ſcrupulum mihi iniiceret. Si enim* ἠθικῶν, *nomine communem locum eum intelligas, quem perſæpe extrema concione vir ſanctus in populi ſui mores torquere ſolebat, & mutilam iſtam eſſe quoque fateri neceſſe eſt. Sin autem aliquas eius orationes* ἠθικὰς *ideò dici putemus, quod intermiſſo aliquando docendi, interpretãdiq́ue negotio, auditorum ſuorum mores illis ſtuderet componere, quales ad populum Antiochenum permultas eſſe apparet, integram non malè haberi poſſe crediderim, cùm iuſtam habeat magnitudinem, & hominis in vitijs inſectandis accerrimi (qualem ſe perpetuò geßit Chryſoſtomus) abruptum exordium. Sed de hac controuerſia iudicabunt doctiores. Me certè, qualeſcumque ſint, vt edantur authorem tibi extitiſſe, pœnitere numquam poterit, cùm ſint eruditæ, nefariumq́ue ſemper duxerim virorum tantorum fragmenta vel minima, in lucem non proferre & ſanctè venerari. Vale.*

B C D

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI de iuramento Oratio.

Ioanne Curterio Interprete.

* Sequentes quatuor orationes primùm latinitate donatæ ſunt, & editæ, anno 1570.

GRAVE eſt, dilecti atque adeò periculoſum maximè, diuina præcepta aſpernari. Inde eſt, quod nos in ſacris Euangelijs Dominus, cùm iſtud haudquaquam ignoraret, ſcitè monuit. * *Quicumque ſoluerit vnum de mandatis iſtis, minimus vocabitur in regno cælorum.* At verò omnino à iureiurando abſtinere, ſiue verùm ſit, ſiue falſum quod affirmes, lata lege non dubium eſſe voluit, cùm ait: *Ne iuretis omnino, neque per cælum, neque per terram, neque per capita veſtra. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non. Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Cæterùm ſi ideo per cælum iurare, quoniam thronus Dei exiſtat: ſi per terram ipſam, quia ſit ſcabellum pedum eius: ſi denique per caput, quia ne vnum quidem eius capillum vel nigrum, vel albū reddere valeamus, vetitum ſit: multò magis nullo vbique diſcrimine maximè metuendum illius nomen ore circumferre, neque ante circumlationem æſtuare & tremere. Quòd ſi te deſpecta lege ad iurandum agit libido: per liberos tuos, per teipſum iurato. Dic: Ita latera mea tūdat carnifex. Sed enim vereris. Ergo tuis lateribus tibi Deus nequaquam charior? tuo tibi capite, vel liberis tuis nequaquā præſtantior? Dic: Ita ego traijciar. At enim nobis ita parcit Deus, vt etiam per propria capita iurare nos prohibeat: cùm tamen ita eius gloriam impotenter euertere conemur, vt ne quidem quocumque libitū ſit trahere vereamur. Noſtin quid Deus ſit, aut quo ore inuocari debeat? Imò ſi de præclaro viro aliquo ſermo ſit, ſtatim os ebluendum, purgādumque prius, quàm de eo dicatur quidquam, monemur: Nec tamen iam auguſtum iſtud nomen, quod longè reliqua exuperat omnia, quod orbis vniuerſus admiratur, quo audito contremiſcunt dæmones, non erubeſcis temerè diſcerpere & dilaniare? O conſuetudinem. Inde adeò eſt, quòd tā facilè in contemptum abijt. At enim proculdubio, ſi cuiquam per ſanctam domum iurandi neceſſitatem imponas: quātumuis id purgādi criminis cauſa fiat: (quod legibus humanis multis in rebus geri aſſolet) ita tamen afficeris, vt non leuis alicuius rei, ſed horrendi iuramenti author extitiſſe tibi videaris. Quamquam vnde ita horrendum videri queat, niſi quòd illo paſſim abuſi ſumus, iſto autem minimè? Non enim ad Dei nomen, quo duce mari diuiſo tranſmiſſus eſt populus, fuſique hoſtes: quo cherubin purgatis oribus non ſine timore laudes perſonant, horrere decebat. Sed neſcio quo pacto eò dementiæ progreſſi ſunt nonnulli, vt magno illius ſtudio ita circunferre ſe, & vbiq; vſurpare non vereātur dicere. Quibus & iſta nos opponimus. O miſeri! Nūquid & panem ipſum, Chriſti corpus aio, omnino diligimus, nec vbique tamen circumferimus? Si enim quia ipſum cupimus, ideo temerè & ſecurè vti liceret, eodem quoque & ebrijs veſci eſſet integrum. At nuſquam iſtud fieri videas. Eſt verò & idem de ipſius nomine agi conſentaneum. Si tantus enim in eum eſt noſter amor, reuereamur & nomen ipſius. Sin autem nullus non afficit timor, conſtat proculdubio nos violata lege Deū quoque ipſum aſpernari quo quid poſſit eſſe deterius Purgemus ergo ora noſtra à iuramentis, & ita ipſum inuocemus, vt celerius audiamur. Quod enim os iuriſiurandi ignarum eſt, velocius multò & Deum precibus flectere, & diabolum ferire opportunè nouit. Quod inquam os iniſiurandi ignarum eſt, idem prorſus eſt, & inferendæ iniuriæ. Hoc incendium igitur à lingua tua, tamquam à priuatis ædibus depelle. Hoc inquam incendium foras mittito. Facito ea vt reſpiret paulum. Fiat, precor, per te vulnus manſuetius: quò aliud item vobis per me exponatur præceptionis genus. Iſto enim nōdum perfecto & impleto, ad aliud mihi tranſire religio eſt. Hoc ipſum exactè & diligenter præſtate. nec erit ſine ſenſu vobis laborum veſtrorum fœlix ſucceſſus. Quod cùm præſtiteritis, leges alias non iam ego vobis, ſed ipſe Chriſtus adferet.

Matth. 5. Ibidem. Iac. 5. Pſalm. 8. Philip. 2. Exod. 15. & 14. Eſai. 6. 1. Cor. 11

Eiuſdem aduerſus eos qui in delicijs agunt, eodem Interprete.

NIhil homine in delicijs vitam agente turpius: nihil item ſaginato obeſoque corpore imbecillius. Huius enim pulchritudinis florem emori, huius oculorum ſerenitatem & ſuauitatem, tamquam nebula aliqua ſolis radios intercipiente, turbari fœdarique videas. Seruile profectò, & libero homine indignum, omnique prorſus ingenuitate vacuum negotium, cùm ipſa victus frugalitas ſomnum facilem, vel ſanitatem ſectanti præbere ſoleat. Eſt enim temperantis inteſtini ſomnus ſalutaris. Nam vbique quod moderatum eſt, placet: non item quod immodicum. Hoc enim vel in exigua ignis ſcintilla videas, cui ſi ingentem lignorū acerum imponas, non iam ignis lucidus, ſed fumus multus, idemque oculis ingratus apparebit. Viro quantumlibet robore valenti &, procero onus quod vires exuperet, imponas, & eundem mox oneri ſuccubuiſſe, humique proſtratum intueberis. Vel etiam naui onus ingens inijcito, & ingens crearis naufragium. Tale profectò & iſtud eſt, veluti cū nimio onere premuntur naues, tum multus nautarum, gubernatoris, proretæ, & eorum qui vehuntur tumultus auditur, cùm à ſummo alij, alij item ab imo in mare omnia mittant. Pari ratione & hîc alios ſupernè vomitu, alios item infernè emittere, & ſeipſos contaminantes perire, ipſum os deniq;, quod eſt omnium profectò turpiſſimum, poſteriorum partium munere defungi, & illis fœdius reddi videas. Quod ſi tanta eſt corporis deformitas, quātam putas animæ exiſtere? Nam omnia ibi caligo, omnia procella, omnia tenebræ. Multus cogitationum clamor opprimi atque atteri ſe expoſtulantium, animi denique vim inferri ſibi vociferantis: cùm accuſari ſeſe mutuò omnes, hortari item & precari vt retentum intus egeratur ſtercus, non deſinant: quo tamen emiſſo, ne ſic quidem ceſſatura ſit tempeſtas, cùm febres & morbi corpori vndique obuerſentur. Quàm eſt illius odor ingratus, cui putet crapula? Quod ſi in muliere contingat, quantum & hoc malum? Quæ enim corruptarum carnium odorem eructat mulier, quæ vino grauatur, quæ excitari & erigi nequit, quæ plus æquo rubet, quæ crebra oſcitatione multaque caligine detinetur, vel ipſis catellis turpior obſcœniorque eſt. Cæterùm haudquaquam talis eſt quæ delicijs parcit, ſed longè formoſior & tēperantior. Facit enim non parum ad corporis pulchritudinem, animi tranquillitas. Nam quò minus corporeis lineamētis eam deberi putes, da forma alioqui eleganti puellam, perturbatam, garrulam, maledicam, temulentam, ſumptuoſam: ſi non quantumlibet deformi pudiciorem eſſe conſtiterit. Quòd ſi verecundia affici, ſi tacere, ſique erubeſcere, ſi item temperanter loqui, ſi denique ieiunijs aſſueſcere didicerit, dupla & hæc pulchritudo. Ipſa iam venuſtate longè gratior, modeſtia, elegantiaque abundans forma exiſtit.

ἴδε γὰρ lego σὺ γάρ. Simile. Pro ἐκεῖνοτο lego ἐκείνων. Poſt οἰνόχοων deſidero τὴν, vel quid aliud. Legi τρυφῆς pro τροφῆς.

Digitized by Google

Ex Chryſoſtomi ethicis. Quod vbi ira, ibi non ſit Spiritus ſanctus, eodem Interprete.

EXecrandus qui ad iram procliuis eſt. Nullo pacto cùm ira erumpit, tutum fuerit accedere. Vt enim in maris tempeſtate frequens tumultus, ingenſq́; clamor philoſophandi copiã nemini eſſe patiantur, ſic & ira, qui vel meditari animo aliquid, vel dicere, vel deniq; erudiri voluerit, eũ in portu prius eſſe oportet. Vidéſne quoties de rebus neceſſarijs agitare volumus, vt ſtrepitu vacuos, vbi otiũ, vbi tranquillitas, quò auocari interpellariq́; non liceat, locos diligenter captamus? Quòd ſi à rebus abducit qui externus eſt ſtrepitus, quantò magis quæ intus agit perturbatio? Siue precetur aliquis, fruſtra ira & animi cogitationibus occupatus precatur, ſiue loquatur, ſiue taceat, ſiue comedat, ſiue bibat, ſiue ſedeat, ſiue ſtet, ſiue ambulet, ſiue dormiat, ille quoq; ridiculè fecerit. Nam idem prorſus, ac ſi ſomniãdo talia imaginetur, facit. At enim poteſt, quidquam talibus aſſe abſurdius? Inſuaues oculi, os diſtortum, artus tremuli & tumẽtes, lingua impura & muta prorſus, mẽs emota, ſpecies habituſq́; indecorus: nulla non denique deformitas. Laborantium temulentorumq́ue oculos, item & furioſorum intuere, quid inter ſe differant. Num tu id omne inſaniæ tribueris? Quid enim ſi ad tempus id fieri reſpondeas? Nam & qui furit, ad tempus furit. hoc verò quid deterius? Nec tamen apologia tueri ſe erubeſcũt. Haud ſcio, dicit aliquis, quid dixerim. At tu quid dixeris, ratione alioquin præditus ignorabis, vt brutorum & ratione carẽtium vitam, nõ aliter quàm qui ferociunt & impetu aguntur indociles equi imiteris? Eſt nimirum & iſta accuſatione digna defenſio. Vtinam enim quæ dicis nequaquam ignorares. Iræ, ait, verba ſunt, nõ mea. Quomodo illius? Atqui ne virium quidem aliquid ira habuerit, niſi à te ſumpſerit. Nec iſtud quidem aliud fuerit, quàm ſi manu tua, nec è te tamẽ inflicta vulnera dixeris: cùm à ſe dexteram motum nõ habere, nec niſi authore & impellente animo graue quidquã patrare poſſe certũ ſit. Ergo nihil irato homine iniucundius, nihil grauius nihil odioſius. Quemadmodum igitur nihil eo qui iraſci neſciat, iucundius, ſic cum trucifera longè, quàm cum tali homine habitare fuerit optatius. Illa enim cicurata ſemel, eas quibus aſſueuit leges obſeruat. At hũc quoties cicuraris, toties rurſus efferari videris. Quãtum enim ſerenæ lucidæque diei tempeſtas triſtitia plena intereſt, tantum iracundi & manſueti hominis animus. Quis adeò latera tundat carnifex? quinam candẽtes igne obeliſci adeo corpus traijciãt? quis furor ita mentem propria ſede dimoueat, atq; ira, ipſaque inſania? Noui non paucos qui morbos ira ſibi crearunt, Quinetiam febres inde grauiores oriri videris. Quod ſi tanta corpus clade afficit, quantam putas animo inferre? Multi oculorum luce priuati ſunt: multi in morbum grauiſſimum inciderunt? At ira, dilecte, nihil peius, nihil intempeſtiua animi confidentia deterius. Haud multã hæc moram patitur: præceps eſt perturbatio. Et ſæpe iratus quiſpiam verbum effudit aliquod, cuius toto vitæ tempore damnum ſarcire vix poſſit. Itidem aliquid admiſit, quod vniuerſas vitę illius rationes funditus euertat. hoc ipſum enim ideo moleſtum eſt & graue, quòd verbo vnico, vnica item actione, nos perſæpe bonis ſempiternis priuat, immenſiſq́; excruciat laboribus. Eſt ergo feræ huius, ne nos ignem in ſempiternum deducat, neceſſariò cohibenda petulantia. Sed iniuriam ab alio, dicat quiſpiam, paſſus ſum, nec tamen referam? Quid ais dilecte? Damnum pro damno reponere quæris, qui & colaphis cædi, & malam alteram percutienti porrigere iuberis? Non ita Publicanus ille, qui à Pharisæo laceſſitus, quamuis poſſet, quod quæris, iniuriã vlciſci, nequaquam tamen voluit, ſed depreſſo animo Deũ vt ſui, quia peccator eſſet, miſereretur, precatus eſt. Ab iſto ergo diſce facilem & tolerantem eſſe. Ipſe enim cùm falſis criminibus peteretur, nihil ob id quidquam, nec verbo, nec opere mali repoſuit, ne rege quidem ipſo præſente, ſed reum eſſe ſe cùm cogitaret, ad preces ſtatim conuerſus, ita peccatorum onere ne reprehenſus quidem quamprimum leuatus abijt. Vides iam Publicanum vniuerſitatis Dei ſententia abſolui: vis & ſcorti audire tolerantiam? Audi Chriſtum, cui tum pedes coma abſtergebat, in hæc verba loquentem? *Publicani & meretrices præcedunt vos in regnum.* Stantem ipſam, confidentem, atque adeò peccatorum ſordes eluentem contemplatus es? Videiam vt Phariſęo conuitijs laceſſita nequaquam iraſcatur. Sic enim ille aiebat: Si ſciret peccatricem eſſe fœminam hanc, haud eam pateretur. nec tamen ipſa reponebat. Quid verò tu? num etiam à peccatis purus es? ſed eò dolebat amplius, amplius lugebat, vberius lacrymas fundebat. Itaque ſi fœminæ, ſi publicani, ſi ſcorta denique nondum percepta gratia, ita modeſtè & temperanter agunt, quam ipſi nos veniam meremur, qui tanta aucti cumulatiq́; gratia, quibuſlibet feris acrius ſæuimus, pungimus, impetimus? Cæterùm ais te niſi laceſſenti, aut iniuriam inferenti. aut deſpicienti denique occurreris, tamquam ignauum & fatuum eſſe riſuros quoſlibet. O peſſimum defenſionis genus, ſi non potius accuſatio mera eſt. Num tandem aliquando noſtrum hoc ceſſabit delirium? num deſinet inſania? Num ei qui lata lege *ſeptuagies ſepties* vſque fratri parcendum ſanxit, nos opponere verebimur? Ille ſeptuagies ſepties iniuriam iubet condonare, & ei tu, qui in te ſemel offenderit, veniæ locum eſſe apud te nõ pateris? Num ipſum intueris dominum, qualem ſe in ea primus geſſerit? Conuitijs impetitus, conuitia non reponebat: imò eorum in gratiam à quibus cruci affigebatur & tollebatur, Deo & patri preces fundebat his verbis; *Pater ignoſce illis hoc peccatum, quia neſciunt quid faciunt.* Cùm pateretur, haudquaquam minitabatur: ſed tergum in verbera, faciem in colaphos tradebat, ſuoque illud exemplo ſanciebat, quod ait, *Diſcite à me quia humilis ſum, & mitis corde, & requiem inuenietis animabus veſtris.* Et tu iſta audes verbis impugnare? Enimuero reſpondeas velim, modò à quibuſdam non ridearis, modò ignauiæ, modò ſtultitiæ ſuſpicionem euites, per omnia præclarè tecum agi putabis, qui hominibus places, non Deo? Num ita clamantem Apoſtolum audiſti, *Si hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem?* Hanc precor impudentiam conpeſcamus: Chriſtumque pro nobis, vt omnes conciliaret demortuum reuereamur, iudicem ipſum, quem nihil decipere valeat, *Amen dico vobis, quoniam cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt,* dicentem audiamus. Inter nos ergo coëamus, atque nihil iracundia turpius, nihil abſurdius, nihil grauius, nihil iniucundius, nihil denique nocentius eſſe credamus. Neque verò iſta dico, vt manſuetos in viros ſolùm nos præbeamus, ſed vt garrulam etiam, ſi eſſe contingat, vxorem feras. Sit tibi vxor palæſtræ & exercitationis loco. Quî nõ ſit abſurdum, exercitationes eas, quæ nullo fructu corpus atterunt, amplecti: intus autem, quæ vel ante certamen coronam præbent, nõ facere? Inſultat mulier? Caue ne mulier fias. Eſt enim inſoleſcere muliebre. Morbus animi eſt. Infirmitas eſt. Ne te à muliere putes indignum laceſſi. Te potius indignum credito, ſi laceſſis: illa autem iniuriam fert patienter. Tum agis non decenter, tum damnum accipis. At ſi acceptum toleras, magnum tuæ fortitudinis hoc fuerit teſtimoniũ. Non ego in orationẽ mulieres inducens, iſta contumeliæ cauſa dici volo. Ab-

ſit. Ve-

Marginal notes:

κἂν εὔχηται. particula κἂν docet pro indicatiuis eſſe debere coniunctiuos. Deinde aufero, τὸ ἐυλάβῃ

Deleo ἰσχὺν poſt λάβῃ. Ante ἐνεργείᾳ puto deſiderari ἔστω δὲ ποιῇ, aut quid ſimile.

Matth. 5. Luc. 6. Luc. 18.

Luc. 7. Math. 21.

Luc. 7.

Math. 18. Pro ἰὰ, lego ἰάν.

1. Pett. 2. Luc. 23.

Matth. 11.

Gal. 1.

Math. 24. Luc. 21. Marc. 13.

Digitized by Google

ſit. Verùm ſi quoniam talia ſatanicis impulſibus contigerint, ſui vt eſſe muneris, impotentum ferre iniurias fortes meminerint. Tibi ſi cōtradicat ſeruus feras æquo animo, nec quid illum, ſed quid te dicere vel facere dignum ſit, audiat ipſe, vel patiatur. Puellam numquam verbo vſus contumelioſo eijcias: nec ſceleſtum ſeruum dixeris. In te enim non in illum recidit iniuria. Quod ſi quibus præſumus, eos ad meliora hortari animus eſt, idipſum leniter & manſuetè agamus. Rebus enim magis quàm verbis ſolēt animis infundi quæ præcipimus aut docemus. Deinde, ſi opus deſit, oratione non ſolùm non profuiſti, ſed obfuiſti magis. Præſtat ergo tacere. Quid ita? quia rem mihi haud fieri poſſe probare videtur. Sic enim cogito: quando qui iſta doces, non præſtas, multò magis ego venia dignus.

Pſal. 49.

Itaque ſic ait Propta: *Peccatori autem dixit Deus, quid tu enarras iuſtitias meas?* Ea demum enim maior eſt iniuria, cùm bellè quidem verbis docetur, ſed operibus doctrina euertitur. Iſtud multorum malorum, ſiue eccleſias, ſiue ſenatus, ſiue priuatas ædes ſpectemus, cauſam habet.

ἀντὶ ſuſtuli.

Neq; enim apud ſe qui iraſcitur eſſe poteſt: veluti cùm turgente mari omnia miſceri, aut cùm iniecto in fontem limpipidum luto eundē turbari, & ſurſum deorſum ferri conſpicias. Quantumuis ferias, quantumuis tunicam laceres, maius ipſe damnum pateris. Illius enim in corpore: huius in veſte: tuum autē in anima vulnus eſt. Ipſam petijſti. Ipſam vulneraſti.

οἱ lego in datiuo.

Aurigam equis deturbaſti, ſupinum trahi feciſti. Idem denique per te patratum eſt, ac ſi auriga alteri iratus agi, quàm agere malit. Siue caſtigas, ſiue mones, ſiue quid agis aliud: abſit furor, abſit iracūdia. Si quem enim reprehēdit, qui in ſe peccat medicus, quî alium ſanabit, cùm proprij author morbi ſeipſum non ſanat?

Pro θεραπειῶν lego θεραπειῶν.

Num quæſo qui curandæ valetudinis cauſa accedit, manū ſibi prius vulneret, num oculos effodit, ita medicinam facturus? Abſit. Pari & tu ratione, ſiue caſtigas, ſiue mones, purus oculorum tibi aſpectus, omni labe mens tua careat. Aliàs quæ poſſit eſſe curatio? haud poſſunt eadem iratus & iræ expers tranquillitate contineri. Quid magiſtrum throno deturbaſti? Itáne humi iacentem & proſtratum affaris? Númne iudices ipſe intueris, vt decenti habitu in throno iudicaturi ſedere prius, & ita ſententiam ferre ſoleant? Pariter & tu iudiciali veſte, id eſt, æquitate & modeſtia animum ornato. Cæterùm nequaquam, dicat quiſpiam, metuetur. Imò amplius. Tum enim quātumuis iuſta dicas, iræ omnia tribuerit famulus. At ſi modeſtè & humaniter fueris locutus, vltrò ipſe ſe damnabit. Itaque quando ducem & authorem te fuerit amplexus Deus, ſempiternorum bonorum particeps eſſe poteris: gratia & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Eiuſdem, de oratione, eodem Interprete.

Pro βουλῆς lego ἀντιβολῆς. Luc. 22. Pro λύσωμεν lego λύσομεν. Luc. 11. Act. 10. Poſt γὰρ arbitror hic deſiderari φησὶν ἡ γραφὴ, aut φησὶν ὁ ἄγγελος. Vt eſt ca. 10. Act. 1. Tim. 5.

INgens bonum, omniq́ue poſſeſſione præſtātius oratio eſt. Ipſa enim ſolutis criminum catenis Deum & ad miſericordiam præparat, & periculis, in quæ errore & incuria ſolemus incidere, ſecuros & liberos reddit. *Orate, inquit, ne intretis in tentationē.* Noctu igitur precibus incumbamus, & ipſa criminum vincula diſſoluemus. hanc enim ſoluendorū precibus eſſe vim, vel nobis ille qui nocte intempeſta fores amici pulſare non deſinit, perſuadeat. Perſuadeat ipſe Cornelius. Nam eius preces, & quæ in egenos benignè fecerat, in recordationem ante Dominum aſcendiſſe teſtatur Angelus. Perſuadeat denique vel Paulus his verbis: *Quæ autem ſic vidua eſt & deſerta, ſperauit in Deo, & perſtat in orationibus die ac nocte.* Quod ſi de vidua iſthæc, imbecilli alioquin muliercularū genere, dixit, quantò de viris potius?

At enim quoniam de his diſſerere vobiſcum occœpi, pergam etiam. Noctu expergiſcamur, preceſq; ſi non multas, vel vnicam ſaltem caſtè fundito, & ſuffecerit. Nihil amplius exigo, etiamſi media nocte non feceris. Ipſo ergo matutino crepuſculo nō corporis ſolùm ſed animæ noctem exiſtere oſtencito. Illam nō fruſtra tibi abire permittito: quin Domino potius vicem iſtam gratiæ repone. Citius verò & ipſa in te conuertetur. Quid igitur, dicat aliquis ſi pulſauero? Ceſſa pulſare; & lacrymas fundito: deinde accede, ipſumq́ue inprimis benignum & miſericordem ſtatim effeceris. Te ſolum pulſaſſe dicito, dicito inquam ex animo menteq́ue ſynceras & remiſſa ſunt omnia. Non ira tua condonari peccata cupis, atque tibi remiſſa eſſe expetit. Etenim quote id cupere minus mihi probaris, cogita te nec vigilias amplecti, nec opum curam abijcere: cùm ipſe quo nobis parceret, ne filio quidē vnico, filio inquam vero, & qui parem ſecum habet poteſtatem pepercerit. Rom. 8. Cernis iam quantò te potius tua tibi remittere ſcelera deſideret? faceſſat ergo hinc cunctatio: faceſſat mora: hominum amans eſt beneficus. Solummodo benignè faciendi, tantum ne inutiles ipſi habeamur, anſam præbeamus: quamquam ne eo quidem tamen ſoluendi tradetur poteſtas. Cæterùm non aliter quàm multa inter domeſticos ſimulamus & fingimus, ſic & ſalutis noſtræ cauſa efficere certum eſt. *Præoccupemus faciem eius in confeſſione*, quoniam bonus & miſericors. Pſalm. 49. Quod ſi non inuoces, quid ipſe faciet? Num tibi remitti poſtulare vis? Vis ore quidem, ſed non ex animo. Cæterùm quid eſt in veritate inuocare, niſi ex animo, niſi alacriter, animiq́ue pura & ſyncera cogitatione? Vt ſolent de vnguentis dicere: putum eſt, nihil huius adulterinum: ita & hic quoque. Qui verè ipſum inuocat, qui verè precatur, incumbit perpetuò, nec niſi re impetrata deſiſtit. Contrà, qui aliud agens, & vt officio defunctus putetur, facit: quantumuis ita legem impleat, haud illum, quiſquis ſit, in veritate locutum eſſe credere conſentaneum eſt. Caue ne peccatorem eſſe te dixeris ſolum: ſed iſta opinione liberare te ſatagito. Non ore, ſed dolore opus eſt. Quod ſi doles, feriò agis, ſiq́ue agis feriò, nihil eſt quod doleas. Sin autē dolere te non contingat, quid aliud quàm hoc ludere & ridere fuerit? Quis morbum ſuum confeſſus, nō omnia tentarit, vt eo liberetur?

Pro ἀλγεῖς legerim ἄλγει imperādi modo. Luc. 11.

Magnum oratio propugnaculum. Si bene de filijs veſtris mereri noſtis, quantò magis pater veſter? Quid non vis accedere? Amat te, & omnium opes eius ſuperat potentia. Cùm velit ergo, & poſſit, quid iamniſi ipſi nobis in mora ſumus? Accedamus cum fide: accedamus inquam, ea quæ poſcit dona offerentes, iniuriæ obliuionem, probitatem, manſuetudinem. Quod ſi peccatores, ne quidem etiam ob id fidenti animo errati veniam poſtulare deſiſte, qui eadē ab ipſo alios impetraſſe poſſis docere. Sin autem iuſtus es, iſtoque cares, nihil quidquam promoues. Non poteſt quiſquam, qui proximo iniuriā remittit, erratorum veniam exactè non conſequi. Noſtrū enim in nos partibus infinitis amorem ſuo Deus exuperat. Quid dixeris (quantumuis iniuria laceſſitum te propter mandatum iram cohibuiſſe, animi impetum toleraſſe profitaris) niſi & ipſe remiſeris? Et hoc profectò ignorat nemo. Itaque animos noſtros iniuriarum recordatione liberemus: & hoc vt audiamur, ſuffecerit, tum demumq́ue, ſobriè, multaq́ue perſeuerantia adire poterimus, vt largè ipſius aucti benignitate, ſempiternis bonis digni ſiamus, in Chriſto Domino noſtro, cui cum Patre, & Spiritu ſancto gloria, nunc, & imperium, in ſæcula ſæculorum. AMEN.

A

FLAMINIO NOBILIO.

QVIN *opuſculum, quod ad me miſiſti, γνήσιον ſit Ioannis Chryſoſtomi, quicumque paulo diligentius in eius libris legendis eſt verſatus & guſtum eorum cepit aliquem, dubitare poteſt nemo. Tu quoque quin ſis γνήσιος illius interpres, nec minus diſertè, & ornatè Latinè loquaris quàm ille Græcè ſcripſit, ſi quis negare fuerit auſus, cum ego vel maleuolum, vel ineptũ, & omni prorſus iudicio deſtitutum eſſe non dubitanter affirmauerim. Proculdubio gaudet ſanctus ille Pater in cælis, quòd interpretem te ſit nactus in terris; nec per alium, quàm per te loqui mauult: vix enim alium quemquam reperiri poſſe puto, qui præclaram illius dicendi vim pari Latinè loquendi facultate poßit exprimere. Quo maiore cum deſiderio quod promittis aliud eiuſdem authoris opuſculum expecto: quod ſi miſeris, non ideò ſtatim fidem tuam liberaueris. Nam & hoc mihi pollicitus fueras, te mecum eſſe communicaturum commentariolum quemdam de vita magni Cardinalis illius Hip-* B *polyti per te ſcriptum. Quod cùm feceris, tunc primum, quã dediſti mihi fidem, eam liberaſſe te rectè poteris affirmare. Facturum id autem eſſe te, nulla mora longiore interpoſita, mihi tantò magis perſuaſum eſt, quòd, & Cardinalis ille, quem tuum vocas, cùm non ſit magis tuus, quàm meus, & ille fidem pro te ſua interpoſuiſſe videtur: quem ſi tu poſtea tuum vocaueris, dicam dicturum eſſe tibi me denuntio. Quamobrem hac dicendi forma ne deinceps vtaris, Cardinalis meus, verùm, noſter potius, ne videaris eum tibi ſoli tamquam proprium vendicare velle. Quam etiam verbis meis quàm officioſißimè ſalutabis: ac dices accepiſſe me literas, quibus mihi monachum quemdam commendauit, doctum illum quidem, ſicut ex primo cum illo congreſſu videre licuit; ſed qui mecum vt pranderet, adduci non potuit, vt perexigua mihi cum illo fuerit conſuetudo. Opto te bene valere. Dat. Sublaci. Calen. Auguſti. Anno Iubilæo 1575.*

Tuus in Chriſto
Staniſlaus Card. Varmienſis. m. p.

C

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI Archiepiſc. Conſtantinopolitani, AD VIDVAM IVNIOREM.

Flaminio Nobilio Interprete.

Conſolatur hanc viduam de morte mariti.

GRAVEM te quidem accepiſſe plagam, atque ad maximè vitalem partem iaculũ ſupernè im- D miſſum perueniſſe, omnes ſanè tibi conſenſerint, ac nemo ne ijs quidem, qui valde philoſophi ſunt, contradixerit. Verùm quoniam malè acceptos minimè in luctu, ac lacrymis omne ſuum tempus conſumere oportet, ſed vulnerum quoque curationi plurimum operæ, ſtudijque nauare, ne ſi deſpecta fuerint, maiorem ipſiſmet lachrymis afferant plagam, atque ipſo luctu vehementiorem flammam excitent; æquum profectò fuerit te eam, quæ per ſermones adhibetur conſolationem minimè repudiare, ac lacrymarum fluuios parumper coërcentem, ad breue ſaltem tempus ijs etiam, qui te conſolari aggrediuntur, te ipſam dare. Hæc enim cauſa eſt, cur nos non in ipſo luctus vigore, neque ſimul ac fulmen decidit, obturbaremus, ſed cunctantes toto hoc intermedio tempore, ac permittentes te ſatiari fletu, quando iam à caligine illa paululum oculos at- A tollere, atque aures ijs, qui te conſolari tentarent, præbere potuiſti, tunc ipſi quoque poſt ancillarum ſermones noſtra adiungeremus. Nam cùm adhuc tẽpeſtas magna eſt, & luctus viget, qui dolorem deponere ſuadet; is eiulatum magis prouocat atque irritat, nihilque aliud lucri reportans, quàm odium, multam ſanè materiem eiuſmodi oratione ſuppeditat igni; ſimulque de ſe, & inimici, & ſtulti hominis affert opinionem. Verùm quãdo iam feruor ille deſidere cœpit, ac violentiam fluctuum ſedauit Deus, facilè orationis vela pandemus. Nam mediocri quidem tempeſtate poterit fortaſſe ars ſuum officium facere: at cùm ventorum impetus inuictus fertur, nihil loci eſt peritiæ. His adducti cauſis toto ſuperiore tempore ſiluimus, ac vix nunc emittere vocem aggreſſi ſumus. Audiuimus enim de patruo tuo confidẽdum poſthac eſſe: nam & famulas, quæ paulo honoratiores ſint, audere de his rebus breues inferre ſermones, B & præter domeſticas mulieres, eas etiam, quæ aut genere tibi cognatæ, aut alia quauis ratione ad hoc munus obeundum ſint idoneæ. Quòd ſi illarũ ſermones admittis, valde confidimus, ac pro certo habemus fore, ne noſtros contemnas, ſed quietem, ac tranquillitatem, quoad poteris, ipſis audiẽdis adhibeas. Ac ſanè cum muliebris ſexus numquam non procliuior quodammodo ad concipiẽdum dolorem eſt; tum verò, cùm & iuuentus acceſſerit, & viduitas immatura, & nullus negotiorum vſus, & curarum magna moles, atque illud præterea, omne priſtinum tempus delicijs hilaritati, diuitijs eſſe innutritum, multis partibus maior redditur calamitas; vt niſi ſupernum adſit auxilium, periculum ſit, ne quæ tot tantiſque malis affligitur, à mente deſeratur: quod equidem vel præcipuum, ac maximum diuinæ erga te curæ indicium cenſuerim. Nam quòd tot repentè concurrentibus malis non te ægritudo abſorbuerit; nec de naturali mentis ſtatu ſis deturbata, non id hu- C mani alicuius auxilij fuit, ſed omnipotentis illius manus, ſed intelligentiæ illius, cuius non eſt numerus, ſed prudentiæ illius, quæ inueſtigari non poteſt, ſed patris miſericordiarum ac Dei totius conſolationis, *Ipſe enim*, inquit, *verberauit nos, & ipſe ſanabit nos; percutiet, & curabit nos, & ſanctificabit nos.* Oſee 6. Quamdiu enim tecum vnà viuebat beatus ille vir; capiebas quidem fructus honoris, procurationis, ſtudij; capiebas autem, quales ex homine capere par erat. Quoniam verò illum ad ſe vocauit Deus, ipſe nunc illius loco ſe tibi ſubſtituit: neque hoc meum eſt, ſed beati Prophetæ, qui ita inquit, *Pupillum & viduam ſuſcipiet*; Pſal. 145. ac rurſus ipſum vocat *patrem pupillorum, & iudicem viduarum*, Pſalm. 67 omninoque hoc hominum genus magnæ ipſi curæ eſſe videbis. Cæterùm ne hoc nomen aſſiduè vſurpatum animum tibi deijciat, ac rationem perturbet, reputanti in D ipſo ætatis flore illud te ſubijſſe, de hoc mihi primùm diſſerendum propoſui, atque oſtendendum, non calamitatis nomen eſſe, ſed honoris, & honoris quidem maximi. Neque enim tu mihi multorum deprauatam opinionem loco probationis, ac teſtimonij afferas, ſed beati Pauli ſententiam, atq; adeò decretum, ac legem. Quæ enim ille loquebatur, hæc per ipſum pronuntiabat Chriſtus, quemadmodum & ipſe dixit. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus?* 2. Cor. 13 Quid igitur, inquit? *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum*, 1. Tim. 5 & rurſus, *Adoleſcentiores autem viduas deuita*, ibidem. vtroque hoc præcepto rei nobis magnitudinem indicans. Nam de Epiſcopis quidem præcipiens nullibi numerum annorum ſtatuit; hîc autem magnam adhibet accurationem. Quid ita? non quidem propterea, quòd viduitas ſacerdotio maior ſit; ſed quoniam maiorẽ ipſæ, quã illi laborem ſuſtinent, multis vndiq; negotijs illas circumuenientibus, publicis, & priuatis. Etenim quemadmodum ciuitas mœnibus non cir-

cundata,

Digitized by Google

cundata, proiecta eſt, atque expoſita omnibus, quicumque capere eam voluerint; ita & puella in viduitate ætatem degens multos habet, qui vndique inſidientur, non ſolùm eos, qui pecunijs animum adiecerunt, ſed etiam qui pudicitiam ipſius violare ſtudent. Neque verò has tantùm, ſed etiam alias labendi occaſiones in ipſam incurrere inuenie mus. Nam & familiaribus contemni ſe, & rem per negligentiam perire, nec priſtinam retinere dignitatem, & æquales ſuas quibuſcum verſari conſueuerant, florentes ac lætas videre, ſæpe autem, & deliciarum cupiditas eò ipſas adduxerũt, vt ſecũdis ſe nuptijs illigarent. Nec verò deſunt, quæ legitimo quidem matrimonio viris ſe iungere minimè velint, ſed occultè, & clam. Id autem propterea faciunt, vt encomia viduitatis lucrentur. Ita non ignominiæ, ſed admirationis, atque honoris plena res ipſa apud homines eſt, non modò fideles, verumetiam infideles ipſos. Nam & ego aliquando cùm eſſem iunior, Doctori meo (erat autem ille omnium hominum maximè ſuperſtitioſus) animaduerti matrem meam præ multis magnam excitaſſe admirationem. Nam cùm eos, qui ſibi aſſidebant, more ſuo interrogaſſet, cuius ego eſſem; ac reſponſum eſſet, me viduæ mulieris eſſe filium; de me quæſiuit ætatem matris, & viduitatis tempus. Cum primum verò audiuit quadraginta annos natam eſſe, vigeſimum verò iam annum agi, ex quo patrem meum amiſerit; obſtupuit planè, atque ad eos, qui aderant conuerſus, clara voce exclamauit: En quales mulieres apud Chriſtianos ſunt. Tanta non modò apud nos, ſed etiam apud Gentiles viduitatis laus eſt, & admiratio. Quæ omnia conſiderans beatus Paulus dixit, *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum.* Neque verò ex hoc ſolo, quamuis graui ætatis teſtimonio, cõtinuò ſinit, vt in ſacrum hunc adlegatur chorum; ſed alia addit, ita ſcribens,

1. Tim. 5.

In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educauit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lauit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtrauit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt. O diligentiam ac ſubtilitatem in probando. Quantam à vidua requirit virtutem, & quàm ſubtiliter omnia perſequitur? hanc ſanè operam non ſumpturus, niſi munus honeſtatis, ac dignitatis plenum illi commiſſurus fuiſſet. At verò cùm dixiſſet, *Adoleſcentiores autem viduas deuita*; cauſam quoque adiungit: *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.* His enim verbis illud nobis ſignificat, mulieres, quæ viros amiſerunt, in illorum locum aptari, & iungi Chriſto. Quò autem oſtendat hanc adiunctionem eſſe ſuauem, ac leuem, ita inquit, *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.* Quaſi de viro quodã leni, ac probo loquens, quique non illis pro imperio vtatur, ſed libertate frui permittat. Nec verò hactenus orationem produxiſſe ſatis habuit, ſed & aliũde rurſus magnæ ſibi illas curæ eſſe declarauit, ita ſcribens:

Ibid.

Nam quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt: quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperauit in Deum, & inſtat obſecrationibus, & orationibus nocte ac die. Et ad

1. Cor. 7.

Corinthios ſcribens, inquit, *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* Vides quanta viduitatis encomia. Atque hæc quidem in noua lege, quando iam Virginitatis decus ſummoperè emicuit. Verumtamẽ neque huius ſplendor viduitatis luminibus officere potuit, ſed & ipſa elucet adhuc ſuam habens virtutem. Quotieſcunq; igitur inter dicendũ viduitatis mẽtionem faciemus; ne animo concidas, nec rem turpẽ exiſtimes. Nam ſi viduitas turpis, multò turpior virginitas. Sed non eſt, non eſt; procul à nobis abſit iſta opinio. Quando enim eas, quæ viris adhuc ſuperſtitibus cõtinentiam ſeruant, omnes admiramur, & cõmendamus; cur nõ eas, quæ poſt virorum obitum eandẽ illis beneuolentiã præſtãt, laudibus admiratione & proſequamur? Donec igitur, quemadmodum dicebam, cum beato Theraſio

A viuebas, cum ille tibi honorem, tuorumque commodorum ſtudium præſtitit, cuiuſmodi ab optimo viro expectanda erant. Nunc autem illius loco habes Dominum omnium Deum; qui cùm antea tibi affuit, tum verò id nunc multò impenſius, ac cumulatiùs faciet. Atqui ſtudij erga te ſui, & procurationis non minimum, quemadmodum antea dicebam, indicium iam nobis dedit, in hoc curarũ, atq; ægritudinis incendio incolumem te præſtãs, nec permittens, vt quidquam violenti in te admitteres. Qui autem tãta tempeſtatis vi incumbente naufragiũ fieri minimè permiſit, multò magis trãquillo iam mari cuſtodiet animam tuam, & leuem reddet viduitatem, atque ea, quę ex ipſa oriri vidẽtur mala. Quòd ſi non viduitatis nomen te diſcruciat, ſed talis viri iactura: ego etiam tibi planè aſſentior in toto terrarum orbe paucos ex viris ſecularibus extitiſſe viri tui ſimiles, tanta humanitate, probitate, modeſtia, integritate, prudentia, innocentia præditos. Verùm, ſi quidem penitus interijſſet,

B atq; in nihilũ abijſſet, mœrendũ ac dolendum erat: ſin autem ad quietũ, placidumq; delatus eſt portum, atque ad ſuum verè Regem profectus eſt; nullus hic lacrymis, ſed lętitię locus eſt. Etenim hæc mors non eſt mors, ſed migratio, ac domicilij mutatio à deterioribus ad meliora, à terra ad cælum, ab hominibus ad Angelos, & Archangelos, atque adeò ipſum Archangelorum Dominum. Nam hic quidem, dum in terris Imperatori militabat, multa erant expectanda diſcrimina, multæ ab inuidis inſidiæ. Quò enim magis illius exiſtimatio, & gloria augebatur; eò plures, atque acriores in ipſum excitabantur inimicitiæ. Illud autem profectò nihil eiuſmodi metuendum eſt. Quamobrem quantum luges, cùm tam commodus, ac bonus eſſet, iuſſum eſſe ad Deum ire; tantùm lætari oportet, magna illum cum ſecuritate, & gloria profectum eſſe, & à periculorũ, quæ hic imminebãt, tumultu liberũ, pacatam, placidiſſimamque vitam viuere.

C Quàm enim abſurdum eſt fateri quidẽ cælũ terra longè melius eſſe, ac tamen eos, qui hinc eò commearunt, luctu proſequi? Nam ſi beatus iſte ex illorum hominũ numero fuiſſet, qui turpiter, ac Deo minimè probati vixerũt; profectò nõ ſolùm mortuus, ſed etiam viuens, fletu, atque eiulatu proſequendus erat. Nunc verò, quando & ipſe vnus ex Dei amicis erat; non ſolùm viuenti, ſed etiam ſomnum ſuum obdormienti gratulandum eſt. Audiſti ſanè ex beato Paulo, cùm ita diceret, longè ſatius eſt diſſolui, & eſſe cum Chriſto. At fortè charas illius voces audire cupis, tuoq; erga illũ amore frui; & cõſuetudinem requiris, & gloriam, ſplendorem, decus, ſecuritatem, quæ ab illo in te redundabant; atque hæc omnia perijſſe ægrè fers; & quaſdã quaſi

D tenebras menti tuæ offundi ſentis. Verùm enimuero tuam quidem erga illum amicitiam æquè tibi nunc, atque antea tueri licet. Talis enim eſt charitatis natura, & potentia: non ſolùm præſentes, ac proximos, quique ob os atq; oculos verſantur, ſed eos etiam, qui longè abſunt, complectitur, conglutinat, coniungit: ac neque temporis longinquitas, neque locorum interualla, neque aliud huius generis quidquã interrumpere, ac diſcindere animæ amicitiã poteſt. Quòd ſi pręſens præſentem intueri cupis (non enim me fugit id tibi eſſe maximè in optatis) cuſtodi illi lectum, alteri viro minimè peruium: incumbe in eam curam, vt eadem in te, atque in illo vitæ, morumque probitas eluceat; ac ſine dubio ad eundem cum ipſo peruenies chorũ; atque vnà cum eo habitabis non quinque annos, quemadmodum hîc, non viginti, non centum, non mille, aut bis mille, aut decem millia, aut multò plures, ſed planè infinitos, & infinita ſecula. Regiones enim illas recreationis, & pacis, non cognationes ad corpus pertinentes, ſed vitæ ſimilitudo apta eſt, quæ hæreditate obtineat. Nam ſi eadem ſuſce-

A pta viuendi ratio Lazarum Abrahæ ignotum in ſinum illius adduxit, multoſque facit ab Oriente, & Occidente cum illo recumbere: profectò te quoque vnà cum optimo Theraſio locus requietis excipiet, ſi eandem, atque ille colere volueris vitam, tuncque ipſum non cum hac corporis pulchritudine, qua præditus abijt, iterum recipies, ſed cum alio quodam ſplendore, ac venuſtate; quæ ipſos Solis radios fulgore vincat. Etenim hoc quidem corpus etiamſi ad ſummum pulchritudinis gradũ peruenerit, mortale tamen eſt. Corpora autem eorum qui Deo placuerunt, tantã induent gloriã, quantã ne intueri quidem his oculis licet. Atque harum quidem rerum ſigna quædam ac leuiter preſſa veſtigia, & in vetere, & in nouo teſtamẽto nobis oſtẽdit Deus. Nam illic quidem Moyſis facies tãta fulgebat gloria, vt eam oculi Iſraëlitarum ferre minimè poſſent. In nouo autem longè magis fulſit Chriſti facies. Quæro igitur ex te, ſi quis tibi pollicitus eſſet ei ſe totius orbis regnum traditurũ, ſed ob hanc cauſam iuſſiſſet viginti ipſos annos te ſe- B cedere, atque ijs tranſactis diademate, ac purpura ornatum eum tibi traditurum promiſiſſet, teque in eodem, atque illum honoris gradu collocaturum: nónne ſeceſſionem iſtam æquo animo, & ea, quæ te decet, modeſtia tuliſſes? nónne munus præclarum, remque omnibus votis optandam duxiſſes? Obdura igitur & nunc, non regni terreni, ſed cæleſtis cauſa; non vt veſte aurea, ſed immortalitate indutum recipias, & gloria, quantam eos, qui in cælis degunt, habere conſentaneum eſt. Quod ſi valde tibi intoleranda videtur temporis longinquitas, veriſimile eſt illum tibi interdum in ſomnijs aſtare, & quæ conſueuerat tecum colloqui, & optatam faciem oſtendere. Hoc te loco epiſtolarum conſoletur: quinimò id maiorem epiſtolis vim habet. In illis enim literas tantùm cernere licet: hîc verò, & formam vultus, & riſum tranquillum, & figuram, & inceſſum, & ſonum audire, & amicam illam vocem C agnoſcere. Cæterùm quoniam ſecuritatis præterea ratio, quæ ex illo tibi aderat, te ad fletum impellit, fortaſſe etiam ſpes illæ, quæ ſeſe oſtendebãt maioris dignitatis, & amplitudinis: (audiui enim citò futurum fuiſſe, vt ille ad conſularem thronum aſcẽderet, idque tibi omnium acerbiſſimum viſum eſſe, ac præcipuè animum tuum excruciare puto) illos tibi ante oculos pone, qui cùm ad maiorem, quàm ille dignitatem euecti eſſent, valde miſerabilem vitam egerunt. Reuocabo autem tibi in memoriã Theodorum illum Siculum; fortaſſe audiſti, erat enim in primis notus, & celebris. Hic & pulchritudine, & magnitudine corporis, & auctoritate apud Imperatorem omnibus præſtans, qui ea poterat, quæ interiorum familiarium nemo, proſperam illã fortunam non moderatè tulit, ſed inſidiatus Imperatori, ac deprehenſus, ipſe quidem valde miſerabiliter obtruncatus eſt, ipſius autem vxor neque D èducatione, neque genere, neque vlla alia re nobilitati tuæ concedens, omnibus repente rebus ſuis ſpoliata, ac libertate amiſſa Cubicularijs ancillis adnumerata, ac nulla non ancilla miſeriorem, ac magis lacrymabilem vitam agere coacta eſt, hoc vno cæteras antecellens, quòd propter non cõparabilem calamitatis magnitudinem, lacrymas eorũ omniũ, qui ipſam aſpicerent, eliciebat. Fertur etiã Artemiſia viro valde claro nupta, quoniam & ille tyrannidem affectauit, in eandem incidiſſe paupertatem, ac præterea oculis eſſe capta. Nam magnitudo ægritudinis, & lacrymarum multitudo lumina extinxit. Ac nunc quidem hominibus eget qui deducat, atque ad alienas portas adducant, vt hoc modo neceſſarium ſibi victum comparare queat. Nec verò aliæ familiæ deſunt itidem deiectæ, ac proſtratæ, quas commemorem, niſi probitatem, ac prudentiam tuam probè noſſem, quæ minimè ex alienis malis calamitati tuæ cupis ſolatium abhibere. Neque verò hæc exempla quæ commemorauimus aliam ob cauſam commemoraui, quàm vt intelligas res humanas nihil eſſe, vereque à Propheta eſſe dictum. *Omnis gloria hominis, vt flos feni.* Eſai. 40. Quò enim altius euehuntur, atque emicant, eò maiorem edunt ruinam, neque in ijs ſolùm, qui ſub alieno imperio viuunt, ſed etiam in Regibus ipſis. Neque enim facile quis inueniat priuatam domum æquè refertam calamitatibus, ac Regias. Nam & orphaniæ, & viduitates immaturæ, & neces violentæ, atq; ijs quidem, quæ in tragœdijs narrantur, multò ſceleſtiores, & acerbiores in hũc ipſum præcipuè cadunt principatũ. Atque, vt vetera omittamus, ex ijs omnibus qui noſtro tempore imperarunt (fuerunt autẽ nouem) duo ſoli communi morte vitam clauſerunt. Reliquorum autem hic quidem à tyranno, ille verò in bello, alius domeſticorum cuſtodũ inſidijs, alius autem ab illo ipſo, qui coronam, ac purpuram impoſuerat, interfectus occubuit. Vxores verò partim, vt ferunt, veneno interierunt, partim ægritudine. Earum verò, quæ adhuc ſuperſtites ſunt, altera quidem filium habens pupillũ tremit, ac metuit ne quis eorum, qui rerum potiuntur, illa metuens, quæ ferre inſequens tempus queat, eum de medio tollat, altera verò vix multorum precibus ab exilio redijt, quò antea ab eo, qui tenebat, miſſa erat. Cæterùm ad ipſorum etiam, qui nũc regnant, vxores animum aduerte. Alteram videbis ex priſtinis calamitatibus reſpirantem, magnæ voluptati magnum habere dolorem admiſtũ, eò quòd qui potitur nimis iuuenis, ac nullius vſus eſt, multoſque habet vndique inſidiantes: Alteram verò timore exanimatam, & ijs, qui capite damnati ſunt miſeriorem vitam ducentẽ, eò quòd vir ipſius ab eo tempore, quo diadema ſuſcepit, vſq; ad hodiernum diẽ in bello & prælijs verſatur, verecundiaq; & probris, quibus vndique afficitur, magis quã ex calamitatibus tabeſcit. Quod enim antea numquã nunc euenit; vt Barbari propriã relinquentes regionem multa ſtadiorum millia regionis noſtræ percurrerint, & agris incenſis, captiſque vrbibus, domum redeundi omnẽ cogitationem abiecerint. Ac perinde quaſi choreas ducerent, non bellum gererent, ita noſtros omnes irrident, & quendã ex illorum Regibus dixiſſe ferunt, mirari ſe impudẽtiam noſtrorum militum, qui facilius quã oues ſoleant iugulari, adhuc victoriam ſperent, neque ex ipſorum regione velint excedere. Nam ipſe quidẽ dixit, ſeſe illis cædẽdus ſatietate captum eſſe. Quo igitur animo & Imperatorem, & ipſius vxorem iſta verba audientẽ exiſtimas eſſe? Et quoniam huius belli mentio incidit, magnũ mihi viduarũ agmen occurrit, quarum multæ ex virorum quidem dignitate plurimum ſplendoris acceperunt, nunc verò repente omnes nigra, ac luctui accommodata ſtola amictæ omne ſuum tẽpus in lacrymis, ac querimonijs traducunt. Neq; illis hoc datum eſt, quod honorato tuo capiti. Tu enim, ô admirabilis, & in lectulo iacentẽ vidiſti honeſtum illum, & ſupremã audiſti vocem, cùm quibus modis res domeſticæ adminiſtrandæ eſſent, te doceret, & teſtamẽto omnem alieni appetentibus, ac ſycophantis aditum obſtrueret. Adde illud, quòd iacenti mortuo ſæpe incubuiſti, & ſuauiata es oculos, & compoſuiſti, & honeſtiſſimo funere elatum vidiſti: omnibus quæ decebat, erga illum officijs functa es, & iuſta perſoluiſti: & ad ſepulchrũ ſæpe accedens non minimum habes tui doloris ſolatiũ. Illæ verò omnibus huiuſmodi ſolatijs ſunt deſtitutæ, cum omnes qui dẽ ad bellum miſiſſent viros ſuos tamquã rurſus ipſos recepturæ, at pro illis triſtem illorum mortis acceperint nuntiũ. Non quiſquam corpora ipſorũ afferens, ſed verba tantum mortis genus narrantia ad ipſas redijt. Verùm ſunt, quæ neq; hac ipſa narratione dignæ fuerint habitæ, neque quomodo illi ceciderint, doceri potuerint, cũ in magno cæſorũ

numero

numero reliquis eſſent coaceruati. Ecquid verò A
mirum ſi multi ex Ducibus hoc modo interierũt,
quando & Imperator ipſe, in vicum quendam cũ
paucis militibus cõcluſus exire quidem, & ſeſe in-
uadentibus opponere minimè auſus eſt, ſed intus
manens, accenſo ab illis igne, vnà cũ ijs omnibus,
quos ſecum habebat, combuſtus eſt, nec viris ſolũ,
ſed etiam equis, & trabibus, & muris; & omnia in
vnum, atq; eundẽ cinerem abierunt? Atque hunc
nuntiũ, ij qui vnà cũ Imperatore ad bellum profe-
cti fuerãt, loco Imperatoris ipſius ad vxorẽ repor-
tantes, redierunt. Nihil enim, nihil planè ea, quæ
in mũdo ſplẽdida ſunt, ab ijs, quæ in ſcena gerun-
tur, à vernorũ florũ venuſtate differunt. Primum
enim antequã appareãt, euaneſcunt, deinde etiã ſi
paululũ temporis maneant, citò tamen ad interi-
tum properant. Quid enim honore, qui à multis
exhibetur, & gloria exilius, ac vilius? quẽ fructum,
quam vtilitatẽ afferũt? quo ſat bono exitu cõclu-
duntur? atq; vtinam nihil aliud ſubeſſet mali: nũc
verò præterquam quòd nihil verè boni inde pro- B
uenit, multas etiam moleſtias multa dãna aſſiduè
is ferre cogitur, qui ſe huic acerbiſſimæ Dominæ
ſubiecit. Domina enim eſt eorum, qui ipſam admi-
ſerunt, & quò maioribus blanditijs & aſſentationi-
bus colitur à ſeruis, eò magis ſeſe cõtra ipſos eri-
git, & durioribus ipſos vrget mãdatis, eos verò, qui
ipſam reijciunt, ac deſpiciunt, nõ habet amplius,
vbi vlciſcatur. Ita & Tyranno, & fera qualibet im-
mitior eſt. Nam Tyrannus quidem, & feræ cultu, ac
blanditijs ſæpe miteſcunt: hæc autẽ tunc maximè
efferatur, quandò ei maximè auſcultauerimus, ac
ſi dicto audientem inueniat, atq; omnia obſequẽ-
tem, nihil eſt præterea, quod imperare omittat. Ha-
bet verò, & alteram belli ſociam, quam non malè
fortaſſe quis ipſius filiã appellarit. Quãdo enim ip-
ſa probè à nobis alta & educata creuerit, ac radices
egerit, tunc arrogantiã parit, rẽ quæ nihilominus
matr[illegible] animum quem cœperit, præcipitẽ agere po-
[illegible]itur dic mihi, luges, ac lamentaris, quòd C
[illegible]riſſima domina Deus te liberauit? quòd
[illegible]ous his peſtiferis morbis omnem obſepſit
viam. Viuente enim adhuc tibi viro nullũ in mẽ-
tem tuam inſultandi finem feciſſent, mortuo autẽ
non habẽt, vnde in cogitationes tuas impetum fa-
ciant. Hoc igitur tibi rectè curandum, ac præſtan-
dũ poſthac eſt, vt ne illarũ diſceſſum legeas, neq;
acerbum illum dominatum expetas. Nam vbi illæ
vehementius ſpirant, omnia funditus euertunt, ac
proſternunt. Et quemadmodum meretrices, cum
plerumq; ſuapte natura deformes ſint, ac ſquali-
dæ, frictionibus, & fucis incautos & ſimplices iuue-
num animos illaqueant, & poſtquam in ſuam di-
tionem receperint, ſeruis omnibus cõtumelioſius
tractant: ita & huiuſmodi affectiones. Ambitio, & D
& Arrogãtia nulla nõ fæce hominum animos ma-
gis inquinant. Hinc, & multi diuitias magnum bo-
num duxerunt; quare qui ambitionem eiecerit, ne-
que à diuitijs etiam capietur. Nam quibus licuit ob
paupertatem conſequi magnam gloriam, ij diteſ-
cere minimè voluerunt, ſed magnam auri vim ſi-
bi oblatam contempſerunt. Atque hos minimè ex
me cognoſcere neceſſe habes: ipſa enim lõgè me-
lius, quàm ego noſti Epaminondam, Socratẽ, Ari-
ſtidem, Diogenem, Cratẽ, Melobotũ, qui ſuaſmet
poſſeſſiones reliquit, ac depoſuit. Nam alij quidẽ,
cùm non eſſet in promptu diteſcere, exorientem
ſibi ex paupertate gloriam animaduertentes, faci-
lè in eam ſe partem dederunt. Hic autem & ea, quę
habebat, proiecit. Adeò omnes huius feræ belluæ
ſibi acquirendæ cupiditate inſaniebant. Ne igitur
queramur, Deum ex hac turpi nos tyrannide, & ri-
dicula, & multorum probrorum plenã exemiſſe.
Nomen enim ſolum ſplendidum eſt, res autem ipſa
longè alios, atque appellatio ipſa polliceatur, ama-
tores ſuos reddit, ac nemo eſt, qui gloriæ cauſa
quippiam agentem non irrideat. Ille enim ſo-
lus ſuſpiciendum ſe præbere, & gloria circum-
fluere poterit, qui eò minimè ſpectat. Qui autem
magnũ quiddam putat gloriam à multis delatã, at-
que conſequendæ cauſa omnia facit, & patitur, is
potiſſimùm ab ea longè abierit, eiuſq; expers erit,
rerum verò gloriæ aduerſantium maximè parti-
ceps, irriſionis, criminationis, maledictorũ, offen-
ſionis, odij: neque in viris tantùm id vſuuenit, ſed
etiam in vobis mulieribus, atque adeò multò ma-
gis. Nam quæ & figura, & inceſſu, & veſtitu ſim-
plicem quamdam bonitatem præ ſe fert, & à nemi-
ne honorem aucupatur, eam omnes admirantur,
ſuſpiciunt, prædicant omnibus, bonis omnibus
proſequuntur: vanæ autem gloriæ quidẽ auerſan-
tur, oderunt, & veluti belluam quandam agreſtem
fugiunt, ſexcentas in illam execrationes, & contu-
melias conijcientes. Nec verò his dumtaxat malis
nos eripimus, vulgarem gloriam contemnẽtes, ſed
& ea, quæ omnium maxima ſunt, lucramur, dum
præter ea, quæ dicta ſunt, paulatim erudimur, reſ-
pirare, & aſpirare ad cælum, & terrena omnia deſ-
picere. Nam qui delato ab hominibus honore mi-
nimè egere ſe putat, quidquid boni faciet, magna
cũ ſecuritate faciet, neq; aut aduerſis, aut ſecundis
huius vitæ rebus quidquã incommodi ſentiet, neq;
enim aut aduerſæ illum deijcere, atque obruere
poſſunt, aut ſecundæ inflare, ac tumidum reddere;
ſed in rebus maximè caducis ac fluxis ipſe omnis
mutationis expers manet. Quod celeriter, & in
tuo ipſius animo euenturum ſpero; confeſtim-
que terrenis omnibus abiectis, cæleſtem te nobis
viuendi rationem repræſentaturam; gloriam ve-
rò, quam nunc defles, paulò poſt irriſuram; & va-
nam, ac futilem illius perſonam illuſurã. Quod ſi
priſtinam, qua per illum potiebaris, ſecuritatem
deſideras, & bonorum cuſtodiam; nec patere velles
eorum inſidijs, qui alienis calamitatibus inſultant,
iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. In-
ſpicite enim, inquit, *in antiquas generationes, & videte ſi* Pſalm 54 Eccleſ. 1.
quis ſperauit in Domino, & confuſus eſt, vel ſi quis inuocauit
illum, & deſpectus eſt, vel ſi quis ſtetit in mandatis eius,
& derelictus eſt. Nam qui onus tam intolerabilis
calamitatis leuius reddidit, & in præſenti mala-
cia te collocauit, is & quæ imminent, propulſabit.
Nam hac quidem plaga nullam te vmquam gra-
uiorem poſſe accipere profectò nobis aſſentie-
ris. Quando igitur præſens malum adeò fortiter,
ac generosè tuliſti, idque cùm te vſus nõdum do-
cuiſſet, multò magis ex ijs, quæ accidere poſſunt,
ſi quid præter voluntatem noſtram acciderit
(quod Deus omen auertat) facilè feres. Cælũ quæ-
re, & omnia quæcumque ad vitam illic degendam
conducunt; ac nihil eorum, quæ hic fiant, lædere
te poterit, ne ipſe quidem tenebrarum impera-
tor; dummodo ne nobis ipſi noceamus. Nam & ſi
quis bonis ſpoliet, & ſi corpus concidat, nihil ho-
rum ad nos; modò animus nobis incolumis, atque
integer maneat. Omnino autem ſi vis pecunias
& ab omni periculo tutas cuſtodire, & amplifica-
re, ego ſanè & modum, & locum demonſtrabo,
quo nulli eorum, qui inſidiari ſolent, fas eſt irrue-
re. Quid igitur locus eſt? cælum. mitte illas ad opti-
mum illũ virum; ac neque fur, neq; inſidiator, ne-
que vlla alia peſtis impetũ facere in illas poterit.
Si ibi has ipſas pecunias defoderis, magnum ex his
lucrum reportabis. Omnia enim quæcumq; à no-
bis in cælis ſeruntur, longè maiorem, ac melio-
rem prouentum habent, ac plane talem, qualem
conſentaneum eſt ijs, quæ in cælis radices ege-
runt. Quòd ſi hoc feceris, vide qualibus frueris bo-
nis: primùm quidẽ ſempiterna vita, & ijs, quæ pro-
miſſa ſunt diligentibus Deum; *quæ neque oculus vi-* 1. Cor. 2.
dit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt:
deinde conſuetudine optimi viri tui in omne æuũ:
poſtremò à curis, timoribus, periculis, inſidijs, ſi-
multate,

multate, odio, quæ hanc vitam exercet, teipſam liberabis. Quamdiu enim pecunias apud te retinebis, erunt fortaſſe aliqui, qui fraudibus interuertát: ſin autem ad cælum tranſmiſeris, periculis vacuã, tutam, ac tranquillitatis pleniſſimam vitam viues; quippe quæ ſufficientia vnà cùm pietate frueris. Magnæ enim dementiæ eſt, ſi agri quidem emendi ſint, feraciorem terram ſectari; cælo autem, & terra in conſpectu poſitis, cum ibi liceat prædium ſibi comparare, terræ potius inhærere, ſeque moleſtijs, quæ ex hac ſæpe incidunt, caſibuſque exponere; ſæpe enim noſtram fruſtratur ſpem. Quoniam verò illud grauiter percellit, concutitque animum tuum, quòd ſæpe ſperaſti fore, vt is ad conſularem dignitatem eueheretur, ideoque magiſtratum illi quodammodo ereptum doles; primum illud quidem fac tecum cogites, licet valde explorata eſſet hæc ſpes, attamẽ humanã fuiſſe ſpẽ, ſæpe quæ fallere ſit ſolita, ac multa huiuſmodi in hac vita quotidie euenire cernimus; vt cũ ea, quæ valde ſperãtur, minimè exitũ inueniant; ea, quæ neq; in mẽtem venerũt, ad finẽ ſępenumero perducãtur, ſiue ad imperia, ſiue ad regna, ſiue ad hæreditates, ſiue ad matrimonia, ſiue aliò animum intendamus. Quocirca quamuis prope adeſſet tempus; tamen, vt in prouerbio eſt, multa inter calicem & ſummum labium. Ac ſanè ſcriptura ipſa inquit. *A mane vſque ad veſperam immutatur tempus, & Rex, qui hodie eſt, cras moritur.* Ac rurſus quàm incerti, atque inexpectati rerum exitus ſint, nobis declarans hic ipſe Sapiens, inquit, *Multi tyranni ſederunt in ſolio; & inſuſpicabilis portauit diadema.* Non igitur exploratiſſimum erat, ſi vixiſſet, ad eum dignitatis gradum peruenturum. Quod enim futurum eſt, incertum eſt: atque alia etiam erant, quæ nobis ſuſpicionem inijcerent. Vnde enim manifeſtum erat, ſi vixiſſet, ad magiſtratum illum euectum iri: atq; adeò futurum minimè fuiſſe, vt ea quæ nollemus, euenirent; vt morbo correptus, aut inuidia, ac maleuolentia eorum, qui proſperitatem illius non ferrent, circumuentus, vel aliqua alia calamitate affectus, præſenti etiã dignitate priuaretur? Sed fac, ſi libet, multò exploratiſſimum fuiſſe, ſi diutius vixiſſet, ad illud faſtigium peruenturum: at certè, quantò maior dignitas, tantò maioribus periculis, curis, inſidijs neceſſariò ſuberat. Cæterùm abſint & iſta; ac ſine periculo, ſummaque cum tranquillitate illud nauigarit pelagus: ecquis finis, dic mihi, manebat? an non idem, qui nunc? aut potius non idem, ſed alius fortaſſe; triſtis nimirum, ac votis omnibus fugiendus? Primum quidem tardius vidiſſet cælum, & ea, quæ in cælis ſunt; quod ijs, qui res futuras fide, & ſpe præceperunt, non minimum damnum eſt. Deinde, quantumuis caſtè, integreque vixiſſet, attamen vitæ longitudo, ac neceſſitas quædam in illum magiſtratum incurrens, nõ æquè integrum, & purum abire hinc permiſiſſent, atque hoc tempore. Incertum quoque & illud, an forte multis modis immutatus, ac negligentiæ deditus perpetuum obdormiſſet ſomnum. Nam nunc quidem confidimus Dei gratia illum euolaſſe ad locum requietis; quòd nullã ex ijs culpis in ſe admiſerit, quæ à regno cælorum excludunt: tunc verò publica negotia plerumque tractans fortaſſe multas ad ſe attraxiſſet ſordes. Nam tot vndique malis circumſtantibus, rectum tenere curſum rarum admodum eſt; a peccare autem, & ſponte, & * inuitum, valde vſitatum, ac quotidianũ. Nunc verò à timore iſto longè abſumus, ac magnopere confidimus, venturum in die illa plenum venuſtatis, & ſplendoris proximum Regi, atque vnà cum Angelis præeuntem Chriſto, & gloria, cui nulla par inueniri oratio queat, circumfluentem, & iudicanti Regi aſſiſtentem, & in præſtantiſſimis muneribus miniſtrantem. Quamobrem miſſo iam fletu, & eiulatu, eandem viuendi rationem, atque adeò etiã potiorem tene; vt eandem atque ille, adepta virtutem, in idem etiam cum illo tabernaculum recipiaris; ac rurſus coniungi cum illo queas in ſempiterna illa ſæcula, non hoc matrimonij nexu, ſed aliò quodam longè meliore. Hic enim corpora tantùm copulat; ille verò multò elegantior, iucundior, melior, animam animæ iungit & conflat.

Eccl. 18. Ibid. 10. Ibid. 11.

*Al. ſimplicitate quadam adductũ, vide ſcholium.

A B C D

SCHOLIVM.

a *Peccare autem, & ſponte, & inuitum,* Hoc loco variant exemplaria. Alia enim habent ἄκοντα, id eſt, inuitum. In alijs autem, vt in Vaticano, legitur ἀφελῶς, id eſt, ex ſimplicitate quadam. Si prior lectio retineatur, non ita eſt accipiendum, hominem inuitum peccare, quaſi nullum ea in re momentum voluntas habeat. Nam & multò veriſsima, & ſancto huic Authori probatiſsima ſententia eſt, nullam niſi ſponte, ac voluntate admitti culpam. Sed inuitum peccare eum potuit dicere, qui ob inſcitiam peccat; cuius tamen inſcitiæ ipſe ſuſtinet culpam: quomodo in Numeris, qui ex ignoratione peccat, dicitur non ſponte peccare, ac tamen ei pœna luenda imponitur: & hoc eodem modo alibi videtur loqui Chryſoſtomus. Aut eum inuitum vocat, qui à peccãdo quidem abhorret; ſed non tantum roboris habet, vt deprauatæ conſuetudini, principum imperijs, vulgi ſtudijs audeat repugnare. Quo etiam videtur paulò ante ſpectaſſe in illis verbis, ἡ τῆς ἀρχῆς ἐκείνης ἀνάγκη οὐκ ἂν ἀφῆκεν οὕτως ἀπελθεῖν καθαρὸν, quæ nos ita vertimus. *Neceſsitas quædam in illum magiſtratum incurrens non æquè purum, atque integrum hinc abire permiſiſſet.* Simili quadam ratione impotens iræ, ac libidinis agere inuitus dicitur. *Sed trahit inuitam noua vis, aliudque libido, Mens aliud ſuadet.* Ac tamen non poſſe repugnare libidini nihil aliud eſt, quàm non velle, aut frigidè velle, quod ſæpe docuit Chryſoſtomus. Author operis imperfecti paulò magis hyperbolicè loquebatur, cũ ita diceret, *Qui in timore ſeruit Deo, pœnam quidem euadere; mercedem autem iuſtitiæ non habere; quia inuitus facit bonum propter timorem.* De hac re accuratè egit D. Auguſtinus cùm alibi, tum libro primo Retract. quod à Magiſtro ſententiarum eſt animaduerſum.

In Epiſt. ad Epheſ. hom. 2 in Mat. hõ. 60. C. 15.

In Epiſt. ad Hebr. hom. 15.

In Ioan. homil. 8. & 12. In Matt. hom. 42. C. 13. & 16 2. lib. Diſt. 41.

EIVSDEM

DE NON ITERANDO CONIVGIO.

Ad eandem.

MVLIERES, quæ virorum conſuetudinem, partus dolores, & cætera omnia, quibus inſtructum matrimonium in hominum domos ingreditur, nunquam vſu cognouerunt, ad viros animum appellere, nihil ſanè mirandum eſt. Nam & bellum, rem adeò laborioſam, ac durã, imperitis dulce eſſe in prouerbio eſt. At ſexcentis malis affectas, quibuſque dura ipſa rerum conditio perſuaſit, eas quidem, quæ ſolutæ à rebus huius mundi vitam agerent, beatas prædicare, ſe ipſas autem & pronubas, & diem, quo in matrimoniũ ſunt collocatæ, millies execrari; eas ipſas poſt tantum faſtidij rurſus earumdem rerum deſiderio capi, hoc eſt, quod me propemodum obſtupefacit, ac dubitare cogit, & quærere; Ecquid cauſæ ſit, quamobrem quas res antea, cùm in ijs verſarentur, fugiendas exiſtimabant; has rurſus, cùm ab ijs liberæ ſunt, tanquam expetendas, perſequantur. Ac multa quidem animo verſans, mecumque ipſe cogitans, vix tandem, vt puto, ad ipſam rei cauſam indagando perueni. Atque ea quidem non vna eſt, aut altera, ſed planè multæ. Partim enim ob temporis longinquitatem priorum oblitæ, & ea tantum, quæ in manibus ſunt, recolentes, veniunt quidem ad matrimonium, quaſi ad id, quod omnia mala, quæ è viduitate, depellat; ſed alia quædã ibi longè grauiora

inue-

A inuenientes,rurſus eaſdē, quas antea, voces emittunt. Partim verò mundanis rebus inhiantes, gloriaque præſentis vitæ ſuſpenſæ,& viduitatem rem dedecoris plenam putantes, huius inanis gloriæ & tumoris cauſa ad eaſdem ſe reuocari ſinunt matrimonij miſerias. Nec verò deſunt,quæ non huiuſmodi cauſis adductæ, ſed ſoli intemperantiæ manus dantes, rurſus ad priorem vitæ rationem redeunt,ac veram cauſam occultare ijs, quas diximus,prætexendis conantur. Atqui iſtas accuſare,atque huiuſmodi matrimonij nomine condemnare neque ipſe auſim,neque alteri,vt audeat,author ſim; quandoquidem aliter viſum eſt B. Paulo, vel potius Spiritui ipſi ſancto. Nam cùm dixiſſet,

1.Cor.7. *Mulier alligata eſt legi,quanto tempore vir eius viuit;quòd ſi dormierit vir eius,libera eſt,vt cui velit,nubat;tantum in domino*;atque ita viduæ poteſtatem feciſſet rurſus, ſi velit,nubendi,addidiſſetque, *Beatior autem eſt,ſi ſic permanſerit*;ne quis putaret humanum eſſe præceptum:hæc adiunxit. *Puto autem, quòd & ego Spiritum* B *Dei habeam*;planè oſtendens ſpiritu dictante iſta ſibi eſſe conſcripta.Ne quis igitur,quæ modò dicturus ſum,in eã partem accipiat;quaſi eas quę matrimonio ſe iungunt reprehendã, ac criminer. Summæ enim arrogantiæ,ac furoris fuerit; quibus non interdixit Beatus ille,ſed indulſit,has cõtrà à nobis ac erbè condemnari, idque cùm ſexcentis nos criminibus premamur.Etenim qui vel à iudicando abſtinere, ne eadem menſura in nos iudicium exerceatur,atque in aliorum peccata minimè vehementes eſſe iudices iubemur,ſed lenes,& ad veniã dandam faciles; ſi rem, quæ extra culpã ſit, criminemur & condemnemus; quomodo non omnē nobis veniam præcidemus, ex noſtro in proximũ facto in eam ſententiam inducentes iudicem, vt in nos viciſſim ſe præbeat duriorem?Non igitur vt illas accuſem, ad pugnã huc oratione delatus ſum. Quod enim in Domino fieri poteſt, in id cadere crimen nullo modo poteſt.*Tantum*,inquit,*in Domino*. C Verùm quemadmodum cum de virginitate verba facimus; non vt de matrimonij dignitate detrahamus,illam laudibus extollimus;ita cùm de viduitate diſputamus; non quidem ceu ſecundas nuptias in earum rerum numero, quibus interdictum ſit, collocemus, mulieres, vt ſemel nupſiſſe contētæ ſint cohortamur.Sed fatemur quidem ſecundis etiã legem non violari; verumtamen vnas iteratis longè præſtare non dubitamus.Atq;in hac comparatione,cùm vnum alteri præſtare dicimus, nemo hoc ipſum,quod inferiorē locũ tenere dicimus,vitium putet. Non enim illa inter ſe ideò cõferimus, vt ipſorum alterum in rerum turpiũ ordinem reijciatur:ſed concedentes id legi cõſentaneum eſſe,noſtroq; arbitrio permiſſum, alterũ tamen præ hoc longè pluris facimus,magiſq; ſuſpicimus. Quid ita?quoniam multum intereſt eãdem D mulierem vnius viri eſſe vxorem, ac duorum. Nã, cui prior ſatis eſt,planè oſtendit, neque ad illũ ipſum ſe adiuncturam fuiſſe; ſi rei naturam vſu ipſo probè nouiſſet. Quæ autem alterum ſponſum in prioris cubile inducit,uæ iſta haud exiguum egregiæ erga mundum amicitiæ, atque erga res terrenas propenſionis indicium præbet. Atque illa quidem nec dum viueret vir,erga alium cõmota animo eſt: hæc verò, & ſi illo viuente ab alijs ſe pudicam ſeruarit; attamen multos alios magis, quàm illum ſuſpexit. Sed ne ex hoc facto coniecturam de præterita vita faciamus;rē ipſam expēdamus. Etenim quemadmodum virginitas matrimonio melior eſt:ita hoc matrimonio illud. Vidua enim de principio tantum virginitati conceſſit;ad extremum verò ipſi rurſus æquatur,&coniũgitur. Hoc verò matrimonium vtraque ex parte à virginitate abeſt.Huc accedit,eam quæ facile fertviduitatem,à viro quoque dum viueret,ſæpe ſibi continere ſolitã,eam verò, quæ rem maximè moleſtam putat, ita animum inſtituiſſe; vt non cum duobus ſolũ tribúsve,ſed etiam multò pluribus, ſi ita ſors ferat,ſibi res habēda ſit,ac vix extrema ætate abſtinendũ. Quemadmodũ igitur matrimoniũ illud magnæ honeſtatis,ac temperantiæ ſpecimē eſt: ita hoc minimè quidem dixerim mollitiei, & laſciuiæ (abſit)ſed certe animi infirmioris,& qui carni deditus ſit,terræque affixus,nec magnum, atque excelſum quippiam animo concipere vmquam poſſit. Quòd ſi quis obijciat,quòd honeſtum eſt, ſuam tueri honeſtatem,ſiue ſemel obeatur,ſiue bis, ſiue ſæpius,ſimiliter enim honeſtum manere;quinetiã eum,qui ſæpius functus eſt, laudabiliorem eſſe eo, qui rarius;reſpõdebimus huiuſmodi ſophiſma incautioribus fortaſſe poſſe imponere;ijs autem, qui animum aduertere voluerint, facile ad refellendum eſſe. Matrimonium enim non corporum cõmiſtio facit(ita enim & fornicatio matrimoniũ eſſet)ſed quòd ea,quæ nupta eſt, vno viro contenta eſt.Atq; hoc inter meretricem,atq; ingenuam,pudicãque mulierē intereſt. Quod ſi vno viro contenta perpetuò ſit,coniunctionem iſtam matrimonij nomine verè appellaris. Sin pro vno multos ſponſos in domum inducat,nõ equidē fornicationem audeo dicere;ſed illud quidem contendã,hãc illa,quæ vnum duntaxat virum nouit,longè inferiorem eſſe.Illa enim audiuit Dominum, cùm ita diceret.*Propter hoc dimittet homo patrē & matrem ſuã,&* Math. 19 *adhærebit vxori ſuæ,& erunt duo in carnem vnam*; ac viro adhæſit.perinde ac verè ſua caro eſſet; neque oblita eſt ſemel ſibi impoſiti capitis. Hæc verò nec priorem, nec poſteriorem virum propriam carnem reputat: viciſſim enim alter alterum eijciunt. Neque enim mulier prioris viri memoriam ſatis rectè colere poterit, quæ poſt illum alteri nupſit; nec poſteriorem iuſto amore proſequetur, magna adhuc cogitationum ac mentis parte in eum, qui obijt,deriuata.Ita fit,vt neutri is,qui viro debetur, amor,atque honos ab vxore exhibeatur. Ecquid vero animi putet poſteriori ſpõſo eſſe,qui in prioris thalamum ingreditur, & illius lectum ſcandit, ac præterea illius vxorem iocantem, ac ludentem videt? Valde quidem commoueatur, neque ad illam magno cum amore accedat, neceſſe eſt. Nam tametſi omnium hominum duriſſimus ſit; non tamen ita exuere omnem humanitatem poteſt, vt humano quodam ſenſu non afficiatur; etiamſi illa ſexcentis ornamentis & ſeipſam, & domum cõpſerit. Dolor enim altè iam animo infixus non ſinit puram,& ſynceram ad ipſius animum allabi voluptatem. Sed quemadmodum in muris vſuuenit,vt cum pars aliqua valde exuſta eſt, licet poſt- Simile. modum dealbetur;ſubiectus tamen, ac profundus nigror candorem tectorij obſcuret,atque iniucundum ſanè ſpectaculum præbeat:ita & hac in re, tametſi multa ſplendida excogitentur; in medijs tamen ipſis eminent triſtia,ac moleſta quædam ex ijs miſtio fit.Nam,& ſerui,& ancillæ,& agricolæ,& inquilini, & vicini, & gentiles prioris viri demiſſo, ac triſti vultu intuentur, quæ fiunt, ac gemunt. Quòd ſi præterea pupilli affuerint,ſi quidem valde pueri ſint, magnum ab ijs, qui de rebus iudicare queunt,in matrem odiũ excitant: ſin autem puberes,tãtam,quantam vix aliud quidquam, viro moleſtiam comparant. Quæ quidem omnia cùm legiſlatores animaduerterent, & eos, qui propterea anguntur, conſolari vellent,& ſimul ſui facti rationem reddere, quòd non ex principali propoſito,neque,ſi vtrumuis liceret,huiuſmodi matrimonium inſtituerent, ſed tantùm metu adducti, ne grauius aliquod malum exiſteret, ſecũdas nuptias omni illa ſplendida pompa ſpoliarunt, neq; enim tibia,neque plauſus,neque hymenæus neque choreæ,neque coronæ nuptiales,neque aliud quidquã eiuſmodi veſperam illam ornant: ſed hæc omnia, auferentes, ſic non coronatum virum ad viduam

mulierem adducunt, tantum non per hæc clamãtes, quæ fiunt, omnia eſſe quidem eiuſmodi, quibus venia detur, ſed laudibus, coronis, plauſibus minimè digna. At enim obijciet quis, cur igitur Paulus prohibet, ne iuniores etiam, ſi velint, viduæ maneant? 1.Tim.5 ita enim ſcribit: *Adoleſcentiores autem viduas deuita.* Non ſanè Paulus impedimento eſt, quominus quæ volunt ſeruare virginitatem, queant, ſed ipſæ potius ſunt, quæ Paulum eò neceſſitatis adegerunt, vt præter animi ſui ſententiam hanc ipſis legem ferret. Nam ſi Pauli ſententiam vis cognoſcere, 1.Cor.7 audi quid dicat: *Volo omnes homines eſſe ſicut meipſum:* id eſt, continentiam ſeruare. Quamobrem non ſibijpſi aduerſatur beatus ille, neque adeo lapſus eſt, vt inter ſe pugnantia loqueretur, nec qui velit omnes homines colere continentiam, obſtaret, quominus, quæ volunt, viduæ maneant. Quid igitur verba illa ſibi volunt? *Adoleſcentiores autem viduas deuita.* Attendamus obſecro, qua cauſa, & quã ob rem. Non enim iſta abſolutè protulit, ſed pro- B 1.Tim.5 greſſus oratione adiunxit: *Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.* Vides non eas, quæ viduitatem ſeruare volunt, ſed quæ poſtquam in viduitatem inciderunt, nubendum ſibi ſtatuunt, ab illo prohiberi, ne viduæ maneant, néve in ſacrum illũ chorum admittantur, idque valde ſapienter. Nam ſi alteri matrimonio illiganda es, neque ſpondere etiam viduitatem debes. Nam poſt promiſſionem mutare ſententiam longè deterius eſt, quã neque omnino promittere. Quemadmodum igitur aſſiduam liberis operam dare permiſit, non quidem legem ſtatuens, ſed ipſis indulgens, ſic enim in- 1.Cor.7 quit, *Hoc autem dico ſecundùm indulgentiam, non ſecundùm imperium propter incontinentiam veſtram:* ita hoc etiam loco grauioris mali metu ſecundum inſtituit matrimonium, oſtendens hoc quoq; indulgentiæ eſſe ad multorum infirmitatem ſeſe accommodantis, ac demittentis. Infirmitatem autem dico non potentiæ, ſed voluntatis, ac propoſiti. C Nam quemadmodum virgo, ſi poſt promiſſam virginitatem ſe violari ſiuerit, facinus adulterio grauius perpetrauit, ita vidua, quæ ſemel promiſit, ſi deinde pactionem cum Deo factam conculcans, eodem crimine ſe polluerit, eidem quoque ſupplicio obnoxia eſt, ac fortè etiam, ſi licet mirum quiddam dicere, longè maiori. Non enim idem eſt, vt initio dicebam, imperitam, atque vſu iam edoctam iiſdẽ ſuccumbere tentationibus. Neque verò hoc loco dumtaxat, ſed etiã paulò poſt, cũ hæc præmiſiſſet, 1.Tim.5 *Volo ergo iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe,* cauſam ſubdit, cur iſtud velit. quæ ea eſt? *Nullam,* inquit, *occaſionem dare aduerſario maledicti gratia.* Nam quoniam veriſimile eſt multas eo tempore viduas poſt viri obitum licentius, magiſque arbitratu ſuo viuere ſolitas, à viri ſocietate, quaſi à neceſſitate quadam, ac dominatu liberas, D ita vt impudentiæ nomine malam de ſe opinionem afferrent, abducens ipſas ab illiberali hac peſtifera libertate, rurſus ad priſtinum iugum adducit. Nam ſi, inquit, futurum eſt, vt viduitatem præ ſe ferens clam fornicetur, ac ſeipſam dedecoret, lõgè ſatius nubere, ac, *nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia.* Quamobrem, ne occaſiones maledicta iaciendi dent, ac vitam meretriciam contumelijſque obnoxiam agant, matrimonium præcipit. Audi quot præterea ſint, quæ ipſis vitio vertat. Nam cùm deberent omne ſuum tempus orationibus, & ſupplicationibus inſtare, iſtæ verò, inquit, *Et otioſa diſcunt circumire domos, non ſolùm otioſa, ſed & verboſa, & curioſa, loquentes quæ non oportet.* Hæc verò ipſi minimè probantur, ſed vult perpetuò affixas eſſe rebus ſpiritualibus. *Nam quæ in delicijs eſt,* inquit, *viuens mortua eſt:* quandoquidem, & virginem ipſam vult bonum hoc ſuum non corporis caſtitate definire, ſed vniuerſum otium ſuum Deo conſecrare, atque illi perpetuò deſeruire. Ita enim ſcribit.

A 1.Cor.7 *Porrò hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis injiciam, ſed ad id, quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbet ſine impedimento dominum obſecrandi.* Non enim ipſam patitur diuiſam eſſe, ſed totam rebus ſpiritualibus, ac cæleſtibus hærere vult, & quæ Domini ſunt curare. Ad eandem vitæ rationem viduam quoque vocat, dicens: 1.Tim.5 *Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperauit in Deum, & inſtat obſecrationibus, & orationibus noctè, & die.* Quando igitur otium, quod in Euangelicis negotijs inſumendum erat, id non modò in rebus ſuperuacuis, atque inutilibus, ſed etiã valde noxijs perpetuò impendunt, idcirco ad matrimoniũ eas rurſus adducit. Nam quemadmodum Iudæis Sabbatum dederat Deus, non vt otiarentur dumtaxat, ac planè ceſſarent, ſed vt ſeſe à turpibus actionibus abſtinerent, ita vidua, & virgo, non vt ſatis habeant viris non miſceri, hanc ſibi deligunt vitam, ſed vt ea, quæ domini ſunt curent, atque ſe totas in Dei cultum conferant. Sit ita ſanè, inquiet aliquis. Verùm intolerabile malum erit, mulierem nullo rerum vſu peritam ea, quæ ad viros pertinent, ſubire cogi, neq; enim ipſa perinde atque ille, tractare atque adminiſtrare res poterit; atq; hinc nihil aliud lucrabitur, quàm moleſtias, ac fortunarum ruinam. Ergo quæcumque à ſecundis nuptijs abhorruerunt, omnia ſua peſſum dederunt, omnia perdiderunt, neque mulierem viduam inuenias, quæ rem ſuam rectè gerat? Tergiuerſationes iſta ſunt, ac prætextus, propriæq; infirmitatis integumenta. Multæ enim præclarius, quã viri, & domum adminiſtrarunt, & filios pupillos educauerunt, & bona, quæ acceperant, partim auxerunt, partim non minuerunt. Nam ab ipſomet initio non omnia viris commiſit Deus; neque ab ipſis ſolis pendere, quæ ad vitam pertinent, voluit; ne ſi mulier nihil ad vitam cõferret, deſpicatui duceretur. Quamobrem id proſpiciens Deus, nõ inferiore illam loco conſtituit; atque id ab ipſomet initio clarum faciens, dixit: *Faciamus ipſi adiutorium.* Geneſ.2 Etenim ne eò quòd ipſe primũ factus eſt, ac per ipſum formata mulier, magnos aduerſus illã ſpiritus vir ſumeret, hoc adiutorij verbo tumorem ipſius compreſſit; oſtendens mũdana negotia nihilo minùs mulieris, quàm viri egere. Quænam igitur iſta ſunt? quibuſque in rebus ad vitam inſtituendam, ac ſuſtentandam nobiſcum mulier ſocietatẽ init? Sanè, quoniam ad præſentis vitæ ſtatum componẽdum non minùs priuata, quàm publica negotia faciunt: hæc diſpertiens Deus, forenſia quidem viris commiſit, domeſtica autem mulieribus: ac ſi munera, officiaque iſta cõmutentur, omnia corruent, ac peribunt. Tantò vterque vtilior altero in ſuo munere obeundo eſt. Igitur, ſi domeſtica ex muliebri ſcientia pendent, atq; iſta in re tantũ viro mulier præſtat, quãtum rudi homini artifex in rebus, in quibus artifex eſt; cur vanum nobis timorem incutimus? Nam peregrè quidem proficiſci, multaque domum apportare, virorum tantummodo eſt; mulieribus autem lucro operam dare, minimè fas eſt; at quæ ſunt apportata cuſtodire, ac tueri, ipſius ſolius eſt. Ac tametſi præſtantius quiddam videatur acquirere, quàm tueri; attamen, ſi hoc abſit, illud quoque inutile, ac vanum. Sæpe verò etiamſi hoc adſit, illud non ſolùm nihil profuit, ſed etiam cuncta euertit. Valde enim difficile eſt, hominem foris negotiantem, atque amplificando patrimonio operam nauantem, iuſtè quæſtum facere. Maiorem enim partem ex alienis iſti calamitatibus creſcunt, ac ſuum negotium gerunt; ſicque mulieris arti, & gubernationi ſæpe officiunt ea, quæ per iniuſtitiam, & vim parta in manus ipſius peruenerunt. Quamobrem & ſi maius aliqua ex parte ſit acquirere, quàm conſeruare; tamen altera ex parte minus eſſe deprehenditur; quando non ſolùm ad bonorum amplificationem nihil confert, ſed etiam perdit iam repoſita. Quid igitur

Digitized by Google

A metuat vidua,ne viri abſentia res domeſticæ deterius ſe habeant; quarum viuente etiam viro ipſa procurationem ſuſceperat? At facilius,inquiet,gubernabat; cùm metu illius nemo reluctaretur, nemo moleſtiam afferret. Nã & famuli,& œconomi, & vicarij, ac reliqui omnes illum metuentes, ad parendum aderant prompti, ac parati; ac nemo erat,qui contradiceret. At eò,quem metuebant è medio ſublato,omnes viduæ mulieri inſultant; in ſuo munere improbè verſantur, confidentes ſunt, atque omnia peruertunt, ac diſſipant. Quòd ſi vlciſci,ac vindictam ſumere velit, vinciens, verberans,in carcerem conijciens;tum verò in multorũ reprehenſionem,criminationem, contumelias incurrit: negari iſta planè non poſſunt. Cæterùm ſi fidem ei qui abijt,datam fregerit,atque illius amorem obliuione deſeuerit, & veſperam, qua ille ad ſe primum acceſſit,& plauſum, & hymenæũ,& faces nuptiales, & primos amplexus, & menſas, & B cætera omnia, quorum vnà cum illo per omne tempus particeps fuit,& verba,quæ à viro magna cum voluptate vxorem audire veriſimile eſt; ſi hæc,inquam, omnia, perinde ac ſi numquam fuiſſent,repente abijciat,atq; alteri viro fores aperiat, ipſumque ad illud cubile admittat, quod prioris illius fuerat, & rerum omnium priorum conſcium eſt; nemóne erit, qui reprehendat? nemo qui criminetur? nemo qui odio proſequatur,ac perfidam, inhumanam, fœdifragam vocet, atque huiuſmodi alijs conuitijs oneret? Non enim ſi beatus Paulus rem iſtam permiſit, propterea laudibus dignam putes, ac quæ multorum reprehenſionem fugiat: pœna tantum,ac ſupplicio caret;laudes quidem,& encomia non eſt, quòd ſe reportare poſſe ſperet. Nam & mollem, atque ad libidinem procliuem eſſe,ac ne ieiunij quidem tempore,aut quouis alio ab vxore abſtinere, longè quidem, & multum à ſupplicio abeſt;non tamen propè eò,vt laudari poſſit, C accedit. nam hæc ipſa permiſſio nihil aliud eſt,quã ſignum magnæ cuiuſdam infirmitatis, ac ſocordiæ. Quamobrem ſi illud times,ne famulis increpandis, ac puniendis audaciæ ſubeas opinionem; illud viciſſim cogites, multò magis pertimeſcendum eſſe, ne tantum mollitiei,libidinis,perfidiæ crimen ſubeas. Præterea verò licebit viduæ meliore quadam ratione rebus ſuis conſulere, vt & magnam partem in tuto illas collocet, & non ſolùm reprehenſionem fugiat, ſed etiam ab omnibus laudetur; quodq́ue præcipuum eſt,mercedes illas,quæ à Deo præbentur,reportet. Nam ſi pecunias in cælo ſibi deponendas cenſuerit, ibique tanquam in Aſylo quodam defodiendas; non ſolùm non minuentur, ſed multis partibus maiores fient. Talis enim eſt huius ſationis natura. Quòd ſi infirmiore animo eſt,quàm vt perfectæ illi legi implendæ par ſit, neD que omnia ſimul eò traijcere vult; illud rurſus cogitet, ſi virum accipiat, non continuò talem accepturam, qui bona amplificet. Quòd ſi enim talis ſit, non ſolam pecuniarum acceſſionem conſiderare cum animo ſuo debebit, ſed illud quoque, fore,vt multis in rebus Deum,atque homines lædere cogatur. Nam ſi ille ex numero potentium, atque opibus abundantium fuerit, multa illam præter ſententiam & facere, & ferre coget. Et quod à viduitate metuebat,id illi nunc multò grauius,& violentius imminebit. Adde euenire facillimè poſſe,vt celerrimam faciat mutationẽ. Nam dum vidua eſt, etiamſi aliquod in bonis detrimentum accipiat;reliqua tamen illi ſalua, atque incolumia manebunt. At potenti viro, & rempublicam, vel aliam quampiam procurationem gerenti, matrimonio iuncta, ſæpe omnia ſimul amittet. Calamitatum enim,quæ viris accidũt, vxores quoque participes ſint oportet. Sed eſto,nihil eiuſmodi accidat;ecqui lucri,dic mihi ſeruitutem libertati anteferre?ecquid vtilitatis diuitiæ afferunt;cùm illis arbitratu ſuo vti minime queat? nónne multò præſtabilius eſt, pauca ita poſſidere,vt illa in poteſtate habeas, quàm omnia, quæ in orbe terrarum ſunt, ea conditione, vt vnà cum illis te quoque alteri ſubijcias? Mitto nunc curas, contumelias, conuitia, zelotypias, inanes ſuſpiciones, dolores patiendi, & reliqua id genus. Hæc enim rectè tunc afferuntur, cùm ad virginem ſermo habetur; quippe quæ rudis, atque imperita eſt huiuſmodi difficultatum: viduæ autem narrata moleſtiam potius afferent. Quæ enim vſu ipſo optimè didicit, ea ſi ipſam verbis docere velis, fruſtra operam ſumas. Neque verò par vtriuſque conditio eſt; ſed magno quodam bono ea,quæ virgo nupſit,viduam excellit. Nam quæ virgo nupſit, multo maiore cum libertate, ac fidentia viro vtetur; quàm, quæ poſt viduitatem. Nam hanc qui acceperit, vt vxorem amare poteſt; vt virginem, non poteſt. Quàm verò amores illi his vehementiores, & magis quodammodo inſani ſint,nemini non exploratum eſt. Viduam enim tanquam viri non omnino inſciam minimè toto animo complectetur, atque amabit. Omnes enim fere homines,vt ita dixerim ſolemus ſiue zelotypia, ſiue inanis gloriæ ſtudio, ſiue neſcio qua alia cauſa adducti, eas res præcipuè in amore habere; quibus, antequam in aliorum poteſtatem venerint, noſtris fruimur, quarumq́ue nos primi ac ſoli Domini ſumus. Id & in veſtimentis vſuuenire facile animaduertas: non enim ea, quibus alij vſi ſunt, æque cara habemus,atque illa quibus nemo. Idem in domo:idem in vaſis: domum enim nobis ab alio traditam, non perinde amamus,atque illam, quam nobis ipſi parauimus. Ac vaſis,quæ nuper facta ſunt, nobiſq́ue primùm vſui fuerunt, valde parcimus, magnumq́ue illis conſeruandis ſtudium impendimus. Quæ autem ab alijs ad nos venerunt, non magnopere in delicijs habemus; ſed adeò auerſamur, vt ſæpe in aliam conuertamus formam. Quòd ſi in domo, in veſte, in vaſis hoc animo ſumus; cogites velim, in vxore,qua nihil hominibus pretioſius eſt,quantò acriùs, ac vehementiùs nos affici conſentaneum ſit. Nam alia quidem nec ijs, qui cupiunt,recuſamus communicare: hanc autem minimè fas eſt;ac citius vitam profunderemus, quàm id ferre animum induceremus. Virginem igitur ſponſam, quemadmodum dicebam, omni animi impetu complectetur; eam verò,quæ alteri priùs conſueuit, non æquè beneuolis, atque amicis oculis aſpiciet. Neque tu mihi, quæ rarò, ac vix ſemel eueniunt, afferas, ſed quæ quotidie in communi vita cernuntur. Neque verò hæ ſolæ cauſæ ſunt, cur illa fidentius agat; verùm etiam aliæ multæ. Nam viduæ quidem maritus facile illi exprobrare poterit,ſe quoque ab illa paruifieri, ac deſpicientiæ indicium proferre infidelitatem, quam erga priorem virum adhibuit; atque ita os illi obſtruere, vt neque de præteritis rebus,neque de ijs,quæ fortaſſe futuræ non ſunt,verbum hiſcere queat. Mortui enim viri contemptus, viuentem quoque, vt idem ſibi expectet,admonebit; falsò fortaſſe, ſed admonebit tamen. Neque verò ille ſolus hæc perpetuò vxori obijciens moleſtus erit, ſed famuli etiam,atque ancillæ,ſi minus palam, certè tacito quodam murmure ſexcẽtis ipſam cõuitijs inceſſunt. Quòd ſi filios impuberes ex priore viro habuerit; quomodo illos educabit, quomodo curabit? Quibus autem pupillis non illi miſerius viuunt, qui paterna omnia in alterius poteſtate videbunt, famulos, domum,prædia,& quod caput omniũ eſt, vxorem? quomodo matris loco ipſam colere illi poterunt? quomodo ipſos illa filiorum loco diligere? quos cũ intuetur,erubeſcat,ac pudore ſuffundatur,neceſſe ſit? quibuſq́ue non omnem impendere maternũ affectũ poteſt,magna animi,atque amoris parte in filios,quos ex altero ſuſcepit,tráſlata? Quid igitur, inquies, ſi valde tenera ætate fuerit, atque exiguo

tempore frui viro potuerit? Quin ad puellas hæc mihi dicta ſunt, non illas, quæ iam ſenuerunt. Nam cum illis, ſi ad nuptias animum adijciant, ne verbum quidem mihi faciendum putem. Scilicet noſtra illis oratio à ſecundo matrimonio abſtinendum perſuaderet; quod neque temporis longinquitas, neque ætas, neque aliud quicquam perſuadere potuit? Sed ad iuuenes omnis mihi eſt inſtituta oratio. Quæris igitur, quid ſi puella, & quæ vno tantùm anno cum priore viro fuerit, alteri nubat? Imò verò, ſi in tam tenera ætate viduitatem ſeruet, habet, vnde ei, quę viginti, trigintáue annos in matrimonio vixit, præferatur, pluſque honoris reportet. Non hoc meum eſt, ſed B. Pauli. Ille enim eſt,
1. Cor. 7. qui inquit: *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit.* Cæteroqui, tametſi illa diu cum viro vixit; tamē cum vno, eodem, ac ſolo, quemque ab initio accepit: hæc au-
B tem duobus ſeipſam dedit, idque intra breue tempus. At non voluntate ſua, inquit: nam ſi prior viueret, vnum illum amaret, præterea neminem. Nunc quando ille citius, quàm oportuit, diē obijt; neceſſariò alterum quærere matrimoniū cogitur. Sed qualis eſt hæc neceſſitas? Ego enim hac, quam affers, aliam longè maiorem mihi videre videor, quæ ipſam mortuo viro conſeruare ſufficiat; nimirum guſtando percepiſſe, quantum amari inſit in
Simile. rebus mundanis. Nam, quæ in ipſis perdiu verſata eſt, & callum obduxit, ad eaſdem rurſus ſe cōferet, quaſi ſimiles inuentura. Quæ autem principia ipſa adeò moleſta experta eſt; quid ſibi volens, aut ſperans, earum, quæ poſthac maiores ſuperſunt, moleſtiarum periculum faciet? Nam quemadmodum is, qui ad mercaturam animum appulit, ſi antequā quicquam lucri faciat, ſimul ac e portu exijt, naufragium fecit; facilè, opinor, omnem poſthac negotiandi cogitationem abijciet; ita conſentaneum
C eſt, hanc multa ſibi è matrimonio iucunda pollicentem; verùm antequam ad ea bene percipienda peruenire queat, tantum incōmodorum, ac luctus deprehendentem, rerum humanarum amorem, niſi valde ſit intemperans, depoſituram. Quinetiā ſi valde ijs afficiatur, atque inhiet, principij tamen iniucunditas ſatis idonea eſt, quæ omnem extinguat cupiditatem. Tunc enim in ijs, quæ ſuſcepimus, potiſſimùm perſeuerare conſueuimus, cum principia ipſa ex ſententia proceſſerint: quòd ſi ab initio, atque ab ipſis, vt ita dixerim, carceribus in moleſtias ac difficultates incurrimus; ſtatim cupiditas deferuet, ac totum negotium deponimus. Quamobrem, quarum immatura viduitas eſt, has mihi alterum matrimonium facilius repudiaturas veriſimile videtur; ne eadem rurſus perpetiantur. Nam quæ ſeruat viduitatem, in tuto ſe collocabit; nec ſimilem poſthac luctum timebit: quod ſanè facere illa cogetur, quæ ſecundò matrimonium cōtraxit. Huc accedit eandem quidem eſſe viduita-
A tem; non tamen eandem omnibus viduis propoſitam eſſe mercedem, ſed vni ampliorem, alteri parciorem. Quæ enim ab adoleſcentia iugum ſuſceperunt, multò maiore honore potientur, atque amplioribus muneribus: quæ autem in ipſa iam ſenectute, non æque, atque illæ. Quid ita? quòd illa quidem, cùm multa obſtarent, ob Dei timorem omnia ſibi perferenda duxit; huic autem nullo ſudore, ac labore opus fuit: quis enim labor, vbi nullus aduerſarius, nihil quod vim afferat? Quemadmodum igitur, quæ ſeipſam alteri viro dedit, ei, quæ vnicū agnouit, concedat oportet; ita quæ in ipſomet ætatis flore in viduitate perſeuerat, longo interuallo eam, quæ in ſenectute virum amiſit, anteibit. Atqui vtraque vnum habuit virū; ſed hæc tamen ipſum caſtitatis curriculum confecit, illa verò longo abeſt interuallo. Igitur non ad laborem ſolùm, ſed
B etiam ad mercedem fac ſpectes. Sic pleraque virtutum officia difficilia nobis videntur, cùm ſudores, atque ærumnas, quæ ſubeundæ ſunt, aſſiduè animo verſamus, neque propoſita illis præmia animaduertimus. Quod minimè faciendum eſt, ſed circūſpectis ſimul laboribus, ac præmijs, ſumma ſubducenda. Tunc enim, quemadmodum vere ſunt, ita à nobis perfacilia iudicabuntur. Ita qui in bello Simile.
præclarè ſe gerit, non vulnera duntaxat, prolapſioneſque, ac mortē, ſed etiam trophæa, victorias, cæteroſque honores omnes reputans, rationibus bene ſubductis, in aciem fortiter deſcendit. Sic agricola non ſolùm laborem, qui arando, ac fodiendo ſumendus eſt, ſed etiam aream, ac torcularia ſibi ob os atque oculos proponens alacriter opera ſua vrget. Itidem igitur, & nos ſpe bona ærumnam viduitatis leuem reddemus; atque eò magis nos quàm illi, quò illis quidem multa ſæpe
C ex ijs, quæ in ipſis ſita non erant, expectationem præciderunt. Noſtras autem ſpes nemo eſt, qui fallat; niſi voluntas noſtra acceſſerit. Quæ vtinā non accedat; ſed illud nobiſcum cogitantes, viduam à virgine non procul abeſſe; vſu etiam interdū venire, vt illam antecellat, nimirum, cùm virgo negotijs ſe implicarit: vidua autem ex Pauli ſententia deſolata, & in Deo ſpem ponens inſtiterit obſecrationibus, & orationibus, atque ab huius vitę negotijs abſtinuerit; in arenam hanc deſcendamus; vt quæ inde nos manent præmia, conſequamur. Hæc, non quò neceſſaria iudicaremus, attulimus; aut quò illas, quæ in viduitate permanere nolunt, condemnaremus; ſed hoc vnum cohortatione, admonitioneque noſtra agentes, vt ne terræ perpetuò affixæ hærere velint, ſed ſemel ſolutæ in libertate maneant, ad cælum aſpirent, cæleſtem viuendi rationem exhibeant, ac iunctæ Chriſto, ea omnia præſtent, quæ tanti ſponſi compotes decent.

DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI, EPISTOLARVM LIBER.

Interprete Iacobo Billio Prunæo, S. Michaëlis in eremo Abbate.

CANDIDO LECTORI S.

QVOD D. *Ioannem Chryſoſtomum hoc Epiſtolarum libro nunc primùm auctiorem habes, optime Lector, id eruditiſſimo viro Iacobo Cuiacio debes, qui pro ſumma ſua humanitate, atque in Rempublicam literariam ſtudio, benignè mihi codicem Græcum commodauit. Etſi autem in his epiſtolis multæ ſunt eiuſdem argumenti, quæ fortaſſe propterea nonnihil faſtidij naſuto lectori parere poſſint, aliarum tamen, & præſertim earum, quæ ad Olympiadem ſcriptæ ſunt, vtilitas hoc, quicquid eſt moleſtia, facilè, vt ſpero, compenſabit. Tu opellam noſtram boni conſulas velim, ac pro mea ſalute ad Deum preces fundas. Valè.*

DOMINÆ MEÆ SVMMOPERE VENERANDÆ, AC DEO CHARIſſimæ Olympiadi, Diaconiſſæ, Ioannes Epiſcopus ſalutem in Domino.

EPISTOLA I.

Conſolatur hanc dolentem de perſecutione Eccleſiæ.

AGE verò, mœſtitiæ tuæ hulcus rurſum velut adhibitis fomentis mitigabo, atque cogitationes eas, quæ hanc nubem cogunt, diſcutiam. Quid enim eſt, quod animum tuum perturbat? An quòd ſæua & caliginoſa eſt hæc tempeſtas, quæ Eccleſias occupauit, cunctaque in obſcuriſſimam noctem commutauit, atque & in dies augetur, & acerba quædam naufragia parturit, orbiſque terrarum interitus ingraueſcit? Id quidem ipſe quoque perſpectum & exploratũ habeo, nec quiſpiam eſt qui inficias ire queat. Ac, ſi ita voluntas tua fert, eorum etiam quæ fiunt, imaginem ac ſimulachrum quoddam effingam, quò clariorem magiſque perſpicuam tibi tragœdiam reddam. Mare furore percitum intueor, atque ab imis vſque gurgitibus vndique reuulſum, nautas mortuos ſumma vnda natantes, alios peſſum euntes, nauium tabulas diſſolutas, perrupta & lacerata vela, malos effractos, remos è nautarum manibus elapſos, naucleros gubernaculorum loco ſtragulis inſidentes, manus genibus innectentes, ac præ tempeſtatis atrocitate in eam conſilij inopiam redactos, vt tantummodo lugeant, ac gemitus & eiulatus edant: non cælum, non mare in oculos incurrens, ſed denſas atque obſcuras tenebras, caliginemque tantam, vt ne propinquos quidem perſpicere ſinat: Ingentem denique fluctuũ ſonitum, ac marinas belluas in eos, qui nauigant, omni ex parte impetum facientes. Imò verò quouſque id perſequimur, quod conſequi nõ poſſumus? Quamcunq; enim præſentium calamitatũ effigiem exquiram, oratio noſtra malorum magnitudine ſuperata, pedem refert. Cæterùm, etiã ſi hæc mihi minimè ignota ſunt, tamen meliorum rerum ſpem haudquaquam deſpondeo: nimirum huiuſce vniuerſitatis gubernatorem ante animum proponens, qui non arte atque induſtria tempeſtatẽ ſuperat, verùm nutu ſolo procellam frangit. Quòd

A ſi id haud primùm ac ſtatim facit, hęc ſcilicet ipſius conſuetudo eſt, vt rerum acerbitates non in principio extinguat, verùm cùm creuerint atque ad finem extremum peruenerint, iamque ſpes omnis à permultis abiecta ſit, tũ denique mira atque ab hominum opinione aliena facinora edere ſoleat; nimirum & vim ſuam oſtendens, & eorum, qui in calamitates incidunt, patientiã exercens. Quamobrẽ ne animũ deijcias. Etenim vna duntaxat res grauis ac pertimeſcenda eſt, ô Olympias, vna tentatio, nempe peccatũ, atque hoc verbum nunquam tibi occinere deſtiti. Reliqua autẽ omnia, mera fabula, ſiue inſidias dixeris, ſiue inimicitias, ſiue fraudes, ſiue calumnias, ſiue maledicta, ſiue accuſationes, ſiue bonorũ proſcriptiones, ſiue exilia, ſiue gladios præacutos, ſiue mare, ſiue totius terrarũ orbis bellum. Nam quæcunque tandẽ hæc omnia ſint, certè temporaria & caduca ſunt, atque in mortali corpore exiſtunt, nec prudenti & experrectæ animæ detrimentũ afferunt. B Quocirca etiã beatus Paulus, & iucunditatum, & moleſtiarũ huius vitæ imbecillitatem demonſtrare ſtudens, vnico vocabulo id prorſus indicauit, cùm ita locutus eſt, *Quæ enim videtur, temporalia ſunt*. Quid igitur ea, quæ tẽporaria ſunt, ac fluminũ inſtar fluunt, extimeſcis? Huiuſmodi quippe ſunt res præſentes, tam lætæ, quã moleſtæ. Quin alter quoq; Propheta humanã omnem felicitatẽ, ne fœno quidem, verũ alteri viliori materiæ cõparauit, eam videlicet vniuerſam fœni florẽ appellãs. Neque enim ipſius dumtaxat partem quandã poſuit, vt opes tantũ, aut luxum ac delicias, aut potẽtiam, aut honores: verũ omnia ea, quæ apud mortales præclara & ſplendida eſſe vidẽtur; vnico glorię vocabulo complexus, ita demũ ſubiunxit fœni ſimulachrum, dicens, *Omnis gloria hominis tanquam flos* C *fœni*. At, inquis, grauis & acerba res eſt aduerſitas? At vide quemadmodũ hæc quoque cum alia imagine conferatur: ſicque hanc etiam contemne. Siquidem conuitia & cõtumelias, ac probra, & offendicula ea, quæ ab inimicis obijciuntur, & inſidias, indumento vetuſtate cõſumpro, ac lanæ iam exeſæ cõparans, his verbis vtebatur, *Nolite timere opprobriũ hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanã, ſic deuorabit eos tinea*. Quamobrem nihil eorũ, quæ accidũt animũ tuum conturbet; verũ alium atq; alium rogare ſuperſedens, & vmbras circũire (neque enim aliud eſt humanum auxiliũ) Ieſum, quem colis, ſine vlla intermiſſione obſecra, vt vel ſolùm annuat: atque

Nihil graue præter peccatũ.

2. Cor. 4.

Eſai. 40.

Eſai. 51.

omnia vnico terræ momento dilabentur. Quod ſi obſecraſti, nec tamen malũ depulſum eſt, id ſcilicet Deo vſitatũ ac familiare, vt nõ ſtatim (vt quod ſuperiùs dixi, repetã, acerbitates extinguat, ſed cũ eæ intumuerint atq; auctæ fuerint, ijque qui bellũ inferunt nihil ferè ad omnem improbitatem ſibi reliqui fecerint, tũ denique omnia in tranquillum repente mutet, atque in inopinatos quoſdam rerũ ſtatus ea adducat. Neq; enim dumtaxat bona efficere poteſt, quot expectamus ac ſpe concipimus: verùm multò plura, atque infinitis partibus maiora. Ob idque etiam Paulus dicebat; *Ei autem, qui potens eſt facere ſuperabundanter quàm petimus aut cogitamus.* Quid enim? An non ſtatim prohibere poterat ne tres pueri in tentationem laberentur? Verùm id minimè facere voluit, vt ingentem ipſis quæſtũ conciliaret. Eaq; de cauſa eos in barbarorũ quoq; manus cadere paſſus eſt, ac fornacem in incredibilem quandam altitudinẽ accendi, regiamque iracundiam fornace atrocius inflammari, eoſq; manibus ac pedibus arctiſſimè vinciri, atque in ignem præcipites dari. Cùm autem omnes, qui eos ſpectabant, eorum ſalutem pro deplorata habuiſſent, tũ demum ſubitò ac præter ſpem omnẽ ſeſe exeruit præſtantiſſimi artificis Dei in miraculis edendis facultas, atque eximium quendam in modũ emicuit. Siquidem ignis vinciebatur: qui autem catenis vincti erant, ſoluebantur. Ac fornax in templum, & fontem ac rorem mutabatur, regiaque aula magnificentior auguſtiorque reddebatur: naturamque illam edaciſſimam, ac ferrum etiam, & lapides, atq; omnem denique materiam ſuperantem, crinium natura vincebat. Atque modulatiſſimus ſanctorũ illorum chorus ſtabat, vtraſque res cõditas ad mirificum hunc concentum inuitans: hymnoſq; ad grati animi ſignificationem ad Deum tranſmittebant, quòd videlicet vinculis cõſtricti, quòd (quantum quidem in hoſtibus fuerat) exuſti, quòd patrijs ſedibus exturbati, quòd captiui abducti, quòd libertate ſpoliati fuiſſent, quòd vrbibus, quòd domibus carerẽt, extorreſq; extitiſſent, quòd denique in aliena & barbara terra degerent. Hoc enim probi, ac grati animi eſt. Poſteaquam autem, & hoſtium improbitas partibus omnibus abſoluta fuit (quid enim vltra mortem iam conari poterant?) & pugilum virtus expleta eſt, atque etiam cõtexta corona, & præmia ipſis collecta ſunt, nec iam ad gloriã nominiſque ſplendorem quidquam reſtabat, tum demum ſcilicet mala depelluntur, & qui fornacem accenderat, eoſque tam graui ſupplicio addixerat, idẽ ſanctos illos pugiles mirificis laudibus effert, ac miraculum à Deo editum prædicat, literaſque ingenti laude confertas quoquo gẽtium mittit, ea; quæ acciderant commemorans, atque idoneum fide dignum diuinorum miraculorum præconem ſe præbens. Nam quoniã inimicus & hoſtis ipſe erat, idcirco iam apud hoſtes etiam ab omni ſuſpicione remota erant quæ ſcribebantur. Vidiſti Dei ſolertiam? Vidiſti ſapientiam? Vidiſti quid præter hominum opinionem patrarit? Vidiſti benignitatem & curã? Proinde ne commouearis ac perturberis: verùm pro omnibus rebus cõſtanter ipſi gratias age, eumq; lauda, roga, ſupplexque obſecra. Atque vt ſexcẽti tumultus, ſexcentæ perturbationes ac procellæ ingruant, cunctaq; tibi ob oculos verſentur, nihil tamen horũ te perturbet. Neq; enim Dominus rerum difficultate anteuertitur, etiãſi alioqui omnia in extremã perniciem deuoluta ſint. Poteſt quippe ipſe, & iacentes excitare, & errantes in viã reuocare, & eos, qui offendiculum paſſi ſunt, corrigere, & eos, qui innumeris peccatis cooperti ſunt, liberare ac probos efficere, & extinctos vita donare, & quæ diruta ſunt, maiorẽ ſplendorẽ comparare, & quæ vetuſtatem cõtraxerũt, renouare. Nã cũ hoc efficiat, vt quæ non erant, oriantur, & ijs quæ nuſquam omnino cernebãtur, vt ſint, afferat, multò ſanè magis ea, quæ ſunt, quæ facta ſunt, emẽdabit. At multi ſunt qui pereant, multi quibus ſcãdalum inferatur? Credo, ſed multa huiuſmodi ſæpe quoq; iam contigerũt, quæ tamẽ poſtea eã, quã par erat, medicinã cõſecuta ſunt: niſi qui fortaſſè mutatis etiam rebus, in incurabili morbo pertinaciter hæſerunt. Quid autẽ eo nomine perturbatione afficeris, animumq; deijcis, quòd ille eiectus ſit, ille contrà introductus? Chriſtus in crucem agebatur, ac Barrabas latro poſcebatur. Atq; corruptum vulgus ſicarium potiùs, quàm ſalutis vindicẽ, ac tot beneficiorum authorem conſeruandũ eſſe clamabat. Quot hominibus hęc offenſionem attuliſſe, quot hominibus exitium inuexiſſe exiſtimas? Imò verò mihi faciendum eſt vt ſermonem altius repetam. An non is, qui cruci affixus eſt, ſtatim vt in lucẽ prodijt, ſolum vertit, atque cum vniuerſa domo ab ipſis incunabulis in exteram terram fugitiuus migrauit, in barbarorum ſcilicet regionem, tam longo itineris interuallo diſtantem abductus? Qua quidem ex cauſa ingens etiã vis cruoris profuſa eſt, cædeſque & mactationes extiterunt, teneraque omnis ætas, non ſecus atque in prælio & acie cõcidebatur, infanteſque à mammillis auulſi trucidabantur, cumque lac adhuc in faucibus haberent, eorum in iugulo & collo ferrũ adigebatur. Quid hac tragœdia grauius acerbiuſque fingi poteſt? Atq; hæc ab eo perpetrabantur, qui ipſum ad necem quærebat. Et tamen Deus pro ſua lenitate, cùm tam tragicũ ſcelus deſignaretur, tantaq; vis cruoris flueret, id patiebatur, id inquã, cùm prohibere poſſet, patiebatur, arcana nimirum ſapientia tãtam animi æquitatem ac lenitatem præ ſe ferẽs. Poſteaquam autem è barbarorum regione in patriam redijt, atque ætate auctus eſt, bellum vndiq; aduerſus eum excitabatur. Ac primùm Ioãnis diſcipuli liuore concitabantur, ipſique inuidebant (tametſi alioqui Ioannes ipſum coleret & obſeruaret) atque his verbis vtebantur. *Qui erat tecum trans Iordanem, ecce ipſe baptizat, & omnes eum ſequuntur.* Hæc enim verba hominum erant, qui iam nonnihil pungerentur, inuidiaque tangerentur, atq; huius affectus tabe laborarent. Ob eamque cauſam vnus etiam ex diſcipulis, qui hanc orationem habuerant, cum Iudæo quodam contendebat ac decertabat, diſputationem de purificationibus mouens, ac baptiſmum Ioannis cum baptiſmo diſcipulorum Chriſti conferens. Facta eſt enim, inquit ille, ex diſcipulis Ioannis cum Iudæo quodã quæſtio de purificatione. Vt autem miracula edere cœpit, quot calumnijs appetitus eſt? Alij enim Samaritanum eum, & arreptitium appellabant, his verbis: *Samaritanus es tu, & dæmonium habes.* Alij impoſtorem, dicentes: Hic non eſt ex Deo, ſed ſeducit turbã. Alij præſtigiatorem, his verbis vtẽtes: In *Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* Ac ſubinde hæc repetebant, Deique hoſtem, & helluonem, ac voracẽ, & vino deditum, atque improborum ac perditorum hominum amicum eum vocabãt. *Venit enim*, inquit, *filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Quinetiam cùm ipſe cũ ſcorto colloqueretur, falſum prophetam eum nuncupabãt. *Si enim propheta eſſet*, inquiebant, *ſciret quæ & qualis eſt hæc mulier*, quæ loquitur ad eum. Denique quotidie aduerſus eum dẽtes acuebãt. Nec verò Iudæi dũtaxat ad hunc modum eum bello laceſſebant. Nã ne ij quidem, qui ipſius fratres eſſe credebantur, ſyncero erga eum animo erant, verùm à propinquis ipſis bellum in eũ mouebatur. Perſpice quippe, ex his quæ Euãgeliſta poſtea ſubijciebat, quẽadmodum ipſi quoq; deprauati atq; corrupti erãt. Neq; enim *ipſius fratres credebant in eum.* Porrò quoniã multos offenſos fuiſſe, atq; à recta via aberraſſe cõmemoras, quot quæſo diſcipulos fuiſſe putas, qui crucis tempore offenſi ac prolapſi ſint? Vnus

Dei conſuetudo, eſt non ſtatim tollere afflictiones.

Epheſ. 3.

Dan. 3.

Math. 27

Ioan. 3.

Ioan. 8.

Ibid. 7.

Math. 11

Luc. 7.

Ioan 7.

Math 27.

Digitized by Google

prodidit, alij in fugam ſe contulerunt, alius abiu-
rauit:cumq; omnes ſeceſſiſſent,ſolus ipſe vinctus
ducebatur. Quot igitur homines tibi fuiſſe viden-
tur,qui cũ non ita pridẽ eũ res miras efficientem,
mortuos excitantẽ,leproſos purgantem,dæmones
expellentẽ,panes fontis inſtar ſcaturientẽ, ac de-
niq; alia miracula perpetrantẽ vidiſſent,eo tẽpore
offenſos fuiſſe,cùm eũ ſolũ abduci,ac vinctum te-
neri conſpicerẽt, vilibus & abiectis militibus eum
cingẽtibus, Iudaicisq; ſacerdotibus à tergo ſequẽ-
tibus ac tumultuantibus;atq; hoſtes omnes ſolum
eum ſibi hærentẽ in medio habẽtes,præſentemq;,
ac tum inſolenter ſe offerentẽ proditorem? Quid,
cùm flagris cæderetur? Veriſimile enim eſt infinitã
multitudinem affuiſſe.Erat quippe feſtum perillu-
ſtre,quod omnes congregabat:& metropolis erat,
quæ nefarij ſceleris tragœdiam exceperat;& meri-
diano tẽpore res gerebatur. Quot igitur mortales
tunc affuiſſe exiſtimas, qui cùm eum vinctum, fla-
gris affectum,cruore ſtillantem, atque ad præfecti
tribunal cauſam dicẽtem, nec diſcipulorum quẽ-
quam præſentẽ cernerẽt,animis offenſi ſint? Quid
cũ varijs eũ,& continuis cauillis inceſſebant,atque
nunc eũ ſpinea corona donabant,nunc chlamydẽ
ipſi imponebant,nunc calamum in manum dabãt,
nunc ad terram abiecti eum adorabant, nullũ de-
nique irriſionis ac ludibrij genus prætermittebãt?
Quot homines offenſos,atque agitatos & pertur-
batos fuiſſe arbitraris, cùm in malam cum ferie-
Luc. 22. bant,atq; his verbis vtebantur, *Propbetiza nobis Chri-
ſte,quis eſt qui te percuſſit?* atque ipſum huc & illuc
ducebant,totum diem in cauillis & conuitijs,in lu-
dibrio & riſu conſumentes,idque in medio Iudęo-
rum theatro? Quid, cùm Pontificis ſeruus alapam
ipſi impingeret? Quid, cùm latrones ipſius veſti-
menta inter ſe partirẽtur? Quid,cùm nudus acver-
berum notas in tergo inuſtas gerens, ad crucẽ ab-
duceretur,atque in crucem tolleretur? Nam ne tũ
quidem immanes illæ feræ moliebantur, verũ ma-
iori etiam furore præcipites ferebantur, tragœdia-
que ingraueſcebat, ac ludibria creſcebant. Alij
Math. 27 enim dicebant: *Vah,qui deſtruis templum Dei, & in tri-
duo readificas illud.* Alij item: *Alios ſaluos fecit: ſeipſum
non poteſt ſaluum facere.* Alij rurſum: *Si filius Dei es, deſ-
cende de cruce,& credimus tibi.* Quid,cùm ſpongiã,fel,
& acetum potionis cauſa offerentes,per ſummam
contumeliam ipſi inſultabant. Quid,cùm latrones
maledictis eum proſcindebant? Quid horrendum
illud maximeque nefarium ſcelus, (quod etiam à
me iam antè commemoratum eſt) nempe cùm la-
tronem illum ac parietum effractorẽ,innumeriſq;
cædibus coopertum,digniorem, quàm ipſum eſſe
dicebant,quem petitione ſua ſupplicio eximerẽt:
dataque à Iudice optione, Barrabam prætulerunt:
nimirũ non Chriſtum duntaxat cruce afficere,ſed
etiã improbam famam ipſi inurere cupiẽtes? Hinc
enim ſe illud probare poſſe ſtatuebãt,quòd latro-
ne quoq; ſceleratior eſſet,tantiſq; flagitijs deuin-
ctus,vt,nec miſericordia,nec feſti dignitas ſalutem
ipſi afferre poſſet. Huc enim actiones omnes ſuas
referebãt,vt ipſius exiſtimationẽ & famam tradu-
cerent.Eaq; de cauſa duos etiã latrones vnà cum
ipſo cruci affixerunt. At veritas nõ modò propter-
ea nõ obſcurabatur:verũ etiam ſpendidiùs eluce-
bat. Adhæc etiã affectatæ tyrannidis eum inſimu-
Ioan. 19. labant,his verbis; *Quicumque ſe regem facit,contradicit
Caſari:* tyrannidis videlicet eum arceſſentes, qui,
vbi caput reclinaret,non habebat. Quid blaſphe-
miã quoque ipſi per calumniam obijciebant, Pon-
Math. 26. tifex enim ſcidit veſtimenta ſua, dicẽs: *Blaſphema-
uit: quid adhuc egemus teſtibus?* Quid mors ipſius? Nõ-
ne violenta:nonne capitalis noxæ conuictorum?
nõne execrandæ improbitatis hominũ? nõne tur-
piſſima? nonne eorum,qui grauiſſimis flagitijs ſeſe
obſtrinxiſſent,ac ne digni quidẽ eſſent,qui in terra
extremum vitæ ſpiritum emitterent? Quid ſepul-

A turæ genus? An non beneficij gratiæque loco ipſi
præſtatur? Accedens enim quiſpiã, corpus petijt.
Adeóne ex propinquis quidẽ, nec ex ijs, quos be-
neficijs affecerat, nec ex diſcipulis, nec ex ijs, qui
tantã ab eo fiduciã ac ſalutẽ obtinuerant, quiſquã
erat,qui eũ ſepulturæ mãdaret:quòd videlicet om-
nes euanuiſſent,omnes profugiſſent. Iã ſiniſtra ea
& improba fama, quam per reſurrectionẽ ſtruxe-
rant,dicentes, *Venerunt diſcipuli eius, & furati ſunt eũ,* Math. 28
quã multis offenſioni fuit? quàm multos in fraudẽ
impulit? Siquidẽ hic ſermo,quamquã falſus,ac pre-
tio emptus,tũ valuit. Valuit inquã apud nõnullos.
poſt ſigilla,poſt tantã veritatis perſpicuitatẽ. Neq;
enim promiſcuũ vulgus reſurrectionis doctrinam
norat.Nec mirum,cũ ne ipſi quidem diſcipuli eam
noſſent.Neq; enim,inquit ille, diſcipuli eius ſcie-
bant, *quòd oporteret eum à mortuis reſurgere.* Quã mul- Ioan. 20.
tos igitur illis diebus fuiſſe putas, qui offenſi ſint?
Et tamen Deus pro ſua lenitate id ferebat, arcana
ſua ſapientia omnia adminiſtrans. Deinde poſt eos
B dies diſcipuli rurſum latitãtes, fugati,metu perter-
riti,trementes,ac de loco in locũ ſubinde migrã-
tes, ſeſe occultabant : atque quinquageſimo pòſt
die,cũ ſeſe conſpiciẽdos præbere ac miracula ede-
re cœpiſſent,ne ſic quidem tamen hoc conſecuti
ſunt,vt nihil ipſis metuendum eſſet. Etenim poſt
ſigna illa edita,infinita ſcãdala inter imbecilliores
exiſtebãt: quòd videlicet Eccleſia turbaretur, ipſi
virgis cæderẽtur ac vexarentur, hoſtes permultis
locis ſuperiores eſſent,ac tumultus cierent. Nã cũ
ingentẽ ob miracula fiduciam loquendique liber-
tatem adepti fuiſſent,tunc rurſum Stephani mors
grauẽ perſecutionẽ accerſiuit, omnéſq; diſperſit,
atq; eccleſiã in tumultũ & perturbationẽ coniecit:
rurſumque Diſcipuli in metu,rurſum in fuga,rur-
ſum in ſumma ſollicitudine atque angore verſari
cæperunt. At ſic quoq; tamen Eccleſię res ſemper
augebãtur,ac per miracula vigebãt: quæq; minus
læta principia habuerãt,iucũdos exitus habebant.
C Vnus enim per feneſtram demittebatur, ſicque è
præfecti manibus elapſus eſt. Aliũ angelus excita- 2. Cor. 11
uit,ſicq; vinculis liberauit. Alios rurſum ab ijs,qui Act. 12.
opibus ac potẽtia florebãt,vexatos & exagitatos,
circunforanei homines atq; opifices omni officij
genere cõplectebantur,purpurarięq; itẽ mulieres,
ac tentoriorũ artifices,& coriarij,in extremis vrbiũ
receſſibus atq; ad littus & mare habitãtes. Perſæpe
etiã ne in medijs quidẽ vrbibus ora ſua oſtentare
audebãt. Aut ſi audebant,hoſpites certè eos exci-
pere haudquaquã audebant. Atq; ad hunc modũ
per tentationes,& animorum recreationes nego-
tia texebantur:& qui non multò antè offenſi fue-
rant,poſtea ſanabantur:& qui aberrauerant,in viã
reducebantur:& quæ proſtrata ac ſolo ęquata fue-
D rat,præclariùs & magnificentiùs inſtaurabantur.
Ob eamq; cauſam cùm Paulus precibus contẽdiſ-
ſet,vt per quietẽ ſolam animiq; relaxationem Euã-
gelium progrederetur,ſapientiſſimus ac ſolertiſſi-
mus Deus Diſcipulo morem minimè geſſit, nec,
cùm ſæpe rogaretur,precibus ipſius ceſsit, verùm
his verbis vſus eſt, *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim* 2. Cor. 12
mea in infirmitate perficitur. Nam ſi vnà cum moleſtijs
lætos quoque ſucceſſus ſubducere volueris,ſi non
multa ſigna & miracula,at multas tamen res mira-
culis non diſsimiles conſpicies, quæ quidẽ ingẽtis
Dei prouidentiæ atque auxilij perſpicuo argumẽ-
to ſint. Verùm ne omnia nullo cum labore à no-
bis audias,hanc tibi partem relinquo,vt accuratè
ac diligenter cuncta colligas, atq; cum rebus mo-
leſtis & acerbis conferas , ſicque præclara occu-
patione animũ diſtinens,teipſam à mœſtitia & an-
gore auoces. Hinc enim maximam conſolationem
percipies. Tu velim vniuerſæ tuę benedictę domui
plurimam à me ſalutem dicas. Faxit Deus vt & fir-
ma corporis valetudine,& læto atque hilari animo
ſemper ſis, Domina mea ſummopere veneranda.

Eidem Epiſtola I I.

Eſt eiuſdem argumenti cũ precedẽti epiſtola, & à multis virtutibus eam laudat.

QVamquam epiſtola ea, quam nuper ad te miſi ad doloris tui tumorem comprimendum abunde ſufficiebat: tamen quia mœroris acerbitas maiorem in modum te afflixit atque confecit, idcirco neceſſe mihi eſſe exiſtimaui alteram quoque epiſtolam ſuperiori adiungere, quò tu copioſam & vberem conſolationem percipias, ac iam valetudo tua in tuto verſetur. Agè igitur, aliunde quoq; puluerem eum, quem ex animi mœrore contraxiſti, diſcutiamus. Siquidem eum ex vlcere, grauiſſimiſque tumoribus in puluerem conuerſum eſſe exiſtimo. Verùm ne ſic quidem valetudinis tuæ cura deſerenda eſt. Etenim puluis quoque, niſi quis eum ſummo ſtudio propellat, parti omnium præſtãtiſſimæ labem exitium affert, pupillæ nimirum perſpicuitatem inficiens, ac totum mœrentis oculũ turbans. Ne igitur hoc quoque hîc accidat, mali reliquias ſumma cura & ſtudio euellamus. At tu quoque te erige, manumque nobis præbe. Nam quemadmodũ in ijs, qui ægro corpore ſunt, euenire ſolet, vt ſi medici quidẽ ea, quæ muneris ſui ſunt, præſtent, illi autem partes ſuas minimè expleant, ſanitatis lucrum interrumpatur: eodẽ modo in anima quoque res ſeſe habere conſueuit. Quamobrẽ ne hoc accidat, pro ea prudentia, quæ abs tè poſtulatur, da operã, vt tuas quoq; partes obeas: quò vtraque ex parte ingens vtilitas oriatur. At cupio quidẽ iſt ud, fortaſſe dictura es, verũ nequeo, nec, quãuis etiam magnam contentionem adhibens, dẽſæ tamen atq; atræ mœroris nubi propulſandæ par ſum. Meræ excuſationes, ac meri prætextus iſta ſunt. Quod enim piæ tuæ animæ robur, quæ prudẽtiæ magnitudo, quæ ſapientiæ vis ſit, exploratũ habeo: quodq; ſat tibi ſit furẽnti huic mœſtitiæ mari vel duntaxat imperare, vt tranquilla omnia reddantur. Verùm quò id faciliùs conſequi poſſis, ea quoq;, quæ noſtrarum partium ſunt, conferamus. Quãnam igitur ratione id efficere poteris? Nempe ſi & ea omnia, quæ ſuperiore epiſtola continentur, tecum conſideres (ſiquidem multa à me, quæ ad hoc argumentum ſpectent, in ea commemorata ſunt) ac præterea hoc agas, quod tibi nunc ego impero. Quidnam autem hoc eſt? Cum ad te allatum fuerit, Eccleſiarum aliam peſſum iſſe, aliam tempeſtate iactari, aliam ſæuis fluctibus obrui, alias etiã grauiſſimis cladibus affici, quippe quæ vel partim lupum pro paſtore, vel prædonẽ pro gubernatore, vel carnificẽ pro medico acceperint, doleas quidẽ licet (neque enim hæc ſine doloris ſenſu ferre oportet) verùm ita doleas, vt modum dolori imponas. Nam cùm in ijs rebus, in quibus ipſi peccamus, & de quibus rationes reddituri ſumus, minimè neceſſarium ac tutum ſit, verùm perquam funeſtum ac peſtiferum, nimis vehementer diſcruciari: quãtò magis ſuperuacaneum & vanum eſt, imò Satanicum atque animæ exitioſum pro alienis ſceleribus animo frangi ac debilitari? Atque vt hęc ita eſſe intelligas, veterẽ tibi hiſtoriam narrabo, Vir quidam Corinthius, ſacroſancta vnda tinctus, ac per baptiſmi ſacramentum luſtratus, tremendæq; etiam mẽſæ adhibitus, atque, vt ſummatim dicam, omnium religionis noſtræ myſteriorum particeps factus, ac præterea, vt plerique aiunt, magiſtri munere fungens, poſt ſacram illam initiationem, poſt arcana illa bona ad quæ admiſſus fuerat, poſt primos dignitatis gradus quos in Eccleſia obtinuerat, in grauiſſimum crimen incidit. Nam cùm patris vxorem ſceleratis oculis conſpexiſſet, non in hac improba & nefaria cupiditate gradum fixit, verùm etiã impudicam voluntatem in opus perduxit. Atq; hoc ſcelus non modò ſtuprum erat, ſed etiam adulterium, imò adulterio quoque multò atrocius. Ob idque beatus Paulus re cognita, cùm proprium ac ſatis dignum huic ſceleri nomen imponere minimè poſſet, alio modo flagitij huiuſmodi magnitudinem & grauitatem declarat, his verbis vtẽs: Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes nominatur. Nõn dixit, *nec perpetratur*, ſed, *nec nominatur*: his videlicet verbis incredibilem quãdam ſceleris illius magnitudinẽ indicare cupiens. Et quidem eum diabolo addicit, atque ab vniuerſa Eccleſia excindit: ac ne ad communem quidem menſam ipſum admittendi poteſtatem cuiquam facit. Cum eiuſmodi enim homine ne cibum quidem capere fas eſſe ait. Denique magno impetu fertur, extremam ab eo pœnam ex petens, carnificemque ad eam rem adhibens, ac per illum carnem ipſius lacerans. Et tamen is, qui ab Eccleſia hominem abſciderat, qui ne profanam quidem menſam communem cum eo habere cuiquam permiſerat, qui omnibus luctum ipſius cauſa indixerat (*Et vos inflati eſtis*, inquit, *& non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit*) qui eum non ſecus ac peſtiferum quendam vndecumque pellebat, qui ex omnium ædibus excluſerat, qui Satanæ conſtrictũ dediderat, is inquam, qui tantum ab eo ſupplicium exigebat, poſtquam eum dolore affectum, ſceleriſque admiſſi pœnitentem vidit, palinodiamque re ipſa canentem, in hunc modum ipſe quoque ſententiam retexuit, vt ijs, quibus hæc edixerat, contraria iam imperaret. Nam qui dixerat, Excindite, reijcite, lugete, ac diabolus ipſum arripiat, quid ait? *Firmate in eum charitatem, ne abundantiori triſtitia huiuſmodi homo abſorbeatur, ac circumueniamur à Satana. Non enim ipſius cogitationes ignoramus.* Vidẽſne quemadmodum opus ſit, immodico dolore affici? vt qui videlicet ſalutare pharmacum per immoderationem in venenum conuertat. Siquidem in venenum degenerat, atque hominem Satanæ tradit, cũ modum exceſſerit. Eoque etiam nomine dicebat; *Ne circumueniamur à Satana.* Quod perinde eſt ac ſi diceret: Ingenti ſcabie coöperta pecus hæc erat. A grege remota eſt: ab Eccleſiæ cœtu abrupta. Verùm morbum depulit, atque in priſtinum ſtatum reſtituta eſt, (ea enim pœnitentiæ vis eſt.) Ad gregem noſtrum iam redijt. Prorſus eum alliciamus, ſupinis manibus excipiamus, amplectamur, exoſculemur, nobis ipſis adiungamus. Niſi enim id facere in animum induxerimus, fraudat iam nos Satanas, non ſuum accipiens, ſed eum, qui noſter effectus eſt, per ſocordiam noſtram, atque immodicum ipſius mœrorem demergens, ſibique in poſterum aſſerens. Ob idque etiam ſubiungit, *Non enim ipſius cogitationes ignoramus*, nempe quòd etiam per ea quæ cum vtilitate coniuncta ſunt, cùm non vt operæpretium eſt, fiunt, eos, qui animum haud ſatis attendunt, in fraudem impellere conſueuit. Quòd ſi pro eo ſcelere, & quidem tam graui atq; atroci, quod quiſpiam commiſit, Paulus eum nimio mœrore ſe conficere non ſinit, verùm ſummam diligẽtiam ac celeritatem adhibet, nihilq; non agit ac molitur, quò mœroris tumorem excindat, Satanæ videlicet afflatum ac diaboli circumſcriptionẽm huiuſmodi immoderationẽ eſſe, atq; ab ipſius verſutia, & improbis cogitationibus proficiſci aſſerẽs, an non extremæ ſtultitiæ atque inſaniæ eſt, pro ijs peccatis, quæ ab alijs perpetrantur, & de quibus alijs iudicium ſubeundum, ac pœna luenda eſt, in tanto dolore & cruciatu verſari, vt etiam denſiſſimas tenebras, ingentemque tumultum & confuſionem ac perturbationem, atque eiuſmodi tempeſtatem, quam nemo vllis verbis exprimere poſſit, animo inuehas? Quod ſi mihi rurſum eadem dixeris, nimirum te velle, ſed minimè poſſe, rurſum tibi eadem quoque ipſe regeram, nempe meras excuſationes, meroſque prætextus hæc eſſe. Neruos enim philoſophicæ animæ tuę cognitos ac perſpectos habeo. Vt autem alia quoque ratione facilio-

Simile. (margin)

1.Cor.5. (margin)

Ibidem. (margin)

2.Cor.2. (margin)

rem tibi aduerſus importunum hunc & peſtiferum
Quid cogitandū in publicis calamitatibus. mœrorem pugnam ac victoriam reddam; hoc rur-
ſus, quod iubeo, facias velim. Cùm aliquem ſtragē
hanc, perniciemq; commemorantem audieris, ab
huiuſmodi cogitatione quamprimum te remoue,
atque ad formidādi illius diei cogitationem curre,
tecumque horrendum illud tribunal conſidera,
incorruptum iudicem, igneos amnes, eos qui pro
tribunali raptantur, ardoreq; flammæ æſtuāt, per-
acutos gladios, atroces pœnas, cruciatum ſempi-
ternum, tetram caliginem, exteriores tenebras, pe-
ſtiferum vermem, vincula quæ nulla vi frāgi que-
ant, dentium ſtridorem, eiulatum conſolationis ex-
pertem, orbis theatrum, vel potiùs vtriuſq; naturæ
Luc. 21. theatrum, hoc eſt, ſuperioris & inferioris. *Virtutes
enim cælorum mouebuntur*, ait Chriſtus. Nam etſi nul-
lius ſceleris ſibi conſciæ ſunt, nec iudicium ſubitu-
ræ ſunt, tamen vniuerſum hominum genus cōſpi-
cientes, atque infinitas nationes cauſam dicentes,
non ſine metu illic aſtabunt. Tantus videlicet tūc
B terror erit! Hæc inquam conſidera, eaque argumē-
ta, ex quibus elabendi ratio nulla ſit. Neque enim
accuſatoribus iudex ille opus habet, nec teſtibus,
nec argumentis, nec probationibus: verùm omnia,
vt geſta ſunt, in medium profert, atq; ante oculos
eorum qui deliquerunt. Tum nemo, qui è ſupplicio
eripiat, affuturus eſt, non pater, non filius, nō filia,
nō mater, non alius quiſpiam cognatus, non vici-
nus, non amicus, non patronus, non pecuniarum
largitio, non opum amplitudo, non authoritatis ac
potentiæ tumor: verùm hæc omnia, non ſecus ac
puluis è pedibus, excuſſa ſunt, ac ſolus is, qui cau-
ſam dicit, ex ijs, quæ ab ipſo geſta ſunt, vel abſolui-
tur, vel condemnatur. Tūc nemo ob ea, quæ alius
perpetrauit, in iudiciū vocatur, ſed pro ijs, quæ ip-
ſemet cōmiſit. His igitur omnibus in vnum coactis,
atq; hoc terrore adaucto, Satanicæq; ac perniciem
animo afferēti mœſtitiæ oppoſito, ita demū aduer-
ſus eam in acie ſta: in qua vel ipſo oblato eam faci-
C lius, quàm araneæ telam, diſcerpere, ac de medio
tollere poteris. Nam ea, præterquam quòd inanis
ac ſuperuacanea eſt, ingens quoque detrimentum
ac perniciem parit. Contrà timor ille neceſſarius
eſt, & commodus atque vtilis, magnoque cū emo-
lumento ac fructu coniunctus. At enim imprudens
orationis impetu abſtractus ſum: atque, cùm id ti-
bi minimè conueniret, hoc mihi ſumpſi, vt te mo-
nerem. Mihi enim, ijſque, qui mei inſtar ſcelerum
mole depreſſi atque obruti ſunt, neceſſaria eſt hæc
oratio. Terret enim atque excitat. Tibi autem tot
virtutum ornamentis florenti, atq; adeò ipſum cæ-
lorum axem iam attingenti, ne tantillū quidem ti-
moris afferre queat. Ob eamque cauſam ad alterū
muſices genus me conuertā, te alloquēs, ac neruū
D alterum pulſabo: quandoquidem hic te metus pe-
ſtringere nequit, niſi quantū angelos quoque per-
ſtringit. Quocirca hac quoq; nos conuertamus: ac
tu etiam ſimul cum oratione noſtra te conuerte, at-
que eorum, quæ rectè & cum laude geſſiſti, præmia
cū animo tuo reputa, luculentas palmas, ſplēdidas
coronas, tripudium cum virginibus, ſacros thala-
mos, cælorum cubiculum, ſedem cum angelis, fa-
miliarem cum ſponſo conſuetudinem, mirabilem
illum ſplendorem, bona illa quæ ſermonem omnē
ac mētis captū excedunt. Necverò ſermones meos
propterea carpe, quòd te in virginū chorū & claſ-
ſem aſcripſerim, quæ in ſanctarum illarum chorea
Animi virginitas. vixiſti. Sæpe enim me, tum priuatim, tum publicè
audiſti, cùm, quæ virginitatis definitio eſſet, expli-
carem, illudq; contenderem, nihil vmquam impe-
dimento fore, quominus ea in virginum numerum
& ordinem referretur, imò etiā eas lōgo interuallo
ſuperaret, quæ in cæteris rebus ingentis philoſo-
1. Cor. 7. phiæ ſpecimē edidiſſet. Eaque de cauſa Paulus etiā,
cùm virginem deſcriberet, non eam duntaxat, quę
matrimonij viriliſque concubitus expers eſſet, vir-
A ginem appellauit, verùm etiam eam, cui ea, quæ ad
Dei cultū pertinerent, curæ eſſent. Quin ipſe quo-
que Chriſtus, oſtendens quantum eleemoſyna, cu-
ius tu iampridem principatū tenes, ac coronā ade- Mat. 25.
pta es, virginitatē antecellat, è virginū choro dimi-
diam partem eiecit, quoniam abſque hac virtute
ingreſſæ fuerant, vel, vt rectiùs loquar, quoniam eā
haud copioſè poſſidebant. Etenim oleum habe-
bant: at parciùs quàm conueniret. Contrà, eos, qui
ſine virginitate acceſſerant, quòd miſericordia or-
nati eſſent, perhonorificè excepit, benedictos pa-
tris ſui eos appellans, atque ad ſe vocans, regnique
hæreditatē ipſis impertiens, ac ſpectante vniuerſo
terrarum orbe virtutes eorū prædicans. Atq; adeò
ne præſentibus quidem angelis atq; vniuerſo mor-
talium genere ipſos nutritios atque hoſpites ſuos
nuncupare dubitauit. Hanc tu quoq; beatā vocem
tunc audies. Hanc tu mercedem ampliſſimè con-
ſequeris. Porrò cùm pro eleemoſyna tāta præmia,
tantæ coronæ, tanta claritas, tantus ſplendor, tāta
B gloria percipiatur, ſi alias quoque virtutis tuę par-
tes oratione proſequar, quam tandem veniam ob-
tinere queas, pro eo atq; hinc feſtum agitare, exul-
tare, choros ducere, ac corona caput deuincire de-
bebas, teipſam cōtrà (propterea quòd quidam fu-
rore atque amentia captus in prærupta loca præ-
cipitem ſe dedit (angore conficiens, facilemq; dia-
bolo, quem ad hunc vſque diem lancinare nō de-
ſtitiſti, aduerſus ſanctam animam tuam incurſum
atque impetum reddens. Nam quid variam ac mul-
tiplicem patientiam tuam commemorē? Quæ ora-
tio, quod hiſtoriæ volumen ad eam rem mihi ſatis
eſſe queat, ſi calamitates eas, quas à puerili ætate in
hoc vſque tempus pertuliſti, recenſere velim, hoc
eſt, quas tam à tuis, quàm ab alienis, tam ab amicis,
quàm ab hoſtibus, tam ab ijs qui tecum genere cō-
iuncti erant, quàm qui nullo propinquitatis gradu
te attingebant, tam ab ijs, qui opibus ac potentia
florebant, quā ab humilibus & abiectis, tam ab ijs,
C qui imperio ac magiſtratu fungebantur, quā à pri-
uatis, ac denique ab ijs, qui inter clericos cenſebā-
tur, accepiſti? Nihil enim horum eſt, quod, ſi priua-
tim ac ſigillatim ab aliquo referatur, integram hi-
ſtoriam efficere nequeat. Quòd ſi quis ad alia iam
huiuſce virtutis genera ſe conuertat, eaſque affli-
ctiones, quas non iam alij, ſed ipſamet tibi accerſi-
uiſti, oratione complectatur, quod ſaxum, quod
ferrum, quem adamantem, qui abs te ſuperatus ſit,
non reperiet? Nam cùm carnem vſque adeò tene-
ram ac delicatam, atque omni luxus generi aſſuetā
accepiſſes, eam varijs afflictionibus ita oppugnaſti,
vt nunc nihilo meliore ſtatu ſit, quàm ſi prorſus
mortua & extincta eſſet. Tantum enim in ea mor-
borum examen excitaſti, vt & medicorum artem,
D & medicamentorum vim ac facultatem, & omne
curationis genus imbecillitatis arguat, atque ipſa
in perpetuis doloribus verſeris. Iam verò ſi quis
tuam in menſa tolerantiam & continentiam, eam-
que, quam in noctibus adhibes, aſperitatem expo-
nere velit, quàm longa ei oratio comparāda erit?
Quamquam continentiæ aut tolerantiæ vocabu-
lo in te iam non eſt quòd quiſpiam vtatur: verùm Olympiadis tolerantia.
aliud his virtutibus nomen multò maius ac præ-
ſtantius exquirendum eſt. Siquidem eum conti-
nentia ac tolerantia præditum eſſe dicimus, qui cu-
piditate aliqua vexatur, eamque vincit. Tu autem,
quid vincas, iam non habes. Tanto enim impetu
aduerſus carnem iam inde ab initio inſufflaſti, vt
ipſius cupiditates extinxeris. Non enim equum
frænaſti, ſed planè conſtrinxiſti, atque humi pro-
ſtrauiſti, eoque redegiſti, vt motus omnis expers
maneat. Ac tum quidem omnes continentiæ nu-
meros expleuiſti: nunc autem id iam conſecuta
es, vt omni motu ac perturbatione careas. Neque
enim negotium tibi faceſſit deliciarum cupiditas,
tuque, vt eam comprimas ac ſuperes, laboras: verū

ea ſemel deleta ac de medio ſublata, omniq; ipſi ad carnem tuã aditu præcluſo, ventrem tantum cibi ac potus capere docuiſti, quantum capere neceſſe eſt, ne intereas, ac pœnam luas. Ob eamq; cauſam non ieiunium, non continentiam id voco, ſed aliud quiddam hoc ſublimius. Atque hoc in ſacris quoq; tuis vigilijs perſpici licet. Nam dormiendi cupiditas vnà cum ſuperiore illa extincta eſt. Cibus quippe ideſt, quo ſomnus alitur. Quin hanc quoq; alia ratione oppreſſiſti: ſic nimirum ab initio te comparans, vt naturæ etiam ipſi vim inferres, integraſq; noctes inſomnes duceres, atque ita denique aſſidua conſuetudine in naturã hoc conuerteres. Vt enim alijs dormire naturale eſt: eodem modo tibi vigilare. Atque hæc quidem mirifica & ſtuporis plena ſunt, etiamſi per ſe cõſiderentur. Quòd ſi quis tempus etiã expendat, (nempe quòd immatura ætate hæc à te præſtabantur) & magiſtrorum penuriam, & eorum, qui offenſionem afferebant, frequentiã, & quòd in ea anima, quæ ex impia domo ad veritatem nunc transfugerat, & quòd in muliebri, atque alioqui, propter maiorum ſplendorem, ac luxum, molli & delicato, quanta ei, cuncta hæc ſigillatim cõſideranti, miraculorum maria ſe aperient? Quocirca ne aliorum quidem mentionẽ facturus ſum, hoc eſt humilitatis, charitatis, ac cæterarum animi tui virtutũ. Siquidem ad earum dumtaxat recordationem & appellationem ſexcentos mihi rurſum fontes animus protulit, ac me harum etiam, vt & prioris, ſigillatim ſaltem genera ipſa, vel potiùs argumenta duntaxat, referre cogit. Nam illud infinitam orationem requirit. Verũ, ne ab ea quã exequi inſtitui, materia excidã, in immenſum pelagus præcipitem me efferri haud patiar. Nã alioqui, niſi id nunc mihi propoſitum eſſet, vt mœſtitiã tuã radicitus ex animo tuo euellerẽ, lubẽs in hac oratione verſarer, atq; immenſum pelagus, vel immenſa potiùs maria nauigarẽ: multiplices nimirũ ſingularũ virtutũ tuarũ vias obiẽs, quarũ ſingulæ nouũ rurſus pelagus procrearent, ſiue de patiẽtia mihi ſermo eſſet, ſiue de animi ſubmiſſione, ſiue de omnis generis eleemoſyna, atque ad ipſos vſq; orbis terrarum fines diffuſa, ſiue de charitate, quæ innumeras fornaces ardore ſuperat, ſiue de infinita, atque ingenti lepore perfuſa, humanæque naturæ modulum excedente prudentia. Porro autem, quinam hinc fructus orti ſint, ſi quis narrare inſtituat, perinde faciet, vt ſi quis maris fluctus numerare aggrediatur. Quocirca vaſtiſſimis atque immenſis his maribus præteritis, leonem ab vngue demonſtrare conabor: pauca nimirum de veſtitu tuo atque indumentis, quibus corpus tuum neglectim ac temerè amictum eſt, verba faciens. Quamquam enim hæc virtus alijs cedere videtur, tamen ſi quis eam accuratè perpenderit, admodum ingentem eam eſſe reperiet, atque eiuſmodi, quæ ſapiente animo, ac humana omnia ſuperante, & ad ipſum vſque cælum volitante opus habeat. Ac propterea non in nouo dumtaxat, ſed etiam in veteri Teſtamento, cùm per vmbram ac figuram Deus hominum genus, atque ea, quæ ad viuendi rationem pertinebant, craſſiùs quodammodo moderabatur, nec de cæleſtibus rebus verbum vllum adhuc fiebat, nec de futuris vlla mentio, nec philoſophiæ huius, quæ nunc viget, nota vlla, & tacita ſignificatio erat, verùm pinguiore quodam, & craſſiore modo leges Hebræis ſcribebantur, elegantioris veſtitus ſtudium vehementiſſimè interdicens, per Prophetam ad hunc modum loquebatur: *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum nudabit. Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium.* Hæc tibi ornamenti loco erunt. Vides iracun-

Eſai 3.

diam, omnem ſermonis vim ſuperantem? Vides acerbiſſimum ſupplicium & cruciatum? Vides acerrimam atque captiuitati non diſſimilem animaduerſionem: Hinc peccati magnitudinem conijcias licet. Neque enim benignus ac facilis Deus tam grauem & acerbam pœnam vmquam inflixiſſet, niſi peccatum, quod eam accerſeret, longè grauius & atrocius eſſet. Quòd ſi magnum hoc ſcelus eſt, quin virtus ea, quæ ipſi opponitur, maxima ſit, minimè profectò dubium atque obſcurum eſt. Ac proinde Paulus quoque, cùm ad mulieres eas, quæ mundanam vitam complexæ ſunt, orationem haberet, non modò ab auro geſtando eas abducit, ſed ne ſumptuoſis quidem & exquiſitis veſtibus vtendi poteſtatem, ipſis facit. Norat enim, perſpicuè inquam norat, grauem hunc, ac profligatũ perdifficilem animi morbum eſſe, corruptæq; mentis apertiſſimum indicem, quique perquam ſapienti animo ac ſententia opus haberet. Id quod indicant, non eæ duntaxat fœminæ, quæ commune vitæ genus ſequuntur, matrimonióque cum viris copulatæ ſunt, quarum haud vlla huic conſilio facilè paruit: verũ etiam eæ, quæ philoſophiæ ſpeciem præ ſe ferunt, atque in virginum chorum aſcriptæ ſunt. Permultæ enim ex ipſis, cùm ad vim naturæ inferendam, eámque velut tyrannide opprimendam ſe accinxerint, cumque virginitatis curriculum purè ac ſine vlla labe conficiant, atque angelicam in hac re vitæ rationem imitentur, & in mortali corpore reſurrectionis præludia oſtẽdant (in illo enim ſeculo, inquit Chriſtus, *nec nubẽt, nec nubentur*) atque cum virtutibus illis, quæ corpore vacant, certamen ſuſceptum habeant, & in fluxo, interituique obnoxio corpore cum ijs naturis, quæ ab omni interitu alienæ ſunt, contendant, idque, quod multi ne auribus quidem ferre poſſunt, re ipſa præſtent, & libidinem non ſecus ac rabidum canem, perpetuóque inſultantẽ propulſent, & mare furens comprimant, & inter immunes & truculentos fluctus tranquillè nauigent, & perturbatiſſimo mari ex animi ſententia ferantur, atque in naturalis cupiditatis fornace ſtantes haud tamen deflagrent, verùm inſtar luti carbones iſtos pedibus premant, hac tamen cupiditate turpiter admodum ac miſerè capræ ſunt, cumque ea, quæ maiora erant, præſtitiſſent, huic vitio ſuccubuerunt. Tanta enim res eſt virginitas, tantoque labore indiget, vt Chriſtus, cum è cęlo deſcẽdiſſet, vt homines angelos efficeret, ac cæleſtem vitæ rationem hîc ferret, ne tum quidem id imperare, ac lege lata præſcribere auſus ſit, verùm emori quidẽ (quo quid grauius excogitari queat?) ac perpetua cruce affici, hoſteſque beneficijs proſequi iuſſerit, virginitatem autem edicto minimè ſanxerit, verũ eam in audientium arbitrio ac voluntate reliquerit, his verbis vtens: *Qui poteſt capere, capiat.* Etenim magna huius rei moles eſt, magna certaminum horum difficultas, & pugnarum ſudor, atque hic virtutis locus admodum præceps ac lubricus. Id quod etiam declarant, qui in veteri Teſtamento multis virtutibus floruerunt. Siquidẽ magnus ille Moyſes prophetarũ vertex, ſyncerus Dei amicus, quiq; tantam apud eum fiduciam & authoritatem obtinuit, vt ſexcenta hominũ millia, ſupplicio obnoxia, diuinitus immiſſæ plagæ eriperet, vir inquam tãtus ac tã inſignis, mari quidem imperauit, & pelagus ſecuit, & rupes fregit, & aërem immutauit, & Niliacam vndam in cruorem conuertit, & ranarum ac locuſtarum exercitum Pharaoni oppoſuit, & res omnes conditas in nouam naturam tranſtulit, aliáque infinita miracula edidit, atque item multa virtutis documenta præbuit (nam vtraque ex parte claruit: verùm ad hæc certamina ne oculos quidem obuertere potuit, ſed matrimonio, & vxoris complexu, atque huiuſmodi pręſidio indiguit, nec virginitatis mari, quòd illius fluctus perti-

1. Tim. 2

Virgini non ſolũ ſeruanda virginitas ſed etiam ſit in veſtibus moderata.

Luc. 20.

Virginitatis ſublimitas.

Matth. 19

A pertimeſceret, ſe committere auſus eſt. Quinetiã
patriarcha ille filij ſui mactator, violentiſſimum
naturæ affectum proculcare potuit, ac filiũ,& qui-
dem filium Iſaac,in ipſo ætatis flore,in ipſo iuueni-
lis ætatis vigore, vnigenitum, charum, ac præter
ſpem omnem ipſi conceſſum, & multis virtutibus
florentem, quoque ſolo nitebatur,etiam in extre-
ma ſenectute morte afficere voluit, eumque in
montem ſubuehere(cùm ad tale facinus ſubue-
cturus eſſet) potuit, atque aram extruxit, & ligna
cõpoſuit, & victimam impoſuit, & mucronẽ arri-
puit, eumque pueri iugulo adegit. nam adegit ac
cruẽtauit adamas ille, imò adamãte omni firmior.
Etenim hoc quidem ille vi naturæ habet: hic autẽ
per ſapientẽ voluntatem animique inductionem,
naturalem illam firmitatem & duritiem imitatus
eſt,atque angelicam tranquillitatem omni pertur-
batione vacuam præſtitit.Et tamen is, qui tantum
B tamque præclarum certamen conficere potuit,at-
que ex ipſis etiam naturæ finibus exceſſit, virgini-
tatis certamen ſuſcipere minimè auſus eſt: verùm
Iob 1. ipſe quoque hanc palæſtram extimuit, matrimo-
nijque ſolatium eſt amplexus. Vis Iobũ etiam his
adiungam?Iuſtum inquã illum,veri amantẽ,pium,
atque ab improba omni actione ſeſe abſtinẽtem?
Hic igitur Iob diaboli os contudit, percuſſus ipſe,
non percutiens:totamq; illis pharetrã exinaniuit.
Cumq; aſſiduis ab ipſo ſagittis peteretur,omnia ta-
men tentationũ genera ſuſtinuit, & quidem vnũ-
quodque cum ea acerbitate, vt ad eius magnitudi-
nem nihil accedere poſſet . Nam quæ in hac vita
moleſtiæ ſpeciem habent, & reuera moleſta ſunt,
hæc præſertim ſunt,paupertas, morbus, filiorum
amiſſio,hoſtiũ impetus,amicorum ingratitudo, fa-
mes,perpetui corporis dolores, cõuitia, calumniæ,
& ſiniſtræ exiſtimationis collectio. Quæ quidẽ om-
nia in vnũ corpus effuſa,atq; aduerſus vnã animã
ſparſa ſunt.Quodque etiã grauius eſt,rudẽ& inex-
C pertum adorta ſunt. Quod autem dico, hanc ſen-
tentiam habet; Qui tenuibus parentibus ortus eſt,
atque in eiuſmodi domo educatus, paupertatis ſar-
cinã facilè tulerit:vtpote vſu & conſuetudine ex-
ercitus.At qui tot pecunijs circumfluit, tantiſque
opibus abundat,ac poſtea in contrarium repentè
labitur,huiuſmodi mutationẽ haud facilè tulerit.
Siquidem ei, qui repentè in eã incidit, acerbior vi-
detur.Ac rurſum:qui obſcurus & ignobilis eſt,obſ-
curoſq; & ignobiles parẽtes habuit, atq; in perpe-
tuo contemptu viuit, is maledictis & contumelijs
haud admodũ cõturbatur.Qui autẽ,cũ tantã priùs
gloriã obtineret,&ab omnibus ſtiparetur,atq; om-
niũ ſermone celebraretur, magnoq; cũ ſplẽdore
prædicaretur, poſtea in infamiã & contemptũ ce-
cidit,huic idẽ quod ei,qui ex diuite pauper effectus
eſt,accidat neceſſe eſt.Eodemq; rurſus modo qui
D filijs orbatur,etiãſi omnes amittat, dũ tamen non
eodem tempore,luctum, quem ex ijs,qui mortem
obierunt,capit, reliquorũ ſolatio leuat: ac ſedato
eo mœrore,quem priorum interitus attulit, ſi inte-
riecto aliquo tempore alterum è vita diſcedere cõ-
tingat,mitior ei hæc calamitas redditur.Neq; enim
recenti adhuc vulneri ſuperuenit,verũ ſedato, ac
de medio ſublato.quod quidẽ non parum de dolo-
re detrahit.Ac cõtrà hic vniuerſum filiorũ chorũ
vno atq; eodem temporis puncto,& quidem acer-
biſſimo mortis genere abreptum vidit.Nam & vio-
lenta & immatura hæc mors erat.Ac tẽpus etiam&
modus haud paruum dolori cumulum afferebat.
Siquidem & epularum tempore,& in ea domo,quæ
hoſpitibus aperta erat,& deniq; domus ipſis ſepul-
chri loco fuit.Nam quid nouum illud,quodq; nul-
lis verbis exprimi poſſit,famis genus commemorẽ?
Voluntarium dicam,an coactum?neque enim,quo
eam vocabulo appellem,ſcio,nec quod tam nouæ
atque ab humanis ſenſibus alienæ calamitati no-
men imponam, reperio. Quippe ab appoſita mẽſa

A abſtinebat,nec cibos eos,quos cernebat, attinge-
bat.Vulnerũ enim,quibus ipſius corpus afficieba-
tur;fœtor occurrens, appetitionẽ omnẽ opprime-
bat,menſamq; etiã ipſam faſtidio ac moleſtia per-
fundebat.Id quod etiam his verbis declarabat: *Fæ-* Iob 6.
torem video cibos meos. Ac vis quidem famis eum, vt
oblatos cibos deguſtaret,adigebat:verũ incredibi-
lis quædam fœtoris, qui ex ipſius carnibus proma-
nabat,magnitudo vim famis ſuperabat. Qua etiam
de cauſa, vt ſuperius iam à me dictum eſt, quo eam
pacto appellem haud habeo. Voluntariã? At appo-
ſitos cibos deguſtare cupiebat. Coactam? At cibi
præſto erãt,nec quiſquã erat, qui eum his vti pro-
hiberet.Iam quonam modo ipſius dolores cõme-
morem, vermium ſcaturigines, defluentem ſaniẽ,
probra quibus eum amici inceſſebant, famulorum
contemptum,(neq; enim famuli mei, inquit, mihi
pepercerunt,quin in faciem meam expuerent)eos
B qui ipſius calamitati inſultabãt, eamq; exagitabãt?
Quos enim,inquit,*non dignabar ponere cum canibus gre-* Iob 30.
gis mei,hi nunc impetum in me fecerunt : & infimi homines
me caſtigant. An non hæc omnia tibi grauia eſſe vi-
dentur?grauia enim proculdubio ſunt. Dicámne
id,quod malorum caput eſt, totiuſque calamitatis
velut colophom,quodque eum potiſſimum excru-
ciabat? Tumultuũ eorum,qui in ipſius animo exi-
ſtebànt, tempeſtas,id præſertim erat,quod eũ præ-
focabat,atq; intolerando quodã dolore opprime-
bat:animuſq; ipſius à ſceleris conſcientia purus, id
demum erat quod inteſtinam tempeſtatem excita-
bat,rationiq; tenebras offundebat,ac gubernato-
rem perturbabat. Nam qui multorũ ſcelerum ſibi
conſcij ſunt,etiamſi acerbi aliquid ipſis accidat, id
ſaltem habent,vt eorum,quæ accidunt, cauſas in-
ueniant,nimirum peccata ſua cum animo ſuo re-
putãtes, ac rurſum perturbationem eam, quæ ex
dubitatione animique perplexitate oritur, diſcu-
tientes. At qui nullius criminis ſibi conſcij ſunt,
C verùm eximijs virtutũ ornamentis præditi, ſi quid
eiuſmodi perpetiantur, dummodo reſurrectionis
dogma norint,ac futura illa præmia conſiderẽt,il-
lud intelligunt,ea,quæ accidunt,certamina quędã,
ac ſexcentarum coronarum materiam eſſe. At hic
noſter,cùm & probus vir eſſet,& de reſurrectione
nihil exploratum haberet, hinc potiſſimum iacta-
batur,quòd malorũ eorum, in quibus verſabatur,
cauſam ignoraret,acriuſque eũ hæc dubitatio,ani-
miq; anxietas, quàm vermes ac corporis dolores,
ſtimularent. Atque vt rem ita ſe habere intelligas,
quo tempore Deus pro ſua benignitate ipſi certa-
minum horum cauſam aperire dignatus eſt, nẽpe
ſe hac de cauſa hæc permiſiſſe,vt perſpicua & illu-
ſtris eſſet ipſius iuſtitia,tum denique,tamquam ni-
hil earum moleſtiarum perpeſſus, reſpirauit. Idque
ex ijs,quæ tunc locutus eſt,liquidò conſtat.Cæterũ
D priùs etiam quam cauſam intellexiſſet,dolore qui-
dem afficiebatur:verũ forti ac generoſo animo eũ
ferebat,atque omiſſis omnibus rebus,admirabilem
illam vocem omittebat,*Dominus dedit,Dominus abſtu-* Iob 1.
lit, &c.At enim huiuſce viri amore correptus, ab
inſtituta oratione longiùs receſſiſſe videor. Qua-
re, poſteaquam pauca adhuc adiunxero, rurſum
ad ea,quæ mihi in hac epiſtola propoſita ſunt , me
referam. Hic igitur, tanta tamque eximia virtute
vir, qui tot naturæ neceſſitates protriuit, ne ipſe
quidem in hoc certamen deſcendere auſus eſt,ve-
rùm & vxorem adhibuit,& ingentem filiorum nu-
merum procreauit. Tanta virginitatis eſt difficul-
tas:tam alta & ſublimia ipſius certamina: tam gra-
ues ſudores,magnamque animi firmitatem requi-
rentes! Et tamen multæ ex ijs, quæ ad hoc certa-
men ſe accinxerunt, præpoſteram hanc ornatus
& elegantiæ immodicique veſtitus cupiditatem mi-
nimè ſuperarũt , verùm ea captæ & ſubactæ ſunt,
atque adeò magis quàm mulieres illæ, quæ mundo
ſe addixerunt . Neque enim hoc mihi commemo-

ra,eas

Digitized by Google

A ra,eas aurum minimè geſtare,nec ſericis &auro di-
ſtinctis veſtibus indutas eſſe. Nam quod grauius
eſt, quodque ipſarum morbum, atque huius affe-
ctus tyrannidem apertiſſimè prodit, illud demum
eſt,quòd omni animi ſtudio & conatu in hoc incu-
buerunt,vt per viles & abiectas illas veſtes, earum
quæ auro redimitæ ac ſericis veſtibus amictæ ſunt,
elegantiam & ornatum ſuperarent,atq; hinc ama-
biliores illis viderentur:in hoc ſcilicet, vt quidem
ipſæ ſibi opinione fingunt, indifferenti minime-
que reprehendẽdæ rei ſtudentes, vt autẽ rei natu-
ra demonſtrat, perniciosæ ac peſtiferæ, atque al-
tam voraginem habenti. Quocirca hoc nomine
ſexcentis linguis laudes tuas prædicari oportet,
quòd, quæ res à virginibus ægrè ſuperari poteſt,
hæc tibi,quæ in viduitate degis,ita facilis ac prom-
pta eſt,quemadmodum ipſa rerum veritas planum
fecit. Neque enim incredibilem quandam, atque
ipſos etiam mendicantes ſuperantem, veſtium vi-
litatem duntaxat admiror: verùm illud etiá, quòd
B in veſtitu,& calceamentis, atque inceſſu tuo, nihil
eſt fucatum,nihil de induſtria comparatum & ela-
boratum. Quæ quidem omnia virtutis colores
ſunt, quibus ſapientia ea,quæ in animo recondita
Eccl. 19. eſt, externè depingitur. *Amictus enim corporis,* in-
quit *ſcriptura,& riſus dentium,& ingreſſus hominis enun-
tiant de illo.* Nam niſi terrenas pomparum huius vi-
tæ cogitationes incredibilem quendam in modum
humi proſtrauiſſes ac proculcaſſes,non in tantam
ipſarum contemptionem erupiſſes,nec graue hoc
peccatum tanto animi impetu propuliſſes. Nec
verò me propterea quiſquam nimia exaggeratio-
ne vti exiſtimet,quod grauiſſimum hoc peccatum
appellarim. Nam cùm in ijs,quæ promiſcuum vitæ
genus ſequebantur,Hebræorum mulieribus,atque
illa tempeſtate,ſcelus hoc tantam pœnam accerſi-
uerit,in his quæ conuerſationem in cælis habere,
atq; angelorum vitam imitari debent, & in gratia
ſuum vitæ munus exercẽt, quam veniá idem iſtud
C obtinere queat,multò grauius ſceleratiuſque per-
petratum? Nam cùm virginem fractã in veſtitu,tu-
nicam trahentẽ(id quod Propheta crimini dedit)
molliter & laſciuè ambulantem, atque,& voce,&
oculis, & amictu, venenatum poculum ijs,qui ip-
ſam impudico oculo intuentur,miſcentem,ac vo-
ragines ijs,qui tranſeunt, magis ac magis effodien-
tem,atque hinc laqueos tendentem videris, quid
tandem afferes, quamobrem iã eam virginem ap-
pelles,ac non potius in ſcortorum numero repo-
nas? Neq; enim ſcorta tãtam illecebram obijciũt,
quantam iſtæ,voluptatis pennas omni ex parte ex-
plicantes. Ac propterea te beatam prædicamus, ac
miris laudibus efferimus,quòd his omnibus libe-
rata,in hac quoque parte mortificationis ſpecimẽ
edidiſti,non ornatum & elegantiam oſtentans, ſed
armis te muniens. Verùm enimuerò, quoniam ab
vngue leonem nunc oſtendimus, idque quadam
D dumtaxat ex parte(neque enim totam hanc tuam
virtutem percurri:quippe,vt ſuperius à me dictum
eſt,in immenſa cæterarum tuarum virtutum maria
pedem inferre metuo: atque etiam hoc loco mi-
hi propoſitum non eſt,ſanctæ animæ tuæ laudes il-
luſtrare,verùm conſolationis pharmacum cõfice-
re)agè,ea rurſum,quæ ſuperius dicta ſunt, reſumã.
Quídnam autẽ illud eſt,quod priùs diximus? Nimi-
rum vt,quid hic peccarit, aut quid ille ſceleris ad-
miſerit,cum animo tuo reputare deſinas,ac patien-
tiæ tuæ,tolerantiæ, ieiuniorum, precationum, ſa-
crarum excubiarum,continẽtiæ,eleemoſynæ, hoſ-
pitalitatis,variarumque & grauium ac frequẽtium
tentationum certamina perpetuò cogites. Conſi-
dera quemadmodum à prima ætate ad hunc vſque
diem Chriſtum fame laborantem alere, ſitiẽti po-
tum præbere,nudum veſtire,hoſpitem tecto exci-
pere,morbo affectum viſere, in vincula coniectũ
adire non deſtitiſti. Charitatis tuæ pelagus animad-

A uerte,quod vſque eò aperuiſti, vt ad vltimas vſque
terrarum oras magno cum impetu peruenerit. Ne-
que enim tua duntaxat domus cuilibet accedenti
patebat:verùm etiam paſſim tota terra, totoq; ma-
ri permultis hac tua liberalitate per hoſpitalitatem
frui contigit. Hæc omnia in vnum cogens,corona-
rum harum & præmiorum ſpe animum exhilara,
gaudioq; perfunde. Quòd ſi flagitioſos iſtos,& ſan-
guinarios homines, quiq; his multò grauiora per-
petrarunt,pœnas dantes perſpicere cupis, id quo
que tum videbis. Nam & Lazarus diuitem confla- Luc. 16.
grantem vidit. Quamquam enim ob vitæ diſcrimẽ
locus ipſis diſtinctus erat,eoſque chaos dirimebat,
atque alter in Abrahæ ſinu, alter in intolerandis
fornacibus ſedem habebat: at nihilo ſecius tamen
& eum vidit Lazarus,& vocem audiuit, & reſpon-
dit. Hæc tibi quoque tum vſuuenient. Nam ſi qui
vnum dumtaxat hominem contempſit, tanto cru-
ciatu afficitur,ac rurſum ei, qui vnum tantummo-
do ſcandalizauit, *expedit, vt mola aſinaria ſuſpendatur* Matt. 18.
B *in collo eius,& demergatur in mare*,qui tantæ orbis ter-
rarum parti offenſionem attulerunt, & tot Eccle-
ſias euerterũt,& tumultibus ac perturbatione om-
nia impleuerunt,& prædones ac barbaros imma-
nitate ac ſæuitiã ſuperarunt,atque à diabolo, quem
belli ducem habebant,& dæmonibus,quorum ope
atq; auxilio vtebantur,tanto furore affecti ſunt,vt
tremendã hanc & ſanctitatis plenam ac donatore
dignam doctrinam Iudæis ac Gentilibus ridendam
propinarint:qui innumeras animas demerſerunt,
atque innumera toto orbe naufragia effecerunt,
qui tantum incendium excitarunt, ac Chriſti cor-
pus ſciderunt, & membra de membro(imò verò
quid eorum furorem,qui nullo ſermone explicari
poteſt,exprimere contendo?)quantã pœnã peſti-
feros iſtos ac ſanguinarios homines ſubituros tũc
eſſe exiſtimas? Nã ſi qui Chriſtũ fame affectum nõ
aluerunt,ſempiterno igni cum diabolo addicũtur,
qui monachorum & virginum greges in famẽ cõ-
C iecerunt,& veſtitos nudarunt,& peregrè agentes
non modò non collegerunt,ſed etiam expulerunt,
& morbo laborantes non modò non viſitarũt, ſed
etiam vehementius afflixerunt, & non modò ad
eos, qui in vinculis erant, ſeſe non contulerunt,
ſed etiam, vt ij,qui liberi ac ſoluti erant, in carce-
rem conijcientur,operam dederunt, quantas pœ-
nas luituri ſint,cogites licet. Tum igitur eos flam-
mis excruciatos & conflagrantes,vinctos,dentibus
ſtridentes,fruſtra lamentantes, inutili luctu ſe cõ-
ficientes, atque diuitis illius in modum incaſſum
pœnitentes videbis. Ac rurſum te illi in beatis illis
ſedibus coronam geſtantẽ,cum angelis tripudian-
tem,atque cum Chriſto regnantem videbunt, ac
vehementer exclamabunt & ingemiſcent, contu-
meliarum,quas tibi inuſſerunt,pœnitentes,ac ſup-
plices libellos tibi offerentes,miſericordiamque &
humanitatem tuam incaſſum implorantes. Hæc
D igitur omnia tecum conſidera, eaque animæ tuæ
perpetuò accine:ſicque hunc puluerem diſcutere
poteris. Quoniam autem,vt quidẽ mea opinio fert,
aliud quiddam eſt, quod te præſertim angit & ex-
cruciat,agè huic quoq; cogitationi per ea,quæ nũc
adhuc dicturi ſumus,pharmacũ cõficiamus. Etenim
ipſa non ob hæc tantum mihi in dolore verſari vi-
deris,ſed hoc etiam nomine,quòd à me vili atque
abiecto homunculo ſeiuncta ſis: illudque lugere, Conſolatur eã de ſua abſentia.
atque apud omnes dicere, Linguam illam non au-
dimus,nec ea,qua ſolebamus,doctrina fruimur,ve-
rum fame coërcemur, quodq; Deus Hebræis quõ-
dam minabatur,id nunc patimur,*nempe non panis fa-* Amos 8.
mem,nec aquæ ſitim,ſed doctrinæ famem. Quid igitur
ad hæc dicemus? Nimirum illud maximè, quòd ti-
bi etiam nobis abſentibus in lucubrationum no-
ſtrarum lectione verſari licet. Quin nos quoquẽ,ſi
tabellarios nanciſcamur,operam dabimus, vt cre-
bras ac prolixas epiſtolas à nobis accipias. Quòd ſi

doctri-

Digitized by Google

doctrinam noſtram viua etiam voce audire cupis, fortaſſe hoc quoque continget, ac nos rurſus permittente Deo viſura es. Imò verò non fortaſſe, ſed certò, caue dubites. Illud enim tibi in memoriã redigã, quod non temere hæc dixi, nec te fallens accircunſcribens: verũ quæ nunc per literas accipis, ea quoque de viua voce exceptura es. Quòd ſi tibi mora moleſta eſt, illud cogita, eam tibi minimè infructuoſam fore, verũ ingentem mercedẽ allaturã eſſe, ſi patientiã adhibeas, nec acerbum vllum verbum proferas, quin potiùs hoc quoq; nomine Dei gloriam prædices, vt etiã perpetuò facis. Neq; enim exiguum ac leue hoc certamen eſt, verùm ingens, ac perquã ſtrenum animũ requirens, nempe amici digreſſum & abſentiam ferre. Quiſnã iſtud ait? Si quis ſyncerè philoſophari nouit, ſi quis vim charitatis perſpectã & exploratam habet, quod dico intelligit. Ac ne huc atque illuc obambulemus, eos, qui ſyncera charitate prediti ſint, quęrẽtes (etenim rara hæc virtus eſt) ad beatum Paulum curramus: atque ille, quantum hoc certamen ſit, quantumq; animum requirat, nobis exponet. Hic enim Paulus, qui carnem exuerat, & corpus abiecerat, ac nuda propemodum anima terrarum orbem peragrabat, & turbidum omnem motũ ex animo eiecerat, atq; virtutum ab omni corporea mole ſecretarum trãquillitatem imitabatur, terramque nõ ſecus ac cælum incolebat, & cum Cherubin ſurſum ſtabat, myſticæque illius muſicæ vnà cum ipſis particeps erat, alia quidem omnia, perinde atque in alieno corpore perpetiens, leuiter ferebat, carcerem nimirum, vincula, exilia, flagra, minas, mortem, lapidationem, ſubmerſionem, ac deniq; quoduis ſupplicij genus. At idem ab vno homine à ſe digrediente ſemotus, tanta perturbatione affectus eſt, vt ſtatim etiam ex ea vrbe excederet, in qua amicum, quem ſe viſurum ſperabat, minimè inuenerat. Huius rei ipſi Troas conſcia eſt, quæ propterea ab eo relicta eſt, quòd tum eum ipſi oſtendere minimè potuiſſet,

2.Cor.2. *Cùm enim veniſſem Troadem*, inquit, *propter Euangelium Chriſti, & oſtium mihi apertum eſſet in Domino, non habui requiem ſpiritui meo, eò quod non inuenerim Titum, ſed valefaciens eis, profectus ſum in Macedoniam.* Quid ais Paule? Ligno alligatus, atq; in vincula coniectus, ac virgarum notas tergo impreſſas habens, & cruore diffluens, ſacerdotij munere fungebaris, & baptizabas, & ſacrificium offerebas, nec vnicum etiam hominem, qui ſalutem accepturus eſſet, contemnebas: Troadem autem profectus, ac repurgatum aruum ſementemq; excipere paratum, & plenam aream, cunctaque tibi prona, & facilia præbentem conſpiciens, tãtum de manibus lucrum eiecisti, vt, quamuis etiam ob eam cauſam illuc te contuliſſes (cùm enim veniſſem Troadem, inquit, ad Euangelium, hoc eſt, Euãgelici negotij cauſa) nec quiſquam tibi obſiſteret (& oſtium, inquit, mihi apertum eſſet) pedem tamẽ ſtatim referres. Ita ſane, inquit. Magna enim me mœroris tyrannis inuaſit, Titique abſentia meum animum vehementer conturbauit, atque ita me fregit ac ſuperauit, vt à me, hoc vt facerem extorſerit. Nam quòd illi propter mœrorem hoc acciderit, nihil nobis coniecturis opus eſt, verùm ab ipſomet hoc conijcere atque intelligere debemus. Etenim diſceſſus ſui cauſam his verbis expoſuit: Non habui requiem ſpiritui meo, eò quòd non inuenerim Titum, ſed valedicens eis, egreſſus ſum. Vidéſne quemadmodum maximum certamen ſit, amici digreſſum æquo ac placido animo ferre, quãque grauis & acerba hæc res ſit, quamque ſublimem ac ſtrenuum animum deſideret? Hoc porrò certamen tu quoque nunc obis. At quòd maius hoc certamen eſt, eò etiam corona præſtãtior erit, præmiaque ſplendidiora. Quare hoc tibi tarditatis ſit ſolatium: illudque præterea, quòd te fructu eo, qui hinc manat, abundantem coronaque redimitam, ampliſſimiſque laudibus affectam nos omnes rurſum viſuri ſumus. Neque enim ij, qui amant, eò ſolo contenti ſunt, quòd animorum vinculis inter ſe conſtringantur, neque hoc ad conſolationem ſibi ſatis eſſe ducunt: verùm etiam corporis præſentiam requirũt. Qua ſi careant, haud exigua voluptatis pars ſucciſa eſt. Atque hoc rurſum, ſi ad charitatis alumnum nos cõtulerimus, ita ſe habere comperiemus. In ea enim Epiſtola, quam ad Macedones ſcribebat, his verbis vtebatur: *Nos autem,* 1.The.2.
fratres, orbati à vobis ad tempus horæ aſpectu, non corde, abundantius feſtinauimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio, quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus ſemel & iterum: ſed impediuit nos Satanas. Propter quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, ſolis: & miſimus Timotheum. O quãta in ſingulis dictionibus vis ineſt! Etenim conditam in ipſius animo charitatis flammam magna cum perſpicuitate demonſtrabat. Non enim dixit, *ſeiuncti à vobis,* aut, *abſtracti:* verùm, *orbati à vobis.* Vocabulum inueſtigauit, quod declarando animi ſui dolori par eſſet. Nam cùm ipſe parentis loco cunctis eſſet, tamẽ pupillorum puerorum, qui immatura ætate patrẽ amiſerint, verbis vtitur: quo videlicet ſingularem quandam animi mœſtitiam oſtendat. Neque enim prælatura orbitate quidquam acerbius excogitari poteſt, cùm nec ætas ad rem vllam idoneam ipſis opem afferre poteſt, nec, qui eorum curam ac defenſionem ſyncero animo ſuſcipiant, præſto ſunt, & multi ſubitò exiſtunt, à quibus inſidiæ ipſis comparantur. Nam tum velut agni lupis in mediũ proponuntur, à quibus omni ex parte cæduntur, & lacerantur. Nemo eſt qui calamitatis huius magnitudinẽ vlla oratione conſequi poſſit. Quocirca Paulus, cùm in omnes partes ſe verſaſſet, atq; eiuſmodi vocem, qua ſolitudinem acerbamq; calamitatem indicaret, quæſiuiſſet, vt, quo animo eſſet, cũ ab ijs, quos amabat, diſtraheretur, planũ faceret, hac dictione vſus eſt. Ac deinde, per ea quæ ſequuntur, hanc quoq; rurſum exaggerauit. Orbati enim, inquit, à vobis, non ad diuturnũ aliquod tẽporis ſpatiũ, ſed ad tempus horæ: ac nõ animo, ſed facie ſola disiuncti, ne ſic quidem tamen dolorem eũ, quẽ hinc concipimus, ferre poſſumus. Quamuis enim ea nobis ſatis ampla cõſolatio præſto ſit, quòd animi noſtri inter ſe deuincti ſint, quodq; vos in corde noſtro conditos habemus, ac deniq; illud, quòd heri & nudius tertius vos vidimus: tamen nihil eorum mœrore nos liberat. Quid ergo vis, dic quæſo? quid expetis? Nimirum ipſam quoque eorum faciẽ cernere incredibilem in modum cupit. *Abundantiùs* Gal.6.
enim, inquit, *feſtinauimus faciem veſtram videre.* Quid ais, ô magne atque excelſe vir? qui mundum in te crucifixum habes, atque ipſe viciſſim mundo crucifixus es, qui ab omnibus carnalibus rebus te remouiſti, qui penè corporis expers effectus es, ſiccine te captiuum charitas tenuit, vt in luteam ac terrenam, atque in ſenſum cadentem carnem prouolutus ſis? Maximè, inquit: nec id dicere me pudet. Imò etiam eo nomine glorior. Nam cùm charitatẽ, bonorum omnium matrem, in me ſcatentem habeam, hæc requiro. Quin ne ſimpliciter quidem corpoream præſentiam expetit: verùm eorum faciem præſertim intueri geſtit: *Abundantiùs* enim, inquit, *feſtinauimus faciem veſtram videre.* Conſpectũ igitur expetis, heus tu, vultuſque ſpectandi cupiditate flagras? Et quidem vehementer, inquit: quòd illic ſenſuum inſtrumenta collecta ſint. Nudus enim animus per ſe, cum altero animo coniunctus, nec dicere, nec audire quidquam poterit. At ſi mihi corporea præſentia frui contingat, & aliquid ipſe dicam, & ab ijs, quos amo, viciſſim audiam. Ac propterea faciem veſtrã intueri aueo, in qua, & lingua eſt quæ vocẽ emittit, animiq; ſenſa enuntiat, & auris, quæ verba excipit, & oculi, qui animi motus pingunt. Etenim adamatæ animæ cõgreſſus certiùs

Digitized by Google

per eos frui licet. Atque vt intelligas quemadmodum huius conſpectionis cupiditate ardeat, poſteaquam dixit, *abundantiùs feſtinauimus*, hac dictione minimè contentus fuit, verùm ſubiungit, *in multo deſiderio*. Ac mox cæteris ſeſe admiſcere non ſuſtinēs, verùm oſtendens ſe alijs acriùs amare, poſtquam his verbis vſus eſt, *abūdantiùs feſtinauimus ac cupiuimus venire ad vos*, à reliquorum grege ſeipſum abrupit, ſolumq́ue ſe ſtatuens, dixit, *Ego quidem Paulus ſemel & iterum*: hinc videlicet oſtendens, ſe vehementiore, quàm alios, ſtudio in id incubuiſſe. Poſtea, quoniam id minimè aſſecutus eſt, literis non contentus, ſociū ſuum Timotheum, qui literarum inſtar ipſi futurus eſſet, ad extremum mittit. *Propter quod non iā ſuſtinentes*. Proh quantam hæc dictio ingenuitatem rurſum redolet! Quantā hoc vocabulum vim habet ad declarandam eiuſmodi ipſius charitatem, quæ nullo fræno coerceri ac tolerari poſſet! Et quemadmodū cū quis ignis ardore deflagrans, atq; incendij ſolatiū aliquod inuenire dudēs, nullū nō lapidē mouet: eodem modò hic quoq;, cū incēderetur, præfocaretur, inflammaretur, pro eo ac licebat, & fieri poterat, conſolationem excogitauit. *Non enim iam ſuſtinentes*, inquit, *miſimus Timotheū*: Euāgelij miniſtrum, ſocium & adiutorem, ac membrū inprimis neceſſarium à noſtro cœtu auellentes, ac mœrorem mœrore commutantes. Nam quòd ne ipſius quidem abſentiam facilè ferret, verùm ipſorum cauſam hanc moleſtiā ſuſciperet, hoc quoque ipſum his verbis indicauit. Placuit nobis manere ſolis. Deū immortalem, quā penitus imbutus charitate hic animus erat? Poſtquam enim ab vno fratre diſiunctus eſt, ſolū ſe eſſe ait, idq́ue cū tot alios ſecum haberet. Hæc igitur ipſa quoq; tecum perpetuò meditare, & quo ea res cruciatū tibi maiorē affert, eò etiam eam, ſi grato animo feras, maiorem fructū allaturam eſſe exiſtima. Non enim corporeæ duntaxat plagæ illatæ, ſed etiam animi dolor omni ſermone ſublimiores coronas affert: & quidē animi dolor magis quā corporis, cùm qui feriūtur, gratitudinem animi adhibent. Quemadmodū igitur ſi corpore lacerata verberibuſq́ue cōciſa, forti ac generoſo animo id ferres, Deiq́ue gloriam hoc hoc nomine prædicares, ingentem hinc mercedē cōſequereris: eodem modo, cùm hæc animus tuus patiatur, magna hinc præmia expecta. Quin eam etiam expectationem habe, fore, vt nos omnes rurſum videas, atq; hoc dolore libereris, amplumq́; & vberem huius doloris quæſtū, & poſthac, & nunc percipias. Atque hæc tibi ad mœroris leuationem ſufficiunt, imò verò non tibi duntaxat, verū etiam cuiuis, quamlibet alioqui vecordi ac ſaxea mente prædito. At vbi tanta prudentia eſt, tantæq́; pietatis diuitiæ, tamq́ue ſublimis philoſophia, atq; animus rerum huiuſce vitæ pōpam proculcans, nimirum illic quoq; pronior faciliórq; curandi morbi ratio eſt. Quocirca in hoc quoque tuam erga nos charitatem oſtende, quòd magnam, etiā ſcribentes, apud te vim atque authoritatem obtinemus, nec minorē quàm ſi præſentes eſſemus. Illud autem hac demū ratione perſpicuè demonſtrabis, ſi literas noſtras aliquid profeciſſe intelligamus, nec aliquid tantū, ſed quantum cupimus. Cupimus porrò te in eadem animi lætitia verſari, in qua te, cùm iſtic eſſemus, cernebamus. Quòd ſi iſtud intelligamus, haud paruam nos quoque ſolitudinis huius, in qua nunc ſumus, conſolationem capiemus. Itaque ſi tibi nos in maiori animi tranquillitate atque hilaritate conſtituere cordi eſt (non autem dubito quin id tibi cordi ſit, magnæq́ue cupiditati) illud fac ſciamus, te omnem mœroris colluuiē abs te ſubmouiſſe, tuáſque res tranquillo animo eſſe. Ac nobis hanc noſtræ erga te beneuolentiæ mercedem pende. Nō enim te fugit, non inquam profectò te fugit, quātopere, ſi hoc præſtiteris, de eoq́ue nos per literas certiores feceris, animum noſtrum recreatura ſis.

Eidem Epiſtola. III.

Eſt conſolatoria in luctu.

NEc corpora ea, quæ grauibus ac moleſtis febribus colluctata ſunt, contractum ex febribus detrimentum, nec maris aquæ, quibus cum ſæuis & immanibus ventis certamen fuit, eam quam fluctus attulerunt, tempeſtatem ſubitò deponūt: verùm ſenſim ac paulatim. Nam & corporibus lōgiore temporis ſpatio ad hoc opus eſt, vt poſt depulſas febres ad integram ſanitatem redeāt, eámque, quam ipſis morbus reliquam fecit, imbecillitatem & mollitiem abſtergant: & aquæ, ſedatis etiam fluctibus, diutius adhuc agitantur & incitantur, magnóque impetu feruntur ac reciprocant, atque ipſæ quoque aliquanto temporis ſpatio ad hoc indigent, vt ad integram tranquillitatem redeant. Hoc porrò præludij genere non temere ad te vſus ſum: verùm vt intelligas nos neceſſitate adductos eſſe, vt hanc epiſtolam ad te mitteremus. Nam etſi mœroris tyrannidem ſuperioribus literis ſuſtulimus, ipſiúſque arcem euertimus: tamen orationi noſtræ ingenti adhuc aſſiduitate opus eſt, vt altam tibi pacem cōciliet, ac deleta perturbationum omnium, quæ ex illo angore fluxerunt, memoria, candidam tibi ac certam tranquillitatem oſtēdat, atq; in magna animi alacritate te collocet. Id enim nūc ago, atque in eo elaboro, vt non modò triſtitia & angore te liberem, verùm etiam ingenti ac perpetua voluptate perfundā. Hoc enim fieri poteſt, ſiquidem velis. Non enim in naturæ legibus, quas reuellere atque immutare non poſſumus, ſed in liberis voluntatis cogitationibus, quas tractare ac moderari nobis facile eſt, animæ tranquillitas alacritáſque conſiſtit. Atque ipſa ſcis, ſi modò meminiſti, plurimos ac longos de his rebus nuper (nec enim diuturnum tempus interea fluxit) ſermones à nobis conſumptos fuiſſe: cùm ſcilicet hiſtorias ſubinde colligerem atque in medium proferrem. Non enim tam in rerum natura, quàm in hominū voluntate atque ſententia tranquillitas animi ſita eſt. Quoniam igitur hæc ita ſe habent, ac multi opibus circumfluentes vitam acerbam & miſeram eſſe duxerunt, multi contra in extrema paupertate verſantes curriculum vitæ omnium tranquilliſſimè confecerunt, atque alij quidem ſatellitum gregibus ſtipati, gloriámque & honorem obtinentes, vitam ſuam diris perſæpe deuouerunt, alij autem obſcuri atque obſcuro genere nati, omnibuſq́ue ignoti, multis ſeſe beatiores eſſe cenſuerunt (neque enim tam in rerum natura, quàm in hominum mente ac iudicio poſita eſt tranquillitas. non enim iſtud aſſidue inculcare deſinam) caue animum deijcias, verùm te excita atque erige, manumq́ue ſermoni noſtro porrige, ac præclaram hanc nobis opem & auxilium præbe: vt te ex acerba cogitationum captiuitate prorſus extrahamus. Nam niſi ipſa tantum ſtudij ac diligentiæ adhibere volueris, quantam nos adhibemus, nullam nobis curatio vtilitatem allatura eſt. Quid autem mirum, ſi hoc in nobis contingat? Nam etiam, cùm rerum omnium præpotens Deus aliquid monet ac ſuadet, atque auditor ipſius verbis minimè obtemperat, ne tum quidem vllum hinc emolumentum redit, imò etiam hoc maiorem ei pœnā accerſit, qui dicto haudquaquam audientem ſe præbuit. Quod etiam Chriſtus his verbis indicabat, *Niſi veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Ob eámque cauſam, cùm Hieruſalem hoc ipſo nomine lugeret, his verbis vtebatur: *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas, & noluiſti? Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*. Hæc igitur cū tibi perſpecta ſint, domina mea Deo chariſſima, labora, ti-

Ioan. 15.

Matth. 23

bique

biquevim adhibe,atque eorum, quæ à nobis commemorata ſunt,ope ac ſubſidio munita, in id enitere,vt cogitationes eas,quæ te perturbant, ac tātos motus tantamque tempeſtatem cient, magno cum impetu & acrimonia extrudas ac propulſes. Verùm quin id factura, conſilioque noſtro paritura ſis, nullo modo dubitandum eſſe arbitror. Nobis autem iam faciendum eſt,vt gladios,haſtas, arcus & ſagittas,thoracem, clypeum & tibilia cōſtruamus:quò partim his te munias,partim eas,quę te perturbatione afficiūt,cogitationes proſternas, atque obtrunces & interimas. Vndenā igitur machinas iſtas ac fundas tibi cōficiemus,vt ne hoſtes quidem propiùs accedere ſinas, verùm eos quàm longiſſimè ac nullo cum negotio ſubmoueas? Ab ipſomet mœrore:nimirum ſi de eo nonnihil diſſeramus,quamque grauis ac moleſta res ſit,demonſtremus. Mœror enim graue animorum tormentū eſt,dolor omnem ſermonis vim excedens, ac ſupplicių omni ſupplicio & cruciatu acerbius. Siquidē peſtiferum vermem imitatur,non carnem duntaxat,ſed etiam animam perſtringens. Ac tinea eſt, non oſſium tantū,verùm etiam mētis:& perpetuus carnifex,non latus fodiens,verùm animi vires labefactans:& perpetua nox,& terræ tenebræ,& tempeſtas ac procella,& obſcura febris, quauis febre vehemētius exurens:& bellum induciarū expers: & morbus, rerum earum, quæ oculis cernuntur, proſpectum magna ex parte impediens. Nam & ſol,& liquidi huius aëris natura, ijs, qui ita affecti ſunt,moleſtiam exhibere videtur, atque in meridiana luce profundam noctem imitari. Eaque de cauſa eximius ille propheta dicebat, *Occidet illis ſol in meridie.* Non quòd ſidus illud deliteſcat,aut conſuetus ipſius curſus interrumpatur: ſed quòd mœſto ac mœrenti animo clariſſimo die noctis ſpecies ſeſe obijciat. Neque enim tantæ noctis tenebræ ſunt, quanta mœroris nox eſt:non quidem illa naturæ lege accedens, verùm per rationis ac mentis obſcurationem conflata:horrenda ſanè atque intoleranda,truculentum & implacabilem vultum habens,quouis tyranno crudelior,nemini eorum, qui eam diſcutere conantur,facilè cedens, verùm animam eam, quam corripuit, adamante firmius plerumque retinens, cùm videlicet ea non multū ſapientiæ adhibuit. Quid autem longa oratione opus eſt,vt de eo ipſe pronuntiem, cum ad eos qui capti ſunt,venire,atque hinc vniuerſam ipſius vim perſpicere liceat? Imò verò,ſi lubet,eam aliunde priùs demonſtremus. Nam cùm Adamus graue illud peccatum admiſiſſet, atque commune hominum omnium genus condemnaſſet, mœrore tum mulctatus eſt. Ea autem, quæ grauius peccauerat, & quidem vſque eò grauius,vt illius peccatū, cum huius peccato collatū, ne peccatū quidē exiſtimetur.(*Adam enim,inquit ſcriptura, non eſt ſeductus, ſed mulier ſeducta in præuaricatione fuit.*) Hæc inquā, quæ in fraudem impulſa fuerat,ac Dei legē violauerat, atque,& ſibi, & marito venenatū poculum temperauerat, ampliori mœrori addicitur, quòd videlicet ille maiorem ad premendum vim habeat, quā labor. Multiplicans enim, inquit, multiplicabo mœrores tuos, & gemitum tuum. In mœroribus paries filios. Nuſquam hîc labor, nuſquam ſudor & ærumna; verùm mœſtitia & gemitus,atque hinc naſcens cruciatus,ſexcentos labores ac ſexcentas mortes adæquans,imò etiam longè grauior. Quāquam quid morte grauius? An non humanorum malorum caput eſt? An non ea horrenda & intoleranda, innumeriſque luctibus digna eſſe videtur? An non eam atrociſſimi ſceleris pœnam eſſe dixit Paulus? Nam eos, qui ſacroſancta myſteria indignè attingunt, tremendæque menſæ participes fiunt, hanc pœnam pendere his verbis aſſeruit: *Propterea inter vos multi imbecilles & infirmi, & dormiūt multi.* Quid? An nō legiſlatores omnes hoc

Mœror graue tormentum

B

Amos 8.

C

Geneſ. 3.

D

1. Tim. 2.

Mœror Euæ pœna. Gen. 3.

1. Cor. 11

A

ſupplicio eos mulctat, qui atrociſſima ſcelera cōmittunt? An non etiam Deus extremam hanc in lege pœnam ijs conſtituit,qui magnis criminibus ſeſe deuinciunt? An non huius metu Patriarcha ille perterritus,eò adductus eſt,vt,natura etiam ipſa ſuperata, vxorem ſuam barbaricæ laſciuiæ, atque Ægyptiacæ tyrannidi dederet, atque hanc petulantis libidinis fabulam & ipſe ſtrueret, & vxorem, & grauem hunc & tragicum geſtum ſecum ageret,obſecraret? Atque adeò ne huiuſmodi quidem tamquam ſcenicæ ſimulationis cauſam afferre pudore deterretur. Noui enim,inquit,quòd pulchra ſis mulier: & quòd, cùm viderint te Ægyptij egregia forma præditam,atque faciei pulchritudine præſtantem,interficient me,& te vindicabunt. Dic igitur quòd ſoror mea ſis,vt bene ſit mihi propter te,& viuat anima mea ob gratiam tui. Vidiſti metum? vidiſti tremorem, excelſum illum ac philoſophicum animum quatientem? Vidiſti adamātem anxietate ac formidine fractum & diſſolutum? Genus mentitur, atque alteram pro altera perſonam vxori ſuæ imponit, agnamq; lupis in prædā exponit. Quodque hominibus malorum omnium acerbiſſimum eſt,nempe conſtupratam vxorē cernere,imò etiam vel dūtaxat ſuſpicari,hoc,& quod hac re multò acerbius eſt (nō enim ſuſpicio tātùm erat,ſed ſtuprum re ipſa tentabatur) nō modò cernit,ſed etiam,vt perpetretur,laborat: idque ipſi leue ac ferendum videtur. Etenim affectus affectum ſuperabat,grauem nimirum grauior:ac mortis terror zelotypiam vincebat. Ad eundem etiam modum magnus ille Elias,ob mortis metum, ſolas libidinoſæ ac nefariæ mulieris minas veritus, in fugam ſe contulit,ac ſolum vertit:& qui cælū clauſerat,& tot miras res effecerat,ſermonis terrorem minimè tulit: verùm excelſum illum atque ad cælos vſque ſublimem animum pauor ita perculit,vt poſt illam fiduciam,poſt tantam in loquēdo libertatem, poſt tantum virtutis ſpecimen editum, & patriam & tantum populum, cuius cauſa tot pericula audax adierat, repente linqueret,& quadraginta dierum iter ſolus obiret, & in locum deſertū migraret. Nec mirum, Vehementer enim horrenda huius rei natura eſt. Ac propterea quotidie genus noſtrum impetum faciens, ad vnumquemque mortuum nos vſque adeò percellit atque conſternat,metuque perturbat & contrahit, vt quæ nec opinatò nobis appareat. Nec verò ad leuandos noſtros animos vllā vim habuit, aut tēporis meditatio,aut quotidiana in hac cōtemplatione cōſuetudo & exercitatio:nec temporis diuturnitate huiuſmodi mœror terrorque conſenuit, verùm perpetuò iuueneſcit ac viget, recentemque ac florentē quotidie metum affert. Nec ſanè immeritò. Quis enim non perturbetur & conſternetur, cum eum, qui heſterno die, aut paucis antè diebus ambulabat,ſexcenta domus negotia gerebat,vxoris,filiorum,mancipiorum,ſæpe etiam integrarum ciuitatum curam ſuſcipiebat, minabatur, terrebat, ſupplicia partim ſoluebat,partim inferebat, innumera,tum in vrbibus,tū in regionibus efficiebat, repentè quouis lapide ſurdiorem iacentē videt? cūq; innumerabiles homines plorent,& amiciſſimi quique pectus plangāt,& vxor dolore diſtorqueatur, genas cædat,comam vellat,magnoque cum vlulatu ancillarum greges circum ſe collocet, ipſum tamen nihil eorum ſentientem? cùm etiam omnia repente de medio ſublata eſſe, rationem, ingeniū, animam,oris florem ac venuſtatem, membrorum motum: iniucunda autem & inamœna ijs ſucceſſiſſe, nimirum ſilentium, ſtuporem, corruptionem,ſaniem,vermes,cinerem,puluerem,fœtorem,interitum integrum,corpuſq; totum eò properans,vt in vilia & deformia atque ignobilia oſſa definat. Et tamen iſtud,quod & per res ipſas,& per ſanctorum illorum virorum formidinē horrēdum

Gen. 12.

eſſe

Mors mœrore leuior.

A eſſe conſtat, mœrore longè leuius eſt. Nam ipſius cauſa longa hæc ſermonum curricula conſumpſi, vt ex me diſcas, quantam pœnam pendas, ac parẽ ipſi, imò verò multis partibus maiorem mercedem expectes. Atq; vt hæc ita ſe habere intelligas, iam ad eos, qui eo affectu capti ſunt, confugiam, quò ſcilicet priùs quoque noſtra feſtinabat oratio. Plebs Hebræorum, cùm Moyſes ad eos ſe contuliſſet, lætumq́ue ipſis libertatis, atque Ægyptiacarum calamitatum depulſionis nuntium afferret, ne ipſum quidẽ audire ſuſtinebant. Cauſamq́; etiam exponẽs legiſlator, dicebat; Locutus eſt autem Moyſes ad populum, & non audiuit populus Moyſem præ puſillanimitate. Quinetiam cùm Deus graues Iudæis ob multa flagitia minas intendit, poſt captiuitatem, atque in aliena regione commorationem, poſt famem ac peſtem atq; humanarum carnium eſum, hanc pœnam ſubiungit, his verbis

Deut. 28.

B vtens: *Dabo eis cor mœrens. & deficientes oculos. & tabeſcentem animam.* Quid autem Iudæos, petulantem & ingratum, carniſq́ue ſeruituti addictum populum, nec philoſophari ſcientem commemoro: cùm mihi à magnis illis & excelſis viris huius rei argumẽtum capere liceat? Etenim Apoſtolorum chorus, cùm triennium iam cum Chriſto conſuetudinem habuiſſent, multaq́ue de animorũ immortalitate, alijſq́ue arcanis rebus ex ipſo didiciſſent, ſignaq́ue admiranda & ab humanis ſenſibus remota ediſiſſent, ipſumq́ue etiam res mirificas perpetrantem conſpexiſſent, eiuſdemq́ue cum eo menſæ, & colloquij, ac tam eximiorum ſermonũ participes extitiſſent, atque omni doctrinæ genere eruditi fuiſſent, poſteaquam verba, quæ mœrorem afferebãt, audierunt, qui prius eum perpetuò retinebant, deq́ue ipſo velut lactentes pueri pendebant, nec percunctari deſinebant, Quò vadis? ijdem rurſus huius mœroris tyrannide ita oppreſſi ſunt, ſeq́ue totos angori dediderunt, vt iam ab ipſo minimè percũ-

C ctarentur. Quo etiam nomine Chriſtus eos inſectans, dicebat,

Ioan. 16.

Audiſtis quia vado ad Patrem, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. Vidéſne quemadmodum mœroris tyrannis amori tenebras offuderit, eoſq́ue in captiuitatem ſibi addixerit, ſuiq́ue iuris fecerit? Rurſum Elias ille (nam ne nunc quidem ab eo abſcedam) poſt fugam ac ſeceſſionem à Palæſtina, mœroris acerbitatem non ferens (ſiquidem in magno mœrore atque angore verſabatur. quod etiam is qui eam hiſtoriam literis mandauit, his verbis declarat, Abijt iuxta animam ſuam) quid in ſua ad Deum precatione dicat, audias velim:

3 Reg. 19

Et ſufficiat nunc Domine: accipe animam meam à me: non enim ſum melior quàm patres mei. Ita illud, quod formidabilius erat, illum ſupplicij colophonem, illud malorum caput, illam ſceleris omnis pœnam exop-

D tat, atque in beneficij gratiæq́ue loco ſibi dari cupit. Vſqueadeò morte grauior eſt mœror. Vt enim hunc effugeret, ad illam perfugit. Hic autem quæſtionem quandam tibi explicare volo. Nec enim me fallit, quantum huiuſmodi quæſtionis tibi diſſolui cupias. Quænam igitur hæc quæſtio eſt? Si mortem mœrore leuiorem eſſe exiſtimabat, quid cauſæ eſt, quamobrem vitandæ mortis cauſa relicto ſolo patrio ac popularibus ſuis profugerit? & qui priùs eã fugiebat, nunc contrà eam expetat? Nimirum vt hinc vel maximè, quantum mœſtitia mortem acerbitate ſuperet, intelligas. Nam cùm mortis duntaxat metus eum quateret, non abs re quiduis efficiebat, quò eam effugeret. At poſteaquam mœror in ipſius pectore inſidens naturam ſuam oſtendit, eum videlicet exedens, abſumens, dentibus conficiens, atque intolerãdum in modum excrucians, tum denique id quod omnibus rebus grauius & acerbius eſt, leuius eſſe iudicauit. Eodẽque modo Ionas etiam mœrorem fugiens, ad mortem confugit: mortemq́ue ipſe quoque his verbis

A à Deo petiuit,

Ionæ 4.

Accipe animam meam. melius eſt enim mihi mori, quàm viuere. Dauidq́ue item, ſiue ex ſua, ſiue ex aliorum quorundam lugentium perſona

Pſalm. 38

ſpalmum conſcribens, hoc ipſum indicat. *Cum conſiſteret,* inquit, *peccatum meum aduerſum me, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis:* per ignem illum ſcilicet mœroris affectum, qui quouis igne acerbior eſt, deſignans. Eoq́ue nomine plagas ipſius ac dolores minimè iam ferens, his verbis vtitur; locutus ſum in lingua mea. Quid autem loqueris, dic quæſo? Mortem quoque hic petit, dicens:

Ibidem.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis eſt: vt ſciam cur morer ego. Quæ quidem verba tametſi ab Eliæ verbis diſcrepent, eandem tamen ſententiam habent. Nam quod ille dixit, *Non ſum melior quàm patres mei,* hoc iſte his verbis ſignificauit, *notum*

B *fac mihi Domine meum, vt ſciam quid morer ego.* Hoc eſt, qua de cauſa ego relictus ſum, ſeriuſq́ue abeo: qua de cauſa, cùm alij iam è vita diſceſſerint, ipſe tamen remaneo, atque in præſenti vita diuturniorem moram traho. Ac tanta mortis cupiditate tenetur, ſiue ipſe, ſiue illi, quorũ nomine loquitur, vt etiam, ea nondum præſente, præſentiæ tempus ſcire aueat. *Notum*, inquit, *fac mihi Domine finem meum:* quò videlicet hinc quoque maximam voluptatem capiat. Ita id, quod horrendum eſt, propter intolerandum mœroris dolorem, atque ignem in animo exardeſcentem, iucundum & expetendum redditur. In meditatione enim mea, inquit, exarſit ignis. Quocirca cùm tantam pœnam luas, magnam hinc mercedem, multa præmia, remunerationes, quas nemo verbis vllis conſequi poſſit, ſplendidas ac valde florentes huiuſmodi certaminum coronas expecta. Non enim duntaxat aliquid boni efficere, ſed etiam aliquid mali perpeti, magnam mercedem atque ampla præmia

Aliquid mali pati, coronas gignit, non ſolũ bona facere.

C obtinet. Atque ad hanc orationem iam me confero, vt quæ, & tibi, & cunctis magnopere vtilis ſit, animiſq́ue ad patientiam acuendis, atq; ad tolerãdos dolores excitandis ſufficiat, nec eos ad calamitatum ſudores elangueſcere ac debilitari ſinat. Quòd igitur calamitatum omnium atrociſſima, ac malorum colophon & caput, mœſtitia ſit, ſatis fusè à nobis eſt demonſtratum. Supereſt iam vt virtutes & calamitatum perpeſſiones inter ſe comparemus: vt perſpicuè intelligas, non virtutibus ſolùm, ſed etiam calamitatibus mercedem conſtitutam eſſe, & quidem admodum amplam: nec calamitatibus minùs, quàm virtutibus, atque adeò amplius interdum calamitatibus. Ac, ſi lubet, magnum patientiæ pugilem in medium producamus, eum, inquam, qui vtroque laudis genere ſplenduit, adamantem illum, petram illam, eum, qui in Auſitide

D quidem regione extitit, verùm ſingulari quadam virtutis ſuæ magnitudine vniuerſum terrarum orbem colluſtrauit. Atque ipſius tum virtutes, tum calamitates exponamus: vt, qua ex parte magis effulſerit, compertum habeas. Quænam igitur ipſius virtutes erant?

Iob 31.

Ianua enim *mea*, inquit, *omni homini patuit, communiſq́; erat viatoribus portus.* Quin bona ſua ita poſſidebat, vt ea penè omnia non ſibi, ſed pauperibus haberet.

Iob 29.

Oculus enim, inquit, *fui cæco, & pes claudo. Pater eram imbecillium: & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui: & de dentibus illius auferebam prædam. Imbecilles autem, ſi qua re opus habebant, minimè repulſam ferebant. Neque quiſpiam ex ædibus meis vnquam vacuo ſinu egreſſus eſt.* Vides varia humanitatis genera, & varia eleemoſynæ prata, eumq́ue quauis ratione opem ijs, quibus iniuria fiebat, afferentem? Vides eum egeſtatem ſubleuantem, viduitati medentem, læſis opitulantem, lædentibus terrorem incutientem? Neque enim hactenus duntaxat ſtudium ſuũ demonſtrabat, vt ijs, qui lædebantur, præſtò eſſet,

Digitized by Google

atque auxilium ferret (quemadmodum multi fa-
ciunt) verùm etiam eò vſque laborabat, quoad ne-
gotium confeciſſet, & quidem magna cum vehe-
mentia & animi acrimonia. Conterebam enim, in-
quit, molas iniquitorum videlicet improbæ con-
tentioni curá ſuam prouidentiam muri inſtar op-
ponens. Nec verò hominum tantùm iniurijs, ſed
etiam naturæ inſidijs curam ſuam ac ſollicitudinē
obijciens, ipſius nimirum vitia ſingulari auxilij ſui
magnitudine corrigens. Nam quia membra ipſis
reſtituere minimè poterat, hoc eſt, cæcis oculos,
claudis pedes, membrorū inſtar ipſis exiſtebat: at-
que ipſius opera & beneficio, tum ij, qui oculis ca-
pti, tum ij, qui cruribus oblæſi ac mutilati erāt, par-
tim cernebant, partim ambulabant? Quid cum
hac humanitate comparari queat? Alias etiam ip-
ſius virtutes cognitas & exploratas habes (ne om-
nia enumerans orationem in longum protraham)
morum facilitatem, lenitatem, ſummam modeſtiā
ac temperantiam, & quónam pacto, cùm in eos,
qui iniuriam alijs inferebant, acris ac vehemens
eſſet (nam hoc demū eſt quod admirationem me-
retur) ſuauis tamen & manſuetus, atque ipſo etiā
melle dulcior erat, cùm erga omnes alios, tum er-
ga famulos ſuos, qui magnum ſui erga ipſum amo-
ris argumentum edentes, dicebant, *Quis det nobis, vt*
de carnibus eius ſaturemur? Quòd ſi famulis ita cha- Iob 31.
rus & amabilis erat, quibus ſępe terrori eſſe neceſ-
ſe eſt, quantò magis cunctis alijs hominibus? Hæc
igitur, atque his plura, cùm apud te collegeris, agè
ad earum calamitatum, quas perpeſſus eſt, nume-
rum ſubducendum mecum te confer atque com-
parando videamus quo tempore clarior ac ſplen-
didior erat: túmne cùm illis virtutis muneribus
fungebatur, an cùm ea pateretur, quæ acerba erāt,
ac magnum ipſi mœrorem inurebant? Vtro igi-
tur tempore illuſtrior erat Iob? Túmne cùm do-
mum ſuam omnibus, qui eò iter faciebant, apertā
habebat: an cùm ea proſtrata nullum acerbū ver-
bum pronuntiauit, verùm Deum laudibus affecit?
Atqui illud virtutis munus erat: hoc perpeſſio. V-
tro tēpore inſignior erat, dic quæſo, cùm filiorum
cauſa ſacrificium offerebat, eoſque inter ſe conci-
liabat, an cùm ipſis domus ruina oppreſſis atque
obrutis, acerbiſſimoque mortis genere de medio
ſublatis, perquā ſapienter hunc caſum tulit? Vtro
tempore magis emicuit: cùm de ouium ipſius vel- Iob 32.
leribus nudorum humeri calefiebant, an cùm, al-
lato nūtio ignem de cælo cecidiſſe & vniuerſum
gregē vnà cū paſtoribus abſumpſiſſe, minimè cō-
motus ac perturbatus eſt, verùm calamitatem hāc
æquo & placido animo tulit? Vtro tempore maior
erat, cùm firma corporis valetudine ad eorum, qui
iniuriam acceperant, defenſionem ac præſidium
vtebatur, & iniquorum molas conterebat, atque
ex medijs ipſorum dentibus prædam eripiebat, op-
preſſiſque portus loco erat: an cùm corpus hoc
ſuum, quo ij, quibus iniuria fiebat, pro armis vte-
bantur, à vermibus corrodi conſpiciebat, atque in
ſterquilinio ſedens, accepta teſta illud ipſemet la-
cerabat? Glebas enim terræ mollio, inquit, ſaniem
radens. Atqui omnia illa virtutis opera erant: cō-
trà, hæc omnia, perpeſſiones: & tamen hæc ipſi ma-
iorem, quàm illa, ſplendorem attulerūt. Hoc enim
acerbiſſima prælij pars erat, maioremq; fortitudi-
nem animique firmitatem, & mentis ſapientiā, at-
que ampliorem erga Deum charitatē requirebat.
Eaque de cauſa, cùm illa fierent, impudenter qui-
dem ac perquàm improbè, ſed tamē obluctabatur
diabolus, his verbis vtens: *Numquid Iob fruſtrà colit*
Deum? At cùm hæc accidiſſent ſuffuſus terga de- Iob 1.
dit, ac ſeceſſit, vt qui ne impudentis quidem vl-
lius obiectionis vmbram aliquam haberet, quam
prætenderet. Hoc enim coronarum colophon
eſt, hoc ſummus virtutis apex, hoc perſpicuum
virtutis argumentum, hoc certiſſimum philoſo-

A phiæ in ingentem magnitudinem euectæ ſignum.
Porrò illud etiam oſtendens hic idem beatus Iob,
quantò acerbior ſit mœroris tyrannis, quàm mors,
hanc requietem appellabat. Mors enim, inquit, Iob 17.
vera requies. Atque eam, vt illa defungeretur, in ca. 5
beneficij & gratiæ loco petebat, dicens: *Quis det vt*
veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? Et
qui cœpit, ipſe me conterat, & ſuccidat me vſque in finem:
& vrbs ea, ſuper cuius muros ſaltabam, ſepulchrum mihi ſit.
ita omnium rerum grauiſſima eſt mœſtitia! Por-
rò quò grauior, eò quoque maiorem mercedem
habet. Vt autem aliunde quoque intelligas quan-
tus ex calamitatibus, quas quiſpiam perpetitur,
fructus promanet, etiamſi alioqui Dei cauſa mini-
mè perpetiatur (nemo me hoc loco hyperbolicè
loqui exiſtimet) modò ſtrenuo ac placido ani-
mo ferat, Deum propter omnia gloria afficiens,
idem hic, quòd propter Deum hæc pateretur, mi-
nimè norat, & tamen hoc ipſo quoque nomine
corona donabatur, quòd etſi cauſam haudqua-
B quam cognitam habens, forti tamen ac ſtrenuo
animo inflictas calamitates perferebat. Eodem
modo Lazarus quoque ille, in morbum prolap- Luc. 16.
ſus (hoc porrò non erat propter Deum pati) ta-
men quoniam eorum, qui ægrotantem curarent,
inopiam, mœroremque illum, quem & vlcera, &
fames, & diuitis contemptus atque crudelitas affe-
rebat, forti animo tulit, quas coronas conſecutus
ſit, non te fugit. Atqui nullum illius cum virtute
coniunctum facinus inuenimus, quòd commemo-
remus, non quòd pauperes miſericordia proſecu-
tus ſit, non quòd læſis opem tulerit, aut aliud quid-
dam eiuſdem generis cum virtute geſſerit: verùm
illud duntaxat, quòd pro diuitis foribus iacuerit,
quòd aduerſa valetudine laborarit, quòd ipſius
vulneribus canes linguas admouerint, ac denique
quòd diues eum ſit aſpernatus. Quæ quidem om-
nia ad perpeſſionem ſpectabant. Et tamen, licet
nullo alio egregio virtutis munere perfunctus,
C quandoquidem eam dumtaxat, quæ hinc ortum
trahebat, mœſtitiam ſtrenuo animo tulit, eandem
cum Patriarcha, qui tot res cum virtute geſſerat,
ſedem eſt conſecutus. Dicam præterea quiddam,
quod etſi nouum atque ab hominum opinione
alienum videatur, tamen verum eſt: nempe quòd
etiamſi quiſpiam magnum aliquod & illuſtre vir-
tutis munus effecerit, non tamen cum labore, ac
periculis & calamitatibus, haud magnā hinc mer-
cedem feret. *Vnuſquiſque* enim, inquit, *propriam mer-* Nulla virtus laborum expers magnam laudē refert.
cedem accipiet iuxta proprium laborem. Non dixit; Se-
cundùm rerum ex virtute geſtarum magnitudinē:
ſed, pro calamitatum, quas pertulerit, mole. Quo-
circa Paulus etiam ſe iactans, non ob id tantū glo-
riatur, quòd boni aliquid ac præclari geſſerit, ſed 1. Cor. 3.
D etiam quòd malis affectus ſit. Cùm enim dixiſſet,
Miniſtri Chriſti ſunt (vt minus ſapiens loquor) plus ego, at- 1. Cor. 11
que, quantò eis ſuperior ac præſtantior eſſet, ex
comparatione demonſtrare ſtuderet, non dixit:
Tot & tot hominibus Dei verbum prædicaui: ve-
rùm omiſsis ijs, quæ ex virtute geſſerat, mala ea,
quæ perpeſſus eſt, enumerat, his verbis vtens: *In*
laboribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus Ibidem.
frequenter. Quinquies quadragenas vna minus à Iu-
dæis accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum,
ter naufragium feci, die ac nocte in profundo maris fui,
in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum,
periculis ex genere, periculis in ſolitudine, periculis in mari,
periculis in falſis fratribus, in fame, in ſiti, in nuditate, præter
ea quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana. Vidéſne
perpeſsionum ſeriem, ac gloriandi occaſiones?
Mox autem, quæ etiam præclarè geſſerit, ſubiūgit.
Atque etiam in ijs rurſum perſpicere eſt, perpeſ-
ſiones maiores ſibi, quā res præclarè geſtas, partē
vendicare. Nam cùm dixiſſet, *Inſtātia mea quotidiana*
(quo vocabulo cōtinuas abſceſsiones & tumultus,
atque aduerſos euentus intelligit. nam hoc ſigni-

ficat ἐπιςύςασις) ſubiunxit, Sollicitudo omnium Eccleſiarum: quod quidem ad perpeſſionem magis, quàm ad res ex virtute geſtas pertinet. Et quæ ſequuntur, eodem modo. *Quis,* inquit, *infirmatur, & ego non infirmor?* Non dixit, *corrigo ac medeor:* ſed, *infirmor.* Ac rurſum, *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Non dixit, *eum ſcandalo liberaui:* ſed: *mœroris particeps ac ſocius fui.* Poſtea oſtendens iſta præſertim eſſe, quibus merces referatur, hæc verba ſubiunxit, *Si gloriari oportet, in his quæ infirmitatis ſunt, gloriabor.* Ac rurſum aliud eiuſdē generis ſubnectit, nimirum fugam eam, quam per feneſtram & ſportam ac murum corripuit. Hoc porrò ex incommodorum ac perpeſſionum genere erat. Quãobrem, cùm calamitatibus, quas quiſque perpetitur, magna merces conſtituta ſit, omnium autem calamitatum grauiſſima & acerbiſſima ſit mœſtitia, cogita, quæſo, quanta te præmia maneant. Neque enim hanc tibi cantilenam canere deſinam: vt, quod initio pollicitus ſum, hoc nunc præſtem, nēpe vt ab ipſamet mœſtitia rationes eas texam, quæ tibi mœſtitiæ conſolationem pariant. Atq; vt etiā aliunde, quanta res ſit, cum mali perpeſſione aliquid præclari agere, quantumque, idem ipſum citra negotium ac laborem efficere, ab eo remotum ſit, ex me diſcas. Babylonius ille Nabuchodonoſor, in ſceptris ac diademate viuens, Euangelico quondam munere functus eſt. Etenim poſt coniectos in fornacem adoleſcentes, ac miraculum illud editum, hoc muneris ſuſcepit, vt vniuerſo orbi concionatorem ſe præberet, non per linguam dumtaxat, ſed etiam per literas in omnes terræ partes ad hunc modum ſcribens: *Nabuchodonoſor rex omnibus populis, tribus & linguis, qui habitant in vniuerſa terra, pax vobis multiplicetur. Signa & prodigia, quæ Deus excelſus apud me fecit, placuit annuntiare vobis. Magna enim ſunt & fortia, & forte regnum eius, & regnum eius regnum ſempiternum, & poteſtas eius in generatione & generationem. Et edicto ſanxit, vt omnis populus, tribus & lingua, quæ locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach, & Abdenago, diſpereat, & domus eius ſit in direptionem.* Additque: *Neque enim alius eſt Deus, qui poßit ita ſaluare.* Vides minas in literis? Vides terrorem? Vides ſublimem prædicationem, ac literas, quaquauerſum diffuſas? Quid igitur, dic mihi? parémne Apoſtolis mercedē cōſequetur, quoniam Dei potentiam ita prædicauit, tantumq; ſtudij ac diligentiæ adhibuit, vt hanc doctrinam toto orbe nuntiaret? Certè ne decimam quidem partē, verùm infinitis partibus inferiorē. Atqui eodem, quo illi, munere functus eſt. Sit ita: ſed quia nullus hîc labor, nec vllius mali perpeſſio adiuncta eſt, idcirco merces ſucciditur. Hic enim pro poteſtate, ac ſine vllo periculo & metu hoc agebat: illi autem, cū prohiberentur, exagitarentur, tunderentur, flagris cæderentur, in ærumnis verſarētur, in præceps agerentur, in mare demergerentur, fame conficerentur, quotidianam mortem oppeterent, animi etiam cruciatu afficerentur, ad cuiuſq; infirmitatem infirmitate laborarent, ad cuiuſque offenſionem & ſcandalum vrerentur. Itaque pro his laboribus, ac præſertim pro mœrore, amplior eis merces eſt perſoluta. *Vnuſquiſque* enim inquit ille, *propriam mercedem accipiet iuxta proprium laborem.* (Nō enim id aſſiduè repetere deſinam.) Ob eamq; cauſam benignus Deus, cùm Paulus precibus ab eo, identidem contendiſſet, vt ſe ex calamitatibus & mœrore, ac dolore & periculis eriperet, id ipſi minimè conceſſit. *Pro hoc* enim, inquit, *ter Dominum rogaui:* nec tamen quod petebam, impetraui. Et ſanè, quid fuiſſet, quamobrem ampliſsima præmia caperet, ſi ſine labore ac moleſtia prædicaſſet, delicijs indulgens, atque in tranquillitate animique hilaritate degens, propterea quòd domi ſedens os diduxiſſet, ac linguā mouiſſet? Hoc enim cuiuis factu facile eſt, quālibet enim ignauo atq; abiecto, ac diſſolutè & delicatè viuenti. Nunc autem vulnerum, variorum mortis generum, curſuū, tam terrenorum, quàm marinorum, ipſius mœroris, lacrymarum, dolorum (*triennium* enim, inquit, *die ac nocte cum lacrymis non ceſſaui monere vnumquemque veſtrum*) coronas magna cum fiducia percepturus eſt. Hæc igitur animò & cogitatione complectens, quantumque acerbæ ac laborioſæ vitæ lucrum ſit, tecum conſiderans, gaude & lætare: vt quæ fructuoſam, atque innumeris coronis plenam iam inde à prima ætate viam tenueris, ac per crebras, imò continuas calamitates graſſata ſis. Etenim varius & multiplex, ſexcentiſque mortibus grauior, corporis morbus numquam te obſidere deſtitit. Conuitiorum etiam & contumeliarum agmen, & obtrectationes atque calumniæ in te ferri minimè deſierunt. Crebri denique, imò aſsidui, mœrores, ac lacrymarum fontes, per omne vitæ tempus moleſtiam tibi exhibuerunt. Horum porrò ſingula, vel ſola, eam vim habuerunt, vt ingentem ijs, qui ea ſuſtinuiſſent, vtilitatem afferrent. Nam & Lazarus ob ſolum morbum eandem cum Patriarcha ſedē conſecutus eſt: & Publicano conuitium Phariſæi eiuſmodi iuſtitiam attulit, quæ Phariſæi iuſtitiam ſuperaret: & denique Apoſtolorum princeps grauis illius ſceleris vlcus lacrymis ſanauit. Cùm igitur horum vnicuique vnam etiam duntaxat perpeſsionem ſuffeciſſe conſtet, pepende iam quot quantaſque ipſas mercedes perceptura ſis, vt quæ omnia ſimul, & quidem cum ingēti acerbitate ſubieris, idque per omne vitæ tempus. Neque enim vlla res æquè ſplendidos & admirandos homines reddit, tantoque bonorum aceruo cumulat, vt tētationum frequentia, & pericula, & labores, & mœrores, & perpetuæ inſidiæ, ab ijs, à quibus minimè decebat, cōparatæ: dum tamē omnia æquo & placido animo ferantur. Quippe ne filiū quidē Iacob quicquam perinde clarum ac beatum reddidit, vt illa tum in eum ſtructa calumnia, & carcer, & catena, & hinc contracta ærumna. Quanquam enim magna quoque pudicitiæ ipſius virtus erat, cùm Ægyptiacam libidinem ſuperauit, ac miſeram illam fœminam ad ſceleratum concubitum eum vocantem propulſauit; at hoc tamen non ita magnum ac præclarum eſt, vt ea quę perpeſſus eſt. Quænam enim laus eſt, dic quæſo, adulterium minimè perpetraſſe, nec alienum matrimonium perfodiſſe, nec lectum nihil ad ſe attinentē contaminaſſe, nec homini bene de ſe merito iniuriam intuliſſe; nec patroni ſui domum in probrum & infamiam cōieciſſe? At quod eum magnum & illuſtrē reddidit, illud demum eſt, nimirum periculū, inſidię, furor mulieris, quam libido captiuam tenebat, allata vis, ineuitabilis thalami carcer, quē adultera ipſi comparauerat, retia quæ omni ex parte expãderat, accuſatio, calumnia, carcer, catena, illud etiam quòd nihil æqui ac boni impetrans, poſt tātum certamen, ob quod cum corona donari par erat, tamquam reus ac nocens in vincula ducebatur, ac cum ijs, qui grauiſsima flagitia perpetrauerāt, includebatur, ſqualor item & ferrū carceris afflictio. Tum ſcilicet eum clariorem ac ſplēdidiorem cerno, quàm cùm in Ægypti ſolio ſedens frumentum egentibus tribuebat, & famem pellebat, & communis omnibus portus erat. Tum, inquam, eum clariorem & illuſtriorem cerno, cùm eum cōpedes & manicæ vinciebant, quàm cùm in luculētis veſtibus tantam potentiam, ac tantum principatum obtinebat. Etenim illud carceris tēpus, negotiationis atque ingentis quæſtus erat: hoc autem, luxus, remiſsioniſque animi, atque honoris, multas quidem voluptates habens, at nō item multum lucri. Ac propterea nō tam eum ſuſpicio atque admiror, cùm honor ei à patre habetur, quā cùm fraterna inuidia exagitatur, atque cōturbernales hoſtes habet. Nam domi ipſi iam inde à pri-

mis

Marginal notes: Mœſtitia calamitatum maxima. — Dan. 3. — 1. Cor. 3. — 2. Cor. 2. — Act. 20. — Calamitates Olympiadis. — Luc. 16. — Luc. 18. — Math. 26 — Ioſeph ob calamitates clarus — Geneſ. 39

Section letters: A — B — C — D

nis annis graue bellum excitabatur: & quidem ab ijs hoſtibus, qui, quòd ipſi ſuccenſerēt, nihil habebant, verùm eam ob cauſam extabeſcebant, ac dolore diſrumpebantur, quòd maiorē ipſe patris beneuolentiam obtineret. Porrò Legiſlator Moyſes hanc vim amoris, non à pueri virtute, ſed ab eo tēpore, quo procreatus eſt, cauſam atque ortū traxiſſe aſſerit. Nam quoniam ſeriùs quàm alij in lucem editus fuerat, inquit, atq; in extrema ſenectute (cordi autem maximè ſunt huiuſmodi filij, quòd præter ſpem extiterint) idcirco patri charus erat. Geneſ. 37 *Diligebat enim eum pater*, inquit, *quòd eum ſenex genuiſſet*. Hæc autem mea quidem ſententia ſcripſit Legiſlator, non, id quod res erat, narrans, verùm patris prætextum & obtentum. Quoniam enim adoleſcentem apud fratres inuidia flagrare perſpiciebat, vt huic eorum morbo mederetur, eam amoris cauſam effinxit, quæ non magnum ipſis liuorem procrearet. Nam quòd alioqui non ea amoris cauſa eſſet, verùm efflorescens animi virtus atque ætate maturior, ex Beniamin liquidò perſpici poteſt. Nam ſi eam ob cauſam ille amabatur, multò vtique magis hunc amari oportebat, qui natu minor erat. Siquidem Beniamin poſt Ioſephum ſatus eſt, atque à ſeniore patre procreatus. Verùm, vtiā à me dictum eſt, patris hoc figmentum erat, fraternum bellum exprimere ſtudentis. At ne hac quidē oratione id aſſequi potuit: verùm acrius flamma exardeſcebat. Et quia nihil aliud tū efficere poterant, fœdam labē ipſi aſperſerunt, ac turpe crimē in eum coniecerunt, barbaram videlicet mulierē fratres anteuertentes, ac multò ſceleratiores ea ſe præbentes. Illa enim in alienum, hi in fratrē improbi & ſcelerati exiſtebant. Ac ne his quidem finibus improbitatem ſuam circumſcripſerat: verū, vt ad priora ſemper aliquid adderent, omni ſtudio laborabant: eumq; in deſerto loco ſolum nacti iugularunt, & vendiderunt, atque ex libero ſeruum effecerūt, & quidem acerbiſſimo ſeruitutis genere. Neque enim eiuſdem nationis hominibus, verùm barbaris, aliena lingua vtentibus, ipſiſque etiam in barbaram regionem abeuntibus fratrem dediderunt. Inuidiam enim ac fœdam calumniam cædes excepit, & cæde atrocior ſeruitus. Neque enim leuiter à te, id quod dixi, prætereatur: verùm in mentem tibi veniat, quantum erat, nobilem adoleſcentem, in paterna domo cum omni libertate ac tāto patris amore educatum; ſubitò à fratribus, qui nihil, quod ipſi obijcerent, habebant, pretio addici, atq;, & barbaris diuerſa lingua vtentibus, ac prodigioſis moribus præditis, belluiſque potiùs, quā hominibus dedi, & extorrem atque exulem, ac ſeruū & peregrinū liberi & ciuis loco effici, ac poſt tantā felicitatem, qua ipſi frui contigerat, ad extremam ſeruitutis calamitatem, cuius prorſum inſolens erat, deuolui, eruditiſſimoſque dominus accipere, atque in alienā & barbaram terram abduci. Quin ne hic quidem malorum finis erat, verùm poſt admiranda illa inſomnia, quæ prænuntiabant fore, vt ipſe à fratribus adoraretur, inſidijs rurſum inſidiæ ſuccedebant. Nam ne ipſi quidem mercatores, qui acceperant, eum retinuerunt, verùm improbioribus rurſum barbaris vendiderunt. Porrò non te fugit, quanti ad calamitatem momenti ſit, tales dominos talibus dominis commutare. Hoc enim difficiliorem ac moleſtiorem ſeruitutem reddit, cum externi rurſum ſunt, qui emunt, ac prioribus atrociores. Pòſt in Ægyptum ingreditur, in illam inquā regionem, tum cum Deo bellum gerentem, & furore laborantem, vnde impudētia ora, vnde impiæ atque in Deum contumelioſæ linguæ promanabant. Atque apud Ægyptios exiſtit, quorum vel vnus duntaxat tantam vim habuit, vt magnum Moyſem fugitiuū & exulem redderet. Ac poſteaquā aliquantū illic reſpirauit (quòd videlicet benignus ac facilis Deus, reſque ab hominū opinio- A ne remotas adminiſtrans, immanem illam feram, quæ ipſum emerat, in ouem conuertiſſet) cōfeſtim ipſi rurſum arena comparabatur, rurſum ſtadium, rurſum pugnæ ac certamina, & ſudores prioribus acriores. Sceleratis enim oculis eum hera conſpicata, ipſiuſque pulchritudine, atque oris elegantia ſuperata, prorſuſque amoris affectu correpta, præ impudica hac cupiditate leænam ſeſe pro fœmina præbebat. Ita rurſum domeſticus atque inteſtinus hoſtis erat, contrario tamen, quàm priores, animo ac mente præditus. Illi enim odio adducti ſunt, vt eum domo eijcerent: hæc contrà amans, ac iuuenis cupiditate incenſa. Et quidem duplex, imò triplex, ac multiplex hoc bellum erat. Neque enim quia retia ſaltu ſuperauit, ac breui temporis puncto laqueum diſſecuit, idcirco eum hoc certamen ſine labore & mœſtitia confeciſſe exiſtimes. Siquidem ingentem ſudorē in ea re ſubijt. Ac ſi id perſpicuè ſcire tibi cordi eſt, cogites velim cuiuſmodi res ſit iuuentus, ac iuuentutis flos. Nam tum in ipſo iuuentutis flore erat: B quo ſcilicet tēpore acrior naturæ flamma exiſtebat, quo tempore ingens libidinis tempeſtas, quo denique tempore imbecillior ratio. Iuuenum enim animi non admodum magno prudentiæ præſidio muniuntur, nec magnum virtutis ſtudium & curam gerunt: verùm & perturbationum tempeſtas atrocior eſt, & ratio, quæ eas gubernat ac moderatur, infirmior. Iuueniles animi prudētia fere deſtituti. Ad naturam autem & ætatem illud etiam accedebat, quòd ingens mulieris impudicitia erat. Dan. 3. Vt enim Perſicæ illæ manus Babylonicam fornacem magno ſtudio accendebant, copioſo igni alimoniam præbentes, ac varios flammæ fomites admouentes: eodē quoque modo tunc infælix illa & ærumnoſa mulier flammam fornace illa grauiorem ac periculoſiorem accendebat, vnguenta nimirum olens, genarum frictionibus, oculorum picturis, fracta & eneruata voce, motibus, ingreſſibus, laſciuiens, molli veſtitu, auri ambitu, ac ſexcentis alijs eiuſdem generis illecebris & impoſturis adoleſcentem à mente deducens. C Simile. Et quemadmodum peritus quidā venator, fera captu difficili potiri ſtudens, nullum artis inſtrumentum immotum relinquit: ad eundem etiam modum ipſa iuuenis pudicitiam perſpectam habens (nec enim ea ipſi in tanto tempore incognita eſſe poterat) ingenti ſibi ad iuuenē in captiuitatem redigendum apparatu opus eſſe iudicauit. Ob eamque cauſam nulla libidinis machina erat, quam non moueret. Ac ne hæc quidem ſatis eſſe ducens, tempus inſuper & locum ac prædā appoſitè requirebat. Quamobrem haud ſtatim atque ſe ipſius amore captam eſſe ſenſit, eum adorta eſt: verùm diu expectauit, improbam hanc cupiditatem parturiens, ac ſe comparans: quòd vereretur, ne, ſi celeritatem adhiberet, ac tumultuariè inſidias moliretur, præda effugeret. Cùm autem aliquando tādem eum domi ſolum inueniſſet, D voraginem iam fodit, ac voluptatis pennis vndique expanſis, tanquam medijs retibus interceptam aquilam iam habens, irrepit, ac ſola ſolum nacta (imò, vt rectius loquar, non ſola: nam & ætatem, & naturam, ac denique ſuas ipſius machinas rei gerendæ ſocias habebat) generoſum illum adoleſcentem ad nefariū facinus per vim deinceps trahit. Ioſephi caſtitas. Quid hac tētatione grauius fingi queat? Quid hac fornace ac flamma vehementiùs & acriùs? Iuuenem nitidum ac vigētem, ſeruum, deſtitutum, vrbe carentem, hoſpitem, exulem, ab hera vſqueadeo libidinoſa & furente, tantis opibus tantaque potentia circunfluente, in tanta ſolitudine (nam hoc quoque ad huiuſmodi capturam conducit) correptū teneri atque illecebris deliniri, & ad herilem lectum duci, idque poſt tot pericula & inſidias. non enim te fugit, pleroſq; poſteaquam calamitatibus ac rerum acerbitatis confecti ſunt, ſi ad luxum animique remiſſionem, & molle ac diſſolutum vitæ genus vocētur, prom-

ptius accurrere ſolere. At non ille: verùm tolerãtiam conſtãter in omnibus rebus præ ſe tulit. Equidem ipſe hunc thalamum & Ba bylon icam fornacem, & Danielis lacum, & marinæ belluæ vẽtrem, in quem Propheta incidit, appellare haud dubitẽ: imò etiam his longè grauiorem. Illic enim corporis interitus, inſidiarum victoria erat: hîc autẽ animæ exitiũ, & mors ſem piterna, & calamitas omnis conſolationis expers. Nec verò hoc dumtaxat nomine grauis ac periculoſus hic lacus erat, ſed etiam quia præter vim ac dolum ingenti quoque libidine plenus erat, multoq; ac vario & multiplici igne, non corpus vrente, verùm animam ipſam inflammante. Id quod etiam Salomon, qui, quàm periculoſum ſit cum muliere matrimonio cum viro copulata congredi, maximè perſpectum & exploratum habebat, [Prou. 6.] his verbis vtitur: *Quis alligabit ignem in ſinu ſuo, & veſtimenta eius nõ ardebunt? Quis ambulabit ſuper prunas, & pedes eius non cõburentur?* Sic omnis qui ingreditur ad mulierem proximi ſui, non erit mundus, cũ tetigerit eam. Quod autem ait, hãc ſententiam habet: Quemadmodum fieri nequit, vt qui in igne verſatur, non exardeſcat: ſic nec fieri poteſt, vt qui cõſuetudinem cum fœminis habet, incendium, quod hinc oritur, effugiat. Hic autem, quod multò grauius ac periculoſius erat, ſuſtinuit. Nõ enim eã ipſe attigit, verùm ab ea detinebatur, ſolus à ſola interceptus & comprehenſus: idque cùm iam tot calamitatibus confectus, tot inſidijs afflictus eſſet, ac requietis & ſecuritatis cupiditate teneretur. Et tamẽ, cùm inter tot retia verſaretur, ac variam & multiplicem feram impetum in ſe facere, & ſagittis omni ex parte ſe appetere conſpiceret (hoc eſt, per tactum, per vocem, per oculos, per fucũ & pigmenta, per aurea ornamẽta, per vnguenta, per indumenta, per mores, per verba, per mundum muliebrem quem geſtabat, per ſolitudinem quæ id afferebat vt nemo id ſcire poſſet, per potentiæ amplitudinem) ac præterea ipſa, vt ſuperiùs à me dictum eſt, ætatem, naturam, ſeruitutem, atque in aliena regione commorationem, rei gerendæ ſocias & opitulatrices haberet, omnem illã flammam ſuperauit. Ego verò hanc tentationem, & fratrum inuidia, & propinquorum odio, & venditione, & barbarorum dominatu, & longa peregrinatione, & in aliena regione commoratione, & carcere, & catena, & diuturno tempore & omnibus ærumnis quibus illic conflictatus eſt, multò grauiorem eſſe confirmo. Siquidem de animæ ſalute periculum ipſi creabatur. Poſteaquam autem hoc quoq; bellum effugit, atque hic etiam, partim Dei gratia, partim iuuenis virtute (tanta enim in eo trãquillitatis animi & pudicitiæ copia erat, vt etiam illius furorem comprimere & extinguere ſtuduerit) roſcidus ſpiritus perflans extitit: poſteaquam, inquam, ipſe intactus exceſſit, non ſecus videlicet atque adoleſcentes illi, qui Perſicã flammam effugerunt [Dan 3.] (neq; enim, vt Scripturæ verbis vtar, ignis odor in illis erat) magnuſq; caſtitatis pugil emicuit, atque adamantem imitatus eſt, quid ſtatim ſit concutus, quidque victorem poſt certamen exceperit, videamus. Inſidiæ rurſum, & voragines, & mors, & pericula, & calumniæ, & odium iniquum ac ſtolidum. Miſera enim illa mulier graui furore percita, animi acerbitate amorem ſolatur, affectũque affectui copulat, ac petulanti & impudicæ cupiditati ſceleratam iram adiungit, & poſt adulteriũ carnifex efficitur. Atque ingentem feritatem ſpirans, nilque præter cædem ob oculos ſibi proponens, tribunal conſtituit, corruptumque iudicem collocat, hoc eſt illius herum, virum ſuum, barbarum, Ægyptium: crimenque nullo teſtimonio ſubnixum inducit. Ac ne tribunal quidem ingrediendi poteſtatem reo facit, verùm abſentem accuſat, iudicis nimirum ſtultitia & beneuolentia, & perſonæ ſuæ, vt cui fides haberetur, ſatis ido-

A neæ, authoritate, ac denique eius, qui accuſabatur, ſeruitute freta. Sic rem, contrà ac geſta fuerat, narrans, iudicem ſuperauit, eumque adduxit, vt ſecundum ſe iudicaret, inſontemque damnaret, eiq; grauiſſimam pœnam imponeret. Ac ſtatim carcer, & abductio, & vincula. Ac ne iudicem quidem ſciens, condemnabatur eximius ille vir. Et, quod grauius eſt, vt adulter condemnabatur, vt herilis lecti appetitor, vt alieni matrimonij perfoſſor, vt conuictus & deprehenſus. Nam & iudex, & accuſatrix, ac denique pœna, quæ ſubſequebatur apud multos ac veritatis ignaros, hoc efficiebant, vt fabula fidem inueniret. At nihil horum animũ illius conturbauit, nec dixit: Hæccine ſomniorum remuneratio eſt? hiccine viſorum illorum euentus? hæccine pudicitiæ præmia? Præceps ac ſtolidum iudicium, iniqua ſententia, atque improba rurſum exiſtimatio. Tanquam ſcortator domo patria nuper eiectus ſum: tanquam adulter & muliebris pudicitiæ perfoſſor ac violator in carcerem nunc ducor, atque omnes de me ſententiam ferunt. Ac fratres B quidem, à quibus adorandus eram (hoc enim ſomnia oſtendebant) in libertate & ſecuritate, ac delicijs, atque in patria & paterna domo ſunt: ego autem, in cuius imperio ac poteſtate illi futuri erant, cum ſepulchrorum effoſſoribus, cum prædonibus, cum furibus hîc vinctus teneor. Ac ne patrijs quidem ſedibus exturbatus, tumultibus negotijſque liberor: verùm etiam in extera regione barathra nos rurſum ac præacuti mucrones excipiũt. Cumque ea, quæ tantum ſcelus perpetrauit, ac tantam in me calumniam ſtruxit, atque vtriuſque ſceleris nomine ſupplicium extremum meretur, choros nunc agat & exultet, ac velut victoriã ac luculentam palmam adepta, caput corona redimitum habeat: ego contrà, qui nihil ſceleris admiſi, grauiſſimam pœnam pendo. Nihil horum ille aut locutus eſt, aut mente agitauit: verùm, vt pugil per coro- C nas gradiens, ſic ipſe læto atque hilari animo erat, atque ita comparato, vt iniuriarũ, quas à fratribus, & ab adultera acceperat, memoriam nullã retineret. Vnde autem id conſtat? Ex ijs nempe verbis, quæ ipſe ad aliquem eorum, qui illic in vinculis erant, quondam habuit. Tantum enim ab eo aberat, vt mœrore caperetur, vt alijs etiam mœſtitias diſcuteret. Nam cùm illic quoſdã perturbatos ac mœrore affectos vidiſſet, ad eos ſtatim, vt cauſam intelligeret, acceſſit. Cumque huiuſmodi perturbationem à nocturnis quibuſdã viſis inſomnijſq; profectam eſſe cognouiſſet, inſomnia diſſoluit. Ac poſtea cum vno eorũ agens, vt pro ſua liberatione [Gen. 40.] verba ad regem facere ne obliuiſceretur (nam etſi fortis atque admirandus vir erat, at homo tamen erat, nec in catenis illis contabeſcere cupiebat) cũ eo inquam agens, vt ſui apud regem memor eſſet, eique, vt ſe è vinculis emitteret, perſuaderet, coactuſque cauſam etiam commemorare ob quam in D carcerẽ coniectus fuerat (quò videlicet is, qui pro ſe deprecaretur, ſpecioſam ſuſcepti ſui patrocinij cauſam haberet) nullius eorũ, à quibus læſus fuerat, mentionem fecit: verùm cùm ſe criminibus liberaſſet, his finibus ſe tenuit, nec eos, à quibus iniuriam acceperat, adiunxit. Ideo enim, inquit, furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hîc nullo ſcelere perpetrato, in lacũ iniectus ſum. Ecquid autẽ taces de meretrice, de adultera, de fratricidis, de inuidia, de venditione, de heræ furore, de impetu, de libidine, de laqueis, de machinis, de calumnia, de iniquo iudicio, de corrupto iudice, de nefaria ſententia, de condemnatione ab omni ratione aliena? Ecquid hæc occultas? Quoniam, inquit, iniuriarum memoriam retinere neſcio. Hæc mihi coronæ ſunt, & præmia, maioriſque lucri occaſio. Vides animum philoſophicum? Vides purum ab ira? Vides rebus aduerſis & acerbis ſublimiorẽ? Vides eorum potius, à quibus læſus fuerat, vicem do-

Digitized by Google

lentem, quàm iniuriarum acceptarum memorem? Nam ne fratres, aut carnificem illum in medium proferret. Furtim, inquit, ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hîc nihil ſceleris perpetraui. Nec vſquã perſonæ meminit, nec lacus, nec Iſmaëlitarũ, nec cuiuſquã alterius rei. Et tamen poſtea nõ vulgaris eum tentatio excepit. Is enim, qui tantã ab eo conſolationem acceperat, atque iuxta ipſius vaticinium vinculis liberatus, & in priſtinum honoris gradum reſtitutus fuerat, poſteaquam beneficium conſecutus eſt, precationis viri iuſti memoriam abiecit. Ac famulus quidem in regia aula erat, ingenti fælicitate fruens: is autem qui Solem ſplendore ſuperabat, atque vſqueadeo claros ac nitentes virtutis radios emittebat, carcerẽ adhuc habitabat; nec quiſquam erat, qui de eo regem commonefaceret. Siquidem plures adhuc ipſi coronas texi, maioreſque palmas comparari oportebat. Ac propterea longiora curſuum ſpatia tum figebantur: Deo nimirum ſcommata quidem manere ſinente, ac eum tamen haudquaquam omnino deſerente, verùm inſidiatoribus, quæ ſua erant, eò vſque oſtendere atque exequi permittente, vt tamen pugili exitium minimè afferrent, nec virtutis propugnatorem de medio tollerent. Etenim in lacum quidẽ eum conijci, ac veſtem cruentari permiſit: at non item ipſi cædem inferri ſiuit. Verùm id quidem vnus è fratribus ſuaſit: ſed id totum diuino conſilio ac prouidentia fiebat. Quod etiam in Ægyptiaca muliere contigit. Quid enim cauſæ eſt, dic quæſo, quamobrem ferox hic & impudicus vir (Ægyptiorũ enim mores noſti) hic, inquam, iracundus & ad indignationem animi procliuis (nam hic quoque affectus incredibilem in modum ipſis ineſt) eum, quẽ adulterum eſſe, atque vxori iniuriam intuliſſe credebat, non ſtatim gladio concidit, aut flammis deleuit, verùm cùm ita præceps atque incõſideratus eſſet, vt ad vnius partis arbitrium ſententiam ferret, ac ne cauſam quidem dicendi poteſtatem reo faceret, tamen ſupplicij tempore ingentis facilitatis & clementiæ ſpecimen ediderit: idque cùm furentem, rabie laborantem, vim illatam quærentem, laceratas veſtes circunferentem, atque hinc magis exardeſcentem, ac lugentem & lamentantem vxorem perſpiceret? Et tamen nihil horum ipſum ad cædẽ incendit. Quî tandem iſtud, dic quæſo? An non perſpicuum eſt, quòd is, qui leonum impetum tãquam iniecto fræno repreſſit, & fornacis ardorem ſuſtulit, idem immodicã quoque huius belluæ indignationem, atque immanem iram extinxit, vt ſupplicium adhibita mediocritate tẽperaretur? Id quod etiam in carcere cõtigiſſe quiſpiã perſpiciat. Deus enim ita eum in vincula conijci, ac cum nocẽtibus & facinoroſis eſſe permiſit, vt tamen eum ab eius, qui carceri præerat, importunitate ac ſæuitia eripuerit. Nam cùm, quibus moribus eſſe carceris præfectus ſoleat, minimè ignores, tamen ipſi tum lenis ac placidus erat: ac non modò eum nullis laboribus premebat, ſed etiam eorum omnium, qui illic tenebantur, principatum ipſi conceſſerat: idq; cùm eum vt adulterum accepiſſet, vt nocentem, & quidem nobilem & inſignẽ adulterum. Non enim in tenuem & obſcurã, ſed in magnam & ſplendidã domum ſcelus hoc tragicũ aggreſſus eſſe cenſebatur. Nec tamen quicquã horum eum terruit, eique perſuaſit, vt acerbitate in ipſum vteretur. Verùm ſimul, & per calamitates viro iuſto coronæ texebantur: & Dei auxilium copioſiſſimè ac largiſſimè ipſi affluebat. Longiorem adhuc hanc epiſtolã facere cupiebam: ſed quia hæc quoque, quæ ſcripſi, epiſtolæ modum longè ſuperant, hîc finem ſcribendi faciam, illud abs te petens, quod nunquam petere deſtiti, nempe vt & mœrorem abijcias, & (quod ſemper feciſti, atque etiamnum facis) Dei gloriam prædicare, ac de grauibus & acerbis omnibus his rebus ipſi gratias agere ne intermittas.

A Hac enim ratione tum ipſa maxima bona percipies, tum mortiferum diabolo vulnus infliges, tum nobis ingentem conſolationem afferes: & mœroris nubem nullo negotio diſcutere ac de medio tollere, puraque tranquillitate frui poteris. Quocirca nec animo elangueſcas, verùm ab hoc fumo emerſa & liberata (omnem enim hunc mœrorem, ſi volueris, fumo citius diſſipabis) de hac re nos rurſum certiores facias: vt, licet alioqui procul à te remoti, magnam tamen ex huiuſmodi literis conſolationem capiamus.

Eidem Epiſtola IIII.

Eſt cõſolatoria ſicuti præcedens, & primò hortatur eam vt valetudinẽ curet.

DE hyemis acrimonia, & ſtomachi imbecillitate, atque Iſauricis incurſionibus, nihil eſt quãobrem in ſollicitudine verſeris, curiſque te conficias. Quamuis enim hyems eiuſmodi fuerit, qualẽ in Armenia eſſe veriſimile eſt (nec enim amplius quicquam dicendum eſt) nos tamen haud magnopere lædit. B Hoc quippe proſpicientes, ad incommodum, quod hinc contrahitur, propulſandum multa molimur: nimirum & ignem perpetuò accendentes, & cubiculum, in quo commoramur, vndique obſepientes, & pluribus veſtibus ac ſtragulis vtentes, & domi ſemper manentes. Quod etſi nobis moleſtum eſt, tamen ob lucrum, quod hinc capimus, tolerabile eſt. Quandiu enim domi nos tenemus, frigore haud admodum diuexamur. Sin autẽm aliquantum progredi, atque in externo aëre verſari cogamur, non paruo hinc detrimento afficimur. Te verò obſecro, atque ſummi beneficij gratiæque loco id abs te peto, vt ad depellendam corporis infirmitatem magnam curam & diligentiam conferas. Etenim morbum quidẽ mœror etiã efficit: cùm autem corpus quoque laboribus confectum, & morbis debilitatum eſt, ac neglectum iacet, eaque conditione eſt, vt nec medicorũ ope atque auxilio, C nec aëris tẽperie, nec rerum neceſſariarum copia fruatur, quanta hinc acerbitatis & periculi acceſſio fiat, velim tecum reputes. Quamobrem te oro, vt & varios peritoſque medicos adhibeas, & ijs medicamentis vtaris, quæ huiuſmodi morbos pellere queant. Quandoquidem nos etiam paucis antè diebus, cùm ob aëris ſtatum procliuis nobis ad vomitus ſtomachus eſſet, atque & alijs curationis generibus, & pharmaco eo, quod à domina mea lectiſſima & ornatiſſima ſenatrice miſſum eſt, vſi eſſemus, nec vltra tres dies illud adhibere nobis neceſſe fuiſſet, ipſius imbecillitatẽ correximus. Itaque te quoque hortor atque oro, vt his vtaris, déſque operam, vt huiuſmodi medicamentum ad nos rurſum mittatur. Nam cùm quandã ſtomachi ſubuerſionem rurſum ſenſiſſemus, eodem rurſum remedij generi vſi, malum omnino profligauimus. D Quippe & inflammationes in imo pectore conditas ſedat, & pituitam exhaurit, & mediocri calore præditum eſt, & vigorem haud vulgarem affert, & ciborum appetitum excitat: atque harum omnium rerũ nobis paucis diebus experimentum præbuit. Fac igitur dominus meus cũprimis venerandus Theophilus comes exoretur, vt nobis rurſum idem medicamentum conficiat, atque ad nos mittat. Nec verò hoc nomine diſcrucieris, quòd nos hîc hyememus. Multò enim meliore nunc atque commodiore, quã ſuperiori anno, valetudine ſumus. Quare ſi tu quoque, quam par eſt, curã adhiberes, multò melius valeres. Quòd ſi ex animi mœſtitia & cõſternatione morbos tuos ortum traxiſſe ais, ecquid rurſus à nobis epiſtolas requiris, cũ hinc ad alacritatẽ animi nihil fructus ceperis, verũ mœroris vndis ita demerſa ſis, vt nunc etiã ex hac vita migrare cupias? An ignoras quanta morbo quoque merces conſtituta ſit? An non de hac re, & corã, & per literas perſæpe ad te diſſerui? At quoniã te fortaſſe, vel negotiorũ turba, vel ipſa morbi natura, & crebræ

Morbis quoque merces conſtituta.

 aduerſi-

A aduerſitates,eorum,quæ à nobis dicta ſunt,memoriam animo tuo perpetuò inſonantē habere non ſinunt, audi nos rurſum mœroris tui vlceribus eadem accinentes. Eadem enim ſcribere, mihi quidē non pigrum,tibi autem tutum eſt. Quid igitur aio, ac literis mando? Nihil eſt,Olympias, quod ad laudem & gloriam adipiſcendam cum patientia in doloribus perferendis comparari poſſit? Nam ea præſertim,virtutum regina,& coronarum apex eſt. Et quemadmodum ea virtutibus alijs præſtat: ita in ea hoc potiſſimū genus alijs antecellit. Quoniam autē obſcurius aliquantò fortaſſe eſt quod dico, idcirco planiùs ac dilucidiùs iſtud faciam. Quidnam igitur eſt quod aio? Non opibus ſpoliari,etiamſi omnibus prorſus facultatibus quiſpiā nudetur, non honore deijci,non patrijs ſedibus exturbari,atque in exiliū abduci,non laboribus ac ſudoribus diſtorqueri, nō carcerem incolere,ac catenis vinciri, non probra, & conuitia,& ſcommata(neque enim paruum tolerantia genus eſſe exiſtimes res eiuſmodi forti ac ſtrenuo animo ferre, idque oſtendit Hieremias, vir **B** tantus,tamq; eximia virtute præditus, qui hac tentatione non mediocriter cōmotus ac perturbatus eſt)non liberorum amiſſio,etiamſi omnes repētina morte abripiantur, non hoſtes perpetuò inſultantes,non aliud quippiam eiuſmodi,non deniq; mors ipſa,quæ rerum omnium,quæ moleſtiæ & acerbitatis ſpeciem habent,caput eſt,atque vſqueadeò formidabilis & horrenda eſt,æquè grauis & acerba eſt, vt aduerſa corporis valetudo.Cui rei teſtimonio eſt ſummus ille patientiæ pugil, qui poſtquam in corporis morbum incidit, prementium malorum depulſionem mortem eſſe iudicauit. Et quidem,cùm cuncta alia perpeteretur,minimè ſentiebat: quāuis etiam crebras ſibique inuicem ſuccedentes plagas accipiens, ac poſtremam acerbiſſimam & lethalē. Neque enim hoc exigui momenti eſſe putandum eſt,verum extremæ quoque eius, qui bellum ipſi inferebat, improbitatis & verſutiæ, quòd non recenti & vegeto, ac tum primum in certamen deſ**C**cendenti, ſed iam continuorū telorum mole confecto, tum denique mortiferum hoc vulnus (de filiorum amiſſione loquor) inferret, idque tam grauiter & acerbè, vt ex vtroque ſexu omnes ſubitò, & immatura ætate, & violenta morte opprimeret, ac mortis modum extemporaneum ipſis tumulum efficeret.Neque enim pater iacentes in lecto vidit, nec manus exoſculatus eſt,nec extrema verba excepit, nec pedes & genua tetigit, nec moribundorum ora contraxit,oculoſque clauſit (quæ quidem parentibus,cùm à filijs diuelluntur, non paruam conſolationem afferunt) nec alijs ad ſepulchrum præmiſſis alios domi inuenit, ex quorum aſpectu mœrorem,quem ij,qui è vita exceſſerant,ipſi afferebant,minueret,verùm conuiuij tempore, & qui**D**dem conuiuij, non temulentia, ſed charitate conferti,in fraterni amoris menſa,ſuper thorum iacētes,omnes defoſſos atque obrutos eſſe audiuit,omniaque inter ſe mixta fuiſſe, nimirum cruorem,domum,pocula,tectum,menſam,puluerem, membra filiorum. Et tamen,cùm hæc audijſſet,ac priùs etiā alia,quæ & ipſa grauia,& acerba erant (nam & illi pecudum greges miſerè perierant, & vniuerſa armenta, partim igne cælitus lapſo abſumpta, partim à varijs hoſtibus repente abrepta, & cum ipſis paſtoribus conciſa & obtruncata fuiſſe improbus huius tragœdiæ nuntius referebat) cùm, inquam, tantam in agris,domi,in pecudibus,in liberis tēpeſtatem excitatam, fluctuſq; fluctibus ſuccedētes, & continuos ſcopulos, & profundam caliginē, & intolerandum naufragium conſpiceret, nec mœrore premebatur,nec ea,quæ acciderāt, penè ſentiebat, hoc eſt,hactenus dūtaxat,quatenus homo,& pater erat. At poſteaquàm morbo atq; vlceribus deditus eſt, tum verò & mortē adoptabat, & in luctu ac lamentis verſabatur . Ex quo intelligas licet queādmodum hoc omnibus rebus aduerſis grauius ſit,ac ſummum patientiæ genus. Atque hoc ne peruerſus quidem dæmon ignorabat. Ac proinde,cùm omnibus illis rebus tentatis pugilem tranquillum & à perturbatione immunē manere perſpiceret,ad hoc certamen , tanquam omniū maximum ſe contulit, cætera videlicet omnia tolerabilia eſſe ducens, etiamſi liberos,etiamſi fortunas, etiamſi quicquā aliud amittat(id enim his verbis deſignatur, *Pellem pro pelle.*)at eam demum mortiferam plagā eſſe, cùm quiſpiam in corpore dolores excipit. Quocirca poſt hoc certamen ſuperatus,ne hiſcere quidem auſus eſt: cùm alioqui priùs impudentiſſimè obniteretur,ac contrà pugnaret. Hîc,inquam,iam ne impudens quidem aliud reperire potuit, quod fingeret: verùm pudore ſuffuſus pedem retulit. Verùm ne hoc tibi ad ipſius quoque mortis cupiditatem idoneam excuſationem eſſe ducas, quod ille dolorum vim & acerbitatem non ferens,mortis deſiderio tenetur,in mentem enim tibi veniat, quonam ille tempore, quoque rerum ſtatu eā expetebat: hoc eſt, cùm nec lex data eſſet, nec Prophetæ extitiſſent, nec gratia ita diffuſa eſſet, nec ipſe alia diuinæ philoſophiæ genera percepiſſet. Nam quod à nobis plura, quàm ab illis,qui tum viuebant, requirantur, maioreſque nobis palæſtræ conſtitutæ ſint,audi Chriſtum dicentem: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm Scribarum & Phariſæorum,non intrabitis in regnum cælorum.* Quamobrem ne mortem nunc exoptare, culpa carere exiſtimes: verùm hanc Pauli vocem audias: *Diſſolui, & eſſe cum Chriſto multò melius eſt: manere autem in carne,neceſſarium propter vos.* Quantò enim magis ingraueſcit calamitas: tantò etiam magis exuberant coronæ. Quantò magis aurum inflammatur: tātò etiam purius redditur. Quantò longiùs nauigat mercator:tātò plures merces cumulat. Quocirca ne paruum nunc tibi propoſitum eſſe certamen putes, verùm omnium quæ ſuſtinuiſti, altiſſimum, maximeq; ſublime,de eo loquor, quod in corporis aduerſa valetudine ſitum eſt. Nam & Lazaro(licet enim hoc exemplo ſæpe ad te vſus ſum, quo minus tamen nunc adhuc eo vtar,nihil prohibet) ad ſalutem hoc ſatis fuit. Atque in ſinum eius,qui cōmunem omnibus prætereuntibus domum habuit, & propter Dei iuſſum atque imperium perpetuò extorris fuit,ac germanum & vnicum filium,in ſenectute acceptum obtruncauit,is,qui nihil horum fecerat,idcirco abſceſſit, quia paupertatē & morbum,ac patronorum inopiam æquo & facili animo tulit. Tantum enim bonum iſtud eſt, ijs, qui forti ac ſtrenuo animo ferunt, vt etiamſi hominem aliquem,qui maximis peccatis ſeſe deuinxerit, nanciſcatur,grauiſſima peccatorum ſarcina eum liberet:ſin autem probum virum ac multis virtutis muneribus perfunctum,ei non exiguum, ſed perquam ingentem fiduciæ cumulum afferat. Siquidē iuſtis ſplendida corona eſt, Soliſque fulgorem incredibili quodam interuallo ſuperans:& ijs, qui in peccatum lapſi ſunt,maxima expiatio. Eaq;de cauſa eum quoque,qui paternum matrimonium perfoderat ac violarat, ipſiuſque lectum contaminarat,Paulus in interitum carnis tradit: hac videlicet eum ratione purgans. Nam quòd ea re tanta macula purgaretur, audi eum dicentem, *Vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Quinetiam cùm alijs maximè horrēda crimina obijceret, hoc eſt ijs,qui ſacroſancta menſa,& arcanis illis myſterijs indignè fruuntur,dixiſſetque eum, qui id ſceleris admiſiſſet,*reum fore corporis & ſanguinis Domini,* vide quānam ratione hoc etiam ab hac fœda & graui macula repugnari atque abſtergi dicat, his verbis vtens, *Propterea inter vos multi infirmi & imbecille.* Ac poſtea illud demonſtrans,res eorum non in hoc ſupplicio hæſuras eſſe,verùm nonnihil quoq; lucri atque vtilitatis hinc rediturum, nēpe vt ſce-

leris

Patientia nihil glorioſius.

Hier. 15.

Morbo nihil acerbius.

Iob 1.

Matth.5.

Phil.1

1 Cor.5.

1.Cor 11

leris pœnis hac ratione liberemur, hæc verba ſubiungit, *Si enim nos ipſos iudicaremus, nõ vtiq; iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Quod autem etiam ij, qui multa rectè & cum virtute geſſerunt, plurimum hinc lucri ferant, tum ex Iob liquidò perſpicitur, qui maiorem hinc ſplendorem conſecutus eſt, tũ ex Timotheo, qui, cùm & à vitio alienus eſſet, & tantum munus adminiſtraret, & cum Paulo terrarum orbem circumuolaret, non duos aut tres dies, non decem aut viginti, aut cẽtum, ſed multò plures, imò aſſiduè in morbo verſabatur, atque ingenti corporis imbecillitate laborabat. Quod quidem etiam Paulus indicans, his verbis vtebatur: *Modico vino vtere propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates.* Nec ipſius morbum profligauit is, qui mortuos ad vitam reuocabat, verùm eum in morbi fornace verſari permiſit, quò ampliſſimæ libertatis ac fiduciæ opes hinc ipſi cogerentur. Nã quæ à Domino ipſe perceperat, quæque ab eò didicerat, eadem quoque diſcipulo tradebat. Quamuis enim ipſe in morbum minimè laberetur, at tentationes tamen eum, non minùs quàm morbi, tamquam impactis colaphis torquebant. *Datus eſt* enim *mihi*, inquit, *ſtimulus carnis, angelus Satanæ, qui me colaphizet*, his nimirum verbis vincula, & catenas, & carcerem intelligens, illudque etiã, quòd raptaretur, ac laceraretur, virgiſque à carnificibus excruciaretur. Quamobrem etiam dolores eos, qui hinc carni accedebant, non ferens, hunc ſermonẽ habebat: *Propter hoc ter Dominum rogaui* (ter autem hoc loco ſæpè ſignificat) vt ab hoc ſtimulo liberaretur. Poſtquam autem id minimè obtinuit, quantaque huius rei vtilitas eſſet, intellexit, tum verò conquieuit, atque ex ijs, quæ fiebant, voluptatem cepit. Ad eundem igitur modum tu quoque, etiãſi domi maneas, lectoque affixa ſis, ne propterea inertem vitam ducere te exiſtimes. Siquidem ijs, qui à carnificibus raptãtur, lacerãtur, excruciãtur, atq; extremis ſupplicijs mactãtur, grauiora & atrociora ſuſtines, nimirum ſummã huius morbi acerbitatem domeſtici atque inteſtini tortoris loco habens. Quæ cùm ita ſint, caue aut mortem nũc expetas aut corpus curare negligas. Neq; enim hoc tutũ fuerit. Ac propterea Paulus quoq; Timotheũ, vt valetudini ſuæ diligẽter ac ſedulò cõſulat, admonet. Sed de morbo ſatis multa à nobis verba facta ſunt. Quòd ſi tibi mœroris cauſam id affert, quòd à nobis ſeiuncta ſis, huius etiam rei lætum finem expecta. Atque hoc non conſolandi animi tui cauſa nunc dico: ſed quia exploratum mihi eſt ita fore. Nam niſi ita futurũ eſſet, iampridẽ niſi me longè opinio fallit, quantum quidem ad illatas mihi calamitates attinet, è vita ceſſiſſem. Vt enim etiã omnia, quæ Conſtantinopoli perpeſſus ſum, prætereã, quanta poſteaquam ex vrbe exceſſi, in tam longo ac moleſto itinere pertulerim (quorũ multa erant eiuſmodi, vt mortẽ afferre poſſent (quãta, poſtquã huc veni, quanta, poſtquã Cucuſo migraui, quanta deniq; poſtquam Arabiſſi commoratus ſum, intelligere tibi licet. At hæc omnia effugimus, ac nunc percommoda valetudine vtimur, atque in magna ſecuritate ſumus: adeò vt Armenij ad ſtuporẽ vſque mirentur, me in tam imbecilli, & quauis aranea tenuiore corpore, tam intolerandam frigoris vim perferre, ac ſpiritum ducere poſſe, cùm ij etiã, qui hyemi aſſueti ſunt, hinc non vulgarem in modum afficiantur. At nos ad hunc vſq; diem illæſi atque incolumes manſimus: idq;, cũ & prædones, quorũ manus effugimus, ſæpe in nos impetũ fecerint, & rerum neceſſariarum inopia laboremus, ac ne balneo quidem vti nobis liceat. Atqui, cùm iſtic degeremus, eo nobis aſſiduè opus erat. Nunc autem in eum ſtatum atque habitum euaſimus, vt ne huiuſmodi quidem ſolatij cupiditate teneamur, verùm maiorem ſanitatem conſecuti ſimus, quàm vt illud adhibere neceſſe habeamus. Ac nec cæli intemperies, nec locorum ſolitudo, nec rerum venaliũ anguſtia, nec eorum, à quibus curemur, inopia, nec medicorum inſcitia, nec balneorum penuria, nec quòd perpetuò in cubiculo tamquam ergaſtulo clauſi teneamur, nec quòd progredi ac corpus mouere, nequeamus (quod quidem nobis aſſiduè facere neceſſe erat) nec quòd nobis ſemper cũ fumo atque igne res ſit, nec prædonum metus, nec perpetua obſidio, nec deniq; quidquã aliud huiuſmodi nos fregit ac ſuperauit: verũ melius cõmodiuſque, quàm cùm iſtic eſſemus, adhibita tamẽ ingenti cura, valemus. Hæc igitur omnia tecum reputãs, mœrorem, qui his de cauſis nũc te tenet, propelle, nec ſuperuacaneas & graues à teipſa pœnas exige. Mitto ad te id quod nunc literis mãdaui, nẽpe eum, qui ſeipſum non læſerit, à nemine alio lædi poſſe. Hoc quippe contendit, atque in eo elaborat ea oratio, quam nũc ad te mitto. Quare fac eam aſſiduè peruoluas, imò etiam, ſi per valetudinẽ licet, recites. Id enim pharmacũ, ſiquidem volueris tibi ſufficit. Sin autem nobis pertinacius obluctèris, ac neq; teipſam cures, nec, quãuis innumeras admonitiones & cohortationes præſto habeas, è mœroris tamen cœno emergere animum inducas, nos quoq; haud facilè tibi morem geremus, atque adducemur, vt lõgas & crebras epiſtolas mittamus, ſi nihil ad animi alacritatem hinc fructus atq; vtilitatis perceptura es. Quonam igitur pacto id ſciemus? Nõ ſi dixeris, ſed ſi reipſa declararis, Quandoquidem nũc quoq; hoc confirmaſti, nihil aliud, quàm mœrorẽ, hunc tibi morbum conflauiſſe. Quoniã igitur hoc ipſa confeſſa es, niſi morbo libereris, minimè nobis fidẽ facies te animi mœrorem depuliſſe. Nam cùm hic ſit, vt ipſamet ſcripſiſti, qui morbũ accerſat, non eſt profectò dubium, quin eo ſublato morbus quoq; de medio tollatur, eiuſq; radice vnà etiam ipſius rami pereãt. Nam quamdiu florere ac vigere, fructumq;, quem minimè par ſit, proferre perſtiterint, id nobis perſuaderi non poterit, te radice liberatam eſſe. Quocirca, ne mihi verba, ſed res oſtende. Ac ſi ſanitatem obtinueris, literas rurſum, quæ Orationis modum excedant, ad te mitti videbis. Nec verò leuem hanc conſolationẽ exiſtimare debes, quòd viuimus, quòd valemus, quòd, cùm in tantis rerũ difficultatibus ac moleſtijs verſemur, à morbo tamen & aduerſa valetudine liberi ſumus. quod quidẽ hoſtes noſtros, vt comperi, non mediocri triſtitia & dolore afficit. Quare conſentaneum eſt vos etiam magnam conſolationẽ hãc. atque adeò conſolationum caput exiſtimare. Cętũ tuum, qui nunc per eas, quas perfert, calamitates magis in cęlis aſcriptus eſt, deſertum ac deſtitutum ne voca. De Pelagio monacho magno dolore affectus ſum. Cogita igitur quot quantiſque coronis digni ſint, qui forti animo in acie ſteterunt, cũ viros tam piè ac ſanctè, tantaque cum tolerantia viuentes, abripi, atque in fraudem impelli videamus.

1.Tim.5 — *2.Cor.12* — Aegroti minimè inertem vitam ducunt.

Eidem Epiſtola V.

Eſt cõſolatoria ſicuti præcedens.

ACerbitatis acceſſionem fecit veſtra calamitas, auctaq; rurſum vobis ſcammata, curſuſque longiora ſpatia conſtituta ſunt: atq; eorũ, qui vobis inſidias moliuntur, iracundia in maiorẽ flammam aſſurgit. At minimè propterea commoueri ac perturbari debetis, verùm hoc ipſo potiſſimũ nomine lætari & exultare, coroniſq; caput redimire, ac choros agitare. Nã niſi mortiferas priùs diabolo plagas intuliſſetis, non vſqueadeo fureret hæc bellua, vt vltrà progredi auderet. Quamobrem, tum veſtræ fortitudinis & victoriæ, tum ingentis illius cladis hoc eſt argumentum, quòd ille acriùs nunc in vos impetum facit atque inſultat, maioriſque impudentiæ documentum edit, ac profuſius venenum effundit. Quandoquidem etiam in beato Iob, Iob 1. poſtea-

poſteaquam in bonorum amiſſione ac filiorũ ereptione victus eſt,tũ quoq; ſe grauibus vulneribus affectũ eſſe perſpicuè oſtendẽs,ad id,quod malorũ caput erat,hoc eſt,ad carnis oppugnationẽ & vermium ſcaturiginem,& vlcerum chorum ſe cõtulit. (Chorum enim & coronã,& ſexcentarum victoriarum examen appello.) Ac ne hîc quidẽ conſtitit: verùm quoniã nulla alia paris momenti machina ei reliqua erat(etenim velut extremam calamitatũ lineam ipſi morbum illum inuexerat) alia rurſum tormenta bellua mouebat, vxorem videlicet armans,amicos in eum extimulans, famulos concitans,ac feritate afficiens, atq; omni ratione ipſius vulnera exulcerans.Quod etiã ipſum in præſentia tentare non deſinit: verùm in ſuum ipſius caput. Quandoquidẽ hinc fit,vt res veſtræ magis exſplẽdeſcant, ſublimioreſque indies ac luculentiores fiant.Maiores enim hinc vobis opes exiſtunt, vberior fructus,crebræ,atque adeò continuæ coronæ. Magnũ etiã per ipſas rerũ acerbitates vobis fortitudinis incrementũ affertur,ac per hoſtiles inſidias acuitur veſtra tolerantia.

Afflictionis vtilitas.

Ea enim eſt afflictionis natura,vt eos,qui eã placido ac ſtrenuo animo ferunt,rebus acerbis ſuperiores,ac diaboli telis ſublimiores reddat,inſidiaſq; aſpernari doceat.

Simile.

Siquidem & arbores, quæ in vmbris aluntur, maiorem mollitiem contrahunt, atq; ad fructuum procreationem minùs cõmodæ redduntur: quæ autẽ aëris inconſtantiam experiuntur,ac ventorum impetus, ardenteſq; Solis radios excipiũt, plus roboris hinc colligunt,& folijs abundant,ac fructuũ copia curuantur. Sic nimirum in mari quoq; vſuuenire cõſueuit.Nam qui primùm nauem conſcendunt, ob nauigandi inſolẽtiam perturbantur, tumultuãtur, vertigine corripiuntur. At qui multa maria peragrarunt,ac multas tẽpeſtates,& ſaxa,& ſcopulos,& belluarum impetus,& prædonũ ac piratarũ inſidias pertulerunt,& cõtinuas procellas ſuſtinuerũt, fidentiore deinceps animo,quàm qui in terra ambulant,in naui ſedent,non intus duntaxat ad carinã, ſed etiam in ipſis nauis lateribus inſidentes,atque, tum in prora,tũ in puppi ſine vllo metu ſtantes:& qui prius vel ad ipſum maris proſpectum cũ metu ac tremore iacebant, poſteaquã diuturnum tẽpeſtatis periculum fecerunt,iam & funem trahunt,& vela pandunt,& remos capeſſunt, atque in omnes nauis partes facilè concurſant. Quocirca ne quid eorum,quæ accidunt,vos perturbet.

Vani impiorum conatus.

Huc enim nos hoſtes vel inuiti redegerũt, vt nullo iã malo affici queamus,quippe qui effuſis omnibus ſuis telis nullum hinc aliud emolumentum perceperint, quàm vt ignominia perfundantur,& irrideantur, atq; vt communes orbis vniuerſi hoſtes vbiq; cõſpiciantur.Hæc inſidiatorũ præmia ſunt:hic bellorum finis.Papæ,quanta res eſt virtus,& præſentium rerũ contemptio!Per inſidias lucra comparat: per inſidiatores coronã conſequitur,per eos,à quibus malẽ mulctatur,illuſtrius ſplendet, per eos, qui hoc agunt ac moliuntur, vt ipſam deijciant, homines ſui ſtudioſos firmiores,ſublimiores, inuictos & inexpugnabiles reddit,nõ lanceis, nõ mœnibus, nõ vallo,non turribus,non pecunijs, non militaribus copijs, ſed firma tantũ volũtate animique cõſtantia opus habentes:ac denique humanas omnes inſidias infringit.Hæc igitur,Deo chariſſima domina mea,tum tibi ipſi,tũ ijs,quæ tecũ præclarũ hoc certamen obeunt,accinens,da operam,vt omniũ animos erigas,tuamq; aciẽ inſtruas: quò tibi duplex, & triplex,ac multò etiam copioſior virtutis corona comparetur,tam per ea quæ ipſa perpeteris, quàm quia alios ad eadem ſubeunda impellis, eoſque adducis,vt leuiter ac placidè omnia ferant,& vmbras contẽnant,atq; inſomniorũ impoſturã aſpernentur,ac lutum proculcent,nullamq; fumi rationem habeant,nec aranearũ telas moleſtiæ quidquã vobis afferre exiſtimẽt,fœnumq; putredini obnoxiũ prætereãt.

Humanæ felicitatis vanitas.

Nam humanæ felicitatis vanitas id omne eſt, atque adeò his omnibus rebus vilior. Nec facilè quiſquã ſimulachrum vllũ reperire queat, quod ipſius vanitatẽ exactè repræſentet.Siquidem præter hanc vanitatem haud paruum inſuper ijs, qui ipſi inhiant,detrimentum affert, non in futuro dũtaxat æuo,ſed etiã in præſenti vita, atq; ipſiſmet etiã diebus,quibus magna ſibi ex ijs voluptate affici videntur.Quemadmodum enim virtus,tum etiã cũ bellum aduerſus eã geritur,exultat & floret, ac ſplẽdidius lucet:eodẽ modo improbitas,tum etiam cũ colitur atq; obſeruatur,imbecillitatẽ ſuam prodit,atq; ingentẽ riſum,comœdiamq; omni ſermonis facultate ſuperiorẽ oſtendit.Quid enim,quęſo, Caino miſerabilius fuit,eo etiã tempore quo fratrẽ viciſſe ac ſuperaſſe,atq; iniquã illam & execrãdam iracundiã animiq; cõcitationẽ explere videbatur?

Caini miſeria.

Quid inquam dextra illa,quæ vulnus intulerat, ac cædẽ perpetrarat? Quid fœdiſſima illa lingua, quæ fraudẽ texuerat,& laqueos expanderat? Quid autẽ mẽbra ea cõmemoro, quæ cædem admiſerant? Siquidẽ corpus vniuerſum excruciabatur, perpetuo nimirũ gemitui ac tremori addictum & mancipatũ. O ſingularẽ rerum nouitatem! O admirandã victoriam O nouum trophæi genus! Is,qui obtruncatus fuerat,atq; exanimis iacebat,corona donabatur,ac laude & prædicatione afficiebatur: qui autẽ vicerat, & ſuperior diſceſſerat, non modò coronæ expers manebat,verũ hoc etiã nomine in cruciatu verſabatur,& intolerando ſupplicio perpetuoq; tormẽto addicebatur.Atq; eum,qui motu & vita præditus erat,is,qui percuſſus fuerat,ac mortẽ occubuerat, accuſabat:eum,qui loquebatur,is qui vocis expers erat,in iudicium trahebat. Imò verò ne mortuus quidem ipſe, verùm cruor duntaxat,etiã à corpore ſeiunctus, ad eam rem vel ſolus ſufficiebat. Tanta proborum hominũ ac virtute præditorum, etiam vita functorũ,vis eſt:tanta rurſum improborũ,etiã viuentium,miſeria.Porrò cùm in ipſa arena,atque ipſo certamine tanta præmia ſint,velim tecum reputes,quanta poſt certamina,tum cũ pijs viris præmia referentur,ac bona illa, quæ omnem ſermonis facultatem ſuperant,ipſis ſuppeditabũtur,merces futura ſit.Moleſtiæ namque, quæcumq; tandẽ illæ fuerint,ab hominibus inferuntur:ac proinde inferentium vilitatem imitantur.At dona & præmia à Deo tribuũtur: ob idque etiam eiuſmodi ſunt,qualia ea eſſe par eſt,quæ ab illa,quæ nullis verbis explicari poteſt,munificentia conceduntur. Quamobrem gaude,atque oblectare,corollis caput tuum redimiens,ac triumphãs, hoſtiumque aculeos magis proculcans, quàm lutum alij.Ac de tua valetudine quàm creberrimè fac nos certiores: vt hinc quoq; ingentem voluptatem capiamus. Non enim te fugit,magnæ nobis,etiam in ſolitudine ſitis,eam rem conſolationi fore, cùm de tua ſanitate quàm ſæpiſſimè ad nos literæ afferentur. Vale.

Eidem Epiſtola VI.

Indicat ei ſuã inualetudinemq; laudat à conſtãtia in aduerſis.

AB ipſis mortis ianuis reuocatus hęc ad te ſcribo.Eoq; etiã nomine pueros tuos nũc denique ad nos acceſſiſſe vehementer gauiſus ſum, cũ iã ad portum appelleremus.Nam ſi mihi,cũ adhuc in mari iactaret,graueſq; morbi fluctus expectarẽ, occurriſſent,næ pietatẽ quidem tuam fallere mihi procliue fuiſſet,læta pro triſtibus nuntiãti? Hyems enim,grauior quã ſolebat, exorta, grauiorẽ quoq: nobis ſtomachi hyemem inuexit. Nihiloq; meliùs ac commodiùs, quàm qui mortem obierunt, imò etiam grauiùs,hos duos menſes confeci. Hactenus enim lucis huius vſura fruebar, vt malorum, quibus vndique cingebar, ſenſu afficerer. Omniaque mihi noctis inſtar erant, hoc eſt, tã dies, quàm diluculum, atque ipſa meridies: totoſque dies

Digitized by Google

lecto affixus exigebam. Cumque innumeras rationes comminiſcerer, contractum tamen ex acerrimo frigore detrimentum haudquaquam excutere poteram. Quamuis enim ignem etiam accenderē, & grauiſſimum fumum perferrem, & cubiculo incluſus tenerer, ſexcentiſque veſtibus memet obuolerem, ac ne limine quidem pedem efferre auderem, nihilominus tamen extremos cruciatus patiebar: quippe cùm vomitus ſubinde orirentur, capitis dolores, cibi faſtidia, perpetuæque vigiliæ. Siquidem noctis pelagus vſqueadeò longū inſomnis exigebam. Verùm ne cōmemorandis rebus moleſtis diutius immorans, animum tuum vexem, his omnibus nunc liberati ſumus. Nam ſimulatq; ver affuit, atque exigua quædā aëris mutatio contigit, omnia ſponte ſua dilapſa ſunt. Quanquam nunc quoq; magna mihi in victus ratione cura opus eſt. Ac proinde operādo, vt leuem ſarcinā ſtomacho imponā, quò eam facilè adminiſtrare queat. Illud verò non vulgari ſollicitudine nos affecit, quòd te extremo vitæ ſpiritu conflictari intelleximus. Quanquam pro ingenti meo erga te amore, ac rerum tuarum cura & ſollicitudine, antequam etiam litteras tuas acciperem, hac cura ſolutus ſum. Permulti enim iſtinc ad nos venerunt, teque cōmoda valetudine eſſe nuntiarunt. Ac nunc maiorem in modum lætor & gaudeo, non hoc tantùm nomine, quòd morbo liberata ſis, ſed hoc potiſſimùm, quòd ea, quæ accidunt, adeò fortiter ac generosè feras, fabulam nimirum hæc omnia vocans. Tum etiam, quod maius cenſendum eſt, quia etiam corporis morbo huiuſmodi nomen impoſuiſti, quod quidē ſtrenuæ animæ eſt, ac fortitudinis fructu abundantis. Nam incommodas & aduerſas res non modò forti animo ferre, ſed ne quidem cùm adſunt perſentire, verùm eas pro nihilo putare, ac perfacili negotio patientiæ coronam adipiſci, non laborantem, non ſudantem, non negotia habentē, nec alijs faceſſentem, verùm tanquā exilientem ac tripudiantem, hoc demū perfectiſſimæ ac numeris omnibus abſolutæ philoſophiæ argumentum eſt. Ob eamque cauſam gaudeo & exulto, ac præ voluptate volito, nec præſentē ſolitudinem, cæteraſq; res aduerſas perſentiſco. Lætor enim, ac voluptate perfundor, deq; tua animi magnitudine crebriſq; victorijs vehementer glorior, non tua dūtaxat, ſed etiā magnæ illius ac numeroſiſſimæ ciuitatis cauſa. Cui etiā turris, & portus, ac muri loco extitiſti, luculentā per res ipſas vocē emittens, atque in tuis calamitatibus vtrumque hominū genus erudiens, vt ad huiuſmodi certamina prōptè atque impigrè ſeſe accingant, at cum omni animi fortitudine in arenā deſcendant, collectoſq; ex huiuſmodi certaminibus ſudores facilè ferant. Quodque mirabile eſt, non in forū te inijciens, ſed in exiguo cubiculo ac thalamo ſedēs, ijs, qui adſunt, animū addis, eoſq; ad certamen acuis, mariq; ita furente, ac fluctibus adeò intumeſcentibus, ſcopuliſq; & concauis ſaxis & petris, ac truculentis belluis vndique ſeſe oſtendentibus, atq; altiſſima nocte cuncta occupate, tu, velut meridiano & tranquillo tēpore, ventoque ad puppim ſtante, ſic expaſſis patientiæ velis ſumma cum facilitate nauigas, tantumque ab eo abes, vt graui hac tempeſtate obruaris, vt ne leuiter quidē aſpergaris. Idq; ſanè meritò. Huiuſmodi enim ſunt virtutis gubernacula. Et quidem mercatores, & gubernatores, ac nautæ, & vectores, cum nubiū concurſum, aut ſæuorum & immaniū ventorum impetum, rapidoſque fluctus maiorem in modū ſpumantes conſpiciunt, naues intra portū continent. Quòd ſi etiā fortaſſe in mari iactentur, quiduis faciunt ac moliuntur, vt ad littus, aut inſulā, aut ripam aliquā nauim appellant. At tu, cùm ſexcenti venti, cū tot immanes fluctus omni ex parte inter ſe collidantur, cū mare ab imis vſq; gurgitibus ob tempeſtatis acerbitatē ſurſum erumpat, atque alij

Præſentes calamitates meræ fabulæ ſunt.

A ſimili.

peſſum ierint, alij extincti ſupra vndas emineant, ipſa in medium malorū pelagus inſiliēs, omnia hęc fabulam appellas, proſpero curſu in tēpeſtate nauigans. Neq; id profectò mirum. Gubernatores etenim, quantumuis ſcientiā illam mirificè teneant, artem tamen, qua omni tempeſtati reluctentur, minimè habent. Eoq; etiam fit, vt certamen cū fluctibus perſæpe defugiant. At tibi ſcientia eſt omni tēpeſtate ſuperior, nimirū philoſophici animi robur, quod & innumeris exercitibus valentius eſt, & quibuſuis armis potentius. Militibus quippe arma, & muri, & turres, ad corporis dūtaxat præſidiū adiumento ſunt, idq; etiam non ſemper, nec perpetuo. Nonnunquam enim omnia iſta vincuntur, eoſq;, qui ad ſe confugiunt, præſidio ſuo deſtitutos relinquunt. At verò arma tua, non barbarica tela, non hoſtium machinas, nō huiuſmodi impetus & aſſus fregerunt, ſed ipſas naturæ neceſſitates protriuerunt, ac tyrannidē ſuſtulerunt, earumq; arcē humi proſtrauerunt. Ac cum dæmonibus continēter dimicans, innumeras quidem palmas adepta es, nullā autem plagā accepiſti, verùm inter denſiſſimas ſagittas incolumis perſtitiſti: ac tela ea, quæ in te conijciuntur, in eos rurſum, à quibus miſſa ſunt, reſiliūt. Hæc nimirū artis tuæ ſapiētia eſt, vt per ea mala, quæ tibi inferuntur, eos, à quibus inferūtur, vlciſcaris, & per inſidias, quæ tibi cōparantur, eos, qui bellū tibi indicūt, mœrore afficias, ampliſſimā ſcilicet adipiſcendæ maioris gloriæ ſegetē habens illorum improbitatem. Quæ cùm & probè comperta habeas, & re ipſa perſentias, non abs re fabulam hæc omnia nuncupas. Quidni enim, quæſo, fabulam appelles, cùm corpus mortale nacta ſis, & tamen mortē perinde cōtemnas, vt qui exteram deſerere, atque ad ſuam patriam redire feſtinant? cùm in acerbiſſimo morbo verſeris, & tamen ſuauius, quàm qui optima valetudine, ac florenti & vegeto corpore ſunt; degas, vt quæ nec contumelijs deijciaris, nec honoribus ac vitæ ſplēdoribus attollaris, id quod multis hominibus innumerorum malorum cauſam attulit, qui, cùm etiam in ſacerdotij munere fulſiſſent, atq; ad extremā ſenectutē, & prouectiſſimam canitiem perueniſſent, hinc tādem corruerunt, ijſque, quibus comici cauilli cordi ſunt, tamquam commune quoddam theatrū proponuntur. At tibi, quæ & fœmina es, & arenea imbecillius corpus geris, & tot ac tantos impetus ſuſtinuiſti, non modo nil tale accidit, ſed etiam ipſa, ne id alijs multis accideret prohibuiſti. Atque illi, qui ne altè quidem in certaminibus progreſſi, verùm in ipſis præludijs, ipſiſque, vt ita dicam, carceribus† ſaltantes deiecti ſunt: tu autem extremam metam ſexcenties circumiens, in ſingulis curſibus palmā arripuiſti, multis, varijſq; luctarum & certaminum generibus editis ac demonſtratis. Neq; id ſanè immeritò. Non enim in ætate, nec in corpore, ſed in animo ſolo & voluntate virtutis certamina conſtituta ſunt. Ad hunc modum, & fœminæ coronam obtinuerunt, & viri proſtrati ſunt. Ad hunc modum & pueri laude ac prædicatione affecti ſunt, & ſenes pudore atque ignominia ſuffuſi. Porrò cū eos ſemper admirari par ſit, qui virtutis ſtudium conſectantur, tum verò præcipuè, cùm multis eam deſerentibus quidam reperiuntur, qui eam complectantur. Hoc igitur nomine te quoque ſummopere admirari ac ſuſpicere conuenit, quòd cū tot viri, tot fœminæ, tot ſenes, qui maxima virtutis exiſtimatione florebant, terga verterint, atq; ante omnium oculos proſtrati iaceant, non exingenti belli impetu, aut acri hoſtium conflictu, ſed ante pugnam prolapſi, ante dimicationem victi ac profligati: tu contrà poſt tot pugnas & cōflictus, non modò malorum agmine fracta confectaque non es, ſed etiam maiorem inde animi vigorem collegiſti, ac certaminum incrementum roboris incrementum tibi affert. Etenim rerum earum, quas

ἀλλόμενοι forte tamen βαλλόμενοι, id eſt, imperiti.

ἐπ᾽ ὄψει.

iam recte & cum laude geſſiſti, memoria, tum lætitiæ ac voluptatis, tum maioris alacritatis anſam tibi ſuppeditat. Ac proinde gaudemus, & exilimus, & lætitiâ diffundimur: neque enim hoc ſubinde repetere, atque vbique gaudij mei materiam circumferre deſinam. Quocirca ſi diſſidium noſtrum te angit, at maxima tibi ex his, quæ cum virtute geſſiſti, conſolatio ſuppetit: quandoquidem nos quoque, tanto itineris interuallo à te diſtincti, non paruam hinc, hoc eſt, ex tua animi magnitudine, delectationem capimus.

Eidem Epiſtola VII.

Laudat eius conſtantiā in aduerſis.

QVid ais? Trophæum non erexiſti, nec præclaram victoriam obtinuiſti, nec perpetuò virentem coronam adepta es? An non hęc orbis vniuerſus affirmat, qui vbique terrarū tua recte facta decantat? Quanquam enim, & paleſtræ, & certamina in vno loco ſita ſunt, & curſuum tuorum ſpatia, & concertationes tuæ, ſudoris loco ſanguine refertæ, illic extiterunt: at earum tamen rerum gloria & commendatio extremos terræ fines occupauit. Tu verò ea auctiora reddere, ac palmas amplificare ſtudens, eas quoque, quas animi ſummiſſio parit, coronas ipſis adiunxiſti, dum te tantum ab hiſce trophæis abeſſe aſſeris, quantum mortui à viuis remoti ſunt. Nam quòd hæc verba ab animi ſummiſſione profecta ſint, ex iis ipſis potiùs, quæ contigerunt, planum facere conabor. Patria pulſa es, domo, amicis, cognatis. In exilium miſſa es. Quouis die mori non deſiſti: atque, quod naturæ deerat, voluntatis inductioniſque animi amplitudine ſuppleuiſti. Nā quia fieri nequit, vt homo re ipſa multas mortes oppetat, animo ac voluntate hoc feciſti. Et, quod maximum eſt, cum alia perferres, alia iam iamque expectares, Dei tamen, cuius permiſſu hæc fiebant, gloriam ob ea prædicare, lethalemq; diabolo plagam inferre non deſtitiſti. Nam quòd lethale vulnus acceperit, hinc declarauit, quòd maioribus poſtea armis ſeſe inſtruxit. Vnde etiā atrociora prioribus poſteriora facta ſunt.

Simile.

Quemadmodum enim ſcorpius & ſerpens, cùm altè defixum vulnus acceperunt, ſublato altiùs aculeo aduerſus eum, à quo percuſſi ſunt, inſurgunt, per acrem ſcilicet in percuſſorem impetum acerrimi doloris argumentum exhibentes: eodem etiam modo impudens hæc bellua, quoniam ab admirabili & ſublimi anima tua vulnera intimo pectore accepit, vehementiorem in te impetū fecit, ac plures tētationes admouit. Etenim eas ille quidē admouit, non Deus. permiſit autē Deus, vt opes tuas augeret, quęſtumque vberiorem efficeret, atque ampliorem mercedem, & largius præmium tibi conciliaret. Quáobrem nihil eſt quod perturberis ac tumultueris. Ecquis enim vnquam animo elanguit, opibus atque copiis circunfluens? Ecquis perturbatione affectus eſt, ad ſummas dignitates aſcendens? Quod ſi ij, qui humana iſta congerunt, iſta inquam caduca & vmbra imbecilliora, citiuſque, quā putridi flores, marceſcentia, ſaltant, tripudiant, præ voluptate volitant, præ ea inquā voluptate, quæ ſimul & apparet, & auolat, fluminumque curſum imitatur: quantò tandem æquius eſt, te, etiamſi priùs in mœroribus animique conſternatione fuiſſes, ex præſenti tamē tempore maximæ lætitiæ atque alacritatis occaſionem haurire? Theſaurus enim ille quem collegiſti, furto ſubduci nō poteſt: nec decus illud, quod per has calamitates tibi comparatum eſt, ſucceſſionem nouit, aut finē expectat, ſed ab omni termino alienum eſt, vt quod nec temporū difficultate, nec hominum inſidijs, nec dæmonum inſultibus, nec denique morte ipſa interrumpatur.

Perſecutores lugendi.

Quòd ſi etiā lugere animus eſt, eos ſanè, qui hæc perpetrāt, luge, horum, inquam, malorum authores, horum adminiſtros, qui & maximos ſibi ipſis in futurum cruciatus condiderunt, & hic etiam acerbiſſimas pœnas luerunt, vtpote quos tot homines auerſentur, hoſtiumque numero habeant, & diris omnibus deuoueant atque condemnent. Qui ſi hæc non ſentiūt, hoc quoque nomine potiſſimū miſeri ſunt, lacrymiſque digni, nō ſecus videlicet ac phreneſi laborantes, qui fruſtra quidem ac temerè calcibus obuios quoſque inceſſunt ac feriunt, ſæpe etiā amicos ac de ſe bene meritos: eum tamen furorē, quo perciti ſunt, minimè ſentiunt. Ob idque incurabili morbo tenentur, quoniam nec medicos admittūt, nec medicamentis vti ſuſtinent, quin potius eos quoque, qui ipſis mederi atque opem ferre ſtudēt, rebus contrarijs remunerantur.

Perſecutores piorum phreneticis ſimiles.

Itaque ob hoc quoque ipſum miſeri iſti ſunt, ſi tantæ improbitatis ſenſu carent. Quod ſi aliorum condemnationem nihil morantur, at certè fieri non poteſt, vt ſuæ conſcientiæ iudicium effugiant, quod nec vitiari, nec corrumpi poteſt, nec vlli terrori cedit, nec blanditijs, aut pecuniarum largitione labefactatur, nec temporis longinquitate obſcuratur.

Conſciētiæ iudicium.

Etenim ille Iacobi filius, qui Ioſephum à peſtifera beſtia deuoratum eſſe patri confirmarat, ac ſceleratā fabulam agebat, atque hac larua fraternæ cædis crimen obuelare conatus fuerat, patri quidem fucum tunc fecit, conſcientiam autem ſuam minimè fefellit, nec ab ea, vt conquieſceret, impetrare potuit: verùm ea conſtanter aduerſus ipſum inſurgebat, perpetuiſque clamoribus eum inſectabatur, neque vnquam compeſci poterat. Siquidem cùm diuturnum iam temporis ſpatium interceſſiſſet, is, qui admiſſum ſcelus patri inficiatus fuerat, neque cuiquam alij prodiderat, nemine accuſante, nemine conuincente, nemine aſtante, ac fabulam illam in memoriam ipſi redigente, cùm de libertate, atque adeò de ipſa vita periclitaretur, conſciētiæ accuſatorem in tam longo tempore nequaquam velut obſtructo ore compreſſum atque defoſſum eſſe oſtendit, cùm his verbis vteretur, *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audiuimus; en ſanguis eius à nobis exquiritur.* (Gen. 42.) Atqui aliud erat crimen, quod ipſi intendebatur. Nam furti inſimulabatur, atque, vt aureum poculum † ſuffuratus, in iudicium trahebatur. Verùm quoniam nullius eiuſmodi criminis ſibi cōſcius erat, minimè hoc nomine diſcruciabatur, nec ſe ob ea, de quibus iudicium ſubibat, atque in vincula ducebatur, hæc perpeti dicebat: ſed ob ea, quæ nemo ipſi obijciebat, nec de ijs pœnas ab eo expetebat, nec eum in iudicium trahebat, † imò quæ nondum perpetrauerat, ob ea inquam ipſe ſe prodebat & accuſabat. Conſcientia enim ipſum perſtringebat: & qui animo vſqueadeo firmo & intrepido fratris cruorem effuderat, nulloq; propterea mœrore affectus fuerat, nunc contrà illius vicem dolebat: & quos ſceleris ſocios ac participes habuerat, accuſabat, crudelitatemque omnem tragicis verbis exaggerabat, dicens: Videntes anguſtiam animæ eius dū deprecaretur nos, & dolorem animæ eius, & non audiuimus. Quod perinde eſt, ac ſi diceret: Ad emolliēdos animos noſtros, atq; ad miſericordiam inflectēdos, natura etiā ipſa, vel ſola, ſufficiebat. At ille lacrymas etiam adiungebat, ſupplexq; nos obſecrabat: ac ne ſic quidem nos inflexit, verùm ipſius calamitatem, animiq; angorē neglexımus. Ob eam cauſam, inquit, iudicium hoc nobis cōparatum eſt, ob eam cauſam in ſanguinis periculo verſamur, quoniam in ſanguinem peccauimus. Ad hunc modum etiā Iudas coarguentem conſcientiā minimè ſufferens, ad laqueum ſe contulit, eoq; vitam ſibi ademit. Et quidem, cùm impudens illud pactum inire non dubitabat, dicēs, *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eū tradā?* (Math. 26) non eos, qui id audiebant, verebatur(nępe quòd diſcipulus in magiſtrum eiuſmodi ſcelerā moliretur) nec per eos dies, qui interea fluxerunt,

† ὑφελόμενος lego, nō ὑφαλλόμενος.

† μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἤδη τετολμημένων αὐτῷ.

vllo

vllo dolore pungebatur, verùm ea voluptate, quã ei pecuniæ cupiditas afferebat, temulentus, conſcientiæ accuſationem hand admodum ſentiebat. At poſteaquam ſcelus peregit, pecuniamque ſumpſit, ac lucri quidem voluptas finem accepit, criminis autem accuſatio vigere incœpit, tum deniq; nemine accuſante, nemine vim afferente, nemine cohortante, ſponte ſua abiens, tum pecuniam ijs à quibus acceperat, proiecit, tum ſcelus ſuũ audien-

Math. 27

tibus illis cõfeſſus eſt, his verbis vtens: *Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.* Neque enim conſcientiam, quæ ipſum coarguebat, ferre potuit. Ea namque

Peccati natura.

peccati natura eſt, vt priuſquam omnino perpetratum ſit, hominem temulentia afficiat; poſteaquam autem expletum ac perfectum eſt, tunc ea voluptas ſeſe proripiat & extinguatur, ac ſolus iam deinceps ſtet accuſator, conſcientia nimirum carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoque extremas pœnas exigente, ac plum-

B

bo quouis grauiùs ipſi incumbente. Atque huiuſmodi quidem in hac vita ſupplicia ſunt. In futura autem, quanta, tum ijs, qui ſe his ſceleribus deuinxerint, proponentur, exploratum habes. Quapropter hos lacrymis proſequi ac deflere oportet. Nam & Paulus ad hunc modum facit, dum ijs, qui certant ac dimicant malisque afficiuntur, gratulatur; eos autem, qui peccant, luget. Ob id-

2. Cor. 12.

que etiam ait, *Ne fortè, cùm venero, humiliet me Deus meus ad vos, & lugeam multos eorum qui peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia quam egerunt.* Ac rurſus eos, qui in certamine verſabantur: Gaudeo & gratulor vobis omnibus. Quocirca, nec eorum, quæ contigerunt, nec eorum, quæ tibi denuntiantur, quidquã te perturbat. Neque enim fluctus rupem percellunt; verùm quò vehementiore impetu in eam irruunt, eò magis ab ea infringuntur ac de medio tollũtur. Quod etiam in iſtis quoque contigit, & continget, atque

C

adeò multò magis. Etenim rupem quidem fluctus handquaquam percellunt ac labefactant: at te nõ modò non labefactarunt, ſed etiam firmiorem reddiderunt. Ea enim improbitatis, ea virtutis natura eſt. Illa, dum bellum infert, opprimitur: hæc dum

Improbitatis pœna.

bello vexatur, clariùs effulget. Atque hæc nõ modò poſt certamina, ſed etiam in ipſis certaminibus palmam obtinet, ac certamen ipſi certaminis præmium efficitur: illa autem, cùm vincit, tum maiore pudore ſuffunditur, tum excruciatur, tum ingenti ignominia perfunditur, atque ante reconditum ipſi in poſterum ſupplicium, non modò poſt perpetratum ſcelus, ſed in ipſo etiam opere cruciatur. Quòd ſi obſcurius tibi videtur id quod dico, beatum Paulum audi, vtraq; iſta diſtinguentem (Ad Romanos enim quõdam ſcribens, atque impuram & nefariam nonnullorum vitam tra-

D

ducens, oſtendẽſque peccatum, etiam ante illatam pœnam, in ipſa actione adiunctum ſupplicium habere, cùm ſceleratos tum fœminarum, tum virorũ, qui præſcriptas à natura leges violauerant, ac prodigioſa quadam libidine † flagrauerant, coitus cõ-

† ὁμοιωθέντες, ſed mendoſe

memoraſſet, ad hunc modum loquitur. *Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum, qui*

Rom. 1.

eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſiderijs ſuis inuicem maſculos turpitudinem operantes, & mercedem, quàm oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Quid ais Paule? An non voluptate afficiuntur, qui hæc audent, atque cum cupiditate flagitioſum hunc diuiniſque legibus interdictum concubitum perpetrant? Quonã igitur pacto eos in hoc ipſo pœnas dare ais? Quòd ſententiam, inquit, non ab ægrotantium voluptate, ſed ab ipſa rerum natura proferam. Quãdoquidem etiã adulter, priuſquam pœnas pendat, in ipſo etiam adulterij opere punitur (etiamſi voluptate affici ſe arbitretur) dũ peiorem ac ſceleratiorẽ animam reddit. Sicarius item, prius etiam quàm tribu-

A

nal ac præacutos gladios proſpiciat, atque admiſſorum ſcelerũ pœnas det, in ipſo cædis facinore perijt, vt qui etiã ipſe deteriorem ſibiipſi animam effecerit. Quodq; in corpore morbus eſt, aut febris,

Vitium animæ

aut hydropiſis, aut aliud eiuſmodi quippiã, & in ferro rubigo, & in lana tinea, & in ligno vermis, & in cornibus ipes, hoc in anima vitium eſt. Seruilem enim, atque ſubiectam, & ſordidam eã reddit. Quid

Vitioſa anima in brutorũ animam degenerat.

autem ſeruilem & ſordidam dico? Brutorum eam animam efficit, partim nempe lupi, partim ſerpentis, partim viperæ, partim cuiuſpiã alius beſtiæ animã eam reddens. Idq; vt indicarent Prophetę, mu-

Eſai. 56.

tationemque ex improbitate contractam omnibus conſpicuam facerent, alius dicebat, *Canes muti, non valentes latrare*, ſubdolos ſcilicet ac veteratores homines alijſque inſidias clàm ſtruẽtes, rabidis canibus comparans. Non enim illi cùm rabie laborant, latrantes impetum faciunt, ſed compreſſo clamore

B

accedẽtes, grauius, quàm ij qui latrant, eos, quos mordẽt, vulnerãt. Alius rurſum cornices homines quoſdam appellabat. Alius item aiebat, *Homo cùm*

Pſalm. 48

in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Is denique qui pluſquam propheta erat, is inquam ſterilis filius, ad Iordanẽ

Matth. 3.

ſtans, *ſerpentes ac viperarum progeniẽ* quoſdam nuncupabat. Quidnã igitur huic ſupplicio par eſſe queat, cùm is, qui ad diuinam imaginem conditus, tantoque honore ornatus eſt, illud inquam ratione ac ſumma manſuetudine præditum animal in tantam feritatem prolabitur? Vidiſti quemadmodum etiã ante ſupplicium improbitas in ſeipſa pœnam habeat? Intellige nunc quonã pacto virtus, etiã ante

Virtus etiã ante præmia ſibi præmium eſt

præmia, ipſa ſibi pręmiũ ſit. Vt enim in corpore (nil enim prohibet, quominus eodem rurſus exemplo, quod perſpicuitatis plurimum affert, vtamur) vt, inquã, in corpore, is qui ſanus eſt, ac firma valetudine præditus, atq; ab omni morbo alienus, etiam

C

ante delicias hoc ipſo nomine in delicijs eſt, vtpote qui coniunctam cum ſanitate voluptatem habeat, atq; ita comparatus ſit, vt nec aëris varietas nec, æſtus, nec algor, nec menſæ vilitas, nec quidquam aliud eiuſmodi moleſtiã ipſi afferre poſſit, quòd videlicet ſanitas ijs, quæ inde oriũtur, detrimẽtis propulſandis par ſit: eodẽ modo in anima quoq; vſu uenire conſueuit. Ac propterea Paulus etiam, cùm flagris cæderetur, vexaretur, innumeris malis affi-

Coloſſ. 1

ceretur, gaudebat, his verbis vtens: *Gaudeo in paſſionibus meis pro vobis.* Non modò, inquam, in cælorũ regno, quod virtuti præmij loco propoſitum eſt: ſed etiam in ipſa calamitatum perpeſſione. Quãdoqui-

Ampliſſimũ præmium eſt pro Chriſto pati.

dem iſtud quoque ampliſſimi præmij inſtar eſt, nẽpe pro veritate incommodo aliquo affici. Ob eamque cauſam Apoſtolorũ chorus è Iudæorum con-

Act. 5.

cilio lætus redijt, non tantùm ob regnum cælorum, ſed *quia digni habiti fuerant pro nomine Ieſu contumeliam*

D

pati. Nam & hoc ipſum per ſe ampliſſimus honor, & corona, & præmium eſt, voluptatiſque perpetuæ materia. Gaude igitur & exulta. Non enim paruũ, ſed perquam ingens hoc certamen eſt, nimirum calumniæ atque obtrectationis: ac præſertim cum ob tam ingens crimen exiſtit, cuiuſmodi nunc nobis affinxerunt, in publico nimirum tribunali nobis incendium obijcientes. Quamobrem etiam Salomon, certaminis huius atrocitatem declarare cupiens: *Vidi*, inquit, *calumnias quæ fiunt ſub*

Eccleſ. 4.

Sole, & lacrymas eorum, qui falſis criminibus premuntur: & non erat qui eos conſolaretur. Quòd ſi magnum certamen eſt, vt reuera eſt, liquet profectò maiorem quoque coronam ipſi conſtitutam eſſe. Ac propterea Chriſtus etiam eos gaudere & exultare iubet, qui cum ea, quam adhibere par eſt, patientiã hoc certamine funguntur. *Gaudete* enim, inquit, *&*

Luc. 6.

exultate, cùm dixerint omne malum aduerſum vos, mentientes, propter me: quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis. Vidẽſne quantam voluptatem, quantã mercedem, quantam animi oblectationem bella nobis accer-

ſant?

ſant? An non igitur præpoſterum fuerit, quibus te malis illi afficere nõ potuerunt, imò quibus cõtraria effecerunt, his teipſam à te mulctari? Quidnam autem his verbis volo? Illi non modò pœnam à te expetere non potuerunt: ſed etiã delectationis ac perpetuæ voluptatis anſam tibi porrexerũt. Tu verò ita teipſam præ animi conſternatione premẽs, ſupplicium de teipſa ſumis, dũ ita cõfunderis ac perturbaris, atq; ingenti mœſtitia impleris. Hæc enim illos facere oportebat, ſiquidem aliquãdo ſaltẽ mala ſua agnoſcere vellent. Illos inquã flere ac lugere, erubeſcere, præ pudore ora ſua obtegere atque in terram ſe abdere æquum erat, ac ne Solem quidẽ hunc proſpicere, ſed ſeſe in tenebris includentes, tum ſua mala deplorare, tũ ea, in quæ tot Eccleſias coniecerunt. Te verò exultare ac lætitia diffundi cõuenit, quia quod virtutũ caput eſt, præſtitiſti. Noſti enim, noſti profectò nihil eſſe, quod patientiam adæquare poſſit, verũ ipſam potiſſimùm virtutum reginã eſſe, rerum præclarè geſtarũ fundamentũ, portum tranquillum, in bello pacem, in tẽpeſtate tranquillitatem, in inſidijs ſecuritatem: quæ eũ, qui ipſam ſit conſecutus, adamante firmiorem reddit, hancq; naturã habet, vt eam nec arma mota, nec inſtructi exercitus, nec adhibita tormenta, nec arcus, nec lanceæ emiſſæ, nec ipſum dæmonũ agmẽ, nec caliginoſæ aduerſariarum poteſtatũ phalãges, nec deniq; diabolus ipſe cum omnibus ſuis copijs machiniſque in aciem prodiens detrimento vllo afficere poſſit. Quid igitur extimeſcis? quid excruciaris, cum ipſam quoque vitam, ſi tempus poſtularit, aſpernari diuturna meditatione didiceris? At vrgentium malorum finem videre cupis. Erit quoque iſtud, & quidem breui, Deo concedente. Gaude igitur, & oblectare, atque cogitandis tuis rectè factis animum exhilara: nec vmquam deſpera, quin te rurſum videamus, atque horum verborum memoriam tibi refricemus.

Patientia virtutum regina.

Eidem Epiſtola VIII.

SCilicet hoc fato eram, vt ne tum quidem, cum ab vrbe receſſiſſem, ijs, qui animum noſtrum frangunt ac debilitant, liberarer. Nam qui mihi in via obuiam fiunt, partim ab Oriente, partim ab Armenia, partim ex alia quadam orbis parte, lacrymarum fontes profundunt, cùm nos intuentur, & gemitus edunt, ac toto itinere lamentis nos proſequuntur. Hæc autem idcirco à me commemorata ſunt, vt intelligatis vos multos habere, qui in eodẽ, quo vos, dolore verſentur. Hoc porrò ad leniẽdum dolorem nõ parum momenti affert. Nam cũ id quod contrarium eſt, tamquam graue & intolerandum, Propheta deplorat, cùm ait: *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.* liquet profectò iſtud rurſus conſolationem afferre, nimirum orbem vniuerſum mœroris ſociũ habere. Quod ſi etiam alteram conſolationẽ quæris, nos, qui tot ac tanta mala pertulimus, commoda valetudine vtimur, atque in ſecuritate degimus, varias continuaſque noſtras afflictiones & calamitates atque inſidias in ſumma quiete recenſentes, earumque recordatione nos ipſos perpetua lætitia perfundentes. Hæc igitur ipſa quoque tecum reputans, mœroris nubem diſcute, deque tua valetudine quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribe. Quandoquidem nũc quoque, cùm chariſſimus dominus meus Arabius ad me ſcripſiſſet, admiratus ſum te nihil ad me literarum miſiſſe: idque cùm domina mea, ipſius vxor, valde te amet. Illud etiam animaduerte, res omnes huiuſce vitæ tam lætas & iucundas, quã graues ac moleſtas præterire. Nam etſi *arcta porta & anguſta via eſt*, at via tamen eſt. (verbum enim illud tibi in memoriam redigam, de quo ſæpe tecum ſum locutus.) Etſi lata porta, & ſpatioſa via eſt: tamen hæc quoque via eſt. Quæ cùm ita ſint, da ope-

Eſt cõſolatoria in luctu.

Pſalm. 68

Matth. 7. Via eſt hæc vita.

A ram, vt à terra, imò ab ipſo quoque corporis vinculo te abſtrahas, tuaſq; philoſophiæ pœnas excites, neque eas ſinas ab vmbra & fumo (id enim res humanæ ſunt) mergi ac premi. Quin potius, etiãſi eos, qui tot ſcelera in nos deſignarunt, & ſuis vrbibus frui, & honoribus affici, & ſatellitum gregibus ſtipari videris, iſtud verbum accine, Lata eſt porta, & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem: eoſq; ob hoc ipſum magis luge ac deplora. Nã qui hic ſceleris aliquid perpetrat, ac propterea nõ modò nullas pœnas luit, ſed etiam honorem ab hominibus conſequitur, ita diſcedet, vt huiuſmodi honor maxima ſit illi ſupplicij materia. Ob eamq; cauſam diues etiam ille atrocem in modum torrebatur, non crudelitatis duntaxat illius, qua in Lazarum vſus fuerat, pœnas pendens, ſed etiam florentis ſtatus, quo in tanta inhumanitate per omnem vitæ curſum fruens, ne hinc quidem melior effectus eſt. Hæc aliaque id genus (neque enim ea tibi vnquam inculcare deſtitimus) tecum ipſa diſſerẽs, Deo chariſſima domina mea, grauem hanc mœroris ſarcinam abijce, deque eo nos fac certiores, vt (quemadmodum etiam priùs ad te ſcripſi) cùm mœrorem tuum literis noſtris leuari perſpectum habuero, crebriùs huiuſmodi pharmacum adhibeam.

Timenda eſt ſcelerum impunitas.

Luc. 16.

B

Eidem Epiſtola IX.

CVm viros ac fœminas magno agmine, per vias, per vicos, per vrbes ſeſe effundẽtes, atq; ad noſtri aſpectum collacrymantes intueor, quo in ſtatu ipſi ſitis animaduerto. Nam cùm ij, qui nũc primùm nos viderunt, mœrore ita frangantur ac debilitẽtur, vt ne emergere quidem facilè poſſint, verùm, cùm eos rogamus, & obſecramus, atque admonemus, calentiores lacrymarũ fontes profundant, dubium profectò non eſt, quin grauior apud vos tempeſtas graſſetur. At quò grauior tẽpeſtas, eò quoq; ampliora præmia futura ſunt, ſi perpetuò ea cũ gratiarum actione ſufferatis, quemadmodum etiam ſuffertis. Nam & gubernatores vehementi vento flante, ſi vela vltra modum expanderint, nauim ſubuertũt: ſi autẽ modicè, &, vt conuenit, ea ſubuexerint, tutiſſimè nauigant. Quæ cũ explorata habeas, Deo chariſſima hera mea, ne te mœroris tyrannidi cõſtrictam trade, ſed ratione tempeſtatẽ ſupera. Potes enim iſtud: nec tempeſtas artem tuã excedit. Atque ad nos literas, quæ hoc ſignificent, mitte, vt, etiam in extera regione degentes, maximam hinc voluptatem percipiamus, cùm te hunc mœrorem ea, quam abs te adhiberi par eſt, prudẽtia & ſapientia tuliſſe intellexerimus. Hæc cùm iam Cæſarea non longè abeſſem, ad te ſcripſi.

Eſt eiuſdẽ argumenti cũ praeced.

C

Eidem Epiſtola X.

AT hunc quoque metum à te diſcutias velim, quem ex itinere noſtro concepiſti. Etenim, vt iam antè per literas tibi ſignificaui, corpus nobis, & ſanitatis, & roboris acceſſionem fecit. Siquidem & aër benignè nobiſcum egit, & ij, à quibus in exilium auehimur, curam omnem & ſtudium, etiã ſuprà quàm volumus, adhibent, vt nos recreent ac reficiant, penè vt nihil aliud operæ habere videantur. Cùm autem Nicæa diſceſſurus eſſem, hanc epiſtolam ad te dedi, tertia die Iulij. Fac igitur ad nos de tua valetudine quàm ſæpiſsimè ſcribas. Ad eam enim rem operam tibi nauabit Dominus meus Pergamius, cuius beneuolentiæ magnopere confido. Nec verò de tua duntaxat bona valetudine certiores nos facias, verùm illud etiã ſignifices velim, mœroris nubẽ à te depulſam ac diſſipatam eſſe. Nam ſi hoc ex tuis literis intellexerimus, ſæpius quoq; ad te literas dabimus, vt qui ſcribendo aliquid proficiamus. Quamobrem ſi crebras à nobis literas accipere cupis, illud nobis apertè

D

Petit certior fieri de eius valetudine.

Digitized by Google

indica,ex frequentibus noſtris literis aliquid commodi promanare:ac videbis nos id muneris largiſſimè præſtaturos. Nã nunc quoq;, cùm multi, qui literas ad nos afferre poterãt, hac iter facerẽt, nec epiſtolam à te accepiſſem, ægrè admodum id tuli.

Eidem Epiſtola XI.

Se bene valere.

QVò tentationes noſtræ magis ingraueſcunt, hoc etiam magis conſolationes noſtræ augentur,lætioremque de futuris ſpem concipimus. Atque nunc etiam omnia nobis ex animi ſententia cedunt,ac ſecundo vento nauigamus. Quis vidit? quis audiuit? Petræ & concaua ſaxa,& turbines & procellæ cum fragore ruunt:nox illunis,denſa caligo, præcipitia & ſcopuli: & tamen per eiuſmodi mare nauigantes,nihilo peiore ſtatu ſumus, quàm qui in portu iactantur.Hæc igitur ipſa quoque cum animo tuo perpendens, domina mea Deo chariſſima,hos tumultus ac ſtrepitus ſupera: deque tua valetudine fac me quæſo certiorem. Nos enim & commoda corporis valetudine ſumus, & in animi hilaritate degimus.Nam & corpus noſtrũ firmius ac valentius redditum eſt, & purum aërem haurimus:atque prouinciales ij, qui nobiſcum abeunt, ita nos colunt,atque omni officij genere complectuntur,vt ne famulorum quidem operam requirere nos ſinant,cùm ipſi famulorum munia exequantur.Etenim pro ſuo erga nos amore hoc munus præripuerunt.Atque vbique ſatellitum manu ſuccingimur:vnoquoque videlicet huiuſce miniſterij nomine beatum ſe prædicante. Vnum id demum moleſtum eſt, quòd te quoq; incolumi valetudine eſſe haudquaquam exploratum habemus. Fac itaque iſtud ſciamus, vt hoc etiam nomine in lætitia verſemur.Ac domino meo ſuauiſſimoq; filio Pergamio ingentes gratias habemus. Quòd ſi tibi ad nos literas dare placuerit, ipſius opera ad hanc rem vtere.Nam ſyncerus amicus eſt,nobiſq; addictiſſimus:& tuam modeſtiam ac pietatem maiorem in modum veretur atque obſeruat.

Eidem Epiſtola XII.

Petit frequentiores literas.

CVm ex eo morbo euaſiſſem,quo itinere laboraui, cuiuſque reliquias Cæſaream vſque tuli,iamque ad integram valetudinem rediiſſem, ex ipſa Cæſarea hæc ad te ſcripſi. In qua multis mihi adhibitis remedijs melius habui, præſtantiſſimos nimirum celeberrimoſque medicos nactus, à quibus , non tam artis ſubſidijs , quàm commiſeratione ac beneuolentia curabar. Quorum etiam vnus nobiſcum vnà ſe profecturum ſpopondit:atque item alij complures ex ijs, qui dignitatibus præditi ſunt.Ac nos quidem de rebus noſtris perſæpe ad te ſcripſimus. Tu verò, quo etiam nomine te priùs accuſaui, rarò id facis. Atque vt intelligas id negligentiæ tuæ,ac non tabellariorum penuriæ tribuendum eſſe, dominus meus, beati epiſcopi Maximi frater,cùm nudius tertius veniſſet, ab eoque literas poſtulaſſem,negauit te ſibi dare voluiſſe:atque etiam Tygrium presbyterum, cùm item ab eo petijſſet,num quid ad me ſcribere vellet, id quoq;facere recuſaſſe.Itaque hoc ei velim exprobres,ac ſyncero & ardenti noſtro amatori,cæteriſque omnibus, qui cum Cyriaco epiſcopo conſuetudinem habent.Nam de loci commutatione nolim aut ipſi, aut cuiquam alij negotium faceſſas. Beneficium accepimus.Fortaſſe enim voluerunt, nec potuerunt.Gloria Deo propter omnia. Neq; enim vmquam in ijs omnibus, quæ mihi contingunt,hoc verbum vſurpare deſinam. Eſto autem, iſtud non potuerint.An etiam ſcribere nõ potuerunt?At verò dominis meis,cumprimis venerandi epiſcopi ac domini mei Pergamii ſororibus, quæ noſtri cauſa plurimũ ſtudij atque operæ ſuſcipiũt, ingentes gratias age. Nam, vt dominus meus Ducas,ipſius gener,propenſiſſimo in nos animo eſſet, effecerunt,adeò vt vehementer ipſe quoque illic videre cuperet. Quin tu etiam de valetudine tua, deque ijs,à quibus amamur,ſcribere quæſo ad nos ne intermittas.De nobis autem ſine cura eſto. Nã & valemus,& tranquillo atque hilari animo ſumus, ingentique ad hunc vſque diem requie fruimur. De comitibus autem Cyriaci, ſcire auemus, miſsíne facti ſint.Neque enim quiſquam nobis de ea re perſpicuè aliquid retulit. Quare iſtud quoq; nobis ſignificate. Ipſi autem epiſcopo Cyriaco velim hoc dicas, me animi mœſtitia impeditum ad eum haud ſcripſiſſe.

Eidem Epiſtola XIII.

Se morbo liberatum ab omnibus beneuolè tractari.

TAndem aliquando reſpirauimus, cùm Cucuſum venimus,vnde etiã has literas ſcribimus. Tandem aliquando à fumo,& varijs malorum eorum,quæ nos in via inuaſerunt,nebulis,lucem cõſpeximus.Nunc enim poſteaquam ea, quæ dolorẽ nobis afferebant,effluxerunt, iam tibi ea exponimus.Nam cùm in ipſis adhuc verſarer, hoc facere detrectabam, ne te in magnum mœrorem conijcerem.Triginta enim propemodum dies,aut etiã amplius,cum acerbiſſimis febribus colluctari non deſtiti:atque ita longum hoc,& moleſtum iter agebã, alijſque item grauiſſimis ſtomachi morbis obſeſſus.Iam, quæ ſequuntur, conſidera,nempe cũ nec medici præſtò eſſent, nec balnea,nec res neceſſariæ,nec aliæ animi leuationes:ac præterea Iſaurorũ metus nos vndique premeret,aliaque mala,quæ ex itinerum difficultate naſci conſueuerunt, hoc eſt, cura,ſollicitudo,animi cõſternatio,inopia eorum, à quibus curari poſſem. At nunc omnia hæc euanuerũt.Vt enim Cucuſum venimus,tum morbum omnẽ vnà cum reliquijs abiecimus, integerrimaq; valetudine fruimur,tum Iſaurorum metu defuncti ſumus. quippe cùm multi hîc milites ſint, & quidẽ paratiſſimo animo vt cum ipſis confligant. Quin rerum quoque neceſſariarum copia nobis vndiq; affluit(omnibus nimirum ſumma cum beneuolentia nos excipientibus)etiamſi alioqui deſertiſſimus omnino hic locus ſit. At caſu quodam Dominus meus Dioſcorus hîc erat,qui etiam famulum dedita opera Cæſaream miſit, rogatum atque obſecratum, ne domui ſuæ alteram anteferrem. Alijque item plures idem fecerunt.Verùm hanc alijs præferendam neceſſariò mihi exiſtimaui. Itaque apud eum diuertimus, Atque ipſe nobis quiduis eſt: ita vt ob ingentem ipſius liberalitatem & largitatem, qua erga nos vti cupit, perpetuò cum eo expoſtulemus. Quippe noſtra cauſa etiam ex ædibus ſuis aliò migrauit, vt nos omni officij genere complecteretur.Atque inſuper domum nobis ad tolerandam hyemem idoneam extruit, pro eaque re nihil non agit ac molitur.Denique nullum omnino officij erga nos genus ab eo prætermiſſum eſt. Adhæc pleriq; alij procuratores & rerum adminiſtratores,dominis id ipſis per literas imperãtibus,ſubinde huc accedunt,parati quauis ratione nos reficere ac recreare.Hæc autem omnia idcirco cõmemoraui,atque alia quidẽ,hoc eſt,priora,defleui,alia autẽ,hoc eſt, læta & iucũda,tibi expoſui,vt nẽ quis temerè nos hinc emoueat.Nam ſi ij, qui nos beneficio afficere cupiunt,arbitrij hoc noſtri faciãt,vt, quo loco velimus,nobis eſſe liceat,ne rurſum nobis alterum locũ,arbitratu libituq; ſuo aſſignaturi ſint, hoc beneficium accipe. Sin autem nos hinc amotos in alterum locum ablegaturi ſunt,nobiſq; rurſum iter ſubire,ac peregrinari neceſſe eſt,mihi ſanè hoc longè grauius acerbiuſque fuerit. Primùm enim illud metuendum eſt, ne nos in lõginquiorem,aut in aſperiorem locum ducant.Deinde itineris moleſtiam ſexcentis exilijs grauiorem

eſſe

Digitized by Google

eſſe duco. Siquidem peregrinationis huiuſce diffi- A
cultas ad ipſas mortis portas nos detulit. Nuncq;,
Cucuſi degentes, perpetua ſeſſione ac quiete noſ-
met recreamus, atque coortæ nobis in tam diutur-
no tempore ærumnæ, confractiſq; noſtris oſſibus,
& fatigatæ carni, quietis ope ac ſubſidio medemur.
Affuit etiam domina mea Sabiniana diaconiſſa, eo-
dem ipſo die, quo venimus, fracta quidem ipſa &
abiecta, ærumniſque affecta, vtpote ea iam ætate, in
qua moueri quoque difficile eſt, cæterum iuueni-
li animi promptitudine atque alacritate prædita,
nihilque aduerſarum rerum perſentiens. Paratam
enim ſe eſſe dixit, etiam in Scythiā proficiſci, quā-
doquidem conſtans hic rumor erat, fore vt illic
deportarer. Certum eſt autem ei, vt ait, non iam ad
ſuos reuerti, verùm illic, vbi fuerimus, commorari.
Atque hanc etiam perquam humanè ac ſtudioſè,
magnaque cum beneuolentia, Eccleſiæ alumni ex-
ceperunt. Quin Dominus quoque meus Conſtan- B
tius, religioſiſſimus presbyter iampridem hîc erat.
Nam & mecum per literas egerat, vt ipſi huc ve-
niendi poteſtatem facerem. Neque enim ſe citra
voluntatem meam atque ſententiam id facere au-
dere, quāuis alioqui magna huius rei cupiditate fla-
grantem. Addebat etiam ſe ne illic quidē manere
poſſe. Tantis enim malis premi atque vrgeri, vt la-
tebras quærere ac ſe occultare cogatur. Itaq; pre-
cibus abs te contendo, vt de loco minimè aliter fa-
cias. Quòd ſi rurſus, quid ipſi in animo habeāt, pe-
riclitandum ducis, tu quidem à te nihil dicas, verū
pro tua prudentia, quónam me abducere cōſtitue-
rint, explores. Id enim potes. Ac ſi videris ipſis in
animo eſſe, non longè hinc in maritimam aliquam
vrbem, puta Cyſicum, aut non longè à Nicomedia
me auehere, hoc accipe. Sin autem longiùs hinc
vſpiam, aut ita procul, vt hic locus eſt, ne accipias.
Hoc quippe mihi graue ac permoleſtum fuerit.
Adhuc enim in magna quiete animique remiſſio-
ne verſamur: ita vt etiam contractam omnem ex C
itinere moleſtiam biduo abſterſerimus.

Ad eandem epiſtola, in qua commemorat quæ ipſi Cæſareæ acciderint. XIIII.

Conſolatur eā in luctu, referēdo afflictiones quas ipſe erat paſſus, & ei negotia quædam cōmendat.

QVid luges? Quid teipſam tūdis, eaſq;, quas ne
hoſtes quidē tui à te exigere potuerūt, pœnas
à teipſa expetis, vt quæ animū tuum, mœroris ty-
rannidi vſqueadeò addixeris? Etenim literæ illæ,
quas per Patricium ad nos miſiſti, ipſa animæ tuæ
vulnera nobis declararunt. Quo quidem etiam no-
mine doleo atque angor, quòd cùm nihil nō agere
ac moliri debeas, quò mœrorem ex animo tuo pro-
pulſes, tamen ipſa huc atque illuc te vertas, mole-
ſtas & acerbas cogitationes colligens, eaq;, quæ nō
ſunt (nam hoc quoque dixiſti) animo effingēs, teq;
ipſam fruſtra & incaſſum, imò ſummo cum detri- D
mento, lancinans. Quid enim eo nomine angeris,
quòd nos è Cucuſo aliò transferre nequiuiſti? Quā-
quā nonnulla quoq; ex parte nos tranſtuliſti, dū,
vt nos inde trāsferres, nihil nō abs te tentatū atq;
actum eſt. Quòd ſi res perfici nō potuit, non tamē
proinde angi oportet. Nam fortaſſe hac de cauſa
Deus longiora curſuum ſpatia nobis proponi vo-
luit, vt ſplēdidiores coronas conſequamur. Quid
igitur ob ea in dolore verſaris, ob quæ laudibus &
prædicatione afficimur? cùm contrà te ob eā cau-
ſam exultare ac tripudiare, caputq; corollis redi-
mire par ſit, quòd diuino beneficio rem tantam, ac
meritis noſtris longè præſtantiorem, conſecuti ſi-
mus? At huius loci ſolitudo tibi mœrorē affert? Et
quid tandē hac ſeſe iucundius, amœniuſque fingi
poſſit? Solitudo, tranquillitas ingēs, quies, corporis
firmitas. Quamquam enim nec forum, nec venale
quidquam hæc vrbs habet: nihil tamen iſtud mea
intereſt. Mihi quippe omnia tamquam è fonte af-
fluunt. Siquidē & dominum meum huius loci epi-
ſcopum, & dominū meum Dioſcorum habeo, qui
nihil aliud muneris atq; operæ habere videntur,
quàm vt me recreent ac reficiant. Quin præclarus
quoq; vir Patricius tibi narrabit, quónam pacto in
animi hilaritate, in oblectatione, in multis obſe-
quijs degamus, quantū quidem ad hanc cōmemo-
rationem attinet. Quòd ſi ea, quæ mihi Cæſareæ ac-
ciderunt, in luctū te cōijciunt, in hoc etiā rem pa-
rum te dignā facis. Nam illic quoq; luculentæ rur-
ſum nobis coronæ contextæ ſunt: adeò vt omnes
nos laudent, prædicent, atq; ad ſtuporē vſq; admi-
rentur, propterea quòd grauibus iniurijs acceptis
eiecti ſumus. Verùm hæc, quæſo, nemo adhuc ſciat:
etiāſi multi ſint, qui in vulgus ſpargāt. Significauit
enim mihi dominus meus Pæanius, ipſius quoque
Pharetrij presbyteros illic adeſſe, qui affirmarint
ſe nobiſcum cōmunicare, nec cum aduerſarijs cō-
mune quidquā habere, nec cum illis verſari aut cō-
mercium vllum inijſſe. Ne igitur eos cōturbemus,
caue ne quiſquam hæc ſciat. Siquidem perquam
grauia & acerba ſunt, quæ nobis acciderunt. Atq;
etiāſi nihil aliud moleſtiæ atque acerbitatis pertu-
liſſem, ea tamen, quæ illic contigerūt, ad innume-
ras mihi palmas cōciliandas abundè ſufficerēt. Vſ-
queadeo de vita quoq; ipſa in diſcrimen venimus.
Te autē oro, ne quid eorum euulges: ac breuiter ti-
bi ea exponā, nō vt tibi mœrorem afferā, ſed vt vo-
luptatem. Nam hæ mihi ſunt quæſtus occaſiones,
hæ meæ opes, hæc ſcelerum meorum conſumptio,
dum per huiuſmodi tentationes ſine vlla intermiſ-
ſione gradior, in eaſq; ab ijs inducor, à quibus mi-
nimè expectabā. Nam cū Galata illo (qui etiā no-
bis mortem pene minitatus eſt) defuncti, iā in Cap-
padociam ingredi pararemus, multi nobis in via
occurrerunt, dicentes: Dominus Pharetrius te ex-
pectat, ac quaquauerſum iter facit, ne tuo cōgreſſu
fraudetur, nihilq; nō operæ ac laboris ſuſcipit, quò
te videat, & complectatur, atque omne amoris ac
beneuolentiæ ſpecimen tibi exhibeat. Monaſteria
etiam, tū virorum, tum mulierum cōmouit. Ego au-
tem hæc audiens, nihil quidem horum expectabā,
verùm contraria omnia animo & cogitatione in-
formabam: tamē eorum, qui mihi hæc nuntiabāt,
nemini quicquam horum eloquebar. Poſtquam
autem tandem aliquādo Cæſaream ingreſſus ſum,
labore ac macie cōfectus, in ipſo febris ardore po-
ſitus, languens, atque extremos dolores perpetiēs,
hoſpitium in vltimo vrbis receſſu ſitum nactus
ſum. Dabamque operam, vt medicos conuenirem,
ac fornacem illam extinguerem. Eram enim in ip-
ſa febris tertianæ flāma. Quo etiam accedebat iti-
neris ærumna & fatigatio, corporis contritio, eorū
à quibus curarer, inopia, rerum neceſſariarū penu-
ria, illudq; item, quòd nullū medicū, præſto habe-
rem, quodq; & labore ac laſſitudine, & caloris æſtu,
& vigilijs diu vexarer, ac deniq; penè exanimis in
vrbem ingreſſus eſſem. Tum verò mihi clerici om-
nes, monachi, monachæ, medici affuerūt: à quibus
perquàm officioſè atq; humaniter acceptus ſum,
omnibus omnia mihi ſubminiſtrantibus. Nihilo-
minus tamen ingenti flammæ ardore deflagrās, in
extremo periculo verſabar. Ad extremū autē pau-
latim remittere ac ſedari morbus cœpit. At inte-
rim nuſquā Pharetrius: verū diſceſſum noſtrum
expectabat. Quod quamobrem ita ipſi viſum fuiſ-
ſet, haud ſcio. Cū igitur morbum ſenſim remiſſum
& ſedatū eſſe vidiſſem, iam de diſceſſu mecū ipſe
agitabam, vt Cucuſum peruenirem, atq; ab itine-
ris calamitatibus nonnihil conquieſcerem. Cum
hoc ſtatu res noſtræ eſſent, ſubitò ad nos affertur,
Iſauros cum infinita hominū manu Cæſarienſem
regionē populari, ac ingens quoddam oppidum in-
cendiſſe, atq; omni belli clade peruaſtaſſe. Qua re
audita, tribunus, acceptis his militibus, quos habe-
bat, ex vrbe exceſſit. Timebant enim, ne vrbē quo-
que adorirentur. Atque omnes in metu, ac trepida-

Calamitatū fructus.

tione

Digitized by Google

dationе erant, de ipſo quoq; patrio ſolo periclitãtes: adeò vt ſenes etiã ipſi murorũ cuſtodiam ſuſciperent. Cùm res eo loco eſſent, repentè ſub aurorã monachorũ torrens (liceat enim mihi ad eorũ furorẽ exprimendũ hoc vocabulo vti) ad hãc domũ, in qua eramus, acceſſerunt, eã incenſuros, nobiſq; extrema quæq; mala illaturos minitãtes, niſi abſcederemus. Ac nec Iſaurorum metus, nec morbus tã vehemẽter nos premẽs, nec aliud quidquã humaniores eos ac moderatiores effecit: verũ inſtabãt atq; vrgebant, tantum furorem ſpirãtes, vt etiã ipſi prætores metu afficerẽtur. Nã ipſis plagas denuntiabant, eoque nomine gloriabantur, quòd multos prætores ſæpè verberaſſent. His verbis auditis, prætores ad nos confugerunt, meq; rogarũt, atq; obſecrarunt, vt etiamſi in Iſaurorum manus nobis veniẽdum eſſet, tamẽ eos his belluis liberarem. Quod cũ ad vrbis præfectum allatũ eſſet, ipſe quoq; domũ, vt nobis opitularetur, accurrit. Verũ ne ipſius quidem precibus monachi permoti ſunt, verũ ipſe quoq; elanguit. Cùm igitur nullum rei
B exitũ perſpiceret, nec nobis ad perſpicuã cædem exeundi author eſſet, nec rurſus ob tantum illorũ furorẽ intra vrbẽ vt maneremus, ſuadere auderet, ad Pharetrium miſit, precibus ab eo cõtendens, vt, tũ morbum, quo conflictabar, tum ob impendens periculum, paucos aliquot dies nobis concederet. Nec tamen hinc quidquã profectũ eſt. Imò acriori etiam poſtea impetu affuerũt: nec presbyterorum vllus opem nobis adq; auxilium ferre audebat: verũ pudore ſuffuſi, ac rubore affecti (nam hæc de Pharetrij volũtate & ſententia fieri dicebant) ſeſe abdebant & occultabant, nec, cũ à nobis accerſerentur, obtemperabant. Quid lõga oratione opus eſt? Quàmuis tot terrores imminerent, morſque penè certa & ante oculos poſita eſſet, febriſq; me conficeret (necdum enim hîc malis liberatus ſum) hora ipſa meridiana in lecticã me cõijciens, illinc exceſſi, vniuerſa plebe lamentante, eiulante, harũ rerũ
C authorem execrante, ac diris deuouẽte, omnibuſq; plorantibus ac lugentibus. Poſteaquã autẽ ex vrbe exceſſi, quidam etiam clerici veniẽtes, lẽto greſſu, ac mœſto, & lugenti animo nos proſequebantur. Cumq; nonnulli dicerent, Quonam eũ ad perſpicuã mortem abducitis? alter ex ijs, qui nos plurimũ amabant, ad me dicebat: Abi obſecro: in Iſauros etiam incide: modò nobis defungaris. Nam quocumq; incideris, tutò incides, dummodo manus noſtras effugias. Hæc audiens ac perſpiciens egregia matrona Seleucia, Domini mei Ruffini vxor (Nam ea perquã ſtudioſè atq; officioſè nos coluit) precibus mecũ egit, vt in ipſius villã, quæ quinq; paſſuũ millibus ab vrbe diſtabat, hoſpitij cauſa me cõferrẽ.
D Certoſque homines nobiſcum miſit, cũ quibus illuc profecti ſumus. At ne illic quidẽ hæ aduerſũ nos cõparatæ inſidiæ finẽ habituræ erant. Vt enim Pharetrius hoc reſciuit, multas ipſi, vt dicebat, minas intẽtauit. Cũ autẽ me in villã ſuam excepiſſet, nihil quidẽ ipſe harum rerũ ſciebam, nam ipſa ad nos egreſſa, de his nos celauit, procuratori autem ſuo, qui illic erat, ea expoſuit, ipſique mandauit, vt nobis omne officij genus impertiret, ac ſi qui monachi venirent, vt nos contumelijs inceſſerẽt, aut vulneribus afficerẽt, ex alijs villis ſuis agricolas cogeret, atq; ita cum monachis manum confereret. Quin me quoq; rogabat, vt in domum ſuam, quæ arcem habebat, nec vllis viribus expugnari poterat, confugerẽ, vt ex Epiſcopi ac monachorũ manibus elaberer. At vt id facerẽ, adduci non potui: verũ in villa erã, horũ omniũ ignarus, quæ poſtea in me cõparabantur. Nec hoc quidẽ ipſis ad comprimendũ ſuum aduerſum nos furorẽ ſatis fuit. Poſtea enim media nocte, me nihil horũ ſciente (acriter enim inſtabat Pharetrius, graues in eam, vt ait, minas iactans, eamq; cogens atque impellens, vt me etiam è villa eijceret) homines importunitatem nõ ferẽs mulier, inſciente me, barbaros adeſſe ſignificauit, quòd ſcilicet vim eam, quã pateretur, dicere præ pudore minimè ſuſtineret. Atq; intempeſta nocte ingreſſus Euethius presbyter, meq; è ſomno excitans, magno cum clamor hæc dicebat: Surge obſecro, aduentant barbari, nec longe abſunt. Hic tecum reputes velim, quonam animo erã cùm hæc audirem. Cum autem ex ipſo, quidnã facto opus eſſet, quæſiuiſſem, neq; enim nos in vrbẽ confugere poſſe, ne grauiora illic perpeteremur, quàm quæ nobis Iſauri illaturi eſſent, exire nos coëgit. Nox illunis erat, nox media, caliginoſa, tetra. Id quod etiam nos in ſummam cõſilij inopiam conijciebat. Nec quiſquam nobis præſto erat, qui opem ferret. Omnes enim nos reliquerant. Metu tamen compulſus, ac iamiam mortem expectans, ærumnis confectus ſurrexi, ac lucernas accẽdi iuſſi. Verùm has quoq; presbyter extingui iuſſit, hac videlicet de cauſa, vt ipſe inquiebat, ne barbari lucis ſplendore exciti, in nos impetum facerẽt. Extinctis itaque lucernis, * equus qui lecticam noſtrã geſtabat (aſpera enim admodum & ardua ac petroſa via erat) in genu lapſus, me, qui lectica incluſus eram, humi proſtrauit, parumque abfuit quin interirem. Deinde exurgens, tractim ambulabam, Euethio presbytero, qui etiam ipſe ex equo deſilierat, manibus me tenente. Atque ita manuductus, vel, vt rectiùs loquar, pertractus, reptabam. Neq; enim in tanta loci difficultate, periculoſiſque motibus, media nocte incedere poteram. Cogita quæſo, quid hic mihi animi eſſet, cùm tantis malis conſtrictus tenerer, ac febris vrgeret, nec eorũ, quę in me ſtructa fuerant, quidquam noſſem, verùm barbaros timerem ac perhorreſcerem, nihilq; aliud expectarem, quàm vt in eorum manus inciderem. An non exiſtimas vel has ſolas calamitates, etiamſi nihil aliud accidiſſet, multa nobis peccata obliterare, atque ingentem mihi gloriæ materiam ſuppeditare poſſe? Harũ autem calamitatum, ni me opinio fallit, hæc cauſa extitit. Cùm primùm Cæſaream ingreſſus ſum, omnes, qui magiſtratu fungebantur, * legati, præfecti, ſophiæ, philoſophi, plebeij omnes, ſingulis diebus me viſebant, colebant, in oculis ferebãt. Hæc, credo, Pharetriũ pupugerunt: nec inuidia ea, quæ nos Cõſtãtinopoli pepulit, hîc quoque à nobis abſceſſit, vt quidẽ opinione aſſequor. Neq; enim affirmo & aſſeuero, ſed conijcio. Et quis tandẽ alia, quæ nobis in via perferenda fuerũt, oratione cõplecti queat? mortes, pericula? quæ quidẽ ipſe quotidie recordans, animoq; circumferẽs, præ lætitia volito & exulto, velut ingentem theſaurum reconditum habẽs. Nam hoc animo atq; hoc affectu præditus ſum. Ob idq; te obſecro, vt hoc nomine læteris, gaudeas, exultes, Deumq;, cuius beneficio hoc conſecuti ſumus, vt tanta perpeteremur, laudes ac celebres. Atq; apud te velim hæc contineas, nec cuiquã enunties: etiamſi alioqui prętores potiſſimùm harum rerum fama vniuerſam vrbem implere poſſunt, vt qui etiam ipſi in ſummum vitæ periculum venerint. Cæterùm ex te nemo id reſciſcat: imò etiam eos, qui id narrabunt, comprime. Quòd ſi ob calamitatis reliquias doles, id pro certò habe, me omnibus afflictionibus planè liberatum eſſe, firmioreq; valetudine eſſe, quã cùm iſtic degerem. Frigus autem quid extimeſcis, cùm & cõmoda nobis domicilia conſtructa ſint, & dominus meus Dioſcorus omnem operã nauet, quò nos ne exiguam quidẽ frigoris partem ſentiamus? Quòd ſi ex initijs coniectura duci poteſt, mihi hoc cælum orientale eſſe videtur, nec Antiocheno cælo inferius. Is eſt tepor, ea cæli temperies. Illud autẽ mihi permoleſtum fuit, quòd dixiſti. Fortaſſe etiam mihi ſuccenſes, vt quæ per incuriam officio meo defuerim. Atqui pridem ad te literas dedimus, quibus tecum agebamus, ne nos hinc emoueres. Ego verò illud mecum cogitare poteram, longa tibi ora-

* ὁ βύρδων
* οἱ ἀπὸ βικαρίων.

Exhauſtis calamitatibus gaudet Chryſoſt.

bi ora-

Digitized by Google

bi oratione, multiſq; laboribus ac ſudoribus opus fore, vt mihi de hoc verbo ſatisfaceres. Quamquã fortaſſe aliqua ex parte ſatisfeciſti, cùm his verbis vſa es, iſtud duntaxat exiſtimo, vt calamitatem meã augeam. At hoc quoque rurſum in ſummo crimine pono, quod ais te libenter ac de induſtria dolores tibi per cogitationes accerſere. Nam cùm te nihil non agere ac moliri oporteat, quò animi mœrorẽ extinguas, ipſa tamen, quod diabolo gratum eſt, facis, mœrorem videlicet animique moleſtiã augẽs. An te fugit, quàm graue malum ſit mœſtitia? De Iſauris autem, nihil eſt quod poſthac metuas. Etenim in regionem ſuam ſeſe receperunt: idque vt facerent, à præfecto nihil eſt prætermiſſum. Multoque tutior hîc ſum, quàm cùm Cæſareæ eſſemus. Neminem enim iam præter Epiſcopos metuo, eoſque haud multos. Itaque de Iſauris omni metu te libero. Etenim receſſerunt, ortaque hyeme domi ſe incluſerunt, neſcio an poſt Pentecoſten egreſſuri. Quónam autem pacto nullum ex meis literis fructum abs te percipi ais? Tres iam ad te Epiſtolas miſi, vnam per prouinciales, alteram per Antoniũ, aliam per famulum tuum Anatolium, longas omnes: præſertim autem duas eiuſmodi, quæ ſalutiferi medicamenti inſtar, quemlibet hominem mœrore afflictum, animique offenſione laborantẽ recreare atque ad integram animi tranquillitatem & hilaritatem reuocare poſſint. Has igitur cùm acceperis, fac eas ſubinde atque omni ex parte peruoluas: atque earum vim & facultatem perſpicies, ac medicamenti vtilitatem abundè experieris, nobiſque te fructum hinc percepiſſe nuntiabis. Eſt autẽ penes me alia quoque eiuſdem argumenti, quam nunc, vt ad te mitterem, animum inducere nõ potui. Magno enim dolore hinc ſum affectus, quòd te acerbas cogitationes cumulare ſcribis, atq; ea, quæ nõ ſunt, effingere. Quod quidem verbum à te proferri minimè decuit. Eiúſq; cauſa ipſe quoq; erubeſco ac pudore ſuffundor. Cæterũ epiſtolas illas lege, ac iã his verbis vti deſines, etiamſi alioqui ſexcenties mœrere ſtudeas. Quoniam autem de Heraclide quoq; Epiſcopo ad me ſcripſiſti, licet ipſi, ſi velit, * inſtantiam dare atque ita moleſtijs omnibus defungi. Nihil enim aliud ſupereſt. Ego verò etſi nihil admodum proficiebam, tamen dominã meã Pentadiam per literas monui, vt ſtudium omne atque omnem diligentiam adhiberet, quò calamitati ſolatium aliquod inueniret. Ais autem te, quòd ita tibi ab eo imperatum eſſet, de his moleſtijs certiorem me facere auſam eſſe. Quę autem hæc audacia eſt? Nũquam igitur hoc dicere deſtiti, nec deſiſtã, nempe vnam dũtaxat rem moleſtam eſſe, nempe peccatũ: reliqua omnia pulueris ac fumi inſtar eſſe. Quæ moleſtia carcere claudi, ac catenis vinciri? Quæ moleſtia calamitatibus premi, cum calamitas tantarum opum cauſa ſit? Quæ moleſtia bonorum proſcriptio? Mera verba hæc ſunt, rerũ acerbitate vacua: verba mœroris expertia. Nam ſiue mortem dixeris, naturę debitum dicis, quod quidẽ omnibus ſubeũdum eſt, etiãſi à nemine inferatur. Siue exilium dixeris, nihil aliud dicis, quam regionem, ac multarum ciuitatum proſpectum. Siue bonorum proſcriptionẽ dixeris, libertatem dicis, ac ſolutũ, & expeditum eſſe. Marutham Epiſcopum, quãtum in te fuerit, curare, atque omnibus officijs complecti ne deſinas: vt eum è barathro extrahas. Nam eius opera ob Perſidis negotia magnopere egeo. Atque, ſi id à te fieri poteſt, ex eo intellige, quidnam illic ipſius ſtudio atque opera perfectum ſit: & cur iſtuc profectus ſit; fac ſciam, & num ei duas epiſtolas, quas ad eum miſi, reddideris, fac me velim certiorem. Quòd ſi reſcribere grauetur, ſaltẽ, quid illic profectum ſit, tibi exponat, & num quid rurſus eodem proficiſcens præſtiturus ſit. Nã ego hac de cauſa ipſum conuenire ſtudebam. Vtcumq; ſit, quidquid tuarum partium eſt, præſta, munuſque

Graue malum mœſtitia.

* Λῦσαι ἔνστασιν.

Nihil moleſtũ pręter peccatum.

A tuum exple: etiamſi omnes prono capite in præceps ferantur. Merces enim tua numeris omnibus abſoluta & cumulata erit. Quamobrem velim eum quàm maximè poteris demereare. Hoc autem, quod dicturus ſum, ne prætereas, verùm de eo perquam ingens ſtudium exhibeas. Narrauerunt mihi Marſi ac Gotthi monachi, apud quos Serapion Epiſcopus perpetuò deliteſcebat, Moduariũ diaconum veniſſe, illud afferentem, eximium illum atque admirandum virum Vuilam, quem non ita pridem Epiſcopum creaui, atque in Gotthiam miſi, multis ac magnis rebus geſtis, diem ſuum extremum clauſiſſe: ac regis Gotthorum literas attuliſſe, quibus, vt ad eos Epiſcopus mittatur, petit. Quoniam igitur ad ſubuerſionem eam, cuius minæ nobis intentantur, depellendam, nullum aliud adiumentum conſpicio, quàm cunctationem ac dilationem (neque enim nunc ipſi in Boſphorum, aut

B in illas partes nauigare poſſunt) da operam vt illos ob hyemem remoreris. At hæc quæſo ne negligẽter prętereas. Iſtud enim ſi perficiatur, maximi momenti erit. Duo quippe ſunt, quæ ſi contingant (quod Deus procul auertat) maximè me excruciant, nempe & quòd ab iſtis creandus ille ſit, qui tot mala perpetrauit, & quòd ſimpliciter quiſpiam ab his creetur, à quibus creari nefas eſt. Nam quòd non hoc ſtudeant vt probum aliquem ac ſtrenuũ virum inſtituãt, tibi quoque perſpectum eſt. Quod ſi hoc fiat (quod vtinam ne fiat) quæ deinceps ſequentur, haud te fugit. Ac proinde, ne quid horum fiat, omni ſtudio contende. Quod ſi Moduarius clàm ac ſine vllo ſtrepitu ad nos excurrere poſſet, ad rei ſummam plurimum efficeretur. Sin autem id nequeat, fiant, vt licet, quæ fieri poterunt. Nam quod in pecunijs vſuuenit, atque etiam in vidua illa contigit, hoc quoque in negotijs locum habet. Vt enim illa duobus duntaxat obolis collatis, omnes, qui plura contulerant, ſuperauit, vt quæ

C vniuerſas ſuas opes profudiſſet: eodem etiam modo qui in negotia omni animi contentione incumbunt, quantum quidem in ipſis eſt, omnia confecerunt, (etiamſi alioqui nihil inde vtilitatis manarit) mercedemque ſuam numeris omnibus abſolutam habent. Hilario Epiſcopo maximas gratias ago. Per literas enim à me petijt, vt ſibi in vrbem ſuam abeundi poteſtatem facerem, compoſitiſque rebus ſe ad nos rediturum ſpopondit. Quoniam igitur ipſius præſentia non parum vtilis eſt (ſiquidem vir pius eſt, conſtantique ac feruido animo) eum hortare, vt cùm eò profectus fuerit, ſtatim redeat. Ac proinde da operam, vt epiſtola noſtra, & celeriter, & tutò ipſi reddatur, * ac non projiciatur. Siquidem magna cum cupiditate ac vehementia noſtræ literæ aduenerunt, ingentemque ipſius præſentia vtilitatem affert. Velim igitur diligenter

D cures, vt, niſi presbyter Helladius iſtic ſit, per prudentem aliquem virum ac cerebro præditum amicis reddantur.

Simile.

* καὶ μὴ παραῤῥιφῆναι.

Eidem Epiſtola XV.

Tvnc cùm ab ineunte ætate tantum ſapientiæ documentum dederis, humanumque faſtum proculcaris, ſpem habebas fore, vt tranquillam quandam ac pacatam vitam duceres? Quî verò id fieri poſſet? Nam cùm homines cum hominibus colluctantes, innumeras, tum in palæſtris, tum in bellis, plagas accipiant, tu, quæ aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum huius ſeculi, aduerſus ſpiritualia nequitiæ te accinxiſti, & quidem ita ſtrenuè te accinxiſti, totque trophæa erexiſti, ac tot modis ferocem illum & peſtiferum dæmonum mœrore ac moleſtia affeciſti; vnde tandem in eam ſpem veneras, fore, vt tranquillam ac negotiorum moleſtijs vacuam vitam ageres? Quocirca non eo nomine perturbari

Conſolatoria eſt in aduerſis.

Nulla in hac vita vera tranquillitas.

Digitized by Google

turbari conuenit, quòd multa vndique bella, multique tumultus ac perturbationes oriantur. Quin potiùs, ſi nihil horum contigiſſet, tum erat, cur mirareris. Siquidem virtuti labor ac diſcrimen annexum eſt. Idque tu priùs etiam, quam noſtras literas legas, perſpectum habes, nec opus eſt vt ab alijs diſcas. Nam nec ipſi, vt ignorantem doceamus, hæc ſcribimus. Scimus enim, nec exilium, nec opum iacturam (hoc, inquam, quod plerique acerbiſſimum atque intolerandum ducunt) non contumeliam, non aliam vllam huiuſmodi calamitatem eam vim habituram eſſe, vt animum tuum perturbet. Nam cùm eorum, qui hæc pertulerunt, ſocij beati prædicentur, multò certè beatiores ſunt, qui in ijs verſantur. Eaque de cauſa Paulus vtroque nomine eos qui ab Hebræorum religione ad Chriſtianam fidem ſe contulerant, his verbis laudat: *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paßionum, in altero quidem opprobrijs ac tribulationibus ſpectaculum facti, in altero autem ſocij taliter conuerſantium effecti.* Ob idque ne nos quidem longam epiſtolam condimus. Nemo enim ad eum, qui victoriam adeptus eſt, ac luculentum trophæum ſtatuit, accedit, vt opem atque auxilium ferat, ſed vt laudem & prædicationem. Quoniam igitur nós quoque, quãtam in his quæ tibi acciderunt, ſapientiam præſtiteris, exploratum habemus, beatam te ducimus ac ſuſpicimus, tum ob patientiam, quam trophæorum ſpe exhibuiſti, tum ob præmia quæ hinc tibi in poſterum reconduntur. Quandoquidem autem illud minimè dubito, quin de rerum noſtrarum ſtatu certior fieri cupias, (ſiquidem diuturno tempore nihil à nobis literarum accepiſti) hoc habeto, nos è grauiſſimo quidem morbo emerſiſſe, cæterũ morbi reliquias etiamnum circumferre. Et quamquam optimos medicos præſto habeamus: ſic quoque tamen neceſſariarum rerum inopia medicinæ vtilitatem labefactat. Hîc enim non modò neceſſariorum medicamentorum penuria eſt, cæterarumque rerum, quibus ægrum ac dolore confectum corpus releuari poteſt: verùm etiam fames ac peſtis imminent. Atque hæc mala perpetuus latronum impetus iam parturit, qui quàm longiſſimè graſſantes, atque omnes vndique vias intercludentes, hinc quoque non paruum ijs, qui iter faciunt, periculum creant. Sanè Andronicus, quemadmodum ipſe ait, in eorum quoque manus incidit, atque ab ipſis dimiſſus, ita demum ſalutem eſt conſecutus. Quamobrem te rogo, ne quem poſthac huc mittas. Eſt enim verendum, ne profectionis ad nos cauſa, ei, qui iter hoc ſuſcipit, necem accerſat. Quòd ſi accidat, non te fugit quantum dolorem id nobis allaturum ſit. Verùm ſi quem ſpectatæ fidei hominem nanciſcaris, qui ob alterius cuiuſpiam negotia huc ſe conferat, per eum, quo ſtatu valetudo tua ſit, facſciam. Priuatim autem ac dedita opera ne quis huc de cauſa, nec vt nobis adminiſtram operam præbeat, huc veniat, propter hunc metum, quem commemorauimus.

Heb. 10.

Eidem Epiſtola XVI.

Vtrunque diuinæ benignitatis, quæ omnẽ orationis facultatem excedit, argumentum eſt, nempe quòd & tot tibi, tamque denſas tentationes inferri permittit, quò ſplendidiores coronas obtineas, & quamprimum his te liberat, ne illatarũ calamitatũ diuturnitate rurſum opprimaris. Ad hũc enim modum Deus fortium etiam illorum virorum, hoc eſt, Apoſtolorum & Prophetarum vitam gubernauit, nunc nimirum fluctus excitari ſinens, nunc autem aduerſarum rerum mare increpans, ac ſæuam tempeſtatem in amœnam tranquillitatem conuertens. Quæ cùm ita ſint, flere ac teipſam mœrore conficere deſine, nec dumtaxat crebras

Cõſolatoria eſt in luctu.

Deus per læta & aduerſa piorum vitã gubernat.

A eas, imò perpetuas acerbitates, quæ tibi inferũtur, ante oculos tibi propone, verùm etiam celerrimã earum depulſionem, eamque, quæ hinc tibi paritur, omni oratione præſtantiorẽ remunerationẽ. Nam quod araneæ tela, & vmbra, & fumus eſt, & ſi quid his vilius fingi poteſt, hoc ſunt omnes tibi inflictæ acerbitates, ſi cum ijs præmijs conferantur, quæ hinc tibi tribuenda ſunt. Quid enim eſt ciuitate pelli, & ex alijs atque alijs locis in alia loca ſubinde migrare, atque vndique exagitari, & proſcribi, & ad tribunalia trahi, & à militibus raptari, & ab ijs, qui ſexcentis beneficijs affecti fuerint, contraria nunc perpeti, atque, tum à famulis, tum à liberis vexari, cùm horum præmium cælum ſit, & puriſſima illa bona, quæ nec verbis vllis explicari queunt, nec finem habent, verùm immortalẽ fructum atque oblectationem præbent? Quamobrem inſidias, vexationes, opum iacturam, continuas locorum mutationes, atque in extera regione commorationem conſiderare ſuperſede, atque hæc B luto quouis vilius proculcans, eos theſauros, qui hinc tibi in cælo creantur, quæſtumque, qui exhauriri & conſumi nequit, atq; opes ab omni prædonũ iniuria tutas & immunes animo perpende. At corpus tuum ob labores & ærumnas malè affectũ eſt, hoſtiumque inſidiæ morbum adauxerunt? Nimirũ ingentis alterius quæſtus, atque omnem ſermonis vim ſuperantis, materiam mihi rurſus commemoras. Scis enim, ſcis inquam planè, quantæ laudis ſit, corporis morbum generoſo animo atque cum gratiarum actione ferre. Hoc, vt ſæpe à me dictum eſt, Lazaro coronam attulit: hoc in Iobi certaminibus diabolum dedecore atque ignominia affecit, pugilemq; ob huiuſmodi patientiam clariorẽ reddidit. Hoc, magis quàm opum contemptio, ac repentina illa filiorum amiſſio, & ſexcentæ inſidiæ, ipſum laude ac prædicatione extulit, atque impudens peruerſi illius dæmonis os perfacilè obſtruxit. Hæc igitur ipſa quoque perpetuò tecum repu- C tans, gaude & oblectare, quòd maximo certamine perfuncta ſis, atque id, quod tentationũ caput eſt, ac placido animo feras, eoque nomine benigni Dei gloriam prædices, qui cùm omnia ſubitò delere ac de medio tollere queat, ea tamen oriri ſinit, vt tibi pulcher hic quæſtus ſplendidior exiſtat. Ob idque beatam te prædicare minimè intermittimus. Illud autem nobis haud paruæ voluptati fuit, quòd & litibus, & negotijs, vt te dignum erat, defuncta, eiuſmodi rei finem impoſueris, vt nec ea ignaue abieceris, nec rurſum retinueris, ac tribunalibus, iiſque, quæ hinc oriũtur, malis teipſam trãsfixeris, verùm medium iter ingreſſa ſis, eamque, quæ tibi conueniebat, libertatem perceperis, atque ingentem in omnibus rebus prudentiam præ te tuleris, D edito videlicet tum patientiæ ac tolerantiæ, tum eiuſmodi prudentiæ, quæ nullis fraudibus circumſcribi poſſet, documento.

Eidem Epiſtola XVII.

Nihil alieni ac præpoſteri in te contigit, quin potiùs quod par admodum & rationi cõſentaneum eſſet, nẽpe vt per aſſiduas tentationes tuas animi tui neruis plus firmitatis, pluſque ad ſubeũda certamina prõptitudinis, ac roboris accederet, hincque magnam voluptatem perciperes. Nam hæc calamitatis natura eſt, vt cùm fortẽ ac ſtrenuã animam nacta eſt, hæc efficere ſoleat. Et quẽadmodum ignis auro admotus probius illud efficit: eodem modo calamitas animos aureos ſubiens, puriores eos, ac præſtantiores reddit. Eoque etiam nomine Paulus his verbis vtebatur: *Tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem:* Quocirca nos quoque exultamus, ac lætitia perfundimur, atque ex hac tua animi magnitudine maximũ huiuſce ſolitudinis ſolatiũ haurimus. Ac pro-

Eſt eiuſdẽ argumenti cũ præced.

Calamitas pios robuſtiores reddit.

Rom. 5.

Digitized by Google

inde, etiamſi mille lupi ac multæ improborum ſynagogæ te vndique obſideāt, haudquaquā pertimeſcimus: verū illud quidē optamus ac precamur, vt & præſentes tētationes extinguantur, nec aliæ (Matth. 6.) inſuper accedant) Dominicam ſcilicet legem explentes, quæ nos, ne in tentationem incidamus, precari iubet:) ſin autem Deus rurſum exoriri ſinat, de aurea tua anima, quæ hinc etiā ampliſſimas ſibi opes aggerit, bono ac fidenti animo ſumus. Etenim quānam te terrorem tibi afferre poterūt, qui in ſuum ipſi caput, ſuamq; perniciem quiduis aggreſſi ſunt? Opūmne detrimento? At illud probe ſcio, te eas pulueris inſtar habere, ac quouis luto viliores exiſtimare. An patriæ ac domus amiſſione? At tu amplas etiā ac frequentes vrbes non ſecus ac ſolitudines incolere noſti: vt quę in otio ac quiete omne vitæ tempus tranſegeris, atq; huiuſce vitæ pompas ſemper protriueris. At mortē minitantur? Tu verò anteuertens, nullum tēpus omiſiſti, quin (B) de ea cogitares: atq;, ſi ad necem te traxerint, cadauer dūtaxat ad eā trahent. Quin pluribus verbis opus eſt? Nemo te tāto vllo malo afficere poterit, cuius patiētiam nō abundè iampridem à te præſtitam inueniat. Nam cùm per arctam & anguſtā viā iter facias, his omnibus diuturna exercitatione aſſueuiſti. Ac proinde cùm pulcherrimā hanc ſcientiā in palæſtris colueris, nūc in ſerijs certaminibus clariorē te præbuiſti: quippe quæ ob ea, quæ cōtingunt, non modò non cōturberis, verùm etiā velut additis tibi pennis volites, & exilias, ac tripudies. Nam quarum rerum exercitia occupaſti, harū certamina mira cum facilitate in muliebri corpore nunc obis, & cùm araneas imbecillitate ſuperes, valentiſſimorum tamen, ac dentibus ſtridentium virorum furorem ingenti cùm riſu calcas: vt quæ plura perpeti parata ſis, quā illi inferre proponāt. Te verò beatam, ac ter beatam, cùm ob eas coronas, quæ hinc tibi cōparantur, tum etiam ob ipſa (C) certamina. Ea enim horum certaminū natura eſt, vt etiam ante præmia in ipſa quoq; arena præmiū ſuum habeāt, nimirū voluptatem, qua nūc frueris, animi lætitiam, fortitudinem, patientiam: illudque item, quòd expūgnari atq; opprimi nequeas, quòd omnibus rebus ſublimior ſis, quòd ſic te ipſam exercueris, vt nihil tibi incommodi à quoquam inferri poſſit, quòd exorta tam graui tempeſtate in petra conſiſtas, quòd denique mari furente magna cum tranquillitate ſecundum curſum teneas. Hęc, etiam ante cælorum regnum calamitatis pręmia in hac vita ſunt. Illud enim mihi exploratiſſimū eſt, te nunc animo ita comparatam eſſe, vt nec corpore quidē indutam te eſſe exiſtimes, (ita te pennatā reddit voluptas:) ac ſi tempus id poſtulet, prōptius illud exutura ſis, quàm alij veſtes, quibus obtecti ſunt. Quæ cùm ita ſint, gaude & oblectare, tum tuo (D) nomine, tum eorū qui beatam mortem obierunt, non in lecto, nec in cubiculo, ſed in carcere, & vinclis, ac tormentis. Eos autem ſolos luge ac lacrymis proſequere, qui hæc perpetrant. Nam iſtud quoque tua philoſophia dignum eſt. Quoniam autem de corporis quoque noſtri valetudine certior fieri cupis, nos ex eo morbo, qui nuper nobis moleſtiā exhibebat, emerſimus: nuncque meliore valetudine ſumus, modò ne rurſus hyems ſtomachi noſtri imbecillitatem aduentu ſuo lędat. Nam de Iſauris, omni metu vacui ſumus.

Carteria XVIII.

(Suã erga eam beneuolentia declarat petitque frequentiores literas.) Siue frequēter, ſiue rarò ſcribas, nos tamē iudiciū illud, quod de tua charitate animo conceptū habemus, firmum ac ſtabile retinemus. Id enim exploratū nobis eſt, te, ſiue ſcribas, ſiue ſileas, eodē ſemper erga nos animo ac ſtudio eſſe. Velim autē celerrimā tibi ſanitatē Deus præbeat, atque omni morbo te liberet. Neq; enim vulgari ſollicitudine (A) affecti ſumus, cùm de tuo morbo ad nos allatū eſt, Eoque nomine te obſecramus, vt, quoties licuerit, de tua valetudine nos certiores facias, & num melius aliquantò corpus tuum ſe habeat. Nec enim te fugit, quàm doleamus, cùm te morbo teneri audiuimus, ac rurſum quanta lætitia afficiamur, ac præ voluptate velut pennas induamus, cum te incolumi valetudine eſſe intelligimus. Hæc igitur cum minimè ignores, ornatiſſima ac nobiliſſima domina mea, quoties facultas dabitur, ad nos ſcribere ne graueris, quaque valetudine ſis, indicare. Neque enim vulgari beneficio nos afficies, cùm eiuſmodi ad nos literas miſeris.

Marciano & Marcelliano XIX.

Illud quidem cuperemus, vt vos, à quibus tantopere amamur, præſentes quoque cerneremus. (Eſt eiuſdem argumenti.) At quoniam id minimè licet (nam & viæ longinquitas, & hyems, & prædonum metus, ad profectionem impediendam ſufficiunt) illud ſaltem optamus, vt eos, qui literas à nobis ad vos ferant, ſæpiùs nanciſcamur: quò cupiditatem noſtram ampliſſimè explere poſſimus. Quandoquidem autem, tum ob huius loci ſolitudinem, tum quia à publica via procul diſtat, hoc nobis ademptum eſt, à vobis peto, vt ſi minùs crebrò hoc faciamus, nobis veniam tribuatis: atque, ſiue ſcribamus, ſiue ſileamus, idem de noſtra erga vos beneuolentia iudicium habeatis, illud vobiſcum reputantes, diuturnioris plerumque ſilentij noſtri cauſam, loci potiùs ſolitudinem eſſe, quàm morum inſolentiam ac negligentiam.

Agapeto XX.

Syncerum atque ardentem, fucique expertem, ac purum amorem tuum perſpectum habeo: (Eſt eiuſdem argumenti.) quodque nec negotiorum turba, nec temporis diuturnitate, nec itineris longinquitate debilitari poſſit, exploratum item habeo: quamque oculis etiam nos cernere, congreſſuque noſtro frui geſtias. Quoniam autem nunc, tum ob itineris longitudinem, tum ob anni tempus, tum ob Iſaurorum metum, id vix fieri poteſt, da operam, vt eam, quam literæ afferre ſolent oblectationem nobis præbeas, ſubinde videlicet de tua totiuſque domus tuæ valetudine, certiores nos faciens. Nam ſi huiuſmodi literas à te crebrò acceperimus, non vulgarem, etiam in ſolitudine degentes, conſolationem capiemus. Neque enim ignoras, domine mi ſummopere venerande atque admirande, quanto nobis ſtudio atque curæ ſit valetudo tua.

Alphio XXI.

Te verò beatum ac ter beatum, atque etiam ſæpiùs beatum, qui eiuſmodi res efficis, atque (Eſt eiuſdem argumenti.) eiuſmodi negotijs animum adijcis, quæ ingentem in cælis theſaurum tibi recondunt. Neque enim vulgariter animum noſtrum erexiſti, cùm de domino noſtro Ioanne presbytero nobis illud expoſuiſti, te multum ſtudij atque operæ adhibuiſſe, vt eum excitares, atque in Phœniciam mitteres. Quòd autem aurum quoque ipſi dediſti, quamquam tu pro cætera tua pietate hoc reticuiſti, minimè tamen id nobis obſcurum fuit. Nam id etiam compertum habuimus, ac liberalitatem eam, qua vſus es. Ob eamque cauſam te admirari ac laudibus in cælum ferre non deſinimus, quòd in his rebus diues ſis, in quibus diuitem eſſe conuenit. Teque obſecramus? vt crebrò ad nos literas des. Nam ſi fieri poſſet, vt oculis te cerneremus, magno id ſanè emeremus. Quoniam autem id nondum licet, fac quæſo ſubinde ad nos ſcribas, ac de tua totiuſque domus tuæ valetudine, certiores nos facias.

Digitized by Google

cias Neque enim leue ſolatium capiemus, hæc audientes. Cùm igitur, quàm nobis gratum facturus ſis, minimè ignores, ne committas, vt tanta lætitia careamus.

Caſto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, Antiochiæ presbyteris XXI.

Eſt eiuſdem argumenti.

QVòd longam noſtram epiſtolam breuem dixeritis, haud equidem miror. Ea enim amantium natura eſt, vt ſatietatem neſciant, nec vmquam expleri poſſint: verùm quò plura ab ijs, quos amant, acceperint, eò plura concupiſcant. Ob eamque cauſam etiamſi decuplo maior, quàm prior, ad vos epiſtola veniſſet, ne illa quidem breuitatis vocabulum effugiſſet: verùm ipſa quoque parua vocata fuiſſet, imò non vocata duntaxat, ſed etiam parua habita fuiſſet. Quod etiam eodem modo mihi vſuuenit. Nam ad quemcumque amoris erga nos àc beneuolentiæ gradum perueneritis, eo minimè contenti ſumus: verùm amoris incrementa ſemper expetimus, charitatiſque debitum, quod etiamſi ſemper ſoluatur, ſemper tamen debetur (*nemini enim, inquit ille, quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis*) quotidie à vobis efflagitamus, ſemper quidem illud affatim accipientes, nec tamen nos illud vnquam omni ex parte accepiſſe arbitrantes. Quamobrem, ne quæſo præclarum hoc debitum, duplicemque voluptatem habens, nobis perſoluere deſinatis. Nam & qui perſoluunt, & qui accipiunt, parem voluptatem conſequuntur: quippe cum vtrique per huiuſmodi ſolutionem æquè locupletentur. Quod quidem in pecunijs fieri nequit. Nam qui perſoluit, egentior hinc efficitur: is contrà, qui accepit, copioſior. At in charitatis contractu hoc vſuuenire minimè ſolet. Neque enim eum, qui perſoluit, inanem ac vacuū relinquit, (id quod pecunia efficit, cùm ad accipientem migrat) quin potius ipſum tum demum locupletiorem reddit, cùm eam perſoluit. Hæc igitur cùm vobis explorata ſint, præſtantiſſimi ac pietatis pleniſſimi domini mei, ne vnquam florentem ac vegetam erga me beneuolentiam exhibere intermittite. Nam etſi, vt id faciatis, nihil noſtra cohortatione indigetis: tamen quoniam vos apprimè amamus, propterea vos, etiamſi nihil neceſſe ſit, admonemus, vt perpetuò ad nos ſcribatis, atque, quo ſtatu valetudo veſtra ſit, ſignificetis. Quãuis enim nihil ad eam rem ſubmonitore vobis opus ſit, at nos tamen id quoque, quándoquidem vehementer expetimus, à vobis poſtulare nunquam deſinemus. Et quidem quoniam, tum propter anni tempus, tum propter itineris difficultatem, haud multi viatores exiſtunt, qui vobis ad hãc rem operam nauare poſſint, iſtud iam difficile eſſe ne nos quidem ignoramus: ſaltem vt licet, atque in tanta difficultate fieri poteſt, vos obſecramus, vt quàm ſæpiſſimè ſcribatis: atque hanc à veſtra charitate gratiam poſtulamus. Quin religioſiſſimo quoque domino meo presbytero Romano, quemadmodum iuſſiſtis, ſcripſimus, eoque nomine ingentem etiam vobis gratiam habemus. Quandoquidem hoc quoque ab ingenti ac ſingulari quodam noſtri amore proficiſcitur, quòd, vt tantis viris arctiùs nos copuletis, per literas operam datis, ſummumque ad id ſtudiū adhibetis. Velim itaque, vt cùm noſtram ad eum epiſtolam acceperitis, eam ipſi reddatis, atque inſuper eum meo nomine ſaluteris. Iampridem enim eſt, quòd eum amare cœpimus: idque vt ex ore veſtro intelligat, cupio, nos eandem erga eum beneuolentiam retinere, eaque in re de nobis ipſis quàm optimè mereri. Illudque præterea, nos interea non negligentia & ſocordia nihil ad eum literarum dediſſe, ſed quòd ab ipſius pietate literas expectaremus. Quoniam autem, vt priores ſcriberemus, poſtulauit, & hoc quoque facimus: &, idem vt ipſe facere ad nos non intermittat, obſecramus.

Charitas ſemper debetur.

Rom. 13.

Romano Presbytero XXIII.

Omnes ferè ſequentes epiſtolæ ſunt ſalutatoriæ & captatoriæ beneuolentiæ mutuæ: videtur autem ſcriptæ in exilio.

SCis tu quoque profectò, domine mi præſtantiſſime ac religioſiſsime, quemnam ſemper erga te animum habuerimus, & quónam pacto ſemper charitatis lege tecum aſtricti fuerimus, morum tuorum ſuauitatem admirantes, virtutiſque tuæ, per quam omnes eos, qui ad te accedunt, tuos reddis, pulchritudinem ſuſpicientes. Quo etiam fit, vt quamuis longo à te interuallo diſiti, animo tamen & cogitatione te circumferamus, atque in quamcunque ſolitudinem auehamur, tuæ tamen charitatis obliuiſci minimè poſsimus, verùm vt præſentem ac propinquum intueamur, charitatiſque oculis perpetuò repræſentemus, imò, vt rectiùs loquar, aſsiduè te cernamus, atque apud omnes pietatem tuam prædicemus. Quamobrem abs te quoque petimus, vt noſtri memoriam nunquam intermittas, eamque beneuolentiam, quam ſemper nobis præſtitiſti, nunc quoque florentem ac vigentem conſerues: ac pro noſtra vilitate obnixas ad Deum preces adhibeas, ad noſque, cùm licuerit, literas des, ac de tua valetudine certiores nos facias: quò, etiam in ſolitudine ſedentes, ingentem conſolationem capiamus, tuarum videlicet precum ope ac ſubſidio è tanto locorum interuallo fruentes.

Heſychio XXIIII.

PEtis vt illud tibi ignoſcam, quòd ad me non veneris, morbi excuſatione vtens. Ego autem voluntatis nomine te laudo ac prædico, per quam etiam veniſti, atque, quantum ad charitatem attinet, nihilo inferiore apud nos loco es, quàm qui venerunt. Poteſt autem Deus, ex eo morbo, quo teneris, te eximere, atque integræ ſanitati reſtituere, vt conſpectu quoque tuo atque congreſſu fruar. Siquidem te videre atque complecti, charumque iſtud nobis caput exoſculari maiorem in modum auemus. Quandiu autem id, tum per morbum tuum, tum per anni tempus, minimè licebit, literas ad te dare, eamque, quæ hinc ad nos redit, voluptatem nobiſipſis comparare minimè intermittemus.

Elpidio Epiſcopo XXV.

ILlud quidem vellemus, nobis ad te quàm ſæpiſſimè literas dare liceret: idque ipſe ſcis, domine præſtantiſsime. Quod quoniam nobis adimitur, propterea quòd nemo ad nos crebrò accedat (nam & regionis huiuſce ſolitudo, & latronum metus eam augens, ac denique anni tempus itinera intercludens, Cucuſum omni ex parte inuiam reddit) quoties tabellarium nanciſcimur, cupiditati noſtræ ſatisfacimus, in hoc ſcilicet nobis ipſi quàm gratiſſimum facientes. Quod quidem nunc etiam per religioſiſſimos dominos meos presbyteros facimus, nimirum & debitum pietati tuæ ſalutationis munus perſoluentes, & te rogantes, vt, quoties facultas dabitur, tu quoque ad nos ſcribas, ac, quo ſtatu valetudo tua ſit, exponas. Neque enim te fugit, præſtantiſsime atque ſanctiſſime domine, quanto ſemper nobis ſtudio atque curæ ſit de ea aliquid intelligere. Quamuis enim ad extremos vſque orbis noſtri fines remoti ſimus, tamen veræ & ardentis, ac ſynceræ, atque ab omni fuco alienæ charitatis tuæ obliuiſci minimè poſſumus, verùm quaſcumque in terras abſcedamus, eam nobiſcum circunferimus, maximumque hinc ſolatium percipimus.

Digitized by Google

Magno Epiſcopo XXVI.

ETſi nullas abs te literas accepimus, idque cùm domini mei presbyteri iſthuc veniſſent, nos tamen veteris amicitiæ non immemores, tum morum tuorum ſuauitatem animique fortitudinem admirantes, ac præterea eum erga nos amorem, quem ſemper præ te tuliſti, perſpectum & exploratum habentes, priores ad te ſcribimus, vt & tibi ob eam beneuolentiam, quam erga nos oſtendiſti (neque enim nos, tanto licet abs te interuallo disiunctos, hoc fugit) gratias agamus, & te oremus, vt quoties occaſio dabitur, ſine vlla intermiſſione ad nos ſcribas, deque valetudinis tuæ ſtatu certiores nos facias. Nam cùm eos, à quibus vehementer amamur, quique ſtrenuo atque attento ac vigilanti animo in Eccleſiarum curam incumbunt, ſanos & incolumes eſſe audimus, non paruam ex ea re conſolationem capimus. Hæc igitur cùm tibi perſpecta ſint, domine mi præſtantiſſime ac religioſiſſime, ne te quæſo hæc nobis quàm ſæpiſſimè per literas ſignificare pigeat. Sic enim fiet, vt etiamſi ad vltimas vſque terras auehamur, dum tamen huiuſmodi conſolatio nobis continenter ſuppetat, ingentem mœroris leuationem ſentiamus.

Domno Epiſcopo XXVII.

MAgnas pietatis tuæ, præſtantiſſime domine, gratias habeo, tum quòd chariſſimum preſbyterum viſendi noſtri cauſa miſeris, tum quòd ad nos ſcripſeris. Nam vtrumque ſynceræ charitatis atque ardentis beneuolentiæ argumentum eſt. Ob eamque cauſam, etiam in ſolitudine degentes, ingentem hinc conſolationem hauſimus. Siquidem à tantis viris tam impensè amari, non leuem iis, qui amantur, conſolationem affert. Ac cuperem quidem tuo quoque aſpectu congreſſuque frui, ſuauiſsimaque beneuolentia tua animum ſaturare. Quoniam autem id minimè licet (nam neque id nobis conceditur, nec tibi item, ob Eccleſiæ iſtius, cui præes, negotia facilè eſt) ad ſecundam, vt dici ſolet, nauigationem neceſſariò venimus, nempe vt conſolationem eam, quam epiſtolæ afferunt, nobis ipſis adhibeamus. Neque enim ad eorum animos, qui corporibus disiuncti ſunt, leuandos atque conſolandos parum momenti habet epiſtola, ſyncera charitate perfuſa. Quamobrem vt hac conſolatione quàm ſæpiſsimè fruamur, quoties licebit, ac fieri poterit, de valetudinis tuæ ſtatu ad nos ſcribere negaueris. Siquidem amicitiā tuam ampliſſimū theſaurum, & bonorum congeriem omni ſermonis facultate ſublimiorē ducimus. Ac ſi eiuſmodi literas ſubinde accipiamus, tantū ex his voluptatis capiemus, ne ſolitudinem quidem iſtam ſentiamus.

Baſilio Presbytero XXVIII.

ETſi nobis conſpectu tuo atq; cōgreſſu frui minimè contigit, tamen cū de tua virtute ad nos affertur, ac zelo eo, quo aduerſus Gentiles flagras, ipſorū errorē euertens, eoſq; velut porrecta manu ad veritatē ducens, nō ſecus ac ſi adeſſes, tecumq; diuturnum vſum ac vitę conſuetudinem habuiſſemus, honore ac veneratione te cōplectemur. Eaq; de cauſa priores ad te ſcripſimus, ob ea, quæ cū laude geris, beatū te prædicantes, atq; admirantes: ac poſtulantes, vt ipſe quoq; ad nos, cùm licebit, ſcribas. Nam etſi corpore à te disiuncti ſumus: charitatis tamen vinculis tecū aſtringimur, pietatem tuā cum animis noſtris reputantes. Hæc igitur cùm tibi perſpecta ſint, velim ad nos ſubinde ſcribere ne graueris: quo, etiam in ſolitudine commorantes, ingentem hinc conſolationem capiamus.

Chalcidiæ & Aſyncritiæ XXIX.

NIhil ex his moleſtijs, quas euenire perſpicitis, vos perturbet: nec denſi negotiorum fluctus animis veſtris tumultum afferant. Eiuſmodi enim eſt arcta illa & anguſta via, complures difficultates ac multos ſudores & labores habens. Verùm hæc fluunt, atque vna cum hac vita extinguuntur, nam etiamſi arcta via eſt, via tamen eſt. At præmia illa, quæ ij, qui placido ac forti animo hæc ferunt, adipiſcuntur, perpetua & immortalia ſunt, ſudoribuſque longè maiora. Quamobrem tum calamitatis fragilitatem ac breuitatem, tum præmiorum perpetuitatem atque immortalitatem animaduertentes, date operam, vt omnia generoſo animo feratis, nec committatis, vt vllo rerum aduerſarum euentu perturbemini. Vna enim moleſtia peccatum eſt: cætera omnia, hoc eſt, exilia, bonorum proſcriptiones, relegationes, inſidiæ, cunctaque id genus alia, vmbra quædam, & fumus & araneæ tela ſunt, & ſi quid aliud his vilius & imbecillius eſſe poteſt. Quocirca, vt antehac quoque multis tentationibus perferendis aſſuetæ, nunc quoque, quam par eſt, patientiam præſtate. Siquidem ea hanc vim habitura eſt, vt vos in magna ſecuritate ac tranquillitate conſtituat, præſtantioreſque efficiat. Ac ſi quos nanciſcamini, qui priuatim ob ſua negotia huc veniant, de veſtra valetudine ad nos crebrò literas date. Neque enim vos fugit, quantopere eius ſtudioſi ſimus, quamque crebrò de ea aliquid audire cupiamus.

Conſolatoria eſt in luctu.

Nihil moleſtū præter peccatum.

Heortio Epiſcopo XXX.

EQuidem ipſe literas etiam, quibus me de tua valetudine certiorem faceres, accipere cupiebam. Scis enim, præſtantiſſime domine, quo ſemper animo erga te, & qua beneuolentia fuerim. Verùm quoniam tabellariorum penuria mihi fortaſsis eripuit, idcirco ipſe homines, qui ad te proficiſcantur, nactus, literis te laceſſo, teque rogo & obſecro, vt quoties facultas dabitur, ipſe quoque ad nos quàm ſæpiſsimè ſcribas, quaque valetudine ſis, exponas. Quanquam enim in deſertiſsimo loco habitamus, ac prædonum metu obſidemur, multaſque, vt in externa regione, tamque vaſta ſolitudine, calamitates perpetimur; tamen ſi frequentes à te, cui chariſsimi ſumus, literas accipiamus, quæ nos de tua valetudine certiores faciant, ingentem hinc, tot licet calamitatibus oppreſſi, conſolationem capiemus. Quanta enim charitatis vis ſit, exploratum habes: quodque non amicorum duntaxat præſentia, ſed etiam literæ ingens ſolatium afferant. Quæ cùm ita ſint, fac quæſo hanc nobis voluptatem frequentius impertias, de valetudine tua, de qua potiſsimùm aliquid audire cupimus, certiores nos facias.

Marcellino XXXI.

ETſi diuturno ſilentio inter nos vterque vſi ſumus: tamen veteris illius ac ſynceræ tuæ charitatis memoriam minimè abiecimus: verùm florentem eam & integram retinemus, eamque, quocumque proficiſcimur, nobiſcum circūferimus, maximoque hinc ſolatio afficimur. Eaque de cauſa homines nunc nacti, qui ad te ſe conferant, debitum ſalutationis munus tibi perſoluimus, illudq; ſignificamus, nos, etiamſi ad extremos vſque orbis terrarū fines abducamur, ſic tamen abire, vt te in animo noſtro penitus inſculptū & inciſum teneamus. Quoniam autē ijs, qui hoc animo præditi ſunt, non tantùm ſcribere, ſed etiam ab ijs, quos ita amant, literas accipere, periucundū eſt, hanc nobis voluptatem, domine præſtantiſsime, velim nobis dupli-

ces: at-

Digitized by Google

ces: atque, quoties facultas erit, ſubinde ad nos ſcribas, &, qua valetudine ſis, exponas. Quantæ enim nobis curæ ac ſtudio ſit hæc intelligere, minimè tibi dubium eſt, quantamque, etiam in extera regione degentes, conſolationem ex hac re capiamus.

Dithaliæ XXXII.

QVamuis pauciores abs te epiſtolas accipiam, quàm ad te mittam, non tamen propterea ſcribere deſinam. Mihi enim ipſe gratum facio, dum ad animam tam ſyncera atque ardenti erga me beneuolentia præditam ſcribo. At quoniam, qui rerum tuarum ſtatus ſit, intelligere vehementer expeto, idcirco epiſtolas etiam ſubinde accipere aueo, quò, id quod cupio, ſubinde intelligam, nempe te in magna animi tranquillitate ac ſecuritate verſari. Nam ſi hæc tibi adſint, quin tu ſumma cura & ſtudio animæ tuæ conſulas, contemptiſque huiuſce vitæ rebus iter cæleſte teneas, nullo modo dubitandum puto. Siquidem de animæ tuæ nobilitate atque ingenuitate mihi eſt exploratum, quamque à negotiorum tumultibus atque vitæ curis immunis ac libera ſis. Cùm igitur, quantam à nobis, quando id facis, gratiam ineas, animaduertas, quoties facultas continget, ac fieri poterit, quemadmodum iam dixi, quæſo ad nos ſcribas: quò nos hinc quoque ſolitudinis huius, in qua degimus, leuationem capiamus. Etenim literæ veſtræ, hoc eſt, eorum quibus cordi ſumus, cùm crebrò ad nos afferuntur, ac de veſtra valetudine certiores nos faciunt, non vulgarem nobis voluptatem afferunt, verùm tanto nos gaudio perfundunt, vt ſolitudinem hanc, in qua commoramur, ne tantulum quidem ſentiamus.

Adoliæ XXXIII.

TV verò hinc quoque ſynceræ iſtius & ardẽtis tuæ charitatis documentum dediſti, quòd cũ aduerſa valetudine ſis, literas tamen ad nos dare non intermittas. Nos verò te morbo liberari, atque huc, cùm licuerit, venientem videre cupimus. Idque ipſa ſcis, ornatiſſima mea ac religioſiſſima domina. Quoniam igitur, vt etiam antehac ſcripſi, nunc in maiore cura & ſolicitudine ſumus (ſiquidem ex literis tuis ingentem morbi tui magnitudinem eſſe coniecimus) idcirco, cùm meliore corporis valetudine fueris, velim celeriter id nobis ſignifices, quò nos grauiſſima cura leues. Nam quòd nunc ob morbum tuum haud leui mœſtitia afficiamur, ne ipſa quidem ignoras. Quapropter, cùm curam eam, qua nunc premimur, exploratam habeas, id, quod abs te petimus, facere ſtude. Quamquam ad hoc præſertim nihil eſt cur te cohorter. Neque enim dubito, quin poties, quibus des, nacta fueris, toties ad nos ſcriptura ſis.

Carteriæ XXXIIII.

ISTud quoque pro cætera tua charitate animique ſollicitudine, atque ingenti erga nos beneuolentia abs te factum eſt, quòd non ſolùm Polyarchium miſiſti, verùm etiam illud ſpectaſti, quonam pacto nobis vſui eſſe poſſit: proindeque ipſi tum nardinum, tum muſteum oleum admiſcuiſti, quod ipſius ſiccitati ex longo itinere contractæ mederetur. Quin hoc quoque nomine tuam erga nos beneuolentiam ſummopere admirati ſumus, quòd ipſamet hoc effeciſti, ac non alijs quibuſdam id efficiendum mandaſti, atque vt probè potius ac ſcitè, quàm vt feſtinanter fieret, operam dediſti. Ob eamque cauſam gratias tibi agimus, hoc vno dumtaxat nomine te accuſantes, quòd, id quod maximè optabamus, per lite-

A ras minimè miſiſtis, hoc eſt iucundum de tua ſanitate nuntium. Quemadmodum autem idcirco anxio animo ſumus, quòd, num morbus tuus euulſus ſit, haudquaquam compertum habemus: eodem modo, ſi primo quoque tempore nobis literas miſeris, quibus eum profligatum & extinctum eſſe intelligamus, maximo nos beneficio deuinxeris. Cum igitur minimè neſcias, quàm vehementer intelligere cupiamus, te ex hac aduerſa valetudine emerſiſſe, hanc quæſo voluptatem nobis largire: quæ in hac grauiſſima & moleſtiſſima ſolitudine & obſidione non paruam nobis conſolationem allatura eſt.

Alphio XXXV.

VElim tibi Deus ſynceræ, atque ardẽtis ac puræ, & ab omni ſimulatione alienæ, firmæque
B & conſtantis erga nos charitatis, tum in hac præſenti vita, tum in futuro æuo, præmium tribuat. Nec enim parua tuæ erga nos beneuolentiæ documenta, idque tanto à nobis locorum interuallo diſiunctus, exhibuiſti, domine mi præſtantiſſime ac generoſiſſime, verùm & multa & præclara. Eoque nomine gratias tibi habemus, & perpetuò ad te ſcribere cupimus: verùm, quoties volumus minimè ſit poteſtas. Nec enim te fugit quãta ex prædonum impetu atque inſidijs itinerum difficultas oriatur. Quapropter cùm diuturno tempore ſilemus, ne id negligentia noſtra fieri exiſtimes, verùm tabellariorum inopiæ iſtud, non ſocordiæ noſtræ aſcribas. Nam alioqui, ſi quàm ſæpiſsime ad te ſcribendi facultas offerretur, frequentius ad te literas dare minimè nos piguiſſet. Siquidem nobiſmet ipſis gratiſsimum facimus, cùm debito tibi ſalutationis munere perfungimur. Quę cùm ita ſint, tu quoque de tua valetudine ad nos ſcribere ne intermitte. Quod autem te nobis miſiſſe ſcribis, hoc nemo
C huc attullit, verùm qui id afferebat, prædonũ metu perterritus, pedem retulit. Cæterùm ſi me amas, ne hoc facias, ne difficultates atque negotia tibi ipſi exhibeas. Siquidem ingentium donorum ac beneficiorum loco ſynceram atq̀ue ardentem tuam beneuolentiam duco: quam cùm ſemper obtineamus, ex charitatis tuæ recordatione mirificam quandam ac perpetuam voluptatem capimus.

Maroni presbytero monacho XXXVI.

NOs charitatis quidem ac beneuolentiæ vinculis tecum aſtringimur, ac te, vt hîc præſentẽ intuemur. Eiuſmodi quippe charitatis oculi ſunt, vt ne vllis viarum ſpatijs interrumpantur, nec tẽporis diuturnitate debilitentur. Cuperemus autem crebriùs quoq; ad te literas dare. Verũ quoniam id,
D tum ob itineris difficultatem, tum ob eorũ, qui iter faciunt, raritatem haud facile eſt, quoties licet, te ſalutamus, tibiq; illud ſignificamus, nos tui numquam non meminiſſe, teque animo noſtro atq; cogitatione, quocumque tandem in loco ſimus, circumferre. Cura igitur tu quoque, vt de tua valetudine quàm ſæpiſsimè certiores fiamus, quò, licet corpore ſemoti, de tua valetudine ſubinde aliquid audientes, alacriore animo ſimus, ingentemq;, etiã in ſolitudine ſedentes, conſolationem capiamus. Nec enim parua voluptate afficimur, cùm te optimè valere audimus. Ante omnia autem illud te oro, vt pro nobis preces ad Deum adhibeas.

Trancylino Epiſcopo XXXVII.

PRæſtantiſsimum dominum meum epiſcopum Seleucum, vt relicta domo huc cõferret, noſtri deſideriũ ad nos excitauit: vt autẽ hinc rurſus domum rediret, tui amor. Nam hic eum induxit, vt, & hyemẽ, & itineris difficultatẽ, & grauiſsimũ mor-

Digitized by Google

bum contemneret. Collaudato itaque ipſius amore ac ſtudio, domine mi præſtantiſſime, diuturnæ huius ærumnæ præmium ipſi rependé, hanc nimirum, quam ſoles, charitatem erga eum oſtendens. Quandoquidem nos etiã eum ad tuas manus, velut ad tranquillum quendam portum, transmiſimus, quippe qui tuam comitatem, ac ſynceram & feruentem ac firmam atque conſtantem charitatem compertam habeamus. Ac ſi quiſpiam iſtinc veniat, idque factu facile ſit, de tua valetudine velim ad nos ſcribas. Eupſychius enim ad nos haudquaquam nunc acceſſit. Ob idque nec quidquã ex ijs, quæ, cum nuper ad nos ſcriberes, dicturum illum aiebas, ſcire potuimus, quòd videlicet ipſe nuſquã apparet. Hæc igitur cùm tibi minimè ignota ſint, tum ea, quæ per eum nuper nobis ſignificanda curaueras, tum ſi quid aliud amplius nos ſcire neceſſe ſit, nunc ſaltem fac intelligam: ac de tua valetudine, quæ nobis ſummæ curæ eſt, & de qua, cùm perpetua ſollicitudine laboremus, perpetuò quoque audire cupimus, aliquid nobis ſignifica.

Hymetio, medicorum principi XXXVIII.

Commẽdat ei quendam ægrotum.

ETſi minimè crebrò ad te literas dedimus, at perpetuò tamen memoria te geſtamus, vt qui acerrimi tui ac probi & ſynceri amoris ingens paucis diebus documentum cepèrimus. Eoque nomine præſtantiſſimum dominum meum Epiſcopũ Seleucium ad tuas manus, non ſecus atque in portum, tranſmittimus. Nam ipſe grauiſſima tuſſi vexatur, quam etiam infeſtius anni tẽpus auget, grauioremque reddit. Cùm igitur morbi naturam perſpectam habeas, domine mi chariſſime, da operam, vt eum ex hac tempeſtate eripias, morbi nimirum incommodo artis ac doctrinæ tuæ vim opponens, cuius ope atque adiumento multos ſæpe, cùm in idem periculum veniſſent, ne eiuſmodi fluctibus obruerentur, è naufragio ſtatim exemiſti.

Chalcidiæ XXXIX.

CHaritatem eam, quam iam inde ab initio erga nos habes, noui: quodque florentem eam atque integram retineas, atque adeò cumulatiorem ſubinde reddas, eamque, ob diſiunctionem noſtram, tantumque temporis ſpatium, non modò obſcurari non ſinas, ſed etiam magis inflammes. Quin illud quoque ſcio, te literas magna cum animi voluptate accipere. Atque illud item, te, ſiue ſcribas, ſiue taceas, eodem tamen ſemper animo erga nos eſſe. Id enim, & multis in rebus, & ſæpe ſum expertus. Quamobrem te oro, vt eundem erga nos animum retinere pergas. Siquidem ſynceri tui amoris multa pignora, multa monimenta habemus. Ex quo efficitur, vt te tamquam in animo noſtro inſculptam circumferamus, tuique memoriam ita teneamus, vt nulla obliuione deleri poſsit: etiamſi alioqui haud perpetuò ſcribamus, quòd tabellariorum inopia nobis ad eam rem impedimento ſit. Hæc igitur cùm non te fugiant, ornatiſsima & religioſsima domina mea, ſubinde quoque ipſa de tua valetudine ad nos ſcribe. Quamquam enim nos, cùm nullæ nobis abs te literæ redduntur, eos, qui iſtinc veniunt, hac re ſemper ſciſcitamur: tamen à te quoque literas, quæ de tuæ valetudinis ſtatu læta nobis nuntient, perpetuò accipere auemus.

Aſyncritiæ XL.

Conſolatoria eſt.

TE in magna calamitate nunc verſari minimè me fugit. At quemadmodum hoc minimè me fugit, ſic ne illud quidem, ingentem pro his calamitatibus mercedem atque amplum præmium & remunerationem manere. Mœror etenim animæ vtilitatem affert, eique præmia multa conciliat. Hæc igitur ſciens atque conſiderans, maximam hinc conſolationem carpe: teque ita compara, vt non calamitatum dumtaxat acerbitas tibi ob oculos verſetur, verumetiam lucrum illud & emolumentũ, quod ex ijs colligitur. Ac ſubinde ad nos de tua valetudine ſcribe. Neque enim leui dolore affecti ſumus, cùm te aduerſa valetudine eſſe accepimus. Eoque nomine, etiam, atque etiam, ac magna cum celeritate ſcire cupimus, num de grauitate aliquid remiſerit: quò ea cura, quam hinc concepimus, leuemur.

Valentino LXI.

TErtiam hanc epiſtolam mitto, cùm ipſe à te nullam acceperim. Verùm quòd magna cum animi voluptate literas noſtras acceperis, eumque, qui eas reddidit, quo decebat honore affeceris, atque item id omne, quod tuarum partium erat, in ijs rebus, quæ tantam opem ac potentiam requirebant præſtiteris, intelleximus, nec quidquam horum nobis obſcurum fuit. Interim tamen nullam epiſtolam accepimus. Ac ſiquidem alius ex ijs, qui minus generoſo animo ſunt, huiuſmodi ſilentio vſus fuiſſet, ita exiſtimauiſſemus, eum excuſationis cauſa negotiorum molem prætendere. Cùm autem mentis tuæ ſublimitatem charitatiſque feruorem ac ſynceritatem & puritatem atque conſtantiam exploratam habeamus, adduci nõ poſſumus, vt hac excuſatione contenti ſimus. Nec item ea re te nobis purgare queas, quòd illic minimè commoreris: nam illud quoque nobis compertum eſt. Verũ hac vna duntaxat re diuturni ſilentij tui cõſolationem capiemus, ſi animum in poſterum induxeris, id, quod antehac abs te neglectum eſt, compenſare, quamplurimaſque ab iſta lingua, ex qua mel manat, fuſas literas mittere, quæ nobis valetudinis tuæ ſtatum certò exponant. Quamquam enim in ſolitudine ſedemus, grauique obſidione, atque innumeris acerbitatibus vndique cincti ſumus: de te tamen in cura & ſollicitudine eſſe non deſinimus, ſinguliſque diebus, vt ſe res tuæ habeant, percunctamur. Quamobrem ne ab alijs, verùm abs te, cuius nobis dulcis ac perquam ſuauis beneuolentia eſt, hæc intelligamus, ſubinde quæſo de tua valetudine ad nos ſcribe. Nihil enim erit, quod non à te accepiſſe exiſtimemus, ſi epiſtolas, quæ lætum hunc nobis nuntium ferant, acceperimus.

Candidiano XLII.

INgens itineris interuallum vtrumque noſtrum ab altero dirimit: ac ne paruum quidem tempus eſt, cùm abs te ſeiuncti fuimus. Quin negotiorum quoque magna nos turba circunſtat, grauiſsima loci ſolitudo, intoleranda obſidio, inſidiæ, latronum incurſiones, aliaque præterea anguſtia, nimirum ſtomachi morbus. Nec tamen quidquam horum nos in tui amore atque charitate ſegniores ac negligentiores effecit: quin potius recentem eam, ac florentem conſeruamus, atque ita afficimur, vt te quemcumque tandem in locum abeamus, animo & cogitatione circumferamus, tuique memoriam obliuionis omnis expertem teneamus, animique tui nobilitatem & ingenuitatem, ſyncereque charitatis firmitatem atque conſtantiam, beneuolentiæque feruorem inciſum in animis noſtris habeamus. Ad hunc ſcilicet modum hîc degimus, ſummum tantæ ſolitudinis ſolatium in earum rerum, quæ abs te rectè atque cum laude geruntur, recordatione poſitum habentes. Tu verò ad nos quoque ſubinde

ipſe ſcribe, Domine mi, ſummopere admirande ac magnifice, de tua valetudine nobis læta nuntians. Scis enim quantopere ipſam complectamur (quippe de ea aliquid audire magnæ nobis curæ eſt) quodque duplicem voluptatem capiemus, ſi & ipſe ſcribas, & literæ abs te hoc argumento ad nos afferantur.

Baſianæ XLIII.

TV quidem perdiu ſiluiſti: idque, cùm chariſſimum ac religioſiſſimum diaconum Theodotum præſto haberes, per quam facilè nanciſci poſſes, qui iſtinc ad nos venirent. Nos autem ne hinc quidem te in amore erga nos ac beneuolentia ſegniorem redditum eſſe ſuſpicamur, quippe qui perſæpe ac multis in rebus ipſius periculum fecerimus, eiuſque ſplendorem, ac puritatem, & ſynceritatem atque conſtantiam exploratam habeamus. Quamobrem, ſiue ſcribas, ſiue taceas, eodem erga te animo ſumus, deque tua integra & pura beneuolentia minimè dubitamus. Quamquam autem eo animo ſumus: crebras tamen literas, quæ nobis de tua totiuſque tuæ domus valetudine, quæ volumus, nuntient, accipere vehementer cupimus. Quandoquidem ipſam quoque (quod ne tibi quidem obſcurum eſt) vehementer cupimus. Hæc igitur cùm tibi perſpecta ſint, ornatiſſima ac nobiliſſima domina mea, hanc nobis gratiam velim concedas, quæ & leuis ac facilis atque æqua eſt, & nobis, qui in hac ſolitudine hæremus, ingentem conſolationem affert.

Theodoto Diacono XLIIII.

EGo verò illud ſcio, quòd per literas nos minimè conueniſſes, ſi coràm id liceret, verùm omnibus rebus omiſſis ad nos te conferres, niſi & anni tempus, & negotiorum difficultas, & hu- C ius loci ſolitudo, quotidie ingraueſcens, maximum impedimentum afferret. Nec opus eſt vt ex te hoc intelligam. Nam cùm illud ſemel mihi compertum ſit, me abs te vehementer amari: hoc quoque optimè noui. Quamquam autem, etiamſi minimè admonuiſſes, nihilominus tamen facturus eſſem vt ad omnes ſcriberem, tamen hoc etiam nomine tuum erga nos amorem admirati ſumus, quòd extrema tua epiſtola me quoque de hac re cohortandum duxiſti. Nam hoc animi eſt vehementer ſolliciti, ac rerum noſtrarum cura laborantis, & denique eiuſmodi, qui ſyncerè amare norit. Quamobrem excepta domina mea Carteria, ad quam nuper literas dedi, omnibus ſcripſi. Eam autem illic minimè commorari accepi, verùm longam peregrinationem iniiſſe. Quocirca ſi literæ noſtræ illuc perferri queant, hoc quoque, ſi tibi videbitur, fiat: ſin id fieri minimè poſſit, velim D ſaltem chariſſimum ac nobiliſſimum virum Marcellianum conuenias, atque cum eo agas, vt ſi quando ad eam ſcribat, ei me purget, vt qui non per negligentiam tantiſper tacuerim, verùm longa ipſius abſentia, quominus ad eam crebrò ſcriberem, impeditus ſim.

Symmacho Presbytero XLV.

Conſolatoria eſt.

MInime nouum ac præpoſterum videri debet, ſi is, qui anguſtum iter tenet, premitur. Nam, eiuſmodi virtutis natura eſt, vt laboribus & ſudoribus atque inſidijs & periculis ſcateat. Verùm iter quidem eſt eiuſmodi: pòſt autem ſequuntur coronæ, præmia, & arcana bona, quibus finis nullus eſt conſtitutus. Hac igitur cogitatione te ipſum conſolare. Nam & præſentis vitæ voluptas, & calamitas, vnà cum hac vita fluunt, ſimulque cum ea intereunt. A Quod cùm ita ſit, da operam, vt nec quicquam illorum animum tuum inflet, nec rurſum quicquam horum te deprimat atque contrahat. Siquidem optimus gubernator, nec tranquillo tempore animos attollit, nec graſſante tempeſtate perturbatur. Hæc igitur cùm tibi perſpecta ſint, fac teipſum conſoleris, maximamque hinc mœroris leuationem capias. Ac de tua valetudine fac nos ſubinde certiores. Nam etſi longo itineris interuallo à te diſiungimur, diuque à tua ſuauitate abfuimus, at non item tamen à tua charitate: verùm eam omnis obliuionis expertem ac recentem, quacumque in regione ſimus, ſemper circumferimus. Quandoquidem hæc quoque ſynceri amoris natura eſt.

Ruffino XLVI.

CVpiebam quidem ſæpiùs ad te literas dare, Domine mi, cumprimis venerande ac reli- B gioſe: quandoquidem te amo, ac vehementer amo, atque vtrumque hoc ipſe quoque noſti. Quoniam autem alterum quidem noſtri arbitrij eſt, alterum autem haudquaquam in nobis ſitum eſt (vt enim te amemus, in arbitrio noſtro conſiſtit, vt autem ad te ſcribamus, non item, tum ob itineris difficultatem, tum ob anni tempus) illud quidem perpetuò facimus, hoc autem cùm licet: immo etiam perpetuò facimus. Nam etſi atramento atque charta non ſemper ſcribimus: at voluntate tamen atque animo ſcribimus. Ea quippe ſynceri amoris natura eſt.

Nameæ XLVII.

QVid huc illucque te verſas, dum ob eam rem excuſationem quæris ac veniam petis, ob quã te corona donamus ac prædicamẽtis: quippe qui, quòd ad nos ſcripſeris, gratum habeamus, quòd autem ſerò ac tardè, idcirco tibi ſuccenſere poſſimus. Quapropter magnæ temeritatis atque audaciæ id fuiſſe exiſtimas, quòd ad nos literas dederis, hoc omiſſo ad tarditatis crimen defenſionẽ meditare atque compara. Nam quò magis illud dixeris, te, tum præſentem, tum abſentem, ſeriò ac ſyncerè dilexiſſe, eò magis accuſationem auxeris. Etenim ſi ex eorum numero eſſes, quorum vulgaris erga nos amor eſſet, minimè mirum mihi fuiſſet te diu ſiluiſſe. Cùm autem te tam ſynceram ac feruentem erga nos charitatem præ te tuliſſe afferas, vt ne iter quidem vſque adeo moleſtum, totque prædonum metu obſeſſum ſuſcipere recuſatura fueris: niſi morbus obſtitiſſet, vna iam ratio, qua nobis ſatisfacias, tibi reliqua eſt, nimirum vt ſexcentas literas ad nos mittas, quæ diuturni ſilentij culpam deprecari poſſint. Hoc igitur fac: & quiduis à te perceperimus. Nam & hæc tam ſera epiſtola ad nos veniens, quoniam ardentem quandam charitatem ſpirabat, ſuperioris quoque temporis debitum diſſoluit. Cæterùm id vide, ne reliquæ huius tarditatem imitentur. Sic enim hæc etiam illud planum facere poterit, ſe non ob cunctationem ac pigritiam, verùm ob metum, quemadmodum abs te quoque dictum eſt, ſeriùs veniſſe, ſi reliquæ, & plurimæ, & celeriter ad nos veniant.

Arabio XLVIII.

CHaritatem erga me tuam atque ardentem tuum ac verum & ſyncerum amorem exploratum habeo: illudque item perſpectum, nec negotiorum difficultatem, nec curarum agmen, nec rerum aduerſarum magnitudinem, nec temporis diuturnitatem, nec itineris longinquitatem, tuo erga me amori obſcuritatem affer-

Digitized by Google

afferre poſſe. Eoque fit, vt perpetuò abs te literas accipere vehementer expetamus. Quòd ſi te accuſamus, non vt negligentem accuſamus, ſed quia plures eiuſmodi epiſtolas appetimus. Quæ cùm minimè ignores, præſtantiſſime ac nobiliſſime domine, hoc nobis beneficium velim præbeas, quod tibi leue ac facile eſt, & magnam nobis, etiam in ſolitudine hærentibus, voluptatem affert.

Alphio XLIX.

EQuidem frequentius literas ad te dare cuperem, verùm tabellariorum penuria me hanc cupiditatem exequi minimè ſinit. Nam nec huius loci ſolitudo, nec Iſaurorum metus, nec hyemis aſperitas, quemquam ad nos crebrò commeare ſinunt. Nihilominus tamen, ſiue ſcribamus, ſiue taceamus, eandem ſemper erga te beneuolentiã retinemus, promptitudinem ſcilicet eam, ſtudiumq; atq; curam intelligentes, qua animæ tuæ commodis proſpicis, dum eos, qui cum pietate viuunt, recreare ac reficere ſtudes, atq; in hoc præclaro munere verſaris. Quæ cùm tibi explorata ſint, præſtãtiſſime ac religioſiſſime domine, de tua totiuſque tuæ domus valetudine certiores nos facere ne intermittas. Sic enim in hac quoque ſolitudine magnam voluptatem capiemus, ſi eiuſmodi abs te literas acceperimus.

Diogeni L.

QVanquam de tuæ erga nos charitatis ſynceritate antehac quoque nobis exploratum erat: tamen multò magis eandem nunc perſpeximus, cùm tanta coorte tempeſtate, non modò nihilo ſegniorem, ſed etiam multò ſtudioſiorem amicum te nobis præbuiſti. Eoque nomine te admiramur, quotidieque prædicare non deſinimus. Nam tu quidem à benigno Deo, qui eos, à quibus boni aliquid efficitur, aut dicitur, præmijs longè ſemper ſuperat, mercedem omni ſermone præſtantiorem accepturus es. Nos autem, quibus rebus poſſumus, gratiam tibi rependimus, nec te admirari, laudare, beatum prædicare, amare, vereri, colere, animoque te, quoquo gentium circumferre intermittimus, charitatis videlicet lege tibi copulati atque aſtricti. Nam quòd ex eorum numero ſemper fuerimus, qui te apprimè diligant, planè quoque ipſe ſcis, domine mi ſummopere venerande atque admirãde. Quapropter eorum munerum nomine quæ ad nos miſiſti, velim ne nobis ſuccenſeas. Poſteaquam enim honorem eum, qui ab ipſis manabat, tãquam è vindemia quadam vuam expreſſimus ac percepimus, munera ipſa remiſimus: non quòd te aſpernaremur, aut animi tui nobilitati minimè confideremus, ſed quòd ijs haudquaquam indigeremus. Quod etiam in multis alijs fecimus. Nam alij quoque quamplurimi, tibique nobilitate pares, ac nos ardentiſsimè amantes, idem iſtud fecerunt: atque apud eos nobis eadem hæc excuſatio ſuffecit: quam tu quoque admittas velim. Nam ſi res ita nata fuerit, vt in penuria verſemur, magna cũ animi fiducia, tamquam ſi noſtra eſſent, expoſcemus: idque tu re ipſa perſpicies. Quamobrem ea accipe, ac diligenter ſerua: vt ſi quando tempus poſtularit, fidenti ac libero animo ea abs te depoſcamus.

Eidem LI.

CVm ſuperiorẽ epiſtolã ſcripſiſſem, atq; chariſſimũ ac religioſiſſimum virum Aphratẽ ita nobis affixũ eſſe conſpicerẽ, vt nec hinc abire ſuſtineret, ac præterea ne literas quidẽ à nobis accepturũ ſe eſſe minaretur, niſi munera ea, quæ ad nos miſiſſes, accepiſſem, *typum, qui tibi maximè gra-

*ἐπέθηκα τύπον τῷ πράγματι

A tus futurus, animumque tuum recreaturus ſit, huic rei impoſui. Quem tu cùm ex ipſo intellexeris, eũ præclari huiuſce, conſilij adminiſtrum fieri iube. Nec enim te fugit, quanta huius rei vtilitas futura ſit, tum ob ipſius in Phœniciam aduentum, tum ob tuam liberalitatem ac munificentiam. Atque vtriuſque huius rei mercedem ipſe capies: vt qui erga eos, qui in Phœnicia Gentiles Chriſtianæ fidei rudimentis imbuunt, atque Eccleſiarum ædificationi ſtudium atque operam impendunt, liberalitatis tuæ ſpecimen edideris, ac præterea eiuſmodi virum excitaris, ad eoſque conſolandos miſeris: nunc præſertim, cùm in tanta difficultate verſantur, atque à multis oppugnantur. Quamobrem, cũ animo tuo conſiderata præclari huiuſce negotij magnitudine, ne eum vel tantillum cũctari patere: verùm hoc effice, vt nulla interpoſita mora hoc iter ſuſcipiat. Sic enim tibi, Domine mi ſummopere admirande, per egregium huiuſmodi ſtudium atque operam, amplam apud benignum Dominum
B mercedem recondes.

Adoliæ LII.

QVòd in morbum incideris, & quidem ita grauem & acerbum, vt ad ipſas quoque mortis portas acceſſeris, intelleximus. Quin illud etiã nobis exploratũ eſt, te è morbo cõualuiſſe, ac periculo iam liberatam ad ſanitatem graſſari. At ex tuis literis nihil horum intellexi (eoque nomine magnum animo dolorem cepi.) verùm aliunde, atque ab alijs. Cæterùm illud nobis ad conſolationem abundè eſt, quod è morbo emerſeris. Nec tamen, quando id nobis ſufficit, propterea tamen longum hoc tuum ſilentium æquo ac placido animo ferimus. Vellemus enim, quemadmodum ipſa quoque noſti, te huc venientem cernere. Ac ſanè, niſi morbus accidiſſet, nihil erat quod impediret. Nam & huius regionis hyems amœniſſimi Veris ſpeciem
C imitatur, & Armenia Iſauris liberata eſt. Verumtamen, vt huc venias, inuitam ac repugnantem minimè cogimus. Quod autem nec Iſaurorum metus, nec hyemis acrimonia, nec itineris ærumna, nec aliud quidquam impedit, hoc petimus, nimirum vt à te, cuius ardens erga nos, ac ſyncera beneuolentia eſt, crebrò literas accipiamus. Nam ſi eas, de tua valetudine animique tui hilaritate nos certiores facientes, quàm ſæpiſsimè obtineamus, non mediocrem hinc quoque conſolationem capiemus. Cùm igitur, quanto nos beneficio affectura ſis, animaduertas, id facere ne graueris. Scis enim quàm te complectamur, quãtamque ſemper erga te charitatem præ nobis tulerimus.

Nicolao presbytero LIII.

Laudat eius zelũ animarũ, in quo eũ firmat.

D MAgnopere nos erexiſti, atque ingenti voluptate perfudiſti, cùm illud ſignificaſti, per magnam tibi Phœniciæ curam eſſe, teque, tanto licet interuallo diſsitũ, eos, qui illic degunt, per literas ad pietatis ſtudium acuere atque hortari. Qua quidem in re zelum Apoſtolicum præſtas. Eaq; de cauſa te admirari ac beatum prædicare minimè intermittimus, quòd & monachos antea miſiſti, & tanta negotiorum difficultate non modò non abduxiſti, ſed etiam manere coëgiſti, optimi videlicet gubernatoris atque egregij medici munere perfungẽs. Vt enim ille, cùm fluctus excitari videt, tũ plus ſtudij ac diligentiæ adhibet, atq; hic itẽ, cùm febrim in maiorem flammam exarſiſſe perſpicit, tũ maiori arte atq; induſtria vtitur: ad eundem modùm tu quoque, nobiliſsime ac præſtantiſsime domine, rem virtute tua dignam feciſti, quòd cùm ægras res eſſe, ac ſeditione laborare conſpexiſti, tũ potiſſimùm operam dediſti, vt ne ij, qui illic degũt,

aciem

Digitized by Google

aciem deſererent, verùm remanerent, ac partes ſuas explerent. Quamobrem tuis ipſe veſtigijs hærens, præſtantiſſimum dominum meum Gerontiũ Presbyterum, ſi conualuerit, atque ad integram ſanitatem redierit, confeſtim quæſo vrge, vt iter illud ineat. Quamquam enim nos quoque eum huc venire ac videre cupimus: tamen, quoniam regionis illius negotia celeritatem ingentemque vigilantiam deſiderant, ne in via longum tempus teratur, hyemſq; interueniens iter ipſi intercludat, abs te vehementer petimus, vt & eum, ſi ex morbo recreatus ſit, ad ſuſcipiendum iter adurgeas: illudq; cures, vt vir ſuauiſſimus, ac mihi chariſſimus, Ioannes Presbyter itineris comitem ſe ipſi adiungat. Nec enim te quoque fugit, regionis illius negotia nunc demum eò pluribus correctoribus indigere, quò longiùs ſerpſerunt mala. Hæc igitur cum animo tuo reputans, ac quanti animæ ſalus momenti ſit, perſpiciens, quantaſque res iam antehac ſtudio tuo ac diligentia ſis conſecutus, velim tam per te ipſe, quàm aliorum, quos nanciſci potueris opera atq; induſtria cures, vt quæ correcta & ſanata ſunt, firma maneãt, atque etiam multò maiore acceſſione cumulentur. Tu quidem certè nihilo minorem, quam ij, qui huc venerunt, voluptatem nobis attuliſti. Siquidem animo ac voluntate veniſti: atque charitatis oculis, corpore licet abſentem, te quotidie cernimus, animoque paſſim circumferimus. Quin fortaſſe quoque congredi, ac mutuo conſpectu frui nobis dabitur, cùm tempus id permittet. Nam, vt nunc res ſunt, etſi alioqui tui videndi atque amplectendi magna cupiditate tenemur, ne tamen iſtic manere neceſſarium eſſe ducimus. Nec enim dubitamus, quin tu ſine vlla intermiſſione omnia facturus curaturuſque ſis, quò probis ac ſtrenuis viris Phœniciam impleas, atque & eos, qui illic remanſerunt, magis ac magis fulcias & corrobores, vt ne relictis regionis illius negotijs pedem referant: & eos, & qui vicini ac propinqui ſunt, exquiras, atque cum ingenti animi alacritate ac ſtudio emittas, cunctiſque, tum propinquis, quàm remotis, ampliſſimam vtilitatem afferas: atque vnguentorum naturam imiteris, quæ non modò locum eum, quo excipiuntur, ſed etiam longiùs remotum aërem magna ſuauitate perfundunt.

Gerontio Presbytero LIIII.

Hortatur eũ vt ſe in Phœnicia cõ ferat ad lucrandas animas.

ET iam ad pietatem tuam literas dedi, exiſtimãs te in Phœnicia eſſe: & nunc item eadem, quæ priùs ſcribo, nempe vobis nunc maximè quiduis agendum ac perferendum eſſe, vt ne ſegetem veſtram vacuam & inanem deſeratis, nec quidquam eorum, quæ rectè & cum laude geſta ſunt, labefactari atq; interire ſinatis. Nam & paſtores, cùm ingentem labem ad oues internè graſſantem cõſpexerint, tunc potiſſimùm excitantur, ac vigilãt, fundamque ſumunt, cæteriſque artibus vtuntur, quò incommodum omne à grege propulſent. Et quidẽ cùm Iacob pecudum rationis expertium curã gerens, totos decem & quatuor annos ſerui munus obierit, æſtuque ac frigore & vigilijs multis conflictatus, viliſſimique mercenarij officio functus ſit, perpende animo, quidnam ij, quorũ fidei oues ratione præditæ commiſſæ ſunt, agere ac perpeti debeant, ne qua ex ipſis pereat. Quocirca te oro atque obſecro, vt quò maior eſt tempeſtas, & plura mala, & maiora impedimenta obijciuntur, pluresque ſunt qui inſidias ſtruant, eò etiam magis ipſe te excites, alioſque item horteris, vt præclaram hanc tecum ſuſcipiant, illucque quàm celerrimè peruenire maturent. Nam huiuſce quoque profectionis non paruam mercedem es habiturus. Quòd ſi profectionis, multò profectò magis, ſi res ipſas tractes, multumque ſtudium adhibeas. Siquidem huiuſmodi peregrinationes ſuſcipere, longe præſtantius atque conducibilius eſt, quàm domi deſidere. Illic enim degens, hæc etiam habere potes, quæ nunc habes, hoc eſt, ieiunium, vigilias, cæteraque Chriſtianæ philoſophiæ genera: Domi autem deſidens, ea lucrari non potes, quæ, ſi in illa regione commoreris, adipiſci potes, nimirum tot animarum ſalutem, periculorum mercedem, tantæque animi promptitudinis ac ſtudij præmium. Nam ne ipſa quidem animi promptitudo præmio caret. Quamobrem, quales tibijpſi coronas in futurum condas, tecum reputans, ne quæſo cuncteris, ac moram vllam interponas, verùm vbi è morbo conualueris, mox ad iter te accinge, de rebus ad vſum tuum neceſſarijs nihil laborans. Siquidem chariſsimo ac religióſiſsimo Presbytero Conſtantio negotium dedi, vt, ſiue ad ædium extructiones, ſiue ad ſubleuandam fratrum inopiam impenſis opus ſit, largè vobis ac prolixè omnia ſuppeditet, atque adeò nunc etiam largius ac profuſius, quàm antè. Cùm igitur & pronos ac faciles ſumptus habeas, &, quod caput eſt, rem Deo gratam facturus ſis, depulſa omni cunctatione, confeſtim iter matures quæſo, atque ex ipſa Phœnicia hoc nobis ſignifices: vt licet in graui ac moleſta ſolitudine hæreamus, ingens tamen hinc ſolatium conſequamur. Nam ſi te animo ac voluntate ita comparatum illuc abijſſe intellexerimus, vt pro animarum illius regionis ſalute nihil facere ac pati recuſes, tanta voluptate perfundemur, vt ne ſolitudinem quidem incolere nos exiſtimemus. Quamuis enim te quoque huc venire, ac tuo conſpectu frui cupiamus: tamen, quia hoc, quod dixi, magis neceſſarium eſt, periculumque eſt ne hyems iter illud tibi præcludat, propterea te vrgemus, atque, vt proficiſci matures, obſecramus.

Geneſ. 31

Symeoni & Maræ presbyteris, atque in Apamenſi regione monaſticam vitam profitentibus LV.

ETſi magno itineris ſpatio à vobis diſiũgimur, atque in grauiſsima ſolitudine commoramur: tamen cognita animi veſtri virtute, ingentique philoſophia, per quam omnibus, qui iſtic ſunt, lucem ac ſplendorem affertis, magnum veſtri amorem concepimus. Ac quoniam, tum ob hyemis aſperitatem, tum ob itineris longitudinem, veſtro interim congreſſu frui minimè licet, per literas vos conuenire ſtuduimus, vos orantes atque obſecrantes, vt & pro malorum eorum, quæ vniuerſum terrarum orbem inuaſerunt, depulſione, prolixas ad Deum preces adhibeatis, & omnes magna cum alacritate ad hoc excitetis: noſque cùm facultas dabitur, de veſtra valetudine per literas quàm ſæpiſsimè certiores faciatis: vt, licèt etiam procul à vobis diſsiti, atque ad vltimos quoque curæ angulos relegati, magnam tamen hinc conſolationem capiamus, de veſtræ valetudinis ſtatu perſæpe aliquid audientes. Nos quidem certè permagna voluptate affecit vir chariſsimus & ſuauiſsimus Ioannes presbyter, quòd in tãta temporum difficultate denuo excedere, atque in Phœniciam proficiſci animum induxerit. Quapropter à vobis peto, vt præclaræ huiuſce laudis magnitudine animo perpenſa, ſi quos præſtantes ac generoſos viros nanciſcamini, qui ad egregiarum harum rerum magnitudinem auxiliarem manum afferre poſſint, eos magna cum animi alacritate vnà cum eo mittatis, quantam hinc mercedem laturi ſitis, cogitantes.

Romulo & Bizo monachis LVI.

VOs quidem huc quoq; venire, atq; oculis perſpicere vellem. (Veſtræ enim pietatis fama commotus, ingenti veſtri amore afficior, atque

Digitized by Google

charitatis oculis vos intueor.) Quoniam autem, tum ob itineris longinquitatem, tum ob hyemis tempus, tum ob Iſaurorum metum, id minimè licet, vos per literas conuenire ſtudui, meam erga vos beneuolentiam perſpicuam vobis faciens: qua fit, vt eos etiam, qui procul abſunt, nec vnquam viſi ſunt, amare liceat. Nam eiuſmodi charitatis natura eſt, vt nec viæ longitudine dirimatur, nec temporis diuturnitate debilitetur, nec illatis tentationibus infringatur, verùm hæc omnia vincat, ac ſupra omnia aſſurgat, atque in ſublimitatē omni oratione præſtantiorem attollatur. Ob eamque cauſam nos etiam, quandoquidem apprimè vos amamus, nihil horum ſegniores effecit. Quin potiùs, & ipſi ſcribimus, & viciſſim, vt de veſtra ſalute certiores nos faciatis, vos rogamus. Sic enim, etiam in ſolitudine degentes, magno ſolatio afficiemur, cùm eos, qui ita viuunt, arctumque atque anguſtum iter ingrediuntur, incolumi ac firma valetudine eſſe intellexerimus.

Adoliæ LVII.

Qvamuis ipſa rarò ad nos ſcribas, nos tamen quoties homines nāciſcemur, qui hinc iſtuc proficiſcantur, literas ad te dare minimè deſinemus. Ac quidem te huc venire, ac cernere vellemus, idque in primis optamus. Verùm quoniam hoc arduum fortaſſe ac difficile tibi viſum eſt (nā alioqui Iſaurorum periculum penitus ſublatū eſt) nos certè conſolationem eam, quam, dum crebrò ad te ſcribimus, capere ſolemus, nobiſipſis præbere minimè intermittemus. Etenim quoties tabellarij, qui iſtuc iter faciat, nobis poteſtas ſit, nō vulgarem voluptatem capimus, cùm ad te literas damus. Hæc igitur cùm tibi explorata ſint, ornatiſſima & religioſiſſima domina mea, velim quoq; ipſa des operam, vt de tua valetudine animique hilaritate quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribas. Quemadmodum enim de profectione nihil te accuſamus (quòd res ea difficultatem habere tibi viſa ſit) eodem modo de tam longo ſilentio tibi ſuccenſere minimè deſinemus, quoniam de tua totiuſque domus tuæ valetudine aſſiduè aliquid audire vehementer expectamus.

Theodoſio duci LVIII.

Mvlto melle literas tuas condijſti, vel, vt rectiùs loquar, melle dulciores eas effeciſti. Mel quippe ijs, qui ipſius dulcedine aſſiduè fruuntur, non iam æquè dulce eſſe videtur, ſaturitate nimirum voluptatis vim opprimente. At literæ tuæ lætum nobis de tua valetudine nuntium afferentes, tantum ab eo abſunt, vt hoc efficiant, vt tum præſertim voluptatem nobis augeant, cùm frequentiùs mittuntur. Ac tu quidem epiſtolam meam exoſculatus es: ego verò te ipſum epiſtolæ patrem vtraque manu complexus ſum colloq; tuo circunfuſus, charumque mihi caput exoſculatus, ingentem cōſolationem percepi. Sic enim affectus eram vt non epiſtolam duntaxat tuam legere arbitrarer, ſed etiam teipſum adeſſe, ac nobiſcum verſari. Tanta epiſtolæ vis fuit. Eiuſmodi quippe ſynceræ charitatis natura eſt, vt etiamſi latices ſuos per literas profundat, id efficiat, vt ipſe literarum fons oculis obuerſari videatur. Quod etiam ipſum nobis vſu venit. Ac neq; temporis diuturnitas, neque itineris longitudo, neque negotiorum difficultates ac moleſtiæ, nec denique aliud quidquàm, quò minus id nobis cōtingeret, impedimēto eſſe potuit. Hæc igitur cùm tibi perſpecta ſint, domine mi cumprimis admirande, ne te quæſo de tua totiuſque domus tuæ valetudine animique hilaritate nos per literas certiores facere pigeat. Nec enim te fugit, quantæ nobis curæ ſit hæc ſcire.

Theodoto Diacono. LIX.

Cito noſtri memoriam abieciſti, ad ingentem eam moleſtiam, quam ex digreſſu tuo accepimus, eum quoque animi mœrorem, quem longum ſilentium parere ſolet, adiungens. Nec verò ad temporis anguſtiam tibi perfugium patet. Siquidem dierum multitudo ingentem ad reditum facilitatem viatori præbere poteſt. Quin ne Iſauricos quidem metus cauſari te patiemur, quandoquidem te magnopere amamus. Multi quippe ſunt, qui poſt diſceſſum tuum illinc huc venerint. Quænam igitur ſilentij cauſa eſt? Negligentia nimirum, ac ſocordia. Sed tamen prioris negligentiæ culpam tibi remittimus, ſi modò animum in poſterum induxeris prætermiſſum abs te officij munus frequentibus literis ſarcire. Scis enim quātam à nobis gratiam initurus ſis, de tua valetudine crebrò ad nos ſcribens.

Chalcidiæ & Syncritiæ. LX.

Conſolatoria eſt.

Non me fugit crebras eas tentationes, quæ domino meo chariſſimo & religioſiſſimo preſbytero illatæ ſunt, magnam vobis perturbationem attuliſſe. Verùm nihil eſt quamobrem hoc nomine animi veſtri commoueantur. Nam qui Dei cauſa hæc perpetitur, quò grauiora pertulerit, eò quoque maiores coronas referet. Cùm igitur hanc ſatis amplam conſolationem habeatis, ſtrenuo animo, & cum gratiarum actione, ea, quæ accidunt, ferte, Dei gloriam ob omnes rerum euentus prædicantes. Sic enim vos quoque in præmiorum & coronarum, quæ illum manent, ſocietatem venietis, ſi ea, quæ acciderunt, forti & placido animo tuleritis. Scitis enim viam eſſe præſentem hanc vitam, eiuſque tam res lætas ac iucundas, quàm graues & moleſtas præterire: illudque item nobis faciendum eſſe, vt per multas tribulationes in Dei regnum introeamus: arctamque atque anguſtam portam eſſe, quæ ad vitam ducit. Quæ cùm ita ſint, tum per hæc, tum per ipſius præſentiam, ſolatio affectæ, nubem omnem diſcutietis, ob ipſius nimirum calamitates lætitiam ac voluptatem animo concipientes. Siquidem eiuſmodi fructus hinc ipſi recondetur, qui nulla vi orationis explicari, nec vnquam labefactari poſsit.

Via hæc vita.

Theodoto conſulari. LXI.

Patrē ſilij ſalutē curare debere.

Hoc demum eſt patrem eſſe, nempe non modò illud non moleſtè ferre, quòd filius veram ſapientiam profiteatur, verùm etiam ipſi idcirco gratulari, nihilque non agere, quò ad ipſius arcem perueniat: ac ne hoc quidem, quòd ille, tum à patria, tum à domo, tum ab oculis tuis procul ſit, grauiter & iniquo animo ferre, verùm nunc potiùs eo eſſe animo, vt ipſum tecum verſari exiſtimes, cùm ipſius virtus auctior efficitur. Ob eāque cauſam ingentes tibi gratias habemus. Atque illud quidē admirati ſumus, quónam pacto, cùm à te tantum munus, hoc eſt, filium habuerimus, tu tamen tibi faciendum eſſe duxeris, vt nos alijs quoque muneribus ornares. Nos verò honorem quidem illum, qui ex muneribus miſsis oritur, decerpſimus, munera autē ipſa remiſimus: non quòd te deſpiciamus (qui enim iſtud, cū à te valde amemur?) verùm quòd ſuperuacaneum eſſe cenſeremus earum rerum fructum conſectari, quibus minimè indigemus. Sanè bellum lectorem Theodotum apud nos retinere, ac fingere & erudire nobis cordi erat. Verùm quoniam omnia hîc cædibus, tumultibus, cruore, atque incendijs plena ſunt (Iſauris nimirum cuncta ferro atque igne populātibus) noſque ſedes quotidie mutamus, neceſſarium proinde

Digitized by Google

inde eſſe duximus eum hinc emittere, domino meo religioſiſſimo diacono Theodoto etiam atque etiam mandantes, vt ipſius curam aſſiduè gerat, in idque magno ſtudio ac diligentia incumbat. Quod ipſum, vt filius tuus conſequatur, tu quoque labores velim. Atque omnino conſiliũ noſtrum collaudabis: nobiſque admonitionis huius nomine ingentem gratiã habebis.

Caſto, Valerio, Diophanto Cyriaco, Antiochiæ Presbyteris LXII.

Commẽdatoria eſt.

QVòd chariſſimus ac religioſiſſimus presbyter Conſtantius nos reliquerit, doleo: quod autem ad vos ſe contulerit, lætor: ac magis hinc lętor, quàm illinc doleo. Neque enim mihi dubium eſt, quin ad tranquillum portum, hoc eſt, ad veſtrã charitatem, appellat. Nam quamuis ſexcenti tumultus vos vndique circumſtent, magnoſque fluctus excitent: tamẽ eiuſmodi ſtatu res veſtrę ſunt, vt ob eam, qua præditi eſtis, fortitudinem, firmamque & conſtantem charitatem, animique affectionem, etiam in medijs procellis magna tranquillitate fruamini. Quamobrem cum ad veſtrum aſpectum peruenerit, prorſus id agite, vt ipſi conſolationem adhibeatis. Nec enim ignari eſtis, quanta vos hinc merces maneat, ſi eum inique vexatum & exagitatum leuare ſtudeatis. Neque enim aliud quidquam à vobis poſtulamus, quàm vt ne ipſe per iniuriam vexetur, temereque huc atque illuc circumagatur, ac per iudicum tribunalia eam ob cauſam diſtrahatur, atque laceretur, ob quam eum corona cingi, ac publico præconio celebrari par erat. Ac pro eo quidem hæc poſtulamus: pro nobis autem vt quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribatis, ac de veſtra valetudine certiores nos faciatis. Nam etſi longo itineris interuallo à vobis diuellimur: vos tamen animo circumferre minimè deſinimus, ac vobiſcum eſſe quotidieque verſari. Eiuſmodi enim charitatis oculi ſunt, in ijs duntaxat, qui ſyncerè amare norunt. Idque ipſi perſpicuè noſtis: quandoquidem ſyncerè quoque amare noſtis.

Trancylino LXIII.

CÆtera quidem omnia tempori cedunt, ac vetuſtatem & ſenium contrahunt, hoc eſt, & florentia corpora, & altæ ſubſtructiones, & prata, & horti, ac denique omnia, quæ ex terra oriuntur. Sola autem charitas ab eiuſmodi detrimento immunis eſt: ac temporis longinquitate non modò non flacceſcit, ſed ne morte quidem ipſa interrũpitur. Eoque nomine nos quoque, tametſi diuturno tempore à ſuauitate tua abfuerimus, vigentem tamen tui amorem retinemus: ac nunc quidem lingua, ſemper autem animo atque cogitatione. Eaque de cauſa quàm ſæpiſſimè ad pietatem tuam literas dedimus. Quoniam autem, quo ſtatu valetudo tua ſit, intelligere valde expetimus (ſcis enim ipſe quàm te valere cupiamus) ſi fieri poſſit, facileque aliquem nanciſci queas, qui literas ad nos ferat, velim, vt, quemadmodum officij tui ratio poſtulat, de eo nos certiores facias. Nam res noſtras, atque ea, quæ in Armenia & Thracia geruntur, ſyncerę atque ardenti charitati tuæ narrabit is, qui tibi has literas reddet.

Cyriaco Epiſcopo LXIIII.

Commẽdatoria eſt.

DOminus meus Sopater, Armeniæ huiuſce præfectus, in qua nunc incluſi tenemur, Armeniæ quidem præfuit vt pater: plus autem officij erga nos exhibuit, quàm à patre poſtulandum videretur. Huic itaque huiuſce beneuolentiæ vicem cùm rependere cuperem, & exquirerem, optimam viam mihi inueniſſe videor, nimirum ſollicitum tuum ac vigilantem animum, cuius opera gratiam ipſi referre potero. Quî tandem iſtud, & quónam pacto? Ipſius filius iam diu iſtic literarum cauſa commoratur. Hunc ſi læto atque alacri animo (quemadmodum charitati tuæ conuenit) videre ſtudueris, beneficijque aliquid in eum contuleris, omni ære alieno nos liberaris. Quamobrem hoc effice: ac, tum eorum, qui magiſtratu funguntur, tum tuorum familiarium, quique ipſi externam regionem patria iucundiorem reddere queunt, notitiam ipſi concilia. Sic enim, & ab eo, & à me, atque adeò à teipſo gratiam inibis, probum ſcilicet ac benignum virum, communemque pauperum portum per filium iuuans.

Marciano & Marcelliano. LXV.

SAtis amplum mœroris illius, quem, vt ex literis veſtris accepi, ſuſtinetis, ſolatium vobis eſt philoſophica hæc veſtra mens, ac ſublimis & firma conſtanſque affectio. Vt enim molli ac diſſoluto homini ne tranquillitas quidem ac ſecundus curſus magnam vllam vtilitatem afferre poteſt: eodem contrà modo firmum & ſolidum & vigilantem virum ne grauis quidem tempeſtas vnquam commouet, verùm clariorem & illuſtriorem reddit. Ea enim tentationum natura eſt, vt his, qui forti animo eas ferunt, multa præmia ſplendidaſque coronas acceſſat. Hæc igitur cùm vobis perſpecta ſint, chariſſimi ac nobiliſſimi domini mei, cumque hanc ſatis amplam in rebus acerbis conſolationem habeatis, cauete ne quicquam horum, quæ fiunt, animos veſtros perturbet. Atque quàm ſæpiſſimè ad nos velim ſcribatis. Etenim id quidem maximè vellemus, præſentes vos intueri atque complecti. Quoniam autem, quò minus id nunc fieri poſſit, multa impedimenta ſunt, ſine intermiſſione ad nos ſcribere, ac de veſtra valetudine certiores nos facere ne grauemini. Nec enim vos fugit, quantam ſi hoc faciatis, à nobis gratiam inituri, quantaque nos voluptate cumulaturi ſitis.

Caſto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, Antiochiæ presbyteris LXVI.

LIngua quidem rarò ad vos ſcripſi: animo autẽ & voluntate crebrò ac frequenter. Quare ne totidem duntaxat epiſtolas noſtras eſſe exiſtimetis, quot per chartam & atramentum accepiſtis: verùm quot ad vos mittere cupimus. Nam ſi rem ita reputare volueritis, ſexcentæ profectò literæ ad vos à nobis miſſæ ſunt. Sin autem nemo eſt qui perferat, non noſtræ vtique ſocordiæ, ſed rerum difficultati ſilentium noſtrum àſcribi debet. Hæc autem dixi, vt, ſiue ſcribamus, ſiue taceamus, eandem de noſtra erga vos charitate ſententiam feratis. Nos enim, quocunque in loco ſimus, inciſam & exſculptam in animo noſtro veſtri memoriam circunferimus. Ac nunc quidem ingentem vobis gratiã habemus, quòd probum monachum cũ ea, quæ à vobis poſtulabatur, beneuolẽtia ſuſcepiſtis, eoſque, qui importunè aduerſus eum rixari cupiebãt, mitiores reddidiſtis. Quare non fruſtra, nec adulandi ſtudio illud dicebam, vos, etiamſi innumeri vndique fluctus excitentur, in tranquillitate tamen eſſe. Nam cùm ab alijs naufragia tam facilè propulſetis, non eſt dubium quin ipſi procul à tẽpeſtate remoti ſitis. Vos verò quàm ſæpiſsime quęſo de veſtra valetudine ad nos literas date. Neque enim ignari eſtis, quanto nobis ſtudio ſit id ſcire. Tanta enim veſtrarum literarum, cùm firmam veſtram valetudinem nobis nuntiant, vis ac facultas eſt, vt quamuis tam grauibus bellis, tumultibus, pertur-

Digitized by Google

A perturbationibus, quotidianiſque mortibus vndique cingamur, tamen cùm tot eiuſmodi à vobis epiſtolas accipimus, præ gaudio volitemus, maximamque hinc conſolationem ſentiamus. Huiuſmodi quippe eſt ſyncerus amor, vt etiam per literas, lætum hunc nuntium afferentes, eos, qui corpore disiuncti ſunt, perfacilè recreare ac reficere poſſit.

Theodotio Diacono LXVII.

IPſe quidem, chariſſime ac religioſiſſime mi domine, ijs ſaltem malis, quibus Armenia laborat, defunctus es. Nos autem præter eos tumultus, vel, vt rectiùs loquar, quotidianas mortes, quæ hîc vigent, illud non vulgariter diſcruciat, quòd à tua quoque ſuauitate, ac vera & ſyncera beneuolentia diuulſi ſumus. Acceſſit etiam ad huius mœroris cumulum diuturnum tuum ſilentium. Nam ex quo die hinc diſceſſiſti, ſecundam hanc duntaxat epiſtolam accepimus. Nec verò hæc accuſandi tui B cauſa commemoro, ſed dolore commotus. Nam quòd iter iſtud ad nos viatoribus clauſum ſit, neminem fugit. Verùm vt hoc tibi excuſationem affert, ita nos non perinde conſolatur. Quin potiùs hoc ipſo quoque nomine potiſſimùm angimur, quòd ea quoque digreſſus tui atque abſentiæ conſolatione, quæ vnica nobis erat, caremus. Quoniam igitur hæc difficultas in præſentia diſcuti non poteſt, verùm pericula quotidie ingraueſcunt, velim alia ratione mœſtitiam eam, quam ex longo tuo ſilentio contraximus, minuendam cures, nimirum vt noſtri memoriam nunquam intermittas, & cùm ad nos ſcribes, longiores epiſtolas facias, atque in exponendo valetudinis tuæ ſtatu, animique tranquillitate & ſecuritate, prolixiorem moram trahas. Sic enim, quod nobis ex tempore deficit, ex epiſtolarum prolixitate ſarcire poteris. C

Eidem LXVIII.

ID quoque tuum eſt, hoc eſt, hominis perquàm acriter atque ardenter nos amantis. Lecta enim priore epiſtola, ſecundam inſuper accepi, eodem vtramque die: magnaque lætitia ſum affectus. Habebat enim poſterior quiddam amplius. Quippe non verba duntaxat tua, ſed etiam ſcriptum tuum nobis indicabat, quod quidem voluptatem etiam nobis auxit. Nec enim feruentis duntaxat ac ſynceræ animæ tuæ, ſed etiam inſuper manus imaginem conſpeximus. Quare quàm ſæpiſſimè id facias quæſo, ac ſolatium illud, quod nobis hac quoque ratione excogitaſti, prolixè impertias. Huc enim te trahere minimè iam audemus: tot Armeniæ mala ſunt. Ac tempeſtas altera omnia excepit. Nam quocun- D que tandem quiſpiam venerit, cruentos torrentes, cadauerum agmina, domos ſolo æquatas, vrbes euerſas perſpiciet. Nos autem, tametſi periculo vacui eſſe videamur, in hoc præſidio, tanquam graui quodam carcere concluſi, tamen ob quotidianos metus, ob rumores cædibus plenos, ob perpetuas Iſauricarum incurſionum expectationes, ob corporis denique imbecillitatem, cum qua ad hunc vſque diem luctamur, tranquillitate ac ſecuritate frui minimè poſſumus. Sed tamen etiam inter tot mala non paruum ſolatium capimus, cùm literas lętum de tua valetudine nuntium afferentes accipimus.

Nicolao Preſbytero LXIX.

IStud quoque ſynceræ tuæ ac feruentis charitatis eſt, quòd cùm tanto à nobis interuallo diſſitus ſis, patriam tamen noſtram percurſes. Nos verò nuper quidem aſperrima hyeme loca ſubinde commutantes, nunc in vrbibus, nunc in terræ faucibus & ſyluis commorati ſumus, ab Iſauris in nos impetum facientibus omni ex parte vexati & exagitati. Tandem autem aliquando his malis nonnihil ſedatis, loca deſerta relinquentes, Arabiſſum confugimus, quòd videlicet illius oppidi arcem reliquis locis tutiorem inueniſſemus. Nam ne in oppido quidem degimus: quandoquidem ne id quidem tutum eſt. Eſt autem nobis hæc ſedes quouis carcere deterior. Præter id enim quòd ſingulos in dies, vt ita dicam, pro foribus noſtris mors eſt, Iſauris videlicet omnia inuadentibus, atque igni & ferro, tum corpora, tum ædificia delentibus, famem etiam, quam loci anguſtia, & eorum, qui huc confugiunt, multitudo minatur, pertimeſcimus. Ac præterea diuturno morbo, quem nobis hyems & perpetua fuga peperit, conflictati, etſi vim ipſius & acerbitatem nunc effugimus, nonnullas tamen adhuc ipſius reliquias circunferimus. Sed quanquam in tot acerbitatibus ac moleſtijs verſamur, permagnam tamen ex feruenti veſtra & ſyncera atque conſtanti charitate conſolationem capimus. Quæ cùm vobis perſpecta ſint, ne quæſo de veſtra ſanitate quàm ſæpiſsimè ad nos ſcribere grauemini. Quamuis enim tanto à vobis locorum ſpatio diuellamur: tamen arctiſsimo charitatis vinculo vobiſcum deuincti ſumus. Tibi verò ingentem gratiam habemus, quòd cùm in tot tantiſque perturbationibus verſeris, non paruam tamen negotiorum Phœniciæ curam geris. Quapropter ſi quid noui illinc afferatur, ne nobis id ſignificare pigreris. Vix enim vlla ex parte quiſquam ad nos commeare ſuſtinet, quòd omnes viæ, quæ huc ferunt, vndique clauſæ ſint. Quamuis autem crebrò ad nos literas mittere difficile ſit: tamen quoties poteſtas fiet, hoc velim facias, atque, & quid illic rerum geratur, exponas, & de tua valetudine, de qua aliquid intelligere vehementer cupimus, certiores nos facias.

Antonio, Theodoro, Chærea, Preſbyteris, ac Monachis LXX.

EQuidem ipſe quoque vos huc venire, ac videre cuperem. Quoniam autem multa ſunt quæ impediant, hoc quidem nunc expoſcere minimè audeo: illud autem à vobis peto, vt quamuis procul ſitis, precum tamen veſtrarum, quæ fiducia præditæ ſunt, opem atque auxilium nobis afferatis. Nam hoc ſubſidium, nec vetuſtate debilitatur, nec itineris longitudine dirimitur: verùm quocunque in loco quiſpiam fiducia erga Deum, inſtar veſtri, præditus, verſetur, ijs etiam, qui procul diſsiti ſunt, hac ratione magnopere prodeſſe poteſt. Simul autem cum precibus literas quoque velim ad nos detis, quæ de veſtra valetudine nos quàm ſæpiſsimè certiores faciant. Quanquam enim multi fluctus vndecunque nos cingunt, nimirum & loci ſolitudo, & obſidio, & Iſaurorum impetus, & quotidiana mors (nam perpetuò cum morte viuimus, in hac arce, non ſecus ac carcere quodam incluſi, atque cum graui ſolitudine colluctantes:) nihilominus tamen etiamſi multæ ſint noſtræ calamitates, haud paruum huiuſmodi malorum ſolatium in charitate veſtra poſitum habemus. Quamuis enim haud diuturnam vobiſcum conſuetudinem habuerimus: tamen ſynceræ ac feruentis melleque dulciores & firmæ atque conſtantis beneuolentiæ, quam & coram, & abſentes oſtendiſtis, periculum ſæpe fecimus. Quapropter licet à vobis procul remoti, ac tot tantiſque rerum acerbitatibus conſtricti, tamen in virtutis veſtræ recordatione,

Digitized by Google

non ſecus atque in prato quodam acquieſcimus, ampliſſimi cuiuſdam theſauri inſtar veſtram charitatem nobis eſſe exiſtimantes. Ac quidem exacta hyeme, atque exorto Vere, graui morbo liberati ſumus: verùm ipſius reliquias adhuc circumferimus: quas etiam Iſaurici tumultus, qui numquam intermittunt, augent & exulcerant. Hæc igitur cùm vobis explorata ſint, etiamſi procul à nobis abeſtis, noſtri tamen quæſo ſemper meminiſſe, atque, cùm licebit, crebras literas, lætum nobis de veſtra valetudine nuntium afferentes, ad nos mittere ne grauemini.

A

Marco LXXI.

Conſolatoria eſt de morte filiæ.

NEc animum deijce, nec præclariſſimum filiæ tuæ deceſſum peccatis tuis aſcribe. Etenim ad tranquillum portum appulit, atque in eam vitam, quæ nullum iam finem habitura eſt, peruenit, ac præſentis vitæ fluctibus erepta, in petra ſtat, ea omnia bona, quæ collegit, tamquam in tutiſſimo theſauro deinceps habens. Eoque nomine gaudere & exultare ac lætitia perfundi conuenit, quòd ipſius animam, velut optimus agricola maturum fructum, communi omnium domino exhibuiſti. Hæc aliaque, ex huiuſmodi rationibus cõfecta medicamenta, tum tibi, tum ornatiſſimæ dominæ meæ ipſius matri adhibens, mercedem pro his rebus vobis reconditam amplifica: vt non tantùm optimæ educationis nomine, verumetiam quòd placido & grato animo pulcherrimum ipſius è vita deceſſum tuleritis, ingentem à benigno Deo mercedem accipiatis.

B

Alphio LXXII.

ETſi procul à te ſeiuncti ſumus: tamen ea, quæ cum laude geris, atque ingentem eam liberalitatem, qua in egentes vteris, audientes, gaudio & lætitia exultamus. Ac nobis quidem in votis eſſet, te quoque conuenire, magnaſque præſenti gratias agere. Quoniam autem id minimè licet, quoniam Iſaurica mala ingraueſcunt, atque omnes viæ intercluſæ ſunt, (nec enim dubito, quin alioqui huc ipſe acceſſiſſes, magnumque ſtudium adhibuiſſes, vt ad nos vſque accurreres: verùm id nunc fieri nequit) idcirco per literas te ſalutamus, atque oramus, vt cùm licebit, quàm creberrimè ad nos ſcribas, deque tua totiuſque domus tuæ valetudine certiores nos facias. Nec enim vulgarem, hîc quoque degentes, ex eiuſmodi tuis literis conſolationem percipimus.

C

Agapeto LXXIII.

ETſi iam longum tempus effluxit, cùm abs te ſeiuncti ſumus, atque etiam magno itineris interuallo à te dirimimur: charitate tamen tecum aſtringimur, atque in propinquo cõmoramur, imò, vt rectiùs loquar, in ipſa mente, quocumque tandẽ in loco ſimus, te circumferimus. Vſque adeo feruentem illam & ſynceram ac vehementem & conſtantem amicitiam, quæ tibi iampridem atque ab initio nobiſcũ interceſſit, intimo pectore impreſſam habemus. Quin ipſi quoque, domine mi præſtantiſſime ac ſummopere admirande, florentem atque incolumem erga te beneuolentiam retinemus, nec eam vel ob temporis magnitudinem, vel ob itineris longinquitatem debilitari atque extingui ſinimus. Quamobrem à te petimus, vt, cùm licebit, de tua valetudine crebrò ad nos ſcribere ne graueris. Scis enim quantum eius ſtudioſi ſimus, quantamque à nobis gratiam initurus ſis, huiuſmodi ad nos literas mittens.

D

Heſychio LXXIIII.

EQuidem ipſe te videre cuperem, meque nec Iſaurorum metus, nec corporis imbecillitas prohibere poſſet, ſi mihi licitum eſſet, quò vellem, proficiſci. Te autem, cùm alioqui id arbitrij tui ſit, ne ſic quidẽ traho, nec, vt domo migres, atque ad nos accurras, te rogo. Et quamuis id per anni tempus liceat, tuq; iſtud iter breui exequi poſsis (neq; enim magno interuallo diſiuncti ſumus) tamen ob Iſaurorum metum huc te trahere minimè velim. Verùm hoc demum abs te peto, vt de tua valetudine crebrò ad nos ſcribas. Nec enim ſcilicet; quò minus id facere poſsis, prædonum incurſus impedimento erit. Quamobrem hoc nos beneficio quæſo affice, quod & tibi facile ac pronum eſt, & ingẽtem nobis voluptatem affert. Nec enim te fugit, quàm gratam nobis rem facturus ſis, hac benignitate ac munificentia erga nos vtens.

Harmatio LXXV.

QVid hoc eſſe dicam, quòd, vt hominibus tuis, in ijs rebus, in quibus eorũ opera nobis opus fuerit, arbitratu noſtro imperemus, nobis cõceſsiſti: id autem, quod magnopere expetebamus, mihi eripuiſti, hoc eſt literas tuas, quę nos de tua valetudine certiores facerẽt? An neſcis hoc ijs, qui ſynceriſsimè amãt, ſummæ & antiquiſsimæ curæ atq; cupiditati eſſe, quemadmodũ nunc quoq; nobis eſt? Quamobrẽ ſi nobis gratificari eſt animus, chariſsime mi domine, deſine quæſo tuis hominibus imperare, vt nobis in ijs rebus, quibus corpus eget, inſeruiant. Neque enim his rebus vllo modo indigemus: quippe cũ omnia nobis perinde atq; à fonte affluant. Verũ ipſe maximum nobis beneficium, quodq; conſequi ſummopere cupimus, per chartã & atramentũ præbe. Id porrò eſt, vt de tua totiuſq; tuæ domus valetudine nos quàm ſæpiſsimè certiores facias. Nam ſi fieri poſſet, vt nos quoq; mutuo congreſſu frueremur, etiam teipſum è domeſticis penatibus excitaſſem, atq; ampliſsimi beneficij loco abs te petiuiſſem, vt te tanto noſtri amore flagrantem oculis quoque cernere mihi liceret. Quoniam autem Iſaurorum metus hoc prohibuit, eam ſaltem conſolationem, quam literæ afferunt, prolixè atque copioſe nobis præbe: idque perinde accipiemus, ac ſi omnia abs te habeamus.

Chalcidiæ LXXVI.

EQuidem dominum meũ chariſsimũ presbyterum nobiſcũ eſſe vehementer cupio. Sin autẽ ipſum iſtuc proficiſci cõmodum eſſe cẽſes, eũ periculi metu carere, atq; vrgẽte tumultu liberari, quã hîc eſſe malo. Quamobrẽ, ne illud exiſtimes, ipſum à nobis prohiberi, ſi proficiſci velit. Nobis enim eũ adhuc retinendi cauſa ea fuit, quòd negotij natura ipſius præſentiam non admodum requireret: atque item ea, quòd ne in Iſaurorũ manus fortè caderet, metueremus. Quòd ſi eum iſtuc proficiſci tã valde neceſſe eſt, hominem & monemus, & hortamur, vt iter ſuſcipiat. Quamuis enim corpore ſeiũgamur: tamen charitatis vinculis ſemper cum eo deuincti ſumus. Te autẽ oro, ne quid earũ moleſtiarum, quæ eueniunt, animum tuum commoueat. Nã quò plures res aduerſæ ſunt, eò quoque maior tibi quæſtus atque vberior merces à benigno Deo rependetur, ſi ea, quæ accidunt, grato ac generoſo animo feras. Hac enim ratione, & hæc faciliùs ſuperari poterunt, & fructus is, qui ex horum perpeſſione ac tolerantia tibi in cælis comparantur, amplior & copioſior erit, multoque maior quàm calamitates & cruciatus, quos ſubijſti.

Digitized by Google

Aſyncritiæ LXXVII.

ETiam antehac illud tibi per literas ſignificauimus, nos te, quantum ad charitatem attinet, in eorum, qui ad nos venerunt, numero reponere: & nunc rurſus iſtud ipſum dicimus, nimirum te animo ac voluntate veniſſe. Quòd ſi corporis imbecillitate ac tumultibus ijs, qui Armeniam inuaſerunt, prohibita es: nos tamen ex tua voluntate animique ſententia idem de tua beneuolentia iudicium habemus, quod priùs habuimus. Quare nequàm ſæpiſſimè ad nos ſcribere negligas, noſque, morbúmne depuleris, & qua valetudine ſis, certiores facere. Quandoquidem nunc quoque magnũ animo dolorem accepimus, cùm te ægram eſſe intelleximus. Quamobrem, ne de hac re laboremus, fac velim quàm citiſſimè ſciamus, num è morbo ad ſanitatem redieris.

Germano presbytero LXXVIII.

NOn in Armeniam duntaxat & Cappadociam, ſed etiam longiùs charitatis tuæ atque beneuolentiæ, quam ſemper erga nos præſtitiſti, quauis tuba luculentior fama peruaſit. Quamobrem nos quoque ob tuam iſtam beneuolentiam magnopere gloriamur, nec te laudare intermittimus. Tu verò de tua valetudine quàm ſæpiſſimè quæſo ad nos ſcribas. Nam licet in ſolitudine ſiti, ac procul à vobis remoti ſimus: at charitatis tamen catena tecum deuincti ſumus, eandem videlicet, quam olim atq; ab initio, erga te beneuolentiã præ nobis tulimus, imò etiam maiorem ac feruentiorem nunc habentes. Nec enim, aut temporis diuturnitas, aut viæ lõgitudo, ſegniores ad eam rem nos reddidit, imò etiam acriores ac diligentiores. Hæc igitur cùm minimè ignores, domine mi chariſſime ac religioſiſſime, quantam crebrioribus tuis literis gratiam à nobis initurus ſis, tecum reputans, de tua valetudine ad nos ſcribas velim, ac præſertim in tuis ſanctis precibus memoriã noſtri ne intermittas: quò, licet tanto interuallo abs te diſiuncti, ingentem tamen hinc opem & auxilium accipiamus.

Gamello LXXIX.

QVidnam hoc eſt, vt cùm tanta tamque præclara ciuitas luculentum feſtum agat, (ſic enim magiſtratum tuum atque imperium voco) tum tu diuturno tuo ſilentio maiorem nobis mœſtitiam attuleris? Ac ſi quidem alius quiſpiã è vulgo eſſet, cui hoc accidiſſet, cauſam quoque nullo negotio inueniſſem. Quam tandem iſtam? Solent plerique mortalium, cùm ad maiorem dignitatem peruenerint, animos quoq; ſimul attollere, ac maiores ſpiritus ſumere. At in te, qui philoſophari noſti, ac caducarum harum & fragilium rerum naturam apprimè conſideraſti, nec fucis ac pigmẽtis deciperis, verùm res ipſas laruis nudas & vacuas perſpicis atque animaduertis, ſilentij cauſam reperire nequeo. Et quidem illud pro certo habeo, me æquè ac prius, imò etiam magis quàm antè, abs te amari. Quid autem ſit, quamobrem, cùm hoc erga me animo ſis, tamdiu tacueris, dicere nequeo: imò hoc quoque ipſo præſertim nomine hæreo. Quare iſtud ænigma, niſi graue ac moleſtum eſt, nobis velim per literas explices. Atque etiam ante ipſas literas, eos, qui hanc epiſtolam ad te perferunt, hoc eſt, dominum meum chariſſimum & religioſiſſimum presbyterum, ipſiuſque comites doce (id quod nobis ipſis perſuaſum eſt) hoc tuum ſilentium à negligentia minimè fluxiſſe. Nam ſi hoc dixeris, ſatis id erit, vt ipſi comiter ac benignè à te excipiantur.

Firmino LXXX.

AD congreſſum tuum magno nobis damno morbus tuus fuit: ad charitatem autem ne tantillum quidem detrimenti attulit. Siquidem vel ſemel te conueniſſe, ſatis ſuperque fuit, ad vehementem tui amorem in animis noſtris ciendũ. Huius autem rei cauſam ipſe præbuiſti, qui ab ipſis initijs ingentem ac pene inſanum quendam noſtri amorem præ te tuliſti, nec nos, vt diutiùs tui periculum faceremus, expectare paſſus es, verùm ad primum aſpectum nos cepiſti, arctiſſimiſq; vinculis tecum aſtrinxiſti. Ob eamque proinde cauſam ad te ſcribimus, eaque, quæ audire cupis, exponimus. Quænam autem hæc ſunt? Incolumi valetudine ſumus: iter tutò confecimus: in iucundiſſima quiete atque otio degimus: magnam omnium beneuolentiam obtinemus: tantam denique conſolationẽ percipimus, vt eam nemo vllis verbis cõſequi poſſit. Nemo hîc eſt, qui nos exagitet, aut nobis negotium faceſſat. Quid autem nobis hoc in vrbe vſu veniſſe miraris, cùm etiam iter ipſum tutiſſimè cõfecerimus. Tu verò de tuis quoque rebus nos fac certiores: vt quemadmodum ex hac commemoratione voluptatem cepimus, ſic etiam de tua valetudine certiores facti, magnam lætitiam capiamus. Nec enim te fugit, quantam ijs, qui ſyncerè amarẽ norunt, voluptatem hoc inijciat, cùm læti aliquid de ijs, quos amant accipiunt.

Hymetio, medicorum principi LXXXI.

NVmquam te apud omnes mirificis laudibus efferre deſinemus, tum vt probum virum, tũ vt præſtantiſſimum medicum, tum vt eum, qui ſyncerè amare nouit. Nam cùm hîc de morbo noſtro ſermones excitantur, in eiuſmodi commemorationes tu quoque ſubeas neceſſe eſt: cumque ipſi eximiæ tuæ doctrinæ periculum fecerimus, beneficia abs te accepta ſilentio premere non poſſumus, verùm apud omnes ea prædicamus, maximam à nobis hac in re gratiam ineuntes. Tantum enim tui amorem animis noſtris inieciſti, vt, etiãſi bellè valeamus, magno tamen emptum velimus, vt te huc trahere queamus, quò te vel dumtaxat conſpicemur. Verùm quoniam hoc, partim ob itineris difficultatem, partim ob Iſaurorum metum, difficile eſt, nunc quidem hoc minimè aggredimur. At illud petimus, vt quàm ſepiſſimè literas ad nos mittas. Eam enim, quam præſentia ipſa parit, voluptatem frequentibus literis nobis afferre poteris, morum tuorum melle eas illinens.

Cyethrio LXXXII.

BReuis quidem nobis & exigua vobiſcum iſtic fuit conſuetudo: at amor, qui hinc ortus eſt, magnus & ſublimis ac præclarus. Nam ijs, qui ſyncerè ac verè amare ſciunt, ad eam rem diurno tempore minimè opus eſt: verùm breui totum id perfici poteſt. Quod etiã nobis vſuuenit: quippe qui veſtri amore perinde flagremus, ac ſi iampridem mutuam inter nos conſuetudinem habuiſſemus. Ob eamque cauſam etiam ſcribimus, rerumque noſtrarum ſtatum exponimus, nempe nos commoda valetudine eſſe, atque in quiete, & otio degere. Nec enim nobis dubium eſt, quin hæc nuntiantes, rem vobis gratam facturi ſimus. Veſtras etiam literas viciſsim petimus, quæ lætum eundem nobis nuntium afferant. Velim igitur quàm ſæpiſsime ad nos ſcribere ne grauemini, deque valetudinis veſtræ ſtatu læta nuntiare. Sic enim nobis, etiam in externa regione degentibus, gratiſsimum facturi eſtis, ea ſcribentes, quæ ſine vlla intermiſsione audire cupimus.

Leontio LXXXIII.

CIuitate quidem veſtra pulſi ſumus: à charitate verò tua non item pulſi. Illud enim, hoc eſt, vt iſtic maneremus, aut eijceremur, in aliorum poteſtate ſitum erat: hoc autem in noſtra. Quocirca nemo id nobis vnquam eripere poterit: verùm, quocunq; proficiſcamur, charitatis tuæ mel ſemper circumferimus, magnamq́ue ex tui recordatione voluptatem capimus, tuum erga nos amorem, ſtudium, prudentiam, comitatem, hoſpitalitatem, alia denique omnia in vnum cogentes, tuæq́ue virtutis imaginem effingentes. Quoniam igitur nos ita demeruiſti, ac tibi conciliaſti, vt etiam tuam inprimis appetamus, id autem nunc minimè licet, conſolationem eam, quæ ex literis percipitur, velim nobis præbeas. Nam cùm tanta prudentiæ laude floreas, per frequentes literas id aſſequi poteris, vt voluptatem eam, quam præſentia tua ſecum accerſit, nobis effingas.

Fauſtino LXXXIIII.

CVcuſum incolumes venimus, hinc enim ordiemur, vnde nos initium ſcribendi facere cupis. Ac locum tumultibus vacuum reperimus, quietiſq́ue atque otij pleniſſimum, neç quenquam habentem, qui nobis moleſtiam exhibeat, atque infeſtus ſit. Quid autem mirum, ſi hoc nobis in vrbe contingat, cùm etiam deſertiſſimum ac periculoſum & ſuſpectum iter, quod illinc huc ducit, ſine metu ac negotio exegerimus; tutioraque omnia habuerimus, quam in vrbibus, quæ bonis legibus gubernantur? Læti igitur huius nuntij mercedem nobis hanc pende, vt de tua valetudine quàm creberrimè ad nos ſcribas. Siquidem in magna quiete hîc degentes, animi tui nobilitatem, ingenuitatem, improborum odium, loquendi libertatem, vniuerſum denique virtutum tuarum pratum ſine vlla intermiſſione animo & cogitatione nobis effingimus, tuiq́ue memoriam ſumma cum voluptate vſurpamus, quemcunque in locũ abſcedamus, te circunferentes, atque incredibili quodam tui amore flagrantes. Eaq́ue de cauſa te quoque huc venire, ac cernere cupimus. Quoniam autem id difficile eſt, ad ſecundum, vt dici ſolet, nauigationis curſum venimus, eamq́ue, quam literæ pariunt, conſolationem abs te poſtulamus. Maximũ quippe ſolatium nobis erit, frequentes epiſtolas accipere, quæ nos de tua valetudine certiores faciant.

Lucio Epiſcopo LXXXV.

Hortatur ad conſtãtiã in aduerſis pro bono Eccleſiæ.

ETſi magno itineris interuallo à te ſeiuncti ſumus, tamen illud improborum odium, quo animus tuus præditus eſt, minimè nobis obſcurus fuit, dolorq́ue ille, quem propter eos, qui tanta flagitia perpetrarunt, totq́ue ſcandalis orbem vniuerſum impleuerunt, animo concepiſti. Ac propterea tibi gratias agimus, mirificiſq́ue laudibus ſine vlla intermiſſione te afficimus, quòd in tanta malorum colluuie, totq́ue hominibus in præcipitia & ſcopulos ruentibus, tu rectum iter tenere minimè deſtitiſti, ea, quæ facta ſunt, reprehendens, eoſq́ue, à quibus facta ſunt, auerſans, quemadmodũ etiam te facere par eſt. Eaq́; de cauſa te hortamur, vt in egregia hac animi alacritate perſtes, maioremq́; etiam zelum præ te feras. Scis enim, quæ vobis merces futura ſit, quæ præmia, quæ coronæ, ſi tot alioqui modis turbati & exagitati, contrarium tamen iter tenueritis, maximam præſentibus malis medicinã hinc afferentes. Nam quòd etiamſi alioqui exiguo numero ſitis, tamen ſi ſtrenuo ac forti animo in procinctu ſtare volueritis, maiores copias ob improbitatem gloriantes ſuperaturi ſitis, nemo inſi-

A ciat ſe. Nec enim quicquam virtute fortius eſt, ijſq́ue hominibus, qui ea quærunt, quibus præſidiũ Eccleſijs comparatur. Cùm igitur animum ad ingentem Dei opem accerſendam idoneum habeatis, quæ veſtrarum partium ſunt, velim expleatis, voſq́ue per huiuſmodi mentem ac voluntatem firmiſſimi cuiuſdam muri inſtar omnibus orbis Eccleſijs præbeatis.

Mario Epiſcopo LXXXVI.

Eſt eiuſdem argumenti cũ præce.

ET, cùm tempeſtas ea, qua Eccleſia turbata eſt, velut proluderet, animi tui integritatem atq; conſtantiã perſpeximus: & nunc itẽ ingraueſcentibus malis pietatẽ tuam in ijſdem rurſum inſtitutis perſeuerare cognouimus. Eoq́ue nomine, tam lõgè licet à re diſſiti, debitũ tibi ſalutationis munus perſoluimus, teq́ue mirificis laudibus vehimus, quòd cũ plurimi per ea ſcelera, quæ aduerſus Eccleſias deſignarunt, ſeſe in exitium præcipites dederint, ipſe tamẽ viam aliorũ viæ aduerſam tenueris, nimirum & eorum, qui hæc auſi ſunt, cõgreſſum atq; occurſum defugiẽs, & eam, quæ te digna erat, libertatem retinens. Cogitans itaque, quanta præclari huiuſce tui facti magnitudo ſit, quantæq́; laudis, improbis minimè obiecũdaſſe, atq; illud præterea, cõſtantem hanc veſtram firmamq́; ſententiam depellendorũ malorum viam ac præludium fore, fac quæſo, vt quemadmodum à te poſtulatur, ſtrenuo animo in procinctu ſtes, atque alios pro virili tua cohorteris. Sic enim ad auxilium noſtrũ hæc occaſio ſuffecerit, Deo nempe mentem veſtram, quæ in tanta rerum confuſione recta eligit, comprobante, ſuamq́ue opem afferente.

Eulogio Epiſcopo LXXXVII.

Laudat eius zelũ animaq́, eumq́, in eo firmat

QVamuis ad extremos vſque orbis receſſus venerimus, tamen tuæ charitatis obliuiſci minimè poſſumus, verùm eam paſſim circumferimus. Vſqueadeò nos, chariſſime ac religioſiſſime mi domine, tibi deuinxiſti, ac ſubegiſti. Siquidem nunc quoque Cucuſi manentes, hoc eſt, in deſertiſſimo noſtri orbis loco, benignitatem tuam, ſuauitatem, morum facilitatem, ſynceram animi propẽſionem, acrimoniam, zelum quouis igne feruentiorem, cæteras denique omnes tuas virtutes cum animis noſtris reputare, atque eiuſmodi cogitationum memoriam ſumma cum voluptare vſurpare, mentiſq́ue tuæ firmitatem atque conſtantiam, quã aduerſus eos, qui veritati bellum intulerunt, orbẽq́ue tot ſcandalis impleuerunt, apud omnes prædicare minimè deſinimus, etiamſi alioqui hoc linguæ noſtræ officiũ minimè requiras, cùm tu, quauis tuba clariùs, apud omnes orientales, atque etiam quã lõgiſsimè diſsitos homines, per res ipſas id promulgaris. Quo quidẽ nomine gratias tibi agimus, teq́ue beatum prædicamus ac ſuſpicimus, atque hortamur vt eundem zelum præ te ferres. Neque enim paris laudis eſt, rebus ex animi ſententia fluẽtibus, integritatis ſpecimen exhibere, &, cùm multi ſint, qui Eccleſias euertere conentur, haudquaquam tamen decipi ac circumſcribi, verùm firmũ atque immotum manere, eos, qua decet, animi magnitudine auerſantem. Neque enim parua & leuis, verùm perquàm ingens malorum medicina hæc eſt. Quòd autẽ, pietate tua ad hunc modum ſe gerente, omnes domini mei chariſsimi & religioſiſſimi Palæſtinæ Epiſcopi veſtigijs tuis hæſuri ſint, minimè tibi dubiũ eſſe credo. Illud enim mihi exploratiſsimum eſt, fore, vt in præclaris huiuſmodi factis, quemadmodum corpus capiti continens & adiunctum eſt, ſic eos ipſe cum charitatis tuæ ſuauitate connectas ac velut catenis quibuſdam aſtringas. Quod quidem maximum quoque tuæ virtutis argumentum eſt.

Digitized by Google

A

Ioanni Epiſcopo Hieroſolymitano LXXXVIII.

Hortatur eũ vt Eccleſia hoſtes auerſetur.

CVcuſum relegati ſumus: nec tamẽ tua à charitate ſemoti. Illud etenim in aliorum poteſtate ſitum erat: hoc autem in noſtra. Quamobrem hìc degentes, ac tanto à te interuallo diſſiti, ad te ſcribimus: teque hortamur, vt fortitudinem eam, quam ab initio præſtitiſti, ab eorum nimirum cætu, qui Eccleſias tot tumultibus impleuerunt, te remouens, nunc quoque retineas, paremque præludijs, imò etiam longè ſplendidiorem finem imponas. Neque enim parua hinc vobis merces conſtituta erit, ſi eos, qui tantam tempeſtatem inuexerunt, vniuerſumque penè terrarum orbem tot ſcãdalis impleuerunt, vt par eſt, auerſeris, nec quidquam cum illis cõmune habeas. Hoc Eccleſiarum præſidium eſt, hoc murus, hoc coronæ veſtræ atq; præmia. Hęc igitur cùm tibi perſpecta ſint, domine mi chariſſime ac religioſiſſime, da operam, vt Eccleſias hoc modo communias ampliſſimam hinc mercedem expectans: noſtrique, qui pietatem tuã valde amamus, atque ex tua beneuolentia pendemus, fac perpetuò memineris. Nec enim nobis obſcurum eſt, quantam erga nos charitatem præ te tuleris. Nam hoc res ipſæ nos docuerunt.

B

Theodoſio Scythopolis Epiſcopo LXXXIX.

Eſt eiuſdẽ argumenti cũ præced.

NOs quidem, ſi loci ratio habeatur, procul à vobis diſtamus: ſi autem charitatis vobiſcum coniungimur, atque animo ipſo conſtringimur. Nam ea amoris natura eſt, vt nec loco prohibeatur, nec viæ longinquitate coërceatur, verùm per vniuerſum terrarum orbem facilè prouolet, atque cum ijs, qui amantur, conſuetudinem habeat. Quod etiam nobis contigit, qui nunc vos in animo circunferimus. Ac rogamus, vt quemadmodum antehac vos ipſi vobis ornamentum, atq; Eccleſijs præſidium attuliſtis, ſic etiam nunc faciatis: eoſque, qui tot tumultus in terrarum orbem iniecerunt atque Eccleſias perturbarunt, ea, quã muneris veſtri ratio poſtulat, animi magnitudine auerſemini. Hoc enim depellendæ tempeſtatis initium eſt, hoc Eccleſiarum ſecuritas, hoc malorum medicina, cùm nimirum vos, qui incolumi valetudine eſtis, eorum, qui huiuſmodi ſcelera perpetrant, aſpectum defugitis, nihilque cum eis commercij habetis. Quæ cùm ita ſint, rei huiuſce mercedem, & coronas ob eam cauſam conſtituas, animo & cogitatione complectens, ad hoc ipſum quæſo, eam quam par eſt, animi magnitudinem præſta: noſtrique qui te amamus, meminiſſe ne intermittas. Quod ſi feceris, rem nobis gratiſſimam feceris.

C

Moyſi Epiſcopo XC.

Eſt eiuſdem argumenti

ETſi, vt eam, quam conuenit, animi magnitudinem præſtes, eoſque, qui tot malis Eccleſias affecerunt, ac terrarum orbem tumultibus impleuerunt, auerſeris, te literis noſtris indigere minimè exiſtimo (nam id rebus ipſis declaraſti:) tamèn quoniam te quàm ſæpiſſime, & quauis oblata occaſione, ſalutare, antiquiſſimo mihi ſtudio eſt, nunc quoque idem à te peto, vt ad eorum cœtus fugiendos, eam, quam par eſt, animi fortitudinem adhibeas, alioſque etiam ad hoc ipſum cohorteris. Neque enim hinc parua vobis merces conſtituta erit, ſi eos, qui tantam tempeſtatem excitarunt, atque innumeris ſcandalis omnes impleuerunt, quemadmodum decet, auerſeris. Nam hac ratione res vel maximè ſanabuntur. Noſtri etiam, qui te chariſſimum habemus, perpetuò memineris velim. Nec enim te fugit quo animo erga te hactenus fuerimus, & ſemper ſimus.

Romano presbytero XCI.

ID quoque tuum eſt, magnique tui & ſublimis ad philoſophici animi, ne in tanta quidem tempeſtate noſtræ charitatis obliuiſci, verùm firmum atque immotum permanere, amoremque erga nos tuum florentem ac vegetum retinere. Nam hoc ex ijs quoque, qui illinc veniunt, apertè cognouimus: ac prius etiam, quàm id ab alijs acciperem, exploratum habebam. Noram enim animi tui firmitatem, atque conſtantiam, fixamque & immotam tuam ſententiam. Eoque etiam nomine ingentes pietati tuæ gratias habeo: teque oro, ac ſummi beneficij loco id abs te peto, vt, quàm ſæpiſſimè licuerit, ad nos ſcribas. Scis enim quanta, etiam in aliena regione degentes, conſolatione afficiamur, cùm literas, quæ nos de tua valetudine certiores faciant, accipimus. Te quippe integra atque incolumi valetudine eſſe vehementer cupimus: quandoquidem ſanitas quoque tua multis ſubſidium & portus ac bacillum eſt, atque innumerorum ſucceſſuum materia.

Moyſi presbytero monacho XCII.

LAudum earum, quas nobis literis tuis tribuis, magnitudo tenuitatem noſtram longè ſuperat. Quamobrem his omiſſis, velim, tum pro publicis Eccleſiarum commodis, tum pro me vili atque abiecto homunculo preces ad Deum adhibere ne deſinas, eiuſque benignitatem implorare atque obteſtari, vt ea mala, quæ orbem terrarum inuaſerunt, depellat. Nam præſentia negotia preces duntaxat requirunt, ac tuas præſertim, qui magnam apud Deum fiduciam es conſecutus. Quamobrem obnixe illud ac prolixè facere velim ne intermittas: nobiſque etiam, quoties facultas dabitur (neque enim magna itineris longitudo eſt) quàm ſæpiſsimè ſcribere ne graueris. Siquidem de tua valetudine magnopere aliquid intelligere cupimus: quandoquidem valetudo tua multos fulcit, & cohortatur. Nam cùm vita tua magnas ſemper vtilitates afferat, cùm præſertim in tanta tempeſtate & caligine, puri ſyderis inſtar, exoriens, ijs, qui tempeſtate ac fluctibus iactantur, prælucea s. Quamobrem, vt nos quoque læto atque alacri animo ſimus, crebras ad nos de tua valetudine literas mitte. Nec enim paruam hinc conſolationem capiemus, ſi id de vobis quàm ſæpiſsimè intelligamus.

D

Aphtonio, Theodoto, Chærea, presbyteris monachis, vniuerſoq; eorum ſodalitio XCIII.

Cõmendat ſe eius precibus.

ESt quidem ita, quòd apud eos, qui amant, corporea eorum, quos amant, præſentia plus ad leuandum dolorem momenti habet. Nam & beatus Paulus qui ſubinde, vel perpetuò potiùs, vniuerſum fidelium orbem animo circumferebat, ac ne inter vincula quidem & compedes eos deponere ſuſtinebat (quemadmodum etiam his verbis indicabat, *Propterea quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione, & in confirmatione Euangelij*) corporis quoque præſentiam cupidiſsimè requirebat, his verbis vtens: *Nos verò abſentes facti à vobis ad hora tempus, facie, non corde, abundantius ſtuduimus faciem veſtram videre.* Quod etiam nobis nunc vſuuenit, qui tum eorum, qui iam nos viderunt, tum eorum, quibus nondum de facie noti ſumus, præſentiam auidè requirimus. Quoniam autem id nunc minimè licet (nam & viæ longitudo, & tempus, & prædonum metus impedimento ſunt, ac præterea ne vobis quidem domo excedere, ac longas pe-

Philip. 1.

1. Teſſ. 2.

gas pe-

gas peregrinationes inire facile eſt) quod ſecundum eſt, debitam vobis ſalutationem perſoluimus: atque ante ipſam etiam vos rogamus & obſecramus, atque à vobis ampliſſimi beneficij loco petimus, vt in veſtris precibus perpetuò noſtri memores ſitis, obnixeque, & cum lacrymis, ac benigni Dei pedes vilitatis noſtræ cauſa vos ipſos prouoluatis. Nam cùm negotiorum huius vitæ fretum effugeritis, fumoque ac tempeſtate malorum eorũ, quæ in medio verſantur, liberati ſitis, animaſque veſtras in præclariſſimum huiuſce philoſophiæ littus, non ſecus atque in tranquillum quemdam fluctibuſque vacuum portum appuleritis, noctesque per ſacras excubias in dies mutaueritis, in iiſq; ſplendidiùs, quàm alij interdiu, cernatis, æquum ſane fuerit vos precum veſtrarum auxilium nobis impertite. Nobis enim etiam è tanto interuallo his frui licet: nec locus vllus eſt, aut tẽpus vllũ, quod huiuſmodi opem interrumpere queat. Quamobrẽ ſuppetias nobis ferte, ac per veſtras preces manum porrigite. Nam hoc demùm maximum charitatis genus eſt. Ac præter orationes, de veſtra quoque valetudine certiores nos facere ne grauemini, quò hinc quoque maxima conſolatione afficiamur, mirificam quandam ex veſtra charitate voluptatem capientes, abſenteſque vos, non ſecus ac præſentes, ob oculos noſtros proponentes. Siquidem ea ſynceri amoris vis eſt, vt etiam huiuſmodi ſimulachra pingat. Ita fiet, vt etiamſi in ſolitudine longe hac acerbiore nobis verſari contingat, magnam tamen conſolationem capiamus.

Pentadiæ Diaconiſſæ XCIIII.

Laudat eius conſtantiã in veritate dicenda.

QVamquam mihi tua erga me charitatis antehac etiam iam explorata erat, quippe qui re ipſa eius documentum cepiſſem: tamen eam apertius ex tuis ad me literis cognoui. Ac propterea ſummopere te laudo atque admiror, non eo dumtaxat nomine, quòd ad me ſcripſeris, ſed etiam quòd ea omnia, quæ contigerunt, expoſueris. Hoc enim fœminæ eſt, & de meo erga ſe animo minimè dubitantis, & de rerum mearum ſtatu laborantis. Proinde gaudeo & exulto, maximamque etiam in tam deſerto loco degens, conſolationem mihi poſitam eſſe duco in ea, quam in omnibus rebus adhibes, fortitudine, conſtanti ſententia, ingenti prudentia, linguæ libertate, ac ſublimi fiducia, per quã & aduerſarios ignominia perfudiſti, & mortiferam diabolo plagam inflixiſti, & eos, qui pro veritate decertabant, tamquam vnguento delibutos, paratiores ad dimicandum reddidiſti, ac fortiſſimi militis inſtar præclarum in bello trophæum erexiſti, luculentamque victoriam adepta es, meque etiam tanta voluptate compleuiſti, vt ne in aliena quidem & peregrina regione, nec in ſolitudine, verùm iſtic vobiſcum me eſſe exiſtimem, ſummamque ex animi tui virtute voluptatem capiam. Quãobrem gaude & lætare, quòd huiuſmodi victoriam aſſecuta ſis, atque huiuſmodi belluarum ora facili negotio compreſſeris, impudenteſque eorum linguas & rabida ora obſtruxeris. Veritas enim, cum qua pugnaſti, & pro qua iugulata es, hanc vim habet, vt paucis ſæpe verbis de Sycophantis triumphet: quemadmodum contrà mendacium, etiamſi infinitis ſermonũ artificijs obuoluatur, facie tamen diffluit & collabitur, araneæque telam imbecillitate ſuperat. Gaude igitur & lætare. Neque enim hæc verba ſubinde repetere deſinam. Viriliter age & confortare, omneſque ab ipſis tibi comparatas inſidias irride. Nam quò atrocius ſæuiunt, eò profundiores plagas ſibijpſis inferunt, in eaque cauſa ſunt, vt cùm te ne tantulum quidem lædant (quemadmodum nec fluctus rupem) ſeipſos infringant, imbecillioreſque reddant, atque horribilia ſibijpſis ſupplicia coaceruent. Quæ cùm ita

Vis veritatis.

ſint, caue quidquam eorum, quæ minantur, pertimeſcas, quamlibet dentibus rugiant, quamlibet ingenti iracundiæ temulentia æſtuent, quamlibet ſanguineum quendam vultum præferant, ac præ improbitate in ferarum immanitatem proruerint. Nam qui te ex multis & varijs eorum inſidijs ad hunc vſque diem eripuit, idem te quoque poſthac, ſi fortem animum præſtiteris, in maiore ſecuritate conſtituet: ipſaque etiam dictura es, *Sagitta paruulorum facta ſunt plagæ eorum, & infirmata ſunt contra eos lingua eorum.* Quodquidem & iam contigit, & rurſum continget: adeò vt & tu maiorem mercedem referas, illuſirioreſque coronas accipias, & illi morbo pœnitentiæ experte laborantes, maiori ſupplicio addicantur. Ecquod enim inſidiarum genus prætermiſerunt? ecquod machinarum genus non mouerunt, dum ſolidæ tuæ, ac Deo fideli, generoſæque & fortiſſimæ animæ inſidias ſtruere conantur? In forum te, quæ præter Eccleſiam & cubiculum nihil noras, pertraxerunt, à foro ad tribunalia, à tribunalibus ad carcerem. Falſorum teſtium linguas acuerunt, calumnias concinnarunt, cædes perpetrarunt, cruoris torrentes profuderunt, igni ac ferro iuuenum corpora conſumpſerunt, multis ac præclaris viris innumeras plagas & cruciatus intulerunt, nullum denique lapidem non mouerunt, quò te metu perterritam huc adigerent, vt iis, quæ videras, contraria diceres. At tu, inſtar aquilæ ſublime volantis, eorum retibus fractis, ad libertatis faſtigium virtuti tuæ conſentaneum aſcendiſti: ſic videlicet te comparans, vt ab ipſis minimè circumſcriberetis, imò etiam, quantum ad huius incendij crimen attinebat, cuius nomine miſeri atque infelices homines præſertim gloriari videbantur, eos calumniæ conuinceres. Quæ cùm ita ſint, ea, quæ præterierunt, tecum reputans (nempe quot fluctus orti ſint, qui tamen tempeſtatem tibi minimè intexerunt, quot procellæ, quæ tamen naufragium minimè pepererunt, verùm furente mari tranquilla nauigaſti) portum etiam vnà cum coronis propediem expecta. Quoniam autem de nobis quoque aliquid audire cupis, viuimus, valemus, morbo omnino liberati ſumus. Quòd ſi etiam ægrotamus, idoneum nobis ad recuperandam ſanitatem remedium eſt ſyncera & feruens, ac firma & conſtans tua erga me charitas. Quoniam igitur non vulgari voluptate afficimur, cùm de tua valetudine ac plena ſecuritate quàm ſæpiſſimè aliquid audimus, te, id quod etiam non rogata facere ſoles, rogamus, vt de tua, domeſticorumque tuorum omnium ac neceſſariorum valetudine ſæpiùs ad nos ſcribas. Non enim ignoras, quanta tui, totiuſque tuæ benedictæ domus, cura teneamur.

Pſalm. 63

Pæanio CXV.

Conſolatoria eſt.

GRauia quidem ſunt ea quæ contigerunt: at non ob eos, qui præterierunt, fortiterque in acie ſteterunt, verum ob eos, qui ea perpetrarunt, lugendum eſt. Quemadmodum enim ad mortem audaciſſimæ feræ, magno cum furore in haſtarum cuſpides irruentes, in intima viſcera gladios protrudunt: eodem modo ij quoque, qui hæc ſcelera deſignare non dubitant, grauem & accerbum gehennæ ignem aduerſus capita ſua colligunt. Quòd ſi etiam ob ea, quæ faciunt, gloriantur, hoc ipſo nomine potiſſimùm miſeri ſunt, pluribuſque lacrymis digni, quòd hac quoque ratione grauiores ſibijpſis pœnas accerſant. Quamobrem hos perpetuo fletu proſequi par eſt: ijs contrà, qui ab ipſis tam crudeliter mactantur, ob præmia coronaſque in cælis reconditas gratulari conuenit, atque hoc maximum & luculentiſſimum lethalis plagæ diabolo inflictæ argumentum

tum exiſtimare. Nam niſi ille lethale vulnus accepiſſet, haudquaquam per eos, qui ipſi obtemperant, tantos flatus edidiſſet. Hæc igitur omnia tecum reputans, Domine ſummopere admirande, maximam hinc conſolationem cape: deque tua valetudine quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribe. Etenim te quidem cernere, atque illud nobis charum caput complecti cupimus; quoniam autem id minimè licet, te oro atque obſecro, vt & ipſe de tua valetudine nos crebrò certiores facias, & ijs, qui valde nos amant, ingentem ad eandem rem facultatem afferas.

Incertæ XCVI.

Eſt eiuſdem argumenti cū præce.

FLuctus rupibus illiſi, eas quidem ne tantillum commouere poſſunt: ipſi autem ſeſe potiùs ob vehementem impetum frangunt ac de medio tollunt. Quod etiam nunc in vobis, & in ijs, qui vobis inſidias fruſtrà moliuntur, perſpici poteſt. Etenim hinc vobis, & maior apud Deum fiducia, & maior apud homines gloria comparatur; illius contrà condemnatio, & ignominia, & probrum. Quandoquidem ea quoque virtutis & improbitatis natura eſt, vt illa tum magis floreat, cùm bello vexatur: hæc contrà, etiam cùm bellum infert, imbecillior reddatur, atque hac maximè ratione opprimatur. Cùm igitur ex ijs, quæ fiunt, ingentem conſolationis anſam habeatis, gaudete ac lætamini, roburque concipite. Neque enim vos fugit, quibúſnam propoſitis præmijs ad fortitudinis huiuſce certamen vos accinxiſtis, & quænam vos, ſi ea, quæ accidunt, fortiter & cum gratiarum actione tuleritis, bona maneant, ea ſcilicet, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt. Atque moleſtiæ quidem fluunt, ac ſimul cum præſenti vita extinguntur: bona autem ea, quæ hinc oriuntur, à morte aliena ſunt. Quin etiam ante ea præmia, non paruam hinc quoque voluptatē percipitis, quippe quas bonæ conſcientiæ ſpes, ac coronarum illarum expectatio paſcat. Hæc porrò, quin tibi ante literas noſtras nota eſſent, minimè me fugit: verùm, vt longiorem epiſtolam efficerem, cohortationem produxi. Illud enim planè ſcio, te ingenti quodam atque incredibili literarum noſtrarum deſiderio teneri. Idque cauſæ eſſe puto, cur nobis eo nomine crebrò ſuccenſeas, quòd minùs ſæpe ad te ſcripſerimus. Neque enim cupiditatem tuam explere poſſumus, quamuis etiam quotidie literas demus: propterea quòd epiſtolarum noſtrarum deſiderio ita duceris, vt ex ijs pendere videaris. Deus tibi, tum in hac vita, tum in futuro æuo, huiuſce erga nos charitatis mercedē rependat. Nos quidem certè, quoties, quibus demus, occurrunt, ad te ſcribere minimè intermittimus. Ac ſanè noſipſos ſummo beneficio afficimus, cùm id facimus, teque quàm creberrimè per literas ſalutamus. Siquidem charitatem eam, quam nobis primùm inieciſti, perpetuò florentem ac vigentem retinemus. Atque vt etiam nobis diutius adhuc à vobis abeſſe contingat, ne ſic quidem tamen ipſa obſcurior imbecilliorque effici queat. Etenim vbique te animo circumferimus, mentis tuæ conſtantiam, ingentemque fortitudinem, ad ſtuporem vſque mirantes. Quamobrem ipſa crebrò ad nos de tua, domeſticorumque tuorum omnium, valetudine ſcribe: quò hinc quoque magnam conſolationem capiamus.

Hypatio presbytero XCVII.

Eſt eiuſdem argumenti.

NE te quidem fugit, domine mi chariſſime, quantam vobis calamitates eæ, quæ Dei cauſa ſubeuntur, mercedem, quantaque præmia, & quantas coronas ferant. Quamobrem nihil eorum, quæ fiunt, te conturbet. Siquidem eos demū qui ſcelerate aliquid faciunt, lugere conuenit. Nam ij demum ſunt, qui ſexcentas aduerſus caput ſuum pœnas congerunt. Tu igitur, quemadmodum te dignum eſt, eam, quam conuenit, fortitudinem præſta: atque illorum technas & inſidias faciliùs, quàm araneæ telam, diſcerpe: deque tua valetudine quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribe. Magna enim, in aliena licet regione degentes, ac commorantes, conſolationem capiemus, ſi huiuſmodi abs te literas accipiamus.

Chalcidiæ XCVIII.

NOn vulgari dolore affecti ſumus, cùm te tam graui morbo teneri accepimus. Scis enim ornatiſsima mea ac religioſiſſima domina, quāto valetudinis tuæ ſtudio teneamur. Quamobrem ne cura & ſollicitudine cruciemur, per quendam, qui primus iſtinc huc veniat, hoc ipſum vt ſciamus velim cures, hoc eſt, num prorſus morbus ſublatus ſit, ac tu integræ ſanitati reſtituta ſis. Nec enim exiguam, etiam in tam deſerto loco poſiti, voluptatem capimus cùm de tua, hoc eſt, fœminæ nos amātis, valetudine, animique hilaritate aliquid audimus. Cùm igitur, quantam à nobis, epiſtolam huiuſmodi mittens, gratiam ineas, tibi ſit exploratum, abiecta omni mora & cunctatione velim confeſtim operam des, vt quemadmodum nunc nuntiato tuo morbo ingenti mœſtitia nos perturbaſti: ſic rurſum nuntiata tua ſanitate, ingenti nos voluptate compleas.

Aſyncritiæ XCIX.

NIhil quidem eſt quod malim, quàm crebrò ad vos ſcribere. Neque enim beneuolentiæ veſtræ, & honoris ac reuerentiæ, quam ſemper nobis præſtitiſtis, quemcumque in locum proficiſcamur, obliuiſci poſſumus: verùm memoriam veſtri perpetuam tenemus, eamque recentem ſemper ac florentem vbique circumferimus. Quod ſi non, quoties voluntas fuit, ſed rarò ad vos literas dedimus, hoc non negligentia noſtra, ſed rerum neceſſitate factum eſt, & quia viatoribus clauſum iter nunc ſit. Hæc igitur cùm tibi, ornatiſſima mea & nobiliſſima domina, perſpecta ſint, ſiue ſcribamus, ſiue ſileamus, de ea beneuolentia, quam ſemper tibi præſtiti, eodem modo exiſtimes velim.

Marciano & Marcellino C.

EAdem nobis perdiuturni ſilentij noſtri cauſa eſt, quæ etiam vobis: verùm huiuſmodi ſilentij, quod non in animo, ſed in lingua poſitum ſit. Nam animo ac voluntate nobiliſsimas ac ſuauiſſimas animas veſtras crebrò, imò perpetuò per literas ſalutamus, voſque in pectore noſtro inſculptos paſſim circumferimus. Nam ea veri ac ſynceri amoris natura eſt. Hæc igitur cùm vobis explorata ſint, domini mei chariſsimi ac præſtantiſsimi, ſcribite quidem, quoties facultas dabitur, ac de veſtra valetudine certiores nos facite. Illud autem vobis perſuadete, nos, etiamſi taceatis, idem tamen de veſtra charitate iudicium habituros eſſe, quod habebimus, ſi ſcribatis: ab animo ſcilicet veſtro hæc perpendentes.

Seuero presbytero CI.

NOs, etſi deſertiſſimum locum incolentes, ſæpe tamen ad te ſcripſimus, eoſque qui iſtinc veniunt, de tua valetudine ſciſcitari minime deſinimus. Tibi verò quid cauſæ ſit neſcio, quamobrẽ cùm tam inſano noſtri amore flagrès, atque perfacilè nanciſci poſſis, quibus literas des, perdiuturno tamen tempore ſileas. At cùm nos beneuolentiæ illius, quam erga nos ſemper præ te tuliſti, feruorem ac ſynceritatem animo complectimur, etiam in longo ſilentio permagnam conſolationem capimus. Cæterùm literis quoque tuis perſæpe frui cupimus, quibus de tua valetudine certiores fiamus, eaq́; quæ aliorum ſermone accipimus, ex tua lingua, tuaq́ue manu audire ſtudemus. Quamobrem, domine mi præſtantiſſime, nunc ſaltem hoc facias quæſo. Scis enim quàm nobis hac in re gratum facturus ſis. Nam quod ad nos attinet, ſiue ſcribamus, ſiue taceamus, numquam tui meminiſſe deſinimus, eamq́ue charitatem, cuius tibi ſpecimen præbuimus, quocumque in loco ſimus, conſeruare. Id enim cùm facimus, de nobis etiam ipſimet quàm optimè meremur.

Theodoto Lectori CII.

Conſolatoria eſt. QVid ais? Plures in te nunc, quàm expectabas, fluctus excitati ſunt, ob idque diſcruciaris? Imò verò hoc nomine gaudere & exultare conuenit. Nam etiam beatus Paulus ad hunc modum

Rom. 5. faciebat, nunc quidem his verbis vtens, *Non ſolùm autem, ſed etiam gloriamur in tribulationibus*: nunc au-

Coloſſ. 1. tem his, *Gaudeo in paſsionibus meis*. Nam quò maior, & atrocior tempeſtas fuerit, eò quoque maior quæſtus erit, & illuſtriores patientiæ coronæ, præmiaq́ue ampliora. Siquidem ipſe quoque de te bono animo ſum, vt qui animi tui firmitatem atque conſtantiam exploratam habeam. At eorum cauſa, qui tibi inſidias ſtruunt, doleo & collacrymo, nimirum quòd ij hoſtilem in te animum gerant, à quibus coli oportebat. Vnum eſt quod mœrore me afficit, nempe oculorum tuorum inualetudo, quorum velim ſummam rationem habeas, mediccoſq́ue conſulas, atque ea, quæ muneris tui ſunt, præſtes. Nam de ijs calamitatibus quæ tibi inferuntur, tum te, vt priùs iam dixi, gaudere cupio, tum tibi ipſe gratulor. Scio enim quantus hinc tibi patientiæ fructus oriatur. Quamobrem da operam, ne quid ex ijs, quæ accidunt, te commoueat ac perturbet. Vna enim duntaxat res moleſta eſt, nimirum peccatum. Nam cætera omnia, ſi modò vigilantem ac ſobrium animum præbeas, lucri quoque ampliſſimam materiam ſuppeditabunt, atque arcana illa bona, quæ in cælis condita ſunt, copioſiſſimè tibi accerſent. Quamobrem cum in huiuſmodi quæſtu factitando quotidie verſeris, gaude ac lætare: atque ad nos ſæpe ſcribere ne graueris. Quanquam enim te nobiſcum eſſe cupimus, quoniam tamen non hyems duntaxat, ſed etiam æſtas æquè tib igrauis ac moleſta eſt, illud veriti ſumus, ne te, ob oculorum præſertim morbum, in aëris intemperiem conijceremus. Quæ cùm ita ſint, ad eorum curam velim operam omnem adhibeas: de eoq́ue, cùm facultas erit, crebrò ad nos ſcribas, atque num meliuſcule ſeſe habeant, ſignifices, quò, licet alioqui tanto abs te locorum interuallo diſſiti, magnam tamen hinc voluptatem capiamus.

Ampractæ Diaconiſſæ ipſiuſq́; Comitibus CIII.

ETſi longo itineris interuallo à vobis diſiunctus ſum: tamen præclara & fortia veſtra facinora, non minùs quàm qui adſunt, cognita & explorata habeo: vehementerq́ue vobis de hac voluntatis ſententiæq́ue conſtantia, atque adamantina quadam animi firmitate, loquendiq́ue libertate ac fiducia gratulor. Eoq́ue nomine beatos vos prædicare non deſino, tum ob præſentia, tum ob ea bona, quæ vos in futuro æuo exceptura ſunt, arcana inquam illa, & omnem mentis captum ac ſermonis facultatem excedentia. Magno autem nos, qui tam longè à te ſeiuncti ſumus, mœrore affeciſti, quòd ne ſcribere quidem ad nos duxeris. Quanquam illud ſcio, iſtud negligentia tua minimè contigiſſe (nam ſiue ſcribas, ſiue taceas, ardentem & ſinceram fuciq́ue expertem, ac firmam & ſolidam tuam erga me charitatem noui) verùm quòd, cui dictares, nemo tibi præſtò eſſet. Quanquam ſic quoque patris lingua ſcribendum fuit, ac tua manu. Magnopere enim, vt ipſa quoque noſti, crebras à te literas accipere ſtudemus: quò de tua valetudine quotidie certiores fiamus. Hincq́ue, tam vaſtæ huiuſce ſolitudinis, ac rerum aduerſarum, cum quibus hîc luctamur, haud exiguam conſolationem capimus. Cùm igitur, chariſſima mea & religioſiſſima domina, quanta rei huiuſce cupiditate teneat, minimè te fugiat, hanc nobis gratiam impertire quæſo ne intermittas. Siquidem multi iſtinc varijs è locis ad nos venerunt. Verùm ea de cauſa minimè tecum expoſtulo, quòd literas abs te nobis non attulerunt. Veriſimile enim eſt eos tibi ignotos eſſe. Nunc autem, cùm ſumma facultas datur, ſcribas velim. Ac præſertim, cum res huiuſmodi iſtic contigiſſent, literas abs te accipere inprimis expetebam. Cura igitur, vt quod antehac abs te per incuriam prætermiſſum eſt, ſarcias, priſtiniq́ue ſilentij diuturnitatem literarum frequentia & aſſiduitate compenſes.

Pentadiæ Diaconiſſæ CIIII.

Diſſuadet ei ne migret. COronarum nomine, quas tibi conciliaſti, beatam te duco. Ac nunc quoque, cùm per animi magnitudinem quiduis pro veritatis defenſione perferre in animum induxeris, meritò proinde Deum habes, qui tuas partes acerrimè tueatur.

Eccl. 4. Vſque ad mortem enim, inquit Scriptura, *pro veritate certa: & Dominus pugnabit pro te*. Quod etiam euenit. Nam cùm eò vſque præclarum hoc certamen obieris, multa diuinitus præmia retuliſti. Qua quidem ex re magna voluptate afficior. Quoniam autem intellexi te de diſceſſu cogitare, atque iſtinc migrare velle accepi, peto abs te, ne quicquam huiuſmodi cogites, atque ob animum proponas. Primum ob hoc ipſum, quòd ciuibus tuis ſubſidium es, ampliſſimuſq́ue portus, & adminiculum, ac tutus murus ijs, qui laboribus & ærũnis conficiuntur. Quare noli committere, vt tantum quæſtũ de manibus eijcias. Noli, inquam, committere, vt tantum lucrum abijcias, cùm tantos quotidie theſauros ex tua præſentia colligas. Nam qui præclara tua facinora cernunt, vel auditione accipiunt, nón parum hinc lucri conſequuntur. Non te porrò fugit, quãtam iſtud mercedem tibi conciliet. Primùm itaque, quemadmodum dixi, hac de cauſa te rogo atq; obſecro, vt iſtic maneas: neque enim exiguum vtilitatis illius, quam iſtic permanendo attuliſti, documentum abs te datum eſt. Deinde, ne anni quidem tempus hoc te facere patitur. Neque enim, qua corporis imbecillitate ſis, ignoras, minimeq́ue tibi facilè eſſe in tanta vi frigoris atque hyemis pedem mouere. Huc accedit, quòd, vt rumor eſt, Iſaurorũ res nunc vigent. Hæc itaque omnia, vt prudens & cordata mulier, tecum reputans, ne quæſo hoc tẽpore vllo pacto pedẽ iſtinc mouere ſuſtineas: deq́; hac re velim nos quamprimùm certiores facias, ac de tua valetudine quàm ſæpiſſimè ſcribas. Nam

nunc quoque nos nullas abs te literas accepiſſe, moleſtè tulimus: ac, ne forte morbus hoc impediuerit, laboramus. Quamobrem, vt hanc quoque ſollicitudinem nobis eximas, primo quoque tempore ad nos literas, quæ hæc indicent, mitte.

Chalcidiæ CV.

Dehortatur eam à vanis delicijs.

DEus tibi pro tua erga nos charitate, tum hic, tum in futuro æuo mercedem pendat. Nec enim nunc dumtaxat, ſed pridem etiam, atque ab initio, quo erga nos animo ac ſtudio fueris, perſpectum habeo. Ac propterea quamuis longo itineris ſpatio abs te diſſitus ſim, atque hic, tum ob huius loci ſolitudinem, tum ob perpetua pericula, crebroſque prædonum impetus, tum ob medicorũ penuriam, in multis calamitatibus verſer: nihil tamen horum omnium me prohibet, quominus tuæ ſuauitatis perpetuò recorder: quin potius eã charitatem, quàm à principio, tum erga te, tum erga tuam domum habui, vegetum ac florentem retineo: quippe qui ne nunc quidem eam, vel ob temporis diuturnitatem, vel ob itineris longinquitatem, conſeneſcere patiar. Nam ea demum ſynceræ charitatis natura eſt. Te verò pro tua prudentia & pietate oro atque obſecro, vt ea omnia, quæ accidunt, ſtrenuo animo feras. Scis enim, quòd ab ineunte ætate vſque ad hoc tempus per varias atque omnis ferè generis tentationes inceſſiſti, atque patientiæ certamen facili negotio obire potes, quemadmodum etiam ſæpè obijſti, atque illuſtres inde coronas tibijpſi in futurum condidiſti. Quòd ſi hæc tentatio ſuperiores excedit, at etiam corona præſtantior futura eſt. Quæ cùm ita ſint, nihil ex ijs acerbitatibus, quæ tibi inferuntur, te perturbet: verùm quò magis fluctus creſcunt, tempeſtaſque magis ingraueſcit, eò etiam maiorem quæſtum, ac præmia ſudoribus longè copioſiora & ampliora & luculentiora expecta. Neque enim *condignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. (Rom. 8.) Viæ enim inſtar ſunt, & præſentes huius vitæ iucunditates, & moleſtiæ, ambæque eodem modo effluunt, nec quicquam in ijs certum ac ſtabile eſt, verùm vmbræ naturam imitantur, vt quæ, ſimul atque ſeſe oſtenderint, ſtatim prætereant. (Simile.) Quemadmodũ igitur viatores, ſiue per prata, ſiue per ſalebroſa & abrupta loca iter faciant, nec vllam illinc voluptatem percipiunt, nec vllam hinc mœſtitiam ſentiunt (viatores enim ſunt, non ciues, vtraque prætereuntes, atque ad patriam ſuam contendentes) eodem modo te rogo atque obſecro, vt nec præſentis vitæ iucunditatibus inhies, nec rurſum moleſtarum rerum faſce deprimaris, verùm hoc vnum ſpectes, quónam pacto ad communem patriam noſtram cum ingenti fiducia peruenias. Quandoquidem hoc demum fixum & conſtans atque immortale bonum eſt: cætera autem omnia, flos fœni, & fumus, & ſi quid his vilius fingi poteſt.

Aſyncritiæ, ipſiuſque Sodalibus. CVI.

Eſt eiuſdem argumenti.

QVa erga nos charitate ac beneuolentia ſitis, mihi exploratum eſt. Ac literas quidem aſſiduè ad vos dare cuperem: verùm Iſaurorum metus, vijs omnibus interclutis, non me aſsiduè ſubinde nanciſci ſinit, qui ad eam rem nobis adminiſtram operam præbeant. Quoties autem nanciſci poſſumus, debitam vobis ſalutationem pendimus, vos pro noſtro more admonentes, ne ob crebras has & continuas tentationes animi veſtri commoueantur ac perturbentur. Nam cùm mercatores & nautæ mercium cauſa tam longa maria traijciant, ac tot fluctus intrepido animo adeant, militeſque, exigui & caduci, ſtipendij cauſa vitam ipſam pro nihilo ducant, ac dum lucis huius vſura fruuntur, perſæpe & fame conflictentur, & magnis itineribus vexentur, perpetuoque in exteris regionibus degant, poſt etiam nullum hinc vel exiguum, vel magnum fructum conſecuti, magna ex parte præmaturam ac violentam mortem oppetant: cùm cæleſte præmium proponitur, ac poſt mortem maior multiſque partibus ſublimior remuneratio, quam tandem veniam obtinebunt, qui mollitie atque ignauia torpent, ac non ipſam quoque vitam contemnunt ac pro nihilo putant? Hæc igitur omnia tecum conſiderans, illudque item, res præſentes nihil à fumo & inſomnijs differre, florentemque hominum ſtatum, vernis folijs, quæ ſimul atque oriuntur, ſtatim exareſcunt, nihilo præſtantiorem eſſe, da operam, vt omnibus huiuſmodi conſilijs ſuperiorem te præbeas. Licet enim, ſi modò velis, ipſam quoque vitæ pompam contemnere ac proculcare. Vnum id ſpecta, quónam pacto magno cũ ſtudio ac diligentia viam arctam, quæ ad cælum vehit, conficere queas.

Caſto, Valerio, Diophanto, Cyriaco CVII.

Conſolatoria eſt in aduerſis.

QVod auro, cùm igni ſæpe exploratur, accidit, hoc etiam aureis animis à tentationibus euenire ſolet. Vt enim flammæ natura materiam illam, cùm, quandiu artis lex permittit, cum ea verſatur, longè ſplendidiorem ac puriorem reddit: eodem modò frequentium tentationum fornax homines eos, qui mente ad auri ſimilitudinem accedunt, auro quouis ſplendidiores ac longè præſtantiores efficit. Ob eamque cauſam, quamuis tam longè à vobis ſeiuncti ſimus, vos tamen beatos prædicare nunquam deſinimus. Scitis enim, ſcitis inquam perſpicuè, quantum huiuſmodi inſidiarum lucrum ſit, atque huius vitæ proſperitatem nudum duntaxat & inane vocabulum ac re vacuum eſſe, futura autem bona, firma, ſtabilia, certa, immortalia. Nec verò duntaxat admirandi virtus habet, quòd hæc nobis præmia conciliat, verùm etiam quòd ante præmiorum tempus ipſius certamina præmiorum rationem habent, atque ipſa non modò ſoluto theatro victoribus palmã affert, ſed etiam in media arena præclaras athletis coronas nectit. Ac proinde Paulus quoque non ob calamitatum præmia duntaxat gaudet ac lætatur: verùm etiam ob ipſas etiam calamitates gloriatur, his verbis vtens. *Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.* (Rom. 5.) Ac deinde præmiorum eorum, quæ ex calamitate ortum trahunt, ſeriem enumerans, ait: *Tribulatio patientiam parit*, (Ibidem.) hanc inquam bonorum matrem, portum fluctibus vacuum, tranquillam vitam, rupe fortiorem, adamante firmiorem, quibuſuis armis valentiorem, ac mœnibus tutiorem. Hæc autem omnibus numeris perfecta & abſoluta, alumnos ſuos, probatos & generoſos, atque incredibilem quendam in modum inuictos reddit. Nullis enim moleſtijs, quæ ſubinde accidunt, ipſos perturbari ac deijci ſinit: verum quemadmodum rupes, quò pluribus fluctibus verberatur, eò ipſa quidem purior efficitur, ac ne tantillum quidem emouetur, aquarum autem, quæ ipſi alliduntur, tumorem nullo negotio delet: eodem ſcilicet modo is quoque, qui patientia exploratus eſt, inſidias omnes ſuperat: quodque mirandum eſt, plus roboris hinc colligit, non inferendis, ſed perpetiendis malis, eos, qui inferunt, mira facilitate frangens ac diſſoluens. Hæc non eò ſcripſi, quòd hac in re me magiſtro opus haberetis (mihi enim prudentia veſtra explorata eſt, quippe quam rebus ipſis teſtatam atque conſpicuam feceritis, nam quæ nos ſermone nunc docuimus, hæc ipſi perferendis calamitatibus prædicaſtis.) Quamobrem non quod me magiſtro opus haberetis, hæc ſcripſi, verùm quoniam diuturno tempore ſiluiſtis, vel, vt rectius dicam,

Digitized by Google

dicam, vtrique diuturno ſilentio vſi ſumus, idcirco longiore hac epiſtola vti libuit. Porrò cùm ad tam fortes ac ſtrenuos patientiæ pugiles ſcriberem, de qua tandem alia re verba facere oportebat, quã de his, ob quas tantopere clari ac celebres extitiſtis? Ac ne hic quidem dimicationis fructus ſubſiſtit: verùm longius progreditur ac ſcaturit. *Probatio* enim, inquit, *ſpem parit*: & quidem ſpem re ipſa omnino euenturam, non autem huic humanæ ſimilẽ, quæ ſæpenumerò his, qui ipſi inhiant, laborum fructus reddere nequit, verùm præter detrimentum, eos etiam in ignominiam & periculum conijcit. At hæc haudquaquam eiuſmodi eſt: quandoquidẽ nec humana eſt. Id quod vno verbo declarans Paulus, his verbis vtebatur: *Spes autem non confundit*. Neque enim dumtaxat eum, qui huiuſmodi certaminibus fungitur, detrimento ac pudore non afficit, verùm etiam laboribus ac ſudoribus lõgè ampliore opes & gloriam ipſi affert. Nam ea manus illius, quę horum laborum mercedem præbet, natura eſt. Epiſtolæ modum forſan exceſſimus: at non apud vos, à quibus tam impensè amamur. Nam cùm, nõ epiſtolarum lege, ſed amicitiæ ſanctione res huiuſmodi ponderetis, minimè ſanè mihi dubium eſt, quin exiguam quoque hanc Epiſtolam exiſtimaturi ſitis. Sed quamquam breuis vobis eſſe videatur, huius quoque tamen mercedem à vobis efflagitare minimè deſinam. Quam tandem? Non vt à vobis amer: neque enim flagitatore ad eã rem vobis opus eſt, cum hoc ſponte veſtra copioſiſſimè ſemper & perſoluatis, & debeatis. Nec item vt reſcribatis: illud enim mihi perſuaſiſſimum eſt, vos ne ad hoc quidem monitore vllo opus habere. Quænã igitur hæc merces eſt? nimirũ vt illud ex vobis intelligã, vos læto atq; hilari animo eſſe, atq; ex illatis vobis acerbitatibus nõ modò nulla mœſtitia affici, verũ inſidias, quæ vobis fiunt, maioris etiam voluptatis materiam afferre. Nam ſi epiſtolam huiuſmodi nuntium ferentem acceperimus, ea nobis, & ſolitudinis, & famis, & peſtis, & Iſauricorum bellorum, & morborum omnium (quibus omnibus malis nunc addicti ſumus, ſolatium & remedium ac ſanatio futura eſt. Cogitantes igitur, quantam à nobis gratiam inituri ſitis, ad nos quæſo ſcribite, quò, tanto licet inter interuallo à vobis ſeiunctos, ingenti lætitia perfundatis.

Vrbicio Epiſcopo CVIII.

ETſi conſuetudinem tecum iamdiu minimè habui: nihilo propterea ſegnior in amore factus ſum. Eiuſmodi enim veræ charitatis natura eſt, vt nec temporis diuturnitate langueſcat, nec rerum difficultatibus obſcuretur, ſed perpetuum florem ac vigorem retineat. Quamobrem nos quoque, quamuis multis incommodis premamur, ac nunc in extremos orbis terræ receſſus auecti ſimus, atque in perpetuo prædonum metu nouoque obſidionis genere viuamus (circunſedetur enim quotidie Cucuſus, omnibus nimirum vijs à latronibus interclusis) nihil tamen horum efficere potuit, vt mea erga te officia minùs cõſtarent. Quin potiùs, & ſcribimus ipſi, ac debitum ſalutationis munus tibi perſoluimus, & te viciſſim rogamus, vt, niſi graue ac moleſtum eſt, ipſe quoque ad nos ſcribas. Sic enim ingenti quoque voluptate afficimur, cùm à vobis, quibus tam ſyncerè amamur, literas accipimus, ac per eas præſentiam veſtram nobis animo & cogitatione fingimus.

Rufino Epiſcopo CIX.

QVam firma charitate ſis, minimè me fugit. Quamuis enim exigua mihi tecum aliquando Antiochiæ conſuetudo fuerit, præſtantiſſime ac religioſiſſime mi domine, tamen ingens pietatis tuæ ac prudentiæ documentum cepi. Quo quidem ex tempore, tametſi longo, recentem ſemper ac vegetam erga te charitatem retinui, ac perinde ac ſi heri dumtaxat & nudius tertius te vidiſſem, ita præſentiam tuam informo. Proindeque & ſcribo, & te item rogo, vt noſtri memoriam minimè intermittas. In Cucuſum, hoc eſt, in locum totius noſtri orbis deſertiſſimum abducti ſumus, ac ſingulis penè diebus Iſaurorum incurſionibus obſidemur. Et tamen, tot licet incommodis laborantes, ſi de charitate veſtra minimè dubio animo ſimus, noſq; ſynceram veſtram beneuolentiam obtinere perſpicuè ſciamus, non vulgarem in his quoque calamitatibus conſolationem capiemus.

Baſſo Epiſcopo CX.

QVidnam cauſæ eſt, quamobrem, cùm tãtam erga nos, & ſuperiori tempore, & nuper Cõſtantinopoli, charitatem præ te tuleris, tamen poſteaquam nos tibi vicinos eſſe audiiſti, ne literas quidem ad nos dare dignatus es? An neſcis quo erga pietatem tuam animo ſimus, atque amicitiæ vinculis tecum deuincti? Equidem ipſe ſpem habebã fore, vt & ipſe huc venires, & nobis in tanta ſolitudine collocatis ſolatium adhiberes. Quid enim Cucuſo deſertius eſſe queat, quæ etiam præter ſolitudinem Iſaurorum etiam incurſionibus obſidetur? Quod ſi hoc tum propter latronum metum, tũ propter viæ difficultatem, laborioſum tibi ac moleſtum eſſe videtur, ſaltem ad nos ſcribere, ac de tua valetudine certiores nos facere ne graueris: quò, licet in externa terra degentes, ingentem hinc conſolationem capiamus.

Anatolio Epiſcopo Adanæ CXI.

CVm ardentem tuum erga me amorem, idque de facie minimè notum, ex multorum ſermone accepiſſem, equidem tecum quoque congredi cuperem. Quoniam autem id haudquaquam nunc licet, negatum congreſſum literarum colloquio compenſo, mihi quidem in hac re ampliſſimum beneficium præbens. Quamquam enim Cucuſus, quò nunc abducti ſumus, deſertiſſimus locus eſt, ac multorum periculorum plenus, perpetuaque latronum incurſione circumſeſſus: nihil tamen horum eſt, quod nobis tumultum ac perturbationem afferat, dum veſtram beneuolentiam obtineamus: verum etiam ſi corpore diſiuncti ſimus, arctiſſimis tamen animi vinculis vobiſcum aſtricti, tranquillam ac bellis vacuam regionem veſtram potiùs, quàm Cucuſum, incolere nobis videremur, vt qui animo vobiſcum ſemper verſemur, atque vbicumque ſimus, & mente & cogitatione vos circumferamus.

Theodoro Epiſcopo CXII.

SI fieri potuiſſet, vt ad te proficiſcerer, coramque maxima cũ voluptate charitate tua fruerer, feciſſem id quidem diligenter, magnaque cum celeritate. Quoniam autem id nunc arbitrij noſtri minimè eſt, per literas hoc ipſum præſtamus. Quamuis enim ad ipſos quoque orbis terræ fines relegati ſimus: ſyncerræ tamen ac germanæ minimeque fucatæ charitatis tuæ, quam & iam pridem, atque ab initio, & nunc etiam oſtendiſti, memoriam abijcere minimè poſſumus. Nec verò clam me eſt, præſtantiſſime ac Deo chariſsime domine, quot quantaque noſtra cauſa, & dicere, & audire ſtuduiſti. Quòd ſi nihil hinc profectum eſt, at Deum tamen huiuſce ſtudij promptitudiniſque animi debitorem habes, mercedemque perfectam ac numeris omnibus cumulatam. Ac nos etiam tuæ ſanctitati gratiam habere, tuamque pietatem apud

apud omnes prædicare minimè deſinimus: teque hortari atque obſecrare, vt eandem charitatē perpetuò florentem ac vigentē retineas. Neque enim, in hac licet ſolitudine affixi, vulgarem conſolationem capimus, cùm tantum in pectore theſaurum, tantaſque opes reconditas habemus, hoc eſt, vigilantis ac generoſi animi tui charitatem.

Palladio Epiſcopo CXIII.

Commendat eius precibus turbulentum ſtatū Eccleſiæ.

PRo eo quidem ſtatu, quo res noſtræ ſunt, conſolatione nihil opus habemus. Siquidem ad cōſolationem nobis abundè eſt, earum rerum, quæ contigerunt, argumentum. At verò communem Eccleſiarum tempeſtatem ac naufragium illud, quod terrarum orbem inuaſit, luctu lacrymiſque proſequimur: voſque omnes obſecramus, vt precum veſtrarum auxilium afferatis, quò hæc internecio tandem aliquando depellatur, cunctaque ad ſummam tranquillitatem redeant. Hoc, inquam, quæſo facere ne intermittatis. Nam cùm in occulto deliteſcatis, ſpatium habetis cum animi oppreſſione precibus inhærendi. Porrò minimè paruum hoc exiſtimandum eſt, nimirum benigno atque ad humanitatem propenſo Deo ad pedes accidere. Quare ſine intermiſſione hæc facite: &, quā ſæpiſſimè licuerit, ad nos literas date. Nam etſi longo itineris interuallo à vobis ſemoti ſimus, nullum tamen diem prætermittimus, quin rerum veſtrarum cura tangamur, eoſque, qui iſtinc veniunt, (etiam ſi rarò eos nanciſci contingat) interrogemus, curioſeq; ſciſcitemur. Vt igitur apertiùs omnia ſciamus, hanc nobis, cum occaſio ſe offeret, gratiam concedite, vt de veſtra valetudine nos certiores faciatis: quò licet in ſolitudine degentes, ingenti ſolatio afficiamur.

Elpidio Epiſcopo CXIIII.

HOc quoque tuum eſt, hoc prudentis ac vigilantis naucleri, nempe ne in tantam quidem altitudinem aſſurgente tempeſtate, animū deijcere, verùm conſtanter adhuc in cura & ſollicitudine verſari, ac pro virili parte omnia præſtare, atq; quoquo gentium per literas curſitare, eoſque, qui propinqui ac remoti ſunt, inter ſe conciliare, excitare, acuere, vnumquemque admonere, ne fluctibus ac procellis ſe abripi ſinat, verùm ſtet ac vigilet, etiamſi alioqui innumeri alij fluctus his atrociores exoriantur: denique, tametſi vno loco defixum, per conſilia & cohortationes paſſim prouolare. Eoque nomine pietatem tuam, experrectum animum, conſtantem voluntatem ac ſententiam, vigentemque in tanta ſenectute animi alacritatem, mirificis laudibus in cælum ferimus. Nec verò id mirum ac præpoſterum videri debet. Nam cùm ea, quæ proponuntur, corporis robur deſiderant, impedimentum hîc affert ſenectus. At cùm animi ſapientiam dumtaxat requirunt, tum demum canities rebus præclarè gerendis nihil officere conſueuit, quemadmodum etiam nec offecit. Nihil enim fuit, quod pietas tua non præſtiterit. Quòd autem, quem par eſt, fructū tantus hic labor tantæq; vigiliæ allaturæ ſint, minimè dubitandum eſſe arbitror. Quoniā porrò pro ingenti tua & ardenti charitate vna cum vniuerſo terrarum orbe noſtri quoque curam ſuſcipiendā duxiſti, atque, vbinā degamus, ſcire aues, quidque rerū geramus, & qui nobiſcum conſuetudinē habeant, idque nō fruſtrà, temerè, verū vt ipſis quoque hoc nomine gratias agas, nos quidem pro tanta charitate apud eos omnes, qui nobiſcum verſantur, te ſummis laudibus afficere, tibique gratias agere numquam deſinemus. Tu verò ampliſſima præmia, & laboribus maiora, à benigno Deo expecta, qui eos, qui boni aliquid efficere aut loqui ſtuduerūt, præmijs lōgè antecellit. Vt autem aliunde quoque, hoc eſt, rerum noſtrarum ſtatu cognito, habeas vnde oblecteris, ſic habeto, nos Cucuſum quidem, hoc eſt, in deſertiſsimum locum relegatos eſſe, cæterùm nullo ſolitudinis ſenſu affici. Tanta ſcilicet quiete, tanta ſecuritate fruimur: tantis omnium officijs delinimur. Nam & morbi reliquijs precum tuarum ope atque auxilio depulſis, belliſſimè nunc valemus, & Iſaurorum metu liberati ſumus, atque in ſecuritate verſamur, ingentiq; otio noſmet oblectamur. Præſtò etiam nobis ſunt chariſſimi Presbyteri Conſtātius & Euethius. Atque item ſpes eſt alios item breui affuturos eſſe, quos ſcilicet hactenus vincula detinuerunt. Nunc autem omnes iiſdē ſoluti ſunt: nec dubito quin propediem ad nos aduolaturi ſint. Tu verò, domine ſummè venerande ac Deo chariſſime, pro nobis, quibus es chariſſimus, preces ad Deum adhibere, atque quàm ſæpiſſimè, ſi facultas detur, ad nos ſcribere, deque tua valetudine nos certiores facere ne intermitte. Nec enim te fugit, quantæ nobis curæ ſit, ſingulis etiam diebus, ſi fieri poſſit, de ea aliquid audire. Præſtantiſsimo ac religioſiſsimo domino meo Presbytero Aſyncritio, ſuauiſsimiſque ipſius filijs, atque vniuerſo tuo clero, velim meo nomine multam ſalutem dicas.

Theophilo Presbytero CXV.

HOc quoque tui candoris, gratique animi eſt, quòd cùm ab his, quibus à me commendatus fueras, nihil acceperis, tamen ex noſtro ſtudio animique promptitudine rem æſtimans, nihil non te accepiſſe exiſtimes. At nos hoc minimè ſatis eſſe ducemus: verùm & cum domino meo Theodoro præfecto, qui Cucuſum nos auexit, multum de hac re ſermonem habemus: & cum ad multos ſcriberemus, hoc quoque ipſis per literas mandauimus. Quamobrem ſiue fructus aliquis ex noſtris literis oriatur, ſiue literæ duntaxat literæ maneant, nec apud eos, à quibus accipiuntur, quicquam proficiant, cura, vt id quamprimùm intelligam. Etenim hoc quoque nomine tuum erga nos amorem imprimis admiramur, teque item de noſtro erga te amore minimè dubitare, maximo argumento id eſſe ducimus, quòd de his rebus ad nos verba facias. Quare ſiue quid hinc commodi promanet, ſiue nihil fructus proficiatur, fac ſciam: vt ſi quid profectum ſit, ijs gratias habeam, qui de ſeipſis bene meriti fuerint (ſibi enim ipſis magis, quàm tibi, cū hoc faciunt, largiuntur) ſin ſecus compendiariam quandam ac procliuiorem viam & rationem excogitemus, qua conſolationem omnino percipias, nec iam in vlla anguſtia deinceps verſeris. Nam de nobis optimè merebimur, cùm generoſæ atque ingenuæ animæ tuæ curam ad hunc modum ſuſcepimus. Tu velim ad nos quàm ſæpiſsimè ſcribas: noſque de tua valetudine nominiſque tui celebritate certiores facias.

Valentino CXVI.

Gratulatoria eſt de adepta dignitate.

QVidnam hoc eſſe dicam? Siccine cùm, quantā ex tuis laudibus voluptatē capiamus, quamq; tuis laudibus nominiſq; gloria exultemus, minimè te fugeret, cumque etiā ante omnia ex tuo officio eſſet honoris illius, ad quem nunc euectus es, magnitudinē nobis per literas ſignificare, tu tamen, vt id priùs ab alijs intelligeremus, ſuſtinuiſti? neq; longa tibi ad eam rem, vt mihi ſatisfacias, oratione opus eſſe putas, quòd, quantum quidem in te fuit, tanta lætitiæ magnitudine tamdiu nos carere paſſus es? Nam vera quidem tua dignitas & maximum imperium animi virtus eſt: verum quoniā his quoque mundi honoribus & ornamentis ad illius vtilitatem vti didiciſti, quoque maiores opes ac poten-

Digitized by Google

tiam conſequeris, eo etiã latior, commodiorque portus egẽtibus efficeris, ob eã cauſam nũc quoq; gaudemus & exilimus, nec tamẽ ſilentij culpã tibi remittimus. Quãnam porrò ratione bellè nobis ſatisfacies? Nimirũ ſi crebrò ſcribas, atq; de tua totiuſq; tuæ domus valetudine nos quam ſæpiſſimè certiores facias. Quoniam igitur rationem, qua te nobis purges, à nobis accepiſti, iam, quæ tuarum ſunt partiũ, adiunge. Nã ſi hac epiſtola accepta in ſilentio perſtes, ingẽtis negligẽtiæ dicã tibi impingemus, ægreq; id feremus. Nec verò dubito, quin acerbiſſimæ pœnæ loco id habiturus ſis, nos hoc nomine in dolore verſari: quandoquidẽ quàm ſyncere, atq; ardenter nos ames, haud mihi ignotũ eſt.

Theodoræ CXVII.

Deprecatur pro quodam quẽ recipi in gratiã petit.

RAro ad te idcirco ſcribo, quòd, quibus literas dẽ haud facilè nanciſcar: at nõ item rarò, ſed perpetuò tui ſum memor. Hoc enim in noſtra poteſtate ſitum eſt: illud autẽ minimè noſtri arbitrij eſt. Vt enim tui memoriã perpetuo colamus, in noſtro arbitrio & voluntate cõſiſtit: vt autẽ epiſtolas feramus, non item. Quocirca illud ſemper fit: hoc autem tum denique, cùm facultas datur. Atq; alijs quidem epiſtolis, quas ad te mittebamus, te tantũmodò ſalutabamus: hac autem beneficium quoq; poſtulamus. Quódnam porrò hoc beneficium eſt? Nimirum quod plus tibi, qui dederis, quàm mihi, qui accipiam, lucri afferat, dantique priùs, quàm accipienti proſit. Etenim ad nos allatũ eſt, Euſtathium animum tuũ offendiſſe, ac domo tua eiectũ, atque ab oculis tuis ſubmotum eſſe. Quónam autẽ modo ſe res habeat, & quamobrem tanta in eum iracundia vſa ſis, dicere nequeo. Nam illud duntaxat intellexi. At verò quæ te à nobis, qui tuæ ſalutis ſtudioſiſſimi ſumus, audire conuenit, hæc ſunt. Non ignoras præſentem vitam nihil eſſe, verùm flores vernos, atque imbecilles vmbras imitari, nec aliud eſſe, quàm ſummorũ impoſturam veras autẽ, & fixas, ac ſtabiles res eſſe, ea, quæ nos poſt diſceſſum ex hac vita exceptura ſunt. Hæc & à nobis perſæpe audiiſti, & ipſa per te commẽtari non deſinis. Ob idque ne in lõgum quidem epiſtolã produco. Illud autem aio: Si iniquè ac per calumniam id à quibuſdam actũ eſt, vt eum eijceres, iuris natura te moueat, vt hoc factum eſt corrigas. Si autem iure ac meritò, humanitatis legibus adducta hoc idem effice. Nam hinc quoque plus, quàm ille, cõmodi feres. *Math. 18* Quemadmodum enim is, qui centum denarios à conſeruo exigebat, non tam eum læſit, quàm ſibi lethale vulnus inflixit, vt qui ob eã animi rigiditatem, quam in conſeruum exercuit, decem millium talentorum condonationem auerterit, irritamq; reddiderit: eodem modo, qui proximi peccata præterit, hoc aſſequitur, vt mitius ab eo in futuro æuo rationes repoſcantur: atq;, quò plura & grauiora peccata remiſerit, eò quoque maiorẽ ipſe veniam obtineat. Neq; in hoc tantùm diſcrimen poſitum eſt, ſed in eo etiam, quòd cum ſeruile munus dederit, herile beneficium accipit. Quare ne mihi illud commemores, hoc & hoc ab eo perpetratum eſſe. Nam quò atrociora ea, quæ commiſſa ſunt, eſſe oſtenderis, eò magis neceſſariam ignoſcendi cauſam eſſe demonſtrabis: quòd hac ratione multò maiorem humanitatis ac miſericordiæ materiã in futurum tibi præconditura ſis. Quamobrẽ iram, etiamſi alioqui iuſtã, depelle, indignationem ſapiẽter comprime. Hoc Deo ſacrificij loco offer. Nobis etiam quibus chara es, hoc indulge, quonãque pacto, vel breui epiſtola, tãtam apud te authoritatem ac potentiam habeamus, oſtẽde. Tibi etiam ipſi magna hæc, quæ dixi, præbe, nempe vt motu ac perturbatione vaces, vt tumultum hinc orientẽ ex animo tuo eijcias, vt deniq; ob eam cauſam magna cum animi fiducia ingreſſum in regnũ à benigno Deo poſtules. Benignitate quippe erga proximum ingentia ſcelera cõmodiſſimè expiantur. Si enim, inquit Chriſtus, *remiſeritis hominibus delicta ſua, remittet & vobis pater veſter cæleſtis.* *Luc. 6.* Hæc igitur omnia cum animo tuo conſiderans, ad nos epiſtolã mitte, quæ litteras noſtras aliquid profeciſſe ſignificet. Nam quod officij noſtri ratio poſtulabat, abſoluimus, idque, quod in noſtro arbitrio ſitũ erat, fecimus. Monuimus, rogauimus, gratiã petijmus, quæ oportebat ſuaſimus. Tua iã cauſa prorſus laborauimus. Nã nos quidẽ, ſiue noſtra hæc cohortatio aliquid effecerit, ſiue nihil vtilitatis attulerit, merces manet. licet enim etiã verborum mercedẽ referre. Nunc autẽ omnis noſter labor eò ſpectat, vt per tẽ ipſam te quoq; lucremur, ac tu per huius vitæ rectè facta, futura & immortalia bona facillimè percipias.

Epiſcopis & Presbyteris in vincula coniectis CXVIII.

Conſolatoria eſt ad vinctos

CArcerem incolitis, & catena vincti eſtis, & cũ ſqualidis & ſordidis incluſi. Et quid tandem hoc nomine beatius vobis fingi queat? Quid enim tale habet aurea corona caput cingens, quale catena manũ propter Deum circundans? Quid tale ingentes & ſplendidæ domus, quale carcer, caliginis ac ſordiũ atque ingentis fœtoris & calamitatis plenus Dei cauſa? Quæ cùm ita ſint, gaudete, exultate, coronis caput cingite, tripudiate: quòd moleſtiæ, in quas incidiſtis, magnã vobis commodorum materiam accerſant. Hoc nimirũ ſemen eſt, meſſem omni ſermone ſublimiorem prænuntians. Hoc luctæ, victoriã & palmas afferentes. Hoc nauigatio, amplum & vberem quæſtũ concilians. Hæc igitur omnia cum animis veſtris reputantes, præſtantiſſimi ac religioſiſſimi domini mei, gaudete ac lætamini, nec tempus vllum intermittite, quin Deum in omnibus rebus collaudetis, ac mortiferas diabolo plagas inferatis, ingentemque vobiſipſis in cælis mercedem recondatis. Non enim condignæ ſunt paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Ad nos autem quã ſæpiſſimè ſcribite. A vobis etenim, qui Dei cauſa vincti eſtis, literas, quæ afflictiones veſtras exponant, magnopere arripere cupimus. Hincque ingentem etiam in externa terra degentes, conſolationem capiemus.

Theophilo Presbytero CXIX.

Hortatur eũ ad cõſtantiam

ERgo, poſteaquam tibi à me ſcribendi ianua patefacta eſt, illud oſtende, te ſuperiori tempore, non negligentia tacuiſſe, verũ quòd illud expectares, vt tibi à me ſcribẽdi fiducia præberetur: ac mihi literarum, quæ me de nominis tui claritate (cui quantopere faueam, minimè te fugit) certiorẽ faciant, ingentẽ copiam mitte: nec permitte, vt mœroris tyrannis in ſilentiũ te conijciat, verũ eã quauis araneæ tela facilius dirũpe. Lætum atq; alacrẽ te in acie præbe, per ingentem fiduciã ac libertatẽ aduerſarios ſternens. Nunc adipiſcẽdæ gloriæ, atq; ingentis quæſtus faciendi, vobis occaſio ſe offert. *Simile.* Neq; enim mercator, dũ in portu deſidet, merces colligit: ſed dũ ingentia maria traijcit, ac fluctus intrepido animo adit, atq; cum fame & feris marinis colluctatur, multaſq; alias difficultates ſubit. Hæc igitur ipſe quoq; animo cõplectens, nempe periculorũ tẽpus, lucri etiã magnæq; gloriæ, ac præmiorũ omni ſermone præſtantiorũ tempus eſſe, fac animi tui pennã excites, atque excuſſo mœroris puluere magna cum facilitate vniuerſam phalangẽ obeas, omneſq; inſtruas, acuas, excites, corrobores, prõptioreſq; ac diligentiores reddas. Atque hæc nobis per literas tuas expone: nec eo quòd tuas ipſe laudes narraturus ſis, metue, verùm, vt quod à nobis imperatum eſt, faciens, hanc nobis voluptatẽ dona: quò, etiam procul diſſiti, ingentem lætitiam capiamus, ea abs te, quæ ſcire cupimus, audientes.

Theodoræ CXX.

Refert ſuas miſerias.

CONfecti atque cõſumpti ſumus: ſexcẽta mortis genera oppetimus, idq́; accuratius ac certiùs narrare poterunt, qui has literas tibi reddent: quamuis alioqui perexiguo temporis puncto mecum fuerint. Quibuſcum etiam ne tantillum quidem colloqui potui, continuis nimirùm febribus deiectus & conſternatus: quibus cùm tenerer, dies noctesq́; iter facere cogebar, ſic videlicet, vt & æſtu opprimerer, & vigilijs conficerer, & rerum neceſſariarum penuria, eorumque, qui mei curã gerere poſſent, inopia, perditè conflictarer. Siquidem ijs, qui ad metalla damnati ſunt, & in vinculis tenẽtur, grauiora & atrociora pertulimus, atque etiamnum perferimus. Tandem autem aliquando & ægrè Cæſaream perueni, perinde atque à tempeſtate ad littus appulſus. Verùm ne hic quidem portus eam vim habuit, vt me ex ijs malis, quæ ex tempeſtate contraxerã, recrearet. Vſqueadeò me, vti iam dixi priùs tempus confecerat. Sed tamen Cæſaream ingreſſus, animum aliquantum reſumpſi, quoniam puram aquam bibi, panemq́; minimè fœtidum ac prædurũ comedi: quoniam in doliorũ fragmentis minimè corpus laui, verũ balneũ, qualecumq́; tandem illud, nactus ſum: quoniã denique poteſtas interim mihi lecto inhærendi facta eſt. Plura dicere licebat: verùm ne animum tuum conturbem, hic ſermoni finem impono. Illud addam, vt tecũ agã, ne eos, à quibus amamur, probris vmquam inſectari deſiſtas, quòd cùm tot amicos, tantiſque opibus & potentia præditos habeamus, haud tamen illud conſecuti ſumus, quod etiam ſcelerati homines impetrant, nempe vt in mitiore ac propinquiore aliquo loco collocaremur, verùm corpore etiam nobis iam fracto atque confecto, & Iſaurorum terrore omnia obſidente, exigua quoque & vilis hæc gratia nobis negata eſt. Hoc quoque nomine Dei gloria prædicetur. Neque enim ei propter omnia gloriam adhibere deſinimus. Sit nomen eius benedictum in ſecula. De te verò illud vehementer ſum miratus, quòd cùm quartam iam hanc, aut etiam quintam epiſtolam ad te miſerim, vnicam tamen dumtaxat accepi. Atqui ſæpiùs ſcribere minimè difficile erat. Hæc porrò non accuſandi animo dico. Charitatis enim officia voluntatis ſunt, non neceſſitatis. Verùm illud malè habet, quòd me ex animo tuo confeſtim eiecisti: vt quæ tam longo tẽpore vnam dũtaxat epiſtolam ad me miſeris. Quocirca, ſi nihil graue ac moleſtum abs te petimus, hoc nobis præbe, quod tui arbitrij eſt, tuæque poteſtatis. Nam de cæteris rebus nihil tibi negotij faceſſo: ne, præterquam quòd nihil proficiam, etiam grauis & importunus tibi eſſe videar.

Arabio CXXI.

Commẽdat eius precibus & gemitibus turbulẽtum ſtatum Eccleſiæ.

MOeroris fornacem, quam ob ea quæ aduerſum nos perpetrata ſunt, animo circumfers, ex tuis literis apertiſſimè cognoui. Et quidem antè iam eum cognitum & exploratum habebam. Neque enim vim eam lacrymarum, quam, cùm primùm hæc mala texerentur, profundebas, vmquam obliuiſci poterimus. Cæterùm epiſtola quoque tua, non minus quàm illæ lacrymæ ac gemitus mœroris tui flammam nobis patefecit. Cuius mercedem non mihi dubium eſt quin à benigno Deo conſequaris.

Mœrori ſua merces eſt.

Eſt enim etiam mœrori conſtituta merces, & quidem magna atque ampla. Nam & eo tempore, quo apud Iudæos vitia flagrabant, nonnulli erant, qui cùm ea, quæ ab illis perpetrabantur, corrigere minimè poſſent, luctu duntaxat & lacrymis ea proſequebantur, propterea eiuſmodi mercedem conſecuti ſunt, vt cùm cæteri omnes perirent, atque internecione delerentur, ipſi iram effugerent. *Pone etenim ſignum*, inquit, Scriptura, *ſuper frontem gementium & dolentium*. Ezech 9. Atqui ea, quæ fiebant, minime impediebant. Verùm quoniam, quod in ipſorum arbitrio ſitum erat, faciebant, hoc eſt, ob ea, quæ fiebant, in luctu ac gemitu verſabantur, maximum hinc ſibi præſidium compararunt. Quamobrem vos quoque ſine vlla intermiſſione hæc lugete, benignumque Deum orate atque obſecrate, vt commune orbis naufragiũ comprimat. Scitis enim, perſpicuè inquam ſcitis, omnia tumultibus ac perturbatione plena eſſe, nec pro Conſtantinopolitana tantùm vrbe, ſed pro vniuerſo terrarum orbe preces fundendas eſſe: quandoquidem malum, initio hinc ducto, peſtiferi cuiuſdã profluuij inſtar effuſum, per vniuerſum terrarum orbem Eccleſias peruaſtat. Quod autẽ à nobis cõtendis, hoc etiam ipſe, quandiu corpore inter nos diſiuncti erimus (nam animo ſemper, & tecum, & cum vniuerſa tua familia conſtricti ſumus) vt facias quæſo, hoc eſt quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribere, noſque de tua valetudine certiores facere ne pigreris. Neque enim tibi dubium eſt, quàm gratum id nobis futurum ſit. Quoniam autem nos, vt in domum tuam diuerteremus, imperaſti, (quemadmodum cùm exceſſiſſem intellexi) hoc habeto, inimicis noſtris non iam placuiſſe vt Sebaſtiã abduceremur, verùm in deſertiſſimum locum atque ob Iſaurorum incurſionem & impetum, periculoſum. Tibi tamen gratiam habemus, honoremque accepimus, quòd, etiam cùm abeſſemus, tanta te noſtri cura tenuit, vt hoſpitium quoque nobis parares, atque, vt domi tuæ diuerſaremur, obſecrares. Verùm ſi quos Cucuſi amicos habes, hoc eis, vt faciant, mandes velim.

Marciano CXXII.

BEatus es, ac ter beatus, idque ſæpius, vt qui in tam graui tempeſtate, tantiſque rerum procellis, tantæ erga pauperes liberalitatis ſpecimen edideris. Laudat eius liberalitatem afflictos & pauperes. Neque enim nobis ingens tua benignitas incognita atque obſcura fuit: quodque communis, omnibus portus extiteris, pupillorum patrociniũ ſuſcipiens, viduarum mœrorem omni ratione leniens, earum inopiam ſuſtentans, paupertatem leuans, ac ne huiuſce quidem anguſtiæ ſenſu eos affici ſinens, verùm quiduis ipſis te præbens, plebẽque vniuerſam frumento & vino, alijſque omnibus rebus alens. Deus tibi, & hîc, & in futuro æuo, largitionis huius, munificentiæ, ſtudij, zeli, amoris erga pauperes, & ſyncere charitatis mercedem pendant, ſiquidem omnibus his virtutibus abundas, ac flores, maxima tibi præmia in futuro æuo recondens. Hæc nos de te audientes, licet alioqui in tanta ſolitudine verſemur, ac multis incommodis vndique vexemur (nam & Iſaurici metus obſidio, & loci ſolitudo, & hyemis aſperitas nos vehementer premit) tamen ne moleſtiarum quidem ſenſu afficimur, verùm ingentem conſolationum copiam accipimus, ob tantas virtutes, ac diuitias omnem orationis facultatem excedentes, quas in cælo tibijpſi cumulas mirifica quadam lætitia exultantes. Vt igitur alio quoque nomine lætemur, ne quæſo quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribere, deque tua valetudine læta nobis nuntiare graueris. Nam de ea aliquid audire maiorem in modum cupimus. Idque ipſe etiam noſti: quandoquidem illud quoque tibi compertum eſt, quanto tui amore teneamur.

Phœniciæ Presbyteris & Monachis, Gentiles in Chriſtiana religione inſtituentibus CXXIII.

GVbernatores, cùm mare furore percitum & excitatum, atque ingentem tempeſtatem ac turbi- Hortatur eos vt incepto la-

boné inſtituendi & docendi Gẽtiles pergant.

turbinem cernunt, non modò nauim non deſerũt, ſed etiam tunc maiore ſtudio atque animi promptitudine vtuntur, tum ipſi vigilantes, tum alios excitantes. Mediciq; rurſus, cùm febrim excitatam eſſe ac vehementer ſæuire proſpiciunt, ægrotum non modò non relinquunt, verùm etiam tum denique, & per ſe, & per aliorum operam ad profligandum morbum plus ſtudij atq; operæ adhibent. Quorſum hæc commemoro? Nimirum vt ne quis vos ob exortum tumultum in fraudem impellat, adducatque, vt Phœniciam relinquatis, ex eaq; ſecedatis: quin potiùs, quò plures difficultates vobis obijciũtur, grauioreſq; fluctus ac maior perturbatio, eò quoque cõſtantiùs laboretis, excubetis, maiorem animi promptitudinẽ adhibeatis, vt ne præclariſſima veſtra ſubſtructio corruat, nec tantus veſter labor fructu careat, ſuſceptaque in animorum cultu opera deleatur. Poteſt enim Deus, & hunc tumultum ſedare, & patientiæ mercedẽ vobis numerare. Neque enim tanta vobis merces cõſtituta erat, cùm negotia ſine vlla difficultate ac moleſtia conficiebantur, quanta nũc eſt, cũ magna difficultas proponitur, ingens perturbatio, multique ſunt, qui offenſionem afferant. Quocirca laborẽ eum, quem pertuliſtis, & ærumnam quam ſuſtinuiſtis, & ea quæ præclarè atq; cũ laude geſſiſtis, cũ animis veſtris reputantes, illudq; item, diuino numine fauente tantam iam impietatis partem à vobis extinctam eſſe, Phœniciæq; res ingentem progreſſum feciſſe, atque illud inſuper, maiorem nunc vobis mercedem ampliorem que remunerationẽ vobis fore, ac denique Deum offendicula quoque breui ſublaturum, & multa vobis patientiæ præmia perſoluturum eſſe, illic quæſo permanete atq; cõſiſtite. Nam ne nunc quidem vobis quidquam deeſſe poteſt. Ego enim, vt omnia, tã in indumẽtis, quàm in calceamentis, ac fratrum alimentis, eadẽ, qua priùs, copia & affluentia vobis ſuppeditentur, imperaui. Quòd ſi nos, cùm in tanta calamitate atque acerbitate verſemur, ac Cucuſi ſolitudinem incolimus, tantam virtutum laudumq; veſtrarum curam gerimus, multò ſanè magis vos etiam, cùm, quæ opus ſunt, abundè vobis prolixeque ſuppetant, quæ veſtrarum partium ſunt, præſtare conuenit. Quamobrem date operam, quæſo, ne quis vos terreat. Nam & negotia meliorem iam ſpem oſtẽdunt: idque ipſi ex literarum, quæ à religioſiſſimo domino meo Presbytero Conſtantio miſſæ ſunt, exemplis facilè intelligetis. Ac ſi permaneatis, vt etiam ſexcenta impedimenta oboriantur, omnia tamen frangetis. Neque enim quidquam patientiam ac tolerantiam robore adæquare poteſt. Rupi enim ſimilis eſt. Contrà motus ij omnes eæq; inſidiæ, quæ aduerſus Eccleſiam ſtruũtur, fluctibus nõ diſſimiles ſunt, qui rupi illiduntur, atque in ſpumã dilabuntur.

Patientia rupi ſimilis eſt.

In mentem vobis veniat, quãta Apoſtoli, tum à ſuis, tum ab exteris pertulerunt: & quẽadmodum omne prædicationis tempus per tentationes, per pericula, per inſidias confecerint, nunc carcere & vinculis, nunc exilijs, nunc flagris, nunc fame & nuditate conſumpti. Et tamen, etiam cùm carcere incluſi tenerentur, à munere ſibi commiſſo minimè abſiſtebant: verùm beatus Paulus, etiam cùm in vincula coniectus ac flagris conciſus eſſet, & cruore diffueret, & ligno alligatus eſſet, & tot malis premeretur, nihilominus tamẽ in ipſo quoque carcere antiſtitis ſacri munere fungebatur, & carceris cuſtodem baptiſmo donabat, eaq; omnia, quæ ſui muneris erant, exequebatur.

Act. 16.

Hæc igitur omnia, aliaque id genus, animo voluentes, quemadmodum vos iam hortatus ſum, firmi atque immobiles ſtate, voſque ita comparate, vt nullius fraudibus pateatis, Dei ſpem, ipſiuſq; opem atque auxilium, cui nihil par eſſe poteſt, expectantes. Ac de omnibus his rebus, vt reſponſum à vobis feramus, curate. Hac enim de cauſa etiam Ioãnem religioſiſſimum Presbyterum miſimus, vt vos cohortetur, nec animos veſtros à quoquã labefactari atq; commoueri ſinat. Equidẽ ipſe, quod mei muneris erat, præſtiti, tum vos ſermonibus cohortans, tum conſilijs erigens, tũ ea, quę opus erant, prolixè ſubminiſtrans: quò nihil omnino vobis deeſſet. Quòd ſi me perferre minimè volueritis, verũ ijs potiùs, qui vobis impoſturã faciunt, ac velut pennas vobis addunt, fidem adhibeatis, extra culpam ipſe ſum. Vos autem haud fugit, in cuius caput hæc condemnatio atque iactura cadat. Ne igitur quicquã huiuſmodi contingat, vos etiã atque etiam rogo, vt me, qui vos impensè amo, perferatis. De ijs autem rebus, quibus vobis opus fuerit, vel ad nos ſcribite, vel, ſi ita lubet, hominem mittite: nec vobis quicquam omnino defuturum eſt.

Gemello CXXIIII.

Gratulatoria eſt de adeptâ dignitate.

ALij quidem ob magiſtratus tibi gratulantur: ego autem vrbi ac tibi, non ob hunc honorẽ, quo auctus atq; ornatus es (ſublimior enim his rebus eſſe didiciſti) ſed quòd occaſionẽ nactus ſis, qua prudentiæ ac lenitatis tuæ ſpecimen quamplurimis hominibus facilè præbeas, lucrumque, quod hinc oritur, colligere queas. Neque enim mihi dubium eſt, quin eos, qui terræ nimium affixi ſunt, atq; his inſomnijs, id eſt, humanæ gloriæ inhiant, hoc edocere poſſis, prætorem non in veſte ac cingulo, nec in præconis voce ſitum eſſe, verùm in hoc demũ, vt, quæ labefacta ſunt, in integrum reſtituat, & quæ malo ſtatu ſunt, corrigat, atque iniuſtitiã coërceat, nec ius ab opibus & potentiam in fugam verti patiatur. Mihi enim explorata eſt animi tui fiducia, loquendi libertas, mentis ſublimitas, rerum huius vitæ contemptio, improborum odiũ, lenitas, humanitas, qua potiſſimũ is, qui alijs præeſt, opus habet. Ac proinde illud quoque perſpectiſsimũ habeo, fore, vt & ijs, qui per iniuriam à potentibus premuntur, turris ſis. Et quidem nullo negotio hæc futurus es. Non enim labor, non ſudor, non longũ tempus ad hæc perficienda requiritur: verùm quemadmodum Sol, ſimulatque lucet, ſtatim caliginem omnem fugat: ſic etiam te, ſimulatque in ſolio conſpectus es, primo etiam die, tum eos, qui iniuriam alijs inferre conabantur, repreſsiſſe, tum eos, quibus iniuria fiebat, etiam antequã ad tribunal accederes, omni vexatione liberaſſe confido. Atque ad hæc perficiẽda ſatis ſuperque virium ea opinio habuit, quã homines de tua ſapientia conceptam animis habebant. Ob eamque cauſam, etſi alioqui in ſolitudine degens, ac multis incommodis affectus, ingenti tamen lætitia perfundor, nimirum ex ea, quam ijs, qui læduntur, affers, ope propriam mihi voluptatem fingens.

Cyriaco Epiſcopo exulanti CXXV.

Conſolatur eũ in turbulẽto ſtatu Eccleſiæ, & ſe nulla Imperatricis tormenta curare.

AGe, mœſtitiæ tuæ hulcus velut fomentis quibuſdã adhibitis rurſus leniã, atq; cogitationes eas, quæ hanc nubẽ collegerunt, diſcutiam. Ecquid enim eſt, frater, quòd mœres atq; animum deijcis? An quia grauis eſt tẽpeſtas, ac ſæuum naufragium, quod Eccleſiam occupauit? Hoc ipſe quoque ſcio, nec vllus eſt, qui inficias ire poſsit. Imò verò, ſi ita lubet, eorũ quæ fiunt, imaginem tibi adumbrabo.* Furens mare video, atque ab imis vſq; gurgitibus reuulſum, nautas gubernaculorũ ac remorũ loco manus genibus implicitas habentes, præque tẽpeſtatis magnitudine tanta conſilij inopia laborãtes, vt nec cælum, nec mare, nec terrã cernant, verùm flentes ac lamentantes in ſtratis iaceant. Atque in mari quidem ita euenire ſolet. Nunc autẽ in noſtro quoque mari fluctus excitantur. Verũ fac Domino noſtro Chriſto ſupplex ſis, qui non arte tempeſtatẽ ſuperat, ſed nutu ſolo eam diſcutit. Quòd ſi preci-

* ὁρῶ μαινομένην, lego.

Digitized by Google

A bus ad eum adhibitis nondum tamen exauditus es, ne propterea elangueſcas, animumq́ue deſpondeas. huiuſmodi namq́ue benigni illius numinis mos eſt. Quid enim? An non tres illos pueros à periculo ſubducere poterat, ac, ne ignis fornacem inciderent, prohibere? At poſtquam captiui abducti, atque in barbarorum regionem abiecti, paternaq; hæreditate euerſi, atque ab omnibus deſperati ſunt, nec iam vllum mali genus deerat, tum deniq́ue Chriſtus, verus Deus noſter, repente miraculum edidit, ignemq́ue diſſipauit. Ignis enim iuſtorũ virtutem minimè ferens, è fornace exilijt, atque Chaldæos eos, quos circum fornacem nactus eſt, exuſſit. (Dan. 3.) Ac tum fornax Eccleſiæ inſtar ipſis erat: atque res omnes conditas, tã quæ oculis cernuntur, quàm quæ ab oculorum ſenſu remotæ ſunt, hoc eſt, Angelos & Virtutes, accerſebant, ſicq́ue omnia in vnum complectentes, his verbis vtebantur, *Benedicite omnia opera Domini Domino.* B Vidéſne quemadmodum iuſtorum patientia ignem in rorem cõmutauit, tyranniq́ue animum ita inflexit, vt per vniuerſum orbem literas mitteret, ad hunc modum loquens: *Magnus Deus Sidrac, Miſach, & Abdenago.* Ac vide quàm atrox ſupplicium conſtituit, ſi quis aduerſus ipſorum Deum aliquid contumelioſè dixiſſet: nempe vt domus ipſius ac facultates omnes diriperentur. Quæ cùm ita ſint, ne animum demittas, ac deſperatione frangaris. Nam nec ego, cùm ciuitate pellerer, quidquam horum curabam, verùm mecum ipſe ita loquebar: Si Imperatrix me exilio mulctare vult, exulem ſanè: *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* (Pſalm. 23) Si ſerra de me ſupplicium capere cupit, diſſecer, Eſaiam pro exemplo habens. Si me in mare præcipitem dare vult, Ionam mihi in memoriam redigo. (Ionæ 1.) Si in fornacem conijcere vult, tres pueros habeo, qui eodem ſupplicio affecti ſunt. (Dan. 3.) Si feris obijcere, Danielem, qui leonibus obiectus eſt, habeo, cumq́ue mihi ob animum propono. (Ibid. 6.) C Si lapidibus obruere vult, obruat: Stephanum habeo primum martyrem. (Act. 7.) Si caput meum accipere vult: accipiat: Ioannem habeo. (Marc. 6.) Si facultates meas ſumere, ſumat: *nudus egreſſus ſum de ventre matris meæ, nudus etiam hinc abſcedam.* (Iob 1.) Monet me his verbis Apoſtolus: *Deus perſonam non accipit.* (Epheſ. 6.) Atque his rurſum: *Si adhuc hominibus placerem, Dei ſeruus non eſſem.* Mihi etiam Dauid arma ſubminiſtrat, cùm ait: *Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar.* (Pſal. 118.) Multa aduerſum me ſtruxerunt: aiuntq́ue me poſt epulas quibuſdam communionẽ impertijſſe. Hoc ſi feci, de Epiſcoporum libro nomen meum expũgatur, nec in orthodoxæ fidei volumine ſcribatur (neque enim quidquam eiuſmodi perpetraui) ac Chriſtus è regno ſuo me abijciat. Quòd ſi mihi obſtinatamente id obijcere pergunt, Paulum etiã de dignitatis gradu deijciant, qui cœnatus vniuerſam domum baptizauit. (Act. 16.) D Domino item ipſi authoritatem abrogent, qui ſacroſancto epulo Apoſtolos à cœna donauit. Quin me quoque cum muliere concubuiſſe criminantur. Exuite corpus meum: & membrorum meorum mortificationem reperieris. Verùm ad hæc omnia facienda liuore adducti ſunt. At ídne omnino, Cyriace frater animum tuum diſcruciat, quòd illi, qui me ex vrbe expulerunt in foro liberè volitant, ingenſq́ue ſtipatorum grex eos à tergo ſequitur? Verùm fac tibi rurſum Lazari & diuitis illius in mentem veniat. (Luc. 16.) An non ille in hoc æuo calamitoſus fuit: hic autem voluptatibus ac luxu diffluxit? Quídnam porrò illi paupertas incommodi attulit? An non vt pugil ac victor in Abrahæ ſinum delatus eſt? Quidnam rurſum huic qui in purpura & byſſo requieſcebat, opes profuerunt? Vbi lictores? vbi ſatellites? vbi equi aureis frænis inſignes? vbi aſſentatores, & regia menſa? An non latro ille vinctus in monumentũ abducebatur, nudam animam è mundo efferẽs: atque inani voce clamabat, *Pater Abraham mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma?* Quid patrem Abrahamum vocas, cuius vitam minimè imitatus es? Ille neminem non domo excipiebat: tu ne vnius quidem pauperis curam geſſiſti. Nec verò eſt quamobrem hoc nomine lugeamus ac collacrymemus, quòd is, qui tãtis opibus præditus erat, aquæ guttam non eſt conſecutus. Quoniam enim micas pauperi minimè largitus eſt, idcirco ne guttam quidem aquæ accipit. Hyemis tempore miſericordiæ ſementem haudquaquam fecit: ac proinde ne æſtate quidem meſſem fecit. Quin hoc quoque certo conſilio à Domino actum eſt, vt impiorum pœna, & iuſtorum requies, è regione ſitæ ſint: nimirum vt ſeſe ipſi mutuò proſpiciant atque agnoſcant. Tunc enim quilibet martyr tyrannum ſuum agnoſcet, atque item quilibet tyrannus martyrem eum, quem cruciatu affecit. Nec verò hæc à medico. Audi enim quid Sapientia dicat: *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt.* (Sap. 5.) Nam quemadmodum is qui feruente Sole iter facit, ac ſiti flagrat, cùm limpidum fontem nactus eſt, ac bibere prohibetur, magno dolore afficitur, aut rurſum quemadmodum cùm quiſpiã, ingenti fame affectus, menſæ omni eduliorum genere confertæ aſſidet, cæterùm à potentiore quodam impeditur, ne menſam attingat, ac cibis fruatur, grauem dolorem & cruciatum ſentit, quòd cũ menſæ accumbat, epulis tamen operam dare nequeat: eodem modo in iudicij die impij ſanctos viros lætos atque hilares conſpicient, nec tamẽ ipſis regia menſa frui concedetur. Nam etiam Deus, cũ de Adamo ſupplicium ſumere vellet, hoc fecit, vt ipſe è paradiſi regione terram coleret: quò videlicet in ſingulos dies ac ſingulas horas iucundum illum & expetendum locum, vnde exceſſerat, proſpiciens, perpetuum animo dolorem hauriret. (Adami pœna.) Quòd ſi hîc etiam nobis mutuo congreſſu frui minimè licuit, at nemo illic obſtabit, quin tum vna degamus, eoſq́ue, à quibus in exilium eiecti ſumus, videamus, quemadmodum Lazarus diuitem, & martyres tyrannos. Ac proinde animum ne deſponde, verùm hanc Prophetæ vocem in memoriam reuoca: *Nolite timere opprobrium hominum, & contemptum eorum ne metuatis. Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea.* (Eſai. 41.) Illud etiam animaduerte, quemadmodum Dominus, hoc eſt, is, qui mundum continet, ſtatim ab incunabulis exagitabatur, atque in barbarorũ terrã eijciebatur: quò nos ſcilicet exemplo ſuo moneret, ne in tentationibus animis frangamur, & conſternemur. Saluatoris paſſio fac tibi in animo verſetur, nempe quot contumelijs ipſe noſtra cauſa affectus ſit. Alij enim eum Samaritanum vocabant, alij arreptitium, & helluonem, & falſum prophetã. Aiebant enim: *Ecce homo vorax, & potator vini.* Et: *In principe dæmoniorum eijcit dæmonia.* (Ioan. 8. Matth. 11 Matth. 28) Quid, cùm eum ducebant, vt præcipitio necarent, & cùm ipſius faciẽ conſpuebant? Quid, cum chlamydem ipſi imponebant, ac ſpinis ipſius caput cingebant, atque ad ipſius pedes ludibrij cauſa ſe abijciebant, nec vllũ irriſionis genus in eo prætermittebant? Quid, cum alapis ipſum cædebant? cũ acetum & fel bibẽdum ei dabant? cum arundine ipſius caput feriebant? cũ ſanguinarij illi canes eũ huc atque illuc trahebãt? Quid, cũ ad mortem nudus ducebatur, omneſq́ue diſcipuli eũ deſeruerant, atq; vnus quidem ex ipſis eum prodiderat, alter negauerat, alij fugã inierant, ſolus ipſe in media illa turba nudus ſtabat? Feſtus quippe dies erat, omnes tunc in vnũ cogẽs. Quid, cùm tamquam nocẽs & facinoroſus inter duos latrones cruci affigebatur, ac poſteaquam è cruce demiſſus eſt, tamdiu inhumatus iacuit, quoad, vt ſepultura donaretur, à quodam poſtulatus eſt? In mentem tibi veniat, eum funere minime elatũ eſſe, improbumq́ue & infamem ſermonẽ aduerſum

eum

eum pronuntiatum ac diſſeminatum fuiſſe nimiru enm à Diſcipulis ſuis ſurreptum fuiſſe, nec à morte ad vitam rediiſſe. Fac tibi quoque Apoſtoli animo obuerſentur, qui & ipſi vndecumq; vexabãtur, latebras quærebant, quòd in vrbibus ora ſua oſtẽdere haudquaquam poſſent. Cogites velim, quònam pacto Petrus apud Simonem coriarium deliteſcebat, & Paulus item apud mulierem purpurariam, quoniam de diuitum erga ſe animo & voluntate dubitabat. At poſtea omnia ipſis plana & facilia extiterunt. Ad eundem igitur modum tu quoq; animum ne deiicias. Allatum autem ad me eſt de nugatore illo ac deliro Arſacio, quem Imperatrix in Archiepiſcopali throno collocauit, eum fratres eos omnes, qui cum ipſo communicare recuſabãt, afflixiſſe, atq; etiam permultos ex ipſis mea cauſa in vinculis diem vitæ extremum clauſiſſe. Siquidẽ lupus ille ouis ſpeciem præ ſe ferens, tametſi Epiſcopi laruam gerat, adulter tamen eſt. Vt enim mulier adultera vocatur, quæ viuente viro alteri nubit: eodem modo hic quoq; adulter eſt, nõ carnis, ſed Spiritus. Me enim viuente Eccleſiæ thronum inuaſit. Atque hæc tibi è Cucuſo, quod Ciliciæ oppidum eſt, ſcripſi: quò videlicet Imperatrix ablegari me iuſſit. Multæ porrò mihi in via calamitates contigerunt: verũ nihil eiuſmodi mihi curæ fuit. Vt autẽ in Cappadociam, atq; etiam in Taurociliciam venimus, magno agmine ſancti patres, ac monachi, & virgines, obuiam nobis prodibãt, infinitã lacrymarum vim profundentes. Cumq; nos in exilium abeuntes cernerent, in fletus prorumpebant, hiſque inter ſe verbis vtebantur: Satius fuiſſet Solẽ radios ſuos ſubtrahere, quàm Ioannis os conticere. Hæc me perturbabant ac premebant, quoniam omnes mea cauſa plorantes intuebar. Nam cætera omnia, quę mihi oborta ſunt, nulla me cura affecerunt. At verò vrbis huiuſce epiſcopus perquã humaniter nos excepit, tantamq; erga nos charitatẽ præ ſe tulit, vt etiã, ſi fieri potuiſſet, throno quoq; ſuo nobis ceſſurus fuerit, niſi nobis canendũ fuiſſet, ne præſcriptum limitem excederemus. Quamobrem te rogo, ac velut genibus tuis aduolutus obteſtor, vt mœrorem & luctum abiicias, ac pro nobis apud Deum memor ſis, nobiſque reſcribas.

Math. 28
Act. 9.
Ibid. 16.
εἰ μὴ ἂν ὅρον ἐφυλάττομεν.

Rufino presbytero CXXVI.

Hortatur eum vt in Phœniciam proficiſcatur ibiq; animas lucretur.

PHœniciæ mala rurſum exarſiſſe, ac Gentilium furorẽ auctum eſſe accepi: cõpluresq; monachos, partim vulneribus affectos eſſe, partim etiam mortẽ obiiſſe. Ac propterea maiorẽ in modum te vrgeo, vt quã celerrimè te ad iter accingas, atq; in acie ſtes. certũ enim habeo fore, vt ſi preces, & lenitatem, & manſuetudinẽ, & tolerantiã, & patientiã, eamq;, quam ſoles, animi fortitudinem adhibueris, vel aſpectu ſolo aduerſarios in fugam conijcias, ipſorumq; furorem extinguas, atq; eorum, qui noſtras partes tuentur, animos recrees, ac denique multa bona efficias. Quare ne cuncteris ac moram vllam interponas, verùm ad celeritatem etiã aliquid addas, atque, vt hæc, quæ à me commemorata ſunt, maturius conficias, des operam. Etenim ſi cõflagrantem domũ vidiſſes, minimè profectò receſſiſſes, verùm maiorẽ etiam feſtinationem adhibuiſſes, quo flammam anteuerteres, atque, tum per te, tum per alios, quiduis egiſſes, vt malum extingueres. Eodem ergò modo nunc quoque, quoniam huiuſmodi incendium excitatum eſt, fac ſine vlla mora illuc proficiſcimatures: atque omnino aliquid læti continget, magnumque his incõmodis remedium afferetur. Sanè, cum omnia quieta & trãquilla ſunt, nec quiſquam eſt, qui bellum inferat, nonnullos ad pietatem erudire, cuiuſlibet hominis eſt: at cum diabolus ita furit, ac dæmones arma induunt, forti animo ſtare, atque & eos, qui ab

A

illius partibus ſtant, eripere, & cæteros, ne in illius manus incidãt, impedire, hoc demũ ſtrenui viri eſt, hoc animi vigilantis, hoc ſublimis & experrectæ mentis, hoc ſexcẽtis coronis, ac præmijs omni ſermone præſtantioribus dignũ, hoc denique Apoſtolicum facinus. Illud igitur cũ animo tuo reputans, tẽpus iſtud adipiſcendæ gloriæ tibi occaſionem, atque infiniti quæſtus & emolumenti materiam eſſe, cura obſecro, vt tantas opes arripias, ingentiq; celeritate vtaris: atque, quamprimum illuc veneris, ad nos ſcribas. Nã ſi vel hoc duntaxat audierimus te Phœniciæ fines attigiſſe, iam ſine cura erimus, requieſcemus, in ſecuritate degemus. Nam quæ hinc conſequentur, nobis eſt exploratũ nimirum quòd, vt generoſus ac rei bellicæ peritus Imperator, ſic tu omnia peragrabis, iacẽtes excitãs, ſtantes cõfirmans & cõſtabiliens, errantes in viã reducẽs, perditos requirens & inueniens, vniuerſas diaboli copias conſcindẽs. Eſt enim mihi perſpecta, mihi

B

inquam probè perſpecta eſt animi tui vigilantia, mentis tuæ cura & ſollicitudo, ſagacitas, concinnitas, fortitudo, robur, conſtantia. Quare quàm ſæpiſſimè velim ad nos ſcribas: atque etiam, priuſquam in Phœniciam perueneris, ex itinere frequẽtes ad nos literas mittas, ſiquidem nunc quoque miratus ſum, te, cùm dominum meum, præſtantiſſimum ac religioſiſſimum Theodotum Presbyterũ, huc venire perſpiceres, nihil ad nos literarum dediſſe. Quocirca ne rurſus eo nomine dolorem cõcipiamus, quòd nullas abs te literas accipiamus, ſi fieri poteſt, ex ſingulis etiam hoſpitijs ad nos ſcribe: vt quantum viæ proceſſeris, & num iam ab ijs oris haud procul ſis, intelligamus. In magna enim cura & ſollicitudine ſumus: atq; hæc quotidie ſcire cupimus. Quæ cum tibi nõ ignota ſint, chariſſime domine, hoc mihi pro ſummo beneficio & gratia concede, vt ante diſceſſum tuum, atque etiam poſt diſceſſum crebras literas mittas, cureſque,

C

vt omnia ſciamus: quò, ſi res proſperum curſum teneant, gaudio ac voluptate afficiamur: ſin autem impedimenta obijciantur, omni ratione ac ſtudio ea de medio tollere connitamur. Neque enim antè conquieſcemus, quàm, & per nos, & per alios, ſi fieri poſſit, hoc effecerimus. Atque etiamſi millies, vel in vrbem Conſtantinopolitanam certos homines mittere neceſſe ſit, quò omnia tibi valde prona & facilia reddamus, ne id quidẽ facere recuſabimus. Hæc igitur cùm tibi explorata ſint, quæ tui muneris ſunt, nobis præſta, hoc eſt, vigilantiam, ſtudium, ac diligentiam. Quòd ſi fratres etiam mitti oportere putes, id quoque fac ſciam. Quin de ſanctorum martyrum reliquijs ſine cura eſto. Cõfeſtim enim ad religioſiſſimum meum Presbyterum Terentiũ, itemque ad dominum meum religionis laude præ-

D

ſtantem Treium Arabiſſi Epiſcopum ſcripſi. Nam ipſe, & multas, & minimè dubias habet: quas paucis diebus in Phœniciam ad te mittemus. Quare da operam, ne officio tuo vlla ex parte deſis. Nam, quæ noſtri muneris ſunt, quanta cum animi promptitudine præſtemus, vides. Feſtina itaque, vt ante hyemem Eccleſias, quæ tecti expertes ſunt, perficere queas.

Polybio CXXVII.

ALius fortaſſe intolerandum huius regionis frigus, vaſtam loci ſolitudinem, acerbiſſimũ denique morbum (hîc enim in morbũ incidimus) luxiſſet ac deploraſſet. Ego autem his omiſſis diſiunctionem veſtram lugeo, quæ mihi, & ſolitudine, & morbo & hyeme, eſt acerbior. Quam acerbitatem hyems quoque mihi auxit. Nam quod vnum moleſtiſſimæ diſiunctionis ſolatium ſuppetebat, hoc eſt, vt vobiſcum per literas colloquerer, hoc quoque hyems exorta ademit: vt quæ

ob ingentem niuis vim vias intercluſerit, ac neq; A aliunde quemquam huc venire, ac nobiſcum cõgredi, neque item hinc excedere, atq; ad vos proficiſci ſinat. Quod & ipſum haud minùs, imò etiam magis, Iſaurorum terror efficit, nobiſque ſolitudinem auget, omnes videlicet ſubmouens, atque in fugam conijciens, exuleſque reddens. Neque enim iam quiſquam vllus eſt, qui domi manere ſuſtineat: verùm vnuſquiſq; relictis ædibus ſuis profugit. Atque vrbes quidem fortaſſe parietes & tecta nunc ſunt: præruptæ autem vor.gines & ſyluæ, vrbes. Quemadmodum enim truculentiæ feræ, vt pardi ac leones, tutiorē vrbibus ſolitudinē ſibi eſſe exiſtimant: ſic etiam nos ex alijs atque alijs locis in alia atq; alia loca migrare cogimur, vitā Numidarū vitæ ſimilem agentes, nec vſquā fidenti animo cōſiſtentes: vſqueadeò hîc omnia tumultu & perturbatione plena ſunt. Etenim illi alios aduentu ſuo iugulant, exurunt, atque ex liberis ſeruos efficiunt: B alios autem in fugam vertunt, atque vrbibus pellunt, imò, vt rectius loquar, obtruncant. Ecquot enim adoleſcentes medijs etiam plerunque noctibus, ac frigore omnia obdurante, repente domo profugere coacti ſunt (metu eos, tamquam fumo quodam, vel ad ſolam recordationem abigente) atque ad mortem oppetendam ne Iſaurico quidem gladio opus habuerunt, verum in niue obrigeſcētes extremum ſpiritum ediderunt: quæque ipſis fugiendæ mortis cauſa fuerat, eadem illis acerbiſſimæ mortis cauſa fuit. En quo ſtatu res noſtrę ſint. Quæ quidem nō eò à nobis commemorata ſunt, vt te in mœrorem conijciamus (non enim me fugit, quin te perſtringant ea quæ diximus) verùm vt diuturni ſilentij noſtri cauſam aperiamus, quidque cauſæ fuerit, quamobrē ſerò ac tardè ad te ſcripſerimus. Ita enim ab omnibus relicti ſumus, vt nec aliquem, qui iſtuc proficiſceretur, nanciſci potuerimus, verùm nobis presbyterum contubernalem noſtrum excitare, atque ad te mittere neceſſe fuerit. C Quapropter cùm eum, vt te dignum eſt, exceperis, celeriter ad nos remitte, qui de tua valetudine læta nobis nuntiet. Scis enim quanto nobis ſtudio quantæque curæ ſit hoc ſcire.

Mariano CXXVIII.

Cæteris omnibus mortalibus hoc nomine Ver iucundum & ſuaue eſt, quòd terræ faciem floribus exornat, atque in prata conuertit. Mihi autē eam ob cauſam quia magnam mihi facultatē præbet cum floribus meis per literas verſandi. Ac quidem ipſemet oculis vos coram perſpicere cuperem. Quoniam autem id minimè licet promptiſſimo animo facio, vt vobiſcū per literas colloquar. Nec verò nautæ pari animi voluptate maris terga ſulcant, cùm anni pulchritudo exorta eſt, atq; ego calamum, & chartam, & atramentum in manus ſumo, D cum ad vos ſcripturus ſum. Etenim hyemis tēpore, cùm omnia frigore concreſcerent, atque incredibilis quædam vis niuium omnes vias intercluderet, nec quiſpiam aliunde ad nos venire, nec rurſus hinc aliò proficiſci ſuſtinebat. Ea de cauſa nos huius loci domunculis, quemadmodum carcere incluſi, atque tabellariorum penuria, non ſecus ac quibuſdam linguæ catenis, vincti, quamlibet inuiti, diuturno ſilentio vtebamur. Poſteaquam autē tempus iam itinera patefecit, nobiſque linguæ vinculum fregit, Presbyterum eum, quicum mihi vitæ conſuetudo eſt, hinc ad vos miſimus, vt, qua valetudine ſitis, intelligamus. Cum igitur hunc, vt te, domine mi ſummopere admirāde, dignum eſt, ſuſceperis, atque, pro eo atque charitas tua poſtulat, proſpexeris, cum ad nos redibit, velim de tua valetudine nos certiores facias. Nec enim te fugit quàm de ea aliquid ſcire ſtudeamus.

Marciano & Marcellino CXXIX.

Qvam præclarum hoc par veſtrum eſt, quamque vehementer charum, non modò naturæ lege, ſed etiam acerrimi amoris catena colligatū. Ob idque de amicitia veſtra gloriamur, & exultamus, coramque vobiſcum congredi, ac vos videre cupimus. Quoniam autem id nunc minimè licet, quod licet, facimus, quàm ſæpiſſimè ſcribimus, veſtri memoriam numquam intermittimus, animo vos, quocumque in loco ſimus, circumferimus, ac ne ob itineris quidem longinquitatem à veſtra ſuauitate vllo pacto diſiungimur. Huiuſmodi quippe charitatis penna eſt, vt & viam omnem, & interuallum omne facilè traijciat, nec vllum incommodū ſit, quod non ſuperet. Ac proinde nos quoque, tametſi alioqui multis calamitatibus affecti, nimirum ſolitudine, obſidione aſſiduis prædonum incurſibus, nihilo tamē propterea in veſtri amore ſegniores ſumus: verùm noſtram erga vos beneuolentiam perpetuò florentem retinemus. Quamobrem vos rogamus, atque obſecramus, vt de veſtræ valetudinis ſtatu ſæpius nos certiores per literas faciatis. Neque enim vobis dubium eſt, quantam in hac ſolitudine, in qua degimus, conſolationem hinc accepturi ſimus.

Caſto, Valerio, Diophanto, Cyriaco, Antiochiæ Presbyteris CXXX.

Vehemens & violenta quædam res eſt, charitas, ac creditore quouis violentior. Neque enim illi eos, qui pecunias debent, ita præfocant, ac debitum exigunt; vt vos, qui charitatis catena vincti eſtis, ad epiſtolas perſoluendas nos adurgetis, etiamſi alioqui hoc debitum perſæpe iam à nobis diſſolutum. Verùm ea huiuſce debiti natura eſt, vt cùm ſemper perſoluatur, ſemper tamen debeatur. Eaque de cauſa vos quoque, ne multis quidem acceptis literis, ſatiari poteſtis. Nimirum illud etiam charitas habet, vt plura ſemper appetat: ac mare imitatur, quod licet amnes vndecumque in ipſum influant, haudquaquam tamen impletur. Eadem quippe aurium veſtrarum amplitudo eſt. Ex quo efficitur, vt quò plura in eas iniecerimus, eò etiam maioris veſtræ erga beneuolentiæ flammam excitemus. Quamobrem ne illud exiſtimetis, nos, quòd de veſtra amicitia ſiniſtra quædam ſuſpicio animum noſtrum tetigiſſet, breui hoc temporis ſpatio ſiluiſſe. Nos enim, ſi qua ſuſpicio animis noſtris inceſſiſſet, contrà omnino feciſſemus, hoc eſt, ſæpiùs ad vos literas dediſſemus. Quemadmodum enim qui optima valetudine ſunt, medici opem minimè deſiderant, eodem modo ignaui ac deiecti homines multis remedijs opus habent. Quocirca ſi veſtrum erga nos animum claudicare ſenſiſſemus, non commiſiſſemus, quin ad eum rurſus accendendum & inflammandum, ea, quæ noſtri muneris eſſent adhiberemus. Quoniam autem de veſtro erga nos amore nullo pacto dubitamus, nobiſque item illud exploratiſſimum eſt, vos, ſiue literas accipiatis, ſiue haudquaquam accipiatis, firmū tamen atque immotū & cōſtantem, perpetuoque florentem ac vegetum eum retinere, idcirco ad eam rem minimè neceſſarias epiſtolas noſtras eſſe ducebamus: verū ad hoc duntaxat, vt debito beneuolentiæ munere fungeremur. Quandoquidē nūc quoque nō neceſſitate illa impulſi, ſed amicitia adducti, ſcribimus. Nā quod, etiā ſi multæ varijs è locis tēpeſtates oriantur, atq; innumeri fluctus excitētur, nullo tamē vos detrimēto afficere, atq; in mœſtitiæ naufragium conijcere queant, ſuperius tēpus abunde planum fecit. Ac proinde, non vt ſolatium vobis afferamus (neque enim conſolatione noſtra egetis) hæc ſcribimus:

Digitized by Google

A verùm vt intelligatis nos gaudio exultare, ac præ lætitia volitare, quòd tantã ex tanto locorũ interuallo charitatẽ veſtram obtineamus. Quoniã autẽ mihi minimè dubium eſt, quin magnæ vobis lætitiæ ſit, quo ſtatu res noſtræ ſint, intelligere, hoc habetote, nos ſtomachi imbecillitate liberatos eſſe, cõmodeque valere, ac, nec obſidione, nec latronum incurſionibus, nec loci ſolitudine, nec ſexcentorũ aduerſorum caſuum turba, nec denique vllo alio huiuſmodi incommodo deijci & conturbari, verũ ingenti ſecuritate, otio, ac quiete frui, ac ſingulis diebus de rerum veſtrarum ſtatu in cura eſſe, deq; his ad eos, qui ad nos accedunt, ſermonem habere. Nam hoc veri amoris natura facit, vt ij, qui nobis chari ſunt, ſemper in ore noſtro ac lingua verſentur. Quod etiam in nobis propterea vſuuenit, quia valde amamus: idque ipſi perſpicuè noſtis. Hæc igitur omnia cũ animis veſtris reputantes, ne B illud exiſtimetis, nos in noſtro erga vos officio & beneuolentia tẽporis progreſſu ſegnes ac negligẽtes redditos eſſe. 1.Cor.13 *Charitas enim nũquam excidit*: nec, tametſi alioqui longum tẽpus fluxerit, tametſi rerum difficultates auctæ ſint, tametſi denique longiori adhuc, quàm nunc, itineris interuallo inter nos dirimamur, interrumpi & obliterari poteſt, verùm magis ac magis floret atque augetur.

Elpidio Epiſcopo CXXXI.

NOn contẽptu tui, nec incuria, ſuperiori tempore ſiluimus: verũ res aduerſæ, quibus vndique obſidemur, diuturnum hoc ſilentiũ effecerũt. Neq; enim certo vllo loco defixi ſumus, verũ nunc Cucuſum, nunc Arabiſſum, nunc voragines ac deſerta loca circumimus. Vſq; adeò cuncta tumultibus ac perturbatione plena ſunt, flammaque & ferrum, tam corpora, quàm ædificia omnia cõficit. C Ac iam etiam vrbes vnà cum viris omnibus funditus exciſæ atque euerſæ ſunt, nouiſque quotidie rumoribus perculſi ſedes mutamus, graue quoddã ac nouum exilij genus perpetientes, mortemque indies expectantes. Nam ne caſtello quidem, perinde atque carcere, nunc incluſi, fidenti animo eſſe poſſumus: propterea quòd Iſauri eiuſmodi arces obſidere non dubitent. Ad quas moleſtias grauis etiam morbus acceſſit: cuius nunc ægrè acerbitate depulſa, reliquias adhuc circumferimus, & quemadmodum in inſulam quandam, infeſtiſſimo atque à nauigatione alieno mari circumfuſam, relegati, & eodem modo neminem fere vlla ex parte cernere poſſumus, quòd via omnis tumultuum metu intercluſa ſit. Quamobrem abs te peto, præſtãtiſſime ac religioſiſſime mi domine, vt mihi ignoſcas (ſcis enim quas tibi iampridem, atque ab initio amoris & D beneuolentiæ ſignificationes dederim) nec pro nobis Deũ precari intermittas. Nã quòd ſi homines, qui imperio tuo pareant, facilè nanciſci queas, nihil ſubmonitore ad eã rem opus habiturus ſis, vt de tua valetudine quã creberrimè ad nos ſcribas, equidẽ cõfidimus. Ac nos itẽ, ſi hæc pericula conquieſcãt, atq; ex hoc carcere prorepere, & ab hac obſidione, in qua nunc ſumus, noſipſos aliquantũ recreare ac reficere queamus, nullũ tempus omittemus, quin ad te ſcribamus. Hoc enim facientes, quàm maximo noſipſos beneficio afficiemus.

Gemello CXXXII.

Gaudet de eo quod ad ſacerdotiũ promoueri velit.

PApæ, quãta res eſt generoſus & fortis animus, qui voluptatẽ ac ſecuritatẽ nõ aliũde vſquam, verũ domi atq; à ſeipſo percipit: quodq; mirabile eſt, ab ijs rebus, quæ multorũ opinione horrẽdę ac periculoſæ ſunt. Nam non modò nõ perturbari ac diſcruciari, cũ quibuſdam odio ſis, verũ etiam hoc nomine gloriari, neq; gloriari ſolũ, ſed etiam, eos qui te oderint, miſerari, atque, vt meliorem mẽtem induant, probiq; efficiantur, expetere, cuius tandẽ prudentiæ, cuiúſq; philoſophiæ eſt? Ac propterea te, cum primis admirande & magnifice domine, laudibus afficimus ac ſuſpicimus: propterea, inquã: nos quoque magnopere exultamus, ob tuam amicitiam, tamquam ob ſplendidam coronam gloriãtes. Quoniam autem preces quoque à nobis per literas expoſcis, velim intelligas, nos ne antehac quidẽ vota facere deſtitiſſe, vt animam vſqueadeo magnam & philoſophicam ſacris initiari, ac ſacroſanctis illis tremendiſque myſterijs donari conſpiceremus. Ac ſi nobis lætum huiuſmodi nuntiũ accipere liceat, iã & hoc exilio liberati erimus, & ſolitudinis memoriã deponemus, & corporis imbecillitate, cũ qua nunc nobis certamen eſt, ſolutos nos eſſe ducemus. Nec verò illud nobis dubiũ eſt, quin noſtra opera arcana hæc bona conſequi ſtudeas & cõcupiſcas. Quod etiam, vt ipſe noſti, nobis quoq; ſtudio atque cupiditati eſt. Verùm, ſi à nobis mora aliqua interueniat, huic tamẽ rei nemora afferatur, cura. Omnino enim, etiãſi ipſi abfuerimus, homines nobis amiciſſimi non defuturi ſunt, qui te ad hanc ſacerdotij dignitatẽ prouehere queãt. Quod ſi contingat, eadem voluptate afficiemur, qua afficeremur, ſi cæleſtis huius beneficij largitione adminiſtram ipſimet operam præbuiſſemus, quandoquidem etiam eadem eſt gratia.

Adolia CXXXIII.

Vocat eã ad ſe, vt ei conſilium det in rebus turbulentis.

QVid ais? Rurſum inſidias luges, grauibuſque calamitatibus affectam te eſſe inquis? Quid autem obſtat (velim dicas) quin in tranquillũ portum te conferas, atque his omnibus fluctibus libereris? An non hæc tibi ſemper occinebam, nec tamen vmquam mihi obtemperandum duxiſti? Quin potius ipſa quoque tibi ab huiuſmodi negotiorum luto ſexcenta mala accerſis, in cænum perpetuò illabens: ac nobis, dum hæc pateris, crebros ac perpetuos mœrores affers. Quid enim? An me cui mœrore affici cenſes, cũ ea audiui, quæ ad me ſcripſiſti, nimirum te à propinquis, vel potius alienis, (ipſis enim tuis verbis vtar) proditã eſſe, graueſq; tragœdias pertuliſſe? Numquámne te ab hac acerbiſſima ſeruitute in libertatem vindicabis? Quid autem impediebat, quò minus huc venires, noſque de his rebus conſilium vnà caperemus, ſiquidem ſcribis tibi hoc ne in mentem quidem veniſſe. Quod ſi ita eſt, magna admiratione ac ſtupore teneor, neque vllam aliam cauſam tam diuturnæ tuæ à nobis abſentiæ reperio, quàm negligentiam ac pigritiam. Nam & exiguo itineris interuallo diuellimur, & anni pars ad peregrinandum perquã idonea eſt, vt quæ nec frigore, nec æſtu moleſta ſit. Verùm rurſus fortaſſe, quæ tibi omniũ malorũ parẽs exiſtit, hoc eſt, rerũ huiuſce vitæ cura, eadem nunc quoque tibi impedimentum affert. Ego verò, vt ſi venias, ingentem gratiam habiturus ſum, ita niſi venias, minimè propterea te accuſabo, ac moleſtè feram: verùm eam quidem charitatem, quam ſemper tibi præſtiti, integram ac florentem retineo, illud autem iniquo atque acerbo animo fero, cum te innumeris negotijs implicitam teneri, ac ſexcentas curarum huiuſce vitæ ſarcinas circũferre audio. Ac niſi me exilij neceſſitas tamquam compedibus quibuſdam aſtrictum teneret, tibi negotium haudquaquam faceſſerem, verùm, etiãſi grauiore adhuc, quam nunc ſum, corporis imbecillitate laborarem, ipſe ſanè ad te excurriſſem, neque priùs quiduis agere ac moliri deſtitiſſem, quàm te ex hac tempeſtate atque innumerorum malorum cæno & colluuie extraxiſſem. Quoniam autem id minimè licet, cuperem ſanè te huc venire, ac de his rebus ad nos referre. Quod ſi nec iſtud procliue eſt, verùm moleſtum ac dif-

ficile,

ficile, per literas te monere atque hortari non deſinam, vt tu funes ac nexus præcidas, animæque compedes effringas, magnaque cum facilitate & libertate gradiaris. Hac enim ratione non modò huius vitæ lætitiam conſequeris, ſed etiam cælum per facili negotio accipies. Quamobrem da operam, vt quæ aliquantò pòſt, cùm hinc migrandum erit, inuita relictura es, ea vltro ac ſponte in æraria ab omni latronum iniuria libera & immunia præmittas, ac per ea immortales nec vmquam marceſcentes coronas tibi præcondas.

Diogeni CXXXIIII.

PErmagno, domine mi ſummopere admirande, iſtud emiſſem, vt mihi ſuauitatem tuam videre liceret. Idque etiam ipſe ante literas noſtras compertum & exploratum habes: quandoquidem tibi quoque meus erga te amor perſpectus eſt. Quoniam autem id minimè licet (nam & longum inter nos iter interiectum eſt, nec noſtri quidem arbitrij eſt, quo libeat, nos conferre: ac denique Iſauricarum incurſionum quotidie metus ingraueſcit) abs te peto, vt, quod maximum nobis tum huiuſce ſolitudinis, tum ærumnarum omnium & calamitatum, ſolatium eſt, quàm ſæpiſſimè à te literas accipiam, quibus de tua, totiuſque domus tuæ, valetudine certior fiam. Id velim, ſi facultas detur, quàm ſæpiſſimè nobis concedas. Neque enim facile eſt nos iſtud largè & copioſè obtinere propterea quòd haud facilè quiſquam iſthinc ad nos veniat. Cæterùm, etſi arduum eſt quod petimus, tamen quoad eius fieri poterit, velim des operam, vt crebras ad nos literas mittas, quæ nobis valetudinis tuæ ſtatum exponant. Vt autem, quid ipſe quoque geramus, intelligere queas, otio atque ingẽti quiete fruimur, magna tranquillitate, ac mediocri corporis ſanitate. Hoc vnum animum noſtrum conturbat, quòd à vobis, à quibus amamur, ſeiuncti ſumus. Verùm poteſt tua prudentia, ea ratione, quam diximus, huic quoque malo ſolatium adhibere. Quocirca hoc nobis quæſo beneficium da: quò, licet tanto abs te interuallo ſemoti, tamen dulcem ac feruentem & ſynceram tuam charitatem pro delicijs habeamus.

Theodoto Diacono CXXXV.

NE me quidem hoc fugit, te pridem ad nos venturum fuiſſe, niſi Iſaurorum metus vias tibi præcluſiſſet. Nam cùm frigore omnia durante, atque in tanta niuium vi, huc accurrere minimè dubitaris, multò ſanè minus exorto Vere, ac cælo ingenti tranquillitate prædito, iſtic manere ſuſtinuiſſes. Siquidẽ animi tui ſuauitatẽ & comitatem, ardoremque ac ſynceritatem, eamq; quæ in te ſumma eſt, ingenuitatem noui. Eaque de cauſa non vulgari mœrore afficior, te in tam ſuaui & amœna anni partẽ non paruam nobis mœſtitiæ tempeſtatẽ accerſere, dum tandiu à nobis abes. Idque non eò cõmemoro, vt te huc, etiamſi millies id velis, pertraham, (multis enim bellis omnia hìc flagrant: idque ex ijs, qui ex his locis iſtuc ſe conferunt, ſcire poteris) verùm vt intelligas, nos, etſi alioqui magna quiete atque otio fruimur, hìc tamen ſine mœrore eſſe non poſſe, dum à te disiuncti ſumus: hocque ipſe intelligens, quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribas, non modò per eos, qui hinc ad vos proficiſcuntur, ſed etiam per eos, qui iſtinc ad nos veniunt. Magnam autem tibi, præſtantiſſime mi domine, ob eam curam ac ſollicitudinem, in qua propter huiuſce regionis tumultus verſaris, gratiã habemus. Etenim obſidio noſtra in dies ingraueſcit, atque in hac arce, tamquam in laqueo, deſidemus. Quippe iam etiam intempeſta nocte præter ſpem omnem & expectationem trecentorum Iſaurorum agmen oppidum percurſauit, peneque nos cepit. Verùm Dei manus confeſtim eos, nobis etiam nihil tale, ſentientibus, hinc auertit: ita vt, non modò periculo, ſed etiam periculi metu vacui eſſemus, ortoque die tum denique, quod contigerat, reſciuerimus. Quæ cùm ita ſint, gaude ac lætare, Deumque indeſinenter ora, vt nos in omni ſecuritate conſtituat, atque vrgente morbo liberet. Quamuis enim iam extra periculum ſimus, tamen morbi reliquiæ adhuc hærent, morbi memoriam mihi perpetuò refricantes. Hæc autem non eo animo ſcripſimus, vt tibi mœrorem afferamus, ſed vt te ad preces ſtudioſius pro nobis ad Deum adhibẽdas excitemus. Dominum meum chariſſimum Lectorem Theodotum pietati tuæ commmendamus: atque abs te petimus, vt pro virili tua omnibus in rebus ei portus loco ſis. Multa enim eſſe animaduerti, quæ eum mœrore afficiant.

Theodoto Lectori CXXXVI.

Conſolatoria eſt.

NIhil eſt, quamobrem hoc nomine, quòd maturius hinc abſceſſeris, excuſationem quæras, ac partim ad oculorum infirmitatem, partim ad vim frigoris confugias, iſque diſceſſum tuum aſcribas. Nos enim te, non minùs quàm antehac, adeſſe, ac nobiſcum verſari cenſemus, ex charitate videlicet id perpendentes. Quinetiam ſpem habemus fore, vt aliquando congreſſu tuo fruamur. Quocirca nihil te horum cõturbet. Quamuis enim hyems te ab Armenia abduxerit: minimè tamen ex animo noſtro eiecit, vtpote quem animo ſemper nobiſcum circumferamus. Ac niſi Iſaurorum bellum intercluſis omnibus itineribus in tabellariorum penuriam nos adduxiſſet, frequentiſſimas ad te literas miſiſſemus. Nunc autem, lingua quidem ſuperiori tempore tacuimus: animo autem non item: verùm te ſemper tuaſque res ſedulò curamus. Atque etiam, quantum in nobis fuit, ſæpiſſimè ſcripſimus. Quæ cùm ita ſint, velim ita exiſtimes, te nobiſcum eſſe, vnaque in Armenia commorari. Quòd ſi quis tibi inſidias ſtruere, teque incommodo aliquo afficere conetur, da operam, vt huiuſmodi omnia tela ſuperes: quandoquidem non iniuria affici, ſed iniuriam inferre, miſerum ac pernicioſum eſt. Nos quippe hoc etiam nomine impenſius te admiramur, animique tui firmitatem ac fortitudinem laudamus, quòd tanta tempeſtate circumfuſus, tumultibus tamen ijs, hinc exorti ſunt, ſuperiorem te præbuiſti. Quamobrem magna cum voluptate tranquillum hoc fluctuumque expers pelagus nauigare perge. Nec verò tibi mirum videatur, quòd, cùm multis inſidijs appetaris, ego tamen tranquillum pelagus appellem. Neque enim à perturbantium animo & ſtudio, ſed ab ea quiete, quam tibi virtus parit, hanc ſententiam fero. Quorſum autem hæc oratio pertinet? Magna hæc & ſublimis vita, atque ad cælum porrecta, ſi rerum natura ſpectetur, moleſta quodammodo eſſe videtur: ſi autem eorum, qui eam ſequuntur, fortitudinem animique alacritatem, perquam facilis ac prona efficitur. Quodque in hac philoſophia mirabile eſt, iſtud demum eſt, quod, furente mari, proſpere magnaque cum tranquillitate nauigat, qui ſyncero ac feruenti animo eam conſectatur: multiſque vndique tumultibus excitatis, puram quietem carpit, atque innumeris omni ex parte coniectis telis illæſus ſtat: tela nimirum excipiens, nihil autem hinc detrimenti ferens. Hæc igitur cum tibi explorata ſint, ac tu hæc commentari non intermittas, perpetuam voluptatem percipe, conſtitutas tibi pro præclaris hiſce laboribus apud Deum coronas expectans. Atque, quàm ſæpiſſimè licuerit, de animi corporiſque tui valetudine nos fac certiores: idque omne otium,

Digitized by Google

quod tibi ſuppetit,in diuinarum Scripturarum lectione conſume:tantum ipſis temporis impertiēs, quantum oculorum imbecillitas permittit:quò videlicet, ſi quando occaſio ſeſe offerat, vt earum quoque ſenſa nobiliſſimo animo tuo inſerere cōmodè poſſimus,magna cum facilitate id faciamus. Neque enim ad eam rem tibi parum adiumenti afferre poterit ipſe literæ cortex, cùm ſenſa, quæ ſub eo deliteſcunt,ſuſcipere parabis.

Theodoto Diacono CXXXVII.

TArditatis ac negligentiæ nos accuſare deſinet ne alioqui teipſum priùs eiuſdem criminis reum peragas.Nam cùm tot epiſtolas,quot ſcripſiſti, à nobis acceperis, vnamque dumtaxat ad nos miſeris, tamen, perinde ac ſi plurimas à te literas accepiſſemus, his verbis vſus es, te frequentibus literis nos ad ſcribendum excitaturum. Quamquam autem fieri poteſt, vt quiſpiam amet, etiamſi non ſcribat:ego tamen nec ſcribere deſtiti,nec amare deſino. Atque vt etiam tempus illud, quod à digreſſu noſtro fluxit, longius adhuc protrahatur, atque in deſertiorem adhuc locum deportemur, tamen nec te ex animo noſtro eijcere poſſumus,nec efficere,quin noſtram erga te beneuolentiam perpetuò florentem conſeruemus. Quæ cùm ita eſſe perſpectum habeas, de tua valetudine quàm ſæpiſſimè ad nos ſcribe. Id enim tibi factu facilius eſt,quàm nobis.Quòd ſi anni tempus, atque Iſauricorum malorum acerbitas id prohibeat, cum nobis tuus erga nos animus exploratus ſit, abundè amplam diuturni ſilentij conſolationem habituri ſumus.

Elpidio Epiſcopo CXXXVIII.

NOn ſum neſcius, me raro ad te ſcripſiſſe: at non id lubenti animo,verùm quòd rerum anguſtijs prohiberer.Nam & anni tempus, & loci, in quo grauius quàm in vllo carcere, concluſi tenemur,ſolitudo,& eorum,qui huc veniunt,infrequētia, quodque item non omnes ſynceros ac fidos nanciſcimur,ac denique corporis morbus,qui nos vehementer attriuit,& penè confecit,ac per totam hyemem lecto affixit, longum hoc ſilentium mihi attulit: at illud duntaxat ſilentium, quod in lingua conſiſtit. Nec verò exiſtimes te tot ſolùm epiſtolas,quot miſimus, accepiſſe, verùm multò plures. Id autem ita eſſe exiſtimabis, ſi non eas duntaxat, quas chartæ atque atramenti ope ſcripſimus, ſed etiam, quæ ab animo & voluntate proficiſcuntur, numeres. Siquidem animo nunquam ad te ſcribere deſtitimus,ſemperque tecum verſamur: ac nec viæ longitudo,nec temporis diuturnitas, nec rerū difficultates, noſtræ erga te beneuolentiæ obſcuritatis aliquid attulerunt, verùm florentē eam perpetuò retinemus, teque qui noſtri amore ardes, etiamſi in deſertiorem adhuc locum abeamus, in animo noſtro inſculptum paſſim circumferemus. Ea enim ſynceri amoris natura eſt, vt nec tempore,nec loco, nec viæ longinquitate, nec rebus aduerſis obliteretur.Idque ipſe quoque noſti: quandoquidem etiam ſyncerè amare noſti.

Theodoro Syriæ conſulari CXXXIX.

TV quidem iſtud maximo argumento tibi fore ais,res tuas nobis curæ eſſe, ſi poſt ſuperiorem epiſtolam alteram rurſus à nobis acceperis. Nos autem, ſi homines, qui ad eandem rem nobis operam nauarent,præſto haberemus,ad te, hoc eſt, ad hominem tanta probitate ac morū facilitate præditum,noſtrique amore flagrantem,tantaque cum cupiditate epiſtolas noſtras accipientem, ſexcenties ſcripſiſſemus. Quoniam autem id minimè licet,abs te poſtulamus,ne charitatem noſtram epiſtolarum numero metiaris : verùm ſiue taceamus, ſiue ſcribamus, quod de ea priùs habebas, idem conſtanter iudicium retineas: illud tecum reputans, longioris noſtri ſilentij cauſam,non pigritiā, ſed loci ſolitudinem eſſe.

Theodoto Diacono CXL.

NOn paruum in tam vaſta ſolitudine ſolatium nobis hoc erat, quòd ad te quàm creberrimè ſcribere poteramus. Verùm Iſaurica mala hoc quoque nobis abſtulerunt. Exorto enim vere illorum quoque impetus florere cœpit. Atque per omnes vias effuſi ſunt, eas omnibus prorſus infeſtas & inuias reddentes. Sanè iam & ingenuæ matronæ captæ ſunt,& viri obtruncati. Quare velim mihi ignoſcas, quòd perpetuò ad te minimè ſcripſerim. Quoniam autem non dubito quin de valetudine noſtra certior fieri cupias, hoc habeto,nos ſuperiori hyeme grauiorem in modum ægrotaſſe, nunc autem paulum recreatos eſſe. Quinetiam aëris inconſtantia rurſus perturbati (nam nunc quoque hyems hîc viget) tamen ſperamus fore, vt cùm æſtas planè effulſerit, morbi reliquias deponamus. Neque enim corpus noſtrum vlla re æquè labefactatur, vt frigore: nec rurſus vlla re æquè iuuatur,vt æſtate,& caloris ſolatio.

Theodoto Conſulari CXLI.

MVlta tibi bona eueniant, qui tam honorificè filium exceperis. Id enim ipſe nobis expoſuit,nec occultauit: tum vt ſuum erga patrem candorem animique probitatem oſtenderet, tum vt nos ingenti lætitia cumularet. Siquidem hac in re duplici nos honore affici cenſemus, tum quia, quicquid ille beneficij acceperit, idem nobis impenſum ferimus, tum etiam quia ipſi à pleriſque eorum,qui nominis celebritate apud nos præſtant, huiuſmodi beneuolentiæ incrementum accepiſſe contigit. Tu verò, domine mi cumprimis venerande ac generoſe, pulchram hanc ſtirpem colere perge. Quænam autem ipſius colendæ ratio erit? Nimirum ſi pulcherrimæ huiuſce philoſophiæ,quam nunc conſectatur, ſtudium atque amorem perpetuò in ipſo alas & vegetes. Sic enim celeres fructus nobis feret. Siquidem generoſi animi,ſtirpium harum, quæ terræ gremio mandantur, tarditatem haudquaquam imitari ſolent: verùm ſimulatque in præclariſſima huius virtutis cupiditate conſeruntur, ad ipſum quoque cælum euehuntur,tantoſque fructus edunt,vt, & copia,& natura, diuitias omnes ſuperent. Neque enim vnà cum præſenti vita extinguuntur: verùm ad futurum æuum nobiſcum excedunt.

Hortatur eum vt filiū be-ne pergat inſtituere

Elpidio Epiſcopo CXLII.

LIngua quidem rarò,animo autem ac voluntate ad te perſæpe ſcripſimus, quotidieque tecum verſamur.Atque hunc congreſſum nobis, nec tēporis diuturnitas, nec itineris longinquitas, nec rerum aduerſitas eripere poteſt. Nam ea charitatis natura eſt, vt nulli huiuſmodi rei cedat, verùm ſtet,omniaque ſuperet. Quamobrem,præſtantiſſime ac religioſiſſime mi domine, noli epiſtolarum numero meum erga te amorem ponderare: verū, cùm tibi animus meus ac beneuolentia, quam pietati tuæ ſemper præſtiti, tibi comperta & explorata ſit,nihil ob diuturnum ſilentium ſiniſtri ſuſpiceris. Quandoquidem ne nos quidem, etſi literas abs te rarò acceperimus, propterea ſegniorē te erga nos redditum fuiſſe exiſtimamus: verū illud pro certo

habe-

Digitized by Google

habemus, nobiſque perſuademus, te beneuolentiã eam, qua nos hactenus complexus es, incolumem A ac florentem retinere, atque ob calamitates, quæ nobis aſſiduè inferuntur, non modò non conſternari, ſed etiam vehementiore erga nos amore aſſici. Atque hoc nomine ingentem tibi gratiam habemus. Quoniam autem minimè mihi dubium eſt, quin tu quoque de rebus noſtris certior fieri cupias, commoda valetudine ſumus, ingentique otio & quiete fruimur, atque in ſecuritate degimus, Iſauricis nimirum tumultibus liberati. Nam quod ad Armeniæ hyemem attinet, eam iam vſu ipſo ferre didici. Quanquam enim frigore nonnihil offendor, vt veriſimile eſt eum, qui tam imbecilli corpore præditus ſit: ſuperior tamen exiſto, dum domi me perpetuò, cùm frigus ſæuit, includo, raroque è limine pedem effero. Nam cæteras quidem anni partes ita iucundas ac ſuaues ſentio, vt eum etiam morbum, quem ex hyemis aſperitate contraxi, perfacilè depellere queam. B

Polybio CXLIII.

VRbis quidem ſolo, ac muris & parietibus eiecti ſumus: verùm ex vrbe, ſi propriè hoc nomine vſurpetur, minimè migrauimus. Nam ſi vos vrbs eſtis, ſanè, cùm vobiſcum atque in vobis perpetuò ſimus, illud perſpicuum eſt, nos, etiam hîc commorantes, vrbem illam habitare. Neque enim, quin in animis veſtris habitemus, vllo modo dubito: ac viciſſim, quocunque abierimus, vos omnes, qui noſtri ſtudio atque amore flagratis, animo circunferimus. Hoc porrò nos, nec huius loci ſolitudinem (eſt autem totius orbis terræ deſertiſſimus) nec prædonum obſidionem (nam quotidie obſidemur) nec denique famem, quæ hinc ortum trahit, perſpicere ſinit. Quandoquidē corpus ita hîc defixum eſt, vt interim animus apud vos verſari non deſinat. At quoniã iis, qui hoc animo præditi ſunt, C corporis quoque præſentia magnopere chara & expetenda eſt, mœrorque exiſtit, cum ea negatur, id porrò minimè fieri poteſt, huic rei maximũ remedium affert congreſſus ille, qui mutuis epiſtolis comparatur: quo ſi nobis per vos copioſe frui cõtingat, hac quoque mœſtitia liberatos nos ſentiemus. Potes enim ipſe, domine mi, præſentiæ voluptatem per literas adumbrare.

Diogeni CXLIIII.

DEſertus quidem locus eſt Cucuſus, atque etiã alioqui ad habitandũ periculoſus, vt qui perpetuo latronum metu infeſtus ſit. Tu verò, etiã abſens, eum nobis in amœniſſimum locum cõmutaſti. Nam cùm ingentē tuum zelum, ſynceramque ac feruentem erga nos charitatem audimus, (nihil D enim nobis, quamuis tam longè diſſitis, obſcurum atque incognitum eſt) beneuolentiam tuam, tanquam ampliſſimi cuiuſdam theſauri, ac diuitiarum omni verborum facultate præſtantiorũ inſtar habentes, ita afficimur, vt nobis ipſi in ſumma ſecuritate verſari videamur, præ tanta videlicet lætitia volitantes, maximumque hinc ſolatium capientē. Quò igitur alter inſuper nobis voluptatis cumulus accedat, velim literis quoque nos dones, quibus de tua valetudine certiores efficiamur. Nam etſi difficile iſtud eſt, tum ob viæ longinquitatem, tum quòd hic locus à publica via valde ſemotus ſit, tamen homini ita amanti, vt ipſe amare noſti, etiam quæ ardua ſunt, prona ac facilia redduntur. Cùm igitur animaduertas quantam huiuſmodi literarũ frequentia gratiam à nobis initurus ſis, hanc quoque lætitiam nobis præbe. Siquidem illud permoleſtè ferimus, quòd cùm iterum iam ad te ſcripſerimus, tamen ne ſemel quidem literas à te accepimus.

Nicolao Presbytero CXLV.

CVperem quidem ipſe quoque, & quidem vehementer cuperem te videre atque cõplecti. Idque ipſe etiam ante noſtras literas minimè ignoras. Nam cùm ſyncero animo amare noris, eos quoque, qui ſyncero animo amant, agnoſcere noſti. Verùm quoniam id minimè licet, interim, quod licet, facio: ſcribo, ſaluto, literas, quæ nobis valetudinis tuæ ſtatum crebrò exponant, poſtulo, atque expoſco. Quamobrem hanc nobis gratiam concede. Nam quanquam ad eam rem hortatore nihil indiges, tamen de hac re te ſubmouere minimè deſiſtemus. Neque enim exiguam animi leuationem, atque, tum ſolitudinis, tum quotidianorum terrorum, qui ex prædonum incurſione nobis oriuntur, tum morbi corporis, aduerſarumque aliarum rerum conſolationem illud nobis allaturum eſt, ſi ex vobis, quibus chari ſumus, hoc intelligamus, vos incolumi ac firma valetudine eſſe, omniaque vobis ex animi ſententia euenire, etiamſi alioqui ſexcentas nobis tempeſtates commemores. Quî tandem iſtud? Quoniam nihil impedit, quò minus, qui generoſi & experrecti atque attenti animi eſt, etiam in commoto ac perturbato negotiorum mari fæliciter nauiget: quemadmodum contrà, qui ignaui ac diſſoluti, ac conſternati, ſupineque iacentis animi eſt, tranquillo quoque mari perturbetur, atque in tumultu verſetur.

Theodoto, Nicolao, Chæreæ, Presbyteris & Monachis CXLVI.

VOs quidem Iſaurorum incurſionem atque impetum abſentiæ veſtræ cauſam eſſe dicitis: at ego vos, & adeſſe, & nobiſcum verſari dico: neque huiuſmodi rem, quin ad nos veneritis, impedimento vobis fuiſſe. Nam eæ charitatis pennæ ſunt, vt etiamſi ſexcenta impedimenta ſe obiiciant, repente tamen ac magna cum facilitate vbique adſit. Quòd ſi corporea veſtra præſentia caremus, precari ne intermittite: ac Deus eam pro ſua benignitate dabit. Quandoquidem ipſe quoque animo vos aſſidue gerens, congreſſum veſtrum haud vulgarem in modum deſidero: neque dubito, quin iſtud mihi contingat, dummodo eum, qui tempeſtatem omnem diſcutere, cunctaque in magnam tranquillitatem adducere poteſt, obnixè oretis & obſecretis. Vt autem rerum quoque noſtrarum ſtatu cognito, lætitiam concipiatis, ingenti quiete atque otio fruimur, corpuſque noſtrum, & ſi alioqui multa ſint, quæ ipſius valetudinem labefactent, ſatis commode ſe habet. Quanquam enim, & medicorum inopia, & rerum neceſſariarum penuria (nihil enim hîc venale eſt, nec medicamenta vlla ſuppetunt) & cæli intemperies (neque enim æſtas nobis minus, quàm frigus, moleſta eſt, vt quæ frigoris acrimoniam in contrarium imitetur) & grauis ac perpetua obſidio, crebrique Iſauricarum incurſionum metus, hæc inquam omnia, & alia plura ſint quæ valetudinem noſtram labefactent: nunc tamen graui periculo, atque huiuſmodi morbo liberati ſumus, ac mediocrē quandam ſanitatem obtinuimus. Vos verò operam etiã date, vt ad nos quàm ſæpiſsimè ſcribatis, ac de veſtra valetudine ſine vlla intermiſsione certiores nos faciatis. Siquidem maximæ leuationis maximique ſolatij, atque ampliſsimorum theſaurorum inſtar, veſtram charitatem eſſe ducimus: ac, cùm ſynceræ veſtræ beneuolentiæ, animique conſtantiæ, ac firmæ charitatis nobis in mentem venit (nunquam autem non venit) tanquam in latum quendam atque tranquillum portum ex multis calamitatibus appellimur.

Anthemio CXLVII.

Gratulatoria eſt de adepta dignitate

ALij tibi cõſulatus atque imperij nomine gratulantur: ego autem magnificentiæ tuæ cauſa ipſis quoque maieſtatibus imperijſque gratulor. Neque enim te ornarunt: verùm abs te ornata ſunt. Quandoquidem etiam ea virtutis natura eſt, vt honores non aliunde mutuetur, verùm ipſa eos in ſeſe circumferat, nimirum hiſce dignitatibus honorem præbens, non autem ipſa ab illis accipiens. Eaque de cauſa amori quidem erga te noſtro quidquam nunc adiunximus. Nihil enim tibi amplius acceſſit. Nec nos præfectum atque conſulem amamus: ſed dominum meum ſuauiſſimum Anthemium, cum magna prudentia atque ingenij acumine, tum etiam ingenti philoſophia refertum. Ac proinde te quoque beatum prædicamus, non quòd ad hunc thronum euectus ſis, ſed quia vberiorem prudentiæ tuæ atque humanitatis demonſtrandæ materiam accepiſti. Atque ijs omnibus, quibus iniuria fit, gratulamur, latum ſcilicet animę tuæ portum intuentes, eam vim habentem, vt innumera naufragia depellere queas, atque efficere, vt ij, qui in atrociſſimam tempeſtatem inciderunt, ex animi ſententia nauigent. Ac propterea exultamus, & lætitia diffundimur, imperium tuum commune eorum, qui iniuria afficiuntur, feſtum eſſe exiſtimantes. Quo etiã nunc ipſi fruimur, vt qui ex virtutum tuarum magnitudine propriam nobis voluptatem fingamus.

Cyriaco, Demetrio, Palladio, Eclyſio, Epiſcopis CXLVIII.

Laudat eorũ conſtantiã in labore pro Eccleſia.

BEati vos, ac ter beati, ſæpiuſque beati, ob præclaros hos ſudores, & certamina, & ærumnas, ac labores & pericula, quæ pro omnibus orbis terræ eccleſijs ſubijſtis, hincque, tum in terra, tum in mari, tum in cælis gloriam & ſplẽdorem conſecuti eſtis. Siquidem homines omnes, qui quidem mentis compotes ſunt, vos prædicant, ac coronis cingunt, animi veſtri robur, fortitudinem, tolerantiam, atque conſtantiam, ad ſtuporem vſque mirantes. Benignus autem Deus, qui laboribus longè ampliora præmia ſemper cõſtituit, tot tantaque bona vobis rependet, quot quantaque ijs à Deo rependi par eſt, qui pro vniuerſi orbis pace tam ſtrenuè ac fortiter dimicant. Ac propterea nos quoque beatos vos prædicare non deſinimus, incredibilem quamdam voluptatem ex veſtri recordatione perpetuò capientes, voſque etiamſi alioqui longo itineris interuallo à vobis diſiuncti ſimus, animo circumferens. Ac quidem Cerecus, chariſſimus diaconus, nunc nauigare minimè potuit, propterea quòd multo labore confectus erat. At verò domini mei, religioſiſſimus presbyter Ioannes, & chariſſimus diaconus Paulus, cùm vndique exagitarentur ac vexarentur, nec vſquam conſiſtendi ac deliteſcendi poteſtas eſſet, hoc ſibi neceſſariò faciendum exiſtimarunt, vt ad charitatem veſtram ſeſe cõferrent, iſticque vobiſcum eſſent. Quamobrem ipſos cum charitate excipite, eamque, quam par eſt, beneuolentiam ipſis exhibete.

Aurelio, Carthaginis Epiſcopo CXLIX.

Eſt eiuſdem argumenti

PApæ, quanta res eſt, generoſus animus, atque charitatis ac pietatis fructibus abundans: quippe cùm ipſe, tanto itineris interuallo à nobis diſſitus, tamquam præſens, ac nobiſcum degens, nos ceperis, tibique deuinxeris. Siquidem charitatis ardor, eaque odoris ſuauitas, quæ ex tua loquendi libertate ac pietate manat, ad nos vſque, qui in extremo orbis receſſu collocati ſunus, penetrauit. Ac proptèrea ingentes tibi gratias agimus. Propterea, inquam, te beatum prædicamus, quod cùm magnum laborem ac ſudorem pro omnibus orbis terræ Eccleſijs ſuſceperis, maximas tibi apud benignum Deum coronas condidiſti. Teque hortamur atque obſecramus, vt in hoc præclaro certamine perſeueres. Neque enim te fugit, quænam hinc præmia oriantur. Nam ſi quiſpiam vnum aliquem iniuria affectum, ac præter ius læſum ſubleuans, mercedem omni ſermone præſtantiorem à Deo obtinet, cogites velim, quantum ipſe præmium accepturus ſis, qui tot Eccleſias perturbatas, per egregium huiuſmodi ſtudium ac diligentiam, tumultibus ac perturbatione liberes, atque in tranquillum pacis portum appellere ſtudeas.

Maximo Epiſcopis CL.

CVm labores eos ac ſudores, quos diuturno tempore ſubijſtis, animo contemplor, non vulgarem, ſed ampliſsimã quandam iniuriarũ earum, quibus per ſummum ſcelus affectus ſum, cõſolationem capio, veſtrã nimirum vſqueadeo ardentem ac germanam charitatem, ſynceram curã, acerrimamque in ijs malis, quæ contigerunt, corrigendis vigilantiam, maximi ſolatij loco ducens. Siquidem id non mediocri mihi conſolationi fuit, cùm illud mecum reputarem, vos tanto interuallo à me diſiunctos, cùm nec me vmquam vidiſſetis, nec à me viſi eſſetis, nec vllum vmquam ſermonem mecum habuiſſetis, perpetratorum facinorum iniquitate repente commotos, quãtam patres liberos, tantam erga me charitatem oſtendiſſe, imò etiam curæ ac ſollicitudinis magnitudine paternum amorem ſuperaſſe. Ac propterea pietati veſtræ gratiam habeo, voſque mirificis laudibus in cælum fero, petoque à vobis, vt ipſi voſmet imitemini, quamque antehac ſemper animi promptitudinem exhibuiſtis, eam ad extremum perducatis. Vt enim ad ea, quæ acciderunt, ſarcienda, nihil hinc vtilitatis progrediatur, non parua tamen, vt iam dixi, nobis hæc conſolatio futura eſt, quòd tantam à vobis charitatem obtinuerim, atque etiamnum obtineam.

Aſello Epiſcopo CLI.

Hortatur ne labore ſuccumbat.

NOn me fugit, vos literis nihil indigere, quibus excitemini, atque ad ea mala, quæ Orientales Eccleſias inuaſerunt, ſarcienda ſuſcipiatis. Idque per ea, quæ à vobis geſta ſunt, planum feciſtis: quippe qui veſtra ipſimet ſponte tantum ſtudij ac diligentiæ præbeatis. Verùm quoniam huiuſmodi mala, propter eorum, qui ea perpetrarunt, amẽtiam ac ſtoliditatem adhuc à correctione aliena manent, idcirco neceſſarium duximus vos hortari, vt ne animis defatigemini, verùm florentem animi alacritatem adhibeatis, atque à vobis ipſis rurſus omnia conferatis. Nam quò periculoſiore ac incurabiliore morbo laborant, qui aduerſus Eccleſiarum ſtatum ſeditiones agitant, eò quoque grauius ipſorum iudicium erit: ac vobis contrà, quorum animi minimè franguntur ac debilitantur, luculentior merces & maiores coronæ.

Nota. Omnes ferè epiſtolæ vſque ad finẽ in eodem genere argumenti verſantur, vt hortetur ad labores ferẽdo, pro Eccleſia.

Epiſcopis CLII.

ET priuatim ſingulis, & vniuerſim omnibus vobis gratias referre debemus, non nos dumtaxat, ſed etiam omnes Orientales Epiſcopi, diuerſarum vrbium clerici, ac laici, vario & multiplici modo exagitati, quòd paterna viſcera exhibentes, vicem noſtram doluiſtis, fortiterque ſtetiſtis. Nam, quidquid veſtrarum partium erat,

A præſtitiſtis. Ac propterea cuncti vos deprædicant, corona donant, veſtraque egregia facinora in ore habent. Quòd ſi tanti honores vobis ab hominibus habentur, cogitate quæſo quanta vobis à benigno Deo præmia expectanda ſint. Quæ cùm ipſi minimè ignoretis, præſtantiſſimi ac religioſiſſimi domini mei, etiamſi ij, qui eccleſias perturbant, incurabili morbo teneantur, ne tamen, quod poteſtis, remedium afferre deſinatis. Nam quò plura impedimenta, pluresque fluctus, ac maior difficultas fuerit, eò quoque maior vobis merces erit. Nam ſi cuipiam, poculo dumtaxat aquæ dato, huiuſce exiguæ humanitatis præmium minimè defuturum eſt, perpendite quæſo, quantam vos, qui pro perturbatis Eccleſijs tot ac tanta, & facere, & perpeti, in animum induxiſtis, mercedem accepturi ſitis, quantaque vos egregiorum laborum præmia maneant.

Iiſdem CLIII.

B NVmquam vobis gratias habere intermittimus. Etſi enim multas ab hoſtibus iniurias accepimus, tamen plurimum auxilij à vobis, ingentem charitatem, ſynceram humanitatem, feruentiſſimumque ſtudium ſenſimus: ex ijſque rebus non exiguum, tum grauiſſimi exilij, quo detinemur, tum aliorum malorum, quæ nobis illata ſunt, ſolatium habemus. Ac propterea vos rogamus & obſecramus, vt eandem nobis beneuolentiam, idemque ſtudium exhibere pergatis. Neque enim huiuſmodi opera nobis gradum figet, verùm etiam ad communem Eccleſiarum vtilitatem dimanabit. Non enim vna, aut altera, aut tres vrbes, verùm integræ gentes vbique terrarum perturbantur. Ac proinde tantum à vobis ſtudium adhiberi conuenit, quantum ab ijs adhiberi par eſt, qui pro tot animarum ſalute ſtudium laboremque ſuſcipiunt. Quod ſi vosipſos multos iam C labores pertuliſſe, veſtriſque partibus functos eſſe dicatis, nos quoque id exploratum habemus, eoque nomine ſine vlla intermiſſione vobis gratias agimus. Petimus autem à vobis, ne hoc facere deſinatis. Siquidem tolerantia ac patientia veſtra, roburque animi atque conſtantia, eos etiam, qui peruicaciſſimo animo ſunt, ac penè incurabili morbo tenentur, ab ea, qua nunc laborant, dementia abducere poterit. Atque vt etiam nulla eorum morbo afferri medicina queat, at vobis certè plena & cumulata merces erit, bonorumque horum corona integra atque perfecta.

Iiſdem CLIIII.

NOs quidem corporis etiam oculis vos videre cuperemus. Quoniam autem id minimè licet, propterea quòd exilij vinculis conſtricti tenemur, D charitatis oculis vos quotidie cernimus atque amplectimur, plauſuque & admiratione proſequi non deſinimus, quòd tantam animi alacritatem ac ſtudium pro Orientis Eccleſijs ab initio ad hoc vſque tempus conſtanter exhibuiſtis. Voſque rogamus & obteſtamur, vt parem initijs finem præſtetis. Nam cùm ij, qui omnia perturbarunt ac tumultibus impleuerunt, tanta contentione ac peruicacia vſi ſint, multò vtique maiorem vos, qui incommodis acceptis mederi ſtudetis, patientiam ac tolerantiam in huiuſmodi conatu adhibere conuenit. Hac enim ratione maior vobis merces maiuſque præmium erit, ſi, licet impedimenta multa ſeſe vobis iniiciant, vos tamen pedem minimè referatis, verùm rerum difficultatem vigilantia veſtra & ſtudio conſtanter intercludatis.

Chromatio Aquileiæ Epiſcopo CLV.

CLariſſima feruentis tuæ ac ſynceræ charitatis tuba ad nos vſque ſonum ſuum diffudit, magnum quiddam ac diutiſſimè durans ex tanto itineris interuallo ſpirans, atque ad extremos vſque terræ fines pertingens. Nec nos, licet alioqui tam longè diſiuncti, minus, quàm ij qui adſunt, vehementiſſimam atque igne plenam charitatem, ſynceramque & ingenti libertate ac fiducia perfuſam linguam, atque adamantinam contentionem exploratam habemus. Eoque nomine veſtro etiam conſpectu atque congreſſu frui magnopere nobis in votis eſſet. Quoniam autem id quoque nobis ea ſolitudo, qua nunc tamquam compedibus aſtricti ſumus, eripuit, idcirco dominum meum chariſſimum ac religioſiſſimum Presbyterum nacti, cupiditatem noſtram, vt licet, explemus, ſcribentes & ſalutantes, vobiſque pro eo ſtudio, quod toto hoc tam diuturno tempore magna cum animi contentione præſtitiſtis, ampliſſimas gratias agentes. Ac vos rogamus & obſecramus, vt cùm ipſe reuertetur, inſuperque etiam, ſi tabellarij occurrant, qui ad hanc ſolitudinem veniant, de veſtra valetudine ad nos ſcribant. Scitis enim quantam hinc voluptatem percepturi ſimus, cùm de hominum tam ardenter nos amantium proſpera valetudine crebrius ad nos afferetur.

Epiſcopis CLVI.

CLamat quidem vbiq; ipſa quoq; rerũ natura, quauis tuba luculentiorem vocem emittens, præclariſſimũ veſtrum zelum, animiq; pro veritatis defenſione alacritatẽ, quã non itineris lõgitudo, nõ tẽporis diuturnitas, non hominũ inſanabili morbo laborantiũ væſana contentio, non denique aliud quidquã huiuſmodi oppreſſit, aut etiã debilitauit. Ac nos itẽ magnas vobis gratias agere, atque coronarũ earũ nomine, quæ vobis ob præclara hæc certamina à benigno Deo reconduntur, gratulari non deſinimus. Et quidẽ coram etiam vos cernere cuperemus. Quoniam autẽ id minimè fieri poteſt, quòd exilij vinculis aſtricti teneamur, idcirco dominũ meũ chariſſimum ac religioſiſſimum Presbyterũ nacti, per eum ſcribimus, vobiſq; debitum ſalutationis munus perſoluimus: illud vobis ſignificantes, vos vniuerſum Oriẽtem veſtri deſiderio inflãmaſſe, ingentemq; veſtri amorem attuliſſe, atque innumeros homines iuſtæ huiuſce, ob ea flagitia, quæ perpetrata ſunt, indignationis atque iracundiæ ſocios habere. Vos itaque hortamur, vt eãdem animorum promptitudinem ad extremũ vſque præſtetis. Non enim vos fugit, quantas ob breues hos labores coronas accepturi ſitis, nimirum immortalia vobis atque copioſa præmia apud benignum Deum recondentes.

Epiſcopis qui ab Occidente venerant CLVII.

ET quidẽ priùs quoque ſtudium veſtrũ animiq; promptitudinẽ, quam ad Eccleſiarũ detrimẽta ſarcienda præſtitiſtis, firmã etiã ac ſyncerã beneuolentiam, fortitudinẽ, animi conſtantiam ac tolerantiam, quam tandiu præ vobis tuliſtis, maiorem in modum admirabar. Nunc autem ex ingenti animi veſtri vigore ac neruis maximo ſtupore affectus ſum: quippe qui tam longam ac marinam, laborumque & ſudorum plenam peregrinationem vobis, vt eccleſiæ commodis conſuleretis, ſuſcipiendam duxeritis. Ac vellem quidem mihi quoque quàm ſæpiſſimè ſcribere, debitamq; vobis ſalutationem perſoluere liceret. Quoniam autem id minimè licet (quòd in eo loco habitem, qui penè omni aditu caret, ac ſolitudine vndique, tam-

quam

quam muro quodam, interceptus eſt (idcirco nunc chariſſimũ ac religioſiſſimum dominũ meũ Presbyterum nactus, charitatẽ veſtram ſaluto: voſque moneo ac rogo, vt finẽ principijs conſentaneũ atque congruentẽ imponatis. Scitis enim quãta vobis patientiæ merces futura ſit, quantaq; ijs à benigno Deo præmia conſtituta, qui pro publica pace labores ſub eunt, ac tantum certamen ſuſcipiunt.

Iiſdem CLVIII.

NOn paruam, & vobiſipſis coronarum ſegetẽ, & nobis conſolationum materiam, præclariſſimo hoc veſtro ſtudio, laboribuſque ac ſudoribus comparaſtis. Eoq; nomine, tãto etiã itineris interuallo à vobis diſſiti, laudes veſtras prædicamus, vobis gratias agimus, vos deniq; corona donamus, ac beatos cenſemus. Ac vellemus quidẽ frequentius etiam ad vos ſcribere nobis liceret (nã hinc quoq; maximum ſolatium caperemus) ſiquidem, qui literas ferrent, nanciſci poſſemus. Quoniam autem
B nobis, qui ad extremos vſque orbis fines relegati ſumus, id minimè facile eſt, cùm præſertim haud facilè quiſquam ad nos accedere queat, idcirco nunc, cùm chariſſimum ac religioſiſſimum dominum meum Presbyterum nacti ſimus, debitã ſalutationem vobis pendimus: voſque rogamus, vt rei, ſi ſuccedat, magnitudinem animo intuentes, etiã ſi alioqui plurimum iam temporis in ea re conſumptum eſt, atque aduerſariorum peruicacia ingraueſcit, nec curationem vllam etiamnum admittit: tamen, quæ veſtrarum partium ſunt, ad contracta detrimenta ſarcienda conferre ne deſiſtatis. Quò enim maior difficultas eſt, eò quoque maior & vberior egregiorum horum certaminum merces à benigno Deo vobis conſtituetur.

Iiſdem CLIX.

C NOn exiguam malorum eorum, quæ has regiones inuaſerunt, conſolationem ex ſtudij veſtri ac diligentiæ magnitudine capimus. Ac profectò ea quoq;, quæ priùs à vobis facta ſunt, veſtraq; vigilantia & ſtudiũ, tantaque cura ac ſollitudo, ad ingens ſolatium nobis afferendum abundè ſufficiebat. Quod autem nunc adieciſtis, vt pro Eccleſiæ cõmodis tam longum iter ſuſciperetis, nos omnes maiorem quendam in modũ recreauit. Itaque cõmunibus animis ingentes pro tot laboribus ac ſudoribus, præclariſque his certaminibus, gratias vobis agimus, nec pro egregia hac animi promptitudine ac ſtudio beatos vos prædicare deſinimus. Eoque etiam nomine dominum meum chariſſimum & religioſiſſimum Presbyterum, vt ad vos vſq; excurreret, obſecrauimus. Eo igitur ita, vt comitas veſtra poſcit, excepto, velim operam detis, vt finem principijs dignum imponatis. Nam cùm perdita &
D profligata valetudine adhuc ſint, qui tot tempeſtates ac bella eccleſijs attulerunt, eos quidem hoc nomine miſeros exiſtimare lacrymiſque proſequi par eſt, vos autem admirari ac prædicare, quòd, etiam ingraueſcentibus malis maius ſemper ad ea depellenda ſtudium maioremque diligentiam progreſſu temporis adhibetis.

Epiſcopo, qui ab Occidente venerat CLX.

CVm ſudores eos, quos, & domi, & in tam longa ac marina peregrinatione, quam pro eccleſiæ commodis ſubijſti, mecum perpendo, etiam ante finem laudes tuas prædicare, téque corona redimire ac beatum exiſtimare non deſino. Nam ſiue tuo ſtudio ac diligentia aliquid perficiatur, domine mi chariſsime, ſiue in eadem animi pertinacia illi hæreant, ac medicinam omnem aſpernentur, qui hos motus primùm iniecerunt,
A tibi certe ob hunc animum, & quòd ea omnia, quæ tui muneris erant, contuleris, plena & cumulata merces erit. Ac proptereà ſine vlla intermiſſione te beatum prædico ac ſuſpicio, gratiáſque tibi ago. Atque etiam vellem crebrius mihi ſcribere liceret. Quoniam autem huius loci, quo concluſus teneor, ſolitudo mihi hoc ademit, idcirco nunc, cùm mihi chariſsimi ac religioſiſsimi domini mei Presbyteri poteſtas facta eſt, & ſcribo, &, quam debeo, ſalutationem tibi perſoluo. Nam animo quidem ac voluntate perſæpe ſcripſi: chartæ autem atque atramenti opera nunc primùm: quoniam ſcilicet nunc etiam primùm hominem, qui ad vos proficiſceretur, nactus ſum. Cùm igitur hunc, vt humanitas tua poſcit, exceperis, eámque, quam conuenit, erga eum charitatem demonſtraueris, hoc ei des quæſo, vt ex tua beneuolentia ingenti voluptate afficiatur. Non enim magnæ huius ærumnæ, quam in itinere ſubiturus eſt, exiguam conſolationem habebit, ſi ei tua beneuolentia frui cõtingat. Nam quòd, vt eccleſiarum vtilitatibus conſuleret, ſummum ſtudium ac diligentiam adhibuerit, nihil te à me admoneri neceſſe eſt. Id enim rebus ipſis planum fecit.

Romanis presbyteris, qui cum Epiſcopis venerant CLXI.

PLurimum laboris ac ſudoris ſubijſtis, tam longa & maxima peregrinatione ſuſcepta: verùm non pro caducis ac fragilibus huiuſce vitæ rebus, ſed pro eccleſiarum vtilitate, pro qua præmia quoque à benigno Deo laboribus multò maiora atque ampliora referetis. Quamobrem, & vobis, & nobis, veſter hic labor, veſtrúmque ſtudium, non paruæ conſolationi eſt, vobis nimirum, quòd pro tot eccleſiarum pace præclarum hoc certamẽ ſuſcepiſtis, multóque maiores coronas accepturi eſtis: nobis autem, quòd tantam à vobis charitatem conſecuti ſumus, ingénſque tot & tantorum virorum ſtudium obtinuimus: nóſque, etſi, quãtum ad corpus attinet, tanto itineris interuallo à vobis diſiunctos, arctiſſimis charitatis vinculis vobiſcum aſtrinxiſtis. Quapropter ingentes vobis gratias habemus, veſtramque erga nos beneuolentiam prædicare non deſinimus. Quamquam enim eam ipſa quoque rerum vox clamat: tamen nos item lingua noſtra idem efficere non intermittimus. Quòd ſi nunc primùm ad vos ſcripſimus, hoc, non ſocordia, ſed loci ſolitudine factum eſt. Nunc quippe, poſteaquam chariſsimum ac religioſiſſimum dominum meum Presbyterum, eò, vbi degitis, proficiſcentem nacti ſumus, tum eam, quam vobis debemus, ſalutationem perſoluimus, tum vos oramus, vt ea charitate, quæ vobis digna eſt, ipſum excipiatis: cúmque ipſe reuertetur, de veſtra valetudine, de qua aliquid intelligere ſummopere cupimus, certiores nos faciatis. Vt autem eam, quam conuenit, induſtriam ac diligentiam ad eam rem, ob quam veniſtis, adhibeatis, nullius ſubmonitione vobis opus eſſe exiſtimo. Idque per id ſtudium, quod perpetuò præ vobis tuliſtis, perſpicuè declaraſtis.

Anyſio Theſſalonicenſi Epiſcopo CLXII.

SEro quidem ac tardè ad te ſcripſimus: at non ſponte noſtra diuturno hoc ſilentio vſi ſumus, verùm ob loci, quò incluſi tenemur, ſolitudinem, non autem ob ſocordiam in te vllam ac negligentiã. Nunc quippe chariſſimũ ac religioſiſſimum dominum meum Presbyterum nacti, quam iampridẽ debemus, ſalutationẽ tibi perſoluimus, ingenteſque pro ea contentione ac fortitudine, quam eccleſiarum cauſa præſtitiſti, gratias agimus. Cùm igitur eum, chariſſime mi domine, vt humanitas tua poſcit, exceperis, eámque, quam conue-

nit,comitatem & humanitatem erga eũ oſtẽderis, A ne labore te frangi ac debilitari ſinas,atq; quò minus ea,quæ ad communem eccleſiarũ correctionẽ attinẽt,efficias ac moliaris, impediri. Nec enim te fallit,quanta huiuſce rei,ſi ſuccedat,magnitudo ſit, quamque multarum eccleſiarum cauſa præclarum hoc certamen à te ſuſceptum ſit:ac denique quantæ pro laboribus publicæ pacis cauſa ſubitis coronæ tibi à benigno Deo recondantur.

Aniſio, Numerio, Theodoſio, Eutropio, Euſtathio, Marcello, Euſebio, Maximiano, Eugenio, Gerontio & Thyrſo, atque omnibus Macedoniæ orthodoxis Epiſcopis CLXIII.

INgens certè priſtinum quoque veſtræ charitatis ſtudium extitit. Eoque nomine gratias vobis habemus,quòd tam diuturno tempore, cũ ea, quæ à vobis poſtulabatur, fortitudine ſtetiſtis, nemini eorum,qui vos ad ſe arripere conabantur, cedẽtes B ac ſuccumbentes. Itaque vos hortamur, vt eum etiam,quem par eſt, finem imponatis. Nam quò plus veſtri labores fuerint, eò etiam maior merces atque ampliora præmia à benigno Deo referetur. Ac vellem quidem nobis veſtro quoque conſpectu frui daretur. Quoniam autem exilij vincula hoc nobis abſtulerunt, atque in vno loco concluſerunt,chariſſimũ ac pientiſſimum dominum meum Presbyterum miſimus,ac per ipſum, quam debemus,ſalutationem vobis perſoluimus: illudque vobis ſignificamus,nos plurimas atque ingentes ſine vlla intermiſſione vobis gratias agere, atque à vobis petere,vt pro diuturno ſilentio, quo antehac vſi ſumus,veniam nobis tribuatis. Neque enim veſtri cõtemptu atque ſocordia tamdiu ſiluimus: ſed quia nunc primùm hominem,qui eò, vbi nũc vobis ſedes eſt,proficiſceretur, noſtraſq; literas ferre poſſet,nacti ſumus,idcirco nunc denique ad vos ſcribimus, quidque rerum geramus, exponimus. C Poſteaquam igitur eum ſyncero animi affectu ac beneuolentia exceperitis,velim de valetudine veſtra nos certiores faciatis.Siquidem ex huiuſmodi literis, etiam in hac ſolitudine conſtituti, maximam conſolationem habituri ſumus.

Alexandro Corinthi Epiſcopo CLXIIII.

NOn te fallit,quam erga te charitatem præ me tulerim quonamque pacto, etiamſi alioqui mihi exigua tecum conſuetudo fuerit, tui tamen amore,tamquam vinculis quibuſdam aſtrictus ſim. Eaque de cauſa permirum mihi viſum eſt, te tam longo tempore ne ſemel quidem ad me ſcribere D ſuſtinuiſſe. Ac tu quidem ſat ſcio, tabellariorũ penuriam cauſaberis,neque id alienum eſt. Nam etſi multi iſtinc veniunt, nemo tamen eorum huc, vbi nunc degimus,facilè accedere poteſt. Cæterùm,cũ ne ſemel quidem literas abs te acceperim, hac excuſatione minimè ſum contentus. Neque enim ipſe,cùm ad eandem excuſationem mihi confugere liceret,tacui,verùm chariſſimum ac religionis laude præſtantem virum dominum meum Presbyterũ excitaui,& ad te miſi,vt te conueniret, atque hanc noſtram ſalutationem perferret,valetudiniſq; tuæ, de qua aliquid intelligere ſummopere cupio, ſtatũ cognoſceret. Poſteaquam igitur eum amico ac beneuolo animo, eaque,qua conuenit, humanitate, tamquam membrum meum conſpexeris, cùm ad me ſe referet, de tua valetudine certiorẽ me facere ne quæſo graueris. Siquidem literæ tuæ maximam mihi,etiam in ſolitudine conſtituto,conſolationem allaturæ ſunt.

Epiſcopis qui cum Occidentalibus venerant CLXV.

PRiſtinam quidem veſtram animi promptitudinem,atq; ſtudium,quod pro eccleſiarum commodis præ vobis tuliſtis,admirati ſumus. Poſteaquã autem tã longam peregrinationem inſuper adieciſtis,omniq; cunctatione abiecta,forti, vt vos decebat,animo tã lõgum iter ſuſcepiſtis, nõ vulgariter hoc quoq; nomine vos ſuſpicimus:nec vobis,tum nũc per literas,tũ citra literas,gratias agere deſinimus. Nec verò nos dũtaxat,ſed etiã Oriẽtales omnes admiratione afficiũtur,veſtræq; firmitatis atq; conſtantiæ,feruentiſq; charitatis & immotæ ſentẽtiæ præcones ſe præbent. Ac iã,nec itineris lõginquitatem,nec peregrinationis ærumnã,vllo modo graue & moleſtam eſſe ducunt,vt ad vos excurrãt, ac tot veſtra præclara facta cõſpiciant. Eoq; etiam nomine chariſſimus,& inſigni pietate præditus,dominus meus Presbyter,etiamſi alioqui parũ firmo corpore præditus, nihil non ſibi perferendum putauit,vt ad vos ſe conferret, veſtroque conſpectu atq; cõgreſſu frueretur. Poſteaquã igitur ipſum,vt veſtra charitas poſtulat, exceperitis, illud à vobis petimus,vt etiamſi mala ingraueſcunt, vos tamen ijs medicinam afferre ne grauemini, verùm parem initijs finem imponatis. Scitis enim quantam vobis Deus pro ſua benignitate mercedem relaturus ſit, ſi pro tot eccleſijs perturbatis laboretis,nihilque omittatis, quò eas ad tranquillum portum appellatis.

Epiſcopis, qui ab Occidentalibus Epiſcopis venerant CLXVI.

MAgna quidem ac præclara ea quoq; ſunt,quę prius feciſtis, nempe quòd iuſtam, virtutiq; veſtræ conſentaneam ob ea mala, quæ tot Eccleſias occuparunt,indignationem concepiſtis, earũque vicem doluiſtis:neque hîc gradum fixiſtis, verùm etiam,quæ muneris veſtri ratio poſtulabat,ipſi præſtitiſtis. Illud autem longè maximum ac præclariſſimum, quod nunc à vobis factum eſt, nimirum quòd vnuſquiſque veſtrum domeſticis ſedibus relictis tam longam peregrinationem inijt, atque in extera regione commoratur, ac pro Eccleſiarum vtilitate diuturnæ peregrinationis labores ſuffert. Ac propterea vobis gratias agere,voſq; ob tot ac tanta præmia, quæ hoc nomine Deus vobis pro ſua benignitate recondit, admirari ac beatos prædicare nõ deſinimus. Ac quoniam, nos nec ob exiliũ,quo nũc coërcemur, vobiſcum verſari,nec itẽ,quòd,cui literas, demus, haud facilè nanciſcimur,aſſiduè ad vos ſcribere poſſumus (nã alioqui literarum frequẽtia vos obruiſſemus) idcirco chariſſimum ac religioſiſſimum dominum meum Presbyterum (qui etiã ipſe ſponte ſua proficiſci ac vos videre cupiebat) obſecrauimus, vt literas à vobis ad nos obtineret, atque ipſe charitate veſtra corã frueretur. Poſteaquam igitur eum, pro eo atq; vos decet,exceperitis,de veſtra valetudine,cùm licuerit, certiores nos facere quæſo ne grauemini. Siquidem nobis id ſcire ſummo ſtudio eſt : neq; paruam ſolitudinis huius,in qua verſamur, conſolationem hinc accepturi ſumus.

Iiſdem CXLVII.

AMpliſſimas vobis ob tantam animi firmitatem ac ſtudium, curam , laboreſque & ſudores , ac denique ob longam hanc peregrinationem, quam vtilitatis Eccleſiarum cauſa ſuſcepiſtis , gratias agimus . Etenim quantò grauius eos, qui omnia perturbant, iudicium manet, tantò quoque maius vberiuſque vobis præmium expectandum eſt,qui ad ea,quæ ab alijs ſce-

Digitized by Google

leratè ac nefariè admiſſa ſunt, corrigenda, tantum patientiæ ſtudijque adhibuiſtis. Atque vtinam coram quoque vobiſcum congredi poſſemus. Quod quoniam nobis exilij neceſſitas ademit, tandē aliquando atq; ægrè ornatiſſimum ac religioſiſſimum dominum meū Presbyterum ad vos proficiſcētem nacti, has literas miſimus, quibus debitum vobis ſalutationis munus pendimus, ac, tum pro præſentibus veſtris officijs, tum pro eo, quo flagratis, ſarciēdorum incommodorum zelo, gratias agimus. Nam etſi nihilo meliore ſtatu res: tamen ipſi, quod muneris veſtri erat, præſtitiſtis. Eoque nomine plena numeriſque omnibus abſoluta merces à benigno Deo vobis conſtituta eſt, vt qui ad medicinam admiſſis ſceleribus afferendam tanto ſtudio tantaque animi alacritate pepetuò vſi ſitis.

Proba matronæ Romanæ CLXVIII.

ETſi longo itineris ſpatio abs te diſiūctus ſum: tamen ſynceram ac feruentem tuam charitatem, non ſecus ac ſi coram eſſem, tuaq; omnia cernerem, certò expertus ſum, ijs nimirum, qui iſtinc ad nos veniunt, ea de te afferētibus, quæ audire cupiebam. Eaq; de cauſa multas atque ingentes tibi gratias habeo, atq; ob iſtum tuum animū glorior, meque effero: viroſq; mihi clariſſimos, religioſiſſimum Presbyterū Ioannem, & ornatiſſimum diaconum Paulum tibi commendo, atque ad tuas manus velut ad portum tranſmitto. Abs te igitur, lectiſſima & nobiliſſima domina mea, peto, vt, quemadmodū humanitas tua poſcit, ipſos videas. Nec enim te fallit, quantam huiuſce comitatis mercedē relatura ſis. Ac, quā ſæpiſsimè licebit, de tua valetudine, de qua, vt nobis vehementer chara, aliquid intelligere vehementer aueo, fac me certiorem.

Iulianæ CLXIX.

QVo grauiore pœna mulctati ſunt, qui tot ſcelera perpetrarunt, eò quoque vobis, qui tot ſcelera tollere ac delere ſtuduiſtis, tantumque laboris & ærumnæ ſuſcipitis, amplior merces futura eſt. Neque enim nobis obſcura fuit ea beneficētia idque ſtudium, quod & in negotio, de quo agitur, & in excipiendis benigneque complectendis ijs, quos iſtuc miſimus, præſtitiſtis. Eoque nomine gratias vobis habemus, voſque rogamus & obſecramus, vt in eodem ſtudio & alacritate permaneatis, ac firmius etiam & valentius animi robur & fortitudinem adhibeatis. Neque enim vos fugit, quanta huiuſce præclari facti magnitudo ſit, quantamq; mercedem percepturæ ſitis, tantos motus, ac tam ſæuos fluctus, quantum in vobis eſt, compeſcentes, eamque quam par eſt, acceptis incommodis medicinam afferentes.

Italicæ CLXX.

IN externis negotijs, vt natura, ita etiam actione atque adminiſtratione, diſtincti ſunt hi ſexus, nimirum vir & mulier. Sic enim moribus comparatū eſt, vt mulier domi ſe teneat, vir autem publica & forenſia negotia ſuſcipiat. At in diuinis certaminibus, iiſque laboribus, qui Eccleſiæ cauſa ſubeūtur, locum haudquaquam hoc habet: verùm fieri poteſt, vt fœmina in præclaris his certaminibus laboribuſque capeſſendis virum quoque fortitudine animique firmitate ſuperet. Quod etiam indicans Paulus, in ea Epiſtola, quam ad patriam veſtram ſcripſit, complures fœminas ampliſsimis laudibus effert, ipſas nimirum haud parum in eo elaboraſſe afferens, vt viros etiam corrigerent, atque ad officium reuocarēt. Quorſum autem hæc commemoro? Nempe ne alienum vobis exiſtimetis, ſtudium illud, ac labores eos attingere, quæ ad Eccleſiaſticarum rerum emendationem cōducunt: verùm &, quod primum eſt, per voſipſas, & per alios, quorum opera vti licebit, ad ſedandam communem tempeſtatem ac perturbationem, in quam Orientis Eccleſiæ inciderunt, eam, quam conuenit, curam ac diligentiam adhibeatis. Nam quò atrocior tempeſtas & grauiores procellæ extiterunt, eò quoque maior copioſiorque merces vobis referetur, ſi, vt turbatam pacem reducatis, nihil non agere ac perpeti in animum inducatis, omniaque ea, quæ commota & perturbata ſunt, in congruenti ſtatu collocare ſtudeatis.

Montio CLXXI.

ETſi, quantum ad corporis præſentiam attinet, procul à te ſemotus ſum: at animi tamen affectu propinquus ſum, tecumque quotidie verſor, ac te amplector, nimirum ardentem tuum erga me amorem, hoſpitalitatem, comitatem, ingentem obſeruantiam atque ſtudium, quod mihi ſemper præſtitiſti, mecum reputans, tuique memoriam pro delicijs habens, ſynceramque tuam beneuolentiam ac doli expertem apud omnes prædicans. Eaque de cauſa literarum tuarum deſiderio teneor: téque rogo, vt quàm ſæpiſsimè ad me ſcribas, méque de tua valetudinè certiorem facias: quò ingentem hic conſolationem capiam, de valetudinis tuæ firmitate, quæ mihi ſummæ curæ eſt, aliquid intelligens. Quare ne me quæſo hac voluptate carere ſinas: verùm, quoties facultas dabitur, hæc ſcribe, lætoque nuntio nos dona.

Helladio CLXXII.

QVamquam mihi exigua tecum hactenus cōſuetudo fuit, magnum tamen ſynceri tui atque ardentis erga me amoris experimentum cepi. Etenim inſignes ac generoſæ animæ breui temporis momento eos, qui ad ſe adeunt, ſibi deuinciūt. Id quod ſcilicet ipſe quoque feciſti, vt qui breui tēpore tam acrem tui amorem mihi attuleris. Ob eāque cauſam ad te ſcribo, rerúmq; mearum ſtatum expono, nempe quòd in magna quiete atque otio degam, méque hîc omnes diligenter ac ſtudioſè colant atque obſeruent, magnaque cum beneuolentia conſpiciant. Vt igitur rebus quoque tuis cognitis læto animo ſim, ſcribere ad me quā ſæpiſſimè, ac de tua valetudine certiorem me facere ne graueris. Huiuſmodi enim literis abs te acceptis, ingenti hinc conſolatione afficior.

Euethio CLXXIII.

ETſi corpore abs te remotus ſum, amore tamen ac beneuolentia cum animo tuo deuinctus ſum. Huiuſmodi videlicet amicitiæ pignora nobis inieciſti, dum tantam erga me obſeruantiam ac beneuolentiam iſtic præ te tuliſti. Ob idque, quemcūque in locum acceſſerim, gratias tibi agere minimè intermitto. Ac te rogo, vt ad me quàm ſæpiſſimè ipſe quoque ſcribas, ac de tua valetudine me facias certiorem. Ego enim, via omni tranquillè ac tutò decurſa, Cucuſi dego, loci quietem otium pro delicijs habens, atque ingentem omnium obſeruantiam & beneuolentiam obtinens. Vt igitur valetudine quoque tua cognita lætitiam concipiam, da operam, vt crebras, imò aſsiduas literas, quæ de tua totiúſque domus tuæ valetudine, quę volumus, nuntient, ad nos mittas. Hinc enim ampliſsimam conſolationem percipimus.

Digitized by Google

S. IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI CONSTANTInopolitani, in ſanctum Martyrem Ignatium, magnæ Antiochiæ, Archiepiſcopum, Romam abductum, ibique martyrio affectum, atque inde rurſus Antiochiam tranſlatum laudatio.

Petro Franciſco Zino, Interprete.

Simile.

QVI ſumptuoſis ac ſplendidis cõuiuijs delectantur, ea crebrò viciſſim inter ſe celebrant, tum vt diuitias oſtentent ſuas, tum vt beneuolentiam in amicos præ ſe ferãt. Talis eſt etiam ſpiritus gratia, quæ nobis & proprias opes oſtendit, atque exhibet, & magnam erga amicos Dei charitatem declarat. Frequentes nobis ac mutuas martyrum menſas apponit. Heri puella planè adoleſcens, vt virgo, beata martyr Pelagia, magna cum lætitia conuiuiũ nobis exhibuit. Hodie celebritatem illius beatus hic, ac generoſus martyr Ignatius viciſſim excepit. Diuerſæ quidem perſonæ, ſed vna menſa: variæ pugnæ, ſed corona eadẽ. Diſparia certamina, ſed idem brauium. In certaminibus enim externis, quia labores ſunt corporum, meritò viri tantùm admittuntur. Hic autem quoniam totum certamen ad animum ſpectat, vtrique ſexui ſtadium aperitur. Vtrique generi conſident ſpectatores. Nec viri tantum accingunt ſe, ne ad naturæ infirmitatem fœminæ confugientes probabilem habere videantur excuſationem. Nec ſolæ fœminæ ſe fortiter gerunt, ne virorum genus rubore perfundant. Sed & hinc, & inde multi publi- C cantur victores, & coronas aſſequuntur. (Gal. 3.) Vt ex ipſis operibus intelligas, in *Chriſto Ieſu, neque maſculum, neque fœminam*, nec ſexum, nec corporis imbecillitatem, neque ætatem, nec aliud quidquam eiuſmodi, pietatis curſum conficientibus, impedimentum afferre poſſe, modo generoſa alacritas, & promptus animus, & Dei timor ardens, atque inflammatus, in cordibus noſtris radices egerit. Idcirco & virgines puellæ, & viri, & iuuenes, & ſenes, & ſerui, & liberi, & omnis ordo, atque ætas omnis, & ſexus vterque, ad hæc certamina accinguntur, nec vlli omnino ſua fruſtrantur ſpe, qui ſtrenuum animi propoſitũ, ad has pugnas attulerit. Tempus igitur iam ad præclara huiuſce viri facinora declaranda nos vocat. Sed deterretur animus, ac perturbatur, dum in tanta, quæ nos vndique circumfluit laudum copia, hæſitat quid primum, quid ſecundum, quid tertium D dicere aggrediatur. Atque idem nobis euenit, vt ſi quis in pratum ingreſſus, & multas roſas, violas multas, ac lilia, & alios vernos flores varios ac diuerſos intuitus, ambigat, quem primo loco, quem ſecundo perſpexerit, dum ſinguli flores oculos ad ſe rapiunt. Eodem modo nos item afficimur: dum in hoc ſpirituale pratum Ignatij virtutũ ingreſſi, & nõ flores, ſed ipſos Spiritus fructus varios, ac diuerſos, in eius anima contemplantes, commouemur, ac dubitamus vnde potiſſimum exordiamur, dum ſingula, quæ conſpeximus, ab alijs nos auocant, & ad proprium dedecoris ſplendorem oculos animi, & mentis aciem inuitant. Vos enim ipſi conſiderate: Eccleſiam noſtram hic rexit, tam generoſè, & tanta cum diligentia, quantã Chriſtus requirit. Quem enim ille maximum terminum, & regulam epiſcopis ſtatuit, eam hic factis ipſis expreſſit. Nam cùm Chriſtum audiuiſſet dicentem: (Ioan. 10.) *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus*, omni fortitudine eam pro ouibus profudit. Cum Apo- A ſtolis verſatus eſt, & fluenta hauſit ſpiritualia. Qualem igitur eum eſſe decet, qui cum illis educatus eſt, & vbique familiariter vixit, & omnium quæ ab illis vel dicta ſunt, particeps fuit; & tanto principatu dignus ab ipſis eſt iudicatus? Rurſum affuit tempus, quod fortitudinem exigebat, & animũ omnia præſentia deſpicientem, quique cum amore diuino viueret, & inuiſibilia viſibilibus anteferret. Tam facile igitur carnem depoſuit, quã quiuis alius veſtem exuiſſet. Quid igitur primũ perſequemur? Apoſtolorum doctrinam quam ſemper prædicauit? an præſentis vitæ contẽptum? an virtutis præſtantiam, qua eccleſiam adminiſtrauit? Priúſne illũ laudabimus Martyrem? an Epiſcopum? an Apoſtolum? Triplicem enim, imò verò multiplicem coronam gratiæ Spiritus contexuit, qua ſanctum illius caput redimiuit. Si quis enim diligenter coronas ſingulas cõſideret, inueniet & alias nobis ger- B minantes. (Laudat Ignatiũ ab Epiſcopatu.) Ac principio, ſi vobis placet, ab Epiſcopatus laudibus incipiamus. Videturne vobis hæc ſimplex corona? Age igitur conſideremus & duas, & tres, atque adeò plures inde nobis partas cõſpicietis. Neque enim ego virum hunc tantummodo, quòd tanto honoris gradu dignus ſit habitus, admiror, ſed quòd à ſanctis illis dignitatem obtinuerit, quodque beatorum Apoſtolorum manus ſacrũ illud caput attigerint. Nec quòd maiorem è cælo gratiam ſit aſſecutus, aut quòd ſuper ipſum maior vis ſpiritus venerit: ſed quòd omnes, quæ in hominibus eſſe poſſunt, in eo virtutes extiterint. Hoc autem quid ſibi velit, expono. Paulus ad Titum ſcribens: (Cùm autem Paulum dico, non hunc ſolum intelligo, ſed & Petrum, & Iacobum, & Ioannem, atque omnem ipſorum chorum. Quemadmodum enim in lyra cum diuerſæ ſint chordæ, vnus tamen concentus eſt: ſic etiam in Apoſtolorũ choro, quamuis ſint diuerſæ perſonæ, vna tamẽ doctrina eſt, quandoquidem & vnus artifex eſt Spiritus ſanctus, qui ipſorum animos mouet: idque Paulus oſtendens, ſiue igitur, inquit, illi, ſiue ego, ſic prædicamus.) Hic ergo ſcribens ad Titum, & docẽs qualis Epiſcopus eſſe debeat: *Oportet*, inquit, *Epiſcopum* (Tit. 1.) *ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non violentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum, ſed hoſpitalem, benignum, prudentem, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, amplectentem eum, qui ſecundũ doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt potens ſit, & alios exhortari doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Et ad Timotheum, eadem de re ſcribens: *Si quis*, inquit, (1. Tim. 3) *Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, ſobriũ, prudentem, ornatum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum.* Vides quanta virtutis excellentia in Epiſcopo requiratur. (Simile.) Quemadmodũ enim pictor egregius colores varios cõmiſcet, vt exemplũ imaginis regiæ, quam expreſſurus eſt, ita diligenter conficiat, vt qui eam depicturi ſunt, omnes habeant quod imitẽtur: ſic & ſane beatus Paulus tamquam regiã quãdam effigiem pingens, & exemplar ipſius conficiens, varios virtutis miſcet colores, nobiſq; formã Epiſcopalem ad imitandum propoſuit, vt qui ad hanc dignitatem prouehuntur, ad illam reſpicientes, actiones ſuas omnes dirigant, ac moderentur. Auſim igitur affirmare totã hãc formam in animo ſuo beatum Ignatium expreſſiſſe. Nam & irreprehenſibilis fuit, & ſine crimine. Non autẽ ſuperbus, neque iracundus, nec vinolentus, nec percuſſor, nec litigioſus nec cupidus, ſed iuſtus, ſanctus, continens, amplectens eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ſobrius, prudens, ornatus, &c. quæ Paulus exegit. Et quinam ſunt horum teſtes? Iidem ipſi qui hæc dixerunt, qui hunc etiam elegerunt. Neque enim qui tantam diligentiam adhibendam cenſuerunt, in ijs approbandis, qui in hoc dignitatis ſolio eſſent cõceſſuri,

obiter

obiter ipſi aut negligenter id peregiſſent, vt niſi cunctas in martyris animo virtutes conſpexiſſent, hanc in illum dignitatem conferrēt. Norant enim planè quàm periculosè agerent, qui in ijs optionibus ſeſe gererent negligenter. Quod quidem rurſus oſtendens Paulus, ad eundem Timotheum ſcribens:

1. Tim. 5.

Manus, inquit, *citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis*. Quid ais? alius peccauit, & ego criminum & ſupplicij particeps ero. Quidni, inquit, cùm improbo dederis occaſionem? ſicut enim qui furioſo, atque ebrio, acutum gladium præbet, quo quidem ille furens cædē faciat, is cædis ſuſtinet culpam: ſic etiam qui improbè viuenti, dignitatis huius exhibet facultatē, totum peccatorum illius & facinorum ignem trahit ſuper caput ſuum. Etenim qui radicis eſt cauſa, is omnium ex radice prouenientium author eſt.

Simile.

B

Quinetiam eò duplex mihi videtur eius corona Epiſcopatus, quòd dignitas eorum, qui manus illi impoſuerunt, omnium ei virtutum teſtimonium exhibuit. Vultis vt aliam etiam vobis ex hoc ipſo pullulantem coronam aperiam? Tempus animaduertite, quo dignitatem hanc eſt aſſecutus. Neque enim eadem eſt nunc, quæ tunc erat, eccleſiam gubernandi conditio. Non æqualis eſt labor: viam tritam, & planè paratā poſt multos ingredi viatores: atque eam, quæ nunc primò ſecanda eſt, quæque prærupta, & ſaxoſa, feriſque plena, nec vllum adhuc viatorem admiſit. Hoc quidem tempore, per gratiam Dei, nullum Epiſcopis periculum imminet, ſed pax vndique profunda, & tranquillitate cuncti perfruimur, cùm pietatis verbum orbis terrarum terminos occuparit, & qui regna, atque imperium obtinent, eandem quam nos fidem ſtudioſè colant, atque obſeruent. Tunc autem nihil erat eiuſmodi. Sed quocumque quis oculos verteret, vbique præcipitia, barathra, & bella, & pugnæ, & pericula; imperatores & reges, & populi, & ciuitates, & domeſtici, & alieni, credentibus inſidias tendebant.

C

Neque verò id ſolùm erat graue, ſed etiam quòd credentium plerique, vtpote tunc primùm noua dogmata deguſtantes, magna egebant ſollicitudine, & erant imbecilliores, & ſæpe ſupplantabantur, quod quidem non minus affligebat doctores, quàm extrema bella. Quinetiam multò magis. Externæ enim pugnæ atque inſidiæ propter repoſitæ mercedis ſpem voluptatem etiam aliquam afferebant. Idcirco, & apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij diſcedebant, quòd verbera pertuliſſent. Itaque Paulus etiam clamat, *gaudeo*, inquiens, *in infirmitatibus meis*, & ſemper in tribulationibus gloriatur.

Act. 5.
2. Cor. 10

Domeſticorum autem vulnera, & fratrem lapſus, nec reſpirare quidem illos permittebat, ſed ſemper veluti graue quoddam iugum ceruices animorum ipſorum aſſiduè premebat & affligebat.

D

Audi igitur quomodo Paulus, ita gaudens in paſſionibus, acerbè doleat & conficiatur. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Et rurſum: *Timeo ne veniens, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar à vobis, qualem non vultis*. Et paulò poſt: *ne cùm venero ad vos, humiliet me Deus, & lugeam multos ex ijs, qui antè peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam geſſerunt*.

2. Cor. 11
2. Cor. 12
Ibid.

Semper denique cernis ipſum in lacrymis & lamentationibus propter domeſticos uerſari, & propter eos qui crediderant, vereri, & contremiſcere. Quemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quòd vectores poſſit in portum incolumes ducere, cùm mare tranquillum eſt, cumque nauis fertur ventis ſecundis: ſed cùm inſaniente pelago, ventiſque ſæuientibus, qui in naui ſunt, inter ſe diſſentiunt, magna tempeſtate intus & foris nauigantes exagitante, nauim tamen poteſt dirigere, & conſeruare: Sic eos qui tunc Eccleſiam regebant, multò magis, quàm illos, qui

Simile.

A

eam in præſentia gubernant ſuſpicere debemus, & admirari, quando multa bella intus & foris; quando fidei planta imbecillior erat adhuc, & diligentiæ magis indigebat. Quando veluti modo genitus infans Eccleſiæ populus, magnam prouidentiam, atque ſapientiam, qua lactarentur animæ, poſtulabat. Verùm vt planius intelligatis quot eſſent coronis digni, qui tunc Eccleſiam regendam ſuſcipiebant, & quot labores in principio atque diſcrimina illic eſſent ſubeunda, Chriſti vobis teſtimonium afferam, qui ea, quæ à nobis dicta ſunt, approbata, & ſententiam meam confirmat. Cùm enim multos ad ſe conuenientes aſpiceret, velletque Apoſtolis demonſtrare, quòd magis quàm illi laboraſſent prophetæ: *alij*, inquit, *laborauerunt, & vos in labores illorum introiſtis*. Ioan. 4.

B

Atqui multò plus apoſtoli quàm prophetæ laborarunt. Attamen quia pietatis verbum priores illi ſeminarunt, & ignaros hominum animos ad veritatem adduxerunt, ipſis laboris plus attribuitur. Neque enim æqualis eſt labor, non eſt profectò poſt multos alios doctores, aliquem erudire, & primùm ipſum ſemina iacere. Quod enim meditatione, & conſuetudine paratum eſt, facilè percipitur: quod autem nunc primum auditur, diſcentium animos perturbat. Et propterea ab apoſtolo declinabant, accuſantes eum, atque dicentes, *Noua quædam inſers auribus noſtris*. Nam etiam hoc tempore labores, ærumnaſque multas gubernatoribus præbet eccleſiæ præfectura: cogita, quantò plures, maioreſque tunc erant labores: tum pericula, & pugnæ, & inſidiæ, & terrores perennes inſtabant. Act. 17.

Verbis explicari non poteſt difficultas, quam ſancti illi viri tunc ſuſtinebant. Is ſolus eam nouerit, qui re ipſa illam experietur. Quartam præterea coronam adiungam, quæ ſe nobis offert ex hoc Epiſcopatu. Quænam eſt iſta? Quod ipſe nimirum patriam noſtram gubernauit.

C

Si enim centum homines, vel etiam quinquaginta regere difficile eſt, quantæ virtutis ac ſapientiæ debet exiſtimari tam celebrem vrbem adminiſtrare, & eum populū regere, qui ducenta contineat hominum millia? Etenim quemadmodum in exercitibus legiones prætoriæ, quæque digniores, plenioreſque ſunt, peritioribus ducibus committuntur; ſic etiam in ciuitatibus, quæ maiores populatioreſque exiſtunt, probatioribus viris aſſignantur. Simile.

Quamquam & præcipua Deo huiuſce ciuitatis cura fuit, id quod & re ipſa planè declarauit. Siquidem illi totius orbis terrarum doctorem præfecit Petrum, cui claues cælorum dedit, cuius arbitrio, & poteſtati cuncta permiſit. Matth. 16

Hunc ibi longo tempore iuſſit commorari. Quamobrem vniuerſo orbi ex altera parte reſpondet ciuitas noſtra. Sed quia putei mentionem feci, quintam ex ipſo contextam coronam animaduerti.

D

Quoniam illi in Epiſcopatus Antiochenſis dignitate ſucceſſit. Nam vt ſi quis è fundamentis magnum lapidem eruat, alterum omnino parem in eius loco conetur conſtituere, alioquin totum ædificium labaſcet, & corruet: ita cùm Petrus Antiochia eſſet diſceſſurus, alterum Petro parem præceptorem gratia Spiritus ſubſtituit, ne inchoata iam ædificatio ſucceſſoris contemptu debilior fieret. Quinque coronas igitur enumerauimus: ex Epiſcopatus amplitudine, ex electorum dignitate, ex difficultate temporum, ex ſolio cui Petrus inſederat, ex virtute illius: qui ei tradidit præfecturam. Has omnes corouas contexuimus, quibus & ſextam, & ſeptimam, & his etiam plures licebat adiūgere. Verùm ne totum tempus in Epiſcopatus conſideratione collocantes, ab ijs, quæ ad eum, vti martyrem ſpectant, enarrandis excludamur, agè deinceps ad illius certamina contētendamus. Graue olim aduerſus eccleſias excitatū eſt bellum & ſæuiſſima tyrannide orbem occupāte, è medio foro homines corripiebantur, nullius

Laudat D. Ignatium a corona Martyrij.

A obnoxij culpæ, ſed quod ab erroribus recedentes, ad veram pietatis religionem accurrebant: quòd à dæmonum ſuperſtitione diſceſſerant: quòd verũ Deum agnoſcebant: quòd filium eius vnigenitum adorabant: atque ita omnes Chriſti fidem amplexi, cùm eſſent omni dignitate, & adminiſtratione atque honore digni, grauiſſimis atque innumerabilibus cruciatibus & ſupplicijs afficiebãtur. Verſutus enim diabolus, & ad ſtruendas aptus inſidias, exiſtimabat, ſi paſtores ſuſtuliſſet, ouilia ſe facile direpturum. Sed qui comprehendit aſtutos in eorum aſtutia, oſtendens eccleſias ſuas non ab hominibus gubernari, ſed eos, qui in in ipſum credunt, ſemper à ſe regi, id fieri permittebat, vt cùm cerneret, rectoribus ſublatis, non tamen religionem deleri, nec veritatis prædicationem extingui, ſed potius augeri: ex rebus ipſis, & ipſe, & qui ei inſeruiebant, omnes intelligerent, Chriſtianorum B diſciplinam non ab hominibus pendere, ſed in cælis radices agere, Deumque eſſe, quòd vbiq; eccleſias tueretur, & qui cum Deo bellum gererent, nũquam poſſe diſcedere ſuperiores. Neque verò id ſolùm diabolus, ſed aliud non minus graue machinabatur. Nam cùm vrbium præfectus ad trucidandos Epiſcopos imbellebat: tum etiam operã dabat, vt in externas ciuitates abſtracti è medio tollerentur. Id autẽ agebat, ſimul vt neceſſarijs rebus ſpoliarẽtur, ſimul vt itineris labore confecti redderẽtur imbecilliores. Quod in hoc etiam beato Viro perfecit. Ex noſtra enim ciuitate Romã abducendũ curauit, longiora ipſi curſus ſpatia præponens, vt & itineris & temporis longitudine, viri conſtantiã labefactaret. Ignarus quòd tam longæ viæ Ieſum comitem haberet, quodque fortior euaderet, & virtutis, quæ ſecum eſſet, maius argumentum præberet, & Eccleſias vehementer cõfirmaret. Ciuitates enim quæ in via erant, vndiq; concurrentes, pugi- C lem excipiebant, & cum magno commeatu dimittebant, precibus & legationibus ipſum adiuuantes. Et ipſi conſolationem non vulgarem ex ipſo percipiebant, cernentes martyrem tanta cum alacritate ad mortem currere, vtpote qui ad regna cælorum proficiſceretur. Ac re quidẽ ipſa, ex prompta illius hilaritate dicebant, eam non eſſe mortem, ad quam properabat, ſed peregrinationem quandã, & tranſitum atque aſcenſum in cælum. Hæc autem tum dictis, tum factis in tota ciuitate docens diſceſſit. Et quemadmodum Iudæi cùm Paulum vinctum Romam mittendũ curarunt, opinati ſunt ſe illum ad mortem mittere, attamen Iudæis illic habitantibus miſerunt præceptorem: ſic etiam planè in Ignatio factum eſt. Neque enim ſolis Romæ habitantibus; verumetiam omnibus in toto illo itineris ſpatio, ciuitatibus interiectis admirabilis magiſter extitit, præſentem vitam contemnendam D docens, & ea, quæ cernuntur, pro nihilo ducenda, futura autem diligenda, & oculos in cælum tollẽdos, nihilque quod in hac vita poſſit accidere, quantumuis graue, formidandum. Hæc enim, & his plura, re ipſa, factiſque comprobans iter faciebat: tamquam ſol quidam ab oriente exoriens, & ad occaſum currens, inde verò ſole ipſo ſplendidior multò. Sol enim è ſuperioribus partibus currebat, ſenſibilem oculis lucem impertiens: Ignatius autem deorſum ſplendebat, intelligibile doctrinæ lumen animis infundens. Et ille quidem in occidentis partes inferiores deſcendens, abſconditur, ac noctis tenebras confeſtim obducit: hic autem ad occaſus partes accedens, ſplendidius in illis eluxit, & de omnibus in tota illa via eſt optimè meritus, cumque Romam perueniſſet, eam ipſam vrbem docuit philoſophari. Idcirco enim Deus permiſit illic eum vitæ finem implere, vt mors eius omnibus Romam incolẽtibus pietatis magiſtra eſſet. Vos enim per gratiã Dei, nulla amplius egebatis inſtitutione, cùm eſſetis in fide radicati, & fundati. At illi qui Romæ tunc habitabant, cùm illic magna vigeret impietas, maiore auxilio indigebant. Ideò Petrus & Paulus, & Ignatius poſt illos, ibi fuerunt immolati: vt ciuitatem illam idolorum cruoribus pollutam, proprio ſanguine abluerent, & operibus ipſis reſurrectionis Ieſu Chriſti crucifixi teſtimonium afferrent, demonſtrantes ijs, qui Romæ degebant, ſe præſentem vitam tanta cum voluptate numquam fuiſſe deſpecturos, niſi ſibi omnino perſuaſiſſent, quòd ad crucifixum Ieſum eſſent aſcenſuri. Hoc enim reſurrectionis argumentum eſt maximum, quòd Chriſtus immolatus tantam poſt mortẽ potentiam oſtenderet, vt viuentibus hominibus perſuaderet, pro ſui nominis confeſſione, non modò patriam, & domos, & amicos, & propinquos, & vitam ipſam aſpernandam & contemnendam: ſed loco præſentium voluptatum, & verbera, & pericula, & mortem eſſe ſubeunda. Hæc enim non defuncti, neque in ſepulchro degentis, ſed eius qui ſurrexiſſet, ac viueret, præclara ſunt opera. Quomodo enim eſſet veriſimile, vt cùm ipſe viueret, omnes Apoſtoli, qui cum illo verſati fuerant, timore conterriti, adeò fuerint imbecilli, vt præceptorem prodiderint, & aufugerint: poſteaquam autem defunctus eſſet, non ſolùm Petrus & Paulus, ſed etiam Ignatius, qui nulla cum ipſo neceſſitudine, aut familiaritate coniũctus fuerat, tantam pro illo animi promptitudinem oſtenderet, vt pro eo vitam ipſam profundere non recuſaret. Vt igitur illi, qui Romam incolebant, hæc eſſe vera, re ipſa cognoſcerent, permiſit Deus eum ſanctum virum illic morte affici. Quòd autem hæc ſit cauſa, ex genere ipſius mortis conabor oſtendere. Neque vt extra muros in barathro, aut in carcere, aut in angulo aliquo occideretur, damnatus eſt: ſed in medio theatro, vniuerſa ciuitate ſurſum conſidente, & ſpectante, beſtijs in ipſum immiſſis, & concitatis, martyrium pertulit: vt ſub omnium oculis aduerſus diabolum trophæum erigeret, cunctoſque ſuorum certaminum imitatores efficeret, cùm non modò fortiter, ſed etiam cum lætitia mortem oppeteret, feraſque cum voluptate ſpectaret, non quaſi raperetur è vita, ſed tamquam ad vitam meliorem ac præſtantiorem vocaretur. Vnde hoc fit perſpicuum? Ex verbis, quæ moriturus loquebatur. Cùm enim id genus ſupplicij ſibi eſſe ſubeundum intellexiſſet, Ego, inquit, feras illas adiuuarem. Sic enim agunt, qui amant, cum pro ijs qui amantur, aliquid patiuntur: nam cum gaudio id faciunt, tuncque ſibi videntur optatis perfrui, cùm ea, quæ perferunt, ſunt quam grauiſſima. Quod quidem in hoc item contigit: ſiquidem non mortem ſolùm, verumetiam alacritate ſtudebat apoſtolos imitari. Et non ignorans quod illi vapulantes cum gaudio ibant è conſpectu concilij, voluit etiam ipſe non morte, ſed etiam lætitia magiſtris eſſe ſimilis, idcirco feras, inquit, adiuuarem. Ac multò quidem mitiora cenſebat ora ferarum, quàm tyranni linguam. Nec immeritò, ſiquidem hæc ad gehennam vocabat: illa autem ad regnum mittebant. Cùm igitur illic vitã poſuiſſet, imò verò in cælum profectus eſſet reuerſus eſt deinceps coronatus. Etenim id quoque fuit Dei benignitatis, qui diſpoſuit eum rurſus ad nos redire, & ciuitatibus martyrem impartiri. Roma enim ſtillantem ipſius ſanguinem excepit. Vos autem reliquias eius ſuſcepiſtis. Vos illius Epiſcopatu gauiſi eſtis: illi martyrio ſunt lætati. Certantẽ illi, & vincentem, ac coronatum conſpexerũt. Vos perpetuò illum poſſidetis. Exiguũ ad tempus eum vobis ademit Deus, ſed maiore cum gratia reſtituit. Et quemadmodum pecuniam mutuantes, cũ fœnore ea reddunt, quæ acceperunt. Sic etiam Deus pretioſum hũc theſaurum pauliſper ſuſcipiẽs, vt oſtenderet Romæ, maiore cum gloria illum vobis retulit.

Digitized by Google

retulit. Emiſiſtis enim Epiſcopum, & martyrem A
receptiſtis. Emiſiſtis cum precibus,& cum coronis ſuſcepiſtis. Nec verò vos ſoli, ſed cunctæ quæ interiectæ ſunt ciuitates. Quomodo enim eas affectas exiſtimatis, cùm reportatas reliquias cernerent? Quem voluptatis fructum percipere? Quanta lætitia geſtire? quam fauſtis vndique acclamationibus coronatum amplecti? Quemadmodum pugilẽ generoſum, qui omnes deuicerit aduerſarios, ſpectatores è cauea cum plauſu conſurgentes ſublimem ſtatim excipiunt, nec terram attingere patiuntur, ſed humeris ſublatum, innumerabilibus laudibus ornantes, domum reportant: ſic vtique & ſanctum illum omnes ex ordine ciuitates ab vrbe relatum ſuſcipientes, humeriſque geſtantes, Antiochiam vſque ſunt comitatæ, martyrem coronatum concelebrantes, collaudantes victorem, diabolum deridentes, quòd è contrario illi verſutia ſucceſſiſſet. Quod enim in Martyrem ſtruxerat, in ſe recidiſſe animaduertebat. Et tunc quidem cunctis illis ciui-
B tatibus profuit, documentoque fuit, & patriã hanc vſque in præſentem diem locupletauit. Et non aliter quàm theſaurus quidam perpetuus, qui quotidie exhauritur, & nunquam deficit; ſic etiam beatus hic Ignatius cunctis ad ſe accedentibus benedicens, fiducia, & ſtrenua alacritate, magnaq; fortitudine plenos remittit domum. Itaque non hodie tantùm, ſed quotidie ad ipſum confluimus, ſpirituales ex eo fructus percipientes. Quiſquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficijs. Sanctorum enim non modò corpora, ſed ipſi loculi, & monumenta, ſpirituali gratia conferta ſunt. Nam ſi in Elyſæo id contigit, vt defunctus, ſepulchrum eius attingens, mortis vincula diſſoluerit, & ad vitam rurſum redierit; multò magis id fiet hoc tempore, quo gratia fluit vberior, quo Spiritus maior eſt vis; vt ſi cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat, & eam ob cauſam reliquias ſanctorum nobis conceſſit Deus, vt nos
C ad ſe eorum imitatione perducat, & ſint nobis velut portus quidam, & idoneum ſolatium eorũ malorum, quæ aſſiduè nos affligunt. Quamobrem vos omnes cohortor, fratres, ſi qui veſtrum ægritudine animi, vel corporis morbo, vel quauis alia calamitate premitur, vt cum fide huc accedat, & ab alijs omnibus liberatus, magna cum lætitia reuertetur, & aſpectu ſolo conſcientiam leuiorem, & tranquilliorem reportabit. Quinetiam expedit, vt non ſolùm ij, qui ærumnis, & moleſtijs affecti ſunt, huc ſeſe conferant, ſed illi etiam qui & animi quiete, & gloria, & potentia, & magna apud Deum fiducia perfruuntur. Huc enim accedentes, bona hæc efficient firmiora & ſtabiliora: & memoria virtutum & rectè factorum huiuſce ſancti viri animos ſuos red-
D dent moderatiores, nec conſcientias ſuas bonis operibus efferri atque intumeſcere patientur. Non autem parui momenti eſt, eos, quibus proſperæ atque ſecundæ res fluunt, eas ferre moderatè, & ſuperbiæ tumore non extolli. Vtilis igitur cunctis hic theſaurus eſt, & refugium ſalutare, tam illis, qui rebus duris atque aſperis, & peccatis conflictantur, vt ab ijs liberentur: quàm illis qui proſperè ac fæliciter degunt, vt diu fruantur bonis. Illis, qui morbis laborant, vt bonam valetudinem conſequantur: Illis, qui commoda gaudent valetudine, ne in morbum aliquem incurrant. Quæ quidem omnia conſiderantes, cum omni gaudio, atque lætitia, ſacrum hunc locum frequentemus, vt contubernij, menſæque cæleſtis participes cum ſanctis fieri valeamus, precibus ipſorum ſanctorum, & gratia, ac benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo patri gloria, ſanctoque Spiritui, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Simile.

Reliquiarũ cultũ docet.

S. PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, Oratio Encomiaſtica, in Principes Apoſtolorum Petrum & Paulum, eorundemque glorioſiſſimum martyrium.

CERTARE inter ſe cælum terramque conſpicio, de ſolemni Apoſtolorum memoria celebrãda. Nam & cæleſtium agmina collaudant honeſtis vocibus eorum laboris doctrinam, quippe quorum opera diſpenſationis ſibi myſterium innotuit, quemadmodum ſua voce perſonat Paulus: *Vt innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per eccleſiam, multiformis ſapientia Dei.* Et in orbe terrarum, homines dignam, apoſtolorum principes exornando, laudationem proferre totis neruis ac viribus conantur, vt qui per eos ſalutem adepti ſint. Quid enim Petro maius, quid par Paulo? qui opere atque ſermone, creatam omnem naturam cæleſtem ſimul ac terreſtrem ſuperarunt, ac homines corporis luto complicati, Angelis ipſis meliores extiterunt. Quid igitur de vtriuſque naturæ doctoribus dicemus? Neque enim dignam Orationem inuenio, qua laudes eas compenſem, quibus hi genus noſtrum tantopere honeſtarunt: qui terram omnem & mare colluſtrarunt, ſcelerum radices euulſerunt, pietatiſque ſemina infidelium cordibus iniecerunt. Petrus Apoſtolorum dux. Paulus ordinis ſupernarum virtutũ cognitor atque inſpector. Petrus inſanorum Iudæorum frænum. Paulus gentium cohortatio. Cerne mihi ſublimem Domini ſapientiam, qua quidem Petrum è piſcatoribus, Paulum verò è pellionibus elegit: idque ad vtilitatem fecit, nam Iudæorum gloria deprimebatur. Quàpropter huic tanquam piſcatori rectè Dominus fidit, cùm diceret: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem qui priùs aſcenderit tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem.* Sceleratorum Iudæorum mentem, mare vocans. Hamus artificioſum doctrinæ ſermonem, piſcis legem ſignificat. Os denique aperire, interpretari. Paulo verò tanquam ſutori, gentes commiſit vniuerſas: vt tam eos qui à lege, quàm qui à gratia nudi erãt, pelle coccinea indueret, Domini aquà & ſanguine intincta. Sic ad eum clamat Dominus. *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te.* O par beatum, cuius fidei totius mundi animæ ſunt concreditæ. Petrus orthodoxæ fidei principium, magnus atque illuſtris Eccleſiæ Sacerdos, neceſſarius Chriſtianorũ conſiliarius, ſupernarum poteſtatum theſaurus, honoratus à Domino Apoſtolus. Paulus magnus præco veritatis, vniuerſi terrarum orbis gloria, in cælis homo, & in terra Angelus, decus Eccleſiæ, in ſublimibus aquila, lyra, Spiritus. Hirundo atque cicada. Organum dominicum. Vigilans Chriſti miniſter. Petrus & Paulus iugati boues Eccleſiæ. Qui orbi terrarum inſignem operam nauarunt. Qui pro iugo, Crucem ſuſtulerunt. At pro ſeſſore, Saluatorem. Pro iugi nexu, Scripturarum vtrumque teſtamentum. Pro ſtimulo, Spiritus ſancti gratiam. Petrus & Paulus Eccleſiæ luminaria, quibus ipſa cottidie illuminatur. Penuaria dominica, publica totius mundi hoſpitia, Spiritus receptacula, apta ſanctæ Trinitatis interpretandæ inſtrumenta, diuini verbi œconomiæ Doctores. Petrus ſpiritualis meus amor: Paulus *vas electionis*, meus baculus. Petrus tẽplum Dei. Paulus os Chriſti, lyra Spiritus, qui tricu-

Hæ duę orationes ſequentes primũ editæ ſunt Romæ Græcè & Latinè, anno 1580. induſtria & interpretatione Gerardi Voſcij.

Epheſ. 3.

Math. 28 Marc. 16.

Matth. 4. Marc. 1. Act. Apoſtol. c. 18. & 10. Math. 17

Act. 22.

Act. Apoſtol. 9. ca.

Digitized by Google

bitalis eſt,& cælum attingit, qui loco circunſcribi- A
tur, & vniuerſum mundum Domino circumſcri-
Rom. 15. bit, qui *ab Hieruſalem per circumitum vſque ad Illyricum*
repleuit Euangelium Chriſti:curſor velociſſimus,in cę-
lum aquila volitans, diuina repletus gratia, quem
teſtatur Dominus ſuū nomen per vniuerſum ter-
Act. Apoſtol. 9. ca. rarum orbem ferre. Qui tertium cælum peruaſit,&
2. Cor. c. 12. paradiſum ingreſſus eſt,& vſque ad dominicam in-
comprehenſibilemque cathedram aſcendit, & au-
diuit arcana myſteria, *quæ non licet homini loqui*. Sed de
Petro quid dicemus? qui dulce ſpectaculum eſt Ec-
cleſiæ,ſplendor totius mundi, columba caſtiſſima,
Apoſtolorum Doctor, Apoſtolus ardens, Spiritu
feruens, Angelus & homo, gratia plenus, firma fi-
Matth. 16 dei petra, ſenilis Eccleſiæ ſapientia, qui ob purita-
Ibidem. tem beatus & filius columbæ,ex dominico ore au-
diuit. Qui claues regni cælorum ab ipſo Domino
accepit. Angelorū ordines vos expoliaſtis. Et quid
multis? Ipſe vos Dominus laudibus ornat,inquiēs:
Matth. 5 *Vos eſtis lux mundi*. Qui regibus eſtis copioſiores,diui-
tibus potentiores, ſapientibus & philoſophis ſa- B
pientiores,oratoribus eloquentiores, nihil haben-
2. Cor. 6 tes,& omnia poſſidentes. Vos eſtis Martyrum pa-
tientia, Patriarcharum fides, Solitariorum exerci-
tatio, Virginum coronatores, pacificatores coniu-
gum,rapacium diuitum fræna, intemperantiū im-
pudicorumque caſtigatores ac moderatores, Re-
gum protectio, Chriſtianorum muri, Barbarorum
aduerſarij. Vos hæreticorum audaciam refrænatis,
animi perturbationes comprimitis, dæmonum le-
giones exegiſtis, Græcorum aras euertiſtis. Infe-
riorum ſupernarumque rerum hæredes conſtituti,
illarum ſiquidem claues,iſtarum ligandi atque ſol-
Matth. 16 uendi crimina poteſtatem accepiſtis. O idiotæ mi-
Act. 5. raculum! O illiterati ſapientiam! Petrus ſua ipſius
vmbra, paralyticos ſolidauit, & mortem deſtruxit.
Paulus veſtimentis ſuis morbos propulit, & dæmo
nas fugauit. Qui in medio habetis matrem Domini,
& iuſto ſpiritu eſtis potentiores. Paulus quidem in-
defeſſa Eccleſiæ hirundo: Petrus verò orbi terrarū C
continuus, quemadmodum luſcinia aſſiduè canēs.
Eccleſię columnæ,magna mundi lumina,vobis in-
ter vos præſtantiores,& quauis ſimul creata natu-
Matth. 16 ra excellentiores. Gaudeas Petre fidei petra. Gau-
Act. 4. 5. 12 16 19 deas Paule Eccleſiæ gloriatio,qui infinita propter
21. 22. 23. ipſam ſuſtinuiſtis mala, carceribus incluſi,à Iudæis
24 26. 27 abominationi habiti, à Barbaris indignè tractati, à
& 1. Cor. Regibus ignominioſis verberibus affecti: quibus
4. ac 2. nec commodè reſpirandi,nec à docendo conſiſtē-
Cor. 11. & 12. ca. di facultas eſt conceſſa: qui ne membrum quidem
corporis præ grauiorum rerum pondere mouere
potuiſtis: totumque terrarum orbem ſceleribus de-
uinctum,veſtris ſalutaribus Epiſtolis ſoluiſtis. Vos
dæmonum phalangas præcipites egiſtis. Vos vbiq;
terrarum Spiritus ſancti munera diffudiſtis. Vos er- D
roris caliginem telluri compreſſiſtis. Quánam igi-
tur gratiarum actione, tot tantoſque labores com-
penſabimus,quos noſtri cauſſa pertuliſtis? Memini
tui Petre,& obſtupeſco. Recordor tui Paule,& qua-
ſi extra me poſitus, non niſi lachrymis profundor.
Quid enim dicam,aut quid loquar,dum veſtras cō-
templor anguſtias, non intelligo. Quot carceres
ſanctificaſtis? Quot catenas illuſtraſtis? Quot tor-
menta ſuſtinuiſtis? quot conuitijs immeritò laceſſi-
ti eſtis? Vt Chriſtum geſſiſtis? vt Eccleſias prædica-
tione exhilaraſtis? Benedictum inſtrumentū lingua
veſtra: membra veſtra ſanguine perfuſa ſunt pro-
pter Eccleſiam. Vos in omnibus ſemper Chriſtum
Pſal. 18. & imitati eſtis. *In omnem terram exijt ſonus veſter, & in fines*
Rom. 10 *Orbis terræ, veſtra verba*. Indiuulſam ſuam ſponſam
Eccleſiam à vobis deſponſatam,conſeruabit Chri-
ſtus: Nemo ante vos,neque poſt vos,talis apparuit.
Quis enim magiſtri officio fungens, dicere quid-
quam citra veſtram traditionem auſus fuerit? Cun-
Rom. 9. ctos doctores vos perfeciſtis. Vicit noſtri cordis
1. Cor. 9. duritiem,veſtra tolerantia. Anathema ipſi eſſe op-
tantes,vt mundum lucrifaceretis. Quid igitur vo-
bis retribuemus,pro omnibus bonis quæ retribui-
ſtis nobis? Hodie certaminis veſtri celebratur me-
moria. Gaudeas Petre,qui ligno crucis fruitus es,& Martyriū
ad magiſtri ſimilitudinem, recta quidem figura, ſi- S. Petri.
cut Dominus noſter crucifigi noluiſti,ſed magis in-
uerſo capite, veluti in terra ad cælum iter parans.
O clauos illos beatos,qui membra illa ſanctiſſima
pertranſierunt, membra mihi optabilia, ipſaque
cæleſti gloria longè meliora: qui cum fiducia ſpiri-
tum in manus Domini tradidiſti,qui continuè Do-
mino, ipſique deſponſatæ Eccleſiæ ſumma cū ani-
mi alacritate inſeruiſti, Domini amans,recteq; Do-
mino ſeruiens,ſpiritu feruens,tu omnium Domini
fidus Apoſtolus. Beatus autem Paulus cui caput Martyriū
enſe præciſum eſt, vir cuius laudes verbis exprimi S. Pauli.
nequeunt. At cuiuſmodi enſis illius guttur, domi-
nicum,inquam, inſtrumentum cælo ſuſpiciendum
& terræ tremendum peruaſit? Qualis locus tuum Miraculū inſigne.
Paule ſanguinem excepit, qui lacteus apparuit in Cōuerſio
B eius veſte qui te percuſſit, qui quidem ſanguis bar- Barbarorum.
baricum illius animum reddens melle dulciorem,
vt ipſe vnà cum ſocijs ad fidem traduceretur, ita
affecit. Sit mihi inſtar coronæ gladius ille, qui tri-
ginta & quinque viros, ſumma ad ſeruiendum ala-
critate, Domino mācipauit. Perfecto denique octo Aetas Diui Pauli.
& ſexaginta annorum vitæ curſu, quem pro pieta-
te inſtitutum tenuerat, quieuit. Vobis beatas ve-
ſtras voces, viciſſim reddimus. Gaudete in Domino
ſemper, abſque intermiſſione pro nobis orate, re-
promiſſiones veſtras explete. Succlamas enim
beate Petre, ſic dicens: *Studebo poſt meum aduentum* 2. Petr. 1.
memoriam veſtri facere. Eſt autem beatus Petrus Apo- Patria
ſtolus Chriſti à Bethſaida Galileæ, vbi Dominus principū
noſter Ieſus Chriſtus plurima miracula operatus Apoſtolorum.
eſt, vnde & Philippus prodijt: Beatus verò Paulus Act. 21.
ex vrbe Ciliciæ Tharſo. Obdormiere autem in ma- 22. 23.
gna vrbe Roma veteri, vigeſimo nono die menſis Dies martyrij Pe-
Iunij,ſub iniquiſſimo Imperatore Nerone è medio tri, &
C ſublati,& ad omnium Dominum atque magiſtrum Pauli.
plurimis rebus præclariſſimè geſtis profecti. Om-
ne itaque ſtudium cariſſimi adhibeamus,precantes
omnium regem Chriſtum Deum noſtrum, vti nos
pro ſuo in humanum genus amore dignos reddat,
qui poſſimus illorum inſtitutis atque doctrinis fe-
liciter inſiſtere, vt conſequamur miſericordiā co-
ram Tribunali ipſius: Per quem, & cum quo, Deo
& Patri honor, cum ſanctiſſimo & optimo & viui-
fico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculo-
rum. AMEN.

EIVSDEM CHRYSOSTOMI HOMI-*lia in Sanctos duodecim Apoſtolos.*

D MEritò etiam hodie in aduentu Spiritus Luc. 5.
ſancti, ſagena hæc piſcatorum impleta Act. 2.
eſt,dum nos in eam piſces rationis com- Matth. 4.
potes vltrò inſilimus. Nam verbum ver- Marc. 1.
bi illiteratos erudiens, & linguis igneis Luc. 6. & 9.
tardiloquos corroborans,artem eorum in diuinius Ioan. 6.
quoddam tranſtulit, cùm diceret: *Venite poſt me, &* Matth. 10
faciam vos piſcatores hominum. Dixit, Venite poſt me,& Marc. 3.
cuncta è veſtigio in melius fuere traducta. Duode- Pſal. 40.
cim electi erant Athletæ,& horum nemo remanſit Matth 26
incoronatus. Vna enim gratia cum omnibus ſimul Marc. 3. & 14.
certabat,& currebat,quæ vniuſcuiuſque victoriam Luc. 6. & 22.
reddidit illuſtriorem: Vnus infelix Iudas ab huiuſ- Ioan 6. & 18.
modi anchora ſe diuulſit, oſculo lupis prodens Act 1.
ouem,& triginta argenteis vendens Dominū, ſan- Matth. 16
guis autem venditi mercatus eſt mundū. Sed ô feli- Act. 2. 3. 4 8.
cem illam & præclaram Apoſtoli veſtram & morū 1. Cor. 4.
& animorum cum omni hominum genere coniun- 2. Cor. 7.
ctionem,qua omnibus omnia facti eſtis gratia, non 1. Theſ. 2 & 2.
arundine,ſed ſermone hominum greges ſapienter Theſſ. 3.
expiſcati. Vos enim rectæ fidei immobiles eſtis co- Apoſtolorum di-
lumnæ, Eccleſiæ petra, regni petra, ſceptrum, & uiſio.
huius

Digitized by Google

huius maximè gregis vigiles præfecti, infirmitatis A
humanæ gratis medici, noſtræque verſus Deum
pœnitentiæ, compatientes fideiuſſores. Tamquam
enim incudes quædam animatæ, dum feriremini,
qui vos feriebant, eos ad intelligentiam fabrefeci-
ſtis. Petrus hinc Romam erudit. Paulus inde mūdo
Euangelium annuntiat. Andræas Græciæ ſapien-
tes corrigit. Simon Deum docet Barbaros. Tho-
mas baptiſmate Æthiopas dealbat. Iacobi cathe-
dram Iudæa honorat. Marci thronum Alexandria
ad Nilum complectitur. Lucas & Matthæus cōſcri-
bunt Euangelia. Ioannes autem diuina tractans
myſteria, etiam poſt mortem tāquam viuus Ephe-
Act. 8. ſum curat. Bartholomæus Lycaonas ad temperan-
tiam inſtituit. Philippus miraculis conſeruat Hie-
rapolim. Omnes vbique omnibus beneficia con-
ferre non deſiſtunt. Puluerem immortalem in ſe-
pulchris reliquerunt: nunc quidem cultores, non
multò pòſt, ſublimes mundi iudices conſeſſuri.
Math. 10. Huic cùm claudus adhæſiſſet, tectis pedibus receſ-
Act. 3. 4. 9. ſit. In illum paralyticus incidens, lectum portare
14. 16. 19. iuſſus eſt. Alius mortuos citabat, & nos ſtatim ſibi B
20. & 28. audientes habuit. Alterius vel ſola vmbra morbos
propulit. Alterius inuocationem perhorreſcebant
Math. 9. dæmones, illorumque ſudaria diſtillabant medelā.
Nam diſcipuli illius erāt, cuius veſtimenti fimbria
furtiuo contactu arrepta, ſanguinis fluxum patiēti,
rubeū ſanguinis exſiccauit mare. Sed iam ad prin-
cipes Apoſtolorum cōuerto ſermonem, illius pro-
Pſal. 132. pheticæ vocis memor: *Ecce quàm bonum, & quàm iu-*
Matth. 4. *cundum, habitare fratres in vnum.* Præeat igitur oratio-
Marc. 1. ne Petrus, quandoquidem & prior in vineam Do-
Luc. 5. mini conductus fuit. Petrus boni paſtoris gregis,
primogenita ouis. Petrus è lacu in cælum aſcendit,
nautas dimiſit, & cum Angelis colloqui meritus eſt.
Qui nauem reliquit, & Eccleſiæ regimen aſſumpſit.
Math. 16. Qui clauiger regni cælorum vocatus eſt, & ligandi
& 18. atque ſoluendi in terra poteſtatem accepit: ad vo-
Matth. 4. Marc. 1. cationem celer, & in fide non ambiguus, & in om- C
nibus feruens magiſtri cooperator, qui dixit: *Tu es*
Matth. 1. *Chriſtus filius Dei viui.* Qui ſimul cum Domino mori
Ioan. 6. Marc. 14. propoſuerat, & vſque ad Cayphæ atrium, vnà cum
Luc. 22. tradito Redemptore ingreſſus eſt. Qui etiam ne-
Ioan. 18. gans, dignus fuit venia & pœnitens admirabilis.
Neque enim tam propterea quòd negarit repre-
Math. 26. hendendus, quàm quòd ſe pœnituerit, eſt felix prę-
Marc. 14. Math. 16. dicandus. Nobis ſiquidem & errans vtilis fuit, quia
Marc. 14. citò flens delictum innundatione abluit, & ad mo-
Luc. 22. dicum fluctuans, in perpetuum inuentus eſt fun-
Ioan. 13. damentum fidelium. Etenim ſi conſideres, ô dile-
cte, opportunum illius temporis metum, Petrū ma-
gna reprehenſione profectò non reperies obno-
xium. Nam cùm Sol fugiebat, cælum abſcondeba-
Math. 27. tur, terra cōmouebatur, petræ ſcindebātur, vt quæ
Marc. 15. ferre nequirent tantam Creatoris contumeliam:
Luc. 23. tunc Petrus lapſus eſt: tunc Coryphæus negauit, &
Ioan. 14. rationis expertem diei nuntiū, reperit ſtatim pro-

bationem eſſe prædictæ negationis: *Priuſquam gallus* Math. 26.
cantet, ter me negabis. Verùm cùm primus negaſſet, Marc. 14.
primus ad ſepulchrum cucurrit, primus vitæ dato- Luc. 22.
rem à mortuis reſurrexiſſe vidit. Id à Maria edo- Ioan. 13.
ctus, quod ei Angelus ſuper lapidem ſedens, dicere Luc. 24.
non erat auſus. Cæterùm poſt eum, prodeat in me- Ioan. 20.
dium Paulus, totius orbis terrarum ſapientiſſimus
Orator, qui ex lupo factus eſt agnus, ex vepribus
racemus, & zizanijs frumentum, ex inimico ami-
cus, ex Hebræis firmus ac ſtabilis permanens. Qui
apud illos Saulus ſpirans necem & cædē, apud nos
autem, *Paulus Ieſu Chriſti vocatus Apoſtolus*, ex blaſphe- 1. Cor. 15.
mo theologus, ex perſecutore euangelij prædica- Gal. 1.
tor, ex pirata gubernator, ex proditore miles. Qui
redemptorem ipſum vnà cum Petro ſortitus eſt ſe- Act. 6. 13.
pulchrum, quorum neuter tamen hanc Sychem 22. & 26. Geneſ. 23.
contempſere. Qui ratione Beniamin, Ioſeph fra- Act. 7.
ter, & ratione Thæclæ, filiorum pater atque magi- Phil. 3.
ſter fuiſti. Qui ante Damaſcū cæcus, & in vnaqua- Act. 9. 22.
que ciuitate prædicationis oculus, ex cælo vocatus, & 26. 2. Cor. 12.
& in cælum raptus es. Qui priuſquam hinc diſce- Act. 9.
deret, paradiſum contemplatus, victoriæque coro- 2. Tim. 4.
nam adhuc certans accepit, eamq; ſibi debitam af- Act. 15.
firmat. Quid enim ait? *quàm reddet mihi Dominus in illo*
die. Paulus ex nouiſſimis primus, ex abortiuis perfe-
ctus vir, perſecutor ſuauis, & dum perſecutiones Act. 16.
patitur dulcis. Qui Romanus eſt Phariſæus, & om- 22. & 23.
nia omnibus propter fidem factus. Chriſtus enim Phil. 3.
qui dixit Petro: Oportet enim pati, etiam de Paulo 1 Cor. 9. Ioan. 21.
dixit, *quàm multa oporteret eum pro nomine ipſius pati*, vt Act. 9.
ille quidem cruci affixus, hic verò truncatus capi- Periphra-
te, vna fide propagata, vnoque etiam curſu termi- ſis Reſur-
nato, veri teſtes Reſurrectionis eius eſſent, qui paſ- rectionis Chriſti.
ſus & ſepultus eſt, & reſurrexit, vti nouit: & præue- Pſalm. 47.
nit in ſinum patris, quem nunquam reliquit. Ad
quos ipſe Dominus prophetice loquitur: *Circum-*
date hanc nouam Sion, & complectimini eam, hoc eſt; Cō-
ſeruate, muris cingite, precibus munite, vt quando
in tempore iratus fuero vniuerſamque mundi ma-
chinam concuſſero, conſiderans immortale ve-
ſtrum ſepulchrum, quæque mei cauſa geritis ęquo
animo ſtigmata, iram miſericordia vincā, qua qui-
dem ductus, en præmaturè veſtram admitto ſup-
plicationem. Sacerdotium enim & Clerum cùm vi-
dero lacrymas fundere, quaſi dolorum conſors,
ſtatim ad commiſerationem flectar, meæque illius
vocis recordabor: Protegam ciuitatem hanc pro-
pter Dauid ſeruum meum, & Aaron ſanctum meū.
Qui ſicut vos vna fide conſentientes, voluntaria
animi ſubmiſſione ęternis digna muneribus occul-
tantes, veſtitu denique ipſo ſummam animi mode-
rationem præ ſe ferentes, multa ad me diſcipulo-
rum millia traduxerunt, me tanquam inſigne fe-
rentium, & mundo placare ſtudentium, Dixi enim:
Petite & dabitur vobis: Quærite, & inuenietis. Ipſi honor Matth. 7.
& fortitudo, nunc, & ſemper, & in ſæcula, ſine fine
ſæculorum. AMEN.

REVERENDISS. PRINCIPI AC DOMINO
D. IVLIO EX NOBILISSIMA ECTHERORVM FAMILIA
EPISCOPO HERBIPOLENSI
ET FRANCIAE ORIENTA. DVCI ILLVSTRISS. DN. S. CLEMENTISS.
LITERARVM ET LITERATORVM MAECENATI AMPLISSIMO:
HASCE DECEM D. IO. CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI
CONSTANTINOPOLITANI
ORATIONES OMNI PIETATE, DOCTRINA ET ZELO CATHOLICAE
RELIGIONIS DEFENDENDAE, ILLVSTRANDAE
ET GRAVISS. HAERESVM EXTIRPANDARVM REFERTISSIMAS,
ROMÆ HIS DEMVM TEMPORIBVS PRIMVM GRÆCE EDITAS
AC TANDEM DE GRÆC. LATIN. A SESE FACTAS: SVÆ ERGA ILLV-
STRISS. REVERENTIAM ET CELSITVDINEM
OBSERVANTIÆ DECLARANDÆ STVDIO
D. D.
IOAN. IACOBVS BEVRERIN ARCHIGYMNASIO
FRIBVRGENSI PROFESSOR:
A. O. R.
KAL. AVGVSTI, M. D. XXCV.

ELENCHVS ORATIONVM ET Argumentorum Diui Chryſoſtomi.

1. *De illo Euangelico oraculo: In principio erat verbum, &c. Itemq́; de illo Apoſtoli: Spiritus ſcrutatur profunda Dei, Oratio prima.*
2. *Eiuſdem de ſerpente, quem Moyſes erexit in ſolitudine: Itemq́; de Trinitate, Oratio.*
3. *Eiuſdem Oratio de paralytico, qui triginta annos morbo afflictatus fuerat.*
4. *Oratio de ſancto Acacio paſtore ſimul & de Oue: nec non de Velo, & Propitiatorio.*
5. *De dicto illo: ſufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate tua perficitur.*
6. *Omnia vitia originem ab ignauia ducere: virtutem ſtudio, & labore comparari. Item neque improbos, neque ipſum diabolum homini ſobrio nocere poſſe, cùm ex alijs permultis ſacris locis, tum ex hiſtoria Iobi & Adami petita demonſtratio.*
7. *Oratio de laudibus eorum, qui in Eccleſia frequentes occurrebant. Et de decoro in diuinis laudibus tenendo. Tum de dicto illo*: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.
8. *Vnum & eundem eſſe legiſlatorem & veteris & noui Teſtamenti. Item de veſte ſacerdotali, Tum de pœnitentia.*
9. *Eiuſdem Oratio de illo Abrahami: pone manum tuam ſub femur meum: Item de diuerſis martyribus.*
10. *Oratio de ſigillis librorum: deinde quomodo Filius offerat Patri, & Pater Filio: Tum verò de Seruatoris œconomia.*

Digitized by Google

S. PATRIS NOSTRI

IOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI.

Ioan. 1.
1. Cor. 2.

De illo Euangelico Oraculo, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, *&c.*
Itemq́ de illo Apoſtoli, SPIRITVS *ſcrutatur profunda Dei.*

ORATIO PRIMA.

Vide proœmium homiliæ ſecundæ. Trãſitio. Ioann Aquila.

In qua aduerſus Arianos præcipuè, & Pneumatomachos acriter diſputatur: & complures loci vtriuſque Teſtamenti piè & doctè explicantur.

A

HESTERNA quidem oratio noſtra conſideratione magni illius aquilæ finita eſt. Aquilæ, inquã, illius magni, qui ſupra cælum, & ſupra mundanas illas poteſtates tranſuolauit, initio ab omnium rerum apice facto. Ioannes ſiquidem nobis prædicauit, aquilam ſeipſum omni re creata altiorem, ſublimioremq́ue demonſtrans: quippe qui de increata natura ſit philoſophatus.

Tonitrua Ioan. 1. Vide homiliã vltimã ſub finem.

Qui ſupergreſſus eſt res creatas longè ſupra omnem aquilæ naturam: qui cæleſti ſapientia promulganda quouis tonitru vehementiùs detonuit. Tonitru verò & perterret & irrigat. Irrigat quidem per nubes: terret verò, & conſternatos reddit ſonitu. Itaque & vox Ioannis aliud atque aliud efficit. Irrigat illa quidem Eccleſiam: perterrefacit autem hæreticorum factionem. Quum enim falſa & nihili diſſerant: quum ſcientes & prudentes ea, quæ non ſunt, tamquam eſſent, aſſerere auſint, quum humana ſermonis facultate aduerſus ſacras literas pugnent:

B

Ioan. 10. τὸ ἦν, πρὸ τοῦ οὐκ ἦν. *Illud, erat ante illud non erat.* Pſal. 103. Ioan. 1.

tum verò Ioannes clamat illud ſuum. *Erat, ante id quod non erat. In principio erat verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* vel voce conterrens aduerſarios, quemadmodum & Dauid teſtatur, cùm ait: *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitru tui formidabunt. In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbũ.*

Propoſitio totius orationis VERB. 1. Generatio τοῦ λόγου cõparatione τοῦ λόγου προφορικοῦ declaratur. Ex compara- ſimil. 2. Protaſis. Vide homil. 10. in fine. Apodo. *improbè. diſcerpitur.*

Quum enim verbi procreatio omnis perpeſſionis ſit expers: Verbum Chriſtum appellat, vt ex ijs, quæ in te cernuntur, ea quæ longè à ſenſu tuo remota ſunt, percipias. Nam quemadmodum mens noſtra ſermonem, vel verbum procreans, nulla id perpeſſione facit: non enim ſecatur, neque fluit, neque quidquam earum rerum, quæ corporeis rebus eueniunt, ſuſtinet: ſic etiam omni perpeſſione vacua eſt, illa quæ neque dicendo explanari, neque mente comprehẽdi poteſt, diuina generatio: non ſecatur, non in partes diſtribuitur. Ab hæreticis quidem illa ſanè † diſcerpitur: à pijs verò integra & tota præclarè conſeruatur. Quare verò eam loquendi rationem repudiauit, nec dixit, In principio erat Filius? Ne Filij appellatio cum perpeſſione quadam coniunctam generationem ſecum afferret: ideoq́ue Verbum appellat, vt vacuitatem omnis perpeſſionis in illa generatione diuina conſtitueret. Ne verò verbum ore prolatum exiſtimares, ſubiecit: *Et Deus erat verbum,* vt ex vi Verbi perpeſſionis vacuitatem, ex Deo dignitatem eiuſdem cognoſceres.

Omnia per ipſum facta ſunt. Ioan. 1.

Hæc cùm de illius generatione inſtituiſſet: tum verò dignitatem illius cum ſumma potentia, quæ è rebus creatis elucet, declarat: *Omnia*, inquit, *per ipſum facta ſunt: omnia, quæ facta ſunt.* Non ſanè hæc ita

A

Aduerſus pneumato- chos. Ioan 1.

accipienda ſunt, quemadmodum hæreticorum ſoboles etiam Spiritum illum adorandum in hoc rerum creatarum genere ponere audet, cum ait: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo.* Si quid igitur in ipſo factum eſt, non certè increata natura illa Spiritus. Sed dictum eſt, ait hæreticus, *Omnia.* Atque hæc vox, *Omnia,* non comprehendit increatam naturam cum creata & condita, Quòd ſi huic voci, *Omnia,* adhæreſcens audaciùs aduerſus ſanctam illam naturam efferaris: ſi porrò Dominum dicentem audias: *Omnes, quotquot ante me venerunt, fures erant & latrones.* qua ratione tum te defendas, ſi Moyſen latronem crimineris, & prophetas fures appelles? *Omnes enim quotquot ante me venerunt,* inquit. Atque ſententia illius loci diſtinctè oſtendit, de quibus & ad quos ei tum fuerit oratio. Sic in præſentia omnis de opificio creationis inſtituta eſt oratio. Opus, inquam, creationis dicit per ipſum factum eſſe: non autem ſpiritus eſſentiam, quæ ita res diuinas patefacit: ſicut hominis *Spiritus, quæ in homine ſunt, declarat:* vt eſt apud Paulum, *Nemo nouit, quæ in homine ſunt, niſi Spiritus hominis, qui in homine eſt.*

Ioan. 10. 1. Cor. 2. 1. Cor. 3.

B

Si itaque meus ſpiritus aliud quippiam à mea natura eſt: vtique Dei quoque Spiritus aliud quippiam à Dei natura fuerit. *Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* Verũ hæreticus verbum *Scrutatur,* audit quidem: ſenſum verò peruerſè interpretatur. Si enim noſſet Spiritus quæ in Deo ſunt, ſanè non inueſtigaret, inquit. Inſcitiæ autem eius teſtimonium præbet vel illa ipſa inquiſitio & perſcrutatio. Si itaque, quia Spiritus ſanctus profunda Dei perſcrutari dicitur, inſcitiæ eum accuſare audeas, cùm perſpectum habueris Deum corda hominum perſcrutari: ánne etiam propterea Deum ignorantiæ condemnabis? Audi igitur Paulum, qui de Spiritu diſſerens, ait: *Spiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei.* ſic & de Deo diſſerens, ait: *Qui ſcrutatur autem corda hominum: nouit ſenſum Spiritus.*

1 Cor. 2. Rom. 8.

C

Si ergo Deus ſcrutatur ignorans, & Spiritus ignorans ſcrutatur. Sed vt perſpicias, quòd ſcrutari non ſit eius, qui in ignorantia verſatur: ſed eius, qui rem cognitam perſpectamq́ue habeat, ſubiecit: *Sic & quæ Dei ſunt, nemo cognouit, niſi Spiritus Dei,* ſicq́ue cognitionem Spiritui attribuit: non comprehenſionem quandam ex natura, ſed ex natura agnitionem.

1. Cor. 2. Complexio.

Quamobrem noli in partes diſtribuere naturam, quæ in partes diſtribui nequit: noli diuidere eſſentiam, quæ diuidi non poteſt. Cognoſce virtutem. Vnus eſt, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus eſt vocatus. Et de Patre quidem Filius ait: *Cùm videritis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis.* Virtutem cùm dixit,

Math. 26 Marc. 14. Luc. 22.

etiam

Digitized by Google

A etiam gloriam conſtituit, vt ſententiam admireris.
Deum ergo ipſum Virtutem appellauit in eo ſer-
Math. 26 mone, quem cum Caipha habuit. *Cùm videritis Fi-
lium hominis ſedentem à dextris virtutis.* Virtus ergo
1. Cor. 1. Pater, virtus Filius. *Chriſtus*, inquam, *virtus & Dei
ſapientia*, virtus & Spiritus ſanctus. Itaque & ſer-
Luc. 24. uator diſcipulis ait: *In Hieruſalem maneus quouſque
induamini virtute ex alto.* Hac igitur virtute omnibus
peræquè communi perſpecta, fidem firmam & in-
concuſſam tene, nec in partes diſtribuas gloriam,
quæ abs te capi comprehendique non poteſt. Re-
cognoſce conditiones illuſtrationis & baptiſmi.
Aſpice filios gratiæ, qui per magnum illum pon-
tificem effloruerunt. Aſpice filios lucis, qui cu-
currerunt ad præcones & doctores lucis. Enim ve-
rò oportet eos, qui ex illuſtratione ſunt renati, ad
eos recurrere, qui vniuerſum orbem quaſi rege-
nerarunt. Dicamus & nos cum Prophetis & Apo-
Eſai. 49. & 60. ſtolis, *Reſpice, & vide filios tuos congregatos. Viuo ego*, dicit
Dominus, *quia omnibus his, velut ornamento veſtieris, &
circumdabis tibi omnes quaſi ſponſa.* Stetit Eſaias hodie
ad cætus eorum, qui illuſtrati ſunt, perorans ad
B eos, qui ex Spiritu nati ſunt, qui confertim inſtau-
rati & renouati ſunt, qui in momento conuerſi &
mutati, qui ex terrena conditione & compage in
cæleſtem imaginem reformati ſunt: & quidem cō-
Eſai. 66. terrens, dicit, *Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit
huic ſimile? numquid parturiet terra? quia parturiuit & pe-
perit Sion filios ſuos.* Etenim Spiritus regeneratio ve-
lox eſt, nec tempus expectat: non ſeruit tēporibus
nec ſeculis, verū ſimul atque vult, renaſcitur quod
regeneratur, Decebat filios lucis vbique in foro
pompam deducere, & prædicare eum qui propter
ipſos in hæc inferiora venit, vt vniuerſum orbem
ſurſum ad ſeſe deduceret. Chriſtus è cælis deſcen-
dit, deſcendit, inquam, non tamen cælis interuallo
quodam diſiunctus eſt. Aſcendit item, non tamen
Sic infrà oratione ſecunda. terris relictis. Neque enim cùm è cælis deſcende-
C ret, eoſdem vacuos, neque cùm aſcenderet, terram
ſua adminiſtratione deſtitutam reliquit. Decebat
filios lucis lucernam verbi publicè ac palàm cir-
cumferre. Non enim ſic diuina ſacraque myſteria
contumelioſè tractabantur: neque character veri-
tatis recens illuſtratis impreſſus, ignominia vlla
afficiebatur. Decebat etiam eoſdē in plateis hym-
Prou. 1. nos canere. *Sapientia enim foris prædicatur, in plateis dat
vocem ſuam. quin & in ſummis tectis prædicatur.* Purge-
mus igitur aërem, quem cantilenæ meretriceæ in-
quinarunt, & quem infecerunt vociferationes im-
piorum & vlulatus eorum, qui dæmonibus nefan-
da ſacrificia & piacularia faciebant: ſiquidem ver-
bi luce, & aër, & terra & cæli ipſi purgati ſunt, quē-
admodum enim ingemiſcit & cælum & terra ob
ſcelera hominum: ſic rurſus lætatur iuſtitia eorum,
D qui omni officio rectè perfunguntur. Cùm enim
homo peccat, indignatur cælum, indignatur terra,
Hier. 2. vt ait Ieremias: *Obſtupeſcite ſuper hoc cæli, & portæ eius
deſolamini: duo enim mala fecit populus meus.* Ecce quo-
modo cælum exhorreſcit & terra, quoties homines
tranſmutant in pietatem, audi prophetam dicentem. ſeſe ſceleribus contaminant. Cùm verò ſeſe †, pie-
tati quaſi conformandos dedunt, lætantur & gau-
dio exultant, vt ait Propheta: *Laudate cæli, & exulta
terra: iubilate montes: quia conſolatus eſt Dominus populum
Eſai. 49. ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.* Quinetiam Ec-
redundat & floret. cleſia, quæ tanto cœtu & populo † ornata & com-
pta eſt, Prophetæ vocem vſurpet. *Quis genuit mihi
Ibidem. iſtos? ego ſterilis & non patiens, tranſmigrata & captiua: &
iſtos quis enutriuit?* Sed & filij Eccleſiæ, qui in hac
Eſai. 49. multitudine continentur, cum Propheta dicāt: *Lo-
cus mihi anguſtus: fac ſpatium mihi, vbi habitem.* Cùm
enim vigeret hæreſis, cùm inſtar vlceris ſerpen-
tis omnem hanc vrbem depaſceretur: omnes
Eccleſiæ filij erant abſumpti. Et ſicut locuſta ei,
quæ ſub cælo eſt, terræ ſuperueniens, fructus eiuſ-
dem conſumit: ſic pernicioſa illa doctrina fructus
veræ doctrinæ & pietatis perimebat. Veruntamen

A hodie pernicioſa illa doctrina exploſa: ſalutaris il-
la, quæ populum regenerat, recepta eſt: quæ in hūc
modum populum alloquitur: *Nunc tibi retribuam pro* 3. Reg. 8.
filijs, quos tibi eruca & locuſta, rubigoq́; abſumſit. Quid
contendis hæretice cum Iudæis gloriam vnigeniti
occultare? Occultarunt illi quidem quantum in ſe
fuit, reſurrectionem eius: tu verò, quantum in te
eſt, diuinam ipſius naturam occultas. Verùm nec
illi veritatem ſibi iure vendicant, neque tu pietatē
perſpectam habes. Audi igitur Prophetam dicen-
tem: *Contexit cælo virtus eius & laudibus plena eſt terra.* Habac. 3.
Laude, inquam, non comprehenſione & perceptio-
ne. Fide, non indagatione, Charitate non diſputa-
tione. Equidem non diſputare, & quærere edocti,
ſed ad credendum inſtituti ſumus. Credentes illu-
ſtramur: non curioſè inquirentes baptizamur. Ne-
que verò tibi hæreticorū cœtus imponant. Baptiſ-
mum illi quidem habent: non autem illuſtrationē:
& corpore quidem baptizantur: animo verò non
illuminantur. Et veluti Simon ille baptizatus eſt,
non autem illuſtratus: ſic & iſti ſimiliter deprehen-
B duntur. Quare exultent Apoſtolorum ſpiritus, qui
ſpirituali ſagena hunc † populum per Spiritū ſan- *multum*
ctum ceperunt. Hodie ſiquidem illud Prophetæ *hunc.*
oraculum euidenter ad finem deductum eſt: *In vlti-* Hier. 3.
*mis diebus, ait Deus, nequaquam amplius dicant, Ecce arca
teſtamenti ſancti Iſrael:* pro veteri cultu & religione:
neque verò porrò memores erunt arcæ. Quid ita?
Quoniam ecce ego mitto multos venatores & piſ-
catores. Et veterem illam quidem arcam antiqua-
uit, arcamque Eccleſiæ permanentem & ſtabilem
introduxit: *Mitto multos venatores & piſcatores.* O no-
uam piſcationem! qui heri piſcando captus eſt, ho-
die piſcatur. Etenim orbis terræ gloria Chriſti, &
fines eiuſdem fide in Chriſtum referti ſunt. Noli
igitur dignitatem Dei propter œconomiam in car-
ne contumelia afficere. Etenim à Iudæis hæc pro- Math. 28.
C fecta eſt oratio: reſurrectionem eſſe venditā: quin
& illud inde percrebuit, diſcipulos eum ſuſtuliſſe.
Illi igitur mortem de dominico corpore prædicāt:
hi verò quantum licet & poſſunt, doctrinam de di-
uina ipſius natura exibilant & diffamant. Verùm *vide not.*
apud iſtos omnis error ſibi quoddam quaſi domici- *fol. 696.*
lium conſtituit. In Eccleſia autem vita omnibus
annuntiatur. Nec deſunt, quibus cum ex veterum
monumentis iſti comparari queant. Quemadmo-
dum enim cùm fratres Ioſepho inſidiarentur, Ia- Geneſ. 37
cobus & eius familia eundem valdè lugebat: ille
nihilominus in Ægypto ſuperſtes regijs muneri-
bus perfungebatur: hic inquam, velut demortuus
lugebatur, & tamen viuus Ægypti regnum mode-
rabatur: ſic etiam hodie in ſynagoga & in hæreti-
corum inſanis conuenticulis & cōciliabulis Chri-
ſtus mortuus (omnem ſiquidem de Deo doctrinam
euertunt, qui fide abrogata, diſputationes & quæ-
D ſtiones adferunt) apud nos verò & regnum obti-
net, viuitque & meritò diuinis honoribus atque
ſumma veneratione & cultu colitur. At diuina ora-
cula firma & conſtantia ſunt: inuicta eſt etiā Apo-
ſtolorum doctrina. Itaque non facilè D. Pauli vox,
cum Dei cauſa agit, langueſcit. Age Paule pro ve-
ritate etiam concitatiùs pugna, indignare pro fidei
defenſione, commotuſque hæreticis dicito: vndé-
nam Ariſtotelica edocti eſtis? Qui Platonem Euan-
gelicis oraculis antepoſuit? Quis fidei doctrina ex-
ploſa, impias eiuſmodi quæſtiones mouit? Vbínam
ingeneratum & generatum illud didiciſti? Defeci-
ſti à patre, filij appellationem fœdè conſpuiſti: Spi-
ritum ſanctum ignominia affeciſti, in humanas nu-
gas & commenta defixus: Præclarè Hieremias: *Pe-* Hier. 49.
rijt fides ex ore ipſorum. Quod verò illud proloquium
beati Petri fuit, propter quod ille à Domino bea-
tus eſt pronuntiatus? *Tu es Chriſtus filius Dei:* non di- Math. 6.
xit ille, es generatum quippiam ingenerati. Quid?
cum cæleſtis pater illi Sapientiam diuinitus pate-
faceret, non capere poterat? Quid quum Ieſus ſuis

vt irent

Digitized by Google

Math. vl. vt irent & baptizarent imperaret, annon potuit di-
Marc. 16. cere, abeuntes baptizate ipſos in nomine ingene-
rati & generati? Sed excogitauit ille Hæreticus ſci-
τῶν μυστι- licet ſapientius vocabulum multò, quam ſint † ea
κῶν παρα- quæ in diuinis arcaniſque literis contineantur. Sed
δόσεων. Hæretice calumniaris & euertis ſcripturas: è medio
omnem fidem tollis, & quæſtiones moues. Atqui
inimice metue. Petrus ſiquidem claues obtinet, &
Matth. 6 quia dixit. *Tu es Chriſtus filius Dei*, claues accepit.
Quos ergo Petrus, Filij appellationem vſurpantes
obſeruat, illis regni cælorum ianuã recludit, quoſ-
cunque verò calumniari filium & rem creatã atque
conditam appellare cognouerit, ijs Eccleſiæ fores
occludit. Neque verò priùs quàm dixiſſet: *Tu es filius
Dei*: claues accepit, & ſimul ac dixit, ex Domino au-
Math. 16 dit: *Beatus es Simon Bar-Iona, tibi dabo claues regni cælorũ.*
ſimul atque confeſſus eſt, poteſtas ei cõceſſa, & Ec-
cleſiæ eiuſque moderatio commiſſa & tradita eſt.
Pneuma- Verùm alij quidem aduerſus Filium pugnant: alij
tomachi. aduerſus Spiritum ſanctum mouentur. Atqui nihil
illis prodeſt, Filium cõfiteri, Spiritum ſanctũ verò
pernegare. Quemadmodũ & contrà nihil vtilitatis
ijs adfert, qui Spiritum ſanctũ quidem confitentur,
Filium inficiantur. Equidem & Iudæi Patrem illi
quidem aſſerunt, Filium non agnoſcunt, nec tamẽ
propterea vita æterna potiuntur. Qui enim Filij
gloriam deſpicit, næ ille Patri haudquaquã gratus
acceptuſque fuerit. Attende itaq; ſtudioſè: Amicis
quidem Iobi cum Deo conueniebat, illi verò Iobũ
condemnabant. Atqui Deus eoſdem, licet præcla
ra quædam de ſe dixiſſent, nõ idcirco probauit: ſed
obijcit, Cur vos cum ſeruo meo Iobo iurgati eſtis?
Iob vlt. Si itaque Deus amicos, qui cum Iobo expoſtulaue-
rant, licet de ſe ipſo laudabiliter in illis ſermonibus
quædam attuliſſent, non probauit: án ne putemus
illum, eos, qui ſeſe confitentur, filio autẽ detrahũt
Ioan. 15. amplexurum eſſe vnquam? Minimè id quidem. *Qui
enim me odio proſequitur, etiam patrem odio habet.* Iam ve-
rò, quemadmodum Pater honorẽ, qui habetur, re-
pudiato filio, non agnoſcit, ita neque Patri neque
Filio quicquam honoris deferri poteſt, repudiato
Spiritu ſancto. D. quidem Paulus aduerſus eiuſmo-
di hæreticorum zizania, quæ vti initium quoddam
ſumpſerunt, ita liberè & apertè nunquã agere ſu-
ſtinuerunt, aliquid præclarè & liberè enuntiauit.
Quum enim Epheſi in Aſia incidiſſet in Baptizatos
quoſdam, ex ipſis quæritnum Spiritum ſanctum ſi-
Act. 19. mul ac credidiſſent accepiſſent: at illi, *ſe verò, neque
an Spiritus ſanctus ſit, ne fando quidem audiuiſſe reſponderũt.*
Hinc præclara illa vox, *in quid igitur baptizati eſtis?*
Petrus Eccleſiam inſtituat: & Paulus vllas eiuſmo-
di hæreticas quæſtiones nectere prohibeat. Vnde
enim illa ignominioſa Eunomij appellatio? vnde
hæretica illa ſemina? Veritatis doctrina apud im-
pios illos tota ſubuerſa eſt: inualuitque & recepta
doctrina Ariſtotelica, Quid? túne humanæ naturæ
terminis diuinam, ingeneratamque naturam meti-
ris? tu ne generatam aſſeris? quid, inquit, quomodo
tu patrem appellas? ingenitum inquam, ſed ſecùs
atque tu Patrem ego appello ingenitum, quando-
quidem genitus non eſt. Sed & Adamum ingenitũ
appello: quippe quòd non genitus eſt, ſed è limo
formatus. Noli tu auditores his nouis commentis
abalienare. Figmenta hæc ſunt. Ingenitus Pater:
atqui multa etiã alia ingenita ſunt. Enimuero quid-
Locus nõ quid nondum gignitur ingenitum dicitur. *b* Quin
caret mẽ- & hoc ingenitum appellatur, quod quidem fit, nõ-
da, verti dum verò factum eſt: velut eorum, qui vita functi
itaque vt ſunt, reſurrectio: nunc quidem ingenita eſt: fit au-
potui. tem etſi nondum extiterit, neque rationibus con-
firmari poteſt eam nondum extitiſſe. Dicitur & in-
genitum, quod factum eſt ſiue extitit vmquã neq;
vero fas eſt vmquã exiſtere, aut fieri. Cuius gene-
ris ſanè permulta ſunt ingenita, cũ apud alios Pro-
Dan. 7. phetas, tum verò Danielem, cũ ait: *Et quatuor beſtiæ
grandes aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe. Prima quidẽ*

A *quaſi leæna, alaſq; habebat aquilæ.* At vbinam locorum
leænam ferã eiuſmodi ſpecie & habitu conſpexi-
ſti? Vbinam animal ferreis vnguibus, æreiſque dẽ-
tibus præditum vidiſti? Atqui hæc contemplatio-
nis gratia à Propheta adhibentur: nequaquam ve-
rò vel extiterunt vmquam, vel etiam exiſtunt: ſed
eſt illud animal ingenitum, nec vmquam fuit, &
dũtaxat eſt nominatũ. quænam verò mulieres pẽ-
nis præditæ extiterunt, cuiuſmodi Zacharias alis Zach. 5.
inſtructas nouit? Vbi verò pardalim alatam cõſpe-
xiſti? Hæc vero omnia B. Daniel explicat. Vbi verò
ſtatúã, quæ ex auro, argento, ære, ferro & teſta cõ-
flata eſſet, vidiſti cuiuſmodi illã apud Danielem? Dan. 7.
Vnumquodque eorum, quæ expoſui, ingenitũ eſt.
Neq; enim extiterũt, literis autem prodita ſunt: &
velut artificioſè ad contemplandum excogitata.
Ne igitur arbitreris, te Patri magnum quippiam, &
præcellens tribuere: cùm illũ ingenitum appellas:
eo quòd plura etiam alia, nondum exiſtentia, tamẽ
ingenita dicantur. Nõ ſum inſcius, quãtos quamq;
altos ſenſus hæc oratio in ſeſe contineat. Verùm
B vt hæreticorum prauitatem manifeſtò conuincã,
ac teneam, huc omnis ſeſe mea cõuertit oratio. An
non etiam homo ingenitus appellatur, qui nempe
nondum ſit genitus? Atqui qui nondum genitus
ſit, quò ille pacto genitus dici queat ais? Ego verò
tibi hominem nec dum genitum demõſtrabo. Di-
cit igitur ſeruator de Iuda proditore: *Væ homini illi* Math. 26.
per quem Filius hominis traditur. Equidem bonum erat
ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. At quanã ratione
præſtabilius ei fuiſſet. Ei enim quod in rerum na-
tura non eſt, neque profuerit quidquam, neque
etiam obfuerit. Sed & Salomon hominem beatum Salomõ.
pronũciat, qui nondũ natus ſit, his verbis: *Beatus ille
eſt potiùs, ait, qui ſuo fato functus eſt, quàm qui in viuis eſt:
atque adeò his duobus beatior ille eſt, qui nondum genitus eſt.*
At ſi nec dum natus eſt, quomodò beatus? Conſi-
C dera voces de natura, nec dum genita. Hominem
necdum in lucem editum, necdum formatũ, bea-
tum dixit. Quare ingeniti notatio diuinam nat.
non interpretatur: neque adeò, vt tu contendis,
ingenitam eſſentiam declarat: neque honorem
Patri tribuit: cùm apud Prophetam alia nomina
& ingenitarum & genitarum rerum extent, vti de-
monſtrauimus. Verùm *quod factum non eſt*, vel quod
non fuit: *id verò eſſentiã Patris declarat*. Sed quid mul-
tis opus eſt? cum Dauide illis reſpondeamus: *Nar-* Pſal. 118.
*rarunt mihi iniqui fabulationes ſuas: ſed non vt lex tua Do-
mine.* Amplectere vocem Petri: Pauli doctrinam: Rom. 9.
*Chriſtus ſecundùm carnem qui eſt ſuper omnia Deus be-
nedictus.* Spiritus ſanctus omni latreia colatur, ce-
lebretur. Equidem è diuinis oraculis de Deo diſ-
ſerimus: ſiue nolint, ſiue velint aduerſarij. Sed
& diuus Paulus à nobis ſtat, cùm dicit: *An non* 1. Cor. 3.
D *ſcitis, quòd templum Dei eſtis vos?* Et quis in hoc tem- Act. 5.
plo habitat? *Et Spiritus Dei habitat in vobis.* Aliud eſt
itaque templum: aliud qui inhabitat. An nõ audi-
ſti Petrum dicentem: *Anania, cur tentauit Satan cor
tuum, mentiri te Spiritui ſancto*, tumque ſubijcit: *non
mentitus es hominibus, ſed Deo.* Sed vrgent Hæretici:
Non ille Spiritum appellauit Deum. Quia verò
Spiritus à Deo miſſus eſt: qui cõtumelioſè de Spi-
ritu ſentit, *Deum* cõtumelia afficit, qui nẽpe Spiritũ
ſanctũ miſit. Sed ô ſtultè incõſiderateq; homo (ne-
que enim alia appellatio impio, ſceleſtoque magis
conuenerit quã ſtulti. *Dixit enim ſtultus in corde ſuo nõ* Pſalm. 9.
eſt Deus) nõ locutus eſt Petrus, vt tu accipis. Si enim
contumelia in ſpiritũ in Deũ redundaret, tamquã
qui miſiſſet, dicendũ fuiſſet: non mẽtius es ſpiritui,
ſed Deo. Sed hæc quidem hactenus. Fas enim eſt
Apoſtolico † Choro ſanctam Trinitatem cõcedere: χορῷ.
quã ipſe pater annuntiat. Trinitas enim Apoſtol.
teſtis cæleſtis Trinitatis exiſtit. Chorũ ergo ſince-
rè pureq; celebremus: dicamuſq;, *plures liberi deſertæ* Eſai. 54.
quàm quæ virum habet: quàm omnis hæreſis, quæ ho-
minem, nõ autem Deum Doctorem Magiſtrumq;
habet.

Digitized by Google

habet. Vtinam verò Orationibus, & precibus communis noſtri Patris & doctoris eueniat, nos cũ ſanctis Apoſtolis, & teſtibus in orthodoxa fide conuenire & coniungi in Chriſto Ieſu. Cui ſit gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Cùm anno 1581. Romæ editæ eſſent hæ orationes D. Chryſoſtomi, ac quadriennio poſt in Germania in Latinum ſermonem conuerſæ, viſum eſt Typographis Pariſienſibus, iam huic editioni addendas. Quia tamen, quòd non ſatis emendatum eſſet exemplar Romanum, & ſæpe interpreti immeritò ſuſpectum mendi, multa irrepſerant errata, ſi minus in minutis quibuſque, certè in quibuſdam inſignioribus locis, his notulis admonẽdum cenſuimus lectorem, quouſque alia interpretatio elegantior prodeat, & emendatior.

vide fol. 694. a *Exibilant & diffamant.*] Græca ſic habent οἱ δὲ τὴν θεολογίαν ὅσον ἐπ' αὐτοῖς ἐνηχῦσιν. *Hi verò quantum in ipſis eſt, doctrinam de eius diuinitate promulgant & proclamant.* Verbum exibilandi in eam partem acceptum vix reperias. θεολογίαν porrò appellat inſtitutum de Chriſti diuinitate ſermonem, vt paſſim & in his orationibus & alibi, οἰκονομίαν autem orationem de humanitate eiuſdẽ. Baſil. Ep. 141. μὴ τῇ θεολογίᾳ προσέχοντες τῆς οἰκονομίας καταφρονῶμεν. Vtũtur & Græci Patres nomine τῆς ἀξίας ad iudicandam diuinitatem perſonarum, vt paulò antè dixit μὴ οὖν ὕβριζε τὴν ἀξίαν διὰ τὴν οἰκονομίαν. Noli dignitatem Dei propter œconomiam in carne contumelia afficere, & paulò pòſt illa ἀναξίαν ἐνόμισας τὴν τοῦ πνεύματος ἀξίαν. Indignitatẽ cenſuiſti Spiritus ſancti dignitatem, ſiue diuinitatem eius nullam putaſti.

b *Quin & hoc ingenitum*] Suſpectus eſt mendæ hic locus interpreti. Hoc tamen liquet probare Chryſoſtomũ ingenitum dici etiã de alijs rebus aliqua ratione, neq; ſoli Deo Patri cõuẽnire. Nam & ea quæ figmenta non ſunt, vt rerũ naturæ, reſurrectio, & alia certo futura dicũtur ingenita. Sic ergo verti poteſt. *Quin etiam ingenitũ appellatur omne quod quidẽ eſt, naſcique ſolet, nondũ tamen reipſa ortũ eſt. Ita reſurrectio dicitur eſſe, vel dari, vel fieri, ſed nondum facta eſt,* neque reipſa, atque vt ita loquar, actu exiſtit. Sic & Gregorius Naziã. oratione ad patrẽ, alia quædã ingenita etiã dici ait, vt materiam & formam & alia quædam.

EIVSDEM DE SERPENTE, QVEM *Moyſes erexit in ſolitudine, itemq́; de Trinitate,*

Oratio II.

HEſterna quidem die aduerſus hæreticas concertationes pro gloria vnigeniti, oratione quadam facili, & copioſa depugnauimus: non quæ recondita, & arcana quędam nunc demum in lucem proferret, verùm quæ gratias ex animo ageret. Neque enim noſtris orationibus Chriſti gloria amplificatur: ſed illuſtribus, & præclaris ab eo ornati beneficijs, meritò eadẽ prædicamus, & gratis animis extollimus. Longè ſiquidem abſurdiſſimum hoc foret, nos beneficijs ornatos, ſilentio meritis illius, quaſi vicem perſoluere. Maximè verò, cùm & Dauid † nos exhortetur, cùm ait, vt pridie audiuimus: *Omnis terra te adoret, & tibi pſalmum dicat.* Deum ſiquidem laudamus, non quòd ipſi hoc pacto honor à nobis habeatur, cùm nobis eundem comparemus. gloria, inquam Deũ concelebramus, numquam ipſi largiamur: verùm nobis eam & quidem æternam inquirimus. *Qui me glorificant, ait, glorificabo, & qui me pro nihilo putauerint, pro nihilo putabuntur.* Ex illa itaque orationis noſtræ contentione pro virili ſuſcepta, percepiſtis opinor, nõ licere terminos gloriæ Dei tranſilire: non hominibus qui in terra degunt: non Angelis, qui in cælis: non Archangelis, non principatibus, non Cherubim, non Seraphim. Meminiſtis etiam, ſat ſcio, † attenti auditores, qua ratione oratio noſtra, de hiſce rebus inſtituta, ad exitum fuerit perducta. Quandoquidem verò ipſe Rex gloriæ hoc de ſua cruce, & ſupplicio hodie prædixit: & Apoſtolus Regiæ Seruatoris noſtri voci, velut obſecundans, doctrinã de cruce explicauit. Sic enim Dominus diſcipulis concionatus eſt: *Ecce aſcendimus Hieroſolyma, & filius hominis traditur in manus hoſtium.* Paulus verò Galatas obiurgans ſcripſit: *Quis vos faſcinauit, quibus ante oculos Chriſtus præſcriptus inter vos crucifixus.* Cùm igitur & regia illa † Dei vox, & fidelis illius miniſtri doctrina præclare conſentiãt: neceſſarium duco nos, quantum licet, & poſſumus, ſalutarem illã de Dominica cruce doctrinam meritò prædicare: non ſanè quòd nos hoc pro dignitate conſequi poſſe confidamus, ſed vt officio noſtro erga Dominum pro virili defungamur. Quid igitur ſeruator prædixit? *Ecce aſcendimus:* &, *Filius hominis tradetur, &c.* Qui mortem deuicit, ſupplicium ſuũ palàm prædicit: de cruce vaticinatur, qui cruce mortem ſuſtulit: certamen proclamat, vt victoriam prædicet. Hîc rurſus ad intelligenda Domini oracula animum, mentemq́ue conuerte. Attende quanta cum grauitate, & dignitate hæc dicantur: *Ecce aſcendimus Hieroſolyma, & filius hominis traditur, vt crucifigatur.* Atqui hæc prædicit, in ipſo certamine iã conſtitutus, auerſatur dignitatem autoritatis & inficiatur autoritatem diuinitatis ſuæ, cùm ait, *Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte:* † Equidem repugnantiam animaduertis? at tu rerum diuinarum illam occultam adminiſtrationem hîc cogita, & de œconomia in carne dici hæc attende. Sed ad rem redeam. Diſcipulis ait: *Ecce aſcendimus, &c.* Vide quã cautè, proprieque loquatur. Vbi enim ſupplicium ſuum prædicat, humanam naturam his verbis demonſtrat: filius hominis traditur. Etenim corpus, quod coram cernitur, ſupplicium ſuſtinet: diuinæ verò naturæ dignitas, quæ intelligendo percipitur, illa vitam, ſalutemq́ue affert. Et figura quidẽ corporis, fratres, morte diſſoluitur: at potentia eius, qui inhabitat corpus, diſſolutum inſtaurat, & excitat. Ille ipſe erat qui corpore quidem diſſoluebatur: idem qui ſpiritum diſſolutum excitabat. *Soluite enim,* inquit, *templum hoc, & in triduo inſtaurabo illud. Ecce aſcendimus Hieroſol.* Qui Chriſtum ſequũtur eos numquã fas eſt deſcendere, ſed aſcendere perpetuò. Sed quemadmodum via, quæ Hierichonte, Hieroſolymam perducebat, *accliuis* erat re ipſa & aſpectu: ſic, ſi intelligentia res æſtimemus, ſupplicium perpeſſionis ad editiorem viam reſurrectionis perducebat. Adamum ſiquidem ad inferos delapſum, in cælos reuocabat: & imaginem humi iacentem ſurſum, & in ſublime erexit. *Aſcendimus Hieroſol.* Vbicunque Deus regnum obtinet, ibi eſt virtutis profectus & quaſi aſcenſus: vbi malitia, ibi ad iniquitatẽ, & improbitatem † defectio. Idcirco Dauid de ijs, qui officio gaudent, laudabiliterque vitã inſtituunt ſuam, ait: *Beati omnes, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Beatus vir cuius adiutorium eſt apud te. Aſcenſus tui in corde ipſius.* Aſcenſiones tuæ, hoc eſt, piæ illæ, & in ſublime euectę cogitationes, quæ in ſublime ſubducant eos, qui præclarè de Deo ſentiunt. Ergo & temperantiæ modeſtiæque via ſurſum tendit: & iuſtitiæ via in ſublimè perfert, & vt vno verbo dicam, omnis pietatis inſtitutio in illum altum cæleſtemq́ue locum pium ſubducit. De qua illi ex gentibus: *Agite, in montem Domini aſcendamus, & in domum Dei Iacob.* Vbicunque enim pietatis doctrina, ibi aſcenſus & acceſſio: vbi malitia, ibi manifeſta deſcenſio, atq; prolapſio. Quemadmodum Dauid Propheta teſtatur: *Eripe me à deſcendentibus in lacũ.* Et rurſum: *qui me exaltas de portis mortis.* Itaque non fruſtrà dixit: aſcendimus. *Ecce aſcendimus,* inquit, tametſi ipſe ſolus ad ſuppliciũ illud proficiſceretur. Cur igitur periculo quaſi cõmunicato, aſcendimus, ait? Quia ſupplicium illud mihi paratum: ſalus verò omnium hominum communis eſt. Hinc eſt præclara illa Apoſtoli, & omni admiratione digniſſima vox, quemadmodum paulò antè cognouiſtis: *Cum Chriſto crucifixus ſum: viuo autem iam non ego, viuit autem in me Chriſtus.* Verùm quaſi vellet etiã fructus, quos ex eius cruce adipiſcimur, demõſtrare, ſubiecit recta in ſubſequentibus: *Chriſtus nos redemit*

Marginalia (left): propheta nos. — Pſalm. 65 — Ioan. 5. & alibi. — οἱ φιλομαθεῖς. — Math. 20

Marginalia (right): Gal. 3. — domini. — Math. 20 — Ibidem. — Marc. 26 — Et quid. — Ioan. 2. — Luc 17. — Luc. 10 — deſcenſus. — Pſalm. 83 — Eſai. 2. — Pſalm. 29 — Ibid. 9. — Gal. 2. — Gal. 3.

Deut, 21. *redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictio. Scri-*
ptum enim eſt maledictus omnis qui pendet in ligno. Hic tu
mihi accuratè, diligenterque aduerte: ne veritatem
tanto ſtudio fruſtrà conſecteris. Iudæi enim de qui-
bus Paulus ait, & inimici crucis, quorum finis per-
ditio, ſtatim ſimplicibus obijcient. Si ergo maledi-
ctus eſt, qui in ligno pendet: quomodo ergo à ma-
ledicto, & execrato benedictionem, ſalutemq; ex-
pectas? Quomodo ab eo, qui morti obnoxius fuit,
vitam expectas? Nam quemadmodum apparet, nec
ipſe Doctor noſter Paulus negat, ipſe pro nobis
Ibidem, maledictum factus eſt. Scriptum enim eſt, *maledi-*
ctus, qui pendet in ligno. Si itaque hoc & diuinis literis
proditum, & teſtatum ſatis eſt: qua ratione benedi-
ctio à maledicto dari poteſt crucis cultoribus? Hæc
igitur à Iudæis, hoſtibus crucis Chriſti ſemper vr-
gentur, & inculcantur. Si itaque Iudæus tibi dixe-
rit: quomodo maledictus benedictionem largitur?
eidem repone. Quomodo verò ſerpentes in ſolitu-
Num. 21. dine mordebant maiores tuos, Moyſes autem *æneo*
ſerpente cõflato, eodemque in crucem ſublato præ-
cepit. Quicumque à ſerpente morſus eſt, ſerpentẽ
contueatur, & ſeruabitur, & reſtituetur? Sed quid
hoc ad rem? ait, multum ſanè, & quidem accommo-
datiſs. dicitur. ánnon auſcultâſti Deum quoq; di-
Gen. 3. centem: *Maledictus es inter omnia animantia & beſtias*
terræ. Quomodo, inquam, imago maledicti ſalutem
attulit noſtris maioribus? Dictum illud repeto: vt
ſententiam firmius conſtituam: ſiquidem arduum,
difficileque videatur à maledicto benedictionem
Num. 21. quaſi promanare. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.*
Quomodo inquam imago ſerpentis maledicti, cui
dictum eſt: maledictus inter omnia animantia & be-
ſtias terræ, ſalutem miſeris illis & calamitoſis at-
tulit? An non maiori fide digna eius fuiſſet oratio,
ſi dixiſſet: ſi quis morſus fuerit, ſurſum in cælum ad
Deum ſuſpiciat & ſanabitur? Et nequid de cæli
conſpectu dicatur, ánnon promptum fuiſſet dice-
re: ſi quis morſus fuerit ad *lucernam lucis* reſpiciat,
& reſtituetur? aut reſpiciat menſam panum propo-
Vide not. fol. 703. 704. ſitionis, & ſanabitur? a vel ad Thuribulum, aut ve-
lum? aut ad arcam, vel imaginem Cherubim, vel
propitiatoriũ? Atqui nihil horum magnus legiſla-
tor meminit: ſed tantùm imaginem illam crucis
erexit, in eam maledicto ſerpente ſublato. Quam-
obrem verò, Iudæe, Moyſes hæc facit? Cur fundit
Exod. 25. 26. ſerpentem qui tamen haſce leges tulerat: *non facies*
ſculptile neque fuſile. Sed quid ego hiſce de rebus cum
iniquo, & imperito ago? Ipſum legiſlatorem inter-
rogo. Dic igitur, ô fideliſſime Dei miniſter: quod
vetas, facis? quod confutas, aſſeris? Qui ſancis: non
facies, neque ſculptile, neq; fuſile: fundis, & ſcul-
pis ſerpentem? At illas quidem leges tuli, inquit: vt
omnem impietatis materiem radicitùs extirparem,
populumque iſtum ab omni ſimulachrorum cultu
quàm longiſſimè ſubmouerem. Nunc verò ſerpẽ-
tem etiam fundo, vt imaginem diſpenſationis cru-
cis præfigurem: & quidem viam, per quam Apo-
ſtoli olim decurrant, complanem. Signum illud
crucis magnum & nouum multò ante quaſi ani-
mo præcipio, & meditor. Hanc autem illius ſenten-
tiam nequaquam contortam, aut inconcinnam
eſſe, vel ex Domini verbis liquet: qui veterem il-
lam imaginem, de ſe ipſo interpretatur, & confir-
mat. Cùm enim ei ſermo eſſet cum Nicodemo illu-
ſtri & claro viro apud Iudæos, velut populi doctore,
quique adeo œconomiam huius rei ad contemplã-
Ioan. 3. dum propoſitæ capere poſſe videretur, ait: *Et ſicut*
exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto: ita exaltari oportet
filium hominis; vt omnis, qui credit in ipſum, non pe-
reat, ſed habeat vitam æternam. Dic igitur, ô ſtupi-
de Iudæe: an non ærea illa materies erat expers vi-
tæ, quæ ſanè mortem vincere poſſet. quum figurã
quidem crucis obtineret, cuius tamen veritas nul-
la certa perſuaſione à vobis credatur. Et quidem
toto terrarum orbe iam conuerſo: poſt pietatem,

A cuius ſplendore totus mundus eſt illuſtratus, & cõ-
ſtitutus: poſt fidem à gentibus acceptam: poſt ec-
cleſiarum conſtitutionem: poſt tanta certamina:
poſt tantam in omni virtutum ſtudio exercitatio-
nem: poſt vitæ huius publicæ, quæ angelos deceret,
tantos progreſſus. Verumtamen luculẽter demõ-
ſtratum eſt, omnem aduerſarijs crucis viam, aditũ-
que præcluſum eſſe, ad exprobrandum nobis de-
inceps figuram maledicti. Et aduerſus illos quidem
hæc ſatis ſint. Nos autem vera fide imbuti expen-
damus, exactiuſque ponderemus vim ſententiam-
que verborum, quæ proponuntur. Quid eſt tandem
cauſæ, quod Dominus imaginem diuinę illius œco-
nomiæ non alio aliquo ſigno, ſed ſerpentẽ propoſi-
to, præſignificare voluit? Aduerſus eas quidem cõ-
tentiones, quæ cum aduerſarijs ſuſcipiendæ nobis
ſunt, exemplar illius execrati ſerpentis ſatis viriũ
habet. Verùm ſi ab hominibus pietati deditis quæ-
ratur: cúrnam execrati ſerpentis imago figura ex-
titerit Chriſti, omni diuino cultu veneranda; vt hoc
B illis perſuadeatur, nos certè accuratè illud expli-
care, eos verò ſtudioſè auſcultare decet. Figura
ſerpentis, fratres, imago eſt eius diuini conſilij,
quod in cruce ad exitum deducendum fuit. Vt au-
tem illa figura imaginem quidem, & ſpeciem ſerpẽ-
tis repræſentabat: ſic & *ſeruator,* Apoſtolo teſte, *in* Rom. 8.
ſimilitudine carnis peccati apparuit: cùm tamen extra
omne peccatum culpamque eſſet. Sicut & S. Iſaias
conueniẽter beato Paulo loquens, ait: *Qui peccatum* Eſai. 53.
non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Itaque ſecundũ
Eſaiam imaginem vnam habes: ſed & alteram ac-
cipe. Contuere veritatem per figuras quaſdam elu-
centem: ſerpentes quidem filios Iſraël mordebãt:
populus in exitium quoddam inciderat. Petit itaq;
Moyſes ſupplex à Deo, vt medicinam aliquam ſa-
lutarem oſtenderet. Deus verò famulo medicinam
beneficam commonſtrat, & ait: æreum ſerpentem
conficito, eumque ante tabernaculum teſtimonij
erigito. Quid ſibi vult hoc exemplar? etenim alij Num. 21.
C erant ſerpentes, qui mordebant: alius etiam ille,
qui pro ijs in crucem tollebatur. Quid innuit æni-
gma? Quid præ ſe fert vmbra illa myſterij? Quem-
admodum enim illic figura aliorũ ſerpentium, ille,
qui nec momordit, nec etiam percuſſit, in crucem
ſublatus eſt: ſic delicta & ſcelera aliorum homi-
num innocens IESVS ſuo crucis ſupplicio erat
expiaturus: pro ſerpentibus, qui mordebant, ſer-
pens innoxius cruci ſuffigitur: pro nobis morti ob-
noxijs, nullo vmquam ſcelere inquinatus, ille in-
tegerrimus, ſupplicio affectus eſt. Quod quidem
præclarè, vt alia permulta, Eſaias prædixit in hunc
modum: *pro peccatis populi venit ad mortem, & Dominus* Eſai. 53.
tradidit ipſum pro peccatis noſtris. Quinetiam iterũ hac
doctrinam reconditis ſententijs refertam, teſtimo-
nij gratia oportet repetere. Quemadmodum illic
alij ſerpentes erant, qui mordebant, & alius item,
qui ſuffigebatur: ſic & hic omnes ſceleribus &
D peccatis inquinati: & vnus, qui pro ipſis pœnam
luit. Habes itaque & ſecundum ſimile: ſed & tertiã
ſimilium comparationem conſidera. *Nam in ore* Matth. 18
duorum vel trium conſiſtit omne verbum. Quare verò
cruci ſuffigitur ſerpens æneus? vt aboleantur &
conſeneſcant vibices morſuum. Ergo aliud eſt,
quod in crucem tollitur, alia item quæ abolentur.
ecquid ſignificationem veritatis animaduertis? An
non, tanquam ſub inuolucro literarum vim diuini
cuiuſdam ordinis rerum futurarum perſpicis? Sub-
latus eſt in crucem æneus ſerpens, ait, vt abole-
rentur morſus draconum. Chriſtus crucifixus eſt,
vt dæmonum facinora ceſſarent & abolerentur.
Enimuerò alius eſt ſerpens ille qui erigitur, alij
qui abolentur dracones: alius eſt in cruce pendens
Chriſtus, & alij qui abolentur dæmones. Et veluti
illic ſimulachrum ſerpentis, qui coràm apparebat,
aboleuit morſus ſerpentium: eodem modo etiam
hîc mors Chriſti, mortem penitus ſuſtulit dæmo-

neſque profligauit. Itaque non immeritò Seruator
Ioan. 3. comparationem ſibi vendicans dixit: *Et ſicut Moy-
ſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium
hominis: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed ha-
beat vitam æternam.* Sed enim, fratres, licet crucis
deſcriptionem apud B. Moyſen etiam alia quadam
figura informatam inuenire, quam aduertas ve-
lim. Nam qui de cruce verba faciunt, eos tanti
myſterij, & arcani complures contemplationes in
medium adferre oportet. Quodam tempore exte-
ri quidam, & peregrini populi, Iſraëlitis in ipſa ſo-
litudine bellū faciebant, nomine Amalecitæ: Moy-
ſes autem, Ieſum Naue F. legatum ſui exercitus, &
ſucceſſorem in Imperio deſignatum, armatū pro-
ficiſci iubet: ipſe interea in monte ſubſiſtens ma-
Exod. 17 nibus in cælum ſublatis. *Moyſes enim,* aiunt ſacræ li-
teræ, *aſcendit in montem, & expandit manus ſuas:* & fa-
ctum eſt, cùm extenderet manus, vincebat Iſraël,
& cùm demitteret ingraueſcentes *b* ob magnitu-
dinem corporis vincebat Amalec. Quid hæc figu-
ra ſibi vult? Iudæus quidem, metuens ne ex hac
imagine gloria crucis Chriſti eluceſcat, nihil in-
quit, eorum, quæ abs te finguntur, hæc figura con-
tinet. Confirmatio illa manum, orationis figura
erat: non imaginis, quam tu animo & mente con-
cipis. Quod ſi ita eſt, & victoria illa fructus preca-
tionis fuit. Cur igitur hiſtoria illa victoriam oratio-
ni non attribuit? Neque enim hiſtoria ita habet:
cùm Moyſes precabatur. Liquet ergo illam victo-
riam non fuiſſe fructū vel præmium orationis: ſed
vel imaginis, & configurationis manuū. Quando
enim Moyſes demiſit manus, vincebatur Iſraël:
quādo verò explicabat, vincebatur Amalec. Si enim
victoria illa orationi aſcribenda, dicendum fuiſſet:
& quādo Moyſes precabatur, vincebat: ſed, vt mo-
dò dixi, oratione interpoſita, non illa quidē inutili
& quæ nihil ad rem faceret; ſed tamen quæ crucis
imagini concederet, hac figura & hoc ſigno victo-
riam illam, deſcribit. Quando enim Moyſes manus
expandebat, vincebat Iſraël. Quid autem manus
expanſa? finge apud animum tuum manus expan-
ſas, vt adorandæ crucis ſplendentem imaginē per-
ſpicias. *ſed defatigatus eſt,* inquit ſcriptura, *Moyſes,* ne-
que enim manus tanta corporis mole delaſſatæ
ſeruandæ illi configurationi ſuppetebāt. Quid er-
go? ne illo ſchemate diſturbato, victoria quoque
amitteretur, aſtabat Moyſi Aaron & Or, & manus
ſubleuabāt: ne euaneſcēte crucis imagine & ceſſan-
te, victoria quoq; manibus excideret. Quare verò
omnino Aaron & Or manus ſuffulciunt? Aarō fra-
ter pontificis munere fungebatur: Or verò cog-
natus erat regis. Itaq; imaginem crucis ſacerdotiū,
& regnum inſtar ſatellitij ſtipant, & tuētur. Et quid
cùm transformaretur Dominus in monte, Moyſes
Luc. 9. ad dextram, Helias læuā ad conſpecti ſunt: vt Chri-
Math. 17 Marc 9. ſtum regia imagine reſplendentem conſtiparent:
Si etiam hic Aaron ſacerdotij munus repræſentās
crucem defendit: & ſimiliter Or à rege primas ob-
tinens crucem ſtipat. Hæc à me allata ſunt, vt de-
monſtrem: quomodo priſcis illis patribus pietatis
imago ſit informata & propoſita: necnon quā ve-
nerabilis, vel figura etiam œconomiæ ijſdē extite-
rit. Si itaq; Prophetæ illi tanta cū laude eam prędi-
cârunt; ſi tam honorificè præfigurârūt, quanto nos
æquius eſt omni contentione ſummis laudibus Do-
mini crucem, diuinam illam œconomiam, celebra-
re. Non ignoto vos magno deſiderio teneri talium
orationum, quibus S. Theologiæ capita explican-
tur. At quæ nunc à me dicta ſunt omnino cum illis
conueniunt. Idem enim eſt, & crucem prædicare,
& vnigenitum Deum, *verbum*, ſummis laudibus ex-
tollere. Quamobrem, ſiue diuinam naturam vni-
geniti concelebres: ſiue eius inter homines poli-
tiam laudes, oratio talis vnum eundemque pietatis
ſcopū propoſitum habet. Verumtamē crucis men-
tione facta, humanitate Chriſti in medium allata,

A animo erecto, intelligentiaq; à ſeſe conuerſa, vni-
geniti Filij ſupremam potentiam cōtemplare: ne-
que illa figura, quæ tua cauſa facta eſt, ſenſus tuos
hebetet vel obtundat: ſed humanitas illa Chriſti,
qui tua cauſa corpus aſſumpſit, vires ingenij ex-
promat, & ſubducat. Crux quidē tua cauſa, maie-
ſtas verò Dei ſua ipſius cauſa eſt. Maieſtas diuina
nulla oratione amplificari, nulla etiā extēuari po-
teſt. Quicumq; enim in id incūbunt, vt Deo detre-
ctent: ſe ipſos dignitatis gradu deturbant: qui verò
Deum laudibus euehunt, ſe, licet indigni, & viles
ſint, in altiorē locū euehunt. Quamobrem, vt prius
dicebamus, quicumque, vel Chriſti in carne poli-
tiam, vel doctrinam de ipſius diuinitate collaudat, Filij diui-
in ijſdē ſententijs verſatur. Quoniam verò de he- nitas oſtē-
ſterna oratione ad noſtrā exercitationem ſuſcep- ditur.
ta quiddam reliquum fuit, nempe vt explicaretur
illud: *Vt cognoſcant te ſolum verum Deum & Dominum* Ioan. 17.
Ieſum Chriſtum. Quamuis autem ad demonſtran-
dum vnum, & verum Deum, oracula, teſtimoniaq;
Prophetarum à filio ſatis ſuperq; allata ſint, quòd
B & ſolus, & verus Deus: neceſſarium tamen exiſti-
mo, etiam horum verborum vim, & ſententiam di-
ligentius conſiderare & excutere. Et quidem hæ-
reticus hoc modo obijcit: ecquid habes, quod de
verbo, *miſſus*, poſſis dicere? diſertè ſiquidem, & lucu-
lenter ſacræ literæ habent: *& quem miſiſti Ieſum Chri-* Ibidem.
ſtum: ánne, qui legauit aliquem cum legato eundē
dignitatis gradum obtinet? Hæc ſi ita legas, vt di-
ctionem duntaxat, nulla ſententiæ habita ratione,
reſpicias, vti prius diximus, & inter ſe, & à nobis ve-
hementer diſſidere ſæpe, minimeque congruenter
ijſdem noſtris rationibus dici videbuntur: præcla-
rè quidem ſcripta, prauè autem intellecta: Sin verò
ſententiam eorum cum re ipſa & veritate adhibēs,
coniungas: numquam acies ingenij tui in pugnan-
tia quædam aberrabit: vt quæ à Spiritu ſancto vt
C rem exactè perſpicias, dirigatur. Verba enim hæc,
miſſus eſt, & *miſit* hominum ſunt: at diuinos quoſdam
ſenſus tantum non edita voce declarant. Neque
enim qui legauit ex locis quibuſdam in alia loca
legauit: neque qui miſſus eſt è locis in locos perue-
nit. Atqui ait hæreticus, Pater filium in mundum Ita in pri
miſit *c* præſens vt mundo adeſſet, ad quem ſcilicet ma & de-
mittebatur. Quomodo & ſcriptura de Domino lo- cima.
quitur: *in mundo erat & mūdus per ipſum factus eſt.* Quo- Ioan. 1.
modo ergo venit, qui aderat? Quomodo apparuit,
qui latebat? Quòd ſi vocabulum, miſit, re ipſa ita
vt ſonat, accipias, neceſſe omnino eſt, eum qui
miſſus fuit, ijs in locis præſentem ſtatuere, in qui-
bus tamen nondum verſabatur: & viciſſim eum qui
miſit, eò legare, vbi nondum præſens fuerit. Quis
eſt itaque ſenſus Euangelicorum illorum oraculo-
rum: *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt ni-* Ibidem.
hil, in mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Si itaque
D in mundo erat, quomodo in mundum ablegatur?
An ne tibi illud excidit. *Cælum & terram ego impleo,* Hier. 23.
dicit Dominus. Quid igitur ſibi vult illud *miſſus eſt?* pro
eo, ac ſi dixiſſet, conſpectus eſt, in carne apparuit,
& nobis affulſit. Legatio enim illa non vllam pro- Ita paulò
fectionem de loco in locum ſecum affert: ſed ex antè, &
diuina illius natura, quæ cerni conſpicique nequit, ſæpe alias
eius aſpectabilem præſentiam. Neque enim cùm & paulò
hoc orbe ageret, Dominus ſecundum humanam poſt.
ipſius naturam cælos ſua maieſtate, neq; nunc hu-
manitus, quoque ſupra cælos ſublatus, orbem va-
cuum ſua adminiſtratione reliquit. Sed rurſus
quod propoſuimus diligenter excutiamus. Si igitur
† ex vi verbi, fratres, Pater filium in mundum mi- ad literā.
ſit: manifeſtum eſt eum, qui miſit ſeparatum, & di-
ſtinctum eſſe: & quidem loco, ab eo, qui miſſus eſt.
Nā ſi idem cum ipſo eſt: planè ſuperuacaneū fuerit
illud, *miſit*: Sin verò miſit, neceſſe eſt ſeparatos eſ-
ſe, ſiquidem vim verbi reſpicias. Atqui non opor-
tet ita ſeruiliter verbis nos addictos eſſe: ſed fide
imbutos ad eandem vitam inſtituere. Et quænam

oratio

A oratio nobis hic ſuffragabitur: quòd, qui in orbe apparuit, etiã in cælis eſſet? Quis locus teſtificabitur: quòd qui miſſus eſt à patre, à patre non diſceſſerit? ſiquidem verba ita arctè tenere velis. Si ergo qui legauit alius eſt, & à legato ſeparatur, quomodo illud accipiendum erit: *ego in patre & pater in me*, & rurſus: *& qui miſit me pater mecum eſt*. Numquid animaduertis diuinam illam naturam nuſpiã ſeparari? Humanitas verò Chriſti & œconomia ſpeciem illam legationis oſtendit. Quid ergo hoc ſibi vult? *Aſcendo ad patrem meũ*. Si pater ſecum eſt, cur aſcendit: Equidẽ aſcenſus ille humanitatẽ Domini interpretatur: & quidem corpus Domini ſurſum ſublatum oſtendit, non autem diuinitatis ſeparationem, vel differentiam declarat. Quod ſi lubeat cognoſcere, ſic habeto: ſicut cùm in hoc mundo verſaretur, cælos non dereliquit: ſic in cælos ſublatus orbem minimè deſtituit vacuum. Quippe idem, qui diſcipulis dixerit: *Et ecce ego vobiſcum ſum, ſed aſcendo vnde deſcendi, ad patrem meum*, idem ille, inquam iiſdem dicit: *Ecce ego vobiſcum ſum* † *vſque ad conſummationem ſeculi*. Oraculum igitur illud, vt *cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti*, &c. ſenſum habet, duplicem, duplicemque gladiũ nobis porrigit: illum quidem aduerſus ſimulachrorũ cultum promptum, & ſtrictum: hunc verò aduerſus impiam, & Iudaicam infidelitatem comparatum. Vnum enim & ſolum appellat, vt demortua illa ſimulachra notet, & infamet: miſſum verò Ieſum dicit: vt eos qui humanitatis illam totã œconomiam in carne inficiantes, obmuteſcere faciat. Verba itaque cum ſententia coniunctim accipe: neque maieſtatem propter dictionem cõtumelioſè tractes. Vt autem exactè intelligas hæc verba: à Deo miſſum eſſe, non interpretari de vno loco in alium locum ſeceſſionem: ſed patefactionem diuinæ illius diſpenſationis & œconomiæ de Ioanne Baptiſta, qui & terrenus erat, & in terris apparuit. Euangelicæ literæ aiunt: *Fuit homo miſſus à Deo*. C Numquid Ioãnes cælitus miſſus eſt? num è cælis ad nos deſcendit? Quomodo igitur ad nos peruenit? Deinde verò homo cùm mitteretur non de vno loco, in alium ſeſe contulit: Sed illi myſterij diſpenſatio eſt mandata. Et Deus Verbum, quod omnia implet: ſi ſe ipſum miſſum eſſe dicat, ſuam naturam cõtumelia protinus afficiet: neque œconomiam in carne, ſeu diſpenſationem ita nobis aperiet! Attende, frater, ipſum omnes humanæ ſuæ conditionis partes explere: nec tamen quidquam de diuinæ ſuæ potentiæ maieſtate decedere. Et ſacerdotij quidem ſui ſpeciem his verbis proponit. *Aſcendo ad patrem meum, & rogabo eum, & paracletũ mittet vobis ſpiritum veritatis*. Si rurſum aſcendis, & conſolaris, † & poſt conſolationem pro nobis oras: D Lego enim dicis, & mitto: Quare ante aſcenſionẽ patris authoritatem, & maieſtatem imminus? ſi non ſecundum diuinam tuam dignitatẽ eadem maieſtate polles & præſtas? verùm certum tempus ad patrem aſcendendi in cælos expectas, vt eidem preces ſupplicationeſque offeras: vt hoc demum modo Spiritus gratiam acciperent, quæ quidem toti orbi terrarum communicaretur. Cur, antequã aſcenderes, antequam rogares, propriam tuam demonſtras maieſtatem? Cur, cùm à mortuis reſurrexiſſes, inſufflaſti in faciem Apoſtolorum, dixiſtique: *Accipite Spiritum ſanctum*? Equidem quod à patre cõprecaris, antequam rogas, largiris. Itaque ſimulas petitionem? Nequaquam ſimulo, ait, longiſſimè enim à veritate omnis diſſidet ſimulatio. Verùm priùs quidem illud diuinam illam dignitatem decebat: hoc verò humanæ naturæ conuenit. Cur inſufflaſti in faciem Apoſtolorum? Me verò, ait ſeruator, ab inferis excitatum primitias vitæ toto mũdo largiri oportuit. Poſteaquam enim Adamus formatus ſpiraculum vitæ accepit. *Inſpirauit enim Deus in faciem Adami, & factus eſt in animam viuentem*. Quod

Ioan. 14. — Ioan. 20. — Math. vlt. Ioan 17. *omnibus diebus.* — Ioan. 1. — Ioan. 14. — *adde è Græco, καὶ παρακαλῶν ... & oras patrocinãs & poſt patrocinatiõ mittis Spiritum. Lego, &c.* — Ioan. 20. — Gen 2.

A ille accepit, perdidit: hoc ego præſens recupero & reſtituo. Lapſum erigo, deprauatum inſtauro, morti addictum vitâ dono. Equidem de politia mea in carne etiam propheta teſtificatur, qui meam inſpirationem prædicauit. At quis eſt ille propheta: qui exclamando meam inſpirationem illam ſanctam prædicit? *Audi*, inquit, *prophetam ex illis duodecim dicentem: Celebra Iuda feſta tua, redde Deo vota tua. Non illi amplius in animum inducant redire ad vetera. Prima illa conſummata ſunt*, ait. Non illi amplius inducant redire ad vetera. Gratiam ille nouam annuntiat, quoniam vetera deſierunt. Noua nunc florent, celebra feſta tua. Cur verò feſtum celebrato, peragitato, dicit? quia in feſto paſchatis reſurrectio erat futura. Celebra Iuda, &c. Conſummata, & ad finem exitumque prima illa deducta ſunt. Quare verò ad finem ſunt deducta? Nam è terris aſcendit, qui in faciem tuam ſufflat, & qui te ex omni afflictione liberat. Sed repetamus propheticum oraculum: Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua. At B quænam erant illa feſta? omnia, inquam, illa veteribus illis vſitata, quæ quidem noſtrorum ſpeciem & imaginem præ ſe ferebant. Primum ſiquidẽ azymorum feſtum imago fuit ſupplicij & mortis Chriſti, ſi quis rem diligentius perpendat: poſt hoc dies Pentecoſtes, & ipſa imago fuit aduentus ſancti & omni diuino cultu venerandi ſpiritus. Feſtum verò tabernaculorum ſimilitudinem referebat æternorum illorum tabernaculorum. Quia verò tabernacula illa ad tempus tantum extruebantur, cùm Dominus demonſtrare vellet, ea, figuras eſſe cæleſtium, æternorum, futurorum tabernaculorum, cùm alloqueretur diuites huius mundi dixit: *Facite vobis amicos ex mamona iniuſtitiæ, vt cùm defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula*. Ergo ſcenæ illæ ad tempus conſtructæ figuram gerebant æternorum illorum tabernaculorum. Cùm itaque Chriſtus homo, inter homines agens, rebus à ſe in hac vita geſtis figuras illas † repræſentaret: & verò nouam il- C lam gratiam quaſi effloreſcere faceret, præclarè omnino propheta exclamando prædicit: Celebra Iuda feſtiuitates tuas & redde vota tua, perſpicuè declarat, non amplius illi in animum inducant redire ad vetera. Etenim per gratiam inſtaurata omnia, conſummata, & ſumma adducta ſunt. Aſcendit enim ex terra, qui inſpirat in faciem tuam, qui te ex malis liberat. Veruntamen Naum Propheta ſimpliciter, & nudè Dominum ſanctam ſuam gratiam inſpirantem proponit. Eſaias verò alio quodam in loco Chriſtum ab inferis excitatum, ac Spiritum ſanctum largientem prædicat, cùm ait: *Recordatus eſt æternorum dierum, qui ex terra paſtorem ouium eduxit*. Et pro eo inſufflauit in faciem eorum, protinus ſubiecit: *Qui poſuit in ipſis Spiritum ſanctum*: D ô diuinam maieſtatem! diuinam appellationem, regalem dignitatem, puram & impollutam gloriam! poteſtatem quæ comprehendi nequit, quæ cum patre conglorificatur, quæ cum filio regnat, † *quæ operatur omnia*, † *quæ diſtribuit diuina dona vnicuique quemadmodum vult*! Equidem dubium mihi non eſt, quin germanos eccleſiæ filios confirmet: aduerſarios verò pietatis lancinet hæc mea cruenteque oratio: eos, inquam, qui Spiritum ſanctum eadem cum Patre & Filio gloria afficere recuſant. O miſeros homines! Nolunt iſti *d* Spiritum ſanctum quem adepti ſunt, ſuo honore dignari. Apoſtol. verò de ſe, & ſuis dixit: *Si compatimur, etiam conglorificabimur*. Paulus cum Deo gloria afficitur: & Spiritus ſanctus non afficietur? Natura, quæ morti obnoxia eſt, ad id faſtigium euehitur, vt cum Chriſto gloria afficiatur: & Spiritus ſanctus omni adoratione colendus, ne quidem eam excellentiam nobiſcum communem habebit? De iiſdem hominibus idem Apoſtolus dicit: *Si compatimur, etiam conregnabimus*: & Spiritus ſanctus non regnat cũ Chriſto: ô ingratitudinem, inquam! ô magnam, nec amplius ferendã

Naum 1 — Leu. 23. Exod. 23. 16. — Exod. 23. — Luc. 16. — *adimpleret.* — Eſai. 63. — 1. Cor. 12 *qui* *qui.* — Rom. 8. Spiritus ſancti diuinitas docetur. — Rom 8.

Digitized by Google

inſaniam! ô impiam hæreſin! & blaſphemiam incredibilem! & plagam incurabilem! Nos quidem volumus conregnare: & Spiritus ſancti ſerui loco habemus. Hæc à nobis, Fratres, eò dicuntur, non quòd fas exiſtimemus Spirit. S. peræquè, vt nos, cũ Chriſto gloria affici: ſed eorũ impias fraudes exagitamus, & reprehendimus, qui ne tantum quidem eidem tribuere dignãtur. Dominus ob ea, quæ à nobis dicuntur dignetur veniam dare. Nam licet nuda aduerſariorum tantum verba repetimus: nemo tamen exiſtimet velim, contumelias illorum in Spiritum ſanctũ à nobis repeti. Equidem in medium eas, & quidem nominatim afferimus, non quòd iiſdem aſſentiamur: ſed errorem ipſum infamamus: veræ ſanæque doctrinæ alumnos prauis illorum placitis arceamus, ac repellimus. Etenim illi ipſi Apoſtoli, qui Dominum charum habebant, & quidem conſpecta illius maieſtate, nihil dubitauerunt ſacris Euangelijs inſerere contumelias, quas Domino Iudæi imponebant, Itaque literis prodita ſunt, quæcumque illi de Chriſto auſi fuerunt dicere: *& quòd peccator eſſet: quòd Dei Filium non eſſet*, Quin & palàm in os ipſi nihil veriti ſunt dicere: *Samaritanus et tu, & dæmonium habes*. Atqui non illi libri Euangelici, ab iiſdem perſcripti, Chriſtum accuſant: ſed impiæ illæ voces eorum, qui blaſphemè in ipſum inuecti fuerant: aduerte ſpiritus vim, & efficaciam. Audi Apoſt. laudes, cum ſumma Chriſti gloria coniunctas: ex illorum doctrina vitam inſtituas: Veſtigijs ſanctorum hominum inſiſte: neque te profanorum hominum veſtigijs à vera, rectaque via abduci ſinas. Trinitatem adora: trinitatem laudibus extollas: trinitatem prædica. In hac ſententia ſunt prophetæ: ſic docent Apoſtoli: ſic perſuaſum habent martyres. Attende quomodo D. Paulus Trinitatem prædicet: *diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus: diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones, operationem ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus*. Quãnam de cauſa non à Patre initium facit? cur non primò quidem Patrem prædicat, dehinc Filium, ac demum Spiritum ſanctum? Inuertiſne ordinem Paule? ánne conſecutionem inconcinne reddis? Quum etiam ſeruator ita tradiderit: *in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti*. Túne leges Theologiæ negligis? At hoc Deus auertat, nos quidquam tale vnquam de Apoſt. cogitare. Sanctus enim ille, & admirabilis præco hoc probè proſpectum habuerat: quod etiamſi Spiritus ſanctus primò meminiſſet, ſe nihilominus Theologiæ puritatem integram illæſamque conſeruare: nec ſinceram illam, & puriſſimam naturam vlla contumelia lædere. Itaque naturam, quæ omnis diuiſionis expers eſt, non in partes tribuit. Spiritus primò meminit, vt manifeſtum euadat, quòd etiamſi vltimo loco Spiritum nominarit, non propterea vltimum faciat & extremum. Quoniam verò illi praue & peruerſe rem interpretantur, nec vnà numerant: ſed numero vlteriorem Patr. Fil. faciunt: ſimiliterque Fil. Spirit. Primus enim, aiunt, Pater, ſecundus Filius, tertius Spiritus ſanctus. Neutiquam illi rectam illius cognitionis conſecutionem adorandæ Trinitatis peruident: ſed ingenio peruerſo contumelioſe accipere Theologiæ puritatem conantur. Itaque meritò D. Paulus vocabulorum ordinem conuertit: vt ſimul & veritatis vim patefaciat, & improborum † opinionibus reſpondeat. Atqui, ait, hoc me nõ latet, quòd Filij quidem & Spiritus ſanctus obiter mentionem fecerit: verùm cùm ad Patrem perueniſſet, altiorem quandam & ſublimiorem Theologiam adhibuit. Et de Spiritu ſancto quidem dixit: *Idem ille Spiritus*. de Filio verò: *Idem ille Dominus*. ad Patrem verò cùm peruenit, dixit: *Qui operatur omnia in omnibus*. Quid ergo Paulo declarat verbum ἐνεργεῖν, Operari? nónne authoritatem quandam? imò verò, & quidem præcedentem quandam po-

[Margin: Ioan. 9. — Ioan. 7. Ioan. 8. — Trinitatis myſterium — 1. Cor. 12. — Math. vlt. — † opinionem labefactet]

A teſtatem interpretatur. Sanè verò, & quidem haſce tuas confeſſiones accipio, ſi conditiones conſtãter ſerues. Itaque exactiùs paulò illud vas electionis conſideremus, quod inſtinctu ductuque Spiritus ſancti de eadem quæſtione rationes quaſdam proponit: *Vnicuique datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem Spiritũ: alij fides in eodem Spiritu: alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij prophetia, alij interpretatio linguarum: alij fides, alij dona*. Hæc verò omnia attende diligẽter ſpecta dictionis conuenientiam & poteſtatis. Is, qui primũ quidem dixerat: ille ipſe Deus, qui agit omnia in omnibus, cùm ad Spiritum peruenit, eam ipſam vim poteſtatemq; agendi Spir. S. attribuit. *Hæc verò omnia, ait, operatur vnus & idem ille Spiritus, diſtribuens vnicuique ita vti vult*. Sic itaque, conuenientia illa, & quaſi harmonia gloriæ quæ Deo tribuenda eſt, non diſturbatur: cùm pro
B nominibus S. Trinitatis vel primum, vel ſecundũ, vel tertium ponitur. Namque primum, ſecundum, & tertium, nullam naturæ diuinæ differentiam: ſed Theologicæ doctrinæ inſtitutionem, quandam, quæ omni confuſione vacet, declarat. Rurſus ille ipſe Apoſtolus, vt demonſtret, ſeſe vbique abſque differentia nominum iſtorum ordine vſum eſſe, & diuinum hoc theorema non niſi decenter & conſideratè ſuſcepiſſe, dum ad Theſſalonicenſes literas det, ſcribit: *Ipſe Dominus noſter Ieſus, & Deus pater noſter*. An ne tu Paule primum quidem Filium; deinde verò Patrem prædicas? Tu quidem, ait Paulus, per voculam *Primum*, ordinem quendam inſtituis: ego verò ſi primum vel ſecundum dixero, impartibilẽ illam naturam exiſtimo: imò ne exiſtimo quidem, verùm conſtanter prædico. Noli igitur oracula illa diuina vlla contumelia vexare: noli traducere cæ-
C leſtem illam doctrinam. Namque in veteri teſtamẽto ſimile quippiam licet inuenire. Vt enim hoc loco Paulus à Spiritu exorſus, ad Filium venit: hinc ad Patrem: & ſic tertium in ſerie diuinorum nominum, primum fecit: ordine huius doctrinæ, quam proponebat, non immutato, ſed difficultate rerum Theologicarum oſtenſa. Sic in veteri Teſtamento eandem figuram inuenies, velut ex imagine reſplendeſcentem. Quis verò veſtrũm ignorat, fratres, Sacras literas primo loco ponere Abrahamum, deinde Iſaacum, & tertiò Iacobum? *Ego enim Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob*. Et quidem meritò Sacræ literæ primò patrem, deinde ex eodem † procreatos filios, ac tandem qui ex illis † nati ſunt, nepotes, collocant: Verumtamen, quia natiua illorũ cognatio diuidi nequit, licet tẽpore & conſequentia quadam diſtinguantur: ideò
D nihil dubitauit Deus, ordinem ipſorum immutare, vt promiſſionem demonſtraret. Sic enim in Leuitico ait: (locum enim indico, ne noſtra deinceps calumnieris) *Si verò peccauerint filij Iſrael, tradam ipſos in gentem alienam, & illuc proficiſcentur, & ſeruient Dijs alienis*. cùm captiuitatem Babylonicam illis prædiceret. *Tunc cor ipſorum incircumciſum pudore afficietur*. Et paulò pòſt: *Et recordabor teſtamenti Iacob, & teſtamenti Iſaac, & teſtamenti Abraham*. Repetam locum: primus enim propoſitum noſtrum nonnihil obſcurauit. *Illic*, inquit, *pudore confundetur cor ipſorum incircumciſum, & reuertentur ad me, & ſanabo ipſos*. Nondum comminatus erat, & reditum in gratiam promittit. *Et reducam ipſos in terram patrum ſuorum, & recordabor teſtamenti Iacob, & teſtamenti Iſaac, & teſtamenti Abraham*. Nónne animaduertis, quomodo vnà cum ordine æqualem honorem attribuat? Neque enim Iacobum, quia tempore antecederet, primò nominauit, ſed quia vno eodemque loco honoris à ſe haberi oſtendere vellet: nihil referre exiſtimans, quo ordine nominarentur, hoc modo, etſi minùs propriè locutus eſt. Et in Patriarchis illis quidem tempore fructus, qui è radice pullulârunt, diſtinguũtur. Nam mortalis eſt natu-

[Margin: 1. Cor. 12 — 2. Theſ. 2 — Exod. 3. — † procreatos filium. — † natus eſt nepotem. — Leuit. 26.]

ra &

Digitized by Google

ra & natorum & patrum. Naturam verò ſanctæ & immortalis, adorandæque Trinitatis, non ratio diuidit, non tempus partitur, non ſecula diſtinguunt. Nihil enim intercedit inter Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Vnigenitus Dei Filius ſecula condidit. Auſculta diuinum & præclarum illum doctorem, qui de Patre hunc in modum diſſerit. Hebr. 1. *Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio: quem hæredem conſtituit vniuerſorum, per quem & ſæcula fecit.* Itaque nihil inter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum intercedit: non tempus, non interuallum temporis. Ante ſecula Pater, ante ſecula Filius: ipſe enim condidit ſecula: ante ſecula Spiritus S. Natura illa nuſquam ſeparatur, nuſquam poteſtas diſtinguitur. Vide paulò ſuprà. Aduerte diligenter: Regnat Pater, regnat Filius, regnat & Spiritus ſanctus. Memini quidem, hoc argumenti genus etiam antehac à nobis adhiberi: verùm eadem ſæpiùs dicere, & mihi promptum eſt, & ad vos confirmandos valet plurimum. Pſalm. 73 Regnat Pater, iuxta illud: *Deus noſter rex in ſeculum*. Luc. 1. regnat Filius. *Dabit enim ipſi Dominus Deus thronum Dauid patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in æternum.* Vide vltimam orationem. Regnat etiam Spiritus S. Eſai. 6. vaticinatur enim Eſaias, *Et regem Dominum Sabaoth conſpexi oculis meis, ſedentem in throno excelſo, & ſubleuato, & dixit ad me: Vade, dic populo iſti, auditione audietis, & nequaquam intelligetis, & videte viſionem, & nolite cognoſcere.* & quæ ſequuntur. Atqui Apoſtolus prophetæ hanc de Deo doctrinam, de Spiritu S. interpretatur. Quum enim propheta dixiſſet: *Vidi regem dominum Sabaoth, & dixit mihi: Vade, & dic populo iſti.* Paulus regem Dominum Sabbaoth de Spiritu ſancto intelligens, cùm Romæ diſputaret cum Iudæis: Act. 28. *Bene Spiritus ſanctus dixit ad patres noſtros per Eſaiam prophetam: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis.* & quæ ſequuntur. Eſaias quidem dixit: *Vidi dominum regem Sabaoth, & dixit mihi: dicas populo huic.* At Paulus differens authoritatem huius diuini oraculi, Spiritui ſancto attribuit & vendicauit. Ergo & Dominus Sabaoth Spiritus ſanctus qui Eſaiæ dixit: *Vade dic populo huic: aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perſpicietis,* & quæ ſequuntur. Sed & vocem audiui Domini dicentis: *vade dic populo huic.* Pater Dominus, & Filius Dominus. Pſal. 109. *Dixit enim Dominus Domino meo: ſede à dextris meis.* Spiritus ſanctus dominus: Dominus enim Spiritus eſt. 2. Cor. 3. *Vbicunque enim Spiritus Domini, ibi libertas.* Neque verò quiſquam opinetur, præcellentius quoddam nomen eſſe, primum quidem Deus, deinde verò Dominus. Cùm enim de † diuinis illis naturis agitur, vocabula, *Deus, Dominus,* etiamſi ſua vi poteſtateque differant, eandem tamen præcellentem diuinam dignitatem notant & interpretantur. Quid? Deíne vocabulum primum? Quòd ſi Domini vocabulum poſterius eſſet, Moyſes certè poſteriori loco prioris vſus eſſet, cùm inquit: *Dominus Deus tuus, Dominus vnus eſt.* Conueniebat enim, primi primo loco mentione facta, dicere: *Deus tuus Dominus vnus eſt:* verumtamen vt demonſtret, nullam differentiam ineſſe nominibus, Dominus dixit primò, deinde verò Deus. Sed ad rem redeamus. Spiritus igitur Dominus eſt. Itaque & Pater Dominus, & Filius Dominus, & Spiritus ſanctus Dominus. Epheſ. 4. Atqui Paulus ait, *Vnus Dominus,* &c. Quomodo ergo vnus Dominus, videlicet vna dominatio. Eadem ratione & vnus Deus, 1. Cor. 8. ait Paulus. *Nobis verò vnus Deus Pater ex quo omnia: & vnus* Dominus Ieſus *Chriſtus.* Itaque, ait hæreticus, Patrem quidem Dei appellatione dignatus eſt, Filium autem Dominum nominauit. Videamus ergo, fratres, quæſo videamus: an non vocabulum *Dominus,* diuinæ illi naturæ congruat: ſitque àdeò primum, eidemq; reſpondens, & ex Sacris literis conteſtatum. Etenim re ipſa neceſſariū

† diuina illa natura

A eſt, nos quidem ſtudioſè differere: vos verò promptè alacriterque auſcultare, & aduerſarios rectiùs & veriùs inſtitui. Quæ igitur oratio nobis ſuffragabitur, quòd vocabulum Dominus, & principatum obtineat, & diuinæ gloriæ propriè ſit tribuendum? Primum quidem Dauidem auſculta: Pſalm. 82 *Confundantur, & conturbentur in ſeculum ſeculi: & reuereantur, & pereant: quoniam nomen tibi Dominus.* Atqui cōtingit, aduerſarium de Seruatore, Logo vel Verbo illo dicere. Nomen enim Chriſti, *Dominus:* nomē verò Patris, *Deus.* Ego verò rurſus abs te poſtulo, ne propoſitæ quæſtionis terminos tranſilias, hæreticorum rationes ſequaris, & leges pactas obſerues. Inconſtantiam tuam metuo: ſiquidem deprehenſus, veriore illa doctrina repudiata, ad alias, neſcio quas nugas confugis. Sed & in iiſdem conuictus, aliud quoddam ingratitudinis & imperitiæ principium complecteris: cùm æquum eſſet, veritatem reſplendeſcentem, & omnia colluſtrantem minimè refugere. Hæc enim cùm illuſtret, neminem fugat: ſed homo impius, nullo etiam perſequente, fugit. B Sed ad rem: *Cognoſcant, quoniam nomen tibi Dominus.* Si Patris meminit: itaque & Patris nomen, vocabulum Dominus, cognoſce: quòd, ſi Patris nomen eſt Dominus, & Paulus ait, 1. Cor. 8. *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus:* itaque & Pater Dominus, & Filius Dominus: ergo vt eiuſdem nominis participes, ita & dignitatis. Atqui Iudæus detrectat confiteri, quòd hæc de Patre dicta fuerint: ſaltem vt vocabulum Dominus, Filio accommodet, & appellationem Dei Patri reſeruet. Diſtinctionem probo: conditiones accipio. Quamquam ego nullam vocabulorum, quæ de adoranda Trinitate efferantur, diſtinctionem, quemadmodum ſæpius dictum eſt, agnoſco. Quia Eccleſia gloriam illam ſimplicem, & indiuiduam obtinet: iā verò miſeriæ tuæ tantum tribuo, & dico: detur hoc: Pſalm. 96 *Cognoſcant, quoniam nomen tibi Dominus.* Quid igitur fiet de eo verbo, quod ſequitur? *Tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.* Ergo ex impia C tua hypotheſi non amplius Pater erit, cùm ſolus Filius altiſs. Hîc quidem fluctus maritimi, quibus ſanctimoniam aliquis conſequatur. Sed tamē cùm de Chriſto agatur, cùm de Chriſto inſtituta ſit oratio, nauicula hæc Dei amantiſſima conquieſcat. Etenim abſurdum omnino eſt, mare ipſum veſtigia Domini conſpicatum, quodque adeò audiuiſſet voces: *Tace, Obmuteſce,* authoritatem reueritum eſſe: eccleſiam verò ſponſo ſuo verba vitæ facienti, fidem nullam adhibere: cuius quidem in labris diuina quædam gratia inſederit: Pſalm. 44 *Diffuſa eſt enim gratia in labijs tuis.* Sed ad quæſtionem. Pſalm. 82 *Cognoſcant, quoniam nomen tibi Dominus.* Vtrum velis, elige: non tamen velut optio hæc in tua poteſtate omnino ſit poſita. Neque enim cùm Ieſus Naue ad populum D diceret: Ioſ. 24. *Eligite vobis, cui hodie ſeruire velitis: vel Dijs, quibus inſeruiebant patres veſtri: vel Domino Deo veſtro.* non idcirco omnem optionis poteſtatem ipſis fecit: ſed vt demonſtraret pietatem, iudicium, electionemq; noſtram ſubſequi. Idem alibi: *Vos teſtes eſtis contra vos: quòd vos Dominum elegiſtis ad inſeruiendum illi.* Quemadmodum enim illis quidem temporibus optio illa facta diuinæ illi dignitati minimè obfuit, ſed cōſtitutum quoddam conſilium piorum hominum oſtendit: ſic ſanè etiam hodierno tempore, ſi ego electionem conſilio cuidam conſtituto permiſero, non propterea dignitatem diuinam vlla contumelia afficio: verùm conſtitutum quoddam conſilium exploro. Ergo illud: *Quoniam tibi nomen Dominus:* aut de Patre, aut de Filio dictum eſt. Si de Patre: ergo & nomen Patris, atque ideo etiam Filij nomen Dominus. Pſalm. 82 1. Cor. 8. *Vnus enim Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia.* Ergo quemadmodum dignitas eſt cōmunis: ita & nomen. Verùm Dominus nomen eſt Filij: itaque ipſe ſolus Filius Dominus. Pſalm. 96 *Tu enim es altiſſimus ſuper omnem terram.* Quamobrem ſi Filius & vnus, & ſolus Dominus eſt: ergo Pater

Digitized by Google

A

à dominatione alienus erit? Minimè id quidem. Neque enim cùm Pater ſolus Deus prædicatur, Filius deitate priuatur, & excluditur. Ioan.1. *In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ergo neque hoc: *Deus Pater* à diuina natura ſeparat & excludit Filium. Etenim *Deus erat Verbum.* Neque verò Filius cùm appellatur vnus Dominus, è alienum Patrem à diuinitate oſtendit. Pſalm.90 *Dixit enim Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Ergo & Pater Dominus, & Filius Dominus, & Spiritus ſanctus Dominus. *Dominus enim Spiritus eſt.* Atqui rurſum hæreticus ſuſcipiens, acerbiùs mouetur: & cùm audiat, Spiritum ſanctum dominum appellari, tantum non rumpitur. Et quomodo, inquit, Spiritus ſanctus Dominus? qui nempe per prophetam Dauidem loquens, Filium Deum celebrat.

Aduerſus pneumatomachos Spiritus ſancti diuina natura defenſa.

Pſalm.90 *Dixit Dominus Domino meo.* Vides Spiritum ſanctum per prophetam loquentem, ſe ipſum Dominum, & Patrem, & Filium confiteri? Quid igitur, fratres? Ne dictio nobis ſubinde obiecta, ſua ambiguitate auditores perturbet ampliùs, ad ipſius quæſtionis diſquiſitionem & explicationem venio: omnem vobis dictionis vim poteſtatemque explicabo.

B

Seruator noſter aliquando in ſcholis Iudæorum diſputans, & ſententiam vulgi de ſeſe diligentiùs exquirens, dicebat: Math.22 *Quémnam dicitis eſſe Chriſtum? cuius filius eſt?* cui Scribæ & Phariſæi: *Dauidis.* Quibus Dominus reſpondit: *Et quomodo Dauid in Spiritu vocat ipſum Dominum? Dixit enim Dominus Domino meo: ſede à dextris meis. In Spiritu* autem adiecit, non vt Spiritus ſanctus Chriſti, qui prædicabatur, ſeruum declararet: ſed vt perſpicuè & clarè aſſereret, Prophetam futura in Spiritu eminus præuidẽtem ac percipientem, Chriſtum in carne verè Dominum confiteri. Neque enim de Spiritu ſancto, ſed de ſeipſo, Domino propoſita fuit diſquiſitio. Dauid itaque filium habet dominum, aut herum, & patremfamiliâs? Itaque ipſe Dominus reuera multò ante hæreticorum calumnias refutans, & Spiritus ſancti dignitatem ſinceram conſeruans, omnem controuerſiam hac ſubiectione explicat:

C

Quid ergo? inquit, *Si igitur Dauid appellat ipſum Dominum: quomodo filius eius eſt?* Non dixit, Seruator: ſi Spiritus ſanctus ipſum appellat Dominum: ſed ſi Dauid ita illum vocat. Cur igitur addit illud, *In Spiritu ſancto vocat ipſum Dominum?* Quoniam de Chriſto ante illius aduentum aliquid prædicere, non erat eius, qui corporeis oculis cerneret: ſed Spiritus ſancti, qui hæc procul etiam demonſtrabat. Neque enim Dauid quæ videbat, quæque præſentia tantùm erant, prædicebat: ſed quidquid Spiritus ſanctus ſuggerebat, hoc ſpirituali ſua lyra præcinebat. Itaque & vocalam illam, *Dominus*, addidit: *Quomodo ergo Dauid in Spiritu ſancto vocat ipſum Dominum?*

D

Ne verò blaſphemiam hæreticus Spiritui ſancto imponeret, rurſus, vt paulò antè diximus, ſubiecit: *Si ergo Dauid ipſum vocat Dominum, quomodo filius eius eſt?* Ergo Dauid in Spiritu ſancto appellat Chriſtum Dominum. Nos verò potius potiſſimumque conſideremus: 1.Petr.1. *Omnem prophetam Spiritus ſancti impulſu, qua conueniant proloqui.* Omnes ſancti vates extra omnem controuerſiam Spiritus ſancti impulſu, fando prolocuti ſunt. Quemadmodum etiam Apoſtolus teſtificatur, cùm ait: Act.16. *Præclare Spiritus ſanctus locutus eſt ad patres noſtros per prophetam.* Et iterum generatim Deus ait: Ioel 2. *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt.* Et Moyſes: Num.29 *Quis dabit, omnem populum Domini prophetas eſſe, vt det illis Dominus Spiritum ſuum ſuper ipſos.* Hic diligenter & ſtudioſè attendamus, quomodo ſcilicet diuina Spiritus ſancti natura demonſtretur: quæ quidem non à nobis in altiore quodam dignitatis gradu collocatur: ſed à ſeipſo propria ſua dignitate celebratur. Pauliſper verò concedite mihi, præſentem quæſtionis explicationem interrogatiunculis & reſponſionibus configurare. Eiuſmodi enim oppoſitionibus facilior euadit ſolutio eorum, de quibus quæritur. Quæro itaque ex aduerſarijs: fateantúrne, Spiritum ſanctum per prophetas locutum fuiſſe: an verò nulla hac de re vera perſuaſione imbuti, adhuc hæreant & dubitent? Quòd ſi adhuc ambigant & dubitent, reuocabimus illis in memoriam, quæ paulò antè dicta ſunt: Primùm quidem quomodo Deus ipſe teſtificetur: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt, &c.* Ergo Spiritus author & efficiens eſt facultatis propheticæ. Sic etiam rurſus admirandus ille Moyſes, cùm propoſitum eſſet demonſtrare, omnem prophetiam à Spiritu ſancto proficiſci: magnum illud & admirabile proloquium edidit: *Et quis dabit mihi omnem populum Domini prophetas eſſe in eo, quòd Spiritus ſanctus effundat ſuper ipſos.* Sin verum fatentur, quemadmodum re ipſa verum eſt: rurſus beatum & admirabilem Zachariam patrem anteceſſoris Domini, Deum Spiritum ſanctum qui per prophetas locutus ſit, appellantem, auſculta: *Benedictus enim Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ, & erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui: quemadmodum locutus eſt per os ſanctorum qui à ſeculo ſunt, prophetarum eius.* Luc.1. Si ergo, qui per ôs prophetarum locutus eſt, & Spiritus ſanctus per prophetas locutus, quemadmodum & Dauid ait in lib. Regum: *Spiritus enim Domini in me locutus eſt.* Syllogiſmus & ἀπόδειξις eximia. Ergo & Deus & Dominus Spiritus ſanctus qui per prophetas eſt prolocutus. Sed & firmiores & euidentiores rationes eius, de quo agimus, percipe. Diuinus ille Apoſtolus, cùm propoſitum illi eſſet, docere, Spiritum ſanctum oraculorum propheticorum authorem eſſe, in epiſtola, quam ad Corinthios miſit, ait: 1.Cor.14 *Si enim omnes prophetizent: ingrediatur autem quiſpiam priuatus homo, aut infidelis, reprehenditur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus, occulta cordis ſui manifeſta fiunt: hic in faciem ipſius procidens adoret, annuncians, quòd verè Deus in vobis ſit.* Vidéſne, doctorem illum pietatis Spiritum, qui in ijs eſt, qui prophetico munere defunguntur, Deum diſertè & luculenter renunciare. Quid ergo calumniaris Spiritus dignitatem? Cur confeſſionem fidei inficiaris? Recognoſce conditiones pacti illius fœderis in ſacris illis arcanis. Quomodo dixiſti: *Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum?* An non quod credidiſti, euertiſti? quod cõfeſſus es, inficiatus es? quod diſtinctè, clarè profeſſus es, illud impiè conturbaſti? bellum geris cum pace? cum legibus, in quas iuraſti, pugnas? abnegaſti fidem, & quæſtiones moues? donum illud fidei credenti, & ex animo fidem habenti datum eſt: & tu accepto dono, fidem exterminas? litem moues? Noli cõtumelia afficere gratiæ dignitatem: noli circumſcribere & peruertere: leges horrendæ & tremendæ initiationis & μυσταγωγίας ſacrorum. Cõfeſſus es, credere in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. pariterque baptizatus es in nomine Patris & Filij, & Spiritus S. benedictio quoque datur in nomine Patris & Filij, & Spiritus S. Nobis equidẽ dona à gratia proficiſcuntur: à vobis gratia ſceleſtis contumelijs vexatur. Nobis libertas à Sp. ſancto cõceditur: à vobis autem ſerui loco habetur. ô ſuperbiam! ô ingratitudinẽ! Aut enim gratiam illam recentẽ inficiare: aut veteri Teſtamento ſuam reuerentiã tribuito: quod quidem vbique S. Trinitati æqualitatem honoris aſſerit: vbi à nobis ſæpius, & quidẽ multis teſtimonijs ſcriptis in medium allatis demonſtratum eſt: quibus etiã aliud adiungere placet. Quæcumq; recentia cernantur in veteri Teſtamento, vt ſæpenumero diximus, multò antè diuinis oraculis prodita ſunt. Quid imperat Deus Moyſi, cũ ait: Numer.6 *Loquere Aaron & filijs eius, hoc modo: Benedicite filijs Iſrael?* Aduerte diligenter. Ne quis arbitretur, rem bene ſeſe habere, addidit, Sic. Itemque ne quis priuata quadam authoritate & poteſtate benedictiones inſtitueret, ideò omnia ex præſcripto Sacrarum literarũ a-

Digitized by Google

gere iubet. *Sic*, inquit, *benedicite:* Sic, quomodo? *Benedicet tibi Dominus, & cuſtodiet te*. Attende, quomodo vbique Trinitatem myſticè proponat: propterea benedictiones, vt ita dicam, triplicantur.
Num, 6 *Benedicet te, cuſtodiet te, illuminet vultum ſuum ſuper te, & benedicet tibi: attollet vultum ſuum ſuper te, & det tibi pacem*. Ecquid animaduertis, Trinitatem diſertè & luculenter celebrari? Et quænam gratia à Spiritu ſancto non proficiſcitur? Et quódnam donum ab illo non datur? Quid boni ſine ipſo? & quódnam cæleſte bonum ſine Spiritus ſancti opera hominibus contingere poſſit? *Sacras literas ſcrutamini:* & conſiderate. Quoties enim ſacræ literæ aut narrare, aut probare aliquid eorum, quæ naturæ vires ſuperant, inſtituunt, omne illud Spiritus ſancti poteſtati acceptum ferunt. Velut de præſtanti illo & egregio heroe Sampſone: & rebus ab ipſo animoſe, fortiter, & mirabiliter geſtis: quæ omnia Sacræ literæ cùm commemorant, Spiritum ſanctum perpetuò illis rebus præclarè geſtis antepo-
Iud. 15. & ſeq. nunt. *Venerunt*, aiunt Sacræ literæ, *peregrini multi & innumerabiles ad Sampſonem, & ipſe erat ſolus: nec tantùm ſolus, ſed & vinctus*. Quæ igitur ſpes erat libertatis vincto? quæ ſalutis deſerto? Quomodo vnus ſuperior multis? *Spiritus Domini rectà in Sampſonem deſcendit, & in exteros inſilijt, & inuenta maxilla aſini, mille viros interfecit*. Aduerte Sacrarum literarum ſapiētiam. Cùm minus veriſimile videretur, vnum infinitis reſtitiſſe: vinctum ſuperaſſe liberos & ſolutos: vnum multos ſuperaſſe, præclarè Scriptura primo loco ponit: *Spiritus Domini ſuperuenit in Sampſonem, & accepta maxilla aſini, occidit mille*. vt, ſi factum hoc humanitùs, minus fidei mereretur: at Spiritus virtute & potentia fidem authoritatemque conſequeretur. Itaque præclarè Moyſes: *Quomodo vnus perſequetur mille, & duo commouebunt infinitam multitudinem? Niſi quia Dominus tradidit ipſos, & Deus tradidit ipſos*. Lege ſacras literas, & in ſingulis facinoribus, & rebus fortiter & laudabiliter factis, Spiritus ſancti poteſtatem antepoſitam animaduertes. *Venerunt alienigenæ, & Spiritus Domini in Sampſonem deſcendit*. Saliebat leo, & diſcerpſit leonem velut hœdum: vinctus erat catenis ferreis, & mulier apud ipſum, & alienigenæ ſuper Sampſonem. Sed & iterum Sacræ literæ: *Et ſpiritus Dominum venit ſuper Sampſonem, & ſoluta ſunt vincula, veluti ſtupam comprehendat ignis*. Nullum forte & laudabile facinus Scriptura exponit, quin Spiritus ſancti vim operámque primo loco ponat. Demum † omni
Poſtquam omni, eſt. robore exutus, & viribus deſtitutus, † attende, quid Sacræ literæ nobis tradant, cùm dicunt: *Quando bellum gerebat, vincebat, quia Spiritus Domini venit in Sampſon*. Detonſis poſtea capillis, & amiſſo gratiæ pignore, ſtatim Sacræ literæ: *Et Dominus à Sampſone diſceſſit*. Cùm alienigenæ venirent: *Et Spiritus Domini deſcendit:* cùm pedem referebant: *Et Dominus ab eo diſceſſit:* Et meritò quidem: quia *Spiritus Dominus eſt*. Neque verò in veteri doctrina tantum eiuſmodi contemplationem inuenies: ſed & in Apoſtolicis literis. Quando enim diuina illa oracula magnam & præcellentem vim atque poteſtatem exponunt, vbique Spiritus ſancti authoritatem primò præcipueque commemorant. Eæ, inquam, nobis Paulum ob oculos ponunt, in Cypro execrabilem illum Elymam, magum, verbis punientem: illum, inquam, qui veritatem oppugnauerat. Et narraturus eſſet rem quandam nouam, minimeque vſitatam (puta oculos verbis
Act. 17. extingui.) *Ecce*, inquit, *manus Domini ſuper te, & eris cæcus, non aſpiciens ſolem*. Miraculum & Pauli, & omnium hominum naturam ſuperat: verbis, inquam, hominis, omnem hominis videri videndi facultatem extinguere & delere. Sermo itaque hominis naturam non immutat, neque etiam excæcat. Verùm ne quis ad verba hominis tantum reſpiciens, in rebus, quæ narrantur, obſtupeſcat, arbitreturque commentitium quiddam dici: ideo rurſus Sacræ literæ Spiritus ſancti authoritatem proponunt. *Tunc*, aiunt, *Paulus Spiritu ſancto plenus, dixit ad ipſum*. Sed & alia eiuſdem rei in promptu eſt demonſtratio: verbi gratia: Indoctus aliquis ſine omni facultate, eleganti diſertaque oratione vtitur. Atqui Sacræ literæ rurſum talem facultatem Spiritui ſancto attribuunt. Exempli gratia: Petrus & Ioannes in ſumma Iudæorum frequentia concionantur, & tunc, aiunt Sacræ literæ: *Petrus Spiritu ſancto plenus, hanc ad populum orationem habuit: An placeat in conſpectu Dei nos magis, an verò Deum audire: ipſi iudicate*. Quare verò addunt Sacræ literæ, *Plenus Spiritu ſancto?* Quia maior ea loquendi libertas erat, quàm quæ priuatum hominem & indoctum deceret: item ne quis piſcatoris ratione habita ob illam dicendi libertatem, orationem illam ſanctam refugeret, idcirco Spiritus ſancti primò fit mentio: & vt illius abundantem gratiam admiremur. Quòd ſi videtur, alium quendam ſanctum virum conſideremus: vt vberiùs omnia, & luculentiùs confirmentur. Equidem ſanctis hominibus cælum aperitur: ſed ſine Spiritu ſancto non aperitur. Neque enim corporeis iſtis oculis cælum apertum cernitur: ſed Spiritus ſancti beneficio & opera, beatus Stephanus cælos apertos conſpexit. Sic enim Sacræ literæ: *Stephanus plenus Spiritu ſancto, vidit*. Itaque, fra- Act. 7.
tres, nuſquam cælum apertum ſine Spiritus ſancti opera licet conſpicere: neque docendi authoritatem ſibi ſumere: neque diuinam quandam miraculorum facultatem demonſtrare, ſine B. & adorando Spiritu: *Omnia enim operatur vnus ille: & idem* 1. Cor. 12
Spiritus, diſtribuens ſingulatim vnicuique ita vt vult. Cui gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

---

a *Vel ad thuribulum, aut velum,*) Græcum exemplar ἤτοι τὸ θυσιαστήριον, ἢ εἰς τὸ καταπέτασμα *vel ad altare, vel ad velum*. Vide fol. 697.
Interpres vertit quaſi eſſet θυμιατήριον, altare deſcribitur Exod. 27. καὶ ποιήσεις θυσιαστήριον ἐν ξύλων ἀσήπτων. & Exod. 30. alijſque ſexcentis in locis reponendum eſt nomen altaris loco thuribuli in his orationibus.

b *Ob magnitudinem corporis,*) ὑπὸ τοῦ σωματικοῦ βάρους νικώμενος *præ corporis grauitate defeſſus*. Quia nimirum caro ipſa per ſe infirma, & in continuo labore fatiſcit, vt poſt ait ἐκάμνε. Pauló poſt ſequitur. *Or cognatus erat regis* ὁ δὲ Ὢρ βασιλικῆς φυλῆς εἶχε τὴν συγγένειαν. Hoc nimirum ſibi vult, Regiæ tribus cognationem præ ſe tuliſſe Or, vel Hur, vt Exod. 17. dicitur. Fuit quippe is ex tribu Iuda, vt conſtat ex 1. Paral. c. 2. ſceptrum autem eius tribus eſt, vt notũ omnibus ſimile illud alterum, *à rege primas obtinens*. Græ. τῆς βασιλικῆς ἔχων τὰ πρῶτα ἀνὴρ. Poſtremo non longe abeſt locus, in quo diuinæ œconomiæ meminit, quo nomine ſignificari apud Græcos Patres, τὴν ἐνανθρώπησιν, τοῦ χριστοῦ, diſce ex Theodorito in Polymorpho, melius verti cenſet per incarnationem, vel aſſumptam humanitatẽ I. Billius libr. 1. cap. 40. Obſeruat. ſacrarum.

c *Præſens vt mundo*) ἀπέστειλεν ὁ πατὴρ υἱὸν ἤδη ὡς μὴ παρόντα τῷ κόσμῳ. *Pater filium miſit, quaſi non iam mundo præſens eſſet, ad quem mittebatur*. Quia ſcilicet qui aliquò dicitur mitti, videtur eo ipſo non eſſe præſens illi loco.

d *Spiritum ſanctum quem adepti ſunt,*) Græc. οὐδ' ὧν ἔτυχον καταξιοῦν ἐθέλουσι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. *Ne eo quidem honore, quem ipſi conſequuntur, Spiritum ſanctum dignantur*. Hoc eſt, ne id quidem, quod hominibus conceditur, vt ſcilicet conglorificentur, concedunt Spiritui ſancto.

e *Alienum à diuinitate,*) Græc. ἀλλότριον τῆς κυριότητος *à dominatione alienum*. Item pauló poſt. *hic in faciem*. In Græco pro καὶ οὕτως, lege καὶ οὕτω πεσὼν, vt eſt apud D. Paulum 1. Cor. 14. Et ita cadens in faciem.

EIVSDEM DE PARALYTICO, QVI *triginta octo annos morbo laborauerat: Ioan. 5.*

ORATIO III.

VIDEO præpotentis Dei munere, cui laus & gloria, ſingulis noſtris concionibus aruum hoc noſtrum acceſſiones nõ paruas capere: ſegetes florere: areas abundare: manipulos augeri. Etſi dies non adeò multi præterierint, ex quo ſementem hanc fecimus: & ecce ſpicæ & obedientiæ longe vberrimæ confeſtim nobis effloruerunt. Hinc manifeſtum euadit, non humana aliqua facultate & arte, ſed & diuina quadam gratia hanc excoli Eccleſiam. Hæc ſiquidem † ſegetis illius ſpiritualis natura eſt: nullum illa tempus, non dierum multitudinem, non menſium periodos, non † horas, non occaſiones, non annos expectat: ſed breui, imò eodem die, quo ſementem feceris, meſſem etiã vberrimam copioſiſſimamque demetere licet. Etenim qui terram illam aſpectabilem arant, illi multum laboris & negotij ſuſcipere, & diuturnum tempus expectare neceſſe habent. Namque & boues aratores ad iugum adducere, † & ſulcos ducere: & largè ſeminare, & proſciſſam terram occare, & quicquid iniectum eſt, complecti, & contegere coguntur: deinde pluuiæ mediocres illis exoptandæ, & præterea alia permulta ſtudioſè diligenterque facienda ſunt: ac tandem longum tempus expectandum, priuſquam præpoſito fine potiantur. Hîc verò & in æſtate, & in hyeme & conſerere, & metere licet. Et certè ſæpenumerò vtrumque euenit: præcipuè cùm animus hac agricultura quaſi excolendus ſubactior & fœcundior ſeſe attuliſſet. Quod quidem & apud vos cernere licet. Itaque & nos omni ſtudio ad hanc concionem contendimus. Quemadmodum verò etiam agricola cum agrum omnibus modis aptum comparatumque diligẽtius excolit, è quo aream ſæpè compleuerit: & vos quoque cum modico labore adhibito, magnas acceſſiones ceperitis, cum ſumma attentione agricultura hæc nobis ſuſcipienda eſt. Itaque reliquias earum rerum, de quibus huc uſque apud vos verba fecimus nobis expoſituri adſumus. Et ante hac quidem ex priſcis illis ſacrarum literarum monumentis de gloria vnigeniti filij Dei conciones inſtituimus: nunc ex iiſdem idem illud facturi ſumus. Et proximè quidem illud explicabamus, quòd Chriſtus dixiſſet: *Si crederetis Moyſi, & mihi crederetis forſitan:* Iam verò dicimus: quòd Moyſes dixerit: *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus è fratribus veſtris velut me, ipſum audiatis.* Quemadmodum enim Chriſtus ad Moyſen deducit, vt per ipſum ad ſeſe diſcipulos alliciat: ſic Moyſes magiſtro tradit diſcipulos, præcipitque, vt in omnibus ipſi obtemperent. Obtemperemus itaque cum alijs omnibus, quæ dicit & facit, & in primis in eo miraculo, cuius hiſtoria hodie nobis eſt expoſita. Quódnam verò illud miraculum? *Feſtum,* ait Ioannes, *Iudæorũ erat, & aſcendit Ieſus Hieroſolymã. Eſt autem Hieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur hebraicè Bethſaida, quinq; porticus habẽs:* in quam dicebatur Angelus certo tẽpore venire & deſcendere, & hoc ipſum cognoſci ex aquæ motu. Et primũ quidem qui poſt commotionẽ aquæ deſcenderet, ſanũ fieri, qualicunq; morbo laboraſſet. In his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorũ, aridorum expectantium motum aquæ. Cur verò Chriſtus tam frequẽter Hieroſolyma diebus feſtis apud Iudæos quaſi miraculorum ſuorum locum deligit? Quia tam magna multitudo confluebat, & ipſe locũ, & tempus obſeruabat, vt eos, qui morbis vexarentur, contrectaret. Neque enim ægroti tantoperè ſanitatẽ expetebãt: quantũ medicus ſtudij in eo ponebat, vt illos à morbis li-

ωνίçυ ſementis.

anni tempeſtates.

Proto.

& profun dos ſulcos.

Ioan. 5.
Deut. 18.
Act. 2.
Ioan. 10.

A beraret. Ergo cum illorum conuentus eſſet confertus & theatrum vndique inſtructũ, tunc ille in medium proceſſit: & quidquid ad ſalutem ipſorum pertineret, eleganter & diſertè explicauit. Iacebat ergo multitudo ægrotorum, qui agitationem aquæ expetebant: & primus, qui deſcendebat poſt agitationem aquæ ſanabatur: ſecundus non item, ſed medicamentum illud euaneſcebat, & medicina illa gratiæ abſumebatur. Itaque aquæ illæ permanebant vacuæ, eius morbo, qui primus deſcendiſſet, omnem illam vim & efficaciam in ſeſe attrahente. Meritò id quidem. Gratia enim illa ſeruilis erat. Verùm cùm Dominus adeſſet, ſecus fiebat. Neq; qui primus deſcendebat in piſcinam probaticam aquarum, illius lauacro primus, ſolus conualeſcebat: ſed & primus, & ſecundus, & tertius, & quartus, & decimus, & viceſimus, imò etiã decies mille dixeris, vel etiam altero tanto plures, imò etiamſi infinitam multitudinem nominaueris, etſi totum orbem in illam piſcinam induxeris, nihil gratiæ B decedit, ſed manet eadem, omneſq; illos perſanat. Tantùm intereſt, inter ſeruilem illam & eam, quæ à Domino proficiſcebatur, virtutem, atque potentiam. Et ille angelus quidem vnicum curauit, hic vniuerſum orbem, & ille per annum vnũ: hic verò ſingulis diebus. Quod ſi decies mille velis inijcere, omnes priſtinæ valetudini reſtituit. Ille quidẽ deſcendens agitans, & conturbans aquam: hic non item. Nam ſufficit inuocare ſimplicem aquarũ appellationem, & ſic omnem curationis vim indit. *a* Ille quidem inflammationẽ corporis ſanabat: hic verò etiam animi prauitatem corrigit, & emendat. An non vides quantum hi diſtent, vel potiùs infinitè diſcrepent? Iacebat ergo multitudo ægrotorum, quæ commotionem aquæ expectabat. Namque locus ille domus erat medica & ſpiritualis. Sicuti enim in medici alicuius domo videre licet complures: alios quidem oculis effoſſis, alios cruribus mutilatos, alios alio membro ægrotantes: deinde omC nes illos vno aliquo in loco decumbentes medicũ expectare: ſic certè in illo loco talem multitudinẽ, quæ conuenerat, cernere licebat. In illis ipſis porticibus, homo quidam erat, qui triginta octo annos decumbebat: hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem & cognouiſſet, quia iam, multum tempus haberet, dicit ei: *Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus, Domine hominẽ non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua mittat me in piſcinã: dum venio enim ego alius ante me deſcendit.* Cur ergo alijs præteritis Chriſtus ad hunc peruenit? Vt & virtutem potentiamque & ſimul humanitatem declararet ſuam. Et potentiam quidem: quia morbus ille incurabilis iam factus fuerat, nec vlla ratione percurari poſſe iam videbatur: humanitatem verò, quia eum, qui miſericordia & beneficio dignus fueD rat, præ alijs ille miſericors ſua miſeratione dignatus eſt. Ne quæſo, auditores, locum hunc ſicco pede tranſeamus: & in primis hoc, quod hiſtoria habet: ægrotum triginta octo annos morbo laboraſſe. Auſcultent illi, quicunque cum paupertate cõflictantur aſſidua: quicunque infirma valetudine affliguntur: quicunq; viciſſitudines & varietates huius vitæ experti ſunt: quicunque tẽpeſtates, & fluctus multorũ præter omnem expectationem euentuum tandem præteruecti ſunt. Hic, qui omnibus membris reſolutus decũbebat, omnibus velut publicus portus, & ſpectaculum humanarũ calamitatum propoſitus eſt. Neque enim quiſquã tam ſolidus, nemo tam miſer & afflictus, quin, ſi cum illo conferatur, omnia illa mala animoſè, fortiter & alacriter ferre velit. Si enim viginti annos duntaxat, ſi decẽ, ſi quinque tantũ laboraſſet: nõ debuit tantum tempus animum ipſius frangere: Atqui triginta totos annos octo ibidem hæret, nec inde diſcedit, ſuamque patientiam omnibus conteſtatam facit. Sed eſt fortaſſis aliquis, cui hæc longinquitas tẽporis admirabilis videatur. Quòd ſi exactius vim

Gratia creaturis conceſſa.

Gratia diuina. Diuina virtus atque potẽtia.

a vide fol. 747.

illorum

A illorum verborum auſcultare velitis: tũ verò quã-
tum in ipſo ſtudium ſapientiæ patientiæq; fuerit fa
cilè perſpicietis. Aſtitit illi Ieſus, & dixit ipſi: *vis ſa-
nus fieri?* Quis neſciebat autem quin hoc præoptaret
vel maximè. Qua de cauſa igitur interrogat, qui
hoc non ignoraret? Qui enim omnes retruſos ſen-
ſus;& cogitatus perſpectos habet:is certè,&multò
magis vulgaria illa omnibuſque nota ſciebat. Quid
igitur interrogat? Quemadmodum tunc, cùm cen-
Matth. 8. turioni illi diceret: *ego cùm venero ipſum ſanabo:* non
ignorabat quid ipſi reſponſurus eſſet: imò hoc ip-
ſum liquidò& clariſſimè tenebat. Quia verò anſam
illi occaſionemq; præbere vellet, vt illã quæ late-
bat prudentiã cautionemq; omnibus palàm face-
ret, diceretque: *Non Domine, non enim ſum dignus, vt in-
tres ſub tectum meũ:* ſic ſanè quid hic paralyticus reſ-
ponſurus eſſet minimè omnium ignorabat: quærit
tamen, num velit curari. Non, vt dixi, quia hoc ip-
B ſum lateret, ſed vt hac interrogatione ipſum eò
adduceret, vt ſuã ipſius calamitatem grauiùs am-
plificaret & exaggeraret magiſter quidã patientiæ
exiſteret. Si enim tacitò ipſum valetudini reſtituiſ-
ſet, næ magni cuiuſdem boni iacturam feciſſemus,
tali tolerantiæ ipſius exemplo cælato. Atqui Chri-
ſtus non ſolum quæ adſunt quæq; præſentia ſunt
emendat, verumetiã futura ſua prouidentia non
indigna exiſtimat. Itaque hunc potentiæ toleran-
tiæq; magiſtrum omnibus omnino mortalibus pro-
poſuit: quærendoque, vt reſponderet adegit: *vis
ſanus fieri?* Quid igitur ille? non moleſtè tulit: nõ ira-
tus eſt: non dixit, tu verò vides me toto corpore re-
ſolutum & diuturnitatem morbi mei non ignoras,
quæris tamen, num velim ſanus fieri? An ne ades vt
mihi in hac calamitate illudas, & aliorum miſerias
rideas ac traducas? Equidem quàm abiecto, timido-
C que ſint animo, qui ægrotant, non ignoratis: ſi vel
vnicũ annum in lectulo decumbant. Vbi verò ali-
quis ad triginta octo annos morbo vexatus fuerit:
non mirum ſanè eſt in eo omne Sapientiæ ſtudium
tanta lõginquitate temporis abolitum eſſe. Atqui
nihil ille abſurdi neque dixit, neq; verò cogitauit:
Ioan. 5. ſed magna animi æquitate, reſpondet, & ait: *ſanè
Domine: verùm, quia hominem non habeo, qui me, cùm aqua
turbatur, in piſcinã immergat*, &c. Aduerte quot mala
confluxerint: & morbus, & paupertas, inopiaque
corum, † qui ipſum ad piſcinam deferrent, hominẽ
qui auxiliarentur. vexabant. *Quum verò ego aduenio, alius ante me deſcen-
dit:* hoc verò nihil miſerius, quod vel lapidem in-
flexerit. Equidem videre mihi videor hominem
quotannis ad oſtium piſcinæ illius ſerpere, & quo-
libet anno vertente, bona quadam ſpe foueri. Et,
quod maius eſt, hæc ille perpeſſus eſt, non duos an-
D nos, non tres, non decem: ſed ad annos triginta &
octo: & quidem cum diligenter, ſtudioſeque operã
daret, vt ſanitatem recuperaret, ſpe tamen votoq;
excidebat. Et currebat ille quidẽ, ſed præmium ce-
molestius. debat alijs, illis tam multis annis. Sed † difficilius
erat, quòd alios reſtitui cernebat. Hoc ſcilicet ne-
mini non notum eſt: omnes nos citiùs & penitùs, ſi
quid mali eſt domeſtici, ſentire, quum alios eodem
vexatos inde ereptos liberatoſque videmus. Idcir-
co & tenuis aliquis, cùm prædiuitem aliquẽ cernit,
ſuam ægeſtatem faciliùs agnoſcit: & qui in morbo
eſt, magis dolet, cùm alios ægrotantes priſtinã va-
tudinem recuperaſſe, ſuam verò ſpem fruſtrà eſſe
cognoſcit. Aliorum enim rebus ſecundis, noſtras
calamitates miſeriaſq; clarius perſpicimus. Quod
quidem etiam tũ euenit. Quãuis enim paralyticus
tam longo tempore cum morbo, egeſtate, ſolitudi-
ne conflictaretur: quamuis alios ſubinde reſtitui, ſe
verò laborare quidem, nec tamen conuaſcere ani-
maduerteret: ſed cùm ne deinceps quidem vnquã
ſeſe meliuſculè habiturum magnoperè ſperaret:
non tamen deſtitit, ſed ſingulis annis ſeſe eò cõfe-
rebat. Nos verò cùm à Deo aliquid, qualecumque
tandẽ illud ſit, precati fuerimus, ſi nõ cõtinuò voti

compotes fiamus, confeſtim dolemus, triſtamur,
angimur, & nos deſidiæ extremæ dedimus, omnem
ſpem abijcimus, à precatione abſtinemus, omne
ſtudium remittimus. Igitur hic paralyticus iure,
meritoq; laudandus: & ignauia noſtra caſtigãda eſt.
Nos enim, quàmnam defenſionem, aut veniã me-
reamur? cũ ille triginta octo annos ibidẽ cõſtanter
perſtiterit: nos verò tam facilè, tamq; cito à pro-
poſito reſiliamus? Quid igitur Chriſtus? cùm pla-
num feciſſet, dignum eum eſſe, qui ab ſeſe curare-
tur, non immeritò ad ipſum primò peruenit, & di-
cit: *ſurge, tolle tuũ grabbatũ, & ambula.* Vidéſne hũc tot
annorum morbum nihil ipſi obfuiſſe, poſteaquam
patienter, & æquo animo id malum ſuſtinuit? Nam
& animus ipſi hac diuturnitate temporis maiori ſa-
pientiæ ſtudio exacuebatur: qui velut in officina
conflandi ſubinde explorabatur: hinc & ipſa cura-
tio cum maiori ipſius gloria, & laude fuit coniũcta.
Neque enim angelus priſtinæ ſanitati reſtituit; ſed
ille ipſe angelorum Dominus eum percurauit. Sed
quánam de cauſa lectum ipſum tollere iuſſit? pri-
mùm quidem, & præcipuè, vt Iudæos immunes eſ-
ſe à legum obſeruatione oſtenderet. Sole enim il-
luceſcente, lucernæ aſſidere nequaquã conuenie-
bat, & veritate patefacta, figurã deinceps cõplecti
minimè neceſſe erat. Idcirco quotieſcumq; diem
aliquẽ feſtum violabat: toties ſingularem quam-
piam, & admirabilem quandam rem gerebat: vt ex-
cellentia facti illius admirabilis ſpectatores per-
cellens: otij obſeruationem, paulatim ex memoria
hominum ſubduceret atq; eximeret: deinde verò
vt impudentes illos obmuteſcere faceret. Cùm
enim illi de ijs, quæ admirabiliter præterq; opinio-
nẽ hominum à Domino fierẽt, malitioſè iudicarẽt:
cumque gloriæ rerum à Domino geſtarum per ca-
lumniam detraherent: idcirco dominus, ceu tro-
phæum quoddam & argumentũ longè clariſſimũ
euidentiſſimumq; lectulum illum quaſi in triũpho
portari iuſſit, Ne ſcilicet, quod de eo, qui oculis ca-
ptus fuerat, dixerãt, idẽ de hoc paralytico dicerẽt.
Quid igitur de illo dixerunt? hic non eſt ille, item:
ipſe eſt. Ne itaq; eiuſmodi quædã de hoc quoq; di-
cerent, lectulus ille, qui ſublimis ferebatur, eos im-
pudentiæ accuſabat. Sed & tertiũ quiddã hac de re
afferre licet, neque verò illis minùs illuſtre. Nã vt
perſpiceres, nullam humanã artem induſtriámue,
ſed diuinam potentiam totum id effeciſſe: ideò *b* le-
ctulum illum veræ, ſinceræque ſanitatis perferre
iuſsit: omnibus inſigni quodam, & in illuſtri loco,
documẽto propoſito: ne quis ex impijs illis & bla-
ſphemis calũniaretur: illum paralyticum, vt Chri-
ſto gratificaretur, eiuſmodi nudũ inceſſum ſimu-
laſſe. Itaq; & in humeris illum grabbatum portare
præcepit. Nã ſi membra illius non firmiter cõpa-
cta, artuſq bellè conſtitiſſent: profectò tantum ille
onus in humeris perferre non potuiſſet. Atq; præ-
ter hæc omnia etiã illud, proponebatur, quod qui-
dẽ præcipiat Chriſtus vnico id momẽto confiteri:
hoc & morbũ expelli, & priſtinã valetudinem reſti-
tui. Etenim medici, quamuis aliquẽ morbo liberẽt,
vnico tamen id momento præſtare nequeunt: ſed
diuturnitate tẽporis opus habent, vt æger vires
recuperet, & reliquiæ inualetudinis paulatim ab-
ſtergãtur & expellãtur. Secùs autẽ Chriſtus: qui &
vnico momento à morbo ipſum liberauit, & priſti-
næ valetudini reſtituit: ita vt nihil tẽporis intereſ-
ſet, verũ ſimul atq; ſancto illo ore verba illa pro-
locutus eſt, morbus ille corporis profligabatur: &
verbum opus factũ eſt, omniſque adeò inualetudo
vndiq; reſiliebat. Et velut ancilla cũ aliquo iurgãs
& contendẽs, ſi fortè herũ ſuũ conſpiciat, cõponit
ſeſe, & ad priſtinã grauitatẽ modeſtiamq; reuerti-
tur: ita & natura, corporis ceu famula quædam ſe-
ditioſa, quæque hanc membrorum remiſsionem, &
laxationem effeciſſet, Domini ſui præſentia ani-
maduerſa, ad ſuum locum, & ordinis gradum re-

Digitized by Google

A uerſa eſt, omni decoro præclarè conſeruato. Atque hæc quidem omnia vox illa efficit. Neq; enim nuda illa verba erant, ſed verba Dei. De quibus alibi: *efficacia ſunt opera ſermonũ tuorum.* Si enim hominẽ, qui non eſſet, procreauit: multò facilius eundem, mẽbris velut putrefactis, & luxatis, iterum erexit & cõſtituit. Atq; hîc quidem libenter ex ijs quæſiuerim, qui de Dei natura nimis curioſè ſolliciteque quærunt: at quomodo mẽbra illa coaluerũt? quomodò oſſa illa coniuncta ſunt? quomodo robur illud vẽtris, quod defluxerat cõfirmabatur? quomodo nerui, qui laxati, & remiſſi fuerant, rurſus intendebãtur? & quidem tota illa vis corporis depacta & proſtrata ſeſe rurſum erigebat & fulciebat? Modum quidem illum hîc non queant ipſi explicare. Itaq; factum illud admirare, modum verò curioſè noli perſcrutari. Poſteaquam ergo ille obediuit, & grabbatum ſuſtulit:

Ioan. 5. Iudæi, eo conſpecto, dicunt: *Sabbathũ eſt: neque fas eſt in Sabbatho grabbatum tollere*:

B cùm decuiſſet authorem huius facti adorare: cum par fuiſſet factum illud omni admiratione proſequi, illi

Math. 23. de Sabbatho diſputant: *re ipſa culicem colantes, camelum verò deuorantes.* Quid igitur ille? *Qui me ſanauit, ille mihi dixit: tolle grabbatum, & ambula.* Vidésne gratitudinem, & candorem hominis? medicum confitetur, & imperij huius idoneum authore affirmat. Et ſanè quemadmodum ille cęcus ratiocinatus eſt:

Syllogyſmus & fortiores duorum graduũ. ſic etiam iſte. At quomodo ille ratiocinatus eſt? dixerant illi: *hic homo ex Deo non eſt, quoniam ſabbathum nõ ſeruat.* Quid igitur ille *nouimus*, ait: *quòd Deus peccatores non exaudit: hic verò mihi oculos aperuit.* Quod verò dicit, id eiuſmodi eſt: Si legem violâſſet, peccaſſet: ſi verò peccaſſet, nequaquam tantũ potuiſſet. Nãque vbi peccatũ, ibi potentiæ alicuius & viriũ demonſtratio nulla eſſe poteſt, Atqui multũ potuit: Non igitur peccauit, nec legẽ violauit.

C Ad hũc modum etiã iſte colligit: dũ enim dicit, qui me priſtinę ſanitati reſtituit: hoc ſanè oſtendit, eũ, qui talẽ tantamq; potentiam demonſtraſſet, immeritò criminibus improbitatis traduci. Quid ergo iſti? Vbi eſt homo, aiunt, qui dixit tibi: *tolle grabbatum, & ambula?* Obſerua ingratitudinem & ſtoliditatẽ: obſerua animũ

Prouerb. ... arrogantia turgentẽ. Oculi ſiquidẽ inuidorũ nihil ſanè intuentur, vnde vel anſam tantum minimam calumniandi capere licet. Sic ſanè etiam iſti, quoniam is, qui curatus eſſet, vtrumq; eſſet cõfeſſus: & quòd curaſſet, & iuſſiſſet tollere lectulũ: illi quidẽ prius tacuerunt, alterũ verò palàm prolocuti ſunt: miraculum, inquam, celarunt, ſabbathũ verò violatum propalàm clamant. Neque enim dixerunt: vbi eſt, qui te priſtinæ ſanitati reſtituit: ſed eo prætermiſſo: vbi eſt ille qui tibi dixit: tolle grabbatum

D tuum & vade? inquiunt. Hic verò nequaquã Chriſtum nouerat: Ieſus enim declinauit à turba cõſtituta in loco. Quæ quidem hominis defenſio iuſtiſſima eſt: & hoc vel in primis prouidentiam curamq; Chriſti declarat: vt, quum audias aliter hunc, atq; centurionem illum (qui dixerat, *dic verbo & ſanabitur filius meus,*) acceptũ eſſe: minus de ipſius animo, tãquam parùm fidei habente ſuſpiceris, aut malè loquaris: vtpote, qui Chriſtum ne quidem nouerat. Neque enim nouerat quíſnam ille eſſet: & quánam ratione, quem numquam conſpicatus eſſet, noſſe poterat? Idem dixit: non habeo hominem, qui me in piſcinam immittat: qui ſi ipſum noſſet, certè piſcinæ mentionem numquam feciſſet: neq; verò vt in eam immitteretur, ſed ita curari exoptaſſet, quẽadmodum & curatus eſt. Quia verò Chriſtum vnũ è multis, & quidẽ nudum hominem arbitrabatur, ideò prioris illius curationis meminit. Perſpicuè autem Domini prouidentiam hoc demõſtrat: quòd ſanitati reſtitutum reliquit, neque quis eſſe indicauit. Ne enim Iudæi ſuſpicarentur ſuppoſititiũ hũc eſſe teſtem ob præſentem Dominum, atque ſua-

Lacuna hîc eſt. dentem, hæc ita inſcitia dicere: ipſum tamen abeſſe, omnem ſuſpicionem tollebat. Tra-

A didit enim Euangeliſta, quod non nouerat ipſum quis eſſet. Hinc eſt: quòd ſolum dimittit ipſum ſanitati reſtitutũ: vt ita ſoli pro ſuo arbitratu factũ illud quã diligentiſſime explorarent, & probarẽt: tandemque re penitiſſime perſpecta, ita importunè inſanire deſinerent: Qua de cauſa Dominus quoq; nil quidquã proloquitur: ſed rebus ipſis & facto fidẽ facit: vndiq; ipſius voce clariſſimè, & quauis etiã tuba clariùs inſonante. Sic enim deinceps illud teſtimonium omni ſuſpicione vacuum erat futurũ. *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabbatum tuum, & vade.* Equidem paralyticus ille. Euangeliſtæ partes ſuſtinet: magiſter rerum incredibilium: medicus, & præco ad Iudæorum confuſionem & condemnationem. Medicus quidem, non qui verbis curaret, ſed facto, & opere: non qui oratione medicinã faceret, ſed rebus ipſis demonſtraret. Manifeſta ſiquidem ille, & omni exceptione maiora documẽta

B proferebat: & quod verbo aſſerebat: corpore demonſtrabat. Hunc igitur inuenit Ieſus, & dicit illi, *ecce ſanus factus es, ne amplius pecces, ne deterius quidquam tibi eueniat.* Ioan. 1. Cognouiſti medici ſapientiam, cognouiſti prouidentiam? Non liberauit illũ præſenti ſolum morbo: ſed etiam aduerſus futuros ipſum communit. At quàm opportune! Quamdiu enim ille in lectulo decumbebat, nihil tale dixit, neque peccatorum recordatus eſt. Animus enim eorum, qui morbo confligantur, faſtidioſus & miſer eſt. Vbi verò morbum expulit, vbi priſtinæ ipſum valetudini reſtituit, vbi potentiæ atq; prouidẽtiæ fidem re, & opere fecit: tum verò tempeſtiuam adhibuit admonitionem: cùm deinceps ei ob res tantas geſtas iurè meritoque fides fuit adhibenda. Quid igitur ille? cùm inde diſceſſiſſet Iudæis ipſum innoteſcere fecit, quibus cùm veram illam doctri-

C nam communicare cupiebat. Quem tamen illi propterea, vt tradit Euangeliſta, odio proſequebantur. Hîc vos attentos eſſe velim, c hic mihi furit ardetq; oratio: ob id ipſum autem odio perſequebãtur, quia hæc faceret in Sabbatho. Conſideremus itaq; quomodo ipſe ſeſe defendat. Ipſa enim defenſionis ſpecies oſtendit, num factum illud, quod maximũ ſcelus eſſe videbatur, ſubditis, num ſeruis, num miniſtris, aut ijs, qui præſunt conueniat? Quondam enim cùm lignatus quidam eſſet, ob id lapibus obrutus eſt, quia in ſabbatho faſciculos eiuſmodi portâſſet: tanti criminis etiam Chriſtus reus peragebatur: nempe quod ſabbathum violâſſet. Illud igitur ante omnia accuratè attendamus, num deprecatur ille, velut ſeruus & cliens: an verò, quaſi imperium obtinens & Dominus, authoritate vtatur: & velut legis obſeruãs, cuius capita ipſe tuliſſet. Quomodo

D igitur cauſam ſuã agit? dicat aliquis, *Pater meus*, ait, Ioan 5. *vſque modò operatur, & ego operor*: authoritatem opinor ſatis perſpicis. Atqui ſi ille imbecillior, & inferior erat patre, nihil hac ratione ad defenſionem proficit: ſed crimini ſeſe maiori & grauiori obſtringit. Cùm enim quiſpiam facit, quod ſuperiori tantum facere licet, deinceps verò deprehenſus, accuſatur: ſi ſuã cauſam ita agat: Poſtea quã ſuperior hoc fecit, ego quoque feci: is non modò ſeipſum crimine non liberat hac defenſionis ratione: verumetiã multo maiori reprehenſioni, & accuſationi ſeſe obnoxium reddit. Nam ſuſcipere res maiores, quàm pro dignitate & loco, ſuperbiæ arrogantiæque tribuitur. Itaq; ſi Chriſtus minor inferiorque erat patre, qnod ab ipſo proferebatur, non defenſionem ipſi comparabat, ſed maioris criminis notam inurebat. At quia æqualis erat patri, idcirco extra omnem culpam erat. Quòd ſi non ingratum ſit, exẽplo quod dico planum faciam. Solis regibus purpuram geſtare, & diademate inſigniri licet: cæteris non itẽ. Si itaq; vnus ex multis tali habitu prodeat: Simile. moxq; ad tribunal pertractus cauſam dicat: Quãdoquidem rex eiuſmodi habitu vtitur, & mihi id ipſum licere putaui: hic non ſolũ ſeſe nihil purgat,

verum-

verumetiam hoc genere defenſionis maiori crimine ſeipſum condẽnat. Et rurſus: immunitatem pœnæ & vindictæ etiam turpiſſimis: velut latronibus, prædonibus furibus nocturnis, ſepulchrorum effractoribus, & ijs qui ſimilia facinora perpetrarũt, largiri & leges remittere, ſolius regiæ maieſtatis priuilegiũ eſt. Si quis itaq; iudex condemnatum aliquẽ, ſine regia ſentẽtia immunem dimittat: is, ſi accuſetur, & ipſe dicat: quũ rex eiuſmodi dimittere ſoleat, & ego dimiſi: nõ hoc modo ſeſe purgat, ſed maiorẽ, & vehementiorem iram regis in ſe ipſum concitat. Sanè non immeritò: neq; enim æquũ eſt tenuiores, inferioresq; maiorum authoritate abuti, indeque ſibi patrocinium quærere. Siquidẽ hæc contumelia potius in eos, qui magiſtratus ipſis mãdâſſent, redundaret: Nemo itaque qui paret & tenuior eſt, hoc modo vnquã cauſam dicet: ſin verò rex, aut pari dignitate præditus fuerit, liberè & palã ita aget. Quemadmodum enim magiſtratus vna quædam eſt præcellentia, ſic meritò etiam poteſtas vna fuerit. Itaq; ſi quis prodeat, & eo modo, vt dictũ eſt, cauſam dicat: neceſſe erit eũ eodẽ dignitatis loco conſtitutũ eſſe, quo ille, cuius authoritatẽ ad ſeſe defendendũ appellet. Ergo cũ etiã Chriſtus hoc modo Iudæis ſatisfecerit: certò certiùs nobis demonſtrauit, parem ſeſe cum Patre dignitatẽ obtinere. Iam verò hęc exẽpla cum verbis Domini, & ipſius facto cõponamus. Sit itaque ſabbathum licenter violare idẽ, quod illam purpuram geſtare & diadema, idẽ quod ſontibus leges remittere. Quẽadmodum hæc reges tantum poſſunt, neque verò quiſquam eorum, qui parent: ſi quis eadem hæc ſibi ſumere, & verò iure id facere velit, eum quoque regem eſſe neceſſe eſt: ſic ſanè etiam hîc res ſeſe habet: quandoquidem & Chriſtus omnia cum poteſtate quadam facere cernitur, deinde accuſatus, Patrem profert: *Pater meus huc vſque operatur:* Itaque omninò neceſſe eſt hunc eidem eſſe æqualem, qui cum poteſtate omnia operatur. Etenim ſi æqualis non eſſet, ſanè hoc genere defenſionis nõ
Math. 12 vteretur. Et vt clariùs rem totam perſpiciatis: Diſcipuli Domini quondam Sabbathum violauerunt, cùm ſpicas vellerent & comederent Sabbatho: violauit & in præſentia Dominus. Accuſauerunt ipſos Iudæi, accuſauerunt & hunc. Conſideremus agite, quomodo pro illis, & quomodo pro ſe ipſo reſpondeat: vt ex differentia, & ipſius excellentem dignitatem, & genus defenſionis cognoſcas. Quo-
1. Reg. 12 modo ergo excuſationem illorum inſtituit? *non legiſtis, quid Dauid fecit, cùm eſuriret?* quum pro ſeruis ſuis verba facit, ad Dauidis exemplum, qui conſeruus ipſorum fuit, ſeſe conuertit: cùm ſuam ipſius cauſam agit ad Patrem omnem orationem dirigit: *Pater meus operatur & ego operor*. At quámnam operationem intelligit hic? dicat aliquis: *In ſex die-*
Gen. 2. *bus quieuit Deus ab omnibus operibus ſuis:* d ò perpetuam prouidentiam! Neque enim res creatas tantum produxit, ſed & productas ipſas continet. Siue enim angelos, ſiue archangelos, ſuperioreſque illas poteſtates: ſiue, vt ſemel dicam, viſibilia ſeu inuiſibilia commemoraueris, omnia ipſius prouidentia perfruuntur. Cuius vi, & efficacia, ſi deſtituantur, peſſum eunt, diſſoluuntur & pereunt. Chriſtus itaque, cùm propoſitum eſſet oſtendere, ſeſe ex ijs eſſe, qui ſua prouidentia vniuerſum hoc tuentur, non ex ijs, quibus hac cura proſpicitur: nécnon ex ijs, qui agunt efficiuntque, non autem ex ijs, quibus omnis agendi efficiendique vis aliunde communicatur, dixit: *Pater meus operatur, & ego operor:* vt æqualitatem ſuam cum patre nobis palam proponeret. Horum igitur memineritis, hæc diligenter & accuratè tenete: & ſtudium ſapientiæ, quòd è publicis congreſſibus exiſtit, cum decretorum Theologicorum veritate coniungite. Quòd & paulò ante monui, & in præſentia moneo: neque verò vnquam admonere deſinam.

Nihil autem eſt, quod magis ſtudium publicorum conuentuum, atque adeò ſapientiæ ipſius excitare poſſit, atque hi noſtri ſermones. Quemad- Simile.
dum enim terra ſitu ſqualida, cùm, qui riget & humectet, neminem habeat, ſpinis & ſentibus tribuliſque obducitur: quæ verò agricolæ cura excolitur, læta floreuſque cernitur, & plurimis fructibus abundans: Sic ſanè, & animus ille quidem, qui rigatione diuinorum oraculorum perfruitur, floret & plurimis Spiritus fructibus refertus eſt. Qui verò nimia ſiccitate ex neglectu, talis irrigationis obriguerit, ſterileſcit, ſylueſcit, & ſpinas, peccati ſcilicet naturam, producit complures. Vbi verò frequentes ſpinæ, illic & dracones, & ſerpentes, & ſcorpij, omniſque poteſtas diabolica. Quòd ſi quis minùs fidei habet ijs, quæ dico: age, & nos, & diuina gratia deſtitutos conferamus, & quantum interſit facilè intelligetis: imò verò noſmetipſos examinemus. Quinam ſumus cum diuina doctrina fruimur? Quales verò paulò diutius eadem deſtituti & priuati? Ne igitur tantum quæſtum amittamus. Conuentus enim noſtri, omnium nobis bonorum cauſæ exiſtunt. Etenim hinc diſcedentes, vir quidem ab vxore maioris fiet, & vxor viro charior erit, & optabilior. Forma enim corporis mulierem amabilem non facit, ſed virtus animi, vbi quidem neque lineamenta, neque fuci, non aurum, & veſtis pretioſa: ſed continentia & æquabilitas animi, & timor, qui Deo nitatur. Neque verò pulchritudo illa, quæ animo cernitur vllo alio in loco exactè ſpectatur, quàm in hoc admirabili & diuino loco, vbi Apoſtoli & prophetæ peccati illas rugas abſtergunt, nos exornant, & defricant, & vegetum illum iuuentutis ſtatum & vigorem reſtituunt: vbi ex animo noſtro omnem maculam, rugam, & labem extirpant. Hanc itaque pulchritudinem, viri & fœminæ, nobis comparare & omni conatu propriam efficere ſtudeamus. Equidem corporis illam pulchritudinem, & morbus marceſcere fecit, & longinquitas temporis deleuit, ſenectus extinxit, morſque ſuperueniens prorſus ſuſtulit: animi verò pulchritudinem, non tempus, non morbus, non ſenectus, non mors, non aliud quippiam eiuſmodi rerum, quæ humanitùs accidunt, labefactare, aut affligere poteſt: verùm floret illa perpetuò. Et corporis quidem forma ſpectatores ſuos ſæpè ad incontinentiam prouocat: animi verò eximia illa ſpecies & forma, Deum ipſum in ſui amorem pellicit: Quemadmodum & Propheta cum Eccleſia colloquens ait: *Audi filia & vi-* Pſalm. 44
de, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. Itaque vt Dei amicitiam nobis conciliemus: hanc pulchritudinem quotidie † meditemur: litterarumque ſacrarum ſedula lectione omnem maculam eluamus atque abſtergamus: orationibus quoque & † commiſerationibus, nécnon mutua inter vos vnanimitate & concordia: vt rex expetito animi noſtri decore atque forma, regno cælorum nos dignetur: quod vtinam omnes adipiſcamur, gratia & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum quo Patri gloria ſimul & Spiritui ſancto nunc & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

[margin: † *laboremus*; † *eleemoſynis.*]

---

a *Ille quidem inflammationem.*) Mendoſus in Græco libro locus interpretẽ decepit κἀκεῖνος μὲν σωμάτων πύρωσιν ἰᾶτο. *Vide fol. 704.* Ita lego σωμάτων πήρωσιν corporum mutilationem, vel debilitationem. Ita paulò pôſt, πεπηρωμένους τὸν χῶλον. certe illi agro magis conuenit hoc nomen, quàm illud.

b *Lectulum illum veræ, ſynceræque ſanitatis.*) Vitioſa interpunctio interpretationi vitioſæ occaſionem dedit, Ita diſtingue Græca φέρειν τὴν κλίνην, τῆς ἀληθοῦς ὑγιείας μεγίστην παρέχων ἀπόδειξιν. *Lectulum illum ferre iuſsit, veræ ſynceræque ſanitatis inſigni quodam & illuſtri edito argumento.*

Digitized by Google

c *Hic mihi furit, ardet que.*) Græc. ἐνταῦθα γὰρ ὁ πᾶς ἐστιν ἀγών. Hîc mihi tota contentio & diſceptatio, vt in cardine verſatur. Paulò pôſt. *Ipſa enim defenſionis ſpecies*. Aberrat hîc Interpres à mente Chryſoſtomi, & error eſt in Græco ex mala interpunctione. Sic igitur ὁ γὰρ τῆς ἀπολογίας τρόπος δείκνυσιν ἡμῖν, εἴτε τῶν ὑποτεταγμένων, εἴτε τῶν ἐλευθέρων ἐστὶν, εἴτε τῶν ἐπιταττόντων. παρανομία μεγίστη. &c. Ipſe enim modus defenſionis oſtendit, num ſit ex ijs qui ſubditi ſint, aut qui liberi, aut etiam ex ijs, qui imperant. Ingens ſcelus videbatur eſſe facinus illud. Quondam enim, &c.

d *O perpetuam prouidentiam!*) Græcè ſine exclamatione τὴν καθημερινὴν πρόνοιαν quotidianam, ac perpetuam prouidentiam. Eſt enim reſponſio ſubiecta illi interrogationi ποίαν ἐργασίαν λέγει; quam operationem intelligit?

A

EIVSDEM DE SANCTO ACACIO *Paſtore: & de oue: nécnon de velo, & propitiatorio.*

B

ORATIO IIII.

Vide not. fol. 712. MEMORIA a quidem martyrum iterum nobis, iterum piorum feſti dies, iterum argumentum angelicum & Eccleſię cœtus nobis celebranda veniunt. Ac memoria quidem & honor ijs, qui teſtificati ſunt & martyribus: gloria verò ei, cui teſtimonium perhibuerunt, tribuenda eſt. Henore ſiquidem afficiuntur martyres, qui pro Chriſto ſupplicio ſunt affecti: Chriſtus verò, qui pro omnibus pœnas luit adoratur. Illi enim hoc ſuo ſupplicio ex humili gradu in ſublimiorem aliquem ſeſe euexerũt: Seruator verò è ſumma diuinaque natura ad humanã humilemque naturæ coditionem ſeſe demiſit: minimè quidem primęua illa ſua dignitate relicta, ſed

C

œconomiæ in carne adminiſtratione ſuſcepta. Siquidem ex ipſo audiuimus: *Ego ſum paſtor bonus, qui ponit animam ſuam pro ouibus ſuis*: (Ioan. 10.) qua ille oratione, & humanitatem ſuam demonſtrauit, & potentiam prædicauit. Nam ſupplicium ſuſtinere pro ouibus, humanitatis: ponere verò animam ſuam, poteſtatis. Nullam enim vim hiſce verbis ſubijcit: ſed œconomiam inſtituit. Et quemadmodum Apoſtolus dicit: *Patrem ipſum pro nobis tradidiſſe*: (Rom. 8.) nequaquam propterea Filium non ſponte ſuppliciũ illud perpeſſum eſſe, ſequitur: ſed Spiritum Filij patri congruentem oſtendit. Tradidit autem ſeipſum Filius, nulla ad id neceſſitate impulſus: ſed patris ſententiam velut perficiens & exequens. Siquidem longè aliud eſt, ſeruilem in modum alij operam ſuam præſtare: aliud item, diuinitùs cooperari & conficere. Nam vnigenitus ille Dei filius cooperatur

D

patri, etiam in vitis hæreticorum poſteris. Qui malitioſè indiuiſibilem illam naturam diuidunt: & Patrem quidem creatorem, Filium verò adminiſtrum creationis, Spiritum S. autem quaſi communem, & publicum miniſtrum prædicauit. Quos nihil pudet, (1. Cor. 6.) ne quidem D. Paulo hac diſtinctione aduerſari: qui miniſtros prædicationis, non hypurgos, id eſt obſecundantes miniſtros appellauit: *Dei ſumus Synergi.* (1. Cor. 4.) Paulus ergo Synergus: Filius Dei hypurgus? Ne igitur curioſè inquiras quid Chriſtus per Eſaiam, (Eſai. 53.) ſed quid per ſe ipſum ſit prolocutus ac propter ſe ipſum quidem paſtor eſt, propter te verò ouis. Vtrumq; enim lectio hodierna habuit. Eſaias enim ipſius Eunucho legenti ſubijciebat, *velut ouis ad mactationem ductus*. (Act. 8.) Seruator verò: *ego ſum paſtor bonus.* Tu igitur mihi differentiam ouis inter paſtorem explica: & quànam in re ouis, qua verò paſtoris vocabulum ponamus. Nam niſi vim nominum exactè diſtinguas, nequaquam excellentiæ dignitatem cognoſces. Hoc ergò manifeſtum: velut ouem ductum eſſe, ob ſupplicij œconomiam: paſtor verò fuit, propter potentiam illam ad ſuſcipiendam humanitatem. Neque enim erubeſcit Deus appellari

A

paſtor. Æquum quidem fuerat nos Deum etiam regem agnoſcere: verum poſteaquã Deum, velut homines ratione præditi, non cognouimus: ſaltẽ velut oues brutas paſtorem nos vult agnoſcere. Si enim quum Deus in hunc mundum venit te ratione præditum inueniſſet, neceſſe fuiſſet illum, velut Deum, tibi cõmendari. Verùm poſtquã ille hominem reperit nullum: ſed ouem iam à priſcis vſque temporibus errantẽ, & per prophetas Dominũ inuocantem: *errani, ſicut ouis quæ perijt, quare ſeruum tuũ*: (Pſal. 118.) idcircò regiam illam dignitatẽ celat, & paſtoris curam officiumq; ſuſtinet. Eam ob rem etiã ab initio inſtituit in præſepi ſuum corpuſculũ collocari matre quoq; & Ioſepho, œconomiæ & diuinæ diſpenſationis miniſtro, in arctum & anguſtias adductis. Neque enim illum Seruatoris patrem appellauero neque maritũ Mariæ, ſed cõſortem & myſterij huius mediatorem. Siquidẽ procus ille erat Mariæ: nõ

B

autem maritus. Et maritus quidem erat appellatione: re ipſa autẽ miniſter œconomiæ. Hic igitur in Bethlehem cum Maria ita coarctatur, vt propter hoſpitij anguſtias infantẽ in præſepi collocare neceſſe haberent. Atqui Deus illis eum anguſtum arctumque locũ procurauit, vt humanus ille, ibidem neceſſitate cõpellente, deponeretur: deponeretur, inquam, Saluatoris in carne œconomia hoc ita poſtulante. At cúrnam hoc inſtituit? Quia præſepe brutorum menſa eſt: humanitas verò tum ipſa in brutorum naturã degenerat. *Homo enim cùm in honore eſſet, non intellexit, & comparatus eſt iumentis, & ſimilis factus eſt illis.* (Pſalm. 48.) Cæleſtem illum cibum in brutorũ menſa apponit: vt quorũ animi ſenſuſque bruti eſſent, ad præſepe tanquã ſuam menſam accedentes, non amplius gramen, quo bruta animalia paſcuntur, inueniant, ſed eum, qui pronunciauit! *Ego ſum panis, qui de cælo deſcendi, & dans vitam mundo.* (Ioan. 6.) Ouis igitur

C

Chriſtus, diſpenſatione diuina ita exigente, fuit: Deus verò ob ſuam ipſius gloriam. Ponit ergo animam ſuã pro ouibus, (Ioan. 10.) nõ quia neceſſitate aliqua eò adigeretur, quemadmodũ paulò antè dixi: ſed diuinorum negotiorũ ordinem ſuſcipiens. Quæcunq; (Hebr. 10. Exod. 16.) enim in veteri priſcorũ religione facta cõmemorantur, ad Chriſtum, ceu ſummam quandam tendunt: ſiue prophetia, ſiue ſacerdotium, ſiue regnũ, ſiue templum, ſiue thuribulum, ſiue velũ, ſiue arca, ſiue propitiatorium, ſiue manna, ſiue virga, ſiue vaſa aurea: omnia inquam ad ipſum referuntur. (Quænã in veteri teſtamento Chriſtum ſignificabãt.) Iam enim antiquitus Deus Iudæorum poſteris religionẽ ſacrificiorum conceſſit: non quòd ea oblectaretur, & in ea acquieſceret: ſed quia à Græcorũ cultibus ipſos ſummouere cuperet. Ita cùm ipſe hac quadã moderatione ipſos ad ea perducat, quæ ipſe velit:

D

quæ non vult, velut ſibi grata, præſcribit. Cũ enim vt erat captus Iudæorum, nondum efficacem illam vim Spiritus intelligere poſſent: ſed conſuetudine gentium in ſeruitutem redacti eſſent, & circa aras, & ſacrificia occuparentur: Deus dies illos feſtos etiam idolis colendis dicatos, hoc modo, ad pietatem ordine quodam inſtituendam, immutat, eaque ſuſtinet, quæ ipſi non placebant. Quemadmodum † pater, cùm filium ſuum ludicris rebus occupatũ (bonus pater.) conſpiciat, à foro quidem ipſum arcet: domi verò omnia illi, quæcunq; velit, permittit: & dum ipſum in omni officio & decoro continet, adoleſcẽtiæ petulantiam licentiamq; coërcet. Sic etiam Deus, cũ conſtituiſſet ipſos, his publicis dierum feſtorũ conuentibus ad pietatẽ conformare, permittebat etiã illis ſacra facere. Sed & † Thuribulum illis tribuit, (θυσιαστήριον altare) iubetque oues ſacrificare & caprã & bouem, omniaque alia facere, quæ ipſis voluptati eſſent. Neque enim Deum hæc oblectabant. Et hæc quidem omnia diſpenſatione quadam diuina facta eſſe, ex Moyſe cognoſcere licet: in quo varia ſacrificiorũ genera & conceduntur & mandantur: cùm tamen per prophetas ea, quæ eiuſcemodi conceſſione fiebant, abrogentur: magno argumẽto, illũ quaſi lac

infan-

Digitized by Google

A infantibus conceſſiſſe, cibum autem nullum dediſſe. Et quidem per Dauidem ait: *Audi populus meus, & loquar Iſrael, & teſtificabor tibi: Deus, Deus tuus ego ſum. Non in ſacrificijs tuis arguam te, & holocauſta tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non ſuſcipiam de domo tua vitulos, neque ex gregibus tuis hircos.* Et ne quiſpiam arbitretur, quia auerſetur & reſpuat, eiuſmodi grata non habere, ille ſeipſum explicat: quòd ſcilicet illis opus non habeat: non quòd nolit hæc offerri.

Pſalm. 49

Itaq; ſubijcit: *numquid manducabo carnes taurorum, & ſanguinē hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua.* Cū docere voluiſſet non auerſari ſeſe, neq; aliena à ſeſe illa putare: ſed ad præſtantius quoddā, & quòd intelligentia tantum comprehenderetur, ſacrificiū inuitare. Conceſſit itaq; iam olim ſacrificia, nō quia placeret, ſed quia hoc modo initiatos quaſi refingere, & veriori pietate imbuere vellet. Sic ergo cùm propoſito Iudæorum pluſculū indulgeret, in illa ipſa conceſſione imaginem quandā rerum futurarū præfigurabat: vt licet ſacrificium illud per ſe quidē inutile

B eſſet, ſaltem ſignificatione ſua & notatione vtilitatē aliquam afferret. Equidem locus hic plurimū ſubtilitatis, acuminiſque habet: itaque accuratè diligenterq; aduertite. Sacrificia igitur illa Deo grata non erant, neq; ex ſententia animi ipſius offerebantur: ſed conceſſione quadā & permiſſione. Quibus quidē omnibus Deus ſignum quoddam, & imaginem rerū futurarum impreſſit, œconomiæ ſcilicet Chriſti, & diſpenſationis rerum futurarū: vt licet per ſeſe grata non eſſent, ſaltem propter eam rem, quam præ ſe ferebant, placerēt. Et quidē

Leuit.

in omnibus illis figuram Chriſti proponebat, futuraq; multò ante in illis adumbrabat: ſiue enim ouis eſſet, quæ mactabatur, imaginē ſeruatoris referebat; ſiue bos, imago erat Chriſti: ſiue vitulus, ſiue vacca: ſiue quippiam aliud eorū, quæ ſolebant offerri: ſiue colūba, ſiue turtur, omnia hæc ad Seruatorem nobis præſignificandū pertinebant. Huc templū illud in Moyſe, vt ſcilicet tēpli Dominici

C imago multò ante præfiguraretur. Huc ouis illa, huc ſacerdos, huc velum ſpectat. Et ne minutiſſima quæque longius perſequar: eorum, quæ huc-uſque diximus: Paulum Interpretem attendite: qui nihil horum extra Chriſtum intelligere permittit, qui hæc omnia de Chriſto accipit, & interpretatur.

Hebr. 8. 9. 10.

Qui cùm in Epiſtola ad Hebræos perſcripta, differentias horum myſteriorū explicare vellet, (verbi gratia: quid menſa illa, quid † thuribulum, quid velum † arcanæ ſignificationis haberet) omnia hæc generatim, & in ſumma ad Chriſtū refert. Et apertè oſtendit, vniuerſam *b* hanc vitam eſſe ſcenam: verùm primam quidem illam, figurā eſſe antiqui fœderis: Sancta ſanctorum autem figu-

altare, addit à Græco, quid templi, quid pontifex.

Templū. Hebr. 9. Exod. 30. Leuit. 16

D ram eſſe teſtamenti noui. Quęſo aduertite ſtudioſè: templum quidem vnum illud omninò erat, ſed in alias atque alias partes diſtributum: nempe in Sanctum, & in Sancta ſanctorum. Templū illud figura erat corporis Dominici. Itaque auſculta dominum dicentem: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quemadmodū igitur in illo templo quædam ab omnibus, quædam verò à ſolo ſummo pontifice cerni conſpiciq; poterāt: ſic & in œconomia Chriſti diuina quidem ipſius natura, eiuſque vis & efficacia minimè illa quidē cernitur: ſed tamen agēdo ſeſe palàm exerit. Habens templi imaginem. Iam

Velum.

mihi velū illud intermediū quære, quod Sancta, à Sanctis ſanctorum dirimebat. Sed quale erat illud velum? Velum illud rurſus imago erat corporis. Quemadmodū enim velum illud loco quidem medium intercedebat: aſpectumque eorum, qui extra conſiſtebant, ne rem diuinā, quæ ibi fiebat, conſpicere poſſent, interſepiebat: ita ſanè corpus Domini velum erat diuinæ ipſius naturæ, quod prohibebat, ne quis mortalibus oculis faciē illā immortalis cōſtanter intueri poſſet. Atque hæc explicatio mea

A non eſt: ſed D. Paulum diſſerentem auſculta: *habentes, fratres, nouam viam & viuentem, qua nobis initiauit per velamen, hoc eſt per carnem ipſius, accedamus.* Attende diligenter, templum appellauit ſuam carnēm, velum verò figuram carnis. Rurſus in ſacris literis eſt: *Sacerdos ingrediebatur velum ſemel in anno*: neq; verò hoc Paulus prætermiſit. Accipit hoc Paulus de figura † corporis, & ait: non enim in manu facta ſancta Ieſus introiuit, exēplaria verorum, ſed & in ipſum cęlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Vides illum pontificem, vide etiam figurā. Sed & ouis mactabatur, quæ & ipſa ſeruatoris imago erat. *Namque velut ouis ad mactationem ductus eſt.* Quinetiam vitulus, taurus ſacrificatur, aliaque eius generis, in quorum ſanguine pontifex intincto digito in Sancta ſanctorum intrauit, & coram propitiatorio ſeptem vicibus conſpergebat: hoc ipſum propitiatoriū, & præterea ille ſanguis, qui aſpergebatur, figura Domini erat, vt ſic & ille ipſe, qui adorabatur & donū quod eidem offerebatur vnus & idem eſſet. Animalium

Heb. 10.

Pōtifex.

τοῦ σωτῆρος ſaluatoris

Eſai. 53. Exod. 30. Leu. 16. 9

Propitiatorium.

Leui. 4. 12. 20. 16. Num. 9.

B verò, quorum ſanguis inferebatur in ſancta, corpora extra caſtra comburebantur, quorum etiam cinis homines ſanctos reddebat, & quidem reliquiæ illæ mortuorum animalium etiam inquinatos ſanctificabant. Itaque aduerte animalia illa viua ſanctum neminem reddebant, in cinerem verò redacta, & ad ſacrificium comparata, ſanctimoniam pollutis comparabant, & erant ſanè eadem, & quæ extra caſtra comburebantur, & quæ intus offerebantur. Hinc Apoſtolus: *quorum*, inquit, *animalium ſanguis in ſancta ſanctorum inferebatur, eorum corpora extra cremebantur*: Typo propoſito, veritatem deinceps explicat, & ait: *Ideoque & Ieſus, vt ſacrificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Et quid addit? *Exeamus igitur ad eum extra caſtra improperia portantes.* Hæc quidem figura eſt, tu veritātem conſidera. Quære porrò ſanguinem, & propitiatorium. Sanguis qui reſpergebatur, & propitiatorium capiebat, propitiatio incumbebat. Quid igitur propitiatorium? Paulum denuo audi in epiſtola ad Rom.

Hebr. 13.

Sāguinis conſperſio.

C *omnes enim peccarunt & egent gloria Dei: iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem ipſius, qua eſt in Chriſto Ieſu: quem Deus propoſuit propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ propter remiſſionem præcedentium delictorum.* Itaque & ſanguis ipſius, & propitiatorium ipſius. Hæc omnia à me eò dicta ſunt: quia noſtra cauſa, non autem ſua ipſius cauſa factus eſt. *Seruator Deus, Dei vnigenitus Filius.* Aliud autem illud erat, quod noſtra cauſa agebatur: aliud quod ob diuinam ſuam naturam adorabatur: aliud, atque aliud erat: non partibus tributum: ſed ipſo rerum ordine, & œconomia coniunctum, atque connexum: ratione verò diuiſum, atque diſtinctū.

D Cùm itaque audieritis, vel ſummum Pontificem, vel paſtorem, vel ouem, vel templum, velum, propitiatorium, vel ſanguinem qui aſpergebatur, vel quæcunque eiuſcemodi ſunt, è ſingulis œconomiā in carne, quæ tua cauſa eſt inſtituta, percipe. Cùm verò audieris, vnigenitum Dei Filium æqualē Patri gloria, & maieſtate: (hunc enim nobis Eccleſia prædicabat, hunc in pompa oſtendebat, † vtpote quam diuinorum oraculorum non pudeat. Sapientia ſiquidem in vijs celebratur: & in plateis liberā vocem emittit, in ſummis tectis prædicatur:) cùm audias inquam, Dei ſapientiam & potentiam prædicari, pręcellentem illam gloriam intellige, dignitatem illam, quam ante ſæcula obtinuit, illæſam, immutabilem, nulli mutationi obnoxiam. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum.* Vbique *erat*, accurrit: *non erat*, autem, nuſpiam. Cùm inquam intellexeris excellētiam gloriæ, non offendaris œconomiæ carnis. Verbi gratia: hæretico obijciente illud: *Pater qui miſit me, maior me eſt*: dic illi: mirum non eſſe, ſi propter œconomiam patre ſit inferior, cùm angelorum poteſtate minorem inferioremque ſit conſecutus. Tu quidem das operam malitioſè, vt

Sup. oratione prima.

Ioan. 1.

Filij diuinitas docetur. Ioan. 14.

Pſalm. 8.

eum

Digitized by Google

patre minorē infer. oſtendas. διὰ τὴν οἰκονομίαν *propter incarnationem demonſtro.*

A

eum † minorem, inferioremque efficias. Ego ipſum etiam angelis minorem inferioremque † demonſtro. Et tu quidem, quum velis confirmare differentiã eſſentiæ Patris & Filij teſtimonium illud adducis: *Pater miſit me, maior me eſt*: ego verò, ſi dictio ſpectetur, non ſolùm Patre minorem, & inferiorem eum demonſtro, ſed & angelis. Etenim beatus Paulus, Dauidis illo teſtimonio in medium allato.

Ioan. 14. Heb. 10. Pſalm. 8.

Quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum: Minuiſti ipſum paulo minus ab angelis: explicauit in ea, quam ad Hebræos ſcripſit epiſtola: *cùm verò paulo minorem Angelis videamus Ieſum, ob ſupplicium mortis.* Quid igitur te inani labore conficis, dum docere conniteris, Filium minorem eſſe Patre, quum & angelis minor & inferior ſit: non dignitatis, ſed œconomia ratione? Deinde illud quidem attendis, qui miſit me pater, maior me: hanc verò Euangeliam vocem, quam hodie omnes audiuimus, ſurda aure præteris:

B

Ioan. 17. 10.

Ego & pater vnum ſumus. Differentiam hanc ſeriò perpende: vbi vnitas ſignificatur, non dicit, qui miſit me, ſed pater: vbicumque vnionem voluit commonſtrare, & identitatem, vt ita dicam, numquam dixit: ego, & qui miſit me, vnum ſumus, ſed ego, & pater. Neque enim quidquam medium inter Filium & Patrē. Quotieſcumq; verò dicit *maior*, addit, *qui miſit me*. Nã mittere ad œconomiam in carne refertur: mitti verò diuinam naturam interpretatur nullam, ſed œconomiæ in carne notatio eſt. Neq; enim Deus quemquam mittit, neque mittitur. Deus neminem mittit corporeo quodam modo, neque mittitur. Quod quòmodo fiat aduerte: quiſquis aliquē mittit, ijs in locis, quò ipſum mittit præſens nõ adeſt. At tu mihi locum patre vacuum mõſtra, oſtēde vbi Filius præſens non adſit: locúmue Spiritu deſtitutum. Quòd ſi iuxta literam verba illa accipiantur, ſanè perſiſtit tua obiectio: quòd ille quidē miſit, hiç verò miſſus eſt. Itaque verbum illud, miſſus eſt, nullam migrationem quæ de loco in locum fiat, ſed corporeum aſpectum, declarat.

C

Neq; cùm euangelicæ literæ tradunt: *erat homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes*: idcirco Ioannem e cælis ad nos vſque veniſſe arbitramur. Cùm autem in hoc orbe ageret, quomodo miſſus eſt dicat aliquis? Poſteaquã illi œconomia illa commiſſa fuit: eam ipſam, miſſionem appellauit. Eſaias quidē Hieroſolymis in ipſo templo Dominum conſpicatus eſt, ſedentē in excelſo throno, & in altũ ſublato, cùm quidem in ipſo oppido & templo verſaretur: contemplatuſq; viſionem illam, & dignus exiſtimatus, qui Deum conſpiceret, prout fas eſt homini, audiuit Deum dicentem: quem *ad iſtum populum mittam?* at cùm ille in populo eſſet, quomodo mittitur ad populũ?

D

Ita quidem miſſio migrationem, quæ de loco in locum fiat, nullã, neque ſeruile quoddam miniſteriũ: ſed humanã interpretatur œconomiã. Alioqui, ſi verbis ita ſeruiliter addictus eſſe velis, eadē vbique religione ſequere. Si miſſus eſt, quomodo dicit: *& qui miſit me, mecum eſt?* Neque enim quiſquam, qui mittit aliquem, vnà cũ eo vadit, qui miſſus eſt. Hoc enim mitti non eſt, ſed vnà ire atque iter facere.

Ioan. 27.

Ego in patre, & pater in me eſt: vbi hîc miſſio? Ne verò quiſpiam illud, miſit me pater, & pater mecum eſt: de efficiendi vi & auxilio acciperet, ait: *Pater in me manens*: & illud: ego in patre, & pater in me. Hoc enim diuinum oraculum etiam Eſaias prædixit, cùm inquit:

Eſai. 45.

Aegyptus defecit & negotiatio Aethiopum, & excelſi viri Saba ad te tranſibunt, vt te inſequentur vincti compedibus, & in te adorabunt: quia in te eſt Deus, nec eſt Deus præter te. Quomodo hoc fieri poteſt ſiquidem alius in ipſo ſit? Quomodo verò præter ipſum nõ eſt alius? Quia in te eſt Deus, nec eſt Deus præter te. Nónne prophetæ oraculum Euangelica illa pronunciata interpretatur? Ego ſum in patre, & pater in me, & duo vnum ſumus. Illud enim: & nõ eſt Deus præter te explicat illud, vnum ſumus.

A

Animaduerte quanta ſapientia & multiplici poteſtate hæc abundet oratio: Illud enim *Vnum ſumus* anceps gladius eſt diſcindēs hæreticos. *Vnum* enim illud Arianorum inſaniam coarguit: *vnum ſumus* Sabellij confuſionem conuincit. *Quia in te Deus eſt, nec eſt Deus præter te*: & vt propheta apertiùs commonſtraret: *tu enim Deus es, & neſciebamus*. Quid? ànne tu neſciebas ipſum Deum eſſe: ánnon Moyſes multo id antè prædixit? An non poſt viceſimũ primum ſeculum à Moyſe vixiſti? Nam à Moyſe vſq; ad Dauidē ſeptem † ſecula numeratur: à Dauide vſque ad Eſaiam duodecim. Eſaias enim captiuitatem Babilon duobus ſeculis antecedit. Ergo quum ante viginti quinque ſecula diuini vates prædixerint: quòd nempè Deus ſit: & Moyſes effatus ſit: *audi Iſrael Dominus Deus tuus Dominus vnus eſt*: & Samuel eadem clamabat. Quin etiam Dauid ipſe idem prædicebat, omneſque adeo prophetæ vaticinabantur.

Ibidem. † γενεαί. Deut. 6.

B

Quomodo igitur Eſaias ait: *tu enim Deus, neque ſcibamus*: ſi non verè, & re ipſa Seruatorem ſignificaret & innueret. Deum quidem exiſtentem, qui tamen nondum innotuiſſet? oraculum enim illud, tu Deus, neque ſciremus: nullam inſcitiæ notam prophetæ inurit: ſed populi perſona ſuſcepta, ita proloquitur. Conſpirat autem hic locus: *tu es Deus neque nos ſciebamus* cum eo, qui ſic habet: *Domine excelſum brachium tuum, & non nouerant*. Et tamen, vt dicat: *tu enim es Deus, & nos neſciebamus: Deus Iſrael, omnium Saluator.* Audi angelos, qui lætum nuncium paſtoribus annunciant: *nolite timere, annunciamus vobis gaudium magnum, quia natus eſt nobis Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus. Tu enim Deus es Saluator Iſrael. Ecce confundentur omnes, qui tibi aduerſantur, & abibunt in confuſionem. In nulla enim exiſtimatione & honore erunt, & velut veſtimentum veteraſcent.* Aduerſarios appellat eos, qui doctrinæ reſiſtunt.

Luc. 1. Pſalm 96. Ibid 101.

C

Nam ſi Græco, aut alij cuidam, qui à vera pietate alienus & auerſus ſit, dicas, quòd Deus ſit: non contendit tecum: *d* vox verò illa, quòd Chriſtus ſit, etiam diuina exiſtimatur: vt eſt alibi apud beatum Dauidem: *Dominus regnauit, iraſcantur populi & qui ſedet ſuper Cherubin, concutiatur terra.* Et quis ſedet? perſpicuum ſanè, quòd ille ad quem alibi idem propheta: *Qui ſedes ſuper Cherubin, appareas, & excita potentiam tuam, & veni ad ſeruandum nos.* Vidéſne impietatem illam & malitiam, quæ ab hæreticis aſſeritur, non in dictione & vocabulis poſitam eſſe? ſed quoties æqualitas, vt ego & pater vnum ſumus: quoties œconomia Domini in carne celebratur, & vrgetur: Qui miſit me, maior me eſt. Atqui ob legationis ſpeciem & habitum maior eſt: non autem diuinæ naturæ vnionem.

Ibid. 98.

Scriptura quomodo legenda.

D

Sic itaque ſacræ ſcripturæ attentè & ſtudioſè legēdæ ſunt, neque diuina oracula ita, vt aliquid prætereatur, aut omittatur, ſunt cognoſcenda. Iam verò tu quidem integrum Euangelium improbas, & damnas: Seruator verò, ne quidem literam irritam ducit, & quidem tantam in ijſdem legendis animaduerſionem in nobis excitare voluit, vt dixerit: *Amen amen dico vobis: facilius eſt cælum & terram tranſire, quàm de lege mea iota vnum, vel vnum apicem cadere.* Ergo Seruator ne quidem iota deſpicit, tu verò totam ſcripturam diſcerpis. Sed & ſacrarum literarum cognitionem valentiorem eſſe mortuorum quoque reſurrectione ratio perſpicuè conuincit. Neque enim tantum poteſt mortuorum reſurrectio, quantum ſacrarum literarum cognitio.

Matth. 5.

Attende Patriarcham Abraham, qui diuitem ipſi dicentem audiebat: *Pater Abraham miſere mei, & mitte Lazarum vt dicat fratribus meis, ne veniant in locum hunc tormentorum.* Sed quid ille? *habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* Ille verò dicit, non pater Abraham, niſi quis ex mortuis reſurrexerit: non credent. Cui Abrahamus: amen dico tibi, ſi Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Studioſè, quæſo attendite, Quid, ſi quis è mortuis reſurrexiſſet,

Luc. 16.

non

Digitized by Google

non credidiſſent? minime verò: aduerte quid hinc
efficiatur: ſi quis itaque rediuiuus apparuiſſet: ille,
vel ex priſcis illis patribus, vel ex ijs, qui noſtra
ætate viuunt, quique adeò noti ſunt, vel obſcuri,
fuiſſet: ſi ignotus & obſcurus fuiſſet, ipſa obſcuri-
tas omnem admirationem ſuſtuliſſet. Iam verò ſi
Moyſes ipſe hodie appareret, vndénam tu ipſum
agnoſceres? Si Eſaias hodie reuiuiſceret, è quibus
notis Eſaiam eſſe intelligeres? Sin autē alius quiſ-
piam eorum, qui nobiſcum viuunt, ex mortuis ex-
citaretur, ne hoc quidem admirabile eſſet: cū alij
quidem dicerent, hic eſt ille, qui defunctus eſt: alij
verò aſſererent, hunc non eſſe illum, qui obijſſet:
φάντασμα ſed dæmonem, aut †viſum quoddam exiſtere. Ne-
que enim infidelitati malitioſa quædam compen-
dia deſunt. Neque verò mirum. Poterat ſiquidem
hominum ſtultitia illa malitioſa, etiam mortuum
in vitam reuocatum calumniari. Cùm cæcus ille
Ioan. 9. curatus eſſet: *alij quidem dicebant ipſe eſt: alij nega-
bant ipſum eſſe, ſed ſimilem.* Cumque ille diceret, *Ego
ſum*: ipſe ſibi quidem teſtimonium perhibebat, &
illud miraculum celebrabat: iniqua autem illa
ſtultitia hominum inficiabatur penegabatq;. Quid
an non multi, Seruatore in terris agente reſurre-
Math. 27 xere? *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant*, vt ſacræ
literæ teſtantur, poſt crucis œconomiam reſurre-
xerunt ex monumentis, & venerunt in ſanctam
ciuitatem, & apparuerunt multis. Num igitur il-
lud miraculum infidelibus illis Iudæis fidem fecit?
aut ſtultitiam illam inquam ſuperauit? Equidem
ſigna eiuſmodi, & miracula infidelibus, non autem
fidelibus proponuntur. Infidelis verò importunè
etiam ſigna eiuſmodi deſpicit. Sed tamen aduerte
num aliquem reueriti fuerint: ſicuti Lazarum à
morte excitatum omni reuerentia ſunt proſecuti.
Ioan. 11. *Lazarus ſiquidem à mortuis excitatus eſt.* Quum verò
complures ob reſurrectionem Lazari ad Seruato-
rem ſpectandum conueniſſent, Iudæi de Lazaro
interficiendo deliberarunt. Aduerte ſtultam per-
uicaciam, perpetuò ſui ſimilem. Ergo & Patriarcha
Luc. 16. non immeritò dixit: *ſi Moyſem & Prophetas non audiūt,
&c.* Et ſanè hodierno tempore Hæreticorum po-
ſteri: ſi Moyſen & prophetas & Euangelia non au-
diunt, neque ſi quis neſcio quoties apud illos ver-
ba faceret, ſunt vmquam audituri. Nos verò à pro-
poſita nobis via numquā deflectamus. *Ego enim ſum*
Ioan. 14. *via*, inquit Dominus, qui ab ea deflectit, aberrat.
Quiſquis extra literas ſacras incedit, in tempeſta-
tem incidit. Quemadmodum enim qui in mari va-
rijs ventis hinc inde impellitur, non poteſt rectà
curſum ſuum dirigere, ſed huc & illuc vi ventorū
impellitur: ſic qui varijs ſententijs addictus eſt, nec
iuxta Euangelicorum canonē incedit: nihil differt
à naue oneraria, quæ hinc inde agitatur. Vnde &
Eccl. 5. ſcriptura dicit: *Ne quouis vēto ventiles aut euntes*: cui In-
terpres: *ſed & nec omni doctrina credas.* Atque vt intel-
ligas literas ſacras omnem ventum pro quauis do-
Ephes. 4. ctrina accipere, Paulum dicentem auſculta: *ne ſimus
paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina, in
nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionē erroris, &c.*
omni vento doctrinæ, ait: Qui ergo ſeſe cuiuis do-
ctrinæ penitus addicit, fluctuat, tempeſtate iacta-
tur, naufragium facit. Vna enim eſt nauigatio, vna
via, vnus portus. Fides autem ipſa dux eſt, illa oc-
cludit, illa intromittit. Quiſquis verò fide excidit,
naufragium facit, quemadmodum Paulus in ſuis
ad Timotheum literis ſcribit: hoc præceptum tibi,
1. Tim. 1. fili Thimothee, commendo, *vt milites bonam militiā
habens fidem & bonam conſcientiam: quam quidam repellen-
tes circa fidem naufragium fecerunt.* Ergo qui fidem ab-
negat, inficiatur, naufragium facit: qui verò fidem
arctè tenet, ille ſereno tranquilloque cælo naui ſua
in portum appellitur. Ne igitur omni vento iacte-
mur. Poſt Dominum nulla alia doctrina ſupereſt
expectanda. Poſt Moyſen quidem, Chriſtus expe-
ctabatur, poſt Chriſtum verò nemo alius expecta-

A tur. Itaque Moyſes cum populum inſtituere &
commonefacere vellet, ne ſuis legibus ſolis in vi-
tæ inſtitutione vterentur: ſed perfectionem earun-
dem quandam expectarent, hunc in modum effa-
tus eſt: *Prophetam vobis, de gente tua & fratribus tuis, vt* Deut. 18.
mei, excitabit Dominus Deus veſter, ipſum audietis. Si enim
perfectionem quampiam ſuæ doctrinæ agnouiſſet
Moyſes, non certè ad alium illos doctorem dedu-
xiſſet, cùm ait: *Prophetam vobis excitabit Dominus Deus
veſter, ex fratribus veſtris.* Prophetam quidem ipſum
appellat, quia ex nobis erat futurus. Deus ſiquidem
non ex nobis: prophetæ verò ex nobis ſunt. Chri-
ſtus enim Deus ex Deo: propheta verò ex nobis
ſecundùm carnem. Itaque velut legiſlatorē quo-
que audiendum monet: ſiquidem legiſlator quidē
primus erat Moyſes, ſecundus verò ſeruator, non
vnius populi ſed totius orbis. Ideoque Moyſes ad-
dit: *velut me*, qui & figura ſeruatorem repreſenta-
bat, & officio legiſlatoris. Sed quis hæc ſuo q.
teſtimonio confirmabit? *Dauid*, qui paucis ſæculis
B Moyſen ſubſequutus eſt, inclamabat: *Exurge Domi-* Pſal. 9.
*ne ne confortetur homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo:
conſtitue Domine legiſlatorem ſuper eos.* Si itaque Dauid
tempore Moyſen anteceſſiſſet, meritò quidem pro
Moyſe Deo ſupplicaſſet: iam verò cùm Moyſes
præluxerit, & Dauid longè poſterior ſit, quidnam
propheta voluiſſet exiſtimandus, qui legiſlatorem
deſideraret, cùm interim alius legiſlator in promptu
eſſet? Ait enim, *conſtitue legiſlatorē ipſis*: quibus verò ſi
non gentibus? Exurge enim, inquit, Domine, ne
confortetur homo: iudicentur gentes in conſpectu
tuo. Enimuero ille legiſlator gētibus exhibitus eſt:
cognoſcant gentes quoniam homines ſunt. Priuſquā enim Ibid.
hic legiſlator aduenisset, velut bruta abducęban- 1. Cor. 12
tur: poſtquam *Deus verbum* aduenit, eos naturæ ſuæ,
quæ ratione prædita eſt, reſtituit. Moyſes ergo, vt Deut 18.
paulò ante dicebam, prædixit: prophetā vobis Do- Pſalm. 9.
minus excitabit, velut me: Dauid autem: conſtitue
legiſlatorem ſuper ipſos. Paulus verò Seruatore
C poſterior, ſeruatoris præco, cùm optimè perſpectū
habuiſſet, antiquioribus illis Chriſtum expectare
fas fuiſſe: poſt Chriſtum verò neminem alium, ob
id ait: *ſi quis vobis Euangelium, præter id quod accepiſtis,* Gal. 1.
euangelizauerit, anathema ſit: ad omnem extra Chri-
ſtum cognitionem aditum præcludit, & claues pie-
tatis ſibi vendicat. Et quod poſt Chriſti inſtitutionē
non liceat deinceps aliam doctrinam expectare, in-
quit, ſi quis Euangelium, præter id quod accepiſtis,
Euangelizauerit, anathema ſit. Et quidem, vt non
ſolum hominum malitioſa artificia excludat, rem
concione quadam amplificat, & ait: *& ſi nos*: quid
verò hîc ſibi vult, *& ſi nos?* poterat ſanè Apoſtolus
hoc etiam alio modo docere: an verò hoc manife-
ſtum eſt, diuinum illum virum eiuſmodi amplifi-
catione, quæ fidem fermè omnem excederet, vſum
fuiſſe: *& ſi nos ipſos ita docentes audiatis, exiſtimate, nos
D minimè ex Deo verba facere.* Hinc eſt quod dicit: ſed &
ſi nos: Humana ſi quidem lingua facilè ſubuerti-
tur, & refutatur: Dei autem lingua immutabilis eſt.
Ideo, inquit: & ſi nos, ſi Angelus è cælo, &c. Non
imprudenter & temerè in hanc coniecturam Pau-
lus incidit, ſiquidem Angelus è cælis nouam quan-
dam doctrinam in medium allaturus erat. Ange-
los tamen Apoſtolus hîc non præmunit & confir-
mat, ſed diaboli artificium proſcindit & infamat,
dum ait: etſi Angelus è cælo: Non quia vllius eiuſ-
modi rei in Angelis ſibi conſcius eſſet, ſiquidem il-
le ſatis nouerat veritatem in Angelis omni errore
vacare, verùm quia ſatanas ſæpenumero ſe ipſum
transformat, & ipſi quoque Dæmones Angelo-
rum perſona ſuſcepta & induta, pro ſuo arbitratu
doctrinam impiorum in medium afferunt, vt eſt
in literis D. Pauli, *Satanas ipſe in angelum lucis trans-* 1. Cor. 11
formatur. Ideò hac conformatione generum, ve-
ros Angelos Paulus à prauis diſtinguit, & ſim-
pliciter ſuam de angelis fert ſententiam, non vlla

contu-

Digitized by Google

contumelia bonos illos afficiens, ſed dæmonibus omnem aditum obſtruit. Neque verò cum Paulus hæc diceret: etſi Angelus è cælo euangelium annunciet aliud, præterquam quod accepiſtis, anathema ſit, illi iraſcebantur: ſed hac libertate doctoris Euangelici, qui tam valde ac vehementer Euangelicam doctrinam aſſeueraret & confirmaret, delectabantur. Quapropter etiam ipſi angeli cognouerunt: nemini fidem adhibendam, præterquam doctrinæ Apoſtolicæ. Equidem certiores illi redduntur, neque tamen docent. Ablegantur ad homines, & nullo docendi munere funguntur. Omninò Angelus quondam ad Cornelium ablegatus eſt, qui eidem & apparet & officij ſui partes exponit: *Corneli*, dicens, *orationes tuæ & eleemoſinæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei.* (Act. 10.) Mearum partium eſt annunciare: docere verò Apoſtolorum eſt. Ad Angelũ pertinet ſcire: num precationes & cultus noſtri ſint Deo grati: docendi verò precandique munus Angelus ſibi non ſumit, ſed Apoſtolis concedit. Hinc in ſacris literis ſequitur: (Ibidem.) *mitte ergo in Ioppen & acceſſe Simonem, qui appellatur Petrus, qui cùm venerit, loquetur tibi verba, quibus ſalutem conſequeris tu, & domus tua.* Quid igitur obſtabat, quo minus Angelus Cornelium docere, & inſtituere potuiſſet? annon angelica doctrina maius pondus habuiſſet? an non certior fuiſſet multò Cornelius, qui angelum de ſupplicio & politia Chriſti in carne differentẽ auſcultaſſet? Sed abſtinet ab eo munere angelus, partim ne dæmonibus feneſtram aperiat: partim verò vt nobis commonſtret, non niſi doctrina Apoſtolica homines conſeruari. Si verò Angelus è cælo, aliud quid annuncians, diris deuouetur: annon qui Arium olet, qui Eunomij & Sabellij impietatẽ tradit, iure meritoque diris addicetur? niſi pœnitentia emendationem anteuertat. Hæc fratres non à nobis, ſed ab illo S. Martyre & legatis patris, dicta eſſe exiſtimetis: nam hæc vt honos martyri habetur, nunc perorata ſunt. Honor verò martyris eſt fidei conuerſatio. Si velis itaque & tu honore martyrem afficere, eum cui martyr teſtimonium dedit, honore afficito. Siquidem ille pro Chriſto ſanguinem ſuum profudit: tu tamen pro Chriſto ſanguinem tuum minimè profundis. Hac igitur certiſſima, firmiſſimaque fide cum præditi ſimus, demus operam, vt etiam bonis operibus inclareſcamus: vt virtutum quaſi ſemente à nobis facta, fructus inde metamus. *Vnuſquiſque enim meſſor iuſtitiæ eſt ex ſuis ipſius factis*, vt Paulus ait: dum tempus habemus oportunum, bonum operemur. Etenim ſuo tempore metemus, nil deficientes. At quo nam tempore? reſurrectionis. Ergo hoc tempus non eſt noſtrum, ſed alienum: hîc igitur ſemina, illic manipuli: hîc ſementem cum lætitia facimus, ibidem metis cum exultatione, vt inquit Dauid: (Pſal. 125.) *qui ſeminat in lacrymis, in exultatione metet.* Vtinam verò nos ſeminemus & metamus in exultatione in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

a *Ac memoria quidem.*) Hæc auulſa ſunt perperam à prima periodo, & aliter interpuncta erat in Romana editione, atque in Germanica πάλιν ὐκκλησίας πανήγυρις, ἡ μνήμη τῶν μαρτυρησάντων. τιμὴ δὲ μαρτύρων, ἡ δόξα τοῦ μαρτυρηθέντος. *Et Eccleſiæ cœtus, & memoria eorum qui teſtificati ſunt celebranda ſunt. Honor verò martyrum, ſiue teſtium, gloria eius, cui teſtimonium perhibuerunt.* Hoc eſt, honos habitus Chriſti martyribus in ipſum Chriſtum redundat.

b *Hanc vitam eſſe ſcenam:*) Aptius, opinor, vertiſſet. *Tabernaculum eſſe totam hanc vitam, ac priùs quidem figuram eſſe antiqui, &c.* Græ. σκηνὴν εἶναι δι᾽ ὅλου τὸν πάντα βίον. Ita Exod. 26. σκηνὴν ποιήσεις. Erant quippe duæ partes tabernaculi, quæ velo dirimebantur: nempe ſanctuarium, & ſanctuarij, ſanctuaria.

c *Vtpotè quam diuinorum*) ſequutus eſt errorem typographi Romani Interpres, quem correctoris monitu emendare potuit, nam pro ἐπαισχυνομένη ad calcem libri monuit legendum ἐπαισχύνῃ ſic ergo rectè. *oſtendebat) ne te pudeat diuinorum oraculorum.* Vel vt loquitur D. Paulus noli erubeſcere Euangelium, cum audieris filium patri exæquari.

d *Vox verò illa.*) Hunc locum oſcitanter legit Interpres. Romana editio ſic habet λέξεις δὲ ὅτι ἐστὶ χριστὸς, δαιμονίζεται. vt antea dixerat, ἐὰν χριστὸν εἴπῃς. Id eſt, *Si vero dixeris Chriſtum eſſe, tum inſanit, vel à dæmone corripitur*, aut energumenorum more furit *Ethnicus*. Paulò poſt ſequitur obſcuritas admirationem ſuſtuliſſet Græc. ἡ ἄγνοια ἐσκίαζε τὰ θαύματα. quæ malim vertere *miracula inobſcuraſſet i* vt μὴ τὸ θαῦμα τὴν ἀπιστίαν ἔσβεσεν ipſe vertit, num miraculum illud fidem fecit?

e *Hîc ſementem cum lætitia*) Gr. ἐνταῦθα σπείρεις μετὰ θλίψεως. *Hîc ſeminas cum afflictione, ibi metis cum exultatione.*

EIVSDEM DE DICTO ILLO:

Sufficit tibi gratia mea: Virtus enim mea in infirmitate perficitur.

ORATIO V.

CVM Deus vniuerſum hoc vndique ſibi ſumma ratione conſtans ab initio procrearet, miracula miraculis cumulauit, quippe qui nullis naturæ legibus teneretur, ſed abundantia quadam poteſtatis omnia diſtingueret & ſecerneret. (2. Cor. 12.) Verbi gratia illud dico. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* (Gen. 1.) Obſeruaſtine ordinem & conſecutionem? primùm quidem tectum fabricauit, deinceps verò ſolum & pauimentum conſtituit. Nam, vt dixi, nullas ille naturæ leges ſequebatur, nec ordinem artis intuebatur: ſed poteſtate virtutis, atque facultatis ſuæ vtebatur. Tectum quidem conſtiterat, neque ſolum tamen apparebat. Namque diuturna illa vis opificis omnia illa nexu quodam continebat. Hæreticum interroga: dic mihi quomodo cælum illud ſit fabricatum, cùm ſolum ſubiectum eſſet nullum? Explica conſilium illud: interpretare modum. Atqui obmuteſcis & fide hæc ita facta eſſe tibi concedis. Quam igitur veniam mereris tu, qui mundum hunc aſpectabilem, terrenáque iſta affecta eſſe fide tibi concedas: de diuinis verò & cæleſtia ſuperantibus adeò curioſè, ſollicitéque inquiras, & ſcruteris? Fecit cælum & terram. Et terram quidem ſoli inſtar ſtatuit, aquamque eidem ſubiecit. Fundamentum quidem ædificij vidiſti: *a* ſuperior quidem erat terra, inferior autem aqua. (Vide not. fol. 717.) Atqui ſecus Architecti faciunt: qui aquas primùm quidem exhauriunt, tum demum fundamenta iaciunt. Deus verò aquis fundamentum ſuperſtruxit: ne tu firmitatem fundamenti ſed poteſtatem opificis admireris: ſed vt initio inſtitueram dicere, ſumma cum attentione mihi adeſte. (Mundi creatio.) Paulò enim ſubtilius hanc doctrinam explicabo. Quando Deus mundum hunc vndique ſibi ſummaque ratione conſentientem fabricaſſet, omnia quidem alia ex vna quadam eſſentia effecit. Quod, ſi quid obſcuritatis hæc habeat oratio, eam explanabo, ſiquidem attenti fueritis. Omnia, inquam, alia ex vna quadam eſſentia effecit tam quæ ſurſum, quàm quæ deorſum ſunt. Nam & illic mundus & hîc mundus eſt: ita vt duplex ſit mundus. Sed in vtroque, quæ facta ſunt ex vna quadam eſſentia effecta ſunt: verbi gratia, ſuperiora omnia corpore vacua ſunt, inferiora omnia corpore conſtant: illa omnia intellectibilia, hæc omnia ſenſibilia, illa inuiſibilia, hæc viſibilia & corporea: cælum, ſol, luna, terra, mare, arbores, plantæ, boues, oues, equi, omnia hæc aſpectabilia ſunt, eodemque ſenſu percipiuntur: omnia etiam corporea, & quæcunque palpari contrectarique poſſunt, & ſub aſpectum cadunt. Quæ

Digitized by Google

verò ſurſum ſunt,inuiſibilia,intelligibilia,vt angeli, Archangeli, throni,poteſtates, dominationes, principatus,virtutes, Cherubin & Seraphin: neque illa viſibilia,neque hæc inuiſibilia: neque illa corporea, neque verò hæc incorporea. Omnia verò hæc ex vna quadam & ſingulari eſſentia extiterũt:tam quæ ſurſum,quam quæ deorſum ſunt: atque hæc quidem ex corporibus: illa verò ex incorporeis, alia quidem corporea, alia incorporea extiterunt. Solus homo è duplici quadam eſſentia conditus eſt: hac quidem præſtantiore, illa verò deteriore,animo, inquam,& corpore. Animus enim,neque cerni,neque aliter quam intelligentia comprehendi poteſt:Corpus verò ſub ſenſum aſpectumque cadit. Quam ob cauſam verò duplex ille mundus ex vnica quadam, & ſingulari eſſentia extitit: neque in ſuperioribus vniuerſi partibus corpora,neque in inferioribus incorporea verſantur: ſolus autem homo ex incorporea,corporeaque eſſentia conflatus eſt. Attendite cauſam & opificis ſapientiam perdiſcite.Poſteaquã duplex mundus, & quidem eſſentia diſtinctus, & ille quidem incorporeus:hic verò corporeus,inuiſibilis ille,hic aſpectabilis: ſuperior ille intelligibilis, inferior ſenſilis. Ne igitur horum operum differentia & diſſimilitudo aliũ quoque atque aliũ opificem conſtitueret: & ne quiſquam diceret: alium quidem ſuperiora,alium verò inferiora condidiſſe: animal illud duplex in mundo collocauit: quod tantùm non edita voce & ſuperiorum & inferiorum vnicum opificem prædicaret. Duplex igitur mundus homo:ex ſuperioribus quidem animum,cognatione cum illis coniunctum, ex inferioribus & terrenis corpus veluti vinculum & ceu ponticulus in medio poſitus, ab vnico opifice qui & ſuperiora & inferiora condidit, nactus eſt. Animus quidem illa,ceu virgo quædam, medium in corpore locum occupat. Quemadmodum autem eſſentia illa duplex eſt: ſic etiam eius vſus(orationem hanc attente, diligenterque percipite) duplex.Duplex,inquam, eſt eius vſus: eſt enim corpus,& animus. Et corpori quidem cibum conſtituit & præſcripſit: animo verò doctrinam propoſuit. Corpus ſiquidem alitur pane, animus verò doctrina,corpus quidem veſtibus tegitur: animus verò virtute quaſi veſtitu. *Aſtitit Regina à dextris eius in veſtitu deaurato circumdata varietate.* Atque hæc quidem literæ ſacræ non de veſtibus, quæ ſenſu percipiuntur,enunciant,ſed de virtute. Omne ſiquidem decus filiæ regis conſiſtit in fimbrijs aureis.Quid ergo? duplex eſt homo: duplex eſt eſſentia. Animo quidem opus eſt rationibus, quibus erudiatur,& ad intelligendum comparetur, quibus perturbationes illæ expurgentur , & vulnera, quæ accepit , percurentur. Ne igitur menſam illã ſenſibilibus rebus refertã ſemper nobis ob oculos ſtatuamus , ſed potius eam, quæ ferculis intelligentia percipiendis, inſtructa ſit, nobis apponamus conuiuio ex D.Pauli myrothecijs, & lecythijs inſtituto. Eum itaque tentoriorum opificem in medium producamus, idiotam illum indoctum , & tamen orbis doctorem , dæmonibus formidabilem, morbos depellentem, ſurſum & deorſum diſcurrentẽ, eum qui in paradiſum,qui in tertium cęlum aſcendit,qui arti ſuæ tantam gratiam retulit,quum ab arte nihil impediretur, præclarum illum virum & perfectis officijs illuſtrem, hunc, inquam, in medium producamus. Neque enim laudibus huius viri vnquam exſatiari poſſum. Amator equidem ſum pulchritudinis illius:quę quidem corporis non eſt, vt vna ſeſſum eat:ſed ſpiritualis,quę quidem nunquam marceſcit. Ac corpus quidem illius diſſolutum eſt : forma tamen ſole etiam ſplendidius increſcit. Ac ſol quidem in ſuperioribus curſu ſuo fertur, Paulus autem in inferioribus hinc inde diſcurrit: ſol ſenſibili quadam luce omnia colluſtrat,

Psalm.44

D. Pauli Elogium lõgè ampliſſimũ & ſplẽdidiſſimũ.

2.Cor.12

A Paulus intelligibili quadam luce mentes hominum illuminat:& ille quidem lucet, vt noctu tamẽ occidat,hic etiam noctu lucet. Equidem reges ille cepit,& ſumma pietate inſtituit : cepit fœminas,& fortiores viris effecit : cepit iuuenes,& intelligentiores ſenibus reddidit: vtrumque ſexum,omnemque ætatem ad officia perfecta inſtituit. Magiſter ille, qui ſubulam in manibus habebat , qui pelles conſuebat . Neque enim deſinam artificium illius inculcare & occinere.Nympha illa ornata,regibus grauior:diuitibus ditior: milite valentior & fortior: muris & mœnibus firmior : lyra vel lingua melle dulcior: mari altior: cælis ſublimior: igne feruentior:ferro acutior. Diuina gratia præditus: templũ Dei:os Chriſti:lyra Spiritus ſancti:præco tyronum Chriſtianiſmi . Magiſter fidelium : omnia obiens: murus nuſpiam concidens . Literæ ipſius victrices orbis ſunt,& arcæ illius Noë. Quemadmodũ enim Noë tabulis compactis arcam effecit,ſic etiam Paulus literis perſcriptis arcam intelligibilem ædificauit. Atque hæc quidem illa longe præſtantior fuit. B Illa ſiquidem bruta animantia, & rationis expertia capiebat & fouebat : hæc verò bruta capit illa quidem,ſed etiam transformat,verbi gratia:intrauit in arcam lupus:& inde exijt lupus:in Pauli literas lupus incidit,& ouis exijt.Magus perlegit,& conuerſus,atque emendatus eſt. Conſul eaidem legit, & melior inde euaſit.*b* Et illa quidẽ arca Noë conſeruauit duobus tribuſve nominibus adhibitis : hæc verò arca ipſum etiam terrarum orbem , quaſi reti concluſit.Hæc vbique quotidie nauigat:tabulæ ipſius non diſſoluuntur , neque dehiſcunt. Neque enim pice,ſed Spiritu oblitæ ſunt. Et Noë quidem ex illa exijt, ipſaque nauigat : obijt Paulus, & arca ſuperſtes eſt. Singulis hæc diebus capit, nec mergitur.Eſt enim naucleri totius orbis gratia ipſa continente & conſeruante prædita. Cum itaque literæ C illæ tales exiſtant,cùm tales ſint tabulæ : cùm eiuſmodi ſit ſalus : age hinc verba facere incipiamus, vnicam etiam voculam vobis explicaturi, in qua enodanda tota hæc nobis verſetur oratio . Hæc ſiquidem ſacrarum literarũ vbertas eſt.Et enim cùm ſederem ipſum dicere audiui : *quòd in tertium cælum vſque raptus, audiuerit arcana quadam verba,quæ non fas ſit hominem proloqui.* Deinde pergit & dicit, in illa ſumma amplificatione ſuarum reuelationum: *& ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carni meæ, angelus Satan , vt me colaphizet.* Metui ſanè,ne quis ex ſimplicioribus, qui quidem hæc audiſſet, offenderetur: itaque neceſſe habui locum in mediũ adducere, & hoc modo attingere. Nam,ſi quis ignoret vim & ſententiã huius loci, manifeſtè & clarè illi explicabitur : ſin verò intelligat, etiam luculentior & illuſtrior eadẽ D reddetur. Etenim qui iam antea nouit, reminiſcetur:qui verò ignorat,addiſcet.Permultos enim audiui,qui cùm huius loci vim ac ſenſum minus perſpicerent:Paulum Satanæ traditum eſſe dicebant. Quid hoc monſtri eſt quæſo ? Traditus eſt Satanæ, vt caput ipſius pulſaret, & dolorem capitis Diabolus eidem afferret:ſic illi in ſumma.Quid?ãnne doctorem orbis, cinem paradiſi,templum Chriſti,vt dixi,lyram Spiritus ſancti,vas illud electionis,orbis percurſorem, eum qui ſpinas peccatorum confregit:qui pietatem conſueuit: qui terra, qui mari magnos curſus confecit: qui mari afflictatus eſt : qui diem noctemq; in profundo egit:qui in carceribus coronabatur : qui in iudicio trophæum conſtituit: qui totum orbem peragrauit:inſomnẽ illum,cuius etiam veſtes morbos profligarunt:cuius vita mortẽ fugauit: húcne diabolus ſubiectũ habuit? Atqui cõtrà ipſum feciſſe audio . Apud Corinthios quidam ſcortatus fuerat:res illa ad Paulum delata eſt.Quid igitur ille? *& vos inflati eſtis,& non magis luctũ habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrùm, qui hoc opus fecit. Ego quidem abſens corpore, præſens autẽ ſpiritu iam iudicaui, vt præſens, eum qui ſic operatus eſt,in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti,*

His locus mendo non caret

2.Cor.12

2.Cor.11

1.Cor.5.

Ibidem.

Digitized by Google

ſimul omnes cum ſpiritu meo congregati, cum potentia Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradatis Satanæ, ad deſtructionem carnis, vt ſpiritus ſaluetur in die Domini Ieſu. Attende Pauli poteſtatem: ſcortatorem illum tradidit Satanæ, vt Satanas ipſum percuteret: vt hæc caſtigatio ipſum expiaret & loco purgamenti eſſet. Namque hoc factum fuiſſe, ipſe in ſecunda epiſtola dicit: (2.Cor. 2.) *Confirma te erga ipſum charitatem, ne circumueniamur à Satana.* Tune diabolo tradidiſti, & idem dicis: *ne à diabolo ſuperemur?* Neque enim Satanas vllum modum nouit: tradidi ipſum, quum conueniebat: recipio illum, cùm oportet. Tradidi ipſum Satanæ, velut carnifici, vt ſaltem homo noſter abſtergeretur & purgaretur. Itaque ipſum recipiamus. Nam, ſi paulò diutius ipſum dimittamus, à Satana circumueniemur, & vincemur. Neque enim vllum modum Satanas nouit. Tradidi ipſum, vt ſeipſum emendaret, atque corrigeret: ſin verò ipſum dimittamus, interficiet ipſum, veluti Iudam. Hincque adeò dicit: (Ibidem.) *Confirmate erga ipſum charitatem, ne à diabolo circumueniamur.* (Ibidem.) Præclariſſimè verò dixit: *Non amplius diaboli eſt: nec enim amplius ſcortatur, ſed reſipiſcit.* Ne igitur Diabolus, quod meum eſt, auferat. Quum in poteſtate diaboli eſſet, eidem tradidi: ita, vt, quod ille iuris in ipſum obtineret, mihi cederet. O Sapientiam Pauli! per lupum ille ouem conſeruauit: per piratam, nautam naufragum ad ſeſe adduxit: per hoſtem militem in ſuum ordinem locumque reſtituit. Ego verò diaboli plaga, loco alicuius acerbi medicamenti vtor: modò hac caſtigatione ab hoc ſcelere deterream. Caſtigetur ille, vt ſcortator peccati ſui modum agnoſcat. Cùm enim peccata illa deterſerit: quum putredo illa prorſus abſterſa fuerit, & vulnus perpurgatum: tùm demum animus robuſtus & valẽs demonſtratur. Aurũ in igne nõ relinquo: ne illud planè excoctũ, exuratur, eximo. Sapiẽtis enim eſt: mediocritatẽ in rebus tenere, quãdiu ſcilicet igni permittere, & quantũ ignis capere cõueniat: ne ſcilicet à diabolo auare circumueniamur. Neq; enim ſenſus illius & cogitata nos latet. Ille ergo cogitatus diaboli perſpectos habuit: qui ea poteſtate eſſet præditus, vt & tempus & modũ ei præſcriberet. Et tempus quidem cùm illum ad ſe raperet: modum verò cùm tradidiſſet talem (2.Cor.11) Satanæ, in perniciẽ carnis. Nam cùm diabolus ſit bellua inſatiabilis, quam ſcilicet nulla ſatietas carniũ noſtrarũ vnquã capiat, ne ipſum ſimul interficeret: ideo dicit: *In perniciem carnis:* ne animã ipſius attingeret. (Iob 2.) Quod quidem in Iobo Deus dicit: *Abi, percute carnem ipſius: animam autem ipſius ne attingas.* Deus igitur Diabolo modum præſcribit: & ſeruus Dei, eiuſdem virtute ipſum imitans, diabolo conceptis verbis conditionem præſcribit, quam diabolus tranſilire nequaquam auſus eſt: quod ſi feciſſet, ſanè eo valentior extitiſſet. Paulo ſiquidẽ in carcere detento eiuſmodi quippiam diabolus tentauit, cùm enim carcer eſſet cõceſſus: cùm vincula ſoluta: & cuſtos carceris experrectus gladium, vt ſeipſum interficeret, ſtrinxiſſet: diabolo ad id ipſum impellente. Cùm enim paſtor intus eſſet, vt ouem cõſeruaret, lupus vt ouem raperet, aduenit. Verũ paſtor, licet in vinculis, prohibuit, quũ diceret: (Act.16.) *Nihil mali tibi ipſi facias.* O humanitatem paſtoris! Vinctus orat paſtor, & eum qui ipſum vinxerat, miſericordia proſequitur: ſe ipſum omittit, & illius res curat. (Ibid.) Nil tibi mali facias, *Fores vide apertas.* Sed næ ego bonus ſeruus. Fores ſunt apertæ, & ego intus maneo: dummodo te conſeruem, non exeo: & propterea intraui, vt te catenis liberem, & à peccatis abſoluam. Tu me vinxiſti, ego te ſoluo. *Nihil tibi mali facias. Omnes enim adſumus.* Quid igitur lupus ille? cùm gladio cuſtodem carceris transfigere vellet, acclamauit paſtor: audiuit lupus, & ouem dimiſit: paſtorque ouem, quæ lupo prædæ erat futura, eripuit. Quid faciam, vt ſalutẽ conſequar? Baptizare in nomine Chriſti. Papæ quàm facilè eſt ſalutẽ

A

adipiſci! Hæc humanitas, quam ſatis explicare nemo poſſit, cuſtodẽ hunc carceris conſeruauit. Paulus vinculis conſtrictus ex carcere Eccleſiam efficit. Quando, inquit, erit, vt baptizer, & ſalutẽ conſequar? carcer nõ obſtat, locus nil impedit. Gratia ſiquidem, nec loco opus habet, nec tempore: quin etiam carcer eccleſia fiat. Quàm verò Paulus vbiq; ſui ſimilis fuit! quàm nuſquã artificij ſui obliuiſcitur! ſed in omni loco piſcabatur: in iudicio, in mari, in inſula, in continenti, in ſolitudine, in orbe terrarum. Piſcator enim niſi mare aſpiciat, retia non laxat: quia verò Paulus piſcator eſſet, non quidẽ externus: ſed qui intelligentia hoc munere fungeretur, etiam in naui, in monte, in fontibus, in cõpitis, in pratis, in fluuijs, piſcabatur. Neque verò locus vllus erat, qui arti ſuæ expromendæ obſiſteret. Verùm, vt dixi, (etiamſi fusè & prolixè de præſenti quæſtione diſſeruero, nunquã tamen ad finẽ, ita vt deſinere poſſim, peruenire queam) is ne, qui eã poteſtate præditus fuit, vti diabolo imperaret, & modũque præſcriberet, quẽ non tranſiliret, ánne is diabolo traderetur? An non Chriſtũ docentem audiuiſti: quòd calcaturi eſſent ſupra ſerpentes & ſcorpiones, & omnem diaboli poteſtatem? Quis eſt ergo ſenſus dicti iſtius: *Datus mihi eſt ſtimulus carni meæ, angelus Satan, qui mihi colaphos infligeret?* (Marc.vl. 2.Cor.12) Omnis inſcitiæ atque erroris fons imperitæ multitudini inde eſt, quod proprietatem dictionum vocabulorumque non calleat, neque interpretationem eorundem teneat. Verbum enim colaphizare quidam de pulſatione capitis tantum accipiunt. Atqui κολαφισμὸς dicitur afflictio, & oppreſſio, deiectio: inimicus ipſum colaphizauit, afflixit. Neque enim de capite tantùm dicitur, ſed & eodem verbo Paulus rurſus vſus eſt. Nam cùm eſſet ille indoctus, vſitato quodam verbo ſententiam ſuam explicare voluit. (Scriptura interdum vtitur quibuſdam vocabulis impropriè. 1.Cor.4.) *Vſque ad præſentem horam, & eſurimus & ſitimus, & nudi incedimus, atq; affligimur, & omni contumeliarum genere ab hoſtibus afficimur, inſidiæ nobis fiunt, impedimur, iniurijs afficimur,* hoc eſt, affligimur, & miſerè habemur: flagellis cædimur, miſera perpetimur, in carceres conijcimur, deportamur, exterminamur, fami obijcimur. Totum igitur hoc afflictionis genus D. Paulus κολαφισμὸν appellat, & oppreſſionem: quod diligenter tenendum, nec obiter prætereundum. Nam hoc quidem tempore mihi neceſſaria eſt hæc explicatio. Tene igitur eam, quam dixi interpretationem: & ea, quæ à nobis dicta ſunt, diligenter aduerte. Eſt igitur κολαφισμὸς, id eſt, omnis illa mali ſpecies, quæ ab hoſtibus nobis infertur: ſiue hoc carcere, ſiue deportatione, ſiue iudicijs, ſiue fame, ſiue quacunque demum re illud ipſum eueniat. Quid igitur hoc eſt, quod Paulus ait: *Et ne efferar, datus eſt ſtimulus carni meæ angelus Satan, vt me colaphizet. Pro eo ter* † *Deum rogaui, & dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea. Virtus enim mea in imbecillitate tua conſummatur?* (2.Cor 12 † dominum) Obſerua quis ſit angelus ille Satan. Non enim dixit: datus eſt mihi Satanas angelus: ſed angelus Satan. Hæc quidem ſacrarum literarũ cõſuetudo eſt, quæ ſæpè propoſita eſt, ſed & hoc tempore repetetur. Nam etiã eadẽ ſubinde afferre, mihi quidem tædium nullũ affert, veſtrã verò doctrinã etiã confirmat. Etenim docẽdi hanc orationẽ, nõ oſtẽtandæ eloquentiæ cauſa, inſtitui. Planto, non autem ſimpliciter & obiter tranſeo: nõ ſum viator, ſed ſementem facio. Viator ſiquidẽ curſu contendit, vt iter conficiat: qui verò ſeminat, etiã fodit, vt granũ in terrã conijciat: deinde occat, & altiùs defodit, ne ſi in aperto ſemen relinquatur, ab auibus diripiatur. Ergo quod agricola in ſeminãdo, hoc ego in ſentẽtijs explicãdis, mihi propono. Quemadmodũ enim corui ſeminibus inſident: ita etiã ſenſibus, atque ſententijs noſtris dæmones diabolique, & curæ de rebus huius mundi, inſidiantur. Idcirco illud etiã contego: ne aliquis curis huius mundi abductus, occaſionem diabolo eius diripiendi præbeat.

B

C

D

Nam

Nam,ſi illud nudum reliquero, rapitur: ſin vero A paulò altius defodero, conſeruatur. Neque enim temporis neceſſitas,ſed ſententiæ ipſius: non pluuiæ,ſed promptæ voluntatis ſpectatur. Itaque promptè cupideque audias, promptè cupideq; recōdas, neque quiſquā diripere poterit. Conſuetudo ergo literarum ſacrarum,de qua antea,ea eſt: vt res ſępè nominibus,modificatè à moribus tranſlatis,denotet: nō autem ab ea appellatione, quæ à maioribus eſt primò indita: ſed eā appellationem adhibent, quam vel virtus, vel etiam vitium concedit. Exēpli gratia: ſi illæ impudentem aliquem cōſpiciant, canem ipſum vocant: non quidem proprio ſuo vocabulo,ſed eo,cuius hoc vitium vel maximè eſt: ſin verò rapacem aliquem videant, lupum ipſum appellitant,*c* non maiorum voce: ſed ea, quæ ſimilitudine vitium hoc declarat. *f* Quòd ſi quis alium quempiam obſeruet ſimilia facinora patrare, cuiuſmodi alius etiam deſignarit, illius nomine eum appellat. Verùm ne nudè ſimpliciterque quaſi effari videar, ſed etiam rem ita ſeſe habere demonſtrem: teſtes eius rei in medium adducam. B Viſio Eſaiæ, filij Amos, ſuper Iudæam & Hieruſalem (hîc attentos. vos † allocutos eſſe velim) *Audite cœli, & auribus per-* Pſal. 10. *cipe terra, quoniam Dominus locutus eſt: filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos Dominum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael verò me non cognouit, & populus me non intellexit. Væ genti peccatrici!* Quibúſnam hæc dicit ille Iudæis? *Populus grauis iniquitate.* Exponit ipſorum iniquitates, ſcelera, omnium rerum perturbationem, tyrannidem, vindictam. Dixe- Eſa. 1. rat ab initio: *Super Iudæam & Hieruſalem*, & rurſum ait: *Audite verbum Domini principes Sodomorum: percipite auribus legem Domini populus Gomorrhæ. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus: plenus ſum holocauſtis arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum, nolo.* g *Ne afferatis mihi vltrà ſacrificium fruſtrà, incenſum abominatio eſt* C *mihi. Neomeniam, & ſabbathū, & feſtiuitates alias non feram: iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea.* At quænam ſabbatha odio habet? quas calendas, neomenias? quæ ſuffimenta? quóſnam tauros, oues? Sodomæi ſiquidem horum omnino nihil nouerant, vt qui ſuperiores eſſent etiam Moyſis temporibus: & tempora Abrahami Sodomeni antecedunt: ijdem Lothi poſteri fuerunt: & dudum extincti fuerant. Cum Sodomæis Gen. 19. ergo, dudum igni cælitus delapſo deletis, colloquitur? Idem tamen dixit: *Super Iudam & Hieruſalem:* & ad Sodoma delabitur, quæ pœnas dudum luit. Quo cum ergo colloquitur? Quod ſi ipſam vocum interpretationem non attendas, parum ſibi hæc, quæ dicta ſunt, conſtare videbuntur: ſin verò probè intellexeris, omnia ſibi probè congruere animaduertes. Neque enim ille cum Sodomæis ſermonem D inſtituit, ſed cum Iudæis, quos Sodomæos appellitat: ad quos illorum mores, quaſi hæreditate quadam, deuenerant: & quidem Sodomæorum nomen illis tribuit, de quibus nempe ſimilia flagitia dice- Eſa. 56. rentur. Et alibi: *canes muti*, Iudæi dicuntur, qui latrare non poſſint: non equidem, quia in canes † de- trāſmutatis eſſent. generaſſent: ſed quia inſtituto moribus canes ſequerentur. Ioannes ille ſolitudinis ciuis: excelſus ille ſpiritus: inuictus ille animus, qui humi cùm incederet, ſummos tamen cælos attingebat: fœtus il- Luc. 1. le ſterilis: vocis muti parentis ille inſtaurator: vox muti, qui in ſolitudine, qui in matrice clamabat: ἡ μήτρα ἔρημος. (matrix ſiquidē illa † vacua erat, & ſterilis:) duplex ille præco: contēptor puerorum: quique rebus impijs conſpectis, moueretur: ille, inquam, ad Iudæos Matth. 3. venit, & dixit illis: *Serpentes & genimina viperarum:* Non quod illi ſerpentes eſſent natura: ſed inſtituto vitæ, & moribus malitioſi, & fraudulenti. Sed Hier. 5. & alius Propheta alibi: *Equi laſciui facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui adhinnijt.* An igitur cū equis ille loquitur? Non, ſed cum laſciuis & incontinen- A tibus. Chriſtus ipſe Iudæis dixit: *Vos filij Diaboli eſtis:* Ioan. 8. itaque cum filij diaboli eſſent, ánne etiam eadem natura erant? minimè quidem. Sed quia illius inſtitutum plecterentur & ingenium referrent, ideoque & nomen eius vſurpauit. Pergit verò Dominus, & idipſum interpretatur: *Vos filij diaboli* Ibid. *eſtis, & cupiditates patris veſtri vultis perficere: ille ab initio homicida fuit.* Hanc igitur regulam teneatis: impudentes, ſunt canes: rapaces, ſunt lupi: malitioſi & fallaces, ſerpentes: ſubdoli, ſunt aſpides: ſtupidi, ſunt aſini: laſciui & incontinentes, ſunt equi: impuri, ſunt cornices: Sodomæi ſunt, qui ſcilicet illorum ſtudia & facta imitantur. Et natura quidē ipſa per ſe mala non eſt: ſed animi ſenſa ſunt deprauata. Accuratè quidem hoc tenete & aduertite: quòd nomina ex moribus imponantur, & appellationes ipſæ, ex animi ſenſu atque habitu. Neq; verò in ſacris literis ſolùm hoc fieri ſolet: verū etiam in conſuetudine communi. Nam ſi hodie videamus ſimplicem aliquem, minimeque malum, *b* ouiculam illum nominamus: ſin impudentem ali- B quem, ſtatim hoc in promptu eſt: an non ille homo canis eſt? ſin verò verſipellem & fallacem: ſerpens eſt, ſtatim occinimus. Vides ergo & vulgò eas in ſermone leges obſeruari? Nā ſi ſceleribus compluribus coopertum aliquem cōſpiciamus, ſtatim, diabolus eſt, clamamus. Non quidem ideò, quòd diabolus ſit, neque naturæ illius particeps: ſed quia ſtudio, & ſententijs illum pro virili imitetur, & ſequatur. Hoc igitur confectum eſt: notationem ex morum ſimilitudine peti. Cùm ergo etiam Paulum dicentem audias: *Datus eſt ſtimulus carni meæ an-* 1.Co.12. *gelus Satan:* noli diabolum intelligere, ſed eos, qui diaboli ſtudia, & facta æmulantur: Græcos, Iudæos, malos genios: qualis fuit malus genius Alexander ille faber ærarius, de quo Paulus: *multa mihi mala* 2.Tim. 4 *oſtendit.* Ille quidem certè angelus erat Satanæ: nā Ibid. C eadem faciebat. Tales erant etiam illi, qui in carcerem illum coniecerant: qui ipſum flagellabant. 2.Co.12. Ergo homines, angelos Satanæ, qui illis adminiſtri ſunt, qui Euangelij doctrinam extirpant, qui eius prædicationem impediunt, qui ipſum flagellāt, qui profligant, accipe: & omnis illa dubitatio exēpta eſt. Hic eſt. Hic verò attendite accuratè: vt & Paulum morbo laborantem, & humanitùs affectū ſciatis. Poſtquam enim Chriſtus aſcēdit, munus Euangelij prædicandi, atq; adeò legationem illam præclaram, diſcipulis cōmiſit Chriſtus enim legatus à Patre miſſus ad nos peruenit, vt pacē nobis annūciaret. Homines enim cum Deo bellum gerebant, qui legatū miſit, non quidem ſeruum aliquem, ſed filiū. ô curam prouidentiamq; legati? ô humitatem eius, qui legauit! Quod cùm audias, ne tibi migratio de loco in locum in mentem veniat: ſed œconomiæ adminiſtrationem cogita. Enimuerò & apud D Patrem erat, licet etiam nobiſcum eſſet. Et Paulus ait: *pro Chriſto legatione fungimur:* quaſi Deus per nos ipſos precibus nobiſcum ageret *Conciliemini Deo.* 2.Cor. 5. Omnino quidem pro Chriſto legatione fungeris. At vbinam eſt legatus ille miſſus? abijt: at quorſum? ad Patrem. Quid ita verò? Conſidera hîc res omnibus humanis rebus admirabiliores. Cùm enim gentes inter ſe legatos mittunt, legatus ille ſanctus inuiolatuſque iure legationis habetur: cui, ſi vis aliqua afferatur, bellum magnum inter illas gentes exoritur. Deus autem contrà. Venit enim Dominus à Patre ad genus hominum, & interfectus eſt legatus: tuncque pax inter illos coijt. Verùm cùm legati adueniunt, munera illi & afferunt & viciſſim accipiunt. Quid ergo? quodnám ille nobis donum attulit tam admirandum? Quemadmodum ille legatus erat admirabilis, ſic etiam munus illius: ſanguinem ille ſuum nobis, corpus ſuū ille nobis dono dedit. At quódnam viciſſim accepit? fidem: & quíſnam huius mihi gratiam dedit? ego credidi, ille largitus eſt, inimicitiæ ſublatæ &

abolitæ ſunt. An nondum quàm prompte hæc ſint geſta & confecta, an nondum celeritatem initæ gratiæ animaduertiſti? Cùm legatus aliquis aliquò peruenit, non dignatur facile, aliquem ex imperita multitudine, ex vulgo, aut tenuiorem aliquem, alloqui: ſed rectà manè ad regẽ ingreditur. Hic noſter legatus cùm aduenisset, cum meretricula, latrone, mago & publicano collocutus eſt: ſed & legati humanitatem perſpexiſti. Neq; enim ille ad vnum, atque alterum, ſed ad vniuerſum genus humanum peruenit. Et ſanè mea veſte indutus venit: ne ille, nuda diuina natura præſens, fores importunius pulſaret. Itaque ad hominem ille, vt homo, venit. Vbi verò legatione ille defunctus eſſet, primitias noſtras ſecum in altum euexit: & vocatis Apoſtolis, legationẽ illis his verbis cõmiſit: *Suſcipite legationẽ.* At qua ratione nos queamus quæſo? Tu quidem pro nobis hoſtia factus es: nos verò quidnã

Ioan. 20 ſimile perpeti queamus? *Accipe S. S. & ego vobiſcum*
2.Cor. 5. *ſum, & vobiſcum legatione fungor: neque enim vos dereliqui.*
Math. vl. Ergo cùm aſcenderit, & illis legationem illam cõmiſerit, quid miraris, quum ipſemet Rex & Pater

ὑπὲρ legatione fungatur? *pro Chriſto legatione fungimur,* velut Deo pro nobis preces interponente. Qui à nobis contumelijs affectus eſt, deprecatur? Quare? Cõciliemini Deo. O humanitatẽ! ô bonitatem, quæ dicẽdo explicari nequeat! Ergo cùm Dominus cælos aſcenderet, & Apoſtolis legationem illam committeret, omnes quidem res euerſæ erant, totuſque

Rom. 8. adeò orbis ſpinis refertus erat. Et impietas quidem principatum obtinebat, malitia inualeſcebat, aræ incendebantur, & nidor inficiebat, ſanguis effundebatur, natura calcabatur, & dolores, velut parturientis, negligebantur: leges & conſtitutiones violabantur, filias atque filios dæmonibus offerebant: cæteraq; omnia ſolẽnes cætus erant, & Rhethorum chori, & Philoſophorũ ſcholæ, & dæmonũ Bacchanalia, & diaboli poteſtas, & gladij acuti: vbique præcipitia, vbiq; ſcopuli, & conſuetudo valentiſſima, dolores patrũ, velut parturientium: maiorum impietas, viam quandam voluptatis habens: regum leges corruptæ: & ſerui, & domini: & imperantes, & clientes: diuites & tenues, omnes impietate irretiti, & miris canalibus diſtracti. Apoſtoli verò omnino erant duodecim, imò verò vndecim. Vnus enim ex illis diaboli captiuus fuit. Itaq; vndecim fuerunt. Paulus itaq; qui neque eloquentia præſtaret: neq; diuitijs, atque opibus afflueret:

Prouerb. Magis mutus quã piſcis. neq; acumine excelleret, neque patriam illuſtrem obtineret: nec corporis robore valeret: nudus, ſolitarius, magis mutus quàm piſcis, obſcurus & ignobilis, & obſcuris procreatus, idiota indoctus, oberrabat toto orbe terrarum, ſemen pietatis diſſeminans: cui quidem omnes reſiſtebãt: ille quidem ſementem faciebat, & flagellis cædebatur: hic ipſum prehendebat, hic in carcerẽ pertrahebat: hic prehẽdebat, ad ſartaginem rapiebat: alius offendebat:

1.Tim. 1 *& infinita bella erant, foris bella, intus terrores, miniſtri ſunt Chriſti: & ego, ſicut minus ſapiens dico: plus ego in laboribus plurimis, in plagis abundantius, in carceribus ſupra modum, in mortibus frequenter: à Iudæis quinquies quadragenas, vna minus accepi, ter virgis cæſus ſum: ſemel*

2.Cor. 11 *lapidatus, ter naufragium feci: nocte & die in profundo fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore & moleſtia. in vigilijs ſæpe, in fame & ſiti, in ieiunijs ſæpe, in algore & nuditate: vt taceam accidentia externa, diligentiam meam continuam, quotidianam meam curam omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non debilitor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* lapſus eſt frater: hic dicit: inimicus inſidiatus eſt: hic perpeſſus eſt: eo perſpecto, auerſati ſunt me Aſiani.

Gal. 4. Iterum: *filioli, quos rurſus pario, donec formetur in vobis Chriſtus.* Quomodo verò ſufficere poterat hoſtilibus externis, internis, flagellis, doloribus, mari, pe-

A riculis, carceribus, deportationibus, ſartaginibus, inſidijs, gentibus, regibus, domeſticis, abalienatis, falſis fratribus, inſidiantibus fratribus, infirmis, alienis, deſertoribus, domeſticis ſupplantantibus? Quomodo, inquam, his malis corpus? quomodo animus ſufficiebat? Catenis vinctus erat, in carcere detinebatur, & ſcribebat literas: & illinc quidem aperte petebatur, illinc autem inſidiæ ſtruebantur. Hinc quidem angeli Satanæ, illinc angelus ipſe Satan. Multi verò angeli Satanæ: alij quidem in Eſai. 56. carcere: alij in iudicijs. Non ſufficiebat, peſſum ibat, animus illis diſcerpebatur: & canes quidem à quibus mordebatur, non conſpiciebat: vndique illi inſidiæ fiebant. Ad Deum accedit, & ait illi: Te rogo, paululum reſpirem: quî enim tot malis ſuffecero? angelus Satan me petit: inimici, inſidiatores, Græci, Iudæi, falſi fratres, imbecilles fratres: inſtar parturientis dolore afficior, & abortum facio: non genero, & alij quidem mihi inſidiantur: hodie quidem in carcere, cras mari, deinde in pelago & profundo, tum verò fame, ſiti, nuditate, fuſtuario, caminis, itineribus: vbinam ſuffecero? animus mihi

B eſt vnicus, corpus eſt vnũ. Te rogo, requiem mihi cõcede, ne perpetuò affligar. Nihil illi Deus reſpõdit. Acceſſit ad ipſum ſecundò: Requiem mihi tribue, te rogo, reſpirabo aliquantulum: homo vnicus ſum, & orbem mihi commiſiſti? homo, inquam, vnicus ſum, & vndique telis obruor. Acceſit ad ipſum denuò, & ait: Te rogo, requiem mihi concede: ne perpetuò affligar. Cui Deus nihil reſpondit. Ac- 2.Cor. 2. ceſſit ad ipſum, faſtidio ſummo affectus: velut quinquertio, vel pentathlus aliquis, qui infinitos, qui ipſum mordeant, & caput ipſius petant obtineat. Secundò quidem nihil ei reſpondit: itaque tertiò ad ipſum acceſſit: tùm verò ei reſpondit. Sed quid ita ipſum ſuſtentauit? Vt inde edocearis: non eſſe ſtudium precandi orandique remittendũ: vt inde

C diſcas: ſi quid, quod obeſſe poſſit, petas, ſi contrà, quàm tu velis, eueniat, non angaris neque doleas. Sæpenumero ſiquidem petis, quod prodeſſe quidẽ tibi exiſtimas, quod tamen obeſt. Deus autem non lacrymas, ſed miſeriã tuã cõſiderat. Etenim & puer perſæpe à matre panem petit: at ſi quid, quod noxã afferre queat, petat, mater eidem non gratificatur. Non enim quid ægro moleſtum ſit, ſed quid è re noſtra ſit, ſpectare ſolet. Qui febri laborat, continenter medico negotiũ faceſſit, vt frigidã concedat: at medicus non largitur. Neq; enim ille præſentẽ ægroti cupiditatẽ perpẽdit: ſed quibus præſidijs valetudo deinceps reſtitui poſſit, cõſiderat. Sic etiã Paulus id, quod vtile eſſet, petere nõ nouerat. Quã igitur nobis veniã concedimus? ſiquidẽ omni ſpe abiecta, ille ad ipſum acceſſit, & illi dixit: Reſpirabo pauliſper, vt tot periculis ſubleuer: rogo, con-

D cede mihi vel paruam ab his malis immunitatẽ: ſolus ſum, & tu mihi orbem terrarũ tradidiſti. Acceſſit ſemel, neq; quidquam reſpondit: iterum acceſ- 2.Cor. 12 ſit: & tandem tertiò. *Propter hoc Dominum ter rogaui, vt diſcederet à me angelus Satan:* id eſt, aduerſarij. Quid hoc tibi vult? vt otioſè & quietè prædicandi munere defungar, ne quem inimicum habeam, ne ſint flagella, ne pericula, non carceres, deportationes, non nuditas, non inopia. Ob id te conuenio, te rogo: laboraui, afflictus fui, vndique deiectus atque proſtratus ſum. Quid igitur Deus illi reſpõdit? Dixit mihi Deus: non annuit petitioni meæ: non dedit, quod petij, ſed dixit: *Sufficit tibi gratia mea: Virtus enim mea in infirmitate tua perficitur. Sufficit tibi gratia mea.* Ea quidẽ, quæ tibi dura atq; acerba eueniunt, cernis: quæ verò tu facis, nõ animaduertis, quæ inimici tui tibi inferunt, cernis: & quæ ego in te cõfero, non cõſideras. Illi quidem te flagellis cædunt: ego gratiam largior. Intraſtíne in carcerem, ánnon intraſti? Intraui verò. Te rogo, vidiſtíne ibi angelũ Satan? an non? Ego verò vidi, qui me in carcerem conijciebat, qui me vinculis conſtringebat: ánnon

conſtringebat? Sed quid ego feci? nónne muros A
concuſſi? nónne fores aperui? nónne vincula ſolui? nónne cuſtodem carceris captiuum ad te adduxi? Nunquid te angelus Satan læſit? ânnon gratia mihi tibi plurimum profuit? ânnon miraculũ illud admodum illuſtrauit? *Sufficiat tibi gratia mea.* Tu verò hæc & illa curioſè expetis. Non vis flagellis cædi, quomodo ergo miraculum quæris? Nulla pericula vis ſubire: quomodo ergo res admirabiles expetis? Cùm flagellis cæderis, vides: cùm mortuum ſuſcitas, non animaduertis? Cùm veſtes tuæ ruptæ ſunt, obſeruaſti: cùm verba tua morbos profligarunt, non animaduertiſti? Cùm vinctus te iudicio ſiſteres, obſeruaſti: cum tibi dixit Agrippa: *fermè, vt Chriſtianus fierem, mihi perſuaſiſti*, non attendiſti? *Sufficit tibi gratia mea.* Solida & firma arma cepiſti, Spiritus virtutem, quæ omnes inſidias ſuperat, & quæ clariorẽ te efficit. Quid igitur vis? nihil perpeti? Quo igitur modo virtus mea oſtenderetur? oſtenderetur illa quidem, ſed aliter atque nunc. Quomodo? Poſteaquam enim Paulus etiam ideo dolebat & angebatur: Væ mihi, qui regni Chriſti præco, qui diſcipulus ſum, qui res immortales profiteor, & cædor flagellis, contumelijs afficior, qui abducor! ne idcirco animum abieceris: hæc enim te clariorem & illuſtriorem reddũt. Quòd ſi hæc non eſſes perpeſſus, non tam clarus eſſes. In carcerem ingreſſus es: ſed niſi vinctus eſſes, & tantùm ſimpliciter introijſſes, & te eduxiſſet. Iam verò vinctus fuiſti, & te cõſtrictum vinculis liberauit. Pedes tui ligno illi innexi fuerunt, & gratia muros illos concuſſit. Hæc à me dicuntur: ne quis etiam illis inſidijs, quæ nobis tenduntur, abalienetur & offendatur. Hæc, inquã, dicimus: non quòd nos Paulo ex æquo comparemus (nec enim ita inſanimus) ſed vt planum faciamus: Deum humilibus illud ipſum reponere: *Sufficit tibi gratia mea.* Neque enim inde depulſi ſumus. Vbi igitur illa gratia? Laus inde multo clarior & illuſtrior exit, vbi innumerabiles nobis hoſtes inſidiati fuerint. Vbi eſt illa gratia? Cõplures amatores extiterunt, qui me vobis cedere noluerunt: vbi gratia? & mihi Iudæos oppoſuerunt. *Sufficit tibi gratia mea: Virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Numquam ergo miſeriam auerſeris: nam afflictio cum Euangelio quaſi ſorte coniuncta eſt: *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur.* Quomodo flagellaris, & flagellantes ſubmoues? Quomodo inſidiæ tibi tenduntur, & inſidiantes ſuperas? *Virtus enim mea in tua infirmitate perficitur.* Quod ergo Paulus audiuit: hoc idem velis, hoc tibi ſatis eſt, vt flagellis cædaris, ignominia & contumelijs afficiaris. Hoc volo, ait ille, & glorior in infirmitatibus, in contumelijs, in peſecutionibus. O æquitatem animi huius ſerui! Equidem ad Deũ venerat, vt ab afflictione liberaretur. Vbi verò audiuit, Dominum ſuum hoc non modò velle, ſed & contrarium ſibi placere. *Hoc ita tibi videtur, vt affligar: ergo idipſum & ego volo, & pro eo gratias ago.* Non dixit, volo tantùm: ſed placet, volo, cupio flagellis cædi, agitari, premi. Idcirco in hoc mihi placeo, in infirmitate, contumelijs, perſecutionibus, naufragijs, neceſſitatibus, anguſtijs. Quid ita? vt virtus Chriſti me obumbret, cui gloria ſit in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Act.26. Agrippa in Gr. erat φῆσι, ma...

Anſtapo L.C. Deſunt quędam.

2.Cor.12

a *Superior quidem erat.*) Hic quoque locus à Romano correctore ſic legitur. κάτωθεν γῆ, καὶ ἄνωθεν ὕδατα. *Inferius terra, Superius aqua.* Præceſsit enim ὕδατα αὐτῇ ἐπέθηκεν, id eſt, *Impoſuit*, non ſubiecit ὑπέθηκεν, locus tamen ſuſpectus eſt mendæ.

b *Et illa quidem arca.*) Hic quidem locus menda caret in Græco libro, ſi articulum rectè legas: at non in Latina interpretat. ſic ibi habet. ἡ κιβωτὸς τὸν Νῶε διέσωσε μόνον μετὰ δύο, ἢ τριῶν ὀνομάτων; *Arca Noe ſolum, ſeruauit cum duobus aut tribus capitibus, vel certe hominibus*, ſic enim vertit & vulgata interpretatio Actorum 1. Erat autem turba hominũ ſimul ferè centum viginti, Scripſit D. Lucas ἦν τε ὄχλος ὀνομάτων ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν.

c *Modumque præſcriberet.*) Gr. καὶ μέτρον τοῦ σκάμματος, id eſt *Modum certaminis, aut ſtadij in quo decertandum*, vide notas in orationes de Lazaro Tom. 2.

d *In imbecillitate tua.*) Vox, tua, abeſt à Græco D. Chryſoſtomi libro, vt & ab Epiſtola D. Pauli.

e *Non maiorum voce.*) οὐ τῷ ὀνόματι τῶν γονέων, *non parentum nomine*: Item ibidem. f *Quod ſi quis alium.*) Græc. ἐὰν ἴδῃ ἕτερον πονηρῶν ἀνθρώπου ἔργα πράττοντα. *Quod ſi quem alium vi derit improbi hominis facinora patrantem*, &c. Paulò pòſt ita ſupple è Græc. *Hic vos attentos eſſe velim, ac notare quod ait ſuper Iudaã & Hieruſalem*, &c.

g *Ne afferatis mihi vltra.*) In Græc. Chryſoſtomi legimus vt apud LXX. ἐὰν προσφέρητέ μοι σεμίδαλιν, μάταιον. *Si obtuleritis mihi ſiliginem, vanum, incenſum abominatio eſt mihi.*

h *Ouiculam illum.*) Græ. λέγομεν πρόβατον ἄνθρωπος, *dicimus homo ouicula.* Habet ita ſpeciem prouerbij, vt homo Euripus, homo lupus, & ὄφις ἄνθρωπος.

i *Eo perſpecto auerſati.*) Gr. οἶδας τοῦτο, ὅτι ἀπεστράφησάν με οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ verba ſunt ex Epiſt. 2. ad Timot. id eſt. *Scis enim hoc quod auerſi ſunt à me qui in Aſia ſunt.* In calce huius homiliæ vertit ἵνα ἐπισκηνώσῃ ἐπ᾽ ἐμὲ ἡ δύναμις τοῦ Χριστοῦ vt virtus Chriſti me obumbret, quaſi eſſet ἐπισκιάσῃ locus eſt ex c. 12. 2. ad Cor. vt inhabitet in me virtus Chriſti.

B

OMNIA VITIA ORIGINEM AB ignauia ducere: Virtutem ſtudio & labore comparari. Item, neque improbos homines, nec ipſum Diabolum homini ſobrio nocere poſſe: cum ex alijs permultis ſacrarum literarum locis, tum ex hiſtoria Adami & Iobi, petita demonſtratio.

ORATIO VI.

ANTE heſternum quidem diem omnis de diabolo nobis, apud veſtram charitatem, fuit inſtituta & acriter perorata oratio. Quo tempore, alij quidem, cùm nos hæc hoc ex loco diſſereremus, in theatris otioſè Diaboli pompam ſpectarunt: & quidem C
meretricias cantilenas illi tùm audiuerũt: vos verò iucundiſſimæ doctrinæ ſpirituali vacaſtis. Et illi quidem impuriſſimis diaboli eſcis veſcebãtur: vos verò vnguento ſpirituali delibuti eſtis. Quis ergo illos quidem aberrare fecit? Quis illos à ſancto ouili auocauit? a Diabolus illos quidem decepit: vos autem non item. Et tamen homines vtrique eſtis, & quidem eadem natura. Vtrique, inquam, eodem animo præditi eſtis, & vos & illi eaſdem cupiditates à natura obtinetis. Quî fit ergo, cùm ijſdem præditi facultatibus ſitis vtrique, quòd illi quidem decepti ſunt, vos non item. Quia aliud atque aliud vitæ inſtitutum vtrique & diuerſa ſtudia amplectimini, nec in eadem hæreſi eſtis. Quo fit, vt illi quidem falſi ſint & decepti: vos ab omni errore liberi. D
Neque hæc à me eò dicuntur denuò, vt diabolum quaſi defendere & criminibus liberare velim: ſed vos à peccatis & ſceleribus immunes præſtare ſtudeo. Equidem malus eſt diabolus & nequam: quod quidem libenter fateor: ſed ſibi ipſi malus, neque nobis, ſi ſobriè viuamus nocet. Etenim ea eſt natura vitiorum: quòd ſoleant ijs, qui talibus ſunt inquinati, eſſe pernitioſa. Virtus contrà non ſolùm ſuis poſſeſſoribus, ſed & proximis prodeſt. Atque vt hoc exactè perſpicias: malum aliquem ſibi ipſi perniciem afferre: bonum verò etiam alijs vtilitatẽ comparare; quod dico, prouerbio confirmabo: *Fili, inquit, ſi malus ſis, ſolus ea mala exhauries: ſin ſapiens & tibi ipſi, & proximis profueris.* Atque illi quidem in theatris decepti ſunt: vos non item. Quod quidem maximo argumento eſſe debet, & documentum illuſtre, atque Achillea ratio: Animi noſtri inſtitutum, quam προαίρεσιν nominant, vbique principatum obtinere. Quod quidem argumenti & probationis genere tu quoque vtere: &, ſi videas hominem turpiter viuere, & in omni vitiorum cœno volutari: idẽ, ſi diuinæ prouidentiæ culpam tribuat, dicatque

Vide not. fol. 722.

2 Cor. 12 Marc. vl.

Prou. 9.

αὐτάφρεσις; impiorũ & excuſationes in peccatis.

Deum noſtram naturam fortunæ & fati neceſſitati, dæmonumque tyrannidi ſubieciſſe: idem ſi vndique culpam à ſeſe amoliatur, & opificem, qui vniuerſum hoc ſumma prudẽtia adminiſtrat, reijciat: huic tu homini os obtura non verbis, ſed facto: & allato in medium exemplo eius, qui honeſte & æquabiliter viuat. Neque hîc opus prolixa quadam doctrina, & apparatu quodam orationis ſtudioſè contextæ & concinnatæ: non ſyllogiſmis, reipſa, vita & factis, cuiuſmodi demõſtrantur. Dic ipſi: & tu ſeruus, & ille ſeruus, & tu homo es, & ille: eundẽ mundum incolis: ſub eodẽ cælo agis: iiſdem alimentis ſuſtentaris: quomodo igitur tu quidem turpiter & prauè, ille verò honeſtè & laudabiliter viuit? Hãc ob cauſam Deus bonos & malos inter ſe promiſcuè habitare permiſit: neque verò prauis aliam quandam terram, quam incolerẽt, attribuit, in alium verò locum bonos, tamquam coloniam, deduxit: ſed illos cum his promiſcuè verſari magna illorum vtilitate voluit. Nam boni quidem, & B probi homines, dum in medio eorum, qui ipſos à recta viuẽdi ratione auocare nituntur, quiq; ipſos ad improbitatem & ſcelera pertrahunt, verſantur, & virtutum ſtudio tenentur, probatiores, & conſtantiores euadunt. *Oportet enim*, inquit Apoſtolus, *hæreſes in vobis eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis.* Itaque etiam improbos & malos in medio reliquit: vt boni eò illuſtriùs inter eos eluceant. Vidéſne quantus hic ſit quæſtus? atqui eum non improbi, ſed fortitudo atque conſtãtia bonorum nobis comparat. Hinc etiam Noë admiramur, non quia iuſtus erat, neque etiam quia officio perfecto fungeretur ſolùm: ſed quia in illo ſeculo diſtorto & prauo virtutem cõſeruauit. Quo tempore ne exẽplum quidem virtutis, quod imitaretur, extabat: quum ipſum omnes ad improbitatem exhortarẽtur, quibus tamen omnibus reſtitit, velut viator aliquis, magna quadam multitudine eodem itinere cum impetu pergente, ipſe contraria via profectus eſt. Itaque literæ ſacræ non ſimpliciter de ipſo an- C nunciant: *Noë iuſtus & perfectus*, ſed addunt: *in ſuo ſeculo*, peruerſo ſcilicet & deſperato, quum nulla virtutis eſſet negotiatio. Itaq; bonis ab improbis hæc vtilitas comparatur. Sic etiam arbores, quæ à vẽtis in partem contrariam impelluntur, robuſtiores exiſtunt. Sed & improbi ex conuerſatione, & congreſſibus bonorum aliquid vtilitatis adipiſcũtur. Nam & verecundãtur & pudore afficiuntur & erubeſcunt, licet ſeſe ab improbitate non abſtineant. Sed, licet ſpe quadam latẽdi audacter in ſceleribus ſuis pergant: tamen hoc non pro nihilo putari debet, improbitatem hoc pacto, ne liberè & impunè graſſetur, coërceri. Siquidem vita aliorũ, eos ſuorũ criminum accuſat. Itaque quid ipſi dicant de iuſto aduerte: *Grauis eſt nobis*, vel cõſpectus tantũ. Neque D verò leue hoc principium ad emendationẽ, eos ad conſpectum boni viri ſenſu quodã acerbitatis affici. *b* Quòd ſi nullũ acerbitatis ſenſum aſpectus iuſti cõmoueret, hæc illi nunquã proloquerentur: mordeti ſeſe quaſi, & acerbiſſimè conſcientiam affici, præſente viro bono. Neque hoc illis parũ impedimento eſt, ne ſcilicet impunè improbitate abutantur. Satis igitur intellexiſti, opinor, quantũ boni viciſſim & boni & mali ſibi comparent: qua de cauſa Deus ipſos etiã non ſeparauit, ſed promiſcuè inter ſe agere permiſit. Idem ergo etiã de diabolo dicere licet: quem quidẽ Deus ideò hîc reliquit, vt te fortiorem & clariorem athletã efficeret, & complura etiam certamina nobis eſſent. Si quis igitur obijciat: Quamobrem Deus diabolũ hîc reliquit? hoc pacto ipſi reſpõde: Quia ſobrijs ille, & circũſpectis non ſolũ non obfuit, ſed etiã profuit: nõ certè propter animi illius inſtitutũ, & ſententiã, quæ omnino praua & peruerſa eſt: ſed ob bonorũ fortitudinem, qui aliorum improbitatẽ etiã, ita vti decet, ad ſuam vtilitatẽ conferant: ſiquidẽ & cum Iobo con-

1. Cor. 11. · Gen. 6. · Sap. 2.

A flixit, non ideò quidem vt ipſum clariorem & illuſtriorem redderet: ſed vt ipſum ſupplãtaret. Quare prauus ille eſt, & eiuſmodi ſentẽtia & inſtituto animi: neque tamen iuſto illi viro obfuit: ſed potius ille multum boni & vtilitatis ex hoc conflictu retulit. Ergo vt demonſtratũ eſt, & dæmon malitiam, & iuſtus ille fortitudinẽ declarauit. Verùm multos ille ſupplantat, dicat aliquis: ob ipſorũ imbecillitatem, non autẽ quia tanto ille robore præditus ſit, hoc fieri ſolet. Nam hoc quoq; in multis eſt demõſtratum. Itaque animum omnibus perfectis officijs obfirma & erige, & à nemine aliquid detrimenti accipies: ſed maximas vtilitates inde conſequeris, nõ ſolùm à bonis, ſed à malis. Propterea enim vt antea dixi: Deus ipſos inter ſe reliquit, & in primis bonos cum malis, vt boni etiam malos ad ſtudium virtutis deducant. Audi quid Chriſtus diſcipulis dicat: *Simile factum eſt regnum cælorum mulieri, quæ accepto fermento, occultauit in farina ſatis tribus*: atqui iuſti, & probi viri inſtar fermenti ſeſe habent, vt ſui ſimiles improbos efficiant. Veruntamen perpauci ſunt probi, & iuſti. Nam & fermentum paucum, cuius tamen paucitas maſſam illam non deprauat, aut vitiat: ſed quantulacunque ſua vi & facultate totam illam farinam ſibi ſimilem reddit. Ita quoque vis illa bonorum & proborum non in numero ſita eſt: ſed gratia ſpiritus valet. Equidem omnino erant duodecim Apoſtoli: fermentum certè exiguum, Et totus orbis nulla prorſus in Deum vera fide imbutus erat. Vidéſne quanta hæc maſſa fuerit? at qui duodecim illi orbem vniuerſum ad ſeſe conuerterunt. Fermentum quidem & maſſa illa farinacea eiuſdem naturæ ſunt, ſed non eiuſdem qualitatis: ideoque Deus reliquit malos inter bonos, vt quemadmodum eiuſdem naturæ ſunt participes: ſic iiſdem animis eadem vitæ inſtituta amplectantur. Hæc memoria teneatis, his os obturetis ignauis illis, diſſolutis, inertibus, pigris, qui in virtutum ſtudio franguntur, & languent, qui communem omnium Dominum accuſant: *Peccaſti*, ait, iam ceſſa: nec peccatum peccato deteriori cumulaueris. *c* Neque enim peccare ita arduum & difficilè eſt, vt eo perpetrato, Dominum accuſes. Conſidera quis peccati illius ſit autor, nec quenquam * reperias, quàm te ipſum qui illud admiſiſti. Equidem boni animi & inſtituti vſus, vbique valet & locum habet. Hæc quidem ita vobis commonſtraui, nõ nudis quibuſdam rationibus in medium allatis, ſed eorum exemplis propoſitis, qui in hoc mundo viuebant. Hoc igitur argumenti genere, & tu ipſe vtere: ſic etiam communis Dominus noſter iudicat, hunc demonſtrandi modum perdiſcite, nempe quiſquam captioſis concluſiunculis tibi imponere poterit. Scortatur quiſpiam: demonſtra ipſi aliquem, qui continenter & caſtè viuat. Auarè aliquis & cupidè quærit, rapit: demonſtra aliquem qui eleẽmoſynam largiatur. Inuidus alius eſt: oſtende ipſi, qui hac affectione liber eſt & vacuus, iracundia laborat quiſpiam, aliquẽ, qui ſapientiæ ſtudio deditus ſit, ipſi propone. Neq; enim ex antiquis tantùm hiſtorijs exẽpla petenda ſunt, ſed & præſentibus vti licet. Etenim ex Dei gratia, etiam huic noſtræ ætati ſua non deſunt officia perfecta, non minus illuſtria illis antiquis. Alius iterũ *nullam de Deo perſuaſionem habet, & literas ſacras arbitratur eſſe vanas, neque perſuaſum habet Iobum talem fuiſſe: oſtende ipſi alium quempiam hominem, qui iuſti illius, & boni viri vitam æmuletur. Sic etiam Dominus nos iudicat: Conſeruos cũ conſeruis ſiſtit, neque ſuo iudicio fert ſententiam, ne quis rurſum ſic inciperet dicere, quemadmodum ſeruus ille, cui talentum fuit creditum, qui pro talento, quod reſtituere debuit, recriminatus eſt Dominum: quod durus eſſet. Cùm enim ingemiſcere debuiſſet, quòd talentum altero tanto nõ auxiſſet, & grauius peccatum perpetraſſet, recrimina-

Math. 13. · * reperies. · * incredulus eſt & literas, &c. · Math. 25.

minatione in Dominum ſuæ ignauiæ addita, ait: A
Matt.25. *Quid enim? noueram te, quod durus es*: ô miſerum, ærumnoſum, & ſtolidum, ingratum, & ignauum hominẽ! qui, cùm *ſuam ipſius ignauiam accuſare *deberet, [*ſuam. *deberet.] & de priſtinis ſceleribus aliquid demere, ipſe omni accuſatione in Dominum tranſlata, pro talento peccatum duplicaſti! Hac de cauſa Deus ſeruos, & ſeruos hinc inde ſtatuit, vt iſti de illis iudicium faciant, & ſententiam dicant, & illi quidem ab iſtis iudicati, non poſſint deinceps Dominum accuſare. Matt.16. Matt.25. Matt.24. *Propterea*, inquit, *venit filius hominis in gloria Patris ſui*: obſerua gloriæ æqualitatem, non enim ait, in gloria, quæ ſimilis ſit gloriæ paternæ, ſed: in gloria Patris. *Et congregabit omnes gentes.* Terribile verò iudiciũ, ſed peccatoribus & obnoxijs ſceleribus, ſiquidem ijs, qui virtutum & rectè factorum ſibi ſunt cõſcij, optabile & ſuaue. Statuet autẽ ille oues ad dexterã, hœdos verò ad læuam, cùm tamẽ, & hi illi homines fuerint. Cur ergo illi quidem oues, hi verò hœdi? non certè ob naturæ aliquam differentiam, ſed vt alio atque alio animo, & vitæ inſtituto eos B diſtingui intelligeremus. Quam ob cauſam verò, qui in largiendo nimis reſtricti fuerunt, hædi appellantur? quia animal illud nihil fructus affert, non illam lactis gignendi, non fœtuum procreandorum facultatem habet, neque etiam lanæ illam vtilitatem dominis ſuis afferre poteſt, cùm omnis fructus ob defectum ætatis ſit expers. Hinc eos, qui nullum eleemoſynæ fructum afferunt, hœdos appellauit. Eos verò, qui ad dexteram erant, oues, ab ijs enim hominibus plurimæ commoditates vtilitateſque proficiſcuntur, vt lana, fœtus, lac. Quid ergo ad ipſas Dominus? Matt.25. *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: nudus fui, & operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: hoſpes & peregrinus, & collegiſtis me*: illis verò contrà, ait, & quidem cùm vtrique eſſent homines, & hi & illi, quibuſque adeò eædem promiſſiones eſſent factæ, eademque præmia vtriſque, ſi rectè laudabiliterque viuerent, propoſita. Idem ille Dominus & ad hos & ad illos venit, nudus ad hos & ad illos, famelicus & hoſpes ſimiliter: omnia vtrobique ſimilia, & his & illis. Quomodo ergo ſuis amborum diſſimilis fuit? Aimus, ipſumque adeò inſtitutum animi non permittebat. Hoc ſiquidem ſolùm differentiam quandam conſtituebat: *propterea illi quidem in gehennam, hi verò ad regnum cælorum ablegantur & dimittuntur*. Quòd ſi Diabolus illis autor peccati extitiſſet, nequaquam illi, alio peccante, & ipſo impellente, punirentur. Equidem hoc loci & peccatores, & qui rectè factis gauiſi ſunt, videre potuiſti. Sed & hoc animaduertere, quomodo illi ad conſpectũ conſeruorum obmutuerunt. Agè verò, etiam alio quodam exemplo præſentem orationem illuſtremus. Virgines, tradunt ſacræ literæ, erant decem. Ibidem. Hic rurſus animi inſtitutum & proæreſin, quæ rectè factis delectabatur, & cõtrà, quæ ſceleribus, obſeruare licet: ita, vt ex mutua contentione & comparatione, & illorum peccata & horum rectè facta, perſpicere poſſis. Cõparatio enim hæc omnia clariora & illuſtriora facit. Nam & virgines erant & illæ & hæ: quinq; & hæ & illæ: faces tenebant & hæ & illæ: omnes verò ſpõſum exſpectabant. Quomodo ergo hæ quidem intrarunt, illæ verò non? Quoniã hæ quidẽ tetricæ & feræ erant, illæ verò mãſuetæ & humanæ. Videſne iterum, certum illud animi inſtitutum cauſam illius finis, non autẽ diabolum extitiſſe. Ex his itaque exemplis quomodo iudicium ſimilium comparatione quadam fiat, intellexiſti: conſerui enim conſeruos iudicabunt. Vis tibi demonſtrẽ, etiã ex diſſimilibus iudiciũ cõſtitui. Nam eiuſmodi cõparationes facilè reperias: vt condennatio eo ſit clarior. Matt.12. Luc.11. *Viri Niniuitæ*, ait Chriſtus, *ſurgẽt, & hanc generationẽ condemnabunt*. Hîc quidẽ qui iudiciũ ſubeunt, nõ ampliùs ſimiles. Illi enim barbari, hi verò Iudæi, & quidẽ prophetica doctrina imbuti inſtitutique fuerunt, illi verò diuina oracula, ne

quidem ſando audiuerant. Neque hæc ſolum differentia eſt: ſed ad illos quidẽ ſeruus, ad hos verò Dominus peruenit: & ille quidẽ excidium vrbis denunciabat: hic verò Euangeliũ annunciabat. Vtros igitur veriſimile eſt magis credidiſſe, barbaróſne illos, & ſtolidos, quique diuinorum oraculorum nõdum participes fuerant: an verò illos, qui ſacris illis monumentis à pueris educati & enutriti fuere? Nemini non manifeſtum videri, Iudæos potiùs credidiſſe: atque contrà prorſus factum eſt. Nã hi ſoli Domino, qui regnum cæleſte illis annunciabat, fidem nullam habuerunt. Illi vero etiam conſeruo excidium comminanti crediderunt: vt clariùs & euidentiùs, & illorum æquitas animi & horũ ſtultitia, innoteſceret. Numquid hîc dæmon aliquis? num diabolus? nũ fortuna aliqua vel fatũ in cauſa fuerunt? annõ ſibi quiſq; autor malitiæ & improbitatis & virtutis exiſtebat? Quòd ſi illi ipſi nõ obnoxij culpæ fuiſſent, numquam literæ ſacræ ita loquerentur, vt dicerent: *eos condemnaturos generationẽ hanc*: Matt.12. numquam etiam reginam Auſtri Iudæos iudicaturam affirmarent. Nõ enim populi populos ſolùm cõdemnabunt tum, ſed & homo vnus integrũ populum ſæpenumerò iudicabit: cùm qui facile videbantur poſſe decipi, videbuntur ab omni errore fuiſſe alieniſſimi: & qui modis omnibus eniti debuerunt, vt vincerent, deuicti videbuntur. Hanc ob rẽ etiam Adami & Iobi mentionẽ fecimus. Iam enim ad id genus argumenti redire neceſſe eſt: vt, quod reliquum eſt in hac quæſtione expediamus. Adamũ ergo tantum verbis, Iobum verò etiam facto aggreſſus eſt diabolus: Gen.3. Iob.1. & hunc quidem omnibus opibus exuit, ac tandem etiam liberis ſpoliauit: huic verò nec magnum quippiam, nec paruum abſtulit. Quin potius ipſa verba perpendamus & ponderemus, ipſumque modum inſidiarum attendamus. *Acceſſit*, inquit Moyſes, *ſerpens, & dixit mulieri: Cur præcepit Deus, vt non comederetis ex omni ligno, quæ ſunt in paradiſo?* Gen.3. Et hîc quidem ſerpens: illic verò vxor Iobo inſidiatur. Iob.2. Et hactenus quidem plurimũ inter hoſce conſiliarios intereſt. Nẽ ille quidem ſeruus, hæc vitæ ſocia: hæc adiutrix, ille verò ſubiectus. Videſne, quàm ſit omnino nullus locus veniæ? Fœminã quidem illã ſubiectus ille ſerpens, & ſeruiẽs decepit: illum nõ vitæ ſocia & adiutrix ſupplantare potuit. Sed conſideremus etiam quid dicat: cur præcepit Deus, *nequaquam comedetis de omni ligno?* Atqui Deus hoc non dixerat: ſed contrà. Conſidera itaque malitiam & artificium diaboli: indictũ quippiã inter.ogat, vt quod dictum eſſet, reſciſceret. Quid igitur ad hæc mulier? illa verò, cum os ei occludendum fuiſſet, cùm indignum eum reſponſo ducere debuiſſet, ſtultè illa ſentẽtiam Domini effutijt: itaque ſummam illi occaſionem inſidiarum præbuit. Videſne, quantum mali in eo ſit, ſi quis ſeſe adeò ſimpliciter inimicis inſidiatoribus permittat. Hac de cauſa etiam Chriſtus dixit: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne fortè conculcent vos, & canes conuerſi diſrumpant vos.* Matt.7. Hoc quidem Euæ euenit: illa enim ſanctum cani dedit & porco, qui ea ſanctiſſima verba conculcauit, & conuerſus fœminam diſcerpſit. Aduerte verò, quàm ille malitioſè cum illa agat: *Nequaquam morte moriemini*, inquit. Hîc verò animum aduertite. Mulier illa quidem fraudem intelligere non potuit? ſiquidem ille inimicitias & bellum, aduerſus Deum, priùs denunciabat: eique ſtatim contradixit. Poterat, qui voluiſſet, etiam priùs ſententiam & mentem illius intelligere: at verò, poſteaquam ille cõtradicentia attuliſſet, cur ſequebaris? Dixerat Deus: *Morte moriemini*. contradixit ille iſtis: *Non morte moriemini*. Quid igitur hoc bello manifeſtius? Vnde enim hoſtis & inimicus clarius, quàm ex hac contradicendi Deo improbitate, cognoſci potuit? Confeſtim ergo eſcam hanc fugere, & ab laqueo reſilire oportuit. *Nequaquam morte moriemini*, inquit:

inquit: ſcit ſiquidem Deus: quòd, *quo die comederitis ex eo, oculi veſtri aperientur, & eritis velut Dij.* Sic igitur ſpe maiorum promiſſionum ea etiam, quæ in manibus erant, amiſit. Promiſerat, ſeſe Deos affecturum: & d diaboli tyrannidem præcipitauit. Vnde ergo mulier diabolo fidē adhibuiſti? Quidnam boni ea in re perſpiciebas? Annon ſatis tibi erat, autoritas, omni exceptione maior, legiſlatoris? qui & Deus, & opifex, & cōditor eſſet: ille verò diabolus, & hoſtis. Neq; verò diabolū adhuc dixerim: ſerpentem enim nudum eſſe putabas. Serpentē ne tanti facere oportuit, vt ei Domini tui edictū exponeres? Satis opinor, apparet, licuiſſe illi imposturam perſpicere, ſed ipſa noluit: licet Deus ſuā beneficentiā ſatis ſuperq; conteſtatā feciſſet: & qui re ipſa & facto ſuā prouidentiam, curāque demonſtraſſet. Nā & hominē, qui antea non erat, creauit, eundemque ſpiritu animauit: & ad ſuā imaginem & exēplar effinxit: imperiumque in omnia, quæ in terris eſſent, tradidit: ſubſidiū atque auxiliū largitus eſt: paradiſum illū omnis generis arboribus conſeuit. Quarū omnium vſum cùm illis conceſſiſſet, vnicam arborem ne attingerent, vetuit: quod interdictum, ipſis in vtilitatem cedebat. Diabolus verò facto quidem & opere nihil prorſus boni, ſiue magnū, ſiue paruum cōfecit: ſed nudis verborū tendiculis mulierculā, ſublatā & vana ſpe turgidā, ſic decepit. Quæ tamen diabolū Deo fide digniorem exiſtimauit, licet illis re ipſa & opere ſuam erga ipſos beneuolētiā declaraſſent: at illa ei, qui præter verborū fucū afferret nihil, fidem habuit. Liquet ergo, omnē illā 1. Cor. 11 fraudem ab amentia & ignauia: non autem vi quadam profectam eſſe. Quod ipſum vt clarius perui deas, attende, quomodo literæ ſacræ mulierculam accuſent. Nō enim aiunt: fœmina illā decepta: ſed, Gen. 3. *conſpicata lignum illud pulchrum comedit.* Itaque crimen illud oculi incontinentis, non autē imposturæ: quæ ſolum diabolum autorem haberet. Sua ipſius enim cupiditate illa, non dæmonis tantum malitia deuicta eſt. Idcirco neque veniā cōſecuta eſt: ſed poſteaquā dixiſſet: *Serpens me decepit:* ſic illa pœnā vltimam quoque luit, vtpote penes quam fuit, etiam non labi. Quæ, vt clariora ſint, agè totam orationē ad Iobum conuertamus, & deuictos illos cum victore Iobo comparemus. Sic enim maioribus animis aduerſus diabolū depugnabimus. Et illic quidem ſerpens erat, qui* inſidiabatur, & ſuperior fuit: *decipiebat* hic verò fœmina, & ſuccubuit: licet multis modis probabilius dicere videretur. Et Iobo quidē, poſtquam & opes & liberos amiſiſſet, & omnibus rebus planè ſpoliatus eſſet, machinationes illa admouebantur: hic verò nihil tale erat. Nō amiſit Adamus pecunias, non liberos, non in fimo cōſidebat: ſed Paradiſum omnibus delicijs refertum incolebat, fruebatur liberè conſpectu arborum omnis generis, fontium, fluminum, omnique illa vbertate: nō labore frangebatur, non dolore conficiebatur: neque ſocordia & curis: non conuitia & probra, nō deniq; alia infinita mala, ipſum vexabant, quæ omnia conſertim in Iobum irruerunt, & tamen licet nihil eiuſmodi eſſet, lapſus eſt, ſupplantatus eſt. Annon liquet igitur, in cauſa fuiſſe ſocordiā quādam atque inertiam? Quemadmodum ergo ille tot malis oppreſſus præclarè ſtetit, nec lapſus eſt, ita etiā huic planū nō eſt in cauſa fuiſſe animi ſobrietatē & continentiā. Ex vtroq; exemplo, chariſſime, quæſtum fac maximum, & fuge Adami illum zelū: tibique perſuade, ſocordiā & torporem animi multorum malorum cauſam exiſtere: Iobi verò cautionem diligentiā & prouidentiam ſtudioſè æmulare: certoque apud animum tuū conſtitue: ſtudiū diligentiamq; nobis plurima bona cōparare. Hunc ergo victorem coronatū perpetuò meditare: & rebus aduerſis, atq; adeò quouis rerū ſtatu cōſolationes ſatis ſuperq; in promptu erunt. Namq; beatus ille & præclarus Iob, velut in publico quodā orbis theatro conſtitutus, cum omnibus, per ea, quæ ipſi dura aduerſaque euenerunt, colloquitur: monetq; omnia, quæcumque accidant, præclarè ferēda eſſe, nec nullo genere mali animum intentum remittēdum. Nec eſt certè vllum mali genus, quod quidē in hominem cadere poſſit, vt non inde conſolationes certas petere poſſis. Quidquid enim mali in toto terrarum orbe ſparſim reperitur, totum hoc cōfertim in ipſius corpus inundauit. Quam igitur veniam merebitur is, qui ne quidem partem malorum, quibus ille obrutus eſt, æquo gratoque animo perferre poteſt? cùm ille non particulam, ſed omnino quidquid vſpiam malorum eſt, videatur pertuliſſe? Et ne hanc orationem, velut ſupra modum amplificatā, improbes: age, illo omnium calamitatū genere ob oculos poſito, noſtris promiſsis perpetua inductione fidam faciemus: Et, ſi placet, ab eo malorum genere, quod omnium maximè intolerabile videtur, initium faciamus: paupertate, inquam, & eo dolore, quem homines inde capiunt. Quid eſt enim quod homines vbique magis deplorent? Quid igitur Iobo vſpiam pauperius fuit? qui certè etiā ijs, qui in balneis abiecti, & camini cinere cubant, & omnibus omnino hominibus, pauperior fuit. Illis ſiquidē hominibus ſaltem veſtis aliqua, licet lacera, ſuppetat: ille verò etiam nudus ſedebat: ſed & eā veſtem, quam illi * natura ſuppeditauerat, carnis dico inuolucrum, difficili putredinē omni ex parte diabolus corruperat. *adde ſola.* Iam verò pauperes iſti ſaltem ſub tectis veſtibulorum in balneis agūt, ſaltē latibulis quibuſdā tegūtur: ille verò diu, noctuq; ſub dio perſeuerabat, omni, etiā tecti, conſolatione deſtitutus. Et quòd maius eſt: hi quidem multorum ſibi malorū conſcij erant. Hoc enim in ſingulis, quæ ipſi euenerunt, ſpectari debet: quum & dolorē ipſius vehementius augeret: & in maiores expediendæ ſalutis difficultates conijciebat: quòd nempe ne quidem cauſam ſuorū malorū tenebat. Illi ergo, vt dixi, multis modis ſeſe accuſare potuerunt: &, quod non paruam conſolationem affert, probè ſcilicet tenere: iure & meritò ſeſe puniri. Qua quidem conſolatione ille quoque carebat. Et cū in ſua republica honeſtè, laudabiliterque vixiſſet: tamen audaciſſimorum hominum pœnis addicebatur. Adde, quòd illi quidem à puero pauperes, & ſemper cum calamitatibus conflictati fuere: ille verò paupertatem, cuius antea guſtū nullum habuerat, perferebat: ſubitò è diuite pauper factus. Quemadmodum igitur cauſam perſpectā habere, eorum quæ fiunt, ad conſolandū plurimū momēti habet: ſic nō minus illo eſt: eum, qui numquam in paupertate ab initio vixerit, ità pulchrè, & elegāter paupertatē ferre. Iobus certè ille vtroque deſtituebatur, neq; tamen quidquam de animi conſtantia remittebat: intellexiſti ipſū ad ſummā paupertatē redactum fuiſſe, qua certè maior nulla eſſe poteſt. Quid enim nudo, quique ne quidem tectū, in quod ſe recipiat, habeat, pauperius eſſe poſsit? Quinimò neque ſolum, quo potiretur, habebat: neque enim in terra, ſed firmo ſedebat. Cùm itaque etiam teipſum ad inopiam redactum ſenties, tibi in mentem veniat, quid iuſto illi viro contigerit, & protinus animum recipies, omnemque triſtitiæ ſenſum repelles. Atque hoc quidem vnum calamitatis genus eſt, quod quidem omnium omnino malorum & aduerſorum, quaſi baſis quædam & fundamentum videtur. Alterum autem ab hoc, imò quòd hoc quidem maius eſt, corporis illa afflictio fuit. *Corporis afflictio.* Quis enim vnquam hunc in modū ægrotauit? Quis vmquam tali modo laborauit? cui vmquam talis plaga impoſita eſt? aut quiſnam tam miſerabiliter affectum conſpexit? Nemo mortalium vmquam. Corpus ſiquidem ipſi paulatim cōtabeſcebat, membra verò vndique vermibus ſcatebant, continenterq; defluebant, & fœtor vndique grauis infeſtabat: corpus verò, quod ſenſim emoriebatur &

tur & putredine colliqueſceret, cibos etiam ingratos & inſuaues reddebat: cui tamen fames * inexperta & inopinata erat. Neque enim oblatis cibis frui potuit. Terrori ſibi cibos fuiſſe, ait, Cùm igitur in morbum incideris, homo, corporis illius memineris, & ſanctæ illius carnis. Etenim ſancta erat, & pura erat, licet his vulneribus tantùm non eſſet confecta. Item: ſi quis in bello ſtipendia mereat, tumque innocenter, aut ſaltem ſine probabili aliqua cauſa f in crucem ſublatus, latus ſibi perfodi ſentiet: neq; ignominioſum ſibi hoc ille ducat neq; ſancti huius viri exẽplo monitus, ſeſe angoribus dedat. Ille enim ſummam conſolationem ſibi in eo poſitã arbitrabatur: quia Deo autore, hæc ſibi accidere perſpectũ haberet. At qui hoc quidem omnium maximè iuſtum illum conturbabat ſollicitũque habebat: quòd Deum, qui iuſtus eſt, ab eoque omni religione cultus eſſet, hunc inquam, bellum ſecum gerere putabat: neque verò prætextum ſaltem probabilem inuenire poterat. Siquidem vbi cauſam intellexit, admodum pio & æquabili animo hæc omnia accepit, & magnæ pietatis ſignificationes illuſtres dedit. Cùm enim illi Deus dixiſſet: aliône putas me his oraculis reſpexiſſe, quàm vt iuſtus appareres? *Tam Iobus perculſus, ait: manum ori opponam: ſemel locutus ſum: ſecundò non tentabo:* Et rurſus, *auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus te vidit. Idcirco me ipſum reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Quod ſi hæc ſatis eſſe, ſi conſolationem exiſtimes: licebit & tibi ipſi eadem vti. Nam licet non pro meo aliquid mali ſuſtineas: ſed hominum improbitate & contumelijs vexeris: ſi illi gratias agas: nec verò calumnijs petas Dominum, qui impedire quidem poterat, permittit autem, vt tu inde proberis: quemadmodum, qui Dei gratia aliquid ſuſtinent, coronantur: ſic tu ipſe eadem præmia adipiſceris, ſi quæ ab hominibus tibi mala inferuntur, præclarè pertuleris: & ei quidem, qui auertere poterat, ſed tamen noluit, gratias egeris. Ecce igitur, & paupertatem, & morbum, & quidem vtroque, ſummopere & ad miraculum vſque, Iobum laboraſſe animaduertiſti. Vis ne, vt bellum etiam, quod natura illi intulit, declarem, quo quidẽ ille iuſtus tanto malorum cum impetu * oppreſſus fuit. Decem ille liberos amiſit, & quidem decem ſimul, & decem in ipſo flore ætatis: dem, qui eximiæ virtutis magna ſpecimina iam ediderant. Neque verò communi naturæ lege: ſed violenta morte, & miſerabili. Et quiſnã dicendo has calamitates conſequi poſſit? Nemo certè. Ergo cùm filius & filia ſimul obierint, ad iuſtum illum recurre, & profectò ſatis magnam conſolationem inuenies. Itáne ergo hæc tantùm illi viro euenerunt? Amicorum deinde defectio, & proditio, ſcommata, conuitia, contẽptus, irriſio, & ab omnibus vnum illũ vexari, nónne hæc intolerabilia fuêre? Neque enim calamitates ita natura comparatæ ſunt, vt nos perinde, atque illi, qui nobis propter calamitates conuitia faciunt, lædere, & eundem acerbitatis ſenſum adferre ſoleant. Neque ſolùm in his malis, qui conſolationem afferret, deerat: ſed conuitiatores, ex omni parte complures, illi graues erant: & vides eum, ipſum hac de re queri, cùm dicit: *Cæterùm & vos mihi ſuperueniſtis,* & quidem ipſos inhumanos & immites appellat, cùm ait: *Proximi mei me abnegauerunt, & ſerui mei me criminabantur, & filios pellicum meos appellabant, ipſi verò ſeſe hinc recipiebant. Alij verò in faciem mihi inſpuebant, & ludibrium factus ſum omnibus, quin hæc ipſa veſtis mea, me abominata eſt.* Hæc verò, ne auditu quidem tollerabilia ſunt, ne dum, vt quis re ipſa & facto experiatur. Paupertas extrema, morbus intollerabilis, nouus, & inopinatus: liberorum tot, & talium amiſſio: talium conuitia, cauillationes, & crimina hominum. E quibus alij quidem ſubſannabant, alij verò conuitia faciebant, alij deſpiciebant: neque inimici tantùm, ſed & amici, neque hi tantùm, verum etiam ſerui, neque tantum ſubſannabant, nec conuitiabantur tantùm, ſed etiam abominabantur: & quidem hæc non biduo, aut triduo, ſed menſes complures. Denique, quod illi ſoli contigit, ne nocturna quidem quiete perfrui potuit: ſed viſa nocturni terrores grauiora & maiora erant, diurnis malis & calamitatibus. Namque grauius ipſum in ſomnis afflictatum fuiſſe, ille ipſe teſtatur, cùm ait: *Quare me terres, & in viſis conſternatum reddis?* Quis tam ferreus homo: quis Adamas hæc ſuſtinere, & perferre queat? Si enim vnumquodque horum per ſe quidem intolerabile eſt, omnia coaceruata & cumulata, quantas turbas excitârunt? Ille tamen hæc omnia pertulit, & in omnibus aduerſis non peccauit, *neque in labijs eius dolus fuit.* Itaque res illius aduerſæ, quas pertulit, noſtrorum malorum medicinæ ſint: fluctuſque ille perdifficilis noſtris malis portus quidam propoſitus eſto. Et quidem in ſingulis, quæ nobis præter animi ſententiam dura, & acerba eueniunt, hunc ſanctum, quaſi ratione ſubducta, in mentem reuocemus, & animaduerſo eo, vnum hoc corpuſculum totius orbis mala exhauſiſſe, fortiter & præclarè in omnibus & ſingulis nos geramus. Et velut ad matrem noſtri amantiſſimam, quæ manus porrigat, quæ liberos territos ſuſcipiat, & de nouo mancipet: ſic nos ad hunc librum perpetuò confugiamus: & ſi vel extremis & omniũ maxime miſerabilibus malis conflictaremur: tamen conſolatione ſatis ſuperq; animati, & recreati diſcedemus. Quòd ſi dicas: illum quidem Iobum fuiſſe, ideoque hæc ſuſtinuiſſe: ego verò illius ſimilis non ſum: eo itaque maiori reprehenſione dignum te mihi declaras, & laudem illius iuſti viri repetis. Veriſimile ſiquidem eſt, te potius, quàm illum, hæc perferre poſſe. Quid ita verò? Quoniam ille tempus gratiæ & legis anteceſſit, quum reſpublica non admodum accuratè conſtituta eſſet, cùm tanta ſpiritus gratia nondum effuſa eſſet, cùm peccatũ difficulter vinceretur, cùm execratio obtineret: cùm mors adhuc eſſet formidabilis: iam verò faciliora certamina reddita ſunt, Chriſti præſentia omnibus illis abolitis & ſublatis. Quare poſt tantum tempus, & incrementa, poſt tanta Dei dona in nos profecta, nullus amplius excuſationi locus reliquus eſt, quaſi ad eundem illum gradum virtutis eniti non poſſimus. Quamobrem his omnibus diligenter conſideratis: quòd & grauiora, quæ ille pertulit, erant mala: & cùm difficilius eſſet certamen, tùm ſeſe ad pugnã comparauit, & decertauit: nos quoque, quicquid erit, præclarè, & fortiter feramus, & quidẽ cum magna gratiarũ actione: vt eaſdem coronas queamus conſequi, gratia & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: cum quo Patri ſit gloria, cũ Spiritu ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

[Margin notes: *inuſitata.* — Iob 6. — Iob 42. — *oppugnatus fuit.* — Iob 19. — Ibidem. — Iob 1. — Section letters A, B, C, D]

a *Diabolus illos quidem.*) Græ. ἆρα κἀκείνους ὁ διάβολος ἠπάτησε; πῶς οὖν ἡμᾶς οὐκ ἠπάτησεν; An vero illos diabolus decepit? Quopacto ergo vos nõ decepit? Et tamen homines, &c. Vide fol. 718.

b *Quod ſi nullũ.*) Hæc aliter interpungẽda ſunt atq; edita ſunt Friburgi, omiſſis Græcis Latina ſubijciã. Quod ſi nullũ acerb. ſ.a.i.c.h. illi nunquã proloquerẽtur. Quod autem morderẽtur & acerbiſſime afficitur conſcientia eorũ, nõ mediocri hoc fuerit impedimẽto ne impune.

c *Neque enim peccare in arduũ.*) Gr. οὐχ οὕτω χαλεπὸν τὸ ἁμαρτεῖν, ὡς μετὰ τὴν ἁμαρτίαν τοῦ δεσπότου κατηγορεῖν. Neque enim eſt adeo graue peccaſſe, ac peccato perpetrato culpam in dominum reiicere.

d *In diaboli tyrannidem.*) Græc. εἰς τὴν τοῦ θανάτου τυραννίδα. In tyrannidem mortis, ceu imperium, vt loquitur D. Paulus, *non dæmonis tantum malitia.* Græc. οὐχ' ὑπὸ τῆς πονηρίας τοῦ δαίμονος non dæmonis malitia.

e *Neque ſocordia & curis.*) Corrige monẽte Romana editione οὐδ' ἀθυμίᾳ καὶ φροντίσι pro ῥαθυμίᾳ καὶ, &c. neq; mœſtitiis, aut curis.

f *In crucem ſublatus.*) Græcè erat ἀναρτηθεὶς ἐν τῷ ξύλῳ, ſublatum in lignum, hoc perperam ad crucem trãſtulit Interpres, non enim in cruce torquentur homines ita vt latera fodiantur vngulis, ſed in cataſta lignea, quã Prudentius lignum tortoriũ, Sozomenus τὸ βασανιστήριον ξύλον vocat. diſce ex Sigonio li.3. C.17. de iudiciis Roman.

Digitized by Google

EIVSDEM DE LAVDIBVS EORVM, qui in Eccleſia frequentes occurrebant: Item de ordine & decoro in diuinis laudibus tenendo: denique prophetici oraculi expoſitio: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.*

ORATIO VII.

ANIMADVERTO, vos plurimùm ſtudij & operæ in eo ponere, vt, quæ antè hac à nobis hoc ex loco dicta fuere, ad vſum & effectum deducatis. Hac igitur de cauſa alacri animo & bona ſpe freti, hanc quoque doctrinæ ſementē faciamus. Etenim agricola quoque, cùm magno labore agros ſuos conſeuerit, conſpicatus poſtea, eoſdem fertiles & feraces, & noualia ſua læta: prçcedentium laborum oblitus, frugum expectatione, ad ſubſequentes ruſtici operis labores, & conſeruationem priorum excitatur. At quantò hæc noſtra agricultura, illa vberior & quæſtuoſior exiſtit: Illa enim, quæ fructum, quos ſenſu percipimus, copiam nobis comparat, corpora quidem noſtra alit: hæc verò, qua orationibus noſtris ſemina doctrinarum communicantur, & quæ ſpiritus dona auget amplificatque, ſpirituales animis diuitias inexhauſtas & alimoniam immortalem procurare ſolet: ordinem item, qui nec perire & corrūpi, ſed ineffabili prudētia conſeruari, & fruitione atque voluptate, quæ intelligentia percipiatur, plenum obtinere ſolet. Hoc quidem laborum meorum operæ pretium eſt, hæ ſunt illæ diuitiæ, quas charitati veſtræ comparamus. Quas cùm in vobis augeri perſpiciam, magnam animo voluptatem perpetuò capio: vt qui non fruſtrà ſementem faciam, nec labores fruſtrà ſuſcipiam: vt, qui agrum feracem & pingue ſolum & ad vbertatem aptum comparatumque conſerā. Vnde igitur de tanto quæſtu coniecturam facio? Vndénam, me noſtris orationibus tantum proficere, intelligo? Vnde, vos earumdem fructum in actione poſitum exiſtimare indeque repetere, intelligo? Ex præſenti nimirum concurſu: & quòd vos Eccleſiam, omnium noſtrûm matrem, omni ſtudio occupetis: ex peruigilijs, & ſtatione perpetua: ex eo denique, quòd angelorum choros imitati, creatori continenter hymnos & laudes concinnatis. O Chriſti munera! In cælis quidem exercitus angelorum Deum celebrant: in terris verò hominum chori eaſdem diuinas laudes imitantur. In cælis quidem Seraphim hymnum illum ter ſanctum exclamant: in terra verò hominum cætus eundem modulantur. Cæleſtium verò & terrenorum communis quædam panegyris admirabili concentu conſtituitur vna gratiarum actio: vnum gaudium: vnus lætitiæ chorus atque concentus. Hunc enim illa, quæ dicendo explanari nequit, Domini humilitas demiſſioque temperauit & inſtituit: hunc Spiritus ſanctus connexuit: cuius quidem harmonia ſonorum, ſpirituali voluntatum coniunctione, temperata eſt. Hæc cælitùs modulorum ſuorum concentum & concinnitatem adepta, à ſancta Trinitate, velut plectro quodam pulſata, canticum quoddam ſuaue beatumque modulatur, angelicam quandam cantilenam, ſemper mirificè conſonantem. Huc igitur ſtudium illud veſtrum tendit: hic conuentuum noſtrorum fructus eſt. Itaque perſpecta hac promptiſſima veſtra voluntate, lætor, vos animis voluptatem ex hac re capere: hoc ſpiritus gaudio, hac exultatione, ſcilicet & quæ Deo grata eſt, oblector. Neque enim quicquam eſt, quod in hac vita nos ſuauiùs & iucundiùs afficere ſoleat, atque ea, quæ ex Eccleſia capitur, lætitia. In Eccleſia enim eorum, qui lætantur, lætitia conſeruatur: in Eccleſia, dolentes, ad animi tranquillitatem deducuntur: in Eccleſia, ij, qui dolore afficiuntur, gaudio deliniuntur: in Eccleſia, omnes qui ærumnis & laboribus affliguntur, ſuauiter recreantur: in Eccleſia, qui laborant, quiete fruuntur. *Venite enim ad me, inquit, omnes, qui laboratis, & ego vos reficiam.* Quid igitur hac voce vnquam poſſit eſſe optabilius? quid hac inuitatione ſuauiùs & iucundiùs? Dominus te in Eccleſiam vocans, ad conuiuium te inuitat, & ad recreationem pro laboribus exhortatur: ad moleſtiarum remiſſionem & relaxationem. Leuat ille te onere peccatorum, quum delitijs animi mœrorem, & lætitia dolorem diſcutit. O prouidentiam! ô cæleſtem inuitationem! properemus ergo, dilecti, diligentiam ſtudiumque ſummum adhibere: ſed tamen omnino ordine & modeſtia conſeruata, vt hæc omnia decorè prouideque à nobis peragantur. Etenim hac ipſa de re nobis hodierna inſtituta eſt oratio: quæ quidem importuna & grauis alicui videatur, cùm tamen re ipſa neque aſperitatis quicquam habitura, & verò perutilis ſit futura oratio. Sic enim patres, qui liberos amant, faciunt. Neque enim tantùm ea, quæ ad tempus oblectent, ſed & quæ dolore afficiunt, liberos monent: neque ea ſolùm, quæ primò aſpectu vtilitatem præ ſe ferant, eos admonent: ſed & alia quæcunque etiam aſperitatis & moleſtiæ aliquid habent, ſalutaria autem ſunt, ſi ad effectum deducuntur. Et hæc quidem illi ſtudioſè diligenterque docent, & exactam horum obſeruationem poſtulant. Hanc ergo orationem nos quoque in medium afferimus, non certè, vt inanem laborem hîc ſumamus: neque etiam cum totam noctem peruigilare neceſſe habeamus, nihil proficiamus: néve voces in aërem diſſipatæ potiùs noceāt, quàm vtilitates adferant. Neque verò mercator longis itineribus ſuſceptis, qui & vim ventorum & fluctuum impetum ſuſtinet, temerè & fruſtrà eiuſmodi laboribus defungi velit: ſed ideo per pelagus nauigat, & pericula audacter ſuſcipit, ex hoc loco alium præteruehitur, omneſque noctes inſomnes ducit, vt ex mercatura lucrum faciat: quod ſi ſecùs eueniat, & præter lucrum etiam de ſumma aliquid decedat, ne ex portu quidem ſoluere ſibi fas eſſe putat, neque multiplices illos labores perferre. Hæc cùm nobis ſatis ſuperque ſint perſpecta: huc nos decenti cum reuerentia & graui animaduerſione excitata, conferamus: ne pro peccatorum remiſſione impetrata, ijſdem cumulati domum redeamus. Ad quídnam illud eſt, de quo agimus, & quod à nobis tantopere poſtulatur? Eos nempe, qui diuinos hymnos hîc modulantur, inſigni timore graues, compoſitos, & prudentia quadam circumſpectos & ornatos, Deo offerre tales oportere. Sunt enim nonnulli hîc, quos ne quidem vobis ignotos eſſe arbitror, qui cum Dei contemptu oracula ſancti Spiritus veluti profana exiſtimātes, inconditas voces edunt, nec decentiùs, quàm furioſi gerunt: qui toto corpore indecorè mouentur, & circumferuntur, moreſque à ſpirituali grauitate alienos apertè præ ſe ferunt. Miſerum & ærumnoſum te! quem par erat, pertimeſcentem & trepidantem angelicas illas laudes cantillare, & quidem cum timore conditori confeſſionem laudis offerre: & hac interpoſita, veniam tuorum erratorum comprecari. Tu verò mimos & ſaltatores hoc in loco imitaris, dum manus indecorè ſurſum iactitas, & toto corpore exultas, in gyrum vſque te inflectis. Cur autem neque metuis, neque exhorreſcis, cùm tanta oracula audacter profanes? An non tibi in mentem venit, ipſum Dominum, qui tamen à nemine conſpiciatur, eo in loco præſentem eſſe, & ſingulorum geſtum & morum dimetiri: & quidem conſcientiam ipſam obſeruare & intueri? An non cogitas, in orbem huius menſæ tremendæ angelos conſiſtere, eique cum timore in-

Matth. 11.

Simile.

Quanta reuerētia in templum ve-ſtandum.

re inſeruire? Verùm tu horũ nihil intelligis, theatricis & cantilenis & ſpectaculis demẽtatus. Hincque adeò, quæ illis in locis fiunt, cum Eccleſiæ typis & figuris confundis & permiſces: hinc barbaris & inconditis vociferationibus, animum tuum immoderatum & immodeſtum publicè prodis. Quo igitur modo, quomodo, inquam, tuorum peccatorum veniam impetrabis? quomodo Dominum ad miſericordiam inflectes? quàm contemptim Pſalm. 50 preces tuas offeres? *Miſerere mei Deus*, ais, & animum à miſericordia alienum palàm præ te fers: *ſerua me*, exclamas, & te ad figuram quandam corporis, quæ indigna ſit ſalute, conformas? Quínam igitur manus ſupplices complodunt, ſubindeque exiliunt, & ſine omni decoro hinc inde diſcurrunt, & quidem cum vociferatione vehementi, & violenta Spiritus impulſione, vt inde vox obſcura edatur, neceſſe ſit: nónne illud quidem meretricum, in triuijs: hoc verò hiſtrionum, in theatris vociferantium eſt? Quæ igitur hæc audacia eſt: diabolica ludibria cum angelica diuinarum laudum celebratione permiſcere? Cur non tu reuereris hanc vocem, quam recitas? Pſal. 2. *Seruite Domino in timore, exultate ei in tremore.* Hóccine eſt in timore ſeruire? ita diſſolutum eſſe, ita diſtendi: neque verò ipſum te ſcire, de quibus nam hoc incondito boatu agas? contemptum hæc, non autem metum oſtendunt. Contemptus hæc, non metus & reuerentiæ ſunt; arrogantiæ, non humilitatis: ludentium hæc ſunt, non autem diuinas laudes celebrantium. Quam igitur vim illud habet, *Inſeruire Domino in timore?* Hoc verò nihil eſt aliud, quàm ex præſcripto præceptorum Domini omni officio perfungi: cum timore omni, & animi demiſſione & contrito corde humilique mente preces offerre. Neque verò ſeruire in timore, ſed & exultare in tremore, Spiritus Sanctus per prophetam admonet. Cùm enim præceptorum obſeruatio, ſtudioſis virtutum, voluptatem adferre ſoleat, eam iubet tremore & metu temperare: ne omni metu vacui, & lætitia diffluentes, labore fruſtremur, & Deum irritemus. At quomodo, dicat aliquis, accipiendum illud eſt: *Exultate in tremore.* Fieri enim nequit, vt duo hæc ſimul eſſe poſſint. Lætitia ſiquidem ipſa eſt eorum, quæ ex animo expetiueris, adeptio & poſſeſſio & eorum fruitio: item eorum, quæ moleſta ſunt, obliuio. Metus autem intentio quædam eſt malorum, quæ expectantur: qui ex conſcientiæ deſperata exoritur. Qua igitur ratione licet in timore exultare: neque ſimpliciter in timore, ſed & in tremore: qui quidem metus quidam exceſſus eſt, & ſummi angoris argumentum? Hæc igitur quomodo conueniunt? Ipſa te Seraphim hoc docent, quæ re ipſa & opere & hoc miniſterio funguntur. Nam etiam illa, gloria ineffabili conditoris fruuntur, pulchritudinemque illam inexplicabilem contuentur: non dico, qualis ipſa per ſe, & ſua natura eſt, (ea enim neque intelligentia, neque vlla animi contemplatione comprehẽdi, aut informari poteſt: & de ipſa ſic ſentire, & exiſtimare omnino eſt abſurdum) ſed quantum quidem capiunt, & valent illo radio illuſtrari. Cùm enim continenter circa regium illum thronum miniſterijs diuinis occupentur, perpetuo gaudio exultant: in ſempiterna & quadam degunt lætitia: perpetua exultatione lætantur & exiliunt: ſine intermiſſione Deũ celebrant. Nam in conſpectu gloriæ illius aſſiſtere, hoc illis lætitiam affert. id ipſis exultatio, & gaudium & gloria. Fortaſsis autem mentione tantæ voluptatis facta, nonnihil moti eſtis, eamque ſummis votis expetitis. Quòd ſi admonentem auſcultare velletis, adhibitaque reuerentia diuinas laudes decantare, profectò tali lætitia non fruſtraremini. Ipſe enim Dominus eſt, qui in cælis terraque celebratur: Eſai. 6. *Pleni ſunt cæli* (ait Eſaias) *& terra gloria tua.* Quomodo igitur Seraphim, quæ tanta fruũtur læti-

A tia, eam cum metu temperant? Audi quid Propheta dicat: *Vidi Dominum ſedentem in throno excelſo, & ſublato.* ibid. Cùm excelſum thronum dixiſſet, addit ſublatum. Annon ſatis erat, voce excelſi, rem totam denotare, & demonſtrare dignitatis excellentiam? Quid igitur ſublatum adiunxit? Vt cathedram illam nulla intelligentia comprehendi poſſe innueret. Etenim altum, apud nos comparatè dicitur, ad ea quæ humi ſunt & depreſsiora. Sic alti montes comparatione campeſtrium locorum, & vallium dicuntur. Excelſi cæli, ſuper omnia, nempe quæ in terris, ſublati. Sed vocabulum *in ſublime ſublatum*, & ſingulare, & ad illam diuinam naturam, quæ intelligendo cognoſcitur, propriè ſignificandam pertinet: quam neque intelligere, neque explicare fas ſit. Itaque inquit: *Vidi Dominum ſedentem in throno excelſo, & in ſublime ſublato:* & quidnam præterea, ô Propheta, vidiſti?
B Quid circa ipſum contemplatus es? *Et Seraphim ordine ipſi aſtabant.* Quid igitur illæ faciebant? Quid dicebant? Qua libertate fruebantur? Libertatis quidem ille nullius meminit. Metu verò, & conſternatione quadam plena omnia deſcribit: & ipſa figura tantum non ineffabilem illum timorem declarat. Nam vtraque ala faciem contegebant: partim, quia radium ex throno eluceſcentem reſplendeſcentemque, quia gloriam ipſius apertam & manifeſtam ferre non poſſent, ita hoc obtentu interpolarent: partim, quia ſuam erga Dominum reuerentiam hoc pacto declararent. Sic igitur Seraphim lætantur, hæc gaudio exultant: neque tantùm faciem tegunt, ſed & pedes. Quamobrem verò hoc faciunt? Faciem quidem illa velant non immeritò: quòd ſpectaculum eiuſmodi horrendum videatur, quòd gloriam illam inacceſſam rectà intueri non poſsint. Pedes verò cur occultant?
C Quamquam hoc vobis reliquum facere volui, vt in enodando & explicando & vos exerceretis, diligentiam animaduerſionemque in ſacrarum literarum ſenſibus eruendis excitare diſceretis: ne verò ingenia veſtra in huius problematis explicatione occupem, & ſic ſecuros admonitionis meæ relinquam, neceſſe habeo etiam illud explicare. Cur igitur pedes abſcondunt? incredibilem illæ erga conditorem reuerentiam, & vndique excitatum ſtudium, externa illa membrorum configuratione, voce, aſpectu & ſtatu, declarare ſatagunt. Ergo cùm quantum velint & deceat non conſequãtur, vt ſcilicet ſeſe tota & ex omni parte abſcondant, ſaltem quod reliquum videtur contegunt. Itaque dictum illud, opinor, intellexiſtis: an verò denuo illud repetere æquum eſt? Sed vt omnia ſint apertiora, operam dabo: vt exemplo è medio petito, rem nobis ob oculos ponam. Adeſt aliquis regi cuipiam apud nos: is omnibus modis dat operam, vt ſummam ipſi reuerentiam exhibeat: vt ſic
D etiam maiorem ipſius ſibi conciliet beneuolentiam. Hac de cauſa & capitis configuratione, & manuum coniunctione, pedumque gradu, & compoſitione totius corporis, talem ille reuerentiam conſectatur & affectat. Hoc ergo etiam apud illas incorporeas poteſtates fieri ſolet. Etenim cùm magno deſiderio, ſingularis reuerentiæ erga ſuum conditorem declarandæ, teneantur: eamque, quibuſcumque modis queant, exprimere ac præ ſe ferre, ſtudeent: deinde cùm, ſeſe multum ab eo quod tantoperè expetiuerint, abeſſe videant, quòd cupiditati deeſt occultant. Hoc igitur illud eſt: cur illa & faciem & pedes velare dicantur: etſi hæc res altiori quadam, & arcanis quibuſdam referta, contemplatione ſpectari poteſt. Neque enim faciem illi aut pedes habent: ſunt enim incorporea, quemadmodum & Deus corpore vacat: verùm vt oratio nos illud doceat: ea, vndique ad grauitatem compoſita, cum timore & reuerentia diuinis miniſterijs perfungi: ſic & nos decet & metuentes

& tre-

Digitized by Google

& trementes aſtare, cùm diuinas laudes & hymnos
eidem afferimus: non aliter, ac ſi ipſum coràm mē-
tis oculis intueremur. Etenim ille omnino adeſt,
neque vſpiam circum ſcribitur, & voces om-
nium annotat. Sic ergo, & quidem contrito & hu-
mili corde, cùm diuinas laudes obtulerimus, gratas
illas acceptaſque reddemus, & veluti ſuauiſſime
fragrans ſuffimentū, & thus ſurſum in cælos emit-
Pſalm. 50 temus. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpiciet.*
Sed dicat aliquis: Atqui Propheta cum iubilatione
Ibid. 65. diuinas laudes vult decantari: *Iubilate* enim, ait,
Domino omnis terra. Neque verò nos eiuſmodi iubi-
lationem prohibemus, ſed barbarum illum & in-
conditum clamorem: neque voces illas, quibus Dei
laudes decantentur; ſed voces illas omnis confu-
ſionis, & ἀταξίας pleniſſimas, contentiones deinde
mutuas, & cùm illæ manus à vobis temerè fruſtrà
in aërem iactantur, cùm pedes à vobis premun-
tur, indecentiam illam morum, & illam molli-
tiem, atque delitias improbo. Quæ quidem omnia,
otioſorum potiùs hominum, qui in theatris & cir-
co equeſtri verſantur, ludibria & delitiæ ſunt.
Hinc Eccleſia pernicioſa doctrina inficitur: hinc
profanæ illæ & plebeiæ voces: hinc manuum geſti-
culationes & ineptiæ: hinc rixæ, & contentiones,
& omnis morum perturbatio. Neque enim quid-
quam eſt, quod diuinorum oraculorum maio-
rem contemptum pariat, quàm ſi ſpectacula pub-
lica euehantur & magnifiant. Itaque ſæpenumero
Theatralia ſpectacula reprehēdit. rogaui: ne quiſquam eorum, qui Eccleſiæ conuen-
tum frequentant, eiuſdemque doctrina erudiun-
tur, & ſacrificij illius horrendi & myſtici partici-
pes ſunt, illa theatra ingrederetur, & diuina illa
myſteria dæmonicis illis profanaret. Sed eò vſque
inſaniæ nonnulli deuenerunt: vt, licet grauitatem
reuerentiamque, homines admodum cani, præ ſe
ferant, tamen eò accurrunt, omni admonitione
contempta: neque etiam ſuæ ipſorum perſonæ, aut
pudoris habita ratione. Verùm, ſi quis hæc ipſis
obiiciat, moneatque: vt vel canos, vel ſuam graui-
tatem & reuerentiam conſiderent: tum omnis fri-
uola & ridicula eſt hæc eorum excuſatio. Exem-
pla, inquiunt, cæleſtis illius victoriæ & coronarum,
in ſpectaculis illis nobis ob oculos ponuntur: &
ſanè maximam inde vtilitatem adipiſcimur. Quid
ais, mi homo? oratio hæc tua frigida, captioſa, atque
ſophiſtica eſt: tune aliquid vtilitatis conſequeris,
ex infinitis illis contētionibus, ex iureiurādo, quod
ibidem temerè ſuo malo, & in ſuam ipſorū perni-
ciem iurant: vel etiam ex contumelijs & deteſtan-
dis conuitijs in ſuum caput: itemque cauillationi-
bus, quibus ſpectatores ſe inuicem abundè, & ſupra
modum criminantur? Sed ex iſtis quidem fortè ni-
hil vtilitatis ad te redit: ex inconditis verò illis om-
nibus vocibus & clamoribus & barbara illa voci-
feratione & puluere, qui vndiq; excitatur, cum ſe-
ſe mutuo impellunt, & vim inferunt, & in fœmina-
rum conſpectu delitias faciunt, aliquid, quod è re
tua ſit, credo, conſequeris. At hîc quidē prophetæ
& doctores, ipſum angelorum Dominum ſeden-
tem in excelſo throno, & in ſublime erecto, demō-
ſtrat: qui dignis quidem præmia & coronas diſtri-
buunt: indignis verò gehennam & ignē decernūt.
Et ipſe quidem Dominus hæc omnia cōfirmat. De-
nique ea contemnis, & deſpicis, in quibus conſciē-
tiæ metus conſiſtit, & anteacta nequiter vita con-
uincitur: in quibus rationum reddendarum ſum-
mus angor, & luendi ſupplicij ineuitabilis neceſſi-
tas propoſita eſt. Vt autem ſaltem ineptam aliquā
rationem elationis & faſtus tui reperias: inde te vti-
litatem capere dicis, vnde triſtiſſimum, nec vlla
conſolatione leniendum damnum ſentis. Ne quæ-
Pſal. 140. ſo & obteſtor, ne quæramus *excuſationes ad excuſandū*
excuſationes in peccatis. Tectoria ſunt iſta, fuci ſunt, &
deceptio: qua nobis ipſis dānum accerſimus & im-
ponimus. Et de hoc quidē hactenus. Iā verò tem-
A pus eſt, vt ad priorem illam admonitionem redea-
mus: de qua cùm paucis deinceps diſſeruerimus, di-
cendi finem, vt æquum eſt, faciemus. Neque enim
neglecto ordine hîc tantùm peccatur: ſed & aliud
quoddam grauis morbi genus hîc graſſatur. Quód-
nam illud? Nos quando hîc colloquium cum Deo
inſtituimus, ipſique laudes & hymnos concinimus,
mox hæc omnia miſſa facimus: & quiſque familia-
rem aliquem ſibi adiungēs, aut res domeſticas tra-
ctat, aut forenſes, aut vulgares, aut quæ in theatro
aguntur, aut quæ apud exercitum: partim quidem
quomodo hæc omnia ſint adminiſtrata, quomodo
illa prætermiſſa: quid in negotiationibus redūdet,
quid deſit: &, vt ſemel dicam de omnibus, cū pub-
licis, tùm priuatis rebus hîc inter ſe diſſerūt. Hæc
verò quámnam veniam apud Deum mereātur? Si
quis cum rege apud nos colloquatur, tantum de il-
lis rebus agit, quas ille velit, & cupiat audire, & de
B quibus quærat: quòd ſi aliena quædam quiſpiā, præ-
ter animi ſententiam, adferre auſit, extremam pœ-
nam luet. Tu verò ſermone cum illo Rege regum
inſtituto, cui etiam cum tremore angeli miniſtrāt,
& inſeruiunt, omiſſo eo, de quo agi cœptum eſt, de
luto, de puluere, & aranea dicere incipis: hæ enim
res noſtræ ſunt. At quomodo perferre poteris hāc
contemptus pœnā? * Quis tibi hîc quaſi vindicias
comparabit? Sed malè, cùm reliqua noſtra negotia, * quis te hoc ſupplicio eximet
tum verò reſpublica geritur, ideoq; multus hiſce
de rebus nobis ſermo eſt: magnaq; contentio. Sed
quid cauſæ eſt? Inopia conſilij, in ijs, qui Reipub.
præſunt, ais. Imò noſtrum peccatum in culpa eſt,
erratorum noſtrorum vindicta & exactio, illa ſur-
ſum deorſumq; omnia turbauit, illa omnis generis
mala inuexit, illa hoſtes ad bellum armauit, illa no-
bis hoſtes ſuperiores effecit: non aliunde examen
C malorum in nos inundauit & irruit, quàm ex hac
re. Itaq; etiamſi Abraham rerum apud nos potire-
tur, etiamſi Moyſes, vel Dauid, vel Salomon ille
omnium ſapientiſſimus: imò etiamſi omnibus ho-
minibus ſceleratior extiterit, ſiquidē nos malè af-
fecti fuerimus & peccatis obnoxij, non magis in
cauſa eſt eorum malorum, quibus affligimur, quàm
nos ipſi. Quid ita? quoniam ſi vel ex peruerſiſſimis
fuerit, & ijs, qui ſine omni conſilio viuunt, temere-
que impetu quodā feruntur, noſtra ſtultitia & de-
mētia & petulantia ſimilem magiſtratū merita eſt,
peccata noſtra nobis hanc plagā impoſuere. Quid
eſt enim aliud illud quod alibi in ſacris literis eſt:
magiſtratum ſecundùm cor noſtrum nanciſci: quàm nos Principes interdū mali ob ſubditorū peccata.
antegreſſis peccatis noſtris id ipſum effeciſſe, vt
talem magiſtratū haberemus: ſiue ille ex ordine
ſacerdotum fuerit, ſiue eorū, qui res ciuiles & poli-
D ticas adminiſtrant. Quòd ſi vel admodū iuſtus fue-
rit, & ita quidē, vt virtutibus haud multum Moyſe
inferior ſit: nónne illius iuſtitia maxima illa, eorū,
qui parent, errata delere poterit? Hoc quidem in
Moyſe accuratè perſpici poteſt: qui pro populo Iſ-
raelitico plurimum laborauit, aſſidueque Deo ſup-
plex factus eſt, vt promiſſam illā terram ſortiretur.
Sed poſteaquā ille Deū ita offendiſſet, vt indignus
eius terræ poſſeſſione haberetur: eius preces ne-
quaquā tātùm potuere, vt diuinum decretū & iu-
ſtum immutarent, vniuerſo populo in ſolitudine
proſtrato. Atqui quis Moyſe iuſtior? quis apud Deū
in precādo liberior & cōfidentior? Preces quidem
iuſti viri multū ponderis habere dicuntur: ſed quæ
efficaci quadā re ſint præditæ: hoc eſt, quæ pœnitē-
tia & conuerſione eorum adiuuentur, pro quibus
fiunt. Qui enim rigidis, inflexibilibus & refractarijs
ſunt morib. quomodo illis preces prodeſſe queāt,
cùm illi vita & factis repugnent? Sed quid ego, cū
vniuerſus populus peccat, hoc euenire vrgeo? cū
& paucorum peccata, imò ſæpe vnius peccatū, eo-
rum, ad Deum libertatem ſuperet, qui iuſtè res ge-
runt & adminiſtrant. Quod quidē ſimiliter ex po-
pulo Iſraëlitico intelligere licet: qui cùm à Moyſe
guber-

Digitized by Google

Num. 25 gubernaretur, aliquando in hoſtilem terram irruptione facta, cum iiſdem conflixiſſent, & aliqui ibidem inſano amore fœminarũ earundem flagrâſſent, publicam illã cladem, & quidem maximã acceperunt. Hoc verò vnius culpa euenit. Quemadmodum Acham, qui cùm variam illam veſtẽ, quæ donarium in templo fuerat, ſuſtuliſſet, diuinam irã aduerſus populum concitauit. Sed hæc hiſtoria fortaſſe nonnullis auditoribus minùs nota eſt, itaq; eandem paucis commemorabo: vt iis, qui eam tenent, in mentem reuocetur, & rudiores eandẽ addiſcant. Ioſ. 7. Hic igitur Achamus vnus fuit eorũ, qui cũ Ieſu Naue Iordanem tranſiuerunt: qui quidem à Moyſe ſucceſſor deſignatus, imaginem & typum veri ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti præferebat. Nam quemadmodum ille è ſolitudine per Iordanem in terram promiſſionis populum traduxit: ſic ſeruator noſter ex ignorantia & cultu idolorum, per ſanctum & ſalutare ipſius baptiſma, in ſupernam illam & cæleſtem Hieruſalem tranſtulit, & matrem illam primogenitorum: vbi veræ quietis domicilia eximiè extructa, vbi tranquilla, omniique turba & ſeditione vacua manſio præparata eſt. Hic igitur vbi cum imperio populum traduxiſſet, Hierichonem obſidione illa admirabili cingere aggreſſus eſt. Cumque muri iam iam conciderent, quid ille populo mandat? *Hoc oppidum, & quæcunque in eo ſunt, execratio erit Domino exercituum: veruntamen Raab meretricem conſeruate. Cauebitis igitur ab execratione, ne quando deliberatè aliquid inde capiatis, & vos euertatis. Execrata enim ſunt omnia, quæ in oppido ſunt*. Hoc enim ſibi vult vocabulum, anathema. *Ne quis igitur aliquid eorum, quæ Domino conſecrata ſunt, ſurripiat, & ille vos funditus excidat & extirpet*. Periculoſum imperium ſummaque accuratio cùm imperantis Dei, tum verò legem ferentis & promulgantis Ieſu. Quî enim fieri non potuiſſet, vt hæc lex non violaretur, in tanta præſertim multitudine hominum, & vbi complures eſſent, qui ad id impellerent. Nam vel temeritas cupiditaſque lucri, vvlgi: vel quia præcepto non promptè omnes obtemperarent: vel ipſa denique ſpoliorum varietas, velut eſca, quæ auaros & cupidos ineſcaret, propoſita, facilè, vt aliquis fraudem legi faceret, impellere potuit. Sed tamen ita lex lata fuit, & periculum, quod præuaricatoris capiti impenderet, denunciatum. Sed quid poſtea euenit? Mœnia illa collapſa ſunt, & in poteſtatem hoſtiũ, quicquid in vrbe fuit, redactum eſt. Cùm igitur vniuerſus populus præceptum hoc ſtudioſè obſeruaret, vnus aliquis, qui illud violauit, diuinam iram aduerſus totum populum inflammauit. *Peccarunt enim*, inquit, *filij Iſrael peccatum magnum, & ſurripuerunt de anathemate: & accepit Acham, filius Charmei, de anathemate: & iratus eſt Dominus erga populum Iſrael*. Atqui vnus erat, qui peccauerat: quomodo ergo filij Iſrael peccauerunt: *& iratus eſt Dominus filijs Iſrael?* Videſne, quomodo ob peccatum vnius, vindicta ab vniuerſo populo ſumpta eſt, & quomodo aduerſus omnem illam multitudinem Deum vnus ille concitauerit? Cùm igitur ſacrilegium illud perpetratum eſſet, neque quiſquam eius facinoris conſcius eſſet, vno Deo, qui penitiſſima quæque perſpecta habet, excepto, vindicta quidem differabatur: & licet reus ſpe impunitatis ſeſe latere crederet, tamen ab omniſciente Deo, velut ab igne exurebatur. Ergo tempus illud, quod Dominus comminatus fuerat, tandem aduenit, vt reus ille manifeſtò deprehenderetur. Ibidem. *Cùm mitteret enim*, tradunt Sacræ literæ, *Iehoſua viros de Hiericho contra Hai, & aſcenderunt tria millia virorum, & fugerunt à facie virorum Hai, & interfecerunt ex ipſis triginta & ſex viros, & perſecuti ſunt ipſos, & contriuerunt ipſos, & cor populi metu perculſum eſt, & inſtar aquæ liquefactum eſt*. Attende vindicias vnius peccati: vide plagam incurabilem. Vnus quidem peccaue-

A rat, & mors toti populo intentata, timorque omnibus incuſſus eſt. Quorſum verò, bone Deus, hæc? tu ſolus iuſtus, & recta iudicia tua: tu vnicuique ſecundum opera ſua tribuis iudicium: tu, ô humani generis amator! ſuo peccato quemlibet moriturum, neque alterum alterius culpam præſtiturum dixiſti: quî ergo hæc tua ſententia iuſtitiæ conſentanea videri queat? *Omnia tua bona, Domine, & valde bona*, nobiſque viriliter omnia adminiſtrantur & geruntur. *Peccatum quidem*, ait, *contagio quædam & pernicies eſt, cuius vindicta quidem ad omnes peruenit*: ne illud omnes ſua labe inficiat: vt cognito, quantas minas vnius præuaricatio pariat, deinceps nunquam finiendam pœnam effugiant. *Ergo Iehoſua*, cùm animaduertiſſet fugam, *diſrupit veſtes ſuas, & cecidit ſuper terram*, ita *eiulans & lamentans*, quemadmodum literæ diuinæ teſtificantur. Ibidem. Sed quid Dominus ad ipſum: *Surge*, inquit, *quid ita collapſus es? populus tuus peccauit, & teſtamentum meum tranſgreſſus eſt, & nequaquam poterunt filij Iſrael conſiſtere in facie hoſtium ſuorum, donec execratio ſublata ſit ex vobis* B *ipſis*. Hoc ergo edictum populo promulgatum, & reus ſacrilegij à Domino indicatur & confitetur. *Reſpondit enim*, aiunt literæ ſacræ, *Iehoſuæ, & dixit: Verè peccaui coram Domino Deo Iſrael: ſic & ſic feci. Animaduerti, inter ſpolia nudam quandam, eamq; variam veſtem, vnam pulchram, & ducentos didrachmas argenti, & regulam vnam auream quinquaginta didrachmis, & concupiui, & accepi: & ecce hæc in terra defoſſa ſunt in tabernaculo meo*. Deinde ille omnia in apertum profert: quandoquidem ille indicem ſacrilegij longè veraciſſimum eſſe ſciebat, & teſtem obtinebat, qui ipſum conuicturus eſſet, omni exceptione maiorem. Aduerte autem, quàm ille ignominioſo & miſerabili ſupplicio mortis fuerit affectus. *Adduxit*, aiunt ſacræ literæ, *ipſum Ieſus in vallem Achior, & filios ipſius, & filias eius, & vitulos, & iumenta eiuſdem, & omnes oues, & tabernaculum ipſius, & omnia, quæ habebat, & omnis Iſrael ipſum lapidauit in lapidibus*. Hac igitur pœna ſce- C lus illud vindicatum eſt. Adeò incorrupta & ſeuera diuina iuſtitia eſt. Hoc igitur cùm teneamus, quotieſcunque aduerſæ res nos affligunt & premunt, delictorum & ſcelerum noſtrorum pœnas à nobis exigi ſtatuamus: quotidieque criminum noſtrorum inſtituto examine, non alijs, ſed nobis ipſis horum culpam acceptam feramus. Neque enim magiſtratuum tantùm non curantia: ſed multò etiam magis noſtra errata hæc mala omnia inuexerunt. Hoc igitur animo ſi quiſque huc ſeſe contulerit, ſi ſua ipſius peccata ſecum reputet, neque alium facilè reprehenderit: & debita cum modeſtia diuinas laudes commemorabit. Eſt autem modeſtia illa, quæ à nobis poſtulatur, hæc, atque decorum, quod in Eccleſia tenendum eſt, hoc: Primùm quidem contrito corde ad Deum accedere: deinde omnes animi mores omnemque affectionem, externa conformatione corporis exprimere & ex- D hibere: ſtatu ipſo, ipſa manuũ compoſitione, lenitate, concinnitate vocis: perfacilè hoc cuique eſt, modò velit. Quomodo igitur vnus aliquis in omnibus iſtis ſeſe ritè & laudabiliter geret? Ponamus nobis legem, dicamuſque, præceptum publicæ vtilitatis pleniſſimum propoſitum eſſe, cuius vtilitas ad omnes redundet. Itaque inconditas illas voces omittamus, manuſque decenter componamus, & quaſi coniunctas offeramus Deo: neque ineptis geſticulationibus eaſdem iactemus. Deus enim hæc odio proſequitur & auerſatur: quemadmodum quicquid compoſitum & graue eſt, diligit & admittit. *Ad quem enim reſpiciam*, inquit, *niſi ad manſuetum, tranquillum, & qui tremit ſermones meos*. Eſai. 66. Moneamus nos inuicem: non velle Deum, nos cum ipſo colloquentes, interim inter nos quoque communicare: neque verò ea collocutione, quam cum ipſo inſtituimus omiſſa, præſentium congreſſus expetere, & margaritas cum cœno permiſcere: contume-

liam

Digitized by Google

liam enim ſuam neque laudem hoc ille exiſtimat. A Quod ſi quis nolit obtemperare huic præcepto, eum, velut inſidiatorem noſtræ ſalutis, obmuteſcere faciamus, eum perſequamur, & extra ſanctæ Eccleſiæ ſepta eijciamus. Hoc enim cùm fecerimus, & præcedentia peccata expiabimus: ipſum verò Dominum in medio cum ſanctis angelis choros ducentem habebimus: vnicuique pro merito coronam diſtribuentem. Etenim cùm idem & humanus ſit, & munificus, noſtræque ſalutis cupidus, noſtris ille rectè factis lætatur. Idcirco & regnum cælorum pollicitus eſt, & æternæ vitæ ſocietatem & communicationem, omniaque bona nobis præparauit, in quibus nos degere & habitare velit. Quæ vtinam tandem conſequamur, gratia & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: quem decet gloria, potentia, adoratio, cum Patre & Spiritu ſancto, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

VNVM ET EVNDEM ESSE LEgiſlatorem & veteris & noui Teſtamenti: Item de veſte Sacerdotali: Nec non de pœnitentia.

ORATIO VIII.

[† regni.] CHriſti quidem Euangelium † Prophetæ prædicant: miniſtri verò nouæ gratiæ illud ipſum interpretantur: diuinæ verò doctrinæ auditores, amatores, atque laudatores, id ipſum amplectuntur. [Vide not. fol. 731.] *a* Neque enim fieri poteſt, vt quiſquam delitijs diuinæ doctrinæ fruatur, qui eam non auidiſſimè [verbũ Dei cũ appetitu ſumẽdum.] hauriat. Quemadmodum enim, ſi quis neque ſitiat, neque eſuriat, nullam admodum ex cibo potuque voluptatem capit: ſic veritatis illa doctrina nemo delectatur, qui Spiritus ſancti doctrinam non ſummoperè expetit, ac quaſi ſitit. Itaque Seruator ait: [Math. 5.] *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſatiabuntur.* Verus animarum cibus, veræ piorum delitiæ, veræ piorum diuitiæ verbum Dei eſt, Qui per Dauidica oracula loquitur, interdum, velut diues, ſeſe venditat: interdum delitias facit, & ait: [Pſal. 118.] *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel, & fauum ori meo.* Hæc quidem eius, qui delitijs fruitur, vox eſt. Nam Dei timor, & verbum ipſi delitiæ erant. Qua de re alibi ſæpe: [Pſal. 36.] *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis.* Alijs verò in locis non velut, qui delitijs frueretur ſed velut prædiues, quique diuitias legis ſuas oſtentaret: [Pſal. 118.] *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia argenti & auri.* Delitias pietatis ergò, & diuitias iuſtitiæ aduertiſti. Ergò & nos par eſt, ſiti & fame, rerum diuinarum teneri: & delitijs, è regia Chriſti menſa, vberrimè & abundè exſatiari: Euãgeliumque ſalutis vtraque manu tenere. Non quòd nunc primùm ea doctrina initiemini: ſed in Prophetarum literis ieciſtis eius doctrinæ fundamenta: à S. Apoſtolis exædificati, & abſoluti eſtis. Neque enim ab eo tempore, quo Chriſtus in carne apparuit, Euangelium incepit: ſed multò antè in propheticis literis radices egit, tandemque Apoſtolorum prædicatione effloruit. Qua de cauſa Apoſtolus quoque, cùm propoſitum haberet demonſtrare, Euangelium non ab * œconomia incepiſſe, [* incarnatione.] ſed in prophetis eluxiſſe, per œconomiam idipſum diuulgat: [Rom. 1.] *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei, quod multò ante promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis de filio ſuo, qui* [Rom. 10.] *factus eſt ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Non ignorabat Paulus, vetus & nouum Teſtamentum vnum atque idem, atque adeò indiuiduum eſſe: eamque ob cauſam illud interdum Teſtamentum nouum appellat, vt demonſtret, quomodo fines orbis terrarum ſint inſtaurati. Non ignoro hæc alibi à nobis fuiſſe explicata, ſed tamen hîc, vt memoriam veſtram refricem, repeto. Vocat etiam Teſtamentum, nouum, ad diſtinctionem inueterati indicandam: præſtantius, ſcilicet ad diſtinctionem inferioris: æternum, comparatione facta ad momentaneum, & temporale. Sed & ſecundum ipſum vocat. Quid ita ſecundum? vt mutua ſententiarum connexione vnum efficiat. Nam quod abſciſſum diſtractumque ab aliquo eſt, ſecundum non appellatur. Quoniam verò Deus oracula ſua edidit, & in primo, & in ſecundo, idem ille Paulus & primum & ſecundum vocat: atque hoc numero conuenientiam vtriuſque, & conſenſum declarat. Ergo & Paulus, qui indiuiduum Patris, & Filij, & Spiritus ſancti regnum prædicat: iam quidem Euangelium Dei Patris, iam verò Filij appellitat. *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti, vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangelium Dei.* [Rom. 1.] L Verùm nequis, cùm audiat illud Euangelium Dei nominare, arbitretur, Filium nullam ad prædicandam authoritatem obtinere, in iiſdem literis, paulò poſt ait: *Teſtis enim mihi Deus, cui inſeruio in ſpiritu meo, in Euangelio Filij eiuſdem.* [Ibidem.] Ergo præconis huius mirum ingenium, & ſententiam ſuis numeris expletam & perfectã, animaduertiſti. Et ne exiſtimaretur in lege quidem alij cuidam Deo inſeruire: in Euangelio verò ad alium quendam ſeceſſionem facere, inquit: *Benedictus Deus, cui inſeruio à maioribus in conſcientia pura.* [2. Tim. 1.] Non enim, inquit, ab alio ad alium ſeceſſi: ſed quem inſcius colebam, eius cognitione imbutus, complexus ſum. Et alibi cùm docere vellet, oracula Teſtamenti veteris & noui ab eodem ore eodemque Domino profecta eſſe, teſtimonium petit à Teſtamento veteri, cui noui Teſtamenti ſententiam quandam annexuit, & copulauit, cùm ait: *Non obturabis os boui trituranti, &, dignus eſt mercenarius mercede ſua:* [Deu. 25. 1. Cor. 9. Mat. 10.] quorum illud quidem Moyſis eſt: hoc poſterius, C Chriſtus in Euangelio effatus eſt. At ille, vt planum faceret, ab vno & eodem ore edita eſſe oracula: ideò, quæ diſtinctis temporibus pronuntiata fuerant, ob veritatis conſentionem copulauit, cùm ait: *Non obturabis os boui trituranti, &: dignus eſt mercenarius mercede ſua.* Et huius quidem Euangelicæ harmoniæ præclaram imaginem, retia illa Petri, quæ hodierno die in conſpectu veſtro laxata ſunt, exhibent. Neque enim ſemel Petrus tantum retia laxauit (quanquam ſi hiſtoriam ſpectes ſemel tantum) ſed vi & efficacia ſæpenumero. Quoties enim Euangelium prædicatur, nihil ego aliud intueor, quàm Petrum & Andream, & totum illum chorum Apoſtolicum, Euangelicũ illud rete laxantem. Et erat ſanè nouum ſpectaculum ſeruatorem in mari conſpicere, & auditores in littore conſiſtentes: mira verò res: piſces quidem in terra, piſcator autem in mari verſabatur. [Matt. 4.] D Immiſſio illius retis imago erat doctrinæ Euangelicæ. *Reperit,* aiunt literæ ſacræ, *illos lauantes retia,* [Ibidem.] vt qui omnem ſpem de piſcibus capiendis abieciſſent. Piſcator enim niſi deſperet ſe aliquid piſcium poſſe capere, rete non lauat. Itaque reperit ipſos retia lauantes: velut qui nullos ſeſe piſces capere poſſe confiderent. Quibus Dominus piſcationis aſtat: Sed quid facit? Primum quidem doctrinam veritatis illis proponit: hinc iubet rete laxari. Cùm enim verbis nihil eorum, quæ docebat, ſine factis & miraculis illis perſuaderet: conſequens erat, vt doctrinam factis, & reipſa confirmaret. Nam Deo iubente, quæ nuſpiam repeiuntur, inueneris: & quæ non ſunt, capias. *Laxate,* ait, *retia veſtra.* [Luc. 5.] Cui Petrus: *Magiſter, per totam noctem laborantes, nihil cepimus, ſed in * nomine tuo laxabo rete.* [* in verbo.] Admiror Petri fidem: qui prima quidem improbaret, noua & recentia crederet: In nomine tuo laxabo rete. Quid iſta, in nomine tuo, ait? *Quoniã verbo tuo cæli firmati ſunt:* [Pſal. 32.] terra ſuis fundamentis ſubſiſtit: mare

ſepara

ſeparatum eſt: homo proprijs ſuis floribus exorna-
tus eſt, & omnia verbo tuo conſtituerunt, vt eſt
Heb 1. apud Paulum: *Qui portat omnia verbo potentia ſua.* In
nomine tuo laxabo rete. Et verbum illud quidem
rete anteceſſit: nec piſces adſunt. Nam licet ad-
fuiſſent, ob tumultum eorum, qui piſcabãtur, fuiſ-
Rom. 4. ſent dilapſi. Sed deſcendit verbum eius, *Qui vocat
ea, quæ non ſunt, ac ſi eſſent*: potentia & vis eius, qui iu-
bebat, prius, quàm rete mare ſubijt: & magna vis
piſcium capta eſt. Imago hæc fuit vniuerſalis Ec-
Luc. 5. cleſiæ. *Rumpebatur rete*: annuerunt ſocijs, qui in alia
nauicula erant, vt aduenirent, & illis auxiliarẽtur.
Oportebat enim naues duas concurrere ad illam
piſcationem. Niſi enim Prophetarum chorus Apo-
ſtolicæ manui adſit, & opituletur: & niſi oracu-
culis Prophetarum, Apoſtolorum euentus reſpon-
deat, non capimus, quæ venamur. Itaque cum
Seruator demonſtrare vellet, hanc piſcationem
imaginem eſſe Eccleſiæ, cumque Petrum erudire,
hoc exemplo acuit & incitauit ad fortitudinem.
Dicit ipſi, *Ne metuas, ab hoc tempore, homines capies.* Ab
hoc tempore, à quo potentiæ meæ coram vobis pe-
riculum factum: idque vobis cognitum & planè
perſpectum eſt, etiam bruta verbo meo obedire,
omniaque nutum meum ſequi. Hoc igitur ſatis ido-
neo exemplo ob oculos poſito: deinceps capiendis
hominibus operam dato. Neque enim dicit, homi-
* ζωγρῶν ἔσῃ vivos capiēs eris nes piſcaberis: ſed homines * capies. Siquidem
piſces viui, vt deinceps necentur, ſolet capi: ho-
mines verò, periculo mortis erepti, hoc genere
captiuitatis reuiuiſcunt. Itaque ait, *Ab hoc tempore
homines capies.* Sed quam ob cauſam ait: *Ne metuas?*
præſertim cùm promiſſum illud præclarum, & ſpẽ-
didum eſſet. Cur igitur ait, Ne metuas, Poſtea-
quam illis in mẽtem venit primorum ſuorum pec-
catorum, Dominus ait: Ne metuas te ipſum, tam-
quam peccatorem: ſed deinceps de te ipſo, velut
de Apoſtolo: ſentito: tu qui dominico imperio or-
bem quaſi ſagena complecti iuberis. Hanc vocem
(ne metuas) quiſque ex Chriſto audiat, tantùm re-
ſipiſcat, & ad ſanitatem mẽtis redeat. Ergo rete il-
lud, vt ordinem rerum explicandarum prius inſti-
tum proſequamur, figura fuit Euangelicæ Serua-
toris doctrinæ: quam D. Paulus iterdum *Euangelium*,
interdum, *Euangelium iuſtitiæ*, aliquando *Euangelium
pacis*, tum verò *Euangelium potentiæ* appellat. Po-
ſteaquam enim prædicationis illa gratia tam po-
tens & efficax fuit, vt bella, quæ Orbem infeſta-
bant, ſuſtulerit, homineſque ſeditionibus inter ſe-
ſe infeſtos pietate imbuerit: & quia idem omnes ad
Euang. iuſtitiæ. ſalutem inuitârit, non immeritò *Euangelium iuſtitiæ*
dicitur. Iam verò quia dæmonum bella ſedat, *Euan-
Euang. pacis. gelium pacis* appellatur. Denique, quia Dei cogni-
tionem verbis illud vilibus, & è medio petitis pro-
Euang. potentiæ. mulgat, *Euangelium potentiæ* dicitur. Itaque Pau-
lum differentem auſculta. *Non erubeſco Euangelium:
Rom. 1. virtus enim Dei eſt ad ſalutem omni credenti.* Potentia ſi-
quidem tùm demum verè eluceſcit, ſi qui eam pro-
mulgat, rationes nequaquam humano iudicio con-
gruentes adhibeat, & tamen Orbem totum in
ſuam ſententiam protrahat. Atque hoc eſt, quod
2. Cor. 12 Seruator ipſi Paulo dicit: *Sufficit tibi gratia mea: vir-
tus enim mea in infirmitate perficitur.* Neque enim ma-
gnum quippiam & illuſtre hoc fuiſſet, ſi Chriſtus
diuina ſua natura omnibus aſpectabili Orbem il-
luſtrâſſet: ſed quia in corpore conſtitutus, incor-
poream & incomparabilem gloriam declarauit:
hoc verò magnum & admirabile eſt. Neque illud
admirabile, ſi viuus & viuifica vi atque gloria reſ-
plendeſcens, Orbi vitam reſtituiſſet: ſed potentia
verbi, qua mortem ſuſtulit, & omnis generis con-
tumelijs obrutus, immortali gloria refulſit. Alijs
verò in locis Paulus *Euangelium pacis* appellat:
Præparate, ait, *pedes veſtros in præparatione Euangelij pa-
cis.* Alibi *Euangelium iuſtitiæ* nominat, cùm ait: *Iuſti-
Rom. 10. tia enim Dei in ipſo reuelatur.* Quid enim iuſtitia Dei?

Poſteaquam lex tantùm Iudæis fuit lata, Euange-
lium verò illud iuſtitiæ appellat. Siquidem Deus
iuſtus, qui omnes peræque procreauit, omnes illu-
ſtrauit: &, quod iuſtitiæ proprium eſt, non hos qui-
dem conſeruauit, illos verò non: & hos quidem
vocauit, illos verò non. In veteri quidem teſtamen-
to, vocatio iuſta, aut quæ propriè ita dici queat,
non fuit: ſed œconomica, & in diſpenſatione poſi-
ta, quæ iuſtitiæ viam præmuniuit. Neque verò hanc
quidem iuſtam, illam verò iniuſtam dixero: ſed
illam quidem aditum ad hanc patefeciſſe, & ad
hanc apparatum quendam fuiſſe. Nam legem
quidem Iſrael tulit. Hinc Dauid: *Qui annunciat ver-
bum ſuum Iacob, iuſtitiam & iudicia * eius Iſrael. Non fe-* *ſua.
cit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit Pſal. 147.
eis. Legem ſiquidem vnigeniti patefecit, promul-
gauit: hic verò doctrina veritatis tamquam ad ſta-
teram appenſa, omnibus eam ex æquo communi-
cauit. Aduertite quæſo. Iuſtitia eſt, omnes ex æquo
ſaluos velle: nec differentiam facere ſerui aut li-
beri, barbari aut græci, mulieris vel viri: ſed quod
Paulus dicit: *In Chriſto Ieſu, non barbarus, non Scytha: non* Gal. 3.
mas, non fœmina: nec ſeruus, nec liber. Vidéſne æqualita-
tem? Poſteaquam enim natura æquales ſumus,
licet ſententijs diſſideamus: iuſtitia illa noſtram
naturam priſtinæ illi pulchritudini, & integritati
reſtituit. Cùm enim Adamus è terra formatus
fuit, non alienigena, non Scytha, nec barbarus,
nec Græcus, non ſeruus, non liber, non mas, nec
fœmina fuit. Ex vno ſiquidem duos illos pro- Gen. 2.
creauit. Seruitus verò non natura extitit: ſed inſti-
tuto hominum diſtincta eſt. Sed & alia ſpecies Seruitus
ſeruitutis eſt, ad quam, vel neceſſitate famis aut vnde orta.
captiuitatis adigimur. Sed & præter hanc, alia eſt,
quam ſponte ſubimus: vt ancillis in vxores du-
ctis, libertatem vendimus, & nos ſeruituris iugo
ſubijcimus. Ac prima quidem illa animi quadam
prauitate conſtituta eſt. Tu verò, vnde hæc ſer-
uitus originem duxerit, attende. Poſt inunda-
tionem illam Noe cùm vinum bibiſſet, nec vero
conuenienter illud temperâſſet, imperitia qua-
dam inebriatus eſt: non ſtudioſè ille quidem, vel
data opera, ſed inſcius hunc ſuum morbum oſten-
dit. Et quidem ebrius ſeipſum denudauit: ad quem
vnus è filijs ingreſſus, patrem nudum conſpexit,
& irriſit. Quid igitur pater iam ſobrius ad illum?
Execratus Cham ſeruus erit fratribus ſuis. An non Gen. 9.
vides, peccatum ſeruitutem introduxiſſe? Hinc
Seruator: *Omnis, qui peccatum facit, ſeruus eſt peccati.* Ioan. 8.
Poſtquam ergo liberator humani generis aduenit,
veniam ille peccatis conceſſit, imò verò ſuſtulit:
ſiquidem radice exciſa, fructus ſimul excidit.
Vocat ergo Euangelium iuſtitiæ, quòd omnes ex
æquo homines illuſtrat. Iudæi verò arbitrabantur,
Euangelium, quod promulgabatur, ad ſe ſolos per-
tinere. Verùm hæc ipſorum expectatio inopina-
tum euentum ſortita eſt. Hinc igitur Dauidicum
illud: *Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio* Pſalm 47
*populi tui ſecundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in
fines orbis terræ.* Et vt demonſtraret, quod miſeri-
cordiam ſuam declarare in fines orbis terræ, ſit il-
la iuſtitia, ſubiecit: *Iuſtitia plena eſt dextera tua.*
Quotieſcumque profundior aliqua & prophetica
ſeſe obtulerit quæſtio, eam amplectere: non qui-
dẽm applauſu quodam externo, ſed intelligen-
tia. Non autem ſimpliciter verborum ſonitum ad-
mirare, ſed ſententiam & vim verborum explora.
Si enim verè & ex animo modulatus fueris, ma-
ximeque Dauidicum illud oraculum cantaueris:
*Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio populi
tui: ſecundum nomen tuum, Deus, ita & laus tua in fines
terræ: Iuſtitia plena eſt dextra tua*: ſimul & diuinas lau-
des celebrãs, & ſancto Sp. repletus apparebis. Qui
enim ingenuè & ex animo pſallit, animo renoua-
tur, & tẽplum Spiritus ſancti efficitur. Neque enim
leue & paruum quippiam pſalmorum modulatio-

nem

Digitized by Google

nem exiſtimaueris. Videtur illa quidem aures tantùm demulcere, & ſuauiter afficere: atqui reipſa animum quoque excitat. Sic etiam B. Heliſæus, cùm à regibus quibuſdam, vt futura prædiceret, 4. Reg. 3. rogaretur: *Mihi verò virum, qui pſallendi ſciens ſit, adducite*, inquit. qui cum veniſſet, inter pſallendum, tradunt ſacræ literæ, *Spiritus ſanctus ſuper Heliſæum cecidit*. Ergo & Spiritus ſanctus vocibus modulantium oblectatur, & velut incantationibus deuocatur & allicitur, ſiquidem in prophetæ animo acquieuit. Equidem animus prophetæ purus ab omni labe. Spiritum ſanct. aduocare ſatis ſuperque potuiſſet. Quid eſt ergo, quod dicit: *Date virum, qui pſallendi ſit ſciens?* Nō ſanè ideò, vt Spiritum ſanctus pſalmorū modulatione oblectari demonſtret: ſed vt illo cantante, prophetæ mente renouata, digna, in quam Spiritus ſanctus ſeſe inſinuaret, efficeretur. Ideoq; Spiritum inuocat, vt planum faceret, non pſalmodia oblectari, ſed animo per modulationem excitato & attento. Neque ille ad pſallentem peruenit: ſed ad audiētem. Oportet itaque in genere omniū pſalmorum vim & ſententias perſcrutari: præci-
Pſalm 46. puè verò eius, qui nobis hodie eſt recitatus: (*Dominus regnauit*) *exultet terra, lætentur inſulæ multæ*. Quomodo ergo illud, *Dominus regnauit*, accipis? nū quaſi recens ad faſtigium illud regiæ dignitatis peruenerit? Si enim dixiſſet: Dominus regnat: ſempiternam illius regiam dignitatem notâſſet. Iam verò
Pſalm. 42. dicit, *Dominus regnauit*. Dictum eſt, & antehac, & iam iterum dicetur. Ante Chriſti aduentum, ante Euāgelij promulgationem, in naturam noſtram imperium obtinebat Diabolus, Peccatum, mors. Vn-
Rom. 5. dénam hoc? Paulus explicat. *Quemadmodum enim regnauit peccatum in mortali noſtro corpore, ſi etiam gratia regnabit per Chriſtum*. Ecce peccati regnum. vbínam Diaboli? Auſculta Chriſtum dicentem.
Math. 12. *Si Satanas Satanam expellit, aduerſus ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum illius?* Ecce Diaboli regnum. Vbi verò mortis regnum? Audi Paulum diſ-
Rom. 5. ſerentem: *Regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, ſuper eos, qui non peccauerant*. Cū igitur Diabolica trias, in ſanctam & impollutam Trinitatem, tyrannidem ſuam exercuiſſet, ſcilicet. Diabolus, Peccatum, Mors: Et Diabolus quidem decipiebat, Peccatum interficiebat, Mors verò ſepeliebat. Dauid, hac triplici tyrannide oppreſſus, lætum nuntium indicat: monetque, vt ſeſe ex ſeruitutis ergaſtulo ſubducant: & regnum Chriſti, quod prædicabatur, amplectantur: *Dominus regnauit*. Et regnum quidem mortis abolitum eſt, & peccati potētia imminuta eſt, & Diaboli poteſtas fracta eſt. *Dominus regnauit, exultet terra*. Et meritò ſanè exultare debuit, quæ quondam in ſeruitutem redacta, iam liberata eſt: quæ quondam errauit, iam omni gloria reſplendeſcit: quæ quondam in monumentis condita deliteſcebat, nunc in throno collocata eſt: quæ quondam omni ignominia oppreſſa iacebat, nunc omni honore & gloria afficitur. *Dominus regnauit*. ſic etiam alio in loco dicitur. Oportet enim ſententias conſentaneas inter ſe in medium adferre. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt*. Nos quidem veſte induimur, vt quidquid naturæ noſtræ minùs eſſet decorum, occultaretur. Quare igitur Deus naturam ſuam, quæ & corpore vacat, & pleniſſima lucis eſt: imo quæ luce coruſcat, contegit? Atqui appellat ille corpus Chriſti, veſtem ſuam. *Dominus regnauit, decorem indutus eſt*: Decorem vocat, carnem Chriſti. Erat enim illa ſanè decora,
Eſai. 53. nec vlla peccati turpitudine fœda. *Neque enim peccatum fecit vnquam nec inuentus eſt dolus in ore eius. Indutus eſt decorem, & præcinxit ſe*. Namque zona regem quidem exornat: ſed & indicium & ſymbolum regis zona eſt, & iudicis. Itaque ipſum &
Eſai. 49. regem iudicem introducit Eſaias, cùm ait: *Egredietur virga de radice Ieſſæ. & flos ex ipſa aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, & erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius*. Huius ipſius veſtis Seruatoris, in carne dico, latentem figuram præ ſe tulit Pontifex in lege. Et verò diligen- Veſtis ſacerdotis veteris erat figura Chriſti.
ter aduerte: quomodo vmbræ illæ veritatem nobis adumbrârint: & delineauerint: quomodo item Euangelicæ figuræ præluxerint. Ago hoc leniter, & pro virili me ſimplicium & imperitorum captui accommodo, ne illi huc vel illuc circumcidantur. Pontifex igitur ingrediens in Sancta ſanctorum, induebat veſtem talarem, ſcilicet veſtem à capite vſque ad pedes demiſſam, ſuperhumerale, & zonam circumcruralem: laminam item auream. Quid eſt ergo corybantium c & oraculum in pe- Exod. 27.
ctore, & quæ præterea ſcriptura ibidem explicat, & cernere facile eſt? Aliæ quidem figuræ, alij quoque ſenſus. Neque enim Deus omnino hyacintho & purpura, item cocco & byſſo recreatur. Deus enim animorum puritatem poſtulat: ſed in corporeis illis floribus virtutum ille imagines deſcribit. Si enim Deus reuera veſtitu illo longè ornatiſſimo delectabatur: cur non Moyſen ante Aaronem hoc modo induit? Sed Moyſes quidem ea veſte carebat, eadem tamē ſacerdotes induebat. Moyſes aqua non fuit lotus, & tamen lauabat: non oleo inunctus fuit, & tamen vngebat: nullam veſtem ſacerdotalem ille geſtabat, ſed ſacerdotes induebat: vt inde perſpicias, viro perfecto virtutem ad decus, & ornamentum ſufficere. A capite igitur ad pedes vſque ſacerdotem contemplemur. Namque ipſum vocabulum veſtimenti ambiguum, & de quo controuertitur: & Græco verò ſermone modificatum. Initium ergo faciam à capite. Quídnam igitur erat primum? tiarâmne, vel quid primò nominat? quid poſt tiaram illam, quaſi conciliatricē? Loco tiaræ igitur eſt habitus totius illius veſtis. Quandoquidē Pontifex caput erat populi: Par erat eum, qui caput eſſet omnium, in capite eius rei ſymbolum exhibere. Negligens ſiquidem & remiſſa authoritas ferri nequit: quæ verò ſui imperij ſymbolum exhibet, legi ſubijcitur, & paret. Itaque iubet caput minimè eſſe nudum, ſed coopertum. Sed &, quid etiam tintinabula illa interiecta velint. accipe: conſenſionem ſcilicet præclarè & rectè factorum. Omnis enim virtus ſonum quemdam ſuum edit. Vnde Paulus ait: *A nobis ſermo Dei* * *diuul-* 1. Theſſ. 1. * inſonuit. ſonus
gatus eſt. At Vndenam incepit? † *Circuibat Ieſus*, ait, *docens omnem ciuitatem & vicum, & curans omnem morbum, & omnem infirmitatem in populo, & exiuit ſonus de eo in omnem terram*. Math. 4. & alibi. Attende diligenter: Virtutum quidem ornatum vidiſti. Ille ipſe ſacerdos, Chriſti figura erat: hîc quidem nihil, velut per allegoriam explicaremus, niſi Paulus nobis anſam præberet: & niſi Paulus vim illam iuſtitiæ nobis explicâſſet, nos ſanè hæc numquam aſſequi potuiſſemus. Hanc ob rem Paulus hunc ſacerdotem Chriſti figuram proponit, & ait: *Non enim in ſancta manufacta* Hebr. 9.
introiuit Ieſus, exemplaria verorum: ſed in ipſum cælum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. Atque hæc quidē res ſeditioni inter Iudæos occaſionem præbebat: ita, vt de noua & inuſitata inter ſe quæſtione contenderent: cùm enim Apoſtoli ſeruatorem & regem, & ſacerdotem, & prophetam prædicarent, Iudæi inter ſe contendebant allatis in medium, quæ in lege ipſorum perſcripta fuerunt, oraculis & teſtimonijs. Alia, dicebant, tribus regni: & alia ſacerdotij. Leuitica quidem, ſacerdotij: tribus verò Iuda, Leuit.
regni. Si igitur Chriſtus rex, ergo non ſacerdos: ſin verò ſacerdos, ergo non rex. Aduerſus quos Paulus agens, omni oratione ad euertendam hanc ipſorum opinionem comparata, ait: *Num igitur Chriſtus ſecundum ſacerdotij veſtri ordinem & inſtitutionem reſurrexerit?* Apud vos quidem regnum & ſacerdotium diſtincta ſunt: in Chriſto vtrumque coniunctum eſt & copulatum. *Tu enim*, aiunt ſacræ literæ, *ſacerdos es in æternum, ſecundum ordi-* Heb. 5.
nem Melchiſedech. Itaque ratiocinatur Paulus, & ait: Heb. 7.

Si enim primum illud ſacerdotium erat irreprehenſibile, quid oportebat dicere: ſecundum ordinem Melchiſedech, ſacerdotem reſurrecturum: & non ſecundum ordinem Aaron. Etenim tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat. Ergo Seruator noſter ſummus eſt Pontifex: non ratione diuinitatis ſuæ, ſed ob figuram carnis: in ſupernis ad dexteram Patris conſidens propter nos: & ſummus Pontifex, ſecundum ordinem Melchiſedech. De quo prolixa quidem dici poſſent, ſed nō ſunt huius loci. Vos quæſo attendite: Erant in lege veteri holocautomata: erat ſacrificium pro peccato: erat oblatio. Seruator autem vbi in hunc mundum aduenit, ſacrificiis illis figuram & ſpeciem rerum futurarum referentibus, finem imponit: proprio ſuo corpore pro omni ſacrificio ſubſtituto. De quo Paulus, *& ingreſſus in mundum*, dicit: *Sacrificium & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: holocautomata & pro peccato non poſtulaſti. Tunc dixi: Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me.* Paulus ergo cùm de prophetico munere dixiſſet: nec non illud quoque, quod ſacrificium & oblationem pro peccato repudiâſſet, *tunc dixi: Ecce venio*. Tollit primum, vt concludat & conficiat reliquum. At vbinam ſacrificium & oblatio in corpore Chriſti inuenitur? quemadmodum Apoſtolus Paulus teſtatur: *Obſecro vos fratres per miſericordiam Dei vt tanquam filij dilecti ambuletis in charitate. Quemadmodum & Chriſtus dilexit vos, & ſemetipſum pro vobis dedit ſacrificium & oblationem Deo, in odorem bonæ fragrantiæ.* Propter te, Chriſtus ſummus eſt Pontifex: per ſeipſum, Deus. Noli immutare verba Dei viui: *in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum baptizatus es*: cur tu his vocabulis abolitis tuorum cogitatuum & cōceptuum commenta profers? generationeſque: item generatus, & ingeneratus: conditus & inconditus, ens ſemper, & non ens ſemper crepas? Anne Deus hæc monſtra verborum feret? Vnicum vocabulum cùm aliquando propheta immutaret, etiam de vita periclitatus eſt: attende vnius voculæ accurationem. Quidam prophetarum verba imperitia quadam appellabant ſumptionem (λῆμμα) Domini. At ille per Hieremiam. *Si interrogabit te populus, vel ſacerdos, aut Propheta, & dixerit tibi: Quænam ſumptio, λῆμμα? Dic ipſis. Vos eſtis ſumptio Domini. Rapiam enim vos rapinam, & rumpam vos, ne deinceps dicatis ſumptionem vnum verbum*: ſic itaque, vt id verbi immutetur, Deus comminatur. Tu verò integerrimorum dogmatum perfectionem, & accurationem peruertis? Patris nomen circumſcribis? Filij dignitatem inficiaris? Sancti Sp. gratiam abrogas? Tu ergo manus Dei effugies? graue eſt & horribile, verbum Dei viui D. noſtri peruertere: quòd ſi verba aliqua peruertantur, Deus indignatur: & dogmatibus ſubuerſis non iraſcetur? Túne Seruatore ſapientior? Túne Euangelio accuratior? Pertimeſce iudicium Dei: illud horribile, & tremendum nomen reformida: prauitatem & malitiam auerſare: pœnitentiam tibi propone, & fides tua ſalutem tibi ſpondet. Pœnitentia enim ſalutaris eſt, & iis, qui in hæreſi verſantur, quoque adeò in aliis peccatis voluntantur. Pœnitentia radix pietatis eſt. Reſipiſcamus ergo, & ad ſanam mentem redeamus, Deumque demiſsè, & pœnitentes rogemus: vt bella toto terrarum orbe ſedet, & auferat: barbaros extinguat, & hoſtium machinationes & molitiones ad nihilum redigat: & nobis omnibus bonis liberè frui concedat. Cùm aliquis ingenuè & ex animo pœnitens, ad Deum ſeſe contulerit, pœnitentia Deum admodum placat. Exempli gratia: *Pœnituit, fleuit*, inquit Deus. *Audiens audiui gemitum Ephraim lamentantis, & dicentis. Caſtigaſti me Domine, & non emendatus ſum, ſed factus ſum velut vitulus petulans: conuerte te ad me, & conuertar.* Et quid Deus ad ipſum? *Eò quòd ſermones mei in ipſo ſunt, nequaquam recordabor amplius, & ipſius miſerebor.* Ne quis te conterreat, non fama, non cunei barbarorum, & denſa nebula: etiamſi hoſtes noſtri innumerabiles ſint multitudine, propugnator & defenſor noſter, longè fortior eſt. Si de multitudine ſuſpicans, timeas: Heliſæus propheta tibi dicit, *Ne metuas, plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis.* Illic quidem barbarorum multitudo, hîc angelorum phalanx eſt. Nam pro iis hominibus & angelicus exercitus propugnat, & prophetarum chorus, & Apoſtolorum poteſtas, & martyrum preces. Noli enim exiſtimare martyres tantùm pro nobis orare: quin & angeli, rebus noſtris aduerſis, pro nobis deprecantur, neque ſolum deprecantur, ſed & reſponſum à benefico Domino accipiunt. Zach. propheta ait: *Et reſpondit angelus, qui loquitur in me, & dixit ad Dominum.* Hæc autem angeli fuit precatio. *Domine exercituum, vſquequò tu non miſereberis Hieruſalem, & vrbium Iuda, quibus iratus exiſtis iam ſeptuageſimus annus eſt?* Quid igitur? repudiauitne Deus orationem legati angelici? Minimè id quidem. Quid igitur reſponſi dedit? *Reſpondit*, inquit, *Dominus ad angelum, loquentem in me verba bona conſolatoria, & conſolationes*. Obſecremus ergo & nos Dominum angelorum, & ablegabit vnum ex angelis, qui totam phalangem hoſtium diſſipet. Ego verò & ſcripturam illam ceræ impreſſam adamaui, omni pietate refertam, mihique viſus cernere angelum, barbarorum illam nubem profligantem. Vidi barbaras illas gentes conteri & conculcari, & Dauidem verè exclamare. *Domine in ciuitate tua imaginem ipſorum abolebis.* Sed & nunc beatus Dauid de nobis dicat. *Fiat via ipſorum tenebræ, & lapſus, & angelus Domini perſequatur ipſos.* Equidem Deus varias occaſiones, vt hoſtes peſſum erant, procurare nouit. Acies illa Sennacherib, regis Aſſyriorum, ingens erat, & vnus angelus ablegatus, centum octoginta * millia hoſtium proſtrauit. Nos verò homunculi humanis ratiunculis omnia euenta metimur, nobiſcumque dicimus. Quid, ſi in noſtris partibus nullus miles inueniatur? Quid, ſi priuſquam imperator veniat, omnes nos deuaſtet? Quid faciemus? Num igitur quia tu occuparis, etiam Deus præoccupatur? Num quia tu non vbique es, Deus non vbique eſt? Num igitur Deus hoc quidem poteſt, illud verò non poteſt? At mare omnis rationis expers, ei obtemperauit, & ſubſedit: bruti piſces ſeſe capiendos Petro obtulêre, & angelus, ſiquidem Deus imperet, omnes veritatis hoſtes non funditus delebit? Nos tantùm ſobriè & modeſtè viuamus: tantùm Deum rogemus eique ſupplices fiamus. Imperauit apud veteres Imperator præſtantiſſimus, quem ego communi nomine deſigno, vt omnibus innoteſcat. Fuit inquam Imperator exterorum Siſara. Cuius etiam Dauid mentionem facit. *Fac ipſis ſicut Madian & Siſara, ſicut Iabim in torrente Ciſon.* Iabim quidem rex erat alienigenarum: Siſara verò legatus Regis. Erant autem regi currus falcati octingenti, & manus infinita. Populus itaque Iudæorum extimuit, conſpexit ingentes illas copias & exhorruit. Quid igitur amantiſſimus hominum Deus per propheteſſam Deboram defenſori pietatis indicat? *Ne metuas*, ait, *ecce, tradit tibi ipſum Dominus in manus tuas, nec erit facinus necis illius manuum tuarum, ſed manus muliebris:* Aduerte, quomodo Deus arrogantiam illam coërcuit: viri non ſuſtinuerant, & mulier imperatorio munere perfuncta eſt. *Ingreſſuſq; eſt Siſara ad mulierem, quæ Iabel dicebatur, & cùm magno æſtu laboraret, frigidam ab ipſa petiit: illa verò lac ei porrexit.* Sapiens verò commentum fœminæ. Cùm enim lac refrigerandi vim obtineat, & ſomnum conciliet, ideò lac ipſi affert, vt ſcriptura verè pronuntiat, quæ ait: *Aquam ab ipſa petiit: & illa lac obtulit, vt ſimul & ſitim reſtingueret, & conſopiret: deinde eo dormiente, arripuit illa fœmina clauum & malleum, & ad hoſtem accurrit.* Ecce ſapientiam mulieris. Cur illa non potiùs gladium aut machæram, ſed paxillum arripuit? Metuebat, ſcilicet muliebriter, ne ille experrectus, deprehenderet illam, gladium manu tenentem, hanc ob cauſam illa nullum virile telum arripuit, ſed commentum muliebre aſſumpſit.

Margin notes: Heb. 10. — Pſal. 39. — Epheſ. 5. — Hiere. 23. — Pœnitentię vtilitas. — Hier. 31. — 4. Reg. 6. — Zacha. 1. — Pſal. 72. — Ibidem. — Pſal. 14. — Dei iudicia non ſcrutanda. — 4. Reg. 19. — * quinque. — Iudic. 4. — Pſal. 82. — Iudic. 4.

ſumpſit. Solent enim mulieres ſuccinctæ paxillum in parietem pangere, & ſic ſuum opus ſuſcipere & aggredi. Rem igitur alia via ita inſtituit, vt illa extra omnem ſuſpicionem eſſet. Cùm verò Deus auxiliaretur. Dei quoque erat, oraculum illud ad exitum deducere. Neque enim mulieris hoc ſtratagema erat, ſed Dei oraculum: *In manu mulieris erit mors tua.* Deus ergo cùm adminiſter illius facinoris eſſet, ſomno hoſtem illum occupauit: & mulier, paxillo arrepto & malleo, adegit per tempora ictu tam forti, vt ille etiam terram contingeret: & ſic quidem ille intra pedes mulieris mortuus eſt. Non deſunt Deo occaſiones, & cùm ipſe vult, nihil refert, nos etiam ſociorum auxiliis deſtitui: Dei arma, Dei miles, Dei vires: nutus Dei omnia poſſunt; tantùm Chriſto dicamus. *Dic verbo, & hoſtes diſſipabuntur*: dic verbum, & miſericordia ciuitatē affeceris, dic verbum, & mundi miſereberis. Dicamus, *ecce hoſtes tui ſtrepuerunt, & qui te oderunt, ſuſtulerunt caput.* Viſne aliud ſtratagema quoddam muliebre cognoſcere, quòd & ipſum diuina voluntate perpetratum eſt? Erat alius quiſpiam, nomine Abimelech, qui interfectis ſeptuaginta fratribus, totoque populo hoc fratricidio in ſuam poteſtatem redacto, oppidum, admotis copiis, oppugnare cœpit: & omnibus ad belli faciē attonitis & ſtupefactis, Deus iterum mulieris manū intendit, eamque è mœnibus ſpectare facit: quæ vbi fruſtum de lapide molari arripuiſſet, in caput tyranni proiecit, caluamque contriuit. Sed obſerua incredibilem ſuperbi illius vitioſitatem non niſi ipſi commori. Dicit ergo ſatelliti aſtanti, *Stringe gladium tuum, & me percute, ne dicant, mulierem me occidiſſe.* Et corpus ipſius quidem moriebatur, faſtus & ſuperbia ſuperſtes erat: & vitam ille quidem cum morte commutabat, vanæ gloriæ ſtudium nondum commutabit. Et quidem hac ætate non deeſt Deo Debora, nō deeſt Deo Iahel. Habemus & nos ſanctam virginem Dei genitricem, Mariam, quæ pro nobis intercedit. Si enim quæuis è vulgo & multitudine victoriam obtinuit: quantò magis Chriſti mater hoſtes veritatis confundit? Hoſtis ille cùm amaretur, arbitrabatur fœminam eſſe, quæ riſu & ſibilis exciperetur, & imperatricem fortiter depugnantem ſentit. Non exiſtimabat, illi monumentum futurum, & ipſi ſepultura inuenta eſt: mortuam illam exiſtimabat, & ab ipſa interfecta eſt. Habemus dominam noſtram, ſanctam Mariam Dei genitricem: ſed & Apoſtolorum precibus opus eſt. Dicamus & nos Paulo, quemadmodum & priſci illi: cum in Macedoniam pertranſieris, nobis auxiliare. Habemus Apoſtolos ne torpeſcamus, Habemus, inquam, Dominam noſtram Dei genitricem ſanctam, & perpetuivirginem Mariam, ne ceſſemus: habemus chorum Martyrum: ne deſides ſimus. Neque verò tantùm precemur: ſed ſi videtur, etiam ieiunemus. Satius. n. eſt, ieiunare ieiunium deſiderij, quàm famis: ſatius, ieiunium dilectionis, quàm neceſſitatis. Seruator de dæmonibus ait: *Genus hoc non eiicitur niſi per orationem & ieiunium.* Oratio & ieiunium dæmones profligat: & barbaros non profligat? Quod paulò antè dixi, rurſus dico: rogemus ſanctam glorioſam virginem, & Dei genitricem Mariam: rogemus ſanctos & præclaros Apoſtolos: rogemus ſanctos Martyres. Quòd ſi quis neceſſitate quadam adactus, ſubitò ad aliquem potentiorem ſeſe recipiat, ei ille non ſeriam audientiam præbet: ſtatimque hoc in promptu eſt: Antequam eò res tuæ deuenerant, me nec honore afficere, nec colere ſciebas, vti nunc neceſſitate compulſus facis: ſed extra neceſſitatem honor delatus omni ſuſpicione vacat. Nam ſi iudicē priùs, quàm neceſſe habeas, omni honore proſequaris, neceſſitate ita poſtulante, eundem opitulatorem habiturus es. Nouit enim ille, non neceſſitatem, ſed deſiderium & ſtudium colendi te eò adducere. Simus itaque martyrum amici, non ob neceſſitatem, ſed dilectionem: ante tempeſtatem, vt tempeſtatibus afflicti, in tempeſtate ver & ſerenitatē inueniamus. Atque hæc quidem cùm dicimus, nemini præſcribimus, aut imperamus, ſed rogamus: non legē ferimus, ſed demiſſè petimus ſuppliceſque oramus, vt omnes ſobriè & modeſtè viuant. Deus verò prepotens eſt, qui ſupra omnem fidem, omnem orationis facultatem hoſtes ſuos cōfundere poteſt: & totius Orbis miſereri, regibus honorem tribuere: regna ſtabilire, & gloriam ſuam illuſtrare, in Chriſto Ieſu Domino noſtro: cui gloria, in ſecula, Amen.

Ita in Euang. hiſt. de C nur. filio ſanato.

Pſal. 82.

Iudic. 9.

Hortatur ad inuocationem S Mariæ & Sanctorū

1 Cor. 16

Matt. 17.

a *Neque enim fieri poteſt,*] Gr. οὐκ ἔςιν ἐντρυφῆσαι τῷ λόγῳ τῆς ἀληθείας, μὴ διψῶντα τ λόγον τῆς διδασκαλίας. *Neque enim fieri poteſt vt ſermone veritatis delectetur, ac leetur, qui doctrinæ ſermonem non auidiſſime expetat.* Vide fol. 726.

b *Quo potentiæ meæ*] Gr. ἐπειράσθης τῆς δυνάμεως. Quod forte an verius reddas, *quo tuarum virium factum eſt periculum.* Eſt enim tentata fides Patri, cum iuſſus eſt rurſus piſcari.

c *Et oraculum in pectore,* τὸ λόγιον ἐπὶ τοῦ ςήθους. Exod. 28. vulgata editio τὸ λογεῖον, vertit *Rationale* περιςήθιον *Pectorale.* Ne quid temerè immutari videatur, malim Rationale dici, quàm oraculum. Aduerte apud Chryſoſtomū hic λόγιον dici ſæpius, vt apud Philonem, frequentius alibi λογεῖον.

d *Oblationem pro peccato.*] Græca hæc duo diſtinguunt. καὶ προσφορὰν καὶ περὶ ἁμαρτίας. *Et oblationem, & pro peccato* Pſal. 39. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti: Quo de genere ſacrificiorum vide Sigonium de republ. Hebræorum l. 4. c. 6.

e *Et non emendatus ſum,*] apud LXX. eſt, καὶ ἐπαιδεύθην & eruditus ſum. ſed quæ ſequuntur eodem modo apud illos & hic leguntur vt ἐπίςρεψόν με, καὶ ἐπιςραφήσομαι. *Conuerte me, & conuertar*, non vt interpres, conuerte te ad me. Idemque habet editio vulgata.

EIVSDEM DE ILLO ABRAHAMI: *Pone manum tuam ſub femur meum: Item, de diuerſis martyribus.*

ORATIO NONA.

ADmiratus ſum vobiſcum, pientiſſimi religionis Chriſtianæ amatores, ſumma illa Euangelicæ gratiæ myſteria in veteri teſtamento nobis multò antè prædicari: animoque & mente nobiſcum illuſtratus ſum ea contemplatione, cùm priſcorum illorum PP. monumenta Apoſtolicæ doctrinæ notis inſignia & reſplendeſcentia animaduerterem. Hoc igitur lucri, quod feci, libenter confiteor, ac præ me fero, vt propterea præmium accipiam. Noua, inquam, myſteria in veteri teſtamento celebrari & proponi, liquido deprehendi: & quidem in ea quoque parte hiſtoriæ, vbi Abraham per femur iurat: quo loco femur quidem proponitur, ſed conditor ille cœli & terræ, iuriſiurandi teſtis inuocatur. *Pone,* aiunt ſacræ literæ, *manum tuam ſub femur meum, vt adiurem te per Deum cœli & terræ.* Exiſtit enim hic inſignis quæſtio: ſi enim formula hæc iuriſiurandi de eo ſemine accipitur, quod ex ſemine Iacobi effloreſcere debuit, iuxta hoc diuinum oraculum: *Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux ex femore eius:* quomodo de Seruatore hoc, iuſiurandum intelligetur? Iſaacus ſiquidem iam erat natus, & ſemen iam exierat: & cùm hæc formula conciperetur, nulla amplius de aliquo ſemine Abrahami ſpes ſupererat. Abrahamus etenim ſemen illud ſalutare in ſe ipſo habuerat, vt eſt apud Paulum: *Dictum eſt Abrahamo, & ſemini eius:* quem locum D. Paulus, in illa ad Galatas epiſtola exactius ſecum reputans, interpretatur. *Non dicit in ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in vno ſemine tuo, quòd eſt Chriſtus.* Hoc igitur confectum eſt, Chriſtū ſecundum carnem ſemen eſſe Abrahæ. Itaque meritò formula iuriſiurandi per femur concipiebatur. Sed de hoc queſtio eſt, quomodo ille per femur iurauerit, cùm ſalutaris ille flos iam effloruiſſet. Verumenimuerò poſteaquam membrum illud ſemel inſtrumentum fuiſſet, in quo diuinum illud ſemē delituerat, iurat velut in templo. Qui enim per tēplum iurat,

Geneſ. 24.

Ibidem.

Geneſ. 49.

Galat. 3.

per

per eum etiam, qui in eo habitat, iurat. Quis eſt autem, qui nobis hæc ſuo ſuffragio comprobat? Seruator ipſe Phariſæis dicit: (Matt. 23.) *Væ vobis Phariſæi ſtulti & cæci: quia dicitis: ſi quicunque per templum iurauerit, nihil eſt: qui verò iurauerit per aurum templi, debet: ſtulti vos & cæci. Quid enim maius eſt? aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Itaque vobis dico, quicunque iurauerit per templum, per eum iurat, qui in templo habitat.* Quemadmodum enim domus regia, ſiue palatium, ſi vel ſemel regem acceperit, vel iterum atque iterum, etiamſi rex poſtea omnino ab illis locis abſtineat: tamen nihilo ſecius, quia aliquando regium hoſpitium fuit, locus ille ſacer & dedicatus eſt. Ita quoque illius Patriarchæ membrum, quia ſemel organon fuiſſet futuræ illius diſpenſationis Chriſti in carne, templũ poſtea permanſit promiſſorum beneficiorum diuinorum. Neque iuſiurandum illud iniuſtum: ſed teſtimonium verum fuit. Iurat itaque per ſemen, & illud ipſum ſemen deinceps interpretatur. *Pone manum tuam ſub femur meum, & iura Dominum Deum cœli & terræ.* Eſt igitur Seruator noſter Deus cœli & terræ. Hanc ob rem etiam in Propheta Zacharia, cùm varia quædam viſa eidem oblata, & ab ipſo conſpecta eſſent, fuit etiam hæc quædam viſi ſpecies. (Zacha. 4.) *Et reſpexi,* inquit ille, *oculis, & vidi: & ecce candelabrum aureum totum, & ſeptem lucernæ ſuper illud: & ſeptem infuſoria lucernis, quæ erant ſuper caput eius: & * duæ oliuæ ſuper illud: vna à dextris lampadis ſunt, & à ſiniſtris. Et dixi angelo, qui mihi verba faciebat: Domine, quid hæc ſibi volunt?* (*duo rami oliuarum κλάδοι ἐλαιῶν.) Cùm igitur hoc, quod expoſui, viſum eſſet, quòd quidem aliud quippiam præ ſe ferret: aliud ad interpretandum proponeret. Neque enim, quæ apparebant, ſignificabantur: ſed alia quædam innuebant. Interrogat ergo Propheta: *Domine, quid hæc ſibi volunt?* Si de eo, quod apparebat, quærebat: ſanè imperitè interrogabat. Quis enim neſcit, quid candelabrum, quid oliuæ? Verùm Propheta quærit, nõ de iis, quæ apparebant: ſed de iis, quæ tacita conſideratione comprehendebantur. Quæ igitur illa erant? Cui angelus: *Annon intelligis quid iſta ſibi velint? Non domine mi.* Et meritò ille quidem ignorantiam confitetur, & à veritate inſtituitur. Sanè fuit ille frater quaſi Eunuchi, qui ex Philippo audiuit: (Act. 8.) *Putáſne, intelligis, quæ legis?* Cui ille, æquo animo: *Quomodo verò intelligerem, niſi quis me, quaſi manu, duceret?* Non intelligis quid hæc ſibi velint? Cui ille: *Non domine mi.* Quinam igitur illi rami * ſunt à dextra, & à læua lucernæ? (* oliuarũ) Hi ſunt, inquit, oliuas interpretans: & quidem vnà cum oliuis, etiam candelabrum explicat. Itaque ſtudioſè aduerte: Candelabrum quidẽ conſtiterat: rami verò aſtiterant candelabro. Angelus verò, cùm rem explicaret, non demonſtrat oleas candelabro aſtantes, ſed Deo: ita vt candelabrum illud figura fuerit Dei, imò verò Seruatoris noſtri, & œconomiæ eiuſdem in carne. Anne tu hæc non intelligis? Non, Domine mi. Et dicit: iſti duo rami, duo ſunt filij pinguedinis, & aſtant Domino vniuerſæ terræ: non lucernæ, vt apparebat, ſed Domino vniuerſæ terræ. Et lucernam ille quidem, ſeptem luminibus illuſtrem, proponit, ad declarandam Domini in carne œconomiam. Eſt enim Dominica caro verum candelabrum, quæ ſeptemplici gratia Spiritus ſancti illuminationes oſtendit. (Eſaiæ 9.) *Exibit enim virga,* inquit Eſaias, *de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcẽdet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.* Et quiſnam multiplex ille Spiritus, effectibus & natura vehemens? *Requieſcet,* ait, *ſuper eum Spiritus Domini.* Hoc quidem in loco Propheta eſſentiam Spirit. ſanct. interpretatur: quod verò ſequitur, operationes & effecta Spiritus innuit. Spiritum enim Dei, dicit *Spiritum ſapientiæ, & intellectus, Spiritum roboris & conſilij, Spiritum cognitionis & pietatis, Spiritum timoris Dei.* Septem enim illas gratias, Spirit. ſancti ſeptem, quæ in Dominico corpore requieuerunt, dona, illam figuram lucernarum præfigurare dicit. Quare verò ſeptem lucernæ? Ad ſplendorem & lucem

A effectorum Spiritus ſancti. Non longè ab hoc loco digreſſus, ait: *Sunt ſeptem oculi Domini, qui vniuerſam terram contuentur.* Videſne ipſam veritatem ſeipſam declarare: neque hîc humanis * cogitationibus locum eſſe? (* λογισμῶν.) Sed ipſi aſtant Domino totius terræ. Zacharias ergo Dominum vocat, Seruatorem vniuerſæ terræ, ſecundum œconomiam in carne. Petrus quidem vertex Apoſtolorum, diſputans cum Cornelio, ait: (Acto. 10.) *Nos ſcimus verbum, quod in Iudæa factum eſt, Ieſum Nazarenum, quem Deus vnxit Spiritu ſancto.* Et rurſus idem: *Verbum, quod in tota Iudæa factum eſt, & Verbum, quod Deus miſit annuncians, pacem filiis Iſrael, hic eſt dominus omnium.* Et Propheta quidem Dominum terræ, Euangeliſta verò Petrus Dominum appellat omnium. Hic eſt Dominus omnium: omniũ, inquam, & in cœlis, & in terra, & ſub terra eorum, quæ aſpectabilia ſunt, & quæ non ſunt, hic eſt Dominus omnium. Hinc etiam hiſce congruenter Ioannes pronuntiat: (Ioan. 3.) *Qui de ſurſum venit, ſuper omnes eſt.* B Verumenimuerò neceſſe eſt, hæc exactius diſquirere, & hæreticorum contentionibus reſpondere. Qui Apoſtoli vocem perperam conſectantes, non piè eam intellexerunt, ſed impiè eandem circumſcripſere. Hæreticorum ſtolida & ſtupida ſoboles arbitratur, Chriſtum qui ſit ſuper omnia, hoc præmium crucis ſuæ accepiſſe: & quia paſſus ſit, & crucem ſuſtinuerit, Deum ipſum exaltaſſe. Et verba illi quidem Apoſtoli conſectantur: quorum tamen vim & ſententiam non intelligant: dictiones, inquam aucupantur, θεωρίαν, & contemplationem earundem omittunt, nec vim ponderant. Res autem ita habet: (Philip. 2.) *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Propterea Deus ipſum exaltauit, propter ſupplicium hoc: exaltatione velut mercede ſupplicio illius perſoluta. Omnino, hæretice, etiam hoc dicis: (Ibidem.) *Et dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium.* C Videſne, inquit hæreticus, eum poſt ſupplicium crucis exaltationem mercedis loco accepiſſe? Si itaque poſt crucem exaltatus eſt, vt quidem vos aſſeritis: cur Ioannes Baptiſta, ante paſſionem & crucem dixit: (Ioan. 3.) *Qui deorſum venit, ſuper omnes eſt.* Nónne ita habet? Itaque & cum Iudæis diſſerens Ieſus dixit: (Ioan. 8.) *Amen amen dico vobis, antequam Abraham naſceretur, ego ſum.* Eſt enim ille, ſemper & erat, & erit, nec finem habebit. Sed æquum eſt, nos, quod promiſimus, iam præſtare: nec prętextu quodam digreſſionum, quæ promiſimus, prætermittere. Chriſti ergo gloria prædicetur: itemque Patris maieſtas prædicetur: vnigenitus filius extollatur: Pater glorificetur. Neque verò quiſquam arbitretur, dignitatem ſuo loco moueri, & violari: ſi primo loco ſpiritus mentionem facimus, deinde Filij, poſtea Patris: vel Filij primò quidem loco, aut Patris. Non enim ordinem diuinæ perſonæ habent, nec velut confuſæ ſunt: ſed omnem ordinem longè D excedunt. Quemadmodum enim Deus figura quędam non eſt, neque tamen figura vacat, ſed tamen figurari nequit: & quemadmodum Deus forma præditus non eſt, non velut informis, ſed qui corpore vacet: ſic in natura illa diuina ordo nullus ineſt, non quòd confuſa ſit, ſed quia ordinem excedat omnem. (Trinitatis myſteriũ.) Patrem primò nomine: non qui ordine primus ſit, ſed ratione & ſententia. Siquidem ille vnigeniti filij genitor exiſtit: ſiquidem radix ille eſt ſancti illius fructus: ſiquidem filius æternum lumen, æterni luminis ſoboles. Ergo, mi frater, ſi quis hac noſtra ætate, hodie quoque in eccleſia, in populo rectè de rebus diuinis ſentiente, & omni rerum diuinarum cognitione vera imbuto, auſit Filium Patri præponere: nihil nefariè dicere videatur, in diuinas illas perſonas apud eos, qui rectè ſentiũt. Itaque ſi quis audeat in eccleſia dicere: Chriſtus vobis benedicet, & Pater eius, nequaquã confundere perſonas inter ſe exiſtimandus eſt, quia radicem non prępo-

ſuit, deinde fructũ adiũxit. Ergo & ſi quis dixit: Fi-
lius nos ſeruabit & Pater, confuſionẽ nullã intro-
ducit, neque ordinẽ peruertit: ſed hoc imperitis &
iniquis rerum ęſtimatoribus, ita videtur. Nam, ſi ve-
ritas iudicet, & Apoſtolica ſentẽtia, quæ inuicta eſt,
obtineat: nihil intereſt, & Filij primùm meminiſſe,
& Patris, & ſancti Spiritus. Attende, quid magnus
1. Theſſ. 5. ille præco Paulus ad Theſſalonicenſes ſcribat: *Ipſe
verò Dominus noſter Ieſus Christus, & Deus pater noſter ſancti
ficabit vos.* Hîc Filius primũ, & animailla ſancta luce
impleta cõmemoratur. Neq; enim in diuina illa na-
tura ordo ſeruatur, quãcunque primo loco ponas,
æqualis honoris & gloriæ dignitate, cæteræ intelli-
gũtur, neq; ſecundæ quicquã decedit, neque tertia
vlla contumelia afficitur. Quemadmodũ & Paulus
nulla ordinis habita ratione eas pronũtiat: quippe,
qui naturam illam impartibilem, & regnũ illud in-
diuiduum eſſe, agnoſceret. Sed age ipſum Apoſto-
lum interrogemus: vndénam hanc occaſionem
ita de Deo docendi acceperit: vel potius ita ſen-
tiendi, vt anteponeret filium patri, non ordine ne-
que virtute & potentia, ſed ipſa dictione. Cur ego
primùm Filij meminit, & deinde Patris? Paulus
hoc nobis explicet, ſeipſum defendat, & eccleſiam
erudiat. Neque eo ex meo ingenio quicquàm lo-
ὑπαγο- quor. Christus hæc, quæ propono, placita *inter-
ρεύς. pretatur. Quòd ſi quis argumentum Chriſti, per
me verba facientis, exquirit: Chriſtus in me loqui-
tur: ne ille oraculum Domini accuſet, ne repre-
hendat. Sed nequeo, ait aliquis, Chriſtum per te
loquentem, intelligere. Audi ſimpliciter ipſum
de ſemetipſo. Si .n. nomina S. Trinitatis ordini ſub-
iecta eſſent: &, ſi quod primò nominaretur, pri-
mùm eſſet potentia. Secundum verò, ſecundum in
ordine eſſet: & tertium tertio loco, quadam indi-
gnitate reſideret: nunquam Seruator, ipſa ſcilicet
veritas, hanc doctrinam inuerſo ordine tradidiſſet.
Sed vbinam Seruator ſui ipſius primò mentionem
Ioan. 12. fecit, dein Patris? *Si quis*, ait, *mandata mea ſeruat, ego &
Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Si ita-
que Pater ordine antecedit, ſicut hæreticorum po-
ſteri dictitant, & Filium, ſeu præfectum quendam
regium Patri adeſſe volunt hoc ex ipſis quæratur:
num præfectus aliquis de rege audeat dicere: Ego
& rex conſtituo: ſic enim ex noſtra conſuetudine,
quæ nobis ſunt altiora, percipere oporteret. Ergo
Similis natura condita, ſeipſam increatæ anteposuit? Cõ-
ſententia dita, inquam, natura, vt vos dicitis, auſa eſt ſeipſam
etiam in conferre cum incomparabili, &, quæ omnia excel-
prima eſt.
Ioan. 14. lit, natura? *Veniemus, & manſionem apud ipſum faciemus.*
Per hoc .n. quod ait: *Ego & Pater*, nihil intereſſe, &
indifferentiam nominum demonſtrauit. Quòd ve-
rò ait, *Veniemus, & faciemus*, æqualem vim effectionis
declarauit. Sic alio quodam in loco, cum Apoſtolus
Philippus diceret: *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit
Ibidem. nobis.* Reſpondet Seruator. *Tãtum tempus vobiſcum ſum,
& non cognouiſtis me Philippe?* Reſponſum interroga-
tioni aduerſum, nunquid enim de te interrogaui,
& dixi: *Oſtende mihi Patrem?* Hic verò dicit, *Tantum
Vide not. tempus vobiſcum ſum* [a] *& non cognouiſti me?* qui verò diſ-
fo. 736. ſimilis per æquè diſſimilem demonſtrari queat?
Quomodo per puſillum grandis aliquis perſpici-
tur? quomodo, qui gloria præſtat, per eum, qui ab
ea multum abſit, cognoſci queat? Quomodo per
adminiſtrum creator? *Tantum tempus vobiſcum ſum.*
Neque verò dicit: Tantum tempus vobiſcum Pa-
ter eſt, ſed ego vobiſcum ſum. Nam me præſente,
etiam Pater eſt. *Tantum tempus vobiſcum ſum; & non co-
gnouiſti me?* Præclarè dicit, Non cognouiſti me, ſiqui-
dem ille dixerat, *Oſtende*: Seruator verò, *Non cognoui-
ſti me*, cum vellet docere: non conſpectum, ſed
cognitionem Deum nobis proponere. *Non credis,
quod ego in Patre?* Rurſus ego, & deinde Pater: *Ego in Pa-
tre, & Pater in me. Quomodo igitur tu dicis: Oſtende nobis Pa-
trem?* pro eo, quare igitur tu velut alium videre ex-
pectâſti? *Ego in Patre, & Pater in me.* Cognoſcitur Fi-

A lius per Patrem, & Pater per Filium. Quomodo tu
dicis, Oſtende nobis tanquam alium à me Patrem
videre exoptans, *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Non
ita quidem, veluti natura ſit confuſa, neque tan-
quam phiala in phiala repoſita eſt, *Ego in Patre, &
Pater in me.* Non corporum ille quaſi fœdere con-
iunctionem notat, ſed ſenſorum animi contem-
plationem. *Ego in Patre*, Pater enim ſine filio non
cognoſcitur: *& Pater in me eſt*, Filius enim ſine Pa-
tre non apparet. Quemadmodum mens in ſermo-
ne: & ſermo in mente conſideratur. Vndénam e-
go tuam mentem ſcire queam, quàm per ſermo-
nem interpretem. Sermo nempe tuus mentem
tuam declarat, & in apertum profert. Et viciſſim,
mens tua ſermonis tui interpres exiſtit. Fieri po-
teſt, vt ſermonem aliquis cognoſcat, qui ſenten-
tiam tamen non intelligat: at neque licet ſenſum
rei percipere, niſi ſermo explicetur. Qua de cauſa
B Euangeliſta ait: *In principio erat verbum*: vt vacuitatem Ioan. 1.
omnis perpeſſionis in illa ineffabili generatione Vide ho.
demonſtret. Nam quemadmodum ſeſe habet ſer- 1.
mo ad mentem: ſic vnigenitus Deus, verbum, ſeſe
habet ad Patrem. Quod quidem mirabile eſt. Nam
vt aliqua paulo antè dicta repetam. Priùs enim di- Ita paulò
cebamus, quòd ex iis, quæ in nobis eueniunt, alti- ante: & in
ora quædam perdiſcere & cognoſcere liceat. Ser- prima.
mo itaque noſter intrinſecus cum mente; quæ ip-
ſum procreauit, coniunctus eſt: inuiſibilis cum in-
uiſibili, intelligibilis cum intelligibili, incorpo-
reus cum incorporeo: ſed cùm edendus eſt ſermo,
ad os accedit: & quidem illic vocem ſibi induit,
quum non alia res eidem vocem ſuppeditet, quàm
ille ipſe ſermo ſibi dictionem contexit. Et inuiſi-
bilis natura cum Patre mente dico, coniunctus:
poſtea induta voce, ſe profert, & omnibus inno-
teſcit, qui paulò antè latuerat: deinde omnia ex-
C plet, nec à mente, quæ ipſum procreauerat, ſepa-
ratur. Quis enim ex hominibus cùm prolocutus
fuerit, aliosque edocuerit, ſe ipſum doctrina ex-
haurit? Anne, ſiquid loquor, quod ad aliorum au-
res perueniat, ideò mentem penitùs exprompſi?
ánnon forâs quidem hæc doctrina exiit, infinitas
aures circumſonuit, neque tamen mentem pro-
creatricem deſtituit? Iam verò cùm humanus qui-
dem ſermo à mente, quæ ipſum procreauit, emiſ-
ſus, & forâs prodiens, authorem ſuum non relin-
quat: Deus verbum, qui noſtri gratia in hoc mun-
do apparuit, paternos ſinus inanes reliquit? Ne-
quaquam: ſed, quod mirabile eſt: infiniti eundem
ipſum Deum, λόγον audiunt: & ad tot cùm ille
perueniat, in partes non diuiditur, ſed totus eſt cũ
vnoquoque eorum qui audiunt, ſed eſt totus cum
omnibus. Et, ſi pater fluxu quodam aut ſectione
generauit: ideoque & partitus & diuiſus eſt, vt hæ-
retici dicunt: illis Seruator dicat. *Scrutamini Scriptu-* Ioan. 5.
D *ras. Scrutamini*, non corrumpite, *Scrutamini*, non ſim-
pliciter legentes, ſed altitudinem ſenſuum perue-
ſtigantes. Deus ſacras literas quidem dedit, ſed ea-
rundem contemplationes non denudauit, ſed
*curriculo ſuo reſeruauit: vt ſic & æquitatem ex- τῷ δρό-
ploraret, & ſtudium perſpiceret: vt cognoſceret, μῳ τῷ
an literæ inſeruires & addictus eſſes, an Scriptura- σῷ cur-
rum authoritate permouereris. Quemadmodum ſui tuo.
enim Deus, natura rerum ob oculos poſita, artes Natura
occultauit: (nam omnia Deus propalàm colloca- arti con-
uit) ars verò humano ingenio inuenta eſt: ſic etiam iungitur.
in ſcripturis facit. Sed planiùs rem declarabo.
Deus lapides, lapidumque naturam nobis dedit,
non ædificia parata: largitus eſt idem frumentum,
non panem: dedit vuam, non vinum: lanæ natu-
ram, non veſtem: dedit terram auro fœcundam, nõ
autem aurum. Quid ita? Poſteaquam hominem ad
imaginem ſuam condidit, creationis opus quodã-
modo partitur. Ipſe creat, & illius opificio crea-
tionẽ exornat & componit. Et poſtquam ſecundũ
imaginem ſuam creat hominem, etiam eorũ, quæ

pro-

A procreata erant, beneuolentiam cum ipſo communicat. Ipſe operatur velut creator, & tanquam Deus, ex nihilo vt eſſent omnia, producit: ipſe naturam, quæ non exiſtebat, producit. Permittit autem imagini ſuæ, modis omnibus exornare res procreatas. Itaque tecum reputa, & conſidera, quis ille homo fuerit, qui primus aratrum compegit, quomodo excogitauit lignum ſecare, vomerem inſerere, & vinculo ſuo conſtringere: iugum artificioſe conficere, temonem dirigere, boues adducere. Lignum iam erat, ſed & ferrum erat: artificium adhuc nullũ erat. Quis ergo tibi, homo, ſuggeſſit, aratrum hoc modo conficí? quis tibi ſubiecit, inuictam illam vim ferri igne molliri? quis commonſtrauit, ex tanta craſſitudine exiguam acum fabricare? Quis tam ingenioſè excogitauit, ex lapidibus ianuarum tantum apparatum conſtruere? cuius eſt tectorũ inuentio. Vnde hæc, homo, quæſo didiciſti? Imperite, ait aliquis, hoc tibi nouum & abſurdum videtur? B Imaginem Dei cernis, & vnde didicerit, quæris? Hanc ob rem, frater, vbique natura humana, opificem ſuum imitata, artificio naturam exornat. Verùm quàm diu in eo illa modum ſeruat, præclara eſt: quàm primùm verò modum excedit, ob nimiam in ea re curioſitatem, iure contumelioſè habetur. Exempli gratia. Excogitauit illa, quomodo ſubiugaret bouem: equũ & camelum frenaret, & alia animantia rationis expertia, quæ vſu hominis inſeruiũt: ſed auaritiæ & animæ curioſitatis ſtudio excogitauit, etiam admittere ea, quæ ſpecie & natura aduerſa ſunt. b Admiſit mulam ad equum præter Dei voluntatem, qui ab initio prædixerat:

Geneſ. 1.

Producat terra quadrupedes & reptilia, ſecundum genus. Sed auaritia præter naturã ea admiſit. Deus autem, qui punit immoderatas illas cupiditates, cõmentum illud infœcundum effecit. Hinc eſt, quòd mulus nõ parit: propterea, quòd non eſt ex numero eorum animantiũ, quæ tum procreata fuêre, quæque hãc C Domini vocem audiuêre:

Ibidem.

Creſcite & implete terram. Sed & priuſquam procreet, imagini, quæ velit, cõcedit: vt ita & quantũ poſſit, demonſtret, & effrenatas ipſius cupiditates caſtiget. Sed & eadẽ immoderata hominis cupiditas, etiam hominis formam effingere aggreſſa, imitata eſt Deum, naturæ opificem. Itaque & corpus hominis efformat, & artificio ſuo naturæ vim facit. Vbi verò hominem è limo terræ factum & efformatũ cognouit: ars ipſa, cùm non haberet, qua ratione verè ſuum opificem imitaretur: ſolertia quadam illas difficultates compenſat: radices colligit, & colores miſcet, exprimitque oculũ & videntem, & non videntem, licet apertũ aures: patentes illas quidem, ſed ſurdas: naſum rectum, ſed qui reſpirare non poſſit: os bene conformatum illud quidẽ, ſed mutum, & voce deſtitutum: pedes omnibus ſuis partibus concinnè ſibi reſpondentes, ſed ad curſum nihili: vt demonſtret, quidnam ille imagini conceſſerit *, vt etiam

Lacuna hic eſſe videtur.

D diuina illius vis efficienda ita cognoſceretur. Omnia verò ipſam ſuſcipere noluit, ne elatior, & ſe & ſuam ſalutem deſperatè perderet. Nihilominus tamen pictoribus è terra conceſſit, vt pudore afficeret eos, qui hominem è limo terræ à Deo conditũ eſſe inficiantur. Sed & aliis modis natura opificem imitata eſt: vidit corpus vulneribus confectum. Exempli gratia. Amputata eſt pars aliqua carnis: hîc neceſſe eſt, quod defectum eſt, reſtituatur, oportet carnem, quæ abſumpta eſt, reficere. Atqui nemo hîc eſt naturæ opifex, qui carnem effingat. Quid igitur? ars imaginis, Domini ſui naturam imitata, in terra excurrit, ex qua corpus fabricatũ eſt, medicamenta & emplaſtra conficit: è quibus hæc quidẽ purgant, illa verò reſtituunt & explẽt. Et aduerte rem admirabilem: Deus ſedet, veluti pater & præceptor, ſuæ imaginis opera intuens: & quẽadmodum pater filiũ interrogat, quid hoc νόμμα, hęc res, hæc ratio ſibi vult: non vt diſcat, ſed vt exploret: ſic fons ille bonorũ, perpetuò ſuam imaginem inſtituit, eique quæſtiones mouet. Adduxit ad Adamum bruta animantia & volatilia, vt animaduerteret, quomodo ipſa appellaret: non vt hoc diſceret ille, qui omnia præuidit: ſed vt imaginem ſuã probaret, num ad intelligendum idonea & comparata eſſet. Ars ædificandi inuenta eſt, inuenta eſt architectonica, nautica, ars æris, fundendi, intelligentia aſtrorum, non illa curioſa, ſed qua ſitũ poſitumque aſtrorum ſpectat & contemplatur, vtilis illa aſtrologia nautis, quæ ortum aſtrorum obſeruat, & tempus ſecundæ nauigationis ſignificat: non illa, quæ geneſes fingit, & de fato fabulatur: ſed quæ Domini voci obſequitur:

Geneſ. 1.

Faciamus luminaria in cœlo, vt ſint in ſigna & in dies, & in annos. Prodiit imago illa, & naturam perueſtigat: quærit herbas, inuenit: quærit radices, deprehendit. Omnium artifex, omnium ingenioſus inuentor reperitur. Veruntamen ne illa tantum ſibi tribuat, quaſi ex ſeipſa hæc inuenerit: B & nõ potiùs ea facultate, quã Deus naturæ inſeuit, quadam ratione demonſtrat, Deum omnium iſtorum operum naturæ noſtræ magiſtrum eſſe. Prodiit B. Salomon, & ait:

Sapi. 7.

Ipſe enim mihi tribuit totius vniuerſi cognitionem conſtantem, vt ſcirem conſtitutionem mundi, efficaciam elementorum, principia, fines & media temporum, circuitos anni, aſtrorum poſitus, naturas animalium & ferocitam ferarum, differentias plantarum & virtutes radicum: omniaque ſiue in natura occulta ſint, ſiue in aperto, ego homo cognoui. Imago igitur quomodo hæc cognouit? Ille omniũ opifex ſapientiam me docuit: docuit te & menſuras rerum, & non quæ menſura carent. Attende enim, & humanam artem latiſſimè patere (quæ quidem Dei imago eſt) videbis. Solers natura deprehendit, quomodo vocis organum redderetur: hoc cùm in natura obſeruaſſet, artificio naturam imitatur. Excogitat illa organi naturam, ſiue machinam eiuſmodi, quæ compluribus tibiis ſiue fiſtulis contexa C fit: & attende, quid præterea faciat, & quomodo ars naturam accuratè & exactè ad miraculum vſque imitetur. Inuenit illa folles: non qui ex ſeſe aërem ederent, ſed dum explicantur & diſtenduntur, externum aërem quaſi mutuantur: deinde è follibus illis duobus, per canalem quempiã, ad omnes illas tibias aërem dimittit. Sic igitur aëris facultatem inuenit: ita tamen, vt vox ederetur nulla, donec articuli ſonum conformaſſent. At vndénam hoc, mi homo? vnde hoc organum confectum eſt, & hoc quaſi receptaculum aëris? quare aër, qui influit, ſonum nullum efficit, præſertim cum tibiæ pateant? Multa, inquit aliquis, noua & admiranda putas, velut rerum imperitus. Paulò antè dicebam: Imago ſum, & meam ipſius naturam perſpexi, & me ipſam imitata ſum. Quomodo te ipſam imitata es? Equidem etiam cum aërem, quem ego haurio mutuatitium eſſe animaduerti. Nam thorax, qui ſubinde & explicatur & complicatur, aërem, qui inſpiratur, capit. Cerno arterias duas aërẽ emittentes. qui qui- D dem per os, tanquam vnicum canalem, exit. Cerno, inquam, aërem expirare, neque tamen ſermonem edi, niſi lingua ſonum ipſum conformauerit. Me ipſum, inquam, perſpexi, & æmulata ſum: ex meipſa artificium Domini deprehendi, vt eſt illud apud Dauidem:

Pſal. 138.

Mirabilis facta eſt ſcientia tua, ex meipſa cognoui, & opificem laudaui, Dominumque meum imitata ſum: Naturam arti, velut effigiem, quam exprimeret, propoſuit. Neque enim organum muſicum in rebus nihili, aut nullius momenti, habendũ: ſed poſteaquam turpibus cantilenis inſeruierit. Quemadmodum diuina cantica antiquitus nec verò profana erant, licet immoderata voluptate ad luxum poſtea ſint inuenta: nihilominus organum dedicatum Deo erat: quemadmodum ne ab initio quidem profana erant. Itaque Dauid:

Pſal. 150.

Laudate ipſum in pſalterio, & cithara, in cordis & organo, in cymbalis benè ſonantibus, in cymbalis iubilationis, in timpano & choro, Atque vtinam inuentum hoc, non ad voluptatum

Digitized by Google

A illecebras & luxum, non ad cultum ſimulachrorum conuerſum eſſet: ſed vſum, quem inuentores ſpectarant, rebus diuinis præſtaret. Nunquam enim artis ſolertia reprehenſa fuiſſet, ſi ad Domini cognitionem adiumento fuiſſet: nunquam vituperaretur cithara, ſi Deus cithara celebraretur. Qua de cauſa etiam B. Dauid, quum citharam compegiſſet, nullas turpes cantilenas eadem cecinit, ſed diuina oracula eadem eiddit: eratque cithara eius, & Deo conſecrata, & dæmonum fuga. Quum enim Saulem dæmon exagitaret, & cæderet, & proſterneret, tum, aiunt ſacræ literæ, Dauid lyram pulſabat, & meliuſculè fiebat Sauli, & leuabatur. Perſpicuum igitur eſt, artem, ſi ad diuinum placitum attenderetur, & accommodetur, nihil habere, quod in malis habetur: imò omnia nobis, illo ſcopo ob oculos poſito, ex animi ſententia euenire. Sed neſcio quomodo à Theologica quæſtione, ad artes & imitationem imaginis delapſus ſum. B At nos Domini vocem in hæreticos vſurpemus. At

Matth 16. Lucæ 12. quánam voce? *Hypocritæ*, inquit, *faciem cœli & terræ nôſtis iudicare*: artes inueniſtis, multa ſubtiliter & argutè excogitâſtis, & tamen Dominum omnium atque artificem contumelia afficitis? Tu, inquam, artificijs tuis Dominum imitatus es: eique ſimilis, ſecundum imaginem & ſimilitudinem, renunciatus es: & me Dominum opificem diſſimilem genitoris traducis? Ego vos peccato obnoxios liberaui, & me omnium veſtrûm Dominum poteſtati ſubiicere ſatagitis? Sanè, inquit, etiam hoc ſcriptum eſt: quod etiam filius ſubiicietur: dictum illud quidem, ſed diuina poteſtate fore, dictum eſt. Neque enim à nobis illa dicta profecta ſunt: ſed diuina ſunt effata atque oracula. Iam verò, vt ſcriptum ſequar, concedo iis, qui hæc audiuêre, ea ipſa intelligere: Dic, vt ſcripto aliquid tribuam, in illa futura creatione, in reſurrectione demum ſubiicietur. C Atqui

Matt. 22. tu cum angelis æqualis futurus es. *Nam in reſurrectione mortuorum*, ait Seruator, *neque nubent, neque nubentur, ſed erunt velut angeli Dei*. Tu ex ordine tuo in altiorem & ſublimiorem ſubueheris: ille ex dominatu

Rom. 8. alterius poteſtati ſubiicietur? An non Paulum audiuiſti concionantem? *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt. quia & ipſa creatura ingemiſcit, & doloribus parturientis laborat hucuſque*. Creatura, cœlum nempe, & terra, cæteraque omnia. Vanitati enim ſubiecta eſt, non volens: at cuínam vanitati? humanæ? Quamobrem verò hominem vanitatem appellat? Quoniam primæua illa imagine, in vitam quandam

Eccleſ. 1. Pſal. 38. beluinam degenerarit. *Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas*. Et Dauid eodem modo: *Veruntamen omnia vanitas, omnis homo viuens*. Ergo huic vanitati, homini ſcilicet corrupto, deprauato naturâ, creatura ſubiecta eſt. Quomodo ergò ſubiecta? Exoritur Sol etiam indignis: fontes etiam ingratis ſcaturiunt: D terra fruges ingratis & iniquis profert. Itaque ſubiecta eſt creatura non volens. Si enim certo quodam conſilio, non certè volens ſubiecta eſſet indignis: verùm propter eum, qui ſubieciſſet. At quó-

Rom. 8. nam ſcopo, & fine? Spe. Quánam ſpe? *Quoniam & ipſa creatura*, vt Paulus ait, *liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorũ Dei*. Ergo creaturæ tum quidem liberabuntur: & filius in poteſtatem redi-

Ioan. 5. getur? *Scrutamini ſcripturas*: non calumniamini: ſcrutamini, inquam, ſine curioſitate: ſcrutamini fidem adhibentes, non autem contradicentes. Vnde tu didiciſti ſic enunciare: ens ſiue qui erat, generatus eſt: vel non ens, ſiue qui non erat? vndénam didiciſti aſſerere, quòd generare & condere apud Deum idem ſit. Num Petrus te iſta docuit? Num Paulus tibi hæc ſubiecit? *Sed Seruator*, ait, *hæc nobis tradidit*. Lege ſacras literas, & legem reuerere. Quid? quòd ne quidem tibiipſi conſtes? Si enim ex ipſo quæſiueris: ens ne, ſiue cùm erat generatus eſt: an

Trinitatis myſte. iii. non ens, ſiue cum non eſſet? falſum reſpondet. Nam id, quod nondum concedit, ſit necne, diſquirendum ſumit. Primùm igitur hoc da: quod genitus ſit, tum demum quære, num iam ens, ſiue non ens: num genitus ſit, cum iam eſſet, ſiue non eſſet. Rémne cùm inficiaris, vocabula ita expendis? Quòd non genitum eſſe, ipſe vltrò fateris, de eo quæſtionem moues? ens ne genitus eſt, an non eſt? Primùm pone genitum eſſe. tum demum diſputa: naturam inficiaris, & de voculis argutaris? Deinde condere ſiue creare, idémne eſt, & gignere? Vndénam eſt Filius? dicat aliquis iſtorum: niſi primùm liquidò de ordine duorum conſtiterit, tumque intelligentiæ aſſenſio acceſſerit: non poſſum dicere τὸ ἰδεῖν, quod eſt animi, καὶ βλέπειν, quod eſt corporis, id eſt, ſcire, nôſſe, & videre idem eſſe: & vnum tamen dixi. Si verò dicam, audire & ſcire idem eſſe: tunc quidem videor mihi diuerſa dicere: non quidem aſpectu, ſed auditu conſentanea proferre. Quoniam apud Deum vtrumque idem eſt. Vnde igitur nôſti, quòd condere & gignere i- B dem ſit? Si enim genuit, & condidit, præclarè vtrumque idem dicis. Sin verò, vt tu quidem ſentis, nunquam genuit, ſed condidit: nullo pacto vnum idemque fuerint: affectata hæc nouitas verborum eſt, noua vocabula ſunt, rerum veritas conſtat. Quid eſt autem quòd ita de differentia horum verborum argutantur? Deus, inquit hæreticus, eſt ſimplex, nec ita vti nos ſumus, qui partibus quibus generamus: partibus item, quibus condimus, inſtructi ſumus: verbi gratia. Genitalibus quidem membris generamus: manu verò condimus: Deus non item, qui ſimplex eſt, formæ expers: ſed quo modo generat, eodem etiam condit. Quando igitur de rebus, quæ non ſub aſpectum cadunt, Philoſophia eſt vana, & importunam inflatus doctrinam quandam profiteris: age vel vnum exemplum rerum ſpectabilium tibi hoc perſuadeat: nempe eo- C dem planè modo, minimè hoc pulchrum fore: ſi, quæ iam facta ſunt, vna & eadem vi prædita forent. Accipe manum meam, quam coràm aſpicis: vt ex iis, quæ apparent & in aperto ſunt, etiam de iis, quæ abſtruſa ſunt, conuincaris. Equidem manus mea vna illa quidem, & per ſe exiſtens, varia & diuerſa omnia efficit. Neque opera ſua ad vnum aliquod genus reducere poteſt: exempli gratia: eâdem manu aliquid efficio, & deſtruo. Ergo quia eâdem manu aliquid efficere, & euertere licet, an ne propterea vnum & idem eſt, condere & euertere? Non ſanè. Et quandoquidem illi dicunt, alio nos modo generare, alio efficere. Contrà dico: eodem modo, eadem manu aliquid efficio, & eâdem demolior: & verbero & curo. Erit igitur & verberare & curare idem? Eadem manu impello aliquem conſiſtentem, & collapſum erigo: eadem manu ſententiam fero: & eandem retracto, & induco. Erit igitur & ſententiam ferre, & eandem improba- D re idem? Hæc igitur à fabulis parum abſunt: fabulę hæc ſunt & ineptiæ. Num igitur Pauli animus non ingemiſcit? an non Petrus iraſcitur? cum eiuſmodi verborum portenta, vel à comeſſabundis aduerſus veritatem proferuntur? Chriſtum repudiâſti, & aliorum doctrinas amplexus es? Non tenes quid Dominus prædixerit? *Qui enim propter me & verba mea erubuerit*. Marc. 8. Lucæ 9. Multi Chriſtum confitentur, quos tamen doctrinæ eiuſdem pudet. Confitetur hæreticus Chriſtum, & tamen diſputationem de Patre & Filio inſtituit, cum horum verborum pudeat, cùm ait: Illéne genuit, qui omnis perpeſſionis eſt expers? Itaque fluxione quadam, igitur effectione quadam. Vidéſne quam ipſum verbi pudeat? O amentiam! vocabulorum aucupes facti ſunt, & reipſa potẽtiam diuinam ſtudioſè perſcrutantur. Omnia enim vanitas illa deprauauit, Quod verò iam ſæpè dixi: hæc hereticorũ principia ſunt, hi ipſorum fontes manifeſti ſunt. Eccleſia, aiunt, hanc doctrinam hæreticam habet: dic enim, quis exiſtimauit genitum eſſe ex prædicto. Quis eſt, qui

illam

illam hæreſin noſtra ætate, quam quidē tu hæreſin vocas, excitarit? Apoſtoli iam ab initio doctrinam hanc prædicârunt: poſt Apoſtolorum tempora Synodus Nicæna eandem confirmauit: &, vt palàm faceret, hanc totius orbis fidem eſſe, cùm tot eſſent conuocati, ſeptem tantùm diſſenſerunt, qui & exploſi ſunt. Totus autem orbis mirabiliter in hanc doctrinā conſenſit & conſpirauit. Quoniam ex maſſa illa Apoſtolica erat. Et aduerte rem admirabilem: d noua hæc Synodus admirabili Dei conſilio, & prouidentia illam veterem ſecuta eſt. (Nicæna Synodus.) Cum enim reges Aſſyriorum in Palæſtinam irruptionem feciſſent: Abrahamus aduerſus quinque reges exteros, ipſe ſolus fidelis profectus eſt: quotnam aduerſus eos educit? Seruos trecentos, nempe vernas, & octodecim: quot, inquam, Abraham ſeruos in expeditionem ſecum produxit: tot etiam Chriſtus aduerſus hæreſes: quot ille aduerſus exteros produxit in expeditionem, imò verò quot (Geneſ. 14) ille ſecum duxit: tot Chriſtus ſecum armauit aduerſus hæreſes. In Nicæna Synodo trecenti & octodecim fuerant Epiſcopi: & illic trecenti & octodecim vernæ Abrahami. Quare appellauit vernas? quoniam habuit etiam ære coemptos: ſed voluit ille oſtendere, iſtos fuiſſe vernaculos: & nunc quoque Chriſtus non ſimpliciter omnes ſecum eduxit, ſed vernaculos & ſynceros doctores, qui prædicabant eum, qui eſt ex eo, qui eſt: viuentem ex viuente, lumen de lumine. Quid dicis lumen, & lumen? quænam hîc ſit differentia: vita & vita? Quid igitur diſcriminis? Nam hæc mirificè dicuntur? Pater lumen appellatus fuit: Filius autem cum appendice. Ioannes pronunciat: *Deus eſt lumen.* De Filio verò: *Erat lux vera.* Pater verò abſolutè lumen dictus fuit. (Ioan. 1.) Quoniam hæreticorum audacia non facilè in Patris diuinitatem inuehitur: etſi quę in Chriſtum contumelioſè dicuntur, in Patrem quoque redundant. Sed ſcriptura, quod in confeſſo eſt, ſimplici oratione affirmat, quod controuertitur, * certis quibuſdam rationibus communit. Lumen Pater eſt, neque additione opus eſt. Satis enim eſt, ipſum ſi prædicetur innoteſcere. Lumen etiam Filius: ſed ne quis dicat lumen quidem illud intelligibile, hoc verò adulterinum: *Lux vera:* Iterum: ne quis dicat: quemadmodum Sol lux eſt, itemque luna lux, ſed ille quidem magna, hæc verò exigua: ſic Pater lumen, ſed magnum: ſic & Filius lumen, ſed paruū. (* τῇ ἀληθείᾳ, veritate.) Ne hæc, inquam, dicantur, Eſaias præoccupat: *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem, Galilæa gentium. Populus ſedens in tenebris, lucem vidit magnam.* Si igitur Deus lumen eſt, & lumen magnum: ergo & Deus magnus. Si Deus lumen eſt, è vt de Ioanne ſcriptum eſt, quòd Deus lumen eſt: ſin Deus magnum lumē: ergo Deus magnus. (Eſaiæ 9.) Magnus eſt, qui genuit: ergo & qui genitus eſt. Magna radix: ergo & fructus magnus. Magnum eſt lumen: ergo & ſplendor. Differentiam illam magni & parui non noui: ſed magnum noui, vnum Deum, ſanctam Trinitatem. Magnus Deus. *Deus magnus, æternus,* ait Eſaias. Paulus verò, *Expectantes beatam ſpem & apparitionem gloriæ, magni Dei & ſeruatoris noſtri, Ieſu Chriſti.* (Titum 2.) Magnus Deus, ſcilicet, magnus Dominus, vt ait Dauid: *Magnus Dominus, & magna virtus eius.* (Pſal 146.) Verùm quoniam robur & virtus idem. *Chriſtus enim Dei virtus, Magnus Dominus noſter.* (1. Cor. 1.) quaſi dixiſſet: magnus quidem Pater, & magna virtus eius: magnus Dominus, & magna virtus eiuſdem: magnū robur Filij, quoniam magna etiam virtus Sp. Sancti, quemadmodum Seruator diſcipulis ſuis dicit: *Sedete Hieroſolymis, donec induamini virtute ex alto.* (Acto 1.) Sed aduerte, quid illi de hac virtute argutentur. Eſt equidem, aiunt, virtus eiuſcemodi, quæ quaſi diuitiarum promiſſionem obtinet. Spiritus enim, inquit, non eſt Deus appellatus, ſed arrhabo Dei: idque hoc modo accipe. Arrha, pars quædam eſt muneris, non autem integrum donum, ſed pars totius. Scriptum enim

A

eſt de Apoſtolis: *Obſignati in Spiritu promiſſionis Sancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.* (Epheſ. 1.) Vidéſne, inquit hæreticus, donum ipſum eſſe Dei, non autem Deum. Itaque donum & pignus, ceu pars quædam totius eſt. Si igitur obſeruâris, etiam Deum patrem dici, nō autem totum: & donum, nec vt totum aliquod. Dicit enim ille, *pignus hæreditatis.* quódnam verò pignus? quænam hæreditas? quódnam pignus hæreditatis? Hæreditas quidem donum eſt eius, qui eā reliquit: non ille ipſe familiæ herciſcudæ loco eſt. Itaque ait: *pignus hæreditatis noſtræ Spiritus.* Si ergo Spiritum ſanctum pignus appellari, animum tuum offendit: quid ſi etiam Deum ipſum hæreditatem appellari perſpexeris, quomodo moueberis? Aduerte ergo, quomodo ille etiam in hæreditate habeatur, & hæreditatis nomine veniat. Attende Dauidem, qui ait: *Dominus pars hæreditatis meæ: Deus pars hæreditatis meæ: Spiritus pignus eſt hæreditatis noſtræ.* (Pſalm. 15) Si ergo Patris & Filij dignitatem imminuit, ſi dicatur pars

B

hæreditatis: & Spiritus dignitati detrahet, ſi pignus hæreditatis appelletur. Sed & alio in loco Dauid ait: *Dominus portio mea in terra viuentium.* (Pſal 141) At quo partiente? Si enim vnus, ſanè non totus. Si voculas itā venari & nimis curioſè ſpectare velis, non autem ſenſum earundem exactè ponderare, nihil obſtat quò minus etiam in Deum patrem contumelioſus exiſtas: licet tibi ipſum colere & venerari videaris. *Dominus pars hæreditatis meæ, & portio mea in terra viuentium.* Quam ob cauſam verò diuina illa vis ex ſeſe genita, portio & hæreditas vocatur? Quoniā vnuſquiſque proprio deliberatóque animi inſtituto Deum amplectimur, & quidem ſinguli: alius quidem errorem eligit: alius Deum amplexatur: & ſic vnicè expetitus & electus Deus, ſit portio hominis fidelis. Exemplum huius doctrinæ eſt. Lex Leuitis imperat: *Non erit tibi portio in terra: Dominus enim pars ipſorum.* (Exod. 7.) Si igitur cùm Dominum portionem

C

appellari audis, id te nihil offendit: quid eſt, quod te offendere poſſit, ſi Spiritum pignus appellari audias? Omnem itaque incredulitatis confuſionem reſpuamus, veramque & ſynceram fidem amplectamur. Quouſque obſirmatis animis reſiſtitis, velut Pharaones, hæretici? quouſque non quaſi ad libram diuinam oracula expendis. Vim facultatémque rationis velut libram habes: expende verba Seruatoris: intelligentia diſtingue, quæ de carne, quæ de diuina ipſius natura, de dignitate, de œconomia in carne ſint accipienda: ne de te ipſo dicantur, quæ apud Prophetam ſunt de Chanaan: *In manu Chanaan libra iniuſtitiæ, dominatu ſuo opprimere gaudet.* (Oſeæ 12) Et Dauid: *Veruntamen vanitas filij hominum.* (Pſal. 58.) Hæreticorum enim eſt, libra fraudem facere. Habes libram, & iuſtitiæ vim facis? Conſidera libram Saluatoris: *Ego & pater vnum ſumus.* (Ioan. 10.) Quid hîc inæqualitatis obſeruas? conſidera ampliùs trutinam diuini eloquij: *Qui videt me, videt & patrem meum.* (Ioan. 14.) Vbinam

D

hîc deſcendens & aſcendens? Conſidera, & Patrem liberare, & Filium: quandoquidem idem ait. *Niſi vos Filius liberauerit, ſerui eſtis.* (Ioan. 8.) Et Paulus ait: *Lex Spiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me.* (Rom. 8.) Si igitur Pater libertate donat, itémque Filius & Sp. S. libertate donat: vbi igitur aliquid ſeruit? Veruntamen vtinam, & iugo peccati & hæreſeos declinato, fidem firmam & conſtantem retineamus. Hæreticos autem ſcire velim, permultos mihi obiecíſſe: Cur non potiùs de rebus ad vitam & mores pertinentibus, cur non potiùs de moribus & omni decoro nobiſcum agit? Dictitant illi quidem hæc, non quòd harum rerum aliquo ſtudio teneantur, ſed quòd elenchum, & ſeſe redargui reformident & refugiant. Verè emendationem aliquam expetis? Perſæpe, & quidem magni momenti doctrinas ex me audiuiſti: audiuiſti, inquam, de affectionibus, & quomodo totus animus tuus componi & cōformari queat: audiuiſti de moribus, mores tuos ſæpe compoſui & conformaui: ſed illud

Digitized by Google

[Lucæ 7.] nempe euenit, de quo Dominus: *Venit Ioannes neque manducans, neque bibens, dicunt, dæmonium habet. Venit Filius hominis: & dicunt, belluo & vini potor.* Malitiæ nihil placet. Quod ſi de virtutibus aut vitiis diſſeras: ego verò de fide ex te quæro, ait: Sin de fide diſputes: ego verò de moribus audire volebam, inquit. Itaque Seruator hæc malitiæ ludibria exagitans, dicebat: [Matth. 11] *Tibia vobis cecinimus, & non ſaltâſtis: plorauimus, & non lamentati eſtis.* Cecinimus vobis tibia, & orationibus ſanctis & illuſtribus omnem componendorum morum rationem percepiſtis: oratione deinde laborioſa, lugubri, & acerba infidelitatem veſtram deplorauimus, neque tamen audiuiſtis, neque ea, quæ ad vos pertinebant: neque cùm ea didiciſſetis, quæ aduerſus hæreticos diſſeruimus, ſaltâſtis. *Venit Baptiſta, & dicunt, dæmonium habet:* neque Baptiſtes iraſcitur, ſed in ſuſcepto munere pergit. [Nō mirū ſi hæretici nos rideāt cum Chriſtus & ſancti iiſi fuerint.] Vides enim eadem illi accidiſſe, quæ & Seruatori. Ac de Seruatore quidem dicebant Iudæi: [Ioan. 7 & 8.] *Dæmonium habet, & inſanit, quid ipſum auditis?* B An non beatus eſt ille Chriſtianus, qui eaſdem cum Domino contumelias ſuſtinet? Paulus prædicat veritatem: Cui tamen [Acto. 26.] Feſtus dicit: *Inſanis, Paule, multæ literæ te ad inſaniam redigunt.* Siquidem ea, quæ modeſtè, continenter, & ſobriè fiunt, inſaniæ loco habentur ab iis, qui nec mente, nec animo rectè conſiſtunt. Ille verò reſpondet: *Ego verò non inſanio: ſed modeſtiæ iuſtitiæq; voces edo.* Ecquid animaduertis diuinam hominis libertatem? & inſaniam, quæ exiſtimabatur, omni modeſtia ſplendidiorē? [Matth. 11] Ioannes Baptiſta incuſatur, quòd haberet dæmonium: quemadmodum & priſci illi prophetæ eodem crimine† laborabant, quòd à dæmonibus exagitarentur. [† accuſabantur.] Heliſæus propheta quōdam diſcipulum ſuum, eundemq́ue prophetam, ablegauit, his verbis: [4. Reg. 9] *Vade, & reperies principem templi: eum ſeorſim abducas, & dic illi: hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ecce ego te in regem vnxi: & infunde ſuper ipſum cornu olei plenum, & vnge ipſum in regem.* C Mittit, inquam, Propheta diſcipulum: principem illum deprehendit. Neque enim tunc rex erat Iehu: ſed princeps eius, qui regno potiebatur. Dicit, *veni in locum ſolum:* & cùm ſeorſim eum abduxiſſet, mandatum exponit, cornu vngit: & poſtquam vnxit, aufugit, ſeceſſit. Cui tum collegæ Iehu dixerunt. *Quinam de cauſa lymphatus iſte ad te venit?* quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, iſte qui à dæmonibus vexatur. *Quid eſt, quòd lymphatus iſte ad te venit?* Hunc ad modum iam olim etiam Prophetæ contumelioſè vexabantur: ſic & Apoſtoli. Quamobrem lymphatus iſte ad te venit? Metuens autem ille publicare, regnum ſibi delatum eſſe, ne fortè in periculum incideret: (quandiu enim rex rerum potiebatur, periculoſum erat, aliū ſibi regem vendicare) *Vos ſcitis,* dicebat, *ipſius garrulitatem & nugas.* Et aſſentiebatur ille, non ſententiæ quidem illorum, ſed voci. *Nôſtis garrulitatem eius.* D Poſtea illi re intellecta (veritas enim nunquam irridetur) illi ipſi irriſores operam dabant, vt verum intelligerent. *Iniquum eſt,* aiebant Iehu, *id, quicquid eſt, nobiſcum non communicari.* Nobis, amicis tuis, iniuriam facis, & perperàm facis, ſi nos hoc arcanum cæles. Si lymphatus, quid de lymphati factis inquiris? Malè agis, ô ſacerdos, niſi bonis hanc rem aperias. Malitia & vitioſitas virtutem contemnit, & tamen angitur: & ipſum priùs velut lymphatum & dæmoniacum damnauerant, & tamen tanquam verum diceret, dictiones ipſius explorabat. *Dic, quid tibi indicauit? ſecedamus pauliſper.* Aduerte vim veritatis, & quomodo gloria, quæ priùs irridebatur, poſtea ſumma veneratione fuerit culta: & quomodo propheta ille lymphatus etiam legibus fortior extiterit. Dicit: *Duxit me ſeorſum, & infudit ſuper me cornu olei plenum: & principes illi exclamauerunt: Viuat rex.* Vidéſne, vt illi ſemel & ſimul oraculum illud Prophetæ & irriſerunt, & admirati ſunt: damnarunt, & eidem fidem habuerunt? Quid, quem tu paulò antè dæmoniacum & lymphatum appellabas, iam ab eodem A lymphato regem electum ſalutas? Sic certè neque nobis nouum & inuſitatum videri debet, neque maioribus, neque etiam poſteris noſtris, ſi ab hæreticis contumelioſè & nequiter traducamur. Vtinam verè pro Chriſto glorificemur, vt in Chriſto glorificemur: cui gloria in ſecula, Amen.

a *Et non cognouiſtis me?*] Apud Chryſoſtomum hæc ſententia legitur, vt & in Græco D. Ioannis ϗ οὐκ ἔγνωκάς με φίλιππε, *& non cognouiſti me Philippe?* [vide fol. 732.]

b *Admiſit mulam ad equum*] Non video cur interpres hæc ita vertat. ἔμιξεν ὄνον ἵππῳ. *Admiſit aſinum ad equam.* Nempe enim vel ex aſino cum equa, vel ex equo cum aſina mixto procreantur muli. Item paulo pòſt malim. Hinc eſt quod mula non parit.

c Τὸ ἰδεῖν *quod eſt animi,*]. Fortaſſe melius vertas, *videre & aſpicere idem eſſe, vnum enim quid dixi.* vt τὸ ἰδεῖν ſit ad verbum ὁράω relatum.

d *Noua hæc ſynodus*] Malim hic intelligere διαθήκην quam συνόδον. vt dicat nouam legem, veterem imitatā eſſe.

B e *Vt de Ioanne*] Ex errato typographi περὶ pro παρὰ Ἰωάννου, *vel* Ἰωάννῃ, *vt à Ioanne ſcriptum eſt.* Euangeliſtam intellige cap. 1.

f *Venit filius hominis?*] Adde monitu correctoris Romani, ἐσθίων ϗ πίνων *manducans & bibens: & dicunt,* &c.

g *Principem templi:*] Lege admonente eodem correctore, ac cogente veritate pro ἱεροῦ τὸν ἄρχοντα, ἰηοῦ τὸν ἄρχοντα. *Reperies Iehu ducem.* Itemq́ue paulo pòſt vbi legis, *Malè agis ô Sacerdos* pro ὁ ἱερεῦ. *Malè agis ô Iehu, niſi nobis hanc rem aperias. Malitia virtutem contemnit, & exagitat.* Eſt enim in Græco ϗ ἀγωνιᾷ αὐτήν.

EIVSDEM DE SIGILLIS LIBRORVM: DEINDE QVOMODO FILIVS *offerat Patri, & Pater Filio: tum vero de Seruatoris œconomia,*

ORATIO DECIMA.

C SACRÆ literæ magnum quoddam viaticum ad animi ſalutem ſunt. Ferrum quidem ferro acuitur, ſed ex diuinis literis petita doctrina animum acutiorem reddit: & pane quidem corpus alitur: ſed animus diuina doctrina fulcitur: non aliter atque B. Moſes, quū quanta vis ſacris literis ineſſet, ad alendum animos noſtros, oſtendere vellet: [Deut. 8.] *Non in ſolo pane,* inquit, *viuit homo, ſed ex omni verbo quod exit de ore Dei.* Itaque animi cibus verbum Dei eſt. a Nam qui ei, qui ad exemplar τοῦ κοσμοποιοῦ λόγου, [vide not. fol. 741] verbi, per quod mundus factus & conditus eſt: &, qui ſumma ratione ornatus, & rationis vbertate præditus eſt, magis conueniat, quàm ea doctrina, quæ ipſum alit, & inſtituit, quæque ad verum & germanum dignitatis gradum quàm primùm reducit. Orationem autem, fratres, nos dicimus, non quæ Sophiſtico quodam artificio compta fucataq́ue ſit, ad probabiliter aliquid perſuadendum: ſed D ſimpliciſſimam, fide & veritate conteſtatā, orationem intelligimus. Spuria enim, & adulterina omnis, & vitæ & orationis, virtus exiſtimanda eſt: quæ non à diuino quodam magiſtro primitias acceperit: & quantum vmbra à corpore, & ſomnium à rei veritate differt, tantùm à vera Dei ſapientia, ea, quæ putatur mundi ſapientia. Hinc etiam B. Paulus, [Actor. 9.] *vas* illud *electionis:* qui aliquando quidem, vt ſanctos exciperet, profectus fuerat: ipſe autem ob hominum ſalutem præclarè captus eſt, veritatis doctrinam, cum ſpuria & impia comparans, dixit: [1. Cor. 2.] *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam non huius ſeculi, ſed Dei ſapientiam in myſterio.* Ergo noſtra ſapientia prophetica ſunt oracula, doctrina Apoſtolica: & Euangelium regni, excellentia, & faſtigium illud rationalis noſtræ facultatis. Euangelium verò cum nominari audimus, fratres, dignum etiam hac voce ſenſum animo concipiamus. Permulti enim frequenti vſu & aſſiduitate, eiuſmodi vocabulis aſſueti, vim rerum ipſarum non intellexerunt. Euangelium verò nobis rem quandam & factum notat & inter-

Digitized by Google

interpretatur. Prædicat enim nobis œconomiam
Incarna- Seruatoris, omnibus celebrandam : quòd Deus in-
tionis ter homines, hominum gratia ſit verſatus: nequa-
Chriſti quam ea dignitate quam ab æterno habuit, à ſeſe
myſteriũ, abdicata, ſed ſalutis noſtræ œconomia ſuſcepta,
Euangelium nobis annunciat: quod ille morbo la-
borantibus, medicus extiterit, non qui pharmacis
ipſos curaret, ſed nutu humanitatis perſanaret.
Euangeliũ nobis prædicat, errantibus ipſam viam
demonſtratam eſſe : occæcatis enim lux affulſit, &
deſperatis ſalus. Poſteaquam enim lege eruditi,
non reſipuimus: & Propheticis oraculis inſtituti &
confirmati, ad cognitionem veritatis reuocati non
ſumus : & periculum eſſet, ne noſtra obſtinatione,
& præfractis animis omnia peſſum irent, omniaque
humana euerterentur: vbi amor hominum, huma-
nitas Dei nos ad diuinas leges animũ deſpondiſſe,
& Prophetarum inſtitutione fractos, debilitatoſque
eſſe animaduertit : magna ſua bonitate, & tantùm
non immenſa, ingratitudinem, iniquitatemque a-
nimorum noſtrorum vicit. Euangelium regni, ceu
regium quoddam munus, toti terrarum orbi pro-
mulgauit: omniaque, ob hominum amorem, etiam
indignis largitus eſt. Itaque Seruatoris illa gratia
promulgata eſt, qua omnes aliis atque aliis benefi-
ciis afficit : ſeruos quidem libertate donat, paupe-
res ditat, exules reducit, captiuos redimit, omnibus
omnia facta eſt. Non certè, quia nos digni eſſemus,
ſed propter eam bonitatem quæ beneficum Deum
decebat. Qui cùm ſimplex ſit natura, & impartibi-
lis, quique figura nulla conformari poſſit : *Deus de*
Hebr. 8. *Deo, imago inuiſibilis, ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ,*
diuerſis tamen appellationibus notatur : non quæ ipſius naturæ
conueniant, ſed beneficentiam deceant. Cùm enim huma-
na omnia iam collapſa eſſent, ipſe in ſeſe omnia
proprietate quadam ſuſcepit: & ea gratia, qua om-
nia inſtaurabat, diuerſas illas appellationes ſortie-
batur. Fames erat magna, fames verbi diuini: fa-
mes, quam Deus ſynagogæ comminatus eſt, dum
ait: *Mittam ipſis non famem panis, neque ſitim aquæ: ſed*
Amos 8 *famem audiendi verbum Domini.* Cùm totum terrarum
orbem fame laborare conſpexit, & fame intabeſ-
cere (quod enim eſt tabes in corpore, hoc inſcitia
& ruditas in animo.) Fons ille bonorum in Euan-
Ioan. 6. gelio exclamat: *Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcen-*
di: & dans vitam mundo. Panis enim ille, qui ſenſu per-
Pſal. 103 cipitur, ex terra prodit, vt eſt apud Prophetam:
Vt educas panem de terra. Cœleſtis autem ille è cœlis,
Ioan. 6. ceu fonte manat. *Ego enim ſum panis, qui de cœlo deſcen-*
di. Solitaria erat terra & ſiccitate laborabat, deſti-
tuta verbo diuino: nec ſpirituali illa irrigatione læ-
tè fruebatur. Itaque eadem illa gratia rurſus excla-
mat beneficentiam vberrimè aperiens : *Si quis ſitit,*
Ioan. 7. *veniat ad me, & bibat.* Diſſimiliter ſiquidem & Prophe-
tæ, & totus Apoſtolorũ chorus clamabant, & ipſius
aduentum maximo cum deſiderio expetebant: *Deus*
Pſal. 62. *Deus meus ad te vigilo. Sitiuit anima mea ad Deum viuum.*
Ergo cum vellet demonſtrare : ſe illum eſſe, quem
Prophetę ſummoperè exoptabãt, Euangelica voce
Ioan. 7. exclamat: *Si quis ſitit, ad me veniat, & bibat.* Si quis eſt ea
cupiditate, quam ille exprimit, cum ait: *Sitiuit anima,*
veniat ad me. Rurſus orbem ille terrarũ nudum con-
ſpexit, non quidem corpore, ſed virtute deſtitutũ:
vidit figmentum, quod ille finxit, & quod fecit mi-
ſeratus eſt: & nudis veſtẽ, nempe ſeipſum impertit.
Quandoquidem iam antea à nobis aliquando dictũ
fuit: *Quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum in-*
Galat. 3. *duiſtis.* Errauerat totus terrarum orbis, viam inueſti-
gabat, nec tamen reperiebat. Omnis enim anima
ipſa in ſe ſemina doctrinæ de Deo complectitur: &
licet in ſeſe contineret, neſciebat tamẽ quomodo,
quod tantopere expetebat, inueſtigaret. Ergò cùm
hinc inde aberrarent, nec vnquam viæ inſiſte-
rent : *Ego ſum*, inquit, *via.* Atqui mortuus eras:
Ioan. 14. *Ego*, inquit, *ſum reſurrectio* : ſed imbecillis eras, & a-
Ibidem 11 Eſaiæ 7. liquo, qui te duceret, indigebas: *Ego*, inquit, *vir-*
A *ga tua, de radice Ieſſæ quæ fulciat, & ſuſtinet imbecilles.*
De qua Dauid: *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſola-* Pſal. 22
ta ſunt. Quare virga? quare baculus? Quia omni æ-
tati inſeruiunt: iuuenes quidem caſtigat, ſenes ful-
cit. Sed ô Domine, famelicum me pauiſti: ſitientem
potâſti, nudum veſtiſti: errantem deduxiſti: imbe-
cillum baculo firmâſti: ad te, viam, te duce, cum
perueniſſem, veſtigia pietatis deprehendi. Verita-
tis ianuam quæro: quis eſt qui monſtret? *Ego ſum ia-* Ioan. 10
nua, per me quiſque ad Patrem ingreditur. Per te. Quid ita?
Porta enim ſum ſalutis aperta, quam B. Dauid quæ-
rit: quum autem de compluribus cogitâſſet, tan-
dem vnica inuenta, primum quidem dicit: *Aperite* Pſal. 118
mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in ipſas, confitebor Domino. Poſt-
quam verò voti compos eſt factus, & quod minimè
expectâſſet, non multas, ſed vnam tantùm inue-
nit, ſuam ipſius vocem correxit, dum inquit: *Hæc*
eſt porta Domini, iuſti per eam intrabunt. Deinceps pro-
phetica viſione & animi deſiderio totus ingreſſus,
B & quaſi in regia ipſa conſtitutus: *Confitebor tibi*, in-
quit, *quod exaudiſti me.* Dic ô Propheta & Theologe,
confiteris & gratias agis Deo? quid igitur dignum
tua expectatione tibi obtigit. Qui enim expetunt
regiam ingredi, illi putant fore, vt oculos ſuos au-
ri reſplendeſcentis conſpectu exſatient: item mar-
moris nitidi, variorum florum, diuitiarum, ſatelli-
tij, quod circa regem ſit, ſolio regio, muneribus re-
gum. Hæc cùm vnuſquiſque libenter, & cupidè
ſpectet, regiam luſtrare cupit, animique impetu eò
fertur. Tu verò quid deſideras eorum, quæ ingreſ-
ſus per portam, inueniſti? Pro qua tandem re ei
gratias agis? Quid tanti momenti deprehendiſti?
Quid tanta cupiditate dignum inueniſti? Explica
nobis deſiderium tuum: ne quando Iudaica impu-
dentia veritatem ſugillet, & carpat: quid inueniſti?
quid prædicas nobis, quid admiraris & ſuſpicis?
Chriſtum, inquit, inueni, Chriſti œconomiam vidi,
C illam nouam gratiam, inuſitatum illud beneficium,
glorioſum ſupplicium, ineffabilia & arcana ſacra:
hæc video, hæc admiror, pro iſtis gratias ago: *Confi-* Pſal 13.
teor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem.
Non celo beneficium, non recondo, † repono: ſed ſalutem.
œconomiam cunctis prædico. *Lapidem, quem expro-* Ibidem.
brarunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Nónne
vides quomodo † gratitudo hiſtoriam hanc nobis gratiarum
aperuit, & explicauit, *Confiteor tibi, quoniam exaudiſti* actio
me, & factus es mihi in ſalutem. Lapidem, quem reprobarunt
ædificantes, factus eſt in caput anguli. Animaduertiſne,
omnes Prophetas ad œconomiam in carne ſpe-
ctâſſe? & Chriſtum à Synagoga quidem pro nihilo
habitum, à gentibus omni gloria & honore cele-
bratum? Itaque vt ad rem redeamus: ſi portam quę-
ſiueris, Chriſtum inuenies. Et eſt ille ſanè ianua,
ob ſuum in genus humanum amorem. Verùm,
quia omnino neceſſe eſt, qui regnum cœlorum
ingrediatur, & templum Dei, opus eſt duce à quo,
quaſi manu, eò, quò animus fert, perducatur: (ne-
D que enim quiſquam per ſe † thuribulo aſtare auſit, altari.
cui non ſit aliquis, qui rem diuinam faciat.) Cùm
ergo per portam ingreſſus fueris, ipſum ſacerdo-
tem inuenis, qui te adducat: *Tu enim ſacerdos es* * *ſecundũ* in æternũ
ordinem Melchiſedech. Atqui ſacerdos etiam opus ha- Pſal. 109
bet hoſtia vel victima, vt Deum placet : ipſe etiam Geneſ. 14
hoſtia eſt, *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Atque Ioan. 1.
hæc quidem omnia ad te pertinent : iam attende,
quæ de ipſo dicantur. Neque enim in ipſius ſacer-
dotio animus & mens defigenda eſt, neque ipſum
velut ſacerdotem tantùm contempleris: ſed ipſum
conſidera, qui ob ſuam dignitatem Patri à dextris
aſſideat. Veruntamen ne quis hoſtis veritatis exi-
ſtat, qui alia quidẽ eidem adimat, alia celet. Noui e-
nim hæreticos ſæpenumero dictitare: Vidéſne fas
non eſſe ad Patrem ſine filio accedere? Mediatoris
enim vel ſequeſtri & miniſtri locum obtinet: &
eos, qui conſeruandi ſunt, ad Patrem adducit.
Quum enim ſapientia hæc eſt noua, etiam verita-

Digitized by Google

A

Filij diuinitas.

tem innouat. Cùm naturæ humanæ fas non eſſet, ipſam per ſe ad Deum accedere, ipſe quaſi medium & confinium conditæ & inconditæ naturæ exiſtens, orbem terrarum ad Deum adducit. O inſaniam nouam! b ô inanem actionem! Excellens Dei bonitas apud hæreticos pereclitatur: quinetiā dignitatem diuinitatis imminuunt. Atqui exultat quidem hæreticorū inſania: poteſtati verò Seruatoris nihil decedit, nihil detrahitur, neque gloria extinguitur, nec gratia euertitur. c Etiamſi enim nos negemus, ipſe tamē fidelis permanet. Negare enim ſeipſum non poteſt. Aſſidet autem ille patri, propria ſua dignitate refulgens, reſplendens: aſtat autem, velut ſacerdos, ob amorem ſuum erga genus humanum ipſi conuenientem. Et rem miram aduerte, frater: quando iſti hæc verba: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*: de munere & ordine miniſtri, aut famuli ſpecie, accipiunt: neceſſe eſt elenchum impietatis in hæreticorum caput retorquere. Siquidem, vt iſti dictitant, quia Filius nos ad patrem adducit, ipſius dignitatem imminuit. Quid igitur, ſi Patrem ad filium abducentem perſpicias; ecquid pietatem ibidem intendis? Ergo cùm in Filium contumelioſus exiſtas, vel ſumma patrem contumelia afficis. Itaque fratres, vt pia & vera doctrina malitiam hominum obmuteſcere faciamus, & gloriam piè illuſtremus. *Viuus eſt enim Dei ſermo, & efficaxt penetrabilior, & quouis enſe ancipiti acutiori* Ancipitem autem vocat, quia duplicem rationem ſacræ literæ ſequuntur: aut enim confirmant & fulciūt bonos, aut refutant, & ſubuertunt aduerſarios, & domeſticos quidem fidei illi confirmant & corroborant. Audi igitur Dominum dicentem: *Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus cœleſtis eum traxerit.* Neceſſarium eſt, fratres, hæreticos pro merito refellere, & filios fidei de ſenſu huius loci certiùs & veriùs edocere. Quam igitur ob cauſam vnigenitus Dei filius, Verbum, munus illud adducendi & offerendi diſtinxit? qui alibi quidem à ſe Patri offerri, alibi verò à Patre ad ſeipſum adduci affirmat. Neque enim natura illa diuina confuſa eſt: ſed doctrina veritatis plana & diſtinctiſſima eſt: nihil in ea prauum aut contortum. *Omnes enim vitæ Domini rectæ.* Anne igitur, fratres, Pater interdum quidem in illo regio ſolio ſedens, eos, qui ipſi adducuntur, ſuſcipit: interdum verò filio, omni regio faſtigio per vices quaſi conceſſo, ipſe quaſi miniſter aſtat, & ad ipſum adducit? minimè verò. Neque enim ſi quis ſedem Dei nominet, fas eſt, quicquam humanum in animum inducere: neque ſi ſtatus de ipſo dicatur, licet quicquam eorum, quæ apud nos fiunt, cogitare. Si igitur de Deo audias, quòd ſtetit, diuinæ illius naturæ erectum illud & inflexibile accipias. Sin rurſus legas, quòd ſedeat: beatam illam naturam ſtabilem & permanentem intellige. Deus enim de ſeipſo dicit, ſe ipſum ſtare & ſedere. Et Moſi quidem dicit: *Tu verò conſiſte hîc mecum. Et erat locus, vbi ſteterat Deus Iſrael, velut lapis Sapphiri.* Attentè auſculta: Moſes Deum ſtare dicit: & Deus Moſi velut ſtans ait: *Conſiſte mecum.* Quid ergo de illo Hieremiæ fiet: *Tu ſedens in æternum, & nos in æternum perimus?* Cathedra & ſtatus, vocabula ſunt hominibus in vſu: ſed ſenſum habent, qui de Deo intelligi queat. Propter humanæ vitæ inconſtantiam & mutabilitatem, Deus ſtare dicitur: item, quia inſtabili conditione, & quæ omnis generis mutationibus obnoxia eſt, non ſumus. Deus autem ſedere, ob conſtantem & permanentē ſuam naturam, dicitur. Quod enim ſedet, firmum & conſtitutum eſt. Quæ tibi vocabula ſuggerunt, auerſare & reſpue: quæ fidei autem conſideratione occurrunt, intelligentia complectere. Quomodo ergo Filius ad Patrem, & Pater ad Filium adducit? Locus enim explicandus eſt. Pater manifeſtos quoſdam, & de qui bu snemoambigat, ad Filiū adducit: & viciſſim Filius certos quoſdam ad Patrem adducit. Ne tu

(Ioan. 14. — Hebr. 4. — Ioan. 6. — Pſal. 24. — Exod. 24.)

præoccupatione quadam voculam ad calumniandum arripias: ſed finem expecta, & quod dicitur, certo animi iudicio expende: neque iudex ſis hoſtilis, ſed aduocatus beneuolus eſto. In Iſraël quidem Deus & Pater cognitus fuit: Filius autē ignotus. In gentibus verò Pater incognitus fuit, & Filius. Gentes enim in errore illo, de multitudine Deorum, detinebantur. Vbi igitur Pater quidem cognoſcitur, Filius non item: Pater interpres Filii incogniti exiſtit. † Rationem hanc denuo repetam: vt intelligentiam loci firmè conſtituam. Vbi Pater quidē cognoſcitur, & de Filio controuertitur, notus incogniti interpres eſt: vbi vero Pater ignotus, Filius ignoti præco eſt. Propterea, vt exactam eorum, quæ dixi, explicationem habeas, Euangelium ſponſionis loco tibi præbeo. Ait enim Seruator de gentibus: *Nomē tuum manifeſtaui mundo: imò verò ignoranti mundo nomen tuum manifeſtaui.* Sed quale nomen manifeſtauit? quòd Deus eſſet. d Atqui notio hæc Dei iam præoccupata fuerat. Nam qui in errore verſantur, Deum nominant, & qui à vera pietate alieni ſunt, hanc appellationē non inficiātur. Quodnā igitur nomen manifeſtauit? quòd Pater diceretur: *manifeſtaui nomē tuū mundo.* Videſne, quòd, vbi Pater ignotus eſt, Filius ipſum Euāgelicis cōcionibus prædicat, veritatemque perſpicuè declarat. Vbi verò Pater exiſtimabatur cognoſci, non item Filius: ille ipſe incogniti præco exiſtit. Exēpli gratia, vt ipſis rebus huic rei fidſaciam. Paulus nouerat quidem Deum, non nouerat autem Filiū: nouerat, inquā, Deum: non nouerat autē, illem Deum Patrem ipſum eſſe Chriſti: & pietatem quidē magno ille ſtudio conſectabatur, pro lege pugnabat. Deus verò zelum & feruens ipſius ſtudium, à ſcopo quidem aberrans, ſed deſiderio tamen plenum, intuebatur. Quid igitur? demonſtrat ignoranti incognitum. Sed quis hæc nobis declarat? † Ille ipſe, qui aliquando ignorabat poſtea cognouit: ipſe, qui aliquando perſecutus eſt, & poſtea Euangelium annunciauit. Quid enim, inquit? *& erā æmulus paternæ legis ſupra modum, perſequens Eccleſiā Dei: quum autem Deo placuiſſet, qui me ex vtero matris ſeparauit & vocauit, per gratiā ſuam reuelare filium ſuum in me:* & quæ inſequūtur. Teſtimonium ſiquidem refertur ad quæſtionē propoſitam demonſtrandā: nec eſt conſideratio & ſpeculatio ſenſus, quem ille locus habeat. Rurſus alio in loco Seruator ex Apoſtolis quærit: *Quémnam homines eſſe dicunt Filium hominis?* quærit ille quidē non vt noui quippiam addiſceret: ſed, vt exempta opinione, veritatem ſtabiliret: *Quémnam me dicunt homines?* Apoſtoli quidem primū ad vulgi opiniones reſpondebant: *Alij quidem aiunt, Heliam: alij Hieremiā, aut vnum è Prophetis.* Quid igitur Seruator? ad opiniones illas falſas nihil ille reſpondet, vtpote quas indignas reſponſione duceret. *Vos verò quémnam me eſſe dicitis?* neque enim vllam imperitæ multitudinis vel ſeductæ rationem, ſed veſtri, meorum præconum, habeo. Vos ſiquidem lucernam veritatis, doctrinam pietatis promulgabitis, & in omnis orbis partes, quàm latè patet, diuulgabitis: in vobis res humanæ nutant: in vobis veritas periclitatur. Et quemadmodum veſtra cognitio publicum mortalium beneficium: ſic veſtra inſcitia totius Orbis detrimentum: idcircò, *vos quémnam me dicitis?* reſpondens Simon Petrus, dixit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Hic fidei terminus, hæc veritatis doctrina: hæc veræ & rectæ ſententiæ confeſſio. Verumtamen quia fieri poterat vt etiam hæc vox aliter fortè intelligeretur, alias opiniones ille quidē nulla reſpōſione dignatus eſt: huic verò ſuffragatus eſt. Et quidē ait, ne etiā hæc confeſſio ex ingenio humano profecta videretur, veritatis ſigno impreſſo, eam conſignauit, cùm ait: *Beatus es Simon Bar-jona.* Hic memorabile erit, quòd Pater ei, cui ipſe cognitus eſt, etiam planè incognitum reuelat. *Beatus es, Simon Bar-jona, quoniam caro & ſanguis tibi non reuelauit, ſed*

(Sermonē hunc. — Ioan. 17. — Ioan. 17. — Galat. 1. — Matt. 16. Lucæ 9.)

B C D

Pater

Pater meus, qui in cœlis eſt. Videſne, Filium, vniuerſo mundo nulla patris cognitione imbuto, eius cognoſcendi magiſtrum fuiſſe. Verùm Iudæorum quidem ſynagogæ, quæ Deum quidem nouit, ſed Dei Filium, verbum illud Patris, non agnoſcit, ipſe Pater huius dubij doctor & explicator exiſtit. Noli igitur ſummo illo Dei amore erga genus humanum ad impietatem abuti: neque dignitati propter œconomiam quicquam detrahas, neque immenſam illam naturam curioſiùs inueſtiges: eſſentiam illam, quæ capi comprehendique nequit, noli ſcrutari. Eſaias tibi hoc perſuadet, eiuſmodi curioſiùs non eſſe indaganda, & ſcribendo pertractanda: *Generationem eius*, exclamat, *quis enarrabit?* O impudentem audaciam eorum, qui quiduis temerè &

Diuina non eſſe curioſius ſcrutanda

ſentire, & effutire audent! Neque enim impio homini religio eſt, etiam Dei naturam perſcrutari: & quæ fas non eſt proloqui, diuulgare, omninoque res ſacras profanare. Meritò id quidem: quum enim verum neſciat: ſeſe ſcire etiam profitetur, vt ita, quæ palàm prædicantur, occultet. Neque enim ſacras ille literas audit, quæ monent: *quæ tibi mandata ſunt, de iſtis cogita: neque enim arcanis tibi opus eſt.* Beatus enim Deus ſolus rerum admirabilium compos eſt, ſolus res admirabiles in ſua poteſtate habet.

Loc. in Græco corruptè legitur. Eccli. 3.

B

Qui, cùm Iobum patientia illuſtrem hiſtoria creationis & opificij huius mundi conterrere vellet, ait illi: *Vbi eras, quando fundamenta terræ iacerentur? cùm mare fiebat:* &, ne longum faciam, *cùm montes formarentur? Tùne partum tragelaphorum noſti? Expone, enarra mihi mundi conformationem: ferarum dolores in pariendo: alimenta iumentorum, & conſtitutionem illam variam omniũ, quæ in hoc mundo cernuntur.* Hæc igitur ille ad Iobum: quibus etiam illa, quæ in hac rerum vniuerſitate cernuntur, ab hominibus intelligi perſpicique non poſſe, docet. Quibus B. ille Iobus perculſus, inquit, *Domine, ſemel locutus ſum: ſecundò non adiiciam, vt iterum loquar.* Denique inquiſitio rerum in hac vniuerſitate aſpectabilium, Iobum quidem obmuteſcere fecit: & tuam audaciam ineffabilis illa vnigeniti generatio non compeſcet? Verum enimuerò poſteaquam quæ ignoras, profiteris: ex te rei explicationem, quæ nemini non nota eſt, quæro. Dic mihi, quomodo terra ita ſolidè & firmiter in aquis conſtituta ſit: dic quomodo Adam è terra formatus: dic quomodo Manna cœlitus delapſum: quomodo mare diuiſum, & reliqua miracula, ne ſim prolixior, nobis explica. Dic quomodo Angeli, appoſitum ſibi vitulum ab Abrahamo, comederint: quibus neque venter, neque vllum aliud cibi receptaculum à natura tributum eſt. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem flammantem.* Quam ſubitò hæreticus ad nihilum redactus eſt? Atqui obiicit. † Nefas aliquod quæris: vi quadam & poteſtate angelorum vitulus ille † aſſumptus eſt. Tu igitur angelorũ poteſtati fidem adhibes, nec eam examinas. Dei verò generationem ita curioſè indagas? Quomodo Deus cœlum & terram condidit? reſpondet: Vt ille nouit, vt voluit. Itáne diuina quidem poteſtas humanis cogitationibus propoſita non eſt, ſed fidei commiſſa: diuina verò generatio neceſſariis humanæ rationis addicitur & ſtipatur ratiociniis. An non Dauidicum illud oraculum audiuiſti? *Omnia quæcunque voluit, fecit, voluntatem quidem illius non ita curioſè peruestiges, & in natura ipſius intelligenda tantoperè occuparis?* Licet, fratres, quæcunque ille ſua voluntate effecit, illa cernuntur: quem verò ille ex propria ſua eſſentia genuit, non cernitur. *Namque res, quæcunque in hac rerum vniuerſitate conſpiciuntur, inuiſibilis Dei imago ſunt.* Iam verò inuiſibilis illa generatio humanis illis cogitationibus ſubiecta eſt. c Quæ voluit, fecit: non hîc, quid ſecundum illam diuinam & puram naturam perpeſſus ſit, curioſiùs inquirit. O inanem audaciam! ô nouum inceptum! ô conſilium, quod mulctam meretur! ô naturam contumelioſè tractatã! Præclare B. Dauid

Iob 38. Iob 38. Iob 39. Geneſ. 18 Pſal. 103. Heb. 10. ἀδύνατον. ἀνεφανίσθη oculis oblatus eſt, certe ἀφανίσθη ablatus eſt. Pſal. 113

C

A dixit: *Filij hominum vſquequò graui corde, & diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quicquid enim alienum à Chriſti doctrina eſt, vanum eſt & mendacium. Nam ſi verum dicit, cùm ait: *Ego ſum veritas:* quæcunque extra Chriſti doctrinam ſunt, ad mendacium deducunt. Auoca animum tuum à terrenis illis quæſtiunculis & humanis illis cogitationibus, ad ſublimiorem quampiam theologiam: miſſam fac miſeram illam humanarum cogitationum diſquiſitionem: Theſaurum veritatis amplectere. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito.* Quam ob cauſam verò Seruator theſaurus appellatur? hîc quidem attentè auſculta. Quemadmodum enim theſaurus non quidem tum demum, cùm inuenitur, exiſtet: ſed dudum eo in loco repoſitus eſt, recens autem eſt, ipſa inuentione: ita ſalutaris illa doctrina dignitate quidem ſua peruetus eſt: imò initium rerum omnium. Siquidem *In principio erat verbum:* promulgatio verò eiuſdem propter œconomiam in carne recens eſt. Omnino igitur, vt hoc ſatis intelligas, frater, Chriſtum inſtar theſauri ſui amantibus reſplendeſcere: & qui ipſum inueniunt, non aliter ad ipſum accurrunt, ac ſi theſaurum inueniſſent. Andreas ſiquidem ille Petro beneficium prædicans, ait: *Quem Moſes in lege ſcripſit, & Propheta, inuenimus Chriſtum.* Moſes enim, cæterique Prophetæ ſacris literis, velut in theſauris, prædicationem Chriſti repoſuerunt. Verùm quãdoquidem, qui occultum theſaurum reponunt, ipſi quidem cernunt, quid deponant, ſed occultant, ne, ſi conſpiciatur, ab aliis deripiatur: ita etiam Prophetæ, qui Chriſtum prædicarunt, obſcuritate vocabulorum theſaurum illum contexerũt. Quid ita? Si enim clarè & perſpicuè pronuntiâſſent, non prophetiam, vel oracula, ſed prædicationem inſtituiſſent: & intempeſtiua illa rerum futurarum enunciatio, opportunitatem muneris prædicandi occupâſſet. Quid ergò illi faciunt? interpretantur, & tamen occultant. Et quis hac de re teſtificatur? Eſaias: *Et erit liber hic, velut liber obſignatus, qui ſi detur, homini literas ſcienti, dicit: Non poſſum legere: eſt enim obſignatus: &, ſi ei detur, qui literas ignoret, dicit: Non poſſum legere: literas enim non didici.* Quid igitur hoc ſibi vult ænigma? Prophetia de Chriſto, ait, & à Iudæis & Græcis ignorabatur: à Iudæis quidem, qui literas, legem nempe & Prophetas, tenebunt. Verùm quia liber obſignatus erat, Iudæi quidem literas ſciebant, & eruditi erant. Itaque & Deus ipſis dicit: *Vos qui geſtamini ex vtero, & ad ſenectutem vſque erudimini: non tamen intellexerunt.* Si quidem inuolucris quibuſdam occultabantur. A Græcis verò ignorabatur: non, quia aliquid obſcuritatis ineſſet, ſed quia literas omnino non callebant. Itaque Paulus Timotheo qui in lege educatus fuerat, ſcribit: *Sacras literas à puero noſti, quæ poſſunt ſapientem te reddere ad ſalutem.* Erat itaque prophetia illa in theſauris abſcondita, & repoſita, & in illis ſacris literis occultata. Semper illud occultatum tenendum eſt. Neque verò Eſaias tantùm prophetias obſignatas proponit, ſed & Daniel. Dicit enim ipſi Angelus, poſtquam ipſi reuelationem rerum futurarũ commonſtrâſſet: *Et tu Daniel, obſigna librum hunc viſionis: quoniam ſignificatio eiuſdem multo poſt aperietur.* Hanc ob cauſam B. etiam Dauid, quum legem & Prophetas in populi perſona legeret (neque enim ipſe prophetico munere fungẽs, hæc ignorabat) cùm propoſitum eſſet demonſtrare, ſignificationem quidem aliquã œconomiæ Chriſti ſeſe capere: verùm propter vocum obſcuritatem non poſſe exactè intelligere: perſimile quiddam ei accidit, quod illis, qui crumenam aliquam, ſed obſignatam cernunt. Quid ergò facit, quum literas ille quidem intuetur, & vim atque ſenſum earundem non percipit: *Reuela oculos meos, & intelligam mirabilia de lege tua.* Et rurſus idem: *Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas.* An non in lege cognouiſti: an non Moſes

D

Pſal. 4. Ioan. 41. Matth. 13 Ioan. 1. Ioan. 1. Eſaiæ 29. Eſaiæ 46. 1. Tim. 3. Dan. 12. Pſal. 118.

Digitized by Google

te Decalogum docuit? Atqui abs te ipſo tuam diſ-
ciplinam edoceri, ab ipſo ſcilicet legumlatore, &
legum fonte earundem veritatem cognoſcere cu-
pio. Et certè cupiebat ille quidem diſcere: ſed gra-
tia illa reponebatur iis, qui tandem beneficium ac-
Lucæ 11. cepturi erant. Ergo & Seruator diſcipulis dixit:
Multi reges & iuſti expetiuerant videre, quæ videtis, & non
viderunt: & audire, quæ auditis, & non audiuerunt. Veſtri
verò beati oculi, quia videtis. Sed nos hoc quærimus:
quónam tempore omnino ſigillum illud ſcriptu-
rarum fuerit reſignatum: quandónam vinculum
hoc ignorantiæ ſolutum fuerit: quando, quæ oc-
cluſa fuerunt, ſint aperta? Poſtulat à nobis auditor:
præter doctrinam etiam modo mihi, inquit, eiuſ-
dem obſignatæ commonſtrâſti, & tempus ſolutio-
nis me cælabis? Portas mihi occluſas oſtendiſti;
eaſdem apertas non monſtrabis? Quid igitur? vnico
verbo omnem difficultatem expediam, perſpicue-
que quæſtionem explicabo. Quid ergo? Cum poſt
Domini reſurrectionem, diuina gratia illa vulgo
mortalium incognita eſſet: Duo quidam, inquit
Lucas, diſcipuli in vicum quendam profecti, inter
ſeſe, velut amici, in itinere de œconomia Seruato-
ris in carne conferebant. Seruator & habitu &
charactere ſermonis mutato (quod enim videnti-
bus facies: hoc vox iis, qui cæci ſunt) occultat er-
go & vocem & ſpeciem illam externam, ait & illis,
is, qui omnia nouerat: *Quinam ſunt iſti ſermones, quos*
ὀυχ ὁρῶσι, ſine dubio legendum. *confertis?* Reſpondet ei, qui omnia nouerat, quique
ab eodem omnia diſcebat: *Tu ſolus peregrinus es Hiero-*
ſolymis, neque ſcis quæ ibidem ſunt facta. Quibus ille: *Quæ-*
nam? Hic Deus, qui omnia nouerat, & tamen inter-
rogabat, Filius eſt illius, qui Caino dicebat: *Vbi eſt*
Geneſ. 4. *Abel frater tuus?* Dicunt illi: *Ea, quæ de Ieſu Nazareno fa-*
cta ſunt, qui fuit vir potens verbo & opere. Reipſa vir ille
fuit poſt tot miracula, poſt tot beneficia, poſt tan-
tam diuinæ ſuæ poteſtatis demonſtrationem, *Nos*
verò, habet textus (ne omnia excutiendo nimis pro-
lixi ſimus) nos, ait, *ſperabamus, ipſum eſſe, qui redemptu-*
rus eſſet Iſrael. Aduerte fidem in ipſis propemodum
extinctam fuiſſe, & porrò etiam illa ſpe œconomiæ
Seruatoris in carne fruſtrabantur, *Nos expectabamus*,
inquit textus: non autem dicit: Nos expectamus,
ſed nos expectabamus. Perſpectum ille habuerat
fidem illorum porrò labefactatam, & ingenio eos
eſſe hebetiori affectos: *Aſtitit ergo ille, qui lapſos ſuffal-*
Pſal. 145. *cit, quique erigit omnes eliſos*: & quomodo ipſos affatur?
ô ſtulti & tardi corde! ſcripturas non intelligitis? Nónne hæc o-
Lucæ 24. *portebat Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam? & inci-*
piens à lege & Prophetis, & aperiebat illis ſcripturas. Ecquid
vides quamdiu quidem Chriſtus abfuit, porta ve-
ritatis aperta non fuit, neque vinculum ignoran-
tiæ ſolutum? *Aperiebat illis ſcripturas*, veluti ianuam
quandam occluſam: at quámnã? De qua Paulus: *Vt*
Actor. 11. *Deus aperiat ianuam gentibus.* Et iterum de Cornelio:
An ne igitur Deus etiam gentibus ianuam pœnitentiæ aperuit?
Conſidera porrò, quid ille fons bonorum; cum ad
vicum Emaus peruentum eſſet, quò quidem duo
illi tendebant, inſtituat: cum ille nondum noſce-
retur ab ipſis, apparuit ea re, de qua dubitabant.
Nam vbi humaniter ab ipſis inuitatus eſſet, pri-
mum, & velut peregrinus, beneuolè ab ipſis & hu-
maniter habitus. (*Mane nobiſcum*, habent ſacræ lite-
ræ, *quoniam inclinatus eſt dies.*) Ne prorſus omnino i-
gnorantia dignitatem ipſius obtegeret, *Accepto pane,*
eundem benedixit, fregit & diſtribuit, & apertis ipſorum ocu-
lis, ipſum cognouerunt. Cur illis panem primum porre-
xit, & tunc demum oculi illorum aperti ſunt?
Quoniam cibus ille Adami oculos perniciosè a-
peruit. nunc illius loco alius cibus inſtitutus, qui
nouo quodam, & admirabili modo viſum reſtituit.
Vtinam verò etiam hæreticorum ſoboles reſpi-
ciat, & lucem illam veritatis aſpiciat: cognoſcent-
que eum, qui in principio fuit, qui Deus eſt, & Dei
Verbum exiſtit: rurſumque illud erat, τὸ ἦν au-
diant: deſinantque dictitare illud, non Erat, ὀυκ ἦν.

A *In principio erat verbum.* Hæc doctrina non confeſtim Ioan. 1.
fuit promulgata. Neque enim mundus hoc capie-
bat. Itaque Euangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lu-
cas, Ioannes, eminus nobiſcum agunt. Et cùm Eu-
angelicæ doctrinæ initium feciſſent, non illi ſta-
tim, quæ diuinæ ipſius naturæ conſentanea erant:
ſed quæ auditoribus accommodata erant, prolo-
quebantur. Matthæus cùm Euangelium auſpica-
tur, ait: *Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abra-* Matth. 1.
ham. At cur non ait, Filij Dei? Quid ita miſera illa
vocula dignitatem occultas? Cur hominibus res
diuinas occultas? Apud Iudæos, inquit, Euangeliũ
prædico, eos, inquam, qui Chriſtum non verum
hominem eſſe, perſuaſum habent: qui filium A-
brahæ nondum amplexi ſint: quomodo ergo Fi-
lium Dei ſibi annunciari ſuſtinebunt? Vnde verò
hoc? Quoniam ipſum eſſe de ſtirpe Abrahami, nõ
concedebant. Annon audiuiſti, cùm ipſi ſæpiùs
B conuitia facerent, eidem obiicere: *Samaritanus es tu,* Ioan. 8.
& dæmonium habes. Qui igitur ſanctorũ ſuorum ge-
nere ipſum priuabant: quomodo illi diuinam illius
naturam comprehenderent? Quid ergo? *Liber gene-* Matth. 1.
rationis Ieſu Chriſti, filij Dauid, filij Abraham. Primùm er-
go ipſos beneuolis, & ad ipſorũ gentem cogitatio-
nemque pertinentibus vocibus allicit: vt ita iiſdem
capti & deliniti paulatim verum cognoſcant: illam
nempe impatibilem, puram & dignam Deo gene-
rationem, quæ doctrina prædicabatur, & omnibus
tradebatur. Rurſus verò B. Marcus, cùm ſeſe Eu-
angelio ſcribendo dediſſet, fretus ea, quam præ-
miſerat, exercitatione, nominat quidem Dei filiũ
ſed ſtatim oratione ſuppreſſa, ſententiamque muti-
lauit, vt præmolliret & demulceret auditorem. Sta-
tim itaque aliqua de Ioanne Baptiſta ſubiungit, &
ait: *Principium Euangelij Ieſu Chriſti.* quemadmodum Marc. 1.
in Eſaia propheta ſcriptum eſt: *Ecce ego præmitto an-* Eſa. 40.
C *gelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam* Malac. 3.
ante te. Lucernam veritatis ille quidem oſtenderat,
ſed ſtatim occultauit: & producit primò quidem
miniſtrum, vt auditor huic voci aſſuetus, deinceps
perfectam doctrinã rerum diuinarum ſincerè am-
plecteretur. Hos quidem Lucas in ordine tertius
inſequitur, & medium tenet. Attingit ille quidem
doctrinam de Deo, neque tamen interpretatur,
neque dignitatem illam diuinam explicat: ſed ait,
Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ Lucæ 1.
in nobis completæ ſunt, rerum: viſum eſt & mihi aſſecuto omnia
ſcribere, ſicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, &
miniſtri fuerunt ſermonis. Et Sermonem ille quidem
nominauit, ſed quòd Deus erat verbum, non dixit.
Quid igitur ille facit? qui rem quidem nonnihil at-
tigerat: ſed cùm intellexiſſet, ſurdis ſeſe aliquid
narrare: dignitatem ille occultat, & œconomiam
in apertũ profert. *Fuit ſacerdos Zacharias*, & quæ de-
inceps in Euangelio inſequuntur. Omnes igitur ad
D œconomiam in carne primò ſe contulerunt, &
ſenſim poſtea expoſitis miraculis, dignitatem na-
turæ diuinæ declarârunt. Et quidem dignitas illa
diuina, de Deo verbo prædicabatur: tela verò ad-
uerſus hæreticos occultabantur, nec rectæ ſenten-
tiæ propugnaculum pietatis prædicatione adhuc
conſtitutũ fuerat. *Ioannes verò, filius tonitru*, poſtremus Ioan. 1.
ad Theologiam explicandam poſt illos tres præco-
nes acceſſit: & meritò ſanè ille quidem ſecutus eſt,
illi præceſſerunt, qui hactenus paululum fulguris
de ſeſe edidiſſent. Quemadmodum fulgur tonitru
antecedit, ne, ſi illud ſubitò & confertim è nubibus
erumpat, eum, qui audit, planè conterreat. ſic cùm
futurum eſſet, vt Ioannes tonaret, tres Euangeliſtæ
inſtar fulguris præceſſêre: & illi quidem œcono-
miam eius in carne palàm inſtar fulguris edidêre;
hic doctrinam de diuina ipſius natura detonat. To-
nitru verò, fratres, cum pluuia coniunctum eſt, to-
nitru terriculamentum eſt improborum: & cœlum,
velut tuba, tonitru vtitur, vt pluuiam eliciat, ſed ta-
men primùm pluuiam fulgure euocat. Deus enim

fulgur

fulgur ad pluuiam condidit: dehinc tonitru nubes concutit. Itaque, vt paulò antè dixi: poſtquam tot fulgura doctrinæ præceſſerunt, ſequitur tandem tonitru Theologiæ, quod perterrefacit multos excellentia Theologiæ; & adfert pluuias benedictionis. Et nobis quidem tonitru Theologiæ: hæreticis autem tonitru, quod magnitudine ſonitus malas illas feras profligat. Pſal. 103. *Ab increpatione tua fugient, à voce tonitru tui formidabunt.* Recurramus itaque ad Deū, qui in principio fuit: recurramus ad illam lucem æternam, recurramus ad Verbum, quod propter te homo factum eſt. Cùm dico, factum eſt: non naturā illam immutatam fuiſſe dico, ſed dignitatem illam noſtram naturam aſſumpſiſſe. Ioan. 1. Illud enim: *Et verbum caro factum eſt*: non vllam immutationē declarat, ſed aſſumptionem noſtræ imbecillitatis denotat. Sin verò illud, *Factum eſt*, mutationem quandam arbitraris, quid de Paulo fiet, quem audis dicere: Galat. 5. *Chriſtus nos redemit à maledictione legis, factus pro nobis maledictio.* B Si voculam *Maledictionis* de natura & conuerſione in eandem intelligas. Quemadmodum ergo illud, *factus maledictio*, aliud nihil ſignificat, quàm maledictionem in nos, ipſe in ſeſe ſuſcepit, etiam hoc: Ioan. 1. *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis*: aliud nihil ſecum affert, quàm carnis aſſumptionē. Licet verò exemplum de te ipſo capere. Sermo tuus te de diuino illo ſermone edocebit: non quòd per omnia eidem ſit ſimilis: ſed tamen quòd veſtigia & illuſtrē ſignificationem diuinæ illius dignitatis obtineat. Hic te omnino attentè auſcultare velim, ne vel ego fruſtra verba faciā, & diuini illi ſenſus pereant. Sermo igitur humanus obſcurior quædam & tenuior imago eſt, quæ nobis diuinam illam dignitatē non omnino repræſentat, ſed tamen noſtri conſideratione, ea quæ captū noſtrum excedunt, aliquo modo docet. Sermo noſter incorporeus & inuiſibilis eſt, neque comprehendi poteſt, tantùm audiendi facultate percipitur. C Neque enim quiſquam aſpectu ſermonē cognouit, nemo manu tenuit, cùm neque ſub aſpectum cadat, neque teneri poſſit: tantùm audiendi ſenſu percipiatur, & quidē Matt. 13. inuiſibili quadam ratione. Non enim audiendi facultas manus extendit, vt teneat: ſed ille ſermo in aures ſeſe inſinuans, ibidem percipitur & tenetur. Idem ille ſermo partus quidā mentis eſt: gignitur autem nō perpeſſione aliqua cæſim, aut diuiſione, nec ſicut pars de mente, quæ ipſum generat, reciditur: non ſeparatur, non præciditur. Hic arrige aures, hæretice: intellige primùm teipſum, & tum, quæ te altiora ſunt, contemplare. Mens gignit, & ſermo prodit: & quidem ab ea prodit, quæ genuit: & omnium aures, qui audiunt, complet, nec ab eo, qui ipſum genuit, abſiſtit. Prodit ſermo, qui in omnes diſtribuitur, nec vſpiam finditur. Vnuſquiſque enim orationem capit integram, & eſt illa in vnoquoque, & in tot diſtributa: tamen integra & perfecta in funditur. Noſter itaque ſermo mentē, quæ D ipſam genuit, demonſtrat. Ex ſermone enim mētis cogitata comprehendimus. Sed & hoc conſidera: hoc noſtro ſermone cùm Deus multò antè adūbraret & depingeret œconomiā diuini verbi, imaginem quampiam admirabilem floribus, quos terra ex ſeſe fundit, pulchrè reſplendeſcentem, antecedente quadā conſideratione ſermonis, adhibuit. Quid ergo? ſermonem quidem noſtrum, qui & inuiſibilis & incorporeus eſt, neqne teneri poteſt, Deus alio quodam modo ſapienter ita conformauit, vt & aſpici poſſet, & teneri. Quid enin ille facit? Cùm igitur ille oculis quidem cerni non poſſet, Deus ipſum literis, velut corpore veſtiuit: eique, ceu carnem, literas aſpectabiles appoſuit: & quem tu aliquando audiens, non cernebas, eum dū legis conſpicis: in quem incidere non poteras, in libro circumfers. Verùm ſermo quidem literarum beneficio quaſi corporeus euadit: non autem literis includitur, ſed cum legente & cum dicente

A coniunctus eſt. Nam licet aliquis arrepto libro eū diſcerpat, fratres, corpus ille quidem ſermonis diſcerpſit, non autem orationem diſſecuit. Vt perſpicias literis conſumptis, non propterea orationem perire, Deus Hieremiæ dicit: Hiere. 27 *Sedens ſcribe in libro omnes ſermones, & trade Ioachim regi.* Plena autem illa oratio reprehenſione fuit. Quoniam verò principes reprehenſiones non facilè ferunt. Neque enim dignitas facilè iuſtitiæ ſubiicitur: ſed verum obtundit & contorquet, reprehenſionibus illis grauiter petitus librum diſrumpit, & ſic conſilium literarum cùm diſcidiſſet, in focum ignis abiecit. Quid igitur Deus denuò ad Hieremiam? *Sedens, ſcribe eoſdem ſermones, & da regi, vt intelligat, ſeſe literas quidem diſcidiſſe, orationem verò non diſſecuiſſe.* Imaginem igitur intellixiſti: porrò verò animum tuum ad res ſubliores & altiores erige. Vnigenitus ille Dei, ipſe Deus carnem induit, vt qui antè non apparebat, nunc appareat: qui antea non contrectabatur, nūc B contrectari poſſit. Ioannes ergo exoptato illo oraculo invento: quod quidem fando aliquando à nobis percipiebatur: poſteà verò his oculis aſpeximus, ait: Epiſt 1. Ioan 1. * *qui erat ab initio, quod vidimus, quod audiuimus, & manus noſtræ contrectârunt.* * Quod fuit ab initio. Carnem igitur velut veſtem dignitatis circūferebat: ſed veſtem decentem. Pſal. 92. *Dominus enim regnauit: decorem indutus eſt.* Iudæi certant cum eo, qui apparebat, eum, qui non apparebat, non noſcebant: & carnem illi quidem crucifigunt, diuinam autem illius naturam non tollūt. Nam ſi meus ſermo cum litera, quæ veſtis eſt ſermonis, non perit & euaneſcit: Deus verbum, fons ille vitæ: non vnà cum morte obiit: ſupplicium illud ad corpus pertinebat, ſed vacuitas omnis perpeſſionis erat circa dignitatem. Itaque Paulus ait: 1. Cor. 2 *Si enim cognouiſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent.* Quoniam qui carnem induit, carnis paſſionem ſibi propriè vendicat. Quòd ſi veſtem regiam aliqua C contumelia afficias, non eum, qui ea indutus ſit afficis? an neſcis, quòd is, qui regis imaginem cōtumelioſè tractat, hanc contumeliam in ipſum regem redundare? an neſcis tu, ſi quis imaginem, quę ex ligno facta ſit, in aream ſtatuam impellat, de hoc non ita iudicium fieri, velut qui in inanimatum quiddam peccauit: ſed eum, velut qui regi manus inferre auſus ſit, e medio tolli? Ergo materies inanimata; quæ regis imaginem præferat, contumeliam, ſi qua fiat, in regem transfert: forma verò viua, quam Deus Verbum induit, ſi contumelioſè habeatur, non transferet ignominiam in eum, qui induit? Quare intellige dignitatem, noli contumelia afficere œconomiam. Atque hæc quidem ſatis ſint: quæ reliqua ſunt in hac quæſtione de Deo Verbo, alia quadam ratione in medium adferemus, ordine quodam & moderatione adhibita: & Deo gloriam tribuemus nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum, Amen.

a *Nam qui ei*] Vitioſe interpuncta ſunt Græca, tu ſic diſtingue: τῇ γὰρ κατ' εἰκόνα τοῦ κοσμοποιοῦ γενομένῃ λόγου, καὶ λόγῳ τετιμημένῃ, καὶ λογικῆς ἐλευθερίας ἠξιωμένῃ τί ἂν οἰκειότερον γένοιτο λόγου τρέφοντος αὐτήν, &c. *Quid enim illi, cum ad imaginem verbi mundi opificis factus ſit & oratione ornatus & rationis libertate, magis conuenire queat, quàm ea oratio quæ ipſum alit & inſtituit?* Exprimendum fuit nomen λόγος voce quæ reſponderet illi κοσμοποιοῦ λόγῳ, quod vocabulum alij per verbum, alij per ſermonē vel orationem, nonnulli per rationem eſſerunt. e fol. 736.

b *O inanem actionem!*] Gr. ὢ τοῦ κενοῦ δράματος. *O inanem fabulam.* Quæ autem ſequuntur ita fortaſſe reſtitui poſſent: ἡ ὑπερβολὴ τῆς τοῦ πατρὸς ἀγαθότητος κινδυνεύει παρὰ τοῖς αἱρετικοῖς ἀμβλύνειν τὴν ἀξίαν τῆς θεότητος. Hæc quidem videtur mens Chryſoſtomi. Excellens & nimia Dei benignitas videtur hæreticis imminuere poſſe diuinitatis dignitatem.

c *Etiamſi enim nos*] Gr. ἐὰν, φησὶν, ἡμεῖς ἀρνησόμεθα. *Licet enim, inquit, nos negauerimus.* verba ſunt D. Pauli 2. ad Timoth. 2. Paulo poſt vbi interpres vertit, *ſi quid pietatem*; ibidem Corrector typographicus monuerat Græcè legendum ἀσέβειαν *impietatem*, non εὐσέβειαν.

d *Atqui notio*] Gr. ἀλλὰ προειλήφει ἡ γνῶσις τὸ ὄνομα. *Atqui cognitio nomen hoc praeoccupauerat.*

e *Quæ voluit fecit,*] Omnino excidit à ſententia auctoris interpres Græca à ſuperioribus ſeparata ſic lego: ἃ θελήσας ἐποίησεν, οὐκ ἀνακρίνεται, ὃ δὲ τὴν θείαν καὶ ἄχραντον φύσιν ὑπήνεγκε, πολυπραγμονεῖς; *Quæ ſua voluntate fecit, non examinantur: quæ vero ſecundum diuinam & intactam naturam perpeſſus eſt, curioſius inquiris?* Non quæris quomodo mundum crearit, quomodo filium genuerit ſciſcitaris?

f *Vos qui portamini ex vtero*] Hæc quæ in vulgata editione ſic habent, Qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, vſque ad ſenectã ego ipſe, Septuaginta ſic reddiderãt, οἱ αἰρόμενοι ἐκ κοιλίας, καὶ παιδευόμενοι ἐκ παιδείας ἕως γήρως. ἐγώ εἰμι, &c. Sic itaque interpungendũ arbitror apud Chryſoſt. *Vos qui portamini ex vtero, & erudimini vſque ad ſenectutem. Eruditi erant, nec tamen intellexerunt, ſiquidem inuolucris,* &c. vt illa verba, *eruditi erant* ſint Chryſoſtomi; nõ Iſaiæ.

A

DIVI
IOANNIS CHRYSOSTOMI
HOMILIÆ TRES PER PETRVM Nannium Alcmarianum in linguam Latinam traductæ, An. 1542.

B

Homilia I. de ſimultate ſiue ira, deq; per omnia fugiendo iureiurando.

AD FINEM ieiunij reliquum iam deinceps tempus deproperat, ecquid interea de profectu virtutum auctiore facto, nobis conſcij ſumus? Vt enim nihil commodi adfert decurſio per multa ſtadia, ſi à præmio excidas: ita nihil nobis lucri erit; ex multis laboribus, & ſudoribus ieiunio inſumptis, niſi cum pura conſcientia ſacra menſa fruamur. Ob hoc enim ieiunium & quadrageſima & tot dierum ſynaxes, auditoria, preces, & doctrinæ ſuſceptæ ſunt, vt abſterſis ſceleribus per iſtiuſmodi ſtudium quæ nobis hoc anno, quocunque modo allita inhæſerunt, cum ſecuritate illius ſacrificij ſpiritualis participes efficeremur. Quia niſi id aſſequamur, temere fruſtraque & cum nulla vtilitate tanti labores tolerati ſunt. Quiſque igitur ſecum reputet, quem defectum correxit, quam virtutem acquiſiuit, quod peccatum abiecit, quam maculam eluit, qua in parte melior factus ſit, quod ſi inuenerit pulchras iſtas merces, ſibi ex ieiunio adauctas eſſe, certuſque ſit plurimam ſe vulneribus adhibuiſſe curam, menſam Domini accedat. Quod ſi iſthic negligens, ſolum ieiunium oſtentare poterit, nec in vllis alijs rebus ſe caſtigatiorem factum probare poterit, foris maneat, ac tum introeat, cum ſe ab omnibus peccatis expurgarit. Nullus in ſolo ieiunio fiduciam habeat, qui vitiis ſine emendatione inhæſit. Fas enim eſt, eum qui non ieiunauerit, veniam cõſequi, excuſata nimirum corporis imbecillitate: eum vero qui non caſtigauerit delicta, impoſſibile eſt, vt vllam excuſationem inſtituat. Age, dic mihi: non ieiunaſti ob corporis † naturam, recte. Sed cur inimicis tuis reconciliatus non es? An hic habes vnde prætendas corporis infirmitatem? Rurſum ſi odium inuidiamque retineas, quid poſſis in excuſationem allegare? nuſquam enim in iſtiuſmodi delictis, ad corporis imbecillitatem confugere licet. Atque id † Dei humanitatis opus eſt, quod præcipua & vitam noſtram continentia præcepta, nihil à corporis infirmitate læduntur. Cæterum quoniam æque omnibus ſacris legibus indigemus, ac in primis illa, quæ interdicit inimicitias, irarumque perpetuitatem, & reconciliationẽ iubet †. Age, de hoc præcepto, nunc in præſentiã diſputemus: vt enim fornicantem, blaſphemantemque impoſſibile eſt ſacræ menſæ participem fieri, ita quoque qui inimicitias fouet, aut in ira pertinax eſt, non poteſt frui ſancta communione. Neque id immerito, qui enim meretricatus eſt, aut adulterium commiſit, ſimul vt animum expleuit, finem peccato impoſuit. Quod ſi reſipiſcens ſe à lapſu excitare voluerit, magnamque oſtenderit, pœnitentiam, aſſequetur haud dubie non vulgarem conſolationem. Qui autem ſimultatis tenax eſt, ſingulis diebus peccatum facit, nec vnquam illud abſoluit. * In adulterio contra, ſimul cum flagitio, expletum eſt peccatum. Hic quotidie idem ſcelus tentatur, quam igitur veniam ſperabimus, qui nos tali beluæ vltro dedimus? Quomodo poſtulabis Deum tibi manſuetum & mitem fieri, cum tu conſeruo tuo tam grauis ſis & inexorabilis? Eſto contumelia te affecit conſeruus, nonne tu ſæpe Deo contumelias facis? quid æquale inter dominum & ſeruum? atqui hic interdum contumelioſe habitus, contumeliam repoſuit: tu nulla accepta iniuria, aduerſus Dominum contumelioſe agis: & quod magis eſt, non ſolum non ab illo indigne tractatus, ſed perpetuis quotidie beneficiis affectus: cogita ſi vellet Deus aduerſus ſe commiſſa diligenter exquirere, ne ad vnum quidem diem viueremus. Peccata, inquit, *ſi obſeruaueris domine, domine quis ſubſiſtet?* Et vt omittam alia omnia peccata, quæ ſola cuiuſque conſcientia cognita habet, & vbi præter Deum nullum teſtem reformidat, ſi de confeſſis iſtis & apertis rationem repoſcamur, quam veniam quæſo ſperare poſſemus, ſi precum noſtrarum inertiam & negligentiam expenderet: quod coram apud eum in præſentia conſiſtentes ipſumque inuocantes, ne tantum quidem pudoris & reuerentiæ exhibemus, quantum ſerui dominis ſuis, aut miles ducibus, aut amici amicis. Cum amico enim colloquens, cum attentione illud facis, cum Deo autem, de peccatis tuis agens, & condonationem poſtulans, & veniam orans ſubinde torpeſcis, genibuſque humi poſitis, ſæpe per forum, ſæpe per ædes, mentem tuam diuagari ſinis, ore tuo interim temere inaniterque garriente. Idque non ſemel aut bis, ſed frequenter nobis accidit, quod ſi vel illud ſolum ponderare velit, an veniam putas obtinebimus? * an purgationem aliquam adornare poterimus? mihi certe impoſſibile videtur. Quid ſi iam conuitia quibus quotidie alij alios inceſſimus, in medium produxerit, iudiciaque * improba, quibus proximum condemnamus, idque nulla alia de cauſa, quam quod crimino ſi & moroſi ſumus, quid poterimus quæſo pro defenſione noſtri recitare: Rurſum ſi annotet curioſos noſtros conſpectus, & animi prauas cupiditates, ſubinde turpibus & immundis cogitatibus imbutas, dum oculos qualibet ſine vlla obſeruatione oberrare ſinimus, quam pœnam luemus? Quod ſi ineatur ratio noſtrorum conuiciorum, quum qui fratri ſuo dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis, num vel os diducere vel hiſcere licebit, aut paruum aut magnum reſpondere? Iam inanes noſtras glorationes, de precibus, vel ieiuniis vel eleemoſynis noſtris, ſi in diſquiſitionem reuocentur, non à Deo ſed nobis ipſis qui peccauimus, qui quæſo audebimus vel cœlum reſpicere? Porro ſi de dolis iudicium fiat, quibus inuicem impoſturam facimus, nunc præſentem laudantes fratrem, ac cum eo quaſi cum amico colloquia miſcentes, nunc abſentem criminantes, an pares erimus iſtiuſmodi pœnæ? Quid dicam de iuramentis, mendaciis, periuriis, iniuſtis excandeſcentiis, odiis, quibus infeſti ſumus charitati non inimicorum ſed amicorum? Oblectamur alienis malis, arbitramurque alienam infelicitatem noſtri infortunij ſolatium eſſe: Quid de iniuria noſtra in celebranda ſacra communione dicam? Horum omnium ſi pœnæ exigantur, quid de nobis fiet? Illud quippe non ignoratis, quod Deo ſepe per prophetas cum omnibus nobis colloquẽte, multas magnaſque fabulationes cum proximis habemus, idque de rebus minime ad nos

per

Marginal notes: Ieiunij inſtituti ratio. — Gr. ἀσθένειαν, infirmitatem — τοῦ χριστοῦ Chriſti — adde εὐθέως, ſtatim. — ἐκεῖ. Illic. — Inimiciarũ remiſſio. — Pſal. 129. — ὁμολογουμένων. — ἀπολογίας τυχεῖν. — ἀμαίρετα

C

D

pertinentibus. Quod ſi omiſſis cæteris omnibus A par iſti deliĉto ſupplicium poſtuletur, quid reliquũ erit quod de ſalute ſperetur? Nê mihi exiſtimes id paruum crimen eſſe, eius enim magnitudinem ſi perſpicere cupias, in rebus humanis perſpiciendum eſt. Aude ſis prætore tecum verba habente, imo vel amico aliquanto honeſtiore eo omiſſo ſermonem tuum ad ſeruum transferre, ac tum videbis quantum ſcelus audeas, quum idipſum Deo facis. Quod ſi honeſtior aliquis huiuſmodi contumeliam neglecturus non videtur, Deus tamen iiſdem maioribuſque iniuriis pulſatus, idque quotidie nec ab vno aut altero ſolum, ſed ferme ab omnibus in manſuetudine ſua & tolerantia perſeuerat, quam non ſolum aduerſus iſtiuſmodi, ſed & alia multo grauiora, indeminutam reſeruat. Hæc enim confeſſa & manifeſtaria ſunt delicta, & quæ propemodum ab omnibus deſignantur. Sunt autem & alia, quorum cuiuſque peccatoris animus eſt conſcius. Quod ſi iſta mente ac intellectu reuoluerimus, B etiamſi crudeliſſimi ac immaniſſimi ſimus, modo multitudinem peccatorum noſtrorum conſideremus, præ metu & anxietate, ne meminiſſe quidem vacabit acceptarum iniuriarum. Recordare ignei fluuij, vermis venenati, horrendi iudicij, in quo omnia nuda & aperta erunt, cogita quod quæ nunc in abdito latent, tunc in lucem proferentur. Quod ſi proximo remiſeris peccata, ea quæ tum retegenda erunt, nunc in hoc ſeculo abolebuntur, venieſque ad iudicium, nihil tecum trahens ex tuis peccatis, adeo vt multo plus recipias, quam de tuo remiſiſti. Crebra crebro iſtiuſmodi deliquimus, quorum neminem conſcium habemus. Deinde cum cogitamus, quod eo die ante oculos omnium, ea exponentur in publico orbis terrarum theatro, triſtius id quam ipſum ſupplicium angête nos & elidente conſcientia, arbitramur. Tot peccata, tanta ſupplicia, tantum pudoris eluere licet, per condo- C nationem offenſæ: nihil enim eſt huic virtuti æquale. Vis cognoſcere huius vires? Si ſteterit Moyſes & Samuel, inquit, non eſt anima mea ad eos: Attamen quos non potuerunt Moyſes & Samuel eripere ab ira Dei, huius præcepti obſeruatio eripere potuit: ac proinde, illis quibus iſta dixit, aſſidue præcepit, inquiens: Remittite malefacta vnuſquiſque fratri ſuo: ne ſitis memores offenſarum in cordibus veſtris: de malefactis proximi ne cogitaueris. Non dixit ſolum, remitte, ſed ne vel in mente habeas, ne cogites, omitte vniuerſam iram, hulcus tolle dum vindictam adornas: primum teipſum tormento afficis, veluti ſi carnificem iram tibi appoſuiſſes, dilanians tua ipſius viſcera. Quid enim miſerius homine, perpetuo irato? Quemadmodum furioſi nunquam fruuntur tranquillitate: ita qui ſimultatem gerit, & inimicum habet, nunquam fruitur illa pace, perpetuo æſtuans, tempeſtatemque cogitationum indies aggrauat. Verba D factaque ſecum reputat, ipſius quoque nomini infeſtus, qui iniuriam dedit. Si audiat illum nominari, efferatur continuo, magno cum animi cruciatu, & ad ſolum illius conſpectum trepidat & horret, tãquam ſi vltima patiatur: Quod ſi quid illius, vel veſtem, vel domum, vel angiportum videat, omnium iſtorum intuitu torquentur: ac quemadmodum dilectorum ac charorum hominum veſtes, vultus, calceamenta, domus, item & angiportus, mox vt viſa fuerint, excitare nos, & commouere ſolent: ita quoque inimicorum & odioſorum hominum ſeruus, amicus, domus, angiportus in conſpectum datus, aut quodcunque illius monumentum præfert, animos arrodit, atque alias ſuper alias, vt quódque viſum fuerit plagas incutit. Quorſum opus eſt iſtiuſmodi animi obſidione, tantis tormẽtis ac tali ſupplicio? Quod ſi nec gehenna immineret odio laborantibus, ſaltẽ ob ipſius odij cruciatum, peccata proximorum condonanda eſſent. Verum vbi & mors pro pœna deſtinatur, quid ſtultius quã & hîc & illic ſemetipſum mulctare, dum de altero ſe credit vltionem ſumere? Sic enim florentem illum videat, mœrore perit, ſin afflictum, veretur ne fortuna ſe in melius commutet: vtriuſque culpæ pœna indeprecabilis conſtituta eſt. In ſupplantatione inimici ne te efferas, inquit ſcriptura. Ne mihi alleges iniuriarum acceptarum moles, non enim illud in te facit pertinaciam irarum, ſed quod parum memor es tuorum delictorum, neque gehennam ante oculos habes aut Dei timorem. Vt autem condiſcas id verum eſſe, ex caſibus iſtius vrbis documenta promã: Quum rei iſtorum facinorum ad iudicium trahebantur, ac flamma intus incendebatur, circumſtantibus carnificibus, ac latera diſcerpentibus, ſi quis ibi aſſiſtens, ita eos ex tranſuerſo allocutus fuiſſet, ſi habetis inimicos, omittite ſimultatem, & ex iſto ſupplicio vos liberabo. quid putas? an non cum oſculis ad illius pedes ſe deuoluiſſent? imo quid de pedibus loquor, ſi quis ſeruitutem illis propoſuiſſet, non eam conditionem aſpernati fuiſſent. Quod ſi humana pœna, quæ terminum habet, quaſlibet iras ſuperat, multo magis futurum ſupplicium, ſi memoria eius perpetuo noſtras mentes teneret, non ſolum ſimultatem, ſed & omnes prauas cogitationes, ab animo excluderet. Quid enim facilius, dic quæſo, quam iram remittere? non enim longis ad id peregrinationibus opus eſt, non pecuniarum inſumptu, non aliorum exorationibus, ſufficit vt tantum velis, ac iam virtus illa ſuum opus expleuit. Qua igitur pœna digni non fuerimus, ſi ſecularium rerum cauſa & ſeruilia ſuſtineamus miniſteria, & præter dignitatem inſeruimus, pecunias expendimus, cum ianitoribus confabulamur, ſceleſtis hominibus adulamur, omnia denique & dicimus & facimus, vt propoſita efficiamus: pro diuina autem lege, fratem qui læſit, non ſolum non ſuſtinemus exorare, ſed inter probra ducimus eum priorem adire. Sed quid probri eſt, ſi tu prior lucra præoccupes, verecundiæ eſſe debet, ſi in eo affectu perſiſtas, expectéſque donec iniuriæ author pro reconciliatione te adeat, id probrum, id vitium, id ingens damnum. Qui enim prior venit, is totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus, iram relinquis, illi imputatur, cuius precibus impetratum eſt: non enim Deo obtemperans, ſed illi gratificans, legem adimpleuiſti, quod ſi nemine intercedente, neque illo qui læſit adeunte, aut preces adhibente, ipſe reiecto iſto pudore nihil cunctatus, ad iniuriæ authorem accurreris, eique iras tuas reſolueris, tuum ex toto fit illud officium, & opus virtutis, vniuerſamque mercedem ipſe recipies. Si dixero, ieiuna, corporis imbecillitatem mihi ſubinde excuſas, ſi dixero, des pauperi, allegas contra tuam tenuitatem, & opus educandorum liberorum. Si dixero, des operam ſacræ ſynaxi, ſeculares curas: ſi dixero, attende concionibus, ac doctrinæ vim intellige, imperitiam. Si dixero, fac vt alium emendes, reſpondes illum tuis monitis non obtemperaturum. Sæpe eum te inter dicendum aſpernatum fuiſſe. Frigidæ quidem iſtæ cauſificationes, ſed cauſificationes tamen. Quod ſi dixero, iram dimitte, quid iſtorum allegare poteris, num corporis imbecillitatem, num paupertatem, num imperitiam, num occupationes? nihil certe iſtorum ad tergiuerſationem obtendi poteſt, quapropter minime omnium hoc peccatum veniabile eſt. Quomodo poteris manus in cœlum extendere, aut linguam mouere, aut veniam poſtulare? Si enim voluerit tibi Deus peccata condonare, tu id non permittis, cum aduerſus conſeruum offenſum animum retineas. Eſto, vt crudelis ſis, & efferus, pœnæ vindictæque auidus, quin ob idipſum peccata remitte, multas iniurias tuliſti, multis ſpoliatus es, ſæpe conuicia audiſti, in maximis rebus damnum,

frau-

Digitized by Google

fraudemque paſſus es, ac proinde deſideras pœnam inimici. Atqui in hoc ipſum vtilis tibi condonatio offenſarum, ſi enim ipſe vindictæ incumbas, vltionemque perſequare, ſiue per verba, ſiue per facta, ſiue per increpationem. Deus ipſe à ſumenda vltione ſuperſedebit, vtpote te ſatagente circa tui ipſius vindictam. Imo non ſolum perſequetur pœnas iniuriarum tuarum, quas paſſus es, ſed à teipſo mulctam exiget; vt iniurioſe à te habitus. Etiam in hominibus id fit, vt verberato à nobis alieno ſeruo, dominus illius indignetur, ac pro cõtumelia accipiat, ipſi quoque ſi iniuriis afficiamur, vel à ſeruo, vel libero, ſententia iudicum & prætorũ expectanda eſt. Si igitur in rebus humanis nemo ſibi ius dicit, & pro arbitrio vltionem diſpenſat, quanto magis id obſeruandum in rebus illis, vbi Deus ipſe vindex conſtitutus eſt? Iniurias aliquis tibi fecit, læſit, infinita mala inflixit, caue pœnam tuam perſequare, ne domnum illius cõtumelioſe tractes, cede Deo, ipſe negotium multo melius adminiſtrabit, quam tu cupis, tibi ſolũmodo iuſſum eſt, vt pro eo qui te læſit, preces fundas, quid autem de eo ſtatuendũ ſit, ipſe ſibi reſeruari iuſſit. Nunquam tibi tales vltiones aſſequere, quales ille inſtruxit, modo illi ius irarum tuarum concedas. Neque imprecationes facito aduerſus inimicum, ſed illi relinquas arbitrium iudicandi, ſiue enim nos iniurias condonemus, ſiue reconciliemur, ſiue pro inimicis deprecemur; niſi ipſi conuerſi fuerint, ac ſi melius ſe mutauerint, Deus ipſe non dimittet, quaſi qui eorum commodis tantummodo ſtudeat. Sed te laudat, tuamque philoſophiam amplectitur, illum vero punit, ne tua philoſophia deterior reddatur. Quamobrem inanis eſt illa vulgi ſententia, multi enim à nobis admoniti ſuper reconciliatione, vbi obtemperare non placebat, hanc excuſationem prætenderunt, quæ nihil aliud fuit, quam prætextus ipſorum malitiæ; nolle ſcilicet ſe reconciliationem; ne deteriorem inimicum faciant, ne acerbiorem poſtea & maiorem eius contemptum experiantur, ac præter hoc illud quoque adiiciunt, vulgo exiſtimatum iri, ipſos ob imbecillitatem priores ad reconciliationẽ placationemque veniſſe. Cęterum omnia iſta vana ſunt. Oculus enim ille nunquam dormitans, nouit mentẽ tuam, ac proinde conſeruorum rumuſculos curare non debemus, vbi iudici ipſi perſuaſuri ſumus, qui de cauſa noſtra cognitor futurus eſt. Si autem illud tibi curæ eſt, ne eum deteriorẽ tua bonitate facias; ſcias, velim, eum hoc pacto deteriorem non futurum, ſed deteriorem futurum ſi eum non places, nam etſi mortalium omnium ſceleſtiſſimus ſit, etſi nõ dicat, neque palam præ ſe ferat, attamen tacitus approbabit tuos philoſophicos mores, conſcientiaque ſua tuam reuerebitur manſuetudinẽ. Quod ſi in eadem malignitate perſtiterit, nec blanditiis emolliatur, maximam pœnam à Deo ſuſtinebit. Vt autem diſcatis quod tametſi nos oremus pro inimicis & iniurioſis, Deum non dimittere illis peccata, ſi ex noſtra tolerantia deteriores fiãt. Veterem hiſtoriam nobis

Num. 12. recẽſebo. Obtrectauit Moyſi Maria: quid hic Deus? leproſam eam & immundam fecit, probam alioqui & caſtam, deinde Moyſi deprecante, qui eam iniuriam paſſus erat, vt crimen remitteret, noluit Deus, ſed quid, inquit, ſi inſpuens inſputaſſet pater in ipſius faciem, non id ſuſtineret ſeptem dies? Quod autem dicit tale, eſt. Si patrem habuiſſet, iſque eam à conſpectu ſuo remouiſſet, nunquid non toleraret eam increpationem? Te quidem laudo de fraterna pietate, manſuetudine & bonitate, mihi autem notum, quando illam oporteat ab hac pœna liberari. Quamobrem & tu quoque omnem humanitatem oſtende erga fratrem, idque non maioris vindictæ cupiditate, vnde delicta ortum trahunt, ſed charitate & benigno animo. Id tibi certũ habe, quod quanto magis aſpernatus fuerit tuæ placationis induſtriam, tanto maiorem ſibi pœnam coaceruat. Quid ais, deterior fit colendo? id crimen ipſius, tuum autem encomium, quod cum eum talem diuinabas futurum, non tamen ab eo colendo abſtiteris, vt diuinæ voluntati ſatisfaceres, ipſius crimen, quod tua bonitate nihilo quam antea melior redditur. Multo optabilius alios incuſari propter nos, quã nos propter alios. Ne mihi dixeris frigida iſta verba, verendum ne ob metum me putet ad ſe accurriſſe, ac proinde maiores faſtus ſumat, pueriliſ iſta animi ſunt, & ſtulti, & ad hominum exiſtimationes obſtupeſcentis. Ne me putet, ais, putet inquam, quod ob metum acceſſiſti? Quid tum, nam & ita merces tua maior futura eſt, cum & iſtud præcognoſcas, & tamen ob timorem Dei omnia iſtiuſmodi ſuſtineas. Qui famam hominum aucupans famæque gratia reconciliationem inſtituit, abſcinditur à remunerandi lucro. Qui autem hoc ipſum plane cognitum habet, quod multi & irridebunt & vituperabunt, neque tamen vel ita abſiſtat à reconciliatione, duplicatam & triplicatam habebit coronam. Et hic potiſſimum is eſt, qui propter Deum id fecit. Ne mihi dicas, has & illas iniurias intulit. Nam ſi quicquid malorum eſt in hominibus, id aduerſus te deprompſiſſet, etiam ita iuſſit Deus offenſas remittere. Ecce prædico, & conteſtor, & clara voce exclamo, nemo qui inimicum habet, ad ſacram menſam adeat, & corpus Chriſti accipiat; nemo qui adit, inimicum habeat: Inimicum habes, ne accedas: vis accedere; fac in gratiam cum inimico redeas, & tum ſacrum corpus attinges. Imo non ego, ſed potius Dominus propter nos crucifixus, iſta dicit, ipſe vt reconciliaret patri, ne mactari quidem recuſauit, aut ſanguinem effundere. Tu autem vt reconcilieris conſetuo, nec verbum vis emittere, aut prior accedere. Audi, quid de talibus loquitur Dominus: *ſi proferas munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris, quod frater tuus aliquid habet aduerſum te*, non dixit, expecta donec ille veniat ad te, Matt. 5. aut vt aliquo alio interceſſore reconciliationem inſtituas, aut deprecationem alleges, ſed tu ipſe inquit, ad illum accurre: Abi inquit, *prius reconciliare fratri tuo.* Ipſe non accipit pro ignominia, quod donum ſibi deſtinatum relinquitur, & tu contumeliam putas, ſi prior abeas ad reconciliationem. Dic quæſo quæ venia debetur iſtis rebus? Si videris membrum abſciſſum: omnia facis, vt conglutines corpori. Idem fac in fratribus tuis, quando videris eos abſciſſos à tua amicitia, ne expectes donec ipſi priores ad te veniant, ſed te ipſum priorem incita ad brabæum. Vnum inimicum iuſſi ſumus habere, diabolum, cum illo nunquam in gratiã redeas. Aduerſus fratrem vero nunquam ſis inimico animo, ſed ſi nata fuerit aliqua offenciuncula, longior vno die ne eſto, neque ſpatium diurnum excedito. *Sol* Ephes. 4. inquit *non occidat in ira veſtra*, ſi ante veſperam ſtomachum ponis, habes de excandeſcentia aliquam veniam: quod ſi vlterius tua bilis durarit, non ex ira & incandeſcentia raptum inuadente iſta ſimultas, ſed ex malitia ingenita, mente ſcelerata, & ſcelerũ meditatrice exoritur. Non illud ſolum graue eſt, quod te venia ſpolias, ſed quod difficiliorem tibi reddis vſum iſtiuſmodi virtutis exercendæ, nam vna die elapſa grandeſcit vitium, adduntur illi auctaria ex ſecunda die, quod ſi tertia acceſſerit lux, ex conſequio trahit ad ſe quartam & quintam. Rurſus quinque fiunt decem, decem autem viginti, ac in poſterum vulnus omnino immedicabile eſt, & quanto plus temporis adiungitur, tanto magis diſiungimur interuallis. Caue tibi homo ab iſtis irrationalibus affectibus, neque pudefias, neque erubeſcas, neque ita loquare, modo inter nos rixati ſumus, fanda infanda diximus: ac iam ſtatim ad reconciliationem accurram: at quis non vituperabit meam facilitatẽ? Nemo cordatus damnabit tuam facilitatem, ſed ſi manſeris implacabilis, tum te omnes irridebunt, tum magnum dabis diabolo ſpacium: non enim ex

tempore

tempore ſolum durior fiet reconciliatio, ſed ex re- A bus interea oborientibus. 1 Petr. 4. *Vt charitas operit multitudinem peccatorum*, ita inimicitia, ea quæ delicti naturam non habent, delicta fingit: adeo vt omnes deinde criminatores qui de alienis malis gaudent, & aliorum vitia traducunt, fidem apud iſtiuſmodi inueniant. Iſtis igitur cognitis præoccupa fratrem, eumque detine, priuſquam penitus reſiliat, etiam ſi opus ſit, vt eo die vniuerſam ciuitatem percurras, etiam ſi extra mœnia pergendum etiam ſi longum iter carpendum, relictis interea omnibus quæ in manibus ſunt, præter ipſum quod ad reconciliationem fratris pertinet. Cogita, quod ob Deum talia pateris, & plenam percipies conſolationem, animamque ſubterfugientem, reformidãtem, erubeſcentem, pudefientem exacue, eique continuo iſta accine, quid ceſſas? quid ſubterfugis? quid detrectas? non de pecunia, non de alijs rebus momẽtaneis, ſed de noſtra ipſorum ſalute agitur. Deus B iſta facienda præcepit, omnia igitur illius mandatis poſtponãtur. Eſt hic quidam ſpiritualis mercatus: ne ceſſatores, ne lenti ſimus, intelligat inimicus magnam à nobis curam adhibitam, vt diuinis placitis nos attemperemus, ſiue denuo cõtumelias inferat, ſiue verberet, ſiue quid aliud acerbius faciat, omnia feramus generoſe, neque tantum illi, quantum nobiſmetipſis gratificemur, præ omnibus virtutibus id ad maiorem mercedem nobis imputabitur in illo die. Multa deliquimus, in magnis offendimus. & Dominum noſtrum irritauimus, dedit ex ſua humanitate hanc viam reconciliationis: ne igitur deſeramus hunc pulchrum theſaurum, nũquid non in illius poteſtate fuit, præcipere reconciliationem, ſine vlla propoſita mercede? Nõ enim habet reſponſatorem, aut qui eius precepta corrigat: attamen ex multa ſua benignitate, mercedem nobis ſpopondit, & magnam, & ineffabilem, & quã C maxime deſideramus, nimirum veniam noſtrorum peccatorum, & huius mandati præſtationem nobis facillimam fecit. Quam igitur veniam habebimus, & tantum prẽmij accepturi, ne ſic quidem obſequimur legiſlatori, ſed perduramus in eo contẽptu? Quod autem contemptus ſit, hinc patet. Si legem Cæſar ſtatuiſſet, vt omnes inimici in gratiam redirent, aut capite plecterentur: quid putas, au non omnes feſtinarent ad mutuas recõciliationes? ego quidem ſic arbitror. Quam veniam igitur habebimus cum ne tantundem reuerentiæ tribuimus Domino, quantum conſeruis noſtris tribuimus? Matth. 6. Ob hoc ipſum iuſſus es dicere. *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Quid eo mitius, quid manſuetius præcepto? te iudicem fecit in condemnatione tuorum criminum, ſi pauca dimittis, pauca dimittuntur: ſi plura, plura: ſi ex corde dimittis & ſynceriter, eodem pacto tibi D Deus remittit. Si præter veniam datam, etiam eum pro amico habeas, eodem modo aduerſus te Deus afficietur, adeo vt quanto magis quis aduerſus te peccauerit, tanto magis tibi ad reconciliationem properandum ſit, quandoquidem ipſe hoc pacto in cauſa eſt, vt vobis maiora crimina condonẽtur. Vis cognoſcere nullam eſſe veniam † memorioſis (τοῖς μνησικακοῦσι) irarum, neque eſſe, qui nos, ſi tales ſumus, eripiat; exemplo quod dico manifeſtũ dabo. Læſit te proximus, bona confiſcauit, rapuit, fraudauit. Non illud ſolum dico, ſed & alia his maiora adiungo, & quantacumque tandem vis, occidere te voluit ſexcenta pericula tibi circumpoſuit, quod vis ſcelus aduerſus tentauit, ne ita quidem, ſi iram retineas, venia dignus æſtimaberis, ſi ſeruus tuus tibi ad cẽtum aureos obæratus eſſet, cui alius quiſpiam pauxillum argenti debebat, iſque ſuæ debitiunculæ condonationem flagitaſſet: Si tu deinde ſeruum iuſſiſſes debitorem ſuum obligatione liberare, teq; illi viciſſim debiti ſui quod eſt centum aureorum gratiam facere, iſque deinde vt malignus & impro-bus debitorem ſuum ſtrangulet, an quiſpiam illum è tuis manibus exemerit, an non plagas illi incuteres, quaſi extrema iniuria ab eo effectus? Summo igitur cum iure idem Deus faciet. Dicet enim tibi in illa die, improbe ſerue & perquam ſcelerate, non de tuo illi remiſiſti, ſed de meo: quod tu mihi debebas. Iuſſus illi æs alienum relaxare, dimitte enim inquit & dimitto tibi. Atque ſi neque illud addidiſſem demittere te oportebat, vt obſequereris domino, nunc autem non vt dominus imperaui, ſed vt amicus poſtulaui, idque ex meo, & maiora, me redonaturum ſpopondi. Cæterum ne ita quidem melior factus es. Homines autem cum talia faciunt, hactenus ſibi acceptum ferri ſinunt, quatenus ad ipſorum imperata ſeruus de ſuo debitori remittit. Exempli cauſa. Debuit hero ſeruus decem aureos, huic viciſſim nomen decem aureorum fuit. Iubet Dominus id ſeruum ex ſuis rationibus expungere, quantum hic in ſuis tabulis, delet, tantum ſibi Dominus in rem ſuam verſum agnoſcit, quicquid autem deinde ſupereſt, id totum ſibi pernumerari flagitat. Deus verò non id idem: ſed ſi pauca condones tuo conſeruo, omnia tibi in totum remittet. Vnde id liquet? ex præcatione. *Si* enim inquit, *remiſeritis hominibus ſua debita, etiam pater veſter cæleſtis remittet vobis debita veſtra*: quantum autem Matth. 18 interuallum, inter centum denarios, & decies mille talentum, tantum quoque inter illa & iſta debita. Qua igitur pœna dignus non fueris, qui mille talenta pro centum accepturus, ne ſic quidem iſta minutula remittis, ſed tuam precationem in temetipſum conuertis? Cum enim dixeris, dimitte nobis. quemadmodum nos dimittimus. ſi tum non dimittas, nihil aliud à Deo poſtulas, quam vt te omni excuſatione, omni venia denudet. Cæterum inquis, non auſim dicere, dimitte mihi, & dimitto: ſed tantum vnam partem in precatione euuncio, quæ habet, dimitte mihi. Quid tum hoc, etiamſi tu ipſe illud non dicas: Deus tamen ita facit, & quemadmodum dimittis, ita dimittit. Nam illud ex ſequentibus, quæ poſtea inducit, clarum facit. Si enim inquit, non remiſeritis hominibus, neque Pater veſter cæleſtis remittet vobis. Ne igitur cautelam putes, ſi non totam orationem proferas, aut dimidiatam precationem facias, ſed prout inſtituit, ita precare, vt neceſſitas dictionis quotidie exterrens compellat te, ad proximo veniam condonandam. Ne mihi dicas, compellaui, ſæpe rogaui, ſupplicaui, ſed reconciliationem impetrare non potui, ne prius abſiſtas, quam reconcilieris. Non enim dixit, dimitte hoc donum, & abi ſupplicatum fratri tuo, ſed vade, vt reconcilieris, Quamobrem multam ſupplicationem adhibueris, ne prius deſinas, quam perſuaſeris. Deus per ſingulos dies à nobis flagitat, & non audimus, nec tamen à flagitatione deſiſtit, & tua conſeruo dedignaris flagitare, qui quæſo poteris ſaluus eſſe? Atqui crebro & crebris precibus apud eum egi, recte: ſed tanto maiorem mercedem accipies, nam quanto ille peruicatior, tu in ſollicitando perſeuerantior, tanto in maius tua retributio accreſcit, rurſum quanto cum maiore difficultate hoc opus virtutis exples, grauiuſque reconciliatio inſtauratur, tanto & illius iudicium maius erit, & ſplendidiores tuæ tolerantiæ coronæ. Non laudanda iſta, ſed factis exhibenda, nec prius abſcedamus, quàm ad veterem amicitiam repedatum fuerit. Non enim ſufficit, quod non lædis, quod nulla iniuria afficis inimicum, & quod non malignum animum aduerſus eum geris, ſed enitẽdum eſt, vt ipſe quoque aduerſus nos beneuolum animum induat. Multos enim audio, dicentes: Ego nihil infenſus ſum, nihil doleo, neque quicquam commune cum illo habeo. Verum, non id à Deo præceptum eſt, vt nihil cum eo habeas commune, ſed vt quam plu-

A rima. Atque ea de cauſa non dixit: Remitte fratri tuo, quæ aduerſus eum habes: ſed abi, & cum eo reconcilieris. Et ſi ille aliquid habet aduerſum te, ne prius inceptum omittas, quam membrum illud coaleſcat. Tu autem vt frugi ſeruum compares, & aurum denumeres, & cum mercatoribus multis verba facis, & longas interdum peregrinationes ſuſcipis: vt autem inimicum amicum facias, curam non adhibes. Dic mihi cur non omnia moues? cur non ad eum finem omnia facis? At quomodo potes Deum in precibus inuocare? cum eius legē tantopere negligas. Seruuli poſſeſſio nō magna emolumenta adferre poteſt. Inimicus contra amicus factus, & Deum nobis propitium, & beneuolentem faciet, & facile noſtra peccata reſoluet, & inter homines laudem, & vitæ noſtræ magnam ſecuritatem conciliabit. Nihil enim periculoſius quam qui vel vnum habet inimicum. Nam & fama vitæ noſtræ millies læditur. Cùm ille nos apud omnes criminatur, & mens noſtra fuliginoſa redditur, & conſciētia, & tempeſtatem continuam & in animis ſuſtinemus. Quæ omnia cùm cognita habeamus, liberemus nos ipſos à pœna & ſupplicio, & præſens feſtum cum omnibus iam dictis reuereamur, & quod illius gratia ab imperatore optamus adipiſci, id etiam alijs concedamus. Nam ex multis audio, imperatorem paſchale feſtum reueritum, ciuitatem in gratiam recepturum, omneſque offenſas remiſſurum. Qui quæſo igitur non iniquum, vt ab alijs ſalutem conſequare, reuerentiam velle eſſe feſto paſcali. Vbi autem alijs iubemur reconciliari, eaſdem ferias nihil curare, aut vllo in honore habere. Nullus tantopere contaminat ſacrum iſtū paſchalem conuentum, quàm ille qui eum cum ſimultate celebrat, imò ne celebrare quidem poteſt. Nō audes illotis manibus ſacram victimam attrectare, etiam ſi mille neceſſitatibus premaris, ne igitur illota accedas anima, nihil enim ita implet mentem ſordibus, vt ira intus perpetuò conſiſtens. Vbi enim furor eſt & ira, eo ſpiritus manſuetudinis non aduolat. Homo autem deſertus Spiritu ſancto, quā ſpem ſalutis habet reliquam, quando recte incedet? Ne igitur dilecte dum vlciſci inimicum vis, teipſum præcipites, aut Dei præſidio ſpolies. Præſertim etiam ſi difficile eſſet hoc præceptum, quod ex animi recuſatione tantummodo difficultatem accipit, ea tamen quæ dixi, vel ſupiniſſimum hominem & ignauiſſimum excitare poſſent, ac perſuadere, vt omnem laborem ſubiret, at nunc ipſa ratio magnam huius negotij oſtendit facilitatem, ſi modo ſolum velimus. Ne igitur negligamus noſtrā ipſorum ſalutem, ſed operam demus, ac omnia faciamus, vt ſine inimicis ſacræ menſæ aſſiſtamus. Nihil enim præceptorum Dei difficile eſt, ſi recte conſideremus, idque patet ex virtutum profectibus. Quot enim ob conſuetudinem iurandi, ſine ſenſu ſui ad id abripiebantur, viſumq; eſt principio difficillimum cauere, attamen per Dei gratiā, vbi parua à vobis adhibita eſt cura, maiorem partē eius prauitatis abluiſtis, quamobrem vos adhortor, vt reliquias quoque exteratis, aliiſque magiſtros vos exhibeatis, qui nihil dum hac in parte profecerunt: Sed longum nobis tempus prætexunt, quo antea ſoliti ſunt, iuramenta vſurpare, illud ſcilicet dictitantes, impoſſibile eſſe, intra breue tempus id auellere, quod per multos annos radices collegit. Cæterum illud ego aſſeuerauero, quod vbi quid recte efficiendum eſt, quod à Deo præcipitur, ibi non opus eſſe, vel temporis, vel dierum numero, aut ſpaciis annorum, ſed timore ſolo, & religione, & omnium compotes efficiemur, idque intra exiguum tempus. Verum ne exiſtimetis, me id temere dicere, hominem ad iuſiurandum promptiſsimum, & quem vos arbitramini frequentiſsime & iurare & dicere eum, mihi date ad decem dies, & niſi illi intra paucos iſtos dies conſuetudinem iurandi abſtulero, extremo ſupplicio me condemnate, quod iſta verba non vanam iactationem habeant, ex rebus ante actis clarum faciam. Quid Niniuitis irrationabilius, quid barbarius, quid ſtultius? attamen barbari iſti, & ſtulti neminem vmquam Philoſophum audierant, quibus numquam talia præcepta tradita erant, auditis his Prophetæ verbis, *adhuc. 40. dies, & Niniue ſubuertetur:* intra tres dies Ion. 3.
depoſuerunt malam conſuetudinem, ſcortator caſtus, ferox manſuetus, defraudator, & raptor, modeſtus, & benignus, ignauus induſtrius factus eſt. Neque vnum, aut alterum, aut tertium, aut quartum, ſed omnia vitia ſimul correxerunt. Id vnde patet? ex verbis Prophetę, ipſe enim accuſator eorum, qui dixerat deſcendiſſe ad ſe, clamorem malitiæ eorum, ipſe inquam, in contrarium de illis teſtatus eſt, dicens. Vidit Deus quemlibet abſtitiſſe à prauis vijs ſuis, non ſingulatim dixit à ſcortatione, adulterio, aut furto, ſed à vijs ſuis prauis. At quomodo abſtiterunt? eo modo vt Deus vidit, non vt ho-

B mines approbant. Porrò an non pudendum barbaros intra triduum ſua vitia exuere, nos ne vnam quidem conſuetudinem malam ſuperare poſſe, qui per tot dies verbis ſcripturæ circumſonamur, docemur, inſtruimur. Atqui illi ad extrema vitia euecti erant, cùm enim audis clamorem malitiæ eorum aſcendiſſe, ne mihi aliud intelligas, quàm immenſam malitiam: attamen potuerunt intra triduum, ad integram virtutem ſeſe transferre. Vbi enim timor Dei non opus eſt diebus, aut ſpacio temporis, vt contra vbi metus nō eſt, nihil commodi ex diebus enaſcitur. Vt enim vaſa æruginoſa, ſi aqua ſolū ablueris, & ſi multum temporis inſumas, nequaquā omni vitio expurgabis, qui autem ea in conflatorium immittit, breui temporis momento ſplendidiora illa facit, quam quæ noua ſunt & nupera. Ita etiam anima peccati ſcoria infecta, ſi leuiter & vtcūque ſeipſam exterſerit, & per ſingulos dies pœnitētiam aſſumpſerit, nihil commodi naciſcetur, quod

C ſi veluti in fornacem Dei timorem ſe iniecerit, breui temporis momento quidquid vitij eſt excoquet. Ne igitur in proximū diem procraſtinemur: neſcis enim quid ſequens dies pariet, neque dicamus quod pedetentim malam cōſuetudinem euincemus, illud enim pedetentim numquam deerit. Quamobrem iſtis omiſsis illud dicamus. Quod niſi correxerimus, iurandi morem, numquam futurū, vt ab eo abſiſtamus, etiam ſi mille premant præcepta, etiam ſi moriendum ſit, ſupplicia ſubeunda ſint, omnia perdenda ſint. Ne demus Diabolo ignauiæ occaſionem neque cōperendinationis cauſſificationem. Si Deus viderit tuam animam candefactam, acrem & excitatam promptitudinem, ipſe quoque manum ſuam adijciet, vt adiuuet tuum

D profectum. Obſecro & obteſtor, diligentes & induſtrij ſimus, ne & nos audiamus, quod homines Niniuitæ ſurgent & condemnabunt generationē iſtam, eo quod illi ſemel admoniti ſeſe correxerint, nos ſæpe admoniti non conuertamur: Illi ad omnes virtutes profecerunt, nos ne vnam quidem virtutem nobis paramus. Illi minis euerſionis expauerint, nos denunciatione gehennæ non eterreamur: cùm illi tamē Prophetarum participes nō fuerint, nos perpetua doctrina, & multa gratia perfruamur. Hæc nunc loquor, non vos de veſtris, ſed de alienis criminibus incuſans. Ego enim ſcio, quod & ante dixi, legem de iureiurando pulchre & efficaciter à vobis præſtari. Verùm id non ſatis eſt ad noſtram ſalutem, niſi & alios docendo correxerimus: quandoquidem ne ille quidem ſupplicium euaſit, qui talētum protulit, totum depoſitum reddidit: eo quod acceptam pecuniam nullo auctario multiplicarat. Quamobrem non illud à nobis ſpectandum, an ipſi ab hoc peccato liberi ſimus: verū antequam & alios liberos reddamus, interquieſcēdum non eſt. Quiſque igitur ſuos à ſe correctos,

Deo

πανήγυριν.

Deo adducat, ſiue ſint famuli, ſiue diſcipuli. Quod ſi nec diſcipulos, nec famulos habes, ſaltem amicos habes, hos emenda. Neque mihi dicas, te crebram illam iurandi aſſiduitatē dedidiciſſe, ſi raro id facias: verum & hanc quoque raritatem dediſcas. Si vnum aureum perdidiſſes, dic mihi, nonne omnia obires, quærendo & veſtigando? id quoque in iuramentis facito. Si videris te ex inopinato ad vnum iuſiurandum lapſum, ingemiſce, luge, quaſi qui omnia tua bona perdideris. Iterum dico, quod & antea dixi. Include te intra tuas ædes, meditationem hanc & exercitium inſtituas cum vxore, cum liberis, cum familiaribus: dic ad eos, non prius aut priuata, aut publica attingam, quam quæ animæ meæ ſunt caſtigauero. Si vos ad eum modum filios erudieritis, ipſique rurſus ſuos, atque ita vſque ad conſummationem & aduentum Chriſti, diſciplina iſta propagetur: illis qui primas radices fixerunt, ſolidum præmium adferet. Si iſta te dicente didicerit filius, crede mihi verebitur ſe in theatrum inſinuare aut cauponam ſubire, aut aleæ immorari. Verbum enim illud eius ori pro fręno incumbens, inuitum quoque ad pudorem & verecundiam perpellet: quod ſi aliquando ibi ſe ſenſerit conſpici, reſiliet inde quamprimum poterit, ſed futurum eſt, illi te irrideant, tu viciſſim illos deplora. Multi & Noe ludibrio habuerunt, cum arcam cōderet. Cæterum cum venit inūdatio, ipſe eos viciſſim irriſit, vel potius eos tum non irriſit vir iuſtus, ſed lachrymis & gemitibus proſecutus eſt. Cum igitur eos ridentes videris cogita, quod qui nunc cachinnantur, ploratum & ſtridorem grauiſſimum ſuſtinebūt. Cùm videris eos lamentantes in illo die, & dentium colliſione ſtridentes, tum recordaberis iſtius ſubſannationis. Quantopere irriſit Lazarum ille diues, ſe poſtmodum eo in ſinu Abrahæ conſpecto, ipſe ſeipſum miſerabiliter defleuit. Horum igitur omnium memor, compelle quamprimum omnes ad huius præcepti adimpletionem. Neque mihi dicas paulatim id faciam, aut comperendinando in craſtinam lucem differas, cras enim illud, numquā finem accipiet. Quadraginta dies præterierunt, ſi paſcha quoque ſacrum præterierit, nulli iam deinde veniam dabo, non admonitionem, ſed vim imperij, & ſeueritatem adhibebo: non valida eſt conſuetudinis excuſatio, cur enim fur non prætendit conſuetudinem, & à ſupplicio liberatur, cur non idem facit homicida & adulter? Iam igitur denuncio & proteſtor, me ſingulos conuenturū, capturumque experimentum. Nam haud dubie capiā, quod ſi deprehendero aliquos hæc vitia non correxiſſe, pœnam irrogabo, edicam, vt foris extra ſacra myſteria conſiſtant, idque non eo animo vt foris maneant, ſed vt poſtquam ſe emendauerint, intus recepti cum pura conſcientia ſacra menſa fruantur, id enim eſt communionis participem fieri, precor autem vt per preces tum præſidum, tum ſanctorum omnium hæc & alia vitia omnia emendantes regnum cælorum adipiſcamur, idque gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quē, & cum quo Patri cum ſancto & viuifico Spiritu poteſtas & honor in ſecula ſeculorum. AMEN.

[Margin: Lucæ 16.] [Margin: προεδρίας.]

Quæ ſeparatim hactenus excuſę fuerāt D. Chryſoſtomi Homiliæ, eas in ſuperioribus editionibus in ordinē tomorum redactas ediderunt typographi: ſed eos fugerant tres iſtæ Antuerpiæ ante annos quadraginta, ex autographo Græco Romanæ Bibliothecæ, à P. Nannio in Latinam coloniam tranſcriptæ, quarum primam & poſtremam cum Græco manuſcripto doctiſſimi atque humaniſſimi viri Frederici Morelli Profeſſoris ac Typographi Regij collatas nunc damus, & recognitas, aliquotque locis auctiores.

Col. 742. D *Cum ſecuritate illius ſacrificij.*) Græc. manuſcr. paulò aliter, μετὰ παῤῥησίας πνευματικῆς τῆς ἀναιμάκτου θυσίας, *&c. vt cum ſecuritate ſpirituali ſacrificij incruenti participes efficeremur.*

745. B *An pares erimus iſtiuſmodi.*) Gr. πῶς ὑποσχόμεθα τὰς ὑπὲρ τούτων κολάσεις. *Quo tandem modo pœnas his criminibus debitas perferemus?*

A 744. A *Ei que iras tuas reſolueris.*) Gr. καὶ καταλύσῃς τὴν ὀργὴν, *iram abieceris, depoſueris, ſedaris.*

Ibid. *Des operam ſynaxi.*) Gr. σχόλαζε εἰς τὰς συνάξεις, *des operā ſacris conuentibus & cōcionibus.* Licet enim nomē τῆς συνάξεως, cùm pro coitionibus & conuentibus in tēplo quibuſuis ad res ſacras ſumatur, tū pro ijs præcipuè quæ ad ſacrā λειτουργίαν Euchariſtiæ, hîc tamen cōuentus ad Homilias & conciones attingere Chryſoſt. indicant quæ ſequūtur πρόσεχε τοῖς λεγομένοις, *attende ijs quæ dicuntur*, quod vertit P. Nannius, *attende concionibus.*

Ibid. *Sed cauſſificationes tamen.*) In Græcis nōnihil diuerſa ſententia, quæ ſubiicio. ἀλλ' ὅμως κἂν πρόφασιν ἔχῃς εἰπεῖν, ἂν εἴπω τὴν ὀργὴν ἄφες, σῶμα ἀσθενὲς, &c. οὐκ ἄλλο οὐδὲν ἔχεις εἰπεῖν. *Verumtamen quantumuis afferas excuſationes, ſi dixero irā dimitte, neque corporis imbecillitatem, neque paupertatem, neque imperitiā, neque aliud quidquam obtendere potes.*

Ibid. D *Ne tua philoſophia deterior.*) φιλοσοφίαν, hîc intellige modeſtiam, ac moderationem animi, ſæpe enim proborum nimia patientia improbis occationē affert impune eos laceſſendi atque lacerandi.

B 746. C *Ne me putes an.*) *Sequebatur in Græcis ſchedis*, νομιζέτω ὅτι φοβηθεὶς προσῆλθες, καὶ μείζων ὁ μισθὸς ἔσται. Itaque poſt verbum *obſtupeſceretis*, ſubiice. *Putes ſanè te ob metū acceſsiſſe: ſic fiet, vt maior tua ſit merces, cùm & illud*, &c.

747. A *Quod niſi correxerimus.*) Gr. ἐκεῖνο λέγωμεν ὅτι ἐὰν μὴ σήμερον κατορθώσωμεν τὸν ὅρκον, οὐκ ἀποστησόμεθα πρότερον. *Illud dicamus: Niſi hodierno die hunc iurandi morem correxerimus, numquam futurum vt ab eo abſiſtamus*, &c.

Huius Homiliæ exordium ſimile eſt illi quam reperies I. Tomo triceſimam, in cap. 10. Geneſeos.

Homilia II. In parabolam decem millium debitoris & centum denarios exigentis, & quod omni peccato deterior ſit pertinacitas ſimultatum. [Margin: Matth. 18]

C Q Vaſi ex longinqua peregrinatione ad vos reuerſus eſſem, ita me hodie affectum ſentio: cùm enim vita amicorum commercijs caret, nihil commodi adfert eorum præſentia. Quamobrem nos qui domi verſamur, peregre verſantibus, nihilo hac in parte feliciores ſumus: nimirum qui ſuperiore tempore nulla vobiſcum colloquia habere potuimus: ſed danda eſt venia, cum illud non inertiæ, ſed infirmitatis ſilentium fuit. Gratulemini igitur me ab ea infirmitate reualuiſſe, ego certe gaudeo, quod vos chariſſimos mihi recuperaui. Erat mihi inter ægrotandum ipſo morbo grauius, quod huius dilecti cætus particeps eſſe non poteram: nunc vero reparata incolumitate, ipſa ſanitate optabilius eſt, quod veſtræ charitatis delicijs perfrui liceat. Non enim febris tantum ardorem inuehit febricitantiū corporibus, quantum animis amicorum deſiderium, qui è dilectis capitibus diſgregantur, vt illi pocula, & frigidas lauationes, ita iſti amicorū vultus ſuſpirant. Norunt illi qui amare
D cōſueuerunt. Age igitur inuicem expleamur: ſi modo fieri liceat, vt hîc vllā plenitudinē inueniamus. Dilectionis enim natura ſatietatē non habet: & ex vſu amicitiæ maiores flammas accipit: quod ipſe alūnus dilectionis Paulus teſtatum reliquit, qui ita dixit. Nulli quicquā debeatis, niſi mutuam inter vos charitatem. Illud enim debitum ſemper quidē renumeratur, numquā autē ſoluitur. Hic perpetuò debere pulchrū eſt, & in laude poſitum. In re pecuniaria contra: eos qui non debent laudandos putamus in dilectione vero perpetuos debitores probamus & admiramur, & quod ibi malignitatis, hoc iſthic benignitatis ſignum eſt, vt ſcilicet numquam ſoluatur charitatis debitū. Ne difficiles mihi ſitis, ad prolixitatem orationis futuræ. Cytharedicam enim melodiam eamq; admirabilē vos docebo, non mortuam lyram attrectando, ſed ſcripturarum hiſtorias, & Dei præcepta pro neruis intendendo. Et quemadmodum cytharedi arreptis diſcipulorum digitis, paulatim eos chordis admouentes aſſuefaciunt perite contrectare, & ex mutis [Margin: Rom. 13.]

digitis ac neruis, omni ſono ſuauiorem & dulciorem vocem conficiunt. Ita & nos quoque faciemus,& loco digitorum mentem veſtram attrectantes præceptis Dei admouebimus, iubebimuſque ea ſcite & eleganter attingere, non vt hominum theatrum, ſed angelorum populum per hanc voluptatem excitetis. Non enim ſatis eſt ſi diuina verba percenſeas,niſi ea quoque rebus pręſtes,& quemadmodũ cythara neruos attingit artifex, attingit quoq; & imperitus,verùm ita,vt iſte auditorem vexet,ille voluptatibus & oblectatione ducat. Atqui vtrobique eiuſdem generis digiti & ijdem nerui,recte,ſed nõ adeſt eadem peritia,ita quoque in ſacris ſcripturis,multi adoriuntur diuina verba,ſed non omnes lucrum inde faciunt,aut fructum referunt, in cauſa quod non eo modo, vt iam dictum eſt, adeant, neque cum artificio cytharam pulſent, quod enim in re cytharedica ars,hoc ipſum in Dei legibus operum exhibitio. Nos autem vnam chordam pulſauimus per totam quadrageſimam, dum legẽ vobis de iureiurando recitamus, & Dei gratia effectum eſt,vt pleraque ora veſtrum,in hac legis melodia ita inſtituta fuit, vt depulſa praua conſuetudine,pro eo quod antea Deum iurabant, iã nihil niſi,eſt,non eſt,& crede mihi, in lingua ſua circũferant,idque in omni negotiorum tractatu,adeo vt inter mille neceſſitates vlterius progredi non ſuſtineant. Cæterum quia non ſufficit ad ſalutem, ſi vnum præceptum tranſeamus. Et ſi enim nõ omnes profecerunt in priore lege, attamen temporis progreſſu gradum magis ac magis addẽtes, eos qui præcedunt aſſequentur. Deprehendi enim tantam eſſe huius rei curam,vt & domi & in menſa viri cũ mulieribus,ſerui cum liberis æmulationes faciant, ſuper hoc præcepto exacte ſeruando,& beatos dixi qui ad iſtum modum conuiuia celebrarent. Quid enim ea menſa ſanctius,vnde & ebrietas & voracitas omniſque prodigalitas extruſa eſt,& loco illarum admirabilis introducta præſtandi diuini præcepti concertatio,dum vir obſeruat vxorem, vxor virum,ne in præcipitia periurij ruat,& mulcta grauiſſima conſtituta eſt præuaricatori,non pudori eſt Dominum à ſeruis redargui,aut ſeruos à Dominis caſtigari. Recte igitur quis iſtiuſmodi domum Dei eccleſiam appellet. Vbi enim tanta modeſtia, vt epularum tempore ſolliciti ſint conuiuę de diuinis legibus, aliuſque cum alio ſuper hoc contendat. Certum eſt dæmonem inde & quamlibet malam potentiam eliminatam eſſe, Chriſtumque adeſſe lætum ac hilarem,de illa pulchra inter ſeruos ſuos æmulatione, omnemque illis elargiri benedictionem, Quapropter omiſſio iam hoc præcepto(noui enim Dei gratia id per vniuerſam vrbem propagatum iri,origine huius rei à vobis tractæ,& paulatim ſe latius diffundente,ad aliud pręceptum tranſibo, quod eſt de contemptu iræ. Vt enim in cythara nõ ſatis eſt,vnico neruo conficere melodiam,ſed omnes percurrendi ſunt, cum numeris congruentibus. Itidem quoque in animi virtute. Non vna lex ſufficit nobis ad ſalutẽ,vt prius dixi,ſed omnes exactæ præſtãdæ ſunt,ſiquidem velimus vniuerſa harmonia dulces & vtiles modulos conficere. Didicit os tuum non iurare,edocta eſt tua lingua, ita & nõ, vbique ſonare. Diſcat etiam conuiciationem omnem auerſari,maioremque curam ad hoc præceptũ adhibere,quandoquidem maiore labore opus eſt. Nam illi conſuetudo ſola vincenda fuit: In ita vero neruoſiore induſtria opus eſt. Violentus enim affectus eſt,& tyrannicus, & ſubinde abripit, non ſatis vigilaces, & ad baratrum ipſum perditionis aufert. Tolerate igitur prolixitatem meorum verborum. Iniquum eſt cũ quotidie vulnereris in forò,in ædibus,ab amicis,à cognatis,ab inimicis,à vicinis,à ſeruis,ab vxore,à filio,à proprijs cogitationibus, ne ſemel quidẽ in vniuerſa hebdomada de remedio illorũ vulnerũ curã admittere: præſertim

Simile.

A cùm ſciamus iſtum curandi modum, nec ſumptu, nec dolore conſtare. Non enim nunc ferrum in manibus habeo: ſed verbum pro ferro, quouis tamen ferro acutius,& cuiuſuis peccati putredinem excindens: ſine tamen dolore eius, cui iſta inciſio ſit. Non ignem in dextra habeo, ſed doctrinam igne vehementiorem, eamque non adhibentem cauterium,ſed tamen cohibentem maliciæ proſerpentem eroſionem, & pro cruciatu plurimam ei qui liberatur à malitia afferentem voluptatem. Nõ hîc opus eſt tempore, non laboribus, non pecunijs: ſolum velle ſatis eſt,& ſtatim quicquid huius virtutis eſt præſtiterimus. Quod ſi cogitemus, quãta ſit authoritas Dei iubentis, & conditoris illius legis. ſatis ex eo & abunde inſtructi & admoniti fuerimus. Sequimini igitur, & diuinas leges audite. Vbi vero de ira & ſimultate diſputatum eſt? Multifariam quidem in multis locis, maxime autem in parabola illa quam ad diſcipulos loquens ad iſtum ferme modum exorſus eſt. Ideo ſimilitudinem habet regnum cælorum cum patre familiâs, qui

B voluit rationem habere cum ſeruis ſuis: incipiente autem eo rationes conficere, adductus eſt ei vnus debitor decem millium talentorũ: qui cum non haberet,quod redderet, iuſſit & ipſum venundari, & vxorem eius,& liberos, & omnia quæ habebat, ac ita fieri ſolutionem. Prolapſus igitur ſeruus ille ad pedes Domini,orabat eum his verbis. Domine leui animo mecum age, & omnia reddam tibi. Miſertus autem Dominus ſerui illius, abſoluit eum, & æs alienum remiſit. Egreſſus autem ille inuenit conſeruum ſuum, qui ipſi debebat centum denarios,huic collum intorquens,dixit,redde quod debes,procumbens ergo ſeruus ille ad pedes eius rogabat dicens,leuiter mecum age,& omnia ſoluam, ille autem noluit,ſed eum inde abductum coniecit in carcerem,donec debitum refunderet,conſpicati id conſerui ipſius indignati ſunt, & adito domino rem geſtam indicarunt. Dominus igitur ei iam

C accerſito hæc verba dixit. Serue ſceleſte, omne debitum remiſi tibi, quia orabas me, nonne par erat,& te miſereri conſerui tui, vt ego tui miſertus eram? Mox deinde eum tradidit tortoribus, donec dependeret vniuerſum debitum. Sic & pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis quiſque ex animo fratri ſuo, quæ vobis debent, talis quidem parabola iſta. Dicẽdum eſt ergo, cur illam parabolam cum cauſa aliqua appoſuit. Non enim ſimpliciter dixi, aſſimulatum eſt regnum cælorum, ſed adiunxit ideo aſſimulatum eſt regnum cælorum. De tolerãtia diſcipulis ſermonem faciebat, docẽs, quomodo ira refrenanda eſſet contemnendæque iniuriæ nubis illatæ, idque his verbis. Si peccauerit in te frater tuus, ſubduc, & reprehende eum inter te,& ipſum ſolum, Si auſcultauerit tibi, lucratus es fratrem tuum. Hæc & alia eiuſmodi Chriſto loquente ad diſcipulos ſuos iſtamque philoſophiã

D erudiente, Petrus chori apoſtolorum princeps, os diſcipulorum, columna eccleſiæ, firmamentum fidei, confeſſionis fundamentum, orbis terrarum piſcator, qui genus noſtrum ex profundis errorum in cælum ſubtraxit, qui vbique feruidus & libertatis anteſignamus, imò potius charitatis quàm libertatis, tacentibus omnibus, accedens ad magiſtrum dixit. Quoties peccabit in me frater meus, & remittam illi? ſimul & interrogat & pollicetur, & priuſquam diſcat, indulgentiam & benignitatem præ ſe fert. Cum enim mentem Domini probe cognitam haberet, quam illa ad humanitatem prona eſſet, & quod illi præcipuam veniam indulgeret, qui in condonandis ſuis offenſis promptus eſſet, neq; in iſtiuſmodi rebus, acerbum ſe & acrem exhiberet, volens placere legiſlatori interrogauit, num vſque ſepties venia iteranda eſſet. Deinde vt diſcas qualis homo, qualis vero Deus ſit, qualiſque eius indulgentia, & quomodo humana beni-

gnitas.

Digitized by Google

gnitas, ſi ad illius largitatis opulentiam commiſſa A ſit, quauis paupertate contemptior reperiatur, & quantula ſtilla ſit ad mare immenſum,tantam noſtram bonitatem ad illius ineffabilem humanitatẽ æſtimandã. Iactanti enim Petro ſeptemplicẽ veniæ iterationem & exiſtimanti ſe magnifice & prælargiter dixiſſe,audi quid reſpondeat, non inquit vſq; ſepties,ſed vſq; ſeptuagies ſepties. Illud autẽ ſeptuagies ſepties,quidam ſeptem & ſeptuaginta arbitrantur,cæterum ita non eſt,habet enim hic numerus ferme quingenta,ſepties enim ſeptuaginta, quadraginta & nonaginta conficiunt. Ne exiſtimes difficile eſſe hoc præceptũ chariſſime:ſi enim ſemel,iterum, ac tertio, intra diem peccanti veniã impartieris,etiam ſi admodum lapideus ſit, etiamſi ipſis dæmonibus efferatior ſit ille qui te læſit, non erit ita brutus, vt denuo ad eaſdem offenſas recidat:ſed frequentia indultæ veniæ caſtigatus, melior erit,& probior:tuque ſi fueris inſtructus ad toties contemnendam iniuriam tibi illatam,vna atq; altera,& tertia, condonatione culpæ exurcitatus, B nihil difficultatis ſenties in poſterum, in hoc genere philoſophiæ? quippe qui iteranda toties venia, eum iam vſum collegeris, vt nihil te percellant proximorum iniuriæ. Quibus auditis Petrus, ore hiante ſtupens conſtitit:non de ſe tantummodo ſolicitus,ſed & de illis:qui eius fidei committẽdi erant.Ne igitur idem faceret,quod in alijs mandatis fecerat, anticipatione excluſit, ei omnem percunctationem.Quid autem in alijs mandatis fecit? ſi quando Chriſtus iſtiuſmodi aliquid imperet, quod difficultatem aliquam habere videretur:proſiliens ante alios interrogabat, & ſciſcitabatur de præcepto. Cùm enim prodijſſet diues, de æterna vita Chriſtum percunctans,& cognitis illis quę faciunt beatitudinem, mœſtus ob pecunias abijſſet, dicente Chriſto, quod facilius eſſet *camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem intrare regnum cælorum*.Petrus tametſi ſe omnibus nudauiſſet, neque iam vel hamum retineret,quippe qui & totũ quæſtum piſcatorium,& nauem contempſerat, accedens Chriſtum ita locutus eſt. At quis poteſt ſeruari? Vide probitatem & feruorem diſcipuli: non enim inquit,impoſſibilia iniũgis, graue hoc mandatum:difficilis iſta lex: neque in ſilentio perſtitit: ſed curam ſuam quam de omnibus habebat oſtẽdit,& præceptori à diſcipulo debitam reuerentiam impartiuit,dicens:At quis poteſt ſeruari? nondum factus paſtor, paſtoris animum habebat, nondum in imperio principatu conſtitutus, principi congruentem curam ſeruabat,de vniuerſo orbe ſollicitus:ſi enim diues fuiſſet, & multis pecunijs circumfuſus,diceret fortaſſe quiſpiam, eum non de reliquis,ſed de ſeipſo,ſuiſque rebus anxium, iſtam interrogationem protuliſſe.Nunc autem paupertas ipſum liberat ab hac ſuſpicione, oſtenditque eum de aliorum ſalute anxium, ſollicitudinem iſtam, & curam geſſiſſe, & à magiſtro cognoſcere viam ſalutis voluiſſe. Quapropter & Chriſtus eum conſolans dixit, *Quæ apud homines impoſſibilia ſunt,ea apud Deum poſſibilia eſſe*.Et ne putes inquit,vos deſertos relinqui, ego in hoc negotio etiam meas manus admouebo,& inexplicabilia facilia & expedita faciam. Rurſus de matrimonio & vxore diſputante Chriſto ac dicente, quod ſi quis repudiarit vxorem,præter cauſam fornicationis: ipſum eam facere adulteram: & omnem malitiam vxoris ferendam eſſe admonente, præter crimen fornicationis,Petrus alijs omnibus tacentibus, Chriſtum alloquitur, ſi iſtiuſmodi conditio eſt hominis cum vxore,non vtile eſt matrimodium inire,& hîc quoque vide quomodo dicentem magiſtro reuerentiam conſeruauit,& reliquorum ſalutis curam geſſit,ne iſthic quidem de rebus ſollicitus eſt. Ne autem hic iſtiuſmodi quippiam dicat, anticipans per parabolam, eius contradictiones alioquin futuras

Math. 19

Ibidem.

Ibidem.

præabſtulit.Hac de cauſa Euangeliſta dixit,ob hoc aſſimilatum eſt regnum cælorum homini regi, qui voluit cõferre rationem cum ſeruis ſuis,oſtendẽs, quod id eo parabolã hanc dicit, vt diſcas te etſi ſeptuagies ſepties in die fratri peccata remiſeris, nihil magnificum feciſſe, ſed multum adhuc & immenſum à Domini clementia abeſſe,ac non tantũ dediſſe, quantũ receperis. Audiamus igitur parabolã,quæ tametſi clara videatur, habet tamen occultũ quendam & ineffabilem ſententiarum theſaurum. Aſſimilatũ eſt regnum cælorũ homini regi,qui voluit rationẽ conferre cum ſeruis ſuis. Ne mihi prætercurras ſimpliciter has voces, ſed euolue, & explica naturam eius iudicij, tuamque conſcientiam ingreſſus,computa quidquid à te factum eſt per omnem vitam,& cùm audieris rationẽ Dominum conferre cum ſeruis ſuis,cogita in his verbis,reges & duces,& præſides,& diuites,& pauperes & ſeruos,& liberos, & quidquid eſt hominũ intelligi. *Omnes* enim *nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*. Quod ſi diues ſis,cogita quod rationẽ dabis,vtrũ in meretrices,an in pauperes,pecunias inſumpſeris:vtrũ in paraſitos & aſſentatores, an in egentes:vtrũ in libidinẽ,an in humanitatem: vtrũ in delitias,prodigalitatẽ, ebrietatẽ,an in afflictorũ ſubſidium.Nõ de expenſis ſolummodo, ſed de acquiſitionis modo, rationem poſtulaberis: vtrũ iuſtis laboribus,an rapinis, & fraudibus pecuniã collegeris:vtrum ſit patrimonij hæreditas, an id quod coactum eſt ex pupillorum euerſis domibus,& ſpoliationibus viduarum. Quemadmodum nos nõ ſolum in ſeruis rationem elatæ pecuniæ, ſed etiam illatæ expoſcimus,excutiẽtes vnde pecunias, à quibus,& quomodo,& quantas acceperint: ita & Deus non ſolum expenſi, ſed etiam accepti & acquiſiti,rationes poſtulat. Non ſolum vero diues, ſed & pauper rationes paupertatis ſubit, an generoſo & grato animo paupertatem tulerit,an nõ reſilierit, an non indignatus fuerit, an non incuſauerit Dei prouidentiam:cùm videret alium in voluptatibus deliciantem, nec inopia rerum laborantem, ſe autem in egeſtate verſari. Vt enim à diuite eleemoſynæ,ita à paupere tolerantiæ requiritur ratio:imo non ſolum tolerantiæ, ſed etiam ipſius eleemoſynæ. Non enim habet impedimentum ad eleemoſynam paupertas: teſtis eſt, vidua quæ duo minuta in gazophilacium deiecit, & eos qui plurima dederant magno interuallo iactu præterijt, idque tam minuta oblatiuncula, non ſolum diuites & pauperes: ſed præſides, & iudices cum multa diligentia examinantur, an non ius corruperint, an non ad gratiam, vel odium calculos in litibus deprompſerint,an non eblanditi adulatione, contra quàm par erat ſententiam dederint, an non memores offenſarum eos vexauerunt, qui nihil peccarant. Non ſolum autem ſeculares magiſtratus: ſed & illi qui eccleſijs præſunt, ſuæ præfecturæ rationes dabunt, & præcipue iſti ſunt, qui maiores, acerbiores, & grauiores pœnas ſuſtinebunt. Cui enim verbi adminiſtratio commiſſa eſt, diligenter ibi examinabitur, an non tædio, aut inuidia aliquid omiſit, quæ dicenda erant, & per opera exhibuerint, an omnia explicuerit, nihilque ab illo occultatum ſit, quod dictu operæprecium erat. Rurſus qui Epiſcopatum adeptus eſt, quanto ad maiorem molem imperij aſcendit, tanto maioribus conuenietur rationibus, non ſolum de doctrina & pauperum patrocinio, ſed etiam de clericorum initiationibus, aliiſque ſexcentis, Et hæc declarans Paulus ad Timotheum ſcripſit. *Manus facile nemini impoſueris*, neque particeps fias alienæ culpæ,& ad Hebræos ſcribens de iiſdem præfectis,alia ratione rem terribilem fecit. *Obtemperate* inquit, *præfectis veſtris, & cedite illis. Ipſi enim vigilant ſuper animabus veſtris*, vt rationem daturi,non factorum ſolum, ſed & verborum ratio-

Quã erit ab omni hominũ genere ratio ſtricta in die iudicij reddenda

1.Cor.5.

Marc.12.

1.Tim.5

Hebr.13.

Digitized by Google

rationes ſubimus. Quemadmodum enim nos cum argenteos ſeruis concredimus, omnium repoſcimus rationes, ita quoque & Deus de verbis nobis concreditis requiret quomodo illa expenderimus. Repoſcimur enim & examinamur per quam diligenter, num temerè, num fruſtra ea inſumpſerimus, non enim nummis temere expoſitis ita lædit vt verba temere & fruſtra elata, cũ nihil opus erat, nummus fruſtra inſumptus pecuniæ aliquãdo damnum adfert, ſermo autem imprudẽter enũciatus, integras domos euertit, & animam perdit, pecuniarum quidem damnũ reſarciri licet, verbũ vero quod exilierit ſemel, reuocare nõ licet. Ceterum vt diſcas quod verborũ pœnas luamus, audi quid Chriſtus dicat. Dico autem vobis, quod de

Math. 12 *omni verbo ocioſo*, quodcumque fabulati fuerint homines in terra, reddent rationem de eo in die iudicij, *ex verbis enim tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*. Non ſolum autem verborum mulctas diſpendimus, ſed & auditionum quoque, veluti ſi admiſero falſam criminationem contra fratrem calumnioſe inſtitutam: auditionem enim vanam, inquit ſcriptura, nec receperis: quod ſi illi qui recipiunt vanam auditionẽ, veniam non habent, qui calumniantur & criminantur, quamnam habebũt excuſationem? At quid dico de verbis & auditu, vbi etiam cogitationum pœnas ſuſtinemus, & hoc ipſum Paulus declarans, dixit, quamobrem ne ante

1. Cor. 4. tempus iudicetis, donec veniat Dominus, *qui illuminabit occulta tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordiũ*, ille quoque Pſalmorum cantor ait, *cogitatio hominis confitebitur tibi*, quid autem illud eſt cogitatio hominis confitebitur tibi: veluti ſi cum dolo & mala mente fratrem alloquaris; ſi ore illum & lingua celebres, mente autem mala cogites, eique inuideas. Illud enim ipſum Chriſtus ſubindicans, quod non ſolum factorum ſed & cogitationum pœnam

Math. 5. luimus, dixit. Qui inſpexerit mulierem, vt eam cõcupiſceret, iam eam adulterauit in corde ſuo. Atqui non erupit in opus ipſum peccatum, ſed hactenus in ſolo animo conſiſtit: verùm ne ita quidem inculpatus manere poteſt, qui ideo contemplatur formas mulierum, vt incendat fornicationis concupiſcentiam. Cùm igitur audiueris eum rationem cum ſeruis ſuis conferre, ne mihi negligenter prætereas illam dictionem: ſed hoc intellige, de omni ordine, omni ætate, vtroque ſexu, &, virorum & fœminarum. Cogita quale illud iudicium ſit, reuolue perpetuo tua peccata: nam etſi ipſe oblitus fueris tuorum delictorum, Deus numquam obliuiſcetur, & omnia ante oculos conſtituet, niſi iam mature ea extinxeris, per pœnitentiam & confeſſionem, & per obliuionem offenſarum. Qua de cauſa computationem inſtituit, non quidem vt inſcius, quomodo enim inſcius? cui omnia cognita ſunt antequam fiant: ſed vt tibi ſeruo perſuadeat, iure te debere quodcumque debes: imò potius, vt non ſolum diſcas, ſed vt abſtergas: quandoquidem & propheta ea de cauſa mandauit, peccata Iudæorum enarrare. Dic inquit, iniquitates ſuas domui Iacob, & peccata ſua domui Iſrael: non vt audiant ſolum, ſed vt corrigantur. Exorſo autem eo conferre rationes, adductus eſt ei debitor vnus decies mille talentum: quidquid enim illi mutuo datum erat, id omne abſumpſerat: magna æris alieni moles: & non ſolum in hoc periculum verſabatur, ſed in eo quoque quod primus oblatus eſt domino: ſi enim poſt multos in ſoluendo benignos, iſte oblatus fuiſſet, non ita mirum fuiſſet, ſi Dominus nihil aduerſus eam exacerbatus fuiſſet: priorum enim benignitas tardioribus deinceps nominibus placatiorem eum effeciſſet, cæterum primum eum qui productus fuerat, tam malignum in ſoluendo apparere, & poſtquam tam malignus appruiſſet, dominum manſuetum inuenire, id præcipuè inexpectatum & admirabile. Homines

A enim vbi debitores adepti ſunt, non aliter quàm ſi venando, aut aucupando quippiam cepiſſent, ita exultant, & omnia faciunt, vt vniuerſum exigant: quod ſi id non poſſint ob egeſtatem debitorum, iram defraudatione pecuniarum collectam, in ærumnoſum miſerorum corpus effundunt, vexando, verberando, atque alia ſexcenta mala infligendo. Deus contrà omnia mouet: in omnibus ſatagit, vt eum liberet ære alieno. In nobis enim exactio diuitias facit: quia nos dum recipimus debita, locupletiores efficimur. Deus in remittẽdis peccatis maximè diteſcit: nam opulentia Dei hominũ incolumitas eſt: quemadmodum Paulus dicit, opuleſcens *in omnibus & per omnes qui inuocant eum*. Sed Rom. 10.
dixerit aliquis, cur ergo ſi deſtinarat remittere & condonare crimina hunc produci iuſſit? Illud certè imprimis illius humanitatem declarat, ſed ne feſtimus, & per ordinem procedamus, ad parabolæ enarrationem, Non habente eo quod redderet, Quid autem eſt illud quod dicit, non habente eo quod redderet? rurſus vides quàm malum illud

B nomen, cùm enim dicit, non habente eo quod ſolueret, nihil aliud dicit quàm eum omnium virtutum inopem fuiſſe, nec vllum bonum opus poſſediſſe, quod imputare poſſet ad redemptionẽ peccatorum. Imputantur enim omnino nobis ad peccatorum veniam recte facta. quemadmodum enim & fides ad iuſticiam non adhuc operanti, ſed credenti in eum qui iuſtificat impium imputatur. Cæterùm quid allego fidem & recte facta, cùm tribulationes quoque imputantur nobis, ad peccatorum penſationem, & hoc declarat per parabolam Lazari, introducẽns Abraham dicentem ad diuitem. Luc. 16.
Lazarum accipere conſolationem, quia in vita ſua mala acceperat. Declarat & Paulus ad Corintios de 1. Cor. 5.
fornicatione ſcribens. Tradite hunc hominem Satanæ in exitium carnis, vt ſpiritus ſeruetur. Et alios qui peccauerant conſolans, ad hunc modum ver-

C ba facit. *Ideo in vobis multi infirmi & ægroti, & complures* Ibid. 10.
dormiunt, ſi enim nos ipſos iudicaremus, non iudicaremur à Domino. Cùm autem iudicamur à Domino, caſtigamur, ne vt non cum hoc mundo condemnemur. Si autem tentationes, morbi, infirmitates, & carnis exitium, quæ nec voto, nec voluntate expetimus, imputãtur nobis ad peccatorum abolitionem, præſunt multo magis recte facta, quæ voluntate & ſtudio perſequimur, aliquid proficiunt in ratione debiti. Huic autem miſero omnium bonorum inopia erat, copia contra peccatorum maxima, & ſarcina importabilis. Ideo eſt quod dicit, non habente eo quod ſolueret. Iuſſit eum venundari. Ex hoc potiſſimùm licet domini humanitatem perdiſcere, quòd & rationem inſtituit, & venundari iuſſit, ambo enim iſta facta ſunt in eum finem, vt non venderetur. Vnde

D id liquet? à rerum exitu, ſi enim voluiſſet quis moram illius voluntati aut impedimentum attuliſſet. Quorſum igitur venditionem imperauit, cum nihil tale propoſuerat facere? vt augeret metum. Metum vero auxit per iſtiuſmodi minas, quo eum ad ſupplicationẽ compelleret. Ad ſupplicationem autem compulit, vt occaſionem donandæ veniæ haberet. Poterat quidem & ante deprecationem eũ liberum ab ære alieno dimittere, ſed ne inde illum deteriorem faceret, ab tali inſtituto abſtinuit: poterat ante rationem initam veniam concedere, ſed ne ignorans molẽ ſcelerum ſuorum inhumanior & crudelior erga proximos eſſet, ideo illi prius declarauit ſui debiti magnitudinem, ac tum demum ei remiſit omnia. Nam ſi habita ratione ac ære alieno commonſtrato, miniſque illatis, & condemnatione propoſita quam ſuſtinere merebatur: adeò ferus & crudelis fuit aduerſus ſuum conſeruum, ſi nihil iſtorum adhibitum fuiſſet, quo nõ immanitatis prorupiſſet? Hac de cauſa hæc omnia Deus fecit & inſtituit, denuncians illi ſuam inclementiam. Si nihil iſtis rebus emendatus

fuit,

Digitized by Google

A fuit, non penes magiſtrum, ſed penes illum qui emendationem non recipit, culpa ſtatuenda eſt. Verumtamen videamus ſequentia. Cadens igitur ad pedes eius, obſecrabit dicens: ſis leui erga me animo,& omnia ſoluam tibi, Non faſſus eſt ſe nihil habere quod redderet: ſed hic mos eſt debitorum, vt in ſumma inopia promittant tamen, quo præſens periculum elabi poſſint. Audiamus quotquot ignaui ſumus ad preces, quanta ſit obſecrationum vis; Non ieiunium oſtentauit, non vltroneam paupertatem, aut aliquid iſtiuſmodi, ſed deſertus, ſed nudus omnis virtutis, vbi ſe ad obſecrandum conuertit, eo ſolo potuit Dominum ad miſericordiam pertrahere. Ne igitur deficiamus in fundēdis precibus. Quis hoc ſceleratior, qui & tot criminibus obnoxius erat & nullū recte factū poſſidebat? Nō tamē ſecum ad iſtum modum locutus eſt, non audeo loqui, pudore plenus ſum, quî potero orare? quod pleriq; peccatorum dicunt, diabolica laborantes timiditate, Non adeſt tibi fiducia loquendi: propterea accede, vt maiorem fiduciam pares. Nō B homo eſt quem placare cupis, vt pudore & verecundia laborādum ſit. Deus eſt qui magis quam tu ipſe, exoptat te à criminibus liberari: nō tu tantopere tuam ſecuritatem concupiſcis, quantopere ille tuam ſalutem expetit: idque rebus ipſis docuit. Non habes fiduciam: eo ipſo potes fiduciam habere, quod ita affectus ſis, maxima enim fiducia eſt, cū quis ſe exiſtimat fidere non debere. Nam vt ſummopere pudenda res eſt, iuſtificare ſeipſum coram domino, (ille enim impurus eſt, quicumque id facit, etiam ſi omnibus hominibus ſanctior fuerit) ita quoque iuſtus ſit, qui ſe credit omnium hominum extremum eſſe: cuius rei teſtes ſunt Phariſæus & publicanus. Ne igitur deſpondeamus animum ob peccata, neq; deſperemus, ſed adeamus Deū, procidamus, obſecremus quemadmodum iſte fecit, ha- C ctenus bona mente vſus. Non deſpondere animū, non deſperare, confiteri peccata, poſtulare dilationem aliquam & moram, & omnia iſta bona ſunt & mentis contritæ, & animæ humiliatæ. Quæ iam ſequuntur, nequaquam ſimilia ſunt ſuperioribus: quæ enim per ſupplicationem congregauerat: hæc omnia in vniuerſum effudit per iram, quam in proximum exercuit. Sed iam ad modum donatæ veniæ procedamus. Videamus qualitatem iſtius remiſſionis,& quibus rebus ad id dominus adductus fuerit. Miſertus illius dominus, inquit Euangeliſta, abſoluit eum, & debitum remiſit. Ille dilationem petiit, iſte, veniam conceſſit, adeo vt plus ceperit, quàm poſtularit. Quapropter Paulus inquit ei, qui poteſt omnia facere ſuper & abundantius & quàm petimus, aut cogitamus. (Ephes. 3.) Non enim potes cogitare tanta, quanta ille inſtituit donare tibi, ne igitur pudeſ- D cas néve erubeſcas, imo potius pudorem de peccatis collige, ne deſperes, néve abſiſtas à precatione, ſed accede, licet peccator ſis, vt recōcilies tibi Dominum, vt des illi locum, ſuam humanitatem in donatione tuorum criminum exhibendi, quia ſi timeas accedere, impedis illius bonitatem, remoraris illius benignitatis largitatem, quantum ad te attinet. Ne igitur recellamus, néve nos ſegnes timidoſque ad preces exhibeamus, etiamſi detruſi ſimus ad barathrum maliciæ, facilè inde nos extrahere poterit. Nemo tantum peccauit quantum iſte, nam omne genus ſcelerum perſecutus erat, id enim ſignificat milia talenta, nemo ita inops virtutis eſt: vt iſte fuit, hoc enim intelligitur ex his verbis, quod nihil habebat, quod rependeret. Attamen vndecumque deſertum & inopem potuit vis precum liberare. Tantum, inquit, valet precatio, vt eum qui innumeris rebus & factis Dominū offenderit, à pœna & ſupplicio eripere poſſit? poteſt haud bubiè. Non enim illa ſola eſt quæ omnia conficit, ſed habet ſociam & auxiliatricē maximā humanitatē Dei, quæ preces accipit, huius viribus omnia fiunt, illaque eſt quæ orationem efficacem reddit. Id igitur ſubindicans, dixit, commotis viſceribus miſertus Dominus abſoluit eum, & æs alienum remiſit, vt diſcas quod & poſt preces,& ante preces Domini viſcera totum illud negotium fecerint. Egreſſus autem ille inuenit vnum conſeruorum ſuorum, qui ipſi debebat centum denarios, cuius apprehenſi collum, hunc apprehendēs & collum intorquens, his verbis allocutus eſt. Redde ſi quid debes, quid ſceleſtius fieri poteſt? adhuc enim beneficij vocem murmurantem in auribus gerens oblitus eſt hærilis bonitatis. En quantum bonum eſt peccatorum ſuorum meminiſſe: ſi enim hic perpetuo eorum memoriam retinuiſſet, non tā ferus & immanis factus fuiſſet; propterea aſſidue dico, nec omittam dicere, valde eſt vtile & neceſſarium perpetuo recordari delictorum omnium: nihil enim ita recte inſtitutam, tractabilem & mitem animam facere poteſt, quam perpetua delictorum recordatio; ideo & Paulus non ſolum peccatorum eorum, quæ ante lauacrum, ſed etiam poſt baptiſmum commiſſa erant memor fuit, quamquam omnino tum & deleta & extincta eſſent. Si autem ille eorum quæ ante baptiſmum geſſerat memor fuit, multo magis nos quæ poſt baptiſmum acta ſunt in memoria retinere debemus: non enim ſolum illa iſtiuſmodi recordatione extinguimus, ſed fit vt inde aduerſus omnes homines mitiores efficiamur, & Deo cum maiori beneuolētia inſeruiamus, ineffabilem eius humanitatem ex iſtiuſmodi memoria perſpicientes. Quod iſte non fecit, ſed cum obliuione magnitudinis debitorum ſuorum, etiam beneficij herilis oblitus fuit. Obliuione porro beneficij factum eſt, vt ſcelerate ſe geſſerit aduerſus conſeruum, & ſcelerate gerendo omnia perdiderit, quæ à Dei bonitate conſecutus erat. Apprehēſi autem collum intorſit, cum his verbis intonans, Redde ſi quid debes: nō dixit, redde centum denarios, puduiſſet enim eum nominare tantillas minutias. Ille autem cadens ſub pedes eius obſecrabat dicens: Leni animo mecum age,& omnia reddā tibi. Eiſdē verbis ſuam ſalutem orat, quibus ille veniam à domino impetrauerat. Is autem præ nimia crudelitate, ne iſtis quidem verbis flectebatur, neque cogitauit, quod per hæc dicta ſalutem inuenerat. Quinimo ſi veniam dediſſet, ne ita quidem pro humanitate factum illud impurandum fuiſſet, ac æris alieni ſolutione. Si enim ante rationem initam,& beneficium acceptum, veniam conſeruo impartijſſet, ipſius magnanimitati tale factum vēdicari potuiſſet: iam vero tam clementer habitus & tanto munere cumulatus, ad parem erga cōſeruum clementiam obligatus erat: Ille tamen nihil iſtiuſmodi fecit, aut in mētem admiſit, vt cogitaret quantum intereſſet inter donatam à domino veniam,& à ſe petitam: non enim ſolum magnitudine debitorum aut dignitate perſonarum, ſed eo ipſo modo quo res acta eſt, magnum inter vtrumque diſcrimen conſpicias. Illa enim debitio decem milium talentorum erat, iſta centum denariorum: & ille quidem in dominum contumelioſe peccauerat, hic tantummodo cōſeruo obligatus erat: ille beneficijs acceptis bene mereri viciſſim debebat. Dominus qui nihil boni aut magni, aut parui ſenſerat, omnia remiſit. Attamen nihil horum cogitauit: ſed ſemel ab ira tentatus, alterum obtorto collo trahebat,& in carcerem coniecit. Videntes autem conſerui eius indignati ſunt, vt ait ſcriptura, & ante dominum eum condemnauerunt, vt diſcas domini manſuetudinem. Cum audiſſet id dominus, rurſus aduerſus eū iudicium inſtituit: neque vel tum ſimpliciter condemnationem effert, ſed prius ius, æquitatemque eius rei allegat. Cæterum quibus id verbis facit? Serue ſcelerate, omnem debitionem illam remiſi tibi, Quid melius eo domino cui cum debetur decies

mille talentorum, ne verbo quidem ſtomachatus A eſt, aut ſceleſtum appellauit? ſed eum tantummodo venundari iuſſit: idque eo fine, vt à debitis liberaretur. eidem cum aduerſus conſeruum improbe egiſſet ſtomachatur: vt diſcas ipſum facilius quod in ſe peccetur, quam quod aduerſus alios remittere ſolere. Ac non ſolum iſtud in iſto loco facit, verùm & alibi. Si enim, inquit, adfers domum tuum ad altare, *& illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, abi primum, vt reconcilieris fratri tuo*, ac tum demum venias ad offerendum munus tuum. (Matth. 5.) Vides quam vbique ſua noſtris anteponat, pacemque & charitatem proximorum ſummo loco conſtituat. (Ibidem.) Et rurſus alibi. Quicunque repudiat vxorem ſuam, præterquam ratione adulterij, eam adulterari facit. (1. Cor. 7.) Per Paulum autem hanc legem ſancit, ſi quis vir vxorem habet infidelem, eique placeat cum ipſo matrimoniũ fouere, ne demittat eam, quod ſi adultera ſit, eijciatur, ſi autem incredula ſit, ne expellatur: ſi inquit, in te peccauerit, abſcinde, ſi in me, detineas in matrimonio. Ita & B hic, cum tanta peccata aduerſum ſe commiſſa erãt, veniam dedit, cùm autem aduerſus conſeruum, licet minora, paucioraque nequaquam remiſit, Sed vltionem perſecutus eſt. Et hîc quidem eum ſceleſtum appellauit, illic ne verbotenus in eum debacchatus eſt. Et ideo hîc illud quoque adiunctum eſt, quod dominus iratus tradiderit eum tortoribus: cum autem ab illo repoſcebat rationem decies mille talentum, nihil iſtiuſmodi additum fuit: vt intelligas illic quidem calculum ſubductum fuiſſe, non irarum, ſed ſolicitudinis, qui venia locum pararet. Hoc autem peccatum dominum plane exacerbauit. Quid igitur eſt pœnis ſimultate, cum benignitatem Dei iam depromptam reuocet, & quæ non potuerunt efficere alia peccata, hæc efficiat ira aduerſus proximum, atqui ſcriptum eſt, donaria ex pœnitentia non reuocari. Cur igitur hic poſt eductum munus, poſt progreſſam benignitatem, reductus eſt calculus? Ob ſimultatem, quamobrem non C errauerit quis, ſi hoc peccatum omni peccato grauius pronunciet, alia enim omnia veniam impetrare potuerunt, iſtud ſolum adeo non potuit veniam adipiſci, vt iam deleta, iam & extincta iterum refricarit. Duplex igitur malum ſimultas eſt, & quod nullam excuſationem apud Deum prætendere poteſt, & quod reliqua peccata iam remiſſa, iterum reuocet, & contra nos conſtituat. Quod ipſum & hîc factum eſt, nihil enim, nihil omnino ita Deus odit, auerſatur: vt hominem offenſarum memorem, & tenacis iræ. Et illud quidem præcipuè ex hoc loco declarauit, & ex oratione in qua iuſſit nos ita dicere. (Matth. 6.) *Remitte nobis debita noſtra: vt & nos remittimus debitoribus noſtris.* Hæc igitur omnia docti, & parabola iſta in cordibus inſcripta, cum cogitauerimus quæ paſſi ſumus à conſeruis, cogitemus quæ D fecimus in ipſum dominum, & metu propriorum criminum, iram de alienis delictis collectam facillime poterimus ſummouere, ſi enim meminiſſe oportet delictorum propriorum, omnino meminiſſe oportet. Quod ſi propriorum memores fuerimus, nunquam aliena delicta ſupputabimus, contra ſi illorum obliuiſcamur, iſta facilius obuerſabuntur noſtris cogitationibus. Nam & hic ſi decies mille talentorum memor fuiſſet, nunquam de centum denarijs recordationem retinuiſſet. Ideo poſtquam illorum oblitus erat, factum eſt vt conſeruũ obtorto collo in carcerem traheret, & pauca volens extorquere, neque illa quidem aſſecutus eſt: ſed & decies mille talentorum molem in ſuum ipſius caput retraxit. Quocirca audacter dixero, omni peccato iſtud grauius eſſe: quinimo non ego hoc dico, ſed Chriſtus per parabolam iſtam iſtud oſtendit. Si enim non decem millibus talentum, hoc eſt, ineffabilibus peccatis iſtud grauius eſſet, nequaquã huius cauſa, illa omnia iã donata reuocata fuiſſent.

A Nihil igitur ita ſtudeamus, quam vt ipſi ira vacemus, & nobis infenſos reconciliemus: cum illud haud dubio conſtat nullam nec orationẽ, nec eleemoſynam, nec ieiunium, nec participationem myſteriorum, aut aliud quippiam ſi memores offenſarum ſimus, nobis patrocinari poſſe in illa die: vt contra ſi hoc peccatum ſuperemus, etiamſi mille delictis inquinati ſimus, veniam aliquam exorare licet. Nec meus ſermo eſt iſte, ſed illius qui tunc nos iudicaturus eſt Dei. Quemadmodum hoc in loco pronunciauit: ita inquiens faciet pater meus, ſi non remiſeritis hominibus delicta, quiſque ex corde ſuo. Et rurſum alibi. Si remiſeritis hominibus debita ſua, remittet & vobis pater veſter cæleſtis. Vt igitur & hîc manſuetam & mitem agamus vitam, & illic veniam & remiſſionem obtineamus: ſtudendum ac ſatagendum eſt, vt quotquot habemus inimicos, eos nobis reconciliemus. Ita enim & Dominum noſtrum, etiam ſi infinities peccauerimus, reconciliabimus, & futura bona adipiſcemur, B quibus vos dignos opto fieri, gratia & humanitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Oratio habita in magna hebdomada, in qua docetur, cur iſtud vocabulum huic hebdomadæ ſit inditum, vna cum expoſitione huius dicti, Lauda anima mea Dominum, & quam magna ſit virtus non deſpicere in precibus.

COnfecimus ieiunij nauigationem, & ad portum Dei gratia iam peruenimus, non tamen ideo inertiæ indulgendum, quod ad portum peruenimus, imò ob hoc ipſum cura intendenda eſt, (Simile.) ſolet enim gubernator imprimis eſſe ſollicitus, cum portui appropinquat ne poſt ingentia tranſmiſſa maria, nauem quam omni genere mercium ſuffarcinatam habet, ſcopulo impingat, atque ibi iacturam omnium ſuarum rerum faciat: ita & nos C in timore & anxietate eſſe oportet, ne ſub finem decurſo ſpacio † è noſtris laboribus excidamus. (τῶν πόνων τῆς ἀμοιβῆς, laborum præmio fraudemur.) Quamobrem nunc maior adhibenda diligentia eſt, faciunt hoc idem curſores quoque, hi enim cum ſe vident brauijs appropinquare, magis ac magis curſum accelerant, faciunt illud ipſum & athletæ qui poſt ſexcentas in palæſtra luctas, † ſub ipſam coronationem acrius inſurgunt, ac neruos intendunt. (adde καὶ μυρίας νίκας, ſexcentaſque victorias.) Eodem modo & nos faciamus. Quod enim gubernatoribus eſt portus, curſoribus brauium, athletis corona, id nobis præſens hebdomada, quæ ſcopus eſt bonorum, luctationum quæ ob coronas toleratæ ſunt. Ideo magnam eam appellamus hebdomadam, non quod illius dies magnitune exuberent, quippe cum aliæ longiores ſint, aut D quod plures numero ſint, cum hac in parte nihil ab alijs diebus varient, ſed quod hoc tẽpore egregiæ res geſtæ ſunt in ea à Domino Ieſu. In hac enim quæ magna dicitur, diuturna illa diaboli tyrannis diſſoluta eſt, mors extincta eſt, a fortis ille vinctus eſt, execratio abolita eſt, paradiſus recluſus, cælum in acceſſum eſſe deſijt, homines angelis permixti ſunt, meditullium ſepit ſublatum eſt, (Vide not. fol. 756.) cancellæ ſubductæ ſunt. Deus ille pacis, cæleſtia ſimul & terreſtria pacificauit, ideo magna vocatur hebdomada, & vt ipſa caput eſt hebdomadarum reliquarum, ita huius hebdomadæ caput ſabbatum magnum, quapropter in ea multi ſtudia intẽdũt, alij ieiunia maiora faciunt, alij ſacras vigilationes, nonnulli eleemoſynas largiores exercent. Alij bonorum operum ſtudijs, maioreque viuendi pietate, beneficentiæ diuinæ magnitudinem, quaſi conteſtatam faciunt. Quemadmodum enim cum Lazarum excitauerat Ieſus, omnes qui in Hieruſalem erant illi occurrerunt, multitudinique teſtificati ſunt, mortuum ab eo ad vitam reuocatum, (Ioan. 11.) officioſitaſque ipſa occurrentium quaſi aſſertio

mira-

A miraculi fuit, ita veſtra quoque ſtudioſa ſedulitas in hac hebdomada magna, quaſi teſtis eſt, quam magna ipſa, & quam multa bona in ea Chriſtus fecerit. Non enim hodie ex vna ciuitate egredimur occurrentes Chriſto neque ex Hieroſolymis ſolũ, ſed ex vniuerſo orbe, innumerabiles vndique eccleſiæ prodeunt, vt occurrant Ieſu, non cum ramis palmarum, vt eos in via ſubſternant, ſed cum eleemoſyna, humanitate, virtute, ieiunio, precibus, peruigilijs, ac omni deniq; pietate, *b* vt ea domino offerant. Non nos ſolum hanc hebdomadam veneramur, ſed & imperatores noſtri orbis. Neq; hi leuiter & perfunctorie, ſed vacationem ciuitatum magiſtratibus concedunt, vt liberi ijs curis, omnes iſtos dies in ſpirituali cultu abſumant, ideo & tribunalium ianuas occluſerunt, ceſſet inquiunt, omnis controuerſia, & contentionis & pœnæ ſpecies, ferientur aliquantiſper carnificum manus, in commune ad omnes pertinent bona, quæ dominus fecit,
B fiat & aliquid boni à nobis ſeruis. Neque hoc ſolum honore eam venerati ſunt, ſed & alio nequaquam hoc inferiore. Imperatoriæ literæ emittũtur, quibus edicitur, vt incolæ carceris cathenis exoluantur, vt quemadmodum Dominus noſter cum apud inferos eſſet omnes detentos à morte liberauit, ita & ſerui pro viribus quod poſſunt conferentes quò imitatores ſint miſericordiæ dominicæ, eximunt detentos è vinculis ſenſibilibus, cum ſpiritualibus nequeant. Hanc quoque hebdomadã & nos veneremur, & ego quoque in hoc procurſu quem vobiſcum facio prætendam non ramos palmarum, ſed doctrinam, vt ſicuti vidua illa duo minuta offeram. Egreſſi ſunt id temporis illis cum ramis palmarum, & acclamarunt dicentes, oſanna in altiſſimis, benedictus qui venit in nomine domini.
C Egrediamur & nos pro ramis palmarum, voluntatem animi florentem exhibeamus, & clamemus quemadmodum hodie in Pſalmis ſuccinuimus:
Pſal. 145. *Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea*, quod & ipſum Dauidicum verbum eſt: imo neque hoc neque illud ſuperius Dauidicum habẽdum, nam vtrumque eſt verbum gratiæ ſpiritus. Locutus quidem eſt propheta, ſed motu & concitatione paracleti: atque inde originem trahit quod dicit, lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribẽ-
Simile. tis. Quemadmodum enim calamus nõ ſuapte opera ſcribit, ſed viribus eius manus, quę ipſam mouet, ita quoque lingua prophetarum non per ſe ſonuit, ſed ex gratia Dei. Verùm qua de cauſa nõ dixit, lingua mea calamus ſcribæ, idque ſimpliciter:
Pſalm. 44 ſed, *calamus ſcriba velociter ſcribentis*. Vt diſcas hanc eſſe ſpiritualem ſapientiam, ideo addita eſt multa
D illa facilitas, & ingens feſtinatio ſcribentis. Homines enim cum per ſe componunt, loquuntur, deliberant, cunctantur, multumque temporis abſumunt, illic vero quandoquidem veluti è fonte ſcaturiunt verba, ipſe affluxus cogitationes ſuperat, ac ideo à propheta dicitur, *lingua mea calamus ſcriba velociter ſcribentis*. Scaturiunt fluenta deorſum verſus cum magna copia, atque inde eſt illa acris velocitas, quippe vbi nec conſideratio, aut labor, aut meditatio requiratur. Cæterùm videamus quid illud ſit. quod ait, *lauda anima mea Dominum*. Hæc tum temporis à Dauide dicta ſunt: eadem & & nos quoque cum Dauide hodie ſuccinamus, qui licet corpore non adſit, ſpiritu tamen præſens eſſe poſſit. Vt autem cognoſcas iuſtos nobis adeſſe, pariterque nobiſcum conuerſari, vnaque Pſalmos concinere, audi quid dicat Abraham ad diuitem. Dicente autem illo, mitte Lazarum, vt fratres mei edocti eorum quæ apud inferos fiunt, ſe-
Luc. 16. ipſos emendent: reſpondit ei, *habent Moyſen & prophetas*. Atqui Moyſes & prophetæ iampridem corpore perierant, quos ſcriptis tamen retinebant. Si enim poſita imagine aut filij, aut amici eum adeſſe exiſtimans, licet abſit, perſuadeſque tibi eum in eo

A ſimulachro quaſi præſentem intueri, multo magis picturis literarum ſanctorum conſuetudine frui licet, in quibus non corporum, ſed animarum lineamenta retinemus, ex dictis enim illorum, quaſi contemplari licet, quos animos habuerint. Vis cognoſcere quod iuſti viuunt & adſunt nobis. Nullus mortuos in teſtes vocat, Chriſtus autem in te-
Math. 17. ſtes vocauit ſuæ diuinitatis Moyſen & Heliam, & ante illos ipſum Dauid, vt diſcas eum viuere. Iu-
Ibid. 22. dæis enim de ſe ambigentibus dicit. *Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauid: Reſpondit illis, quomodo igitur Dauid in ſpiritu dominum eum vocat*, hoc autem ille dixit, vt docearis illum adeſſe, & per ſcripta ſua loqui. Concinit aliquando Dauid Pſalmum, & nos cum eo hodie canamus, ille habuit cytharam neruis inanimatis intentam, linguæ noſtræ nerui rationalis cytharæ ſunt diuerſos quidem ſonos emittentes, ſed tamen qui pietatis
B concentum faciant. Nam & fœminæ, & viri, & ſenes, & iuuenes diſtincti ſunt & ſexu & ætate, non tamen diſtincti ſunt ratione concentus. Vniuſcuiuſque enim vocẽ ſpiritus tẽperans, vnam ex omnibus conficit melodiam, quemadmodum & ipſe ſignificat Dauid, omnem ætatem, vtrumque ſexum aduocans ad conſonantiam, cùm dicit: *omnis*
Pſal. 150. *ſpiritus laudet Dominum*. Lauda anima mea Dominum, qua de cauſa carnem reliquit? cur nulla verba ad corpus facit? numquid bipartiuit hoc animal? nequaquam, ſed prius artificem excitat, quod autem non ſegregant carnem ab anima, auſculta
Pſalm. 62 quid alibi dicit. Deus qui es *Deus meus, ad te de mane vigilo, ſitiuit in te anima mea: quam multipliciter caro mea*, ſed in hymnis oſtende num & carnem vocarit?
Pſal. 102. *Benedic anima mea Dominum, & omnia interiora mea nomen ſanctum eius*. Vides carnem participem ſymphoniæ: verùm quid illud ſibi vult, & omnia interiora
C mea nomen ſanctum eius? De neruis, de oſſibus, de
Gr. ἀρτηρίας, de arterijs. venis loquitur, de † harmonijs, deque omnibus inteſtinis, quomodo queunt interiora noſtra Deũ benedicere, vocem non habent, os non habent, linguam non habent, anima quidem poteſt, viſcera autem quomodo poſſunt, cum nec vocem, nec linguam, nec os habeant, quomodo poterunt inteſtina noſtra Deum benedicere? eodem modo quo cæli enarrant gloriam Dei. Quemadmodum iſti nec linguam habent, nec os, nec labra, ſed pulchritudine ſui cõſpectus obſtupefacientes contẽplatores ſuos, ipſa admiratione tranſmittunt ad laudem creatoris, ita quoque interiora noſtra, ſi plenus cogitatione & rationandi ſagacitate videris diuerſitatem qualitatum, efficacia potentiæ, conſonantiæ, configurationis, diſpoſitionis, nume-
D ri, harmoniæ, eloqueris illud propheticum ver-
Pſalm. 91 bum. *Quàm magnifica ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti*, vide quomodo laudent inteſtina dominum abſque voce, ore & lingua. *Lauda anima mea dominum*. Qua de cauſa animam alloquitur, ne lingua loquente illa oſcitet, quod ſubinde & in precibus patimur & in hymnorũ decantationibus: vt vtrinque conſonantia ſit, cùm enim qui precatur, non audierit ſua verba, qui fieri poteſt vt Deus audiat eũ ſermonem. Cùm igitur dicit. *Lauda anima mea dominum*, hoc dicit intus, & ex profundo cordis egerantur ipſæ ſupplicationes. Nam &
1. Cor. 14 Paulus dicit, *Pſallam ſpiritu, pſallam mente*, *c* optima eſt anima, & imago, & artifex, organum autem corpus, cytharæ, & tibiæ, & lyræ vicem præſtans. Alij quidem muſici non per omnia tempora ſua inſtrumenta habent, verum nunc ea capiunt, nunc reponunt, non enim perpetuum tempus illis eſt cãtionum. Quapropter neq; perpetuo ſua inſtrumẽta tractant. Deus autem volens te docere, quod eum ſemper debeas hymnis & benedictionibus celebrare, coaduniuit ipſi artifici inſtrumentum ſuum, idq; perpetuo. Quod autẽ te oporteat ſem-
1 Theſſ. 5 per laudare, audi quid dicat Apoſtolus, *inceſſanter*

Orationis cũ ieiunio efficacia. *orate, vbique gratias agite.* Quoniam igitur inceſſanter
orare oportet inceſſanter eſt organũ cũ artifice cõ
iunctum. Lauda anima mea dominum. Prius vna
lingua hæc dixit Dauid, nunc vbi mortuus eſt, in-
numerabiles linguæ eadem loquuntur, non ſo-
lum noſtris vocabulis, ſed totius orbis. Audiſti
quod non mortuus ſit, ſed viuat, quî enim mor-
tuus eſſe poſſit, qui tot linguas habet, tot oribus
loquitur. Magna reuera laus, expurgat enim no-
ſtram animam & multam religionem nobis inſe-
rit. Vis cognoſcere, quanta ſit hymnorum er-
Dan. 3. ga Deum vis? hymnos canentes tres pueri Baby-
lonicam fornacem extinxerunt, imo quòd magis
eſt, non extinxerunt, ſed quod admirabilius erat
ardentem flammam, quaſi lutum pedibus con-
culcauerunt. Hymnus iſte in carcerem ingreſſus
Pauli vincula reſoluit, ianuas carceris aperuit, fun-
damenta quaſſauit, magno ſtupore præfectum car-
Act. 16. ceris exterruit. Media enim nocte Paulus & Sylas
hymnis orabant, vt ait ſcriptura, deinde quid factũ
eſt, quid noui, quid inopinatum? omnes catenæ ef-
fuſæ ſunt, qui vincti fuerant ſolutos ligauerunt, at-
qui vinculorũ natura eſt, ligatum grauiter aſtringe-
re, alienæque poteſtatis facere. Nunc autem car-
ceris cuſtos ſolutus ad pedes Pauli ligati neuit, vin-
culorum quidem natura ſimpliciter talis eſt, vt de-
δεσμῶν δὲ, Vinculorum. tineat vinctum †. Vinctorum autem ob Chriſtum
tanta vis eſt, vt ſolutos ligatis obnoxios faciat. In
interiorem carcerem coniecti erant, & cum in pe-
nitis locis eſſent, foris ianuas aperuerunt, pedes
eorum firmiter in ſyphone ſeruabantur, pedes ta-
men illi ſyphonibus inſerti, aliorum manus diſſo-
luerũt. Verũ vnde id ſit, vt ad genua Pauli te aduo-
luas carcerarie pauidus, tremens, anxius, lachry-
mans. Quid? an non ligaueras? an non in tutiſſimo
loco eum recluſeras, an non idem iſte *a* quem vin-
clis aſtrinxeras? cæterum quid miraris, ſi carcerem
aperuit, qui aperiendorum cælorum poteſtatem
Math. 18 acceperat? *quacumque* enim *in terra ligaueritis, erunt &*
ligata in cælis, & quacumque ſolueritis in terra, erunt & ſo-
luta in cælis. Peccatorum vincula reſoluit, quid mira-
re, ſi ferrea vincula ab eodem ſoluantur? Dæmonũ
catenas recluſit, animasque inde liberas dimiſit.
Quid miraris, ſi incarceratorum vincla laxet? ecce
tibi duplex miraculum, ſoluit & ligat quos enim
catenis expediuit, horum corda obligauit. Quod
autem ſoluti erant, ignorabant. Aperuit, & clauſit,
aperuit quidem carceris ianuas, clauſit autem ocu-
los cordis eorum: adeo vt non ſenſerint, ianuas
patere, ne libertate abutentes, in fugam proſilirẽt.
Vides & ligantem & ſoluentem, & aperientem &
claudentem. Ideo in nocte iſta perpetrata ſunt, ne
in tumultum res exiret aut perturbatio concitare-
tur. Nihil enim ad oſtentationẽ, nihil ad ambitionẽ
faciebãt apoſtoli. Aduoluens ſe ad genua carceris
cuſtos, quid hîc Paulus? vidiſti miraculũ, vidiſti il-
lius incredibilia opera, contẽplare nunc eiuſdem
ſolicitudinem, contemplare humanitatem, excla-
Act. 16. mauit & dixit. *Nihil tibi facias mali, omnes* enim *hîc ſu-*
mus, acerbũ illum colligatorem, nõ permiſit acerbè
mori. Immemor fuit iniuriarum, omnes hîc ſumus,
nõ dixit, ego iſta feci miracula, nec dixit, ego iſta
admiranda ad perpetraui, ſed quidem omnes hic
ſumus, cũ reliquis vinctis ſeipſum adnumerat Pau-
lus, ille illud vidẽs admiratione & ſtupore plenus
Deo gratias egit, dignus profecto qui apoſtolo tãtæ
curæ eſſet, & cui tanta miſericordia impenderetur,
nõ præſtigia ſuſpicatus eſt, audiuit eos hymnos *c*
Deo canẽtes, multos præſtigiatores ſuſceperat, erat
enim præfectus cuſtodiæ publicæ. Cæterũ nullus
eorũ vincula diſſoluit, aut tantã ſui curã habuit.
Paulus enim vinci optauit, vt cũ à morte liberaret,
irruit cũ gladio, facẽ geſtãs, ſtudebat Diabolus vt ei
conſciſcẽda nece pœnitentiã præriperet, ſed dia-
boli conſiliũ celeri & ſalutari voce anteuertit Pau-
lus. Nõ enim ſimpliciter clamauit, ſed cũ ingenti

A voce dixit. Omnes hîc ſumus. Admiratus eſt illius
ſolicitudinẽ carcerarius, accedit ad pedes vincti
ſolutus, age audiemus quid dicat: Domine quid me
oportet facere, vt ſaluus fiam. Tu vinxiſti, tu inopia
conſilij animi pẽdes, tu communijſti ſyphone, &
tu quæris modum potentiæ & ſalutis? en feruorem
carcerarij, nõ procraſtinationes quæſiuit, ſed cum
ſolutus à metu eſſet, nõ oblitus eſt benefici acce-
pti, ſed ſtatim ad ſalutẽ animæ accelerat. Nox erat
atq; adeo intempeſta nox, & non dixit, delibere-
mus, diſpiciamus, dies fiat, ſed ſtatim ad initiationẽ
ſacrorum perrexit, hoc ſecum loquens, maximus
eſt hic Paulus & †immortalium naturam tranſcen-
dit, vidi illius potentiam & admiror illius huma- τὴν ἀνθρω-πίνην,
nitatem, poſt mille à me acceptas iniurias, in extre- mortaliũ
mis ſuis caſibus colligatorem ſuum in ipſius manũ
adductum, cum poſſit occidere, non ſolum non oc-
cidit, ſed meditantem ſibi mortem, ac iamiam gla-
dium iugulo immergentem, ab exitio deſtinato re-
uocauit, merito ergo dicit. domine quid oportet me
B facere, vt ſaluus fiam, non enim ſolum miracula,
ſed vita Apoſtolorum, miracula præcedens, ad fi-
dem trahebat, ac inde eſt quod dicit, *ſic luceat lux* Math. 5.
veſtra coram hominibus, vt videant bona opera veſtra, &
glorificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt. Vidiſti fer-
uorem carcerij, vide nunc & ſeruorem Pauli, non
diſtulit, non neglexit, ſed cum in vinculis eſſet, in
cataſta eſſet, in plagis eſſet, ſtatim eum cum vniuer-
ſa domo myſterijs imbuit, & hæc quidem poſt ſpi-
rituale lauacrum, poſt menſam carnalem. Cæte-
rum qua de cauſa concuſſus fuit carcer? experge-
facere carcerarium voluit ad rerum ſpectationem,
reſoluit ſenſibilia vincula ligatorum, vt ſolueret ſ
ſpiritualia vincula carcerarij. Vidiſti quanta ſit
hymnorum vis, quid valeat laus, quid poſſit preca-
tio, ſemper quidem magna vis precationis, ieiunio
tamen addita reddit animam vegetiorem, inde
enim puritas, nunc multa cogitationum & animi
vigilantia, adeo, vt mens, † nihil niſi cæleſte con-
C templetur. Hinc eſt quod ſemper ieiunio oratio περισκοπεῖ πάντα ἡ ψυχὴ, omnia circũſpicit & timetur.
comes additur in ſacris ſcripturis: quid ais? vbi, &
quando id ſcriptura dicit. Ne fraudetis inuicẽ, ait,
niſi vt ex conſenſu, vt ieiunio & precibus vacetis, 1 Cor. 7.
& rurſus alibi orationibus & ieiunijs habitis, im- Act. 13.
poſũerunt illis manus, vides vbique cum ieiunio
precationem coniunctam: tunc enim delectabi-
lior & probatior è lyra effunditur cantus, cùm
non ſunt vuidi nerui, & abundantia ebrietatis diſ-
ſoluti, ſed potius intenta eſt ratio, erecta mens, vigil
anima. Ita Deum adire, & cum eo colloquium ha-
bere decet, ſolum cum ſolo, ſi enim aliquid neceſ-
ſarium habemus, quod amicis indicetur, ſeorſum
illos conuenimus & alloquimur, multo magis erga
Deum hoc ipſum fieri oportet, quamobrẽ ſi in in-
teriori cubiculo cum multo ſilentio preces funda-
mus, omnia omnino aſſequemur, ſi vtilia peta-
D mus. Ingens enim bonum precatio, quando è
mente grata & vigilante proficiſcitur, recte, ſed
quomodo fiet, vt mens grata habeatur? ſi ita inſti-
tuti fuerimus, vt non in adeptione, ſed in repulſa
quoque Deo gratias agimus. Nam tametſi Deus
nunc petita concedat, nunc neget, vtrumque ta- Deus cur interdum differat poſtulata cõcedere.
men vtiliter facit. adeò vt in non accipiendo acci-
pias: & ex ipſa fruſtratione lucreris, eſt enim vti-
lius aliquando voto deſtitui quam potiri, atque
ideo nonnunquam petita differt, non vt nos inani
ſpe lactet, ſed vt nos aſſiduos magis & acriores pre-
catores faciat: fit enim non raro, vt votis adeptis
precandi ſedulitatem omittamus, volens ergo
intendere precum noſtrarum vigilantiam, do
nandi officium comperendinat. Itidem quo
que & pij patres faciunt, qui ſegnes pueros ſuos
luſibus quos illa ætas amat deditos, magnis polli
citationibus apud ſe detinent, & nunc promiſſa e
veſtigio donant, nunc procraſtinationes faciũt. Et
enim cum noxia petimus, Deus autem, cui pluſ-

quam

ὅτι δὲ ὅτι βλαβερὰν αἰτοῦμεν. Nonnun quã enim noxia p.

quam nobis noſtra vtilitas perſpecta eſt, difficilẽ ſe reddit noſtris precibus, quod tamẽ ex re noſtra eſt, etiam inſcijs nobis inſtituit atque procurat: neque mirum videri debet ſi nos non exaudimur, cum id Paulo acciderit. Ille enim ſæpe precationibus factis ſæpe fruſtratus eſt, atque adeò non doluit, vt & gratias egerit. Super hoc inquit, ter Dominum rogaui, ter autem idem eſt quòd ſæpe. Si Paulus frequens in orationibus fuit, multo magis par eſt nos in frequentia precum perſeuerare. Age, videamus iam quo affectu fuerit, poſt tot fruſtrationes. Non ſolum non doluit, ſed & gloriatus eſt de ſuis repulſis. Dicit enim ad hunc modum,

2. Cor. 12.

ſuper hoc *ter Dominum rogaui, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea, nam fortitudo in infirmitate perficitur.* Subintulit deinde, *libentiſſime igitur gloriabor in infirmitatibus meis.* En gratitudinem ſerui petentis fruſtra ab infirmitate liberari, atque tantum hic abeſt à dolore vt etiam glorietur. Eodem quomodo modo noſtros animos affectos habeamus ſiue petita obtineamus, ſiue fruſtremur, vtraque in parte gratias agamus, vtrumque enim fit ad noſtrum commodum, vt illi libera poteſtas eſt elargiendi, ita non inuidendum eſt, quin vt velit & quandocumque, & quomodocumque velit, donationes faciat. Non æque tibi commoda, vt illi perſpecta ſunt. Sæpe poſtulas damnoſa, & periculoſiſſima vota concipis, quocirca ille vt anxius de tua ſalute iſtiuſmodi flagitationibus aurem non præbet, & ſolùmodo quid tibi vtile ſit vbique ſpectat. Si enim patres carnales non omnia præbent ad votum puerorum, non quod eos viles habeant, ſed præcipua cura foueant: multo iuſtius id à Deo fit, cui & acrior amor, & intentior ſolicitudo eſt noſtri commodi. Vacemus igitur precibus ſine intermiſſione, idque non diurno tempore ſolum, ſed & etiam nocturno, audi quid dicit idem propheta, media nocte euigilabam, vt confiterer tibi de iudicijs iuſtitiæ tuæ. Re-

ἀνθρώπινος βασιλεὺς Rex.

gius homo tantis in curis, cui populorum & vrbium & gentium imperium commiſſum erat, in componenda pace, in bellis gerendis ſolicitus, tam ineffabili mole negotiorum obrutus, adeò vt ne reſpirare quidem poſſet, non ſolum dies, ſed etiam noctes precibus adiunxit: Quod ſi rex in tantis delicijs, in tot curis, tot negotijs, ne noctes quidem quieti dedit, ſed diligentius quam ipſi eremitæ, preces obibat, quam quæſo nobis veniam ſperare poterimus, qui in multa iſta ſecuritate, ocio ac vita priuata, non ſolum noctes omnes dormimus, ſed ne diurno quidem tempore, vigilanti animo & debitis rationibus preces obimus? Magna armatura precatio, magnum ornamentum precatio, tutela & portus, & theſaurus bonorum indeprecabilis. In

Tribo, indepredabilis, ἄσυλος, à ſpoliationis tutus.

orandis hominibus & ſumptu opus eſt, & ſeruili adulatione, multoque & moleſto ambitu. Non enim ſolum recta ipſos dominos adire licet, & appellare de munere, ſed frequenter neceſſum eſt, miniſtros, diſpenſatores, curatores eorum, & pecunijs, & verbis, ac omni denique pacto demulcere, quo vel ita tandem poſtulata accipias. Nihil iſtiuſmodi in orando Deo, non ibi opus eſt interpretibus, neque tam ab interceſſoribus, quam noſtris ipſorum precibus, in impetrandis muneribus exoratur, & quod magis hîc ſiue obtineas, ſiue non obtineas, lucrari licet. In rebus humanis ex alterutra parte plerumque lædimur. Cùm igitur maius lucrum, maiorque facilitas ſit in orando Deo, ne preces vt rem vilem negligamus. Tum tecum

Attenta debet eſſe oratio.

Deus in gratiam redibit, tum poſtulata concedet, cum tuam & ipſius opera oraueris, cum puram adhibueris mentem, cum ſobriam rationem, cum non perfunctorie aut obiter oraueris, quod multi faciunt, quibus lingua ſubinde verba precationis blaterat, mens interim per ædes, per forum, per vias diſcurrit, quod totum fit vafricie diaboli. Ille enim cum ſciat, quod eo tempore obtinere poſſu-

A mus remiſſionem peccatorum, optans nos in ipſo portu orationis impingere, tempus illud adoritur, mentemque ab intellectu verborum auertit, quo auctiores damno quam lucro ex precibus abeamus. His igitur cognitis cum Deum accedis, cogita ad quem accedas, & ſufficiet ad diſcutiendam ſomnolentiam authoritas eius vnde gratiam expectas. Suſcipe ad cælum, & cogita cum quibus tibi ſit ſermo. Si enim homini loquaris, vel pauxillulum humanis honoribus ſublimi, etſi omnium ſis inertiſſimus, omnino tamen temetipſum excitas, ſomnum animo excutis. Quod ſi id facit hominis vtcunque honeſti reuerentia, multo magis in nobis cura precandi, acuetur, ſi cogitauerimus nos cum angelorum Domino collocuturos. Quod ſi & alia ratio dicenda ſit, perquam iſtam orandi ſegnitiem excutere poterimus. Illud ego libenter dixero, ſæpe fit vt preces ſine intellectu finiantur, id ſi nobis animaduerterimus, ſuadeo vt iterum atque iterum, tertio ac quarto repetantur. Nec priùs

B ab iſta replicatione abſiſtamus, quàm vbi ſenſerimus eas animo vigilante, & intento à nobis perfectas eſſe: nam ſi deprehenderit diabolus, non priùs à nobis intermitti aſſiduitatem orandi, quàm preces noſtras vigilanti animi intentione perfecerimus, in poſterum deſinet inſidiari, certus ſe hac ratione proficere non poſſe.

---

a *Fortis ille vinctus eſt.*) Adde è Græco mſſ. τὰ σκεύη αὐτοῦ διήρπαγη, ἁμαρτία ἀνῃρέθη. *vaſa eius direpta ſunt, peccatum deletũ eſt.* alludit ad parabolam ſiue ſimilitudinem, Matth. 12. & Marci 3. *intrare in domum fortis & vaſa eius diripere.* Vide fol. 753.

Item & poſt illa verba quæ ſtatim ſequuntur, *magna vocatur hebdomada*, interſere iſta, *vidiſti quàm multa in ea præclara facinora.* Rurſum paulò pòſt, *caput Sabbathum magnum*, adde ex his Græcis, καὶ καθάπερ ἐν τῷ σώματι κεφαλὴ, οὕτως ἐν τῇ ἑβδομάδι τὸ σάββατον. *Et quod eſt in corpore caput, idem eſt in hebdomade Sabbatum.*

C b *Vt ea Domino offerant.*) His adde è mſſ. οὕτως γὰρ καὶ ἡμῖν οἰκειότερος ὁ καρπός. *Hic enim fructus & nobis conuenit magis, & multo gratior eſt ipſi, qui à nobis colitur, Deo.*

c *Optima eſt anima.*) Hîc fortaſſe mutilatum fuit exemplar Græcum quo vſus eſt Interpres, manuſcriptus D. Morelli ſic habet. μουσικός τις ἄριστός ἐστιν ἡ ψυχὴ, τεχνίτης ἐστίν. *Muſicus quidam præſtantiſſimus eſt anima, & artifex eſt, organum autem corpus.* Sic apud Clement. Alex lib. 2. Pædag. cap. 4 ὄργανον τὸ σῶμα λέγει τὸ ἡμέτερον, καὶ χορδὰς τὰ νεῦρα αὐτοῦ.

d *Quem vinclis aſtrinxeras?*) Græca hæc addebant. ἐγὼ φησίν, ἀλλ' οὐδένα ποτὲ τοιοῦτον ἔδησα. *Equidem hunc aſtrinxeram, ſed nullum vnquam talem vinxi. Quid vero mi homo miraris, &c.*

e *Deo canentes.*) Adde è Græco. γόης δὲ οὐδέποτε ὑμνεῖ τὸν θεόν. *præſtigiator autem nunquam Deum hymnis laudat.*

f *Spiritalia vincula carcerarij.*) Sequebantur in manuſcripto Græco hæc ἀντιστρόφως τούτων ἐποίησεν ὁ χριστὸς, & alia quorũ ſententiam Latinè ſic effero. *In his contrariam quandam viam ſequutus eſt Chriſtus. Acceſſit ad eum paralyticus duplici correptus paralyſi, vna quidem à peccatis, altera vero à corporis infirmitate. Ac prius quidem peccatorum paralyſin ſuſtulit, hæc dicens, fili dimittuntur tibi peccata. Deinde quoniam dubitabant illi, & blaſphemabant, aiebantq́ue. Nemo poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus: cùm vellet illis demonſtrare ſe verè Deum eſſe, atque eos ex ipſorum ore iudicare, vt poſtea dicturus ſit, Ex ore tuo te iudico: Tu dixiſti neminẽ poſſe dimittere peccata niſi ſolum Deum, ecce dimitto peccata: Tum tu ergo meam diuinitatem confitere: Ex tuis calculis tabellisq́ue ſententiam fero. Verum illis quidem prior ſpiritalis, poſterior vero ſenſilis & corporea: Hic vero contra priùs ſenſilia & corporea vincula, at demum ſpiritalia ſint ſoluta. Vidiſti quanta ſit, &c.* Marc. 2.

g *Proficere non poſſe.*) Mancam eſſe hanc concluſionem quiuis facilè videt, Itaque obuijs vlnis amplectenda ſunt hæc, quæ adijcit manuſcriptus codex. εἰδὼς ὅτι οὐδὲν ἔσται πλέον αὐτῷ οὐχ ὅ ῥαθυμίαν ἡμῖν ἐμβαλεῖν, ἢ τὸ πολλάκις ἀναγκάζειν τὴν αὐτὴν ἡμᾶς ἀναλαμβάνειν εὐχὴν, &c. *certus ſe nihil hac ratione perficere poſſe amplius, ex eo quod nobis torporem inijciat, quam vt cogat nos ſæpius eandem orationem reſumere. Multis quotidie, dilectiſſimi, vulneribus confodimur, à domeſticis, ab externis, in foro, domi, à publicis rebus, à priuatis, ab amicis, à vicinis, omnibus illis vulneribus remedia adhibeamus orationis oportunitate. Potens eſt enim Deus, ſi vigilanti mẽte, animoq́ue purgato atq́ue ardenti conſcientia accedamus, veniamq́ue nobis dari poſtulemus, omnium criminum ac delictorum remiſſionem concedere: cuius nos compotes fieri contingat, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam ipſi gloria in ſecula ſeculorum.* Amen.

D

Digitized by Google

IN ALIQVOT ALIAS D. CHRYSOSTOMI Homilias Notæ.

IN Homilia in Pſalmum 41 quæ reperitur Tomo 1 Locus eſt, qui citatur à Theodoreto in Dialogo 2. Polymorphi: &, quanuis ſecus exiſtimarit Sixtus Senenſis li. 4. Bibliothecæ ſanctæ, iiſdem verbis apud vtrumque repetitur, niſi quod mutuo auxilio reſtituẽdi ſunt in quibuſdam. Nam quod apud Chryſoſtomum legimus, *Et ne hic quidem conſtitit, ſed ex ſua natura acceptas primitias conſidere fecit*, apud Theodoretum in editione Romana eſt, ἀλλ' ἀπὸ τῆς φύσεως τῆς σῆς λαβὼν ἀπαρχὴν. *Sed de tua natura acceptis primitiis eas ſupra omnem principatum collocauit.* Atque ita quoq; vertit Interpres Theodoreti, qui tamen haud ſatis cautè reddidit, quæ ſunt in eo loco poſtrema. καὶ ἀπαρχὴ τοῦ γένους ἡμῶν ἐν ὕψει τοσούτῳ κάθηται. *Primitiæ generis noſtri in tanta ſedent altitudine, tantoque nunc honore perfruuntur.* B

In eodem tomo eſt Homilia in quendam locũ Pſalmi 38. Col. 430. Eam Ioach. Perionius è Græco in Latinum ſermonem conuertit an. 1554. de cuius in conuertendis Græcis auctoribus diligentia ſi verba fiant, verbo aſſentiar lubens I. Billio, qui li. 2. Obſeruationum ſacrarum quid de eo ſentiret, expoſuit. Sed hîc tamen grauiora tantum attingemus, aut quæ ſententiam aliquantulũ immutabant, vel non ſatis exprimebant.

Col. 431. A *Fœnum quod exaruit.*) Græcè, ὁ ἐξήραντος χόρτος corrige εὐξήραντος, vt poſtea, εὐτέκρωτος χλόη. *Fœnum quod facilè exareſcit, herba quæ citò moritur.* Item paulò poſt, *qui hodie purpura fulget, & cras effertur.* Græca elegantem habent annominationem, ὁ σήμερον ἐν πορφύρᾳ καὶ αὔριον ἐν ἐκφορᾷ. Perionius videtur legiſſe, ἐκφορᾷ.

Ibid. A *Iurare atque per Deum vnum ſcimus.*) Græc. εἰς τὸ ὀμνύειν καὶ μόνον τὸν Θεὸν ἐπιστάμεθα. *ad iurandum ſolummodo Deũ ſcimus.* Id eſt tum tantum videmur Dei meminiſſe, cùm eius nomen in vanum aſſumimus.

Ibid. B *Quæ derident vt dominæ.*) Πλοῦτον τὸν πολυδέσποτον ἐμπαίκτην, τὸν πολυέραστον χλευαστὴν ὑπόπτερον δεσμιον. *Diuitias, illuſorem qui multis dominis paruit, deriſorem qui multos amaſios habet, alatũ vinctum, cadauer inimicum*, &c. Paulò pòſt lege, *luxus, animi corruptoris, adiutrices.* Item poſt pauca, *Ipſi etiam diuitiarũ Deo.* τί διαβάλλω τὸν πλοῦτον; ἀδικεῖται γὰρ αὐτός. *Quid diuitias accuſo? iniuria afficimur ipſæ quoque.* Nulla hîc mẽtio Dei diuitiarũ. Illud porrò, *pedibuſque cõpeſcitur.* Græcè fuit, καὶ πέδαις συνεχόμενος. *pediciſque conſtringitur*, aut *compedibus*.

Ibid. D *Vt bona inopum cum tuis.*) Τὰ τῶν πενήτων τοῖς σοῖς θησαυρίζων. *vt b. i. tuis theſaurizes.* filijs nimirũ, aut hæredibus. *Cur acerbè fers ità rogari*, adde è Gr. παρ' αὐτῶν, *ab ipſis.* In extrema col. lege, *ærũ* nõ *æris.* τὴν χαλκοῦ ψεκάδα. *æra minuta*,

432. C *Scit enim eum propter inopiam.*) Græc. Ἀπιστεῖται γὰρ διὰ τὴν ἀπορίαν. *Etenim propter inopiam non creditur illi.* Sequitur quippe non longè. *Non habes huic fidem propter inopiam.* Item. *Et eum qui pecunijs abundet nolle propter.*) Ὡς εἶδεν αὐτὸν διακινδυνεύοντα τῇ ἀπορίᾳ καὶ τὸν ἔχοντα χρήματα διὰ τὴν ἀπανθρωπίαν, μέσον ἑαυτὸν παρέθηκεν. *vt vidit hunc in periculo verſari propter inopiam, illum autem qui pecunias habet, propter inhumanitatem, medium ſe & quaſi ſequeſtrem*, &c.

Ibid. B *Sed eos quos inhumanitatis non pœnituit.*) Ἀλλὰ τοὺς μὴ μετανοήσαντας ὑπὲρ ἀπανθρωπίας ὑμᾶς καταδικάζω. *ſed eos, quos peccaſſe non pænitet. Propter inhumanitatem vos condemno, quod cum tantum*, &c. D

In orationem de illo Pſalmi loco, Noli timere cùm diues, &c. 552. Tomo 1.

553. C *Alij homines arte præditi ſunt.*) Non aſſequutus eſt mentem auctoris Interpres, ἕτεροι τέχνην ἔχουσιν ἄνθρωποι τὰ ἄλογα κατὰ τὸ ἐγχωροῦν εἰς ἀνθρώπου εὐγένειαν μεταπλάττειν. Ψιττακοὺς παιδεύουσι φωνὴν ἀνθ. φθέγγεσθαι. *Alij homines artem callent transferendi ad hominis nobilitatem, quantum fieri poteſt, ea, quæ rationis expertia ſunt. Pſittacos docent vocem humanam mittere, arteque naturam cogunt.* Paucis interiectis, *cum regni conſenſum non habeas* τὸ τῆς βασιλείας σύνθημα, *regiæ dignitatis inſigne.* Item ibidẽ. *ac cum militibus ridentem*, καὶ μετὰ τῶν στρατιωτῶν συναγελαζόμενον. *Et ſe in numerum militum aggregãtem*, cum gregarijs verſari. Interpres vertit quaſi eſſet συγγελῶντα.

Ibid. A *Si purum agrum t. reddam.*) Gr. εἰργάσω *reddideris*. Et paulò pòſt. *Si te detinerent, nec ſinerent*, εἰ σε κατεῖχον, οὐδ' εἰσεχώρουν, ad vtramque perſonam trãsferri poſſunt hæc verba, ſed ad primã hîc malo. *Si te detinerem, nec ſinerem*, &c.

Ibid. C *Sic vt illarũ nulla ſit.*) Græ. καὶ οὔτε ἐκείνων ἔσται τὶ λυμαῖνον, οὔτε τοῦτον (ſcribe τούτων) πιεζόμενον *Sic vt neque illarũ ſit quidquam quod labefactet, neque ex his, quod abijciat & conculcet.* Solent quippe res ſecundæ animũ efferre, aduerſæ deijcere, vt ex Liuio in 4. orat. de Lazaro annotauimus. *Sed in æquabili.*) Imo in rerum ſtatu inæquabili ἐν τῇ ἀνωμαλίᾳ.

Ibid. D *Neque enim poſt hominẽ.*) Οὐ γὰρ μετὰ ἀνθρώπου, *Neque* A *enim cum homine plerumque.* Et paulò pòſt. *Quod ſi poſſeſſio periyt.* Καὶ εἴθε τὸ κτῆμα ἀπώλετο, καὶ μὴ ἀπώλεσε καὶ τὸν κεκτημένον. *Atque vtinam poſſeſſio periyſſet, & poſſeſſorem non perdidiſſet.* Omnino verior hæc ſententia auctoris.

564. A *Cum autem alium eim.*) In Græcis hæc ita interpũctionibus diſtinguenda, ὅταν δὲ ἴδῃς ἕτερον πίπτοντα, ἐν τῷ ἐκείνου πτώματι τὴν οἰκείαν συμφορὰν κατάμαθε. *Cum autem alium cecidiſſe videris, in illius caſu tuã calamitatẽ diſce.* Id eſt, te quoque cadere poſſe feliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit. *Curſus & fluxionis.*) Τῶν ποταμίων ῥευμάτων, *fluminum curſum fluxumque. Eius rationem ſume, & ſpiritalem viam.*) Ita corrige Græca, τοῦτον λαβὲ τὸν λόγον, τὴν ᾠδὴν τὴν πνευματικήν. *Hanc arripe orationem, ſpiritualem ſcilicet cantionem.* Vocem & ſermonẽ ipſius Pſalmi eſſe ait remedia affectuum. Hæc ſunt verba, hæ voces quibus hanc poſſis depellere peſtem.

Ibid. C *Sed quid hoc eſt, niſi ſe ipſe.*) Græc. καὶ τί τοῦτο, εἴθε μὴ αὐτὸς αὐτοῦ κατηγόρει. *Sed quid hoc? vtinam ſe quoque ipſe non accuſaret.* Nimirum hæc pœna grauior, quod ſe iudice nemo nocens abſoluitur.

Ibid. D *Diues eſt, is qui res omnium.*) Ἔστι πλούσιος τὰ πάντων ἁρπάζων καὶ ἔστι πλούσιος τὰ ἑαυτοῦ, &c. *Eſt diues, qui res omnium rapit, & eſt alius diues, qui ſua egenis erogat.* Duo diuitũ genera conſtituit. B *Non ſolum qui iniuriam intulerunt.*) Οὐ μόνοι οἱ ἠδικημένοι. *Non modo qui iniuria affecti ſunt.*

Ibid. B *Si incideris.*) Gr. ἐὰν πέσῃ, πάντες ἐπεμβαίνουσι, *ſi ceciderit, omnes eum proculcant. Quod vincit non neceſſitate.*) Ὅτι δέδεται, οὐκ ἀνάγκῃ. *Quod vincitur nõ neceſſitate, ſed ſponte.* Et paulo antè. ὁ καταδίκος δέδεται τὸ σῶμα. *Reus vincitur ſecundum corpus, diues autem ſecundum animam. Semper tu pauperem prohibuiſti.*) Ἀεὶ σὺ τῷ πένητι κεκόλλησαι *ſemper tu pauperi affixus es.* Lego enim κεκόλλησαι à κολλάομαι non à κωλύω. Et paulò pòſt lege. *Cur gregem meũ corrumpis, cùm augere gregem debeas?*

565 B *Præclarus vir inſpiciebat.*) Ἐπισπώμενος non ἐπισκοπούμενος *attrahebat.* Et paulò pòſt ὁδοιπόρος vertit *mercator*, quaſi eſſet ἔμπορος, imo peregrinus, ac viator.

Ibid. C *Quanquam maiorem Abrahamo.*) Gr. καὶ τοι μείζονα τοῦ Ἀβραὰμ ἀπαιτούμεθα. *Quanquam maiora exiguntur à nobis quàm ab Abrahamo. Niſi enim maior ſit.*

Ibid D *Illa enim iuſta fuit.*) Græc. ἡ γὰρ τράπεζα ἐκείνη διήνοιξεν αὐτῆς τὴν μήτραν. *Illa enim menſa eius vterum aperuit, naturæque imbecillitatem correxit.*

Ibid. B *Fac cum Sarra comparemus.*) Sequebantur hunc C locum in Græco hæc, ἆρα τοιαῦτα ἐπιτάγματα δέχονται, τοιαῦτα τὰ ἔργα τῆς Σάρρας, ἐκβαλέτωσαν αὐτῆς τὴν χεῖρα. *Num talia mãdata ſuſcipiunt, talia opera Sarræ. Cedo mihi manũ ipſius.* Sed poſtea lacunã eſſe vidit Interpres, quã facilè non eſt abſq; libro implere. Paulò antè, *propera, coge vxorẽ, ne ſit negligẽtior.* fortè an meliùs vertas, *propera, vrge vxorẽ, ne ſit negligẽtior, & triſtitiæ occaſionẽ afferat hoſpitibus.* Græc. σπεῦσον, ἐπείγε τὴν γυναῖκα, ἵνα μὴ ἀμελήσῃ καὶ εἰς ῥαθυμίαν ἐμβάλῃ τοὺς ξένους. malim εἰς ἀθυμίαν. Tarditas enim miniſtrantium patientiam lędit.

Ibid. C *Quonam modo continentiæ.*) Græc. πῶς ἀρέσεις; τῇ σωφροσύνῃ πῶς ἀρέσεις, τῇ ἐπιεικείᾳ, καὶ φιλοσοφίᾳ, *quonam modo placebis temperantia. quo modo placebis benignitate, modeſtia, manſuetudine*, &c.

Ibid. D *Et videat in ſuperiore quidẽ.*) Templa Græcorum diuidebantur in tres partes, βῆμα, ναὸν, καὶ πρόναον. In ſecũda, & in tabulato editiori erant mulieres, quæ inde ſacra myſteria proſpiciebant: propterea ait D. Chryſoſt. ἄνω μὲν φορούσας ταῦτα ἱκέτας, κάτω δὲ παῦλον λέγοντα ταῦτα.

In concionem de Publicano & Phariſæo eodem Tomo quam reperies col. 622.

D 622. C *Duos mihi aurigas conſt. qui ratione.*) Gr. ἡνιόχους μοι δύο ποίησον λόγῳ, *aurigas effinge ratione qui ad curriculum*, &c. Paulò pòſt. *Sua lenitate peccati grauitatem, & pondus ſuperat.*) Gr. διὰ τὸ ὑπερβάλλον αὐτῆς ὕψος τῆς ἁμαρτίας νικᾷ τὴν βαρύτητα. Legendum eſt, *ſua lenitate*, nec iam interpretis ſed typographi vitio erratum puto hîc, verũ in ijs quæ mox ſequuntur. *Sic arrogantia magno ſuo pondere ſummã grauitatem.*) ſic enim Græca lego. ἡ ὑπερηφανία διὰ τὸ πολὺ βάρος αὐτῆς ἰσχύει τῆς δικαιοσύνης περιεῖναι. *ſic arrogantia ingẽti ſua grauitate, ac pondere ſummã iuſtitiã vincere poteſt, eamq́ue deorſum pertrahere. Atque vt hoc ingẽillo velocius intelligas.* Certè enim in Græco ταχύτερον, legimus non παχύτερον vt ſibi viſus eſt legiſſe Perionius, cũ *craſsius* vertit: Et in ſuperioribus ταπεινοφροσύνην vertit, modeſtiam, quod humilitatẽ ſonat, ſi minus Ciceronianis omnibus, certè Chriſtianis.

637. A *Et non ſentis tantã mei bonum.*) Gr. οὐκ αἰσθάνῃ τοσαύτην ὑπεροψίαν νοσῶν. *Nõ animaduertis te tãto ſuperbiæ morbo laborare?*

Ibid. D *Audito ſummo improbitatis genere.*) Τελώνης ἄνθρωπος τὸ ἔσχατον τῆς κακίας εἶδος. *publicanus homo, quod genus hominũ improbiſsimũ eſt.* Male nimirũ audiebat ordo publicanorũ, præſertim in Syria & Iudæa, vt ex ſacris literis conſtat.

Ibid. A *Nam homo quidẽ eum qui ſecũ.*) Gr. ἄνθρωπος μὲν γὰρ καὶ βαρύνεται πολλάκις τὸν πρὸς αὐτὸν ἀποδυρόμενον, καὶ διακρούεται καὶ ἀποθεῖται. *Homo ſiquidẽ ægre patitur eũ, qui coram ipſo cõqueritur, atque luget, ac adeo longè à ſe repellit, ac reijcit. Deus autem*, &c.) Sæpius hunc interpretẽ verborum mediorũ fallit anceps iſta ſignificatio, vt ſub finẽ cõcionis iterũ, *Ea de ce repellemus* διὰ ταύτης ἀποκρουσόμεθα *huius opera repellemus*, rẽ

ſcilicet

ſcilicet dolorem afferentem. Ac neſcio an ideo hîc notarit Interpres μὴ videri deeſſe, vt legeret μὴ ἀποχρησόμεθα nam in ijs quæ ſequuntur non videtur deſiderari. ἀνθρωπίνας περιστάσεις fortè melius reddas damna quæ homines inferunt hominibus.

In ſermonem de veneratione ſanctæ Crucis priorem, Ibidem. 637.

637. D *Atque illuſtris ſanct. ieiuniorum.*) In Græcis addebatur, ἡ μέση ἑβδομὰς *media hebdomada.*

638. B *Quæ regum armis vinci.*) Gr. βασιλέων ὅπλον ἀκαταμάχητον. *Regum armatura bello inſuperabilis.* Alludit fortaſſe ad illud Conſtantini prodigium, & Labarum.

Ibid. D *Omnes enim alieno.*) Gr. ἅπας γὰρ αὐτοῦ ἐκπέπτωκε. *Totus enim ab eo alienatus eſt.* Id eſt, toto animo ab eo abhorret.

639. B *Omnes talem mortem extimeſcunt.*) Mortis nomen ex ſua mente addidit Interpres, τὸν τοιοῦτον ἅπαντες καταπλήττονται. *Omnes talem virum obſtupeſcunt.* Neque enim, inquit, homines ſexcentis telis armatos pertimeſcimus adeo, atque huiuſmodi fortitudine ſæptos.

Ibid. C *Et hac vita delinitis ſumus*) Καὶ τῇ παρούσῃ προσηλώθημεν ζωῇ. *Et præſenti vitæ affixi ſumus,* aut, ad huius vitæ delitias adhæreſcimus. Extat oratio D. Baſilij, περὶ τοῦ μὴ τοῖς βιωτικοῖς προσηλῶσθαι.

Ibid. D *Mortem perturbationum.*) Τῶν παθῶν τὴν νέκρωσιν, *mortificationem affectuum.* Item quæ ſequuntur ſic vertes. *Etenim res omnes noſtræ per eam perficiuntur, ſiue regeneratione opus ſit, crux præſto eſt.* Innuit in omnibus religionis noſtræ ſacramentis ſignum crucis adhiberi. καὶ γὰρ πάντα δι᾽ αὐτοῦ τελεῖται τὰ καθ᾽ ἡμᾶς Paulò pòſt. *Si præfecturam alicui de populo.*) Rectius opinor, *ſi quem populo præficere debeamus, eiuſque curæ plebem commendare,* ἂν προστασίαν δήμου τινὶ παρακαλῶμεν.

640. A *Agnus innocens qui ad vict. cæd. ducitur.*) Adde è Græcis, οὐκ ἔγνων *non cognoui.* Locus eſt Hieremiæ cap. XI. Et non cognoui, quia cogitauerunt, &c. Eademque verba vſurpant LXX. quæ Chryſoſtomus hîc, ſicut & paulò pòſt, *demiſſo ligno in Merram,* ξύλον βαλὼν εἰς μερρὰν. *Et venerunt in Mara. Exod. 15. vel vt alij ex Hebræo in Marath. Septuaginta* ἦλθον δὲ εἰς μερρὰν.

641. A *Neque enim ex materia eſt.*) Gr. οὐ γὰρ ἐξ ὕλης αὐτοῦ ἡ ὑπόστασις. *Neque enim ex materia eſt ſubſtãtia.* Rurſus poſt aliquot verba ita interpunge hæc. ἀπὸ δὲ διαθέσεως τοῦ ποιοῦντος ὕλη. *A diſpoſitione verò eius, qui illam conficit materiam.* Duas conſtituit ſpecies ſigni crucis, vnam ex certa materia, prout affecti ſunt animi hominum, vel ex auro, vel ex argento, aut alia pretioſiori materia, alteram à materia corporea ſeiunctam.

In ſermonem de Aſcenſione Domini. Tomo 3. 367.

Ex hac oratione citantur quædam loca à Theodoreto, Dialogo 2. Polymorphi, quæ non abs re fuerit contuliſſe, quandoquidem Græcum exemplar Chryſoſtomi typis excuſum non extat.

366. *Sociauit vtramque naturam,*) Apud Theodoretũ Gr. εἰς φιλίαν συνήγαγε *ad amicitiam reuocauit, reconciliauit.*

Ibid. D *Quod & tanta dignitas offerebat.*) Græca Theodoreti διά γε τὴν τοσαύτην ἀξίαν τοῦ προσκομίσαντος, *ob tantam dignitatem eius, qui offerebat.* Paulò pòſt vitioſè ſcriptum eſt, *ad partem ſuæ dexteræ* ἐν τῷ τῆς ἑαυτοῦ δεξιᾶς μέρει καθίδρυσεν, *in ſuæ dexteræ parte collocauit.*

Ibid. *Quæ natura eſt cui dixit Deus, Eſto meæ particeps ſedis.*) Hæc abſunt à Græco Theodoreti loco, qui his verbis aliam ſententiam exprimit. τίς ἦν ἡ φύσις ἐκείνη πρὸς ἣν εἶπε, γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ. *Quænam erat illa natura cui dixit Deus, terra es & in terram reuerteris?*

367. A *Naturæ omnibus monſtrata deterior.*) Η πάντων ἐλάσσων ἀποδειχθεῖσα, *quæ omnibus inferior facta erat.*

Ibid. *Hodie angelis vota din.*) Apud Theodoretum σήμερον ἀπείληφεν ὅπερ ἐπὶ χρόνον πολὺν ἐπεθύμησαν ἄγγελοι *hodie accepit,* (humana natura) *quod longo tempore deſiderarunt angeli.* Sed rectius fortè apud Theodoretum legeremus ἀπέλαβεν.

In concionem de illo ad Hebr. loco, Sponte peccantibus nobis, &c. Tomo 4. 684.

684. B *Omni procreatione tractatæ.*) Interpres ſcripſerat *procuratione* Gr. ἐπιμελείας.

In illuſtratione ſit. Gr. ἐπὶ τοῦ φωτίσματος. *In baptiſmi ſuſceptione,* ſic Græci Patres baptiſmum deſignabant.

Ibid. C *Viam nouam & vnam.*) Hic quoque Interpres ſcripſerat, *viuam* Græc. πρόσφατον καὶ ζῶσαν, Hebr. 10. viuẽtem. Et paulò pòſt *à melioribus verbis,* Græ. ἀπὸ τῶν χρηστοτέρων *mitioribus verbis, &* ſequitur *à moleſtioribus* aut *ſeuerioribus* σκυθρωποτέρων.

A Ibid. C *Si ad priſtinam vomitionem reuerſus.*) Magna pars huius Concionis ab initio vſque ad illa verba. 686. A Sed quoniam ſanctorum ſacramentorum, ijſdem verbis habetur Homil. 20. Commentar. in Epiſt. ad Hebræos. Nonnulla diuerſa ſunt ex quibus paucula hæc dabimus. Ac primum hîc ita corrige Græca, ἂν τοίνυν ἐπιστρέψῃς ἐπὶ τὸν πρότερον ἔμετον, πάλιν ἀποκήρυξις μένει σε καὶ πῦρ. *Si ergo reuertaris ad priorem vomitum, rurſus abdicatio te manet, & ignis, &c.*

Ibid. D *Aut maledictis vexare propter cognitionem.*) Mendoſè legitur in Græco huius Concionis καὶ καταλαλεῖ διὰ τῆς ἐπιγνώσεως τὸν ἐκπεπτωκότα, rectius in illa Homil. ex Veronenſi editione καὶ καταβάλλει διὰ τῆς ἀπογνώσεως τὸν ἐκπεπτωκότα, *neque expellit, & deijcit per deſperationem eum, qui eſt lapſus.*

686. B *In eum qui cibum reſpuit.*) εἰς κακόσιτον ἐμπίπτει. *In eum qui ſtomachi vitio cibum faſtidit.*

686. A *At te ignorare dices.*) Gr. ἀλλ᾽ ἐρεῖς ὅτι οὐκ ἀνέγνων, *At dices, Non legi. Non eſt hæc defenſio, ſed & criminatio.*

Ibid. *Si quis hos accuſet.*) Gr. ἄν τις τούτου κατηγορῇ μὴ δοῦλός ἐστι, μὴ κλέπτης. *Si quis hunc accuſet, num ſeruus ſit, num fur, num moribus improbis p.* Videtur enim preco accuſatores Olympionicæ futuri aduocare, qui ei obijciant illa ἐλαττώματα, propterea ait auctor. In corporis exercitationem haberi rationem quibus quiſque ſit vitæ inſtitutis, καὶ πολλὴν τῆς προαιρέσεως ἐξέτασιν γίνεσθαι.

B Ibid. D *Clarioremque redde.*) ἐργάσῃ λαμπρότερον *clarioremque reddes,* vt poſtea, *firmioremque reddes.*

689. A *Si vero contra in nos ipſi.*) ἐὰν δὲ τοὐναντίον εἴπωμεν, ἑαυτοὺς καταφρονοῦμεν. *Si verò contrarium dicamus, nos ipſos contemnimus, ita ſit, &c.*

680. C *Sed etiam diligentes & attenti.*) καὶ οὐκ ἐθεάσαντο μόνον, ἀλλὰ καὶ σπουδασταὶ καὶ θαυμασταὶ τῶν ἀγωνιζομένων ἐγίνοντο. *Neque ſolum ſpectatores fuerunt, ſed & ſtudio partium ducti ſunt, & admiratores laudatoreſque certantium fuerunt.* Innuit videlicet ſtudia fauoreſque Factionum vt in Circo Praſinæ aut Venetæ, vnde & poſtea repetit, ἔχομεν καὶ αὐτοὶ σπουδαστὰς, ἐὰν θέλωμεν. *Habemus enim nos, qui nobis ſtudeant & faueant, ſi volumus.*

In Homil. de Prouidentia, Tomo 5. 582.

584. A *Quam ex ijs quæ ſunt, multa fecerit Deus.*) Hic locus reperitur iiſdem verbis expreſſis Homil. 17. in Epiſt. 1. ad Corinthios, vt & alia multa, ex his conciunculis à C M. Cromero editis, in cæteris Chryſoſtomi commentarijs. Sic ergo habet editio Veronenſis. πόσα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ θεός. *Quam multa ex nihilo fecerit Deus.* Imo in Græco ab Interprete ipſo edito ſic legitur, *quo modo ipſa quæ non erat eſt adducta* παρήγετο *eſt producta,* vt poſtea παρήχθησαν ἅπαντα *producta ſunt omnia.* In Græco autem pro ὑπὸ βάραθρον lege ex Veronenſi ποίαν δὲ ἀποβάθραν.

Ibid. B *Non fici paruum granulum.*) οὐ κεγχρὶς σύκου μικρὰ πολλάκις ἐκπεσοῦσα εἰς γῆν, vbi annotat Amerpachius legendum videri κεγχραμὶς cum Heſychio, vel cum Suida κεγχραμίς, quod κεγχρὶς genus auiculæ ſignificet Græcis: ſed Veronenſis tamen editio conſtanter exprimit hunc locum, vt in hac conciuncula Græcè effertur niſi, quod κεγχρὶς ἐμπεσοῦσα habet.

Ibid. *Deum verò tantum ad pœnam poſcis.*) τὸν δὲ θεὸν μόνον ἀπαιτεῖς εὐθύνας μεταρρυθμίζοντα ἡμῶν τὸ σῶμα; *A Deo autem ſolo rationem exigis, corpus noſtrum transmutante?* Hæc in vtraque editione Græca ſic habent & ab Interprete altero ſic redduntur, agitur enim de reſurrectione non de formatione hominis. Felicius tamen coniecit idem Amerpa- D chius dum annotauit in aliam Homiliã de aduerſa valetudine, quam ab iſta ſextam vel ſeptimam reperies in eodem tomo eò loci, vbi de Lazaro agitur deeſſe gignẽdi caſum in hoc membro δριμυτέραν ἐποίει τὴν * γίνεσθαι τὴν αἴσθησιν, quam lacunam ſupplere potes ex orat. 1. in Lazarum ex editione Oxonienſi, ἐποίει τῶν ὀδυνῶν γίνεσθαι τὴν αἴσθησιν, *efficiebat vt acrior eſſet dolorum ſenſus.* Pag 22.

Præterea inter illas conciunculas eſt quædam de Eccleſia 1236. in qua locus eſt minus accuratè conuerſus è Græco poſt lacunam, in qua eſt ὁ ἀβδιοῦ (lego ἀβδιοῦ, ſic enim apud L X X. reperio expreſſum hoc nomen, vt 3. Reg. 18. ἀβδιοῦ œconomum Achab) *pro equis vero & aurigis & ſophiſtis & oratoribus* Græc. ὑπὲρ δὲ ἵππων καὶ ἡνιόχων, καὶ σοφιστῶν, καὶ ῥητόρων δεινότερον τὰς ἀπολογίας συντίθησι, *pro equis vero & aurigis defenſiones componit multo accuratius quàm vel ipſi ſophiſtæ aut rhetores.* Non enim pro oratoribus aut ſophiſtis, ſed de aurigis Factionum inter ſe contentioſè diſputabant Circi ſpectatores.

Poſtremo admonendus es rurſum lector de eo loco, qui eſt 586. D in oratione nuper edita, poſt illa, *atqui multa etiã alia ingenita,* Græca ſubieciſſe, λέγεται μετὰ ὀυνάγίνητον πᾶν τὸ μὴ γινόμενον. *Dicitur itaque ingenitum quicquid generatum non eſt; dicitur etiam ingenitum, quod quidem fit, &c.* D. Ioan. Damaſcenus lib. 1. de fide, cap. 9. diſcrimen cõſtituit inter τὸ ἀγέννητον, & τὸ ἀγένητον, vt hoc ſignificet Tomo 5.

quod

Digitized by Google

quod non eſt creatum, aut ortum quouis modo, illud verò quod per generationem productum non eſt. Itaque aut hæc duo confusè vſurpauit hîc D. Chryſoſt. aut in aliis locis legendum eſt ἀγένητον, in aliis ἀγέννητον, nam *ingenitum* quidem Latinè haud ſcio an vtrumque ſignificare ſoleat.

Ex emendationibus Pauli Leopardi in aliquot Chryſoſtomi loca.

Lib. 1. c. 2 *Scamma quid ſignificet malo lectorem à Budæi commentariis petere & Cælio Aureliano. tantum quædam hîc producam tum ex Latinis, tum ex Græcis auctoribus loca.* Et paulò poſt. *D. Ioannes Chryſoſt. ſcribens in dictum Apoſt. Vino modico vtere* γυμνοὶ πρὸς τὰ σκάμματα ἕλκονται. *Idem in libello quo docetur neminem lædi niſi à ſeipſo,* παρέβαλε ψι τὸν ἀθλητὴν τοῦτον ἢ μαλακώτερον πρὸς τὰ ὑπὲρ τῆς ἀρετῆς ἐποίησε σκάμματα. *Interpres modò luctas, modò certamina interpretatur.* Hæc Leopardus. Cæterùm quid ſit ſcāma, vide annotatū in oratione de Lazaro. Poſtremus locus à Leopardo citatus reperitur 651. A tomo 5. ſic ab interprete expreſſus, *lædere potuit athletā Chriſtianū in quo ex iis omnibus reſolutus, aut fractus eſt ab animi virtutibus?* Sic autē reddi potuit. *Lædere potuit athletam, aut molliorē reddidit ad ineundam arenam virtutis, aut à ſtadio virtutis ingrediendo retardauit?*

Homil. 1 ad popu. lū Antio. 17. D. *Idem Leopardus lib. 5. cap. 5.* καίριος *inter cætera lethalis ſignificat,* καίριον μέλος *lethale membrum* καιρία πληγὴ *lethale vulnus D. Ioan. Chryſoſt.* περὶ ταπεινοφρ. καὶ καθάπερ ἔλαφος δεξαμένη βέλος ἐν καιρίῳ τοῦ σώματος. *Id eſt in vitalibus, vel vitali, ſiue lethali membro.* Vbi eius Interpres. *Quemadmodum cerua telū corpore fixum ferens. Chryſoſt.* περὶ τοῦ μὴ ἀναθεματίζειν ὡς ἐπὶ καιριωτάτου μέλους γινομένης ἀποκοπῆς, *id eſt, velut præcipui & vitalis membri deſectione.* Hactenus Leopardus. poſteriorem locum reperies Tomo 5. 450. A *Qua tempeſtiua membri deſectione magnum ſuæ compaſſionis, &c.* Sic ſcribe. *Vt, quaſi fieret in vitali membro deſectio, magnum ſuæ compaſſionis & doloris indicium præ ſe ferrent.*

ἐν τῇ λευκητίᾳ, ἔτει ᾳφπη ἰσχιολάζοντα τάδε.

NOTATIONES IN B. IOANNIS CHRYSOSTOMI

ſententias, quæ aut vitio interpretis, aut quod nonnulla opera falsò ipſi aſcribantur, pias lædere aures poſſunt.

Auctore Flaminio Nobilio.

Et primò in quartum Tomum, qui præcipuus eſt.

Hæ notationes primùm editæ ſunt Romæ anno 1578. QVoniam ſermones D. Ioannis Chryſoſtomi in D. Pauli Epiſtolas duobus voluminibus Baſileæ anno 1536. impreſſi circumferuntur; in qua editione ſexdecim etiam priores in Epiſtolam ad Romanos Homiliæ à Muſculo verſæ ſunt (nam in poſterioribus omnibus omniū operum editionibus, huius verſionis loco Germani Brixij verſionē ſubſtituerunt;) idcirco faciendum putauimus, vt primùm, quæ in illis impura iudicauimus, notaremus.

HOMILIA PRIMA.

PAulus Seruus Ieſu Chriſti. Qua, quæſo, ratione illius nomen Deus immutans, cùm Saulus eſſet, Paulum vocauit? Ne quid minus videlicet reliquis Apoſtolis haberet, ſed quod Apoſtolorum Coryphæus quaſi præcipuum habet, hic quoque poſſideret, imò maioris diſpenſationis cauſam acciperet.) Locus hoc pacto verſus, ſine dubio videtur Paulum Petro præferre; perinde, ac Paulus maioris, quàm ille, diſpenſationis cauſam acceperit; idque ſtruit Muſculus, vt ſummæ illi Petri, (quòd ſi Petri, multò magis & ſucceſſorum) auctoritati derogget, quantum poteſt: Chryſoſtomus autem nihil eiuſmodi ſibi vult, ſed hoc vnum ſignificat, Paulum, quemadmodum & Petrum, ex mutatione nominis accepiſſe argumentum maioris familiaritatis cum Deo, quàm ſi mutatum nomen non eſſet. Ita in veteri teſtamento Abræ, & Iacob mutatio nominis fuit maioris cuiuſdā neceſſitudinis monumentum. Idem notat Theophylactus in filijs Zebedæi eueniſſe, qui à domino Bonaerges ſunt appellati. Ideo verba illa, καὶ πλείονος οἰκειώσεως ὑποθεὶν λάβῃ, optimè à Brixio vertuntur, *& maioris neceſſitudinis argumentum obtineret.* Neque enim οἰκείωσις ſignificat diſpenſationem, ſed neceſſitudinem & familiaritatem. Et vocem illam *imo*, manifeſtò Muſculus de ſuo appoſuit,

A vt viderentur, ſequentes illæ voces *maioris diſpenſationis*, Paulum Petro præferre. Quàm verò accuratè Chryſoſtomus Petri autoritatem tueatur, alibi oſtendimus.

Ibidem.

Opus enim illius eſt, qui ſeruum facit.) Inepta verſio, & quæ ineptam ſententiā præ ſe ferre queat. Græcè eſt: τὸ γὰρ ἔργον τοῦ ποιήσαντος δοῦλον. id eſt, *opus enim ipſum effectoris ſeruum eſt.*

IN HOMILIA XIII.

AFfectum itaque carnis malitiam dicit, & affectum Spiritus, gratiam nobis datam, energiam que bonæ voluntati diuinitus decretam.) Explicans Chryſoſtomus, quid ſit ſapientia Spiritus, inquit, ſapientiam carnis nominari à Paulo vitioſitatem, ſapientiam verò Spiritus, gratiam datam, & actionem illam, quæ ex optima electione cenſetur, nimirum, vt vbique ſtatuat duo illa bonarum actionum initia, gratiam, & electionem, idque perſpicuè ſonant verba Græca: τὴν χάριν τὴν διδομένην, καὶ τὴν ἐνέργειαν τὴν τῇ προαιρέσει κρινομένην τῇ χρηστῇ. Muſculus verò ita vertit, vt ſolius gratiæ mentionem faciat, diuinitus energiam bonæ voluntati decernentis, ſcilicet vt voluntas non liberè, ſed ex decreto agat.

In eadem.

B *Quodque cum Angelis diſſidendū, certandum que. Hoc eſt enim mortificare carnem, nimirum vitam viuere æternam.*) Quo pacto iſta cohæreant, *cum Angelis diſſidendum; hoc eſt enim mortificare carnem:* ſi reperias, mirabor. Fortaſſe Muſculus in codicem, quo vſus eſt, culpam reiiciet. Erat tamen hominis intelligentis tam inſigne mendum animaduertere. Veronenſe exemplar ita habet: ἔδεις ὅσα κακὰ ἐκ τοῦ μὴ ἔχειν πνεῦμα ἅγιον; θάνατος, ἔχθρα εἰς θεὸν, τὸ μὴ δύνασθαι ἀρέσαι τοῖς ἐκείνου νόμοις, τὸ μὴ εἶναι, ὡς χριστοῦ τῇ χριστοῦ, τὸ μὴ ἔχειν αὐτὸν ἔνοικον. σκόπει τοίνυν, καὶ ὅσα ἀγαθὰ ἐκ τοῦ πνεῦμα ἔχειν, τὸ χριστοῦ εἶναι, τὸ αὐτὸν ἔχειν τὸν χριστὸν, τὸ τοῖς ἀγγέλοις ἁμιλλᾶσθαι. τοῦτο γάρ ἐστι νεκρῶσαι τὴν σάρκα. Animaduertendum tamen verba illa, ὡς χριστοῦ, τὸ χριστοῦ, in Vaticano exemplari ita melius legi, ὡς χρὴ, τοῦ χριστοῦ, vt ſignificetur ſine Spiritus ſancti ſocietate hominem non eſſe Chriſti eo modo, quo oportet; id eſt, eſſe quidem ſubiectum illius poteſtati, ſed non acceptum voluntati; & ſi fidem nudam habeat, eſſe mēbrum Chriſti numero, non merito. Totus igitur locus ita vertendus: *Vides, quot mala ex eo, quòd Spiritus ſanctus non habetur, proficiſcuntur? mors, inimicitia in Deum, non poſſe illius*

C *legibus obtemperare, non eſſe Chriſti eo modo, quo oportet, non habere ipſum inhabitantem. Conſidera itidem, quot bona exiſtant ex eo, quòd ſpiritus habetur; Chriſti eſſe, ipſum habere Chriſtum, Angelos æmulari, & cum iis quaſi certare.* Hoc eſt enim mortificare carnem.)

Ibidem.

Deinde eadem quoque ratione adiecit, peccato, vt diſcas, quòd malitiam non omnino funditus vna vice à natura corporis abſtulerit.) His verbis nihil & veritati, & autoris ſentētiæ magis repugnans. Chryſoſtomus enim Valentini & Manichæorum (quos noſtræ tempeſtatis hæretici imitati ſunt) peſtilentes hæreſes vehementiſſimè oppugnans, cū aliis locis, tum hac potiſſimum tota Homilia id agit, vt naturam ipſam non ſolum mentis, ſed etiam carnis eſſe bonam demonſtret, atque habitaſſe quidem in ea peccatum, verùm totum per Baptiſmum auferri; vt nihil iam ſit in renatis, quòd propriè peccati rationē habeat; ideoque à Paulo vocari corpus mortuum, non abſolutè, ſed peccato. ἵνα μάθῃς, ὅτι τὴν πονηρίαν, οὐ τὴν φύσιν τοῦ σώματος καθάπαξ ἀνεῖλον. id eſt, *vt diſcas, quòd Spiritus ſanctus inha-*

D *bitans non ipſam naturam corporis, ſed vitioſitatem ſemel deſtruxit.* Cæterùm hoc quoque loco Muſculus codicem cauſari fortaſſe poteſt. Nam & in Veronenſi mendum eſt. Facilè tamen ad deprehendendum erat. In Vaticano quidem, & aliis manuſcriptis exemplaribus ita ſine vlla litura legitur, quemadmodum nos recitauimus. Eadem hæc ſententia ſæpe à Chryſoſtomo repetitur. In vndecimo potiſſimum ſermone in epiſtolam ad Philippenſes de Baptiſmo agens, hanc rem copioſè explicat: οὕτως πᾶσαν ἠμίσαμεν κακίαν, & quæ ſequuntur. Hæc pauca ex Homiliis notaſſe ſatis ſit. Nunc editionem omnium Operum Pariſiis 1556. impreſſorum nobis proponentes (nam quamuis nonnullæ recentiores ſint, nihil tamē noui addiderunt) à quarto tamen volumine, quod primum cum Græco exemplari conferre iuſſi ſumus, initium ſumentes, inſtitutum perſequemur.

EX PRÆFATIONE IN Epiſtolam ad Romanos.

SIquidem & Aggeus, & Zacharias, & alii aliquot poſt Ezechielem, & Danielem, prophetias ediderunt, & multi item poſt Ionam, & Sophoniam cæteroſque omnes: ſed tamen cum illis omnibus connecti ſunt, à quibus tanto temporis interuallo diſtant.) Ad verbum ferè ex Græco exemplari impreſſæ: ſed ſen-

Digitized by Google

tentia prorſus nulla. Nam ſignificatur multos, qui prophetias ediderint poſt Ionam, & Sophoniam, & cæteros omnes, qui duodecim minores prophetæ dicuntur, cõiungi in bibliis cum illis duodecim; quod neque ad id, quod ſibi volebat Chryſoſtomus, quicquã facit, & multis modis perſpicuè falſum eſt. Neque enim prophetæ poſt illos duodecim extiterunt; neque, vt extitiſſent, vllius ſcripta habemus. Optimus, & peruetuſtus Vaticanus codex ita habet: καὶ πολὺ μετὰ τ̃ ἰωνᾶν; vbi impreſſus, καὶ πολλοὶ μετὰ τ̃ ἰωνᾶν. Ita vnius litterulæ reſtitutióne totus locus, qui me diu torſerat, reſtituitur. Hoc enim modo vertemus: *Siquidem & Aggæus, & Zacharias, & alij aliquod poſt Ezechielem, & Danielem prophetias ediderunt, ac multò poſt Ionam, & Sophoniã, cæteroſque omnes:* vt illud indicetur, quamuis Aggæus, Zacharias, Malachias propius abfuerint ab Ezechiele, & Daniele, quàm à Iona, Sophonia, & cæteris illis antiquioribus, tamen ratione tẽporum minimè ſeruata, coniunctos potius fuiſſe in bibliis cum vetuſtioribus illis, quàm cùm Ezechiele & Daniele. cuius rei cauſam fuiſſe prædictionum breuitatem, vt alios nunc omittam, docet Theodoritus initio commentariorum in duodecim Prophetas. Hanc eſſe Chryſoſtomi germanam ſententiam conſtat etiam ex Theophylacto: qui de hac eadem re loquens, inquit, πολὺ ᾧ διεστηκότες ἀλλήλων.

IN HOMILIA II.

S*Iquidem & tum Romanorum Imperium ſapienter regebatur; quòd ſi modum ignoras, nolito ægrè ferre.*) Non puto hoc affirmare voluiſſe Chryſoſtomum, tunc ab improbis illis Tyrannis ſapienter eſſe adminiſtratum imperiũ Romanum. Sed perpendebat Pauli modeſtiam; qui cùm illuc vſque prohibitum ſe à Deo intelligeret, quominus ſuam Romanos viſendi auiditatem expleret; cauſam tamen non exquirebat, cur prohibitus eſſet; ſed omnia ſua tacitus ac libens ſapientiſſimo & amantiſſimo illi Patri committebat. Inducit igitur Chryſoſtomus ſeipſum cum Paulo ſermocinantem, atque oſtendentem meritò tali illum animo præditum fuiſſe: nihil enim cauſæ eſſe, cur diuinæ voluntatis cauſas curioſius ſcrutaretur. Quòd ſi pro Romanorum ſalute laboraret, bono illum animo eſſe oportere, ἐπεὶ καὶ τότε σοφῶς ᾠκονόμει τὰ τῶν ῥωμαίων. id eſt, *quoniam etiam, dum tu Paule abes, ea quæ ad Romanorum ſalutem pertinent, ſapienter Deus adminiſtrabat.* Nihil igitur loquitur Chryſoſtomus de imperio, ſed de ſalute Romanorum; quam cùm Paulus procuraturus eò vellet accedere, prohibitus tamen erat, aliis interea modis diuina prouidentia illorum incolumitati conſulente.

IN HOMILIA III.

Q*Vid igitur faciendum erat? ad neceſsitatem, & vim veniendum? at hoc non licet fortibus, ac virtute præditis.*) Non nũc id agitur, vtrum viro forti liceat ad vim venire. Sed ſibi vult Chryſoſtomus, rectè ſe geſſiſſe Deum, cùm eos traderet in ignominiam; qui multis modis ad virtutẽ, Deique cognitionem inuitati, omnia in deteriorẽ partem conuerterant. Quid enim, (inquit) Deo faciendum erat? num ad neceſſitatem, ac vim veniendum? ἀλλ' οὐκ ἔστι τοῦτο ποιεῖν ἐναρέτους; id eſt, hoc non eſſet probos, ac virtute præditos reddere: nimirum ob eam cauſam, quòd virtus eatenus virtus eſt, quatenus non vi, ſed voluntate ſuſcipitur: quam ſententiam Sanctus autor ſæpe repetit.

IN HOMILIA V.

A*Duerſus quos nunc obiter depugnans, oſtendit, quòd vel ſuperioribus illis temporibus, antequam etiam lex data eſſet, hominum natura omnimodam prouidentia aſſequuta fuerit.*) Illud *omnimodam* de ſuo addit Interpres. Ac ſanè quamquam Dei ſemper perfecta pro temporum ac rerum conditione ſunt opera, tamen abſolutè, tunc plena, integra, & vt ipſius Brixij vocabulo vtar, omnimoda prouidentia à ſanctis Patribus nominari ſolet; cùm beata illa aduenit plenitudo temporis, cùm nubes pluerunt iuſtum, terraque germinauit Saluatorem.

IN HOMILIA VIII.

D*Eus porrò rebus in glorioſis, ſplendidis, ac magnis ſe ipſe venditat.*) Abſurda in Deo loquutio, ἐνδείκνυται, id eſt, *ſeſe ſpectandum præbet.*

IN HOMILIA XII.

Q*Vis tandem eouſque miſer, eouſque infelici ſydere natus eſſe queat, vt ne ſtudij quidem tantundem Chriſti, quantum peccati, ac diaboli ſeruituti impendat?*) loquutio illa, *infelici ſydere natus*, in Chriſtiano homine nõ ſatis probatur, ἄθλιος καὶ ταλαίπωρος, id eſt, miſer & infelix.

IN HOMILIA XIII.

V*Im atque iniuriam ſuſtineo.*) Nihil neceſſe erat ſuſpectã illam vocem *vim*, hoc loco addere: ἐπήρειαν ὑπομένω, id eſt, *inſultum quendam ſuſtineo.*

Ibidem.

Nam vbicumque Spiritus, vna triadis ſubſtantia adfuerit, adeſt & ipſa trias.) Spiritus ſanctus non rectè dicitur vna triadis ſubſtantia. Subſtantiæ enim nomen apud Latinos, quemadmodum apud Græcos, τὸ τῆς οὐσίας, ſignificat ipſam eſſentiam, quæ in tribus perſonis eadem eſt. Chryſoſtomus, inquit, μία ὑπόστασις: quare ita vertendum, *Nam vbicumque vna Trinitatis perſona, id eſt, Spiritus adfuerit, adeſt & ipſa Trinitas,*

Ibidem.

Neque enim dixit corpus iam à peccato retardari, ſed & mortuũ eſſe, curſuum facilitatem intendens.) Obſcuratur, aut potius peruertitur pulcherrima Autoris ſententia. Chryſoſtomus expendens, quot bona proueniant ex eo, quòd Spiritum habemus, inter cætera hoc commemorabat; quòd illius ope adiuti, poſſumus in virtutis via facillimè currere; idque ex verbis Apoſtoli eliciens, notabat, non ſatis illi fuiſſe ita dicere, corpus poſt aduentum Spiritus vacare à peccato, ſed ſignificantiùs ad maiorem curſus facilitatem indicandam, dixiſſe, Corpus mortuum eſſe, quod ad peccatum pertinet, id eſt, planè mortificatum. Non enim natura corporis, ſed ipſa improbitas deleta eſt, vt aduerſus Muſculum diximus. Græcè ita habet: οὐδὲ γὰρ εἶπεν, ἀργεῖν τὸ σῶμα λοιπὸν τῇ ἁμαρτίᾳ, ἀλλὰ ὃ νεκρὸν εἶναι, ἐπιτείνων τ̃ εὐκολίαν τ̃ δρόμων. id eſt, *non enim dixit corpus vacare in poſterum à peccato, ſed & mortuum eſſe, intendens curſuum facilitatem.* In Veronenſi legebatur, τὴν ἁμαρτίαν, ſed mendũ correximus ex Vaticano.

Ibidem.

Intemperiis acto miſeriorem.) Eò, qui à dæmone fit correptus, miſeriorem; δαιμονῶντος ἀθλιώτερος. Eodem modo corrigatur Homil. XV.

IN HOMILIA XXXII.

Q*Vod licet tolerantiſſimum fuerit, ferre tamen non potuit præcognitum tempus, quo defecturi erant Theſſalonicenſes.*) Ineptiſſima ſententia, & nihil ad Chryſoſtomum. Qui cùm eò prouectus oratione eſſet, vt oſtenderet ſe ardẽti quodam deſiderio teneri ſingula Pauli membra etiã in puluerem redacta ſpectandi, & ad cor veniſſet; multis illud encomiis ornat, & hoc inter cætera: τὴν καρτερικωτάτην, καὶ οὐ στέγουσαν καιρὸν ὥρας ἀποστῆναι θεσσαλονικέων. id eſt, *cor illud, quòd cùm tolerantiſſimum eſſet, tamen ne horæ quidem ſpatium à Theſſalonicenſibus abeſſe facilè patiebatur.* Accipit enim Chryſoſt. hanc ſententiam ex illo Pauli loco 1. Theſſal. 2. *Nos autem fratres deſolati à vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundãtius feſtinauimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio.*

IN EPISTOLAM PRIMAM ad Corinthios ex argumento.

I*Ngluuie ſua idolorum ſacrificia guſtantes, & ſacris penitus dediti.*) Abſurda coniunctio. Chryſoſtomus verò ita inquit: ὑπὸ γαστριμαργίας τῶν εἰδωλοθύτων ἀπογευόμενοι, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κατακλινόμενοι. id eſt, *ex voracitate idolothyta deguſtantes, & in templis diſcumbentes.*

HOMILIA II.

N*Am cùm per eum, & in eo frequenter de filio verba faceret, ne arbitrarentur illum tamquam minoris meminiſſe, attribuit id patri.*) Nullo, aut abſurdo ſenſu. ἐπειδὴ γὰρ δι' αὐτοῦ, καὶ ἐν αὐτῷ συνεχῶς ἔλεγε περὶ τοῦ υἱοῦ, ἵνα μὴ νομίσωσιν, ὅτι ὡς ἐλάττονος αὐτοῦ οὕτως μέμνηται, προστίθησιν αὐτῷ τῷ πατρί. id eſt, *Nam quoniam dictiones illas, (per ipſum, & (in ipſo) continenter filio accommodauerat, ne exiſtiment factam eſſe hoc modo ipſius mentionem quaſi minoris; eodem loquendi modo in patre vtitur.*

Ibidem.

Nam hoc & ipſa bona iniuria afficeret; niſi eiuſmodi eſſet natura, vt volentibus & his, qui plurimam ſe gratiam habituros ſciant, ſeſe offerat.) ἐπεὶ τοῦτο καὶ αὐτὰ διαβάλλει τὰ ἀγαθά, εἰ μὴ τοιαύτη αὐτῶν εἴη ἡ φύσις, ὡς καὶ ἑκόντας προσδραμεῖν, καὶ χάριν εἰδότας πολλήν. id eſt, *Quandoquidem hoc ipſemet bona dedecoras, ſi ipſorum natura minimè talis ſit, vt homines & ſponte ſua, & plurimam habentes gratiam ad ea accurrant.*

HOMILIA III.

S*Ed quemadmodum quoque dixerunt Apoſtoli ſuper viduis; non eſt placitum, vt prætermiſſo verbo Dei miniſtremus menſis, ſic*

in hoc loco miniſtrauit, illis non contradicens ſed ex abundantia operatus. Siquidem nunc ſenioribus quidem, qui inutiliores ſunt, hoc munus tradimus, verbum autem quod doceant ſapientioribus.) Audi Chryſoſt. ἀλλ' ὥσπερ ἐπὶ τῶν χηρῶν, ἐπειδὴ οὐ τῶν ἀποστόλων, οὐκ ἔστιν ἀρεστὸν καταλιπόντας ἡμᾶς τὸν λόγον τοῦ θεοῦ διακονεῖν τραπέζαις, διηκονοῦντο, οὐκ ἐναντιούμενος ἐκείνοις, ἀλλ' ἐκ περιουσίας ποιῶν, οὕτω καὶ ἐν ταῦθα· ἐπεὶ καὶ νῦν τοῖς μὲν ἀφελεστέροις τοῖς πρεσβυτέροις τοῦτο ἐγχειρίζομεν, τὸν δὲ διδασκαλικὸν λόγον τοῖς σοφωτέροις. id eſt, *Sed quemadmodum cùm in viduarum cauſa dixiſſent Apoſtoli (non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.) ipſe tamen miniſtrauit, non illis aduerſatus, ſed pleniore menſura operans; ita & hoc loco. Siquidem & nunc ii quidem qui inter presbyros ſunt ſimpliciores, & rudiores, hoc iniungimus, docendi autem munus ſapientioribus.*

Act. 6.

HOMILIA IIII.

ABſurdum profectò eſt, inquit, nec immeritò. Etenim, ô homo, ſupra rationem eſt, & inenarrabilis virtutis Crux.) Non placet res fidei vocari abſurda. οὐκ ἂν ἔχοι λόγον, φησί· καὶ γὰρ ὑπὲρ λόγον ἐστίν, ἄνθρωπε, καὶ ἀφάτου δυνάμεως ὁ σταυρός. id eſt, *Non id rationi ſit conſentaneum, inquit: Nihil mirum: Etenim, ô homo, &c.*

HOMILIA VI.

RAtioni hoc ſubijciamus: Aduerſus namque Gentilem mihi iam certamen eſt: idcirco ſecundùm poſitionem ſanè futuram dico. Subijciamus igitur rationi, & patiatur Gentilis verba mea ſaltem conſentientibus acquieſcere, hic eſt, quòd Chriſtus veniet.) ὑποθώμεθα τῷ λόγῳ (πρὸς γὰρ τὸν ἕλληνά μοι τέως ὁ ἀγών· διὰ τοῦτο κατὰ ὑπόθεσιν λέγω τὸ πάντως ἐσόμενον) ὑποθώμεθα τοίνυν τῷ λόγῳ, καὶ ἀνεχέσθω πεισθῆναι ὁ ἄπιστος κἂν κατὰ συνδρομὴν τοῖς λεγομένοις, ὅτι ἔτι ὁ χριστὸς ἥξει. Interpres non percipit, quid ſit κατὰ συνδρομήν, quemadmodum neque infrà Hom. xij. vbi cùm dicat Chryſoſtomus. κατασκευάσας τοίνυν κατὰ συνδρομὴν τὸν λόγον, ipſe vertit, *confirmata igitur, vt oportuit, ratione ſua*: quare pulcherrimas ſententias valdè obſcurauit. Aperiamus igitur nos, quid vtroque loco optimus Autor ſibi voluerit. Ammonius in Categorijs obſeruat duplicem eſſe modum reprehendendi obiecta; vnum cùm damus, quod ab aduerſo obijcitur, ſed nihil inde aduerſus nos confici oſtendimus; alterum, cùm neque illud damus, ſed refellimus accuratè. Hunc poſteriorem modum ἔνστασιν vocat; priorem illum ἀντιπαράστασιν; quem quidem à rhetoribus noſtris videor meminiſſe conceſſionem vocari: idque eſt, quod Chryſoſtomus κατὰ συνδρομὴν nominat, quemadmodum etiam in Homil. VI. in Epiſtolā ad Romanos ad ea verba, *ſit autem Deus verax*, τὸ ἀληθῶς, inquit, γεγυμνασμένον κατὰ συνδρομὴν συνηγορῶν. in octaua autem Homilia in ſecundam ad Timotheum in morali digreſſione vocat συγχώρησιν. In Homilia igitur VII. primæ ad Corinthios, vt ab ea ordinamur, hoc ſibi vult. Reprehenſurus erat Paulus Corinthios tamquam ſuperbos, nimiumque ſibi arrogantes, perinde atque omnia iam conſecuti eſſent. Primum igitur vtitur conceſſione. Dat enim illos omnia conſecutos; ac nihilominus oſtendit nihil propterea fuiſſe loci arrogantiæ. Non enim ipſi ſibi ea bona pepererant; ſed à Deo acceperant. Deinde verò, quod dederat, euertit; oſtenditque tantum abeſſe, vt omnia ſint conſecuti, vt multa potius, ac magna adhuc illis deſint; quod genus reprehenſionis ἔνστασις eſt. Ideò inquit, κατασκευάσας τοίνυν κατὰ συνδρομὴν τὸν λόγον, δείκνυσιν, ὅτι καὶ πολλῶν αὐτοῖς δεῖ. Id eſt, *cùm per conceſſionem concluſiſſet rationem, dans nimirum illos omnia conſecutos; nunc repetit, quod dederat, negatque illos perfectos eſſe; multis enim adhuc egere.* Hinc facilè etiam explicatur locus ſextæ Homiliæ. Probaturus erat Chryſoſtomus miracula initio quidem fuiſſe vtilia, poſtea verò futura fuiſſe inutilia; eam nimirum ob cauſam, quòd nullum fidei meritum eſſet. Id vt oſtendat, ſumit, Chriſtum plenum maieſtatis venturum ad iudicandū: quod certiſſimum quidem eſt; verùm quoniam cum infideli diſputatio habebatur, qui id negabat, petit ab eo, vt ad tēpus id ſibi concedat, dum videat, num quod volumus, id eſt, inutilia nunc eſſe miracula, Chriſti aduentu conceſſo, ſequatur, nec ne. Nam ſi non ſequitur, vana eſt omnis argumentatio. ſin autem ſequitur (quod ſe oſtēſurum Chryſoſtomus profitetur) ſatis id erit ad indicādam noſtrorum dogmatum connexionem, & conſtantiam; neque infideles admirari amplius ſinet, cur hoc tempore miracula non exiſtant. Totus igitur locus ita vertendus eſt. *Supponamus in hac ratiocinatione (nam cum Græco nobis iam concertatio eſt: propterea, quod omnino futurum eſt, ex ſuppoſitione accipio) ſupponamus igitur in ratiocinatione, neque recuſet infidelis, tametſi ex conceſſione, & conſenſu quodam, ijs, quæ à nobis dicuntur, aſſentiri; cuiuſmodi hoc eſt Chriſtum venturum.* Qui antecedentia verba, & conſequentia animaduerterit, non dubitabit, opinor, hanc eſſe germanam Chryſoſtomi vtroque loco ſententiam.

A

HOMILIA VII.

NOn igitur per diſciplinam habitum erga nos honorem oſtendit, neque per communicatā cum Angelis, ſed per diſciplinā Spiritus ſancti,) οὐ τοίνυν μόνον τὸ μαθεῖν δείκνυσι τὴν εἰς ἡμᾶς τιμήν, καὶ τὸ μετὰ ἀγγέλων μαθεῖν, ἀλλὰ καὶ τὸ διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ μαθεῖν. id eſt, *Non igitur illud ſolum honoris in nos collati argumentū eſt, quòd didicimus, & quòd vnà cum Angelis didicimus; ſed & illud, quòd ab ipſo Spiritu didicimus.* Dictio illa μόνον reſtituta eſt ex vetuſto exemplari.

Ibidem.

Deinde de Spiritus cognitione diligenter locutus, cùm docuerit, quòd ita ad Dei cognitionem peruenitur, quemadmodum ad hominū cognitionem per ſeipſum.) Abſurdiſſim. εἶτα περὶ τῆς τοῦ πνεύματος γνώσεως μετὰ ἀκριβείας εἰπών, καὶ δείξας ὅτι οὕτως ἐξετάζει πρὸς τὴν τοῦ θεοῦ γνῶσιν, ὡς ἡ ἀνθρώπου γνῶσις αὐτὴ πρὸς ἑαυτήν. id eſt, *Deinde cùm de cognitione ſpiritus exquiſitè ac ſubtiliter locutus eſſet, atque oſtendiſſet, quòd æquè ſe habet ad cognitionem Dei, atque cognitio hominis ipſa ad ſeipſam.*

Ibidem.

Nam facilius omnia mutare quiſpiam poſſet, quàm religionem, & conſuetudinem reuerentiam, Illud ſanè erat ad impediendum ſufficiens, quòd in vltima ſenectute aliud quiddam, & ab indoctioribus doceri viderentur. πάντα γὰρ εὐκολώτερον ἀμείψειεν ἄν τις ἢ τὰ περὶ θρησκείας. καὶ τὸ αἰσχύνεσθαι δὲ μετὰ τῆς συνηθείας ἱκανὸν ἦν ἐμποδίσαι, καὶ τὸ δοκεῖν ἐν ἐσχάτῳ γήρᾳ μεταμαθεῖν, καὶ παρὰ τῶν ἀσυνετωτέρων. id eſt, *Omnia enim quis facilius mutarit, quàm ea quæ ad religionem pertinent. Simul autem cum conſuetudine, ſufficiebat etiā ad impediendum verecundia ex eo ſuſcepta, quod in extrema ſenectute viderentur priora dediſcere, & ab imprudentioribus diſcere.*

B

HOMILIA VIII.

DEinde cùm ea opinione, vt ſcilicet omnes vnum ſint negligentiores efficiantur, & hi, qui multum, & hi, qui remiſſius operantur.) εἶτα ἐπειδὴ τοῦτο ῥαθυμοτέρους ἐποίει, τὸ πάντας ἓν εἶναι νομίζεσθαι, καὶ τοὺς πολλὰ καμόντας, καὶ τοὺς ἐλάττω. id eſt, *Deinde quoniā iſta opinio (nimirum & eos qui plures labores ſuſcepiſſent, & eos qui pauciores, vnum eſſe) negligentiores faciebat.*

Ibidem.

Inde rurſus hoc auget, vt quod vult, efficiat, & gratificatur quātum licet ambitioſè.) εἶτα καὶ λεαίνει πλέον αὐτό, κατορθώσας ὅπερ ἐβούλετο, καὶ χαρίζεται ἐν οἷς ἔξεστι μετὰ φιλοτιμίας. id eſt, *Deinde adhuc magis idem mollit, cùm iam correxiſſet, quod volebat; & gratificatur, in quibus licet, largè & liberaliter.*

C

HOMILIA XII.

SIc Paulus quum poſſet multa cum indignatione in fornicatorem ferri, non tamen fecit; ſed horrendis verbis primū hominis faſtū contundit.) Οὕτως καὶ τότε συνέβαινε, καὶ γὰρ ἔχων μετὰ πολλῆς ἀγανακτήσεως χρήσασθαι τῷ πεπορνευκότι, φοβεροῖς ῥήμασι κατασπᾷ πρότερον τὸ φύσημα τοῦ ἀνδρός. id eſt, *Ita & nunc euenit. Nam cùm iam multa indignatione fornicatorem tractaturus eſſet, terribilibus primùm verbis faſtum hominis deprimit.*

Ibidem.

Quum igitur talis ſit fornicator, & animo tam temerario, tam intractabilis in peccato, neceſſariò eius contundit inſolentiam; neque ſimpliciter primum ponit peccatum, vt non in impudentia perſiſtat, tanquam ante alios accuſatum, neque poſterius, vt non ſupernaturalem ſuam putaret accuſationem,) ἐπεὶ οὖν τοιοῦτος ἦν ὁ πεπορνευκώς, καὶ τὴν ψυχὴν οὕτως ἰταμὴν καὶ δυσίατον εἰργάσατο διὰ τῆς ἁμαρτίας, ἀναγκαίως αὐτοῦ πρῶτον καταστέλλει τὸν τῦφον, καὶ οὔτε πρῶτον τίθησι τὸ ἔγκλημα, ἵνα μὴ ἀναισχυντήσῃ αὐτός, ὡς πρὸ τῶν ἄλλων ἐγκαλούμενος· οὔτε μὴν ὕστερον, ἵνα μὴ πάρεργον νομίσῃ εἶναι τὸ κατ' αὐτόν: id eſt, *Quoniam igitur talis erat is qui fornicationem commiſerat, atque animam adeo impudentem atque intractabilem per peccatum reddiderat; neceſſariò illum tumorem primùm deijcit. Ac neque primo loco ponit accuſationem, ne ille impudentior fiat, tanquā ante alios accuſatus; neque poſteriore loco, ne ille obiter & præter inſtitutum putet ea tractari, quæ ad ipſum pertinent.*

D

HOMILIA XII.

NVnc autem reprehenſione vtitur, dicens, Iam ſaturati eſtis.) ἐν ταῦτα δὲ ἐντρεπτικῶς ποιεῖ λόγον, ἤδη κεκορεσμένοι ἐστέ. Non percipit Interpres, quid ſignificet, ἐντρεπτικῶς ποιεῖν, & λόγος ἐντρεπτικός, atque idcirco multas, & præclaras Chryſoſtomi ſententias obſcurat, & peruertit. Significat igitur illa dictio, quòd alibi copioſius oſtendi, inuerſam quandam orationem; quæ aliud in fronte præ ſe ferat, aliud præſtet in receſſu; ac ſæpe ſpeciem quidem laudationis habeat; ſed cùm vel ipſemet, qui laudatur, eas laudes nullo pacto agnoſcat, atque idcirco ironicè datas nō dubitet; neceſſariò inde verecundia ac pudore perfunditur. Talia illa ſunt, *Iam ſaturati eſtis; Sine nobis regnatis; Nos ſtulti, vos ſapientes;* & cætera præclara, quæ ſequuntur. Quamobrem notat Chryſoſtomus huiuſmodi entrepticas orationes duabus propè contrarijs cōditionibus eſſe

Digitized by Google

præditas. Nam & altiorem inferunt plagam, quã aperta obiurgatio; & id ſimul præſtant, vt qui arguitur, cũ grauiùs ſecetur, patientius tamẽ ferat. Poſſumus igitur nos verbo non ſatis Latino, ſed Eccleſiaſticis ſcriptoribus vſitato confundentes orationes, aut ſi mauis, pudefacientes, pudorem exprimentes appellare; atque hoc modo propoſita verba vertemus: *Hoc autem loco confundente oratione vtitur, dicens: Iam ſaturati eſtis.*

HOMILIA XV.

NAm quum aliæ futurorum figuræ eſſent, cur factæ fuerint, cauſas habuit. Aliis autem non reſpondent, ne quis eos poſſit reprehendere, quòd in tenebris permaneant.) ἐπεὶ τὰ μὲν τύποι τῶν μελλόντων ἦσαν, καὶ αἰτίας εἶχε τοῦ γινομένου· τὰ δὲ οὐκ ἔτι· ἵνα μὴ ἐξῇ κακουργεῖν ἰουδαίοις, ἵνα μὴ ἐπιμένωσι τῇ σκιᾷ. id eſt, *Quandoquidem alia quidem figuræ futurorum erant, ſimulq́ue cauſas habebant, cur fierent; alia autem minimè. Quamobrem nulla eſt ſubdola ratio, ad quam confugientes Iudæi poſſint oſtendere ſeſe ad vmbram non adhæreſcere.* Sententia enim Chryſoſtomi perſpicuè hæc eſt, ex rebus, quæ in illa Iudæorum ex Ægypto profectione euenerunt, licet omnes eſſent figuræ futurorum, tamen quarundam fuiſſe præterea præſentes etiam cauſas, cur eo tempore fieri deberent, (vt ſubmerſionis Ægyptiorum, licet ſubmerſionem hoſtium noſtrorum ſpiritualium per Baptiſma futuram ſignificaret, euidens tamen tunc etiam erat cauſa, cur fieret, nimirùm iniuriæ ab Ægyptijs in Hebræos illatæ;) quarũdam verò nullas ſatis aptas cauſas fuiſſe, ſed tantum ſignificare futura, atq; ex his conuinci poſſe Iudæos.

HOMILIA XVI.

PEr exceſſum nos edocet, non opus eſſe omnia Gentilibus exhibere. Monet enim quid opponi poſſe videbatur, & id primum ſoluit.) μεθ' ὑπερβολῆς ἡμᾶς διδάξαι βουλόμενος, ὅτι, οὐδ' ἂν ὁτιοῦν ᾖ, τοῖς ἔξωθεν ἑαυτοὺς διδόναι χρή, τὴν δοκοῦσαν εἶναι ἀντίθεσιν κινήσας, προηγουμένως ταύτην ἔλυσεν. id eſt, *Copioſiſſimè docere nos volens, nullã ob cauſam, qualiſcunque ea ſit, oportere nos ipſos externis iudicibus committere, mouens id, quod opponi poſſe videbatur, principiò iſtud ſoluit.*

HOMILIA XIX.

QVod ſi dimittere vis, cùm vir permittat, ad breue ſaltem tẽpus fiat.) Abſurda ſententia; quaſi permittente viro non liceat vxori etiam ad longum tẽpus ſe continere. Grecè ita habet: εἰ δὲ ἀποστῆναι βούλει, ὅταν ὁ ἀνὴρ ἐπιτρέπῃ, κἂν πρὸς βραχὺ, τοῦτο γινέσθω. id eſt, *Quòd ſi abſtinere vis, cum vir permiſerit, id faciendum eſt; etiam ſi ad breue tempus id fiat.*

Ibidem.

Quemadmodum enim, cùm de abijciendis meretricibus diſputat, correctione rem facit faciliorem his verbis, non vtique fornicariis huius mundi.) Abſurda ſententia, quaſi Paulus difficultatẽ abiiciendarum meretricum hac correctione minuat; vt ſatis ſit abiicere meretrices fideles; minimè autem opus ſit abiicere fornicarias mundi huius. Igitur nihil hîc de abiiciendis meretricibus: ſed indicat Chryſoſtomus locum ex eadem Epiſtola C. V. vbi Paulus iubebat ſeparari à fornicariis, id eſt, cum illis non communicare; hac tamen correctione; vt non quidem à fornicariis huius ſeculi ſeparari iuberet (alioquin in ſolitudinem neceſſariò abeundum fuiſſet; quippe cùm per ea tempora plerique eſſent infideles, & fornicarij) ſed tantum ab ijs qui intus ſunt, id eſt, qui fidem ſuſceperant, eamq́ue deinceps morum improbitate inquinabant. Grecè ita habet: ὥσπερ γὰρ περὶ τοῦ χωρίζεσθαι πόρνων διαλεγόμενος, τῇ ἐπιδιορθώσει τὸ πρᾶγμα πεποίηκεν εὔκολον, εἰπὼν, καὶ οὐ πάντως τοῖς πόρνοις τοῦ κόσμου τούτου. id eſt, *Nam quemadmodum cùm ſeparari oportere à fornicariis diſſereret, correctione quadam rem facilem reddidit, dicens, & non omnino fornicariis mundi huius.*

Ibidem.

Quædam enim ſpiritualia ſunt, quorum alia quidem virum, alia autem Deum ſpectant: quædam verò præſentis vitæ. Illa autẽ particula, volo vos ſine ſolicitudine eſſe, demittit tamen ita Dominos.) Corruptiſſimè. τὰ μὲν γὰρ πνευματικά ἐστιν, ὅτι ἡ μὲν τὰ τοῦ ἀνδρὸς, ἡ δὲ τὰ τοῦ θεοῦ μεριμνᾷ· τὰ δὲ τοῦ παρόντος βίου, τὸ θέλω ὑμᾶς ἀμερίμνους εἶναι. ἀλλ' ὅμως καὶ οὕτως ἀφίησι κυρίους. id eſt, *Nam partim quidem ſpiritalia ſunt, cuiuſmodi eſt illud (hæc quidem ea, quæ viri, illa autẽ, quæ Dei ſunt, cogitat) partim verò ad præſentem vitam pertinent, vt illud, (Volo vos ſine ſolicitudine eſſe.) Ac nihilominus, tametſi res ita ſe habeat, relinquit dominos.* id eſt, dat illis optionem, ac rem eorum poteſtati atque arbitrio permittit.

HOMILIA XX.

QVemadmodum enim propria cuiuſque virtus inſolentes ea præditos reddit.) Imò, quoniam virtus in mediocritate conſiſtat, idcirco, vt Ariſtoteles inquit, quò maior, eò moderatior. ὥσπερ γὰρ τὸ μόνον ἔχειν ἐπαίρει. id eſt, *Quemadmodum enim ex eo, quòd ſolus habeas, oritur elatio.*

A Ibidem.

Vide, quo pacto, non vt ſimpliciter edoceat, hæc ſcribit, ſed ad externorum diſtinctionem. Etenim hoc vbique ſeruandum eſt, ſiue abſolutè aliquid dicat, ſiue aduerſus aliquos opponatur. Neque enim cuius in doctrinæ certitudinem hoc confert, & in ipſum eorum, quæ dicuntur intellectum.) Nihil corruptius. ὁρᾷς, πῶς οὐχ ἁπλῶς δογματίζων, γράφει ταῦτα, ἀλλὰ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἔξωθεν. καὶ γὰρ καὶ τοῦτο πανταχοῦ χρὴ παρατηρεῖν, εἴτε ἀπολελυμένως λέγει, εἴτε πρός τινας ἱστάμενος. οὐδὲ γὰρ τὸ τυχὸν εἰς τὴν τῶν δογμάτων ἡμῖν ἀκρίβειαν τοῦτο συντελεῖ, καὶ εἰς αὐτὴν τῶν λεγομένων τὴν κατανόησιν. id eſt, *Vides hæc à Paulo ſcribi non tanquam dogma ſtatuente, ſed vt ſeſe Gentilibus opponat? Nam & id vbique obſeruandum eſt, vtrum abſolutè pronunciet, an aliquibus ſeſe opponens. Non vulgariter enim hoc nobis confert ad certitudinem dogmatum, & ad ea ipſa, quæ dicuntur, percipienda.*

HOMILIA XXI.

PRæter legem Paulus fecit.) Imò ſuprà legem fecit: ὑπὲρ τὸν νόμον, id eſt, Amplius & maius quiddam fecit, quàm quòd à lege poſtulabatur.

HOMILIA XXII.

B *ITaque abijcere duntaxat argentum debere me arbitrabar: ego autem, vt exigerem, omnia faciebam.*) Sententia perſonæ Pauli, quam tunc Chryſoſtomus inducebat, parum cõueniens. τοῦ γὰρ καταβαλεῖν τὸ ἀργύριον ὑπεύθυνος ἤμην μόνον· ἐγὼ δὲ καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπαιτῆσαι πάντα ἐποίουν. id eſt, *Debitor tãtum eram expendendi argentum: Ego autem, vt & aliquid mihi reddendũ eſſet; omnia faciebam.* Indicat autem locum ex Euãgelio Luc. x. de Samaritano, qui protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait, Curam illius habe, & quodcunque ſupererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.

HOMILIA XXXIX.

QVemadmodum enim in morte animæ, qui mortuus eſt, à peccato iuſtificatus eſt, & nemo hoc victoriam eſſe dicit. Vincit enim, non qui vitiis non congreſſus eſt, ſed qui hiſce captiuum, explicuit ſe tamen.) Si adeſt mors animæ, quomodo cum vitius congreſſus non eſt? imò congreſſus eſt, & ſuccubuit. Græcè ita habet: ὥσπερ γὰρ ἐπὶ τοῦ θανάτου τῆς ψυχῆς, ὁ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. καὶ οὐκ ἂν εἴποιμεν τοῦτο νίκην εἶναι. ἐκεῖνος γάρ ἐστιν ὁ νενικηκὼς, οὐχ ὁ μὴ προσθεὶς τοῖς κακοῖς, ἀλλ' ὁ τὴν ἤδη γεγενημένην τῶν παθῶν αἰχμαλωσίαν διαλύσας. Id eſt, *Quemadmodũ enim in morte animæ, quæ diem ſuum obijt, iuſtificatus eſt à peccato; neque*
C *id tamen dixerimus victoriam eſſe (ille enim viciſſe dicendus eſt, nõ qui nihil iam addit ad mala, ſed qui iam factam affectionum & cupiditatum captiuitatem diſſoluit.*) Vtitur autem Chryſoſtomus verbis Pauli ad Rom. ca. 6. *Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato:* Quorum putat hanc eſſe ſententiam, vt qui ex hoc corpore exceſſit, iuſtificatus ſit à peccato, quoniam peccare poſthac non poteſt.

HOMILIA XLI.

NE fatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerẽdo; commune totius orbis victima preces ſunt. Hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe ſupplicamus.) De induſtria, vt puto, iſte Simon Grynæus pulcherrimam, maximeq́ue catholicam Chryſoſtomi ſententiam peruertit. μὴ δὴ ἀποκάμωμεν τοῖς ἀπελθοῦσι βοηθοῦντες, καὶ προσφέροντες ὑπὲρ αὐτῶν εὐχάς. καὶ γὰρ τὸ κοινὸν τῆς οἰκουμένης κεῖται καθάρσιον. διὰ τοῦτο θαρροῦντες ὑπὲρ τῆς οἰκουμένης δεόμεθα τότε. id eſt, *ne defatigemur ijs,*
D *qui deceſſerunt, auxilium ferre, & preces pro ipſis offerre. commune enim totius orbis expiamentum propoſitum eſt. Hoc freti pro toto orbe tunc ſupplicamus.* Significat autem apertiſſimè Chryſoſtomus auguſtum illud Miſſæ ſacrificium; quòd precibus vim ſuppeditare, diuinitus & copioſiſſimè eo loco docet: quemadmodum & tertia digreſſione morali in Epiſt. ad Philip. (quæ tota continetur in hom. 73. ad populum Antiochenum) & alibi ſæpe.

HOMILIA XLII.

QVam ergo habituri ſumus veniam, quando vetera illa omnia ſuperare, & relinquere iuſſi, nondum, quod minimum etiã eſt, rectum vitæ ſtatum ſumus ingreſſi.) Ecquid maximum eſt, ſi hoc minimum? τίνα οὖν ἕξομεν συγγνώμην, ὅταν ὑπερβῆναι τὰ παλαιὰ κελευόμενοι σκάμματα, καὶ ἐλάττονα ἐκείνου τοῦ μέτρου τὴν ἑαυτῶν πολιτείαν ὀφθῶμεν. id eſt, *Quam ergo habituri ſumus veniã; quando fines veteribus conſtitutos tranſilire iuſſi, inferiorem etiam menſura illa viuendi rationem capeſſimus?*

EX SECVNDA AD CORINTHIOS.

HOMILIA II.

CHriſtiana veſtra vectigalia. Quod eſt caput bonorum, quod honeſtum eſt, idem & vtile eſt. Quod honeſtum non eſt, id ne vtile quidem eſt. Alia eſt apud nos vtiliũ natura, præter vulgi opi-

A *nitorem, videlicet, ut ipſi noſmetipſos viuenti Deo, & Chriſto cōmendemus. Nondum de cæteris præcipimus illis, ſed tamen charitatis eſt, & pro illis orare, ut poſſint.)* χριστιανὰ ὑμῶν τὰ τέλη, τὸ κεφάλαιον τῶν ἀγαθῶν, τὸ καλὸν, καὶ τὸ συμφέρον. ὃ γὰρ μὴ καλὸν, οὐδὲ συμφέρον. ἄλλη γὰρ παρ' ἡμῖν τῶν συμφερόντων φύσις παρὰ τὴν τῶν πολλῶν ὑπόληψιν. ἑαυτοὺς τῷ ζῶντι θεῷ, καὶ τῷ χριστῷ αὐτοῦ παράθεσθε. οὔπω γὰρ τὴν ὑπὲρ ἑτέρων αὐτοῖς ἐπιτρέπομεν, ἀλλ' ἀγαπητὸν ὑπὲρ αὐτῶν δύνασθαι δεῖσθαι. id eſt, (*Chriſtianos veſtros fines.*) *caput bonorum,* (*honeſtum & vtile.*) *Quod enim minimè honeſtum eſt, id neque vtile. Longè enim alia apud nos eſt vtilium natura, quàm vulgus exiſtimet.* (*Vos ipſos viuenti Deo, & Chriſto ipſum commendate.*) *nondum enim illis, ut pro aliis orent, mandamus; ſed ſat benè cum illis agitur, ſi pro ſeipſis queant obſecrare.* Recitat autem eo loco Chryſoſtomus, & planè aurea verborum ſententiarumque copia explicat ſingulas quaſque partes ſolemnis illius precationis, quæ pro Catechumenis fieri ſolebat: cuius non modò extant veſtigia in liturgiis ſanctorum Patrum; ſed etiā tota iiſdem propè verbis habetur apud D. Clementem libr. viij. Conſtitutionum Apoſtolicarū, cap. vj. Iſta igitur, *Chriſtianos veſtros fines*, & rurſus, *honeſtum & vtile*, & rurſus, *vos ipſos viuenti Deo, & Chriſto ipſum commendate*: verba ſunt ex illa ſolemni precatione. Cætera quæ intericcta ſunt, à Chryſoſtomo adduntur ad explicandū, qui ſint Chriſtianis hominibus propoſiti bonorum fines; B & cur Catechumenis præcipiatur, vt ſeipſos tantum commendent, non alios. Tale erratū ſi in ſcholaſtico homine deprehendiſſet Eraſmus, impunitū non ferret. Sunt autem apud illum non pauca eiuſmodi.

HOMILIA XXIII.

PRæterea cauſa accuſatione referta eſt, ac zelotypia. Ideo & poſuit illam ſimpliciter, ſed docens vnde & à quibus educatus ſit. Et iterum ipſos ſine ſuſpicione extimulat ad eleemoſynæ opus. εἶτα καὶ ἡ αἰτία κατηγορίας μεστὴ, καὶ ζηλοτυπίας γέμουσα. διὸ καὶ τέθεικεν αὐτὴν οὐ προηγουμένως, ἀλλ' ὡς διδάσκων, πόθεν, καὶ παρὰ τίνων ἐτράφη, ὥστε ἀνυπόπτως, διεγείρειν πάλιν εἰς τὸν τῆς ἐλεημοσύνης λόγον, id eſt, *ita & cauſa ipſa accuſationis plena eſt, & zelotypia. Quamobrē non illam ex principali propoſito poſuit, ſed quaſi aliud agens, nimirū tanquam docens, vnde, & à quibus alius fuerit, ita vt, dum illi hoc minimè ſuſpicantur, rurſus excitet ad eleemoſynæ rationem.*

Ibidem.

Quoniam enim non habebat peccata, quæ diceret, ſed vndique bonis operibus fulgebat, circumcurſans, & nihil contra ſe inueniens, ad naturā ipſam confugit.) ἐπειδὴ γὰρ οὐκ εἶχεν εἰπεῖν ἁμαρτήματα, ἀλλ' ἔλαμπεν ἀπὸ κατορθωμάτων, πανταχοῦ περιδραμὼν, καὶ μὴ εὑρὼν τινὰ καθ' ἑαυτοῦ μεγίστην λαβὴν, ἐπὶ τὴν φύσιν καταφεύγει. id eſt, *Quoniam enim non habebat peccata, quæ diceret, ſed bonis operibus fulgebat; quoquo verſus circumcurſans, & nihil, quod magni ponderis eſſet, aduerſus ſe inueniens, ad ipſam naturam confugit.* C Viſum eſt mihi verba illa, μεγίστην λαβὴν, non eſſe omittenda, quoniā ſcilicet non hoc volebat affirmare Chryſoſtomus Patriarcham Abrahā nec venialia quidē peccata habuiſſe.

HOMILIA XXIIII.

SIcut enim homicida, quamuis occidere prohibeatur, bona tamen mente ſæpius id facere eligit, & occidere non ſecundùm dominū, ſed ex bona mente fit, ſic & gloriari.) Nihil peruerſius: ὥσπερ γὰρ ὁ φονεὺς τῶν σφόδρα κεκωλυμένων ὢν, ἀπὸ διανοίας πολλάκις ηὐδοκίμησε, καὶ τὸ περιτέμνεσθαι οὐ κατὰ κύριον, ἀπὸ τῆς διανοίας τοῦτο γέγονεν, οὕτω καὶ τὸ καυχᾶσθαι. id eſt, *Sicut enim homicida (quamuis homicidium ex numero eorum criminum ſit, quæ valde prohibentur) ſæpe tamen ex conſilio, quo illud commiſit, probatus eſt; itemque circumcidi, licet ſecundùm Dominum non ſit, tamen ex conſilio & mente, qua id geſtum eſt, redditū eſt Domino conſentaneū ita & gloriari.*) D Significat autem Chryſoſtomus in ſecundo exemplo factū Pauli, qui Timotheū circūcidit; de qua re ſæpe etiā alibi egit.

Ibidem.

Quare non inuides, quòd grauiter fert? tu autem fœni circumfers onera talia.) διὰ τοῦτο οὖν βασκαίνεις, ὅτι οὐκ ἀχθοφορεῖς, οὐδὲ χόρτου περιφέρεις φορτία τοιαῦτα; id eſt, *Ob hanc igitur cauſam inuides, quod neq; etiā tu graue hoc pōdus ſuſtines, neq; talia fœni onera circūfers?*

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

ILle, inquiunt, labitur in ieiunio, neque quicquam eſt magni.) In margine verò appoſita ſunt hæc verba, *Ieiunium Iudæorum*; quæ mihi non probantur. Perſpicuè enim doctor Sanctus de ieiunio Chriſtiano loquitur, atque eos taxat, qui labi in ieiunio leue crimen putant.

Ibidem.

Et ad quem, inquiet aliquis, Deus condidit teſtamentum? ad nullū quidem aliorum hominū, præterquam Abraham. Nam illi dictū eſt, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.) Falsò dicitur cū ſolo Abraha Deum fecisse teſtamentum. καὶ πρὸς τίνα διέθετο ὁ θεὸς, τῷ ἀβραὰμ, φησὶν, ἐρρήθησαν αἱ ἐπαγγελίαι, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ, id eſt, *Et quo cum homine teſtamentum ac pactum Deus fecit? Abrahæ, inquit, dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius.*

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

HOMILIA I.

A *BEneplacitum igitur primariam voluntatem dicit, vehementem ſcilicet, & quæ cum deſiderio, & concupiſcentia ſit, quam habet erga nos. Neque enim vel impuriorem dictionem perſpicuitatis gratia vſurpare recuſabo. Quod nos dicimus ad ſimpliciorum perſuaſionem, & confirmationem, & ad noſtram quoque perſuaſionē, hoc eſt, vehementer concupiſcit, vehementer deſiderat noſtram ſalutem.*) Nihil perturbatius: nec verò optime ſe habet Veronenſis codex. Locus ex manuſcriptis ita reſtituendus eſt. Εὐδοκίαν οὖν τὸ πρῶτον θέλημα φησὶ, τὸ σφοδρὸν θέλημα, τὸ μετὰ ἐπιθυμίας θέλημα, τὸ πεῖσμα. οὐ γὰρ παραιτήσομαι καὶ κοινοτέρᾳ λέξει χρήσασθαι σαφηνείας ἕνεκεν τῶν ἀφελεστέρων. οὕτω γὰρ καὶ ἡμεῖς τὴν ἐπίτασιν τοῦ θελήματος δηλοῦντες, κατὰ τὸ πεῖσμα ἡμῶν λέγομεν. ὃ οὖν λέγει, τοῦτό ἐστι. σφόδρα ἐφίεται, σφόδρα ἐπιθυμεῖ τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας. id eſt, *Beneplacitum igitur vocat primam voluntatem, cupidam voluntatem, contentionem, non enim recuſabo, vt rudiores facilius percipiant, communiore dictione vti. Ita enim vulgò vehementiam voluntatis oſtendentes ſolemus dicere, κατὰ τὸ πεῖσμα ἡμῶν, id eſt, quantum contentio noſtra efficere poterit. Quod igitur inquit Paulus, hoc eſt: vehementer appetit Deus; vehementer cupit ſalutem noſtram.* B Huius generis errata in hoc opere ſunt planè innumerabilia. Nobis autem vnum, & item alterum notare ſatis ſit.

Ibidem.

Hoc eſt, alium dederat Angelis principatum, & aliū hominibus.) Quaſi duo Chriſti eſſent. Cæterum & Veronenſe exemplar ex manuſcriptis ita corrigendum: τουτέστι, καὶ ἀγγέλοις μίαν ἀρχὴν ἔδωκεν, καὶ ἀνθρώποις. Hoc eſt, *& Angelis eundem principem dedit, & hominibus.*

HOMILIA IIII.

ETenim ne audiens mundi dominos, increatum etiam illum eſſe dicas, & alibi ſæculum malum vocat tempus peruerſum, non de creaturis loquens. Nam mihi videtur princeps ſub cælo factus à principatu non excidiſſe etiam poſt tranſgreſſionem.) Locus mutilatus. Græcè eſt: ἵνα γὰρ μὴ κοσμοκράτορας ἀκούσας, καὶ ἄκτιστον αὐτὸν εἶναι φῇς, τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου προστίθησι. καὶ ἀλλαχοῦ αἰῶνα πονηρὸν καλεῖ τὸν καιρὸν τὸν διεστραμμένον, οὐ περὶ τῶν κτισμάτων λέγων. ἐμοὶ γὰρ δοκεῖ γενόμενος ἄρχων, ὑπὸ τὸν οὐρανὸν μὴ μεταπεπτωκέναι τῆς ἀρχῆς καὶ μετὰ τὴν παράβασιν. id eſt, *Etenim ne audiens* (*mundi rectores*) *increatum quoque illum eſſe dicas; addit, tenebrarum ſæculi huius. Et alibi tempus malum vocat præſentem ſtatum corruptum,* C *minimè de creaturis ipſis dicens. Nam quantum mihi videtur, etiam princeps factus, planè nec ſub cælo poſt ipſam tranſgreſſionem à principatu excidit.* Eſt autem hic locus ex Oecumenio & Theophylacto ſic explendus. Non ſanè de creaturis loquens, ſed de ſpiritibus, qui in aere verſantur: quibus quemadmodum ante lapſum, ita etiam poſt lapſum præeſt.

Ibidem.

Neque enim ſi quando res ita poſtulauerit, vt in vrbem regiā ferens obeunda ſit via, deinde maiore illius parte confecta, circa finem pigreſcentes deſideamus, ipſa vtique nos vocationis ſpes adiuuat. Ad opera enim bona inquit. Nihil itaque nobis res ipſa, niſi ad hunc modum ambulauerimus, profuerit.

MORALIS EXHORTATIO.

ITa ſanè & hîc, non vt vnum duntaxat, ſed vt omnia operemur, præcipit.) Locus & in Veronēſi, & in Latinis valde mutilatus, corrigendus hoc modo ex manuſcriptis: ὥσπερ γὰρ εἰ βαδίζειν ὁδὸν ἔδει εἰς πόλιν φέρουσαν βασιλικὴν, εἶτα τὸ πλέον αὐτῆς ἀνύσαντες περὶ τὸ τέλος αὐτὸ μαλακισθέντες ἐκαθήσαμεν, οὐδὲν ὤνησεν ἂν ἡμᾶς D τὸ βαδίσαι· οὕτως οὐδὲ ἡ ἐλπὶς κλήσεως ὀνήσειεν αὐτοὺς κεκλημένους τὸ πρᾶγμα, ἂν μὴ ἀξίως περιπατήσωμεν τοῦ καλέσαντος. κληθέντες οὖν ἐπ' ἔργοις ἀγαθοῖς, μένωμεν ἅπαντα ἐργαζόμενοι. διὰ τοῦτο γὰρ ἐκλήθημεν, οὐχ ἵν' ἓν ἔργον ἐργαζώμεθα, ἀλλ' ἵνα πάντα. ἠθικόν. id eſt, *Nam quemadmodum ſi via ad ciuitatem regiam ferens obeunda fuiſſet, nos verò maiore iam illius parte confecta ſub ipſum finem mollitie diffluentes deſideremus; nihil quicquam nobis prodeſſet ambulaſſe: ita neque vocationis ſpes quicquam iis, qui iſtam cœperunt, profuerit; niſi dignè eo, qui vocauit, ambulauerimus.*

Vocati igitur ad opera bona, pergamus cuncta exequi. Propterea enim vocati ſumus, non vt vnū opus bonū obeamus, ſed vt omnia. Moralis exhortatio.

HOMILIA VI.

NAm illi quidem, propterea quòd tantam peccatorum grauitatem habent, tolluntur, illi verò non hac cauſa.) οὗτοι μὲν γὰρ καὶ αὐτὸ, ὅσον ἔχοιεν ἁμαρτημάτων βάρος, διὰ τούτου ἀποτίθενται, ἐκεῖνοι δὲ οὔ. id eſt, *Nam hi quidem, quicquid ponderis ex peccatis ipſos grauat, id hoc ipſo deponunt; illi autem minimè.* Loquitur de iuſtis, qui idcirco in hac vita puniuntur, vt peccatorum pondus, ſi quod habent, calamitatum perpeſſione deponant.

HOMILIA VIII.

V*Ides, quomodo dignus ille, qui ſaluetur, factus eſt?*) ὁρᾷς πῶς ἄξιος τῆς σωτηρίας ἐκεῖνος, id eſt, *Vides quomodo ille dignũ ſe ſalute præſtiterit?* Hoc enim vult oſtendere Chryſoſtomus, cuſtodem carceris (de quo in Actis Apoſt. ca. 16. cum fidẽ ſuſcepit, partes ſuas egregiè præſtitiſſe, ideoque dignum iudicatum à Domino, cui ſalutem daret. Dignitatẽ verò non abſolutè intelligas, ſed qualem ſcilicet à nobis Dominus requirit, id eſt, animum ipſi obſecundantem.

HOMILIA XI.

N*Equaquam igitur bonum eſt vlciſci: Alium verò contumelia afficere multò peius eſt, quàm iniuriam ſimpliciter inferre.*) οὐδαμοῦ μὲν οὖν τὸ ἀμύνασθαι καλόν· τὸ δὲ ἑτέρου ἀδικοῦντος ἕτερον ὑβρίζειν, πολλῷ χαλεπώτερον. *Nuſquam quidem igitur vlciſci honeſtũ eſt: at cum ab alio iniuriam accipias, in alium contumeliam inferre, lõgè grauius.*

HOMILIA XVIII.

P*Oſteaquam verò manifeſtum fuerit, iam lux eſt, non ipſum peccatum. Quomodo? Qui peccatum fecit, quando in medium producitur, & accuſatur, quando reſipit, quando remiſſione potitur, nũquid tenebras eius hoc modo expuliſti?*) ἐπειδὰν δὲ φανερωθῇ, γίνεται φῶς, οὐχὶ αὐτὴ ἡ ἁμαρτία (πῶς γάρ;) ἀλλ᾽ ὁ ἐργασάμενος. ὅταν γὰρ εἰς μέσον ἐνεχθῇ, ὅταν ἐλεγχθῇ, ὅταν μετανοήσῃ, ὅταν ἀφέσεως τύχῃ, οὐχὶ ἐξεκάθαρας αὐτοῦ τὸ σκότος, id eſt, *Poſtquam verò manifeſtum factum fuerit, fit lux, non ipſum quidem peccatum (quomodo enim) ſed ille, qui peccatum commiſerat. Nam quando in medium productus fuerit, quando monitus, quando pœnitentiam egerit, quando remiſſionem aſſecutus fuerit; nónne illum tenebras depuliſti?* Videtur autem Interpres locum ad ſacramentum pœnitentiæ pertinentem ſedulò obſcuraſſe. Addidimus autem illud γὰρ ex manuſcriptis.

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

HOMILIA I.

R*Eligioſus non vult videri religioſus, atque ideo nullum ſibi ipſi religionis habitum ac prætextum imponit, ſed ſtudet eſſe aſpernabilis.*) Viſum eſt notare locum, ne quis imprudens in eo, quod fortaſſe voluit Interpres, labatur. Loquitur Chryſoſtomus de eleemoſyna in pauperes ſimpliciter facienda; monetque nos, ne ſuperſtitioſius ac faſtidioſius ſingulorum, quibus benefacimus, dignitatem & merita diſquiramus. Vſu enim venire, vt qui nimis accuratè inquirit, ſæpius impoſtoribus, quàm ſanctis hominibus benefaciat; qui verò curioſum iſtum delectũ non adhibet, facilè in ſanctos incidat. Cauſam huius rei illã eſſe docet; quòd ſancti non id ſtudent, vt ſancti videantur, neque ſanctitatis ſpeciem accuratè ſibi concilient; etiamſi ex hac ſimplicitate ſua videant fore, vt contemnantur: at impoſtores, quippe qui in hoc artificium vehementer incumbunt, tam bellè ſanctitatem ſimulant, vt vix poſsis deprehendere. Corrigendum autem eſt Veronenſe ex manuſcriptis; atque vbi legitur, καὶ μέλλει διαπλύνεσθαι, legendum, κἂν μέλλῃ διαπλύνεσθαι. Sed quot quantaque errata in iſta verſione ſint, noſtra fortaſſe accurato lectori ſatis indicabit.

EX EPISTOLA AD COLLOSSENSES.

HOMILIA III.

Q*Vid hic dicunt, qui Paulo Samoſateo adhærent? Quæ in cælis, quod controuertebatur, primum poſuit, & quæ in terra. Deinde viſibilia, inquit, & inuiſibilia; vtpote anima in cælo facta eſt. Viſibilia, vt homines, Elias, Paulus.*) Multa in hoc loco, vt & in tota Epiſtola ſunt, & magni quidem ponderis menda. Nec Chryſoſtomi ſententia eſt, Animam eſſe factam in cælo. In manuſcriptis ita legitur. Τί λέγουσιν ἐνταῦθα οἱ Παύλου τοῦ Σαμοσατέως; ὅτι τὰ πάντα ἐν οὐρανῷ γέγονεν. ἰδοὺ γὰρ, εἴρηται, ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα. ἀλλὰ τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς εἶπεν. ὅπερ ἀμφισβητούμενον ἦν, πρῶτον τίθεικεν. εἶτα φησί, τὰ ὁρατὰ, καὶ τὰ ἀόρατα, ἀόρατα τὴν ψυχὴν λέγων, ὁρατὰ πάντας ἀνθρώπους. id eſt, *Quid hoc loco dicunt ſectatores Pauli Samoſatei? Omnia eſſe facta in cælo. Ecce enim dictum eſt, quòd in ipſo condita ſunt omnia. At ea, quæ in cælis, & quæ in terra dixit. Id, de quo ambigi poterat, priore loco poſuit. Deinde inquit, viſibilia, & inuiſibilia; inuiſibilia animam dicens, viſibilia omnes homines.*) Omnia igitur eſſe facta in cęlo, Pauli Samoſatei erat opinio; cui ſe opponit Chryſoſtomus illis verbis: *At ea, quæ in cælis, & quæ in terra dixit.* Quaſi Diuus Paulus per ea verba indicare voluerit, multa eſſe quidem facta in terra, ſed dici cõdita in filio. quoniam per ipſum condita ſunt. Suſpicor tamen adhuc nonnulla deeſſe.

HOMILIA VI.

N*Am fides verè eſt ædificium, & opus habet fundamento valido, & ædificatione diligenti, & munita. Niſi enim quis ſecurè ac munitè ædificauerit, concutietur. Si verò ſecurè ac munitè ſatis ſtruxerit, & non perſtiterit, non perſiſtet amplius: quemadmodum edocti eſtis. Rurſus illud quemadmodum. Exuberantes, inquit, in ea cum gratiarum actione.*) Nullo pacto id ſibi voluit Chryſoſtomus, vt qui ſemel non perſtitit, perſiſtere amplius nõ poſſit. Sexcentis enim locis copioſiſſimè demonſtrat neque extremo vitæ ſpiritu actam pœnitentiam eſſe inutilem. Et hoc loco ex Chryſoſtomi ſententia Paulus ſignificat Coloſſenſes eſſe lapſos, nec tamen de illorum reparatione deſperat. Verba autem illa, *Rurſus illud quemadmodum exuberantes*, manifeſtò ſunt mutilata: explendus autẽ locus ex manuſcriptis hoc modo: id eſt, οἰκοδομὴ γάρ ἐστιν ὄντως ἡ πίστις, καὶ δεῖ καὶ τοῦ θεμελίου ἰσχυροῦ, καὶ τῆς οἰκοδομῆς ἀσφαλοῦς. ἄν τε γὰρ μὴ ἐπ᾽ ἀσφαλείας τις οἰκοδομήσῃ, σαλεύεται· ἄν τε ἐπ᾽ ἀσφαλείας, καὶ μὴ ἑστήκῃ, οὐκ ἔτι ἵσταται καθὼς ἐδιδάχθητε· πάλιν τὸ καθὼς δηλωτικόν ἐστι τοῦ μηδὲν καινόν τι λέγειν· περισσεύοντες φησί, ἐν αὐτῇ, ἐν εὐχαριστίᾳ. id eſt, *Verè enim fides eſt ædificium: eget què cùm fundamento valido, tum ſtabili ædificatione. Nam ſiue quis non in ſtabili fundamento ædificauerit, nutat nec labitur; ſiue ædificauerit quidem in ſtabili fundamento, ſed non firmiter in eo permanſerit, iã non ſtat. (Quemadmodum docti eſtis.) Rurſus illa dictio, (quemadmodum) indicat nihil quicquã noui afferri. Exuberantes, inquit, in ea cum gratiarum actione.* Vocem illam ἐπ᾽ ἀσφαλείας, quoniam obſcura videbatur, paraphraſi explicauimus.

HOMILIA XIX.

A*Rmati, vincere, ſeruarique ſolent: inermes nequaquam.*) Ἀγαπητὸν μετὰ τούτων σωθῆναι μήτοιγε χωρὶς τούτων. id eſt, *Præclarè nobiſcum agitur, ſi armati ſaluemur; tantum abeſt, vt ſine armis ſaluari queamus.* longè enim difficiliorem conſequendæ ſalutis rationem Chryſoſtomus exiſtimauit, quàm iſti blandi homines prædicent.

EX EPISTOLA AD THESSALON.

HOMILIA III.

V*Ide, quomodo ambiat honorem, & ſeſe iactet, volens oſtẽdere, quòd eos plus omnibus diligat.*) Non placent iſtæ locutiones de Paulo. φιλοτιμεῖται, καὶ ἐγκαλλωπίζεται, hoc loco vertẽdum erat; *effuſus quodammodo eſt, & pompam quandam adhibet;* aut ſi quid melius doctoribus in mentem venit.

EX PRIMA AD TIMOTHEVM.

HOMILIA VI.

I*Sta quippe à Chriſti diſcipulis manſuetis ac mitibus longè remota ſunt, neque illa digna ore, quod ſacris inſtructionibus dedicatũ ſit.*) Haud ſcio, an Interpres conſulto pulcherrimam ſententiam obſcurarit. ſuadet enim copioſa oratione Chryſoſtomus, vt à maledictis atque imprecationibus abſtineamus, quoniam hæc magnopere dedecent Chriſti diſcipulum, atque os illud, quod tali myſteriorũ vſu dignatum eſt, id eſt, participatione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. πόῤῥω ταῦτα τῶν τοῦ Χριστοῦ μαθητῶν τῶν ἐπιεικῶν καὶ πρᾳέων, τοῦ στόματος τοῦ ἠξιωμένου τοιαύτης μυσταγωγίας. id eſt, *Procul iſta à Chriſti diſcipulis, quorum propria eſt lenitas, & manſuetudo; procul ab ore illo, quod tali myſteriorum vſu dignatum eſt.*

HOMILIA VII.

N*On igitur huiuſmodi vitã intelligi voluit, ſed eam, quæ in omni pietate & caſtitate ageretur. Omne, inquit, dogma non ſolũ pietate, verùm etiam vitæ integritate perficitur, namque pietas & in ea parte quærẽda eſt.*) οὐδὲ τοῦτον φησὶ τὸν βίον, ἀλλὰ τὸν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ, μὴ τῇ τῶν δογμάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ τῇ τοῦ βίου. καὶ γὰρ ἐκεῖ τὴν εὐσέβειαν δεῖ ζητεῖν. id eſt, *Neque talem requirit vitam, ſed eam, quæ in omni pietate agatur, non ea ſolũ pietate, quæ in dogmatibus verſatur, ſed etiam ea, quæ in vita. Nam & ibi pietas quærenda eſt.*

EX SECVNDA AD TIMOTHEVM.

HOMILIA X.

D*Vplex auxilium gratiæ commendatur, cui Spiritus opitulatur, ac Deus.*) Quaſi aliud ſit opus Spiritus, aliud Dei. διπλῆ ἡ βοήθεια τῆς χάριτος τοῦ πνεύματος, καὶ τοῦ θεοῦ βοηθοῦντος αὐτῇ. id eſt, *Duplex auxilium eſt, alterum gratiæ ſpiritualis, alterum Dei ipſam adiuuantis.* Indicat autem duplicem illam gratiam à Theologis noſtris accuratè diſtinctam, vnam habitualẽ, alteram, quæ eſt veluti mouẽs, & vt ſcholaſtica vtar voce, manutenens.

EX EPISTOLA AD TITVM.

HOMILIA V.

V*Ides, quàm neceſſariò error inualuit?*) ὁρᾷς, ὅτι εἰκότως ἀπάτη ἴσχυσεν, id eſt, *Vides nihil mirãdum fuiſſe, ſi error inualeſceret?* Hoc enim vult indicare ſanctus Doctor, cũ illi Dęmonibus fidẽ habere cœpiſſent, rationi quodãmodo conſentaneum fuiſſe, vt ex vno errore multi alij contexerentur.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

HOMILIA II.

S*Ed etiam imaginis, inquiunt, imago appellatus eſt homo.*) Erat mendum etiam in Veronenſi, quod ex manuſcripto ſuſtulimus: ἀλλὰ καὶ θεοῦ ἐλέχθη εἰκὼν ὁ ἄνθρωπος φησίν. id eſt, *Sed etiam homo dictus eſt imago Dei, inquiunt hæretici.* Multa autem huiuſmodi, & magnopere ſententiæ Autoris officientia ſunt in hac Epiſtola.

HOMILIA XIII.

S*Ed & hìc Iudæos, & Paulum Samoſatenum, & Arrianos, & Marcellum, & Sabellium, & Marcionem percuſſit. Quomodo? Iudæos quidem, oſtendens eis duas eſſe perſonas, & Deum, & hominem. Pauli verò Samoſateni diſcipulos, dum iſta de æterna loquitur & increata ſubſtantia. Nam ei, quod ſuprà dixit, per quem & ſecula fecit, illud thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, oppoſuit. Arrianos autem percutit oſtendens, quoniam neque ſeruus eſt Chriſtus, neque creatura. Marcellum verò & cæteros quoniam duæ ſunt iſtæ perſonæ, ſecundum ſubſiſtentiam ab inuicem ſeparatæ. Marcioniſtas autẽ percuſſit, dum oſtendit, quia nõ Deus, ſed humanitas vngitur.*) Hic locus videtur indicare duas perſonas in Chriſto, idcircoq́ue diligenter conſiderãdus eſt, ac certè varietas exẽplarium in quibuſdam partibus, ſuſpicionẽ mihi affert, etiam in cæteris eſſe deprauatum. Quòd ſi eo modo, quo nunc leguntur, à Chryſoſtomo ſcripta ſunt, impropriè ab illo voces iſtas, πρόσωπον καὶ ὑπόστασιν eſſe vſurpatas non eſt dubitandum, idemq́ue valere, atque οὐσίαν, καὶ φύσιν. Nondum enim exorta Neſtorij hæreſi non ita accuratè voces iſtæ diſtinguebãtur, quod de hypoſtaſeos nomine Hieronymus notauit. Ac ferè omnia, quæcunq; à Ioannẽ Antiocheno & ſuis ſectatoribus obiiciebãtur Cyrillo Alexandrino, hoc firmamento videbãtur niti, quaſi ille duas in Chriſto perſonas negans, duas quoque naturas negaret; ſedulo ſcilicet ſchiſmaticis hominibus proprias vocabulorum notiones minimè à ſe percipi ſimulantibus. Potuit igitur, vt dicebam, Chryſoſtomus perſonę & hypoſtaſis nomine eſſentiam, & naturã ſignificare: ſicut etiam Auguſtinus dicit à Deo eſſe aſſumptum hominem, homo autem ſingularis iam perſona eſt. Sunt igitur ſanctorum Patrum ſententiæ in bonã partem, pieq́ue interpretandæ. Homilia quidẽ in Pſal. 44. cautiſſimè locutus eſt Chryſoſtomus, oſtenditq́ue carnem non eſſe diuidẽdam à diuinitate, neque diuinitatẽ à carne, non ob ſubſtantiarum confuſionẽ (atque ibi vtitur voce οὐσίας) ſed propter ſummam vnionẽ. Homilia autẽ XI. in Marcum diſertis verbis docemur, vnam tantũ in Chriſto eſſe perſonam. Verũ, an ea Græcè habeatur, neſcio. Illud quoque notandum eſt, Verba illa, *Nam ei; quòd ſuprà dixit, per quẽ & ſecula fecit, illud, Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, oppoſuit*, abſurdam propè continere ſententiã. Non iſta opponũtur, ſed ambo de Deo. Verbo cõmodiſſimè dicũtur. Hoc autem ſibi voluit Chryſoſtomus, loco illius verbi *facere*, quo vtitur Paulus, cùm de creaturis loquitur, (innuit enim verba illa paulò ſuperius poſita, & explanata, *Qui facit Angelos ſuos ſpiritus*) oppoſuiſſe nũc iſta Paulũ, *Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi*; in quibus nulla effectionis mẽtio, ſed perſpicuè diuinitatis Maieſtas indicatur. Ergo verba iſta, πρὸς γὰρ ἀντιδιαστολὴν τοῦ ἐποίησε, τὸ, ὁ θρόνος σου ὁ θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος, ἀντέθεικε, ita erant vertẽda: *Nam vt à creaturis diſtingueret, in quibus verbum illud facere, adhibitum eſt: iſta verba oppoſuit, Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi.*

HOMILIA IIII.

N*On enim Monachis ſcripſit hæc, neque in virginitate manentibus, ſed ſæcularibus.*) οὐχὶ μονάζουσιν ἔγραψε ταῦτα, οὐδὲ ἀεὶ παρθένοις, ἀλλὰ καὶ κοσμικαῖς, id eſt, *non monaſticã vitam degentibus, neque perpetuam virginitatẽ ſeruãtibus ſcripſit hæc, ſed etiam ſæcularibus.* eſt enim exprimenda perpetuitas virginitatis.

HOMILIA XVII.

V*T iam de cætero non opus habeant ſacrificio, vt ſaluentur, ſed ipſis hoc faciant operibus.*) Quaſi quis ſuis operibus ſine illius ſalutaris atque vnici Sacrificij ope ſalutẽ adipiſci queat. Chryſoſtomus, ὡς μηκέτι λοιπὸν δεηθῆναι θυσίας, ὥστε σῶσαι αὐτούς, ἀλλ' ἀπὸ ἔργων τοῦτο ποιεῖν. In quibuſdam codicibus legitur, τοῦτο νῦν ποιεῖν. Sed codex vetuſtiſſimus cõſentit cùm Veronenſi. Puto autem hanc eſſe ſancti Patris ex D. Paulo expreſſam ſententiã, Chriſtũ Dominũ noſtrũ, qui in primo aduentu cum peccatis apparuit (quatenus ſcilicet illa ab hominibus in ſe trãſtulit, ac Patri in ſingulari illo, Sacrificio obtulit) in ſecũdo aduẽtu ſine peccatis venturum, id eſt, non amplius pro peccatis ſacrificaturum, ac ſalutem daturum, ſed per opera præſtiturũ eſſe, id eſt, non amplius ſpem ſalutis, ſed ipſammet ſalutem ac fælicitatem opere ipſo & effectu tributurum: aut per opera, id eſt, ex cuiuſque hominis meritis ac dignitate. Nos igitur ita vertemus, *Vt minimè iam de cætero neceſſe habeat ſacrificium offerre ad ipſos ſaluandos, ſed ex operibus id facturus ſit.*

HOMILIA XXIII.

F*Ides autem certum eſt, quia iuſtitiam operatur.*) ἡ δὲ πίστις ἔνδηλον, ὅτι δικαιοσύνην ἐργάζεται, id eſt, *Fidem autem operari iuſtitiam manifeſtum eſt.* Verè enim, quantum ad ipſam rerum connexionem pertinet, apta fides eſt, quæ iuſtitiam pariat: non tamen id certum eſt, cùm hominis quãtumuis credentis improbitas minimè raro ſit impedimento, quominus iuſtitia ſequatur. Similis ſententia eſt apud B. Gregorium epiſt. 47. libri ſeptimi.

OBSERVATIONES IN I. TOMVM.

DE Epiſtolis & præfationibus Eraſmi, omninoq́ue de vniuerſis ipſius operibus puto iam ab ampliſſimis Patribus eſſe conſtitutum, quid agẽdum ſit. Vtinam ille multa & magna talenta, quæ à Domino acceperat, alienis quibuſdam notis non contaminaſſet: profectò melius & ſibi ipſe conſuluiſſet, & de Eccleſia ſancta Dei meritus eſſet.

HOMILIA in Pſalmum tertium.

N*Onnunquam etiam amici in inimicos conuertũtur propter peccata, & qui olim amabant, oderunt, & auerſantur, Deo tale odium immittente propter eas, quas nouit rationes.*) Habetur hæc Homilia Græcè in Bibliotheca clericorum regularium Romæ: atque eadem planè verbis Græcis ſubeſt ſentẽtia, ac Latinis: id eſt Deum immittere odium: quę tamẽ ſententia ſi in bonam partem accipiatur, nihil continet abſurdi. Nam & in hac ipſa Homilia eam lenit Chryſoſtomus, & Homilia 36. in Matthæum, atque alibi ſæpe docet hunc eſſe ſcripturæ morem, vt quæ Deus permittit, dicatur facere.

HOMILIA in Pſalm. XIII. quæ incipit.

Eſt pulcher Pſalmus.

V*Na ſola virtus iuſtificat, fides quæ eſt virtutum faſtigium.*) Hanc Homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chryſoſtomum agnoſco.

HOMILIA in Pſal. XXIII. & CXVI.

Quæ incipit, Circulo conſecrato.

E*T quia iſtam menſam præparauit ſeruis & ancillis in conſpectu eorum, vt quotidie in ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti, panem & vinum ſecundùm ordinem Melchiſedech nobis oſtenderet in Sacramento.*) Item paulò infra, *Dimittere captiuis remiſſionem, & cæcis reddere lumen. Iſtud oleũ agnoſcimus oleũ Chriſmatis.* Perſpicuè hæc Homilia non eſt Chryſoſtomi.

HOMILIA ſequenti.

D*Iſcedite, quia totum eſſe noſtrum ad non eſſe tendit.*) Idem de hac iudicandum.

OBSERVATIONES IN TOMVM II.

HOMILIA XXXIIII.
In caput Matthæi X.

I*Lle autem tali conſolatione omnino carebat, ſed nec miraculis ſignorum innitebatur, nec gratiæ cauſa confirmabatur.*) Loquitur de Iob; quem tamen minimè negaret aliquo gratiæ ſubſidio in ſuis certaminibus adiutum eſſe: ſed ſatis Chryſoſtomo eſt, deſtitũtum illum fuiſſe gratia illa, qua Apoſtoli abundant. ἐκεῖνος δὲ ταύτης τῆς παραμυθίας ἔρημος ἦν, καὶ τῆς ἀπὸ σημείων, καὶ τῆς ἀπὸ τῆς χάριτος. id eſt, *Ille autem expers huius conſolationis erat, cùm eius quæ à ſignis, tum eius quæ à gratia.* à quali autem gratia, declarat in verbis ſequentibus.

Digitized by Google

EX OPERE IMPERFECTO IN MATTH. quod certè Chryſoſtomi non eſt. *Fol.*297. *Col.*1.

IVdæi enim ſemper cognoſcebant, quia eſt filius Dei, & quomodo filius Dei:*fol.*297.*col.*1 Regni dignitas maior eſt, quàm naturæ. *& ibi de iactantia Dauidis parum prudẽter. Ibidem.* Sic & Sancti, cùm de mundo iſto defecerint, caſurus eſt iſte mundus:298.*col.*2.Lex impedit fidem, nõ adiuuat: *Ibidem.* Niſi enim Deus prius habuerit aut Iudæum, aut gentilem, impoſſibile eſt, vt adducat eum ad fidem ſuam:301.*col.*2.Neque enim firmauit eum Deus in bono, ſed Diabolus in malo, qui fuit dominus eius: 303.*col.*2.Locus quod Nuptiæ ſint peccatum:306.*col.* 2. Spiritum ſanctum ipſum dicit vnigenitum Deum, & quòd diuinitas ingrediatur pro ſemine:*Vide B. Augu. ſerm.*191.*de tempore:*308.*col.*1.Ergo Chriſtus priuſquam ſecundũ corpus inciperet cognoſrere patrem, aut matrem, virtutem Diaboli ſubiugauit: 309. *col.* 2. Herodes enim timebat, quod ſuſpicabatur: Diabolus autem timebat, quod verè ſciebat. Herodes hominem æſtimabat, Diabolus Deum cognoſcebat: 310.*col.*2. Sed quid? quia multi cũ Chriſto relicto peccauerunt, non agunt pœnitentiam: illi tales nunquam fuerunt Chriſti:312.*col.*2. Primũ quidem, quoniam oportebat homines eſſe in mundo, quamuis eſſent iniqui, quoniã & ipſe mũdus iniquus eſt: 317.*col.*1. Totus locus de baptiſmatũ differentia, & de Baptiſmo hæreticorum vehementer ſuſpectus eſt: 317.*col.*1.& 318. Sic nõ poterat fieri, vt Deus de Iudæis, aut gentibus iã electos ſine tẽtatione diſcerneret, & vocaret:318.*col.*2.Nam quãuis ipſe non erat peccator, tamen naturã ſuſceperat peccatricem: 319.*col.* 2. *ſed hoc excuſari aliquo modo poteſt.* Sic & Chriſtus, ex quo Baptiſmatis ſignũ accepit feſtinabat accipere Spiritum ſanctũ:320.*col.*2.Iuſti, & peccatores pariter erant aſcenſuri in cælum: 321.*col.* 1. *licet & hoc excuſari queat.* Quia poſt Chriſtum iam lege & prophetis non vtimur:*Ibidem.* Quale autem peccatũ in morte remittitur, ſcit, qui intelligit, pro quali peccato introducta eſt mors: 321.*col.*2.*Serui autem Diaboli in igne non baptizantur, quare? quia non poteſt fieri, vt depoſitis ſordibus emundetur*, qui totus eſt ſordidus:322.*col.*1. *intelligi poteſt ſeruum diaboli, dum ſeruus manet non poſſe ſordes deponere.* Sed aut ipſius Chriſti diuinitas, aut Spiritus ſanctus, qui erat in eo, excuſſit inde diabolum: 325.*col.* 1.*parum cautè dictum.* Totus locus de Angelo bono, & malo mihi ſuſpectus eſt:326.*col.*2.Propter duritiã cordis veſtri Moyſes iſta mandauit, & non ad ſaluãdos eos, ſed ad excæcandos, vt inebriati per legẽ non cognoſcerent lumen, quod non merebantur videre in tenebris, id eſt, in peccatis: 327. *col.*1. Quia ipſi & ſi viui ſumus propter opera viua, & fidem Chriſti, tamen quia in mundo viuimus, cui Diabolus principatur, coinquinati ſumus: *Ibidem.* Rurſus quæ de Baptiſmo hæreticorum, & quòd Chriſtus non potuiſſet baptizare, niſi baptizatus fuiſſet: *Ibid.col.*2.*abſurda: niſi ad bonum ſenſum detorqueantur.* Beneficia ſanitatum digno pretio fidei venundabat, dicẽs vnicuique: Fiat tibi ſecundum fidem tuã. Non tamen omnes, ſed illos, quos ſecundũ præſcientiam ſuam ante præparauerat, quàm venirent: 330.*col.*2.*ſed hoc aliquo modo ad B. Auguſtini de prædeſtinatione ſententiam referri poteſt.* Qui Dei fuerunt, perire non potuerunt: qui autem perierunt, nõ fuerunt Dei. 331.*col.* 2. *eſt ibi de diabolo cogente.* Si ergo hæc vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre ſic periculoſum eſt, in quibus non eſt verum corpus Chriſti, ſed myſterium corporis eius cõtinetur:336.*col.*2. *Notatur in margine in quibuſdam exemplaribus verba iſta abeſſe.* Caro in malo creato eſt ſub lege peccati, nec poteſt aut videre, aut audire, aut agere rectum: 338.*col.*2. *quamuis hoc ad rectũ ſenſum traduci queat. Generaliter*, omne bonum, quod vel nos, vel alios ſcandalizat, præcidere debemus à nobis: 339. *col.*1. Libellus repudij non ſolum homicidij crimen nõ ſuſtulit, ſed etiam alterũ dimiſſionis introduxit peccatũ:*Ibid. col.*2. De clericis præbentibus librũ Euangelij ad iurandum. 340.*col.*1. Lex dum voluit malos facere bonos, etiã bonos facit malos: *Ibid.col.*2. Quòd nunquam adeundus Iudex ſæcularis:341.*col.*1. In poteſtate vniuſcuiuſque eſt menſura faciendæ iuſtitiæ:342.*col.*2.Omnem enim iuſtitiam, quam facit homo, ſecundũ potentiam ſuam facit, & de potentia ſua profert. Solam autem orationem ſecundum fidem ſuã facit, & ex fide profert: 345.*col.*2. De malis, quæ ex clamoſa oratione naſcũtur:*Ibid.col.*2. Diabolus planè Tyrannus eſt, quia & nolentes cõpellit facere voluntatem ſuam: 347. *col.*1. Tenebræ ſunt carnis natura. *& rurſus:* Semper peccatrix eſt, & ſemper habet peccandi propoſitum:351.*col.*2.*in extrema tamen homil.* 16. *cõtra Manichæos negat creaturam Dei eſſe malam.* Sanctũ eſt Baptiſmum, propterea non eſt dandũ, niſi iam fidem habentibus:355.*col.*2. Qui autem non ambulant per viã iuſtitiæ, impoſſibile eſt, vt verè cognoſcant Chriſtum: 358.*col.* 2. *quanquam videtur ſignificare ſapidã cognitionem.* Si ergo vides hominem Chriſtianum, ſtatim conſidera, ſi cõfeſſio eius conueniat cum ſcripturis, verus eſt Chriſtianus; ſi autẽ non eſt, quemadmodum Chriſtus mandauit, falſus eſt: 360.*col.*2.Hæretici Chriſtianos, non Chriſtiani hæreticos perſequuntur:*Ibidem. Vide Gratianum.* 23.*q.*4 *ſi.ecc.ex D. Aug.* Tamen forſitan ſciens Dominus hanc hæreſim eſſe præualituram præ omnibus, tribulos eos appellauit, quaſi trinitatis profeſſores, & triangulam impietatem in ſua perfidia baiulantes:361.*col.*1.*& ibid.* Sicut ergo bonorum hominum omnia opera etiam mala bona ſunt; ſic malorum hominum omnia opera etiam bona mala ſunt. Qui non ſic conuerſantur, quomodo ille mandauit, nõ credit Chriſto:362.*col.*1.Nec eſt contrarium, quòd quidã de eccleſia cadunt: illi enim nunquã Chriſtiani fuerunt: 363.*col.*2. Scripturæ ad præiudicium peccatorum factæ ſunt, non ad neceſſitatem ſanctorum:366.*col.*2. Sed fortè dicet Hæreticus volens oſtendere Patrem, & filium eſſe vnum, vel æqualem:367.*col.*2.Omnes homines ſecũdùm carnis naturam mali ſumus:369.*col.*2. Non ſolùm ad veſtimentum animæ caro creata eſt, ſed magis ad tẽtationem eius, quaſi domeſtica, & naturalis inimica copulata eſt:372.*col.*2.Pilatus volebat dimittere Chriſtum, ſed non poterat, quia Deus eum tradebat:373.*col.*2.Qui aut timore frangitur, aut promiſſione corrumpitur, nunquã fuit verè bonus:375.*col.*1. Quod Chriſtus nõ ſit natus mulieris:378.*col.*2.*quamuis locus videatur deprauatus.* Lex immitis eſt, & ſuperba:381.*col.*1.*ſed videntur dicta ex collatione cũ Euangelio.* Nam quòd hominem me videtis, veſtimẽtum meũ eſt, non natura:386.*col.*2. Secundam vxorẽ accipere verè fornicatio eſt:391.*col.*2. Omnis res corporalis, quoniam mundi eſt pars, in maligno eſt poſita:393.*col.*2.*& ibi multa ſimilia.* Si ergo alter paterfamilias, alter procurator patrisfamilias; quomodo locum habet ternitas tua:401.*col.*2.*& ibi multæ ſimiles blaſphemiæ, & iterum.* 405.*col.*1. *quæ à nonnullis exemplaribus dicuntur abeſſe.* Omnis enim homo naturaliter non ſolum peccator eſt, ſed etiam totum peccatum: 409.*col.* 2. Nullus Chriſtianus debet eſſe mercator, aut ſi voluerit eſſe, proijciatur de Eccleſia Dei: 410.*col.* 2. *Vide Gratianum diſt.* 88. Nam quamuis peccauerat, tamen adhuc Dauid erat ſanctiſſimus: 415.*col.* 1. Rurſus indicat inæqualitatem filij: 418.*col.*2. *quamuis locus videatur deprauatus.* Ergo illi non ſecundùm ſua opera pereunt, neque ſecundum ſuas perſonas, ſed tantum pereunt, quãtum poteſt perdere Chriſtus: 419. *col.*2. Inhoneſtum eſt enim apud Deum opus negotiationis, ſiue dignitatis, ſiue militiæ: 422.*col.*1.Omnis quidem malitia cõfunditur, aliquoties ratione veritatis: corrigitur autem nunquàm, maximè eorum, qui propoſito malo, & non ignorantia peccant: 423. *col.*2. In reſurrectione mutanda eſt ipſa carnis natura, vt nihil carnis habeat in ſe, niſi fortè tantummodo formam: 425. *col.*2. Non omnis Sacerdos ſanctus eſt, ſed omnis ſanctus ſacerdos:428.*col.*2.*& ibi multa huiuſmodi, quæ tamen in bonam partem accipi poſſent.* Rurſus contra æqualitatem filij:431. *col.*2. Rurſus contra vnitatem ſubſtantiæ in trinitate:431.*col.*1.& rurſus; 435.*col.*1. Hæreſis Homouſianorum:442.*col.*2.Nunc autem nullo modo cognoſcitur, volentibus cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per ſcripturas:445.*col.*2. Cùm legat ipſum Chriſtum non erubeſcentem ſuam ignorantiam confiteri ad reſpondendum:451.*col.*2.Non poteſt credere Deo, niſi qui facit aliquid dignum Deo: & Peccatores non credunt Deo: 456. *col.*1. Nihil ei proderit feſtinatio eius, quia multorum dierum negligentia non poteſt vna hora expleri:457.*col.*1.*& ibi* in die iudicij magnum fore timorem etiam ſanctorum. Natura ipſa peccatum eſt: *ibidem.* Si ergo maior erit gloria, quæ præparata eſt ſanctis à Deo, quàm quod vnuſquiſque ſanctorum meretur, quomodo ſufficiat & alijs ad ſalutem vniuſcuiuſque opus eorum, cùm nec ſibi ſoli ſufficiat ad gloriam illam iuſto iudicio conſequendam? Ibidem.*col.*2. Illis videtur iniungere Deus miniſterium diaconatus, aut presbyteratus, qui ſunt iuſti:458.*col.* 2.*& multa in hanc ſententiã; quamuis eam ipſemet auctor lenire videatur. Vide Ioannem Oſtuienſem in octauum librum conſtitutionum D. Clementis, cap.* 1. *Horum autem multa enim è F. Sixto in bibliotheca ſunt notata; ſicut & alia nonnulla, quæ à poſteribus editionibus abſunt.* Qui cognoſcit Chriſtum, & peccat, videtur quidem habere ſciẽtiam Chriſti, verè autem non habet:460.*col.* 2. Chriſtus Dominus noſter puer natus, Ioſeph vel Mariæ filius deputatus eſt:466. *col.* 2. *Hæc quoque Homilia nihil Chryſoſtomi habet.* Pater magnus Deus, & primus, filius autem magnus Deus quidem, nod tamen primus:500.*col.*1. *& eſt homilia ad verbum ſumpta ex opere imperfecto.* Non enim erat tempus vt crederent:515.*col.*2.*atque hæc Homilia longè abeſt à Chryſoſtomo.* Sed perfectam hominis expectabat ætatem, vt nobis tribueret exemplum:518. *col.*2. *Ita loquitur, quaſi Baptiſma dandum non ſit, niſi hominibus, qui triginta annos agant. Et hæc Chryſoſtomi non eſt.* Ipſius anima principale ſenſus eſt:523.*col.*2.*Neque hæc Chryſoſtomi.* Verùm quicumque in

A inferno eſt,& in regno cælorum eſt,neſcio an valeat miſereri. Creator creaturæ miſeretur ſuæ: 527. *col.* 2. *neque hæc Chryſoſtomi:* 549. *col.* 1. *In margine habetur hæc verba:* ſimilia profitentur Tabellæ miraculorũ in Italia. *quæ delenda.*

OBSERVATIONES IN TOMVM III.

Ex Commentarijs in Acta Apoſtolorum.

HOMILIA IIII.

D*Idicerant, quòd ea, quæ piè fecerant, fruſtra geſſerint.)* ἔμαθον ὅτι οὐκ εἰκῆ ταῦτα κατώρθωσαν. id eſt, *Didicerant non fruſtra ſe bonas haſce actiones obiuiſſe.*

HOMILIA XIIII.

V*Nde neque Diaconorum, neque Presbyterorum nomen eſſe opinor, quod clarũ ac manifeſtum.)* Delenda illa dictio. Quod ſ auctoritate Vaticani codicis; putoq; id ſignificari, quod in primo ſermone in Epiſtolã ad Philippenſes ſcribitur, B Apoſtolorum tempore nomina hæc ſæpe confundi ſolita eſſe. Omnino autem hi Commentarij in Acta parum explere animum lectori poſſunt. Scatent enim mendis; ſuntque ex varijs, vt puto, librariorum ſcriptis, Chryſoſtomi orantis ſententias, quoquomodo poterant, excipientium, malè coagmentati.

In ſermone 4. de Feria paſſionis.

Sed non potuit vitare peccatum. ſic enim de eo ait Spiritus ſanctus: Et oratio eius fiat in peccatum, vt in eo, quò à pœnitentiæ feſtinauit ad portũ, ibi incideret æternũ, & ſine reparatione naufragiũ.) Nihil habent hi ſermones Chryſoſtomo ſimile.

HOMILIA de Spiritu ſancto.

V*T igitur, ſicut dicebam, ne quis audiens ſpiritum Dei, putet proprium quiddam ſignificari, & non commune naturæ, Paulus dicit, Nobis autem non datus eſt ſpiritus mundi, ſed Spiritus, qui ex Deo eſt.)* Eſt abſurda ſententia; ſi loquens de Spiritu ſancto dicat nomine iſto non propriam perſonam ſignificari, ſed naturam comunem. Græcè eſt: ἵνα μή τις, ὥσπερ ἔλεγον, ἀκούσας πνεῦμα Θεοῦ νομίσῃ οἰκειότητα τινὰ σημαίνεσθαι, καὶ μὴ φύσεως κοινωνίαν. ita paulò ſuperius, δι' οἰκειότητα, ita paulò inferius. κατ' οἰκείωσιν: nuſquam verò vtitur nomine ἰδιότητος. Hoc C igitur ſibi vult Chryſoſtomus, Spiritum ſanctum vocari ſpiritum Dei, non tanquam familiarem Dei, quod etiã de ſpiritu ſanctorum hominũ dicitur, ſed tanquã in natura communicantẽ cum Deo Patre, ideoq; non tantum dici Spiritũ Dei, ſed etiã ex Deo. Itaq; locus iſte hoc modo vertatur: *Ergo, quemadmodum dicebã, ne quis audiens Spiritũ Dei, putet ſignificari familiaritatem quandã, & non naturæ cõmunitatem. Paulus dicit, &c.* & in cæteris etiam duobus locis, vbi interpres inquit *proprium*, corrigatur *familiare.*

De Euchariſtia ſermo.

D *Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit, ſic & hìc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia.)* Perſpicuum mendũ; ac legendum, *myſterio conſumi corporis ſubſtantiã*, nimirũ panis & vini; quæ quidem corpora tranſubſtantiantur in corpus & ſanguinẽ Domini. Nam vt idem Chryſoſtomus inquit Homil. 83. in Matth. qui hæc ſanctificat, & tranſmutat, Dominus eſt. Nondum verò hunc ſermonem Græcè legi.

De præmijs ſanctorum ſermo.

Ioannes autem præter cæteros ab eo celebatur.) Recitat Chryſoſtomus verba ſcripturæ. Scriptura autem minimè dicit Ioannem eſſe præter cæteros cultum à Domino, ſed ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς.

Ex Oratione de beato Philogonio.

Hæc omnes audiant, & monachi, qui montiũ occuparunt cacumina.) Ad hæc verba in margine iſta ſunt addita, *Nũc in aulis regnant quidem.* quæ nauſeæ vidẽtur plena, idcircoque delenda. Nam, cùm regnant, iuſtis de cauſis regnant.

OBSERVATIONES IN V. TOMVM.

De amore Dei, & tolerantia in aduerſis, ſermo.

Enimuero & qui perdito detinentur amore, maiore ſunt venia digni, quàm qui grauiori febre vexantur, vinoque graues, quàm qui torquentur amore. (Falſa eſt hæc ſententia, vt verſionis ineptias omittam, maiori venia eſſe dignos intemperantes homines, quàm eos qui febri vexantur, cùm illi ſua culpa tales ſint, hi ſæpe minimè. Quamobrem in hom. contra deſperationem & ſuperbiã, quæ eſt digreſſio moralis B 20. ad Romanos, ſtatuebat Chryſoſtomus, qui natura minùs valeret mente, eum venia dignum eſſe; at non eũ, qui ſponte amentiã ſibi comparaſſet. Cæterũ hæc homilia, de qua nunc agimus, eſt nona moralis digreſſio in eandem Epiſtolam ad Romanos, atque inde quiuis locũ per ſe corrigere poterit. ſatis enim cõmodè Brixius ita vertit: *Nã & qui impudico amore capti ſunt grauiter febricitantibus; & qui vino ſe obruunt, queſtionẽ tolerantibus miſeriores ſunt.*

In Symbolum Apoſtolorum.

HOMILIA I.

C*Redite vitam æternam promiſſam pro iſta gratia data, vt gratuita gratia accepta perſeueret in vobis.)* Inepta verborum circuitio, & fortè abſurdã ſententiam continens. Si dubitas, num hæ Homiliæ Chryſoſtomi ſint, audi verba initio huius primæ poſita: *Dixiſtis, Credo; quàm breue eſt, quam modicum eſt; ſi ad latitudinem litterarum dirigatis, quinque literæ* C *ſunt; ſi ad ſyllabarum numerum, duæ ſunt ſyllabæ.*

HOMILIA II.

E T quia fides totum ſibi vindicat, de Deo vos habere conuenit hanc fidem Dei electi.

EX HOMILIA ad Neophytos.

P*Er lauacri regenerationem eſt namque remiſſio, ſed non cõceditur per lauacrũ.)* Neque homilia hæc quicquã ad Chryſoſtomum. puto autẽ eſſe mendũ in iſtis verbis, ac legẽdum: *Sed non conceditur ſecunda regeneratio per lauacrum.*

EX HOMILIA ad baptizandos.

D N*Am licet ſimilem etiam illi conſecrationem mereantur; ſed non illis ſimilis voluntas, nec rerum ſimilis præparatio.)* Homilia eſt Latini hominis, qui vt ætas ſua ferebat, *merentur* dixit, pro *obtineant.*

EX HOMILIA IX. de Pœnitentia.

P*Eccaſti, Eccleſiam egredere, atque tuum dele peccatum.)* Legendum eſt, *Eccleſiam ingredere*; quod perſpicuè patet ex antecedentibus, & conſequentibus verbis: atque ita legebatur in editione Baſilienſi 1525. Atque hæc paulò maioris ponderis loca ſunt, quæ in præſenti notare ſatis eſſe iudicauimus. Cætera commodiore tempore corrigentur.

Digitized by Google

SIXTI SENENSIS LOCORVM AMBIGVORVM QVI PASSIM IN COMMENTARIIS D. IOANNIS CHRYSOST. INVENIVNTVR, pia & germana explicatio.

Per R. P. F. Sixtum Senenſem, Ordinis Prædicatorum.

F. SIXTI SENENSIS EX ORDINE PRÆDICATORVM, DE ANNOTATIONIBVS ET CENSVRIS IN INTERPRETES ET expoſitores diuinorum voluminum veteris & noui Teſtamenti.

PRÆFATIO.

SVPERIORE *quidem libro Catholicos ſanctorum voluminum expoſitores, quoſcumque aut varia lectione, aut certa fama cognoſcere potui, vnà cum omnibus ipſorum Exegeticis recenſui, nunc in quinto huius Operis libro locos aliquot annotatione & cenſura dignos, quos ex varijs eorundem Expoſitorum explanationibus collegi, iuxta ſeriem diuinorum voluminum annotabo: non quòd ipſe cupiam ſanctiſsimorum ac doctiſsimorum hominum ſynceram pietatem & eruditionem admirabilem aliqua ex parte obſcurare, aut ſuſpectam reddere; ſed vt præſenti labore conſulam ijs, qui ex ſanctorum expoſitorum ſcriptis, vel ex imprudentia, vel ex malitia, vel ex immoderato zelo offenduntur, pariter & offendunt.*

De quorum numero illi qui malitioſè atque magis lædunt, peruerſi quidem homines ſunt deteſtandis erroribus addicti. Qui dum hæreſes ſuas faciliùs perſuadere volunt, captant plerumque ex orthodoxis veterum Expoſitorum commentarijs ſententias quaſdam aut obſcurè ſcriptas, aut per incuriam ab eis prolatas, eaſq́; ad perfidiæ ſuæ confirmationem pertrahunt, ne ipſi aut primi, aut ſoli talia ſentire videantur. Sic olim Pelagiani hæretici aduerſus originale peccatum, & contra diuinæ gratiæ auxilium dimicabant, perperàm vſurpatis Chryſoſtomi & Auguſtini ſententijs. Sic ante quingentos annos Bertramus presbyter, & Berengarius Diaconus, ex Ambroſij & Auguſtini dictis violenter detortis, dominicum corpus, & ſanguinem Eccleſiæ Chriſti auferre tentarunt. Sic & miſera hac noſtra tempeſtate, Lutherus, Zuinglius, Oecolampadius, Bodius, Caluinus, Illyricus, ac plerique alij hæreſiarchæ, falſis armis & exuuijs induti; hoc eſt, aut confictis, aut corruptis, aut falsò interpretatis ſanctorum Patrum teſtimonijs contecti, incorruptam fidei noſtræ integritatem oppugnant. Hos ego nulla prorſus venia dignos exiſtimo, vel quòd hæreſeon venena alijs propinare non verentur: vel quòd venerandam ſanctorum memoriam iniquè infamant, imponentes illis, quæ numquam ſenſerunt; vel quòd aliquos iam ſopitos Patrum errores, quos perpetuo ſilentio ſepeliri oportuerat, iterum non ſine magno Chriſtianorum malo reuocant in lucem, ſequentes in hoc veſtigia ſceleſtiſsimi autoris ſui Cham: qui nuditatem patris Noheè non ſolùm non operuit, ſed & cæteris irridendam enuntiauit. contra verò alij fratres Sem & Iaphet longè fratri ſuo diſsimiles, verendam patris nuditatem neque ipſi aſpicere, neque ab alijs inſpici pertulerunt, ſed auerſi, vt ſcribitur, texerunt eam, tali nimirum exemplo indicantes, errata ſanctorum Patrum & ſi non approbanda, celanda tamen potius quàm prodenda.

Sunt denique alij vſque adeò in contrariam partem extremi, vt ſi quid in Catholicis, & quantumlibet vetuſtis Expoſitorum commentarijs inuenerint, quod ſpeciem habeat erroris, ſtatim præcipiti quadam ſeueritate correpti, totum opus abijciant, & autorem ſeueriſsimè damnent. Qui mihi videntur habere quidem zelum Dei, ſed, vt Paulus ait, non ſecundùm ſcientiam. Rom. 10 *Oportet enim eos matura conſideratione expendere occaſiones non paucas, ob quas priſci illi eccleſiarum magiſtri nonnihil interdum à propoſito veritatis ſcopo aberrauerint. Primùm quod abſque vllo prauio ductore intentatum antea iter aggreſsi ſunt; primiq́; vt adagio fertur, glaciem ſcindentes, viam poſteris aperuere, per quam abditi ſcripturarum ſenſus veſtigarentur.* Veterum errata quibus rationibus excuſanda. *Nec verò ſolent prima quæque diſciplinarum tentamenta ſemper eſſe omni ex parte fœlicia, omniſq́; culpæ expertia. Deinde innumera penè pro temporum, locorum, ac perſonarum opportunitate dixerunt, dictarunt, ſcripſerunt, &, vt Auguſtinus ſeipſum dicto Salomonis excuſans, inquit: In multiloquio non deeſt peccatum; præſertim cùm nemo ſit tam oculatus, qui non ſæpe allucinari poſsit, quique aliquando non cæcutiat. nam & quandoque bonus dormitat Homerus.* Prou. 10. *Sunt enim & in pulcherrimis corporibus næui quidam: nihilq́; eſt in rebus humanis omni ex parte beatum. Arde[b]unt præterea veteres illi tanto ſynceræ pietatis, & catholicæ defenſionis ardore, vt, dum vnum errorem omni virium conatu deſtruere annituntur, ſæpe in alterum oppoſitum errorem vel deciderint, vel quodammodo decidiſſe videantur, agricolarum more: qui incuruum teneræ arboris ſtipitem corrigere volentes, immodica nonnumquam attractione modum excedunt, plantámque in contrariam diuersámque formam deducunt. ſic Dionyſius, Corinthiorum antiſtes, vt Baſilius in epiſtola ad Maximum epiſcopum ſcribit, dum vehementius acriúſque anniteretur oppugnare Sabellium,* Niceph. li. 6. ca 25 *aſſerentem vnam Patris ac Filij perſonam, non ſenſit ſe nimio contentionis ſtudio in contrarium ferri vitium, & vtriuſque ſubſtantiæ differentiam & inæqualitatem defendere. ſic diuus Auguſtinus, dum toto ſpiritus ac verborum ardore pro defenſione diuinæ gratiæ pugnat aduerſus Pelagianos, liberum arbitrium cum iniuria diuinæ gratiæ extollentes, in alteram quaſi foueā delabi videtur, minúſque interdum tribuere, quàm par ſit liberæ hominis voluntati. His adde, quòd licet lapſus aliquot, qui diſsimulari nequeant, in veterum libris extent: non tamen ex his aliquid ſanctitati & eruditioni ipſorum derogatur; cùm nondum eccleſia temporibus illis de his, quæ nunc damnata ſunt, quicquam aut in quæſtionē vocaſſet, aut ſtatuta determinatione definiſſet; & diuinæ ſcripturæ autoritas in vtramque partem videretur ambigua; necdum vetitum eſſet, cuiquam de his ſentire, ac docere, quod vellet. Sed neque illud prætereundum eſt, quòd Pamphylus Martyr, Euſebius Cæſarienſis, Didymus, & Rufinus conqueſti ſunt, videlicet Clementis, Dionyſij, Origenis, Athanaſij, & aliorum nobilium Doctorum ſcripta plurima fuiſſe olim peſsimè tractata ab hæreticis, qui, vt hæreſibus ſuis fidem & autoritatem ſub nomine clariſsimorum Patrum conciliarent, multa in eorum libris*

Digitized by Google

vitiarum, permutarunt, detraxerunt, multa quoque de ſuis dogmatibus inſeruerunt, pugnantia cum his, quæ ſenſerant ac docuerant celebres illi viri; quos credibile non eſt in iiſdem voluminibus, in re eadem, & in eodem tempore contraria aut ſenſiſſe, aut ſcripſiſſe, præſertim cùm nec eſſent amentes, neque prorſus obliuioſi.

Tertio tandem loco ſunt ſimplices quidam & incauti lectores, qui ſine vllo iudicio atque obſeruatione in lectionem illuſtrium expoſitorũ oſcitanter feruntur, cunctáque ſine vllo diſcrimine ac delectu vorãt atque deglutiunt, minimè diſcernẽtes, qua de cauſa ea quæ ipſi legunt, ſcripta ſint, quibus occaſionibus, locis, temporibus, ac perſonis accommodata; num opponendi, aut increpandi gratia dicta ſint, vel ſub certa aſſeuerationis definitione firmata. Quæ dum inconſiderati lectores non aduertunt, neceſſe eſt eos plerumque labi in aliquot errores, quos in expoſitorum lucubrationibus, vel ipſi autores, tam per occaſionem, quàm per incuriam reliquerunt, vel hæretici per fraudem intruſerunt. Hoc tam imprudens hominum genus prudentiſſimè admonens D. Anſelmus, in commentariis epiſtolæ ſecundæ ad Corinthios ita ſcriptum reliquit: In libris ſanctorum Doctorum, quos authenticè legit eccleſia, nonnunquam inueniuntur quædam praua vel hæretica, non tamen pro his vel autores damnantur. Perlegat eorum libros prudens Lector, & inueniet verum eſſe quod dico.

Pro hac igitur triplici lectorum varietate, Quintus hic ſcribitur liber, in quo ſecundùm ordinem voluminum vtriuſque Teſtamenti congeſſi ex multis diuinorum expoſitorum, & præcipuè veterum commentariis locos cum cautione legendos, non quidem omnes, ac ſingulos, ſed illos tantùm, qui vel ſine Catholicæ pietatis offenſa, vel ſine legentium magna perturbatione diſſimulari non poterant: eoſdemq́ non meis verbis, ne mihi fortè non crederetur, ſed teſtimoniis autorum, qui tales annotarunt locos, ferè ſemper indicaui. Appoſui etiam, vbicumque fieri potuit, ſingulis ſuſpectis locis ſuos antidotos, hoc eſt, locos alios, ac ſententias eorundem autorum, à præmiſſis locis aut apertè abhorrentes, aut ſaltem diuerſas, & alienas; quæ ſuo teſtimonio oſtendant locos illos, vel ab ipſis autoribus alibi partim apertiùs explicatos, partim ex integro retractatos, vel non bene à calumniatoribus intellectos, vel ab hæreticis ad euerſionem catholicarum aſſertionum, & defenſionem prauorum dogmatum violenter pertractos, vel à falſariis aut adulteratos, aut ſuperadditos, vel forte ab ipſis operum autoribus ita primùm incompoſitè editos, ac deinde ſiue caſu, ſiue excuſabili quadam occaſione ſine vlla emendatione relictos.

Hæc autem omnia in hunc finem collegi, primùm ne incautus lector, commentarios catholicorum expoſitorum euoluens, in ſcopulum aliquem ſibi non animaduerſum impingat: deinde, vt nimium ſeueri lectores agnoſcant diuinorum interpretum errores omni cum venia & pietate excuſandos, ac mitiſſima lenitate mitigandos: poſtremò, vt hi, qui ſanctorum explanationibus abutuntur in ſuam, atque aliorum perniciem, à tam ſcelerata machinatione deſiſtant, poſteaquam viderint has ſuas impoſturas & fraudes eſſe detectas. Sed iam opus ipſum aggrediamur: in quo annotationes & cenſuras in explanatores beatorum voluminum, ſeruato ordine librorum, & capitum diuinæ Scripturæ, ab initio Geneſeos vbique ad vltimum noui Teſtamenti librum progrediendo coaptabimus.

ANNOTATIONES ET EXPLICATIONES LOcorum ambiguorum, qui inueniuntur in operibus D. Ioan. Chryſ. & primò in Geneſin.

ANNOTATIO I.

Fiat firmamentum. Gen.1.a.

An vnũ tantũ ſit cælum.

CHRYSOSTOMVS Homilia 4. in Ge. in expoſitione iſtius ſententiæ aſſerit eos, qui multos cælos eſſe docēt, nō ex diuina ſcriptura, ſed contra diuinam ſcripturam, & eccleſiaſtica dogmata ex ſuo capite, & ex ſuis violentis opinionibus ad id dicendũ impelli. Moyſes enim vnũ tantùm eſſe cælum nos docuit. Porrò quod in **Pſal.148.** Pſalmo legitur, *Laudate eum cæli cælorũ*, non idcirco dictũ eſt, quia multi ſunt cæli; ſed quia mos ſit linguæ Hebraïcæ, cælum, aquam, multaſque alias ſingulares res numero plurali nominare. Quæ quidē Chryſoſtomi ſententia omnibus theologorum ac philoſophorũ ſcholis videtur aduerſari. Hanc D. Thomas in prima parte Sũmæ, quæſt.88. art.4. exponens, ait, his verbis non damnari theologos, ac philoſophos, qui cælũ ſidereũ, hoc eſt, totum illud cæleſte corpus, quod hunc inferiorē mundũ, ſiue elementorũ globũ cōplectitur, in multos particulares cęlos, ſiue orbes diſtinguũt, ſed hæreticos, ac philoſophos, qui extra hunc totũ ſidereum globũ ſidereos cælos, & mundos alios eſſe tradiderunt.

ANNOTATIO II.

Poſuit ſtellas in firmamento. Gen.1.b.

Vtrũ credendũ ſit ſtellas eſſe cælo infixas.

HOmil.6. & homil. 13. in Geneſim hoc exponens, inquit: Cũ audiuimus, Poſuit Deus ſtellas in firmamento, abſit, vt cogitemus, quòd Deus aſtra cælo infixerit. nã videmus ea moueri, & vnũquodque eorum de loco ad locum tranſeũdo curſum ſuum peragere: ſed idem eſt, Poſuit ſtellas in cælo, quòd imperauit, vt ſtellæ in cælo eſſent, ac verſarentur: quemadmodũ cùm dixit, Poſuit Deus **Gen.2.** Adam in paradiſo, non quòd infixerit eum in paradiſo, ſed quòd ibi eum habitare voluerit. Et rurſus Homilia duodecima ad populum Antiochenũ diſſerens, Quemadmodum aſtra per cælũ, quod omnino dicit eſſe immobile, diſcurrant, ſic ſcribit: Deus mundum effecit, neq; totum immobile dimittens, neque totum iubens moueri, ſed cælum quidē im**Pſal.103.**motum permãſit, ſicut Propheta inquit: Qui ſtatuit cælum tãquam teſtudinem, & extendit ipſum tamquã tentorium. Sol verò cũ reliquis ſideribus quotidie in ipſo circumuoluitur. Hãc opinionē quamquã cum Peripateticis & Aſtronomis Scholaſticæ Theologiæ Profeſſores vnanimi aſſenſu explodãt, & ſanctus Philaſtrius, Epiſcopus Brixienſis, eã inter hæreſes numeret: ſcripturis tamen diuinis, & veteri theologorũ Scholæ nō arbitror eſſe contrariã. Siquidem Origines libro quinto aduerſus Celſum, & libro primo Periarchon cap. 7. affirmat, Solem, Lunam, & ſidera partes cæli nō eſſe, ſicut nec terrę partes animalia ſunt: & horum vnumquodque ſuo ordine, ſuoque curſu moueri. Euſebius, Emeſenus epiſcopus, & Diodorus, Tarſenſis epiſcopus, Chryſoſtomi præceptores, in expoſitione præſentis loci tradunt aſtra, tãquam viatores, per cælũ, quod omnino fixum & immobile cōſiſtit, iter ſuũ peragere. idemque habet Procopius in ſeptimum Geneſeos capitulum. Auguſtinus etiam in 2.lib. de Geneſi ad litteram cap.10. affirmat fieri poſſe, vt, cælo immobiliter ſtante, ſidera omnes diuerſos & inter ſe aduerſos curſus, quos in ipſis ſpectamus, perficiãt: id-

A que a Mathematicis ſuorum temporum certiſſimis demonſtrationibus fuiſſe oſtenſum teſtatur. Lege annotationem 3.lib.5.Senenſis.

ANNOTATIO III.

Factum eſt veſpere & mane dies quartus. Gen.1.c.

Num ſatisfactio ſit pœnitentibus neceſſaria.

HOmilia ſexta in Geneſim, circa finē, vbi hoc ipſum exponit, adhortans auditores, vt peccatorum confeſſione Deum placent, neque vltra poſt confeſſionem in peccata recidant, inquit: Sufficit Deo, ob magnam ſuam miſericordiã, vt deſiſtamus à peccatis. Hoc idem latiùs explicãs in oratione de B. Philogonio, ait: Ego teſtificor ac fide iubeo, vt, ſi noſtrum quiſq;, qui peccatis obnoxij ſumus, recedens à priſtinis malis, ex animo vereque promittat Deo ſe poſtea numquam ad illa rediturũ, nihil aliud Deus requiret ad ſatisfactionē vlteriorē benignus eſt enim. Quã ſententiã Ioãnes Caluinus capite nono ſuarũ Inſtitutionum cōtra ſatisfactionarios citat: (ſic enim impius ille Catholicos, quòd B ſatisfactionē docent eſſe tertiã pœnitentiæ partē, appellat) & Ioãnes Oecolãpadius, Brigitanus quõdam monachus, recentium hæreticorum ſignifer, in codicibus Chryſoſtomi, à ſe tranſlatis, è regione eiuſdē ſententiæ in margine hæreticam obiectionē appoſuit in hæc verba: Si Deo ſufficit, vt deſiſtamus à peccatis: vbi manent ergo ſatisfactiones, & indulgentiæ? Huius inſanã percontationem in autorē ipſum retorquentes, vice verſa interrogemus eũ, Si Deo ſufficit vt à peccatis deſiſtamus, nec vltrà ſatisfactionibus & indulgentijs opus eſt: cur Chryſoſtomus vbiq; prædicat ſatisfactoria pœnitētiæ opera? ſiquidē Hom. in Matthæũ 10. oſtendens, quòd nō ſufficiat à peccato deſinere, niſi per ea ſatisfaciamus, quæ perpetratis delictis aduerſa ſunt, ait: Agamus pœnitentiã, pœnitentiã dico, non ſolũ **Luc.3.** vt à malis prioribus deſiſtamus, verũ etiã vt bonorũ operũ fructibus impleamur. Facite, inquit Ioan- C nes, fructus dignos pœnitētiæ. Quo autē modo fructificare poterimus? ſi vtiq; peccatis aduerſa faciamus. Verbi gratia, aliena rapuiſti, incipe donare iã propria: lōgo es tēpore fornicatus, à legitimo vſu coniugij ſuſpēde te, ac perpetuã cōtinentiã ſępius paucorũ dierũ caſtitate meditare. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummodo ſpicula de corpore euellere, ſed etiã oportet remedia adhibere vulneribus, &c. Rurſus Hom. in Pſ.106. Quæ inter opera Chryſoſtomi fertur, ita ſcriptum eſt: Cũ peccatũ attulit mortē, confeſſio adfert ſanitatem. cōfeſſio enim pœnitentiã mōſtrat: ſatisfactio veniã ſibi diuina pietate cōciliat. Et infrà ſequitur, Prius eſt Dei offenſam non ſatisfactione placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere. & paulò pòſt, Cōfeſſio reddat, quod peccatum detraxerat. curet pœnitentia, quod delictorũ macula ſordidarat. ſerpentinum virus ſatisfactionis antidoto recuretur. D Hæc Chryſoſtomus: pro cuius autoritate Oecolampadio reſpondētes, dicimus ſufficere quidē Deo, vt ad præſtandam nobis tam culpæ, quã pœnæ æternæ remiſſionem deſiſtamus à peccatis ſacerdoti iã confeſſis: ſed manent ſatisfactiones & indulgentiæ ad expiandas pœnas temporaneas; quibus, vt ſacræ litteræ docent, poſt condonata crimina, & æternam criminum pœnam, vel in hac vel in alia vita, adhuc ſumus obnoxij. Vide infrà annotatione 24. item annotat.161.lib.6.Bibliothecæ ſanctæ.

ANNOTATIO IIII.

Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ. Gen.2.b.

An ſpiraculum Adæ inſpiratum ſit anima rationalis.

HOmilia 12. hoc exponens, inquit, ſpiraculum illud eſſe rationalis animæ ſubſtantiam, per quam homo non ſolùm viuēs animal, ſed rationis quoque particeps effectus eſt. Quam aſſertionem Philaſtrius, epiſcopus Brixiēſis, cap.69. ſui catalogi inter hæreſes numerat, nullo tamē nominato aſſer-

Digitized by Google

tionis autore: aitque ſpiraculum iſtud eſſe non ipſam animam, ſed inſpirationem diuini Spiritus, hoc eſt, gratiam Spiritus ſancti infuſam animæ Adę iam creatæ, & iam corpori vnitæ, qualem & Apoſtolis dedit poſt reſurrectionem, vel qualem Deus largitur omnibus iuſtis. Philaſtrio aſſentitur Cyrillus, Alexandriæ epiſcopus; qui hunc ipſum locum elucidans, inquit: Cùm dicitur in Geneſi, quòd inſpirauit Deus in faciem hominis ſpiraculum vitæ, vt fieret homo in animam viuentem, ipſum ſpiramen non dicimus animam: ſic enim anima eſſet inconuertibilis, & non peccaret, quia de eſſentia eſſet diuina: ſed ſancti Spiritus effuſionem in ipſo principio ſuppoſitam animæ humanæ dixit Moyſes. D. Auguſtinus in præfatione libri de hæreſibus ad Quod vult Deum, ſcribit Philaſtrium multas aſſertiones inter hæreſes annumeraſſe, quæ hæreſes nō ſunt. de quarum numero crediderim eſſe hanc vnam, in quam imprudens ipſe lapſus eſt, dum veram & piam Chryſoſtomi, atque omnium Catholicorum interpretum damnat ſententiam. Idem quoque in 15. De ciuitate Dei cap. 24. deridet eos, qui credunt ſpiraculum, quod ſpirauit Deus in faciem Adæ, eſſe quandam gratiam animæ Adæ collatam, & non potiùs ipſam animam. At quò ad Cyrillum attinet, D. Thomas in libro, quem aduerſus Græcorum errores conſcripſit, cap. 27. ſic ait: Cyrilli expoſitio eſt contra expoſitionem Auguſtini, qui animam humanam per illud ſpiramen ponit: & oſtendit, quòd non propter hoc ſequitur, vt ſit de ſubſtantia diuina. eſt enim tropica locutio, vt dicatur inſpiraſſe, non corporaliter, ſed quia ſpiritū, id eſt, animam fecit ex nihilo. Et, quod eſt amplius, videtur eſſe repugnans dictis Apoſtoli, qui primæ ad Corinth. 15. dicit. Factus eſt primus homo Adā in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem: ſed non priùs, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale. Vbi expreſsè illam vitam animæ dicit eſſe aliam à vita, quæ eſt per Spiritum ſanctum. Vnde illa inſpiratio per quam dicitur, Homo factus eſt in animam viuentem: non poteſt de gratia Spiritus ſancti intelligi. Vnde dicendum eſt, quòd expoſitio Cyrilli non poteſt eſſe literalis, ſed tantùm allegorica.

ANNOTATIO V.

Immiſit Dominus ſoporem in Adam. Gen. 2. d.

An Eua ex coſta Adæ formata ſit.

HOmilia 15. in Geneſim hanc ſententiam expoſitione illuſtrans, hæc verba protulit: Et accepit, inquit, vnam coſtarum illius, ne humano more accipias quæ dicuntur; ſed craſſa verba hæc humanæ imbecillitati conuenire cogites. Nam niſi his verbis ſcriptura fuiſſet vſa, quomodo tam arcana myſteria diſcere potuiſſemus? ne igitur verbis tantum addicti ſimus, ſed omnia, vt par eſt, de Deo ſentiamus: quandoquidem dum dicitur, Accepit, & omnia talia propter noſtram infirmitatē dicta ſunt. Ex his verbis Hiſpanus quidem conatus eſt afferre ſuppetias Caietano; qui, vt mox dicemus, opinatus eſt formationem Euæ ex coſta Adæ intelligendam eſſe non ſecundum hiſtoriæ veritatem, ſed tamquam figuratæ parabolæ narrationem quam opinionem arbitratur Hiſpanus à Chryſoſtomo multis ante Caietanum ſæculis in prædictis verbis expreſſam, ſed, quantum iſte aberret non ſolùm à veritate, ſed à mente Chryſoſtomi, ipſe Chryſoſtomus paulò antè oſtēdit, cùm inquit: Qui ſapiens & potens noſtræ naturæ opifex vnam ex coſtis illius ablaturus erat; vt ne, ſentiendo dolorē, mulieri ex ſe formatę poſtea doloris memor infenſus fieret. eapropter, immiſſo exceſſu, tanto illo ſomno oppreſſus, vt quaſi grauedine quadam correptus nullū rei, quæ fiebat, ſenſum caperet: & impleuit carnem pro illa, ne poſſet diſcuſſo ſomno, quod factum erat, ex vacuitate ſentire. Itaque neq; illū in auferendo dolore, neque ob ablationem triſtitia afficeret, vtraq; ſic diſpēſauit, vt & citra cruciatum illius auferre, &, impleto eo loco, vnde abſtulerat, factorum ſenſum percipere non ſineret. Hæc Chryſoſtomus manifeſtè demonſtrans, ea ſe per metaphoram & parabolam nequaquam intellexiſſe, in quibus veri doloris, veri cruciatus, & veræ triſtitiæ ſenſus periculum imminere exiſtimauit. Quòd verò monuit Moyſem de formatione loquentem, non humano & craſſo more intelligēdum, non ad euertendam hiſtoriæ veritatem dixit, ſed ad confutandam inſaniam Anthropomorphitarum & Arrianorum: ex quibus illi putabant Deū corpore præditum, carneis manibus, & corporea operatione, ac motu, more figuli, aut chirurgi, hominem è limo finxiſſe, & ex hominis coſta mulierem. Arriani verò, accipientes anſam cauillandi ex his verbis, & immiſit Dominus Deus, contendebāt patrem ſine filio ſolùm formaſſe virum, & ex viro fœminam: quia ſolum patrem dicerent in diuinis ſcripturis appellari Deum & dominum, filium verò, vtpote patre minorem, Deum dumtaxat appellari, non dominum. Vtroſque igitur redarguens Chryſoſtomus, admonet, ne verba hæc vel humano, vel craſſo more cum Anthropomorphitis accipiamus, vel cum Arianis inter Deum ac Dominum diſtinctionem ponamus: quia, inquit, vtriuſq; eſt vna eſſentia, & indiſcriminatim nominibus iſtis vtitur ſcriptura. Inſpice annotat. 47. lib. 5. Bibliothecæ Senenſis.

ANNOTATIO VI.

Et erunt duo in carne vna. Gen. 2. d.

Num Chriſtianis iurare liceat.

HOmilia in Geneſim poſt expoſitionem huius loci adhortans in fine ſermonis auditores ad iuramenti fugam, videtur Chriſtianis adimere omnem iurandi facultatem etiam in cauſis iuſtis & neceſſarijs. ita enim ſcribit: Iuramenta quoque modis omnibus fugiat, audiens ſententiam Chriſti: Qui dicit, Dictum eſt antiquis, Non peierabis. ego autem dico vobis, non iurandum omnino. Ne igitur dicat aliquis, in re iuſta iuro. neque enim in re iuſta, neque iniuſta iurare licet. Vide infrà ann. 43.

ANNOTATIO VII.

Adam verò cognouit vxorem ſuam. Gen. 4. a.

Si primi parentes non peccaſſent, vtrū generatio fuiſſet.

HOmilia 18. in Geneſim, cùm enodare vellet hunc locum aſſeruit, quòd ſi primi parentes non peccaſſent, nullus fuiſſet in paradiſo coitus: quia ante peccatum non erant corporeis iſtis neceſſitatibus obnoxij. lex enim rei venereæ poſt peccatum intrauit. tunc enim Deus conceſſit per coïtum auctum iri humanum genus.

Procopius eandem ſententiam ſecutus, in expoſitione eiuſdem loci apertius dicit, quod niſi fuiſſet humana tranſgreſſio, nec matrimonium, nec nuptiæ, neque coïtus, neque prolis fuiſſet propagatio. Huius antidotum ſententiæ habes annotat. 20. & 21. lib. 5. Biblioth. Senenſis.

ANNOTATIO VIII.

Videntes filij Dei filias hominum. Gen. 6. a.

Vtrum angeli in ſacris literis appellentur filij Dei.

HOmilia 22. in Geneſim redarguens eos, qui per filios Dei, quorum hîc meminit Moyſes, dicebant non homines, ſed Angelos intelligi oportere, ait, Angelos numquam in diuina Scriptura fuiſſe appellatos filios Dei, imò nec filios. Contrarium tamen inuenitur ſemel, atque iterum in libro Iob: in cuius 2. cap. legitur de angelis, Cum

Digitized by Google

quadam die veniſſent filij Dei,& ſtarẽt corã domino,adfuit & Sathã inter eos; & in eodẽ volumine c.38. de angelis additur: Cùm me laudarent aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Apparet Chryſoſtomũ in hoc fuiſſe deceptũ ex editione lxx in qua pro eo,quòd nos iuxta Hebraïcã veritatem habemus,*Cùm veniſſent filij Dei*, ſcriptum eſt, ἦλθον οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ. hoc eſt,*venerunt angeli Dei*.& vbi Hieronymus ex Hebræo fonte vertit, *Et iubilarent omnes filij Dei*:Septuaginta trãſtulerũt,ὅτε ᾔνεσάν με φωνῇ μεγάλῃ πάντες ἄγγελοί μου.id eſt,*Quando laudarunt voce magna angeli mei*.Neq; fauet Chryſoſtomo, quòd Paulus ad Hebræos ſcribit,Cui dixit aliquando angelorum, filius meus es tu? Quandoquidem ibi non negat, angelos dictos eſſe filios Dei ex gratia,ſed ex natura dumtaxat.Hoc enim modo ſolus Chriſtus filius Dei appellatur,& eſt.

Heb. 1.

Annotatio IX.

Vidẽtes filij Dei filias hominũ,ſumpſerũt ſibi vxores.Gen.6.d.

Vtrum angeli cum fœminis coire poſſint.

HOm.22.in Geneſim hunc locũ elucidãs, docere videtur,quòd non ſolũ abſurdũ eſt, ſed etiã impoſſibile,vt improbi angeli cũ fœminis coïtum exerceãt,ſic ſcribẽs:Dementia plenum eſt dicere angelos deiectos è cælo,vt cum mulieribus rẽ habeant,& quod incorporea illa natura corporibus copuletur.neq; enim poſſibile eſt incorporeã illã naturam vnquã concupiſcentiã habere.&paulò pòſt,Valde inſanus eſſet,qui comprobaret talia verba dementiæ plena,quòd incorporea ſpiritualis natura corporis cõplexum ferat.Cornelius Agrippa,Lutheranæ hæreſeos ſectator,in eo libro, quem aduerſus Lamiarũ inquiſitores attitulatum emiſit, hanc Ioãnis ſententiã detorquet in illos, qui maleficas mulieres ob id inſectantur,& puniunt,quòd eas rem veneream cum dæmonibus habere compertũ fuerit.Quã quidem rẽ ipſe irridet, ceu fabuloſam,& à ſomnijs & imaginationibus delirantium anicularũ enatam:quæ cũ ſępe dormiẽtes per ſomnia decipiantur,& interdũ quoq; vigilantes ex vehementi libidinis imaginatione illudantur, tamen arbitrantur ea verè ſibi cõtigiſſe, quæ ſola imaginatione peracta ſunt.Hunc errorẽ idẽ autor ſtabilire annititur,adiectis teſtimonijs aliquot veterum autorũ,qui Chryſoſtomo aſtipulari vidẽtur. in his præcipuus eſt Ioãnes Caſſianus, Chryſoſtomi diſcipulus,in cuius 12.lib.Collationũ,c.8.hæc habentur:Nullo modo credendũ eſt ſpirituales naturas coïre cum fœminis naturaliter poſſe: quoniã ſi aliquando hoc ſecundũ literã fidei potuiſſet,quomodo nunc quoq; vel frequẽter,vel rarò idipſum nõ euenire cõtingeret,& abſq; ſemine vel coïtu viri aliquos naſci? ſimiliter de mulieribus conceptu dęmonũ cerneremus. Conſimilem vim habẽt, quæ Philaſtrius,Brixienſis epiſcopus,c.108. ſui catalogi aduerſus hæreſes in hunc modũ recenſet: Alia eſt hæreſis,quæ de gigantibus aſſerit,quòd angeli miſcuerint ſe cũ fœminis ante diluuium, & inde natos eſſe gigantes.Sed ſi quis putauerit angelos ita peccaſſe transformatos in carne,& in ea remãſiſſe,aut ita factos carnales crediderit:is violẽta ratione decernit hiſtoriã,ſicuti & paganorum,& poëtarũ mẽdacia aſſerũt Deos, deaſq; transformatas nefanda coniugia cõmiſiſſe. Quod ſi factũ eſt aliquando, & nunc fieri nõ erit ambiguũ.Quod autem nõ factũ eſt aliquãdo, nec modò fieri manifeſtum eſt. Neq; ab his abhorrent quæ Cyrillus Alexãdriæ epiſcopus,in eandem ferè ſententiã diſſeruit lib.2. Allegoriarum in Pentateuchum, ſermone primo. His accedit autoritas cõcilij Ancyrani, deteſtantis inſanã opinionẽ quarundã veneficarum mulierum, aſſerentium ſe noctu per longa terrarum ſpatia ab improbis ſpiritibus deduci ad loca quędã: vbi cùm dæmonibus indulgeãt varijs voluptatibus, epulis,

A & libidinibus.Huius quidẽ cõcilij verba referuntur in decretis pontificũ,cauſa 26.qu.5.hoc ordine:Illud etiã non eſt omittendũ, quod quędã ſceleratæ mulieres,retro poſt Sathanã conuerſæ, dæmonum illuſionibus & phantaſmatibus ſeductæ credũt, & profitentur,ſe nocturnis horis cũ Diana,dea Paganorũ,vel cum Herodiade, vel cũ innumera multitudine mulierũ equitare ſuper quaſdam beſtias,& multarum terrarũ ſpatia intempeſtæ noctis ſilẽtio pertranſire,eiuſdẽque iuſſionibus obedire,&certis noctibus ad eius ſeruitiũ euocari. Quapropter ſacerdotes per eccleſias ſibi commiſſas, populo Dei prædicẽt, vt nouerint hæc omnia falſa eſſe,& à maligno ſpiritu talia phãtaſmata mentibus fideliũ irrogari.Siquidẽ ipſe Sathanas trãsfigurat ſe in angelũ lucis,cũ mentem cuiuſq; mulieris ceperit, & hanc per infidelitatẽ ſibi ſubiugauerit,illico trãſfigurat ſe in diuerſarũ ſpecies perſonarũ, atq; ſimilitudines,& mentẽ,quam captiuam tenet, ſomnijs deludẽs,modò læta,modò triſtitia,modò cognitas, modò incognitas perſonas oſtendẽs,per deuia quęque deducit:& cũ ſolus ſpiritus hoc patiatur

B infidelis,hoc nõ in animo,ſed in corpore euenire opinatur.quis enim ſomnijs & nocturnis, viſionibus non extra ſeipſum educitur; & multa videt dormiendo,quæ numquam vigilando viderat?

His itaq; teſtimonijs pro Lamiarum defenſione vtitur Agrippa.cuius quidẽ errorẽ apertiſſimè refellit Auguſtinus lib.15.De ciuitate Dei,cap.23.his verbis: Apparuiſſe hominibus angelos in talibus corporibus,quæ nõ ſolũ videri,verũ etiã tãgi poſſent,veriſſimè ſacra ſcriptura teſtatur.Et quoniam creberrima fama eſt,multiq; ſe expertos vel ab eis, qui experti eſſent, de quorũ fide dubitandum non eſt,audiſſe cõfirmant,Syluanos&Faunos,quos vulgo incubos vocãt,improbos ſæpe mulieribus extitiſſe,ac earũ appetiſſe&peregiſſe cõcubitũ,&quoſ-

C dã dæmones,quos Duſios Galli nominant,hãc aſſiduè immunditiam & tentare,&efficere,plures taleſq; aſſeuerãt,vt hoc negare impudẽtiæ videatur. Extat & Innocentij Papæ octaui decretalis epiſtola aduerſus maleficarũ mulierũ hæreſim, in qua hæc Nõ ſine ingenti moleſtia ad noſtrum peruenit auditum,complures vtriuſq; ſexus perſonas,proprię ſalutis immemores,& à fide catholica deuiãtes, cũ dæmonibus incubis& ſuccubis abuti.Quapropter, ne labes huius hæreticæ prauitatis in perniciẽ animarum ſua venena diffundat,opportunis remedijs, prout noſtro incumbit officio,prouidere volentes, ſtatuimus, vt inquiſitores, per nos deputati, debitum inquiſitionis officiũ in huiuſmodi exequãtur.

Hæc Auguſtini, Innocentij, & totius catholicæ Eccleſiæ indubitata determinatio eſt: à qua nihil diſcrepant autoritates ab Agrippa inductæ: nã ne-

D que Chryſoſtomus,neque Philaſtrius negat fœminas cum dæmonibus poſſe coïre,ſed eos dumtaxat refellunt,qui eſſe fœminas à bonis beatiſque angelis adamatas,& fœdis congreſſibus initas: quoniam impoſſibile ſit,vt incorporeæ illæ mentes,reiecto diuino amore, in quo olim fuerant per Dei gratiam immobiliter confirmatæ, ſeſe demiſerint ad impuram fœminarum libidinẽ,mutata angelica natura in humanam formam, iuxta Poëticarum transformationum fabulas.Quòd autem Caſſianus ſcripſit nullo modo credẽdum eſſe, ſpirituales naturas coïre cum fœminis,non ita accipiendum eſt, vt intelligamus nullo prorſus modo dæmones cõmiſceri poſſe mulieribus,ſed naturali dũtaxat animalium more,hoc eſt,ſemẽ de ſua ſubſtãtia emittẽdo:ſicut apertè indicauit,appoſita illa particula naturaliter poſſunt enim dæmones,vt ait Auguſtinus, non ſolum coïre cum fœminis,ſed etiam ex eis filios verè homines generare,nõ virtute proprij ſeminis,quod nullum ex ſe ipſis habent, ſed ope alicuius ſeminis,quod ipſi maribus turpiter ſuccubãtes exceperunt, exceptumque fœminis incuban-

tes infuderunt, ita, vt Auguſt. 3. de Trinitate ait, diſponēte Deo, ne ſit ille qui naſcitur, filius dæmonis, ſed illius hominis filius, à quo ſemē eſt acceptū. Ad id verò quod ex Ancyrano concilio allatum eſt, reſpōdemus, ſectā fœminarū, Synodi iuſſu damnatam, diuerſam eſſe ab ea, quæ dæmonum concubitu fœdatur. Illa enim, vt in eo decreto dicitur, exiſtimabat ſe ad Herodiadis & Dianæ cultum noctu deferētibus beſtijs acciri, ac Dei creaturas ab alio, quā à creatore Deo poſſe trāsformari in varias animatorū formas: at de cōcubitu cū dæmonibus nihil meminit Synodus. Cæterū quòd Agrippa cōtendit, ſectā illā eandē eſſe cū iſta, aut parū, aut nihil refert. Hoc ſatis eſt quod Synodus illa non decernit vectationes, & tranſlationes illas mulierum fieri non poſſe corporaliter, neq; definit motiones illas ſola ſemper imaginatione fieri, & numquā in corpore: ſed id tātùm affirmat, mulieres illas falſis imaginationibus decipi, quod & nos nō inficiamur interdum euenire, imò aſſerimus fœminas huiuſmodi aliquando immobiliter domi iacuiſſe, cùm ſe crederent in remotis regionibus aſportatas.

Annotatio X.

Nobe vir iuſtus atque perfectus. Gen. 6. b.

Deus an videri poſſit ab angelis.

IN fine homiliæ 23. in Geneſim, hoc explicās, habet hanc propoſitionem, Diuinæ gloriæ fulgurantē maieſtatē neq; Cherubin, neq; incorporeæ illæ virtutes videre poſſunt, ſed auerſæ facies tegūt, obiectis alis. Armeni hæretici, qui docebāt Deū à beatis non videri, vtebātur hac & pleriſque alijs huic ſimilibus Chryſoſtomi ſententijs: quarū elucidationem habes infrà annotatione 93.

Annotatio XI.

Reuerſa eſt Columba, portans ramum oliuæ. Gen. 8. b.

Colūba qualem ramum attulerit.

HOmil. 26. in Geneſ. quod noſtra vulgata editio, habet, Reuerſa eſt Colūba, portans ramū oliuæ virentibus folijs, ſenſu contrario legere & exponere videtur, inquiens: Reuerſa eſt Colūba, habēs folium oliuæ ſiccum in ore ſuo. Sed apparet, interpretem fuiſſe deceptum, non minus ex tautologia, quā ex ambiguitate dictionis; quæ hoc loco tā apud Chryſoſtomum, quā apud Septuaginta interpretes, & apud Hebræos reperitur. habent enim Hebræi codices ſic, והנח עלחז יה טרת בפיח Væ innæ hale zait tarat, be fia, hoc eſt, *Et ecce folium oliuæ, ramus in ore eius.* Aſſerit autem Auen Ezra, hîc fieri appoſitionē, ταυτολογίαν quandam. idē enim eſſe dicit foliū oliuæ, & quod mox ſubditur, Taraf, id eſt, *Ramus*; ſicut eſt, inquit, ſæpe in ſcripturis עפר ארמהן id eſt, *Terra & cinis.* ideo Septuaginta nihil immutantes, verterunt, καὶ εἶχε φύλλον ἐλαίας, κάρφος ἐν τῷ ςόματι αὐτῆς, hoc eſt, *Et habebat folium oliuæ, feſtucam in ore eius.* Hos ſequens Chryſoſtomus appoſuit & ipſe ad folium oliuæ dictionem κάρφος, quæ Græcis ambigua eſt, & duo ſignificat, ſiccum videlicet, & feſtucā ſiue ramuſculum. Interpretes ergo, non conſiderata dictionis ſynonymæ repetitione, κάρφος, qui hoc loco feſtucam ſignificat, ſiccum tranſtulit, reclamante palā ſenſu Chryſoſtomi, qui paulò pòſt, addito huiuſmodi verbo, arbor hæc ſemper virens eſt. & veriſimile eſt, quòd cū aquæ redierint, arbor hæc adhuc habuerit foliorū comā. Quibus verbis oſtēdit ſe nō de ſicco oliuæ folio, ſed de virēti potius locutū: quāquam Hebraïca veritas oliuæ foliū neque ſiccum, neque virens fuiſſe indicet. Chaldaïca editio locum hunc rectius tranſtulit, quàm Septuaginta, inquiens: *Et ecce folium oliuæ decerptum ore ſuo.* טרח taraf enim tam feſtucam, quàm raptum, ſiue decerptum Hebræis ſignificat.

Annotatio XII.

Odoratus eſt dominus odorem ſuauitatis. Gen. 8. d.

HOmil. 27. in Gen. hoc exponens, videtur aſſerere. quòd circumciſio in veteri lege nihil prorſus contulerit ad iuſtitiam, & animæ ſalutē: cuius oppoſitum Auguſtinus cum cæteris Theologis ſentit. Vide infrà annot. 15.

Circūciſio an iuſtificet.

Annotatio XIII.

Et erat omnis terra labij vnius. Gen. 11. a.

HOmil. 30. in Geneſ. hoc enarrans, ait ante extructionē turris Babet vnā fuiſſe naturalem omniū hominū linguā, eademq; mortales omnes loquela vſos, quā ſententiam, omiſſo tamē autoris nomine, Philaſtrius, Brixienſis epiſcopus, in catalogo hæreſeon, cap. 106. vt hæreticam reprobat, aſſerens firmiter eſſe credendū, quod etiā ante ædificationem Babel multis ſæculis plures fuerint ſermonū ac linguarum varietates: quarum ſcientiam omnes homines ex Dei dono vſque ad turris conſtructionē, & linguarum confuſionem habuerunt. quòd autem Moyſes dicit terram fuiſſe labij vnius, ideo dictū putat, quia etſi plura eſſent genera linguarū, omnes tamē ſe inuicem intelligebāt. eratq; omnibus lingua vna, & ſermo idem, nō ſecundum eundē vocabulorum vſum, ſed ſecundùm eūdem ſenſuum intelligentiā. Alphonſus Caſtrēſis lib. 9. aduerſus hæreſes tā longè abeſt ab hac Philaſtrij cēſura, vt exiſtimet eā eſſe hæreticā: quia Moyſes apertiſſimè doceat, ante Babel tēpore vnicā tantū omnium fuiſſe linguā, dū inquit: Erat autem terra labij vnius, & verborū eorumdem. & dum poſt pauca addit, In ædificatione Babel tunc primùm cōfuſum eſſe labium vniuerſæ terræ, hoc eſt, tunc primò diuiſum, & variū, multiplexq; eſſe cœpiſſe, quod ante ſimplex, indiuiſum, & vnicū fuerat. Sentiendū eſt itaq; iuxta verā Chryſoſtomi explanationē, vnum ſolū ante ædificationem turris fuiſſe omniū mortalium ſermonem; & reijciēdus eſt in hac parte Philaſtrius, quē apparet fuiſſe deceptum ex leui cōſideratione verborū Moyſis: qui antè, quā in 11. capite ædificationem turris deſcribere inciperet, prius in 10. capite narrauit, quemadmodum ſeptē filij Iaphet diuiſerūt inſulas gentiū in regionibus ſuis, ſingulas ſecundū linguas, & cognationes ſuas. Quæ verba nō animaduertens Philaſtrius, eſſe per anticipationem dicta, putauit iam tūc plures fuiſſe linguas antè, quā Babel conderetur eſt enim iuxta Ticonij regulam diuinæ ſcripturæ mos, aliqua per anticipationē narrare, vt ſcilicet antè, quàm facta fuerint, quodāmodo, & perfunctoriè narrentur; vt poſtea ſuo ordine res quæq; geſta latiùs deſcribatur. & hanc veram eſſe huius loci interpretationē, docet Auguſt. lib. 16. De ciuitate Dei, capitulo 4. ſic ſcribens: Cùm ergo in ſuis linguis iſtæ gētes fuiſſe referantur, redit tamē ad illud tēpus narrator, quādo vna lingua omnium fuit, & inde iam exponit, quid acciderit, vt linguarum diuerſitas naſceretur; Et erat, inquit, omnis terræ labium vnum, & vox vna omnibus.

Num vna tantum lingua ante conditā turrim omnibus fuerit.

Annotatio XIIII.

Dic igitur, obſecro te, quòd ſoror mea ſis. Gen. 12. c.

HOm. 32. in Gen. ſuper his verbis, Sarā multis laudibus effert, quòd marito, in mortis diſcrimē adducto, ſimulationē & adulteriū perſuadenti, cōſenſerit, prompteq; ſe ad vtrūque exhibuerit, ſic enim ſcribit: Propterea in adulteriū vxoris cōſentit iuſto, & quaſi ſeruit adulterio in mulieris contumeliam,

Nū Abraham mētitus ſit.

tumeliam, vt mortem effugiat. Vidiſti vinculum charitatis viri & mulieris? vidiſti virum, qualia mulieri ſuggerere ſit auſus? & quale conſilium acceperit mulier, & nō renuit, neq; grauatim fert; ita vt fabula, & fictio illa lateat? & paulò pòſt: Quis nō obſtupeſcat hāc parēdi facilitatē? quis hanc ſatis laudauerit, quòd poſt tantā continentiā, & in tali ætate ad hoc vt iuſtū ſeruet, quantū in ſua volūtate pēdebat, etiā adulterio ſe expoſuit, & barbarorū tulit congreſſum? hucuſque Chryſoſtomus: qui in hac parte videtur à communi aliorum Patrum ſentētia tripliciter diſcrepare. Primū, quod hāc Abrahę, atque Saræ cōſultationem nō ſolùm hoc in loco fabulā & fictionē dicat, ſed alijs quoq; locis commētum, ſcenam, comœdiam, tragœdiam, deceptionē, hypocriſim, & mentitam rem appellet. Hom. 45. in Gen. edifferens verba illa, quibus Deus excuſat Abimelech, qui Sarā Abrahæ marito ſuo abſtuliſſet, loquitur in hunc modū: Dixit autem Deus ad Abimelech, Scio quòd ipſi hanc fabulam cōmenti ſunt, & quòd deceptus, eorū dictis feceris: & poſt pauca addit: Ille etiam veritus, ne occideretur à rē, hanc comœdiā inſtruxit, & quaſi cooperatus eſt in contumeliam Seræ. & lib. 2. de prouidentia Dei, ait: Abrahā in tantā tunc neceſſitatem deuenit, vt etiā hypocriſi ſubmitteretur. quo quid dici miſerabilius poteſt? & in epiſtola ad Olympiam, Nónne, inquit propter mortis timorem Abraham vxorē propriam maluit donare voluptatibus barbaricis, & Ægypti tyrannidi? nā fabulam ipſe cōponebat iniuriæ, & rogabat vxorē, vt cū eo tā horrendā tragœdiam ſimularet: nónne erubeſcit, huiuſmodi ſcenæ proferens cauſam? Erit enim, inquit, vt, cùm te viderint faciē pulchrā, occident me, & te reſeruabūt. Dic ergo quòd ſoror mea ſis, vt bene mihi ſit propter te, & viuat anima mea propter te. Vides timorē? vides tremorem, exagitantem excelſam & philoſophicam illam animam? mentitum genus, & aliam pro alia perſona inferebat.

Num iuuādi gratia mētiri liceat.

Secundū eſt, quòd hāc Saræ & Abrahæ fictionē & ſimulationem laude, admiratione, & imitatione dignā cēſet, nihil ab ea ſentētia diſcedēs, quā apertiſſimè in omnibus ſcriptis ſuis profitetur hoc eſt, licere, imò etiā oportere virū perfectū vti fraudibus, dolis & impoſturis, nō ſolū in proprijs neceſſitatibus, verū etiā in alienis cōmodis, nō nocēdi, ſed iuuādi gratia, ſicut liquidò videre poteris apud Sixtū Senēſem annot. 106. lib. 5. Hæ duæ aſſertiones, ſicut, Auguſtino teſte lib. contra mend. cap. 2. ad Priſcillianiſtarū hæreſim inclinare vidētur: Ita ipſi Auguſtino aduerſatur atq; cæteris theologis, præcipuè Scholaſticis, aſſerētibus omnē ſeu noxiā, ſeu officioſam ſimulationē, & fraudem eſſe vitium veritati contrariū, & ad mēdacij crimen pertinens. nā ſiue ſermone, ſiue quocumq; facto, vel lædēdi, vel iuuādi ſtudio quiſpiā mentiatur, mēdax eſt; & omne mendacium aut peccatū eſt, aut nō ſine peccato eſt. Proinde Auguſtinus lib. 22. contra Fauſt. 24. negat Abraham fuiſſe mentitum: quippe qui interrogatus, quid ei eſſet Sara, indicauit ſororem, nō negauit vxorē, tacens aliquid veri, nō dicēs aliquid falſi: erat enim ei verè ſoror ex patre, ſed non ex matre. Agnoſcit hoc idem Chryſoſtomus hom. 45. in Gen. vbi palàm fatetur Abrahæ fictionē nihil in ſe habuiſſe mendacij, dum inquit: Vide quā diligenter agit iuſtus, vt monſtret, quòd neque in hoc mentitus ſit. Cæterùm de Chryſoſtomi ſententia ſuper officioſæ fraudis aſſertione fuſiùs ſcripſit Sixtus Senenſis annotat. 107. libr. 5.

Num vxorem deceat mariti ſeruādi gratia adulterio ſe exponere.

Reſtat tertium, quod in præmiſſis Chryſoſtomi verbis cōtinetur aſſertū, videlicet, Saram in eo potiſſimū eſſe laudandā atq; imitandā, quod ſeruādi mariti cauſa barbarorū ſeſe adulterio expoſuerit, cōſentiente tamē marito in eius adulteriū, imò etiā ſuadēte. Ab hac opinione diſſentit Auguſtinus, negans Abraham vxori ſuæ adulterium aut ſuaſiſſe, aut cōſenſiſſe, ita in lib. 22. cap. 33. aduerſus Fauſtū ſcribens: Neq; enim Abrahā flagitio cōſenſit vxoris, ſed pudicitiā coniugis, de cuius animo nihil dubitabat, Deo tuendā cōmiſit, certus de Deo ſuo, quòd nihil eam turpe ac flagitioſum perpeti ſineret. nec eū fides fefellit, cui primū Pharao territus monſtris, deinde Abimelech ſomnio cōmonitus, ambo vxorē illæſam cum honore reſtituerūt. Hæc Auguſtinus. Sunt etiam qui affirment, neque marito, neq; vxori vtrius vitandæ necis gratia licitum eſſe adulterij remedium, ſed oportere eos mortem expectare, imò verò mortē vltro expetere potiùs. quā prodere caſtitatem: pro cuius conſeruatione multæ pudiciſſimæ fœminæ nō ſolū ab alijs occidi ſuſtinuerunt, ſed manus ſibi ipſæ intulerūt, veluti Sophronia, præfecti Romanæ vrbis vxor; quæ, vt refert Euſebius lib. 8. hiſtoriæ, animaduertēs maritū metu mortis perterritum, prodidiſſe pudicitiam ſuā Maxētio tyrāno, cū priùs defixis genibus Deū oraſſet, tamquā pudicitiam ſuā Chriſto immolatura, pectus correptæ ferro transfodit. cuius exemplum ſequentes nonnullæ ſanctæ virgines, quarū martyriū eccleſia celebrat, ne caſtitatis maculam ſuſciperent, ſeipſas interemerunt. Verū de his in cēſuris ſuper Ionæ expoſitoribus, annot. 273. Bibliothecæ noſtræ latiùs ſcripſimus. Auguſt. lib. 22. c. 37. cōtra Fauſt. & lib. 1. de ſer. Dom. c. 29. in mōte, in dubium reuocat, an Saræ pudicitia potuiſſet barbarorum libidini ſupponi citra vllū adulterij crimen; quaſi pro mariti vita liceat, ipſo conſentiēte. cū alio viro cōcumbere; ſicut olim tēpore Conſtātij Imperatoris Antiochiæ factū eſt. Vbi cū Acyndinus præfectus quendā ſeruaret in carcere occidendū, quia librā auri, quā fiſco debebat, nō haberet, vnde ſolueret; vxor, mariti charitate cōmota, vnius noctis concubitū, ipſo conſentiente marito, vendidit diuiti cuidā, id anxiè flagitanti, ac libram auri pro mercede promittenti, vt eo pretio mariti vitam à præfecto redimeret. Atq; hoc facto Acyndini pluribus explicato, liberum vnicuiq; permittit æſtimare, quod velit: quamuis in eam partē propenſior videatur, quòd id fieri neutiquam liceat.

Annotatio XV.

Circumcidatur ex vobis omne maſculum. Gen. 17. b.

Homil. 29. in Gen. hāc periodū ecuxtiēs, indicare videtur. quòd circumciſio in lege, nihil aut virtutis, aut iuſtitiæ, aut gratię infantibus circūciſis cōtulerit, ſed ſignū dūtaxat fuerit, per quod infantes Iudæorū à cęteris nationibus diſtinguerētur, ita enim loquitur: Vt euidenter diſcatis dilecti, quòd circūciſio nihil ad animæ virtute conducat, ex his quæ fiunt, videri poteſt. cur enim octo dierū infans circūciditur? duabus de cauſis opinor: vna, vt in ætate immatura, faciliùs circūſionis in carne moleſtiā ferre queat: alia, vt rebus ipſis diſcamus, quòd id animæ nihil cōducat, ſed hoc fiat ſigni tātū gratia. pueri enim immaturi, cū ea, quæ fiūt, ignorēt, neq; ſenſum eorū habeāt, quā inde vtilitatē in anima ſua accipere poſſunt? Illa enim ſunt verè bona animæ, quæ ex electione fiunt: in carne verò ſignū accipere, quale bonū opus fuerit? & Hom. in Gen. 27. eandē cōfirmans ſententiā, Attende, ait, quomodo Deus circumciſionē pro lege ſtatui voluit, nō quòd animæ ſalutē efficere hoc poſſit aliquid, ſed vt Iudæorū pueri hoc gratitudinis indiciū circumferrent, quaſi ſignū, & ſigillum, & ne liceret eis cōmiſceri gentium cōmiſtionibus. Hinc beatus Paulus ſignum hoc vocat, dicens: Et ſignum dedit circumciſionis ſigillum, nam ad iuſtitiā ipſa circūciſio nihil cōducit. Itē hom. 44. in Gē. 17. c. Nulla, inquit, alia ex circumciſione fuit vtilitas, quā hæc ſola, quòd ex hoc ſigno eſſent cognoſcibiles, & ab alijs gentibus ſequeſtrarentur Iudæi.

Circūciſio an infantibus gratiam cōtulerit Rom 4. — *Ibid.*

Huic

Huic aſſertioni aduerſantur omnes, tam veteres, quàm recentiores theologi: aiuntque circumciſionē, excepto ingreſſu regni cælorum, cōtuliſſe omnes effectus gratiæ, tam priuatiuos, quàm poſitiuos, quos nunc baptiſmus præſtat, non quidem ex virtute propria, ſed ex virtute fidei in Chriſtum. Auguſtinus enim in lib. 2. de nuptijs & concupiſcentia, capite vltimo, Circuncīſio, inquit, in populo Dei, quæ erat ſignaculū fidei iuſtitiæ Dei, ad ſanctificationē purgationis, valebat magnis, & paruulis, originalis veteriſq; peccati, ſicut & baptiſmus ex illo cœpit valere tēpore, ex quo inſtitutū eſt. Beda verò in cōmentarijs ſecundi capitis in Lucā, Idē, ait, ſalutiferæ curationis auxiliū circumciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tēpore cōſueuit, excepto, quòd ianuā cæleſtē nondū intrare poterāt, tamē in ſinu Abrahæ pòſt mortē requie beata cōſolati, ſupernæ pacis ingreſſum ſpe fœlici expectabant. Hæc illi, quibus minimè obſtat, quod ſuprà infert Chryſoſtomus, nēpe circūciſionē nihil prodeſſe infantibus, quia his neq; cognitio inſit, neq; electio: nā, vt inquit Bernardus, ſicut nunc baptiſmus abſque vllo volūtatis vſu infantibus confert ſalutē; ita tunc circūciſio ſine vlla arbitrij electione ſalutē infantibus attulit. Habet hoc idē D. Thomas in 3. parte quæſt. 62. artic. 6. fortè dici poteſt Chryſoſtomi verba referenda eſſe ad ſummū perfectæ iuſtitiæ incrementum, & ad vltimam ſalutis æternæ cōſummationem; quæ quidē præſtare non poterat circūciſio, cùm nōdum mortuus eſſet Chriſtus, & apertum eſſet cæleſte regnū, vel dicendum eſt Chryſoſtomum fortaſſe locutum de circumciſione abſque fide Chriſti venturi, quæ nullum per ſe ipſa præſtabat auxilium. circūciſio enim nō ſuapte virtute gratiam conferebat, ſed virtute fidei; quam veteres proteſtabātur in ſignaculo ſuſceptæ circumciſionis. Lege infrà annot. 100.

Annotatio XVI.

Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit in corde ſuo dicēs: Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? Gen. 17. c.

Nū Abraham infidelitate peccauerit.

Homil. 40. in Gen. ad huius loci explanationē, Vides, inquit, Abrahā excellentē promiſſionē & magnitudinē eius, qui promiſerat, cogitās cecidit in faciem ſuam, & riſit. Græcus Chryſoſtomi codex, quē Lugduni in Bibliotheca Sanctis Pagnini vetuſtiſſimum vidimus, ſtatim hoc hanc periodū verba quædā habebat, quæ in cæteris vulgatis voluminibus nō leguntur. ea ſunt hæc: Deus vti ſolus ſine peccato ſit, permiſit aliquādo iuſtos ſecūdùm ipſorum arbitriū in peccatum cadere. vnde & ſanctus Abraham infidelitate peccauit, & pœnas à Deo recepit, vt ſemē eius quadringentis annis ſeruiret. Moyſes quoque cū non glorificauit Deū, qui ei aquā de petra largitus eſt, ingratus fuit, & Deus dixit illi, Nō videbis terrā promiſſionis, & non intrabis in eam. Hactenus Græcum exemplar, cuius verba cùm minimè cohæreant ſequēti narrationi, quæ Abrahā teſtatur, non ex infidelitate, ſed ex ingēti gaudio, in eas cogitationes voceſq; prorupiſſe, neſcientē quid diceret: ſuſpicor prædicta verba à ſtudioſo quopiā aliunde ex Chryſoſtomo deſumpta, & in margine præſentis loci poſita; demum, vt ſæpe fit, ſcriptorū incuria in contextum tranſlata. nā in fine homil. ſextæ, de pœnitentia locus, promiſſo non diſſimilis, habetur ſenſu planè, & verbis ijſdē, in hunc modū: Sed quoniā Deus erat, & idem ſine peccato ſolus, permiſit iuſtos proprium penes arbitrium humanis erroribus incuruari, non iā ipſe ad peccatum impellens, ſed arbitro permittens ſecundū proprium nutum ambulare. ſic itaq; infidelitate ſanctus peccauit Abrahā, propterea pœnā

Deut. 32.

A non effugit à Deo, vt ſeruiret eius ſemen annis quadringentis. & iterū Moyſes, nō glorificās Deū, cū aquā de petra donauit, ingratus fuit: atque ideo ad eum Deus, Non videbis, inquit, terram promiſſionis, & non intrabis in eam. Eandem ſententiam amplectitur Hieronymus lib. 3. contra Pelagiū, his verbis: Abrahā non credidit quod Deus repromiſit, ſed riſit in corde, putans ſe celare Deū, & apertè ridere non audens. Denique cauſas incredulitatis exponens, dicit in corde ſuo: Quomodo poteſt fieri, vt centenarius de nonagenaria pariat filiū? Viuat, inquit, Iſmaël in cōſpectu tuo, quē ſemel dediſti: difficilia non quæro: contentus ſum beneficio, quod accepi. Quē occulta reſpōſione arguēs Deus, ait, Etiā fiat, quod exiſtimes nō futurū, & ex errore tuo, quo riſiſti, filius tuus Iſaac riſus nomē accipiet. Paulus omnino huic aſſertioni videtur aduerſari, cū ad Romanos ſcribens, ait: Et non infirmatus eſt in fide, nec cōſiderauit corpus ſuū emortuū, cū iā ferè centū eſſet annorū, & emortuā vuluam Saræ in repromiſſione etiam Dei nō hæſitauit diffidentia, ſed cōfortatus eſt fide, dans gloriā Deo, pleniſſimè ſciens, quia quæcumq; promiſit Deus, potēs eſt facere: ideo & reputatū eſt illi ad iuſtitiā.

Rom. 4.

B Quam ſententiam exponentes Ambroſius ac Theophylactus, ſentiunt Abrahā nihil prorſus hæſitaſſe, immò cōtra ſpē in ſpem pleniſſimè credidiſſe. Quin & Auguſtinus lib. 16. De ciuit. Dei cap. 26. ſcribit riſum Abrahæ fuiſſe exultationē gratulantis, nō irriſionem diffidentis. verba quoq; illa, Putāſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? nō dubitantis, ſed admirantis fuiſſe ait Ioānes Arboreus lib. θεοσοφίας primo, huiuſmodi ſedans cōtrouerſiam, inquit, Abrahamū ſubdubitaſſe, & animo hæſitaſſe in initio, cū riſit in corde ſuo, dicēs: Putāſne centenario naſcetur filius? ſed verba promiſſionis quæ ſubiunxit Deus, erexerunt illius animum,

C ancipiti iudicio verſatum, & ſic ab omni dubitatione explicicarunt, vt deinceps certiſſima & immobili fide diuinis pollicitationibus innixus ſit.

Annotatio XVII.

Cum ſurrexiſſent inde viri. Gen. 18. b.

Num diuina gratia nos præueniat, vel à nobis præueniatur.

Hom. in Gen. 42. cōmendans Abraham, quòd virtutes omnes abſolutiſſimè poſſederit, habet verba quædam ferè in principio ſermonis, ob quæ, & alia plurima his ſimilia, varijs in locis expreſſa, Ioānes Oecolāpadius, Lutheranæ hæreſeos profeſſor, vitio illivertit, quòd nimius ſit in aſſertione liberi arbitrij ex mūdanæ philoſophię ſcholis hauſta, & violētus admodum in exigēdis naturæ humanæ viribus, quæ nullæ ſunt, vnà cū volūtatis noſtræ præparatione, ſunt autem hæc Chryſoſtomi verba: Quæ igitur nobis poſthac relicta eſt excuſatio, cū vnus homo cunctas in ſe poſſideat virtutes, nos verò ita immunes earū ſimus, vt ne vnā quidē

D perficere iuuet: quòd enim nō ex eo, quod nō poſſumus, ſed quod nō volumus, à bonis operibus ſumus alieni, manifeſtè indicat hoc ipſū, quod Patriarcha, qui ante gratiæ tēpus, & ante legē fuit, à ſeipſo, & à ſcietia quæ naturæ inſita eſt, in tantū peruenit virtutis faſtigiū, vt ſufficiat ad confutandū omnes excuſatione noſtras. At fortè dicēt aliqui, quòd vir ille multā à Deo conſecutus ſit gratiā, & omnium Dominus, ſingularē eius habuerit curā. Fateor ita eſſe & ego: verùm niſi priùs & ipſe, quod ſuum erat, feciſſet, non tāta à Domino, obtinuiſſet. Eapropter attende, quomodo primū in omnibus virtutis ſuæ indicium exhibuerit, atq; ſic diuinū meruit præſidium, quod neque à primogenitoribus ſemē fidei acceperit, & à ſeipſo valde religioſam atque piam mentem obtulerit. & paulò pòſt addit: Vidiſti, quomodo ab initio, quæ a ſemetipſo erant, attulerit, & propterea diuina quotidie vbertim acceperit?

Hanc

Hanc eandem ſententiam, quamplurimis locis in culcat,præſertim homil.17.in Ioannis caput 2. vbi ſic loquitur:Hinc admoneri poſſumus, Deum ſuis in nos beneficijs noſtras non præuenirevolũtates, ſed à nobis incipiendum eſſe:cùm autẽ ille nos viderit prõpto paratoq́;animo ad ſuſcipiendã gratiã, tunc multas nobis offeret ſalutis occaſiones. Quibus ſanè verbis videtur Chryſoſtomus innuere, quòd principium ſalutis noſtræ ita in nobis ſitum ſit,vt abſq; præuenientis gratiæ auxilio ex proprijs naturæ viribus mereri poſſimus diuinũ iuſtificãtis gratiæ munus:qui Pelagianorum eſt error.

Sed apparet Chryſoſtomum noluiſſe his verbis præuianti derogare,quam toties extollit; ſed ignauiam ſuorum auditorum arguere, & deſidiam noſtram inexcuſabilem reddere. quod etiam præmiſſæ orationis ingreſſus apertè manifeſtat, dum inquit:Quæ nobis poſthæc relicta eſt excuſatio, &c. hæc enim eſt fixa,& vbique immobilis Chryſoſtomi ſentẽtia, ſcilicet; Nos,quicquid boni habemus, ex præuenientis, vocantis, & ſemper incipientis gratiæ benignitate habere, nullumque eſſe in nobis meritum.quod non ſit donum Dei: cuius quidẽ tanta eſt bonitas, vt velit noſtra eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.Et,ne quis, iniuſta Oecolampadij calumnia commotus, ſuſpicetur Chryſoſtomum non ita ſenſiſſe,vt dicimus, ſufficiant duo, aut tria ex tam multis eius locis inducere,in quibus pro diuinæ gratiæ defenſione ſic loquitur homil. 12.in quartum caput primę ad Corinthios:Quod,inquit, habes,hoc accepiſti; neque hoc tãtùm, & illud,ſed quicquid habes.non enim merita tua hæc ſunt,ſed Dei gratia. Quamuis fidem adducas, à vocatione eam accepiſti:quamuis peccatorum veniam adducas,quamuis gratias,quamuis virtutes, omnia inde tibi prouenerunt.quid igitur habes, quod non acceptum habeas?num ipſe per te rectè operatus es? non ſanè accepiſti. non enim tuum id munus eſt, ſed largientis.nam ſi accepiſti, ab illo accepiſti: ſi ab illo,non tuum accepiſti:ſi non tuum,quid inſoleſcis,ac ſi tuum habeas?Homil.38.ad populũ Antioch.quæ de humilitate & quiete inſcribitur, Nolimus,inquit,nos extolli,ſed nos dicamus inutiles, & vtiles efficiamur: nam ſi te dixeris probabilem, licet probabilis exiſtas,inutilis factus es: ſi verò te nominaueris inutilem,factus es vtilis, licet ſis improbandus.propterea meritorum obliuiſci neceſſarium eſt.tutus enim meritorum theſaurus obliuio meritorum. & aliquantò poſt addit: Ne igitur mercede te dignũ reputes,vt capias mercedẽ: gratia cõfitere ſaluari,vt ipſe tibi ſe debitorem confiteatur.nam & nos ſeruos habentes, maximè tunc eos acceptos habemus, cùm poſtquam omnia beneuolè miniſtrauerint, nihil magnum feciſſe ſe cẽſent.Itaq;ſi tu quoque magna vis reddere merita tua,ea ne magna eſſe putes,&magna tunc erunt. Hæc Chryſoſtomus: qui ſi aliquando diuerſum dicere videatur,ita interpretandus eſt, vt referamus præmiſſa eius verba,& alia his ſimilia, non ad illam primam præuenientis atque excitantis gratiæ motionem, quæ ſemper ita nos præuenit, vt à nobis præueniri non poſſit;ſed ad illud ſubſequẽtis gratiæ donum,quod in ſcholis theologorum habitualis gratia nuncupatur.hoc enim nullus,vt piè ſanctèque cenſet Chryſoſtomus,cõſequitur, niſi animum ad ſuſceptionem tanti doni ritè præparatum obtulerit. Vel dicendum eſt,ſicut etiam Anianus in præfatione commentariorum Chryſoſtomi in Matthæum annotauit, Chryſoſtomum interdum naturæ noſtras vires plus æquo extuliſſe ex contentione diſceptandi cum Manichæis, & Gentilibus, qui hominem aſſerebant vel naturæ malum, vel fati violentia ad peccandum compelli.Vide infrà annot.93.& 111.

Annotatio XVIII.

Deprecatus eſt Iſaac ſuper vxore ſua. Gen 24.

HOmil.49. poſt enarrationem iſtius ſententiæ videtur inurere notã incredulitatis Mariæ virgini,quòd Chriſti conceptũ in vtero ſuo abſque humana cõmiſtione futurũ nõ crediderit nuntiãti angelo.ſic enim Angelũ introducit loquentem ad Mariã: & qua adeò incredula es,per hoc crede. & pòſt pauca addit:Planè per omnia manuducebat eam ad credendum annuntiationi: & vide quanta Gabriel vtitur ſolertia: non enim in memoriã reducit Sacrã,vel Rebeccam,quæ fuerunt ſteriles & vetulæ;quia erãt hæ antiquę narrationes;ſed adducit eã ad hoc,quod nuper in Heliſabeth cõtigit, vt mentẽ eius ad credendum prouocaret.Hunc eundem fidei defectum videtur Chryſoſtomus eidem aſcribere in morte filij ſui,dũ in Pſalmo 13.ſic inquit:Quãdo Chriſtus fuit crucifixus,nõ fuit qui faceret bonũ.diſcipuli omnes fugerũt,Ioãnes nudus recedit,Petrus negat, ipſius Mariæ matris animum gladius dubitationis pertranſit. Huic ſententiæ nõ diſſimile eſt,quod de dubitatione Mariæ ſcribunt Origines Homil.17.in Lucã,Theophylactus in Lucæ 2.& Auguſtinus in quæſtionibus ſuper Lucam. Sunt qui perperam iudicẽt Chryſoſtomi ingenium ſuapte natura fœmineis moribus infenſum,nõ potuiſſe cohibere ſe,quin aliquid muliebre etiã Mariæ tribueret;quã alibi quoq; in cõmentarijs euangeliorũ Matthæi,& Ioannis,vt importunã & ambitioſam perſtringit: verũ, quia Chryſoſtomus inter cæteras Mariæ virtutes etiam fidem miris vbiq; celebrat laudibus;neceſſe eſt referre ipſius verba,nõ ad illud ſiue dubitationis,ſiue incredulitatis genus, quod ſub infidelitatis crimine collocatur; ſed ad quandã hæſitationem,ex vehementi admiratione ac ſtupore naſcentẽ, quoties præter naturæ modũ & ordinem, inſolitæ euentuum ſpecies nobis primùm occurrunt.Quod ipſe ſatis apertè iudicat, cũ eo in loco Mariam deſcribit ad ſermones angeli ſumma admiratione obſtupefactam. Lege infrà annot. 56.& 94. item annot. 129. 139. & 140. lib. Biblioth. Senenſis.

Maria virgo an aliquando infidelitate laborauerit.

Luc. 1.

Luc. 2.

Annotatio XIX.

Ingrediens Iudas ad Thamar,dixit,Dimitte me,vt coëam tecum. Gen.38.d.

EXaminans Chryſoſtomus congreſſum Iudæ & Thamar,nempe ſoceri cum nuru, præſenti capite deſcriptũ,diuerſa,& planè dictis ſuis contraria videtur ſentire.nam in 62.Hom.in Geneſ. tã ſocerum,quàm nurũ ab omni crimine liberãs, ita ſcribit;Thamar furari voluit ſoceri cõcubitum,& ex illo filios procreare,nõ libidinem explere cõcupiſcens;(abſit hoc)ſed diſpenſatio erat,quod fiebat.& poſt pauca tres huius ſentẽtiæ rationes inducens, Nullus,inquit,hæc audiẽs condẽnat Thamar:nã,vt dixi,diſpẽtioni miniſtrauit: & propterea neq; vllã inde reprehenſionẽ meretur, neq; Iudas criminibus fuit obnoxius.ecce enim hac via procedẽs inuenies ex pueris Iudæ natis Chriſtũ ſecundũ carnẽ ducere genus. Præterea duo iſti filij per eum nati duorũ populorũ figura fuerint,& prædictio quædã vitæ Iudaicæ, & ſpiritualis. His tribus rationibus Chryſoſtomus hoc loco Iudã & Thamar defendit, quos alijs in locis apertè dãnat: hanc quidẽ vt inceſtam, illum vt fornicarium. ſiquidem hom.1. in Matth.de ipſius Thamar cõcubitu mentionem faciẽs,ita inquirit:Cur Matth.in generatione Chriſti eas tantũmodo fœminas,quæ de aliquo vitio celebratæ ſunt,eduxit in mediũ,id eſt,ſi aqua adultera, vel meretrix,ſi qua etiã ex nuptijs nõ legitimè copulata

Num Thamar, Iudæ cõgrediens, adulteriũ perpetrarit.

Digitized by Google

pulata, ſi qua alienigena, vel barbara fuit. liquid. in non modò Vriæ vxorẽ, ſed etiam Thamar & Ruth Euangeliſta cõmemorat: quarum alia quidem erat alienigena, vt Ruth: alia verò ſcortum, vt Thamar: quæ cum affine rem habuit, non tantũ nõ lege illi coniuncta coniugij, ſed furata concubitum, & intra habitum meretricis abſcondita. Cui quidẽ quæſtioni idem hoc. in Matth. 3. ſatisfaciens, tres huius facti cauſas aſſignat: primã, vt oſtenderet, quòd Chriſtus, qui noſtra opprobria extincturus aduenerat, progenitores peccatores habere dignatus ſit, nihil ob mala noſtra erubeſcens. ſecunda, vt demõſtrret nobis nõ eſſe de parentibus etiam fornicationis & adulterij fœditate ſordida is erubeſcendũ, ſi propria decoremur virtute, quæ parentis nõ decoloratur opprobrijs. tertiã, vt factum reprimeret Iudæorum, qui de parentũ virtutibus nimium inſolenter gloriabãtur, docens patriarcham ipſorum Iudã, à quo Iudæi nomen accipiunt, non exiguum aliquod in Thamar fornicatione admiſiſſe delictum.

Matth. 1.

Hactenus Chryſoſtomus: cuius priorẽ ſententiã ſequuntur Ambroſius lib. 3. cõment. in Lucam, & Theodoretus quæſt. 94. in Geneſ. poſteriorem verò eiuſdẽ aſſertionem amplectuntur Hieronymus in quæſt. Hebraicis, & D. Auguſtinus; qui rationibus occurrẽs, pro prima Chryſoſtomi aſſertione inductis, in lib. 22. cõtra Fauſtũ inquit, Nõ omnia hominum facta eſſe à nobis cõprobanda, ex quibus bona quædam iuxta diuinę prouidentię diſpenſationẽ aut ſequuntur aut ſignificantur. nam diuina prouidentia, vbique bonitatem ſuã ſeruans, & tam de malis, quàm de bonis hominũ operibus bonũ educens, de libidine Iudæ, qui ad Thamar cõcupiſcentia victus intrauit, boni aliquid non ſolum efficere, ſed aliqua futura bona prophetice ſignificare voluit ad ſignificãda enim aliqua bona nihil intereſt facta illa, quibus ea ſignificãtur, ſeu bona, ſeu mala ſint. Aloyſius, epiſcopus Veronẽſis, in Catena explanationũ in Geneſim, nõ eſt, ait, excuſandus Iudas à peccato fornicationis: nec, vt ſoluti cũ ſoluta, approbãda eſt fornicatio: peccauit enim multipliciter, & in alijs mẽdacio, proditiõne, & odio. Rabbi Simeon Iochai in commentarijs Pentateuchi, quos Zoar præſcripſit, liberat eam ab omni crimine: quod non explendæ libidinis gratia id egerit, ſed pio quodam inſtinctu, nempe vt ex Iuda expectatum Meſſiam conciperet.

ANNOTATIO XX.

Cùm inuocarem, exaudiuit me Deus, &c. Pſal. 4. a.

De inuocatione ſanctorũ.

CHryſoſtomus in præfationis enarratione in hunc Pſal. habet nonnulla, quæ à Lutheranis contra ſanctorũ inuocationem inducuntur: ea ſunt hæc: Non potes dicere, vereor accedere, & orare Deum: ſed ſemper & aſſiduè eum potes interpellare; & nulla adeſt difficultas. neque enim opus eſt ianitoribus, qui te introducant; non diſpenſatoribus, procuratoribus, cuſtodibus, aut amicis: ſed quando ipſe per te ipſum acceſſeris, tũc maximè te audiet, tunc, quando neminem rogaueris. non enim ita eum per alios placamus orantes, ſicut per noſipſos, quãdo viderit nos hoc per noſipſos facientes, tunc maximè annuit. Ita enim facit in Chananæa, &, cùm Petrus quidem & Iacobus accederent, non annuit. Cùm ea autem permaneret, quod petebatur dedit. Repetit Chryſoſtomus multis etiam alijs locis hæc eadem, quorum intelligentiam piè explicatam habes infrà annot. 123.

Math. 15

ANNOTATIO XXI.

Non eſt qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum. Pſal. 13. a.

Num Maria in morte Chriſti hæſitauerit.

CHryſoſtomus, ſiue alius quiſpiam, cuius expoſitio in Pſal. 13. inſerta eſt Chryſoſtomi commentarijs, hanc ſententiam enarrans, indicat Mariam virginem, moriente Chriſto, hæſitaſſe in fide. ſunt enim hæc ipſius verba: Non fuit, qui faceret bonum. quãdo diſcipuli omnes, eo relicto, fugerũt, Ioannes nudus recedit, Petrus negat, diſcipuli fugiunt, ipſius Mariæ matris animum gladius dubitationis pertranſit, Habes huius ſententiæ interpretationẽ ſuprà annotatione 18. & infrà annot. 56. & 94. itẽ annot. 138. 139. & 140. lib. 6. Biblioth. Senẽſis.

ANNOTATIO XXII.

Paraſti in conſpectu meo menſam. Pſal. 22. b.

De Euchariſtia.

IN Hom. quadam ſuper Pſal. 22. quæ tamẽ Chryſoſtomi eſſe non creditur, habet hæc verba: Iſta menſa eſt altaris Domini conſecratio, & quia iſtam menſam præparauit diuina ſapientia ſeruis & ancillis ſuis in cõſpectu eorũ, vt quotidie in ſimilitudinẽ corporis & ſanguinis Chriſti panẽ & vinũ ſecundũ ordinem Melchiſedech nobis in ſacramẽto oſtenderet ideo: dicit, Paraſti in cõſpectu meo mẽſam. Protulit hunc locũ Ioannes OEcolampadius cõtra veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia, vt ſub Chryſoſtomi nomine hæreſi ſuę fidẽ aſtrueret. Sed cũ phraſis, & explanationis character palàm arguant homiliam non eſſe eius, cuius titulo præponatur, nõ opus eſt, vt quicquã OEcolãpadio reſpõdeamus pro defenſione Chryſoſtomi, quem cõſtat acerrimum eſſe huius ſacramenti propugnatorem. Cuiuſcumq; tamen hæc verba ſint, non eũ reddunt ſenſum, quẽ ex his falsò colligit OEcolãpadius. nihil enim prohibet, imò neceſſarium eſt, vt vnà cum vero corpore & ſanguine Chriſti ſint in ſacramẽto & altaris panis & vini accidentia, quæ hic panis & vinũ dicũtur. hæc autẽ ſimilitudinem & & figurã gerunt corporis Chriſti myſtici, quod eſt eccleſia, dicente Paulo: Vnus panis, & vnum corpus ſumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus.

ANNOTATIO XXIII.

Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam Pſalm. 50. a.

Num pœnitentia iteranda ſit.

HOm. 2. in Pſalm. 50. cũ ex verbis huius verſiculi deploratiſſimũ quemq; peccatũ ad pœnitentiam animaret, prorupit in eã vocem, à ſe etiã in multis homilijs ſæpiſſime repetitã, Peccaſti, pœnite: millies peccaſti, millies pœnite: millies pœnitet, etiã adhuc pœnite. Quam vocem nõ defuerunt olim qui damnarint, veluti quoddam intemperãtiæ & effrænis licentię ſeminariũ. Inter alios verò Socrates Conſtantinopolitanus li. 6. hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 21. de ea ſcribit in hunc modum: Subit mihi admiratio quomodo Ioannes, cũ tantũ temperantiæ zelum exercuerit temperantiã in homilijs ſuis contemnere docuerit. cùm enim vnica tãtum eſſet à ſynodo epiſcoporũ lapſis data pœnitẽtia; auſus eſt ipſe dicere. Etiam, qui millies pœnitẽtiam egiſti, accede. propter quã ſententiã ab amicis quoq; damnabatur, maximè à Siſinnio, Nouatianorũ epiſcopo; qui librum contra hoc dictum conſcripſit, & ob id illi fortiter reſtitit. Hæc Socrates; quẽ haud dubium eſt fuiſſe Nouatianum, & ob id vnà cùm ſuo epiſcopopo offenſum Chryſoſtomi dictis. tametſi Chryſoſtomus, hæc dicens, non reſpiceret ad illã ſolennem & publica pœnitentiã,

quam

Digitized by Google

quam ſynodica decreta ſemel tantùm lapſis conceſſerunt,ſed ad priuatã, ſingularẽ,& ſecretã pœnitentiã,quæ coram Deo vel particulari ſacerdote cuicunq; peccanti neceſſaria eſt. Hãc millies peccanti, millies in remediũ offert Chryſoſtomus,nõ vt ijs prębeat materiã intemperãtis licentiæ,ſed vt eos ab omni deſperãdi occaſione liberet. Quod & ipſemet in eadẽ hom.poſt prędictaverba planè declarat,ſic addens:Hæc dico, non vt negligẽtes vos faciam,ſed vt ad finem vos ſalutaris expectationis adducam;ne vmquã deſperetis de vobis, ſed ſemper de Dei miſericordia confidatis: deſperandum enim de illo tantùm eſt,qui de ſeipſo deſperauit.

ANNOTATIO XXIIII.

Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Pſal.50.

De ſatisfactione.

HOm.2.in Pſal.50.hanc clauſam interpretãs, inter cætera hæc inſerit verba: Vbi miſericordia flagitatur,interrogatio ceſſat.vbi miſericordia poſtulatur,iudicium non ſæuit. Vbi miſericordia petitur,pœnæ locus non eſt. Vbi miſericordia, quæſtio nulla:vbi miſericordia, condonata reprehenſio eſt. Ioannes Caluinus cap.9.ſuarum inſtitutionum abutitur hac ſententia ad euertendum ſatisfactorias pœnas,quas theologi docent pœnitentibus maximè neceſſarias. Relege annotationem tertiam,quæ ſuprà eſt.

ANNOTATIO XXV.

Peccatum meum contra me eſt ſemper, Pſal. 50.a.

Vtrum ſacramentalis confeſſio ſit neceſſaria

HOm.2.in hunc Pſal.ad expoſitionem pręſentis verſiculi nonnulla de cõfeſſione inſeruit, quæ Ioannes Caluinus inſtitutionis ſuæ cap.9.& cæteri Lutherani inducunt, vnà cũ pleriſque alijs eiuſdẽ autoris ſententijs aduerſus ſacramentalem confeſſionẽ.ea in hũc modũ habẽt:Peccata tua dicito,vt deleas illa.ſi cõfunderis alicui dicere, quia peccaſti,dicito ea quotidie anima tua. non dico, vt confitearis cõſeruo tuo:ſed dicito Deo, qui curat ea.Cõſimilem ſententiam,ſed ijſdem penè verbis inculcat Chryſoſtomus quamplurimis in locis; è quibus aliquot inſigniores huc afferam,vt vno cõtuitu ponam tibi ob oculos, quæcumque is in hoc propoſitum dixerit,& ne mihi opus ſit rurſum huiuſmodi argumenti locos repetere.

Hom.4.de Lazaro in Lucę cap.16.Cur igitur,inquit,pudeſcis & erubeſcis confiteri peccata? caue enim homini dixeris,ne tibi opprobret: neq; enim conſeruo confiteris,vt in publicum proferat, ſed ei qui Dominus eſt,ei qui medicus eſt,oſtendis vulnera:neq; enim ignorat,etiamſi ei non dixeris,qui ſciebat etiam antè,quàm perpetrares. Quid igitur eſt curæ quominus dicas? Non, inquit,cogo te in medium prodire theatrum,ac multos abhibere teſtes:mihi ſoli dic peccatum priuatim, vt ſanem vlcus,teque dolore liberem.

Homilia de Publicano in Lucæ 18.ſic ſcriptum reliquit: Admoneo te,vt aſſiduè confiteare: neque enim te ad theatrũ duco conſeruorũ tuorum, nec te cogo peccata tua hominibus enũtiare: cõſcientiam tuam Deo expone:ei oſtende facta & vulnera, &ab eo medicinã pete,oſtẽde te nõ exprobrãti,ſed curanti:vt enim taceas,tamen ſcit ille omnia. Dic ergo illi vt illuc liber, atque ſolutus à peccatis abeas,& ab illa peccatornm publicatione intolerabili liberere.

Hom.31.in 12.cap.epiſt.ad Hebræos.Nõ tantũ, inquit,nos peccatores eſſe dicamus, ſed etiam illa peccata ſpecialiter ſingula computemus. Non tibi dico, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuſes:ſed obedire te volo prophetæ,dicẽti:

A Reuela domino viam tuam.Ante Deum ergo tua confitere peccata:apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuntia , non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria:& tunc demum ſpera miſericordiam te poſſe conſequi. Pſalm 36

Homilia de pœnitẽtia,& cõfeſſione ait: Tu confunderis,&erubeſcis peccata tua effari;atqui oportebat maximè apud homines ea dicere,& inuulgare:confuſio enim eſt peccare:non eſt cõfuſio confiteri peccata.nunc autem neque neceſſariũ præſentibus teſtibus cõfiteri:cogitatione fiat delictorũ exquiſitio:abſq; teſte ſit hoc iudiciũ:ſolus te Deus confitentẽ videat:Deus,qui nõ exprobrat peccata tua,ſed ſoluit peccata propter confuſionem,&c.

Homilia octaua inter eas, quæ de pœnitẽtia habentur,Nõ reueles,inquit, vlcus,nõ in commune theatrum accuſationẽ producas, non delictorũ teſtes ſtatuas:intus in cõſcientia,aſtãte nemine, præter eum qui cuncta videt,Deum,qui & ſcrutatur,& de peccatis iudicat,& omniũ vitã quaſi lance quadam librat,iudicium peccatorum ſtatuẽs,reforma, B quod deliquiſti;atque ſic pura conſcientia ſacram attinge menſam,particepſq; ſancti ſacrificij fias.

Homilia quinta de incomprehenſibili Dei natura,ait:Quas ob res vos hortor,& rogo,& oro, fratres chariſſimi, crebriùs Deo immortali confiteamini,& enumeratis veſtris delictis,veniã petatis,& numen propitium. nõ te in theatrum conſeruorũ tuorum duco,nõ hominibus peccata tua detegere cogo:repete coram Deo conſcientiam tuam,&explica:oſtende Deo medico præſtantiſsimo tua vulnera;& pete ab eo medicamentum: oſtende ei, qui nihil opprobret,ſed humaniſsimè curet; dic ei, vt, abſterſis tuis maculis, abeas illinc mundus,& ſine vllo dedecore, ab intolerabili promulgatione illa delictorum tuorum libereris.

Ioannes Caſsianus,præceptori ſuo Chryſoſtomo in eadem ſententia cõſentiens,lib.20. Collationũ, C ca.8.hæc exarauit; Quis eſt,qui nõ poſſit Deo ſuppliciter dicere, Peccatũ meum cognitum tibi feci? Pſalm.31 vt per hanc confeſſionem etiam illud ſubiungere mereatur, Et tu remiſiſti impietatem peccati mei. Quod,ſi verecũdia retrahẽte,reuelare peccata tua corã hominibus erubeſcis,illi,quẽ latere non poſſunt,cõfiteri ea iugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere: iniquitatem meã ego cognoſco, & peccatũ Pſalm 50 meũ cõtra me eſt ſemper.Tibi ſoli peccaui,& malũ corã te feci; qui & abſq; vllius verecũdiæ publicatione curare,& ſine improperio donare conſueuit.

Magiſter ſententiarũ lib.4.diſt.18.ait hæc Chryſoſtomi dicta nõ ſic eſſe intelligenda, vt liceat alicui,ſi tẽpus habuerit, ſacerdoti non confiteri: ſed quòd ſatis ſit,vbi crimen occultũ eſt, ſoli Deo per cõfeſſorẽ ſecretò dicere.Ego verò arbitror Chryſoſtomũ hæc dixiſſe,nõ de ſecreta & articulari cõfeſD ſione,quæ ſacramentalis pœnitẽtiæ pars eſt, ſed de confeſſione illa theatrali & publica, quæ pars eſt publicæ pœnitẽtiæ,quã olim pœnitẽtes pro enormibus flagitijs,ceu in theatro corã epiſcopo, preſbyteris, & populi multitudine facere ſolebant. Ad hanc enim eos,qui occultè deliquerãt,Chryſoſtomus adigere noluit,tum quòd ea,quę occulta ſunt, coram omnibus publicãda non iudicauit; tũ quod etiam temporibus ſuis cõfeſſio publica fuerat metu furentis populi abrogata à Nectario,Conſtantinop.epiſcopo prædeceſſore ſuo,ob matronã à Diacono ſub confeſſionis prætextu in templo cõpreſſam:ſicut indicat Sozomenus li.9.hiſt.trip.cap.35. ex quo veterem publicæ confeſſionis ac pœnitentiæ ritum referre libet,vt meliùs prænotatæ Chryſoſtomi loca intelligantur.Sunt igitur ex illo capitulo hæc Sozomeni verba.

Quoniam omnino peccare diuinum,& vltra humanam naturã eſſe cognoſcitur; peccãtibus autẽ, & pœnitentiã agẽtibus veniã Deus dari præcepit, qui verò cõfiteri refugiunt, maius peccatorũ onus

Digitized by Google

acquirunt:propterea viſum eſt antiquis Pontificibus,vt velut in theatro ſub teſtimonio eccleſiaſtici populi delicta pādantur:& ad hanc rē presbyterū bonæ cōuerſationis,ſeruantemq; ſecretū,ac ſapiētem virū ſtatuerunt:ad quē accedentes hi,qui deliquerant,delicta propria fatebantur. At ille ſecundum vniuſcuiuſq; culpā,indicebat & mulctā:quod etiam hactenus diligenter in occidētalibus obſeruatur eccleſijs,& maximè apud Romam, vbi etiā locus eſt certus pœnitentiū: ſtant enim rei,& velut in lamētationibus cōſtituti:cū enim ſacra celebratio fuit adimpleta,illi cōmunionem nō percipientes,cum gemitu & lamentatione ſeipſos in terram proſternūt. Ad quos cōcurrēs epiſcopus,& ipſe cū lachrymis & gemitu ſpirituali proſternitur, & omnis eccleſiæ plebs fletibus inundatur. Poſt hæc autem prior ſurgit epiſcopus, & eleuauit iacentes à terra tū cōpetenti pro pœnitentibus facta oratione,dimittit omnes:at illi afflictionibus ſpōte vacātes,aut ieiunijs, aut abſtinētia lauacri, aut ſuſpenſione ciborū, aut rebus alijs,quæ iubetur expectāt commune tēpus,quod decernit epiſcopus. conſtituto verò tēpore,velut quoddam debitū exoluentes,afflictione de peccato curari, cū populo cōmunione participant. Hæc ergo antiquitus Romani pōtifices vſq; ad noſtrum obſeruarūt tēpus,porrò Conſtantinopoli presbyter ſuper pœnitentes fuit vſq; ad illud tēpus,quo quædā mulier nobiliſſima, cùm peccata ſua fuiſſet confeſſa,& ei à presbytero fuiſſet præceptū,vt ieiunaret,&Deo operibus ſupplicaret;tū hoc obſeruaret,crebrius in eccleſia cū diacono ſe concubuiſſe confeſſa eſt. hoc cū populus cognouiſſet,ſæuiebat in ſacerdotes, quaſi per eos facta fuiſſet iniuria eccleſiæ.tū Nectarius epiſcopus remouit diaconū ſceleratū;& quibuſdā ſuadētibus,vt ſingulos ad cōmunicandum iudicio cōſcientiæ ſuæ relinqueret, etiā presbyterū nequaquam eſſe ſuper pœnitētes eſſe præcepit.Et ex illo antiquitatis cōſuetudo ſublata eſt,cū,vt arbitror, minora peccata pro pudore confeſſionis,&ſubtilitate examinantiū patrarētur. Hæc Sozomenus.

Annotatio XXVI.

Ecce enim in iniquitatibus,&c. Pſal.50.

De peccato originis.

Chryſoſtomus à Ioanne Fabro Vienneſi epiſcopo in ſuſpicionem adducitur,quod in enarratione Pſal.50.quē luculenter expoſuit, præſentem verſiculum de induſtria intactum reliquerit, ne in ſermonem incideret peccati originalis, quod ipſe nullum eſſe exiſtimauit, & multis etiam locis nihil eſſe demonſtrauit. Hæc Faber in Apologia commentariorum in Paulum:cuius errorem confutauimus in cenſuris ſuper capite quinto epiſtolæ ad Romanos.Vide infrà annot.102.

Annotatio XXVII.

Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum. Pſal.109.

De Deo iurante.

Chryſoſtomus, hæc verba ediſſerens, ait, iuramentum in Deo non aliter intelligendum eſſe, quàm per metaphoram: ſicut etiam in Deo dicimus eſſe iram. Alludunt hæc ad dogma Chryſoſtomi de iuramento, prorſus Chriſtianis interdicto. Vide infrà annotationem 42. & 43.

Annotatio XXVIII.

Credidi, propter quod locutus ſum. Pſal.115.A.

Num diuina vocatio ſit ex meritis vocatorū.

Hæc enarrans Chryſoſtomus, conſtituere videtur diuinam vocationē eſſe ex dignitate & meritis eorū qui ſe dignos fecerunt,vt vocarētur. ait enim:Si pater trahit,filius deducit,ſpiritus illuminat:quid peccāt,qui neq; tracti ſunt,neq; deducti,neq; illuminati? quoniā nō præbent ſeipſos dignos,vt eā ſuſcipiant illuminationē. vide ergo hoc eueniſſe Cornelio. neq; enim hoc ille domi apud ſe inuenit:ſed eū Deus vocauit,quoniā ipſe præoccupans ſeipſum dignum reddidit.etſi enim eius eſt trahere,& inducere:animam tamen requirit,quæ morē gerat;&tunc ſuum adhibet auxiliū.quocirca alibi dicit Paulus,Secundùm propoſitum vocatis, Rom.8. Horum verborum ſenſum habes infrà annot.108.

Annotatio XXIX.

Vidi Dominum ſedentem,&c. Eſaia 6.A.

De viſo Deo.

Hom.1.in præſentem locum ait,angelos ineffabili Dei gloria frui, ſed naturam eius non videri. Vide annot.lib.6.

Annotatio XXX.

Liber generationis Ieſu Chriſti. Matth.1.A.

Lectio ſacra.

Chryſoſtomus hom.2.in Matth. qua principiū huius euangelij enarrat,non longè à fine aſſerit lectionem ac ſtudium ſcripturæ magis pertinere ad ſæculares,quàm ad monachos, magiſq; illis,quàm iſtis eſſe neceſſariū. Vide infrà annot.85.

Annotatio XXXI.

Iudas autem genuit Phares,& Zaram de Thamar. Matth.1.A.

Thamar.

Hom.3.in Matth.Thamar,vt fornicariam,accuſat,quam alias à fornicationis crimine defendit. Memineris eorum, quæ ſuprà annotat.19. ſcripta ſunt.

Annotatio XXXII.

Cùm eſſet deſponſata mater eius Maria. Matth.1.C.

De matrimonio.

Autor operis imperfect.in Matth.hom.1.hunc ediſſerens locum,delabi videtur in errorem Marcionis,Tatiani,& Mōtani, dānantium nuptias. ait enim matrimoniū ſuapte natura eſſe peccatum, ſed à Deo neceſſitatis cauſa permiſſum: proinde nec Deo placere,nec vllum habere præmiū.hanc verò ſententiam declarat his verbis: Coniunctio maritalis quātum ad naturā rei ipſius peccatū eſt, conceſſione autē Dei facta eſt licentia.licētia,dico, facta eſt,non iuſtitia.nā & ſi propter neceſſitatē rei peccatū eſſe deſijt:tamen iuſtitia eſſe non meruit. Ideo vtētibus ſe,etſi pœnā nō infert, mercedē tamē non præſtat:etſi non occidit, tamē non ſaluat. vnde Propheta,non ad indulgentiā Dei reſpiciēs, ſed ad ſpurcitiā ipſius operis, dicebat; Ecce in iniquitatibus conceptus ſum,& in peccatis concepit me mater mea.id eſt,quid mirū , ſi peccaui , qui de peccato ſum natus?ſecuta eſt enim generationem ſuā natura peccati.nā ſi matrimoniū ipſum placitū eſſet Deo,numquā abſtinentibus ſe ab illo glorioſa promittetur corona:nec ſic amarētur a Deo, qui odiūt illud.nō enim ille remuneratur, qui bonū fugit,ſed qui malū.Vis autē ſcire, quomodo licitū eſt matrimoniū?quomodo aliquādo licuit& ſorores habere vxores?quomodo habuerunt Cain& Abel:Hęc nomina filiorū Adā,quas in initio habuit poſt Cain & Abel Riſā,& Edoclā,&nō peccauerūt quia peccatū illud raritas hominū,&neceſſitas excuſabat.Poſtea creſcēte hominum numero,ipſum malū reuerſū eſt in naturā ſuā,& cœpit eſſe peccatū.remanſit autē in vſu, vt vni viro liceat habere pluresvxores.amplificato poſtea mundo, etiā hoc

malum

Digitized by Google

malum recepit naturam ſuam,& cœpit eſſe pecca-
tum;remanſit autē in vſu, vt vnus vnam haberet
vxorem.nunc autē poſtquā venit plenitudo tēpo-
ris, & ſenuit mūdus,ſcimus,quale eſt conſiliū Dei,
& quòd vult,& quid eſt placitum corā illo: ſed auſi
nō ſumus dicere propter homines incontinētes:in
quorum corpore anima nihil agit,ſed in toto illos
poſſidet ſanguis,& ſordidiſſimus ille vapor, de illo
inſano igne procedens.Deniq; cùm mandaret an-
Tob. 6.7 & 8. gelus Thobiæ in nuptijs eius,vt ante quā cōueni-
rent ād illam cōſuetudinem humanam, ſurgerent
prius,& orarēt,& ſic dicerent:Domine,tu ſcis,quia
non propter libidinē accepi vxorē,ſed propter li-
beros procreandos:quia ſi aliter oraſſet,oratio eius
Deo non fuerat placitura. Vide ergo,quia turpiſſi-
mum illud opus carnis,filiorū cauſa excuſat. Nūc
autem multiplicato ſæculo, creādorum hominum
occaſio eſt extincta.Iam Deum non multitudo ho-
minum,ſed charitas ſanctorum delectat. ecce vna
eſt libido,quæ fornicationem generat, & quæ ma-
ritalem vſum miniſtrat.ſed ſicut poſuit mari termi-
nos,littora,dicens,Vſque huc venies,& hîc te con-
ſtringes:ſic libidini carnali terminum poſuit, con-
iugium, vt vſq; illuc veniens, illic ſe conſtringat.
ſicut ergo mare,ſi littora ſua ſupergreſſum fuerit,
peccat;ita & homo, ſi tranſgreſſus fuerit licentiam
maritalē.Si ergo vna eſt libido in maritis,& in adul-
teris;quomodo poteſt fieri vt vna eademq; res pro
dimidia quidem parte ſit iuſtitia,pro dimidia autem
ſit peccatum?aut enim tota eſt peccatum, aut tota
iuſtitia,quia vna eſt res:verum eſt autem, quia libi-
do iuſtitia non eſt,ergo tota peccatum eſt.Sed pec-
cati illius pœna non imputatur, donec iſte odibilis
& corruptibilis tranſeat mundus. Hactenus in pri-
ma Homilia.

Rurſum Hom.82.ſuper illud Matthæi 19. Moy-
ſes propter duritiam &c. loquens de ſecundis nu-
ptijs,ait: Et apoſtoli præceperunt ſecundas adire
nuptias propter incontinentiam hominum. Nam
ſecundam quidem accipere, ſecundùm præcep-
tum Apoſtoli eſt:ſecundùm autem veritatis ratio-
nem,verè fornicatio eſt.ſed dum permittente Deo
publicè,& licenter committitur,fit honeſta forni-
catio.

ANNOTATIO XXXIII.

Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Matth.1.d.

De Spiritu ſancto. AVtor op.imperf.in Matth.hom. 1. hunc ex-
plicans locū, videtur aſſerere; Spiritum ſan-
ctum in conceptione Chriſti fuiſſe pro ſemine, ſic
inquiens:Vnigenito Deo,virginē ingreſſuro, Spi-
ritus ſanctus præceſſit, vt præcedente Spiritu ſan-
cto, in ſanctificatione naſcatur Chriſtus ſecundū
corpus, diuinitate ingrediente pro ſemine. Hanc
opinionem Auguſtinus ſerm. 191. de tempore in-
ſectari videtur his verbis:Non,vt quidam ſcelera-
tiſsimi opinātur, Spiritum ſanctum dicimus fuiſſe
pro ſemine, ſed potentia & virtute creatoris ope-
ratum.D. Thom. in tertia Summæ theologicæ par-
te,quæſt.32. artic.2. priorem ſententiam ſub titulo
Chryſoſtomi,poſteriorem verò Hieronymi nomi-
ne citans,ita vtramque conciliat,vt dicat,Chryſo-
ſtomum appellatione ſeminis nō intellexiſſe ſub-
ſtantiam ſeminis,qui in conceptione fœtus trans-
mutari ſolet, & quam in Chriſti conceptione me-
ritò exhorret Hieronymus:ſed ſignificare voluiſſe
virtutem actricem dominicæ incarnationis, quæ
fuit ipſe Spiritus ſanctus, dicente angelo ad Ma-
riam,virtus altiſsimi obumbrabit tibi.

ANNOTATIO XXXIIII.

Venit Ioannes Baptiſta prædicans,& dicens:pœnitentiam agite,&c. Matth.3.a.

CHryſoſtomum Homilia in Matth. decima, Num baptiſma Ioannis conferret ſalutem.
verba hæc explicantem, Ioannes Caluinus
Inſtitut.ſuarum cap.17. accuſat,quòd de baptiſmo
Ioannis tractans,affirmauerit illud non contuliſſe
remiſſionem peccatorum, cōtra authoritatē Lu-
cæ,ſcribentis Ioannem prædicaſſe baptiſmū pœni
tentiæ in remiſſionem peccatorū.Sed mirum ſane,
cur temerarius hic eiuſdē criminis non inſimulet
etiā Paulum apoſtolū atq; ipſum Ioannem Bapti-
ſtam,eadē plane prædicantes, quæ Chryſoſtomus
ex eorū ſententia,& eccleſiæ Catholicæ ſanctioni-
bus docuit:Paulus enim cū ad Epheſum rebaptiza-
ri iuſſit eos,qui Ioānis baptiſma ſuſceperāt,oſtēdit
lauacrum illud nō attuliſſe Spiritus ſancti gratiam,
ſed præparatoriū fuiſſe ad conſequendā gratiā in
Chriſti batiſmate conſequendā; & ob id occurrēs
ijs,qui ſibi Ioannis baptiſma iam ſuſceptum ſuffi-
cere putabāt,dixit: In quo ergo baptizati eſtis? Io- Act.19.
annes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum,
dicens,in eū qui venturus eſt; ac ſi dixiſſet, Ioannis
baptiſma nihil aliud fuit, quā præparatio quædā,
pœnitentes ad Chriſti baptiſma deducens: & ob id Matth.3.
iterum in nomine Chriſti baptizari neceſſe eſt.Hoc
& ipſe Baptiſta agnoſcens, clamabat: Ego quidem
baptizo in aqua in pœnitentiā: qui autem poſt me
venturus eſt, fortior me eſt: Ipſe vos baptizabit in
Spiritu S. & igni. hoc eſt: Ego non ſpiritu viuificā-
te,& ſanitatem ac remiſſionem peccatorum exhi-
bente,baptizo,ſed in aqua; nimirum vt hoc ablu-
tionis ſymbolo admoneā vos,vt,arrepto pœnitētię
itinere, properetis ad baptiſmum Chriſti, qui vos,
aqua gratiæ ſuæ emundatos,& igne Spiritus ſui pu-
rificatos,euehet ad æternā ſalutem. Igitur quem-
admodum nefas eſt arbitrari Paulū & Ioannem à
Lucæ ſentētia diſſentire;ita ſummę impudentiæ eſt
affirmare,eidē Euāgeliſtæ aduerſari Chryſoſtomū,
qui in eo ipſo loco,quē damnat Caluinus, demon-
ſtrans,quo ſenſu Lucas pronuntiauerit Ioannem
prædicaſſe baptiſmū pœnitentiæ in remiſsionem
peccatorū,ait, id intelligendum eſſe, nō de remiſ-
ſione criminum,quæ præſens eſſet,quæq; in Ioānis
baptiſmate donaretur, ſed de futura delictorum
condonatione in Chriſti baptiſmo conſequenda.
Quibus quidē verbis palā oſtendit Chryſoſtomus,
nec Lucam à Paulo & Ioanne diſcrepare, neq; ſi-
vt improbè mentitur Caluinus,cum Luca pugna-
re,ſed vtrique conſona ſentire,ac docere.

ANNOTATIO XXXV.

Ego quidem vos baptizaui in aqua;ille autem vos baptizabit in Spiritu. Matth.3.c.

AVtor operis imperf. hom.3. enumerans qua- Num in baptiſmo cōferatur Spiritus ſanctus.
tuor genera baptiſmatum,hoc eſt,verbi,aquę,
Spiritus,& tētationis;aſſerit in baptiſmo aquæ pec-
cata prēterita pœnitentibus ablui ac remitti; ipſo-
rum verò animam nec ſanctificare, nec Spiritum
ſanctum recipere.verba eius ſic habent:Baptiſmus
aquæ proficit,quia peccata quidem, quæ iam pro-
ceſſerunt in opus,abluit;& hoc,ſi pœnituit: animā
autē nō ſanctificat, nec cōcupiſcentias cordis,aut
cogitationes malas præcidit, nec repellit eas, ſed
nec carnales cōcupiſcentias reprimit.Qui ergo nō
fuerit ſic baptizatus,vt mereatur accipere Spiritum
ſanctum,in corpore quidē baptizatus eſt,& pecca-
ta eius indulta ſunt, ſed in animo catechumenus
eſt:ſic enim ſcriptū eſt, Quia qui Spiritū Chriſti nō
habet,hic non eſt eius: propter quod caro eius po-
ſtea peiora ei germinabit peccata;quia nō habet in

Digitized by Google

ſe Spiritum ſanctum conſeruantem ſe, ſed vacua ſe domus corporis eius, propterea Spiritus ille inueniens vacuam domum, & mundatam doctrinis fidei quaſi ſcopis, intrans, ſeptempliciter habitat in ea. Hac homil.4. de quibus etiam homil.5. non longè ab initio ſermonem facit.

ANNOTATIO XXXVI.

Vidit Spiritum ſanctum, ſicut columbam. Matth.3.d.

Num columba Chriſto inſidens fuerit merum animal.

CHryſoſtomum Homilia 12 in Matthæum cōfutans Arrianos, torquentes hunc locum ad inæqualitatem filij & Spiritus ſancti, videtur aſſerere colūbam, in qua viſus eſt Spiritus ſanctus, non habuiſſe columbæ naturā, ſed eius dumtaxat figuram & ſpeciē, his verbis: Audio aliquos dicentes: Quantum inter hominem, columbamq́; diſcrimen eſt, tantam Chriſti & Spiritus ſancti eſſe diſtantiā; quia ille quidem in noſtra vtiq; natura, hic verò in ſpecie ſit viſus columbæ. Quid igitur ad talia reſponderi poteſt? niſi quod filius quidem Dei naturā hominis ſuſceperit, Spiritus verò ſanctus non aſſumpſerit naturā colūbæ. Idcirco Euangeliſta non in natura, ſed in ſpecie colūbæ dixit. tunc enim ſolū in hac viſus eſt figura. Huic Ambroſius cōſentiens lib.1. de Sacramentis cap.5. ait; Et ecce, quaſi colūba, Spiritus ſanctus non colūba deſcendit, ſed quaſi colūba. memēto, quid dixerim. Chriſtus carnē ſuſcepit, carnem, nō ſicut carnē, ſed carnis iſtius veritatē: Spiritus autem ſanctus nō in veritate columbæ, ſed in ſpecie columbæ deſcēdit de cęlo. Vtrique aſſentitur Procopius Gazæus in cōmentarijs Geneſeos cap.18. inquiens: Deus in veteri teſtamēto cōſpectus eſt in forma corporis; nec tamē illud corpus mortalis corporis habuit proprietatem: nō enim vel carne, vel ſanguine cōſtitit. ad eū modum Spiritus ſanctus in noſtrum conſpectum venit in ſpecie colūbæ, nec tamen erat columba: quia non eā, quam columba, habebat proprietatē. Senſit hoc idem Thomas Caietanus in explanatione huius capituli. Cæterùm huic ſententiæ reclamat Auguſtinus in libro de agone Chriſtiano, capite vigeſimo ſecundo ſic ſcribens: Neq; hoc ita dicimus, vt dominum Ieſum Chriſtū dicamus ſolùm verū corpus habuiſſe, Spiritū autem ſanctum fallaciter apparuiſſe oculis hominū: ſed ambo illa corpora verè eſſe credimus. Sequuntur Auguſtini placitū omnes ferè ſcholares theologi, præſertim D. Thomas in tertio theologicæ Sūmæ volumine, quę.39. artic. 7.

ANNOTATIO XXXVII.

Vidit Spiritum ſanctum, ſicut columbam. Matth. 3.d.

Num columba Chriſto inſidens fuerit verum animal.

AVtor operis imperf. cautè legendus eſt Hom.4. propè finē: vbi Arriano more tradit tres perſonas diuinas inter ſe eſſe omnino inæquales, his verbis: in quo myſterio natus eſt Chriſtus, in hoc myſterio & Spiritū accepi. etenim filio Dei baptiſmū recipiēte, & Spiritu deſcendēte, vnus in forma ſtabat humana, alter in ſpecie deſcendebat colūbæ: tertius autē nec in forma humana, nec in ſpecie deſcendebat colūbæ, ſed in tantùm audiebatur deſurſum deſcendente, ſed hæc confeſſio eſt inſipientium hæreticorum. prudentiores autem hęretici nō dicunt tres vnum eſſe Deū, ſed tres eādem habere ſubſtantiam. quod magis Macedonius quā ὁμοιότητι cōfitetur. videamus ergo, cui ſit ęqualis. Nō dixit, hic eſt filius noſter dilectus, vt ne quemadmodū Deus, ita & Spiritus ſanctus pater Chriſti fuiſſe videatur. nam ſi æquales ſunt per omnia, quemadmodū ille paternitate eſt honoratus; ſic & Spiritus ſanctus. ſi autē Deus quidem pater eſt quia filium habet; Spiritus ſanctus nō eſt pater, quia filium nō habet, non eſt per omnia æqualis. Nec dictum eſt, filij noſtri dilecti hi ſunt, ne cum Chriſto etiā Spiritus ſanctus filius putaretur. nā ſi per omnia ęqualis eſt Chriſto, etiam filius eſt quemadmodū Chriſtus, ſi autem non filius quemadmodum Chriſtus, ſed miniſter fidelis Chriſti, non eſt æqualis Chriſto.

ANNOTATIO XXXVIII.

Ductus eſt Ieſus in deſertum à Spiritu, &c. Matth.4.a.

De Trinitate.

AVtor operis imperf. in initio hom.5. ſcribit Ieſum ductum eſſe in deſertum à Spiritu ſancto, non quaſi minorem maioris præcepto, ſed quaſi maiorem minoris hortatu. Quod Arrianum eſt dogma. Ibidem paulò poſt videtur fauere hæreticis Lutheranis, affirmantibus peccatum originale nō recedere à baptizatis, niſi in morte, ait enim: Quale autem peccatum in morte remittatur, ſcit qui intelligit, pro quali peccato introducta eſt mors. nam ſi propter peccatū moritur homo, ſine dubio ſoluitur, propter quod moritur.

ANNOTATIO XXXIX.

Et tunc cœpit Ieſus prædicare. Matth.4.c.

An ab hæreticis baptizati rebaptizandi ſint.

AVtor operis imperf. hom. 6. non longè à fine arbitratur, eos, qui ab hæreticis, vel à nō baptizatis baptizati ſunt, non aſſecutos eſſe baptiſmi ſacramentum, & ob id ſecundo baptiſmate indigere. ſcribit autem hoc modo: Ex tunc cœpit Ieſus prædicare, ex quo in aqua quidem baptizatus eſt à Ioanne, in ſpiritu autē à patre, vt poſſit de ſeipſo alios baptizare, ſecundum hominem dico, quia ſi nō fuiſſet baptizatus, alios baptizare non poterat. quomodo autē nudus veſtiat nudum, aut quomodo mendicus faciat alterum diuitem? ſic, & ipſe qui baptizatus non eſt, quomodo alteri poteſt baptiſmum dare? ſecundū hoc & de hæreticis dicimus: quia vbi eſt fides, illic eſt eccleſia: vbi eccleſia, ibi ſacerdos: vbi ſacerdos, ibi baptiſmū: vbi baptiſmū, ibi Chriſtianus. vbi autem fides non eſt, ibi nec eccleſia eſt: vbi eccleſia nō eſt, nec ſacerdos: vbi ſacerdos non eſt, nec baptiſmū: vbi baptiſmum nō eſt, nec Chriſtianus. Quid ergo reprehēdit quaſi ſecūdū baptiſmū, qui nō intelligit, quod eſt primū? hactenus autoris verba recēſui; quę quidē piè interpretari poſſumus, dicentes, ea tunc locū habere, cùm nō ſeruatur catholica baptizādi formula. hos enim canō Apoſtolorum quadrageſimus ſeptimus ſtatuit iterū baptizandos. Idemq́; decernit canon 19. Nicænæ Synodi de his; qui à Paulianiſtis fuerant baptizati. Hi enim, à Paulo Samoſateno profecti, diuinitatem Chriſti labefactant. quam impietatem poſtea magis peruulgarunt Arrius, & præſertim Ætius; qui, vt refert Epiphanius, baptizabat ſub hac verborū forma; In nomine Dei increati, & in nomine filij creati, & in nomine Spiritus ſanctificantis, & à creato filio creati. Cùm igitur his verbis tota fides euerteretur, neceſſarium fuit ſic baptizatos iterum baptizari tamquam non baptizatos.

ANNOTATIO XL.

Beati qui lugent, &c. Matth.5.a.

An diabolo cogēte mali peccent.

AVtor operis imperf. hom. nona, hoc explicās, ſubindicare videtur eſſe quoſdam, qui diabolo cogente compellenteque peccant. quod certè humani arbitrij libertatem euertit. quippe ſic apud eum legimus: Sancti quandiu ſunt in mundo, neſcientes prouidentiam Dei, nec intelligentes ad plenum qui diabolo compellente delinquunt, & qui non ex propoſito malo diligunt mala, omnes peccantes legunt, omnes à diabolo circumueniri & cogi putantes. Arbitror eum verbo cogendi &

compel-

Digitized by Google

compellendi hyperbolicè vſum, nõ ad labefactãdam arbitrij humani libertatem (quam alibi etiam plus æquo extollit) ſed ad exprimendam vehemẽtem diaboli tentationẽ, cui vix & ægrè reſiſti queat.

Annotatio LXI.

Qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5. a.

De Eucharistia.

AVtor operis imperf. hom. 11. alludere videtur ad hæreſim eorum, qui negant verum Chriſti corpus eſſe in ſacramento altaris, dum ait: Vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre, peccatũ eſt, & periculũ, ſicut docet nos Balthaſar; qui bibẽs in calicibus ſacratis, de regno depoſitus eſt, & de vita. Si ergo hæc vaſa ſanctificata ad priuatos vſus transferre ſic periculoſum eſt, in quibus non eſt verum corpus Chriſti, ſed myſterium corporis Chriſti cõtinetur; quãtò magis vaſa corporis noſtri, quæ ſibi Deus ad habitaculũ præparauit? Neque ab hac ſentẽtia abludit, cũ hom. 17. nõ multò antè finẽ Euchariſtã appellat panẽ benedictũ. & hom. 19. ferè in principio vocat ſacrificium panis & vini.

B

Annotatio XLII.

Ego autem dico vobis, non iurare omnino. Matth. 5. f.

An iuramentum ſit peccatum.

AVtor operis imp. hom. 12. hoc præceptum interpretãs, tria docet à cõmuni theologorum conſenſu diuerſa; primum, quòd bene iurare per Deum ſit peccatũ; ſecũdum, quòd bene iurare per creaturas peccatum ſit; tertium, quòd per creaturas iurare execrabilius peccatum ſit, quàm per Deum bene iurare. hæc autẽ his verbis cõplectitur: Ecce quartum mandatũ quod minimum putãt auari; qui bene iurare non putant eſſe peccatũ, ſine quo non poteſt ſtare legis mãdatum, &c. Et poſtquã de iuramenti peccato multa diſſeruit, demum intulit: hæc de illis dicta ſunt, qui iurant per Deum: eorum autẽ qui iurant per elementa, execrabilior iniquitas eſt, cælum enim, & terram, &c. Deus ad miniſterium ſibi creauit, non hominibus adiuramento, &c. Ex his propoſitionibus quomodo prima & ſecũda exponi queãt, vide annotationem ſequentem. Tertia verò propoſitio intelligẽda eſt de his, qui ob id per creaturas iurãt, quia credunt eas aut Deos eſſe, aut ijs aliquid ineſſe diuinitatis. hi enim grauiſſimè peccant, quia latriæ cultum, qui ſoli Deo cõuenit, creaturis exhibent. at qui per creaturas iurant, nõ quòd eas Deos credant, ſed quia in his diuinã veritatem refulgere videant, rectè iurant exemplo Ioſeph, qui per ſalutẽ Pharaonis iurauit, nihil aliud, inquit Auguſtinus, in Pharaone veneratus, quàm Deum, à quo poteſtas Pharaonis erat.

Gen. 42.

Hilarius canone 4. in Matth. omne prorſus iuramentum videtur Chriſtianis interdicere. Vide annotationem ſequentem.

Hieronymus in Commẽtarijs idem habet. Vide annotationem ſequentem.

Chromatius in Commentarijs idem. Vide annotationem ſequentem.

Theophylactus in Commentarijs idem. Conſule annotationem ſequentem.

Euthymius in Commentarijs idem. Legito annotationem ſequentem.

D

Annotatio XLIII.

Ego autem dico vobis, nolite iurare omnino. Matth. 5. f.

Num omne iuramentum etiam in cauſa vera & iuſta, peccatum ſit.

CHryſoſtomus non ſolum in præſenti loco, ſed alijs quoque penè innumeris locis ſentire videtur iuramentum rem eſſe peſſimã, atq; ita Chriſtianis interdictam, vt nuſquã eis neque etiã in cauſa iuſta iurare liceat. Hanc ſententiam apertè pronunciat hom. 15. in Geneſ. his verbis: Chriſtianus

A iuramenta modis omnibus fugiat, audiẽs ſententiã Chriſti, quæ dicit, Dictum eſt antiquis, Non peierabis: ego autem dico vobis, non iurandum omnino. ne igitur aliquis dicat, in re iuſta iuro. neq; enim in re iuſta neq; iniuſta iurare licet. Et homil. 9. in Act. Apoſtolorum decernit eſſe impios, & dignos, vt ab eccleſia arceantur, qui in forenſibus actionibus, & contractibus, aut fideiuſſionibus, aut iurant, aut ab alijs iuramentũ exigunt. Rurſum aſſignãs cauſas, ob quas iurare non liceat, inter alias hãc recenſet, quòd iuramentum ſcelus ſit prorſus diabolicum: ſic enim loquitur hom. in Pſal. 5. iurare ex diabolo eſt, dicente Chriſto, Quod enim eſt his amplius, à malo eſt. Et homil. 19. ad populum Antiochenum, Audiſti, inquit, Chriſti ſapientiam, dicentem, quòd non peierare tantùm, verùm etiã quomodocunq; iurare diabolicum eſt, & tota maligni machinatio. Et li. 1. aduerſus vitup. vitæ Monaſticæ, Si iurare, ait, diabolicum eſſe comperitur; qua animaduerſione plectendi ſunt, qui periurãt? Et li. 1. de cõpunctione cordis, Si verè iurare crimen eſt, & præuaricatio mandari; periurium vbi ponemus? neq; his ſolum contentus Chryſoſtomus, refellit etiam rationes theologorum, ſententiæ ſuæ reclamantes.

Ex quibus prima eſt, quòd ſi iuramentum eſſet ex ſe malum, Deus, qui male agere nequit, non iuraſſet, inquiens ad Abraham: Per memetipſum iuraui, dicit Dominus. & in Pſalm. 109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Geneſ. 22

Secunda eſt, ſi iurare ſcelus eſſet, non præcepiſſet nobis Deus apud prophetam Hieremiam, iurare per Deum verum. Hier. 4.

Tertia eſt, quod cùm maximè neceſſarium ſit iuramentum ad componendas ciuiles, & eccleſiaſticas controuerſias, non eſt à bono viro detrectandum, ſed quotieſcunque iuſta neceſſitas incumbat, promptiſſimè præſtandum.

Quibus occurrens Chryſoſtomus, ad primã ratiocinationem reſpondet, Deum nullo modo iurare. Quòd ſi diuinæ ſcripturæ aliquãdo teſtetur Deũ iuraſſe, inquit, iuramentum nõ propriè & ſecundũ humanum iurãdi morem, ſed impropriè metaphoricè Deo aſcribi, quatenus iuramentũ, pollicitationem, certamque promiſſionem ſignificat. Ita enim ſcribit homil. in Pſalm. 109. exponens illud, iurauit Dominus, &c. iuſiurãdum autem, quãdo audies, ne putes eſſe iuſiurãdum. Quemadmodum enim ira in Deo ira non eſt, ſed eſt ius puniendi, & non perturbatio animi; ita etiã iuſiurandum. Deus enim non iurat, ſed dicit, quod omnino futurum eſt. Et hom. 47. in Gen. & in epiſt. ad Hebræos vndecimam, explicans iuſiurandum Dei ad Abrahã, aſſerit verba, quibus Deus iurare videtur, nõ eſſe iuramenta, ſed promiſſiones: quas tamen Deus humano more iuramenta appellat, cõdeſcendens ad humanã infirmitatem; cui vt ſe attemperet, non attendit dignitatem ſuam; ſed, vt hominibus perſuadeat, indigna ſibi verba aſſumens, vocat pollicitationes ſuas iuramenta more hominum, qui ea quæ ſine vlla dubitatione credi volunt, ſe eſſe facturos adhibito iuramento promittunt.

Deinceps ſecundæ argumentationi ſatisfacit hom. 17. in Matth. vbi explicans illud, Sit ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod enim vltra eſt, à malo eſt: hunc in modum ſeipſum percuntatur: Si iuramentum ex malo eſt, quomodo ergo iubebatur in lege? & paulò pòſt ita reſpondet: iuramentum in lege veteri non fuit præceptum, ſed duntaxat permiſſum; ſicut etiam repudium propter infirmitatẽ eorum, qui legem acceperunt, ne aut ſimulachra colerent, aut per ſimulachra iurarent. quare quẽadmodum repudium olim conceſſum, nunc adulterium iudicatur: ita iuramentum quondã in lege permiſſum, nunc in lege euangelica poſt tanta ſcilicet argumenta virtutis ex malo eſſe creditur, & plurimum ſine dubio mali in ſe habet.

Demum & tertiam rationem reijciens hom.8.ad pop. Antioch. Quid igitur, inquit, ſi iurandi neceſſitas adſit? Reſpõdeo. Vbi eſt præuaricatio, nõ eſt neceſſitas. poſſibile eſt enim penitus non iurare. Et hom.17. in Matth. idẽ repetens, Quid igitur, ait, ſi aliquis exigat iuſiurandũ, & neceſſitatem iurationis imponat? Reſpondeo. ſit tibi timor Dei omni neceſſitate violentior: ſi enim velis huiuſmodi occaſiones ſemper afferre, nihil de his, quæ ſunt imperata, cuſtodies. Hactenus Chryſoſtomus. Reliquũ eſt, vt ad euitandũ ſuperfluam huius argumẽti repetitionem, apponã hoc loco ſententias patrũ, qui Chryſoſtomo concordes eſſe putantur, adiectis ipſarũ antidotis, vt ſine vlla offenſione legi queãt.

Origenes tractatu 35. in Matth. Nõ oppertet, vt vir, qui vult ſecundùm euangelium viuere, adiuret alterum. ſimile eſt enim, quod dicit in Euãgelio dominus ipſe, Ego autem dico non iurare omnino: & non adiurare omnino. ſi enim iurare non licet, quantum ad Euangelicum Chriſti mandatum, verum eſt, quia nec adiurare alterum licet.

Athanaſius in ſermone de paſſione & cruce domini, Si eſt igitur iuranti fides & veritas, quis vſus iuriſiurãdi? ſin autẽ fides ei nõ eſt, cur tantum impietatis ſuſcipimus, vt propter homunciones, eoſque mortales, Deũ, qui ſuprà homines eſt, teſtẽ inuocemus? quid igitur faciendũ? niſi amplius, niſi vt ſit noſtrum ita, ita; & noſtrum non, non, & in ſumma, non mentiamur: ſic enim Deũ imitari videbimur. Sed forſitan aliquis ita cõtradicat: Si iuſiurandum vetitũ hominibus eſt, & non iurãdo quis imitatur Deum: qui fit vt ipſe Deus in ſacris ſcripturis (Gen. 22. Pſal. 109.) iurare referatur? Nam & ipſi Abrahæ iurauit; & in Pſalmis ſcriptũ eſt, iurauit dominus, & non pœnitebit eũ: videntur enim iſta aut cum ſuperioribus pugnare, aut iſtinc hominibus iurandi facultatem cõcedi. Verùm hoc ita nõ eſt; neq; quiſpiam hoc putet: Deus enim per neminẽ iurat, ſed hominibus loquens iurare dicitur, & hoc ipſum humano more: vt enim hominum ſermonem confirmat iuſiurandum: ita quoquẽ ea, quæ loquitur Deus, ob firmitudinem & immutabilitatem volũtatis eius pro iuramentis reputanda ſunt. Non igitur Deus hominum more iurat, neque nos ex iſta re ad iuramenta facienda induci oportet.

Epiphanius lib. 1. Panarij, contra Oſſenos diſputans, hæc ait: Primùm igitur non oportet iurare, neque per ipſum Dominum, neque aliud quoddam iuſiurandum: nam maligni illius ſcilicet diaboli eſt iurare.

Hilarius can. 4. in Matth. Lex pœnam poſuerat periurio, vt fraudulentiã mentium ſacramenti religio cõtineret: fides verò ſacramenti conſuetudinẽ remouet, vitę noſtrę negotia in veritate cõſtituens. ergo in fidei ſimplicitate viuentibus iurandi religione opus nõ eſt, cũ quibus ſemper quod eſt, eſt; quod non, non: & per hoc eorũ opus, & ſermo omnis in vero eſt. Neque per cælum iurabis, &c. nõ ſolùm reddere nos Deo ſacramenta nõ patitur: quia omnis Dei veritas dicti, factique noſtri ſimplicitate retinenda eſt: ſed ſuperſtitionem cõtumaciæ veteris cõdemnat. His enim elementorum nominibus Iudæis erat religio iurare cæli & terræ, Hieruſalẽ, & capitis ſui: quibus in contumeliam Dei ſacramẽto venerationem deferebant.

Ambroſius in expoſitione Pſ. 118. ſuper, Iuraui, & ſtatui. Ideo Dominus, qui venit docere paruulos, imbuere nouos, formare perfectos, ait in euãgelio: Non iurandum omnino, quia infirmis loquebatur. denique nõ ad ſolos Apoſt. loquebatur, ſed ad turbas, voluit enim te nõ iurare, ne periures, & addidit, Non iurare, neq; per cælum, neq; per terrã, neque per Hieroſolyma, neq; per caput tuum, per ea videlicet, quæ ſubiecta nõ ſunt poteſtati tuæ. Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum. Iuret ergo ille, quem ſacramẽti ſui pœnitere nõ poterit. & quid iurauit Dominus? quia Chriſtus in æternum ſacerdos eſt, nunquid incertum, nunquid impoſſibile, quod iurauit Dominus? nunquid poterat eſſe immutabile? noli ergo vſurpare exemplũ ſacramẽti, qui implendi ſacramenti non habes poteſtatem.

Chromatius Aquileiæ epiſcopus, 5. c. commẽtariorum in Matth. Ego autem dico vobis, nõ iurare omnino, &c. per gratiam doctrinæ Euangelicæ, lex per Moyſen data perfectũ accepit. (Exod. 20) In lege præceptum eſt nõ eſſe peierãdum, in Euãgelio verò nec iurandum. quod ipſum per Salomonem præcipere Spiritus ſanctus præmeditabatur, dicẽdo, iurationi non aſſueſcas. & iterũ, Sicut ſeruus, flagellatus aſſidue, e liuore nõ minuitur: ſic omnis iurãs à peccato nõ purgabitur: vnde iurare nos prorſus nõ cõuenit. quid enim vnicuique noſtrum iurare neceſſe eſt, cùm nobis mentiri omnino nõ liceat? quorum verba ita vera ſemper, ita debẽt eſſe fideliſſima, vt pro iuramento habeantur, & idcirco Dominus nõ ſolum peierare, ſed etiam iurare nos prohibet.

Hieronymus ca. 5. comment. in Matth. Noli iurare omnino, &c. Iudæi iurare permittebantur in Deum, nõ quòd rectè hoc facerent, ſed quòd melius eſſet id Deo exhibere, quã dæmonibus. euãgelica enim veritas nõ recipit iuramẽtum, cùm omnis ſermo fidelis pro iureiurãdo ſit. & in ca. 4. comment. in Hieremiam, exponens illud. Iurabis in (Hier. 4.) veritate, dicit Dominus, &c. ſic inquit. Si Dominus dicit iurare in veritate: quomodo Euangelium iurare nos prohibet? Reſpondeo hìc, iurabis, pro cõfeſſione dicitur, & ad condemnationem idolorum, per quæ iurabat Iſraël. Item in commentar. ſuper octauo Zachariæ capite, iuramentum, ait, ne diligatis, præcipiente Domino in Euangelio, Ego autem dico vobis, vt non iuretis penitus. In præceptis, quæ ad vitam pertinent, & ſunt perſpicua, nõ debemus quærere allegoriam; ne iuxta comicum nodum quæramus in ſcirpo.

Autor operis imperfect. in Matth. quod Chryſoſtomo tribuitur, Audite clerici, qui iurantibus Euangelia ſancta porrigitis; quomodo poteſtis in illo iuramento eſſe ſecuri, qui occaſionem periurij datis? ſi erat benè iurare iuſtum, iuſtè dicebatis. Quia dedimus illis Euangelium, vt iurent, non vt periurent, nunc autem cùm ſciatis quia & bene iurare peccatum eſt; quomodo poteſtis eſſe liberi, qui occaſionem datis peccandi in Deum? Hæc de illis dicta ſunt, qui iurãt in Deum: eorum autem qui iurant per elementa, execrabilior iniquitas eſt.

Theophylactus c. 5. comment. in Matth. iurare, inquit, & adijcere amplius ad etiam vel nõ, à diabolo eſt. Porrò ſi dixeris, quòd & lex Moyſi mala erit, quia iurare iubet: diſce, quòd tunc malum non erat iurare. poſt Chriſtum autem malum eſt, ſicut & circuncidi; & in ſumma, quicquid eſt Iudaicum. ſugere enim puero conuenit, viro verò minimè.

OEcumenius 5. ca. comment. in epiſt. Iacobi ſuper illud, Ante omnia, fratres mei, ne iuretis, &c. ſic ait: Sed dicet aliquis, ſi quis iurare cogatur, quid faciendum eſt? Dicimus quòd timor Dei fortior erit neceſſitate vim inferẽte. Dubitare autẽ poſſet aliquis, cùm vetus lex eum, qui per nomen Domini iurat, laude dignum ducat: quomodo gratia hoc facere vetetur? Dicimus, quòd lex vetus, abducẽs Iudæos ne per idola iurarent, præcipiebat iurare per Deum, quemadmodum etiam Deo ſacrificare præcipiebat, abſtrahens eos, ne idolis ſacrificarent: vbi autem Dei ſufficienter cultum docuit, tunc & ſacrificia tanquam inutilia repulit.

Euthym. 5. c. cõm. in Matth. Si iuramentũ à diabolo eſt, quomodo ipſum lex vetus permittebat? quia & ſacrificia à malo quidẽ erãt, & deceptione idolorũ, ea tamen permiſit lex propter Hebræorũ infirmitatẽ. cũ enim glutones eſſent ac lurcones, idolothyta amabãt. & ita cũ eſſent increduli, iuramentũ quoq; diligebãt. vt autem neque idolis ſacrificarent,

crificarent,

Digitized by Google

crificarent, neque per idola iurarent, permiſit quidē lex ſacrificare & iurare, & ſi quid aliud eſt ſimile, omnia verò ad Deum tranſtulit. futurum autem erat, vt ſucceſſu tēporis etiam hæc ſublimiori legiſlatione amputaretur. & lactare infantibus vtile, viris autē admodum ineptum: Ideoq; infantiū more viuentibus hoc concedimus. Quid igitur agendum, ſi quis iuramentum expetat, imò iurare cogat? ſit tibi timor Dei violentior quàm hæc neceſſitas; omniaque eligas pati potius, quàm præceptum trāſgredi.

His atq; huiuſmodi ſanctorum autoritatibus vſi ſunt hæretici, qui Chriſtianis omne prorſus iuriſiurandi genus interdixerunt, ceu Valdenſes, Albaneſes, Vicleſitæ, Pſeudoapoſtoli, ac nuper Lutherani, & Anabaptiſtę, quorū improbo dogmati reclamant omnes theologorū ſcholæ, & pontificū ſanctiones, ſtatuētes iuramentū rē eſſe venerandā, (Th. 22. 89.) ſacroſanctam & optimā, tum ex origine, tum ex fine. Cur origine quidē, quia iuramentum ortum habet ex reuerentia, quam Deo exhibemus, oſtendētes, qualem exiſtimationem de ipſo habeamus; nempè B quòd ea cognoſcat, de quibus apud nos cōtrouerſia eſt; & quòd verax ſit, neq; mentiri poſſit; & ob id iurantes inuocamus Deū teſtem eorum, quæ dicimus, quapropter iuramentum rectè collocatur inter primas partes illius ſupremi cultus, qui Græca voce λατρεία appellatur, dicēte Deo in quinto lib. legis, (Deut. 6.) Dominū Deū tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies, & per nomen illius iurabis. Ex fine verò optimum dicunt eſſe iuramentū, quia neceſſarium ſit ad iuſtificandas hominū actiones, & ad finiendas inexplicabiles cōtrouerſias, quæ humano iudicio diſſolui non poſſunt. vnde cum in OEcumenica ſynodo Epheſina quarta decreuiſſent patres, vt Neſtorius palinodiam ſuæ hæreſeos caneret, neq; verbis eius ſatis fiderent, exegerunt ab eo iuramentū, his verbis: Conſequēs eſt etiam iureiurādo fateri te quòd anathematizes tua polluta ac profana dogmata: ſentias autem, & doceas, quæ nos credimus & ſentimus. C Et in eadem ſynodo Victor quidam Cyrilli amicus, falsò accuſatus, non prius purgari potuit, quàm ſublatis in cælum manibus per ſacroſanctū baptiſma, & veneranda Chriſti myſteria, ſe innocētem iuraſſet: & in concilio Conſtantienſi poſtquā inter ceteras Vicleſi hæreſes etiam articulus tollēs omnia iuramenta, damnatus eſſet, decretum eſt à patribus, vt ad confirmationem fœderis, quod pro euerſione ſchiſmatis inierāt Romanorum & Arragonum Reges, iuramentū, ab omnibus, qui tum in concilio aderant, flagitaretur: quod & illicò iurantibus omnibus expletum eſt.

Cæterùm quò ad prædictas ſententias attinet, ſi æquo animo expendamus mentem & ſcopum autorū, qui eas protulerūt, cognoſcemus eos noluiſſe D adimere Chriſtianis iurandi religionem, ſed tria potiſſimū circa iuramenti ritū prohibere voluiſſe.

Primò ne quis vllo modo blaſphemè & impiè iuraret per creaturas, quaſi in eis exiſtimās aliquid latere diuinitatis, & cultū creatori debitū eis impēdens, ſed per creatorem duntaxat: quia hoc præſertim vetuit Chriſtus, cùm diceret: Nolite iurare omnino, neq; per cælū, neq; per terrā, &c. quo ſanè ſenſu Epiphanius & Hieronymus interpretandi ſunt. ambo enim teſtantur Chriſtum his verbis prauam conſuetudinem iurandi per elementa tollere voluiſſe.

Secundò, ne quis faciliter, & abſque neceſſitate Deum iuraret; ne ex facilitate ad conſuetudinem, & ex conſuetudine ad iuramenti contemptum, & periurij vſurpationem deſcenderent. ad hoc enim proſpiciens Chriſtus, dixit; Sit ſermo veſter, eſt, eſt; non, non; quod autem vltra eſt, à malo eſt, hoc eſt, vel à mala conſuetudine eius, qui etiam non requiſitus abſque vlla neceſſitate Deum iurat, vel à malo eius, cui iuratur qui fidem dictis ſine iuramento præſtare non vult. Ad hunc finem A præcipue referenda ſunt quæ Chryſoſtomus per exceſſum orationis, & ex reprehenſionis ardore aduerſus iuramenta protulit, cupiens radicitus euellere inueteratam, Græcorum licentiam; qui, vt ipſe in varijs homilijs conqueritur, in officinis, in compitis, & in foro pro obolis, pro calceis, & viliſſimis quibuſcumque rebus iuramenta intempeſtiua exigere, & præſtare non verebantur. Huc etiam ſpectaſſe Athanaſium, Chromatium, OEcumeniū liquidò oſtendūt verba, quæ paulò poſt allatas ſententias adijciunt, damnantes eos, qui inceſſanter & ſine vllo delectu ſponte ſua ad iuramenta currūt. Athanaſius autem tantùm abeſt à iuſti iuramenti prohibitione, vt ipſe in Apologia ad Conſtantium Imper. iuramentum ex diuinis oraculis præſtet ac exigat, in hæc verba: Tuæ pietati magna & clara voce, manuq; extenta, quod ab Apoſtolo didici, Deū in meam ipſius animam teſtor, & vt ſcribitur in libris Regum, iuſiurandum concipio, teſtis ſit dominus, & teſtis Chriſtus eius, quod numquā in malum tui mentionem feci apud fratrē tuum Conſtantem Auguſtū, neq; illum aduerſum te irritaui. Et paulò infrà: Vellē hunc hominem, quiſquis is eſt, hîc in præſentia adeſſet, vt delato iuramento ſub atteſtatione veritatis hæc ab eo ſciſcitarer. quæ enim ita dici, audiriq; volumus, quaſi Deo præſente, ea ſub hac formula iuriſiurandi, nos Chriſtiani homines concipere ſolemus.

Tertiò admonere voluerunt grauiſſimi illi viri, ne quiſpiam ex his, qui ſummum Chriſtianæ perfectionis ſtatum profitentur, vlla de cauſa, vel etiam iuſta, Deum in controuerſijs inter ipſos perfectos incidentibus iuraret, quia Chriſtus inter cętera eximiæ perfectionis cōſilia, hoc quoq; cōſuluit, vt perfecti in proprijs cauſis, & inter ipſos perfectos verſantibus, ab omni prorſus iuramento abſtinerent. quod & olim ſeruatum fuerat ab Eſſeis, perfectiſſimā vitam inter Hebræos profitentibus. Hi enim, vt Ioſephus & Philo ſcribūt, iuiurandū, quaſi periurium vitabant, exiſtimantes inter perfectos viros nec exigenda, ne præſtāda eſſe iuramenta, tū quòd oporteret, quicquid à perfectis viris pronunciatur, iuriſiurandi vim habere; tum quòd is mendacij argui videretur, cui ſine Deo teſte nō crederetur. Igitur iuxta hunc ſenſum locutos cōſtat Hilariū, Ambroſium, Theophylactum, & præſertim Euthymiū, dum inquit, lactare infantibus vtile, viris autem ineptum: ideo infantium more viuentibus hoc (videlicet iuramentum) concedimus. cui non admodum abludens Theophylactus, Sugere, inquit, puero cōuenit, viris verò minimè. Innuens hac metaphora, iuramentum incipientibus, & adhuc imperfectis conuenire, perfectis verò nequaquam.

ANNOTATIO XLIIII.

Ego autem dico vobis, nolite reſiſtere malo. Matth. 5. f

CHryſoſtomus hom. 18. hanc ſententiam exponens, ait: Quid igitur, non oportet nos reſiſtere malo? oportet quidem, ſed non eo modo ſcilicet, quo lex iubebat, verùm eo, quo ipſe præcepit: vt ſcilicet ad patiēdas iniurias nos præbeamus. nec enim aliquando ignis igne, ſed aqua vtiq; ignis extinguitur, &c. Hunc locum Bodius in collectaneis refert inter eos, quibus Lutherani præſuadent, nō licere Chriſtianis vllo pacto illatæ iniuriæ vindictam, nec damni retaliationem in iudicio repoſcere. quem errorem ſequuti ſunt Iacobus Faber, & Eraſmus, hanc ipſam legem enodantes. ſed mirum eſt, hos viros, in multis oculatiſſimos, non vidiſſe & Chriſtum, & Chryſoſtomum id conſulere, tamquam euangelicum conſilium, quod ſolos attingat perfectos, non quod omnes præcepti obligatione aſtringat.

(Num iniuriæ vindictā in iudicio petere liceat.)

Digitized by Google

ANNOTATIO XLV.

Tu autem, cùm oraueris intra cubiculum tuum, &c. Matth. 6. a.

De oratione vocali.

A CHryſoſtomus homil. 19. in Matth. quædam ad expoſitionem loci huius attulit de vocali oratione, quibus hæretici noſtrorum temporum abutuntur aduerſus orationes ac preces, quæ publice in templis Chriſtianorum à ſacerdotibus vel legi, vel decantari ſolent. verùm ipſe verborũ Chryſoſtomi decurſus palã arguit eum non damnare non vocales ac publicas eccleſiæ precationes, ad quas omnibus penè ſermonibus populũ hortatur; ſed ipſum loqui aduerſus quoſdã vanos & ineptos oratores, qui orationẽ vocalẽ ſpirituali præponebãt; & ob id incõpoſitis geſtibus, & immoderatis, atque indecoris vociferationibus in templo orabãt, quò clariùs à cæteris internoſcerentur, nõ ſine ſpectãtium admiratione. Hos Chryſoſtomus ab oſtentatione B & immodeſtia ad modeſtiã & humilitatem reuocans, non igitur, inquit, geſtibus corporis, neq; clamoribus vocis, ſed intẽtione optimæ volũtatis orationum vota reddamus, non cum ſonitu oris ac ſtrepitu, non ad tam importunam oſtentationem, atq; iactantiam, ſed cum omni modeſtia, & cætera.

ANNOTATIO XLVI.

Numquid colligunt de ſpinis vuas, aut de tribulis ficus? Matth. 7. c.

De Trinitate.

AVtor operis imperfe. hom. 19. hæreticos eos cenſet, qui ſanctiſſimam Trinitatem fatẽtur. Ita enim hunc locum exponit: Et verum eſt quidẽ, quia ſpinas & tribulos omnes iniquos hæreticos appellauit: tamen forſitan ſciens Dominus hanc hæreſim præualituram præ omnibus, tribulos eos appellauit, quaſi Trinitatis profeſſores, & triangulam ſapientiam in ſua perfidia baiulantes.

ANNOTATIO XLVII.

Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 7. c.

Num priuatio diuinæ gloriæ ſit gehenna grauior.

CHryſoſtomus Homil. 24. in Matth. huius dicti occaſionem de gehenna edifferẽs, inquit, carentiam diuinę viſionis maius eſſe ſuppliciũ, quàm omnia gehennæ tormenta. exprimit autem hanc ſententiam his verbis: Noui quòd plurimi pertimeſcant tantũ gehennam: ego tamen illius gloriæ amiſſionem multò amarius, quã ipſius gehẽnę dico eſſe ſupplicium. Et infrà; intolerabilis quidẽ res eſt, & ſupplicium illud horribile: tamen ſi mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus eſt, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore repelli. Et in priore ad Theodorum lapſum Paræneſi: Sunt, ait, quidam abſurdi iudicij, ij duntaxat amant effugiſſe gehennã: contra ego multò durius eſſe tormentum quoddã aſſero, quàm gehenna eſt; hoc eſt non eſſe aſſecutum tantam gloriã, & illinc elapſum eſſe. nec opinor equidem, tanto dolore lugendum de malis gehennæ, quanto neceſſe eſſe caſum deplorare, quòd de cælis excidimus, qui eſt nimirum cruciatus omnium duriſſimus. D. Bonauẽtura libr. Sententiarũ ſecundo, diſt. 33. qu. 3. & Ricardus Mediauillanus diſtinct. 50. quarti ſententiarum, quæſt. vltima, obſeruarunt hanc ſentẽtiam videri diuerſam ab vniuerſali theologorum definitione; qui ſtatuunt pœnam infantium, ſola diuina viſione carentium, eſſe omnium pœnarum mitiſſimam, ſicut Auguſtinus docuit cap. 55. Enchiridij ad Laurentium. D. Thomas in quæſtionibus diſputatis, quæſtione de pœna peccati originalis, art. 1. atque idem D. Bonauẽtura & Richardus aiunt, Chryſoſtomi aſſertionem in adultis quidem eſſe veriſſimam, in infantibus verò nequaquã; diuerſitatiſque huius cauſam eſſe, quòd illi propriæ ſe voluntatis nequitia videant ab æterna fælicitate expulſos: ij verò cognoſcant ſe non ſua, ſed primi parentis culpa cæleſti gloria carere.

ANNOTATIO LXVIII.

Aedificauit domum ſuper Petram. Matth. 7. d.

De eccleſia.

AVtor operis imperf. Hom. 20. Eccleſia, inquit, quam Chriſtus ſuper petram ædificauit, perire non poteſt. nec eſt contrarium, quòd quidam de eccleſia cadunt: Illi enim nunquam Chriſtiani fuerunt. Henricus Andernacus in primum Sententiarum, diſt. 40. qu. 2. hæc verba ſub nomine Chryſoſtomi citans, ait, his ſignificari, illos qui de eccleſia finaliter ceciderunt, non fuiſſe Chriſtianos, ſecũdùm gratiam ſempiternæ iuſtitiæ, ſed tantummodo ſecundùm gratiam præſentis iuſtitiæ.

ANNOTATIO XLIX.

Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus. Matth. 8. a.

De Trinitate.

AVtor operis imperf. hom. 22. expoſitionẽ huc apponit omnino Arrianam, qua filij & patris æqualitatẽ deſtruit, his verbis: Vide, quomodo myſterium patris & filij in ſeipſo; Spiritu ſuggerente depinxit, nunquid nõ ſufficiebat ad confeſſionem poteſtatis Chriſti hoc ſolùm dicere, Et ego homo ſum habẽs ſub me milites: & dico huic, Vade, & vadit: & alteri; Veni, & venit? Quoniã & Chriſtus habet ſub ſe angelos, quibus eundi & redeundi ponit præceptum. Quid ergo neceſſariũ fuit addere, Et ego homo ſum ſub poteſtate, niſi vt pleniſſimè Chriſti dignitatem oſtenderet in ſeipſo? Id eſt, Ego C ſum ſub poteſtate alterius: tamen habeo poteſtatẽ iubendi eis, qui ſub me ſunt. nec enim impedior iubere minores, propter quod ipſe ſub maioribus, ſed ab illis quidẽ iubeor, ſub quibus ſum: illis autem iubeo: qui ſub me ſunt. Sic & tu quantũuis ſub patris poteſtate ſis: habes tamen poteſtatẽ iubẽdi angelis tuis; nec impediris iubere inferioribus, propter quod ipſe habes ſuperiorem. nam & iuberis à patre quaſi minor; tamen angelis iubes quaſi maior. Sed fortè dicit hæreticus, volẽs oſtẽdere patrẽ & filiũ, vnum vel æqualẽ. Non ita eſt intelligendus hic locus, ſed ſic. Si ego ſub poteſtate cõſtitutus poſſum iubere eis, qui ſub mea ſunt poteſtate: quãtò magis tu, qui in nullius es poteſtate, potes iubere eis, quos habes in poteſtate? Sed hãc interpretationem per-D uerſam nõ recipit textus. nõ enim dixit, Si ego homo in poteſtate: ſed ita, Nã & ego ſum ſub poteſtate: nõ cõparationis inter ſe, & Chriſtũ, differentiã fecit, ſed rationem ſimilitudinis introduxit.

ANNOTATIO L.

Vidit hominem ſedentem in teloneo, Matthæum nomine. Matth. 9. a.

Num vocatio ſit ex meritis in diuina præſcientia præuiſis.

CHryſoſtomus in initio hom. 31. in Matth. diſſerens de Matthæi vocatione, indicare videtur vocationem huius, & aliorũ Apoſtolorũ occaſionem habuiſſe ex prænotione ipſius bonæ volũtatis & fidei in diuina præſcientia, ſic enim ibi legimus: Cuius rei gratia nõ cum Petro ſimul & Ioãne, & alijs diſcipulis ipſum vocauit? certè quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocauitq;, quãdo obtẽperaturos ſciebat: ſic Matthæum quoq; tũc vocauit, quãdo miraculorum fama perdomitũ, minimè reluctaturum videbat. Qua de cauſa etiam Paulum poſt reſurrectionẽ piſcatus eſt: nã qui corda ſcru-

Digitized by Google

tatur,& occulta mentium perſpicit;is etiam,quãdo vnuſquiſque ad obediendum paratus erat,non ignorauit. Propterea non continuò incipiens,quãdo durior fuit; ſed poſt mille miracula,& inſignem,atque prouulgatam famam,aptiorem iam ad obtemperandum vocauit. Vide infrà annot. 63. & 108.

ANNOTATIO LI.

Non eſt mortua puella,ſed dormit. Matth. 9. c.

Num ſuffragia quæ fiũt pro defunctis, proſint & beatis & dãnatis.

CHryſoſtomus Homilia 33. In Matth. cũ hunc locum enarrans,de cura pro mortuis agenda tractaret,decidit quodammodo ſententiam eorũ, qui putant ſuffragia & orationes,quæ hîc in eccleſia aguntur,prodeſſe tam his,qui apud inferos dãnati ſunt,quàm his,qui æterna gloria fruuntur. Ibi enim talia refert:nã ſi multæ barbaræ gẽtes vnà cũ defunctis res eorum cremare ſolent;quãtò æquius tu defuncto filio ſua tradere potes,non vt in cinerem redigantur,ſed vt glorioſum illum magis reddant. putas eum maculis inquinatum abijſſe:da ipſi ſua,vt illis ſe à maculis detergat. putas in iuſtitia ipſum deceſsiſſe:præbe ipſi tua ad mercedis & retributionis adiectionem. Et in liturgia diuini ſacrificij ab eo edita, & in varijs homilijs ab eodẽ approbata, conſcripſit formulam precandi & offerẽdi pro omnibus fidelibus defunctis,& præcipuè pro animabus beatorum,in hæc verba: Offerimus tibi rationalem hunc cultum pro in fide requieſcentibus, patribus, patriarchis, prophetis, & apoſtolis, præconibus, euangeliſtis, martyribus, confeſſoribus,& omni anima in fide initiata.

Neq; ab hac opinione videtur abeſſe Gregorius Romanus Põtifex in libro Sacramentorum, vbi in ſacris Miſſæ myſterijs orandum inſtituit his verbis: Sumpſimus,domine,diuina myſteria: quæ ſicut ſanctis tuis proſunt ad gloriam, ita nobis quæſumus proficiant ad medelam.

Rurſus quòd orationes & oblationes aliquid refrigerij pręſtent his,qui ſine pœnitẽtia deceſſerũt, idem Chryſoſtomus indicare videtur homil. 3. in epiſtolã ad Philippenſes; vbi eos,qui præter decorum mortuos lugent,ſic alloquitur: Deplorato eos qui in diuitijs mortui ſunt,& nihil cõſolationis ſuis ipſorũ animabus ex diuitijs ſuis procurarũt;qui cũ poteſtatẽ diluendi ſua peccata accepiſſent noluerunt. Hos defleamus,ſed cum modeſtiæ decore defleamus iſtos,iuuemus eos pro viribus,procuremus aliquid auxilij,modici quidẽ;attamen iuuemus eos. Quomodo? Quáve ratione? precantes adhortemur & alios,vt pro illis orent;pauperibuſque indeſinẽter pro illis eleemoſynas demus. Habet res iſta nõnihil conſolationis: nõ enim fruſtra Apoſtolis ſancitum eſt,vt in celebratione venerandorũ myſteriorum memoria fiat eorum qui hinc deceſſerunt. nouerunt illis multum hinc emolumẽti fieri, multam vtilitatis. Verùm iſtud quidem de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt: catechumeni verò nec hac digni conſolatione cenſentur, ſed omni huiuſmodi ſunt auxilio deſtituti, præter vnum ſolùm. Quod autem illud; pauperibus eorum nomine dare licet,vnde eis nonnihil refrigerij accedit.

Ioannes Damaſcenus in ſerm. De mortuis adiuuandis, verba iſta Chryſoſtomi confirmat, allatis aliquot exemplis,quæ apertè oſtendat ſuffragia fidelium etiam infidelibus & impijs æterno ſupplicio damnatis, aliqua ex parte prodeſſe. In primis verò Falconillam inducit fœminam, quoad vixit idolorum cultricem, & à Chriſti religione alienã; quam Tecla protomartyr, adhuc inter nõ viuens, prece ſua eripuit ab inferis. profert item ex ſacra Palladij ad Lauſum hiſtoria Macharium magnum, aſſiduè pro mortuis deprecantem: cui anxiè perquirenti, an orationes ſuæ defunctis prodeſſent, cranium quoddam ariduum hominis idololatræ,

A quod forte in via iacebat, diuino iuſſu prorumpens in vocem, Quãdo inquit, ô Machari, pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimẽti ſentimus. Addit etiam inter alia exẽpla Gregorij Romani Põtificis factum: qui cum Deum enixè precaretur pro ſalute Traiani Auguſti, annis ante ſua tẽpora penè quingẽtis defuncti, audiuit vocẽ diuinitus allatã, dicentem, Preces tuas audiui, & ſalutem Traiano do: tu verò deinceps pro impio hoſtiã mihi ne offeras. Ab hac opinione Auguſtinus nõ omnino abhorruiſſe videtur, præſertim in Enchiridio ad Laurentium cap. 110. Vbi hęc poſuit: Cùm ſacrificia ſiue altaris, ſiue quatumcumque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarũ actiones ſunt, pro nõ valde malis propitiationes ſunt, valde malis & ſi nulla ſint adiumenta mortuorum, qualeſcumq; viuorum cõſolationes ſunt. Quibus autem aut ad hoc proſunt vt ſit plena remiſſio, aut certè tolerabilior fiat ipſa dãnatio. Et infrà, mitigationem dãnationis credi permittens, ait: Pœnas dãnatorum certis tẽ-

B porum interuallis exiſtiment, ſi hoc eis placet aliquatenus mitigari, dũmodo intelligatur in illis manere ira Dei, hoc eſt, ipſa dãnatio. In qua Deus manente ira ſua, non tamen contineat miſerationes ſuas; non æterna ſupplicia finiendo, ſed leuamen adhibendo, vel interponẽdo cruciatibus. Hæc ille.

Sed & Aurelius Prudentius in Hymno de nouo lumine paſchalis Sabbati refert perditas noxiorũ animas in peruigilio Paſchæ, quod olim totũ Chriſtiani precibus & ſacrificijs traducere ſolebant, à tormentis quieſcere. canit autem hunc in modum:

Sunt & ſpiritibus ſæpè nocentibus
Pœnarum celebres ſub Styge feriæ
Illa nocte, ſacer qua rediјt Deus
Stagnis ad ſuperos ex Acheronticis.
Marcent ſupplicijs tartara mitibus,
Exultatq; ſui carceris otio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus;
Nec feruent ſolito flumina ſulphure.

C In iſtis atq; alijs huiuſmodi illuſtrium patrũ dictis ſcholares theologi variè deſudarũt, præcipuè in his quę de leniẽdis damnatorũ ſupplicijs loquũtur. ſicut enim nõ audebãt ſanctorum dãnare ſententiã; ita nec tutũ exiſtimabant illam amplecti, ne ex ea aſſertione paulatim impellerentur in Origenis errorem de ſupplicijs inferorũ aliquando finiẽdis. Proſpiciebant quippe cruciatus illos, multiplicatis piorum precibus & eleemoſynis, poſſe vſque adeo mitigari & imminui, vt aliquando tandẽ cruciatus eſſe deſinerent. Proinde ne huic illiderẽtur ſcopulo, varias indagarunt elabendi ſemitas.

Præpoſitiuus Leodienſis eccleſiæ presbyter in compendio ſuæ theologiæ ſcripſit, tantã poſſe cumulari ſuper damnatos ſuffragiorũ multitudinem, vt progreſſu temporis omnibus exuerẽtur pœnis, non tamen in perpetuũ, vt ſenſerat Origenes, ſed vſque ad reſurrectionem. In qua reſumptis corporibus iterum in æterna ſupplicia detruderentur,

D abiecta omni prorſus refrigerij ac ſolatij ſpe.

Gilbertus, Pictauorum epiſcopus, in li. Theologicarum quæſtionũ, exiſtimauit fideliũ precationibus & oblationibus adimi reproborum pœnas, ſine earum abſumptione, eo modo, quo infinitæ proportionales partes demi ſolent à linea: à qua, licèt ipſa infinita non ſit, infinitæ tamen partes abſque vlla eius conſumptione ſubtrahi poſſunt.

Guillelmus, Antiſiodorenſis epiſcopus, in fine Summæ Theologicæ, cenſet viuentium auxilia ſuffragari damnatis, non ad immunitionem aut interpolationem tormenti, ſed ad confortationem & corroborationem patientis: ceu ſi quis hominẽ ingenti ponderis onere prægrauatum cibo recreet, vel frigida perfundat, illum ſanè reddet ſuſtinendo oneri fortiorem; de pondere tamen ne tantillum quidem imminuet.

Digitized by Google

Rupertus,Linconienſis epiſcopus,non longe à fine Theologicæ Summæ tradidit nec auferri, nec interrumpi, nec diminui damnatorum ſupplicia, ſubtrahi tamen illis aliquam grauioris miſeriæ occaſionem, dum ſentiunt ab his qui ſuffragia porrigunt non omnino abiectos,ſed aliquam apud eos præſentium malorum commiſerationem inuenire.

Diuus Thomas in quarto Sententiarum, diſtin. 45.quæſt.2,confutatis iſtorum ſententijs, decernit ſuffragia noſtra,nec beatis,nec damnatis quicquã prodeſſe:Illis quidem,quòd omni bonorum copia affluentibus nihil conferre poſſint noſtra ſubſidia; iſtis verò,quòd in ſumma omnium malorum profunditate demerſis,nullum quamuis minimum redemptionis effectum ſperare liceat. Cæterùm ad ea,quæ in primis Chryſoſtomus & Gregorius admonent de precibus ad beatos pertinentibus, ait, vtriuſque dicta non ita eſſe intelligenda, vt putemus ex orationibus,& oblationibus noſtris gloriã beatorum in ipſis beatis proficere,& acceſſionem accipere; ſed vt credamus eorum gloriam in nobis orantibus & offerentibus creſcere; multaque ac magna virtutum incrementa nobis ad eandem ipſorum gloriam conſequendam afferre. ſicuti cùm Deum laudamus,nullam hiſce laudibus diuinitati eius gloriæ auctionem acquirimus, ſed ipſius maieſtatis gloria magis ac magis in nobis conſpicua redditur.

Ad ea verò quæ ex Chryſoſtomo & alijs patribus in cauſa damnatorum producta ſunt,D. Thomas primo loco notat damnationis nomen etiam ad purgatorij pœnas extendi,& iuxta hanc ſignificationem dixiſſe Auguſtinum, damnationem aliquorum, ſcilicet in purgatorio exiſtentium, auxilijs fidelium fieri tolerabiliorem.

Secundo loco animaduertit, illud conſolationis & refrigerij genus, quod aliquando ex precibus ſanctorum ad animas damnatorum perueniſſe narratur,non attuliſſe eis vllam tormenti imminutionem,ſed inanem quandam fallacis gaudij ſpeciẽ, gratamque mœrentis animi illuſionem; qualem eſſe ferunt in dæmonibus;qui vbi homines ad peccandum pertraxere,ita falſa quadam & imaginaria lætitia afficiuntur, vt nihil eorum ſupplicijs decreſcat.

Poſtremò ad id quod Damaſcenus refert Faconillæ & Traiani animas,Tecla & Gregorio deprecantibus,adiutas,reſpondet huiuſmodi adminicula fuiſſe peculiares œconomias,vtrique ex ſingulari priuilegio conceſſas;& ea,quæ aliquibus extra legem communem ex gratia conceduntur,trahenda non eſſe cæteris in exemplum.

Conſule quid de catechumenis vita functis ſuper Chryſoſtomi ſententia ex epiſtola ad Philippenſes huc inducta perſtrinximus infrà, annotatione 124.

ANNOTATIO LII.

Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Matth. 10.c.

Num ſola anima ſit homo

AVtor operis imperf.homil.25.videtur innuere animam ſolam eſſe hominem, corpus verò eſſe indumentum eius, eo fine à Deo creatum, vt perpetuo & naturali odio cum anima pugnet. eius verba hæc ſunt: Nolite timere eos, qui occidunt corpus:ſubſtantia enim hominis non eſt corpus,ſed animæ.& infrà,Dicam autem quod ſentio verius. non ſolùm ad veſtimentum animæ caro creata eſt,ſed magis ad tentationem eius,quaſi domeſtica & naturalis inimica copulata eſt, &c. Priorem huius erroris partem ſecutus eſt ſuperioribus annis Franciſcus Georgius,quem annotatione 26. lib.5.Biblioth.confutat Six.Senenſ.Poſteriorẽ verò ſub nomine Chryſoſtomi allegatam,annotauit Ioannes Meclinius in ſecundum ſententiarum diſt. 32. Inquiens, eam intelligendam in ſtatu naturæ deſtitutæ.Lege annotationem prædictam 26. apud Senenſem.

ANNOTATIO LIII.

Nonne duo paſſeres aſſe veneunt. Matth.11.a.

De Pilato

AVtor operis imperf.hom.25.duram & incommodam huc profert propoſitionem, inquiẽs: Pilatus volebat dimittere Chriſtum, ſed non poterat,quia Deus eum tradebat.

ANNOTATIO LIIII.

Ite,& renuntiate Ioanni: cæci vident,&c. Matth.11.a.

An ante Chriſti aduentũ fides Chriſti neceſſaria fuerit ad ſalutem.

CHryſoſtomus Homil. 37. in Matthæum, ſuper his diſputans, videtur opinari, quòd Gentilibus & Iudæis, ante Chriſti aduentum bene viuẽtibus,nulla in Chriſtum fides,nulla Chriſti cognitio neceſſaria fuerit ad ſalutem. Ibi enim talia refert: homines, qui ante Chriſti aduentum obierũt, poterant tunc etiam ipſum non confeſſi ſaluari. non enim Chriſti,qui nõdum venerat, ab illis cultus petebatur;ſed vt idolorum cultu ſpreto,vnum ſolum Deum conditorem omnium noſcerent.Dominus enim,inquit, Deus tuus, Dominus vnus eſt, Idcirco Macchabæi admirationi ſunt, qui ne legẽ traderent, mori maluerunt. Valde miramur pueros quoque illos,alioſque complures apud Iudæos, qui benè & optimè vixerunt, & hanc cognitionis menſuram inuiolatam conſeruarunt, à quibus nihil amplius petitum eſt.tunc enim,vt diximus,ſufficiebat vnum ſolum Deum noſſe: nunc autem nõ ita eſt; ſed neceſſaria eſt ad ſalutem Chriſti cognitio.Et infrà: Quòd autem qui ante Chriſtum obierunt, ac ideò ipſum non cognouerunt, ſi ab idolorum cultu receſſerunt, ac Deum ſolùm adorarũt; ſi præterea honeſtè vitam peregerunt, æterna bona & beatitudinem adipiſcentur: Audi quid dicat Paulus: Gloria,& honor, & pax omni operanti bonum,Iudæo primùm & Gentili. Rurſus in cõcione prima de Lazaro indicat iuſtos, qui Euangelicæ prædicationis tempus præceſſerunt, nullum habuiſſe fidem futuræ reſurrectionis, ita de mendico Lazaro ſcribens:Lazarus ne de reſurrectione quidem quicquam potuit philoſophari,ſed huius vitæ res credebat huius vitæ fine terminari. Erat enim ex eorum numero qui gratiam Euangelij præceſſerunt,&c.Hucuſque Chryſoſtomus;cuius ſententiã multis ante eum annis profeſſi fuerant peruetuſti quidam ſcriptores:ex quibus Martyr in libro quæſtionum à gẽtibus poſitarum, quæſt.8. Qui cum ratione,inquit,vixerunt, Chriſtiani ſunt, etiamſi nõ nouiſſe Deum exiſtimati ſunt:quales apud Græcos Socrates,Heraclitus,atque alij ſimiles,&c. Clemẽs verò Alexandrinus libr. 5. & 6. Stromaton eos ait, qui ante Chriſtum fuerunt, honeſteque vixerunt, eſſe iuſtos factos vel per legem, vel per philoſophiam,ſed defuiſſe eis tantùm fidem in Chriſtum; quare in inferno expectaſſe Chriſti, & Apoſtolorũ aduentum, eorumque ibi prædicatione eſſe conuerſos,vt in Chriſtum crederent;& ſic demum ſeruatos eſſe.

Huic aſſertioni videtur reclamare cæteri Theologi;præ alijs verò Auguſtinus, qui in epiſt.157. ad Optatum epiſcopum ſic ſcribit: Illa fides in nobis ſalua ſit, qua credimus nullum hominem ſiue maioris, ſiue paruulæ quamlibet & recentis ætatis liberari à contagione mortis antiquæ,& obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit, niſi per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum; cuius hominis eiuſdemque Dei

ſaluberrima fide etiam illi iuſti ſalui facti ſunt, qui prius,quàm veniret in carne,crediderunt in carne venturum,eadem namque fides eſt & noſtra, & illorum:quoniam hoc illi crediderunt futurũ, quòd nos credimus factum. Et infrà, Proinde cùm omnes iuſti ſiue ante incarnationē, ſiue poſt incarnationem Chriſti,nec vixerint,nec viuãt,niſi ex fide incarnationis Chriſti, in quo eſt gratiæ plenitudo; profectò quod ſcriptum eſt nõ eſſe aliud nomē ſub cælo,in quo oporteat ſaluos fieri nos,ex illo tēpore valet ad ſaluandum genus humanũ,ex quo in Adã vitiatum eſt genus humanum. Hæc Auguſtinus.

Crediderim ego Chryſoſtomum ſuis verbis voluiſſe alludere ad illam cognitionem & fidem,quã ſcholaſtici vocant explicitam,hoc eſt, apertam ac diſtinctam ſingularium myſteriorũ Chriſti notitiã; quam non omnes iuſti ante ſeruatoris aduentum cõſecuti ſunt.Sufficiebat enim Iudæis ſimplicioribus ac minoribus, redemptionis humanæ cognitionē habere,velaminibus ſacrificiorũ & cæremoniarũ inuolucris implicitã. Gentilibus verò, ſi qui abſque meditatoris notitia ſalutē ſunt aſſecuti, ſat fuit eandem habere fidem in vnius credulitate incluſam, hoc eſt vt Deum eſſe crederent humani generis ſeruatorem,iuxta ordinem in ſua admirabili prouidentia occultum,& aliquibus ipſorũ vatibus ac Sibyllis peculiari priuilegio reuelatum Vide infrà locum hunc ſpectantem annot.84.

ANNOTATIO LV.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Matth.11.d.

De lege Moyſis.

AVtor operis imperf.hom.28. appellat legem Moyſis iniuſtam,crudelem,& ſuperbam, inquiens: Vides quia iniuſta eſt lex & oneroſa? Ideo Chriſtus homines de ſub pondere Iudaicæ legis hortatur exire,&ad delectabilem gratiã peruenire, dicēs,Venite ad me omnes.Et infrà, Ergo lex immitis fuit:quia quicquid mandauit in ira ſua, mandauit,nõ vt ſaluet,ſed vt puniat.Item lex ſuperba eſt,vetat enim omnē hominem accedere ad ſancta, præter Pontificem:luſcum,vel aliquo mēbro debilē vetat ſacerdotio fungi.Vides quomodo ſuperba eſt lex.Sunt hæc verba,non ſimpliciter, vt ſcripta ſunt,intelligenda;ſed referenda ſunt ad dignitatē euãgelicæ legis & gratiæ,cuius ea eſt iuſtitia,mãſuetudo & humilitas,vt ipſius comparatione lex Moyſaica quamuis iuſta,mitis,& humilis, videatur eſſe iniuſta,ſuperba,& immitis.Quo quidem ſenſu etiã Deus in Ezechiele propheta loquens de legibus, quas per Moyſem dederat Iudæis, inquit: Dedi eis præcepta non bona,in quibus nequeant ambulare.Hoc eſt præcepta minus bona, quàm ſint ipſa Euangelica præcepta.

Lucæ 21.

Ezec. 20.

ANNOTATIO LVI.

Ecce mater tua,& fratres tui,&c. Matth.12.g.

Maria virgo an inani gloria laborarit.

CHryſoſtomus hom.35. in Matthæum hãc exponēs clauſulam,videtur tribuere Mariæ virgini nonnihil ambitionis,& inanis gloriæ, his verbis: Ex facto matris nonnihil importunitatis acceſſit.conſidera tam matris,quàm fratrũ importunitatem.nam cũ debuiſſent intrare, atq; cũ turbis ſimul audire, aut ſaltem expectare foris ſermonis finem,ac demum accedere; ambitione quadam ac oſtentatione commoti,foris eum in præſentia omnium euocauerunt,vt viderentur facilè ac magna cum poteſtate Chriſto imperare. Vnde patet inani quadam gloria illos commotos fuiſſe, nihil adhuc magni de ipſo cogitantes,&cętera,quæ ſequũtur.Et rurſum hom.in Matth.36. Laudãs diſcipulorum Chriſti prudentiã,qui tēporis opportunitatem expectarunt ad interrogandũ Magiſtrum, inquit:Sic matrem quoq;ac fratrem feciſſe decuiſſet; non autem palã oſtentationis cauſa foras euocaſſe. Idem enarrans miraculum aquæ in vinum cõuerſæ,hom.in Ioannem 20.clariùs etiam aſcribit ei affectum aliquē ſuperbiæ, inquiens: Optabat enim hoc, id eſt, miraculum,fieri,vt ipſe hominum gratiam ſibi conciliaret,& ipſa clarior filij gratia efficeretur,& fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu.Quemadmodum & fratres eius,cùm dixerũt, oſtende teipſum mundo, cupidi eius miraculis ſibi famam comparare. Ac paulò pòſt idem agens, (ſiquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebat)more matrum Maria iure omnia ſe filio præcepturam cenſebat, cùm tamquam dominum colere ac reuereri fas eſſet.

Ioan. 7.

Animaduertit hũc locũ apud Græcos Euthymius in cõmentarijs,nec auſus eſt improbare; apud Latinos verò Thomas in tertio Sũmæ theologicæ volumine,quæſt.27. vbi Chryſoſtomũ ciuiliter excuſans,ait eũ ex impetu dicēdi,ſicut orationibus & cõcionatoribus interdũ vſu venit, exceſſiſſe; poſſeq; etiam,inquit,eius verba ſic exponi, vt intelligamus Chriſtum cohibuiſſe in matre affectum, nõ qui ei reuera ineſſet,ſed quē alij forſitã exiſtimare potuiſſent eidē ineſſe. Quam excuſationem libentiſſimè ſuſcipimus,ne Deiparam virginē inſigni illo ſuo integritatis priuilegio fraudemus, quod ei Tridentinæ ſynodi canon ſubiectus attribuit . Siquis hominem ſemel iuſtificatum dixerit amplius peccare non poſſe,neque gratiam amittere, atque ideo eum,qui labitur & peccat,numquã fuiſſe verè iuſtificatum, aut contrà poſſe in tota vita peccata omnia,etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei priuilegio,quemadmodum de beata virgine tenet eccleſia,Anathema ſit.

Theophylactus in interpretatione huius ſententiæ,Chryſoſtomi ſecutus dicta, cautè legēdus eſt in hæc verba:Humanũ quid volebat oſtēdere mater,videlicet quod in filiũ poteſtatē haberet; nihil enim magnũ adhuc de eo intelligebat:propter hoc ipſo adhuc loquēte, volebat ad ſe illum attrahere, quaſi ambitioſula tanto filio ſibi ſubdito. Quid igitur Chriſtus ? Quoniã intentionē eius ſciebat, audi quid dicat.Quæ eſt mater mea?non iniuria afficiens matrem,hoc dixit, ſed corrigens mentē eius gloriæ auidã & humanam. Vide ſuprà annot. 18.& infrà annot.94.Itē lib.5.annot. 156.&lib.6. annot. 138.139.140.Biblioth.ſanctæ Six. Senen.

ANNOTATIO LVII.

Sinite vtraque ſimul creſcere,vſque ad meſſem.Matth.13.e.

Hæretici volentes reſipiſcere cum de vita tollendi ſint.

CHryſoſtomus hom.47. in Matthæum hũc locum examinans, verba quædam habet, quæ Hermannus Bodius in Collectaneis ſuis, in titulo de hæreticis,inducit, vt aſtruat hæreticos; quãuis in hæreſi pertinaces fuerint,nõ eſſe pœna mortis puniendos.ſunt autē hæc: Non prohibet Chriſtus cõcilia hæreticorũ diſſipari,ora obſtruere, libertatem loquendi cõcidere;ſed prohibet interficere & trucidare.& vide,quàm mitis ſit. non enim ſolùm prohibet;ſed,cur prohibet, rationem exponit,dicens parcendũ eſſe zizanijs, quouſq; vnà cũ frumēto in agro ſunt:quia poſſunt in frumēti ſtatum commutari. Hæc quidem Chryſoſtomi ſententia;in qua cũ aliquãdo fuiſſet Auguſtinus, poſtea ſe eam mutaſſe teſtatur in epiſtola 48. ad Vincentiũ,Rogatianæ hæreſeos aſſertorē, ſic ſcribens: Mea primitus ſententia erat neminē ad vnitatē Chriſti eſſe cogendum,verbo eſſe agēdum,diſputione pugnãdum,ratione vincendum , ne fictos catholicos haberemus,quos apertos hæreticos noueramus. ſed hæc opinio mea nõ cõtradicentium verbis, ſed demõſtrantium ſuperabatur exēplis. nã primò mihi

A

opponebatur ciuitas mea; quæ cùm tota eſſet in parte Donatiſtarũ, ad vnitatem catholicã timore legum imperialiũ cõuerſa eſt, quã nunc videmus ita huius perniciẽ deteſtari, vt in ea numquã fuiſſe credatur. Ita & aliæ multę quæ mihi nominatim cõmemorabantur, vt ipſis rebus agnoſcerẽ, etiã in hac cauſa rectè poſſe intelligi quod ſcriptũ eſt, Da ſapienti occaſionẽ, & ſapientior erit. Hactenus Auguſtinus, qui in lib. cõtra epiſtolam Parmeniani explicãs mentẽ Chriſti, dicẽtis, Sinite vtraque ſimul creſcere vſq; ad meſſem, ait hæc verba in eo tãtùm caſu ſeruanda eſſe, quãdo zizania ſine extirpatione tritici extirpari nõ poſſunt, id eſt, quando hæretici occidi & extingui nequeunt, niſi etiam cum eis catholici trucidentur. ſed cũ metus ille nõ ſubeſt, & crimen eorũ notũ eſt & execrabile, nec tales habẽt defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere; tunc aduerſus eos ſeueritas exercenda eſt. nam ſi imperatores puniunt furta & homicidia; cur nõ punient hæreſes & ſacrilegia? Neque ab hac Auguſtini ſententia diſcrepat Chryſoſtomus ſicut apertè oſtendunt eiuſdem verba, prædictis verbis præmiſſa, in hunc modũ: Dominus prohibet euelli zizania, ne fortè ſimul cũ zizanijs herbam etiã tritici euellant. decebat enim, vt bella & effuſionẽ ſanguinis prohiberet. nã, ſi tũc trucidarẽtur hæretici, atrox & irreconciliabile bellum orbi inferretur.

B

Euthymius in expoſitione huius ſentẽtię, Chryſoſtomi explanationem ſequens, ita ſcribit: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem. Meſſem dicit mundi conſummationem. Iubet ergo, vt vtriuſq; generis homines, hoc eſt, hæreticos, ſinant viuere, creſcentes, auctoſq; numero in mundo vſque ad cõſummationem. veriſimile ſiquidem eſt, ante id tempus multos conuertendos hæreticos, nec tamẽ ob hoc illis cõmiſceri oportere. ſpatioſus eſt enim hic mundus: & illos per ſe viuere oportet, non ablatos quidẽ, ſed ſeparatos, ne docendo corrũpant, quod ſeminatum eſt triticum. Hic locus ad defenſionem hæreticorum adiectus eſt à Lutheranis in opere Bodij iam citato. Cæterùm ex his verbis, quę ſtatim hanc periodum antecedunt, apparet Euthymium idem ſenſiſſe, quod Chryſoſtomum. ait enim, Prohibuit auferri hæreticos, ne etiam pariter orthodoxi auferrentur: futurum enim erat, vt bella & cædes orirentur.

C

ANNOTATIO LVIII.

Vobis datum eſt noſſe myſterium regni cælorum. Matth. 13. b.

Fides nõ detur ex meritis præcedẽtibus.

AVtor operis imperf. hom. 31. indicat notitiam myſteriorum fidei & regni cælorũ dari his, qui lumine naturali benè vtuntur pro remuneratione bonę voluntatis. Quam ſententiã Auguſtinus ante epiſcopatum ſecutus, poſtea factus epiſcopus retractauit. Autoris verba ſic habent: Dominus generalem gratiam, id eſt, intellectum boni & mali, omnibus dat pro neceſſitate naturæ, quia nec videmur eſſe homines ad imaginem Dei creati, niſi habuerimus diuinum intellectum: dignioribus autem dat ſpecialem gratiã, vt puta cognoſcẽdi myſteria, nõ pro neceſſitate naturæ, ſed pro remunetione bonæ voluntatis, aut bonorum operum. vide ergo quomodo dicit: Vobis datum eſſe myſterium regni cælorum. non dixit. Vobis datum eſt, alicui, qui habeat ſcientiã boni & mali. Si ergo eſt, aliquis, qui nõ habet gratiã ſciẽtiæ boni & mali: non culpa hominis eſt nõ habentis, ſed Dei nõ dantis. ſi autẽ omnes homines intelligũt bonũ & malũ; nõ tamẽ omnes habent gratiã cognoſcendi myſteriũ regni: nõ eſt culpa Dei nõ dãtis, ſed hominis nõ quærentis, nec feſtinantis, nec laborantis, vt mereatur accipere. ſi enim illã generalẽ ſcientiã boni & mali tranſegiſſes, id eſt, ſi bene vſus fuiſſes: iuſtè merebaris hanc ſpecialem cognoſcendi myſterij ſcientiã.

D

Ioannes Driedo in libro de concordia liberi arbitrij & prædeſtinationis diuinæ cap. 3. hunc locum ſub nomine autoritate Chryſoſtomi recipiens, his eum verbis elucidat: Chryſoſtomus, cùm dicit generalem illam mandatorum ſcientiam, quam quiſque, cùm crearetur, accepit, eſſe gratiam, qua ſi bene vteretur, ſpecialem mereretur ſcientiam, qua cognoſceret myſterium regni cæleſtis, de quo ſaluator, Vobis datum eſt noſſe myſteriũ regni Dei, &c: veriſsimè quidem dicit; ſed non vult generalẽ illam ſcientiam mandatorum eſſe gratiam Dei, vt redimentis, ſed Dei, vt conditoris. Donis naturæ ſi quiſpiam bene vtatur, proculdubio meretur: ſed his nemo ſine Dei miſerentis gratia, & ſine initijs quibuſdam fidei valet bene vti. Exemplum patet in Cornelio Centurione, & in Apoſtolis; quibus pro bonis ipſorum voluntatibus, iam quadam gratia præuentis & humiliatis, dignatus eſt exponere, & reuelare Chriſti redimentis myſteria.

ANNOTATIO LIX.

Herodes tenuit Ioannem, & decollauit in carcere. Matth. 14. a.

CHryſoſtomus in hom. habita in decollationẽ Ioannis Baptiſtæ, quæ extra homilias commẽtariorum Matthæi extat, indicare videtur, angelos Dei, fœminarum amore illectos, de cæleſti gloria corruiſſe. quippe ſic loquitur: O malum ſummũ & accutiſsimum diaboli telum, mulier! per mulierem Adam in paradiſo proſtrauit; per mulierem caſtiſſimum Ioſeph detruſit in carcerem; per mulierem illum, totius mũdi lucernam, Ioannem capite trũcauit. & quid dicam de hominibus? mulier non ſolũ homines, ſed etiam angelos de cælo proſtrauit. Correxit neſcio quis hanc poſtremam clauſulam, verbis immutatis & expoſitis in hunc modum: Per mulierem angelos de cælo depoſuit, id eſt, homines ſanctos qui ad cælos pergebãt. Albinus in homiliario annuarum feſtiuitatum hanc homiliam cæteris ſermonibus, à ſe collectis, inſerens, priorem lectionem, vt germanam, agnoſcit. & fieri poteſt, vt primùm caſtigatio hæc à ſtudioſo quopiam in margine fuerit appoſita; ac deinde, vt plerumque accidit, à ſcriptoribus in textum tranſlata. Videto quæ ſuprà obſeruata ſunt annotatione nona.

Angeli num ob amorem mulierũ de cælo ceciderint.

ANNOTATIO LX.

Cùm tranſiſſet inde Ieſus, venit ſecus mare Galilææ. Matth. 15. f.

CHryſoſtomus hom. 53. in Matth. circa finẽm, de reſtitutione verba faciens, appertè aſſeuerat, raptoribus non ſatis eſſe ad criminis expiationem, ut tantundem reſtituant, quantum rapuerũt; ſed opus eſſe, vt plus quam decuplũ reddant. quã ſententiam aſtruit etiam duobus argumentis, nimirum ratione contumeliæ, quam præter damnum intulit; & ratione euangelicæ legis, quæ plura in hac parte à ſuis erigat quàm Moyſaica lex, quadrupla reſtitutione contenta. verba eius hunc ſenſum ita exprimũt: Nolito mihi dicere, quoniã ſi abſtuli ab alio, huic tantũ contuli. Hoc enim certè peſsimũ eſt. non credas eſſe poſsibile eadem dando mẽſura, qua rapuiſti, vulnus illud curare, quod per auaritiã abs te illatum eſt. nã qui mnã rapuit, non erit ſibi ſatis ad remediũ huius vlceris, ſi pœnitẽtia pulſus, mnã miſericorditer dederit; ſed taleto indigebit: propterea furti condemnatus, quadruplũ reddit. cũ igitur fure multò peior rapax ſit, cumq; ille quadruplum reddat; decuplum, imò verò multò plus, reſtituere iſte debet: atq; vtinam etiam ſic rapinæ ſordes omnino extergamus. non enim puto hanc illã eſſe miſericordiam, cui magnus meritorũ

An reſtitutionem rapinæ ſuperare oporteat.

cumu-

cumulus reſeruetur. Quocirca Zachæus dicebat: Si quid calumniatus ſum, quadruplum dabo, & mediam mearum rerum partem inopibus offeram. Quod ſi quadruplum tempore legis redditur: quanto magis ſub gratia? & ſi furem tantũ reſtituere oportet quantum rapacem? nam præter damnum contumelioſa res rapacitas eſt. Quare ſi centuplum etiam dabis, vix totum reddidiſti. non temere igitur diximus talentum eſſe offerendum, ſi mna tibi rapta ſit.

Luc. 19.

Reclamare videntur huic ſententiæ omnes theologorum ſcholæ: in quibus decernitur, neminem eſſe cogendum, vt ratione rei ablatæ plus reſtituat, quàm abſtulerit; propterea quòd reſtitutionis ſcopus ſit æqualitatem reuocare, quod inæqualiter ſublatum eſt. Opinor horum verborum interpretationem ſumendam eſſe non ex natura ſublatæ rei, ſed ex modo abripiendi. nam, ſi rem ſublatã ſpectemus, rectè definiunt theologi, reſtitutionis iuſtitiam nihil vltrà à raptore repoſcere, niſi quod rapuit, & quantum rapuit. at, ſi contumeliam & iniuriam intueamur, quam quis ei intulit, quem diripuit; non ſatis eſt tantundem reddere; ſed, vbi cõdemnatus fuerit, tantum reddere debet, quantum æquus iudex ratione iniuſtæ ablationis pronuntiauerit reddendum, ſiue illud decuplum, ſiue plus, quàm decuplum ſit. Et hunc ſenſum, ni fallor, verba Chryſoſtomi præ ſe ferunt.

ANNOTATIO LXI.

Moyſes propter duritiam cordis permiſit vobis dimittere vxores. Matth. 19. b.

De ſecũdis nuptijs.

AVtor operis imperf. Homil. 32. in expoſitione huius ſententiæ ſecundas nuptias damnaſſe creditur his verbis: Apoſtoli præceperunt ſecũdas adire nuptias propter incontinentiam hominum, nam ſecundam quidem accipere, ſecundũ præceptum Apoſtoli eſt: ſecundùm autem veritatis rationem, verè fornicatio eſt. ſed cùm permittente Deo publicè & licenter cõmittitur, fit honeſta fornicatio. Dicendum quod loquitur fortaſſe de ſecũdis nuptijs, quæ fiunt viuente adhuc prima quę haberet libellum repudij. Vel dicendum hunc locum eſſe corruptum, ideoque cautè legendum.

ANNOTATIO LXII.

Talium eſt enim regnum cælorum. Matth. 19. c.

Nõ omnis res corporea ſit mala.

AVtor operis imperf. homil. 32. in fine ſic ſcribit: Cauſa ſanctificandarum eſcarum hæc eſt, quoniam mundus totus in maligno poſitus eſt. ergo & omnis res corporalis, quoniam mundi eſt pars, in maligno eſt poſita, & ipſum oportet ſanctificari. Petrus Cretæ epiſcopus, in 2. Sententiarum, in quæſtione de malo, inquit hunc locum ſub nomine Chryſoſtomi adduci ſolitum ab his, qui iuxta Manichæi dogma mundum hunc natura malum, & à malo principio conditum aſſerebant. ſubditque interpretandum eſſe hoc dictum non iuxta naturam mũdi, quæ bona eſt, & à bono autore profecta, ſed iuxta malignitatem eorum, qui mundi bonis malè vtuntur.

ANNOTATIO LXIII.

Exijt primo mane conducere operarios in vineam ſuam, &c. Matth. 20. a.

Num à Deo vocati ex meritis vocentur.

CHryſoſtomus hom. in Matth. 56. quærens, cur non ſtatim ab initio omnes operarios in vineã conduxit, ita quæſtioni reſpondet, vt videatur vocationis diuinæ gratiam, quæ gratis datur, voluntati & fidei vocatorum aſcribere his verbis: Omnes quidem ille ab initio conduxiſſe voluiſſet, ſed à voluntate vocatorum hæc differentia reſultauit. Idcirco alij mane, alij tertia, alij ſexta, alij nona, alij vndecima hora vocantur, quia tunc obtemperaturi erant. quod & Paulus apertè ſignificauit, dicens; Quando autem viſum eſt Deo qui me ſegregauit ex vtero matris meæ. Quando autem ei viſum eſt? quando certè obtemperaturus erat. nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet; ſed quia illum renixurum ſciebat, tunc voluit, cùm animum ipſius penetraturam vocationem non ignorabat. ſic & latronem cùm poſtea vocauit, potuiſſet antea ipſum vocaſſe, ſed vocatus ille nõ paruiſſet: nam ſi Paulus ab initio non paruiſſet, multò minus ipſe latro.

Gal. 1.

Hac eadem quæſtionis ſolutione, iiſdem penè exemplis & verbis ſæpiſſimè à Chryſoſtomo repetita, vſus eſt olim Auguſtinus in libro ſex quæſtionum contra Paganos, qu. 2. vbi reſpõdens Porphyrio, percontanti, cur Chriſtus prioribus ſæculis non venerit vocare omnes homines ad viam ſalutis, & veritatem, ſic ait: Hoc ſolùm breuitatis gratia in huius quæſtionis ſolutione dicamus, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicare doctrinam ſuam, quando ſciebat, & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri. his enim temporibus, & his locis, quibus euangelium non eſt prædicatum, tales in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales multi in eius corporali præſentia fuerũt, qui in eum, nec ſuſcitatis ab eo mortuis, credere voluerunt.

Hanc reſponſionem poſtea reprobrans Auguſtinus, in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 9. & in 2. lib. Retractationum cap. 31. in ſecunda quæſt. ait: Quod dixi, non ideo dixi; tanquam ex meritis ſuis quiſquam vocatione dignus fuerit; ſed quemadmodum ait Apoſtolus, nõ ex operibus, ſed ex vocante dictum eſſe, maior ſeruiet minori. quam vocationem ad Dei propoſitum aſſerit pertinere, nõ ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitũ & gratiam ſuam, & vnde item dicit: Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti; de qua vocatione ait, Vt dignos vos habeat vocatione ſua ſancta. Quære elucidationem ſententiæ Chryſoſtomi infrà annot. 108.

Rom. 8.

ANNOTATIO LXIIII.

Dicit Dominus procuratori ſuo, &c. Matth. 20. b.

De Trinitate.

AVtor operis imperf. homil. 34. in Matth. ſcribit patrem & filium neceiuſdem eſſe dignitatis, nec eiuſdem ſubſtantiæ, in his verbis: dicit procuratori ſuo. cui procuratori? ſine dubio filius dicit Spiritui ſancto. & ſi volueris concedo tibi, vt pater filio dicat. non quæro vtrum filius ſui patris procurator, aut Spiritus ſanctus filij: ſed hoc dico, quia procurator domus, & paterfamilias nec eiuſdem ſubſtantiæ poſſunt eſſe, nec vna perſona eſſe, nec æqualis dignitatis. ſi ergo alter paterfamilias, alter procurator pater familias, quomodo locum habeat Trinitas tua? ſi autem eiuſdem ſubſtantiæ iſte eſt, & eſt minor, iniuriam facit ſubſtantiæ: ſi verò non æqualis dignitas; vbi eſt vna ſubſtantia?

ANNOTATIO LXV.

Erant primi nouiſſimi, &c. Matth. 20. d.

Fruitio beatorũ.

AVtor operis imperf. in fine Homil. 34. innuere videtur ſanctorum animas nondum frui viſione fælicitatis diuinæ, ſic loquens: Aut ideo primos dicit nouiſſimos futuros, &c. Vide lib. 6. Biblioth. annotat. 345.

Digitized by Google

ANNOTATIO LXVI.

Et tertia die reſurget. Matth. 20.d.

De filio Dei.

AVtor operis imperfecti Hom.35. Arrij dogma & vocem amplecti videtur, appellans filium Dei, Deum ingenitum de Deo ingenito. eius verba hæc ſunt: Sed & poſt tres dies reſurget in animabus credentium ſibi, cùm tres dies fuerint conſummati in eis. prima dies pater, ſecunda dies filius, ſecundùm quod dictum eſt in propheta, Annuntiate de die in diem ſalutare eius. quis eſt autem dies alius de die; niſi ingenitus Deus de ingenito Deo? conſequenter & Spiritus ſanctus tertia dies eſt, quoniam his tribus illuminantur corda credentium.

ANNOTATIO LXVII.

Calicem quidem meum bibetis. Matth. 20.c.

De Ioannis Euangeliſtæ interitu.

CHryſoſtomus hom. in Matth. 66. refert Ioannem Euangeliſtam, quem multi grauiſſimi authores adhuc viuere ſcripſerunt, violenta morte obtruncatum obijſſe. Ita enim introducit Chriſtum ad filios Zebedæi loquentem: Calicem quidem meum bibetis, magna vobis bona prædicó: martyrij enim corona potiemini, & violenta morte, ſicut & ego, à vita decedetis, & in his mihi communicabitis. Et in Homilia in epiſtolam ad Hebræos 27. ſuper illud verbum, alij diſtenti ſunt, &c. deſcribens genus martyrij, ac mortis amborum, inquit: in hoc loco videtur mihi Ioannem & Iacobum ſignificare. diſtentio quippe dicitur decollatio. niſi fortè per Ioannem intellexerit Baptiſtam ab Herode decollatum. Certè Euthymius in commentarijs teſtatur Chryſoſtomum non ſolùm in præſenti hom, ſed etiam prima & ſecunda Homilia in Euangelium Ioannis docuiſſe euangeliſtam in Aſia occiſum. Georgius Trapezuntius locum hûc ex hom. in Matth. citans, in lib. de Ioanne, adhuc viuente, ait, Chryſoſtomum loqui de martyrio ac violenta morte, quam Ioannes vnà cum Enoch & Helia in fine ſæculi prædicans pœnitentiam, paſſurus eſt, ſub vltima Antichriſti perſecutione.

ANNOTATIO LXVIII.

Non eſt meum dare vobis. Matt. 20.c.

De Trinitate.

AVtor operis imperfect. hom. in Matth. 35. negat filium eſſe patri coæqualem & conſubſtantialem his dictis: Quid ergo mentitus eſt Chriſtus, dicens, non eſt meum? non omnis enim qui habet poteſtatem, ſi acceptam habet ab alio, illius eſt verè qui dedit. nam quid habebat filius proprium, cùm ipſe non eſſet ſuus, ſed patris? ergo inter eum, cuius non eſt, nec perſona vna eſt, nec æqualis poteſtas. ſi enim vnus Deus, & pater & filius, aut certè poteſt, aut certè non poteſt: Quis vidit talem vnum Deum cæleſtem colere, qui in dimidio potens eſt, & in dimidio impotens? aut quis illos putet æquales, quorum non eſt æqualis poteſtas?

ANNOTATIO LXIX.

Et eijciebat vendentes & ementes. Matth. 21.b.

AVtor operis imperf. hom. 38. exiſtimat omnes mercatores de eccleſia abijciendos, & præſertim eos, qui res emunt, non vt in his opificiũ exerceant, ſed vt eas cariùs vendant. loquitur autẽ hoc modo. Nullus Chriſtianus debet eſſe mercator; aut

A ſi voluerit eſſe, proijciatur de eccleſia. & infrà: Ego oſtendam tibi, qui non eſt negotiator; vt qui ſecũdùm regulam iſtam non fuerint, intelligas omnes negotiatores eſſe; id eſt, quicunque rem comparat, non vt ipſam rem integram & immaculatam vendat, ſed vt opus faciat ex ea, ille nõ eſt negotiator. quia qui materiam operandi ſibi comparat, vnde faciat opus, ille non rem ipſam vendit, ſed magis artificium ſuum: id eſt, qui rem vendit, cuius æſtimatio non eſt in ea ipſa re, ſed in artificio operis; illa non eſt mercatio: vt puta faber comparat ferrum, & facit ferramentum; ſed ferramentum illud non tantum habet fieri, quantum valet; ſed ſecundùm opus ferramenti appretiatur. qui autem comparat rem, vt illam ipſam integram & immutatam dando lucretur, ille eſt mercator, qui de tẽplo Dei eijcitur. Diuus Thomas in ſecunda ſecundæ qu. 77. annotans hunc locum tanquam Chryſoſtomi, ait eum non intelligendum eſſe de omni mercatorum
B genere, ſed de his tantùm, qui vltimum totius negotij finem in lucro conſtituunt. poteſt enim & ipſum quoque lucrum licitè à mercatoribus appeti, non vt vltimus finis, ſed ob alium neceſſarium & honeſtum finem. & ad hunc quoque ſenſum inquit eſſe referendum, quod Caſſiodorus protulit aduerſus negotiatores in expoſitione Pſalmi ſeptuageſimi. Vide annotat. 187. libr. 5. Biblioth. ſanctæ Sixti Senenſis.

ANNOTATIO LXX.

Diliges Dominum Deum tuum. Matth. 22.f.

De Trinitate.

AVtor operis imperf. hom. 42. oſtendit filium non eſſe Deum primum, ſicut eſt pater, his verbis: primum mandatum eſt, & magnum, Deum
C patrem diligere: ſecundum autem & ſimile eſt, Dei filium diligere, id eſt cognoſcere: ergo Dei filius magnus eſt, ſicut pater. quicquid enim pater poteſt, & filius poteſt. pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu eius. ſed quia omnia filius, dante patre, poteſt, ſicut pater; ideo pater magnus Deus & primus: filius autem magnus Deus quidem, non tamen primus: ſicut ait, Expectantes aduentũ magni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

ANNOTATIO LXXI.

Surget gens contra gentem. Matth. 42.b.

De Homouſio.

AVtor operis imperf. Homil. 48. ait, aſſertionem catholicorum, quæ docet filium patri Homouſion, id eſt, conſubſtantialem, eſſe hæreſim, quæ aduerſatur eccleſiæ Chriſti. Hæreſis, inquit Homouſianorum non ſolũ Chriſti eccleſiæ aduerſatur, ſed
D & omnibus hæreſibus non ſimiliter ſapientibus. Ideo dicit Chriſtus, Surget gens contra gentem.

ANNOTATIO LXXII.

Cùm videbitis abominationem, &c. Matth. 24.c.

An vera eccleſia aliquibus notis dignoſci poſſit, & quibus.

AVtor operis imperfecti Hom. 49. ſcribit eccleſiam non poſſe cognoſci an vera ſit, nec ex Epiſcopis, nec ex miraculis, nec ex ſacramentis, nec ex bonis moribus, ſed ex diuinis tantũ ſcripturis. Verba, huiuſmodi ſententiam exprimẽtia, ſunt hæc: Volentibus cognoſcere quæ ſit vera eccleſia Chriſti, non eſt alius modus, quàm per ſcripturas. Quare? Quia omnia hæc quæ ſunt propriè Chriſti in veritate, habẽt & hæreſes illæ in ſchiſmate; Similiter eccleſias, ſimiliter ipſas & Scripturas diuinas, ſimiliter Epiſcopos, cæteroſque Clericorũ ordines, ſimiliter Baptiſmũ, ſimiliter Euchariſtiã, & cætera omnia, deinde ipſum Chriſtũ. Volẽs ergo quis cognoſcere, quæ ſit vera Eccleſia Chriſti, vnde co-

gnoſcat

Digitized by Google

gnoſcat in tantæ cõfuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per Scripturas? Item antea, & per ſigna cognoſcebantur qui erant veri Chriſtiani, & qui falſi. Quomodo? falſi quidem aut non poterant facere ſicut vere Chriſtiani, aut talia non poterant, qualia veri Chriſtiani: ſed faciebant vacua, admirationem quidem facientia, vtilitatem autem nullam habentia. Chriſtiani autem faciebant plena, non ſolùm admirationem facientia, ſed etiam omnem vtilitatem habentia; & per hæc cognoſcebãtur qui erant veri Chriſtiani, qui falſi: Nunc autẽ ſignorũ operatio omnino leuata eſt, magis autem & apud eos inuenitur, qui falſi ſunt Chriſtiani, fieri ficta. Sicut autem Petrus apud Clementem exponit, Antichriſto etiam plenorum ſignorum faciendorũ eſt danda poteſtas. Item ex moribus ipſis prius intelligebatur eccleſia Chriſti, quãdo conuerſatio Chriſtianorum, aut omnium, aut multorum ſancta erat, quæ apud impios nõ erat: Nunc autẽ, aut tales, aut peiores facti ſunt Chriſtiani, quales ſunt hæretici, aut gẽtiles, adhuc autem & maior' cõtinentia apud illos inuenitur, quãuis in ſchiſmate ſint, quã apud Chriſtianos. Qui ergo vult cognoſcere, quæ vera ſit Eccleſia Chriſti, vnde cognoſcat, niſi tantũmodo per Scripturas? Hunc locum ſub nomine Chryſoſtomi vſurpant ætatis noſtræ hæretici; qui contẽpto Patrum iudicio, & Cõciliorum definitione cõtendunt diuinis dumtaxat innitendũ ſcripturis, & ex ijs ſolũ petendam veræ eccleſiæ cognitionem.

Sed quã miſerè infœlices iſti fallãtur, luculẽtiſſimè demonſtrauit ſanctiſſimus, atque inter patres qui antè mille ac ducentos ferè annos floruerunt, doctiſſimus ac diſertiſſimus Vincentius Lirinẽſis, edito libello verè aureo, quem omnes Catholicæ pietatis amatores aſſidua verſare manu deberẽt, ceu Enchiridion ſiue millitarem pugiunculũ aduerſus profanas omnium hæreſeon nouationes. Is igitur inter cætera quę de ratione diſcernendi veram eccleſiam ac fidem à falſa hæreticorum eccleſia & fide diſputauit, tres vltrà ac poſt diuinam ſcripturã attulit regulas, quibus certiſſimè deprehendatur vtriuſq; eccleſiæ diſcrimen. Hæc autẽ ſunt, eccleſiaſticæ traditionis vniuerſitas, antiquitas, cõſuſio. Sed præſtat hæc elegantiſsimis eius verbis referre, quæ penè in principio eiuſdem opuſculi habentur hoc modo: Sæpe magno ſtudio, & ſumma attẽtione perquirens à quamplurimis ſanctitate & doctrina præſtantibus viris, quónã modo poſsim certa quadam, & quaſi generali ac regulari via Catholicæ fidei veritatem ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernere; huiuſmodi ſemper reſpõſum ab omnibus retuli, quod ſiue ego, ſiue quis vellet exurgentium hæreticorũ fraudes deprehendere, laqueoſque vitare, & in fide ſana ſanus atque integer permanere, duplici modo munire fidem ſuam domino adiuuante deberet, primò ſcilicet diuinæ legis authoritate, tum deinde eccleſiæ Catholicæ traditione.

Hic forſitan requiret aliqnis; Cùm ſit perfectus ſcripturarũ Canon, ſibiq; ad omnia ſatis ſuperque ſufficiat: quid opus eſt, vt ei eccleſiaſticæ intelligẽtiæ iungatur autoritas? Quia videlicet ſcripturam ſacram pro ipſa ſui altitudine non vno eodemque ſenſu vniuerſi accipiunt, ſed eiuſdẽ eloquia aliter atq; aliter, alius atque alius interpretatur, vt penè quot homines ſunt, tot illinc ſententiæ erui poſſe videantur. Aliter namq; illã Nouatianus, aliter Sabellius, aliter Donatus exponit, aliter Arrius Eunomius, Macedonius, aliter Photinus, Apollinaris, Priſcillianus, aliter Iouinianus, Pelagius, Cæleſtius, aliter poſtremò Neſtorius. Atque idcirco multum neceſſe eſt propter tantos tam varij erroris anfractus, vt propheticæ & Apoſtolicæ interpretationis linea ſecundũ eccleſiaſtici & Catholici ſenſus normã dirigatur. In ipſa itẽ Catholica eccleſia magnopere curandũ eſt, vt id teneamus, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc

A eſt etenim vere proprieq; Catholicũ, quod ipſa vis ratioq; declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter cõprehendit. Sed hoc ita demũ fit, ſi ſequamur vniuerſitatẽ, iniquitatẽ, cõſenſionẽ. Sequemur autem vniuerſitatẽ hoc modo, ſi hanc vnã fidem verã eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur eccleſia: Antiquitatem verò ita, ſi ab ijs ſenſibus nullatenus recedamus, quos ſanctos maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtũ eſt: Cõſenſionem quoq; itidẽ, ſi in ipſa vetuſtate omnium, vel certè penè omniũ ſacerdotum, pariter & magiſtrorum definitiones ſentẽtiaſque ſectemur. Quid igitur faciet Chriſtianus Catholicus, ſi ſe aliqua eccleſiæ particula ab vniuerſalis fidei cõmunione preciderit? Quid itaq;, niſi vt peſtifero corruptoq; membro ſanitatẽ vniuerſi corporis anteponat? Quid, ſi nouella aliqua contagio nõ iam portiũcula tantũ, ſed totã pariter eccleſiam commaculare conetur? Tunc item prouidebit, vt antiquitati inhæreat, quę prorſus iam non poteſt ab vlla nouitatis fraude ſeduci. Quid, ſi ipſa vetuſtate duorum aut trium hominum, vel certè ciuitatis vnius, aut etiam prouinciæ alicuius error deprehendatur? Tunc omnino curabit, vt paucorum temeritati, vel inſcitiæ, ſi qua ſunt vniuerſaliter antiquitùs vniuerſalis Cõcilij decreta, præponat. Quòd ſi tale aliquid emergat, vbi nihil eiuſmodi reperiatur, tunc operã dabit, vt collatas inter ſe maiorum conſulat interrogetq; ſententias, eorum dũtaxat qui diuerſis licet tẽporibus & locis, in vnius tantũ eccleſiæ Catholicæ cõmnunione & fide permanentes, magiſtri probabiles extiterunt; & quidquid non vnus, aut duo tantum, ſed omnes pariter vno eodemq; conſenſu apertè, frequenter, perſeuerãter tenuiſſe, ſcripſiſſe, docuiſſe cognouerit, id ſibi quoq; intelligat abſque vlla dubitatione credendũ. Hucuſque Vincentius.

B

At Aug. eaſdem veræ eccleſiæ notas paucioribus verbis arctans, & ipſas oſtendens in eccleſia Romana inueniri, ſic in libro contra epiſtolam Manichęi cap. 4. loquitur: Multa ſunt, quę me in eccleſię gremio iuſtiſsimè tenent. Tenet me conſenſio populorum atque gentium: tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet me ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendauit, vſque ad præſentem epiſcopatum ſucceſsio ſacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſola obtinuit.

C

Annotatio LXXIII.

De die autem illa & hora nemo ſcit, neque filius hominis. Matth. 24. c.

Avtor operis imp. hom. 50. videtur ponere in Chriſto ignorantiam diei & horæ iudicij, ſic loquens: Conſiderantes hunc locum nõ deberent erubeſcere aliquid myſteriorum Dei ſe ignorare, cùm legant ipſum non erubeſcentem ſuam ignorantiam confiteri ad reſpondendũ, quia de die illa & hora nemo ſcit, neque angeli, neque filius, maximè cùm ſit myſteriorum Dei multa profunditas: nec tamen mentitur, quãdo ipſum, quod ſcit, à patre accipit. meritò ſuam ſcientiam denegat, quę nõ ex eo, ſicut & alibi cùm eſſet bonus, bonum ſe denegauit, quia bonitas eius erat ex patre. & ne propter diſpenſationem humanam æſtimetur ſcire ſe negaſſe, nõ dixit, Neque filius hominis: quia ſecũdùm diuinitatem dixiſſet, non ſecundùm humanã naturam; nam inter filium Dei, & filiũ hominis nihil intereſt. Reprehbat autem D. Auguſtinus hanc ſententiã, quod in Chriſto fuerit ignorantia diei & horæ iudicij, docens ea ratione dictum eſſe, neque etiam ipſum filium ſcire diem iudicij, quòd non ita illum diem ſciebat, vt eſſet alijs reuelaturus.

Chriſtus an ignorauerit diẽ iudicij.

D

ANNOTATIO LXXIIII.

Veniat Dominus ſerui illius, in die, qua non exiſtimat. Matth. 24. g.

An ieiunium & caſtitas ſine eleemoſyna aliquid valeant.

CHryſoſtomus in fine homilia. 78. docere videtur, quòd ieiunium, oratio, & caſtitas, &, virginitas abſque eleemoſyna nihil proſint, inquiens: Oratio ab eleemoſyna vires, atque alas aſſumit: nō autem ſola oratio, verum etiam ieiunium inde roboratur. Quippe ſi abſque eleemoſyna ieiunes, nec ieiunium hoc quidem reputatur; cùm ventris ſeruo ac temulento, qui ita ieiunat, deterior ſit, tantoque peior, quantò crudelitas delicijs nequior eſt. Cur de ieiunio ita loquor, cum ipſa caſtimonia & virginitas eleemoſyna carens, ex thalamo ſponſi eijciatur? quamquam enim magna quidem res virginitas ſit: tamen, niſi eleemoſyna ipſam comitetur, eijcitur. Verba hæc interpretanda ſunt non de ipſa exteriori eleemoſynæ diſtributione, quæ nec ſemper, nec ab omnibus fieri poteſt, ſed de ipſo eleemoſynæ, hoc eſt, miſericordiæ & charitatis affectu & ſtudio; quo ſine nullum eſt opus adeò egregium, quod æterno præmio dignum ſit. Verùm ſi quis contendat Chryſoſtomum de externa etiam eleemoſynæ largitione loqui, non admodum repugnauerim; dummodo hæc ipſa verba de illis dumtaxat dici concedantur, qui ſunt vſque adeò fraternæ charitatis expertes, vt etiam in extremis neceſsitatibus opem ferre indigentibus fratribus recuſent.

ANNOTATIO LXXV.

Qui autem vnum accepit, abiens fodit in terram. Matth. 25. c.

Num mali ſacerdotes ſint ſacerdotes.

AVtor operis imperf. hom. 53. indicat ſacerdotes & diaconos malos non eſſe à Deo ordinatos, ſed ab hominibus; & quod licet ab hominibus pro ſacerdotibus habeantur, tamen quantum ad Deum, non ſunt ſacerdotes. Hæc ſententia apud eum hoc modo legitur: Diaconis & doctoribus ſecundum præuidentiam ſuam, illis videtur Deus iniungere miniſterium diaconatus, aut presbyteratus, qui ſunt iuſti: qui autem inueniuntur iniuſti, illos homines videntur ordinaſſe, non Deus. Ab exitu ergo rei cognoſcitur, qui à Deo ordinatus eſt, & qui ab hominibus. qui enim miniſterium ſuum bene conſummauerit, apparet, quia ex Deo fuerat ordinatus: qui autem miniſterium ſuum nō bene conſummauerit, ex hominibus ordinatus eſt. quomodo autem quidam ſacerdotes ex hominibus ordinantur, manifeſtè in lib. 8. canonum Apoſtolorum dicitur. qui autem ex hominibus ordinatus eſt, quantum ad Deum non eſt diaconus, aut ſacerdos; ergo in ſacerdotibus quidē aut diaconis nōn eſt inuentus, vt perdat talenta, qui ſecundùm præſcientiam ordinatur, à Deo. In popularibus autem euenit, quomodo etiam qui peccator futurus eſt, à Deo accepit fidei gratiam. Secundùm hæc ergo, quæ diximus, ſi presbyter, aut diaconus peccator inuentus fuerit; quoniam quantum ad præſcientiam Dei, ſicut iam diximus, non ex Deo, ſed ex hominibus factus videtur, presbyter, aut diaconus, quaſi laicus inuenitur inter eos, qui vnum talentum fidei acceperunt. ac per hoc nemo ordinatus à Deo peccat, niſi vt qui vnum talentum accepit à Deo. Ideo autem gratia fidei omnibus à Deo præſtatur, gratia autē clericatus, non omnibus, ſed dignis; quia in illa, cauſa ſalutis eſt, in iſta autem diſpenſatio miniſterij.

Ioannes Oſtunienſis epiſcopus, conſtitutionum D. Clementis interpres, & Scholiaſtes, declarans canonem Apoſtolicum ab hoc autore adductum, & à Clemente in 8. Conſtitutionum libro, cap. 1. annotatum, admonet lectores ne occaſione huius ſententiæ labantur in errorem Huſſitarum, docentium epiſcopos presbyteróſve, mortali peccato obſtrictos, non eſſe amplius epiſcopos & ſacerdotes: aitque non ita accipiendam eſſe Clementis ſententiam, quaſi velit eos, qui mali ſunt, amittere poteſtatem, quam ordinatione acceperunt; ſed vt eos neget eſſe epiſcopos & ſacerdotes, quatenus officia, & munera, quibus funguntur, non ſunt grata, atque accepta Deo; imò neque electio ipſorum ei tribuitur, ſed hominibus: ac ſi dicat eos eſſe epiſcopos quò ad dignitatem, non autem quò ad Deū attinet; quia inſtitutiones ipſorum, atque officia, quæ poſtea exercent, non ſunt probata Deo. Addit etiam iuxta hunc ſenſum intelligenda eſſe autoris huius dicta, itemque verba illa quæ Hieronymus ſcripſit in commentarijs epiſtolæ ad Galatas, aſſeuerans eos ab hominibus ordinatos, qui indigni fauore populi, patientiam Domini contemnentes, diuino ſacerdotio contra meritum ordinantur. hi enim quamquam ex vi ſacræ ordinationis habeant diuinitus ſibi delatam poteſtatem; tamen ex praua officij adminiſtratione ſacerdotes non ſunt, quales Deus requirit, ac deſiderat.

ANNOTATIO LXXVI.

Non bibam de hoc genimine vitis. Matth. 26. c.

Num ſolo vino ſine aqua in ſacris myſterijs vtendum.

CHryſoſtomuus Homilia 83. in expoſitione iſtius ſententiæ affert hæc verba: Cuius rei gratia non aquam, ſed vinum poſt reſurrectionem bibit? pernicioſam quandam hæreſim radicitus euellere voluit, qui aqua in myſterijs vtuntur: ita vt oſtenderet, quia & quando hoc myſterium tradidit, vinum tradidit, & quando poſt reſurrectionē in nuda myſterij menſa vino vſus eſt: ex germine ait vitis, quæ certè vinum, non aquam, producit. Ex his verbis malè intellectis Armeni hæretici ſolo vino in myſterijs vtebantur, aduerſus quos concilium vniuerſale cognomento in Trullo, ſub Iuſtiniano celebratum canone 32. ita decernit: Quoniam nouimus quod in Armenorum regione vinum tantum in ſacra menſa offerunt, aquam illi non miſcentes, qui incruentum ſacrificium peragunt, prætexentes eccleſiæ doctorem Io. Chryſoſtomum propter hæc verba in interpretatione Matthæi: Cuius rei gratia Chriſtus non aquam, ſed vinum, &c. quibus verbis exiſtimant Chriſtū prohibere aquæ oblationem in ſancto ſacrificio: ſed vt hi ab ignorantia liberentur, illius patris mentem orthodoxè aperimus, dicentes illum voluiſſe ſubuertere antiquam prauamque Hydroparaſtarum hæreſim, qui pro vino ſola aqua in ſacrificio vſi ſunt. Si quis ergo epiſcopus, vel presbyter vinum, aqua miſtum, in ſacrificio non offert, deponatur.

ANNOTATIO LXXVII.

Qui acceperint gladium, gladio peribunt. Matth. 26. c.

De bello.

CHryſoſt. Hom. in Matth. 85. Vt facilius, inquit, crederet, quia traderetur, propterea dixit eis: Emite gladios, non vt percutiant, animans; ſed, vt prædictionem ante oculos poneret. Eraſmus in annotationibus in Lucam vtitur his verbis ad cōfirmationem dogmatis ſui; quo docet omne genus belli Chriſtianis interdictum eſſe. cuius errori confutationem habes in Biblioth. ſancta Six. Senenſis annot. 156. lib. 6.

Annotatio LXXVIII.

Et acceperunt triginta argenteos, & dederunt eos in agrum figuli. Matth. 27. a.

Nũ clericis poſſeſſiones temporalium rerũ habere liceat.

CHryſoſtomus homil. 86. in Matth. horum verborum occaſione accepta, videtur deplorare longa querela calamitatem Antiſtitum, & paſtorũ eccleſiæ, quòd villas, domus, poſſeſſiones, & auri & argenti opes poſſideant; quas, inquit, multò ſatius fuiſſet à laicis, quàm à clericis retineri; quia ſacerdotes & epiſcopi nequeant Chriſtum ſequi, niſi, relictis eccleſiarum poſſeſſionibus, ab omni ſæculari cura liberentur. eius verba ſic habent: Veniat in mentem vobis octo millia Leuitarũ Iudæos alere ſolitos fuiſſe, & cum his viduas, & parentibus orbos: nunc autem ægros, domus, locationes ædificiorum, vehicula, equos, mulos, multaque alia huiuſmodi propter vos, & veſtram crudelitatẽ eccleſia poſſidet. oportebat enim hunc eccleſię theſaurum vos retinere, ac eccleſiã nõ paruos ex veſtra deuotione cõſequi fructus. modò autem duo quędã mala committuntur. nam & vos quaſi nihil dare debeatis, nihil cõfertis; & Dei ſacerdotes à ſacerdotio aliena pertractãt. An non poterãt etiã tẽpore Apoſtolorum domus & agri ab eccleſia poſſideri? cuius ergo rei gratia vendẽtes pecuniã offerebãt? quia id multò melius erat profectò. Et infrà illud euãgelicum: Vade, & vẽde vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me, &c. opportunè nunc ad eccleſiæ præſides propter latas eccleſiæ poſſeſſiones, & meritò dici poteſt. non enim ſequi Chriſtum aliter poſſumus, niſi omnis craſſioris & ſæcularis curæ ſimus expertes. Nũc verò, proh dolor, vindemiæ, ac meſſi, Dei ſacerdotes, & venditioni ac emptioni fructũ aſſiſtunt, &c. Hanc eandem ſententiã lucidiùs repetit homil. 15. in priorẽ ad Timotheũ, vbi ſic legitur: Oportet doctoribus neceſſariũ victum affatim miniſtrari, ne deficiãt, neq; ſoluãtur, neque minimis occupati, magnis, ſeipſos, atq; alios priuent, vt ſpiritualia operentur, nullam ſæcularium habẽtes rationem. Huiuſmodi Leuitæ erant; qui nullam ſæcularium rerum habebant curam, quemadmodum laïci. Ipſis quoque laïcis Leuitarũ erat cura promiſſa, & lege illis conſtituti fuerant reditus, decimæ, aurum, primitiæ, vota, & alia plurima. verùm illis lege meritò iſta permittebantur, præſentia tantùm & terrena quærentibus. ego autem eccleſiæ præſules audenter dixerim nihil præter victum & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſideria. Hucuſque Chryſoſtomus.

Luc. 18.

Cui ſubſcribere videtur Hieronymus in libello de vita clericorũ ad Nepotianum, ſic inquiẽs: Clericus, qui Chriſti ſeruit eccleſiæ, interpretetur primò vocabulũ ſuum, &, nominis definitione prolata, nitatur eſſe, quod dicitur. ſi enim cleros Græcè, ſors, Latinè appellatur: propterea vocãtur clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini; vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars clericorũ eſt. qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominũ partem habet; talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat dominum, & poſſideatur à domino. qui poſſidet dominum, & cũ

Pſal 72. Propheta dicit: Pars mea dominus, nihil extra dominum habere poteſt. quid ſi quippiam aliud habuerit præter dominũ, pars eius non erit dominus. verbi gratia ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem; cum iſtis partibus, dominus pars eius fieri nõ dignabitur. ſi autem ego pars domini ſum, & funiculus hæreditatis eius, nõ accipio partem inter cæteras tribus; ſed quaſi Leuita & ſacerdos viuo de decimis; & altari ſeruiens altaris oblatione ſuſtentor; habens victum, & veſtitum, his contentus ero: & nudam crucem nudus ſequar. Hæc Hieronymus. Obiectant, & exprobrant nobis hæc verba recentiores hæretici, ſimulque his ani-

A mant, & incendunt auaros Principes, vt direptas eccleſiæ poſſeſſiones, & clericorum facultates in fiſcum redigant & in proprios vertant vſus.

Cæterùm, ſi, omni amoto odio, velint vtriuſque autoris dicta pio animo perpendere, agnoſcent Chryſoſtomum non damnaſſe in clericis diuitiarũ poſſeſſionem, ſed cauſam potius ob quam epiſcopi & clerici diuitias poſſidere & adminiſtrare cogerentur: ea erat inclementia & crudelitas diuitũ eius ſæculi, qui vt ſe liberarent aſſidua moleſtiaq; ſollicitudine inueniendi, prouidendi, tractandi, ac diſtribuendi ea, quæ quotidianis clericorum vſibus, atq; alijs pauperum neceſſitatibus ſatis eſſent, conſtituerãt eccleſiæ præſulibus certa prædia, ac villas; eoſque adegerant, vt ex earum cura & adminiſtratione ſibijpſis, ac cæteris ex plebe pauperibus vitæ neceſſaria pararent. Hanc indignitatem meritò reprehendit Chryſoſtomus, iniquum eſſe exiſtimans vt clerici cõpellerentur ob temporalia miniſteria, & corporalem pauperum curã, dimittere ſpiritaliũ ac ſacerdotalium functionum officia. quod & olim Apoſtoli conqueſti fuerãt; Non eſt æquum nos re- Act. 6.

B linquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. At ſi beatus ille pontifex diuites ſui temporis idcirco vituperat, non quia diuitias eccleſiæ dediſſent, ſed quòd animo parũ grato ac beneuolo dediſſent, eo ſcilicet fine, vt ſe tædio ac faſtidio alẽdi clericos & pauperes exoluerẽt: quo animo, qua lingua, quibus verbis putas eum fuiſſe deploratũ, ſimulq; deteſtaturum, ſi hac noſtra tẽpeſtate vixiſſet, ſceleratiſſimos hæreticarum factionũ principes ac tyrannos; qui ad explendã inexplebilis auaritiæ ſuæ cupiditatem diuorum tẽpla ſuis expoliauere theſauris, diripuerunt eccleſiæ opes, quas olim catholici principes, vel ad neceſſitatem, vel ad honeſtatem vitæ epiſcopis & clericis donarunt; & eccleſiaſticos curatores ad miſeriam & extremam inopiam redegerunt. Sed non hic talia deflendi locus: annotamẽta ſcribimus, non declamamus.

Quantum verò ad Hieronymũ attinet, D. Tho.

C in poſteriore parte ſecũdi voluminis. Summę theologicæ, qu. 85. eius verba excutiens, ait illum hæc pronuntiaſſe nõ aduerſus clericos, qui diuitiarum poſſeſſione rectè vtuntur, ſed contra eos, qui illarum poſſeſſione abutuntur, ita opibus ſuis inhærẽtes, vt ſtudium pietatis negligãt, ac Dei cultum, & ſpiritualium curã deſerant: quæ potior & prior eſſe debet epiſcoporũ & clericorum omniũ ſollicitudine. Sunt & qui putent Hieronymum his verbis nõ præceptum, ſed conſilium præbuiſſe clericis; & in hoc exaggerando, cõſilio conatum eſſe pertrahere clericos in eam partem, vt nihil poſsiderẽt, quo ſaltem in medio cõſiſterent, & moderato diuitiarũ vſu eſſent contenti; more eorum loquens, qui extrema exigunt, vt mediocria impetrent, & eorum ſequens exemplũ, qui arborem in læuam partẽ deflexam, in dexteram violenter cõtorquent; vt ipſa inde ſponte ſua ad medium reuertens, in rectam ſtipitis proceritatem aſſurgat. Nec prætereundum

D hîc arbitror, quod D. Thomas loco ſuperiùs memorato admonuit, fuiſſe olim qui putarent nõ licere clericis, & præſertim epiſcopis diuitias poſsidere, ob ſummæ perfectionis, quam profitentur, faſtigium; quos ille vt ineptos, reijciens, ait enim opus eſſe, vt vbi maior ſit vitæ perfectio, ibi maior ſit paupertas; cùm in ſummo ſanctitatis apice ſumma poſsit eſſe opulentia. Abraham quippe à Deo dictũ eſt, Ambula corã me, & eſto perfectus, &c. ac plerique alij perfectiſsimi viri magna diuitiarum affluentia floruere. Ad hanc annotationem reuocãda ſunt verba quædam Origenis ex hom. 15. in Leuiticum, vnà cum dictis Hilarij in expoſitione Pſal. 118. quæ clericos à poſſeſsione rerum ſæcularium excludere videntur. ea habes annot. 203. libri quinti Bibliothecæ Sanctę Senenſ. Vide etiam infrà annot. 131. huius operis.

Annotatio LXXIX.

Eli, Eli, lamazabachtani? Matth. 27. f.

Nũ Chriſtus prius lãcea percuſſus, quàm mortuus.

CHryſoſtomus hom. 89. in Matth. poſt expoſitionem horum verborum, ſequentia Matthæi verba in hunc modum ſubiungit: Putauerũt enim, inquit, Heliam ab eo vocari, & aceto ilicò ipſum potauerunt: alius autem accedens lancea latus eius aperuit. deinde appoſita narratione horum verborum, item ex eodem euangeliſta ſubnectit: Ieſus autem clamans voce magna emiſit ſpiritum. Hac lectione Chryſoſtomi abutitur incertus quidam Cornelij Agrippæ ſcholiaſtes, ad confirmationem deteſtãdi erroris, quem idem Cornelius in libro de vanitate ſcientiarum, ca. 100. ſcriptum reliquit, affirmans Matthæum euangeliſtam erraſſe, cùm dixerit, Chriſtum lancea percuſſum antè quàm expiraret, contra Ioannis autoritatem, qui eum poſt mortem perfoſſum lancea narrauit. Hanc Agrippę vanitatem Scholiaſtes ille tueri volens, aſtruit ex propoſita Chryſoſtomi lectione præſentem locum in Matthęi codicibus ita habuiſſe, & in hunc modũ legiſſe eum, & expoſuiſſe Chryſoſtomum. Cæterũ, cùm hæc lectio nuſquã reperiatur apud Matthæũ, neque in exemplaribus Græcorum, neque Latinorum, neque aliquis veterum expoſitorum vllã fecerit huius rei mentionẽ, fateri oportet hæc verba vnà cum Chryſoſtomi expoſitione ſcriptorum incuria fuiſſe tranſpoſita, præſertim cùm ipſemet autor hoc loco aſſeuerat Chriſti prorſus exanimati latus fuiſſe vulneratũ, atq; idipſum repetat hom. 48. in Ioannem, explicans illud, Vnus militũ lãcea latus eius aperuit. Suſpicor Agrippam, hæreticorũ dogmatũ ſtudioſiſſimũ, accepiſſe anſam huiuſce temerariæ aſſertionis, non ex Matthæi euangelio, vbi nulla rei huius extat mentio, ſed ex deliramẽtis Petri Ioannis minoritæ: qui, vt in libro aduerſus hæreſes teſtis eſt Guido Eluenſis epiſcopus, hunc errorem ſtulto zelo primus inuulgauit. is enim, cũ paſſionem & mortem Chriſti pro concione enarraret, finxit Chriſtum adhuc viuentem, lãcea vulneratum, vt ex amplificatione dolorũ Chriſti populum magis ac magis ad miſericordiã & fletũ cõcitaret. quam ſententiam cùm poſtea pertinaciter defendere perſeueraret, demùm in concilio Viennenſi damnatus eſt. Extat huius erroris damnatio lib. 1. Clementinarum ſanctionum, tit. 1.

Annotatio LXXX.

Maria Iacobi & Ioſeph mater, &c. Matth. 27. f.

Num ea quæ mater Iacobi & Ioſephi ab euangeliſta dicitur, mater Chriſti fuerit.

CHryſoſtomi hom. 89. in Matth. in quibuſdam tam Græcis, quàm Latinis exemplaribus ad expoſitionem loci huius nonnulla verba habet, ſignificantia Mariam, quæ hîc ab Euangeliſta appellatur Iacobi & Ioſeph mater, eſſe Mariam Chriſti matrem. quæ quidem ſententia cùm facilè inflecti queat ad Hæreſim Heluidij, aſſerentis Mariam poſt partum Chriſti alios peperiſſe filios, arbitror exemplaria illa ab hæreticis deprauata. quanquam non deſint qui hæc homiliæ verba defendant, dicentes Mariam non ſecundùm veritatem, ſed ſecundùm diſpenſationem vocari matrem Iacobi, & Ioſeph, quòd ij filij fuerint Ioſephi, Mariæ coniugis, ex alia vxore. Cæterùm Euthimius in commentarijs euangeliorum defenſionem huiuſmodi refellit, ita ſcribens: Cùm multæ eſſent inſigniores enumerat. quidam itaque dicunt, quòd Dei mater eſt, quæ apud euangeliſtas nunc quidem Iacobi & Ioſeph mater nominatur, quandoque autem Maria Iacobi, interdum verò Maria Ioſeph. nam hi filij erant Ioſeph: & quemadmodum vir eius pater illorum dicebatur propter diſpenſationem; ita rurſus ipſi filij virginis. Verùm ſermo hîc abſurdus videtur. primùm ſiquidem quid prohibebat eam appellare matrem Ieſu? præſertim cùm in præcedentibus narrationibus vt plurimùm ita eam appellauerint. Deinde abſurdum quoque foret in locis ſequentibus vbique Magdalenen ei præponi, & oſtendere illam fuiſſe matre Dei feruentiorem. vnde ſuſpicamur alteram quandã fuiſſe hanc Mariam, quæ mater erat Iacobi parui & Ioſeph, non filiorum Ioſeph, ſed aliorum qui erant e ſeptuaginta diſcipulis. nam multæ tales ſimilis erant nominis apud Iudæos. Veriſimile eſt autem tunc Dei matrem propinquius cruci aſtitiſſe, quàm cæteras mulieres; idque viſcerum inflammatione Iudæorum vincente timorem: fortaſſis verò etiam circumiſſe, cùm propter naturæ aculeos in eodem loco manere non poſſet: poſtmodum autem apud monumentum manſiſſe, & ſingula conſpexiſſe. Quod ſi hoc recipimus; quærendum eſt, quomodo ipſius non meminerunt Euangeliſtæ? quia de ea notum erat, quòd adfuerit, &, quæ matrum ſunt, demonſtrauerit. Ideoque neque planctum eius ſcripſerunt; abundè enim ſatisfecerunt pronuntiantes quod filium docentem ſequebatur. Oportet autem & hoc & illud ſcire, quodque naturæ conformius eſt, ſuſcipere.

Annotatio LXXXI.

Vidit Simonem & Andream mittentes retia in mare, &c. Marci cap. 1.

Apoſtolorũ piſcatio.

AVtor explanationis in Marcum, Chryſoſtomo aſcriptæ, homil. 4. hoc explicans, notatur à Godefrido Tilmanno, quòd aſſeruerit non eſſe ſcriptum in euangelio, quod Apoſtoli, ante paſsionem Domini piſcantes, aliquid vnquam præhenderint; cùm tamen Lucæ capit. quinto legatur, diſcipulos ante mortem Chriſti, iubente Domino, tantam cepiſſe piſcium multitudinem, vt retia ſcinderentur.

Annotatio LXXXII.

Et poſt ſex dies aſſumpſit Ieſus Petrum, &c. Marc. 9. a.

AVtor expoſitionis in Marcum, quæ Chryſoſtomi dicitur, homilia decima, admonet in euangelio ſecundùm Matthæum ſcriptum eſſe, Et factum eſt die octauo: apud Marcum verò, Poſt ſex dies. quòd ſanè non ſic. nam quod inquit apud Matthæum haberi, id extat apud Lucam cap. 9. Hunc qualemcunque errorem, ſiue ex lapſu memoriæ autoris, ſiue ex incuria ſcriptoris enatum, annotauit Godefridus Tilmanus, autoris huius ſcholiaſtes.

Annotatio LXXXIII.

Cùm intraſſet in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes. Marci 11. b.

De vendentium interpło h. ſtoria.

AVtor enarrationis in Marcum, Chryſoſtomi titulum præferentis, in exordio homiliæ decimæ tertiæ affirmat hiſtoriam de eiectione vendentium, à Marco deſcriptã, eandem eſſe cum illa,

illa, quam apud Ioannem legimus. Godefrius Tilmanus hunc locum annotauit his verbis: Si hanc ipſam hiſtoriam ſecundùm Marcum conferas cū Ioanne, capite nimirum ſecundo, introſpicienti tibi paulò penitius facilè colliqueſcet, non vnam tantum eiectionem fuiſſe, ſed duas. bis ſiquidem legitur dominus ad celebritatem Paſchæ aſcendiſſe Hieroſolyma; ſemel quidem Ioanne Baptiſta nondum carceri pro veritate per Herodem mancipato, hoc eſt; anno primo prædicati per dominū noſtrum euangelij, cuius & Ioannes cap. 2. meminit; rurſus ad peragendum redemptionis humanæ myſterium properans. De hac Marcus hoc loco commmienit, cui & concinit Matth. 21. cap. in hoc vtroque aſcenſu Hieroſolymæ legitur Dominus eliminaſſe templi adytis vendentes & ementes. Cæterùm ſolui vtrumque poteſt locus hic confragoſus ſimul & dilemmaticus, ſi dicas autorem loqui de explicatione temporis, quo quidem Hieroſolymam aſcenderit, non quoties.

ANNOTATIO LXXXIIII.

Erat quidem mendicus nomine Lazarus. Luc. 16. d.

An qui Chriſti prædicationem præceſſerunt, reſurrectionē ſpectauerint.

CHryſoſtomus concione prima de Lazaro non longè à fine aſſeuerat, Lazarum nihil de reſurrectione potuiſſe ſperare: quia illi, qui euangelicæ gratiæ tempus præceſſerunt, nullam habuerunt reſurrectionis notitiam. Id autem exprimit his verbis: Poſſum & aliud his omnibus addere, videlicet quòd Lazarus ne de reſurrectione quidem quicquam potuerit philoſophari; ſed huius vitæ res credebat huius vitæ fine terminari. erat enim ex eorum numero, qui gratiā euāgelij præceſſerūt. quòd ſi nunc his temporibus poſt tantā Dei cognitionem, poſt egregias reſurrectionis ſpes, poſt illic repoſita peccantibus ſupplicia, poſt parata his, qui rectè vixerūt, bona, adeò deiectis animis ac miſeris ſunt nonnulli, vt ne horum quidem expectatione corrigantur: quid tandem putādum eſt Lazaro accidiſſe; etiam hac deſtituto anchora? nam ille tale nihil vnquam philoſophari potuit, eo quòd nondū aduenisset tempus huiuſmodi dogmatum. Habes loci huius affinis obſeruationem ſuprà annot. 54.

ANNOTATIO LXXXV.

Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarū. Luc. 16. f.

An vllus abſque lectione ſcripturæ ſalutem aſſequi poſſit.

CHryſoſtomus concione tertia de Lazaro. 31. in Ioan. & in pleriſque alijs homilijs, cohortās auditores ſuos ſacrorum voluminum lectionem, ſententijs aliquot vtitur, quibus hæretici noſtrorum temporum ſuadere conantur, ſcripturas ſcilicet ſanctas in omnes omniū gentium linguas trāſferri oportere, vt à populo rudi queant ſine vllo diſcrimine legi, & ſine labore intelligi. nihil enim aiunt impedimento eſſe, quin diuinæ ſcripturæ ab omnibus, vel indoctis intelligantur, niſi peregrinæ linguæ ignorantia. ſunt autem propoſitiones ab hæreticis, ex Chryſoſtomo decerptæ, potiſſimum tres. Prima, in tertia concione de Lazaro legitur his verbis: Eminus venientia diaboli ſpicula extinguamus, depellamuſq; per aſſiduam ſcripturarum lectionem. neque enim fieri poteſt, non poteſt, inquam, fieri, vt quiſquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuò verſetur in lectione ſpirituali. Hanc verò propoſitionem duplici argumento ſuadet: primò quidē ex neceſſitate inſtrumentorum in quacunq; arte, ſic ibidem inquiens: An nō vides fabros ærarios, aurifices, fabros argentarios, denique eos qui quamcumq; exercent artem, omnia artis inſtrumēta habere parata? hoc ſanè animo nos quoq: præditos eſſe oportet. quemadmodum enim illis artis inſtrumenta ſunt malleus, incus, forceps, ſic & nobis inſtrumenta ſunt Apoſtolorum ac Prophetarum libri, omniſq; ſcriptura diuitus inſpirata: & quemadmodum illi per illa inſtrumenta, quicquid faciendum ſuſceperint, perficiunt; ita ſanè & nos per hos fabricamus, animam noſtrā corrigimus, & inueteratam renouamus. Secundò idem aſtruit ex eo, quòd ex præcepto diuino oporteat vnūquemque paratum eſſe ad reddendam ſuæ fidei rationem cuilibet poſcenti. Verba eius homilia in Ioannem ſexta decimā hæc ſunt: Si gentiles vt contra religionem noſtram loquerentur, tantopere inuigilarunt; qua nos venia digni erimus, niſi huiuſmodi contra nos inſultus propulſare calleamus? hoc nobis Petrus præcipit. inquit enim: Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt, ſpe. Et Paulus, Verbum Chriſti inhabitet in vobis abundanter. Sed quid ad hæc reſpondent fucis ſtultiores? Benedicta omnis anima ſimplex: & qui ſimpliciter ambulat, in fiducia ambulat. hoc namque omnium malorum cauſa eſt, quòd nō multi ſcripturarum teſtimonia in opportunis rebus ſciunt adducere. nō enim eo loco ſimplex pro ſtulto, & pro eo, qui nihil nouit, intelligendum eſt; ſed pro non malo, non verſuto: nam, ſi ita intelligeretur, ſuperuacaneum fuiſſet dicere, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

1. Petr. 3. Col. 3. Prou. 10. Matth. 10

Num ſcripturarū lectio magis ad clericos quā ad laicos pertineat

Secunda propoſitio eſt, quo diuinæ ſcripturæ lectio non ſolùm ad theologos, & clericos, & monachos pertinet, ſed etiā multoque magis ad laicos, præſertim negotiatores & artifices. hanc autem in tertia de Lazaro concione oſtendit, hæc ſcribens: Ne quis mihi dixerit, Ego forenſibus cauſis affixus ſum; publica gero negotia; artificium exerco; vxorem habeo; familiæ curam gero; mundanus ſum homo; non eſt meum legere ſcripturas, ſed eorum, qui mundo dixerunt Vale, qui montium vertices occuparunt, qui vitā eiuſmodi continenter agunt. Quid ais homo? nō eſt tui negotij ſcripturas euoluere, quoniā innumeris curis diſtraheris: imò tuū magis eſt quàm illorum. neque enim illi perinde ſcripturarū egent præſidio, atq; nos in medijs negotiorum vndis iactati. nam monachi quidem à foro, forenſibuſque negotijs liberi, quique in deſerto fixere taguriola, neque cum quoquam habent cōmercium, ſed in illa quieta tranquillitate cum omni ſecuritate philoſophantur, ac velut in portu ſedentes, rebus vehementer tutis fruuntur. nos contrà, veluti in medio mari fluctuantes, innumeriſque velimus nolimus peccatis obſtricti, ſemper opus habemus perpetuo iugique ſcripturarum ſolatio. Rurſum hom. in Matthæum 2. hoc ipſum cōfirmans, inquit: Sed eſtne horum crimēnū tandem aliqua defenſio? Non ſum, inquit, ego monachus; vxorem habeo, & filios: & curam domus gero. hoc enim eſt, quod omnia quaſi vna quadam peſte corrumpit, quoniam lectionem diuinarū ſcripturarū ad ſolos putatis monachos pertinere, cùm multò magis vobis, quam illis, ſit neceſſaria. qui enim verſantur in medio, & vulnera quotidie accipiunt, magis indigent medicamine, &c.

Num occupatio, inopia, vel ignorantia quemquam excuſent à lectione diuinæ ſcripturæ

Tertia propoſitio, quæ tribus abſoluitur partibus, eſt, Neminem aut negotiorum occupatione, aut librorum inopia, aut diuini eloqui obſcuritate, excuſari poſſe à lectione diuinarum ſcripturarum. primam & ſecundam huiuſce propoſitionis partem ſuadet homilia in Ioan. decima, in hæc verba: Quid igitur à vobis contendimus? vt vna dierum in hebdomade, ſaltem Sabbato, curæ vobis ſit euāgelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter ſenſum diſquirere; quid clarum, quid obſcurum in his ſit, in his annotare velitis: quid pugnare videatur, cùm non pugnet: ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus quàm attentiſſimos exhibeatis. quòd ſi qui ſunt, qui ne-

Digitized by Google

qui negotia, occupationeſque cauſantur, primum in hoc non parùm errant, quod ita ſemper ſæcularibus negotijs affixi ſint, vt ne minimum quidē in his, quæ maximè neceſſaria ſunt, ſtudiū impendāt. Deinde friuolam & nullius momenti excuſationē afferunt, rebus vilibus, omni reiecta excuſatione, diligens adhibere ſtudium poſſunt, diuinis autem ne minimam quidem curam impendendam eſſe ducunt. & quónam pacto qui talia ſentiunt, ſpirare, Solémne conſpicari digni ſunt? Eſt & alia his oſcitantibus inepta excuſatio, librorum videlicet inopia: & diuitibus quidem ad hoc reſpondere ridiculum eſt. Verùm cū multos pauperes huiuſmodi excuſatione vti exiſtimem, cū his parūper iocari, atque ita eos percontari placet: Numquid omnia artis ſuæ habeant inſtrumenta; & ſi inopia in his comparandis admodum impediantur: nónne igitur abſurdum eſt, hinc non cauſari paupertatē; vbi autem tantam ſunt conſecuturi vtilitatem, occupationes deflere & inopiam?

Tertiam ac poſtremam huius propoſitionis partem homilia de Lazaro iam citata ſic proſequitur: Quid igitur, inquiunt, ſi non intelligamus, quæ continentur ſacris libris? Maximè quidem, etiamſi non intelligas illic recondita, tamen ex ipſa lectione multa naſcitur ſanctimonia, quamquam fieri non poteſt, vt omnia ex æquo ignores. propterea ſiquidem Spiritus gratia diſpenſauit illa, temperauitque quò publicani, piſcatores, tabernaculorum opifices, paſtores, apoſtoli idiotæ, & illiterati per hos libros ſalui fierent, ne quis idiotarum ad hanc difficultatis confugere poſſit excuſationem; vt omnibus conſpectu facilia eſſent, quæ dicuntur, vt & opifex, & famulus, & vidua, & mulier. & omnium hominum indoctiſſimus ex audita lectione aliquid lucri, vtilitatiſque reportaret. non enim ad inanem gloriam quemadmodum ethnici, ſed ad audientium ſalutem hæc cōpoſuerunt. Philoſophi non in commune conducit quærentes, ſed illud ſpectantes vt ipſi ſint in admiratione, etiamſi quid vtile dixerint, hoc quoque in caligine quadam ſapientiæ, conſueta illis occultauit obſcuritas: apoſtoli verò & prophetæ contrà fecerunt, omnia manifeſta claraque prodiderunt, expoſuerunt omnibus, veluti communes orbis doctores, vt per ſe quiſque diſcere poſſit eā quæ dicuntur è ſola lectione. Iterum homilia tertia in poſteriorem ad Theſſalonicenſes epiſtolam indicat ſcripturas adeo eſſe dilucidas, vt qui ea legunt, prædicatorum & doctorum explanatione non egeant, eius dicta ſic habent: Sed inquis, Cur ingredior in eccleſiam, ſi ibi aliquem ſermocinantem non audiam? iſtud omnia perdidit, & corrupit. quid enim opus eſt concionatore? per noſtram negligentiam neceſſitas iſta facta eſt. quamobrem namque concione opus eſt? omnia clara ſunt, & plana ex ſcripturis diuinis: quæcumque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt. ſed quia delicatuli eſtis auditores, delectationem audiendo venantes, propterea concionatores quæritis. Sed ignoro inquis, quæ in diuinis ſcripturis poſita ſunt. Quamobrem? num enim Hebraicè? num Latinè? nū alio externo idiomate prolata ſunt? nónne Græcè dicuntur? At obſcurè, inquis. Quæ eſt iſta obſcuritas, dic quæſo? num hiſtoriæ ſunt? noſti, quæ clara ſunt. quid de obſcuris rogas? mille hiſtoriæ ſunt in ſcripturis. dic mihi vnam ex illis, ſed non dices. prætextus ſunt iſta, & inania verba.

Hæc igitur hac de re à Chryſoſtomo dicta ſunt, ex quibus hæretici tres educunt errores; primum; quod diuinæ ſcripturæ lectio omnibus tam doctis, quàm indoctis ſit neceſſaria: ſecundum, ſcripturam diuinam ſuapte natura lucidiſſimam, & adeò intellectu facilem eſſe, vt à quouis rudi & ſimplici homunculo, ſi abſit externæ linguæ impedimentum, apertiſſimè intelligi

A poſſit: tertium, vertendas eſſe diuinas litteras in proprias ac peculiares cuique genti linguas, vt, amoto hoc vno ignotæ linguæ obſtaculo, omnes totius orbis nationes ſacra volumina legant & intelligant. quod & olim cum magna Chriſtiani orbis vtilitate factum eſſe conſtat à priſcis eccleſiæ patribus; è quibus vt plerique eccleſiaſtici ſcriptores teſtantur, Chryſoſtomus nouum Teſtamentū, & Dauidicos pſalmos in linguam Armenicam tranſtulit; Hieronymus vtrumque Teſtamentum in linguam Dalmaticam; Vulphilas, Gothorum epiſcopus, omnia ſacra Biblia in linguam Gothicam; & Chryſoſtomi temporibus omnis Græca eccleſia diuinos libros vulgari lingua aut editos, aut tranſlatos legebat.

Aduerſus huiuſmodi errores obſeruare oportet, non eſſe concionatorum verba ſemper eo rigore accipienda, quo primùm ad aures auditorum perueniunt; multa enim declamatores per hyperbolē crebrò enunciant & inculcāt, vel occaſione locorum, temporum, ac perſonarum adducti, vel affe-

B ctuum impetu & orationis curſu rapti. Hoc interdum Chryſoſtomo contigit, & in hoc potiſſimum argumento loquenti: ſiquidem cùm animaduerteret multitudinem Græcorū, theatris, ſpectaculis, ſcenis, & poëtarum fabulis intentam, diuinas ſcripturas omnino contemnere, ille grauiter ferens tātam gregis ſui deſidiam & inſcitiam, deſiderabat omnes, ſi fieri poſſet, eſſe theologos, & præceptores: quo ſpiritu olim Moyſes afflatus, dicebat: Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det ei Dominus Spiritum ſuum? atq; ob id omnes indiſcriminatim hortabatur ad diuinam lectionem, quaſi ea promiſcuè pertineret ad omnes, nullus pateret aditus ſalutis, qui ſacra non legeret volumina.

Num. 11

Proinde cùm apud ipſum legimus, diuinæ ſcripturæ ſtudium eſſe omnibus neceſſarium, magiſque

Quomodo ſcripturæ diuinæ lectio ſit omnibus neceſſaria

C pertinere ſcripturarum lectionem ad laicos, quàm ad monachos: non ita accipienda ſunt ipſius verba, ac ſi ſentiat, artifices, piſcatores, agricolas, & huiuſmodi illiteratos homines, qui nec litteras nōrunt, nec legere didicerunt, ſaluari nequeant, niſi ſacros codices euoluāt ac legant; (hoc enim eſſet regnum cælorum inſipientibus ac rudibus claudere, quod Chriſtus nō minus indoctis, quā doctis apertum eſſe voluit) ſed credibile eſt eum per lectionē ſcripturarum intellexiſſe eam cognitionem, ad quam ſuprema totius diuinæ ſcripturæ capita referuntur, ceu ſunt præcepta decalogi, & ſententiæ Chriſtiani ſymboli; quibus prorſus ignoratis, certū eſt neminem conſequi æternam vitam.

Quòd autem ait diuinas ſcripturas ſic eſſe perſpicuas, vt à quouis, quantumlibet imperito, intelligi queant, referendum eſt non ad totum, ſed ad

Diuinæ ſcripturæ quomodo faciles vel difficilis.

D partes. diſtinguit enim Chryſoſtomus diuina ſcripta in duas claſſes: quarum vna continet recondita & abſtruſa altioris ſapientiæ myſteria, neque omnibus peruia, neque omnibus ſcitu neceſſaria; veluti ſunt maiori ex parte Pauli epiſtolæ, de quibus loquens Petrus ait: Chariſſimus frater noſter Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit epiſtolas, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu; quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem. Altera ſectio aperta eſt, ac dilucida, complectens prima ſummaque rerum credendarum principia, ac præcipua benè viuendi præcepta; & exempla cognitu facilia; vt ſunt morales ſententiæ, & ſacræ quædam hiſtoriæ formidandis moribus vtiles, de quibus omnes penè Chryſoſtomi adhortationes intelligendæ ſunt.

2. Petr. 3

Ad id verò quod hæretici cōtendunt, vertendas eſſe diuinas literas in maternam cuiuſque nationis linguam, quia olim hoc ipſum factum ſit ingenti eccleſiæ beneficio, reſpondetur, ineptum eſſe huiuſmodi argumentum: multa enim aliâs inſti-

Num diuinæ ſcripturæ in maternas cuiuſque gentis linguas vertēdæ ſint

tuta

tuta ſunt in communem reipublicæ vtilitatẽ, quæ poſtea incommodum & periculum afferrent, abrogata ſunt. Agebatur ex eccleſiæ inſtituto ad ſepulchra martyrum nocturna peruigilia magna ſacrarum virginum, monachorum, ac ſæculariũ hominum frequentia: at cùm inde paulatim flagiti multa fœda ac turpia prodire cœpiſſent, ſublata omnino ſunt Eliberatini concilij ſanctione. Dabatur aliquando, vt ex 6. lib Euſebianæ hiſtoriæ ca. 33. & ex quinto Theodoreti volumine cap. 18. conſtat, Euchariſtiæ ſacramentum in manus fidelium: ſed deprehenſis multis, qui id tractarent indignè, & qui ad magicas vanitates occultatum domi furtim aſportarent, conſuetudo illa abolita eſt. Fatemur ergo & nos, quondã ſacros libros vulgari idiomate redditos magna Chriſtianæ fidei progapatione: at nunc idipſum fieri non omnino expedit, quando certiſſimo experimento cognouimus, plurimam ſimplicium turbam ex hac occaſione in deteſtabiles & irremeabiles errores corruiſſe, dum quiſque ſutor, fullo, & coriarius, vulgari ſcripturarum tranſlatione fretus, audet hoc inſolenti ſæculo temere de obſcuris diuinæ ſcripturæ difficultatibus diſſerere, & dei præcipuis fidei dogmatibus iuxta ſuam inſaniam iudicare. Cohibẽda eſt igitur, tam propter ſcripturæ diuinæ reuerentiam, quàm propter animarum ſalutem, tanta vulgarium verſionum copia & licentia, ne contra Saluatoris præceptum detur ſanctum canibus edendum, & margaritæ porcis proterendæ: & ſicut adhibẽda eſt hac in re, prudens, ac pia quædam mediocritas, vt non omnibus prohibeantur huiuſmodi ſanctorum voluminum tranſlationes, ne indocti, vt Chryſoſtomus inquit, artis ſuæ inſtrumẽtis omnino priuẽtur: ita curandũ eſt, ne omnibus paſſim inuulgẽtur diuinæ litteræ, ſed his dumtaxat, qui recta in Deũ fide & probatis moribus præditi ſunt. quemadmodum ſacroſancta ſynodus Tridentina, in indice prohibitorum voluminum, regula quarta, decreuit his verbis: Cùm experimento manifeſtum ſit, ſi ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatẽ detrimenti, quam vtilitatis oriri: hac in parte iudicio epiſcopi, aut inquiſitoris ſtetur; vt cũ conſilio parochi, vel cõfeſſarij Bibliorum, à catholicis authoribus verſorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere poſsint, quos intellexerint ex huiuſmodi lectione non damnum, ſed fidei atque pietatis argumentum capere poſſe: quam facultatem in ſcriptis habeant. Qui autem abſque tali facultatẽ ea legere, ſeu habere præſumpſerit; niſi prius Biblijs ordinarios redditis, peccatorum abſolutionem percipere non poſsit. Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habent, Biblia idiomate vulgari conſcripta vendiderint, vel alio quouis modo conceſſerint, librorum pretium, in vſus pios ab epiſcopo conuertendum, amittant; alijſque pœnis pro delicti qualitate eiuſdem epiſcopi arbitrio ſubiaceant. Regulares verò non niſi facultate à prælatis ſuis habita, ea legere, aut emere poſsint.

ANNOTATIO LXXXVI.

Si Moyſem & prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Luc. 16. g.

Cõfeſſio

CHryſoſtomus homil. 4. de Lazaro hæc enarrans, ita de confeſsione loquitur, vt ex verbis eius colligi poſsit, ſoli Deo confitendum eſſe: quippe qui ſic loquitur: Cur te, quæſo, pudeſcit, & erubeſcis, dicere peccata tua? caue enim, homini dixeris; ne tibi opprobet; neque enim ſeruo confiteris, vt in publicum proferat, &c. Vide ſuprà annotatione 25.

ANNOTATIO LXXXVII.

Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18.

De confeſſione

HOmilia de publicano & phariſæo in explanatione ſententiæ, videtur ſola confeſsione quæ ſecretò fit ante Deum, eſſe contentus, dum inquit: itaque admoneo vt aſsiduè confiteare. neque enim te ad theatrum duco conſeruorum tuorum, nec ego te cogo peccata tua hominibus enuntiare: conſcientiam tuam Deo expone: ei oſtẽde facta & vulnera, & ab eo medicinam pete: oſtende te non exprobranti, ſed curanti. Vide ſupr. annot. 25.

ANNOTATIO LXXXVIII.

In principio erat verbum. Ioan. 1. a.

Angeli an ex euãgelicis ſcriptis aliquid didicerint.

HOmilia prima, ſiue in præfatione homiliarum in Ioannem innuit angelos ex Ioannis euangeliſtæ prædicatione multa didiciſſe, quæ prius ignorabant: quippe ſic ſcribit: Ioannes nihil nobis humanum, ſed à Spiritus ſancti profundis & abditis theſauris omnia proloquitur, quæ neque angeli prius, quàm hic diceret, nouerunt; namque & ipſi nobiſcum didicerunt per Ioannis vocem, & per nos didicerunt, quæ cognouimus, quod beatus etiam Paulus his verbis ſignificauit: Vt innoteſcat nunc principatibus & poteſtatibus in cæleſtibus per eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Si igitur principatus & poteſtates, Cherubim & Seraphim hæc per eccleſiam didicerunt: planè conſtat ipſos angelos ſumma cum attentione eius ſeſe auditores exhibuiſſe. quippe idcirco non parum honoris conſequimur, quòd nobiſcum angeli didicerant, quod neſciebant. Eiuſdem eſt ſententiæ Origenes homil. in Lucam 23. & Theodoretus in immutabili: Vide infrà annot. 91. Et apud Sixt. Senen. annot. 299. & 320. libr. 6.

ANNOTATIO LXXXIX.

Et ſine ipſo factum eſt nihil. Ioan. 1. a.

De vera punctuatione particulæ, Sine ipſo factum eſt nihil.

HOmilia 4. in Ioannem, hanc periodum expẽdens, videtur, vt hæreticam, damnare lectionem eorum, qui legunt. Sine ipſo factum eſt nihil, & deinde, poſito finali puncto, aggredimur aliam clauſulam, dicentes: Quod factum eſt in ipſo, vita erat. Ait enim; Cùm dixerimus, ſine ipſo factum eſt nihil, non id perfecto puncto notemus, vt hæretici opinantur: hi enim, cùm velint Spiritum creatum eſſe, ſic legunt: Quod factum eſt in ipſo vita erat. Verùm nulla profectò ratione hæc intelligi poteſt oratio.

Theophylactus in commentarijs Chryſoſtomo conſentiens, hæreticorum nomina, qui hac lectione vtuntur, explicat his verbis: Pneumatomachi, qui Spiritum ſanctum negant Deum, hanc particulam ſic legunt, Et ſine ipſo factum eſt nihil. Deinde hoc loco facto puncto, legunt quaſi ab altero principio, Quod factum eſt, in ipſo, &c. Interpretantes locum iſtum iuxta ſuam mentem, dicentes, quod hoc loco euangeliſta de Spiritu ſancto diſſerat, dicens: Quod factum eſt in ipſo, hoc eſt Spiritus ſanctus, vita erat. Hoc autem dicunt Macedoniani, conantes oſtendere Spiritum ſanctum eſſe creaturam, & annumerare cum his quæ facta ſunt. Nos autem non ſic; ſed puncto facto, poſtquam dixit, quod factum eſt, nouum principium legimus, In ipſo vita erat.

Euthymius vtrique ſubſcribens, rationem reddit, cur ea lectio non ſit recipienda. his vtitur verbis: Qui Spiritui ſancto reſiſtunt, eiuſque naturam diminuunt, poſt id, quod dicitur, Sine ipſo factum

A eſt nihil,diſtinctionem ſtatuunt: Deinde, quod ſe-
quitur,ſimul legunt,Quod factum eſt in ipſo , vita
erat,vt Spiritum ſanctum factum eſſe demonſtrēt.
nam de ipſo loqui dicunt huiuſmodi verbum. Fa-
cilè autem refelluntur, primùm quia pars illa,
Quod factum eſt,indiſtinctè poſita,omne,quod fa-
ctum eſt,indicat.deinde,quia etiam vita dicitur eſ-
ſe lux:ſubdit enim,quod vita erat lux hominū.poſt
paululum autem de Ioanne loquens, Hic venit in
teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de luce.
manifeſtum eſt autem quod Ioannes non de Spi-
ritu ſancto,ſed de filio tulit teſtimonium, ſicut in
ſequentibus inuenimus.

Hæc Euthymius,Theophylactus,& Chryſoſto-
mus,ex quorum verbis non eſt inferendū, eos eſſe
hæreticos, qui punctum ſtatuunt, poſt particulam
nihil,ſed qui eo fine id faciunt, vt Spiritus ſancti
diuinitatem negent.nam & inter Græcos Cyrillus;
& inter Latinos Auguſtinus,poſito puncto poſt di-
ctionem nihil, aggrediuntur nouam ſententiam,
dicentes:Quod factum eſt in ipſo vita erat,& hanc
ſententiam ſequitur omnis Latina eccleſia, quæ
B & mihi vera & germana videtur: congruit enim
huius Euangeliſtæ peculiari ſermoni ferè, mem-
brum ſequens ex præcedentis mēbri fine inchoa-
re:Factū eſt nihil,finis eſt ſuperioris coli:Quod fa-
ctum eſt,initiū eſt alterius:cuius formæ ſunt& illa,
In principio erat verbū,& verbum erat apudDeū,
& Deus erat verbum.Dictio finiens priorem par-
ticulam,inchoat ſequentem. In parta repetit ini-
tium primæ. Hoc erat in principio; & ita abſoluit
periodum,rurſus in hoc, quod ſequitur, Quod fa-
ctum eſt,in ipſo vita erat;&vita erat lux hominum;
& lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non com-
prehenderunt, ſemper ex proximo membro ſu-
mitur gradus ſequentis.

ANNOTATIO XC.

C *Et verbum caro factum eſt. Ioan. 1.b.*

HOmilia in Ioan. 10.neminem excipere vide-
tur à lectione & ſtudio diuinæ ſcripturæ. Le-
gito quæ ſuperius dicta ſunt annotatione 85.

ANNOTATIO XCI.

Deum nemo vidit vnquam. Ioan.1.b.

Eſſentia Dei num ab vlla creatura conſpici queat.

HOmilia in Ioannem quartadecima, ex his
verbis duo colligere videtur. Primum, quòd
natura,ſubſtantia,& eſſentia Dei à nulla creatura
poſſit intuitiua mentis viſione conſpici, ſed ſo-
la cogitationis & imaginationis abſtractione co-
gnoſci.Id autem enumerat his verbis. Id, quod eſt
D Deus,non modò prophetæ non viderunt, ſed ne-
que angeli,neque archangeli. ſi enim eos percon-
taberis,nihil ab eis de Dei ſubſtantia,audies,ſed tā-
tum , Gloria in altiſſimis Deo. & paulò poſt addit, Luc. 2.
Quòd ſi omnis natura creata eſt , quanam ratione
increatum videre poterit?nam ſi incorpoream vir-
tutem,quamuis genitam, non poſſumus manifeſtè
conſpicari, & hoc ſæpenumero in angelis oſtēſum
eſt;multò minus incorpoream & ingenitam ſub-
ſtantiam : quare Paulus, quem, inquit,nemo vidit
vnquam, neque videre poteſt. Et infra occurrens
obiectioni,quæ his obſtare videtur, inquit: Quænā
ergo illa ſententia eſt,angeli eorum vident faciem
Matth. 5. & 18. patris mei, qui in cælis eſt; &, Beati mundo corde,
quoniam ipſi Deum videbunt? cogitationem nam-
que, atque imaginationem , quam pro viribus no-
ſtris de Deo capimus, eam viſionem appellat , ne-
que aliter de angelis intelligendum eſt, propter
puram ipſorum & nullo ſumno obnoxiam natu-
ram, cùm nihil aliud , quàm Deum ſemper mente
agitent.

A Secundum ex hac euangelica particula dedu- Dei filius an ante incarnationem fuerit Angelis inuiſibilis.
ctum eſt, Dei filium antè , quàm corpus indueret,
fuiſſe angelis inuiſibilem . Deinde verò poſtquàm
carnem induit, ab angelis viſum . exprimit autem
huiuſmodi ſententiam hoc modo : Paulus de filio
inquit,Qui manifeſtatus eſt in carne. manifeſtatio 1.Tim.3
autem per carnem, non eſt ſecundùm ſubſtātiam;
nam quod ipſe inuiſibilis ſit , non ſolum homini-
bus,ſed & ſupernis virtutibus, cùm dixiſſet Paulus
manifeſtatum eſſe in carne, ſubdidit, viſum ab an-
gelis. Ergo ex quo carnem induit, tunc viſus eſt ab
angelis : antea verò non ita videbatur , cùm ipſius
quoque inuiſibilis eſſet ſubſtantia. Hucuſq; Chry-
ſoſtomus.

Theodoretus , Cyrenſis Epiſcopus , priorem
Chryſoſtomi propoſitionem apertius explicare
videtur , docens Deum videri ab angelis , non in
ſubſtātia,& eſſentia,ſed per ſimilitudines quaſdam,
eo modo, quo olim viſus eſt à prophetis . Sed præ-
ſtat huc ipſius verba referre ex dialogo,cui titulus
eſt immutabilis : in quo Orthodoxus & Eraniſtes
B inducuntur in hunc modum loquentes . ERAN.
Quomodo intelligemus , quòd angeli eorum ſem- Math 18.
per vident faciem patris? ORTHOD. Sicut ſole-
mus intelligere ea,quæ dicuntur de hominibus,qui
Deum vidiſſe exiſtimati ſunt. ERAN. Dic clarius;
non enim intellexi. ORTHOD. Nunquid poteſt
Deus videri ab hominibus. ERAN. Nequaquam.
ORTHOD. Et tamen audimus diuinam ſcriptu-
ram dicentem : Viſus eſt Deus Abrahæ ad quer- Gen. 18.
cum Mambræ , & Eſaiam dicentem : Vidi Domi- Eſai 6.
num ſedentem in throno alto & ſublimi.De Moy- Exod. 33
ſe autem dicit hiſtoria, locutus eſt Dominus Moy- Num. 12
ſi facie ad faciem , perinde ac ſi quis loquatur ami-
cus ad amicum ſuum , quinetiam ipſe quoque vni-
uerſorum Deus dicit, Ore ad os ipſi loquor in ſpe-
C cie,& non per ænigmata,Quid ergo dicemus,quòd
diuinam naturam viderunt? ERAN. Minimè. Ipſe
enim Deus dixit , Nemo videbit faciem meam, &
viuet. ORTHOD. Mentiuntur ergo,qui ſe Deum
vidiſſe dixerunt? ERAN. Abſit,ea enim videbant,
quæ ab ipſis videri poterant. ORTHOD. Ex eo-
rum ergo qui vident , viribus Deus reuelationes
metitur.ERAN.Maximè. ORTHOD.Et hoc per
prophetam manifeſtum reddidit , Ego, enim, in-
quit,impleui viſiones, & in prophetarum manibus
aſſimilatus ſum,non dixit: Viſus ſum,ſed, aſſimila-
tus ſum. Aſſimilatio autem non ſignificat eandem
eius,qui videtur, naturam : neque enim regis ima-
go oſtendit ipſius regis naturam,etiam ſi expreſſos
& euidentes regis characteres referas. ERAN.Hoc
eſt obſcurum , & non ſatis apertum. ORTHOD.
Ergo nec Dei ſubſtantiam viderunt, qui reuelatio-
nes illas contemplati ſunt? ERAN . Quis autem
ita inſanierit , vt hoc dicere audeat? ORTHOD.
D Dictum eſt tamen,quod viderunt. ERAN. Dictum
eſt. ORTHOD. Nos autem & pijs rationibus vtē-
tes,& diuinis ſententijs credentes, quæ apertè cla-
mant , Deum nemo vidit vnquam, dicimus ipſos
non vidiſſe diuinam naturam,ſed viſiones quaſdā,
quæ eorum facultati conuenirent , nec eius modū
excederent. ERAN.Ita dicimus. ORTHOD. Ita
ergo de angelis intelligamus, audientes, quòd vi-
dent faciem patris.non enim vident diuinam ſub-
ſtantiam, quæ nec circumſcribi , nec comprehēdi,
nec mente percipi poteſt,& quæ vniuerſa compre-
hendit, ſed quandā gloriam quæ eorum viribus re
ſpondet,ſitque eis commoderata. ERAN. Hîc ita
habere in confeſſo eſt. Hæc Theodoretus.

Theophylactus eandem ſententiam ſequi vide-
tur;in cuius cōmentarijs ad huius loci expoſitionē
ſic legitur: Cæterùm dixerit hîc fortaſſe quiſpiam,
Quomodo hoc loco diſcimus quòd nullus viderit
Deum, cùm propheta dicat: Vidi Dominum ? vi- Eſai 6.
dit quidem propheta Deum,ac non ipſam ſubſtan-
tiam , ſed ſimilitudinem & apparentiam quandam,

ſicut capere poterat. & alius iterum in alia figura vidit, & alius in alia, vnde ſcilicet non ipſam veritatem viderunt: non enim diuerſis figuris illam vidiſſent, quæ ſimplex eſt, & infigurabilis: quin neque angeli vident ſubſtantiam Dei, quamuis dicantur videre faciem eius; hoc enim indicat ſemper Deum eis apparere. Filius igitur ex omnibus hominibus ſemper videt Patrem. Hucuſque Theophylactus.

Euthymius ijs conſentiens, in commentarijs inquit: nulla creatura Deum videt, non materialis tantum, ſed & immaterialis. ſiquidem ipſis quoque immaterialibus virtutibus inuiſibilis eſt Deus in ſua natura, licet, prout ſibi conceditur, Deum videant.

Diuus Thomas in primo Theologicæ ſummæ volumine, & in quarto Sent. quæſt. 1. art. 2. propoſitam Chryſoſtomi ſententiam expendens, exhibet regulam ex libro Auguſtini de videndo Deũ, explicandis huiuſmodi ſententijs aptiſſimã. ait enim eas tripliciter fore interpretãdas. Primùm, vt ſentiamus neminem corporeis oculis vidiſſe vmquã, aut viſurum eſſe diuinam ſubſtantiam. Secundò, neminem ſpiritali mentis oculo viſurũ diuinę ſubſtantiæ naturam, quamdiu in hac mortali carne viuat: tertiò, nullum vmquam vidiſſe, aut aliquando viſurum Dei ſubſtantiam viſione cõprehenſionis, qua ſcilicet Deus ſeipſum cognoſcit, ſolusq; ſuam ipſius ſubſtantiam, qualis quantaque ſit, comprehendit. Hoc autem modo cenſet intelligendũ eſſe Chryſoſtomum: idque ait eum manifeſtè ſignificare in ſequentibus verbis, dum inquit: Multi Deũ cognoſcimus: tamen ipſam ſubſtantiam, qualis eſt, ſolus eius vnigenitus cognoſcit, qui certam notionem, viſumque & comprehenſionem habet, quam filium de patre habere par eſt. Hæc Thomas: ad cuius interpretationem Theodoreti, Theophylacti, & Euthymij dicta reuocare poteris. Atque hæc de Chryſoſtomi propoſitione ſatis ſint.

De ſecunda propoſitione ſuperius aliqua attigimus annotat. 88. & apud Senenſem annot. 142. & 299. libr. 6.

Annotatio XCII.

Ego vidi, & teſtimonium perhibui. Ioan. 1. c.

Homilia in Ioannem 16. quænam dixerit de lectione ſanctæ ſcripturæ, omnibus neceſſaria ad ſalutem, habes ſuprà annot. 85.

Annotatio XCIII.

Conuerſus autem Ieſus, & videns eos ſequentes, dixit eis, Quid quæritis? Ioan. 1. c.

An ſalutis noſtræ initiũ ſit ex nobis.

Homilia in Ioannem 17. hæc exponens, putatur eſſe in ea ſententia, quòd initium ſalutis noſtræ ita ſit nobis à natura inſitum, vt ſine præuenientis gratiæ auxilio poſſimus proprijs viribus iuſtificationem adipiſci. quod Pelagianorum dogma reſipit. Ita enim eo loci ſcriptum reliquit: hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in nos beneficijs noſtras non præuenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe: ſed cùm nos prompto paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis affert ſalutis occaſiones.

Ioannes Caſſianus, Chryſoſtomi diſcipulus, medium ſe ſtatuens inter eos, qui cum Catholicis affirmant nos Dei gratia præueniri, & inter eos, qui cum Pelagianis aſſerunt, nos Dei gratiam præuenire, docuit quoſdam ſua voluntate diuinam gratiam anteuertere, quorundam verò voluntates à diuina gratia præuerti. verba eius libro collationũ tertiodecimo, cap. 11. ſic habent: Inter multos magna quæſtione voluitur, vtrum quia initium bonæ voluntatis præbuerimus, miſereatur noſtri Deus; an quia Deus miſereatur, conſequamur bonæ voluntatis initium? multi enim ſingula hæc credentes, ac iuſto amplius aſſerentes, varijs, ſibique contrarijs erroribus ſunt inuoluti. ſi enim dixerimus noſtrum eſſe bonæ voluntatis principium, quid fuit in perſecutore Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum vnus cruore ac ſupplicijs innocentum, alius violentijs ac rapinis publicis incubans, attrahitur ad ſalutem? ſin verò gratia Dei ſemper inſpirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zacchæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui deſiderio ſuo vim quãdam regnis cæleſtibus inferentes, ſpecialia vocationis monita præuenerunt? &c.

Proſper, Regienſis epiſcopus, aduerſus Caſſiani opinionem diſputauit peculiari volumine, cui titulus eſt, de libero arbitrio; ægrè ferente tamen Gennadio, qui in cathalogo ſcriptorum illuſtrium queritur, opuſcula Caſſiani, quæ eccleſia Dei ſalutaria probat, indignè à Proſpero infamata. De Chryſoſtomi ſententia quid ſentiendum ſit, habes ſuprà annotat. 17.

Annotatio XCIIII.

Deficiente vino, dicit: Vinum non habent. Ioan. 2. a.

Maria nũ ſemper de Chriſto decẽtem opinionem habuerit.

Homilia in Ioan. 20. aſſerere videtur Mariam virginem non ſemper habuiſſe de Chriſti diuinitate decentem opinionem, & ob id eam in nuptijs in Cana Galilææ humano quodam inanis gloriæ affectu intempeſtiuè miraculum à filio poſtulaſſe: ita enim apud eum legimus: Dignum hoc in loco quæſitum eſt, vnde in mentem matri venerit magnum aliquid de filio conijcere: nullum enim adhuc ſignum fecerat. hoc enim fecit initium ſignorum. manifeſtari iam cœperat & Ioannis teſtimonio, & ex his, quæ diſcipulis prædixerat, & ante hæc omnia, ipſa natiuitas, & quæ eo tempore euenerant, maximam de puero opinionem concitarant. audiebat enim, inquit, omnia, & conſeruabat in corde ſuo. Igitur cùm Ioannem ad perhibendum de eo teſtimonium veniſſe audiſſet, & diſcipulos iam videret, cœpit audere. & deficiente vino, dicit: Vinum non habent, optabat enim vt iam hominum gratiam conciliaret, & ipſa clarior filij gratia efficeretur; & fortaſſe aliquo humano afficiebatur affectu, quemadmodum & fratres eius, cũ dixerunt, Oſtende teipſum mundo, cupidi eius miraculis ſibi famam comparare. Idcirco aſperius reſpondit, quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea. nam quòd matrem reuereretur, teſtatur Lucas, quòd ſubditus erat parentibus, & hic Euangeliſta, quantam paſſionis tempore matris curam habuerit. vbi enim parentes nihil diuina impedirent myſteria, nihil offenderent, æquum & neceſſarium eſt filio parêre, neque negare ſine magno periculo poteſt. contrà verò, cùm intempeſtiuè aliquid petunt, & ſpiritalem ſermonem impediũt, illis obtemperare non eſt tutum. propterea & hîc ita reſpondet: & alibi rurſum, Quæ eſt mater mea, & fratres mei? aiebat. ſiquidem non adhuc debitam de ipſo opinionem habebant, ſed more matrum Maria iure omnia filio ſe præcepturam cenſebat, cùm tanquam Dominũ colere & reuereri deceret, ideo in hunc modum reſpondit: Conſidera, quàm indignum erat vniuerſo aſtante populo, & ad eum, & eius doctrinam audiendo ſuſpenſo, illam in medium accedentem, publicam impedire vtilitatem, & de priuatis rebus habere ſermonẽ, & extra eiuſmodi concionem euocare. Idem habes ſuprà annotat. 56.

Luc. 2.

Theophylactus idem quod Chryſ. huc ſcribit. Euthymius ſimiliter idem.

Digitized by Google

Annotatio XCV.

Si manſeritis in ſermone meo, &c. Ioan. 8. d.

HOmilia in Ioannem 52. hoc enarrans, cenſet lectionem diuinæ ſcripturæ omnibus neceſſariam eſſe ad ſalutem: lege quæ de hoc ſcripta ſunt ſuprà annotat. 85.

Annotatio XCVI.

Vt conuertat ſe vnuſquiſque à nequitia ſua. Act. 3. d.

Iuramẽtum.

HOmilia in Actus nona, hoc enarrans, deteſtatur eos, qui in iudicijs forenſibus, in contractibus, in fideiuſſionibus, & huiuſmodi publicis, vel priuatis actibus iuramenta, ſiue iuſta, ſiue iniuſta aut præſtant, aut exigunt. Conſule annotationem ſuperiorem, quæ eſt 43. in ordine.

Annotatio XCVII.

Non poſſumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. Act. 4. b.

Iuramẽtum.

HOmilia 10. in Actus, dogma de iuramento ſibi vni peculiare inculcans, innuit omne iuramentum eſſe contra euangelicam legem, quæ iurandi morem olim Iudæis permiſſum, Chriſtianis omnino interdicit. Vide annotationem ſuperius allatam, nimirum 43.

Annotatio XCVIII.

Factum eſt, vt diebus multis morarentur in Ioppen. Act. 9. f.

Suffragia pro defunctis.

IN fine homiliæ 21. in Actus, videtur alludere ad ſententiam eorum, qui exiſtimant oblationes, eleemoſynas, & ſuffragia viuorum etiam ſanctis ac vita functis proficere ad gloriæ incrementum. Vide ſuprà annot. 51.

Annotatio XCIX.

Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Rom. 1. b.

Num damnandi ſint, qui diuina myſteria ſcrutãtur.

SVb fine homiliæ ſecundæ, in epiſtolam ad Romanos, Quod ſi periculoſum eſt, inquit, ea indagare, quæ Deus præcepit, & curioſos homines vltimũ manet ſupplicium; quã tandem defenſionẽ habebunt hi, qui longè iſtis occultiora ac magis verenda ſcrutari præſumunt; hoc eſt, Quo pacto, & qua ratione Deus filiũ genuit, & quæ ſit illius ſubſtantia. Et homil. in epiſtol. ad Rom. 8. Quòd ſi hæc inferiora ſcrutantes, ac exquirẽtes, honorem Deo non damus: multò magis ortum Domini ſuperuacanea curioſitate indagantes, tanquam qui cõtumelijs Deum affecerimus, extrema paſſuri ſimus. Si enim figuram reſurrectionis diſcutere nefas eſt; multò magis arcana illa horrenda ac reuerentia plena. Lucianus Monachus, ſcholaſticæ theologiæ prorſus expers, & ob id ſcholaſtici nominis perpetuus hoſtis, in annotationibus ſuper Chryſoſtomum, à ſynodo Tridentina reprobatis, horum occaſione verborum theologos ſcholaſticos inſectatur, & temeritatis accuſat, quòd ſacratiſſimæ Trinitatis penetralia ingredi audeant, & in quibus perſona quæque ab alijs differat, & in quibus cõueniat certa aſſeueratione definiant. Nec animaduertit ineptus hic & miſerabilis homuncio, Chryſoſtomi verba in eos potiſſimum ferri, qui ambitioſa & inani quadam curioſitate, & arroganti ſupercilio huiuſmodi rimantur; non autem aduerſus pios & Catholicos theologos, qui hæc ad Dei gloriam, ad fidei defenſionem, & hæreticorum euerſionem humili ac verendo veſtigant ſtudio.

Annotatio C.

Nam circuncifio quidem prodeſt, ſi legem obſerues. Rom. 2. d.

An circuncifio gratiam conferat.

HOmilia in epiſtolam ad Rom. 7. hunc locum tali expoſitione planum facit: Licebat Paulo aliter ipſam circuncitionem excludere, ac dicere: Quid eſt circuncifio? num illius eſt meritum, qui eam habuerit? num bonæ mentis, atque propoſiti demonſtratio? etenim in ætate immatura fit: & qui in ſolitudine vixerunt, multos annos incircuncifi manſerunt: & aliunde multis argumentis oſtendi poteſt, ipſam non admodum neceſſariam eſſe. verumtamen non inde ipſam repudiat; ſed vnde maximè oportebat, ab ipſo ſcilicet Abraham. Hæc eſt enim excellens victoria, inde ipſam facile contemnendam oſtendere, vnde videbatur præcipuè veneranda; tametſi etiam dicere potuiſſet Iudæos quoque incircunciſos à prophetis vocari. Verùm hoc nondum circũciſionis vitium eſt, ſed eius, qui ipſam habet meritò. Quod autem quæritur, illud eſt, vt videlicet oſtendatur, nec in optima vita vim vllam eam habere. hoc igitur iam ipſe molitur. Lucianus Monachus in annotatio. ſuper Chryſoſt. à Conc. Trid. damnatis, ex his verbis colligit Chryſoſtomum in ea fuiſſe ſententia, quòd circuncifio nullam gratiam circunciſis attulerit, nihilque eis profuerit ad ſalutem. Inuehitur etiã aduerſus ſcholaſticos, quòd de hoc articulo ſecus decernant. Verùm, quo pacto intelligenda ſint dicta Chryſoſtomi, ſuperiùs dictum eſt annot. 15.

Annotatio CI.

Et non infirmatus eſt in fide. Rom. 4. d.

CHryſoſtomi expoſitionem, huic loco adhibitam, Lucianus Monachus in annotationibus detorquet aduerſus ſcholaſticos, quòd perſonas diuinas certis reuelationibus alteram ab altera diſtinguere audeant. vide ſuprà annot. 99.

Annotatio CII.

Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, &c. Rom. 5.

An peccatũ Adæ ad poſteros trãſierit, non culpa, ſed pœna.

CHryſoſtomus, ediſſerens hunc locum & alios huic affines locos, tria de peccato originis videtur ſentire, à vulgatis theologorum placitis aliena: quorum primum eſt, quod peccatum Adæ ad poſteros tranſierit, non culpa, ſed pœna: quia licet alter ob alterius delictum aliquando pœnas luat; nullus tamen ex alieno delicto peccator exiſtit, ſed vnuſquiſque ex ſuo tantùm ſcelere ſceleratus efficitur. Secundum verò eſt, quod pœna peccati huius non ſit animæ damnatio, ſed ſola corporis infirmitas, corruptio & mors. Siquidem mors animæ illos tantum conſequitur, qui ex libera electione voluntariè peccant: mors autem corporis tam peccantes, quàm non peccantes comprehendit. Tertium eſt, quòd peccatum primi parentis nihil nobis detrimenti attulerit, ſed maxima lucra.

Primam & ſecundam aſſertionem aſtruere videtur hom. 10. in epiſt. ad Rom. his verbis; Quid igitur ſibi vult, in quo omnes peccauerunt? reſpondetur, quòd illo lapſo, & illi item qui de ligno non comederunt, effecti ſunt ex illo tempore omnes mortales. & paulò infrà in expoſitione illius ſententiæ, per inobedientiam vnius hominis peccatores multi effecti ſunt, &c. in hunc modum loquitur: Videtur quidem quæſtionem nõ paruam habere, quod dictum eſt, videlicet multos ob vnius inobedientiam peccatores extitiſſe. Illo enim peccante, ac mor-

ac mortali effecto, & qui ex eo orti ſunt, eos tales A eſſe nihil abſurdum: at ex illius inobediētia alterū peccatorem extitiſſe, quam obſecro congruentiā, & conſequentiā habet? Inuenitur enim ſic, nec pœnas quidem debere, qui talis fuerit; ſiquidem nō ex ſeipſo peccator extiterit. Quid igitur hoc loco verbum hoc, *peccatores*, ſignificat? mihi videtur tātundem ſignificare, quātum illud ſupplicio obnoxij, ac mortis rei, quòd porrò Adā mortuo omnes ſunt mortales effecti. Rurſum in enarratione prioris epiſtolæ ad Corinth. homil. 39. explicās ea verba capitis 15. Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur, idē cōfirmare videtur, ita inquiens: Quid igitur? dic mihi, num omnes in Adā morte peccati mortui ſunt? quomodo ergo Noë, vir iuſtus, ſæculo ſuo fuit? quomodo Abrahā, quomodo Iob, quomodo denique multi alij? & quomodo, dic mihi, omnes viuificabūtur in Chriſto, & hi præſertim, qui in gehennā abducēdi ſunt? Itaque ſi hoc de corpore dictum eſſe velimus, conſtabit oratio: ſi autem de iniuſtitia & peccato, nequaquam. Et homil. 17. in cap. 6. eiuſdem epiſtolæ, B oſtendens mortem animæ non ex primi parentis culpa, ſed ex actualibus dumtaxat cuiuſque peccatis accidere, ſic fatur: Quid igitur faciam, inquit, propter illum, ſcilicet Adam, pereo? minimè propter illum: neque enim tu ſine peccato permanſiſti. quod ſi non idem peccatum, aliud tamen commiſiſti. Et homil. 24. in epiſt. ad Epheſios, exponens poſtrema verba vltimi capitis, idē apertius refert, dicens: Corruptibile nobis corpus eſt, ſed incorruptibilis anima; ne igitur & ipſam corrūpamus, hoc illud primum (id eſt primi hominis) peccatum fecit: quod autem poſt lauacrum & animam corrumpere poteſt, & immortalis vermis ſuſceptibilē facere. Huc etiam pertinet, quod in homilia, quæ inſcribitur ad Neophytos, tradere exiſtimatur, nēpe infantulos ante baptiſmum neque vlli culpæ C eſſe obnoxios, neq; in remiſſionem culpæ vllius baptizari, ſed tantùm iuſtificationis & hæreditatis conſequendæ gratia baptizari. Eius autem verba ſic habent: Vides, quot ſunt baptiſmatis largitates? ſed multis quidem videtur baptiſmi gratiā in peccatorum tantùm remiſſione cōnſiſtere, nos autem baptiſmi honores iam computauimus decem. hac de cauſa & infantulos baptizamus, quamuis non ſint coinquinati peccato, nempe eis addatur, ſanctitas, iuſtitia, adoptio, hæreditas, & fraternitas Chriſti, vt eius membra ſint omnes, & Spiritus habitatio fiant. Ex his itaque dictis Chryſoſtomus duas priores propoſitiones videtur oſtendiſſe.

Tertiam quoque propoſitionem ſuadet his verbis: Quòd porrò Adam mortuo, omnes ſimus mortales effecti, apertè ac multis demonſtrauit. quod autem in quæſtionem cadit, eſt, qua id de cauſa ſa- D ctum eſt. Quòd ſi quis veſtrum quærat diſcere, id dicemus, quod non ſolùm nihil nocumenti accepimus à morte huiuſmodi & condemnatione ſi ſapuerimus; ſed mortales effecti lucrum etiā fecerimus; primùm hoc, videlicet, vt mortali in corpore nō peccemus, deinde vt infinita habeamus philoſophiæ argumenta: nam & modum vt ſeruemus, & temperantes, compoſiti, ac ſedati ſimus, itemque vitioſitate omni liberati, & præſentanea & expectata mors ſuadet, cum hiſce autem, ſeu potius ante hæc ipſa, & plura alia attulit bona, &c. hucuſque Chryſoſtomus.

An vllū ſit originale peccatum.

Ex cuius autoritate Iulianus Celanenſis Epiſcopus, Pelagianæ ſectæ præcipuus aſſertor, in fine quatuor librorum, quos edidit aduerſus originale peccatum, contendebat Chryſoſtomum in eorum ſentētia fuiſſe, qui credunt nullum eſſe peccatum originis à parentibus in filios transfuſum. Quod etiā ætate noſtra eidē tribuit Lucianus Monachus in annotationibus ſuper Chryſoſtomū, à Tridentina Synodo reprobatis; & Eraſmus Roterod. in annotationibus quinti capitis ad Romanos; & Iacobus Faber, Viennenſis Epiſcopus, hac in parte Pelagij ſectator, in Apologia ſuorum commentariorum in Paulum: in qua ex prædictis Chryſoſtomi teſtimonijs annititur defendere id, quod ipſemet in expoſitione 5. cap. ad Rom. de peccato originis perperam ſcripſerat, affirmans peccatū originis nihil aliud eſſe, quàm obligationem humani generis ad mortem corpoream ex noxa primi parentis contractam.

Cæterùm non ita Chryſoſtomum ſenſiſſe apparet ex his, quæ paſſim ſcripta reliquit de infectione humanæ naturæ in primis parentibus corruptæ, præſertim in homil. in epiſt. ad Rom. 12. in qua habentur hæc verba: Quando peccauit Adam, tum & illius corpus mortale effectum eſt, ac patibile, receptis naturæ vitijs permultis, equo præterea grauiori; atq; effræni reddito. at Chriſtus, vbi aduenit, per baptiſmū nobis illum leuiorē fecit, alis Spiritus eundem excitans. & homil. in eandem epiſt. 11. idē latius perſequēs, ait: Corpus noſtrum ante Chriſti aduentum facile expugnabatur: vnà enim cum morte magnum etiam affectum veluti examen introierat. Itaque corpus idem non valdè agile erat ad eum curſum, qui ad virtutem ferret. neq; enim ſpiritus aderat, qui opem afferret; neque baptiſma, quod mortificare poſſet: ſed effrænis equi ritu currebat aberrabatq;. Et rurſum homil. in eandē epiſt. 13. idipſum, paulò immutatis verbis, inculcans, ait: In homine vnà cum morte & affectuum turba introijt: cùm enim corpus mortale effectum eſt, tùm denique neceſſario admiſit & concupiſcentiam, & iracundiam, & dolorem, & cætera omnia, quæ magnæ admodum conſtantiæ ac ſapientiæ indigebant, vt ne inundantis æſtus vis ac tempeſtas rationē in nobis obrueret, in peccati voraginem demerſam Illi enim affectus peccatum haudquaquam erant; ſed illorum immoderatio effrænata peccatum efficiebat. Iterum homil. in priorem ad Corinth. 40. manifeſtè pronuntiat in baptiſmi regeneratione auferri peccatūoriginale, quod ipſe προῤῥίζον ἁμαρτίαν hoc eſt, radicale peccatum, vtpote à radice primi parentis hauſtum appellat, ſic dicens: Deus in regenerationis lauacro mentem gratia tangit, radicale peccatum euellit, & hominem, qualis erat, iam olim dum conderetur, immò illuſtriorem facit.

Ex his clariſſimè colligitur, quod ex peccato Adæ, iuxta Chryſoſtomi ſententiam, tranſierit ad poſteros, non ſolùm pœna corporeæ corruptionis & mortis, ſed etiam animi iam vitiati languor, & immoderatus quidem effrænatæ concupiſcentiæ æſtus, abducens animum à virtutis itinere, & ad mortiferas voluptatum illecebras, & ſpiritus interitum pertrahens. Quapropter Auguſtinus, refellens Iulianum, quod ex ſuperioribus Chryſoſtomi dictis peccati originalis traducem euertere conaretur, hæc in primo aduerſus eum volumine pro defenſione Chryſoſtomi ſcribit: Itáne nobis verba ſancti Ioannis Epiſcopi audes opponere, abſit, abſit hoc malum dē tanto viro credere, aut dicere. abſit, inquam, vt Conſtantinopolitanus Ioannes, loquens de baptiſmate paruulorum, qui paterni chyrographi liberationem habent per Chriſtum, tot ac tantis coepiſcopis ſuis, maximeq; Romano Innocentio, Carthaginenſi Cypriano, Cappadoci Baſilio, Gregorio Nazianzeno, Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. quod enim illi ſenſerunt, hoc ſenſit, hoc credidit, hoc docuit & Ioannes. hæc Auguſtinus.

Proinde cùm Chryſoſtomus inquit, neminem ex peccato primorum parentum peccatorē conſtitui, & à regno cælorum excludi, & damnationi æternæ obnoxium fieri, non ſimpliciter & omnino abſtulit peccatum humani generis ex prima parentum noſtrorum tranſgreſſione contractum,

Digitized by Google

A ſed, ni fallor, ſignificare voluit, quòd Adæ poſteri non ea ratione peccatores ſint, quia primi tantum parentes actualiter peccauerint; ſed quòd etiam ipſi poſteri in ipſo Adam, & vnà cum ipſo Adam peccauerunt, quatenus omnes ob humanæ ſpeciei participationem vnus, idemque homo ſunt cum progenitore Adam; & ſicut eandem naturam, ſic eiuſdem corruptæ naturæ vitium participant. niſi enim & illi in primo parente, in quo, ceu in radice, olim virtualiter inerant, deliquiſſent: profectò ex Adæ peccato peccatores non eſſent. nullus enim (vt rectè dixit Chryſoſtomus) ex alieno, & à ſe non participato ſcelere ſceleratus exiſtit.

Ad illud verò, quod Chryſoſtomus in homil. ad Neophytos protulit, nimirum infantes, neque eſſe peccato coinquinatos, neque in remiſſionem peccatorum baptizari: Auguſtinus in lib. iam citato reſpondens, annotauit hanc Ioannis ſententiã à Pelagianis fuiſſe corruptam, aut malè verſam. Illi enim pro eo, quod Chryſoſtomus dixit, Infantes non habere peccata, immutatis aliquantulum verbis poſuerunt, infantes non eſſe coinquinatos B peccato, vt magis videretur loqui de vno illo peccato ex Adam traducto, quàm de alijs. ſed incorrupta Græcorum codicum lectio ſic habet, Διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καὶ τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. hoc eſt, *ideo & infantes baptizamus, quamuis peccata non habentes.* Quibus quidem verbis, vt Auguſtinus inquit. non negat Ioãnes paruulos coinquinatos eſſe peccato, ſed habere peccata, id eſt, non inficiatur paruulos primi parentis peccato inquinatos eſſe, & pro huius peccati purgatione baptizari: ſed aſſerit eos neque peccata habere actualia & propria, neq; propter peccata propria & actualia baptizari. Atque hæc dicta ſint ad elucidationem primæ & ſecundæ propoſitionis Chryſoſtomi.

Tertia nunc ſupereſt eiuſdem propoſitio, affirmans nihil nobis detrimenti accidiſſe ex Adæ cõ- C demnatione, ſed emolumenta innumera & ampliſſima: cui ſententiæ ex diametro videntur aduerſari Auguſtinus, cæterique eius aſſeclæ; qui ex ſolo peccato & condemnatione Adæ ſentiunt omne humanum genus æterno ſupplicio damnatum. Sunt igitur Chryſoſtomi verba ſic accipienda, vt intelligamus eum non loqui de condemnatione mortis corporeæ, quæ nobis omnia ab eo iam enumerata lucra progenuit. Quòd ſi quis contendat hæc ipſa verba etiam ad animæ damnationem reſpicere: dicemus ea interpretanda fore eo ſenſu, quo beatus Pontifex Gregorius pronuntiauit fœlicem fuiſſe primi parentis culpam, quia talem ac tantum meruit habere redemptorem. Hæc pro Chryſoſtomi defenſione ſatis eſſe arbitror. nunc ſubnectere libet verba quædam D. Ambroſij ad D hoc argumentum ſpectantia, ſed ab hæreticis perperam vſurpata.

Ambroſius, hanc ipſam Pauli pericopen in cõmentarijs explicans, Mors, inquit, diſſolutio corporis eſt, cùm anima à corpore ſeparatur. eſt & alia mors, quæ ſecunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, ſed eius occaſione proprijs peccatis acquiritur, à qua boni immunes ſunt, tantùm quòd in inferno erant, ſed ſuperio[illegible] quaſi in libra, quia ad cælũ aſcendere nõ poterat. [illegible]eruetus Anabaptiſta in ſuis locis cõmunibus ex his colligit Ambroſiũ ſenſiſſe Adã ſuo peccato ſolã corporis mortem poſteris intuliſſe, non animæ. ſed apertè repugnant huic ſententiæ, quæ Ambroſius non ſolùm in alijs compluribus locis, ſed in proximè præcedentibus ac ſequentibus verbis aſſerit omne humanum genus in Adam peccante corruptum, & in eo, tamquam in maſſa, omnes homines morte peccati correptos, ita ſcribens: Manifeſtum itaque eſt in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa; ipſe enim per peccatum corruptus, quos genuit, omnes nati ſunt ſub peccato. ex eo igitur cuncti peccatores, quia ex eo ſumus omnes. Et rurſus poſt prædicta verba, à Serueto inducta: addit: Sententia tenebantur omnes data in Adam, quod chyrographum in decretis morte Chriſti deletum eſt. ſententia autem decreti fuit, vt vnius hominis corpus ſolueretur ſuper terram; anima verò, vinculis inferni detẽta, exitia pateretur. Hæc ille. Sciendũ eſt itaque ſecundã mortem duplicem eſſe: alteram, qua infernus inferior animam à Deo ſeparat, & gehennæ ſupplicijs alligat: alteram, qua infernus ſuperior animam, à Deo ſiue in æternum, ſiue ad tẽpus diſiungit; ſicut olim ſanctorum animas ante Chriſti mortem in ſinu Abrahæ detinuit, & adhuc poſt Chriſti mortem infantium, ſine baptiſmo decedentium, animas limbo continet, in perpetuum Dei viſione carentes. Ambroſius itaque illam priorem ſecundæ mortis ſpeciem negat ex peccato Adæ ſequi, ſed ex proprijs & actualibus cuiuſque delictis contingere docet. quod & omnes ferè Theologi comprobant. Poſteriorem verò, quæ animas à viſione dumtaxat diuina ſeparat, palam fatetur eſſe humano generi Adę peccato inflictam. Lege annotationem 237. libri ſexti Biblioth. Senenſis.

ANNOTATIO CIII.

Vt ſeruiamus in nouitate Spiritus, & non in vetuſtate litteræ. Rom. 7. a.

CHryſoſtomus Homilia in epiſtolam ad Romanos 12. in expoſitione loci huius talia poſuit verba: Quo tempore Adam peccauit, tunc eius corpus mortale factum eſt, & patibile, ac plurimos inde morbos accepit, vnde & ponderoſior & effrænatior equus redditus eſt. verùm Chriſtus adueniens moderatiorem eum nobis per baptiſma reſtituit, pennis Spiritus ipſum alleuians & accommodãs: vnde nec eadem nobis & antiquis ſtadia propoſita ſunt, quòd non tam facilis curſus eſſet. quamobrem quoque non tantum petit à nobis, vt mundi ſimus à cæde, ſicut ab eis petebat; verumetiam ne iraſcamur. nec ſolùm ab adulterio, ſed ab impudico aſpectu cauere nos iubet. & non modò à periurio, ſed etiam à quouis iuramento nos prohibet; atque vnà cum amicis & inimicos diligere præcipit. ſicque in alijs omnibus rebus curſus nobis longiores inſtituit: ac niſi pareamus, gehennam minatus eſt: oſtendens hæc ipſa non magnificentiæ, aut liberalitatis certantium eſſe, quemadmodum virginitas & inopia; ſed quod omninò perfici debent: vrgentia enim & neceſſaria ſunt: & quiſquis ea non fecerit, vltimas pœnas daturus eſt.

Vtrum abſtinentia iuramenti, & dilectio inimici ſint conſilia vel præcepta.

Lucianus Monachus in annotationibus ſuper Chryſoſtomum, à Concilio Tridentino damnatis, arrepta ex his verbis anſa mordendi ſcholares theologos, impingit eis, quòd inter euangelica cõſilia collocauerint abſtinentiam à iuramento, & dilectionem inimicorum, quæ Chryſoſtomus ita demonſtrat eſſe præcepta neceſſaria & vrgentia, vt extrema ſupplicia luiturus ſit, qui ea non peregerit. Atqui apparet eum in hanc opinationem incidiſſe ex inſcitia ſcholaſticæ theologiæ, quam nec à limine quidem ſalutauerat. nullus enim ſcholaſticorum vmquam docuit interdictionem iuramẽti eſſe prorſus, & omni ex parte conſilium, immò ſtatuuntur ab his in prohibitione veri iuramenti tres gradus: quorum primus eſt, vt nullo modo, nec etiam verè, nec in iuſta cauſa iuremus per creaturas. quaſi eis diuinam reuerentiam exhibentes, ne creaturas inter Deos referre videamur: ſecundus eſt, ne dubij & ambigui faciliter & leuiter ac temerè iuremus, etiam verè, & in re licita. tertius eſt, vt hi, qui ſummum Chriſtianæ perfectionis ſtatum profitentur, nullo modo in cauſis inter ipſos ver-

ſantibus

ſantibus iurent. Scholaſtici duos priores gradus vim præcepti habere fatentur. tertium inter conſilia, perfectis tradita, enumerant, ducti autoritate quorundam non contemnendi nominis patrum; qui hunc poſtremum non iurandi gradum ad conſilia retulerunt. Ex horum numero eſt D. Bernardus; qui in ſerm. 65. ſuper Canticum Canticorum, inuehens contra quoſdam hæreticos, dicentes nõ eſſe licitum iurare, eſſe tamen licitum peierare, ne ſecreta ſectæ ſuæ ab alijs ſcirentur, ſic ait: Patet vos & ſuperſtitioſè obſeruare de iuramento, & flagitioſè præſumere de periurio. O peruerſitatẽ! quod ad cautelam conſultum eſt, videlicet non iurare, hoc iſti mandati vice tam contentioſè obſeruant, & quod immobili iure ſancitum eſt, non peierandum ſcilicet, hoc tamquam indifferens pro voluntate diſpenſant. In eandem ſententiã fuerat ante Bernardum Chriſtianus Druthmanus in cõmentarijs ſuper quinto Matthæi capite, inquiens: Ne Iudæi per idolorum nomina iurarent, permiſit eis Dominus iurare per nomen ſuum, nec nobis etiam inhibuit, ſed perfectionem nos docuit, &c. Eodem quoque modo ſcholaſtici legem de inimicis diligendis triplici diſtinguunt gradu, nempe in dilectionem communem, indifferenter amicis & inimicis omnibus & omni tempore exhibendam; in dilectionem particularem, inimicis neceſſitatis tempore exhibendam; & in dilectionem particularem, inimicis extra neceſſitatis diſcrimina demonſtrandam. Primum & ſecundum gradum inter præcepta locant: vltimum in conſilio reponunt. & iuxta hanc diſtinctionem interpretandus eſt quidam Chryſoſtomi locus, in primo libro de Compunctione cordis, vbi autor ille dilectionem inimicorum ait non eſſe cohortationem, ſed iuſſionem. quem quidem locum Ioannes Caluinus capite tertio ſuæ Inſtitutionis ſcholaſticorũ opinioni opponit. Soluitur item ex hac diſtinctione dictum illud Auguſtini, quod Lutherani aduerſus ſcholaſticos allegant ex ſermone eius de tempore 61. vbi ſic legitur: Dominus in euangelio, vt inimicos diligere debeamus, non dedit conſilium, ſed præceptum. aliud eſt conſilium, aliud eſt præceptum. cõſilium datur, vt virginitas conſeruetur, vt à vino & carnibus abſtineatur, vt vendantur omnia, & pauperibus erogentur. præceptum datur, vt iuſtitia cuſtodiatur, vt omnis homo diuertat à malo, & faciat bonum. & ſic præcepit Dominus, Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos, &c. Regredere ſuperiùs ad annot. 43. & 44.

Annotatio CIIII.

Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. Rom. 7. c.

Num paſſiones naturales fuerint in homine ante peccatum.

HOmilia in epiſt. ad Rom. 13. ſubindicare videtur, naturales concupiſcibilis & iraſcibilis facultates affectiones ante peccatum non fuiſſe in homine; ſed ſtatim poſt peccatum ex neceſſitate mortalitatis in hominem intraſſe. Ita enim fatur: In homine vnà cum morte & affectuũ turba introijt. cùm enim corpus mortale effectum eſt, tum denique neceſſariò admiſit & concupiſcentiam, & iracundiã, & dolorem, & cætera omnia, quæ magnæ admodum conſtantiæ ac ſapientiæ indigebant, vt ne inundantis æſtus vis ac tempeſtas rationem in nobis obrueret, in peccati voraginem demerſam. Illi enim affectus, peccatum haudquaquam erant; ſed illorum immoderatio effrænata hoc efficiebat. Eodem ſpectat quod homilia 18. in Geneſim ſcripſit, concupiſcentiam rei venereæ ſubintraſſe in hominem poſt peccatum, cùm antea nulla fuiſſet. eius verba ſic habent: Ante inobedientiam primi parentes angelicam vitã imitabantur, & nullus de re venerea ſermo erat. quómodo enim potuit, cùm

A neque corporalibus neceſſitatibus obnoxij fuerint? Itaq; ab initio virginitas palmam principatus accepit: ſed poſtquam per deſidiam peccatũ intrauit, & aditus patefactus eſt his, quæ peccati ſunt, & illa quidem auolauit, vtpote ab his, qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant. Subintrauit autem rei venereæ lex. Et infrà, Poſtquam enim per inobedientiam intrauit peccatum, & ſententia mortales illos fecit. conſequenter omnipotens Deus, ſecundùm ſuam ſapientiam humani generis durationem gubernans, cõceſſit per coitum augẽri noſtrum genus. Hæc Chryſoſtomi dicta non de ipſis naturalibus affectibus intelligenda ſunt, qui etiam in homine ante peccatum fuerunt vtpote ipſi homini in prima naturæ conditione inditi, ſed de affectuũ perturbatione & exceſſu, qui peccatũ ſecutus eſt. vnde prudenter Chryſoſtomus nõ dixit, poſt peccatum introiſſe affectus, ſed affectuum turbam, hoc eſt, perturbationem & exceſſum. Poſſunt etiam hæc ipſa verba aliqua ex parte ad vſum & exercitium naturalium paſſionum referri. nam &
B rei venereæ vſum, & iræ ſtimulos, & doloris ſenſum poſt Adæ lapſum incœpiſſe conſtat.

Lucianus Monachus in damnatis ſuper Chryſoſtomum annotationibus, excutiens prædicta verba ex homilia tertiadecima, videlicet affectus illi haudquaquam peccatum erãt, &c. impingit Chryſoſtomo, quòd contrà communem theologorum definitionem docuerit affectus mortalium inordinatos, & innatam concupiſcentiam peccati non eſſe peccatum. Sed perperam expoſuit ſancti viri dictum, quod quidem referendum eſt, non ad affectus mortalis hominis poſt lapſum Adæ corruptos, ſed ad illos adhuc integros affectus, quos homo in prima ſua formatione acceperat.

C

Annotatio CV.

Gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Rom. 7. d.

Num lex Moyſi minora præcipiat quam lex naturæ.

HOmilia in epiſt. ad Rom. 13. in enarratione huius clauſulæ, tantam, inquit, fuiſſe Dei indulgentiam, vt in lege Moyſaica minora ac leuiora præcepta dederit, quàm in lege naturæ. Quã ſentẽtiam duplici argumento demonſtrat in his verbis: Deus in lege ſcripta homines non ad ſummã pertraxit politiam; ſed permiſit pecunijs illos frui, pluribus vxoribus vti non prohibens, & iræ gratificari, quoad iuſtũ eſſet, & voluptatum moderatarũ vſum habere. Denique tanta erat indulgentia, vt ſcripta lex minora etiam exigeret, quàm naturalis lex dictaret. nam naturæ lex virum vnum mulieris vnius conſuetudine contentum eſſe iuſſit. quod &
D Chriſtus indicans, ait: Qui ab initio fecit, marem & fœminam eos fecit: at Moyſis lex neque hanc repudiari, neque illam repudiatæ in locum admitti prohibuit; neque duæ, quò minus eodem haberentur tempore, interdixit. Præter id autem videas, qui ante Moyſis legem vixere, ſub naturali lege eruditi, eos plura præſtitiſſe, quàm in Moyſis lege contenta eſſent.

In Græco Chryſoſtomi codice, quem Sanctus Pagninus, vir doctiſſimus, poſuit in bibliotheca Prædicatorũ Lugdunenſiũ, legimus in margine huius loci Græcum ſcholion, ipſius Pagnini manu ſic aſcriptum: Σκληρὸν τοῦτ' ἐστὶ, καὶ παρὰ τῶν σχολαστικῶν δόγματα. id eſt, durũ hoc eſt, & præter ſcholaſticorum placita.

Annotatio CVI.

Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens. Rom. 8. d.

An cæli ob peccatum Adæ

HOmilia in epiſt. ad Rom. 14. propoſitã ſententiã explicans, ſentire videtur, quòd elementorum

corruptibiles & diſſolubiles effecti ſunt.

torum & cælorum corpora, ob lapſum primi hominis in peccatum & mortem, facta ſint ſeneſcuti, corruptioni, & interitui obnoxia; quodque rurſus hominis gratia incorruptionem & immortalitatem recipient, cùm vltima reſurrectione homines glorioſi corporis immortalitate donabũtur. verba eius hæc ſunt: Quid hoc ſibi vult, Vanitati creatura ſubiacet? corruptibilis effecta eſt, inquit, cuius rei gratia, & quamobrem? propter te hominem. nam poſtquam corpus tuum mortale feciſti, atque patibile, terra ipſa quoque maledicto ſubiacuit, & ſpinas protulit, & tribulos. Quod autem & cælum vnà cum terra ſeneſcens, tandem in meliorem ſtatum ſit transferendum, audi prophetam dicentem; ab initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes; & omnes, vt indumentum veteraſcent; & tamquam veſtem mutabis eos, & mutabuntur. Eſaias quoque eadem aſſerit, dicens: Suſpicite cælum, & reſpicite terram: quoniam cælum, vt fumus, deficiet: terra, ſicut veſtimentum, ſeneſcet: qui autem ipſam incolunt, inſtar illorum peribunt.

Pſal. 101.

Eſa. 51.

B

Vidéſne, vt vanitati ſeruiat vniuerſitas? & quo pacto liberãda ſit à corruptione? Ille enim ait, Tamquam veſtem mutabis eos, & mutabũtur: Eſaias verò dicit: Qui verò terrã incolunt, inſtar ipſorum peribunt: non penitus abolenda ſignificans (nõ enim qui terram incolunt, id eſt, homines; hoc pacto peribunt) ſed temporarius eorum interitus erit: per quem etiam ad immortalitatem tranſibunt; quemadmodum & natura omnis condita, quæ quidem omnia ſimul expoſuit in eo, quod ait, inſtar illorum: ſicut & Paulus ſequentibus dicet. nunc autem vſque eò de illius differit ſeruitute, dum nobis aperiat, qua de cauſa eiuſmodi facta ſit: quam cauſam nos eſſe aſſerit. Quid igitur? iniuria affectus eſt mundus, alterius culpa hæc ſuſtinent? nequaquã: nam & propter me factus eſt, quod ſi propter me factus eſt, quomodo iniuriam pati dicitur ob meam correctionem hæc ſuſtinens? alioquin nec iuſti, nec iniuſti ratio quærenda eſt in hiſce rebus, quæ animo ac ſenſibus carent. verùm Paulus poſtea, quam mundo ſemel perſonam affinxerat, nulla earum rerum, quas poſui, voluit vti, alia quadam ratione, tamquam auctario lectorem ſubleuare feſtinans. Quanam verò ratione? quid ais, inquit? malè habitũ eſt vniuerſum tui cauſa, & diſſolubile factum? ſed nihil iniuriæ patitur. namque indiſſolubile rurſus propter te fiet. hoc eſt enim, quod ait in ſpe. Quod verò dixit, Subiecta eſt non ſponte: non ideo dixit, quo propriæ ſententiæ dominum mundum ipſum efficiat, ſed vt intelligas rem totam Chriſti prouidentia geri, non illius virtute.

C

Quæ ſit autem ſpes illa, ſubiunxit, cùm ait: Quoniã & ipſa natura liberabitur. Quid eſt ipſa? Non tu ſolus, inquit, verùm etiam quòd te deterius eſt: quod rationis capax non eſt, & ſenſibus vacat. hoc ipſum, inquam, bonorum illorum particeps erit. liberabitur, inquit, à ſeruitute corruptionis, hoc eſt, nõ amplius corrumpetur: ſed tui corporis naturã imitabitur. vt enim ipſo corrupto ſimul corrupta eſt; ita & incorruptibile factum ipſa ſequetur. Quam rem indicans ait, in libertatem gloriæ filiorum Dei; hoc eſt, propter libertatem. ſicut enim nutrix, quæ puerum regium educauit, vnà cum illo bonis potitur in paternum ſolium eleuato: ſic & mundus, inquit, bonis illis fruetur. Cernis hominem vbique præſtare: cuius & gratia facta ſunt omnia? vides, quemadmodum conſolatur certantem: ac ſimul oſtendit ineffabilẽ erga nos Dei benignitatem? Quid doles, inquit, in rebus aduerſis? at non tu tui ſolius cauſa pateris: mundus autem propter te omnis? non modò autem conſolatur certantem, verùm etiam fide digna facit quæ dicta ſunt? ſi enim mundus ipſe ſperat, inquit, atque confidit, qui propter te conditus eſt, factuſque omnia;

D

A

multò magis & tu ſpem alere debes, ob quem mũdus bonis illis fruetur: ſic & parentes facere conſueuerunt, vbi filius in altiori gradu ſpectãdus ſit: ſeruos enim nouis & ſpendidioribus veſtibus induunt ad gloriam eius. Sic igitur & Deus fabricam hanc induet immortalitate, in libertatem gloriæ filiorum.

Hucuſque Chryſoſtomi ſermo: cui cõſona ſunt, quæ idem ſcripſit homil. ad populum Antioch. decima, his verbis: Deus mirabilem & magnum fecit mundum, ſed & corruptibilem & marceſſibilem, & ipſius imbecillitatis multas miſcuit demonſtrationes. Dauid enim demonſtrans, quòd & ſi pulchrum & magnum, tamen eſt corruptibile, ſic inquit: Initio tu domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, tu autem permanes; & omnes ſicut veſtimentũ veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. & iterum de Sole inquit idem; Tamquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, exultauit, vt gigas, ad currendam viam. Vidiſti ipſius pulchritudinem? vidiſti magnitudinem? vide & imbecillitatis eius demonſtrationem. etenim & hoc demonſtrans ſapiens, dicebat: Quid lucidius ſole? & hic deficiet. Iterum de ſcripturis vobis demonſtrabo, quod non ſolum ſol, ſed & omnis mundus corruptibilis: ſed quoniã tenuitate noſtra altior eſt hic ſermo, agè ad dulcem nos ſcripturarum fontem agentes, aures noſtras mulceamus. non enim de cælo & terra vobis ſigillatim dicemus, ſed de omni pariter creatura, & hoc ipſum vobis demonſtrantem Apoſtolum oſtendemus, ſic manifeſtè dicentem; quod omnis creatura corruptioni nunc ſeruit, & quare ſeruit, & quando mutabitur, & in qualem tranſibit finem. Poſtquàm enim dixit, Non ſunt condignæ paſſiones præſentis temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis; intulit quòd expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei operatur: vanitati enim creatura ſubiecta eſt, non ſpontè, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe quod autem dicit, huiuſmodi eſt: Corruptibilis creatura facta eſt: hoc enim eſt, Vanitati ſubiecta eſt. corruptibilis autem facta eſt, Deo ſic iubente. Iuſſit autem, ſic Deus propter genus noſtrũ. quoniam enim hominem debebat nutrire corruptibilem, & ipſa talis eſſe debebat: non enim corruptibilia corpora decebat incorruptibili vti creatura. Sed inquit, Non tamen talis remanet; ſed & ipſa creetura liberabitur à ſeruitute corruptionis. deinde demõſtrans, quando hoc erit, & per quos, intulit: in libertatem gloriæ filiorũ Dei. cùm enim reſurrexerimus, inquit, & incorrupta ſumpſerimus corpora; tunc & cæli corpus, & terrę, & mundi totius incorruptum erit & immarceſſibile. Hactenus Chryſoſtomi verba recenſui.

Pſal. 101.

Pſal. 18.

Rom 8.

Huic ſententiæ omnis recentium theologorum ſchola aduerſatur, præſertim verò in his, quæ ſpectant ad corpora cæleſtia. hæc enim idcirco perpetua & incorruptibilia eſſe oſtendunt, quoniam ſubſtantiã habent à quatuor elementorum ſubſtãtia diuerſam, omniſque peregrinæ impreſſionis expertem. & quia tot ſæculorum lapſibus ita permanſerint incorruptibilia, vt nullum ſeneſcentię præbuerint indicium, nihilq; de eorum magnitudine, aut pulchritudine temporis iniuria conſumpſerint. Atqui D. Ambroſius lib. 1. Hexameron, cap. 6. refellens eos qui cælos ponunt incorruptibiles, & ex quinta quadam ſubſtantia conſtantes, ita ſcribit: Alij æthereum corpus cæli, ſtellarumque arbitrati ſunt, quintam quandam naturam corporis introducentes, quo diuturnam cæli putarent manſuram eſſe cæli ſubſtantiam. ſed non iſta opinio propheticæ potuit obuiare ſententiæ, quam diuina quoque Domini Ieſu Chriſti maieſtas, Dei noſtri, in euangelio comprobauit. Dixit enim Dauid: Principiò terram tu fundaſti domine, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt &c. quod

Pſal. 101.

adeò

Digitized by Google

adeò probauit in euangelio dominus, vt diceret, Cælum & terra præteribunt; mea autem verba nõ præteribunt. Nihil ergo agunt, qui propter cęli aſſerendam perpetuitatem quintum corpus æthereũ introducendum putarunt. Hæc Ambroſius: cui omnes ferè Græci patres conſentiunt, affirmantes cęlum ſuapte natura corruptibile & caducum: non corrumpendum tamen prouidentia & gratia Dei conſeruantis. His affinia habes annotat. 340. lib. 6. Biblioth. ſanctæ Sixt. Senenſis.

Luc. 21.

Annotatio CVII.

Secundùm Deum poſtulat pro ſanctis. **Rom. 8. c.**

Æternę gloriæ priuatio.

NOn longè à fine homil. 14. in epiſt. ad Romanos, ad peculiarem ſibi ſententiam recurrẽs, ait: Diuinæ gloriæ priuationẽ quauis gehenna grauiorem, & alienationẽ ab æterna quiete quibuſlibet ſupplicijs deteriorem. Lege ſuprà annot. 47.

Annotatio CVIII.

Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. **Rom. 9.**

An prædeſtinatio ſit ex meritis prædeſtinatorũ à Deo præuiſis.

HOmilia in Epiſt. ad Romanos hunc locũ elucidans, indicare videtur æternam Dei erga ſuos dilectionem, electionem, prædeſtinationem, & temporalem vocationem, oriri ex meritis electorum ab æterno, in diuina præſcientia præuiſis. Ita enim ſcribit: Qua igitur de cauſa Iacob quidem amore, Æſau autem odio habitus erat? qua de cauſa hic ſeruiebat, ille autem imperabat? quoniam quidem hic malus erat, ille autem bonus erat, quamquam illis nõdum natis, alter quidẽ honorabatur, alter autem condemnabatur. adhuc enim nati cùm non eſſent, dixerat Deus, Maior ſeruiet minori. Et infrà comparans diuinam electionem electioni artificum, qui res eligunt, quas norunt ſuo vſui aptiores, ait: Multi Matthæo meliores eſſe videbantur, ab apparenti operum argumento: verùm qui arcana nouit, quique cogitationis aptitudinem probare poteſt, is & in cœno iacentem margaritam nouit, omiſſiſque alijs, admiratus huius pulchritudinem, illum elegit: voluntatiſq; nobilitati ſuam cùm adiunxiſſet gratiam, probatum illum eſſe pronuntiauit. ſi enim in artibus his fragilibus qui iudicare valent, non ab ijs argumentis, per quæ imperiti calculum ferunt, quæ propoſita ſibi ſunt eligunt; ſed ab his, quæ probè ipſi norunt; & equorum domitores hoc idem perſæpe in equis factitant, & qui lapidum pretioſorum iudices ſunt, & qui cæterarum artium opifices: multò magis benignus Deus, qui ſolus omnia apertè nouit, à propria ſapiẽtia de omnibus calculum feret. propterea ſanè Publicanum elegit, & latronem, & meretricem: ſacerdotes autem, & ſenes, & magiſtratus reprobauit, & eiecit.

Et homilia in epiſtolam ad Epheſios primam, de electione loquens, ait: Quòd ſi homines quando eligunt, optima ſibi deligunt: multò magis Deus. eligi enim & diuinæ benignitatis iudicium eſt, & virtutis eorum, qui eliguntur.

Rurſus homil. in epiſt. ad Epheſ. 2. Elegit omnino iuxta delectum liberumque propoſitum prædeſtinatos, hoc eſt, prædeſtinauit, quos ſibijpſi delegerat, iuxta quòd nos vidit antè, quàm in ſortem aſciſceremur.

Item homil. in Matth. 31. cauſam vocationis Matthæi, & Pauli, & aliorum Apoſtolorum aſcribens obedientiæ, quam Deus in futuram præuiderat, hæc prodit: cuius rei gratia non cum Petro ſimul, & Ioanne, & alijs diſcipulis ipſum Matthæum vocauit? certè quemadmodum tunc ad illos acceſſit, vocauitque quando obtemperaturos ſciebat: ſic Matthæum quoque tunc vocauit, quando minimè reluctaturum videbat. qua de cauſa etiam Paulum poſt reſurrectionem piſcatus eſt: nam qui corda ſcrutatur, etiam quando vnuſquiſque ad obediendum paratus erat, non ignorauit.

Et homil. in Matth. 56. vocationem operariorum ad vineam eorum bonæ voluntati his verbis attribuit: Omnes quidem ille ab initio conduxiſſe voluiſſet, ſed à voluntate vocatorum hæc differentia reſultauit. Idcirco alij manè, alij tertia, alij ſexta, alij nona, alij vndecima hora vocãtur, quia tunc obtẽperaturi erãt. quod & Paulus apertè ſignificauit, dicẽs: Quãdo autem viſum eſt Deo, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ? quando autẽ ei viſum eſt? quando certe obtemperaturus erat, nam ipſe à primis etiam incunabulis voluiſſet: ſed quia illum renixurum ſciebat, tunc voluit, cùm animum ipſius penetraturam vocationẽ nõ ignorabat. ſic & latronem poſtea vocauit. potuiſſet antea ipſum vocaſſe, ſed ille vocatus non paruiſſet. nam ſi Paulus ab initio non paruiſſet, multò minus ipſe latro.

Item homilia in Pſal. 115. de vocatione Centurionis loquens, id ipſum confirmans, ait: Si pater trahit, filius deducit, Spiritus illuminat, quid peccant, qui neque tracti ſunt, neque deducti, neq; illuminati? quoniam non præbent ſeipſos dignos, vt eam ſuſcipiant illuminationem. vide ergo hoc eueniſſe Cornelio. neque enim hoc ille domi apud ſe inuenit, ſed cùm Deus vocauit, quoniam ipſe præoccupans ſeipſum dignum: & ſi enim eius eſt trahere & inducere, animam tamen requirit, quæ morem gerat, & tunc ſuum adhibet auxilium. quocirca alibi dicit Paulus, ſecundùm propoſitum vocatis. Rom. 8.

Multorum huc ſpectantes patrum ſententias (quas breuitatis gratia omittimus; præſertim verò ne à propoſito diuagari videamur aliorum opiniones interſerentes; cùm locorum ambiguorum Chryſoſtomi, non omnium, explicationes, nos in vnum collecturos promiſerimus) habes in Bibliotheca Sixt. Senenſ. annotatione 251. libri ſexti, vnde haſce Chryſoſtomi decerpſimus. Annotatio autem quæ ſimul omnes interpretatur & aperit, ſic habet.

Cæterùm ne altius ac prolixius, quàm pro annotandi ratione propoſitas patrum ſententias excutiam, & in re tam abſtruſa, tantiſque diſputationũ labyrinthis implicita, & meipſum, & legentium animos obuoluam; ſatis ſuperque ſufficere arbitror, ſi illud vnum annotauero, quod D. Thomas ex Auguſtini doctrina obſeruari monuit, in primo Theologicæ ſummæ volumine, quæſt. 23. nimirum in operibus electorum, à diuina præſcientia præuiſis, duplicem cauſæ rationem ſpectari poſſe, meritoriam ſcilicet, ac finalem. Primùm ergo, ſi cauſam meritoriam inſpexerimus, noſſe oportet, ordinem diuinæ prouidentiæ erga electos gemina graduum varietate diſtingui: quorum alij præcedunt gratificantis gratiæ ſuſceptionem, ceu ſunt Dilectio, Electio, Conſcriptio, Prædeſtinatio, Vocatio, Iuſtificationis inchoatio: alij gratificantis gratiæ receptionem ſequuntur, quales ſunt Gratiæ auctio, Iuſtitiæ incrementum, & Æternæ fœlicitatis adeptio. Si igitur quæratur, an operum noſtrorum pręuiſio ſit cauſa meritoria præcedentium graduum, negandum eſt prorſus, ne videamur conniuêre Pelagianis, dicentibus, Deũ merita noſtra in ſua præſcientia elegiſſe. & iuxta hanc ſententiã interpretandi ſunt omnes patres, qui æternam Dei electionem, ac prædeſtinationem ex ſola Dei gratia nullis præuiſis meritis definiunt. Si verò interroget quiſpiã, vtrũ ſequentes diuini ordinis gradus in diuina præuiſione cauſam habeant meritoriam: proculdubio reſpondendum eſt, Deum ab æterno decreuiſſe daturum ſe incrementa amplioris iuſtitiæ his,

qui be-

qui benè vſuri eſſent primo iuſtificantis gratiæ dono,ac deinde ob merita bene ſeruatæ iuſtitiæ redditurū ſe eis perpetuæ beatitudinis coronam. Atq; ad hūc ſenſum conabimur,quoad fieri poterit,accōmodare aliquas ex præmiſſis patrum ſententias, quæ præuiſioni meritorum aſcribere videtur electionē & prædeſtinationem, hoc eſt, electionis & prædeſtinationis complementum, ſiue ſequentes ac poſteriores gradus diuini ordinis; quòd interdū patres totum à parte denominantes, Electionem, vel Prædeſtinationem appellarunt.

Rurſum ſi nos ad contemplationem finalis cauſæ conuertamus,rectè quidem affirmare poterimus præuiſionem operum ſubſequentium diuinæ gratiæ receptionem,eſſe cauſam electionis ac prædeſtinationis finalem.Deus enim,vt Paulus ait,elegit nos ante mundi conſtitutionem, & prædeſtinauit nos,vt eſſemus ſancti & immaculati coram eo, in laudem gloriæ gratiæ eius.hoc eſt, nos ſibi ab æterno aſciuit in ſuos, & præparauit nobis vocationis & iuſtificationis gratiam in eum videlicet finem, vt ea bene vteremur, & ex eius bono vſu gloriam ſempiternæ fælicitatis adipiſceremur. Nec dubium eſt aliquos ex prædictis patribus ſecundùm hunc loquendi modum pronuntiaſſe,opera noſtra,à Deo præuiſa,cauſam eſſe diuinæ prædeſtinationis, finalem quidem,non autem meritoriam. Hæc ſunt cādidè Lector,quæ hîc breuiter annotanda exiſtimauimus:tu,ſi qua habes explicandis patrum ſententijs aptiora,his vtere;& hæc noſtra, qualiacumque ſint,boni conſule.

ANNOTATIO CIX.

Nam & ego Iſraelita ſum. Rom.11.a.

An Paulus Petro dignitate par fuerit

HOmilia in Epiſt. ad Rom. 18. in expoſitione præſentis particulæ,Neque enim,ait,ſi populum ſuum Deus repulſurus fuiſſet, Paulum ſibi ex Iſraëlitis elegiſſet,cui omnem prædicationem, cui res orbis,myſteria cuncta, viuerſamque diſpenſationem concederet.Germanus Brixius, homiliarū Chryſoſtomi in Paulum interpres, hunc locum in margine annotans, Vide,inquit,quid Chryſoſtomus Paulo tribuat. Lege apud Sixt. Senenſem annot.269.lib.6.

ANNOTATIO CX.

Salutate Priſcam,& Aquilam. Rom16.a.

Bellum.

IN homilia quam ſeparatim edidit in hunc locum,verba quædā habet, quibus Eraſmus abutitur contra ius & æquitatem iuſti belli, contendēs non licere Chriſtianis vlla ratione pugnare. Vide Senenſem lib.6.annot.156.

ANNOTATIO CXI.

Obſecro vos per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti. 1.Corinthi.1.

An præcepta legis diuinæ ex ſolis naturalibus viribus impleri poſſint.

HOmilia tertia in priorem ad Corinth. hoc enarrans, ſentire videtur quòd multi gentilium Philoſophorum, ſola naturali ratione adiuti, præcepta legis diuinæ non ſolùm impleuerint,ſed etiā tranſcenderint. Sic enim fatur: Nónne Deus legē tulit & ſcriptam,& naturalem? Nónne filium miſit? Nónne ſigna fecit? Nónne cæli regnū pollicitus eſt? Nónne præcepta eius adeo leuia ſunt, vt multi philoſophica tātùm ratione ea exceſſerint? Hanc aſſertionem Auguſtinus in lib.de hæreſibus cap. 88.inter primos ac præcipuos Pelagianorum errores collocare videtur, inquiens; Pelagiani intantum inimici ſunt gratiæ Dei, quæ diffunditur in cordibus noſtris, vt ſine pac poſſe hominem credant facere omnia mandata diuina. Sunt qui exiſtimēt Chryſoſtomi verba per hyperbolē prolata, vt ab eo qui exemplo ſolertiæ Gentiliū vellet ſocordiam Chriſtianorū cōfundere,& deſides eorum ad executionē euangelicæ legis prouocare. Poſſumus etiam hæc ipſa verba ſic interpretari, vt dicamus philoſophos non quidem omnia,ſed quædam præcepta diuina,cū impleſſe, tum etiam exceſſiſſe quò ad ipſam dūtaxat operis actionem,& ſolam externam rei geſtæ executionem.multi enim Gentiles voluntariam paupertatem abiectis prorſus diuitijs elegerunt;& multi virginitatem ita ſeruarunt vt occidi maluerint,quàm ipſam prodere.At ſi eadem hæc opera conſideremus iuxta internum agēdi modum,& rectum operandi ſcopum,qui à nobis ſecundùm Chriſtianæ charitatis regulam exigitur: negandum eſt vllum Gentilium ex philoſophica tantum ratione præcepta legis impleſſe, nedū exceſſiſſe.Nam vt Ioannes Caſſianus eiuſdem Chryſoſtomi diſcipulus in 13. Collationum volumine ſcribit, nequaquam credendum eſſe philoſophos talem animi caſtitatem,qualis à nobis exigitur, aſſecutos:quibus iniungitur, vt non ſolùm fornicatio, ſed ne immunditia quidem nominetur in nobis.Habuerunt autem illi quandam portiunculam caſtitatis,id eſt, abſtinentiam carnis, vt tantum à coïtu libidinem coërcerent:hanc autem internā mentis ac perfectam corporis puritatem non ſolū corpore, ſed nec cogitatione aſſequi potuerunt. Habes huc alludentia ſuprà annot.17.

ANNOTATIO CXII.

Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. 1.Corinth.3.

Purgatorium in Chryſoſtomus agnoſcit.

HOmilia in priorem ad Corinth.9.hunc locum explanans,de perpetuo gehennæ igne, & de ijs qui æterno ignis ſupplicio punientur,ita ſcribit: Ipſe autem ſaluus erit,ſic tamen quaſi per ignem. hoc ſignificat,quòd ipſe non ita peribit, quemadmodum opera in nihilum rediens,ſed manebit in igne.Salutem igitur rem hanc appellat, non ſimpliciter:propterea addidit, Quaſi per ignē. Etenim nobis cōſuetudo dicendi eſt,in igne ſalua eſſe,quæ non comburūtur, neque in cinerem cōuertuntur. Noli igitur,cùm ignem audis,in nihilum redire ardentes arbitrari. Quòd ſi ſalutem tale ſupplicium appellat;noli admirari.Solet enim in male ſignificantibus rebus, bonis vti nominibus, & in bene, malis:exempli gratia,captiuitatis nomen malæ ſignificationis nomen videtur:ſed in bona eo Paulus vtitur his verbis:In captiuitatem redigentes omnem intellectum,in obſequium Chriſti. 2.Cor.10 Contrà in re mala præclaro vtitur verbo,Regnauit peccatū. Rom 5. Atqui regni nomen laudabilius eſt. Itidem hoc in loco,cùm inquit:Saluus erit,nihil aliud quàm ſupplicij incrementum ſignificat. Quaſi dicat, ipſe perpetuò in ſupplicio permanebit.

Marcus Epheſi Epiſcopus, in Apologia, quam pro Græcis purgatorium reijcientibus,in Concilio Baſileæ obtulit,examinans hæc verba Chryſoſtomi,aſſeuerat eum nihil vmquam,aut verbis expreſſiſſe, aut cogitaſſe de purgatorio, ad quem Latini præſentem Pauli locum applicant, reclamante Chryſoſtomo, qui ipſum de ſempiterno gehennæ igne,vere atq; admodū germanè expoſuit. Cæterū cū Epheſini reprehenſio duas habeat partes, vnā qua eſſerit Chryſoſt. nihil vmquam de purgatorio ſcriptis prodidiſſe aut cogitaſſe, alterā,qua expoſitionem Chryſoſtomi Latinorum expoſitione præfert:oſtendam hominem & in hac parte errare,& in illa impudenter mentiri. habentur enim apud Chryſoſtomū loca plurima,ex quibus liquet beatum illum virum credidiſſe poſt hanc vitam eſſe locum,vbi maculis inquinati purgentur: vbi extra

æternam

æternam requiem tribulationem patiantur; vbi ex ſuffragijs & orationibus noſtris refrigerium accipiant, vbi pro eis iratus iudex placetur: quem locũ Latini purgatorium nuncupant. Quod ita eſſe, vt dicimus, infrà ſcripti loci, ex eius homilijs decerpti, apertiſſimè demonſtrant.

Homil.32.in Matth. Cur poſt mortem, ait, tuorũ pauperes conuocas? cur presbyteros, vt pro eo velint orare, obſecras? Non ignoro te reſponſurum: vt defunctus requiẽ adipiſcatur, vt propitiũ iudicẽ inueniat. Et infrà: Nam ſi multæ barbaræ gentes vnà cum defunctis res eorum cremare ſolẽt; quantò æquius tu, defuncto filio ſua tradere debes, non vt in cinerem redigantur, ſed vt glorioſum magis illum reddas. Putas eum maculis inquinatum abijſſe; da ipſi ſua, vt illis ſe à maculis detergat.

Homil.41.in epiſt.ad Corinth. Opitulemur igitur defunctis fratribus, pro ipſis memoriam faciamus. Nam ſi Iobi illius liberos patris victima purgauit; quid dubitas è nobis quoq; ſi pro dormientibus offeramus, ſolatij quiddam illis acceſſurum? Gratificari Deus propter alios alijs ſolet, &c.

Homil.3.in epiſt ad Philip.& hom.69.ad pop. Antioch. Defleamus, inquit, iſtos mortuos, iuuemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilij, modici quidem, attamen iuuemus eos. Quomodo? qua ratione? Precãtes adhortemur, & alios, vt pro illis orent, pauperibuſq; indeſinẽter pro illis eleemoſynas demus. habet res iſta nonnihil cõſolationis. Audi quippe quid Deus dicat: protegã ciuitatẽ propter me, & propter Dauid ſeruum meũ. Si memoria dũtaxat iuſti tantum valuit, quando & opera pro tali viuunt, quid non poterunt? Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerãdorum myſteriorũ memoria fiat eorũ qui hinc diſceſſerunt. Nouerunt illi multũ hinc emolumenti fieri multũ vtilitatis: ſtante ſiquidem vniuerſo populo, manus in cælos extendente, cætu item ſacerdotali, verendoq; poſito ſacrificio, quomodo Deũ nõ placaremus pro iſtis orantes? Verũ iſtud quidẽ de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt: Catechumenos verò neq; iſtos ſolatio dignamur, ſed omni huiuſmodi deſtituti ſunt auxilio, vno quodam dẽpto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, vnde illis nonnihil refrigerij accedit, &c.

4.Reg. 19.

Homil.4.in epiſt.ad Heb. Dic mihi, quid ſibi volunt (in funere) lampades iſtæ feſtiuæ? Nónne ſicut athletas eos (defunctos) producimus? Quid etiam hymni? Nónne vt Deum glorificemus, & ei gratias agamus? Quid iam coronauit diſcedentem, quid iã à laboribus liberatum de ſeruitute ducens, apud ſe habet? Nónne propter hoc pſalmi & hymni? Nónne propter hoc pſalmodia? Omnia iſta gaudentium ſunt, &c. Et poſt pauca: Quid pſallis illo tempore, Reuertere anima mea in requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Nõ timebo mala, quoniam tu mecum es? Et iterum; Tu es refugium meum à tribulatione, quæ me continet? Intelligis, quid ſibi volunt iſti pſalmi? &c. Et rurſum: Pro qua re, dic mihi presbyteros, vocas, & pſallentes? Nónne vt conſolationem recipias? Nónne vt honores diſcedentem?

Pſal.114. Pſal.31.

Ex his igitur atque alijs locis, quos, ne volumen in maiorem molem aſſurgat, de induſtria omittere licet, perſpicuum fit, Chryſoſtomum eadem quæ nos, planè de purgatorio ſenſiſſe. Iam verò ad id quod Epheſius addit, Chryſoſtomi interpretationẽ Latinorum expoſitioni contradicere, & eam verè ac ſyncerè Pauli mentem exprimere, meum certè non eſt excutere ac decernere, quis rectius Pauli ſententiam intellexerit, an ex Græcis Chryſoſtomus, quẽ nemo pius cõtemnit, an ex Latinis Auguſtinus, quem omnes docti probant. Maneat, quantum ad me attinet, ſuus vtrique honos. Illud tamẽ pace tanti viri dicere auſim, Chryſoſtomi interpretationem duram eſſe, ac violentam. Quis enim

A vnquam ſic locutus eſt, vt diceret: Saluus erit, ſed ſic quaſi per ignem, pro eo quod eſt, æterno igni cruciabitur, nec vnquam ab eo cõſumetur? Quid igitur agit illa exceptio, Sed ſic, quæ ſonat eum fore ſaluum aliquo modo, ſed non abſque cruciatu? Mihi veriſimile fit Chryſoſtomum fuiſſe hoc loco abuſum, non vt expoſitioni Latinorum, quam nec fortè viderat, contradiceret, ſed vt hinc arriperet occaſionem deterrendi quoſdam, qui id temporis credebant gehennæ ſupplicia aliquando iuxta Origenis dogma finem habitura.

ANNOTATIO CXIII.

Si orem lingua, ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt. Cæterum qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, ſuper tuam benedictionem? quoniam quid dicas, neſcit. 1.Cor.14.c.

B HOmil.35.in 1.ad Cor. ita ſcribit: idiotam verò promiſcuam plebem vocat, monſtratque nõ leue incommodum eſſe, ſi Amen dicere non poſſit. Eſt autem quod dicit, huiuſmodi: Si peregrina lingua gratias agas, quam nec intelligas ipſe, nec cæteris interpreteris, ſubijcere Amen plebeius nõ poteſt & illud, & in ſæcula ſæculorum, qui finis precum eſt, audiens, Amen non dicet.

Num Miſſæ & publicæ preces lingua vulgari dicendæ ſint.

Hac Chryſoſtomi autoritate vti ſolent, qui aſtruunt ſacras Miſſas, pſalmos, & alias preces vulgari cuiuſque gentis lingua in templis recitandas, vt ab omni plebis multitudine queant intelligi. Quibus reſpond. ipſum Chryſoſtomum cum Apoſtolo non loqui de his, qui pſalmos, aut preces, aut Miſſas in templo recitant, ſed de his qui in Eccleſia orationes ad populum habent, & de ſacris rebus verba faciunt, hoc enim eſt apud eum orare, quod & ad cætum loqui. Itaque, per eum quem Paulus idiotam vocat, non intelligit promiſcuam plebem, vt Latinus interpres, ſed miniſtrum C Eccleſiaſticum, qui locum ſuppleat idiotarum non intelligentium, & reſpondeat Amen, pro tota illiteratorum Eccleſia. Hunc Chryſoſtomus laicum, id eſt, popularem, vel plebeium appellat. De ijs conſule Sixt. Senenſ. annot.263.lib.6. Biblioth. ſanctæ.

ANNOTATIO CXIIII.

Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. 1.Cor.15.c.

HOmil.39.in 1.ad Corinth. delabi videtur in errorem Armenorum & Anabaptiſtarũ, qui dicunt, Nullam animam ante iudicij diem fore beatam ea beatitudinis fœlicitate, quæ in diuinæ eſſentiæ intuitu collocatur. Ibi enim expendens D illationem ratiocinationis ab Apoſtolo propoſitũ, ait illam ex eo vim accipere, quòd neceſſe ſit animam quoad fuerit à corpore ſeparata, permanere extra cæleſtis gloriæ fœlicitatẽ. Eius ſententia ad verbũ expreſſa hęc eſt: Quid ais Paule? Supereritne fiducia ſola, ſi corpus non excitetur? An non animus ſuperſtes erit? Erit: & immortalis quidẽ. Quãquam verò vel ſexcenties ſit. vt ſanè eſt, immortalis: tamen ſine carne ipſa admirandis illis bonis nõ fruetur, quemadmodum neque pœnis punietur. Omnia enim coram tribunali Chriſti manifeſtabuntur (inquit Paulus) vt vnuſquiſque ferat, quæ per corpus, ſeu bona, ſeu mala fecit. Nam ſi corpus non reſurgat, anima noſtra incoronata iacebit, & extra cæleſtem beatitudinem erit. Quod quidem ſi concedimus, nulla illic iam re in vniuerſum fruemur.

Num animæ ante diem iudicij ſint beatæ.

Hanc ſententiam idem autor longiori verborũ ambitu & exemplis adhibitis circumſcribit homil.28.in epiſt. ad Heb. vbi cùm enodere particulam

Digitized by Google

Heb. 11. illam ex vndecimo cap. hi mercedem non receperunt, ne ſine nobis conſummarentur &c. hæc protulit: Nondum (inquit Apoſtolus) receperunt mercedem, ſed adhuc permanent, & ita mortui, & in tanta tribulatione, necdum receperunt mercedem. Tantum tempus habent ex quo vicerunt, & necdum receperunt. Vos autem in certamine conſtituti mœrore afficimini. Intelligite & vos, quale & quantum eſt Abraham ſedere, & Apoſtolum Paulum expectantes, quando & tu conſumeris, vt poſſint tunc mercedē recipere. Niſi enim etiam & nos illuc venerimus, tunc prædixit eis Saluator non dare mercedem: Sicut pater bonus, amator filiorum, probis & genuinis filijs & opus perficientibus dicit, non ſe daturum comedere, niſi venerint etiam alij fratres. Tu autem anxius es, quia nondum mercedem accipis? Quid itaque faciet Abel, qui ante nos vicit, & adhuc ſine corona ſedet? Quid Noë? Quid cæteri illorum temporum, qui te & alios, qui poſt te futuri ſunt præſtolantur? Vides, quia nos in hoc ſuperamus eos? De nobis enim (inquit Paulus) melius præuidit Deus, ne aliquid præ nobis plus habere viderentur, ſi primi ante nos coronarentur. Vnum definiuit tempus omnium coronarum; & qui ante tantos vicit annos, tecum accipiet coronam. Contemplatis curā & dilectionem diuinam? Non dixit, Ne ſine nobis coronarentur, ſed, ne ſine nobis conſummarētur. Præuenerunt nos in certaminibus, ſed præueuient in coronis. Nec Deus ob id illis iniuriam intulit, ſed nos honorauit. Nam & ipſi fratres libenter nos expectant. Si enim corpus vnum omnes ſumus, maior ex hoc efficitur corporis iocunditas, cùm ſimul & communiter coronatur, & non per partes. Etenim iuſti etiā in hoc ſunt mirabiles, quòd ſicut de proprijs bonis, ſic gaudent & de bonis fratrum. Proinde etiā in illis hoc iuxta votum procedit, vt cum fratribus coronentur. Simul enim glorificari magna iocunditas eſt, &c.

Hæc Chryſoſtomus de ſtatu animarum ſanctarū ſine corpore. De loco autem, in quo ipſæ detineantur animæ nondum coronatæ, idem in comment. Pauli indicare videtur hunc eſſe Abrahæ ſinum. Siquidem homil. 7. ſuper illud epiſt. ad Heb. cap. 5. Accedamus ergo cum fiducia, &c. ſic fatur: Nemo nunc de ſeipſo deſperet. Tunc deſperationis tempus erit, cùm thalamus fuerit clauſus, cùm intrauerit Rex videre diſcūbentes, cùm venerint ad ſinū Abrahæ, qui eo facti fuerint digni. Nunc autem adhuc agon permanet, adhuc palma pendet. Et homil. ad pop. Antioch. 33. Eleemoſyna (inquit) non ſinit nos eò decidere, vbi diues ille, nec audire verba illa tremenda, ſed in Abrahæ ſinum nos deducit. Homil. item 53. in Matth. Miſericordia (inquit) non patitur eò nos detrudi, vbi diues ille cruciatur; ſed in ſinum Abrahæ certo itinere ducit. Rurſus homil. 40. in Geneſ. Audi (ait) quòd omnes iuſti ab illo tempore Abrahæ vſque nunc, & vſque ad conſummationem ipſius Abrahæ, opus orationis faciunt, vt in ſinus patriarchæ occurrant. Quin & in alijs ſermonibus ſuis eundem locum aliquando appellare ſolet ſanctum veſtibulum, vel ſanctorum veſtibula, accepta (vt Græci credunt) huius appellationis occaſione ex eo quòd animæ ibi demorentur, ad ſimilitudinem eorum qui præ foribus principum in ædium veſtibulis expectant intra ædium penitiora ad principis conſpectum admitti. Vnde etiam hom. 24. in 1. ad Corinth. ſic pronuntiat: Si hinc Euchariſtiæ ſacrificio communiti migrabimus, maxima cum fiducia ſanctum aſcendemus veſtibulum, tamquam aureis veſtibus vndique contecti.

His Chryſoſtomi teſtimonijs Cornelius Agrippa, anabaptiſtarum aſſecla, lib. 3. de occulta philoſophia, aſtruere conatur pias ſanctorum animas vſque ad diem iudicij diuinitatis viſione carere. Qui quàm longè diſtet à mente Chryſoſtomi, teſtantur infraſcripta eiuſdem ſancti viri loca, quæ apertiſſime prædicant Sanctorum animas, ſtatim vt ex hac vita migrauerint, diuini conſpectus gloria potiri.

Homil. in illud Sap. 5. iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, &c. Iuſti (inquit) in aliam vitam tranſlati, beati ſunt, eò quòd ad Chriſtum abierunt, & propius ad regem non per acceſſum & fidem, ſed facie ad faciem. Et homil. 69. ad pop. Antioch. iuſti (ait) cùm hinc migrauerint, fœlices omnino ſunt: ad Chriſtum enim trāſierunt. Illic cum rege ſunt, & illic amplius & propinquius, non per introitum, non per fidem, ſed facie ad faciem. Homil. 16. in epiſt. ad Rō. Mors (inquit) nō ſeparet nos à Chriſto, ſed magis ad eū chorum coniungit qui cū Chriſto eſt, gloriaque illa potiri facit. Et hom. 32. in eandem epiſt. ad Rom. Pauli vocem audiamus (ait) vt poſt quam hinc abſceſſerimus, athletam hunc videre mereamur. Illic enim ipſum omnino videbimus, licet non è propinquo ſtantes: videbimus tamē propè ad regalē thronū ſplendentem; vbi Cherubin Deū glorificant: vbi Seraphin volant: illic Paulum videbimus in ſanctorum choro exiſtentē; genuinaque illic dilectione fruemur. Homil. 4. ad Philip. ſuper illud, Quid eligam, ignoro, &c. ſic ſcribit: Quid inquis Paule? cùm hinc abiens in ipſum cælum migraturus ſis, atque cum Chriſto futurus, ignoras quid eligere debeas? Et hom. de cruce & latrone loquitur in hunc modum: Paradiſum quinque & eo amplius annorum millibus præcluſum hodie nobis Chriſtus patefecit, & latronem in paradiſum introduxit, & amœnitates eius oſtendit, & vno tempore duo beneficia vidimus eſſe conceſſa; vnum, quòd paradiſus patefactus eſt: aliud, quòd latro in eum meruit introduci. Hodierna dies antiquam nobis patriā reddidit, paternam ciuitatem oſtendit, domū priſtinam redonauit. Et ne putes Chryſoſtomum loqui de paradiſo terreſtri, hæc poſt aliqua intulit: Chriſto non iniuriæ fuit, ſacram ingredienti patriam, facere ingreſſus ſui latronem participem. nam ſecum eum perduxit, non confundens calcantibus latronis pedibus paradiſum, ſed honorem præſtans paradiſo. Nam cùm publicanos & fornicarios ad cælorum regnum introduxit, non cælorum regnum infamauit, ſed etiā magis honoribus ampliauit, oſtendens talem Dominum regni eſſe cælorum, qui & indignas in tantum fecerit meliorari perſonas, vt etiam illis dignitatis gloriam mererentur. Et paulò infrà addit: Vidiſti latronem, & latronem: vterque furacis vitæ; ſed nō eis ſimilis dominatur euentus: vnus beatitudinem cæli hæreditario iure promeruit; alter ad gehennam mittebatur, & pœnam. De hoc amplius conſule Senenſem, lib. 6. Biblioth. annot. 345.

Annotatio CXV.

Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. 1. Cor. 15.

Homil. 42. in 1. ad Corinth. hunc locum cōtrario fere ſenſu legit hoc modo: Omnes quidē non dormiemus, ſed omnes immutabimur. Quam ſententiam ſic exponit, vt aſſerat non omnes eſſe morituros, hæc ſcribens: Non moriemur omnes, omnes tamen immutabimur, & hi, qui nō moriuntur: mortales enim etſi. Ne igitur, ſi mori (inquit) contingat, ob id terreare, tamquam non reſurrecturus: Sunt enim quidam, ſunt qui etiam hoc ſubterfugient; quibus ad reſurrectionem illam nō erit tamē hoc ſatis, verùm illa corpora nondū mortua etiam immutari, & incorruptibilitatem conſequi nihilominus oportebit. Econtrariò alij veteres tractatores hanc Pauli ſententiam ſic legunt: omnes quidem dormiemus, ſed non omnes immutabimur. Num omnes homines ſint morituri

Quæ

Quæ quidem lectio parum diſtat à vulgata editionis noſtræ ſcriptura, imò eũdem reddit ſenſum. Quia ſi omnes dormient, omnes etiam reſurgent. Hanc lectionem multi alij ſequuntur, vt videre eſt apud Sixtum Senenſem, lib. 6. annot. 165.

Cæterùm apud Græcos Oecumenius, & apud Latinos autor lib. de eccleſiaſt. dogma. & Aug. quæſt. 3. ad Dulcitium pronuntiant æquè Catholicos eſſe, qui tam iſtam, quàm illam lectionem & opinionem ſequuntur. Hieronymus in epiſt. ad Miner. & Alexand. in arbitrio ponit lectoris, vt harum eligat, quam ipſe maluerit.

ANNOTATIO CXVI.

Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, anathema ſit. Cor. 16. c.

Num liceat vel viuos, vel mortuos anathemate plecti.

IN hom. quæ de anathemate inſcribitur, occaſione huius ſententiæ videtur aſſerere, & lõgo ſermone demonſtrare, quòd neque viui, neque mortui ſint anathemate plectendi, etiam ſi hæretici fuerint. verba autem hæc ſunt: Apoſtoli admodum diligentes fuêre, hæreſes quidem redarguendo & eijciendo, nulli autem hæreticorum hanc anathematis pœnam adhibendo. Porro Apoſtolus in duobus dumtaxat locis vocem hanc coactus affert, nec tamen certæ ac determinatæ perſonæ illam intentat. Nam Corinthijs ſcribit, ſi quis nõ amat dominum Ieſum Chriſtum, anathema ſit. Et, ſi quis vobis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit. *(Ad Gal 1.)* Cur igitur quod nullus eorum qui poteſtatem acceperunt, vel facere, vel declarare auſus fuit, tu facere audes, planè aduerſarius mortis dominicæ, & præoccupans iudicium regis? Et infrà: Hæreticus (aiunt) ille factus eſt, inhabitãtem habet diabolum, aduerſus Deum iniuſtitiam loquitur, multos in profundum perditionis abducit eloquentiæ ſuæ efficaci ſuadela & deceptione. Sanè Paulus hos redarguens: *(1. ad Tim. 2.)* Doce, ait, in lenitate, erudiens eos qui obſiſtunt; ſi quando det eis Deus pœnitentiam ad agnoſcendam veritatem, vt reſipiſcant à diaboli laqueis capti in voluntatem illius. Extende ſagenam charitatis, vt non ſubuertatur claudicans, ſed potius ſanetur. Et infrà: Is quẽ tu anathematizare decreuiſti, vel viuit, & adhuc in mortali vita hac ſupereſt, vel mortuus eſt. Quòd ſi adhuc ſupereſt, impiè agis, qui eum qui à malo in bonũ ſe vertere poteſt, crudeliter abſecas: Si mortuus eſt, multò magis crudelis es. Cũnam? Quia domino ſuo ſtat, vel cadit, non iam ſub iure humano exiſtens. Et poſt pauca: Eapropter vos oro, ne vobis verba hæc mente excidant: Dogmata enim impia, & quæ ab hæreticis profecta, arguere & anathematizare oportet; hominibus autem parcendum, & pro ſalute ipſorum orandum.

Hæc Chryſoſtomi dicta repugnare videntur Apoſtolicæ Eccleſiæ poteſtati, quæ autoritate Chriſti excõmunicationis pœnam, non ſolùm viuis infligit, ſed aliquando etiam defunctis, præſertim hæreticis: de quorum excommunicatione poſt mortẽ extat determinatio quintæ Synodi Conſtantinopolitanæ in decretis Pontificijs, can. 24 quæſt. 2. c vlt. Porrò cum tot locis Chryſoſtomus excommunicationis Eccleſiaſticæ autoritatem defendat, veriſimile non eſt, vt mutata ſententia, voluerit eam hoc loco damnare. Sed hoc magis credendum eſt, eum hanc homiliam protuliſſe aduerſus quoſdam temerarios & indoctos, qui cùm nec eſſent eccleſiæ paſtores, nec vllam haberent excommunicãdi poteſtatem: tamen odio & contentione inducti dogmata ab ipſis non intellecta, vnà cum autoribus eorum temerè damnabant, & anathemate notabant. Hoc & ipſa Chryſoſtomi verba ſatis apertè indicant, in hunc modum habentia: En ſpecto viros, qui nullum ex ſacris litteris germanum ſen-

A ſum, imò nihil omnino ſacrarum litterarum tenẽt; &, vt pleraque tranſeam, non erubeſco dicere furibundos, nugaces, contentioſos qui neque ſciunt quæ dicunt, neque de quibus affirmant, in hoc vno tantum audaces, quòd dogmata ſtatuũt, & anathema declarant ea quæ maximè ignorant: Hinc eſt, quod exteris, hoſtibuſque fidei noſtræ ludibrio ſumus. Et infrà Heus, quis tu tantæ autoritatis, qui tantam tibi vſurpas anathematizandi potentiam? Cur dignitatem tantam aſſumis, quæ Apoſtolis tãtùm communicata, & his qui illorum idonei ſunt ſucceſſores? &c.

Sed adhuc ſupereſt dilẽma illud Chryſoſtomi, quod noſtrorũ temporũ hæretici aduerſus eccleſiaſticã anathematis diſciplinam obiectant, nẽpe: Aut is, quem anathematizas, viuit, aut obijt: Si viuit, impiè agis, qui eum qui conuerti poteſt, ac eccleſiæ corpore abſcindis: Sin obijt, multò crudelior es, qui in eũ qui ſub humano iure non eſt, pœnã inferre anniteris. Ad priorem ergo dilemnatis partem reſpond. Chryſoſtomum eo dicto nõ damnare anathematis pœnã, qua eccleſia viuẽtes coer-

B cet, ſed impiã eorum mentẽ, qui pium & eccleſiaſticũ anathematis finẽ peruertebant. Cũ enim eccleſia excõmunicatione pio quodã affectu vtatur, tamquã pharmaco ſalutari, vt is qui ea notatur ignominia, culpã ſuam agnoſcat, & ad eccleſiam vnde eiectus fuerat, ſupplex reuertatur: crudeles illi homines eo fine anathematizabãtur viuentes, vt eos ab eccleſia irreuocabiliter eijcerent, non vltrà ad pœnitẽtiam recipiendos. Meritò igitur Chryſoſtomus crudelitatem huiuſmodi redarguẽs, impiè (inquit) agis qui eum qui à malo in bonum ſe vertere poteſt, crudeliter abſecas.

Ad alteram dilemmatis partem ſimiliter reſpondetur, Chryſoſtomum refellere eoſdem impios & indoctos, quòd mortuos anathematizarent, ſenſu & intentione planè diuerſa ab eccleſiaſtica traditione. Siquidem eccleſiæ Paſtores, cùm in eos anathemata pronuntiant, qui ex hac vita in hæreſi de-

C ceſſerunt, non id agunt quaſi tùm primum velint excõmunicare, & à cõmunione fidelium animarũ in Chriſto quieſcentium excludere hæreticorum animas: illæ enim iam antea, cùm in corporibus viuerent, & de corporibus migrarẽt, alligatæ fuerant eodem anathematis nexu, quo eccleſia Dei hæreticos omnes obſtrinxit, ſtatimque vt à corpore exierunt, in regnum ac poteſtatẽ ſathanæ traditæ ſunt. Eccleſiæ igitur Paſtores, cùm hæreticos poſt mortẽ anathematizant, eorũ animas non tùm primũ excommunicant, ſed quia in erroris pertinacia migrarunt, iã excõmunicatas, & cœtu fideliũ animarum excluſas pronuntiant; eorumque cadauera ac cineres ad euidentiorem eius rei demonſtrationem longè arcent ab eccleſiaſtica ſepultura, non vt his qui obierũt noceat, ſed vt eo demõſtrationis aſpectu viuentes ab hæreſibus deterreant. Hunc igitur eccleſiaſticum anathematizandi mortuos ritum non improbat Chryſoſtomus, ſed imperitos ac fu-

D ribundos illos accuſat, qui quaſi ius haberent etiã in mortuos, exiſtimabant ſe anathematiſmis ſuis animas defunctorum ex loco quietis & ſtatu ſalutis deturbare, & in locum æternæ damnationis deijcere Horum inſanum furorem compeſcens Chryſoſtomus, eos omnium crudeliſſimos eſſe ait, quòd etiam in eos, qui ſub humano iure nõ eſſent, ſæuitiam exercere cuperent.

ANNOTATIO CXVII.

Oſtenſionem ergo, quæ eſt charitatis veſtræ, oſtendite. 2. Cor. 8.

HOmil. 18. in 2. ad Corinth. indicare videtur, Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie panis & vini laicis exhibendã, ſic inquiens: Eſt autem, vbi nihil *(An ſit neceſſe Euchariſtiã laicis)*

ſub vtraque ſpecie exhibere.

differt ſacerdos à ſublito, vt quando fruendum eſt horrendis myſterijs: ſimiliter omnes, vt illa percipiamus, digni habemur. Non ſicut in veteri lege partem quidem ſacerdos comedebat, partem autē populus, & non licebat populo participem eſſe eorum, quorum particeps erat ſacerdos: ſed nunc non ſic, ſed omnibus vnum corpus proponitur, & poculum vnum.

Ioannes Caluinus inſtitut. ſuæ Chriſt. cap. 18. Chryſoſtomi ſententia nititur aſtruere dogma recentium Græcorum & Lutheranorum, aſſerentiū Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie omnibus Chriſtianis neceſſariò tradendam. Quod & confirmat ex Hieronymo, & alijs orthod. patribus. Huic obiectioni reſpond. Chryſoſtomum & alios patres ex indulgentia & benigna diſpenſatione populo cōceſſiſſe, quod iſti in præceptum & obligationē verterunt. Deinde, quòd illi patres antequam ſecus ea de re ſtatuiſſet eccleſia, aut permiſerunt, aut conceſſerunt: iſti verò etiam poſt ſynodicas & œcumenicas prohibitiones ita neceſſarium faciūt, vt definiant, ac decernant ex Dei præcepto & ex neceſſitate ſalutis omnibus fidelibus vtramq; ſpeciē Euchariſtiæ ſumendā, eoſq; grauiter peccare, qui alterā ſine altera ſumant. Ac proinde hæreticos iſtos meritò dānarunt Cōcilium Baſilienſe ſeſſ. 30. Cōc. Conſtantienſe ſeſſ. 13. & nuper. Conc. Tridētinum ſeſſ. 21. canone primo, ſecundo, & tertio. Vide amplius Sixt. Senenſ. lib. Biblioth. annot. 268.

Annotatio CXVIII.

Deinde poſt annos tres aſcendi Hieroſolymam, vt viderem Petrum. Ad Gal. 1.

Petrus an cæteris Apoſtolis ſuperior.

IN commentario epiſt. ad Galatas, hunc locum explicans, ait: Quid hoc Pauli animo poſſit eſſe modeſtius? Poſt tanta taliaque benefacta cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret, ſed honore par eſſet illi; (nihil enim hîc dicam amplius) tamen aſcendit velut ad maiorem ac ſeniorem; ſoluſque Petri conſpectus commouit illum, vt eò proficiſceretur. Ad eādem ſententiam alludere videtur hom. 18. in epiſt. ad Rom. ita inquiens: Neq; enim ſi populum ſuum Deus repulſurus fuiſſet, Paulum ſibi ex Iſraëlitis elegiſſet; cui omnē prædicationem, cui res orbis, myſteria cuncta, vniuerſamque diſpenſationem concederet.

Germanus Brixius interpres homiliarū Chryſ. in Paulum, & Eraſmus interpres cōmentarij eiuſdē Chryſoſt. in epiſt. ad Galat. monuerunt hos locos cautè eſſe legendos, exiſtimātes fortaſsè ex his labefactari ſupremam Petri in omnes Apoſtolos poteſtatē. At verò, ipſe verborū ſenſus, & occaſio palā arguunt Chryſoſtomū non loqui de primaria Petri autoritate ac iuriſdictione ſuper omnes Apoſtolos, & in omnem Eccleſiam; ſed de honore Apoſtolatus, & dignitate euangelicæ prædicationis, quibus Paulus nihil Petro fuit inferior. Nam de Petri monarchia mentionē faciens homil. 55. in Matth. Eccleſiæ (inquit) quæ tot tantiſq; fluctibus irrumpentibus immobilis manet, paſtor & caput, piſcator homo eſt. Vide Sixt. Senenſ. lib. 6. annot. 269.

Annotatio CXIX.

Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quoniam reprehenſibilis erat. Galat. 2.

An Petrus & Paulus ſimulatione vſi ſint & an ſimulando peccauerint.

VIde commentarium in epiſt. ad Galat. & lib. 1. de ſacerdotio, cap. 6. vbi ſequitur & cōfirmat duas Origenis ſententias, quas quidem ipſe Origenes in commentarijs eiuſdem epi. ad Gal. & in 10. Stromatum volumine hunc locū excutiens, reliquit, à poſteris longa diſputatione agitatas. Harum prior eſt: Petrum & Paulum, non verò, ſed simula-

A to diſſidio inuicem ad vtilitatem diſcipulorum ſumma animi concordia contendiſſe; vt dum Petrus de ſimulatione legaliū à Paulo ſimulata reprehenſione obiurgatus, non cōtradicit, ſed quaſi delictum ſuum agnoſcens, obticeſcit, hi qui legalia putabant ſeruāda reſipiſcerent, & à legaliū obſeruatione deſiſterent. Altera ſententia eſt, Neutrum illorum ſimulando peccaſſe? quia liceat, imò etiam oporteat ſimulationem pro iuuādi ſtudio multis in rebus adhibere. Iſtud habes apud Sixt. Senenſ. lib. 6. annotat. 274. Vtrùm verò virum bonum iuuandi gratia, aut mentiri, aut ſimulare liceat, habes ſuprà apud eundem Senenſ. annotat. 107. lib. 5.

Annotatio CXXII.

Elegit nos ante mundi conſtitutionem. Epheſ. 1.

Electio an ex meritis præuiſis.

HOmil. 1. ad Epheſ. ait, quòd quemadmodum homines eligunt ſibi optima; ita multò magis Deus eligit ſibi optima. Et hom. 2. in eandem epiſt. ſuper illud: Prædeſtinauit nos, addit: Prædeſtinauit

B ſeu prædefiniuit homines ſecundùm opera quæ præuidit in eis quos elegerat. Vnde electionis gratia nō ſolū eſt ex Deo, ſed ex nobis eſt. Quæ ſententiæ, Pelagianum quid reſipere videtur. De quarum intelligentia vide ſuprà annot. 110.

Annotatio CXXI.

In laudem gloriæ gratiæ ipſius. Epheſ. 1.

Num lapſis pœnitentia deneganda.

HOmil. 2. ad Epheſ. videtur vnà cum Nouatianis pœnitentiam lapſis denegare, ſic in principio moralis adhortationis inquiēs: Deus ad ſalutē prouehit illos, qui vbi ſemel amici ipſius facti

C ſūt, perſeuerāt. Quòd ſi denuò ad priores recurrāt immicitias, omnia fruſtra & incaſſum. Non enim alterum regenerationis lauacrum conceditur, neque rurſus ſupereſt ſecundaria reconciliatio, ſed terribilis quædā expectatio iudicij & ignis æmulatio, quæ cōſumptura eſt aduerſarios. Et paulò pòſt: Oſtendit tibi Deus lumen verùm. Quòd ſi ipſo depulſo, tenebras rurſus incurreris, quis tibi relinquitur excuſationi locus? Quam ſperes veniam? ne vna quidem ſperanda eſt deinceps. Et paulò infrà: Si neceſſitatem pateris peccandi, aut vim, veniam vtique conſequeris. Si autem per ignauiam aut torporem laberis, non item. Quæ verba non ſunt intelligenda de pœnitentia priuata, ad quam ita frequenter Chryſoſtomus inuitat peccatores, vt (quemadmodum ſuprà annot. 23. obſeruatū eſt) grauiter à Nouatianis reprehenſus ſit: ſed de ſolemni pœnitentia exponenda ſunt, quæ ſecundùm antiqua iura non iterabatur, vt teſtis eſt Auguſtinus

D in epiſtola 54. ad Macedon. ne medicina pluries iterata vileſceret. Idemque habetur in decretis de pœnitent. diſtinct. 3.

Annotatio CXXIII.

Qui diligunt Dominum Ieſum in corruptione. Epheſ. 6.

Peccati originalis pœna.

HOmil. 24. ad Epheſ. hoc enarrans, ſubindicat peccatum Adæ, in quo naſcitur, afferre nobis mortem corporis; peccata verò actualia poſt baptiſmum afferre nobis mortem animæ. Sic autem loquitur: Corruptibile nobis eſt corpus, verùm incorruptibilis anima. Ne itaque & ipſam corrumpamus, hoc primum illud peccatum fecit. Quod autem poſt lauacrum committitur, & animā corrumpere poteſt, & captu facilem reddere vermi immortali. Horum verborum ſenſum lege ſuprà annot. 104.

Anno-

Digitized by Google

Annotatio CXXIII.

Sine occaſione, ſine veritate Chriſtus annuntiatur. Phil. 1. c.

Sancti an inuocandi.

IN fine homil. quæ extra ordinem cæterarũ ſcripta eſt in hunc locum, quæ & de profectu euangelij inſcribitur, explodere videtur interceſſiones & patrocinia ſanctorum, ſic ſcribens: Cæterũ non opus tibi patronis apud Deum, neque multo diſcurſu, vt blandiare alijs: ſed licet ſolus ſis, patroniſque careas, & per teipſum Deum depreceris; omnino tamen voti compos eris. Neque enim tam facilè Deus annuit, cùm alij pro nobis orant, vt cùm ipſimet oramus, etiamſi plurimis pleni ſimus malis. Et paulò poſt: Vis diſcere, quòd etiam per noſipſos orantes apud Deum plus efficimus, quàm dum alij pro nobis orant? Clamauit Chanæa: &, vt acceſſerunt diſcipuli, dicunt: Dimitte illam, quia clamat poſt nos. Ad illos quidem dixit? Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël. Quãdo autem ipſamet acceſſit, & perſeuerauit clamans, Domine, etiam catelli edunt de micis quę cadunt de menſa dominorum ſuorum; tunc beneficium conceſſit, & ait, Fiat tibi ſicut vis. Vides, quomodo repulit cùm alij precarentur: vbi verò ipſamet pro dono clamauit, annuit.

Hunc locum Lutherani, veluti Achillẽ Zenoni contra Sanctorum inuocationem Catholicis opponunt. Sed apparet Chryſoſtomũ protuliſſe hæc, non aduerſus Sanctorum implorationem, quã vbique acerrimè tuetur, ſed magis aduerſus quoſdam deſides, qui ita ſe Diuorum patrocinio cõmittunt, vt interim ipſi otioſi ſe totos in peccata abijciant, dormienteſque nihil pro ſua ſalute agere velint. His nihil prodeſſe orationes Sanctorum affirmat Chryſoſtomus innumeris penè in locis, præcipuè verò homil. 8. in Matth. inquiens: Si negligentes fuerimus ac deſides, nec per aliorum quidem merita poſſumus ſaluari, &c. Hæc autem dicimus, non vt pro peccatoribus ſupplicandum eſſe Sãctis negemus, ſed ne noſmetipſos in otium ac deſidiã reſoluamus, & dormientes ipſi, alijs tantũmodo noſtra curanda mandemus. Et hom. 5. in Matth. ait: Etiamſi Abraham patriarcha pro his ſupplicet, qui in ſuis vitijs permanẽdo immedicabiliter ægrotãt, abibit Deus, relinquens rogantem, ne vocem pro talibus interuenientibus exaudiat, &c. Non igitur quaſi oſcitantes & deſides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidẽ maximam orationes ſupplicationeſque Sanctorũ, ſed tunc profectò, cùm nos quoq; idipſum per pœnitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora confugimus. Homil. item 34. in Gen. Quando (inquit) quod ex nobis eſt ſimul afferimus, & accedit interceſſio Sanctorum, plurimum nobis confert. Quòd ſi ipſi negligentes fuerimus, & ſpem in illis ſolis collocauerimus noſtræ ſalutis; nihil amplius nobis prodeſt. Non quòd infirmi ſint iuſti, ſed quia propter noſtram deſidiam noſipſos perdimus. Et hom. 1. in 1. ad Theſſal. ait: Quid mihi opus eſt, inquis, aliorum precibus. quando ipſe ſedulus fuero? Numquam hoc dixeris homo. Neceſſe eſt, & multa prece neceſſe eſt, &c. Et poſtquam multis argumentis demonſtrauit Sanctorum interuentionem ſummoperè nobis neceſſariam tandem ſermonem his verbis concludit. His itaque cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proijciamus: hoc quidem, ne temerè in inſidijs opprimamur: illud verò, ne extra multum lucrum & profectum excidamus, ſed oremus etiam vt pro nobis precentur, manumque porrigant; adhæreamuſque ipſi virtutis ſtudio, vt bona diligentibus Deum promiſſa conſequi valeamus, &c.

Annotatio CXXIIII.

Deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Ad Phil. 1. c.

Num pro catechumenis abſq; baptiſmo decedentibus orã dum ſit.

HOmil. 3. in Epiſt. ad Philip. Indicare videtur, quòd pro catechumenis, abſq; baptiſmo decedentibus, non ſit orandum. Ita enim ſcribit: Deũ placamus pro defunctis orantes. verùm iſtud quidem de illis dicimus qui in fide deceſſerunt: Catechumenos verò neque iſto ſolatio dignamur, ſed omni huiuſmodi deſtituti ſunt auxilio, vno quidem dempto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, vnde illis nonnihil refrigerij accedit. Crediderim hæc eſſe intelligenda non de priuatis ac ſecretis orationibus, ſed de publicis & ſolemnibus precationibus, hoc eſt, de Pſalmorũ cantu, & Miſſarum ſacrificijs, quibus funera & exequię Chriſtianorum celebrari ſoleant. Cùm enim priſci Patres animaduertiſſent quoſdam catechumenos ex ignauia & ſocordia baptiſmatis ſacramentum vſque ad extremam vitæ diem differre, abſtulerunt eis eccleſiaſtici funeris honorem & publicã diuini ſacrificij oblationem; vt hoc ignominiæ ac detrimẽti metu deterriti, quàm primùm ad baptiſma properarent. Vnde in primo Braccarenſi concilio extat canon de ſupplicio damnatorum, idem funus decernens huiuſmodi catechumenis, & ijs qui ſibi mortem inferunt, vel qui ob commiſſa ſcelera publico ſupplicio necantur, in hæc verba: Itẽ placuit, vt hi qui aut per ferrum, aut per venenum, aut præcipitium, aut ſuſpẽdium, aut quolibet modo violentiæ ſibijpſis inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadauera deducantur. Similiter & de his placuit fieri, qui pro ſuis ſceleribus puniuntur. Item placuit, vt catechumenis ſine redemptione baptiſmi defunctis, ſimilimodo nec oblationis factæ commemoratio, neque pſallendi impendatur officium.

Annotatio CXXV.

Ad omnem patientiam & longanimitatem. Coloſſ. 1.

Num ſacræ litteræ Deo patientiã tribuant. Rom. 2.

HOmil. 2. in Epiſt. ad Coloſſ. ad enarrationem huius clauſulæ ait nuſquam in ſacris litteris Deo tribui patientiam, ſed crebrò longanimitatẽ. Verba eius ſunt hæc: Longanimes erga eos ſumus, quos vlciſci poſſumus, patientes verò erga eos quos vlciſci non poſſumus. Propterea patientia quidem Deo numquam tribuitur: longanimitas verò ſæpiſsimè, quemadmodum ipſe beatus alibi ſcribens dicit: An diuitias bonitatis illius, ac tolerãtiæ, longanimitatiſque contemnis? Videntur huic aſſertioni reclamare quamplurima diuinæ ſcripturæ teſtimonia, quæ Deum patientem appellant, & eius patientiam commendant, ſicut in Pſalmo 85. vbi legitur, Et tu domine Deus patiens, & multæ miſericordiæ, & verax. Et Pſal. 144. Dominus patiens, & multum miſericors. De patientia verò eius ſcribitur Eccleſiaſt. 8. Centies peccator facit malum, & à Deo per patientiam expectatur. Et ad Rom. 9. Suſtinuit Deus in multa patientia vaſa aptata in interitum. Et 1. Per. 3. Expectabant Dei patientiam in diebus Noë. Sciendum per patiẽtiæ vocabulum duo in ſacris litteris ſignificare, virtutem ſcilicet, qua fortiter aduerſa tolerantur, quo Deo, in quo nulla eſt toleranda calamitas, non aſcribitur: & expectationem quandam, qua errantes ad reſipiſcẽtiam longo tempore expectari ſolent, quæ propriè Deo tribuitur. Vtrumque patientiæ ſignificatum Aug. in lib. de patientia complectens, dicit: Patientia Dei prædicatur, non in hoc, quòd malum aliquod patiatur, ſed in hoc, quod expectat malos, vt conuertantur. Chryſoſtomus itaque ad priorem ſignifi-

ſignificationem reſpiciens rectè adnotauit nullibi in ſanctis libris patientiæ nomen Deo tribui. In his enim vbicumque Deus patiens appellatur, Hebraïcè legitur Erech aphaim, longus iris, id eſt tardus ad iram, Græcè verò, lõganimis. Similiter vbicumq; ſit diuinæ patientiæ mentio apud Hebræos, habetur thikuath .i. expectatio; apud Græcos verò, lõganimitas, ſiue ἀνοχὴ, quæ vox teſte Ammonio propriè ſignificat inducias, quæ icto fœdere hoſtibus in bello cõceduntur, vt vltrò citroq; cõmeent. de pace tractaturi. Vtraque voce vſus eſt Paulus ad Rom. cap. 2. inquiens: An diuitias bonitatis illius, ac induciæ, & longanimitatis contemnis?

Annotatio CXXVI.

Pacificans per ſanguinem crucis, quæ ſuper terram ſunt, & quæ in cælis. Ad Coloſſ. 1.

An ſinguli hominibus ſinguli Angeli ſint deputati.

Homil. 3. ad Coloſſ. indicare videtur non eſſe ſingulis hominibus ſingulos Angelos ad cuſtodiam deputatos, ſed tantũ fidelibus in Chriſtum credentibus. Namque ſic loquitur: Primùm iuxta numerum gentium erant Angeli: nunc verò non ſecundùm numerum gentium, ſed ſecundùm numerum fidelium. Vnde liquet? Audi Chriſtum dicentem: Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cælis eſt. Etenim vnuſquiſque credentium Angelum habet. Nam & ab initio quiſq; virorum celebrium ac probatorum Angelum habebat, quemadmodum Iacob dicit: Angelus qui paſcit me, & qui liberauit me à iuuentute mea. Atqui Hieronymus, exponens locum illum, Angeli eorum, &c. à Chryſoſtomo citatum, cenſet homines ſingulos Angelos habere cuſtodes, inquiens: Magna eſt dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum: hanc verò ſententiam ſequitur omnis Theologorum conſenſus.

Annotatio CXXVII.

Et pax Dei exuperet in cordibus veſtris. Ad Coloſſ. 3.

Faſcinatio.

Homil. 8. in Epiſt. ad Coloſſ. faſcinationem vetularum pueros faſcinantium deridens, eos damnat qui in ægritudinibus ſuorum infantium, relicto Chriſti auxilio, & medicicæ artis remedijs, ad incantatrices mulierculas confugiunt, aduerſus quas loquens, ſic ait: Chriſtus eijcitur, & inducitur temulenta & nugatrix anus: myſterium crucis conculcatur, & ſeductio diaboli tripudiat. Quid verò & alia ridicula commemorem? Cinerem, ſalem, fuliginem, & rurſus vetulam in medium productã? reuera ridiculum, & dedecus. Et oculus quiſque. inquis, faſcinauit puerum. Quouſque Sathanica iſta? Quomodo non ridebunt nos Græci? Quando illis dicimus magnam eſſe crucis virtutem, cùm videant nos iſtis egere, quæ ipſi derident? Nõnne Deus medicos dedit, & pharmaca?

Annotatio CXXVIII.

Sermo Chriſti inhabitet in vobis. Ad Coloſſ. 3.

Vulgaria Biblia an omnibus legenda.

Homil. 9. ad Coloſſ. dicit: Audite, obſecro ſæculares omnes: comparare vobis Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel nouum teſtamentum acquirite, Apoſtolorum acta, Euangelia. His incumbe, imò non incumbe ſolùm, ſed aſſume omnia, illaque mente contine. Obijciunt hũc locum Lutherani Catholicis Epiſcopis, qui non omnibus concedunt vulgarium Bibliorum lectionem, quæ Chryſoſtomus omnibus ſæcularibus emenda monet. Lege ſuprà annot. 87.

Annotatio CXXXVIIII.

Cum adhuc apud vos eſſem. 2. ad Theſſal. 2.

Homil. 3. in 2. ad Theſſal. dicit omnia in ſcripturis diuinis eſſe clara & plana. Vide ſuprà eadem annot. 87.

Annotatio CXXX.

Diaconus ſimiliter pudicos, &c. 1. ad Timoth. 3.

Epiſcopus & presbyter.

Homil. 11. in priorem ad Timoth. aſſerit inter Epiſcopum & ſacerdotem nullum ferè eſſe diſcrimen. Huius intelligentiam habes apud Sixt. Senenſ. annot. 324. lib. 6.

Annotatio CXXXI.

Dignus eſt operarius mercede ſua. 1. ad Tim. 5.

Clerici an præter victum & veſtitum aliquid poſſidere debeant.

Homil. 15. in 1. ad Tim. Leuitis, inquit, ex lege conſtituti fuerant reditus, decimæ, aurum, primitiæ, vota, & alia plurima. Verùm illis lege, iſta meritò permittebantur, præſentia tantùm, & terrena quærentibus. Ego Eccleſiæ Præſules audenter dixerim nihil præter victum & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſiderio. Obſeruantur hæc ſuprà annot. 78.

Annotatio CXXXII.

Modico vino vtere. 1. ad Tim. 5.

Blaſphemantium pœna.

Homil. 1. ad pop. Antioch. cùm poſt expoſitionem loci huius ad ſermonem de blaſphemia diuertiſſet, hanc inter cætera aduerſus blaſphemos petitionem protulit: ſed poſtquàm de blaſphemia nobis verba ſunt facta, vnam vos omnes petere volo retributionẽ pro concione hac, atque ſermone: vt in ciuitate blaſphemantes mihi caſtigetis. Et ſi quempiam in biuio & foro Deum blaſphemantem audieris, accede, increpa. Et ſi verbera infligere oporteat, ne recuſes: ipſius faciem alapa percute, contere os ipſius, percuſſione manum tuam ſanctifica. Et ſi vlli accuſauerint, & ſi in carcerem traxerint, ſequitor: etſi pœnas iudex pro tribunali popoſcerit, dic cum libertate, quòd Angelorum Regem blaſphemauit. Si enim Regem terræ blaſphemantem puniri oportet, multò magis illum contumelia afficientes.

Sunt, quibus hæc Chryſoſtomi petitio dura videatur, & Euangelici doctoris modeſtia parùm digna. Sed excuſant, quòd zelus ardens diuini honoris, & odium blaſphemiæ acerrimum coëgerint virum Dei charitate flagrantem excedere meram, & iuxta vetus prouerbium multa petere, vt ſaltem pauca obtineret, & iniqua interdum poſtulare, vt æqua reciperet.

Annotatio CXXXIII.

Vt conſtituas per ciuitates presbyteros. Ad Tit. 1.

Epiſcopus an presbytero maior.

Homil. 15. in 1. Epiſ. ad Tim. ita ſcribit: poſtquã de Epiſcopis dixit, omiſſo presbyterorum ordine, ad diaconatum tranſit. Cur id, quæſo? Quia ſcilicet inter Epiſcopum atque presbyterum intereſt fermè nihil. Quippe & presbyteris Eccleſię cura commiſſa eſt: & quæ de Epiſcopis dixit, etiam presbyteris congruunt. Sola quippe ordinatione ſuperiores illis ſunt; atque hoc tantùm plus, quàm presbyteri habere videntur. Vide ad longum apud Sixt. Senenſ. annot. 324. lib. 6. vt ſuprà annot. 130. huius operis.

ANNOTATIO CXXXIIII.

Vnxit te Deus, Deus tuus. Heb.1.

Num in Chriſto duæ ſint perſonæ.

HOmil.3.in Epiſt.ad Heb.videtur duas in Chriſto ponere perſonas, diuinam & humanam: quòd Theologi nefas dicere,& ſentire arbitrãtur. Sic enim loquitur: Quid eſt quod dicit, Deus, Deus tuus? hic Iudæos,& Paulum Samoſatenum,& Arrianos,& Marcellum,& Sabellium percuſſit. Quomodo? Iudæos quidem, oſtendens eis duas perſonas, Deum & hominem.

Suſpicor hunc locum etiam in Græcis codicibus eſſe deprauatum; & pro eo, quod eis ſcriptum eſt, Deum & hominem,legendum fore,Deum & Deũ. Occaſionem ſuſpicionis præbent geminæ coniecturæ:harum prior,eſt,quòd Theophylactus referens hæc eadẽ verba Chryſoſtomi,omiſſa hominis mentione,& Dei nomine bis poſito, ſic ſcribat:hoc aduerſus Iudæos,&Sabelliũ & Marcellum pugnat, tãquam duas perſonas indicans, Deũ & Deum. Altera coniectura eſt, quòd conduplicatio particulæ Dei aptiſſimè congruat cum propoſita Pauli ſententia,in qua geminato Dei nomine dicitur: vnxit te Deus,Deus tuus,ad expreſſionem ſcilicet duarum perſonarum,reclamantibus Iudæis, Sabellio, & Marcello, qui vnam tantùm deitatis perſonam agnoſcunt. At ſi quis vrgeat lectionem Græcorum codicum eſſe integram,& legendum eſſe,duas perſonas,Deum & hominem, non multùm repugnabimus;modò per hominẽ, Chriſti Dei ſimul & hominis perſonam ſignificari intelligamus, per Deũ verò,perſonam patris, aut Spiritus ſancti.

ANNOTATIO CXXXV.

Accedamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ. Heb.4.

An ſæcularis & monachi pares ſint obligatione, pariaque delicta. Ad Col 4 Rom. 13

HOmil.7.in Epiſt.ad Heb.ſentire videtur,quòd ſecularibus nihil magis liceat, quàm monachis,niſi habere vxorem,in cæteris verò æqualiter viuere teneantur;imò quòd excepta fornicatione, quæ in monachis grauior eſt, tam grauia ſint omnia ſæcularium peccata,atque monachorũ. Verba eius hæc ſunt:Sed quid ad nos labores, lectiones, vigiliæ,ieiunia(inquis)qui nõ ſumus monachi? Hęc mihi dicis:dic Paulo,cùm dicit: Vigilantes in omni patientia,& oratione:cùm dicit, carnis curã ne feceritis in cõcupiſcentijs.Non enim monachis tantũ ita ſcripſit,ſed omnibus qui erant in ciuitatibus. Nõ enim ſæcularis homo debet aliquid amplius habere monacho,quã cum vxore cohabitare tantũ:hîc enim habet veniam,in alijs autẽ nequaquã, ſed omnia æqualiter ſicut monachi agere debet. Hoc ipſum lib.3. adu. vituperat. vitæ monaſt.clarius & fuſius explicans,ita ſcribit: At,inquies, eiuſdẽ criminis non eſt,eũ qui ſæculo addictus ſit,peccare,& eũ qui ſemel ſe, ac penitus Deo deuouerit, religionis propoſito excidere, Neque enim ambo eadẽ ex altitudine decidunt,ita nec eadem quidem vulnera ſuſcipiũt.Fallis teipſum prorſus, ac decipis,ſi putas aliud à ſæcularibus viris, aliud à monachis requiri. Hæc enim ferè ſola eſt in vtroq; genere vitæ differentia,quòd illi quidem matrimonij vinculis ſe conſtringunt, hi verò his liberi perdurãt. In reliquis autẽ communis atq; eadẽ ab vtriſq; vitæ totius ratio requiritur,eiſdem pro culpis pœna vna omnibus debetur. Nã qui fratri ſuo iraſcitur ſine cauſa,ſiue ille ſæcularis, ſiue monachus fuerit, Deum ſimiliter offendit. Atq; hic,qui mulierẽ reſpicit & cõcupiſcit eã,quolibet in vitæ ſtatu fuerit, eadem adulterij plectetur pœna. Imò verò,vt aliquid ex nobis addere,quod rationi conſentaneum videtur,audeamus: magis ſine vlla ſpe veniæ peccabit,qui ex ſæculo id ſcelus admiſerit. Neq; enim

A par facinus admittere videtur, qui vxoris ſolatio ſubnixus,decore mulieris irretitur,atq; is qui eiuſmodi auxilio & infirmitatis remedio deſtitutus,hac interdum peſte corripitur. Hæc Chryſoſt.

Sunt qui exiſtimẽt monachos, de quibus loquitur Chryſoſtomus,fuiſſe diuerſos ab his, quos nũc habet Eccleſia monaſticis votis & inſtitutorum ac ducum ſuorũ conſtitutionibus deuinctos;fuiſſe autem ſecularibus adeò ſimiles,vt præter voluntariũ cælibatus inſtitutum,nullam haberent profeſſionis obligationem, quæ eos magis quam ſæculares aſtringeret.Sunt & qui putent Chryſoſtomũ talia per hyperbolẽ enuntiaſſe,ad depellendã ignauam & ſocordẽ opinionem quorundã ſæculariũ, exiſtimantium orationes, ieiunia, ac vigilias, monachis duntaxat à Chriſto impoſita.D.Tho.in ſecunda ſecundæ q.186. duplici diſcrimine monaſtica peccata diſcernens, dicit alia fieri, vel cõtra profeſſionis vota, vel ex contẽptu delicti, vel cum ſcãdalo proximorũ;& hæc exiſtimat lõgè grauiora ac deteriora,quàm eiuſdẽ generis crimina à ſæcularibus cõmiſſa:alia verò ex fragilitate vel ignorantia admitti,abſq; trãſgreſſione voti,ac proximi ſcãdalo, quę B quidẽ leuiora eſſe demonſtrat, hac ſaltem ratione, quòd multis bonis operibus,quæ facit Monachus, abſorbẽtur,multoq; ab eo facilius deſerũtur. Et ad hæc reſpexiſſe Chryſoſtomũ,argumento eſſe poteſt quod ait: Magis ſine vlla ſpe veniæ peccabit ſæcularis,quòd mulierem reſpicit,&c. vt ſuprà.

ANNOTATIO CXXXVI.

Adhuc enim in lumbis patris erat. Heb.7.

Initium ſalutis vnde.

HOmil.12.in Epiſt.ab Heb.iſtud explicans, videtur initium ſalutis noſtrę tribuere humanę voluntati diuinam gratiam præuenienti, dum inquit:Oportet nos quippe eligere primũ quæ bona C ſunt,& tunc ipſe quæ ſua ſunt introducat.Nõ antecedit noſtras volũtates, ne lædatur liberum arbitriũ:cũ autẽ nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem. Hoc ipſum quàm plurimis repetit locis. Vide ſuprà annot.17.& annot.94.

ANNOTATIO CXXXVII.

Tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo. Heb.8.

Cæli ſtatus & figura.

HOmil.14.in Epiſt.ad Heb.ſubindicat, cælum nec mobile eſſe,nec ſphæricum. Vnde Theophylact.in commentar. Hinc(inquit) obſerua ſecundùm D.Ioannem Chryſoſt.quòd cælum neque rotundum ſit, neque mobile: Vtraque enim tollit, quòd ait,fixit Deus. Conſule Sixt. Senenſem an- D notat.3.& 9.lib.5.

ANNOTATIO CXXXVIII.

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis. Heb.11.

Sanctorũ animæ an adhuc beatæ.

HOmil.28.in Epiſt.ad Heb.hæc enarrans,indicat Sanctorum animas ante diem iudicij non frui diuina viſiõne. Vide ſuprà annot. 116. & Sixt. Senenſem annot.345.lib.6.

ANNOTATIO CXXXIX.

Non inuenit pœnitentiæ locum. Heb.12.

Confeſſio.

HOmil.31. in Epiſt.ad Heb. alludit ad dogma eorum, qui putant ſoli Deo confitenda peccata,& non Sacerdoti. Ait enim: Non tibi dico, vt te prodas in publicum, vt te apud alios accuſet,&c. Huius veram & germanam intelligentiam lege ſuprà annot.25.

R. P. D. NICOLAO PELVIO, SENONVM ARCHIEPISCOPO, GALLIARVM ET GERMANIÆ PRIMATI,

Claudius Eſpencæus Pariſienſis Theologus S.

CVM hoc anno typographi Pariſienſes os illud aureum D. Ioannem Chryſoſtomum recuderent, autorem alioqui toties excuſum, nunquam tamen vel recuſum ſatis, vel nimium recudendum, rogauit me ex his vnus, nunquid haberem quod commodè ad eam, quam in manibus habebant, editionem accederet. Reſpondi, præter Veneticam mihi eſſe ſeorſum paucula Baſilienſia, Latina alia, alia græcolatina, & latina Pariſienſia, quibus ante annos plus minus viginti legendis obiter mihi obſeruaueram diſſimilia & prouerbia. Vterentur, fruerentur, ſiquidem ea viderent in rem eſſe tum ſuam, tum publicam. Redegi vtraque in centurias, guſtata minus diſplicuerunt. Huius certè opellæ adeo non eſt cur me vel tantillum pœniteat, vt contrà ſit cur me vehementer pœniteat eandem olim iam non præſtitiſſe legendis aliis, ſacris præſertim, ſcriptoribus. Collegit Eraſmus Roterodamus ex profanis ſimilitudines, ex Eccleſiaſticis Alardus Anſtelredamus, cuius operis partem plus tertiam occupant Chryſoſtomiana. Mirum enim quàm in iis valuit, quàm regnauit in iis doctor hic diſertiſſimus. Verùm in diſſimilibus ſi non tam frequẽs

Quintil. li. 5. c. 10 & 11.

& aſſiduus, at certè minus nihilo ad docendum, mouendũ, afficiendum, & modis omnibus perſuadendum vehemens & appoſitus: vt nihilo etiam minor eſt diſſimilitudinum, quàm ſimilitudinum in ſacris concionibus vſus. Nihil enim rerum humanarũ ad diuinas collatarum tam eis ſimile, quin diſſimile ſit, & quidem multò plus diſſimile: vt rectè dicatur omnem ſimilitudinem claudicare: & contrà nihil tam alicui diſſimile, in quo non aliquid perſimile, imò ſimilia multa. Et ſimilibus enim ineſſe diſſimile.

Virgil. in Tityro: Plaut. in capt.

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos. Noram.

Differunt enim ætate. Et diſſimilibus ſimile: vt eſt formica & elephanto genus, quia ſunt animalia. Cùm igitur fallere ſoleant ſimilitudinum ſpecies, ideoq; adhibendum his eſt ex diſſimilitudinibus iudicium: vt non ſit lætitia bonum, & voluptas: non quod mulieri, idem & pupillo: neque vt nauis vtilior noua quàm vetus, ſic amicitia: Nec vt pomum generoſiſſimum, idem optimum: & equus optimus, qui velociſſimus: ita hominum, qui claritate naſcendi, ſed qui virtute maximè excellit, optimus eſt: Nec vt laudãda quæ pecuniam ſuam largitur, ita quæ formam. Verba ſunt in his ſimilia largitionis, res quidem longè diuerſa, pecunia & pudicitia.

Quintil ex Cic de inuẽt. libr. 1.

Sic incautè reſpondiſſe ferunt ſuam Xenophõti Aſpaſiam, ſic interroganti: Dic mihi, quæſo, Si vicina tua melius quàm tu aurum habeat, tuum malis, an illius? Illius. Si veſtem, cæterumq; ornatum muliebrem pretii maioris? Illius. Agè, ſi & virum meliorem, vtrum malles? Hîc mulier erubuit: & meritò. Sed nihilo cautè magis maritus. Quærenti enim æquè vxori, Si vicinus tuus meliorem quàm tuus eſt equum habeat, vtrum malis? Illius. Quid ſi fundum meliorem? Meliorem malim. Quid igitur ſi vxorem meliorem quàm tu habeat, vtrum illius malis? Hîc Xenophon quoque ipſe tacuit. Meritò quoque. Malè enim vterque reſponderat, malle ſe aliena, quàm ſua. nam eſt id improbum. At ſi reſpondiſſent malle ſe aurum ſuum, veſtem, equum, fundum, talia eſſe, qualia meliora eſſent, potuiſſent pudicè reſpondere, malle ſe coniugem talem eſſe, qualis melior eſſet. Sic Fabius. Aliter Cicero, cùm vir vxorem lectiſſimam, optimum virum mulier maximè vellet, niſi perfecerint, vt neque vir melior, neque fœmina lectior in terris eſſet: profectò id ſemper quod optimum putarent, multò maximè requiſituros: vt hic maritus quàm optimæ mulieris, hæc quàm optimo vir nupta ſit. At hæc ſimilia diſſimiliter forſitan, hoc eſt, diſſimilitudine rerum alienarum & ſuarum, quarumuis potius, quàm coniugiorum diſſoluiſſet noſter Chryſoſtomus. Liceat ſanè ſua cuiq; ſibi optare meliora, qualia ſunt aliena: ſecus habent cõiugalia.

Editionis 2. in Mat. hom. 48. & Variarum 26.

Ecce, ait hic, aut eius certè titulo alius, Ecce ſi vir vxorem habeat, quomodo cognoſcitur vxoris plena dilectio? vxor neminem debet putare ſapientiorem, neminem fortiorem, neminem formoſiorem, quàm virum ſuum. & ſi ſit alter ſapientior, fortior, aut formoſior, tamen in ea intelligere non debet, nec alter aut ſapientior, aut fortior, aut formoſior coram oculis eius apparere. Perfectus enim tum odii, tum amoris affectus iudicium rerum non agnoſcit: vtputa ſi quem perfectè oderis, qualiacunque fuerint apud eum, omnia tibi diſplicent, ſiue quæ dicit, ſiue quæ agit: etſi verè bona ſunt, tibi tamen mala videntur. Sic & ſi quem perfectè amas, quæcunq; apud eum, placent tibi, ſiue quæ loquitur, ſiue quæ agit, & ſi mala ſunt, tibi tamen bona videntur. Vxor ergo ſi quem alium virum videns dixerit, quàm ſapiens, quàm fortis, quàm formoſus vir, vtinam vir meus talis eſſet: iam eius amor minus habet de perfecto amore: & pro quanta parte amplius aliquid in altero viro, quàm in ſuo laudauerit, tantò eius minor eſt ad virũ ſuum dilectio. Hæc ille.

Laert li 2. Eraſm. 3. Apoph. 3

Incautè igitur diſſimilia in ſimilibus non animaduertebat Aſpaſia, nihilo cautè magis Xenophon. Turpiter autem, nedum incautè, ſimilibus, ſed diſſimillimis tuebatur ita ſe ſuamq; turpitudinem Ariſtippus, ad eum qui illi vitio dabat, quòd meretrici cohabitaret. Num, inquit, referre putas, domum accipere quam multi inhabitarint, aut quam nemo? Negãte illo, quid, ait, referétne vtrum veharis naui quæ innumeros vexerit, an quæ nullos? in qua plures nauigarint, an in qua pauciores? Cùm negaſſet & hoc: Quid igitur refert, inquit, vtrum conſueſcas cum muliere quæ multis feceris ſui copiam, multiſq; fuerit expoſita, an quæ nulli? Feſtiua ſanè ſimilia apud eos quibus ſimplex ſtuprũ nõ habetur pro crimine. Turpius adhuc Theodorus ille atheos, ſapientẽ palã abſq; vllo pudore aut ſuſpicione congreſſurũ, his ſimilibus, ſed æquè vt ſuperiora diſſimilibus, colligebat. Nónne mulier litteris inſtructa vtilis erit, quia literata? Ita ſanè. Et mulier igitur vtilis, quia pulchra. Nónne vel puer, vel adoleſcens vtilis, quia formoſus? Sic ſanè. Et ad hoc ergo vtilis, ad quod formoſus natus eſt. Aſſentiebatur alter. Ad conſuetudinem autem vterque vtilis eſt. Quibus etiam conceſſis, inferebat: Si quis ergo ita vtatur eiuſmodi conſuetudine, quando id vtile eſt, non peccabit. Neq; igitur ſi pulchritudine vtatur, dum vtile eſt, peccat. Et his ſimilitudinibus, ſed diſſimilibus, vel minus animaduerſis, vel certè diſſimulatis, iuuentutem vterque ſecum corrumpebat.

Macrob. Saturnal. lib. 2. c. 5. Pſal. 140. Quintil. vbi ſupr.

Econtrariò Popilia M. filia diſſimili humanam libidinem præ bruta ac belluina tuebatur. Miranti enim cuidam quid eſſet quapropter aliæ beſtiæ nunquam marem deſiderarent, niſi cum prægnantes vellent fieri, reſpondit, Beſtiæ enim ſunt. nempe quia belluæ ſunt, voluptatis ſcilicet ignaræ, niſi quam imperet natura, quæ in brutis tamen laudanda magis eſt, quàm in hominibus libido. Sic humana nouit improbitas cor ſuum declinare in verba malitiæ ad excuſationes in peccatis excuſandas. Aſſumitur item diſſimilitudo, & ad orationis ornatum, & ad probationẽ, & plures cauſſas, an etiã caſus habet. Fit enim genere, modo, tempore, loco, cæteriſq; per quæ ferè omnia Cicero præiudicia, quæ de Cluentio videbantur facta, ſubuertit. Illud eſt & annotandum, argumenta duci vt ex iure ſimili, ſic ex diſſimili: quale eſt Ciceronis pro Cecinna: Vt ſi me exire domo coëgiſſet armis, haberem actionẽ: ſi quis introire prohibuiſſet, non haberẽ. Diſſimilia ſic quoq; deprehenduntur: Non ſi qui argentum omne legauit, videri poteſt ſignatam quoq; pecuniã reliquiſſe: ideo etiam quod eſt in nominibus, dari voluiſſe creditur.

Idem li. 6. cap 4. Eraſm. 6. Apophth

Eſt & in captando riſu diſſimilitudini locus. Hinc eques Romanus, ad quem in ſpectaculis bibentem cùm miſiſſet Auguſtus, qui ei ſuis verbis diceret, Ego ſi prandere volo, domum eo: Tu enim, inquit, non times ne locum perdas. Senſit princeps indecorum illic, ſeu in publico bibere: Eques verò diſſimili, & diſſimili iocoſo ſic interpretatus eſt. Cæſarem ſine damno poſſe diſcedere è theatro, quòd locus ipſi ſeruetur, non item equiti. Sed iam rhetoricari deſino. Nec enim de diſſimilibus tractatum hîc inſtitui: guſtum modò ex ſcriptoribus externis dare volui. nam eorum in ſacris vſus, & quæ illa tractandi ratio, ex Chryſoſtomianis licebit diſcere. Verùm hanc diſſimilibus inde colligendis lampadẽ ſenior iunioribus trado, & iunioribus vtriuſq; literaturæ non tam candidatis, quã iam veteranis, hoc eſt, hominibus meis, vt hominis in vtraq; non admodum feliciter verſati, diſſimilibus. Opus certè victurum, quodq; genium, vt ille ait, habeat, fecerit, quiſquis hanc, quam vtcunq; exorſus ſum, telam perfecerit.

Eadem

Eadem Adagiorum ex ſacris partibus congerendorum ratio, & mihi pro ijs primitiolis querimonia, nimirũ illud lectores male forſitan habiturũ, quod me in dubie malè habet, ea cũ ſint ſcriptoris Græci, hæc latina, hoc eſt, nõ ſua lingua eſſe allata: vt quadã ideo futura ſint magis riuulorũ, non vtiq; ſatis purorũ, quàm limpidi & aurei fontis, aliorum vtpote, vt aliorũ interpretũ potius, quàm autoris, vt illud, Cædimus, inque vicem præbemus crura ſagittis.

Merè Latinum. Græci tamen, præſertim orthodoxi, Romanæ tum linguæ vt plurimũ imperiti erant, qualẽ ſe agnoſcit ad Poſtumianum Nazianzenus, Chryſoſtomo vel æqualis, vel non multò anterior. Cũ vix alius in enarrãdis ſacris voluminibus dexterius verſatus ſit, quàm noſter hic: nec alius ſcriptor magis accõmodus his qui ſe parant ad munus concionandi, & tã multa ſcripſerit: ex eorum me eſſe ſtudentium numero profiteor, quibus ſimul dolet eius modò partem extare, vtcunq; verſam, neq; paucis deprauatis, neque nullis parũ, ne dicam nihil eius habentibus, admixtis, ſimul id voti eſt, vt tantus doctor totus haberetur Græcus, & emendatus: aut certè ſic eum haberemus Latinè loquentem, vt Græcè loquitur, Papæ, quanta lux ſacris ſtudiis accederet! Quem ideo cùm audirem Græcum extare in bibliotheca Regia, vt ex regali popularis fieret, & in lucem exiret, in Piſſiaco cõuentu Epiſcopis aliquot ſuaſi, nullis perſuaſi. Nam & alibi audio extare, ſed apud adeo paucos, vt latêre magis videatur, quàm extare. alio qui homo quantumlibet parum Græcè tinctus, poteram, ſi paſſim hic extitiſſet, in his pauculis reddendis aliena opera vti: quæ interim donec prodeant, vel Græca, vel Latina, quàm quæ paſſim extant meliora, qualia inueni & accepi, talia reddo, & hãc rurſum lampadem Chryſoſtomianis adagijs ex Græco fonte, ſi quando totus Deo donante prodierit. Græcè Latineq; peritioribus trado.

Eraſm in adagio, Feſtina lente.

Vtranq; interim, dum meliora in hoc ſcribendi genere moror & ſpero, ſyluulã vtcunq; cœptam, & ſtudioſis ad idem in ſcriptoribus præſertim Eccleſiaſticis maiore tum otio, tum etiam ſucceſſu (quod & fore confido) tentandũ atque imitandum propoſitam, vt tibi R.D. nuncuparẽ, fecit eius, in quam ante quadrienniũ ruſticantem me familiariter admiſiſti, bibliothecæ tuæ recordatio: ſimul vt ne mei viciſſim memoria, quod eſt apud Hebræum ſapientẽ, quaſi hoſpitis vnius & alterius diei, præteriret: ſimul vt in eadem bibliotheca tua verè pontificia, hoc eſt, bonis omne genus autoribus refertiſſima, locũ noſtratia hæc, vt & alia priora, inuenirent. namq; quod ait ille, -tu ſolebas Noſtras eſſe aliquid putare muſas.

Sap. 5.

O te perbeatum, qualem tum reperi, ſic ad caulas quidem tuas reſidentem, vt non reſidem, ſed omnia paſtoritia munia obeuntẽ, & illud in primis adeò neceſſarium, vt aliquot poſt primitiuam eccleſiam ſæculis, monſtri loco habitum fuiſſet, vel ſemel omiſſum, aliquot contra retrò ſæculis intermiſſum, ne dicam neglectum, vt vel ſemel repetitum, monſtri loco habitum fuerit, hoc eſt prædicantem, & verbo ſic ac doctrina tuis præeuntem. Malè ſit ſacro iſti, & pluſquam ciuili, vel execrando potius, vt ita loquar, inciuili bello, quod te tuiq; ſimiles ab amicis illis tuis amiciſſimis, libris, litteris, & ouiculis tandiu abiunxit; & negotijs adeò negotioſis, curis, vt cùm Martiale dicam, ita catenis implicuit, quas etiam illegitimas dicerem, aut exleges, niſi & coactas, & à neceſſitate, quæ legem hanc vnam habet, quòd legem non habet, profectas, & impoſitas. Nunc enim, ſi vnquam aliàs, Dominicum illud verbum locum habet: vt qui non habet gladium, & ſacculum, & loculum peram, & crumenam, & pallium vendat, & tunicã, & ſic emat. Bellum hoc adeo ingens, & quod aiebat ille,

Luc. 22.

-ceu cætera nuſquam Bella forent,

pro focis & aris, pro patria, pro maieſtate diuina & humana, pro grege, lege, pro Rege, pro Chriſto Domino, & Chriſti Domini, manibus in hac omnia, in greges & leges, in Regẽ ac Regnũ, imò in Reges & Regna, in fana etiã & profana, armis & ignibus ſic per aduerſarios iniectis & inijciendis, niſi vel ſerò, quia maturè obuiã itum non eſt, obuiã eatur, res ad extrema venit. vt nõ aliâ re magis quã gladio opus eſſe videatur, & quidẽ duplice, ſpirituali & materiali, rebelliũ hoc, illo abuſuum reformatorio: quia vires, quod ait nobilis hiſtoricus, armis cõſtant: quæ vbi à recto ſemel itinere aut tenore deſciuerint, oppreſſura ſunt, niſi opprimãtur. Et ad hoc igitur bellum venire oportet expeditos, & vtroq; gladio inſtructos, vt cognoſcãt perduelliones, quibus quiſq; peccat, ijs ipſis puniri ſolitũ: & gladio perituros, qui gladiũ acceperint: eum haud aliter in locũ vtique ſuum repoſituros, ſi fortè reſcire velis quid nunc cogitem, quidq; de re tota exiſtimem. Equidẽ ad pacem hortari nunquã deſij, vt quæ vel iniuſta vtilior eſt, quã vel iuſtiſſimum bellũ in ciuibus. Agnoſcis, opinor, verba Ciceronis. Eius ergo ſententia, paci ſemper conſulendũ, ſed quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſed quæ & pia ſit, & æterna. Talis autem pax, id eſt, pia & æterna, nec inſidioſa, qui cum his pluſquã Antonianis coire nobiſcum poſſit, ego quidẽ cum eodem non video. Ego ille, inquit idem, pacis ſemper laudator, ſemper auctor, pacẽ cum Antonijs eſſe nolo: neque tamen pacẽ nolo: ſed pacis nomine bellum inuolutũ reformido. Et tam multis rebus à nobis ad pacem inuitati bellum tamen maluerunt: nunc ea petunt, quæ dare nullo modo poſſumus, niſi prius volumus nos bello victos conſiteri. Nam figentur rurſus eæ tabulæ, quas vos decretis veſtris refixiſtis. Quid eſt aliud non pacem facere, ſed differre bellum, non ſolùm prorogare bellum, ſed concedere etiam victoriam? Cum his facta pax, non erit pax, ſed pactio ſeruitutis, &c. Quid rides? *ait ille,*

Val. Max. de obſeruatione militari. Sap. 6. Matt. 26. Apo. 13

Ad Attic lib. 7. Off. lib. 1. Pro Bal. Phil. 7.

Mutato nomine de te fabula narratur.

Nec enim minus hæc noſtris, vt hodie ſunt, rebus conueniunt, quã Romanis, vt tum erant. Sed fortaſſe, quod & alibi ait idem orator, vt pace vtamur, vim argenteã iam nunc tertium dabimus præclaris iſtis auxiliaribus Germanis, hoc eſt, hoſtibus pluſquã capitalibus. Et non potius pro pace toties empta, bellum aut illis iuſtum inferemus, aut iniuſtũ à nobis & viſceribus iam noſtris propulſabimus? O nos Francos ſic futuros Germanorum ſtipendiarios, id eſt, nihil minus quàm, quòd appellamur, Francos, & liberos! Sic enim argenteæ haſtæ fuerint à nobis vel quot annis in Germaniã miſſitandæ, vel illis in media Gallia lamentabili tributo penſitãdæ. At non ſic tui illi quondam Senones, vt de ijs hic aliquid tibi dicam, atque tuos tibi obiter vindicem, quos ſuos iſti, hoc eſt, Germanos fuiſſe contendant, & noſtrates, hoc eſt Gallos, negant, vt in Epitome quadam chronicorum quidam neſcias magiſne mendaciloquus, ac maledicus, Senones, *ait*, non Galli, ſed Sueui Germani, occupata Italia Romã præter Capitoliũ inuadunt Brenno duce, *&c. vt omittam quòd Capitolium quoque Senones inuaſerunt, licèt non ceperint. Gallos autem non fuiſſe contra omnem fidem eſt hiſtoria Græca & Latina. Et Priſci ergo illi tui Senones limitibus ſuis non contenti, alienos inuaſerunt: nos noſtros vix ac ne vix quidem tuemur. Per illos ſcilicet pauca Germanorum millia à nulla iniuria & maleficio temperãtium, graſſandi impunitatem & licentiam habuiſſent, ab Arari ad Oceanum vſque Gallicum ad perduellium aſylum, & ceu Gallicam quandam Samariam aut Gariſim, inoffenſi penetraſſent? Quid eſt viuum & volentem, quod aiunt, perire, quid vinci, quod omnibus in ore eſt, ac ſuccumbere velle, ſi hoc non eſt? O tempora?*

De prouincijs Conſ.

Anno mundi 4500. ante Chriſtũ 390.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus?

Ait quidam, in re licet multò alia. Ne Deus interſit, niſi dignus vindice nodus.

Horat. in art.

At nodum hunc in Republica noſtra tot inimicitijs & ſimultatibus, tot bellis & tumultibus perplexum, quis enodet aut vindicet, quando nobis deeſt Alexander, qui machæra ſecet, ſed nec adeſt Hercules Gallicus, qui lingua explicet, equidẽ non video, niſi Deus opt. max. peculiari quadã & mirifica gratia nobis tandẽ adſit. Cuius tanta tum poteſtas, vt cumulatius, & vltrà quàm petamus, cogitemus aut intelligamus, præſtare: tum bonitas, vt vota noſtra non æquare modò, ſed etiam ſuperare poſſit, vt Apoſtolus. Alioqui iuxta humanam hanc imbecillitatem & ignorantiam meam, quid iam optemus, aut eum rogemus, & quomodo vel optemus, vel oremus, equidem cum eodem Paulo minus noui, qui toties hoc inteſtino tumultu pro fragilitate mea, ne dicam diffidentia, ſanctorum tamen patrum aliquot in ſimili diſcrimine exemplo, aliàs à me citato, vel regno & eccleſiæ pacem, vel mihi mortem precatus, cùm aliud non haberem, dixi tandem, prout etiam nunc dico, quod nos orare docuit Dominus, Fiat voluntas Domini. Sed næ nimis publica me calamitas tranſuerſum hic agit. Igitur vt ne tractatulus hic nimium in caput excreuiſſe videatur, ſimul & præfari, & quiritari deſino, & ad te mi R.D. redeo. Erunt igitur hæc ex illo Græciæ quondam primate collectanea paucula, tibi Galliæ noſtræ primati, amicitiæ erga me tuæ, quam nunc poſſum, agnitio, ac hoſpitalis velut teſſera, vt ſciant lectores ſtudioſi, quòd hîc facio, me & gratè, & piè facere. Liberet te IESVS CHRISTVS *moleſtijs his moleſtiſſimis, & ad tua illa latiſſima gregis ſui paſcua, diu peroptatum, tutum & incolumem citò remittat. Quæ eſt, niſi valde fallor, hodie votorum ſumma tuorum. Lutetiæ, ex ædibus Rhemais. Anno 1569. Cal. Iul.*

Epheſ. 3. Rom. 8. S.S. Dioſcori, Acacij, Antonij, Auguſtini. Matth. 6. Act. 21.

DISSIMILIVM EX D. IOANNIS CHRYSOSTOMI OPERIBVS COLLECTORVM CENTVRIÆ DVÆ, ET INCHOATA TERTIA.

Per M. Claudium Eſpencæum, Theologum Pariſienſem.

Ex Tomi primi Homilijs in Geneſim.

6 Paupertas, Pœnitentia.

1 NON ſicut in ſenſibilibus rebus, ita & in ſpiritualibus vſuuenit. Illic ex diuitijs in extremam redactus inopiam, breui eas recuperare nequit: hîc per miſericordiã, ſiquidem condemnare facta noſtra, & iam ſiſtere ignauiam voluerimus, ſtatim poterimus ad priſtinam abundantiam redire.

8 Pecunia. Doctrina.

2 Non in hac cauſa contingit, ſicut in pecunijs. Illic qui dinumerauit vicino, imminuit ſuam ſubſtantiam: & quantò plus expendit, tantò minus poſſidet: hîc autem ſecus agitur. Tunc enim facultatibus plus accreſcit, tunc ſpirituales hæ opes magis augentur, cùm audire volentibus, doctrinã liberaliter profundimus. ſic & nobis abundantius opes & ſubſtantiæ affluunt, & vos ſpiritualibus alimentis ſatiari non poteſtis. (Diſciplina.)

B

15 Doctrina. Diſciplina.

3 Spiritualium mercedem quam heri pollicebamur, hodie dinumerabimus. Doctrinam dico, quæ poteſt meam, cùm dinumerauero, augere ſubſtantiam; & vos qui recipitis ditiores efficere. Hoc enim modo ſe habent ſpiritualia. Id quod in rebus ſenſibilibus non eſt. Nam in illis qui pecuniam dinumerant ſuam imminuunt ſubſtantiam, & locupletiores fiũt qui recipiunt: hîc autem non ſic, ſed qui dinumerat, ſuas facultates magis auget, & recipientium diuitijs nonnihil accedit. (Pecunia.)

19 Vulnera corporis & animæ. Liberum arbitriũ.

4 Non ſicut in corporalibus vulneribus videri ſolet, ita & in voluntate eſt. nam illîc naturæ affectiones ſæpe immobiles ſunt, ita vt plerumq; ſint incurabilia: hîc non ita ſe res habet. ſæpe enim, ſi voluerit etiam qui malus eſt, mutatur: & qui bonus, per ignauiam excidit, & fit malus: quia liberi arbitrij eſſe noſtram naturam fecit omnium Dominus.

C

20 Iudex Deus & homo.

5 In humanis iudicijs ſi quis vel ante accuſationem facinus confiteretur, quamuis apud humanũ iudicem, ſententiam omnino in caput ſuum accerſeret: at miſericordis Dei, & animarum noſtrarum medici, tanta bonitas eſt & clementia, vt ſi aduerſarium, diabolum dico, qui in illo die ob faciem noſtram ſtabit, in hac iam vita priuſquam tribunal ingrediamur, peccata confeſſi, præuerterimus, noſtri ipſorum accuſatores facti, in iuſtorum catalogo numerabimur, nedum à peccatis liberabimur. (Diabolus accuſator.)

23 Aes alienuũ pecuniarũ & ſpirituale.

6 Vobis debiti memoriam ſuggerimus, & ad reſtituendum nos paramus. nec admiremini hãc gratitudinem. huius enim alieni æris genus à pecuniario diuerſum eſt, vt in quo debitor nunquam tantum gratitudinis præ ſe fert. ſcit enim quòd debita dinumerando, ſuam imminuit ſubſtantiam, & accipientis auget facultatem. At in ſpirituali debito & dinumerans dum ſoluit, magis abundat, & accipiẽti maiores accreſcunt opes. ideoq́ue magna illîc ingratitudo, hîc autem vtriuſque lucrum.

D

40. Reliquiæ ciborũ & ſermonũ.

7 Non quales eduliorum ſenſibilium, tales ſunt inſenſibilium reliquiæ. Illæ variæ, licet, non parem

A tamen voluptatem conuiuis præſtant, ſed in diem poſterum reſeruatæ fiunt inutiles: hæ verò non in vnum tantum diem & alterum, ſed quantouis tempore relictæ eandem ſeruãt voluptatem, vt diuinæ ac ſpirituales: nec vllum eis imminet à tempore nocumentum, ſed nouum quotidie vigorem afferunt, eoſq́ue qui frui volunt, multa implent lætitia. Ea eſt harum reliquiarum vis.

Sectio carnis ægræ & ſanæ.

8 Non idem eſt carnem ſanam & malè habentem ſecare. nam licet medici quoque membra infirma aliquando incidant, at non eſt ſimilis dolor. Emortuum enim membrum, vt ita dicam, ferme & vitali operatione deſtitutum, tunc incidunt. Abraham autem ſenior & decrepitus, nam centenarius, circumciſionis cruciatum leniter ferens, & filium & vernaculos promptiores ad obediendum Deo reddidit.

B

42 Olympica certamina.

9 In Olympicis certaminibus ſubſiſtit adornator & magiſter, fitq́ue ſpectator tantùm vt cæteri, neque vlla in re adiuuare poteſt, ſed expectat vt fiat victoria. Dominus autem noſter non ſic, ſed vt nos eniti ad virtutis agones viderit, nutu ſtatim ſuo nos adiuuat, ſimul nobiſcum certat, manum porrigit, incitat, labores noſtros alleuians, infirmitatem noſtræ naturæ confirmans: & quaſi vndequaque aduerſarium nobis noſtrum tradit, breuiter omnia facit, vt in certamine & duremus, & vincamus.

Olympica corona.

10 Iam verò in medijs illis Olympicis corona poſt victoriã nihil aliud eſt quã lauri folia, quàm vulgi applauſus atq; clamor: quæ veſpera ingruẽte marceſcunt omnia & pereũt: at corona quæ pro virtute proq́; eius datur ſudoribus, nihil habet ſenſibile, neque in hoc nobiſcum ſæculo diſſoluitur. immarceſcibilis eſt, perpetua, extendit ſe in omnia ſecula, tempori non cedit, & finem non habet. (1 Cor. 9. 1. Petr. 1.)

C

43 Fragrãtia florũ, & memoria iuſtorum.

11 Vt floridum pratum varios & omnigenos flores oſtẽtat, ita diuina ſcriptura iuſtorum nobis virtutes demonſtrat: non vt ſicut in florum fragrãtia, paruo fruamur tempore, ſed vt perpetuam inde vtilitatem recipiamus. Illîc flores manu tãtùm carpere eſt, qui protinus marceſcentes ſuam amittunt gratiam, hîc autem non ſic: ſed quando auribus iuſtorum virtutes accipimus, eaſq́ue mentis in ſinum reponimus: per omne tempus, ſiquidem voluerimus, eorum ſuaueolentia frui poterimus. Tanta eſt ſanctorum in ſcripturis fragrantia. En quot anni, quot generationes prætererũt, ex quo patriarchæ fuerunt & floruerũt, & ſicut heri, ita hodie fragrat bonus eorum odor, fulgent coronæ, ad ſæculi vſque conſummationem, virtus horum omnibus qui rectè ſapiunt, argumentum ſermonis eſt, ac doctrinæ.

D

45 Menſa, frequens auditorũ attentio.

12 Nihil tantopere dicenti neceſſariũ, quàm auditorum beneuolẽtia, vt quos cùm viderit feruere deſiderio, firmatur & ipſe, & ſæpe robur accipit, ſciens quantò ſumptuoſiorem menſam proponit, tantò ſuæ plus abundãtiæ acceſſurũ. Secus enim ſe habẽt ſpiritualia, quã ſenſibilia. Illîc mẽſæ largitas

ſumptum facit, & cõuiuium exhibentis imminuit ſubſtantiam: hîc omnino aliter: quantò plures verbi participes & concionis, tantò plus concionantis accedit ſubſtantiæ.

55. & 54. Ad Antiocenſes Vulnera corporis & animi.

13 Pœnitentiæ pharmacum, maximum eſt vulnerum noſtrorum remedium, ſic animarum vlcera curans & abolens, vt neque cicatrix, neque verruca apparitura ſit: quod in corporis vulneribus non eſt poſſibile, vt in quibus, infinita licet à medicis cataplaſtra quis ſuperponat, cicatricem manere neceſſe eſt: & meritò. corpus enim eſt, quod curatur: hîc autem quia anima eſt, quando quis ſuam gratitudinem, peccati confeſſione, eleemoſyna, &c. declarat, melius quàm antè habere incipit, & ſic omnia vlcera tollit ac depellit, vt ventus vehemens puluerem deturbat. ſic Paulus, latro, publicanus, &c.

In Pſal. 4 Oratio hominis cum Deo colloquium & impetratio.

14 Homo qui cum Deo loqui didicerit; vt par eſt eum qui cum Deo loquitur, erit deinceps angelus, etiamſi pauper, famulus, priuatus, & indoctus. Non quærit enim Deus linguæ elegantiam, & verborum compoſitionem, ſed animæ pulchritudinem. ea ſi quæ ipſi placuit loquitur, re tota effecta recedit. Vides quanta facilitas. In hominibus oportet eum qui ad hominem oratum accedit, eſſe dicendi præditum facultate: blanditijs ſibi conciliare principis aſſeclas, aliaque excogitare multa, quò gratus ſit & acceptus. Hîc alio nullo præterquam ſola ſobria & vigilanti mente opus. non eſt miles, aut aſſiſtit qui expellat, aut interrumpat ſattelles, quiue dicat. Nunc tempus non eſt, veni poſtea. Cùm veneris, ſtat audiens, etiamſi tempore prandij aut cœnæ, nocte intempeſtâ, in foro, cubili, via, iudicio. Non eſt quod dicas. Vereor accedere, orare: adeſt inimicus eum non attendit. ſemper poteſt interpellare. nulla difficultas. non opus ianitoribus, qui introducant, non diſpenſatoribus, procuratoribus, cuſtodibus, aut amicis: ſed cùm ipſe per te acceſſeris, tunc maximè, & quidem plus quàm per alios te audiet. Non eundum in muſæum, conducendi pædagogi, rhetores, ſophiſtæ, vt dicendi artem diſcas. ſolùm voluiſſe ſat eſt, vt ſæpe nevoce quidem opus habeamus, ſed vel in corde, vt oportet, cùm vocaueris, facilè annuit, &c. Non eſt cur ſanctorum hîc aut ſimilibus locis inuocatione improbemus, vt ex alijs huius ſancti viri locis ſatis probatam.

5 Sponſus Ieſus. Sponſa eccleſia.

15 Sponſum vocat Ioannes Baptiſta Ieſum Chriſtum, ſponſam Paulus eccleſiam. Ac ſponſus quidem (homo) poſt primos dies remittit amoris vehementiam: ſponſus autem noſter (Deus) perpetuò nos amat, & auget deſiderium. Quod amicus Ieſu Ioannes innuens, ſponſum vocauit, quando ſumma ſunt deſideria. Sponſam Paulus paranymphus, quòd nos velit præ amore vnum eſſe corpus, & vnam animam, & inſtar ſponſæ id vnum cogitantis, & omnia facientis vt viro placeat, tales per totam nos eſſe vitam.

Ioan. 3. 2. Cor 11 1. Cor. 7.

Os, vel ſepulchrũ, vel theſaurus.

16 Ne ſit os tuum ſepulchrum, ſed theſaurus. Theſauri enim multùm à ſepulchris differunt: quòd hæc quidem corrumpunt quòd acceperint: illi verò conſeruant. habe ergo tu quoque diuitias ſtudij ſapientiæ, quæ perpetuò permanet: ſed non maleuolentiam aliquam & putrefactionem, vel verborum, vel dogmatum.

Cadauera, mala verba, aut dogmata.

17 Non dixit Dauid ſimpliciter aut abſolutè, ſepulchrum, ſed patens: ita ſignificans maiorem fœtorem. Et nos in mortuis quidem corporibus contrarium facientes, terræ illa tradimus: Hi contrà in verbis obſcœnis & maleſanis dogmatibus facientes, cùm ea in imo locare oporteret, proferunt, & omnibus videnda proponunt, & multos offendunt. mortua autem verba multò magis tegenda, quàm cadauera ſepelienda, &c.

6 Medicinæ adiacentia.

18 In re medica ſunt medicus, ars, ægrotus, medicamentum, morbus: inter quæ pugna quædam eſt & conflictus. nam ſi cum eis accedit ægroti voluntas, morbum vincunt: ſin cum eis ſtare & morbo reſiſtere deſierit, imò arti reſtiterit, infirmitas ſeipſam educit. Ita in nobis accidit: vel potius non ſic, ſed multò mirabilius. Hæc enim interim ſimul ſunt, & nihil proſunt, cùm præ naturæ imbecillitate ars hæſitauerit, exitum non inuenerit, medicinæ vis aliquo caſu effugerit. Hoc in Deo non eſt: ſed ſi cùm hoc medico ſteteris, vlcus omnino curãdum. non eſt enim ars humana vt dubitet, ſed diuina facultas, naturas, morbos, improbitatem & omne denique vitium ſuperans. Ideoque cum Dauid ad Deum vt medicum acceſſiſſet, dicebat, Sana me Domini, quoniam tum oſſa, tum anima mea turbata eſt.

7 Minatur Deus vt parcat.

19 Clementiæ diuinæ eſt, non vulgaris, per verba terrere, & pœnas amplificare, ne re ipſa eas experiamur. Arcum ideo intendit & parauit Deus, & ſagittas impoſuit, & ad ſupplicium ſe accinxit, ne ad ſupplicium veniat. Quæ ſi iræ eſſent, aut iracũdiæ, non ijs prædixiſſet quos erat inuaſurus. ira enim contrarium facit, ſupplicio & ſupplicij apparatui, imminet.

20 Hoſtes, & qui volunt ſupplicium infligere, non modò non id dicunt, ſed etiam id celantes inuadunt: ne qui puniendi ſunt ſi reſciuerint, euadant. Non ſic Deus: ſed contrà omnino, prædicit, differt, terret, nihil non facit vt quæ minatur non inferat. ſic Niniuitis arcum intendit, gladium vibrauit, iacula parauit, ictum non inflixit, ne telum quidem immiſit.

Niniuitæ Ionæ 1.

Miles.

21 Nec enim ideo paratum erat vt emitteretur, ſed vt reponeretur. nam millites quidem ea de cauſa armantur, vt feriant: Deus autem non ſic, ſed vt cùm reddiderit metu modeſtiores, manum à ſupplicio abſtineat. Ne ergo turbemur. verborum enim terror eſt clementiæ maximæ: & quò intolerabiliora loquitur, eò maiori loquitur ex manſuetudine. Minatur gehennam, ne in gehennam mittat, &c.

22 Parturijt iniuſtitiam, concepit dolorem, peperit iniquitatem. Vtique non ſecundùm naturam iniuſtitia. nam fœtus quidem donec perficitur, naturæ adhæret, manet, dolorem non affert. Perfectus autem, ſi intus manet, mora eſt præter naturam, quæ eum ferre amplius nequiens, vim vexata extrudendo infert & dolorem. Hîc igitur prius conceptio, deinde partus dolor. at peccator primùm parturit, & tum concipit. Illîc in tempore partus dolor, hîc dolor à principio. Simulac enim quiſpiã de malo conſultauit, etiam priuſquam in cogitatione concreuerit, aut excutione perfecerit, tumultus ac turba cogitanti.

Fœtus cõceptio, perfectio egeſtio.

23 In muliere deiectum ſemel ſemen formatur etiam ipſum. In ijs qui dolos ſtruunt, hodie hæc deijcitur cogitatio, cras rurſus alia, & ſunt innumeræ maiorum ſeminum deiectiones, & ſingulis diebus conceptiones, & partus dolores, perimentes quæ ea parit cogitationem. Non enim talis hic partus, qualis in mulieribus, ſed potius vt in viperis vterum diſcerpunt, & latera dilaniantes fœtus procedunt. Ita in fraudibus & iniuſtitia, inexplicabilis, quem improbi ſuſtinent, dolor eſt, & moleſtia.

Semen.

Viperæ.

8 Animaliũ homini vſus, ditio & exceptio. Exhæredatio & abdicatio

24 Leones & pardos & id genus feras magno hominis lucro Deus ab eius exemptas imperio eſſe permiſit, cicures nil ei niſi ad ſuperbiam profuturas. vtiles contrà manſuefecit, boues ad aratrum, oues ad amictum, iumenta ad vecturam. aues & piſces ad victum. Vt cùm quis exhæredat filium, non omnibus priuat, ſed parte aliqua: vt ſe corrigat: Ita Deus: imò non ſic: ſed potiùs contrà. Qui enim exhæredat, maiori parte priuat, minorem relinquit: at Deus maiori è contrario relicta, exigua priuauit portione, idque in rem eius, vt otium interrumpat, animum excitet, faſtum deprimat.

9 Pauperũ

25 Patientia pauperum non peribit in finem, id eſt, nun-

patientia non præſcribit. Agricola Mercator

eſt, numquam, ſed proprium omnino fructum recipiet, quod non ſemper euenit in rebus ad victum pertinentibus, ſed finem ſæpe non conſequuntur pereuntibus laboribus. Agricola quidem expectat, & mercator, at non rarò propter aëris iniquitatem, aut aliundè fructus ſui laboris excidunt: in Deo nõ ita fit, ſed ſuum quiſque in eo finem conſequatur neceſſe eſt: quod magnam vtique conſolationem affert de fine numquam fruſtrando ſemper confidere.

10 Maledici feræ carniuoræ.

26 Qui deuorant plebem meam. Deuorantes dixit, non comedentes, quaſi feris crudeliores, vt quæ cùm carnem humanam guſtarint, mox ceſſent, ob inſuetum nutrimentum erubeſcentes. At improbi & inuidi fidelem maledictis exedentes, non ſatiantur quibuſcum inueniuntur, qui fratres eiuſdem ſecum fidei maledictis atque calumnijs inſectantur, mordent & peredunt. Galat. 5.

14 Amor diuinus quouis alio maior. Eſaiæ 49. Hier. 3.

27 Deus ſuum nobis noſtræ ſalutis amorem ſignificaturus, gallinarum in nobis charitatem, patrũ curam, matrum miſericordiam, virorum profert amorem, non quia tantum dumtaxat amet, ſed his exemplis atque regulis non alia amoris apud nos maiora ſigna vel argumẽta. Nam quòd multò magis nos deamet. Etſi, ait, mater filiorum vteri ſui obliuiſcatur, at ego tui non obliuiſcar. Et vir vxorem dimiſſam, & cum alio pollutam, reuertentem non recipiet: peccatorem Deus recipit, &c.

43. Eleemoſynarij timidi.

28 Multi qui multis donant, præcipiunt ne alijs dicant, ne facta vni gratia, multos ei excitet petaces, quòd minus excuſare, aut ſubterfugium inuenire poſſit, qui vni dedit, quo minus det & alijs. hoc quidẽ meritò curant homines, vt qui dando fiant pauperiores: Deus contrà clamat, & quæ alijs dat, prædicat, vt alijs rurſus ab eo petendi occaſionem præbeat. Dando enim maiores oſtendit diuitias, diues in & ſuper omnes eum inuocantes. Vidiſti nouam diuitiarum naturam, eam imitare tu quoque magnificentiam. Rom. 10.

49 Doctrina Iudicia.

29 Maior eſt euangelicæ doctrinæ, quam externi iudicij ludus. illîc enim qui peccant, caſtigati pœnas luunt: hîc autem fiunt omnia, vt non puniantur qui peccarunt, ſed peccatum pœnitentia corrigunt.

50 Reliquiæ menſæ & ſapientiæ.

30 Reliquias & menſam cum audis, nihil palpabile arbitremur aut caſſum. Nos carnem non conſcindimus, ſed verbum Dei vobis inſinuamus. Ex menſa carnali caro die vna vel ſecunda cocta remanens deperit & corrumpitur: aliter in proloquio ſapientiæ, vel integrum manens annum, ſuauitatẽ longè lateque diffundit. Remanſit caro, & paulò pòſt perputruit: remanſit ſapientia, ſuauior euaſit. Comedit quis carnem, ſentiet corruptelam. comedit ſapientiam, verbum bonum eructat, & proximum ſuum replet dulcedine. Ita qui tales eſcas edebat, fiducialiter dicebat, Eructauit cor meum verbum bonum. Pſal. 44.

Rex pœnam tantũ, Deus etiã peccatum remittit.

31 Rex quidem ſi quem è carcere dimiſit, pœnam donat, non peccata: Deus autem peccata dimittit, nedum pœnam. Si dixerit adultero, iam nolo vt adulter ſis, verba ſtatim vertuntur in opera. Si fornicatori, fornicari ceſſa ab immunditia tua, illicò mens eius mutatur in melius. Qui ex nihilo in puncto omnia fecit, non, ſi vult, ſermone ſuo peccata tua valet ſoluere, & in angelicum te gradum per pœnitentiam reducere?

109 Lucta & doctrina.

32 In extremis certaminibus etſi aliqua colluctandi concertandique ratio minus animaduerſa fuerit, non læditur ſpectator. Delectationis enim gratia, non doctrinæ theatrum eò coactum eſt. Hic autem niſi exactè cognoueris vndénam aciem ſuam inſtruit, & vnde nos eam aggrediamur, non leue ſenties detrimentum. Quod ne tibi eueniat, multis contra multos aduerſarios oculis, auribus arrectis, & attenta mente opus.

33 Libera domine animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Hîc lucet præceptum euãgelicum, Orate, ne intretis in tentationem. Nulla autem, dilecte, grauior eſt tentatio, quàm in hominem doloſum incidere. is enim eſt vel quauis fera truculentior. nam ea quidem id quod eſt, eſſe cernitur: hic autem obtento manſuetudinis & probitatis velo ſæpe virus occultat, vt neque facilè deprehendi poſſint inſidiæ, & in inſidias nulla cautione adhibita incidatur. Si autem à fraudulentis cauendum, multò magis à peruerſis dogmatiſtis; qui & in virtute lædunt, & in vitium abducunt.

114 Matt. 26. Marc. 14. Luc. 22. Doloſus aut maleficus feris periculoſior.

34 Viuos, ait, deglutiſſent nos. Vides quàm feri ſint & immanes, qui bonos inuadunt. Hi enim homines vel ferarum oſtendunt immanitatem: imò magis ſæuiunt in eos qui ſunt eiuſdem generis. nam fera cùm ſemel inuaſerit, ab ira deſiſtit & recedit: homines verò ſi quando res aliter ceſſerit, quàm putabant, ſæpe aggrediuntur, & vel carnes guſtare cupiunt. tam res rationis expers iræ eſt perturbatio.

123 Iracũdus bellua ſæuior.

35 Corripiat me iſtius in miſericordia. Clementiæ eſt, vt vulneribus mederi, ita vitia reprehendere: miſerentes ſæpe exitium corripientes ſalutem afferunt, cùm illorum miſericordia coniũcta morti ſit, cum horum correptione vita. Meliora illorum vulnera, quàm horum oſcula. Argue, inquit, increpa, exhortare. Ita faciunt medici: non ſolùm ſecant, ſed etiam alligant. Magna ſapientia opus, vt correptionis medicamentum adhibeas: & maiore opus ei qui animam reprehendit, quàm ei qui corpus ſecat. Quomodo? quoniam illîc quidẽ aliud quod dolorem ſuſcipit: hic eadem res quæ corripit, & quæ dolore afficitur.

140 Medicus. Prou. 27. 2. Tim. 4. Corripiẽti medicamentũ.

36 Vt medicum non alentem ſolùm, educentem, aut vngentem, ſed fame quoque excruciantem, domi includentem, vrentem, ſecantem obſeruamus & admiramur (nam licet quæ fiunt, contraria ſint, vnum tamen finem reſpiciunt) ita etiam oportet Deum pro omnibus laudare, adeoque multò magis quatenus hic quidem Deus, ille autẽ homo: & quòd medicorum quidem res aliter atque aliter eueniunt: quæ autem Deus facit, cùm ſumma ſapientia & cura fiant, ſiue puniat, ſiue à ſupplicio eximat.

148 Medici multiplex officium.

37 Vtraque curationis res eſt, & diuinæ bonitatis. homines enim alterum quidem faciunt propter bonitatem, alterum verò per iram & improbitatẽ: Deus autem vtrumque propter clementiam. Æquè igitur laudandus, verbi gratia, quòd Adam paradiſo impoſuerit, & quòd expulerit. Æquam meretur gratiarum actionem pro regno, & pro gehenna: vt quem minetur, vt parcat: fecerit, vt à vitio liberet.

Facit aliter Deus aliter homo. Gen. 2. 3.

38 Si angeris feras eſſe factas, valde deſipis. nam ſi rectè te geſſeris, nihil ab ijs dãni accipies: ſi quid tamen accipies, cogita te damni multò plus ab hominibus accepiſſe. eſt enim homo quauis fera deterior. nam ea ſuã præ ſe fert feritatem. hic autem ſub perſona humanitatis celat improbitatem, vnde fit vt ſæpe minus caueatur.

Homo fera deterior.

39 Cum omnia feceritis, dicite vos inutiles, ait Dominus. Dic, ne metuas, non ex tuo iudicio fero ſententiam. ſic & aliàs loquitur, Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. In mundanis quidem atq; forenſibus iudicijs, poſt accuſationem & criminum confeſſionem reſtat mors: at apud diuinum tribunal poſt vtramque corona: ſi tu teipſum inutilem dixeris, ego te vt vtilem coronabo.

Hom. 1. de Oſia. Lucæ 17. Eſaiæ 43. Cõfeſſio peccati. Hom. 4.

40 Quoniam qui heri defuerant, ſua nobis præſentia menſam hodie exhibuerunt ſumptuoſam, agè ſanè apponamus obſonia, non illa quidem putria, quamuis heſterna, ſed eiuſmodi obſonia non putreſcunt. Quamobrem tãdem? Nõ ſunt carnes, vt corrumpi queant, ſed ſententiæ ſemper florentes. carnes enim, quoniam corpus ſunt corrumpuntur:

Obſonia carnium & concionũ.

puntur:ſententiæ contrà ſi maneant, fragantiores traduntur,

41 Secularium ſpectaculorum præſides ſiue arbitri certamina proponentes, magnum muneris ambitum eſſe putant,ſi quando iuuenes& robuſtos luctatores in ſtadium induxerint: inde prima ſtatim oſtentatione miraculum ſpectatoribus præbeant.Non ita eſt in ſpirituali agone, ſed omnia econtrario. Nec talem Chriſtus agonem qualem terreni illi proponunt, ſed horribilem, timoriſque plenum.non enim hominum contra homines,ſed contra dæmones luctamen eſt. non ergo iuuenes ad luctamina exercitatos hic proponit, ſed adoleſcentes,& cum ipſis ſeniculum & aniculam.

De Machabæis. Agonothetæ homo & Deus. 2 Mac 6.7

42 Non eſt ſenſibilis hæc pugna, neque inſenſibile certamen. Noli ergo athletas hos extra conſiderare, ſed interiorem eorum habitudinem: fidem nimirum. qua, qui contra dæmones pugnat, indiget, non corporali robore, non de iuuenili ætate fiduciam ſumit,quorum vt & formæ,& generis dignitatem mundani requirūt munerarij: ideoque ſeruis, mulieribus ſenibus. pueris ad agones aditum denegant.Iſthic verò apud nos omni ætati, perſonæ, conditioni, vtrique ſexui indiſcrete ſic teneri & in primæuo flore iuuenes, ſenex ætatis extremæ mulier ſenio tremula, baculo indigens.&c.

Ex Tomi II. Homil. in Matthæum.

6 43 Matth. 5. Phil. 4. Lachrymæ.

BEati qui lugent,ait Dominus,& quomodo Paulus,Gaudete in domino ſemper? Dixit hoc quidem ille, fateor, ſed eam quæ ex his naſcitur lachymis voluptatem ſignificans. vt enim mundi gaudium triſtitiæ conſortio copulatur, ſic contrà lachrymæ ſecundùm Dominum iugem lætitiam certamque pariunt.

Supplicia Dei & hominis.

44 In ſecularibus iudicijs quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris & lugeas, non tamen effugies flendo ſupplicium: hîc verò ſi toto ingemueris corde ad Deum, ſoluiſti repente ſententiam.

14 Morbi animę & corporis.

45 Si quam habuerimus corporibus ægritudinē, omnia facimus & mercamur vt ab ea in reliquū liberemur:anima verò malè habentes diſſimulamus & differimus, fontem incuratum relinquimus,& neceſſaria ſupperflua eſſe ducimus, & penè diſſimulanda neceſſaria iudicantes malorum riuulos purgare conamur,nec tamen purgamus,aut à corporis languoribus liberamur. nam præterquam horum cauſa peccata ſæpe ſunt, animæ certe languor corporeo hoc eſt deterior, quo anima carne præſtantior.

Homo hominis quā Dei reconciliandi ſtudioſior.

46 Tu quidem cùm hominem præpotentem in te commoueris,& amicos, & vicinos,& domeſticos rogas,& pecunias erogas, dies multos patienter agis,humiliter aſtas,ſæpius ſupplicicas,ſemel & iterum & millies, ſi repellit qui offenſus eſt & infenſus,nihilo quieſcis,nihilo ſollicitus es minus. Nobis verò cùm indignetur omnium Dominus, oſcitamus,recubamus, deliciamur, inebriamur.

27 Et 77. ad Antioch. Pœnitēs & renauigans.

47 Nauclerus mille maria præteruectus, multis tempeſtatibus elapſus & procellis, naufragio tamen in portu facto, ſiquidem inde nudus effugerit,lubens numquam vel mare, vel nauigium viderit,latiturus potius & mendicaturus, quàm renauigaturus, aut ad priora rediturus pericula. At non ita Dauid, naufragus & propemodum ſubmerſus non deſperauit,ſed naui rurſus in mare deducta, velis vento datis, clauo in manus reſumpto, maiores eſt & labores aggreſſus, & diuitias ſortitus.

A 48 Si quo die legitimam liberis operam dediſti, crimen non ſit licet,in ſacris orare non audes:cōuitiatus(quod gehennam meretur) priuſquam teipſum mundes,manum ad cælum tollis? Tu ab immaculato honorabilis connubij lecto ſurgens, times ad orandum accedere:à diabolico lecto horribile Dei nomen audes inuocare? eſt enim conuicium & ſimultas,diaboli lectus,imò adulter pernicioſus,occulta voluptate cum animo adulterans, & ex pernicioſo ſpermare diabolicas pariens inimicitias, contraque omnia quàm matrimonium, peragens. hoc enim pacis vinculo vnit, & duos in vna carne coniungit.Illud etiam coniunctos dirimit,ſcindit,lacerat.

51 1. Cor 7 Hebr. 13 Connubium & conuitiū

49 Qui vult animam ſaluam facere, perdet: qui perdere ſaluabit. Ne quis animæ perditionem vel ſalutem rerum aliarum perditioni ſalutive æqualem putet aut ſimilem, certus ſit tanto ſalutem à ſalute differre diſcrimine,quanto perditio à ſalute ſimpliciter diſtat, vt rerum ſalus adeoque vniuerſi B mundi lucrum, animæ perditio detrimentumque ſit imò perditione detrimentoque omni peior:quia nullo vel remedio ſanari, vel præmio amplius redimi, ne totius quidem orbis compenſatione poſſit.

56 Math. 16 Animæ præ aliis rebus ſalus aut perditio.

50 Num habes aliam animam quam poſſis pro tua dare? Pecuniam qui amiſit, aliam pro amiſſa poteſt: ſimiliter qui ædes, qui ſeruos, qui cætera huiuſmodi: animam ſi perdas, aliam pro ea dare numquam poteris. vel ſi rex orbis & Dominus ſis, quæque in orbe ſunt omnia, ipſum denique orbem offeras, non poteris vel vnam animam eruere,multò minus quàm debile corpus confirmare,mille alia corpora, ſi mille vrbes, mille regna, infinitam pecuniam impenderes, à debilitate vindicare potueris.

Animæ & corporis ſalus amiſſa ſarciri nequit vt aliarum rerum.

51 Multò peiora ſequuntur ebrietatem quàm tempeſtatem: ibi iactura leuior eſt, hic grauior. deteriorem nauiculam reddit: quæ diuitijs virtutum eiectis, arenam aquamque fœtidam ſibi coaceruauit, quibus ea cum gubernatore ratione & vectoribus, modeſtia, pudore, &c. demergitur. C

58 Ebrietas tēpeſtas eſt 71. ad Antioch.

52 Quid inter nos intereſt & formicas, ſi collati fuerimus? Nam vt hæ corporis dumtaxat curam habent, pariter & nos certè:imò verò multò peius:non enim pro rebus, vt illæ, neceſſarijs tantū laboramus,ſed pro ſuperfluis quoque ac turpibus. vitam illæ nullo crimine peragunt, nos auaritiæ ſeruientes,non illas,ſed lupos & leones imitamur. Cur & has dixi beſtias, cùm multò ſimus peiores? nec enim aliter quàm rapiendo natura illis cōceſſit viuere:nos quos ratione & æqualitate honorauit,non pudet illas rapina ſuperare.

70 Homo formicis, imò beſtiis deterior.

D 53 Non vt in alijs pugnis aut hoſtibus, qui ſaucius aut vulnere ab alijs accepto ceciderit, iam alijs grauis & infeſtus eſſe nequit:ita hic fieri ſolet, ſed opus eſt vt ab omnibus hęc bellua(ebrietas vtique)feriatur; vt quam qui non percuſſerit atq; deiecerit,impetum illius vitare nequeat. En præclaram & diſſimilem alijs victoriam: vt quale ſimul collecti exercitus & totius orbis armati milites trophæum non poſſint erigere,hoc eorum ſinguli ſtatuant,& horum quilibet.

Ebrietatis victoria.

54 Qui vineam conſignat alicui operandum, nō tantum propter operarij vtilitatem conſignat, quantum propter ſuam. Deus autem iuſtitiam ſuā dat ſenſibus noſtris, propter noſtram, non ſuam vtilitatem. Non enim operibus hominum opus habet, ſed vt nos iuſtitiam operantes, viuamus propter eam. Si ergo homo ſui commodi, non alieni ſtudio, qualem vineam commiſit, talem quærit recipere, quomodo non à nobis immaculatam requiret iuſtitiam Deus, vt eam creauit in nobis propter noſtram,non ſuam ſalutem?

34 Oper. imperf. Vineæ dominus & mercenarius.

55 Homo

55 Homo ſi ex humili domo generatus, ad aliquam Deo præſtante dignitatem aſcenderit, erubeſcit ſuam generationem audire: vt ſi quis dixerit eum eſſe illius filium, indignetur ſe confiteri quod eſt, vt appareat quod non eſt. At Chriſtus contrà non tantum quamdiu in corpore contemptibilis erat in mundo, propter ſimilitudinem, homines fratres ſuos appellabat, ſed & in gloria conſtitutus adhuc contentus eſt eoſdem dicere, & in ſede maieſtatis gloriabitur fratres vocare: quibus ad laudē ſufficeret bonos illius vocare ſeruos, detrahens ſibi quod habet, vt præſtet eis quod non habent: & veniens in ſtatum gloriæ, voluntatem priorem non immutans.

Fratres ſuos nos vocat Dominus, & vocabit. Math. 25

56 An non vides iumenta iugum ferentia, poſteaquam ad præſepe paſta ſunt, iter agere, onera geſtare, ſuū explere miniſterium? Tu verò ſublata menſa ad omne opus inutilis, num vitare poteris quò minus videaris aſinis deterior? Quamobrem? Quia tum maximè conuenit eſſe ſobrium. nam tēpus poſt menſam, agendi gratias tempus eſt. Non decet autem agentem gratias ebrium eſſe. A menſa ergo ad deprecationem vertamur, non ad lectum, non brutis animalibus ſimus magis bruti.

Conc. 1. de Lazaro

Gratiarū actio poſt cibum.

57 Agricola vbi totius vineæ vindemiam peregerit, non prius deſiſtit, quàm ſingulos etiam minutos acinos decerpſerit: poſt quos à vindemiatore defectos, ſtat nuda fructu vinea, nil habens præter folia. Non ita ſpiritualis diuinarum ſcripturarū vinea: ſed licet quicquid videbatur, tum literæ, tum ſenſus, quaſi fructus atque foliorum, ſermone pro falce vtentes, diligenter amputauerimus, adhuc tamen amplius ſupereſt tollendum. Multi ante nos diſſeruerunt, plures poſt nos fortaſſe diſſerent: nemo totas opes eruerit.

4 Vineæ vindemia, ſcripturę expoſitio.

58 In perpetrando ſcelere, vt voluptate ebrij, nihil acerbi perinde ſentimus, quod ſimul atque commiſſum finem ceperit, hac demū extincta ſuccedit amarus pœnitentiæ ſtimulus, contrà quàm accidere ſolet puerperis, quibus ante partū dolor ingens, graueſque nixus ſunt, diſſecantes eas doloribus, pòſt relaxatio, dolore ſimul cum infante egrediente: hîc non item. Sed dum parturimus concipimuſque corruptos affectus, delectamur interim & gaudemus: enixi malum illum puerum pèccatum, conſpecta partus fœditate diſcruciamur grauius.

Peccatū parturitio.

59 Pater vbi ſemel, iterum, ac tertiò, deciéſve filium increpauerit, ſi viderit incorrigilem manere, deſperans abdicat, expellit è familia, à cognatione reſecat. At non eodem modo conſcientia: ſed ſemel licet, iterum, ter, millies admonuerit, tuque minus obtemperes, monebit iterum, nec deſiſtet ad ſupremum vſque halitum, domi, in biuijs, mēſa, foro, itinere, frequenter & in ſomnijs peccatorum nobis ſimulachra ſpectraque repræſentat.

Pater exhæredās. Conſciētiæ aſſiduitas.

Ex Tomi III. Homil. in Ioannem.

60 DEus ſeruorum neminem vult inuitum aut coactum, ſed eos dumtaxat, qui ſua eum ſponte amplectuntur, vt ſeruitutis & ſe gratiam habere intelligāt. Homines, vt quibus neceſſaria ſeruorum opera eſt, & ſeruitio opus, improbos & dicto non audientes ſeruos poſſeſſionis iure coërcent. At Deus cùm ſibi ipſi ſufficiat, & nullius indigeat, noſtræ tantum ſalutis gratia cuncta operatur, noſque ipſos noſtri eſſe iuris & arbitrij permittit. ideo cogit neminem: ad noſtram tantum ſpectat vtilitatem. Quod ſi nolentes contrà ad ſe virtutem traheret, non ſecus ei deberet, at ſi nullum ei ſeruitium præſtitiſſent.

Serui liberi & inuiti.

Liberum arbitriū.

61 Non eadem conditione, qua agricolæ, verbi diuini ſunt præceptores. Siquidem illi poſt annuos ſudores, miſeramque & laborioſam vitam, ſi quando terra operis in ſe impenſis non reſpondeat, alius eius nemo damnum inſtaurare poteſt, ſed pudibundus ac triſtis domum ab area ad vxorem liberoſque reuertens, à quo longi laboris mercedem petat, habet neminem: at in nobis huiuſmodi nihil vſu venit, ſed culta licet terra fructum non afferat, Dominus bona nos ſpe dimiſſos nō fruſtratur, ſecundùm ſuum quemque laborem, non ſecundùm euentum remunerans. Si forte, ait, audiant, animam tuam prædicans liberaſti, etiamſi nemo attendat,

Agricola & concionator.

1. Cor 3. Ezech. 3.

62 De plenitudine eius non omnes accepimus. fons eſt, & bonorum omnium radix, non in ſeipſo bonorum continens diuitias, ſed in vniuerſos diffundens, & plenus tamen permanens. Quod autem ſerò donum participatum eſt, exigua totius pars, & quaſi gutta parua immenſæ abyſſo & pelago infinito comparata. Sed ne hoc quidem exemplum ſufficit. Nam ſi guttā è mari acciperes, ea mare, viſu licet percipi nequeat, minuitur: de illo autem fonte hoc dici non poteſt, ſed quantum quis hauriat, nihil deficit.

14 Ioan. 1.

Guttæ maris hauſtæ, gratiæ à Deo acceptæ

63 Terra ſemel accepto ſemine mox fructum profert, nec altera eget ſatione. In anima noſtra non ita vſu venit, ſed frequenter & diligenter in ea ſerendum, vt vel ſemel fructum recipiat. Primū enim Dei verba nec facilè incidunt, nec imprimūtur animo: multis obſtruuntur ſpinis: multa difficultas, multi inſidiatores ſemen rapientes. Cùm germinant item & radices agunt, multa iterum indigent diligentia, vt maturè exant, multa cùm peruenerint, vt integra perſiſtant, nec lædantur. In ſeminibus ſpica è vagina erumpens, rubiginem, cæteraque noxia facilè cōtemnit. At in doctrina opus interim perfectum tempeſtas incumbens labefactat, & tam rerum difficultate, quàm hominum, qui lædere norunt & volunt, fraude, alijſque tētationibus omnino perdunt.

17 Agricultura. Doctrina

64 Omnia præter diuinam doctrinam vana & ſuperflua, ad eam nullum tempus intempeſtiuum, ſit aliena licet domus ingredienda, vir clarus ab obſcuro interpellandus, nunquam eius contemnenda occaſio. Cibus, balneæ, cœnæ, reliquaque ſæcularia ſtatutum habent tempus: hæc nullo tempore circumſcribitur, omne ei commodum tempus eſt. Opportunè, ait Paulus, importunè. Moyſes in lege ſemper, Dauid in die ac nocte meditandum ait.

Doctrinę omne tēpus commodum.

2. Tim. 4.

65 Secularia, cibus, balneæ, cœnæ, vt neceſſaria, ita frequentia, reddunt corpus imbecillum: diuina doctrina quantò magis imbuitur, tantò fortior efficitur. In illis nugis inutiliter tempus vniuerſum conſumimus, mane, meridie, veſpere, crepuſculo fruſtra deſidemus. Diuinum autem pabulū ſi ſemel bíſve ad ſummum audimus, vt ſaturi nauſeamus. praua circa illa cupiditate appetitum diſſoluimus: ideoque ſpiritualem cibum faſtidimus.

Secularia quàm diuinarum maior homini affectus.

66 Chriſtus Nicodemum ad fidem, & de baptiſmo doctrinam medio exemplo inter ſolidi corporis naturam & incorpoream adduxit, venti ſcilicet impetu, & ab aqua orditur, quæ terra tenuior & vēto craſſior eſt. Vt ergo elementum terræ ſubſtratū eſt, totum autem Dei fuit opificis: ſic aquæ hîc elementum ſubijcitur. & totum ſpiritalis eſt gratia. Tunc in animam viuentem factus homo: nunc in ſpiritum viuificantem fit: ſed magna differentia. Aqua vitam alicui non dat: ſpiritus non modò per ſe viuit, ſed alijs quoq; vitam largitur: mortuis etiā reddit. Tunc poſt factam creaturam homo formatus eſt: hîc contra ante nouam creaturam nouus homo creatur, & primus naſcitur, tum mundus transfiguratur. vtque totum à principio formauit, ita & nunc totum creat.

24 Ioan. 3. Baptiſmus. Gen. 1. 2.

1. Cor. 15

67 Sed

Baptiſmi regeneratio mirabilior quàm vel mundi creatio, vel hominis formatio, & hominũ generatio.

67 Sed tunc, Faciamus, inquit, ei adiutorium: nũc minimè. Quippe qui gratiam Spiritus accepit, nullo alio indiget: qui in Chriſti corpore perficitur, alio ei non opus eſt auxilio. Tunc ad Dei imaginem fecit hominem, nunc Deo familiarem reddit. Tunc animantes ei ſubiecit, nunc ſupra cælos eius propagat imperium. Tunc paradiſi eum incolam conſtituit, nunc cælum aperit, Tunc ſexta die factus eſt, nunc prima vnà cum luce. Quibus conſtat ad quantò hac meliorem vitam & perenniorem, adeóque nullum finem habituram efficiantur. Quantóque altior & ſubtilior per baptiſmum regeneratio, quàm vel prima ex terra formatio, vel ſecunda ex latere, vel tertia ex ſemine.

54 Et 61 ad Antioch. Parentes, & nō altores Euchariſtia.

68 Parentes ſæpenumero liberos alijs alendos tranſmittunt, Ego, ait Chriſtus, de ſacrorum participatione myſteriorum, non ita, ſed mea vos alo carne, meipſum vobis appono, bonam ita vobis de futuris expectationem ſpemque præbens, qui in hac vobis me vita trado, multò magis in futura, frater eſſe veſter dignatus, & quam propter vos carnem communicaui & ſanguinem, ita cognatus veſter effectus, ea rurſum vobis viciſſim hîc exhibeo.

Sanguis naturalis & myſticus.

69 Ex cibis quidem ſanguis in nobis enaſcens, non à cibo ſtatim hoc efficitur, ſed potius aliud quiddã. Hic autẽ ſanguis Chriſti myſticus nõ ita, ſed quamplurimũ ac repente animam irrigat, eámque vi quadã magna imbuit, nutrit iugiter, eiúſque nobilitatẽ langueſcere aut tabeſcere nõ permittit.

Hirundines. in Ioã. 2. Act. 2. homil. 7.

70 Hirundines alimenta ſuis pullis ab ore in os tradunt: noſtra autem non ſic, ſed ab ore in aurem. illa quippe in corruptionem, noſtra verò in incorruptionem procedunt. Illa corpus, animam autem noſtram impinguant.

Iudicia fori & eccleſiæ.

71 Pœnitemini ait Iudæis Petrus, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu, in remiſſionem peccatorum. Cæterùm longè aliter habẽt iudiciorum, quæ hîc ſunt, leges. nam hîc qui peccat, quando confitetur, ſeruatur.

De cruce & latrone Iudiciũ humanũ & diuinũ

72 Non quod deorſum es adiudicatus, inſpicias: alia ſunt iudicia ſurſum conſtituta. In terreno nãque iudicio illicitè & iuſti interim condemnantur. & iniuſti pœnas declinant, rei liberantur, innoxij grauantur, vt in quo iudices vel ſponte, vel inuiti errent, & aut ignoratione iuſtitiæ, aut pecuniæ corruptione, aut iniqua etiam gratia ſententiam pronuntient. In cæleſti autem iudicio nihil tale iudex enim iuſtus, Deus, & iudicium eius vt lux procedit, tenebras non habens, non ignorantiam.

Math. 23 Luc. 13. De conuerſione Pauli.

73 Quoties, ait ad Hieruſalem Dominus, volui congregare filios tuos, & noluiſti? Quid ergo? Ecce relinquetur domus veſtra deſerta. En vt ſaluare nos vult Deus, nos autem quia nos ei non adiungimus in interitu manemus. Paratus inquam eſt ad ſaluandum, ſed volentes, & hoc eligẽtem, nõ verò nolentem. Homines quidem volentibus nolentibúſque ſeruis dominari volunt, & dominantur in ſuam, non in ſeruorum rem ſpectantes ac vtilitatem. Deus autem nullius indigens, idque tibi declarare volens, nullius ſe noſtri indigere, ſeruitutẽ noſtram deſiderat, id modò ſpectans, vt tibi proſit, noſtræ non ſuæ vtilitatis gratia omnia operatur, ſiquidem aſſentimus, ſcientes ei ſeruitutis huius beneficium deberi, ad eum veniamus. nam nolentes nec vi, nec neceſſitate cogit.

Seruitus Dei libera, hominũ coacta Pſalm. 15

Homil. 1 de reſurrectione.

74 In Olympicis certaminibus athleta intra ſtadium certat, athlotheta foris ſedens, eatenus tantum certantem adiuuat, quatenus verbis & acclamationibus valet: manibus iuuare, aut propius aſſiſtere, aut aliud ferre auxilium nulla ei lege permittitur, ſecus res in pietatis certamine. Idem in athleta & athlotheta. pugil & ludimagiſter. ideoque nõ extra caueam ſedet, ſed in ipſum certamẽ ingreſſus, pugnantes cõfirmat, ſolatur, adiuuat. Talis gladiator & gladiatorum inſtitutor Paulus, non ait eis. Ne malis ſuccumbatis, non, Malis non ſuccumbo: ſed ſe quoque vnà in conflictu eſſe declarãs, Malis, inquit, non ſuccumbimus.

Agon ſecularis & Chriſtianus.

2. Cor. 4.

Ex Tomi IIII. Homil. in Epiſt. S. Pauli.

75. ad Rõ. Bona præſentia & futura.

GRatia Dei finem non habet, ſemper ad maiora egreditur. Non ita hominibus vſuuenit. Aſſecutus eſt quis magiſtratũ, perpetuus in eo non manet, tandem aliquando excutitur. nam vt honorem humana illum manus non eripiat, mors certè ſuperueniens ereptua eſt. Talia nõ ſunt quæ bona Deus largitur, vt à quibus non homo, non tempus, non rerum aduerſarum vis, non diabolus, non denique mors ingruens nos deturbare poſſit, quin vel mortui ea demum firmius poſſideamus: adeoque quò magis progredimur, eò pluribus ſemper maioribúſque illis fruimur. Si futuris fidem nõ habes, de illis ſaltem præſentia fidem faciant.

Bellum carnale & ſpiritale. Mors duplex

76 In bellis quidem vel nolentes & inuiti producuntur ſæpe milites: hîc autem niſi vltrò ipſe trãsfugeris, ſuperabit te nemo. Terret & à præmijs, aut potius pœnis, & mercedem ponit mortem, mortẽ autem non talem, ſed multò peſtilẽtiorem. Si enim Chriſtus non vltrà eſt moriturus, ecquis illam ſoluet? Certè nullus. ſubeunda ergo æterna eſt. nec enim amplius adeſt ſenſibilis, vt hæc, corpus cõſopiens, & ab anima ſeparans.

17. Luc. b Laus ab hominibus & Deo.

77 Hoc Chriſti verbum inſcribamus & parietibus, & ianuis, & menti, dicamuſque continuè nobiſipſis, Væ vobis, ſi quando nos omnes homines laudauerint: ipſi enim quoque laudatores, te tamẽ velut vani honoris cupidum, præconijque ſui ſtultè amantem, vituperabunt. Non ita Dauid: ſed cùm te viderit eius quæ ab ipſo eſt gloriæ cupidum, tum te potiſſimum celebrabit. Aliter homo, vt qui vbi te pro libero ſeruum acceperit, nudo plerunque verbulo falſam tibi laudem gratificatus, veram abs te mercedem aufert, & hominem homo ſibi magis quàm emptitium quemuis ſubijcit.

Serui hominum & non Dei.

78 Habent ſeruos eiuſmodi, qui eorum dominãtur, præceptis ſuis obedientes. tu etiam ſine præceptis ſeruis. nec enim expectas quicquam ab ijs præcepti audire, ſed vbi primum noueris tantùm quo eis pacto gratificari poſſis, nihil non facis, ipſis etiam nihil præcipientibus, qua non igitur gehenna dignus, Deum nullo non die præcipientem, nec ſic audiens?

Gloriæ amor.

79 Graue quidem, omniq́ue plenum inuidia, in politicis rebus gloriam ſectari, cùm idem feceris in ſpiritalibus, ne tantum quidem honoris Deo tribuere, quantum ipſe à domeſticis habeas? Quis veniæ tibi locus? Seruus ad Domini oculos reſpicit, ad herum mercenarius, & ad præceptorem diſcipulus; tu contrà omnino, remunerantem Deum Dominumq́ue relinquens, ad conſeruos reſpicis, etſi bene noueris Deum rectè factorum tuorum in futurum quoque recordaturũ, hominem verò tantum ad præſens, & quidem vtcumque.

Seruus. Mercenarius Diſcipulus.

Athleta.

80 Cùm habeas theatrum in cælo conſtitutum, ſpectatores tamen in terra tibi deligis & colligis. Athleta quidem vbi certat, ibi & probari cupit. tu cùm in ſuperioribus certes, in inferioribus coronari quæris.

Coronarũ varietas.

81 Videamus, ſi placet, & coronas. Illa quidem ſuperbia conſtat, hæc inuidia, adulatione iſta & ſimulatione, propter pecunias & alia. Eſt & quædam ex ſeruili miniſterio, aut vt pueri ludentes fœno alios coronant, & poſt tergum irrident. Ita te qui in faciem prędicant, & clam ſubſannãt, quid aliud, quàm quod & nobis inuicem fœnum coronantes

imponi-

Math. 6. Recepe-runt mer-cedẽ ſuã.

imponimus? Et vtinam nihil aliud quàm fœnum. nunc autem multo etiam damno, nedum vtilitate, plena eſt hæc laudis humanæ corona. nam omnia noſtra rectè facta perdit.

23 Amor diuinus & humanus

82 Apud homines ſi quem alius dilexerit, repugnabit illius amator: Deus verò ſui te amoris ita cõmunione dignatur, vt non communicantẽ oderit. Humanus quidem amor zelo & inuidia plenus eſt, diuinus verò ab omni eiuſmodi affectuum morbo liber eſt. Et ideo quærit qui ſecum in amore communicent. Dilige, ait, mecum, & tum potiſſimum te magis diligam. Si dilectos meos dilexeris, putabo me plus à te diligi.

Aurifabri.

83 Aurifuſorum quidem pueri minuta etiam fragmenta curioſè conquirunt: faſtidioſi verò lectores aut auditores quidam, quædam in ſcripturis quaſi ſuperflua, nihilque momenti habentia prætercurrunt, vt in euangelijs genealogias, in epiſtolis, eorum qui ſalutantur catalogos, tantas vtique auri maſſas negligunt, & magni ſe nihil ex huiuſmodi locis lucrifacturos arbitrantur, in quibus magnum eſt theſaurum inuenire.

Scripturę nihil non aureum. 9. in 1. Cor.

Auari raptores.

84 Hominum oculi ſi quando pauperes intuentur, ingemiſcunt: raptores conſpectis pauperibus magis ſæuiunt. Illi ſua vt ſua, aliena vt aliena conſpicantes, alijs propria effundunt: quæ alij dantur, non cupiunt: hi niſi omnia omnium auferunt, non deſiſtunt. Illi nudum ſuum corpus, quaſi alterius eſſet, videre non patiuntur: hi niſi omnia domum conferant, non ſatiantur: ferinos ergo habent, non humanos.

Auari beluis inſatiabiliores.

85 Imò nullò vmquam expleri poſſunt tempore: & ferinas habent manus, aut feris etiam immaniores. Vrſi lupique cùm ad ſatietatem ederunt, cibo abſtinent: hi numquam ſatiantur. Tu ſi pecudem fera lacerat, ægrè fers: cùm id in proximum tuum facis, nihil te mali facere arbitraris? Et qua ratione homo es? humanum enim dicimus hominem humanitatis plenum: crudeliter aliquid & immaniter operantem, inhumanum.

Auari feris efferatiores.

86 Figuram quidem hominis à miſericordia, ferè autem ab immanitate deſcribimus, dicentes, Numquid homo fera vel canis? Horum certè ora, ferarum ora, vel potius quàm ferarum ſæuiora, verba magis venefica, & cædium plus machinâtia. Sic inhumanitas ex hominibus qui ei ſe dedunt, feras facit, feriſque peiores, quòd hæ natura tales ſunt, hi naturalem manſuetudinem in immanitatem vertunt.

Auari dæmonibus peiores.

87 Quorum adeo mentem ſi quis inueſtiger, eos iam non feras tantùm, ſed & dæmones dicat, & ducat. Nam dæmones quidem eos modò, qui in tentationibus conſentiunt, exuperant: in eos qui iugum detrectant, nihil inſidiando proficientes: hi verò obnixè repugnantes, eos quibus calumnias ſtruunt, ſuperare contendunt.

Auari dæmones & feræ, non homines. Pſalm. 48.

88 Dæmones rurſum cum hominibus, non cum eiuſdem generis certant dæmonibus. Hi verò cõſanguineos & familiares perdere conantur, nec eos naturæ pudet. Ideoque Dauid eos ab hominum expellit conſanguinitate. vbinam ergo tales conſtituenvs? Extrinſecus feras, intus dæmones.

13 Pictores Paulus mundi pictor

89 Pictores quidem domi incluſi quietè ac diligenter omnia faciunt, nemini oſtium aperientes. At Paulus tabula in medio terrarum orbe poſita, omnibus repugnantibus, turbantibus, tumultuantibus, regiam hanc vniuerſi mundi ſenſibilis & intelligibilis imaginem pingendo perfecit, nec prohibitus eſt.

36 Plutus diuitiæ recõditæ quaſi bellua recluſa.

90 Quæ fœlicitas in Pluto eſſe poteſt? niſi forte qui cum belluis congrediũtur fœlices dicas, quòd raras illas beſtias includentes, ſibi quidem ſeruent, & ſpectaculo proponant, accedere tamen non audeant, aut attingere: horreant magis, & contremiſcant. Tale quiddam diuites patiuntur. Plutum vt truculentam belluam includunt, & ſexcenta

A

quotidie vulnera ab illo accipiunt, ſed contrario belluis modo. Hę enim, ſi producas, in obuios ruũt: ille ſi includas, ſi ſerues, poſſeſſorem inuadet, perdetque. Hanc nos belluam mãſuefaciamus. erit autem, ſi non includatur, ſed hominum manibus permittatur: quibus attrectatus, mãſuetus eſſe diſcet.

38 Diues pictus & viuus.

91 Ob inexpectata bona malàue ne maceremur. nec enim cum pictos in tabella diuites videmus, dignos admiratione putamus, vt nec medicos iſtic exaratos, miſeros, ſint picti licet viuis noſtris diuturniores: faciliuſque licet pictus in tabella diues, quàm in rerum natura cõſiſtat: in cẽteſimum ſæpe annum tabella durat: cùm qui tam bellè ſibi diues placet, vnius anni ſpatio rebus omnibus exuatur.

40 Bona carnalia & ſpiritualia. Math. 25 Luc. 19.

92 Opes eripi congerique niſi alterius detrimẽto non poſſunt: in ſpiritualibus verò ſecus, imò cõtrà diteſcit nemo ſolus, niſi alium vnà iuuet. Quàtiſper enim neminem iuuas, ditari nõ potes. In cæteris rebus communicatio, decrementum: in ſpiritualibus incrementum parit. qui nihil cõmunicat, ad inopiam redigitur: & qui talentum ſapiẽtiæ defodit multorum vtilitate neglecta, ſuis ſe facultatibus fraudauit: qui alijs impertijt, ſapiẽtes alios reddidit, & ſuas facultates auxit. Eadem in cæteris ſpiritus donis regula. In regno Dei qui poſſidet, quò pluribus dat, hoc fruitur magis: & plus donũ multiplicat. qui ſuæ ſibi fælicitatis conſortes non adſciſcit, bonis omnibus cadit. Bona ergo rapiamus, quæ diripiendo creſcunt, non diminuuntur.

B

93 Ab aëre quoque & ſole licet hæc reputes: omnibus hæc vſurpantur, omnia implẽt: & ſiue fruamur, ſiue non fruamur, eadem ſemper manent. Illa verò quæ dixi ſpiritualia, maiora ſunt atque meliora multò, denique alia. nec enim ſiue caremus, ſiue non caremus, eadem manent, ſed cùm diſtribuuntur, etiam creſcunt.

Manna. Exod. 16.

94 Qui plus quàm permiſſum erat, Mannæ colligebant, hi non Manna, ſed vermium plus, & putredinis tum retulerunt. idem auaris accidit & voluptarijs: vt plus detrimenti reportent, plus ijs ſit ſtercoris, quàm lucri & voluptatis: ſed hi tantò deteriores quàm illi, quòd Hebræi quidem ad errorẽ ſemel commiſſum, agnitum, reſipuerunt. Ebrij hi & auari vermem tantò moleſtiorem in ſuos ipſorũ ventres & domos inferunt, nec ſatiantur, ne ſentiunt quidem. Ij vano conatu perſimiles, ſed pœna longè maior. Quid enim locuples à paupere differt? num vnum vterque corpus veſtit, ventrẽ nutrit? Curis puto quibus miſer conſumitur, Dei neglectu, corporis inquinatione, animi perditione, diues auarus pauperem præcedit.

C

Diues quibus à paupere differat.

41 Geniturę & ſepulturæ ſationes.

95 Diuerſa eſt geniture & ſepulturæ ſatio. & hãc enim ſemen Paulus vocat. vulgarem illam, cura, labores, pericula, mortalitas, corruptio, mors ſequũtur. hanc, & eam quoque vulgarem, ſiquidem rectè vixerimus, præmia, coronæ, immortalitas, incorruptio, & mille præterea bona comitantur. In illa cõplexus, ſomnus, voluptas: in hac vox vna de cælo deſcendens confeſtim fœcũdat omnia. Ex illa qui ſurgit, in ærumnoſam iſtam vitam ducitur: ex hac qui reſurgit, huc non reducitur, dolor, triſtitia, gemitus, mala omnia ponuntur.

D

Serm. de libello repudij. Serui dominos mutant, non vxor viros.

96 Seruis quidem licet mutare viuentes dominos, vxori autem viros minimè. viro enim viuente, mulier ſerua eſt, & legi ſubdita, alligataque, adulterij, etiamſi millies repudij libellum det, lege alligãda. Nec mihi leges ab exteris conditas legas, eum præcipientes & diuelli. ſecundum ſuas Deus, non ſecundum illas iudicabit, etiamſi ne illæ quidem id ſimpliciter & abſolutè, ſed factum puniunt. & hinc liquet quòd peccatum ægrè tulerint, nec factum commendauerint, repudij nimirum autorem nudã & facultatibus ſpoliatam eijcientes.

Serm. de fide, ſpe, & charitate. 1. Cor. 9.

97 In ſtadio terreſtri vnus modò qui prior venerit, coronatur: in cæleſti, quiſquis peruenerit. Omnes quidem currunt, ſed vnus accipit. Sic currite,

vt acci-

Digitized by Google

Stadium terreſtre & cœleſte.

vt accipiatis.illi vt corruptibilem,vt nos incorruptam.Illic velocitas quæritur corporis, hîc animi optatur affectus. Illic feſtinans & properans, hîc perueniens & perficiens coronatur. feſtinatio etenim fatigata nonnunquam deficit: fœliciter verò peruenit,quem lætum iter ad deſtinata perducit.

Sermo de collatione in ſanctos. 1.Cor.16 Theſaurus terreſtris & cæleſtis.

98 Vnuſquiſque,ait Paulus,apud ſe reponat aut ſeponat recondens ſeu theſaurizans. Cur non dixit,colligens? vt diſcas quòd ſumptus ille theſaurus ſit.theſaurus autem omni theſauro melior. Nã ſenſibilis theſaurus & inſidijs petitur, & imminuitur, & ſæpe peſſundat inuentores. Cæleſtis autem alius.inſidias ignorat,auferri nequit,ſolers eſt poſſidentibus & accipientibus, non conſumitur tempore,non perit inuidia, ſed prorſus eiuſmodi iniurijs ſuperior, multa colligentibus affert bona: vt expenſæ huiuſmodi quæſtus & lucrum ſint.

20 In 2.Cor. Fragrãtia ſenſibilis & altaris.

99 Senſibilis quidem fragrantia non multum aëris penetrat. Hæc verò,altaris inquam, fumus & fragrantia,quæ committitur ſcilicet & infunduntur,gratiarum actio,eleemoſyna,oratio,ſacrificium laudis,preces, quouſque procedunt? num ad cælum vſque?minimè:cælum ipſum tranſcendunt, & cælorum apſides aperiunt.

23 Nuptiæ mundi & Chriſti. 2.Cor.11

100 Deſpondi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.O noua res!In mũdo virgines maneant ante nuptias,pòſt non item:Hîc autem non ſic.Non ſint licet virgines ante has nuptias, poſt eas virgines fiunt:ſic omnis eccleſia. & hæc enim omnibus loquitur cõiugatis & inconiugatis. Dos regnum cælorum,non vel aurum, vel argentum.

Centuria ſecunda.

1 In id, Vtinam ſuſtineretis, &c. 2.Cor.11 Amor externus & ſanctus.

AMore quidem externo ſuccumbentes fateri palam diſpudet,tamquã deterritos tum ſui pudore,tum audientiũ periculo. Sancti ſuũ amorem nũquam tacent, vt honeſta cuius profeſſione ſibi & auditoribus iuxtà proſunt. Amor enim ille vitio datur, hîc laudi. Ille anim imorbus eſt & opprobrium, hîc animæ lætitia & exultatio.Ille bellum in amantium inuehit cogitationem,hic bello ſi quod fuerit eiecto,pacem ſubſtituit.ex illo vulgari non modò nihil emolumenti.ſed ingens quoque rei familiaris iactura,ſumptus inanis, vitæ pernicies, ædium denique à fundo ſubuerſio.ex honeſto hoc qui ſpectat animorum decorem, multæ opes bonorum operum,magna virtutum ſupellex.

Amatores formarũ & virtutum

2 Bonam corporis formam adamantes, & ad faciei ſplendorem inhiantes,turpes ſint,& inelegantis formæ,nec ad mutandam deformitatem quicquam ex concupiſcentia lucrantur, quin ſemper in peiorem abiectioremq; oris habitum abeunt. In hoc contrà fit amore. quiſquis amat animam ſanctã verè pulchram, turpis licet ingratiq; aſpectus, adeoque vel omniũ fœdiſſimus,in hoc modò amore ſancto perduret, continuò talis erit, qualis eſt quem amat,verè ſcilicet pulcher ac formoſus.

Animum emẽdari poſſe, nõ corpus.

3 Diuinæ benignitatis argumentum eſt , quòd corpus mutilum ac deforme nequeat emendari: anima verò turpis & manca in priſtinum facilè decorem reformetur . Hinc ex vultus bonitate, boni ac emolumenti nihil, ex animæ autem pulchritudine tantum licet bonum lucrari, quantum poſſidet qui Deum habet amatorem. Audi, ait, filia, & concupiſcet rex decorem tuum . Decorem vtique ſecundùm animam,qualis virtute ac pietate contingit. (Pſalm.44)

Ad Gal 1 Medici Latrones Homicidæ Martyres.

4 Medici & carnem ſecant,& oſſa nonnunquam frangunt:quæ frequenter eadem latrones faciunt. An non igitur extremæ fuerit infelicitatis, ſi nequeamus latronem à medico diſcernere? Rurſum homicidæ pariter torquentur vt martyres : at non quia eadem tormenta patiuntur,eodem vtrique loco habentur, ſed plurimum intereſt inter hos & illos. Etiam alioqui, Samuelem & Phinees homicidas, parricidam etiam Abrahamum cenſebimus, ſi verba nuda, nudas res,non etiam cauſas & animos expenderimus.

Hom. 2. Spiritus ſanctus character in Iudæis & Chriſtianis aliter.

5 Paulus nos docet non à cæteris tantum delectos,ſecretos & ſepoſitos , verùm etiam ſignatos: vt ſi quis quos ſibi compararit,familiari aliqua nota notiores reddat, ita nos Spiritus ſancti charactere inſignit, vt hæreditatem futuram poſſideamus: Quamdiu in diuinæ mentis præſcientia fuerunt homines, nulli dum erant manifeſti : vbi eos figurauit Deus , manifeſtati ſunt . Cæterùm non vt vos fideles . Erant enim præter paucos manifeſti. Signati ſunt etiam Iſraëlitæ, ſed circunciſionis nota,vt pecora & bruta.Et nos ipſi ſignati ſumus, ſed vt filij , nimirum Spiritu ſancto, quem ex pacto accepimus. (Circumciſio)

Victoriæ ſpecies luctari nec vinci Athletæ.

6 Qui luctatur,adhuc detinetur.iucundum tamẽ eſt etiam non cadere. Tunc illuſtris ſcilicet erit victoria, cùm hinc exceſſerimus, v.g. concupiſcentiam malam admirabile quidem fuerit non admittere,ſed & extinguere, ſi nequiueris luctando cohibere.Luctatus enim ſi exceſſeris,viciſti.nam non hîc res habet, vt apud athletas. hîc niſi aduerſariũ deieceris ,non viceris . hic viceris ſi deiectus non fueris.Ritè aduerſarium deieceris, ſi deiectus minimè fueris. Illic ambo certantes vincere ſtudent. & ſi demum alter deiectus fuerit,coronatur alter. Hic non ita:ſed diabolus huc laborat, vt nos inferiores reddat.Illi ergo,ſi quod ſtudet, abſtulero,vici. non vrget vt ſimpliciter deijciat, ſed vt ſecum pariter deijciat.Victus autem iam eſt,quia deiectus.eius verò victoria non in eo eſt vt coronetur,ſed vt perditos perdat.Vici ergo etiamſi eum non deiecero,deiectus duntaxat non fuero. (Diaboli vincere, & vinci.)

Iniuriæ contra diabolũ nõ contra fratres meminiſſe.

7 In externis hoſtibus iniuriæ memorẽ eſſe malum eſt:aduerſus diabolum, bonum atque laudabile,furor & ira vtilis.vitia ſi habes, contra illum exercere laudem habet. ſi ea deponere nequis,potius quàm in eos qui mẽbra tua ſunt,huic inimico ſemper inimicus, acerbus, immitis eſto, non fratribus: ſic abiectus erit,& captu facilis:ſæuus,ſi nos in eum ſæui erimus, non futurus ſæuus contrà ſi manſueti fuerimus.

25 Arma carnalia & ſpiritualia.

8 Nihil arma proſunt,ni primùm ſit ordinatus & inſtructus exercitus , & adſit animus militis mẽtem excitans.Oportet enim primũ intus armari,deinde foris.Si apud externos ita milites res habet , multò magis & apud ſpirituales : imò verò apud hos foris non licet armari:ſed omnia ſunt externa.

De profectu euangelij. Dux & exercitus. Paſtor & ouile. Vincula Pauli & mundi.

9 Non iuxta humanum morem Pauli fuerunt vincula,vt amorem, non timorem : fiduciam, non anxietatem inijcerent & alijs:& vnde alij anxij,inde fidentes redderentur. Si quis ducem capit , & conſtringit, ſitque id alijs manifeſtum, vertitur in fugam omnis exercitus. Paſtorem ſi quis abducit ab ouili,nullo negotio abiguntur oues. Hic nõ ita, ſed ſecus per omnia euenit. Duce victo fiebant alacriores milites , maioribuſque animis in aduerſarios irrumpebant.paſtori conſtricto nec auferebantur oues, nec diſſipabantur. Ecquis vidit, quis audiuit à magiſtrorum aduerſitatibus diſcipulos ſolatium capientes , non verò timentes ? Quomodo non dicunt, libera teipſum, & nobis quoque conſultum erit ? Quomodo ? Edocti non hæc ex infirmitate Pauli , ſed Chriſti permiſſione fieri : vt etiam ſic veritas effulgeret, creſceret, atque altius erigeretur.

Homil.1. Col. Pauperes ad prandium vocandi. Luc.14.

10 Amicos qui ad prandium vocat, nihil magni facit. recepit enim hunc mercedem : qui pauperẽ , Deum habet debitorem . Retribuet , ſi non retribuerit homo : retribuerit, non eſt retributurus Deus. Amicum ſi vocaueris, ad veſperã vſque durabit gratitudo.ſin pauperem,nunquam ea peribit.

Digitized by Google

Debitor enim Dominus perpetuò reminiſcitur, nunquam obliuioni tradet. Vulgaris amicitia velocius quouis momento conſumitur.

Menſæ diuitum & pauperū.

11 Inſtruantur menſæ duæ, vna pauperibus omne genus repleatur, diuitibus altera. illîc argenti nihil, nec vini multum, ſed quod tamen ad hilaritatem ſufficiat: hîc vaſa aurea & argentea, miniſtri multi atque ſplendidi, & ſumptuoſa fercula. In vtra eſtis accubituri? In hac veſtrum, opinor, plurimi: ego ad illam propero. Hæc homines, illa Chriſtum: ſeruos hæc, illa dominum habet recumbentem. Itaque etiam ſic maior illius, quàm huius voluptas, quantò iucundius cum rege, quàm cum famulis accumbere.

Prādium diuitum.

12 In illa ego, quique mecum eam elegerint, multa cum libertate animique delectatione & loquemur, & audiemus omnia: vos autem in hac trementes ac timidi ſimulque diſcumbentes ſubueritique, manum quidem protēdere audebitis, quaſi ad pædagogum, non ad prandium ingreſſi, & coram moleſtis ac ſæuis dominis trementes, & ſeruorum more eadem cum heris menſa communicantium abiectè loquentes. Nos verò non ita. Duplici ergo nomine vos ſuperamus, libertate ſcilicet, ac honore: quibus quod ad voluptatem attinet, nihil conferendum.

Pædagogium.

Prou. 15.

Paraſiti.

13 Ego quippe malim cum libertate, amicitia, gratia panem & olera, quàm cum ſeruitute & inimicitia vitulum ſaginatum, & mille fercula. Quidquid enim diuites dixerint, coguntur laudare qui præſentes ſunt, aut certè offendere, niſi paraſitorum locum ſubeant. imò illis etiam peiores ſunt. hi enim cum dedecore licet, liberè tamen opprobrandi ius habent: vobis verò nec hoc quidem licet, tantam illic vilitatem habentibus, honorem non item. Priuata ergo omni iucunditate diuitum menſa, pauperum quauis animi delectione referta eſt:

14 Sed ferculorum quoque naturam deſcribamus. illîc vel inuito neceſſe eſt multo cibo vinoque rumpi: hîc nihil nolentem cogit comedere, vel bibere. ita voluptatem eius, quæ ex ciborum eſt qualitate, repletionis illic occupans aufert moleſtia, corpora non minus corrumpens & dolore afficiens, quàm fames, imò multò peius. eſt enim fames repletione tolerabilior: illam viginti dies ferre poſſes, hanc ne ſolos quidem duos. Qui cum illa continuè luctantur, in agris nempe, ſani ſunt, nil opus habent medicis. Hanc, niſi continuè medicos voces, vtique non feras: imò & medicorum hæc tyrannis auxilium ſæpe fallit. Potior itaque pauperum menſæ voluptas, quantò honor ignominia ſuauior: ſui iuris eſſe, quàm ſubeſſe: liberè loqui, quàm tremere: iucundè agere, quàm meticuloſe: neceſſarijs quantum ſatis eſt frui, quàm delicijs menſuram excedere: & pauca inſumerè, quàm multa.

Fames repletione tolerabilior.

Medici.

Conuiuæ & conuiuator.

15 Nec conuiuis modò, ſed & cōuiuatoribus plus affert voluptatis. Qui diuites ad prandium vocat, id multos ante dies præparat & accurat: nec noctu dormit, nec die quieſcit, multa ipſe comminiſcens: plura coquis, propinatoribus & ſtructoribus præcipit facienda. Imminente conuiuij die, timidior, quàm quibus depugnandum eſt, ne quid contra præſcriptum fiat, ne quis inuideat, cauilletur, criminetur, aut exprobret, & multos inde acquirat irriſores. Hac omni cura liber eſt, qui pauperes inuitat, menſam ex tempore parans, nihil diu antè curans.

16 Ad hæc poſt omnia tot tātaque mox ille gratiam perdit, Deum iſte debitorem habet, bona ſpe nutritur, ſingulis diebus ab iſta menſa ſaturatus, cibis quidem conſumptis, ſed non conſumpta gratia, quotidie magis gaudet, quàm qui adeò cibi viniique multum ingurgitat: vt nihil animum tam oblectat, quàm bona ſpes & placida.

Spes bona & placida.

A 17 Videamus reliqua. Illîc tibiæ, lyræ, fiſtulæ: hîc hymni & pſalmodiæ. illîc laudantur dæmones: hîc omnium Deus. hîc gratia: illîc ſtupor & ingratitudo. Nam dic mihi. Pauit te Deus ex bonis ſuis: vnde paſtum te oportebat gratias agere, tu dæmones introduces? Quæ enim muſicis canuntur inſtrumentis, vix aliud quàm dæmonum ſunt cantilenæ. Dicendum erat, Benedictus es Domine, qui me aluiſti. At tu nec horum, vt canis quidam recordaris.

Gratiæ poſt cibū nō ſiſtulæ.

18 Imò canes ſiue quid accipiant, ſiue nihil, domeſticis adulantur, herum mulcent: tu non ita: ſed & cum acceperis, in Dominum ſæpe latras. Rurſum canis ſi quid ab alieno acceperit, nec ſic inimicitiam aduerſus illum remittit, nec ad amicitiam eius trahitur. tu innumera à dæmonibus mala paſſus, eos ad conuiuia tua admittis. Ille famem etiam patiens, hero adulatur: ſi quem curatum à dæmone audieris, mox Deum tuum deſeris.

Canum mos in domeſticos & alienos.

19 Sed vis & finem videre? A menſa illa ſurgentes, inſanis & amentibus ſimiles ſunt, iracundi, temerarij, ebrij, ſobrijs mancipijs ridiculi. hi prandiū

B gratiarum actione claudentes, domum ſic abeunt, iucundè dormiunt & exurgunt, omni turpitudine liberi: illi tales intus, quales foris, cæci, claudi, & mutili: & qualia eorum corpora, tales animæ iiſdem morbis correptæ: horum & corpus, & anima ſplendida, ornata & alacris. Illis finis voluptas, riſus, ebrietas, turpiloquium, inſania: hîc benignitas, māſuetudo, & gratiarum actio.

Ebrij domini ſeruis ſobrijs ridiculi.

20 Nec Dei tantum gloria, ſed maior & ab hominibus commendatio. Illi etiam inuident, hîc veluti communem patrem ſuſcipiūt omnes, nullo etiam beneficio affecti: nec minus prædicant, quàm quibus factum eſt bene. illîc inuidiæ multum, hîc prouidentiæ plus & auxilij, multæ ab omnibus precationes.

Beneficī laudāt & quibus bene nō ſit.

C 21 Et hæc in hac ſanè vita: in futura autem cùm Chriſtus venerit, ſtabunt hi multa cum ſecuritate, coram orbe vniuerſo audientes: Eſurientes vidiſti, & pauiſti, &c. illi contraria, O ſerue male, piger, &c. Et, Væ delicatis, ſomnolentis, vinolentis, delibutis, vnctis. Et hæc ceu firma putarunt, non fugacia.

Math. 25. Amos 6.

22 Quid igitur, inquis, ſi & iſta & illa fecero, diuitibus ſcilicet & pauperibus communia? Multus hic in ore omnium ſermo. Et quid neceſſe eſt? cum poſſis omnia vtiliter facere, & quæ nihil proſunt, ab iis quæ vſui ſunt diſcernere. Si colligenda eſſet pecunia, non hoc diceres, ſed vndique colligeres: hîc verò non ita: Si fœnerandum ſit, non dicis, cur hæc egentibus, illa diuitibus dabimus? Demus his omnia. hîc verò vbi lucri tantum eſt, nō reputabis iſtud, & ceſſabis vanè ſumptum facere, & fruſtra bona perdere.

Date omnibus paſſim diuitibus & pauperibus.

Fœnus.

D 23 Sed & illinc, aiunt, lucrum eſt. Ecquod quæſo? Amicitias auget. Nihil amicis vilius ita comparatis: nihil talibus paraſitorum amicitijs frigidius. At pauperum menſæ amicitiam generant erga Deum auctam atque cumulatam. Qui partim in pauperes, partim & in diuites inſumit: det licet multa, nihil tamen magnifacit. Qui omnia in pauperes impenderit, modica dederit, totum tamen perfecit. Non quæritur quàm multa des, aut modica, ſed an non minus quàm poſſis. Vidua quæ pauit Eliam, quæ duos obolos in gazophylacium miſit, non dicebat: Quid nocuerit ſi vnum quidem obolum mihi retinuero, alterum autē dedero? Sed omnes vitam ſuam dabant. Tu verò in tanta abundantia ſordidus es?

Amicitiæ menſæ.

Dare multum aut modicū. 3. Reg. 17. Marc. 12. Luc. 21.

24 Aliud in nouo teſtamento chirographum, nec quale prius in veteri: imò non vocetur hoc chirographum, ſed fœdus & pactum. Illud eſt quando quis pœnis obnoxius detinetur: hoc cùm ſatanæ ſcilicet renuntiamus, & Chriſto iungimur, pœnam non habet, nec dicit, ſi hoc, niſi hoc. illîc agebat

Baptiſma fœdus gratiæ nō peccati chirographum.

ſeruus

ſeruus cum domino, Moyſes teſtamenti ſanguinem aſpergens,cum Deo, hîc amicus cum amico. Illîc, quacumque die comederis, ait, morieris, minæ,maledictiones: hîc nihil tale. Et hîc,& illic nuditas. Verum illîc ex peccato nudatus eſt, hîc reconciliationis gratia nudatur. exuit ille quam habuerat gloriam: nunc exuit veterem hominem, tam facilè atque veſtimenta.

Gen. 3. Nuditas in baptiſmo.

Adā paulatim formatus. Vnctio ſacerdotū & athletarum.

25 Non quemadmodum primus homo naſcebatur,qui paulatim formabatur,ſecūdus homo ſimul & ſubito renaſcitur. Non quomodo ſacerdotes olim caput duntaxat,ſed multò amplius,caput inquam,autem, atque manum inungebantur, vt ad obedientiam & opera bona exercerentur:Hic verò totum athletarum more ſtadium ingredientium. nec enim inſtruendi tantùm accedit gratia, ſed & certandi,& exercendi.

Gen. 2. Baptizatus altera creatura.

26 In alteram creaturam euadit. Accepit Deus puluerem de terra,& finxit hominem: Hic ſpiritū, & refinxit. Nec in paradiſo,ſed in cælo: nec in terra. ſurſum enim accipit animam tuam Deus,& tráſformat. Vbi hæc inter angelos fiunt: ne putes in in terra eſſe quæ ſubiacet,iuxta regalem Dei thronum te recipit. fingitur quidem & in aqua nouus homo. Aliter verò accipit ſpiritum animantem. Adduxit Deus ad Adam formatum beſtias, ad baptizatum dæmones,& ipſorum ducem,dicens, Calcate ſuper ſerpentes & ſcorpios. Nec iam ait, Faciamus hominem ad imaginem noſtram,ſed dat poteſtatē filios Dei fieri iis qui ex Deo,inquit,nati ſunt.

Luc. 10. Gen. 1. Ioan. 1. Gen. 2. 3.

Paradiſus & cælum

27 Ponit eum Deus non amplius ad paradiſum cuſtodiendum,ſed ad conuerſandum in cælo. Coniungeris ei quod ſurſum ſedet corpori. es in cælo ſatanæ inacceſſo. non illic mulier, quam accedat, & vt imbecilliorem ſeducat. Non poteſt illuc vbi cōſtitutus es accedere,niſi ad eum deficias. Non vides lignum ſcientiæ boni & mali,ſed vitæ lignum duntaxat. Non amplius ex latere tuo mulier, ſed omnes vnum ſumus ex latere Chriſti.

Lat. Adæ & Chriſti Ioan. 19

11 Captiuorum tractandorū mos.

28 Maius neſcio quid Paulus de ſe dicit, quàm prophetæ. Illi aduenas ſe vocabant & peregrinos, hic captiuum. Ad captiui enim modum ducebatur atque tractabatur,& omnibus patiendi forma proponebatur. imò peius etiam habebat,quam captiui. nam illos quidem hoſtes captos in magna deinceps ſecuritate conſeruant, curam eorum habentes, tamquam rerum & poſſeſſionum ſuarum: hunc verò vt hoſtem agebant & ferebant omnes, eum diſtrahentes, verberantes, vituperantes, calumniantes,& quid quæſo non?

Hom. 18. in 2. Cor Sacra Iudæis non cōmunia Hom. 4. in 2. Theſ.

29 Eſt vbi nihil differt ſacerdos à ſubdito, vt quādo fruendum eſt horrendis myſterijs. ſimiliter enim omnes vt illa percipiamus digni habemur. Non ſicut in veteri lege, partem quidem ſacerdos comedebat,partem populus:&non licebat populo eorum eſſe participem, quorum particeps erat ſacerdos: ſed nunc non ſic. vnū enim omnibus corpus proponitur,& poculum vnum. Cuncta vobis & nobis paria,bonorum etiam principalia. Non enim nos abundantius,& vos minus de ſacra menſa participamus,ſed æquè illam vtrique & pariter deguſtamus.

Sacra Chriſtianis eadē, paria & cōmunia

30 Nec verò ſi ago primus, ergo magni aliquid fuerit,cū & apud pueros ſenior primus in cōuiuio manū mittat. nihil tamē hinc prærogatiuæ. omnia nobis paria,eadem ſalus, eadem vita cum eodem vtrinque honore datur. Non de alio ego, de alio vos, ſed de eodem agno participamus. Eundem vtrique baptiſmum habemus, eodem Spiritu dignati ſumus, Chriſti ex æquo fratres : ad idem regnum luctamur & properamus. breuiter omnia nobis ſunt communia.

Paſtorū progregeſ cura. Lætitia materna.

31 Vbi ergo eſt in quo vos excellā,vobis diſſimilis? In curis ſcilicet ac laboribus,in ſollicitudine ac dolore, quo veſtri gratia premor. At nihil hoc dolore ſuauius. Nam & mater pro filio dolens, dolore delectatur, ſollicita gaudet. Cura in ſe amara licet ſit,pro liberis impenſa voluptatis multum habet.

32 Complures veſtrum genui, ſed etiam poſt partum doloribus corripior. Apud corporales quidem parentes præcedunt dolores parturitionum,& tunc partus ſubſequitur. hic verò ad extremum vſque ſpiritum dolores ſunt,ne qua etiam poſt partum fiat abortio. ita ſi quiſquam alius qui genuit, ego curis rumpor.

1. Cor. 4. Galat. 4.

Puerperarum dolores.

33 Neque vt vulgares parentes,ex nobiliſſimis generamus,ſed totum eſt diuinæ gratiæ: Si ergo vtriq; per Spiritum generamus, Deus inquam & nos: non errauerit aliquis, ſi & eós qui à me nati ſunt illius: & eos qui ab illo, meos eſſe dicat. Manus ergo porrigite, vt vos gloria in eo noſtra ſitis,& nos veſtra.

Paſtores parentes.

34 Ea eſt peccati natura,habet antequam perpetretur, voluptatem: quæ, vbi conſummatum fuerit, ceſſat & marceſcit: ſubit autem continuò triſtitia. Iuſtitia contrà labores habet initio, voluptatem verò in fine & requiem. Neque illic voluptas iucunda expectatione, neque hic labor moleſtus præmij ſpe.

Hom. 2. in 1 Tim. Voluptas vera & falſa.

35 Ebrietas in hauſtu ſolo voluptatem præbet: imò ne in bibendo quidem voluptas ſæpe deprehenditur. Cùm enim præ ebrietate qui amens fit,& amente deterior, ſic vt præſentium neminem intueatur: quis iam voluptati locus? Ne in libidine quidem voluptas. Quæ enim voluptas dentes feruore collidere,oculos verſare, vltra debitum modum incaleſcere, & præ morbo vitioſo iudicium ſenſus amittere? ſic enim ſcabies voluptatem haberet. ſi ea voluptas eſt, noli eā effugere, in ea perſiſte. atqui ab ea citius euadere ſtudemus,& poſtmodum dolore conficimur. adeò nō eſt illa voluptas vera, cùm ſcilicet & anima nulla perturbatione diſtrahitur,& corpus nulla impedimēta perpetitur. ſed voluptatis tantummodo nomen habet.

Ebrietas. Libido.

36 Noſtra autem non huiuſmodi ſunt, ſed omni iucunditate pleniſſima, liberam ſubeunt animam, lætificant,& ſuauitate perfundunt, nec cum obſcœna flamma voluptatem præſtant: qualis Pauli cùm diceret, Et in hoc gaudeo,ſed & gaudebo. Et, Gaudete in Domino ſemper. At falſa quidem illa voluptas & confuſionem habet, & deſperationem, clamque committitur, innumeris plena peſtibus, noſtra libera eſt.

Philip. 1. 4.

37 Nemo gentilis eſſet,ſi nos, vt oportet, Chriſtiani eſſe curaremus. nemo tam fera eſſet bellua, quæ ſi tales nos videret, non ſtatim ad veræ religionis cultum accurreret. Si qualis Paulus tam multos ad Dei attraxit notitiam, omnes eſſemus huiuſmodi, quot terrarum orbes attrahere & ipſi poſſemus? plures enim Chriſtiani quàm gentiles ſunt. In artibus reliquis centum ſimul pueros vnus docere ſufficit: hic autē cū plurimi ſint magiſtri, ideóque diſcipuli multo plures eſſe debeant, nullus tamen accedit, nullus attrahitur. Cùm enim diſcipuli doctorum ſemper vitam intueantur, eadem ſecū nos appetere & fugere, & reprehenſibilem Chriſtianorum vitam videntes, quomodo religionem Chriſtianam admirarentur?

10 Chriſtianorū culpa gētiles minus cōuertūtur.

38 Deus nobis myſteria tantæ excellentiæ credidit, nos ei nec pecunias credimus, cùm hortetur & dicat, Veſtra mihi omnia ſeruanda permittite, nemo diripiet: non demolietur tinea, non latro ſuffodiet.& centuplum pollicetur ſe daturum: nec ſic quidem obtemperamus. Atqui ſi quid apud alium deponimus, nihil amplius accipimus, gratiaſq; agimus, ſi vel depoſitum totum receperimus. Si fur aliqua furetur, noſtro id faciet detrimento. At verò cæleſtis ille depoſitarius dicturus tibi non eſt, Latro accepit, tinea corroſit: ſed & hic centuplum reddit,& illic æternam vitam adijcit, nemo tamen apud illum deponere ſtudet.

11 Mat. 6. 19 Mat. 10. Depoſitarius Deus & homo.

18 Serui Dei & hominum.

39 Si non aliter, ſaltem vt famuli nobis noſtri, ita Deo ſerui, vitam illi omnem in hoc exponunt, vt nobis pareant, hoc illis opus, hoc ſtudium, vt dominos curent, ſua verò vix exigua diei parte. Nos contrà noſtra quidem ſemper: quæ Domini, vix vmquam curamus. A

Pſal. 15. Bonorũ noſtrorũ nõ eget.

40 Et quidem cùm noſtris Deus non egeat obſequijs, vt Domini famulorum: ſed hæc omnia noſtris cedunt commodis. Illîc famuli miniſterium domino prodeſt, hic ſerui obſequium domino nihil, ſeruo multum confert. Dic enim quæſo, ſi ego iuſtus ſum, quid inde Deus lucratur? quid perdit ſi fuero iniuſtus? nónne natura illi immortalis, inuiolabilis, & omni labe ſuperior?

Seruo nihil proprium.

41 Serui nihil habent proprium, ſed omnia domini ſunt, quantumuis illi diteſcant: nos plurima habemus propria: neque abſque ratione à Rege omnium honoris tantum accepimus.

Dominus Deus & homo. Rõ. 5. 8.

42 Quis vmquam Dominus pro ſeruo ſuo ſuum filiũ tradidit? nemo certè: ſed omnes pro filijs ſeruos dare eligent. Contrà hic filio proprio nõ pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: pro nobis inquam, omnibus, ſeruis, infirmis, impijs, inimicis ſuis eum odio habentibus. B

Serui grati & ingrati.

43 Serui, ſi grauia eis imperentur, ne ſic quidem indignantur, maximè ſi grati ij ſint. nos autem grauiter plurima ferimus. Erubeſcamus ſi vt nobis famuli ſeruiunt, ita nos domino ſeruire non ſtudeamus.

Libertas durior ſeruitute. Ioan. 15.

44 Seruis herus nihil tale pollicetur, quale nobis Deus. Sed quid? libertatem præſentem omni ſæpe ſeruitute duriorem: & vbi fames inualuerit, acerbiorem. pro ſummo tamen munere id habetur: apud Deum verò mortale nihil aut corruptibile. Sed quid? non vos, inquit, dicam ſeruos, amici mei eſtis.

Seruorũ philoſophica patientia.

45 Philoſophantur illi neceſſitate coacti, nihil plus accipientes quàm victum ac veſtitum neceſſarium: plerumque etiam minus, pane dumtaxat veſcentes, contenti ſeruili thoro dormientes, & vitam reliquam ſumma cum vilitate ducentes. nihil ſæpe delinquentes, fuſte & iniurijs anguntur, nec tamen interim contradicunt, non criminantur, non indignantur: tantum deprecantur, & philoſophos omnes ſuperant ſilentio. nos inter delicias iniurij ſumus. C

Hom. 4. in 2. Ti.

46 Verbum Dei non eſt alligatum, quaſi dicat, Paulus, Siquidem ſeculi milites eſſemus, viriũ aliquid haberẽt vincula quæ manus ligaſſent noſtras, ſi bella carnalia bellaremus. At nũc tales nos fecit Dominus, vt nos nihil deijcere poſſit. Vinciuntur quidem manus, ſed manet lingua libera, quam nemo ligare poſſit niſi formido & infidelitas, ea quãdiu abeſt, quantalibet quis inijciat vincula, prædicationis vox alligata non eſt. En nos etiam qui vincti ſumus, prædicamus ipſi tamen.

Vincula militis & prædicatoris.

Agricola concionator.

47 Si quis agricolam vinciat, ſementem impedit: manu enim ille ſerit. At doctorem ſi vinxeris, Dei verbum compedire non vales. lingua quippe, non manu ſeritur. quod nullis ideo ſubiacet vinculis. nam etſi vincti ipſi ſumus, illud tamen ſolutum eſt, & liberè currit quantò magis ſolutos vos id facere decet? D

6 Et 36. ad Antioch. Pecuniæ inſtabiles Virtus permanet

48 Ea demum verè noſtra ſunt, quæ nobiſcum perpetuò durant, cuiuſmodi virtutes. nam pecuniæ ne noſtræ quidem ſunt, nedum alienæ, ſed hodie noſtræ, cras minimè noſtræ, virtus verò ſemper noſtra: neque hæc illarum more minuitur: ſed cùm adſit omnibus, integra permanet. Hãc igitur nobis comparare ſtudeamus, & illas deſpiciamus, vt veris ſic æterniſque bonis frui mereamur.

10 Matt. 11. Regnum cælorum dum diripitur, augetur

49 Eſto diues; & hoc enim volo. poſſide, diripe, nulla hîc culpa eſt. hic non abundare, crimen: non diripere, culpa eſt. Non minuitur regnũ cælorum, dum diripitur. Hic rapax eſto, & violentus. Nec enim virtus ſcinditur aut pietas. tũc augetur, dum diripis. tunc contrà minuũtur temporalia, dũ diripiuntur. Sint in ciuitate decies mille viri, virtutem omnes iuſtitiamque rapiant, vberiorem illam fecere: quippe in tot fit millibus, & tot mille viri fiunt iuſti: quam contrà minuunt, niſi rapiant: nuſquam enim apparet. Vides, vt hæc verè bona, dum rapiuntur, magis abundant: terrena verò dum fuerint direpta, minuuntur.

50 Multas quidem moleſtias obeunt medici, dum ægrotos curant: victus rationem & pharmaca parant, voluptatis nihil, vtilitatis plurimũ habentia: patres item filijs moleſti. ita præceptores & doctores, & quidem multò amplius. Et medicus quidem aut erga ægrotum amicè habet, aut ei exoſus, erga cognatos eius qui eo libenter vtuntur, cõmodè. Pater item legibus naturalibus & externis munitus, multa libertate iure ſuo erga filios vtitur: vt ſi vel inuitos erudierit, & percuſſerit, nemo impediat, ne ipſi quidem filij reſpicere auſint. Sacerdotem verò multa grauat difficultas, multas puſillanimitatis occaſiones habere neceſſe eſt. Primùm quidẽ volũtarijs prodeſſe debet, & à quibus principatus ſui gratiã referat. Quî autem id cõtingere ſtatim poſſit, alios arguendo, increpando, ſua effundere admonendo, delicias prohibendo, grauia omnia & inuiſa iubendo, denique excommunicando? Omnino amiſſa gratia inuiſus redditur.

Hom. 10. in 1 Theſ.

Medicus

Paternũ ius.

Sacerdotum moleſtia.

51 Qui amara bibunt antidota, patienter quidem primùm moleſtiam ferunt, & ſoſpitatis tunc ſenſum percipiunt. Tale quiddã eſt etiam virtus, tale quoq; illic malitia. In hac primùm voluptas, pôſt ægritudo. In illa prius myſtitia, & tunc lætitia. Hic ſimile nihil. Non enim ſimile, cũ quis antè contriſtatur, poſtea gaudio fruiturus: & primò gaudere, pôſt in mœrores cadere. Quî hoc? hic futuræ triſtitiæ timor præſens gaudium minuit: illic futuræ iucunditatis ſpes triſtitiæ præſenti detrahit: vnde cõtingit vt prorſus illic verè numquam gaudeatur, hic autem numquam triſtitia dominetur.

Hom 30 ad Heb. Virtutis primum moleſtia temporalis, dein æterna lætitia.

52 Nec in hoc tantum differentia eſt & diſſimilitudo, ſed & in alio quoque, quia nec temporis in vtriſq; declaratur æqualitas; ſed multum intereſt: quia malitiæ gaudium temporale, & ſuppliciũ ęternum: in ſpiritualibus verò, virtutis moleſtia æquè temporalis, iucunditas æque ſempiterna.

Vitij gaudium primo temporale, pôſt æterna triſtitia.

Ex Tomo V. & primùm ex libris de ſacerdotio.

2 53 Paſtor grege maior.

QVanta inter ſe differentia, homines rationis vſum habentes, & bruta ratione carentia, diſſident: tantum ſanè diſcrimẽ inter eum qui paſcit, & eos, qui paſcuntur, eſſe velim, vt ne maius etiam exigam. ſiquidem in multò etiam maioribus rebus periculum hinc verſatur.

Paſtores ouium & hominũ.

54 Qui oues perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus, vel lue, vel alio caſu, veniam fortaſſis à domino gregis impetret. ſin ille pœnas exiget, dãnum non niſi pecunia conſtat. At cui homines rationales, Chriſti grex, crediti ſunt, hunc ouibus deperditis, non pecuniarum, ſed animæ propriæ iacturam facere oportet.

Dæmonũ cõtra paſtores certamen. Eph. 6.

55 Sed & certamen longè maius ac multò moleſtius ſuſtinete. Nec enim illi aduerſus lupos pugna eſt, nec à furibus timet: nec ſollicitus eſt, de peſte à grege abigenda. Contra quos igitur ei bellum? quibuſcum lucta? Non aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed contra ſpirituales nequitias, &c. terribiles ſanè aduerſariorum copias, non ferro quidem circumſeptas, ſed quibus pro vniuerſa armatura ingeniũ ipſis ſuum abunde ſatis eſt, præter alium quoque exercitum immanem ac crudelem, huic gregi, non illi inſidiantem, opera nimirum canis, &c.

Digitized by Google

Gal. 5. Paſtorū eum grege perſecutio,

56 Qui brutum gregem perdere quærunt, vbi viderint eius præfectum fugæ ſe mandare, omiſſa contra illum pugna, contenti ſunt pecudum raptu. At hîc vt vniuerſum gregē ceperint, ne ſic quidem à paſtore manus abſtinent, ſed hoc magis inſtant: nec dimicandi finem prius faciunt quàm illum ſupplantarint, vel victas ipſi manus præbuerint.

Morbi hominum & pecudum

57 Et pecuarij quidem morbi ſunt manifeſti, ſi vel fames ſit, vel peſtis, ſi vulnus, ſi aliud quoduis dolorem & ægritudinem pariens: quod nō modico eſt adiumento morbis à pecore abigendis: hominum verò morbi haud facilè homini ſe produnt: intra hominem latet. Quî igitur pharmacum morbo ignoto adhibere poſſit?

Medici hominū & pecudum.

58 Eſt & aliud hoc maius præſentaneum pecudum ægritudine remedium. Magna cum autoritate paſtores eas medicinam porrectam capere cogunt, vinciunt, vrūt, incidūt. quoties opus, diutius. quando id conducit, aſſeruant, aliud pro alio pabulum præbent, arcent à fluentis, & quæcumque alia pecudum ſaluti conferre probauerint, nullo negotio adhibent. Hic vbi ſe moribus prodiderit, tibi tum maius ſucceſſit negotium. Nec enim homini eadem licet autoritate homines, qua oues, curare. Non eſt liberum vincire, vrere, ſecare, cum medēdi hic facultas, & curationis ſuſcipiendæ, in ægroto tantùm, non etiam in medico poſita ſit.

Iudices & ſacerdotes.

59 Externi quidem iudices cùm facinoroſos homines leges trangreſſos deprehenderint, eos vt magna præditi poteſtate, vel inuitos ſuos ipſorum mores mutare cogūt: at paſtoribus minimè omniū licet vi corrigere: Hic non vim afferre, ſed ſuadere tantùm oportet. nec enim tanta nobis facultas ad coërcendos delinquentes à legibus data: ac ne ſi dediſſent quidem, haberemus vbi eam exercere valeremus, cum Deus coronet non coactos, ſed certo animi propoſito à peccato abſtinentes. Hac itaque ratione paſtor quem emendandum ſuſcipit, meliorem efficiat.

Miles Epiſcopus.

60 In militaribus prælijs, quod quiſq; opus pergendum ſuſceperit, hoc adoriētes hoſtes defendit. At hic haud quaquam ſic res habet. Niſi enim, qui victoriā reportaturus eſt, dimicandi artes ad vnam omnes ſigillatim calluerit, nouit diabolus, parte vna aliqua fortè neglecta, piratis prædonibuſque introductis pecudes diripere. Non ita, cùm paſtorē ſenſerit omni ſcientia inſtructum, inſidiarumque eius omnium probè gnarum. Omnibus ergo eum partibus munitum eſſe oportet, omnium artes notas eundem habere, non vt extera militia, ſagittarium, funditorem, centurionem, manipularem, militem, ducem, peditem, equitem, & naualis, & muralis pugnæ peritum eſſe.

Corpus myſticū naturali morbidū magis eſt

61 Corpus illud myſticū, pluribus tum morbis, tū inſidijs, quàm noſtrum hoc naturale obnoxiū eſt, celerius item corrumpitur, & ægrius ſanatur. Humana arte corpora curantibus, diuerſa ſuppetunt medicamenta, apparatus inſtrumentum varij, cibi ægrotantibus congrui, & ſola plerumque aëris natura ſatis fuerit ad ſanitatem laboranti reſtituendam. aliàs & ſomnus opportunè obrepens, medicū omni labore leuat liberatque. At hic tale comminiſci nihil licet, ſed vna quædam poſt operū præſtationem ars ac curationis via tenenda ſequendaque, per euangelicum nempe ſermonem doctrina. Hoc demum inſtrumentum eſt, cibus, aëris temperamentum optimum. Hoc medicamenti inſtar, ignis loco, ferri vice, quo, ſi vel vrere, vel ſecare opus, vti neceſſe eſt. quod ſi nihil profuerit, reliqua quæ ad animæ alioqui conferunt incolumitatem, euanida pereant oportet.

Euangelium omnium odū inſtrumētū & medicamentum,

Sacerdotiū monachiſmo difficilius

62 Monachorum quidem labor multus, & certamen ingens: ſed qui volet eius inſtituti ſudores cum ſacerdotij adminiſtratione conferre, tantum inter illa duo diſcrimen eſſe comperiet, quantum inter priuatum & regem interuallum. Tantò hoc rectè adminiſtrare, quàm illud bene exercere difficilius.

Monaſtica exercitia.

63 Monacho labor corporis animique communis eſt, vel potius maiori ex parte corporis conſtitutione abſoluitur. nam ieiunare, humi cubare, vigilare, & id genus monaſtica ad durandū caſtigandumq; corpus exercitia, ſtatim depereunt, niſi ſufferendis afflictionibus par fuerit: & animi promptitudo, niſi id valens fuerit, non habet quomodo in opus exeat. Hic verò nuda ſimplici arte opus, tali certe quæ corporis habitudine nō admodum indigeat. Quid enim præſidij corporis robur afferat animi virtutibus, quibus Paulus epiſcopum inſtruxit, exercendis?

1. Tim. 5.

Præſtigiator. Philoſophus.

64 Vt præſtigiatoribus neceſſaria eſt inſtrumentorum, rotarum, funium, gladiorum copia & varietas: contrà philoſophus artem vniuerſam in animo reconditam habet, externorum nihil indiget: ſic monachus alienis rerum locorumque ad vitam illam commodis indiget, vt ſunt anni, cæli aeriſq; temperies. Sacerdoti autem, quod ad ipſius vſum pertinet, adeò non eis opus, vtpote qui ſeſe cùm minimè curioſum, tum promiſcum omnibus his in rebus quæ damnum non afferunt, præſtare, tum verò ſcientiam omnium in animi theſauro reconditam habere debeat.

Ex demōſtratione quod Chriſtus ſit Deus Tyrannorum memoria ignobilis, & ingloria. Crux Domini glorioſa Eſai. 11. Erit requies eius honor.

65 Cùm qui hic in magna gloria rebuſq; florentibus agūt moriuntur, pereunt cū his ſimul omnia. id quod nō diuite ſolùm, ſed & in principe, adeoq; in regibus quis videat. Quorum leges irritātur, obſcurantur ſtatuta, memoria extinguitur; nomē in obliuionem venit. Non ita pridem licet arma mouerint, vrbium populorūque ſeditiones concitarint, reuocauerint proſcriptos, dominos occiderint, ſimul cum eis concidunt hæc omnia, quāuis prius glorioſa. At ſecus in Chriſti, quā rebus euenit humanis. Ante crucem luctus. Iudas prodit, Petrus negat, reliqui fugiunt, Ieſus inter inimicos ſolus: multi qui crediderāt, retrorſum abeūt. vbi crucifixus occiſus & mortuus eſt, res eius nō modò nō interciderūt, ſed clariores multò, illuſtriores, ſublimioreſq; redditæ ſunt. orbis ad fidē accedit: infiniti martyres crucifixum vbique prædicāt: omnes vndique ad hoc nomen currunt, vt adorent.

Aedificare domos & eccleſias.

66 Nullus ædificare poteſt vel vnum parietem, quem lapidibus & calce extruit, ſi impediatur & fugetur; Apoſtoli autem etiam eccleſias in orbe toto extruxerunt, vincirentur licet, perſecutionē ferrent, fugarentur, proſcriberentur, flagris cæderentur, & occiderentur, comburerentur, ſubmergerentur vnà cum diſcipulis.

Aedificare parietes & animas.

67 Ædificabant autem non lapidibus, ſed animabus & inſtitutis, quod planè multò difficilius, quā lapidibus extruere. Non enim par eſt ſenſibilē parietem conſtruere, vt animæ tot temporibus à dæmonibus irretitæ perſuadere, vt ab inſania deſiſtens, ad tantam perueniat temperantiam. nihilominus hoc potuerunt nudi illi calceis carentes, vna veſte amicti, per vniuerſum orbem currentes, Deo iuuante, &c.

De pœnitentia, Homil. 2 & 80. ad Ant. Cicatrix vulneris poſt curationem. Pœnitentiæ medicamentū.

68 Sic delet Deus peccata, vt nec veſtigium, nec ſignum priorum maneat aut appareat. In corporibus non ita eſt. Sæpe in facie vulneratus quiſpiam eſt. vulnus quidem curauit medicus, ſic vt euaneſcit: cicatrix verò remanet vulneris argumentum, faciei deformitatem habens: quàm vt millies conetur is abolere, mille modis medeatur, non poteſt, repugnante illi naturæ infirmitate, artis & medicinarum imbecillitate. Deus autem ſic delet, vt nihil tale ſuperſit indicij. cum ſanitate decorem largitur, poſt pœnæ liberationem iuſtitiam inſerit, & peccantem æqualem facit non peccanti, & peccatum non eſſe, neque fuiſſe, ſic extinguit.

Rex & Deus.

69 Medicinamque ſpargit his quas ſeculares adhi-

Digitized by Google

adhibent medici, meliorem, quales nec reges ipſi poſſent ſpargere. Rex poteſt carcere quemquam emittere, gehenna non poteſt liberare: pecuniam dare poteſt, animam ſaluare nequit: ſed experientia vos manuducam quòd diſcatis fortitudinem, & ſciatis ſuper eam peccatum non poſſe.

Lachrymarũ quę vtiles quę inutiles.

70 Cùm viderit medicus ægrotantem ſpem ſalutis non habentem, illachrymat, domeſtici & proximi vlulant & ingemiſcunt, ſed fruſtrà. nam licet omnis mundus defleat, nequaquã vel moribundũ liberabit, vel mortuũ ſuſcitabit: vt lachrymarum ille, non reſurrectionis filius ſit. In anima non ſic. Si enim mortuam fleueris, ſæpe excitabis. Quare? quia moriens quidem corpus humana nõ excitatur virtute anima verò moriens, humana correctione reſurgit, & virtute diuina. ſic prophetæ, ſic Paulus flent & reſuſcitant.

Aſpectus contagioſus & ſalutaris.

71 Siquidem corpus in manifeſtis paſſionibus intuemur, ægrorum quandoque infirmitatem cõtrahimus, vt in oculorum malo laborantibus videre eſt. In anima nõ ſic. magis verò ad eos proſpicere, ſi quibus in malis & periculis fueris, calũnia, exilio, flagris, carceribus, bonorum proſcriptione, qui eadem vel paſſi ſunt, vel patiantur, leuiorem in proprijs facit languorem, ſic ſcriptura fidelibus videndos proponit ſanctos etiam mortuos.

Hebr 11. Orando recta Deũ adire.

72 Homines ſi quando exorare oportet, ianitoribus prius conuenit occurrere, paraſitis, & hiſtrionibus, ac longam ſæpe viam obire. In Deo nihil tale. Sine mediatore exorabilis eſt, ſine pecunia & impẽſa precibus annuit, ſatis eſt ſolo corde clamare, lachrymas fundere. illicò ad miſericordiam eum traxeris.

Orare ſolo interno corde. Matth. 6.

73 Homines item cùm deprecamur, ſæpe formidamus, ne quis inimicorum ſenſerit, aut rem ex aduerſarijs intellexerit, alioqui prodit dicenda, iuſtumque corrumpit. In Deo nihil tale eſt ſuſpicari: cum precari me, ait, volueris, ſolus accede, aſtãte nemine, & corde clama, labia non moueas, oſtium claude, &c.

5 Cõſtruit & deſtruit aliter homo aliter Deus. Ioſ. 6.

74 Tempore multo domum ædificamus, ac ſtructura quidem temporis multum, deſtructionis verò parum. Econuerſo Deus cito ſtruit, tardè deſtruit. Hoc potentię, illius bonitatis. illa tardus, hac velox eſt. Mundum vniuerſum ſex in diebus conſtruxit, & in eo ſunt omnia. vnam vrbem Hiericho vix ſeptem, octaua, inquit, die cadet murus.

6 Debitor Deus & homo. Matth. 6.

75 Si cui pauperi fœneratus fueris, & debitor ad diuitiarum ſplendorem venerit, potens quidẽ debitum tibi reddere, reddet, ſed latebit, ne priore ſtatu pudore cõfundatur: & gratias aget, ſed celabis, priorem erubeſcens paupertatem. Non ita Deus: ſed mutuum quidem per eleemoſynam clam & occultè capiens palàm ac in oculis vniuerſæ creaturæ reddet atque reſtituet.

9 Debitum ſermonis & pecuniæ.

76 Debitum læto vobis animo perſoluo: mihi enim diuitias numerat, non inopiam affert. In his quæ foris ſunt, creditorem fugiunt debitores quò minus reddant: & meritò quidem. nam exteris in rebus reſtitutionem ſequitur imminutio, ſermonis ſolutionem diuitiæ. Debeo cuiquam aliquid: ſi ſoluero, nequit id apud illum & me eſſe, ſed à me tranſiens, illum adibit. at ſermonem ſi ſoluero, & mecum eſt, & illum habet is: & debitor fio, & fructum refero. Sin retinuero, nec reſtituero, tunc vel ſolus diteſco, vel magis inops ſum.

Virginitatis certamen aſſiduum.

77 Pinge mihi virginitatis ſpecimen. bellum habet quotidie, non vnquam hic ſedabile, barbarico deterius. nam & hoc temporis habet, requiem, quo vel paſciſcuntur vel ordinant, vt quandoque pugnent, quandoq; ceſſent. Belli verò in virginẽ nulla quies, induciæ nullæ: diabolus eam ſemper nudam inuenire quærit, quò lethale vulnus infligat: non hoc vel illud tempus obſeruat, ſed ſemper belligeratur. ſic virgo numquam ceſſa à bello.

Vſtionis ſtimulus cõtinuus & vehemens.

78 Vel damnati ad tempus principem vident, nec paribus ſemper premuntur moleſtijs: at virgo quocunque abierit, ſecum & iudicem, & hoſtem ad bellum circumagit, qui eam non nocte, non meridie, non veſperi, non diluculo reſpirare permittit: ſed ſemper belligeratur, voluptatemque ſubmittit, nuptias in memoriam adducens, quò virtutem & pudorem excutiat, & impudicitiam inferat. Singulis ergo ea diebus & horis fornacis inſtar ſuccenſa exuritur. Cogita rei magnitudinem, quãtus labor voluptatem debellare, nec virum deſiderare.

Serm. de pœnit. & confeſſ. Pſal. 117. Eſai. 43.

79 In externis iudicijs poſt confeſſionem confuſio & pœna: in diuino virtus, iuſtitia, merces, & abſolutio. idcirco pſaltes ſuſpirans iſtuc ipſum, ne quis veritus pœnam poſt confeſſionem, neget peccata: Confiteamini, ait, Domino, quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius. Et propheta, Dic tu prior iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Quis confunditur confiteri peccata, vt ſoluat peccata? num propter hoc iubet Deus confiteri te, vt hominũ more puniat te? Non vt puniat: ſed vt ignoſcat.

Ser. 1. de ieiunio. Piſcator. Ieiunij fructus.

80 Qui piſcaturus ad mare vadit, non habet in manibus capturã dum vadit, qui ieiunat, mox fructum habet. Cogita teipſum, quis ante ieiunium, quis iam ieiunans. Opera enim fructus ſequuntur, imò nec operi ſuus deeſt fructus. An non mox arridet ſerenitas, fluctus à temulentia venientes ceſſant, à maris æſtu liberatus es?

Ser. de diſpẽſa. rer. Semen & eleemoſyna.

81 Rerum cuique ſuarum diſpenſationem per ſeipſum exequendam, non alijs committendam, hac ſeminis & eleemoſynæ diſſimilitudine. Semen, ait, tuis ipſe manibus ſulco iacta. non hic erit aratrum humi defigendum, boues iungendi, nouanda tellus, gelu & frigore contendendum. In cælo namque ſeminas, vbi algores nulli, hyems, aut aliud quidpiam huiuſmodi. In animos ſeris, vnde nemo ſata tollet, ſed inhærebunt maximè celeriuſque & acrius retinebuntur. Mercedem ita duplicem habiturus, quòd tua & imminuas, & adminiſtres.

Homil. 2. ad Antioch. Depoſitarius Deus & homo

82 Homines depoſita ſuſcipientes, gratiam ſe nobis præſtare putant, ſi quæ ſuſceperunt, cuſtodiant. In Chriſto contrarium. Gratiam accepiſſe ſe dicit, non præſtitiſſe, cùm depoſita tua ſuſceperit, & pro ea quam circa pecunias exhibet cuſtodia, mercedem tibi dat, non à te repetit. Qua igitur excuſatione digna, qua venia, cum & cuſtodire valentem, & pro cuſtodia ſua gratias habentem, præmia magna reddentem, & depoſita multiplicãtem, omittentes, hominibus ea cuſtodire debilibus, ſola reddentibus, gratiam repetentibus, noſtra demus? &c.

4 Athleta Iob Victor, & victus diabolus.

83 Gentilium certaminum pugiles, cum aduerſariorum capita contriuerunt, tunc victores ſunt, & coronantur. Hîc diabolus cùm Iob iuſti corpus contriuiſſet, omniformi vlcere perforaſſet, imbecillius feciſſet, latera vndique cõfodiſſet, tunc cũ vincere ſperaſſet, victus eſt, & cum multa cõfuſione receſſit, nec vllam amplius vocem emiſit: nihil aliud egit, quàm vt antagoniſtam nobis clariorem redderet, ac illuſtraret.

3 Cõfeſſio Deo & hominibus.

84 Imperatorem, inquit, dum quæ facta ſunt, læſus audierit, tamen timemus omnes & tremimus: Deus verò quotidie contumelias in ſe factas audit, & nemo conuertitur: & hic cùm ſit tam clemens & mitis, illi interim peccatum dicere ſufficit, & crimen ſoluitur. In hominibus penitus contrariũ. cùm peccatores factum confeſſi fuerint, tunc magis puniuntur. quod & commune factum eſt, & adhuc tamen timemus.

Niniuitarum pœnitentia. Ionæ 1. 2

85 O nouam rem & admirabilem. prophetica denuntiatio mortem Niniuitis minans, vitã peperit. Sententia vbi lata fuit, tunc inualida facta eſt, ex contrario ſeculariter iudicantium, apud hos enim

cauſa profertur in medium, & rata ſit lata ſententia. In Deo contrà, proferre ſententiam, inualidã eam facit. niſi enim prolata fuiſſet, nõ vtique peccatores audiſſent: non audientes neque pœnitentiam egiſſent: ſine pœnitentia pœnam non repuliſſent: qui non mirum lata à iudice ſententia reos pœnitendo ſoluere, manentes non fugientes reprimere: laqueum, munimen, voraginem, tutelam facere? &c.

Iudices Deus & homines.

86 Iudices, conſeruos quidem nos, & eãdẽ ſecum naturam communem habentes, per ſeipſos examinare non ſuſtinent, ſed miniſtrorum quempiam ſibi medium proponentes, interrogationes ad eum ſuas proferri faciunt, & per ipſum quæcũque velint dicunt & audiunt, dum reos examinãt. Deus autem mediatore ad homines primos nullo opus habuit, ſed ipſe per ſeipſum eos vocans iudicauit, & conſolatus eſt.

Iudex homo ponit non emẽdat. Deus iudex medicus, magiſter.

87 Nec hoc tantum mirabile, ſed & quòd commiſſa corrigit. Iudices enim cũ latrones ceperint & ſacrilegos, non quomodo ipſos meliores reddant, ſed quomodo ab ipſis peccatorũ pœnas exigãt, conſiderant. Deus totum contrarium. Cũ aliquem reperit peccatorem, non conſiderat quomodo ſupplicium ſumat, ſed quo eum modo corrigat, & meliorem faciat, vtque iudex examinat, vt medicus corrigit, vt magiſter docet.

13 Artifices mechanici, & doctores euãgelici.

88 Niſi ſtudium adhibueritis & vos, à nobis fruſtra fient omnia. Quid ita? quia nõ ſicut artes reliquæ, ita & docẽdi vis. Argentarius qualecumq; vas excuderit & repoſuerit, tale poſtridie reuerſus inueniet, ſic & ærarius, & marmorarius, & artificum quiſque quale proprium opus dimiſerit, tale rurſum reperiet. Non ita nos, ſed omnino cõtrarium: quia non inanimata vaſa, ſed animas cudimus rationales. Ideo non tales vos reperimus, quales relinquimus: ſed poſtquam ſuſceptos reformauerimus, correxerimus, feruẽtiores effecerimus, egreſſos negotia vos vndique circumſtantia peruertũt, & maius nobis faceſſunt negotium. Manum ideoque & vos porrigatis: & quantum hìc ad correctionem veſtram ſtudeo, tantum hinc egreſſi ſalutem veſtram curetis.

31 Milites & Chriſtiani.

89 Exteriora militum, corporis menſuram, bonam carnis habitudinem requirunt, qui eos in exercitum deligunt. nec ſola hæc militaturum habere oportet, ſed & libertatem. ſeruus enim reijcitur. At cælorum rex nil tale requirit. ſeruos enim, ſenes item, & iuuenes, & quæcumqne talia recipit. Manſuetum & mitem eſſe, & ſimilia, militiæ noſtræ ſint.

Reges & Deus.

90 Hæc à nobis ſola Deus exigit, quorum nos domini ſumus. & valde congruè. Non enim propter vtilitatem propriam ad ſui gratiã nos vocat: reges verò propter miniſterium ſuũ. Hi ad bellum ſenſibile, ille ad ſpirituale. Nec in bellis tantùm externis, ſed & in certaminibus agoniſticis ſeu athleticis eandem quis rationem videre poſſit.

Athletæ & Chriſtiani.

91 Qui trahuntur in theatrum, nõ prius deſcendunt in certamen, quàm eos præco aſſumens, ſub omnium oculis circumducit clamans, Num quis hunc accuſat? Et illìc quidem non animæ pugna, ſed corporis. Hìc nihil tale, ſed totũ contrarium. non enim manuum collatione nobis ineũtur certamina, ſed animi diſciplina, & mentis virtute. Aliter igitur agonothetes noſter facit, & contrà clamat: licet omnes tum homines, tum dæmones hũc accuſent de turpiſſimis & occultis criminibus, nõ reijcio, non abominor: ſed ipſum & ab accuſatoribus libero, & ab iniquitate abſoluo, & ſic ad certamina pugnaturum produco.

Agonothetæ Deus & homo.

92 Nec immeritò: illìc enim agonotheta nil certantibus confert ad victoriam, ſed medius modò conſtitutus: hìc autem noſter athlotheta pietatis athletis commilito fit & auxiliator, cum eis contra diabolum pugnam iniens.

A

Cõfeſſio Deo & homini.

93 Ex alienigenis iudicibus, ſi quis cui raptorũ, latronum, furũmve diceret vt peccata fateretur, & à pœna dimitteretur, omni certè hoc promptitudine ſuſciperet, ſalutis cupiditate pudorem contemnens. Hìc verò non id fit, ſed & peccata tamen Deus dimittit: nec ea cogit præſentibus alijs enuntiare: id vnum modò exigit, vt peccator remiſſione fruens, domi magnitudinem diſcat.

Teſtimonium Dei & hominum.

94 Quo igitur modo non abſurdum, vt in quibus nos Deus beneficio afficit, noſtro ſolo teſtimonio contentus ſit, nos contrà in quibus eum colimus, alios teſtes quæramus, & ad oſtentationem aliquid faciamus?

Serui empti.

95 Nos empturi ſeruos, priuſquam pretium erogemus, venales interrogamus, num nobis ſeruire velint, & priorem Dominum miſſum facere. Chriſtus contrà, pretium pro omnibus erogauit, pretioſum effundens ſanguinem: nec ſiquidem ſeruire nolentem cogit, ſed niſi à te ipſe & ſponte eius velis aſcribi dominatui, non cogo, ait, ne compello.

Emptores ſeruorũ Deus & homines.

96 Adhæc. Nos quidem improbiſſimos ſeruos non eligeremus emere. quòd ſi quando elegerimus, voluntate mala emeremus, & pretiũ tale (dementer) erogaremus. Chriſtus cõtrà ſeruos, & iniquos, & ingratos emens, optimi ſerui pretium erogauit, imò verò multò maius. Non cælum, terram, mare dans, ſed his omnibus pretioſiorem ſanguinem ſuum effundens nos ita redemit.

B

97 Et poſt hæc omnia, non teſtes à nobis, non chirographa, vt vulgo emptores, exigit, ſed ſola contentus conſenſione, ſi crudelem tyrannũ velis dimittere: & voce, ſi ex corde dicas, Abrenuntio tibi Satana: totum recipit.

36 Et 6 in 1 ad Tim. Mors & vita duplex. Caupones.

98 Vide quãta Dei clementia, mortem tibi æternam redimere poſſe, non temporalẽ conceſſit. Ne breuem, ait, vitam hanc, ſed æternam illam emas. illam tibi vendo futurã, non præſentem hãc. Non illudo tibi. Hanc ſi accepiſti, nihil accepiſti: illam noui quanti ſit pretij. Non ita caupones, qui ſæculares quæſtus ſectantur, faciunt. Hi ſi quos fallere velint, & liceat quibus volunt illudere, paruũ pro magno exhibent, vilia quæque carius vendunt.

C

Mercatores.

99 Dic quæſo, Si ad aliquem profectus negotiatorem, duabus propoſitis gemmis, vili vna, pretioſa altera, vilis pretium poneres, precioſam acciperes: num illum rideres, aut incuſares, & non potius admirareris, & gratias ageres? Nos contrà, cùm duę vitæ ſint propoſitæ, temporalis & æterna, & vendat vtranque Deus, æternam autem vili pretio dare malit: ſtultorum infantium more triſtamur & indignamur, quòd pretioſiorem pro viliſſimo accipimus, &c.

79 Oratio ſine attẽtione.

100 In Domini conſpectu poſiti, & orantes, nec tantum ei honorem præbemus, quantum dominis ſerui ducibus milites, amicis amici. amicum enim, ducem, aut herum alloquens, hoc cum attentione facis: Deo pro peccatis occurrens, proque tot criminibus veniam petens, & remiſſionem tibi fieri rogans, genibus licet humi proſtratis, torpes tamen, & in foro aut domi mente vagaris, ore fruſtra nugaris, &c.

D

Centuria tertia.

Cõtra Iudæos oratione 3.

SVſcepta ſemel aduerſus Iudæos pugna impetu facto, & rationibus eorum ſubuerſis, maior quidem nos cepit bellandi cupiditas: ſed imbecilliore voce mihi facta, idem quod militi accidit, qui facta in condenſam hoſtium aciem magna impreſſione, proſtratis aliquot & conciſis, mox fracto gladio cõſternatus, ad ſuos ſeſe referat. Quin multò mihi periculoſius accidit. nam militi qui fregit gladiũ,

Miles & concionator.

Digitized by Google

licet ab alio quopiam aſtantiū enſem eripere animumq́; ſuum rurſus exerere, & ſtrenuū ſe gerere, at ſi vox laboret, ab alio non licet mutuo ſumere.

Martyribus Dei quàm ſuę laudes magis gratę.

2 Ne quis veſtrum meam hanc orationem reprehendat vt intempeſtiuam, ſi cùm martyres vos hodie vocent, nos ſuperſedentes illorum exponere certamina, aduerſus Iudæos exuimur ac expedimur. Et ipſis hîc martyribus ſermo eſt exoptatior. ex noſtris enim laudationibus nihil illis ſplēdoris accreſcit. Quid enim egeant linguis noſtris, aut illis opus ſit oratione noſtra, quorum certamina vim ingenij, nedum oris noſtri vincunt? Hoc igitur argumentum illis gratius, eiſq́ue multum ex ſermonibus pro Dei gratias dictis, gaudij.

Iudæi. Math. 27

3 Tantoq́ue plus ex noſtris aduerſus Iudæos conflictationibus, quò eos inuiſiores habent, qui crucifixum ab eis maximè diligunt: nā Iudæi quidem dicebant, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: martyres verò ſanguinem proprium effuderunt eius amore, quem illi occiderunt. hæc igitur libenter audient.

Mors naturæ & animæ.

4 Sub externis quidem hoſtibus, qui ſemel conciderit, animaq́; exhalarit, fieri nequit vt miles eū recuperet, & ad vitam reuocet. At in hoc animorū bello etiam ſi lethale vulnus quis acceperit, fieri poteſt vt auxiliante Dei gratia eum ad vitam reducamus Non enim hæc naturæ mors, vt illa, ſed voluntatis & propoſiti: voluntatem autem mortuam denuò licet & ſuſcites, & animæ perſuadeas vt ad Deum vitam ſuam reuertatur.

Bello cæſos ſepelire ſaucios curare.

5 Ideoq́ue non vt milites commiſſo prælio, verſis in fugam aduerſarijs, ab inſectatione redeūtes, non protinus ad tabernaculum currunt, ſed prius ad locum profecti, tollunt ſuo ex numero cæſos, ac mortuos quidem ſepeliunt, ſpirantes autem adhuc atque ſperantes, neque lethale vulnus habentes in tentoria ſublatos, medicis accitis, extracto telo, abſterſo ſanguine, pharmacis porrectis, reliquaq́; omni curatione ad ſanitatem reducunt. Nō inquā ita nos: ſed aduerſarios perſecuti Iudæos, armatis aduerſus eos prophetis reuerſi, ſiqui noſtrorū ceciderunt, communione illorum intercepti, neminem ſepeliamus, ſed magis omnes curemus.

Epiſt. 5.

Pſal. 6.

Luctus vtilis & inutilis.

6 Corporeæ quidem mortis deſtructionem in luctu pro lapſis nemo inueniet, id tamen lugentes à lamentis nihil cohibet: vnius animæ mortem hîc aboleri contingit. In inferno enim quis confitebitur tibi? Quî igitur non maximi ſit flagitij, animæ interitum tam incurioſè ferre corporis mortem vehementia tanta lugere, cùm mortuus ad vitam luctu nequeat reuocari, de anima ſuſcitanda ſpes ſit?

Contra commorantes ad theatra. Deus Abrahā, Iſaac, Iacob. Exod. 3.

7 Deus non ſolùm communiter vnà cùm alijs ſuorum ſeſe Deum profitetur, ſed priuatim. Ego ſum, inquiēs, Deus Abraham, Iſaac, & Iacob, non imperium ſuum contrahens, ſed extendens potius, quod non (vulgari aut humano more) tam multitudine ſubditorum, quàm eorum virtute cenſeri vult. Nec enim tam cæli, terræ, maris, & eorum quæ in eis ſunt, Deus appellari gaudet, quàm ſi Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob vocetur.

Nomen homines ſerui à dominis, Deus à ſeruis accipit.

8 Et quod in hominibus non ſolemus, id in Deo videre licet. Apud eos à dominis ſerui appellationē ſumunt, & ita omnes ex more loquitur: Hic vel ille dux aut præfectus huius vel illins diſpenſatoris aut procuratoris: ſed minoris à maioribus denominare conſueuimus. De Deo autem contra fit. Non enim ſolùm Abraham Dei dicitur, ſed Deus quoque Abrahæ, atque ita Dominus à ſeruo appellatur. Nec erubeſcit à ſeruis appellationem ſumere. Non erubeſcit Deus vocari Deus ipſorum. Dic Paule, cur? Vt & imitemur.

Heb. 11. Hoſpites vt patriarchæ.

9 Quia hoſpites, ait, ſunt & aduenæ. Atqui vel ob hoc ipſum erubeſcere oportebat. hoſpes enim vilis & contemnendus videtur, ſancti verò illis hoſpites erant alio quodam minimè vulgari modo, nō quo putamus. Nam hoſpites eos vocare ſolemus, qui relicta patria in alienam migrant regionem. Hi nō ita, non quòd patriam inquam non haberent, ſed quòd ſempiternam illam patriam meliorem vtique requirerent.

Terrena qualia.

10 Orbem enim vniuerſum paruifacientes, ad cæleſtem illam patriam reſpiciebant, magnanimitate, non arrogantia: ſapientiæ ſtudio, non inſolentia. Contemplati enim vbi hæc terrena vniuerſa fluxa eſſe animaduerterunt, & mortalia, firmum nihil habentia, nil ſtabile, non diuitias, potentiā, gloriam, vitam denique, ſingula finem habere, & ad ſuum quodq́ue terminum properare: cæleſtia verò non talia, ſed infinita immortaliaq́ue, maluerunt hoſpites in rebus eſſe fluxis, vt permanentes illas vel tandem aſſequerentur.

Cæleſtia qualia.

De verbis apoſtoli. Habentes eundem Spiritum 2. Cor. 4

11 In vulgaribus conuiuijs inuitatorū multitudo magis abſumit quæ apponuntur, maiorīq́; eſt ſumptui: in ſpiritualibus contrà, non ſolùm abſumit menſas vocatorū frequentia, ſed etiam abundare facit. Hæc eſt enim rerum ſpiritualium natura: quò pluribus diſtribuuntur, hoc amplius creſcunt.

Conuiuium & concio.

12 Quoniam video refertam conuiuis menſam, expecto etiam Spiritus gratiam menti noſtræ inſonaturam. Quando enim multos adeſſe videt, tunc dapſiliores epulas apponere ſolet: non quod hominum more paucos faſtidiat, ſed quòd multorum ſalutem deſideret. Et neque paucitas, neq; vilitas, nec ouiculæ quidem vnitas eum inducit vt ſalutē noſtram negligat, paruulorum contrà & paucorū multorumq́ue curam habet.

De prouidentia.

13 Si quis non credit reſurrectionem, cogitet quā ex his quæ ſunt multa fecerit Deus: & neceſſariam de hac etiam recipiat probationem. Quomodo ex terra quæ antequā condita eſſet, non erat, facta cū homine tam multa brutorum, ſtirpium, ſeminum genera: hoc enim eſt reſurrectione incertius. Non eſt enim æquale, iterum accendere lucernam extinctam, & monſtrare ignem qui nuſquam appareat: nec domum collapſam reparare, ac quæ non ſit omnino producere, illîc enim aliud, nihil, materia tamen adfuit: hic autem nec ſubſtātia viſa eſt. Ideo quod difficilius videtur, fecit Deus, vt ex eo proponeret exemplum illius quod eſt facilius.

Reſurrectionis probatio, creatio.

De ingluuie. Homo brutis interim deterior.

14 Quoniam modo abſurdum non eſt, expertes quidem rationis animantes, nihil extra neceſſitatem quærere, homines verò præditos ratione, & imagine Dei cohoneſtatos, illis etiam minus compotes ratione fieri, mediocritatis fines prætergredientes. Quantò melior huiuſmodi hominibus aſinus, aut canis? nam hi quidem ſiue edendum eſt, ſiue bibendum, finem norunt, id quod ſatis eſt, nec vltra neceſſitatem progrediuntur, etiamſi innumerabiles ſæpe cogant, non ſuſtinent modum excedere: iſti verò his etiam deſpicabiliores ſe eſſe iudicarunt.

De pretioſa cruce. Milites vbi res.

15 Vbi rex eſt, ibi etiam miles eſſe debet: Milites enim effecti ſumus, non eorum qui procul abſunt, ſed eorum qui ſunt in propinquo. Et terrenus quidem rex nunquam omnes in regijs eſſe patiatur, neque latera ſua cingere: cælorum autē rex omnes propinquos vicinoſq́ue ſolio regio eſſe vult.

Stipatores regij. Deus vbiq; & nos cum Deo

16 Verùm qui fieri poteſt, vt nos qui hic ſumus, ad ſolium illud ſtemus? Quia etiam Paulus cùm in terra eſſet, ibi erat, vbi & Seraphin, & Cherubin erant, & Chriſto etiam vicinior, quàm ſui ſunt ſtipatores. Hi enim ſæpe oculos in multa loca cōuertunt: illum autem nihil obiecta ſpecie diſtrahebat, ſed omnem mentis aciem in rege & domino defixam habebat. Si ergo velimus, non idem poſſumus, non enim loco diſiunctus, ſed vbique adeſt, & præſens eſt.

Munerarij Reges & Deus.

17 Reges quidem cùm homines ſint, abundantiamq́ue rerum habeāt, quæ profunditur, & liberalitatem quæ conſumitur, quid pauca & parua ſunt,

Digitized by Google

multa magnaque ſtudent oſtendere, ob eamque cauſam ſingula ſingulis miniſtris tradentes ſic in medium prodeunt: in ludis & certaminibus de equorum præſtantia certantibus, coronas, tunicas, præmia proponunt. Rex noſter contrà, cum vniuerſa portauit, quia valde locuples & copioſus, nihilque oſtentationis cauſa faciens, ſic in medio proponit, quæ explicata innumera, infinitaque ſunt, & manus multas deſiderant.

In Pſ. 118. Cantilenæ mundi

18 Quæ ad vſum pertinent vitæ huius cantica & cantilenæ, tenores ac ſoni deſinentia fallunt auditum, ſimul & animũ in fraudẽ pelliciunt, ab vtilitate abducunt, & in concupiſcentiã pertrahunt, ad genialem vitã, eorumq; quæ canuntur appetentiã afficiunt & inclinant, & quamlibet alioqui vtilem eneruant, obſcœna, turpia, & illecebrarum plena. Cæleſtia verò cantica, quæ nimirum ſanctus ſuggerit Spiritus & moderata verborum temperie, & decenti ſententiarũ deſcriptione mentẽ reuocant ad affectiones ſuas ordine digerendas, animã exornant & illuſtrant, vt ſimul atque intellexerit & aſſenſa ſit, eò quòd inuitat melodia à Spiritu ſancto excitata, tum organum, tum prolata quoq; ſententia, & mores transferat, & affectus promoueat.

Cantica diuina.

Tráſgreſſores. Præuaricatores.

19 Facientes, ait Dauid, præuaricationes odi. Sũt qui Dei mandata & iudicia prætergrediuntur, legis tranſgreſſores: qui ſalutare de Domino confeſſionem tranſgrediuntur, Dei præuaricatores. Sanè multa inter legis ac Dei offenſionem differẽtia. Illi quidem cùm radicem poſſideant cognitionis de Deo, ſalutis vtiq; ſecuturæ penes ſe ſpem retinẽt: Hi verò qui ſalutis ipſum abnegauerunt autorẽ, à ſalute prorſus exciderunt.

Pſal. 118. 138. 17. Malorum & impiorum fuga perſecutio, communio.

20 Omnes, inquit Dauid, tales odio habui: & vt alibi, perfecto quidem odio odi: non eos agnoſco, cum eis non comedo: inimici facti ſunt mihi: mihi non adhærent, in medio domus meæ non habitãt: quin potiùs hos perſequor, interficio, diſperdo: cõprehendam, nec conuertar, donec deficiant. Nos contrà adeò non odimus, nec infenſi ſumus, vt etiã comiter ceu amicos ſalutemus, qualibus non conuenit ſalutem dare. Non enim pax eſt impijs: cum eis cibum ſumimus & potum, quorum fallaciam & ſuadelam conueniebat fuga præuertere, nec dignos, qui inter homines numerentur, cẽſere: vt qui dæmonibus vltro ſe tradiderunt, vitamque ſuam idolis inanimatis conſecrarunt.

Eſa. 48. 57. 1. Cor. 5.

Matth. 5. Hom. 17.

21 Cur non vt nos, prohibebãtur antiqui iurare? aut quî fieri poteſt, vt aliquid nunc quidem bonũ ſit, nunc verò non bonum? Profectò id in noſtra liquet natura. Nam portati quidem in vlnis aut humeris prima ætate bonum, pòſt miſerum & pernicioſum præmanſis veſci cibis inter vitæ primordia bonum, poſt horroris pleniſſimum. Lacte ali & ad mammas cõfugere, ſalutare initiò ac vtile, pòſt noxium & pudendum. Veſtem non indui honeſtũ paruulo, viro inhoneſtum. Da puero togam vtilẽ, plurimus hominũ riſus erit, & maius incedentis & huc illucq; nutantis periculũ. Da rurſum mercari, ciuilia curare, vel ruſtica: grãde rurſus ſequetur ridiculũ. Vides ex ætatũ diſſimilitudine, vt eædẽ res ſecundùm tẽpora nunc bonæ, nunc nõ bonæ ſint.

Aetates aliis alia decent. Eccl. 3.

18 Hom. 48 Obliuio tineis peior.

22 Diuites quidem veſtes ſuas, ne à tineis arrodantur, frequenter excutiunt: nos verò cùm obliuionem tineis omnibus maiorem grauioremq; peſtem videamus, animam noſtram vorantem ac vitiantem, ad libros quibus cohoneſtatur, & hæ tineæ excutiuntur, non accedimus, non animã quaſi veſtem ordinamus & ornamus.

28 Hom. 91 Paupertas puella formoſa. Auaritia Hydra, Scylla, &c.

23 Mihi paupertas quidem puellæ cupiã ornatæ venuſtæque ſimilis eſſe videtur: auaritia verò mulieri ferino aſpectu, Scyllæ, Hydræ, & id genus fabuloſis mõſtris. Oculus illius purus, nitidus, turbidum nihil habens, lenis, trãquillus, ſuauis, vniuerſos aſpiciens, blandus, placidus, neminem odio habens aut auerſans. Huius oculus nunc furore plenus, nunc voluptate refertus, nunc intemperantia turbatus. Os rurſum & lingua ſalubria, aſſidua gratiarũ actione plena, verbis manſuetis, beneuolentijs, obſequijs, laudibus & encomijs. Huius os cõuitijs cõtrà plenũ, ſuperbia, dolo, diris & imprecationibus. Reliqua illius membrorum conuenientia, procera eſt, longeque ipſa negotiatione ſublimior, &c.

Hæc tria vltima diſſimilia ex S. patris in Matthæum commentarijs per Boſtrorum epiſcopum, vt conijcit Latinus interpres, abbreuiatis.

24 Ecce patrem quis reliquit, & elegit Deum ſibi patrem, nónne plus centuplum conſtat eum recepiſſe? vt illi obſequatur diebus ac noctibus, illius faciat voluntatem, hæreditatem expectet, qui poſtquam ſuam ſuis tradiderit ſubſtantiam, non vt pater carnalis, vmquam moritur, non relinquit filios orphanos, ſed & filij ceu viri perfecti poſſident diuitias eius. & pater ſic ſemper illo tuetur, ſic protegit, ceu ſemper infantes.

Homiliis editionis ſecũdæ in Math. 19. Marc. 10. Pater Deus, & homo.

25 Matrem qui reliquit, vt diligat magis matrem Eccleſiam, nónne centuplum plus ei eſt quã mater carnalis? hæc carnem eius peperit corporalẽ, hæc animam eius regenerauit immortalẽ. Qualis caro, talis & mater carnalis. Mortua carne perit eius generatio, & ſoluitur generationis effectus. Ex quo nec ille illi filius, nec illa illi mater: quia anima nec generatur, nec generat, nullũ patrem, niſi eũ, cuius volũtate creata eſt, agnoſcit; nullam matrẽ, niſi eccleſiã, vt quæ illã in fide generauit. dedit ei mãdata diuina ex duobus teſtamẽtis, quaſi eſcã dulciſſimi lactis ex duabus mammis, tunicam ei texuit ex aqua & ſpiritu incorruptibilem, ad perfectum ſanctitatis hunc adduxit, vt dignus fieret patris ſui ſubſtantiam poſſidere.

Mater carnalis & eccleſia.

26 Fratrem qui reliquit, vt Chriſtum patrem habeat, nónne melior ei Chriſtus eſt, quàm vel centum fratres? vt qui fratribus ſuis, vt frater carnalis non inuidet, ſuper hæreditate non certat, propter lucrum non rumpit fraternitatis affectum: nõ ſua ſolùm omnia, ſed & ſeipſum dare paratus.

Frater Chriſtus & homo

27 Qui cùm omnia dederit, nihil ei minuitur. Nam humana quidem ſubſtantia ſemper pauper eſt, & quantumuis homo habuerit, nihil ſe putat habere. Illa autem ſubſtãtia ſola vera eſt, quæ omne omnium deſiderium ſatiat, & adhuc tamen ſuperabundat.

Subſtãtia humana & diuina

28 Sorores qui reliquerit, ſtatim eum recipiunt Dei gratiæ. ſorores vtique chariſſimæ. Non vlla ſoror ita dulciter fratrem ſuum complectitur, vt illæ ſanctam animam, vt quæ quoties in ſenſibus noſtris hærent, ſic nos oblectant, vt toties animas noſtras amplecti & oſculari videantur.

Sorores carnales & Dei gratiæ.

29 Filios ſi dimiſerit, filios ei Deus prouidet ſpirituales, quos doceat, erudiat, & apoſtolica voce alloquatur. In Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui. Qui patris mortem non expectet. Non carnales quidem filij, ſi vel modicum pater eorum ſenuerit, tædet eos vitæ patris, deſiderant eum citò mori, & citò non morientem contemnunt quaſi delirum. Spirituales autem filij, quãtò in fide perfectiores, tantò amplius doctorem ſuum diligunt.

Filij carnales & ſpirituales. 1. Cor. 4.

30 Subſtantiam ſi dimittit, ab omnibus diligitur, honoratur, à quibuſdam etiam timetur. Tantam ei Deus, cui ſe tradidit, dat gratiam corã hominibus. Nónne melius ei hoc, quàm vniuerſa terra? Ecqua ſubſtantia tantam præſtat homini gloriam ſuper terram, quantam opinio ſanctitatis?

Gal. 4. Gratia corã hominibus pro relictis facultatibus.

31 Adhuc pro terrena ſubſtantia datur ei ſpiritualis, quàm iunior filius & laſciuior à patre ſuo acceptam conſumpſit viuendo luxurioſè, id eſt, ſciẽtiam, ſapientiam, cæteraſque virtutes innumeras, quas conſequuntur, qui relictis facultatibus mundanis Deo ſeſe tradiderint. Cui ſit honor & gloria. Amen.

Subſtãtia ſpiritalis pro relicta terrena. Luc. 15.

ADAGIORVM EX D. IOANNIS CHRYSOSTOMI OPERIBVS COLLECTORVM CENTVRIA VNA, ET INCHOATA ALTERA.

Per M. Claudium Eſpencæum Pariſienſem Theologum.

A carceribus I.

HOMIL. 24. ad Hebr. Tales ſunt qui ex carceribus ipſis clari & geſtientes proſiliunt: pòſt diſſolutius laxiuſque mouentur: ideoque palma fraudantur.

A ſtatuis non differre. 2.

Lib. 6. de ſacerdotio: Quod ſi forte ſimul & tardo ingenio natus, & certaminum huiuſmodi expers fuerit, ſuſcepta ſacerdotij adminiſtrandi prouincia, nihil prorſus, quod noſtrate verbo dicitur, à ſtatuis diſtabit.

Ab incunabulis. 3.

In pſal. 14. Qui docet de iuſtitia, reliquiſque virtutibus, non debet in finem vitæ ſuadere hæc acquirere, ſed ab initio, ab ipſis incunabulis cum eis verſari. Homil. 8. ad Epheſ. Habēt quiddā præ cæteris amplius, qui in vinculis Pauli naſcebantur, quod mox ab ipſis cunabulis, fidei ſcilicet initijs, ad hoc intuebantur, vt in huiuſmodi rerum calamitatibus gauderent. Hom. 8. in 2. Tim. Si quis nunc indignatur hæreſes eſſe, cōſideret eas ab ipſis mundi incunabulis, nedum à fidei primordio erupiſſe. Ser. de Pentec. In principio, & (vt ita dicam) incunabulis eccleſiæ Reges fuere impij, duces inſani, &c.

Ab vnguiculis. 4.

In pſal. 14. vbi paulò ſuprà. Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum: Noui iuuenem, qui continuò à teneris vnguiculis abſque cuſtodia fuit educationis legitimæ, &c.

Ad calculum vocare. 5.

Lib. 3. de ſacerdotio: Vt nihil hic agam, quod ob oculos illò potius quā illò coniectos ad calculos vocare illū volunt. lib. 5. Quod ſi quis rem ad calculos exactè exigere velit. Hom. 7. ad Rom. Dum viuimus ipſi, poſſumus liberos noſtros ad rationis calculos vocare, facultatibus non rectè vtentes emendare. Oratione de prouidentia Si hos quaſi ad calculum adigendo examinaret. Et, Ita fiet vt non tantùm non laudes tuum calculum, ſed mutaturus quoque ſis ſententiam. De Auaritia, conſcientiæ calculum non ferre.

Adamantina, & huiuſmodi. 6.

Libr. 5. de ſacerdotio: Ab inferioribus dicendi gloria vinci eum qui dignitate præcellit, idque fortiter & generoſè perpeti. Id verò non cuiuſlibet, nec noſtri ſanè fuerit, ſed adamantini potius cuiuſdam animi. Homil. 18. in 1. Corint. Adamantis more ab affectuum examine non franguntur 28. Vt machinam hanc adamantino muro admotam videamus. Et paulò pòſt, Quid igitur beatus hic adamante fortior? 35. Aſpectus eſt qui ferreum, qui adamantinum animum inflectere poſſit 43. Verè virilis & adamantinus Dei ſeruus 20. ad Rom. Petra fortior, adamante ſolidior. 1. in 2. Corin. Adamantino pectore opus eſt. 25. Quæ poterat etiam adamantinam animam conturbare. Lapideam habere par eſt. De diuitijs & paupertate, ad Innocentium Papam. Cor lapideum. Homil. 8. ad Epheſ. Quouis ferro adamantino infractius eſt vinculum, quod à dæmone eſt. Et aliquantò pòſt, Quidnam huiuſmodi mentibus adamantinum magis eſſe poteſt? Et, Etiamſi adamantini fuiſſent, aut ex metallica quapiam materia, quomodo non in igne perijſſent? De pueris loquitur Dan. 3. & de Iob. Homil. 8. ad Phil. Nihil nos rerum præſentium contriſtaſſet, reſpicientes in athletam iſtum, in adamantinam animam, in mentem infractam & æneam. Ita quippe conſtanter tulit omnia, ac ſi æneum aut lapideum corpus habuiſſet. 2. ad Col. Multa quoque compaſſione adamantinum animum quoque emollire poterit. 5. In 1. Theſ. Paulus ille adamantinus, ignis cōtemptor. 22. ad Heb. Nunquam conuitijs læditur huiuſmodi homo, ſed ſicut adamantina corpora non vulnerantur, ſic animæ tales: ſuperiores quippe iaculis inueniuntur. 28. Æmulare hunc adamantem: qui veluti ſi iam ſuperfluo ac fruſtra indueretur corpore, ita gerebat hanc vitam.

Aerem verberare. 7.

Homil. 77. in Matth. Nihil aliud eſt pro præſentibus iſtis laborare, quàm pugnis aëra cædere.

Agrorum multi Domini. 8.

Homil. 11. in 1. ad Tim. Dic quæſo, villa quælibet quot habuit dominos? quos item habitura eſt? Ditur quoddam vulgò prouerbium, & ſapienter quidem, nec enim paſſim contemnenda ſunt, quæ vulgò dicuntur, ſi quid in ſe recti habent: Ager, inquiunt, quàm multos habuiſti, & quàm multos habiturus es dominos? hoc & ad domos, & ad pecunias ritè dici poteſt. Sola virtus nobiſcum migrare conſueuit, & ad æternam vitam tranſire.

Alis ſuis implicari. 9.

Homil. 38. in 1. Cor. Vides vt nihil ſit errore magis imbecillum, vides vt ſuis ipſius alis implicetur.

Alius ſerit, alius metit. 10.

Homil. 33. in Ioan. 4. Meminit Chriſtus prouerbij, quod in ore multorum eſt: In hoc enim eſt verbum verum, quia alius eſt qui ſerit, aut ſeminat, & alius eſt qui metit. Hoc frequens dictum erat, quando alius labores, alius fructum reportaret. Quod prouerbium hîc maximè deprehendi dicit. Laborarunt enim prophetæ: vos (apoſtoli) fructus inde capitis.

Amicus cum vitijs ferendus. 11.

Homil. 78. in Ioā. Non audiſtis gentile prouerbium, quòd amicus cum vitijs ferendus eſt? Non vides amantes? Cogimur enim, cùm à vobis non poſſumus, inde ſumere.

Amuſſi ſaxum applicare. 12.

Homilia 35. in 1. Corinth. En rurſus amuſſi, quod dicitur, ſaxum applicat, ſiue funiculum admouet ad lapidem, eccleſiæ ædificationem vbique requirens.

Ancora

Digitized by Google

Ancora ſacra. 13.

Concione 4. de Lazaro: Conſcientiæ increpatio ſacra eſt ancora, non ſinens nos in peccatorum demergi profundum.

Aranearum telæ. 14.

In pſal. 50. Quid peccatum ad Domini miſericordiam? Araneæ telæ vento flante nuſquam comparent. Homil. 60. in Matth. Noli peruerſas in medium ratiocinationes inferre, nec ſophiſmata & orationis contextum telis aranearum viliorem. & paulò pòſt: Has aranearum conſimiles telis rationes fruſtra confringunt. Hom. 14. ad Rom. Et 17. Hominum præconium aranearum textura, fumo, ſomnijs infirmius, 20. Arrogantia aranearum textura citius ſcinditur. 4. in 1. Cor. Quantum Plato de huiuſmodi araneis diſputans laborauit? Illarum namque telis hæc inutiliora. 5. Cogitationes humanæ aranearum telis æquiparantur. 34. Ne telas aranearum telæ regiæ attexamus. 40. Ne diutius telulis illis aranearum perrumpendis fruſtrà occupemur.

Aureus, & huiuſmodi. 15.

Homil. 7. ad Col. Verè quippe lutei ſumus ante baptiſmum, poſt verò aurei. Repetit verò Paulus maius diſcrimen, nempe cæleſtis & terreni. 1. Cor. 15. Non intereſt enim tantum inter lutea & aurea, quantum inter terrena & cæleſtia. Cerei ſumus & lutei. liquefacit nos concupiſcentiæ flamma multò magis quàm ceram ignis, & vulgaris quæuis tentatio plus nos frangit quàm lutea vaſa ſaxum.

Bellum abſque fœdere. 16.

Homil. 47. in Matth. Si trucidarentur omnes malefici, abſque fœdere pacis, atque inducijs bellum orbi inferretur. Matth. 6. ad id, Sed libera nos à malo. Bellum nobis cum diabolo perpetuò, & irreconciliabile.

Cera mollior. 17.

Homil. 22. ad Rom. Scio vos nunc accenſos, ceraque molliores eſſe factos. 27. in 1. Cor. Quamuis lapis eſſet, audita nocte illa quomodo Chriſtus traditus, ligatus, abductus, denique paſſus, cera mollior fiet. 30. Vehementer ante congreſſum paupertatis metu Satan diſtinet, & velut ceram liquefacit. Eſt enim cera vir huiuſmodi mollior. 7. ad Col. Cerei ſumus & lutei. liquefacit nos concupiſcentiæ flamma, multò magis quàm ceram ignis. De ingluuie. Quauis cera molliores.

Canibus efferatior. 18.

Initio orationis de diuitijs & paupertate, Epulo omnis immitis, immanis, & quibuſuis canibus efferatior. De auaritia: Quid epulis illis impudentius, & caninum magis? Homil. 9. in 1. Cor. Quid cupidi & rapacis oculis impudentius? Quid cani ſimilius? Nec enim tam impudens canis, quàm hic omnia diripit.

Cardo rei. 19.

Libr. 2. de ſacerdotio: Neq; ſane fidem tibi vulgi vel opinione, vel teſtimonio factam, vt præcipuum ſignum, aut rei totius cardinem eſſe vult apoſtolus, ſed multò prius, &c. Lib. 1. contra vituperatores vitæ monaſticæ, Nempe ſi hoc tantum malum eſſet, atque in eo totius rei cardo verſaretur, &c. Oratione 2. Contra Iudæos. Hæc mihi diligenter auſcultate: nam hic eſt totius quæſtionis cardo.

Catena aurea. 20.

Homil. 8. in 1. Cor. Vis ab ipſis promiſſionibus & prophetis, & præteritis futurorum veritatem dignoſcere? Intuere catenam auream variè à principio contextam. Homil. 33. Ne ſit porrò moleſtum catenam illam auream apoſtoli de charitate verba toto animo conſectari. Homil. 2. in 2. Cor. Vides catenam optimam, & quomodo horum ſingula ſibi cohærent. multò tum firmius, tum decentius poſita, quàm vlla catena aurea. Homil. 8. ad Epheſ. Longa facta eſt Pauli catena, multumque nos detinet: eſt enim ita longa, omnique aurea catena venuſtior. Homil. 9. ad Hebr. Habet pœnitentia ſe inſtar catenæ aureæ: quæ ſi initium ſumpſerit, omnia conſequentur.

Cædimus, inq; vicem præbemus crura ſagittis. 21

Homil. 44. in 1. Cor. Linguam in nos ne inuicem acuamus, neu proximi æſtimationem ſuffodiamus, & quemadmodum in bello cædentes, præbẽtes crura ſagittis. Id eſt, qui viciſſim lædunt & læduntur. Perſij eſt & Horatij, & interpretis potiùs quàm Chryſoſtomi.

Centum viri nec vnum pauperem ſpoliarent. 22.

Homil. 84. Vis metui eſſe & terrori? Abijce qui bus ne carpere poſſint, qui huic rei operam dant. Non audis quod trito prouerbio dicitur, Centum ſimul viros vnum pauperem atque nudum ſpoliare non poſſe? In Matth.

Chamæleonte mutabilior. 23.

Homil. 12. ad Eph. Verum non ſunt aliorum animi tales, ſed chamæleonte crebrius mutantur.

Citra vnum temulentus. 24.

Initio orationis 5. aduerſus Iudæos, Præterijt ieiunium Iudæorum, vel potius ebrietas. eſt enim & abſque vino temulentia, & in ſobrietate luxus atque ebrietas. Quòd ſi nemo niſi vino temulentus eſſe poſſet, nequaquam propheta diceret, Væ ijs qui ebrij ſunt, & non à vino. Eſai. 51. Si non eſſet ſine vino ebrietas, Paulus non dixiſſet, Volite inebriari vino, in quo eſt luxuria. Epheſ. 5. Vt enim vino, ſic alio quoque modo poteſt quis inebriari, ira, libidine, auaritia, gloria, & alijs innumeris affectibus.

Clypeum abijcere. 25.

Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum: Quin abiecto, quod aiunt, clypeo, mox fugam capeſſit.

Colophon. 26.

In Pſal. 6. Iudas ſi pecuniæ amorem coërcuiſſet, non veniſſet ad ſacrilegium, non ad colophonem, vt aiunt, malorum proſiluiſſet. In Pſal. 109. Cùm eſſet Iudæorum morbus immedicabilis impœnitentia, eis colophonem malorum impoſuit. In 124. Non eſt mors omnium malorum colophon? In 128. Parum non eſt animum dolentem refrænare ad hoc vt non peccet, hoc bonorum colophon. Homil. 8. in Act. Ad Innocentium Rom. epiſcopum, de extremis malis vſus videtur Eraſmo: mihi non occurrit.

Contra clauos calcitrare. 27.

Lib. de S. Babyla contra Gentiles: Apparabat ſe Iulianus Imp. ad gerendum contra Chriſtianos bellum: infelix, vt qui ignoraret ſe contra ſtimulum calces. Lib. 1. contra vituperatores vitæ Monaſticæ: Oro, obſecroque, ne vltra contra voſmetipſos ac in veſtram perniciem ferrum impellatis, neu calcitretis aduerſus ſtimulos.

Conuicijs abluere. 28.

Epiſt. 1. ad Innocentium 1. epiſcop. Rom. contrà Theophil. Alexandrin. Populus ante Regis litteras conuitijs eum innumeris ablueràt. Ad finem Epiſt. ad Rom. Cuius nobis ſalutis ſpes, cum nos quotidie principes infinitis conuitijs abluamus? & paulò poſt, Hypocriticum eſt ſacerdotes publicè honorare, domi multis probris abluere. Homil. 10. in 1. ad Timoth. Quid ſi epiſcopum multi fruſtrà & per inuidiam maledictis probriſque reſperſerint?

Coryphæus. 29.

Apoſtolos primarios, Ioannẽ, Iacobum, Andreã, ſed Petrum in inprimis, ſæpe vocat apoſtolorum & diſcipulorum Domini coryphæos, abbreuiatore, vt quidam putant, Tito Boſtrenorum epiſcopo. Matt. 11. A Betthſaida prodierunt duo illa apoſtolico ordinis coryphæorum paria. 16. Statim ante omnes Petrus ille apoſtolorum os, diſcipulorumque coryphæus proſilit. 26. Apoſtolorum coryphæum cadere permiſit. 28. Homil. 90.

Quorum ſi coryphæus muliercula verbum nõ tulit,&c.

Cribro perforato inijcere. 30.

Homil.29.in Act. Quantum putatis cruciantur viſcera mea, quaſi in cribrum perforatum omnia prodere videntis,&c.

Decumanus fluctus. 31.

Homil. 30.in 1. Cor. de cupido: Nauigio omni ex parte vtentes aduerſis obluctantibuſque iactato,& decumanos fluctus ſuſtinenti ſimillimus.

Deteriora pleriſque arrident. 32.

Homil.9.ad Rom. Si pernicioſiora ſunt ſupplicijs flagitia, quî fit vt hæc magis eligamus? quia pleriſque omnibus,quod eſt in prouerbio,quæ deteriora ſunt arrident, & ea illi repudiatis melioribus malunt:id quod videre eſt in cibis,mulieribus, voluptate,mancipijs,& alijs.

Detrimenta magna ex paruis lucris. 33.

Homil . 63. in Matth. Inanis gloriæ cupidi multa illiberalia & ſeruilia facere conguntur: & multis modis adeò decipiuntur, vt parua plerumque lucra magna eis afferant detrimenta, vnde id factum eſt iam trito ſermone prouerbium.

Digito compeſce labellum. 34.

Homil.1.in 1.Timot.Silentium in templis Gentium ſupernè inſcriptum,continebat digito os, & labia comprimebat, prætereuntes omnes ſilentij ſic admonens.

Diolygius clamor. 35.

Aduerſus Iudæos oratione 1: μέγα διολύγιον ὀλολύξαντες, id eſt, clarè iubilantes, vt vox procul queat exaudiri. Loquitur de paſtoribus viſo lupo inter ſe vociferantibus. Vide Eraſmum in Chiliadib.

Diuitiarum putredo multa. 36.

Homil.48.in Matth. Diuites cùm ſuas in ſeipſis opes detineãt, marceſcunt,idcirco trito prouerbio fertur,Multa diuitiarum putredo apud hominem eſt,nec dicitur,magna copia,ingens theſaurus. putredo enim profectò eſt, non poſſidentium, ſed opum ipſarum.De hoc Iac.5.

Dolium pertuſum. 37.

Homil. 77.in Matth. Quid caduco huic mundo laboras? cur perforato aquam dolio ingeris?Homil. 19.in Act. Si dicta nihil vobis profuerint, multò minus ſi alia appoſuerimus, profectò haurimus in vas perforatum. Homil.12. ad Eph. Vt ſi quis in dolium perforatum liquorem infunderet, inanem planè operam ſumeret: ſic delicijs deditus, ſuas in pertuſum dolium infundit delicias.

Dulce bellum inexpertis. 38.

Homil. 13.in Act. Dulce, aiunt, bellum inexpertis. Hoc & nunc conuenit dicere, imò potius hoc dicimus prius quàm veniamus in certamen: Cæterùm poſteaquam eò deſcendimus, aliter nos gerimus. Loquitur autem de malis paſtoribus.

Euripi inſtar. 39.

Homil. 7. in Matth. Illud multò periculoſius, quòd tantam ſpectaculorum perniciem nominent voluptatem,& immane perditionis pelagus Euripum delectationis appellant: cùm facilius certè ac tutius Ægæum mare tranſeas & Tyrrhenum, quàm horrenda theatrorum diſcrimina. 28. Quoniam mutabilem quaſi Euripum credebant Iudæi quidam Ioannem Baptiſtam, ideo falſam eorum ſuſpicionem arguit Dominus.38. Non eſſe leuem quendam hominem, qui huc atque illuc Euripi modo iactetur.1.in Ioan. Magnus eſt ipſorum Platonis verborum Euripus, vt ſicut qui in Euripo ſunt, itidem hi philoſophi numquam ſibi conſtent.Lib.3.de ſacerdotio: Vt eccleſia nihil ab Euripo differre videatur. Sermo.1.de fato: Euentus vitæ noſtræ Euripo inſtabilior,& ſurſum deorſumque ferri.Lib.3. de vita Monaſtica, Eum luge,qui in præſenti vita tamquam concitatiſſimo circumfertur Euripo.Ad finem Homil.12.ad Philipp. Sed quid in Euripum nos ipſos & in fluctus,& tempeſtatem,& turbinem proijcimus?Homil.7.ad Coloſ. Et ſi vultis, priorem depingamus vitam noſtram, an non omnia terra fuerint & vnda, inſtar Euripi puluerem & inſtabilem,& fluidum habentia?

Ex diametro repugnare. 40.

Homil.7.ad Rom.Quid proximi ſanguinem effundis?Domini præcepto (de fundendo pro fratre ſanguine) ex diametro repugnans?Homil.18.Quã habebis excuſationem,ſi poſt acceptam hãc à Deo gratiam,beneficentiam in pauperes prodideris,velut ex diametro fidei tuæ maioribus contrarius?Illi quippe viuentes etiam omnia vendiderunt in vſum pauperum.Act.4. Tu nec moriens: aliquam tuorum eis bonorum partem tradis?

Extra teli iactum. 41.

Epiſt.5.ad Theodorum:Adde ſeculi factum eſſe dubium & infirmum propter vim bellorum, propter inſidias & inuidiam,propter hoc quòd vel extra teli iactum, & periculi ſuſpicionem, per ſe ne huius quidem faciendus eſt. De diuitijs paupertate.Extra certamina poſitum Deo conuitiari.

Farinæ huius. 42.

Homil.18.ad Eph.Contigit vt aliquis huius farinæ apud quemquam eorum exiſtens, qui ſcientiæ gratia plurimum iactitant,&c.

Feneſtram aperire. 43.

In Pſal. 43. Si quando quis primus acceperit, quandam veluti feneſtram ſecundo aperit,ſiquidẽ ſimilis ſit,qui petiturus eſt,aut ſi eadem petat.

Flammam diſcerpere. 44.

Homil.77.in Matt.Nihil aliud eſt pro præſentibus laborare,quàm flammam diſcerpere.

Foſſas tranſilire. 45.

In Pſal. 7. Daniel tanto erat ſtudio ſapientiæ præditus,vt non ſolùm legem non tranſgrederetur,ſed eam ex nimia quadam abundantia eã longè ſuperaret,foſſas,vt eſt in prouerbio,tranſiliens: neque ad virtutem ſufficere ratus,niſi etiam iuſſa longo ſuperaret interuallo. Et aliquantò pòſt: Nõ hic nobis datur laborum remuneratio, ſed ſunt hic quidem foſſæ tranſiliendæ: pòſt erunt præmia & coronæ, Hoc prouerbio commendat opera ſupererogatoria: vt alibi Homil.2.in 1.ad Cor.Qua te excuſatione tueberis, niſi modum ſerues, cùm alius foſſas ſtrenuè tranſiliat,cælebs nimirum & caſtus?Homil.7.Quem non illius ſeculi hominẽ præcepta de otioſo ſermone,de muliere non videnda, de non fruſtrà iraſcendo,& euertiſſent?Omnes tamen prompto animo accurrerunt, multi etiam foſſas tranſilierunt.

Frontem perfricare. 46.

Lib.3.de ſacerdotio:Coguntur perfricta admodum eſſe fronte ob ventris eſurientis neceſſitatẽ. Homil.68.ad Antiochen.Perfricata fronte per medium forum res omnium rapit.10.in 1.ad Theſſal. Abiecto omni pudore.Et in vita S. Babylæ martyris contra Iudæos:Ne velis vltrà perfricare frontem.Oratione 2.& 5.Homil.9.ad Philipp. At pater quidem carnalis ſi hoc faceret,mendicaret, turpe putares.tu verò ſi pater ſpiritualis ad hoc cogeretur ad mendicitatem,frontem non perfricares,nec pudore tegendum putares.

Fumo infirmius aut leuius. 47.

Homil.17. ad Rom. Præconium humanum fumo infirmius. & 20. Arrogantia fumo leuius diſſoluitur.

Fundum malorum. 48.

Homil . 58. in 1. Cor. Nondum ad fundum malorum ventum eſt: medio adhuc in dolio hæres.

Homini diligenti ſemper aliquid ſupereſt. 49.

Homil.19.in Ioan.Tritum prouerbium eſt, Homini diligenti ſemper aliquid ſupereſſe. Et Chriſtus,Qui quærit,inuenit.Matth.7.

Huius non facio. 50.

Vide,Extra teli iactum.Ex epiſtola 5. ad Theodotum lapſum.

Ignem igni addere. 51.

Homil. 7.ad Rom. Morientes ſiquidem liberis vnà cum orbitate ac iuuentute opum quoque licentiam addiderimus, fiet vt in infinita præcipitia miſeros illos ac calamitoſos impellamus,ignem igni adijcientes, & oleum foco inſtillantes.

Illotis manibus. 52.

Homil.1. in Matth. Tu verò euangelium etiam ſi illotis, vt aiunt, manibus contrectare detur, ne attingere quidem cupias.

Impingere in ſcopulum. 53.

Initio homil. 25.in 2. ad Cor. Phariſæo propter hoc acciderunt quæ leguntur, eò quòd impegit in hunc (magniloquentiæ) ſcopulum Eadem de eodem Homil. de profectu euangelij.

In ære habere. 54.

Homil. 7. ad Rom. Deus quibus maximè debet, hos maximè amat,ad eos accurrit:quibus nihil debet,eos auerſatur. Omnem igitur operam nauemus,vt illum in ære noſtro habeamus.

Ipſe dixit. 55.

Homil.1.in 1.ad Tim.Et quid me dicere de Deo diuiniſque rebus neceſſe eſt, gentiles ſine argumento & probatione credidiſſe? In homine quoque hoc eos feciſſe manifeſtum eſt, eoque mago, Pythagora,Ipſe dixit.

Iro pauperior. 56.

Homil.20.ad Epheſ.Et ſi oporteat omnia perdere,& Iro pauperiorem fieri ,extrema & quicquid tandem eſt pati, leuia erunt omnia, mihi modò tecum bene conueniat.

Iuxta fontem ſitire. 57.

Concione 1. de Lazaro, Hic quaſi veniſſet, vt alienorum bonorum teſtis eſſet, ita in veſtibulo diuitis proiectus,iuxta fontem moleſtiſſimo ſiti diſcruciabatur.

Iniuria ſoluit amorem. 58.

Homil. 8. in Cor. Si iuxta prouerbium, contumelia perſuadet amanti vt amorem diſſoluat : quomodo non magis ſpiritualia incantamenta ſuperabunt malum, tantum vt velimus deſiſtere?

Lapidibus cohabitare. 59.

Serm.contra concubinarios. Admirande vir, is affectus(non moueri ſcilicet) eſt his qui lapidibus cohabitant, non hominibus. Ego autem audiui quòd etiam apud lapides quidam & ſtatuas aliquid paſſi ſint.

Laterem lauare. 60.

Homil.5.oper.imperf.in Matth.Incipe laterem aqua lauare : numquid aliquando mundatur? Minimè, ſed magis commoto luto amplius ſordidatur.

Laua os tuum,& ſic memineris. 61.

Homil.9. in dict. Quoties de viro quopiam virtutibus prædito loquimur, dicimus, Laua os tuum, & ſic memor ſis. Nomen autem Dei ſimpliciter diſtrahimus,&c. Inuehitur frequenter iniurantes.

Leonem ab vnguibus. 62.

Homil. 4. in 2. Tim. Sed Leonem profectò imprudenter ex vngue deſcripſi: Paulum vtique ex præſentibus. Illa ſanè cæleſtia & diuina quis animo concipiat?

Lerna malorum. 63.

Matth .6. Sed libera nos à malo. Simultatem non in proximos, ſed à proximis in malum, id eſt, diabolum, ceu malorum omnium

A lernam, caput atque cauſam transferamus. Homil.20.

Manum inijcere. 64.

Homil.5.in 2.ad Theſſal. Multa nos à dilectione Dei diuerticula abducunt.Primum quidem Mammonæ velut impudentes quaſdam manus animæ noſtræ inijcientis, & potenter ac tenaciter corripientis & trahentis.

Manus dare. 65.

Lib.2. pro vita monaſtica. Poſtquam enim in nullo ſibi cedere permittit,neque penitus mouere loco,victus tandem manus dedit.

Mari mutabilior. 66.

Homil.12.ad Epheſ.Mari crebrius mutantur.

Marte aperto. 67.

Homil. 7. ad Rom. Pernicioſior eſt inuidus homo.Hic enim aperto marte gerit, ille adumbrato.

Marte ſuo. 68.

Homil.12. ad Rom. Bonos ſuo marte liberatos non eſſe,ſed gratia omnia illis obueniſſe.

Naufragium in portu. 69.

B Concione 1.de Lazaro:Solùm vitæ tantùm habens,vt ſua mala ſentiret,in portu faciens naufragium.Serm.de Euchariſtia in Encænijs: Adã in paradiſo,vt in portu naufragium fecit.Initio Homil. 25.in 2.Corinth. de Phariſæo Luc.18.& de eodem homil.de profectu euangelij:Præ magniloquentia in portu naufragium fecit,vt nauis quæ multos fluctus & tempeſtates effugit,in ipſo portu tandem in ſcopulum impingit,iacturam totius theſauri in ſe reconditi facit:ita Phariſæus,&c.De diuitijs & paupertate: Ex aliorum naufragijs vobis portum parans.

Ne gry quidem. 70.

Homil.23.in Act.In perſecutione timor ingreſſus quaſi flagello quodam percuſſo cane, omnes

C affectiones ne gry quidem ſonare ſinit.

Nec per ſomnium? 71.

Homil.2.in Matth. Quæ ſapientes ſeculi ne per ſomnium quidem aliquando imaginari potuerunt. Paulò pòſt: Virginitatis illi nec in ſomnis dignitatẽ imaginati ſunt. Et aliquando pòſt, Quis in hac de qua loquimur ciuitate princeps ſit,quis apud eum primus,aut ſecundus,aut tertius,vel quanto quiſq; tempore, vel quid ſit virtutis operatus, numquam vel per ſomnium cogitaſti. Homil.1.in Ioan.Nihil terrenum ſentit,vt illi qui ne per quietem quidem regias ingredi meriti ſunt.Homil.8. Gentiles nullos de Deo ſermones ne in ſomnis quidem acceperant. Homil. 29. Spiritualia ne ſomnis quidem coniectamini.Homil.75.Virtutem & vitium ne in ſomnis quidem imaginantur. Vtitur & lib.1.de ſa-

D cerdotio:Derepente ad tanti honoris culmen perduxerunt, quantum ne in ſomnis quidem aſſequi ſperauiſſent.Homil.69.in Matth.& 56. ad Antiochenos,lib.3.contra vituperatores vitæ Monaſticæ.Oratione 3.aduerſus Iudæos. Serm. contra concubinarios. Epiſt. 5. ad Theodorum lapſum. Homil. 34.in 1.Corinth.Homil.6.ad Epheſ.Homil. 28.ad Heb.

Nocturna pugna. 72.

Lib.3.de ſacerdotio Ita,inquit ille,& prudentes perdit: quaſi enim in nocturna pugna obtenebratus animi oculus non internoſcit amicos ab aduerſarijs,ſed omnes ſimul vno loco habet.

Nudo capite. 73.

Id eſt impudenter & inuerecundè.Homil. 43.in Geneſ.19.de Sodomitis:Neque erubeſcebant tam turpe,tamque impudens flagitium, neque infallibilem oculum cogitabant, neque iuſtum reuerebantur,neque hoſpitibus parcebant: ſed abſque rubore,& nudo,vt dicunt,capite,libidinis ſuæ verba efferentes,acceſſerũt,&c.Hom.68.ad Antioch. 10.in 1.ad Theſſal.Nudo & aperto capite per medium forũ res omnium rapit: Et in vita S. Babylæ martyris.Homil.10. ad Philip.Quia magnus erat

Gala-

Galatarum morbus, nudo deinceps capite cum multa autoritate infert. Homil.38.in 1.Corinth. Et hoc leuius nunc quidem, progreſſu verò poſtquam incaluit, nudo deinceps capite clamat.

Nullius penſi. 74.

Serm. contra concubinarios: Si talem virum (Moyſen) hoc fecit impingere, nos vermiculos, & nullius penſi, quomodo non deſtruet & perdet?

Numeris omnibus. 75.

Homil.14.ad Rom. Numeris omnibus abſolutam gloriam.

Obuiis vlnis, manibus. 76.

Lib. 3. de ſacerdotio: Qui neque viribus ſuis prius conſultis, neque conſiderata rei magnitudine, obuijs ſtatim vlnis munus oblatum amplectuntur. Epiſt.5. Egredientem obuijs manibus excepit.

Oleum foco addere. 77.

Vide, Ignem igni addere, ex homil.7.ad Rom.

Omnem lapidem mouere. 73.

Epiſt.5. ad Theodor. Vnde diabolus omnem, quod aiunt, lapidem mouet, quò in nobis altè radices agat cogitatio deſperationis. Homil.5.ad Rom. Quinetiam vel proprio filio interempto perſeuerat Deus exhortans, obſecras, rogans, omnem denique lapidem mouens, vti ad ſe conuertantur.

Palinodiam canere. 79.

Homil.9. Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo: Scio quòd poſt hoc nobiſcum ſtabunt notantes ſemetipſos prioris erroris, & vt dicitur, palinodiam canent. Lib.2. aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ, Victus palinodiam cecinit.

Pedibus conterere. 80.

Homil.9. Quod nemo læditur niſi à ſeipſo, Terribilem omnibus fieri, innumeris modis cruciari, affligere, ac pedibus ita dicam, conterere bonos & honeſtos viros.

Per manus tradere. 81.

Homil. 2. ad Epheſ. Si liberis voles velut per manus tradere diuitias, illis acquire iuſtitia & æquitate.

Per tranſennam. 82.

Homil.25.ad Rom. Non permittens vt iniectum verbi ſemen modicum quid vel per tranſennam aliquando aſpici queat.

Pinguiori ſermone. 83.

Homil.73. in Ioan. Vt pinguiori ſermone vtamur. Et, Pinguior verborum ſignificantia humilitatem arguit. Homil.4. contra Anomœos: His ipſis humanæ pinguis Mineruæ vocabulis cognitionem Seraphim & Cherubim deſignari à propheta intellige.

Piſcibus magis mutus. 84.

Homil. 3. ad Epheſ. Eum qui piſcibus magis fuerat mutus, in quàm ſublimem thronum ſubuexerit.

Quæ ante pedes. 85.

Homil.20.ad Rom. Qui phreneſi laborat, cùm ſeipſum non agnoſcat, neque quæ ante pedes ſunt, nouit. 22. ad Heb. Si illic vbi ante pedes erant bona, omnes fide ſaluati ſunt, multò amplius nos.

Qui alium honorat, ſeipſum honorat. 86.

Homil.14.in Act. Et prouerbium quoddam eſt, Qui honorat, ſeipſum honorat: ita etiam qui contumelia afficit, ſeipſum contumelia afficit. Nullus nos poterit iniuria afficere, iterum dico, niſi noſmetipſi: neque pauperem me quis faciet, niſi ego meipſum. Homil. 50. Non audis, Qui honorat, ſeipſum honorat? Nos autem noſipſos contumeliâ afficimus, &c. Cur teipſum percutis, &c. Homil. 25. ad Hebr. Noli iniuria teipſum afficere, dum iniuria alium afficis. Tibi ipſi parce, non illi. teipſum honora, non illum. Nonne prouerbium tale eſt, qui alium honorat, ſeipſum honorat? Et meritò. non enim honorat illum, ſed ſeipſum. Audi ſapientem quendam dicentem, Fac animæ tuæ honorem ſecundùm dignitatem eius. Quid eſt hoc? Si tua diripuit, inquit, noli eius velle diripere. Iniuriam fecit, iniuriam ne facias.

Quicquid in buccam. 87.

Serm. contra concubinarios: Et nullius ipſi curam habent, neque erubeſcunt, ſicut ebrij, omne quod in buccam venit loquentes. Homil. 21. ad 1. Corinth. Non igitur ſimpliciter quicquid in buccam venerit, loquamur.

Refricare vlcera. 88.

De diuitijs & paupertate: Hoc dico non exprobrans, abſit: neque refricans vlcera.

Sal & menſa. 89.

Homil.8. ad Rom. Prædones ſalem eundem ſimul comedentes, prædones eſſe deſinunt aduerſus eos quorum conuictu vſi fuerint, &c. Homil.24. in 1.Corinth. Si hominibus mēſæ & ſalis communio, amoris cauſa eſt & ſignum, hoc idem in dæmonibus accidere poteſt. Homil.27.in 2.Corinth. Et latrones, & homicidæ, & parietum effractores communicato ſolo ſale & menſæ participes facti, mores mutauerunt.

Secundarius curſus, ſiue altera nauigatio. 90.

Homil. 1. in Matthæum: Poſteaquam verò ab hac gratia ſumus excuſſi, agè vel ſecundum amplectamur curſum. Emendauit hunc locū in Aniano interprete Eraſmus in adagijs. Sic initio lib.3. de vita Monaſtica: Optamus votis omnibus nemini hac admonitione opus eſſe. Sin, quod abſit, fuerint aliqui huiuſmodi, vel ſecundum, iuxta prouerbium, nauigationis remedium non illos effugiet.

Seminare inter ſaxa. 91.

Homil.6.ad Tit. Quoties peruerſus quis hæreticus prorſus fuerit, & animo decreuerit, ſententiam, quicquid contigerit, non mutare, cur eius gratia fruſtra laboras, atque inter ſaxa ſeminare contendis?

Senectus ipſa morbus eſt. 92.

Initio homil.4.ad Tit. Habet ſenectus vitia quædam propria, & morbos quibus iuuentus caret. Et ipſa quippe ſenectus morbus eſt.

Sine puluere. 93.

In S.Babyla martyre, de Iuliano Aug. Qui Perſidem omnem per incurſionem, ac ſine puluere, quod aiunt, capturum ſe ſperauerat.

Somnijs infirmius. 94.

Homil.17.ad Rom. Præconium humanum ſomnijs infirmius.

Stadium tranſire. 95.

Homil.42.in 1.Corint.15. Abundantes, ait Paulus, in opere domini ſemper, non dixit, operantes bonum. vt ſponte ſcilicet, & ex abundanti peragamus iſtud, & ſtadium aliquando tranſiliamus.

Summis digitis. 96.

Homil. 1. de patientia Iob: Euangelica lingua nobis, amice, neceſſariò accedas, quò ſummis, vt ita dicam, digitis vnguenti alabaſtrum tangentes, eccleſiam ſimul repleamus. Alludit ad Ioan.12.

Summis labris. 97.

Proœmio altero in pſalmos: Sed vt agnoſcentes conſequentiam eorum quæ dicuntur, prudenter canant, prout ſcriptum eſt, ex profundo cordis ſui, & non in ſuperficie tantùm, & ex ſummis labris. Homilia 6.in 1. Timoth. Qui ſcire videntur quid tractauerimus, vix ſummis labijs proferunt.

Studium ſtudium generat. 98.

Homil. 8. in Act. Fortaſſis ad finem veniemus: ſtudium enim, inquit, ſtudium generat, & ignauia ignauiam.

Digitized by Google

Surſum deorſum. 99.

Homil.2. in Matth. Itaque fit vt ſurſum hodie deorſum omnia ferantur.Lib.3.de ſacerdotio: Fit tandem per eos, vt quod eſt in veteri prouerbio, ſurſum ac deorſum ſeſe habeāt res.principes ſuos ſubditi regant. Serm. contra concubinarios: Nihil ita Deum exacerbat,vt blaſphemia: vnde ſurſum ac deorſum apud Iudæos hoc iactat, Nomen meum blaſphematur, &c. Homil.4. ad Roman. Cùm Deus deſtituerit, tum omnia ſurſum ac deorſum feruntur. 17. Surſum deorſum turbantur omnia.24.Surſum deorſum voluuntur omnia. 27. Chriſtus ſurſum ac deorſum verſans. 30. in 1. Corinth. Quid tu differentiam ſurſum deorſum verſas? 38. Omnia perdis, ſurſum deorſum omnia miſces Serm.de eleemoſyna & collatione in ſanctos: Moyſes de his ſurſum ac deorſum ſermones diſſeminat. Homil.27.in 2. Corinth. Hoc eſt quod omnia ſurſum ac deorſum conuertit. Ad Galat.1. Niſi regulam hanc ſeruauerimus, omnia ſurſum deorſum miſcebuntur.3. Quoniam ſurſum deorſum legem neceſſariam eſſe vertebant Iudæi. Homil.10.ad Epheſ. Hoc eſt quod ſurſum ac deorſum verſauit ac turbauit omnia. 14. Quod pſalmiſta ſurſum ac deorſum verſat.15.20. Militibus turbatis omnia ſurſum ac deorſum voluuntur.Et multò pòſt:Pecunias ac ſumptuoſitatem ſurſum ac deorſum indeſinenter incuſa.4.ap Philip.Vbique vides ipſum ſurſum ac deorſum hac re ſollicitè agentem.6. Omnia ſurſum ac deorſum volutat ac ſubuertit.7. ad Col. Surſum ac deorſum quæ de Chriſto ſunt verſat.10.in Theſſal.ad Hebr.Homil. 2.8. Surſum atque deorſum cum Iudæis diſputas. 12. Surſum atque deorſum hoc honoris illorum gratia voluebatur. 13. Surſum atque deorſum reuoluit,dicens. 20. Surſum ac deorſum tam multis diſputauit de hoſtijs.23.Nobis ſurſum atque deorſum Deus de ſuperna loquitur diuitate: 25. Cùm Paulus ſurſum ac deorſum clamet. 27. Quoniam ſurſum ac deorſum dicebat,quia oportet credere.

Sybaritica menſa. 100.

In Pſal.109. Audiant qui ſibi menſas apponunt Sybariticas.De reſurrectione homil. 7. homil. 10. Cùm presbyter eſſet deſignatus. homil. 19. in 2. Corinth.Maiores eſſe delitias herbis paſci,& bene habere,quàm Sybariticam habere menſam,& morbis eſſe obnoxium.

Centuria ſecunda.

Sydere infauſto natus. 1.

Homil. 12.ad Rom. Quis tandem euſque miſer,euſque infelici ſydere natus eſſe queat, vt ne ſtudij quidem tantum Chriſti, quantum diaboli ac peccati ſeruituti impendat.

Tamquam è fonte. 2.

Concione 1. de Lazaro: Epuloni diuiti cuncta veluti è fontibus affluebant. & paulò pòſt. Iſti qui in paraſitos & Gnathones & temulentiam quicquid habet conſumit,non aliter quàm è fonte cuncta affluunt.2.Sæpe dixerat diues hic: Quorſum mihi pietate opus ac virtute? Cuncta mihi velut è fonte affluunt.Multa fruor proſperitate.Homilia 17.in Act.Homil. 20.ad Epheſ. Doce timorem Dei,& omnia tamquam ex fonte abundè affluent.

Tamquam machina impulſus. 3.

Homil. 8. in Ioan. Hi (gentiles & gentium dij) cùm in imum malitiæ pelagus demerſi eſſent, repente tamquam machina quadam ad ſuperna impulſi, ab ipſo cælo clari apparuerunt & fulſerunt.

Telchinis dextra. 4.

In D,Babyla:O Telchinis dexteram. Sic enim appellat nocentem dexteram, malignam vertit Brixius, quòd Telchinas Græci vocant malignos, inuidos,incantatores.

Telis ſuis transfigi. 5.

Homil. 38. in 1. Corinth. Nec oppugnatione aliunde opus: tranſfigit dolor ipſe ſeſe. vide igitur qui ſuis ſe telis tranſfixerunt.

Tempus omnia reuelat. 6.

Homil.35.In Matth. Tempus quod obumbrata omnia declarat ac detegit,& inimicorum aduerſus vos ementita verba redarguet, & virtutis veſtræ ſplendorem accendet.

Turpe dicere,Non putabam. 7.

Ad finem Homil. 5. ad Tit. Conſiderate quàm turpe,quamque ridiculum ſit poſtmodum dicere: Non expectabamus, neque ſperabamus hoc fore; nec turpe modò,ſed & graue,plenumque periculi. Si & in hoc ſeculo,ſtultorum eſt & amentium non prouidere futura,&c.

Tranſuerſum agere. 8.

Homil. 9. ad Rom. Quid de ijs dicas, quos frequenter afflictio tranſuerſos agit,& in errorem inducit?

Triobolaris. 9.

Homil.21.ad Epheſ. Si enim Græci triobolares quidam viri & canes triobolarem ac vilem philoſophiam (talis enim oratorum eſt infidelium philoſophia)imò non ipſam,ſed nomen ipſius amplexi multos flectunt,&c.

Ventos ſtringere. 10.

Vide vmbras amplecti.ex Homil. Quòd nemo læditur,niſi à ſeipſo.

Vltra metas currere. 11.

Homil.40.in Matth.Quam excuſationem habebis, cùm alijs vltra metam currentibus, tu vel ad conſtitutum terminum peruenire graueris? Hoc prouerbium innuit opera ſupererogationis ſanè intellecta,vt & aliud, Foſſas tranſilire, & ſequens.

Vltra ſepta tranſire. 12.

Homil.de verbis apoſtoli,Habentes autem, &c. De fatuis virginibus:Naturæ,ait,violentiam ſuperauerant, in terra degentes , angelicam vitam vixerant. In tanta flamma fornacem potuerant cupidinum extinguere,& vltra ſepta tranſilierant, & plura quàm iuſſa erant præſtiterant.Nulla enim lex virginitatem præcepit: liberæ hoc auditorum voluntati relinquitur.poſt hæc omnia victæ ſunt à pecunia,&c. Sic ſolet ſupererogationis opere innuere.Homil.3.in 2.Corinth.1. Abundantius, ait Paulus,apud vos. Illic enim vltra ſepta progreſſus fuerat, gratuitò docens euangelium, vt illorum parceret imbecillitati.Et ad finem epiſtolæ ad Rō. Paulus non ſolùm imperata fecit,ſed& ſupra ſepta totus ſaltauit: cùm doceret ex euangelio viuendum,victum ſuis ipſe manibus quæſiuit,plus quàm imperatum erat faciens.

Vmbras amplecti. 13.

Homil.9.Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo: Qui voluptatis vinculis alligati ſunt, quos obtinet libido captiuos, quibus omnis vita in luxu teritur, ſuperflua videntur & hæc & inepta: quandoquidē ſumma auiditate amplectuntur vmbras,& ſtringūt ventos.Hæc enim quæ eis videntur carnis & ſeculi bona, è manibus eorum tamquam ventus & vmbra effugiunt ac labuntur.

Vno iugo. 14.

Homil.11. ad Rom. Ex duabus illis quas paulò antè vno veluti iugo copulauimus.

Vno ore. 15.

Homil. 39. in 1. Corinth. Philoſophi cùm per cætera diſſecti vndique inter ſe eſſent, in hoc planè vno velut ore conſpirabant, Reſurrectionem non eſſe.

Digitized by Google

Vnum factum vnum, duo facta nihil. 16.

Concione 1. de Lazaro: Non dicebat apud ſe quicquam tale, quale vulgus dicere veriſimile eſt: Hic diues ſi mortuus illic dat pœnas, vnum factum eſt vnum. ſin illîc ijſdem potitur honoribus, duo facta ſunt nihil. An non hæc per fora circumfertis vos vulgares, veſtrum pleriqueex hippodromia paganorum theatris importantes? Hæc multi frequenter dicunt ridentes. verùm hoc quoque diabolicæ verſutiæ eſt, loco dictorum ciuilium & vrbanorum pernicioſa in vitam noſtram inducere dogmata. Hæc ſine fine & in officinis fori, & in ædibus plerique circunferunt. Res extremæ dementiæ, & maximè ridicula, animique puerilis, &c. Et paulò pòſt: Ne dixerimus de diuitibus hîc improbè viuentibus, & iuſtis illîc fœlicitate fruentibus, quòd vnum ſit vnum, ſed quòd duo ſint nihil: quandoquidem iuſtis & quæ illîc, & quæ hîc ſunt, nullam præbent voluptatem. Qui verò per fraudem ſibi quæ non oportet vſurpant, tum illic puniuntur, hinc profecti, ſupplicijs intollerabilibus: tum hîc diſcruciantur expectatione futuri illîc ſupplicij, A & mala, quæ ab omnibus ferunt, opinione, &c. Impia ſpirant impiorum non magis prouerbia, quàm ænigmata, diffidentium & dubitantium, & nihil perſuaſum habentium de futuris impiorum pœnis, quodque omnino puniendi ſunt, hinc profecti, ſed idem cum iuſtis & æquale reportaturos præmium, &c. Hîc deſidero fontem Græcum poſt interpretem etiam Eraſmum.

Voluptas adſit, & ſuffocet me. 17.

Homilia 74. in Matth. Paraſiti & Gnatones, cùm hæc à nobis audiunt, nec dolent, nec erubeſcunt, ſed gloriantur: Adſit, inquientes, ſuaue quiddam mihi & iucundum, & ſuffocet me. B O verſutiam diaboli, quæ prouerbio vitæ hominum tradidit, quibus integra poſſit hominum vita euerti!

Vulnus circa iugulum. 18.

Homilia 38. in 1. Corinth. Si tenetis, inquit, niſi fruſtra credidiſtis, circa iugulum vulnus, & non de re friuola certamen, ſed de ſumma fidei eſſe oſtendens.

INDEX ET EPITOME FLORVM
D. IOANNIS CHRYSOSTOMI,
EX EIVSDEM OPERIBVS DECERPTORVM,

QVIBVS IN ENARRANDO CATECHISMO *Catholico, explicandiſq́; quadrageſimæ Euangelijs, ſacer Eccleſiaſtes, (ad cuius diſciplinam Index etiam præmittitur) appoſitè vti poterit.*

COLLECTORE F. IOANNE CHAMPAIGNE
Prædicatore Rhemenſi, & Doctore Theologo Pariſienſi.

SACRATISSIMÆ AC FLORENTISS. THEOLOGICÆ FACVLTATIS PARISIENSIS D. DECANO,
proceribus, atque vniuerſæ Theologorum Scholæ, Dominis ac Patribus ſuis obſeruandiſſimis, Fr. Ioannis Champaigne, Doctor Theologus ordinis Fratrum Prædicatorum, eiuſdem Scholæ alumnus, S. D.

SICVT apis circumuolat omnia prata, vt prompta alteri præparet menſam: ſic & tu fac (ô homo) ſiue pecunias congreges, in alios expende, ſiue doctrinæ verba habeas, ne defodias, ſed apponas indigentibus in medium. Non cernis quòd propterea animalium glorioſiſſima eſt apis; non quoniam laborat, ſed quoniam alijs laborat? *Hæc Diui Ioannis Chryſoſtomi ad Antiochenos verba aurea, prima fronte (Patres ornatiſſimi) quàm clariſsimè poſſunt aperire, quo permotus animo, ſertum multis cumulatum odoratis coloribus, è ſuauiſsimis D. Chryſoſtomi pratis & libris traducere aut compingere tentauerim. Ideoq; cogitabam non aliud præfationis genus lectorem de me expectare debuiſſe, quàm iam appoſitæ ſimilitudinis in opuſculi præſentis frontiſpicio inſculptæ præſcriptionem, vt planè cognoſceret longi ſatis laboris, plurimorumq́; menſium vigilias in breue compendium reuocatas, in ſolam ſtudioſorum vtilitatem (qui tā immenſum Chryſoſtomi pelagus dimetiri nequeant) collegiſſe & edidiſſe. Nihilominus quia non plenè ſatisfactum iri arbitratus ſum, niſi ſigillatim priuatas quaſdam rationes, quæ mihi ſtimulum operis aggrediendi indiderunt, vel cur idipſum columinis Scholæ Pariſienſis præcipuis conſecrarim, euulgarem; non abs re facturum me iudicaui, id ſi lectori propoſuerim.* Chryſoſ. Hom. ad pop. Ant. & hom. in [illegible]

Primùm igitur, noſtrum diuerſorum florum opuſculum (ſententias ſelectas in ferè omnia quadrageſimæ Euangelia ac ad Catechiſmum catholicum ſpectantia continens) ad multorum grauiſsimorum beatiſsimorumq́; virorum imitationem contexuimus. Sancti imprimis Antonini Archiepiſcopi Florentini, qui ex ſumma Theologia hiſtoriáve ſua, Indicem copioſum excerpſit, quo ad Euangeliorum totius anni illuſtrationem tuta faciliſq́; via pateret: R. P. D. Claudij de Sainctes Epiſcopi Ebroicenſis, qui opuſculū de Miſſæ ritibus ex varijs D. Chryſoſtomi locis compactum, libro Liturgiarum Patrum inſeruit: Ioannis Viguerij Tholoſani, qui Epitomen ex aurifluis D. Thomæ Aquinatis libris, in Theologiæ candidatorum vtilitatem collegit, cui ad Euangeliorum meliorem intelligentiam breuem præfixit Indicem: Antonij Democarei fidei Catholicæ clypei, qui ex floribus D. Ambroſij, ſertum aliud vel commentarium compegit in cantica canticorum: ad imitationē poſtremò optimi illius viri Hieronymi Torrenſis, qui nuperrimè ex D. Auguſtini theſauris opuſculū edidit, cui nomen eſt Confeſsio Auguſtiniana. Quod opuſculū ad hæreſeōn euulſionem, fideiq́; Catholicæ confirmationem, plurimum valet. Sic ex D. Chryſoſtomi theſauris effecimus, vt mortalium mores expenderemus, purgaremus, dirigeremus, & ſanctiores redderemus. In quo quidem genere noſtrum potius verſatur nunc argumentum: ſiquidem os illud aureum (S. Chryſoſtomum dico) hoc in ſcribendi genere de moribus princeps ſemper fuit. Animaduertebat enim, quòd non aliunde quàm ex peruerſitate & morum corruptela, hæreſis omniſq́; omnino error propigneretur. Quamobrem ſe cauſæ fidei multum fauiſſe putauit, cùm mores prauos, ſeminaria defectionum, reformauit, diſsipauit, & bonos excoluit. Vnde frequenter dicere ſolebat, Oro habeamus bonæ vitæ curam, ne mala dogmata ſuſcipiamus. *Item,* Vita recta maximum certamen, & optimus ſyllogiſmus eſt. *Quaſi diceret eum eſſe in hæreticos optimè munitum, qui vitæ probæ telis armatus inceſſerit. Sic olim inceſsit fide Dauid contra Goliath, ſed etiam optimis moribus ornatus, in quinque limpidiſsimis lapidibus deſignatis. Sic incedendum præmonet Apoſtolus Petrus. Non enim tantum dixit:* Reſiſtite fortes in fide aduerſario quærenti quem deuoret, *ſed adiunxit:* Conuerſationem habete bonam, vt bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum loquelam. Hom. 47 in Act. Apoſtol. Hō. [illegible] ad Cor. 1. Petr. [illegible] & 5

Quæ omnia dum affirmamus, & de genere docendi D. Chryſoſtomo familiari loquimur, eius honorem haud minuimus, quin potius gloriam annuntiamus, commemorantes & commendantes Dei Opt. Max. in humanum genus beneficia, qui facinoroſorum hæreticorum ſceleribus, impietatibus, & maculis orbi fœdato, malis imbuto moribus, tam facundum concionatorem, tam peritū in animi morbis medicum, tam blandè corripientem infirmos patrem, Archiepiſcopum tam vigilem ſui gregis ita amatorē, Chriſtianæ veritatis adeò ſyncerum propugnatorem; vt nec minis, nec exilijs à quoquam terreri potuerit, aut ab officio deturbari: deniq; (vt vnico verbo complectar) perfectiſsimum oratorem, qualem nulla hominum memoria, nulluſq́; ſacer ſuggeſtus excepit, ad omni perſuaſionis genere malos mores arguendos, corrigendos, immutandos deſtinarit.

Quodquidem licet ipſo die clarius ſit, probari poteſt duorum noſtri temporis Prædicatoriæ familiæ pulcherrimorum ornamentorum auctoritate, Ambroſij Catharini, & Sixti Senenſis. Ille ſiquidem prologo ſuo in Epiſtolam ad Rom. ita dicebat: Beatus Chryſoſtomus non tam commentator ad ſtudioſos eſt, quàm concionator ad plebem, nec tam dogmatum quàm morum doctor apparet. *Hic verò (Sixtus) in fine libr. 3. Biblioth. ſingulos doctores ſingulis inſigniens dotibus, ita ſcribebat:*

Digitized by Google

Hiſtoriam Hebræis à Græcis fontibus hauſtam
Hieronymo diſces duce.
Allegorias, Anagogemq́ue recludent
Origenes, Ambroſius.
Exponent ſenſus formandis moribus aptos,
Chryſoſtomus, Gregorius,
In dubijs altaque locis caligine merſis
Aurelius lucem ferit.

Si tamen aliquando eidem Chryſoſtomo cum Arrianis, aut Iudæis, aperto Marte congrediendum fuit, aut cum alijs hæreticis; acerrimè pugnauit, & aduerſarum ſectarum peſtes ſapienter exploſit: vt videre eſt ex ijs orationibus ac epiſtolis, quas aduerſus Iudæos, Anomæos, & ſimiles ſectarios edidit: atq; ex omnibus ferè in Ioannem homilijs, in quarum calce malis moribus deditos homines frequenter obiurgat, & in medio hæreticos Arrianos confundit.

Hæc eſt (obſeruandi Patres, ſtudioſiq; Lectores) eorum argumentorum præcipua pars, quæ me ad opus perficiendum mouerunt & excitarunt. Non integrà tamen eſt ratio: ſiquidem ad id magnum pondus habuere ſermones illi, quos ex ore principis Catholici Virdunenſis Præſulis peruigilis, Nicolai Pſalmæi, dum put ſupereſſet, audiui. Ille etenim hoc vnum præcipuè in votis habebat, vt aliquando Milleloquium ex D. Chryſoſtomi operibus depromptum, ad ſtudioſorum ſolatium, in lucem ederetur, quale ex beatiſſimis Auguſtino & Ambroſio, Bartholomæi Vrbinatis induſtria ac diligentia vniuerſa habet Eccleſia.

Cuius Pſalmæi imperterriti fidei defenſoris votum, dum facundus & penitiſſ. Theologus F. & M. Iacobus Chamoy Ordinis Fr. Prædicatorum in Francia Prouincialis, audiuit; ſe ad illud opus aggrediendum inuitari ab Epiſcopo tanto tamq; liberaliſſimo Mæcenate intellexit & præuidit. Et reuera, vt ſe ſuo Mæcenati gratum exhiberet negotium incipere tentaſſet, elegantiſſimeq; abſoluiſſet, niſi orbem terræ tam diſerto theologo, & ordinem Prædicatorum præſide tam prouido mors immatura orbaſſet. ac proinde ne ſimul cum tanto Doctore, Epiſcopi præfati deſiderium euaneſceret; mihi, multis nominibus eidem Antiſtiti deuincto, innata fuit neſcio quæ cupiditas imperfectum ſupplendi, vel de ea re perficienda. Iamq; à tribus annis cœpiſſem, niſi arduus labor, animi tenuitas, & corporis diſpoſitio valetudinaria me terruiſſent. Inde propoſitum & ſententiam mutaui, & commodius mihi viſum eſt breuitati ſtudere. Ob idq; pro Milleloquio ſperato, Sexiloquium, vel Septiloquium, aut Milleloquij compendium emitto; hoc eſt, Epitomen & Indicem florum ex operibus D. Ioannis Chryſoſtomi ſelectorum, quibus Eccleſiaſtes vti poterit in explicatione ſex vel ſeptem materiarum ſequentium, Decalogi, Sacramentorum, Nouiſſimorum, Vitiorum, Virtutum, Conſiliorum Euangelicorum, & Euangeliorum quadrageſimalium.

Quibus opuſculum aut alium Indicem de diſciplina Eccleſiaſtica, certas quaſdam breues leges ad concionatoris inſtitutionem complectens, adiunxi, imò præpoſui. Quas leges ſpero lectorem & neophytum Eccleſiaſtem non reiecturum: quippe quæ ab omnium præſtantiſſimo concionatore proficiſcantur. Quo poſtremo fruens opuſculo alijſq; beneuolus lector, me collectorem humaniter & amicè excuſabit, qui nihil aut parum ex Tomo II. vel ex Commentarijs in Euangelium Matthæi decerpſi; conſiderabitq; id me prætermiſiſſe, non quaſi nihili exiſtimem ipſos commentarios, vel contemnendos putem, qui & pulchri ſunt atq; perutiles; & quos tanti fecit D. Thomas Doctor Angelicus, vt ei diſcipulis Lutetiæ præſulatum vel Galliarum regnum per ludum exoptantibus reſponderit: Chryſoſtomi Homilias ſuper Matthæum mallem. *Sed prudens omiſi, quòd eadem Homiliæ ſunt omnibus quadrageſimarijs præconibus peruia. Quos præcones Euangelicos noſtrò ſudore iuuare volui, vt reliquas ſententias pro concionibus quadrageſimæ facientes (diſperſas tamen per varios Tomos) in vnum volumen ſecundum Euangeliorum ordinem reuocarem. Ne tamen videremur prædictos commentarios omnino intactos reliquiſſe, locos obſcuros, qui in eis & alibi ſunt, ſed doctè & germanè per Sixtum Senenſem libris 5. & 6. Bibliothecæ ſuæ ſunt explicati, adiungi curauimus. Poſtremo noſtri prologi capite ratio reddenda eſt, quare præſtantiſſimis præcipuiſq; facultatis theologicæ Pariſienſis columnis, imò verò toti Scholæ, haſce collectiones cõſecrarim. Princeps ratio hæc eſt, vt flumina ad locum vnde exeunt reuertatur, vt iterum fluant, ſicut ſcripſit Salomon. Altera eſt, vt illorum ſancta cenſura ſanctificentur, calculoq; probentur. Poſtrema, ne mea apud eos perpetuò ſoluendæ fidelitatis promiſſio elabatur: Quo ſic eos honorificans haud ingratus, viciſſim eorum beneuolentia non caream, fiatq; ex mutuo amore abundantia pacis in turribus Eccleſiæ. Scriptum eſt enim:* Frater qui iuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma eſt.

In prologo opuſ. S. Tho. & in vita eiuſdem Tomo I. operum eius Romæ impreſſ.

Eccleſiaſtes.

Suſcipiat igitur diuina Theologorum Schola cum omni humanitate oblationem & ſacrificium manuum, quod hilari vultu ei & ſuis alumnis conſecramus: vt poſtquam in ſuo gazophylacio reconditum manſerit, & ipſa teſtata fuerit eſſe ſuum, innumera diſcipulorum caterua, quos in vniuerſum orbem, ad exornandos fide & moribus populos emiſit; ad agellum noſtrum & opuſculum aduolent, & ijs vtantur floribus, quos ex Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ditiſſimis ac pulcherrimis pratis non ſine æſtu, Deo auxiliante, collegimus.

Heb. vlt.

Idem Deus pacis, qui eduxit de mortuis. Paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti, Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, *aptet vos (ô Patres ornatiſſimi) in omni bono: vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram ſe per* IESVM CHRISTVM, *cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum.* AMEN. *Rhemis,* 1579.

AD LECTO-

AD LECTOREM,

INDICIS FLORVMQVE CHRYSOSTOMI RECOLLECTOREM,

ADMONITIO.

VT faciliùs citiuſque quod lector cupit & quærit, inueniat; tres literas in Indice appoſuimus, P.M.F. Primi deſignat principium libri aut homiliæ; ſecunda medium; tertia finem *Mor.* ſignificat Morale, quod frequenter in fine homiliarum, potiſſimùm Tomi 4. eſt. Nonnunquam etiam duæ vel tres priores dictiones illius ſententiæ quæ deſideratur, ponuntur: quibus anteponitur dictio *ibi.* Quòd ſi ſemper non contingant eædem dictiones quæ reperientur in hácce vltima homiliarum traductarum editione, & præcipuè Epiſtolarum ad Theſſal. hinc debitam & meritam ſumat excuſationem lector, quòd dum præſentes collecti ſunt flores, ad manus peruenire noſtras non potuere eædem homiliæ; nondum quippe erant prælo datæ. Obſecro autem eundem lectorem per viſcera miſericordiæ Dei, vt ſi quid ambiguum vel obſcurum in operibus Chryſoſtomi inueniat, ne offendat ad lapidem pedem ſuum, ſed ſedulus quærat obſcuritatis explanationem apud omnes eos qui excitatos habent ſenſus, maximè apud Sixtum Senenſem lib. 5. & 6. Bibliothecæ ſacræ: diſcatque ex præfatione dicti Sixti in eoſdem libros, cautus eſſe in euoluendo SS. Doctorum ſcripta, & cum venia pietateque obſcuritates excuſare Patrum, ne fiat vt Cham Noë filius, maledictus; qui nuditatem patris non ſolùm non operuit, ſed & cæteris irridendam enuntiauit.

INDEX AD DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM: HOC EST AD LOCOS ILLOS OPERVM D. IOANNIS CHRYSOSTOMI,

quibus Eccleſiaſtes, aut quiuis alius Eccleſiæ miniſter, inſtituetur, quatenus ſanum verbum, ad ſui ſuorumq; ſalutem, fructuosè prædicare poſſit: quibusq; intelliget quid in Concione faciendum vel cauendum ſit.

PRIMO omnium Eccleſiaſtes ob- A
ſeruet, quæcunque in præfatio-
ne, quæ eſt in principio tomi pri-
mi, ſcripſit Ioannes Ferrerius Pe-
demontanus, poſt inſignem illum
ordinis Prædicatorum Theolo-
gum Sixtum Senenſem in ſua Bi-
bliotheca ſancta, de ſtilo & genere docendi, quibus
ad audientium vtilitatem accommodatiſſimè eſt
vſus Chryſoſtomus; diuidendo nimirum ferè ſem-
per ſuas conciones tres in partes, Paraſceuen, Exe-
geticen, atque Ethicen: longè propulſando curio-
ſas quæſtiones, ad plebis ædificationem parum vti-
les. Prædicta autem Ferrerij præfatio primùm edita
eſt 1570. per Sebaſtianum Niuellium Tomo 1.
Deinde quæ infrà ſunt ex varijs locis collecta B
de dignitate & partibus Eccleſiaſticis, ſumma cum
attentione conſideret.

DE TRIBVS ECCLESIASTÆ *officijs à Paulo deſcriptis.*

ECcleſiaſtis officia præcipua, tria ſunt: ar-
guere errantes, obſecrare iuſtos, incre-
pare ſceleratos. Dixit enim ad Timotheũ
Paulus: Argue, obſecra, increpa. quẽ lo-
cum explanans Ioannes Chryſoſtomus C
homil. 9. in 2. ad Timotheũ ait: Qui increpare vult,
priùs arguat: hoc eſt, argumentis probet impieta-
tem eſſe impietatem; & tunc locus erit efficacior
increpationi. Sed ſicut ſine argumento non valet
increpatio, ita nec increpatio ſortietur effectum, ſi
ſubducas obſecrationem.
Eccleſiaſtes non doctrina tantùm reuincere ob-
ſtinatos debet, ſed vitæ rectitudine. Os enim domi-
ni per Ioannem Chryſoſtomum loquutum eſt, di-
cens hom. 3. in 1. ad Corinth. Vita recta optimus
ſyllogiſmus eſt, ibi, Sic ergo eos proſternamus, &c.
hom. 12. ad Philip. Mor. P. 47. in Acta F. ibi, Vis diſ-
cere quantum valeat vitæ claritudo, &c.
Eccleſiaſtis dignitas excellentiſſima eſt, quoniã
os Dei dicitur, homil. 16. ad populum Antioche-
num: iuxta id Hieremiæ, Educens honeſtum ex in-
digno, ſicut os meum erit, &c.
Imò etiam idem Eccleſiaſtes, creator quodam-
modo dici poteſt, homil. 55. ad pop. Antioch. F. ibi,
Vide quanto nos honore, &c. Accendit Deus, & fe-
cit luminaria in cælo, tu ſplendidiora facias. Potes
enim, ſcilicet illuminando eos qui ſunt in errore.
Eccleſiaſtis aliæ & neceſſariæ partes ſunt, orare
vt ſermo currat, 24. ad Epheſios.
Debet etiam deſiderare & poſtulare preces po-
puli, 4. in 2. Theſſ. M. ibi. At illic, inquit, &c. Plures
enim populi ſæpe præpoſitum excellunt. Item ho-
ſtis quærit ducem proſternere: itaque eo magis eget
prædicator aliorum precibus.
Sed & plebs pro ſe ipſa etiam ante concionem
orate debet. Nam Sathan veluti pirata quidam ſpo-
liare auditorem verbi molitur, homil. 31. in Geneſ.
P. ibi, Et quemadmodum, &c. & homil. 5. de incom-
prehenſibili Dei natura F.
Eccleſiaſtes oret poſt concionem, 30. in 1. Co-
rint. 12. Quandoquidem ei non ſufficit dicendi pe-
ritia, ſed orationi inſtare debet, hom. ſupradicta 24.
ad Epheſ. P. ibi, Quid igitur deinceps oportebat?
Regem inuocare, &c.
Eccleſiaſtes calceatos pedes ad præparationem
Euangelij habeat, quæ præparatio eſt optima vita,
24. ad Epheſ. P. & in M. ibi, Ne ſit ergo breuis, vt nu-
dos ſinat pedes, 47. in Acta F.

Eccleſiaſtes ſeipſum priùs doceat, habeatque conſcientiam bonam, 5. in 1. ad Timoth. M. ibi, Nam vbi vita reprehenſibilis fuerit, etiam dogma fore neceſſarium erit. Item 72. ad popul. Nil ſic ad viam veritatis inducit, quàm conuerſationis intégritas, homil. 6. ad Rom. in Morali.

Eccleſiaſtes ſumma peritia præditus ſit, 3. in 1. ad Timoth. M. ibi, Quemadmodum enim, &c. Longè etiam debet eſſe ab inuidia F. ibidem.

Eccleſiaſtes humilis & gratus erga Deum & homines ſit, licet donum ſapientiæ poſſideat. Ex hiſtoria Danielis id oſtenditur, hom. 5. ad Philip. M. ibi, Audi quid dicat Ioſeph, quid Daniel, &c.

Eccleſiaſtes non ſe extollat ob dicendi gratiam, 38. ad popul. Antioch. P. ibi, Verbum habes, & docendi gratiam.

Eccleſiaſtes quid agere debet, cùm chariſma docendi & dicendi non habet, homil. 3. ad Hebræos Moral. Vel cùm non multos habet auditores, homil. 29. in Ioan. F.

Loqui placentia non debet, neque viciſſim populus aſſentatores coaceruare. 38. ad populum ibi, Hoc Eccleſias ſubuertit: quoniam neque ſermonem compunctiuum quæritis, ſed qui ſono delectare valeat, tanquam cytharœdos & cithariſtas auditis. Huiuſmodi autem prędicatores vocantur ab eodem Chryſoſtomo miſeri, infælices & proditores, ibi, Officinam intra.

Eccleſiaſtes diligat errantem, quem correpturus eſt, ac deponat odium, ſitque manſuetus, 33. in Cor. 13. Poſt medium, ibi, Nam tu, qui errantem. & hom. 15. in 2. Corinth. 7. Mor. P. Et 2. in 2. ad Timotheum Mor. In prædicta homil. 33. ad Corinth. adducitur exemplum Pauli, qui manſuetudine lucrifecit iudicem, qui ei dixit, Act. 26. in modico mihi me perſuades Chriſtianum fieri. Magnus doctor eſt charitas, ait ille, ſatis idoneus, qui tollat errores, ad philoſophiam mãducat, & è lapidibus homines reddat. Vide etiam homil. 16. ad populum.

Eccleſiaſtes ad diligenter ſtudendum & laborãdum pro populo inuitatur à Chryſoſt. hom. in pſal. 115. & 12. ad populum P. ibi, Ab hac quidem laborioſitate, exemplo apis circumuolantis omnia prata, vt mel faciat pro alijs, vt doctor verba quærens ex prato ſcripturæ non defodiat, ſed apponat indigentibus.

Eccleſiaſtes præcipiat aliquando, aliquando verò moneat. 13. in 1. ad Timoth.

Eccleſiaſtis & prædicandi ars qualiter differt à cæteris artibus, 13. ad populum F.

Eccleſiaſtes Eccleſiaſti non inuideat, etiam ſi plus ædificet, homil. 7. ad Rom. Mor. imò verò Deum glorificet, quòd menbrum ſuum ſit relucens & illuſtre. ibi, Igitur fratre bene audiente gaude, &c.

Eccleſiaſtes non deſpondeat, nec prædicare ceſſet, etiam ſi videat ſe non omnibus perſuadere, nec omnes conuertere. homil. 1. de diuite & Lazaro. & homil. 3. in 1. Corinth. F. Qui Eccleſiaſtes maximè ob verbi prædicationem honore dignus eſt, ibidem, in medio, ibi, Duplici digni ſunt honore, maximè qui laborant in verbo, &c. 27. in 1. Corin. F. & homil. 1. de diuite & Lazaro.

Idem perſeueret in exhortando, monendo, conſolando, etiam ſi auditores ſint in eum contumelioſi, & emendare detrectauerint: homilia 5. ad Titum Moral. ibi, Agamus igitur gratias, exhortemur, &c.

Summi Eccleſiaſtis Pauli, octo perfectionum gradus, 27. in 12. cap. 2. Corinth. ante Mor.

QVÆ PRVDENTIA REQVIRITVR *in Eccleſiaſte.*

Eccleſiaſtes debet ſciſcitari de moribus populi, coram quo ſacra profert verba, homilia 9. ad populum Antioch. P. ibi, Non enim confundor talia ſatagens: quoniam in hoc curioſitatis nihil eſt, ſed prouiſionis hæc ſollicitudo.

Eccleſiaſtes angitur meritò, cùm frequenter monet, ſuadet & non perſuadet; imò cùm ei non creditur. Sed cogitet id adueniſſe prioribus ſè prophetis, hom. 50. ad popul. Antioch. A. ibi, Frequenter. & ibi, Ne hoc admiremur. Nam qui viderunt arcam fabrefieri, non credebant; ſed crediderunt demum, cùm fidei lucrum erat nullum.

Eccleſiaſtes non ſe ingerat temerè periculis, cũ nulla cauſa neceſſitas ſit, 67. ad popul. Antioch. P. ibi, Nec itaque, &c. Et infrà in armis, &c. Si verò pietas, &c. ibidem monet, vt cùm vtilitas eſt, tanta facilitate carnem exuamus, quanta veſtimentum. Vide etiam homil. 73. ad populum M. ibi, In mortibus frequenter, hom. 5. ad Hebr. Mor. & 12. in 1. ad Timoth. M. ibi, His verbis.

Ille ſi exilio adiudicatur, aut mulctetur pro veritatis defenſione, aut impoſturis lædatur, quid agere debet? Vide in fine Tomi 5. Epiſtola 3. cuius titulus eſt, Cyriaco Epiſcopo exuli Ioannes exul, &c.

Eccleſiaſtes ſi quandoque coram Catholicis de hæreſi, vel coram ſobrijs de ebrietate deteſtanda loquitur, fruſtra non loquitur, 71. ad populum Antioch. F. ibi, Hæc à me non ad omnes dicta ſunt, imò ad omnes: non quoniam omnes inebriantur, abſit: ſed quoniam ebriorum non ebrij curam non gerunt, propter hoc & in vos ſancs magis inuehor. Nam & medicus ægrotantes omittens, ipſos aſſidentes alloquitur.

Homil. 14. ad populum, ſatisfacit ijs qui dicunt, Vt quid hic Eccleſiaſtes de aliorum peccatis coram me verba facit? homil. 8. ad Coloſſ. P. ibi, Non eſt contradictio, &c.

Eccleſiaſtes iuſtè poteſt & fructuosè ſanctorum & piorum virorum lapſus narrare, 77. ad populum Antioch. M. & F. ibi, Non vt in ignauiam vos ducerem, Dauid peccata recenſui: ſed vt maiorem metum inferrem.

Eccleſiaſtes Chryſoſtomus exaggerans immane ſcelus aliquod, vt confunderet patratores talium criminum, dicere ſolebat: Occultamini & ad terram declinate. Vel vtebatur ijs repetitis vocibus, Iam dixi, & iterum dico, & dicere non deſiſtam, 21. ad populum Antioch. Tu quoque fac ſimiliter, &c.

At quoniam idem Chryſoſtomus manſuetus multum & humanus fuerat in redarguendo, quaſi pœnitens, quòd non acerbè ſatis increpaſſet, dicebat homil. 26. ad popul. Antioch. Timeo ne huius magnæ & inutilis humanitatis in futura die rationem reddere cogamur.

Iſdem Chryſoſtomus etſi inſignis Eccleſiaſtes eſſet, raró philoſophorum aut gentilium exempla adduxit: aliquando tamen, ſed laceſſitus, vnde homil. 28. ad popul. Antioch. P. dicebat, Poſtquam vobis per ſcripturam non poteſt perſuaderi, ab externis vos monere cogor.

Et 42. ad populum, de cane exemplum aut doctrinam ſumens, excuſari cupit dicens, Vos me cogitis.

26. Homil. in 1. Corinth. F. dat exemplum malæ vxoris Socratis: vt doceat, an ferenda mala coniux, ſed ſtatim dixit, Doleo quòd gentiles, &c.

Iſdem Chryſoſtomus oratione 2. contra Iudæos, excuſat ſe quòd in Concione nominauerit ethnicos philoſophos, Pythagoram, Platonem, Zenonem, &c. ſed ad Iudæorum infirmitatem: adducitque id Act. 17. & 1. Corinth. 9. Factus ſum infirmis infirmus.

Eccleſiaſtes ne in ira doceat aut moneat, 30. ad popul. P. ibi, Phinees iugulabat, & non iraſcebatur.

Imò verò econtrà ſi iniurijs afficiatur, patienter ferat, exemplo Pauli, homilia ad populum 31. ibi,

Digitized by Google

A

Credite mihi,&c.hinc idem Paulus dicebat Timotheo,Argue in patientia.

Eccleſiaſtes aſſimilatur pictori exiſtenti in ſua officina,38.ad populum ibi,Officinam,&c.

Eccleſiaſtes gratulatur de profectu auditorum, 27.ad populum.Contrà verò triſtatur, cùm rudimenta rurſus docere oportet eos, qui iamiam philoſophari deberent:aut cùm repetere oportet toties res communiſſimas,ibi,Et idem,&c.M.

Eccleſiaſtes dum vtitur propter populi ruditatem ſimilitudinibus& exemplis, ſi quis detrahat de ſtilo hoc,legat excuſationem & ad detrahentes reſponſionem homil.10.ad populum P.ibi, Et nemo nobis incongruum putet hunc eſſe ſermonem,&c.

Si item auditor ægreferat, quòd Eccleſiaſtes de eadem materia loquitur,licet ferè omnes emendauerint ſe à peccatis,de quibus iamiam correpti,exceptis paucis: Videbis & inuenies contra huiuſmodi murmuratores apologiam apud Chryſoſt.hom.

B

9.ad populum F.ibi,Propterea ego feſtino totum perfectum reddere,quoniam maiorem partem iam correctam videam: ſic & ſpectatores faciunt, qui brauijs proximos magis excitant. Nec nos igitur (ait)laſſemur,ſumus enim prope totius correctionis finem,&c.

Si rurſus parum beneuolus auditor ægreferat, quòd Eccleſiaſtes textum de verbo ad verbum (quod aiunt)Euangelij nõ ſequatur& exponat;ſed pro conditione loci aut perſonarum thema aliud proponat,deteſteturque digrediendo aliquod crimen: pro reſpõſione habeat,quòd Chryſoſtomus in homilijs octoginta ad populum non ſequutus eſt textum , ſicuti in homilijs in Geneſim, ſed de virtute aut vitio aliquo dixit,& digreſſus eſt ſæpius in fine multarum homiliarum ad iuramenti deteſtationem:quòd animaduerteret hocce nefandum genus blaſphemiæ,aut iurandi conſuetudinem,in Antiochia vigere,&c.

C

Eccleſiaſtes excuſari debet meritò, ſi ſæpius de eadem materia dicat,hom.6.ad populum,ibi, Multos quidem. & homil 9.ad pop. F.ibi, Multa ſunt priùs commemorata homil.10.ad pop.F.ibi,Et noui quidem.& 15.ad pop.F.

Digreſſiones in concionando vtiles quidē ſunt, ſed danda eſt per Eccleſiaſtem excuſatio, ſi quandoque media in concione digredi volet ad illius peccati extirpationem, quod apud populum frequens eſſe & vigere aduertit.

Sic homil.14.ad populum facit Chryſoſtomus F.ibi,Fortè materia excidiſſe videmur,&c.Sed non eſt excidere. Non enim hiſtorias ſimpliciter legere volumus:ſed nequitiarum vos infeſtantium quemque corrigere: nec enim vnum ſolum membrum curare propoſitum eſt,ſed multa & varia. Idcirco varium eſſe doctrinæ medicamentum oportet.Redeamus igitur vnde exiuimus.

D

Imò etiam morem fuiſſe Chryſoſtomi ſæpe digredi,homil.28.in 1.Cor.11.P.ibi, Probet ſeipſum. Quid ſibi volunt hæc verba,cùm ſit aliud?&c.

Eccleſiaſtes Chryſoſtomus inter concionandum de perſonis nominatim non loquebatur, homil.6.ad Epheſ.

Si fortaſſis Eccleſiaſtes ſpoponderit ſe nil amplius de tali vel tali peccato dicturum,aut non amplius increpaturum (quòd ſperaret peccatores ceſſaturos à peccatis)interim res aliter cõtingit, quare ſtare promiſſis non vult,aut non poteſt:excuſationis formam in repetitione increpationis inueniet in 15. homil. ad populum paulò ante finem, ibi,Et quidem veſpere.

Eccleſiaſtem non pudeat maiorem temporis partem impendere ſermonibus moralibus , 16. ad pop.Antioch.P.ibi, Ecce ſecundum hunc annum,&c.

Si tempeſtas, ſeditio, ſectæ, aut hæreſes de nouo ſubortæ in ciuitate pulluiant, vt ab huiuſmodi cauere diſcant ciues,& ſciant quid perfectam reddat & catholicam ciuitatem: proponat Eccleſiaſtes quæ homil.17. ad pop. Antioch.ſcripta ſunt: videlicet tria ad ciuitatis perfectionem eſſe neceſſaria. Quorum primum eſt habitantium virtus & pietas. Secundum,tempore famis in proximum miſericordia. Tertium, nouitatum deteſtatio.

Si verò idem Eccleſiaſtes turbatos ciues propter ſeditionem conſolari velit,legat 15.homil.ad populum, ibi, Vnde namque ciuitatem noſtram diabolus euertere ſperauit; inde reſtituit ipſam & correxit.

Eccleſiaſtes poteſt inuehi in criminoſos, licet ſciat in ſua concione paucos vel nullos adeſſe: quoniam vt in futuro caueant ſibi ab huiuſmodi vitijs,facit.homil.8.ad Col.P.ibi, Non eſt contradictio,&c.

Non vereatur repetere & frequenter inculcare auribus auditorum, quod ſæpius prædicauit, homil.3.in 2.Theſſal.M.Eis ergo reuocat in memoriam,&c.

Poteſt etiam aliquid non clarè aut ænigmaticè (vbi neceſſitas non vrget)loqui,4.in 2.Theſſal.ibi, Apertum.

Eccleſiaſtes excuſandus,ſi quando frequentiùs de pœnis inferni loquatur,quàm de gaudijs cæli,in fine Moral. homil. 6.ad Philipp. ibi, Satius eſt ad breue tempus noſtris ſermonibus vramini, quàm perpetuò flamma illa.

Vide de eadem materia homil.3.ad Rom.P. debet enim non tantùm de bonorum promiſſione loqui,ſed minarum terrore ad virtutem pertrahere audientem: vt Paulus fecit.

Eccleſiaſtes etiam in vinculis poſitus nõ ſileat: verbũ enim domini nõ eſt alligatũ.Cùm verò fuerit liber,idē faciat: nec excuſationem prætendat, dicēs:quid mihi curæ eſt fugitiuus, quid pauper, quid facinoroſus? Conſideret quòd cuiuſcumque ſit conditionis ille,qui ſua eget admonitione & exhortatione:eũ eſſe pro quo Chriſtus mortuus eſt. Proinde illum ſibi ſtudioſè conſeruandum, quem Chriſtus tanto pretio acquiſiuit, id eſt pretioſo ſanguine. homil. de profectu Euangelij, quæ eſt in fine tomi 4. Mor. ibi, Non enim hoc mihi dicas,&c.

Eccleſiaſtes cogitur aliquando inhoneſta loqui hom.5.in 1.Theſſal.ſed ſine honeſto. ibi, Ferte me aliquid etiam immundum,&c.

Excuſationem tamen poſcat à populo, quòd laceſſitus de impuris loquatur: dicatque, ſic ferte me quæſo,&c.Nam & medicus putredinem eijcere cupiens,digitos primùm in ipſum vulnus immittit, & niſi primùm polluat manus,ſanare non poterit. Vide etiam homil.3.aut lib.3. cõtra vituperatores vitæ monaſticæ tom.ibi.Neque enim medicus.Docet ibidem, quòd ſine verecundia loquendum eſt aliquando de turpi actu.

Eccleſiaſtes balbutire aliquando cum populo,id eſt familiariter loqui & ſtilo vti humili debet, vt fructum afferat:quod ſummus ille Eccleſiaſtes Ieſus fecit,&c.hom.3.ad Titum M. ibi,Nam ſi pater, &c. Id autem facit Chriſtus, quoties in parabolis loquitur,&c.

Prudentiæ exemplum in admonendo,10.ad Hebræos M.ibi,Cùm ergo eos ſatis tetigiſſet.& infrà, ibi, Nec dixit volo,&c.

Eccleſiaſtes aliteradmoneat principē, aliter ruſticum,10.ad Col.M.ibi, Aliter enim principi, aliter ei qui alterius paret imperio,&c. Vide 28. in 2. Corinth.12.

Eccleſiaſtes ſit patiens,6.in 2.ad Timoth.M.ibi, Si enim piſcatores.& hom.1.de Lazaro.homil. 29. in Ioan. oſtenditur quid agere aut dicere debet, cùm paucos habet auditores.F.

Digitized by Google

Eccleſiaſtes non tantùm hiſtorias in Biblijs cõtentas allegare debet, ſed Eccleſiaſticas, & quas traditione nouit. Quòd ſi proteruus hæreticus flocci-pendat omnes adductas hiſtorias ex Biblijs nõ deprомptas, rideat & ſubſannet Paulum, qui in 2. ad Timotheum de Iamne & Iambre meminit, de quibus tamen ne iota vnum in veteri teſtamento reperitur. Quod autem de Iambre ſciuit Paulus, didicit vel traditione, vel à ſpiritu ſancto. hom. 8. in 2. ad Timoth. M. &c.

Eadem in homilia docetur Eccleſiaſtes aut doctor, ne præſumat omnia ſcire, non curare preſſuras, nec quærere delicias, ibi, Nil horum te perturbet F. & in M.

Et nihilominus idem Eccleſiaſtes non peccat, imò benè facit, ſi corporis ſanitati ſtudet, ipſum ſollicitè curans, vt miniſterium populo exhibere poſſit, hom. 1. ad Titum F. Sit tamen paruo lucro contentus, &c. 21. in 2. Corinth. P. Sit fortis vt miles, diligens vt agricola, vt paſtor curet. Caueatq́; ſi prælatus eſt, calumniari ſubditos. Quia ſi ſubditum afficiat iniurijs, eſt contemptus præſtare materiam, 2. hom. ad Titum. Cuius miniſterium non polluitur, ſi ſæcularis eloquentiæ fuerit imperitus, modò habeat fidelem ſermonem, ibid.

Non credat, nec diſcredat omnium reuelationibus, exemplo Pauli, qui dixit, Ex parte credo: 27. in 1. Corinth. ibidem exemplum corripiendi & docẽdi, & hom. in dictum Pauli, oportet hæreſes eſſe, ibi, Ex parte credo. Non accuſauit, &c.

Eccleſiaſtes non abſcondat talentum 40 in. 1. Corinth. 15. M. Et enim qui rationem habet ſapientiæ.

De Eccleſiaſtes victu Deus ſollicitus Galat. 6. ibi, Communicet autem. vbi docetur quòd doctorem non dedecet mendicitas. Imò eſt vtilis ad retundendam ſuperbiam. ibi docet Apoſtolos fuiſſe mendicos: ſed clarius in fine Moralis hom. 9. ad Philipp. Eundem Eccleſiaſtem non dedecet paupertas, hom. in id ad Rom. 16. Salutate Priſcam.

In eos autem qui minus audiunt & reuerentur verbi miniſtros, quòd pauperes ſunt & pannoſi, inuectiua eſt in homil. 29. ad Rom. Moral. F. ibi, Ne reſpicias quòd viles appareant, &c. ſed vocis illius memento, Quamdiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.

Eccleſiaſtis excuſatio dum ſeuerè aut manifeſtè nimis increpat. Homil. 7. ad Roman. Mor. P. ibi, At ne quis me inſimulet quòd ſermonis modum minimè ſeruem. Hom. 37. in 1. F. ibi, Hæc dicta ſunt apertius, &c.

Eccleſiaſtes ſit prudens, increpando infirmos in fide: nec tamen vtatur aut abutatur hac Paulina ſententia, Infirmum in fide ſuſcipite, Rom. 14. Nã tum cùm hoc Paulus dixit, erat in Romanis nouella fides. Seuerior verò idem Paulus fuit Galathis & Coloſſis. Hom. 25. ad Romanos M.

Etſi contradicentes reuincere velit, id non tantùm doctrina, ſed vitæ rectitudine. Nam vita recta, optimus ſyllogiſmus eſt. Hom. 3. in 1. Cor. F.

Eccleſiaſtis officio etiam dignus eſt pannoſus, vilis, pauper, & mendicus: nec paupertas impedimento eſt ne viriliter dicatur veritas. Nã & Helias, & Ioannes Baptiſta, pauperes & pannoſam vitam duxere: quibus nemo vmquam liberiùs prædicauit. hom. in id Rom. 16. Salutate Priſcam & Aquilã, quæ homil. eſt in fine commentariorum ad Romanos M. ibi, Iam quod tantùm duo prodeſſe potuerunt eccleſijs, &c. homil. 26. ad Roman. Moral. F. ibi, Ne reſpicias, &c.

Eccleſiaſtes aliter cum diſcentibus & pueris loquatur, aliter cum docentibus viris, & qui ſunt perfectioris doctrinæ, &c. indulgentior enim fuit Paulus Romanis quàm Coloſſenſibus: prologo Epiſtolæ ad Romanos edito à Germano Brixio M. ibi, Confert enim, &c. & 10. ad Col. M.

A Iſdem debet eſſe humilis. homil. 2. ad Rom. Nec illum, dum alios conſolatur, pudeat fateri etiam ſe indigere aliorum conſolatione. eadem in homilia docetur ſine acceptione perſonarum porrigere ſalubre verbum: ſicut de ſole facit Deus optimus, cuius partem maiorem non dat diuitibus quàm pauperibus.

Eccleſiaſtes ſit impiger, non parcus in docendo. homil. 8. in Geneſ. ibi, Porrò quantò plus.

Eccleſiaſtis accommoda excuſatio, cum bis de eadem re diſſerit. homil. 2. de Anna & Samuelis educatione, quæ incipit, Niſi videor. & 52. in Geneſin P.

Eccleſiaſtes non eſt excuſatione dignus, licet exiſtimet ſe nihil habere dignum auditorio. hom. 2. de verbis Eſai. Factum eſt anno quo mortuus eſt Ozias, &c. ſimilitudine perpulchra. hom. 5. de Ozia leproſo tractatur de modeſtia, &c.

Eccleſiaſtem exhortatur Chryſoſt. homil. 1. de Lazaro, vt clamare non ceſſet, etiam ſi nulla appareat vitæ emendatio in audiente: quoniam licet qui peccant, non vitam mutent in melius, fructus tamen hic conſequitur, quòd qui nõdum hoc peccato peccauerint, non peccabunt: vel ſi péccauerint, non pari vt priùs impudentia.

B Eccleſiaſtes ſi in ſecunda concione velit abſoluere & explicare quod in præcedenti erat omiſſum, exordium ſumat ex homil. 22. in Geneſ. P.

Si verò vereatur, ne populus offendatur propter concionem, legat. 25. in Geneſin. Etſi hæreſes reuincere voluerit, exordiatur ſicut facit Chryſoſtomus homil. 9. in Geneſ. ibi in P. Agricolæ, &c.

De mercede ſpirituali Eccleſiaſtis, vide in Euãgelijs quadrageſimæ, ibi, Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

C Eccleſiaſtes haud nimis contriſtari debet, ſi videat ob prædicationem quoſdam offendi; imò verò lætetur, quòd ſua verba mordeant animos auditorum. Sic Paulus fecit, vt legitur homil. 4. in 2. ad Corinth. ibi, Quis eſt qui lætificat me, niſi qui contriſtatur ex me?

Eccleſiaſtes, etſi arguere peccata debeat, etiam importunè iuxta Paulum, & clamando iuxta Eſaiam, qui dixit, Annuncia populo ſcelera eorum: tamen methodo ea qua Ioannes Baptiſta eſt vſus, vti poteſt dicendo, Non licet tibi habere vxorem fratris tui, &c. quòd eſt manſuetius loqui quàm dicere, Male agis, quia habes vxorem. Vnde Chryſoſtomus 28. in 2. Corinth. 12. Neque enim dixit Ioannes Herodi, O ſceleſte & præuaricator, conculcaſti legem: erant enim illius verba magis docentis quàm reprehendentis.

D Qua tamen forma non ſemper vtendum, ſed fortè tantùm aliquando cùm principes corripiuntur. Nam & ſuauiter per parabolam correxit Dauidem Regem propheta Nathan: & ſupra ex hom. 10. ad Col. dictum eſt aliter admonendum principem, aliter ruſticos.

Vbi verò duris verbis eſt loquendum, & dulcibus loquitur, peccat: ad Gal. 1. P. ibi, Etenim tum placide leuiterque loqui diſcipulis, cùm opus eſt acrimonia, non doctoris, ſed corruptoris potius & hoſtis.

Quando autem duris verbis loqui oportet, vide Gal. 3. ibi, O inſenſati, &c. Si etiam de obſcura propoſitione ſit dicturus, exordiatur à ſimilitudine metalla fodientis, de qua 39. in Ioan. P.

Caueat autem increpationis prætextu ſuam vlciſci cupiditatem. Gal. 6. ibi, Fratres ſi quis præoccupatus fuerit.

Eccleſiaſtes debet indignari etiam propter peccata puſilla, & paruos errores, &c. Galat. 1. ibi, Volunt ſubuertere Euangelium: & ibi hoc ipſum eſt. Ibidem agit Chryſoſt. in eos qui ſupportant ſimulatorem in fide & religione.

Digitized by Google

Eccleſiaſtes vt melius perſuadeat, lachrymis aliquando vtitur, Gal. 4. vt immutem vocem meam. ibi, Eſt non leuis curandi ratio, ſi non tantùm conſulas, ſed lamenteris.

Si fortè Eccleſiaſtes aut acriter in hæreticos inuehi ſolitus (quòd innata ſit illi manſuetudo quædam, vel quòd ſit obſeruator conditionis locorũ, in quibus pauci vel nulli ſunt hæretici) voluerit tamen mutare ſtylum, & vehementer in hæreticos inſurgere, præfabitur eo modò quo Chryſoſtomus in principio orationis 1. contra Iudæos, cuius initium eſt, Rurſus in quo exordio ſit mentio fiſtulæ & fundæ Dauidis: ſed clarius in Pſal. 41. Quemadmodum deſiderat, &c. vtendum eſt (ait) vario dicendi genere, nunc populariori, nunc acriori. Dum lupi gregem inuadunt, relicta fiſtula, funda in manum eſt ſumenda, & relicta funda redeundum ad fiſtulam, id eſt à contentioſiore genere dicendi ceſſandum.

Si verò nondum vigeat hæreſis in ciuitate, ſed ſit in proximo, & timetur ne contingat & veniat: Eccleſiaſtes obuiam ire volens tantæ peſti, ſic excuſationem capiat, vt ibidem paulò inferius, ibi, Si quidem miles priuſquam veniat pugnandi tempus, &c.

Exordium pro concione, in qua principaliter de refutatione erroris aut hæreſeon, vide in principio homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura, quæ incipit, Agricola. vbi docet Spiritus ſancti afflatum & ventum neceſſariò requiſitum ad deſtructionem ædificij erroris, &c.

Epiſcopus, eccleſiaſtes, vel doctor doctus terrebit aduerſarios fidei: 4. de ſacerdotio, vbi de verbi Dei excellentia & neceſſitate ad paſcendum Chriſti gregem, & gubernandam eccleſiam agitur.

Eccleſiaſtis meritum in terra magnum, in cæloq; præmium maximum: cuius tamen meriti particeps poteſt eſſe populus, ſuſcipiens & paſcens miniſtrum, 1. ad Philippen.

De præmio eiuſdem vide homil. in Matthum 25. ibi, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, 20. in 2. Corinth. 9. P. Nam cùm ijs qui terram conſerunt. & homil. 12. in Ioan. de differentia inter agricolæ ſeminantis præmium, & eccleſiaſtis verbum Dei prædicantis.

Eccleſiaſtis, Sacerdotis vel Epiſcopi officio eſt indignus, qui non eſt doctus, & præſtat ipſum eſſe doctum quàm hoſpitalem (licet vtrumq; ſit neceſſarium) homil. 2. ad Titum M. Qui ignorat rectam doctrinam longè à ſede Epiſcopali arceatur.

Eccleſiaſtes indignus nomine doctoris, qui tantum verbis & non factis docet, 12. ad Philippenſes. Mor. P. ibi, Hæc optima eſt docendi ratio, ita diſcipulum impellere doctor poterit.

Prudentiæ exemplum requiſitæ, ad increpandũ habet eccleſiaſtes in Paulo, Hebræorum 12. dicente: Ne quis fornicator vt Eſau, (ſupple ſit) licet enim Paulus ſciret eſſe tales fornicatores, fingit ſe ignorare, & tantum admonet ne de cætero ſint, hom. 31. in 12. ad Hebræos F. ibi, Oportet enim primùm quidem ſimulare ignorantiam. Poſtea verò ſi perſtiterint, tum demum increpare: ne ſi antea volueris arguere, impudentes & proteruos efficias, ſicut Moyſes fecit circa Zambri, Numer. 25.

De eadem prudentia, quæ decet prædicatorem reducere volentem hæreticum, aut adducere infidelem, vide 16. ad populum, & 33. in 1. Corinth. 13. poſt medium.

Eccleſiaſtes admoneat, & inuitet populum ad auditum verbi Dei, atque profectum verbi auditi; ſcilicet vt quod audierit faciat. Oratione 3. contra Iudæos F. ibi, Adhæc ſingulis concionibus adhortari non ceſſo.

Eccleſiaſtes, ſi per infirmitatẽ, aut aliquod aliud æquum impedimentum fuit abſens, ſi rurſus ſuggeſtum quaſi rediuiuus aſcendat, præfabitur & loque-

A tur iuxta exemplar quod eſt in exordio homiliæ 3. de pœnitentia tom. 5.

Eccleſiaſtes quo in caſu fugere aut à prædicatione ceſſare debet, homil. 5. ad Hebr. Moral.

Eccleſiaſtes in patientia euangelizet: expectetque peccatoris conuerſionem in eadem patientia, 6. in 2. ad Timotheum, Moral. ibi, Si enim piſcatores.

Eccleſiaſtes ſi non in vitia, ſed in perſonas inuehi videatur à nonnullis, excuſet ſe vt Chryſoſt. in fine 3. homil. in Acta. ibi, Neque enim quoties loquimur aduerſus auaritiam, aduerſus vos loquimur. Vtinam remedia fruſtra à nobis parata, &c. ibid. Simile lepidum medicorum, &c.

Primis verbi Dei prædicatoribus Apoſtolis, maiores Ieſus contulit gratias, quàm prophetis, hom. 4. in Acta.

Exemplum manſuetæ redargutionis, vide in principio homil. 5. in Acta. Nam quibus dicere poterat, Subſannatis, dicentes nos eſſe ebrios, tantum
B dixit, Suſpicamini nos eſſe ebrios.

Explanaturus Eccleſiaſtes vnam vel plures apoſtoli Pauli epiſtolas, pro præfatione legat quæ in fine homil. vlt. in Acta ſcribuntur de laudibus dicti Pauli, quoniam ipſe, vel eius doctrinæ, mare vel Oceanum appellatur.

Eccleſiaſtes ſit humilis, maximè quando non agit quod docet 30. in Acta F. ibid. Cur ſuperbis: ibidem arguuntur auditores, qui nolunt audire ſermonem qui compungat, ſed qui oblectet. Imò ſuo exemplo docet Chryſoſtomus Eccleſiaſtem, vt planctum curet potius in animis auditorum generare, quàm plauſum: & idem ſit ac ſi pater videns puerum ægrotum, &c. Ibidem paulò inferius, ridet eos, qui redeuntes à concione aſſerunt doctorem quidem benedixiſſe, ſed neſciunt quid dixerit: qui ſic cenſendi ſunt adulatores Eccleſiaſtis, & magis amantes quod delectat verbum, quàm quod obiurgat, &c.

C Idem ſæpius dicere, repetereque non pudeat Eccleſiaſtem, 32. in Acta M. ibi, Etiam heri de ira diſſeruimus, nil autem prohibet quin & hodie. Proficit enim plurimum continuatio. Etenim pharmacum, quod vim habet mederi vulnus, niſi continuo imponatur, totum perit. homilia 44. F. ibi, Quid faciemus? homilia 19. in Acta F. & 17. in Ioan. P.

Eccleſiaſtes vtatur ſimilitudinibus, à rebus etiam vilibus ſumptis: & ſi quis offenditur propter hoc, audiat reſponſionem à Chryſoſtomo homil. 34. F. in Acta. ibi, Eratis ſaltem ſicut canes, &c.

Eccleſiaſtes non ab hominibus gloriam, ſed à Deo expectet: 45. in Acta F. ibi. Nunquid hominibus ſuadeo, an Deo.

Eccleſiaſtes vt perſuadeat: non tantum doce-
D re, ſed facere debet quod annuntiat, 47. in Acta M. F. ibi, Tales non oportet eos teſtes: In Pſal. 49. verſu, Peccatori dixit Deus, quare tu enarras, &c. Habeat vita tua claram vocem: Et quod in cælo eſt pulchritudo aſpectus ſit, in anima tua virtus, &c.

Formula docendi optima, homil. in Pſal. 115. P.

Et exemplar prudentiæ apoſtolicæ in docendo habes, homil. 1. in Acta P. ibi, Quemadmodum igitur ipſe Chriſtus, &c. vſque, Paulatim ad captum imbecillum ſeſe demittunt, &c.

Quid eccleſiaſtes dicere debet, cùm auditores proficere percipit, 11. in Acta F. Credo enim quòd figuratus eſt in verbis Chriſtus.

Eccleſiaſtes antiquas hiſtorias producat, ſed nec negligat recentiores, quas non tam ſcripto, quàm experientia plebs cognoſcit: valet enim plerumque plurimum ad confirmationem eorum, de quibus agitur. Hunc in Acta, homil. 14. P. de Gamaliele doctore loquens qui dixit: Attendite, nam ante

Digitized by Google

hos dies, &c. ita ſcribit Chryſoſt. non dicit antiquas hiſtorias, quamuis, haberet multas, ſed recentiores, quæ ad firmandam fidem dictorum plurimum momenti habent.

Sæpe eadem dicat & repetat eccleſiaſtes exemplo Pauli, qui Gal. 5. ait, Prædico, & prædixi, quòd qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. At verò vulgus imperitum dicit, nihil noui nobis dicitur, ſed ſemper idem. quibus ſapientiſſimè Chryſ. 19. in Acta, ita ſatisfacit, Numquid in theatris ſemper eadem fiunt, attamen non ſatiamini, hoc vos maximè perdit.

Eccleſiaſtes fugam capiat, aut morti ſe exponat, ſed non niſi pro magno animarum lucro, homil. 20. in Acta. Nam non putabat Paulus magnum pro prædicatione veritatis pati, niſi hoc fieret cum magno lucro.

Eccleſiaſtes apiculæ conditioni comparatur, homil. 2. in pſal. 115, Cuius exordium eſt, Narrant, &c. & 12. ad populum, &c. vide principium prologi.

Non debet ſemper proponere, quæ pertinent ad iram Dei, verùm quæ ad moderationem, vt neque in deſperationem conijciat auditores, tom. 1. homil. 5. de verbis Eſaiæ.

Eccleſiaſtes, ſi ſciat auditorem in ea eſſe ſententia, quòd ipſe eum odio proſequatur, excuſet ſe eo modo quo Chryſoſtomus, homil. 2. in pſal. 48. quæ eſt in fine Pſalterij, vbi exponitur hic verſus, Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, &c. M. ibi, Non te exagito, ſed animi tui morbum profligo.

Omne tempus accommodum eccleſiaſtæ ad concionandum 17. in Ioan. F. ibi, Cibus & balnea, contraque infideles, & hæreticos pugnare debet, 16. in Ioan. F.

Chryſoſtomus in pſal. 49. verſu, Si videbas furem, in prædicatores aſſentantes, aut peccatis conſentientes. ibi, Et quemadmodum in retia.

Eccleſiaſtes nō ceſſet clamare, arguere, increpare, etiāſi quidā ſuadeant benignè increpandos auditores, ne recedant à communione veræ fidei: dixit enim Dominus Clama. Vt quid ergo ſeruus audietur, qui ait, Clamare ceſſa? Hinc præclarè Chryſoſtomus homil. 7. ad Coloſſ. in fine, appoſitè ad hæc dixit, Amputa faſtum ornandi corporis, & ſi quicquam aliter egeris, non feram. Duodecim erant diſcipuli, & ad illos dixit Chriſtus, Numquid & vos vultis abire? Sed ſunt (inquit, hæreſes aliæ, ad quas plerique tranſibunt: ſed vanus & frigidus eſt iſte ſermo. Melior enim eſt vnus voluntatem Dei faciens, quàm mille improbi. Qui volet reſiliat, qui volet incuſet, & conqueratur, nemini parcam. Quando iudicancandus ad Chriſti ſiſtar tribunal, vos mihi nimis ſtabitis procul: tum nihil proderit veſtra gratia, quando mihi reddenda erit ratio officij. Hæc verba (ne abeat ad aliam hæreſim) corruperunt omnia.

Poſtrema hæc regula, priore loco, vel diligētiſſimè, hóc os noſtro tempore eſt obſeruanda.

Finis diſciplinæ Eccleſiaſticæ Chryſoſtomi.

INDEX DE NOVISSIMIS.

Hoc eſt, de his quæ ſub finem, aut poſt obitum hominis contingere poſſunt, de morbo, luctu, teſtamentorum editione, ſepultura, precibus pro defunctis, vita æterna, gehenna, iudicio, inferno, & morte.

ADMONITIO.

De nouiſſimis, congruo ordine poſt tractatum & tabulam de diſciplina Eccleſiaſtica, in præſenti indice fit mentio. Sunt enim illa quæ primum vel maximè mortalium auribus & mentibus inculcare & annuntiare debent, qui pro Chriſto legatione funguntur, habentq; verbum reconciliationis. Namque, dixit Apoſtolorum coryphœus Petrus, præcepit nobis Chriſtus prædicare & teſtificari quoniam ipſe eſt conſtitutus à Deo iudex viuorum & mortuorum. Priuſq; dixerat, ſummus ille animarum noſtrarum Apoſtolus & Epiſcopus Ieſus, Spiritus Domini, miſit me prædicare diem retributionis. Quaſi dicerent illi, (Ieſus & Petrus.) Etſi de omnibus nobis dicendum, de quibus mandatum habemus: maximè tamen de nouiſſimo magni iudicij die. Quod & ante eos fecerat, pluſquam Propheta Ioannes Baptiſta, dum dixit: Iamiam ad radicem ſecurim poſitam. Quod quidem mandatum de nouiſſimis ſermocinandi, typum habuit in tintinnabulis, quæ erant in extremis partibus veſtium Aaron. Vnde Origenes, Homil. IX. in Exod. ita dicebat: De extremis temporibus, & fine mundi, nunquam ſileas, ſed inde ſemper ſones, inde ſemper diſputes, ſecundum eum qui dixit: Memor eſto nouiſſimorum tuorum, & in æternum non peccabis. Quem locum explanans D. Bernardus, ait: Recolenda quidem primordia, attendendaq; media, ſed multo magis memoranda nouiſſima: illa quidem vt erubeſcamus, iſta vt ingemiſcamus. Hæc verò vt contremiſcamus & timeamus. Timor autem magis eſt initium ſapientiæ, quàm pudor & dolor; validiorq; eſt ſpiritus timoris, ad reſiſtendū peccato, quam pudor & dolor. Itaq; nec te (ô paſtor) pigeat, de huiuſmodi dicere, nec te, (ô lector) legere: De quibus omnibus nouiſſimis, plurima in magno illo, & vulgari Indice: & nihilominus, quæ infrà obſeruanda notantur, non ſuperuacaneè appoſita ſunt. Itaq; noſtro tali quali, ſed exiguo labore fruere, & malam diem (vt monet ſapiens) præcaue. Quod vt melius facias, ad ea quæ ſequuntur, & ex Chryſoſtomi codicibus excerpuntur, attende.

Act. 10. Luc. 4. Ecclеſ. 7. In paruis ſermonibus.

DE ÆGRITVDINE, MORBO, *teſtamentorum editione, morte & luctu.*

Ægrotantes & morti propinqui, ſi nil boni, quamdiu validi & ſani fuerunt, fecerunt: ſaltem migrando faciant, homilia 25. ad populum Antioch. M. ibi, Maioris quidem præmij eſt opus, ſi viuens & validus, paſcas, 84. in Ioann. F. ibi, Cùm ergo quiſpiam moriturus eſt, perſuadeatur ei à familiari, vt diſcedens, aliquid indigentibus relinquat, & Chriſtum hæredem relinquat. Idem de eadem materia, hom. 18. ad Rom. Mor. F. ibi, His itaque. Item hom. 18. ad Epheſ. in fine ante Moral.

Morbus vtilis ſæpiſſime, quia quod nec conſcientia, nec iudex emendare poteſt ęgritudo emēdat, 13. ad pop. F. ibi, Non terret te, &c.

Cur autem tamdiu infirmi, 6. ad populum.

Et morientium teſtamenta executioni mandanda, homil. 3. de Dauid & Saule, quæ incipit, Equidem, F.

Ægri

Ægri & infirmi, patientes debent eſſe, nec ad incantatores recurrere: vide feria 6. dominicæ primæ quadrageſimæ, de Paralytico in piſcina, & dominica 2. de ægra filia Cananeæ, & tom. 5. impreſſionis 1570. oratione de aduerſa valetudine: vbi ſociãtur agmini martyrum, qui mori maluerunt, quàm malis artibus ad ſortilegos confugiendo, ſanari. Item homil. 3. in 1. Theſſal. F. ibi, In morbum grauem incidiſti, &c.

Oratione 5. aduerſus Iudæos reſpondet rationibus quas pro excuſatione adducunt ægri & infirmi, qui vadunt ad ſortilegos: docetque dæmones non verè curare.

Pro infirmorum conſolatione lege 1. lib. de prouidentia.

Lib. de ſacerdotio monentur, vt petant ægri facere, & fieri quod iubet Iacobus; vngi ſcilicet oleo, per manus ſacerdotis. Et homil. 4. ad baptizandos, tom. 5. increpat eos qui ſacramenta nolunt recipere, niſi dum ſunt ſecuri de morte.

Morbi & aliæ afflictiones; vnde contingunt: An ne repugnet diuinæ prouidentiæ, ſi pij diu ægrotãt, homil. in pſal. 7. verſu, Iudica me ſecundum iuſtitiam meam.

Diem mortis ſcire, ſecretũ magnum: de quo ſecreto non curioſè inquirendum, homil. 2. ad Rom. Moral. & ad Theſſal. ibi, De temporum articulis, non neceſſe habeo ſcribere vobis: Eadem mors incerta, 22. in 2. Cor. 10. F. M. 23. in Act. F.

DE LVCTV ET MORTE.

Mortuos ne nimis lugeamus, 41. in 1. Cor. 15. M. ibidem, precibus iuuentur mortui, & 1. in 2. Cor. F. Quamobrem ne dixeris, &c. 61. in Ioan. P.

Homil. 3. ad Philip. Maximè lugendi ſunt qui ſine fide, ſineque ſacramentis moriuntur, vt ſunt hæretici. Huiuſmodi autem, vocat migrantes ſine illuminatione, & ſigillis, 69. ad pop. Ibidem deteſtatur luctum ad oſtentationem factum.

Verè & ſanctè lugentis exemplum in Ioſeph, Gen. 37. & 42. homil. 4. in 1. Theſſal. F. ibi, Fleo quòd hæc omnino, &c. vſque hunc imitemur, ſunt enim verè flendi.

Vnde tantus horror, & motus in die mortis, tom. 5. Oratione de anima in fine, ibi Propterea refugit.

Mors quibus terribilis, in pſal. 114. ibi, Conuertere anima mea in requiem tuam.

Mortis varij modi, homil. 11. ad Rom. Mor. P.

Mortis indifferens, nec bona, nec mala, 69. ad populum.

Sunt qui nouiſſima non curant, imò nõ credũt, in quos Chryſoſtomus 55. ad pop. M. ibi, Omnes fabulam eſſe putant.

Melius eſt ire ad domum luctus, quàm conuiuij, quia finis cunctorum admonetur. Chryſoſt. homil. 56. ad populum, dat aliam rationem: quoniam qui pauperes ſunt, & frequentant domos gaudij, redeunt triſtes, quòd non ſic veſtiuntur. Hinc idem Chryſ. De vita monachorum, docet pręſtãtius eſſe viſitare deſerta monachorum, quàm palatia magnatum: Quia pauper vir rediens domum, poſtquam viderit in palatio bene ornatam mulierem, ei diſplicebit malè ornata cõiux, 59. ad populum, 62. 42. in Act. M. F. in pſal. 123. M. ibi, Quemadmodum.

Luctus ſolemnitas vtilis, 14. ad pop. ibi, Et quod hoc ſit verùm. Poſtquam Iephte, &c. & 15. exponitur rurſus ſententia, Melius ire in domum luctus.

Tempore Chryſoſtomi, dum de defuncto erat mentio, non audebant defunctum vocare mortuũ, ſed dicebant: Ille, vel iſte eſt conſummatus, 59. ad populum. Idem 14. M. 1. ad Timoth.

A Re vera autem defuncti non ſunt mortui. Nam idem homil. 4. in Iob, quærit, Cur cùm Deus dedit Iob beſtias in duplum, non ſic fecit de filijs? Reſpondetur, vt ſignificetur quòd mortui non pereunt.

Luget pater amiſſum filium, ante tempus raptum, itaque eget conſolatione: de qua, 64. ad populum M. ibi, Filium aliquis.

Paulò ante ibidem, de tribulationum fructu in genere, à principio capitis: a quo exordium ſumere poterit, quiſquis conſolationem viuis ob defunctos dicere paratus fuerit.

69. ad pop. F. Vide euangelium de vidua Naum, in quadrageſimæ tabula: & in feſto omnium ſanctorum, Beati qui lugent.

Morti propinquus, eſt maximè tentationibus obnoxius: Debet itaque ſibi ab inſidijs diaboli cauere, homil. 3. de verbis Paralip. Elatum eſt cor Oziæ, tom. 1. ibi, In fine ne corrumpas. tunc enim diabolus ſpirat vehementius.

B Si luget immoderatè ob maritum defunctũ, vel filium, vidua: inuenies quo queremonijs dictę viduę ſatisfacias, hom. quadam 6. vel 12. in 1. ad Theſſ. ibi, Quomodo dolores refellemus: & paulò inferius, ibi, Æmulator eſt enim Deus.

Et in toto homiliæ reſiduo, argumenta ſunt pro conſolatione viduæ, contra quaſcumq; anxietates & dolores, quibus hoc viduarum genus eſt obnoxium M. ibi, Quomodo ergo tales ſolabimur: vide 8. ad Col. F. ibi, Sed eſt venuſtus & elegans, &c. Et ibi, Sed non magis quàm Ioſeph. Homil. 61. in Ioã. inuectiua eſt in diabolicas quaſdam mulieres ſui temporis, quæ fingentes ſe maritum defunctum flere, lamentationum vehementia amatores alliciunt F. &c.

Eccleſiaſtes autem nõ tantùm conſulere debet viduæ conſolans eam, ſed & orphanis: hortando alios parentes ſuperſtites, vt defuncti orphanos diligant & adiuuent: quòd vt faciat, legat hom. 7. in 2. ad Timoth. F. de Dauide & Ionatha, &c.

C Cur dies mortis non tam certus quàm certa mors, homil. 23. in Act. ibi, Fides eſt ſcire, quòd omnia iuſtè & miſericorditer facit Deus & vtiliter.

Mors an timenda, 5. ad populum M. ibi, Et in hæc, & ibi inferius, Quæ mala, &c. Qui mortem, nõ gehennam timent, ſimiles ſunt pueris laruas timentibus, non ignem, homil. in pſal. 48. verſu, Cur timebit in die mala, &c.

Mori deſiderabat Chryſoſtomus, & cur? Quòd videret multos impiè viuere, & blaſphemare in ſtatum vitæ monaſticæ, l. 1. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ.

Cur in lege noua non tam timenda mors quàm olim: cur etiam aliquæ, aut quidam non timuerint, homil. 7. ad populum.

D Cur corpora mortalia, & animas immortales, efſinxit Deus, homil. 11. ad populum.

Moriturus qui dignè euchariſtiam recepit, habebit angelos præſentes, lib. 6. de ſacerdotio.

Morituris, viaticum eſt euchariſtia 83. in Matth. 26. 32. ad Epheſ. Mor. 24. in 1. Cor. M. Quomodo corpus ſumendum, ibi, Vbi enim cadauer, ibi aquilæ. Vult Chryſoſtomus ſuſcepturos Chriſti corpus eſſe aquilas, aſſeritque, ante migrationem eſſe pro viatico, & ideo antè ſumendum.

Cur autem morituris datur, vide 23. ad Epheſ. F. & in Mor. ibi, Nemo ijs qui hoc paſc.

Si in vita breuiore, vel longiore conſiſtit fœlicitas noſtra, id eſt, citò in iuuentute aut ſenio mori, vide 54. in Act. M. F. ibi, Quid enim lucri habent tardius morientes.

Exhortatur ad mortem patienter ſuſtinendam, Pſal. 124.

Morti propinquus infirmus, caueat à blaſphemia, quæ non alleuiat dolorem, in Pſal. 127.

Digitized by Google

De ſepultura, orationibus pro defunctis, vita æterna, iudicio, gehenna, reſurrectione.

DE gehenna non dubitandum, nec de loco curioſè diſſerendum, 31. ad Roman. Moral. ibi, Non quæramus vbi ſit, ſed quomodo eam fugiamus: ibidem, Dicit fabulas eſſe, aſſerere quòd ſit in valle Ioſaphat: ſed vtiliſſimum ſæpe gehennæ meminiſſe, quàm multi negant: in quos Chryſoſtomus, 48. & 49. ad populum 55. ad pop. M. ibi, Omnes fabulam, 15. in 1. à Timoth.

In oratione, quæ fit pro defunctis, mentio fit Paulinæ ſententiæ, occulus non vidit, quod gaudium parauit diligentibus ſe. In qua ſententia, non tantum gaudij fit mentio, ſed magnitudinis eiuſdẽ gaudij: vt ſpe æterni gaudij tollatur temporaneus & præſens luctus, 19. ad Rom. vel 14. ibi, Quòd ſi dolor.

Mortui iuuentur precibus, 41. in 1. Cor. 15. & 1. in 2. Corinth. &c. Homil. de Lazaro fratre Marthæ in Ioan. 11. Prodeſt pro his orare, homil. 4. ad Philip. Mor.

Dum corpus mortuum effertur, vt ſepeliatur, prodeſt multum, ad deteſtationem dignitatum & ambitionum, 43. ad pop. F.

Sepultura digni reges, & Apoſtoli piſcatores, ſed tempore Chryſoſtomi, reges non tam in præſtanti loco, quàm piſcatores ſepeliebantur, quo ſic notum eſſet, quòd in die reſurrectionis, maior erit piſcatorum dignitas, 64. ad pop. & 66.

De fructu & viſitatione Cœmiteriorum, tom. 5. ſermone de fide & lege naturæ.

Ardentes lampades in funeribus, & ſepultura, 70. ad pop. 4. ad Hebræos, Mor. & cur dies mortis incertus.

Defunctum laudaturus, cuius vita bonis operibus tam clara, vt nullis ſit opus teſtimonijs, exordiatur per ſimilitudinem, quæ in medio eſt orationis de beato Philogonio, tom. 5. ibi, Quemadmodum aliquis, &c.

Si autem volueris conſolari ſuperſtites, ob defunctos amicos: vide quæ in euangelio viduæ Naum ſcripta ſunt, in quadrageſima.

Sepultura celebris in diuite, aliquando contumeliam pariet aut peperit, homil. de Anna: in qua id oſtenditur, quòd præſtat eſſe pauperem, quàm diuitem, &c.

Homil. 6. de Iob, obſcura continet, de oratione pro defunctis. Nam de Iob dicit: ſollicitus eſt pro viuentibus, non pro mortuis. Prudens lege dictam homiliam, aut ad tractatum de obſcuris curre, ſi fortè nanciſcaris explicationem. Interim exiſtima quòd hic locus Chryſoſtomi poteſt eſſe ad conſolationem egenorum parentem ſuperſtitumque filiorum: qui pro parentibus eleemoſynas & ſacrificia offerre non poſſunt. Sed illi ſemper habẽt duo poſſibilia. Primò, bonam voluntatem ſecundò, preces: quoniam nemo eſt, qui non poſſit per ſe orare pro defunctis, dicereque, Vtinam (ô Domine) in pace quieſcant.

De iudicio & gehenna, 3. ad Philemon. Moral. ibi, Quærebamus igitur, quomodo bonus Deus: Et dicta in homilia oſtendit non repugnare ſimul Deum eſſe bonum & vindicem, hom. 3. in 2. ad Timoth. M. 8. in 2. ad Timoth. Mor. & 15. in 1. ad Tim, F.

Vide articulum fidei, Inde venturus, & feriam 2. dominicæ quadrageſimæ de iudicio.

Carnalis homo aduerſus articulum de vita æterna, aut carnis reſurrectionem, varia proponit argumenta, quæ ſoluuntur omnia, homil. 7. in 1. Theſſal.

De vita & requie beatorum vide Morale, homil. 5. ad Heb. An verò vita beata & requie Dei

A priuari, ſit tolerabilius, quàm igne vri, vide 13. ad Philip. Moral.

Eſt in Morali homiliæ 4. ad Philippenſes obſcuritas quædam diſſoluenda. Quandoquidem non vult ibidem Chryſoſtomus, vt ſacrificium Miſſæ celebretur pro Catechumenis defunctis, benè autem vult vt eorum nomine eleemoſyna pauperibus detur, ibi, Catechumenos. Vide tractatum de obſcuris locis, aut Sixtum Senenſem de cenſuris, &c.

Frequens eſt Chryſoſtomus in inuectiuis contra ſuperfluitatem ſepulturæ, & impenſarum, tom. 5. homil. de inanis gloriæ cupiditate, quæ eſt ſermo 23. ibi, Cumque & reliqua peccate cum morte ſoluantur.

Cautè tamen lege, loca, & homilias in. Gen & 83. in Ioan. Vſum enim non tollit, ſed abuſum: quoniam ſcilicet nimias impenſas in mortuum, & nullas in viuos faciebant: multas pro corpore defuncti, nullas pro anima, Hinc eſt quod in eadem homilia ait: Non dico vt tollam ſepulturam, abſit.

B Modus ſeruetur. Tegatur corpus, non nudum mãdetur terræ. Tantùm autem abeſt, quòd detrahat defunctis Chryſoſtomus, quòd ibidem monet vt pro eis fiant eleemoſynæ pauperibus, vt ſic mittamus eis pulcherrima viatica.

Ibidem excuſat Apoſtolos duodecim, quòd non vt Nicodemus & Ioſephus ſepelierũt Ieſum. Nam aliquid pro Chriſto tandem fecerunt, quod eſt excellentius, quoniam morti ſe expoſuerunt pro illo, qui honor longè maior.

In ſepultura varij ritus pro cuiuſque deuotione & ſecundum patriarum mores & conſuetudinem, homil. 9. ad Epheſ. Chryſoſt. Tradit Babylã martyrem ordinaſſe, vt cùm ſepeliretur, iuxta corpus ſuum ponerentur vincula, quibus martyr, vinctus

C in carcere fuerat. Et laudat hunc ritum Chryſoſtomus: quia ſignificabat deſiderium, quod habebat vinciri, & pati pro Chriſto.

Diei iudicij & mortis olim tempore prandij mentionem faciebant monachi. 57. ad populum.

Contrà verò, Marcioniſtæ olim negabant iudicium fore: dicebantque quòd Deus ſe bonũ oſtenderet, ſi peccatorum rationẽ non exigeret. Quibus reſpondetur, homil. 50. ad pop. F. vbi vocat ineptam bonitatem ſemper parcere.

In eos verò qui dicunt verba de iudicio eſſe tantùm minas, homil. 55. ad populum.

Homil. 42. in Act. M. F. valet pro explicatione ſententiæ, Melius eſt ire ad domum luctus quàm conuiuij.

Admodum vtile, frequenter ſepulchra videre,

D in pſal. 123. M. ibi, Quemadmodum.

INDEX DE ORATIONE,

Admonitio.

QVandoquidem Ieſus Chriſtus, Dominus noſter & iuſtus index, in ſermone quem de iudicio habuit, meminit orationis, tamquam remedij apti aduerſus iudicij terribilis terrorem, dicens, Orate vt fuga veſtra non fiat in hyeme, & vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere omnia iſta terribilia: exiſtimaui optimum eſſe poſt tractatum aut indicem. De nouiſſimis, conſiderare quid Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus Chryſoſtomus ſuo populo quondam dixit de eadem oratione. De qua multa habes tum in libris, quos de oratione expreſsè ſcripſit, tum in vulgari Indice. Sed ex hinc & aliunde collecta ſunt infrà poſita margarita, quæ facient ad ſtimulum deuotionis, vel etiam ad explicationem orationis dominicæ.

PRimò ergo omnium, audi & obſerua auream illam ſententiam, ex 79. ad populum Antioch.

Impoſ-

Impoſſibile eſt hominem congruo precantem A
ſtudio, Deoque continuè ſupplicantem vnquam
peccare.

Et libr. 1. de orando Deum, Cùm videro quempiam non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruida vehementique cura teneri, continuò mihi palàm eſt, eũ nil egregiæ dotis in animo poſſidere.

Ex 15. ad popul. Audi Deum in mandatis, vt & ipſe exaudiat te in orationibus.

Homil. 6. in 1. Theſſal. Quando precaris, cum Deo ſermocinaris: quando legis, audis ipſum ſermocinantem.

Quid agendum ne murmures per impatientiam, ſi non exaudiaris ſtatim, 28. ad popul. M. ibi, Cùm orans defeſſus fueris.

Impatientiæ in precando exemplum, & inuectiua in eos qui terminum dant exauditionis Deo, homil. vlt. ad Tit. F. ibi, Nos autem.

Vt à Deo habeas quod oras & petis, habeat prius pauper quod à te orat & petit, hom. 1. in 2. ad Tim.

Laudabilius & magis meritorium orare in tempore proſpero, quàm aduerſo: & tamen vtroque tempore oportet, 17. ad popul. P. ibi, Orans igitur agamus. B

Oratio illicita eſt, ſi à Deo petas, ne egeas aliqua re, 17. in 2. Corinth. 8.

Si quis obijciat, non eſſe Deum orandum, nec nomen eius inuocandum: quoniam ſcriptum eſt, Eccleſ. 23. Iuramẽto ne aſſueſcas os tuum, nec nomini ſancti familiaris fias: videat ſolutionem, & dicti textus expoſitionem lucidam 27. ad populum.

Orare tempore nocturno vtiliſſimum, 41. ad populum P. ibi, Opus quidem fuerit. & 42. M. Dei eccleſia medijs conſurgens noctibus, &c. Ipſe tenebræ ad compunctionem inducere poterunt. Plus nocturnis placatur Deus orationibus, &c.

Ibidem in eos qui ſe ab orationibus & vigilijs nocturnis excuſant, quòd laborauerint per totum diem, 26. in Act. M. F. & in Pſal. 133.

De horis canonicis, tertia, ſexta, &c. 59. ad pop. & tom. 5. hom. Quod rerum diſpoſitio. C

Orationes ad ſanctos, 66. ad pop.

Geſtus in oratione, maximè extenſio manuum, qui ſignificat, 79. M. ibi, Quid enim manum.

Bonum eſt ſanctorum oratione frui, 79. ad pop.

De efficacia & virtute orationis, vide homil. de Moyſe, quæ eſt paulò ante eam, quæ eſt de Iephte, tom. 1.

Oratio multorum valet pro vno: non quia multi, ſed quia vnanimes, 2. in 2. Corinth. 3. de incomp.

Oris noſtri dignitas in eo eſt, quòd audet Deum patrem ſuum vocare, 14. in epiſt. ad Epheſ. ibidem exponitur, Qui es in cælis, &c.

De rectitudine requiſita, vt per orationem vincatur Sathan, hom. 3. & 5. de incomprehenſibili Dei natura F. ibi, Etenim ſagittarius, &c. D

De oratione per alios, homil. 4. de pœnitentia Moral.

Cur Chriſtus orabat, qui omnia habebat, & omnia ſciebat, 27. ad Hebræos, & lib. 1. de orando Deum.

Per orationem homo transfertur in angelicam naturam, debetque Chriſtianus amare orationem vt vitam, & horrere indeuotionem vt mortem; exemplo Danielis.

Lib. 2. de orando Deum, Qui orando colloquitur frequenter Deo, non facilè loquetur cum impijs, ibi, Etenim quemadmodum, &c.

Vide feriam 6. Cinerum, Orate pro calumniantibus. Vide dominicam 2. de Cananæa, & feriam 4. poſt 3. dominicam, Populus labijs.

Pro extirpatione hæreſeos, vtilis oratio eſt, homil. 4. in 2. Theſſal. M. ibi, Ita expugnemus hoſtes precibus.

Semper & perſeueranter orandum, homilia de profectu euangelij F. Cautè tamen legas quia ibidem dicitur, Non eſt tibi opus patronis apud Deũ: videque tractatum Sixti Senen. de ambiguis & obſcuris locis.

Tom. 5. epiſtola 5. ad Theodorum lapſum.

Cur acceptat aliorum pro aliquo orationes, 24. ad Roman. Moral. P.

Quid fugiendum in oratione, 5. in 2. Cor. F. ibi, Ad eundem modum in precibus.

De valore orationis publicæ, id eſt, quando non ſacerdos ſolus, ſed populus cum illo orat, 18. in 2. Cor. 8. Mor.

An liceat orare contra aliquem? Reſponſio in Chryſoſtomo, 6. in 1. ad Timoth. P. Mor.

Fortis munitio eſt oratio, 27. ad Hebræos.

Tom. 1. homil. de Moyſe, paulò ante eam quæ eſt de Iephte, breuiter & doctè, de vi & virtute orationis.

Oratio aperit cælum, 56. in Act. M. F. vbi mentio fit de Paulo orante & aperto carcere. ait enim ſic Chryſoſtomus, Et hæc ſtudeamus etiam nos facere, & aperiemus nobis non carceres, ſed cælum.

Quid facit Deus, vt vrgeat nos ad eum orandum? Tribulationes immittit, in pſal. 114. verſu, Tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui.

Oratio ex profundo cordis facienda, in pſal. 129. ibidem, de effectu orationis, ibi, Quemadmodum pluuia, &c. homil. de phariſæo & publicano, quæ eſt in fine commẽtariorum in pſal. M. ibi, Vt enim arbores.

Quid requiritur vt fragrans & boni odoris ſit oratio, & digna quæ exaudiatur? in pſal. 14. verſu, Eleuatio manuum ſacrificium veſpertinum. Item in pſal. 4. & 7. verſu, Domine ſi feci iſtud.

Reliqua quære in communi tabula, &c.

ADMONITIO PRO INDICE

De Sacramentis.

Nemo ignorat Sacramenta multis de cauſis eſſe inſtituta, maximè verò in adiutorium filiorum hominum. Tria enim ſunt (ait Innocentius tertius) in quibus conſiſtit Religio: præcepta, promiſſa, & ſacramenta. In præceptis eſt meritum, in promiſſis præmium, in ſacramentis adiutorium. Namque ſi arduum eſt diuina mandata implere, & longanimiter pro eorumdem obſeruatione expectare promiſſa, difficultas omnis aberit, ſi gratia Dei (cuius organa & inſtrumenta ſunt ſacramenta) præſens fuerit: Inclinabiturq́ue Dei famulus ad faciendas iuſtificationes in æternum, propter retributionem, quam promiſit Deus opt. maximus diligentibus ſe. Cùm itaque omnis Eccleſiaſtes ſit vel ſacramentorum adminiſtrator, vel virium, proprietatumq́ue eorumdem declamator, diligenter cauere debet, ne quod in auxilium eſt ordinatum, ſalutis ſit obſtaculum. Quod tamen fit, dum ſacramenta ignorantur & blaſphemantur: vel dum, ſi ſciuntur, parum in honore habentur. Debet itaque ſacramentorum adminiſtrator, de ſacramentorum efficacia planè dicere, aut clariùs diſſerere. Sicut prophetatum eſt per mandatum factum ipſi Moyſi. Eleua (ait Dominus) virgam tuam & extende manum tuam, ſuper mare, & diuide illud: Hoc eſt, euangelicæ legis doctrinam exalta, & fortiter prædica, & virtutes tui ſermonis applica, ad declarandum fidelibus efficaciam ſacramentorum: quorum gratiam cunctis paratam eſſe, doceas tempore opportuno: per quorum virtutem & gratiam præualent & ſaluantur electi. Quod vt faciat (hoc eſt, vt diſſerat Eccleſiaſtes de efficacia ſacramentorum) Chryſoſtomum legat, maximè autem ea quæ ex operibus eiuſdem excerpſimus, & pro ſacramentis digna duximus obſeruatione. Nec tamen prætermittat tabulam illam vulgarem & priſcam conſiderare.

Exod. 4.

Dionyſ. Carthuſ.

INDEX ALIQVOT AVREARVM *ſententiarum D. Ioan. Chryſoſtomi de Sacramentis.*

IN Sacramentis (quæ amicitię ſunt ſymbola, vt 41. homil. in Acta legitur) multa recondita ſecreta ſunt, quæ vtiliter ignoramus. Nec ob hoc reijcere oportet ipſa, quinimo admirari & venerari. Vnde homil. 12. ad populum Antiochenum, M. ibi, Si quid verò te excedit viſibilium, & rationem inuenire nõ potes, glorifica creatorem, &c. Quoniam mentem tuam ipſius ſapientia factorum excedit. Ne dicas, Quare hoc, aut ad quid hoc? Vnumquodque enim vtile eſt, & ſi rationem ignoramus, &c. Sicut quippe ſi in medici officinam ingrediaris, & multa propoſita videas inſtrumenta, varietatem inſtrumẽtorum admiraris, licet ipſorum neſcias vſus: ſic in creatura facias. Si videris multa, quorum vtilitates neſcias, admirare ipſorum varietatem, & obſtupeſce propter hęc, ipſorum creatorem, optimumque opificem Deum. Quoniam nec omnia tibi nota fecit, nec omnia incognita.

Sufficiant datæ diuitiæ, & ne amplius inquiras: ſed pro his quæ accepiſti gratias age. Noli indignari pro ijs quæ non accepiſti, & pro ijs quæ noſti glorifica, &c.

In ſacramentis autem quædam ignorantur, & quædam ſciuntur. Itaque omni ex parte Deus glorificandus, &c.

Et hom. 26. in Geneſ. Mirabile erat, quòd diluuij tempore aut poſt diluuium cedebat aqua de terra, & minuebantur aquæ. Sed quæ ratio potuit hoc vnquam comprehendere? Reſpondet eſſe Dei præceptum, quod facit omnia. Ne igitur curioſiùs exploremus: quoniam, &c. Tantũ credamus quod iuſſit.

Idem Chryſoſt. de incõprehenſibili Dei natura, vbi agit de Zachariæ patris Ioannis Baptiſtæ incredulitate, homiliaq; de nuptijs in Galilæa factis.

Et quidem hactenus de ſacramentis, amicitiæ ſymbolis, in genere: quæ lector diſcet magis, ac magis admirari, ſi animaduerterit & perpenderit quæ infrà de eiſdem in particulari ſcribuntur.

DE BAPTISMO.

QVod ipſo die inaugurationis vel baptiſmi tui dixeris, videlicet, Abrenuntio tibi Sathana, ſemper repetere & dicere debes, 21. ad popul. Antioch. M. F. Si exiens domo ad forum profecturus, non ibis ſine calceis: ſic nec exeas quin dicas, Abrenuntio tibi Sathana, & coniungor Chriſto. Hæc vox erit tibi baculus, & turris inexpugnabilis.

Quæ abrenuntiatio, & fidei confeſſio, ante & poſt baptiſmum probatur, homil. 1. ad Epheſios.

EFFECTVS BAPTISMI.

HOmil. ad popul. M. ibi, Quid igitur, &c. hom. 6. ad Coloſſ. in fine, ibi, Fingitur ac formatur in aqua. & 7. M. ibi, In mari rubro, &c.

De differentia inter primam Adami creationem, & per baptiſmum regenerationem, ibidem.

Baptiſmus datur in remiſſionem peccatorum, 7. in 1. Cor. P. ibi, Audiens ille lauacrum.

Non ſufficit eſſe baptizatũ, (quod eſt quaſi eſſe irrigatum) ſed ferre fructũ oportet: alioqui igni exponemur, 20. ad Heb. P. ibi, Quæcunque arbores.

Vide tractatum de traditionibus.

Illuſor hæreticus, ſigna crucis, & exſufflationem in baptiſmo, aliáſve ceremonias, vocat incantationes, & ita Catholicum probro afficit, Sed eidem reſpondendum cum Chryſoſtomo, homil. 8. ad Rom. Mor. Quòd re vera ſunt ſpirituales incantationes, non quibus noceatur hominibus, ſed quibus noceatur dæmonibus.

Homil. 4. ad baptizandos clariſſimè exponitur

A ſententia Pauli de baptiſmo per lauacrum regenerationis: vti de effectu baptiſmi.

Baptiſmus Ioannis, non erat remiſſionis baptiſmus, hom. 41. in Acta M. Bene autem.

Baptiſmi dilatio pernicioſa, hom. 1. in Act. M.

Sale vtimur ad doctrinam & in myſteriũ: de quo myſterio in Pſalm. 96. M.

DE CONFIRMATIONE.

Homil. in caput 8. Actuum Apoſtolorum.

DE POENITENTIA.

BEnignus eſt Dominus in pœnitentes, qui nec vult vt deſperemus, tom. 5. in epiſt. ad Theodorum lapſum: de qua in pœnitentes benignitate homil. 5. de pœnitentia: vbi agitur de deſtructione Niniue. Cur Dominus tandiu tardat ad demolitionem ciuitatis, illius videlicet Hierico. Nam qui per ſex dies totum conſtruxit mundum, ſeptem dies vide-

B tur requirere pro demolitione vnius ciuitatis. Ibidem dicitur, quòd Deus contrario modo facit, quã opifices huius mundi. Nam homines multo tempore ædificant, in paruo deſtruunt: Deus autem cũ ſtruit, velociter ſtruit; cùm deſtruit, tardè deſtruit. Prima actione oſtenditur eius potentia. Secunda, eius miſericordia & benignitas.

Pœnitentiam quid corrumpit aut confeſſionem: Epiſtola ad Theodorum lapſum F. ibi, Corrumpit. Et infrà, ibi, Verùm ſunt qui eo nomine, &c.

In impœnitentes, & nolentes flere, nec confiteri peccata, 8. in 1. Corinth. F. ibi, Quis vnquam mœrore fuit, &c.

Pœnitentia quidem diluit peccata. Sunt autem & alia remedia, aut partes eiuſdem, 4. in 2. Corint. F.

C homil. 9. de pœnitentia.

De confeſſione peccati, quam Deus requirit & diabolus impedire contendit & odit: & quàm pernicioſum ſit, excuſationes in peccatis exigere, vide homiliam in Pſalmum 140. Domine clamaui, verſu, Non declines cor meum ad exquirendas excuſationes. Vide & hom. 4. ad baptizandos, ibi, Armetur aduerſus peccata tua lingua, 3. de pœnit. & 80. ad pop. inſidiatur Sathan pœnitere volenti P.

De confeſſione peccatorum, recogitatione eorundem, & an vtile ſit eorum reminiſci, ánve pernicioſum, hom. vlt. de pœnit. Et libr. 2. de compunctione cordis, ibi, Sed oportebat exomologeſim facere & confiteri, & peccatum maius ac minus quaſi in corde noſtro habere ſcriptum. Docet ibidem

D Chryſoſtomus, quòd vtile eſt ad retundendã arrogantiam habere peccatorum memoriã. Verumtamen lege tom. 5. alium ſermonẽ de excludenda vitiorum memoria, & concilia locos. Vide hom. 12. ad pop. Antioch. P. ibi, Recordare tempus famis.

Pœnitentia ſine eleemoſyna mors eſt, 5. de pœnitentia. ibidem vocatur pœnitentia nũdinatio aut negotiatio, eo quòd id quod eſt minori emptũ, maiori pretio venditur.

Pœnitentiæ proprietas aut deſcriptio 3. de pœnitentia, ibi, Ad pœnitentiam, quam acerbam vocat, vt eſt medicina ægroto, quæ tamen eſt iniquitatum conſumptio. homil. 80. ad populum definitur pœnitentia.

De tempore pœnitendi & confitendi, orat. 5. cõtra Iudæos, ibi, Dic tu iniquitates tuas prior.

Pœnas pro peccatis noſtris exigens Deus, differt à Iudicibus huius ſæculi, etiam pœnas quærentibus, 7. ad pop. F.

Vide articulum fidei, Remiſſionem peccatorum, & homil. 40. ad popul. P. ibi, Sed nullum eſt animæ vulnus incurabile. Et ibidem F. contra deſperare paratos. Et homilia 23. in 1. Corinth. M. Multæ viæ ſalutis nobis præparatæ, ibi, Talis eſt noſter medicus.

Digitized by Google

Licet non ſit deſperandum: non tamen eſt præſumendum,77.ad populum,&c 80.P.

Et ſi pecces quotidie,ibidem docetur quid agere debent qui quotidie peccant.

Sathan inſidiatur pœnitere volentibus, 80. ad populum P.ibi,Sciens itaque Sathan. Ibidem definitur pœnitentia,in 2.Corinth.1.

Pœnitentia breuis,valida, modò feruida, tom.5. oratione de beato Philogonio.

Præparans ſeſe ad confeſſionem, non poteſt non habere memoriam ſuorum peccatorum. Sed quæritur, ſi impunè poſſumus habere præteritorum peccatorum memoriam, an ve vtile. Reſponſio eſt in 41.ad populum,homilia M. F.ibi, Recordare tu prior,&c.homil. 31.ad Heb. Mor. M. ibi, Melius eſt vt nunc peccatorum mordeatur memoria,&c.

Si anxiè quæratur quis, de pœnitentiæ longitudine, propter breue peccatum,legat 22. ad populum M. Dauid vnam noctem cum iniquitate duxit,& per ſingulas noctes lugebat talia peccata.

B Stimulus ad confitendum peccata, & pœnitendum, eſt conſideratio terribilis & iuſti iudicij Dei, 22.ad populum P. M. ibi, Vt animam tuam velut Dei habitaculum præpares.Vſq; huc,Sed vt expectatã fugiamus pœnam: venite præoccupemus faciem eius in confeſſione: & inferiùs, ibi, Scrutare ſcripturas. & vide quomodo primùm virgam nuceam vidit Propheta, Hier.1.poſtea lebetem ſuper ardentem:demonſtrans,quòd non ſuſtinens virgæ caſtigationem,ignis ſuſcipit ardorem.

Pœnitentia tarda ſæpius infructuoſa, 19.in Geneſ. de pœnitentia Cain: quem Cain occidit Lamech, qui coram vxore ſua confeſſus eſt peccatum, 20. in Gen. Quis obſecro,&c. Potuit planè iſta confeſſio eſſe typus confeſſionis, quæ fit in Eccleſia.

Pœnitentia non differenda ad ſenium, 22. in 1. vel 2.Cor.10.F.

C Pœnitẽtia falſa,4.in 2.Cor.Mor.ibi, Alios quippe per peccata,alios per pœnitentiam perdit.

Pœnitentiæ dignitas,& quomodo differt à baptiſmo,9. ad Heb. Mor. vbi clarè exponitur ſententia illa, impoſſibile eſt renouari per pœnitentiam.

Et homil. 31.ad Heb.exhortatio pulchra ad pœnitentiam.& confeſſionem peccatorum .Quòd ſi obijcias,quod ibidem dicitur, Non dico vt te prodas in publicum,aut apud alios te accuſes. Nõ ergo ſacerdoti confitendum? Habes reſponſionẽ in tractatu obſcurorum & ambiguorum locorum. Et interim ſcito, quòd qui auricularitter confitetur, non prodit ſe publicè.Deinde ſacerdos, cui confiteris,iam non vt homo audit, ſicut nec cùm baptizat,ſecundum id:Super quem videris ſpiritum,hic eſt qui baptizat. Item loquebatur de quodam genere pœnitentiæ publicæ,à quo tum liberabantur pœnitentes æqua quadam ratione.Item ſacerdos, qui miniſter eſt publicus, proprie loquendo,conſeruus non eſt pœnitentis, ſed index. Chryſoſtomus itaque dicens,non dico vt confitearis conſeruo,qui exprobret, ſacerdoti confiteri non vetabat,&c.

In Bibliotheca ſacra Sixti Senenſis.

Vide alios locos de pœnitentia, feria 4. Dominicæ primæ quadrageſ. Item de prodigo, Sabbato dominicæ ſecundæ, & homilia 4. ad baptizandos. De efficacia pœnitentiæ F . ibi, Non enim valet.

De pœnitentia Iudæ, Petri & Eſau,31. ad Heb. Moral.vbi pulchra de confeſſione afferuntur. M. ibi, Sponte peccata noſtra puniamus, ne pendamus non ſponte ſupplicia.

Contra hæreticorum confeſſionem de peccatis aſſerentium ſatis eſſe, ſi te peccatorem confitearis:& non eſſe neceſſe,vt ſigillatim peccata numeres & confitearis.Vide 31.ad Heb.Mor.M. ibi. Perſuadeamus,&c.Nec tantum nos peccatores dicamus: ſed etiam ipſa peccata ſpecialiter ſingula computemus.

Peccata non in genere tantùm narrare debemus Deo,aut eius miniſtro,dum confitemur, dicẽdo nos peccatores:ſed in ſpecie memorare & narrare oportet.Et non tantũ beneficia,quæ in genere à Deo recepimus,ſed in ſpecie,38.in Act.F. ibi, Igitur quòd magnam hæc habeant vim.& ibi, Et eorũ diligens faciamus examen, quid nos quidem peccauerimus in Deum,& quid boni ille nobis fecerit.Nec tamen ſufficit peccata dicere aut narrare; ſed oportet dolere, 36. in Act. F.ibi Quiſquis fueris,ne dic peccata tua ſolùm,&c.ſed dole.

Poſt peccatum deletum & remiſſum, relinquitur in anima venenum,41.in Act. F.ibi, A peccatis autem,&c.

DE EVCHARISTIA.

Litigantibus,aut admirantibus quomodo Chriſtus ſit in Euchariſtia,& in cælo,& accidẽs ſine ſubiecto. Reſpondeatur cum Chryſoſtomo,homil. 2.in Gen. Quomodo poteſt eſſe culmen ſine fundamento? Priùs fecit Deus cælum velut culmen, poſtea terram,ibi,Quid autem dico de corpore noſtro,homil.9.ad populum M.

Homil.5. in Geneſ. vbi de coſta vnde Eua eſt producta,ibi,Quid ergo dicent hæretici? Et homil. 12.vbi quæritur, Quomodo poteſt terra eſſe ſuper aquam,& aqua fundamentum eſſe terræ.ibi, Propterea opifex,&c.Item ſerm.de ieiun.Item ſermone de ieiunijs ex lectione Geneſeos, qui eſt ſtatim poſt vltimam homiliam 67. in Geneſim, ibi, Dic mihi quomodo natura panis intra nos mutatur in ſanguinem,& ex arena fit vitrum?

Si miraris, quod credere te oportet, eundem Chriſtum eſſe in cælo,& in terra; cur non miraris, quòd mundum compegit ex contrarijs, calido & frigido,hom.9.ad populum. Et 55. ad populum F. Te ſurſum habeo,& deorſum tibi connector. Manduca me,bibe me,hom.2. ad populum, ibi, Helias ſurſum,Helias deorſum: quo prouerbio docet realiter Chriſtum eſſe in cælo,& in altari. Nam antitheſim facit inter Chriſtum & Heliam.

Homil.5.de incomprehenſibili Dei natura, Neque quomodo animus ſit in corpore noſtro ſcimus.Voluit Deus rei naturalis nos neſcientes, vt conſtaret quantum vires humanæ minus poſſunt res maiores attingere.Et hom.7.in 1.Corint.Cùm è longinquo turrim quadrangularem vides,rotundam eſſe putas.

D In curioſos contradicentes, & dicentes, Non video in hoſtia Deum, non ergo eſt Deus. Ita ſcribit Chryſoſtomus, 49. ad popolum; Nec enim Deum vides, igitur Deum non eſſe putas? Nemo venit ex inferno, qui narraret quæ illic ſunt: ſed Deus omni fide digniſſimus hæc manifeſtauit.Sed numquid ea quæ ſunt in Euchariſtia manifeſtauit,etiam cum iuſiurando Chriſtus? 19.ad Epheſ. ibi, Quamobrem hoc maximæ eſt prouidentiæ.

Homil.16.ad populum P. Noli cauſas amplius à me requirere, homil.24 in prima ad Cor. M. Qui vult tãtum myſterium comprehendere, ſit aquila, non graculus, id eſt ad alta debet conſcendere, non ſuper terram verbis contendere.

Liberalitatem ſuam ſummam oſtendit Chriſtus,præparans nobis pauperibus cœnam ſui corporis,33. ad pop.in fine. Vbi arguit auaros & pauperum neglectores.ibi,Quid itaque.

Paulus non vocauit Euchariſtiam tantùm panem,ſed corpus domini. Similibus verbis eſt vſus Chryſoſtomus,13.ad Roman.Mor. vocans corpus dominicum P.ibi,Hoc idem.

Eſt ſumma cum reuerentia tractanda eadem Euchariſtia.Propter enim eam,olim populus deoſculabatur templorum oſtia,30.in 2.Cor.13.

De eiuſdem Euchariſtia effectu,& de ad eandem digna præparatione.

EVchariſtia cælũ facit acceſſibile,24. in 1.Cor. ibi,Nam dum in hac vita ſumus,vt terra nobis cælũ fiat,facit hoc myſterium.61.ad populum, ibi, Sicut auro liqueſcente,ibidem,Adora & manduca. Ibidem de receptione ſemel in anno, vt liqueat quod ante Lateranenſem ſynodum, iamiam rigor de communicando ſaltem ſemel in anno erat, tãquam remedium contra deuotionis frigus De qua receptione ſemel in anno, vide orationem de beato Philogonio, tom.5. vbi agitur de præparatione ad eandem Euchariſtiam,& 21.ad populum P. Verumtamen hom.5.in prima ad Timoth.F.agit contra eos qui tantùm ſemel in anno communicant.

Qui hypocriticè ſeſe præparant ad communionem ante paſſionem & feſtum Paſchæ, & prætendunt poſt paſcha de inimicis ſeſe vindicare, ſed feſti dies impedit:comparantur Eſau dicenti, Venient dies luctus patris, & poſt occidam fratrem, homil.3.de patientia Iob.

Angeli adſtant ſacræ menſæ, tom.5. oratione de non contemnenda Eccleſia, & propterea cùm ſumma reuerentia aſſiſtendum templo.

De ſigno crucis tempore Miſſæ, vide lib. Quòd Chriſtus eſt Deus.

Euchariſtiæ & ſanguinis effectus, ſerpentes & dæmones exitio tradere, & vitia extinguere, 27. ad Hebr.P.ibi,Etenim nunc qui deuaſtat,&c.& 25. ad populum,ibi,Si ſpeculum.

Et in liturgia,ſub finem orat ſacerdos, vt ſit in purgationem malarum cogitationum.

Hom.3.de incomprehenſibili Dei natura, corporis Chriſti præſentia efficit orationes efficaciores:eijcit etiam dæmones.homil.4.ibidem.& tom.5. orat.de non contemnenda Eccleſia F.

Tutela contra Sathanam & armatura, eſt Euchariſtia,hom. 3.ad Neophytos M.ibi,Et aliam tutelam mihi Deus dedit, menſam,&c.vt poſt epularum refectionem poſſim inimicum robuſtiùs ſuperare.

83.in Matthæum 26.Euchariſtia viaticum moriturorum.

Cur non eadem manet pœna eos, qui nunc indignè communicant,ſicuti olim; 27. ad populum, F.vbi de Ananiæ expiratione fit mentio:& de fratribus Ioſeph ipſum irreuerenter tractãtibus, qui tamen nil pluribus poſt annis paſſi ſunt: tandem verò periclitati ſunt de ſupremis.

Rurſus de præparatione ad eandem Euchariſtiam.

60.& 61.ad populum M.Fœtente ore tuo regem oſculari non eligeres. Vide homil. de proditione Iudæ F.& homil 21. ad pop.& tom.5. oratione de beato Philogonio,83.in Matth. 26.

Vt præpararet populum ad dignam ſuſceptionem,Diaconus olim tempore Miſſę clamabat,Stãtes oremus,homil.5.de incomprehenſibili Dei natura:confirmatque auctoritate Pauli, State in Domino chariſſimi:& ſimilitudine,ibi, Etenim ſagitta,&c.

Moriturus,qui dignè Euchariſtiam ſuſcipit, angelos habebit præſentes, 6. de ſacerdotio. & 23. ad Epheſ.F. in Morali,P.ibi,Nemo ex ijs.

27. ad Hebr. Moral. P. de puritate præuia ad Euchariſtiam, ibi, Si enim rex Babylonis, &c.

24.in 1.Cor.Qui dignè vult recipere, debet eſſe aquila, non graculus: id eſt ad alta oportet eum conſcendere, non contendere.

Si quis minùs ſe præparatum dicat, quoniam nõ nouit omnia myſteria, nolitque aſſentiri Eccleſiæ ſententiæ(quæ ait, Ad formandum cor ſyncerum ſola fides ſufficit) legat reſponſionem in 19. ad Epheſ. F. ibi, Quamobrem hoc maximæ eſt prouidentiæ, quòd rerum nobis rationes arcanæ ſint & ineffabiles.

Indignè ſuſcipiens Euchariſtiam, Iudæis crucifigentibus ſimilis,tom.5. oratione de non contemnenda Eccleſia,ibi, Diuerſa peccata,ſed, &c.

Qui conculcauerit Euchariſtiam (quod abſit) aut contempſerit,impunè non euadet,20. ad Hebræos,M. Quod ne fiat,vigilare debet Epiſcopus, 83.in Matthæum,17.ad Heb.

Qui cogitandum, faciendúmve, cùm in Miſſa auditur hæc vox,Hæc dicit dominus,aut lectio epiſtolæ,&c. 3.in 2.ad Theſſal.F.Quid etiam conſiderandum, dum canitur Sanctus Cherubin & Seraphim,14. ad Theſſal. Mor. Et quid continet oratio,Et cum ſpiritu tuo,quæ canitur in Miſſa, 28. in 2.Cor.8.

Non eſt in Epiſcopo temeritas, ſi communicando alijs Euchariſtiam,ipſe primus ſumat eandem,4. in 2.Theſſal.F.

Nec ob hoc exiſtimet populus, quòd ſacerdos plus accipiat.

Nec idem populus exiſtimet,quòd repugnet ire ad Miſſam poſt ſumptum cibum: quamquam repugnet Euchariſtiam recipere, ſi non ſit ieiunus, hom.9.ad populum: in fine homiliæ de proditione Iudæ,& de præparatione Euchariſtiæ.

Vaſa aurea vel argentea,quibus in ſacrificijs vtitur Eccleſia,non improbat Chryſoſtomus, tom.2. in Lucam,homil. de natiuitate Chriſti.

De frequenti communione.

5.in 1. ad Timotheum Mor. hoc nempe eſt, &c. Non eſt audaciæ ſæpius accedere, ſed indignè accedere.

Ibidem dat certam regulam inueniendi tempus communicandi,ibi,Tempeſtiuum accedendi tempus munditia conſcientiæ faciat.

17.ad Heb,Mor.P.Qui nam ſunt laudabiliores, an qui rarò,an qui frequentius communicant.

Ibidem legitur Epiſcoporum debita diligentia, in arcendis qui indigni ſunt.Nam ne quis prætenderet ſuæ irreuerentiæ excuſationem,Diaconus aſcendebat in altiorem Eccleſiæ locũ, & clamabat, Sancta ſanctis:ſi quis non eſt ſanctus,non accedat.

Hom.4.ad baptizandos,increpat Chryſoſtomus eos,qui ſacramentum baptiſmi recipere nolebant, niſi in fine vitæ.Sed eadem homilia valet ad increpationem eorum, qui ſacramentum pœnitentiæ aut Euchariſtiæ nolunt recipere,niſi dum ſunt ſecuri de morte,tom.5.

Eadem hoſtia offertur hodie, quæ vel in cœna, vel in cruce oblata eſt,non alia,17.ad Heb.M.ante morale.

Valet autem Chryſoſtomi verbum ibidem, ad retundendum errorem dicentium, quòd non differunt ſacerdotes nouæ legis à ſacerdotibus antiquis,qui frequenter offerebant: Nónne(ait) per ſingulos dies offerimus Offerimus quidem,ſed vna eſt oblatio. Contra eos qui dicunt, Libenter irẽ ad Miſſam, ſi ibi ſermo ſemper eſſet, 3.in 2. Theſſ.F.

Euchariſtia, ſacrificium eſt, oratione 4. contra Iudæos Vetere ſacrificio abolito, in illius locum inductum eſt corpus Chriſti.

An ſemper in ſacramentis veritas figuræ reſpõdere debeat,tom.4.hom.in id, Nolo vos ignorare, quòd omnes patres,&c.

Si quis dicat ſe non poſſe myſteria omnia comprehendere,quæ in ſacramẽtis ſunt, eidẽ dicendũ cum Paulo, Animalis homo, &c.Et cum Chryſo-

ſtomo,

Digitized by Google

ſtomo, quod ne quidem omnia terrena cognoſcere poteſt homo: quoniam cùm è longinquo turrem quadrangularem videt, rotundam eſſe putat, homil. 7. in 1. Cor.

Sicut qui manna colligebant, pluſquam oporteret, minus habebant: ita qui de celſitudine Euchariſtiæ ſcire vult pluſquam oportet, aut quàm vires ſuppetant, minùs ſapiet: tom. 4. Nolo vos ignorare, quòd omnes partes.

Volens Adam & Eua ſcire plura quam expediret, non ſciuerunt, nec intellexerunt quod Sathan eis promittebat ſcire facere: ſed quod prius ſciebant, àmiſerunt; Chryſoſtomus hom. 6. in Ioãnem, P. contra curioſos.

Idem ſupplicium ſubeant, qui immunda conſcientia corpus Chriſti accipiunt: quod qui eũ clauis cruci affixerunt, 45. in Ioan. M. P. ibi, Quare neceſſario dicendum, quàm admiranda myſteria, & cur data ſint. Quod dum facere vis, hoc eſt de tanto ſacramento, aut alijs tractare, obſerua exordium homiliæ 46. ibi, Cùm de rebus ſpiritualibus diſputamus, nihil ſeculare ſit in animis noſtris.

DE ORDINIS SACRAMENTO, ET AD IPSVM PERTINENTIBVS: VIDElicet *de excellentia ſacerdotis, & officium quocumque miniſtrorum Eccleſiaſticorum.*

QVo affectu ad ſacerdotium properandum, vide feriam 4. 2. Dominicæ quadrageſimæ: vide etiam libros de Sacerdotio, maximè verò ſextum, in medio: vbi oſtendit peccatum ſacerdotis, ratione dignitatis, grauius eſſe peccato populi. Hinc in lege tantundem offerebatur pro peccato ſacerdotis, atque pro peccato vniuerſi populi. Et homil. 3. in Acta Apoſt. ibi, Reputa quàm multa ſuſtinuit Moyſes, &c.

De miniſtrorum Eccleſiæ legitima miſſione, oratione 3. contra Iudæos: vbi validis argumentis docet eos, qui nunc ſe dicunt Iudæorum ſacerdotes, non eſſe legitimos: quoniam non poſſunt oſtendere, quod cum ritibus & cæremonijs, quibus olim deſignatus eſt Aaron, nunc ſint. Pari modo facile erit aſſerere, eos eſſe illegitimos ſacerdotes, qui neſcirent oſtendere, quòd fuerunt inſtituti ſicut mos eſt in eccleſia ordinari.

Sacerdotes vnguntur cùm ordinantur: & vnctio deſignat virtutem, qua pollere debet, vtpote eleemoſynam, &c. 2. in 1. ad Timoth. Mor.

Sacerdos eſt communis pater totius orbis, hom. 6. in 1. ad Timoth.

Cur in principio Eccleſiæ non tantus rigor in continentia ſacerdotum requirebatur, ſicut nunc, homil. 10. in 1. ad Tim. ante Moral. ibi, Igitur, &c. Et paulò ante ibi, Ne igitur eccleſiæ.

De officio ſacerdotis bene præſidentis, & debito plebis erga eum, 10. in 1. Theſſal. M.

Paulus non dedit leges de ætate epiſcopi, prologo in 1. ad Timoth.

Terribilis ſentẽtia Chryſoſtomi, hom. 3. in Act. contra ſacerdotes. Et eadem ſententia repetitur ad Heb. vlt. in hunc locum, Ipſi peruigilant quaſi pro vobis rationem reddituri. Aſſerit autem ibidem difficile eſſe, plures ſacerdotes ſaluari. Quæ ſententiæ ſunt ſynceriter intelligendæ, vt iſta, Difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum: quam cùm protulit Chriſtus Ieſus, offenſi ſunt qui ipſum audiebãt, quorum offenſiones vt leniret, dixit, Quod impoſſibile eſt apud homines, poſſibile eſt apud Deum. Dicendum ergo, quòd Chryſoſtomus loquebatur de ſacerdotibus, qui amaro zelo & ambitione ſacerdotes efficiuntur, nec per portam in ouile intrant. Vnde dat exemplum Aaronis & Moyſi, qui non niſi coactè & parum ſponte aſſumpſerunt honorem ſacerdotij: quibus tamen non

A pepercit dominus, ſi quando defecerunt. Quanto minùs indulgebit dominus ijs qui non gloriæ Dei nomine, ſed deſiderio aceruandarum opum, ſeſe mittunt, & non vocati à Deo ſibi aſſumunt ſacerdotij honorem?

Sacerdotis dignitas, in Pſ. 117. P. Quæ dignitas ſi cõculcatur, vindicãda eſt per optimates, in Pſ. 113.

De manuum impoſitione, homil. in Acta.

DE MATRIMONIO, ET DE HIS QVÆ AD IPSVM SPECTANT, VTPOte *de coniugum officio.*

NOn theatrum ſunt nuptiæ, ſed myſterium & typus rei magnæ, 12. hom. ad Coloſſ.

Quid Deus optimus, in matrimonijs inſtituit, pro conſeruanda inter coniuges concordia, 34. in 1. Corinth. 12. Ibidem cur inter parentes prohibita ſunt coniugia & inter affines, 34. in 1. Corin. 13. ibi, B Propter hoc. Et ibi, Cur in anguſtum redigis latitudinem charitatis?

In contractu nuptiarum fit mentio dotis: vt ſic diſcant humiliari in tempore ſuperbiæ: quoniam dum mentionem faciunt dotis, de morte loquuntur, tom. 5. ſermone de fide & lege.

Ignominia mulieri, imperare viro, homil. Quòd fœminæ viris cohabitent.

Nuptiæ res pretioſa, & (vt Paulus dixit) honorabile connubium. Itaque ipſo die nuptiarum abſtinendum ab inhoneſtis & turpibus tum verbis tum choreis, 12. in 1. Cor. M. F. ibi, Nam matrimonium & nobis, &c. Ibidem reſpondetur ijs, qui cùm nolunt à turpibus abſtinere, dicunt, Conſuetudo eſt talis faciendi, & 14. ad populum F.

De amicitia inter coniuges, & cauendis in coniugio, 14. ad pop. Antioch. F. ibi, Propterea nos admonet, &c. Quo in loco exponuntur loca ſcripturæ, Bibe aquas de vaſis tuis, & tuorum puteorum C fonte. Ceruus amicitiæ, & pullus tuarum gratiarum conuerſetur tecum.

De vxore per nuptiarum legem cohabitante, intelliguntur ſcripturæ paſſus. Item 10. ad Coloſſ.

Quid facere aut dicere debet vir, cũ vxor ipſum pertrahere nititur ad malum, adque blaſphemandum Deum. Faciat cum manſuetudine quod Iob. hom. 20. ad Heb. Mor. M. F.

De ſuperfluo vxoris ornatu Chryſoſt. homil. 13. ad Epheſ. Mor. F. ibi, Alioqui autem, &c. Vbi viro exprobrat & imputat coniugis delictum, quòd curioſè nimis ornatur: Tu es conſtitutus (ait) vt illam componas, &c. 12. ad Coloſſ. F. M.

Et nihilominus ſunt imperfectiones & vitia in coniugibus, quæ mariti ferre debent, 15. & 20. ad Epheſ. Mor. Ibidem, an verberand. 62. ad popul. F.

D Contumelias vxoris ferat patienter maritus. Hoc tamen conſulens viro, non eſt inducere mulierem ad contumeliam.

Prudentia in eligenda vxore, tom. 5. oratione de pulchritudine & muliere P. Et paulò inferius, aureã reperies ſententiam aduerſus eos, qui non ſunt cõtenti voluptatibus, quas Deus & natura dederunt ex præſentia vxoris, & natorum, ibi, Romani.

Mulier iuſſa obedire marito, quærit excuſationes, quas floccifacit Chryſoſt. 26. in 1. Corint. paulò ante F. ibi, Nam Adam quoque culpam conferebat in mulierem. Ibidem monet maritos, vt non exaſperentur in coniuges. In fine eiuſdem reſoluit an ferenda ãnve verberanda mala vxor; an etiam ferendus vir moleſtus.

De eadem materia, homil. 15. ad Epheſios Mor. & homil. 32. in Matth. 29.

In prædicta 26. homil. in 1. Corinth. exemplum inſignis & mutui amoris coniugũ Abrahæ & Saræ, ibi, Animaduerte, quo pacto vterque decorem ſeruat. Item homil. 38. & 45. in Geneſim.

Secun-

Secundæ nuptiæ licitæ, quæ tamen habent aliquas accuſationes, homil. 2. ad Titum: Ibidem 4. homil. P. Homil. 32. in 19. Matth. operis imperfecti cautè legenda M. ibi, Nam ſecundum quidem. Obſcura eſt enim, aut de reliquo fœcium Arrianorum.

Ibidem de officio viri, quod eſt foris negotiari: & coniugis, quod eſt non ire ad bella.

Mariti eſt præeſſe, & docere coniugem: 5. in 2. Theſſal. F. ibi, Caput es. & ibi, Quomodo abſurdum non eſt.

Honorabile connubium dixit Paulus. Sed quomodo honorabiles nuptiæ, ſi tantopere impediũt, ne eant coniuges ad domini cœnam (vt in parabola dicitur) id eſt, ad vitam æternam; Ad hanc quæſtionem reſpondet Chryſoſtomus, 7. ad Heb. in F. Mor. & 10. in 2. ad Tim. Mor. F.

Vir non debet quærere, vt per mulierem diteſcat, 49. in Acta F. ibi, Pecunias quærens. Et infrà, Nil turpius viro, qui ſic vult ditari. Quæ vxor ſi deformis ſit, vel contingat, non eſt faſtidiẽda propter deformitatem, 20. homil. ad Epheſ. P. ibi, Et ſemetipſum tradidit pro ea.

In morali eiuſdem homiliæ, ſunt aliquot dogmata pro coniugum inſtitutione; vtpote quid ſibi mutuò dicere debent, vt conſeruetur mutuus amor.

Item de canticis impudicis fugiendis. De non ducenda vxore locupletiore viro. De faſtu deponendo illius mulieris, quæ ſe iactat de diuitijs, &c. De proprietate fugienda inter coniuges: vt ne liceat quidem dicere alteri, hoc meum eſt.

De officio mutuo coniugum, 10. ad Coloſſ. P. ma- maximè nota hanc ſententiam, Etenim qui amat eſſe ſubiectum, nullam habet difficultatem.

De veſtimentis coniugum licitis, 12. ad Coloſſ. M. ibi, Licet exhilarari veſtibus. & F. ibi, Quando es facturus nuptias, &c. Ibidem contra diſſolutiones quæ fiunt in diebus nuptiarum, & de ſcortis.

Paulò inferiùs nundinatores vocat eos, qui oſtẽtant filias, vt amentur ab aliquibus. Ibidem docet matrimonium eſſe ſacramentum.

Abſit auaritia à nubere volentibus, 12. ad Coloſ. Pecunias non quæras, non generis ſplendorem: ſed animi quæras pietatem.

Ibidem contra eos, qui vel ſcorta adducunt ad nuptias, vel ijs ſimiles lenones, aut turpia aut inhoneſta loquentes, ait ſic. Scorta verò vt quid adſunt? Quemadmodum enim quando ſeminatis, quando vinum ex torcularibus exhauritis, quæ vappam inducunt an non ſecernitis? Hîc verò, vbi ſeruanda eſt caſtitas, vappam inducitis. Quãdo vnguentum odoriferum componitis, nil quod fœtidum eſt adiungi ſinitis, &c. Vnguentum ſunt nuptiæ: quid ergo cœni fœtorem, dum vnguentum hoc paratur, inducis? Ibidem, vbi tibicines ſunt, numquam Chriſtus adeſt.

Maritis plerumque plurimum profuit admonitio vxoria: & vxores frequenter fuere maritis religioſiores. 60. in Ioan. M. F. Exempla varia ibidem huius paradoxi vide Dominicam 3. quadrag. De ſuperfluo vxorum veſtitu, vide rurſus 60. in Ioannem.

DE CEREMONIIS MATRIMONII.

CVr alicubi in die nuptiarum coronæ imponuntur capiti, homil. 9. in 1. Timoth. Moral.

De mutuo inter coniuges amore, 38. in Gen. F.

De modo contrahendi aut quærendi, homil. 48. in 24. cap. Geneſ. Hoſpitalis filius hoſpitalem quærat.

De tempore quo nubere debent, conſulit Chryſoſtomus vt nubant, antequam luxuriæ implicentur, homil. 9. in 1. ad Timoth. Mor. M. Ibidẽ cur corona imponitur coniugi die nuptiarum.

Matrimonio iuncti grauiùs peccant adulterantes, quàm alij, homil. 3. de verbis Eſaiæ.

Matrimonium, regimen regium, non democratia, 34. in 1. Corinth. 12.

VNCTIO EXTREMA.

Libro de ſacerdotio, libroque 1. de prouidentia

INDEX SENTENTIARVM ALIQVOT AVREARVM EX OPERIBVS

D. Ioannis Chryſoſtomi depromptarum pro præceptorum decalogi explanatione, & conſiliorum.

ET primò, de mandatis aut præceptis in genere. Quorum præceptorum rationem à Deo numquam licet exigere, homil. 2. ad Rom. Moral. 3. ad Hebræos Moral.

Quærunt nonnulli, Quid eſt quòd præcepta Deus dat his, quos peccatores nouerat? & ita videtur crimen imponere Deo, lib. 1. de prouidentia.

Sententia, Cùm feceritis hæc omnia, dicite, ſerui inutiles ſumus: exponitur homil. 10. de pœnitẽtia, ibi, Nam ſi de iuſtitia inflari iuſtitiæ ſit euacuatio, multò magis id in peccatis ſi contingat, maximam nobis iacturam inferet.

Quomodo duo iſta ſtare ſimul poſſunt, præcepta hominibus dari à Deo, & eſſe liberos? homil. de verbis Eſaiæ, Si volueritis, & audieritis ibi, Cur me Deus liberæ voluntatis fecit, qui legem mihi dedit?

Differentia inter Deum pręcepta dantem, & homines, 27. in Geneſ. 55.

Lux & nox non prætereunt mandatum, quod dedit eis Deus: quantò minus homo: 3. Gen. ibi, Nam ab initio.

Libro 1. de prouidentia, exemplo medici, docet non inquirendum à Deo cur hoc faciat, aut præcipiat. Et infrà ibi, Si enim omnium, &c.

Contra eos, qui excuſationem prætendunt, ſi non obſeruant mandata, dicentes ſe non poſſe, 28. in Acta F. ibi, Poſſumus, ſi volumus.

Contra etiam eos, qui dicunt, Tantum vnum mandatum tranſgredior, habes ſimilitudinem pulcherrimam paſſeris, 29. in Acta, F. ibi, Paſſer licet, &c.

Qui diligit proximum, diligit & Deum. Non vnum tantum mandatum ſeruandum, ſed ſingula & omnia, 4. ad Epheſ. Mor. 19. ad pop. F. ibi, Nec mihi dicas, Maiorem partem expediui, &c. Sæpius namque domus.

De dilectione proximi, 34. ad pop. M. ibi, Sunt igitur duæ optimæ viuendi viæ:

Non ſuperbire, ſi mandata omnia obſeruaueris, 38. ad populum, M. ibi, Ne te putes aliquid effeciſſe, etſi totum feceris. Tutus meritorum penus, meritorum obliuio, &c. Et ſicut cùm veſtes. homil. 10. de pœnitentia, ibi, Nam ſi de iuſtitia inflari, iuſtitiæ ſit euacuatio, &c.

Præcepta Dei facilia, non grauia, 65. ad pop. & 8. F. ibi, Deus iuſſit.

In præfatione decalogi dicitur, Ego Deus faciens miſericordiam in millia, &c. Vide totam homil. 3. de pœnitentia, in qua de copioſa Dei miſericordia agitur. homil. vlt. ad Philemonem, in M. quæritur ſi non repugnat bonitati diuinæ vindictam de peccatis ſumere, vt dicitur in præfatione decalogi.

In curioſè inquirentes, cur iſta, aut illa præcepe-

Digitized by Google

rit Deus, 16. ad populum P.ibi, Cum enim Deus prænuntiauerit,probationibus aut manifeſtationibus non eſt opus.

Lex Dei breuis,13.homil.ad pop.M.vbi exponitur hæc ſententia,Quæ vultis vt faciant vobis homines,hæc facite illis.

Nil impoſſibile in decalogo,2.ad Epheſ. Mor.

Deſideranda mandata ſuper mel & fauum, 22.in Geneſ.6.c.ibi,Igitur.

Differentia inter Deum præcipientem, & homines etiam mandata facientes,27.in Gen.

In præuaricatores Dei legis facit, quod lux & nox imperio Dei obedit, quantò magis deberent homines parere Deo?homil.3.in Gen.ibi,Nam ab initio.

Præcepta primæ tabulæ continentur in 2. tabulæ mandatorum obſeruatione:quoniam qui fuerit pius in homines,erit pius in Deum,7.in 1.ad Timotheum F.& Mor.

Ampliora quære in maiori tabula,& inuenies.

DE PRIMO PRÆCEPTO.

Contra eos qui primum mandatum præuaricantur confugiendo in anguſtijs ſuis ad incantatores, vide tom. 5. impreſſionis 1570. Oratione de aduerſa valetudine. Vide etiam quæ notata ſunt in tractatu de nouiſſimis,de ægritudine & morbo: & in euangelijs quadrageſimæ de Cananæa,& paralytico piſcinæ.

Species idololatriæ, obſeruatione dierum, aut ominari videndo monoculum,virginem,aut meretricem,21.ad populum.

Origo idololatriæ 66. ad populum M. ibi, Sic enim.

Gratiarum actio pertinet ad primum mandatũ: Vide Dominicam 4.quadrageſimæ, & 38. ad populum,quomodo gratiæ agendæ.

Vnde idololatria,homil.12.ad pop.M. ibi,Quomodo pulchritudo. Docet, quòd non ex pulchritudine creaturarum, ſed ex ſtultitia hominum, id proceſſit. Alioqui cælum & ſtellas pulchras tantùm adoraſſent: & non ſimias, canem, crocodilum,&c.

Timor Dei eſt materia primi mandati, & ſtimulus ad impletionem cæterorum mandatorum, 15. ad pop.P.

Superſtitionis & idololatriæ deteſtatio, 12. ad Epheſ.

Primum mandatum eſt honorare Deum. Verumtamen qui Deum honorat, magis ſeipſum quàm Deum honorat , vel ſibi prodeſt magis, 4. in 1.ad Timotheum,ibi, Itaque & ſi illum honoremus,&c.

De honore ſummo qui debetur Deo,de etiã alio honore qui debetur ſanctis,hom.26. vel 28.ad Hebræos Mor. Cæterùm vide de peccato ſuperbiæ pleraque alia,quæ in vulgari ſunt Indice.

Diliges dominum Deum tuum,39. in 2. Cor.13. Mor.P. De fructu & effectu dilectionis Dei, 14. in 2.Theſſal.M.41.in Acta M. ibi,Nil æquale charitati.

Contra eos, qui transgrediũtur mandatum primum,confugiendo ad augures & præſtigiatores,& excuſari prætendũt, quoniam ipſi futura prænunciãt,8.in 2.ad Ti.Mor.vel quia nihil de Deo loquũtur,21.ad pop.F.ibi,Propterea namq; magis ipſos.

De honore,qui Deo debetur à ſanctis, hom.28. ad Hebræos Mor.

Pleraque alia, ad omnia mandata ſpectantia, quære in vulgari & magno Indice,& inuenies.

DE SECVNDO PRÆCEPTO.

Pro deteſtando fugandoque crimine iurãdi aut periurij, vide fines multarum homiliarum ad populum:maximè verò ſeptimæ,in fine,ibi, Quod quidem, &c. Nam exemplo illius qui continuò vtrumque humerum mouebat,qui & prauam conſuetudinem perdidit,cùm iuxta humeros poneretur gladij acuti:docet quòd tandem ceſſabunt iurare illi,quibus præ oculis poneretur diuini iudicij horror. Reſpondet etiam his cui dicunt, iuro quidem,ſed vt verior appaream, vel cogit me iſte & ille.homil.9.13.& 14.ibi,Nec enim hoc ſolùm mali habet iuramentum. Et paulò inferiùs,ſimilitudine puerorum deteſtatur iuramentum.ibi, Sicut enim pueri. Et homil. 15.F. ex Zacharia 5.capite.Et inuectiua eſt in eos qui alios iurare cogunt, 19. de pœna iurantium,vbi repetitur Zachariæ viſio voluminis.

De pœna iurantium 19. ad populorum M. & 26. vbi docet quòd olim apud Iudæos tam venerandum erat nomen domini, quòd in laminis ſcribebatur. Ibidem,in eos qui aiunt, Ideo credo iſti,quia iurat.

Cur non omnes iurantes nunc puniantur, vt minatus eſt dominus per Zachariam 5. 27. ad populum. Ibidem exponitur ſententia Eccleſ.23.Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo.

Vide etiam 28.vbi eſt remedium contra conſuetudinem iurandi P.

Homil.4.ad baptizandos,tom.5. de iuramento. ibi,Nam hoc peccatum. Ibidem dicit hoc præceptum eſſe,pro reformatione linguæ.

Pro qua reformatione linguæ, deprecandum & dicendum cum Dauide, Pone Domine cuſtodiam ori meo. Vide Chryſoſtomum in eundem pſal,140.

DE TERTIO.

De ſanctificatione Sabbathi.

Sub quo etiam contineri poteſt mandatum Eccleſiæ, de feſtiuitatibus ſanctorum: de quarum feſtiuitatum vtilitate.homil.in 1.Cor.10.Nolo vos ignorare. quæ eſt in fine homiliarum in epiſtolas ad Corinthios 6.& incipit,Nautæ.homil. de Iuuentino & Maximo Martyribus,tom.5.

Diebus Dominicis ſolent præſtigiatores oſtentare multa , erga quos liberaliſſimi ſunt plures: quod deteſtatur Chryſoſtomus 37. ad populum.

Homil.2.de compunctione cordis.fit mentio diei Dominicæ:quæ locutio eſt eccleſiæ loco Sabbathi. Ibidem ſimilitudine perpulchra docet, cur noctem aptauit quieti,& diem operi.

An peccatum ſit die feſto videre equos currentes,aut ludis intereſſe,hom.6.in Geneſ.& 7.

Homil.27, ad pop. P. Si qui in Sabbatho ligna colligens lapidabatur. Qui peccatorum ſarcinam colliget,quid ſuſtinebit?

De abuſibus,qui fiunt diebus feſtorum, vide 5. in Act.M.F.

DE QVARTO.

De honore parentum.

Sub quo parentum honore,etiam comprehenditur honor principibus, tum tẽporalibus tum ſpiritualibus,debitus.Si de honore regibus debito quæſtio occurrit:vide homil.in id Rom.16. Salutate Priſcam & Aquilam. 3. ad Coloſſenſes F. Si de carnalibus parentibus, vide 26. in 1.Cor.P.

Patres& parẽtes peccãt,cũ ſe excuſant ab eleemoſynis,vt ditẽt filios,aut cũ pro eis ſuperfluè ędificãt.68.ad pop.F. Cõtrà verò laudatur Iob hom. qui nõ dixit,Emã eis principatum;ſed omniũ regẽ reddam eis propitium.Ibidem quales opes filijs debet pater parare M.ibi,Hæ magna ſunt opes.

De parentum officio erga natos, hom.5.in Theſ. ibi, Ad honeſtam vitam: vbi docet, vt cùm tempus fuerit, parentes filios ſuos nuptui tradant. lib.3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ, vbi agitur de Heli indulgentiore nimis, qui verberare filios etiam debuit, 21. ad Epheſ. F.

Neque tamen puer maledicere debet patri, etiã ſi ſeuerus & auſterus: orat.5. aduerſus Iudæos. ibi, Nam & naturæ leges, &c.

De honore parentum 13. in 1. ad Timotheum M. ibi, Si qua autem vidua. 21. de Abſalone perſequente patrem in pſal.3. Magni meriti eſt edocere pueros. 97. ad Timoth. Mor.

Vide tabulam quadrageſimæ, ibi, Qui dixerit patri & matri munus &c. Matth.15. feria 4. poſt tertiam Dominicam.

Qualiter autem pueri edocendi, vide 2. in 2. ad Theſſal. F. ibi, Proinde & obſecro, &c.

Et hom. 21. ad Epheſ.6. P. F. vbi docet quòd pater debet protius & prius facere filium philoſophum, quàm rhetorem: id eſt, potius benefacere, quàm bene loqui F. ibi, Ne ſtudium ponas vt eum facias oratorem, ſed erudi vt ſit philoſophus. Ibidẽ de mercede, quam pater conſequetur bene erudiendo filium M. Si enim.

De exhæredationis occaſione, 22. ad Epheſios in fine Mor.

Non maledicas patri, etiam ſi ſit ſeuerus flagellator. Oratione 5. contra Iudæos, ibi, Nam & naturæ leges, &c.

Filius debet ſupportare etiam patris imperfectiones, 2. in 2. ad Timoth. Mor. F. Patrem qui habet 14. in 1. ad Timoth. 10. Domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris.

De Abſalone filio perſequente patrem, & maledicente eidem. in pſal. 3. homilia ſanè locupletiſſima.

Magnum meritum habet pater filios édocens, 9. in 1. ad Tim. Mor. P. Contra verò eis indulgere magnum demeritum, ibi, Vis filium relinquere diuitem, &c.

Homilia 30. in Acta F. ibi, Et idem fit ac ſi pater: vocat patres proditores, non patres, qui filijs tantũ emunt quæ oblectant, nec eos obiurgare audent. Hom.2. in Ioannem arguit parentes, qui pueros ad ſpectacula, non ad concionem ducunt P. ibi, Nec mihi quiſpiam dicat.

DE QVINTO.

Non occides.

INter quæſtiones, quæ de homicidij materia oriri poſſunt, eſt, An verberanda vxor mala, an ve ferenda? De qua quæſtione 15. ad Epheſ. Mor. 32. in Matth. 19. 26. in 1. Cor. F.

Differentia inter præceptum, Non occides, & Sabbathum ſanctifices. 12. ad pop. M. Ibidem Chryſoſtomus ait, Sabbathum nunc ſolutum: quod intellige quantum ad ea quæ ipſo die fiebant in cultu Dei. Nam alijs ſacrificijs hodie colitur Deus.

Occiſio innocentis, imò oblatio infantis, prohibita, & homicidium eſt. 4. ad populum.

Neque racham fratri dicendum, quod minus eſt quàm occidere. Nam non tantum peccata fugere decet, ſed media ad ipſa. 15. ad populum F. ibi, Hoc maximè. Vide feriam Dominicæ 2. quadrag.

Vt horrerent homicidium impij, lex ordinauit vt abſtinerent à ſuffocato & ſanguine. 27. in Gen. ibi, Quid ergo.

Deteſtatio periurij & homicidij, homil. de Abſalone.

Deteſtatio iracundiæ, 31. in Acta, & remedia cõtra eandem M. F. Reſpondet etiam excuſantibus ſe de ira. Vide infrà in Indice de peccato Iræ.

DE SEXTO.

Non mœchaberis.

VIde quæ in tractatu de peccatis ſcripta ſunt de luxuria, & 2. ad Rom. in Morali; vbi agitur de remedijs contra adulterium aut periurium. Vide etiam tractatum de matrimonio.

Contra eos qui iocantur & rident, quòd ex adulterio natos habent. 24. ad Rom. M. de grauitate criminum, quæ committunt meretrices, & illarum amatores.

Homil. 14. ad pop. deteſtatur peccatum adulterij aut fornicationis: eo quòd per ipſum diabolus vincere in bellis facit, quos armis non poteſt, M. ibi, Nec enim ex corporis infirmitate, 15. ad populum.

Sermone aduerſus concubinarios, in eos qui nubere nolunt, ſed deliciari: Doctrina ibi eſt pro eis, qui cum ſanctimonialibus frequenter verſantur.

De vindicta in adulteros, homil. 3. in id, Elatum cor Oziæ. Ibidem differentia ponitur inter furem & adulterum in fine tom. 1. ibidem exponitur, Qui viderit mulierem, mœchatus eſt, &c.

Arbitrantur nonnullæ fœminæ ſe exemptas à crimine adulterij, quòd non dormierint cum viris. Sed homilia, Quod regulares fœminæ viris cohabitent, oſtendit, quòd grauiter peccant, quæ ſuis aſpectibus viros ad adulterium cum alijs patrandum incitant, P. ibi, Tu gladium, & ibi, Iudices non tantùm qui bibunt mortifera, ſed qui parant, damnant. In huiuſmodi fatuas virgines, tanto cum zelo clamat, quòd dicit eas viuas cum viris ſepeliendas.

Remedium contra aſpectum impudicum mulieris, to.5. oratione de pulchritudine & vxore, hom. 5. in 1. Theſſ. ibi, Adulterum enim eſt, &c. hom.3. ad Titum F. Si vxor propriè.

In adulteros maritos, relinquentes proprias coniuges, & alijs adhærentes, 14. ad pop. ibi, Quid derelinquis adiutricem, & quæris inſidiatricem?

DE SEPTIMO.

Non furtum facies.

DE pio furto & laudabili rapina, 40. in 1. Cor. 10. 15. F. ibi, Rapiamus ergo ea quæ non conſumuntur.

Excuſatio vana eorum, qui dicũt, Nil aut parum furatus ſum, 49. ad pop. P. ibi, Rapere ſiue in argento, ſiue in auro.

Reliqua in vulgari habes Indice, De furto aut Auaritia.

DE OCTAVO.

Non dices falſum teſtimonium.

14. ad Epheſ. Mor. dehortatio eſt à falſitate, à dolo, à mendacio.

Vide tabulam vulgarem, tum pro hoc octauo, pro nono, & decimo, præceptis. In quibus de concupiſcentia perſonarum, & rerum alienarum fit prohibitio & mandatum.

Index de votis: & primo de votis in generali.

SVnt nonnulli, quos pœnitet vouiſſe monachiſmum, cùm ad perfectionis plenitudinem pertingere non poſſunt, quam multi alij poſſunt, vt qui euadunt doctiſſimi, & alios docent. De quibus dixiſſe videtur Daniel, Qui ad iuſtitiam erudiunt,

erunt

A erunt quaſi ſtellæ, &c. Sed huiuſmodi con'olatur Chryſoſtomus epiſtola ad Theodorum lapſum, dicens in fine ibi, Vbi aſſurgere ad ordinem ſolis nõ datur, ne contempſerimus aſtrorum cætum.

Varietas ſtatuum in eccleſia vtilis, 30. in 1. Cor. paulò ante finem.

De ætate congrua pro ingreſſu ad vitam monaſticam, lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ. Loquitur autem de decem annis, & conſulit magis in iuuentute quàm in ſenio vouendum. Ibidem exemplum perpulchrum cuiuſdam mulieris retrahere volentis filium ne eſſet miles, ſed monachus fieret.

Si quis poſtquam vouerit relinquere omnia, poſtea vexatur à dæmone, & dicat: Cur vexor hîc à dæmone, qui promiſſionẽ habeo à Deo, quòd relinquens omnia, vitam æternam poſſidebo? Reſponſionẽ inueniet, in lib. 1. de prouidentia. Qui liber deſtinatus eſt cuidam afflicto monacho Stargirio P.M.F. Maximè M. ibi, Quid eſt quod te perturbat, B &c. Item eodem lib. diabolus odio habet monachum, &c.

Vitæ contemplatiuæ fructus, lib. 2. de compunctione cordis, ibi, Ita debet amari Chriſtus. vſque, Nam apud homines & tom. 5. hom. Quod diſpenſatio rerum, &c. Laudat vtrumque ſtatum. ibi, Diuerſæ ad virtutem viæ.

De ingreſſu ad monaſterium, quantum ſit vtile & pulchrum vitam ducere monaſticam, tom. 5. ho. Quòd diſpenſatio rerum. ibi, Ad monaſterium. &c. Ibidem varijs argumentis probat vitam monaſticam, vitam eſſe angelicam. ibi, Hi proculdubio. ibidem ſimilitudine margaritæ laudat vtrumque ſtatum.

Laus vitæ monaſticæ, 14. in 1. Timoth. Mor. ibi, Verè domus luctus monaſteria ſunt. Quaſi de terra ad cælum itur, cùm de domibus proprijs ad cuiuſlibet viri monaſterium proficiſcitur.

C Differentia inter votum & præceptum, homil. 1. ad Titum M. Nam quæ agenda ſunt, alia ſunt in naturæ poteſtate, alia non. Quæ Chryſoſtomi verba intelligenda ſunt de his quæ nondum ſunt voto firmata.

Pueri etiam ad vota inducendi, homil. de educatione Samuelis. ibi, A mamma matris venit ad mammam ſpiritualem.

Non tantùm cauendum vouentibus, dum iuuenes ſunt, ſed dum ſeneſcunt, & iam perfectè religioſi ſunt. Inſidiatur enim dæmon perfectis, hom. 3. de verbo Ezechiæ, Elatum eſt cor. ibi in fine, Ne corrumpas.

Pro exhortatione ad perſeuerantiam in promiſſis, vide 12. ad Philip. P. ibi, Nam & curſor non quot ſpatia confecerit, cogitat, ſed quot adhuc reſtent.

D Votorum ac fœderum contemptores & deſtructores, qua pœna digni ſint, per ænigma oſtendit, 19. ad pop. aut ex textu Ezechielis.

Quantum bonum habitare fratres in vnum, 51. ad populum P.

Vitæ monaſticæ laus 56. ad popul. Non in hoc quòd pulchris ornantur veſtibus. Ibidem, operabantur tum manibus monachi, ſed vt prouentum ex labore manuum pauperibus impartirentur.

An vita monaſtica præſtantior ſit regia, tom. 5. libello de comparatione regis & monachi: in fine cuius docet, quòd reges quaſi mendicantes ad monachos confugiunt, vocatque eos, communes terræ ſeruatores. In 2. lib. P. docet, quòd murmurare aut detrahere de ſtatu vitæ monaſticæ, ſignum eſt quod omnia corrupta ſunt.

Argumenta omnia, quæ carnales & mundani parentes faciunt, cùm indignantur, ſi eorum filij ingrediuntur monaſterium, ſoluuntur in 2. lib. cõtra vituperatores vitæ monaſticæ paulò poſt principiũ, ibi, Lamentatur pater, & dicit: Filiũ ego genui, qui baculus iam non poteſt eſſe, nec me honorat. hinc querelæ. Ibidem reſpondetur, & lib. 3. M. ibi, Quid ergo ijs, qui dicunt. Si omnes philoſophiæ aut vitæ monaſticæ dediti fuerint, omnia peribunt & corrumpentur. Reſpondet & ijs qui dicunt, Vellem filium quidem meum monachum fieri: ſed timeo ne apoſtatet, vt multi fecerunt, &c.

Ibidem, ſi pueri illiterati debent recipi, an ve expectanda media ætas. Docet etiam, quòd prius erudiendi in moribus, quàm ſcientia, ibi, Ne virtutis deſtruamus beneficium. Anima, (ait) ſi pudica & ſobria, nullo ex loquendi imperitia afficietur detrimento: nequitia, ſi cum dicendi facultate fuerit coniuncta, operabitur deteriora.

De conſilijs & votis operibuſq́; ſupererogationis in ſpeciali.

DE PAVPERTATE.

DVpliciter poteſt conſiderari paupertas. Primo modo ſine voto: ſecundo, cum voto. De vtroque modo in hoc Indice fit mentio.

Facilius viuere in paupertate, quàm in diuitijs, homil. 6. ad Titum in Mor. M. F. ibi, Namque & difficilius diues modeſtus erit, 2. ad Philip. Mor. 21. ad popul. M. ibi, Ne magnum igitur, & 13. in 2. Cor. Moral.

Paulus pauperem egit. Nam 1. Cor. 9. noluit ſibi aliquid dari: licet Philipp. gaudeat ſibi aliquid dari. Quos locos conciliat Chryſoſtomus 15. ad Philip. M. ibi, Quæ fierit autem hîc quiſquam.

In pauperiem qui decidunt(voto vel fortuna) clariores euadent, ſicut qui in fornacem Danielis deſcenderunt, 23. ad popul. F. ibi, Ne igitur horreſcamus.

Vita ſolitaria(& pauper) melior eſt, quàm in media ciuitate morari, 45. ad pop. P.

Meum & tuum infinitorum eſt cauſa bellorum. Sed hoc verbum, in monachis eliminatum eſt, oratione de beato Philogonio, tom. 5. vbi vocat monachos Epiſcoporum opitulatores, 28. ad pop. Ne autem videretur, laudibus efferens ſtatum monachorum, velle abijcere alios ſtatus, quaſi illis præcluſa ſalutis via, ibidem dixit, Multæ ſunt virtutis ſemitæ, ſicut multæ margaritarum differentiæ.

Non eſt pauper qui nil habet, ſed qui nulla concupiſcit, 65. ad pop. M. F.

Merces magna paupertatem vouentibus, & ſua relinquentibus, hom. 7. ad Rom. Mor.

Quòd paupertas voluntaria nihil prodeſt ſine charitate, 32. in 1. Cor. 13. M. ibi, Sed tamen hanc rem admirabilem, &c.

Pauperem ſuperbum deteſtatur dominus. Itaque monachus pauper debet eſſe humilis, 73. in Matthæum oper. perfect.

Omnia inter fratres communia, 7. de pœnitẽtia. ibi, Tu verò ô homo, &c. Et homil. 8. de pœnitentia, de mendicitate fit mentio, ibi, Sic de mendicitate, &c.

Viuere ſine ſumptu vocat mendicitatem, ad differentiam eius qui eſt cum poteſtate, & rigore petere quod debetur.

Hom. 2. ad popul. Validum telum inopia, & inexpugnabile habitaculum.

Si quiſpiam pigritetur vouere paupertatem, dicatque quòd diuitiæ honorem pariunt: huic reſpondendum cum Chryſoſtomo homil. quòd nemo læditur poſt M. ibi, Sed honores, &c. vſque, pro his videntur expetendæ, vt pateat via ad interitum.

Ibidem, ſi dicatur, quòd paupertas, blaſphemare facit homines: reſponſio prompta eſt, Non paupertas hoc, ſed puſillanimitas facit.

Digitized by Google

Apoſtoli pauperes & mendicantes, ad Gal.6.ibi, Communicet autem,&c.

Votum paupertatis, ſacrificium quoddam eſt, & holocauſtum,11.ad Hebr.Mor. M. In cuius homiliæ fine,commendat eos,qui pauperibus monachis eleēmoſynas dant.

Paupertas non impedit veritatis prædicationē. Nam homil.54. in Acta docet Chryſoſtomus,pauperes eſſe ſapientiores diuitibus F. Vide etiam 18. in Epiſtolam ad Hebr.Moral. Et tractatum de diſciplina eccleſiaſtica, & 17.ad populum Antioch. M. ibi, Monachi verò pauperibus. Et ibidem de monachorum officijs diſſeritur:nimirū quid agere debent,dum ſeditiones in ciuitatibus oriūtur.Orare ſcilicet pro afflictis, & intercedere pro reis, vt fecerunt illi monachi,de quibus ſupra, 17.ad populum. Vide homil.in id.Rom.16. Salutate Priſcam & Aquilam M.ibi,Quot diuites erant tempore Herodis.

Dare omnia ſua, & viuere vnanimiter, & in communi,eſt reſpublica angelica, homil.7.in Act. M.F. ibidem fructum paupertatis docet, quoniam hinc eſt quod tam facilè conuerſi ſunt vna die mille & ſupra.

Si quis vouerit paupertatem aut mendicitatem, & pœniteat eum vouiſſe, dicens: Vereor tranſire ad aliorum fores, & ad illorum reſpicere manus: Reſponſio in 17.hom.in 2.Cor.8. Moral.

Charitatis præcepta inter monachos non poſſunt verè ſeruari cum proprietate bonorum,hom. in dictum Pauli,Oportet hæreſes eſſe.

Ad culmen laudis voti paupertatis facere poteſt,quòd ideo Deus voluit dici Deus Abraham & Iacob,eo quòd terrena non curabant,pſal.113.

Paupertatis ſocia eſt humilitas:& monſtruoſa res eſt,videre monachum ſuperbum.

Quis enim quæſo,(ait Chryſoſtomus 58. ad populum)terram fodiens,aut ſaccum texens, altum ſapiet?Non tamen diuites excuſationem habent, ſi altum ſapiunt: quoniam Abraham dixit, Ego ſum cinis & terra,63.ad pcpulum.

De continentia & caſtitatis voto,& pertinentibus ad ipſum.

Monialibus & virginitatem profeſſis turpe eſt ſuperfluè veſtiri. 8. in 1. ad Timoth. Mor. ibi, Enim verò: & ibi M. Chriſtum habes ſponſum, quid amatores poſt te homines trahis?

Ex eodem loco probatur profeſſio virginitatis. Item ibidem, Simplicem eſſe, neque accuratè cōpoſitam virginem decet, negligentiæque potiùs, quàm eiuſmodi curæ notari.

De continentiæ laudibus 23. ad Epheſ. P. Quo ei loco ſciri poteſt, cur tam diligenter curatur in monaſterijs vt habeant zonam: vt ſcilicet ſignificetur,quòd continentia eſt fundamentum aliarum virtutum requiſitarum in monacho.

Ibidem in fine Mor.laudat heremum habitātes, qui figurati olim in caſtris.ibi, Habemus quique caſtra.

De fatuis virginibus 22.ad populum, ibi, Stultæ ſunt inuentæ:propterea quòd ſeruato magno virginitatis munere, mandatum humilitatis paruum non cuſtodierunt.Debent autem virgines eſſe humiles,38.ad populum P.

Exhortatio pro virginitatis cuſtodia 22. ad populum in fine:vbi admonetur virgo frequenter dicere,Cuſtodi me domine, vt pupillam oculi.

Virgo ſit humilis. 37.& 38. ad pop.vbi exponetur Chriſti ſententia.Qui poteſt capere capiat: declaraturq; cur dominus non dixit, Niſi quis virginitatem ſeruauerit,in eum animaduertam.

Votum virginitatis probatur,homil.8.de pœnitentia. Ibidem deflet virgines,quæ eijciūtur à porta paradiſi, quòd non habeant opus eleemoſynæ aut charitatis cum virginitate.ibi, Erubeſco.

Semper virginitas cū coniugio cōparata,primas partes tenuit,hom.quòd regulares fœminæ,&c.

Ibidem in eos, qui minus honeſtam cum Deo ſacratis virginibus familiaritatem habent.

Stimulus ad obſeruationem continentiæ, merces promiſſa,35.in Gen.F.

Tom.4.ho.de libello repudij, agit de perpetuo voto virginitatis: & mercede virginū in alia vita.

De virginitatis encomijs, tom.5. impreſſionis 1570.& hom.12.& 13.in 1.ad Timoth.ibi,Quemadmodum enim virginem,&c. Quæ requiruntur ad perfectionem virginis.

Si perſuadere vis vouenti caſtitatem, ſpem eſſe vel fore victoriæ cum concupiſcentijs, da ſimile quod eſt in medio moralis 22.ad Epheſios,ibi,Tunc præclara eſt victoria,quando hinc excellerimus.

Votum continentiæ factum non ſeruare, ſed mutare,adulterij crimen eſt incurrere. Epiſtola ad Theodorum monachum M.ibi, Sed te ſeruare iam non conuenit.

Quid eſt,quod demolitur & deſtruit virginitatis ſtatum venerabilem, & efficit vt tandem triſtem vocem audiant, Neſcio vos? homil.4. de pœnitentia.

De virginitate habes multa in fine,tom. 5. homil.de virginitate, quæ numquam fuerāt impreſſa,niſi 1570.

Quæ elegit virginitatem,& poſtea nubere vult, peccat,18.in 1.Cor.F.

Epiſcopus cuſtodiam virginum habeat,3.lib. de ſacerdotio.

De filijs Deo conſecratis parentes debent habere curam,maximè qui per vota ſacrantur:vt docet Chryſoſtomus,hom.de Anna & Samuelis educatione,ibi,Sedit & lactauit Samuelem.Et ſicut vaſa aurea oblata Deo,non amplius tangimus,ſic nec parentes debent filios Deo conſecratos.

Poteſt dicta homilia eſſe doctrina pro præpoſitis monaſteriorum,vt curam habeant filiorum conſecratorum Deo,Item homil.2.ibi,Tranſplantauit virginitatis votum, quando introduct &c.in pſal. 113.ante F.

Hom.1.de compunctione cordis,exponitur ſententia,Intrate per anguſtam portam. Et inuectiua eſt in monachos rebelles,quique quietam & viam latam diligunt.

DE OBEDIENTIA.

Vide in vulgari & magno Indice.

DE SYMBOLO APOSTOLORVM.

Primò de fide, de qua plurima in vulgari Indice: ſed ſingulariùs conſiderāda ſunt ſequētia.

Credenda ſunt, quæ à Dei ore procedunt, non diſcutienda,1.in 1.ad Timoth.Mor.

Pythagoræ tempore in templis ſupernè ſcriptum erat Silentium,continebatque digito os, & labia comprimebat, prætereuntes omnes ſilentij admonens.

Qui addiſcere cupit, obtemperare debet, non corrixari: credere, non ratiocinari: & ita omnia pernicioſa dogmata eliminabimus.

Fides ſcutum dicitur meritò, & ipſa debet eſſe integra,24.ad Epheſ.M.& 23.

Fidelis quidem dicitur,qui credit in Deum:ſed& fidelis dicitur,cui Deus concredidit ſecreta ſua.21. ad populum P.ibi, Fidelis.

Ex vno articulo fidei,paulatim ad fidē alterius deuenitur,5.ad Col.F.ibi, Queādmodū enim in ſcala.

Cauenda in fide,diſſimulatio, nec excuſatio valet,ſi dicas quòd in tempore tantùm diſſimulare vis.ad Gal.in id,Volunt ſubuertere.

Digitized by Google

Fidei definitio, tom,4.hom. de fide, ſpe, & charitate. Fides ſine operibus mortua, lib.1.contra vituperatores vitæ monaſticæ.

Nil deterius quàm ratione humana velle res diuinas diſcernere,2.in 2.ad Timoth.P.

Fides ſine operibus quomodo ſtet, lib.de fide & lege naturæ: vbi exponitur pſalmi ſententia, Ego ſicut oliua fructifera: Ibidem eſt propoſitio, quæ prudenter intelligenda eſt, ſcilicet, Sola fides ad ſalutem ſufficit. De qua vide in tractatu locorum ambiguorum.

CREDO IN DEVM, CREATOREM CÆLI ET TERRÆ.

NOn tantùm creator, ſed prudens prouiſor & gubernator, non tamen fato, 1. in 1. ad Timoth. De cuius prouidentia vide Dominicam 4. quadrageſimæ. Et homil.19.ad Epheſ.inuectiua eſt contra negantes prouidentiam.

Eſt certè ſolus creator Deus: ſed aliquam poteſtatem creandi hominibus datam, lucidè docet Chryſoſtomus 55.ad populum P.ibi, Fecit cælum & terram.

Summa pro Chriſtiano conſolatio eſt, conſiderare quòd propter eum creauit omnia. homil. 7. ad populum P. Vide etiam homil.9.11.& 12. in quibus diuina ſapientia deſcribitur, quæ in creatione creaturarũ,& ornatu patefit, maximè 12.ibi, Vnus quidem terræ venter.

ET IN IESVM FILIVM EIVS VNICVM, DOMINVM NOSTRVM.

TOmo 5.homil. quòd Chriſtus eſt Deus, pluribus argumentis & locis monſtrat, Chriſtum eſſe Deum & dominum.

NATVS DE MARIA VIRGINE.

FIgura huius articuli, hom.7.in 1.Cor. ibi, Spiritualibus ſpiritualia comparantes.

Hom.de Symbolo, ibi, Credulitas noſtra, in M. reſpondet ijs qui quærunt, quomodo natus de virgine. Et infrà. Hoc credo Deum facere, quos nos cogitatione inueſtigare non poſſumus.

PASSVS SVB PONTIO PILATO.

CHaritas Chriſti magna in paſſione, 7. M.in 1. Timoth. Vide in fine quadrageſimæ de paſſione.

Compati Chriſto oportet, 13. ad Philipp.P. ibi, Dominus tuus clauis confixus eſt, & tu deliciaris.

De paſſionis effectu homil. 3. & 6. ad Coloſſ. P. Cur palàm moritur, & ſecretò reſurgit. Idem ad Coloſſ.6.M.ibi, Nam quoniam totum.

DESCENDIT AD INFERNA.

SErmone 2. de Symbolo loquitur de hoc articulo Chryſoſtomus, qui tamen in primo nihil, de eodem licet in alijs omnibus.

INDE VENTVRVS IVDICARE.

HOmil.13.& 15. ad populum P. timor gehennæ multum prodeſt, & adfert coronam, ibi, Quid gehenna grauius. Et homil. 5. ad Rom. Mor.

Dies iudicij terribilis, 8.in 1.Theſſal.M.

Lib.1.de compũctione cordis, reſoluta ſunt omnia religionis noſtræ dogmata, ſi terroris gratia, & non pro veritate ſupplicia promittuntur. Contra eos, qui dicunt articulum hunc ad terrorem tantùm promulgatum.

Lib.2.de compunctione cordis dicit Chryſoſtomus, pſalmum, Domine ne in furore, compoſitum in memoriam iudicij futuri. Nam titulum ei dedit pro octaua, quaſi dicat, pro alio futuro mundo: ad differentiam mundi præſentis, qui ſeptem diebus conſtat. Volebat autem idem Dauid fieri iudiciorum memor ſemper. hinc, Iudicia tua non ſum oblitus.

Tom.5.hom. de præmijs ſanctorum, teſtimonio etiam dæmonum oſtenditur iudicium futurum.

Vide de iudicio feriam 2. Dominicæ primæ quadrageſimæ, & 2.homiliam ad Coloſſ. in eos qui gehennam negant.

Inde venturus Ieſus, & quidem iuſtus. Sed quomodo iuſtus eſt, cùm in hoc mundo æqualia agentes non patiuntur æquales pœnas? 49.& 29.ad populũ F.ibi, Nam quid cenſebit, vbi de Ananiæ morte agitur? 46. ad pop. contra negantem fore iudicium, 67.ad popul. Non deſinit eſſe iuſtus iudex, etiamſi mali proſperentur.

Marcioniſtæ negabant iudicium, & dicebant, quòd Deus declararet ſe bonum, ſi peccatorum rationem non exigeret. Quibus reſpondet Chryſoſtomus hom.50.ad popul. F. vbi vocat ineptam bonitatem ſemper parcere.

Et 55.contra eos, qui dicunt, verba de iudicio futuro, minas tantum eſſe.

Rectiùs agebant monachi illi, de quibus 57.ad pop. qui diei iudicij ſemper tempore prandij faciebat mentionem.

Cur nunc non punit ſemper, & de horrore iudicij, hom.9.in 2.Cor.& 10.lib.3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ, Si iuſtus iudex, cur patres, qui peccant, nunc non puniuntur?

CREDO IN SPIRITVM SANCTVM.

DE nominibus Spiritus ſancti, homil.2. de Spiritu ſancto.

De donis Spiritus ſancti, & cur olim datæ prophetæ, oratione 2.contra Iudæos.

Quidam ſic coniungunt duos articulos, Credo in Spiritum ſanctum, gubernantem ſanctam Eccleſiam viuificantem. A quorum ſententia non lõgè recedit Chryſoſtomus in fine 1. homil. de Symbolo: ibi, Ergo iſte Spiritus ſanctus perducit ad ſanctam Eccleſiam. Non ſequitur tamen non eſſe duos articulos, licet depẽdeat vnus ab alio: vt noſtra reſurrectio à Chriſti reſurrectione.

CREDO ECCLESIAM CATHOLICAM.

VIde Sabbath.cinerum, & hom. 10.in 1.ad Timoth. Eccleſia vocatur domus.

Non à multitudine notatur aut diſtinguitur vera Eccleſia à falſa: ſed à probitate & ſanctitate, quę eſt in multitude ſiue parua ſiue magna, 26. ad populum M.ibi, Opto igitur & volo,&c.& 28.ibi, Melius eſt cum duobus,& 40.M.ibi, Hoc dico, ne quis Eccleſiam propter multitudinem admiretur. Et 42. ad pop. Vbi Chriſtus eſt, ibi magna multitudo, 6.in 1.Cor.Mor.

De notis Eccleſiæ, vide hom.49. in Matth. operis imperfecti: ſed ſimul obſerua annotationem Sixti Senenſis in eundem locum lib.6.Bibliothecę annot.104. Quandoquidem quæ in prædicta homilia ſcripta ſunt, non videntur ſincerè ſatis dicta: Cautè ergo legenda.

Romana dicitur, eo quòd præcipui Apoſtoli Romæ fuerunt, & Romam decorarunt, 33. ad Rom. Mor.

Eccleſia inuincibilis, homil. Quòd Chriſtus eſt Deus.ibi, Vides quòd quæcumque.

Eccleſia comparatur arcæ Noe, Sermone primo de Spiritu ſancto: 3. de pœnitentia P. diſſimile.

Digitized by Google

Si Eccleſia ſancta & pulchra, cur decolorata & nigra in Canticis dicitur? homil. de turture tom. 5. M. ibi, Turtur.

De fortitudine Eccleſiæ, vide hom. 11. cùm ageretur de expulſione Chryſoſtomi, tom. 5.

REMISSIONEM PECCATORVM.

NVllum peccatum irremiſſibile, 40. ad pop. P. ibi, Sed nullum animæ vulnus incurabile. Et F. contra deſperantes agit: 23. in prim. Cor. M. ibi, Talis non medicus: epiſtola ad Theodorum lapſum: 18. ad Rom. Mor: 8. prim. Cor. M. ibi, Nemo deſperet.

CARNIS RESVRRECTIONEM.

LEgit Chryſoſtomus, Credo in carnis reſurrectionem, 17. in 1. Cor. & 40. in 1. Cor. 15. 44. in Ioannem F.

VITAM ÆTERNAM.

SVb hoc articula continetur, Credo ſupplicium impijs æternum paratum vel ignem: de quo igne æterno 23. ad populum F.

Luctus nimius Chriſtiani impedit, ne Gentilis credat vitam æternam, 69. ad popul. P. F. Idem impedit ædificiorum ſuperflua ſtructura. homil. 12. in Matthæum.

De vita æterna, aut pœnis æternis, epiſtola ad Theodorum lapſum M. & 31. ad Rom. Mor. vbi de inæquali pœna inferni, &c. Et hom. 7. in 1. Cor. F. contra eos qui hæſitarunt de promiſſione vitæ æternæ. Item hom. 9. in 1. Cor. quæritur an iuſtum ſit ſupplicium ſine fine P. 9. in 2. Cor.

De requie & vita beatorum, hom. 5. ad Hebræos Mor.

Non credunt vitam æternam, qui cruciant ſe in colligendis opibus: coniungentes agrum agro, 22. in Geneſim F.

Vitam æternam aut aliam poſt præſentem vitã probat Chryſoſtomus, hom. 4. in Iob F. vbi quærit, cur iumenta Deus reddidit in duplum ipſi Iob, & filios in ſimplum: vt ſignificet, quòd qui mortui ſunt, non perierunt.

ADMONITIO AVT PRÆFATIVNCVLA PRO INDICE ſequenti.

De modernarum hæreſeon confutatione, & traditionum confirmatione.

NE Mireris (amice lector) ſi pauca admodum hauſimus ex fonte Chryſoſtomi pro hæreſeon confutatione modernarum Nam cùm varia ſint dona Spiritus ſancti, quæ diſtribuit prout vult, pro temporum & locorum conditione. viſum fuit eidem Spiritui, alijs doctoribus, Auguſtino nimirum & Hieronymo. de confutandis hæreſibus gratiam diſtribuere: huic Chryſoſtomo de moribus populariter & familiariter concionari. Hinc Ambroſius Catharinus præfatione in epiſtolas Pauli, ſic de dicto Chryſoſtomo (vt in præfatione diximus) loquitur: Chryſoſtomus non tam commentator ad ſtudioſos, quàm concionator ad plebem: nec tam dogmatum, quàm morum doctor apparet.

PPrimò omnium obſeruatu digniſſimum eſt, quod ſcribitur hom. 4. in 2. Theſſal. ibi, Traditio eſt, nil quæras amplius.

A Quarum traditionum vna eſt, Signum crucis à Chriſtianis geſtari. de quo hom. 6. in 2. ad Timoth. ibi, Conſuetudo animatus magiſter impulit quoſdam ſignare ſe ſigno crucis.

Tenete, ait Paulus, traditiones, hoc eſt, quæ verbo, licet non ſcripto, tradita ſunt. 8 in 2. ad Timoth. De Iamne & Iambre loquitur Paulus, de quibus ne verbum quidem in Biblijs. Vnde ergo hoc ſciuit & didicit? Reſpondet Chryſoſtomus, quòd traditione vel ex Spiritu ſancto.

De libero arbitrio 24. in Geneſ. F. 44. M. & hom. 3. in 1. ad Timoth. ibi, Vides vt omnibus. & 8. ad Phi. M. vide feriam 6. Dominicæ 1. quadrageſimæ.

Nec meritorum nec præmiorum volunt diſcrimina hæretici concedere: contra quorum opinionem, vide finem epiſtolæ ad Theodorum lapſum, ibi, Redet.

De libero arbitrio dubia ſi quæ ſunt, ſoluuntur in hom. 12. ad Heb. & clariſſime exponitur ſententia illa, Non eſt volentis neque currentis.

B De operibus & libero arbitrio 5. in 2. Theſſal. P. ibi, Confidimus per Dominum de vobis, 8. ad Philipp. M. Quo in loco lucidiſſimè oſtenditur quomodo meritum operum conuenire poſſit cum gratuita Dei bonitate ad ſaluandum nos, 3. in 1. ad Timoth. ibi, Vides.

Traditio de ſigno crucis 13. ad Philip. P. ibi, Diſce quanta ſit crucis virtus. ibidem docet, quòd etiã in itinere erant cruces, aut itinerando muniebant ſe ſigno crucis. Signum crucis in baptiſmo & in cõſecratione corporis homil. de crucis adoratione, quæ eſt in fine plaſmorum.

Item hom. 8. ad Coloſſ. Crucis ſigno vtatur infirmus. de eodem ſigno 21. ad populum F.

Quærenti cur in Eccleſia imagines ſunt, & non eſt populus contentus ſermonibus, quibus audiat quid credendum, agendum, fugiendum ve: Reſpondendum eſt cum Chryſoſtomo 19. ad populũ

C Ant. ſcilicet cur non tantum Deus voluit hiſtoriã deſtructæ Sodomæ perdurare, ſed voluit etiam terræ faciem omnibus manifeſtari. Nam terræ commouet aſpectus. Nec ſic in montes ſermo peruenire ſolet, vt aſpectus terribilis.

De hac traditione, Abrenuncio tibi Sathan, vide 21. ad pop. M. & hom. 1. in epiſt. ad Epheſios.

Gratias agere poſt ſumptum cibum, traditio ſancta eſt: de qua 57. ad populum M. & ibidem eſt exemplar gratiarum. ibi, Benedictus. Et ibidem opponuntur verba gratiarum, à medio homiliæ ad finem vſque.

De horis canonicis, ſexta, nona, &c. 59. ad pop. Antioch. & tom 5. homil. Quod rerum diſpenſatio. & 14. in 1. ad Timoth.

Tempus aduentus etiam celebre erat tempore D. Chryſoſt, 66. ad pop. F. Quo tempore Euchariſtiam recipiebant, & die Epiphaniæ, & homilia de natiuitate Domini, ex Lucæ Euangelio.

Sanctorum ſepulchra in honore habita, 66. ad

D populum F. Ad quæ ſepulchra ibant multi, ibidem de interceſſionibus ſanctorum.

Preces pro defunctis, 69. ad populum. Et quomodo flendum, & lampades ardentes in funeribus, 70. vel 79. ad populum, Item homil. de Lazaro, Ioannis 11. & 4. ad Hebræos Mor.

Petrus Apoſtolus habuit præſidentiam ſuper omnes terræ incolas, 80. ad populum, 21. in Acta P.

De ſatisfactione pro peccatis, ibidem.

De peregrinationibus. vide feriam 2. Paſchæ.

Oſculum pacis porrigi tempore ſacrificij Miſſæ, traditio & conſuetudo eſt antiqua lib. 1. de compunctione cordis.

De erectione crucis, ho. de continentia Ioſeph in fine tomi primi.

De oratione ſanctorum pro nobis in pſalmis 113. F. Si tanta erat eorum potentia, quomodo erant mortui?

Digitized by Google

Apoſtoli,multa ſine ſcripto tradiderunt,homil. in Acta P.Ibidem datur ratio cur Lucas,qui incœpit Acta apoſtolorum ſcribere,non abſoluit.

Vide tom.2.homil. de natiuitate Domini F.ibi, Sed videamus,&c.Maiorum ſententia eſt, vniuerſus mundus.

De canonibus Apoſtolorum à Chryſoſtomo allegatis vide hom.13.in Matth.oper. imperf. ibi, Neſciat ſiniſtra.

INDEX SENTENTIARVM D. IOANNIS CHRYSOSTOMI DE SEPTEM VITIIS capitalibus,& virtutibus eis oppoſitis.

De peccato in generali.

PEccatum peius eſt dæmone, & non eſt ita magnum à dæmone liberari,vt à peccato.hom. 30. ad pop.M.

In peccatis quædam voluptas,qua tegitur malitia:vnde tanto magis cauendum peccatum. homil. 15.ad populum Antioch.

B Per peccatum, duplex habet anima detrimentum.hom.3.ad pop.M.

In peccatis excuſationem peccatores prætendunt,propter peccandi conſuetudinem aut peccatorum multitudinem.Contra quorum falſam opinionem,hom.56.in Geneſ.& 22.in Geneſ.de Noe. Item hom.7.in 1.ad Cor.& in fine lib. primi cōtra vituperat.vitæ monaſt. ibi, Miſera planè conſolatio.Neque enim ſociorum in peccando multitudo, nos liberabit,hom 6.ad Epheſ.M.Mor.

Sunt è regione,qui excuſationem quærūt, quòd pauci ſint qui nō peccāt:imò eo magis cauendum, quòd pauci ſint.hom. 13.ad populum F. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.

C Peccata ſeu peccatores aliquando illico punit, aliquando tardat punire Deus,nec hoc iuſtitiæ diuinæ repugnat.hom.5.de pœnit.Hom.17.ad populum,ibi,Nam quid cenſetis. Item 49. ad pop.& 3. contra vituperatores vitæ monaſt.

De cuius diuina punitione & vindicta in peccatores,frequenter populo dicēdum per prophetas, exemplo Azariæ,dicentis Regi Oziæ, Non licet tibi adolere,&c.hom.3.de elato Ozia,& 8.in epiſtolam ad Theſſal. M.F.

Peccata quædam alijs grauiora, & quænam ſint grauiora,hom.contra concub.tom.5. ibi, Et ne dictum,&c. Vbi oſtenditur quòd aliquando minora peccata, grauiùs puniuntur quàm maiora, ratione circumſtantiæ ſcandali.

Peccatum, quod per ignorantiam excuſabile eſt,punitur,ſi poſt ſcientiam non relinquatur.Hinc eſt,quòd poſtquam ſciuit Pharao Saram eſſe Abrahæ coniugem, citiſſimè reiecit, homil. 32. in Geneſ.

Frequenter in eadem redire ſcelera perniciosiſſimum.hom.15.ad pop.Antioch.

D Non peccamus ex neceſſitate,hom.2.ad Gal. in Moral.

Paruum peccatum maximè cauendum, quia nihil eſſe videtur.hom.87.in Matth.& 14.ad Epheſ. Mor.ibi,Propter hoc ipſum.

Non tantùm peccata vitanda,ſed & media ad ea. homil.15.ad popul.F.& ſermo de nequitia depulſa,tomo 5.

De ijs qui tantùm vno peccato peccant, hom. 19.ad populum.

Parua & leuia peccata cauenda, homil. 12.ad Rom. Mor. Et tom.5. homil. de cauendis leuium peccatorum periculis, quæ eſt ſermo 25. Item orat. de anima F.ibi,Et ſicut.Et Gal.1.ibi,Volunt ſubuertere.

Nunc qui eadem peccata committunt,quæ olim alij,nō ſtatim vt illi p uniūtur,nec eodē modo. ho. 27.ad populum P.Et lib.3.contra vitup. vitæ mon. P.ibi,Multi enim,&c.Item hom.18 in 1.ad Theſſal. M.F.& 3.in 2.ad Timoth.& 6.ibidem P.& 8.in Mor. 12.quoque in Act.F.

Excuſatio in peccatis nulla ſumpta à natura corporis.hom.17.in 1.Cor.& 26.ibid.F.ibi,Vos patres nolite.

Remedia contra peccata,ſerm.1. de ieiunio. ibi, ieiuna,quia peccaſti:ieiuna, vt non pecces: ieiuna, vt accipias: ieiuna, vt permaneant quæ accepiſti. Exemplis ibidem inſtitutum probat.

Peccatum adeò deteſtandum, vt etiam peccati nomen diſpliceat,tomo 5.homil.de vitijs & virtut. quæ eſt ſermo 9. vel præclara eis dantur nomina, lib.3.contra vitup.vit.monaſt.

Adeò,inquam,deteſtandum peccatum, vt non aliter exiſtimare debeas de eo quàm de inimico tuo perniciosiſſimo.Hinc hom.14.ad Philip. Mor. ridet eos qui ſcortum vocant amicam: nam quæcumque poteſt inimicus homini facere, facit ſcortator aut ſcortatrix.

Peccata cur non omnia hic puniantur,hom.18. in 1.Teſſal.M.F.ibi,Si verò,&c.3.in 2.ad Timot. F. & 6.P.item 8.in Mor.12.in Act.F.

Peccata quædam grauiora ſecundum circumſtantias perſonarum,hom.1.ad Philem. ibi, Noſtis enim.2.ad Theſſ.3.

Diabolus non eſt author omnis peccati, ſed aliquando homines mala perpetrant, & poſtea dæmon ingreditur in eos, quem per vitia accerſunt homines,hom.54.in Act.F.ibi, Profectò non omnia dæmon efficit.

Homil.29.in Act.F. ſimilitudine paſſeris agit in eos Chryſoſtomus,qui dicunt, Vno tantum peccato pecco, quid ergo mali mihi continget? Paſſer (inquit)licet nō ex omni parte,à pede tamen detinetur ſolum,& ita perit, nec proſunt ei alæ capto pede.

Ibidem mediā dantur eis,qui dicunt ſe non poſſe affectiones malas, aut ad peccandum promptitudines conſtringere vel amputare F. ibi, Non videtis aurigam,&c.

Cæterùm memento eius admonitionis, quæ eſt in fronte tractatus de diſciplina Eccleſiaſtica, quando ſcilicet admonuimus Chryſoſtomum ferè ſemper morali exhortatione clauſiſſe ſuas conciones,maximè verò ad populum Antioch. in epiſtolas Pauli,in Ioannem.Itaque illic reperies pro deteſtatione vitiorum non obſeruatione dignum.

DE SVPERBIA ET HVMILITATE.

VT fugiat caueatque ſuperbiam, & induat humilitatem homo, multa in corporis humani formatione fecit Deus, tom 5. ſermone de fide & lege naturæ,ibi,Dedit & linguam.

Superbi meritò ſtulti vocantur, homil. 20.ad Roman.& aſſimilantur accenſæ ſtupæ.

Vanæ gloriæ deteſtatio,hom. 22.in Gen.42. ad pop.18.in 1.ad Timoth. Mor.

Contra vanam gloriam ſumptam ex pulchritudine,diuitijs,fortitudine,ho.38.ad pop. ibi, Si pulcher es & ſpecioſus,&c.vſque,Non cōfunderis, in his alta ſapiens,in quibus bruta tecū ſociantur? ho. 11.ad Rom. Mor. F.ibi,Vides,&c.& 7.ad Philipp. Mor.M.ibi,Robuſtus es,& ſuperbis?

Contra eandem vanitatem aut ſuperbiam in veſtium ornatu,hom.10.ad Coloſſ. F. 18.in 1.ad Timot.Mor.4.in 1.ad Timot.Mor.P.De ſuperfluo ornatu mulierum,vide in Indice quadrag. de epulone diuite fer.5.2.Dominicæ.

Contra ſuperbiam aut vanam gloriam, antidoti & remedia,hom.2.ad Titum,M.ibi, Quomodo igitur.17.ad Roma.Mor.M.29.in 2.Cor.13.F.hom. 2. in Ioannem F.M.

Digitized by Google

De ſuperbis illis qui maiorem quàm decet habent numerum ſeruorum, hom.40.in 1.Cor.15. F. Et qui nolunt pauperes iuxta ſe ſtare, benè autem equos & canes.

De ambitione vide lib.6.de Sacerdotio,& ho. 3. in Act. vide etiam in quadrag. de filijs Zebedæi.

Vanæ gloriæ peccatum differt ab alijs, tomo 5. hom.de inanis gloriæ cupiditate P. ibi, Cumque & reliqua cum morte ſimul vitia diſſoluantur, hic tamen iactantiæ morbus poſt mortem durat.

De humilitate tomo 1.hom.in id, Quis ſum ego? & hom.3.de Ozia elato corde.

Commendatur iſta humilitas homil.38.ad populum, ibi, Gloriam donec ſectamur, fugit: cùm autem fugimus, ipſa nos ſequitur.

Superbiæ malum, hom.1.in 2.Theſſal.F.ibi, Hominem efficit dæmonem,&c.

Ad humilitatem admonitio, ho.30.in Act.M.F.

DE AVARITIA.

AVaritiæ malum, aut mali origo, quod eſt in auaritia, hom.23.in 1.Cor.F. homil.40. in 1. Cor.15.M.hom.11.ad Rom. Mor.ibi, Diſcito &c. hom.10.in 1.Cor.F.Eiuſdem auaritiæ pœna 12. ad Rom.Mor.

Auarus non credit vitam æternam, homil.22. in Gen.F.ibi, Sed non.& 48.in Gen.

Auari opum cumulatores, aut ædificatores, qui nihil interim pauperibus erogant, ſunt ædificatores columnarum immortalium ſuæ malitiæ, hom. 22.in Gen.

Auaritiæ deteſtatio.hom.13.ad Rom. Mor. 18.in 1.Cor.F.31.in Gen.63.ad pop.Item ho.9. ad pop. F. in eos qui alienas opes inuadunt, nec cedere pauperibus volunt. Increpat autem Chryſoſtomus tales, argumento ſumpto à natura & conditione diei & noctis, quæ ita copulantur adinuicem, vt dies numquam fines noctis inuadant.

Auarus numquam cum auaro pacificè viuit, hom.9.ad Epheſ.idem nulli amicus, hom.7.in 2.ad Timot.Mor.

Auarorum nulla excuſatio, qui particulares nolunt facere eleemoſynas prætextu bonorum communium Eccleſiæ, pauperibus deputatorum.

Auaritia fermento comparata, homil. 15.in 1. Cor.M.

Auarorum nulla excuſatio, dicentium, Copioſa eſt mihi familia alenda: non poſſum ergo dare egenis.hom,53.ad pop.7.ad Rom.Mor.10. in 1. ad Theſſal.

Diabolus ad amorem pecuniæ trahit te, vt reuocet ab amore Dei: deſiderat vt multas habeas opes, vt in laqueos ſuos retrahat. Sed idem dæmon alio telo lædit aut capit hominem, dum auferri facit pecunias,& ſuſcitat fures: non vt faciat hominem pauperiorem, ſed vt per priuationem pecuniarum præcipitet hominem in peccatum. hom.4. de incomprehenſibili Dei natura F. ibi, Nam & Iob,&c.

An ebrius auaro ſceleſtior, tom.5.ſermone contra corporis voluptates.& ho.5. ad Heb. Magis eſt auaritia quàm fornicatio deteſtanda.

Auaram virginem deteſtatur Chryſoſtomus hom.3. de pœnit.ibi, Tu verò haud habens filios, ſed vitæ crucifixa, quid pecuniam congregas? Vtinam virum deſideraſſes. Nam eiuſdem ſubſtantiæ rem & materiam deſideraſſes, & minus crimen commiſiſſes.

Alia auaritiæ deteſtatio, homil. 81.& 82.in Matt. cap 26.ſermo.5. de malis à nobis euertendis tomo 5.P.ibi, Auri violenta cupido etiam ſæuit in mortuos.

Ibidem, tortore crudelior auarus M.& ibi, Nonne Apoſtolos, &c. & in fine exemplo Philoſophi, qui conſpuit in faciem Domini, & nobilis cuiuſdã, docet inſaniam ſummam maiorem habere curam domus ornandæ, quàm ſui ipſius animæ. Idem ſimilitudine ancillæ, ibi, Quòd Salomon. Dæmoniaco prætereà comparatur auarus.

Auaritiæ deteſtatio, homil. Quòd nemo læditur, &c.M.de Lazari virtutibus, qui non blaſphemauit impatientia: homil.7.in 1.ad Timot. Mor.17.& 18. ad Epheſ. Idolorum ſeruitus auaritia. M. ibi, Quidam autem exiſtimauit eſſe hyperbolam, &c. 17. in 1. ad Timot. Mor. vbi vocat non idolorum ſeruitutem, ſed radicem malorum. 7.& 8. ad Coloſſ. vocatur inſania, & homil. 9. appellatur ſtultitia, quæ ſuffocat verbum 7.ad Coloſſ. M.F.Si formoſo,&c.

Auarus de quo ſuprà, quòd nulli amicus, cuperet vt vi terremotus omnia eſſent concuſſa, & ſolus ſubſtaret, 7.in 2.ad Tim.& 17.in 1.ad Timot. Mor.

Non edendum cum auaro. homil.25. ad Heb. Mor. M. ibi, Nemo comedat cum eiuſmodi manibus & 25.in 1.Cor. argenti & animæ amor ſimul ſtare non poſſunt.

B Fugiamus ergo auaritiam, ne ſimus beſtijs ferociores, quibus omnia communia. homil.7. de pœnit. F.ibi, At ſiquidem,&c.

Auarum pluſquam dæmoniacum horrere & deteſtari oportet hom. 82.in 28.cap. Matth.

Contra auaros variæ ſententiæ, homil.29.in Act. M.F.& 48.in Act. de prodigalitate,&c.

DE LVXVRIA.

LVxuriæ aut fornicationis malum, eo quòd diabolus per ipſam ſæpe in bellis vincere facit, quos armis non poteſt. homil. 14. ad populum Antioch.M.

Contra luxuriam remedium, hom.7.in 1.Cor. F. gehennæ memoria, aut verborum Pauli. Tollens membra Chriſti,&c.

C Ibidem nulla excuſatio ſuper forma mulieris, &c.hom.21.ad Rom.Mor.tomo 5.oratione de pulchritudine ex vxore.

Aliud remedium hom. 2. in 2.ad Theſſ. M. ibi, Quando videris,& hom.5.in 1.Theſſal. contra eos qui nulla remedia quærunt contra luxuriam, F.ibi, Cùm ergo illic & res obſcœnas videas, & verba audias,&c.

Ibidem docet, quòd radix & fomentum luxuriæ non eſt ætas, non eſt iuuentus, ſed aliquid aliud.

DE IRA.

IRæ malum, hom.53.in Geneſ. & 67. M. ibi fera ſiquidem. Ipſa ira impedit ne videatur verum, homil. 62. in Geneſ. & homil.3.de Dauid & Saule, cuius initium eſt, Equidem. ibi, Et quemadmodum.

Contra iram refrenare nolẽtes, hom. 1.in Gen. ibi, Audiamus nos. Ignis furorem ſuum naturalem retrahit, & non comburit aliquando Deo prohibente, Cur ergo homo non obedit Deo prohibenti ne furetur aut iraſcatur?

D Contra iræ vitium, hom.15.ad Epheſ. vbi retunditur eorum falſa ſententia, qui dicunt formidandos eſſe iracundos & auaros.

Hom .16.ad Epheſ. Modus eſt placandi iratum F.ibi, Canes dicuntur hoc facere.

Hom.23.ad pop Exiſtima iram beſtiam eſſe, ibid Diſſimile leonis ad peccatum.

Beſtijs & feris potiùs cohabitandum, quàm cum iracundo, hom.29.& 30. ad popul. in fine 29. datur remedium contra iram. Si furoris tempore poſſet iraſcens ſibi ipſi notus fieri, non alia foret opus admonitione: nihil enim iraſcentis deformius aſpectu. Vide etiam hom.31.

Contra tenaces iracundiæ, homil.3. in 2.Theſſ. M.ibi, Talis eſt camelus.

Digitized by Google

Remedium contra iram, hom. 4. in 1. Theſſal. F. ibi, Non iraſcens. Item hom. 3. in Ioannem M. F. ibi, Quoties cum dolore: & 25. in Ioannem F. ibi, Quòd ſi iratus. & 47. in eund. F.

DE MANSVETVDINE OPPOSITA IRÆ.

HOmil. 30. ad pop. argumenta ſunt patienter omnia ferendi. Non habet ex ſe fortitudinem ira, Non ſit alter qui nutriat illam. Ibidem contra excuſationem in ira dicentium, Prior alius iraſcens dedit occaſionem iraſcendi, ibi, Nulla tibi excuſatio.

Patientiæ argumenta, hom. 63. ad pop. & 16. in 1. Cor. F. ibi, Quid dicis, Ablatæ ſunt, inquit, omnes meæ facultates, & iubes. 2. Theſſ. 2. M. ibi Tolerantia ſiquidem.

De manſuetudine, tomo 5. ſermone 11. homil. etiam 6. in Act. F. de ira & manſuetudine. Vide præterea Fer. 2. poſt 3. Dominica quadrageſimæ, & homil. 41. in Act. ibi, Quare beſtiam in viſcera tua includis?

Non iraſcendum contra proximum, nec afficiendus iniurijs: quoniam magis te lædes quàm illum. Homil. 10. in 1. ad Theſſ. M. ibi, Per hoc animal nos erudit Deus, &c.

DE GVLA.

GVlæ deteſtatio, homil. 29. ad Hebr. Moral. F. ibi, Quamobrem. Item 22. in Geneſ. 54. & 57. ad popul. Item & 71. M. F. ibi, Quid enim mali. Ibid. contra excuſantes & dicentes, Non ſit ergo vinum, &c. 78. P.

Ebrietatis deteſtatio, hom. 13. ad Roman. Mor. P. M. F. 20. in 2. Corinth. 9. Mor. 18. in 1. Cor. F. tom. 5. homil. de ingluuie.

Ebrietas definitur Oratione 5. contra Iudæos. Nihil aliud eſt ebrietas quàm excidiſſe à recta ratione, deliratioque & ſanæ mentis priuatio. Ibidem, & oratione 2. 3. & 4. vocat Iudæos ebrios, eo quòd ieiunarent, ſcilicet contra Dei mandatum diebus illicitis. Itaque (ait) non ſolùm qui multum exhaurit vinum, ſed qui alium morbum alit in animo, vehementer ebrius dici poteſt P. ibi, Et quemadmodum.

Super naturam vini, ebrij quærunt excuſationẽ. Sed homil. 29. in Geneſ. docet, quòd laſciuia erat ante diluuium, non proueniebat à potu vini, quod nondum adhuc in vſu erat.

Homil. 42. inuitat Chryſoſtomus ad ſobrietatẽ, A brutorum exemplo. Canis enim licet famem patiatur, & cibos videat, non tamen comedit, ſed expectat herum ſuum.

Et tomo 5. ſermone integro contra luxum & crapulam P. F. ſimilitudine nauis onerariæ docet, huiuſmodi guloſos in barathrum inferni deſcenſuros, & ignominioſos eſſe, & ſine honore corã mundo, imò vires corporis perdere.

Ibidem, Summa guloſorum miſeria, quòd vix habeant qui eorum miſereatur, cùm ſcilicet propter gulam dolent vel infirmantur.

Vide ſermonem 18. Carnis concupiſcentias ne ſectemur F. refert incommoda ex epulis, inter cætera, quòd poſt pocula ſolent vxores deſpectui eſſe. B Vnde ait, Quid igitur eſt, quòd gignendi receptaculum necis conditionem facis?

Contra gulam optimum remedium, homilia 13. ad Philippenſ. M. ibi, Pone illi terminum, quòd naturæ ſatis eſt.

DE INVIDIA.

INuidiæ malum, homil. 46. in Geneſ. F. 6. & 7. ad Rom. Mor. 24. ad popul. M.

Inuidus militat contra Deum, homil. 53. ad pop. P. 30. in 1. Corinth. M. Quid enim capillis vilius? & hom. 11. ad Coloſſ. F.

C Contra inuidiæ malum, hom. 29. in 1. Corint. ibi, Diuiſiones, & hom. 36. & 54. in Ioannem F.

Grauitas peccati, hom. 27. in 2. Corinth. cap. 12. Mor. P. ibi, Ac ſanè præſtat ſerpentem in viſceribus prouolutum habere, quàm inuidiam internè ſerpentem.

Inuidus non homini, ſed Deo aduerſatur, homil. 11. ad Coloſſ. F. Ne dixeris, Eſt illius bona exiſtimatio, cur ego gaudeam.

DE ACEDIA.

PEccato acediæ aut omiſſionis peccant multi, D ſed maximè ij qui dum timent ne finem perfectionis attingere nequeant, incipere negligunt. Contra quos Chryſoſtomus in fine epiſtolæ ad Theodorum lapſum, ibi, Vbi aſſurgere ad lumen ſolis aut lunæ non datur, ne contempſeris aſtrorum cœtum.

Contra acedioſos homil. 35. in Acta Apoſtolorum F.

Et de ocioſitatis pernicie, libr. 1. de prouidentia. Item homil. 43. in Ioannem P. contra acedioſos dicentes ſcriptum eſſe. Nihil ſolliciti ſitis animæ veſtræ.

Plurima alia pro peccatis, quære in magno & vulgari Indice.

INDEX ET EPITOME FLORVM D. IOANNIS CHRYSOSTOMI, EX EIVSDEM OPERIBVS DECERPTORVM, QVIBVS IN EXPLICANDIS QVADRAGESIMÆ *Euangelijs Eccleſiaſtes appoſitè vti poterit.*

COLLECTORE F. IOANNE CHAMPAIGNE Prædicatore Rhemenſi, & Doctore Theologo Pariſienſi.

FERIA IIII. CINERVM DE IEIVNIO.

QVADRAGESIMÆ & ieiunij A tempus, à Chryſoſtomo homilia prima de ieiunio, tom 5. propitiationis & abijciendorum peccatorum tempus, vocatur.

Quod tempus, maioribus quæſtionibus diſcutiendis eſt aptum, quoniam ſobria tum eſt anima, M. ibi, Operæ pretium. eſtque doctrinis maximè idoneum, quoniam ancilla iam non inſurgit aduerſus dominam. Nullus tumultus aut clamor, nullæ carnium conciſiones vel coquorum diſcurſus, Homilia 2. in Geneſim P. ibi, Nunc autem. Et homil. prima in eandem Geneſim P. ibi, Hæ feriæ ſunt, vbi animarum ſalus, vbi clamor, coquorumque diſcurſus, & pecudum mactationes è medio tolluntur. B

Vide homil. 2. de ieiunio tomo 5. M. vbi agitur de Dei ad Adamum præcepto, Ne comedas de ligno. Quam abſtinentiam vocat ieiunij ſpeciem. Et ſic nos ad ieiunandum hortatur: Cùm in paradiſo (inquit) ieiunium pro magna commoditate indicitur, multò magis extra paradiſum, neceſſarium poſtulatur: & cùm ante plagam remedium vtiliter demonſtratum eſt, multò magis ſauciatis appetendum eſt, vt præſtet vulneribus ſanitatem.

Maximè autem obſeruanda tota homilia prima in Geneſim, in qua mentes & aures fidelium, ad C audiendum verbum Dei quadrageſimæ tempore, inuitantur: doceturq́; quòd quemadmodum Moyſes priuſquam ſcripſiſſet legem, ieiunauit: ita fidelis priuſquam eandem diſcat aut comprehendat, ieiunare debet M. ibi, Vidiſti crapulæ nocumentum: vide & ieiunij præclara facinora.

Homilia 3. de incomprehenſibili Dei natura, tomo 5. Homo ieiunio redditur ad ſacra myſteria capacior, exemplo Danielis, qui priuſquam viſionem meruiſſet, tribus hebdomadibus ieiunauit.

CVM IEIVNATIS, NOLITE FIERI *ſicut hypocritæ triſtes.* D

DE vno ſpeciali abuſu loquitur Chriſtus, quando ſcilicet ieiunij fructus per hypocriſim perditur. At verò alij ſunt abuſus, de quibus Chryſoſtomus, tomo 5. hom. 1. de pœnitentia F. eorum ſcilicet qui per præuiam crapulam, ſeſe ad ieiunium præparant. ibi, Medici incœnatos dormire iubent, vt craſtino die medicina proſit, 15. ad populum Antioch. P. ibi, Oportebat, &c. Ieiunium aggrediuntur tanquam ſi venter tradendus eſſet longæ cuidam obſidioni.

De alio abuſu 16. ad popul. F. eorum ſcilicet qui per ſeptem hebdomadas à cibis abſtinent, & non à ſeptem peccatis, & homil. 3. ad eundem pop. M. de ijs qui à carne mortua, ſed non viua abſtinent, hoc eſt, qui à cōuicijs & detractionibus non ceſſant. ibi, Quæ enim vtilitas, cùm anibus abſtinemus: fratres verò mordeamus & comedamus?

De quibus ad Gal. 5. Si inuicem mordetis, videte ne ab inuicem conſumamini.

TRISTES.

QVoniam ieiunium eſt animæ alimētum, Chriſtus vetat eſſe triſtes, homil. 1. in Gene. M. ibi, Cæterùm quoniam nobis manifeſtum factum eſt, quàm magna ſit ieiunij vis, obſecro charitatem veſtram ne vtilitatem tantam repellatis, neque contriſtemini propter illius aduentum.

Hom. 18. ad popul. Antioch. Sed tales hortor ieiunantes, ne gaudeāt in medio quadrageſimæ, quia medium tempus ieiunij profligatum eſt: ſed gaudeant ſi peccatorum ſit profligatū dimidium. Vnde homil. 9. ad popul. in eos ſcribit, qui putant tantùm in die Paſchæ ideo lætādum, quoniam ſunt ab onere ieiunandi liberati, & hom. 1. in Geneſ. ibi, Corde lætante viret facies.

Si triſtantur ieiunantes, quoniam exiſtimant ieiunare onus graue, & à certis cibis abſtinere, vel corporis incolumitati nocere, aut libertati Chriſtianæ repugnare, ſiue dicant, quòd olim meritò primis parentibus indictum fuit ieiunium, ſed non debet imponi liberatis per Chriſtum, obſeruent, vel legant quæ ſequuntur hom. 1. de pœnitētia tom. 5. ibi, Nam & Moyſes. Si in paradiſo ieiunium neceſſarium, extrà multò magis: Si ante plagā, multò magis poſt. Ibidem exploditur excuſatio dicentium, quòd per ieiunium redditur corpus inualidum, ibi, Conterit. docetque (etiam medicorum teſtimonio) abſtinentiam matrem ſanitatis, non nocere corporis valetudini. Vide tom. 1. hom. de Iona ibi, Etſi per meum ſermonem.

Vide etiam ſermonem 1. de ieiunio: vbi ſit mentio 3. libr. Reg. 33. cap. Abſtinentia (ait) vita Chriſtiana eſt, qualis fuit in Daniele, cuius corpus ieiunio non eſt infirmatum. De quo Danielis ieiunio, vide rurſus tom. 5. homil. Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo: vbi reperies paratam reſponſionem ad eos qui cùm cibis ab Eccleſia prohibitis veſcuntur, allegant vel neceſſitatem, vel quia conuerſantur cum delicatis: ideoque neceſſe habent veſci cibis illorum, cum quibus verſantur. ibi, Quid ergo faciunt adoleſcentes? Non dicunt, &c. valdè notanda homilia.

Et con-

Digitized by Google

Et contra eos qui dicunt, Durum nimis iugum, homil. 1. de ieiunio F. ibi, Labor quidem, ſed nondum pependiſti in cruce: 22. ad populum, Melius eſt hic per ieiunia linguam areſcere, quàm &c.

Arduum non erat mandatum, de non veſcendo hoc fructu. Difficilius fuiſſet, ſi dixiſſet, Abſtine à cæteris, & de hoc tantùm comede. homil. 1. in Gen. & 14. ibi, Non moleſtum & graue petam ex te. &, homil. de interdictione arboris, P. vſque, Dat mandatum vt probet obſequium. 6. ad pop. F.

Contra eos qui ſe excuſant ab abſtinentia carnium, quòd minus ſit peccatum veſci carnibus, quàm occidere, mœchari, &c. Docet, quòd etiam cauendum à leuioribus peccatis, vt docet Chryſoſtomus tom. 5. hom. de cauendis leuium peccatorũ periculis, F. vbi de præcepta abſtinentia Adæ fit mentio: diciturque, quòd qui modica ſpernit, & paulatim decidet. Vide commentaria in 1. cap. ad Gal. 8. ibi, Volunt ſubuertere Euangelium. Et oratione 1. aduerſus Iudæos, P. ibi, Deus precipit, ne quære amplius.

EXTERMINANT FACIES SVAS.

EST exterminandi faciem, cæteraſque corporis partes, modus quem non omnino improbat Chryſoſtomus homil. de miſericordia, P. tom. 5. hom. 5. & 35. & 37. ad populum Antioch. hom. 14. ad Romanos in Morali. Cùm ſcilicet, miſeri & egeni, impoſturis aut exterminationibus fingunt ſe inualidos, vt duritiem auarorum mitigent & inhumanitatem diuitum fallant. Vide, infrà feriam 6. Dominicæ primæ, ibi, Vis ſanus fieri? &c.

VT APPAREANT HOMINIbus ieiunantes.

HIc obſeruanda, & cauenda Sathanæ aſtutia: Cuius ſuggeſtione, in operibus pœnitentiæ, aut ſatisfactionis, homines hominum gloriam appetunt, & quos non poteſt impedire ne pœniteant, facit vt vel pluſquam oportet pœniteant aut deſperent, aut gloriam mundi in pœnitendo ambiat. Græci vocant, hanc aſtutiam πλεονεξίαν, id eſt, alienæ rei vſurpationem: de qua egregiè Chryſoſtomus homil. 4. in 2. ad Cor. paulò ante Morale, ibi, Non enim ſatis habet per peccatum nos deijcere, ſed per pœnitentiam, &c. ſcilicet ſi per ea, vanam gloriam quærimus. Et in Morali, in hunc Pauli, locum, Non ignoramus cogitationes eius, ibi, Alios quippe per peccata, alios per pœnitentiam, alios alio modò perdit. Non itaque fruſtra vanam gloriam fugiendam hîc docet Chriſtus. Vide hom. 5. ad Philippen. & hom. 8. de pœnitentia, tom. 5. P. ibi, Quouſque, &c.

Infrà feria 3. Dom. 2. ex Matth. 23. Chriſtus vniuerſaliùs loquitur dicens, Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Et hinc Chryſoſtomus homil. 2. ad Titum, ibi, Quoties, &c. Et libro 2. de compunctione cordis, concludit, vix aliquem facilè ſaluari poſſe, eo quòd multa mala faciant homines: & ſi quæ bona pro redemptione & remedio malorum faciunt, ea corrumpunt ſtudio vanæ gloriæ. hom. 38. ad pop. M. Gloriam qui quærunt ab hominibus, perdunt: Ergo abſcondere oportet, vt meritum maneat. & ibi, Sicut cùm veſtes. &c. 17. ad Rom. Mor. remedium contra vanam gloriam, ibi, Quemadmodum. Vide hom. 29. in Ioannem, P. Vana gloria, fera & beſtia multorũ capitũ, armata eſt in eos à quibus fouetur. Quemadmodũ enim vermis ligna, ex quibus naſcitur, conſumit, ita inanis gloria altricem ſui animam perdit.

AMEN DICO VOBIS, RECEPERunt mercedem ſuam.

HAbet ieiunium mercedem etiam promptam, Sermone 1. de ieiunio, tom. 5. ibi, Qui piſcaturus ad mare vadit, non habet in manibus capturã dum vadit: Qui ieiunat, mox fructum habet. Ibidem, Ieiuna, quia peccaſti: ieiuna, ne pecces. Remedium ergo eſt ieiunium contra præterita & futura peccata. Imò valet, vt quæ nondum dona à Deo accepiſti, capias, aut vt permaneant quæ accepiſti. homil. 6. in Ioan. F. Hoc pacto.

Homil. 36. ad pop. Antioch. P. ibi. Sicut guloſi. Propter vanam gloriam ieiunantes comparantur guloſis, ad regale conuiuium vocatis, qui in principio prandij ſe vilioribus ſaturant, nec iucunditatem habent ciborum delectabilium, qui in fine miniſtrantur. hom. 43. in 1. Cor. 16. M. ibi, Ne hîc ergo coronas exigamus. hom. 2. ad Titum Mor. ibi, Anima omnis, &c. hom. 34. in Acta F. ibi, Dic igitur, & tibijpſi, &c. & homil. de Phariſæo & Public. quæ eſt in fine commentariorum in Pſal. P. ibi, Duos mihi aurigas, &c. in eos agit, qui venantur gloriam.

VIDEARIS PATRI TVO, QVI EST *in abſconſo: & pater qui videt in aſconſo, reddet tibi in propatulo.*

HOmil. 3. de patientia Iob, Iob neſciuit mercedem paratam, & tamen pugnauit: quantò magis ſi ſciuiſſet? F. ibi, O animam: homil. 5. de pœnitentia, ibi, Veneratur fœneratorem debitor, &c. Et infrà, ibi, Si cui in paupertate &c. Deus autem non ita, ſed occultè mutuum accipiens, palàm debitum reddit. homil. 7. ad Rom. Mor. ibi, Diabolus &c.

Spe ergo mercedis, obtemperet fidelis ſponſo Chriſto, & ſponſæ Eccleſiæ. Nec dicat, A cibis iſtis abſtinere non poſſum, quos præſentes habeo, Alioqui erit canibus imperfectior, de quibus hom. 42. ad pop. Mirum id (ait) quod canis eſuriens, moderari ſcit famem, nec comedit, ſed expectat Dominum: & homo ad Dei mandatum neſcit cauere ab ebrietate. Canis futuræ voluptatis ſpe, præſentem contemnit: tu verò non vis futurorum bonorum ſpe, præſentia contemnere &c. ibi, Ænigna, &c. Et paulò antè, Veſtros docere ventres ita philophari. Vide 34. in An. F. ibi, Quod ſunt. Et ibi, Dic igitnr &c.

Vnge faciem tuam oleo.

IN pſal. 46. P. ibi, Cur non dixit, &c. & in pſal. 5. verſu, Mane exaudies vocem meam, quorundam reprobat irreligioſam conſuetudinem, qui manè aqua faciem lauant, & animam immundam relinquunt, nec oratione eam pingunt aut impingant.

Nolite theſaurizare vobis in terra: theſaurizate autem vobis theſauros in cælo.

17. homil. ad Heb. in Mor. hoc eſt, benefacite in terra pauperibus, quorum nomine merces vobis reddetur in cælis: in quo beneficentiæ aut eleemoſynæ opere, vtilitas eſt & honor. Vide 89. homil. in Matt. ibi, Si talem Deus tibi dediſſet poteſtatem, vt labens cælum ſuſtinere poſſes, nónne per id opus honorando te multò maiorem exiſtimaſſet? En igitur maiori te facit honore dignum: quod enim cælis eſt dignius, hoc tibi refouendum commiſit, pauperem hominem ſcilicet. Apud Deum enim nihil viſibilium homini par, quippe propter ipſum fecit cælũ & mare &c. Hom. in dictum Pauli, Oportet hæreſes eſſe, F. ibi, Hinc nobis geminum lucrũ

Digitized by Google

ab eleemoſyna:& homil. de collatione in ſanctos, tom.4.M.ibi,Item non dicit colligens, ſed theſauriſans,Homil.7.ad Rom.Mor.ibi, Quemadmodum enim &c.

A

Sed dicet quis,Si ſic theſaurizare oportet, quid ergo relinquã hæredibus & filijs meis? Cui reſpondetur homil.7.de pœnitentia,P.ibi, Hæc igitur &c. Hinc fures,F.Sic opes ſtantes in arca, quæ ſub ſera & vecte defoſſæ citò transfugiunt: ſi verò eas in ventres diſperſeris pauperum,non modò non fugiunt,ſed & maiores inde reſurgunt.

In eodem præſenti euangelio,iungitur eleemoſyna ieiunio:quoniam ipſa eſt pars & via pœnitentiæ,hom.9.de pœnitentia,ibi,Nam ſi &c.Imò hom. in Ioan.12.olei(id eſt miſericordiæ)ſacrificiũ præfertur orationi & ieiunio,ibi,Sacrificemus &c. Adde quòd hom.4.in Gen.Non prodeſt abſtinentia, vſque ad veſperam, niſi bonis operibus vaces. Et ſermone 1.de ieiunio,obiurgantur qui abſtinent & ieiunant,vt ditentur;ibi,Non eſt negociatio, ieiunium,vt lucrum facias non edendo, ſed vt quod manducaturus eras, pauper pro te edat &c. Vide hom.24.ad pop.M.Et tom.5.hom.Quod regulares fœminæ &c.ibi,Amos autem &c.10.& in Geneſim, P.ibi,Igitur qui cibum accipit,& ieiunare non valet,largiorem det eleemoſynam. Homil.4.in 2.ad Corinth.Mor.P.ibi, Siquidemcomplures &c.

B

Homilia quæ dicitur, Cùm Sathromus & Aurelianus acti eſſent in exilium, comparatur theſaurus leoni incluſo,&c.

Theſaurizate. Propter hoc verbum Chriſtus dicitur mendicus,58. ad pop. quia apta dat remedia contra ardores concupiſcentiæ.

Porrò theſaurizare in terra, capi poteſt pro eo quod eſt,habere corporis curam: ſic in cælo theſaurizare,eſt,habere curam animæ. Chryſ.autem homil.21. ad Rom. Mor.F.in eos agit, qui domum non animum curant, exemplo illius qui ſpuit in faciem nobilis.ibi,Ferunt quidem &c.

Theſaurizans in cælo,habet angelos ſe laudantes:ſi verò in terra, tantùm habebit aurifices aut textores laudatores.68.in Ioan.F.Vide etiam hom. 12.in Ioan.P.& 53.F.& hom.in pſ. 111.de differentia inter hominem diſpergentem ſemen, & eleemoſynas largientem.

C

Porrò,hac 1.quadrageſimæ concione, congruenter fit mentio de auaritiæ deteſtatione:quoniam rerum cupiditas plurimum impedit fructũ euangelij prædicati.Itaq; erit iſta prima concio, quaſi paraſceue ad alias.Hinc Chryſoſtomus, homil.2.& 23. in Ioan.F.auditores verbi dehortatur à curis ſæculi.ibi,Scio plurimos faſtidire verborum longitudinem: quoniam anima eorum ſæcularibus multis curis opprimitur. Ibidem etiam pueros & adultos ad auditum verbi inuitat.

Nec ærugo.

D

Homilia 58.in Ioannem F.

FERIA QVINTA CINERVM.

De centurione & precioſo illius ſeruo.

CHryſoſtomus homil.de nuptijs in Cana Galilææ,(quæ eſt poſt homilias in Ioan.(huius militis meminit:docetque virtuti nullam artem nec militiam eſſe obſtaculũ: miles inquam eſt,ſed tamẽ orationi vacat.Sic Dauid,inclitus miles,orationibus bella inſtruebat,hom.30.in Gẽ.Aliquando etiã reges,in deuotione præcellũt monachos,ibidẽ.Vide hom.35.in Gẽ. pij & religioſi militis inſignia:& exemplum pij militis Abrahæ, qui poſt victoriã, gloriã dedit Deo:iuratq;, ſe nihil accepturũ à populo. Talis miles eſt inexpugnabilis turris,ibidem.

De cuius militis Chriſtiani operibus charitatis, congruo ordine fit mentio,poſt ieiunij tractatum. Nam homil.25.in 1.ad Cor.licet ieiunando,& dormiendo humi,carnem maceraueris: nil egregium feceris,niſi operibus vacaueris,M.ibi, Imitatores. Vbi docet,quòd nil adeò commendat Chriſtianũ, quàm habere curam de proximo. Sic curam habet hic de ſeruo. Adde quòd oratio pars eſt pœnitentiæ,hom.9.de pœnitentia,F.ibi, Simile eſt regnum &c. Euangelium autem præſens, artem benè precandi docet,tum laicos,tum clericos, militis & ſacerdotum exemplo: Appoſitè itaque de hac re tractatur poſt ieiunium: quoniam oratio pars eſt pœnitentiæ,homil.9.de pœnitentia, F. ibi, Simile eſt regnum.

Pretioſus.

LVcas ait precioſum fuiſſe ſeruum hero ſuo, id eſt,bene dilectum & charum,& proinde bonũ. Atq; ita centurio ſeruum habens bonum, non tãtùm ſibi prouidebat aut domui,ſed filijs ſi quos habuit.Nam hinc filiorum corruptio, quòd domini, principes,magnates, ſeruos corruptio præficiunt filijs ſuis.homil.9. ad Col.M.ibi.Ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat,&c. homil.4.ad Titum.in Ioſeph exemplum boni ſerui.

Paralyticus.

ORat centurio,ſed in tribulatione. Orandum etiam in proſperitate.Si quæras quænã Deo gratior oratio,an illa quæ fit in tribulatione,an verò illa quæ in proſperitate,vide 17.ad popul.P. ibi, Quoniam quædam eorum mater &c.

Dignus eſt vt ei hoc præſtes:ædificauit enim nobis ſynagogam.

HOm.18.in Acta,de ædificanda eccleſia: Dicet autem quis:Ego pauper homuncio, ſuperbũ non poſſim ædificare templum: non exaudiet ergo in neceſſitatibus.Reſpondet Chryſoſtomus, hom. 7.de pœnitentia,F.ibi, Non dantis &c. Dederunt quidam pilos caprarum in inſtructione templi aut tabernaculi,& non ſunt repulſam paſſi, Exod.35. quia nil aliud habebant.

Hom.in Pſal.131.Si non poſſis ædificare, velis ſaltem.Nã nec ædificauit Dauid, ſed voluit, & dictum eſt ei: Quòd cogitaſti ædificare, hoc benefeciſti:Vt ſciamus quantum bonum ſit, rectus animus:& quomodo bonæ voluntati mercedem conſueuit reddere Deus.

Porrò,non omnis ædificator probatur.Nam nec Chriſtus probat eos,qui in diebus Noë ædificabãt: & Chryſoſtomus alios reprobat,hom. 12. in Matt. in Ioan.& 10.in 1.ad Theſſ.qui relictis pauperibus ædificant domos,vt ſint gloriæ ſuæ memoria, quæ ecõtrà erũt auaritiæ ſuæ monimenta,& in titulum, quòd vix credũt vitam aliam, & alios credere impediũt,hom.12 in Matt.oper,perf. Non ſic Abraham,qui quoniã maximè credidit ciuitatem aliã in cælo,caſulis fuit contentus,nec domos ædificauit, ſed tantùm altaria domino, & locum ſepulturæ, coniugi & ſibi:homelijs in Gen.varijs &c.

De palatiorum ædificatoribus, vide 55.& 68. ad pop.Antioch.& in pſal.48.

Aedificauit.

CEnturio peccare potuiſſet, ſi idem de ſeipſo iactabundus dixiſſet,& fructus orationis euanuiſſet,quæ in humilitate fieri debet:verumtamen abſq; nota arrogantiæ poteſt aliquando ſua quiſq; pulchra facinora recitare:vt Paulus,Samuel.& Dauid facere. homil. 14.in 2. Cor.11. in Mor. homilia alia tom. 4. in id, Vtinam toleraſſetis, &c.

quæ ho-

Digitized by Google

A quæ homilia, eſt poſt totam Epiſt. 2. ad Corint. & in Pſal. 7. P. M. ibi, Hæc autem dicit, &c. Item in 1. ca. ad Gal. ibi, Neque aſcēdi Hieruſalem, &c. Et in Pſal. 4. ibi, Cum inuocarem: vbi clarè docet, quæ requirūtur, vt exaudiatur precatio & oratio.

Ego veniam, & curabo eum.

NOn tantum poſtquam clamauimus ad Dominum dicentes, Domine, ad adiuuandum me feſtina, venit, aut exaudit nos Deus: ſed ita promptus eſt, quòd antequā clamemus, exaudit. De qua promptitudine, homil. 2. de adoratione precioſæ crucis, M. F. ibi, Quemadmodum in fructibus, &c.

Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.

HOm. 38. ad popul. P. M. F. de humilitate, quam debet habere mandatorum diuinorum obſeruator. Ibidem, Si tu magna vis reddere merita tua, ea ne magna eſſe putes. Centurio dixit, Non ſum dignus, & propterea factus eſt dignus.

B

Habeo ſub me milites.

SVpra, in principio ex homil. de nuptijs, dictum eſt nullum ad virtutem obſtaculum: & idē confirmatur ex 12. ad Phil. vel ad Philemonem, Mor. M. ibi, Vbique ſalus, ſiue pauper ſis, ſiue miles, ſiue agricola. Sed tamen alio, in tomo 5. ſcilicet, libro, cui titulus eſt, comparatio Regis & monachi, docet præſtantius eſſe ducere philoſophicam, aut monaſticam vitam, quàm regiam: quia regē oportet conuerſari cum Centurionibus, & induere eorum mores, qui voluptatibus indulgent.

Libr. 3. aduerſus vituperatores vitæ monaſticæ hiſtoria eſt, de cuiuſdam matronæ piæ ſalutifero dolo, quæ curauit filium retrahere à malitia.

C

De militum peccatis, tom. 5. hom. contra linguā & crapulam, F. & in Pſal. 139. Qui cogit iniquitatē.

Milites centum habebat centurio, ſed fortè vno tantum ſeruo contentus erat: hinc non dicit, Dico ſeruis meis, ſed ſeruo meo. Signum humilitatis paucitas ſeruorum, contrà verò vanitatis ſignum multitudo ſeruorum, vnde grauatur populus, 28. ad Hebræos in morali, & hom. 40. in 1. Cor. 15, F. ibi, Quid ſibi volunt examina miniſtrorum?

Hinc prudenter factum ab Apoſtolis, quòd nec habebant ſeruos. Vide hom. 30. in Ioan. ibi, Conſidera, &c. vſque, Facilius in ſuperbiam effertur, qui ex humiliore loco ad dignitates aſſumitur.

D

Dico, fac, & facit.

SIc nos Dei iuſſa facere decet: vide ho. 2. ad Philemonem, Mor. F. ibi, Nam re vera &c. Et 16. in 1. ad Tim. Mor. P. ibi, Etſi autem, & infra ibi, Nos verò: antitheſi accommoda docet, quòd Chriſtiani domino cæli non tam diligenter obediunt, atque ſerui huius mundi, heris ſuis temporalibus.

Vide homiliam in pſal. 71. P.

Obſeruatio.

NOn omnes ſerui ita promptè obediunt, vt iſte ſeruus centurionis, ſed rebelles ſunt. Vnde hoc? ex dominorū peccato, in pſal. 3. F. Seruorum inſurrectio, eſt peccatorum retributio: quod exemplis & ſimilitudinibus lepidiſſimis probatur.

Ibi erit fletus & ſtridor dentium.

VIde feriam 2. Dominicæ 1. de iudicio, & ſymbolum fidei, ibi, Vitam æternam: & hom. 1. ad Heb. de pœnæ inferni magnitudine, ibi, Cogitemus ergo. & 13. ad Philipp. contra eos qui putant priuari viſione diuina, non eſſe pœnale. 49. ad popul. Gloriæ amiſſio amarior pœna.

Fletus, ſtridor, tenebræ.

EX ijs quæ terribilia ſunt apud nos, ſcriptura ſolet exprimere Dei ſupplicia, in pſal. 119. ibi, Sagittæ &c.

Filij regni eiecti in tenebras exteriores, Chriſtū ſolem intueri nō valebunt; Eſaiæ 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Quanta autē ſit pœna, ſolem Chriſtū non videre, ſenſu percipere potes, Nam qui ſolis naturalis lucem conſpicari nequeūt, omni morte miſeriorē vitam degunt. Quid eos perpeti credendum eſt, qui illa luce, id eſt Chriſto, priuantur? hom. 11. in Ioan. F. vſque, Nolumus, &c.

Multi ab Oriente.

CHryſoſtomus, hom. 8. in Ioan. P. in expoſitione verbi, In propria venit, digreſſionem facit de vocatione Gentium.

Et in cap. 3. Eſaiæ P. duæ regulæ dantur pro ſcripturæ ſacræ intellectu.

FERIA VI. CINERVM.

De inimicorum dilectione, deque eleēmoſyna in abſcondito facienda.

Audiſtis, quia dictum eſt antiquis: Diliges proximum. Ego autem dico: Diligite inimicos.

AMicos aſpernari, primus crudelitatis gradus eſt: libr. 3. aduerſus vituperat. vitæ monaſticæ, paulò pòſt, P. Homil. 41. in Act. M. quomodo dilectio proximi acquirenda, ibi, Nihil æquale charitati.

Dilectio inimici pax eſt exuperans omnem ſenſum, homil. vlt. 4. tom. in id Pauli, Cùm omnia fuerint ſubiecta, &c. & 14. ad Philip. tom. 1. hom. de Dauid & Saule, P. M. F. Maximè ibi, Neque enim. Docet namque quomodo reſiſtendum ijs qui fouent lites, & ad vltionem concitant: docetque quòd non tantum pro inimicis orandum, ſed quiſque pro ſeipſo orare debet, in tanta difficultate diligendi inimicum: ſicut fecit Dauid, qui dixit, Abſit Domine, vt inijciam manum in illum. Qui Dauid de inimico ſuo reuerenter eſt loquutus, non vocans eum delirum, peſtilentem, &c. ſed Dominū ſuum: cùm ex oppoſito ille Saul dedignatur eum vocare Dauid, ſed tantum filium Ieſſe vocat. Nec Iudæi (Ioan. 6.) Chriſtum vocant nominatim, ſed dicunt: Vbi eſt ille? hom. 48. in Ioan. ibi, Ex odio, P.

Nec quoque Abſalon loquens Chuſi, dignatur nominare illum de quo ei loquitur, ſed tantum dicit, Abi cum tuo amico, 2. Reg. 16. hom. in Pſalm. 7. contrà verò, Anna mater Samuelis, vocat Dominum eum qui eam vocarat ebriam, hom. de Anna, tomo 1. & 15. in Act. F.

Chryſoſtomus monet, vt quiſq; in corde ſuo depingat hanc de Dauide & Saule hiſtoriā: imò vt coram vxoribus & liberis, viri eam recitent: vt non exiſtimet aliquis, eſſe impoſſibile ſub Chriſto diligere inimicū, cùm legis tēpore, (quādo permiſſum erat dentem pro dente petere) poſſibile apparuit.

Difficile vtique diligere inimicum: ſed omnis difficultas tollitur, ſi ratio præcipientis potius quā præcepti penſatur. Nam difficile erat ipſi Noë, inter beſtias morari in carcere per annum, ſine aëre: tamen erat ibi velut in pratis. Rationem dat Chryſoſtomus, hom. 26. in Gen. M. quia præceptum Domini difficilia facit facilia. Vide 27. in Geneſ. F. ibi, Scio quòd graue.

Et tom. 5. ſerm. 10. quòd charitas cuncta dirigit contra difficultatem diligendi. Et ſerm. 13. ibidem, hortatur ad amorem perſequutorum, ſimilitudine

turpis

Digitized by Google

turpis amoris. Clarius, hom. 7. ad Epheſ. Mor. & 16. A
ad Epheſ. F. ibi, Malè paſſus es, benè fac, ita inimicũ vlciſcere. Simile dè cane, ibidem.

Dices, non poſſum diligere eum, qui me læſit. Reſpondeo, non potes, quia non vis. Poteſt ignis non comburere ad mandatum Dei, Cur non deſines malè agere ad eiuſdem mandatum? 12. in Gen. Contra nolentes refrenare iram. ibi, Audiamus.

Vide 19. ad Hebræos, Mor. F. ibi, Fecit hoc Paulus hom. 27. ad Rom. Mor. contra eos qui dicunt, Si me dilexerit, diligam: & homil. in Geneſ. M. contra eos qui dicunt, Quis tam mãſuetus, vt poſſit diligere inimicum? Et contra omnes alias excuſationes, homil. 3. de Dauid & Saule, cuius initium eſt, Equidem, &c.

Benefacite ijs qui oderunt vos.

Beneficentiæ finis, eſt reconciliatio, vt ſcilicet de inimico fiat amicus, iuxta id, Congeres carbones: Sed caue à reconciliatione, de qua libr. 3. de patientia Iob. Sententia autem Rom. 12. Congeres B
carbones, exponitur, hom. 50. in Acta.

Beneficentiæ exemplum in Ioſeph filio Iacob, hom. 4. in 1. ad Theſſal. ibi, Verum ſi nuſquam, &c. homil. 70. in Ioan. F. Exemplumque in Paulo, 31. in Act. M. ibi, Miſerunt. 14. in Act. M. F. 15. in Act. F. ibi, Annam contumelia affecerat puer. ibidem, hortatur virum Chryſoſtomus ne contumelia afficiat coniugem. Saul per beneficentiam ex inimico factus amicus, hom. 3. de Dauid & Saule: ibi, Eſt quidem laudabile, &c. ibidem de Miphiboſeth ſedente in menſa Dauidis, licet eſſet filius inimici. contra illorum morem, qui etiam filijs inimicorum malè volunt poſt eorum mortem.

Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. C

Vnus eſt calũniator, pro quo non orandũ, imò contra quem orandum: in pſal. 142. P. Sathan ſcilicet. Et inimici quidem ſunt, contra quos non repugnat orare, inimici ſcilicet Dei, vt de eis vindictam ſumat Deus, homil. in pſalm. 7. Dauid orat, vt Deus in ira exurgat contra calumniantes diuinam maieſtatem: imò verò Chryſoſt. in 6. cap. Eſaiæ ait, quòd tempore Oziæ regis populus à Deo punitus fuit, quòd nõ petijſſet vindictam de cõtumelia ſacerdotio irrogata. Vide etiam ho. in pſal. 131. vbi oſtenditur, quòd non peccauit Moyſes vindicando Dathan; eo quòd ſacerdotij dignitas tum contumelijs affecta erat & conculcabatur.

Ora pro inimico, vt eruatur à morte, 67. ad pop. P. & 78. melius pati iniuriam quàm inferre: 29. in 2. Cor. 13. M. ibi, Opto inquit. Homil. 31. ad pop. Re- D
medium contra iraſcentes & calumniatores, F. ibi, Canes vocate vt comedant vomita. Quid fœtidius verbis, quæ contumelioſi loquuntur? Vide Indicẽ de peccato iræ, & de remedijs contra eam. Vide etiam, 14. ho. in Acta, F. & hom. in pſal. 139. P.

Qui alios iniurijs afficiunt, magis ſe lædunt. Vide tom. 5. ſermone de laude Dei, F.

Contumeliæ malum grauius quàm verberum, & tamen patienter ferendum, 31. in Act. M. & 39. F. vbi agitur de remedio contra calumniantes, & homil. 47. in Ioann. F. ibi, Hinc nos benignitatem erudimur. Vide etiam 41. in Ioann. P. ſimilitudine ſumpta à ſagitta.

Hom. 6. in 1. ad Timot. P. Mor. in eos qui orant contra calumniatores. Et hom. in pſal. 93. dat rationem cur orandum pro calumniatoribus, quia proſunt nobis.

Hom. in pſal. 121. verſu, Fiat pax. Sermone 2. vbi de 8. gradibus virtutum agitur: ſeptimus gradus eſt orare pro inimicis & perſequutoribus. Vide etiam hom. in 49. pſal. F.

Vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt.

Hom. 41. in Act. F. Non vlciſci, Deo facit æqualem: & hom. 6. ad Philip. P. Nil ita magnum ad bonum excitat, quàm ſcire ſe in re eſſe Deo ſimilẽ.

Hom. 55. ad pop. F. in Pſal. 127. F. vt ſitis filij, &c. id eſt, ſimiles Deo Patri, qui in cælis eſt. In Pſalm. 4. M. cælis digna oratio pro inimicis.

Obſeruatio.

Prius dixit, diligite inimicos, poſtea ait, orate pro eis: vt doceamur, quòd vt ſit oratio efficax, debet eſſe in charitate: hom. in Pſal. 140. ibi, Eleuatio manuum mearũ, & ibi, Quemadmodũ ſuffitus, &c.

Cur non dixit, ieiunate, vt ſitis filij, &c. ſicut dixit, orate pro calumn. vt ſitis, &c. hom. 36. ad pop.

Qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos.

Solis nobiliſſimæ creaturæ meminit: vt per creaturarum notitiam, traharis ad creatoris amorẽ, qui propter te tam pulchram formauit creaturam. Vnde in Pſalm. 41. M. Quomodo poſſum amare Deum, quem non video? Non vides Deum, ſed vides eius creaturam. Qui autem diligit, ſi dilecti videt calceum, accendetur.

15. in 1. ad Timot. Mor. F. 55. in F. tom. 5. homil. de vanitate vitæ: ibi, Philoſophare. Solis mentio conducit, &c. Non dicit ſoles, ſed Solem, vt ad concordiam inuitaret eos, qui eiuſdem Solis ſunt participes, 31. ad popul. M. & hinc Deus probatur bonus, hom. 50. ad pop. hom. 2. ad Romanos, M.

Pluit. Hom. in Pſal. 4. confunduntur, qui dicunt, Iouem eſſe qui pluit, verſu, A fructu: & qui dicunt eſſe creatorem, li. 2. de orando Deum, & 10. ad pop. Item homil. de vanitate, de qua ſuprà, docet ſummam ſtultitiam putare, quòd creaturarum pulchritudo ſit cauſa idololatriæ.

Homil. 5. & 6. in Geneſim, quomodo vel an Sol ſit actionum humanarum cauſa.

Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem, &c. Nónne ethnici hoc faciunt?

Corruptum & carnale vulgus ait, Si dilexerit, diligam. ſed vulgi refellitur ratio, 27. ad Rom. Mor. exemplo turpiter amantis: & tom. 5. ſermone 12.

Si ſalutaueritis fratres veſtros.

Qvo in caſu perfecto odio, Inimici odio habẽdi & ſalutandi in Pſalm. 100. Miſericordiam & iudicium, verſu, Facientes præuaricationes odiui: qui pſalmus exponitur in fine commentariorum in pſal. & homiliæ exordium eſt, Nos autem rurſus, &c. Ibidem docet non eſſe excommunicandum cum infidelibus.

Hom. 3. de Dauid & Saule arguuntur, qui nolũt ſalutare non ſalutantes: ibi, Noli igitur, M. Dauid prior ſalutauit Saulem: cuius ſalutationis præuiæ tantus fuit fructus, quòd Saul fleuit amare.

Ethnici non tantùm ſalutantes, ſed inſidiatores beneficijs proſequuntur, hom. 50. in Ioan. F.

Eſtote ergo perfecti ſicut pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

Lib. 3. aduerſus vituperat. vitæ monaſt. de triplici perfectione: vide homil. 27. in 2. Cor. 12. octo gradus perfectionis, F. ibi, Iam ergo conſidera.

Perfectionis Chriſtianorũ, benefacere inimicis, in Pſal. 118. cuius exordiũ, Benignitas Dei, &c. Quomodo autem creatura ad creatoris perueniet perfectionem, 70. in Ioan. P. ibi, Quid ergo?

Cum

Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere.

17. ad Roman. Moral. & 2. ad Titum, deteſtatur Chryſoſtomus vanam gloriam, quem abuſum hîc Chriſtus corripit. Sed Chryſoſtomus varijs in locis plures alios abuſus circa eleemoſynam traducit & damnat.

Abuſus in eleemoſynarum largitione.

PRimus eſt diuitum, qui pauperes docent eſſe factioſos, vt lucrentur vitam: 17. ad Epheſ. F. ibi, O abſurditatem.

Secundus, dum eleemoſynæ pingues dantur hiſtrionibus, egenis autem modicæ, vel nullæ 37. ad popul. & 21. in 1. Corinth. M. paulò poſt id, Ne quod offendiculum: homil. 41. in Ioan. F. Da egenti, non hiſtrioni.

Tertius, eorum qui adulterantur, & fouent puellas, & excuſationem prætendunt, qui eas nutriunt pauperes: Sermone contra concubinarios, ibi, Qualis eleemoſyna, cùm animam expolias?

Quartus abuſus, dare diuitibus & non egenis, homil. 22. in Act. ibi, Ne in gaſtrimargi plantes ventre: hom. 1. ad Coloſſ. 25. ad pop. F. Sicut qui paraſitis.

Quintus abuſus eleemoſynarum hominibus datarum, aut ſacrificiorum Deo oblatorum, eſt cùm viliora, aut ex rapina dantur, 7. de pœnitentia, ibi, Quemadmodum nebulones. Et in prologo ad Philipp. Mor. 12. & 72. in Ioannem, F. ibi, Nam ſi Cain: & ibi, Vt enim lapis.

Sextus abuſus eſt eorum, qui rapinam bonorum in tempore perſequutionis paſſi, poſtea minus dãt, aut omnino deinceps eleemoſynis vacare ceſſant: vt liceat eis paulatim congregare & recuperare, quod amiſerunt, hom. 33. ad Heb.

Septimus eorum, qui putant ſatis eſſe ſemel in vita dediſſe: contra quos Chryſoſtomus in argumento epiſtolæ ad Philip.

Octauus in excuſatione eorum, qui prætextu bonorum communium, quæ poſſidet Eccleſia pro pauperibus, nolunt dare in particulari, hom. 21. in 1. Cor. & 37. ad populum.

Nonus curioſè nimis inquirentium de pauperibus, tom. 5. hom. Ne curioſè ſcrutentur pauperes, hom. 1. ad Philip. hom. 11. ad Heb. vbi laudat nihilominus eos qui diſcutiunt illos pauperes qui ſe dicunt ſacerdotes. Vide infrà de diuite epulone.

Decimus eſt excuſantium ſe ab eleemoſyna, quia magnã habent hæredum copiam: contra quã excuſationem, 33 & 53. ad pop. F. ibi, At inquies, &c. vſq; Si vis diuites in tuto relinquere, Deum eis relinque debitorem. 10. hom. in 2. ad Theſſ. 68. ad pop. P. M. ibi. Pueros habeo. & 7. ad Rom. Mor. 11. in 1. ad Cor. F. ibi. Verum quidem.

Vndecimus offerentium & dantium multa templis ædificandis, & calcibus conflandis, & nihil interim pauperibus largiuntur, hom. 51. in Matt. F.

Neſciat ſiniſtra.

TOm. 5. hom. Quod res per teipſum ſint diſpẽſandæ. 16. in 2. Cor. 8. Mor. ibi. Qui enim miſericordia ductus inopiã alterius &c. 14. in 1. ad Tim. F. 59. ad pop. Antioch. Si fieri poteſt ne vxor ſciat, quod maritus donat. Latuit Saram, quod fecit Abraham, F. & to. 5. de immolatione Iſaac. 38. ad pop. Abſcõdere oportet, vt meritũ maneat. 13. in Matt. operis imperf. ibi, Neſciat ſiniſtra, &c. in quo loco author meminit canonum Apoſt.

Pater reddet tibi in propatulo.

HOm. 34. in Gen. ibi, Hic erudimur &c. 7. ad Rom. Mor. ibi, Diabolus, 20. in 2. Cor. 9. Mor.

A Vbi eſt pulchra allegoria, in cuius fine ait, Quocirca cùm pauperem fide præditum cernis, ita exiſtima, te altare videre, homil. 5. de pœnitentia: 34. ad popul. F. ibi, Eius eſt tanta liberalitas. Hinc eleemoſyna ars artium vocatur quæſtuoſiſſima, quoniam ipſa comparat Domini habitationem in cælo, de qua hic, Reddet, &c. 33. ad pop. Antioch. homil. 36. ad popul. Vide quanta ſit Dei miſericordia: temporalem mortem redimere tibi non conceſſit, ſed conceſſit æternam 16. ad pop. de mercede eleemoſynæ 34. in Geneſ. plura cupimus quàm damus, ideoque pauperes dulciter & humiliter alloqui debemus. Id autem quod reddetur, regnũ eſt cælorũ, de quo, Violenti rapiunt illud. Vide 33. in Ioan. F.

SABBATO CINERVM.

De naui & Apoſtolis penè naufragantibus: deque Eccleſiæ ſanctitate & ſtabilitate.

Erat nauis in medio mari, Marci 6. & iactabatur fluctibus, Matth. 14.

B CHryſoſtomus, homil. 42. in Ioann. putat hanc de naui hiſtoriam non eſſe eam de qua Ioannis 6. Ibidem docet Chriſti tranſitum ſupra mare mirabiliorem multo eſſe tranſitu Moyſi per mare rubrum.

Vide homil. 28. in Gen. lib. 3. de ſacerdotio, vnde oriuntur in Eccleſia turbæ & mala: ſcilicet ex electionibus antiſtitum non bene factis: ſermon. 10. ad Epheſ. de ventis Eccleſiam agitantibus, auaritia, vanaque gloria: hom. 10. in Mor. de magna perſequutione Eccleſiæ, quæ eſt à filijs ſuis.

Homil. 5. de pœnitentia, tomo 5. ibi, Quare, &c. Arca Noë comparatur Eccleſiæ. Ibidem, diſſimile C vnius ad alteram.

Agitatur fluctibus Eccleſia, ſed non mergitur: quia ſancta & fortiſſima, & inuincibilis: De cuius inuincibilitate, vide tomo 5. homil. Quòd Chriſtus eſt Deus, vbi exponitur verbum Chriſti, Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam: homilia in Pſalm. 147. F. & in 2. cap. Eſaiæ P. vide etiam homil. 16. in Acta, ibi, Præceptum regium non perdidit illos. Et paulò inferiùs de bono afflictionis, ibi, Si quis autem diceret, cuius gratia permiſit illos affligi.

Hom. ad Eutropium, in id Pſalm. Aſtitit regina P. M. de Eccleſiæ fortitudine, & nominibus varijs ei congruentibus: oratione 2. cõtra Iudæos: & tom. 5. hom. 11. Cùm ageretur de exilio Chryſoſtomi.

Si Eccleſia ſancta, pulchra & ſine ruga, cur decolorata & nigra, in canticis dicitur? tom. 5. hom. de D Turture, M. ibi, Turtur.

Habet ſuas notas Eccleſia, inter quas vna eſſe poteſt, quòd Romana dicitur, quòd præcipui Apoſtoli Romæ fuerunt, & Romam illuſtrarunt, hom. 33. ad Rom. Mor. Vide articulum fidei, Eccleſiam Catholicam. Sed vide ne putes multitudinem, eſſe certam notam Eccleſiæ: (ſicuti infrà Domum 4. dicetur:) Non enim (ait Chryſoſt. 26. ad pop.) à multitudine notatur, aut diſtinguitur Eccleſia vera à falſa, ſed à probitate, & ſanctitate, quæ eſt in multitudine: & 28. ad pop. ibi, Melius eſt cum duobus, &c. & 40. ad pop. M. ibi, Hoc dico, ne quis Eccleſiã propter multitudinem admiretur. 41. ad pop. vbi Chriſtus eſt, ibi magna multitudo.

Obſerua & caue locum quendam authoris operis imperfecti, homiliæ 49. in id Matth. 24. Cùm videritis abominationem: vbi non ſincerè ſatis diſſeritur de notis Eccleſiæ, vnde à multis codicibus dictus locus eſt exploſus: tanquam de penu Arrianorum aut hæreticorum procedens, & authori tam docto falsò impoſitus. Si tamen legas aut inuenias in quibuſdam codicibus dictam homiliam nondum emendatam, vide contra peſtem hanc, antidotum & remedium, in libro ſexto Bibliothecæ

Digitized by Google

Sixti Senenſis. In qua annotatione 104. doctiſſimè de notis Eccleſiæ diſſeritur.

Laborabant in remigando, quia erat contrarius ventus.

EX ventis, agitatio fluctuum, homil. 1. in 2. ad Timoth. de Apoſtolorum labore 29. ad Roman. Mor. F. ibi, Tu verò requiem quæris.

In ventorum contrarietate quandiu & quomodo ſperandum, in Pſalm. 117. ibi, Non eripuit Apoſtolos naufragantes à principio, nec Danielem, ſed ſeptem diebus pòſt.

Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas.

HOmil. 42. in Geneſ. ibi, Dominus noſter non ſic, adſtat Dominus non longè ab ijs qui perſequutionem patiuntur. Quorum vel Eccleſiæ afflictio, vtilis, in Pſalm. 121. 138. ibi, Nox ſicut dies illum, &c. & in Pſalm. 123. Tribulationes torrenti ſimiles.

B

Eccleſiæ perſequutores perſecutionem patientur, Pſal. Dominus iuſtus concidet ceruices peccatorum: & in Pſalm. 9. verſu, In laqueo iſto comprehenſus eſt peccator. Contra quos perſequutores ſi orare vis, vt ceſſent, vel vt libereris ab eorum incurſu, dic cum Dauide, Exurge Domine, non præualeat homo. Vide hom. 3. in Pſal. 9.

Deprecabantur, vt vel fimbriam veſtimenti tangerent.

DEuotio haud abſimilis longè pòſt in B. Chryſoſtomo fuit, cupiente ſummo deſiderio tangere Pauli cineres, hom. 33. ad Rom. Et hom. de Iuuentino & Maximo martyribus F. Magna fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam conſequamur. Vide infrà feria 2. Paſchæ, de peregrinationibus.

C

DOMINICA I. DE TRIPLICI TENtentione D. noſtri Ieſu Chriſti.

Ductus eſt Ieſus in deſertum, vt tentaretur à diabolo.

DE dæmonis in tentando aſtutia 28. in 1. Corinth. vbi oſtenditur cur vxor Iob cum filijs non perijt.

Tentatur à diabolo Chriſtus, ſed non vincitur, & victoria illius tua eſt. Et ne dicas, Homo ego ſum, da mihi ergo ſimilem mihi qui vicerit. Ecce occurrit Iob fortis & inuictus, de quo homil. 1. in Iob: ibi, Diabolo Deus volens oſtendere ſuper terram iuſtum habere. Quem vt exiſtimares ſimilem tibi, vocauit eum ſcriptura virum, dicens: Vir erat, id eſt, non peregrinus à natura humana.

D

In eadem homil. vides in Iob typum tentationis Chriſti: quoniam dæmon, gradus quoſdam ſeruauit, in tentatione Iob, quos vel ſimiles ſeruauit in tentatione Chriſti. Nam primo congreſſu non allegauit teſtimonium de cælo: ſic nec in primo contra Chriſtum congreſſu aliquid allegauit, ſed tantùm dixit, Si filius Dei es &c. Secundò autem congreſſu dixit ignem deſcendiſſe, quod erat falſum: Nam ignis non è cælo, ſed ex aëre: Ita contra Chriſtũ cæleſte teſtimonium adduxit, dicens, Angelis ſuis Deus mandauit &c. quod pariter erat falſum. Nam non mandauit Angelis, vt cuſtodirent eos, qui præcipitijs temerè ſeſe exponunt

Ea eſt dæmonis aſtutia, vt cùm non ignoret Deũ eſſe ſe ſuperiorem, etiam eius auctoritate & potentia fulciri vult, vt perdat quos vult perdere. At verò Chriſtus, immotus permanſit, & Iob. homil. 5. ad pop. P. Murum perfodit inimicus, ſed theſaurum non minuit: & ibi, Quis vidit nouam victoriam contra Sathanam.

Quadraginta.

SEd cur noluit pluribus, quam quadraginta diebus ieiunare? homil. 1. in Geneſ. F. ibi, Nam licet hoc factum ſit.

Homilia 11. in Geneſ. aſſerit in omni quadrageſimæ hebdomada, duos dies remiſſionis, in quibus non ieiunabant: fortaſſe tùm à ſexageſima ieiunare incipiebant, & quinquies in qualibet hebdomada ieiunabant.

Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant.

Homilia de lapſu primi hominis, in fine.

Scriptum eſt.

PRo intellectu huius ſententiæ ſcriptum eſt, vide 41. in 1. Corinth. & 7. in 1. Corint. M. ibi, Quod oculus non vidit.

Telo ſcripturæ ſe protegit Chriſtus, quæ ſcriptura oſtium eſt, & niſi hoc oſtium infringamus, nunquam poterunt nos inimici noſtri expugnare: hom. 18. in Ioan. F. ibi, Fortis eſt veritas.

Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, &c.

24. in Geneſ. vita non eſt in ſuperficie, ſed ſcrutinio. Et vt mel deſideratur, ita verbum Dei deſiderandum, quod dat vitam: 22. & 29. in Geneſ. item in eandem Gene. 4. ibi, Sicut corpus, F. Vide infr. Dominicam 3. ibi, Beati qui audiunt verbum Dei.

Si filius Dei es, mitte te deorſum: Scriptum eſt enim, Angelis ſuis mandauit, &c. ne offendas ad lapidem pedem tuum.

VIctus dæmon verbi Dei telo nouo vtitur dolo: ita idem tentans ad adulterium, verbo Dei, Non adulterabis, victus, videns ſe non poſſe ad peccandum allicere mulierem, dolum nouũ adinuenit, quando per ariolos & magos ominari & dici fecit, quòd occurſus meretricis ſignum eſt abundantiæ, & occurſus virginis ſignum ſterilitatis: vt ſic perſuadeatur viator vel corrumpere virginem paætextu ſperatæ fertilitatis, vel eam occidere recuſantem, 21. ad populum.

Sed vt Chriſtus durè increpauit dæmonem tentantem, ita duriſſimè huiuſmodi ſuperſtitioſos obſeruatores, adulteros, & homicidas increpare oportet: ſicut fecit Chryſoſtomus zelo magno clamans, Occultamini, & ad terram declinate.

Mitte te deorſum.

Homilia 26. ad Hebræos, ante Morale.

Scriptum eſt, Angelis ſuis Deus, &c.

DÆmon eſt, qui nunc allegat auctoritatem ſcripturæ & verbi Dei: hincque Chryſoſtom. 33. hom. in Acta probat verbi Dei excellentiam: quia ipſum multi, etiam peruerſi, allegant, M. ibi, Hoc enim indicium eſt. & ibi, Vnguenta.

Allegat dæmon auctoritatem diuinam, vt ad turpia pertrahat: ſic quondam aulici & milites Dauidis, vt ei perſuaderent ſeſe vlciſci de inimico Saul: dicunt enim, Deus tradidit tibi inimicum tuum in manus tuas, homil. de Dauid & Saule, quæ eſt in tomo 1. poſt commentaria in Geneſ.

Et ſicut illi ſilent aliquid, nimirum quòd Saul fuiſſet ille qui tot optaſſet mala Dauidi, ne viderentur prouocatores iracundiæ, ſic hîc Sathan ſilet aliquid, & truncatè allegat. Silet enim, Super aſpidem, &c. Huiuſmodi vocatur proditores à Chryſoſtomo, hom. 2. in Matth. oper. imperf. ibi, Bethleem

qnia

Digitized by Google

quia truncatè allegabatur prophetia Micheæ, Ex te exibit dux, &c. Silebant enim id, Egreſſus eius à diebus æternitatis. A

Homil.8.in Gen. hæreticus quidam truncatè allegabat id, Faciamus hominem ad imaginem, vide locum:& 34.in 1.Corint.13.contra malè allegantes ſcripturam: Auarus enim & fur quidam allegabat pro ſe id Aggeæ, Meum eſt aurum,&c. Qui omnes id didicerunt à diabolo, quem Chryſoſtomus dicit Arrij præceptorem, tom.5. ſermone contra hæreticos: eo quòd à ſcripturis inquirit aliquid, non vt veneretur Chriſtum, ſed vt vituperet.

Oratione 3.contra Iudæos, tom.5. ſicut non currendum ad Sathanæ ſcholam, quia allegat ſcripturam: ſic nec ad Iudæorum aut hæreticorũ ſynagogas, prætextu librorũ quos habent. Nam ex libris habent eſcam, variamque fraudis materiã, qua ſimpliciores alliciant. ibi, Siquidem,&c.

Angelis ſuis mandauit.

ECce malè allegat ſcripturam, quod cauendum docet Chryſoſtomus, homil.in Ioann.65. F. ibi, Fortis eſt veritas. Cùm verò ſcripturis vti neſciatis, congreſſum vereor ne inermibus occurrentes, ipſi vos ſaucient. Vide hom.8.ad Hebr.Mor. B

Neque verò Sathan ſuam impietatem velo ſcripturæ tantùm tegit, ſed peccata circuntegit voluptatibus: vnde meritò dicitur negotiator ambulans in tenebris, 15.ad popul.M. Vbi pulchrè exponitur ſapientis dictum, Agnoſce quòd in medio laqueorum es.

Cæterùm etſi allegat peruerſè ſcripturam, tamen verum eſt, quòd angelos dat nobis Deus cuſtodes. De quorum angelorum miniſterio, hom.3. ad Hebr.M. ibi, Quid mirum,&c. homil.9. ad Epheſios. hom.3. de patientia Iob.

Scriptum eſt, Non tentabis. C

VSus ſcripturæ, eſt impedire ne incidamus in fallaciam. Itaque arguendi, qui negligunt eãdem, nec attendunt. Chryſoſt.hom.8. ad Hebræos, Mor. ibi, Si adverteremus. Quo loco Chryſoſtomi & ſimilibus abutuntur in ſuam perniciem inſtabiles multi, volentes omnibus peruiam ſcripturam. Qui vtinam obſeruarent quod adnotauit Sixtus Senenſ.libr.6. Bibliothecæ, in annotationibus locorum ambiguorum D.Chryſoſtomi, ſuper id Lucæ, Pater Abraham miſerere mei: vbi hæc quæſtio, An vllus abſque lectione diuinæ ſcripturæ aſſequi ſalutem poſſit, ſanctè & clariſſimè enarratur: & illa, An ſcripturarum lectio magis ad clericos, quàm ad laicos pertineat.

Vide hom.48.in Ioan.P. ex qua diſces, cur Chriſtus qui diuinitatis ſuæ virtute potuiſſet aduerſarium vincere, vicit inſtrumento ſcripturæ. D

Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.

22.ad Epheſ.M. Nunquam prima fronte Sathan aperta proponit peccata: nunc apertum proponit malum, ſed opertum lucro, & poſſeſſione omnium viſibilium. Ibidem, aurea ſententia, ibi, Si luctantes exceſſerimus, vicimus. Lege etiam Morale, homil.6.ad Epheſios.

Hæc omnia tibi dabo.

DAt dæmon, & aufert bona, malo ſemper fine, homil.3.in 1.Theſſal. Furem inducit ad furandum, poſtea curat reddi pecunias perditas: non quòd bonum velit ei, ſed vt rurſus pecunia reddita, occaſionem habeat denuò ſeducendi eum,& ad defectionem à Deo ſollicitandi,& vt ad impatientiam ſollicitet, ſi defuerint diuitiæ, 20. ad Hebræos: Mor.M. ibi, Etenim diabolus,&c. Cõtra verò Deus permittit, vt à te auferantur pecuniæ, vt liberet te à mala ſeruitute. 33.ad Hebræos, Mor.F.

Diabolus multa promittit, & nihil dat: imò qui priùs plura habebant, & ei adhærebant, tandem perdiderunt quæ priùs habuerunt: ex homil. 6.in Ioan. exemplo Adæ primi parentis.

Vade Sathana, ſcriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.

QVærit Chryſoſtomus 26.ad Hæbræos. Mor. cur Daniel non ſcidit veſtimenta, nec dixit, Vade &c. cùm honorem ei fecerint &c. Ibidem de honore, qui Deo & ſanctis debetur. Et homilia de fide & lege naturæ, ibi, Gladius Deo & Gedeoni, docet quomodo licet coniungere homines Deo: vbi allegatur ſententia, Act.15. Viſum eſt ſpiritui ſancto,& nobis.

Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis.

EN tertiò ſe defendit Chriſtus paſtor bonus. Sic Epiſcopus debet eſſe ſagittarius,& ſcriptura verbi Dei munitus, vt defendere ſe poſſit, non tantùm contra vnũ aduerſarium, aut vnam ſectã, ſed multas. Ita vt inſufficienter ſit armatus, qui ſciret Iudæum confundere,& non Sabellium. lib.4. de ſacerdotio, F.

Non autem tantùm Deo ſeruire, ſed eundem timere oportet. 15.ad pop. Antioch.P.

Ecce Angeli miniſtrabant ei.

SCilicet tamquam victori. Sic nos decet victorem diaboli Chriſtum adorare: imò deoſculari deſerti locum, ſi in eo eſſemus. Nam hom.5.ad pop. Multi confugiebant ad ſterquilinium & fimum, vbi iacebat victor diaboli Iob, & deoſculabantur locum: quantò magis liceret deoſculari locum, in quo Chriſtus vicit?

Non tantùm Chriſto Angeli adſtant vincenti, & tentato, ſed morituris hominibus, & pugnantibus in articulo mortis, 4. de ſacerdotio. Et circumſtant Angeli viros inſignes, ad miniſterium publicum vocatos. 9.ad Epheſ.P. de Heliſæo.

Quærit in pſal.123. Chryſoſtomus: Si eſt victus Sathan,& profligatus, quid eſt ergo quòd ſæpe vincit? hoc fit ex ignauia noſtra.

DE EPISTOLA I. DOMINICÆ QVADRAGESIMÆ.

Hortamur vos, ne in vanum gratiam Dei recipiatis.

HOm.55.in Acta, agitur de Pauli Apoſtoli laudibus,& doctrinæ eiuſdem excellentia: & docetur qualiter acceſſus facilè patebit ad eius altiſſimam doctrinam, F.

Obſeruatio dictæ homiliæ valet pro præfatione ad enarrationem præſentis epiſtolæ, imò omnium aliarum, quæ leguntur per annum in Eccleſia.

Ne in vacuum.

Homilia 12.ad Epheſ. quæ vana res dici poteſt.

Nemini dantes vllam offenſionem.

7.in Geneſ.P. de ſcandalo. item hom.20.in 1. ad Corinth.F. ibi, Nam dicere:& 21.in 1.Corin. ibi, Ne quod offend. tom.5.hom. Quòd regulares fœminæ, ibi, 1.Corinth.9. Bonum eſt mihi mori, Etenim ne ſcandalizet Paulus aliquem, abſtinet à re quàm licitè potuiſſet facere: quantò magis à re illicita abſtinendum?

Fortaſſe

Fortaſſe ſunt qui alios ſcandalizant, & ad peccandum alios pertrahunt, vt multitudine conſortium in peccato, eorum minuatur peccatum. Contra quos 50. ad pop. M. A

De cuius ſcandali grauitate, vide ſermonem contra concubinarios, tom. 5. ibi. Si grauiter quis peccet, & neminem ſcandalizet, minorem dabit pœnam, quàm qui leuiter peccauit, cum multorum ſcandalo: exemplo Moſis, Num. 11.

Vt non vituperetur miniſterium noſtrum.

10. in 1. ad Timoth. ante Mor. ibi, Quid ergo. & in Mor. 11. in 1. ad Timoth. Mor.

Exhibeamus nos miniſtros in ſcientia.

15. in 1. ad Timoth. paſtores debent eſſe ſcientiâ & doctrinâ illuſtres, M. ibi, Multum enim ad ædificationem confert. Ibidem reſpondetur ijs qui putant ſatis eſſe, ſi præſules vitæ exemplo doceant.

B Sed ita ſciant, & ſapiant, vt non pluſquam oportet ſapiant: nec curioſi ſint inueſtigatores rerum, hom. 6. in Ioan. ibi, Quid inueſtigas. Et ibi, Tale diaboli ingenium, &c. vſque, Non modo.

In patientia.

Vide homiliam primam ad populum Antioch. paulò ante finem.

In ieiunijs.

Libro 3. de ſacerdotio, P. ibi, Oportet Epiſcopum ſobrium: & docet non ſatis eſſe, ſi Epiſcopus vigilet & ieiunet.

De ſobrietate, quæ decet miniſtrum Eccleſiæ, homil. 21. in Ioann. vbi quæritur cur Chriſtus dixit, Ferte architriclino vinum, & non alijs miniſtris. C

In laboribus & vigilijs.

Docet ocium fugiendum. At verò ſunt qui ocioſi eſſe volunt impunè, perperam intelligentes Chriſti verbum, Ne ſolliciti ſitis. Contrà quos Chryſoſtom. homil. 43. in Ioan. P. & in Pſalm. 33. ſic, cùm dicitur, Quis eſt homo qui vult vitam: dicunt omnes, Volo. ſed cùm de labore auditur vox iſta, Declina à malo, & fac bonum: reſpondent omnes, Nolo.

Tanquam nihil habentes.

D 15. in 1. Corinth. F. & 12. in 2. Corinth. Moral. vide Indicem ad diſciplinam Eccleſiaſticam, & de voto paupertatis.

Hæc propoſitio, Nil habentes, & omnia, &c. exponi poteſt vt iſta, Scio abundare, & penuriam pati. 15. ad Philippenſ. M.

Quaſi triſtes.

Vnde triſtitia, an à rerum euentu, an à nobis? Sermone de fato.

Vt ſeductores, tamen veraces.

In Pſal. 115. ibi, Omnis homo mendax: vbi de Apoſtolis Petro & Paulo loquitur.

Per bonam famam.

12. ad Philippenſ. Moral.

FERIA II. DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.

De forma iudicij nouiſſimi.

Vide 22. homil. ad popul. Antiochenum P. M. F. vide etiam articulum fidei, Inde venturus, &c. & digreſſionem de abuſibus circa eleemoſynam ſuprà feria 6. cinerum.

Cùm autem venerit filius hominis, &c. ſeparabit, &c. Venite poſſidete.

Terribile iudicium, & horrendum incidere in manus Dei viuentis: ſed vtilitas & conſolatio ex cognitione & prædictione dicti iudicij, imò & Dei humanitas hinc manifeſtatur: vnde olim qui religioſiores videbantur, frequenter illius iudicij recordabantur: 57. ad popul. M. ibi, O Domine, &c. 22. in Geneſim: in Pſal. 7. verſu, Niſi conuerſi fueritis, docet non mediocris humanitatis & clementiæ ſignum, prædicere iudicium: & in Pſal. 142. In diluuij iudicio, clemẽtia & bonitas, & etiam in plaga Ægypti, in Pſal. 134.

Vnde meritò damnatur hæreticus quidam Manichæus, hom. 50. ad pop. qui affirmabat Deum non eſſe bonum, quia rationem delictorum in iudicio exigeret: contra quem Chryſoſtomus prædicta homil. qui monet & hortatur, vt pueri ſtatim diſcant doctrinam iudicij vtilem pro cauendis peccatis, hom. 2. in 2. Theſſ. de qua iudicij vtilitate 7. ad popul. 41. in Acta P. & 15. ad popul. ibi, Et ſicut in domo, &c.

Quoniam autem tanta prouenit ex ſcientia iudicij vtilitas, hinc eſt quòd Sathan eandem ſcientiam obſcurare, aut annihilare molitur, homil. 8. in 3. cap. Eſaiæ. Alij etiam diſcipuli Sathanæ, contra iudicij veritatem mentiti ſunt, vt ij contra quos li. 1. de compunctione cordis, ibi, Si ita eſt, & hom. 8. in 1. Theſſal. ibi, Sathanica cogitatio. Ibidem, Qui gehennam non credit, Sodomam cogitet, 8. in 2. ad Timoth. hom. 6. ad Philippenſ. Mor. ibi, Melius eſt vt ſermonibus vramini, &c.

Stimulus ad pœnitendum, iudicij memoria, 22. ad popul. ibi, Vidit propheta virgam. Cuius iudicij dies, occulta, & cur hoc? Vide homil. 2. in Acta P. ibi, Si enim, &c.

De damno & malo ex ignorantia iudicij, vide in Pſal. 9. verſu, Inquinatæ ſunt, &c. hom. in Ioann. 38. & 44. F.

Sedebit.

Seſſio, ſymbolum eſt iudicij ſtabiliter fixi: in 6. cap. Eſaiæ, P.

Omnes Angeli.

Satius eſt nunc deflere peccata, quàm audire ſententiam coram omnibus Angelis, 41. ad pop. 31. ad Hebr. 12. Moral. F. 47. ad popul. Accuſari in die iudicij, quòd non dederis Chriſto manducare, grauior eſt pœna, quàm gehenna. Id autem eſt propter præſentiam angelicam.

Separabit.

Ne quod ad vnum pertinet, alter vſurpet, vt in hoc mundo fit, tunc autem reddetur ratio, & merces pro merito: 27. in Acta P. vbi quæritur: cur Petrus ereptus in prima perſequutione, & non Iacobus? Quoniam (ait) nondum tempus erat, in quo vnicuique redderetur ratio pro merito: vnde in Pſalm. 109. M. dies iudicij dicitur dies virtutis.

Digitized by Google

A

Poſſidete,&c. Eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare.

QVaſi dicat, propter panis modicum, accipe immarceſſibile regnum &c. Poſſeſſores huiuſmodi à Chryſoſtomo in pſal. 111. dicuntur boni œconomi, aut boni diſpenſatores: quia multa paucis emunt.

Poſſeſſio, præmium eſt, de quo 35. ad pop. P. ibi Nunc verò ſi quis te in regiam deducat: hom. 2. de adoratione ſanctæ crucis, (quæ eſt in fine pſalmorum) de modo quo quis ciuis & poſſeſſor regni cælorum eſſe poſſit.

23. ad pop. F. ibi, Tunc igitur: 33. ad pop. de fonte eleemoſynæ.

Duo dicit. Primò, Poſſidete regnum paratum &c. & hoc, Dei donum eſt ſine homine. Secundo, Dediſtis enim mihi quod eſt opus hominis: & vtrumque Dominus vult ad ſalutem. 42. ad pop. F. ibi, Nec enim Deus totum id ſuum eſſe voluit, ne ſine B cauſa nos coronare videretur: neque rurſus totum noſtrum, neq; in arrogantiam dilaberemur. 12. ad Hebr. Mor. vbi clariſſimè exponitur obſcura Pauli ſententia ad Rom. 9. Non eſt volentis neque currentis, ſed Dei miſerentis.

Eſuriui enim.

TOmo 5. hom. de nulla regni ſpe (quæ homilia vocatur ſermo 229.) quæritur, cur cùm Deus poſſet pauperes per ſe ſaturare, vult eos medicare, & ipſe in eis. ibi, Poſſum præterea.

7. ad Rom. Mor. F. ibi, Omnem igitur 30. in 2. Cor. 13. Mor. ibi, Nam alioqui etiam abſque tua.

Hæc ſentētia Eſuriui, ſitiui, in carcere fui, dediſtis, collegiſtis, exponitur ho. 55. in 25. c. Mat. De operibus miſericordiæ ſpiritualibus, 20. in 2. Cor. 9. P. ibi, Nam cum iis qui terram. Vide ho. 51. in Matth. F.

C

Hoſpes fui.

HOm. in 21. cap. Actuum paraphraſis eſt ſentētiæ huius, Hoſpes fui: vbi tria ad hoſpitalitatem requiſita proponit. Et quos hoſpitio recipis, ſcrutari curioſè nimis non oportet, 35. ad pop. Ibidem in eos qui ſplendidas domos ornāt pauperes relinquunt, Chriſto (ait) nec exiguum communicas tectum: coruis autem & miluis faſtidia exornas. 45. in acta, F. ibi, Hæc dico ad confuſionem.

Sunt qui cùm ad hoſpitalitatem inuitantur, vel ad eleemoſynam, reſpondent, quòd bona Eccleſiæ & xenodochia, & hoſpitalia communia, ad hoc ſunt deſtinata: contra quas excuſationes in peccatis, hom. 45. in Acta, 37. ad popul. Antioch. M. ibi, Sed frequens eorum ſermo, commune bonum Eccleſiæ.

D Alius auarus excuſat ſe, cùm nec pauperē alit, nec verbi Dei præconem hoſpitio ſuſcipit, & dicit, Da mihi Heliam aut Paulum, & ſuſcipiam. Cui auaro reſpondetur hom. 45. in Acta: 7. vel 9. de pœnitentia, ibi, Cur quæris Heliam? Et tom. 5. homil. de eleemoſyna, ibi, Si volueris, Paulum habebis: & ho. 89. in Matth F. ibi, Nos autem: & paulò inferiùs ibi, Talia nobis comparemus horrea.

In carcere fui, viſitaſtis me.

HOm. 59. in Ioannem, F. ibi, Nolimus ergo hoc opus cōtemnere: vbi eruditè hortatur ad cōpaſſionem vinctorū: & excuſantibus & dicentibus, Vincti illi, ſunt homicidæ, & impij, reſpondet.

Quamdiu feciſtis.

QVamdiu & quo tempore egenis benefaciendum, an dū incolumes viuimus, an poſt mortem an ve propinqui morti, 25. ad pop. M. F. ibi, Secus &c. 18. ad Rom. Mor. ibi, Nō pauiſti: 18. ad Epheſ. F. hom. 84. in Ioannem, F. ibi, Cùm quiſpiam moriturus eſt. Vide prologum epiſtolæ ad Philipp. in Morali: vbi docet quòd perſeueranter & vſque ad ſenium benefaciendum eſt, & quod non ſatis eſt, ſemel benefeciſſe.

Quod vni ex fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis.

TOmo 5. hom. de miſericordia in pauperes: ſanè locupletiſſima homilia, & non ſine lachrymis à Chryſoſtomo prolata. 45. in Acta, M. F. ibi, Neſciebat, quòd Chriſtum ſuſcipiebat.

Cum egenis in nomine Chriſti petit, adiurat diuitē: cuius diuitis tātò grauius peccatū, quātò paruipendit iuramentum: 11. in 1. ad Theſ. ibi, Hęc autē dixi. vſque, Tu autē prætercurris per tuum adiurata dominum. Ibidem diuites arguuntur, qui cogunt pauperes eſſe præſtigiatores, motiones &c.

Mihi feciſtis.

ALibi, ſcriptura amplius loquitur, videlicet fœneratur Deo, qui dat egenti. Cur autem ſic loquitur ſcriptura, vide homil. in id Pſal. Verumtamen vanè conturbatur omnis homo. Quæ homilia eſt in fine homiliarum in pſal. in paruo volumine, fol. 12. F.

Ite in ignem æternum.

NVmquid diuinæ repugnat bonitati ſuppliciū æternum 37. in Ioannem, P. & hom. 3. ad Philemonem: de cuius ſupplicij aut ignis horrore, 10. in 2. Cor. Mor. & hom. 48. & 49. ad pop. vbi probat contra multorum coniecturas, quòd gloriæ amiſſio, amarior eſt pœna quàm gehenna.

Eſuriui & non dediſtis mihi manducare.

SEd numquid crudelitas eſt, ob vnum ſolum peccatum regno cælorum priuari? Reſponſio eſt 4. ad Epheſ. in Morali, M. vbi exaggeratur crimen inhumanitatis, ibi, Nec quiſpiam.

Domine, quando te vidimus eſurientem, & non pauimus?

HOm. 5. de pœnitentia. Ibidem, cur in die iudicij nulla ſit mentio furti, falſi teſtimonij & ſimilium: Quia ſcilicet dominus propriè homines non iudicat propter peccatum, ſed propriè impœnitentiam, aut quia ſalutis medicinam (quæ eſt in operibus miſericordiæ) deſpexerint.

Confirmatur idem, ex homil. 5. de verbo Eſaiæ, Mortuus eſt Ozias: vbi quæritur, cur Ozias lepra percuſſus in fronte? vt eſſet omnibus patens ſignū vindictæ diuinæ, contra vſurpatores dignitatis ſacerdotalis, & quia potiùs propter impœnitentiam, quàm propter peccatum eſt læſus: hinc non fuit percuſſus ſtatim poſt peccatum, ſed poſtquam redargutus ab Aſaria, indignatus eſt (impœnitēs) cōtra eundem. Vide homiliam de Iona ex 1. Cor, 12. Lugeam multos qui non egerunt pœnitentiam.

Cæterùm verba iſta, Domine quando &c. ſint excuſantium verba, ſed in die iudicij nullæ excuſationes: hom. 22. ad pop. P.

Ibunt ij in vitam æternam, alij in ſupplicium æternum.

NOn tamen æquale omnium præmium, aut ſupplicium, homil. in pſal. 109. verſu, In ſplendoribus &c. 31. ad Romanos. Vide homil. 39. in Ioannem, vbi argumento ſumpto à pollicitatione vitæ æternæ, ſuadet egentibus facultates erogare.

Digitized by Google

A De pœna damnatorum poſitiua & primatiua hom. 11. in Ioannem, F.

Æterna pœna vtraque: cur hæc, cùm temporale ſit peccatum? 37. in Ioannem P.

Neque verò tantùm tunc in die iudicij punientur, & poſt mortem: hom. in pſal. 9. ibi, Infixæ ſunt gentes.

Pro Euangelij de iudicio enarratione, præter præſcripta, vide ho. 12. in Acta, vbi exponitur verſus, Cognoſcetur Dominus iudicia faciens. Ibidē, cur iuſtus iudex, non ſtatim omnes punit, vt Ananiam. hom. 5. de pœnitentia: 18. in 1. Theſſ. M. F. ibi, Si verò: 3. in 2. ad Timoth. F. P. 8. in eandem epiſt. Mor. & infrà feria 6. Dom. 2. ibi, Malos malè perdet. hom. 3. de Lazaro: & 37. in Ioannem, F. in 1. ad Timoth. P.

Quòd ſi quis rideat diuinas comminationes, & ſermonem de iudicio, abutaturque Dei longanimitate, audiat Chryſoſtomum in 5. cap. Eſaiæ, F. ibi, Væ qui attrahunt peccata ſua. Si econtrà velit eſſe iudiciorum diuinorum memor, legat librum 2. de compunctione cordis: vbi dicitur quòd Dauid edidit pſalmum, Domine ne in furore, expreſſè, vt recitatione illius eſſet memor iudicij Dei.

Et pro epilogo ſermonis de iudicio, aut finali exhortatione, legat finem homiliæ 24. in Ioannem, ibi, Hoc pacto hinc emigrantes.

FERIA III. DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.

De ingreſſu Regis Chriſti in Hieruſalem, & de eiectis vendentibus.

Cùm intraſſet Ieſus Hieroſolymam, commota eſt vniuerſa ciuitas.

C NOn conueniebant ciues Hieroſolymitani, in honorificando Chriſto, quoniam quidem cōtemptim dicebant, Quis eſt hic? Alij verò ſuppliter dicebant, Hic eſt Ieſus propheta. Itaque nec pulchra, nec perfecta ciuitas: deerant enim quædā quæ requiruntur ad ciuitatis perfectionem. Hinc Chryſoſtomus 17. ad populum ex 11. cap. Act. Perfectam non reddunt ciuitatem ædificiorum aut templorum magnitudo, ſed primò, fides in Deum: ſecundò, pietas in proximum: tertiò, non ferre nouitates, quæ perturbant.

Pulchritudo ciuitatis, quando duplex ineſt magiſtratus, ſacerdotis & regis, vno vinculo coniunctus: in pſal. 121. At verò, eadem in ciuitate deformitas eſſet, ſi duos inter magiſtratus, nō eſſet talis ordo, quem conſtituit Chryſoſtomus, hom. 5. vel 6. D de verbis Eſaiæ, & leproſo Ozia.

Qui Ozias ingreſſus eſt templum, & non laudatur: rex verò Ieſus non arguitur, imò laudatur, quia non eſt vſurpator alienæ poteſtatis, templum enim domus illius erat. Alij ſunt termini regni, alij ſunt termini ſacerdotij, ait Chryſoſtomus ibidem.

Eiecit omnes vendentes & ementes in templo.

PRopheta de ingreſſuro Chriſto loquens, dixit, aut prædixit, eum fore manſuetum: ſi autem hic actus eiectionis vendentium, etiam cum flagello alia vice, (vt ſcribitur Ioan. 2.) videatur, nō conuenire cum manſuetudine, lege homiliam in pſal. 141. vbi docetur quòd manſuetudo poteſt cōuenire cùm feritate. Ibidem definitur manſuetudo.

Vide etiā in pſ. 44. verſu, Propter māſuetudinē.

Nec immanſuetus fuit Conſtantinus (de quo Chryſoſtomus oratione 3. contra Iudæos) quando amputari auriculas fecit, ijs qui volebant reædificare Hieruſalem: quoniam non ſuam, ſed Dei iniuriam vindicabat.

Eiecit vendentes columbas.

SVb qua dictione, columbas, ſpiritualia aut dona Spiritus ſancti (qui in columbæ ſpecie apparuit) intelligi poſſunt, quæ venalia nō ſunt: Scriptū eſt enim, Gratis accepiſtis, gratis date. Iraſcitur itaque meritò contra huiuſmodi dominus nūc, aut tunc in iudicio: de quo tunc in ira ſua loquetur ad eos. Sed idem dominus etiam aliquando iratus eſt cōtra principes, temporalia, id eſt principatus ſuos vendentes: vnde homilia in 3. cap. Eſaiæ, oſtēditur, quòd vna ex cauſis ruinæ Hieruſalem eſt, quoniā veſtimento vendebatur principatus. Non ero princeps, (inquiebat egenus) veſtimentum non habeo. Iraſcitur etiam dominus contra milites ſacra prædantes, 6. ad Epheſ. Mor.

Menſas euertit.

B NOn tantùm perſonas læſit, ſed loca, 19. ad pop. In deſtructione Sodomæ, non tantùm perſonas deleuit, ſed locū. Nec verbo tantū correxit, ſed facto, vt nulla eſſet diſſimulationis ſuſpicio, homil. 22. in Ioannem: cuius figura eſt in Moyſe, qui gladio Ægyptium, verbo verò Hebræum percuſſit, Exodi 1. cap. De quo Moyſe homilia in pſal. 131. debuit ſtatim à principio duram plebem reprimere: ſic Chriſtus Ioan. 2. cap. fecit, flagello eijciens.

Scriptum eſt, Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum.

CIrcunſtantia loci auget & mutat peccati ſpeciem: vnde 28. in Gen. arguitur Cham incontinentiæ: quia tēpore luctus in arca generauit Chanaam: qui etſi maledictus, præcipuè quia riſit patrem, verumtamen etiam luit pœnas ſuæ incontinentiæ: Nam apparet, quòd habuerint mandatum non generandi, quamdiu in arca fuēre, quoniam poſtea (quaſi idem mandatum relaxando) dictum eſt eis, Creſcite & multiplicamini.

Loca ſacra & templa tanto in honore olim habebantur, quòd populi egredientes, aut ingredientes ea, deoſculabantur eorum portas, propter ſacra in eis contenta, & maximè ſacram hoſtiam, homil. 30. in 1. Cor. 13. Quæ ſacra hoſtia, præſens in templo, efficit vt orationes ſint efficaciores in eo, quā foris, tom. 5. oratione de non contemnenda Eccleſia. Ibidem 30. in 1. Cor. 13. dicitur quòd Chriſtiani tunc ideo oſculabantur os fratris Chriſtiani, quòd per ipſum os ſumimus corpus domini.

Hom. 3. de incomprehenſibili Dei natura, Orate præſtantius eſt in templo, quàm in domo: quia habent ſacram oblationem in fauore.

Hom. 1. de verbis Eſaiæ, Vidi dominum, M. ibi, Non cogitas inuiſibiliter hic adeſſe Deum? Imò Angeli adſunt. Nihil ergo ibi irreligioſè agendū.

Hom. de natiuitate 7. Machabæorum tomo 1. In templo ſunt corpora Martyrum, quæ fugant dæmones: itaque ibi oratur ſecuriùs, fugientibus eiſdem dæmonibus.

Hom. 29. in Acta, Templa non tantùm vt congregemur facta: (nam & congregamur in foro & balneis) ſed vt meliores fiamus.

Hom. 40. ad pop. M. de ijs qui ſtant in templis incompoſitè: 16. ad Hebr. Mor.

67. ad pop. ibi, Non apparebis: 79. ad pop. Paulò poſt principium, ibi. Non enim Deus locum veretur, Sincerè intellige Chryſoſtomum, qui prærogatiuas locorum non damnat, quas alibi, frequenter commendat: ſed contra pigros in oratione, & & excuſationem prætendentes, oſtendit quòd non tantùm in Eccleſia orandum eſt.

Templa

Digitized by Google

Templa Chriſtianorum precioſiora templis Iudæorum: quia non lapideas tabulas, ſed Domini corpus & ſanguinem continent: in pſal. 133.

Cur olim in ſolo templo ſacrificare licuit, & nō alibi. ho. in pſal. 93. P. ibi. Verùm quoniam populus: in pſal. 112. 121. ibi, Illuc aſcenderunt: In pſal. 134. P. In pſal. 95. In pſal. 4. contra eos qui indecenter orant, hiando & fricando ſeſe. & in pſal. 43. contra garrientes, & aliorum orationes impedientes, ibi Manus tua.

Vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.

SOrtitur locus nomen à re quæ fit in loco: vide tom. 5. oratione de non contemnēda Eccleſia, P.M. ibi, Lupanar tibi videtur eſſe Eccleſia.

Latrones vocantur, quia quod vendebant fortè priùs furto & rapinis erat comparatum, etiam alienis calamitatibus: hom. 22. in Ioannem, M.

Oratione 3. contra Iudæos, Chryſoſtomus vocat conuenticula Iudæorum aut hæreticorum, ſpeluncas latronum. Et tomo 1. hom. de Anna & ablatione Samuëlis, Domus Dei fit ſpelunca latronum, cùm permittis, vt ſeruilis concupiſcentia intret in animum pueri & adoleſcentis.

Violatio tēpli, peccatum directè in Deum, non in proximum: in pſal. 95. M. vbi agitur de vindicta diuina, contra prophanatores templorum, propoſita hiſtoria Danielis, cap. 5.

Acceſſerunt ad eum cæci & claudi.

QVi non longè diſtabant à templo, imò qui in portis erant: idque vtiliter. Nam erant tranſeuntibus medici & concionatores, non verbo quidem, ſed geſtu: 30. in 1. Cor. 12. ante finē, ibi, Sed minimè. & ibi, Nos enim ſingulis diebus, &c.

Numquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactantium? perfeciſti laudem?

CVr in Eccleſia libri & pſal. Dauidis frequētiùs leguntur, quàm libri & cantica Moyſi, qui vidit Deum: vide 6. de pœnitentia, & ad Coloſſ. 9.

19. ad Epeſios, Ad pſallendum requiritur, vt attendas ad ea quæ dicuntur: Qui enim nō attendūt. &c. Tu autem (ô lector) conſidera aliud eſſe intelligere, aliud attendere corde. Non petit Chryſoſtomus, vt verba exactè, quaſi alter Cicero, intelligas aut loquaris, ſed vt corde attendas.

Hom. 3. in 1. ad Theſſ. 5. obiurgat eos qui dicunt ſe nullum in Eccleſia fructum percipere, quia audiunt legi epiſtolam non intelligunt: quos vocat delicatos auditores, quoniam venantur magis delectationem quandam (quæ fit dum quis rectè loquitur) quàm fructum lectionis.

Idem Chryſoſtomus hom. 30. in Acta, F. Floſculos verborum, & compoſitionem & harmoniam curioſiùs ſectamur, vt canamus, non vt proſimus. Quadrare poteſt hæc Chryſoſtomi inuectiua Neochriſtianis, qui Eccleſiaſtico cantu ſpreto ad ciſternas hæreticorum fugerunt, vbi melodia noua & ſermo nouus in canticis reperitur, qui dici etiam poſſunt delicati auditores.

Infantes pro pueris, non tantùm conditione ſed ætate, in pſal. 8.

Ex ore infantium perfeciſti laudem.

HOm. 9. ad populum, exponens id, Cæli enarrant, ait, Quomodo narrant, dic mihi, nec vocem habent. Vide etiam hom. in pſal. 49. Peccatori dixit Deus.

Myſteria qui celebrant, non ſemper intelligunt, 34. in 1. Cor.

Cæterùm prudens lege principium homiliæ in A pſal. 140. Nam non arguit imperitum vulgus, ſi non intelligat quod legit, aut cantari audit: ſed clerum carpit, qui ore canit & vim ſententiarum non quærit, vt quando oportuerit, alijs enarret.

Imò verò benè nota, quòd in pſal. 4. P. dicitur, cōtra curioſos: Non quærit (ait) in orando linguæ elegantiam, nec verborum compoſitionem.

Hom. in pſal. 40. Pſallendum cum intelligentia: vbi dictio, intelligentia, non capitur, vt curioſi volunt, pro eo quod eſt intelligere quod dicis, ſed pro eo quod eſt linguam ab anima audiri, vel pro eo quod eſt pſallere corde & affectu, vt ſcilicet nō lingua ſola, ſed mens adſit. Aſſumit autem Chryſoſtomus ſententiam Pauli, Epheſ. 5. canentes & pſallentes in cordibus veſtris domino: aitq;, Quid eſt in cordibus veſtris? Cum intelligentia, (inquit) vt non os quidem verba loquatur, mens autem extrà verſetur, vndiquaque diuagans, ſed vt lingua ab anima audiatur. Ibi eſt Eccleſia, etiamſi vim verborum non intellexeris.

Et ſunt nonnulli, qui hanc 1. Cor. 14. ſententiam, B Pſal. ſpiritu, ita interpretantur, id eſt, intelligentia ſcripturæ & verborum: atque concludunt ſuperuacaneè & perperā pſal. cantari, quem non intelligunt Chryſ. autem, ho. 2. in pſal. 9. aliter dicit. Qui pſallit Deo, & facit quod cantat, pſallit ſpiritu, vt quod facit dicat, & quod dicit faciat.

FERIA IIII. DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.

De ſignorum petitione, deque Niniuitarum pœnitentia & conuerſione.

Reſponderunt Iudæi dicentes: Magiſter volumus à te ſignum videre.

C PRiuſquam reſpondiſſent Iudæi, dixerat eis Chriſtus, De omni verbo otioſo reddent rationem in die iudicij. & id, Ex verbis tuis iuſtificaberis. Quæ verba, erant illis tamquam paradoxa. vnde his adhærere fidē ſine pignoribus, id eſt, ſignis, noluerunt (hom. 33. in Matthæum.) Quæ tamē veriſſima ſunt verba: de quibus ſi obiter dicere vis, vide tomo 5. homil. 4. ad baptizandos, ibi, Nullum æquè congruum diabolo organum atque lingua: & hom. in pſal. 140. verſu, Non declines cor meum in verba.

44. in Ioannem agitur de alijs, ſimilibus iſtis, ſignum petentibus.

Volumus ſignum videre.

PRo ſignorum & miraculorum tractatu, nota quæ ſequuntur.

Non tantùm nunc miracula ridentur, aut calumnijs exponuntur, ſed ab exordio Eccleſiæ. Nam & temulentiæ adſcribebant linguarum dona. D hom. 4. in Acta M. 41. in eadem Acta M. ibi, Fidem habes.

Perſonas petentes ſignum, hîc Chriſtus obſeruat: obſeruat aliquando & tempus idoneum miraculis patrandis: vide hom. 20. in Ioannem, M. ibi, Nam ſi annorum, &c.

Quidam dixerunt (calumniando) maris rubri receſſum à caſu, aut naturalem: contra quos Chryſoſtomus homil. in pſal. 113. verſu, Mare vidit, &c. Et ne quis, &c.

Miracula etſi frequentiora tempore Apoſtolorum, tunc tamen non omnino ceſſauere: hom. in pſal. 110. tempore Chryſoſtomi (quod erat 407.) etiam adhuc fiebant.

Vulgus temerè aliquando iudicat de ſignis cū contingūt: Nam terræmotum putant ſemper eſſe iræ Dei ſignum, cū ſit aliquando prouidentiæ diuinæ & conſolationis ſignum: hom. 11. in Acta.

Digitized by Google

Regula pro miraculorum vſu, in 7. cap. Eſaiæ, P. A
De eorumdem abuſu, in pſal. 117. de Ezechia: 60. in Ioannem, P.

Prophetarum dicta, aliquando apud quoſdam plus valent, quàm miracula: ho. 5. in Acta, P. & ho. 55. in Acta, ibi, Vide iterum quòd non à ſignis, ſed à lege & prophetis illorum obſtruit ora. hom. 17. vel 7. in Ioannem, P. M. Idem & 23. etiam in Ioannem, P. ibi, Qui craſſiori: hom. 2. ad Titum.

Martyrium item aut ſufferentia, aliquando tantùm aut plus valet, quàm miraculum: 13. hom. in Acta. P. tom. 5. in dictum Pauli, Habentes eundem ſpiritum.

Magnum charitatis argumentum, credere abſque pignore miraculorum, 33. in Matth.

Vide 32. hom. in 1. Cor. 13. paulò poſt M. ibi, Qui autem ſigna facit. Charitas præſtantior ſexcentis miraculis.

De qua præſtantia & valore, Luc 10. Et nota, quòd valor iſte eſt pro ſalute facientis miracula: quantum verò ad efficaciam perſuaſionis, ſanè præſtantiæ ſexcenta miracula. Sic prudens intellige Chryſoſtomum de miraculis enarrantem, prædictis in homilijs. B

Et nihilominus probata Chriſtianorum vita aliquando maiorem auctoritatē apud multos habet, quàm ſigna: 71. in Ioannem, F. ibi, Et Gentiles.

Ibidem vocat prophetias, aut ipſarum adimpletiones, ſigna quædam, & exemplis quatuor probat, quorum vnum eſt ex ſententia Chriſti, Portæ inferi non præualebunt, &c. vnde & hæretico quærenti & dicenti Catholico, Da mihi ſignum, vt palàm fiat, num Eccleſia, in qua manes, vera ſit Eccleſia: rectè & appoſitè reſponderetur: Hoc ſignū tibi ſit magnum, quòd tam frequenter eſt impugnata Romana Eccleſia, ſed non expugnata. Sic enim impletur Chriſti promiſſio: Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. C

Magi quomodo ſigna faciunt diſſimilia à Chriſtianis, hom. 49. in 24. Matth. oper. imperf.

De miraculis quotidianis, in pſal. 147. ibi, Flabit ſpiritus, & fluent aquæ.

In pſal. 45. F. ibi, Quemadmodum.

Hom. 3. in pſal. 9. ex Apoc. 16. Miraculoſam vindictam petentibus, non dat Deus ſemper: & cur? vt vbi eſſet magna pugna, magna eſſet victoria.

Generatio praua & adultera.

PRaua dicitur, 60. in Ioannem, P. quia cùm verbis erudiuntur, dicunt, Quod ſignum oſtendis nobis? Cùm autem virtus eius operibus demonſtratur, dicunt Ioannis 10. Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.

Et vt illic, in illis ſumma prauitas oſtenſa eſt; ſic hîc in Chriſto ſumma in docendo prudentia videtur: quippe qui priùs manſuetè loquutus fuerat, dicendo, Omne regnum diuiſum deſolabitur, ijs qui priùs eum iniurijs affecerant: nunc idem acerbiùs eos increpat & durioribus verbis. Sic ſtilus aliquando mutandus, & quandoque opportunè, aliquando verò importunè oportet increpare. Sic D docet agendum, Chryſoſtomus homil. in 41. Pſal. Quemadmodum deſiderat, P. Similitudine fundæ & fiſtulæ paſtoralis.

Sed delicati quidam dicunt, Semper benignè increpandos etiam nefarios, ne recedant à communione veræ fidei. Contra quos viriliter pugnat Chryſoſt. homil. 7. ad Coloſſ. in fine: de quibus dictum ſuprà in fine diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Non dabitur ſignum, niſi Ionæ qui fuit in ventre ceti.

DRaco, cete vocatur, in pſal. 148. vbi draconis admirabilis conditio deſcribitur, ibi, Laudate dominum dracones.

In corde terræ.

DE miraculis eſt quæſtio, & de morte & ſepulchro eſt reſponſio: vt doceat quòd Chriſtianus non debet tantùm admirari Chriſtum, gratia miraculorum, ſed gratia paſſionis: admirari inquā Chriſtum, pendentem & ſepultum. Vide reliquā in 11. homil. in Ioannem. M. ibi, Vidimus gloriam; Neque enim miraculorum, &c. Vide 5. ad Coloſſ. homil. F. ad Tit. vlt.

Viri Niniuitæ ſurgent, &c. quia pœnitentiam egerunt.

NOn fuerunt Niniuitæ de ſecta eorū, qui affirmant diuinas comminationes tantùm ad terrorem factas. Contra quos 55. ad popul. M. pœnitētiam enim egerūt, ne malum quod cogitauerat eis facere Deus, contingeret: Sed & auerterunt ſe à peccatis, alioqui ieiunium non ſuffeciſſet, homil. 4. in 2. Cor. de quorum Niniuitarum malitia tomo. 5. homil. Quod nemo læditur niſi à ſeipſo, paulò ante finem.

Ergo illorum exemplo auertamus nos à peccatis, vt auertat indignationem ſuam à nobis iuſtus iudex, ieiunemuſque. Sed quid, ſi ieiunare non poſſimus, numquid alia ſalutis remedia? Alia equidem ſunt, 22. ad popul. M. ibi, Auxiliorum varietatem, iuxta vulnerum differentiam demonſtrauit, ſi non potes ieiunare.

De comminatione contra Niniuitas 7. in Gen. M. 5. ad populum Antioch. 2. contra Iudæos, vbi docet, cur Deus dabat olim prophetas, qui futura mala prædicerent, ibi, Clama, &c. homil. in pſal. 7. Non vulgaris clementiæ ſignum mala prædicere, ne mala veniant.

Hom. 7. ad pop. Antioch. F. ibi, Niſi gehenna, docet, quòd pœnarū mentio plus prodeſt, quàm promiſſionum: itaque rectè dixit Ionas, Subuertetur.

Imò & tribulatio prodeſt, 66. ad pop. to. 5. oratione de beato Philogonio, 80. ad pop. M. Erat cernere rē tremendam, neglectam ſub ſacco purpuram.

Ad pœnitentiam inuitatio, 5. ad popul. ibi, Barbarorum, & epiſtola ad Theodorum lapſum, P. ibi, Non enim ad temporis, &c.

Obſeruatio.

OBſeruatione digniſſimum, quod homil. 5. de pœnitentia, de ciuitate Niniuæ & Hiericho dicitur: Cur ſcilicet dominus tamdiu tardat ad demolitionem vnius ciuitatis, qui per ſex dies totum conſtruxit mundum, ibi, Cùm Deus ſtruit, velociter ſtruit: cum deſtruit, tardè deſtruit. In prima actione, oſtenditur eius potentia: in ſecunda clementia eius & bonitas, quia tolerat: dedit triduum Niniuitis, & ſeptem dies Hiericonteis.

Pœnitentiam egerunt.

VIde in Pſal. 117. M. Quid barbaris.

Ecce pluſquam Ionas hic.

VAlidum Chriſti argumentum à maiori ad minus: ſed Chriſti argumentū cōfirmat Chryſ. alia ratiocinatione, 5. ad pop. M. Nam illi Niniuitæ in incerto pœnitentiam egerunt. Non enim continebat ſententia, Si tamen conuertamini, ciuitatem firmabo: ſed ſimpliciter dicit, Adhuc 40. dies, & Niniue ſubuertetur, &c. Nos autem, &c.

Tom. 5. epiſtola ad Theodorum lapſum, ante finem: hom. 25. in 2. Cor. M. ibi, Non dixit enim: vbi docet Paulum erga fornicatorem Corinthium (quē tom 5. epiſtola 5. putant quidem fuiſſe ſacerdotem,) fuiſſe ſicut Ionas erga Niniuitas fuit.

Quæſtio circa Dei minas.

AN debet contingere ſemper, ſicut dictum eſt; Etenim homil. 25. in Geneſ. dixerat ante diluuium Deus, adhuc centum viginti anni: & tamen antequam implerentur illi anni, ſcilicet poſt annum centeſimum venit diluuium, & excidium: eſt ne in hac re Deus mendax vel iniuſtus? abſit: Ibidem reſpondetur à Chryſoſtomo, quòd in hac iuſtitia voluit Deus dare argumentum miſericordiæ, ſuccidendo tempus ne amplius peccarent. & pœnæ maiori ſe obnoxios facerent, vt ſic liberaret à pœna futura, quos non liberabat præſenti diluuio.

Pænitentiam egerunt.

POrrò, Chriſtus dicendo pœnitentiam egerunt, probat & rata omnia habet quæcumque Niniuitæ à maximo ad minimum, pœnitentes egerunt: imò & ea quæ rex & principes ſanxerunt, vtpote iumentorum abſtinentiam. Quam ſi quis rideat, (vt Carardus in Ionam feciſſe refert Lutherum) ſubſannet & Chriſtum, vel legat Chryſoſtomum in pſal. 113. qui declarat, cur exultaſſe ferũtur arietes. Nã tantum repugnat arietes exultaſſe, quantũ repugnare videtur beſtias fleuiſſe, & ieiunaſſe.

Idem Dauid Deum laudaturus, in ſocios ſibi vocat pecora campi: quod tam turpe exiſtimari poteſt, atque iumenta ad ieiunandum prouocare. At verò Chryſoſtomus in pſal. 148. docet, quod illud facere, eſt animi valde accenſi, & amoris ardentis ſignum, omnes ſic excitare ad laudandum.

Obſerua, quòd reuocata fuit per pœnitentiam pœna ſubuerſionis & malorum, Sic reuocatur promiſſio bonorum, ſi poſt promiſſa torpeſcas: in pſal. 129. F. & in pſal. 131. F.

Ecce pluſquam Salomon hic.

CHryſoſtomus in 5. cap. Eſaiæ M. de ſapientia Salomonis diſſerens, ait: Quòd ſi quid allegoricè dicebat, ſtatim interpretabatur qualiter intelligendum eſſet, ne lector præcipitaretur in errorem: vt cùm cap. 5. prouerbiorum dixit: Ceruа amicitiæ & hinnulus gratiſſimus, conuerſetur tecum: mox interpretatus eſt, cernam illam intelligi debere vxorem legitimam. Vide infrà feriam ſecundam 4. Dominicæ.

Condẽnabunt Niniuitæ, & regina Sabba, generationem iſtã.

IN pſal. 147. quæritur, Si Niniuitis non fuit oſtenſum quid eſſet agendum, quomodo condẽnabunt generationem iſtam Iudæam? verſu, Iudicia ſua nõ manifeſtauit eis. Ibidem dogmata pulchra, de naturæ lege omnibus inſita & indita.

Regina ſurget in iudicio.

SIc Chryſoſtomus homil. 30. in Ioannem, præfert Samaritanam Chriſtianis, quæ auidiùs illis gratiam Chriſti eſuriebat: paulò ante finem, ibi, Quod ſi mulier.

Vide infrà feriam ſextã poſt tertiam Dominicã.

Sic erit generationi huic peſſimæ.

QVos hic, nunc vocat generationem peſſimam, priùs tantum prauam vocarat generationem: fortè durius loquitur, quia ſpernunt loquentem: Et dum ſuprà vocati ſunt adulteri, non culpabantur ſoli, ſed eorum patres: quoniam filij teſtes turpitudinis paternæ. Vnde Chryſoſtomus hom. 1. in pſal. 50. de vxore Vriæ loquẽs, quæ ex adulterio imprægnata erat, ait ipſam dicere po-

A tuiſſe: Prægnans ſum, peccati mei pullulat fructus, accuſatorem intrinſecus habeo, in ventre perfero perditorem.

Sic erit generationi huic peſſimæ.

EN ſacrarum vſus hiſtoriarum, quas non ſimpliciter legere oportet, ſed per eas populi nequitias corrigere, 14. ad pop. Quæ Chriſti ſentẽtia, & Chryſoſtomi gloſa, eſt contra eos qui philoſophiæ regulam ignorant de ſermonibus vniuerſalibus, minus vtilibus.

FERIA V. DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

De Cananeæ filia à dæmonio vexata, vide infrà, Dominicam 2.

Eadem feria in nonnullis Eccleſiis legitur ex Ioannis 8. Euangelium, Si manſeritis in ſermone meo.

B CVius Euangelij ſumma eſt, ad fidei perſeuerãtiam, àdque omne aliud bonum præmonere: & exponitur homil. 53. in Ioannem.

Ita autem in bono perſeuerandum, vt potiùs cogitare debeamus, quæ in futuro facienda, quàm quæ in præſenti facimus: 12. ad Philippen. P. ibi, Nam & curſor.

24. ad Hebræos, Mor. P.

Si manſeritis in ſermone meo.

MAnere in ſermone, eſt non tantum audiuiſſe, diu in audiendo ſtetiſſe, & legem ſciuiſſe; ſed eſt memoriter retinere & facere, iuxta id, Beati qui audiunt, & cuſtodiunt. De quo ſermone &

C eiuſdem cuſtodia, vide infrà Dominicam 3. quadrageſimæ, & Dominicam in paſſione: item homiliam 5. ad pop. F. ibi. Aureum veſtimentum: in pſal. 110. F. ibi, Intellectus bonus; facientibus eum: homil. 3. aut 4. ad Titum, de immundo illo, qui fluxum ſeminis patiebatur: & 41. in 22. cap. Matthæi, de cibo non maſticato.

Diſcipuli eritis.

QVi quondam diſcipuli, nunc Chriſtiani dicuntur, Act. 11. de quo Chriſtiani nomine aut nominis mutatione, 18. in Ioannem, & ad pop. Antioch. 17.

Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam.

TOmo 5. ſermone 19. Virtutibus progenitorum ne confidamus, neque vitijs eorum trepidemus, homil. 20. in Ioannem, F. homil. 3. de La-

D zaro, F. vbi docet, quòd malis nil prodeſt piorum vita defunctorum, & quàm vana erat ſpes epulonis, qui, quòd Abraham eſſet pater ſperabat ab eo auxilium.

Homil. 11. in Matth. & amplius homil. 3. oper. imperfecti.

Homil. 2. de Iob, qui fuit roſa in medio ſpinarum.

Ibidem Iob comparatur Eſau: qui Eſau probatur & demonſtratur ignobilis, licet ex nobili Iſaac, qui & à Paulo prophanus vocatur.

Homil. 20 in Ioannem, F. ibi, Nolimus igitur ob terrenam nobilitatem in ſuperbiam efferri.

Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.

SEruitus triplex, hom. 1. ad Rõ Hom. in pſal. In conuertendo P. 18. in 1. ad Timoth. Mor. 19. in 1. Cor. F. vbi de Ioſeph & Cain. In pſal. 7. verſu,

Ecce parturit, &c. ibi, Quid ergo, &c. Quid Achab ſceleſtius? vſque, Conuertetur dolor.

In hoc ſeruitus oſtenditur, quoniam qui veritatem dicit, non tot mala patitur, atque qui mentitur: in pſal.124.F. Et hinc patet, quòd vitium, ſibi ſupplicium eſt.

In Pſal.48. verſu, Dominabuntur iuſti, &c. ibi, Talis eſt rerum natura. De vxore Putipharis quæ ſerua potius Ioſephi, quam econtrà.

Præcipuè inter peccata, auaritia ſeruitutis nomē & rem, ſibi vendicat: Epheſ.5. hom.2. & 7. in Ioannem, F. & infrà in epiſtola Dominicæ tertiæ, 86. in Ioannem.

Liberi eritis.

DE libertate & ſeruitute tomo 1. in fine, in id Eſaiæ: Si volueritis & audieritis.

Pernicioſum & pericoloſum in libertate viuere, 35. in Geneſim.

Ille homicida erat ab initio.

ORatione contra Iudæos quinta: vbi probat dæmonem non poſſe ſanare ægrum, niſi fallaciter: vt meritò dici poſſint inſipientes, qui ab illo vel à ſua pompa medelam ſperant.

Vide infrà Dominicam 2. de Cananæa.

FERIA VI. DOMINICÆ I. QVADRAGESIMÆ.

De piſcina, & ægroto 38. annorum.

SVb typo piſcinæ, in qua purgabantur ægri, à quacumque detinebantur infirmitate, ſacramentum baptiſmi cū ſuo effectu adūbrabatur: de cuius effectu, hom.4. ad baptizandos, tomo 5. ibi, Et ſicut ſcintilla: homil.1. in Acta, M. vbi Euangelica allegatur ſententia, Ecce ſanus factus es, &c.

Eadem piſcina, teſtatur Iudæos habuiſſe à Deo nonnulla priuilegia præ alijs gentibus, ſicut dixit Dauid, Non fecit taliter omni nationi. De quibus priuilegijs in pſal.134. ibi, Qui percuſſit Ægyptum, &c. Et ibi, Quemadmodum pater.

In ſupradicta ad baptizandos homil. clarè exponitur Paulina ſententia, Per lauacrum regenerationis.

Qui baptiſmus etſi tergat omnem ſordem; remanet tamen poſtea aliquod veſtigium prioris peccati, quod vocatur habitus quidā: homil.41. in Acta, M. F. ibi, Vides quòd peccatum dæmone grauius, vſque, Sicut enim qui febre laborat.

Erat quidam homo 38. annos habens in infirmitate ſua.

CVr tamdiu diſtulit ſanare eum Chriſtus? Reſpondet hom.4. ad pop. ibi, Poteſt Deus omnia grauia hodie tollere: adiutor ſanè eſt, ſed in tempore opportuno. Lege totam homiliam,) quæ ſanè verè aurea eſt) & vide infrà feriam 6. Dominicæ 4. de languente Lazaro. Prædictus æger, etſi diu infirmatur, non murmurat, ſicut nec Heli, qui dixit, Dominus quod gratum eſt in conſpectu ſuo faciat: de quo lib.3. contra vituperatores, vitæ Monaſt. lib. etiam 1. de prouidentia. Morbi numquam contingunt ſine Dei ſumma prouidentia, ratione cuius morbos patienter ferre oportet: tomo 5. ho. Cùm Aureli anus: lib.3. de prouidentia F. de hoc infirmo & alijs ſimilibus: & hom.3. in 1. Theſ. Et oratione 5. contra Iudæos, in catalogo ponit martyrum, eos qui diutino detenti morbo, cum longanimitate perferunt tormenta, nec ad ſortilegos confugiunt. Ibidem ſoluuntur rationes, & excuſationes, petentium ab eis auxilium.

Vis ſanus fieri?

VOx liberi arbitrij cōfirmatrix, de quo libero arbitrio, 3. in 1. ad Tim. 45. in Ioannem, P.12. ad Hebr. Mor. vbi clarè exponitur obſcura illa ad Romanos 9. propoſitio, Nō eſt volētis, neq; currētis, ſed Dei miſerentis: hom. in pſal. 115. M. ibi, Etſi enim eius eſt trahere: In pſal 120. verſu, Nō decet in commotionem, hom.13. ad pop. ibi, Quæ vultis. Obſeruanda ſcribit de voluntate hominis.

Vis ſanus fieri.

FOrte ita infirmus interrogatur, eo quòd ſint nonnulli, qui nolūt ſanari; imò verò, 35. ad pop. P. narratur, quòd ſunt quidam qui impoſturis fingunt ſe inualidos & debiles: (tantum abeſt vt velint ſanari) & hoc faciunt, (ait) vt inhumanitatem fallant diuitum. Quos ideo excuſat Chryſoſtomus, quia nō ex induſtria aut ignauia, ſed ex neceſſitate tremorem ſimulant: 37. ad pop. Antioch. Ibidem, horribile facinus parentum refert, qui coacti ſunt ſuos excæcare natos, vt diuitum penetrarent duritiam: tom.5. homil. de eleemoſyna & miſericordia. Varia arte emollire duritiam diuitis cogitur pauper: homil. de collatione in ſanctos.

Hominem non habeo.

HOm.68. in Matthæum, Nemo poteſt dicere de Chriſto, hominem non habeo: quia ſemper adeſt nobis, paratus ſuccurrere. Non habes qui te ponat in piſcinam, ſed habes qui poteſt efficere vt non opus ſit tibi piſcina.

Dum venio ego, alius prior me venit.

NOn ſunt murmuris, nec impatientiæ verba iſta, ſed narrantis rem vt eſt, alioqui grandius peccatum priore commiſiſſet, propter quod contigerat morbus. Nam murmurare, peccatum grande eſt: de quo 1. Corinth. 10. & 8. ad Philippen. Mor.

Homil. in pſal. 127. Quid prodeſt infirmo murmur, aut blaſphemia? Siccine blaſphemando euadet dolor leuior?

Patientiæ argumenta varia habere poſſunt languidi, quorum præcipuum eſt, cùm optimè ſciunt ſe ſentire condignè peccato. Sic Ezechias, latro, fratres Ioſeph, ſine murmure paſſi ſunt, & dicere omnes potuerunt, Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum.

Verumtamen Chryſoſtomus nouum patientiæ argumentum reperit in hiſtoria Iob; quod conſiſtit in præuiſione malorum poſſibilium; (homilia, Cùm Aurelianus, tomo 5.) vbi ſcriptura allegatur, In die malorum memor ſis bonorum. Adducitur & reſponſio dicti Iob dicentis, Timor quem timebam, accidit mihi.

8. ad Coloſſ. F. Cogitare atrociora poſſibilia, regula eſt ad patienter tolerandum grauem morbum: ibi, Quid ſi in igne?

Hic languidus comparatur patienti Iob, homilia 5. de patientia Iob: qui Iob non fuit impatiens, etſi ſcidit veſtimenta ſua. Nam in hom. alia, 6. de patiētia, dicitur quòd Iob non hoc fecit vt ingratus, ſed in deſpectum diaboli, abijciens quod reliquum erat texuit veſtes, declarans robur ſuum, & quòd promptus & paratus aduerſus fugientem eſſet, vtque verè dicere poſſet, Nudus veni in mundum, nudus reuertar, &c. Vide hom.4. de patientia Moyſi, tabulas confringentis.

Digitized by Google

Poſtea inuenit eum Ieſus in templo, & dixit illi, Ecce ſanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

64.ad pop. M. ægritudine correptus, & ab ipſa ereptus, gratias agere debet: quod facit hic, in templo conſiſtens.

De gratiarũ actione, ampliora vide infrà, Dominica 4. quadrageſimæ, & in epiſtola Dominicæ 3.

Hom. in pſal. 9. & 110. eſt genus gratiarum, quod vulnus infert diabolo; quando ſcilicet gratias agimus, non poſt ſanitatem, vt hic, ſed in media dolorum. Nam afflictiones ſunt diuinæ, M.

Quæſtio.

IN paralyſim inciderat hic æger propter peccatum, & Giezi in lepram, & proditor Iudas in laqueũ: Sed cur hodie eadem peccata patrantes, ſimili & ſubita pœna nõ caſtigantur? Reſponſio eſt eſt 27. ad populũ, M. F. ibi, Nã quid, &c. ad eundem populũ, 46. F. 49. P. ibi, Et patiens: 67. P. ibi, Si id factum eſſet, fuiſſet genus humanum præreptum.

Lege etiam 40. ad popul. F. Quòd non oportet lapſum deſperare. Item 5. (vel 8.) ad popul. F. ibi, Nec hoc tantum eſt admirabile, ſed etiam quòd commiſſa corrigit. Iudices enim, &c.

Noli amplius peccare.

15. ad pop. M. ibi, Quam igitur veniam? Contra eos qui frequentiùs ad peccatũ, à quo erepti ſunt, redeunt. Auicula ſemel capta, iterum difficilè capietur. Et nos ſæpius iiſdem capti, in eadem cadimus, & brutis ſumus dementiores.

Caſtigatus Dauid de priori concupiſcentia, poſtmodum cautior eſt factus: homil. 1. in pſal. 50. F. Ibidem de fructu pœnitentiæ, ex hiſtoria, 2. Reg. 23. ibi, Sicut enim, &c.

68. in Matth. 21. & 44. in 12. Matth.

Ne deterius contingat.

TOmo 1. homil. de Sodoma & Achab: homil. 2. de lapſu primi hominis: ibi, Renouatum vulnus, peius dolet poſt curam. In eadem homilia, aurea eſt ſententia, contra eos qui principibus perſuadent, vt corporum humanorum miniſterio vtantur, ſed de anima non curent: quaſi verò corpus ſine anima Deo aut hominibus ſeruire poſſit. Homo (ait) nil aliud eſt quàm corporis animique concretio. Hæc duo tantùm hominem, dum coniunguntur, efficiunt: In iudicio Dei, vtraque ſubſtantia, in præmio, aut ſupplicio coniungetur. Vide infrà, Dominicam 3. ibi, Erunt nouiſſima peiora prioribus.

De cautela adhibenda poſt remiſſionem peccatorum in pſal. 9. verſu, Miſerere mei domine. Vide humilitatem.

Orat autem in templo hic ſanatus, vt gratias agat. Deinde propter aliam rationem, quæ eſt in prædicta homil. in pſal. 9. ibi, Vide eum orationi perpetuò affixum.

Orat, vt in poſterum in peccatum non cadat: quod peccatum ſcit eſſe fontem malorum, id eſt, à quo morbi: hinc in pſal. 3. M. Fontem ergo malorum reprimamus.

SABBATO DOMINICÆ PRIMÆ QVADRAGESIMÆ.

De transfiguratione.

TRansfigurationis typus, Nũ. 13. in fructu allato, vt ſpe fruẽdi eo alacrius irẽt: 23. ad Epheſ. Mor. ibi, cũ cælo fructus eſt ad nos delatus. Homil. in Eutropium, & in id pſal. Aſtitit regina: Hæc homil. eſt poſt finem pſalmorum, impreſſionis 1555. in paruo volumine.

De Heliæ tranſlatione 22. ad Hebr. ante Morale.

Apparuerunt Moyſes & Helias.

MOyſes & Helias apparuêre cum Chriſto in monte, quorum vnus coniux, alter cælebs & innuptus: vt in Tabor monte, manſionem habentes, ſignificent & teſtificentur manſiones in cælo paratas vtriq; ſtatui, vel ne prætẽdat nuptijs excuſationẽ, vt ille qui inuitãtibus eũ ad cœnam dixit, Vxorem duxi, nõ poſſum eo ire. Hinc Chryſoſtomus hom. de nuptijs, (quæ eſt in fine homiliarum in Ioannẽ,) ita ait. Vocatus eſt Ieſus ad nuptias, & iuit, & aquam in vinum conuertit: Ne te excuſes à virtute propter nuptias, neq; dicas nuptias eſſe obſtaculũ pietatis. Moyſes nónne vxorẽ habuit & liberos? Helias nónne virgo erat? Nónne Moyſes manna cælo deduxit, & Helias ignem de cælo: Helias virgo, auriga in aëre: Moyſes in mari viator.

In zelo conuenerunt ambo, vterque vindex egregius. Sed non conueniunt in exitu vitæ, quia vnus mortuus, alter tranſlatus. Et nihilominus etiã Dominus dedit honorem corpori Moyſi: quoniam ad gloriam eius vergit, quod non reperitur in terris. Et multi multas huius rei proponunt rationes, ſicut econtrà, cur Helias euectus in cælum. Sed Chryſoſtomus homil. de Helia, nouam & ſingularem dat rationem: vt qui ob nimium zelum cum peccatoribus viuere non valet, viuat cũ impeccabilibus. quaſi dicat illi Dominus, Aſcende in cælum: Nam ſi diu tibi manendum in terris; propediem humanum genus, quod à te continuò plectitur, protinus abolebitur.

Cur autem corpus Moyſi, occultatum, vide tomo 2. & cur in curru Helias tranſlatus, vide in principio homiliæ 3. de Helia.

Obſeruatio.

RAptus aut tranſlatio Heliæ, firmamentum & argumentum eſt vitæ futuræ & reſurrectionis, poſt hanc præſentem vitam: & id in legis tempore, ſicut Enoch tranſlatio in legis naturæ tempore, & Chriſti & reſurrectio in tempore Euãgelij. Chryſoſtomus autem ſubtili alio argumento futuram vitam æternam probat: hom. 4. de Iob Quærit enim ibidem in fine, cur Deus reddidit ipſi Iob pecora in duplum, filios verò non, ſed in ſimplum: In teſtimonium vitæ æternæ, ait. Beſtiæ perierant omnino, ideo reddidit duplum: homo autem viuit. Et vt oſtendat quòd licet prærepti filij ſint, tamen viuunt.

Hic eſt filius meus dilectus, ipſum audite.

TEſtimonio è cælo delapſo, diuinitas & virtus Chriſti filij Dei probatur: Nec decuit, vt id terreno fieret teſtimonio. Hinc factum eſt per diuinã prouidentiam, vt à Romanis non reciperetur in numerum deorum: licet ob aliam rationem noluerint, videlicet quòd pependiſſet in ligno, & per mortem exaltatus fuiſſet: ſicut Paulus aſſeruit, dicens, Prædicamus Ieſum, Iudæis ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.

Vide 66. ad pop. & 26. in 2. Cor. 12. Mor. ibi, Sic Romanorum Senatus Alexandum. & ibi, Hoc porrò vel inuitis ipſis ita diuinitus procurabatur, &c.

Vide infrà in annotationibus pro paſſione.

Filius meus.

SI Arrianus cõtra hoc cæleſte teſtimonium de Chriſti verè filij Dei diuinitate, obijciat id Ioã. 1.

Vidimus eum quaſi vnigenitum à patre: & virtute dictionis (quaſi) putet Chriſtum non verè Dei filium patris, ſed exiſtimari talem, aut ſimilem ei: ſtatim contra illam peſtem ad remedium currendum, quod eſt in homilia 11. in Ioannem, F. ibi, Id autem verbum(quaſi) non ſimilitudinis, neque parabolæ loco, ſed confirmationis & definitionis certiſſimæ. Et paulò inferius, ſimilitudine confirmat, ibi, Qui regem, &c.

Ipſum audite.

NOn tantum ipſum audire debemus, ſed deſiderare eius faciem, quam nunc intuētur beati: homil. in Ioannem 86. M. ibi, Adnitamur ergo pro viribus, vt faciem eius admirabilē intueamur. Quod tamen non fiet, ſi hîc eius vocē non audierimus, imò diſperdemur, vt ho. in 13. caput Actuum oſtenditur, ibi, videte contemptores.

Ceciderunt in facies ſuas.

QVaſi abſcondentes ſe, & declarantes maieſtatem Dei ſe comprehendere non poſſe, quantum comprehenſibilis eſt. Sic Cherubini velaſſe facies ſuas dicuntur: Chryſoſtomus in 6. cap. Eſaiæ: ibi, Sex alæ vni.

Et deſcendentibus præcepit dicens, Nemini dixeritis viſionem, donec &c.

HOm. 2. in Matthæum, ibi, In Bethleem Iudæ. Vbi & quando de Dei myſterijs aut Deo ipſo eſt loquendum, tempus eſt obſeruandum; (hom. 2. in Ioannem, M.) vbi oſtenditur Petri Apoſtoli prudentia, non in hoc tantùm quòd viſionem transfigurationis tempore ſibi præſcripto tacuit; ſed in hoc quòd de perſona ipſius Chriſti, & eius dignitate paulatim eſt loquutus: ibi, Verùm Petrus.

Perſonarum quoque circumſtantia conſideranda, vbi quæſtio eſt de myſterij aut miraculi traductione diuulgationeque. Propter quod ij tres, Iacobus, Ioannes, & Petrus, ſpecialiter electi ad propalandam viſionem tempore opportuno. Sic Chryſoſtomus, homil. 21. in Ioannem, obſeruandum docet, cur myſterium atquæ mutatæ in vinum iuſſit manifeſtari non quibuſuis menſæ miniſtris, ſed tantùm Architriclino: Quoniam ſobrius erat, alij non, M. ibi, Propterea non omnibus reuelauit miraculum.

Vide etiam 42. in Ioannem, P.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

DE EPISTOLA.

Ne quis ſupergrediatur, aut circumueniat in negotio fratrē.

FRaude videlicet, dolo, vel mendacio: huiuſmodi enim abominatur dominus. Vide 14. ad Epheſ. in Morali, quantum deteſtabile ſit mendacium.

Sciat vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in honore.

BIfariam conſiderari poteſt hæc admonitio. Primò, vt ſit ad eos, qui iam matrimonio iuncti ſunt; vt ſcilicet in ſanctitate, ſine rixa, & fraude, viuant. Secundò, ad eos qui nondum nupti ſunt, ſed nubere volunt; vt malis artibus coniuges ſibi non quærant, ſed nubant in domino, vt ait Paulus: vel vt ait Chryſoſtomus, (homil. 12. ad Coloſſ. M.) Quid autem meretrices? cùm oporteret eas pudore tegi, cū eſſent nuptiæ, cū oportet eas introdi: Matrimonij enim corruptio eſt ſcortatio. Nos autem eas ducimus ad nuptias. &c. Quando ſeminatis, quando vinum ex torcularibus hauritis, quæ vappam inducunt, an non ſecernitis? hic verò vbi ſeruanda eſt caſtitas, vappam inducitis. Quando vnguentum odoriferum, componitis, nil quod fœtidū eſt adiungi ſinitis. Quid ergo cœni fœtorem, dum vnguentum hoc paratur, inducis? Fortaſſis contra eos agebat Chryſoſtomus, quos non pudebat etiam viliſſima ſcorta, lenoneſque vocare ad nuptias, qui die ipſo nuptiarnm turpia & ſcurrilia loquerētur; aut qui coniuges non ſecus quàm ſcorta adamabant.

Vide 14. ad populum, F. de cauendi in coniugio: & 62. in Ioannem, ante finem, ibi, Pacem ſequimini & ſanctificationem: vbi Chryſoſtomus loco dictionis, ſanctimoniam, quę eſt in vulgari tranſlatione, legit ſanctificationem.

In cuius homiliæ fine, validiſſimo argumento dehortatur coniuges à fornicatione, ibi, Qui poſt vxorem.

De qua fornicatione Paulus ait, Non nominetur in vobis: quo inſinuatur quantum ipſa deteſtabilis eſt, quia nec nominari quidē debet. Vel docet, quòd nec facto, nec cogitatione, nec verbo fornicari licet: vide tom. 5. homil. de vitijs & virtutibus, quæ homilia eſt ſermo 9. Et 62. in Ioannem, F. vbi paradoxum videbis Chryſoſtomianum. Nam aſſerit, quòd indulgentior videtur Dominus erga eos qui eum offendunt idolatria, quàm qui coniugem offendunt adulterio.

Vide infrà Dom. 3. de Epiſtola, in qua etiam de fornicatione fit mentio.

Vindex eſt enim de omnibus ijs dominus.

SIc Epheſiorum ſexto, Propter hæc venit ira Dei in filios diffidētiæ. Iraſcitur enim Dominus contra huiuſmodi fornicarios: quoniam non tantum in proximum peccant, ſed ferè omnes ſunt Deo contumelioſi: quippe minus Deum quàm homines verentur, coram quibus vix auderent libidini vacare; coram Deo autem omnia contemplante, audent: homilia prima ad Philemonem.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMÆ.

De Cananæa, & eius filia dæmoniaca.

HOmilia de Anna & Samuële, quæ eſt in tomo 1. dicturo de Cananæa ſatis erit accommoda pro exordio.

Miſerere mei, filia mea malè à dæmonio vexatur.

HOm. 4. de incomprehenſibili Dei natura arguuntur illi, qui non miſerentur dæmoniacorum: ibi, Si domum tui vicini. Hæc autem mater filiæ miſeretur, illius morbum patienter fert, 8. ad Coloſſ. M. ibi, Si ergo dolores tulerit, &c. Et morbum filiæ facit ſuum, quod charitatis eſt opus, ſcicet alienum malum, facere noſtrum.

Filia mea.

FIliam vocat ſuam, etſi dæmoniaca: Nam caſuū triſtium natura, amicitiam perauget: libro 1. de prouidentia, ad Stargirium Areptitium: vbi oſtenditur cur permittit Deus, vt nos vexet dæmon.

Clamat dicens: filij Dauid, miſerere mei.

CLamat ad Ieſum, verū medicum; nō ad ariolos aut ſagas, vt plurimi qui ideo ſe non impiè agere autumant, quòd ſortilegi & arioli, non niſi

nomen Dei celebrant, vel ſacra verba proferunt aut ſcribunt: contra quos 21. ad pop. F. ibi, Propterea namque magis ipſas odi.

Oratione præterea quinta contra Iudæos, agit in eos Chryſoſtomus, qui putant, quòd ſortilegi diaboli miniſtri morbos verè curent: ibi, Quid ſi prætexat curationes, dic quòd non verè medentur. Etſi verè ſanarent, ſatius tamen eſſet emori. Quid enim prodeſt curare corpus, anima pereunte? Ibidem ſatisfacit excuſationi dicentium: longior me tenet morbus.

Tom. 5. oratione de aduerſa valetudine.

Homil. 3. in 1. ad Theſſ. F. Qui malunt mori, quàm incantationibus ſanari, coronam martyrij ferunt, F. ibi, In morbum grauem incidiſti.

Et vt non verè curant, ſic nec ſemper vel non verè futura aut abſentia ſciunt præſtigiatores: Nam ſi quid noſſent, ſcire magis debuerunt, quomodo multa donaria ſimulacrorum, furto ſublata ſunt: 8. in 2. ad Timoth.

Clamat, id eſt orat pro filia, contra dæmonem, vt
B vi orationis eijciatur Sathan: homil. 4. de incomhenſibili Dei natura, Nil eſt quod magis excurſiones impellat, quàm oratio.

– Homil. in pſal. 114. verſu, Tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui, docet ad hoc prodeſſe tribulationem, & morbum, vt inuoces Deum, P. ibi, Quando incideris in aliquem morbum, confugias ad portum. Ibidem, hortatur vt orationibus primum animæ curam habeamus: ibi, domine libera animam meam. Quemadmodum.

Hom. in pſal. 4. P. ad orationem plura requiſita, inter cætera, nil commune habendum cum diabolo communi hoſte orbis terrarum: ibi, In cũ enim: & in pſal. 7. verſu, Domine ſi feci iſtud, de requiſitis ad exauditionem orationis.

A dæmonio vexatur.

A Peccato qui vexatur, à dæmonio vexari dici poteſt: 30. ad pop. M. ibi, Multò peius, licet nõ ſpumamus: homil. 41. in Acta, M. F. Peccatum peius dæmone: & non eſt ita magnum à dæmone liberari, vt à peccato. Qui dæmon, non eſt omnis mali author, ſed aliquando homines mala generant, & poſtea dæmon intrat in hominem. Imò aliquando diabolus eſt quibuſdam virtutis occaſio, & nos diabolum accerſimus per vitia: 54. in Acta, F. ibi, Profectò dæmon non omnia efficit.

Vide infrà in tractatu & annotationibus in paſſionem, ibi, Intrauit in cor Iudæ Sathanas.

Qui non reſpondit, ei verbum.

HOmil. 30. & 38. in Geneſim.

Homil. 28. ad populum, datur remedium ijs qui defatigantur in orando Deum, ſi mox non exaudiuntur: ibi, Cùm oras, cogites quotiens audiuiſti pauperem, & tamen non exaudiuiſti eum. 79. ad popul. P. in 7. cap. Eſaiæ, P. ibi, Deus enim quempiam: docetur cur ſtatim ſemper non ſuccurrit Deus.

Diſcipuli rogabant dicentes, dimitte eam, quia clamat poſt nos.

HOmilia 2. ad Epheſios, P. & 15. ad Epheſios, Moral. de clamore vitioſo ſatis vulgari mulieribus.

Homil. 2. in 2. Corinth. M.

Homilia 4. de pœnitentia, M. Quæ homil. prudenter legenda, & ſi opus eſt cum annotatione Sixti Senenſis, libr. 6. Bibliothecæ ſuæ. Non enim illa in homilia Chryſoſtomus execratur orationes fuſas per alios, cuiuſmodi eſt oratio Cananææ pro

A filia, & Apoſtolorum pro matre & filia ſimul, nec preces, quæ vocaliter pro re temporali aut corporali fiunt, vt textus ſonare videtur; ibi, Sine mediatore exorabilis eſt. Non inquam hac ſpernit Chryſoſtomus, qui ſanctos dilexit, & inter cæteros Paulum, cuius imaginem in cubiculo habebat, vt legitur in prologo commentariorum ad Galatas, editionis anni Domini 1570. Sed vt fiduciam maiorem in Deum perſuadeat & inculcet, diſcrimen ponit inter Deum & hominem, qui Deus vtitur medijs non neceſſitate, ſed ſuauiſſima prudentia, vt cum ordine fiant omnia, homines verò impotentes, medijs vtuntur non ordine tantum, ſed & neceſſitate. Homo namque Deum alloqui ſolus poteſt, quoniam vbique eſt Deus, omnia conſiderans, & audiens: vtpote qui aures homini plantauit, & oculos finxit. Sed ſi idem homo velit regem in ſecretiori cœnaculo conſiſtentem alloqui, neceſſariò opus habet mediatore & pulſatore. At verò qui dicit vnum, non negat aliud, ſcilicet hominem per aliorum vota poſſe Deum conuenire, precari & alloqui: vtrumque enim poteſt. Hæc Chryſoſtomi mens. Alioqui cõtradiceret ſibi, qui ſeſe ſæpius aliorum precibus commendauit, & multis in locis aliorum pro alijs preces probauit.

Neque enim auerſatus eſt Dominus Abraham, poſtulantem importunè pro Sodomitis: tom. 5. ſermone 21. Ne deſperemus.

Cùm autem ibidem, homil. 4. de pœnitentia ait, Sunt nonnulli qui dicunt, Da mihi ſanitatem corporis mille verſibus. Arguit nonnullos eodem fine, quo Chriſtus multiloquium vetuit: ſed nõ flocci fecit aſſiduum orandi ſtudium: (oportet enim ſemper orare & nunquam deficere.) Nam Deus de cælo nõ flectitur multiloquio, vt faciũt dij de terra, principes, & qui in aulis regum terræ ſunt.

C Vel obiurgat Chryſoſtomus eos, qui quod minus eſt petunt, & quod maius eſt negligunt, ſanitatem ſcilicet animæ: (de qua ſuprà in expoſitione verſus, O Domine libera animam meam.) Hinc (ibidem 4. de pœnitentia) monet vt dicant, Propitius eſto mihi peccatori. Quoniam animæ peccatum, conciliauit corporis morbum: quo ſepulto peccato, citiſſimè orietur morbi ſanitas: admonuit enim Chriſtus rectè, dicens: Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

Si dicas quòd orationes factæ pro alijs, non ſemper exaudiantur: Reſpondebitur ex 14. homil. ad Rom. in Morali, ibi, Sed tamen.

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.

D BRutorum more homines viuentes, hominis nomine ſunt indigni, & nominibus brutorum (quorum naturã & conditionem imitantur) digniſſimi: homilia 23. ad populum Antioch. P. ibi, Nec enim homo es, qui tanquam aſinus recalcitres, laſciuias vt taurus, ventri tanquam vrſus indulgeas, vt ſerpens iraſcaris: & homil. in id, Ne timueris cùm diues factus fuerit homo. Quæ homilia eſt in fine commentariorum in pſalmos, ibi, Cùm te rapientem animaduerto, quomodo te lupum non vocabo?

Canes olim dicebantur Gentiles: & nunc Iudæi canes vocandi meritò, hom. 10. ad Philip. P.

De canis natura, & differentia inter canem vtilẽ & inutilem, 17. in Acta, F.

Filiorum.

IVdæi filij vocabantur; qui præ cæteris alijs rationibus, à Deo donabantur maximis prærogatiuis: in Pſalm. 134. verſu, Qui percuſſit Ægyptum, & ibi, Quemadmodum pater.

At illa dixit, Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum.

PAtiens Cananæa in conuitijs, quæ illata ſibi viderentur à ſacerdote magno Chriſto: ſic patiēs quondam Anna mater Samuëlis, in conuitijs quæ recepit à ſeruo ſacerdotis, dum oraret: homilia de Anna, tom. 1. ibi, Effugerat Dominicam tempeſtatem.

Et quod ibidem Chryſoſtomus de Anna dicit, ſcilicet, Mulier ex accuſatore fecit patronum; dici poteſt Cananæa, quæ habuit Chriſtum quaſi accuſantem, & canem vocantem: ſed poſtea aduocatum & patronum, & laudum præconem. Dixit enim, O mulier magna eſt fides tua.

Etiam Domine.

EN iam tertiò loquitur, & perſeuerans pulſat, & orat, hom. 17. in 2. Cor. 8. Mor. At, inquis, hominem eum ferre nequeo. vſque, Et tamen, &c.

Homil. vltima ad Titum, exemplum impatientiæ, & inuectiua contra eos qui dant Deo terminum, F. Nos autem.

Perſeuerantibus in oratione, auxiliatur Deus, etiam cùm omnia deſperata putantur, in pſal. 117.

Hom. de profectu euãgelij, F. ibi, Neq; enim, &c.

In Pſal. 43. poſt P. ibi, Qui aliquid eſt rogaturus.

O mulier.

SVpra homil. de Anna, tom. 1. ibi, Mulier.

Exaltat & laudat Ieſus Cananæam coram Iudæis, vt eos ad æmulationem pertrahat, 18. ad Rom. M. ibi, Fit ſæpenumero.

De excellentia & virtute fidei, homilia 62. in Ioannem, F.

Sanata eſt filia.

MArcus ait, quòd inuenta eſt iacens in lecto: quam in lecto quietem exiſtimant nonnulli deſignare animi tranquillitatem, quam habebat. Nam eam conſcientia non mordebat, nec inquietabat, quòd iuiſſet ad arioloſ: vnde oratione 5. contra Iudæos docet, quòd qui arte dæmonis à febre ſanantur, eorum febris non verè ſedata eſt: quoniam conſcientia ſemper flagellat, & totum facit tremere corpus, timetq; audire hanc vocē, O impie, violaſti fœdus Chriſto ictum. (Quod fœdus ſub ijs verbis continetur, Abrenuntio Sathanæ & pompis eius, & adhæreo Chriſto.) Et ſi ſic ſanatus fueris, dices, Quæ eſt hæc ſanitas, cùm tantas habeam intus cogitationes accuſatrices?

Sanatur vtique meritis matris ſuperſtitis filia: ſed quæri poteſt, ſi parentes defuncti poſſunt aliquid pro viuis? Reſponſio ad quæſtionem, partim eſt in hom. 2. in pſal. 50. ibi, Dauid poſt mortem. Dauid mortuus eſt, & merita vigent, Eſaiæ 37. partim etiam ex vltima homilia de diuite & Lazaro: & 20. in Geneſim. ibi, Non oportet in cognatione ſanctorum ſublimè ſapere.

Homil. 59. in Ioannem, exemplo Chriſti benefacientis filiæ & matri Cananææ monet, vt opera miſericordiæ exerceamus, etiam erga exteros & impijſſimos.

FERIA II. DOMINICÆ SECVNDÆ QVADRAGESIMÆ.

De comminatione Chriſti ad Iudæos, Moriemini in peccatis veſtris, niſi credideritis quia ego ſum.

PRius ſuauiter loquutus Ieſus, nunc acriter loquitur. Non enim eadem ſeueritate, nec eadem

A lenitate debet prædicator ſemper vti: homil. 1. ad Galat. P. homil. in Pſal. 41. Relicta fiſtula, aliquando ſumenda eſt funda.

Quæretis me.

23. ad Hebræos, Mor. P. Quomodo quæri poteſt Deus, & quomodo inueniri.

Moriemini.

MInæ aliquando plus proficiunt quã promiſſiones: vide ſuprà, feria 2. de iudicio.

Minatur autem Dominus pœnam, vt non infligat pœnam: in pſalm. 7. verſu, Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit: Vide 8. cap. Eſaiæ & Chryſoſt. ibidem, P. ibi, Sanè profuerit enarrare cauſam.

Dulces minæ, Moriemini: amariſſimæ, In peccatis. Quia non mors propriè eſt quæ conturbat hominem, ſed peccata. in pſal. 48. verſu, Cur timebo in die mala? Reſpondet. Iniquitas calcanei circumdabit me. quaſi dicat, ideo timendum in die mortis, quoniam peccata circumdant, & circumuallant nos.

B

Libro vnico contra Gentiles, vbi agitur de vita S. Babilæ, F. quæritur, cur permiſit Dominus Imperatorem Iulianum miſerè mori, ibi, Quemadmodum enim.

Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dixit. Quò ego vado, vos non poteſtis venire.

23. in Ioan. ibi, Nunquid poteſt in ventrem intrare? Qui humanis rationibus ſpiritualia admiſcet, ridicula loquitur, & delirat tanquam ebrius. Sic iſti, non tantùm ridicula, ſed turpia loquuntur.

C

Alibi Chriſto exprobrant fugam: ibi, Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Turpior eſt præſens exprobratio dicentium, Interficiet ſeipſum. Chriſtus autem Dominus, nec fugit imprudenter, nec ſeſe interfecturus eſt nequiter, qui peccatum non fecit: & qui cùm ſapientia Dei ſit, non ignorat quàm grauia ſint iſta duo crimina, fugere & occidere. Cuius Chriſti exemplo, Chriſtianus eadem crimina fugere debet: Si tamen fugiendum eſt, fugiendum vt Paulus per ſportam, id eſt, ſimili de cauſa, homil. in Acta 20. Et oratione 5. contra Iudæos, dat regulam ſeruandam in fuga, ibi, Si tu famulum tuum: vbi docet, quòd ſi Catholicus premitur anguſtia, non debet ad caſtra impiorum, & ad hæreticorum conſolationem confugere.

De fuga Dauid, & quando licet fugere in Pſalm. 3. P.

D

Niſi credideritis quia ego ſum, moriemini.

NOn parcit duris verbis Chriſtus, vt ad fidem pertrahat impios: quia bis idipſum dicit, Moriemini in peccatis: vt palam fiant quantum errent, qui perſuadent benignè increpandos aliquos, ne à communione fidei recedant: contra quos, homil. 7. ad Coloſſenſes, F. Vide in fine Indicis ad diſciplinam Eccleſiaſticam.

Cæterùm dicendo, Niſi credideritis, quia ego ſum: peccatum in ſpeciali exprimit, de quo prius in generali dixerat, quod eſt infidelitas, de qua alibi, Qui non credit, iam iudicatus eſt: vt hinc liceat ſcire, quódnam inter peccata ſit grauiſſimum, ſcilicet infidelitas. De qua infidelitate aut fide, vide in Indice ſymboli.

Non dicit, Niſi credideritis quod ſum, ſed quia ego ſum: Dæmones enim credunt Deum eſſe, ſed non credunt eſſe hunc, nec in eum. Imò nec credunt, quòd ipſe ſit Saluator mundi. Nunc autem

Digitized by Google

docet Chriſtus, quòd oportet credere, quia eſt, ſcilicet Saluator mundi.

Neque hoc tantùm, ſed oportet credere verbis quæ ex eius ore procedunt: credere inquam oportet, non diſcutere: homil. 1. in 1. ad Timoth. Moral. ibidem de Pythagoræ ſilentio: & 2. in 2. ad Timot. P. Nil deterius, quàm ratione humana velle res diuinas diſcernere.

Dices, Credam quidem verbis, ſed tantùm eius ore prolatis, & in ſacris voluminibus contentis, traditioneſque nihili faciam: vel credam quidem, ſed opera negligam tamquam infrugifera. Cui dicenti vt fiat ſatis, vide librum de fide & lege naturæ, vbi exponitur ſententia pſalmi, Ego ſicut oliua fructifera: & hom. 4. in 2. ad Theſſal. M. ibi, Eſt traditio, nil quæras amplius: homil. 6. in 2 ad Timoth. ibi, Conſuetudo animatus magiſter, impulit quoſdam ſignare ſe ſigno crucis, 8. homil. in 2. ad Tim. de Ianne & Mambrez loquitur Paulus, de quibus ne verbũ quidem in Biblijs: vnde ergo hoc ſciuit Paulus & didicit? Traditione vel ſpiritu reuelante.

Idem repetit quod prius ſemel dictum, ſcilicet, Moriemini: erudiens Eccleſiaſtem, vt non vereatur idem repetere vtiliter. 17. in Ioannem, P. & in tractatu de diſciplina eccleſiaſtica.

Cùm exaltaueritis filium hominis, cognoſcetis quia ego ſum.

Ho. 22. in Ioannem, M. F. ibi, Cũ ſurrexiſſet, &c.

FERIA III. DE OBEDIENTIA PRÆSTANDA MAGISTRATIBVS, etiam dyſcolis, aut ſceleratè viuentibus.

Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi.

Homil. 34. ad Hebræos, ibi, Melius eſt à nullo regi quàm à peſſimo. In 3. cap. Eſaiæ, ibi, Inſtituam adoleſcentes principes eorum: vbi quęſtio reſoluitur, an ſit pernicioſius nullum habere principem, quàm malum.

Quamquam autem hîc coniungantur Scribæ Phariſæis, eorum tamen munera & prouinciæ diſcreta & differentia: ſic ſacerdotis & regis. Nec vlli licet alterius iura vſurpare, homil. 4. & 5. de verbis Eſaiæ, ibi, Non tuam vſurpaui purpurã, ne vſurpes meum ſacerdotium. Ingreſſus eſt Ozias vt fieret venerabilior, & factus eſt execrabilior.

Qui ſi aliquid præcipiant quod non implent, præceptum eorum videbitur adimpletu impoſſibile, 37. ad pop. F. 38. ad popul. P. ibi, Quoniam ſi non habueris.

Homil. 5. in 2. ad Theſſ. M. ibi, Magna eſt doctoris fiducia.

4. de ſacerdotio, Benè præeſſe, eſt facere & docere: hom. 3. in 1. Corint. F. Vita bona ſyllogiſmus bonus, ibi, Sic ergo eos proſternamus: 47. in Acta, ibi, Tales oportet nos eſſet teſtes: vſque, Multum momenti eſt: 71. in Ioannem, F. Et gentiles.

Quæ dixerint, facite.

Libr. 3. de ſacerdotio, contemptores digni ſunt maiori pœnâ quàm Dathan, 85. in Ioan. F.

Tom. 5. hom. de recipiendo Seuerino, Subditus debet exponere vitam ſuam pro prælato.

Ibidem, Regibus obediendum eſt, ſed maximè ijs qui obtemperant eccleſiaſticis legibus; ibi, Oportet enim: & homilia in id Pauli, Rom. 16. Salutate Priſcam & Aquilam, &c.

Rebellio in ſubdito aut filio, plerumque (permittente Deo) procedit ex præſidentis & paſtoris patriſq; peccato, hom. in pſal. 3. F. ibidẽ, ſimile canis.

Qui Epiſcopum audit in nomine Chriſti, & ei obedit, quantum honoris exhibet ipſi Chriſto, 89. in Matth. F. ibi, Quippe tunc etiam ipſa facies.

Malus paſtor dicitur, non tantùm qui mali aliquid facit, ſed qui nil boni; hom. 9. de virtutibus & vitijs, tom. 5. ibi, Satis eſt mali, nil feciſſe boni.

Homil. 2. in 2. ad Timot. Mor. ibi, An ignoras, &c. Contra exquirentes excuſationem, & dicẽtes, Hic meus paſtor, aut Rex, debet eſſe melior me; homil. 12. ad Philip. ibi, Mille ſunt.

Obmuteſcet excuſationum talium exquiſitor, ſi obſeruauerit, quod plerunque peccata populi præcedentia, meruerunt præfectum aut magiſtrum indignum; hom. 1. de verbo Eſaiæ, Vidi Dominum, &c. 21. in 1. Corinth. F.

Qui ſacerdotem inhonorat, Deum inhonorat; homil. in Geneſim, 65. ibi, Audiant qui nunc viuunt, quantam olim ſacerdotum curam habuerint: hom. 29. in Geneſ. Fugiamus, obſecro, mores Cham.

Homil. 3. ad Coloſſ. F. ibi, Audite ergo quid dicat Chriſtus, paulò antè de Aaron & Maria ſorore: Atque de pace mutua inter præſulem & ſubditum, ibi, Cùm ingreſſus, &c.

Dicunt & non faciunt.

Homil. 2. in 2. ad Tim. Mor. ibi, Per vaccas. Homil. 1. in Acta, M. Nil doctore frigidius, qui verbis duntaxat philoſophatur, & in Pſal. 49. verſu, Peccatori autem dixit Deus. Habeat vita tua claram vocem.

Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus.

Vide ſuprà feria 6. cinerum, ibi, vt appareãt hominibus ieiunantes, & 38. ad popul. M. ibi, Et ſicut cùm veſtes. Si verò nemo ſciat præter Deum, in tuto erunt, &c. ibidem de doctoribus propter vanam gloriam prædicantibus, & placentia loquentibus: & 17. ad Rom. Mor.

Homil. ad Epheſios 1. ex pſal. 17. Secundum puritatem manuum mearum: & ibi, Quærit ſanctitatẽ quam Dei videt oculus.

Dilatant Phylacteria.

19. ad popul. F. & 21. ad eundem populum, de ligaturia, & in collo portante euangelium.

Ne vocemini magiſtri, vnus eſt enim magiſter.

Homil. 35. in Geneſim, P. ſapienter legenda. Non enim vult Chryſoſtomus, vt careamus externo eruditore: ſed docet, quòd ſi deſit eruditor, ille qui exercitatum habet ſenſum, non debet ceſſare à lectione. Vide tractatum, aut libr. 6. Sixti Senenſis, de ambiguis locis Chryſoſtomi explicatis, annot. 152.

Vnus ille magiſter, ille eſt de quo 12. ad Philippenſes, videlicet quòd aſpiciendus eſt tanquam bonus & verus doctor, & qui dixit, Diſcite à me, quia mitis ſum.

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.

39. ad pop. M. ibi, Quid dico? Extulerat ſe Abſalõ.

FERIA IIII. DE ASSVMPTIS AD MONTEM APOSTOLIS, QVIBVS prædixit paſsionem, quorumque coërcuit ambitionem & indignationem.

Aſſumpſit Ieſus duodecim diſcipulos ſecretò, & ait, &c.

Homilia 3. de incomprehenſibili Dei natura, Quoties Deus famulis ſuis explicaturus eſt aliquid, extra tumultum ducit, vt Ezech. 1.

Tunc acceßit mater, &c. Neſcitis quid petatis.

QVale patrimonium debent pater & mater filijs,66.ad populum.

Homil.10.in 1.Theſſ.de parentibus qui peccãt, vt filij ditentur:& homilia 59. de ijs qui propter filios inſaniunt,&.multa bona facere omittunt.

Qui ſi pro ſe principatus, aut pro filijs ſacerdotia & dignitates ambiunt, legant li.1.& 2. de ſacerdotio : ibidem de dolo quo vſus eſt Chryſoſtomus, vt Baſilium collegam ſuum ad officium Eccleſiæ ſtimularet. Ibidem diſcrimen maximum inter paſtorem pecudum & hominum:& quod prudẽtiam Epiſcopi non oportet ætate metiri.

Dic vt ſedeant,&c. Neſcitis quid petatis.

NEſciunt quid petunt, quoniam inuerecundè dignitatem petunt,quam Paulus exercuit cũ tremore & timore,li.6.de ſacerdotio,P. ibi,Parete, & li.3.P.ibi,Metuo. Ibidem docet quid pro parentibus facere debet ſacerdotio donatus, ſcilicet, nõ ditare eos,ſed anathema fieri pro illis: Et per totũ librum, quantis calumnijs & periculis ſit obnoxius,qui præeſt, docetur.

In Pſal.145. Magiſtratuum caſus facilior quàm priuatorum:& homil.1.& 2. ad Titum, de peccatis eligentium,ibi,Honoris.

Contra ambitioſos,hom.3.in Acta,ibi, Dederũt ſortes:& hom.34.ad Hebræos in hunc locum, ipſi peruigilant. Terribilem profert Chryſoſtomus ſententiam,vel obſcuram : cuius explanatio eſt in fine Indicis de ſacramento ordinis.

Neſciunt quid petunt; quia quantò excellentiores dignitate erunt,tanto erit eorum culpa grauior. Vide libro 6. de ſacerdotio,M. ibi, Propterea enim: ibidem ſacerdotum peccata maiora peccatis populi.

Et homil.3.in Acta,poſt medium. Epiſcopus debet omnium onera geſtare,ibi,Etenim ſi nouiſſes, haudquaquam ad primatum accurriſſes: lege ad finem vſque.

Qui alijs præſunt,obnoxij ſunt oblatrationibus populi:hom. Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo,tom. 5.ibi,Neque enim voces populi: Epiſtola ad Theodorum monachum,M.Iudex populi iracũdiæ ſubiacet:& hom.3.in Acta,F.ibi, Pauperes triobolares conuitia iaculantur in illum in foro.

De ambitionis deteſtatione,hom. 3. in Acta 39. ad popul.homil.2.ad Titum:in pſal.45.in dignitatibus collocati,faciliùs cadunt in laqueum diaboli: vnde 1. ad Timoth.3. Non neophitum ne inflatus:ho.3.da verbo Eſaiæ, Elatum eſt cor Oziæ, Dignitates inflant: quia enim potens erat Ozias, elatum eſt cor eius:homil.3. in Acta, Cogita quid contigit Symoni Mago.

Non tantùm in Apoſtolis erat ambitio,ſed inter eos erat diuiſio & ſciſma:quod ſciſma quãtum graue ſit peccatum,vide 11.homil.ad Epheſ.in Morali,P.ibi,Nam ſi dogmata,&c. vſque, Propterea dico & proteſtor,eccleſiam ſcindere non minus eſſe malum,quàm incidere in hæreſim.

Formidabilis ſententia contra ambitioſos,43. ad popul.P.Anima cupiẽns honorem & glorificari,non videbit regnum cælorum. Econtrà verò, qui dignitates reſpuunt, erunt pares Deo: ibi, Si gloriam contempſero,Deo par fio.

Homil.in pſal.7.Amor principatus,ab Abſalone omnem eiecit paternam reuerentiam,& vt homo fera eſſet,effecit.

Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?

INterrogat eos quaſi ordinandos. Nam multa requiruntur ab eo & in eo,qui vult alijs præeſſe:

A primò pati propter Chriſtum, vt hîc inſinuat Chriſtus: ſed aliud notat requiri Chryſoſtomus, homil. 3. de ſacerdotio, ibi, Nam caput valentiſſimum quidem eſſe oportet.

Poſſumus.

HÆc reſponſio,eſt beneficij acceptatio, quãquam leuis. Si autẽ quæritur an, aut quãdo liceat recuſare beneficiũ,vide 4.de ſacerdotio tom. 5.ibi, Iam domum, &c. vbi ſimilitudo eſt medici, & ædificatoris. Ibidem ex Paulo, 1.Tim.5. Epiſcopus indignum cõſecrans, cõmunicat peccatis alienis.

Homil. 12. ad Philip. Mor. contra eos qui cùm poſſunt præeſſe Eccleſiæ,recuſant;ibi, Quòd ſi dicas, Præeſſe alijs non poſſum, ſolitaria mihi vita agenda eſt:iniuriam fecisti virtuti.

Eſaias audita voce Domini, Quem mittam,&c. officium acceptauit. Quæri autem inde poteſt, An Eſaias peccauit promptè acceptãdo, ãn ve Moyſes deprecando & recuſando? Quæ quæſtio reſoluitur

B ante finẽ ſexti capitis Eſaiæ,ibi, Quid igitur ad hæc, &c. De eodem Moyſe,& cur dignus viſus eſt & cognitus qui præeſſet,vide in 2. prœmio in Eſaiã, ſcilicet,quia ſciebat flere populi dolores.

Calicem quidem meum bibetis.

MArtyrium affectu prædicit, de quo 11. in Geneſim homilia, & de quo Paulus, mortibus frequenter expoſitus.

Homil.3.ad Epheſ.in Mor. ibi,Si es Chriſti corpus,fer crucem.

In Pſal.115. Calicis genus duplex,vnus Chriſti, alter regis Babyloniæ, F.

C *Et audientes decem indignati ſunt duobus fratribus.*

COntra inuidiæ malum,& eos qui triſtantur de fælicitate aliena in honoribus, homil.24. in 2. Cor.11.Mor. ibi, Sin autem talis.& 27.in 2. Cor. 12. Mor.ibi,Perſpicuus enim furor.

De eodem inuidiæ malo,54.in Ioannem, F.

Inter paſtores & verbi Dei miniſtros nõ debet eſſe æmulatio,etſi vnus plus alio ædificet eccleſiã, hom.7.ad Rom. Mor.

Scitis quia principes gentium,&c. Non ita erit inter vos.

HOmil.52.in Acta,Quid princeps,& quæ principis officia,ibi,Princeps,&c. Prodeſſe & benefacere proprium principis eſt.

D De poteſtate coërciua Epiſcopo,29.in 2.Cor.13. M.ibi,Nam ſi manſeritis ſine pœnitentia,neceſſarium erit vt puniamus, & aliud exemplum coërciuæ poteſtatis,in hom.26.ad popu.P.ibi,Timeo,&c. Ibidem Epiſcopus vocatur princeps,38.ad pop.P. ibi,Etſi permanentes.

Homil.15.ad pop.P.ibi,Per vtraque.

15.Homil.in 2.Corinth. Mor.ibi, Duplex enim imperij genus eſt: verumtamen differentia eſt inter Regem & Epiſcopũ,hom.44.in pſal.ibi, Conſtitues: & homil.2.in Acta ante finem, ibi. Nónne terrarum orbis.

De magiſtratu neceſſario,hom.in pſal.148.F.

Sed qui voluerit maior fieri,ſit miniſter.

QVid ergo? Numquid erit confuſio? 58.ad pop. ibidem reſpondetur quæſtioni, P. Abſit,ſed perfectiſſimus ordo,

Filius hominis non venit miniſtrari.

HOmil.40.in 1.Corint.15.F.ibi,Deinde totius, &c. Deteſtatur Chryſoſtomus Epiſcopos & alios

Digitized by Google

alios quoſuis qui ſeruorum nimiam multitudinem habent, de quo ſuprà feria 5. cinerum, ibi, Dico ſeruo meo.

Non aufert primatum à Petro ſupra Apoſtolos quem antea promiſerat; ſed eum qui primarius futurus eſt, docet humilitatem, vide infrà de paſſionis myſterio, ibi, Confirma fratres tuos: & 87. in Ioannem, P. ibi, Os erat Apoſtolorum, princeps & vertex Petrus.

FERIA V. DE EPVLONE DIVITE, ET LAZARO MENDICO.

Homo quidam erat diues.

HOmilia ad Eutropium, tom. 1. in fine commentariorum in pſalmos, in id pſal. Adſtitit regina, de diuitijs loquens dicebat, Videor vobis oneroſus & moleſtus. Ingratos habebat auditores Chryſoſtomus, quia erant auari: Et diuitiæ ſuffocant verbum, vt dixit Chriſtus: & idem docuit Chryſoſtomus, homil. 23. in Ioannem, F. ibi, Anima enim affectibus implicita.

Non tamen ceſſandũ à clamore, & obiurgatione vitiorum auaritiæ, & gulæ. Nam etſi nõ omnes auari conuertantur, aliqui tamen. Vide homil. 1. de Lazaro, cuius initium eſt, Heſternum, &c. P. ibi, Volebam à prædicatione deſiſtere, vſque, Quandoquidẽ & piſcator, locupletiſſima ſanè homilia.

Quòd ſi longiùs de diuitijs dicere optas, obſerua quæ ſequuntur. Primò quòd hæc ſententia. (Diuitiæ & paupertas adeo) clarè exponitur, homil. 34. in 1. Cor. 13. & cur impij diteſcunt, oſtenditur. Deinde 21. ad popu. comparantur diuitiæ paupertati, M. ibi, Ne magnum: & 23. ad eundem populum: hom. vlt. ad Titum: 13. in 2. Corinth. 7. an maior ſit difficultas viuendi in paupertate quàm in diuitijs: hom. 54. in Acta, F. Pauperes ſunt diuitibus ſapientiores: hom. de oratione Annæ, præſtat eſſe pauperem quàm diuitem. Etſi diuitiæ natura ſint iniquæ, oſtenditur, 12. in 1. ad Tim. Mor. P. M. F.

Tomo 5. ſermone 15. de malis à nobis auertendis, P. ibi, Auri cupido etiam ſæuit in mortuos, & tortore crudelior auarus: ibidem de conſpuente in faciem: & 11. ad Rom. F.

Paradoxum Chryſoſtomi, Nil abiectius aut humilius diuitibus, in Pſalm. 142. Idem 75. in Ioannem, F.

Hom. 2. in pſal. 47. quæ etiam in fine Commentariorum in pſalmos eſt, de Epulone.

Homo quidem erat diues.

INdignus eſt nomine homo aut hominis, quiſquis non eſt miſericors & eleemoſynarius: 21. & 23. ad populum Antioch. M. ibi, Itaque niſi: 34. ad popul. M. ibi, Qui namque ſibi viuunt. 33. homil. ad populum, reſpondet excuſantibus ſe ab eleemoſyna, & dicentibus, Dedi militibus, do infantibus. Arguuntur ibidem, qui dedignantur reſpondere pauperibus, Imò, qui eos verberant: ibi, Si non dare crimen eſt, verberare quam reportabit veniam?

Arguuntur etiã diuites, qui curioſè nimis de vita & conditione pauperum inquirunt & ſcrutantur: homil. 21. ad Rom. Mor. & 1. ad Philip. Mor: F.

Homil. 35. ad populum, Non eſt contumelijs inſectandus pauper, Ibidem horribile facinus parentum, qui coacti ſunt excæcare pueros, vt diuitum penetrarent duritiam: de quibus ſuprà feria 6. cinerum.

Homil. 37. ad populum, arguitur diues, qui pauperi nil dat, ſed copioſum argentum dat præſtigiatoribus: 21. in 1. Cor.

Sed cur homo quidam dicitur, & non homo nobilis, vt ille de quo, Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam? Quia non habebat inſigne veræ nobilitatis, quod eſt miſericordia, vt ſcribitur in Morali prologi epiſtolæ ad Philippen. ibi, Quemadmodum diuitum liberi.

Imò verò nomine hominis indignus eſt, ſi obſeruetur hominis definitio, quæ eſt in 21. hom. ad pop. Antioch.

Diuitias dat Deus bonis & malis. Cur hoc? hom. in pſal. 33. F. ſe autem dat tantum bonis, homil. 42. in Ioan. F.

Homil. in pſal. 48. diuites vocantur ſtulti, verſu, Hæc via illorum.

Epulabatur quotidie ſplendidè.

VEriſſimile eſt Epuloni vnguẽta nõ defuiſſe, ſed quod pretioſius eſt omnibus vnguẽtis nõ habuit, ſcilicet eleemoſynã, quæ per fragrantiam ſuã omnes in ſe conuertit, homil. 2. in 1. ad Tim. Mor.

Tom. 5. ſermone contra crapulam, F. & ſermone ſequente contra corporis voluptates, & 57. ad populum, Vbi ebrietas, ibi diabolus; vbi turpia verba & ſaturitas, ibi dæmones: 37. in Geneſim homilia, ibi, Quæ vtilitas ſuperfluorum?

15. ad pop. F. Non dicamus, quia comeditur aut bibitur, omnia mala. Non enim, &c. Et paulò inferius, plura pro euangelij Epulonis enarratione, maximè vbi de 30. capite libri Iob mentio fit.

Si dicat quis, Non poſſum omnino à delitijs abſtinere, legat, 13. homiliam ad Epheſios, Moral. ibi, Non potes pecuniam. Ibidem docet, quòd viris imputari poteſt peccatum mulieris nimis luxurioſè ornantis ſeſe: ibi, Alioqui autem, &c. F. Ibidem exprobratur matrifamilias, quòd ancillæ nimis laſciuè ſe ornant.

Induebatur purpura & byſſo.

HOmil. 50. in Matth. F. 21. in Geneſim, F. ibi, Sicut corpori: homil. 60. in Ioan. F. homil. 23. ad populum, M. ibi, Sicut enim ille. Nabuchodonozor dementi comparantur, qui humanam gloriam aucupant veſtibus.

Homilia 26. in Ioann. F. homil. Quòd fœminæ viris non cohabitent, tom. 5. ibi, Etenim veſtes non ſunt datæ vt ornemur: 60. & 68. in Ioann. F. ibi, Aurifices, &c.

Contra vanam gloriam in veſtibus, 39. ad pop. M. ibi, Sed pulcher es, vſque, Non confunderis: 7. ad Philip. Non es pauone pulchrior: 11. in 1. ad Timot. Mor. F. 7. ad Coloſſ. 11. ad Rom. 9. ad Philip. Moral. 10. ad Philip. Moral. ibi, Eodem enim honore, & mulieres & equos dignantur: hom. 26. in 1. Cor. M. 28. ad Hebræos, Mor. In mulieres impudenter intrantes ſacrum templum, cum inhoneſto habitu. Ibidem reſpondet coniugibus, quæ dicunt ſe id tantum facere, vt maritis placeant. ibi, Cùm limen ſupergreſſa, cuncta illa deponis. Ibidem faciem pulchram, ſplendor animæ conuenuſtat.

Sunt qui faſtum & veſtimentorum ſuperfluitatẽ non redarguendam dicunt, ne recedant à fide qui ſic mollibus veſtiuntur: in quos egregiè loquitur Chryſoſt. homil. 7. ad Coloſſ. ibi, Qui volet reſiliat: hom. 60. in Ioan. F. & hom. 50. in Matth.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam diuitis vlceribus plenus.

MEndici ad ianuam iacentes, præceptores noſtri ſunt, quos miſit Dominus ad conſolationem noſtram, 28. ad pop. Antioch. M. ibi, Communes. Et proſunt ad ianuam diuitis, vt deponere diſcat diues animi tumorem: 30. in 1. Cor. 12. Mendici medici ſunt, F. ibi, Sed hi minimè: homil. 53. in Acta, F. ibi, Aſſueſce, &c.

In Pſal. 95. Dedecus diuitum, clamor pauperum.

Tom.5. homil. Quòd nemo læditur. de patienti- A
bus & impatientiſſimis pauperibus: & homil.17. in 2.Cor.ibi.Ne igitur,&c. Ibidem de cane fit mentio: & 19.hom.in Morali:lib.3.de ſacerdotio, de importunis & vociferantibus pauperibus, quibus humaniter eſt reſpondendum:Nam verbum ſupra donũ, excellens eſt bonum.

Hinc in Pſal. 11. verſu, Propter miſeriam & gemitum pauperum, diuites caueant afficere iniurijs pauperes. Nam ſi diuites habent opes & potentiam, pauperes habent arma validiſſima, luctus & eiulatus.

Et diues, qui ſic dulciter alloquutus fuerit pauperes, erit Chriſti imitator:de quo tom.5. homil. de eleëmoſyna, & de miſericordia, P.ibi, Deſine,&c. Nunquam auditum eſt,quòd Deus petenti panem dixerit,Deſine,abi in malam rem,mihi es nimis importunus.

Sed cur iacet in ianua, & non introducit diues illum in domum? dicet,quia eſt ſordidus. Cui reſpõdet Chryſoſt.homil.1.ad Coloſſ.Mor.ibi, Quid autem dicis, eſt immundus & ſordidus? laua eum, & B
duc in tuam menſam. Hom.in Pſal.33.F. in eos qui abhorrent pauperes malè indutos.

Cupiebat ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat.

AN per te, an per alium res tuæ adminiſtrandæ, tom. 5. homil. Quòd diſpenſatio rerum melius per ſeipſũm:21.ad Romanos,ibi, Hoſpitalitatem ſectantes. Abraham per ſe hoſpitalitatem ſectatus eſt.

Multum prodeſt patrifamilias, ſi per ſe dat eleemoſynam.Nam ſic,videt pauperem,cuius aſpectus mouet viſcera.Vide 14.in 1.ad Timoth. Si non dat eleemoſynam, materiam ſalutis ſibi à Deo datam C
amandat,41.in Geneſim.

Nec tamen materiam ſalutis prædictam conſeruaret ſibi diues,qui pauperem doceret facetias,quibus victum ſibi pararet.Vide 17.ad Epheſios,ibi,O abſurditatem, Mor.F.

Porrò hæc ſententia(nemo dabat)poteſt habere hunc ſenſum,id eſt nec maritus, nec ſponſa, nec ſeruus,nec ancilla dabant.Contrà vero Abraham & Sara,imò & ſerui hoſpitalitatem ſectantur, vt dictum eſt ſuprà:vnde homilia in pſal.48. (quæ eſt in fine commentariorum in pſalmos.(Non tantùm maritus debet eſſe liberalis, ſed coniux. Communia ſunt(ait)iura & fœdera nuptiarum, ſint & virtutis officia communia.

Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.

D

CAnes veniebant ad canem. Chryſoſtomus enim 28.ad pop.Canes vocat pauperes iacentes in foribus,qui cuſtodiunt portas:& 33. ad eundem populum vocat pauperes pugnatores tomo 5.oratione de aduerſa valetudine, & barbarorum inſidias repellentes:vt enim canes dominum ſuum à lupis liberant, ita qui benefecerit egeno, in die mala liberabitur ad vocem pauperis orantis pro eo.Et hinc eſt quod homil.30.in 1.Cor. 12. pauperes dicuntur medici.

Homil.42.ad popul.exemplo canum,ad temperantiam inuitantur homines:ibi,Ænigma:11. in 1. ad Theſſal.F.

Factum eſt autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.

MEndicus,qui nullas fortè fecit eleemoſynas, in eodem loco eſt cum Abraham, qui multas fecit; quoniam paſſus eſt multa patienter. At verò pati præſtantius eſt quàm agere:in pſal. 127. & tomo 5.epiſt.3.ad Olympiadem fœminam illuſtrem:& homil.in id Pauli, Habentes eundem ſpiritum.Lazarus propter ſolam infirmitatem, ſimilem Abrahæ adeptus eſt finem.

Mortuus autem eſt & diues, & ſepultus in inferno, &c. Vidit Abraham & Lazarum.

PRophetia de pœnis inferni paratis epulonibus, Eſaiæ 5.Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum non deſiturus.Chryſoſtomus ibidem exponit id Amos, 8. Væ qui comeditis agnum de grege.

Videt Lazarum.Cur?65.ad pop.M. vbi plura de diuitijs & paupertate.

Tales mortui ſunt lugendi, qui ex diuitijs ſuis nullam ſibi parauêre conſolationem: 69. ad populum.

Pater Abraham, miſerere mei.

HOmilia 2.ad Philippenſ. Moral. Tomo 5. ſermone contra luxum & crapulam,de ijs quorum miſereri decet.

Homilia vltima de Lazaro, & 20. in Geneſim, Non oportet in cognatione ſanctorum ſublimè ſapere:& vide ſuprà feria 5.Dominicæ 1.

Hic conſolatur, tu verò cruciaris.

HOmil.3. in 2.Theſſal.Fomentum inferni ſunt diuitiæ: M. ibi, Rationis expertium camelorum.In pſal.25.F.ibi,Et quia prætermit.

Recordare.

AVgetur dolor, dum hoc audit Epulo: Nam tunc acriùs extimulant afflictiones, quando eas conferimus cum priori fælicitate. Sic Iob. Chryſoſtomus in 4.cap.Eſaiæ, M.

Chaos magnum firmatum eſt.

25.in Geneſim,clauſit Dominus forinſecus arcã, ne iuſtus Noë videret mala,& interitum impiorum.

Homilia 13. ad Philippenſ. Moral.F. ibi, Taliaque nos dicturos.

Itaque quoniam in inferno nec pœnitere datur, nec à pœnis exire. operemur bonum, dum tempus habemus, 25.ad popul. ibi, Nondum in infernum deſcendiſti.

45.ad popul. M. Epulonem ſerò peccati pœnitet,tu præoccupa faciem iudicis.

48. ad popul. veniamus itaque & in fine tomo 5. epiſt.3.cuius exordium eſt,Age,&c.

Hinc tranſire ad vos non poſſunt.

HOmilia in Pſalm.136.ibi, Audiamus fratres: in Pſal.48.verſu, Frater non redimit,ibi, Non licet illic ſolutis pecunijs: homil. 11. in Ioannem, F.ibi,Nolimus:83. in Ioannem, F.

Mitte ad fratres, ne veniant.

NOn erat epulo de eorum ſententia, qui exiſtimant mitius fore iudicium, ſi multos præcipitauerimus nobiſcum in perditionem, de quibus homil.50.ad popul.M. ibi, Ne putes: homil.4. ad Epheſ.Mor.F. & decima in 1.ad Timoth. Moral. ibi, Verùm id gaudium.

45.in Geneſim, Nulla vtilitas pœnitudinis feræ.

Mitte aliquem ex prophetis.

PRimò lib.contra vitup. vitæ monaſticæ, M. Poſt mortem diues in honore habuit prophetas, quos inanes,dum viuebat,exiſtimabat.

Neque ſi quis ex mortuis ſurrexerit, credent.

HOmil.49.ad popul.in eos qui dicebant, Quis ex inferno redijt,aut nuntiauit quæ ibi fiunt? ibi, Hominum quidem nemo, Sed Deus omnium fide digniſſimus annuntiauit.

FERIA VI. DE VINEA MALE CVSTODITA, IDEOQVE ALIIS agricolis locata.

Homo quidam plantauit vineam.

DE immenſo Dei amore in vineam,& Eccleſiã ſponſam ſuam, 48. ad populum, ibi, Vocantem:& in pſal.138.F.Sepem circumdedit.

Prouidentiæ diuinæ opus eſt,quòd nunquam relinquit vineam ſuam ſine agricolis : nam proſtratis quibuſdam,eriguntur alij. Cùm deleret Dominus per diluuium omnes homines,non priùs deleuit,quàm prius radicem aliquem & fermentum iuſtum ſupereſſe voluerit; ſcilicet tres viros, quos Noë genuit,22.in Geneſim,& 45.

Homilia 10. ad Epheſios, F. de paſtorum ſomnolentia,ibi, Cauſa autem eſt ipſarum Eccleſiæ columnarum.

Fortè verebuntur filium meum.

4.ad Coloſſ.M.ibi, Et hæc eſt cauſa.

Homilia 5.ad Rom.vbi docet,Deum nil non feciſſe,vt à nobis ipſe diligeretur.

Quid faciet operarijs illis? Malos malè perdet.

3.hom.ad Heb.M.Hoc enim eſt minùs moleſtũ.

Ad principes verba hæc erant, quos hîc arguit cum modeſtia, & per parabolam: Sic differenter maiores & minores ſunt corripiendi. Vide hom.in id Rom.16.Salutate Priſcam & Aquilam.Vide etiã Indicem, ad diſciplinam Eccleſiaſticam.

Maius operarius vineæ erat proditor Iudas, & locata eſt vinea Matthiæ Apoſtolo,perditusſque eſt nequam ille proditor,Sed cur nunc omnes pariter non pereunt,qui ſimile facinus committunt? li.3. contra vitup. vitæ monaſticæ: 3. de Lazaro, F. in pſalm.139.F.ibi,Si enim vellet: homil.5. de pœnitentia: 3.6.& 8.in 2.ad Timoth. mentio fit de Anania expirato,de Pharaone & Giezi: In pſal.6.P.M. ibi,Quoniam erat maximæ iniquitatis, præceptum ſtatim violari.

Lapidem quem reprobauerunt,&c.Cognouerunt quod hoc de illis dictum eſt.

ORatione 1. contra Iudæos, de eo qui obtexit oculos. Ibidem, ſententia datur contra ſeipſos per ſeipſos,figura 3.Reg.20.

Obſcurè ChriſtusDauidis ſententiã adduxit,ne Iudæorum accenderet irã, qua feruebãt:in pſ.117.

Auferetur à vobis regnum Dei.

NImirum, quia hæredem vineæ occidiſtis. Itaque Chriſti verbum, prophetia eſt exilij Iudæorum:Qui ideo exulant, & priuantur regno, ſacerdotio & templo;quia Chriſtum innocentem occiderunt. At verò prædicti interfectores negant ſe ob id exulare, imò verò impudenter affirmant ſe ideò dura ſeruitute opprimi, quia præſtigiatorem occiderunt. Contra quos apologiam fecit, Chryſoſtomus eruditiſſimam,quæ eſt in homil.in pſal.8. verſu, Vt deſtruas inimicum.

SABBATO DE DVOBVS FILIIS, IVNIORE PRODIGO, ET ſeniore inuido.

Homo quidam habuit duos filios.

HOmilia 10.de pœnitentia, paraphraſis eſt hiſtoriæ prodigi,tom.5.hom.etiam 61. ad populum, plurimum valet pro explanatione eiuſdem: in fine cuius rectè definitur pœnitentia.

Homilia 24. in Geneſim: cur vnus filius bonus, alter malus.

Epiſtola ad Theodorum lapſum.

Dixit adoleſcentior, Pater da mihi ſubſtantiam quæ me contingit. Pater diuiſit illis ſubſtantiam.

LIbr.3. contra vitup. vitæ monaſticæ. Filij mali ſunt non natura,ſed ſponte & propoſito: 6. in 2.ad Timoth.P.Nec quoque mali propter pulchritudinem vel iuuentutem:vnde homil.1.in Pſal.50. Non ceſſabo ſæpius adoleſcentulum nominare Dauidem, vt nullus neque iuuenem culpet, nec ſenem collaudet, P.

Diuiſit ſubſtantiam.

QVæ hæreditas præcipuè relinquenda filijs,66. in Geneſim,ibi,Et ſicut pueri gladios.

Hom.9.in 1.ad Timoth.de filiorum educatione: libro autem 3. contra vituperat. vitæ monaſt. eſt inuectiua in parentes,qui opes & gloriam permittunt filijs,& alia caduca, nulla facta mentione cæleſtium bonorum, vt ad virtutem alliciant: quin potius prouidetur dictis filijs de pædagogis,qui doceant eos ſaltare.

Subſtantia pro diuitijs, quas bonis & malis dat, & ſe tantum bonis communicat, capi poteſt, in pſalm.33.F.ſed & ſignificare poteſt liberum arbitrium,quod Deus vtriſque filijs,bonis & malis,dat: de quo libero arbitrio, ſuprà feria 6. Dominicæ 1. & in pſal.115.ibi,Etſi eius eſt trahere.

Qui peregrè profectus in regionem longinquã, diſſipauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, viuendo luxurioſè.

PRofectio illa in regionem longinquam, ſignificat fugam aut receſſum à Deo . Sed an fugere à facie Dei poſſimus,quæritur, 11. ad Philip. Mor. P.M.F. Ibidem quis fugere.

Diſſipauit ſubſtantiam.

EX peccato detrimentum duplex,30.ad pop.M. ibi, At ex peccatis:12. ad Rom. Mor.de ſeruitute cui obnoxius peccator, ibi, Iam quid;Ibidem de vera conſcientiæ libertate.

Cum meretricibus.

15.ad popu. voluptatibus teguntur peccata,ſine quibus vix aliquis peccare vellet, & quia ſic tecta, eo magis cauẽda: vnde admonet nos vtiliter & ſapienter ſapiens,dicẽs: Agnoſce quòd in medio laqueorũ ſis: quæ ſẽtẽtia ibidẽ pulchrè exponitur.

Augetur prodigi crimen, quia non ſolus peccauit,riſit,luſit;ſed cum meretricibus:34.ad pop.exponitur id Matth.24. Bibit cum ebrijs. Ait autem ibidem Chryſoſtomus, quòd contra huiuſmodi adeo indignatur Dominus, vt eos diuidi & mitti in locum,vbi eſt ſtridor dentium,iuſſit: Quæ pœna eſt debita ſcandalizantibus.

In Pſalm. 139. peccantium ſocietas vitioſa, ibi, Cogitauerunt,&c.& in Pſalm. 140. ibi, cum hominibus operantibus iniquitatem.

Diſſipa-

Digitized by Google

Diſſipatores huiuſmodi, ſolent vocari à mundanis magnanimi & liberales, cùm habent ſcorta & paraſitos: quos hom.48.in Acta obiurgat Chryſoſtomus, F. ibi, Si igitur video. A

Homil. in pſal. 111. quomodo differt prodigus à liberali: & 14. ad populum, deteſtatur vitium fornicationis.

Homil. 14. ad Philipp. vult Chryſoſtomus, vt ſcortum non amica, ſed inimica vocetur, Mor. P. ibi, Quam verò.

Homil. 86. in Ioannem, F. Qui meretricibus dat, ridiculus & infamis eſt. Vas enim pertuſum eſt domus aliena, & inferno aſſimilatur, prouerbiorum 30. Et tomo 5. homil. contra concubinarios, obiurgat effœminatos viros, quos vocat mulierum ſeruos.

Luxurioſè.

MVlta erant prodigi peccata, ſed vnius tantùm meminit, quod continet plura: homil. 22. in Geneſim, ibi, Videns Deus quòd malitiæ hominum multiplicatæ eſſent. Peccatum filiorum Dei, erat ſcortatio: ſcilicet quia videntes filias, acceperunt eas, non ſeruatis naturæ legibus. Et tamen in plurali Moyſes vocat malitias: videlicet quoniam ſcortatio continet crapulam, ſocordiam, ebrietatem, furtum. B

Luxuria capi poteſt pro prodigalitate: homil. 7. ad Coloſſ. de inaudita prodigalitate. Alius frigore perit, & tu excrementa vaſe aureo excipi iubes. Ibidem de illis qui capillos aureos concupiſcunt: hom. 51. in 2. Corinth. 7. de Chriſtianorum exceſſu. Mor. P. ibi, Pudeat vos, &c.

Cupiebat ſaturari de ſiliquis, & nemo dabat.

POenale hoc erat, ſed & vitiũ ipſum pœna erat, antequam egeſtas contigiſſet: in pſal. 7. verſu, Ecce parturit, &c. in pſal. 9. & in pſal. 124. F. C

De famis origine, & ſterilitate, vide in 5. caput Eſaiæ, ibi, Væ qui iungitis agrum agro.

In ſe reuerſus dixit, Quanti mercenarij in domo patris mei, ego autem hîc fame pereo?

Non tantùm defectus panis ad pœnitentiam impulit, ſed doctrix ſynderesis, 20. in Geneſim, ibi, Quis obſecro talem ad confeſſionem adegit? Nullus alius quàm conſcientia, & incorruptus iudex. Et inferiùs ibi, Si Lamech.

12. ad pop. P. ibi, Recordare famis, & ibi, Cum enim didiceris.

Tomo 5. ſermone de nequitia depulſa: In vitijs triſtitia, in virtutibus lætitia.

Homil. 3. ad pop. F. Nil ſic peccatum in memoriam reuocat, vt pœna: ideoque poſt famem hic dicit, Peccaui. Et fratres Ioſeph, in fratrem peccaſſe per pœnas didicerunt. D

Fame pereo.

Hoc dictum eſt poſt omnis ſubſtantiæ diſſipationem cũ meretrice. Sed cur ingrata & ditata meretrix, non paſcit eam qui priùs eam tam lautè nutriuerat? 64. ad populũ, ibi, Et tunc tantùm deſiſtit, cùm omnibus nudatum viderit, imò inſultat iacẽti: hinc eſt quod ſcortum non amicam, ſed inimicum hoſtem vocandum voluit Chryſoſtomus, 4. ad Philip. Mor. 86. in Ioan. F.

Reſurgendi à peccato, occaſionem variæ dantur à Domino per famem: ſed alia argumenta ſumi poſſunt à creaturis, homilia in pſalm. 110. ibi, Non ſolum: in pſalm. 121. P. ibi, Quando bona habentes non ſentimus, eijcit ea è manibus noſtris: vt id quod efficere non potuit vſus fructus, efficiat priuatio.

Surgam, & dicam: Pater, peccaui in cælum & coram te: non ſum dignus vocari filius tuus.

HOmil. 10. ad Rom. Mor. Sed cur non dicit expectabo vſque ad ſenium.

Homil. 22. in 10. cap. 2. Cor. Mor. F. de non differenda pœnitentia, ibi, Huiuſmodi quippe.

Surgit peccator, accurrit genitor: quo docemur, quòd etſi Deus ſit qui propriè remittit, aliquid tamen homo confert in remiſſione peccati: homil. 2. in pſal. 5. ibi, Amplius laua me.

Peccaui in cælum & coram te.

SPecies peccatorum recenſere oportet, & ipſi Deo reuelare, 41. ad pop. F. ibi, Verũ & peccata computemus, ſingula per ſpecies recenſentes. Et quidẽ prodigus ſpecies quaſdã recẽſet dũ ait, Peccaui in cælũ & corã te, quaſi dicat: Peccaui in Deũ, qui in cælis eſt: & te, qui in terra es (ô Pater) te offendi. Cæterũ dictã 41. hom. prudenter lege, maximè ibi, Non dico tibi apud alios te accuſa. Et vide ambiguitatis ſolutionẽ apud Sixtum Senenſ. de locis Chryſoſtomi ambiguis, li. 6. Bibliothecæ ſanctę. Vide etiam 46. hom. ad pop. ibi, Dic itaque.

Contra eos qui ſuperbiunt, & gloriam quærunt in confeſſione peccatorum: vide finem epiſtolæ ad Theodorum lapſum.

Nil tamen in confeſſione diſſimulandũ, nec excuſationes in peccatis quærẽdæ, hom. in pſal. 140. ibi, Non declines cor meum.

Memoria peccatorum ad multa vtilis: 41. ad popul. F. ibi, Vides quot. Modò ita eorum ſis memor, vt ea deteſteris: 31. ad Hebræos, Mor. 31. in Geneſ. homil. 2. in pſalm. 50. verſu, Quoniam iniquitatem meam ego agnoſco.

Pater miſericordia motus, accurrens cecidit ſuper collum.

22. in Geneſim: epiſtola 5. ad Theodorum lapſum, F. exemplum eius qui amplexatus eſt redeuntem à lupanari.

89. ad popul. P. Ne tuæ fidas pœnitentiæ: Si enim ſola foret pœnitentia, iure timeres: ſed poſtquam cum pœnitẽtia commiſcetur diuina miſericordia; confide, quoniam tuam vincit malitiam.

Eccleſia miſericors in peccatorum receptione: tom. 5. epiſt. ad Eutropium.

61. ad populum, Satã inſidiatur pœnitere volẽti.

7. ad pop. Deus clementiſſimus, ſiue in parcẽdo, ſiue in corripiendo, M. ibi, Si autem, &c. & infrà ibi, Non dixit, O ſcelerate.

Hom. 4. in 1. ad Tim. Cõtra deſperationẽ: Et parabola prodigi eò tẽdit, vt nemo de venia deſperet.

Date primam ſtolam.

HOmil. 6. in Geneſim, ibi, Non enim ſicut in ſenſibilibus, P. In 6. caput Eſaiæ. Tecum reputa quantum lucrum reſiliat ex confeſſione. Ibidem de carbonibus, qui ſymbola ſunt futurorum ſacramentorum.

Erat frater ſenior in agro, cumq́; audiuiſſet ſymphoniam, &c.

DE inuidiæ peccato, quo ſenior peccat, 53. ad populum: contra quod peccatum aut peſtem inuidiæ antidotus eſt in 29. homil. in 1. Corinth. M. Et hom. 30. M. ibi, Hæc ergo cogitantes, vbi docet ſuperiores egere inferiorum opera, etſi inferiores viliores. Quid enim eſt in corpore vilius pilis? In pſal. 43. ibi, Non egredieris: 24. in 2. Corint. F. Mor. 27. in 2. Corint. 12. Mor. ibi, Perſpicuus enim furor eſt, proſperis aliorum rebus angi. 11. ad Coloſſ. 54. in Ioannem, F.

Digitized by Google

Ecce tot annis ſeruio tibi: hic autem diſſipauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus.

MIratur ſenior frater, cur iunior, qui tot commiſit crimina, recipitur. Sed Chryſoſt. aliud miratur tom. 5. homil. 5. de pœnitentia: ſcilicet cur Maria præuaricatrix, quæ ſeptem habuit dæmonia, recipitur, & fit Apoſtolorum Apoſtola: Maria autem, ſoror Moyſi, fit leproſa propter vnum paruum murmur.

Murmurandi occaſiones Catholicis dantur, dū hæretici, & altaris hoſtes, paſſim & repentè recipiuntur: tom. 5. epiſt. ad Eutropium, M. ibi, Sed nefas. Cur igitur ad Eccleſiam confugit, is, qui ſemper expugnauit Eccleſiam?

25. in Geneſim, F. Illum iuſtum imitemur. Item ibi, Qui prius quod ſuum eſt adhibuit, à Deo aliud accepit; pati ſcilicet patienter beſtiarum faſtidium. Sic prodigus faciens quod in ſe eſt, & in ſe reuerſus, dedit ei Dominus patienter ferre probra fratris ſenioris.

Numquam præteri mandatum tuum.

QValiter ſine nota arrogantiæ licet ſua narrare benefacta, & quando, vide 24. in 2. Cor. 11. F. ibi, Quandoquidem & Samuel. & ſupra feria 5. cinerum, ibi, Diligit gentem noſtram.

DOMINICA III. DE EPISTOLA.

Eſtote imitatores Dei.

OPerum Dei quædam admiramur, alia imitamur, 55. ad pop. F.

25. in 1. Cor. 11. M. ibi, Imitatores, &c. Hæc perfectę Chriſtianæque religionis regula. vſq; ad finē.

Non turpitudo, ſcurrilitas, ſtultiloquium, aut quæ ad rem non pertinent.

17. ad Epheſ. Mor. 15. ad pop. F. hoc maximæ ſecuritatis vobis erit occaſio, non tantùm peccata fugere, ſed media: Ibidem (ſed prolixo ſermone) docet non tantùm maiora, ſed minora fugienda peccata: homil. 2. ad Rom. Mor. homil. 8. in Matth. mirabile & inauditum dicere audeo; ſcilicet non tanto ſtudio magna vitia vitanda, quàm parua, Gal. 1. in id, Volunt ſubuertere Euangelium: 14. ad Epheſ. Mor. P. ibi, Propterea magnum eſt malum, quoniam nil eſſe videtur: & 15. ad Epheſ. Mor. F. docet, quòd paruum peccatum generat magnum: ibi, Vide quomodo procedat malum, amarulentia peperit iram. Homil. 17. ad Epheſ. vocat turpiloquia, fornicationū vehicula; & tamen illa ſunt quæ vocari poſſunt parua peccata, ſicut & ſcurrilitates. Paulus tamen, vt ea vitemus, mandat hic, in pſal. 140. Turpi ſermone non polluenda labia.

Tomo 5. homil. de nequitia depulſa. eodem tom. hom. de cauendis leuium peccatorum periculis.

Si ſtultiloquium prohibetur; quantò magis maliloquium ſeu detractio? Vide 21. ad Hebr. Mor. M. F. ibi, Sumus prompti.

Turpitudo & ſtultiloquium prohibeantur, etiam in die nuptiarum: 12. ad Coloſſ. F. ibi, Ars enim eſt hoc, & magnam affert laudem ijs qui eam exercent. Ars facta ſunt peccata, &c.

Dices, Scurrilitate vtor & fratris turpitudinem in theatro traduco: ſed id facio vt corripiatur. At verò econtrà dico, quòd fiet impudentior, ſic per te publicè reprehenſus. Vide ho. in pſal. 49. F. & in pſal. 50. M. an eundum ſit in theatrum. vbi ſtultiloquia & ſcurrilitates: hom. 57. in Ioannem, contra eos qui in ſpectaculis tempus conterunt.

Fornicatio & auaritia (quod eſt idolorum ſeruitus,) non nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos.

18. in 1. Cor. 19. 2. Cor. 9. Auaritia vocatur tyrannus, 20. ad Hebræos, Mor. P. hinc probat auaritiam eſſe idololatriam, quoniam fœmina veſtes pretioſas, quas habet in arca, vt Deum veneratur & colit, nec audet tangere. Eiuſdem auaritiæ deteſtatio, 81. & 82. in Matth. Tom. 5. ſermone 15. de malis à nobis auertendis: radix omnium malorum, 17. in 1. ad Timoth. Mor. 64. in Ioannem, cur vocatur idololatria: 87. in Ioannem, F.

Homil. 15. ad Hebr. Mor. auaritia deteſtanda magis quàm fornicatio: & cum auaro edere non licet, vt ſcribitur, 2. Cor. 5. & homil. 25. ad Hebræos, Mor. ibi, Nullus cum talibus.

Homil. in pſal. 142. auari comparantur pueris: Ibidem paradoxum profert Chryſoſtomus.

Fornicatio non nominetur.

ADeò deteſtanda peccata, vt etiam peccatorū nomina pijs diſpliceant, tomo 5. hom. de virtutibus, qui eſt ſermo 9. 62. in Ioannem, F. vbi reperies Chryſoſtomianum paradoxum. Nam indulgentior videtur Dominus erga eos qui eum offendunt idololatria, quàm qui in coniugem peccant adulterando.

Sed magis gratiarum actio.

VIde infrà Dom. 4. de gratiarum actione: & ſuprà feria 6. Dom. 1. de paralytico, quem Ieſus inuenit in templo gratias agentem: vide & in pſal. 9. P. ibi, Qui etiam beneficio. Docet, quòd non tantùm pro bonis, ſed & malis gratiæ ſunt, agendæ: & ibi, Hoc diabolo certum vulnus infligit: in pſal. 148. 117. P.

Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ.

VIde ſuprà Domin. 2. de epiſtola, ibi, Vindex eſt enim.

DOMINICÆ III. DE EIECTO DÆMONIO: ET IESV, BEELZEBVB

Vocato: de immundo ſpiritu, & muliere exclamante, Beatus venter qui te portauit: cui dictum eſt, Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

HOmilia 4. de incomprehenſibili Dei natura: agitati à dæmone ducebantur ad myſteria.

Miramur, horremus, & deteſtamur dæmoniacum, ſed peccatorem auarum multò magis execrari oporteret, quem peiorem, vel ſimilem dæmoniaco oſtendit Chryſoſt. homil. 82. in 26. cap. Matt. veluti ſuprà Domin. 2. dictum eſt: imò peccatum quodcumque, pernicioſius ipſo dæmone: 41. in in Acta, M. F. ibi, Non eſt ita à dæmone liberari, vt eripi à peccato.

Loquutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.

OPerum Dei quædam admiranda, quædam imitanda, 55. ad pop.

Liberatus à dæmone loquitur, poſſeſſus tacet, ſed non ſemper: quoniam diabolo ſuggerente quærit & loquitur excuſationes in peccatis. Vide hom. 140. verſu, Non declines, ibi, Cùm enim ſciret diabolus.

Digitized by Google

In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia.

IN hom.28.ad Hebr. catalogus eſt probrorum & iniuriarum quas paſſus eſt Innocens Ieſus, paulò ante Mor.

Hom.3.de Dauide & Saule, Inimici probra dicendo,& vituperando, plus proficiunt, quàm amici ad gratiam loquentes.

Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur.

SVnt qui diuiſiones & ſchiſmata in Eccleſia faciunt, & leue peccatum eſſe putant: contra quos hom.11.ad Epheſ. Mor.ibi, Hæc à me dicta ſunt ad eos, qui ſe dedunt indiſcriminatim ijs qui ſcindunt Eccleſiam.vſque, Propterea dico & proteſtor, Eccleſiam ſcindere non minùs eſſe malum, quàm incidere in hæreſim.

Si Sathanas Sathanam eijcit.

EX hoc textu, Chryſ.homil.36.in Ioannem, F. probat inuidos homines,eſſe feris & dæmonibus nequiores. Quoniam dæmones ſuo generi minimè inſidiantur,& ferè vix vmquam: homo verò hominem hoſtiliter perſequitur inuidia percitus. Ibidem ſententiam profert obſcuram, Omnis venia inuido deſperanda eſt, ſed paulò pòſt exponitur,ibi, Inuidus non facilè remedia admittit; propter quod indignus venia dicitur: quoniam non vult,& odium non deponit, vt Cain.

Si fortior ſuperuenerit, vniuerſa illius auferet arma.

DÆmon ſpoliatus,& victus à Chriſto fortiore, cur ergo eum adhuc timemus? Homil.in pſal. 123.ibi, Ille quidem eneruatus.

Tunc reuertens facit peiora prioribus.

CAutela adhibenda poſt liberationem à malo & remiſſionem à peccato. homil. in pſal. 9. verſu, Miſerere mei. Vide humilitatem, ibi, Aliud enim bellum: & ibi, Quemadmodum enim ligatam: vide ſupra feria 6. Dominicæ primæ quadrageſimæ in fine, ibi, Noli amplius, &c. ne deterius.

Extollens vocem quædam mulier de turba.

SÆpe abiecti & viles de turba faciunt, quod nobiles ſapientes & magni facere ad Dei gloriam populique profectum neſciunt: homil.9. de laudibus Pauli, quæ eſt de ferendis reprehenſionibus, tom.5. Et homil.in id ad Romanos,16. Salutate Priſcam & Aquilam, docet, quòd Eccleſiæ magis ædificantur per ſimplices, quàm per magnates: 19. in 1.Cor.M.& 30.ibi, Quid eſt in corpore vilius pilis. Vnde obſerua, quòd mulieres frequenter fuere viris religioſiores: 10.in 2.ad Timoth. hinc Rom. 16. Paulus prius commendat & ſalutat Priſcam vxorem quàm Aquilam virum: quoniam (ait Chryſoſtomus) erat feruentior marito in fide: & vxor Pilati religioſior Pilato, vt legitur hom.60.in Ioannem,M.& ho.in pſal.134. M. Mulieres obſtetrices maiorem virtutem oſtenderunt, quàm qui diadema habebant.

Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.

20. in Ioannem, F.51.ad pop. ibi, Propterea, &c. Auditur quidem verbum, ſed non cuſtoditur: in pſal.142. verſu, Doce me facere voluntatem tuam, non dixit doce me voluntatem ſimpliciter, ſed doce me facere: hom.19.in Ioannem, F.

Hom.5.ad popul. Aureum quidem veſtimentum
A pulchrum eſt cùm videtur, ſed pulchrius videbitur noſtro circumpoſitum corpori: ſic Dei mandata pulchra quidem ſunt cùm leguntur, ſed pulchriora cùm implentur apparent. Vide etiam oratione 5.contra Iudæos, F.

Hom.49.in Matthæum in id, Vbi fuerint corpora, ibi congregabuntur & aquilæ. Vide infrà Dominicam paſſionis, ibi, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Ibidem ſimile lepidum aquilæ, quo diſcrimē cognoſces filij Dei à filio diaboli. Vide aliud ſimile in hom.16.ad pop.P.ibi, Etenim aquantes, de audiendo & retinendo verbo Dei.

Audiunt.

HOm.2.in Ioannem, P. Non tantùm adulti, ſed & pueri verbum Dei audiant.

29.in 13.Act.ibi, Videte contemptores verbi.

Afflictiones aliquando plus aut æquè proſunt atque verbum prædicatum, 15.ad populum.

B Olim maledictus & immundus erat, qui fluxum ſeminis patiebatur. Sic qui ſemen verbi Dei perire ſinit, immundus coram Dei maieſtate eſt. Vide ho. 3.aut 4.ad Titum.

Hom.3. de incomprehenſibili Dei natura, contra eos qui diligenter quidem audiunt verbum, ſed concione facta fugiunt, nec orant, nec adſunt Miſſæ. Et 41.ad pop.de ijs qui nullum in concione faciunt fructum.

Homil.4.de verbis Eſaiæ, P. & 41. in Geneſim, ibi, Tales enim ſunt, ibidem de officio doctoris & auditoris.

Hom.32.in facta, M.& 3.in 2.ad Theſſal. Contra eos qui excuſationem prætendunt, ſi raro eunt ad concionem: quoniam quotidie eadem audiuntur & dicuntur.

Cuſtoditur verbū, quādo integrū ſeruatur, nec amputatur, adulteratur: Gal.1.in id, Et volunt ſubuertere, ibi, Quemadmodū enim in moneta regia.

C Hom.41.in 22.cap.Mat. Sicut cibus nil prodeſt.

Hom.10.ad Heb.P.ibi, Cum timore.

Hom.30.in Acta arguuntur, qui malunt audire ſermonem qui oblectet, quàm qui compungat, F. ibi, Multi,&c. Ibidem ridentur, qui redeuntes à concione dicunt doctorem quidem benè dicere, ſed quid dixerit neſciunt.

Hom.32.in Acta, M. arguuntur qui dicunt, Catholici ſumus, quid ergo coram nobis fit de infidelitate ſermo? ibi, Et ita licet ſani ſumus.

Quid requiritur ab auditore verbi Dei, vt intelligat quæ dicuntur: in pſal.43.ibi, Si enim.

Vide ho.52.in Ioannē, F. hortatur enim eos, qui deſinūt verbum Dei audire, eo quòd audita nō faciunt. & docet quòd nunquā inutiliter verbū Dei auditur, licet ipſo auditus die nō fiat quod auditum eſt: ibi, Hoc igitur pacto. Quid ergo dices? Nō inutili-
D s hic metus, modò ingemiſcas, quod audita nō facias, ſine dubio aliquando benefacere incipies.

FERIA SECVNDA DOMINICÆ TERTIÆ QVADRAGESIMÆ.

De quæſtione propoſita Chriſto, Medice cura teipſum. Quanta audiuimus, &c. Et reſponſione per eundem, Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. Luc.4.

CHriſtus Ieſus, paſtor & medicus eſt, ſed alio modo quàm huius ſæculi medici; quoniam ſalutem noſtram proprijs periculis comparat, alij verò arte: homilia in pſal.113.P. hom.7.ad popul. Antioch.F.hom.40.& 55.in Geneſim.

Apoſtoli quoque eiuſdem Chriſti, medici vocari poſſunt: in quorum ſcriptis aut verbis, remedia ſunt contra omnia morborum genera, gratis recipienda, hom,58.ad pop.M.

Digitized by Google

Medice cura teipſum.

HOc adagio vtimur cùm æger & deſolatus alijs conſolationem impartiri intendit, quaſi repugnet afflictum & contritum doloribus, conſolari doloris conſortem: quod tamen fecit Apoſtolus & animarum medicus Paulus, vt legitur homilia, de profectu euangelij, M. in id ad Philippen.1. Siue occaſione, ſiue veritate Chriſtus annuntiatur, &c.

Erant multa viduæ, &c. & nemo ad eas miſſus eſt niſi Helias.

HOm.44.in Geneſim, F.7.ad Rom.Mor.

Hom.19.in 2.ad Cor.9.exemplo viduæ huius arguit pigros ad eleemoſynæ diſperſionem: qui ſi pauperibus dederint, verentur ne pauperiores fiant: in Morali, ibi, Quid me futurum eſt, ſi inſumptis omnibus meis facultatibus, eò redigat, vt aliorum auxilio opus habeam?

Arguit etiam excuſationem inquirentium, & dicentium, Vidua quidem illa dedit eleemoſynam, ſed prophetæ quem nouerat & videbat: Nos autẽ non videmus nec audimus Chriſtum petentem, dicentem, aut egentem. Ibidem, eadem vidua ſupra Abraham extollitur.

In eiuſdem viduæ hiſtoria legitur, quòd præcepit ei Dominus, vt paſcat Heliam: vnde quæri poteſt, Cur Deus, qui prophetas, doctores, & Eccleſiæ miniſtros poterat per ſe paſcere, eos tamen hominum miniſterio paſci voluit, & adhuc vult. Quæ quæſtio ſoluitur, hom.9.ad Philip. in Mor. F. vltima ad Gal. ibi, Communicet: & ibi, Vult Deus doctores diligenter curari.

Hom.1.ad Philipp. in Mor. F.

Chriſtus protulit viduæ hiſtoriam paſcentis Heliam, vt palàm fiat, quòd per eum non ſtat, ſi tot non faciat mirabilia in patria ſua quàm in alia. At cùm eiuſdem hiſtoriæ ſint varij fines Chryſoſtomus tomo primo, hom. de Helia, eandem dilatat hiſtoriam, vt probet in Deo ſemper cum rigore coniunctam miſericordiam immenſam fuiſſe. Nam ſeuera ſententia erat, quòd nec pluuia contingeret, niſi ad placitum Heliæ; & iuramento ſuo obſtrinxerat Deus, quòd non plueret niſi iuxta os Heliæ. Sed rem ſic moderatus eſt dominus, quòd & prophetam reueritus eſt, & populi quem fame puniebat, miſeretur: Id autem docuit per coruos, quorum miniſterio eum paſcebat. quaſi dicat, Scio quòd coruorum natura non eſt miſereri pullorũ, ſed conuerſi ſunt, & te paſcunt. Abſurdum ergo eſt, ſi exemplo eorum, non fias miſericors erga populum. Quòd ſi Dominus perſuadet alijs vt miſericordes ſint, quis dubitabit illum eſſe miſericordem? Pſal. Viſitabo in virga iniquitates eorum, &c. miſericordiam autem non diſpergam ab eo.

Et homilia ſequenti probat, quòd in vidua (cui per Heliam de victu pientiſſimus dominus prouidet) impletur quod per Dauidem regem dictum eſt, Non vidi iuſtum derelictum: ibi, Diuerſa merita fames diſcernit. & iuſtitia in neceſſitatibus non eget.

Naaman Syrus.

NAaman à lepra curatur, & Giezi eadem percutitur: vbi quæri poteſt, cur non omnes vt Giezi peccantes, mox lepra læduntur? Vide reſponſionem homil.12.in Acta: & ſuprà feria 6. Dom. 2.quadrageſimæ, ibi, Malos malè perdet: Et homil. 3.de Lazaro, F.

De eodem Naaman, vide in pſal.43.

Repleti ſunt ira hæc audientes: & eiecerunt eum extra ciuitatem.

VNde tanta mutatio, vt nunc præcipitent & videre nolint, quem prius intuebantur & admirabantur? Cur verba diſplicent, quæ prius placebant? hæc omnia ira facit. Vide homil. de Dauid & Saule tom.1.F. ibi, Siquidem poſita ira: Exemplo Saulis, qui prius vocabat contemptim Dauidem filium Ieſſe; nunc poſtea poſita ira, vocat aliter, & dicit; Fili mi Dauid, vt dictum eſt ſuprà, feria 6.cinerum. Vide 17.homil. in Acta, F. pro iræ deteſtatione, ibi, Puri igitur ab ira ſimus. Vide etiam Indicem de peccato iræ.

Vide præterea diligentiùs homil.31.in Acta, M. F. vbi iracundorum & calumniatorum excuſationibus reſpondet dicentium, Ego non cœpi, ille eſt qui me prius aggreſſus eſt: ibi, Nullã excuſationem habes. Vide quoque 41.in Acta, ibi, Quare beſtiam in viſcera tua includis? & hom.3. in Ioan. F. Item 25.in Ioan. F. remedium reperies contra iram, ibi, Si iratus ſeipſum intueri poſſet, nulla alterius admonitione indigeret; nil enim iratis turpius: Et 47. in Ioan. F. ira eſt fera vehemens, & furibunda: incantemus ergo eam ſcripturæ carminibus.

Ieſus autem tranſiens per medium illorum, ibat.

POſtquam vidit iratos maledicos, & malè facere volentes præcipitando eum, receſſit non reſpondens. haud ignarus quòd amplius irritaſſet eos. Sic docet non reſpondendum iracundis, hom. 41.in Ioan. ſimilitudine ſagittæ.

FERIA III. DOMINICÆ TERTIÆ QVADRAGESIMÆ, DE CORRECTIONE fraterna, & excommunicationis mucrone.

Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum ſolum.

HOm. in pſal.140. hom.1. in 2. ad Timoth. Mor. oratione 5.contra Iudæos tom.5.M.F.

De cura, quam quiſque proximo habere debet: Et pro exordio tractatus eiuſdem materiæ, vide homiliam 25.in 1.Corinth.F.

Quomodo publicè peccantes & rixantes compeſcendi, aut à quouis monendi: hom.24. ad populum, M.F. ibi, Audi quid Iudæos.

Hom.43. in Geneſim, contra corripere negligentes: ibi, Et ille quidem filius.

35.ad pop.F. Eos qui ſunt in errore illumina, hominem facere non potes, reficere potes, vel iuſtum facere, corripiendo ſcilicet.

Correctio humanitatem non habens, inuidia quædam eſſe videtur, 30.ad pop.P. ibi, Zelus: 30.ad Heb.Mor.M. ibi, Te ergo ſano opus eſt.

Moderatio talis ſit in admonitione, vt lingua clamet, & cor amet, hom.3.in pſal.9.

Pro circumſtantijs, & conditionibus requiſitis ad correctionem, nota ſequentia.

PRudentia primò in corripiendo requiſita eſt, & explorandus animus delinquentium, lib.2.de ſacerdotio, P. ibi, Quid igitur facies, ſi blandiùs illum tractes?

Prudentia inquam vtendum: Nam omnis peccans, ſpiritum perdidit & mentem, homil. 44.in 1. Cor.16. Ibidem contra eos qui dicũt, Corriperem, ſi ſcirem me perſuaſurum.

Tempus item conſiderandum in correctione, tom.5.oratione contra Iudæos, vbi quærit, cur Dauidem peccantem non ſtatim correxit.

Digitized by Google

Ibidem doctrina, pro publico correctore, id eſt prædicatore; ne ſcilicet temere publicet turbam peccantium.

Correptor non auerſandus, ſed diligendus; in pſal.140.ibi, Corripiet me iuſtus.

Idem corrector vel doctor caueat, ne increpationis prætextu, ſuam vlciſcatur cupiditatem, Gal. 6.ibi, Si præoccupatus.

Correctio fraterna ſecretè primùm fieri debet? vide hom.29.in Geneſim, M. de ijs qui peccata fratrum diuulgant, vt fecit filius Noë Cham.

Contra eos qui dicunt, Quid mihi cum illo negotij? & liberant ſe ab onere & mandato correctionis, hom.43.in Geneſim, M. & oratione 4. contra Iudæos, F. ibi, Ac ne quis mihi dicat; hom.1.ad pop. F. Sathanica vox, Nil mihi commune cum illo Nam cum diabolo ſolo nil commune habemus.

Contra alios excuſantes & dicentes, Admonui antequam peccaſſet, non admonebo nec corripiã poſt. tom.5. oratione 5. contra Iudæos. Nam admonuit dominus Adam etiã poſt peccatum: & fornicator Corinthius non tantùm ſemel admonitus, ſed bis, & tandem reſipuit.

Eſt quidem modus corripiendi haud illicitus, videlicet ſimulatione reijcere in alios culpam: hom. de proſtrato Goliath & Saule, quæ eſt 7. homilia de Dauid, tom.1.

Si ignoras quis peccauit, ſcrutari debes, & eſt eundum in eius domum; vt non dicas quòd tantum debes admonere, quem habes obuium: oratione 5. contra Iudæos.

Si dicas, erubeſcerem hoc facere reſpondet ibidem dicens, Si ingrediaris pecuniam poſtulaturus, deberes erubeſcere. Ibidem datur exemplum amicabiliter corripiendi. Fortaſſe Chryſoſtomus de ſecreta admonitione non loquebatur, de qua in Euangelio: Sed eſto; valet tamen eius perſuaſio pro parẽtum & paſtorum eruditione, videlicet vt ſumma cum diligentia ſuos moneant, & corripiant, currantque poſt oues perditas.

Nec ceſſandum à correctione publica vel priuata, etiamſi ſtatim non appareat vitæ emendatio, ho. 43. in Geneſim, ibi, Etſi: homil.1. de Lazaro, cuius exordium eſt, Heſternum.

Nec etiam ceſſandum propter odium, 18. ad Epheſ. & contra alias excuſationes, hom. de profectu Euangelico, & epiſtola 5. ad Theodorũ lapſum: item in pſal.49. paulò ante verſum, Os tuum abũdauit malitia: & in F. ibi, Quæ publicè fiunt reprehenſiones, ſæpe faciunt impudentiores.

FRATER.

HOmil.3.ad Hebræos Mor. F. Iudæus ſiue hæreticus eſt frater, ſecundum naturæ communionem.

Cumque frater ſit quem corripis, debes ipſum diligere: imò & deponere omne odium ante correptionem: vide 33. in 1. Corint.13. ibi, Et nolite quaſi inimicum exiſtimare. Poſt. M.

Hom.43. in Geneſim, ex hac dictione, frater, arguit corripere recuſantes, aut dicentes, Quid ad me de illo? nil mihi commune cum illo, M. ibi, Frater tuus eſt.

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

HOmil.15. in 1.ad Tim. F. Hæc magna dignitas, vt quod Deus fecit, homo faciat vel reficiat.

Tanta merces propoſita & promiſſa, minuit laborem correptionis: 9. ad pop. Antioch. ibi, Non ſentio docendi laborem, auditorum lucro releuatus.

Homil.16.ad popul. F. corrector appellatur os Dei, ex Hieremia cap.15. Educens honeſtum ex indigno, ſicut meum os erit. Vide etiamſi tom.5. oratione 4. contra Iudæos, F. ibi, Etenim ſi Thabita, de qua Act.9. vbi agitur de magno correctionis lucro.

A

Oratione 1. aduerſus Iudæos, donaria omnium pretioſiſſima, ſi animas errantium reduxerimus. Si fiat tibi ille quem corripis inimicus, Deus tibi erit amicus.

Ibidem correctio vocatur venatio, fitq; mentio ex Matthæi 25. de eo qui non auxerat lucrum.

Oratione 5. contra Iudæos, Sæpe vna anima quam lucrati fuerimus, poteſt innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæque redimendæ fieri pretium illa die.

Oratione 5. contra Iudæos, F. Perpende quanta dignitas eſt eius, cuius ſaluti conſulitur. Homo enim eſt pretioſior mundo.

Tom.3. homil. de ferendis reprehenſionibus, quæ eſt poſt homiliam de laudibus Pauli.

Hom.10. in Acta, contra eos qui dicunt, confuſionem facis, & inhonoras nos, dum nos corripis.

B

Si autem te non audierit, adhibe duos teſtes. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam ethnicus, & publicanus.

FIgura huiuſce pœnæ eſt in peccatore Caïna, quem Deus prius verbo monuit, quàm facto aut exilio damnauit: vnde lib.1. de prouidentia, id rectè factum, cùm verba præcedunt verbera: in cuius Caïnæ vindicta & fuga, fuit lucrum; quoniam admoniti ſunt alij, vt reſipiſcant: quod lucrum non contigiſſet, ſi ſtatim mulctatus fuiſſet.

Dic Eccleſiæ, vt ſcilicet ex lupo faciat ouem, vt poteſt: hom.3. de pœnitentia, P. tom.5.

Sit tibi tamquam ethnicus & publicanus.

C

ID eſt, nec ille tecum, nec tu cum illo habeas cõmercium, ne inficiat te: figura Geneſis 33. Noluit Iacob vt ſerui ſui irent cum Eſau: cuius facti moralis ſenſus eſſe poteſt, vt dicti filij non inficerentur commercio. Hinc Chryſoſtomus in pſ. 142. Etiamſi habeas fratrem, eodem patre & matre natum, & in lege veritatis non tecum communicauerit, ſit tibi quodam Sytha barbarior.

Hom.56. in Ioannem, F. Quòd ſi membrum malè coniunctum abſcindendum eſt, nonne magis praui amici?

Ordo ſeruandus in correctione. Prima & ſecunda admonitio deſignat miſericordiam; tertia iuſtitiam. Ozias primùm correctus eſt ſecretò à ſacerdote Azaria: vide homiliam de Ozia lepro ſo, tom.1.F.

Et prælatus eo ordine corripiens, non prima ſed tertia vice vindicans, in hoc imitatur Deum & Paulum: de quibus 29. in 2. Cor.13. P. & ibi, Nam & Deus aſſiduè quidem comminatur.

D

Sit tibi tamquam ethnicus.

ORatione 1. contra Iudæos, in catholicos, qui cum hæreticis volunt habitare; & in eos qui (vt dicitur) claudicant. Oſtendit autem ibidẽ, quòd Iudæi nollent cum Chriſtianis habitare, exercendo Chriſtianorum ritus. Itaque impij in impietate ſua prudentiores ſunt pijs. Nam Catholici currunt ad cætum hæreticorum, ſed rariùs hæretici veniunt ad ritum Catholicorum. Quibus Catholicis aptari poteſt illud Chryſoſtomi de Iudæis; Illi non accurrunt ad veritatem, & vos ad iniquitatem properatis. Ibidem rationes excuſantium ſoluuntur. Hom. 56. in Ioannem, ibi, Dico hoc vt fugiamus malos ſequamur bonos.

Lege hom. de anathemate non ferendo, tom.5. ſed cũ cõmentarijs Sixti Seneſis, libro annotationum in ambiguos Chryſoſtomi locos. Nam ibidem

Chryſo-

Chryſoſtomus ait, quòd doctrina quidem hæretici eſt anathematizāda, hominibus autem parcendū. Quod eſſe videtur contra patrum traditionem, & excommunicandi formam, quæ ita habet: Si quis dixerit Deum præcepiſſe aliquid impoſſibile, anathema ſit: vbi non tantùm propoſitiones damnantur, ſed authores & dogmatizantes. Dicendū, quòd ibidem Chryſoſtomus ponit diſcrimen inter doctrinam falſam, quæ ſemper eſt falſa, & numquam poteſt eſſe vera; & doctorem falſum dicentem, qui pellem aut ſententiam mutare poteſt ſuam, palinodiam canendo, retractando, & verum dicendo. Tunc autem cùm hanc de anathemate dictauit homiliam Chryſoſtomus, erant nonnulli, qui fortaſſe amaro zelo excommunicabant, non vt reſipiſcerent rei, ſed fortè cum iniqua intentione, vt numquam ſalui fieri poſſent: hoc arguit & corripit Chryſoſtomus, vel aliud genus increpat hominum, qui nulla auctoritate fulti, vſurpabant anathematizandi officium, vnde dat exemplum priuati hominis purpuram regiam induentis. Vel etiā corripiebat alios, auctoritate quidem legitima pollentes, ſed frequentius minis, mucrone excommunicationis, aut quaſi pro nihilo vtentes; à qua frequentia nimia dehortatur eos, propoſito Pauli exemplo, qui rarò excommunicauit.

Quòd ſi quæris quid anathema ſit, vide homil. 16. ad Romanos. Vnde conſtabit quòd Chryſoſtomus, non eſt excommunicationis contemptor: vide etiam 1. ad Timoth. de Alexandro: & 5. in 1. ad Timoth. F. ante Morale, Cur traditur Sathanæ cruciandus.

Obſerua rurſus, quòd præter duos gladios, verbi Dei & excommunicationis, alia eſt in Eccleſia poteſtas coërciua, de qua ſuprà feria 4. 2. hebdomadæ, 40. ibi, Scitis, &c. Et homil. 6. in Geneſim, contra euntes ad ludos. Vide etiam homil. 6. ad popul. de officio vtriuſque magiſtratus, item 15. in 2. Corinth. 7.

Perdere fratrem ſcandalo, eſt crimen grande, oppoſitum correctioni: homil. 4. in 2. Cor. Mor. Cuius pœna eſt mitti in profundum maris. vnde 18. in Acta F. A pœna eius qui ſcandalum dat, diſce præmium eius qui ſeruat.

Amen dico vobis, quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo.

Dignitatem ſacerdotalem ſupra regiam eſſe, hinc colligit Chryſoſtomus, lib. 3. de ſacerdotio, ibi, Rex aliquis. Ibidem durè increpat eos, quibus ſordeſcit, aut vilis videtur tanta dignitas, ibi, Inſania deſpicere tantum principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Ibidem docet, quo in honore habendi ſacerdotes, qui non declarant tātùm remiſſa eſſe peccata, ſed re vera remittunt & ſoluunt, homil. 5. de verbis Eſaiæ: 14. in 2. Corinth. Mor. ibi, Nam etſi æquum, &c. homil. 10. in primam ad Theſſ. P. habeatis eos qui præſunt, vobis ſummo in pretio, eo quòd ſacerdotes ſunt, qui & cælum aperiunt.

Cumque tanta ſit ſacerdotij dignitas, vt ad cælum vſque nos euehat, & cæli portas aperiat, cauendum ne ab hominibus ipſa cōculcetur in terra. Itaque ſpernentibus ipſam reſiſtendum eſt, nec decet in illa tolerantia nimis eſſe puſillanimem aut manſuetum, vt docet Chryſoſtomus homil. in pſal. 131. Moyſem haud fuiſſe erga Dathan & Abiron: qui abſorpti ſunt, quòd non ſatis reuerebantur dignitatem ſacerdotalem, aut quia calumniatores eſſent.

Si duo ex vobis conſenſerint, de quacumque re petierint, fiet illis à patre meo.

Homil. 2. in 2. Cor. M. ibi. Nam perſæpe quoque Deus: & 19. ad Heb. M. ibi, Quomodo enim ferrum.

Aliud bonum conciliat concordia, quæ etiam miraculis eſt fortior, hom. 71. in Ioannem, F. & homil. 18. in 2. Cor. Mor.

Multorum quidem valet oratio, ſed præualet plerumque paucorum ſi pij fuerint, vide 28. ad pop. Melius eſt cum duobus Dei leges cuſtodientibus ſolitas offerre preces, quam multitudinem aggregari præuaricantium, & alios impedientium corrumpentiumque.

Homil. 79. ad pop. duorum oratio efficacior oratione vnius, in fine homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura, ibi, Nam decem ante annos.

Depone iram, antequam Deo aut hominibus loquaris orando, 17. in Acta. Puri igitur ab ira ſimus. Non vides.

Quæri hîc poteſt, ſi nota Eccleſiæ ſit paucitas, aut multitudo credentium: de qua quæſtione infrà Dom. 4. & in ſymbolo, ibi, Eccleſiam Catholicam: aut ſuprà Sabbato cinerum.

In medio ſum.

Præſentiam ſuam non defuturam Eccleſiæ, alijs verbis oſtendit Chriſtus, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi: quem præſentiam haud eliminat ſeſſio à dextris Dei in cælo, nec fauorem. Quod præclarè demonſtrat Chryſoſt. homil. 3. in Acta, argumento ſuſcepto à ratione, Cur Apoſtoli non per ſeipſos eligunt Matthiam, ſed à Chriſto qui erat in cælo, poſtulant reſponſum, vt videlicet certiſſimum eſſet argumentum, Chriſtum ſedentem in cælo, adeſſe adhuc & ſuccurrere Eccleſiæ, P. ibi, Cur non ſolùm.

Homil. 15. ad Epheſ. P. Spiritus malignus eſt in medio eorum qui diſſentiunt & inimicantur. Simile de apibus.

Et de bono concordiæ in pſal. 132. P. M. F.

Quoties demittam, an ſepties?

Hom. 3. de pœnitentia, tom. 5. ibi, Dei pietas mēſuram non habet, peccata ſi habueris, ne deſperes: valde vtilis hom. pro nimium timidis conſcientijs, & contra peccatum deſperationis.

At verò non tantùm ſecuri eſſe debemus, quòd Dominus peccata dimittit totieſquoties peccamus, ſed admonemur vt idē faciamus erga proximum: vide homil. 38. in Ioannem, paulò ante finem.

FERIA IIII. DE DISCIPVLIS CHRISTI PERPERAM ACCVSATIS, quod tranſgrederentur traditiones ſeniorum: deque maledicentibus patri & matri ex Matthæi 15.

Quare diſcipuli tui, &c.

Summa prudentia vtendū eſt, ſi quandoq; contingit, cōſuetudines priſcas obliterari: vnde ho. 7. in 1. Cor. M. Scitis apud homines nil eſſe æquè validum, atque tyrannidem veteris conſuetudinis.

Non lauant manus.

Hom. 36. ad popul. M. Nil magnum eſt ſi corpus abluas. Quod haud ignorantes diſcipuli Ieſu, potius animis mundandis, quàm corporibus operam dedere.

De traditionum optimarum vigore, vide homil. de natiuitate Domini, F. quæ eſt poſt commentaria in Matthæum, ibi, Sed videamus, ibique maiorum ſententia eſt, vniuerſus mundus contra huiuſmodi opinionem loquitur. Et hinc videre licet, quòd magni ponderis apud Chryſoſtomum eius tempore erat maiorum traditio, pro controuerſijs dirimendis: vide Indicem de traditionibus. A

Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem, & qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.

TOm. 5. oratione 5. contra Iudæos, Ne maledicas patri, etiamſi ſeuerus ſit flagellator. Pependit namque maledicus & maleficus Abſalō, de quo homil. in pſal. 3. & tom. 1. homil. de Abſalone, quæ incipit, Perdidit, & finitur per illam auream ſententiam, Nouo ſupplicio debuit interire, qui ſæculo nouū ſcelus per patris exiliū voluit inferre.

Honora ergo patrem, & non declinetur cor tuum ad quærendas tuæ rebellionis aut inhonorationis excuſationes, homil. 26. in 1. Cor. Verum honora inquam, ſed nō tantùm carnales parentes, & ſpirituales. Nec principi maledicas, hom. 3. ad Coloſſ. & Rom. 16. ibi, Salutate Priſcam, ibi, Non audis quanta ſit paſſa ſoror Moyſi, principi maledicens? Et in fine eiuſdem, Si ſenſu deficit, veniam da ei. B

Homil. 21. & 22. in epiſt. ad Epheſ. de parentum officio erga natos, & 30. homil. in eandem epiſtolam, de parentibus nimium indulgentibus, ibi, Et id fit ac ſi pater.

Si quæras: Cur ergo Deus non dixit patri, Ama filium, benefacque ei? homil. 10. ad Coloſſ. P.

Nonnulla alia de honore parentum, vide in magno Indice. Vide etiam ſupra feria 5. cinerem, ibi, Dico ſeruo meo, fac hoc, & facit: vnde fit vt filij rebelles ſint parentibus? Deo permittente id plerumque fit propter peccatum parentum: ho. in pſal. 3. vbi Abſalonis fit mentio rebellis, propter patris præcedens peccatum, ibi, Qui contra patrem erigebatur, ab arbore detinebatur. Ibidem ſimile canis. C

Peccatū parricidij adeò deteſtatur Dauid, vt ne ipſum quidem peccatum nominare dignaretur dicebat enim, Domine, ſi feci iſtud, homil. in pſal. 7. ibi, Sed ne hoc quidem.

Vos autem dicitis, Quicumq; dixerit patri, munus quodcumque eſt ex me tibi proderit: & irritum feciſtis mandatum Dei, propter traditionem veſtram.

VUlt Dominus, vt ſectemur quod re vera rectum eſt; & non quod rectum nobis videtur & non eſt, etiamſi bona ſit intentio: vide principium orationis 1. contra Iudæos, ibi, Neque enim.

Hom. 51. in Matt. F. 60. ad pop. de ijs qui vaſa aurea dabant, & calicibus aureis Deo ſeruiebant, & pauperes negligebant, ibi, Diſcamus philoſophari, & Chriſtum prout ipſe vult venerari. Et infrà: Ipſum ſatura priùs eſurientem, & tunc ex abundātia ipſius quoq; menſam orna. Dictum Chryſoſtomi in caſu neceſſitatis intellige, ô lector beneuole. D

Lib. 1. de ſacerdot. P. ibi, Cæterùm, tantiſper mater Chryſoſtomi nolebat, vt filius longas faceret profectiones, quòd ipſa egeret filij miniſterio & conſolatione.

Hæretici & eius farinæ homines, Catholicis exprobrant, quòd dum pueri inducuntur, imò perſuadentur philoſophicam vel monaſticam vitam ſectari, fit parentibus iniuria: Dicuntque quòd ſi liceret, liceret tantùm adultos & non pueros allicère: Dicunt præterea, ſic omnia corrumpi, & mādatum de honore parentum irritari. Quorum obiectis reſpondet Chryſoſtomus, lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ, M. Primò autem reſpondet parentibus dicentibus, Cupio filium meū ſemper eſſe mecum, &c. ibi, Hoc ipſum ego quoq; cupio: F. Notabile planè reſponſum. Et ibi, Anna mulier quædam Hebræa. Cuius Annæ exemplo, in fine libri hortatur genitores, vt filios ſuos Deo conſecrent, fiantque fabri templorum Chriſti ferorum, idque dum pueri adhuc ſunt. Hinc hom. de educatione Samuëlis, tom. 1. A mamma matris venitur ad mammam ſpiritualem.

Ibidem docet, quòd monachi meliùs honorant parentes, quàm qui non ſunt: nec enim patris optant obitum libidine hæreditatis poſſidendæ, &c. Vide tabulam de votis.

Supra autem omnia obſerua, quòd poſtquam mater Samuëlis filium Deo conſecrauit, alios & inexpectatos Deus reddidit ei filios, vt ſcias quanti faciat Dominus eos, qui Eccleſiæ filios ſuos conſecrant, non in parentum detrimentum, imò in ſubſidium. Legitur enim in 1. libro Regum, quòd ad precem Hely dicentis, Reddat tibi Dominus ſemen pro fœnore quod accommodaſti Domino, dedit ei tres filios & duas filias.

Audito hoc verbo, ſcandalizati ſunt, &c. Sinite cæci ſunt, &c.

HOmil. 46. in Acta, F. ibi, Et quomodo poſſibile eſt aliquem facere quod oportet, & non eſſe alijs damnoſum? Ibidem de ſcandalo accepto, & dato: vide ſuprà Dominicam 1. 40. de epiſtola, ibi, Nemini dantes vllam offenſionem.

8. in 1. ad Timoth. de ſcandalo dato per mulierem comptam.

Hom. 56. in Ioan. F. ibi, Totis viribus. Ibidem docet, quòd aliquando recta vita ſcandalizat, vt cùm boni conuerſantur cum malis.

Benè prophetauit de vobis (ô hypocritæ) propheta, dicens, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

SImiles erant Iudæi illis, quos poſtea reprehendebat Chryſoſtomus, oratione 1. contra Iudæos, qui tubis ſonabant, & ſacrificia non faciebant: Nam olim quidem in numerorum libro præceptum erat, in holocauſtomatibus, tubis canere: Et poſteaquam non amplius fiebant holocauſta, canebant tamen adhuc. Quod reprehendens Chryſoſtomus dicebat: Nil aliud retinetis quàm tubas veriùs luditis, quàm ſacrificatis. Sic qui tātum lingua erant & non corde, veriùs ludere dicendi ſunt, quàm Deum laudare, aut ei ſeruire.

Indignè fert Chriſtus, ſi cor longè ſit ab oratione. Vult enim vt è profundo cordis procedat: futura alioqui infructuoſa, homil. de Phariſæo & Publicano, quæ eſt in fine pſalmorum, M. ibi, Vt enim arbores.

79. ad popul. P. exemplo Annæ commendatur orandi modus, etiam ſine ſono & cantu.

Hom. 5. de incomprehenſibili Dei natura, ibi, Vt enim arbores.

Cur longè.

NOn ſatis eſt, dum Deo aliquid offers, ſi habeas cor purum: ſed oportet vt illud quod offers bonum ſit, & non de rapina, 6. in 2. ad Timoth.

Homilia 28. in Geneſim, pretioſa dona Abel fuêre, tum ad mentem, tum quia primogenita.

28. ad Rom. F. ibi, Cythara.

Cor longè.

QVaſi dicat, orat quidem, ſed nō è cordis profundo: quod tamen requiritur, vt docet

Chryſo-

Chryſoſtomus in pſal.129.ibi,Quemadmodum arbor valida,&c. Ibidem pulchra & plura de oratione, ibi, Quemadmodum pluuia. Item in pſal. 140.ibi,Eleuatio manuum mearum,&c. de requiſitis ad perfectam orationem:& in pſal. 4. ibi, Et nil eſt. A

Aliquando ſine labijs & voce cantare, & Deum laudare poſſumus, quando ſcilicet membra noſtra ad Dei laudes implicamus:in pſal.143. verſu, Qui das ſalutem regibus.

Adhuc ſine intellectu eſtis?

HOm.in 1.caput ad Gal.P.

Quod intrat in os, non coinquinat.

12.in 1.ad Timoth.ante Mor.ibi, Cuius ergo rei gratia ciborum plurima genera interdixit?

Hæc ſunt quæ coinquinant,&c.Furta,&c.

QVaſi dicat Chriſtus,Iſta ſunt de quibus conqueri deberetis & timere; non verò alia indifferentia, &c. illotis manibus manducare. Hinc 12.ad Epheſ.F. comparat tales pueris, ibi, Græci ſemper pueri. Timent quidem quæ non ſunt peccata,vtpote ſordes corporis. quæ autem ſunt verè peccata,vt pedicatus,ſcortator,&c. eorum nullam habent rationem,hom.in pſal.48. B

Quæ procedunt de ore coinquinant.

CAue ergo ne lingua pecces, & roga Dominum vt ponat cuſtodiam ori tuo,ſicut rogauit Dauid Pſal. 140. dicens, Pone domine cuſtodiam ori meo:quod ſimilitudine perpulchra exponitur, hom.in eundem pſal. C

Et quoniam ex corde cogitationes malæ, hinc eſt quod percutimus orantes pectus,quod eſt ſedes cordis:& in pectore olim punitus ſerpens hom. de laude crucis,quæ eſt in fine pſalmorum.

FERIA V. DE SOCRU SYMONIS ÆGROTANTE.

Socrus autem Symonis,tenebatur magnis febribus:& rogauerunt pro ea diſcipulis.

SEd cur Petrus non præſeruauit eam, ne infirmaretur? Imò verò cur Apoſtoli ipſi fuêre aliquando infirmi? 10.in 2.ad Timoth.ibi,Reliqui Mileti infirmum:& hom.1.ad pop.

Hom.2.de patientia Iob, pro cœlibatus confirmatione, contra impugnatores eiuſdem. Et pulchrè exponitur ſententia Pauli, Oportet Epiſcopum vnius vxoris virum. D

Cur autē initio Eccleſiæ nō tantus rigor in cōtinentia ſacerdotū,quātus nūc requiritur:vide 10. in 1.ad Tim.ante Mor.ibi, Igitur ne anguſtiam.

Rogauerunt pro ea.

DE fructu orationis vnius pro altero,44.in Geneſim,ibi,Cur igitur:hom.4.de verbis Eſaiæ, & de Ozia Rege:Item Dominica 2. quadrageſimæ de Cananæa.

FERIA VI. DE SAMARITANA VIDUA SCORTANTE, ET *tandem pœnitente.*

Vide prologum in pſal.50.ibi,Pictores, &c. pro exordio concionis huiuſce Samaritanæ,Petri,Magdalenæ,& ſimilium peccantium:Vide etiam omnes homilias in 4. caput Ioan. ex quibus pretioſiora quædam adnotauimus, quæ hîc ſpecialiter obſeruanda diximus,vtpote,vnde Samaritani originem traxerunt,hom.30.ibi,Samor.

Horâ ſexta.

IBidem de Apoſtolorum ſobrietate, contra eos qui cū mane exurgunt,coquos aduocant,de paradis epulis tractant,ſpiritualia negligunt,& ſæcularia diuinis præponunt:ibi, Conſidera quæſo.

Ibidem de eorum humilitate:quia ſibijpſis fabulabantur,nec examina ſeruorum habebant.

Da mihi bibere.

HO.de Moyſe,Optat dare qui præcipit petere.

Quomodo tu Iudæus cùm ſis,petis à me bibere?

QVis cauere alteriùs conſortium potius debebat,an Chriſtus,an mulier? 30. in Ioannem, ibi. Tu autem mulieris ingenium conſidera.

Fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

HOm,4.in Acta,M.

De perſeuerantia Samaritanæ in poſcendo aliquid, & quomodo non diſcedit à Chriſto, licet eum ignoret. Contra verò de Chriſtianorum deſidia,qui eum cognoſcunt,in fine hom.30. in Ioannem,ibi,Quòd ſi mulier.

Voca virum tuum.

NAm neque donum coniux recipere debet inſcio marito. Sed ſi quæritur an vir ea inſcia dare aliquid poſſit, reſponſio inuenietur in homilia,Quòd diſpenſatio rerum, tomo quinto.

De dei ſumma benignitate,qua peccatores nō dedignatur alloqui:17.in Geneſim,ibi,Adā vbi es?

Hom.23.ad Rom.Mor.de amicabili correctione Cain,vt illius iram ſedaret:Modus corripiendi ſuauis,P.M.F.Correptio nō odij ſed dilectionis ſignū.

Viri abſentiam commemorat,& non exprobrat alijs verbis:vnde apparet diuina clementia in peccatores,7.ad pop.M.ibi,Si autem homines,& ibi,O ſcelerate.

Quinque enim viros habuiſti.

NOn hoc dicit,quaſi exprobrans quod habuiſſet 5.viros:aut quod nefas eſſet ſecundo aut 3.aut 5.nubere(Re vera enim tales nuptiæ permittunt vt licitæ):verumtamen ipſæ habent nonnullas accuſationes,hom.2.ad Titum.

Hom.de libello repudij, Si autem ad ſecundas nuptias adſpiramus,ne corruptos viros in domum introducat mulier.

Quem habes non eſt tuus.

COntra adulterantem ſunt ſemper tres teſtes, Deus primò,conſcientia ſecundò,& tertio ille cum quo adulteratur:homil.3. de verbo Eſaiæ, Elatum cor Regis Oziæ.

Adulterantes excuſationem frequenter prætendunt,maximè mulieres, dicentes, Tentauit me, & quomodo reſiſtam neſcio: At verò qualiter tentationibus reſiſtendum,docet homil.1. in pſal.50.F. ibi,Quomodo me abſtinere poſſum.

Eſt locus Hieroſolymis,in quo adorare oportet.

VIde ſuprà feria 3.Dom.1.ibi, Domus mea,domus orationis vocabitur,F.ibi,Cur in templo ſolo.Vide etiam oratione 3.cōtra Iudæos, cur aboleuit cultum Hieruſalem.

Digitized by Google

Mulier crede mihi.

SVpra, feria 2.Dom.2.ibi,Moriemini in peccato veſtro,niſi credideritis quoniam ego ſum: vbi de Pythagoræ ſilentio fit mentio.

Sine naui pelagus tranſnatare qui aggreditur, inſipiens eſt: ſic doctrinam ſacram qui ſine fide intelligere nititur, etiam inſipiens eſt: 32. in Ioannem, P. Itaque Chriſtus Samaritanam edocturus præuenit eam dicens,Crede mihi.

Non eſt curioſa indagatrix aut interrogatrix, vt quondam Eua:itaque quod neſciebat ſciuit, & didicit à Chriſto,ſcilicet vbi & quomodò adorandus Deus, & quænam illa eſt aqua,quæ æternam extinguit ſitim. Contrà verò Sathanæ ſuggeſtione Eua ſpe illecta,maioris cognitionis non tantùm nō habuit maiorem ſcientiam aut cognitionem, ſed quam priùs habebat perdidit:hom.6. in Ioannem, P.ibi,Quid ſcrutaris imperſcrutabilia?

Venite & videte hominem,qui dixit mihi omnia quæcumque feci.

DE laudibus & virtutibus Samaritanæ hîc agitur,& primò,prædicat ipſa non tantū Chriſtum,ſed peccata propalat ſua, ad aliorum inſtructionem & vtilitatem,vt Dauid olim:ho.1. in pſal. 50. M.F.ibi,Non ſolùm autem poſt.

Ex eo autem quod ipſa conuocat alios ad videndum Chriſtum aliorum Apoſtola vocari, & Nicodemo ſapientior dici poteſt,hom.31.in Ioan.P. ibi. Credidit:imò verò ipſo Nicodemo eſt reuerentior, & verecundior:hom.30.in Ioannem, antè finem ibi,Hæc autem mulier.

Eſt quoque Iudæis quibuſdam ſapientior vel diſcipulis,qui audito Chriſto dicente Ioan.6. Qui comedit de carne mea, non eſuriet, ſcandaliſati ſunt,& receſſerunt;contrà verò mulier hæc,nulla perturbatione affecta immoratur & rogat, 31.in Ioannem,P.

Adde quòd Iudæi ipſi (Ioannis 7.) moleſtè ferunt, quòd Chriſtus eis ſua reuelat peccata, & indignè reſpondent dicentes,Dæmoniū habes, quis te quærit interficere? hæc autem non moleſte fert, quòd Chriſtus ei reuelat ſua facinora, etiam clanculum commiſſa,ibidem,30.in Ioannem, M. ibi, Papæ quanta mulieris ſapientia. Eius etiam patientia ibidem oſtenditur.

Quòd ſi non clara ſatis tibi appareant quæ in fine dictæ homiliæ,traduntur,vide tractatum aut annotationes locorum ambiguorum Sixti Senenſ. in id Lucæ 16.Pater Abraham mitte Lazarum.

Sed cur non dicit,Videte prophetam aut Chriſtum,ſed tantum videte hominem? 33. in Ioan.P. ibi,Cum anima diuino igne exardeſcit,nil amplius terrenum curat, non gloriam, non dedecus, ſed eius flammæ feruore tantùm mouetur.

Hanc igitur mulierem imitemur, & in peccatis quæ commiſimus confitendis neminem vereamur. Ibidem,M. F. exhortatio eſt ad peccati confeſſionem,ne tandem in die iudicij erubeſcamus.

Et ibidem definitur pœnitentia,quæ non eſt tātùm non amplius peccare,ſed malo per bonū aliquod mederi,ibi,Rapuiſti?pone modum rapinæ, & eius vulneri medearis eleemoſyna.

SABBATO, DE ADVLTERA.

Ieſus perrexit ad montem oliueti,& diluculo venit ad templum.

SI te offendat ſilentium Chryſoſtomi, qui in commentarijs in 8.cap.Ioan.hom.51.intactam pertranſit adulteræ hiſtoriam,vel ſi hæſites an canonica,aut euangelica ſit hiſtoria, memento quòd alibi idem Chryſoſtomus eiuſdem hiſtoriæ, meminit,eandem approbans, hom.60. in Ioannem.poſt P. ibi, Quod autem hac.

Fortaſſe verò à nebulonibus quibuſdam, ex commentarijs Chryſoſtomi exploſa eſt eiuſdem hiſtoriæ explicatio,vt ab ipſo textu Euangelico explodendam eandem hiſtoriam inſipientes quidam inſipienter duxerunt:quos arguit D. Aug. lib.2.de adulterinis coniugijs cap.7.

Diluculo.

NOn tantùm manè orabat aut docebat Chriſtus,ſed noctu,ſuo exemplo nos ad excubias & preces inuitans nocturnas,quæ vtiliores diurnis ſunt:42.ad pop.Antioch.ibi,Plus nocturnis placatur orationibus,

Hom.17.in Ioan. F.ad diuinam doctrinam nullum tempus intempeſtiuum:ibi, Hinc faciles admonemur. Cibus enim & balnea ſtatutum tempus habent, ſupernæ autem ſapientiæ doctrina nullo tempore circumſcribitur,ſed omne ei tempus accommodatum eſt.

Etſi verò omne tempus ſit Chriſto, ad docēdum aut orandum accommodum, tamen plerumq; matutinum gratius illi:imò tardius aliquando docere, bonum ei viſum eſt, vt cùm Ioannis 7. vltimo die feſtiuitatis,id eſt,in fine feſti, prædicauit clamans, Si quis ſitit, veniat ad me & bibat: Quem locum explicans Chryſoſt:hom.50.in Ioan,ait, Neque in principio aut medio feſti aliquid loquutus eſt, ne irrita verba caderent,cùm delicijs vacaturi eſſent: nouiſſimo autem quando domum erant redituri, præbet eis ad ſalutem viatica.

Adducunt mulierem in adulterio deprehenſam.

DE grauitate criminis adulterij,& quòd matrimonio iuncti grauiùs peccant,hom.3.de verbis Eſaiæ,Elatum cor tom.ibidem contra eos, qui pro adulterij excuſatione,dicunt quod eſt naturalis voluptas.

De vindicta & iudicio Dei in adulteros per bellum,hom.in pſal.3.M.F. Ibidem adulteri vocātur regni alterius occupatores,quoniam cuilibet viro, regnum eſt concors coniux.

Iudices iſti adducentes adulteram, impij ſunt: quoniam parant Chriſto iudici æquiſſimo inſidias: Si autem quæris alterius impij iudicis exemplum, vide Pharaonem, dum Putipharis coniux accuſat Ioſephum iuſtum,ho.2.in 2.ad Theſſ.P.ibi, Oportebat enim dicere.

Interrogant autem iudices Chriſtum, ſed non ſtudio diſcendi; qui erant aſſueti ſimiles facere quæſtiones amaro zelo, vt videre eſt homil.60.in Ioan.P.

Digito Ieſus ſcribebat in terra.

QVoniam indigni erant quibus aliquid diceret,conuertit ſermonem ſuum ad terram, ſic 3.Reg.13. homilia 3. de pœnitentia, ne perderet ſermones quos protuliſſet in aures eorum, nihil primùm dixit, ſed terræ inſculpſit ſermonem, quem conſeruauit diutiùs, vt lapidis exemplo ſaniores fierent.

Hom.42.in Gen.ibi,Non hoc dicit.

Hom.4 de verbis Eſaiæ (Mortuus eſt Ozias)dicit lepram quæ fuit in fronte Oziæ, & non per totum corpus,fuiſſe veluti ſcripturam in columna.ad terrorem ſimile agentium: ſic varijs modis ſolet doctor Ieſus ſuos erudire,F.

Ad terrorem inquam iudicum, quorum eſt iudicia Dei timere,iux ta id pſal. Et nunc reges intelligite,&c.ſeruite domino in timore. At verò non tātùm illi iudices timere debent,ſed & priuatus quiſque,homil.5.ad Romanos ante medium.

Digitized by Google

Quæ in parietibus digito vel iuſſu Dei vel alibi ſcribuntur, vtilitatem non modicam adferunt: vnde homil. 9. ad pop. Antioch. conſulit vt quiſque in pariete domus, ſcribi faciat quod in Zacharia cap. 5. ſcriptum eſt, Iudicium ſuper domum furis & iurantis, vt celerior fiat dicti peccati emendatio.

Fortè eadem ratione Chriſtus ſcribit in terra. qua Eſaias loquutus eſt terræ & cælo, non hominibus loquela Dei indignis, & brutis ipſis minùs ratione vtentibus: Vide proœmium in Eſaiam, M. ibi, Audi cælum, vſque. Audito altare, &c. Cum lapide verba facit.

Exibant vnus poſt alium.

Timore perterriti fugiunt, qui timor ex peccato proceſſit, 8. ad pop. vbi præclarè duæ exponuntur ſententiæ ſcripturæ. Vna, Gen. 3. Deambulabat in paradiſo Deus in meridie. Altera, prou. 28. Fugit impius nemine perſequente. Chriſtus autem nullum adhuc accuſantium læſerat, fugiunt tamen: hoc ideo fit quoniam peccatum in eorum conſcientia ſedebat, vide ibi, Talis eſt peccantium conſuetudo.

Incipientes à ſenioribus.

Vt ſcias quàm graue ſit ſeniorum peccatum, lege Morale ho. 7. ad Heb. P. M. F. In qua non quidem particulariter de illis iudicibus ſenibus, ſed alijs omnibus agitur, ibi, Verè eſt pudor & res ridicula, vt canicie quidem exornentur exterius, intrinſecus autem animum habeant puerilem. Morale illud integrum, amicabilis & manſueta eſt inuectiua in ſenes aut ſenum corruptos mores, maximè eos qui ob ſenium excuſari volunt, ne in bono perſeuerent aut currant: hom. 2. de incomprehenſibili Dei natura, ſenectus Zachariam infidelem non excuſauit.

Hom. 3. de verbis Eſaiæ, Elatum eſt cor, docet, quòd dæmon inſidiatur etiam perfectis ſenibus: quapropter cauere debent ſibi, ſicut ſcriptum eſt, in fine, Ne corrumpas.

Interrogant ſenes, ſed recedunt ante reſponſionem, hom. 46. in Ioannem, ibi, Spiritus eſt qui viuificat. &c. Expectare eos opportuit, nõ diſcedere, interrogare, non deſperare: tum autem loquebatur Chriſtus de ijs qui interrogarant dicentes, quomodo poteſt dare carnem ſuam ad manducandum: qui abierant non expectato reſponſo.

Vade, & noli amplius peccare.

Hom. 8. (vel 5.) ad pop. & 15. ibi, Quam igitur, veniam habebimus? &c. Contra eos agebat qui frequenter ad peccatum, à quo erepti ſunt, redemit: vide ſuprà feriam 5. Dominicæ primæ, in fine.

Non fauet hic locus ijs qui relapſis negant veniam: At verò difficultas oriri poſſet ex eo quod ſcribitur hom. 2. ad Epheſ. Mor. ibi. Non eſt enim alterum lauacrum, neq; ſecundaria reconciliatio: Quæ difficultas ſoluitur, & notatur in margine codicis impreſſi 1548. apud Carolam Guillard: de ſolemni pœnitentia (ait gloſſator) loquebatur. quæ ſecundum iura antiqua non iterabatur, ne viloſceret: vel loquebatur de illis de quibus Paulus ad Hebræos, voluntariè peccantibus nõ relinquitur hoſtia, hoc eſt, pœnitere nolentibus nullum patet fugiendi pœnas æternas iter, aut remedium.

DOM. IIII. QVADRAGESIMÆ De Diuina Prouidentia oſtenſa in 5000. hominum ſaturatorum quinque panibus multiplicatis: & de gratijs ob tantum beneficium redditis.

Cùm ſubleuaſſet oculos Ieſus, &c. dixit vnde ememus panes vt manducent hi?

EN diuinæ prouidentiæ erga genus humanum, ingens argumentum: De qua prouidentia cùm dubitarent aut deſperarent nonnulli, audita eſt vox illa Chriſti, Nonne recordamini quinque panum? verumtamen non ſufficit conſiderare eum prouiſorem, ſed quod in prouiſione habet coniunctam ſapientiam, ſicut ſcriptum eſt, Tu autem pater ſapientia gubernas omnia. Item, diſponit omnia ſuauiter. Item, omnia in ſapientia feciſti.

De qua prouidentia ſapientiſſima, appoſitè hodie tractari poteſt. Quod vt faciliùs facias, exempla particularia ſumenda: itaque lege 9. homil. ad pop. F. ibi, Conſidera, &c. vbi docet quòd ſapientiæ & prouidentiæ fuit opus, quòd initio Deus non iuſſit prophetis aut Apoſtolis vt ſcriberent, nec populo vt legerent, quia ſi iuſſiſſet legere, iuſſiſſet libros emere, quod diues potuiſſet facere non pauper, & inde rixarum & blaſphemiarum ſeminaria orta fuiſſent.

Prudentiæ etiam actus fuit, quòd dominus qui olim paſcebat manna ingratos Iudæos, nunc permittit & vult, vt miniſtri Euangelici nutriãtur hominum & populorum miniſterio, hom. 9. ad Philippen. Mor. F. vltima ad Gal. ibi, Communicet: & ho. 1. ad Philippen. Mor. F.

Sapientiæ actio eſt, quòd pro libro cælum dedit, in quo & ſapiens & idiota legere poterunt: vide integram ho. 9. & 10. ad pop. F. ibi, Nec enim: & 11. ibi, Tu verò: vbi ſoluuntur argumenta cõtra prouidentiam diuinam facta, ibi, Velociori quippe.

Prouidentiæ aliud argumentum, 34. in 1. Cor. 13. quòd non omnia vbique naſcantur, M. ibi, Vidiſti quot modis nos colligauit.

Lib. etiam 2. de compunctione cordis, aliud exemplum.

Sapientia diuina in peccatorum relaxatione, hom. 5. de prouidentia, tomo 5. ibi, Omnibus in rebus.

Deus omnium prouidentiam habet, ſed tamen non æqualem, ſpecialem enim habet quorumdam, lib. 1. de prouidentia, ibi, Quod autem non communiter.

Sapientiæ eſt, quòd magis neceſſaria communiora facit, in pſal. 8. verſu. Omnia ſubieciſti: & in pſal. 148. diuinæ prouidentiæ non repugnat, dracones eſſe & grandines, licet noceant.

Prouidet ſapienter, dum noctem quieti deſtinat, & diem labori: hom. 2. de compunctione cordis, Similitudine piæ matris ac nutricis, operientis faciem nati, vt ad requiem prouocet. Sapientiæ & diuinæ prouidentiæ opus, quòd viri & ſancti nõ fuere ab omni corporis vel animi imperfectione immunes, homil. 4. in primam ad Theſſ. P. Imò verò mala permittere, & non ſtatim corripere, hom. 1. in 1. ad Timot.

Contra oppoſitum dicentes, vel diuinam prouidentiam impugnantes, vide in pſal. 7. Iudica me: & 1. ad Coloſſ. F. ibi, Dic enim mihi, te Deus aluit: in pſal. 134. verſu, Qui percuſſit, &c. Vſque, Magna eſt enim Dei ſapientia.

Multitudo magna venit.

HOm. 26. in Acta Apoſtolorum, F. Ioannes Euãgeliſta narrat, quòd circa feſtũ

paſchæ hoc miraculum patratum eſt: de quo paſchate, cur ſcilicet inſtitutum, ſi dicere cupis, lege homeliam de proditione Iudæ, ibi, Feſtiuitatis celebratione beneficiorum memoriam roborauit.

Eſt puer hic.

PVer qui ſequitur Apoſtolorum gregem cum paucis panibus & piſcibus, demonſtrat ipſorũ Apoſtolorum ſobrietatem: quæ & ſuprà demõſtrata eſt, eo quòd de prandio non curabant, niſi cùm tempus prandij appropinquabat, hom. 30. in Ioannem; & feria 6. Dom. 3. Ibidem eorum humilitas, quoniam ſeruos & miniſtros non habebant, ſed ſibijpſis famulabantur.

Cùm gratias egiſſet, dixit diſcumbentibus.

MAtthæus legit, Benedixit. Nota quòd benedicere Dei differt à benedictione hominis, aut per hominem, homil. in pſal. 113. verſu, Dominus memor fuit noſtri, & benedixit nobis: & vtraque benedictio adfert homini lucrum, in fine enim Euangelij fit mentio de gratiarum actione aut benedictione ex parte hominum, quoniam voluerunt rapere Chriſtum & facere eum regem: vel laudarunt eum dicentes, Hic eſt verè propheta qui venturus eſt in mundum. Suo modo gratias egerũt, licet imperfectè ſcilicet, quia ſaturati erant, & non quia vidiſſent ſigna, quemadmodum eis exprobrauit Chriſtus dicens, Sequimini me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia ſaturati eſtis.

Si autem honorificentius & vtilius gratias agere vis pro beneficijs, in genere, aut particulariter, de ijs quæ in quotidiana menſa recipis, aduerte ad ea quæ inferiùs ex Chryſoſtomo notantur. Primò hom. 38. ad popul. M. ibi, Vis rationem ſcire gratiarum actionis? non enim ſat eſt ſcire quomodo aut cur ipſe Ieſus gratias egit, ſed quomodo nos ipſi Deo dignas reddemus gratias.

Hom. de fide Annæ tom. 1. ibi, Siquidem.

14. ad Philippenſes.

19. ad Epheſ.

8. ad Philemonẽ, Mor. de murmure quod opponitur gratitudini, de quo murmure 45. in Ioannẽ P.

10. ad Col. M. ibi, Scio ego quendam virum.

1. ad Coloſſ. de ijs qui gratiarum loco habent fiſtulas, & inſtrumenta poſt prandium: Et tum introducuntur dæmones, quos peiores canibus aſſerit, maximè quando prophanis ſeſe occupant cantilenis.

Conſecratio & benedictio menſæ, etiam cum ſigno crucis, tempore Chryſoſtomi fiebat, homil. 12. in 1. ad Timoth. M. ibi, Signum.

Preces autem & benedictiones fiunt in prandio, non tantùm vt benedicantur cibi appoſiti, ſed vt nil mali contingat ex lauta menſa. Etenim diabolus plurimum inſidiatur in conuiuijs, hom. in pſal. 41. Hinc 57. ad pop. laudans monachos ſic orantes ante & poſt prandium, dicebat, Didicerunt enim quid paſſus fuerat Iſrael ex lauta menſa, qui recalcitrauit. Deut. 6.

Quòd ſi pauperes monachi, qui vigilijs vacant, & humi ſtratis cubilibus, indigent huius commonitionis, quid non facient qui menſas apponunt lautas, infinita ferentes naufragia? Ibidem M. recenſentur verba obſeruatione digniſſima, quibus olim vtebantur monachi gratias agentes, ibi, Benedictus &c. & hortatur omnes Chriſtianos, vt talem hymnum poſt prandium canẽt. In quo hymno inter cætera precabantur, vt in die iudicij non inuenirentur erubeſcentes, quando reddet vnicuique iuxta opera ſua.

Quid autem agendum vt vere ſis Deo gratus, vide 38. in Acta, F. ibi, Dixi quidem ſexenties.

A Hom. in pſal. 110. P. Vide quoque ſuprà feria 6. Dom. 1. de paralytico ſanato, qui inuentus eſt in templo gratias agens.

34. in Geneſim, non tantùm pro datis gratiæ agendæ, ſed promiſſis.

Et qui cupit perfectè gratias agere, recitet & numeret beneficia in ſpeciali, & nõn tantùm in generali, 38. in Acta: & in pſal. 41. & 115.

Facite homines diſcumbere.

QVis propriè homo, 13. in 1. ad Timoth. F. ante Morale: 23. in Geneſim: & ſupra de diuite epulone, ibi, Homo quidem erat diues.

Hic typus Apoſtolici officij, vt ſcilicet faciant diſcumbere populum, id eſt, moneant vt præparet ſe ad dignam Euchariſtiæ perceptionem. quibus non modica imminet pœna, ſi quem ſciunt eſſe nequitiæ alicuius conſcium, participem eſſe ſinant tam ſacræ menſæ, homil. 60. ad pop. M. ibi, Nam & B vos: 61. in Matthæum.

Sed quomodo ſaturabuntur diſcumbentes, cum non ſufficit panis? Reſponſio eſt in homil. 28. in Geneſim: Præceptum Domini ſufficit. Et quando Dominus præcipit, ne quæras vt iuxta hominum morem opera perficiantur. Non fuerunt corrupti filij Noë in arca, nec infirmi: nec diminuti filij Iſraël in Egypto, licet in luto & latere grauati.

Diſcubuerunt, & non examinauerunt Dei mandatum, hom. 2. ad Romanos, Mor.

FERIA SECVNDA DOMINICÆ QVARTÆ, DE FLAGELLO EX funiculis, & de eiectis à domo Dei emptoribus.

VIde ſuprà feriam tertiam Dominicæ primæ.

C

Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis.

MVlta pro decore templi conſideranda. Primò vt quod fieri oportet in eo, fiat, & nil aliud. Secundò, vt quod fieri in eo, oportet, nõ fiat foris: vnde apud Daniëlem commendantur qui noluerunt extra templum ſacrificare, tom. 5. oratione 1. contra Iudæos. Idem in principio orationis ſecundæ.

Zelus domus tuæ comedit me.

EXemplum inſignis zeli in Conſtantino imperatore alioqui manſuetiſſimo, qui tamen am putari fecit auriculas ijs qui volebant reædificare templum & Hieruſalem, oratione 3. contra D Iudæos.

Vtinam duos illos reges Chriſtum flagello vendentes eijcientem, & Conſtantinum auriculas amputantem, in zelo imitarentur fideles, aut ſaltem in bono imitarentur indiſcretum zelum Epheſinorum, de quibus homil. 42. in Acta P. tanto enim zelo templum Dianæ venerabantur, quòd eũ qui ſuccenderat ipſum, ne nominari quidem vellent. Siccine faciunt qui iuſtificant & honorificant templorum direptores, & tamquam athletas ſtrenuos coronant?

Amor & zelus faciunt, vt qui mites ſunt, inclementes videantur, vt Moyſes: ſed Chryſoſtomus hom. 1. ad populum Antioch. monet, vt qui audierit blaſphemantem, arguat & corripiat. Monet etiam, vt ſi oportuerit percutere blaſphemum, non recuſet. Faciem alapa percute (ait) & percuſſione manum tuam ſanctifica. Apparet autem quod de quouis priuato homine loquatur: Nam conſulit &

docet

Digitized by Google

docet quid reſpondendum, ſi forte arguaris, & in carcerem mittaris propter factum. Dicendum (ait) cum libertate, Quoniam angelorum regem blaſphemauit. Nonnullis tamen meritò & certius videtur, quòd Chryſoſtomus non conſulit vt magiſtratus auctoritatem ſpernas, aut prætereas, ſed fortè in caſu, quo vel magiſtratus negligens, aut quo tu vrgearis ad corripiendum, ne recuſes ita laceſſitus.

Idem autem Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, qui zelum alijs perſuadebat, adeò vrebatur zelo pro Deo, contra blaſphemantes nomen Domini, quòd nullam aliam pro concione retributionem poſcebat, quàm vt blaſphemantes corrigerentur, homil. in Pſalm. 134. Quando fuerit aliquod nefarium factum, nemo ſit ignauus, ſed igne ardentior.

Vide ſuprà feria 3. Dominic. 5. Quadrageſ. ibi, (Eiecit vendentes,) de manſuetudine & furore ſimul, in Dauido & Moyſe, de quibus in Pſalm. 44. & in Pſalm. 5. ibi, Expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine. Vide etiam in Geneſim homiliam 26. ibi, Hæc cogitantes, ſæpe mos eſt Deo, &c. & in Pſalm. Memento, 131. Manſuetudinis veram definitionem.

Quod ſignum oſtendis? &c.

Homilia 60. in Tomo tertio.

Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud.

Homil. in cap. 1. ad Galat. in id, Qui excitauit eum à mortuis, conciliatio fit locorum duorum, ſcilicet, Chriſtus ſeipſum excitauit, & Deus Pater ſuſcitauit ipſum, vt videas quod non ex ſcriptura, ſed ex ſcripturæ ignorantia errores prodeũt ſæpiſſimè.

Homil. 1. ad Roman. M. & 12. Moral. de reſurrectione Chriſti: 41. in 1. Corinth. 15. P.

Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.

Regulam hic obſeruat Ioannes Euangeliſta, quam poſtea Ioannes Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus obſeruandam monet, in id Eſaiæ 5. Vinea Domini Sabaoth domus Dei eſt, ibi, Proinde, lex vbicunque ſcripturarum eſt, ſi quando allegorico ſenſu aliquid tegit, ſubuertere conſueuit & interpretationem, vt ne qui volunt pro ſua intemperanti libidine (vt ferè contingit ſemper) trahere omnia ad allegoriam, in errore verſentur, & quaqua verſum ferantur præcipites: vt cùm capite prouerb. 5. dixit, Cerua amicitiæ, & hinnulus gratiſſimus conuerſetur tecum, mox interpretatus eſt per ceruam illam intelligi debere vxorem legitimam.

Sic hic Euangeliſta Ioãnes, ne auditor præceps rueret aut erraret, interpretatur allegoricam ſententiam Chriſti, Soluite templum hoc, dicens, Hoc autem dicebat de templo corporis ſui: Cumque Chriſtus ſapientior ſit ipſo Salomone, certiſſimum eſt quod ſi voluiſſet hanc ſententiam. (Hoc eſt corpus meum) intelligi ſignificatiuè aut allegoricè, eam interpretatus ipſe fuiſſet, aut interpretari feciſſet, ne in re tam magni momenti, anſam erroris aut præcipitij relinqueret. Ille ſiquidem via, veritas, & vita erat.

Quadraginta annos nondum habes.

Homilia in Pſal. 126. P.
Reliqua vide in hom. 22. in Ioannem.

FERIA III. DE ADMIRANTIBVS IVDÆIS, QVOMODO CHRISTVS ſciret litteras quas non didicerat.

Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit. Ioan. 7. cap.

Non tantum id admirari aut quæri poteſt, de Chriſto, ſed & de Chriſti apoſtolo Paulo quæri poteſt, an idiota aut ſine litteris (vt quidam volunt) aut cur? Fortè non benè intelligentes illud, Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia: libro 4. de ſacerdotio.

Si quis voluerit voluntatem facere eius qui miſit me, cognoſcet de doctrina, an ex me, an ex alio.

Hoc eſt, non errabit in iudicio diſcernendi verum à falſo: Hinc liquet errorem procedere ex præcedenti peccato, id eſt, defectus in voluntate cauſat defectum & errorem in intellectu: vnde ho. de Adam & Eua tom. 1. exemplis & auctoritate probat, quòd peccatum conſequens eſt peccati pœna.

Hom. 8. in 1. Cor. M. ibi, Quomodo ergo fieri non poteſt.

Vide hom. 33. in Acta, M. F. ibi, Hoc enim: item ibi, Cui credam neſcio. vſque, Fac illa, & recta ratione quære à Deo, & ille tibi omnino reuelabit.

47. in Acta F. ibi, Ideo oro habeamus curam bonæ vitæ, ne mala dogmata ſuſcipiamus.

In pſal. 43. ibi, Si enim Cornelium, &c. Quid requiritur à verbi Dei auditore, vt capiat & intelligat quæ dicuntur.

Mea doctrina, non eſt mea.

Humiliter loquitur Chriſtus, noli admirari, 37. in Ioannem vbi exponitur hæc humilis ſententia, Non poteſt filius à ſeipſo quicquam facere.

Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.

Hom. 37. ad pop. Ant. M. & homilia de Spiritu ſancto, datur certa nota, qua ſcire potes quiſnam loquatur à ſeipſo: At vero Chriſtus de ſe dicit. Ego à meipſo non loquor, & de Spirituſancto dixit Ioannis 16. Cùm venerit, non à ſeipſo loquetur: A ſeipſo autem loquitur qui dicit, Ego Spiritum ſanctum habeo, & tamen non dicit quæ Euangelica lectio profert & continet.

Quæritis me interficere. Reſponderunt: Dæmonium habes, quis te quærit interficere?

Egre audiunt Chriſtum eis reuelantem quæcunque faciunt & ſpirant, quos ideo Chryſoſtomus poſtponit mulieri Samaritanæ, homilia 31. in Ioannem, quæ non moleſtè fert reprehenſionem peccati, etiam clanculum commiſſi.

Nolite iudicare ſecundum faciem.

Homil. 17. ad popul. Antioch. F. Paruus erat Dauid, & Saul magnus.

Paulò antè in eadem homilia docuerat, non in magnitudine templorum, aut multitudine hominum metiendam ciuitatis pulchritudinem: ibi, Non ciuitatis magnitudo, ſed animi virtus ornamentum eſt, & munimentum.

Homil. 5. ad Rom. P. ibi, Quiſquis es, &c. & hom. in id Rom. 16. Salutate Priſcam.

Digitized by Google

Iudicabant ſecundum faciem illi, qui (Ioan.6.) A murmurabant dicentes: Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire? Quibus reſpondit, Verba quæ ego loquor, ſpiritus & vita ſunt. Nam carnaliter accipiebant quæ dicebatur à Chriſto: vnde Chryſoſt. in idem caput hom.46. Non ita iudicanda ſunt quæ videntur, ſed myſteria omnia interioribus oculis conſideranda.

FERIA IIII. DE CÆCO NATO.

Præteriens Ieſus, vidit cæcum à natiuitate.

HOmil. 55.56.57.& 58. in Ioãnem: tom.5. hom. 21. ad pop. de ſectantibus vaticinia, contra eos qui malum omen putant occurrere cæco.

Rabbi quis peccauit, hic, aut parentes eius, vt cæcus naſceretur?

TOm.5. hom. Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo. Lib.10. de prouidentia, cur pœnæ & mala in hac vita contingunt, etiam pijs.

Conducit autem iſte primus de prouidentia tractatus, vt patientiam habeat aduerſa ſuſtinẽs, vt hic cæcus. Docet namque non repugnare, ſi cauſam ignoremus cur affligit Deus: Et proinde non perſcrutandus Deus, nec ab illo ratio petenda, ibi. Certa cùm medicus. Quum potius clamandum & vociferandum cum reuerentia, Iudicia Dei abyſſus multa. Et hoc ſolum nobis perſuadere debemus, omnia nobis vtiliter à Deo fieri, non inquirentes modum.

Ibidem, Pij patres ignorauerunt, quod curioſè inueſtigamus, Iob 21. De quo Iob dicitur à Chryſoſtomo, quod non dedit inſipientiam Deo, pro eo quod in textu vulgari legitur, Nec quicquam ſtultum cõtra Deum loquutus eſt. Et inferius ibi, Exiſtimabam, &c. Reſponſa talium quæſtionum non acceperunt, vt poſteros docerent abſtinere ab interrogatione: & tamen tantum quærebant cur impij proſperarentur: concluditque quòd ideo nec hîc omnes impij affliguntur, nec omnes pij in honore habentur, vt certior ſit fides iudicij: Et probat ex Chriſti verbo Luc. 13. Putatis quòd ij ſoli Galilæi peccatores fuerint?

Si dicas, Cur pueri, qui nondum peccauerunt, nec peccare potuerũt, ſupplicijs afficiuntur? Reſpondeo. Aliquando id fit ex defectu & ſcelere nutrientium & parentum, & ne in futuro nequam & impij ſint, compedibus & ſupplicio eos ligat & coërcet. Hinc oratione 2. contra Iudæos, datur ratio cur dominus Iudæis, licet indignis, dedit ſpiritum prophetiæ: Ne mala ſcilicet & afflictiones, cùm contingunt, ſimulachris imputarent, Fortunæ, aut diabolo.

Et oratione 3. contra Iudæos, P. ibi, Quibus &c. Cur cùm Iudæi ſimulachra adorabant, manna dabat eis Deus, & poſtea cùm ceſſabant, nec prophetas occidebant, non amplius dicta beneficia recipiebant: lib.1. vel 2. de prouidentia, cur non omnes qui eandem ducunt vitam, eiſdem laboribus certant.

28. in Act. De cæco Elyma mago, ſi quæritur, quis peccauit, aut cur cæcus fuit? Reſpondetur, vt proconſulem lucrifaciat.

Vide finem pſal.95. ibi, Beatus quem tu erudieris domine vt mitiges à diebus malis. Per temporarias pœnas, euadimus æternas.

8. in 2. ad Timoth. contra curioſè inquirentes de omnibus. Nolle omnia ſcire, magnum præclaræ ſcientiæ eſt argumentum.

42. in 2. Matth. de quatuor generibus hominum qui mala patiuntur.

Quis peccauit?

PRæter prædictas generales annotationes, obſerua infrà ſcriptas, pro quæſtionis (Quis peccauit) elucidatione.

Hom. in pſal.3. cur exilium patitur Dauid, fugitque fugante eum filio: & in pſal. 114. cur affligimur, P. ibi, Quando ergo: Et in pſal. 117. vbi de afflictione agitur Ezechiæ, hom. in pſ. 121 al. ibi, Stantes, cur qui theſauros habet, illis ſpoliatur: & ibi, Quando enim bona habentes non ſentimus: hom. 5. de Lazaro, F. Cur non omnes hic punit Deus?

Hom.5. de pœnitentia, cur populum totum plectit pro vnius ſcelere, ibi, Quare autem.

37. ad popu. Puer quidam cæcus factus induſtria parentum, vt mitigaret duritiam diuitum, eleemoſynam dare nolentium, 21. in 1. Corinth.

77. ad popul. Ne tumultuemur, ſi malis proſpera contingunt.

B 19. ad Epheſ. per totam, contra curioſè ſcrutantes diuinam prouidentiã, & de aliorum fortuna, nõ ſua, interrogantes, ante Mor. ibi, Vnum ſolum malum eſt peccare, & hoc ſolum debemus examinare: & in Mor. P. ibi, Hei mihi, quam multis intẽpeſtiuam erudimur refrenare curioſitatem!

Hom. in pſalm. 115. vbi exponitur, pſal.72. Penè moti ſunt pedes mei: vide quantum ſit periculi, res fidei permittere humanis rationibus.

29. in 1. Corinth. 12. Cur Iacob pane indiguit, & Abraham ditatus eſt, cùm de tribus dictum eſſet, Ego protector Abrahæ, Iſaac, & Iacob. Ibidem cur morbi contingunt.

In pſalm. 134. verſu, Qui percuſſit primogenita Ægypti, cur puniuntur omnes, cùm rex ſolus peccauit?

Quæri poteſt, cur, aut vnde cæcitas ſpiritualis, quæ eſt hæreſis? Reſpondeo, ex præcedente culpa, vt ſuprà dictum eſt, feria 3. ibi, Si quis voluerit C voluntatem facere.

Qui diſquirunt curioſè nimis, cur hic cæcus eſt, in alium cæcitatis, aut claudicationis morbũ incidere poſſunt. Nam claudicat in fide, qui ſic credit, vt hæſitet, ſcandalizeturque, quoties proſperitatẽ videt malorũ, in pſal.25. verſu, Redime me & miſerere mei: & 33. P. ibi, Ergo omnes boni, & hom. in pſalm.7. verſu, Iudicaui me. inuectiua eſt aduerſus calumniatores prouidentiæ Dei, quando bona malis contingunt, & ibi, Multi ſtulti.

Venit nox, in qua nemo poteſt operari.

43. in Geneſim, ibi, Nulla pœnitudinis feræ vtilitas: In Pſalm. 48.

Hoc cùm dixiſſet, lutum fecit ex ſputo.

D 12. in 1. Corinth. F. de quorundam ſuperſtitione, qui lutum ſuper frontem puerorum ponebant: & ſuadet potius ſignum crucis ponendum.

Nõnne hic eſt qui ſedebat, & mendicabat in porta?

PRope fores templi cæci & mendici ſunt, vt eis datis eleemoſynis, intrantium in templum fierent orationes efficaciores: vnde 43. in 1. Corinth. 16. ſuadet Chryſoſtomus, vt oraturus in templo habeat arculam, vt in promptu habeat quo eleemoſynam largiatur.

Schiſma erat inter eos.

EX malo ſchiſmatis, ortum eſt aliquod bonũ: ſic 15. ad pop. docet quòd ex tribulatione, quę oriri poteſt in ciuitate, enaſci poteſt eius exaltatio.

Hom.56. in Ioan. de fugiẽdo malorũ conſortio.

Digitized by Google

Scio quia propheta eſt.

QVid ſentiendum de auguribus futura prænunciantibus, an ſcilicet prophetæ: 8. in 2. ad Timoth. Moral. Ibidem, nemo, cùm falluntur, attendit, ſed ſolùm ſi quid verè prædixerint, aſpicit, &c.

Ibidem docetur, quod de furtis non ſemper verè prædicunt. Nam ſi ſcirent omnia furta, maximè debuiſſent ſcire multa donaria ſimulacrorum furto ſublata.

Si peccator eſt, neſcio.

HOmil. 57. in Ioan. M. Ibidem docetur, quòd ſapientiam non impedit paupertas: ſapiens namque & audax veritatis declamator eſt, hic pauper mendicus & cæcus. Sic Helias & Ioannes Baptiſta, de quibus homilia de Priſca & Aquila, & in Indice ad diſciplinam Eccleſiaſticam.

FERIA V. DE VIDVA DESOLATA ET FLENTE OB VNICVM FILIVM defunctum, ſed tandem per Chriſtum ſuſcitatum.

Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naym, & cum eo turba copioſa: & ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.

NOn propter defunctum tantum, tam copioſa turba viuentium aderat, ſed propter ipſos viuos. Prodeſt namque plurimùm ſuperſtitibus, intereſſe funeralibus, & videre mortuorum corpora efferri, 43. ad popul. & 15. & tom. 3. hom. de Spiritu ſancto, Sepulchra ſunt ſchola noſtræ humilitatis, homil. in Pſal. 110. P. ibi, Etſi enim.

Hæc hiſtoria confirmat reſurrectionis noſtræ articulum, de quo 44. in Ioan. F. Contra fatum ponentes, aut curioſè inquirentes, quando ipſa erit reſurrectio.

Efferebatur.

DE differentia inter ſepulchra Regum & Epiſcoporum (quos piſcatores vocant) an quia omnes indifferenter in eodem loco ſepeliri debeant? homil. 66. ad popul. F.

Homil. 67. in Geneſim, de honore exhibito per ſeruos Pharaonis, Iacob mortuo.

Tom. 5. homil. de tolerantia in aduerſis, de nimio faſtu in ſepultura, ibi, Cumque & reliqua cum morte vitia diſſoluantur. Vide de eadem re homiliam 84. in Ioann. F. ſed prudenter eam lege, quoniam non (vt apparet) ſepulturam contemnit, ſed faſtum quendam nimium.

Viduæ filius.

VIduarum querelæ, & ad eaſdē remedia, hom. 6. in 1. Theſſ. M. ibi, Quomodo ergo eas conſolabimur? & 41. in 1. Corinth. 15. etiam agitur de viduarum conſolatione: & homil. 1. in 2. Corinth. Moral. F. ibi, Quamobrem ne dixeris, Iam pater non vocor.

Noli flere.

HOmil. 61. in Ioan. F. & 29. in Geneſim: 69. ad pop. M. ibi, Et Græcorum, de immoderato fletu gentium dicentium, Fer generoſe: Nam facta non licet reſoluere, aut luctibus emendare. In fine eiuſdem homiliæ, eſt conſolatio ad triſtes parentes ob natorum mortem, imò ad viduam ob viri obitum, ibi. Sed virum non habes, habes tamen viduarum iudicem conſolatorem.

A Quid & cur flendum, 24. ad popul. M. 60. 69. P. In diuitijs defle defunctum, qui nullam ſibi ex diuitijs parauit conſolationem: & de modo lugendi, 63. in Ioan. F.

Tom. 5. epiſt. 3. cuius exordium eſt, Age, &c.

Flere oportet, cùm qui os habent ad loquendum verbum Dei, loqui prohibentur. Sic diſcipuli Chryſoſtomi flebant, cùm eum viderunt exulē, & dicebant eiulantes, tolerabilius fuiſſe, ſi ſol radios ſuos retraxiſſet, quàm ſi os Ioannis Chryſoſtomi tacuiſſet. Ibidem epiſtola 3. in fine.

Non verò tantùm oportet contriſtari aut lugere, ſed vri, id eſt, intenſiſſimè dolere, 73. ad popul. Vide etiam tomo 5. homil. Quòd regulares fœminæ: & homil. 43. in Acta.

Tom. 5. homilia de tolerantia in aduerſis, Si pater ſuperſtes doleat immaturè ereptum morte filium, quomodo conſolandus, F. ibi, Dicito, Dominus dedit. Et in pſal. 48. Mors filij tui non eſt interitus. Conſolatio ibidem pro patre plus ſatis mœſto ob nati obitum, ſimilitudine perpulchra, ibi, Quemadmodum ergo agricola.

B *Tetigit loculum.*

Non ſemper ſolo ſanat verbo Chriſtus, homil. in pſalm. 43. M.

FERIA VI. DE LAZARO QVATRIDVANO FOETIDO MORtuo, ſed Chriſti virtute ſuſcitato.

Erat quidam languens, &c. Miſerunt ergo ſorores ad Ieſum, dicentes: Domine ecce quem amas infirmatur.

QVam bona quamque iucunda ſit fratrum amicitia & concordia, (ſicut prædixit Dauid) docet hæc hiſtoria Lazari, docet & Chryſoſtomus, homil. 51. ad popul. P. & 18. in Ioannem P. ibi, Ecce quàm bonum: & 77. in Ioan. F.

C Languens pro diu aut periculoſè laborans, capitur. Sed cur tandiu ſinit Deus aliquem morbis & miſerijs vexari? 6. ad popul. M. F. ibi, Propterea quoque Deus laborioſam vitam conſtituit, vt peccati tribulatione compulſi, futurorum deſiderium capiamus.

Et homil. 4. ad popui. Cur differt Dominus eripere à morbo.

Pro conſolatione ſororum contriſtatarum ob languorem vel obitum fratris, vide 64. ad pop. cuius exordium, accommodum erit, ſi narrare aut dicere volueris de afflictionum bono & vtilitate.

Erant frater & duæ ſorores diuerſorum ſtatuum, diliguntur tamen omnes à Chriſto. Sic diuerſi ſunt in eccleſia ſtatus, qui grati ſunt Deo: de quibus vide homiliam ad Eutropium quæ eſt in fine pſalmorum, & in id pſal. Aſtitit regina à dextris circumdata varietate.

D *Miſerunt ad Ieſum.*

VIde feriam 6. Dom. 1. & Dominicam 2. de confugientibus in anguſtijs ad ſortilegós & diabolos: & oratione 5. contra Iudæos, tom. 5.

Quem amas.

HOm. 3. in 1. ad Timoth. contra eos qui pluris faciunt amicos mundi quàm Chriſtum, qui verè amicus eſt, Mor.

De vera autem amicitia, hom. 1. ad Coloſſ. 10. in 2. ad Tim. ibi, Cur reliquiſti vt Apoſtoli Chriſto amiciſſimi infirmarentur, M.

Digitized by Google

A

Modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?

SEd quæritur, vnde tunc tantus timor mortis, & non nunc? hom.45. in Geneſim, ibi, Cæterùm hæc audiens.

Duodecim ſunt horæ diei.

QVi malus eſt hodie & errans, cras & eadem die mutari poteſt, 10. de pœnitentia, in id Pauli, Filioli quos iterum parturio. Hęc igitur ſcientes, nec ipſi à ſpe cadamus, ſed neque omnino pigritemus, vtraque via pernicioſa: Nam diabolus bonus, pigritans cecidit, Luc. 10. Videbam Sathanam velut fulgur. Paulus blaſphemus, par angelis effectus Contrà Iudas Apoſtolus, poſtea traditor factus.

Tunc dixit manifeſtè, Lazarus mortuus eſt. B

CHryſoſtomi tempore, vix audebant Chriſtiani defunctum vocare aut dicere mortuum, ſed dicebant, Ille aut iſte hodie conſummatus eſt 59. ad pop.

Tu es Chriſtus filius Dei viui.

IDem Petrus confeſſus eſt, Matt. 16. Idem & Nathanael Ioan. 1. Sed tamen non æquè omnes illi probãtur, nec hæc Mattha, de qua hîc Ioan. 11. cap. Itaque vide hom. 20. in Ioan. P.

Vidit flentes ſorores, & lachrymatus eſt.

TOm. 5. hom. Quòd fœminæ viris cohabitant, ex Amos 6. cap. vbi fit mentio de ijs qui non compatiebantur ſuper contritione Ioſeph: docet magnum crimen eſſe, non compati miſerijs aliorum, maximè ſpiritualibus: lib. 2. de prouidentia, P. ibi, Nam cadere. C

Lib. 3. de pœnitentia, F. ibi, Si enim mortuum fleueris, Ibidem de fletus vtilitate: & 61. in Ioannem de fletus muliebris abuſu, F.

De Maria ſorore dicit Eccleſia, quòd illa eadem eſt, de qua Luc. 7. quæ tot commiſit crimina. Si obijciatur quòd Chryſoſt. hom. 61. in Ioan. ſentit oppoſitè, vide pro reſponſione, annotat. 109. Sixti Senenſis, lib. 6. Bibliothecæ ſuæ ſanctæ.

Tollite lapidem.

VOluit palam fieri ipſum Lazarum verè mortuum, vnde dixit, mortuus eſt, ſed & pluribus alijs teſtimonijs probatum eſt eſſe mortuum, vt cùm dixit ſoror, Fœtet: id factum eſt, vt fructu non careret miraculum. Et non ſolùm Chriſtus hac prudentia eſt vſus in vltimo ferè miraculo, ſed in primo, facto in nuptijs. Nam non caret ratione, quòd dura verba dulciſſimæ matris Mariæ dixit, Nondum venit hora mea: quid tibi & mihi? Nec ſine ratione factum eſt, quòd potius vinum fecit ex præcedente ſubſtãtia aquæ, quàm ex nihilo: vt ſcilicet ex duobus iſtis duo doceret: Primò ſe eundem creatorem, qui initio cuncta creauit: Secundò ſe nullo modo neceſſitate ſubiectum teneri, vt videre eſt, homil. 21. in Ioannem. P. M. ibi, Nulli igitur Chriſtus. & ibi, Sed cur ipſe hydrias aquæ non impleuit? D

Vide plura alia in homilijs in Ioan. 11. cap.

SABBATO DOMINICÆ QVARTÆ.

Ego ſum lux mundi.

HOmil. ad Eutropium, quæ eſt in fine pſalmorum, in id pſal. Aſtitit regina, de nominibus Dei tractatur: cur ſcilicet Chriſtus dicitur via, petra, paſtor, lux, verbum &c. In medio homiliæ.

De hac luce, Ioan. 1. cap. ibi, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem, &c. Sed quęrit Chryſoſtomus, homil. 7. in Ioan. Non omnes Chriſtum cognoſcunt, quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò quantum in ipſo eſt. Si qui autem.

Ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum verum eſt.

CHriſtus veritas ipſiſſima eſt, vita & via; & tamen cap. 5. Ioan. contradictoriam huic propoſitioni propoſuit, dicens, Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo, teſtimonium meum non eſt verum.

Vtramque propoſitionem conciliat, ac veram eſſe demonſtrat Chryſoſtomus, hom. 39. in Ioan. P. Quam homiliam exorditur à ſimilitudine eius qui metalla fodere aggreditur. quaquidem ſimilitudine vti poteſt eccleſiaſtes, quoties de re obſcura & ambigua eructaturus eſt, aut ſermonem habiturus.

DOMINICA IN PASSIONE, DE CHRISTI INNOCENTIA.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. cap.

HOm. 5. in 2. Theſſ. F. Innocentia vitæ in docente requiritur, qui contendit alijs prodeſſe. Sed & alio nomine in Chriſto innocentia requiritur, videlicet non opus haberet pro ſe offerre, ſicut & cæteri. Neceſſe erat (ait Paulus) vt talis nobis eſſet pontifex, innocens, impollutus. Chryſoſtomus in eundem locum.

Iactate propriam innocentiam, quando licet, vide ſuprà feriam. 5. cinerum, ibi, Diligit gentem noſtram.

Qui ex Deo eſt, verba Dei audit.

HOm. 49. in Matth. in id, vbi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Sicut filij aquilarum ad ſolem probantur, vt ſi recto quidẽ aſpectu intendere poſſunt contra radios ſolis, intelligũtur eſſe legitimi, ſi autem non poſſint, cognoſcuntur eſſe adulteri: Sic filij Dei ad Chriſti iuſtitiam comprobantur. Si enim pleno corde poſſint iuſtitiæ verba ſuſcipere, intelliguntur eſſe legitimi: ſi autem nõ valeant, cognoſcũtur ex diabolo eſſe nati.

Propterea non auditis.

TOm. 5. oratione de non contemnenda eccleſia, de ijs qui ſermoni aut ſacris myſterijs intereſſe nolunt, M. ibi, Quemadmodum terra.

Quæri poteſt, quod nam duorum iſtorum, audire Miſſam aut verbum Dei, eſt præſtantius. Quæ quæſtio reſoluitur, homil. 3. de incomprehenſibili Dei natura contra Anomæos: & clarius elucidatur ab Hoſio libr. confeſſ. cap. 41. paulò ante finem.

Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.

PRinceps ratio eſt iſta, ſed acceſſoria. Alia ratio poteſt eſſe, cur plerique audire verbum Dei detrectent: nimirum: quoniam conditio eorum qui

Digitized by Google

ſeminant verbum Dei aliquando eſt humilis & exigua, contra quod vel quos, 29. ad Rom. Moral. F. ibi, Non reſpicias quàm viles appareant pauperes & pannoſi qui euangelizant, ſed vocis illius memento, qui dixit, Quandiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: & illius eiuſdem qui dixit, Qui vos audit, me audit. A

Nónne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

DÆmonium eiecerat Chriſtus, & eum dæmonium, aut cum dæmone conuentionem habere impudenter ingrati Iudæi affirmant. Nec tantùm ita ſubſannant aut rident Chriſtum, ſed & poſtea riſerunt eius Apoſtolos, vocando eos muſto plenos, cùm tamen muſtum non haberent. Sed impij conditio eſt, vt non curet quid dicat, modò dicat, hom. 4. in Acta, ibi, O impudentiam!

Homil. de Dauid & Saule, tomo 1. Inimici vituperando & probra dicendo plus proficiunt, quàm amici ad gratiam loquentes: homil. quæ incipit, Equidem, &c. B

Ego dæmonium non habeo.

HOm. 12. ad Rom. F. de patiẽter ferẽdis probris. Non reſpondet iniuriæ per iniuriam. Sic quondam Ioſeph incarceratus, nil mali dicit de impia hera, quæ iniuſtè eum incarcerari fecerat, homil. 63. in Geneſim, ibi, Attende obſecro: & infrà, Hæc audientes diſcamus.

Vide hom. 11. in 1. Theſſal. P. ibi, Vt exempli cauſa, te contumelia affecit.

Exemplo Chriſti prædicator non debet tolerare contemptum ſui, ſi hoc tangit aliorum ſalutem, & verbi ſeminat profectum, 13. in 1. ad Timoth. P. ibi, Oportet. Hinc Petrus non eſt paſſus coapoſtolos ſuos ebrietatis inſimulari, Act. 2. C

Sed cur Chriſtus non vindicat vtramque iniuriam? quoniam vtraque non eſt contra diuinitatẽ, 22. in Ioann. paulò poſt principium, ibi, Præterea quæſitu dignum eſt: & hom. 26. in Geneſ. M. quæritur cur Deus vindicauit Cain, iniuriam facientem fratri, & non vindicauit iniuriam factam ſibi, quando non dedit de pinguioribus primitijs? Ibidem reſpondet Chryſoſtomus.

Vide ſuprà Dominicam 1. quadrag. ibi, vade Sathana: feriam 3. Dom. 1. & 2. Dom. 4 ibi, Zelus domus domini: & in pſal. 131. de manſuetudinis virtute, an conſiſtat in propriarum, an alienarum iniuriarum tolerantia.

Honorifico patrem meum, vos autem inhonoraſtis me. D

HOm. 4. ad Coloſſ. M. Deus tum glorificatur ab hominibus, cùm homo nullas exigit rationes eorum, quæ Deus facit: inhonorat qui oppoſitum facit.

Vos inhonoratis.

HOc eſt contenditis inhonorare: nam facitis quæcumque facere ſolent qui inhonorare alios volunt. Cæterùm, re vera inhonorari Deus ab hominibus non poteſt, hom. 3. de incompræhenſibili Dei natura, tom. 5. P. ibi, Deum namque nemo eſt qui vel contemnendo obfuſcet, vel commendando reddat illuſtriorem. Quod probat ſimilitudine lapidis, & textu eccleſiaſt. 27. Veriùs autẽ inhonorat ſe, qui Deum contendit inhonorare.

Hom. in pſal. 110. P. ibi, Quemadmodum qui ſolem dicit tenebricoſum, aſtrum non vituperat, ſed ſuæ ipſius cæcitatis argumentum protulit: ita qui Dei opera reprehendit, aut inhonorare contendit.

Amen dico vobis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum.

SVpra Dominica 3. F. ibi, Beati qui audiunt & cuſtodiunt verbum: & feria 5. Dominicæ 1. ibi, Si manſeritis.

Ad perſeuerantiam hic Chriſtus inuitat. 12. ad Philipp. P. ibi, Nam & curſor.

Sancti viri & ſi mortem ſentiant temporalem, tamen vita æterna viuunt in alio mundo. Sed & in hoc mundo etiam viuere poſt mortem quodammodo dici poſſunt: quoniam eorum ſepulchra, pulchriora & glorioſiora ſunt ſimulachris tyrannorum. 26. in 12. cap. 2. Corin. F. Mor. ibi, Vbi enim quæſo Alexandri tumulus eſt?

Abraham vidit diem meum.

MAgnitudo miſericordiæ Dei in hoc oſtenditur, quòd filium ſuum dedit nobis, qui gratis redemit nos. Sed idem Deus videri vult quaſi non gratis redimens, 25. ad Hebræos, F. ibi, Mihi autem conſidera.

De immolatione Iſaac, 8. ad Coloſſenſ. M. ibi, Non conqueritur. Vide expoſitionem vndecimi capit. ad Hebr. tom. 4. & homilias alias de Iſaac, & Abraham, quæ ſunt in 1. tomo.

FERIA II. DOM. PASSIONIS.

OBſerua (pie recollector) quod de euangelijs quæ leguntur præſenti in hebdomada ab eccleſia, nil aut parum adnotauimus præter ea quæ in homilijs in Ioannem, pro eorundem euangeliorũ explanatione, copioſè ſcripſit Chryſoſtomus, quo ſic ſpaciari latiùs aut longiùs Eccleſiaſtes in tractatu myſterij paſſionis poſſet. Itaque pro hac feria 2. lege 49. & 50. homiliam in Ioannem.

Pro feria III.

Lege homilias 47. & 48. in Ioannem.

Pro feria IIII.

Homiliam 60. in Ioannem, B. M. F.

FERIA V. PASSIONIS, DE MARIA PECCATRICE, EXEMPLO POENITENTIÆ.

PRo exordio, vide prologum in pſalm. 50. ibi, Piſtores: & 27. hom. in Matth. oper. perf. F.

Cuius peccatricis hiſtorię vſus aut fructus eſt, vt non deſperet peccator, ſed exẽplo peccatricis cõuertat ſe à vijs ſuis peſſimis. Sed cauendũ ne prætextu indulgentiæ peccemus, homil. 22. ad popul. M. ibi, Euaſerant, &c. Sed vide ne molleſcas audita Dei bonitate.

Epiſtola ad Theodorum lapſum.

Epiſt. aut oratione de B. Philogonio, tom. 5.

Homil. 7. ad pop. de diuina clementia, in peccatores, M. ibi, Si autem homines.

Homil. 3. de pœnitentia, contra nimium timidas conſcientias præ multitudine delictorum, docet enim quòd noſtra malitia menſuram habet pietas Dei nequaquam. De fructu pœnitentiæ ibidem, P. Si lupum inuenero ouem faciam, vas contumeliæ vas gratiæ, F. Si enim delet peccata.

Hom. 4. de pœnitẽtia, cur lapſus ſanctorũ recẽſentur: & hom. 5. cur mox Paulũ blaſphemũ non puniuit.

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix.

AN peccatrix, quia in ciuitate manet, hom. 5. ad popul. F. ibi, Non quia in ciuitate manes, pro-

Digitized by Google

A pterea Deus irritabitur, ſed quoniam peccaſti. An etiam peccauit, quia pulchra, aut an pulchritudo cauſa lapſus, vide 32. & 43. in Geneſim, ibi, Vbi igitur, an mala per ſe ciuitas: & homil. 46. in Geneſ. ibi, Et diſcas.

Homil. 5. de pœnitentia, tom. 5. cur hæc præuaricatrix Maria, & ſeptem diabolis plena, humaniter à Chriſto recipitur: & Maria ſoror Moyſi propter vnum paruum murmur, leproſa fit, & durè vulneratur.

Magdalenę pœnitentia eſt tibi continentiæ doctrix & magiſtra, ſed vt ipſa verbũ Dei habuit pro regula, ſic tu frequenter pro conſeruatione caſtitatis, & ad vitandam laſciuiam, audi id Pauli, Tollens membra Chriſti faciam membra meretricis? abſit: hom. de continentia Ioſeph, F. tom. 1.

Alia ſunt continentiæ exemplaria, præter hanc Mariam pœnitentem, 13. ad Epheſ. Mor. Vbi aſſerit Chryſoſtomus ſe vidiſſe multas delicatas vitã ſceleſtam mutaſſe in meliorẽ, ne quis dicat impoſſibile, vt mulier in delicijs nata, conuertatur vt iſta.

B

Lachrymis rigauit.

VEriſimile eſt, quòd adhuc iuuenis erat: Cur ergo pœnitentiam ſuam vſque ad ſenium non differt? vel, nunquid hoc licet facere? Nequaquam, 22. in 2. Cor. Mor. F. Vbi obiurgantur duriſſimè, qui differunt contritionem, ibi, Qui enim talis eſt, etiam in ſenecta ſegnis erit.

Hom. 5. in 1. Theſſ. Fomentum & radix luxuriæ non ætas, non iuuentus, ſed aliquid aliud.

Si dixeris, Ego peccator, lubens illius peccatricis exemplo præpararem me Deo: ſed timeo ne non poſſim ad tantum pœnitentiæ gradum peruenire atque ipſa: actum ergo eſt de me, &c. Reſpondeo cum Chryſoſtomo ad Theodorum lapſum, ibi. Vbi aſſurgere ad ſolis ordinem non potes, ne contempſeris cætum aſtrorum.

De remedio contra luxuriam, 7. in 1. Cor. F. ibi, Quomodo non vis extinguere. Ibidem exponitur ſententia prouerbiorum, Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

C

Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique quia peccatrix eſt.

15. in Acta Apoſt. & 62. ad pop. Antioch. De ſapientia huius meretricis, quæ non eſt irata hæc audiens improperia, F. Sit ergo illa & ſimilis tibi palæſtra & gymnaſium.

Dilexit multum.

DIlexit Maria Ieſum, & ob id eam laudauit: Sed & Ieſus laude dignus, qui ipſam diligebat, nec faſtidioſus, 33. in 1. Cor. 13. ibi, Charitas non eſt faſtidioſa.

D

Dilectionis feruor in Maria, eam excuſat, quòd auſa eſt intrare domum & conuiuium non vocata, quod inurbanum & inciuile videtur. Hinc Chryſoſtomus hom. 33. in Ioan. Cùm anima diuino igne exardeſcit, nil terrenum curat, non dedecus, non gloriam, P. ibi, Et contemplare mulieris prudentiam. De Samaritana loquebatur, quam excuſat, quòd non dixiſſet, Venite & videte magnum prophetam aut Deum, qui dixit omnia quæcumq; feci, ſed tantùm dixit, Videte hominem: quam loquendi formam inconcinnam excuſat amoris feruor & deuotio.

Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.

QVæ prius miſera & turbata, aut perditionis filia, nunc quieta, tranquilla, ſalua, & beata. Quæ omnia charitati & fidei tribuuntur, iuxta id, Sed fides tua te, &c. & dici poteſt quòd Dei timor eam beatiſſimam effecit: vt optimè notat & perſuadet Chryſoſtomus in pſal. 127. ibi, Beati omnes qui timent Dominum.

FERIA VI. DE SENTENTIA PER CAYPHAM CONTRA CHRISTVM LATA.

Homilia 63. & 64. in Ioannem.

SABBATO DOMINICÆ PASSIONIS, DE ORATIONE CHRISTI.

Pater venit hora, clarifica filium tuum.

COnſule homilias 79. 80. & 81. in Ioannem: & vide ſuprà Sabbatum Dominicæ 3. de adultera, ibi, Diluculo venit ad templum.

PRO EVANGELIO ANNVNTIATIONIS B. MARIÆ VIRGINIS, ET myſterio Incarnationis filij eius, Ieſu Chriſti Domini noſtri.

Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam virginem deſponſatam viro.

Homil. de interdictione arboris, tom. 1.

Ingreſſus ad eam Angelus.

HOmil. 9. in 1. ad Timoth. de filiabus educãdis, ibi, Curate ſollicite, vt filiæ domi iugiter ſint.

Homil. 23. ad Epheſios, cur Angeli apparent ſuccincti.

Abſens erat Ioſeph, cùm ingreſſus eſt Angelus: homil. 1. in Matth. operis imperfect. F. Vbi de bona opinione, quam Ioſeph de ſua coniuge Maria habebat, agitur.

Turbata eſt, & cogitabat.

ESaias ſic turbatur, vt legitur hom. in 6. c. eiuſdem Eſaiæ, M. ibi, Etenim ſunt tales ſancti omnes, ſi potiuntur aliquando cumulatiore honore.

Fecit Maria, quod quondam feciſſe debuit Eua: Nam 16. in Geneſim homilia quæritur, Quid Eua debuit facere, cùm ſerpens venit, ibi, Oportebat? Vide in eadem homilia plurima obſeruatione digniſſima.

Homil. 25. ad Hebræos, Abraham non eſt turbatus, quando audiuit vocem, Offer filium tuum, & præfer fidem Abrahæ fidei Noë: veruntamen non debet præferri fidei Marię, de qua hîc dicitur, quòd turbata eſt. Nam non in fide turbatur, quia nondũ ei aliquid de fide aut incarnatione dictum fuit, cũ turbata eſt, ſed tantùm dictum erat, Aue gratia plena. Obſtupeſcit ergo, & turbatur ſolùm, propter laudes ab angelo prolatas.

Si objicias ex Chryſoſtomo homil. 45. in Ioan. dicente, Quando ſubit quæſtio quomodo aliquid fiat, ſimul & ſubit incredulitas: Dicendum quod aliud eſt dicere, nunquid poterit fieri iſtud, aut quomodo poterit fieri. Item 2. dic eam non ſimpliciter, dixiſſe, Quomodo fiet iſtud, ſed addidiſſe, Quoniam virum non cognoſco, quaſi diceret: Narra ergo mihi modum quem nondum ſcio. Et ſic incredula non erat. Vnde ne rumor tantillus aut ſuſpicio de eius credulitate eſſet, diuina prouidentia effectum eſt, vt mox Spiritu ſancto repleta Eliſabeth, ei & poſteris diceret, Beata quæ credidiſti: cùm hoc ilicò dictũ fuit de fideliſſima, aut ad fideliſſimam Mariam, certum eſt. D. Chryſoſtomum, ſub ſua generali regula ſuprà adnotata, eam comprehendere noluiſſe, ſed alios, vtpote Nicodemũ, cuius ibidem meminit. Adde quòd ipſa fideliſſima

Maria

A Maria nil eſt percunctata de Dei potentia. Non enim dicit, Quomodo poteſt fieri iſtud, ſed, Quo modo fiet iſtud? Non dubitans de potentia, ſed ignorans modum, quæſtionem indubia propoſuit.

Cæterùm in hoc ſimilis fuit Abrahæ, de quo dicitur, Cogitabat quia potens eſt ſuſcitare filium à mortuis. Nam ipſa audita voce, Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum, credidit poſſe ſe eſſe matrem, & permanſuram virginem.

De cuius incarnationis articulo aut fide, hoc crede Deum facere poſſe, quod nos cogitatione non poſſumus inueſtigare, vt tom.5. homil. de ſymbolo legitur, ibi, Credulitas noſtra, &c. reſpondens ijs qui quærunt, quomodo natus eſt de virgine.

Ne timeas Maria.

HOm.38. in Geneſ. aliquid latere docet in verbo Angeli, vocantis ancillam Abrahæ nomine ſuo proprio, Agar. Sic latere poteſt myſteriū aut conſolatio angelica in hoc, quòd Angelus vocat eā nomine proprio dicens, Maria, quod ſignificat, domina aut exaltata, quaſi dicat: Cur times, ne deprimam te, quæ exaltata es? vel cur times me tanquam malum Angelum, cùm tu domina ſis, in quam ſpiritus malignus non habet quicquam, & ſis ipſa de qua dicitur, Mulier conteret caput ſerpentis.

Inueniſti gratiam apud Deum.

HOmil.10. in 2. ad Timoth. Quomodo quis poterit ſibi comparare gratiam Dei.

Et 2. in 2. ad Theſſalo. P. Non ſine cauſa gratiam Dei optat Paulus.

Hic erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur.

HOmil.6. ad Philipp. ibi, Sed hæc de patre inquiunt, filius verò paruus eſt: in pſal.46. M. ibi, Quando ergo audieris crucifixum eſſe Dominum vſque, Quidni enim: & in pſal.47. P.

DOMINICA PALMARVM, ANNOTATIONES EX D. CHRYSOSTOMI *operibus collecta pro paſſionis hiſtoria, ſecundum IIII. Euangeliſtas.*

PRimò omnium cōſule omnes homilias in Matthæum operis perfecti, à medio homiliæ octuageſimæ, ibi, Tunc congregati ſunt principes ſacerdotum, vſque ad nonageſimam primam incluſiuè: ex quibus omnibus, aut alijs in Matthæum, nil ſpecialiter adnotauimus, prout lectorem certum fecimus in epiſtola nuncupatoria.

D Secundò obſerua ex hom.30. in Geneſ. cur paſſionis hæc hebdomada, à vulgo vocatur magna hebdomada, & quid in ea agendum. Narratur ſiquidem ibidem, quòd palatiorum & iudiciorum fores tum claudebantur, & captiui liberabantur.

Quòd ſi quærat quis, cur pluribus diebus & longiùs, imò frequentius tractatur paſſionis myſteriū, quàm natiuitatis, miſſionis Spiritus ſancti, aut aſcēſionis, reſpondendum erit, quoniam Chriſtum aut quemuis alium hominem aliquid pati, præſtantius eſt, quàm aliquid agere: & pro huiuſce paradoxi veritate, vide tom.5. epiſt.3. ad Olympiadem fœminā illuſtrem: homiliam item in dictum Pauli, Habētes eundem ſpiritum: & in Pſal.127.

Vide etiam 2. hom. in 2. ad Timoth. P. Cur ſæpiùs de paſſionis quàm incarnationis myſterio fit in eccleſia mentio: & homil.22. in Ioan. F. Cur Chriſtus Ieſus obſcurè de ſua morte eſt loquutus.

Quid pro nobis Chriſtus morti ſeſe offerens fecit aut meruit. 52. ad pop. 13. ad Rom. ibi, De peccato damnauit peccatum: & in id Epiſt. ad Galat. Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri, &c.

Homil. de ſymbolo, ibi, Magnum ſacramentum paſſio.

Cur palàm moritur, & clam reſurgit, homil. ad Coloſſ.6. M. ibi, Nam quoniam totum.

Homil.66. ad pop. De paſſione, gloria reſurrectionis, & ſcandalo crucis, vbi narratur, Senatum Romanum noluiſſe recenſere in Deorum numero Ieſum Chriſtum, quòd per crucem rumor eius & gloria in orbem peruenïſſet: ſed Spiritus ſanctus occultam aliam habebat rationem; ne ſcilicet mortali decreto, Chriſti prædicaretur diuinitas: ibi, Hoc autem etiam ipſis nolentibus eſt diſpenſatum. Vide ſuprà in Euangelio transfigurationis, ibi, Hic eſt filius meus dilectus.

Qui conſilium dederunt, & cenſuerunt expedire vt Chriſtus non dimittatur, ſed morti tradatur, dicentes; Ne veniant Romani, & tollant gentem noſtram. Pro cuius ſententiæ exaggeratione, lege homil.42. in Acta, P.

Intrauit Sathan in cor Iudæ, vt traderet eum.

HOmil.54. in Acta: peccatum priuſquam Sathan intrauit: & tom.5. ſermone 9. de vitijs & & virtutibus: ſuprà Dominica 2. quadrag. de Cananæa, ibi, Malè à dæmonio vexatur.

Sed cur Sathan non intrauit in Iob. vt in Iudam? hom. in dictum Pauli, Oportet hæreſes eſſe.

Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?

SErmone primo de ieiunio, cur quem ſciebat proditurum elegit in Apoſtolum Chriſtus?

Fur erat, & latro, & dixit, Poterat venundari hoc vngentum, & dari pauperibus.

NOn excuſatur à furto; etiamſi dicat ſe non fuiſſe latronem, ſi non dediſſet ei loculos Ieſus, lib.4. de ſacerdotio, P. vſque, Etenim quem beneficia meliorem non reddunt, is certè grauius ſupplicium commeretur.

Homil.6. ad Philip. de peccato Iudæ, & deteſtatione auaritiæ.

Iudas proditor, erat pauperum defraudator, & volebat videri eorum protector: to.5. ſermone 9. de vitijs & virtutibus.

Simon, Ecce Sathan expetijt, vt cribraret vos ſicut triticum.

LIb.3. de patientia Iob, cur aſtutias dæmonis reuelat ipſi Petro, & non ipſi Iob.

Tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos.

EX verbis iſtis Chriſti ad Petrum, probatur eius ſupra omnes alios primatus: hinc homil.3. in Acta, M. Meritò primus: 21. in Acta, P. Dux Petrus obambulans, 69. in Ioan. M. F. & 87. in eundem, P.

Ter me negabis.

TOm.5. homil.4. & 6. de pœnitentia, cur lapſus ſanctorum deſcribuntur.

Etſi omnes ſcandalizati fuerint, ego non te negabo.

HOmil. ad Philipp. 8. contra præſumptionem hortatur, vt qui ſtant, videant ne cadant.

Quando miſi vos ſine pera, ſacculo, & calciamentis; an aliquid defuit vobis? Sed nunc qui habet ſacculum tollat, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.

OBſcurus hic locus, clariſſimè exponitur homil. de Priſca & Aquila: & homil. 9. ad Philip.

Digitized by Google

Philip. Mor. Fitque conciliatio huius loci cum il- A
lo, Luc. 10. Neque peram, neque gladium tuleritis.
Vide etiam homil. 9. ad Epheſios.

Sedete donec vadam illuc, & orem.

DE oratione Chriſti in horto noctu facta, hom. 42. ad pop. vbi validiſſimis argumentis inuitat fideles ad orandum potius nocte quàm die. Orauit etiam Chriſtus in Cruce, ſed cur hic & iſtic? 27. ad Hebr. 26. in Acta, F. Cur Chriſtus pernoctauit? nónne vt typus nobis fieret?

Simon dormis? Non potuiſti vna hora vigilare mecum?

HOm. 29. ad Rom. Mor. F. ibi, Tu verò requiem quæris.

Compati Chriſto debemus, 13. ad Philipp. P.

Iuda, oſculo filium hominis tradis?

Tomo 5. homil. Ne ſcrutemur curioſè pauperes: Ex hoc dicto Chriſti ad Iudam, colligit Chryſoſtomus, non eſſe exprobrandum pauperibus: Et alia homilia de miſericordia, aſſerit quod numquam Deus cuipiam venienti ad ſe dixit, Vade in malam rem nequam; aut, Deſine impie. B

Quem quæritis?

In Pſal. 46. M. ibidem, cur de cruce Chriſtus non deſcendit.

Ceciderunt retrorſum.

HInc probatur Chriſti morituri potentia, 29. in 2. Cor. 13. Ibidem reſpondetur obiectioni quæ fieri poſſet ex Paulina ſententia, Crucifixus ex infirmitate. C

Petrus amputauit auriculam.

NEc à Chriſto, nec à Chryſoſtomo factum hoc Petri probatur; ſed Conſtantini imperatoris factum, ab eodem Chryſoſtomo laudatur, qui amputari fecit auriculas ijs qui Hieruſalem reædificare contendebant, contra Prophetarum & Chriſti prædictionem. Vide ſuprà, feriam 2. Dominicæ 4. ibi, Zelus domus, &c.

Reſpexit Ieſus Petrum, & fleuit Petrus amarè.

ORatione 5. contra Iudæos, tom. 5. Deus non tantùm ante peccatum, ſed poſt correxit Adamum, & monuit. Sed cur nunc non arguit Petrum poſt tantum lapſum? Ne coram Iudæis mitis Chriſtus confundat diſcipulum, hom. 8. de pœnitentia, F, tom. 5. D

Ibidem, ad martyrium inuitat fideles dicens: Quòd ſi lachryma amara Petri tantum meruit fructum; quid non conſequetur ille, qui non tantùm aquas per oculos effuderit, ſed ſanguinem pro Chriſto, & lapidatus & cæſus fuerit? 1. Cor. 15. b. 31. ad Hebræos.

Petri pœnitentia perfecta: nam non tantùm ob pœnam fleuit, ſed quoniam quem deſiderabat negauit, 48. ad popul.

Ad eundem populum hom. 80. de Petri negatione, ibi, Facilius eſt caſum cauere, quàm lapſos reſurgere: 31. ad Hebr. & 5. ad Rom. Mor.

Non tardè itaque veniam habuit. Cur autem Petrus veniam habet, non Cain: homil. 5. contra Iudæos, M. ibi, Dic tu iniquitates tuas.

In Pſalm. 88. F. Quando reſpicit Deus, fugiunt peccata.

Peccaui, tradens ſanguinem iuſtum.

HOmil. 10. de pœnitentia, de aſtutia Sathanæ, & inuidia aduerſus pœnitere volentem, & qualiter ſuccurrendum deſperare volenti.

Ibidem ponitur diſcrimen inter fornicatorem Corinthium, & Iudam auarum, ibi, Diabolum non tam lætum peccantes reddimus, quàm facimus dum deſperamus; 51. in Geneſim, F.

Abiens, laqueo ſe ſuſpendit.

CVr non omnes ſacrilegi, fures, proditores, &c. illicò nunc vt Iudas, puniuntur? lib. 3. contra vituperatores vitæ monaſticæ, ibi, Cur autem, &c. & ſuprà feria 6. Domin. 2. ibi, Malos malè perdet: & homil. 25. in Geneſim.

Dæmon aſtutus perdere hominem contendit immodico pœnitētiæ dolore, ho. 4. in 2. Cor. Mor.

Si tu es Chriſtus, dic nobis.

In pſal. 93. Vbi mentio fit de neruo Iacob.

Adiuro te: vt dicas, ſi tu es Chriſtus.

HOm. 11. in 1. Theſſal. F. Iuramenta cum ſumma reuerentia habenda.

Scidit veſtimenta dicens, Blaſphemauit.

DE vario modo veſtimenta ſcindendi, vide ſuprà feriam 6. Domin. 1. ibi, Hominem non habeo: & Domin. 1. ibi, Vade Sathana.

Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

TOm. 5. ſermone 8. de præmijs ſanctorum, peccata nec merita æqualia: homil. in pſal. 108. peccata quæ fiunt data opera grauiora ſunt ijs quæ fiunt à præoccupatis & ſeductis.

Ego palam loquutus ſum.

Homil. 28. in Ioannem, P.

Accipite eum vos, ego enim nullam in eo cauſam mortis inuenio.

HOmi. 6. ad Coloſſ. Quid enim non fecit diabolus, vt clam moreretur?

Nec tyrannus in Paulo mortis inuenit cauſam: 49. in Act. M.

Herodes illuſit eum.

HOm. 28. ad Hebr. catalogus eſt omnium iniuriarum, quas paſſus eſt Chriſtus.

Eſt conſuetudo, vt vnum dimittam vobis in Paſcha.

30. in Geneſim, olim in hebdomada ſancta vincti quidam liberabantur, ſed nec ſuperſtitioſè, vt Iudæi faciebant; nec impiè, vt faciunt qui iuſtificant & eripiunt impium. At verò vincti illi, de quibus Chryſoſtomus, fortaſsè erant non criminoſi, ſed debitis obnoxij.

Venient dies, in quibus dicetur, Beatæ ſteriles.

PRædictio eſt ruinæ & deſtructionis ciuitatis Hieruſalem ob Chriſti necem: Iudæi tamen negant hoc eis contigiſſe, vel exulare ſe propter hanc cauſam: imò aſſerunt temerè ſe diſiectos,

& à ſede

& à ſede depoſitos, quia occiderunt præſtigiatorem. Contra quos egregiam fecit apologiam Chryſoſtomus, homil. in Pſalm. 8. verſu, Vt deſtruas inimicum.

Vxor Pilati, ad ipſum miſit dicens: Nihil tibi & iuſto illi, multa enim paſſa ſum hac nocte, per viſum propter eum.

HOmil. 60. in Ioann. M. Admonitio vxorem plerunque maritis vtiliſſima.

Crucifixerunt Ieſum medium inter duos latrones.

VT ignominioſiùs moreretur: ſed Dominus hoc malum vertit in bonum, quoniam vnus latronum laudauit & gloria affecit Ieſum dicens: Hic nihil mali geſſit. Figura in iudicio contra Danielem, homil. 4. ad populum: & oratione 2. contra Iudæos.

Arbor, in qua crucifigitur, ea eſt de qua Pſalm. 1. Lignum quod fructum dabit in tempore ſuo: homil. in Pſal. 1. & in principio Pſal. 2.

De erectione crucis, homil. de continentia Ioſeph, in fine tom. 1. Vide etiam 84. in Ioan. P. de crucis inuentione, & quomodo crux Chriſti inter alias duas.

Vah, qui deſtruis templum.

HOmil. 23. in Acta Apoſt. contra eos qui dicunt Deum autorem mali.

Deſcende de Cruce.

CVr noluit deſcendere de Cruce, nec iuuare ſe Chriſtus, vt improperant ſtulti pagani; homil. 4. in 1. Corinth. in Pſalm. 46. Noluit, quia fecit aliquid mirabilius, homil. 89. in Matth. P.

Pater ignoſce illis.

Homil. 7. in 1. ad Corinthios, clarè exponitur.

Neque tu times Deum.

VNus latro timet Deum, conlatronemque, qui Deum non timet, arguit. Qui ideo bonus aut beatus latro meritò dici poteſt; licet alioqui cùm vinctus eſſet, & in ligno penderet, maledictus dici poterat, & erat: ſed Dei timor eum beatum reddidit, vt optimè docet Chryſoſtomus, hom. in Pſ. 127. ibi, Beati omnes qui timent Dominum.

Memento mei Domine.

EPiſtola ad Theodorum lapſum, ibi, Non enim latro: homil. 2. in Pſal. 50. vbi docet Deum velle vt pro remiſſione peccatorum obtinenda aliquid agamus, ibi, Da & tu manum tuam.

Vnus militum lancea latus eius aperuit.

HOmil. 89. in Matth. quæritur an Chriſtus fuit priùs lancea percuſſus quàm mortuus: quæſtio eadem reſoluitur per Sixtum Senenſem in annotationibus locorum ambiguorum.

Tenebræ factæ ſunt.

HOmil. 11. in Ioan. M. ibi, Neque enim miraculorum gratia Chriſtum duntaxat admiramur, ſed & paſſionis, & cùm affixus eſt cruci: & ibi, Verùm cum ſenſu.

In ſyndone munda.

CHryſoſtomus in liturgia meminit ſyndonis mundæ, vt doceat quàm puri, quamque mundi corde eſſe debeant, qui ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum accedunt. Vide pro eadem præparatione ad Euchariſt. 45. in Ioan. F. 2. in 2. ad Corinth. F.

De præparatione ad Euchariſtiam, pro die Paſchæ.

LEge pariter Indicem de ſacramento Euchariſtiæ: & caue ne reconciliatus accedas ad perceptionem tam ſacri corporis: Ne ſis tamen in reconciliatione ſimilis Eſau, qui dixit: Venient dies luctus patris, & occidam fratrem. Sunt enim, (ait Chryſoſtomus, homil. 3. de patientia Iob) qui dicunt, Tranſire ſinamus Paſcha, & poſtea litigabimus.

Etſi Eccleſiæ mandatum ſit de Euchariſtia ſaltem ſemel in anno die Paſchæ ſumenda, non ſequitur tamen, quòd hoc tantùm die communicandum ſit, vt docet homil. 5. in 1. ad Timoth.

De ſanctiſſimo die Paſchæ, & euangelio eiuſdem diei.

DIes Paſchæ, dies exultationis & epularum dici poteſt: hinc Eccleſia canit cum Dauide, Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus. Et cum Paulo; Epulemur, non in fermento malitiæ, ſed in azymis ſinceritatis. Sed modus ſit in rebus. Hinc Chryſoſtomus, tom. 4. homil. de collatione in ſanctos, de die Paſchæ excellentia loquitur, & docet quid ipſa die agendum.

Et hom. 9. ad pop. in eos agit, qui ipſo die paſchæ exiſtimabant ob id tantùm lætandum, quòd ab onere ieiunandi eſſent liberati: & hom. ſupradicta 27. in 1. Corinth. contra eos qui ſtatim communione peracta, ſeſe inebriant & laſciuiunt.

De Euangelio Paſchæ.

PRo euangelij diei enarratione, vide vltimas in Matthæum, & Ioan. homilias: & homil. 6. ad Coloſſ. M. Cur clam reſurgit qui palàm moritur: in Pſalm. 93. F. Item homil. in Pſalm. 2. M. Cur Angeli iuxta ſepulchrum manent.

Veniunt mulieres ad monumentum, vt vngerent Ieſum.

HOmil. 85. in Ioan. cur Apoſtoli, nec vngunt corpus Chriſti vt mulieres, nec ſepeliunt vt Nicodemus & Ioſeph.

Item, mulieres ſunt ſæpe religioſiores, vt ſuprà, Domin. 3. ibi, Extollens vocem, &c. dictum eſt.

Sed ſi religioſiores ſunt, cur vetat Paulus ne in Eccleſia loquantur aut prædicent? 13. ad Epheſ. Vbi vitia & virtutes vtriuſque ſexus traducuntur: homil. 9. in 1. ad Timoth. Mulieri docere non permittitur, in pœnam quòd prima mulier malè docuit. Ibidem multa affert Chryſoſt. in laudem ſexus muliebris. 31. ad Roman. Anna docebat in domo, ſed non in templo.

Feria ſecunda Paſchæ.

QVid in craſtino vel Paſchæ die, aut dum peregrinamur, meditandum, quidve agendum, vt qui ſtant non cadant. Meditari & conſiderare oportet quòd in medio multorum diabolicorum laqueorum ſumus, licet per pœnitentiam

Digitized by Google

A erepti,& adipe frumenti ſacri corporis Ieſu Chriſti ſatiati. Quos diabolicos laqueos aut diaboli fraudes vt agnoſcat lege hom.15. ad pop. vbi exponitur ſententia ſcripturæ, Eccleſ.9. Aſpice quòd in medio laqueorum ſis. Ibidem, cur non vnus laqueus,ſed plures,M.ibi, Etenim volatilia, &c. vt ſcilicet ſuperioria quæramus: hinc frequentes in eccleſia hoc Paſchæ tempore,monitoriæ audiuntur voces, Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.

27.in 1.Cor.F.ibi,Solemnitas iſta non eſt inſtituta,vt turpiter viuamus.

Pro eadem die, de peregrinationibus.

HOm,5.ad pop.Antioch.P. Nunc multi longam & traſmarinam peregrinationem,à terræ finibus in Arabiam veniunt, vt fimum illum
B cernant, & conſpicati terram deoſculentur, quæ illius victoris Iob certamina & cruorem omni auro precioſiorem,ſuſcepit ibi, Sterquilinio, &c.

Tomo 1.hom.5.de Iob,F.ibi, Si eſſem curis vacuus,& firmus corpore, viderem ſepulchum Petri:homil.2.ad Rom.ibi,Non enim temere.homil. 33. ad Roman. Mor. Cupiebat videre locum, in quo recondita erant duo arma iuſtitiæ, Petrus & Paulus:& homil.8.ad Epheſ. vincula Pauli videre adhuc deſiderat, ſed infirmum corpus & animus curæ paſtorali implicatus,non permittit. Et hinc diſcretio in peregrinationis deliberatione eruitur.De qua diſcretione, Matth. 23. Oportet hæc facere,ſed grauiora legis non omittere.

Agitatus quidem à dæmone,inuiſit loca Martyrum, vt ab incurſibus liberari poſſet dæmonum: & ob hoc laudatur à Chryſoſtomo,lib. 1. de prouidentia, F.

Tom.5.de eleemoſyna, ibi, Solent enim, &c. ex 4.Reg.4.& ibi,Quòd ſi ea loca adierimus, vbi Paulus in vincula coniectus.

Hom. de Iuuentino & Maximo martyribus,F. Idcirco ſæpe eos inuiſamus, tumulos adornemus magnaque fide reliquias eorum contingamus: ho. 1.ad pop.Inter opera pij & boni viri refert, peregrinationem ad templum, cùm quærit, Cur talis infimatur,qui tamen ſacra inuiſit loca? to.5.oratione de pulchritudine:26.in 2. Cor.12.M.

Dum autem peregrinamur,& poſtulamus eripi à tribulatione quæ circumdat nos, ne ſimus ſimiles diſcipulis duobus dicentibus,Nos ſperabamus. Qui tacitè videntur dicere,quòd iam non ſperant, imò deſperant;meritò correpti,& ſtulti appellati, quoniam nondum tranſierat tertia dies. Nos quo-
B que peccamus deſperantes, cùm non ſtatim ab ægritudine leuamur. Tempus non præſcripſit ereptionis Deus,qui adiutor eſt in tempore opportuno:miſerendi verò tempus nouit ipſe. Noſtrum eſt igitur ſemper inuocare,& illius eſt,quando volet, & non ſemper eripere. Hinc homil.4.ad pop. Ipſi ſolutionis tempus relinquamus,nos verò tantùm in ſanctitate viuamus.

Speremus itaque, amemus, & credamus in Ieſum,qui ſurrexit à mortuis:quamdiu ſpiramus, ne ſtulti ſimus,& dicamur,vt duo illi diſcipuli. Stulti autem nomen, peccatoribus generaliter competit,vt homilia 40.in Ioan. in fine docetur, ſpecialiter tamen rectè congruit hæreticis: hinc 7. ad Epheſ. Chryſoſtomus Artianos vocat ſtultos: congruit etiam idem nomen auaris, vt ſcribitur hom. 7.8.& 9.ad Coloſſenſes.

FINIS.

S. PATRIS NOSTRI
D. IOANNIS CHRYSOSTOMI
ORATIONES IX. IN ALIQVOT EVANGELIA.

An. 1587. *ex Auguſtana aliiſque Bibliothecis in lucem editæ, Græcè, operâ Dauidis Hœſchelij Auguſtani, nunc primum Lutetiæ Latinitate donatæ, An.* 1588.

Sancti Ioannis Chryſoſtomi in Annuntiationem.

Oratio.

RVRSVS lætitiæ Euangelia, rurſus etiam iudicia libertatis, rurſus reuocatio, rurſus reditus, rurſus vox iucunditatis, rurſus à ſeruitute vindicatio. Colloquitur cum virgine angelus, quandoquidem & cum virgine ſermonem contulit ſerpens. *In menſe*, inquit, *ſexto miſſus eſt angelus Gabriel ad virginem deſponſatam viro.* Miſſus eſt Gabriel, qui Adamo ſubſcriptionem reuocationis ferebat, miſſus eſt Gabriel ad virginem, vt muliebris ſexus infamiam in honorem transmutaret: miſſus eſt Gabriel, vt ſponſo puro dignum thalamum præpararet: miſſus eſt Gabriel vt creatori creaturam deſponſaret: miſſus eſt Gabriel ad animatum regis angelorum palatium miſſus eſt Gabriel ad virginem deſponſatam quidem B Ioſeph, filio vero reſeruatam: miſſus eſt in corporeus; ſeruus ad intaminatã virginem: miſſus eſt immunis à peccato ad eam, quæ corruptionis omnis expers erat; miſſa eſt lucerna vt ſolem iuſtitiæ denuntiaret, miſſa eſt Aurora & quaſi præcurſor lucis diurnæ, miſſus eſt Gabriel qui ſignificet eum, qui eſt in ſinu patris, vlnis quoque maternis geſtari; miſſus eſt Gabriel qui iudicet eum, qui in throno ſedet, etiam in ſpelunica iacere: miſſus eſt miles, qui ſecretum regis propalet, ſecretum quod fide innotuit, non curioſitate perueſtigatum eſt, myſterium adorandum, non ſtaterâ penpendum, myſterium quod theologia reuelatur non inueſtigatur, myſterium quod confitemur, non metimur: *In menſe ſexto miſſus eſt Gabriel ad virginem.* Quem tandem ſextum menſem dixit? Ex quo ſcilicet fœlicem illum nuntium Elizabet accepit, ex quo Ioannem concepit. C Vnde id porro conſtat? interpretetur ipſe archangelus, qui his verbis virginem compellauit. *Ecce*, inquit, *Elizabet cognata, tua, & ipſa concepit filium, & his menſis ſextus eſt illi, quæ vocatur ſterilis*, Menſe ſexto. Sextus menſis conceptionis Ioannis: oportuit enim vt anteuerteret miles, oportuit vt antecederet ſatelles, oportuit vt viam præpararet dominici aduentus denuntiator. Menſe ſexto miſſus eſt angelus Gabriel ad virginem deſponſatam viro, non copulatam: deſponſatam quidem, verum conſeruatam. Cui vero deſponſatam? ne fortè citius diſceret Latro myſterium. Nouerat quippe Malus ille per Virginem venturum Regem, nam & ipſe Eſaiæ voces audierat. (Eſai. 7.) *Ecce virgo concipiet*, & ſingula fortaſſe obſeruabat quæ de virgine prædicta erant, vt cum adimpleri myſterium intellexiſſet, inſtrueret calumniationem. Propterea Dominus per deſponA ſatam venit, quæ enim deſponſata eſt, in reliquum tempus oppignorata eſt. *Menſe ſexto miſſus eſt angelus Gabriel ad virginem deſponſatam viro, cui nomen Ioſeph.* Audi quid de viro hoc, deque virgine propheta dicat. *Dabitur liber ſignatus viro ſcienti literas.* (Eſai. 49.) Vt nimirum impolluta ſit virgo; & à ſacerdotibus dabitur. Cuinam vero? Ioſeph fabro. Hic eſt ille Ioſeph qui honeſtis antè nuptijs coniunctus fuerat, liberoſque ſuſtulerat, vxorem amiſerat, & ex illo tempore cum magna temperantiæ laude vixerat, in diſciplina Domini liberos educans, & inſtituens. Ideoque pergens Apoſtolus Paulus vt euangelium prædicaret, & cum vnum ex his liberis offendiſſet, ſcripſit dicens: *Alium vero Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini*, (Gal. 1.) non vt ex virgine Maria, ſed ex Ioſeph genitum. Cum igitur Sacerdotes cum Ioſepho, vt cum temperanti viro Mariam coniunxiſſent, eam illi commendarunt, quoVſque nuptiarum tempus adueniret, ipſam autem ille intactam virginem conſeruaturus erat. Id B quod multo ante propheta prædixit, *Dabitur*, inquit, *liber ſignatus viro ſcienti literas*, hoc eſt qui iam nuptijs copulatus ſit, & dicet non poſſum legere. Quare vero non potes Ioſeph? Non poſſum, inquit, legere, Signatus enim eſt liber. Cui reſeruatur? omnium rerum opifici habitaculum reſeruatur. Sed ad rem redeamus. Sexto menſe miſſus eſt Gabriel ad Virginem. Haud dubium quin acceptis mandatis. Huc ades ô Angele formidabilis adminiſter eſto myſterij, ſecreto miraculo famulare, vt ad perueſtigationem Adami, qui aberrauit, deſcendam à meis compellor miſerationibus. Peccatum enim, qui ad imaginem meam efformatus erat, exoletum reddit, mearumque manuum opificium putridum effecit, inobſcurauit pulchritudinem, quàm informaui. Lupus meum pecus depaſcitur, deſertus eſt incola paradiſi. Lignum vitæ à romphæa flammea cuſtoditur, & locus delitiarum concluſus eſt. C Miſeret me illius, qui victus eſt, & victorem hoſtem vincire ſtatui. Sic tamen id faciam, vt omnes cælorum virtutes lateat, tibi vni hoc credo ſecretum. Proficiſcere ad virginem, abi ad animatam ciuitatem, de qua dixit propheta. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Abi ad portam Orientalem, abi ad habitaculum verbo meo dignum, abi ad alterum in terris cælum, abi ad nubem vacuam, meique aduentus imbrem illi ſignifica. Perge ad ſanctuarium mihi præparatum, perge ad incarnationis meæ thalamum: perge ad nuptiale cubiculum meæ ſecundum carnem generationis. Loquere ad aures ſpiritalis arcæ, præpara mihi aditum auditus. Sed vide ne virginis animum perculeris, aut perturbaueris: Modeſte illi ſanctuario te ſiſte, primam illi vocem lætitiæ funde. Tu, dicito Mariæ, *Aue gratia plena*, vt ego miſerear. Euæ ærumnis, ác malis cumulatæ. Hæc cùm audi-

uiſſet angelus ſic, vt conijcere eſt, apud ſe ratiocinabatur. Mira ſanè res iſta, verbum hoc mentem cuiuſuis excedit. Qui Cherubim eſt ipſis formidabilis, quem Seraphim contueri non poſſunt, quem omnes angelicæ virtutes comprehendere nequeunt, qualem congreſſum pollicetur? puellæ ſuæ ipſius perſonæ præſentiam denuntiat, vel potius ingreſſum per auditum illi promittit, & qui Euam condemnauit, ad eius filiam cohoneſtandam vſque adeò incitatur. Præpara, inquit, mihi ingreſſum auditus: & venter incomprehenſibilem poteſt comprehendere, verè tremendum hoc myſterium. Hæc cùm apud ſe cogitaret angelus, Dominus ad ipſum ait. Quid perceleris, ac perturbaris, ô Gabriel? nónne haud ita pridem à me ad Zachariam Pontificem miſſus es? nónne illi fœlicem nuntium natiuitatis Ioannis attuliſti? nónne ſacerdoti fidem adhibere recuſanti ſilentij pœnam inflixiſti? nónne ſenem vocis priuatione damnaſti? nónne tu pronuntiaſti, ego vero confirmaui? nónne annuntiationem tuam opus ipſum continuo conſequutum eſt? nónne concepit ſterilis? nónne vterus obediuit? nónne infirmitas ſterilitatis abſceſſit? nónne naturæ torpor aufugit? numquid ſegetibus ea nunc abundat, quæ frugibus penitus antea carebat? num impoſſibile apud me eſt omne verbum? Quomodo ergo te dubitatio inuaſit? Quid ergo rurſus angelus ad hæc? Domine, inquit lapſus naturæ ſanare, perturbationum tempeſtatem ſedare, mortificationem membrorum ad vitalem reuocare virtutem, vim liberos pariendi imperare, naturæ ſterilitatem in membris iam exoletis extinguere, ſtipulam ſenectute confectam in formam herbeſcentem tranſmutare, tellurem infœcundam ſtatim reddere manipulorum feracem,
Gen. 18. opus eſt à tua potentia de more perfectum. Teſtis
Gen 25. eſt Sarra, & poſt illam Rebecca, & rurſus Anna
1. Reg. 1. quæ moleſto ſterilitatis morbo ſeruierunt, & à te ſunt in libertatem vindicatæ. Virginem vero nullo viri vſam congreſſu peperiſſe, legibus naturæ ſublimius eſt, & tuum puellæ aduentum nuntiare. Cæli terræque te fines non capiunt, quo pacto ergo te vterus capiet virgineus? Tum ad eum Dominus. Quomodo inquit me cœpit Abraham tabernaculum? Cui angelus reſpondit. Quippe qui pelagus habuit hoſpitalitatis. Deinde conſidera Domine, illic viſus es à Patriarcha in tabernaculo iuxta viam poſito, & pertranſijſti qui omnia comples. Quo modo tulerit Maria ignem diuinitatis, thronus non inceditur fulgore colluſtratus, & ferre te poteſt obſtupefacta virgo? Sane quidem ſi læſit ignis rubum in deſerto, lædet omnino & Mariam aduentus meus, ſin autem ignis ille, qui diuini ipſius ignis ex homine præſentiam adumbrabat, rubum quidem rigabat, minime autem incendebat, quid exiſtimas de veritate dicendum quæ non in flamma ignis, ſed in ſpecie pluuiæ deſcendet? Tum vero poſtea rem imperatam peregit angelus, & ad virginem ingreſſus, eam his verbis compellauit. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Non iam amplius diabolus contra te, nam vbi primum hoſtis vulnus inflixit, ibi medelam medicus apponit: vnde initium egreſſus mors habuit, inde vitæ ingreſſum vita fabricata eſt. Per mulierem mala oriuntur, per mulierem bona ſcaturiunt. *Aue gratia plena.* Noli erubeſcere tamquam damnationis cauſa, mater enim eius, qui damnauit, per gratiam redderis, Aue gratia plena. Salue quæ mundo in viduitate iacenti ſponſum paris impolluta. Aue gratia plena, quæ in vtero matris mortem ſubmergis. Aue templum Dei animatum. Aue cælo, ac terræ par habitaculum. Aue ſpatioſum incomprehenſibilis naturæ receptaculum. Quæ cum ita ſint ægrotantibus medicus aduenit, in tenebris ſedentibus, iuſtitiæ ſol apparuit,

A tempeſtate iactatis anchora, portuſque tranquillus, ſeruis implacabili odio diſiunctis legatus eſt natus, & pacis vinculum, captiuis redemptor appulit, bello vexatis firma ineffabilis gaudij & charita- Eſai. 24.
tis protectio. Ipſe enim *eſt pax noſtra* qua vtinam Coloſſ. 3.
æternum frui poſſimus, benignitate ipſius Chri- 1. Theſ. 3.
ſti Deique noſtri, cui gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eiuſdem in ſancta Theophania, ſeu baptiſma Chriſti.

Oratio II.

B VIRI qui Chriſtum amatis, fratres amatis, & hoſpites diligitis, excipite velut hoſpitio linguam meam hodie, & aures veſtras tamquam fores pandentes ijs orationem meam ſuſcipite atque a me ſalutarem prædicationem Euangelij accipite de Chriſti in Iordanem deſcenſu, vt dominum vſque adeo ſeſe noſtra cauſſa demittentem magis ac magis adametis. Etſi enim ſeruatoris Epiphaniæ feſtum præterijt, eius tamen gratia omni tempore permanet. Eius ergo delitijs perfruamur inexplebili animo, honeſtum quippe in eiuſmodi rebus ſalutaribus inexplebilem eſſe. Agite, omnes è Galilæa ſimul in Iudæam proficiſcamur cum Ieſu: beatus enim ille qui cum via vitæ ambulat. Agite ergo mentis pedibus Iordanem aſſequamur, & Baptiſtam Ioannem intueamur
C baptizantem eum, qui baptiſmate non indigebat, ſed id agebat, vt nobis baptiſmatis gratiam largiretur. Venite vt contemplemur noſtræ regenerationis figuram in illis aquis adumbratam.
Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt bap- Matth. 3.
tizaretur ab eo. O quanta eſt Domini humilitas, ô quanta demiſſio. Rex ipſe cælorum ad Ioannem præcurſorem ſuum cucurrit, non commoto exercitu angelorum, nec præmiſſis cæleſtibus illis virtutibus, quæ aduorſitorum munere fungerentur, ſed ſimplex ad militem ſuum accedens, & tamquam vnus è vulgo, ſeque ipſum in numerum captiuorum aggregans redemptor, & ſe in ordinem redigens obnoxiorum reorum, penitus innocens, denique congregatus cum ouibus perditis paſtor bonus qui propter ouem, quæ deerrauerat, e cælo deſcendit, & cælos non deſeruit, & commix-
D tum zizanijs granum tempeſtiuum ſine ſemine. Cum itaque vidiſſet illum Baptiſta Ioannes, & agnouiſſet eum, quem de ventre matris ſuæ agnouerat, & adorauerat, & probe nouiſſet eum quem reueritus in vtero matris, vltra quam ferebat ætas, ſaltauerat, tranſgreſſus omnes ipſius naturæ fines, retraxit intra pallium dexteram, & caput ſuum inclinans, vt ſeruus heri amans huiuſmodi vocibus dominum appellauit. *Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Quid facis Domine, quid ordinem rerum immutas? quid cum ſeruis ea, quæ ſeruis conueniunt, à ſeruo petis? Cur ea quibus non indiges accipere vis? cur hac tua ingenti demiſſione me famulum tuum oneras? Mihi opus eſt, vt à te baptizer, tibi vero non eſt opus, vt
à me baptizeris, *quod minus eſt à meliori benedici-* Heb. 7.
tur, non melius à minori ſanctificatur, lychnus
à ſole colluſtratur, non ſol ab ellychnio illu- Eſai. 47.
minatur. Lutum à figulo conformatur, non ſigulus à luto effingitur. creatura à creatore renouatur, non creator à creatura corrigitur.

Æger à medico curatur, non medicus ab ægroto
tractatur. Egenus à diuite mutuum accipit, non di-
ues à paupere ſtipem petit. Ego debeo à te baptiza-
ri. Non enim ignoro qui ſis, & ex quo effulſeris, &
vnde. Non enim quia propter me factus es tamquã
æqualis mihi, ideo tuæ diuinitatis abnego maieſta-
tem. Non enim poſtquam ita te ad noſtram hu-
militatem abieciſti, vt corpore nobis iungereris, &
totum me in teipſo geris, vt totum hominem ſaluũ
facias, ego propter id, quod oculis cernitur, id deſ-
picio, quod mente percipitur. Non enim propterea
quod noſtræ ſalutis cauſſa meæ naturæ primitijs te
Pſal. 103 amictum video, non noui te *amictum lumine ſicut veſti-
mento*. Non enim quod mihi cognatam carnem ge-
ris, &, prout te cernere ipſi poſſunt, hominibus ap-
pares, ideo me latet ſplendor fulgetri tui. Neque
enim, quandoquidem meam in te video formam,
diuinam tuam naturam inuiſibilem, incomprehen-
bilem falſis rationibus tollo. Noui te Domine à te
edoctus. Nemo enim te cognoſcere poterit, niſi tuæ
illuminationis particeps factus ſit. Noui te probè
Domine. Vidi enim te ſpiritualiter antequam lumẽ
hoc ſenſibus obuium intuerer, quando tu totus in
incorporeo ſinu patris cæleſtis, totus item in ancil-
læ, matriſque tuæ viſceribus habitabas. ego in vtero
Elizabet tamquam in carcere naturali conſtrictus,
ac vinctus inextricabilibus fœtuum in ventre vin-
culis exultabam, lætabar, ac præoccupatum natiui-
tatis tuæ feſtum celebrabam. Ergo qui ante partum
prædicaui tuum in mundum aduẽtum, poſt partum,
tuam præſentiam nihili faciam? qui ab infantia tuæ
ſum potentiæ doctor, nunc ad perfectam tuam ag-
nitionem puerorum more deſipiam? Atqui nõ poſ-
ſum non te colere quem omnis creatura venera-
tur, non poſſum te non prædicare, quem per ſtel-
lam cælum indicauit, & terra per magos excepit, &
angelorum chori gaudentes fauſtis è cælo accla-
mationibus proſequuti ſunt, & paſtores in agro
pernoctantes vt paſtorum principem ouium ratio-
ne præditarum collaudarunt. Non poſſum te præ-
ſente conticeſcere, vox enim ſum. *Vox* enim, in-
Eſa. 40. quit, *clamantis in deſerto*, parate viam Domini. Ego ge-
nitus genitricẽ meam ſterilitate liberaui, & adhuc
infans medicus factus ſum paternæ taciturnitatis,
accepta à te miraculi gratia. Tu vero ex Maria vir-
gine natus vt voluiſti, & vt tu ſolus noſti, virginita-
tem eius non ſoluiſti, ſed & ipſam conſeruaſti & ma-
tris eam appellatione donaſti, & neque virginitas
partum impediuit tuum, duæ res contrariæ maximè
partus & virginitas in eandem concordiam con-
currerunt, quandoquidem hoc tibi viſum eſt natu-
ræ fabricatori. Ego homo ſum tantum diuinæ par-
ticeps gratiæ, tu vero Deus idem es, & homo, poſt-
quam naturæ humanæ inſito amore correptus es.
Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me, tu qui
es in principio, & qui es apud Deum, & Deus es, tu
Heb. 3. *paternæ gloriæ ſplendor*, tu perfecta figura perfecti Pa-
tris, tu lux vera quæ illuminas omnem hominem
venientem in mundum, tu qui in mundo es & eo
venis, vbi eras: tu qui factus es caro, neque in car-
Philip. 2 nem conuerſus es, tu qui in nobis habitaſti, & in ſer-
ui forma ſeruis tuis apparuiſti, tu qui cælum & ter-
ram ſancto corpore tuo tamquam ponte coniunxi-
ſti, tu venis ad me talis ad talem, Rex ad præcurſo-
rem, herus ad ſeruum. Sed & ſi tu humilibus mẽſu-
ris humanitatis naſci non erubuiſti, ego tamen na-
turæ meæ menſuras non ſuſtineo. Scio quantum ſit
interuallum inter terram & creatorem: ſcio quan-
tum ſit diſcriminis inter puluerem, & figulum talẽ:
ſcio quanto potentior ſis tu ſol iuſtitiæ, quamuis
pura corporis nube ſis amictus; agnoſco domina-
tum tuum, confiteor meam ſeruitutem, meamque
profiteor vilitatem. *Non ſum dignus ſoluere corrigiam
calceamenti tui*, & quo pacto ſanctum caput tangere
audeo? quo modo extendam dexteram in te qui
cælum & terram extendiſti? quo modo applicabo
A digitos ſacro vertici tuo? quo modo abluam labis
expertem, à peccato immunem? quo modo lucem
illuminabo? quam tandem inſtituam deprecationẽ
in te qui ſuſcipis eorum preces, qui te non nouerũt:
dum alios baptizo, in nomine tuo baptizo, vt cre-
dant in te, qui venis poſt me, te autem dum baptiza
bo, cuius faciam mentionem? in nomine patris? at-
qui totum patrem habes in te ipſo: in nomine filij? Ioan. 14
atqui non eſt alius præter te natura filius Dei; in
nomine Spiritus ſancti? atqui tecum eſt perpetuo,
vtpote conſubſtantialis tibi, & eiuſdem tecum vo-
luntatis ac ſententiæ, æqualis potentiæ, ac paris ho- Sap. 7.
noris, tecumque ab omnibus delatam ſuſcipit ado-
rationem. Baptiza me itaque, ſi vis, Domine, baptiza
me Baptiſtam, regenera me qui effeciſti, vt gigne-
rer. Extende hanc tremendam tuam dexteram,
quam tibi tuipſe, præparaſti, & corona contactu tuo
caput meum, vt ante regnum tuum coronatus cur-
rens, vt præcurſor de more peccatoribus euangeli-
zem, ad eos ita vociterans. Ecce Agnus Dei, qui
tollit peccatum mundi. Flumen Iordanis exulta
mecum, & exili, ac commoue concinnè fluctus tuos
B quaſi ad ſaltationem. Etenim adeſt tibi creator tuus
cum corpore. Vidiſti quondam per te tranſeuntem Ioſu. 3.
Iſraëlem ſimul, & diuiſis aquis ſtetiſti expectans,
quàm mox populus præteriſſet: Iam vero diffun-
dere lætius, ac flue tranquillius, & ſanctiſſimis Do-
mini membris aduoluere, qui tum quoque traiecit
Hebræos. Montes & colles, valles & torrentes, ma-
re, ac flumina benedicite Dominum, qui flumen in-
greditur: is enim per has aquas omnibus aquis ſan-
ctificationem immittet. Reſpondens Ieſus, ait illi.
Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. Sine Matth. 3.
modo, gratificare Baptiſta tempori incarnationis
meæ ſilentio. Diſce ea dicere, quæ & ego. Diſce ijs
inſeruire ad quæ vrgeor ego, non ea curioſè inqui-
rere, quæ apud me delibero, ſine modo. Noli adhuc
meam promulgare diuinitatem: ne labijs tuis quaſi
C tubæ ſono meum regnum proclames, ne forte ad-
monitus tyrannus meum congreſſum defugiat. Si-
ne vt in me tamquam in vnum aliquem è vulgo
feratur, & lethali vulnere manum conferat. Sine
me ſcopum attingere, cuius cauſſa delapſus ſum in
terras. Myſterium eſt id quod in Iordane hodie
perficitur. Myſteria mea mihi & meis. Myſterium
eſt non meam explens egeſtatem, ſed quod vulne-
ratis curationem, ac medelam deſignat, myſterium
myſterij piſcinæ meæ quaſi præcurſor ac prooemiũ
myſterium eſt in his aquis cæleſtes latices promiſ-
ſionis hominum quaſi pictos repræſentans. Cum
me videris prout Deum decet in creaturis meis,
quod mihi viſum fuerit, exequentem, tum ad ea
quæ geruntur hymnum accommoda: cùm me vide-
ris leproſos mundantem, tum me naturæ opificem
proclama: cum me videris claudos ad curſum aptos Matt. 11.
D reddere, tum tu ad commendationem, ac laudem
meam ſimul cum illo pedum motu linguam tuam
excita, & inſtrue: cum excitare me videris mortuos
è ſepulchris, tum mecum reſurgentibus tamquam
vitæ largitorem collauda: cum dæmones à me ex-
terminari videris, tum regnum meum venerare: cũ
videris me in dextera patris ſedentem, tum de me
ſermonem inſtitue, tamquam de Deo in eodem
throno cum patre conſidente, atque illi coæuo, ac
coæterno. *Sine modo, ſic enim decet nos implere omnem* Rom. 8.
iuſtitiam. Legiſlator ſum, & legiſlatoris filius, meque
oportet ante eos, qui conſtituti ſunt, venire, ac mei
muneris documenta proferre. Oportet vt legem
impleam, ac tum demum gratiam largiar. Oportet
vt vmbram abigam, ac deinde veritatem introdu-
cam: Oportet vetus ceſſare faciam teſtamentum, ac
tum demum nouum proferam, hominumque cor-
dibus inſcribam, & meo ſanguine ſubſcribam, &
ſpiritu meo conſignem. Oportet me in cruce & cla-
uis nonfigi, & pati quantum fieri poteſt, vt patiar, &
paſſione ſanare paſſiones, & per lignum ſanare il-

Digitized by Google

latum per lignum inobedientiæ vulnus hominibus. Oportet me triduano exceſſu carnis meę delere vires diuturnæ mortis. Oportet corporis mei lāpadem accendere ijs, *qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent*. (Esai. 9. Luc. 1.) Oportet eo carne aſcendere, vbi ſum diuinitate. Oportet vt ad patrem, qui in me regnat, adducam Adamum. Hæc omnia vt à me perficiantur oportet. Hac quippe de cauſſa ad meas creaturas me contuli. Oportet me hoc nunc baptiſmate baptizari, ac deinde conſubſtantialis Trinitatis hominibus omnibus baptiſma largiri. (Matt. 28.) Commoda mihi ad hanc diſpenſationem (οἰκονομίαν) dexteram tuam, vt mihi vterum ad generationem commodauit Maria. Immerge me fluentis Iordanis, vt me mater puerilibus faſcijs inuoluit. Da mihi baptiſmum, vt virgo lac dedit. Tene caput meum quod Seraphim venerantur. tene inquam dexteræ tuæ cognatum, tene quod á natura habet, vt teneri poſſit: tene quod ad id à me & Spiritu ſancto conſtitutum eſt. Prehende meum caput, quod qui piè prehenderit, numquam naufragium facit. B Baptiza eum qui baptizaturus eſt credentes aqua & ſpiritu & igne, aqua quæ poteſt peccatorum lutum abluere, ſpiritu qui poteſt terrenos ſpirituales efficere, igne qui naturaliter poteſt ſpinas iniquitatum exurere. Hæc verba cum audiſſet Baptiſta, & ad ſcopum mentemq́ue Seruatoris animum adieciſſet, ac myſterij percepiſſet quod ſibi creditum fuerat, diuino eſt obſequutus imperio: erat enim & ad reuerentiam timidus, & ad obedientiam promptus: tum dexteram ſuam cum extendiſſet nonnihil trementem ſimul, & gaudentem, Dominum baptizauit. Cum vero Iudæi qui aderant, & propinqui, & longè diſtantes inter ſe colloquerentur atque ad ſe inuicem dicerent; Num fruſtra ſuſpicabamur Ioannem eſſe Chriſto maiorem? num fruſtra arbitrabamur illum eſſe hoc præſtantiorem? nónne ſuo teſtimonio cōfirmat ipſi Baptiſtæ potiores partes deferendas? nōne quidem baptizauit vt qui excellentior eſſet, ille vero, vt pote minor, baptizandus fuit? C Talia cum effutirent ij quibus myſterium incarnationis ignotum erat, ſolus Dominus, & natura pater vnigeniti, qui ſolus accurate nouit, quem ſolus genuit ſine vllo dolore, errantem Iudæorum corrigens exiſtimationem, cæli portas aperuit, & ſpiritum ſanctum demiſit in ſpecie columbæ in caput Ieſu, digito indicans Noë nouū & conditorem Noë, & naufragantis naturæ optimum gubernatorem: atque ipſe de cælo vehementer acclamat. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Hic, non ille, Ieſus, non Ioannes; qui baptizatus eſt, non qui baptizauit; qui ex me generatus eſt ante omne temporis interuallum, non qui nuper è Zacharia pullulauit; qui ex Maria genitus eſt ſecundum carnem, non qui ex D Elizabet præter ſpem prodijt; virginitatis non violatæ fructus incultus, non ſterilitatis violatæ ſurculus: qui vobiſcum educatus eſt, non qui in deſerto verſatus eſt, qui mecum in ſeipſum ſpiritum ſanctum immiſit & rurſus quem miſit excepit, ipſi gloria in ſæcula ſæculorum. AMEN.

EIVSDEM IN EADEM, ET IN *ſanctum Ioannem præcurſorem.*

Orat. III.

FESTVM diem Ioannis Baptiſtæ celebremus, coronemus eum affectu, quo *maior inter natos mulierū non ſurrexit*, (Matt. 11.) vt dominus ipſe teſtatus eſt. Nihil enim Baptiſtam tāto honore cumulauit, quàm quod dominum baptizauit. Pergamus itaque ad baptiſmum dominicum, qui præcurſorem regis cælorum maximè exornauit, atque intra Iu- A dææ regiones nos ſiſtamus affectu, ex quibus primos fructus bonorum decerpſimus, vel potius res ipſas oratione deſcribamus, & eorum quæ paulo ante ſunt lecta, fructum colligamus. Fingamus animo Iordanem illum, qui præſentem in carne creatorem ſuum ſuſcepit hic in medio noſtri fluere, ac Baptiſtam Ioannem exiſtimemus fluminis ripæ aſtare, atque intueamur Chriſtum dominum ad famulum ſuum domeſticum accedentem & baptizatum ab ipſo, & digito indicatum de cælo Spiritus ſancti allapſu. Adoremus etiam nos conſubſtantialis Trinitatis adoratores Patrem qui teſtimonium dedit & Filium cui datum eſt, & Spiritum ſanctum qui & ipſe teſtatus eſt. Sequamur librum Euangeliorum nos ad ea quæ deſideramus manu ducentem diuinis literis tamquam veſtigijs inſiſtentes ad myſterium toto orbe celebratum accurramus. *Tunc venit Ieſus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem vt baptizaretur ab eo.* (Matth. 3.) In Iordanem venit dominus: nihil enim intempeſtiuè, aut præter rationem effecit ſapientiæ theſaurus, B ſed ſingula eorum, quæ noſtræ redemptionis cauſſa ſuſcepit, oportuno tempore exequutus eſt. Nam cum Deus ſit opifex omnis temporis omniſq́ue interualli, tempus fecit, eiuſmodi demiſſionis actionibus quaſi floribus quibuſdam initia eorum, quæ exequuturus erat, conſperſit. Tunc venit Ieſus. Tunc; quando vero? quando omnes ætatis gradus attigit, quando omnem naturæ ſcalam aſcendit, cum corporis eius & animæ perfectio eluxit, cum triginta annorum circuitu in virum perfectum euaſit, tum verè Iordanem attigit: & cum peccatoribus paccati expers ad baptiſmum acceſſit, ac demiſſo capite ad accipiendum huius manu baptiſmum ſeſe comparauit. Ioannes autem Baptiſta cum eum probè noſſet, quem patre monſtrante nouerat iam inde ab vtero matris ſuæ, deinde metu ac tremore correptus dexteram à capite retrahens; Quid hoc, inquit, eſt domine? Quid ſibi vult inſolens iſtud miraculum? quid huius progreſſus hu- C milis benignuſq́ue conſpectus? mihi caput inclinas tu eccleſiæ caput? mihi caput inclinas tu, qui inclinaſti cælos & in terram deſcendiſti? mihi caput inclinas quod Cherubim adorant? mihi caput inclinas, quod Seraphim venerantur & timent? mihi caput inclinas, qui Adamum, & Euam in paradiſo tamquam in thalamo matrimonio iunxiſti, & illorum capitibus voce coronam impoſuiſti, ac fœcunditatis liberorum benedictionem adieciſti, his verbis eos compellans, *Creſcite multiplicamini & replete terram?* (Gen. 1.) Qui oratione deducis ex illo naturam, conſpirationem naturæ, qui partum morti aduerſarium oppoſuiſti, vt plures hic propagaret, quam amputaret, qui vitæ rotam voluis, vt vis, qui omni ſanctificatione inclinata tibi capita reples: D qui nullo contineris loco, qui fluuios miſericordiarum effundis, in hunc fluuium vis deſcendere, &, qui fluentorum es conditor, hæc elegiſti in quibus verſarere, & baptiſma petis quod à te eo conſilio accepi, vt ijs à me daretur, qui eo fortaſſis indigerent. Etenim quid tandem tibi baptiſmo pœnitentiæ eſt opus, qui pœnitentium miſereris? Quo modo indiges medicina eiuſmodi, qui ſolo iuſſu aliorum vulneribus mederis? qua in re pœnitentia eges, tu qui omnia gratulatione, ac laude digna edis facinora? Nónne te ſola, qua proſequeris mortales, beneuolentia ad hæc humana perpetienda demiſit? tu ſerui formam geris quam tibi ipſi finxiſti, & huius opera tuam imaginem ſanctificaſti, quam diabolus ante corruperat, renouaſti eam vt voluiſti, tu genitor factus es omnium noſtrum. Nónne in te relegatus Adam reuocatus eſt, nónne in te regnat olim damnata tribus? nónne per Mariam Euam erexiſti collapſum? nónne circumis vt homines angelis æquales reddas? nónne iniquitatem vt inſidioſam generi è terra expellis? nónne iuſtitiam & æquitatem vt humanæ

nutri-

Digitized by Google

A nutricem naturæ in vitam introducis? Nónne tenebricoſam fallaciæ noctem abigis? nónne cognitionis diuinæ diem oriri facis ijs, qui eius voluerint pulchritudinem intueri? Nónne veritatis lucem omnium animis expandis? nónne nebulas impietatis vt fumum diſſipas? Nónne tamquam ſol iuſtitiæ candida corporis nube circumſeptus diuinitatis radios vndiquaque diffundis? Nónne & aſpectu & ingreſſu, & habitu, & cogitatione, & mente, & animo virgo es? nónne ex virgine corpus virginitate præditum tibi condidiſti? An ergo hæc pœnitentia indigent, aut contritione? Quam igitur ob cauſſam te baptizabo, fluminis conditor baptiſmique largitor, qui propter amorem tuum erga homines homo fieri voluiſti. nullum eſt in te iniquitatis veſtigium, neque macula vlla peccati impollutam carnem tuam vmquam polluit, neque in corpore tuo dolus vmquam inſedit: venenum aſpidum ſub Iudaïcis labijs occultatur; ſunt enim genimina viperarum, eorumque ſunt linguæ doloſæ, tuo vero ex ore vitæ æternæ fontes ſcaturiunt, B (Ioan. 3.) nam vita cùm ſis, vitam loqueris, & largiris. Quomodo ergo qui præſentem futuramque vitam largiris, egena ingrederis hæc fluenta? Reliqui omnes qui à me baptizantur hæc à me ſemper audiũt. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum, & credite in Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum. In te vero, dum baptizabere, quid eloquar? quid pronuntiabo? dicámne pœnitentiam age? quis vero pœnitentiam tuam ſuſcipiet? Quis enim eſt alius maior te Deus? Dicam pœnitentiam age, appropinquauit enim regnum cælorum, & regno regnum euangelizabo, & tibi de te ipſo narrabo? Fortè quis quid ſis ignoras? non noſti regnum cælorum, quod vt hominibus afferres è cælo veniſti? Dicámne tibi, Crede in Dominum Ieſum Chriſtum? Téne tibi vt credas cohortabor? Quis porrò vmqnam admonitus eſt, ſibi vt crederet. (Ioan. 1. Matt. 16. Hebr. 11.) *Credere enim oportet accedentem, quod Deus eſt*: C tu vero Deus es & Dei filius, quamuis homo ſis iuxta id quod apparet, & dignus ſis cui ab omnibus credatur. An vero dicam tibi, Crede in patrem tuum? quaſi tu viſus vmquam ſis incredulus vel aduerſarius patri tuo. Quando inquam à diuinitate Dei qui te genuit ſeparatus fuiſti? Quid ergo dicam tibi? Crede in Spiritum ſanctum? Atqui in te ille, tecumque verſatur. *Ego debeo à te baptizari & tu venis ad me?* Vnigenitus Dei filius ad filium Zachariæ? qui ex virgine natus eſt, ad eum, qui ex ſterili ortus? qui matris virginitatem non ſoluiſti, ad eum qui parentis ſoluit ſterilitatem? qui è ventre adoratus es, ad eum qui tuum ex vtero dominatum agnouit? qui inter homines verſatus es, ad vocem deſerti? qui tam excelſus es, ad tam humilem? D Dominus vniuerſæ creaturæ ad indignum bonitatis tuæ miniſtrum: natura diues ad natura pauperem, ſed tua ſola gratia diuitem: cæleſtis & terreſtris ad terreſtrem tantum: qui de ſuperioribus quidem locis diuinitatem habes, de inferioribus humanitatem, ad eum qui de inferioribus tantum pullulauit? Tantus dominus ad me exiguum famulum? At enim ſeruus dominum in libertatem non vindicat, lychnus ſolem non illuminat, lutum figulum ipſum non corrigit, ouis paſtorem non paſcit, præcurſor non condecorat regem. Fluuius tuam non fert diuinitatem; Fluuius non metitur quem cælum non capit. Iordanis ſuum conditorem non abluit, aqua ſuum agnoſcit auctorem, hæc fluenta non norunt lumen, & ego audebo ad miniſterium accingi. Animus meus æſtuat, manus mea tremens veretur ad corpus hoc tuum omni ex parte ſanctum accedere. Quid faciam quid exequar? & vereor te domine, & amo, & fugere non audeo, & accedere erubeſco. Baptiſmum conferre ſimul horreo, & accipere ſanctificationem percupio. Ego

A debeo à te baptizari, ego te adorare, non baptizare ſum edoctus. Quin potius ceruicem ego meam dexteræ tuæ inclino. Benedic me qui benedicis annos iuſtorum. Fac vt in Iordanis fluentis hodie exiliam, quo modo effeciſti nuper vt in maternis viſceribus exultarem. Sane, inquit Dominus, ô Baptiſta modeſtiam tuam admiror, ſed obedientiam quæro. Factus es regni mei aduocatus, ſed meæ diſpenſationis adminiſter eſſe debes. Veni enim ego ad te quandoquidem & tibi hoc confert, & ijs qui apud te ſunt: veni ego ad te, vt omnes homines ad me accedant. Deſcendi è cælis, & totus ſum in ſinu patris, vt coniungam opus cum artifice. Veni præſens, vt fugientes viuos caperem. Veni vt homo, vbi iam antea eram, vt Deus, quo homines deos redderem. Accepi ex vobis egenam matrem vt vos cum fiducia patrem meum appellare poſſitis. Educatus ſum vt infans lactis cibo, vt me ipſum fidelibus cibum proponerem. Inuolutus ſum puerilibus faſcijs, vt iniquitatis vincula B diſrumperem. Reclinatus ſum non in regio quopiam lecto, ſed in vili præſepio, vt poſt meam in præſepio reclinationem nullus amplius eorum, qui rationis participes ſunt, vt rationis expers contra rationem viueret. Excepi corpore meo circumciſionem, quam ego antea lege lata imperaueram. vt circumciſionem non manufactam introducam, vt primogenitus lege conſtitutum obtuli ſacrificium, qui ſum vnigenitus, vt eiuſmodi ſacrificium immutem, ac meipſum inſolens quoddam, & mirum ſacrificium reddam. Fugi in Ægyptum, at non deſij omnium eſſe perfugium. Factus ſum infans recens natus vir perfectus, vt vides, vt perfectionem imperfectis elargiar. Per omnes ætatis gradus prouectus ſum, vt omnem ætatem hoc progreſſu pedetentim facto corroborem. Ingreſſus ſum fluuium, quò efficiam, vt terrigenæ ingrediantur in cælum: & hoc baptiſma ſuſcipio, vt diſcipulis meis regenerationis baptiſmum conferam. C Suſtineo deſcenſum in aquam, ut generationem ſecundum carnem ſuſtinui, vt legiſlator legis venerer iura, vt renouem gratiæ ſymbola. Vt medicus ſanus medicinæ, ægrorum particeps fio, licet ea non indigeam, vt recentius piſcinæ remedium laborantibus excogitem. (κολυμβή-θρας.) Crucem peccatorum cauſſa ſuſcipio, & lauacrum periculi expers recuſabo? Trium dierum ſpatio mortuus eſſe non dubitabo, & deſcenſum hunc dolore vacuum non feram? In ipſum inferni profundum deſcenſurus pergo, & his fluentis fluuij non circumfundar? Baptiza ergo me, qui baptizaturus ſum, & ſeruaturus eos, qui voluerint: bapiza me qui baptizatam peccatis & demerſam naturam humanam ad cælorum celſitudinem prouecturus ſum. D Baptiza me, vt hominem in terris, quem angeli, vt Deum celebrant, & laudant in cælis. Eſto diligens myſteriorum meorum adminiſter, in actionem probam transfer excuſationem: ſiſte linguam, & ad opus excita dexteram. Impone audacter manuum vertici meo, quæ propter te ex fermento tuo deſumpta: Ex meo baptiſmate hoc lucri fac, vt Baptiſta dicaris. Sine modo, tantiſper baptiza, & poſtea de mea diuinitate loquere: tantiſper baptiza, & poſtea adora. Sic enim nobis conuenit, vt omnem iuſtitiam adimpleamus. Nihil ita excelſum exornat, ac demiſſio voluntaria: vera enim ſublimitas actiones modeſtas non exornat. Tunc dimittit ipſum Ioannes his eum verbis alloquutus. Ecce obſequor imperio tuo, Domine, quæ enim ignorans dicici, ea gaudens perficio. Ecce dexteram meam capiti tuo admoueo, quandoquidem id tu iuſſiſti, & ego ſeruus tuus ſum, & filius ancillæ tuæ, & manus mea opus tuum, & hic fluuius tuæ dominationis defluxus eſt, & hæc fluenta creaturæ tuæ, & hoc baptiſma donum tuum, & tu ſolus noſti myſterium, quod perficis. Baptizare quæſo, baptizare,

Digitized by Google

A & ſerua, vt voles, quos creaſti. Beatus ego qui propter te inuſitata ratione ſum natus, & inſolito more in deſerto educatus, & nunc hoc à te miniſterio dignus habitus. Beatus ego qui à te fuerim approbatus, qui tanto myſterio operam meam impenderem. O dextera quantum exaltata es! ô luteum inſtrumentum quantum honoratum es! Amator hominum, magnorumque largitor munerum domine, poſteaquam gratiam immiſcueris aquis, eiſque deſcenſu tuo quoddam quaſi fermentum ſanctificationis inſerueris, genu flexo adoro te domine, oroque, cum aſcenderis ex aquis exaltare, & complectere humanã naturam pœnè agẽtem animam, & deficientem, viſita eam quæ voluntaria febri laborat, erige, ſuſcita in terra velut in lecto iacentem, & varijs morbis laborantem: vt medicus morbos depelle. Te claudi expectant, vt cum loquutus fueris currant, te expectant cæci, vt videant, tuam vocem præſtolantur mortui, vt reſurgant: tuum ſitiunt aduentum, qui æſtibus calamitatum vruntur: ſiſte te omnibus tamquam rorem ſanitatis.
B *Et baptizatus Ieſus aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cæli: & vidit Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ipſum,* O admiranda & incredibilia myſteria, cælum deſurſum adorat quem fluuius paulo ante proluit, & Spiritus ſanctus eum teſtatur Deum, quem baptizauit ſeruus. *Et ecce vox de cælis dicens, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hic eſt qui baptizatus eſt, non quod ei hoc opus eſſet, ſed tantum quod hominum amore teneretur, is cui teſtimonium dicit Spiritus ſanctus, quem ego qui probe illum noui omnibus prædicaui, qui ex me ante ſæcula genitus eſt, & nunc ex Maria natus ſecundum carnem, qui conſubſtantialis eſt mihi & vobis qui coæternus eſt mihi, & conformis veſtræ formæ, creator Adami & vnus ex poſteris Dauid creator virginis, & virginis filius, qui mente percipitur & exterius apparet, qui & fide, & viſu cer-
C nitur, perfectus in diuinitate, & perfectus in humanitate. Hic eſt filius meus dilectus, hic qui & miracula edit, vt Deus, & patitur, vt homo meus eſt filius. Neque enim crux à me eum ſeparat qui à me natura eſt inſeparabilis. Hic & clauis confixus meus eſt filius, non enim diuinam naturam lædunt claui. Hic etiam dum patitur filius eſt meus, neque enim eius diuinitatem paſſio poteſt attingere. Hic ſponte mortuus mortis naturaliter aduerſarius, meus eſt filius. Mori autem ſecundum diuinitatem, neque naturaliter ſolet, neque vult, neque poteſt. Vitam enim non vincit internecio, neque mors ſuperat immortalitatem: Hic etiam reſurgens ex mortuis meus eſt filius: Etenim, vt conditor vniuerſi, reſuſcitabit templum corporis ſui, quem ab inimicis ſuis diſſolui permiſit. Hic qui cum hac carne ad cælos aſcendet, à quibus non abſceſſit,
D meus eſt filius. Quicumque hunc ſuſcipit, cum ipſo me ſuſcipit, quique hunc adorat, me adorat: qui in hunc credit, in me credit: qui hunc parui pendit, me parui pendit: contumelia quippe filij, patris iniuria eſt. hunc qui excipit, neque curioſè ſcrutatur, ſed ſerio colit, beatus. *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui.* Peccatores currite ad eum qui tollit mundi peccatum, damnati complectimini benignum iudicem, vos qui peccatis eſtis necati ad vitæ fontem properate. Hæc ſunt feſtiuitatis Baptiſtæ dona pulcherrima, hæc omnia nobis præbuit, qui propter nos apparuit Dominus Chriſtus Deus noſter, ipſi gloria & poteſtas, ſimul cum patre & ſanctiſſimo ac viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum.

AMEN.

In parabolam de filio prodigo. Luc 15.

ORATIO IV.

SEMPER quidem, fratres diuinam benignitatem prædicare debemus, quippe qui eius beneficio & viuamus, & moueamur, & ſimus: præſertim vero hoc tẽpore id à nobis fieri par eſt, cum ob cõmunem vtilitatem, tum ob beneficium eorum ſyderum, quæ ex piſcina exortura ſunt. Nam & hæc per ipſam effulgebunt, & nos per κολυμβήθρα. ipſam liberati ſeruati ſumus, ac ſeruamur: quæ quidem nobis hæreditatis loco data eſt à creatore, & parente noſtro Deo. Age ergo, dicamus de ea quæ Chriſtus Dominus dixit, benignus filius benigni patris, qui ſolus idoneus expoſitor eſt paternæ naturæ, explicemus totam prodigi parabolam, vt ex ea diſcamus, quomodo ad eum accedendum ſit, qui eſt inacceſſibilis, & delictorum venia petenda. *Homo quidam habuit duos filios.* Parabolæ in modum non quaſi dogmata proponens diſſerit Dominus: propterea de patre ſuo, tamquam de homine quodam verba facit, & de ſeruis velut de filijs loquitur, vt Dei in homines paternum amorem ſignificet. *Homo quidam habuit duos filios.* Quis hic homo eſt? *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* 2.Cor.1. Quoſnam porro habuit duos filios? Iuſtos ſcilicet & peccatores, eos inquit qui diuina eius mandata ſeruant, & qui dominica tranſgrediuntur præcepta. *Et dixit adoleſcentior ex illis patri.* Quis hic eſt adoleſcentior filius? qui mente fuit inſtabili præditus, & iuuentutis turbinibus agitatus: Patrem agnouit natura eum qui ſe condiderat, licet honore non proſequuta ſit voluntas libera creatorem ſuum. *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit.* Recte petijt à Deo, quæ Dei ſunt, ſed malè quæ petijt, perdidit. *Et diuiſit illis ſubſtantiam pater.* Dedit illis vt domum propriam mundum vniuerſum, dedit ipſis, vt creator, creaturam omnem, ipſis corpora & animas ratione præditas largitus eſt, vt ratione quaſi manu ducti nihil agerent contra rationem. Propoſuit ipſis legem ſuam, & naturalem & ſcriptam, quaſi diuinum prædagogum, vt ab ea inſtituti legiſlatoris voluntatem adimplerent. *Et non poſt multos dies congregatis omnibus adoleſcentior filius*, vt adoleſcentiorem decebat fecit, profectus eſt peregre in regionem longinquã, diſceſſit à Deo, & diſceſſit ab eo Deus. Non enim vim facit vlli, qui nolit ſeruire ipſi. Sunt enim arbitrij non neceſſitatis virtutes omnes. *Ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè.* Ibi animæ diuitias omnes perdidit; ibi in delicijs agens naufragium fecit: ibi ludens & deluſus pauper eſt factus: ibi corruptrices animæ voluptates mercatus & riſum emens, extrema lachrymarum accepit: ac virtutes quidem quas habuit, abiecit, ſcelere autẽ quæ non habuit, aſſumpſit. Cum vero omnia conſumpſiſſet, non enim ſolent durare turpiter viuentibus diuitiæ gratiæ, facta eſt fames valida in regione illa. vbi enim temperantiæ fruges non excoluntur, ibi fames valida: vbi continentiæ vitis plantata non eſt, illi fames valida: vbi virginitatis racemus in torculari non premitur, ibi fames valida: vbi lætitia malorum, ibi omnino ſterilitas bonorum: vbi proſperitas & abundantia malarum actionum, ibi omnino raritas virtutum: nam vbi humanitatis oleum non ſcaturit, ibi fames valida. Tunc ergo & ipſe cœpit egere. Nihil enim ei reliquum fuerat, niſi ea quæ intemperantiæ propria ſunt poſtquam omnia turpitudinis facinora commiſerat. *Et profectus adhæſit vni ciuium regionis illius.* Ciues autem regionis illius ſunt dæmones, in qua profugus

fugus degebat. *Et miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Sic enim honore afficiunt dæmones eos, qui ſe honore proſequuntur; ſic amant eos, à quibus amantur: talia dona largiuntur illis, qui ſibi obediunt. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.* Quid autem hoc eſt de ſiliquis? Nam ſiliquarum guſtus dulcis eſt, ſed tamen & aſper ſimul & difficilis. Eiuſmodi eſt & peccati natura, paululum quidem exhilarat, ſed punit plurimum. Delectat ad tempus & æternùm caſtigat. In ſe autem reuerſus, & apud ſe priorem fœlicitatem cogitans, ac poſteriorem hanc miſeriam, ſibique in memoriam reuocans, qualis eſſet dum verſaretur cum Deo & patre, qualis autem nunc ſit dum dæmonibus ſubiectus eſt, in ſe ergo reuerſus dixit. *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem fame pereo.* quam multi nunc catechumeni ſacris literis perfruuntur, ego autem fame diuinorum oraculorum teneor. O quantis meipſum bonis priuaui. O quantis, me ipſum malis implicui. Cur enim à beato illo conuictu ſeceſſi? cur me in hanc mortiferam vitam ingreſſi? didici ex ijs quæ paſſus ſum, Deum non derelinquere: didici eum ſemper tenere, qui ſe retinentes ſemper conſeruat: didici impuris dæmonibus non credere, qui omnem impuritatem, & deprauationem docent. Quid ergo ait? *Surgam & ibo ad patrem meum.* Reuertar benè, vnde diſceſſi malè. Redibo ad patrem meum conditorem, dominum & curatorem, & prouiſorem & comprehendam eum, qui olim expectauit, & ſecum aſſumpſit eos, qui ad eum ſe conuerterant. *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam illi. Pater peccaui in cælum & coram te. Iam non ſum dignus vocari filius tuus. fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis.* Sufficiunt mihi ad ſalutem hæc verba. Sufficit mihi ad obſecrationem patris mei nomen, etenim facere nō poteſt pater meus à me appellatus, quin ſe patrem operibus prodat: non poteſt non commouere viſcera ſua qui miſericors eſt: non poteſt cum audierit, Peccaui, non veniam dare delictis meis: non poteſt, cum vocem meam exaudierit, iuſtæ iræ ſuæ non obliuiſci. Scio quantum apud eum valeat pœnitentia: ſcio quantum poſſint apud eum lacrymæ: ſcio quo pacto quiſque peccator ad ipſum conuerſus, & flens amarè, vt Petrus, obtineat remiſſionem. Noui Dei mei bonitatem: noui patris mei benignitatem. Miſerebitur mei pœnitentis, quem non puniuit peccantem. Et cum ſurrexiſſet, venit ad patrem ſuum. Præclaro conſilio præclaram adiunxit actionem. Nos enim oportet non modo de rebus profuturis deliberationem inſtituere, ſed & affectus probos actionibus indicare. Cum autem ille adhuc longè diſtaret loco, animo autem prope eſſet, & manibus continuo pectus ſuum percuteret, vtpote quod prauarum cogitationum officina ſit, & vultum terræ affigeret, atque ab oculis ſuis lacrymas poſceret genibus comites ad intercedendum, & excuſationem meditaretur, prius exclamauit voce magna cum lacrymis dicens, *Pater peccaui in cælum & coram te.* Peccaui, ſat ſcio Chriſte Domine Deus, peccata mea tu ſolus noſti, peccaui, miſerere, vt Deus, & Dominus. Non ſum dignus vt in cælum intuear, & te inuocem optimum Dominum meum, vtpote qui maximis, & grauiſſimis affluam peccatis. Miſerere cum bonus ſis ſemper Deus, quoniam dignus non ſum vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Sic ex intimo pectore deprecantem vidit, qui delinquentes videt, & in eorum ſceleribus conniuet, eorumque pœnitentiam expectat, vidit eum pater eius, & miſeratione ductus eſt: Pater quippe erat bonitate, licet Deus eſſet natura. *Et accurrens cecidit ſuper collum eius. & oſculatus eſt eum.* Non expectauit, vt, qui offenderat, pro-

ἔμαθον ἀφ' ὧν ἔπαθον.

A pè accederet, ſed ipſe illi properè occurrit, neque eius collum deteſtatus eſt, vt ſordibus incontinentiæ compunctum, atque fœdatum; ſed impollutis manibus ſuis eum complexus deoſculatus eſt, quem olim deſiderauerat, ita vt exatiari non poſſet. O ineffabilem & terribilem miſericordiam; O incredibilem humanitatem; ô ſtupendam pactionem, ô ſtupendam reconciliationem. Inflexit continuo Deum, vel vno momento ad, id, vt cùm lacrymis cederet, tum tantam delictorum multitudinem præteriret. Num miratus es cum videres Deum peccatori blandiri? O ingentem amorem viſcerum paternorum. Peccator in terris lacrymas fudit, & qui ſolus eſt peccati expers de cælis ſeipſum ad humanitatem inclinauit. Quis vmquam vidit peccatorem, cui adularetur Deus? Quis vmquam vidit iudicem officioſè colentem reum? quis vmquam vllum vidit adulari damnato? Veruntamen obteſtatur Deus, vt olim Iſraëlem. *Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi?* Mich. 6.
Nunc etiam eadem fiunt, & facta

B ſunt: quandoquidem ita vult placatu facilis Deus, ita ſolet à ſeipſo vinci, *pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* 2. Cor. 1.
Neque vero his contentus fuit prodigus ille filius, ſed in ijs quæ ad pœnitentiam pertinent prodigus fuit. Non enim ſufficere ſibi tantam humanitatem præ tanta multitudine peccatorum arbitratus eſt ad perfectam ſalutem obtinendam; ſed, quæ meditatus erat antea, & patri conuenienti habitu compoſitus dixit, Pater, ſi quidem omnino licet patrem te appellare, niſi fortè & in hoc præter alia mea delicta pecco, dum te patrem voco; niſi nomen illud contumelia afficio, quod extra omnem contumeliæ aleam poſitum eſt; niſi labia mea conſcientia occludit; niſi conditio morum linguam meam obligat; niſi orationem impedit anteacta vita: ſuſcipe ſancte pater pollutam deprecationem ab ore

C polluto? Pater ſecundum gratiam, & conditor ſecundum naturam, peccaui in cælum & coram te, & non ſum dignus vocari filius tuus. Peccaui, confiteor peccata mea, non occulto quæ cernis, non nego quæ ſcis: vt reus abiectus iaceo, vt iniquus condemnor, vt iudex miſerere mei. *Peccaui in cælum & coram te:* vereor oculos meos in cælum tollere. Etenim firmamenti ſpeciem vt accuſatoris vocem reformido. vereor in luce deitatis figere obtutum, cum mentis oculos habeam ſordidatos. *Peccaui in cælum & coram te, nec iam ſum dignus vocari filius tuus.* Ecce meipſum prodo, meipſum condemno, ſententiam in meipſum pronuntio. Non eſt opus mihi iudice ad pronuntiandam ſententiam, non opus eſt accuſatoribus ad conuincendum reum, non opus eſt teſtibus ad tabulas confirmandas, intus habeo præſidentem

D conſcientiam, iudicem implacabilem in anima gero, ac forum formidabile, in conſcientia teſtes circumfero, in oculis meis accuſatores produco; me theatra accuſant, in me Circi clamant, in me ſpectacula eorum qui cum feris depugnant vociferantur. Prodigalitas de me triumphat. Me actiones meæ infamiâ obruunt, me præſens nuditas probro afficit, ipſi panni, quibus amictus ſum, me pudore ſuffundunt, & non ſum dignus vocari filius tuus: *Fac me ſicut vnum ex mercenarijs tuis.* Ne me autem abigas ab aula tua Domine, vt ne rurſum me inuentum hoſtis errantem tamquam mancipium abducat: neque me prope tremendam & myſticam menſam tuam ſiſtas, non enim auſim apertis oculis intueri ſancta ſanctorum. Sine me cum catechumenis intra Eccleſiæ fores conſiſtere, vt contemplans, quæ in ea perficiuntur myſteria, eorum paulo poſt particeps fieri concupiſcam: vt diuinis laticibus perfuſus turpium animæ veſtium ſordes in auribus meis reſidentes ab-

A ſtergam, vt cùm tuas margaritas à pijs viris abripi videro, manus & ipſe dignas quæ tale munus accipiant habere deſiderem. Cum his eum inuaſiſſet prodigus, eſſetque cum lacrymis ita vociferatus, dixit pater ad ſeruos ſuos. Ad quóſnam ſeruos? Audi; ad ſacerdotes & miniſtros mandatorum ſuorum. *Proferte ſtolam primam & induite illum.* Proferte ſtolam deſuper textam à Spiritu ſancto præparatam. proferte ſtolam in aquis piſcinæ contextam, proferte ſtolam ex igne ſpitali conflatam, & induite eum, induite eum qui ſeſe exuit, induite nouum Adamum quem nudauit diabolus, induite regem creaturæ, ornate eum per quem mundum ornaui, condecorate filij mei membra cariſſima, non enim poſſum eum inornatum intueri, non feram vt imago mea nuda relinquatur, meum probrum cenſeo filij probrum, meam gloriam exiſtimo huius celebre nomen. Date etiam annulum in manum eius, vt ſpiritus pignus gerat, & ipſum ferens cuſtodiatur à ſpiritu, vt meum ſignum circumferens formidabilis omnibus hoſtibus aduerſarijſque appareat, vt à longe cuius patris ſit filius intelligatur. B Date etiam calceamenta in pedes eius, ne rurſus nudatum reperiat ſerpens calcaneum eius, eumque aculeo ſuo percutiat: ſed vt ipſe potius caput draconis conculcet, vt hoſtis conterat ſtimulos, & viam quæ ſecundum Deum eſt percurrat. *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite.* Quem tandem vitulum dicit ſaginatum? quémnam? quam iuuenca Maria virgo peperit. Proferte vitulum indomitum, qui nondum peccati iugum ſuſtinuit, virginem, & ex virgine natum, qui ſequitur eos qui ſequuntur ſe, non ex neceſſitate, ſed ſponte; qui non vtitur robore ſuo, neque cornibus, ſed promptè ceruicem inclinat ijs, qui mactare ipſum volunt. Occidite itaque eum qui ſponte occiſus eſt, occidite eum, qui C viuificat, eos qui ſe occidunt, occidite eum qui occiditur, ſed non moritur; occidite eum, qui membratim conciditur, & eos ſanctificat, qui ſe concidunt. Occidite eum, qui comeditur ab ijs, qui ipſum norunt, & numquam conſumitur. Occidite, eum qui comedentes beatos reddit, & epulantes omnes oblectemur. *Quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt, & cœperunt epulari.* Noſtis ſpiritales delicias qui eas deguſtaſtis, & recordamini tremendorum myſteriorum, ac miniſtrorum ſacri officij, imitantium angelorum alas tenuibus ſuis lineis velis ſiniſtris humeris inſidentibus, & qui in eccleſia diſcurrunt clamantque, ne quis ex catechumenis, ne quis eorum qui non edunt, nullus ex exploratoribus, ne quis eorum qui non poſſunt intueri vitulum qui comeditur, néve quis eorum qui ſpectare non D poſſunt, cæleſtem ſanguinem qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, ne quis indignus vitæ ſacrificio, ne quis non initiatus, ne quis eorum qui non poſſunt impollutis labijs, tremenda myſteria attingere: deinde etiam angelorum collaudantium de cælis & dicentium. Sanctus pater qui voluiſti mactari vitulum ſaginatum, Eſai. 53. *qui peccatum, non nouit*, vt propheta dixit Eſaias qui peccatum non fecit, neque inuentus eſt dolus in ore eius. Sanctus & filius ſimul & vitulus ſemper occiſus ſponte, qui ſemper viuit. Sanctus paracletus Spiritus ſanctus qui ſacrificium perficit. Hæc itaque dum intus agerentur ſenior filius cum veniret, audiuit à longè ſymphoniam, & choros, & cum ex pueris vnum aduocaſſet, interrogabat, quid hoc eſſet. Aures meas verberat ſonus neſcio quis. Ille autem inquit, Dauid propheta intus concinit, Pſalm. 50 *tunc imponent ſuper altare tuum vitulos.* Idem rurſus eos qui adſunt ad epulas cohortatur, ait- Pſalm. 33 que. *Guſtate & videte quia bonus eſt Dominus.* Paulus diuinarum rerum interpres proclamat, ac dicit. 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*, Eccleſia feſtum agit, epulatur, & choreas ducit. Ille autem ait ſeruo. Itáne eſt? dum ego foris ſum, alij myſteria mea in aula mea me abſente diuidunt? Sic eſt, inquit, quoniam frater tuus venit, occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum eum recepit. His auditis iratus eſt iuſtus, neque ingredi voluit. Iratus eſt iuſtus, & inuidiæ factus eſt ſeruus; qui ſollicitudinem vitæ pedibus conculcauerat, ab inuidia ſuperatus eſt. Quomodo autem ait Paulus? Rom. 9. *Optabam ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnem.* Non vt inuidum oſtenderet eſſe iuſtum, ſed vt magnitudinem quandam immenſam innueret, ita orationem conformauit, vt immenſas diuitias bonitatis patris ſui declararet. Idque adeo per ea quæ conſequuntur, indicat. Pater ergo egreſſus cœpit rogare illum. O ineffabilem ſapientiam! ô Dei amantem prouidentiam! & peccatoris eſt miſertus, & iuſto eſt adulatus; non permiſit, vt caderet is qui ſtabat, & eum, qui ceciderat, excitauit. Pauperem diuitem effecit. neque diuitem ſiuit inuidia pauperem fieri. At ille reſpondens dixit patri ſuo. *Ecce tot annis ſeruio tibi, & numquam mandatum tuum præterii, & numquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer*, ſed circumeo *in melotis, in pellibus caprinis, egens, anguſtiatus, afflictus.* Hebr. 11. Sed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus venit, ſubito occidiſti illi vitulum ſaginatum, & neque verbo ipſum caſtigaſti, neque in ſpeciem vultum ab ipſo auertiſti, ſed continuo ipſum hoſpitio excepiſti, & omnibus tuis veſtimentis exornaſti, aureo annulo ſplendidum reddidiſti, calceamentis, muniuiſti, & eccleſiam aperuiſti, & menſam condecoraſti, cæteras impleuiſti, vitulum occidiſti ſaginatum, & ad epulas fideles conuocaſti, Angelos ad choreas impuliſti, admirabile cæli terræque conuiuium promulgaſti. Tanta ergo munera in eum qui tuam bonitatem contempſerat, quique nobilitatem tuam probris affecerat contuliſti? Quid dicam de tuarum miſerationum pelago, quo modo tuæ benignitatis Oceanum admirabor? Miſereris omnium Domine, quod omnia poſſis, & in hominum peccatis conniues, vt ad pœnitentiam conuertantur. Pater autem dixit ipſi, *Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt.* Tu à meo ſinu haud vmquam ſeiunctus, es, tu eccleſia mea numquam diſſiluiſti, tu pſalmis ſemper hymnis operam dediſti, tu cum angelis quouis tempore verſaris. tu altari aſſiſtens cum fiducia clamas, *Pater noſter qui es in cælis,* Matth. 6. *ſanctificetur nomen tuum:* Hic vero acceſſit ad me condemnatus vultu pudore ſuffuſo & in terram inclinato, & corde contrito ac voce triſti clamauit, *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum me mercenarijs tuis.* Quid potuiſſem facere auditis his vocibus? potuíne non miſereri filij mei ad me accedentis? iudica tu qui iratus es. Atqui non fert natura mea, cum humanus ſim, vt inhumanum quid perpetrem; non poſſum non eorum miſereri, quos ex meis viſceribus genui. Fili tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. Tuum eſt cælum, tuum firmamentum, ſol laternarius tuus, luna ancilla tua, ſtellæ ſunt faces tuæ, aër nutricius tuus, tuaque omnia quæ in aëre verſantur, tua eſt terra, & omnia quæ in ea ſunt, tuus mundus, eccleſia tua, tuum altare, tuus vitulus ſaginatus, tuum ſacrificium, tui angeli, tui apoſtoli, tui martyres, tua præſentia, tua futura, tua reſurrectio, tua immortalitas, tua incorruptio, tuum regnum cælorum, omnia quæ cernuntur oculis, quæque mente percipiuntur, ſunt tua. Num tua

abripui

abripui, & illi appoſui? num te exui, & illum indui? nónne meorum operum miſericordiam largitus ſum? nónne pariter ſum, & tuus & illius pater? & te honore afficio virtutis nomine, & illius me miſeret propter inſignem conuerſionem. Te propter diligo vitam, & illum propter trãmutationem. Te propter diſciplinam rectam, illum propter pœnitentiam. Te propter longanimitatem, illum propter conuerſionem in me. *Epulari enim & gaudere te oportebat, quia frater tuus hic erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt.* Quis cum viderit mortuum excitatum ab inferis non oblectatur? quis cum inuenerit ea, quæ perdiderat non effertur gaudio? Veni & tu fili mi oblectare nobiſcum, & exulta cum angelis, & complectere nobiſcum fratrem tuum, & cum Dauide pſalle illud ſpiritale canticum quod huic conuenit feſtiuitati. Pſalm. 31 *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputarit Dominus peccatum.* Audite diuinam parabolam, eius rationem cognoſcite, vimque perſpicite; quam benignum Dominum habeamus, quam patientem. Ad eum ergo cum puro corde confugiamus. Venite, communi voce ad eum clamemus. Here Domine benigne, vnigenite Dei fili peccauimus in cælum, & coram te, nec digni ſumus qui filij tui vocemur, ſed in miſerationibus tuis confidimus, habemus obſidem tuæ benignitatis pretioſam Crucem, quam noſtra cauſſa pertuliſti: habemus fideiuſſorem tuæ miſericordiæ illam olim meretricem, & illum quondam latronem: propter illos enim & nos & peccatores omnes incitamur, vt ad humanitatem tuam recurramus: vt illos venerandos, beatoſque reddidiſti, ſic etiam noſtri, qui lapſi ſumus, miſerere: qui crucifixus mortuos ſuſcitaſti, nos quoque à peccato enecatos per humanitatem exſuſcita. vt vna perfruamur cum illis qui redempti ſunt, & participes facti ſunt, tua reſurrectione. Hæc cùm dixerimus, expectemus, vt & nobis dicat Dominus noſter Chriſtus, Math. 9. ſecundum fidem veſtram fiat vobis. Vos vero qui baptiſmatis dono perfruituri eſtis, omnem alienam cogitationem abijcite, animaſque veſtras ad cæleſtem ſponſum conuertite: etenim adſtat pro foribus redemptor, adeſt credentibus medicus, officina medici aperta eſt, parata ſunt pharmaca, omnes expectat piſcina, gratia explicata eſt, ſpiritalis ſtola à patre & filio & Spiritu ſancto Apoc. 3. pertexta eſt. Beati qui digni habiti fuerint, vt ſtolam ferant. Vos lucernas tantum accendite, & oleum pietatis copioſè infundite, vt de nocte cùm audita vox fuerit dicens, Ecce ſponſus venit, exeatis obuiam illi cum ſplendidis lucernis, ſaltantes, Matth. 21 & clamantes, *Benedictus qui venit in nomine Domini*, ipſi gloria & poteſtas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

In ſaltationem Herodiadis & decollationem Ioannis præcurſoris & Baptiſtæ. Math. 14. & Marc. 6.

ORATIO V.

QVEMADMODVM ſi quis amator ſolitudinis in aliquo ſaltibus referto loco ſub arborum vmbra conſideat, & iucundo volucrum concentu, ac profluentis murmure placido delectetur, fieri nequit vllo modo, quin eius animus ſenſuſque omnis ad humanitatem traducatur, omnibuſque ſeſe affabilem præbeat: ita nos quoque ſuperioribus diebus beni- A gnitate ſpiritus commoti de eleemoſyna ſermonem apud vos habebamus; vbi vero ſtultitiam Herodis euangelium prædicauit, mulierumque petulantiam, conuiuium delirantium virorum, execrandam menſam, donum iniquum, opus iniuſtum, & exequias corporis omni veneratione proſequendi, penitus immutatus ſum. Mutus enim fio, dilectiſſimi, cum meis obuerſantur oculis præterita Herodis facta, vel potius, fata, vnde tam immania ſpectacula conſequuntur. In illo etenim tempore audiuit Herodes tetrarcha famam Ieſu, & ait pueris ſuis. *Hic eſt Ioannes Baptiſta quem ego decollaui, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.* Marc. 6. Confitetur cædem prophetæ, quam negare non poteſt, &, quem occidit, nouit prophetam eſſe, virumque iuſtum. niſi enim noſſet, haud illum diceret à mortuis ſurrexiſſe, ideoque virtutes operari in eo. O conſcientiam improbam! in quali quæſo cæde ipſe teſtimonium in ſe dicit. O improbam conſcientiam, anima peruerſa tu vſque ad mortem viuens, poſt mortem etiam implacabiliter iudicas. B Quam vero ob cauſſam prophetam occidit? quoniam veritatis propheta erat, & iniuſtam eius actionem impedire ſua reprehenſione contendebat, & quem vt regem oportebat mandatorum Dei eſſe cuſtodem, ipſe genuina voluptatum petulantia leges violabat. Rex quippe ille eſt qui iuſtas fert leges, primuſque ipſe agit, non eas tranſgreditur. Quo modo enim alioquin ſibi ſubditas gentes recto ordine componet, niſi iuſtis legibus quaſi frænis peruicax & inſolens genus hominum regas? Herodes autem rex non populorum, ſed voluptatum, vel potius ſeruus earumdem, *nam à quo quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt,* 2. Petr. 2. non modo leges Dei tranſgreſſus eſt, ſed & cædem iniquè perpetrauit. Quem vero occidit? virum iuſtum, quo *maior inter natos mulierum non ſurrexit*, Luc. 7. quod & Dominus ipſe teſtatus eſt, virum qui deſertum inhabitabile, inaquoſum, infrugiferum, ſine graminibus, ſine herbis habitabat, Ioannes non homines tribules, & cognatos C ſuos fugiens, ſed ne videret audiretque hominum ſcelera deteſtanda. Is neque ſerebat neque metebat vmquam, propterea neque panem habebat, neque vinum, non menſam, non lectum voluptatum adminiſtrum, non ſuffultas molli anſerum pluma culcitras, quæ effœminatorum hominum corpora frangunt, & emolliunt, non lucernam habebat, non candelabrum, non menſam, non ſcamnum, non poculum, non diſcum. Nam, cum extra mundum eſſet, nulla re mundi indigebat. Habitabat porro non in ædibus, quarum inaurata eſſent laquearia, ſed ſub petra ſeipſam contegente. Huic & menſa & ſcamnum, & cubile erat pauimentum; carnes erant locuſtæ, placenta mel ſylueſtre: huic phiala erat vola manus, & vinum delicatum, quæ manabat è ſaxo, aqua limpidiſſima. *Hunc tenuit Herodes, & alligauit.* Herodes inquit, cum prehendiſſet Ioannem, vinxit eum, *& poſuit in carcerem propter Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui.* D O rem prodigioſam! Ioannes vinctam eius animam peccati catena reprehenſione ſua ſoluere conabatur, ille autem ſoluentem vinciebat. Verumtamen licet vinciretur Ioannes, loquebatur, in carcerem coniectus reprehendebat: implebat enim quod ſcriptum eſt, & *loquebar in conſpectu regum, & non confundebar.* Pſal. 118. Neque enim mortem reformidabat Ioannes, ſed veritatem non eloqui, id vero reformidabat. Hunc vero dum occidit, non vnam modo cædem perpetrauit, ſed & plures: qui enim eum qui animas docet, ac de ijs bene mereri non ceſſat, occidit, non vnum occidit, ſed totidem quotquot ille viuens viuificare poterat ſermone. Quando autem iſtum occidit? Pudori erat dicere, pudor quidem non ei qui dicit, ſed ei qui cædem patrauit. *Die namque*

natalis Herodis ſaltauit filia Herodiadis in medio, & placuit ipſi. Vnde cum iuramento pollicitus eſt ei dare quodcunque poſtulaſſet ab eo. At illa præmonita à matre ſua, Da mihi, inquit, *in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* O natale peſſimum, quod prophetæ cædem ſpirat, cùm oportuiſſet potius vt viros ſanctos menſa exceptos opiparè reficeret. Sic nimirum anima eius peruerſa erat affecta. (Psalm. 17) Etenim cum ſancto ſanctus eris, & cum peruerſo peruerteris. Cùm debuiſſet potius viduarum res agere, orphanorum miſereri, vt vitam ſuam multis, ac varijs precibus inconcuſſam ſeruaret. Nunc autem cum intemperantibus hominibus illuſus præcurſorem diei, Auroram Ioannem cæſum è medio ſuſtulit, qui decorè fidei lampadem præferebat, lucernam totius mundi Ioannem extinxit. Hanc autem lucernam dum extinxit Herodes, ſeipſum tenebris oppreſſit: quamuis eius fictile vas in terram reſolutum ſit, tamen eius irradians lampas ijs, qui apud inferos erant fidei lumina præferens illuxit. Nam cùm eſſet propheta, ſciretque ſe Dominum ſuum apud inferos præceſſurum, miſit aliquot ex diſcipulis ſuis ad illum dicens: (Matth. 11) *Tu es qui venis, an alium expectamus?* Neque vero quod ignoraret interrogabat. Quomodo enim ignoraret Dominum, quando ipſum etiam iudicabat, dicens: (Ioan. 1) *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi?* quo modo ignoraret, qui ſpectator deſcenſus Spiritus ſancti fuit, & paternæ vocis auditor de ipſo dicentis: (Matth. 3) *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui?* Verumenimuero interrogat, quo pacto? Tu es qui venis, an alius? Non dixit, tu es qui veniſti, nam & in terram venit: ſed tu es qui venis, ſcilicet apud inferos; an alium expectamus? Dicebat enim apud ſe Ioannes, num fortè angelum potentia inſtructum à ſe, ac munitum ad inferos ad munus ſuum exequendum vult mittere? An vero cunctos vna voce exſuſcitaturus eſt, vt in Lazaro fecit? Quamobrem cum de conſilio Domini iudicare nollet, interrogat, dicens: Tu es qui venis, an alium expectamus apud inferos? Hunc occidit Herodes. Quo vero pacto occidit? nam cum natalem ſuum diem celebrauit, ſaltauit filia Herodiadis in medio. Dignum profecto ludicrum tali menſa. Vbi enim effœminatio, & luxus, & ebrietates, & conuiuia, nihil firmum eſt, ſed omnia perturbata, & euerſa, quæ Herodis inſaniam portendunt. Audite qui ſaltatorum ſpectacula vſque adeo amatis, qui flexibiles diſſolutorum adoleſcentium pedes & veſtros oculos commiſcentes veſtros animos ſimul, cum eorum infractis, atque emollitis corporibus effœminatos, audite ad quale opſonium cædis effloruit, hæc flexuoſa ſaltatio. Illa vero præmonita à matre ait. Da mihi hic in diſco caput Ioannis. O improbæ leænæ ex aſpide gentium fœtum! non aurum, non argentum, non lapillos pretioſos, ſed caput Ioannis petiuit. Ac ſi quidem propter fidem poſtulaſſet, multo ſanè pretioſius eſt auro quouis, argento, lapilliſque maximi pretij; atqui non ob fidem petijt, vt honore afficeret, ſed vt reprehenſore occiſo omni timore matrem liberaret, quo impune ſe omni ſcelere commacularet. *Et contriſtatus eſt Rex*, cum hoc audiſſet, non propter cædem prophetæ, ſed ob metum plebis, quoniam omnes vt prophetam illum habebant. Etenim ſi ob reuerentiam, modeſtiamque contriſtatus eſſet, non eum à principio alligatum in carcerem miſiſſet, ſed propter plebem contriſtatus eſt. Erat ergo Herodis animus quaſi nauis in mari intercepta à fluctibus, & in vtrumque latus vacillans, cui non permittebatur, vt à cæde facienda abſtineret, cum propter iuſiurandum, tum propter eos, qui pariter diſcumbebant. Sed miſer oppreſſus, & illectus ab ingenti vi amoris, quo mulierem proſequebatur, cum & religionem ſacramenti obſeruandi cædi factæ prætexeret, miſit, & decollauit Ioannem. Quam pernicioſum ſit iurare, nunc quidem vobis in memoriam reuocate, qui libenter iuratis. Audite Dominum dicentem, (Matth. 5) non iurare omnino. Nam ſi non iuraſſet infœlix, iſte numquam ad patrandam cædem impelli potuiſſet. Oportuiſſet quidem, vt omnino non iuraſſet, verum vbi iurauit, vtile illi fuit, vt peieraret: nam in malorum delectu ſatius fuit minus admittere. Miſit, & decollauit ipſum. Quæ, malum, dextera auſa eſt, dilectiſſimi, gladium in ſanctam ceruicem inijcere, quam in deſerto belluæ reuerebantur, quam leones tremebant, quam ceraſtæ ac dracones & aſpides horrebant, quam apes ſylueſtres propter viri ſanctitatem labore ſeſe fatigantes alebant. Nam ex varijs floribus atque herbis in deſerto tamquam emendicantes aureolas roris guttas conflatum à ſe mel illi afferebant. Hanc carnificis manus abſcidit, neque ſimilem angelis vultum eius reformidauit, non tremuit, non reuerita eſt faciem eius diuinum eiaculantem ſplendorem? Sed excæcatus opinor ab Herodis ebrietate qui miſſus eſt carnifex enſem quidem habuit, oculos vero non habuit. Et abſciſſum eſt caput Ioannis, non enim vnquam vinum biberat, & efferebatur in diſco caput Ioannis in conuiuio, tum quoque vociferans, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Etenim etiam poſt mortem vixit iuſtus, & abſciſſo capite vox ipſa viuit. O hominis crudelitatem. In quo diſco edebat carnes, ei caput Ioannis impoſuit. O inique tyranne, non ſufficiebat illa recens natorum puerorum à priore illo Herode in Bethlehem patrata cædes, cum patrum ac matrum pariter lugentium eiulatus iaculis acutiores audirentur, cum copioſè fuſarum lacrymarum guttæ ex viſceribus ſcaturientes fontes ipſos ſuperabant, cum pectora tundebantur, & continua ſuſpiria laborioſè ex corde ad ora emittebantur, cum viſcerum ſuorum gramen ante tempus arefactum filios ſuos lugebant, quando etiam vbera lac effundentia terram candore tingebant, cum infantes, qui ea ſugebant, derepente iugulati iacebant, quando parentum ſinus ſuis pignoribus orbati erant, cum matrum vbera delicatorum dentium mordaces titillationes requirebant? Nam quæ tandem bellua non fleuiſſet, cum videret iniquè occidi innocentes infantes, quorum animæ ab omni penitus fraude alienæ erant, quorum animæ tam erant inſontes, quam tenella membra, vtpote adhuc infantium. Sed nunquid & illi priorem illum Herodem reprehenderunt, quibus neque lingua fuit diſerta, neque dentes in ore, vt lingua circumuallata per labia ſermonem effunderent. Non ſuffecit illorum tanta crudelitas? Verum & tu illius immanitatem imitatus Ioanni ceruices fregiſti, cuius vel vno capillo dignus non eras. Filios Rachelis ille contrucidauit, tu Eccleſiæ doctorem Ioannem extinxiſti. Quibus horum propitius ero tibi? dicit Dominus. O ciuitas ſanguinum, in qua Herodes regnauit, & eodem nomine inſignitus eius filius, ijſdemque moribus imbutus. Hei mihi qui videntur recti ordinis, & moderationis eſſe auctores, ij perturbationis & confuſionis ſunt principes. Huiuſmodi regibus ſubditi Iudæi, & in cædibus ab eis eruditi ad Chriſtum interficiendum impulſi ſunt: Eſaiam ſecuerunt, Ieremiam occiderunt, Nabuthe lapidarunt, Zachariam occiderunt, Chriſtum crucifixerunt. Veruntamen illis ob mala ſua luctum relinquentes ad ſacri myſterij lumen accuramus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & poteſtas in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Ioan. 11.

In illud Euangelij, Collegerunt Iudæi concilium, & dicebant, Quid facimus?

Oratio VI.

PERSIMILES ſunt infantibus, qui lactis alimoniam ſugunt, Eccleſiæ filij chariſſimi; ſingulis diebus maternam mammam exhauriunt, & ſingulis diebus quærunt. Nos quoque cum egena matre conferri poſſumus, cui lactis fontes propter inediam exaruerunt. Et quemadmodum videt quis nonnunquam matrem filiorum amantem, lactis expertem, & à filiolo ſuo eiulatu ſollicitatam, ei mammam porrigere, non vt infantem alat, ſed vt eius ſedet vagitum; ita & nos ſpectare oportet pariter affectos, & eadem facientes. Etenim cum hunc filiorum Eccleſiæ conuentum intuemur in orbem aſtantium, & rationabile orationis lac expectantium, mentis noſtræ mammam laxamus, non vt eos alamus, imperiti quippe ſumus, & egeni ſermonis, ſed vt deſiderium, ardoremque ſedemus. Verumtamen adeſte dilectiſſimi ad Solis præconem accurramus, vt paratas Domino fraudulentas à Iudæis inſidias videamus. *Collegerunt*, inquit, *Iudæi concilium, & dicebant, Quid facimus?* Hæc nobis Ioannes Euangeliſta paulo ante pronuntiauit. Etſi enim nobiſcum nunc ore non ſermocinatur, ſpiritu tamen ad aures aſtantium clamat. *Collegerunt* enim, inquit, *concilium, & dixerunt, Quid facimus?* Bonum quidem eſt illud, *collegerunt*, ſed malum illud, *concilium*, non ad caritatem, ſed ad pugnam, non ad pacem vocantes, ſed ad bellum incitantes. Collegerunt concilium, non vt fidem ſtabilirent, ſed vt lapidem angularem abijcerent. Collegerunt concilium, non vt oues errantes ad ouile deducerent, ſed vt, occiſo paſtore, gregem diſſiparent. Collegerunt concilium, non vt margaritam niueo candore micantem fide exciperent, ſed vt phengitem lapidem, vt quidem putabant, perfidia inobſcurarent. Collegerunt concilium, non vt theſaurum abſconditum in agro probè ſuſciperent, ſed vt improbè Dei templum euerterent. Collegerunt concilium, non vt mellifluos vitis racemos decerperent, ſed vt vitem veram ad crucis arborem applicantes, ſeipſos vites arbuſtiuas perditionis, nos autem ſalutis, efficerent. O concilium à diabolo aduerſus Chriſtum collectum; ô conſiſtorium iniquitate repletum; ô concilium luporum potius ſanguinis auidorum, quàm hominum Deo plenorum. Quid vero luporum immitium dico? imo leonibus immanibus peiores dixiſſem rectius. Etenim leones in Daniele quamquam nullum ſignum intuebantur, ſed virum tantum ſpectantes, & modeſtiam honore proſequentes immanſueta ora ſua refrænarunt. Iudæi vero licet tot, tantarumque rerum ſpectatores facti eſſent, vehementius ex inuidia ad cædem armati ſunt, & dicebant. Quid facimus? ô prouidam malitiæ inueſtigationem; ô gemitum & planctum ab inuidia effuſum; ô lamentationem & luctum ob res malas conceptum. Ne ipſa quidem Rachel plorans filios adeò ingemuit. Quid facimus? Cum debuiſſent potius miſeri gaudere, cùm debuiſſent lætitiæ diem ſolennem agere, quòd mortui reuixiſſent, quod vita manifeſtata erat, quod mors extincta erat, quod diabolus confuſus, quod dæmonum turma deleta, quod humanitas in libertatem vindicata, quod reſurrectio mortuorum omnibus prædicata erat. Iam vero ob tanta hæc bona non gaudent, ſed lugent, & auctorem

Matth. 13

θεοφόρων. deiferorum

Dan. 14.

ἐκ τοῦ φθόνου πρὸς τὸν φόνον, ὦ φθόνε

A tantorum bonorum, tollere è medio volunt. Quid vero dicunt? Quid facimus? cum ſimus tranſgreſſi mandatum Dei nobis traditum, cum datam nobis legem non ſeruauerimus, quæ dicebat nobis, *Prophetam de gente veſtra & fratribus veſtris, ſicut me ſuſcitabit vobis Dominus Deus, ipſum audietis* in omnibus, quæ imperarit vobis. Nunc autem non ad pœnitentiam dicunt, Quid facimus? ſed, quid facimus? quo modo occidemus iuſtum? vt mente captus eſt Iſraël. Ne hoc quidem audiſti? Innocentem & iuſtum non interficies? non ſufficit tibi antiquus prophetarum ſanguis effuſus? Nam vſque ad hoc tempus clamat ad Deum, & ab eo vindictam expectat. Sed vt maiorem vim illi ſanguini adijcias, inſontem ac iuſtum ſanguinem damnas, & dicis. Quid facimus? ô mentem amentem, & inconſultum conſilium! Quatriduanus illorum reuixit, peccatorum diffracta ſunt vincula, & illi ad inſidioſam cædem in ipſum amantur. Debuiſſent potius verbis

Deut. 18

Ioan. 11.

B immutatis dicere, Quid facimus? cæcos à natiuitate vidimus illi oculorum vſum acceptum tuliſſe, & ne hoc quidem credidimus. Quid facimus? ex quinque panibus quinque millia in deſerto ad ſatietatem ab eo paſta nouimus, & hoc quoque non credidimus. Quid facimus? Paralyticum in lecto iacentem triginta iam & octo annos æquæuum alentem vitæ ſuæ morbum verbo erexit, & hoc etiam non credidimus. Quid facimus? in mari eum ambulantem, tamquam in ſolo ſpectauimus, & vorticoſorum fluctuum impetus turbineſque indomitos ſolo nutu manus repreſſiſſe nouimus, neque id tamen credidimus. Sed dicebant, Quid facimus non vt eos pœniteret, ſed vt malitiæ parerent. Ipſorum regio mortuos viuentes tamquam albas ſegetes & maturas, nullo labore ex ſe profundebat, & ingemiſcebant. Num quæ ſeminaſtis Iudæi non metitis? Num quis veſtrum ſuſcepto Domino læſus eſt? Qua in re damno aliquo affecti

C grauati eſtis? In quo à Deo iniuria affecti eſtis? Quid mortuos à vita arcetis? Quid perennes melliflui fontis canales vultis confringere, ex quo qui biberint non ſitient amplius? Cur ægros veſtros necatis, dum eorum medicum vultis è medio tollere? Verum horum omnium cauſſa eſt pernicioſiſſima inuidia. O inuidia cædis mater, diaboli inuentum, princeps mortis. O inuidia quæ neque eos, quibus inuides viuere vis, & eos qui te fouent vehementius punis. O inuidia diaboli contubernalis. O inuidia inimica amicitiæ, pacis hoſtis, charitati aduerſaria, diaboli fœtus, flos tenebroſi coloris, qui te paſcuntur cædem Chriſti machinantur. Tu & Adamo iam à principio in paradiſo inuidiſti, & dulci deguſtata voluptate acerbiſſimæ morti tradidiſti; neque enim eſſet mors in mundo, niſi tu eam inuidia

ὦ φθόνε [illegible]

Inuidiæ deteſtatio.

D peperiſſes. Teſtis eſt diuinorum librorum auctoritas. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Tu & Cainum candida fraterni amoris veſte ſpoliaſti, & inſidioſæ cædis gladio armaſti, tu eum occidere docuiſti, & continuo miſerum tremere docuiſti. Tu in Pharaonis animo inſidens recens genitos Hebræorum infantes, quaſi herbam arefeciſti. Tu ô inuidia beneficio affecta in eos qui beneficio te affecerunt, vehementius commoueris, vt Saul à Deo adiutus, & à te correptus ad cædem ardentius ferebatur. A te agitati filij Iacob formoſum & ſplendidum Ioſeph in tenebricoſam Ægyptum miſerunt, & liberum tamquam ſeruum venundederunt, ita neque eos inſomnia terruerunt, diuina enim viſio indicabat figuram eum eſſe Chriſti (ab vndecim quippe ſtellis in viſione adorabatur) poſtquam & proditor Iudas inuidia impulſus laqueo vitam finiuit. Nos autem mor-

Sap. 1. & 2

Gen. 4.

Exod. 1.

tis parentem fugientes inuidiam, ſurgentes Deum, quem in Trinitate adoramus, celebremus laudibus, quoniam ipſi conuenit poteſtas, honor, gloria & magnificentia, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

Matth. 25

In decem virgines.

Oratio VII.

CVm fragilem & caducam vitæ noſtræ conditionem, perpendo, ac nutantem vertentis anni circulum multiſq; obnoxiam moleſtijs hominum ſtationem, & humanos caſus, tum prætereo facile præſentis ſæculi negotiorum vmbram, gloriæ momentaneum nomen, fragilitatem poteſtatis, proſperitatis imaginem, & ſomnium diuitiarum. Cum vero deinde conſidero diem illum extremum, & ineuitabilem illam conſummationis celeritatem, reddendæ rationis tempus, & nullis flexibilem blanditijs iudicem, horrendamque iudicij conſtitutionem, quomodo è cælis fulgurans aduenit iudex, quomodo commotæ virtutes cæleſtium antecedunt, quo pacto tremendus præparatur thronus, cælum vt liber conuoluitur, elementa metu diſſoluta inflammantur, concutitur ſolum iudicis inceſſum expectans, quomodo horrendum clamorem edent tubæ, aperientur monumenta, excutientur ſepulchra, exilient ſomno expergefacti mortui, puluis in ictu oculi ad propriam diſpoſitionem reuertetur, quomodo ad ſua recurrent corpora animæ, iuſti in occurſum pergent, quomodo ſiſtit ſe ſponſus media nocte, dignique habentur ingreſſu iuſti, quomodo negligentibus thalami ſponſalis occluduntur fores, cum hæc omnia mente mea contrectaui, beatas exiſtimo prudentes illas virgines, quas nobis paulo ante euangeliorum liber propoſuit, quoniam & cum infirmitate capiendi ſomni depugnarunt, & cum immutabilem temporis præterlabentis conditionem animaduertiſſent, occaſionem aduentus obſeruarunt, animumque ſuum timore occurſus incorruptibilis ſponſi excitarunt, quod cum nocturnas tenebras exploraſſent, accuratam lucernarum curam geſſerunt. Nihil autem vetat, quominus ipſas etiam diuinas ſyllabas percurramus. *Simile factum eſt*, inquit, *regnum cælorum decem virginibus, quæ, cum accepiſſent lampades ſuas, exierunt obuiam ſponſo*. Sed quando quæſo exierunt? quando diſtractionibus huius vitæ ſeſe expediuerunt, quando per arctam & ſtrictam viam incedere ſtatuerunt, quando voluntariam adamarunt duram educationem, quando ſe nuptiarum legibus non obſtrinxerunt, cum voluptates vitæ neglexerunt, cum optimam partem incorruptionis elegerunt, cum ſapientia conditos mores adamarunt, cum temperantiæ ſocietatem inierunt, cum ſancti Sponſi amore arſerunt, cum omnia ſigna vitæ ſæcularis abiecerunt: Tunc exiuerunt obuiam ſponſo. Erant autem, inquit quinque prudentes, & quinque fatuæ, vnde autem dignoſcuntur prudentes? Ex eo nimirum quod eleemoſynam cum temperantia copularunt, beneficentia virginitatem ornarunt, intellexerunt fidem ſine operibus mortuam eſſe, cenſuerunt non ſufficere rem vnam laudabilem ad ſalutem: neque enim vna ala ſeſe aquila in altum tollit. Recordatæ ſunt illius ſponſi vocis dicentis: *Miſericordiam volo, non ſacrificium*. Et rurſus: *Quoniam ſuper iudicium miſericordia exultat*. Hæc probe ſecum perpendentes

Oſeæ 6. Iac. 2.

A impleuerunt vaſa ſua oleo. Quænam autem vaſa? nimirum fame laborantium ventres, ſpiritalium nuptiarum conciliatores, pauperes locupletarunt, compararunt ſibi miſerationum viaticum, fame laborantes nutriebantur & lampades illuminabantur, mendici gratias agebant, & ſponſus delectabatur, eleemoſyna ſpargebatur, & quæ expectabatur merces præparabatur. Prudentes verba illa Dauid pronuntiabant. *Paratus ſum, & non ſum turbatus*. (Pſal. 118.) Fatuæ vero geſtantes lampades ſine oleo longè à ſponſo aſpiciebantur. Quomodo vni adhærebant officio? quomodo integritatem quidem ſibi comparauerant, humanitatem autem repudiauerant. corpori quidem ſuo vacuitatem paſſionum conciliauerant, compaſſionem autem erga egenos non præ ſe tulerant. Quî factum eſt, vt temperantiam quidem dilexerint, hoſpitalitatem autem auerſatæ fuerint? Quis tandem igitur finis fuit? *Moram autem faciente ſponſo*, inquit, *dormitauerunt omnes, & dormierunt*. Verum eæ

B quidem quæ oleum præparauerant, ſecuræ erant nunquam extinctum iri lampades ſuas: fatuæ autem ad id tempus differebant, quo neceſſum eſſet id habere. Cur igitur non comprehendo breui? Venit hora, tempus anteuertit, ſonitus audiri cœperunt, reſonabant tubæ, concutiebantur elementa, aër agitabatur cælum inclinabatur, firmamentum tremebat ſtellæ ſoluebantur, perturbabantur virtutes, præcurrebant angeli, fulgura antecedebant, ingenti tumultu concitabantur creaturæ. Non enim de die, ſed noctis medio iudex aduenit. Quid deinde? Fit clamor ad occurſum vocans, *ecce ſponſus venit, exite obuiam ei*. Quid ergo accidit? Surrexerunt virgines, excuſſerunt ſomnium, arripuerunt lampades, ſed aliæ quidem ardebant, aliæ vero minime apparebant. Ac prudentum quidem lampades bonorum operum oleo irrigabantur, quæ vero erant fatuarum, extinguebantur. Res erat miſeratu digna. ineuitabilis quædam neceſ-

C ſitas mulierculas illas obſeſſas tenebat, non erat relictus in illa calamitate conſolationi locus. Tum enim ad prudentes conuerſæ, quod accipere non poterant, petebant. Date enim nobis de oleo veſtro, quia lampades noſtræ extinguntur. oportuit igitur imitari, non autem iam obteſtari: nam ab ijs, qui vendunt, oleum emendum fuit. Date vos, inquiunt nobis oleum. Fruſtra prudentes obſecratis, O pigræ, iamdiu dimiſſus eſt vitæ conuentus, iam theatrum vitæ præterijt, non eſt iam tempus contrahendarum pactionum; nunc exigitur operum exhibitio. Præuidiſſe periculum ſeculi huius oportuit, huius occurſus curam geſſiſſe oportuit. cogitandum fuit ſine oleo lampades illuminare non poſſe. Dicitis, date nobis de oleo veſtro, nemo alienis operibus exornatur; quiſque ea, quæ ſeuerit, metit. Date vos nobis

D oleum. Quid ergo prudentes reſponderunt? Ne forte non ſufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendentes, & emite. Adhuc etiam, quamuis perexigua quædam reliqua ſit hora, currite, elaborate, nondum aduenit ſponſus, properare antequam occludantur fores, ad vendentes proficiſcimini. Quinam autem ô prudentes ſunt illi vendentes? Ignorant enim ipſæ, quæ nunquam huic commercio ſunt aſſuefactæ, quinam hi ſint vendentes? Qui eccleſiarum fores obſident pauperes, ratione præditæ hirundines, quæ rationabile animarum ver annuntiant, venerandi apud Dominum mediatores, inuicti in die iudicij oratores. *Dum autem irent illæ emere oleum, venit ſponſus*. O pernicioſam negligentiam! ô incurabilem dolorem! ô damnum nulla conſolatione mitigandum! ô intolerabilem luctum! Dum autem illæ irent emere, venit ſponſus, venit expectatum gaudium, venit exultatio iuſtorum, media nocte venit lumen. Iuerunt obuiam prudentes, cum ſponſo ingreſſæ ſunt, clau-

ſæ ſunt

ſæ ſunt fores. Horreſco dum mihi in mentem venit, quod factum eſt, dum eum enarro caſum, qui mulierculis accidit, totis artubus contremiſco. Venerandum thalamum intueri optabant, propter eum enim delicias mundi abiecerant, voluptates neglexerant, gloriam deſpexerant, vias duras cuſtodierant, perturbationes ſuperauerant, cum delectationibus decertarant: ſed quoniam oleum non habebant, occluſa regni clauſtra repererunt, omni ſpe introeundi ſublata. Nam cum veniſſent, pulſabant, dicentes: *Domine, Domine, aperi nobis:* iudice ex interioribus ædibus terribiliter inclamante. *Amen, amen dico vobis, neſcio vos.* O ſupremam ſententiam, licet non per angelum, ſed per ſe ipſe luctuoſum reſponſum dederit, vt cùm vocem audirent, faciem autem videre non poſſent, multo amplius torquerentur. *Amen dico vobis, neſcio vos.* Domine in te proiectæ ſumus ex vtero, ſecutæ ſumus te à iuuentute noſtra, integritatem conſeruauimus, quod nobis effinxiſti, corpus incorruptum ſeruauimus, non ſubiecimus membra perturbationibus, coronas à gloria tua ſuſcipiendas expectabamus, & nunc fores occluſiſti, ac dicis, neſcio vos. Quid ita Domine? Tum Dominus, Quid ita? *Quoniam eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui & non potaſtis me; hoſpes eram, & non collegiſtis me, nudus & non induiſtis me, infirmus & in carcere, & non veniſtis ad me.* Scriptis verbis, declaraui vobis, dicens: *Quatenus non feciſtis vni ex his fratribus minimis, & paruis, nec mihi feciſtis.* Illæ autem dixerunt, Fruſtra ergo Domine laborem & afflictionem carnis ſuſtinuimus; fruſtra vigilijs, & ieiunijs nos ipſas confecimus? Fruſtra cæleſtem ſponſum ad finem vſque deſiderantes, virginitatem illibatam conſeruauimus. Sane, inquit, virgines quidem eſtis, ſed dotem non habetis, ſed nuptiali mundo exornatæ non eſtis. carnis ſanctitatem exercuiſtis, ſed inhumanitate ſanctitatem læſiſtis? Incorruptum veſtrum eſt corpus, ſed mores immiſericordes, non naturæ, ſed inhumanitatis. Meus nuptialis mundus eſt bonorum operum oleum. Oportet ergo eas, quæ meæ ſponſæ factæ ſunt eis moribus exornari, qui mundo illi conueniant. Non poſſum thalamis meis nympham excipere, quæ mecum pugnet, non introducam bellum in thoros pacatos. Diſcedite à me, ne fruſtra obſtrepite foribus meis, miſericordium eſt domicilium regnum meum. Ille mecum facile ingredietur, qui meam in pauperes miſericordiam imitatus fuerit, qui ſpiritui pauper fuerit, qui indigentibus aures faciles præbuerit, qui proximorum malis non aliter perculſus fuerit, ac proprijs, qui alienis calamitatibus illachrymatus fuerit, qui animam eſurientis ſatiarit bonis; qui nudorum humeros calefecerit, qui ægroti vocem aure ſurda non præterierit, qui puſillanimi conſolationis ſermonem fœneratus ſit, qui peregrinum tecto exceperit, qui compaſſionis ſpongia lachrymas viduarum abſterſerit, qui orphanorum conditionem grauem, & miſeram, ſubſidio ſuo leuarit? His admoniti fratres, nolite linguâ mirari, ſed opere imitari, linguæ ſiquidem ſignum manus, eamque dexteræ interpretatur largitio, quæ verba imitatur. Amorem in pauperes plurimi faciamus, diſpergere nummos in pauperes, quæſo, ne grauemur, Domini vocem audiamus, metum experti experientiam declinemus, nobis ipſis propter eſurientes non parcamus. Etenim virgines, quod humanitatem non coluiſſent, à ſponſi thalamo arcentur. Quæ porrò ſpes illis relicta eſt ijs, qui præ inhumanitate contumelijs affecerunt. Hæc dum apud vulgus eloquor, negligentiorum conſcientiam confirmo, nulla in re benignos lædens, ſed eos, vt ardentius in pietatem incumbant, incitans. Diſperge itaque, mi frater, quandiu durat huius vitæ conuentus negotiare in ijs quæ tibi defenſioni futura ſint, antequam throni ponantur, luctum præ te fer; præueni ſponſi aduentum, curre velocius quam peccatum, præoccupa illam dijudicationem, quæ præſtituto futura eſt tempore. Cole iudicem, ne tibi accidat, vt tribunali nudus ſiſtaris. Nunc pecunias diſtribue, vt tunc crimina diluas; alloquere ſolus iudicem ſolum, ne coram omnibus condemnet te. accipe mediatorem pauperem ad eius fauorem promerendum, per illum corrumpe muneribus iudicem, illi ſoli hoc crede ſecretum, vende per illum ius iure, mendicus accipit, & iudex remiſſionem ſubſcribit, ſine ſcripto ſuſcipit, & manu ſcripta profert. *Qui enim miſeretur pauperis, Domino fœneratur.* Id quod nunc in manum pauperis iacis, hoc in iudicis dextera agnoſces. Si ergo iudicium elabi contendemus, hic etiamnum iudicem per pauperes exorabimus. Et tum quoque cum domi tuæ moriturus diſponis, inter cognatos & amicos tuos hæredem ſcribe animam tuam excedentem è viuis. Da illi quamuis exiguum neceſſitatis viaticum: ſit in tabulis teſtamenti ſcriptum nomen iudicis: ne ſit expers mentionis pauperis charta; conciliatorem gaudij non luctu dignum funus efficiet: ne ſine patronis horrendo te ſiſtas foro: paſce ventres eorum, quorum linguæ tibi patrocinari debent. Per eos nobis debitorem reddamus creatorem, ne pœnas demus. Emamus pecunijs nobis oratores futuros ad rem eiuſmodi conſequendam: habes quippe teſtimonij de me teſtem pauperem conciliatum. Qui fœnum pecoribus oriri iubeo, & omnibus præbeo cibum: & tamen te eleemoſynam faciente, ego cum paupere manum extendo, & obolum excipio. Amictus ſum lumine ſicut veſtimento, &, ſi ſolum pauperem operias, ego ſentio calorem. Vides in cælo conſidentem cum patre, & ſi ſolum ad eos, qui in carcere ſunt, viſitandos perrexeris, inuenies me in vincula reſidentem: quod ſi ad ægrotos properaueris, à lecto non abſum. Vbique ſum enim, & ijs, qui premuntur neceſſitate, ſuccurro. Quod pauperi dederis, id apud me multiplicatum videbis. Si in ædes tuas introduxeris eum, qui tecto caret, etiam me per ipſum domi tuæ ſuſcipies. Hæc tibi tria præbebo, & lucrum augebo, & domum tuam cuſtodiam, & habitationem tibi præparabo in cælis, vnde abſcedit omnis labor, & triſtitia & gemitus in Deo Patre ſimul cum Spiritu ſancto, cui gloria, & poteſtas, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

Math. 25.

Prou. 19.

Eleemoſynæ fructus.

In meretricem.

Luc. 7.

ORATIO IIX.

DEVS quidem omni tempore, vtpote benignus, peccatoribus tempus ad pœnitentiam concedit: ſed animam ſuam vir negligens per ſocordiam perdit. Etenim rebus inanibus, & caducis dum addictus eſt, cæleſtium bonorum adeptione priuatur: & qui rerum omnium Dominus rexque conſtitutus eſt ab opifice ſuo ac Deo, ob ſæcularia deſideria factus eſt ſeruus peccati. Quamobrem de ijs qui hæc faciunt, inquit Dauid. Neſcierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant. Et Chriſtus peccatores, innuens ait. *Non veniunt ad lucem, vt non arguantur opera eorum. Omnis enim qui mala agit, odit lucem.* Et rurſus: *Ego veni in mundum, vt non pereant, ſed*

Pſalm. 81

Ioan. 3.

Digitized by Google

Ioan. 12. *vt vitam habeant.* Et rurſus: *Non veni vt iudicem mun-* A
Ioan. 10. *dum, ſed vt ſaluum faciam.* Et rurſus: *Animam meam pono*
pro ouibus meis. Hæc verba cum audijſſet meretrix,
tamquam aromata vndiquaque propagata, & om-
nibus, qui digni erant, odorem fundentia, cum
illi mala eius opera in mentem veniſſent, his con-
tinuo adhæſit, ſuam deplorans infamiam, cum
ſecum cogitaſſet quanta ſibi ob hæc ſcelera im-
minerent mala, multa enim triſtitia, multuſque
dolor tum temporis eos, qui meretriciè viuunt,
inuadit: horum metu perculſa mutata eſt mere-
trix, nec iam amplius meretrix fuit, ſed conti-
nuo virgine honeſtior facta eſt. Etenim ſedens ad-
uerſus ſeipſam iudicium exercuit, & ſeipſam con-
demnans, dixit, Hei mihi peccatrici, quouſque tan-
dem à malis me non ſeiungam? cur non cogito
quanta ſit miſericordia Dei, cum propter me tam-
quam ouem errantem omnes vias circumeat
Dominus? Propter me ſiquidem inclinauit cælos
& deſcendit, cum peccatore Phariſæo cibum
ſumit, qui dat eſcam omni carni: Appropinquat
peccatori qui omnis expers eſt peccati: menſæ fit B
particeps, qui omnes nutrit: & iacet in terra qui
ſuper Cherubim geſtatur, & peccatoribus omni-
bus chirographa peccatorum vltro largitur. Quid
etiamnum manes? Aude anima mea accede: non
venit vt ſaluos faceret iuſtos, ſed peccatores. Hæc
cum illa dixiſſet continuo à menſa Chriſti bonus
odor indulgentiæ ad meretricem peruenit, olim
incontinentem, nunc temperantem, olim feram,
nunc ouem, olim ſeruam peccati, nunc liberam
pœnitentia. Et ſtans apprehenſionis promptitu-
dine, animo venit ad ipſum, ac cernens dominum
apud menſam, non petijt micas, vt Chananæa, ſed
Math. 15. ipſum vitæ panem totum complexa eſt. Nam
Chananæa quidem pro filia à dæmonio vexata C
precabatur, & cum audiret canis, vt micas accipe-
re liceret, petebat. Hæc autem non filiam habebat
à dæmone arreptam, ſed totum corpus impudici-
tijs arreptitium. Ac Chananæa quidem omnino
clamabat, *Miſerere mei fili Dauid*; meretrix autem nec
vocem quidem mittebat: ſed cum probè ſciret Deũ
omnia noſſe, tacens ore, corde loquebatur ei, qui
corda nouit, & plorans deoſculabatur pedes, atque
ita Dominum ad compaſſionem inflexit. Enimue-
ro fratres inueſtiganda nobis eſt, ſi lubet ſapientis
illius mens, vt diſcamus, quo modo illam ita exce-
perit Chriſtus, & quomodo tenebris obſeſſæ animæ
Pſalm. 44. illuxerit. Verè enim prædixit Dauid, *Speciosus forma*
præ filijs hominum Dominus, neque ſolum ſpecioſus,
ſed & ſpecioſorum amator. Hanc enim, priuſ-
quam ad ipſum ingrederetur, iam nouerat optima
mente, ac conſilio inſtructam. Verum audiamus ſi
Luc. 7. videtur ipſa Euangelij verba. *Cum recumberet Ieſus in* D
domo Phariſæi, mulier quadam in ciuitate peccatrix audiuit.
Et cum cœpiſſet alabaſtrum vnguenti pretioſum
ingreſſa pedes eius vngebat, & lacrymis rigabat
capilliſque tergebat. Magnum ſtudium mulieris,
magnus ad ſalutem curſus, magna contentio ani-
mi, qui ſe periculo expedire cupit. audijt & prope-
rauit, ad pœnitentiam animum appulit hæc ſecum
reputans. O peccatrix anima terque miſera quid
2. Cor. 6. expectas? quid differs ſuſpenſo animo? *Ecce nunc*
tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: Ecce tempus
quod quærebas aduenit: Ecce adeſt qui ſoluit &
tollit, & abſtergit peccata; adeſt vnguentum, quo-
uſque tandem in luto ac fœtore hæres? perge ad
illum, etenim propter te venit ille, abijce exoleta
vana, & dilige quæ nunc ſunt tempeſtiua; illa dete-
ſtabilia, hæc deſiderabilia & æterna. Odio proſe-
quere priſtinam mentem, vnge vnguento creato-
rem, blandire illi, qui te ſaluam facere vult. Inue-
niſti amatorem præ omnibus, quos vnquam ha-
bueris, amatoribus. Illos oſculata multa tibi pec-
cata cumulaſti, hunc ſi oſculata fueris, etiam priora
peccata, quæ ex illis contraxiſti, ipſe condonabit.

A Ita ſecum ratiocinata in ædes irrepſit, aitque. Re-
cedo à veteribus malis, & noua inuenio bona. Vale
dico, & abdico me malo, atque coniungor bono.
audiui enim dicentem Dauid: *Accedite ad eum, & illu-* Pſalm. 33.
minamini, & Dominum ipſum dicentem: *Appropinqua-* Iac. 4.
te mihi, & ego appropinquabo vobis. Appropinquo & ego
Deo, ſed vereor accedere peccatrix ad eum qui
peccati expers eſt, lutum ad vnguentum. Verum-
enimuero habeo miſericordiæ eius pignus vocem
dicentem: *Venite ad me omnes peccatores, & ego reficiam* Math. 11.
vos. Diſcedo ergo: non me probro afficit, non dicit
mihi, Recede à me peccatrix, hactenus in tenebris
vixiſti, & nunc me iuſtitiæ Solem viſum veniſti?
Verum quid differo? Accipiam vnguentum, & ad
eum pergam, Phariſæi domum mihi Baptiſterium φωτιστήριον.
faciam, & ex fluentis lacrymarum piſcinam mihi &
lauacrum parabo. Ex alabaſtro vnguenti ſigillum
fidelium in fronte ſumam, & per pœnitentiam
mundabor à peccatis, ac medicæ orationis opera
laqueos euadam diaboli. Intuere mihi in veteri te-
ſtamento Raab meretricem, quæ ad portam vrbis
B domicilium peccati collocauerat: atqui ipſa cum
Iſraëlis exploratores excepiſſet mercedem hoſpi- Ioſ. 2.
talitatis vitam accepit. Qui enim eam ſeruauit Ie-
ſus Naue Ieſu veri figuram geſſit. optimum mere-
trici præmium propter exploratores Ieſu Naue fi-
lius largitus eſt. Si tum igitur Chriſti nomen ſalu-
tem, & peccatorum remiſſionem attulit; nunc ve-
rus Ieſus, & virgo, & ex virgine natus meretricem
hoſpitio excipientem, & vnguento pedes vngen-
tem repellendam cenſebit, ac non potius peccato-
rum indulgentia donabit? Verum tunc quidem
Raab exploratores dimiſit, ego vero maneo eum
tenẽs, quem deſideraueram, non vt illa explorato-
rem vrbis, ſed vt viſitatorem animarum omnium οὐχ' ὡς κατάσκο-
C hominum. Ecce vtique vt dixi tempus aduenit, πον, ἀλλ'
quod cernere optabam, illuxit mihi dies ſolque iu- ὡς ἐπίσκο-
ſtitiæ & annus acceptabilis à Domino & à Deo vi- πον.
ſitatio. Verè namque *viſitauit nos Oriens ex alto, appa-* Luc. 1.
ruit ijs qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent. In Simo-
nis ædibus diuerſatur Dominus, pergo ad illum.
Quid vero faciam? Plorabo vt plorauit Anna ſte-
rilitatem? ſed me Simon quaſi ebriam repu-
tabit, vt quondam etiam Heli pontifex Annam.
Sed manebo tamen corde orans ad pedes Chriſti,
& id faciens lacrymas fundam. Huic puro mere-
tricis ſanctoque propoſito auxiliata eſt fides, acce-
ditque ad vnguentorum venditorem, itaque ſer-
monem inſtituit. Quandoquidem magnus mihi
amicus præ omnibus filijs hominum aduenit, ſi
eximium habes aliquod vnguentum, da mihi; vt
dignè offeram illi, qui merito ſuo à me diligitur,
qui mihi cor, & intimas medullas igne quodam
D nouo vſſit. Ne tibi ſit curæ pretium, etiam ſi me
opus ſit corpore, & oſſibus ſatisfacere, parata ſum
numerare, ac dare, vt vel exiguum quid habeam,
quod illi offeram, qui me ita mundare vult. Ille
autem videns ardorem fidei, animique propoſi-
tum, ait ipſi, Dic mihi quæſo quiſnam ille ſit, quem
amas, qui adeo ſuo te amore inflammauit? quid hu-
ius vnguenti gratia te ab illo impetraturam exiſti-
mas? Tum illa reſpondit; Quid tu dicas mi homo
neſcis, non noſti quæ loqueris. Mihi quidem ille
munus dare poteſt vnguenti loco, cuius pretium
nullo vnquam dono æquari poteſt. Nec cælum
quidem ipſum, neque terra, neque vllus eorum,
qui mundum incolunt, cum eo conferendus eſt
qui ad me venit; quam tu quidem vilem intueris, at
ille vtpote benignus dignam exiſtimans, à pecca-
tis me liberauit. Hic filius eſt Dauid ſecundum
carnem, propterea & conſpicuus eſt, qui & de ipſo
dixit: *Specioſus forma præ filijs hominum.* Hic filius eſt Pſalm. 44.
Dei. & eum non vidi, ſed de eo cum audiſſem, deſi-
derio vulnerata ſum. Dauidem cum amaret Mel- 1. Reg. 18.
cho filia Saul, regias opes dereliquit, & eum egen-
tem ſequuta eſt. Ego vero diuitias meas, magna

contentione, licet perperam, congregaui t emo vnguentum, atque ad Dauidis nepotem mea cauſſa egenum factum accurro. Cumque accepiſſet fidelis meretrix vnguentum, perinde quaſi vocata eſſet, ad ædes Phariſæi properauit. Ac Phariſæus quidem cum meretricem videret Ieſu pedes tenentem, eoſque vnguentem, totamque domum vnguenti odore repletam, ſic apud ſe ratiocinabatur, dicebatque. *Hic ſi eſſet propheta, ſciret vtique quæ, & qualis eſt mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix eſt.* Et mulieris confidentiam vituperabat, vt quæ impudenter acceſſiſſet, eumque attigiſſet; & Dominum ipſum reprehendebat, vt qui inconſideratè omnes ad ſe accedentes exciperet. Ignorantiæ igitur eum condemnans apud ſe dicebat. Quid hoc rei eſt? Illum ego tamquam ex prophetis vnum ad prandium vocaui, & hanc, quam omnes, qui vrbem incolunt, nouerunt, quam quiſque perſpectam habet, iſte non nouit. Si propheta eſſet, ſciret, quænam hæc mulier eſſet. Chriſtus autem, qui ſcrutatur corda, & renes, cogitationes Phariſæi videbat, in varias partes agitatis eius cōſiderationibus fit intus tranquillitas Chriſtus, aitque ipſi, *Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magiſter dic,* Ait ipſi. Dignum tibi reprehenſione viſum eſt, quod hanc peccatricem non ſim auerſatus, ſed exceperim; dignum tibi reprehenſione viſum eſt, quod non inſectatus ſim, ſed iuſtificarim. reprehendendum videtur, quod non iratus fuerim, ſed placatus; reprehendendum videtur, quod eam, quæ ob peccata ſua fugere volebat, reuocarim? Cum deberes potius gratulari lapſo, & mox reſurgenti, dolorem inurunt tibi aliorum bona. Verumtamen non eſt rationi conſentanea reprehenſio tua, confer hoc cum eo quod tibi narraturus ſum. *Duo debitores erant cuidam fœneratori:* vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Cum vero egeſtate premerentur, ambobus chirographa ſua vltro reddidit fœnerator. Quis ergo illorum plus diligere debet? Ille autem ait. *Aeſtimo quia is, cui plus donauit. Ait ipſi, rectè iudicaſti. Deinde conuerſus ad mulierem ait Simoni, vides hanc mulierem,* de qua tu ſpem omnem abieceras, tu meos lauare pedes non es dignatus. hæc autem lacrymis pedes meos rigauit; oſculum mihi charitatis non dediſti, hæc autem non ceſſauit oſculari pedes meos. oleo caput meum non vnxiſti, hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Verum diſce ô Phariſæe, quis ſit fœnerator, & qui debitores. Ego ſum fœnerator duorum, tui, & illius, nec veſtri ſolum, ſed & omnium mortalium. Ego omnibus largitus ſum gratis, quæ à me acceperunt; animam, ſpiritum, corpus, ſenſum, cognitionem, motum. Creditorem itaque à te repetentem in ſolidum, quæ accepiſti, ſi non habeas, vnde reddas, ora, vt debitum tibi donet: quod ſi neque reddere poſſis, neque orare digneris, vt tibi donetur, licet non erubeſcas, dum garrulus es, & contendis, tace vt hæc meretrix, quæ multa numero eſſe videns debita ſua, dixit apud ſe, Quid dicam, aut quid reſpondebo? Si dicere velim, non debeo, ſcit ipſe me debere, & à quo tempore referendis rationibus ſim obnoxia. Itaque cum probè ſciret eum omnia noſſe, nullumque ex ijs ſceleribus, quæ in ſe admiſerat, eum latere, ſilentio proceſſit lacrymans, & in corde ſuo omnia debita confeſſa, Deum placatum reddidit. Tace & tu Phariſæe, vt tibi debitum condonet. Noli tu cum reus ſis, condemnatam iam condemnare. Noli tu, cum vilis ſis, vilem vili pendere. Quieſce; neque enim aut tuis, aut illius rebus indigeo, ſed ambobus vt remitterem debitum, veni. Ego enim ſum ille humanus fœnerator duorum, neque tantum vobis, ſed & omnibus, qui ſoluendo non fuerint, dummodo fateantur debitum, & poſtulent per pœnitentiam, vt ſibi remittam, donemque chirographum. Si quis ergo æs alienum contraxerit, accedat ad gratiam baptiſmi, & per eam à debito liberabitur. Agite ergo, ecce à debitis ſoluti eſtis, ab omni obligatione liberati per gratiam eſtis, ne vos primo iam reſciſſo, alio rurſus chirographo obnoxios reddatis. Verumtamen here Domine Ieſu Chriſte, quandoquidem ea quæ debeo tibi, vnde reddam, neque habeo, neque poſſum: meis ſiquidem multis ſceleribus tuam ſortem cum fœnore abſumpſi, ſed ne quæſo à me repetas, quæ mihi dediſti, animæ ſortem & corporis fœnus, quin potius pro tua humanitate eleua grauitatem debitorum meorum, mihique dic, vt meretrici, dimittuntur tibi peccata multa; tu enim ſolus es ſine peccato, bonus, & benignus, & peccata condonans, teque vnum decet omnis gloria, honor, & adoratio, cum Patre tuo qui principio caret, & omnino ſancto, bono, & viuifico Spiritu, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. AMEN.

In ſancta & magna Paraſceue.

ORATIO IX.

FINITVM iam nobis eſt ieiunij certamen, deſijt autem in crucem. Quem enim alium nanciſci finem, victoriam oportuit, quàm vt trophæo terminaretur? Trophæum enim crux eſt, ſemel quidem defixum, ſemper dæmones in fugam vertit: vbi enim nunc idola & inutilium animalium cædes? vbi templa, & impietatis ignis perpetuus? omnia vnius ſancti ſanguinis vi conceditur. Eſt ergo crux poteſtas multum potens, telum inuiſibile, medicina à materia ſecreta, fons extinctor laborum, gloria ſine dedecore, ita vt licet alia infinita dicā de Chriſto, licet ſexcenta miracula enarrans attonitum reddam auditorē, non adeo in illis atque in cruce glorier. Vin' hoc tibi liquido cōſtet? Ex virgine prodijt Ieſus, grande miraculū nuptias ſuperare, & naturam innouare. Atqui niſi crux fuiſſet non ſeruata fuiſſet operibus prima virgo paradiſi. Iam verò crucis tēpore prima ſeruatur mulier, quæ vetus malū nouis largitionibus curat. Atq; in Galilæa quidē ſurrexit mortuus, ſed rurſus obijt. Ego autē per crucem ſuſcitatus à mortuis, non iam amplius morti poſſum occumbere. Nauigabat Ieſus mare, Deus in nauicula, lignū vno die vſui fuit. Ego vero lignū accepi æternum optimū quo gubernaculi loco vtens ſpirituales nequitiæ fluctus repellā. Nutrita ſunt quinque millia ſub vna crucis figura: vbi ergo ciborum reliquiæ? Quo modo qui præſens non ſum, eorū, qui adſunt reliquias accipiam? Erāt quippe duodecim fragmentorū cophini qui ſupererant. Cōgrua planè gratia. Crucifixus eſt Chriſtus, & ſemper nutrimur, & ſatiari rurſus quærimus, & amplius eſt quod ſupereſt. Eſt enim gratia ſine dāno. Laudetur dies quæ lucē peperit, per quā reliquę dies ad lætitiā ſunt vocatæ. Quo id pacto? Audi. Hodie formatus eſt Adā, ſexta die, hodierno die formā conſequutus eſt diuinā. Hodie in mūdo paruus cōſtitit mūdus, hodie homo gubernator præclara humanæ naturæ arripuit gubernacula, princeps omnium animantiū, hodie volūtaria ſuſcepit mādata, hodie excidit à paradiſo, hodie rurſus introductus eſt. O diem variū! ô luctuoſum & luctu vacuū, ô mane quidē triſtitiam afferentē, veſpere autē exhilarātem, vel potius, ô quā multa ſanauit. Magno meo cū dolore fateor vobis, cū mihi veteres occurrunt calamitates, Adamū audiens paterna domo excidiſſe, hominem paradiſi ciuem abſq; agricultura nutritum fuiſſe, abſque pluuia in delicijs verſatum, ni-

Marc. 4.

hil ſudo-

A hil ſudoribus, aut ligone, aut laboribus, aut fatiga-
tionibus ad vitam ſuſtentandam opus illi fuiſſe, ar-
boribus gaudentem ſemper florentibus, à flori-
bus in flores tranſeuntem, à fructibus ad fructus
tranſilientem, vſum habuiſſe cupiditatibus obſe-
quentem, ſæpe autem neſciuiſſe quam potiſſimum
in partem ſe conuerteret præ pulchritudine eo-
rum, quæ ſeſe offerebant, ſæpenumero tantam fœ-
licitatem defleui, cum eum tot bonis excidiſſe vi-
derem. Communis quippe erat calamitas, & quæ
totum genus noſtrum attingebat. Poſtea verò
quàm in euangelia incidi, & in huius diei conſidera-
tionem, reſtiti, ſexta enim erat & illa, & hæc, tum
omnem abieci triſtitiam, & ſermone lætitiam præ
me tuli, ſic apud me cogitare inſtitui, & apud vos
effari. Iam dolor abſceſſit, triſtitia, gemitus, vetera
tranſierunt, ecce noua facta ſunt omnia. Nam
quemadmodum medici vulnera à ſerpentibus il-
lata ex ipſis mutuati remedia ſanare ſolent, & ip-
ſa morbi materia ad morbum profligandum vtun-
tur; ita ſaluator noſter omnibus malorum occaſio-
B nibus ad bonum vſus eſt, amarum in dulce conuer-
tit, felleum ad curationem traduxit, mortis ſtimu-
lum aduerſus ipſam inflexit, ligni noxam in ſalu-
tem tranſmutauit, diem aſſumpſit quæ mundum
creauit, & pro illa diem reddidit, quæ mundum læ-
tificauit. Mihi quidem noli credere, ſed oculis tuis:
hunc intuere conuentum, & nobiſcum contende-
re deſines. Dies eſt crucis, & gaudemus omnes, &
ieiunamus à malis, & purgamus omnia, interiora,
exteriora. Hæc eſt feſtiuitatis ratio, hic lætitiæ mo-
dus. Parua dico virtutis crucis miracula. Intuere
totum orbem terrarum, quam multi pagi, quam
multæ vrbes, quàm multæ nationes, quàm multa
loca, quam multæ inſulæ, quam multa flumina,
quam multa littora, quam multæ gentes & familiæ,
& linguæ barbarorum, hi omnes propter crucem
C ieiunant, eius virtute ſuas infirmitates crucifigen-
tes, multiſque nox abſoluitur, neque tamen ieiunij
labor abſoluitur. Nunc etiam quid conuenimus ad
audiendum aliquid de cruce, & eccleſiam imple-
mus noſque inuicem trudimus, ſudantes, laboran-
tes, coram iudicibus quidem qui ſæpe præſidum di-
gnitate functi ſunt, coram Ieſu vero libenter etiam
ſtantes? niſi quod Chriſtus ſtetit propter nos, vt
malitiæ fluxum ſiſteret? Quid igitur hodie factum
eſt? non enim opinor aure ſurda huius diei miracu-
la prætervecti eſtis. Lumen erat reliquum, ipſum-
que ante diluculum; & introducitur vinctis mani-
bus in Prætorium Pilati. Quibus manibus? quæ
cæcos ſanabant, claudos curabant, & digiti vincu-
lis obſtringebantur, qui palpebras efformarunt,
&, qui naturam curabat, colligabatur, ne propium
munus exequi poſſet. Ligatus eſt, qui ligat aquas
Iob 26. in nubibus, qui ſoluit vinctos in fortitudine, qui D
Pſal. 67. captiuis indulgentiam largitur; qui Lazarum ſol-
Eſai. 61. uit à vinculis mortis: pertractus eſt ad Prætorium,
quem mille angeli ſtipatores, ac ſatellites ſequun-
Ioan. 11. tur. Adſtitit coram Pilato is cuius thronus eſt in cæ-
lum, & tentus trahebatur à creaturis creator, opi-
fex ab opificio, auctor ab opere. Quid ergo po-
Ioan. 18. ſtea factum eſt, *Et ipſi non introierunt in Prætorium, vt
non contaminarentur, ſed vt manducarent Paſcha.* O in-
gentem iniquitatem, cædem iniuſtitiæ perpetrant,
& in Prætorium ingredi recuſant, cauentes ne
contaminentur, qui iam contaminati ſunt, oue
ouem ſoluentes. Iudicium itaque ſubijt totius or-
bis terrarum Iudex: expoſitus fuit teſtibus qui ani-
marum teſtis eſt, qui condidit & iudicatur. At-
que homines quidem iudicium exercentes ſede-
bant, Deus autem ſtabat, & ſtans ſilebat. Iuxta ve-
ſtibulum hominum adſtans, cæleſtium Dominus ia-
nuarum. Interrogabat Pilatus, forte humanior
quam Iudæi: quid forte dico? res geſtæ id ve-
Math. 8. rum comprobabunt. *Quam accuſationem affertis ad-
uerſus hominem hunc?* Quis Deum poteſt accuſare?

A Cogor ſiquidem ex Pilati perſona loqui, Ieſus
quippe tacebat, non quod verbis indigeret Ver-
bum, ſed ne reſponſione crucis coronam diſſol-
ueret. An vero poſſeſſiones concupiuit qui
poſſidet nihil? domos alienas, qui nunquam ha-
buit, vbi caput reclinaret? pecunias, qui proprios
diſcipulos vſque ad zonam nudauit? cum non ha-
beret aſinum, alienum quæſiuit, vt noſtros liberos
benediceret. cauſſam afferte, fingite, iuſte è me-
dio tollite. *Reſponderunt ipſi Iudæi: ſi non eſſet hic male-
factor, non tibi tradidiſſemus eum.* Magna rerum de-
monſtratio, indefinita declaratio. dic flagitium,
neque circumducas auditorem: *Dixit eis Pilatus. Ac-
cipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate.*
Æquus iudex reijciebat onus in caput Iudæorum:
vos accipite malitiæ participem. *Dicunt ei Iudæi. No-
bis non licet interficere quenquam.* Quomodo ergo
Eſaiam interfeciſtis, quomodo Zachariam, quo-
modo vnumquemque ex prophetis? Enimuero
non licet vobis interficere, non quia non vultis,
ſed quia non poteſtis. Iam enim erant tali poteſta-
B te à Romanis priuati. Lex ergo iam ſoluta eſt, in
operibus quidem otioſa, in atramento conſiſtens:
eam vero ſoluit qui colligatus eſt Ieſus. Tum Pila
tus. *Ego nullam inuenio in eo cauſſam.* Non tu tantum
Pilate, ſed neque Iudæi, neque cæci, neque mor-
tui, neque ſol, neque luna, neque mundus, ne-
que iuſti omnes, prophetæ, & martyres, neque
propheta qui dicit: *Qui peccatum non fecit, neque in-* Eſa. 53.
uentus eſt dolus in ore eius. Omnes Pilato ſuffragan-
tur in iuſta ſententia dicenda: ſoli aduerſantur
Iudæi, cum clamore accuſantes, & veritatem
inobſcurare tumultu contendentes, illudque Iſaiæ
dictum confirmantes: *Expectaui vt faceret vuam &* Eſai. 5.
fecit ſpinas, non iuſtitiam, ſed clamorem. Dum
gererentur iſta, Pilatus neque dicere, neque au-
dire ob confuſum tumultum poterat, reſque ad
C ſeditionem vergebat: miſit enim ad ipſum vxor
eius egregia auxiliatrix, quæ virum properantem
retineret, dicens: *Nihil tibi & iuſto illi.* Siquidem Matt. 27.
poſſis, ſaluum fac illum; ſi vero nequeas, ſalua te-
metipſum: tantum non proferens illud Dauidis
oraculum. *Ne perdas cum impijs animam tuam, & cum* Pſalm. 65
viris ſanguinum viam tuam. Nihil tibi & iuſto illi,
multa enim paſſa ſum hodie per ſomnium pro-
pter eum. Alter Ioſeph quæ per inſomnia verita-
tem cernit, quæ Iudæorum clamoribus teſtimo-
nium ſuum opponit: conueniebat enim vt ipſi à
mulieribus ſuperarentur. Vicit eos Raab mere-
trix: vicit eos, qui ſanguinis fluxum patiebatur; vi-
cit Chananæa, & nunc rurſus mulier contra il-
los. In anguſtias rediguntur Iudæi, reſpondent il-
li. *Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram de-
bet mori.* Quam vero legem? quibus dictionibus
ſtabilitam? An forte ijs quæ hodie lectæ ſunt.
D *Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt, & ſicut agnus co-* Eſa. 53.
*ram tondente ſe obmuteſcens, ſic non aperiet os ſuum. Ab
iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem.* Has ego
reperio voces illis vtiles, alibi nequaquam, vnde
conſtet iure occiſum eſſe Ieſum, ingreſſus eſt Præ-
torium Pilatus iracundiæ cedens Iudæorum, ex-
tinguere contendens flammam inextinguibilem,
ingreſſus eſt, & egreſſus eſt, vel potius ignem ac-
cendit. Exijt enim, ſecum habens Ieſum corona-
tum, quod ſpectaculum præter illorum voluntatem
apparuit: dum illis aduerſarium iam coronatum
oſtendit, iam victorem, iam regio habitu conueſti-
tum. Nam illud quidem ignominiæ cauſſa fiebat:
ſed natiuæ tamen regiæ dignitatis ſubobſcurum
erat indicium. Vt autem viderunt eum, quem ſæ-
pe vicerunt, quem nunquam viderunt, quem
ſemper videntes inflammantur, propria conſum-
pti flamma, ſponte quippe inflammati fuerant, cla-
morem ipſum Sodomiticum ſuſtulerunt, ſuſtule-
runt, & ſublati ſunt, tolle tolle, crucifige eum. *Vul-
tis regem vt veſtrum crucifigam?* Non habemus regem,

niſi

Digitized by Google

niſi Cæſarem, aiunt. Abnegatio ſine perſequutione, impietas poſt Ægypti mala. Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt è terra Ægypti. Non habetis regem, niſi Cæſarem? quis ergo vobis dux viæ fuit in deſerto? aut quis aluit? quem proclamat. Moyſes di-
Exod. 15. cens: *Dominus regnans in ſæculum, & in ſæculum, & vltra?* Quando ergo regem veſtrum negaſtis, eſtote in poſterum ſine rege, ſeruitutis iugum æternum trahentes. Hæc vſque ad horam geſta ſunt. Videamus & reliquam diei partem tota quippe ſancta eſt, acceperunt eum coronatum: quibus rebus? ſpinis,
Eſai. 5. Iudæorum donis. *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem ſpinas*, colaphis cæſus eſt, verberatus eſt, flagella tulit, ſed nihil horum eum ferre puduit. Confiſte cum Eſaia, & Deum aſpice illius palpebris. Quid
Eſa. 55. ergo ait ille? *Domine quis credidit auditui noſtro? Vidimus eum, & non erat ei ſpecies, neque decor: ſed ſpecies eius inhonorata, & deficiens præter filios hominum.* Non habuit pulchritudinem, neque ſpeciem auctor omnis pulchritudinis: lugebat enim Iudæorum mala, homo in plagis cum eſſet, & ſciens ferre languorem. homo non Deus: homo enim erat, non Deus is qui percutiebatur. Quis ergo ille multis laboribus preſſus, multiſque doloribus, & ab omnibus exagitatus? num forte iuſtè patitur ea quæ patienda ſunt? Is vero peccata noſtra ſuſtinet, & noſtra cauſſa do-
Luc. 23. loribus angitur. *Ego nullam inuenio in eo cauſſam.* Noli tamen ob ignominioſa bona erubeſcere. Etenim tam multa paſſus impatibilis manebat: vulneratus eſt, ſputis conſperſus eſt, turpiſſima quæque tolerauit, & idem manet honore cumulatus, & gloria inſi-
Eſa. 53. gnis, quaſi vnus ex percuſſis, vt inquit Eſaias. *Et nos putauimus eum eſſe in dolore, & in plaga à Deo, & in afflictione.* Ipſe autem vulneratus eſt propter peccata noſtra, & infirmatus eſt propter iniquitates noſtras.
Ibid. & Itaque & ipſe, & nos ſaucij iacemus: *eius liuore nos*
1. Petr. 2. *ſanati ſumus.* mortuus mortuorum medicus: ſaucius ærumnoſorum hominum remedium contrarium. Sed quouſque tandem fiduciam noſtram circumduces, ô homo, age, dic paulò planius id quod quærimus. *Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente mutus.* Bonam ouem malis traditam coquis. Si iugulatis Iudæi, ne tondete: ſin autem ton-
Luc. 23. detis, parcite oui, quæ multa vobis vtilia parit. *Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo.* Decurrit enim oratio noſtra vſque ad vndecimam diei horam nequis de ſua vita animum deſpondeat. Ac voluiſſem quidem hiſtoriam præterire, eo quod illam ſæpe narrauerimus, ſed video latronem, qui mihi vim ſemper infert. Neque id mirum: etenim ipſius etiam paradiſi portis vim attulit traducta arte ad ſa-
A lutem. Stabat in cruce agnus, cum duobus lupis. Verum hic quidem animo in terris manebat, ille autem iam tranſmutatus erat. *Memento mei*, dicens, *cum veneris in regnum tuum*. O quanta potentia Ieſu! latro iam propheta de cruce prædicat. *Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.* Quid autem regis vides, ô latro? colaphum, ſputum, clauos & lignum, & Iudæorum ſubſannationes, & iam nudatam militum lanceam. At non cerno, inquit, quæ apparent: angelos adſtantes video, ſolem fugientem, velum ſciſſum, terram trementem, mortuos fugam iam meditantes, Ieſu omnes ſuſcipit, qui etiam ijs operarijs, qui circa vndecimam horam venerunt eundem, dat denarium. *Amen dico tibi.* (Accipe & tu, Amen, ô latro, ô tu qui hodie latro es) *hodie mecum eris in paradiſo.* Ego qui eieci, te introducam, ego qui gladio ignito obſæpij aditum: niſi enim ego intro-
B ducam, clauſæ manent fores. Veni huc prædo qui diabolum deprædatus es, & contra ipſum coronatus es, cum hominem & Deum vidiſſes, adoraſti: vetera quidem arma proiecisti, quæ vero ſunt fidei recepiſti. Quæ cum ita ſe haberent, cumque omnia ſanctificata eſſent, ex æthere quidem ſol, è plantis lignum crucis, ex animalibus fel; ex pannis textis, tunica indiuiſa; ex mari autem purpura ſtolæ, ex metallis & ferro lancea & claui & gemini fontes ſanguinis, & aquæ profuſi eſſent, Saluator munere ſuo fungebatur. *Pater dimitte illis peccatum.* Quibus tandem remiſſio? Græcis, Iudæis, peregrinis barbaris, denique omnibus, ſemel enim dixit, & opus vſque perficitur. non enim tantum de hoſtibus dimitte dixit: ſingulis annis dicit, & ſemper dicit, & quicunque vult, accipit. Conuenerunt omnes ad Prætorium Pilati, quid dicentes? *Scimus quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: poſt tres dies reſurgam.* Planè ſcis,
C planè meminiſti, quia reſurrexit. Muni ſepulchrum; mihi enim munis: cuſtodi mortuum, ne aufugiat. *Habetis*, inquit, *cuſtodiam, Ite cuſtodite, ſicut ſcitis.* concludite vt ſcitis, componite vt ſcitis, cuſtodite ſicut ſcitis: niſi cuſtodiatis, mihi prætextus rationem relinquetis. Nunc autem vobis eum trado qui dum viueret, comprehenſus à vobis eſt, cum vero à vobis occiſus eſt, omnes vos latuit. Permaneamus itaque ſobriè viuentes, ne profundo Iudæorum ſomno opprimamur, & cum cæleſtibus exercitibus feſtum diem agamus in Chriſto Ieſu Domino noſtro, cui gloria & poteſtas nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.

AMEN.

In aliquot harum IX. Orationum loca, ſcholia.

NE quid fortè ex ijs Chryſoſtomi operibus, quæ in lucem edita ſciremus, tibi deeſſet mi Lector, has nouem oratiunculas, ἐν προσθήκης μέρει, qualicunq; interpretatione Latinè conuerſas dare voluimus, cum his ſcholijs: tu, quouſq; ab aliquo alio pluriũ codicum ope operaque accuratiori Latinitate donentur, his fruere.

*Fol.*910, *Col.*2. in orat. 2. Hæc oratio Græcè ſic inſcribitur, εἰς τὰ ἅγια θεοφάνια. Nam in ſexto Ianuarij die celebrari conſtat feſtum Epiphaniæ in Eccleſia Græca. Sumuntur autem hæc duo ἡ ἐπιφάνεια, & τὰ θεοφάνια, nunc pro feſto Natiuitatis, nunc pro feſto trium Regum, ceu baptiſmi Chriſti. Epiphanius ſub finem librorũ de hæreſibus. *Pag.*466. ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν ἐπιφανίων, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ κύριος, ἔξεστι νηστεῦσαι, Hieronymus Epiſt.152. *Quæſtiones ad quas vſq; ad diem Epiphaniorum largiſsimo ſpatio me reſponſurum putabam.* Auguſt. ſerm. 36. de tempore. *Vt in vno eodemque tempore & ederetur per virginem, & per myſterium gigneretur. Natalis ergo hodie alter quodammodo ſaluatoris.* Ammianus Marcel. de Iuliano. *Feriarum die, quem celebrantes menſe Ianuario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum eccleſiam numine adorato diſceſsit.* Nicetas in Gregor. Nazianz. orat. de Chriſti Natiuit. διπλῆ τῆς ἑορτῆς ἡ κλῆσις. τὸ μὲν γὰρ θεοφανία, τῆς θεότητος· τὸ δὲ γενέθλια, τῆς ἀνθρωπότητος. Suidas, ἐπιφανεία ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἔνσαρκος οἰκονομία. Dicitur & τὰ ἅγια φῶτα, Vnde oratio eiuſdẽ Nazianz. 39. in ſancta lumina.

Ibid. *col.*2. medio, *Retraxit intra pallium.*) Græca ſic habent in editione Auguſtana. Pag. 376. συνέσταλκεν ἴσως τῆς διπλοΐδος τὴν δεξιάν. corrigo, ἔσω τῆς διπλοΐδος, manifeſta, vt opinor, ſententia.

*Fol.*911. *col.*1. med. *tanquam ponte coniunxiſti.*) Græcè 380. σὺ ὁ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν γεφυρώσας τῷ ἁγίῳ σου σώματι. Ita planè Paulinus noſter ſub finem epiſtolæ ad Alethium. *Qua interuallum iſtud immenſum, quo à diuinis mortalia diſparantur, medio, & inter vtraque communi internuntu ſuo, velut quodam (vt ſic dixerim) ponte continuat.* Malè in excuſis legitur, vt ſic dixerim potente continuat.

Ibid. ſub finem, *æqualis potentiæ.*) p. 381. in Græco libro καὶ ὁμόγναμον, καὶ παντοδύναμον legi, vt collegi ex ſuperioribus ſcribendum, ὁμοδύναμον.

*Fol.*912 *col.*1. in orat. 3. In Calendario Græcorum poſtridie Epiphaniæ, ſiue 7. Ianuar. celebrari dicitur feſtum D. Ioannis Baptiſtæ, vel, vt in Syrorum Calendario, decollatio Baptiſtæ. Sic igitur poſt orationem in Theophania, ſubiungitur hæc in S. Ioan. Baptiſtam, vt poſt illud feſtum, eius celebritas qui illius adminiſter fuit. Ibid. *Quæ paulò ante ſunt lecta*) pro ἀναγινωμένων ἐνταῦθα legi ἀνεγνωσμένων. Si illud retinere malis, verte, &c, *eorũ qui hic regenerati ſunt.*

*Fol.*913. *col.*1. principio. *Eiuſmodi demiſsionis actionibus.*) συγκαταβάσεσι Græcè p. 388. Suidas συγκατάβασις, ὅταν μὴ ὡς ἔστιν ὁ θεὸς φαίνηται, ἀλλ' ὡς ὁ βουλόμενος αὐτὸν θεωρεῖν οἷός τε ἐστὶν, verbum verbo ſi reddas, condeſcenſus erit συγκατάβασις, qua voce Græcos ait deſignare actiones quibus Deus ſe prodit, nõ vt videamus eum ſicuti Deus eſt, ſed quatenus fieri poteſt, vt ab eo videatur, qui eum vult intueri; itaque ſeipſum indicat, vt pro captu intuentis appareat. Cæterùm ſi legere malis hic κατέλαβε ſic vertes, occaſiones arripuit. Locus eſt ſubobſcurus.

Ibid. princ. *hæc pænitentia indigent.*) Græc. 391. μὴ ταῦτα διανοίας δεῖται, καὶ κατανύξεως. ſentẽtia exigit, vt legatur μετανοίας.

Ibid. med. *& regno regnum.*) τῇ βασιλείᾳ τὴν βασιλεῖαν εὐαγγελίζομαι: 392. fortè τῷ βασιλεῖ regi regum.

*Fol.*914. *col.*2. in orat. 4. *quæ ex piſcina exoritura.*) Græc. 400. τῶν μελλόντων ἐκ τῆς κολυμβήθρας ἀνατέλλειν. quæ vox piſcinam, & lauacrum ſignificat. Suidas, κολυμβήθρα ὁ κόλυμβος, κόλυμβος δὲ τοῦ λουτροῦ. Hoc nomine Baptiſterium ſignificat, ex quo multi recẽs illuminati ceu baptizati emerſuri erãt, quos ſydera vocat. Certè ex Oceano etiam ſolem oriri aiunt poetæ. Sic iſte ipſe homil. 7. in epiſt. ad Coloſſenſ. δείξω σοι κολυμβήθραν ἐν ᾗ ὁ μὲν ἐτάφη, ὁ δὲ ἀνέστη. Oſtendam tibi piſcinam in qua alius quidem ſepultus eſt, alius verò reſurrexit. Et paulò pòſt μὴ θαυμάσῃς εἰ γένεσις καὶ φθορὰ γίνεται ἐν τῷ βαπτίσματι.

*Fol.*915. *col.*1. princip. *tum tantã delictorum.*) Græcè 407. καὶ παριδεῖν μὲν πλῆθος τοσοῦτον. addidi *delictorum*, quaſi eſſet πλῆθος τοσοῦτον ἁμαρτιῶν. vel vt paulo poſt eadem pag. τὸ πλῆθος τῶν ἁμαρτηθέντων.

Ibid. fin. *anteacta vita.*) Græcè εἰ μὴ κωλύει τὸν βίον ὁ λόγος. 408. Ita reddidi Latinè, quaſi eſſet, quaſique eſſe deberet, τὸν λόγον ὁ βίος. Iudica lector, & aut Græcum corrige aut Latinum.

*Fol.*916. *col.*1. fin. *Et recordamini tremendorum.*) In Græco libro corruptus fuit hic locus, p. 411. καὶ μεμοσημένοι τῶν φρικτῶν μυστηρίων, τῶν λειτουργῶν, &c. Hœſchelius coniecturam ſuã in margine addidit μεμοιραμένοι. Ego, vt referri etiam poſſit participium illud ad ea quæ ſequuntur, leui immutatione lego καὶ μεμνημένοι. Quod vero ait de miniſtris τῶν μιμουμένων τὰς τῶν ἀγγέλων πτέρυγας λεπταῖς ὀθόναις, refero ad id quod docet Germanus Conſtantinop. in expoſit. Liturg. p. 149. οἱ δὲ διάκονοι εἰς τύπον τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων ταῖς λεπταῖς τῶν λεπτῶν ὠραρίων πτέρυξιν ὡς λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα περιτρέχουσι. Græci enim diaconi ſolebãt lineis vti ſtolis, & id hodieque in Græcia fit, vt amici noſtri ſacerdotis Græci comprobatum teſtimonio didici. Sunt autẽ eæ paulo altiores, amplioreſque noſtris, verum eodẽ pacto geſtantur, quo à diaconis noſtris, vnde in Liturgia Chryſoſtomi. p. 70. editionis Morellij, καὶ τὸ μὲν ὠράριον ἀσπασάμενος ἐπιτίθησι τῷ ἀριστερῷ ὤμῳ. Cæterum illa verba, *ne quis ex catechumenis* habes apud D. Iacobi Liturg. pag. 11. μήτις τῶν κατηχουμένων, μήτις τῶν ἀμυήτων.

*Fol.*918. *col.*2. princ. *Vt à cæde facienda.*) Gr. 437. ποιῆσαι τὸν φόνον, legendum cenſui οὐ ποιῆσαι τὸν φόνον διὰ τοὺς ὅρκους κ.τ.ε. μὴ συγχωρούμενος.

*Fol.*919. *col.*1. princ. *Quibus horum.*) Locus eſt Hierem. c. 5. ex interpretatione Lxx. ποίῳ τούτων ἵλεως γένωμαί σοι. vulgata editio habet, Super quo propitius tibi eſſe potero. Chaldaicæ paraphraſis interpretatio, Propter quid dimittam vobis? Apud Chryſoſt. hic 439. ποίοις τούτων ἵλεως ἔσομαι.

Ibid. *col.*1. fin. *Phengitem lapidem.*) Gr. 441 ἀλλ' ἵνα τὸν φεγγίτην λίθον, ὡς ἐνόμιζον, τῇ ἀπιστίᾳ σκολίσωσι. Plinius li. 36. c. 22. hiſt. lapidem candidum, atque tranſlucentem in Cappadocia repertum ait Nerone principe, qui phengites dictus ſit. Suetonius in Domitiano ca. 14. Parietes phengite lapide diſtinxit, è cuius ſplendore per imagines, quicquid à tergo fiebat, prouideret. Similis eſt huic Chryſoſt. loco ille Clementis Alexand. li. 2. pædag. c. 12. ἐξὸν ἁγίῳ κοσμεῖσθαι λίθῳ τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ, ὃν μαργαρίτην ἡ γραφὴ κέκληκέν που, τὸν διαυγῆ καὶ καθαρὸν Ἰησοῦν τὸν ἐν σαρκὶ ἐπόπτην ὀφθαλμὸν, τὸν λόγον τὸν διαφανῆ. paulò pòſt apud Chryſoſt. pag. 442. poſt κεκρυμμένον addendum eſt θησαυρὸν.

Fol 920. *col.*2. princ. *Cum optimam partẽ.*) Græcè erat 448. ὅτι τὴν ἀγαθὴν μερίδα τῆς ἀφθαρσίας ἐδέξατο. legendũ cenſuimus ἐξελέξατο. alludit enim ad illa Luc. 10. μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο. Cæterum paulò pòſt εὐφροσύνην non παρὰ τὸ εὐφραίνεσθαι, ſed παρὰ τὸ εὐφρονεῖν accipe.

Ibid. *col.*2. med. *Quoniam ſuper iudiciũ.*) Gr. p. 449. ὅτι κατακαυχᾶται ἔλεον κρίσεως, itaq; legitur in quibuſdã editionibus apud S. Iacobum ca. 2. ep. Canonicæ. in aliis ἔλεος κρίσεως. at multo magis variat interpretatio; quã lectio. Beda ex Auguſtino ſic explicat, *Superexultat autẽ miſericordia iudiciũ,* quia quemadmodũ dãnatus in iudicio dolebit, qui non fecit miſericordiã: ita qui fecit, remuneratus exultabit, atque gaudebit. Oecumenius κατακαυχᾶται, ἀντὶ τοῦ νικᾷ, καταγωνίζεται, ἀπαμβλύνει. affertque lepidã ſimilitudinẽ, ὥσπερ τὸ ἔλαιον ἀθλητὰς διολισθαίνειν δίδωσι τὰς τῶν ἀντιπάλων λαβὰς, οὕτω καὶ ἐν τῇ παγκοσμίῳ κρίσει τὰς παρὰ τῶν κατηγόρων δαιμόνων ἐπιφορὰς διαδιδράσκειν παρέξεται ὁ εἰς τὸν πλησίον ἔλεος. Poteſ & vertere, *Gloriatur aduerſus iudicium miſericordia,* vt Rom. 11. μὴ κατακαυχῶ τῶν κλάδων. Noli gloriari aduerſus ramos.

*Fol.*921. *col.*1. princ. *Meus nuptialis.*) Gr. p. 454. ὁ ἐμὸς ἐστὶ νυμφίος * τῆς εὐποιΐας τὸ ἔλαιον. ad explendã hanc lacunã in margine additum eſt κτησάμενον, vel ex coniectura, vel ex manuſcripti veſtigijs, vnde ſuſpicati ſumus legendum, νυμφεῖος κόσμος τῆς εὐποιΐας τὸ ἔλαιον, *beneficentiæ oleum*, nam & ſequitur καταλλήλως τῷ κόσμῳ περικεῖσθαι τόπον, & præceſſit νυμφικὸν οὐ περίκεισθε κόσμον. Chryſoſt. ſententiæ germana illa Clementis Alexand. lib. 2. Pædag. pag. 61. ἔσω οὖν ἐπὶ μὲν καρποῖς τῶν χειρῶν ὑμῶν κόσμος ἅγιος εὐμετάδοτος κοινωνίας καὶ ἔργα οἰκουρίας, ὁ γὰρ διδοὺς πτωχῷ δανείζει θεῷ.

Ibid. med. *Nobiſipſis.*) Græ. p. 455. ἑαυτοῖς διὰ τῶν πεινώντων φεισόμεθα, ita erat in contextu; at in margine ἑαυτῶν διὰ τοὺς πεινῶντας οὐ φεισόμεθα, nempe ob ſuſpicionem corruptæ lectionis, quæ fortean ita adiuuari poſſet. ἑαυτοῖς διὰ τῶν πεινώντων ἐφησόμεθα, *nos ipſos per pauperes introducamus.* Sequitur αἱ γὰρ παρθένοι ἐκβάλλονται.

Ibidem poſt pauca in Græco ὁ ἐμπλήσας ἀγαθὰ, legendũ ἀγαθῶν. verba ſunt è Pſalmo 106. καὶ ψυχὴν πεινῶσαν ἐνέπλησεν ἀγαθῶν. Item pag. 459. πᾶσι σαρκὶ, legendũ πάσῃ σαρκὶ, eſt enim locus Pſal. 135. non, vt eſt in margine 144.

*Fol.*924. *col.*1. princ. *Impietas ignis.*) Malè interpuncta erãt hæc p. 490. τοῦ ναοῦ, καὶ δυσσεβείας πῦρ ἐσβέσθη; πάντα δὲ ἐν ἁγίοις αἵμασι ἔλαμψε. aut ergo legendum eſt πῦρ ἄσβεστον; πάντα δ. vt de perpetuo illo Veſtalium igne, altariúmve continuis ſacrificijs intelligatur, aut diſtinctio addenda ſic, καὶ δυσσεβείας πῦρ; ἐσβέσθη. *aut impietatis ignis extinctum eſt, omnia, &c.* Ita Tertullianus lib. 1. ad vxorem cap. 6. Romæ quidem, quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, de virginitate cenſentur.

Ibid. *col.*1. princ. *Non ſuffecit illorum.*) In Græco eſt ἐκείνων, p. 439 ſed legendum eſt ἐκείνου. Non ſuffecit illius, &c.

Hæc in has nouem orationes annotare placuit, omiſſis

ijs quæ

iјs quæ per ſe ipſe noſcet, qui hanc interpretationẽ cum Græca editione contulerit, in qua animaduerte nos editionem vulgatã ſequutos, niſi ſiquando Chryſoſtomus Lxx. ſequutus ab ea diſceſſit. Cæterum quoniã vna cum his aliæ duæ excuſæ typis erant in editione Auguſtana, iã Latinitate donatæ, neque per otiũ licebat omnia notare, quæ ex collatione cum Græco emendari poterant, quòd ad metam properabant typographi, quædam tantũ loca attingere libuit, quæ maioris viſa ſunt momenti.

Fol.480.col.1. Habes ergo tomo 2. homil. 15. Ex variis in Matthæum locis, cuius initiũ, hoc eſt. *Heu me quid agam? vnde ſermonis exordium faciam? quid dicam? vel quid taceam? Non enim ego tantum, &c.* In Græco vero, loco illorum verborũ vſque ad, *Non enim, ego tantum*, plura erant, quorũ hæc eſt eſt ſententia. *Rurſus Herodias inſanit, rurſus conturbatur, rurſus ſaltat, rurſus caput Ioannis Baptiſtæ iniuſtè abſcindi ab Herode poſtulat. Rurſus Iezabel circuit ad eripiendam Nabuthæ vineam, & Eliam verſus montes perſequendum. Neque vero ego tantum, &c.* Socrates hiſt. Eccleſ. p.261.b. de Chryſoſtomo τὴν περιβόητον ἐκείνην διέξῆλθεν ὁμιλίαν ἧς ἡ ἀρχὴ, πάλιν, ἡρώδιας μαίνεται, πάλιν τ. π. ο. πάλιν ἐπὶ πίνακι τὴν κεφαλὴν Ἰωάννου ζητεῖ λαβεῖν, quæ reperies in Latina interpretatione lib.6.ca.16. Itemque apud Sozomenum li.8.c.20. Sed haud ſcio an ea, quæ ſequũtur huius capitis mẽbra ſint. Nam ante iſtã homiliã habitã aliam fuiſſe ab eo, prodit idẽ Socrates p.260.b. διέξεισι ψόγον κοινὸν κατὰ πασῶν γυναικῶν ἐπὶ τοῦ λαοῦ, quã multitudo in deteriorem partem tanquã ænigma contra Imperatricem elatum arripuit c.14.li.6. & apud Sozomenum ca.16.li.8. Eſt & apud nos liber manuſcriptus, in quo hæc vituperatio mulierum reperitur abſque hoc principio.

Fol.480.col.1. Sapientiſſimus Salomon.) Atqui in Eccleſiaſtico reperitur hic locus, nõ apud Salomonem, in Græco excuſo typis erat, μαρτυρεῖ μοι τῷ λόγῳ ὁ σοφώτατος Σαλομὼν λέγων, συνοικῆσαι λέοντι, καὶ δράκοντι εὐδοκῆσαι. at in noſtro manuſcripto, μαρτυρεῖ ὁ σοφὸς λέγων, συνοικῆσαι λέοντι, κ. δ. εὐδόκησον. Certe paulò pòſt p.421. dum citatur alius ex Eccleſiaſtico locus, ait Chryſoſt. καὶ μαρτυρεῖ μου τῷ λόγῳ ἡ σοφία. Et apud Græcos Eccleſiaſticus dicitur, ἡ σοφία τοῦ υἱοῦ σιράχ.

Ibid.D. *Si tu es Helias, & ego ſum.*) Hæc verba non reperiuntur in editione vulgata, ſed in Græca interpretatione Lxx. ſaltem in quibuſdã exemplaribus, quibus auctoritatem conciliat hic locus Chryſoſtomi. nam ab Antverpiẽſibus Bibliis abſunt, at in Heruagiana editione, & Romana poſtrema Illuſtriſſ. Cardinalis Caraffæ extant. Chryſoſtomus ergo ita p.420. εἰ σὺ ἠλιοὺ, καὶ ἐγὼ Ἰεζάβελ· τάδε ποιήσαισάν μοι οἱ θεοὶ, καὶ τάδε προσθείησαν.

Ibid. *Et cœpit quaſi tædians.*) Ita quoque manuſcriptus, καὶ ῥαθυμήσας, ᾐτήσατο, at in excuſo typis erat. καὶ ἦλθεν ὑπὸ Ῥαμὲθ, καὶ ᾐτήσατο, quem locum corruptũ arbitror, eò quod apud Lxx. ſit in Antverpiens. καὶ ἐκάθισεν ὑποκάτω ῥαθαμ, at in Heruag. & Romana edit. ὑποκάτω ῥαθμὲν. quæ vox ex Hebraico verbo rothem expreſſa eſt, quod iuniperum ſignificat. 3. Reg. 19. Et ſederet ſubter vnam iuniperum. Paulò pòſt, *qui ignem è cælo deduxerat*, manuſcriptus habuit ὁ πῦρ οὐρανόθεν ῥήματι κατενεγκὼν, *qui ignem è cælo verbo deiecerat.* ita etiam p.426. loquitur.

Ibid.*col.2. Atteſtatur huic verbo.*) Rurſus Salomon pro auctore Eccleſiaſtici perperam citatur, errore librorũ. Excuſus ſic habet p.421. καὶ μαρτυρεῖ μου τῷ λόγῳ ἡ σοφία, at manuſc. μαρτυρεῖ δὲ μου τῷ λόγῳ καὶ ὁ σοφὸς λέγων. οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως, καὶ οὐκ ἔστι κακία ὑπὲρ κακίαν γυναικός. Vertendũ eſt itaque, legendumque hoc loco. *Atteſtatur huic verbo ſapiens dicens, Quia non eſt caput, &c.* Deinde notandum hic in Græcis, legi ὑπὲρ κεφαλὴν, vt in Romana editione, nõ vt in Antverp. ὑπὲρ κεφαλῆς; & alteram partẽ huius verſus efferri, vt eſt in Latina editione vulgata, Eccleſiaſtici ca 25. ver.21. non, vt in Græcis Biblijs, καὶ οὐκ ἔστι θυμὸς ὑπὲρ θυμοῦ ἐχθροῦ.

Ibid. *Caſtiſſimum Ioſeph.*) In noſtro manuſcripto exemplum hoc Ioſephi ante illud Dauidis collocabatur, ſeruato tempore ordine.

Ibid.b. *Siue illa pauper, ſiue diues, duplex malum.*) Hæc verba, *duplex malum*, abſunt à manuſcripto, & poſtea de ſola diuite dicitur duplex eam eſſe malum, at de paupere aliud effert manuſcr. ex quo reſtitue in typis excuſo 421. hunc locum, κἂν πενιχρὰ ᾖ. Ita κἂν μὲν ᾖ πενιχρὰ, τῇ κακίᾳ πλουτεῖ. ἐὰν δὲ πλοῦτον ἔχῃ, τῇ κακίᾳ αὐτῆς συνεργοῦντα, δισσὸν τὸ κακὸν, ἀφόρητον τὸ ζῶον, ἀθεράπευτος νόσος, ἀνήμερον θηρίον. *Ac ſi quidem pauper ſit, malitia diues eſt, ſi vero facultates habeat malitiæ ſuæ cooperantes, duplex malum, intolerabile animal, immedicabilis morbus, immanis bellua, Scio ego, &c.*

Ibid. *Vt ſibi ſimilem faciat.*) Interpres videtur legiſſe πρὸς ὁμοφωνίαν. Excuſus & manuſcr. πρὸς δολοφονίαν ὀξύνει, *ad cædem ex inſidijs patrandam exacuit.* Ibid. 422. in excuſo γυνὴ πονηρὰ. at in manuſcripto, vt in margine ex coniectura additũ eſt, οὐδέν ἐστι πονηρὰ γυναικί.

Ibid.c. *Dic verbum in Domino.*) Græcè εἰπὸν τι ῥῆμα πρὸς κύριον. In Antverpiẽſi edit. εἰπὸν τι ῥῆμα πρὸς θεόν. Romana εἰπὸν τι ῥῆμα εἰς κύριον. In quibuſdã alijs vt in Heruag. itidem vt hic apud Chryſoſt. Rectius ergo ſcribes, *Dic verbum in Dominum*, non in Domino, vel ad Dominum. Apollinarius in catena Græca nondum edita, λέγουσα, διὰ τῆς βλασφημίας ἐπίσπασαι τὸν θάνατον ὡς τοῦ θεοῦ πάντως τιμωρησομένου αὐτὸν εἰ βλασφημήσει. Ideo poſtea Chryſoſtomus, vbi ſcribe *in Spiritum ſanctum autem blaſphemanti*, vel certe ex Græco, *in Spiritum ſanctum vero peccatum.*

Ibid. *Carnes eius inuolutas.*) Græc. τὰς σάρκας τοῖς σκώληξι συνειλημμένας, à vermibus correptas, vel, vt manuſcr. σκώληξι συνειλισμένας, vermib. implicatas.

Fol.481.col.1 Quem heſterno die.) Hic locus ſic reſtituẽdus eſt, primũ in Græco excuſo ex manuſcripto, quod à ſimplicioribus ſit incipiendũ. ὃν χθὲς ἠγάπα, σήμερον ἀπατᾷ, ὃν χθὲς ἔθαλπεν ἀγαπῶσα, σήμερον ἔθαπτεν ἀπατῶσα. *Quem heſterno die diligebat, eum hodie decipiebat; quem heſterno die diligens palpabat, eũ hodie decipiens ſepeliebat. Et quid dicemus?* ſed abeſt à Latinis geminatæ paronomaſiæ lepos, qui eſt in Græcis.

Ibid.c. *Virtutis ſuæ martyrio.*) In Græco excuſo τὸ γὰρ μυστήριον αὐτοῦ τῆς ἰσχύος νύκτωρ ἀποσυλήσασα. In manuſcr. ἀπολύσασα, apparet vitio librarij ſcriptum eſſe, *martyrio* pro *myſterio.*

Ibid.d. *Mulieri malæ & iniquæ.*) Hic quidẽ verſus in Latina vulgata editione non extat, at in Græca verſ.28.ca.25. Eccleſiaſtici eſt eiuſmodi γυνὴ ἀσεβὴς ἀνόμῳ μερὶς δοθήσεται, εὐσεβὴς δὲ δίδοται τῷ φοβουμένῳ τὸν κύριον. Græca Chryſoſtomi erãt γυνὴ πονηρὰ ἀνδρὶ ἀνόμῳ δοθήσεται ἀντὶ ἔργων πονηρῶν. vel, vt habuit manuſcr. breuius ἀνδρὶ ἁμαρτωλῷ πονηρὰ γυνὴ δοθήσεται. *Mulier mala dabitur viro improbo pro operibus malis.* Poſt hæc verba eorum loco, quæ in impreſſis Græcis & Latinis ſequuntur de bonis mulieribus, in manuſcripto ſubijciebantur alia quædam contra mulieres, diuerſoque fine homilia concludebatur.

Ibid.d. *Poſuit ergo ei lecticam.*) corrige, *ei lectũ* κλίνην, & paulò pòſt per conuenientia ſtrato indumẽta intellige ſtragulam veſtem, τὰ στρώματα.

Ibid.*col.2. Cubiti ſpatium adminiculabatur.*) Græcè οὔτε πηχυαῖον ἔδαφος πρὸς ἀμπέλου φυτείαν, *neque ſolum longitudinis vnius cubiti ad vitam plantandam.* de hac vidua Sarepthana vide cap.17.lib.3.Regum.

Ibid. *Craſſus aër caligabat.*) Græ. καὶ ὁ ἀὴρ ἐχάλκωτο. Et aer factus erat æs, vel æneus. alludit opinor ad illa verba Leuitici, *Si ſpreueritis leges meas, dabo vobis cælum deſuper ſicut ferrum, & terram æneam.* Item illud, *nubila refrenata pendebant.* Græ. καὶ αἱ νεφέλαι ἐχαλινοῦντο, *nubila refrænata erant.* Nulli vapores eliciebantur, vnde cum Elias pluuiam dedit, nubecula primum apparuit.

Fol.482.col.1. Manum libant.) δεσμεύουσι, manũm ligant.

Ibid. *In libra poſitum prophetæ.*) Dele vocem, *prophetæ*, ex auctoritate Græci codicis non enim propheta, ſed vidua tentabatur.

Habes in tomo 3. alteram de proditione Iudæ homiliam, & in ea locum inſignem de conſecratione ſub finẽ ante illum locum Geneſeos 1. *Non enim homo eſt qui propoſita, &c. ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba.* Græca ſic habent, οὐδὲ γὰρ ἄνθρωπός ἐστιν, ὁ ποιῶν τὰ προκείμενα γενέσθαι σῶμα καὶ αἷμα χριστοῦ· ἀλλ' αὐτὸς ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν χριστός. Σχῆμα πληρῶν ἕστηκεν ὁ ἱερεὺς τὰ ῥήματα φθεγγόμενος· ἡ δὲ δύναμις καὶ ἡ χάρις τοῦ θεοῦ ἐστι. τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, φησί. τοῦτο τὸ ῥῆμα μεταρρυθμίζει τὰ προκείμενα. Quæ ita vertit Beſſarion in libro de Euchariſtia contra Græcos. *Non eſt enim homo qui hæc munera facit corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Figura quidem adimplens adſtat ſacerdos verba illa pronuntians, poteſtas vero & gratia tota Chriſti eſt. Hoc eſt corpus meum, ait. Hoc verbum res propoſitas transmutat.* Atque hæc aliaque ſaltuatim notata boni conſules, candide Lector, quæ tanquam ἐπήλυδες ἐπίκουροι huius operis limbo attexuimus, ſi, cum nemo huic editioni nominatim præeſſet, nobis nullo noſtro periculo ſtudium de te bene merendi noſtrum licuerit profiteri.

FINIS TOMI V.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google